

Digitized by Google

Digitized by Google

N. 1147

6-9.B.8

Digitized by Google

COMMENTARIVS
DE
SCRIPTORIBVS
ECCLESIASTICIS.



Digitized by Google

Digitized by Google

CASIMIRI OVDINI

COMMENTARIVS

DE

SCRIPTORIBVS

ECCLESIÆ ANTIQVIS

ILLORVMQVE SCRIPTIS TAM IMPRESSIS

QVAM MANVSCRIPTIS ADHVC EXTANTIBVS

IN CELEBRIORIBVS EVROPÆ BIBLIOTHECIS A BELLARMINO, POSSEVINO, PHILIPPO LABBEO, GVILIELMO CAVEO, LVDOVICO ELLIA DV PIN, ET ALIIS OMISSIS, AD ANNVM M CCCC LX. VEL AD ARTEM TYPOGRAPHICAM INVENTAM

CVM

MVLTIS DISSERTATIONIBVS,

IN QVIBVS

INSIGNIORVM ECCLESIÆ AVTORVM OPVSCVLA ATQVE ALIA ARGVMENTA NOTABILIORA ACCVRATE ET PROLIXE EXAMINANTVR,

TRIBVS VOLVMINIBVS

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.

BIBLIOTECA ROMA

FRANCOFVRTI AD MOENVM,

SVMPTIBVS MAVR. GEORG. WEIDMANNI,

SAC. REG. POL. MAJEST. ET ELECT. SAXON.

BIBLIOPOLÆ, M DCC XXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORBI LITTERATO
SEV
CRITICIS HVIVS SECVLI ERVDITIS.
PRÆFATIO.

ALiquot ab hinc annis, Amice Lector, editum a me Opuſculum eſſe, lucique publicæ Pariſiis datum, *Supplementum: De Scriptoribus vel Scriptis Eccleſiaſticis a Bellarmino & aliis omiſſis, ad annum* 1460. *vel ad artem Typographicam inventam.* Inſcriptum titulo ſimplici, non ampullato; qui naturam Operis explicaret, non qui lectorem, emptoresque pompatica, vel vaniloqua epigraphe deluderet. Diverſum de eo hominum judicium fuit, nec aliud a me expectari debuit: cum nullus e prælo liber unquam emerſerit, quem pari homines omnes opinione admiſerint: his aggratulantibus, dum cæteri cenſuras inurunt. Hoc tamen benignæ habuit fortunæ, ut ſi publicis applauſibus exceptum Opuſculum non fuerit, illud ut abſonum aut inutile, projectum non ſit: qualia ſunt hodie plurima e prælis emergentia Volumina, quorum illa ſors eſt, ut aſpongia ad pulueres oblivionemque abeant vix unquam poſtmodum tractanda. Admiſſum cum laude aliqua noſtrum, nec tamen a me munuſculis emendicata (quippe qui noverim neminem) a publicis Litteratorum Cenſoribus, quos *Litterariæ Reipublicæ judices* appellamus: tum Pariſiis, cum Lugduni Batavorum ac Parmæ apud Italos. Talem ab æquis iſtis cenſoribus benevolentiam vix primis calami mei properantis crepundiis ſperare audebam. Eruditi tamen haud ita arriſerunt novitio homini: quin & ſenſus ſuos tum ex Galliis noſtris, tum ex aliis etiam regionibus diffitis, aperto verbo expreſſerint: amicis admonentes Epiſtolis, quid in Opuſculo eo, correctione dignum animadverterent. Illos pacificis omnes oculis ut decebat admiſimus, atque ex illorum ſententia quæ peccata a me ſunt, ſecretis etiam verbis, ne mihi indulgerem, in hac editione caſtigata ſunt. Iſtorum porro nonnulli, nimium me brevitati ſtuduiſſe conqueſti ſunt, eamque Scriptionem meam, non eſſe, quæ ſufficientem præ ſe ferret, ſingulorum de quibus agerem, Scriptorum notitiam: quippe qui nihil fere ſemper vel pauciſſima ſaltem, de Vita, Fortunisque ſcribentium præluderem: nec niſi neceſſaria ut æquum de Scriptoribus judicium ferre quis poſſit adducam: cum tamen momenta Operum ex perſonarum, conditionumque inconſtantiis, ponderis atque pretii plurimum ſæpe habeant. Cui tamen ſubjectioni in *Supplementi ad Lectorem præludiis*, reſponſum præmiſeram idoneum. Contra vero alii, æquam fuiſſe Opuſculi noſtri proportionem arbitrati, majoremque in compendio portentoſam fore molem: qui collatis cum Bellarmini Opera noſtris adjectionibus, Supplementum ex æquo proceſſiſſe reſcripſerunt: cui plura ſi adjecta fuiſſent, nec illud *Supplementi* rationem, appellationemque induiſſet, nec Bellarminum ubivis brevem & in Scriptoribus properantem, imitatus egregie fuiſſem. Expoſcebant igitur tam *Supplementi* nomen, quam Bellarmini propoſitum mihi exemplar, cui ſupplendo adhæſeram, ut brevitati conſulerem. Vt primis itaque darem ſatis, grandius aliud ejusdem ferme appellationis, ſimilisque omnino argumenti opus, in quo *Supplementum* illud primum correctum, atque amplificatum includeretur, aggreſſus ſum, ſub titulo *Commentari*

Digitized by Google

tarii de Scriptoribus &c. Abſtulimus ab hoc Opero *Supplementi* nomen, ob illius amplitudinem ac argumentum. Lectori enim æque abſurdum videretur Opus tam *grande Supplementum* appellaſſe ex comparatione ad Bellarmini *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* Opuſculum, quod mole modicum ſatis eſt. Hanc itaque modeſtiæ vocem ex titulo inviti etiam excluſimus, ut argumento & moli Operis conſentaneus magis, idemque titulus paucis tantum verbis refectus, permaneret. Atque in ultimo iſto quidem, nullo jam modo, rationem compendii habebimus, nec ſummatim tantum Scriptores libabimus: ſed plenis quantum dabitur ventis ac velis, legesque prudentiæ patientur, latiſſimum aperiamus dicendi pelagum, agentes *De Scriptorum ortu, patria, natione, genere, ingenio, profeſſione, officiis, fortuna, morte, aliisque, inconſtantiis:* quæ juvent tum ad illuſtrandos, tum aliquando etiam ad deprimendos authores, unde Lectoribus æquum de illis judicium ferre liceat, absque partium ſtudio vel indolis affectu. Ita tamen ut quæcunque de ſingulis ſcripſerim, quodque de illis in bonam malamve partem judicium tulerim, neminem liget, neminem adſtringat: imo & unicuique juxta prudentiæ & æquitatis jura, liceat & judicium meum qualecunque ac de quocunque illud ſit, vel reformare, vel falſum convellere. Vnum coram Orbe litterario fateor, nullis me unquam affectum fuiſſe vel nationis vel partium quarundam ſingularium ſtudiis: meque tam Græcum quam Latinum, tam Hiſpanum, atque Italum, quam Gallum vel Anglum affectu fuiſſe. Vnde conatu ſingulari, ſtudio, mentis atque honeſti ſummoque niſu omne præjudicium tum patriæ, tum nationis, tum denique Monachiſmi olim profeſſi, ſtoice atque hilariter a me abjectum eſt: quo de controverſis ſane arbitrare, non ut vocata in quæſtionem, arbiter dirimerem, vel definirem judex. Iſtis eo lubentius incubui, attentius, curisque majoribus: quo perverſius nihil eſſe poteſt præoccupato animo, ubi de Scriptoribus Eccleſiaſticis agendum eſt. Hinc factum etiam, vt nævos quosdam a me in editione *Supplementi Bellarminiani* admiſſos absque dolore, imo cum ingenua prorſus lætaque fronte correxerim: quæ enim ex malitia vel affectatione peccata non ſunt, hirſuta fronte haud emendantur. Imo æquali ferme ac gratiori etiam verbo a me correcta ſunt atque agnita, quaſi hæc ab aliis admiſſa fuiſſent, nec ullatenus ad me ſpectaſſent. Commodum autem iſtud mihi accidit ex præmiſſo Supplemento tanquam velite, ut ab eruditis viris, Scriptorumque Eccleſiaſticorum callentiſſimis, amica vel voce vel epiſtola admonitus, occaſionem corrigendi nævos non paucos habuerim: quos tamen haud primus admiſeram, ſed cum aliis & poſt alios non ultimus: quæ nihilominus iſtorum aliorum culpa apud idoneos rerum judices, excuſare, meipſum nullatenus poteſt. Parum enim intereſt juxta *Tertullianum*, primusne an poſtremus quis in culpa ſit. Porro ut grande homini vitium, inflexibilem ſe ad omne monitum reddere, impeccabilem ſe in his potiſſimum facti quæſtionibus ac criteriis opinari: ita nec minus in æqui ſenſus limites legesque peccat, qui facilitate quadam nimia, quæ docilem hominem nullatenus decet, obuium quoduis ſibi objectum audit, ingratum quod paucis vel amarum corrigit, ne quospiam ex æquitate judicii ſui ſuſcitatos, patiatur inimicos: vel in ſeſe injuriarum probrorumque denſum nubem provocet, quam ſæpe minantur Sycophantæ, ultimæque ſortis alii viri, ob latas æquiſſime de Operibus ſcriptis, ab Scriptore æquo cenſuras. Convenientius longe eſt, fortique dignius viro, cum æquitatis ratione aperta, ab opilionibus proſcindi, a Martialibus morderi & comminui: quam prolatam juſte ſententiam revocare, cenſuram mollire vel proſcribere, contra veritatis jura & commoda. Vitii quoque hujus maculam ut a me abſtergerem, muliebremque a viri animo infirmitatem procul pellerem: obſurdui nonnullis, paucis licet contra me expoſtulantibus, quaſii durius cum iis in Opuſculo priore egiſſem. Quod enim illi iniquum, ego æquiſſimum: quod durum, ego modeſtum: quod iratum, ego pacatiſſimo a me pronuntiatum ore, amicaque ſcriptum manu animadverti: ſatis habens plura non addidiſſe, quibus cenſuræ æquitatem magis magisque demonſtrarem. Quod autem *Supplementi* atque etiam ſuſcepta compendii ratio haud patiebatur, plura antiquitatis puncta prolixius attingerem: altero jam iſto titulo, ſi tamen alter eſt, quæ paucis tantum vocibus differt, ſuſcipere uberius tractanda, nequaquam prohibeor.

Hanc igitur ob cauſam, varias in hoc Opero prolixiori aggreſſus ſum *Diſſertationes Singulares de quorundam Scriptorum inſigniorum Opuſculis*, latius atque accuratius diſcutiendis, prolixe differentes: quas vereor ne lectoribus ob ſuam prolixitatem nauſeam pariant, licet ea ſelegerim argumenta, ob ſui meritum atque momentum, idonea quam maxime ad Eru-

Digitized by Google

ad Eruditos recreandos, criteriumque apud animos illius ignaros commendandum, atque impenſe inſinuandum. Has inter, potiſſimas habemus *Diſſertationes* de Scriptis *Sancti Clementis Romani Epiſcopi*, *de Epiſtolis Ignatii Antiocheni Epiſcopi*, *Tertulliani*, *Origenis*, *Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi*, *Athanaſii Alexandriæ Epiſcopi*, *Euſebii Emiſeni*, *Cyrilli Hieroſolymitani*, *Baſilii Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopi*, *Gregoriorum Nyſſeni atque Nazianzeni*. De noviſſimis editionibus Operum ſanctorum *Ambroſii Mediolanenſis Archiepiſcopi*, *Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi*. Vt omittamus quæ Singularius etiam a nobis diſcuſſa ſunt, de Scriptis *Caſſiani Maſſilienſis Abbatis Proſperi Aquitani*, *Vincentii Lirinenſis Monachi*. *Hilarii Arelatenſis & Eucherii Lugdunenſis Archiepiſcoporum*, *Fauſti Regienſis* in Gallia Epiſcopi, *Cæſariique Arelatum etiam Archiepiſcopi*, & aliorum: quibus in argumentis vel nihil omnino vel pauca à me omiſſa ſunt, niſi quæ me tum fugiebant. Ex mediis autem ſeculis accurate excutimus editiones Operum S. *Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi*, *S. Maximi Monachi & Martyris*, *Venerabilis Bedæ Angli Presbyteri & Monachi*, *Joannis Damaſceni Syri Monachi*: quæ à Labbeo, Bellarmino, Guillelmo Cavo atque Ellia du Pin nouiſſimis Scriptoribus, vix quidem ob argumenti arduitatem, ſummis labris delibata fuerunt. Hæc ad ſeculum *octavum*. Inde progreſſi ad *nonum*, multis nos & ſingularibus Diatribis De *Ratramno Corbeienſi Monacho*, *de Joanne Scoto Eringena*, *de Anaſtaſio Abbate Romano*, atque hujus ſeculi, aliis. Vt veniamus ad ſeculum Eccleſiæ *duodecimum*, in quo curis omnibus quæ ad *Petrum Abaelandum* ſpectare poterant, in multis Galliarum Bibliothecis inquiſivimus atque aſſignavimus. In eodem autem ſeculo, prolixam de *Alano Magno* olim *Antiſſiodorenſi Epiſcopo*, *& Ordinis Ciſtercienſis Monacho* Diſputationem inſtituimus, occaſione noſtri cujusdam in eum lapſus. Vnum nempe eundemque hominem, in duos juxta vulgarem nomenclatorum ſententiam, atque ipſius *Caroli Viſchii*, qui Ciſtercienſis Ordinis Bibliothecam Scriptorum prolixe ſcripſit, diſſerueramus: quorum alterum ad annum *1180. ad 1290. alterum perperam* aſſignabamus: quem ut a me atque ab aliis errorem amolirer, ſpecialem De unico *Alano Ciſtercienſi* Diſſertationem compoſui, futuram, ut opinor, *Lectoribus haud ingratam*. *Denique ampliſſimas duas*, atque *votum ultra meum prolixas*, ſeculo XIII. admiſimus, De Scriptis *S. Thomæ Aquinatis* Angelici *Doctoris unam*, *De Operibus divi Bonaventuræ*, cui Seraphici nomen indictum eſt, alteram: quas olim in Opere ſuo *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* conſcribi optabat *Labbeus* cui defuncti manibus obtemperatum à me eſt. Hæc de prolixioribus hujus Collectanei Opuſculis, absque affectatione vel partium ſtudio, quæ tamen ut omnibus placeant mihi omnino verendum eſt. Illa quæ ſcripta *Sancti Bonaventuræ* nomine impreſſa examinat, quorum editiones primas judicio ita jejuno factas agnovimus, comprehenſaque in eis Opuſcula ſic abjecta & horrida. ut indigna fere omnia non tantum Doctore Seraphico, qualem hunc virum appellant, ſed & quovis triviali judicata ſint, circumforaneum quendam præ ſe ferentia Ludimagiſtrum, ab omni gravitate & latinitate alienum. Sunt & alia paſſim criterii puncta plurima, quibus ob rationem compendii, in editione Operis prima, abſtinueramus. Accrevit quoque iſtud Opus, plusquam CC. authoribus, quorum MSS. Opera in Bibliothecis deteximus, *a Sæculo potiſſimum nono* illuſtribus.

Sed jam tempus eſt, ut, qua ratione ad molem hanc Opus excreverit, quove modo tot Authores, vel nullatenus vel parce cognitos, cum eorum Operibus Manuſcriptis, habuerimus exploratos. Opportune quibus huic Operi accingebamur temporibus, accidit ut inſigniorum nobis Pariſiorum Bibliothecarum catalogi alphabetici MSS. Codicum conſcriberentur: quibus eximie ad abditos authores plurimos e pulvere educendos adjuti ſumus, qui jam olim varias in Galliis Belgiisque Bibliothecas omnium Ordinum, quoad hos Codices, excuſſeramus. Incepti enim anno 1685. catalogi Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ Manuſcriptorum, *Græcorum* quidem ab eruditiſſimis viris, linguæque hujus peritiſſimis *Joanne Baptiſta Cotalerio* & *Carolo Ducangio*, quos propria præloque egregia data Opera, plurimum commendant: *Latinorum* vero, ab inſignibus atque doctiſſimis curioſorum voluminum iſtorum viris, *Michaele Germano*, *Placido Porchero*, Bibliothecario ac *Theodorico Ruinarto*, Benedictinis Sancti Germani de Pratis Monachis: quorum conſuetudine tunc utebar, ne dicam contubernio. Factus eodem tempore, a clariſſimo ſcriptis & ingenio, viro *Stephano Baluzio*, cura inſigni atque incredibili ſcrupulo, ne quidpiam vel tantillum omitteret, Manuſcriptorum Bibliothecæ *Colbertinæ* Græcorum ac Latinorum catalogus: quo mihi ad votum ut ita loquar, uti datum eſt. Illuſtriſſimi etiam viri *Petri Segnierii*,

gnierii, olim Galliarum Cancellarii, Bibliotheca ditiſſima Codicibus ejusmodi Græcis & Latinis, vetuſtate veneraudis, tunc temporis venui expoſita eſt, hinc cum etiam MSS. Operum catalogum anno 1686. Pariſiis edendum curavit: quo quidquid in ipsâ ſingularius fuit, viris eruditis & antiquariis patefactum eſt, licet ille minus forſan accurate compoſitus ſit. Ampliſſimam pariter, diuturnamque omnium Manuſcriptorum tam Bibliothecæ ſancti *Germani* Ordinis divi Benedicti, quam Sancti *Victoris* ad muros olim Pariſienſes, nunc in ipſâ Urbe, Canonicorum ſancti *Auguſtini Regularium*, notitiam habui: ex propriis harum Abbatiarum catalogis accuratiſſimis, quos aſſidue atque paulatim tempore multo revolvere & conferre datum eſt, cum aliis inferioris meriti & numeri, *Auguſtinianorum Eremitarum & Coeleſtinorum* Pariſienſium. Ex his igitur omnibus Lutetianorum fere omnium librorum MSS. examinibus, Authores, plurimos, quos temporum lapſu deperditos combuſtosve opinabamur, ſalvos atque in Bibliothecis latitantes detexiimus: quos ex anterioribus & aliunde etiam comparatis cognitionibus, hic quantum licuit, inſeruimus; ut ſi quos edendorum aliquando illorum cupido inceſſat, locis indicatis reperiantur, evulgenturque. Favit & aliud impenſe hujus Operis amplificationi mox enarrandum. Ab anno circiter 1650. quo vir clariſſimus Dominus *Lucas Dacherius*, Monachus Ordinis divi Benedicti, Congregationis Sancti Mauri in Gallia, tum colligendis in unum legendis variisque *Sanctorum* ejusdem inſtituti Actis, tum etiam concionando quod tomis in 4. tredecim Pariſiis editum eſt, *Spicilegio veterum monumentorum* celeberrimo incubuit: plurimos hinc inde diverſis annis catalogos Manuſcriptorum Librorum acceperat, qui in celebrioribus Abbatiarum totius Galliæ diverſorum Ordinum Bibliothecis latitabant: ex quibus quid ſubſidii in ſtudiis ſuis, ab his locis atque Codicibus ſperare poſſet, intelligeret. Alios quoque ejus ſucceſſor ac laborum comes, *Joannes Mabillonius* eo tempore habuit, quos in corpus unum collectos, eruditiſſimi *Sancti Germani de Pratis Pariſienſibus Monachi*, apud ſe aſſervant. Totam itaque hanc *Catalogorum Collectionem* mihi committentes, plurimum inde adjumenti habui, ut, quibusnam in locis authores manuſcripti latitarent, Scirem. Sunt autem hi *infra ſcripti Manuſcriptorum Bibliothecarum Catalogi*, nimirum S. Albini Andegavenſis S. Benedicti Floriacenſis, Beccenſis, S. Benigni Divionenſis, Bernaji, Corbeienſis, Cluniacenſis, S. Cornelii Compendienſis, Conchenſis, Ciſtercienſis, Claravallenſis, S. Eligii Noviomenſis, S. Ebrulfi, S. Florentii Salmarienſis, S. Germani Pariſienſis, Gemmaticenſis, Longipontis, Lyrenſis, S. Martini Sagienſis, S. Medardi Sueſſionenſis, S. Michaelis de Tumba, Majoris Monaſterii Turonenſis, S. Martini Turonenſis, S. Martialis Lemovicenſis, S. Melanii Redonenſis, S. Remigii Remenſis, S. Sulpitii Bituricenſis, SS. Sergii & Bacchi Andegavenſium, S. Theodorici Remenſis, S. Trinitatis Vindocinenſis, Vallis lucenſis, S. Vincentii Cenomanenſis, Signiaci, Fuſniaci, Vallis claræ, Aureæ Vallis, & aliorum tam Ciſtercienſis, quam Benedictini Ordinis Eccleſiarum. Plerasque præterea *Ordinis Præmonſtratenſis* in Gallia Bibliothecas excuſſi, atque ex 80. circiter ejus Abbatiis, ſex duntaxat inuentæ, in quibus MSS. Codices extarent: quod non mirabitur, quisquis reſciverit, ignaviam atque ignorantiam Ordinis hujus fuiſſe proprias & eximias dotes, quibus a crepundiis ad noſtra uſque tempora, ab aliis diſtinctus ſit. A *Benedictinis* porro Monachis inſignem ſemper humanitatem, omnem librorum Supellectilem, hortamenta ad ſtudium, omneque liberale officium, ut a literatiſſimis viris ac literatorum amantibus: ab aliis, etiam a noſtris præter ſubſannationem deriſumque, ob corruptionem morum non ſuſceptam, ne latum quidem auxilii unguem expertus ſum: quorum omnium teſtis mihi Deus eſt, quod non mentiar, inde hoc opus renitentibus etiam ac deridentibus proprii Ordinis fratribus, ne otio inerti torperem, aggreſſus ſum.

In argumento autem ſimili, diverſi viri eruditione celebres, hoc ſeculo noſtro verſati ſunt, quorum primus *Philippus Labbeus*, Secundus *Guillelmus Cavus* natione Anglus, Tertius *Ludovicus Ellias du Pin*, Doctor *Sorbonicus*, *primus & ultimus* Galli. *Philippus Labbeus* Soc. Jeſu Theologus, ſcripſit *Diſſertationem Hiſtoricam de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus attigit, impreſſam duobus in 8. tomis anno 1660. Pariſiis apud Sebaſtianum Cramoiſis. Opus quidem eruditum ſed non completum & perfectum, cum de Scriptoribus agat. Solis quos Bellarminus recenſuerat, omiſſis aliis omnibus, qui plurimi omnino ſunt. Præterea ſiluit quoque de manuſcriptis adhuc extantibus multis, authoribus ultimorum Eccleſiæ temporum, qui in multis Europæ bibliothecis adhuc *latitant*, *de quibus, nos occaſione data diffuſe ſatis* loquimur. Alter *Guillelmus Cavus* anno 1688. ſcri-

ſit. *Hiſtoriam literariam Scriptorum Eccleſiaſticorum*, a Chriſto nato usque ad ſeculum XIII, inclusive, quam facili methodo digeſtam, ab ineunte ſeculo XIV. ad annum usque 1517. continuavit & excepit *Henricus Warthonus*, impreſſam in folio Londini anno 1688 impenſis Richardi Chisvvel in cæmeterio divi Pauli. Opus iſtud (ut ingenue loquar) quoad ſcriptores impreſſos accuratiſſimum, in quo etiam cum inſigni diligentia de plurimis MS. & ſcriptoribus Anglis interdum loquitur. Non tamen exacte ſatis cenſuram ſuam exercuit, neque ſi unum Chryſoſtomum aut alios paucos excipias, ex profeſſo ac data opera, authores vel Libros de quibus loquitur, ſigillatim excuſſit, vel lectione attenta ut iudicium ferre poſſet, meditatus eſt. Vnde in antiquis Eccleſiæ ſcriptoribus, plurimos ſæpe tractatus Patrum ut genuinos admittit defectu diſcuſſionis & accurati examinis, quos ſeverior atque in ferendo judicio acrior *Ludovicus Ellias du Pin*, velut dubios aut ſpurios a Patribus, quibus inſerebantur, proſcripſit. *Carum igitur ſæpe Guillelmi Cavi iudicium eſt*, cuius & in hoc opere plures nævi ſunt, quamuis negare non poſſimus, quin ſumma laude ob opus ſuſceptum dignus ſit. Licet nullum authorem proprie ex ſe ipſo ac propriis lectionibus, ſed ex aliorum fide & relatu recenſuerit, qualiter in hoc ſcribendi genere fieri conſuevit. Hoc ut vitarem, plurimos authores & tractatus propriis oculis legi, alienis non fidens, horum præſertim de quibus Diſſertationes ſingulares inſtitui. Vnde eruditi videbunt, quantum utilitatis accedat, ex lectione Patrum vel opuſculorum attenta, ad ferendum de authore judicium. Plurimos quoque ſcriptores medii & poſtremi Eccleſiæ ævi manuſcriptos in Gallicis bibliothecis dereximus, *de quibus ignotis conticuit Cavus.* Denique ultimus *Ludovicus Ellias du Pin*, eodem tempore ſcripſit *novam Bibliothecam Authorum Eccleſiaſticorum* Gallico idiomate, quæ ab anno 1688. ad annum 1693. in 8. Pariſiis & in 4. Amſtelodami ſex voluminibus impreſſa, magnam authori exiſtimationem peperit. Vniverſum enim opus iſtud ab omnibus eruditis cum applauſu ſuſceptum eſt, magnis laudibus ab eximiis Gallicanæ Eccleſiæ Doctoribus approbatum. Ex propria autem ſcriptorum &, opuſculorum Lectione, Ellias du Pin judicium profert, unde rarum eſt, ut falſam vel diſtortam ſententiam ferat. Vltra autem ſeculum Eccleſiæ octavum progreſſus non eſt, & hanc paſſus eſt injuriam, quæ verum dicentibus ſæpe contingit. Anno enim iſto 1693. accuſantibus illum hæreſeos atqve dogmatum perverſorum nonnullis Monachis & Epiſcopis Eccleſiæ Gallicanæ, ad palinodiam Viro liberali indignam ab Archiepiſcopo Pariſienſi *Franciſco de Harlay* adactus eſt, quæ viro erudito ac veraci famam nominis, partamque eruditionis exiſtimationem abſtulit. Cumque jam olim Romæ ob nonnullos editos tractatus male habitus eſſet, hoc tandem anno 1693. tum Pariſiis, tum Romæ opus eius aureum prohibitum eſt, magno ſcriptoris dedecore. Hoc ut nos incommodum vitaremus, nihil in hoc Commentario dogmatice a nobis pronuntiatum, ne opus noſtrum Romanis infenſum foret: neque, quid de dogmate hoc vel illo veteres ſenſerint aut ſcripſerint, examinavimus, ſed præciſe an hoc vel illud opuſculum genuinum, vel ſpurium ſit, dogmate omnimode ſuppreſſo. Præterea cum Ellias du Pin ad ſeculum duntaxat Eccleſiæ octavum proceſſerit, neque de manuſcriptis Codicibus vel Authoribus quicquam dicat: Nos e contra ad annum usque 1460. progredimur, ac de ſcriptoribus adhuc incognitis, qui in bibliothecis hucusque latent, late diſſerimus. Hæc ſunt, quibus opus noſtrum ab ante dictis differt.

Vale Lector, ac mihi fauſta precare.

Digitized by Google

ARGVMENTVM
DE NECESSITATE HVIVS OPERIS.

PRimus, qui de hoc argumento ſuperiori ſeculo ſcribendum ſuſcepit, fuit *Ludovicus Ellias du Pin, qui lingua Gallica anno* 1686. *edendum Pariſiis curavit apud Pralart, in* 8. *opus hujus tituli, nova Bibliotheca ſcriptorum Eccleſiaſticorum, continens hiſtoriam vitæ ipſorum, Catalogum Criſni & Chronologiam operum, Summarium eorum, quæ complectuntur, Judicium de Stylo & doctrina, Enumerationem diverſarum editionum, quæ prodierunt, a Magiſtro Ludovico Ellia du Pin, Doctore Theologo facultatis Pariſienſis & Profeſſore Regio.* Opus primum Pariſiis, quoad Tomum I. qui ſcriptores trium primorum Eccleſiæ ſeculorum complectitur, editum anno 1686, in 8. apud Pralart. Tomus II. ibidem ſcriptores ſeculi IV. complexus, anno 1687. apud eundem editus. Reliqui Tomi usque ad XVIII. & annum MDCC. eadem forma annis ſequentibus usque ad annum 1710. prodierunt. Opus iſtud a Chriſto nato ad ſeculi XVII. finem, per annos XX. & amplius, continuatum ſtudio Authoris indefeſſo. Non tamen in ſeculis ſingulis ſcriptores omnes amplexus eſt, de quibus diſſereret, ſed potiores tantum ac notiores; unde contigit, ut multos, vel ne nimium creſceret argumentum, vel alias ob cauſas, minus notos omitteret. Idem author in *Admonitione* ad Tomum XVI. teſtatur ſeculis XVI. & XVII. ſe non omnes ſcriptores complexum, ſed ob multitudinem eorum nimiam, eos tantum, quos vel maioris momenti vel nominis celebrioris arbitratus eſt: unde non mirum, ſi plurimos omiſſos aliquanti etiam nominis, lector eruditus videat. Cum opus iſtud magnam exiſtimationem vulgo conſequi fratres Huguetani reſciviſſent, illud anno 1693. & ſequentibus, in 4. voluminibus totidem, recudendum apud ſe curarunt ad Tomum XIV. usque, atque a Tomo XV. ad XVIII. annis 1710. & 1711. apud Petrum Humbert.

Secundus qui de hoc argumento ſcripſit, eſt Guilielmus Cavus S. Theologiæ Doctor & Canonicus Windeſorienſis, qui anno 1688. *Hiſtoriam Litterariam de ſcriptoribus Eccleſiaſticis* magno opere aggreſſus eſt, eodem anno Londini in folio apud Richardum Chiswel typographum hoc titulo editam. *Hiſtoria Litteraria ſcriptorum Eccleſiaſticorum a Chriſto nato usque ad reformationem a Luthero in Eccleſia factam, ſeu annum Chriſti MDVII. vel circiter.*

Auctore

d by Google

ARGVMENTVM DE NECESSITATE HVIVS OPERIS.

Auctore Guilielmo Cave, S. Theologiæ Doctore, Windeſorienſis Eccleſiæ Canonico, *Londini apud Richardum Chiswel typographum* anno 1688. in folio. Præmiſerat autem *Chartophylacem Eccleſiaſticum* de quo *Joannes Clericus in Bibliotheca Vniverſali anno* 1686. *Tomo I. Art. XXXI. pag.* 440. editionis Amſtelodamenſis in 12. apud Wolfgangum p. 444. *Chartophylax Eccleſiaſticus, quo prope MD. ſcriptores Eccleſiaſtici, tam minores quam majores, tum Catholici tum hæretici, eorum que patria, ordo, ſecta, munera, ætas, interitus: editiones operum præſtantiores, opuſcula, quin & ipſa fragmenta breviter indicantur, ſcriptores dubii a certis, ſuppoſititii a genuinis, non extantes a ſuperſtitibus diſtinguntur, a Chriſto nato usque ad annum* 1517. *Accedunt ſcriptores Gentiles, Chriſtianæ religionis oppugnatores, & brevis cujusvis ſeculi conſpectus. Studio & Labore Guillelmi Cave Sacræ Theologiæ Doctoris, Canonici Windeſorienſis, Londini* 1685. *in* 8. Addidit autem Operi huic Supplementum Paulus Colemeſius de quo loquitur idem Clericus ibid. pagina 440. hoc titulo: *Ad Guilielmi Cave Canonici Windeſorienſis Chartophylacem Eccleſiaſticum Paralipomena.* Auctore Paulo Colomeſio Rupellenſi Bibliothecæ *Lambetanæ* curatore, Londini 1686. in 8. Præmiſit igitur Chartophylacem Eccleſiaſticum cum *Supplemento Pauli Colomeſii* Guilielmus Cavus, ut quid de illo Opuſculo eruditi ſentirent, intelligens, ulterius & latius poſtea idem proſequeretur, de *ſcriptoribus Eccleſiaſticis* argumentum. Cum itaque ex diſtributione Opuſculi præmiſſi atque eruditorum applauſu, certior de felici ſucceſſu Cavus factus fuiſſet, *Hiſtoriam Litterariam* anno 1688. in lucem produxit. Sive autem morbo detentus, ſive alias ob cauſas mihi incognitas, Guilielmus Cavus ultra ſeculum XIII. *Hiſtoriam Litterariam* non proſequutus eſt, eandemque in ſe ſuſcepit continuandam ab anno 1300. usque ad 1517. *Henricus Wharton*, ſic enim ad calcem Operis: Appendix ad Hiſtoriam Litterariam Guilielmi Cavi, in qua de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ab anno 1300. ad 1517. Authore Henrico Wharton Domini Cantuarienſis Archiepiſcopi a ſacris Domeſticis. Londini impenſis Richardi Chiswel anno 1689. Opus autem ubi applauſu Eruditorum exceptum fuiſſet, decennio poſt Guilielmus Cavus ſecundam partem primæ adjunxit, vel *Supplementum* Operis, cui tum multa de ſcriptoribus *Eccleſiaſticis* addidit: tum ad exemplum Ludovici Elliæ du Pin, *Hiſtoriam Conciliorum* Generalium & Provincialium adiecit, de quibus mentionem nullam in Operis prima parte egerat, editam Londini apud eundem anno 1698. in folio. Cum autem editio illa Londinenſis & carior eruditis & comparatu difficilior eſſet, placuit Genevenſibus typographis iteratam *editionem Operis huius* aggredi, quæ Genevæ annis 1693. & 1699. duobus in folio voluminibus prodiit. Hæc de editione Hiſtoriæ Litterariæ Guilielmi Cavi, Windeſorienſis Canonici. Cavus porro & argumentum Latine, prout illud mercbatur proſequutus eſt, ac de *ſcriptoribus omnibus, Eccleſiaſticis* ſibi notis usque ad annum 1300. vel 1517. in ſecunda parte diſſeruit, quod ab aliis factum non eſt. De hoc Opere ſecundo Cavi agunt Acta Eruditorum Lipſiæ anni 1699. Menſe Aprili pag. 153. & ſequentibus ſub hoc

 titulo,

titulo, *ſcriptorum Eccleſiaſticorum pars altera* auctore Guilielmo Cavo Sacræ Theologiæ Profeſſore, Canonico Windeſorienſi. Appendix ad Hiſtoriæ Litterariæ partem ſecundam Auctore *Roberto Gervio*, qui juxta eadem Acta pag. 161. *Cavi noſtri genet* doctiſſimus, præterquam quod ſcriptores aliquammultos a Whartono prætermiſſos obſervavit, in eo præcipue aſſiduum ſe præſtitit, ut deliteſcentes paſſim in Bibliothecarum forulis ineditos ſcriptorum illius ætatis fætus indicaret, atque Conciliorum Synopſim utriusque ſeculi ſcriptoribus ſubtexeret. Accedunt ad calcem Operis *Diſſertationes tres I.* De ſcriptoribus Eccleſiaſticis incertæ ætatis. 2. De Euſebii Cæſarienſis Arianismo adverſus Joannem Clericum. Londini apud Richardum Chiſvvell 1698. in folio. De me autem Acta Eruditorum Lipſiæ, citata pag. 154. & 155. duriſſime agunt, quem ut Librorum furem perpetuum, & qui nihil Operi proprium contulerit contumeliosis verbis accuſant. Sed patientia & ſilentio, hominibus iratis reſpondimus, hac in re Clerico prudentius agentes, qui cum luce meridiana clarius comprobaſſet Arianismum Euſebii Cæſarienſis, Anglum tamen contumacem atque Euſebii & Conſtantini Magni adulatorem ab errore corrigere non potuit: licet Epiſcopos etiam Anglicos, ut judices inter ſe & Cavum errantem admitteret.

Quamuis autem cum diligentia omni argumentum a ſe ſuſceptum tractaverit *Cavus*, non omnibus tamen placuit. *Acta* enim *Eruditorum Lipſiæ* anno 1710. menſe Junio pag. 279. ubi loquuntur de *Bibliotheca Critica* ſeu *Collectione veterum ſcriptorum criticorum* publicata a Domino de Saint Jore, cum notis ejusdem Tomis 2. in 8. Gallicæ ſcripta atque Amſtelodami impreſſa apud Ludovicum de Lorme 1708. quem putant eſſe celebrem illum *Richardum Simonium*, id quod confirmant, quia Tomo I. Cap. 22. pag. 296. exhibetur ejus Defenſio contra Arnaldum, quemadmodum & alia pro dicto Simonio in hac Bibliotheca occurrunt: hæc inquam *Acta* referunt Richardum Simonium Lib. I. cap. 17. pag. 255. & ſeqq. *judicium proferre durius de Guilielmi Cavi Hiſtoria litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum.* Illius potiſſimum judicia iniqua in *Prolegomena Cavi*, quoad editiones veteres Patrum, recenſent & improbant Eruditi Lipſienſes. Non mirum autem, quod Pontificius ita ſcripſerit, cum editiones Veterum Patrum ab ipſis ad dogmatum ſuorum aſſertionem poſtea corruptæ vel caſtratæ ſint, id quod *corrigere* appellant. Hac igitur ex parte immerito Guilielmum Cavum Richardus Simonius arguere & emendare voluit. Illum igitur Cavum fuiſſe, qui præſtantiſſime omnium argumentum ſuum de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* proſequutus ſit, quod innumeris involutum difficultatibus, absque Lapſibus & nævis fieri, humanarum virium non ſit: maxime in ætate ſcriptorum obſcurorum deſignanda, ut de Joanne Malela, Simeone Metaphraſte, Nilo Doxapatrio, Matthæo Vindocinenſi, & aliis dicemus.

Alius fuit, qui contra Cavum inſurrexit, *Joannes Clericus* Genevenſis, & in urbe Amſtelodamenſi profeſſor Philoſophiæ & ſacrarum litterarum apud Arminianos, vir multis operibus in lucem productis notiſſimus, cuius tela in Cavum contorta vulnere non modico Anglum licet ferocientem percuſſerunt. Vtroque enim luctatore inſpecto, penſitatisque probationibus, Joanni Clerico palmam triumphi ac veritatis denegare non potui. Rem narrat Joannes Clericus in *Vita ſua* pag. 103. his verbis. „Sub finem eiusdem anni 1699. „prodiit ex manibus meis Artis Criticæ Tomus III. in quo non ars ipſa quidem traditur, ſed „eius maximus in graviſſimis rebus uſus oſtenditur. Occaſionem huic Volumini dedit „Guill. Caveus, altero *Hiſtoriæ litterariæ Scriptorum Eccleſiaſticorum* Volumine, ubi ſingu„lari Diſſertatione contendit contra plerorumque ſententiam, Euſebium non fuiſſe Aria„num, quod affirmaverat Clericus in *Vita* eius, quæ extat Tomo X. *Bibliothecæ Vniverſalis* „tum etiam negat ſe in *Vitis Clementis & Euſebii* quicquam diſſimulaſſe, ne Lectores non „ſatis honorifice de iis ſentirent, cuius diſſimulationis ſe a Clerico inſimulatum putabat. „In eo ergo *Critica* volumine, ſex Epiſtolis ad tres Præſules, quos quaſi diſceptatores agno„ſcit, datis, Cavei diſſimulationem ad *Catechiſtem Alexandrinum Epiſcopumque Cæſarienſem* „quod attinet, oſtendit: tum de auctoritate & uſu Eccleſiaſticæ Antiquitatis agit, diſſimu„lationemque omnem & fraudes quasvis pias, quibus in Eccleſiaſtica Hiſtoria nihil frequen„tius, copioſe & graviter oppugnat. In adverſarium ipſum probra nulla, licet laceſſitus, „jacit.

Digitized by Google

„iacit. Repoſuit quidem Caveus, ſed nihil reſpondit Clericus, quod ſe rem in ſatis clara „luce poſuiſſe crederet: nec quicquam ſibi nocere adverſarii libellum, licet conviciis ple„num, putaret.

Primum igitur Guilielmus Cavus multos accenſuit Orthodoxis ſcriptoribus, quos Arrianos palam fuiſſe, Clericus merito ipſi exprobrat. De Arianiſmo autem S. Clementis Alexandrini diffuſiſſime *Chriſtophorus Sandius* in *Hiſtoria Eccleſiaſtica enucleata* ſeu in *Hiſtoria Arianorum* tribus libris comprehenſa Lib. I. pag. 94. ac de Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo Lib. I. pag. 135. 136. & 137. editionis 1676. Coloniæ ſeu potius Amſtelodami in 4. Ita idem Cavus anno 316. *Hiſtoriæ Litterariæ* p. 134. Conſtantinum Magnum elogiis immenſis extollit, quem tamen Arianis ſemper adhæſiſſe conſtat, Athanaſio Alexandrino Epiſcopo Orthodoxiæ defenſori hoſtem infenſiſſimum fuiſſe usque ad freqvens eius exilium: ita ut paulo ante mortem tantum, ab Euſebio Nicomediæ Epiſcopo Ariano baptizatus ſit, tum anno 337. inter Arianorum manus mortuus, quos etiam teſtamenti ſui executores eſſe voluerit. Qua enim ratione tot congereres laudes, in gratiam hominis, qui proprie Chriſtianus nunquam fuit.

Secundo Guilielmus Cavus non ſolum, diſſimulato errore, ex hæreticis Catholicos & Orthodoxos fecit, quod illi legitime Clericus exprobrat: ſed quod peius videtur, antiquis Eccleſiæ primitivæ Patribus, adſcripſit Opuſcula, quæ ab Arianis hominibus ſub nomine illorum, multis poſt ſeculis conficta ſunt, quibus memoria eorum apud poſteros maxime labefactatur & imminuitur. Ita anno 101. pag. 26. S. Ignatio Patriarchæ Antiocheno confidenter attribuit tanquam genuinas *Epiſtolas VII.* Græce & Latine jam ſæpius editas, ſcilicet *ad Epheſios, ad Magneſianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Smyrnæos, & ſeptimam ad Polycarpum*, commendans illi Antiochenam Eccleſiam. At ex conſenſu eruditorum fere omnium hæ Epiſtolæ omnes ab Arianis ſeculo Eccleſiæ 4. vel 5. confictæ ſunt, ut hæreſim ſuam falſis diſcipulorum Chriſti & Ignatii Antiocheni Epiſcopi & Clementis Romani nominibus ſtabilirent, atque hac fraude ad tempora Apoſtolorum referrent. Hunc autem Cavi errorem latiſſime confutamus ad annum 110. capitibus variis in Diſſertatione *de Epiſtolis ſancti Ignatii Antiocheni Epiſcopi*, ad quam lectorem remittimus.

Tertio erraſſe quoque Guilielmum Cavum [illegible]o ad ætatem ſcriptorum plurium, inter omnes conſtat. *Abdiam ſeu Pſeudo Abdiam* Ba[illegible]onium *De certaminibus Apoſtolorum* collocat ad annum Chriſti 59. in *Hiſtoria litteraria* pag. 16. At opus iſtud Pſeudo Abdiæ ſeculis multis hac ætate recentius eſt, quippe cujus author Latinus eſt Abdiam mentitus, qui Martyrologium *Vsuardi* vel *Adonis Viennenſis Archiepiſcopi in Martyrio ſancti Petri Apoſtoli* verbotenus ſed cum abſurditate, nihil attendens, tranſcripſerit: unde hunc Pſeudo-Abdiam, ad annum 940. relegare vel inviti debuimus. *Hegeſippum* vel *Joſephum Gorionidem* Hiſtoricum anno 374. pag. 216. idem Cavus aſſignavit, velut a ſancto Ambroſio in linguam Latinam verſam, quem nos hominem fuiſſe Latinum ex Lectione Operis agnovimus, ſcriptorem ultimi temporis, quem ante annum 1120. collocare non potuimus. *Andream Cæſarienſem Archiepiſcopum* in Hiſtoria eadem litteraria ad A. 500. pag. 379. affixit, quem nos ex certis Operis argumentis, ad annum 840. aſſignavimus. *Andream item Cretenſem Archiepiſcopum* anno 635. retulit, qui uti ex ipſa Operum Lectione patet annis 840. & 850. temporibus Theophili Imperatoris Iconoclaſtæ, ac Michaelis Porphirogeniti una cum Theodora matre imperantis, certiſſimis indiciis floruit. Item *Suidam Grammaticum* ad annum 980. pag. 587. retulit his verbis. „Suidas ante Grammaticus vixiſſe circa annum „980. videtur, quippe qui in voce Ἀδὰμ diverſas annorum æras recenſens, computatio„nem ſuam terminet in obitu Joannis Zemiſcis Imperatoris, qui veneno ſublatus eſt anno „976. Si quæ ſint, quæ ſequiora ſapiunt tempora, fortaſſe a recentiore manu addita ſunt. Nos editionem Suidæ Lexici novam, quam vir Doctiſſimus *Ludolfus Kuſterus* odornavit, ſeculi, qua Metaphraſtem a Suida citatum recte obſervat, qui anno 1150. claruiſſe oſtenditur, ex hac obſervatione Kuſteri ante annum 1160. Suidam collocare non potuimus. *Joannem Malelam* ſeu *Malalam Antiochenum Patriarcham* anno 601. pag. 442. *Hiſtoriæ litterariæ* adſcripſit, quem ex editione Operis Græco-latina & obſervationibus *Humfredi Hodii* Angli editoris, fuiſſe poſteriorem Georgio Hamartolo, quem verbotenus excerpit, convi-

cti ſumus. Cumque Hamartolus Chronologiam ſuam usque ad annum 966. perduxerit, Joannem Malelam illius exſcriptorem ante annum 910. aſſignare non potuimus. *Symeonem Metaphraſtem* Cavus multa confidentia anno 901. pag. 573. aſſignavit, quem ego certis argumentis in Diſſertatione prolixa allatis, ad annum 1150. temporibus Joannis & Manuelis Comnenorum allegandum probavi. *Nilum Doxapatrium* Cavus anno 1040. pag. 603. retulit, quem ad annum 1140. annis centum poſtmodum referre debuerat. *Matthæum Vindocinenſem* S. Dionyſii in Francia Abbatem anno 1201. pag. 700. idem addixit, quo nondum natus erat, quem anno 1286. ex Epitaphio mortuum, anno 1260. florentem affiximus. Atque de aliis itidem ſcriptoribus idem dici poſſet, qui a Cavo ætate minus recte collocati ſunt.

Quarto licet Cavus, quantum humanis viribus datum fuit, accuratus ac diligens in ſcriptoribus colligendis & recenſendis fuerit, hoc tamen non impedit, quo minus ſcriptores plurimos in multis ſeculis vel neſciverit vel prætermiſerit. ut ex collatione hujus Operis cum *Hiſtoria litteraria* Guilielmi Cavi, quilibet Lector facile cognoſcet Non igitur inutile fuit, ut idem argumentum, aliquis tertius vel quartus etiam aggrederetur: imo neceſſarium fuit & poſteritati profuturum, dum tanta nubes Scriptorum Cavo non commemoratorum in plurimis ſeculis producitur, qui absque labore noſtro tenebris æternis conſepulti deliteſcerent, quibus poſt tenebras lucem affundimus: nomina, ætatem, labores litterarios unde illuxerint, accurate declarentes.

Cæterum omnibus *Diariis Eruditorum* Gallica lingua neglectis, quale eſt *Pariſienſe*, quod ab anno 1667. inceptum, ad annum 1711. Tomos LII. in duodecimo ex editione Amſtelodamenſi continet, abſtinuimus: tum quod ſæpius ob varios caſus interrupta & reſumpta a Scriptoribus variis, ordine & methodo diverſis excurrant, tum quod Gallica lingua, quæ minus argumentis Eccleſiaſticis convenit, compoſita fuerint. Sola nobis placuerunt, quæ frequenter excerpſimus, tam quod Latina ſint, quam quod a pluribus Eruditis ſimul collecta, ab anno nempe 1682. ad 1711. eandem ſemper methodum ab initio ad finem obſervaverint; *Acta Eruditorum Lipſienſium*, in 4. ibidem Tomis XXXVI. evulgata, unde in recentibus Operum editionibus referendis ſubſidium non vulgare habuiſſe nos, ingenue confitemur Quæ porro duriora in me conſorſit, in utriusque voluminis Præfationibus Cavus, tranquillus contempſi: certus injurias [illegible]criptoribus nunquam dari, niſi dum ratione & veritate deſtituuntur. Illud a Paulo Chriſti Apoſtolo didici, ad Timotheum Epiſt. 2. cap. 2. v. 24. Δοῦλον τοῦ Κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλ' ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας ἀνεξίκακον, ἐν πραΰτητι παιδεύοντα τοὺς ἀντιδιατιθεμένους *Servum Chriſti non oportet litigioſum, ſed manſuetum eſſe ad omnes, mala tolerantem, in manſuetudine erudientem eos qui contra ſentiunt.* Et in Epiſtola ad Titum cap. 3. v. 2. ὑπομίμνησκε αὐτοὺς μηδένα βλασφημεῖν, ἀμάχους εἶναι, ἐπιεικεῖς, πᾶσαν ἐνδεικνυμένους πραΰτητα πρὸς πάντας ἀνθρώπους. *Admone ipſos neminem blasphemare, non litigioſos eſſe, modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines.*

Hæc ad Cavi duritiem.

Lucianus Samoſatenſis Lib. 2. *Vere Hiſtoriæ* pag. mihi 768. ubi de Rhadamanthi judicio, ac ſupplitiis ab ipſo irrogatis. Προσετίθεσαν δὲ οἱ περιηγηταὶ καὶ τοὺς ἑκάστου βίους, καὶ τὰς αἰτίας, ἐφ' αἷς κολάζονται, καὶ μεγίστας ἁπασῶν τιμωρίας ὑπέμενον οἱ ψευσάμενοί τι παρὰ τὸν βίον, καὶ οἱ μὴ ταὐληθῆ συγγεγραφότες. ἐν οἷς καὶ κτησίας ὁ Κνίδιος ἦν, καὶ Ἡρόδοτος, καὶ ἄλλοι πολλοί. τούτους οὖν ὁρῶν ἐγὼ, χρηστὰς εἶχον εἰς τοὐπιὸν τὰς ἐλπίδας, ἐνδὲν γάρ ἐμαυτῷ ψεῦδος εἰπόντι συνῄδειν. Addebant & Productores ſingulorum vitas, penarumque cauſas, quarum omnium maximas illi ſuſtinebant, qui in vita mentiti erant, quique non vera ſcriptis mandarant. Inter quos erat & Cteſias Cnidius, & Herodotus, aliique multi. Quod cum viderem, bonam imposterum ſpem concepi, nam nullius mendacii conſcius mihi eram.

CASIMIRI

Digitized by Google

CASIMIRI OVDINI

COMMENTARIVS

DE

SCRIPTORIBVS

ECCLESIÆ ANTIQVIS

ILLORVMQVE SCRIPTIS TAM IMPRESSIS QVAM MANVSCRIPTIS ADHVC EXTANTIBVS IN CELEBRIORIBVS EVROPÆ BIBLIOTHECIS A BELLARMINO, POSSEVINO, PHILIPPO LABBEO, GVILIELMO CAVEO, LVDOVICO ELLIA DV PIN, ET ALIIS OMISSIS, AD ANNVM M CCCC LX. VEL AD ARTEM TYPOGRAPHICAM INVENTAM

CVM

MVLTIS DISSERTATIONIBVS,

IN QVIBVS

INSIGNIORVM ECCLESIÆ AVTORVM OPVSCVLA ATQVE ALIA ARGVMENTA NOTABILIORA ACCVRATE ET PROLIXE EXAMINANTVR,

TOMVS PRIMVS

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.



LIPSIÆ,

SVMPTIBVS MAVR. GEORG. WEIDMANNI,

SAC. REG. POL. MAJEST. ET ELECT. SAXON.

BIBLIOPOLÆ, MDCCXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTARII
DE
SCRIPTORIBVS ET SCRIPTIS ECCLESIASTICIS
TOMVS I.
SISTENS OCTO PRIORVM ECCLESIÆ SECVLORVM SCRIPTORES.

Ao. 31. SANCTVS JACOBVS APOSTOLVS, MINOR vocatus, cognomento JVSTVS ac FRATER DOMINI. Dictus est autem frater Domini iuxta DD. Chrysostomum & Hyeronym. in Lib. *de scriptoribus Ecclesiasticis* c. 2. quod esset *filius Mariæ* Cleophæ, uxoris Zebedæi, & sororis Matris Domini. Juxta Clementem Alexandrinum Lib. 6. Institutionum quem profert Eusebius *Historia Ecclesiastica* Lib. 2. cap. 1. quod esset Josephi filius, qui vocatus pater Christi fuit, cui Maria Virgo desponsata, priusquam convenirent, ex Spiritu Sancto prægnans reperta est, ut sacrosancta Evangeliorum docet Historia. Idem sane Clemens in 6. *Institutionum* libro ait: *Post Servatoris in cælos ascensum, Petrum, Jacobum & Joannem, quamvis ipsos Dominus cæteris prætulisset, non idcirco de primo honoris gradu inter se contendisse, sed Jacobum cognomento Justum Hierosolymorum Episcopum elegisse.* Ordinatus igitur ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus teste Clemente Alexandrino atque Eusebio Cæsariensi, locis citatis: unde mirum subit qua authoritate *Photius* P. CP. Epistola 117. eum asserat *manu Domini* ordinatum, *θεοτονητῃ τῃ χειρὶ*: cuius dictionem interpretari ac dilatare frustra nititur Guillelmus Cavus, in *Historia literaria* verbo *S. Jacobus Apostolus* pag. 9. contra mentem dubio procul Photii. Idem Clemens Alexandrinus in 7. eiusdem Operis libro, hæc de illo etiam dicit. "Jacobó, inquit, Justo, & Joanni & Petro "Dominus post resurrectionem scientiæ donum "impertiit: quod illi cæteris Apostolis, hi vero se- "ptuaginta discipulis, quorum vnus fuit Barna- "bas, tradiderunt. Cæterum duo fuere Jacobi, "alter cognomento *Justus*, qui ex templi fastigio "præcipitatus, & a fullone fuste percussus interiit: "alter qui capite truncatus est. Porro Jacobi il- "lius Justi meminit etiam Paulus ad Galatas cap. 1. "v. 19. ita scribens, *Alium autem ex Apostolis vidi neminem, prater Jacobum fratrem Domini.*" Miras Jacobi Justi laudes congerit Eusebius *Ecclesiastice Historiæ* Lib. 2. cap. 23. ex Clemente Alexandrino, atque potissimum Hegesippo, qui circa annum 170. scribebat. Porro de genere mortis, non omnino constat. Nam testante Josepho lib. 20. *Antiquitatum Judaicarum*, cap. 8. procurante Anano juniore Pontifice, viro audace ac temerario, Jacobus in Synedrium Judæorum mortuo Festo productus, & crimine violatæ legis impacto, lapidandus traditus est populo, quod & factum est. Dignissimus autem fide Josephus, qui tunc temporis *Antiquitates Judaicas* scribebat, ac Hierosolymis, dum hæc agerentur, degebat. At contra tum, Eusebius loco citato, tum Hegesippus Lib. 5. *Commentariorum*, & Clemens Alexandrinus Lib. 7. *Institutionum*, scribunt Jacobum anno Christi LXI. vel circiter, ob confessionem Christi constantem, de pinna Templi præcipitatum, semivivum adhuc occubuisse, fuste fullonis ad caput percussum. Scribebat sane eodem tempore Josephus, quo mors ista contigit, unde mihi dignior fide est, tum Hegesippo qui anno circiter 170. scriptis clarus, annis centum & amplius, morte Sancti Jacobi posterior est, tum Clemente Alexandrino qui sub Commodo scribens, adhuc Hegesippo, quem secutus est, recentior est. Ita quoque Eusebius Lib. 7. *Historiæ* cap. 19. "Sane & Jacobi illius Cathedram, qui pri- "mus Hierosolymorum Episcopus ab Servatore & "Apostolis constitutus est, & quem fratrem Domi- "ni cognominatum fuisse divina testantur volu- "mina, ad nostra usque tempora conservatam, fra- "tres illius Ecclesiæ jam inde a majoribus, magna "prosequuntur reverentia. Satis perspicue de- "clarantes, qualiter tum antiquiores, tum nostri "temporis Christiani, viros sanctos ob ipsorum "erga Deum amorem debito semper amore vene- "rati sint, & hactenus venerentur." Plurima quoque in eius laudem D. Hieronyminus libro *de scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 2. collegit.

Extant autem sub nomine Divi Jacobi tria Opuscula.

ſcula. 1. Scripſit paulo ante mortem, *Epiſtolam Catholicam Judæ* ἐν διασπορᾷ, de qua ſic Euſebius Lib. 2. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 23. Τοιαῦτα μὲν τὰ κατὰ τὸν Ἰάκωβον, ὃν ἡ πρώτη τῶν ὀνομαζομένων καθολικῶν ἐπιστολῶν εἶναι λέγεται. Ἴστέον δὲ ὡς νοθεύεται μέν. Οὐ πολλοὶ γὰρ τῶν παλαιῶν αὐτῆς ἐμνημόνευσαν, ὡς οὐδὲ τῆς λεγομένης Ἰούδα, μιᾶς καὶ αὐτῆς τῶν ἑπτὰ λεγομένων καθολικῶν. Ὅμως δὲ ἴσμεν καὶ ταύτας μετὰ τῶν λοιπῶν ἐν πλείσταις διδημοσευμένας ἐκκλησίαις. *Hæc ſunt quæ de Jacobo memorantur, cui etiam adſcribi ſolet Epiſtola prima earum quæ Catholicæ dicuntur, quam quidem nonnulli ſpuriam ac ſuppoſititiam exiſtimant. Sane pauci admodum ex vetuſtioribus, cum hujus Epiſtolæ, tum illius Judæ, quæ & ipſa in ſeptem Catholicarum numero recenſetur, mentionem fecerunt. Verumtamen hæc quoque cum cæteris in plurimis Eccleſiis publice lectitari cognovimus.* De ea quoque Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap.* 2. inquit, *Unam tantum ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus edita aſſeritur, licet paulatim procedente tempore, obtinuerit authoritatem.* Omnis hujus Epiſtolæ ſcopus eſt, ut doceat Chriſtianam vitam ac fidem profeſſos, id in vanum agere, ac de fide Chriſtiana gloriari, niſi bona opera huic fidei adjungant, ſuamque fidem operibus comprobent juſtitiæ, pietatis & charitatis, cum fides ſine operibus mortua ſit.

Secundum Opuſculum *Liturgia* ſeu *Divina Miſſa S. Jacobi Apoſtoli*, quæ edita primum Græce Pariſiis in fol. anno 1560. pag. 3. cum Liturgiis variorum Patrum, Græce. Prodiit autem Antwerpiæ 1560. 8. Latine in Opuſculo Claudii de Saintes Doctoris Sorbonici, quod inſcribitur *Liturgia* ſeu *Miſſa varie, & de vera Miſſa & Euchariſtia ex variis authoribus.* Inde tranſiit Latine in Bibliothecam ſanctorum Patrum, editionis primæ Pariſienſis 1575. Tomo 3. pag. 21. &, editionis ſecundæ Pariſienſis 1589. Tomo 6. pag. 1. & editionis tertiæ ibidem 1610. Tomo 5. pag. 1. Denique Græce & Latine in Auctario Græco-Latino Bibliothecæ SS. Patrum, Pariſiis 1624. Tomo 2. pag. 1. ex editione Andreæ Scotti, Societatis Jeſu. Citatur illa quidem a Concilio ſexto in Trullo Can. 32. quæ tamen non longe ante iſtud Concilium conficta videtur. Illamque recte ſuppoſitionis arguit Guilielmus Cavus in *Hiſtoria rei Litterariæ* pag. 9. iisdem rationibus quibus Andreas Rivetus uſus eſt, qui hoc argumentum diffuſe tractavit: verbis tamen diverſis, ne ipſum exſcripſiſſe videatur. Nos argumenta Riveti tanquam antiquioris, & qui rem accurate & ample diſcuſſit, dabimus ex lib. 1. *Criticî Sacri* cap. 3. pag. mihi 114.

Argumenta ſuppoſitionis præcipua contra Liturgiam S. Jacobi, hæc ſunt. 1. In Epheſino & Chalcedonenſi Conciliis, vix Patres vnum aut alterum locum Origenis & Euſebii proferunt, Ande Virginem Θεοτόκον ab anteceſſoribus vocatam aſſerant. Vnde liquet hanc Liturgiam illis non præſto fuiſſe, in qua ſexies hæc vox repetita eſt, quam huius Apoſtoli teſtimonio firmare potuiſſent: præſertim ſi Proclus Epheſinæ primæ Synodo interfuerit, cui Liturgiam Jacobi acceptam ferunt. 2. In Synodo Conſtantinopolitana adverſus Macedonianos, Patres non meminerunt in Liturgia S. Jacobi, Spiritum Sanctum dici conſubſtantialem Patri, nempe quia Liturgia iſta nondum extabat. 3. In Concilio Nicæno ubi τὸ ὁμοούσιον conſtituendum fuit, & in aliis Synodis ubi inter ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον lis dirimenda: illud unum poterat tantas componere lites, ſi prolata fuiſſet Jacobi Liturgia, quæ τὸ ὁμοούσιον paſſim inculcat. Quam vocem, ut & ſimiles alias nondum authenticas, & primitivæ Eccleſiæ ante Nicænam & Epheſinam Synodum infrequentes fuiſſe, probant antiquitatis ſtudioſi, quæ tamen huic Liturgiæ Jacobi familiares ſunt. Vt mirum ſit *Sixtum Senenſem Bibliothecæ Sanctæ* Annotat. III. Lib. 6. meminiſſe huius Liturgiæ tanquam a Jacobo editæ, qui tamen Lib. 4. eiusdem Bibliothecæ, Commentarios Origenis *in Job* merito repudiat, quia conſtare ait, *ipſum Homouſii & Homouſianorum nomen ibi frequens eſſe*, longe poſt Origenis tempora enatum. 4. Canitur in hac Liturgia Τρισάγιον Hymnus, cuius in Eccleſia canendi origo refertur ad tempora Felicis III. Romani Pontificis, qui anno 480. vixit. Vide Epiſtolam Felicis III. ad Petrum Antiochenum Epiſcopum & ad Zenonem Imperatorem, Tomo 2. Conciliorum. 5. Publice oratur pro degentibus in Monaſteriis, quæ eo ſæculo inſtituta fuiſſe quis credat? Nam Antonius primus Monachorum & Monaſteriorum inſtitutor, vix ante annum 300. id incepiſſe creditur. 6. In ea fit mentio *Confeſſorum*, cum tamen temporibus Apoſtolorum in Liturgia publica *Confeſſorum* nulla facta ſit mentio, quemadmodum fatetur Bellarminus Lib. 2. *De Miſſa*, cap. 20. qui Canonis Miſſæ antiquitatem ex eo probat, quia in ea nulla fit mentio *Confeſſorum*. Nam *certum eſt Martyres cœpiſſe publice coli ab initio Eccleſiæ, Confeſſores autem multo ſerius hunc honorem in Eccleſia meruiſſe*, inquit ille. Quod & Innocentius III. Lib. 3. *De Myſteriis Miſſæ* cap. 10. confirmat, nam *Eccleſia poſt tempus B. Sylveſtri cepit Sanctorum Confeſſorum memoriam colere*, inquit Innocentius. 7. Indicit hæc Liturgia Templa, Altaria, thurificationes, thuribula tempore Apoſtolorum; quo flagrantiſſima Eccleſiarum perſecutio & cultus Dei clandeſtinus erat in ædibus privatis & cryptis. 8. Adde univerſum huius Liturgiæ contextum ex Epiſtolis Pauli manifeſte decerptis quaſi perfundi, quarum interim pleræque mortem S. Jacobi ſubſecutæ ſunt. Ideo Baronius, qui hanc Miſſam S. Jacobi eſſe voluit, Annalium Tomo 1. ad an. 63. num. 17. fatetur accidiſſe, *ut aliis ſuperadditis precibus, aliis vero breviori ſumma contractis, ritibus nonnihil auctis aut mutatis, paulo diverſior ab illa priſtina habeatur.* Quæ eſt opinio ipſius Bellarmini in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, in S. Jacobo Apoſtolo ad an. 34. ubi inquit, *Extat Liturgia S. Jacobo attributa, quæ tamen poſterioribus ita locupletata eſt, ut non ſit facile diiudicare, quæ pars eius Liturgiæ Sanctum Jacobum habeat authorem.* Itaque juxta Rivetum p. 117. ideo etiam Theodorus Balſamon Patriarcha Antiochenus interrogatus, an Liturgiæ quæ deſcriptæ

ſcriptæ dicuntur a ſanctis Apoſtolis, Jacobo fratre Domini & Marco, recipiendæ a S. Eccleſia Catholica ſint, nec ne ? reſpondet ad Quæſtionem Marci Alexandrini: *Dicimus nos neque a ſacra Scriptura, neque a Canone Synodico habito, edoctos fuiſſe ſacrum Miniſterium a Sancto Apoſtolo Marco traditum.* Addit *Canonem Apoſtolorum LXXXV. & Laodicenum LIX. enumerantes Veteris & Novi Teſtamenti ipſosque Apoſtolicos libros, qui in eſu nobis eſſe debent, nullam Sacrificii S. Marci, vel S. Jacobi mentionem facere, atque Conſtantinopolitanam Eccleſiam ullo modo illas Liturgias agnoſcere.* Unde pronuntiat illas *non eſſe admittendas* in reſponſione ad Quæſtionem Marci Alexandrini Lib. 5. *Juris Græco Romani*, Reſp. 1. pag. 363. Ita Rivetus loco citato, ac poſt ipſum Cavus, qui recte. Vt mirum plane videri debeat, viros cætera doctiſſimos, Leonem Allatium Diſſertatione hac de re habita, quam *Symmictis* ſuis inſeruit, parte I. p. 176. & Cardinalem Bonam *de rebus Liturgicis* lib. 1. cap. 8. §. 3. hanc Liturgiam tanquam genuinum S. Jacobi opus tueri: quamvis a poſterioribus interpolatam, nonnullis additis vel detractis, vel pro opportunitate temporis immutatis, non inficientur.

Denique extat ſub eiusdem Jacobi Minoris nomine, Πρωτευαγγέλιον, quod habetur Græce & Latine inter *Orthodoxographa*, Tomo 1. pag. 71. ſub hoc titulo, Πρωτευαγγέλιον, ἢ περὶ γενέσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ τῆς Μητρὸς αὐτοῦ, τῆς ἀεὶ παρθένου Μαρίας λόγος ἱστορικὸς ἁγίου Ἰακώβου τοῦ Μείονος, συγγενοῦς τε καὶ ἀδελφοῦ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, Ἀποστόλου πρώτου καὶ Ἐπισκόπου πρώτου Χριστιανῶν τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ. *Protoevangelium*, ſive *De natalibus Jeſu Chriſti & de ipſius Matris Virginis Mariæ, ſermo hiſtoricus divi Jacobi Minoris, conſobrini & fratris Domini Jeſu, Apoſtoli primarii & Epiſcopi Chriſtianorum primi Hieroſolymis.* Vt autem recte Cavus obſervat, in hoc Opuſculo de Domini noſtri & B. Mariæ fatalibus præcipue agitur, nec progreditur ultra partum Jeſu Chriſti, & in annuntiatione Natalium Mariæ incepit. In fine teſtatur, tumultu Hieroſolymis ab Herode ſuſcitato, in deſertum ſe ſubduxiſſe, ibique illum conſcripſiſſe Commentarium fabuloſum. Idem notat, primum hunc ex Oriente advexiſſe *Guillelmum Poſtellum*, qui genuinum Jacobi Apoſtoli opus eſſe ſtrenue contendit, ac in Eccleſiis Orientalibus tanquam indubitatæ fidei publice legi jactitarit, quin & illius nugas D. Marci Evangelii principio aſſuere non dubitavit, notante *Uſſerio Bibliotheca Theologica MS.* pag. 11. Verum opus ſuppoſititium eſſe nemo non videt, nullusque Poſtelli ſententiam amplexus legitur. Extat Manuſcriptum quoque Græce, in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theologico Græco CLI. num. 28. cuius meminit Petrus Lambecius Libro 4. *Commentariorum* huius Bibliothecæ pag. 130. his verbis. Vigeſimo octavo & quidem a fol. 154. pag. 1. usque ad folium 159. pag. 1. *Oracio Hiſtorica, ſive Narratio apocrypha de Nativitate Beatiſſimæ Virginis Deiparæ*, cuius titulus & principium, Λόγος ἱστορικὸς εἰς γενέθλιον τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας. Ἐκ τῶν ἱστορίων τῶν δώδεκα Φυλῶν τοῦ Ἰσραήλ. Extat eadem *Hiſtoria apocrypha* Græce & Latine inter Orthodoxographa SS. Patrum Monumenta Baſileæ an. 1569. typis Henrispetrinis in folio edita Tomo 1. pag. 71. ibique falſo inſcribitur, Πρωτευαγγέλιον ſive *Primum Evangelium ſancti Jacobi Apoſtoli cognomento Minoris, & ἀδελφοθέου ſive fratris Domini.* Idem MS. inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 180. Baroniano num. 2. pag. 3. ad 9. Et Codice 285. in MSS. Codd. Olivarii Cromwelli Codice 106. num. 9. pag. 152. ad 162. Denique Codice 3383. in MSS. Codicibus Joannis Sheldeni Codice 53. num. 5. Ejusdem Opuſculi Leo Allatius meminit, quaſi illud viderit inter Vitas Sanctorum Græcas, quæ ſub Symeonis Metaphraſtæ nomine ut plurimum circumvolitant, ut habet in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 89. & pag. 106. Hæc nobis ſuppeditarunt de ſancto Jacobo Apoſtolo & fratre Domini, ex antiquis Euſebius *Hiſtoria Eccleſiaſtica* locis multis, ex recentioribus Andreas Rivetus lib. 1. *Critici Sacri* cap. 3. Henricus Valeſius *Annotationibus* in Eccleſiaſticam Hiſtoriam Euſebii Lib. 2. cap. 23. Petrus Lambecius l. 4. *Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* pag. 130. & 131. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei Litterariæ*, pag. 9.

SANCTVS JOANNES APOSTOLVS & EVANGELISTA, patria Galilæus, Zebedæi filius, & Jacobi Minoris frater junior, anno Chriſti 31. ad Apoſtolatum ab ipſo vocatus eſt. Diſcipulus ille fuit, quem Dominus Jeſus præ cæteris dilexit, quem in ſinu ſuo dum ultimam cœnam ageret repoſuit, & cuius curæ ac tutelæ matrem ſuam moriens commendavit. In ſortitione Provinciarum orbis per Apoſtolos facta, Aſiam ei obtigiſſe ex Origene narrat Euſebius lib. 3. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 1. ubi officii ſui partes ſumma cura & Apoſtolica diligentia feliciter adimplevit. Hæc Guillelmus Cavus & plura de ejus vita refert, quæ nos mittimus, ut ad Scripta veniamus. De illis ita Euſebius Lib. 3. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 24. *Porro inter Joannis ſcripta prater Evangelium, prima quoque Epiſtola tum a recentioribus, tum ab antiquis omnibus ſine controverſia admittitur. Reliqua autem duæ in dubium revocantur. De Revelationis autem libro adhuc in utramque partem, opinionum varietate erratur. Sed hac etiam controverſia, priſcorum teſtimonio; competenti tempore diſceptabitur.* Hanc autem controverſiam ampliſſime tractat idem Euſebius Lib. 7. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 25. quam his verbis concludit. *Præterea ex dictione ipſa conjici poteſt, quantum Evangelium & Epiſtola differant ab Apocalypſi. Nam illa quidem non modo emendate quod ad Græcum Sermonem attinet, verum etiam cum ſumma elegantia, tum in verbis tum in argumentationibus, & in tota orationis compoſitione perſcripta ſunt. Tantum abeſt ut barbariſmus aliquis aut ſoloeciſmus, aut denique idiotiſmus quispiam in illis deprehendatur. Viroque enim præditus erat Evangeliſtes, ſermone nimirum & ſcientia, cum hæc duo ipſi Dominus con-*

ceſſiſſet, ſcientiam ſimul & eloquentiam. Illum vero Revelationem quidem vidiſſe, & ſcientiam ac futurorum prædictionem accepiſſe, non inficior. Verum dictionem ejus non admodum Græcam animadverto, ſed barbarismis atque interdum ſoloecismis inquinatam: quos quidem inpræſentiarum excerpere, haudquaquam neceſſe eſt. Neque enim ſubſannandi animo hæc a me dicta eſſe quisquam exiſtimet, ſed potius eo conſilio, ut utriusque ſcripti diſſimilitudinem expenderem. Tandem autem ſummo totius Eccleſiæ conſenſu, tam *Evangelium*, quam *Apocalypſis* ac Epiſtolæ tres, tanquam genuinus Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ fœtus, admiſſæ ſunt. Occurrunt vero adhuc alia, ſed adulterina prorſus in Bibliothecis Græce ſcripta, quorum hic meminiſſe ad cautelam prodeſt, mentita nomen Joannis Theologi, quo *Apoſtolum & Evangeliſtam* ſcribæ indicant. Extat *Commentarius S. Joannis Theologi de Jeſu Chriſto & eius deſcenſu de Cruce*, in MS. Codice Colbertino 453. hoc titulo, Ὑπόμνημα τῦ Κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριςῦ εἰς τὴν ἀποκαθήλωσιν αὐτῦ, συγγραφὲν παρὰ τῦ ἁγίυ Θεολόγυ. Apocryphus plane liber, ſicut & ſequens, qui illi adnectitur in eodem Codice, *Eiusdem S. Joannis Commentarius, εἰς τὴν κοίμησιν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν, καὶ ἀεὶ παρθένυ Θεοτόκυ: In Dormitionem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ & ſemper Virginis Deiparæ*, qui etiam in alio Codice habetur, ut notat Carolus du Freſne Dominus du Cange, in Indice Codicum MSS. Græcorum quibus uſus eſt ad editionem *Gloſſarii media & infimæ Græcitatis*, col. 28. ad calcem Operis. Vltimum quoque ex his Opuſculis duobus, vidit Græco MS. inter *Vitas Sanctorum* Leo Allatius, qui huius meminit in Diatriba *De Symeonum Scriptis* pag. 110. his verbis, „Τῇ πρωτίρᾳ κυριακῇ τὴν ὀρθόδοξον ταύτην ἐκκλη„σίαν &c. *Joannis Diſcipuli* Περὶ τῆς τελειώσεως τῆς „ἁγίας καὶ ἐνδόξυ καὶ ἀειπαρθένυ Μαρίας.„ Denique ultimum iſtud Opuſculum extat Græce MS. in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theologico Græco CLI. num. 32, ut habet Lambecius libro 4. *Commentariorum* huius Bibliothecæ pag. 131. his verbis.

„Trigeſimo ſecundo & quidem a fol. 171. pag. 1. „usque ad fol. 176. pag. 2. *Narratio apocrypha de „Obitu & Aſſumptione Beatiſſimæ Dei Genitricis*, no„mine S. Jacobi Apoſtoli cognomento Minoris & „fratris Domini, falſo inſcripta. Ipſa tituli Græ„ci verba cum principio Narrationis hæc ſunt. „Κοίμησις τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκυ „Μαρίας, συγγραφῖσα ὑπὸ Ἰακώβυ τῦ ἀδελφο„θεν. Quamvis autem hæc Narratio quoad ti„tulum, *S. Jacobo Apoſtolo* cognomine Minori & „*fratri Domini* attribuitur: in ipſa tamen narra„tione *S. Joannes Evangeliſta* ita loquens introducitur, ut ipſe potius quam *S. Jacobus* auctor eius „ſimuletur, ſicut ex hoc fragmento Opuſculi „videre eſt. Παρεγενόμην ἐγὼ Ἰωάννης τῦ πνίυ„ματ(Φ)ρ τῦ ἁγίυ ἀσπάσαντός με διὰ νεφέλης ἀπὸ „Ἐφέσυ, καὶ σήσαντός με ἐν τῷ τόπῳ, ἔνθα ἀνέ„κειτο ἡ ἁγνὴ τῦ Κυρίυ. Εἰσελθὼν δὲ πρὸς αὐτὴν, „δοξάσας τὸν ἐξ αὐτῆς τεχθέντα, εἶπον, χαῖρε ὦ „Μητὴρ τῦ Κυρίυ μυ, ἡ γεννήσασα χριςὸν τὸν Θεὸν „ἡμῶν. Εὐφραίνυ ὅτι ἐν δοξῇ μεγάλῃ ἐξήχθη τῦ „βίυ τύτυ. Καὶ ἐδόξασε τὸν Θεὸν ἡ ἁγία Μαρία, ὅτι „ἦλθεν ἐγὼ Ἰωάννης πρὸς αὐτήν. Hoc eſt, *Adfui ego „Joannes, raptus a Spiritu Sancto in nube ex urbe „Epheſo, & collocatus in eo loco, ubi Mater Domini „recumbebat. Ingreſſus autem, laudato eo quem ipſa „pepererat, dixi: Ave o Mater Domini mei, qua pe„periſti Chriſtum Deum noſtrum, lætare quia cum ma„gna gloria migras ex hac vita. Et laudavit Sancta „Maria Deum, quod ego Joannes ad ſe veniſſem.* „Videtur ergo Hiſtoria hæc apocrypha & ſuppo„ſititia de *Obitu & Aſſumptione Beatiſſimæ Dei Genitri„cis* eadem prorſus eſſe, cuius Epiphanius Mona„chus & Presbyter in principio Opuſculi ſui *de „Vita Sanctiſſimæ Deiparæ*, meminit his verbis, apud „Allatium. Ἐγκωμιασαὶ δ' αὐτῆς καὶ πολλοὶ ἐκ τῶν „ἁγίων Πατέρων γεγόνασιν. ἰδεῖς δὲ ἐξ αὐτῶν περὶ „τῆς βιώσεως αὐτῆς, καὶ τῶν χρόνων, ἢ τῆς ἀνατρο„φῆς, ἢ τῦ τέλυς, ὀρθῶς καὶ ἀναποδείκτως ἐσήμανεν. „Ἀλλὰ καὶ οἱ ἐπιχειρήσαντες, καὶ μέρη τινὰ εἰπόντες, „οὐκ ὀρθοτόμησαν, ἀλλ' ἑαυτοῖς ἐγένοντο κατήγοροι. „Οἷον Ἰάκωβος Ἑβραῖος καὶ Ἀφροδισιανὸς Πέρσης, καὶ „ἄλλοι τινὲς περὶ τῆς γενέσεως αὐτῆς εἰπόντες, „εὐθέως ἀπεσιώπησαν. Περὶ δὲ τῆς κοιμήσεως αὐτῆς „Ἰωάννης ὁ Θεσσαλονικεὺς πολυθρύλλητον ποιησάμε„νος λόγον, αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπέσκιασεν: καὶ ἕτερος δ' „Ἰωάννης ἑαυτὸν Θεολόγον ἐπιχειρήσας τὸ τῦ ψεύδους „ἔγκλημα ἐφ' ἑαυτῷ ἐπεσπάσατο. Hoc eſt V. „Cl. Leone Allatio interprete in Diatriba *de Sy„meonum ſcriptis* pag. 106. 107. *Laudatores autem „ipſius Beatiſſimæ Dei Genitricis, multi ex ſanctis Pa„tribus fuere, ſed nullus de eius vita, anno, educatio„ne & fine vitæ, certa aſſertaque pronuntiavit. Ve„rum ii ipſi qui ad hoc manus admoverunt, & quæ„dam ſingulatim narraverunt, non recte rem peregerunt, imo alter alterum improbavit. Qualis fuit „Jacobus Hebræus & Aphrodiſianus Perſa & alii, qui „principiis de eius Nativitate prolatis, illico ſilen„tium ſibi indixerunt. De eius autem dormitione ſive „obitu, Joannes Theſſalonicenſis quanquam Orationem „ſatis prolixam edidiſſet, non multam laudem conſecu„tus eſt. Et alius Joannes qui Theologi nomen ſibi „vindicat, notam mendacii in ſe accepit.* Hæc Epi„phanius ille Monachus & Presbyter, qui An„drea Cretenſi quem ibi quoque profert, po„ſterior fuit.„

SANCTVS BARNABAS genere Cyprius, qui & Joſeph Levites cum Paulo gentium Apoſtolo ordinatus, unam ad ædificationem Eccleſiæ pertinentem epiſtolam com„poſuit, quæ inter apocryphas ſcripturas legitur.„ Hic poſtea propter Joannem diſcipulum qui & „Marcus vocabatur, ſeparatus a Paulo nihilomi„nus Evangelicæ prædicationis iniunctum ſibi „opus exercuit.„ Hæc Hieronymus lib. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 6. Epiſtolam hanc eduxit in publicum Græce ac Latine primus in 4. Pariſiis anno 1645. ex MSS. Codd. cum Commentariis eruditis, *Hugo Menardus* monachus Benedictinus congregationis Sancti Mauri. Eandem iterum Græce & Latine edidit in 4. Amſtelodami anno 1646. *Iſaacus Voſſius* Gerardi Joannis Voſſii filius, Ao. 34

filius, cum Epistolis Ignatii ex MS. Cod. bibliothecæ Florentinæ. Tertius Joannes Baptista Cotelire vir doctus, recensitam Græce & Latine inseruit operi suo quem inscripsit *Opera Sanctorum Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt*, Parisiis anno 1671. tomis in folio 2. impressa apud Petrum le Petit. Denique & quartus Stephanus Le Moine Leydensis Universitatis Theologus in *Variis Sacris* seu *Sylloge diversorum Opusculorum* 2. vol. in 4. Lugduni Batavorum an. 1685. apud Danielem a Gaesbeeck. Passus est Barnabas in Cypro die Junii XI. anno circiter 61. vel sequenti. Ambigitur autem apud eruditos huius Seculi viros; utrum hæc epistola, Barnabæ genuinum opus, an apocryphum sit. Genuinam censent prolem Barnabæ nuperi Scriptores duo insignes Guillelmus Cavus in *Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum* pag. 11. Elias du Pin in *Bibliotheca Ecclesiastica* seculo 1. verbo *S. Barnabas*. Contra vero iuxta allata a nobis divi Hieronymi verba, hanc spurium neque S. Barnabæ opus germanum cuius nomen præfert, sed falso inscriptum vult Natalis Alexander in *Selectis Historia Ecclesiastica Capitibus*, seculo 1. cap. 10. art. 6. pag. 79. variasque huius suppositionis affert rationes. Præter enim allatum a nobis Hieronymi testimonium, ex opere de *Scriptoribus Ecclesiasticis* in Barnaba, affert & aliud haud minus expressum ex lib. 13. Commentariorum in Ezechielem cap. 43. ad vers. 13. ubi inquit: *Vitulum autem qui pro nobis immolatus est, & multa Scripturarum loca & precipue Barnabæ Epistola, quæ habetur inter apocryphas, nominat.* Ante S. Hieronymum Eusebius lib. 3. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 19. istud idem iudicium tulit, hoc in argumento, non spernendum: „Inter Scripturas autem, quæ „falso inscriptæ, minimeque germanæ dicuntur, „Pauli Acta nominantur, & liber qui vocatur „Pastor, & Epistola nomine Barnabæ edita & „quæ dicitur Doctrina Apostolorum.„ Dum autem appellat *Epistolam falso inscriptam*, dubium omne tollit, quonam ipse sensu *Apocryphum* accipiat: vultque neutiquam spectare ad Barnabam Apostolum hanc epistolam, cuius nomen præferat. Apocrypha equidem bifariam sumuntur, ut legentibus Romanam sub Gelasio Synodum perspicuum erit. Vel pro pseudepigraphis, & quorum absconditi autores & incogniti: vel pro iis qui notam erroris vel impietatis aliquam merentur, ideoque abscondi & ignorari, nec in publica Ecclesiæ luce versari debent: Sicut libri canonici Scripturarum, vel tractatus Ecclesiastici Sanctorum Patrum, qui pede inoffenso legi queunt. Atqui Sanctus Hieronymus & Eusebius non reiiciunt Epistolam Barnabæ ad scripturas apocryphas, quæ aliquam erroris aut impietatis notam mereantur: quin imo Sanctus Hieronymus testatur, *illam ad ædificationem Ecclesiæ pertinere.* Ergo censent illam apocrypham esse, quod pseudepigrapha seu falso inscripta sit, & Sancto Barnabæ supposita. Quod omnino confirmat notio Apocryphorum, tradita a Sancto Hieronymo in epistola 7. ad Lætam: *Apocrypha sciat non eorum esse, quorum titulis prænotantur.* Itaque cum S. Hieronymus, hanc Epistolam in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, a Sancto Barnaba compositam dicit, titulum spectat Epistolæ, non rei veritatem: unde statim illegitimam se prolem illam suspicari innuit, dum inter Apocrypha recenset. Præterea Eusebius loc. cit. Hieronymo antiquior, hanc Epistolam nomine Barnabæ editam, vocat Scripturam *falso inscriptam*: quam cum aliis libris falso inscriptis comparat, cum *Doctrina Apostolorum, Pastore, Actis Pauli*, quæ certo certius opuscula his scriptoribus suppositæ sunt. *Tertio* si esset Barnabæ hæc Epistola, admissa fuisset ab Ecclesia ut Canonica, hæc enim consecutio optima est. Vnde S. Augustinus lib. 1. *contra adversarium Legis & Prophetarum* cap. 20. ut apocrypha sub nominibus sanctorum Andreæ Joannisque scripta exsibilet atque explodat, hoc argumento utitur: *Si illorum essent, recepta essent ab Ecclesia.* Cum igitur Epistola S. Barnabæ iamdudum inter apocryphas scripturas recensita sit, neque ulli Scripturarum Canonicarum canoni inserta, dubium esse non debet, quin Barnabæ falso adscripta sit. *Quarto* denique vix credi potest, eximium adeo Apostolum, tantoque Spiritus Sancti & fidei lumine collustratum, ea scripsisse, quæ præfata epistola complectitur: coactas nimirum allegorias; enarrationes scripturarum minus verisimiles, de animalibus fabulas, qualis illa est quam tradit, *Hyenam alternare sexum.* Cuius contrarium docent omnes Rerum Naturalium periti, Aristoteles lib. *de generatione Animalium* cap. 6. & lib. 6. *de historia animalium* cap. 32. Diodorus Siculus Lib. 32. *Historia* apud Photium in *Bibliotheca* Cod. 244. Plinius *Historiæ Naturalis* lib. 8. cap. 30. & lib. 28. cap. 8. quibus adde Clementem Alexandrinum Lib. 2. *Pædagogi* cap. 10. Neque etiam videtur Barnabas rem tam evidenter falsam, de Apostolis scripturus fuisse: quod nimirum essent, *iniquissimi hominum, quando vocavit eos Christus, & super omne peccatum peccatores.*

Supposita videtur hæc Epistola falso Barnabæ nomine, post excidium Hierosolymitanum, sed ante seculi secundi finem: nam sub tertii initium, citata est a Clemente Alexandrino non semel atque iterum, sed sæpius. Sic enim ille libro 2. *Stromatum* pag. 373. editionis Parisiensis. Merito igitur Apostolus Barnabas ait: "*Ex ea*" *parte quam accepi, studui pauca ad vos mittere, ut*" *cum fide vestra perfectam etiam habeatis cognitio-*" *nem*, & pag. 410. Non mihi pluribus verbis opus" est, si adduxero testem Apostolicum Barnabam" (erat enim is ex 70. Discipulis & Pauli auditor)" his verbis sic dicentem &c." Hanc etiam Epistolam eodem seculo laudavit Origenes lib. 3. *de principiis* cap. 2. inquiens, *Eadem quoque Barnabas in epistola sua declarat &c.* Fatemur igitur Epistolam hanc in magno pretio apud veteres extitisse, sed inde legitimam non censendam esse: nam apocrypha multa allegant uterque in scriptis suis, Clemens Alexandrinus & Origenes. Denique Stichometria Latina seu Index librorum Sacrorum, qui extat in duobus libris MSS. al-

tero Christianissimi Regis, altero Monachorum abbatiæ S. Germani Parisiensis, Barnabæ quidem Epistolam, inter Judæ epistolam, & Joannis apocalypsin collocat: sed hoc Opus neque certi authoris, neque seculum nonum excedere creditur: unde ad stabiliendam Barnabinæ huius Epistolæ veritatem vel illi inter Scripturas sacras sedem conciliandam, infirmum plane argumentum est.

Porro ut supra diximus, Ludovicus Elias du Pin, in *Nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo Ecclesiæ 1. tomo 1. pag. mihi 6. hanc Epistolam Barnabæ genuinam censet. *Scripsit*, inquit Hieronymus cap. 6. *Epistolam ædificationis plenam ad Ecclesiam, etsi non canonicam.* Hæc Epistola allegatur sæpius a S. Clemente Alexandrino Lib. 2. *Stromatum* pag. 373. & 375. 389. 396. 410. Lib. 5. pag. 571. 572. 577. & 578. Origenes Libro 1. contra Celsum, & Lib. 3. περὶ ἀρχῶν & Eusebio Lib. 3. Hist. cap. 25. & lib. 6. capp. 13. & 14. Ex quatuor autem scriptoribus, qui Epistolam hanc Græce & Latine sub nomine S. Barnabæ Apostoli evulgarunt, solus Isaacus Vossius Joannis Gerardi filius, qui Græce & Latine illam ad calcem Ignatianarum Epistolarum, anno 1646. in 4. Amstelodami edidit, atque ad tres Manuscriptos Codices, nimirum Florentino ex Bibliotheca Mediceæ, altero Vaticano, ac tertio Theatinorum qui Romæ agunt, recensuit, ut ipse testatur Notis in Epistolam hanc, pag. 310. editionis suæ: solus, inquam, ex quatuor illius editoribus, legitimam illam S. Barnabæ prolem censet, paginis 310. & 311. argumentis admodum levibus. Nam quoad Joannem Baptistam Cotelerium, qui eandem Græce & Latine quoque anno 1671. edidit, tomo 1. *Veterum Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt:* neque singularius discutit an legitima sit, an spuria: sed præmittit duntaxat testimonia Veterum qui illius meminerunt, magis ad illius spurietatem & ἀθετέσιν, quam ad sinceritatem & legitimationem facientia, ut ex eorum lectione attenta constare potest. Alii duo qui eandem ediderunt, Hugo nimirum Menardus Monachus Benedictinus qui primus eam anno 1645. Parisiis apud Simeonem Piget in 4. Græce & Latine, ex MS. Codice bibliothecæ Corbeiensis quoad Latinam veterem interpretationem, textum vero Græcum ex apographo Francisci Turriani Romæ asservato, cuius copiam Hugoni Menardo Jacobus Sirmondus eruditissimus Soc. Jesu antiquarius fecit: hic inquam, qui eius veritati adstruendæ favere maxime debuerat, diserto in Notis eruditis quas ad illam conscripsit, spuriam & notham pag. 73. his verbis affirmat.

„S. Barnabas, natione Cyprius, gente Judæus, „tribu Levites, qui & Joseph appellatus, unus „e septuaginta duobus Christi discipulis fuit, ut „docent Clemens Alexandrinus lib. 2. *Stromatum*, & Eusebius Lib. 1. *Hist. Eccl.* cap. 12. & lib. 2. cap. 1. Agrum quem habebat vendidit, & attulit pretium, & posuit ante pedes Apostolorum, „ut scribitur Act. 4. Una cum S. Paulo gentium „Apostolus declaratus est a Prophetis & Doctoribus; qui erant Antiochiæ, Spiritu sancto revelante, Act. 13. Multas terras & maria obivit, ad Christi fidem disseminandam multis ac variis exantlatis laboribus. Multas Ecclesias fundavit, inter quas Mediolanensem. De tempore quo passus est, nihil certi statui potest, cum nullus alicuius notæ scriptor antiquus suppetat, qui de illius morte scripserit, ut notat Baronius. Ferunt quondam ab eo scriptam Epistolam, quæ inter Canonicas scripturas non habetur, quam etsi citent Clemens Alexandrinus & Origenes, tamen inter scripturas dubias, nothas & apocryphas connumeratur: cum nunquam Ecclesiæ authoritate pro Canonica recepta sit. Quod satis experientia constat, & ex Eusebio Lib. 3. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 19. qui eam inter scripturas minime germanas recenset. *Inter scripturas minime legitimas annumerantur Acta Pauli & liber qui vocatur Pastor, & Apocalypsis Petri*, καὶ πρὸς τούτοις ἡ Φερομένη Βαρναβᾶ ἐπιστολή: id est, *quibus addatur quæ fertur nomine Barnabæ Epistola.* Idem censet divus Hieronymus libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 6. *Barnabas Cyprius, qui & Joseph Levites, cum Paulo gentium Apostolus ordinatus, unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem Epistolam composuit, quæ inter apocryphas scripturas legitur.* Et lib. 13. Commentariorum in Ezechielem cap. 43. Vitulum autem qui pro nobis immolatus est, & multa Scripturarum loca, & præcipue Barnabæ Epistola, quæ habetur inter scripturas apocryphas, nominat. Eiusdem sententiæ est Nicephorus Callistus lib. 2. cap. 46. & lib. 4. cap. 33. Nicephorus Patriarcha CP. in Canone Scripturarum, eam inter scripturas novi Testamenti, ὅσαι ἀντιλέγονται, recenset: id est, quibus contradicitur, non vero inter apocryphas connumerat. Illius sæpe meminit Clemens Alexandrinus, multosque ex ea profert locos: quemadmodum & Origenes, quos omnes in nostris observationibus notavimus: eamque citat S. Gregorius Nazianzenus in *Philocalia.* S. Hieronymus in libro *de interpretatione nominum Hebraicorum*, post explicationem eorum, quæ reperiuntur in Apocalypsi, interpretatur ea quæ extant in Sancti Barnabæ Epistola, hoc modo: *De epistola Barnabæ. Abraham pater videns populum &c.* Hi sunt veteres auctores, qui de hac Epistola scripserunt aut meminerunt. Quæ quidem jure inter scripturas apocryphas a citatis auctoribus connumeratur: tum quia an Barnabæ sit, incertum est: tum quia quædam in ea reperiuntur, quæ difficultate minime carent. Siquidem nonnullæ sunt in ea salebræ, ad quas minus cauti offendere possint, quas tamen pro modulo explicavi. Non eo quidem animo, quasi velim eam ab omni nævo pertinacius excusare: quemadmodum hodie video nonnullos, qui vetera quædam monumenta a se edita, continentia meras nutricularum nænias, seu potius ægroti veteris somnia, quæ ad primum intuitum viris doctis nauseam moveant, tanta animi contentione (quamvis sine ratione) defendere conantur: ut velint ea scri-

„ſcriptorum omnium veterum ac recentiorum „auctoritati præferri. Nec id movere quenquam „debet, quod Clemens Alexandrinus & Origenes, cum hanc citant epiſtolam, nunquam „eam apocryphan eſſe dixerint: ſiquidem ejusmodi auctores ſæpe utuntur apocryphis, & libro Enoch, Paſtoris, Matthiæ traditionum libro, Petri Apocalypſi, Evangelio Ægyptiorum, „& ſimilibus. Vnum tamen certum eſt hanc „Epiſtolam, quæ modo a nobis exit, eam eſſe „quam ſanctus Hieronymus, Clemens Alexandrinus, & Origenes præ manibus habuerunt: „cum omnes locos ab illis ex ea citatos, in hac „quam edimus epiſtola, reperire liceat: ut ex „noſtris obſervationibus manifeſtum erit. Hæc „ſincera fide Menardus, Monachus eruditus.

Denique eandem cum Menardo ſententiam amplexus eſt, qui ultimus eandem Epiſtolam Græce & Latine in 4. edidit Lugduni Batavorum Stephanus le Moine, inſertam *Variis Sacris* apud Danielem a Gaesbeck anno 1685. duobus tomis impreſſis. Sic autem in Prolegomenis ad Varia Sacra. „Evangelio vero Matthæi muniri pectus ſuum juſſit & poſtulavit, non vero „Epiſtola quæ hodie illi tribuitur. Vnde certa „ſatis conjectura omnes poſſunt aſſequi, illam „non agnoſcere Barnabam auctorem, & eſſe fœtum ſecundi, non vero primi ſeculi. Et revera ſi genuinus foret illa Barnabæ partus, non „video quare inter Scripturas Canonicas non relata fuiſſet: & parentis dignitas, Apoſtoli nempe Barnabæ ſocii Pauli Apoſtoli, & de Eccleſia „inſtar aliorum Apoſtolorum tam bene meriti, „illi locum inter libros ſacros procul dubio vindicaſſet. Quod factum de Epiſtola ad Hebræos, cuius illum auctorem, vel ſaltem interpretem agnoſcunt quamplurimi, qua de re nos „alibi fuſe. Deinde Epiſtola quæ Barnabæ adſcribi ſolet, ſcripta fuit poſt excidium Hierosolymitanum: nam in illa fit mentio Templi „everſi ac deleti, quod contigit diu poſtquam „rebus humanis ereptus fuit S. Barnabas Apoſtolus. Poſſumus & illud addere, multa citari in „iſta Epiſtola, ex fontibus hauſta & petita, qui „Apoſtolis & Apoſtolicis viris incogniti prorſus, „vel minus frequentati, imo neglecti fuerint. „Plurima quippe in ea memorantur, ex apocryphis & lacunis Judaicis derivata, more prorſus „inſolito beatis Apoſtolis, & qui tantum ſeculo „ſecundo uſurpari incepit.

Idem quoque poſtea. „Cuius etiam Epiſtola „cum a nullo primi & ſecundi ſeculi citatur non „videtur tantæ eſſe antiquitatis, quanta illi vulgo tribuitur. Nam de illa nec Clemens, nec „Ignatius, nec Polycarpus, nec Juſtinus loquuntur: Viri quibus negotia cum Judæis agitanda „fuerunt, & qui ab Epiſtola Barnabæ alleganda „ſibi non temperaſſent, ſi ante illos ab Apoſtolo exarata fuiſſet. Juncta deinde occurreret „aliquando, vel cum Clementis Epiſtola, vel cum „Ignatianis: quod tamen nunquam contingit, & „ſemper cum Polycarpi Epiſtola ſociata reperitur. Quod certe caſu ſemper factum, repugnante temporis & auctorum dignitatis ratione, vix veriſimile eſt. Quibus & hoc etiam „poſſumus addere, illam revera ſemper adnexam „occurrere Epiſtolæ Polycarpi: ſed nunquam illi „præfigitur, & in vetuſtioribus codicibus ſemper „ſcribitur ad calcem, non vero in capite voluminis, quod complectitur Epiſtolam Polycarpi. „Vnde vero ſitus iſte & locus poſtremus, ſemper Epiſtolæ Barnabæ adſignatus? Si veteres „credidiſſent illam revera eſſe Barnabæ Apoſtoli, „ſocii divi Pauli, de Eccleſia benemeritiſſimi, & „cui Polycarpus inſignis licet Chriſtianorum Doctor, primatum omni jure cedere debuiſſet. „Non levi ergo ſuſpicione adducor ut exiſtimem, „ſalvo ſemper meliori judicio, iſtam Epiſtolam „tribui poſſe ipſi beato Polycarpo. Nam ante „Polycarpum extitiſſe non videtur, nunquam „ſola occurrit, nunquam aliis Epiſtolis vel Operibus adnectitur, ſed ſemper Polycarpi Epiſtolæ ſociata legitur. Hinc eſt quod poſtrema „verba Epiſtolæ Polycarpi ab incautis lectoribus „habeantur pro capite Epiſtolæ, quæ ſub nomine Barnabæ circumfertur: adeo exactus erat „nexus iſtarum Epiſtolarum. Et cum Polycarpus varias exaraverit Epiſtolas, ut ſupra dicebamus: non video ullum periculum, quo illi & „Epiſtolam Barnabæ tribuere prohibeamur. Præcipue cum ſeries continua & perpetua Epiſtolarum hoc ſuadeat, cum tempus omnino quadret, cum in illa nihil occurrat, quare Polycarpo abiudicari debeat: Et argumentum Epiſtolæ, nimirum informatio Judæorum congruat „tempori, zelo, induſtriæ Polycarpi, & loco ubi „per 86. annos vixit & docuit beatus ille Martyr. „Smyrnæ nimirum, Epheſi, Antiochiæ, & in tota Aſia Minori, ubi numeroſiſſima Judæorum „copia. Hinc Epiſtolæ Apoſtolorum ad converſos Judæos, ſparſos per Cappadociam, Pontum, „Bythiniam, Aſiam: hinc variæ Synagogæ Ancyræ in Galatia, ubi Judæis conceſſa ab ipſis „Imperatoribus privilegia conſervabantur.“ Ita Stephanus Monachus, in Academia iſta Lugduno-Batava Theologiæ non ignobilis profeſſor.

Vnum ex ſeptuaginta Diſcipulis fuiſſe Barnabam, Euſebius lib. 2. cap. 1. Epiphanius lib. 1. cap. 21. atque ante Lucas in Actibus Apoſtolorum ſatis indicavit, una cum Paulo & Stephano, imbutum litteris a Gamaliele alii volunt, qui & alia ſcripſiſſe dicitur. Nam ut refert Theodorus Lector *Collectaneorum* lib. 2. Matthæi Evangelium ex Hebræo in Græcum transtuliſſe dicitur. Verum fides huius Lectoris ita modica, ut nullos illa graves viros perſuaſerit, ipſeque recentioris ætatis eſt, quam ut ad ſtabiliendum iſtud valeat. Nam Guillelmus Cavus qui quantum licet ac poteſt, antiquiſſimos authores facit in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum*: hunc Theodorum ex conjecturis ad annum DXVIII. collocat, ætatem illius ex fine Hiſtoriæ conjiciens, argumento prorſus infirmo, quo tamen valide nititur. Vnde Miræum irridet, qui ad annum 1320. illum ablegaverat. Sub nomine quoque S. Barnabæ Evangelium circumferebatur olim, quod tan-

tanquam ſpurium, merito a Gelaſio Papa in Concilio Romano anno 494. inter apocrypha collocatum eſt, ut refert Gratianus Diſtinct. XV. atque in Conciliorum tomis habetur. Epiſtolam etiam quam ad Hebræos ſub S. Pauli nomine habemus, non eſſe Barnabæ jam eruditi omnes cenſent, licet id Tertullianus in lib. *De pudicitia* cap. 20. & alii eum ſecuti tradiderint. Cæterum Joannes ille Marcus de quo Act. 12. v. 12. paſſionem S. Barnabæ Apoſtoli a Sigeberto de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 2. ſcripſiſſe perhibetur, quam nullo damno intercidiſſe opinamur. Qui plura de Barnabæ ſcriptis legere voluerit, adeat Baronium tomo 9. *Annalium* ubi de his agit pluribus. Poſt illum autem Henricus Spondanus, ejus epitomator. Sixtus Senenſis Lib. 1. *Bibliotheca Sancta*, verbo *Barnabas* pag. 45. Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 171. Natalis Alexander ſeculo 1. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 10. art. 6. p. 79.

A. 34 NICODEMVS PHARISÆVS inter primores Judæorum clarus, Chriſti deinde diſcipulus, quem noctu primum adiit, Joannis cap. 3. v. 1. & 2. quemque poſtea a Phariſæis in Synedrio accuſatum tutatus eſt, Joannis cap. 7. v. 50. Domini tandem crucifixi corpus aromatibus conditum poſt depoſitionem, ſepulchro intulit, Joannis cap. 19. v. 39. Claruit ab anno 34. de cujus morte nihil certi liquet. Extat ſub ejus nomine *Evangelium de paſſione & reſurrectione Chriſti*, Hieroſolymis in Pontii Pilati Prætorio (ut dicitur) repertum, ac ex Hebraico in Latinum ſermonem, quod tamen ſpurium eſſe facile conſtat, Latine editum inter Orthodoxographos pag. 641. quod Lipſiæ antea 1516. in 4. prodierat, Saxonice autem MS. id in Bibliotheca S. Benedicti Cantabrigienſis extare, nos Abrahamus Whelocus docet in Notis ad Hiſtoriam Bedæ pag. 77. 78. Hæc Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei litterariæ* ad annum 34. pag. 11. *Evangelium* autem *Nicodemi* illud *Anglo-Saxonice MS.* edidit cum *Heptateucho & Libro Job Ælfredi Monachi Anglo-Saxonico* Eduardus Thwaites Anglus, Oxonii e Theatro Sheldoniano typis Junianis anno 1698. in 4. Adjecta *Heptateucho* huic alia ejusdem idiomatis monumenta, nempe *Evangelium Nicodemi Anglo-Saxonicum* factum ex Latino, quo ſermone tantum publice innotuit editione Lipſienſi anni 1516, ex qua Germanica Smalcaldienſis anno 1687. profluxit. Græca autem authentica exemplaria in Bibliotheca Gallicorum Regia & Sereniſſimi Ducis Bavariæ aſſervantur. Adjecit autem variantes lectiones Evangelii Nicodemi collectas ex margine apographi Juniani, quod ex Codice MS. Bibliothecæ publicæ Cantabrigienſis deſcriptum, & cum alio Codice bibliothecæ Cottonianæ, a magno illo Linguæ Anglo-Saxonicæ oraculo, Franciſco Junio F. filio collatum fuerat. Hæc ex Actis Eruditorum Lipſiæ anno 1698. menſe Decembri pag. 549. & 550.

A. 34 JOANNES cognomento MARCVS, Sancti Barnabæ Apoſtoli conſobrinus & prædicationum illius ſocius, ut conſtat ex Actibus Apoſtolorum a S. Luca conſcriptis cap. 12. ſcripſit Acta S. Barnabæ Apoſtoli, quæ ſaltem ſub ejusdem nomine MSS. Græce extant in Bibliothecæ Vaticanæ Codice MS. Acta autem hæc S. Barnabæ, ex MS. codice citato cum Latina interpretatione Guilielmi Cardinalis Sirleti, habentur Græce & Latine a pag. 421. ad 460. ac illuſtrata Commentariis producuntur inter *Acta Sanctorum Junii* menſis, collecta, digeſta, Commentariis & Obſervationibus illuſtrata a Godefrido Henſchenio, Daniele Papebrochio, Franciſco Baërtio & Conrado Janningo, Presbyteris Theologis Soc. Jeſu, Tomo II. Antwerpiæ apud viduam & hæredes Henrici Thieullier 1698. in folio. Baronius in Notis ad *Martyrologium Romanum* ad diem XI. Junii, ita de his Barnabæ Actis loquitur. "Barnabæ tam Latini quam Græci mentionem faciunt. De ejus Apoſtolatu Act. Apoſtolicorum cap. 13. Erat autem unus, ex ſeptuaginta duobus diſcipulis, ut ſcribit Euſebius lib. 2. *Hiſtoria* cap. 1. Epiphanius in *Panario* lib. 1. prope finem, Beda *Actorum Apoſtolicorum* cap. 4. Alexander Monachus *Encomio in S. Barnabam*, & Hippolytus Martyr in libello *de 72. Diſcipulis*, ubi & de adventu Barnabæ Mediolanum: de quo etiam Dorotheus in *Synopſi*, & alii. Fertur nomine Joannis cognomento Marci, cujus eſt mentio in Actis Apoſt. cap. 12. *Paſſio Barnabæ*, quæ cum multa habeat falſa, & quæ repugnant iisdem Actis Apoſtolicis a Luca conſcriptis, indigna prorſus eſt, quæ illi tribuatur, ut in Annalibus Eccleſiaſticis diſſeruimus. Rurſus ea quæ in illa apocrypho, Clementis nomine, *itinerario*, de Barnaba ſcripta habentur, quod primus Evangelium Romæ prædicavit, a veritate aliena prorſus eſſe noſcuntur, licet illis nonnulli fidem præſtiterint, ut prædictus Alexander, Dorotheus, & ſi qui alii." Hæc Baronius; quibus alia ad ſuppoſitionem probanda, addere plane ſupervacaneum eſt, cum Opuſculi huius nullus veterum meminerit. *Acta S. Barnabæ Apoſtoli* qualiter ad nos pervenerunt, & *Evangelium Nicodemi* de quo ſtatim egimus, cum Opuſculo *de infantia Salvatoris*, qui liber integer ex Arabico in Latinum ab Henrico Sikio ex MSS. Codicibus Lugduno Batavæ bibliothecæ translatus, iterum recuſa ſunt in *Codice Apocrypho Novi Teſtamenti*, collecto partibus duabus, quarum prima ad Jeſum Chriſtum, ſecunda ad *Acta Apoſtolorum apocrypha* ſpectat, caſtigato, cenſuris & animadverſionibus illuſtrato a Johanne Alberto Fabricio S. Theologiæ Doctore & Profeſſore publico Hamburgi, apud Benjamin Schiller anno 1703. in 8. pag. 987. ubi Opuſcula antiqua Apocrypha omnia ad Novum Teſtamentum tam quoad Jeſum Chriſtum, quam ad Apoſtolos ſpectantia, recenſentur & continentur, idiomate quo ad nos pervenerunt. Hoc ſemel admonuiſſe ſufficiat. Ejusdem vero furfuris cenſeantur *Acta Sanctorum Pauli & Theclæ Apoſtolorum*, quæ Joannes Erneſtus Grabe, vir eruditus, nunc primum Græce & Latine edenda curavit in *Spicilegio Sanctorum Patrum & Hæreticorum Seculi I. II. & III. Eccleſiæ*, duobus in 8. voluminibus Græ-

Græce & Latine ex MSS. collecto, Tomo ſeu ſeculo I. a pag. 95. ad 128. ex MSS. Codicibus Bodlejanæ bibliothecæ, quibus præmiſit præfationem eruditam ac prolixam pag. 81. & ſequentibus *de Apocryphis S. Pauli Apoſtoli nomine*, præſertim *de Actis iſtis Pauli & Theclæ*. Opus editum Oxonii e Theatro Sheldoniano annis 1698. duobus voll. in 8. & 1700. in 8. charactere nitido. Sunt tamen qui *Præfationem* illius in opus ita ſuppoſitum, niminæ prolixitatis arguant. Ac idem cenſent *de Præfatione ad Teſtamenta XII. Patriarcharum* quam habet p. 129. ibidem, cui pag. 145. ſuccedunt hæc *Teſtamenta XII. Patriarcharum*, nunc primum Græce edita juxta MS. Codicem Cantabrigienſem cum altero Oxonienſi Græco collatum, una cum Latina verſione Roberti Groſthead Lincolnienſis Epiſcopi, ex duobus MSS. Codicibus Bodlejanæ bibliothecæ emendata, ad pag. 253. Hæc opuſcula enim apud eruditos, nullius fidei vel ponderis ſunt, licet ab antiquioribus interdum allegentur.

ANONYMVS author *Evangelii infantiæ*, ſeu libri *de infantia Salvatoris* eodem tempore prodiiſſe ex fronte videtur, quo *Evangelium Nicodemi*, primo nimirum Eccleſiæ ſeculo, vel ſecundo ineunte, cum tempus præciſe deſignare nullus poſſit. *Evangelium infantiæ* ſeu librum apocryphum *de infantia Salvatoris* ex MS. Codice bibliothecæ Lugduno Batavæ edidit, ac Latina verſione & notis illuſtravit Henricus Sikius Bremenſis, Trajecti ad Rhenum apud Franciſcum Halmam & Guillelmum van de Water 1697. in 8. Extat autem Latine MS. inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis Codice 1399. in MSS. Codicibus Collegii Sancti Benedicti Cantabrigiæ Codice 122. num. 15. cujus initium *Ex Joachim* &c. Illius Evangelii mentionem jam in Gelaſii Papæ decreto, quod in Concilio Romæ ſub ſæculi V. finem habito conditum fuit, itemque apud Irenæum qui anno 167. ſcripſit & claruit, Epiphanium, Chryſoſtomum, & Theophylactum, occurrere, in præfatione ad lectorem Sikius admonet. Atque ideo dubium non eſſe, quin longe ante Mohammedis tempora jam extiterit, ſiquidem & ipſum ex eodem plurima ſuo Alcorano inſeruiſſe in notis paſſim demonſtrat, vel Græca vel Syriaca, vel alia lingua a quodam hæretico compilatum. Quanquam textus Arabicus ab auctore primum editus ex MS. Codice qui inter Golianos Lugduni Batavorum latuit, longe minorem antiquitatem præ ſe ferat: & ejus ſtylus ei, quo Novum Teſtamentum Arabice verſum, & ab Erpenio editum habemus, haud multum diſſimilis ſit. *Evangelium* ipſum *Arabicum*, cui ab altera parte Latina verſio ab Sikio adjuncta eſt, integrum ex nugaciſſimis narrationibus, variisque hæreticorum ejus temporis pravis opinionibus compoſitum ſequitur. Quæ rationes illum ad hujus opuſculi editionem moverint, illæ ſunt.

Quanquam omni ævo ac tempore extiterint, qui infidelium & hæreticorum libros e tenebris in lucem protrahere, factum indecens & Chriſtianæ Reipublicæ permitioſum eſſe exiſtimaverint, decretis etiam publicis, ut hujuſmodi ſcripta per combuſtionem aut alia media ab hominum uſu removerentur, ſancitis: non defuerunt tamen alii viri docti piique, qui olim & nunc fas eſſe arbitrati ſunt, non tantum legere hæreticorum ſcripta, ſed & opiniones illorum manifeſtare, librorumque ab iis compoſitorum ſive fragmenta aut compendia publice edere, quemadmodum in Tomo IV. Operum Cyrilli Alexandrini, ex Neſtorianis libris aliqua blasphema ſcripta habentur: ſive integrum contextum, additis quidem plerumque confutationibus, uti Tomo VI. Operum S. Auguſtini, integer nec usquam interruptus ſermo Arianorum eſt inſertus, ita ut mox addatur reſponſio: imo aliquando etiam ſine confutationibus. Quorum veſtigia ſequens præſentis libri Editor, etſi non dubitet, fore plerosque qui hoc genus ſcriptionis, quo libellum apocryphum, & vel ab impiis hæreticis, vel ſaltem a nefariis & ſuperſtitioſis hominibus, revera Eccleſiæ Chriſti carcinomatibus factum in lucem protrahat: non leve tantum & contemnendum, ſed damnandum quoque & ſufflaminandum, neque ſatis dignum Chriſtiani viri ſtudio iudicent. Remotis illis accuſationibus profectis ab antiquitatis Eccleſiaſticæ ignavis, & veterum harum ſcriptionum ſcopum non videntibus, talia ſcripta edere, non modo Scripturæ ſacræ & priſcorum ſcriptorum autoritate niti, ſed maximam inſuper Eccleſiæ Chriſti utilitatem afferre oſtendit. Et præprimis quidem ad agnoſcendam Scripturæ ſacræ divinitatem & *ἐνθυμίαν*, quæ primario ex inſitis notis & impreſſis quaſi Dei digito menti humanæ criteriis conſtat, ubi ab illa Scripturæ divinitatem probandi ratione diſceſſeris, nihil prius, nihil antiquius ſe offerre, quodve magis agnitam veritatem in mente humana confirmare poſſit, quam collationem eorum ſcriptorum, quæ vel priſcis temporibus, vel noſtra etiamnum hac ætate, pro divinis ac *θεοπνεύστοις* venditata fuerunt. Talia eſſe Judæorum Kabbalam & Talmud, Mohammedanorum Alcoranum & Sunnam, itemque priſcorum hæreticorum libros & fragmenta, quæ non eliminare, ſed fideliter poſteritati exponere conducat, ut perpetua Eccleſiæ certamina contra externos & inteſtinos hoſtes ex iis pateſcant. Hinc etiam Spiritum S. Nicolaitarum, Phileti & Hymenæi hæreſiarcharum inſana & abſurda dogmata nos latere noluiſſe, & SS. Patres Irenæum, Tertullianum, Epiphanium, Philaſtrium, Auguſtinum, Theodoretum & alios, hæreſium nefanda dogmata & opera ſui ævi hominibus propalaſſe, & ſcriptis ad ſeram poſteritatem transmiſiſſe. Speciatim vero alium maxime inſignem uſum talia

Digitized by Google

ſcripta Proteſtantibus præſtare, nempe ut os Pontificiis obturare poſſint, qui perfricta fronte, uti V. G. Dioniſius Petavius in Præfatione operibus Epiphanii prætixa fecerit, mentiri & calumniari audeant, Sectam Calvinianam ſententiam eſſe, in quam veterum & recentium ſectarum, errorumque colluvies confluxerit: ac quidquid hæreſeon hactenus extitit, de quo legi aliquid vel audiri potuerit, ex eo libatum aliquid eſſe, & in eam derivatum. Cum e contra ex illis ſcriptis ſit probatu facillimum, plurimas antiquarum hæreſium particulam ſui veneni Eccleſiæ Pontificiæ afflatſe, & aliquid ſaltem ſuarum ſordium eidem affricuiſſe: quemadmodum v. g. *de Chriſto in ſpelunca nato aſſervato ejusdem præputio, fonte & balſami horto in Matarea produ&is* communium Eccleſiæ Pontificiæ traditionum, etiam in hoc *Evangelio Infantiæ* veſtigia compareant.

In fine Notas adjecit Sikius, in quibus aliorum authorum ſimilibus narrationibus fabuloſis *Evangelium* hoc illuſtrat. Imprimis autem ex Alcorano, ejusdemque Commentatoribus, maxime utroque Gialaloddino, (quorum ſcholia cum textu Arabico Alcorani & verſione ſua, propediem ſe editurum pollicetur) & præterea ex Abu-Mohammed Abd-Alla Keiſi nomine eruditis noto (qui vitas Patriarcharum atque Prophetarum ex ſententia Mohammedanorum deſcripſit, hactenus inedita) interdum ex Proto-Evangelio Jacobi (quod ex Arabica lingua, ſaltem Orientalium aliqua, in Græcam fuiſſe translatum exiſtimat) & Hieronymi Xaverii Hiſtoria Chriſti Perſice ſcripta, nonnulla loca adducit, quæ cum Pſeudo-Evangelio ſuo convenientiam habent. Ex illis notis inſigniores quasdam ſpeciminis loco lectorum oculis exhibemus. Et quidem ſtatim in limine Hinkelmannum reprehendit, qui in Præfatione nuperæ Alcorani editioni præmiſſa, ex eodem Evangelio (quod MS. penes ſe ſervavit, cujus editionem etiam cum aliis Pſeudo-Evangeliis, in *Specimine Sapientiæ Indorum Veterum* olim promiſerat Starkius) verba in Joſepho Pontifice citans, eadem de Joſepho Hiſtoriographo intellexit: cum neceſſario Joſephus Cajaphas de quo ipſe Joſephus *Antiquitatum Judaicarum* 18. 3. videndus eſt, ibi indigitetur: id quod ex proxime ſequentibus hujus Evangelii verbis etiam planum eſt. Quando etiam in Evangelio pag. 25. de fictitio illo Apollinis oracuio, Auguſti tempore collapſo, mentio injicitur, reliqua ſimul idola eo tempore interiiſſe, ex inſigni Euſebii (pro quo falſo Epiphanii nomen legitur) loco *Demonſtrationis Evangelicæ* lib. 6. cap. 20. conſtare monet. Occaſione autem, quod in Evangelio (pag. 115.) aſſeritur, *Chriſtum tinctoriam officinam præteriſſe*, ex Angeli de la Broſſe Lexico Perſico ad vocem *Tinctoria ars*, obſervat, in apocrypho Perſarum libro *de infantia Chriſti* referri, quod Salvator tinctoriam artem exercuerit. Item quod unica tinctura pannos cujuslibet coloris exhibuerit, quapropter eum tinctores Perſæ pro patrono venerentur, & tinctoriam domum *officinam Chriſti* appellent. Denique cum in Notis affirmaſſet ille, Muhammedem aſſerere *Chriſtum crucifixum eſſe*, in poſterioribus notis errorem corrigit, ſiquidem in Alcorano, non tantum Chriſtum crucifixum eſſe negetur, ſed vehementer etiam Muhammed in Judæos invehatur, & nec interfecitſe illum, nec cruci affixiſſe Judæos: ſed ita illis viſum fuiſſe, ibi aſſeratur. Quorum quidem verborum cum diverſum ſenſum Commentatores Alcorani tradant, aliis Chriſti loco alium quempiam ſubſtitutum eſſe exiſtimantibus, aliis vero Simonem Cyrenæum crucifixum eſſe ſomniantibus, ex Golianis Scholiis Alcorani MSS. quæ inter cimelia ſua ſervat, in Alcorani cap. 3. aliam quorumdam Theologorum Mohammedanorum ſententiam allegat, qui Chriſti animam e corpore exemptam & in cælos ſublatam fuiſſe docent, deſcendiſſe vero deinceps Angelum in ejus corpus atque ita crucifixum eſſe. Reliqua lectu non injucunda pro otio ſuo benevolus lector evolvet. Hæc verbotenus ex *Actis Eruditorum Lipſiæ* anno 1697. menſe Novembri a pag. 519. ad 523. Cujus etiam mentionem facit Catalogus MSS. Codicum Vniverſitatis Cantabrigienſis Codice 1399. in MSS. Collegii S. Benedicti Codice 122. num. 15.

pag. 1.
pag. 34.
pag. 55.
pag. 78.

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS SANCTI CLEMENTIS ROMANI EPISCOPI.

PROLOGVS.

Ao. 65. CLEMENS ROMANVS EPISCOPVS Sancti Pauli Apoſtoli peregrinationum comes atque diſcipulus & *συνεργὸς* fuit, *una cum aliis, quorum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ*, Philipp. 4. v. 3. *Συλλαμβάνου αὐταῖς, αἵτινες ἐν τῷ εὐαγγελίῳ συνήθλησάν μοι μετὰ καὶ κλήμεντος καὶ τῶν λοιπῶν συνεργῶν μου, ὧν τὰ ὀνόματα ἐν βίβλῳ ζωῆς.* Eum Petri Apoſtoli diſcipulum vocat Origenes; qua de re non conſentient, quicunque volunt, nec eum ſucceſſiſſe Petro in ſede Romana, nec Petrum unquam Romam acceſſiſſe. Conſtat autem aperte, eum fuiſſe D. Pauli diſcipulum, ut lib. 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* cap. 4. Euſebius habet: nec improbabile omnino eſt, eum poſt mortem Pauli,

Digitized by Google

Pauli, (ſi etiam nunquam Petrus Apoſtolus Romæ ſedit Epiſcopus) vel proxime, vel ſaltem Lino ac Cleto Pauli diſcipulis defunctis, rexiſſe Romanam Eccleſiam. Clementem circa annum 91. Romanæ clavum Eccleſiæ tenuiſſe per annos novem vel circiter, tandemque anno Trajani 3. Chriſti 100. deceſſiſſe, juxta Euſebium nonnulli tradunt. Alii vero, cum annos tum Petri Apoſtoli in Romana ſede, tum Lini ac Cleti ſucceſſorum multum contrahant, Clementis ſucceſſionem, ſive Petro is immediate ſucceſſerit, ut vult Hieronymus in Catalogo *Scriptorum Eccleſiæ*, ſive Paulo proxime vel Pauli proximo ſucceſſori Lino, ab anno 64. vel 65. ad annum 81. juxta Dodwellum incipiunt. Qua de re certum fere nihil ſtatui poteſt. Succeſſiſſe tamen Lino Clementem proxime, juxta Antonium Pagi, teſtantur Tertullianus libro *de Præſcriptione Hæreticorum* cap. 32. & ipſe PſeudoClemens, *Conſtitutionum Apoſtolicarum* auctor. Imo Clementem ante annum Chriſti LXXI. Eccleſiam gubernaſſe, ex ipſomet vero Clemente deduci videtur. Patet namque ex Epiſtola quam ad *Corinthios* miſit, nomine illius Eccleſiæ, cui præerat, exaratam eam eſſe, ſtante templo Hieroſolymitano & ſacrificiis eius adhuc durantibus. Scripta itaque ante annum LXXI. quo Templum everſum eſt: unde merito Dodwellus citatus, initium Epiſcopatus Clementis, ad annum Chriſti LXIV. vel LXV. collocat. Hinc conſtat, inquit Iſaacus Voſſius in Epiſtola 11. ad Andream Rivetum ſcripta, atque a Pearſonio in fine Vindiciarum Epiſtolarum Sancti Ignatii relata, quantum erraverit Euſebius, qui initium Epiſcopatus Clementis ad annum Chriſti LXXXXIII. retulit, & quam recte in *Chronico Damaſi*, ad annum Chriſti LXVII. collocetur. Euſebium tamen Baronius ſecutus eſt, a quo nobis hac in parte diſcedendum putamus. Ita Antonius Pagi in *Critica Chronologia* Annalium Baronii ad annum Chriſti LXXVIII. Num. 3. Verum has omnes ſupputationes Pagi eſſe incertas arbitror, cum illæ operum omnino incertorum nec omni exceptione majorum teſtimonio fulciantur: nec enim conſtat quo præciſe tempore, vel quo ordine Clemens Romanam Eccleſiam tenuerit. His igitur dimiſſis, inſtituti tantum noſtri eſt, ut de Operibus ſub S. Clementis nomine evulgatis Diſſertationem inſtituamus ſingularem, cujus Caput 1. *de editione Græca Latina Operum S. Clementis Romani omnium, in genere & ſummatim.* Caput 2. *de octo libris Conſtitutionum Apoſtolicarum* inſcribetur. Caput 3. *de libris Recognitionum Apoſtolicarum.* Caput 4. complectetur judicium hominum eruditorum *de Recognitionum Clementinarum libris.* Caput 5. *de Clementinis homiliis & Epiſtolis tam genuinis quam ſuppoſititiis.* Caput 6. & ultimum *de ultima editione Amſtelodamenſi anni 1698. Operum omnium Sanctorum Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, ac præcipue Sancti Clementis Romani Epiſcopi, quæ falſo Antwerpiæ facta inſcribitur.*

CAPVT PRIMVM.

DE EDITIONE GRÆCO-LATINA OPERVM S. CLEMENTIS, EPISCOPI R. IN GENERE.

QVantum ad Opera quæ ſub ſancti Clementis Papæ nomine latitabant, vel olim edita fuerant, nullus eſt, qui ea omnia ſtudio majori evulgaverit, vel inſigniori diligentia cum MSS. Codicibus Græcis & Latinis contulerit, quam Joannes Baptiſta Cotelier: quæ annotationibus eruditis illuſtrata tam genuina, quam ſpuria, habentur inter *Opera Sanctorum Patrum qui temporibus Apoſtolicis floruerunt* 2 in fol. tomis Pariſiis anno 1672. Sunt autem *Epiſtolæ ad Corinthios II.* tom. 2. pag. 91. quas in publicum primus emiſit Patricius Junius, notisque illuſtravit, Græce & Latine, Oxonii anno 1633. in 4. præmiſſis veterum teſtimoniis Scriptorum, qui Sancti Clementis Epiſtolarum fragmenta allegaverant, vel earum cum laude meminerant.

Conſtitutionum Apoſtolicarum Libri VIII. Græce & Latine ibidem pag. 126. Ne quempiam autem laude ſua defraudemus, qui evulgandis Clementis ſuppoſitis etiam operibus operam ſuam contulerit, Franciſcus Turrianus Societatis Jeſu primus Venetiis anno 1563. in 4. typis Jordani Ziletti edidit Græce tantum *Conſtitutionum Apoſtolorum libros VIII. Clementis Romani Epiſcopi*, additis itidem Græce ſuis *ſcholiis, prolegomenis & expoſitionibus apologeticis.* Idem vero iterum, anno 1578. Antwerpiæ Græce & Latine apud Chriſtophorum Plantinum in fol. adjunctis ad finem *LXXXV. Canonibus Apoſtolorum* ipſomet Franciſco Turriano interprete, cum ejusdem *ſcholiis & annotationibus*, ad confirmanda dogmata orthodoxorum contra hæreticos.

Recognitionum libri X. ex interpretatione Rufini pag. 390. quam jam antea Jacobus Stapulenſis, Pariſiis anno 1541. & 1544. edendam curaverat.

De peregrinationibus, prædicatione & actionibus Sancti Petri, ſeu *Clementinorum Homiliæ XIX.* Græce & Latine pag. 525. quas una cum verſione Latina primus edidit ex MSS. Codd. Cotelerius. *Clementinorum Epitome*, Græce & Latine, eodem interprete. Quæ unum idemque videntur opus cum *Diſputatione Petri & Appionis longo ſermone conſcripta*, quam Euſebius Lib. 3. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 32. coarguit, de qua Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 15.

Ibidem denique *Martyrium Sancti Clementis* attributum Ephæmio, Antiochiæ Archiepiſcopo, qui anno 530. floruit, Græce & Latine ex MSS. Regiis pag. 828.

Epiſtola ad diverſos quinque, ad Jacobum fratrem Domini duæ, atque tres aliæ ad alios.

Digitized by Google

Habentur omnes illæ in tomis Conciliorum ſæpius Latine tantum impreſſæ, quas omnes pariter eruditi & emunctæ naris homines cenſent ſpurias. Ac certe ambas ad Jacobum Domini fratrem ſuppoſititias ipſa inſcriptio clamat. Cum enim poſt obitum ſancti Petri eſſe datas ex ipſarum exordio & ſerie conſtet: ideoque ad Jacobum ſcriptæ eſſe non poſſunt, qui teſte D. Hieronymo in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ſeptem annis ante Petri martyrium occiſus eſt, anno ſcilicet Neronis ſeptimo. Deinde *Epiſtola prima* ad Jacobum, ita ſeriem Romanorum Pontificum invertit, ut nullum Lino & Cleto locum relinquat. Tertio approbat illa *Itinerarium Petri*, ſcriptum nugis & fabulis repletum, ac veteris Eccleſiæ cauterio, in Gelaſii Decreto inuſtum. *Secunda* autem *Epiſtola* ſanctum Jacobum Apoſtolum de veſtibus & vaſis ſacris edocet, quæ in Eccleſia iſtis temporibus nondum uſu recepta erant. An quæſo verus Clemens, Apoſtoli Diſcipulus, Apoſtolum de ritibus & ſacramentis edocuiſſet? *Tertia* quoque *ad cunctos Principes, majores minoresque* ſcripta ſupponitur, ut titulus præfert: cum ſeculo tamen illo Clementis primo, nulli principes vel majores vel minores, nomen Chriſtianæ religioni dediſſent. *Quinta* ſcribitur ad fratres Hieroſolymis cum Jacobo habitantes, licet jamdudum Jacobus mortuus eſſet, ex ſupputatione temporum. Sed (quod præclarum) uxorum communionem adſtruit, rem Romano Epiſcopo & Apoſtolico viro prorſus dignam! Tres etiam ultimas in Apocryphorum claſſem pariter conjiciendas eſſe conſtat, cum nec illarum antiqui meminerint, nec ſtylus genuinis ad Corinthios Clementis Epiſtolis ullatenus ſimilis ſit: atque ex *Recognitionum* libris ſpuriis conſarcinatæ ſint, ex cœnoſo gurgite impuri rivuli. Harum autem *Prima* antiquioribus Eccleſiæ ſeculi eſt ſuppoſita, quam ſuo jam extantem tempore, Græcam Latinitate Rufinus donavit, quam & Epiſcopi Concilii II. Vaſionenſis anno 442. cap. 6. citarunt.

Epiſtola ad Hebræos quæ 14. inter Epiſtolas S. Pauli, tribuitur quoque a nonnullis S. Clementi Papæ. Sed quisquis ea de re ſitim ſuam explere vult, Sixtum Senenſem lib. 1. *Bibliothecæ Sanctæ* pag. 25. Lib. 2. verbo *Clemens* pag. 51. & Lib. 7. Hæreſi 8. pag. 588. & ſequentibus, Cæſarem Baronium in *Annalibus Eccleſiaſticis* ad annum 60. Henricum Spondanum ejus Epitomatorem ad eundem annum num. 18. 19. & ſeqq. de argumento illo prolixe ſatis ediſſerentes adeat. Hoc me de Scriptis ſub nomine *S. Clementis Romani Epiſcopi* evulgatis, docuerunt præter Baronium, Spondanum, Sixtum Senenſem, ll. cc. Antonius Poſſevinus, Tom. 1. *Apparat. Sacri*, verbo *Clemens*, p. 364. Rob. Bellarminus de *Scriptoribus Eccleſiaſt.* ad a. Sec. 1. 92. Natalis Alexander in *ſelectis hiſtoriæ Eccleſ. capitibus* Sec. 1. cap. 10. art. 10. 11. Parce autem hoc argumentum tractat Philippus Labbeus in diſſertat. hiſtorica de *ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, quos Bellarminus recenſuit, tom. 1. p. 231.

Omnia pauciſſimis exceptis, quæ hucusque ab antiquis etiam, S. Clementi Romano Epiſcopo, Opera attributa ſunt, cum paſſione quoque atque adſcriptis ipſi miraculis, ſpuria ſunt: quamobrem ad apocrypha rejecta ſunt. Dixi cum *Martyrio* ſeu *Paſſione*, quæ tamen in Eccleſia Romana canitur atque paſſim in Martyrologiis ſeculi noni reperitur. Euſebius quidem, ut ſupra notauimus, cum annum Trajani III. Chriſti C. ob perſecutionem hoc tempore excitatam, inſignem reddere voluiſſet, in hunc etiam annum Clementis mortem *Martyrio non indicato* conjecit. Addiderunt vero recentiores ipſum Cherſonam Ponticam relegatum, *Martyrio* fuiſſe coronatum. Sed *Martyrii* Clementis Euſebius non meminit, neque Euſebio antiquiores Irenæus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus & alii: de qua re ante quintum fere ſeculum ne γρὺ quidem. Totius origo fabulæ hinc profluxiſſe videtur, quod primi hujus *Martyrii* fabricatores Clementem hunc cum Flavio Clemente Conſule, Domitiani Imperatoris conſobrino, qui propter Chriſti fidem circa hæc tempora martyrium ſubiit, temere confuderint, uti recte animadvertit Dodwellus Diſſertatione ſingulari *de Pontificum Romanorum primæva ſucceſſione*, Londini 1688. in 4. & Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo 1. in *Clemente* pag. 17. Hinc de *Martyrio* Clementis Romani, de genere imperiali, & cum Domitiano Auguſto affinitate, nata fabula eſt. Hæc autem omnia avide Scriptores hauſerunt recentiores Græci & Latini, in Menologiis, Martyrologiis: atque cæteros inter Simeon ille Metaphraſtes fabularum collector omnium, cum Ephraimo quodam, quos evulgavit Græce & Latine Cotelerius in Collectaneo citato *Sanctorum Patrum qui tempore Apoſtolorum floruerunt.*

Quia tamen nonnulli conqueſti ſunt, hanc Operum ſuppoſitionem non omnibus obviam aut notoriam eſſe, ideo his de ſingulis Clementis Opuſculis juxta ordinem in ultima eorum editione ſervatum, agere ſtatuimus: adjecturi ad calcem ſingulorum Scriptorum authores unde collecta hauſerimus, quantum memoriæ dabitur.

Epiſtola prima Sancti Clementis ad Corinthios genuina eſt, verumque illius opus.

Hoc probatur teſtimonio Veterum, qui multa ex illa citant, quæ in ea, quam habemus, totidem verbis leguntur. Illam ut traditionis promptuarium citat S. Irenæus Lib. 3. adverſus hæreſes Cap. 3. inquiens: *Sub hoc igitur Clemente diſſenſione non modica inter eos, qui Corinthi eſſent, fratres facta: ſcripſit qua eſt Roma Eccleſia potentiſſimas literas Corinthiis, ad pacem eos congregans, & reparans fidem eorum, & annuntians quam in recens ab Apoſtolis receperant traditionem,* annun-

annuntiantem unum Deum omnipotentem, factorem cœli & terræ, plasmatorem hominis, qui induxerit cataclysmum, & advocaverit Abraham; qui eduxerit populum de terra Ægypti, qui collocutus sit Moysi, qui Legem disposuerit, & Prophetas miserit, qui ignem præparaverit Diabolo & Angelis ejus. Hunc Patrem Domini nostri Jesu Christi ab Ecclesiis annuntiari, ex ipsa Scriptura, qui velint, discere possunt, & Apostolicam Ecclesiæ traditionem intelligere, cum sit vetustior Epistola his qui nunc falso docent &c. Origenes Libro 2. de Principiis Cap. 3. eandem Epistolam citat his verbis: *Meminit sane Clemens Apostolorum Discipulus etiam eorum, quos Ἀντίχθονας Græci nominant; eque illius partes Orbis terræ, ad quas neque nostrorum quisquam accedere potest, neque ex illis qui ibi sunt, quisquam transire ad nos, quos & ipsos mundos appellavit, cum ait: Oceanus intransibilis est hominibus, & si qui trans ipsum sunt mundi, qui his ejusdem dominatoris Dei dispositionibus gubernantur.* Habentur autem hæc verba cap. 20. Epistolæ primæ S. Clementis ad Corinthios. S. Clemens Alexandrinus hanc ipsam Epistolam laudat lib. 1. *Stromatum* pag. 289. inquiens: *Jam Clemens in Epistola ad Corinthios, his verbis inquit, exponens differentiam rerum qui sunt probati in Ecclesia: Sit aliquis fidelis, sit potens in explicanda cognitione, sit sapiens in discretione sermonum, sit stupendus in operibus &c.* quæ verba habentur in Epistola prima S. Clementis Cap. 48. Lege eundem Alexandrinum Lib. 4. pag. 516. & lib. 6. pag. 647. ubi pariter hanc Epistolam laudat, & illius verba recenset.

Eidem Epistolæ testimonium perhibet Eusebius lib. 5. *historiæ Ecclesiasticæ* Cap. 12. inquiens: *Hujus vero Clementis una fertur esse Epistola omnium judicio approbata, illustris illa quidem, & digna plane admiratione: quam tanquam ex Romana Ecclesia persona ad Corinthiorum Ecclesiam tum quidem exaravit, cum jam Corinthi gravis esset inflata seditio. Hanc sane cum Veterum, tum nostra ipsorum memoria, plurimis in Ecclesiis publice lectam, usurpatamque cognovimus.* Et Cap. 32. ait se, cum omnes Pastores recensere non posset, qui in Ecclesiis per orbem dispersis proxime sanctis Apostolis successerunt, eorum solum nomina scriptis & memoriæ prodidisse: *quorum doctrina Apostolica ad suum usque tempus per Commentarios & monumenta ab ipsis edita, reservata est: ut Ignatii & Clementis in ea Epistola, quæ est omnium consensu approbata, quam sub Romanæ Ecclesiæ persona ad Corinthiorum Ecclesiam exaravit.* Et lib. 4. Cap. 22. recensens Epistolam S. Dionysii Corinthiorum Episcopi ad Romanos, ait: *In hac eadem Epistola, etiam Clementis ad Corinthios Epistola mentionem facit, declaratque ex pristino more ab antiquis temporibus repetito, eam in Ecclesia legi solere. Sic enim loquitur: Hodie sacrum diem Dominicum celebravimus, in quo vestram Epistolam legimus: quam semper sicut etiam priorem nobis a Clemente missam, ad nostram institutionem legere solemus.* S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 18. editionis Paris. pag. 213. narrat Historiam Phœnicis ex Clementis Epistola 1. ad Corinthios Cap. 25. S. Epiphanius hæres. 29. num. 6. *Ita enim Clemens in quadam Epistola scripsit: Recedo, Exeo, Insilet populus Dei:* quæ leguntur præfatæ Epistolæ Cap. 54. S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum *in Clemente* inquit: *Scripsit ex Persona Romanæ Ecclesiæ ad Ecclesiam Corinthiorum, valde utilem Epistolam, quæ & in nonnullis locis publice legitur; quæ mihi videtur charactéri Epistolæ, quæ sub Pauli nomine ad Hebræos fertur, convenire. Sed & multis de eadem Epistola non solum sensibus, sed juxta verborum quoque ordinem abutitur: omnino grandis in utroque similitudo est.* Idem lib. 14. Commentariorum in Isaiam ad Caput 52. inquit: *Clemens vir Apostolicus, qui post Petrum Romanam rexit Ecclesiam, scribit ad Corinthios: Sceptrum Dei Dominus Jesus Christus, non venit in jactantia superbiæ, cum posset omnia, sed in humilitate.* Quæ habentur in Epistola 1. Clementis Cap. 16.

Photius in Bibliotheca Cod. 113. recensens Opera S. Clementis Romani ait: *Scripsit idem magnificiendam ad Corinthios Epistolam, quæ à plerisque tanto in pretio est habita, adeoque laudata, ut etiam publicè legi soleret.* Et Codice 126. inquit: *Legi libellum, quo Clementis Epistolæ duæ ad Corinthios continebantur: quarum prima ipsos accusat, quod seditionibus, turbis, & schismatis, violarint quam inter eos servari oportuerat, pacem concordiamque: hortaturque ab hoc malo temperare. Simplex ejus Oratio est ac perspicua, ad Ecclesiasticam & inelaboratam accedens dicendi formam. Reprehendat vero hoc in illis quispiam, quod extra Oceanum mundos aliquos collocet. Deinde forte & illud, quod Phœnicem avem unicam, tanquam pro verissimo adhibet argumento. Tertio quod summum Sacerdotem, Præsidemque Dominum nostrum Jesum Christum appellans, ne illas quidem Deo convenientes & sublimiores de eo voces pronuntiet, tametsi nec aperte ipsum ullibi in his blasphemet.* At plurium mundorum mentio, & exemplum Phœnicis, & illæ de Jesu Christo (ut Photio videtur) non satis magnificæ voces, inveniuntur in Epistola Clementis ad Corinthios quam habemus: unde certo illa genuina est. Joannes Clericus tamen in *Arte Critica* parte 3. sect. 2. cap. 5. num. 12. & 13. putat Epistolam illam esse interpolatam ex Clementis Alexandrini nonnullis locis, quæ illic profert, cuius opinionem valde probabilem duco. Idem contendit Clericus num. 14.

Sed quod reprehendi posse notat Photius in illa Epistola, nulli revera est reprehensioni obnoxium. Nam de Christi Divinitate ut explicatius scriberet, non postulabat argumentum Epistolæ; & satis alioquin magnifice Diuinitatem illius prædicat, cum omnium hominum Redemptorem dicit, quod nero homini convenire non potest. Sic enim habet cap. 7. *Fixis oculis respiciamus in sanguinem Christi, cernamusque quam pretiosus Deo sit ejus sanguis, qui propter nostram salutem effusus, toti mundo pœniten-*

tia gratiam obtulit. Et Cap. 12. de Rahab cui exploratores ab Jesu missi ad Jerichuntem dixerunt, *ut signum daret, nempe funiculum coccineum appenderet de domo sua*, ait: *Manifestum facientes, quod per sanguinem Domini futura esset redemptio omnibus credentibus, & sperantibus in Deum.* Quod vero historiam Phœnicis protulerit Clemens, ad resurrectionis fidem illustrandam, nullam reprehensionem meretur. Alioqui arguendi essent omnes Patres, qui receptissimum exemplum apud Ethnicos, adhibuerunt etiam ad resurrectionem exponendam: quamvis vel Phœnix avis fictitia videri possit, vel fabulosa, saltem quæ de ejus morte, & propriis ex cineribus reproductione, vulgo dicuntur. Denique mundos extra oceanum impropri e plures intellexit, dixitque Sanctus Clemens: id est regiones a nobis ita dissitas, ut ad eas vix nobis pateat aditus. Ita ipsum interpretatus est Origenes Libro 2. *de principiis* Cap. 3. ubi inquit: *Ex his tamen, quæ Clemens visus est indicare, cum dixit: Oceanus est intransmeabilis hominibus, & hi mundi qui post ipsum sunt. Qui post ipsum sunt mundos plurimos nominans, quos & eadem Dei summi providentia agi regique significat: semina quædam nobis hujusmodi intelligentia videtur aspergere, quo putetur omnis quidem universitas eorum quæ sunt atque subsistunt, cœlestium & supercœlestium, terrenorum infernorumque unus & perfectus mundus generaliter dici: intra quem, vel a quo, cæteri, si qui illi sunt, putandi sunt contineri.*

Quæres, quando scripta fuerit illa Epistola? Respondeo, ipsam scriptam fuisse, desinente persecutione Domitiani, circa primi seculi finem. Subindicat enim Cap. 1. 5. & 6. aliam persecutionem ab illa prima Neronis. Post Neronem autem Domitianus, primus Christianos persecutus est. Præterea istud desinentis persecutionis tempus, aptius fuit ad destinandos cum litteris, legatos quinque ad Corinthiorum Ecclesiam, qui in fine Epistolæ nominantur.

Epistola secunda S. Clementis ad Corinthios, vel potius fragmentum Epistolæ quod habemus, genuinum est.

Hoc mihi ex lectione utriusque atque collatione apparet, nam eædem in eo comparent antiquitatis notæ, eadem verba usurpantur, ac in priori Epistola. Eandem recenset Photius in Bibliotheca Cod. 126. ubi postquam præmisit se legisse Clementis Epistolas duas ad Corinthios, & suum de prima judicium tulit, de secunda hæc subjungit: *Altera vero Epistola*, inquit, *& ipsa institutionem admonitionemque vitæ continet melioris, atque ipso mox initio Christum Deum prædicat: etsi dicta quædam peregrina velut e scriptura subinduxit, quibus ne prima quidem Epistola omnino vacat.* S. etiam Epiphanius hæresi 30. num. 15. plurium sancti Clementis Epistolarum meminit, ubi de Ebionitis agit: *Ipse Clemens omnibus illos modis redarguit in Epistola circularibus quas scripsit, quæque in sanctis Ecclesiis leguntur &c.*

Objiciens Photium *in Bibliotheca* Cod. 113. asserere *secundam Clementis ad Corinthios Epistolam, ut spuriam rejici.* Idem de illa judicium sanctus Hieronymus tulerat in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, dicens: *fertur & secunda ejus nomine Epistola, quæ a Veteribus reprobatur.* Respondeo, Photium & S. Hieronymum non loqui ex propria sententia, sed ad mentem Eusebii, qui illam Epistolam spuriam existimare visus est. Sed cum suam, non Eusebii proponunt opinionem, hanc Epistolam esse genuinum opus agnoscunt, ut constat ex Photio loco mox citato: & ex S. Hieronymo Lib. 1. *adversus Jovinianum* Cap. 9. ubi de spiritualibus Eunuchis hæc habet: *Ad hos & Clemens successor Apostoli Petri, cujus Paulus Apostolus meminit, scribit epistolas, omnemque pene sermonem suum de virginitatis puritate contexuit.* Plures autem Clementis Epistolas non commemoraret S. Hieronymus, nisi secundam illam ad Corinthios genuinum etiam illius fœtum agnosceret. Dices: Eusebius testatur secundam Clementis ad Corinthios Epistolam, notham esse & ab antiquis reprobatam; nec ullum extat monumentum antiquius Eusebio, quo contrarium evincamus: ergo revera spuria est. Respondeo: Eusebium non asserere præfatamepistolam notham esse, & ab antiquis reprobatam. Dicit solummodo, non fuisse æque probatam ac priorem, id est a plerisque veterum ignoratam, in dubium ab aliis revocatam, ideoque in citationibus prætermissam. Fieri autem potuit ut opus genuinum in controversiam venerit, & a primis Ecclesiæ Scriptoribus non fuerit celebratum. Verba Eusebii sunt hæc Lib. 3. Cap. 22. *Porro*, inquit, *intelligendum est, posteriorem quandam esse Epistolam, quæ Clementis dicitur: verum eam ut priorem, non per inde approbatam cognoscimus, propterea quod animadvertimus, veteres illius testimonia non aliquando suis scriptis intexuisse.* Hæc verbotenus ex Natali *Alexandro, seculo I. Historiæ Ecclesiasticæ Cap. 10. Art. 10. pag. 98.*

CAPVT SECVNDVM.
DE
CONSTITVTIONVM APOSTOLICARVM LIBRIS OCTO.

Constitutionum Apostolicarum Libri Octo Græce & Latine.

Evulgavit hoc opus Græce Franciscus Turrianus Societatis Jesu Theologus, additis itidem *Scholiis, Prolegomenis* & *Explanationibus Apologeticis*, anno 1563. in 4. Venetiis typis Jordani Ziletti. Iterum anno 1578. Antwerpiæ apud Plantinum prodierunt *Apostolicarum Constitutionum de Catholica Doctrina Clementis Romani Libri 8.* adjunctis ad finem *LXXXV. Canonibus Apostolorum*, ipsomet Francisco Turriano interprete e Græco, *cum ejusdem scholiis atque observationibus* ad confirmanda dogmata orthodoxa contra hæreticos. Hoc opus

opus etiam editionibus Conciliorum variis, ex eadem Franciſci Turriani verſione inſertum fuit. Cum autem illud ſcripſiſſet ut Proteſtantibus adverſaretur, nullam fidem apud viros eruditos etiam Pontificios obtinuit, quod contra MSS. Codicum Græcorum fidem, alia mutilaſſet omnia, quæ Romanæ fidei & commodis Eccleſiæ hodiernæ adverſa eſſe videbantur. Atque hanc ob cauſam Joannes Baptiſta Cotelerius hunc laborem iterum in ſemet ſuſcepit, atque libros octo iſtos ad MSS. Codices Græcos contulit, qui fraudes ac mutilationes a Turriano in illis edendis factas non reticuit. Inter has ſuppreſſiones a Franciſco Turriano factas, juxta Cotelerii editionem, quæ fruſtra in Turriano quæſiveris, extant Libro 5. *Conſtitutionum Apoſtolicarum* cap. 14. pag. 253. A. Ἀντίτυπα μυστήρια τῦ τιμίυ σώματος αὐτῦ καὶ αἵματος. *Figurativa myſteria pretioſi corporis & ſanguinis Domini*, de quibus vide Notas Cotelerii ejusdem in *Conſtitutiones Apoſtolicas* pag. 244. Suppreſſit iſta fide Jeſuitica Turrianus, quia noverat illa favere opinioni Calviniſtarum, qui Euchariſtiam aliud nihil, quam figuram corporis & ſanguinis Chriſti eſſe affirmant. At non tantum Clemens Romanus vel Scriptor Conſtitutionum Apoſtolicarum ita locutus eſt, ſed Græci fere omnes, quotquot poſt illum ſcripſerunt. Sic Franciſcus Combefiſius in Vitam S. Baſilii Amphilochio attributam cap. 17. pag. 221. Itaque nequit fieri, ut dictum eſt, ut quis intret in regnum Dei, niſi per aquam & Spiritum ſanctum: & niſi *vivifica Antitypa* corporis & ſanguinis Chriſti ſumpſerit. Vide Notas dicti Combefiſii ad hanc Vitam, num. 128. pag. 278. editionis 1644. Pariſienſis. Ita etiam Tomo 2. Operum Græcolatinorum S. Epiphanii Epiſcopi, alter Epiphanius qui ſeculi IX. ſub medium floruiſſe atque Orationes varias ſcripſiſſe legitur, Oratione in *Chriſti Reſurrectionem*, τὰ μὲν παλαιὰ πάσχα ἀντὶ παλαιᾶ μυστήρια ἀντίτυπα dicuntur. Et ſanctus Andreas Cretenſis Archiepiſcopus, qui temporibus Imperatorum Theophili & Michaelis Porphyrogeniti & Theodoræ matris ejus poſt annum 850. ſcripſit, cujus Operum editionem Græco-Latinam in folio Pariſiis anno 1644. procuravit vir laborioſus Franciſcus Combefiſius Ordinis fratrum Prædicatorum, in Oratione *de ramis palmarum* pag. 81. litera A. Θύεται γὰρ ἐν ἀντίτυποις ὑπὲρ ἡμῶν συμβόλοις ἱερουργούμενος. *Immolatur enim pro nobis in figuralibus ſymbolis ſacrificatus.* Et ſanctus Joannes Damaſcenus Libro 4. *de fide orthodoxa* cap. 14. Ἀντίτυπα δὲ τῶν μελλόντων λέγομεν, οὐχ ὡς μὴ ὄντα ἀληθινὰ σῶμα καὶ αἷμα αὐτῦ· ἀλλ' ὅτι μὲν δι' αὐτῶν μετέχομεν τῆς Χριστῦ θεότητος, τότε δὲ γυμνῶς διὰ μόνης τῆς θέας. *Antitypa vero futurorum dicimus, non quod non ſint vere corpus & ſanguis ejus: ſed quia per ipſa Divinitatis Chriſti nunc ſimus conſortes; tunc autem intellectuali ratione per ſolam ſpeciem percipimus.* Germanus Patriarcha Conſtantinopolis junior dictus, qui ſub ſeculi XIII. initium floruit, ut a ſeniore diſtinguatur ſæculi VIII. Scriptore, in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, quam Græcè & Latine edendam procuravit Fronto Ducæus Jeſuita in *Supplemento Græco-latino* Bibliothecæ veterum Patrum Græcorum, edito Pariſiis anno 1624. duobus tomis charactere eximio in folio, Tomo 2. pag. 159. litera A. Ἡμεῖς δὲ μεμνημένοι τῆς αὐτῦ ἐντολῆς, τὰ ἀντίτυπα προσφέρομεν λέγοντες· τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοὶ &c. *Nos enim memores ejus mandati, Antitypa, id eſt configuralia offerimus, inquientes: Tua ex tuis tibi &c.* Plura de Antitypis in Diſſertatione *de Operibus S. Baſilii* Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopi cap. 5. ubi Liturgiam eidem attributam diſcuſſimus. De iisdem Ἀντιτύποις Bellarminus Lib. 2. de Euchariſtia cap. 15. & lib. 4. cap. 14. Arcudius Lib. 3. cap. 34. & 35. Jacobus Perrontus de eodem ſacramento Euchariſtiæ Lib. 2. titulis *de Sanctis Baſilio, Clemente, Gregorio Nazianzeno & Joanne Damaſceno.* Allatius lib. 3. *de conſenſu utriusque Eccleſiæ* cap. 15. num. 21. & ſequentibus. Jacobus Goarus in *Euchologio Græcorum*, Notis ad Liturgiam ſancti Baſilii pag. 186. editionis Pariſienſis Græcolatinæ 1647. in folio, & alii. His non obſtantibus, haud majorem habuit fidem erga *Conſtitutiones illas Apoſtolicas ſub Clementis Romani nomine evulgatas*, Cardinalis Bellarminus in libro de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 92, quam erga *Recognitiones ejusdem Clementis.* Illas autem Recognitiones cenſet apocryphas, ſunt nempe opus inſcriptum *Itinerarium Sancti Petri*, quod ab Gelaſio Romano Pontifice memoratur inter apocrypha in Concilio Romano anni 494. unde ſubdit Bellarminus: „De Libris Conſtitutionum Apoſtolicarum, „quæ Clementi auctori tribuuntur, idem ferme „judicium fieri debet, ac de libris Recognitio„num. Multa enim in illis utilia ſunt, & a Græ„cis veteribus magni fiunt: ſed in Eccleſia La„tina nullum fere nomen habent, & ipſi etiam „poſteriores Græci in Concilio Trullano Can. 2. „improbant has Conſtitutiones, ut ab hæreti„cis depravatas. Audio Æthiopes his Conſti„tutionibus uti, ut vere Apoſtolicis, & ea de„cauſa in erroribus verſari, circa cultum Sab„bathi, & Dici Dominicæ, & circa miniſtrum „Sacramenti Baptiſmi, & in [illegible] quibusdam dogmatibus.„ Silent, quod mirum eſt, de Conſtitutionibus iſtis Apoſtolicis Sixtus Senenſis in *Bibliotheca Sancta*, Antonius Poſſevinus *in Apparatu Sacro*, Natalis Alexander *in Eccleſiaſtica hiſtoria*, ſæculo I. ubi diffuſe omnes *de Scriptis S. Clementis Papæ* agunt: ſolusque de illis Robertus Bellarminus loquitur, cujus hic rationes expendemus. *Primum* enim hic Scriptor jubet celebrari ſolenniter Sabbathum & Dominicum diem velut feſtos dies, Lib. 7. Cap. 24. & lib. 8. Cap. 33. at quis unquam credat vel audiverit ab antiquis, feſtos dies habitos eſſe duos

duos hebdomadis dies, Sabbathum diem Judaico modo, & Dominicum diem Christiano ritu ob resurrectionis memoriam, idque factum esse a Clemente, imperante Romano Pontifice, atque hoc modo Judaisinum conciliante cum Evangelio? *Praterea* Lib. 3. Cap. 9. hic Scriptor docet: *Quod non oporteat mulieres baptizare, esse enim impium, & a doctrina Christi alienum:* Et Cap. 10. prohibetur absolute, ne Laici baptizent: quod tamen non ita severe inculcatum unquam in Ecclesia fuit, ut impium istud in necessitate, atque a doctrina Christi alienum crederetur. *Tertio* Idem libro 6. cap. 15. vult rebaptizari eos, qui baptizantur ab hæreticis, ea de causa, quia hæretici non sunt Sacerdotes: *Quare qui ab istis baptizati sunt, non baptismo initiati, sed inquinati sunt, qui non veniam peccatorum, sed vinculum iniquitatis accipiunt.* Ac ne forte objiceretur, Philippum Diaconum baptizasse, contra id quod docet, spectare baptismum ad solos Episcopos vel sacerdotes: idem in iisdem Constitutionibus lib. 6. cap. 7. id quod dicitur Act. 8. de Philippo Diacono, qui baptizavit Simonem Magum, intelligit *de Philippo Apostolo*, quod manifeste falsum est. *Denique* habentur in iisdem Constitutionibus alia non pauca, quæ a veritate abhorrere videntur. Vt quod lib. 3. cap. 2. quartas nuptias appellent *plane libidinem esse & manifestam impudicitiam.* Lib. 5. Cap. 6. distinguant Mariam Magdalenam, a Maria Sorore Lazari. Lib. 8. Cap. 23. Jacobum Alphæi velit esse Apostolum ex duodecim, & non Jacobum fratrem Domini. Et ibidem Cap. 19. vult ipsis etiam imponi manum Diaconissis ab Episcopo, cujus & orationem subjungit ordinationis integram Cap. 20. Quæ omnia procul dubio, sunt longe remota a temporibus Apostolicis. Adde, cum Canones Apostolorum sint pars quædam atque ultimum caput octavi libri harum Constitutionum Apostolicarum: inde etiam colligi Constitutiones istas non spectare ad papam Clementem. Nam canone 5. *inhibetur Episcopo, Presbytero, & Diacono, ne uxorem suam dimittat religionis pretextu: sin autem ejecerit, segregetur; & si perseveret, deponatur.* Atque hunc canonem etiam Dionysius Exiguus Abbas Romanus in Collectionem suam admisit, tanquam canonem Apostolicum. Contra vero hunc canonem semper rejecit Romana Ecclesia, quæ noluit Presbyteros, etiam cum iis uxoribus quas ante ordinationem duxerant, commanere ac commisceri in ordine ad procreationem filiorum: unde Constitutiones istæ haud possunt esse Romani Pontificis Clementis, vel Episcopi alicujus Latini & Occidentalis Ecclesiæ.

Quoad doctrinam autem in *Constitutionibus Apostolicis* contentam illam esse prorsus Arrianam contendit Christophorus Sandius, *Historiæ Ecclesiasticæ enucleatæ* lib. I. editionis 1676. Amstelodami in 4. pag. 67. quam hic verbotenus referam. "Quid ergo docuit Clemens Romanus? Nempe Patrem esse instar Episcopi, Filium instar Diaconi, Spiritum Sanctum comparat Diaconissæ subjicitque Filio tanquam diacono & Patri tanquam episcopo, quem Spiritum Paracleti & dominum Deum & creatorem per Christum vocat. Hæreticos docere ait, Jesum esse Deum super omnia, ipsum sui ipsius Patrem, ipsumque esse Jesum & Spiritum Sanctum: alios impios & sine Deo hæreticos, tres deos ponere sine initio, vel principio carentes, qui semper una sint; alios duos ingenitos facere. Ipse autem asserit Dei filium creatum esse de nihilo, aliquando non fuisse, Deoque suo & Patri in mundi creatione ministrasse. Animas præexistere ante corpora, & alia, quæ Arius postea docuit & Eunomius. Loca ipsa sunt Epistola I. ad Corinthios, Constitutiones Lib. II. 26. 28. 30. 32. 33. 34. lib. III. 17. vel 18. lib. IV. 13. lib. V. 1. 6. 18. ultimo. lib. VI. 11. 14. 15. 18. 25. lib. VII. 23. 40. 42. 44. 49. Lib. VIII. 4. 5. 6. 7. 9. 11. 12. 26. 37. 40. 41. 46. &c. Quare non mirum in Apostolorum confessione de Deo, quam ipse Clemens refert Constitution. lib. VI, nihil reperiri de trium personarum substantiali unitate, nihil de Filii aut Spiritus Sancti summa Deitate. Ruffinus Apologia pro Origene de Clementis Recognitionibus scribit, *In aliquibus ita Eunomii dogma scribitur, ut nihil aliud quam ipse Eunomius disputare credatur, Filium Dei creatum ex nullis extantibus asseverans.* Hieronymus hæc verba allegans Libro 2. *Apologia* adversus Ruffinum, legit *de nullis extantibus.* Sensus idem est, utrumque Græcum est, ἐξ μὴ ὄντων: unde *Exoucontiani* dicti sunt Ariani. In iisdem Recognitionibus testatur Photius in Bibliotheca, *infinita esse hæretica & absurda, quæ Arianismum redolent, ad injuriam Filii Dei pertinentia:* Codd. 112. & 113. ait *in Constitutionibus quædam inesse Ariana impietatis vestigia, quæ non nisi violenter excusari possunt.* Ex Epistolis ad Corinthios, etiam Photius ille Clementem Arianissimi arguit." Hæc Sandius ipse Arianus *Enucleatæ Historiæ Ecclesiasticæ* Lib. I. pag. 67. Vnde concludimus non immerito opuscula omnia sancto Clementi Romano adscripta, fuisse conficta sæculo quinto ab Arianis, ut hoc modo hæresin suam sub veterum Patrum falsis nominibus defenderent & a censura excusarent. Quisquis autem scire plura cupit tum de *Constitutionibus Apostolicis*, tum de *Canonibus Apostolorum*, atque argumentum istud usque ad satietatem habere: adeat & legat doctissimos Commentarios Joannis Dallæi Carentonensis Ecclesiæ Ministri, ad Ludovicum Capellum Evangelii Ministrum, Theologiæ & Hebraicarum litterarum in Academia Salmurensi Professorem eximium, inscriptos *de Pseudepigraphis Apostolicis*, seu *Libris octo Constitutionum Apostolicarum apocryphis libri tres:* qui anno 1653. Hardervici in 8. apud Johannem Tollium Academiæ

demin typographum Latine impreſſi ſunt.

Quod ſi quæras a quibus viris, quove nominatim tempore, hi libri conſcripti ac conſarcinati ſint ea qua nunc extant apud nos forma? Reſpondebit tibi *Dallæus* libro 2. cap. 9. pag. mihi 339. ex diverſa jejunii Sabbathici obſervatione, Conſtitutiones Apoſtolicas iſtas dictas, initio quinti ſeculi, fuiſſe adhuc Chriſtianis ignotas: id quod capite illo 9. probat evidenter, ex teſtimoniis Patrum hujus ſeculi, qui iſtis Conſtitutionibus plane adverſantur. Idemque cap. 17. p. 329. inquit, Nihil eſſe quod ea de re vehementius laboremus, ſatis eſſe, quod libros fictitios noſceremus atque ſuppoſititios, falſoque ſive Apoſtolis ſive Clementi Romano Epiſcopo adſcriptos, ad hæc, peſſimæ inter Apocryphos notæ, mendaciorum atque errorum plenos eſſe, Vti nummum qui ſcit eſſe adulterinum, ſatis habet eum rejicere ac repudiare; quando autem, ubi, a quo fictus ſignatusque ſit, non ſollicite inquirit: Id vero præterquam quod quæſitu ſuperfluum, adhæc inventu difficile eſt, cum ſuppoſitiones ejusmodi clanculum fiant, furtim ac in tenebris, ut earum originem detegere, ac ut ita loquar, diem natalem vel annum inveſtigare non liceat. Si tamen, ut in re obſcura, conjecturas & argumenta admittere licet, illud inprimis pro certo conſtitui poſſe mihi videtur, fuiſſe hoc opus ante finem ſeculi quinti ſcriptum atque editum. Primo enim cum multas in tertii quartique ſeculi Eccleſiæ mores & diſciplinam invectivas contineat; nihil quantum memini exhibet, eorum quæ poſt quintum ſeculum de novo inducta ſunt: nullam imaginum uſpiam mentionem facit, nullam reliquorum, quæ prioribus temporibus inuſitata, iſtis frequentari cœperunt. Huc accedit, quod *illos octo Clementis libros*, quos a Gelaſio Romano Epiſcopo in Concilio ſuo A. Domini 494. memoratos, damnatosque, & inter *Apocrypha* rejectos fuiſſe ſupra diximus, veriſimillimum eſt, eos ipſos eſſe Διατάξεων libros, quos nuper ediderunt Carolus Bovius & Franciſcus Turrianus.

Canones Apoſtolorum a Clemente ſcripti.

De his nihil abſurdius ad commendationem illorum ſcribi poteſt, quam quod a Bellarmino in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ad annum 92. pag. mihi 52. ubi ſic. "*De Canonibus Apoſtolorum a Clemente ſcriptis*, major eſt difficultas. Nam "ab una parte Tertullianus libro adverſus Praxeam ſcribit, *Canones Apoſtolorum eſſe nobis per manus traditos.* Sanctus quoque Athanaſius in "*Synopſi* eos numerat inter hagiographa. Synodus Trullana cap. 2. recipit canones Apoſtolorum octoginta quinque. Denique ſanctus Joannes Damaſcenus Libro 4. *de fide orthodoxa* cap. 18. videtur eos ponere inter ſacras Scripturas. At contra Gelaſius Papa in "Concilio Romano, unde extat caput *Sancta "Romana* Diſtinct. 15. expreſſe dicit *Liber canonum Apoſtolorum apocryphus:* & hoc idem confirmatur Diſtinct. 16. can. 1. & 2. Sed hæc conciliari poſſunt, ſi dicamus, canones legitimos" eſſe ſolum quinquaginta priores: reliquos non" eſſe legitimos, quamvis a Græcis recipiantur." Sic enim Vrbanus ſecundus apud Grotianum" Diſtinct. 32. can. *praeter §. ſciendum*, dicit, Ca-" nones Apoſtolorum ex toto a Græcis, ex parte" a Latinis recipi: & Humbertus Cardinalis" idem clarius dicit, cujus teſtimonium ſub no-" mine Leonis noni ita refert Gratianus Di-" ſtinct. 16. can. *Clementis. Apoſtolorum*, inquit, *ca-" nones numerant Patres inter apocrypha exceptis ca-" pitulis quinquaginta, qua decreverunt orthodoxæ" fidei tractatores adjungenda.* Hincmarus quoque," ut teſtatur Franciſcus Turrianus Libro I. pro" Epiſtolis Decretalibus cap. 15. ſcribit, canones" Apoſtolorum ab Eccleſia nobis traditos eſſe ſo-" lum quinquaginta: & ante hos omnes Diony-" ſius, quinquaginta ſolum canones Apoſtolo-" rum in ſua collectione poſuit. Denique in" antiquis codicibus Conciliorum, non inveni-" untur canones Apoſtolorum, niſi quinquagin-" ta. Et vere canones, qui errorem ſapiunt, &" ab hæreticis ſuperadditi videntur, ſunt cano-" nes poſteriores, ut can. 65. de ſabbato non je-" junando. Et 67. de baptizatis vel ordinatis," ab hæreticis. Et 84. de numero librorum ſa-" crorum, in quo canone multa ſunt errata ma-" nifeſta. Quod vero Gratianus dicit initio" Diſtinctionis 16. *Canones Apoſtolorum* authorita-" te Zepherini Papæ eſſe ſexaginta, fortaſſe vi-" tio Librariorum, erratum eſt in numero." Hæc verbotenus Bellarminus, contra quem dico, certum eſſe hos omnes canones Apoſtolicos eſſe partem quandam operis Conſtitutionum Apoſtolicarum S. Clementi attributarum, imo eſſe clauſulam totius operis: unde cum ſupra dixerimus ſuppoſititias eſſe Conſtitutiones iſtas, idem quoque de *Canonibus Apoſtolicis* omnibus augurandum eſt. Quod ſi quis ad ſatietatem iſta edoceri atque aperte quam infirmus in hoc argumentorum genere fuerit Bellarminus cum Pontificiis aliis, cognoſcere cupiat: legat Joannis Dallæi *de Pſeudepigraphis Apoſtolicis* libros ſupra laudatos. Nam libro 3. de Canonibus Apoſtolicis ex profeſſo agens, ita aperte Bellarminum, Turrianum, Binium, alioſque pro iis pugnantes confutat, ut meridiana luce evidentius pateat apocryphos illos eſſe, juxta Gelaſii Romani Epiſcopi Decretum in Synodo Romana anni 494. Iſidorumque Hiſpalenſem Epiſcopum anno 620. in eadem ſententia fuiſſe oſtendit. Recte ſane probat Dallæus lib. 3. cap. 1. pag. mihi 412. illos eſſe partem ultimam cap. 46. libri 8. *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, cui aſſentitur ipſe illorum editor Turrianus cap. I. Libri apologetici *Canonum Apoſtolicorum contra Magdeburgenſes*, pag. 1. verſa: unde mirum mihi videtur, quomodo qui *Conſtitutiones Apoſtolicas* apocryphas cenſent, ut Bellarminus, Binius & alii, canones ſub nomine Apoſtolorum editos, genuinos eſt exiſtimare poſſint. In hunc quam

fœdum errorem impegit Gulielmus Beveregius, tum in *Pandectis Canonum Apoſtolicorum & aliorum Conciliorum ab Eccleſia Græca receptorum*, 2. tomis in folio Oxonii anno 1672. editis: tum in *Codice Canonum Primitivæ Eccleſiæ vindicato & illuſtrato* Londini 1678. in 4. & iterum Amſtelodami 1697. in 4. edito. Vbi multis contendit plane incertis, atque abſurdis hinc inde corraſis rationibus, *Canones Apoſtolorum LXXXIV.* eſſe *Codicem Canonum Eccleſiæ Primitivæ*, quam ob cauſam opuſculum iſtud ſcripſit. Hos Canones ex communi Eccleſiæ primitivæ diſciplina, inſtitutis, & decretis ortos, circa finem ſeculi ſecundi in unum Synodicon eſſe redactos, *Apoſtolicos* dictos, non quod ab Apoſtolis ipſis conditi ſint, ſed quod ex doctrina & praxi *Apoſtolica* profluerent, vel a viris Apoſtolicis editi eſſent. Hæc dicta nugæ meræ ſunt ac ſomnia Beveregii, cum meridiana luce clarius conſtet hos Canones eſſe confartos ex multis Nicænis Canonibus & Antiochenis, ex nonnullis etiam Epheſini Concilii, ut in editione Conciliorum Labbeana erudite ab eruditiſſimo Dallæo in opuſculo *de Pſeudepigraphis Apoſtolicis*, a quo Labbeus accepit, obſervatum eſt. Conjicit Beveregius, illos a Clemente Alexandrino circa annum 190. primum collectos, qui ſcripſit περὶ κανόνων Ἐκκλησιαστικῶν, ut fidem nobis faciunt Euſebius Lib. 6. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 13. Hieronymus *de Scriptoribus* cap. 38. & Photius in *Bibliotheca* Cod CXI. Sed Clemens Alexandrinus ſcripſit juxta Photium *de Canonibus Eccleſiaſticis*, non *de Canonibus Apoſtolicis*, quæ plane diverſa ſunt & commune nihil habent. Alii autem narrant ſcripſiſſe *Canonem Eccleſiaſticum* ſeu *adverſus Judaizantes*, Alexandro Hieroſolymorum Epiſcopo inſcriptum: quod etiam opuſculum cum *Canonibus Apoſtolicis* diverſa tractantibus nec Alexandro Epiſcopo Hieroſolymorum inſcriptis non convenit.

CAPVT TERTIVM.
DE LIBRIS RECOGNITIONVM VIGINTI PRIORIBVS ET POSTERIORIBVS.

Recognitionum ſancti Clementis libri decem priores.

Clementis *Recognitiones*, quæ Græce inſcribuntur ἀνάγνωσις ſive ἀναγνώρισμοι, id eſt Recognitio vel ἀναθεώρισμοι, quod eſt Reviſio: nonnulli duplici partitione diſtingvunt, nempe in decem priores libros, & decem poſteriores libros. Vel potius, ſcriptum eſt ſub ſancti Clementis Romani nomine, *duplex Recognitionum opus*, unum *prius*, aliud *poſterius*, utrumque libris decem conſtans: ſed *primum* proprie Dogmaticum ac diſceptativum, alterum Diſceptativum ſimul atque hiſtoricum. In prioribus, qui nunc a nobis absque luctu proborum vel rei Chriſtianæ ullo damno, deſiderantur: Clemens ex præcepto Petri collegit, quæcunque Petrus apud Cæſaream Paleſtinæ tribus continuis menſibus diſſeruit, & ad Jacobum fratrem Domini tranſmiſit. Horum argumenta ſingula, in 3. poſteriorum Recognitionum quæ nunc habentur libro, his plane verbis ſcripta leguntur: ex quibus hoc opus ab altero omnino diſtinctum fuiſſe apparet.

PRIMVS Recognitionum priorum liber agit, *De vero Propheta, & de proprietate intelligentiæ legis, ſecundum id quod Moſis traditio docet.*

SECVNDVS. De principio, utrum unum ſit, an multa; & quod non ignoret Hebræorum Lex, quid ſit immenſitas.

TERTIVS. De Deo & de iis quæ ab eo inſtituta ſunt.

QVARTVS. Quod cum multi dicantur dii, unus tantum ſit verus Deus, ſecundum teſtimonia Scripturarum.

QVINTVS. Quod duo ſint cœli, quorum unum ſit hoc viſibile firmamentum, quod & tranſibit: aliud vero, æternum & inviſibile.

SEXTVS. De bono & malo, & quod bona cuncta ſubjiciantur a Patre: malum autem, quare, quomodo, & unde ſit, & quod cooperetur quidem bono, ſed non propoſito bono. Et quæ ſigna boni, quæ vero mali: & quæ ſit differentia Dualitatis & conjugationis.

SEPTIMVS. Quæ profecuti ſint duodecim Apoſtoli apud populum in Templo.

OCTAVVS. De verbis Domini quæ ſibi videntur eſſe contraria, & non ſunt, & quæ ſit horum abſolutio.

NONVS. Quod Lex a Deo poſita, eſt juſta & perfecta, & quæ ſola poſſit facere pacem.

DECIMVS. De Nativitate hominum carnalium, & de Generatione, quæ eſt per Baptiſmum; & qua ſit in homine carnalis ſeminis ſucceſſio, & quæ anima ejus ratio, & quomodo in ipſa eſt libertas arbitrii: quæ quoniam non eſt ingenita, ſed facta eſt, immobilis a bono eſſe non poterat.

Hæc igitur ſunt argumenta *Recognitionum*, quæ Clemens ſe in urbe Cæſarea ſcripſiſſe refert, de his quæ a Petro in eadem urbe dicta ſunt. Hos libros magna ex parte fuiſſe ab hæreticis contaminatos, teſtis eſt Rufinus, qui in Apologia Origenis hæc ſcripta reliquit. "Clemens Apoſtolorum Diſcipulus, qui Romanæ Eccleſiæ poſt Apoſtolos & Epiſcopus & Martyr præfuit, libros edidit qui Græce appellantur διαγνώρισμοι, id eſt Recognitio. In quibus cum ex perſona Petri Apoſtoli doctrina quaſi vere Apoſtolica in quamplurimis exponatur: in aliquibus tamen ita Eunomii dogma ſcribitur, ut nihil aliud quam ipſe Eunomius diſputare credatur, filium Dei creatum ex nullis extantibus aſſeverans. Tum deinde etiam illud adulterii inſeritur genus, ut naturam diaboli cæterorumque dæmonum, non propoſiti voluntatisque malitia, ſed excepta ac ſeparata creaturæ produxit qualitas. Sunt etiam alia nonnulla libris ejus inſerta, quæ Eccleſiaſtica regula non recipit. Quid quæſo de his ſentiendum

Digitized by Google

„dum eſt, quod Apoſtolicus vir, imo pene Apo„ſtolus non ea ſcribit quæ Apoſtoli dicunt? An „id potius credendum eſt, quod ſupra diximus, „quod perverſi homines ad aſſertionem dog„matum ſuorum, ſub virorum ſanctorum nomi„ne, tanquam facilius credenda inſeruerunt ea, „quæ illi nec ſenſiſſe, nec ſcripſiſſe credendi „ſunt? Meminit autem etiam horum librorum Hieronymus lib. 2. contra Ruffinum. In quibus autem locis fuerint hi libri corrupti, indicatum eſt à Patribus antiquis: nimirum in articulis de Divinitate, aliisque ſimilibus. Corruptelam autem in articulo de libertate arbitrii nullus veterum unquam notavit, ut rectè inquit Cardinalis Bellarminus Lib. 5. *de Gratia & libero Arbitrio* cap. 25.

Clementis Recognitionum libri decem poſteriores, ad Jacobum fratrem Domini.

Illos nunc habemus ſub titulo *Recognitionum Clementis ad Jacobum fratrem Domini*, & quorum initium eſt, *Ego Clemens in urbe Roma natus &c.* Creduntur eſſe illi, quos Gennadius teſtatur translatos a Ruffino, cujus etiam Præfatio habetur in principio totius operis, in qua Ruffinus ſive alius quispiam ſub nomine Ruffini, ita de ratione translationis ſuæ ad Gaudentium Epiſcopum ſcribit. *Æquum eſt ſane tibi, qui hæc etiam Græce legeris, ne forte in aliquibus minus a nobis ſervatum translationis ordinem putes, interpretationis noſtræ indicare conſilium. Puto, quod te non lateat, & Clementis hujus in Græco ejusdem Operis διαγνώσεων, hoc eſt Recognitionum duas editiones haberi: & duo corpora eſſe librorum in aliquantis quidem diverſa, in multis tamen ejusdem narrationis. Denique pars ultima hujus Operis, in qua de transformatione Simonis refertur, in uno corpore habetur, in alio penitus non habetur. Sunt autem & quædam in utroque corpore de ingenito Deo, genitoque diſſerta, & de aliis nonnullis, quæ ut nihil amplius dicam, exceſſerunt intelligentiam noſtram. Hæc ergo tanquam quæ ſupra vires meas eſſent, aliis reſervare malui, quam minus plena proferre. In cæteris autem quantum potuimus, operam dedimus, non ſolum a ſententiis, ſed ne a ſermone quidem ſatis, elocutionibusque diſcedere: qua res quamvis minus ornatum, magis tamen fidele narrationis reddit eloquium.* Hæc Ruffinus de editione horum Voluminum, quorum hic argumenta libet ſubſcribere, ut ex collatione ipſorum cum ſuperioribus priorum Recognitionum argumentis appareat, quantum ſit utriusque operis diſcrimen.

Primus itaque *liber* continet educationem Clementis in urbe Roma, ac veritatis ſtudium: Barnabæ adventum ex Judæa in urbem, Clementis cum Barnaba ſocietatem initam, utriusque navigationem in Palæſtinam, & utriusque ingreſſum in Cæſaream ad Petrum Apoſtolum. Colloquium item Petri cum Clemente, in quo paucula quædam teſtatur Clemens ſe de vero Propheta ex Petro audiviſſe, illaque Litteris unico volumine mandaſſe. Additur in fine brevis decurſus Hiſtoriarum veteris Teſtamenti.

Secundus, referente Niceta, narrat Simonis Magi ſapientiam, eloquentiam, miracula, genus, parentes. Item aliqua de poteſtate dæmonum in homines, tum etiam primam Petri Diſputationem cum Simone in eadem urbe habitam, in qua paucis admodum verbis oſtenditur, unum eſſe Deum mundi authorem, & non plures.

Tertius refert ſecundum Petri cum Simone in eadem urbe congreſſum, in quo nonnulla de libero arbitrio diſſeruntur: quæriturque, cur Deus non fecerit hominem impeccabilem? Cur cœlum factum ſit, quod igne reſolvendum ſit? Vtrum mundi corde Deum videbunt, & utrum anima immortalis ſit? Denique Simonis a ſuis deſertionem, fugamque ipſius ex Cæſarea in Syriam deſcribit.

Quartus liber deſcribit profectionem Petri & Clementis ex Cæſarea in Doram, Ptolemaïdam, Tyrum, Sidonem, Berythum, eorumque ingreſſum Tripolim, qua in urbe Petrus hyemavit. Recitat etiam Petri concionem in eadem urbe habitam, in qua brevis eſt decurſus ætatum mundi, ab ejus creatione usque ad Chriſtum.

Quintus habet concionem aliam S. Petri in eadem urbe.

Sextus ſimiliter aliam in eadem urbe Petri concionem.

Septimus egreſſum Petri ex Tripoli, & profectionem ejus primum in Hortoſiadam, deinde Antaradum, deinde ad Inſulam Aradum ad videndas columnas vitreas immenſæ magnitudinis. Refert quoque matrem Clementis in eadem Inſula a Petro repertam, & tum primum a filio Clemente agnitam. Enavigat iterum Petrus ex Inſula Aradum in Antaradum, inde pedeſtri itinere Balneas ſe confert, deinde Pathon & Gabalam pertranſit, unde Laodiceam advenit, ubi primum Clemens Fauſtum & Fauſtinianum, fratres ſuos recognoſcit.

Octavus liber offert Petrum in loco ſecretiori portus Laodiceæ diſputantem, adverſus ſenem quendam Mathematicum, aſſerentem omnia fato regi.

Nonus eandem proſequitur Diſputationem adverſus Mathematicos, qui dicunt evenire omnia, ſtellarum atque conſtellationum impulſibus.

Decimus narrat transmutationem Simonis Magi in Fauſtinianum, Clementis fratrem. Deinde nonnulla addit de genealogia deorum Gentilium. Poſtremo digerit diſceſſum Petri ex Laodicea, & adventum ejus in Antiochiam, qua in urbe populus ei cathedram tradidit docendi.

CAPVT QVARTVM.

JVDICIUM VIRORVM ERVDITORVM DE HIS VIGINTI LIBRIS RECOGNITIONVM CLEMENTINARVM.

"DE his prioribus decem libris ita loquitur "Bellarminus in opere *de Scriptoribus Eccle-*"*ſiaſticis*. DeRecognitionibus ejusdem Clemen-"tis non habeo aliquit certi. Quamvis non pau-"ca utilia contineant documenta,&a viris doctis "aliquando citentur: tamen probabile exiſtimo, "vel non eſſe Clementis, vel eſſe idem opus, "cum eo quod *Itinerarium vel Circuitus Petri* ali-"qui vocant. Nam teſte Epiphanio hæreſi 30. "Clemens ipſe teſtatur *Circuitus Petri* a ſe con-"ſcriptos, ab hæreticis depravatos fuiſſe. Ve-"re enim in Recognitionibus deſcribuntur iti-"nera ſancti Petri & ſancti Clementis, & ad-"miſcentur Diſputationes ex media Platonis "Philoſophia depromptæ, quas nullo modo cre-"dibile eſt, ſancti Petri eſſe. Quodſi Recogni-"tionum & Itinerarii idem ſit opus, ſatis con-"ſtabit eſſe apocryphum. Itinerarium enim "inter apocrypha retulerunt S. Athanaſius *in* "*Synopſi*, S. Gelaſius *in Concilio Romano*: vnde "extat Caput *Sancta Romana* Diſtinct. 16. Et "Leo nonus in Epiſtola adverſus Nicætam. Ve-"rum quidem eſt, Recognitionum numerari li-"bros decem,& Itinerarii libros octo: ſed facile "fuit corruptoribus, addere, vel minuere, vel "mutare. Hæc Bellarminus. Mihi vero conſtat *li-bros illos decem Recognitionum Clementis*,eſſe unum atque idem opus cum *Itinerario* ſeu *Circuitibus Petri*, qui in his deſcribuntur. Quod autem in Decreto Gelaſii, ut vult Bellarminus, octo tantum libri *Itinerarii Petri* legantur: hoc quidem in impreſſis ita eſt, ſed in MSS. Codd. leguntur Decem, ſaltem in multis. Spurios autem cenſent Sixtus Senenſis Lib. 2. *Bibliotheca Sancta* verbo *Clemens Romanus* pag. 53. Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus ſacri* pag. 369. & 370. Ante hos S. Athanaſius libros illos nigro calculo notat, dum ipſis ab Eccleſia contradici non ſolum ait, ſed etiam aſſerit ex iis veriora quædam electa eſſe, & translata: hoc ipſo indicans, multa in his falſa eſſe & fabuloſa, quæ perpetuis tenebris damnari mererentur. *Iterum*, inquit in ſynopſi, *libri novi teſtamenti quibus contradicitur, ſunt Circuitus Petri &c. ex quibus veriora & a Deo inſpirata, electa ſunt, & translata.* S. Epiphanius cenſet libros præfatos a S. Clemente conſcriptos, ſed ab Ebionitis corruptos fuiſſe, & multa ſub honeſto ſanctiſſimi Pontificis nomine ab illis fuiſſe intruſa. Quæ cum ab aliis diſcerni non poſſint, ex hoc colligitur nullam eſſe *Recognitionum* authoritatem. Sic porro ſcribit ſanctus Epiphanius lib. 1. *Panarii* hæreſi 30. quæ eſt Ebionitarum. *Vtuntur autem & aliis quibusdam libris, nempe iis, qui vocantur Circuitus Petri, a Clemente conſcripti: atque ea quidem quæ in illis continentur, corruperunt, panca autem vera reliquerunt. Quemadmodum eos ipſe Clemens omnibus modis redarguit per Epiſtolas circulares, quæ ab eo ſcriptæ in ſanctis Eccleſiis leguntur. Quia alium habet charakterem fides illius ac oratio, ab iis quæ ſub nomine ejus, iſti in Circuitibus ſuppoſuerunt.* Et Photius in Bibliotheca Cod. 113. ubi opera Clementis Romani ad examen criticum vocat, ita de Recognitionibus cenſet: *Poſt Epiſtolas illas diverſas & inſcriptiones ſine ulla diſcrepantia, invenimus tractationem quæ incipit*, Ego Clemens &c. *& quæ ſequuntur poſt illa, ordine. Hæc autem Tractatio infinitis pene abundat erroribus, & juxta impii Arii impietatem, etiam in filium voces blaſphemas & contumelioſas vomit.* Humbertus quoque Cardinalis, Silvæ Candidæ Epiſcopus, in reſponſione ad Nicetam, librum Clementis inſcriptum *Itinerarium Petri*, ad apocrypha amandat. Denique præterquam quod multa iſtis in Recognitionibus ſub perſona Petri Apoſtoli, ex intima Platonis & Ariſtotelis philoſophia referuntur: integra quoque duo folia tranſcripta ſunt ad verbum ex libro *de fato*, quem edidit Bardeſanes adverſus Abydam Aſtronomum: qui Bardeſanes ſub Marco Antonino Imperatore floruit, ut teſtatur Euſebius Lib. 4. *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Cap. 28. annis ſeptuaginta poſt mortem Clementis. Quam etiam Bardeſanis ſcripturam Euſebius in ſexto libro *de Præparatione Evangelica*, iisdem plane verbis recitat, nec una quidem dictione immutata. Hieronymus quoque Lib. 1. *adverſus Jovinianum* Cap. 14. quam flocci faciat hujus libri authoritatem, ſatis oſtendit ita ſcribens: *Poſſumus autem de Petro dicere, quod habuerit ſocrum eo tempore quo credidit, & uxorem jam non habuerit: quanquam legatur & in periodis & uxor ejus & filia: ſed nunc nobis de Canone omne certamen eſt.*

De hoc opere ita cenſet verbotenus, Sixtus Senenſis. "*ITINERARIVM Petri Apoſtoli ſub nomine Clementis libris octo*, apocryphum eſt." Hoc Trithemius partitur in libros decem, quorum initium eſt: *CVM IN VRBE ROMA &c.* Suſpicor hoc opus illud idem eſſe, quod apud aliquos authores *Peregrinationes* ſive *Circuitiones* vel *Circuitus Petri* inſcribitur: de quibus Epiphanius Libro 1. *Panarii*, hæreſin Ebionis commutans, hæc ait. *Vtuntur Ebionæi & aliis libris, nimirum Circuitionibus Petri appellatis, per Clementem ſcriptis, multa corrumpentes in ipſis, & panca vera relinquentes: velut ipſe Clemens ipſos per omnia redarguit, in Epiſtolis quas ſcripſit Encyclicis, quæ in ſanctis Eccleſiis leguntur. Quia alium habet charakterem fides ipſius & ſermo, ab his quæ ab illis ſub nomine ipſius in Circuitionibus corrupta ſunt.* Hæc Epiphanius *de Circuitionibus* ſive *Itinerario*, quod quidem niſi me mea fallit opinio, id ipſum eſt ſupra memoratum *Recognitionis poſterioris Opus*, tali titulo a librariis exornatum, & Ruffini præfatione aut confecta aut aliunde petita transformatum: Vt hoc fuco Volumen ſub *Itinerarii* nomine da-

mna-

„mnatum, commendabile redderet apud em„ptores, tam ex *Recognitionum* gratiori inſcri„ptione, quam ex interpretis Ruffini authori„tate. Facit autem ut id facile credam, ipſe „numerus & contextus Librorum, in quibus „a capite usque ad calcem nihil fere aliud enar„ratur, quam Petri & Clementis peregrina„tio ex Italia in Palæſtinam, & ex Palæſtina us„que in Antiochiam per urbes & loca, quæ in„ter Cæſaream Palæſtinæ, & Antiochiam ſunt. „Huc accedit, quod Jacobus Archiepiſcopus „Genuenſis, qui hanc ipſam peregrinationem „in vita Clementis conſcripſit, teſtatur ſe eam „ſummatim collegiſſe ex *Itinerario* Clementis „apocrypho. Quod ſane indicat, *Libros Reco„gnitionum* & *Itinerarium Clementis*, idem eſſe „opus. Hoc proximis annis, ſanctæ Romanæ „Inquiſitionis Senatus, in indice damnatorum „ab Eccleſia voluminum adſcribi juſſit.„

Judicium Gerardi Joannis Voſſii, de *Recognitionibus*, ſub nomine Clementis Romani editis, lib. 2. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 9. pag. 203.

Nullus ſane eſt, qui meliori judicio ac diffuſiori ſermone de Libris *Recognitionum* Clementi affictis locutus ſit, quam Gerardus Joannes Voſſius, magnum Academiæ Lugduno-Batavæ decus, qui *Apocryphis* illos accenſuit, cujus cenſuram atque verba hic, ut quæ amplectimur, ſincere referemus.

„Eodem loco Apocryphorum haberi debent, „quæ ſub nomine Clementis Romani Epiſcopi „ἀναγνώσεις ſive *Recognitiones* exſtant. Sunt „illæ idem opus, quod *Hiſtorias Clementis* appel„lat Beda *de ratione temporum* cap. 3. & in Acta „Apoſtolorum cap. 5. Antiquitus dicebatur *Iti„nerarium* vel *Circuitus Petri:* atque eo nomine „inter Apocrypha refertur ab Athanaſio extre„mo capite *Synopſeos:* ubi περίοδον πέτρου inter „illa reponit, quibus contradicitur. Item a „Gelaſio Concilioque Romano, *Itinerarium*, „inquit, *ſancti Petri, quod appellatur Clementis, „libri decem, apocryphum.* Similiter Honorius „libro *de luminaribus Eccleſiæ*, ubi ei tribuit *Itine„rarium Petri, nec non Diſputationem Petri & Ap„pionis.* Latine hoc opus vertit Ruffinus Aqui„læenſis, quod & Gennadius teſtatur in *Cata„logo virorum illuſtrium.* Edidit id primum Jo„annes Sichardus anno 1536. Sed ἀκρίβειαν ſu„am ſeu judicii defectum oſtendit, cum pro ge„nuino habet Clemente, qui nec Gelaſii judi„cium reprehendere veretur. Meminit *Itine„rarii* iſtius Humbertus Epiſcopus Sylvæ Can„didæ, qui anno vixit cIↃL. Nam cum Nicetas „Pectoratus jejunia Sabbathi conatus eſſet re„futare ex Clemente & Canonibus qui Apoſto„lorum eſſe dicuntur, reſpondit ei in hunc mo„dum pag. 115. Tom. 2. Baronii in Appendice „editionis Moreti. *Et hoc afferre conaris ex apo„cryphis libris, & canonibus, pari ſententia ſan„ctorum Patrum repudiatis? Nam Clementis li„brum, id eſt, Petri Apoſtoli itinerarium, & ca„nones Apoſtolorum, numeravere inter apocrypha, „exceptis capitulis quinquaginta, quæ decreverunt „regulis orthodoxiæ adjungenda.* Et ſane multa „oſtendunt, opus hoc, non paullo eſſe recen„tius Clemente Romano. Primum illud, quod „ut optime oſtendit Sixtus Senenſis in *Biblio„theca* in Clemente, nono Itinerarii illius libro, „legantur duo integra folia, quæ Epiphanius „hæreſi 56. citet ex Bardeſanis Syri libro de fa„to adverſus Abidam aſtronomum. Bardeſa„nes iſte vixit ſub Marco Imperatore, annis cir„citer ſeptuaginta, poſt mortem Clementis, „qui tertio Trajani anno martyrii coronam ac„ceperat. Accedit, quod multa adeo illo ope„re contineantur ex intima Platonis atque A„riſtotelis philoſophia deprompta, planeque „aliena a ſimplicitate, quæ in primitiva Eccle„ſia vigebat. Vide & Euſebium lib. 4. Hiſto„riæ Eccleſiaſticæ cap. ultimo & libro 6. Præpa„rationis Evangelicæ cap. 10. Item Hierony„mum in Catalogo ſcriptorum Eccleſiaſtico„rum. Denique quid multis opus? Libri illi „*inſulſis fabulis ſunt referti*, quod etiam judicium „eſt Baronii in *Annalibus Eccleſiaſticis* tomo 2. ad „annum 102. Num. 22. Nicolaus Nancelius in „Catalogo librorum quos compoſuit, de eo„dem ſic ſcribit: *Clemens dictus Papa & Pauli „diſcipulus, inſcripſit* Ἀναγνώσεις *ſive Recognitio„num auctor, ad Jacobum fratrem Domini X. libris, „Ruffino videlicet interprete, ſuo ipſius gladio a me „confoſſus eſt, & falſi redarguus, ex ipſa ſerie hi„ſtoria locis certis indicatis, præſertim ex fine libri „tertii, ut attente conſideranti liquet. Licet ſubdi„titius, multis tamen & arguris a me notis illuſtra„tur.* Pariterque eos rejiciunt, vel fidem ſal„tem ſuſpectam habent Pererius, Bellarminus, „Poſſevinus, ac hodie eruditiores omnes.

Huic operi ad Gaudentium Epiſcopum præ„mittitur Præfatio Rufini, vel alterius ſub ejus„dem nomine, in editione quam anno 1526. ex„officina Bebelii Joannes Sichardus procura„vit. Nam in illa, quæ Pariſiis anno 1568. a Mi„chaele Sannio emiſſa eſt, fruſtra quæras. Digna„ vero obſervatione ſunt ejus præfationis ver„ba, quæ adſcribam. *Puto, quod non te lateat, „Clementis hujus in Græco ejuſdem operis* ἀναγνώ„σεων, *hoc eſt, Recognitionum, duas editiones ha„beri, & duo corpora eſſe librorum, in aliquantis„ quidem diverſa, in multis tamen ejuſdem narra„tionis. Denique pars ultima hujus operis, in qua „de tranſformatione Simonis refertur, in uno cor„pore habetur, in alio penitus non habetur. Sunt „autem & quædam in utroque corpore, de ingeni„to Deo, genitoque diſſerta; quæ, ut nihil amplius „dicam, exceſſerunt intelligentiam noſtram.* Hæc „ille. Vbi duo in conſiderationem veniunt. „Prius eſt de Fauſtiniano, a Simone Mago in „faciem hujus Simonis converſo, & a Beato „Petro prædicare Antiochenis juſſo de poeni„tentia Simonis Magi, quod tot falſiloquis di„ctis impetiiſſet hunc Apoſtolum. Quam enim „hæc abhorreant a vero, quis non videt? Nec „enim ulla pœnitudine Magus ducebatur; ut „non-

nonnisi spisso mendacio, hæc Faustinianus potuerit Antiochenis ire persuasum. Sane veras coelestis non indiget ejus generis artibus. Quare credibile est, vel aliquem ista prioribus appositisse, vel alium, qui istis offenderetur, omisisse: a quo & alia sunt mutata, ut præfatio indicat. Alterum est, quod dicitur, *quadam in hoc opere de Deo ingenito ac genito, esse difficiliora percepta, ne quid gravius, hoc est, verius dicat.* Atque ad oram eorum legas in ista Sichardi editione: *Corrupta enim hæc fuisse suspicor ab Eunomio, quemadmodum Pauli Epistola ad Corinthios a Marcione.* Vbi ut Eunomio id potissimum tribueret, Rufinus fecit, qui sic de adulteratione librorum Origenis scribit ad Macarium, ut habes Operum Hieronymi Tomo IV. pag. 195. editionis Basileensis anni 1553. *Clemens Apostolorum discipulus, qui Romanæ Ecclesiæ post Apostolos Episcopus & Martyr præfuit, libros edidit, qui appellantur ἀναγνωρισμοὶ, id est Recognitio, in quibus cum ex persona Petri Apostoli, doctrina quasi vere Apostolica quamplurimis exponatur: in aliquibus ista Eunomii dogma seritur, ut nihil aliud, quam ipse Eunomius disputare credatur.* Quod & statuit Mirandulanus Picus, vel Phœnix potius, in Apologia sua, quo loco differit de salute Origenis. Sed enim merito in dubium vocari possit, utrum hos libros, qui supersunt, designet Rufinus vel Hieronymus libro 2. adversus Rufinum. Quippe non satis hæc conveniunt cum eo quod Rufinus eos Clementis libros Latine reddiderit. Nisi ab alio malis translatos & prorsus fictitiam esse præfationem, quæ Rufini ad Gaudentium esse dicitur.

Interea constat, fuisse & alios X. Recognitionum libros, qui ante istos X. superstites scripti sunt. Clare enim id legas extremo Libro III. ubi & argumentum affertur singulorum librorum, qui deperierunt. Multum vero id differt ab argumento librorum, quos habemus. Et credo, de deperditis illis intelligendus similiter est Eusebius libro 3. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 38. ubi de Clementis Romani libris tractans, sic loquitur: *Jam & alios quosdam nuper multiloquos & profixos Commentarios, quasi illius sint, nonnulli prodiderunt: ut qui Petri & Appionis dialogos contineant, quorum apud veteres prorsus nulla fit mentio. Neque enim sinceram rectæ & Apostolicæ doctrinæ characterem tenent.* Possis similiter de amisso opere intelligere, quod ait Epiphanius Hæresi XXX. ubi de Ebionæis agit, pag. 139. editionis 1622. Χρῶνται δὲ καὶ ἄλλαις τισὶ βίβλοις, φέρειν τοῦς Περιόδους καλουμένας Πέτρου, τοῦς διὰ Κλήμεντος γραφείσας, τοξεύοντες μὲν τὰ ἐν αὐταῖς, ὀλίγα δὲ ἀλήθεια ἐκφαντες, ὡς αὐτὸς Κλήμης αὐτοὺς κατὰ πάντα ἐλέγχει, ἀφ' ὧν ἔγραψεν ἐπιστολῶν ἐγκυκλίων, τῶν ἐν ταῖς ἁγίαις Ἐκκλησίαις ἀναγινωσκομένων: ὅτι ἄλλον ἔχει χαρακτῆρα ἡ ἑαυτὸν πίστις καὶ ὁ λόγος: παρὸ τὰ μὴ τοῦτον εἰς ὄνομα αὐτοῦ ἐν ταῖς Περιόδοις γε-

γραμμένα. *Sunt & alii libri, quibus utuntur, velut Petri Circuitus, a Clemente conscripti: quo in libro pauca veris lectis, cætera supposuerunt: quemadmodum Clemens ipse omnibus illos modis redarguit in Epistolis, quæ ab ipso scripta in sacrosanctis Ecclesiis leguntur. Ex quibus constat, longe ab iis, quæ in Circuitibus illis sub ejus nomine adulterina extant, illius fidem ac sermonem abhorruisse.* Quæ pluribus deinde demonstrat. Sed ut libri decem, quos habemus, non sint Clementis: opus tamen est antiquum, & in quo multa bona sint monita: ut si non historiæ ergo, saltem eo pacto legi mereantur, quo Philostratum versamus, ut se facere ait Barthius libro XLV. *Adversariorum* cap. V. vbi & de interprete judicium invenies. Nempe dictionem ejus, etsi non careat mævis, tamen necdum esse inquinatam illuvie Gothica & aliorum barbarorum: hincque si non sit Rufini, tamen non esse multo recentioris. Hæc Vossius de Libris XX. Recognitionum, sub Clementis Romani Episcopi nomine jam a Cotelerio evulgatis.

Idem ad finem capitis ejusdem: Extat præterea, idque Græce, sub nomine *Clementis Romani Episcopi de rebus gestis, peregrinationibus atque concionibus Petri, Epitome ad Jacobum Hierosolymorum Episcopum.* Edidit Adrianus Turnebus anno 1555. Latine vertit Joachimus Perionius; habes quoque in editione Clementis Sonniana anni 1568. de qua supra diximus. Quod opus non admodum antiquum esse præter dictionem multis argumentis convincitur: ut videre est apud Barthium *Adversariorum* lib. XXXII. cap. XIV. Nec liber is *Epitome* X. librorum, qui *Recognitionum* dicuntur, existimari debet: cum multa adeo contineat longe ab iis recedentia, quæ in *Recognitionum* opere leguntur, multa etiam libris illis indicta.

Hi libri *Recognitionum* Clementis Romani, seculo Ecclesiæ secundo jam confecti sunt. Nam Origenes qui seculo tertio ineunte floruit, illud opus citat Tract. 35. in Matthæum his verbis: *Tale aliquid dicit & Petrus ad Clementem; quoniam Opera bona, quæ fiunt ab infidelibus, in hoc seculo eis prosunt; non & in illo, ad consequendam vitam æternam &c.* Habetur autem hic locus Lib. 7. *Recognitionum* num. 38. Non mirum itaque, quod & alii ex veteribus fraudem non subodorati, opus illud velut Clementis citaverint. Multa ex illo usurpat author Operis imperfecti in Matthæum cum sancto Chrysostomo editus, ad Matthæi scilicet 10. verba laudans sub nomine Petri apud Clementem, quæ inveniuntur Lib. 7. *Recognitionum* num. 38. Et ad Matthæi 24. plura citat ex libro 3. num. 11. 59. & 60. Venerabilis quoque Beda in *Retractationibus* ad Act. 5. locum citat ex Clemente, qui invenitur lib. 1. *Recognitionum*, num. 66. Atque de his plusquam satis, imo ad nauseam.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.
DE CLEMENTINIS HOMILIIS ET EPISTOLIS TAM GENVINIS, QVAM SVPPOSITITIIS.

De Peregrinationibus, prædicatione & actionibus Sancti Petri, seu *Clementinorum Homilia XIX.* & *Clementinorum Epitome*, utrumque Græce & Latine.

Hæc opera sunt *ipsa Disputationes Petri & Appionis longe sermone conscripta*, earumque, vel hujus Disputationis *Compendium*. Clementis *Epitomes Κηρυγμάτων τοῦ Πέτρου*, hoc est, *Prædicationum Petri Apostoli*, mentionem quoque injiciunt Veteres, Clemens Alexandrinus in libro sexto *Stromatum*, & Origenes ejus discipulus *in Evangelium Johannis* tomo XIII. proferentes aliquot ex ipso hoc opere fragmenta, quæ infra allegat Sixtus Senensis libro eodem 2. *Bibliotheca sancta* verbo *Petrus* pag. 95. Sed hæc opera explodunt ut apocrypha eruditi omnes, quæ hoc nomine Eusebius lib. 3. *Historiæ Ecclesiasticæ* Cap. 32. sugillat, Clementique suppositos esse asserit his verbis. *Jam vero quidam alia item opera, verbosa illa quidem & prolixa, heri prope & nudius tertius, perinde quasi illius essent, induxerunt, qua quidem Disputationes Petri & Appionis continent: quorum apud veteres nulla omnino fit mentio. Nam puram illam, & sinceram Apostolicæ orthodoxaque doctrinæ notam minime retinent.* Suffragatur Eusebio S. Hieronymus in Catalogo *Scriptorum Ecclesiæ* in *Clemente*, ubi ait, ferri sub nomine Clementis *& disputationem Petri & Appionis longe sermone conscriptam, quam Eusebius in tertio Ecclesiastica Historiæ volumine coarguit.*

Clementinorum Epitome

Quam hic primus Cotelerius edidit, ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ productam. Hanc qui opera sancti Clementis commentariis & notis illustravit, vult factam esse a Simeone Metaphraste, qui multa ejusmodi in compendium redegit. Ita ille in Notis pag. 1431. quem secutus est Guillelmus Cavus *in Clemente*.

Epistola duæ ad Jacobum fratrem Domini, & aliæ ad alios, habentur omnes in tomis Conciliorum. &c.

CAPVT SEXTVM ET VLTIMVM.
DE VLTIMA EDITIONE AMSTELODAMENSI ANNI MDCXCVIII. OMNIVM OPERVM SANCTORVM PATRVM, QVI TEMPORIBVS APOSTOLICIS FLORVERVNT, AC PRÆCIPVE SANCTI CLEMENTIS ROMANI EPISCOPI, QVÆ ANTWERPIÆ FACTA INSCRIBITVR.

Acta Eruditorum Lipsiæ kalendis Januarii anno 1699. a pag. 1. ad 5. iteratam habent editionem *SS. Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt, Opera illorum genuina & suppositicia, a Johanne Baptista Cotelerio olim 1672. Parisiis edita, nunc denuo recensita & variis accessionibus, notisque nonnullis aucta, ac in duo volumina digesta a Johanne Clerico, Antwerpiæ apud Hagenaeanos anno 1698. in folio.* In his *Opera Clementis Romani Episcopi & Ignatii Antiocheni Episcopi Epistolæ* partem potissimam faciunt, quibus in hac editione quid post Cotelerium Johannes Clericus præstiterit, heic dicere non incongruum fuerit. Sic itaque verbotenus *Acta Eruditorum Lipsiæ* Kalendis Januarii anno 1699. pag. 4. & 5. "Hactenus adeo nos operæ pretium existimavimus, si quid hæc editio habeat, quo palmam priori eripiat, exposuerimus. Ad *Barnabæ* itaque *Epistolam*, illa non tantum Cotelerii, sed Menardi etiam, Isaaci Vossii atque Oxoniensis editoris notas exhibet, textui uti in reliquis, ita hic quoque semper subjectas: quibus & accedunt Johannis Clerici observationes nonnullæ, quas reliquis quoque Patrum Apostolicorum scriptis passim adsperserit, perpaucæ quidem illæ, cum uberiores concinnari alia negotia prohibuerint, ut ipse fatetur; non indoctæ tamen, & ad textus emendationem plerumque spectantes. Hermæ *Pastori* accesserunt variæ lectiones, & notæ Oxoniensis editionis. Clementis *Epistolæ*, præter Cotelerianas, subjiciuntur notæ Patricii Junii, Johannis Felli & Pauli Colomesii. Quid quod nonnulla additæ sint, quæ viri cujusdam docti manus oris editionis prioris alleverat? qui Clementis Romani literis varias lacinias assutas fuisse, ex Clementis Alexandrini maxime allegationibus, evincere conatus fuit. Sic v. g. totam istam ῥῆσιν quæ ad Paulum Apostolum spectans, sub finem capitis V. occurrit, a verbis τὸ γενναῖον usque ad ὑπογραμμός, a manu aliena esse infertam, suspicatus est. Sic ad cap. XVII. observavit, verba ista non longe ab initio capitis posita, οἵτινες ἐν διέμασι &c. Clementem Alexandrinum jungere cum cap. IX. Epistolæ hujus: atque exinde colligit, omnia quæ in modernis editionibus media inter duo illa loca comparent, interpolatorum esse, quod Hieronymum tamen in Commentario ad Esaiam non observasse miratur. Sic ad cap. XXI. verba illa τὰς προαγούσας ἡμῶν &c. annotat, omnia apud Clementem Alexandrinum *Stromatum IV.* pag. 57. cohærere egregie, cum in exemplaribus hodiernis plane perturbata sint, & ex eo misere corrupta. Ex eodem restituenda esse censet omnia, quæ capite XXII. habentur, & adulterina esse contendit, quæ cap. XXIII. usque ad XL. leguntur, eademque in Constitutionibus Apostolicis etiam legi observat. Quæ toto capite LI. habentur, efficta esse ex Clemente Alexandrino p. 519. censet, atque intempestive prorsus inserta: ut alia quædam hujus generis taceamus. *Constitutionibus Apostolicis* in hac editione ad calcem, adjectæ sunt

„sunt Notæ Beveregianæ ex Synodico ejus de-„scriptæ, *Recognitionibus* vero omnes in margine „adscriptæ leguntur lectiones variæ, quæ ha-„ctenus observatæ fuerunt. Nihil Clementi-„nis accessit, quod opus auctoris esse Ebionitæ, „qui seculo post Christum natum secundo flo-„ruerit, doctissimus Clericus censet. Et *Epito-„me Clementina* nihil, quod in priori editione „non compareat. Ex duobus scriptis *de marty-„rio Clementis & anniversario ejus ad sepulchrum „miraculo*, varia menda quibus antea laborabat, „sublata sunt. Nec quicquam restat de priori „hujus operis tomo commemorandum, nisi „quod nonnullæ virorum doctorum Epistolæ, „quibus judicia sua de variis ævi Apostolici scri-„ptis exposuere, eidem præmissæ legantur. Sunt „illæ Guillelmi Laudi, Hieronymi Bignonii & „Isaaci Vossii, quibus & ea accedit, quam Ste-„phanus Baluzius ad Emerium Bigotium de vi-„ta Cotelerii scripsit. Jam in altero tomo *Epi-„stolæ Ignatii* comparent ea facie, qua a Cotele-„rio editæ fuerunt, quibus tamen integræ Jaco-„bi Vsserii & Isaaci Vossii notæ accesserunt, „omissis Vedelii & aliorum rapsodiis. *Martyrio „Ignatii* notæ itidem Vsserianæ in hac editione „adjiciuntur, ut & Epistolæ Tiberiani, Plinii & „Trajani, quas ille Ignatio suo subjunxerat, a „Cotelerio cum ejusdem Observationibus præ-„termissæ. Eædemque in *Epistolam & Martyri-„um Polycarpi* Cotelerianis junctæ in hac editio-„ne leguntur. Denique in ea, ut nihil magno-„pere in hac *Apostolicorum Patrum Bibliotheca* de-„sideres, Beveregiana Codicis Canonum Apo-„stolicorum Defensio, cum Prolegomenis Vs-„serianis ad Ignatium, & Vindiciis Epistolarum „Ignatii Pearsonianis comparent, quibus coro-„nis operi nobilissimo imponitur. Plura dice-„re de scriptis, quæ tantum non omnia in do-„ctissimi cujusvis manibus versata fuerunt, su-„pervacaneum forsan esset. Id tamen adhuc „monere abs re haud forsan fuerit, textum Apo-„stolicorum scriptorum ita semper repræsen-„tari, ut exemplar Cotelerianum exacte exhi-„beat, nisi ubi manifesti sunt præli vel amanu-„ensis errores. Singulis vero scriptis testimo-„nia non veterum tantum, sed recentiorum „quoque, quorum illustris in rebus Ecclesiasti-„cis opera fuit, judicia copiose præmissa con-„spici.

„Theodoricus autem Ruinartus, Monachus „Congregationis S. Mauri in Gallia, Ordinis „divi Benedicti, edidit anno 1689. in 4. Parisiis „apud Franciscum Muguet *Acta Primorum Mar-„tyrum sincera & selecta, ex libris cum editis tum „MSS. coll. Ea, eruta vel emendata, notis quoque & „observationibus illustrata.* Atque inter illa ex-„tant *Acta Ignatii*, qualia ab Vsserio in *Appendice „Ignatiana* edita fuerunt. Quibus post reliquo-„rum Martyrum Acta in hac Collectione Rui-„narti, adduntur etiam *Græca Ignatii Acta*, quæ „ab Vsserio nusquam inventa, ex Colbertino „codice nunc primum prodeunt, in editione Clerici Amstelodamensi adjecta, tomo 1. pag.„ 164. una cum *Epistola Ignatii ad Romanos*, quam„ Isaacus Vossius, cum sinceras Ignatii Epistolas„ ederet, in Florentino suo Codice desideravit.„ Vnde doctissimus Editor non dubitat, Vsserium„ pariter & Vossium, si superstites essent, de ge-„nuino *Actorum Ignatianorum & Epistola ad Ro-„manos* textu, gratulaturos esse.„ Hæc Supple-menta *Actorum Eruditorum Lipsiæ*, Sectione 12. pag. 601.

S. DIONYSIVS ATHENIENSIS EPISCO- Ao. PVS AREOPAGITA DICTVS, quem 50. cum Clemente Romano de quo antea, & Lino Romano Episcopo, Apostoli Pauli discipulum recenset Eusebius *Historiæ* Lib. 3. cap. 4. natus ut credimus Athenis, eloquentiæ ac doctrinæ merito tantum valuit, ut in senatum Areopagi clarissimis duntaxat viris apertum coopta-tus sit, unde & Areopagitæ nomen habuit. Circa annum Christi 50. prædicante Athenis Paulo Christianam fidem amplexus est, ut habet S. Lucas Actorum 17. v. 34. quin & primum Athenienſium Episcopum constitutum fuisse, tradit Dionysius Corinthiorum Episcopus, apud Eusebium Lib. 3. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 4. & lib. 4. cap. 23. Imo si Suidæ, Nicephoro, Syncello fides adhibenda est atque aliis recentioris ævi Scriptoribus, manu ipsius Pauli ordinatus fuit. De Dionysii, hujus Athenienſis & Areopagitæ operibus, non una est sententia: nam de quo Suidas in verbo Διονύσιος magnificis plane verbis, alii nonnulli contemptu non modico, lectis etiam Dionysii hujus Areopagitæ operibus, loquuntur: appellantes eum *Magnum Dithyrambum*, plurimis atque exorbitantibus sæpe nominibus ac mysteriis paucissima ac trivialia explanantem. Casaubonus *Exercit. 16.* adversus Baronium §. 43. pag. 565. Morinus *de Ordinationibus* Part. 2. cap. 2. §. 7. pag. 33. & cap. 5. §. 13. pag. 51. Dallæus *de Scriptis Dionysii* cap. 30. pag. 169. De Dionysio hoc Athenienſi & Areopagita, celeberrimæ quæstiones duæ seculo hoc nostro agitatæ sunt, inter viros ex utraque parte doctissimos, quæ tam prolixis profundisque disputationibus ventilatæ, ut eas iterum excutere, opus vanum atque otiosum sit. Harum *prima* quæstionum est, utrum opera quæ sub nomine sancti Dionysii Areopagitæ & Athenienſis Episcopi vulgo circunferuntur, nempe *de Divinis nominibus, de cœlesti atque ecclesiastica Hierarchia, de mystica Theologia &c.* sint genuinum vere hujus Dionysii Areopagitæ opus? Agentibus cum animo ingenti in utramque partem scriptoribus, quid ea de re sentiamus, seculo Ecclesiæ sexto ad annum circiter DXX. nostrum aperiemus sententiam. *Altera* quæstio: Vtrum sanctus Dionysius Areopagita Athenienſium Episcopus, seculo Ecclesiæ primo in Gallias venerit, factusque sit & Francorum Apostolus & primus Parisiensium Episcopus? Affirmavit omnium primus, atque utriusque Dionysii

nysii confusionem Ecclesiæ adduxit, seculo nono Hilduinus Abbas S. Dionysii Parisiensis, tum ut falsa hac antiquitate Abbatiam suam celebriorem redderet, tum ut avidis ejusmodi antiquitatum Parisiensibus populis, Regique eo de argumento scribere jubenti acceptior foret: norunt enim omnes quam proclive sit Monacho ad Abbatialem evecto Ecclesiæ alicujus dignitatem, cum præjudicio veri etiam, ad vanas absurdasque præcipitari antiquitates. Post Hilduinum vero fabulæ inventorem, ita firmiter hæsit Monachis Sandionysianis commentum, ut cum seculo 12. Abaelardus contra asserere ausus esset, insurgentibus ut in novatorem atque perversissimum hominem cæteris, quo saluti atque libertati consuleret, Abbatiam S. Dionysii deserere, Gallicumque solum vertere coactus sit. Recruduit seculo nostro hæc controversia, Jacobo Sirmondo Soc. Jesu anno 1640. edente Dissertationem eruditam, in qua *Dionysii Parisiensis & Atheniensis* discrimen ostenderet, anno 1641. in 8. Parisiis impressam. Statim contra Sirmondum arena aperta, Germanus Milletus Sancti Dionysii in Francia monachus Benedictinus, ea quæ eruditissimus iste antiquitatis indagator contra Hilduini assertiones & novitates *de Vnico Dionysio* scripserat, confutare & Ecclesiæ Parisiensis multis a seculis traditionem probare integro ac prolixo libro aggressus est, Parisiis anno 1642. in 8. impresso. Idem egit Petrus Halloix Leodiensis Soc. Jesu in *Vitis & Documentis illustrium orientalis Ecclesiæ scriptorum, qui primo a Christo seculo vixerunt*, impressis 2. in fol. tomis Duaci annis 1633. & 1636. typis Petri Bogardi. Inde expressum opus extat immissum in editionem operum S. Dionysii ultimo procuratam a Balthasare Corderio ejusdem Societatis anno 1634. Antwerpiæ in fol. Idem quoque fecit Martinus Delrio ejusdem Societatis, qui etiam *Vindicias Areopagiticas* adversus Josephum Scaligerum, anno 1608. in 8. Antwerpiæ edidit. In eandem sententiam iverunt qui editiones Operum sancti Dionysii Areopagitæ procurarunt, Petrus Lanstelius Gravelinganus Soc. Jesu, Parisiis anno 1615. & Balthasar Corderius Antwerpiæ anno 1634. ejusdem cum Lanstelio sodalitii. Idem denique in *Antiquitate illustrata*, ne *obscuratam* dicam, Emanuel Schelstrat, Antwerpiensis, qui mythologiæ Ecclesiasticæ quidquid a quovis confictum fuerat, in unum volumen egregium, sub hoc titulo collegit. Cui adjunctus est Natalis Alexander Ord. Fratrum Prædicatorum, qui omnium argumenta congessit in *Selectis Historiæ Ecclesiastica Capitibus* seculo 2. dissertatione XV.

Stant vero contra doctissimi etiam viri, Galli omnes excepto Miræo, hic appellandi. Jacobus Sirmondus Societatis Jesu expressa dissertatione in qua Dionysii Parisiensis & Dionysii Areopagitæ & Atheniensis discrimen ostenditur, edita Parisiis anno 1641. in 8. apud Sebastianum Cramoisy. Joannes Launoïus Constantiensis in Normannia Presbyter ac Theologus insignis in opere prolixo *de duobus Dionysiis*, anno 1642. Parisiis in 8. apud Edmondum Martinum. Eandem quoque duorum Dionysiorum distinctionem suis in scriptis approbant, Aubertus Miræus in *Annalibus Belgicis*. Dionysius Petavius Aurelianensis in *Theologicis Dogmatibus* & alibi. Andreas Duchenius in notis ad *Bibliothecam Cluniacensem*, nec non in *vitis Romanorum Pontificum*. Joannes Morinus Oratorii Presbyter in opere *de Sacris Ordinationibus*. Denique Franciscus Bosquetus, Lodovensis ac postea Montispessulani Episcopus *Historiarum Ecclesiæ Gallicanæ* Lib. 1. cap. 26. hanc quæstionem fuse agitat, idemque adstruit. Quia vero nonnulli tam quæstionem præcedentem, quam ad annum DXX. discutiendam remisimus, quam præsentem *de duobus Dionysiis*, spectasse ad nostrum institutum dicent: cum illas præsertim nec Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* attigerit, neque etiam Labbeus in Dissertatione historica *de iisdem Scriptoribus* a Bellarmino recensitis, tom. I. pag. 258. ubi *de Dionysio Areopagita*: neque denique Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum*, licet conducant quæstiones ad illustrandam Dionysii Atheniensis Episcopi vitam: Nostrarum fuisse partium opinati sumus, ut motas has iterum refricaremus, non nova dicentes, sed dicta aliorum, Sirmondi nimirum atque Launoji, quorum hic sententiam amplectimur, in unum colligentes. Lecta enim Dissertatione, quam de quæstionibus duabus duplicem Natalis Alexander instituit, ita utramque argumentis infirmam titubantemque invenimus, ut hujus historici hoc in argumento tractando miseram sortem miserti fuerimus, quem adversam sibi sententiam ex sola hujus lucubrationis lectione, apud multos, qui argumentum nunquam examinarant, persuasisse audivimus.

Duplicem igitur fuisse Dionysium, unum Areopagitam & Atheniensium Episcopum dictum, sub finem seculi Ecclesiæ primi martyrem factum, teste Eusebio Lib. 3. *Historiæ* cap. 4. alterum Parisiensem Episcopum, labente etiam seculo 3. vel incipiente 4. martyrem agnitum: atque proinde Atheniensem Episcopum & Areopagitam, quem floruisse primo Ecclesiæ seculo constat, unum & eundem cum Episcopo Parisiensi non esse, probant contra Hilduinum novatorem & antiquæ Parisiensis Ecclesiæ traditionis perturbatorem, cum multis eorum sequacibus. *Primum* ex Severo Sulpitio, qui lib. 2. *Historiæ Sacræ* persecutionem illam commemorans, quæ Antonini Veri temporibus Lugdunensem & Viennensem Ecclesias Gallicanas quadraginta octo Martyrum sanguine illustravit, disertis verbis Martyres ante id temporis in Gallia nullos fuisse testatus est. *Sub Aurelio*, inquit, *Antonini filio, persecutio quinta agitata: ac tum primum intra Gallias martyria visa, serius trans Alpes religione suscepta.* Jugulum his verbis,

suæ

ſuæ cauſæ peti ſentiunt Areopagitici. Nam ſi Martyres Gallia Marco Aurelio antiquiores nullos habuit, cum Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum in Gallia paſſum nemo neſciat, ipſique fateantur ac glorientur Areopagitici: liquet profecto Pariſienſem Epiſcopum & martyrem diverſum ac poſteriorem Areopagita fuiſſe: cujus vitam qui longiſſime protrahunt, ad Adriani usque tempora perveniſſe volunt, alii ſub Trajano, alii autem ſub Domitiano perfunctum martyrio ſcribunt. Vt vero hoc eludant argumentum Areopagitici, fabulas innumeras comminiſcuntur, veteres quotidie legendas, omnes vel plurimas, ab anonymis & incertæ ætatis, ejusque nuperæ authoribus, ab Eccleſiæ ſeculo nono & ſequentibus, conſcriptas producunt: quotque in Gallia noſtra Epiſcopatus habent, tot ipſi primos in iisdem collocant Epiſcopos, immediatos Apoſtolorum Diſcipulos, vel ſaltem a S. Clemente Romano Pontifice illuc miſſos. Ita Sixtum Remis, Creſcentem Viennæ, Memmium Catalauni, Sanctinum Verduni, Clementem Metis, Trophimum Arelate, Paulum Narbonæ, Martialem Lemovicibus, aliosque in aliis Eccleſiis plures imaginaria omnino diſtributione collocant. Sed fabulas ita plene iſtas omnes confutat Joannes Launoïus Conſtantienſis Presbyter & Theologus Pariſienſis, ut eas hic adtexere ſuperfluum omnino ſit. Multis autem contendit Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus* Diſſert. XV. p. 563. ad Sulpitii Severi fidem elevandam, nullamque ipſi fidem deberi allegat, quod in multis Hiſtoriæ capitibus erraſſe convincatur. Verum puerile iſtud argumentum eſt, locusque iſte communis contra ipſum Natalem Alexandrum maxime pugnaret: quem in multis *Selectorum Eccleſiaſtica Hiſtoria capitum* argumentis erraſſe ac deceptum fuiſſe nullus, nec ipſe quidem Alexander, negaverit. Vnde concludat neceſſe eſt, nullam ex hoc principio fidem, ſibi omnino vera etiam dicenti debitam: imo concluderet contra ſcriptores quoscunque ac cujuscunque generis, nullam jam fidem humanam ulli ſcriptorum deberi: cum ſcriptor nullus ſit, qui poſt omnem etiam adhibitam diligentiam, in aliquo non erraverit. Quod autem ibidem pag. 565. Paulum Oroſium ita interpretatur, ut Lib. 7. cap. 15. velit totidem in Gallia fuiſſe perſecutiones, quot fuerunt in Aſia, ante Marcum Aurelium: ludit forſitan aut ridet, vel indigitat, ſe fuiſſe olim Scholaſticum, & ex eo hominum genere, qui adverſa ſibi etiam omnia, ad ſuam ſemper hypotheſin interpretari poſſunt.

Secundo affirmat Gregorius Turonenſis Decio & Grato Conſulibus, Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum cum aliis ſex Epiſcopis in Galliam miſſum, idque authoritate Scriptoris paſſionis ſancti Saturnini Toloſani Epiſcopi probat. Gregorii hæc verba ſunt libro 1. *Hiſtoriæ Francorum* cap. 30. «Hujus temporibus (Decii ſcilicet Imperatoris) ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut Hiſtoria paſſionis ſancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim ſub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana civitas ſanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt, Turonis Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Toloſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Arvernis Stramonius Epiſcopus, Lemovicis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus. De his vero beatus Dionyſius Pariſiorum Epiſcopus, diverſis pro Chriſti nomine affectus pœnis, præſentem vitam gladio imminente finivit. Saturninus vero jam ſecurus de martyrio, dicit duobus Presbyteris ſuis: Ecce ego jam immolor & tempus meæ reſolutionis inſtat, rogo, ut usquedum debitum finem impleam, a vobis penitus non relinquar. Cumque comprehenſus ad Capitolium duceretur, relictus ab his ſolus attrahitur. Igitur cum ſe ab illis cerneret derelictum, oraſſe fertur: Domine Jeſu Chriſte, exaudi me de cœlo ſancto tuo, ut nunquam Eccleſia de his civibus mereatur habere Pontificem in æternum. Quod usque nunc in ipſa civitate, ita eveniſſe cognovimus. Hic vero tauri furentis veſtigiis alligatus, ac de Capitolio præcipitatus, vitam finivit. Gatianus vero, Trophimus, Stremoniusque, & Paulus atque Martialis, in ſumma ſanctitate viventes, poſt acqviſitos Eccleſiæ populos, ac fidem Chriſti per omnia dilatatam, felici confeſſione migrarunt. Et ſic tam iſti per martyrium, quam hi per confeſſionem relinquentes terras, in cœleſtibus pariter ſunt conjuncti.» Contra allatam hanc authoritatem multis ſe ipſum dilacerat verbis Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus*, ſeculo I. Diſſertatione citata XV. pag. 568. ad usque 573. Sed quod illam ullatenus infirmet aut obtundat, non video. Vult tamen pagina 570. hoc Gregorii Turonenſis teſtimonium eſſe contra Scripturam ſacram Marci cap. ult. verſ. ultimo, ubi legimus: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino coöperante & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis.* Vnde capo Natalis Alexandri mentem, ut ſcholaſtice loquamur: De fide eſt Galliam omnem, ipſos Apoſtolorum temporibus ad fidem eſſe eruditam ac converſam. Idemque juxta Scripturam dicendum de Germania, Dania, Suecia, Polonia; atque de omnibus totius terrarum orbis, adhuc etiam ignoti partibus, regnis & imperiis: quod ſane de fide eſſe, huc usque neſciveram.

Tertio idem probatur ex Vſuardi Monachi Sancti Germani Pariſienſis Martyrologio, quod in Eccleſia Romana & ubique Galliarum, olim unicum admiſſum eſt, atque ut martyrologium Romanum acceptum: ubi de duobus iſtis Dionyſiis quos expreſſe diverſis a ſe invicem diſtinguit

guit diebus. Ita ergo iſtud martyrologium tam impreſſum, quam ubique locorum in antiquis Galliarum Eccleſiis & Monaſteriis manuſcriptum, cujus plurima variis in bibliothecis exemplaria vidimus, *de Dionyſio Areopagita, Athenienſi Epiſcopo.* "Quinto nonas Octobris: „Athenis natales beati Dionyſii Epiſcopi & martyris, qui poſt clariſſimam confeſſionem fidei, „poſt graviſſima tormentorum genera, glorioſo martyrio coronatus eſt: ut teſtatur Ariſtides, vir fide ſapientiaque mirabilis, in eo opere, „quod de Chriſtiana religione compoſuit.„ *De Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo & martyre.* "Septimo „idus Octobris: Apud Pariſium natale Sanctorum martyrum Dionyſii Epiſcopi, Ruſtici „Presbyteri, & Eleutherii Diaconi; qui beatus „Epiſcopus a Pontifice Romano in Galliam „prædicandi gratia directus, ad præfatam urbem „devenit: ubi per aliquot annos commiſſum „ſibi opus fideliter proſequens, tandem a Præfecto Feſcennino una cum ſociis gladio animadverſus, martyrium complevit.„ Idem quoque Vſuardus Calendis Octobris, Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum Sancti Piatonis comitem facit ſub Maximiano paſſum, quem conſequenter a Dionyſio Athenienſi Epiſcopo diſtinguit. Sic autem Vſuardus. "Calendis „Octobris: Civitate Ternaco ſancti Piatonis „Presbyteri & martyris, qui cum ſancto Dionyſio Epiſcopo ejusque ſociis, ab urbe Roma Gal„liam prædicationis cauſa expetiit, ac poſtea „conſummato martyrio migravit ad Dominum.„ Multa contra iſtas authoritates Natalis Alexander pag. 574. ad paginam 590. ſed quæ ſcholaſticum ipſum diſputatorem, verboſumque magis probant, quam Colidum: quibus omnibus abunde ſatisfacit Joannes Launoïus, in opuſculo ſuo *de Duobus Dionyſiis.* Reſtant tantum rationes ejus ſolvendæ, quas ad novendecim usque magna pompa dilatat, quæque ita viris eruditis infirmæ viſæ ſunt, ut pleræque earum nullam reſponſionem mereantur. Quid enim quæſo, Romanum recens martyrologium, cui antiquiora & impreſſa & manuſcripta eadem, omnino oppoſita ſunt? quæ utrumque Dionyſium diſtingvunt. Quid authoritas S. Thomæ Aquinatis, quæ in hiſtoricis, quorum peregrinus atque hoſpes, prorſus fuit, modiciſſima ſemper extitit? Quid ſermones illi adſcripti, quorum falſitatem vel ſuppoſitionem infra probabimus, dum de ſcriptis illius diſputabimus? Quid authores illi omnes Hilduino fabulæ inventori coætanei vel poſteriores, qui fabulam ab eo inventam, absque diſcuſſione amplexi ſunt? Aſſerere talia, nugari eſt, Alexander, non ſcribere. Hæc idonea monialibus Montismartyrum, non literatis convenientia, nugamenta. De ſolis igitur authoritatibus ſeculum nonum antecedentibus, cæteris deſpectis, uti ad rem vel parum vel nihil conducentibus, dicendum nobis incumbit.

Objicit *primo* Acta S. Dionyſii a Visbio teſte illius martyrii oculato conſcripta, quæ vetuſtate pene conſumpta Hilduinus S. Dionyſii Abbas ab interitu vindicavit, in Areopagiticis ſuis, Ludovico Pio Galliarum Regi atque Imperatori oblatis. Acta autem illa teſtabantur Dionyſium Areopagitam a Paulo Apoſtolo Chriſtianam ad fidem converſum, a ſancto Clemente miſſum in Gallias, Pariſienſem fundaviſſe Eccleſiam, & ſanguine ſuo irrigaſſe, ut refert Hilduinus. Reſpondeo cum viris gravibus, Hilduinum hæc Acta confinxiſſe, ut celebritatem Monaſterio ſuo majorem fucata antiquitate conciliaret, & citra calumniam poſſe hoc dici. Conſtat enim ipſum fuiſſe hujus fabulæ ſeculo nono inventorem, veteris Eccleſiæ Pariſienſis traditionis perturbatorem: nec illa omnia quæ narrat Natalis Alexander, *Diſſertatione* XV. pag. 547. ad ejus excuſationem quicquam faciunt. Quid porro magis contra ſenſum communem, quam controverſum controverſis, & incertum incertioribus adhuc probare argumentis, ut hic Natalis Alexander facit? Nullam unquam in rerum natura exiſtentiam Visbius, niſi in phantaſia aut capite Hilduini habuit, ut eruditi omnes cenſent. Dum probaverit Alexander hanc Visbii phantaſtici operam, authoritate veterum Nomenclatorum, Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi, Hieronymi in libro *de Viris illuſtribus*, Gennadii vel Iſidori: tunc ſane argumentum valebit, quod quamdiu non fecerit, non ſcribere aut ratiocinari, ſed garrire eſt.

Objicit *ſecundo* vetuſtiſſimam S. Genovefæ vitam, quam illius author ſe compoſuiſſe *poſt annos ter ſenos* a præfatæ virginis obitu profitetur, quæ extat apud Surium ad diem 3. Januarii, tum in Codicibus MSS. S. Remigii, Remenſis, & SS. Cornelii & Cypriani Monaſterii Compendienſis: quæ aſſerit Sanctum Dionyſium in Gallias miſſum a S. Clemente Romano Pontifice. Porro qui hoc ævo miſſus eſt, alius præter Areopagitam eſſe non poteſt. Atque hæc vita ab iis mendis & erroribus immunis eſt, quos in Codice MS. bibliothecæ Victorinæ Joannes Launoïus notavit, & propter quos ipſam in falſi ſuſpicionem vocavit. Reſpondeo vitam hanc eſſe *Anonymam*, ac nullius proinde authoritatis & ponderis. Addo eam eſſe eandem cum altera, quam in ſuſpicionem juſtas ob cauſſas Launoïus in Diſſertatione *de Duobus Dionyſiis* cap. 18. pag. 188. vocavit. Hujus autem Hiſtoriæ ſcriptor tam ſtupidus & parum cautus fuit, ut qua pagina ſynchroniſmum cum Genovefa affectat, eadem & ſe impoſtorem inſignem prodat, Philippo Auguſto poſteriorem: *Ego vero*, inquit, *poſt ter ſenos ab obitu ejus annos, quo tempore ad ejus conſcribendam vitam animum appuli, in imo ampullæ oleum, quod illa orante creverat, vidi.* Et poſt pauca: *Humata eſt in Baſilica in monte ſita, juxta nova mœnia Pariſii.* At Philippus Auguſtus nova illa mœnia primus ædificari juſſit, ut coætaneus Rigordus ſcribit in vita hujus Regis ad annum 1211. *Anno eodem*, inquit, *Philippus*

Digitized by Goog

Rex magnanimus totum in circuitu ſepſit a parte auſtrali usque ad Sequanam fluvium, maximam terræ amplitudinem intra murorum ambitum concludens, & poſſeſſores agrorum & vinearum compellens, ut terras illas & vineas ad ædificandum in eis novas domos locarent: vel ipſimet novas domos ibidem habitatoribus conſtruerent, ut tota civitas usque ad muros plena domibus redderetur. Præterea idem impoſtor ſub Hiſtoriæ initium ſic habet: *Licet certum diem nativitatis ejus* (Genovefæ) *ignoremus, tamen conjicimus ex hiſtoriis veterum.* Itane hebes atque ignarus erat hic ſcriptor, ut qui poſt duodecim a morte Genovefæ annos ſcribebat, hujus virginis vitam, diem nativitatis ejus reſcire non poſſet? Denique quænam *Veterum Hiſtoria* poterant homini inſervire, qui beatæ Genovefæ coætaneus erat? Hæc ſane magnum arguunt impoſtorem, quæ proinde facere nihil poſſunt, in unius ejusdemque Dionyſii Areopagitæ ſimul atque Pariſienſis Epiſcopi gratiam.

Objicit *tertio* Hymnos duos, unum Fortunati Pictavienſis Epiſcopi in laudem S. Dionyſii editum, atque alterum Eugenii junioris Toletani Epiſcopi, qui anno circiter DCL floruit, longe ante Carolum Magnum & Hilduinum: cujus Eugenii meminit ſanctus Hildefonſus Toletanus etiam Antiſtes libro *de Viris illuſtribus*, ubi inter ejus Opera *Libellum carminum* recenſet. Reſpondet Joannes Launoïus, neutrum ex illis hymnis inter opera iſtorum Patrum inveniri, quamvis illa cum multis curis atque oculis, evulgata ſint a Patribus Societatis Jeſu, Chriſtophoro Brovero, & Jacobo Sirmondo: atque retrudendos eſſe hymnos illos in armarium Monachorum ſancti Dionyſii, unde non ante prodierunt, quam actorum ſuorum ſupinitatem in Eccleſiaſticis rebus Milletus prodiderit. Plura Launoïus Diſcuſſionis contra Milletum *de Duobus Dionyſiis* cap. 18. pag. 174. & ſequentibus, hos hymnos uti & Visbium ſupra, confictos eſſe ab Hilduino vel Monacho aliquo Dionyſiano contendens.

Objicit *quarto* S. Simeonem Metaphraſtem, quem ante Caroli magni tempora, ſub Heraclio ſcilicet Imperatore, vixiſſe vult, ut ex ipſomet (inquit) colligitur in Actis Sancti Alypii Cionitæ. Is autem in Actis Sancti Dionyſii, quæ ex antiquiſſimis & probatiſſimis monumentis deſcripſit, & quorum in ſacra Synodo Florentina plurimum authoritas valuit, hæc habet: *Cum multiplicare vellet talentum* (S. Dionyſius) *& ſequi Magiſtri ſui veſtigia, relictis Athenis ad Regiam urbem Romam pervenit, & ad Clementem accedit, qui tum Apoſtolicam obtinebat ſedem.* Et infra: *Equidem cum adventaſſet ad hanc Pariſinam urbem, eamque infidelitatis plenam inveniſſet &c.* Ad hanc objectionem reſpondeo, me ſatis non poſſe mirari Natalis Alexandri audaciam, qui Symeonis Metaphraſtæ ætatem, rem incertiſſimam, intrepidus aſſignat Imperatoris Heraclii temporibus, longe ante Carolum Magnum. Cum primum volumen *Selectorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitum*, anno 1676. Pariſiis apud viduam Joannis Dupuis ediderit: legiſſe potuit ac debuit prolixam quidem & eruditam Leonis Allatii *de Symeonum ſcriptis* Diatribam, quæ in 4. anno 1664. edita apud Symeonem Piget via Jacobæa ſub ſigno prudentiæ: cujus editionem unus e ſodalibus Alexandri Franciſcus Combefis procuravit, ſed ſtrictioris hujus Ordinis obſervantiæ, quem olim novimus. Ex lectione hujus Diatribæ didiciſſet, haud quaquam ab ipſo figi potuiſſe Metaphraſtæ ætatem ad tempora Heraclii: imo ex Collectaneo Legendarum ſub ejus nomine editarum, hunc ſcriptorem eſſe omnium ætatum, lectis attente Legendis, advertiſſet: ac ſpectaſſe eum ad ſecula omnia, 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Nam qui Legendas vel Homilias in Collectaneo Metaphraſtis inſertas accurate & ad oculum conſpexerit, quarum authores ſingularum Allatius pro viribus expendit & nominat: inveniet in Collectaneo iſto quod ſub *Metaphraſtis* nomine interdum, ſed *Anonymum* ut plurimum circumfertur in bibliothecis manuſcriptum: tum *Legendas* tum *Homilias*, quas ſpectare ad ſeculi etiam XIV. authores conſtat, ex aſſenſu ipſo Allatii. Hanc Diatribam occaſione Simeonis hujus Allatius inſtituit, ut certam illius expiſcaretur ætatem; quod an præſtiterit, incertum valde eſt. Cum enim in Collectaneo iſto Metaphraſteo, *Legenda* atque *Homilia* ſeu *Encomia* quæ certo ad ſeculi XIV. ſcriptores ſpectant, contineantur: illis poſteriorem fuiſſe *Metaphraſtem*, multi inde conjiciunt, qua de re poſtea diſputabitur. Atque hanc ob rationem Volaterranus (ut opinor) *Anthropologiæ* Lib. 19. pag. 707. ad annum 1300. Metaphraſtem detruſit. Qui majori fiducia ætatem illius ſtatuit, is Guillelmus Cavus eſt *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiaſticorum Seculo X. ad annum 901. pag. 573. demonſtrativis fixam illam ex Allatio argumentis arbitratus, qua de re cum Cavo poſtea diſputabimus, uter accuratius Allatium legerit. Interea dicam tantum, Diſſertationem Allatii non tam claram eſſe, ut poſteros convicerit: nam Stephanus Le Moine ætatem Metaphraſtis Seculo undecimo conſtanter aſſignat *Variorum Sacrorum* tom. 2. pag. 1082. Itaque quamcunque ex his amplexetur ſententiam Natalis Alexander, inde nihil aſſequetur in gratiam Dionyſii unius Areopagitæ, Athenienſis primum ac Pariſienſis Epiſcopi; cum ex Cavo etiam, poſt ſeculum Eccleſiæ nonum, imo poſt decimum Metaphraſtes vixerit.

Objicit *quinto* ex venerabili Beda in *Martyrologio* VII. Idus Octobris Sanctus Dionyſius dicitur miſſus Pariſios a ſancto Clemente, cujus hæc ſunt verba: "Apud Pariſium Natale Sanctorum martyrum Dionyſii Epiſcopi, Eleutherii Presbyteri, & Ruſtici Diaconi: qui beatus Epiſcopus a Pontifice Clemente Romano in Gallias directus, ut prædicationis operam populis a Chriſti fide alienis exhiberet, tandemque

„que ad Parisiorum civitatem devenit, & per annos aliquot sanctum opus fideliter & ardenter executus, a Præfecto Fescennino Sisinio „comprehensus, & cum eo sanctus Presbyter „Eleutherius, & Rusticus Diaconus; gladio „animadversi, martyrium compleverunt.„ Si autem (inquit) tempore Clementis Romani, Dionysius in Gallias venit: prædicationis illius epocha primo seculo figenda est, nec alius tunc præter Areopagitam, floruisse legitur. Respondeo, hic in promptu esse alteram Natalis Alexandri hallucinationem, eamque insignem. Quod enim hic allegat, non legitur in *Martyrologio* Bedæ, sed ipsum est Martyrologium Vsuardi interpolatum, ut comparanti utrumque constare potest. Atque interpolatores malæ fidei, vocem *Clementis* Romano Pontifici addiderunt, cum in ipso Vsuardi martyrologio *Clementis* nomen non legatur: quod ita illis placuit, ad fabulam suam utcunque stabiliendam. Habetur genuinum Bedæ martyrologium editum a Sociis Bollandi ante mensis Martii Legendas, adjunctis etiam quæ a Floro Lugdunensi Diacono factæ sunt interpolationibus, quod volvi ab Natali Alexandro, antequam hoc scriberet, debuit. Ibi hæc tantum ad diem 9. Octobris leguntur: *In Parisiis natale sanctorum martyrum Dionysii Episcopi, Rustici, & Eleutherii.* Itaque arguat me malæ fidei, injustumque sui correctorem, si illic ad 7. idus Octobris invenerit, quæ habet in Dissertatione XV *de sancto Dionysio Areopagita & Parisiensi Episcopo* pag. 553. & quæ allata a me superius sunt.

Objicit *sexto* Diploma Pipini Galliarum Regis, datum in gratiam Monachorum Sancti Dionysii, anno Regni ejus XVII. in quo hæc verba leguntur: *Dionysius & sæpe jam dictus Rusticus & Eleutherius, qui primi post Apostolos sub ordinatione beati Clementis, beati Petri successoris, in hanc Galliarum provinciam advenerunt.* Diploma istud extat in scriniis Abbatiæ S. Dionysii agri Parisiensis; nec confictum citra calumniam dici potest inquit Natalis Alexander. Verum Joannes Launoïus aliter *Discussionis Dionysiana* cap. 10. pag. 127. ubi exclamat, „O perpetuam ἀσυλλογιστίαν. Deinde has Litteras suspectæ esse fi„dei, duæ res merito faciunt: prima quod illas retulisset Hilduinus, si tunc in tabulario „sancti Dionysii extitissent. Altera, quod tabularium illud unde prodierunt, spuriarum „chartarum & privilegiorum officina quædam „fuerit. Vt constat legentibus antiquitates „sancti Dionysii Abbatiæ, quas Jacobus Dubletius in lucem emisit.„ Omittimus cætera, cum fateamur ingenue, communem fuisse fabulam de uno eodemque Dionysio Areopagita, Atheniensi, simul & Parisiensi postmodum Episcopo, ab Ecclesiæ seculo nono, quo per Hilduinum sparsa invaluit.

Ao. 89. CRESCENS ECCLESIARVM GALATIÆ EPISCOPVS a Sanctissimo Apostolo Paulo constitutus esse legitur circa annum 59. ut volunt post Eusebium L. 3. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 4. Cæsar Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum citatum, ejusque Epitomator Henricus Spondanus, ibidem num. 6. Magistrum Cardinalem secutus. Hunc annumerat inter *Scriptores Ecclesiasticos* S. Hieronymus in opere suo *de scriptoribus Ecclesiæ*, ejusque Græcus interpres Sophronius cap. 13. in quibusdam saltem exemplaribus Latinis ac Græcis, ex editione Erasmi. Cujus tamen Opera cum nominatim non censeantur, vel si quæ unquam fuerint, lapsu temporum interciderunt: inde nostri ratio instituti haud patiebatur, ut de isto Crescente scriptum illud excrescret: cum de solis authoribus quorum ad nos usque opuscula aliqua pervenerunt, agere constitutum fuerit, aliis omissis. Quia tamen singularis quidam difficultatis nodus est circa Crescentem hunc, quem Galatæ primum sibi vendicant Episcopum; nostrique etiam Galli promiscue usurpant, atque Viennensibus adscribunt: idcirco haud ingratum fore Lectori opinatus sum, si quæstionem hanc a me cum otio excussam, ab omni partium studio alienus, huic Collectaneo insererem. Etsi enim natali solo Gallus sim, unum tamen sincere dicam, me Galliam nunquam affectasse patriam, affectuque me omnium esse terrarum, solliusque veritatis studio, proscripta omni fabula, duci.

Itaque propositum mihi est, pensatis hinc inde rationibus, atque authoritatibus hac in re veterum sibi invicem adversantibus, exquirere quid juxta regulas rectæ rationis & æqui judicii, conveniat magis veritati: an Crescens, pro doctrina Gallorum nostrorum plurima sibi injuste adscribentium, fuerit Galliarum apud Viennenses Episcopus, ut plurimi eorum contendunt: an Episcopus Galatiæ Ecclesiarum? Amplexantur partem primam Petrus de Marca Tolosanus Archiepiscopus, in *Dissertatione singulari* quam ad Henricum Valesium Regium Historiographum scripsit, Lutetiæ Parisiorum anni 1658. nonis Septembris, suæque Eusebii Historiæ Ecclesiasticæ editioni præmisit Valesius anno 1659. apud Antonium Vitre Regis & Cleri Gallicani Typographum; Natalis Alexander in *Selectis Historia Ecclesiastica Capitibus* seculo I. Dissertatione XV. *de Prædicationis Evangelicæ in Galliis initio*, pag. 16. Contra vero stant Joannes Launoïus Gallus, Doctor Sorbonicus, multis in locis opusculorum suorum, ac maxime in eo *de duobus Dionysiis*. Cum quo censeo etiam Crescentem D. Pauli Discipulum ab ipso fuisse constitutum Galatiæ Ecclesiarum Episcopum, seu Galliæ Asiaticæ: nullatenus autem eundem adventasse in Gallias, vel fuisse Episcopum Viennensem, in Gallia nostra Europæana occidentali.

Probant illi *primo* conclusionem suam, maxime Natalis Alexander citatus, ex Eusebio Cæsariensi lib. 3. *Historiæ suæ* cap. 4. sed perperam.

Nos autem authoritate antiquiſſima & contemporanea Scripturæ ſacræ, nempe Divi Pauli, Epiſtola 2. ad Timotheum Cap. 4. verſ. 10. *Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.* Neque hæc tantum vulgata editio, ſed Græcus Textus, Κρίσκης εἰς Γαλατίαν, Τίτος εἰς Δαλματίαν. Cui lectioni conſentiunt univerſim omnes editiones tam vulgatæ, quam Græci Textus. Has inter, afferimus editionem Græcam Latinamque Novi Teſtamenti, quam procuravit anno 1516. Deſiderius Eraſmus Roterodamus, Calendis Februarii, dedicatam ſummo Pontifici Romano Leoni X. quamque approbavit & ratam habuit idem Pontifex, litteris ad Eraſmum ſcriptis, Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris, die X. Septembris anni 1518. Pontificatus ſui anno ſexto. Vbi teſtatur Eraſmus, *Cum viderem ſalutarem illam doctrinam longe purius ac vividius ex ipſis peti venis, ex ipſis hauriri fontibus, quam ex lacunis aut rivulis: Novum (ut vocant) Teſtamentum, univerſum ad Græca originis fidem recognovimus, idque non temere, neque levi opera, ſed adhibitis in conſilium compluribus utriuſque linguæ Codicibus, nec iis ſane quibuslibet, ſed vetuſtiſſimis ſimul atque emendatiſſimis.* Hæc Eraſmus. Alteram verſionem eſt aggreſſus ſuperiori ſeculo Benedictus Arias Montanus, Hiſpalenſis, nempe Veteris Teſtamenti ad Hebraicam & Novi ad Græcam fidem, quam typis in folio ſummo applauſu Antwerpiæ edidit anno 1584. apud Chriſtophorum Plantinum: atque illa editio legit, ut Eraſmus. Tertiam, 3. in folio voluminibus ad Græcam veritatem, vtriusque teſtamenti verſionem, procurante Joanne Morino Presbytero doctiſſimo Oratorii Domini noſtri JEſu Chriſti, procurarunt Pariſiis anno 1628. inſigniores Bibliopolæ quatuor Pariſienſes, Nicolaus Buon, Sebaſtianus Chapelet, Antonius Stephanus, & Claudius Sonnius: atque idem habent de Creſcente, in Epiſtola illa 2. S. Pauli ad Timotheum. Valet ſane iſta authoritas, imo prævalet Euſebio Cæſarienſi, quem pro nobis etiam ſtare & ſcribere, poſtea dicemus.

Probatur 2. authoritate Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 7. cap. 47. ubi dum loquuntur de Epiſcopis ab Apoſtolis ad varias orbis partes miſſis, vel ad ſedes remotas ordinatis, ſic inquiunt: *De Epiſcopis vero qui a nobis, dum viximus, ordinati ſunt, certiores vos facimus, hos eſſe Jacobum Epiſcopum Hieroſolymitanum, fratrem Domini, &c. Creſcentem Eccleſiarum Galatiæ, Aquilam &c.* ac quamvis Conſtitutiones iſtæ ab Apoſtolis proxime haud proceſſerint, ut apud eruditos hujus ſeculi Criticos jam conſtat: omnes attamen conveniunt, ſcriptas illas eſſe circa annum 350. ſeu ſeculi 4. medium, tantæque ipſas venerationis fuiſſe, ut illas Ruffinus Aquilejenſis Eccleſiæ Presbyter, ſub ſeculi V. initium e Græco idiomate in Latinum tranſtulerit: quod neminem doctorum latet. Imo & Petrus de Marca Toloſanus Archiepiſcopus lib. 3. *de Concordia Sacerdotii & Imperii* cap. 2. num. 2. cenſet cum plerisque doctioribus, authorem hunc Conſtitutionum Apoſtolicarum, floruiſſe ſeculo Eccleſiæ tertio: nimirum aliquanto poſt, Stephanum inter & Cyprianum atque Firmilianum Cæſareæ Cappadocum Epiſcopum, motas de Baptiſmo Hæreticorum controverſias.

Probatur 3. authoritate Euſebii Cæſarienſis Epiſcopi Lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cap. 4. quem tamen contra nos allegare audent, tum Petrus de Marca, tum Natalis Alexander locis citatis: ſed Natalis iſte, in ſingulari Diſſertatione *de Prædicationis Evangelicæ in Galliis initiis* pag. 16. his verbis. „Primo ex Euſebio L. b. 3. Hiſt. Eccleſ. Cap. 4. ſcribente: *Inter alios Pauli Diſcipulos Creſcens in Gallias ab ipſo miſſus dicitur:* quanquam enim Chriſtophorſoni verſio habeat *in Galatiam*, textus tamen Græcus habet ἐπὶ τὰς Γαλλίας, ut conſtat ex Codice MS. Euſebii, quæ extat in bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi, & ex aliis melioris notæ Codicibus, nec non ex Ruffino.„ Sic Natalis Alexander, qui ad marginem addit, *Ita etiam vertit Doctiſſimus Valeſius.* Sed pace Natalis Alexandri ſalva, textus Græcus Chriſtophorſoni habet εἰς τὴν Γαλατίαν, ac conſequenter Euſebius ſtat pro noſtra ſententia. Hoc ut probe clareque intelligatur, notandum eſt ex Henrico Valeſio in *Præfatione ad omnes illuſtriſſimos Eccleſiæ Gallicanæ Antiſtites* de nova Euſebianæ Hiſtoriæ editione, quam anno 1659. Pariſiis edidit, *Editiones Euſebianæ Hiſtoriæ duas tantum hactenus Græce prodiiſſe. Altera eſt Pariſienſis anno 1544. quam Robertus Stephanus excudit, vir de literis eo nomine optime meritus, quod corpus Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ elegantiſſimis typis primus publicavit. Altera eſt Genevenſis editio,* anni 1612. apud Petrum de la Rouiere. *Verum hac in Græco textu editionem illam Roberti Stephani ubique expreſſit, niſi quod varias lectiones & emendationes ad latus habet appoſitas ex Codicibus doctorum virorum; & lacunas aliquot quæ in libris de vita Conſtantini occurrunt, ex iisdem Codicibus ſupplevit. Proinde in una duntaxat Roberti Stephani editione mihi laborandum fuit.* Hæc Henricus Valeſius, notanda provide. Primam itaque editionem Græci Textus Euſebianæ hiſtoriæ edendam curavit, Henricus Stephanus Bibliopola Pariſienſis anno 1544. ex Manuſcriptis Codicibus Regiæ Galliarum bibliothecæ, ſed recentibus, ut poſtea conſtabit, ex ipſa confeſſione Henrici Valeſii, qui eisdem uſus eſt in editione ſua ejusdem Græcæ Hiſtoriæ. Hanc Stephani editionem haud ſatis accuratam animadvertens Joannes Chriſtophorſonus Ciceſtrenſis Epiſcopus, vir ſcientia linguæque Græcæ notitia clariſſimus, conquiſitis inſigni diligentia MSS. Codicibus, alteram circa annum 1559. Græcorum Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptorum potiſſimorum verſionem, atque ad MSS. collationem aggreſſus eſt, quæ tandem in folio anno 1612. Coloniæ Allobrogum apud Petrum de la Rouiere Græce ac Latine prodiit, longe accuratior antecedente Pariſina. Ita tamen ille modeſtiam cum eruditi-

eruditione ſuisque correctionibus temperavit, ut præcedentem Henrici Stephani lectionem Græcam reliquerit integram, ſuasque collationes & emendationes ad latus ſuæ verſionis cum numericis notis adjunxerit, ut erudite annotavit verbis citatis Henricus Valeſius, & oſcitanter non advertit Natalis Alexander. Si accurate vel tantillum editionem hanc Natalis Alexander inſpexiſſet, in frontiſpicio operis, Italicis legiſſet elementis: *Hiſtoria Eccleſiaſtica ſcriptores Graci &c. Græco-Latine nunc primum editi, ex interpretatione Joannis Chriſtophorſoni Angli, Ciceſtrenſis quondam Epiſcopi, & recognitione Suffridi Petri J. C. Clariſſimi, una cum variis lectionibus & additionibus Codicum, quibus hic interpres uſus eſt, ſuis locis inſertis: aliis item variis lectionibus ex doctiſſimorum noſtra ætatis virorum exemplaribus, AD ORAM CVIVSQVE PAGINÆ fideliter relatis: adeo ut quidquid ſive in dictionibus, ſive in ſententiis univerſæ Hiſtoriæ Græcæ obſcurum, depravatum, mancum atque imperfectum hactenus fuit, nunc illuſtratum, reſtitutum & omnibus ſuis numeris ac partibus abſolutum, adjecto rerum memorabilium indice locupletiſſimo, prodeat.* Verus itaque textus Editionis Chriſtophorſoni Græcus, tum ex Henrico Valeſio ſupra allato, tum ex frontiſpicio iſtius editionis, petendus eſt ex marginibus ſeu lateribus Chriſtophorſoni verſionem claudentibus, quod ignoravit Natalis Alexander. At Chriſtophorſonus habet Lib. 3. Hiſtoriæ Euſebii Cap. 4. pag. 53. *Ex cæteris Pauli comitibus & diſcipulis unum fuiſſe Creſcentem, quem in Galatiam profectum Paulus ipſe teſtatur:* tum contradicens textui Græco quem Henricus Stephanus habet, ſubjungit ad marginem ἐπὶ τὴν Γαλατίαν. Non tantum igitur verſio Chriſtophorſoni, ſed ejus etiam textus Græcus, habet *in Galatiam*: atque ita Euſebius in ſententiæ noſtro gratiam loquitur.

Sed videamus an felicior ille fuerit, dum ſcribit: *Quanquam enim Chriſtophorſoni verſio habeat* in Galatiam, *tamen textus Græcus habet* ἐπὶ τῆς Γαλλίας, *ut conſtat ex Codice MS. Euſebii qui extat in Bibliotheca Regia Chriſtianiſſimi, & ex aliis melioris notæ Codicibus, nec non ex Ruffino.* Nullus ſane melius noſcere potuit, quantæ authoritatis, quantæque antiquitatis, fuerint MSS. Codices Regii, quam Henricus Valeſius, qui illis uſus eſt in ſua editione *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Euſebii, anno 1659. procurata. Atque illorum etiam duobus tantum, quia plures tunc in ea non extabant, uſus eſt anno 1544. Henricus Stephanus, ad editionem ſuam Græcam primum evulgandam, ut teſtatur idem Valeſius. Atqui Valeſius ipſe in præfatione ad editionem *Euſebianæ Hiſtoriæ*, ingenue fatetur MSS. Codices Regios quibus eſt uſus, fuiſſe haud ſatis antiquos. *Textum quidem cum quatuor Manuſcriptis optime notæ Codicibus, quanta potui diligentia collatum, multis locis reſtitui.* Tum ſubdit de illorum ætate. *Horum quatuor Codicum duos nobis ſubminiſtravit Bibliotheca Regia. Prior Franciſci primi præfert inſignia, ante quadringentos plus minus annos ſcriptus in charta bombycina, & ſingulares interdum exhibet lectiones, multumque a reliquis Codicibus diſcrepantes. Hic eſt quem in Annotationibus Regium Codicem nominavi. Alter eſt ex Bibliotheca Medicæa, quæ nunc in Regiam translata, uno eodemque regia bibliotheca vocabulo cenſetur. Hic ad diſtinctionem prioris illius Codicis, Medicæum Codex in Adnotationibus noſtris appellatur. Qui licet paulo recentior ſit, ex optimo tamen exemplari & ab erudita manu deſcriptus eſt. Duobus his exemplaribus uſus erat Robertus Stephanus in Euſebiana Hiſtoriæ Editione. Et in ipſo quidem textu excudendo, regium exemplar fere ubique ſecutus eſt, raroque admodum ab ejus diſcedit veſtigiis, ſicut in meis Adnotationibus obſervavi. In Capitum autem diſtinctione, Medicæum Codicem expreſſit, in quo tituli ſingulis capitibus, & quidem miniatis literis præfiguntur. Tertius his acceſſit Codex Eminentiſſimi Cardinalis Julii Mazarini. De cujus Exemplaris bonitate ac præſtantia antequam dicam, res poſtulat &c.* Tum longe poſtea ſubdit ſed cum dubio: *Tertius igitur ille Codex, quem Cardinalis Eminentiſſimi bibliotheca nobis ſuppeditavit, omnium quos vidi Euſebianorum Codicum longe optimus eſt, ac veteriſſimus &c. Scriptus eſt in membranis ante ſeptingentos plus minus annos, elegantiſſime &c.* ſed quem ille 700. vel circiter annorum vocat, vix Critici 600. annorum opinantur, quos ex viſu non ipſe ego concederem. Vix ergo unum Codicem ſexcentorum annorum habuit Henricus Valeſius, quo ſuam Græci textus Euſebianæ Hiſtoriæ editionem promoveret, alterum 400. annorum, alios duos recentiores, atque illos eosdem quibus uſus fuerat ante eum Henricus Stephanus. Vnde mirum non eſt ſi non obſtantibus iſtis quatuor MSS. Codicibus occaſione hujus quæſtionis, quam movemus atque expendimus, dignam ingenuitate Valeſiana protulerit ſententiam, ac contra Natalem Alexandrum, ſuosque MSS. Codices dixerit, *Annotationibus ſuis* ad librum 3. cap. 4. pag. 44. *Verior tamen eſt altera lectio* εἰς τὴν Γαλατίαν, *quam confirmat Clemens in Conſtitutionibus Apoſtolicis*, Chriſtophorſonum in textu Græco & MSS. Codicibus ſecutus. Agit itaque perperam Alexander, dum pro ſe allegat MSS. Codices quos antiquiſſimos appellat, qui vere recentes ſunt, nec idonei ut contra veterum authoritatem pronuncient.

Quod addit *de Ruffino* ad ſententiæ ſuæ patrocinium, mihi riſum movet. Habet enim hoc privilegium Natalis Alexander, ut omnem ferme authorem a ſe ſæpius allegatum, in utramque partem verſipellis admittat, pro ratione concluſionum vel argumentorum quæ amplectitur. Vnde qui apud Alexandrum hodie egregius author audit atque inſignis, ob commodum hodierni argumenti quod tractat Alexander, cuique is author favet: idem ſi adverſetur heſterno Natalis Alexandri argumento tractando, abjectus nulliusque ponderis habebitur:

bitur: cum quisque ſcriptor eatenus tantum valeat, quantum promovendis ejus concluſionibus conducit. Sed a theſi ad hypotheſin veniamus. Hoc de Ruffino ingenue fatetur Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, non tantum in *Ruffino*, ſed etiam in *Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo*, ubi de interpretatione hujus hiſtoriæ loquitur, ad annum 326. *Cæterum Ruffinus non ad verbum vertit, ſed aliqua addidit, aliqua detraxit. Hanc Hiſtoriam Gelaſius inter apocryphos libros retulit, fortaſſe ob nimias laudes Origenis.* Nihil ergo juvat fidem Textus Euſebiani verſio Latina Ruffini, quam mutilatam, auctam, mutatamque, Robertus Bellarminus, vir judicii acerrimi cenſet: quod in omnibus ſuis feciſſe translationibus Ruffinum, nullus eruditorum hujus ſeculi ignorat. Hujusce infidelitatis Ruffinianæ nullum teſtem alium quam Natalem Alexandrum volumus, qui dum loquitur in Selectis ſuis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus *de Scriptis Adamantii Origenis*, a Ruffino ut plurimum verſis in latinum, magnæ illum arguit in demutando, truncando atque gloſſando, nonnunquam libertatis, (ne dicam audaciæ.) Nihil ergo ex Ruffini verſione hauriri poteſt, in gratiam Creſcentis, ad Gallias Occidentales noſtras advenientis.

Denique quod in opinionis ſuæ tutelam ad marginem ſubjicit; *Ita etiam vertit Doctiſſimus Valeſius:* monachalem Natalis Alexandri, hoc eſt, malam fidem arguit: quam paucis his oſtendimus. Henricus Valeſius natione Gallus, quamvis Cleri Gallicani ſcriptor eſſet ſtipendiarius, quamvis editionem ſuam hiſtoriæ Euſebii Eccleſiaſticæ ad quatuor Manuſcriptos Codices Galliarum expreſſerit, quamvis hanc editionem ſuam Illuſtriſſimis Eccleſiæ ſuæ Gallicanæ Antiſtibus anno 1659. dedicaverit: quamvis illi celeberrimam Petri de Marca Toloſani Archiepiſcopi Diſſertationem, *de primis Gallicarum fidei ſeminibus* ſibi miſſam, pompatica oſtentatione præmiſerit. His tamen omnibus atque ſingulis, ſigillatim conſideratione dignis, non obſtantibus, ita ſententiam ſuam in Notis ad libri 3. Cap. 4. pag. 44. concludit: *Verior tamen eſt altera Lectio εἰς τὴν Γαλατίαν, quam confirmat Clemens in Conſtitutionibus Apoſtolicis.* Quid apertius contra Alexandrum, quid clarius? Nec dubium mihi, quin textum quem reliquit eo loci, reformaſſet: niſi timuiſſet ex parte Cleri Gallicani nubem aliquam indignationis, vel aliud infortunium, annuæ nimirum penſionis ablationem vel imminutionem.

Probatur 4. Concluſio noſtra ex Ambroſiaſtro, ſeu authore illo Anonymo, quem Hilarium, S. Romanæ Eccleſiæ Diaconum volunt. Florebat ille circa annum 382, ſub Damaſo Papa, ut ipſe teſtatur in Commentario ſuo ad Epiſtolas S. Pauli, quem habes vulgo impreſſum ad calcem operum S. Ambroſii. Hic autem dum commentatur in ſancti Pauli hanc Epiſtolam 2. ad Timotheum, legit Cap. 4. verſ. 10. *Creſcens in Galatiam, Titus in Dalmatiam.* Atque hoc etiam modo legit hunc locum S. Joannes Chryſoſtomus in Epiſtolas Pauli, dum in locum Apoſtoli commentatur. De quibus quinque Authoritatibus, vix a quoquam æque ambigi poſſe, mihi perſvaſum eſt: unde diluendæ tantummodo objectiones reſtant, quas paucis ad prolixitatem evitandam complectemur.

Opponunt *primum* Adverſarii S. Epiphanium hæreſi LI. de Sancto Luca ita ſcribentem: *Huic igitur prædicandi Evangelii munus creditum eſt, quod ipſe primum in Dalmatia, in Gallia, in Italia, & in Macedonia præſtitit: ſed in Gallia pra cæteris, ut de nonnullis comitibus ſuis Paulus in Epiſtolis teſtatur: Creſcens, inquit, in Gallia; non enim in Galatia legendum eſt, ut quibusdam immerito placuit, ſed in Gallia.* Idemque probatur ex Theodoreto in Cap. 4. Epiſtolæ 2. ad Timotheum, ubi inquit: *Creſcens in Galatiam, Gallias enim, inquit, ſic appellavit: ita enim appellabantur antiquitus. Ita enim eos nunc nominant, qui ſunt externa doctrinæ participes.* Huic vero conſentiens eſt Ammianus Marcellinus lib. 15, cum de Gallorum origine agens, teſtatur eos Græco ſermone dictos eſſe Galatas, quod & alii pariter affirmant. Porro Galli & Galatæ, ſicut nomine, ſic re conjuncti fuerunt. Galatæ ſiquidem originem a Gallis duxerunt, quando iſti ſub Brenno Duce, Græciam, Thracias, & Minorem Aſiam devaſtantes, provincias complures ſibi tributarias reddiderunt: pars vero ipſorum in ea Minoris Aſiæ regione ſedem fixerunt, quæ ab eisdem poſtea *Galatia*, ſive etiam *Gallogræcia* denominationem accepit: ut pluribus docent Juſtinus Hiſtoricus Lib. 24. 25. S. Hieronymus, præfatione lib. 2. Commentariorum in Epiſtolam ad Galatas. Suidas, verbo *Galata*, & alii. Ad objectionem hanc reſpondemus, fatemurque tam Epiphanium quam Theodoretum, utrumque celebrem ſcriptorem, ſtare contra nos: ſed quid illi ad Joannem Chryſoſtomum? Quid ad Scripturam ſacram, quæ ubivis impreſſorum & Manuſcriptorum Codicum, legit εἰς τὴν Γαλατίαν? quidquid in contrarium dixerit S. Epiphanius. Quid denique illi ad Conſtitutiones Apoſtolicas, ad legitimum Euſebii textum, & ad Ambroſiaſtrum? qui omnes ante Theodoretum vixerunt, ſcripſeruntque.

Opponunt *ſecundo* tam ex Hieronymo in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quam ex ejus interprete Sophronio ibidem, *Creſcens in Gallia Evangelium prædicavit.* Itemque Chronicon Alexandrinum Olympiade 220 inquit: *Creſcens promulgato Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti in Gallia, ſub Nerone mortuus, ibique ſepultus eſt.* Sed Reſponſio ad authoritates iſtas facilis eſt, ex his quæ antea diximus, Galatiam nempe *Gallias* a Scriptoribus priſcis appellatam eſſe. Itaque loquuntur illi de Gallis Aſiaticis ſeu Galatia, non de Occidentalibus Europæanis noſtris, quas Franci hodie poſſident; unde ſua expreſſione haud

haudquaquam ſententiæ noſtræ adverſantur. Hæc confirmatur reſponſio, quia ubi mortuus eſt Creſcens, ibi Evangelium ab iſtis Scriptoribus prædicaſſe cenſendus eſt. Atqui mortuus eſſe dicitur in Galatia & non in Galliis noſtris, ut conſtat ex Martyrologio Romano ad diem 27. Junii, atque ex aliis omnibus Martyrologiis, ſub nominibus Bedæ, Vſuardi & etiam ipſius Adonis, ut infra patebit. Ibidem igitur ab iſtis authoribus prædicaſſe dicendus eſt, quod & innuit Baronius *in Notis* ſuis ad Martyrologium Romanum.

Objiciunt *tertio* Adonem Viennenſem Epiſcopum in Galliis, cui alte notus erat Eccleſiæ ſuæ cenſus & origo, ſic habentem in ſuo Martyrologio ad 5. Calendas Julii. *Apud Galatiam B. Creſcentis, Diſcipuli S. Pauli Apoſtoli, qui ad Gallias tranſitum faciens, verbo prædicationis multos ad Chriſti fidem convertit. Vienna, Civitate Galliarum per aliquot annos ſedit, ibique Zachariam Diſcipulum poſt ſe Epiſcopum ordinavit. Rediens vero ad gentem, cui ſpecialiter fuerat Epiſcopus datus, Galatas uſque ad beatum finem vitæ ſuæ, in opere Domini confortavit.* Eademque fere habent Martyrologium Romanum & Vſuardi.

Reſpondeo, has authoritates magis facere contra adverſarios, quam pro ipſis: cum enim dicant illæ mortuum eſſe S. Creſcentem in Galatia, ibi inſinuant & Epiſcopum permanſiſſe, atque ex errore & affectatione, *Galliæ* pro Galatia, in plerisque locis ſubſtitutas eſſe. Præterea cum Martyrologia hæc omnia ſeculum Eccleſiæ nonum antiquitate ſua haud excedant, ut apud Eruditos omnes conſtat, illorum authoritas inſufficiens eſt ad ſtabiliendas res tam ab iſtis temporibus remotas. Denique nullus jam neſcit, quam cæco zelo apud Galliarum noſtrarum Antiſtites atque Abbates, ſeculo nono actum ſit: ut phantaſticas quisque pro ſuo cerebello antiquitates Eccleſiæ ſuæ affingeret, quibus illis ampliorem nominis famam Jurisdictionisque prærogativam compararent. Hoc potiſſimum ſeculo Dionyſius Areopagita obſtetricante Hilduino, Pariſienſi Eccleſiæ natus eſt: hoc ſeculo Abbas alter Benedictinus, Glannafolii Abbas nomine Odo, ut Abbatiæ quoque ſuæ majorem compararet ex Abbate primo tamam, finxit Maurum D. Benedicti diſcipulum veniſſe in Gallias, atque Glannafolii Cœnobii fuiſſe primum Abbatem. Hoc denique ſeculo & Creſcens ab Adone Viennenſis primus Epiſcopus zelo iſto præpoſtero conflatus eſt. Hæ ſi mercimoniæ Natali Alexandro arrideant, ſi ſeipſum illuſtrari putet novis iſtis argumentandi rationibus: per me lubet ipſis ditescat, evadatque invincibilis Philoſophus.

Agunt de ſancto Creſcente Veteres Euſebius atque Hieronymus, locis citatis. Ex recentioribus autem, Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis* ad annos 57. & 110. Ejusque Epitomator Spondanus iisdem annis. Idem Baronius in Notis ad *Martyrologium Romanum*, ad diem 27. Junii. Fratres Sammarthani tomo I. *Gallia Chriſtiana*, in Archiepiſcopis Viennenſibus: plurimique, quos hic recenſere ſupervacaneum, lectoribusque ingratum eſſet.

MARTIALIS LEMOVICENSIS EPISCOPVS in Gallia, cujus primus (quod ſciam) mentionem fecit Gregorius Turonenſis *Hiſtoria Francorum* lib. I. cap. 30. ex Saturnini Toloſani Epiſcopi Paſſionis hiſtoria: quem nonniſi ſub Decii Conſulatu & Imperio, hoc eſt anno Chriſti 254. in Galliam miſſum & ad Lemovicenſum Epiſcopatum deſtinatum fuiſſe ſcribit. Juxta vero mythologicas Gallicanarum Eccleſiarum antiquitates, Martialis una cum S. Petro ex Oriente (ut volunt) Romam venit, indeque in Gallias ab eo dirigitur, ubi multis ubique clarus miraculis, Lemovicenſibus populis cum finitimis ad Chriſti fidem converſis, obiit anno 74. ut ex actis ab Aureliano conſcriptis liquet. Vult quoque fabuloſa illa traditio, Martialem fuiſſe Parvulum illum quem Chriſtus amplexatus Apoſtolis oſtendit Matth. 18. v. 2. inquiens, *Niſi efficiemini ſicut parvulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum.* Ita enim ex Anſelmo, Thoma Aquinate, & Nicolao Lyrano refert Barradius *Harmoniæ Evangelicæ* lib. 10. cap. 33. pag. 788. Licet reluctentur Eccleſiæ Latinæ hac in parte Græci, qui S. Ignatio Antiocheno Epiſcopo id adſcribunt ex multis ſuis authoribus, de quibus Dallæus in Opere *de Libris ſuppoſit. Dionyſio Areopagita & Ignatio Antiocheno* Lib. 2. cap. 21. pag. 379. Quidquid ſit de his commentis, ſcripſiſſe dicitur Martialis *duas Epiſtolas*, quarum una inſcribitur: *Martialis Apoſtoli & Lemovicenſium Epiſcopi ad Burdegalenſes Epiſtola*, cum altera ejusdem tituli, *ad Toloſanos.* Cum ad Gallos ſpectent, nihil mirum prodiiſſe primum in Gallia ipſas, anno 1521. Pariſiis apud Judocum Badium Aſconſium, unde poſtea merces hæ pretioſiſſimæ admixtæ ſunt Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis Pariſienſis annorum 1575. & 1589. atque aliarum omnium. Jungenda his altera Helmenſtadii facta anno 1614. opera & ſtudio Elmenhorſtii, cum Catalogo *Virorum illuſtrium* Gennadii Maſſilienſis Presbyteri. Anno autem circiter 1060. utramque illam Epiſtolam fauſto omine primum inventam fuiſſe maximo Gallicanæ Antiquitatis lucro, notandum eſt: iis temporibus quibus Henrico Francorum Rege defuncto, Philippus primogenitus ejus filius regnabat, utramque in quodam tumulo in Sacrario beati Petri, ubi olim ſepulcra Lemovicenſium Antiſtitum fuerant: ſicut narrat qui centum poſt annis vivebat, Gaufridus Voſienſis Prior in Chronico Voſienſi, quod Labbeus edidit tomo 2. *Novæ Bibliothecæ Manuſcriptorum* Librorum pag. 288. Hic tamen pag. 298. rejicere illarum inventionem poſt annum 1100. videtur, quando Philippus jam ſenior filio Ludovico regnum tradidit, qui bellis gerendis fortiſſimus extitit.

Ita inconſtans eſt quoad Epiſtolarum iſtarum miraculoſam inventionem, Gaufridus Voſienſis Prior, fabulæ non minimum argumentum. Tardius longe fuiſſe inventas credendum eſſet, ſi Sixto Senenſi fides haberetur, qui lib. 2. *Bibliotheca Sanctæ* verbo *Cephas* pag. 49. quem eundem cum Martiale Lemovicenſi Epiſcopo acputativo Galliarum Apoſtolo credidit, ſuis vult inventas eſſe temporibus. "Hic fertur eſſe au"thor duarum Epiſtolarum, quæ nuper Domi"no revelante, repertæ ſunt in Sacrario Baſilicæ "ſancti Petri in urbe Lemovica, ubi hactenus "latuerant, defoſſæ in arca ſaxea ſub terra, quæ "præ nimia vetuſtate, vix legi poterant. Ha"rum una eſt ad Burdegalenſes, altera ad Tolo"ſanos, utraque venerandæ antiquitatis pieta"tem redolens." Deſcripſit absque dubio verba hæc Sixtus Senenſis ex illo qui primus Epiſtolas iſtas edidit, *Gaufrido Voſienſi citato*, Pariſiis anno 1521. apud Aſcenſium. Quæ verba cæcus cæcum ſequens, pariter tranſcripſit ſuisque temporibus errore altero aptavit Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Martialis* pag. 73. quem irridet merito Labbeus tom. 2. Diſſertationis Hiſtoricæ *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus recenſuit, verbo *Martialis Lemovicenſis Epiſcopus* pag. 59. Jam quæſtio eſt utrum germanæ illæ ſint?

Maximum fuiſſe impoſtorem, eum qui primus eas obtulit, ob has rationes cenſeo, varias ac validiſſimas. *Primum* enim harum Epiſtolarum author ſe vixiſſe cum Chriſto dicit, antequam crucifigeretur. Martialis autem primus Lemovicenſis Epiſcopus, ad eam urbem anno 254. miſſus eſt Decio Auguſto & Grato Conſulibus, quod teſtatur Gregorius Turonenſis Epiſcopus Lib. 1. *Hiſtoriæ Francorum* cap. 30. "Hujus tempore (Decii ſcilicet Imperatoris) ſe"ptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in "Gallias miſſi ſunt, ſicut Hiſtoria paſſionis Sancti "Martyris Saturnini denarrat. Ait enim ſub "Decio & Grato Conſulibus ſicut fideli recorda"tione tenetur, primum ac ſummum Toloſana "civitas ſanctum Saturninum habere cœperat "Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt, Turonicis "Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus "Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Tolo"ſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius "Epiſcopus, Arvernis Stremonius Epiſcopus, "Lemovicis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus. Quare neceſſe eſt vel Martialem vixiſſe ferme 240. annos, vel titulum Epiſtolarum qui authorem præfert Martialem Epiſcopum, eſſe falſum, & Epiſtolas eſſe ſuppoſitas: quod veriſſimum eſt. *Secundo* in Epiſtola ſecunda cap. 8. ſcribit author baptizatum a ſe fuiſſe Stephanum Regem, & quemdam alium Tyrannum cum Satrapis ſuis. atqui tempore Apoſtolorum vel etiam Decii Imperatoris, imo ſeculorum quatuor Eccleſiæ priorum temporibus, Gallia non habuit ullos reges, quæ Imperio Romano ſubjecta fuit. Teſtantur enim omnes Hiſtorici, primum expulſis Romanis, Regem in Gallia fuiſſe *Clodionem* Faramundi filium, poſt annum Chriſti 400. *Comatum* dictum. Ita Gregorius Turonenſis Lib. 2. *Hiſtoria Francorum* cap. 9. qui eum *Clogionem* vocat. Ado Viennenſis, Aimoinus, Abbas Vrſpergenſis, Paulus Emilius, & omnes Galli Hiſtorici, nemine reclamante. *Tertio* idem author ibidem dicit, *Templa idolorum everſa fuiſſe, & Eccleſias ædificatas authoritate regia ipſo ſuo tempore*: quæ manifeſte falſa, certoque pugnant cum hiſtoriis Gregorii Turonenſis, Adonis Viennenſis & aliorum. *Quarto* in eadem Epiſtola cap. 9. citantur verba Scripturæ ex Geneſi ſecundum ſancti Hieronymi verſionem, quod etiam in utraque epiſtola paſſim cernitur. Id autem impoſtoris apertiſſimum eſt ſignum, atque hominis in impoſitione ſua imprudentis, qui poſt Hieronymum vel ſeculo duntaxat Eccleſiæ quinto ſcribere poterat. *Quinto* in eadem Epiſtola ad *Toloſanos* cap. 13. hic author ſcribit, præſentem cum aliis diſcipulis ſe fuiſſe, quando Judæ proditori Chriſtus oſculum dedit, *Nobis*, inquiens, *Trementibus & intuentibus*. Repugnat autem iſtud Evangelio, ſiquidem Marcus cap. 14. v. 43. & Lucas cap. 22. v. 47. & Matthæus cap. 26. v. 47. dicunt Chriſtum Apoſtolos duntaxat duodecim in ultima cœna habuiſſe, & cum eis paſcha celebraſſe: nec ſeptuaginta Diſcipulos aut ex cœtu illorum aliquem ibi adfuiſſe, usquam commemorant. *Sexto* in eadem Epiſtola cap. 8. dicit Valerium quandam in ipſa Gallia martyrio coronatum. Id autem repugnat Severo Sulpitio Lib. 2. *Hiſtoria Sacra* & Gregorio Turonenſi *Hiſtoria Francorum* lib. 1. cap. 28. qui ſcribunt temporibus Marci Antonini primum intra Gallias martyria viſa. Hæ Bellarmini rationes quæ validiſſimæ ſunt.

Septimo author iſtarum Epiſtolarum ſibi nomen Cephæ tribuit: atqui Apoſtolorum ac Diſcipulorum nemo unquam, illud nomen cum Sancto Petro Apoſtolorum principe, commune habuit. Cujus rei teſtis eſt S. Hieronymus Lib. 1. Commentariorum in Epiſtolam ad Galatas ad cap. 2. inquiens. *Sunt qui Cephan, cui hic in faciem Paulus reſtitiſſe ſe ſcribit, non putent Apoſtolum Petrum, ſed alium ex 70. Diſcipulis iſto vocabulo nuncupatum: quibus primum reſpondendum eſt, alterius neſcio cujus Cephæ neſcire nos nomen, niſi ejus qui & in Evangelio, & in aliis Pauli Epiſtolis, & in hac quoque ipſa, modo Cephas, modo Petrus ſcribitur. Non quod aliud ſignificaret Petrus, aliud Cephas: ſed quod, quem nos Latine & Græce petram vocamus, hanc Hebræi & Syri, propter linguæ vicinitatem, Cephan nuncupent.* Hic ſcriptor *octavo* ſe Apoſtolum Chriſti nominat, quem titulum verus Martialis ſibi nunquam arrogaſſet, cum Diſcipulum ſe Chriſti tantum noſceret. Verum inde opinor optime colligimus, impoſtorem atque harum Epiſtolarum falſarium, adulterina hæc opuſcula ſcripſiſſe tantum, poſt annum 1031. Cum enim anno iſto, tam in Concilio Bituricenſi quam Lemovicenſi, exiguo conatu

natu atque infantili inſtigantibus Monachis Lemovicenſibus *ut Apoſtolus vocaretur Martialis*, ab Epiſcopis nonnullis Gallicanis deſudatum fuiſſet: ſolenne illis de re iſta Decretum factum eſt, ad quod alludit hic figulus ſeu impoſtor Epiſtolarum iſtarum. Vnde probabile valde eſt has Epiſtolas ab eo, vel inſtigante ſaltem eo inventas, qui ipſas ſcripſerat, atque in hanc arcam ſaxeam ante aliquot annos, ad fraudem & tragœdiam poſtea concinnandam, ſecreto ſeu clanculum incluſerat. Idque, ut Decretum de Apoſtolatu S. Martialis in Conciliis duobus Gallicis jam factum, cœleſti miraculo, ſtupendaque ejusmodi Epiſtolarum inventione confirmaretur. Nec enim monachalis pietas fraudibus parcere novit, quas cœlitibus acceptabiles opinatur. *Nono* imitatur hic author Symbolum Athanaſii nomine editum cap. 10. ubi Spiritus Sancti proceſſionem paribus exprimit verbis: *Itaque Spiritus Domini non genitus, non factus, non creatus, ſed procedens eſt a Patre & Verbo.* Eſt ergo iſte Martialis S. Athanaſio poſterior, neque proinde Apoſtolus Chriſti, vel ex ſeptuaginta Diſcipulis. Imo cum Symbolum iſtud Athanaſii nomine editum, vix ante ætatem Hincmari Remenſis Archiepiſcopi, qui ſeculo IX. florebat, auditum fuerit: recte hinc colligimus, harum Epiſtolarum figulum atque impoſtorem, eſſe ſeculo IX. poſteriorem: quin & ſeculo XI. ut ſupra jam diximus, quo Apoſtolatum S. Martiali Lemovicenſi Epiſcopo, Gallicani Epiſcopi in Concilio Lemovicenſi ſanxerunt. *Decimo* Epiſtolæ iſtæ a Scriptorum Eccleſiaſticorum nullo, ſive primis Chriſtiani nominis ſeculis, ſive media ætate illius floruerint, usquam laudatæ vel auditæ ſunt: ante Gaufridi Voſienſis chronicon, cujus temporibus myſterioſa ſeu ſcenica iſta inventio, quam ſupra attigimus, accidit.

Quæres utrum Martialis ille Lemovicenſis Epiſcopus fuerit Apoſtolorum diſcipulus, ac temporibus Apoſtolicis floruerit? Ita quidem cenſent Galli Lemovicenſes, cum ſimplicibus Galliarum vetulis ac monachis, quorum traditionem tuetur Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus* Seculo I. Diſſertatione XV. pag. 16. his aureis planeque pretioſis ductus authoritatibus. «De ſancto Martiali, «quod ſcilicet primo ſeculo Lemovicas venerit, «ibique Evangelium prædicaverit, atque inſti«tuerit Eccleſiam. Probatur *primo* ex tabula«riis & officiis ſacris Eccleſiæ Lemovicenſis. 2. «ex Synodo Lemovicenſi anni 1032. in qua Jor«danus Epiſcopus S. Martialem Apoſtolum vo«candum eſſe, & in Litaniis, Apoſtolorum in «ordine collocandum oſtendit, prolata in hanc «rem Joannis XX. Pontificis Maximi Epiſtola, «qua redarguebat omnes, qui S. Martialem ex «albo Apoſtolorum expungendum eſſe conten«debant. 3. ex altera Synodo Lemovicenſi an«no 1029. in qua Sanctum Martialem unum fuiſ«ſe ex 72. Diſcipulis probatum eſt, authoritate S. Simeonis incluſi, & ſocii ejus Coſmæ, monachorum montis Sinai. 4. ex Innocentio III. Extrav. *de ſacra unctione*, ubi meminit miraculi, quo S. Martialis, admotione baculi ſibi a ſancto Petro traditi, mortuum ſuſcitavit. 5. ex Petro Bleſenſi, ſerm. 3. *de ſancto Nicolao*. 6. ex Orderico Vitali Lib. 2. *Hiſtoria Eccleſiaſtica*. 7. & ex veteri Martyrologio MS. Bibliothecæ Corbeienſis, in quo hæc habentur pridie Calendas Julii: *Lemovicis S. Martialis Epiſcopi, qui Romæ a beatis Apoſtolis ordinatus, primus illius urbis deſtinatus eſt Epiſcopus, ubi multis claruit miraculis, quievit in pace.* 8. ex alio veteri Martyrologio S. Savini de Levitania ordinis Benedictini, in agro Tarbellorum, quod ſancti Martialis meminit his verbis die 30. Junii: *In Gallia civitate Lemovica, depoſitio Martialis Epiſcopi & confeſſoris, qui a beato Petro Apoſtolo ordinatus eſt, & ab ipſo etiam miſſus prædicare verbum Dei, everſisque ſimulacris, migravit a ſeculo.*» Has inſignes demonſtrationes deſumpſit Natalis Alexander ex opuſculo Milleti contra Launoïum, *de unico Dionyſio Areopagita, Athenienſi primum ac poſtea Pariſienſi Epiſcopo*: quas tamen ambigo plurimum, an absque riſu, in ſuam *Selectorum Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitum* collectionem injecerit. Quibus reſpondere ſupersedeo, cum id eximie in ſuis replicis contra Milletum, Launoïus præſtiterit: nec enim crambes recoquendæ ſunt. Vnum hoc commodum habebit Natalis Alexander, ut ob demonſtratas ita egregie concluſiones ſuas Hiſtoricas, a viris gravibus, quibus hoc ſeculum ſplendeſcit, cum Jacobo de Varagine ſodali ſuo, *Legenda aurea* conſcriptore, comparetur. Nec jam mirum mihi, quod annua ille penſione a Rege Galliarum Pariſiis ſuſtentetur, qui tam præclaris authoritatum monumentis antiquitates Eccleſiarum Gallicarum tuetur. Optaſſem ab illo unum, ut antequam nugis his apud ſimplices vendendis mentem adpoſuiſſet, *Traditionis* definitionem quam ex Vincentio Lerinenſi, in ipſis Hiſtoriarum ſuarum crepundiis attulit, recordatus fuiſſet: atque attentius inſpexiſſet, an verboſitas illa omnis quam de ſancto Martiale Apoſtolo habet, præſcriptas a ſe traditionis conditiones indueret, necne? Vtinam ille ſcripſiſſet tardius, honori ſuo, rectæque nominis exiſtimationi conſuluiſſet: quem dum viri graves legunt, ob miſerrimas ſæpe ratiocinationes ſuisque principiis adverſas, vel lugent frequenter errantem, vel infantem rident. Porro Concilium iſtud Lemovicenſe anno 1032. relatum, monachale quoddam figmentum eſt, ab otioſo aliquo confictum, quod nullam Concilii ſpeciem habet, nugisque innumeris ac mendacibus authoritatibus ſcatet, ut ignaræ plebi imponatur. Si tamen iſta Alexandro novo placent, his impingueſcat, volumus. Quoad autem S. Martialis baculum, de quo, ut vult Natalis Alexander, loquitur Innocentius tertius; aptior ille fuiſſet ad monachos χυρίαυς male Regi patrocinantes, & adverſus acquiſitam legi-

time propriarum Ecclesiarum immunitatem mercenaria spe scribentes, emendandos; atque a regulari fratrum societate pellendos: quam ad mortuos in Galliis suscitandos. Hæc per transennam, nec enim propudiosum argumenti Alexandrini genus responsionem meretur.

Ista ad nauseam Lectoribus, qui me impositerum nimiæ brevitatis non arguant. Agunt de attributis Martiali *Epistolis*, Sixtus Senensis L. 2. *Bibliotheca Sancta* verbo *Cephas* pag. 49. Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 71. pag. mihi 57. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatu Sacri* verbo *Martialis* pag. 73. Cæsar Baronius & ejus Epitomator Spondanus Seculo I. *Annalium Ecclesiasticorum*, cum aliis. Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, quos Bellarminus attigit, tomo 2. pag. 58. verbo *S. Martialis Lemovicensis Episcopus.* Natalis Alexander Seculo I. *Historia Ecclesiastica* cap. 10. art. 9. p. 96.

AVRELIANVS auditor Sancti Martialis & in sede Lemovicensi successor, mortuo Magistro, ut Galli volunt fabularum amantes, scripsit illius *Acta* miraculis splendida, mendaciis plena. Habentur illa apud Surium ad diem Junii 30. Scriptoris hujus non meminit in *Historia Litteraria Scriptorum Ecclesiasticorum* Guillelmus Cavus, dubio procul quod tam anilium fabularum mentionem facere erubuerit. De quo tamen loquuntur Antonius Possevinus tomo I. *Apparatu Sacri* verbo *Aurelianus.* Bellarminus & Labbeus, in opere quisque *de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Fratres Sammarthani *Gallia Christiana* tom. 3. in Episcopis Lemovicensibus, & alii. A. 10.

DISSERTATIO
DE VITA ET EPISTOLIS SANCTI IGNATII ANTIOCHENI EPISCOPI.

CAPVT PRIMVM.

PAVCIS MARTYRIVM SANCTI IGNATII ANTIOCHENI EPISCOPI EXPLICATVR.

A. 110. IGNATIVS ANTIOCHENVS EPISCOPVS, de cujus patria & parentibus silent Veteres, quem testatur Chrysostomus *Homil.* in Sanctum Ignatium pag. 499. tomi I. familiariter vixisse cum Apostolis, ab iisque fluenta spiritualia hausisse *καὶ ῥήτων καὶ ἀποῤῥήτων αὐτῶν κοινωνῆσαι*, & sede Antiochena dignum ab iis esse judicatum. Certe mortuo Evodio, ad Ecclesiæ istius prælaturam evectus est, hancque gratiam suscepit *διὰ τῆς τῦ μεγάλε Πέτρε δεξιᾶς* ipso Petro manus imponente, ut loquitur Theodoritus *Dialogo I.* pag. 33. Volunt alii fuisse Ignatium Sancti Joannis Evangelistæ discipulum atque a S. Paulo Episcopum ordinatum: quæ incerta omnia sunt. Alii eum esse eundem cum puerulo illo quem Matthæi cap. 18. v. 2. manibus suis sublatum Christus Discipulis exhibuit, indeque nomen *Θεοφόρε* reportasse, volunt Metaphrastes, Nicephorus, aliique traditione prorsus incerta. Locus habetur in Græcorum tum Menæo vetere Venetiis edito, tum etiam in novo Anthologio Romæ edito ad diem 20. Decembris. *ὅτι ὁ μακάριος ὃν ἔτι νήπιον ὄντα χερσὶν ἁγίαις ἐβάστασε, καὶ πρὸς τὸν λαὸν ἀνέφερε, λέγων· Νήπιος γὰρ ἔτι κομιδῇ ὑπάρχων, εἰς χεῖρας τὰς Κυρίου Θεοφόρος ἔσχατο, ἀναφωνῶν πρὸς ἡμᾶς, γίνεσθέ μοι ὡς τὸ παιδίον τοῦτο.* Vere congruo nomine Theophorus es appellatus, o Pater! Adhuc enim admodum parvulus, in manibus Domini gestatus stetisti, ad nos clamantis: *Esto mihi, ut hic parvulus.* Hæc ex Vsserio, omnia fabulosa, vere ex Græcis descripta. Fabellam jampridem Metaphrastes in Passione Ignatii enarraverat, cujus Græca, quæ in eodem Vsserio atque Cotelerio habentur, describam. *Τοῦτο τῷ Θεοφόρῳ φασὶ κομιδῇ ὄντι νηπίῳ, τὸν χριστὸν ἐν ταῖς ἐν κόσμῳ διατριβαῖς ποιήσαντα, τὰς ἁγίας τε αὐτοῦ ἐπιθεῖναι χεῖρας, καὶ πρὸς τὸ πλῆθος ἀποβλέψαντα, εἰπεῖν μὴ τις ἐμοῦ, ταπεινώσῃ ἑαυτὸν, ὡς τὸ παιδίον τοῦτο ὃν μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.* Huic Deifero Ignatio, cum esset adhuc plane puer, ajunt Christum adhuc versantem in mundo, intemeratas manus imposuisse, & ad populum intuentem dixisse: *Nisi quis semetipsum humiliaverit, ut hic puellus, non intrabit in regnum cælorum.* Cum vero Symeonem Metaphrastem seculo nono ante annum Domini 859. vixisse & Baronius in Annalibus ad annum citatum, & Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* velint: Vossius vero Lib. 2. *de Historicis Græcis* cap. 25. pag. 290. 291. sub Leone Philosopho, id est anno 885. & sub ejus successoribus Constantino Porphyroge-

Cognomen Theophori, fabulosum.

intrabit in regnum cælorum, & qui unum ejusmodi parvulorum susceperit in meo nomine, me suscipit. Propterea & Theophorus appellatus est. Idem in Ritualibus. *ὁ Θεοφόρος καλῶς ἠξίωσαι, ὅτι ὁ δεσπότης σε μαλακῆς γνάθου ὡς συμπαθὴς ἐγκάλισατο.* Theophorus merito appellatus es; quandoquidem te Dominus, o beate Ignati, ut natura similiter affectus, amplexus est. *Item. ὄντως Θεοφόρος κέκληται Θεόφορος, πάτερ· Νήπιος γὰρ ἔτι κομιδῇ ὑπάρχων, εἰς χεῖρας τὰς Κυρίου Θεοφόρος ἔσχατο, ἀναφωνῶν πρὸς ἡμᾶς, γίνεσθέ μοι ὡς τὸ παιδίον τοῦτο.* Vere congruo nomine Theophorus es appellatus, o Pater! Adhuc enim admodum parvulus, in manibus Domini gestatus stetisti, ad nos clamantis: *Este mihi, ut hic parvulus.* Hæc ex Vsserio, omnia fabulosa, vere ex Græcis descripta. Fabellam jampridem Metaphrastes in Passione Ignatii enarraverat, cujus Græca, quæ in eodem Vsserio atque Cotelerio habentur, describam. *Τοῦτο τῷ Θεοφόρῳ φασὶ κομιδῇ ὄντι νηπίῳ, τὸν χριστὸν ἐν ταῖς ἐν κόσμῳ διατριβαῖς ποιήσαντα, τὰς ἁγίας τε αὐτοῦ ἐπιθεῖναι χεῖρας, καὶ πρὸς τὸ πλῆθος ἀποβλέψαντα, εἰπεῖν μὴ τις ἐμοῦ, ταπεινώσῃ ἑαυτὸν, ὡς τὸ παιδίον τοῦτο ὃν μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.* Huic Deifero Ignatio, cum esset adhuc plane puer, ajunt Christum adhuc versantem in mundo, intemeratas manus imposuisse, & ad populum intuentem dixisse: *Nisi quis semetipsum humiliaverit, ut hic puellus, non intrabit in regnum cælorum.* Cum vero Symeonem Metaphrastem seculo nono ante annum Domini 859. vixisse & Baronius in Annalibus ad annum citatum, & Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* velint: Vossius vero Lib. 2. *de Historicis Græcis* cap. 25. pag. 290. 291. sub Leone Philosopho, id est anno 885. & sub ejus successoribus Constantino Porphyroge-

rogenito & Romano Lagapeno, ad annum 919. ſuperfuiſſe, demonſtraverit: nihil cauſæ fuit cur Baronius ad annum Chriſti 71. n. 13. ſe inveniſſe negaret, unde *Nicephorus Calliſti* hanc de Ignatio hiſtoriam, quam ipſe quoque Lib. 2. *Hiſtoria* cap. 35. narrat, acceperit. Neque ii ſoli, quos ex Viſerio edidimus, tradunt hanc Ignatiani cognominis rationem, verum Anaſtaſius Romanæ ſedis Bibliothecarius, in ſcholiis ad octavam a ſe Latine editam, & Adriano Pontifici Romano II. poſt annum Domini 868. dicatam Synodum, eadem quoque de hujus nominis etymologia, a Græcis tradita fuiſſe teſtatur. *Tradunt* (inquit Act. I.) *Græci, quod parvulus, quem Dominus advocatum fecit in medio, dicens, Niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut hic parvulus &c. iſte Ignatius fuit & idcirco hunc Deiferum nuncupant: unde nec Apoſtoli auſi fuerunt ei, cum ad Eccleſiæ præſulatum promoveretur, amplius manus imponere; nimirum quem ore Dei laudatum, & ipſius tactu ſanctificatum cognoverunt.* Certe Martialis Maiſtræus *Præfat.* in Notis ad Ignatium, ex hac traditione, cum eam ipſe ex Nicephoro loc. cit. deſcripſiſſet, ait: *Non vanam conſequi conjecturam, nomen Theophori Ignatio fuiſſe inditum, eo quod a Chriſto Deo manibus aſſumptus ſive geſtatus fuerit.* Si cæteri Latini minus iverunt in hanc ſententiam, hoc inde factum arbitror, partim quod vulgo crederent puerum a Domino in Hiſtoria Evangelica in ulnas ſuſceptum, non *Ignatium* ſed *Martialem* fuiſſe: ut ex Anſelmo, Thoma Aquinate, & Lyrano Barradius memorat *Harmonia Evangelica* Lib. 10. cap. 33. p. 788. Partim quod illam ſive Græcorum de *Ignatio*, ſive ſuorum de *Martiali* traditionem, totam dubiam ac incertam eſſe, ut eſt ſane, qui ſunt apud eos prudentiores, exiſtimarent. Hæc verbotenus Dallæus Lib. 2. *de Libris Dionyſio Areopagitæ & Ignatio Antiocheno ſuppoſitis* cap. 25. pag. 379. & 380.

Tempus Martyrii incertum

„Rexerat hanc Eccleſiam annos plusquam „XL. cum Trajanus circa annum 107. Parthis „bellum illaturus, Antiochiam venit, a quo S. „Ignatius ad beſtias damnatur, & Romam ad „Martyrium ſubeundum vinctus mittitur: ubi „in Amphitheatrum productus XIII. Cal. Jan. an. „107. corpore Leonum dentibus mox comminuto, beatam animam Deo reddidit.„ Hæc Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſecul. 2. pag. 26. verbo *Ignatius*. Sed hæc omnia valde incerta ſunt, quoad annos martyrio Ignatii a Cavo definitive aſſignatos. Euſebius enim in *Chronico*, anno Trajani decimo tertiam Chriſtianorum perſecutionem conſignans, in ea & *Symeonem Cleophæ* Hieroſolymorum Epiſcopum & *Ignatium* Antiochenum Epiſcopum paſſos eſſe ait: unde factum ut omnes Martyrium Ignatii vel cum hoc anno 107. vel cum ſequenti 108. conjunxerint. Verum Euſebius quæ geſta variis annis ſunt, Epitomatorum more, uno tenore retulit. Nam infra nos demonſtrabimus, Trajanum ante annum 114. in Orientem profectum non eſſe: ideoque & ante eum annum hoc Ignatii martyrium contingere non potuit, cum Trajano Antiochiæ exiſtente, Ignatium ad eum adductum Acta ejus teſtentur. Quæſtio igitur eſſe poteſt, an Ignatius Trajano & Africano Coſſ. ut vult Marianus Scotus in Chronico, ſcilicet anno Chriſti 112. Romam productus fuerit, ibique beſtiis traditus: an autem anno tantum 115. morte affectus fuerit, ut Joannes Malela Antiochenus, ab Viſerio in notis ad Acta S. Ignatii citatus inſinuat. Ait enim Malela in Chronico: *Agebat in ea urbe Trajanus imperator, quando divina illa erupit ira. Martyrium vero paſſus tunc ſanctus eſt Ignatius civitatis Antiochenæ Epiſcopus: indignatione enim in illum commotus eſt, quod ipſum convicio affeciſſet.* Loquitur is author de terræ motu Antiocheno, quem menſe Decembri anni Chriſti 115. accidiſſe narrat, eo tempore, quo Trajanus Antiochiæ hiemabat. Cum vero anno inſequenti, verno tempore, Trajanus in Parthos moverit; actaque Sancti Ignatii referant, Trajano in Parthos movente, illum Romam productum eſſe: Ignatii martyrium quod die vigeſima menſis Decembris, ut mox oſtendetur, contigit, ad annum potius 116. referendum eſt. Verumtamen in eodem Malelæ Chronico libro decimo legitur: *Ex Daphne proceſſit Imperator, & per viam Chriſeam ſeu Daphniticam intravit Antiochiam Syriæ, coronam capite geſtans ex olivarum ramuſculis, contextam menſe Audynæo ſive Januario, die ſeptimo, feria quinta, hora quarta matutina.* Qui character (inquit Viſerius in *Appendice Ignatiana* ſub initium *Notarum* ad Acta ſancti Ignatii, pag. 35. ubi locum illum refert) indicat annum 107. quo dies 7. Januarii in feriam quintam incidit. Sed cum poſt annum 112. quo Ignatium certo paſſum eſſe conſtat, dies ſeptima Januarii cum feria quinta in toto Trajani imperio non concurrat: non dubito quin error in numerum irrepſerit. Hæc Antonius Pagi in *Critica Chronologia* ad Annales Baronii, anno Chriſti 107. pagina 11. & 12. ex quibus liquet omnia ferme, quæ de Ignatio ſcribuntur, eſſe dubiæ admodum fidei. Si enim ut vult Malela, Ignatius martyrio ſeu morte plexus eſt, quod *convicio Trajanum, facto terræ motu, affeciſſet*: ambigo plurimum num jure ac merito inter Martyres accenſeatur, quidquid ea de re canant Martyrologia ſcriptorum omnia. Vide Diſſertationem noſtram *de ſcriptis ſancti Clementis Romani Epiſcopi* cap. 5. ubi etiam de his *Actis Ignatii* Græce jam editis a Theodorico Ruinarto Pariſiis 1689. in 4. agitur.

CAPVT SECVNDVM.

DE VARIIS COLLECTIONIBVS MANVSCRIPTIS EPISTOLARVM, QVÆ SVB NOMINE SANCTI IGNATII ANTIOCHENI EPISCOPI ET MARTYRIS, CIRCVMFERVNTVR.

IAcobus Vſſerius Armachanus Archiepiſcopus, in Commentario ſuo *de Ignatii & Polycarpi Martyrum Epiſtolis*, contendit ac multis quidem verbis, inveniri in MSS. Codicibus Bibliothecarum tres *Collectiones* ſeu *Syllogas Epiſtolarum Sancti Ignatii Antiocheni Epiſcopi & Martyris* clariſſimi. Appellat cap. 2. pag. 6. hanc primam *Polycarpianam Epiſtolarum Ignatianarum Syllogen*, de qua inquirit ſolummodo, an ſcriptæ ad ipſum Polycarpum ab Ignatio Epiſtolæ in ea locum habuerint. Mentem hanc ſuam, atque hanc ſuppoſititiam *Syllogen ſeu Collectionem, Epiſtolarum S. Ignatii ab Epiſcopo Polycarpo* factam, Vſſerius probat ex unica Polycarpi ipſius ad Philippenſium Eccleſiam data Epiſtola, quæ ex omnibus ejus Epiſtolis ad noſtra usque tempora permanſit, tum quod celeberrima eſſet reliquarum omnium, tum quod ut in primo capite ab Vſſerio notatum eſt, Epiſtolas quoque Ignatii ſubnexas haberet, ut verba hæc in fine Epiſtolæ latis oſtendunt. Ἐγράψατέ μοι καὶ ὑμεῖς καὶ Ἰγνάτιος, ἵνα εἴ τις ἀπέρχηται εἰς Συρίαν, καὶ τὰ παρ' ὑμῶν ἀσπασμία γράμματα. Ὅπερ ποιήσω, ἐὰν λάβω καιρὸν ἐνθετον, εἴτε ἐγὼ, εἴτε ὃν πέμψω πρεσβύσοντα καὶ περὶ ὑμῶν. Τὰς ἐπιστολὰς Ἰγνατίου, τας πεμφθείσας ἡμῖν ὑπ' αὐτοῦ, καὶ ἄλλας ὅσας ἔχομεν παρ' ἡμῶν, καθὼς ἐνετειλάσθε, αἵτινες ὑποτεταγμέναι εἰσὶ τῇ ἐπιστολῇ ταύτῃ, ἐξ ὧν μεγάλα ὠφεληθῆναι δυνήσεσθε. Περιέχει γὰρ πίστιν, καὶ ὑπομονὴν, καὶ πᾶσαν οἰκοδομὴν, τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν ἀνήκουσαν. *Scripſiſtis mihi & vos & Ignatius, ut ſiquis eat in Syriam, is veſtras etiam perferat litteras. Quod faciam, ſi opportunam occaſionem nactus fuero, ſive egomet ipſe, ſive is quem mittam legationi functurum etiam pro vobis. Epiſtolas Ignatii, ad nos ab eo miſſas, & alias quotquot penes nos habuimus, vobis miſimus, quemadmodum mandaſtis, quæ quidem huic Epiſtolæ ſubjecta ſunt, ex quibus magnam utilitatem capere poteritis. Continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem, ad Dominum noſtrum pertinentem.* Hæc ille in Epiſtola ad *Philippenſes*, ſcripta eodem tempore, quo ab iis profectus Ignatius in Italiam ex Macedonia abductus eſt. Ex quibus a Baronio in Annalibus ad an. 109. §. 18. & 19. illa elicitur concluſio, *Ut omnes tunc in via ſcriptæ ab Ignatio Epiſtolæ, ad diverſas Eccleſias atque perſonas in unum colligerentur, atque integræ ſervarentur, opus fuit ſanctiſſimi Polycarpi Smyrnenſium Epiſcopi.* Quam quidem ita ille explicat, ut ſeptenario numero omnes illas tunc in via ſcriptas Epiſtolas includat: ex quibus ad unam tantum perſonam, ipſum nimirum *Polycarpum*, unica miſſa fuerit, quam ultimam ex ſeptem Euſebius & Hieronymus recenſent: reliquæ ſex ad totidem numero Eccleſias, *Epheſiorum* nempe, *Magneſianorum*, *Trallianorum*, *Romanorum*, *Philadelphenorum & Smyrnenſium*. Et cur ſeptem illæ ſeorſum poſitæ haberentur, adeoque ſolæ ab Euſebio & Hieronymo in Ignatianarum Epiſtolarum catalogo recenſerentur: non aliam rationem Baronius aſſignat, quam quod ex illis conſtiterit, prima illa collectio facta a Polycarpo, qui ſecundum Euſebii lectionem Lib. 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* cap. 36. eandemque legitimam, & antiquioribus Græcis Codicibus magis conſentientem, non tantum ad ſe miſſas Epiſtolas, ſed & alias in unum collegit, quæ ad Aſiæ nominatas Eccleſias ſcriptæ fuiſſent, quas ut teſtatur, ad Philippenſes miſit.

Vult autem ibidem Vſſerius hanc Collectionem ſeu Syllogen Polycarpianam continuiſſe tantum Epiſtolas ſex Ignatianas, & Epiſtolam ad Polycarpum in cenſu Scriptorum Ignatii plane prætermittendam eſſe: ita videlicet acceptis Divi Hieronymi atque Euſebii Cæſarienſis verbis, ac ſi nulla peculiaris ad *Polycarpum* data, hic intellecta ab eo Epiſtola fuiſſet: Sed quæ ad Smyrnæos, tum Smyrnenſibus ipſis, tum præſertim ac potiſſimum Polycarpo eorum Epiſcopo, conjunctim inſcripta fuiſſet. *Quam ſane Hieronymi mentem fuiſſe, ego omnino non dubito: indeque non leve argumentum deduco, in ea quæ ipſius ætate omnium ferebatur manibus Ignatianarum Epiſtolarum Syllege, nullam Polycarpo, privatim inſcriptam extitiſſe Epiſtolam, ſed illam unicam quæ ipſi cum Smyrnæis ſuis communiter dicta eſt.*„ Ita Vſſerius cui aſſentiri nullatenus poſſum, ſic expreſſi ac formales ſunt adverſus eum, tum Euſebius tum Hieronymus. Euſebius autem ita Lib. 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* cap. 15. omiſſis Græcis parum cauſæ huic faventibus, neque ei neceſſariis. "Ignatius qui eſt ad noſtram uſque memoriam multorum ore & ſermone prædicatus, poſt Petrum ſucceſſione ſecundus Epiſcopatum Antiochiæ ſortito capit. Fertur porro hunc ex Syria ad urbem Romam amandatum, beſtiis prædam & laniatum, ob teſtimonium quod Chriſto perhibuiſſet, eſſe projectum. Quin etiam cum iter per Aſiam faceret, licet attentiſſima cura a ſatellitibus qui illum ducebant obſervaretur, Eccleſias tamen cujusque civitatis, ad quam forte proficiſceretur, familiaribus colloquiis, piisque hortatibus confirmavit: ac primum ut hæreſes quæ jam tum primo naſci & emergere cœperunt, ut maxime præcaverent, ſedulo admonuit: deinde hortatus eſt, ut Apoſtolorum traditioni mordicus adhæreſcerent. Quam quidem aſſeveranter teſtificatus, quo tutius poſteritati reſervaretur, neceſſario ſcriptis mandandam exiſtimavit. Qui ut Smyrnam venit, ubi erat Polycarpus, unam Epiſtolam ad Eccleſiam Epheſinam ſcribit, in qua Oneſimi, qui ibidem paſtor fuit, mentionem facit. Aliam autem Eccleſiæ, quæ erat Magneſiæ, quæ ſupra Mæandrum ſita eſt, miſit: in qua rurſus Damam Epiſcopum in memoriam redigit. Eccleſiæ item Trallianæ aliam, in qua Polybium qui ibi tum præfuit, inſerit. Eccleſiæ porro Romanæ dedit literas, in quibus illos impenſe hortatus eſt, ne martyrium illius deprecando, ipſum ſe optata, quam animo habebat ſpe, ullo modo privarent. Et cap. 36. Iſtam

ex

„ex civitate, quæ Smyrna dicitur (quam mon„ſtravimus) ad Eccleſias a nobis enumeratas per„ſcripſit. Jam vero Smyrna longius aliquanto „profectus, ex Troade ſcribens, non ſolum „cum his qui erant Philadelphiæ, ſed etiam cum „Eccleſia Smyrnenſi, & ſpeciatim cum Polycar„po, qui illi Eccleſiæ præfuit, familiariter per li„teras collocutus eſt. Cui cum virum ſpecta„tum & Apoſtolica virtute præditum, eum eſſe „pro certo cognoſceret, Eccleſiæ Antiochenæ „gregem, ſicut paſtorem ingenuum & fidelem „decebat, commendavit: arbitratus ſane illum „omni ſtudio & diligentia curam illius habitu„rum.„ Nec obſcurior hac in parte Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Eccleſiæ* his verbis. „Ignatius Antiochenæ Eccleſiæ totius poſt Pe„trum Apoſtolum Epiſcopus, perſecutionem „commovente Trajano damnatus ad beſtias, „Romam vinctus mittitur. Cumque navigans „Smyrnam veniſſet, ubi Polycarpus auditor Jo„annis Epiſcopus erat, ſcripſit unam Epiſtolam „ad *Epheſios*, alteram ad *Magneſianos*, tertiam ad „*Trallianos*, quartam ad *Romanos*: & inde pro„grediens, ſcripſit ad *Philadelphenos* & ad *Smyr„naeos*, & proprie ad *Polycarpum*, commendans „illi Antiochenſem Eccleſiam. In qua & de „Evangelio quod nuper a me translatum eſt, ſu„per perſona Chriſti ponit teſtimonium.„

Hanc primam (ut putant) *Ignatianarum Epiſtolarum Syllogen ſeu Collectionem* plurimi Veterum agnoverunt, atque ex ea ſæpius allegarunt & citarunt, tanquam Ignatii, quos intra quinque priora poſt Chriſtum ſecula floruiſſe conſtat: etſi inde nolim cum Vſſerio concludere, eandem ipſam a Sancto Polycarpo conſutam collectamque eſſe, juxta Euſebii teſtimonium Lib. 3. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 36. ubi Polycarpi Epiſtolam ad *Philippenſes* eam ob rem allegat. Hanc autem primus quodammodo vindicavit a tenebris, Latine tantum ex Manuſcriptis Anglicanis anno 1642. & 1644. in 4. Londini dictus Vſſerius, inſigni diligentia conquiſitam, in Opere inſcripto: *Polycarpi & Ignatii Epiſtolæ*, pag. 193. & ſequentibus. In Commentario autem quem ſcripſit *de Epiſtolis Polycarpi & Ignatii* cap. 3. & 4. pag. 16. & ſequentibus, eximie probat ea omnia quæ ab antiquis ex his Epiſtolis allegantur, in hac antiqua verſione Latina verbotenus inveniri. Quæ ergo producuntur ex Epiſtola S. Ignatii ad Epheſios, ab Athanaſio in Libro *de Synodis*, & plenius a Theodoreto in Dialogo primo, ſive Ἀτρέπτῳ, & a Gelaſio Romano Pontifice in Libro *de duabus naturis*, illic ad verbum reperiuntur: quod ut una ſecum, ſuis etiam ipſe oculis, lector conſpiceret, paralleliſmum illorum Vſſerius loco citato pag. 16. ſubjecit. Idem & planius præſtitit cap. 2. pag. 19. ut videre licet in dicto commentario *de Epiſtolis Polycarpi & Ignatii*. Eandem autem Collectionem hanc Ignatianarum Epiſtolarum, vel ſinceram (ut nonnulli omnino volunt,) vel ſaltem minus interpolatam, qualem Veteres priorum quinque ſeculorum allegarunt ſcriptores, Græce quoque ac Latine in 4. edidit Iſaacus Voſſius ex MS. Codice Bibliothecæ Florentinæ, annis 1646. & 1648. Amſtelodami, cujus aſſequendæ & edendæ ſpem obtulerat doctiſſimus Vſſerius in commentario citato, cap. 4. pag. 26. Citatorum autem locorum a Patribus paralleliſmum hic afferre, inſtituti noſtri ratio non patitur, quem apud allatum Vſſerium invenire quivis poteſt. Easdem denique Græce & Latine poſt Voſſium edidit idem Vſſerius in 4. Londini anno 1647. in Opuſculo quod ab ipſo *Appendix Ignatiana* inſcriptum eſt.

Secunda Sylloge ſeu *Collectio Epiſtolarum Ignatii Antiocheni Epiſcopi & Martyris*, quæ vulgo interpolata & corrupta dicitur, de cujus variis tum Græcis tum Latinis editionibus capite ſequenti loquemur, conſtabat Epiſtolis duodecim, quarum ſex priores, nempe *ad Epheſios, ad Magneſianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Smyrnaeos*, variis interpolationibus corruptæ ſunt, quas a primævo contextu & ſimplici, minio expreſſas diſtinxit Jacobus Vſſerius labore inſigni, Græce & Latine in 4. editas Oxonii anno 1644. apud Leonardum, Lichfield, Academiæ typographum. His autem ſex Epiſtolis interpolatis, adjunctæ ſunt ſex aliæ, quæ Græce & Latine ab eodem Vſſerio ibidem editæ ad priorum calcem, 1. nimirum *ad Mariam Caſſobolitam*, 2. *ad Polycarpum Smyrnæ Epiſcopum*, 3. *ad Tarſenſes*, 4. *ad Antiochenos*, 5. *ad Heronem Antiochenum Diaconum*, 6. *ad Philippenſes*: quamvis harum ſex poſteriorum ſecunda *ad Polycarpum Smyrnæ Epiſcopum* in prima Ignatianarum Epiſtolarum collectione extiterit, juxta Euſebii Cæſarienſis & Hieronymi ſupra allatorum authoritatem. Secunda hæc Sylloge ſeu Collectio, ita frequenter impreſſa fuit, cum viſibili illa interpolatione & aliarum ſex Epiſtolarum adjectione, ſub Ignatii nomine ementito, ut ſingularius de ea dicturi ſimus capite ſequenti. Latius autem de illa Vſſerius in Commentario *de Epiſtolis Sanctorum Ignatii & Polycarpi*, cap. 6. pag. 33. Vbi vult ſexto poſt Chriſtum ſeculo, injuriam hanc Ignatio factam videri, & quidem ab eodem artifice, qui veteres L. Canones Eccleſiaſticos, ob antiquitatem *Apoſtolicos* dictos, adjectione aliorum XXXV. novarum auxit: quique Pſeudo-Clementinarum Conſtitutionum libros VIII. nomen quoque Apoſtolorum præferentes, varie interpolavit atque immutavit. "Si quæras (inquit) quo tempore corruptelam hanc paſſus fuerit Ignatius, illud tantum quod dicam habeo: Ante ſextum poſt Chriſtum ſeculum, vel ex ſubditiis ſex illis Epiſtolis, vel ex centonibus quibus alteræ ſex germanæ auctæ ſunt, nullum adhuc me reperiſſe a Veterum quopiam productum teſtimonium.„ Nam commentitias ſex illas poſtremas inter primas citarunt, Anaſtaſius Presbyter, Antiochus Monachus, Joannes Damaſcenus & Antonius in *Meliſſa*: centones vero primis

mis ſex Epiſtolis ab interpolatore immiſſos, atque in editione Vſſeriana anno 1644. in 4. Oxonii minio ſignatos, Stephanus Gobarus Tritheita circa annum D LXXX. Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus circa annum DXCV. & Anonymus ille qui circa annum DCXXX. edidit *Chronicon Conſtantinopolitanum*, cui plures *Siculorum Faſtorum* & Matthæus Raderus *Chronici Alexandrini* nomen impoſuit. Primus enim Stephanus Gobarus in *Bibliotheca Photii* num. 232. inter eos numerans, qui *Nicolaitarum* quidem hæreſin damnabant, ſed *Nicolaum* ipſum illius fuiſſe reum negabant: procul dubio reſpicit ad Nicolaitas illos Θεοδωρίτους, in Epiſtola ad *Trallianos* & *Philadelphenos* ab interpolatore memoratos. Secundus Anaſtaſius Patriarcha Antiochenus, Epiſtolæ ſuæ ad Gregorium I. Romanum Pontificem, ex Ignatio illud AMEN, GRATIA, intexens; quæ Regeſti Gregoriani Lib. 4. Indictione 13. Epiſtola 37. extat: vulgari noſtra Epiſtolarum Ignatianarum editione Græca, uſum ſe oſtendit, in qua ad finem Epiſtolæ *ad Epheſios & Polycarpum* apponitur, Ἀμὴν, ἠχάρις. Tertius vero Anonymus, *Chronici Alexandrini* author, a Matthæo Radero editus pag. 526. longum ex Epiſtola ad *Trallianos* περὶ ἐνσάρκου οἰκονομίας τοῦ Σωτῆρος fragmentum profert, a verbis illis Ἀληθῶς τοίνυν ἐγεννήσατο Μαρία τὸ σῶμα, usque ad illud Ἀπεθάνεν ἀληθῶς καὶ ἀνέστη, καὶ ἐγήγερται ἐκ τῶν νεκρῶν: quod ut interpolamentum, & a veteri Interprete quem Vſſerius produxit in lucem, omnino prætermittitis in hac editione literis ſignatum reperitur. Hæc ex Vſſerio collecta verbatim in Commentario *de Epiſtolis Ignatii & Polycarpi* cap. 6. pag. 33. ubi contendit multis ad hujus Sylloges ſeu Collectionis interpolationes oſtendendas, earumque unde prodierunt origines detegendas.

Tertia Ignatianarum Epiſtolarum Collectio, ſub finem ſexti poſt Chriſtum ſeculi edita, de qua abunde loquitur Vſſerius in Commentario *de Epiſtolis Polycarpi & Ignatii* cap. 18. & 19. pag. 138. & ſeqq. qua non ſolum uſum fuiſſe Latinum illum veterem interpretem, quem in Collectione Epiſtolarum Ignatii primus produxit pag. 193. Sed Antiochum etiam Monachum, Joannem Damaſcenum & Antonium dictum *Meliſſam*, uſos eſſe oſtendit, de qua ſic.

„Interpolatæ Ignatianarum Epiſtolarum Sylloge, de qua hactenus egimus, ſucceſſiſſe mox „videtur & altera illa, ex qua ſua tranſtulit Interpres noſter, ita quidem temperata: ut ſex „antiquæ Epiſtolæ eodem in ea retinerentur „modo, quo in primævis Polycarpianæ Collectionibus habebantur codicibus. Cui rei fidem „nobis facit, ea quam ſuperius exhibuimus, noſtri Interpretis cum Ignatio ab antiquioribus „Patribus citata comparatio: quinque vero „novitiæ, & inter eas Epiſtola ad *Polycarpum* integra, ex recentiore editione aſſumerentur: „ſexta ad *Philippenſes* prorſus excluſa, quod ab „Ignatii doctrina videretur fortaſſe alienior. Sicut in vetere vulgata verſione, totam poſte-„riorem partem *Epiſtola ad Polycarpum*, velut ad-„jectitiam, rejectam fuiſſe arbitramur: quod „tam multa in ea reperirentur, quæ ad Eccleſiam „Smyrnæorum magis pertinebant, quam ad illi-„us Epiſcopum Polycarpum: ab illis videlicet „verbis noſtri Interpretis, *Epiſcopo attendite, ut* „*& Deus vobis:* ad quæ notula hæc a Scholiaſta „appoſita eſt, *Hic convertit ſermonem ad ſubditos* „*Polycarpo, qui ſunt in ipſo capite unum corpus.* At-„que ut ſecundam illam Collectionem *Stephanum Gobarum* & *Conſtantinopolitani Chronici ſcriptorem*, quos nuperis additionibus in genuinas „Ignatii Epiſtolas inſertis uſos fuiſſe, ſupra „oſtendi cap. 6. pag. 31. & 34. & *Anaſtaſium Presbyterum* qui Eclogæ ſuæ Χρησμῶν τῶν δογματικῶν, „locum ex Epiſtola Ignatii ad *Philippenſes* de-„ſumptum inſeruit: ita Collectionem hanc ter-„tiam *Antiochum Monachum* adhibuiſſe exiſti-„mo. Qui cum ſub *Heraclii* imperio claruerit, „hacque ratione illius *Conſtantinopolitani Chro-„nographi* æqualis fuerit: utramque editionem „ſeu Syllogen ſecundam & tertiam Epiſtolarum „Ignatii, eodem tempore proſtitiſſe: ideoque „poſtremam hanc haud longo interpoſito inter-„vallo, alteram illam fuiſſe ſubſecutam: inde „conſequitur, ut ſi una ſub initium, hæc quoque „ſub ſexti ſeculi prodiiſſe exitum, omnino dici „poſſe videatur. Sicut autem inter *Ignatio* affi-„cta ſcripta, utraque parte Epiſtolæ ad *Polycarpum* uſum fuiſſe Antiochum invenio: ita in „producendis genuinis, ſecutum eum fuiſſe „editionem, quæ a novis additionibus & mutati-„onibus libera erat, oſtendere jam libet ex ſen-„tentiis Ignatianis in Sermone CXXIV. ab ipſo „uſurpatis, & cum noſtri Interpretis verſione, „atque vulgata Ignatii lectione comparatis.„ Conſtabat itaque tertia hæc *Sylloge ſeu Collectio Ignatianarum Epiſtolarum*, tum ſex ſinceris (ut (volunt) Ignatii, non interpolatis prorſus Epiſtolis, tum aliis ſex ſpuriis & adulterinis. Ita loco citato Vſſerius, qui Syllogen hanc ſeu Collectionem nobis ex veteri MS. Codice Latino exhibuit, anno 1644. Idemque Voſſius ex MS. Codice Græco Bibliothecæ Florentinæ Amſtelodami in 4. anno 1646. ut teſtatur pag. 116. in admonitione prævia ad *Interpolatas Epiſtolas B. Ignatii*, Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopi & Martyris, ſancti Joannis Evangeliſtæ diſcipuli.

CAPVT TERTIVM.
DE EDITIONIBVS EPISTOLARVM SANCTI IGNATII ANTIOCHENI EPISCOPI VETERIBVS.

Veter editio Epiſtolarum S. Ignatii Martyris.

IAm ad editas in lucem publicam Epiſtolas ſub Ignatii Martyris nomine volitantes, diſcuſſis MSS. Codicibus Bibliothecarum veniamus, ſeu ad veterem editionem Epiſtolarum S. Ignatii. Circumferuntur univerſim ſub illius nomi-

nomine, *Epiſtolæ XV. I. ad Epheſios. II ad Magneſianos. III ad Trallianos. IV ad Romanos. V ad Philadelphienſes. VI ad Smyrnæos. VII ad Polycarpum. VIII ad Tarſenſes. IX ad Antiochenos. X ad Hieronem. XI ad Philippenſes. XII ad Mariam Caſſobolitam. XIII ad Virginem Mariam. XIV & XV ad Joannem Apoſtolum.* Harum editiones duæ univerſim, quarum una *vetus, vitiata, & interpolata* dici potuit, antiquior illa: recentior autem altera, quæ *nova, pura, Vſſeriana* vel *Voſſiana* quoque merito dicitur: de quibus duabus hic accuratius agendum eſt, antequam ad quæſtionem inter Pearſonum & Dallæum adverſarios motam veniamus. Quantum ad *veterem editionem*, ſub D. Ignatii nomine Epiſtolæ primum tres in lucem datæ ſunt Pariſiis Latine tantum anno Domini 1495. una, ad Beatam Mariam, ad ſanctum Johannem Evangeliſtam duæ. Anno 1498. aliæ undecim Epiſtolæ Latine pariter ex veteri verſione, nondum comparente exemplari Græco, a Jacobo Fabro Stapulenſi typis impreſſæ ſunt. Hæc autem prima editio fuit, teſte Philippo Labbeo, qui has undecim Epiſtolas tunc excuſas, inter primas editiones enumerat, quæ Pariſiis in Regia Bibliotheca aſſervantur. Tum vero Symphorianus Champerius Lugdunenſis, has undecim a Fabro editas, cum tribus aliis ab eo rejectis, & quarta ad Mariam Caſſabolitam, ante nunquam publicata edi curavit, atque ita tandem Latinæ quindecim Ignatii Epiſtolæ extiterunt. Sic impreſſæ ſunt in omnibus editionibus *Bibliothecæ Veterum Patrum*, Pariſienſi prima anni 1575. ſecunda 1589. & ſequentibus, Colonienſi 1618. &c. Quantum autem ad Epiſtolas Græcas, Andreas Geſnerus (ſi ipſi credendum eſt) harum Epiſtolarum duodecim Græce, interprete Johanne Brunnero, primus omnium edidit anno Domini 1559. Ita enim loquitur in præfatione de Henrico Petri, *Ignatium vero cum ille Latine tantum ediderit, ego Græcum exemplar MS. nactus ex bibliotheca Clariſſimi viri piæ memoriæ D. Gaſpari a Nydprick, exiſtimavi neque Henrico Petri moleſtum, ſtudioſis autem pleriſque gratum fore, ſi ea quæ hactenus Latine tantum circumferebantur, Græce ſimul & Latine eſſent edita.* Sed quidquid dixerit Geſnerus, ante eum Epiſtolas Ignatii Græce ex Auguſtanæ Bibliothecæ MS. exemplari Valentinus Pacæus anno 1557. jam publicaverat, quem primum eas in lucem protuliſſe teſtatur Guilielmus Morelius, qui easdem Pariſiis recudendas curavit annis 1558. & 1562. additis etiam notulis, de iis quæ ipſi mutanda viſa ſunt. Hanc autem a Pacæo procuratam, principem eſſe Græcarum Epiſtolarum editionem, adſtruunt Magdeburgenſium Centuriatorum verba illa, ad annum 1558. *Eſt & hoc annotandum, quod hoc anno 1558. Epiſtolæ Ignatii Græce ſunt impreſſæ & publicatæ, quæ hactenus per aliquot ſecula latuerant.* Itaque Epiſtolæ duodecim antea a Jacobo Fabro & Symphoriano Champerio Latine tantum, nunc ab anno 1558. ex Auguſtano primum, deinde a Geſnero ex MS. codice Nydpricano editæ ſunt. Hæc Joannes Pearſonus *Vindiciis Epiſtolarum ſancti Ignatii*, in Procemio cap. 4. *de ortu, progreſſu, & hodierno ſtatu controverſiæ.* Plurima quoque de editionibus iſtis veteribus Epiſtolarum ſancti Ignatii Martyris tam Græcis quam Latinis, Jacobus Vſſerius in prologo quem præmiſit *Annotationibus* in Polycarpianam Epiſtolarum Ignatianarum Syllogen, Oxoniæ anno 1644. in 4. apud Henricum Hall editis, unde ſua Pearſonus accepit.

Has autem editiones Critici novi appellant *veteres, vitiatas, interpolatas:* de quibus quid ſentiendum ſit, paucis aperiamus, poſt Dallæum verbotenus in Opere *de ſcriptis ſuppoſitis Dionyſio Areopagita & Ignatio Antiocheno*, Lib. 2. cap. 1. pag. 227. Atque id etiam ex Pontificiorum doctiſſimorum mente Baronii ex Latinis mira eſt de his ſuis Ignatianis confidentia, ad annum Chriſti 109. §. 10. 15. 16. 17. 19. Nam ubi Romanum Ignatii ad martyrium iter deſcribit, poſtquam omnes Epiſtolas Ignatianas duodecim ſigillatim enumeravit, de tribus ad *Mariam Virginem* & ad *Johannem Evangeliſtam* poſtremis, nihil ibi dicit: ſeptem quidem primas veluti ab Euſebio commemoratas, plane indubitatas eſſe ſtatuit: de quinque vero ſequentibus, de quibus nihil neque Euſebius neque Hieronymus tradiderunt, eas ibidem paragr. 19. ait, *Judicio omnium eruditorum, ſtylo, charactere, aliisque compluribus notis verborum, ſententiarum ac rerum, ex ſeptem illis, omnium authoritate probatis Epiſtolis, certam ſibi vendicare fidem. Adeo ut nulla manifeſtior vel vehementior de earum integritate poſſit afferri probatio, quam ex reliquis Epiſtolis ejuſdem Ignatii, conſeſſeratione & connexione quadam ſibi invicem omnibus cohærentibus, ut nulla prorſus de impoſtura poſſit oriri ſuſpicio.* Ac primas quidem ſeptem a Polycarpo collectas fuiſſe, & ad Philippenſes miſſas: Philippenſes autem quatuor inde ad Eccleſias & ad ſeipſos ſcriptas Polycarpianæ collectioni adjeciſſe, atque ita jam tum duo illa Ignatii Epiſtolarum corpora in unum ſimul coaluiſſe: Epiſtolam ad Mariam Caſſobolitam neſcio quando poſtea, huic quoque collectioni fuiſſe inſertam. Hæc executus, multum ſibi, Latinæque Eccleſiæ de hoc theſauro gratulatur, inquiens: *Magna quidem imprimis Dei providentia factum eſt, ut numerate omnes Epiſtolæ ab Ignatio ſcriberentur: ſed & admirando plane divino conſilio procuratum, ut inter tot tantaque naufragia ſcripturarum, eadem ad noſtram ætatem, incorrupta atque integra ſervarentur.* *In illis*, inquit ad annum 109. num. 20. *Orientalis Eccleſiæ faciem prope modum vivam videri & reddi, nec tantum res tunc geſtas, ſed & Eccleſiaſticam diſciplinam & mores & Apoſtolicas ipſas traditiones Apoſtolicarum Eccleſiarum, velut in tabula quadam, erudita manus penicillo haberi expreſſas.* Ibidem §. 32. dicit, *In his Epiſtolis vivum exemplar Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ ab Ignatio in vinculis conſtituto, affabre exſculptum eſſe, ac demum glorioſo martyrio conſumma-*

Quam temere ſe laudat paſſim Baronius.

tum,

tum; ad quod omnes novatores provocat. Alibi ad annum Christi 34. num. 177. hunc suum Epistolicum Ignatium ita prædicat, *Omnibus numeris esse absolutissimum, in quo nihil amplius desiderari posse videatur, ut merito eundem præ cæteris auscultemus: & quæ ab eo scripta sunt, amplectamur atque cæteris anteponamus.* Tum queritur, *Quod non omnes Ignatium, tanquam divinum oraculum audiant.* Et ad annum Christi 57. num. 55. scribit, *Harum epistolarum firmissimam semper in Ecclesia fuisse fidem, nec ab aliquo unquam in dubitationem vel levem adductam.* Et iterum ad eundem Christi annum, num. 194. *Ignatii Epistolas nulla unquam fuisse vel levi saltem labefactatas suspicione, ut nec eo certior vel dignior testis adduci possit.* Qui paulo ante dixerat num. 193. *Neminem sua sententia de iis quæ ab Apostolis agerentur, ac per eos inde Ecclesiæ traderentur, hoc suo Ignatio testem fideliorem adhiberi posse videri.* Sic etiam in Martyrologio Romano ad diem 1. Februarii, Nota 1. confidentissime affirmat, *Has eius Epistolas omnium Sanctorum Patrum & sacrorum Conciliorum authoritate probari.* Idem denique alio in loco, ad annum nempe Christi 44. num. 77. aperte gloriatur, *Has Ignatii Epistolas, nullo prorsus dissentiente, Catholicam semper suscepisse Ecclesiam.* Atque hæc quidem de Epistolis Ignatianis suis Baronius, quarum quanta sit novitas vel suppositio, postmodum ex infra dicendis patebit.

Plurimi interpolatum esse.

Nam Concilium quidem plane nullum fuit, quod ab Vsserio Armachano Archiepiscopo cap. 3. pag. 14. jam observatum est. Neque vero Patres usque ad sextum seculum meminerunt nisi pauci, quique numero vix totidem sunt, quot Thebarum portæ: & quidem omnes post Eusebium denati, ut postea demonstrabitur. Sed quod idem sibi gratulatur & jactitat, *integras & incorruptas Epistolas ad nostram ætatem servatas esse:* id omnino immanis est, neque ferendi mendacii. Nam quis nescit loca ab Athanasio, Theodoreto, Hieronymo & Gelasio ex his Epistolis laudata, alia ab iis esse, quæ in vulgatis hodie habentur? Vnum insignem a Theodoreto ex Epistola ad Smyrnæos citatum esse, cujus in Codicibus vulgatis Græcis & Latinis, quibus utebatur Baronius, nullum extat vestigium. Si quis dubitet, optimum ac doctissimum Vsserium Armachanum Archiepiscopum adeat, loca utraque diligentissime, ut solet, inter se comparantem. Ac si quis supersit scrupulus, vulgatam Ignatii Græcam Latinamque Epistolarum editionem, ab eodem Episcopo institutam inspiciat, & cum altera illa vetustissima Latina, quam in antiquis duobus MSS. Codicibus reperit, Vossianæ Græcæ consentanea, comparet. Videbit nullum extare scriptorem veterem, qui corruptior, inquinatior, pluribus ac majoribus vulneribus deformior, ad nos pervenerit, quam iste jamdudum editus Epistolicus Baronii Ignatius. Sunt inter ipsos Latinos non pauci, qui multo de his, quam Annalista, verecundius ac verius judicaverunt. Nicolaus Nancelius in Catalogo librorum a se conscriptorum, jamdudum de vulgata Latina, id est, illa ipsa Ignatii Baroniana interpretatione, professus hæc fuerat: *De veteri Latino Ignatio sic habet: pleraque adjecta aut falsa aut suspecta, qua Græci Codicis & rei novitas improbat.* Martialis Mestræus in Præfatione ad Ignatium pag. 22. has Epistolas tametsi germanas ac vere aureas esse prædicet, *ab hæreticis tamen & Græculis posterioribus alicubi interpolatas & depravatas fuisse* scribit. Bellarminus Lib. 4. *de Eucharistia* cap. 26. *Multas errores esse in Græcis Epistolarum codicibus* agnoscit, idque deprehendi ait, *ex nostrorum Codicum collatione cum Ignatii testimoniis, qua ab Athanasio & Theodoreto citata sunt:* quanquam hic profecto ridiculus sit, qui de Græcis solis hoc fatetur; quasi illa testimonia in nostris Latinis aliter se habeant, quam in Græcis. Vnde etiam appareret, quam frustra idem in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, in Ignatio nos moneat, *sæpe inveniri emendatiores Codices Latinos, quam Græcos: neque horum ubi a Latinis discrepant, magnam esse habendam rationem.* Sed & avidissimus Ignatianorum laudator ac defensor, in ea saltem Epistola quæ ad Polycarpum est, *Apologia pro scriptis Ignatii* cap. 8. nonnulla esse fatetur, quæ non minimam suspicionis ansam afferant, aliqua in eam aliunde irrepsisse. Denique Baronio longe eruditior Dionysius Petavius, Tomo 2. *Theologicorum Dogmatum*, præfat cap. 2. parag. 8. cum observasset nusquam in hodierna Ignatii ad Polycarpum Epistola reperiri, quæ inde citat Hieronymus, subjungit: *Et alioqui constat eas omnes Epistolas interpolatas fuisse. Nam pleraque ex eis loca ab antiquis laudata, vel in eis minime reperiuntur, vel longe aliter concepta, ut alias ostendam. Quo circa ne quem calumniandi locum relinquam, non aliis utar illius sententiis, quam quibus veterum Patrum consensus germanitatis testimonium perhibet: ut de illis dubitationem ac tergiversationem omnem præcidam, reliqua vero dicta ejusdem missa faciam.* Hæc ille vere profecto, & generose. Ita Joannes Dallæus in Dissertatione *de scriptis Ignatio Antiocheno suppositis* cap. 1. qui & cap. 2. post Vsserium in *Prolegomenis* ad Ignatii Epistolas a se evulgatas cap. 6. 7. 8. 9. 10. demonstrative probat *Veterem Editionem* hanc Epistolarum sancti Ignatii, sive Latinam sive Græcam innumeris in locis interpolatam esse, ex *Libris Constitutionum Apostolicarum* S. Clementi Romano Episcopo perperam attributis, ut apud ipsum Dallæum pagg. 234. 235. & 236. legere est.

Etiam Pontificii.

CAPVT QVARTVM.

DE NOVA EDITIONE EPISTOLARVM SANCTI IGNATII, QVAM VSSERIANAM VEL VOSSIANAM APPELLANT.

JAcobus igitur Vsserius Hiberniæ Primas & Armachanus Archiepiscopus, vir miræ in antiquitatibus eruendis & ad lucem producendis per-

perſpicaciæ ac diligentiæ: cum animadverteret tres in Anglia Theologos olim locum quendam ex Epiſtolis S. Ignatii a Theodoreto citatum, nec in editione Græca nec in vulgata hucusque Epiſtolarum verſione, tunc repertum laudaſſe eodem plane modo, quo a Theodoreto productus fuerat: inquirere cœpit, num fortaſſe in Anglia, aliquod Latinum exemplar adhuc deliteſcens inveniri poſſet, ex quo tres illi Theologi hauſerant loca a ſe producta, & num reliqua a Theodoreto aliisque Patribus antiquis citata, integra comparerent. Tum duos libros MSS. nactus eſt, unum ex publica Collegii Gonvilli & Caji apud Cantabrigienſes Bibliotheca, alterum ex privata D. Richardi Montis acuti, Norwicenſis nuper Epiſcopi: qui Divi Ignatii Epiſtolarum interpretationem a vulgata Latina diverſam, imo diverſiſſimam continebant. Et ſtatim collatione facta, teſtimonia Patrum omnium, qui intra quinque (ut ait) poſt Chriſtum ſecula floruerant, a Græcis Latinisque codicibus editis diſſidentia, cum hac verſione optime convenire, & multa a Græculis poſterioribus inſerta & intertexta, ab eadem pariter abeſſe, attentus conſpexit. Itaque non ex levibus conjecturis, aut ex ſententia ſua, ſed ex veteris verſionis fide, Græcas Ignatii Epiſtolas recognovit: aſſumenta ſtellæ nota a genuinis facile & aperte diſtinxit, & Syllogen Epiſtolarum iſtarum ita excudendam curavit: ut minio in textu Græco laciniæ iſtæ ſignarentur, quas a recentiore Interpolatore aſſutas, indicio veteris Latini interpretis tunc primum ab ipſo editi, deprehenderat. Felix quidem hoc inceptum, quo Vſſerius ſenex, tum ingenii, tum judicii & doctrinæ ſingulare ſpecimen exhibuit, tum Eccleſiæ utiliſſimam & hiſce temporibus maxime ſalutarem operam præſtitit. Hæc Joannes Pearſon in Procemio *Vindiciarum Epiſtolarum ſancti Ignatii Martyris* cap. 23. ubi *de ortu, progreſſu, & hodierna ſtatu controverſia.* Continet autem hæc *Nova editio* Epiſtolas VII. tantum. I. *ad Epheſios.* II. *ad Magneſianos.* III. *ad Trallianos.* IV. *ad Romanos.* V. *ad Philadelphienſes.* VI. *ad Polycarpum Smyrnenſium Epiſcopum.* Laudat pariter hoc Opus Labbeus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, verbo *Ignatius*, impreſſum Oxoniæ in 4. annis 1642. & 1644. & Londini 1647. Denique Iſaacus Voſſius Gerardi Johannis filius, aliquanto poſt Vſſerium, edidit Græce & Latine has easdem ſeptem Sancti Ignatii Martyris Epiſtolas, Amſtelodami annis 1646. & 1648. in 4. ex fide manuſcripti codicis optimæ notæ, quem in Bibliotheca Mediceorum Florentina reperit, recuſas poſtea Londini anno 1680. in 4. Horum diligentiæ nihil quicquam addi poteſt, in iis quæ ad Ignatium, ejusque Græcas & Latinas Epiſtolas ſpectant. Denique recudendas easdem ſategit Græce & Latine, Commentariis omnibus excluſis, ratione ſimplici, Joannes Baptiſta Cotelerius, inter *Authores qui temporibus Apoſtolicis floruerunt*, impreſſos Pariſiis anno 1672. tomis duobus in fol. apud Petrum le Petit via Jacobæa ſub ſigno Crucis aureæ.

At fratres Huguetani anno 1698. 2. voll. in folio curarunt imprimi *Opera Sanctorum Patrum qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, Barnaba, Clementis, Hermæ, Ignatii & Polycarpi, una cum Clementis, Ignatii, Polycarpi Actis atque Martyriis*, Græce ac Latine cum omnibus Commentariis & obſervationibus tam Guilielmi Beveregii, quam Jacobi Vſſerii & Joannis Pearſonii: quæ appendicis inſtar, volumen juſtum mole efficiunt. Continentur in ſecundo volumine, ingenti cum apparatu,

Teſtimonia Veterum de Ignatio pag. 1.

Præfationes Vſſerii, Voſſii & Cotelerii in Ignatium, 5.

Ignatii Epiſtolæ genuinæ II. cum Notis præcedentium virorum.

Ignatii Epiſtolæ interpolatæ 45.

Ejusdem Epiſtolæ ſuppoſititiæ, 99.

Epiſtolarum verarum & ſuppoſititiarum vetus Verſio Latina 129.

Martyrium Ignatii Græco-Latinum, 161.

Ejusdem Martyrium Latinum, 171.

Tiberiani, Plinii & Trajani Epiſtolæ de Chriſtianis, 179.

Sancti Polycarpi Epiſtola, 184.

Ejusdem Martyrium pag. 193.

Appendicis inſtar adduntur

Codex Canonum Eccleſiæ Primitivæ vindicatus & illuſtratus a Guilielmo Beveregio pag. 1. libris III.

Diſſertationes Jacobi Vſſerii Archiepiſcopi Armachani de Epiſtolis SS. Ignatii & Polycarpi pag. 183. Capitibus XIX.

Vindiciæ Epiſtolarum Sancti Ignatii ſcriptæ a Joanne Pearſonio pag. 236. & ſeqq. ad finem voluminis, III. partibus.

Denique *Epiſtolæ ſancti Ignatii genuinæ*, juxta exemplar Mediceum denuo recenſitæ, una cum veteri Latina verſione, annotationibus Domini Joannis Pearſoni & Thomæ Smithi illuſtratæ, prodierunt Oxonii anno 1709. in 4. ex Theatro Sheldoniano. Acceſſerunt Acta Martyrii S. Ignatii, Epiſtola S. Polycarpi ad Philippenſes, & Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ de Sancti Polycarpi Martyrio cum veteribus verſionibus Græce & Latine, & Thomæ Smithi annotationibus. De editione iſta ultima agunt *Acta Eruditorum* Lipſiæ, anno 1710. menſe Majo pag. 196 ad 200.

Quæſtio igitur eſt, utrum hæc *Nova Epiſtolarum S. Ignatii editio*, quæ tum *Vſſeriana*, tum *Voſſiana* dicitur, ſeptemque duntaxat Epiſtolas ab eis editas continet, purum ac genuinum Ignatii opus ſit, an ſuppoſitum: ita ut nihil noſtris temporibus operum Ignatianorum reſtet, nihilque etiam unquam extiterit, Euſebio atque Hieronymo, qui Epiſtolas ipſi adſcripſerunt, deceptis. Cenſent Epiſtolas iſtas eſſe genuinas ac vere Ignatianas Hammondus, qui eo de argumento *Diſſertationes quatuor* adverſus Blondellum alios-

que anno 1651. edidit; Johannes Pearſon Presbyter Anglus in Opere prolixo quod inſcripſit *Vindiciæ Epiſtolarum ſancti Ignatii*, anno 1672. in 4. Cantabrigiæ impreſſas; Guil. Cavus in *Hiſtoria liter. ſcriptorum Eccleſiaſtic.* Sec. II. ad ann. 101. Quibus ex Pontificiis adſtipulantur Natalis Alexander, qui Vindiciarum Pearſoni compendium confecit, clarum ex obſcuro atque ex diffuſiori brevius, in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus*, Seculo I. Diſſert. XXII. Ludovicus Elias du Pin, tomo I. *Bibliotheca Nove Eccleſiaſtica*, ſeculo I. in *Ignatio*. Cenſent ex adverſo ſpurias illas eſſe atque Ignatio ſuppoſitas, Salmaſius & David Blondellus, contra quem Hammondus ſcripſit; Johannes Dallæus in Opere *de ſcriptis Dionyſio Areopagita & Ignatio Antiocheno ſuppoſitis*, Genevæ anno 1666. in 4. contra Hammondum atque alios impreſſos Fredericus Spanhemius, in *Epitome Iſagogica ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam* tomis in 8. duobus anno 1689. impreſſa Lugduni Batavorum, apud Johannem Verbeſſel, accedit in Dallæi ſententiam tomo I. Seculo 2. pag. 88. his verbis. „Non vero tacendus *Ignatius* Epiſcopus, vel Præpoſitus Eccleſiæ Antiochenæ, „Apoſtolorum diſcipulus & auditor, Martyr „ſanctiſſimus, Trajani anno X. æræ vulgaris an„no CVIII. Hunc in Scriptoribus Eccleſiaſti„cis habent Veteres omnes poſt *Euſebium*, ne di„cam *Irenæum & Origenem* citantes Ignatiana. „Sane ejus *Epiſtola ſeptem*, in vinculis ſcriptæ, „præ reliquis a pluribus approbantur, ad *Smyr„næos*, ad *Polycarpum*, ad *Epheſios*, ad *Magneſianos*, „ad *Philadelphienſes*, ad *Trallianos*, ad *Romanos*: „ut ab Iſaaco Voſſio Græce, ab Vſſerio Arma„chano Latine, vulgatæ fuerunt, omnium pur„gatiſſimæ. Reliquæ ſub Ignatii nomine, ſeu „Latinæ ſeu Græcæ, tacitæ Euſebio & Hierony„mo, omnium conſenſione in ſuppoſititiis ha„bentur. Sed nec leves ſunt Salmaſii, Blon„delli, Dallæi, Laroquii, dubitandi de prioribus „rationes: cum ſint in eis plurima, quæ Igna„tio poſteriora videantur, phraſeologiæ, facta, „hæreſes, ritus, diſciplinæ ratio.„ Spectabat hæc maxime controverſia ad Guilielmum Cavum, qui in frontiſpicio *Hiſtoriæ Literariæ Scriptorum Eccleſioſticorum*, acturum ſe de Operibus ſuppoſititiis vel ineditis profitetur. Cumque potiſſimum ſeculi Eccleſiæ primi vel ſecundi ornamentum, hæ Ignatii Epiſtolæ eſſe cenſeantur: pro illis vindicandis Ignatio, contra Dallæum fortiter pugnare debuit, uti Pearſonus egerat. At ſive prolixitatem operis & arduitatem, ſive victoriam incertam veritus Cavus, promptiſſimo modo controverſiam concluſit: qui diſputatione ipſa ſuppreſſa, litem injuriis in adverſarios abunde effuſis diremit. Audiamus hominem belle nimium loquentem. «Et ſunt „ſane primævæ pietatis, doctrinæ Eccleſiaſticæ, „& regiminis Epiſcopalis in ipſa Apoſtolica Ec„cleſia vigentis, teſtes luculentiſſimi. Hanc ob „cauſam acriter in eos inſurgunt Novatores, „totisque viribus oppugnarunt Blondellus, Salmaſius, Dallæus, doctiſſima Novatorienſium„ capita. Ne quid jam dicam de minorum gen„tium ſcriptoribus, Oweno, Voetio &c.“ Attento animo legi volumina eam in rem ſcripta ab Hammondo, Dallæo, & Pearſono: quibus inter ſe collatis, palmam tandem affecutum fuiſſe Dallæum, penſatis omnibus opinatus ſum. Ita eruditum ejusdem Opus de hoc argumento, ut præter illud dici nihil poſſit ulterius, quod rem promoveat. Rationibus enim non una aut altera, ſed argumentis ſexaginta ſex, quæ multis capitibus tractantur, rem conficit: aliisque poſtremis objectiones in contrarium allatas ſolvit. Quia tamen abſurdum eſſet, tot tantisque lectorem obruere: pauca tantum ex Dallæo ſeligemus, ne in eandem cum Cavo culpam indiſcuſſa lite incidamus.

Notandum porro eſt Joannem Dallæum, in libro 2. quem ſcripſit adverſus *Epiſtolas Ignatio Antiocheno Epiſcopo & Martyri attributas*, ex illis ſexaginta ſex argumentis, maximam partem valere & impugnare tantum vel ſex priores Epiſtolas aut ſeptem, de quibus loquuntur Euſebius & Hieronymus, ratione injectarum ipſis interpolationum & laciniarum; vel ſex poſteriores Epiſtolas ſeculo duntaxat Eccleſiæ ſexto attributas Ignatio. Itaque maximam partem Dallæanarum argumentationum & rationum, impugnare tantum veterem Ignatianarum Epiſtolarum editionem, quam omnes jam *adulterinam*, *corruptam & interpolatam* fatentur, atque ipſi etiam ultimi illarum editores: ſed nequaquam ferire & impugnare illam novam editionem, quam alii *ſinceram* arbitrantur, *Vſſerianam*que vel *Voſſianam* vocant. Id cum non modicam in Dallæo confuſionem pariat, nec niſi cum attenta lectione percipere Lector valeat, an argumentum Dallæi aliquod, vel editionem *interpolatam* attingat, vel *Vſſerianam & Voſſianam* pro germanis hactenus habitas: Nos ad ambiguitatem omnem & æquivocationem amoliendam, miſſis procul argumentis omnibus, quæ vel interpolationibus ac laciniis injectis fulciuntur, vel ex ſex poſterioribus Epiſtolis, quas & Voſſius & Vſſerius falſas bona fide fatentur, accipiuntur, has tantum rationes producemus, quibus impugnantur *Epiſtolæ illæ ſex vel ſeptem Ignatii Martyris*, ab Euſebio & D. Hieronymo recenſitæ, juxta eam editionem tam *Latinam veterem* quam anno 1642. in 8. Oxoniæ ex MSS. Anglicanis in lucem publicam Jacobus Vſſerius protulit: quam *Græcam* vel *Græco-Latinam* ab Iſaaco Voſſio ex MS. Codice Bibliothecæ Florentinæ Mediceæ, anno 1646. in 4. Amſtelodami impreſſam, quas ſolas germanas tum eruditi hodie Pontificii, tum Angli etiam reformati cenſent. Vide quæ diximus ſupra, de *Epiſtola S. Ignatii ad Romanos* Græce jam edita, cap. 5. Diſſertationis *de ſcriptis Sancti Clementis Romani Epiſcopi*.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

OSTENDITVR VARIIS RATIONIBVS, EPISTOLAS IGNATII ANTIOCHENI, QVALITER ETIAM A JACOBO VSSERIO ARMACHANO ARCHIEPISCOPO ET ISAACO VOSSIO EDITÆ SVNT, ESSE SPVRIAS ET ADVLTERINAS.

DIcimus itaque post Dallæum, *Epistolas septem* Ignatii nomine editas tam Græce quam Latine, esse Antiocheno huic Episcopo suppositas, paucis ex eodem verbotenus contractis argumentis. Negativum autem præteribo, nempe quod *Ignatiana ejusmodi* ad annum Domini 300. ignota fuerint, tractatum pluribus atque secundo loco apud Dallæum positum, capitibus §. 6. 7. 8. 9. Cum enim illud (inquiunt adversarii) negativum sit, ex eo nihil concludi posse contendunt, quamvis contra plurimis agat Dallæus citatus.

I. ARGVMENTVM I. Hæc nostri illius vulgati, & quidem utriusque Vsseriani ac Vossiani Ignatii constans ac perpetua, in omnibus pæne Epistolis constituta & ad fastidium usque repetita & inculcata doctrina est: non aliter quam ab uno Episcopo Presbyteris præsidente, regi posse ac debere singulas Christi Ecclesias, atque ut doctissimus definit Hammondus Dissert. 2. cap. 16. §. 6. *Episcopos singulares per omnes mundi plagas, ubicunque Christiana fides viguit, Christo si non præcipiente, saltem approbante esse instituendos, imo etiam institutos: sine eorum licentia nihil usquam in Ecclesia fieri oportere.* Inquit enim Vossianus & Vsserianus Ignatius in Epistola ad Ephesios, Καὶ γὰρ Ἰησοῦς Χριστὸς, τὸ ἀδιάκριτον ἡμῶν ζῆν, τῆ πατρὸς ἡ γνώμη: ὡς καὶ οἱ ἐπίσκοποι οἱ κατὰ τὰ πέρατα ὁρισθέντες ἐν Ἰησοῦ Χριστοῦ γνώμη εἰσίν. *Etenim JEsus Christus, incomparabilis nostra vita, Patris sententia est: ut & Episcopi per terræ fines constituti, JEsu Christi sententia sunt.* Ὅθεν πρέπει ὑμῖν συντρέχειν τῆ τοῦ ἐπισκόπου γνώμη, ὅπερ καὶ ποιεῖτε. Τὸ γὰρ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον, τῶ Θεῶ ἄξιον, οὕτως συνήρμοσται τῶ ἐπισκόπω, ὡς χορδαὶ κιθάρα. Διὰ τοῦτο ἐν τῆ ὁμονοίᾳ ὑμῶν, καὶ συμφώνῳ ἀγάπῃ, Ἰησοῦς Χριστὸς ᾄδεται. *Unde decet vos concurrere Episcopi sententiæ, quod & facitis. Dignum nomine enim vestrum Presbyterium, Deo dignum, sic concordatum est Episcopo, ut chordæ citharæ. Propter hoc in consensu vestro & consona charitate, JEsus Christus canitur.* Idem ad Magnesianos, Ὥσπερ οὖν ὁ κύριος ἄνευ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἐποίησεν ἡνωμένος ὤν, οὔτε δι' ἑαυτοῦ, οὔτε διὰ τῶν ἀποστόλων: οὕτως μηδὲ ὑμεῖς ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῶν πρεσβυτέρων μηδὲν πράσσετε. *Quemadmodum igitur Dominus sine Patre nihil fecit, unitus existens, neque per seipsum, neque per Apostolos: sic neque vos sine Episcopo & Presbyteris aliquid operemini.* Et ad Philadelphienses, Τὸ δὲ πνεῦμα ἐκήρυσσεν λέγον τάδε, χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν ποιεῖτε. *Spiritus autem prædicavit, dicens hæc: Sine Episcopo nihil faciatis.* Idem ad Tralleses, Ἀναγκαῖον οὖν ἐστιν, ὥσπερ ποιεῖτε, ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράσσειν ὑμᾶς. *Necessarium igitur est, quemadmodum facitis, sine Episcopo nihil vos operari.* Tum paullo post, cum Episcopum & Presbyteros, illum *ut Christum*, hos *ut concilium Apostolorum revereri* jussisset subjungit χωρὶς τούτων ἐκκλησία οὐ καλεῖται, *sine his Ecclesia non vocatur.* Et paucis interjectis, Ὁ χωρὶς ἐπισκόπου καὶ πρεσβυτερίου καὶ διακόνου πράσσων τι, οὗτος ἡ καθαρὰς ἐστι, τῆ συνειδήσει. *Qui sine Episcopo & Presbytero & Diacono operatur aliquid, iste mundus non est in conscientia.* Idem ad Smyrnenses, Μηδεὶς χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου τι πρασσέτω, τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν. Ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τοῦ Ἐπισκόπου οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. *Nullus sine Episcopo aliquid operetur eorum, quæ conveniunt in Ecclesiam. Illa firma demum Eucharistia reputetur, quæ sub ipso est, vel quam utique ipse concesserit:* id est, quæ aut ab Episcopo fit, aut ab eo cui idem ille permiserit. Tum ibidem sequitur, Ὅπου ἂν φανῇ ὁ Ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω. ὥσπερ ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. οὐκ ἐξὸν ἐστὶ χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν, ἀλλ' ὃ ἂν ἐκεῖνος δοκιμάσῃ, τοῦτο καὶ Θεῶ εὐάρεστον, ἵνα ἀσφαλὲς ᾖ καὶ βέβαιον πᾶν ὃ πράσσεται. *Ubi utique apparet Episcopus, illic multitudo sit: quemadmodum ubique ubi est JEsus Christus, illic Catholica Ecclesia. Non licitum est sine Episcopo neque baptizare, neque agapen facere: sed quod ubique ille probaverit, hoc est Deo beneplacitum, ut stabile & firmum sit omne quod agitur.* Idem in Epistola ad Polycarpum, quam Ignatii genuinum fœtum plerique post Eusebium & Hieronymum censent: Μηδὲν ἄνευ γνώμης σου γινέσθω. *Nihil sine sententia tua fiat.* Et aliquanto post, Πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι καὶ ταῖς γαμουμέναις, μετὰ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ᾖ ὁ γάμος κατὰ Θεὸν, καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν. *Decet autem ducentes & ducendas, cum sententia Episcopi unionem facere, ut sit secundum Dominum, & non secundum concupiscentiam.* Hæc Vsserianus, Vossianusque Ignatius: & hæc ipsa, & alia plura habet antiqua editio, ut hoc verbi gratia in Epistola ad Magnesianos pag. 55. *Sicut ergo Dominus sine Patre nihil facit, sic etiam & vos sine Episcopo, sive Presbyter, sive Diaconus, sive Laicus.* Atque hæ quidem sunt Ignatii nostri personati, de Ecclesiæ regimine, deque Episcopatus necessitate leges: quæ cum contrariæ sint primævæ praxi Alexandrinæ Ecclesiæ, ab vero Ignatio Antiocheno Episcopo & martyre, qui eam videbat & noscebat, scribi nequaquam potuerunt. Jam videamus quinam usus fuerit Alexandrinæ, id est nobilissimæ, & antiquissimæ & maximæ Ecclesiæ. Docet Hieronymus, testis locupletissimus Epistola 85. quæ est ad Evagrium, his verbis: *Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclem & Dionysium Episcopos* (id est ad annum Christi 246. & 264.) *Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant; quomodo si exer-*

citus Imperatorem faciat: aut Diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent. Eadem testatur Eutychius, Alexandrinæ ipsius Ecclesiæ Patriarcha, qui anno Domini 876 natus, seculo nono præcipiti, & ineunte decimo floruit, in *Annalibus Ecclesiasticis* Arabice scriptis, quorum primo specimen anno 1646. clarissimus vir Johannes Seldenus edidit, nuper vero corpus ipsum totum Arabice & Latine in Anglia editum prodiit. Hic Lib. 2. *Annalium* pag. 331. 332. inquit, *Constituit Marcus Evangelista duodecim Presbyteros cum Hanania, qui nempe cum Patriarcha manerent; adeo ut cum vacaret Patriarchatus, eligerent unum e duodecim Presbyteris, cujus capiti reliqui undecim manus imponerent, eumque benedicerent & Patriarcham eum crearent: & dein virum aliquem insignem eligerent, eumque Presbyterum secum constituerent loco ejus qui sic factus est Patriarcha, ut ita semper extarent duodecim. Neque defuit Alexandria institutum hoc de Presbyteris, ut scilicet Patriarchas crearent ex Presbyteris duodecim, usque ad tempora Alexandri Patriarchæ, qui fuit ex numero illo CCCXVIII.* Quo nomine Patres Nicænæ Synodi anno D. 325 sub Constantino celebratæ significat. Hactenus Eutychius, qui de summa rei cum D. Hieronymo consentit, de tempore leviter discrepat: Quod enim institutum Hieronymus ad Dionysium, id est ad annum Domini 264. durasse dicit, id ipse Eutychius ad Alexandrum, id est ad annum Christi 308. perseveravisse vult. Hic vero etiam ibidem pag. 332. aliud quiddam non minus mirabile nos docet, inquiens: *Ab Hanania quem constituit Marcus Evangelista Patriarcham Alexandrinum, usque in tempora Demetrii Patriarchæ, nullus erat in provinciis Ægypti Episcopus, nec Patriarcha ante eum crearunt Episcopos. Ille autem factus Patriarcha tres constituit Episcopos. Et primus fuit hic Patriarcha Alexandrinus qui Episcopos fecit. Mortuo Demetrio suffectus est Heraclas Patriarcha Alexandrinus, qui Episcopos constituit viginti.* Hæc ille. Demetrium autem istum undecimum Alexandriæ Patriarcham, constat ex Eusebio *Historiæ Ecclesiasticæ* lib. 5. cap. 22. anno Commodi Imperatoris decimo, id est Domini circiter 190. ordinatum fuisse Episcopum. Itaque ex Eutychio annis a Marco ad hunc Demetrium circiter 130. nullum tota Ægyptia, numerosissima ac amplissima Ecclesia Episcopum, præter unum Alexandrinum habuit: cæteræ extra Alexandriam parœciæ a Presbyteris absque Episcopis singulæ regebantur. Eutychianam hanc traditionem confirmat idem institutum, in antiquissima ac nobilissima Ecclesiæ Ægyptiacæ traduce, Æthiopica scilicet Christianitate, ad hæc usque tempora servatum. In tota enim Æthiopica Ecclesia, quæ latissime patet, & multo etiam latius olim patuit, unus duntaxat ab antiquis temporibus Episcopus est, quem *Abunam* id est Patriarcham vocant, qui etiam hodie ab Alexandrino Patriarcha consecratur, ac mittitur. Unus hic in tota Æthiopia ordines, neque alios quam Diaconatum & Presbyteratum confert, ut ab Alphonso Mindesio diserte traditum est, quem ex Jesuita Patriarcham Pontifex Latinorum ad illam gentem ante annos triginta miserat. Idem Nicolaus Godigrius, homo ejusdem Societatis, ante Mindesium docuerat Lib. I. *de rebus Abassinis* cap. 32. pag. 198. Cum igitur larvatus ille Ignatius in his Epistolis etiam Vsserianæ & Vossianæ editionis, huic praxi & usui Ecclesiæ Alexandrinæ, quam verus Ignatius Antiochenus noverat & viderat, tam contraria doceat: hæ Epistolæ legitimus fœtus veri Ignatii Antiocheni Episcopi & Martyris esse nullatenus possunt, qui amicæ sibi Ecclesiæ praxin nequaquam scriptis damnasset. Hæc ex Dallæo, Lib. 2. *de libris suppositis Dionysio Areopagita & Ignatio Antiocheno* cap. 7. pag. 272. nonnullis immutatis.

Cætera verbotenus hinc inde apud eundem sparsa, ad idem hoc argumentum confirmandum & illustrandum facientia, in unum colligamus. Ibidem pag. 275. Jam vetustissimam illam Ecclesiarum Alexandrinæ quidem ad annum Domini 190. Æthyopicæ vero ad nostra tempora disciplinam cum Epistolici Ignatii *κυρίαις δόξαις* comparemus. Hic statuit singulares Episcopos per omnes mundi plagas, in civitatibus, ubi Christiana fides viget, esse institutos. illæ negant in Ægypti & Æthiopiæ amplissimis ac christianissimis civitatibus, ullos fuisse ad annum Christi 190 Episcopos, duos tantum in amplissimis illis & maximis regionibus fuisse ajunt, Patriarcham Alexandrinum, & Abunam Æthiopicum. Ille negat sine Episcopo quicquam faciendum: juxta illos Alexandriæ ad annum Domini 264 Presbyteri sine Episcopo non tantum Presbyterum, sed etiam, quod maximum est, Patriarcham faciunt. Ille definit *necessarium esse nihil absque Episcopo operari, non baptizare, non Eucharistiam, non agapen facere.* At omne ministerium Ecclesiasticum absque Episcopo, in omnibus Ægypti (excepta Alexandria) civitatibus ad annum Domini 264. ac in Æthiopia passim ad hæc usque tempora peractum est. Ille negat *mundum esse in conscientia*, qui horum aliquid sine Episcopo operatur. Tota autem & Ægyptus ab initio, & Æthiopia semper, nihil sanctitate Presbyterorum detrahi censuerunt, quod illi sacrum ministerium absque Episcopo peragant. Ille pronuntiat *sine Episcopo Ecclesiam non vocari, χωρὶς γὰρ τοῦτου Ἐκκλησία δ' καλεῖται.* At Ecclesias sine Episcopis singularibus plurimas, & quidem copiosissimas & florentissimas, & Ægyptus olim ad annum Domini 190 habuit & vocavit, & Æthiopia etiam nunc habet & vocat. Quæ ergo hæc ad annum Domini 190. ita censuit ac factitavit Ecclesia Ægyptiaca, quæ acceptum ab ea hunc ritum ad nostram memoriam retinuit Ecclesia Æthiopica, utraque nescivit profecto contrarium usum esse vere Apostolicum. Ignatium adeo Epistolicum neutra notum habuit, quam

si noviſſent, & vere Antiochenum Epiſcopum & Martyrem eſſe putaſſent: ne illa quidem ignorare potuiſſent, ſuæ diſciplinæ plane penitusque contraria, quæ in omnibus iſtis Epiſtolis occurrunt. Hinc idem Dallæus ignotas fuiſſe Tertulliano has Epiſtolas recte concludit, cap. 8. pag. 277. his verbis. Sed ut jam ex hoc diverticulo ad vetuſtiora gradum referamus, ex his apparet ipſi etiam Tertulliano non minus quam Irenæo, ignotum fuiſſe hunc noſtrum Epiſtolicum Ignatium. Ille enim hujus decretum *ſine Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis Eccleſiam vocari* negantis ac vetantis, apertiſſime refigit, ac ut ſic dicam proculcat: & aliud ipſe plane toraque (quod ajunt) diametro oppoſitum atque adverſum condit & in hæc verba promulgat, libro *de exhortatione caſtitatis* cap. 7. pag. 668. inquiens, *Vbi tres, Eccleſia eſt, licet laici: unusquisque enim ſua fide vivit.* Non potuit totam Ignatii noſtri legem, vel contemptius deſpuere, vel fortius confringere atque elidere. At incredibile eſt virum tantum, Apoſtolici doctoris & Martyris definitiones, ſi quas ſciviſſet, tam irreverenter habiturum fuiſſe, tamque procaciter repudiaturum, & alias plane contrarias ſecuturum. Illi ergo Ignatiana noſtra ignota prorſus fuiſſe confitendum eſt. Idem denique cap. 14. pag. 318. Sed neque veriſimile eſt, Ignatium illa ſcripſiſſe, quæ ſupra ex Epiſtola ad Trallianos recitavimus, *ſine Epiſcopo, Presbyteris & Diaconis, Eccleſiam non vocari.* Id enim non modo cum Tertulliano contrarium diſertiſſime decernente, ut ſupra diximus: ſed etiam cum Alexandrinæ per illa tempora, & Æthiopicæ ad hodiernum usque diem, Eccleſiæ judicio pugnat: quæ Eccleſias utraque multas in Ægypto, & in Æthiopia ampliſſimas, absque ullo singulari Epiſcopo a ſolis Presbyteris adminiſtratas ac gubernatas agnovit, ut ſupra oſtendimus. Quid, quod illa lex, etiam doctiſſimi Hammondi, quantumvis ſtudioſi Ignatianorum patroni, & aliorum multorum eadem ſentientium, & quidem quorundam Latinorum utiliſſimam, ac pæne in tota Hierarchiæ cauſſa præcipuam, hypotheſin evertit? Hi enim omnes ſtatuunt primis Apoſtolorum temporibus Eccleſias Chriſtianas plurimas, ac pæne omnes fuiſſe vere proprieque ſic dictas, ſolo Epiſcopo cum aliquot Diaconis contentas, absque ullo ſecundi (ut vocant) gradus Presbytero. At Ignatianus legislator, ad hoc ut aliquod Chriſtianorum corpus, Eccleſia & dici & eſſe poſſit, requirit ut non modo Epiſcopum & Diaconos, ſed etiam Presbyteros habeat, qui ſine his ſcilicet, Eccleſiam vocari negat. Nam ut hæc ejus verba disjunctive ſumantur, ut etiam ea Eccleſia vocari poſſit, quæ unumquemvis ex tribus iſtis gradibus habeat, etiamſi aliis careat: nemo (ut opinor) Hierarchicorum paſſurus eſt, qui Eccleſiam contineri, quæ ſolum habeat Diaconatum, vetant. Ergo ipſi quoque confiteri debent ſuum iſtum Epiſtolarum ſcriptorem, nihil minus eſſe quam Ignatium Antiochenum & Martyrem: qui ex ipſorum quidem ſententia, primis, veriſſimis, puriſſimis ac matricibus cæterarum omnium Eccleſiis, Apoſtolici ſcilicet ævi pæne omnibus, ipſum Eccleſiæ nomen arripit: quod profecto Martyrem Ignatium, ipſarum illarum Eccleſiarum alumnum, facturum fuiſſe, nemo crediderit.

ARGVMENTVM II. Illud multo magis, imo longe maximi momenti eſſe mihi quidem videtur, quod ſcriptor *Presbyteri* & *Epiſcopi* nomina, non ſemel aut iterum, ſed perpetuo & in omnibus ubique Epiſtolis aliter uſurpat, quam Apoſtoli & Apoſtolici viri, eorumque etiam diſcipuli, duobus primis Eccleſiæ ſeculis uſurparunt. Hic enim duo illa nomina plane eodem ſenſu accipit, quo a tertii ſeculi Chriſtianis & ſequentium, ad hæc usque tempora accepta fuiſſe & ſcimus, & libenter concedimus: ſic nimirum, ut duas dignitates a ſe invicem diſtinctas ſignificent: isque *Epiſcopus* intelligatur, qui *Presbyter* quidem ipſe quoque eſt, ſed & Presbyterio præeſt, & in eorum collegio caput eſt: *Presbyter* vero ille qui Epiſcopo ſubeſt. Vnde neceſſario exſurgunt tres in Eccleſia Miniſtrorum ordines, *Epiſcopus* primus & ſummus, *Presbyter* ſecundus & medius, *Diaconus* denique tertius & infimus. Nunc de re ipſa non diſputo. Donemus doctiſſimo Hammondo, quod ille tam vehementer cupit, hos tres ordines jam ipſis Apoſtolorum temporibus ita ut diximus, in Eccleſia ſtetiſſe. *Ordinum* certe nomina, de quibus nunc ſolis diſputo, nondum iſtis Apoſtolorum & virorum Apoſtolicorum temporibus, ita a ſe invicem diſtincta fuiſſe videntur, ut non aliquando, imo ſæpiſſime nomen *Presbyteri*, quod nunc ſecundi ordinis miniſtros ſignificat, de iis diceretur quos nunc eſſe primi ordinis volunt: & viciſſim *Epiſcopi*, quod eſt primi ordinis nomen, de ſecundi ordinis miniſtris acciperetur. *Diaconorum* nomen ſeorſum ab iis habitum conſteor, neque unquam illis vel *Epiſcoporum* vel *Presbyterorum* nomen, ne ab ipſis quidem Apoſtolis tributum lego. De *Epiſcopi* tantum & *Presbyteri* nominibus quæro, cur quæ apud Apoſtolos & Apoſtolicos viros confuſa ac promiſcua lego, apud hunc ita accurate ac religioſe diſtincta ac diſcriminata, ſuisque ſeorſum finibus alterum ab altero diſterminata reperiam: ut ne ſemel quidem in hac quantacunque Epiſtolarum Sylloge, vel *Epiſcopi* cum *Presbytero*, vel *Presbyteri* cum *Epiſcopo* communicatam appellationem obſervare potuerim? Neque hac in re ullum eſt inter Vſſerianas & Voſſianas, & vulgatas antiquæ editionis Epiſtolas diſcrimen. Caſte utræque & religioſe hæc nominum diſcrimen obſervant, neque unum cum altero uſpiam confundunt. Apud utrasque editiones Voſſii & Vſſerii lego in Epiſtola ad Epheſios, *Τὸ γὰρ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον, τὸ θεοῦ ἄξιον, οὕτως συνήρμοσται τῷ Ἐπισκόπῳ, ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ.* *Dignum namque vestrum*

2.

ſtrum Presbyterium, Deo dignum, ſic concordatum eſt Epiſcopo, ut chordæ citharæ. Idem paulo antea πρέπον ἐν ἐστὶν, κατὰ πάντα τρόπον δοξάζειν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν δοξάσαντα ὑμᾶς, ἵνα ἐν μιᾷ ὑποταγῇ ἦτε κατηρτισμένοι τῷ αὐτῷ νοὶ, καὶ τῇ αὐτῇ γνώμῃ, καὶ τὸ αὐτὸ λέγητε πάντες περὶ τοῦ αὐτοῦ, ἵνα ἐπιτασσόμενοι τῷ Ἐπισκόπῳ καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, κατὰ πάντα ἦτε ἡγιασμένοι. *Decens igitur eſt ſecundum omnem modum glorificare Jeſum Chriſtum, qui glorificavit vos: ut in una ſubjectione unæ animæ, eademque ſententia unum idemque ſentiatis, perfecti, ſubjecti Epiſcopo & Presbyterio, ſecundum omnia ſanctificati ſitis.* Vtræque multo poſt Epheſios laudant, ὡς τὸ ὑπακούειν ὑμᾶς τῷ Ἐπισκόπῳ, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ἀπερισπάστῳ διανοίᾳ: *quod obediant Epiſcopo & Presbyterio, indivulſa mente, ſeu ſenſu imprævaricabili.* Vtraque editio Voſſii & Vſſerii, Magneſianam Eccleſiam memorat, Ἠξιώθην ἰδεῖν ὑμᾶς διὰ Δαμᾶ τοῦ ἀξιοθέου ὑμῶν Ἐπισκόπου, καὶ Πρεσβυτέρους ἀξίους Βάσσου, καὶ Ἀπολλωνίου, καὶ συνδούλου μου Διακόνου Σωτίωνος, ἧς ἐγὼ ἀπόλαυσιν, ὅτι ὑποτάσσεται τῷ Ἐπισκόπῳ ὡς Χάριτι Θεοῦ, καὶ τῷ Πρεσβυτερίῳ ὡς νόμῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Dignatus ſum videre vos per Damam dignum Deo veſtrum Epiſcopum, & Presbyteros dignos Baſſum & Apollonium, & conſervum meum Diaconum Sotionem, quo ego fruor: quoniam ſubjectus eſt Epiſcopo ut gratiæ Dei, & Presbyterio ut legi Jeſu Chriſti.* Vtræque paulo poſt jubent, Ἐν ὁμονοίᾳ Θεοῦ σπουδάζετε πάντα πράσσειν, προκαθημένου τοῦ Ἐπισκόπου εἰς τόπον Θεοῦ, καὶ τῶν Πρεσβυτέρων εἰς τόπον συνεδρίου τῶν Ἀποστόλων καὶ τῶν Διακόνων, τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *In concordia Dei ſtudete omnia operari, præſidente Epiſcopo in loco Dei, & Presbyteris in loco conſeſſionis Apoſtolorum, & Diaconis mihi dulciſſimis, habentibus creditam miniſtrationem Jeſu Chriſti.* Vtraque editiones Voſſii & Vſſerii præcipiunt Tralleſianis, Ἄνευ τοῦ Ἐπισκόπου μηδὲν πράττειν ὑμᾶς, ἀλλ' ὑποτάσσεσθαι καὶ τῷ Πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς Ἀποστόλοις Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, ἐν ᾧ διαγοντες εὑρεθησόμεθα. Δεῖ δὲ καὶ τοὺς Διακόνους ὄντας μυστηρίων Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ πάντα τρόπον πᾶσιν ἀρέσκειν. Ὁμοίως πάντες ἐντρεπέσθωσαν τοὺς Διακόνους ὡς Ἰησοῦν Χριστὸν, ὡς καὶ τὸν Ἐπίσκοπον, ὄντα εἰς τύπον τοῦ Πατρός. τοὺς δὲ Πρεσβυτέρους ὡς συνέδριον Θεοῦ, καὶ ὡς σύνοδον Ἀποστόλων. Χωρὶς τούτων ἐκκλησία οὐ καλεῖται. *Sine Epiſcopo nihil operari ipſos, ſed ſubjici & Presbyterio ut Apoſtolis Jeſu Chriſti, ſpei noſtræ, in quo converſantes inveniamur. Oportet autem & Diaconos, miniſtros exiſtentes Myſteriorum Jeſu Chriſti, ſecundum omnem modum omnibus placere. Similiter & omnes reverentur Diaconos, ut mandatum Jeſu Chriſti, & Epiſcopum ut Jeſum Chriſtum, exiſtentem filium Patris, Presbyteros autem ut concilium Dei & conjunctionem Apoſtolorum. Sine his Eccleſia non vocatur.* Et paulo poſt ὁ χωρὶς Ἐπισκόπου, καὶ Πρεσβυτερίου, καὶ Διακόνων πράσσων τι, οὗτος οὐ καθαρός ἐστι τῇ συνειδήσει. *Qui ſine Epiſcopo & Presbytero & Diacono operatur aliquid, iſte non eſt mundus in conſcientia.* Vtraque editiones Voſſii & Vſſerii apud Philadelphienſes prædicant, μία γὰρ σὰρξ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ ἓν ποτήριον εἰς ἕνωσιν τοῦ αἵματος αὐτοῦ· ἓν θυσιαστήριον, ὡς εἷς Ἐπίσκοπος, ἅμα τῷ Πρεσβυτερίῳ, καὶ Διακόνοις τοῖς συνδούλοις μου. *Vnam eſſe carnem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & unum calicem in unionem ſanguinis ipſius. Vnum altare, & unum Epiſcopum, cum Presbyterio & Diaconis meis conſervis.* Et paulo poſt utrasque editiones Voſſii & Vſſerii ſiſtunt ſic loquentem Ignatium: Ἐκραύγασα μεταξὺ ὤν, ἐλάλουν μεγάλῃ φωνῇ, Τῷ Ἐπισκόπῳ προσέχετε, καὶ τῷ Πρεσβυτερίῳ, καὶ Διακόνοις. Μάρτυς δέ μου ἐν ᾧ δέδεμαι, ὅτι ἀπὸ σαρκὸς ἀνθρωπίνης οὐκ ἔγνων. Τὸ δὲ πνεῦμα ἐκήρυσσεν λέγον τάδε, χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου μηδὲν ποιεῖτε. *Clamavi in intermedio exiſtens, locutus ſum magna voce, Epiſcopo attendite & Presbyterio & Diaconis. Teſtis autem mihi in quo vinctus ſum, quia a carne humana non cognovi: Spiritus autem prædicavit, dicens hæc: Sine Epiſcopo nihil facitis.* Denique utraque editiones Smyrnenſibus eadem occinunt, Πάντες τῷ Ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ Πατρί· καὶ τῷ Πρεσβυτερίῳ, ὡς τοῖς Ἀποστόλοις. Τοὺς δὲ Διακόνους ἐντρέπεσθε, ὡς Θεοῦ ἐντολήν. *Omnes Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem; & Presbyterium ut Apoſtolos. Revercimini autem Diaconos ut Dei mandatum.* Μηδεὶς χωρὶς τοῦ Ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν: *Nullus ſine Epiſcopo aliquid operetur, eorum quæ conveniunt in Eccleſiam.* Vterque Voſſius & Vſſerius in Epiſtola Ignatii ad Polycarpum, Μηδὲν ἄτερ γνώμης σου γινέσθω, *nihil ſine ſententia tua fiat.* Tum poſtea ſubdit, καὶ εἴη γνωσθὲν πλέον τῷ Ἐπισκόπῳ, ἐφ' ᾧ ἔφαρτα. Πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι καὶ ταῖς γαμουμέναις, μετὰ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ Θεὸν, καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν. *Et ſi quis viderit vult plus Epiſcopo, corruptus eſt. Decet autem ducentes & ducendas cum ſententia Epiſcopi unionem facere, ut ſit ſecundum Dominum, & non ſecundum concupiſcentiam.* Hæc Voſſianæ Vſſerianæque & vulgatæ Epiſtolæ, quibus nihil dici poteſt clarius ad diſtinguendas *Epiſcopi* & *Presbyteri* dignitates & ordines. Idemque eſt aliarum, quæ præter has in vulgatis codicibus habentur, Epiſtolarum adjectarum ſermo, quas impugnare hic non aggredimur. Hic igitur ſcriptor præter Apoſtolorum & Eccleſiaſticorum ad annum Chriſti 200. ſcriptorum conſuetudinem, *Epiſcopum* & *Presbyterum*, illum de primi, hunc de ſecundi gradus ſacerdote, ſemper ac conſtanter, & aliter nunquam dicit: id quod arguit hominem diu poſt ſecundum Chriſtianitmi ſeculum vixiſſe. Hoc argumentum apud Dallæum LVIII eſt, atque cap. 26. pag. 386. tractatum, non tantum valet in Epiſtolis Ignatianis antiquæ editionis, quam vitiatam atque interpolatam vocant, ſed in editionibus quoque Voſſii & Vſſerii recentioribus. Videtur enim hic author nullum alium habuiſſe finem, quam ut diſtinctionem quandam & ſubjectionem omnimodam inculcaret, tum Diaconorum Presbyteris, tum Presbyterorum Epiſcopis: id quod tanc virum ab Apoſtolicis temporibus valde

valde remotum prodit. Eximie hoc argumentum tractat Dallæus a pag. 386. ad 404. ut his pluribus immorari, mihi omnino superfluum esse videatur. Hoc tantum ego annotabo in editione istarum Epistolarum Vossiana atque Vsseriana anni 1680. quæ 60. duntaxat pagellas continet, inveniri doctrinam hanc inculcatam usque ad nauseam, paginis 6. 7. 9. 14. 18. 19. 20. 31. 32. 33. bis 37. 41. 43. semel atque iterum 47. 48. 50. 53. In Epistola ad Smyrnæos ita loquitur. *Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem, & Presbyterium ut Apostolos, Diaconos autem reverearmini ut Dei mandatum. Nullus sine Episcopo aliquid operetur eorum, quæ conveniunt ad Ecclesiam. Illa firma gratiarum actio reputetur, quæ sub ipso est, vel quam utique ipse concesserit. Ubi utique apparet Episcopus, illic multitudo sit: quemadmodum utique ubi est Christus Jesus, illic Catholica Ecclesia. Non licitum est sine Episcopo neque baptizare, neque agapen facere: sed quod utique ille probaverit, hoc est Deo beneplacitum, ut stabile sit & firmum omne quod agitur.* Tum postea, *Honorans Episcopum, a Deo honoratus est: qui occultans ab Episcopo aliquid operatur, diabolo præstat obsequium.* Tanta ergo affectatio hujus authoris, ad inculcandam Episcoporum ad Presbyteros authoritatem, & Presbyterorum ad Episcopos subjectionem, olet mihi remotum a temporibus Apostolicis scriptorem. Imo tantum Episcopis tribuit, ut neque in Epistola ad Polycarpum, velit ullam viri ac mulieris conjunctionem, absque Episcopi sententia fieri. Πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι καὶ ταῖς γαμουμέναις, μετὰ γνώμης τοῦ Ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν πεποιῆσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ Θεόν, καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν. Πάντα εἰς τιμὴν Θεοῦ γινέσθω. *Decet autem ducentes & ducendas, cum sententia Episcopi unionem facere: ut sit secundum Deum, & non secundum concupiscentiam. Omnia in honorem Dei fiant.* Quis autem credat priscis Ecclesiæ temporibus hoc factum fuisse, dum fideles passim cum infidelibus matrimonio conjungebantur: cui Episcoporum sententiam necessariam fuisse, prorsus absurdum est. Qui plura voluerit, Dallæum adeat probantem abunde duobus primis Ecclesiæ seculis, & Episcoporum & Presbyterorum nomina ac dignitates non fuisse distinctas.

CAPVT SEXTVM.

IDEM OSTENDITVR ALIIS ARGVMENTIS, A DOCTRINA EPISTOLARVM DESVMPTIS.

3. ARGVMENTVM III. Ipsas jam Epistolas deinceps paulo accuratius inspiciamus, & videamus, an & seculi quo scriptæ, & viri a quo scriptæ esse dicuntur, ingenio ac moribus plane congruant: & exploremus num quid forte insit, quod fucum faciat. Difficile enim est, peritissimum etiam impostorem & callidissimum, ita sibi undequaque cavere, ut non ei aliquid imprudenti excidat, quod deceptionem & dolum prodat. Hic Pseudo-Ignatius in his quoque Vossianæ & Vsserianæ editionis Epistolis, non quidem Basilidem nominatim & Theodotum ut in antiquis editionibus, sed Saturninum Basilidis æqualem de quo postea dicemus, & condiscipulum, aperte confutat: qui Antiochiæ paulo ante Basilidem, vel eodem tempore ut nonnullis placet, cæterum & ipse sub Adriano Imperatore, foras erupit. Vnum enim *Saturnini* dogma maxime fuit juxta Irenæum Lib. 1. *adversus hæreses* cap. 22. & Epiphanium *Hæresi* 23. Salvatorem nempe incorporalem quidem ipsum & sine figura, putative autem visum esse hominem: quod nemo quidem acrius exagitavit, quam idem hic noster putativus Ignatius, duobus in locis, imo & pluribus. Sic autem in Epistola ad Smyrnæos, Vossianæ & Vsserianæ editionis. Ἐνόησα γὰρ ὑμᾶς κατηρτισμένους ἐν ἀκινήτῳ πίστει &c. πεπληροφορημένους εἰς τὸν κύριον ἡμῶν, ἀληθῶς ὄντα ἐκ γένους Δαβὶδ κατὰ σάρκα, υἱὸν Θεοῦ κατὰ θέλημα καὶ δύναμιν Θεοῦ, γεγεννημένον ἀληθῶς ἐκ παρθένου, βεβαπτισμένον ὑπὸ Ἰωάννου, ἵνα πληρωθῇ πᾶσα δικαιοσύνη ὑπ' αὐτοῦ· Ἀληθῶς ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου καὶ Ἡρῴδου τετράρχου καθηλωμένον ὑπὲρ ἡμῶν ἐν σαρκί. *Intellexi enim vos perfectos in immobili fide &c. certificatos in Dominum nostrum Jesum Christum, vere existentem de genere David secundum carnem, filium Dei secundum voluntatem & potentiam Dei. Genitum vere ex Virgine, baptizatum a Johanne, ut impleatur omnis justitia ab ipso. Vere sub Pontio Pilato & Herode Tetrarcha crucifixum pro nobis in carne.* Tum paulo post subjungit, Ταῦτα γὰρ πάντα ἔπαθεν δι' ἡμᾶς ἵνα σωθῶμεν. Καὶ ἀληθῶς ἔπαθεν, ὡς καὶ ἀληθῶς ἀνέστησεν ἑαυτόν, οὐκ ὥσπερ ἄπιστοί τινες λέγουσιν, τὸ δοκεῖν αὐτὸν πεποιθέναι· αὐτοὶ τὸ δοκεῖν ὄντες· καὶ καθὼς φρονοῦσιν, καὶ συμβήσεται αὐτοῖς, ὄντα ἀσωμάτοις καὶ δαιμονικοῖς. *Hæc enim omnia passus est pro nobis, ut salvemur. Et vere passus est, ut & vere resuscitavit seipsum. Non quemadmodum infideles quidam dicunt, secundum videri ipsum passum esse, ipsi secundum videri existentes: & quemadmodum sapiunt, & accidet ipsis existentibus incorporeis & damoniacis.* Tum subjicit multa contra Saturninum, ut doceat Christum vere, & non tantum putative fuisse hominem, quibus sic concludit: Τούτου δὲ ἔχει ἐξουσίαν Ἰησοῦς Χριστός, τὸ ἀληθινὸν ἡμῶν ζῆν. Εἰ γὰρ τὸ δοκεῖν ταῦτα ἐπράχθη ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν· κἀγὼ τοῦ δοκεῖν δέδεμαι. *Hujus autem habet potestatem Jesus Christus, verum nostrum vivere. Si autem secundum videri hæc operata sunt a Domino nostro: ergo & ego secundum videri ligatus sum.* Idem quoque in Epistola ad Trallesios, atque iisdem ferme verbis. Εἰ δὲ ὥσπερ τινὲς ἄθεοι, τουτέστιν ἄπιστοί λέγουσιν, τὸ δοκεῖν πεπονθέναι αὐτόν, αὐτοὶ ὄντες τὸ δοκεῖν· ἐγὼ τί δέδεμαι; τί δὲ εὔχομαι θηριομαχῆσαι; δωρεὰν ἄρα ἀποθνήσκω. *Si autem quemadmodum quidam sine Deo existentes, hoc est, infideles dicunt, secundum videri passum esse ipsum, ipsi existentes secundum videri: ego quid vinctus sum? Quid autem & opto cum bestiis pugnare?*

se? Gratis igitur morior. Quale autem argumentum quæso, quam ſtramineum atque infirmum, ſua allegare vincula atque pugnam ad beſtias ſibi paratam, ad humanitatis & incarnationis Chriſti, veri ejus corporis, veræ paſſionis & reſurrectionis, veritatem probandam. Conſtans igitur eſt his Epiſtolis etiam Voſſianæ & Vſſerianæ editionis, impugnari Saturnini dogma, veritatem Incarnationis & hominis Chriſti negantis. Baronius in Annalibus, anno Chriſti 120. §. 18. Saturninum poſt Baſilidem ordine recenſet, licet nonnulli (inquit) qui de iis agunt, de Saturnino primum mentionem fecerint. Qui ſint iſti nonnulli a ſe diſſentientes, callide tacet, ne tantorum nominum authoritas vanitatem figmenti ſui labefactaret. Nos qui ſint, dicemus. Primus ergo hic diſſentientium a Baronio, Tertullianus eſt *de præſcriptione* cap. 45. pag. 249. Secundus eſt Euſebius Lib. 4. *Hiſtoria* cap. 7. Tertius eſt Theodoretus Lib. I. *Hæreticarum fabularum* cap. 2. Quartus eſt S. Epiphanius, id eſt vetuſtiſſimi omnes authores, a quibus rem totam hanc habemus, neque quenquam eſſe puto, qui Baronio ſecus docenti præiverit. Omnes, inquam, quotquot de his verba faciunt, Saturninum Baſilide anteriorem vel æqualem fuiſſe ſignificant. Quidam quod veriſſime ac ſolertiſſime obſervavit Vſſerius, ſuis Prolegomenis in Ignatium cap. 16. pag. 107. diſerte affirmant Saturninum priorem, erroris ſcholam aperuiſſe, ut Tertullianus *de præſcriptione* cap. 45. pag. 249. qui Simonis & Menandri impietatem paucis executus, inquit: *Secutus eſt poſt hæc & Saturninus:* cujus quoque deliriis expoſitis, tum demum inquit, *Poſtea Baſilides hæreticus erupit. Poſtea*, inquam. Non ergo ante Saturninum, quæ ariolatio Annaliſtæ inſulſa eſt, hiſtorias nobis non ex rerum veritate, ſed ex ſuo commodo contexentis. Omnia etiam Epiphanius *Hæreſi* 23. clarius expandit, hos duos Saturninum & Baſilidem in Syria condiſcipulos συσχολαστὰς, ſub Menandri (ut videtur) præceptoris diſciplina fuiſſe, Saturninum Antiochiæ docuiſſe, Baſilidem in Ægyptum eſſe profectum, *& illo ſuo præſtigiatore condiſcipulo, quem in Syria reliquerat, majora multo prædicare cœpiſſe, ut ſublimioribus quam ille tractandis dogmatibus, majorem auditoribus ſuis fucum faceret: iisdemque impenſius arrideret, ac plures ſodali ſuo Saturnino ſectatores colligeret.* Tum, *ſed ut quod res eſt dicam; non ille per ſeſe, ac ſuopte ingenio, dira illa ac peſtifera dogmata primus excogitavit: ſed a Saturnino ac Simone Mago, quem ſupra refutavimus, erroris argumenta mutuatus eſt, quæ alia ratione tractare & majore cum pompa enarrare inſtituit.* Ita ex Petavii interpretatione Epiphanius. Euſebius quarti ſeculi ſcriptor, tum Saturninum Antiochenum tum Baſilidem Alexandrinum ſub imperio Hadriani hæreſes ſuas diſſeminare cœpiſſe refert lib. 4. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 7. pag. 119. & quidem recte, clariſſimo & eruditiſſimo Valeſio judice, in Notis ad eum Euſebii locum. Idem Euſebius in *Chronico*, ad annum Hadriani XVII, Domini vero CXXXIV. Baſilidem hæreſiarcham exhibet, a quo, inquit, *Gnoſtici.* Hæc Vetuſtiſſimi, a quibus neque poſteri ſcriptores diſcedunt. Theodoretus quinti ſeculi optimus author, Lib. I. *Hæreticarum fabularum* cap. 2. Tomo 4. pag. 193. Saturninum & Baſilidem, ambos ſub Hadriano fuiſſe dicit his verbis, ἄμφω δὲ ἐπὶ Ἀδριανοῦ τοῦ Καίσαρος ἐγένοντο. Iſidorus Hiſpalenſis, ſeptimi ſeculi ſcriptor, Hadriani principatum in *Chronico* pag. 389. exhibens, inquit: *Per idem tempus Aquila Ponticus, interpres ſecundus poſt LXX. oritur, & Baſilides hæreſiarcha agneſcitur.* Cæteros referre eadem ſequentes & ſupervacaneum & longum eſt. Cum ergo ex his certum ſit, Saturninum diu poſt Apoſtolos, ſub Hadriano Principe, ut habent Euſebius Cæſarienſis & Hieronymus, hæreſes ſuas ſpargere cœpiſſe: Epiſtolarum Ignatianarum ſcriptor, qui Saturninum diſerte confutat, ab Ignatio Martyre & Antiocheno Epiſcopo alius neceſſario eſt: quem ſcilicet annis poſt Joannem Apoſtolum pauciſſimis ſub Trajano Hadriani deceſſore, martyrium paſſum eſſe conſtat anno Domini 109 ex Baronii calculo, vel anno 107 ex Vſſerio qui accuratior eſt, annis adeo circiter XXVII ante exortam Saturnini hæreſim, quam Pſeudo Ignatius Voſſianus ſimul & Vſſerianus confutat.

ARGVMENTVM IV. Idem Ignatius, confutat Theodotum Coriarium ſeu Byzantinum, qui poſt annum Domini 194 quo Victor ſedere cœpit, vixiſſe & hæreſim ſuam prodidiſſe refertur. Scriptor contra Artemonem anonymus quidem ſed antiquiſſimus, ſive is Cajus ſit, ut a Photio traditum eſt in Bibliotheca Cod. 48. ſive alius, duos Theodotos memorat apud Euſebium *Hiſtoria Eccleſiaſtica* lib. 5. cap. 28. pag. 190. B. Unum cognomento *Coriarium τὸν σκυτέα*, ab arte quam olim exercuerat, quem Epiphanius Hæreſi 54 & Hieronymus contra Helvidium cap. 9. a patria *Byzantinum* indigitant cum Artemone Chriſtum blaſphemantem. Alterum, prioris iſtius diſcipulum, & quod ajunt, mali corvi malam ovum, *Theodotum Argentarium, τραπεζίτην.* Jam quod idem ille ſcriptor narrat Coriarium a Victore Romano Epiſcopo, ab Eccleſiæ communione ejectum fuiſſe ob ſuam illam hæreſim, cujus ibidem *parens & author primus* fuiſſe dicitur: id inquam hominem demonſtrat poſt annum Domini 194 quo Victor ſedere cœpit, vixiſſe & hæreſim ſuam prodidiſſe, id eſt, annis poſt Ignatium martyrio coronatum 87. Iſte ergo Epiſtolarum ad Epheſios & Magneſianos, editionis etiam Voſſianæ & Vſſerianæ ſcriptor, qui res tam multis poſt Ignatii martyris obitum annis geſtas ſcivit, omnino quisquis de cætero ſit, poſt annum Domini 194 vixit. Jam ſi verâ ſunt, quæ Cajus ſive alius apud Euſebium Lib. 5. *Hiſtoria* cap. 28 ſcriptor vetuſtiſſimus dicit, *Theodotum Coriarium defectionis illius, qua Chriſtum Deum negat, parentem & autorem fuiſſe, primum-* 4

que

que asseriisse, Christum esse nudum hominem. Τὸν ἀρχηγὸν καὶ πατέρα ταύτης τῆς ἀνοσιοθέου ἀποστασίας, πρῶτον εἰπόντα ψιλὸν ἄνθρωπον τὸν Χριστόν. Ita quoque necesse erit Ignatio, non tantum vulgaris, sed Vossianæ etiam & Vsserianæ editionis, Theodotum hunc qui anno circiter 194 vixit, fuisse cognitum, quod absurdum atque impossibile est. Hoc probatur, cum in Vossianis etiam & Vsserianis Epistolis, hæc blasphemia diserte refutata reperiatur, in ea quæ est ad Ephesios & ad Magnesianos. Et in Epistola ad Ephesios, Εἷς ἰατρός ἐστιν σαρκικός τε καὶ πνευματικός, γενητὸς καὶ ἀγέννητος, ἐν σαρκὶ γενόμενος Θεός, ἐν θανάτῳ ζωὴ ἀληθινὴ καὶ ἐκ Μαρίας καὶ ἐκ Θεοῦ, πρῶτον παθητὸς καὶ τότε ἀπαθής, Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν. *Medicus autem unus est, & carnalis & spiritualis, factus & non factus, in Homine existens Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo, primum passibilis, & tunc impassibilis, Jesus Christus Dominus noster.* Atque hunc locum allegant velut ex Ignatio Antiocheno & martyre Theodoretus in *Dialogo primo* sive Ἀτρέπτῳ, & Gelasius Romanus Pontifex in Libro *de duabus naturis*, ut refert Jacobus Vsserius in Prolegomenis seu Commentario ad Epistolas Ignatii cap. 3. pag. 16. Quibus verbis directe ferit Hæresim Theodoti Coriarii, utramque naturam in Christo negantis, eumque purum fuisse hominem primi circa annum 194 affirmantis: quæ sane in Ignatium verum, Antiochiæ Episcopum & Martyrem, anno 109 vel 107 mortuum, cadere nequaquam possunt. Iterum in eadem Epistola, Πῦ σοφὸς; πῦ συζητητὴς; πῦ καύχησις τῶν λεγομένων συνετῶν; ἐναγὲς Θεὸν ἡμῶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐκυοφορήθη ὑπὸ Μαρίας κατ' οἰκονομίαν Θεοῦ, ἐκ σπέρματος Δαβὶδ πνεύματος δὲ ἁγίου. *Vbi Sapiens? ubi disputator? ubi gloriatio eorum, qui dicuntur sapientes? Deus enim noster Jesus Christus, in utero gestatus est a Maria juxta dispensationem Dei, ex semine David, Spiritu autem sancto.* Quid contra Theodotum Coriarium luculentius & expressius dici poterat? Idem in Epistola ad Magnesianos, hortatur *ut hoc sit omnibus studium, in Dei concordia omnia agere, Episcopo præsidente Dei loco, Presbyteris loco Senatus Apostolici, Diaconis sibi suavissimis,* τῶν πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν, καὶ ἐν τέλει ἐφάνη: *quibus commissum est ministerium Jesu Christi, qui ante secula apud Patrem fuit, & in fine apparuit.*

Denique (inquit Dallæus cap. 10. pag. 289.) & me Hieronymi locus contra Helvidium cap. 9. disputantis movet, diserte Ignatium inter Apostolicos scriptores primum recensentis, qui adversus Ebionem, & Theodotum Byzantium, & Valentinum scripserunt. Scio quid ad hunc Hieronymi locum duo viri doctissimi dixerint, Vsserius & Hammondus. Primus videtur Prolegomenis in Ignatium cap. 1. pag. 3. Hieronymum capere non de Epistolis, sed de alio aliquo Ignatii adversus Hæreticos opere: quod illius ævo quidem exiterit, nostro desideretur. Sed si quod hujusmodi Ignatii opus tempore Hieronymi extabat, cur hic illius in *Catalogo Scriptorum*, cur nullus alius alibi meminisse reperitur? Deinde quid opus est alios Ignatio libros affingere, cum in Epistolis quæ ejus nomine extant, apertissime refutari legantur, Ebionis & Theodoti & Valentini, quos Hieronymus nominat, errores? Hammondus vero *Dissertatione* 2. cap. 24. §. 13. confitetur nihil necesse esse, ut Ignatius adversus Valentinum aut Theodotum Coriarium Ignatio posteriores, volumina nova scripsisse dicatur: Hieronymi enim verba non conjuncte sed *divisim* intelligenda esse: ut quos ille nominat *Patres Apostolicos*, Ignatium, Polycarpum, Irenæum & Justinum, illi intelligantur non omnes contra Ebionem, Theodotum, & Valentinum scripsisse, sed singuli contra istorum aliquem. Vnde colligit ad Hieronymi mentem satis esse, ea quæ Ignatius in Epistolis contra Ebionem scripsit, etiamsi nihil adversus Valentinum & Theodotum scripserit. Hammondus autem fallitur. Nam nisi Ignatius contra Theodotum scripsisse intelligatur, liquido falsum erit, quod ait Hieronymus. Nullus enim Apostolicorum temporum contra eum scripsit, non Polycarpus, ac ne Irenæus quidem, aut Justinus, aut quisquam ejusdem temporis & ætatis alius: ut plane necesse sit ad *Ignatium* referri, quæ de Theodoto dicit Hieronymus. Quomodo enim vel Polycarpus, vel Justinus, vel Apostolicorum quispiam contra Theodotum scribere poterant, qui diu post illorum mortem exortus est? sub Victore Episcopo Romano, id est circa annum Domini 200 quo tempore incredibile est quemquam eorum vixisse, qui Apostolos viderant, cum fere omnes ante annum Domini 100 mortui sint. Irenæus autem sub Victore quidem superfuit, sed Opus suum contra Hæreticos sub Eleuthero ante Victorem scripserat, cum suam hæresim Theodorus primus seu Coriarius nondum sparsisset. Neque sane quod jam observavimus, Theodoti Irenæus uspiam meminit. Ergo quod Hieronymus dicit de Theodoto ab aliquo Apostolico refutato, id vel apertissime falsum est, vel de Ignatio intelligendum est. Si dicas neque hoc Ignatio Antiocheno competere, annis fere centum ante mortuo, quam Theodoti hæresis nosci cœpisset: Respondebo hoc Ignatio quidem Martyri non convenire, de hodierno autem Epistolarum authore verum esse: eumque hoc loco ab Hieronymo intellectum esse, apud quem scilicet, & alia & illa adversus Theodotum disertissima legerat, quæ nos statim ex Epistolis ad Ephesios & Magnesianos, editionis etiam Vossianæ & Vsserianæ, descripsimus. In hoc deceptum fuisse Hieronymum confiteor, quod hunc suum Ignatium diu post Apostolos & Apostolicos viros natum, *Apostolicis hominibus* connumeravit, ex percepto de Ignatianis Epistolis errore, ab Eusebii lectione hausto, quem facile exuere poterat, si animum ad ea quæ ille scribit,

ipſe advertiſſet: fieri ſcilicet non poſſe, ut a quo Theodotum Coriarium refutari videbat, ille veri nominis eſſet Ignatius. Interdum enim Hieronymum naturali quadam ingenii vehementia abripi, & quædam non ſatis accurate expenſa effundere, nemo in eo verſatus negaverit: ut vel ex eo apparet, quod hic ſcribit, multos Apoſtolicos viros adverſus Theodotum Byzantinum ſeu Coriarium ſcripſiſſe: cum temporum ratio evincat, nulli Apoſtolico viro notum eſſe potuiſſe hunc Theodotum.

CAPVT SEPTIMVM.

IDEM OSTENDITVR ALIIS ARGVMENTIS, A DOCTRINA EPISTOLARVM ITERVM ACCEPTIS.

5. ARGVMENTVM V. Epiſtola Ignatii ad Magneſianos Voſſianæ & Vſſerianæ editionis, delirium Valentini λόγου a Sige proceſſiſſe fingentis, diu poſt veri Ignatii mortem editum & ſparſum, diſertis verbis memorat & refutat. Nam filium Dei non ſimpliciter λόγου ſed λόγου ἀϊδίου, *Verbum æternum* dicit, divinißimam ejus generationem ſupra Valentinianorum Æonum partim ſtultas & turpes ac ridiculas, omnes certe etiam ex mente fingentium temporales origines ac propagationes evehit, & ante omnia tempora in ipſa æternitate collocat. Ita in Epiſtola ad Magneſianos, Ὅτι εἷς Θεός ἐστι, ὁ φανερώσας ἑαυτὸν, διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ αὐτοῦ, ὅς ἐστιν αὐτοῦ λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, ὃς κατὰ πάντα εὐηρέστησεν τῷ πέμψαντι αὐτόν. *Quoniam unus Deus eſt, qui manifeſtavit ſeipſum per Jeſum Chriſtum filium ipſius, qui eſt ipſius Verbum æternum, non a ſilentio progrediens, qui ſecundum omnia huic complacentem ſe exhibuit qui ſe miſerat.* Enim dum ait *Deum eſſe unum*, hoc apertiſſime omnem & Valentini & aliorum ejusdem ſenſus hæreticorum, impietatem arguit, qui plures Deos ſub falſo commentitiorum Æonum nomine conſtituebant. 2. Cum addit unum illum Deum *per Jeſum ſe nobis manifeſtaſſe*, iſtorum de ſuis Theogoniis, deque earum authoribus nugas omnes disjicit. 3. Cum Jeſum Chriſtum docet eſſe *Dei illius filium qui ſe nobis manifeſtavit*, eo & Valentini & plerorumque hæreticorum fabulas profligat, qui non modo Jeſum a Chriſto ſeparabant, & pro duabus diverſis perſonis habebant: ſed & inſuper utrumque aliorum quam ſummi Dei filium eſſe prædicabant, Chriſtum quidem a matre neſcio qua procreatum, Jeſum vero vel a Theleto, vel a Chriſto, vel ab homine & Eccleſia fictitiis ortum mentientes. 4. Denique λόγου Dei verum a fictitio Valentini λόγῳ longe removet, dum de eo poſtremo ſubjicit, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, *Non a Sige progrediens vel oriens.* Quod enim negat a Sige progredi, vel exire, vel emanare: idem eſt ac ſi diceret, hunc λόγου veri Dei quem Eccleſia prædicat, nihil habere cum λόγῳ Valentiniano commune, quem impoſtor a Sige exire ac progredi fingebat. Atque hæc quidem tam evidens, tamque conſtans ſingulorum Epiſtolæ verborum cum Valentinianis deliriis oppoſitio, authorem evincit dum hæc ſcriberet, Valentinum hasque ejus fabulas habuiſſe in animo. Neque enim illa rerum adverſarum inter ſe tam accurata comparatio, fortuita vel a caſu fuit. Volunt nonnulli apud Hammondum Diſſertatione 2. cap. 9. §. 4. fieri potuiſſe, ut Valentinus ipſe, vivo etiamnum Ignatio Antiocheno Epiſcopo, multos clam, ſi non palam ſeduxerit, ſuamque adeo illam *Sigen* cum filio vel nepote λόγῳ tunc ediderit: ut nihil mirandum ſit, quod Martyr hujus fabulæ, utpote jam cognitæ, meminerit. Nihil neceſſe eſt nos in hac convellenda ſententia immorari. Oſtendimus ſupra certiſſima vetuſtiſſimorum ſcriptorum authoritate, Saturninum & Baſilidem, annis poſt Ignatii martyrium pluribus quam viginti, deliria ſua apud homines ſpargere cœpiſſe. Apud omnes autem in confeſſo eſt, poſt hos duos erupiſſe Valentinum. Sed & eruditiſſimus Blondellus noſter hanc cauſam ita diligenter egit, ut doctiſſimus ejus adverſarius Hammondus, hoc unum ad illam Diſputationis ejus partem repoſuerit: non fuiſſe opus, ut Ignatiani martyrii diem, & hæreſiarchæ Valentini ortum, adeo punctim & accurate comparandos duceret. Hoc ergo judice, ſatis erit πάχυλος obſervaſſe, Valentinum Romam ſub Hygino illius Eccleſiæ Epiſcopo circa annum Domini 140. veniſſe, anno Domini 144. noſci cœpiſſe, & permanſiſſe usque ad Anicetum, qui anno Domini 167. Epiſcopus ordinatus eſt. Tertullianus etiam *de præſcript.* cap. 30. p. 242. ultra Anicetum removet. Ita enim de Marcione & Valentino inquit, *Conſtat illos neque adeo olim fuiſſe Antonini ſere principatu, & in Catholica primo doctrinam credidiſſe apud Eccleſiam Romanenſem, ſub Epiſcopatu Eleutherii benedicti.* Eleutherium autem qui maturrime, anno Chriſti 171. illum Epiſcopum ordinatum volunt, Soteris ſucceſſorem, qui Anicetum exceperat. Cum ergo conſtet Ignatium anno Domini 107. vel ut alii volunt 109. martyrium Romæ ſubiiſſe: clarum certumque eſt, tam multis poſt ejus obitum annis vulgatam Valentini mataeologiam, Martyri notam eſſe non potuiſſe: ut plane neceſſe ſit Epiſtolæ ad Magneſianos ſcriptorem, qui Valentini Theogoniam ſciviſſe deprehenditur, alium omnino fuiſſe ab Ignatio Martyre & Antiocheno Epiſcopo.

Nullum ante Valentinum extitiſſe, qui Logon a Sige exiſſe, vel progreſſum eſſe dixerit, ſatis contentur eorum qui a nobis diſſentiunt, in hac diſputationis parte ſilentium. Cum qui de hoc argumento ſcripſerunt, tres viri longe omnes doctiſſimi, & in antiquitatis monumentis verſatiſſimi fuerint, ſi quid vel in abditiſſimis ejus angulis de Sige Logi vel matre vel avia alibi præterquam apud Valentinianos extaret: illud ſcriptores & per ſe diligentiſſimi, & nonnullo

lo animi in hanc rem ſtudio (ut apparet) exſtimulati, procul dubio eruiſſent, inveniſſent, atque edidiſſent. Nihil autem hactenus hujusmodi protulerunt. Fateor ab uno iſtorum Hammondo, *Diſſertatione* 2. cap. 9. §. 13. ex Irenæi Lib. 1. cap. 5. locum quendam deſcribi, ex quo ille patere ait, *Ipſam illam Βύθου & Σιγῆς combinationem antiquioribus Gnoſticis cognitam, & inter eorum diadaſcalias numerandam fuiſſe.* Locus Irenæi ſic habet Lib. 1. cap. 5. pag. 61. *Ταύτας βούλονται τὰς δυνάμεις προκπάρχειν τῷ Βύθῳ, καὶ τῆς Σιγῆς, ἵνα τέλειον τελειότερον φανῶσιν ὄντες, καὶ γνωστικῶν γνωστικώτεροι. Has volunt virtutes fuiſſe ante Bython & Sigen, ut perfectus perfectiores appareant, & Gnoſticis magis Gnoſtici.* Hæc Irenæus, ex quibus video ante iſtos, de quibus hic loquitur, alios fuiſſe ipſos quoque Gnoſticos, qui Bython & Sigen in ſuam Theogoniam induxerint. Sed hos qui Bython & Sygen prius induxerant, vel illos qui alias ante Bython & Sigen virtutes fuiſſe vellent, Valentino vetuſtiores fuiſſe non video, quod tamen erat concludendum. Itaque allato a doctiſſimis viris Irenæi loco, fateor exhibet Irenæus Gnoſticos Bython & Sigen in ſuis fabulis memorantes: ſed non alios profecto quam vel ipſum Valentinum, vel ejus diſcipulos, atque adeo nullos illo antiquiores. Id vero clariſſime & Irenæus & res ipſa refutat. Irenæus quidem, quo præcipue nituntur viri doctiſſimi, in hoc ipſo loco, dum ait Valentinum *ex Gnoſtica hæreſi primum, ſic definiviſſe Dualitatem quandam innominabilem, cujus quidem aliquid vocaretur inenarrabile, aliud autem Sigen: poſt deinde ex hac Dualitate ſecundam Dualitatem emiſſam, cujus aliud quidem Patrem vocat, aliud autem Aletheiam. Ex hac autem quaternatione fructificari Logon & Zoen, Antropon & Eccleſiam.* Jam ſi hæc Valentinus ex Gnoſticis primus definivit, certe nullus ante eum Gnoſticus ita definiverat: ideoque *Logon ex Sige fructificatum*, quod unum eſt ex illis ita a Valentino definitis, nemo ante eum Gnoſticus deliraverat. Nam ne quis cavilletur, ita plane Irenæi verba accipienda ſunt: *ὁ μὲν γὰρ πρῶτος ἀπὸ τῆς λεγομένης γνωστικῆς αἱρέσεως, τὰς ἀρχαίας εἰς ἴδιον χαρακτῆρα διδασκαλίας μεθαρμόσας Οὐαλεντῖνος, ἔτυχε ἐξηπατῆσθαι.* Quid enim his clarius dici unquam potuit?

Sed aliud præterea viri doctiſſimi argumentum, afferunt quo efficiant illam *Bythi & Sige* combinationem, ejusq; per *Nun* & *Aletheiam* prolem λόγον & ζοήν, ab aliis Valentino antiquioribus Gnoſticis eſſe profectam. Contendunt enim Valentinum non novam ſectam condidiſſe, ſed doctrinas veteres ex Gnoſticorum ipſo ſcilicet antiquiorum hæreſi tranſtuliſſe, atq; ex iis ſuum dogma effinxiſſe. Vnde colligunt hanc totam de Bythi & Siges ſobole fabulam, ex veteribus illis antiquorum Gnoſticorum doctrinis unam fuiſſe, non ideo ab ipſo Valentino primum fuiſſe inventam. Ego vero, quod ait Theodoretus Lib. I. *Hæreticarum fabularum* cap. 7. confiteor Valentinum *infinitas ſuas fabulas compoſuiſſe, occaſione ſumpta ex vetuſtioribus hæreſibus:* puta Saturnini & Baſilidis, et ſi qui alii ejusdem cenſus ante ipſum Valentinum fuerunt, imo etiam ex ipſius ſi lubet, impietate Simonis & Menandri. Sed & illud concedo, quod ex Tertulliano *contra Valentinianos* cap. 4. pag. 290. laudant, Valentinum *cujusdam veteris opinionis femina natum, Colarbaſo viam delineaviſſe:* tametſi longe aliter in libris ſcriptum fuiſſe teſtetur Rigaltius, in Notis ad Tertulliani locos pag. 78. ſic nempe, *Cujusdam veteris opinionis femina actu colubroſo viam delineavit.* Illud etiam Irenæi Lib. I. *adverſus hæreſes* cap. 5. pag. 59. quod præcipue urgent, lubens admitto, *Valentinum ex ea ſecta ſive hæreſi, quæ Gnoſtica dicitur, primum fuiſſe, qui antiquas in ſuum characterem doctrinas transferens ſic definiverit*, ut ſupra exhibuimus. Sed qui hæc confiteor, idem nego poſt Dallæum, quem exſcribo, ex iis poſſe confici quod viri doctiſſimi volunt, exploſum ab Epiſtolæ ſcriptore portentum *Verbi ex Sige producti*, ab ullis ante Valentinum Gnoſticis fuiſſe editum: id quod clariſſime Irenæus loco citato refutat. Ceſſent igitur & Hammondus & Pearſonius inculcare, etiam ante Valentinum hanc mythologiam invaluiſſe, iis etiam temporibus, quibus illius mentionem facere potuerit Ignatius Antiochenus Epiſcopus & Martyr in Epiſtolis veris & genuinis. Nam Divus Hieronymus *contra Helvidium* cap. 9. diſerte ait Ignatium contra Valentinum & alios illic expreſſos pugnaſſe: *Numquid non poſſumus tibi totam veterum Scriptorum ſeriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Juſtinum Martyrem, multosque alios Apoſtolicos & eloquentes viros: qui adverſus Ebionem & Theodotum Byzantinum, & Valentinum, hæc eadem ſentientes, plena ſapientia volumina conſcripſerunt? Quæ ſi legiſſes aliquando, plus ſaperes.* Atqui in his Epiſtolis nullibi quam hoc loco Valentini errorem de Logo a Sige procedente confutat: illic ergo poſitive Valentinum, & non alium quemquam ipſo anteriorem, confutat atque expungit.

ARGVMENTVM VI. Idem ſcriptor Ignatianarum Epiſtolarum, Gnoſticos quidem & Marcionem, Vetus Teſtamentum & omnes ejus miniſtros a Patre Chriſti dividentes ac ſeparantes paſſim refutat: unde neceſſe eſt authorem illarum tum Marcione tum Valentino, aliisque Gnoſticis poſteriorem fuiſſe, quod in Ignatium Antiochenum Epiſcopum atque Martyrem collimare nequaquam poteſt. Hanc autem doctrinam non per tranſennam, ſed paſſim ac data opera convellit atque confutat. Sic in Epiſtola ad Magneſianos, editionis novæ Græcæ & Latinæ: *Μὴ πλανᾶσθε ταῖς ἑτεροδοξίαις, μηδὲ μυθεύμασι τοῖς παλαιοῖς ἀνωφέλοις οὖσιν. Εἰ γὰρ μέχρι νῦν κατὰ νόμον Ἰουδαϊκὸν ζῶμεν, ὁμολογοῦμεν χάριν μὴ εἰληφέναι. Οἱ γὰρ θειότατοι προφῆται κατὰ Χριστὸν Ἰησοῦν ἔζησαν. Διὰ τοῦτο καὶ ἐδιώχθησαν, ἐμπνεόμενοι ὑπὸ τῆς χάριτος αὐτοῦ, εἰς τὸ πληροφορηθῆναι τοὺς ἀπειθοῦντας, ὅτι εἷς ἐστι Θεός, ὁ φανερώσας*

πεύσας ἑαυτὸν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, ὃς ἐστὶν αὐτοῦ λογος ἀϊδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθων, ὃς κατὰ πάντα εὐηρέστησε τῷ πέμψαντι αὐτόν. *Ne patiamini vos seduci falsis doctrinis, neque veteribus fabulis, quæ inutiles sunt. Si namque adhuc juxta Legem Judaicam vixerimus, agnoscimus nos gratiam non accepisse. Divinissimi namque Prophetæ juxta Christum Jesum vixerunt, & ob hoc persecutionem passi sunt, gratia ipsius inspirati, ut certi redderentur increduli: quod unus Deus est qui semetipsum manifestavit, per Jesum Christum filium suum: qui est Verbum ipsius æternum, non a silentio procedens: qui in omnibus ei complacuit, qui ipsum miserat.* Tum idem paulo post, ipsius quoque Christi discipulos fuisse Prophetas, ab ipso inspiratos etiam testatur his verbis: Καὶ διὰ τοῦτο ὑπομένομεν, ἵνα εὑρεθῶμεν μαθηταὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ μόνου διδασκάλου ἡμῶν. Πῶς ἡμεῖς δυνησόμεθα ζῆσαι χωρὶς αὐτοῦ, ὃ καὶ οἱ προφῆται μαθηταὶ ὄντες, τῷ πνεύματι ὡς διδάσκαλον αὐτὸν προσεδόκων; καὶ διὰ τοῦτο, ὃν δικαίως ἀνέμενον, παρὼν ἤγειρεν αὐτοὺς ἐκ νεκρῶν. *Et propter hoc sustinemus, ut inveniamur discipuli Jesu Christi, solius Doctoris nostri. Quomodo nos poterimus vivere sine ipso, cujus etiam Prophetæ discipuli cum essent, spiritu ipsum ut Doctorem expectabant? Et propter hoc is quem illi juste præstolabantur, suscitavit ipsos ex mortuis.* Hæc in editionibus Vossiana & Usseriana Epistolarum Ignatii. Idem in Epistola ad Philadelphenos, Καὶ τοὺς προφήτας δὲ ἀγαπῶμεν, διὰ τὸ καὶ εἰς τὸ εὐαγγέλιον κατηγγελκέναι, καὶ εἰς αὐτὸν ἐλπίζειν, καὶ αὐτὸν ἀναμένειν. Ἐν ᾧ καὶ πιστεύσαντες ἐσώθησαν, ἐν ἑνότητι Ἰησοῦ Χριστοῦ ὄντες ἀξιαγάπητοι, καὶ ἀξιομακάριστοι ἅγιοι, ὑπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ μεμαρτυρημένοι, καὶ συνηριθμημένοι ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τῆς κοινῆς ἐλπίδος. *Sed & Prophetas diligamus, propterea quod & ipsi Evangelium annuntiaverint, & in illo speraverint eumque expectaverint: in quo & credentes salutem consecuti sunt, in unitate Jesu Christi, existentes digni qui amarentur & admirationi nobis essent, a Jesu Christo testimonium adepti, & connumerati in Evangelio spei communis.* Et ibidem aliquanto post. Καλοὶ μὲν οἱ ἱερεῖς, κρεῖσσον δὲ ὁ ἀρχιερεύς, ᾧ πεπίστευται τὰ ἅγια τῶν ἁγίων, ὃς μόνος πεπίστευται τὰ κρυπτὰ τοῦ Θεοῦ. Αὐτὸς ὢν θύρα τοῦ πατρός, δι' ἧς εἰσέρχονται Ἀβραὰμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, καὶ οἱ προφῆται, καὶ οἱ Ἀπόστολοι, καὶ ἡ ἐκκλησία. Πάντα ταῦτα εἰς ἑνότητα τοῦ Θεοῦ. Ἐξαίρετον δέ τι ἔχει τὸ εὐαγγέλιον, τὴν παρουσίαν τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, τὸ πάθος αὐτοῦ, καὶ τὴν ἀνάστασιν. Οἱ γὰρ ἀγαπητοὶ προφῆται κατήγγειλαν εἰς αὐτόν· τὸ δὲ Εὐαγγέλιον ἀπαρτισμά ἐστιν ἀφθαρσίας. Πάντα ὁμοῦ καλά ἐστιν, ἐὰν ἐν ἀγάπῃ πιστεύητε. *Boni quidem sunt Sacerdotes, præstantior autem summus Pontifex est, cui credita sunt Sancta Sanctorum, cui soli secreta Dei credita sunt: qui ipse est janua Patris, per quam ingrediuntur Abraham & Isaac & Jacob, & Prophetæ, & Apostoli, & Ecclesia. Omnia hæc ad unitatem Dei spectant. Eximium autem quiddam habet Evangelium, nempe adventum Domini nostri Jesu Christi, passionem ipsius & resurrectionem. Dilecti namque Prophetæ annuntiaverunt de ipso: Evangelium vero perfectio est incorruptionis. Omnia in universum bona sunt, modo in charitate credideritis.* Idem denique in Epistola ad Smyrnæos. Οὓς τινες ἀγνοοῦντες, ἀρνοῦνται μᾶλλον δὲ ἠρνήθησαν ὑπ' αὐτοῦ, ὄντες συνήγοροι τοῦ θανάτου μᾶλλον, ἢ τῆς ἀληθείας. Οὓς οὐκ ἔπεισαν οἱ προφῆται, οὐδ' ὁ νόμος Μωσέως, ἀλλ' οὐδὲ μέχρι νῦν τὸ εὐαγγέλιον, οὐδὲ τὰ ἡμέτερα τῶν καθ' ἕνδεια παθήματα. *Quem quidam ignorantes, abnegant: magis autem abnegati sunt ab ipso, patroni mortis magis, quam veritatis. Quibus nec Prophetiæ persuaserunt, nec Mosaica lex, sed nec ipsum Evangelium in hunc usque diem: neque nostra, quæ in hominem cadunt, passiones.* Et ibidem postea, Πρέπει οὖν ἐστὶν ἀπέχεσθαι τῶν τοιούτων, καὶ μήτε κατ' ἰδίαν περὶ αὐτῶν λαλεῖν, μήτε κοινῇ: προσέχειν δὲ τοῖς προφήταις, ἐξαιρέτως δὲ τῷ Εὐαγγελίῳ, ἐν ᾧ τὸ πάθος ἡμῖν δεδήλωται, καὶ ἡ ἀνάστασις τετελείωται. Τὰς δὲ μερισμὰς φεύγετε, ὡς ἀρχὴν κακῶν. *Decet itaque abstinere ab ejusmodi, nec in privato nec in communi colloquio de illis verba facere: attendere autem Prophetis, præcipue autem Evangelio, in quo passio nobis ostensa & resurrectio perfecta est. Divisiones autem fugite, ut principium malorum.* Quid igitur expressius contra Valentinum, Marcionem, & alios veteris Testamenti authoritatem negantes, dici unquam potest? Sed quid pariter efficacius, ad ostendendum has Epistolas non posse esse fœtum genuinum Ignatii Antiocheni Episcopi & Martyris?

ARGVMENTVM VII. Videtur quoque Pseudo Ignatius in his pariter Vossianæ & Usserianæ editionis Epistolis, istos percellere Novatianos, qui pœnitentes ad Ecclesiam intolerando rigore, ne consortio eorum puri contaminarentur, admittere recusabant. Ita in Epistola ad Philadelphicos, Ὅσοι γάρ Θεοῦ εἰσὶν, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὗτοι μετὰ τοῦ Ἐπισκόπου εἰσίν. Καὶ ὅσοι ἂν μετανοήσαντες ἔλθωσιν ἐπὶ τὴν ἑνότητα τῆς ἐκκλησίας, οὗτοι Θεοῦ ἔσονται, ἵνα ὦσιν κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν ζῶντες. *Quotquot enim Dei sunt & Jesu Christi, isti cum Episcopo sunt: & quotquot utique pœnitentia facta veniunt in unitatem Ecclesiæ, isti Dei erunt, ut sint secundum Jesum Christum viventes.* Idem & aliquanto post subjicit, Πᾶσιν οὖν μετανοοῦσιν ἀφίει ὁ κύριος, ἐὰν μετανοήσωσιν εἰς ἑνότητα Θεοῦ καὶ συνέδριον τοῦ Ἐπισκόπου. *Omnibus igitur pœnitentibus dimittit Deus, si pœniteant in unitatem Dei, & consilium Episcopi.* At quam longe essent a temporibus Ignatii Antiocheni, isti Novatiani hæretici, norunt omnes vel in Ecclesiastica Historia aliquantisper versati: fallorque mirum in modum si Novatianos ista non designant. Admittit ergo hic omnes universim pœnitentes ex consilio Episcopi, eosque pœnitentia facta ad unitatem Ecclesiæ recipit, quod Novatianos directe ferit. Hoc argumentum examinat Joannes Dallæus in Opusculo *de scriptis Ignatio Antiocheno suppositis* cap. 8. pag. 278. & 279. quo non Novatianum sed Montanum &

Monta-

7

Digitized by

Montaniſtas diu poſt mortem Ignatii exortos, impugnare & aggredi contendit. Idemque iterum cap. 13. pag. 315. his verbis. Hoc de ſuſcipiendis ad poenitentiam lapſis decretum, Montaniſtas & Novatianos aperte pulſat, diu poſt Ignatium exortos. Obſervat autem Albaſpineus Aurelianenſis Epiſcopus *Obſervationum* Lib. 2. cap. 15. diſciplinam ipſius Eccleſiæ ante iſtorum tempora ſeveriorem fuiſſe, quam ut lapſos ad poenitentiam admitteret: a qua idololatras & homicidas, ævo etiam Tertulliani, hoc eſt ineunte ſeculo tertio, a noſtris excluſos fuiſſe conſtat. Hoc itaque vetuſtiſſimæ Eccleſiæ uſu fretus Albaſpineus, Ignatii noſtri ſimilem Clementinarum Διαταγῶν Canonem, de admittendis ad poenitentiam lapſis, negat eſſe Apoſtolicum, negat ante Cyprianum ſanciri potuiſſe: quod illa tempeſtate, admittendos eſſe lapſos decretum ſit. Si vera eſt doctiſſimi hujus Epiſcopi cenſura, idem neceſſe eſt eſſe, de hoc Epiſtolæ Ignatianæ decreto judicium, id ſcilicet poſt Cypriani tempora fuiſſe conditum, diu poſt Ignatii Antiocheni martyrium. Vnde ſequitur ſcriptorem vero Ignatio Martyre eſſe recentiorem, ac non ſatis accurate calluiſſe vel certe attendiſſe tempora ejus authoris, quem ſibi ſimulandum ſuſceperat. Ita Dallæus.

CAPVT OCTAVVM.

ALIIS RATIONIBVS OSTENDVNTVR, EPISTOLÆ IGNATII ANTIOCHENI EPISCOPI ET MARTYRIS, SVPPOSITÆ.

8. ARGVMENTVM VIII. Scriptor Epiſtolarum non pauca ad Romanos effutit, Martyris gravitate atque modeſtia aliena, cujus quidem generis hæc quædam maxime inſignia notantur. Hoc argumentum urget Dallæus cap. 18. pag. 342. multis, ſed quia nonnulla illic quæ in editionibus Voſſiana & Vſſeriana ultimis non reperiuntur, his tantum utar quæ in illis continentur, Dallæum exſcribens. Ita præceps ad martyrium fertur Pſeudo-Ignatius, ut Romanos vetet ſuis vel ad Deum precibus, vel apud homines officiis, intercedere: quo ea pœna ad quam damnatus erat, mactaretur. Illos enim precatus, ne intempeſtiva charitate ſive benevolentia agonem ſuum morentur, inquit: Ἄφετέ με θηρίων εἶναι βρῶσιν, δι' ὧν ἐστὶ Θεοῦ ἐπιτυχεῖν: *Dimittite me beſtiarum eſſe cibum, per quas licet Deo potiri.* Tum Μᾶλλον κολακεύσατε τὰ θήρια, ὅπως μοι τάφος γένωνται, καὶ μηδὲν καταλίπωσι τῶν τοῦ σώματός μου, ἵνα μὴ κοιμηθεὶς βαρύς τισι ὑπερθήσομαι. τότε ὄντως μαθητὴς ἔσομαι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὅταν οὐδὲ τὸ σῶμά μου ὁ κόσμος ὄψεται. Ἱκετεύσατε τὸν Χριστὸν ὑπὲρ ἐμοῦ, ἵνα διὰ τῶν ὀργάνων τούτων Θεῷ θυσία εὑρεθῶ. *Magis blandimini beſtiis, ut mihi ſepulchrum fiant, & nihil derelinquant eorum quæ ſunt corporis mei, ut non obdormiens gravis alicui inveniar. Tunc ergo ero diſcipulus veræ Jeſu Chriſti, quando neque corpus meum mundus videbit. Orate Chriſtum pro me, ut per organa iſta Deo ſacrificium inveniar.* Idem ſub initium Epiſtolæ dixerat, Φοβοῦμαι γὰρ τὴν ἀγάπην ὑμῶν, μὴ αὕτη με ἀδικήσῃ. *Timeo enim charitatem veſtram, ne ipſa mihi noceat, ſeu me ladat.* Quin & ipſos diabolum adjuturos, eique quodammodo miniſtraturos denuntiat, ſi qui ſe fideles in vita retinere conentur, dicens: Ὁ ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου διαρπάσαι με βούλεται, καὶ τὴν εἰς τὸν Θεὸν μου γνώμην διαφθεῖραι· μηδεὶς οὖν τῶν παρόντων ὑμῶν βοηθήσατω αὐτῷ· μᾶλλον ἐμοὶ γένεσθε, τοῦτ' ἔστι, τοῦ Θεοῦ. *Princeps ſeculi hujus rapere me vult, & meam de Deo doctrinam corrumpere. Nullus igitur præſentium de vobis adjuvet, ipſi autem magis mei fiatis, hoc eſt, Dei mei.* Sin certent, ut adhuc in vivis maneat, illos invidiæ, & nimium mundo affixi animi, non obſcure reos agit, dicens: Μὴ λαλεῖτε Ἰησοῦν Χριστὸν, κόσμον δὲ ἐπιθυμεῖτε. Βασκανία ἐν ὑμῖν μὴ κατοικείτω. *Non loquamini Jeſum Chriſtum, & mundum concupiſcatis. Invidia in vobis non habitet.* Vſque adeo autem metuit, ne illi aliter in ſe affecti ſint, ut eos in ſententia iſta manere velit atque jubeat, etiamſi ipſe fortaſſe mentem & ſententiam mutaret. μηδὲ ἐὰν ἐγὼ ὑμᾶς παρὼν παρακαλῶ, πεισθῆτε, τούτοις δὲ μᾶλλον πείσθητε, οἷς γράφω ὑμῖν. *Neque*, inquit, *ſi ego præſens vos deprecer, obtemperetis: verum his potius credite, quæ vobis ſcribo.* Denique ſi ſe mori non contigerit, denuntiat eos eſſe reos odii in ſe, dicens: Ἐὰν πάθω, ἠγαπήσατε· ἐὰν ἀποδοκιμασθῶ, ἐμισήσατε. *Sin patiar, adamaſtis me: ſin rejiciar, odiſtis me.* Hæc ille a Romanis ſuis exigit, qui de ſe mox eadem ſpondet: Ὀναίμην τῶν θηρίων τῶν ἡτοιμασμένων μοι· καὶ εὔχομαι σύντομοί μοι εὑρεθῆναι. ἃ καὶ κολακεύσω, συντόμως με καταφαγεῖν, ἃ καὶ περί τινων δειλαινόντων οὐκ ἤθελον· κἂν αὐτὰ δ' ἑκόντα μὴ θέλῃ, ἐγὼ βιάσομαι. Συγγνώμην μοι ἔχετε, τί μοι συμφέρει, ἐγὼ γινώσκω. *Sortiar beſtias mihi eſſe paratas, & ore promptas mihi inveniri: quibus & blandiar cito me devorare, non quemadmodum timentes quasdam non ſelegerunt. Sed etſi ipſæ volentem non velint, ego vim faciam. Veniam mihi dabete, quid mihi conducat, ego cognoſco.* Hæc Epiſtolæ ſcriptor, in quibus tria quædam a pietate ſanctiſſimi Martyris ac modeſtia aliena, ut mihi quidem videtur, obſervo. *Primum*, quod adeo vehementer pios Romanos deterret, ne paratum ſupplicium a ſuo capite avertere vel arcere, ullis officiis vel precibus etiam ac votis, conentur. *Alterum*, quod ſe beſtias ad ſe laniandum vel blanditiis provocaturum, vel vi etiam ad necem ſuam accelerandam profitetur. *Tertium* denique, quod non ſimpliciter ſe a beſtiis laniari atque interfici, ſed etiam ita vorari atque abſumi omnes ſui corporis partes exoptet, ut earum nihil ad ſepulturam ſuperſit. Horum enim trium, nullum in omni Martyrum Chriſtianorum copia, exemplum extare memini: neque ullum qui Epiſtolarum ſcriptori faveat, hucusque afferunt Pſeudo Epiſtolarum patroni. Vide plura apud Dallæum loco citato, iſta Rhetorum more ampliticantem. His addi poteſt

quartum

quartum abſurdum & incredibile, quod urget idem Dallæus cap. 22. pag. 369. nempe ex ſententia ejusdem Pſeudo-Ignatii, potuiſſe Romanos impedire ipſius Martyrium, ſi interceſſiſſent illius liberandi cauſa, quod incredibile eſt. Item iſte ſub initium Epiſtolæ, *Φοβοῦμαι γὰρ τὴν ἀγάπην ὑμῶν, μὴ αὐτή με ἀδικήσῃ. ὑμῖν γὰρ εὔκαιρόν ἐστιν, ἃ θέλετε ποιῆσαι. Ἐμοὶ δὲ δυσκολόν ἐστι τοῦ Θεοῦ ἐπιτυχεῖν, ἐάνπερ ὑμεῖς μὴ φείσησθέ μου.* Timeo enim charitatem veſtram, ne ipſa me lædat. *Vobis enim facile eſt, quod vultis facere: mihi autem difficile eſt Deo potiri, ſiquidem vos non parcetis mihi.* Et interjectis verſiculis ſat multis, *Ἐγὼ γράφω πάσαις ταῖς ἐκκλησίαις, καὶ ἐντέλλομαι πᾶσιν, ὅτι ἐγὼ ἑκὼν ὑπὲρ Θεοῦ ἀποθνήσκω, ἐάνπερ ὑμεῖς μὴ κωλύσητε. Scribo Eccleſiis & præcipio omnibus, quoniam volens pro Deo morior, ſiquidem vos non prohibeatis.* Vel nihil intelligo, vel iſte profecto intelligit, in eorum ad quos ſcribit fidelium, manu & poteſtate fuiſſe, ipſum liberare ſupplicio, ad quod damnatus erat. Quod ſi ita eſt, fatendum eſt illos Romanos graviſſime peccaſſe, & parricidii cujusdam reos fuiſſe, qui ſanctam animam & Eccleſiæ Chriſtianæ ædificationi tam utilem eripi ſibi, eripi ſuo gregi, beſtiis objici, & ſuam inſuper civitatem multo jam Sanctorum ſanguine pollutam, hac inſuper ferina viri Apoſtolici laniena contaminari paſſi ſint: cum illis facile fuerit, ſi iſti credimus, totum ſcelus & a Martyris capite & a Romanorum fama depellere. Neque eos ab hoc crimine iſtius preces purgant, qui ſe ab illis deſeri non parcius neque ſegnius optat ac precatur, quam alii a ſuis ſociis ſe defendi ac juvari petere ſolent. Id enim in proximum officii, Deus ipſe nobis impoſuit, ne quemquam etiam volentem, etiam in mortem ruentem, mori aut cruciari, quantum quidem in nobis ſitum, permittamus. Epiſtolam ad Romanos Muſculus Euſebii interpres omiſit. Certe titulum hujus Epiſtolæ, qui Græce periti, nunquam ſibi perſuaderi ſinent, eſſe verum & *γνήσιον*, ut ait Caſaubonus Exerc. 16. in Baronium cap. 151. Cæterum nihil eſt, cur non pro genuina habeatur Epiſtola, niſi forte quod vox *Kalendarum* in fine legitur. Verum quia ex hac epiſtola reperiuntur quædam allegata ab Irenæo lib. 5. & Euſebio lib. 3. cap. 33. ideo potius dicendum, Ignatium accommodaſſe linguam ſuam Romanis auribus.

9. ARGVMENTVM IX. Huc quoque pertinet, quod idem Voſſianus Vſſerianusque Ignatius, falſo ad Epheſios ſcribit, *S. Paulum Apoſtolum in omni Epiſtola memoriam eorum facere in Chriſto Jeſu: ὃς ἐν πάσῃ ἐπιστολῇ μνημονεύει ὑμῶν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.* Unde vulgaris Ignatius pro more locum interpolavit, & quia factum Epheſiorum a Paulo in omni Epiſtola mentionem non reperiebat: pro *vobis nos*, pro *Epiſtola orationes* ſubſtituit ſic: *ὃς πάντοτε ἐν ταῖς δεήσεσιν αὐτοῦ μνημονεύει ἡμῶν. Qui ſemper in ſuis orationibus memor eſt noſtri.* Quod enim doctiſſimus Vſſerius relativum pronomen *ὅς, qui*, in vulgari codice vult referri ad *Chriſtum*, cujus nomen iſtic proxime antecedit, non autem ad *Paulum* cujus nomen aliquanto longius poſitum iſtic extat: id inquam & authoritas vetuſtioris interpretis refellit, quem *clauſulam iſtam ad Paulum referre* ipſe Vſſerius fatetur; & ipſa locutionis ratio, apud omnes mi fallor Chriſtianos inſolentis, reſpuit. Quis enim Dominum Chriſtum in cœlo nunc glorioſiſſime regnantem, aliquorum fidelium puta vel Ignatii vel Epheſiorum, *ſemper in ſuis orationibus meminiſſe* unquam dixit? Apertum igitur eſt mendacium hujus ſcriptoris, Paulum *Epheſiorum in omni Epiſtola memoriam facere in Chriſto Jeſu:* quod vero Ignatio Antiocheno Epiſcopo & Martyre prorſus indignum eſt. Plura Dallæus cap. 19. pag. 351. Idem ſcriptor autem in eadem ad Ephelios Epiſtola, mendacio fabulam adjunxit, de qua idem Dallæus cap. 21. pag. 365. his verbis. Hic quoque ea repono, quæ idem de ſtella Magis prælucente omnino temere ſcribit inquiens: *Stella in cœlo fulſit, ſplendore exſuperans omnes ſtellas, & lux illius ineffabilis erat, & ſtuporem incuſſit ipſius novitas. Omnia autem reliqua aſtra, una cum Sole & Luna, chorus fuere ſtellæ illius: ipſa vero lumen ſuum extendebat ſuper vel ſupra omnia, ὑπὲρ πάντα* &c. *Unde ſoluta eſt omnis magia &c.* Unde hæc habet ſcriptor? Quis ei hanc ſtellam omnes alias lucis ſuæ ſplendore exſuperaſſe revelavit? Quin & Solem ipſum & Lunam una cum reliquis aſtris, chorum hujus ſideris fuiſſe? Illam item ſtellam vel ſupra vel ſuper omnia, lumen ſuum extendiſſe? Denique illius ſtellæ exortu, ſolutam eſſe omnem magiam? Omnia hæc ex uno iſtius cerebro prodiiſſe, a ſcriptura aliena, ab ipſo hujus ſtellæ uſu abhorrentia, ad domum ſcilicet Bethleem indicandam, ubi natus erat Chriſtus, certum eſt. Incredibile autem eſt ejusmodi fabulas & deliria, cadere potuiſſe in virum Apoſtolorum diſcipulum, qualis Ignatius Antiochenus Epiſcopus & Martyr fuit.

ARGVMENTVM X. Illuc etiam pertinet, 10.
quod homo audaciſſimus ſcribere non dubitavit, Chriſtum Dominum a ſe in carne viſum eſſe, cujus diſerta ſunt verba ex Epiſtola ad Smyrnæos, *Ἐγὼ γάρ καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα, καὶ πιστεύω ὄντα* ut inquit editio Græca Voſſii. Et ex vetuſtiſſima, ſimpliciſſima, ac omnium optima interpretatione Latina quam edidit Vſſerius, de Chriſto loquens Ignatius ille inquit: *Ego enim & poſt reſurrectionem in carne eum vidi & credo exiſtentem.* Congruit plane vetuſtiſſimo interpreti, Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in *Ignatio*, de hac ejus ad Smyrnæos Epiſtola verba faciens: *in qua* (inquit) *& de Evangelio, quod nuper a me translatum eſt, ſuper perſona Chriſti ponit teſtimonium, dicens; Ego vero & poſt reſurrectionem in carne eum vidi, & credo, quia ita ſit.* Sophronius qui hunc Hieronymi Librum Græce interpretatus eſt, id ipſum perſpicue reddidit: *Ἐγὼ δὲ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σώματι αὐτὸν εἶδον.* Aſſentiuntur Baro-

Baronius,& Meſtræus & alii Latini,qui authoritate hujus ſcriptoris freti, ab Ignatio Martyre Chriſtum in carne viſum putant. *Ignatius* (inquit Baronius) *ut ipſe ſcribit, & Hieronymus teſtatur, Chriſtum in carne vidit:* atque hac de cauſa Baronius harum Epiſtolarum de Chriſti & Apoſtolorum rebus teſtimonia, cæteris omnibus anteponenda cenſet. Ac merito quidem ita judicaret, ſi harum Epiſtolarum author vere eſſet Ignatius. Non eſſe, vel hoc quod ipſe de Chriſto a ſe viſo dicit, liquido arguit. Nam S. Johannes Chryſoſtomus, tomo 5. pag. 409. editionis Savilianæ, & tomo 1. pag. 499. & 500. editionis Pariſienſis, graviſſimus author, Ignatium, Oratione in eum Panegyrica, ait quidem cum Apoſtolis verſatum eſſe familiariter, & una vixiſſe, & ipſorum tandem judicio & manu, ampliſſimæ Antiochenæ Eccleſiæ ordinatum eſſe Epiſcopum. Nusquam vero memorat ipſius Chriſti aſpectu & conſuetudine gaviſum eſſe, quod non erat ſermone præterminiturus, ſi verum eſſet: in quo undique conquirit ac conſectatur, quæcunque ad hujus viri gloriam ac laudem pertinebant. Sed quid dixi, nihil Johannem de re tanta in tali oratione tradidiſſe? Ille vero non modo non dicit Ignatium vidiſſe Chriſtum: ſed quod multo majus eſt ac gravius, diſertiſſime vidiſſe negat. *Μὴ μόνον Πέτρον καὶ Παῦλον, ἀλλὰ καὶ Ἰγνάτιον, τὸν θεὸν ἑωρακότα αὐτὸν, θεὸν ἀπολελαυκότα αὐτῷ τῆς συνουσίας, τοσαύτην ὑπὲρ αὐτοῦ πρόθυμίαν ἐπιδείξασθαι, ὡς καὶ αὐτὸν δι' αὐτὸν ἐκδῦναι τὴν ψυχήν. Tantam pro Chriſto animi promptitudinem oſtenderunt, non modo Petrus & Paulus, ſed etiam Ignatius, qui neque eum viderat, neque ulla ejus converſatione gaviſus erat, ut pro eo vitam ipſum profundere non dubitaret.* Chryſoſtomi teſtimonium ratio temporum allata a Grotio in Matthæi cap. 28. v. 17. confirmat, *tantam fuiſſe Joannis longævitatem, ut vix credibile ſit, Ignatium vel aliquem alium illi ſupervixiſſe, qui viſum a ſe Jeſum poſſet meminiſſe.* Non eſt quod Joannem virum & ſanctiſſimum,& candidiſſimum, ad hæc Antiochenum, Ignatii civis ſuæres aut neſciviſſe, aut quas ſciebat, mendacio premere & obſcurare voluiſſe, putemus. Hoc ergo ſanctiſſimi viri teſtimonio certiſſimo, manifeſti mendacii convincuntur, & Epiſtolarum ſcriptor, & alii non pauci, quotquot Chriſtum ab Ignatio viſum narrarunt. Itaque cum incredibile ſit, ſanctum Martyrem ita de ſeipſo mentitum eſſe, ut Dominum quem nunquam viderat, *a ſe in carne viſum* affirmaret: certum eſt non ipſum Ignatium fuiſſe, ſed impoſtorem, qui has Epiſtolas ejus nomine confinxit. Hæc Dallæus cap. 21. pag. 361. ubi pluribus rationem hanc ſuppoſitionis urget.

Addit idem alteram rationem ſuppoſitionis ibidem cap. 21. pag. 365. ex eadem Ignatii Epiſtola ad Smyrnæos deſumptam, verbis ſequentibus. Levius eſt fateor, ſed Ignatio tamen non ſatis dignum, quod iſte in Epiſtola ad Smyrnæos temere & nullo certo authore aſſeverat, *Chriſtum poſt reſurrectionem bibiſſe.* *Μετὰ δὲ τὴν ἀνάστασιν συνέφαγεν αὐτοῖς, καὶ συνέπιεν ὡς σαρκικὸς, καίπερ πνευματικῶς ἡνωμένος τῷ πατρί. Poſt reſurrectionem autem comedit cum eis & bibit, ut carnalis, quamvis ſpiritualiter unitus Patri.* Hoc in omnibus editionibus legitur, Græca Voſſii, Latina antiqua Viſſerii, & vulgaribus interpolatis omnibus. Chriſtum *comediſſe* poſt reſurrectionem, quod ad demonſtrandam ſuæ carnis veritatem idoneum erat, conſtat ex Evangelio: *bibiſſe*, quod non erat ad hoc probandum, neceſſarium, non conſtat. Scribit quidem S. Lucas Actorum 10, v. 41. Apoſtolos cum Chriſto, poſtquam reſurrexiſſet a mortuis, manducaviſſe & bibiſſe: ſed ipſum cum eis Chriſtum(quod iſte nimium audax Pſeudo Ignatius ait) *manducaviſſe & bibiſſe, nusquam dicit.*

ARGVMENTVM XI. Idem autem ſcriptor, alius quoque ab Ignatio Antiocheno Epiſcopo fuiſſe deprehenditur, quod quædam affirmet incerta & dubia, & falſis ut quidem videtur, propiora: quod non eſt viri gravis ac ſapientis,qualem fuiſſe illum Antiochenum Epiſcopum & Martyrem omnes conſentiunt, quem iſte larvatus ſimulat. Ejusmodi eſt, quod in Epiſtola ad Magneſianos ſcribit Salomonem quidem annos non amplius duodecim natum fuiſſe, cum de duobus infantibus, altero vivo,altero ſuffocato, judicium tulit. Item Joſiam anno ætatis octavo regni gubernaculis admotum, aras & templa disturbaviſſe, & lucos combuſſiſſe. Atqui horum prius plane incertum eſt, neque uſpiam in Scriptura liquido definitum: imo etiam falſo propius, ſi rem accuratius expenderis, ut videre eſt apud ipſum Sanctium, in 3 *Regum* cap. 3. pag. 972. & 973. quantumvis in hanc opinionem propenſum. Poſterius vero de Joſiæ ætate, cum idololatriam in Judæa excidit, apertiſſime cum Scriptura 4. *Regum* cap. 22. vſ. 3. pugnat, quæ diſerte Joſiam anno regni ſui decimo octavo,magnum illud opus moliri cœpiſſe tradit. Ad hoc idem argumentum non incongrue referri poteſt, velut Ignatio incongruum & indecens, quod amplis verbis habet Dallæus, cap. 24. pag. 372. Occurrunt in his Epiſtolis nonnulla, non ſatis conſentanea ut volunt, cum Martyris & viri Apoſtolici modeſtia, quam ſummam fuiſſe perhibent. Illa mitto, quæ de ſua quadam Heroïca & omnem hominum modum ſupergreſſa, adverſus mortem diriſſimam fortitudine, tota paſſim ad Romanos Epiſtola gloriatur: ut adjiciam eundem in Epiſtola ad Trallenſios, hujus quoque Voſſianæ & Vſſerianæ editionis gloriari & intumeſcere, dicens ſe quædam de Angelis ſcribere poſſe adeo ſublimia, ut Trallianos ſtrangulatura ſint. *Πολλὰ φρονῶ εἰς Θεὸν ἀλλ' ἐμαυτὸν μετρῶ, ἵνα μὴ εἰς καύχησιν ἀπόλωμαι. Multa,* inquit, *ſapio in Deo, ſed meipſum menſuro, ut non in gloriatione perdar.* Tum paulo poſt, *Μὴ δύναμαι τὰ ἐπουράνια γράψαι; ἀλλὰ φοβοῦμαι μὴ νηπίοις ὄντι ὑμῖν βλάβην παρέβω. Καὶ συγγνώμονές με, μήποτε δυνάμενος χωρῆσαι, σφαγγα-*

σραγγαλωθῆτε. Καὶ γὰρ ἐγὼ δ παιδόν δίδυμαι, καὶ δυναμένος τὰ ἐπουράνια καὶ τὰς τοποθεσίας τὰς ἀγγελικὰς, καὶ τὰς συστάσεις τὰς ἀρχοντικὰς, ὁρατά τε καὶ ἀόρατα. Περὶ τούτου οὐδὲ καὶ μαθητὴς εἰμι. *Nonne possum vobis supercaelestia scribere? Sed timeo ne parvulis existentibus vobis, damnum apponam: & condonate mihi, ne forte non potentes capere, strangulemini. Etenim ego non secundum quodcunque legatus sum, sed potens scire caelestia, & locipositiones Angelicas, & constitutiones principales, visibiliaque & invisibilia. Praeter hoc jam & discipulus sum.* Multam quidem gloriationem suæ fortitudinis ostendit hic scriptor in Epistola citata ad Romanos, sed hic plurimum de se præsumit: dum dicit se *scire caelestia & locipositiones Angelicas, & constitutiones, principationes, visibiliaque & invisibilia:* quæ viro Apostolico qualis Ignatius Antiochenus fuit, omnino indigna sunt. Quid autem absurdius hujus viri ratiocinio, quod quomodo in mentem hominis alicujus mente sani venire potuerit, prorsus ignoro? *Nonne possum vobis supercaelestia scribere? Sed timeo ne parvulis existentibus vobis, damnum apponam. Et condonate mihi, ne forte non potentes capere, strangulemini.* Quid quæso connexionis inter cælestium explicationem, neque parvulis existentibus Trallianis auditoribus, strangulationem? Hoc sane ita mihi absurdum visum est, atque vel mediocri viro indignum ratiocinium, ut hoc unico (etsi alia omnia abessent) Epistolas istas hujus etiam novæ Vossianæ atque Vsserianæ editionis, Ignatio Antiocheno Episcopo prorsus indignas putarem. Hæc pauca ex lectione earum, quas siquis forsan accuratiori cura atque criterii mente legerit, quin plures quoque alias suppositionis notas inventurus sit, nullus ambigo.

12. ARGVMENTVM XII. Arianismus in Epistolis omnibus apertissimus.

Addamus præfatis Christophorum Sandium in *Nucleo Historiæ Ecclesiasticæ* quem exhibet in *Historia Arianorum Ecclesiastica* libris 3. comprehensa pag. 70. libri primi, editionis Amstelodamensis in 4. anno 1676. accensere S. Ignatium Antiochenum Episcopum Arianis, atque Epistolas sub ejus nomine conscriptas post Arii hæresim, ab Ariano aliquo confictas fuisse, cum Arianam ubique doctrinam spirent. Audiamus. „Ipse autem statuit Patrem, Filium & Spiritum „sanctum, non esse unum trinomium, neque „tres incarnatos, neque tres unius ejusdemque honoris: Sed Patrem comparat „Episcopo, Filium (quam essentiam genitam vocat) Presbytero, mox Diacono: „Spiritum Sanctum diaconis & conservis: adeoque sentit solum ingenitum Patrem Jesu Christi, esse solum unum Deum verum. Vnum „autem esse Patrem & Filium per unanimitatem & concordiam & subjectionem voluntariam, obedientiamque Filii. Ministros Satanæ docere Christum esse Deum super omnia, „ipsumque non esse Filium Dei, sed ingenitum vel sine principio. Contra ipse profitetur, « Christum seu ministrum ministrare Patri, « quemadmodum Episcopo ministrat diaconus. « Christumque non esse Deum super omnia, il- « lum omnipotentem, qui erit omnia in omni- « bus, probat octo argumentis: 1. quia Christus « dicit, *Ascendo ad Patrem meum & Patrem vestrum,* « *& Deum meum & Deum vestrum.* 2. quia Apo- « stolus scribit, *Quando subjicientur ei omnia, tunc* « *& ipse Filius subjicietur illi, qui ei subjecit omnia,* « *ut Deus sit omnia in omnibus.* Inde ut Laicos dia- « conis, diaconos presbyteris, presbyteros Epi- « scopo, Episcopum Christo, ita Christum Patri « subjectum dicit. 3. Quia Christus missus est a « Deo. 4. quia Dominum habet Patrem. 5. quia « sententiæ Dei subjectus, ei obedivit. 6. quia le- « ges implevit Dei, cum summus Deus nec sen- « tentiæ nec potestati alicujus cedat. 7. quia « cruci affixus est Christus, quod illi qui sine prin- « cipio vel ingenitus est, repugnet. 8. quia Chri- « stus ipse dicat se non esse æqualem Deo, sed « confiteatur superioritatem & eminentiam Pa- « tris, super qua gaudeat, se non recusare adora- « re eum, vel denegare servire ei, quem sciret « generationis suæ causam & autorem esse, at- « que suæ perseverantiæ custodem, se enim vi- « vere propter Patrem. Præterea Christum « propter nos passibilem factum, & Spiritum san- « ctum Verbi ministrum esse asserit. „ Ibidem pag. 71. De Ignatii Arianismo egerunt Vsse- « rius Armachanus in Prolegomenis ad Epistolas Ignatii capp. 12. & 15. editionis Oxoniensis « 1644. in 4. & Joannes Dallæus *de Epistolis Ignatianis* cap. 16. pagina 335. unde argumenta suppositionis quatuor, XXIX. XXX. XXXI. & « XXXII. assumit. „ Idem ibidem Sandius eadem pag. 71. Ego certe puto Arianos ex Cle- « mente Romano de quo supra egimus & Igna- « tio, hausisse comparationem Patris, Filii & Spi- « ritus sancti, cum Episcopo, Presbytero & Dia- « cono. Ita enim legimus in Dialogo I. Atha- « nasii seu Theodoreti potius *de Trinitate Ortho-* « *doxa. Nos (dixisti) sentimus Patrem, Filium &* « *Spiritum sanctum esse instar Episcopi, Presbyteri &* « *Diaconi.* Anomæus: *Fateor me dixisse instar* « *Episcopi, Presbyteri & Diaconi &c.* Ita Ariani so- « lebant, ut dogma suum firmarent. «

CAPVT NONVM.

ALIIS RATIONIBVS SVPPOSITIO EARVM EPISTOLARVM IGNATIANARVM OSTENDITVR.

13. ARGVMENTVM XIII. Atque hæc quidem hactenus de rebus ipsis diximus, quæ Epistolas Ignatio Martyri aliena manu subditas esse arguunt. Nunc de Oratione, & verbis ex quibus oratio contexta est, dicamus. Nam in hac parte non pauca sunt, quæ scriptoris ævum & ingenium ab Ignatio alienum & remotum produnt.

Neque Epistolæ istæ qua ratione ab Isaaco Vossio ex MS. Codice Bibliothecæ Florentinæ, vel a Jacobo Vsserio ex antiqua interpretatione

quam

quam veteres citant, impressæ sunt, ullam habent notam Apostolicorum temporum, vel primi Ecclesiæ seculi. Hanc editionem semel atque iterum legi, atque has ita expressas inveni absque sensu in plerisque, in aliis obscuras, dissolutis scopis simillimas, nullam in dictione non modo elegantiam, sed nec congruitatem habentes: nullam in rebus allatis convenientiam vel ordinem servantes: quæ obreptitium quemvis hominem magis, quam Apostolicum virum Ignatium repræsentent. Vnde subit mirari, quod viri, qui eas in publicam lucem produxerunt, magnum Reipublicæ literariæ lucrum se contulisse opinati sint. Illæ enim toto cœlo distant ab aliis duabus sub nomine Clementis Romani Episcopi, & a tertia, quæ Barnabæ Apostolo inscripta, foras eruperunt: quarum stilus etsi simplex, non ita involutus, desultans ac barbarus est, neque abrupto atque insanientis modo, ab uno argumento ad aliud pertransit. Præclare argumentum hoc tractat Dallæus cap. 25. pag. 377. his verbis. *Epistolæ ipsas statim oratio ostendit non esse unius generis aut coloris. Nam illæ quidem sex primæ, quas Vsserius ex veteribus Anglicanis libris protulit, tristes & salebrosæ, rudes atque inculta simul. Oratio brevis, & concisa, & horrida, torrentis instar per confragosa montium, inter abrupta & saxa, & cautes & præcipitia vix enitentis, fertur. Magna sensuum ubique obscuritas, vel nullus vel malignus verborum inter se nexus. Prisca Loxia Apollinis oracula, vel Sibyllarum folia, legere te crederes. Ad hoc scriptoris ingenium, accessit in Latinis fœda interpretis barbaries, qua sermonem jam per se satis involutum, novis vitiis inquinatum plane sic corrupit, ut nihil deterius esse possit.*

Quod si Ignatius verus & Antiochenus aliqua scripsit, eaque ad Pseudo Ignatii & impostoris manus pervenerunt: non dubitamus, quin hic ut ejus antiquitatem & communem Apostolicorum hominum formam, ita & proprium dicendi characterem, quantum ex scriptis haurire potuit, pro suo captu imitatus sit, ut hominem totum ad vivum exprimeret. Duo tantum tenemus egregia sanctissimi Martyris dicta, quæ & istum videmus sed absurde ac distorte transtulisse cum studio & affectatione in suas Epistolas, unde impostor facillime argui potest. Primum est, quod ab Hieronymo in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum in *Ignatio* accepimus, diu quoque antea ab Irenæo Lib. 5. *de hæresibus* cap. 18. commemoratum, Ignatium, *cum jam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi cum rugientes audiret leones, dixisse: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar:* quæ & in Latinorum sacris, festo quotannis Ignatii die ita recitantur, in Breviario Romano ad diem 1. Februarii Lect. 6. p. 845. Hæc verba scriptor Pseudo Ignatius facit Martyrem, *non Roma præsentem audito leonum rugitu dicere*, quod ex libris ut nos, aut ex fama didicerat: sed *Smyrnæ absentem scribere ad Romanos*, inquientem: Ἄφετέ με θηρίων ἔσαι βρῶμα, δι' ὧν ἔστι Θεοῦ ἐπιτυχεῖν. Σῖτός εἰμι τοῦ Θεοῦ, καὶ διὰ ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος Θεοῦ εὑρεθῶ. *Dimittite me bestiarum esse cibum, per quas Deo potiri licet. Frumentum Dei sum, & per dentes bestiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar.* Hæc ita dici ut narrat Hieronymus, in re præsenti ac in ipsa pene arena, cum jam dentibus bestiarum laniandus esset, & ratio & sensus rectum & appositum judicat. Hæc procul Roma, dum Smyrnæ esset, scribere verus Ignatius non potuit nisi præsago spiritu; quia tunc nescieb..t quonam supplicii genere vitam consummaturus esset, quod Romæ tantum definitum est, ut Joannes Chrysostomus infra citandus innuit. Item qui Smyrnæ adhuc erat, bestias ne viderat quidem vel audiverat, neque in eo adhuc erat, ut ab iis discerperetur, & quod ipse ait, *moleretur*. Absurde ergo scriptor Pseudo Ignatius, inducit eum in præsenti tempore dicentem διὰ ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, *Dentibus bestiarum molor:* ubi in futuro dicendum erat, *molar:* vel certe ita totus sermo instituendus erat: *Frumentum sum Dei, finite me bestiarum escam fieri, earumque dentibus moli, ut panis mundus inveniar.* Nemo non videt, plane ita Smyrnæ scribendum fuisse, non, quod iste facit eum dicere *dentibus bestiarum molor.* Impostor igitur Ignatianarum Epistolarum, hujus a vero Ignatio dicti tempus antevertit, dum ei attribuit Smyrnæ ad Romanos scripsisse, id quod Hieronymus & Irenæus scribunt ipsum dixisse Romæ, Romanis præsentibus, agone jam mortis instante, accepto genere mortis quam passurus erat. Mitto quod parum verisimile sit, Ignatium, si hæc Smyrnæ jam antea ad Romanos scripsisset, iterum eadem ad eosdem fuisse dicturum, cum aliquo post tempore in urbem passurus venit. Alterum Ignatii dictum de quo certi sumus, habemus a Joanne Chrysostomo, *Homilia in Ignatium* tomo 1. editionis Parisiensis pag. 506. 2. narrante, Martyrem, cum id sibi supplicii genus esse subeundum audivisset, moriturum dixisse: Ἐγὼ δὲ τῶν θηρίων ἐκείνων ἀναίμων, *Ego vero o utinam bestiis illis fruar!* Hæc quoque Pseudo-Ignatius noster in suam ad Romanos Epistolam transtulit, ubi suum Ignatium ita loqui facit: Ὀναίμην τῶν θηρίων τῶν ἐμοὶ ἡτοιμασμένων, *Vtinam fruar bestiis mihi paratis!* Neque hoc decore satis, quod quæ jam Smyrna ad Romanos scripserat, parum probabile sit, eadem Romæ ad Romanos iterum dixisse, ad quos antea scripta erant. At ex Chrysostomo certi sumus, hæc Romæ Ignatium ad Romanos præsentes dixisse, *cum id sibi supplicii genus esse subeundum audivisset.* Parum ergo probabile est, quod iste fingit, eadem jam ante eundem Smyrnæ consistentem ad Romanos scripsisse: cum genus supplicii quo consummandus erat, cum nesciret. Ille vero Pseudo-Ignatius non adeo accurate rem expendens, utrumque dictum suis Epistolis inseruit: ut ex his duobus homines,

quæ certo scirent Ignatium olim dixisse, hunc argumentarentur ac crederent, in cæteris quoque veracem esse, neque quicquam finxisse. Non itaque Pseudo-Ignatius felicior fuit, in inserendis veri Ignatii dictis in suas Epistolas, quam in imitando charactere scriptoris primi Ecclesiæ sæculi. Vide Dallæum *de scriptis Ignatio Antiocheno suppositis*, cap. 30. pag. 420. ubi rem hanc examinat, quem paucis adjectis hic præmisimus.

14. ARGVMENTVM XIV. prolixe tractatum a Dallæo, cap. 25. pag. 378. & sequentibus. Illud quoque in his occurrit, quod in omnibus duodecim Epistolis Ignatii nomini adjectum legimus *Theophori* cognomentum. Ita in ea quæ est ad Ephesios, Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος &c. τῇ οὔσῃ ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας, πλεῖσα ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ καὶ ἐν ἀμώμῳ χάριτι χαίρειν. *Ignatius qui & Theophorus &c. Ecclesiæ existenti in Epheso Asiæ plurimam in Jesu Christo & in immaculata gratia salutem.* Sic ad Magnesianos, Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος τῇ εὐλογημένῃ ἐν χάριτι Θεοῦ Πατρὸς &c. πλεῖσα χαίρειν: *Ignatius qui & Theophorus, benedicta per gratiam Dei Patris &c. plurimam salutem.* Sic denique ut uno verbo dicam, habent sex Vsserianæ ex veteri MS. codice productæ Latinæ, & septem Vossianæ Græcæ, sic omnes duodecim vulgaris Græcæ Latinæque editionis. Ita ipsa quoque quæ ad Polycarpum, ex MS. Bibliothecæ Florentinæ, a Vossio Græce sic producta: Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος, Πολυκάρπῳ ἐπισκόπῳ ἐκκλησίας Σμυρναίων, μᾶλλον ἐπισταλμένῳ ὑπὸ Θεοῦ Πατρὸς καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, πλεῖσα χαίρειν. *Ignatius qui & Theophorus, Polycarpo Episcopo Ecclesiæ Smyrnensium, magis autem visitato a Deo Patre & Jesu Christo, salutem plurimam.* Jam vero hoc Ignatii cognomen Theophorus, & apud vetustissimos omnes inauditum est, & plane fabulosum, & ex fabula ortum. Ergo & ipsas cui id præfixum est, Epistolas, non Ignatii, qui id cognomen, ut statim ostendemus, nunquam vivus gessit, sed alterius alicujus diu post Ignatium fuisse necesse est. Fabulosum autem esse *Theophori* cognomentum, non ex vero inditum, sed ex fabella, quod dixi, natum apparet. Nam si quæras, cur & unde singulare hoc, planeque mirificum cognomentum, neque ulli quod sciam, ex omni hominum genere mortali præter hunc unum, inditum, nactus sit Ignatius: respondent Græci ut noster ipse Vsserius dicit, in publicis ac totius gentis suæ communibus libris, *Theophorum* ideo esse appellatum: quod eum Dominus Jesus adhuc tenellum existentem, sanctissimis manibus acceptum sustulerit, & in ulnas susceperit. Locus est tum in Menæo vetere Græcorum Venetiis, tum etiam in Anthologio novo Romæ edito, ad diem XX. Decembris, ubi de Ignatio verba facientes inquiunt. Οὗτος ἦν ὁ μακάριος, ὃν ἔτι νήπιον ὄντα κρατῆσαί φασι τὸν δεσπότην, καὶ ἀναγκαλισάμενον εἰπεῖν, Ἐὰν μή τις ταπεινώσῃ ἑαυτὸν, ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. καὶ ὃς ἕνα τῶν τοιούτων παιδίων δέξηται ἐν τῷ ὀνόματί μου, ἐμὲ δέχεται. διὰ τοῦτο καὶ Θεόφορος ἐκλήθη. *Hic erat beatus ille, quem adhuc tenellum existentem, sustulisse Dominum ajunt, & ulnis eum amplexatum dixisse: Nisi quis humiliaverit seipsum, sicut puerulus iste, nequaquam intrabit in regnum cælorum: & qui unum ejusmodi puerulorum susceperit in nomine meo, me suscipit. Propterea & Theophorus appellatus est.* Idem in Ritualibus, Οὗτος θεοφόρος ἐκλήθη Θεόφορος, πάντως. νήπιος γὰρ ἔτι κομιδῇ ὑπάρχων, εἰς χεῖρας τοῦ Κυρίου φερόμενος ἔφασκε, ἀναφωνοῦντος πρὸς ἡμᾶς, Γένεσθέ μοι ὡς τὸ παιδίον τοῦτο. *Vere congruo nomine Theophorus est appellatus, o Pater. Adhuc enim admodum parvulus, in manibus Domini gestatus stetisti ad nos clamans, Estote mihi, ut hic parvulus.* Item ibidem: Ὁ Θεόφορος καλέμενος ἄξιος, ὅτι ὁ δεσπότης σε μάκαρ Ἰγνάτιε, ὡς συμπαθὴς ἠγκαλίσατο. *Theophorus merito appellatus es, quando quidem te Dominus, o beate Ignati, ut natura similiter affectum, amplexus est.* Hæc ab Vsserio, omnia vere descripta ex Græcis. Fabellam inquit jam pridem Metaphrastes narraverat, cujus Græca quæ ex eodem Vsserio habemus, describam. Τοῦτο τῷ Θεοφόρῳ φασὶ κομιδῇ ὄντι νηπίῳ τὸν Χριστὸν ἔτι τοῖς ἐν κόσμῳ διατριβοῖς ποιούμενον, τοῖς ἀχράντοις τὰ ἑαυτῷ ἐπιθεῖναι χεῖρας, καὶ πρὸς τὸ πλῆθος ἀποβλέψαντα. Ἐὰν μή τις εἴπειν, ταπεινώσῃ ἑαυτὸν ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. *Hunc divino Ignatio, cum esset adhuc plane puer, ajunt Christum adhuc versantem in mundo, intemeratas manus imposuisse, & ad populum intuentem dixisse: Nisi quis seipsum humiliaverit, ut hic puellus, non intrabit in regnum cælorum.* Cum vero Symeonem Metaphrastem sæculo nono ante annum Domini 859. vixisse & Baronius & Bellarminus velint, Vossius autem sub Leone Philosopho id est ab anno Christi 885. & sub succe..oribus ejus Constantino Porphyrogenneta, & Romano Lagapeno, ad annum Christi 919. superfuisse, Lib. 2. *de Historicis Græcis* cap. 25. pag. 190. 291. demonstraverit: nihil causæ fuit cur Baronius ad annum Christi 71. §. 13. se invenisse negaret, unde *Nicephorus Callisti* hanc de Ignatio historiam, quam ipse quoque Lib. 2. cap. 35. narrat, acceperit. Quidni enim a Symeone Metaphraste, gentis suæ scriptore nobilissimo, quem ipse Nicephorus quatuor pene sæculis secutus est, illam didicerit? Neque ii soli quos ex Vsserio edidimus, hanc Ignatiani cognominis rationem afferunt Anastasius Romanæ sedis Bibliothecarius in scholiis ad octavam a se Latine editam, & Hadriano Romano Pontifici II. post annum Christi 868. dictatam Synodum, eadem quoque de hujus nominis etymologia, a Græcis tradita fuisse testatur. Actione itaque I. Synodi VIII. tomo 6. Conciliorum pag. 721. A. inquit: *Tradunt Græci, quod parvulus, quem Dominus advocatum statuit in medio, dicens, Nisi conversi fueritis & efficiamini sicut hic parvulus &c. ipse Ignatius fuit: & idcirco hunc Deiferum nuncupant: unde nec Apostoli aussi fuerunt ei, cum ad Ecclesiæ præsula-*

fulatum promoveretur, amplius manus imponere, nimirum quem ore Dei laudatum & ipsius tactu sanctificatum cognoverint. Certe Meſtræus ex hac traditione, cum eam ipſe ex Nicephoro deſcripſiſſet, ait præfatione in Notas ad Ignatium, non vanam conſequi conjecturam, nomen Θεοφόρου Ignatio fuiſſe inditum, eo quod a Chriſto Deo manibus aſſumptus ſive geſtatus fuerit. Si Latini cæteri minus in hanc ſententiam iverunt, hoc inde factum arbitror, partim quod vulgo crederent, puerum a Chriſto in Hiſtoria Evangelica in ulnas aſſumptum, non *Ignatium*, ſed *Martialem* ſuum fuiſſe, ut ex Anſelmo, Thoma Aquinate & Lyrano memorat Sebaſtianus Barradius, *Harmonia Evangelica* Lib. 10. cap. 33. pag. 788. Partim quod illam ſive Græcorum de *Ignatio*, ſive ſuorum de *Martiale* traditionem totam dubiam ac incertam eſſe, uti ſane eſt, exiſtimarent qui ſunt apud eos prudentiores. Jam vero illam de Ignatio a Domino facto & in ulnas ſuſcepto traditionem, non modo dubiam, ſed etiam liquido falſam eſſe diſertiſſimo Joannis Chryſoſtomi teſtimonio, Chriſtum ab Ignatio viſum negantis, & cap. præcedenti demonſtravimus, & Vſſerius ipſe confitetur. Ergo illud quoque falſum eſſe inde conſequitur, quod fabulæ ſuperſtructum eſt, *Theophori* cognomine vocatum fuiſſe, dum viveret, Ignatium. Neque ſane id nomen unquam de eo uſurpatum apud veteſtiſſimos reperire eſt, qui rem tam memorabilem alicubi dixiſſent, ſi ſciviſſent. Hæc Dallæus, qui argumentum illic plurimis perſequitur, a me ob compendii rationem omiſſis.

CAPVT DECIMVM.

LACINIOSIS AC STRIBILIGINOSIS EPISTOLARVM INSCRIPTIONIBVS, OSTENDVNTVR ILLÆ ESSE SVPPOSITÆ.

25. ARGVMENTVM XV. Hic ſcriptor in ſuis Epiſtolis, Voſſianæ etiam atque Vſſerianæ editionum, inſcriptiones præfixit mirificas, lacinioſas, inconditas, prodigioſæ longitudinis, involutæ obſcuritatis, præter omnium antiquorum Sanctorum conſuetudinem, ut Clementis, Polycarpi, Smyrnenſium, Lugdunenſium, Cypriani, Cornelii, Firmiliani, & aliorum. Eximie rationem diſcutit hanc Dallæus cap. 30. pag. 415. quem in compendio exhibemus. Ad hujus argumenti evidentiam & demonſtrationem, producamus lacinioſas atque ſtribiliginoſas inſcriptiones ſeptem Epiſtolarum Ignatii, quas veras illi arbitrantur, omiſſis aliis, quas jam plerique etiam Pontificii fictitias ingenue fatentur. Ita igitur Epiſtola Ignatii larvati ad Epheſios inſcripta in Voſſiana editione & Vſſeriana legitur. Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος τῇ εὐλογημένῃ ἐν μεγέθει Θεοῦ πατρὸς, καὶ πληρώματι, τῇ προωρισμένῃ πρὸ αἰώνων εἶναι διὰ παντὸς εἰς δόξαν παντοφάμονον, ἄτρεπτον, ἡνωμένην καὶ ἐκλελεγμένην ἐν πάθει ἀληθινῷ, ἐν θελήματι τοῦ πατρὸς, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἀξιομακαρίστῳ, τῇ οὔσῃ ἐν Ἐφέσῳ τῆς Ἀσίας, πλεῖστα ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ καὶ ἐν ἀμώμῳ χαίρειν χαίρειν. *Ignatius qui & Theophorus, benedicta in magnitudine Dei Patris, & plenitudine, praedeſtinata ante ſecula, ut eſſet ſemper in permanente gloria incommutabilis, unita & electa in vera paſſione, per voluntatem Patris & Jeſu Chriſti Dei noſtri; Eccleſia merito beatiſſima, quae Epheſi in Aſia eſt, plurimam in Chriſto Jeſu & in immaculata gratia ſalutem.* Ad Magneſianos. Ἰγνάτιος, ὁ καὶ Θεοφόρος, τῇ εὐλογημένῃ ἐν χάριτι Θεοῦ πατρὸς, ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ σωτῆρι ἡμῶν, ἐν ᾧ ἀσπάζομαι τὴν ἐκκλησίαν τὴν οὖσαν ἐν Μαγνησίᾳ τῇ πρὸς Μαιάνδρῳ, καὶ εὔχομαι ἐν Θεῷ πατρὶ καὶ ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ πλεῖστα χαίρειν. *Ignatius qui & Theophorus, benedicta per gratiam Dei Patris in Chriſto Jeſu Salvatore noſtro, in quo ſaluto Eccleſiam quae Magneſia eſt juxta Meandrum, optoque in Deo Patre & in Jeſu Chriſto plurimam ſalutem.* Ad Trallianos. Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος, ἠγαπημένῃ Θεοῦ πατρὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκκλησίᾳ ἁγίᾳ, τῇ οὔσῃ ἐν Τράλλεσιν τῆς Ἀσίας, ἐκλεκτῇ καὶ ἀξιοθέῳ, εἰρηνεύσῃ, ἐν σαρκὶ καὶ αἵματι, καὶ τῷ πάθει Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, ἐν τῇ εἰς αὐτὸν ἀναστάσει. ἣν καὶ ἀσπάζομαι ἐν τῷ πληρώματι, ἐν ἀποστολικῇ χαρακτῆρι, καὶ εὐχομαι πλεῖστα χαίρειν. *Ignatius qui & Theophorus, dilecta Deo Patri Jeſu Chriſti, Eccleſiae ſanctae, quae eſt Trallibus Aſiae, electae & Deo dignae, pacem habenti in carne & ſanguine & paſſione Jeſu Chriſti, ſpei noſtrae, in ea reſurrectione quae in ipſum, quam & Apoſtolico charactere ſaluto in plenitudine, & opto plurimum ſalvere.* Ad Romanos. Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος, τῇ ἠλεημένῃ ἐν μεγαλειότητι ὑψίστου Θεοῦ Πατρὸς, καὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ, μονογενοῦς αὐτοῦ υἱοῦ, ἐκκλησίᾳ ἠγαπημένῃ, καὶ πεφωτισμένῃ ἐν θελήματι τοῦ θελήσαντος τὰ πάντα ἃ ἐστὶ κατ' ἀγάπην Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν, ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων, ἀξιόθεος, ἀξιοπρεπὴς, ἀξιομακάριστος, ἀξιέπαινος, ἀξιεπίτευκτος, ἀξιάγνος, καὶ προκαθημένη τῆς ἀγάπης, χριστώνυμος, πατρώνυμος. Ἣν καὶ ἀσπάζομαι ἐν ἑνώματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, τοῖς κατὰ σάρκα καὶ πνεῦμα ἡνωμένοις πάσῃ ἐντολῇ αὐτοῦ, πεπληρωμένους χάριτος Θεοῦ ἀδιακρίτως, καὶ ἀποδυλωμένους ἀπὸ παντὸς ἀλλοτρίου χρώματος. πλεῖστα ἐν κυρίῳ ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστῷ, ἀμώμως χαίρειν. *Ignatius qui & Theophorus, miſericordiam conſecuta in magnificentia altiſſimi Dei Patris, & Jeſu Chriſti unigeniti ejus filii, Eccleſia ſanctificata & illuminata, per voluntatem illius qui omnia voluit, quae pertinent ad charitatem Jeſu Chriſti Dei noſtri, quae praeſidet in loco Romanae regionis, Deo digna, decentiſſima, merito beata, laudatiſſima, digna quae quis potiatur, caſtiſſima, & excellens in charitate Chriſti & Patris nomen ferens. Quam & ſaluto in nomine Jeſu Chriſti, filii Patris: quos & ſpiritu & corpore conjunctos omnibus mandatis ipſius, repletos gratia Dei, abſque haeſitatione, & repurgatos ab omni alieno colore, plurimum in Domino noſtro Jeſu Chriſto, immaculate ſalvere jubeo.* Ad Philadelphenos. Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος ἐκκλησίᾳ Θεοῦ πατρὸς καὶ κυρίου

Ἰησῦ Χριστῦ. τῇ ἔσῃ ἐν Φιλαδελφίᾳ τῆς Ἀσίας, ἐλεημένῃ καὶ ἑδραιωμένῃ ἐν ὁμονοίᾳ Θεοῦ, καὶ ἀγαλλιωμένῃ ἐν τοῖς πάθεσι τῦ Κυρίυ ἡμῶν ἀδιακρίτως, ἐν τῇ ἀναστάσει αὐτῦ πεπληροφορημένῃ ἐν παντὶ ἐλέει. ἣν εὐσπάζομαι ἐν αἵματι Ἰησῦ Χριστῦ, ὅτις ἐστὶν χαρὰ αἰώνιος καὶ παράμονος, μάλιστα ἐὰν ἐνὶ ὦσιν σὺν τῷ Ἐπισκόπῳ, καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ πρεσβυτέροις, καὶ διακόνοις ἀποδεδεγμένοις ἐν γνώμῃ Ἰησῦ Χριστῦ, ὃς κατὰ τὸ ἴδιον θέλημα ἐστήριξεν ἐν βεβαιωσύνῃ, τῷ ἁγίῳ αὐτῦ πνεύματι. *Ignatius qui & Theophorus, Eccleſiæ Dei Patris & Domini Jeſu Chriſti, quæ eſt in Philadelphia Aſiæ, miſericordiam conſecutæ & firmatæ in concordia Dei, & exultanti in paſſione Domini noſtri inſeparabiliter, & in reſurrectione ipſius certificatæ, in omni miſericordia, quam ſaluto in ſanguine Jeſu Chriſti, quod eſt gaudium ſempiternum & ſtabile, maxime iis qui unum ſunt cum Epiſcopo, & Presbyteris & Diaconis qui cum eo ſunt, deſignatis in ſententia Jeſu Chriſti: quos ſecundum propriam voluntatem ſuam firmavit in ſtabilitate, ſancto ipſius Spiritu.* Ad Smyrnæos. Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος, ἐκκλησίᾳ Θεοῦ πατρὸς, καὶ τῷ ἠγαπημένῃ Ἰησῦ Χριστῷ, ἐλεημένῃ ἐν παντὶ χαρίσματι, πεπληρωμένῃ ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ, ἀνυστερήτῳ ὄσῃ πάντως χαρίσματος, θεοπρεπεστάτῃ καὶ ἁγιοπρεπεῖ Φόρῳ, τῇ ὄσῃ ἐν Σμύρνῃ τῆς Ἀσίας ἐν ἀμώμῳ πνεύματι, καὶ λόγῳ Θεοῦ, πλεῖστα χαίρειν. *Ignatius qui & Theophorus, Eccleſiæ Dei Patris & dilecti Jeſu Chriſti, miſericordiam conſecutæ in omni dono, repletæ fide & charitate, nullum non donum aſſecutæ, divinisſimæ & Sacroſanctæ, quæ Smyrnæ in Aſia eſt, in Spiritu immaculato & verbo Dei, ſalutem plurimam.* Denique in Epiſtola ad Polycarpum Voſſianæ editionis, Ἰγνάτιος ὁ καὶ Θεοφόρος Πολυκάρπῳ Ἐπισκόπῳ ἐκκλησίας Σμυρναίων, μᾶλλον ἐπισκοπημένῃ ὑπὸ Θεοῦ πατρὸς, καὶ κυρίυ Ἰησῦ Χριστῦ, πλεῖστα χαίρειν. *Ignatius qui & Theophorus, Polycarpo Epiſcopo Eccleſiæ Smyrnenſium, magis viſitato a Deo Patre & Jeſu Chriſto, ſalutem plurimam.* Hæ ſunt inſcriptiones Epiſtolarum ſeptem putativi Ignatii, juxta editionem Voſſianam, ex MS. Codice Florentino. Hinc vero etiam patet, quod nemo ex omni Chriſtianiſmi poſt Apoſtolos memoria reperiatur, qui hujusmodi inſcriptiones quales iſtius ſunt, ſuis Epiſtolis præfixerit, ut ex collatione cum aliis conſtare poteſt. Habemus Clementis ad Corinthios Epiſtolam, Romanæ Eccleſiæ nomine ſcriptam, cujus inſcriptionem hic videas. Ἡ ἐκκλησία τῦ Θεοῦ ἡ παροικῦσα Ῥώμην, τῇ ἐκκλησίᾳ τῦ Θεοῦ παροικῦσῃ Κόρινθον, κλητοῖς ἡγιασμένοις ἐν θελήματι Θεοῦ διὰ τῦ κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῦ. *Eccleſia Dei quæ Romæ peregrinatur, Eccleſiæ Dei quæ Corinthi converſatur, vocatis, ſanctificatis voluntate divina per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Extat & Polycarpi Epiſtola, ſupremis ut quidem volunt Ignatii temporibus ad Philippenſes data, cujus jam ſupra mentio a nobis facta eſt, ſed ſimplicis hujus inſcriptionis. Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ Πρεσβύτεροι, τῇ ἐκκλησίᾳ τῦ Θεοῦ, τῇ παροικούσῃ Φιλίππους, ἐλεος ὑμῖν καὶ εἰρήνη παρὰ Θεοῦ παντοκράτορος, καὶ κυρίυ Ἰησῦ Χριστῦ τῦ σωτῆρος ἡμῶν πληθυνθείη. *Polycarpus & qui cum eo ſunt Presbyteri, Eccleſiæ Dei quæ eſt Philippis, miſericordia vobis & pax a Deo omnipotente, & Jeſu Chriſto, Salvatore noſtro, abundet.* Supereſt etiam magno Dei beneficio de hujus ipſius Polycarpi martyrio, inſignis Epiſtola, quam citat etiam Euſebius Lib. 4. *Hiſtoriæ* cap. 15. Smyrnenſium ad Philomelienſes, ἐν Φιλομηλίῳ ut legit Euſebius, vel ut habet Vſſerii codex pag. 13. ad Philadelphienſes, circa annum Chriſti 169 data cujus inſcriptio talis eſt. Ἡ ἐκκλησία τῦ Θεοῦ ἡ παροικῦσα Σμύρναν, τῇ ἐκκλησίᾳ τῦ Θεοῦ, τῇ παροικούσῃ ἐν Φιλαδελφίᾳ, καὶ πάσαις ταῖς κατὰ τόπον τῆς ἁγίας καὶ καθολικῆς ἐκκλησίας παροικίαις, ἔλεος, εἰρήνη, καὶ ἀγάπη ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς, καὶ τῦ κυρίυ ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῦ πληθυνθείη. *Eccleſia Dei quæ Smyrnæ eſt, Eccleſiæ Dei quæ Philadelphiæ commoratur, & univerſi, quæ in locis ſunt, Eccleſiæ Catholicæ parochiis, miſericordia, pax, & amor a Deo Patre & Domino noſtro Jeſu Chriſto multiplicetur.* Extat & apud Euſebium Lib. 5. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 1. pag. mihi 154 paucis poſt annis data, eximia plane Epiſtola, a noſtris Lugdunenſibus ad Aſianos fratres, de Photini & Attali & aliorum Martyriis, cum inſcriptione iſta. Οἱ ἐν Βιέννῃ καὶ Λουγδούνῳ τῆς Γαλλίας παροικοῦντες δούλοις Χριστοῦ τοῖς κατὰ τὴν Ἀσίαν καὶ Φρυγίαν, τὴν αὐτὴν τῆς ἀποστολικῆς ἡμῖν πίστιν καὶ ἐλπίδα ἔχουσιν ἀδελφοῖς, εἰρήνη καὶ χάρις καὶ δόξα ἀπὸ Θεοῦ Πατρὸς, καὶ Χριστῦ Ἰησῦ τῦ Κυρίυ ἡμῶν. *Servi Chriſti, qui Viennæ & Lugduni Galliæ degunt, fratribus per Aſiam & Phrygiam conſtitutis, qui eandem nobiſcum fidem, ac ſpem habent redemptionis, pax & gratia & gloria a Deo Patre & Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Vides, quam ſimplices, quam breves, quamque claræ ſint Epiſtolicæ Sanctorum ætatis illius inſcriptiones, quam ab inani & laciniosa Pſeudo-Ignatii noſtri pompa alienæ. Par fuit quinque ſequentium ſeculorum in his modeſtia, atque frugalitas, cujus luculentiſsimum habemus in Cypriani Epiſtolis exemplum, Epiſtolis 3. & 14. & 25. & 42. quarum inſcriptionibus nihil ſimplicius vel brevius dici poteſt: *Cyprianus Presbyteris & Diaconis Romæ conſiſtentibus ſalutem.* Item, *Cyprianus Moyſi & Maximo Presbyteris, & cæteris Confeſſoribus, dilectiſsimis fratribus, ſalutem.* Item, *Cyprianus Cornelio Fratri ſalutem:* qui is erat Cornelius Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus. Ita ipſe ad alios, ita pariter ad ipſum alii. Ibidem Epiſt. 31. *Cypriano Papæ, Presbyteri & Diaconi Romæ conſiſtentes, ſalutem.* Item Epiſtola 46. *Cornelius Cypriano fratri, ſalutem.* Ibidem Epiſt. 75. Firmilianus qui Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, ita Cypriano Epiſtolam inſcribit: *Firmilianus Cypriano fratri in Domino, ſalutem.* Cætera exſcribere non opus eſt, cum eadem ſit cæterorum omnium Græcorum ac Latinorum ratio. Vnus eſt Ignatii ſimulator & hiſtrio, qui ſcribit aliter, quod ſatis per ſe demonſtrat non eſſe hunc veri nominis Ignatium. Nulla enim ratio eſt, cur hic tam diverſe a fratribus & poſteris ſuis ſcriberet, ſoluſque in hoc Epiſtolarum

nego-

negotio, seorsim e regione universorum, tabernacula velut alter Ismael, figeret.

Hic observatione non indignum fuerit, quod animadvertit Christophorus Sandius in Opusculo *de Veteribus scriptoribus Ecclesiasticis* pag. 17. quod præmittit *Historiæ Arianorum Ecclesiasticæ* tribus libris distinctæ, nempe de *Epistolis S. Ignatii Antiocheni ad Smyrnæos & ad Polycarpum*, editionis Amstelodamensis anni 1676. in 4to, quæ Coloniæ apud Joannem Nicolai impressa dicitur. "Quod attinet ad Epistolam ad Polycarpum, in ea tota fere jure desiderat Abraham Sultetus γνήσιον Ignatium: *Quid enim*, inquit, *Ignatius oblitus est se ad Episcopum scribere, cum ait: Episcopo attendite, ut & Deus vobis? Itane Græca lingua rudis fuit Græcus scriptor, ut nesciret, quid depositum, quid accipere sermo Græcus vocet? quid desiderem? cum ait, τὰ δεπόσιτά ὑμῶν, τὰ πέργα ὑμῶν ἵνα τὰ ἄνκεπλα ὑμῶν ἄξια Θεῦ κομίσησθε*: item *δεσέρτων εὑρεθῆ*, vel *δεσερτωρεύθη*. Has quidem difficultates effugiet, quicunque cum antiquo interprete, plus quam dimidium Epistolæ non agnoverit, nec eam ultra verba legerit, *passibilem vero propter nos ut hominem*. Magis probabile tamen est, Epistolam illam suppositam esse in locum Epistolæ ad Polycarpum, cujus meminere Eusebius & Hieronymus, quamque falsarius excidisse putavit. Eandem enim esse illam cum Epistola ad Smyrnæos inde evincitur, quod verba ex Evangelio secundum Hebræos, dicit Hieronymus allegari in Epistola ad Polycarpum, quæ tamen non reperiuntur, nisi in illa quæ scripta est ad Smyrnæos. Epistola ergo inscripta saltim proprie ad Polycarpum, prælegenda tamen fuit Smyrnæorum ecclesiæ, cujus Polycarpus tum erat Episcopus. Nec quod dicimus, exemplis caret. Nam Dionysius Corinthius scripsit unam eandem Epistolam ad Gnosios & ad Pinytum Gnosiorum Episcopum: & rursus unam ad Romanos, quam scripsit ad Soterem Episcopum eorum, vel ut ait Eusebius, Soteri tum Romano Episcopo nuncupatam. Miror autem Eusebium *Historia Ecclesiastica* Lib. 3. cap. 33. dicere se ignorare, unde Ignatius verba illa deprompserit: desumpta enim sunt, teste Hieronymo ex *Evangelio secundum Hebræos*, quo Origenem sæpe usum, quodque nuper exhibitum sibi ex bibliotheca Cæsariensi, in Græcum & Latinum sermonem se transtulisse ait Hieronymus in Vita Jacobi fratris Domini & Ignatii: & Proœmio libri XVIII in Esaiam, dicit hoc esse Evangelium, quod Hebræorum legitant Nazaræi. Neque Origenem quidem Hebrææ linguæ peritum, Eusebium autem ignarum dixerit, quicunque novit Eusebium Cæsareæ Palestinæ Episcopum fuisse, librumque de locis Hebraicis conscripsisse. Imo ipsemet Eusebius meminit hujus Evangelii libro 4. cap. 21. Origenes autem Proœmio *περὶ ἀρχῶν* eadem verba ex libello, qui dicebatur *Doctrina Petri* allegavit. Quare magis miror, Eusebium nec hunc Origenis locum observasse. Porro obiter notandum, quod verba quæ Ignatius & Eusebius ex illo scripserunt, *καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν οἶδα*, Hieronymus allegavit, *& post resurrectionem in carne eum vidi*: & ex eo Sophronius Græce, *καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σώματι αὐτὸν εἶδον*. Nec mirum, cum *οἶδα* non solum *cognovi*, sed & *vidi* significare queat."

CAPUT UNDECIMUM.

PLURIMOS MAGNI NOMINIS VIROS, SENSISSE HAS IGNATII EPISTOLAS ESSE SUPPOSITITIAS.

ARGUMENTUM XVI. diffuse tractatum ab Johanne Dallæo, incomparabili viro, pag. 240. cap. 4. cujus tibi compendium hic exhibebimus. Illud (inquit pag. 242) imprimis mirabile mihi visum est, quod Hammondus Dissertatione 2. cap. 13. §. 1. & alii scribunt *Claudium Salmasium & Davidem Blondellum*, mortalium omnium primos, has Epistolas putasse confictas. Atqui nescire non potuerunt, quid diu ante hos de Epistolis judicassent & Magdeburgenses Centuriatores, & Calvinus noster, & alii non pauci nostrarum partium laudatissimi scriptores. Magdeburgenses non pauca congerunt, quæ scripta hæc Martyri supposita fuisse ostendunt, *Centuria* 2. cap. 10. Calvinus *Institutionum* Lib. I. cap. 13. §. 29. negat *illis nimis, quæ sub Ignatii nomine edita sunt, quicquam esse putidius: quominus tolerabilis est eorum impudentia, qui talibus larvis ad fallendum se instruunt.* Et hæc nostrorum de Epistolis judicia nobis ad invidiam exprobranti Campiano, Vitacherus, lucidum Angliæ sidus *Responsione* ad rationem 5. Campiani, ita respondet: ut Epistolis scriptoris fidem vel nullam esse, vel exiguam assentiatur. "Anglus quoque (nisi fallor) Robertus Parkexus fuit, qui *de politia Ecclesiæ* cap. 13. has Epistolas ex professo confutat, & allatis tredecim rationibus, eas omnes nothas esse ac suppositicias contendit. Et Anglus Robertus Cocus fuit, qui censuræ suæ de *Ignatio*, hunc titulum præfixit, *Ignatii Epistolæ sunt suppositiciæ*: & huic suæ de illis sententiæ probandæ, non pauca neque infirma argumenta attulit. Sed quid hos homines nuperos, & viris doctissimis de Hierarchiæ fortasse odio suspectos, memoro? Hoc enim illi Salmasio & Blondello objectare non desinunt, quasi non aliam Ignatiana explodendi causam ii habuerint, quam quod in illis Hierarchiam constitui viderent. Ecce authores habemus, & multis ante nos seculis denatos, & ab omni contra Hierarchiam suspicione procul remotos, qui omnia Ignatii scripta rotunde ac sine ulla hæsitatione, inter Apocrypha relegarunt, in στιχομετρίᾳ Georgio Syncello libro antiquissimo præfixa. Non audent viri doctissimi aperta fronte repugnare Salmasio qui objecerat, ajunt tamen apud Hammondum *Dissert.* 2. cap. 7. §. 2. *non injuria dici posse* αὐθεσπίσιον

„ἀδέσποτον στιχομετρίαν, *incertum ex quibus tene-*
„*bris, ex qua officina παραχαραχθεῖσαν, sine omni*
„*dubio non ἐπιλησιαζούσην καὶ κεκαινουργημένην esse,*
„*ut de Ignatio toti jamdudum orbi noto, decretoriam*
„*sententiam ferre digna sit.* Sed hæc verba, ac
„nihil aliud. Esto enim στιχομετρίας author,
„quidquid viris præoccupatis libuerit: certe
„cujus opus jampridem in antiquissimo exem-
„plari extabat, ille diu ante Salmasium & Blon-
„dellum vixit, quos ideo non primos de Ignatia-
„nis dubitasse ostendit. Sed nunc quidem omnes
„vident, quam immerito viri docti de Salmasii
„fide dubitaverint. Illi *incertum esse dicunt, ex*
„*quibus tenebris & ex qua officina* στιχομετρία πα-
„ραχαραχθεῖσα *obtrudatur.* Non ita de literis,
„non ita de virorum doctissimorum gente meri-
„tus erat Salmasius, ut siquid ille se *in antiquissi-*
„*mo exemplari* vidisse affirmaret, & ex eo descri-
„beret: isti suspicari debuerint, id quod asser-
„ret, *ex tenebris & ex adulterina officina παραχα-*
„*ραχθὲν prodiisse.* Sed ejus fidem luculentissime
„liberavit, magnificentissima, quæ Lutetiæ Pa-
„risiorum in folio anno 1652. Græce & Latine
„prodiit ex ipsa Galliarum Regia, *Chronologia*
„*Georgii Syncelli & Nicephori Constantinopolitani*
„*Archiepiscopi*, postquam hæc temeraria viri do-
„cti scripserunt. Viri docti στιχομετρίαν ἀδέσπο-
„τον vocant, hæc editio pag. 420. Nicephoro vin-
dicat amplissimo viro, primæ in Oriente sedis
Antistiti, scriptori gravissimo atque eloquen-
tissimo, & Photii liberalissimis laudibus in *Biblio-*
theca Cod. 66. ornato. Hujus enim Nicephori
illa στιχομετρία est, non alterius cujusdam re-
centioris, ut suggerere videbantur quædam,
ab eximio viro Gerardo Vossio in suo *de Græcis*
Scriptoribus opere Lib. 2. cap. 25. allata. Idque
fuse & solide demonstravit eruditissimus Jaco-
bus Goar *Annotationibus* in Nicephori Chro-
nologiam pag. 84. quem adeat, si quis adhuc
dubitet. Angli Hierarchici, viri docti suspi-
cantur στιχομετρίαν *e tenebris & ex adulterina offi-*
cina erupisse, editio in Regiæ Galliarum Biblio-
thecæ codice extitisse, & nunc ex ea prodire te-
statur. Hujus editionis pagina 419. indicu-
lum exhibet *Scripturarum Veteris & Novi Testa-*
menti, quæ recipiuntur ab Ecclesia, & in Canonem
relatæ sunt; simul etiam *versuum numerum*, qui-
bus singuli libri continentur, unde στιχομε-
τρίας nomen accepit. Tum sequens pagi-
na, quæ Veteris Testamenti non admittun-
tur, ea prius recenset: postremo hic titulus
sequitur, Καὶ ὅσα τῆς νέας ἰσὶν ἀπόκρυφα.
Quæ Novi Testamenti apocrypha sunt. Et hic in-
diculus septem omnino articulis per numeros
sigillatim decurrentibus continetur, quorum
hic est septimus sive ultimus, 7. καὶ Ἰγνατίου,
Πολυκάρπου, Ποιμένος, καὶ Ἑρμᾶ. *Ignatii, Poly-*
carpi, Pastoris, & Hermæ libri. Si autem viris
doctis Regiæ apud Gallias nostras Bibliothecæ
fides suspecta sit, en illis majorem omni excep-
tione testem, Anastasium Bibliothecarium, ho-
minem noni seculi, ac Nicephori supparem. Is
enim in Præfatione Historiæ suæ Ecclesiasticæ
ad Johannem Diaconum pag. 3. inquit, *Huic sa-*
ne operi ratum duxi B. Nicephori Constantinopolita-
ni Episcopi Chronographiam præponere, ut scilicet &
ex ea possis aliquantula carpere, & sicubi fortassis hac
utendum judicaveris, tuam omnino non lateat noti-
tiam. Hujus autem Chronographiæ pars ulti-
ma est illa librorum a nobis laudata στιχομετρία,
indiculis Patriarcharum Christianorum subtex-
ta: eamque editio Anastasii Regia anni 1649.
solido biennio antequam suas viri doctissimi Dis-
sertationes ederent, Lutetiæ procurata exhibet
in calce Historiæ Anastasianæ, ubi plane sicut in
Græcis Nicephori, in ultimo Apocryphorum
Novi Testamenti capitulo, hæc verba leguntur:
Ignatii & Polycarpi, & Pastoris, & Hermæ. Ita
asserta est & liberata a lævis doctissimorum vi-
rorum suspicionibus, στιχομετρίας a Salmasio
laudatæ fides: quam sibi non unus, incertus, &
adulterinus, sed veri duo, nobilissimique auc-
tores vindicant, unus Græcus, alter Latinus:
Nicephorus qui eam edidit, Anastasius qui adopta-
vit: ille Orientalis Ecclesiæ nono seculo caput,
hic Latinæ paulo post secutis temporibus Bi-
bliothecarius. Jam videamus, quid viri docti,
ad ipsa duorum testium verba, Ignatianas Epi-
stolas inter Apocrypha censentium, respondeant.
Negant cum Hammondo Diss. 2. c. 7. §. 4. *ita*
vocis istius Apocrypha significationem accipiendam esse,
ut statim spurium, aut κίβδηλον, aut ψευδεπίγρα-
φον, sequioris ævi figmentum censendum sit, quic-
quid ubivis inter Apocrypha repositum inveniatur.
Apocryphum certe, non γνησίῳ aut δοκίμῳ, genuino
& probato, verequ ab authore cujus nomen præfert, scripto opponitur: sed divinæ scripturæ ca-
noni, seu libris ut dicitur Canonis vel veteris vel novi
instrumenti. Ita Hammondus cum aliis Hierar-
chicis. Hæc viri doctissimi, ad objectam a Sal-
masio στιχομετρίαν. Eodem effugio infeliciter
usus erat Baronius ad annum Domini 102. §. 11.
ad id discutiendum, quod Gelasius Papa Roma-
nus in Concilio Romano, *Librum Canonum Apo-*
stolicorum apocryphum esse pronuntiat. Eodem
postea Sirmondus *Historia Prædestinatiana* cap. 9.
usus fuit cum successu, ut a capite Fausti sui, te-
lum hoc ejusdem Gelasii, *Opuscula Fausti Regien-*
sis Galliarum apocrypha decernentis, pelleret.
Sed istud infeliciter isti Hierarchici respondent,
suorumque simplicitati illudunt. Quæ enim
ista sunt, quæ hic Nicephorus *Apocrypha* censet?
I. inquit, *Itinerarium Petri versuum 2750.* II. *Itine-*
rarium Joannis versuum 3600. III. *Itinerarium The-*
mæ, versuum 1600. IV. *Evangelium secundum The-*
mam, versuum 1300. V. *Doctrina Apostolorum, ver-*
suum 200. VI. *Clementis Libri XXXII. versuum 2600.*
Hic septimo loco, ea quæ de Ignatianis exhibui-
mus, adduntur. Atqui *Itinerarium Petri & Jo-*
annis, & Itinerarium cum Evangelio Thomæ, idem-
que dic de Doctrina Apostolorum & Clementis libris
XXXII. sunt apocrypha & falso imposita Petro
& Joanni, & Thomæ & Apostolis, & Clementi,
quorum nomen præferunt: ergo idem dicen-

dum

dum de Epiſtolis quæ Ignatii nomen mentiuntur, quas citatis Apocryphis accenſet Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus. Malunt ergo illi male reſpondere, quam veritatem agnoſcere: quod protervorum hominum proprium eſt. Vide Dallæum cap. 38. pag. 460. adhuc iſtud Nicephori judicium de Ignatianis Epiſtolis, refricantem.

Illud autem mirari ſubit, cur contra nos tantum iraſcantur & clamitent, defenſores ultimæ editionis Epiſtolarum Ignatii, cum in numero illarum ipſi inter ſeſe diſſideant, non convenientes. Joannes enim Pearſonus, ſeptem ab Euſebio & Hieronymo, S. Ignatio attributas cenſet, inter quas *Epiſtolam ad Polycarpum* numerandam eſſe contendit: cujus Euſebius & Hieronymus locis ſupra citatis expreſſam mentionem faciunt. Viſſerius vero non propter nullius momenti ſuſpiciunculas, ſed validiſſimis (ut putabat) ad id impulſus rationibus, illam Ignatio abjudicat, nullamque *Polycarpo* privatim inſcriptam eſſe Epiſtolam arbitratur, ſed illam unicam quæ ipſi cum Smyrnæis ſuis communiter dicata eſt, pluresque laudat hujus ſuæ ſententiæ adſtipulatores, *Prolegom.* ad Ignatium cap. 2. p. 8. imo hanc fuiſſe Hieronymi mentem non dubitat. Nec deſunt etiam hodie in Eccleſia Romana, hujusce Viſſerii opinionis ſuffragatores, ut Cardinalis Bona lib. 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 22. pag. 180. Ibi enim reſpondens Baronio, verbis quibusdam Epiſtolæ *ad Polycarpum* abutenti, hæc habet: *Addo quod hanc Epiſtolam non genuinum Ignatii fœtum eſſe, ſed ſuppoſititium, viri eruditi dudum obſervarunt, & ad id probandum multa afferunt non parvi ponderis argumenta.* Huic argumentum non leve adverſus omnes Ignatianas Sylloges, hæc Polycarpo directa Epiſtola. Nam ſi in dubium vocatur Epiſtola Polycarpo inſcripta, ſi incertæ fidei eſt, ſi ut ſpuria a pluribus rejicitur, ſi viri eruditi non genuinum Ignatii fœtum eſſe, ſed ſuppoſititium obſervarunt, idque probarunt argumentis non contemnendis, ut aſſerit Cardinalis Bona: quis mihi cæterarum fidem præſtiturus eſt? Nutante iſtius fide poſt expreſſam Euſebii & Hieronymi mentionem, aliarum etiam cum quibus invenitur, fidem nutare neceſſe eſt. Cum ergo reperiantur omnes in Collectione iſta & editione tum Voſſiana tum Viſeriana, vel tota Sylloge approbanda, vel tota reprobanda eſt. Imo ex immiſſione unius Epiſtolæ, quam cordatiores etiam Pontificii ſuppoſitam cenſent, idem de Collectione omni judicandum eſt. Nec nos magis vituperio digni ſumus, qui omnem Collectionem negamus, quam Pontificii qui contra Euſebii & Hieronymi authoritatem, partem quandam illius negant. Sane Leo Allatius, gente Græcus, ſed mente & religione Latinus, Ignatianas Epiſtolas ſuppoſititias ſuſpicabatur, antequam eas vidiſſet, quas ex antiquiſſimo codice Florentinæ Bibliothecæ deſcripſit clariſſimus Voſſius; nam *de Dominicis & Hebdomadibus Graecis* pag. 1407. ita loquitur. *Ut ingenue fatear, author Epiſtolarum quæ ſub Ignatii nomine ſæpius typis edita vulgo proſtant, ſemper alios dubios, nunc demum ſuſpicionem adauget. Eſt enim pro ea ætate prolixior & rebus emendandis exactior, verboſiorque: quamvis ſimplex, pius, & ut illa ferebant tempora, atque ac alii Apoſtoli, Chriſtum ſpirat.* At ubi Voſſius Florentinarum Epiſtolarum Allatio copiam fecit, ſententiam aliquo modo mutavit, ſed ita tamen ut ſibi hærere adhuc aliquem ſcrupulum innuat: *Vidi* (inquit ibidem) *apud Iſaacum Voſſium juvenem eruditum, & rerum antiquarum ſtudioſiſſimum Ignatii Epiſtolas ex antiquiſſimo Bibliothecæ Florentinæ codice deſcriptas quas etiam mihi humaniſſime communicavit, verbis ab editis longe diverſas, ſententiis ut plurimum ſimiles: breviores tamen, ſuccinctiores, efficaciores, ut plane Ignatii ævum referant, adeo ut eas genuinas eſſe Ignatii dicerem: quæ pro omnium manibus ſunt, earum paraphraſim.* Quis unquam ſic locutus eſt de veris ac indubitatis eccleſiaſticæ antiquitatis ſcriptis? Si perſuaſum erat omnino Allatio, has Epiſtolas germanum eſſe Ignatii fœtum, cur id rotunde non pronuntiat? Cur ambigue loquitur? Certe animi pendere illum, & in dubio eſſe ejus animum, non diffitebitur qui hæc illius verba attente perpenderit: *Eas genuinas eſſe Ignatii dicerem.*

CAPUT DUODECIMUM.

ALIIS QUOQUE RATIONIBUS ISTARUM PSEUDO-IGNATII EPISTOLARUM IMPOSTURA OSTENDITUR, ATQUE ILLAS OCCASIONEM DEDISSE POSTERIS, UT SANCTUM IGNATIUM ROMÆ MARTYRIO CONSUMMATUM CREDIDERINT, QUEM IN PACE ANTIOCHIÆ MORTUUM FUISSE, LONGE VERISIMILIUS EST.

ALlatis quæ a Dallæo proferuntur rationibus potiſſimis, noſtras quoque paucas adjicere non incongruum fuerit, ex quibus ſimul appareat, Ignatii Martyrium, innumeris fabulis ornatum, incertiſſimum eſſe, ſi illud attente conſideretur.

ARGUMENTUM XVII. Impoſtor Epiſtolarum iſtarum Ignatianarum, multis ſe contradictionibus implicat, ex quibus eripere ſe ne Philoſophus quidem aſtutiſſimus poſſit: unde arguimus illas eſſe viro Apoſtolico & Ignatio Martyre dicto indigniſſimas. Accuſat enim in Epiſtola ad Romanos §. ſeu cap. 5. pag. 28. editionis Amſtelodamenſis, Satellites ſibi datos, qui Romam illum deducerent, *multa crudelitate, quos decem leopardis comparat, qui beneficiis affecti, pejores fiant*, quem locum etiam profert divus Hieronymus in libro *de viris illuſtribus* cap. 16. At ex aliis Epiſtolarum earundem locis conſtat illos benigniſſimos fuiſſe, qui humanitatem omnimodam ei exhibuerint, libertatemque nullam vel ſcribendi ad Eccleſias vel Chriſtianos ubique locorum, per quæ tranſivit, inviſendi & alloquendi ademerint, ut poſtea probabitur. 17

Vnde colligimus impudentiſſimum & mendaciſſimum tuiſſe hominem, qui iſtas Epiſtolas conſcripſerit, qui pudore omni abjecto mendacia tam aperta effuderit. Audiamus injuſtas ejus querimonias in Epiſtola ad *Romanos* cap. 5. pag. 28. jam dicta. Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ, διὰ γῆς καὶ θαλάσσης, νυκτὸς καὶ ἡμέρας, ἐνδεδεμένος δέκα λεοπάρδοις, ὅ ἐστι στρατιωτικὸν τάγμα. Οἳ καὶ εὐεργετούμενοι χείρους γίγνονται. Ἐν δὲ τοῖς ἀδικήμασιν αὐτῶν μᾶλλον μαθητεύομαι. *A Syria Romam usque cum beſtiis depugno, terra marique, noctu ac interdiu, alligatus decem leopardis, qui eſt militaris manipulus: qui & beneficio affecti pejores fiunt. At ego eorum injuriis magis erudior.* Quis iſta legens, non opinetur Ignatium innumeris injuriis a militibus ſui cuſtodibus affectum, incredibilibus opprobriis & tormentis vexatum? vix ut Romam cum tantis ærumnis pervenire potuerit. At qui legere voluerit Epiſtolas Pſeudo-Ignatii alias, quas genuinas appellant, reperiet Ignatium hunc impudentiſſimum & mendaciſſimum hominem, qui cum omni humanitate & licentia Romam deductus ſit, qui Chriſtianos Epiſcopos & fratres ubicunque reperit, cum libertate omni inviſerit, a quibus refocillatus ſit, id benevolentibus cuſtodibus. Longum ſane eſſet proferre loca ex Epiſtolis Pſeudo-Ignatii, ad quas lectorem judicio pollentem remittimus, ut impudentiam hujus querimoniæ & falſitatem agnoſcat. Vnum teſtem producam Symeonem Metaphraſtem, in Martyria hujus Ignatii, qui veritatem hanc ex Epiſtolis Ignatii a ſe lectis, colligit ſummatim his verbis. Ita ex MSS. Regiis ad diem 20. Decembris, editum Græce & Latine Tomo 2. SS. Patrum qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, editionis Amſtelodamenſis cap. 22. pag. 166. ubi ſic. *Ipſe autem paullo poſt e Smyrna deductus à militibus, cum appuliſſet Troadam & Neapolim, tranſiit pedes per Philippes & Macedoniam, eas qua ſunt in via inviſens Eccleſias, atq; in eis docens, exhortans, diſſerens, fratrum ſimpliciores ac imbecilliores confirmans, & efficiens ut omnes vigilarent eſſentq; ſobrii. Cum vero perveniſſet Epidamni Epirum, ac mare tranſmiſiſſet Adriaticum & Tyrrhenum, appellit Romanorum Puteolos. Hoſpitio autem exceptus ſimul cum militibus, ab iis qui illic erant fidelibus, traditaque illis quoque ſalutatione in Domino, venit Romam.* Ex his verbis conſtat milites qui Ignatium Romam deducebant, fuiſſe humaniſſimos, ac proinde Epiſtolarum iſtarum ſcriptorem ſibi maxime contradicere, impoſtorem eſſe: dum uno loco *Leopardos* illos vocat, atque in Epiſtolis aliis libertatem enarrat quam habuit ad Chriſtianos fratres inviſendos, docendos, exhortandos, a quibus hoſpitio etiam cum militibus exceptus, fraterne & amice refocillatus fuerit. Hæ contradictiones impudentis ſcriptoris. Hinc Colligo Ignatianas illas omnes Epiſtolas eſſe confictas & ſuppoſititias, ac Divum Ignatium nunquam a Trajano Imperatore Romæ ad beſtias damnatum fuiſſe ob Chriſtianam fidem quam profiteretur: & Martyrium Ignatii eſſe confictum ex phantaſia Symeonis Metaphraſtis, qui quot Agonès Martyrum aut Legendas ſanctorum ſcripſit, tot plauſtra mendaciorum orbi literario, Græcorum more obtruſit. Si enim Ignatius ob Chriſti fidem a Trajano Cæſare, beſtiis damnatus fuiſſet, nunquam qui illum deducebant milites, permiſiſſent ut contra Imperatoris edictum, Chriſtianos inviſeret, alloqueretur, exhortaretur ad fidem Chriſti, ut apud ipſos exciperetur ac hoſpitaretur. Hæc ſunt Commenta Metaphraſtica, aniculis ac pueris, & non ſenſatis viris digna.

ARGVMENTVM XVIII. Epiſtolam Pſeudo Ignatii ad Romanos ſpectat, qua ſæpius ſignificat Ignatius larvatus, fuiſſe in poteſtate Chriſtianorum qui Romæ tunc erant, ipſum ſupplicio liberare: quod ſi ita eſt, ſequitur Romanos graviſſime peccaſſe, qui illum non liberaverint, ſed ut a feris devoraretur paſſi ſunt. Audiamus Pſeudo-Ignatium in Epiſtola ad Romanos num. 1. *Nam exordium conſtitutum eſt bene, ſi modo gratiam meam conſequar, ut ſortem meam, ſine impedimento percipiam.* Φοβοῦμαι γὰρ τὴν ἀγάπην ὑμῶν, μὴ αὕτη με βλάψῃ. Τμῖν γὰρ εὐχερὲς ἐστι, ὃ θέλετε ποιῆσαι: ἐμοὶ δὲ δύσκολόν ἐστι τοῦ Θεοῦ ἐπιτυχεῖν, ἐὰν ὑμεῖς μὴ φείσησθέ μου. *Metuo enim caritatem veſtram, ne ipſa me laedat. Vobis quippe facile eſt, quod vultis facere, mihi vero difficile eſt Deum aſſequi, ſi vos mihi non pepercerietis.* Ita Baptiſta Coteleri us in notis ad hæc verba. *Martyrio flagrans B. Ignatius verebatur, ne Romani vel precibus ad Deum & hominem, vel pecunia, aut per vim eum a ſupplicio eximerent. Mos quippe erat Chriſtianorum, tantum quantum poterant, niti ut fratres propter fidem captos & damnatos liberarent: quod diſcimus ex Conſtitutionibus Apoſtolicis lib. 4. c. 9. lib. 5 cap. 1. 2. ex Luciani Peregrino, ac ex Euſebio Hiſtoria Eccleſiaſtica lib. 6. cap. 40.* Ita intellexit Cotelerius bona fide contra nugatorias evationes ac cavillationes Joannis Pearſonii in *Vindiciis Epiſtolarum S. Ignatii* parte 2. cap. 4. pag. mihi 393. editionis Amſtelodamenſis in folio. Facillimum igitur exiſtimavit Pſeudo-Ignatius, Romanis Chriſtianis fuiſſe, ut ipſum a ſententia Imperatoris & morte liberarent. Idem num. 2. Οὐτε γὰρ ἐγὼ ἔξω ποτὲ καιρὸν τοιοῦτον, Θεοῦ ἐπιτυχεῖν: ἐὰν ὑμεῖς, ἐὰν σιωπήσητε, κρείττονα ἔργα ἔξετε ἐπιγράψαι. Ἐὰν τε γὰρ σιωπήσητε ἀπ' ἐμοῦ, ἐγὼ γενήσομαι Θεοῦ. Ἐὰν δὲ ἐρασθῆτε τῆς σαρκός μου, πάλιν γίνομαι τρέχων. Πλέον δέ μοι μὴ παρέχεσθε τοῦ σπονδισθῆναι Θεῷ, ὡς ἔτι δυσιαστήριον ἑτοιμάζον ἐστί. *Nec enim ego unquam habiturus ſum ejuſmodi occaſionem Deum aſſequendi: nec vos, ſi tacueritis, praeſtantiori operi inſcribi poteritis. Si enim de me tacueritis, ego Dei ſum: Sin autem carnem meam dilexeritis, denuo currendum mihi eſt. Plus autem mihi tribuere non poteſtis, quam ut immoler Deo, dum adhuc altare paratum eſt.* Num. 4. Γράφω τὰς ἐκκλησίας, καὶ ἐντέλλομαι πᾶσιν, ὅτι ἐκὼν ὑπὲρ Θεοῦ ἀποθνήσκω, ἐάντε ὑμεῖς μὴ κωλύσητε. Παρακαλῶ ὑμᾶς, μὴ

μὴ ἐμὸνοια ἄκαιρός μοι γένηθε. Ἄφετέ με θηρίον εἶναι βρῶμα, δι' οὗ ἔστι θεοῦ ἐπιτυχεῖν. Σῖτός εἰμι τοῦ Θεοῦ καὶ δι' ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος τοῦ Θεοῦ εὑρεθῶ. *Ecclesiis scribo & mando omnibus, quod voluntarius pro Deo morior, si modo vos non prohibueritis. Obsecro vos, ne intempestiva benevolentia erga me sitis. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum adipisci. Frumentum sum Dei, & dentibus ferarum molar, ut mundus panis Dei inveniar.* Num. 6. συνγνωμονεῖτέ μοι ἀδελφοὶ, μὴ συμποδίσητέ μοι ζῆσαι: μὴ θελήσητέ με ἀποθανεῖν, τῷ θεῷ θέλοντα εἶναι. Θιὰ κόσμου μὴ χωρίσησθε με, μήτε δι' ὕλης ἐξαπατᾶσθε, ἄφετε με καθαρὸν φῶς λαβεῖν. *Ignoscite mihi fratres, ne mihi impedimento sitis, quo minus vivam, ne me velitis mori, cupientem Dei esse. Per mundum ne separetis me, neque per materiam decipiatis, permittite mihi ut purum lumen accipiam.* Quæ ipsi omnia contigissent, ut arbitrabatur, si Romani fideles ad eum a morte liberandum, intercessissent. Num. 7. μηδεὶς ὢν τῶν παρόντων ὑμῶν βοηθήσῃ, μᾶλλον δὲ ἐμοὶ γένεσθε, τοῦτ' ἔστι, τοῦ Θεοῦ μου. Μὴ λαλῆτε Ἰησοῦν χριστὸν, κόσμον δὲ ἐπιθυμεῖτε. Βασκανία ἐν ὑμῖν μὴ κατοικείτω, μηδ' ἂν ἐγὼ ὑμᾶς παρὼν παρακαλῶ, πείθητέ μοι. Τούτοις δὲ μᾶλλον πείσθησθε, οἷς γράφω ὑμῖν. *Nullus itaque vestrum qui presentes estis, opem ferat: ipsi potius mei sitis, id est, Dei mei. Ne loquamini Jesum Christum, & mundum concupiscatis. Invidia in vobis non habitet, neque si ego presens vos obsecrem, obsemperetis mihi; verum his potius credite, que vobis scribo.* Incredibile autem est atque fidem humanam excedit, quod Christiani qui Romæ tunc erant, paucissimi & obscuri homines, impedire potuerint, quo minus Ignatius juxta Trajani Imperatoris edictum, in amphitheatrum produceretur ac devorandus bestiis traderetur: unde scriptorem Epistolarum istarum impostorem fuisse evidenter colligimus, non autem Ignatium illum Antiochiæ Episcopum, cujus nomen præferunt, quidquid in contrarium Angli & Galli plerique scribant atq; clamitent. Conferatur supra argumentum nostrum octavum.

Has vero Epistolas Ignatii suppositicias occasionem dedisse posteris, ut sanctum Ignatium Romæ martyrio consummatum crediderint, quem tamen nullam persecutionem passum, sed potius in pace Antiochiæ defunctum fuisse, admodum probabile est. Irenæus enim lib. 5. *adversus hæreses* cap. 28. primus Ignatium martyrem facit, damnatum ad bestias, sed ex testimonio istarum Epistolarum suppositiciarum quarum verba allegat: *Quoniam frumentum Christi sum, & per dentes bestiarum molor, ut mundus panis Dei inveniar.* Eusebius post Irenæum *Historiæ Ecclesiasticæ Lib. 3. cap. 36.* ubi Martyrium ejus & Epistolas istas suppositicias septem recenset. Quia tamen de Epistolarum istarum genuinitate ambigebat, de ejusdem quoque martyrio certum quid affirmare non ausus est, quod istis tantum Epistolis cognoverat. Loquitur itaque cum dubitatione, tam de martyrio Ignatii, quam de istis Epistolis quas profert. Λόγος δ' ἔχει τοῦτον ἀπὸ Συρίας εἰς τὴν Ῥωμαίων πόλιν ἀναπεμφθέντα, θηρίων γενέσθαι βόρειον, τῆς εἰς Χριστὸν μαρτυρίας ἕνεκεν. *Fertur autem hunc e Syria ad urbem Romam perductum, a bestiis devoratum fuisse, propter Christi testimonium.* Non affirmat igitur Eusebius, sed dubius hæret ex fama ut plurimum falsa, tam de martyrio sancti Ignatii Antiocheni Episcopi de quo loquitur, quam de Epistolis illis sub ejus nomine vulgatis, quæ martyrio huic occasionem dederunt. Eodem modo intelligendus Eusebius in *Chronico* ad annum Trajani decimum. Quod autem Eusebius cum dubitatione scripsit, Hieronymus positive asseruit in libro *de Viris illustribus* cap. 16. atque post illum Scriptores omnes Ecclesiastici faucibus avidis hauserunt, quos recensere superfluum est. Theodoricus autem Ruinardus, Monachus Congregationis S. Marci in Gallia, Ordinis divi Benedicti, edidit anno 1689. in 4. Parisiis apud Franciscum Mugnet, *Acta primorum Martyrum sincera & selecta, ex libris cum editis tum MSS. collecta vel emendata, notisque & observationibus illustrata.* Inter quæ extant *Acta Ignatii* qualia ab Vsserio in *Appendice Ignatiana* edita fuerunt. Quibus post reliquorum Martyrum Acta in hac Collectione Ruinarti, adduntur etiam *Græca Ignatii Acta*, quæ ab Vsserio nunquam inventa, ex Colbertino codice primum prodierunt, in editione Clerici Amstelodamensi adjecta *Operum Apostolicorum* tom. 2. pag. 161. una cum *Epistola Ignatii ad Romanos*, quam Isaacus Vossius, cum sinceras Ignatii Epistolas ederet, in Florentino suo codice desideravit. Theodoricus Ruinart nostras, vir eruditus, sed credulus admodum, *Acta ipsa Sancti Ignatii Antiocheni Episcopi & Martyris*, esse certissima ac sincera opinatus est, ut illa proinde in Collectionem suam conferret. Ego illa omnino incertissima & falsissima opinor, quæ in tale Collectaneum inseri non merebantur. Nam quoad Latina ab Vsserio prolata, quæ a Philone, Gajo & Agathopide præsentibus & testibus scripta dicuntur, nullam authoritatem aut testimonium ab antiquis habent. Quæ autem ab eis describuntur Colloquia inter Trajanum & Ignatium, sunt amplificationes recentiorum hominum, de antiquis juxta phantasiam scribentium. Quoad Græca vero, spectant illa ad Symeonem Metaphrastem die 20. Decembris, quem mendacissimum ac nullius fidei fuisse hominem, apud eruditos omnes constat.

Quæcunque igitur scribuntur de Martyrio S. Ignatii Antiocheni Episcopi incertissima sunt, de quo scripserunt Græci & Latini Scriptores, ab ejus ætate multis seculis distantes, ut cap. I. hujus Dissertationis jam ostendimus. Alii volunt ipsum anno 107. Romam ad bestias adductum, alii anno 108. alii multo serius, cum Trajanus Imperator ante annum 112. in Orientem profectus non sit. Verisimilius est, Ignatium Trajano & Africano Coss. ut vult Marianus Scotus in *Chronico*, scilicet anno Christi 112. Romam fuisse perductum ibique bestiis traditum:

quin anno tantum 115 morte affectum fuiſſe, ut Joannes Malela Antiochenus, ab Vſſerio in notis ad Acta S. Ignatii citatus inſinuat. Ait enim Malela *Chronici* lib. X. *Agebat in ea urbe Trajanus Imperator, quando divina illa erupit ira. Martyrium vero paſſus tunc ſanctus eſt Ignatius, civitatis Antiochenæ Epiſcopus: indignatione enim in illum commotus eſt, quod ipſum convicio affeciſſet.* Loquitur is author de terræ motu Antiocheno, quem menſe Decembri anni Chriſti 115. accidiſſe narrat, eo tempore quo Trajanus Antiochiæ hiemabat. Porro ſi ut vult Malela, Ignatius martyrio ſeu morte plexus eſt, quod *convicio Trajanum, facto terræ motu, affeciſſet:* ambigo plurimum, an jure merito inter Martyres accenſeatur, quidquid ea de re canant Martyrologia ſcriptorum omnia. Non minus variant ſcriptores illi in cauſa Martyrii Ignatiani aſſignanda. Martyrium enim S. Ignatii Latinum ab Vſſerio ex MSS. Anglicanis productum, quod Ignatii Synchroniſmum affectat, ac nomina Philonis, Gaji & Agathopodis, qui ex Syria ſanctiſſimum martyrem Romam ſecuti fuerant, mentitur: vult Ignatium Romæ ad beſtias damnatum quod ſe *Theophorum* diceret, quo nihil abſurdius aut magacius ſcribi poteſt. Trajanus ſententiavit, *Ignatium præcipimus, in ſe ipſo ducentem circumferre Crucifixum, vinctum a militibus duci in magnam Romam, cibum beſtiarum, in ſpectaculum plebis, futurum.* Acta Græca Martyrii ejusdem a Simeone Metaphraſte ad diem Decembris 20 facta, idem habent cap. 4. Joannes autem Malela Antiochenus Archiepiſcopus ſeculi X ſcriptor; *Quod convicio Trajanum facto terræ motu affeciſſet.* At ſive ſe *Theophorum* Ignatius appellaſſet, ſive *convicio Imperatorem affeciſſet:* quid opus erat, ut Ignatius *ad magnam Romam* puniendus mitteretur? Hæc ego commenta abſurda & fabulas recentiorum ſcriptorum puto, qui remotas ab ætate ſua res geſtas, abſurditatibus & falſitatibus, nulla authoritate fulti, conſpurcarunt. Si Ignatius vel ob aſſumptum Theophori nomen vel ob convicium Trajano illatum, puniendus erat: non Romæ ubi notus non erat, ſed Antiochiæ ubi delictum commiſerat, puniendus fuit. Quis credat Trajanum Imperatorem benignum, ob nænias ejusmodi, Ignatium ad beſtias damnaſſe, quem Antiochiæ uno momento ubi deliquerat, punire poterat? Nomen Theophori aſſumptum vel convicium Imperatori illatum, tantum non crimen fuit, ut beſtiarum laceratione puniretur. Tanta fuit Trajani manſuetudo etiam in Chriſtianos, ut illos etiam *conquirendos* prohiberet. *Conquirendi non ſunt, ſi deferantur & arguantur, puniendi ſunt: ita tamen ut qui negaverit ſe Chriſtianum eſſe, idque re ipſa manifeſtum fecerit, veniam ex pœnitentia impetret.*

Adhuc incredibilia magis ſunt quæ profert Jacobus Vſſerius, Præfatione in Martyrium Latinum ſancti Ignatii, ex Menæis Græcorum ad diem 20 Decembris. Προσήχθη Τραϊανῷ τῷ βασιλεῖ διαβαίνοντι ἐπὶ Πάρθους, καὶ πολλὰ αὐτῷ διαλεχθεὶς, καὶ τὸ ἀμετάθετον αὐτῷ τῆς εἰς χριστὸν πίστεως γνωρίσας τῷ βασιλεῖ αὐτίκα μολυβδίναις σφαίραις τύπτεται· καὶ τὰς χεῖρας ἁπλωθεὶς, πῦρ ὑποδέχεται. παπύροις ἐλαίῳ λιπανθεῖσι, τὰς πλευρὰς φλέγεται. ἐπ' ἀνθράκων ἵσταται. σιδηροῖς ὄνυξι ξέεται. Ἀνώτερον δὲ τούτων γενόμενος ἁπεσάλη δεδεμένος ὑπὸ δέκα στρατιωτῶν, ἐν Ῥώμῃ τοῖς θηρίοις γενέσθαι βορά. *Adductus eſt ad Trajanum Imperatorem contra Parthos proficiſcentem, & multa cum eo collocutus, atque immutabilem ſuam in Chriſtum fidem Imperatori profeſſus; mox plumbeis pilis tunditur, & manibus expanſis ignem ſuſcipit, papyris oleo unctis latera aduruntur, ardentibus carbonibus imponitur, unguis ferreis laceratur. His autem cum ſuperior evaſiſſet, vinctus ſub decem militum ſatellitio Romam mittitur, futurus beſtiis cibus.* Quis credat Ignatium hæc omnia Antiochiæ paſſum, ſuperiorem evaſiſſe, & idoneum fuiſſe, qui Romam ſtatim pedes mitteretur? Omnia igitur fabulæ, ac nec Ignatium iſta paſſum eſſe, nec Romam ad beſtias miſſum, nec martyrio coronatum, ſed Antiochiæ in pace apud Chriſtianos vitam finiiſſe veriſimilius multo eſt. Jam ad objectiones adverſariorum pro γνησιότητι harum Epiſtolarum pugnantium ſolvendas accedamus.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

OBJECTIONES ADVERSARIORVM DILVVNTVR.

QVintum autem ad argumentum pro Ignatianis iſtis Epiſtolis, ab Euſebii authoritate petitum, illud paucis Dallæus ſolvit loco citato cap. 35. pag. 441. oſtendens ejus teſtimonium utpote hominis ducentis annis Ignatio recentioris, nullam vim habere. Tum ejus opinionem & iis inniti, quæ apertiſſime falſa ſunt: & per principia alibi ab ipſo poſita, evidentiſſime refelli atque everti. Ex Euſebianis autem, pendere Hieronymi de *Ignatianis Epiſtolis* teſtimonium. Athanaſium vero & Theodoretum, & cæteros qui *Ignatianis* contra hæreticos uſi ſunt, eorum veritatem ſuppoſuiſſe, velut ab Euſebio conſtitutam: in eam autem non ultra inquiſiviſſe, ideoque fruſtra eos nobis objici. Sæpe citavi libros eorum nomine, qui vulgo authores putantur, etiam ab iis qui eos Apocryphos putant. Ex quo apparet, Salmaſium & Blondellum eam ob rem ab Hammondo, viro doctiſſimo quidem, immerito eſſe caſtigatos. Atque hæc ut plurimæ objectiones ſupprimantur, ſummatim dicta ſunt. Plura Dallæus cap. 35. pag. 441. cap. 36. pag. 447. cap. 37. pag. 456. Neque Euſebius & Hieronymus alias agnoviſſe videntur Epiſtolas, quam ſuppoſitas illas, ſeu quæ veteris editionis ſunt, atque cum indiciis patentibus ſuppoſitionis. Audiamus Hieronymum *adverſus Helvidium* cap. 9. ita loquentem: *Numquid non poſſumus tibi totam veterum ſcriptorum ſeriem commovere, Ignatium, Polycarpum, Irenæum, Juſtinum Martyrem, multosque alios Apoſtolicos & eloquen-*

eloquentes viros: qui adversus Ebionem & Theodotum Byzantinum & Valentinum hæ eadem sentientes, plena sapientiæ volumina conscripserunt? Quæ si legisses aliquando, plus saperes. Cum ergo nominatim & contra Ebionem & contra Theodorum in Epistolis Ignatii veteris editionis agatur, quam interpolatam Vossiana & Vsseriana dicunt, ut recte probat Dallæus cap. 10. pag. 289. ex Epistola ad Trallianos, ubi *Basilides & Ebionitæ & Theodotus* diserte nominantur: nullam aliam editionem Epistolarum Ignatii agnovit Hieronymus, quam istarum corruptarum & interpolatarum: unde nec authoritate Hieronymi vel Eusebii Vossius & Vsserius uti posse videntur, ad Syllogen suam septem vel sex Ignatii Epistolarum earumque integritatem adstruendam. Hinc recte colligit Dallæus, Ignatium scripsisse *adversus Ebionitas & Theodotum & Valentinum*: quod cum de Ignatio vero dici non possit, qui ante natas istorum hæreses denatus erat, verba Hieronymi de Epistolico seu Supposititio interpretanda sunt, cui solus ille Epistolicus notus erat. Non ergo vel Eusebii vel Hieronymi authoritate uti possunt, Isaacus Vossius & Jacobus Vsserius Armachanus Archiepiscopus, ad Syllogen suam septem vel sex contractarum in compendium, Ignatii Epistolarum asserendam. Recte etiam Dallæus cap. 7. pag. 276. „Denique cum hæc omnia expendo, nescio „quî fieri potuerit, ut vel Hieronymus has Epi„stolas pro vero viri Apostolici fœtu habuerit, „in quibus videbat eam de Presbyteratus cum „Episcopatu ἰσοτιμίᾳ sententiam tam clare, tam„que sæpe esse damnatam, quam ipse tamen „mordicus passim defendit. Sollicitorque pu„tare, vel nondum in iis ista tam multa fuisse, „quæ hodie de Episcopatus necessitate, & præ „Presbyteratu excellentia istic legimus: vel „certe existimasse Hieronymum, quantalibet fu„isset Martyris authoritas, non eam tamen sa„tis valere, ut rem disertis Scripturæ vocibus „confirmatam, convellere posset aut deberet.„

Objiciunt Adversarii 1. pro Ignatianis istis Epistolis, testimonium Polycarpi ad *Philippenses* scribentis pag. 23. ab ipso jam pridem Eusebio ad hanc rem laudatum & descriptum: *Scripsistis mihi & vos & Ignatius, ut si quis vadit ad Syriam, deferat litteras meas, quas fecero ad vos, si habuerimus tempus opportunum, sive ego, sive legatus, quem misero pro vobis. Epistolas sane Ignatii, quæ transmissa sunt vobis ab eo, & alias quantascunque apud nos habuimus, transmittimus vobis secundum quod mandastis, quæ sunt subjecta huic Epistolæ. Ex quibus magnus vobis erit profectus, continent enim fidem, patientiam, & omnem ædificationem, ad Dominum nostrum pertinentem.* Respondet Dallæus cap. 32. pag. 427. hæc adjecta esse ad Polycarpi Epistolam ab impostore aliquo, cum Epistola ipsa his in verbis finiat: *Orate etiam pro Regibus & Potestatibus & Principibus, atque pro prosequentibus & odientibus vos, & pro inimicis crucis: ut fructus vester manifestus sit in omnibus, ut sitis in illo perfecti.* In hanc decentissimam clausulam, ut omnes vident, desinebat Epistola. Alia quoque ipsi fuisse adjecta, constat ex Photio in *Bibliotheca* Cod. 126. ut habet Dallæus cap. citato pag. 425. Hujus Epistolæ extant tres editiones, omnes discrepantes, ut testatur Cavus in *Polycarpo* pag. 28. quarum ultimam Dominus Stephanus le Moyne Theologus Leidensis anno 1685. in 4. protulit, in qua velut præcedentibus puriore, verba citata non habentur: quibus conjectura interpolationis hujus Epistolæ a Dallæo allata, aperte confirmatur.

Objiciunt 2. pro Ignatianis Epistolis proximo post Polycarpum loco, testem Irenæum, quem Polycarpi discipulum jam a puero fuisse prædicantur, ut nemo mirari debeat, traditas ab illo Epistolas accepisse. Irenæus autem Lib. 5. *adversus hæreses* cap. 28. Ignatii dictis ex Epistola ad Romanos petitis, sic præfatur: *Ut quidam nostrorum dixit, qui propter testimonium Dei, bestiis adjudicabatur: Frumentum sum Dei, & per dentes bestiarum molor, ut purus Dei panis inveniar.* Verum Vsserius merito quidem, hoc argumentum non maxime ursit: cum in *Prolegomenis* ad Ignatianas Epistolas cap. 3. pag. 13. expresse fateatur, illud verbum εἶπε, & quæ voce, & quæ scripto edita sunt, indiscriminatim denotare. Inde tantum concludi posse Ignatium, ex Irenæi testimonio, istud viva voce dixisse, non autem scripsisse, atque ita nihil ex eo concludi posse, in gratiam Epistolarum Ignatii. Inquit enim Irenæus εἶπε, non ἔγραψε. Argumentum hoc pluribus solvit, sed eadem ratione Dallæus loco citato cap. 33. pag. 433. quem adire quivis potest.

Objiciunt 3. Origenem in Lucam tomo 2. pag. 214. his Ignatianis Epistolis testimonium reddere. *Eleganter in cujusdam Martyris Epistola scriptum reperi, Ignatium dico Episcopum Antiochiæ post Petrum secundum, qui in persecutione Romæ pugnavit ad bestias, Principem hujus sæculi latuit virginitas Mariæ.* Hinc veras esse & Origeni cognitas Epistolas argumentantur, quod laudata ex Ignatio verba, in ea quæ ad Ephesios inscripta est, reperiantur: Ἔλαθε τὸν ἄρχοντα τοῦ αἰῶνος τοῦτου ἡ παρθενία Μαρίας, *latuit principem sæculi hujus virginitas Mariæ.* Hæc tum in Vossiana editione pag. 45. tum Vsseriana pag. 100. tum etiam in veteribus Græcis Latinisque editionibus. Huic loco alium addere licet, ex *Prologo* Origenis in Canticum Canticorum tomo I. pag. 496. ubi inquit: *Memini aliquem Sanctorum dixisse Ignatium nomine, de Christo, meum autem amor crucifixus est.* Quæ verba extant quoque in ea Epistola, quæ nunc ad Romanos sub Ignatii nomine circumfertur pag. 113. ὁ ἐμὸς ἔρως ἐσταύρωται, *meus amor crucifixus est.* Respondet egregie Dallæus cap. 34. pag. 438. utrumque opus allegatum esse hominis Latini, atque Origeni suppositum, unde concludi nihil possit. Frustra autem Eusebii & Athanasii, ducentis & amplius annis Ignatio posteriorum, testimonia

producuntur: infirma ſunt hæc & inania Ignatianarum Epiſtolarum præſidia, quæ jam ab initio ſtetiſſe neceſſe eſt, ſi & nunc ſtare debent. Quæ enim ab initio non valuerunt, ea hominis ſapientiſſimi, tractu temporis valere poſſe negant. Qua autem ratione deceptus fuerit Euſebius, tum authoritate Epiſtolæ Polycarpi, tum Irenæi, luce meridiana clarius aperit Dallæus, Libro *de Scriptis Ignatio Antiocheno ſuppoſitis* cap. 35. pag. 441.

Sane Epiſtolas iſtas fuiſſe S. Ignatio Antiocheno ſuppoſitas & adulterinas, conſtat ex *Stychometria* S. Nicephori Conſtantinopolitani Patriarchæ an annum circiter 820. ſcribentis, ubi inter apocryhpos Libros Novi Teſtamenti, poſitive *Epiſtolas Sanctorum Polycarpi & Ignatii Antiocheni* collocat. Atque eam ob rationem factum eſt, ut Photius vir perſpicaciſſimi ingenii, qui ſcriptores Græcos omnes fere legerat, nullam in Bibliotheca ſua mentionem fecerit illarum, de quarum ſuppoſitione perſuaſus omnino videbatur. Silentium igitur Photii, correctorium eſt Euſebii & Hieronymi.

Quisquis autem vulgaria ac multa de *Epiſtolis* ſancti Ignatii voluerit, habent illa Cæſar Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis*, & Henricus Spondanus ejus epitomator, ad annum æræ Chriſtianæ 109. num. 3. 4. & 5. Antonius Poſſevinus tom. I. *Apparatus ſacri*, verbo *Ignatius* pag. 801. Robertus Bellarminus in libro *de ſcriptoribus Eccleſiaſticis*, ad annum Chriſti 71. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus a Bellarmino recenſitis*, tomo I. verbo *Ignatius Martyr* pag. 500. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ad annum 101. pag. 26. Ludovicus Ellias du Pin tomo I. *Bibliotheca Nova Eccleſiaſtica*. Singularia autem dabunt, ſupra commemorati Hammondus, Dallæus, Pearſonius, & Natalis Alexander, locis citatis. Quæ porro de his Epiſtolis ſcripſi, dicta ſunto abſque præjudicio ullo Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, quam eximie ſemper veneratus ſum: cujus antiquitas ita firma, ut nullis indigeat falſis ac ſpuriis, ad ſui ſtabilimentum rationibus.

CAPVT DECIMVM QVARTVM ET VLTIMVM.

DE NOVISSIMA EDITIONE EPISTOLARVM S. IGNATII ANTIOCHENI EPISCOPI, QVÆ PRO GENVINIS VENDITANTVR.

EDiderunt Angli noviſſime Epiſtolas Ignatii tanquam genuinas Oxonii 1709. in Anglia cum apparatu inſigni tam verſionum quam annotationum quibus γνησιότητα illarum probarent; quam editionem & Epiſtolarum integritatem maxime improbarunt Germani Lipſienſes viri doctiſſimi. Ita Acta Eruditorum Lipſiæ menſe Majo anni MDCCX p. 196. ad 200. quæ quia diſerte Epiſtolas illas argumentis etiam novis ſpurias probant, hic verbotenus, ut finem Diſſertationi huic imponam, referre non gravabor.

Sancti Ignatii Epiſtolæ genuinæ, juxta exemplar Medicæum denuo recenſitæ una cum veteri Latina verſione: annotationibus D. Jo. Pearſoni, & Thomæ Smithi illuſtratæ. Accedunt Acta Martyrii S. Ignatii, Epiſtola Polycarpi ad Philippenſes, & Epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ de S. Polycarpi Martyrio, cum veteribus verſionibus & annotationibus Thomæ Smithi.

Oxonii e Theatro Sheldoniano 1709. 4. Alphabeto 1 plagis 4.

«Quam variæ proſtent Epiſtolarum *Ignatii* editiones, quantæque de his ortæ ſint inter Erudi-« tos controverſiæ, alienum eſt ab hoc loco re-« cenſere. Factum hoc jam eſt, a celeberrimo« noſtro quondam Ittigio in Diſſertatione *Biblio-« theca Patrum Apoſtolicorum* prætixa §. 84. ſeqq.« pag. 250. ſeqq. Illud autem prætermitti non« debet, ab Anglis illis, quos hierarchicos & Epi-« ſcopales vocant, ex omnibus Ignatio tributis« Epiſtolis ſeptem probari, a Voſſio & Vſſerio« editas, nempe *ad Smyrnenſes & ad Polycarpum*,« *ad Epheſios, ad Magneſios, ad Philadelphienſes, ad« Trallianos & ad Romanos.* Has illi libenter pro« genuinis admittunt, propterea quod inde con-« tra Genevenſis diſciplinæ cultores, dilucide« probari poſſit, diſcrimen inter Epiſcopos & Pres-« byteros, jam Ignatii ævo obſervatum. Contra« confictas omnino & ſubditicias eas eſſe, con-« tenderunt alii doctrina & judicio præſtantiſſimi« viri, Salmaſius, Blondellus, Albertinus, Dallæ-« us, Larroquanus, Samuel Baſnagius, nec Span-« hemio juniori refragante: quibus ex noſtris« poſt Centuriatores Magdeburgicos & Marti-« num Chemnitium, acceſſere Joſua Arndius &« Tenzelius. Nec facile Lector ab omni parti-« um ſtudio alienus, horum poſteriorum ſenten-« tiam damnare poterit, quippe quam Canon ille« criticus firmat: *Quicunque liber non refert ani-« mum & affectum ejus, cujus ſe nomen fert, ſed« plane diverſum, is non poteſt non eſſe ſuppoſititius.*« Vti enim hinc recte colligimus, *Pauli ad Sene-« cam Epiſtolas* eſſe ὑποβολιμαίας, cum haudqua-« quam ſpirent robur illud animi, ſapientiam &« affectum illum Chriſtianum, quo Paulum con-« ſtat fuiſſe præditum: ita nec vitio cuiquam« verti poſſe videtur, qui præter alias Ignatio« perperam tributas Epiſtolas, etiam ſeptem il-« las, Anglis Epiſcopalibus nimis caras repudiat,« cum omnia in illis ſint frigida, jejuna, inepti tu-« moris, affectataque grandiloquentiæ plena.« Nec multum earum patronos tutoreſque ju-« vat, Euſebii & Hieronymi, easdem nominatim« laudantium auctoritas: cum non ignotum ſit,« ab hoc etiam putidas illas nænias, quæ ſub Pau-« li nomine ad Senecam extant, probatas eſſe« & pleroſque Eccleſiæ Patrum non tam fuiſſe« acutos, quin Sybillinis carminibus aliisque hu-« jus furfuris libellis, imponi ibi paterentur.« Præterea dubitari non poteſt, quin in Critica« omni

„omni quæſtione, argumentum externum, qua-
„le eſt illud ab Hieronymi & Euſebii citatione
„ductum, interno, quod paulo ante probatus
„Canon criticus continet, poſtponendum ſit.
„Verum hiſce immorari nobis non licet, diſſer-
„turis potius paulliſper de Editione præſenti.
„Nimirum Joannes Pearſonus Epiſcopus Ceſtri-
„enſis in *Vindiciis Ignatianis* parte 2. cap. 15. pag.
„203. receperat, ſe novam harum Epiſtolarum
„editionem, uberioribus dilucidatam notis ad-
„ornaturum: idque promiſſum ut exſolveret,
„nihil fecerat reliqui, variasque annotationes
„in illas Epiſtolas ſtudioſe congeſſerat. Cum
„vero earum editionem mors ipſius prævertiſ-
„ſet, inciderunt in manus Joannis Alleni, Colle-
„gii S. Trinitatis Socii, a quo eas accepit eden-
„das Thomas Smithus, vir aliis quoque moni-
„mentis in orbe litterario clariſſimus. Poſtea
„cum eodem Smitho, (qui hæc grato animo in
„Præfatione indicat) Joannes Thanus fororis
„Pearſoni filius, communicavit obſervationes
„Pearſoni MSS. in epigraphen Epiſtolæ Ignatii
„ad Smyrnæos, & Schedas Joannis Ledgardi,
„complexas varietates lectionis, quas rogatu
„Pearſoni Florentiæ olim ex collatione editionis
„Amſtelodamenſis cum codice originali, ex quo
„Iſaacus Voſſius primus has Epiſtolas Græce
„edidit, collegerat. Smithus itaque haſce Pear-
„ſoni annotationes poſthumas, nec ab auctore
„reviſas, inque ordinem redactas, cum multum
„bonæ frugis in iis deprehenderet, publica luce
„dignus exiſtimavit. Initio autem ſeptem illas
„Ignatio a plerisque tributas Epiſtolas exhibet,
„facta a Mediceo codice eorum emendatione,
„quæ in Voſſiana editione, præ feſtinatione
„omiſſa vel perperam exſcripta fuerant: & in
„ima pagina ſubinde additis conjecturis criticis
„& perbrevibus Scholiis. Item appoſuit ve-
„terem Latinam verſionem ab Vſſerio primum
„ex codice MS. Cantabrigienſi, ante quadrin-
„gentos circiter annos ſcripto publicatam,
„quam Pearſonus in ſuis annotationibus ſubin-
„de corrigit, quamque pag. 13 putat ante annum
„Chriſti 650 factam fuiſſe. Cum vero a codi-
„ce Mediceo illa ad Romanos Epiſtola abeſſet,
„ejus Græcum textum, cui vetus illa verſio La-
„tina fere in omnibus reſpondet, a Theodorico
„Ruinarto e MS. Colbertino primum Pariſiis
„1689. editum, hic adjunxit. Subjunxit Smi-
„thus Acta Martyrii S. Ignatii, præmiſſaque his
„ſingulari præfatiuncula, oſtendit, pauciſſimis
„exceptis, quibus tamen nihil detrahatur ho-
rum Actorum αὐθεντία, pura ea eſſe atque ge-
nuina. Tum ſequitur Epiſtola S. Polycarpi ad
Philippenſes, quam facilius credas eſſe genui-
nam, a Petro Halloixio primum vulgata, cujus
itidem antiquam verſionem, quanquam men-
doſiſſimam, Smithus retinuit. Agmen deni-
que claudunt Acta Martyrii S. Polycarpi
quondam jam ab Vſſerio edita quorum etiam
verſio, quam & ipſam paſſim *mendoſam, ineptam*
& corruptam pronuntiat Smithus, hic retenta
eſt vetuſtatis ſuæ cauſa. Nunc demum ſe-
quuntur Annotationes Pearſoni in ſeptem il-
las Ignatianas Epiſtolas, quibus ſubnexa eſt
Diſſertatio ejusdem brevis, qua probandum
ſuſcepit, Ignatium ad beſtias damnatum ſub
anni Chriſtiani 116 finem, eodemque anno has
Epiſtolas ſcriptas eſſe: quam ſententiam etiam
Guilielmo Lloydio & Antonio Pagio proba-
tam eſſe, in Præfatione monet Smithus. Tan-
dem libro finem imponunt Smithi annotatio-
nes, non in Ignatii ſolum Epiſtolas, ſed & in
Acta Martyrii ejus, itemque in Epiſtolam Po-
lycarpi & ejusdem Acta Martyrii. De utrius-
que doctiſſimi viri Annotationibus generatim
obſervandum, eſſe eas quidem doctiſſimas, ac
Pearſonum annotationibus philologicis Smi-
thum paraphraſibus, lucem Epiſtolis illis fœne-
rari ſtuduiſſe: ſed indidem ſimul apparere,
utrumque id negotii ſibi datum eſſe credidiſſe,
ut frigidis affectatisque Ignatii (hunc enim ve-
rum harum Epiſtolarum auctorem eſſe, neu-
tri dubium eſt) dictis commodus concilietur
ſenſus. Quo conſilio & prætereunt inter-
dum, quæ nimium difficultatis habent. Nam
cum Ignatii Græcis verbis quædam Latina im-
mixta ſint, ut pag. 6. num. 12. pag. 12. num. 2. &
pag. 32. num. 3. ἐξεμπλάριον, *Exemplarium* ſive
Exemplar: pag. 9. num. 6. δεσέρτωρ *Deſertor*, &
δεπόσιτα *Depoſita:* item pag. 10. ἄκκεπτα *acce-*
pta, a neutro ad hæc loca monitum quippiam
invenias. Cæterum ut ex his annotationibus
nonnulla delibemus, pag. 1. Pearſonus agit de
nomine Ignatii, quod Romanum eſſe credit,
ex *Egnatio* factum, nomine olim perquam uſi-
tato: non ab *igne*, ut putarunt alii„ Mitti-
mus cætera Lipſienſium cenſorum, quippe
quæ ad Ignatium vel Epiſtolas ejus non perti-
neant. Hæc ex *Actis Eruditorum Lipſiæ*, ut ſci-
ant Angli pertinaces, non ſolos Gallos, ſuppoſi-
tionis Epiſtolas Ignatio Antiocheno attributas
arguere, ſed Germanos etiam doctiſſimos, ut
ex præmiſſis liquet.

DISSERTATIO
DE
ORACVLIS SEV CARMINIBVS SIBYLLINIS.

Ao. 140. PRoducti in lucem publicum Seculo præcedente medio, *Oraculorum* ſeu *Carminum Sibyllinorum libri VIII* qui magnam eruditis in utramq; partem diſputandi ſeculo ſequente materiam præbuerunt. Hi autem libri 8. τῶν χρησμῶν, Græce primum prodierunt anno 1544 ex Auguſtana Bibliotheca, ſtudio & opera Xyſti Betuleji, ex recente ſatis hujus bibliothecæ MS. codice.

codice. Qui poſtmodum anno 1599. & 1600. & 1607. in 8. Pariſiis, Græce & Latine vulgati ſunt, ex verſione Sebaſtiani Caſtalionis, emendati ex MSS. codicibus a Johanne Opſopæo, qui huic operi notas ſuas non contemnendas adjecit. Verum ipſo mortuo, editionem præfatam aggreſſa eſt magna Societas bibliopolarum Pariſienſium, dicatam Jacobo Auguſtino Thuano ſanctioris conſiſtorii Conſiliario, & Supremi Galliarum Senatus integerrimo præſidi. Hinc irrepſerunt illi Libri octo in *Bibliothecam Sanctorum Patrum* editionis 1624. Pariſienſis, quam multis ſcriptoribus Græcis & Latinis Fronto Ducæus Burdegalenſis, Theologus Societatis Jeſu amplificavit, tomo VIII. pag. 1. ad 95. Qui jam antea inter *Orthodoxographos* in folio Græce & Latine Baſileæ anno 1569. prodierant col. 116. Vltimus quod ſciam, qui huic operi evulgando atque ad MSS. Codd. recenſendo manum admoviſſe creditur, fuit Servatius Gallæus, cujus *Sibyllina Oracula ex veteribus codicibus emendata ac reſtituta, & Commentariis diverſorum illuſtrata*, proſtant, quibus accedunt *Oracula Magica Zoroaſtris, Jovis, Apollinis &c. Aſtrampſychi Oneirocriticum* Græce & Latine cum notis variorum, Amſtelodami in 4. anno 1689. apud Henricum & Viduam Theodori Boom. Præter amplum Gallæi in hos libros Commentarium, David quoque Blondellus vir magni nominis, edidit anno 1649. Galliæ Pariſiis in 4. eruditum *de Sibyllis* opuſculum: denique Joannes Markius *de Sibyllinis Carminibus Diſputationes Academicæ XII.* anno 1682. Franekeræ in 8. edidit, in quibus diſcuſſione eximia quidquid unquam hac de re dici potuit, examinat. Cum igitur tot tantique viri circa idem argumentum verſati ſint, fruſtraneus labor noſter eſſet, huic iterum incumbere: unde nihil mirum videri debet, ſi quæ illi latius explicuerunt, nos in compendium colligentes, alieno vitulo aremus, etiam verbotenus ipſos excerpentes.

CAPVT PRIMVM.

QVID SENSERINT VETERES DE NVMERO SIBYLLARVM.

ARgumentum iſtud erudite Blondellus agitat Lib. 1. *de Sibyllis* cap. 8. Joannes Markius *Diſputatione* 2. cujus ultimi verba nihil ferme immutantes dabimus. Ita ergo ill pag. 80. In determinando Sibyllarum numero inſignis plane authorum diſſenſus eſt. Nam Diodorus Siculus Lib. 4. *Bibliotheca Hiſtorica* unicam tantum Daphnem Tireſiæ filiam hoc nomine inſignitam agnoſcit in ſtrage Thebarum ab Epigonis captam & Delphis collocatam, annis ante Trojam expugnatam XXVII. ex cujus Oraculis multa deſumpſiſſe Homerum in *Iliade* teſtatur. Sed & Plinius Lib. 7. cap. 33. ſicut ex viris unum Melamponem apud Græcos, Martium apud Romanos, ita Sibyllam in fœminis unam prædicat, *in qua divinitas & quædam celitum nobiliſſima ſocietas fuit:* quod tantum abeſt ut alibi evertat ſicut urgent viri doctiſſimi unanimi fere conſenſu poſt Vivem & Onuphrium, ut potius idem confirmet ubi tres memorat ſtatuas lib. 34. cap. 5. non *trium Sibyllarum* ſed *Sibyllæ* ſtatuas memorans. *Equidem & Sibyllæ juxta roſtra eſſe non miror* (de ſtatuis loquitur) *tres ſint licet, una quam Sextus Pacuvius Taurus Ædilis plebis reſtituit, duæ quas M. Meſſala.* Marcianus Capella Lib. 2. *de nupt. Philol.* decem fuiſſe negat, duasque tantum ponit: *Sibyllas non decem, ut aſſerunt, ſed duas fuiſſe non neſcis.* Tres numerat Solinus cap. 2. nec plures, *Delphicam* nempe, quam ex Boetho bellum Trojanum præceſſiſſe aſſerit, atque Homero extitiſſe præviam. Heriphilem Erythream quæ ipſam paucis poſt annis ſecuta ſit, atque Lesbios dudum ante admonuit, ipſos maris imperio exciſuros. Denique *Cumanam* ultimam ac tertiam. Pauſanias *Bœoticorum* lib. 4. admittit quatuor, ſcilicet *Lamiam* alias Sibyllam Libycam, *Herophilem* alias Delphicam vel Erythream, *Demo* quam Cumanam, & *Sabbam* quam Babyloniam vocat. Ælianus quoque Lib. 12. cap. 35. *Variarum Hiſtoriarum* quatuor fuiſſe dicit, non neſcius alias ſex ab aliis ſcriptoribus adjici. Varro denique quo nemo unquam doctior, teſte Lactantio Lib. 2. *Divinarum Inſtit.* cap. 6. ne apud Græcos quidem, necdum apud Latinos vixit, in libris *Rerum divinarum* quos ad C. Cæſarem Pontificem Maximum ſcripſit, decem numero fuiſſe docet: *Perſicam, Libyſſam, Delphicam, Cumeam, Erythream, Samiam, Cumanam, Helleſponticam, Phrygiam, Tiburtem.* Vtile judicamus, ne quid notatu dignum a nobis prætermittatur, Varronem ſequi, cum Lactantio, Hieronymo, Suida ac recentioribus plurimis: cujus catalogo inhærentes, ætatem ſingularum, genus, ſtudia breviter luſtremus: ut quæ in earum hiſtoria fabulam olent, quæ dubia & quæ certa ſunt, ſigillatim cognoſcamus.

Prima ponitur *Perſica*, quæ habita temporis ratione Onuphrio Panvinio *octava* eſt, quam alii vocant *Babyloniam, Chaldæam, Ægyptiacam, Hebræam*, ſive quod variis in locis vaticinata ſit, ſive quod gentes plures ob vicinitatem confundantur, ſive etiam quod illius patria vere ignota ſit. Nata autem a quibusdam in oppido Noë dicitur, ad mare rubrum poſito, unde forſan opinio facta Suidæ atque aliis, ipſam eſſe natam *ἐκ τῆς Νῶε μακαριωτάτης*, ex Noacho Patriarcha. Nomen ei tribuitur *Sambethe*, vel ut in *Phocicis* habet Pauſanias, *Sabbe*: cujus mater *Erymanthe*, pater *Berоſus*. Qui ſi ſit antiquior aliquis Trojæ excidio vates, ut plurimi volunt, incertæ eſt ætatis: Si autem fuerit celebris Beli Sacerdos, & Chaldaicarum rerum ſcriptor, cujus hodie fragmenta ſuperſunt, non improbabiliter ipſa cum Beroſo patre *Sabba* ad ætatem Alexandri Magni referetur. Vixiſſe enim Beroſum *κατ' Ἀλέξανδρον* tempore Alexandri, Tatianus Aſſyrius vir a prima ætate in Gentilium diſciplinis inſtitutus in *Oratione contra Græcos* annotavit. Cum quo etiam non male convenit, quod

de

de rebus Alexandri Magni hæc Sibylla ceciniſſe fertur, unde illius geſta explicaturus Nicanor, hujus ut prodidit Varro, mentionem fecit. Quod autem quidam hanc paullo poſt diluvium vixiſſe volunt, non alio nititur fundamento, quam fabuloſa ex Noacho nativitate, quæ Varronis etiam teſtimonio convellitur. Quod item alii ex Glyca & Cedreno, cum Regina Sabæ in hiſtoria Salomonis notiſſima confundunt, hoc partim ex Reginæ hujus ſapientia, partim ex regionis *Saba* cum nomine *Sabba* apud Pauſaniam timili ſono, profectum videtur.

Hanc excipit *Libyca* ſeu *Libyſſa*, de qua vix aliud conſtat, quam quod ex Pauſania vulgo obſervant, a Græcis *filiam Jovis & Lamiæ fatidicæ* dici, & ex Varrone, Euripidem in *Lamia prologo* meminiſſe illius. Vnde quamvis de nomine *Libyſſæ* quod fuiſſe ferunt, vel de ejus ætate, nihil ſpeciatim exploratum ſit: id tamen in genere patet, vel ex Libya fuiſſe oriundam, vel illic vaticinatam, & Euripide ſuperiorem, cujus nativitas ad Olymp. LXXV. referri ſolet: imo & juxta Græcos apud Pauſaniam, forte *omnium mulierum primam vaticinatam.*

Tertia celebris *Delphica* eſt, quam Diodorus nominatam *Daphnem*, ſed *Artemin & Manto* Suidas tradit, imo etiam *Herophilem* dictam Pauſanias ſcribit, & urget Salmaſius. Ita non minor quoque circa parentes diſſenſus eſt, nam juxta aliquos nata Delphis putatur: vulgo autem Tireſiæ Thebani vatis filia fuiſſe, & *Delphica* appellationem accepiſſe dicitur, quod cum Argivi Epigoni ex Apollinis reſponſo, Thebas ſub duce Alcmæone expugnaſſent, ipſa inter captivos abducta, Delphosque miſſa, illic oraculis Apollinis inſerviit, majoremque divinandi peritiam aſſecuta eſt. Neque tamen illic ſemper manſit, ſed ut Pauſanias narrat, Sami magnam etiam vitæ partem egit, venitque Claron Colophoniæ urbem & in Troade mortua eſt. Relicto autem Delphis inſigni vaticiniorum monumento, ſaxo quodam juxta Buleuterium conſtituto, unde ſedens oracula cecinerit, quod præter Plutarchum in libro *de Pythiæ Oraculis*, etiam Clemens Alexandrinus ex *Heraclide* notavit. Ex Serapione uterque addit, eam ne mortuam quidem a divinandi arte ceſſaſſe, verum illud quod ex ea in aërem receſſit poſt obitum, id eſſe quod in ſortibus divinat & auguriis. Herbas ex corpore ejus, poſt mortem in terram verſo ortas, animalium veſcentium extis, futurorum etiam impreſſiſſe ſigna, & animam lunæ conſtituere faciem.“ Ex quibus omnibus id facile apparet, quod cum Svida omnes tradunt, γεγονέναι αὐτὴν πρὸ τῶν Τρωικῶν, *extitiſſe illam ante Trojanum bellum:* & ex ejus vaticiniis inſeruiſſe forte *Homerum* quædam ſuis Carminibus, quod præter Solinum multi eum feciſſe volunt.

Quarta eſt *Cumea*, quam alii *Italicam* & *Cimmeriam* dicunt, de qua inter eruditos contentio multa eſt, multis cum Salmaſio hanc eandem eſſe urgentibus, cum ea quæ ordine ſeptima *Cumana* dicitur. Cæterum qui illam a *Cumana* diſtinguunt, ex *Cimmerio* Campaniæ oppido, *Cumis* Italicis proximo ortam volunt, ubi vaticinata dicitur: atque oſtenſum fuiſſe ejus thalamum ſubterraneum Ariſtoteles teſtatur, qui tamen non *Italicam* origine, ſed ἐρυθραίαν fuiſſe ait: aſſentiente ei Marciano Capella, qui *Erithræa* progenitam, *Cumis* vaticinatam dicit. Et ex parte convenit Juſtinus Martyr, qui Babylone ortam, & *Berosi filiam* eam putat, illiusque non ſubterranei thalami, ſed βασιλικῆς μνήμης, uno fabrefactæ ſaxo meminit. Quidam nomen ipſi proprium *Deiphebes* tribuunt, alii *Phemonoes*, alii *Amalthea*, alii *Symmachia:* ita omnia hæc incerta ſunt.

Quinta non minus eſt celebris quæ *Erithræa* dicitur, quam eandem cum *Cumea*, non Ariſtoteles modo & Capella faciunt, ſed & ex iis Salmaſius. Nomen ejus proprium *Hermopile* a pleriſque dicitur, *Symmachia* a Capella. Patria ejus juxta Lactantium *Babylon*, juxta alios plures *Erythræ* urbs Jonica, ut vult Strabo: ſeu Phrygiæ oppidulum prope Idam montem, ut vult Dionyſius Halicarnaſſenſis; ſive inſula, ut vult Servius. Vnde Apollodorus Erythræus apud Varronem, ſuam illam fuiſſe civem affirmat, cui & illic *Hippotenſem* patrem Capella adſcribit. Annis aliquot intercedentibus *Delphicam* vulgo conſecuta dicitur; & Græcis Ilium petentibus vaticinata, perituram eſſe Trojam, *Homerum*que mendacia ſcripturum. Imo ſcripſit Dionyſius Halicarnaſſeus Lib. I. ab hac etiam *Æneam* cum ſociis accepiſſe mandatum navigandi verſus occidentem, donec eo locorum pervenirent, ubi menſas comederent. Cæterum ab aliis habita demum inſignis fuiſſe dicitur ſub initium *Romæ* urbis conditæ. Quin & agnoſcit Strabo lib. 14. duplicem *Erithræam*, antiquam unam, recentiorem alteram κατ' Ἀλέξανδρον, *tempore Alexandri.* Hujus vero non minus quam *Cumeæ* prædicatur Longævitas apud Servium, cujus ſequentia totidem ferme verbis deſcripſimus. Dicitur enim Apollo eam pio amore dilexiſſe, &„ ei obtuliſſe poſcendi quod vellet, arbitrium:„ quando illa hauſit arenam manibus, & tam lon„gam vitam popoſcit. Cui Apollo reſpondit„ id poſſe fieri, ſi *Erythræam* in qua habitabat inſu„lam relinqueret, & eam nunquam videret.„ Hinc igitur Cumas profecta, & defecta corporis„ viribus, vitam in ſola voce retinuit. Quod„ cum cives ejus cognoviſſent, ſive invidia, ſive„ miſeratione commoti, ei epiſtolam antiquo„ more cera ſignatam miſerunt, qua viſa, quia„ erat de ejus inſula, in mortem ſoluta eſt.“ Vnde & Phlegon Trallianus obſervavit, illam ὡς αὐτή Φησιν ἐν ταῖς χρησμοῖς, δέκα γενὰς κατ' ἀνθρώπους γεγονέναι, *decem generationes inter homines vixiſſe.* Sed hæc tribui *Cumeæ* apud Ovidium conſtat.

Sexta *Samia* eſt, nomine *Phyto*, vel etiam *Hermophile* ut ſcribit Euſebius, de qua in Annalibus

Samiorum antiquis ſcriptum fuiſſe ex Eratoſthene & Varrone conſtat, & vix quicquam præterea. Ejus mentionem facit Euſebius ad *Olympiadem* XVII. & XXVIII. quæ ætas illi atribuitur ab Auguſtino Lib. 18. *de civitate* Dei cap. 24.

Septima *Cumana* ſequitur, ſive *Herophile*, ſeu *Demophile*, vel *Amalthea* dicta, quæ non *Cumis* Italicis, ſed in Æoliæ metropoli *Cuma* nata, Olympiade L. vixiſſe a Solino fertur. Cui adeo vulgo tribuitur, quod *Oraculorum* libros ſive novem ſive tres Tarquinio ſub certo pretio vendendos obtulerit. Quanquam ut obſervavit Servius, veteres inter ſe non ſatis conveniant, an *Cumana* vel *Erythrea* fuerit, cujus oracula a Romanis in Capitolio cuſtodita fuerunt. Imo quanquam Dionyſius Halicarnaſſeus & A. Gellius non expreſſe dicant, Oracula hæc a *Sibylla* oblata, ſed *ἀπὸ γυναικὸς ἀπ' ἐπιχωρίας, ab anu hoſpita atq; extranea*: id Servius addit, *quæ ſe Maltheam diceret*. Præterea neq; ſic ſatis clare ætas illius patet, nonnullis oracula *Tarquinio Priſco*, aliis *Tarquinio Superbo* oblata urgentibus, inter quos regnum Servii Tullii XLIV. annorum interceſſit.

Octava *Helleſpontica* numeratur, quæ in vico *Marmeſſo*, vel *Marpeſſo*, circa oppidum Gergethium in ditione Trojana, nata dicitur: unde eadem *Marmeſſia* vel *Marpeſſia* in Tibulli carmine audit, atque *Marmenſis filia*, quaſi hic pater ejus fuiſſet, apud Capellam dicitur. Vixiſſe eam Solonis & Cyri temporibus, ex Heraclide obſervavit Varro: quam eandem tum *Trojanam* tum *Phrygiam* Marcianus Capella nominat.

Nona autem in Varronis catalogo *Phrygia* ponitur, Ancyræ incerto tempore vaticinata, huiſque præ reliquis etiam Sibyllis, *Pytho* vitæ laborumque ſocius perpetuus tribui ſolet.

Vltima tandem *Tyburtina*, nomine *Albunea*, quæ non tam ab origine Tyburtina, quam a cultu Tybure juxta ripas amnis Anienis ipſi tanquam Deæ delato, ſic dicta videtur. Hæc vulgo vixiſſe narratur tempore Auguſti Cæſaris, & Auguſtum juxta cum aliis hortata eſſe, ut puerum ex virgine naſciturum coleret, imo & Auguſto oſtendiſſe Dei genitricem Mariam, ſublimem in aere, infantem in ulnis habentem. Quæ narratio ut per ſe fabuloſa videtur, ita Varronis auctoritate convellitur, qui in libris ad C. Cæſarem Pontificem Maximum ante Auguſtum ſcriptis, hujus Sibyllæ ut antiquæ jam tum meminit. *qua ut Dea colebatur, & cujus ſimulacrum in amnis gurgite inventum dicebatur, tenens in manu librum*. Vnde nec ipſe Baronius *App. num. XXV.* hanc fabellam admittit, *Cumeam* omnium noviſſimam ex Solino ſtatuens: & ſi qui huic rei fidem adhibendam putant, id ita vult accipi, *ut ea ipſa Auguſtus a Sibylla acceperit, hoc eſt a Sibyllinis carminibus, in quibus cognoſcendis, ſcrutandis, expurgandis ille multus fuit*. Quæ præter has adducuntur a Suida & recentioribus Sibyllæ, *Siculæ, Sardianæ, Gergethiæ, Rhodiæ, Theſſalicæ, Theſprotiæ, Trojanæ, Colophoniæ, Macedonicæ &c.* illæ partim eædem ſunt aliis nominibus expreſſæ, partim non ita celebres fuerunt, ut his ſcriptorum vaticiniorum gloriam quisquam tribuat.

Hæc porro Sibyllarum veterum Oracula primum quidem a Duumviris rerum ſacrarum, tum poſtea a Decemviris & Quindecimviris diligenter conſervata, integra permanſerunt per annos 283. in templo Jovis Capitolini, in ciſta lapidea ſubterranea, usque ad incendium Capitolii quod contigit anno Olympiadis 147. ſecundo, Vrbis conditæ 671. & ante nativitatem Chriſti anno 83. ſub conſulatu Scipionis & Norbani, ut habet Blondellus lib. 1. *de Sibyllis* cap. 9. pag. 38. & ſequentibus. Suffecta igitur in veterum locum conquiſita Oracula alia, undique ut ita loquar emendicata, miſſis ob hanc rem a Senatu legatis tribus P. Gabinio, M. Octacilio, & L. Valerio, ut Dionyſius Halicarnaſſeus lib. 4. teſtatur. Eximie autem oſtendit Blondellus ibidem Lib. I. cap. 12 pag. 54. & ſeqq. cap. 13. pag. 57. & ſeqq. nec Ciceronem lib. 2. de *Divinatione* cap. no. III. & 112. nec Virgilium *Eclog. 4.* adduci poſſe, in gratiam horum veterum Oraculorum a Sibyllis conſcriptorum, quorum caracteres non habent. Idemque oſtendit Blondellus cap. 19. pag. 82. & ſeqq. de Epiſtola L. Domitii Aureliani ad Senatum, quam Vopiſcus in *Aureliano* refert, licet contrarium iniquiſſime ſentiat Craſſetius Jeſuita pagg. 33. 42. & 48. Jam ergo de ſubrogatis quæſtio eſt.

CAPVT SECVNDVM.

NVLLI ANTIQVARVM SIBYLLARVM POSSE TRIBVI, HOS OCTO LIBROS ORACVLORVM SIBYLLINORVM, QVORVM INNVMERÆ SVPPOSITIONIS NOTÆ EXTANT.

MOrtis ſupplicium a Romanis olim conſtitutum fuiſſe in lectores librorum *Hydaſpis* aut *Sibyllæ* aut *Prophetarum*, teſtatur Juſtinus in Apologia ſecunda ſeu potius prima pag. mihi 82. inquiens, *Opera & inſtinctu malorum Dæmonum, mortis ſupplicium adverſus Hydaſpis aut Sibyllæ aut Prophetarum lectores ſua tempeſtate conſtitutum eſſe, ut per timorem homines abſterreantur ab illis, quo minus ſcripta ea legentes, rerum bonarum notitiam percipiant, ſed in ſervitute eorum retineantur*. Cujus rei nulla ratio alia fuiſſe videtur, quam quod hæc ſcripta Chriſtianæ religioni nimium faverent, & *τῶν παλαιῶν γνώσιν* hominibus darent. Inde etiam a Juſtini temporibus conſtanter hæc Carmina ut *Sibyllina* laudarunt veteres, ſecuti iſtum absque diſcuſſione, cujus antiquiſſima ætas ex ſcriptis patet, quem *in Chriſtiana doctrina paulo poſt Apoſtolorum tempora celebrem fuiſſe* teſtatur Euſebius Lib. 2. *Hiſtoriæ* cap. 12. ut omnem etiam Gentilium ſapientiam eodem teſte perſcrutatus ſit. Nec ſane ad *Sibyllas* jugiter provocare Chriſtiani auſi fuiſſent, cum Gentilibus diſputantes, ſi apud eas citata, lecta non fuiſſent. Minus conſtanter hæc oracula urſiſſent Origenes, Lactantius, Conſtantinus, allegantes tum antiqua exemplaria, tum teſtes ex Gentilibus antiquio-

quiores, ſi dubitatio de illis apud Gentiles mota fuiſſet. Imo fuiſſe *Lactantium* Capitolii Sacerdotem, in quo Sibyllarum libri a Romanis repoſiti fuerant, *Antimachus* ſcribit: notatque alius Clementem cum multis Apoſtolicis viris converſatum, Pauli traditiones optime noviſſe, cui utrique adeo fides adhibenda. Hæc Markius Diſputat. I. pag. 14. qui pag. 16. ſic loquitur, num. IX.

Non impediunt hæc omnia, quominus hæc Carmina ſuppoſititia & *Sibyllis* afficta plurimi credant eruditi, quos omnes nominare ut difficile foret, ita ſupervacaneum exiſtimo. Præluſerunt jam olim Chriſtiani plurimi huic ſuppoſitioni, quos nomine generali Conſtantinus notavit *Oratione ad Sanctorum cœtum* c. 19. *Multi tamen huic traditioni fidem derogant, quamvis Sibyllam Erithræam revera vatem fuiſſe fateantur. Suſpicantur autem a quodam ex noſtra religionis hominibus, poetica artis non ignaro, eos verſus eſſe confictos, & falſo ac ſuppoſititio titulo Sibyllæ adſcribi.* οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ἀπιστοῦσι, ὑποπτεύουσι δέ τινας τῶν ἡμετέρας θρησκείας, ποιητικῆς μέσης ἐπιστήμονας, τοὺς ἔπη τοιαῦτα πεποιηκέναι, τεθέσθαι τε αὐτὰ, καὶ Σιβύλλης θεσπίσματα εἶναι λέγεσθαι. Quæ ut non de paganis ſolis, ſed & Chriſtianis judicii limatioris cum Caſaubono intelligam, facit generalis dicendi modus & oppoſitio hujus ſententiæ non ad Chriſtianos omnes ſed ad Conſtantinum inſtituta, cum ratione a Conſtantino allegata. Denique & ſimilis fere extat locus S. Auguſtini Lib. 18. *de civitate Dei* cap. 47. inquientis. *Quæcunque aliorum prophetia de Dei per Chriſtum gratia proferuntur, poſſunt putari a Chriſtianis eſſe conficta, ideo nihil eſt firmius ad convincendos quoslibet alienos, ſi hac de re contenderint; noſtrosque fulciendos, ſi recte ſapuerint: quam ea divina predicta de Chriſto ea proferantur, quæ in Judæorum ſcripta ſunt codicibus.* Ad horum exemplum Theologi hujus ac præcedentis ſeculi clariſſimi ita ſenſerunt, ac inter eos magna nomina Jacobus Grynæus qui anno 1569. Baſileæ hæc Oracula Græce & Latine edidit, inter *Monumenta Patrum Orthodoxographa*, Fredericus Spanhemius in *Hiſtoria Veteris Teſtamenti* Epocha II art. 5. Samuel Deſmaretz *Selectarum Diſputationum* parte 2 ubi notat *procul dubio ea profecta vel ab ipſo Montano hæreſiarcho Phrygio, vel ab ipſis Prophetiſſis, vel ab aliquo ex illius & illarum admiratoribus & ſectatoribus.* Conſentiunt præter Iſaacum Caſaubonum qui ingenue hanc ſuam de *Sibyllinis* ſententiam exponit *Exercitatione I.* in Baronium num. 18. non modo Joſephus Scaliger, Joannes Opſopæus qui ejusmodi Oracula Sibyllina ad MS. Codd. contulit atque editioni parata habuit, Joannes Gerardus Voſſius, Joannes Daillæus in Opuſculis variis paſſim: ſed & recentiora Galliæ Pontificiæ lumina, Henricus Valeſius in ſuis ad *Euſebium* notis, & Petrus Daniel Huetius in *Demonſtratione Evangelica.*

Porro ut Markius notat Diſputatione 2 *de Carminibus Sibyllinis* num. XI pag. 46. Nihil adeo certi præter generalia pauca de Sibyllis relinquitur, quæ paucis nunc ſubjicienda ſunt. Horum primum eſt Sibyllas fuiſſe fœminas ortu Gentiles, a communione fœderis divini & conſequenter a ſalutarium myſteriorum clara cognitione excluſas. Iſtud ex Judæorum ſilentio, & Gentilium qua eas proſecuti ſunt veneratione clarum eſt. Nec alia ipſis quam gentilis origo a quibuscunque veteribus ſcriptoribus tribuitur, ſupponentibus iſtud quoque paſſim Chriſtianis, dum eas *Gentilium vates* vocant. Quod etiam obſervatu dignum judicamus, *ſecundum* eſt, illas non proxime & immediate ante Chriſtum, ſed antiquiſſimo tempore pluribus ante ipſum ſeculis vixiſſe, quando Gentiles denſiſſimis involuti erant tenebris, & impedita Judæorum cum illis converſatio arctior, illas a veræ religionis cognitione excludebat. Quod non tantum patet ex ætate quæ ipſis paſſim tribuitur, ſed & ex hiſtoriæ earum diverſiſſima narratione, cujus nulla magis probabilis cauſa quam antiquitas, dum geſta recentiora diſtinctius a ſingulis cognoſcuntur. His autem conſtitutis, nullo jam negotio probatur, *Libros illos VIII. Oraculorum Sibyllinorum*, Græce & Latine paſſim editos, quorum occaſione præſentem Diſſertationem inſtituimus, haud quaquam ſpectare poſſe, ad aliquam ex Sibyllis iſtis veteribus Chriſto antiquioribus, quarum mentionem cap. præcedenti fecimus. Evidenter ac demonſtrative iſtud agunt, tum David Blondellus Lib. 1. *de Sibyllis* cap. 2. pag. 4. 5. 6. tum Johannes Markius *Diſputatione XII.* num. 2. pag. 157. quem exſcripſimus. «Chriſtianos itaque conſtituimus auctores ſcripti de quo controvertitur,« qui ut Chriſtianæ conſulerent fidei, ac cœcæ« Gentilitatis converſionem promoverent, ſub« Sibyllarum nomine myſteria Evangelii vulgarunt. Vtpote quarum & maximam apud Ro-« manos aliosque populos eſſe venerationem« noverant, & genuina jamdudum ſcripta eſſe« deperdita ſciebant, & nomine fuiſſe complures« abuſos hactenus deprehendebant. Quod ſi-« ve egerint, ſua antiquis quibusdam carminibus« *Sibyllinorum* nomen habentibus addendo, ſive« capita idololatrica, ſuperſtitioſa, aut etiam alia« quæ *Sibyllis* tribui audierant ratiocinia antiqui-« ora ſuis immiſcendo, ut fraus occultius lateret,« ad rem quidem præſentem parum facit.„

1. Author horum 8. librorum diſertiſſime ſe Chriſtianum profitetur ad finem Libri VIII.

Nos igitur ſancta Chriſti de ſtirpe creati,
Cœleſti, nomen retinemus proximitatis,
Latitia memorem ſervantes relligionem.

Quibus apud Opſopæum ex vetere codice luculenta Chriſtiani cultus deſcriptio ſubjicitur. Nec magnopere abludit ſermo qui Lib. 3. juſtis fidelibusque piorum animabus tribuitur.

Hue omnes poſiti in genibus ſimul ere precemur
Æternum magnumque Deum, Regemque perennem.
Ad ſacra mittamus, ſolus quando ille potens eſt,

Supremique Dei legem omnes exutiamus,
Qua sola in toto pollet justissima mundo.
At nos aterna errantes a lege tenantis,
Morte caducorum statuas & signa virorum,
Numina facta, manu, fatui ornabamus honore &c.

Quæ verba nonnisi hominum ab idololatria gentili ad Christianam fidem conversorum sunt, & quæ Author ipse sua facit, quando illa ut *justorum* verba commendat. Ita quoque innumeris in locis horum Carminum, Christiani uti *gens sancta, pia, praclara, Deo nata, dilecta*, describuntur. Præterquam quod in Libri 8. clausula, per nomen proximitatis seu cognomentum σύναμμον, ipsum nomen Christianorum clare significetur, primum Antiochiæ usurpatum Act. XI. vers. 26. quod allegato loco ipse Carminum auctor sibi etiam vendicat.

2. Loquitur etiam res ipsa, magnam horum Carminum partem ex historia Evangelica esse transcriptam, siquidem non generaliter tantum nativitas Salvatoris, vita & mors, sed & singularia ejus gesta, & circonstantiæ plurimæ in iis traduntur, longe expressius quam apud ullum Prophetarum vel ipsum Isaiam, ut liquido constat ex iis quæ habet præter Lactantium, Augustinus Libro 18. *de Civitate Dei* cap. 23. Quod quidem nec fieri potuit a Gentibus, Evangelica scripta non habentibus: nec a Judæis eadem in Veteris Testamenti scriptura non reperientibus: unde a Christianis factum id esse oportet.

3. Imo præter Evangelicam historiam, invenimus in his Carminibus annotatos eventus, qui dudum post Christum natum contigerunt. Inter quos numeranda præcipue Romanorum Imperatorum sub initium Libri 5 series, quorum non nomina tantum ac successionem, sed & virtutes vitiaque, & insignora gesta exponuntur. Quemadmodum *Tiberius* dicitur Persas & Babylonem aggressurus, tandem rigida cuspide Medos perculsurus: *Claudius* ad Oceani undas extremas penetraturus, & indomitum maris æstum Ausoniis subditurus: *Nero* divus serpens lachrymabile bellum spiraturus, distentas manus suæ originis perditurus, plebemque trucidaturus: *Vespasianus* piorum cæsor extiturus: *Trajanus* ut Gallus montivagus, ad Orientis arma properaturus: *Adrianus* denique magicis artibus deditus, etiam puerum in Deorum numerum relaturus. Quæ omnia Christianos auctores arguunt, non levi etiam persecutionum excitatarum mentione facta, & gravi ad constantiam adhortatione non semel addita, ex intuitu præmii a Christo conferendi, ut Lib. 2 his verbis.

Ornabitque probos, aternaque præmia reddet
Testibus, ad mortis certamen euntibus usque.

Recte ergo Servatius Gallæus in notis ad Librum 5 *Oraculorum Sibyllinorum* pag. 547. ubi de *Nerone* sic loquitur. "Neronem intelligit hic „Pseudo-Sibylliſta, de quo quidem vera narrat, „sed illa ut & sequentia fuisse prædicta aut acta „ante Imperatoris illius nativitatem, nunquam credidi, nec unquam credam. Clariora enim illa, ac sequentia quæ de cæteris Cæsaribus narrat, quam ut ante rerum eventum innotuerint. Nullus prophetarum adeo dilucide prænuntiavit de Regum aliorumque actionibus, quam supposititia hæc Sibylla."

Neque dissentit nuperæ Dissertationis auctor Isaacus Vossius, quanquam dissensum ipse dissimulet, his verbis. "Illa quæ de Cæsaribus referuntur, cum manifeste constet non esse ejusdem Auctoris, sed sero demum a Christianis Gnosticis addita esse videantur, opus non est, ut ad examen revocentur. Sufficiat hæc de iis dixisse Sibyllinis, quæ non ab aliis quam Judæis, & quidem ante adventum Servatoris nostri potuere conscribi. Additamenta enim quæ majorem horum librorum partem constituunt, ea a Christianis esse conficta, libenter cum Celso agnoscimus. Clarum est itaque quantum fallantur illi, qui omnes istos Sibyllinos libros Adriani Cæsaris ætate aut etiam postea conscriptos fuisse, adfirmare ausi sunt. Nec aliter idem auctor, initio ejusdem cap. VIII loquitur. In his quæ Christi nativitatem præcessere Sibyllinis ea solum continebantur, quæ ex Prophetarum scriptis deprompta essent vaticinia. At vero in illis quæ vulgo leguntur, ea quoque occurrunt, quæ non ab aliis quam ab iis potuerunt conscribi, qui centum & viginti demum annis Christo fuere posteriores." Nec eruditi equidem subscribunt sententiæ Hugonis Grotii in suis annotationibus ad Matth. cap. II. vers. 1. quando vult *Vetera Sibyllina oracula Roma a XV viris asservata, nihil aliud fuisse, quam versus Græcos Judæorum.* Nam id non patitur argumentum veterum oraculorum, cum religione Judaica collatum, uti nec etiam status Judæorum ætate isthac. Verum inter ea carmina, quæ Sibyllinis ipsis deperditis postea substituta fuerunt, plurimaque a Romanis etiam reprobata, nulla omnino fuisse Judaicæ originis neutiquam asserunt. Vnde quando Christianis Sibyllini tribuuntur libri, non ea assertio intelligenda est, de paucis quibusdam versibus forte tum adhuc reliquis, & cum ad rem facerent Christianam, ab his præcipue asservatis. Sed de libris integris, quales & hodie extant, & olim a Patribus lecti fuerunt: quorum majorem partem cum ipse Isaacus Vossius Christianis tribuat, ac illa tantum Judæis *quæ ex Prophetarum scriptis deprompta sunt*, adscribat: nescio sane cur tanti eos erroris arguat, qui libros Sibyllinos a Christianis scriptos affirmant, & cur ipse unice velit a Christianis eos esse interpolatos. Cum enim denominatio a potiori semper fiat, & quæ ex Prophetarum scriptis transcripta sunt pauciora deprehendantur, & in originem eorum præcipue inquiratur, occasione Evangelicorum mysteriorum ex his libris a Patribus comprobatorum: æquius a Christianis eos libros dici confictos quam interpolatos, aut saltem vanissimam esse hanc λογομαχίαν, judicari debet.

Digitized by Google

debet. Hæc Joannes Markius loco citato.

4. Hæc Pseudo-Sibylla quæ libros octo *Sibyllinorum Oraculorum* scripsisse fingitur, alia omnino est ab his decem Sibyllis de quibus cap. præcedenti locutus sum, illisque multis seculis antiquior. Hæc enim enormi mendacio stultaque antiquitate, se nupsisse uni ex filiis Noachi Patriarchæ inquit, atque nurum ipsius in *Archa* cum ipso, tempore diluvii extitisse. Sic illa Lib. 1. sub finem, ubi egressum Noachi ex arca explicuit

O evi sexti stirps prima, o gaudia magna
Quod sortita sui, postquam discrimina mortis
Effugi, jactata meo cum conjuge multum,
Nec non cum Levirin glosses, socerosque, socrusque.

Atque sub finem libri 3.

Ut mortale genus, venturaque quæque fuerunt,
Pandens admoneam: siquidem cum dilueretur
Mundus aquis, cum vir solus probus exsuperaret
Quidem, quem per aquas vexit domus ervta sylvâ,
Et pecudes & aves, rursum impleretur ut orbis.
Ejus ego nurus, ejus item de sanguine nata,
Cui prima acciderunt, postrema ostensa fuerunt,
Hactenus ore meo vera omnia prodita sunto.

Quæ ergo hos libros ad convictionem idololatriæ gentilis excogitavit, diserte se dicit uxorem unius ex filiis Noachi, annis 1697 mortui, antequam *Antiochus Soter* in Babylone regnaret, ac Berosus, cujus filia hæc dicitur, eo quod ex his carminibus Babylone oriunda legitur, nomen *Patris* ferre posset. Scribit enim Tatianus hunc Berosum tres libros *Historiæ Chaldaicæ* obtulisse *Antiocho Soteri*, qui anno 472 Romæ conditæ regnare cœpit, seu anno 47 post Cyri mortem. Absurda ergo plane securitate, nulloque fundamento S. Justinus Martyr in *Apologia prima* pro Christianis, hos Libros 8. *Sibyllinorum Oraculorum* de quibus hic disputamus, attribuit Sibyllæ Berosi filiæ, ex Metropoli Chaldeæ oriundæ, quæ diluvio Noachi annis circiter 1700 posterior est. Disputans porro ille contra Gentiles, qui juxta Origenem Lib. 5 adversus Celsum, Christianos ex derisione *Sibyllistas* appellabant: opponit illis *Hystaspis* authoris suppositititii authoritatem, cujus nihil nobis superest: atque *Oracula Sibyllæ Cumanæ*, quam contendit fuisse filiam Berosi, posterioris annis 150 Cyro, anno Vrbis conditæ 225 mortuo, ac 4 regni Tarquinii. Huic volunt plurimi certam quandam *Amaltheam* vendidisse Sibyllina oracula, Romæ per annos 440 conservata, usque ad bellum Syllæ. Verum non animadvertunt ad communem Romanorum fidem, olim Sibyllam Cumanam excepisse Æneam, annis 639 antequam Cyrus Babylonem occuparet mortuum. Neque ad ea quæ Pausanias ejusdem ferme temporis author, *Phocaicorum lib. 10.* ex Hyperocho Cumano & aliis antiquis observat, 1. Sibyllam quæ illic vaticinata fuerat, *Demo* appellatam: 2. Cumanos nullum illius oraculum potuisse ostendere. Hæc porro Pseudo-Sibylla paucis ante carminibus destruit, quod postmodum asseruit se nurum Noachi, & uxorem unius ex ejus filiis. Ita enim illa

Hæc sunt, quæ nomen Assyria Babylone profecta
In Græcos ignis missus, fanatica, cunctis
Exponens divina Dei præsignificata,
Mortali ut generi divina enigmata pandam.

Asserit enim se *Babylone Assyriæ* profectam, eo inconcinnius loquens, quod nec nisi annis 153 post diluvium Babylon ædificata vel appellata unquam fuit. Eadem quoque inquit ibidem, Græcos ipsam ex *Matre Circe* dicturos & *Gnosio Patre* sive *Ulysse*, quem ob nominis celebritatem ac famam *Gnosion Patrem* nominat.

Et tamen ex alia patria nec Græcia dicit,
Ex Erythra natam, posticque pudoris. At illi
Matre ferent Circe, Gnosio me patre, Sibyllam
Infamam, falsam. Sed cunctis denique fatis,
Tunc recolentis me, neque dixeris amplius ullus
Infamam, magnam sed vatem Numinis alti,
Cui Deus ostendit quæcunque, parentibus idem.

Non considerans illa insana vere, inter mortem Noachi cujus se nurum dicit, & adventum Vlysis quem *Gnosium Patrem* vocat, ad Montem Circellum, intercedere 800 annos & ultra. Ita Blondellus Lib. I. de *Sibyllis* cap. 2. pag. 6.

5. S. Hieronymus Lib. 1. *Contra Jovinianum* perpetuam & communem Sibyllarum virginitatem ursit inquiens *Sibyllarum insigne virginitas est, & virginitatis præmium divinatio. Quod si Æolico sermonis genere Sibylla Θεοβούλη appellatur, velle consilium Dei sola scribitur nosse virginitas.* Cujus in assertione acquiescere hic videtur Baronius *Apparatus* num. 18. Non diffiteor equidem Cumeam *virginem* a Virgilio Lib. 3. *Æneidos*, & Erythream *nympham* a Dionysio Halicarnassensi vocari: Sed hæc nomina latiori sensu usurpari notum est ex Terentio, Virgilio & aliis scriptoribus, qui *virginis* vocem ad mulieres etiam post partum extendunt. Non ignoro etiam *Cumeæ* voces apud Ovidium *Metamorphoseon* lib. 14.

Pax æterna mihi, carituraque fine dabatur,
Si mea virginitas Phœbo patuisset amanti &c.
Excidit ut peterem juvenes quoque protinus annos,
Hos tamen ille mihi dabat, æternamque juventam,
Si veterem paterer, contempto munere Phœbi
Innuba permaneo &c.

Vnde facile colligere licet, communem hanc fuisse famam de *Erythræa* seu *Cumea*, ipsam παρθένον διαμεῖναι, ut habet Aristoteles. Sed ut traditio vana sæpe est, ita ex unius aut alterius exemplo, omnes virgines gratis æstimantur. Et ipsa apud Ovidium *Cumea* tantopere de ægra valetudine conqueritur, ut ex ejus verbis non immerito aliquis pœnitentiam servatæ virginitatis conjecerit. Id cuivis patet, Veteres absque mentione virginitatis, Sibyllas *mulieres γυναικὸς* appellare, atque illas etiam Sibyllis accensere, quarum una liberos memorant: quemadmodum de *Sibylla Italica* Clemens Alexandrinus Lib. I. *Stromatum* loquitur, *filium ejus fuisse Evandrum*, qui Romæ templum Panis condidit. Porro si Sibyllæ omnes ex communi etiam traditione

ditione virgines fuerunt, quæcunque hos octo Libros Sibyllinorum Oraculorum conscripsit, quantumcunque se *Sibyllam* & *Erythream* nominat, a Sibyllarum cœtu se excluſit, dum se multotics non tantum Noachi nurum, sed impudicæ quoque vitæ atque thori conjugalis violati conſciam agnoſcit. Indigna itaque prorſus fuit, quæ Chriſti nativitatem, miracula, paſſionem, mortem, aliaque multa tam patentibus clarisque verbis vaticinaretur, qualia nec Prophetis apud Judæos conceſſa ſunt. Jam profligatam ejus vitam audiamus Lib. 1. *Sibyllinorum Oraculorum.*

Αἰ, αἰ ἐγὼ δειλὴ, τί γενήσομαι ἡμαρ τῦ δε;
Αηθ' ὅν τ' ἀνθρώπων γε πανημαύτη περὶ πάντων
Ἤλιτον, ὕτι γάμων μεμελημένη, ὕτι λογισμῶν.
Ἀλλὰ κεῖ ἐν μελάθροισιν ἐμᾶς πολυμάμμου Θ· ἀνδρὸς,
Δινομένας ἀπέλειπα, τὰ δ' ἄνομα πρόσθεν ἔρεξα
Εἴδυια δόξ τι σῶτις ἐμῶν ἀπὸ μαστικήρων
Ῥύσαι δέ με πίνωπιν, ἀναιδία πεπίξασαν.

Eheu me miseram, quid me illo tempore fiet?
Qua demens omnes peccatis exsuperavi,
Nescia conjugii, laudanda nescia mentis.
Quin etiam locuples cum vir mens esset, egenos
Ædibus exclusi, fecique nefanda scienter.
Tu me, Servator, tortoribus eripe divis,
Quamlibet infamem, conspurcatique pudoris.

Et libro 3.

Καὶ καλέσει βροτοί με κατ' Ἑλλάδα πατρίδος ἄλλης
Ἐξ Ἐρυθρῆς γεγαῶσαν, ἀναιδία. ὁι δέ με Κίρκης
Μητρὸς καὶ Γνησίου πατρὸς, Φήσουσι Σίβυλλαν.

Et tamen ex alia patria me Gracia dicit,
Ex Erythra natam, posticique pudoris: & illi
Matre ferent Circe, Gnosio me patre, Sibyllam.

Denique ita illa concludit Librum 7. Oraculorum Sibyllinorum.

Αἰς ἐμὶ τὴν λυγρήν! ὅσα γὰρ κακὰ πρόσθεν ἔρεξα
Εἰδῶ, ἄλλα τε πολλὰ ἐπόνης' ἀμελῦσα;
Μυρία μέν μοι λέκτρα, γάμ· ὁ' οὐδὲς ἐμέλησε.
Πᾶσι δ' ἐγὼ πανάπυσ· ἐπήγαγον ἄγριον ἔρωτα.
Δινομένας ἀπέλιπον καὶ ἐν πρωμολῆσιν ἰῶσα,
Ἴκελον ἰὸς δολῶσα, θεῦ Φάτιν ὃν ἐνόησα
Τοῦνεκα πῦρ μ' ἔφαγεν &c.

Ut sceleratam me; nam qua scelera ante patravi
Prudens, & studio peccandi perdita feci?
Mille mihi lecti, connubia nulla fuerunt,
Jureque jurando quosvis perjura ligavi.
Exclusi tenues, & per mollissima rura
Quoslibet admisi, magni secura Tonantis.
Propterea igni sum consumpta &c.

CAPVT TERTIVM.

PLVRIMÆ ALIÆ SVPPOSITIONIS NOTÆ, IN LIBRIS VIII. ORACVLORVM SIBYLLINORVM.

ARgumentum istud verbotenus a Blondello accipiemus, qui copiose illud tractat L. I. *de Sibyllis* cap. 3. p. 7. 8. 9. 10. Nobis enim eam obrationem tantum placuit, quod convictionem suppositionis librorum istorum efficere videatur.

Si, inquit, S. Justinus oculos tantillum aperire, atque his quæ ab ipso legebantur, cum aliqua attentione adhærere voluisset: mille impostura notas in his præclaris Oraculis reperisset, quæ Gentilibus objiciebat, contra eos allegans tres versus *libri primi*, totidem *libri tertii*, & septem versus *libri quarti*. Agnovisset enim statim male assutum illud Syntagma, Græca lingua barbare scriptum, ab eoque scriptore, qui se prorsus Hebrææ linguæ ignarum ostendit, non posse convenire *Nurui* Noachi, quæ annis plusquam 250. ante linguarum confusionem vivebat, & consequenter antequam lingua Græca existeret: neque filiæ Berosi ex ipsa Metropoli Chaldeæ oriundæ, atque annis fere 1700. posteriori. Agnovisset facile Justinus impostorem, qui tam magnæ antiquitatis fictione se commendatum voluit, plane novitium se ostendisse innumeris modis. I. Derivando Lib. I. pag. 7. *Adam* ab ἀδὴς, quasi nomen esset originis Græcæ. II. Affirmando Lib. 2. pag. 19. hoc nomen *Adam* suis quatuor litteris significare ἀνατολὴν, δύσιν, ἄρκτον, μεσημβρίαν, *Orientem, Occidentem, Meridiem & Septentrionem*, quamvis in Hebræa & Chaldaica lingua, tres tantum litteræ hujus nominis reperiantur. III. Supponendo lib. I. pag. 8. litteras nominis *Dei*, facere numerum 1697. Quod verum esse non potest, quam scribendo characteribus Græcis & Barbare ιαχουαχ, litteris enim Hebraicis numerum 41. duntaxat continet. IV. Colligendo lib. I. pag. 12. ex litteris nominis *Jesus*, quod componit ex 4. vocalibus & 2. consonantibus, numerum 888. quod neque Græco Ἰησοῦς, neque Hebræo convenire potest, cum hoc (ישוע) nonnisi 4. literis omnino consonantibus & duabus vocalibus constet, neque numerum 399. excedat. V. Affirmando Lib. 2. pag. 18. durationem *Romæ* fore 948. annorum, quod numerus 948. ex litteris Græcis Ῥώμη resultet, non autem ex Hebraicis, quæ nonnisi 251. faciunt. VI. Collocando Lib. 1. pag. 10. *Ararat* in *Phrygia*, ubi archa requievisse dicitur, non in *Armenia*, ut scriptura loquitur. Montem enim Phrygiæ non fuisse sed Armeniæ, communi fere consensu veteres cum recentioribus tradunt, ut inquit Joannes Markius Disputatione 9. num. 10. pag. 203. Montem certe *Phrygiæ*, unde fluminis Marsiæ origo manat, in historia Mosaica non designari, tum ex minori ejus altitudine, quam hæc concedere videtur: tum ex ejus situ respectu Babyloniæ, non conciliando cum itinere ex *Oriente* Genes. XI. vers. 2. illuc instituto: tum ex antiquorum plurimis testimoniis, *Bochartus* Lib. I. cap. 3. demonstravit: ut Sibylla hæc fidem amplius nullam mereatur, sed & insimul hæc Oracula vel hoc ipso argumento,

Digitized by Google

to, omnibus perinde ac magno huic auctori ſuſpecta eſſe debeant. VII. Affirmando Lib. 1. pag. 9. & 11. & Lib. 7. pag. 53. *Phrygiam* fuiſſe primam regionem poſt diluvium detectam & aquis liberam, atque Noachum qui in arca reſedit a 7. die 2. menſis, usque ad diem 20. menſis 2. anni ſequentis in ea tantum 41. diebus incluſum fuiſſe. VIII. Imaginando ſibi Lib. 1. pag. 11. fabulas *Titanum terrigenorum* eſſe veras hiſtorias. IX. Supponendo juxta Chiliaſtarum hæreſin Lib. 2. pag. 14. 17. & 18. Lib. 3. pag. 34. & Lib. 5. pag. 49. *Hieruſalem* non tantum reſtituendam, ſed ſedem fore imperii filii Dei, ubi fideles igne purgatorii ante conſummationem mundi purgati, omnibus delitiarum corporearum ac ſpiritualium generibus perfruentur. Agitat hoc argumentum pluribus idem Blondellus Lib. 2. Diſſertationis citatæ cap. 12. pag. 187. ex ipſis Oraculorum Sibyllinorum verbis Græcis ad marginem allatis. X. Fingendo Lib. 3. pag. 22. *Erotam* fluvium Licaoniæ in Peloponneſo, egredi *Dodonæ* in Epiro, ac miſceri cum Peneo Theſſaliæ fluvio. Oritur autem in Arcadia regione non procul ab Alpheo, in vico *Aſeæ* prope Megalopolim, longe a Stymphalo monte ad Auſtrum, per Laconicam ad Meridiem fluens, Lacedæmonem urbem alluens, laurisque abundans. Item lib. 3. pag. 26. dum ſcribit *Gog & Magog* inter Æthiopes eſſe. XI. Prædicendo ibidem Italos Aſiaticis ſubjectos fore. XII. Affirmando Lib. 5. pag. 41. 43. 44. 48. 49. *Neronem* eſſe magnum Antichriſtum, quod ad Perſas receſſerit, atque Babylone reverſus cum ingenti Judæorum exercitu, Romam deſtructurus & combuſturus ſit. XIII. confundendo Lib. 8. pag. 57. urbem *Alexandriam* cum Memphi. XIV. Fingendo Lib. 2. pag. 15. Eliam in curru deſcenſurum e cœlis, Lib. 5. pag. 41. Joſuam reſuſcitatum Judæos reſtituturum, Lib. 5. p. 46. Tiberium Perſas & Babylonem expugnaturum, Lib. 5. pag. 41. ex Italica in Hiſpania Trajanum ortum, fuiſſe Gallum: Lib. 8. pag. 57. Adrianum Imperatorem laqueo ſe interfeciſſe: denique ibidem lib. 8. pag. 57. finem totius mundi adventurum ſub *Antonino Pio*, quem ineptiſſime appellat δικ[illegible]ταν, pro χρηςότατον vel ἐυσεβίςατον, & ſub duobus ejus filiis adoptivis *Marco Aurelio & Lucio Vero*, quorum unus alteri ex neceſſitate ſupervicturus erat. Item Lib. 8. pag. 59. *Romam* anno 948. ſuæ fundationis pereuntem, ad annum Chriſti Domini 195. ceſſaturam, qui 3. Imperii Severi extitit. Denique poſthæc omnia mendacia, ſe tandem Chriſtianum confitens Lib. 8. pag. 66. his verbis, quæ ſuppoſitiones ejus omnes deſtruunt:

Τῶνδ' ἀρ' ἡμεῖς καὶ ὅσοις χριςοῦ γενέθλης
Οὐρανίης πνοιῆτες ἐπιπλεόμεθα σύναιμοι,
Μνησὶν εὐφροσύνης ἐπὶ θεσπεσίην καπίχοντες,
Ἐυσεβίης τε, καὶ ἀτρεκίης βαίοντες ἀτραπόν.
Nos igitur ſancta Chriſti de ſtirpe creati
Cæleſti, nomen retinemus proximitatis,
Lætitiæ memorem ſervantes relligionem,
Pietatis & veritatis calcantes ſemitas.

Nam ex recenſione omnium iſtarum obſervationum, reſultat neceſſario impoſtorem, qui nomen *Nurus Noachi* uſurpavit, atque S. Juſtino Martyri quod *filia Beroſi* fuerit perſuaſit, Chriſtianum profeſſione extitiſſe, ſed linguæ Hebraicæ atque orthodoxæ veræque Theologiæ, non minus quam Geographiæ atque Hiſtoriæ ignarum. Itaque compilaſſe rapſodiam hanc inconditam & abſurdam, inter annum 138. quo Adrianus Imperator languorem ſuum die 12. Julii finiit, & annum 142. vel 141 quo Cardinalis Baronius cum aliis pluribus vult, Juſtinum obtuliſſe *Apologiam* ſuam Imperatori *Antonino Pio*, atque Cæſaribus adoptivis filiis, *Marco Aurelio & Lucio Vero*. Itaque hoc adulterinum Syntagma, ab incude recens omnino fuiſſe, dum illius authoritate Juſtinus Martyr in *Apologia prima* ad Imperatores uſus eſt, cujus exemplum diſcuſſione nulla præmiſſa ſecuti poſtea ſunt Athanagoras, Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Author Apoſtolicarum Conſtitutionum, Lactantius, Conſtantinus Magnus, Euſebius, Optatus Milevitanus, Hieronymus, Auguſtinus, Proſper Aquitanus, Palladius, Sozomenus, Janilius &c. qui omnes ex hac ſentina absque ullo ſcrupulo & cum præoccupatione tanta hauſerunt, ut nec nauſeam nec pudorem ex ejus allegatione habuerint.

Tempus ergo quo hæc Oracula conficta ſunt, ex Regum Romanorum memorato in iis numero colligitur, fuiſſe vulgo juxta tempora Hadriani Imperatoris vel Antonini Pii. Sed in auctore diſſenſus levis apparet, nam Henricus Valeſius illa attribuit *otioſis hominibus*, Iſaacus Caſaubonus illa refert in eorum librorum cenſum qui ab *hominibus minime* malis diſſeminati ſunt, quo facilius doctrina cœleſtis veritatis a Gentium ſapientibus admitteretur. Alii potius illa *hæreticis* adſcribunt, ad quos accedit clariſſ. Theologus Samuel Deſmaretz *Seleſtarum Diſputationum* parte 2. Qui notat *procul dubio vel ab ipſo Montano hæreſiarcha Phrygio, vel ab ipſius Prophetiſſis, vel ab aliquo ex illius & illarum admiratoribus & ſectatoribus profecta eſſe.* Cujus ſententiæ quatuor addit rationes, *prima* eſt quod Montanus cum Priſca & Maximilla prophetam egerit, annotatis etiam apud antiquos ejus enthuſiaſmis atque furoribus, quorum non ſemel *Sibylla* meminerunt. *Altera* quod Montanus ex Phrygia oriundus fuerit, quæ in Sibyllinis laudatur, & commendatur tanquam *Area Noachica* poſt diluvium prima ſedes. *Tertia* quod errores, *de tranſitu omnium per ignem, de reſurrectione duplici, de non viſuris Deum ante reſurrectionem animabus, de millenario in terris regno:* quos a Cerintho vel Papia hauſtos, Tertulliano Montanus affricuit, in Oraculis iſtis legantur. *Quarta* denique quod numeralis cabbala, cujus ſtudium in nominibus *Dei, Jeſu, Romæ*, affectavit Sibyllinorum auctor, impenſius temporibus Monta-

Montani viguerit, ut in *Pseudo-Manti* docet Lucianus. His nos rationibus *quintam* addere possumus ex Montani ætate, quem sub Antonino Pio, in quo Sibyllina carmina definere videntur, hæresim suam disseminasse, S. Epiphanius *Hæres XLVIII.* annotavit. Hæc Joannes Markius Disputatione I. *de Sibyllinis Carminibus* num. XI. pag. 20. & Disput. XII. num. IX. pag. 273.

Pluribus differit Blondellus de dogmatibus erroneis Montanistarum vel Cataphrygum, quæ in his Oraculis PseudoSibyllæ reperiuntur. Atque Libro 2. *de Sibyllis* cap. 9. pag. 165. statuit hunc scriptorem Lib. I. pag. 7. scribere omnes homines universim ab Adamo in *infernum* seu *orcum*, usque ad resurrectionis suæ tempus descensuros.

Τόσσα δὶ πάντες ὶς ἐπιχθόνιοι γεγαῶτες
Ἄνέρες ἰν ἀΐδαο δόμοις ἰέναι καλίονται.
Ἀλλ' ἤτοι πάντυπες, καὶ ἐν ἀΐδαο μολόντες,
Τιμὴν ἴσχηναν, καὶ ἐπὶ πρῶτον μένος ἦσαν.

Hinc homines quotquot fuerint telluris alumni,
Infernas Orci sedes dicuntur adire.
Et tamen hi, quamvis omnes acceperit Orcus,
Ad primos primi generis referuntur honores.

Et pag. 11. ubi loquitur de filiis Noachi, quos nec unquam ægrotasse, nec senio gravatos fuisse fingit, illos tamen in infernum descensuros dicit, cum aliis.

Θρήξονται ὕπνῳ β βολημίοι, ἐς δ' ἀχέροντας
Εἰν ἀΐδαο δόμους ἀπολεύσονται, καὶ ἐκεῖσε.
Τιμὴν ἕξουσιν, ὁπηνίκα μακάρων γένος ἦσαν
Ὀλβιοι ἄνέρες, οἷς Σαβαὼθ νόον ἰσθλὸν ἔδωκεν.
Ἀυτὰρ ἐπὴν καὶ τοῖσιν ἀεὶ συμφράσσατο βυλάς.
Ἀλλ' ἤτοι μακάρες, καὶ ἐν ἀΐδαο μολόντες
Ἔσσονται &c.

Oppressi somno decedent, inque profunda
Devenient Acherontis, ubi nec honore carebunt,
Quippe beatorum felix genus, optima quorum
Mens fuerit dono Sabaoth, qui semper in omni
Illis consilio dederit facienda secundus.
At hi felices, etiam cum ceperit illos
Orcus, erunt &c.

Secundum dogma quod statuit author Sibyllinorum Oraculorum de mortuis, omnes nemine excepto transituros per ardentem fluvium seu ignem purgatorium, qui bonos purgabit & velut aurum in fornace purificabit. Ita Blondellus Lib. 2. *de Sibyllis* cap. 10. p. 173. ex libro 2. *Sibyllinorum* pag. 17. & 18. Lib. 3. p. 25. Tertium dogma horum *Oraculorum* post resurrectionem Sanctos reversuros ad Paradisum, unde Adam & Eva inobedientia sua exclusi fuerant, illicque vitam delitiis omnibus gratam ducturos: de quo fuse Blondellus Lib. 2. cap. 11. pag. 180. Quartum dogma eorundem, Hierusalem restituendam ac gloria ornandam, filium Dei e cœlis descendentem, regnum mille annorum erecturum, sensibilibus delitiis exuberans, atque temporalium omnium abundanti fertilitate gratissimum: de quo Blondellus Lib. 2. cap. 12. pag. 187.

CAPVT QVARTVM.

DE TEMPORE QVO SIBYLLINA ORACVLA ISTA CONSCRIPTA SVNT.

OPinatus est Antonius Possevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Sibylla*, authorem hunc *Oraculorum Sibyllinorum* secundum lib. 8. usque ad annum 199. sub Commodo Imperatore, nec ultra illius imperium, prorogatis vitam. Sed Blondellus Lib. 2. *de Sibyllis* cap. 6. pag. 159. & cap. 4. pag. 154. contendit opinionem Possevini, quam postea plenius confutabimus, de tempore quo hic author Sibyllam simulans vixit, falso nixam fundamento. Jam argumentum nos vocat, ut hoc altius ostendamus, ad ætatem hujus Collectanei reperiendam. Quicunque ex præcisis ejus verbis argumentari vellet, ex lectione carminum ejusmodi, vixisse illum ac scripsisse sub *Antonino Pio* crederet. Verum quia authoritas ejus nulla, fideique admodum suspectæ creditur, aliis nos inniti fundamentis convenit, ad ætatem scriptoris hujus fallacis investigandam, absque tamen præjudicio eorum quæ ex propriis Oraculorum versibus hauriri poterunt. Theophilus Antiochenus anno 180. die 18. Octobris mortuus, qui quidem Libris suis ad *Autolicum* missis, *excerpta* varia Sibyllinorum Oraculorum inseruit, illum se ipso anteriorem tempore fuisse, invincibiliter probat: & quod contra Possevini suspicionem, author qui Oracula ista conscripsit, ad imperium usque Commodi non accesserit, qui tempore mortis Theophili, octavum duntaxat mensem regni ordiebatur. Athenagoras Philosophus qui in *Apologia* seu *Legatione pro Christianis* M. Aurelio Antonino & Lucio Vero inscripta, libri 2. carmina 6. hujus operis transcripsit, ostendit ante annum 180. extitisse vulgatam falsam hanc prophetiam, quo Lucius Verus decessit. Hermas quem Tertullianus asserit fuisse fratrem Pii I. papæ, anno 146. die Dominica 7. Martii in Sede Romana collocati, Consulibus Claro & Severo, tum Consulibus Gallicano & Vero die 11. Julii anno 150. mortui, testatur se singularem habuisse notitiam istorum 8. librorum *de Sibyllinis Oraculis*: cum in opere quod *Pastorem* inscripsit, non somnia tantum atque deliria ipsis illis jactabundæ Sibyllæ simillima inseruerit, sed authorem proprio etiam nomine quod ferre voluit designaverit, quando libro 1. visione 2. fingit, mulierem ætate provectam sibi in visione dedisse transcribendum librum exhortationes ad pœnitentiam continentem. Quid de hoc libro crederet, his expressit verbis. *Revelatum est autem mihi, fratres, dormienti, a juvene speciosо & dicente mihi: Anum illam a qua accepisti librum, quam putas esse? & ego dixi, Sibyllam. Erras, inquit, non est.* Ita verbotenus Hermas. Unde sequitur jam ante annum 150. hanc inter Christianos Romæ opinionem invaluisse, Sibyllam

lam quandoque ab aliis Gentilibus valde diſſimilem, dediſſe peccatoribus documenta ſalutaria ad pœnitentiæ & pietatis veræ exercitium: atque quod Papa Pius I. in Epiſtola 2. ad Juſtum Viennenſem, mortis ſui fratris mentionem facit, inquiens, *Presbyter Paſtor titulum condidit & digne in Domino obiit:* hoc inquam probat, inter annum 146. & 150. Hermam ſuſtinuiſſe ſuppoſitionem *Oraculorum Sibyllinorum*, ideoque authorem librorum ejusmodi, debuiſſe adhuc Hermia citato extitiſſe antiquiorem. S. Juſtinus Martyr ac Philoſophus Chriſtianus, Neapoli Palæſtinæ quæ olim Sichem appellabatur oriundus, & qui poſtmodum Romæ die 1. Junii anni 163. martyrio coronatus occubuit, in *Apologia prima* Imperatori Antonino Pio, filiisque ejus adoptivis ac populo oblata, antequam Marcus Aurelius & Lucius Verus, qui *Veriſſimus* tantum inſcribitur, imperio aſſociarentur, & conſequenter ante annum 141. vel 142. ut vult Baronius: conqueritur quod ſub pœna mortis inhibitum fuiſſet Romæ, legere libros Hyſtaſpis & Sibyllæ, quos offerebat Imperatoribus & Senatui, allegabatque, ut quam vero hæc vaticinia eſſent, agnoſcerent. Κατ' ἐνέργειαν δὲ τῶν φαύλων δαιμόνων θάνατος ἐπέθη κατὰ τῶν τὰς Ὑστάσπεως ἢ Σιβύλλης, ἢ τῶν προφητῶν βίβλους ἀναγινωσκόντων: *Opera malorum dæmonum ſupplicium mortis adverſus Librorum Hydaſpis aut Sibyllæ aut Prophetarum lectores conſtitutum eſt.* Nec dubitandum quin ſanctus Martyr loqueretur de iis qui ad nos usque pervenerunt: cum in Paræneſi ad Græcos (quæ tamen dubium Juſtini opuſculum eſt) tranſcribat tres verſus præfationis, tres libri 3. ac ſeptem libri 4. Argumentum apertum, quod tunc temporis jam in lucem publicam emiſſi eſſent, cum in manus ejus devenisſent, illosque ut legitimum ac manifeſtum aliquid Gentilibus objiceret, quorum errores impugnabat. Hæc verbotenus ex Blondello Lib. 2. *de Sibyllis* cap. 6. pag. 159. Atque idem cap. 4. pag. 154. ex propriis *Sibyllinorum Oraculorum* verbis.

Imperator Adrianus annis 42. poſt reſtitutionem S. Johannis Apoſtoli apud Epheſum, & 38. poſt ejus mortem, cernens ſe lætali morbo afflictum ac hæfede deſtitutum, die 25. Februarii anni 138. adoptavit *Antoninum* cognomento *Pium*, ea conditione ut adoptionem ad Marcum Aurelium & Lucium Verum, primi filii ſui adoptivi die 1. Januarii anno 137. denati, filios extenderet. At ipſe Adrianus die 12. Julii anni 138. denatus eſt. Eodem prorſus tempore *Sibyllina* hæc *Oracula* evulgata ſunt, ubi author aſſignat ſub finem libri 8. ultimam Romæ ruinam & mundi conſummationem, ad annum hujus Vrbis conditæ 948. cum anno Jeſu Chriſti 195. incidentem. Nam hoc ipſo, quod non tantum ſemel, ſed & iterum ſeriem Imperatorum affert, atque poſt Adrianum enumerat tantum *Antoninum* & duos filios ejus adoptivos: oſtendit evidenter ſe vixiſſe & ſcripſiſſe hæc Oracula poſt eorum adoptionem. Verba ipſius ſunt lib. 5. pag. 41.

μετ' ἐκεῖνον δ' ἄλλος ἀνὴξει
Ἀργυρέην κεφαλὴν ἀνὴρ, τῷ δ' ἔσσεται ὄνομα πόντῳ
Ἔσται καὶ πικρὸς ἀνὴρ, καὶ πάντα τελέσει.
Καὶ ἐπί σοι πατέρεσσι, πατρίξοχε κυανοχαῖτα,
Καὶ ἐπὶ σοῖσι πλάδεσσι τότ' ἔσται ἅρματα πάντων.
Τρεῖς ἄρξουσιν, ὁ δὲ τρίτος ἐκ πρατέσσι ἀνάντων.

Poſt hunc (ſcilicet Trajanum) *alius imperabit*
Vir capite argenteus, (hoc eſt capite canus) *cui nomen erit* Adrianus, *a mari* ſcil. Adriatico.
Erit & optimus alius vir, Antoninus ſcil. Pius,
qui omnia noſcet.
Et ſub te, o optime & præſtantiſſime, qui cæruleis crinibus es,
Et ſub tuis ramis nempe Marco Aurelio & Lucio Vero, *advenient dies rerum omnium.*
Tres imperabunt, & tertius ultimo dominabitur univerſorum, Lucius Verus.

Hæc neglecto Carmine Latino ad faciliorem intelligentiam ſubjunximus, quibus apparet authorem *Sibyllinorum Oraculorum* ſcripſiſſe ſub imperio trium Cæſarum, id eſt poſtquam *Antoninus Pius* aſſumpſit ad ſucceſſionem Imperii Marcum Aurelium & Lucium Verum, anno Chriſti 138. die 25. Februarii. Cum autem hic Pſeudopropheta ex his tribus videret ætate juniorem eſſe Lucium Verum, nam Marcus Aurelius anno 121. & Lucius Verus anno 128. nati erant: ideo ex conjecturis, ultimum horum trium qui omnibus dominaretur & ſub quo conſummatio mundi fieret, Lucium Verum dixit: quod tamen falſum extitit, nam Lucius Verus in ætate florenti, media hieme inter annum 169. & 170. periit, juxta Galelium *de præcogn. poſt* cap. 9. Idem author *Sibyllinorum Oraculorum* Lib. 8. pag. 57. allocutus Romam inquit

Ἀλλ' ὅτε σοι βασιλῆες χλιδανοὶ τρὶς πέντε γένωνται
πάσμεν δουλεύσασαι ἀπ' ἀντολίης μέχρι δυσμῶν,
Ἔσται' ἄναξ πολέμοιο, ἔχων πόλας ὄνομα πόντου &c.

Sed cum tibi Reges delicati ter quinque advenerint, nimirum Julius, Auguſtus, Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, Galba, Piſo, Otho, Vitellius, Veſpaſianus, Titus, Domitianus, Nerva & Trajanus.
Qui mundum ſubjecerint ab Oriente ad Occidentem,
Erit Rex capite canus, habens, nomen (ſcil. Adrianus) *proximum nomini maris* Adriatici.

Atque poſtea:

Τὸν μετὰ τρεῖς ἄρξουσι πανύστατον ἦμαρ ἔχοντες,
Ὄνομα πληρώσαντες ἀπ' ἠερίου θεείου,
Οὗ τὸ κράτος νῦν καὶ ἐς τὰς αἰῶνας ἅπαντας.

Poſt hunc Adrianum, *regnabunt tres* ſcilicet Antoninus Pius, Marcus Aurelius & Lucius Verus,

Digitized by Google

qui ſub regno ſuo ultimum omnium diem habebunt: qui nomen Antonini ferentes *implebunt a cæleſti Deo*, ſcil. Adonai, quaſi Adonini dicti: *cujus imperium nunc & in omnia ſecula &c.* Recte ergo Joannes Opſopæus ad hæc verba τὸν μετὰ τρεῖς ἀρξαντας &c. „intelligit Antoninum Pium cum liberis ſuis „Marco Aurelio Antonino & Lucio Antonino „Vero: atque ad horum Imperatorum tem„pora videntur Sibyllarum vaticinia ſaltem ex„tendi, id quod etiam e libro 5. videre licet.

CAPVT QVINTVM.

CONIECTVRÆ DE AVTHORE SIBYLLINORVM ORACVLORVM EXPONVNTVR.

JAm cap. 3. hujus Diſſertationis pauca huic argumento convenientia attulimus, id quod & agitat David Blondellus in Opere *de Sibyllis* Lib. 2. cap. 7. pag. 161. & Joannes Markius tum Diſputatione I. *de Sibyllinis Carminibus* num. XI. pag. 20. tum Diſputatione XII. pag. 266. quos hic pro more noſtro imitabimur. Ambiguum ſe prorſus ac vacillantem Poſſevinus oſtendit Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Sibylla*, his verbis. *Præterea cum conſtet ex Lactantii Firmiani L. 1. cap. 6 ſingulas Sibyllas ſingulos libros ſcripſiſſe, unius tamen credi, quoniam Sibylla nomine circumferuntur, neque diſcerni, ac ſuum cuique propter confuſionem aſſignari poſſe niſi Erythræa: quæ & nomen ſuum verum carmini inſeruit, & Erythream ſe nominat. Erythræa autem eſt ea, quæ in libris iſtis tertium locum tenet. Primi libri author finxit ſe nurum Noë fuiſſe, ſecundum & ſeptimum adſcribit ſibi ſcortum impudiciſſimum pag. 360. cum alioquin vera Sibylla caſta & Deo plena fuiſſe a certioribus auctoribus ſerantur. Quintum librum ſibi vendicat Iſidis ſoror, cæteri ſub incertis auctoribus emiſſi ſunt.*

Rectius ſane firmiorique judicio Joannes Markius Diſputatione XII. citata num. VI. pag. 266. Chriſtianos ergo authores deprehendimus, ſed cujus ætatis, quales, & qui hi ſint, præterea videndum eſt. Atque hic quidem alii Chriſtianis purioribus ac celebribus Eccleſiæ Doctoribus carmina hæc noſtra adſcribere non verentur, alii ab impuris hæreticis illa deducunt, alii incerti prorſus hærent. Generaliter Caſaubonus *homines minime malos* nominat, atque ab hæreticis eos ſegregat, de quorum ætate iterum inter eruditos non convenit. Quandoquidem non deſunt, qui ſecundam Veſtæ ædem incendio vaſtatam in Sibyllæ conſpectu ex libro 5. credentes authorem poſt *Commodi* imperium conſtituere debent, ſub quo templum illud anno Chriſti 191. vel 199. ut vitioſe habet juxta Poſſevinum etiam Opſopæus, conflagravit. Quod tamen neutiquam probabile videtur eruditis aliis, eo quod ex Sibyllinis noſtris carminibus quædam citarint, & de illis porro tanquam a ſe lectis diſſeruerint, jam antea citati Juſtinus Martyr & Theophilus Antiochenus: quorum prior cum ad *Antoninum* Apologiam ſcripſerit, & poſterior, ex Euſebii Chronico ſub *Commodo* ſit mortuus, hac ætate Commodi antiquiora eſſe Carmina iſta, neceſſum plane eſt. Movet hæc ratio clariſſimum Blondellum, ut non de Romana Veſtæ æde, ſed de ultima Templi Hieroſolymitani deſtructione, ſequentia Sibyllæ carmina interpretetur.

Extincta eſt iſtac ædes peramabilis olim.
Tunc cum præcipitem flamma ſuperante ſecundam
Vidi labentem manibus crudelibus ædem.
Ædem perpetuo florentem, numine templum
Auguſtum, a ſanctis ſtirpibus &c.
Nec ſaxum mundi cultum eſt errore, vel aurum:
Sed magnum Patrem cunctorum quos Deus afflat,
Sacrificando Deum colere, ſacrisque litando.

Quin etiam ſenſum uti ille probat ex templi epitheto Θεοῦ περικλυτοῦ, quod non dediſſet iſte Sibylliſta ædi idololatricæ, ex mentione χερὸς ἀνάγνου *manus impuræ*, collato Joſepho Lib. 7. *de bello Judaico* cap. 10. atque ex connexione cum antecedentibus, ubi ob hoc ſcelus a Romanis commiſſum, vult in pœnam denuntiari *divini ignis extinctionem*: ita corroborat amplius addita deſcriptio cultus in hoc templo, deſtructionis modus, reædificatio &c. quæ omnia ſubjiciuntur. Nec tamen ſi de Veſtalis ædis iterato incendio iſte locus intelligeretur, poſt eam demum ætatem Carmina ſcripta eſſe, ſolide inde demonſtrari poſſe videtur. Quia cum Romæ ipſius ineluctabile excidium ſub *Adriani* ſucceſſoribus, anno 195. inſtare ob numerum literarum Urbis crederet auctor, etiam Veſtæ ædem tunc vaſtandam credere debuit, atque adeo ejus executionem uti a ſe viſam, prædicare potuit.

Altius itaque aſſurgunt alii, qui vel *Papiam* vel *Hermam* auctorem ruminant. Primum conjicere video Hoornbekium Lib. 2. *de Conv. Ind.* cap. 3. his verbis, *Forte nec Papias Hieropolitanæ in Aſia Eccleſiæ Epiſcopus omittendus erit.* Hic quanquam Polycarpi fuerit ſodalis, & forte Joannis Apoſtoli auditor, ut ex Irenæo Euſebius Lib. 3. cap. 39. tradit. Imo etiam ut idem habet Lib. 3. cap. 35. Τὰ πάντα μάλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς γραφῆς ἐιδήμων, *Vir per omnia eloquentiſſimus, & ſanctæ Scripturæ peritus eſſet.* Præcipuus tamen Chiliaſticæ opinionis patronus fuiſſe perhibetur, atque etiam alios errores, tanquam ex viva traditione ad ſe relatos propagavit. In quam rem inſignis eſt Euſebii locus Lib. 3. cap. ultimo. Καὶ ἄλλα δ' ὁ αὐτὸς συγγραφεὺς ὡς ἐκ παραδόσεως ἀγράφου εἰς αὐτὸν ἥκοντα παραπέπεικεν, ξένας τέ τινας παραβολὰς τοῦ σωτῆρος, καὶ διδασκαλίας αὐτοῦ, καί τινα ἄλλα μυθικώτερα, ἐν οἷς καὶ χιλιάδα ἔτων φησὶν ἐτῶν ἔσεσθαι, μετὰ τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν, σωματικῶς τῆς τοῦ Χριστοῦ βασιλείας ἐπὶ ταυτηρὶ τῇ γῇ ὑποστησομένης. *Idem etiam ſcriptor alia quædam tanquam ex traditione non ſcripta, ad ſe relata adjicit, peregrinas ſcilicet quasdam Servatoris parabolas & doctrinas ipſius, & quædam alia fabulis proximiora, in quibus & mille annorum ſpatium quoddam poſt corpo-*

rum resurrectionem fore dicit, quo regnum Christi corporaliter in hac terra stabit. Quæ quidem ita Papias opinatus esse videtur, ex male intellectis Apostolorum narrationibus, cum ea quæ mystico sensu & exempli gratia ab illis dicebantur, non satis intelligeret: σφόδρα γάρ τοι σμικρὸς ὢν τὸν νοῦν, *eo quod admodum modico judicio esset præditus*, ut ex Eusebio vertit Musculus, vel *ingenio* ut Valesius. Ex quo loco cum pateat præter errorem millenarium, alios plures ab ipso fluxisse, narrationes Apostolorum mysticas non recte ipsum intellexisse, παραδόσεων ἄγνεφον ipsum ursisse, & generaliter modico admodum præditum fuisse ingenio, non parum Hoornbekii conjectura firmatur.

Cæterum & rationem satis gravem habere se putat David Blondellus Lib. 2. *de Sibyllis* cap. 7. pag. 161. ob quam istud scriptum *Herma* tribuit, si non ut principali auctori, saltem ut causæ sociæ. Intelligit auctorem Libri qui *Pastor* inscribitur, & in Ecclesia vetere maximi æstimatus etiam hodie supereſt. Hunc vero non facit eundem cum *Herma* quem Paulus ad Romanos 16. vers 14. salutat, ut cum Eusebio Lib. 3. *Historia Ecclesiastica* cap. 3. multi veteres & recentiores voluerunt: sed existimat fratrem fuisse Pii I. Romani Episcopi sub sæculi ferme secundi medium, authoritate Tertulliani motus. Cui ut supposititum tribuat fœtum, scripti similitudo præsertim facit, tum quoad argumentum tam hic quam in Carminibus Sibyllinis, fictis visionibus & revelationibus traditis, tum quoad stylum. Deinde expressa *Sibylla* mentio Lib. 1. Visione 2. a qua scilicet conjiciebat, libellum sibi monita pœnitentiæ continentem, traditum fuisse: unde patet *Hermam* hoc nomine usum, ad pœnitentiam hominibus inculcandam. Juvat etiam tandem circumstantia loci & temporis, siquidem ex hoc hypothesi *Hermas*, licet aliunde oriundus, Romæ apud *Pium* fratrem vixit, non diu ante medium sæculum secundum, *Antonino Pio* & *Justino Martyri* coætaneus: quam circa ætatem *Sibyllina Oracula* nostra, allegata primum & laudata reperiuntur.

Propendet tamen Blandellus magis in alteram sententiam, qua *Montano* hæresiarchæ fœtus hic adscribitur, quam etiam placere Samueli Maresio ante observavimus, ponenti extra dubium, vel ab ipso Montano hæresiarcha Phrygio, vel ab ipsius Prophetissis carmina illa confecta esse, vel ab aliquo illius vel illarum admiratoribus & sectatoribus. Modica hujus sententiæ demonstratio est in ultimo celebris hujus Theologi argumento, quod ex nominum variorum per numeros circumlocutione desumitur, quæ in Sibyllinis Oraculis deprehenditur, & *Montani* tempore impensius viguisse ex Luciano in *Pseudo-Manti* colligitur. Nam ut de *Montani & Luciani* ætate nunc taceam, quæ vix coincidit, si quod multi ex *Suida* volunt, maledicus ille Christiani nominis hostis sub Trajano vixerit: non omnia certe *Montano* adscribenda sunt, quæ ipsius tempore inter Christianos obtinuerunt: nisi pariter & sana Ecclesiæ orthodoxæ doctrina, & diversissimæ seculi secundi hæreses uni *Montano* tribuendæ sint. Etsi isthac ætate Cabbalistica hæc vanitas obtinuit, non tamen illi ætati propria fuit, cum Judæis a quibus primum fluxisse videtur, & Christianis etiam sequenti tempore placuerit otiosis. Aliud argumentum quod ex Sibyllinorum carminum erroribus sumitur, prudentius etiam & latius a Blondello quam Samuele Maresio proponi puto: notante Blondello Lib. 2. *de Sibyllis* cap. 9. 10. 11. & 12. nihil in his carminibus reperiri, quod cum *Montanistarum* hypothesibus non bene conveniat. Hoc autem observante, *Montanum* eos errores Patribus affricuisse, quos tamen non a *Montano*, sed magis a *Papia* & *Cerintho* fluxisse Eusebius docet, atque ipse Maresius concedere cogitur. Magis ergo probatur hæc sententia ex *Montani* patria, *Phrygia* scilicet, seu ex ejus vico *Pepuza*, unde sequacibus nomina *Phrygum, Cataphrygum & Pepuzianorum* adhæserunt. In his enim Carminibus affectatum studium laudandæ *Phrygiæ* Lib. 1. pag. 9. Lib. 3. pag. 27. Lib. 7. pag. 58. usque adeo ut contra Mosis fidem Genes. cap. 8. v. 4. & antiquorum traditionem *Phrygia* prima arcæ quiescentis sedes & habitata post diluvium terra dicatur. Deinde ex revelationibus ecstaticis, quas frequenter admodum *Montanus* cum suis jactitavit, quasque in his Carminibus perinde notare licet. Imo & tertio loco ex *Montani* ætate, quem sub *Antonino Pio* hæresim disseminasse, in quo Sibyllina carmina desinere videntur, S. Epiphanius *hæresi* XLVIII annotavit. Vrget autem Blondellus, maxime authoritatem Epiphanii, qui vult *Montanum* disseminasse suam hæresim sub *Antonino Pio*, Lib. 2. *de Sibyllis* cap. 2. pag. 138. & 139. Vrget inquam Blondellus, ex Claudio Apollinari Hierapolitano in Phrygia Episcopo, qui primum *Montanistarum* initium Consulatui Grati, hoc est anno 142 illigat. Et Apollonius Senator, Romæ a Perennio die 18 Aprilis anni 181 martyrium passus, observat hanc sectam ab annis 40 de prophetico spiritu gloriari, insinuans his verbis illam cœpisse circa annum 139. vel 140.

Jam ad affectatas Phrygiæ laudes etiam falsas veniamus, Noacho ita loquente Lib. 1. pag. 9. jactatorum Oraculorum:

Ω Φρυγίη, πρώτη δ' ἀναδύσα ἀΦ' ὕδατος ἄκρης
Πρώτη δ' αὖ θρέψεις γενεὴν ἑτέρην ἀνθρώπων
Ἀρχομένην αὔθις. ἴσση δὲ τροφὸς περὶ πάντων.
O Phrygia, a summis tu vertice prima
Emerges undis: hominum tu prima renascens
educes genus, & censebere maxima matrix.

Et pagina sequente:

Ἐσὶ δὲ τῆς Φρυγίης ἐπὶ πείρατι μεσσάτης
ἤλιβατον ταναήκεες ὄρος, Ἄραράτ δὲ καλεῦται.
Assurgit Phrygia mons quidam in finibus arce
Arduus, alta petens, Ararat quem nomine dicunt.

Item ut hic pater adulterinus *Oraculorum Sibyllinorum*

linorum ſe origine Phrygium, qualis erat Monſanus, inſinuaret, nobis indixit Phrygiam *primam terrarum habitatarum* poſt diluvium extitiſſe, quam propterea Lib. 3. pag. 27. appellat Φερέσβιον & ἀρχαῖαν *viviferam* & *antiquam*. Idem quoque repetit Carmen Lib. 7. pag. 58. quod protulit antea de *Phrygia* Lib. 1. pag. 9. uno duntaxat mutato verbo ἀναδύση quod habetur lib. 1. pag. 9. in ἀναλάμψεις Lib. 7. pag. 58.

Ω Φρυγίη, πρώτη δ' ἀναλάμψεις ὕδατος ἄκρης
πρώτη δ' εἰς ἀσέβειαν ἀπαρνήσῃ Θεὸν αὐτῆ.
O Phrygia a ſummis undis in prima micabis,
Prima Deum verum pulſa pietate negabis.

Transfert hic ſcriptor montem Ararat ab Armenia in Phrygiam, quod illic videret inter montem Taurum & Mæandrum urbem *Apameam κιβωτὸν* dictam, ad Segniæ montis radices poſitam, inter fluvios Marſiæ, Obrimæ & Orgæ in Mæandrum proximum incidentes. Hanc ſibi ignarus finxit *κιβωτὸν* nominatam, quod *Arcam* Græce ſignificat, ob memoriam *Arcæ Noachi*, quam in monte *Segnia* conſeditſe ſuppoſuit, non attendens montem iſtum non eſſe tantæ altitudinis & extenſionis, ut talis eventus illi attribui poſſit, eique conveniant epitheta quæ ab authore Sibyllino conceduntur.

Longe æquius Joſephus *Antiquitatum* Lib. 1. cap. 4. cujus opus & perſonam videre potuerat author Sibyllinorum carminum, affirmat ex Beroſo, Hieronymo Ægyptio, Mneſta, Nicolao Damaſceno, *Arcam Noachi conſediſſe in Armenia ſupra montem Barim, in regione Cordyæorum ſupra Minyarum regionem, reliquias lignorum ejus longo tempore illic remanſiſſe, quarum bitumen abraſum ejus loci homines ſecum aſportabant, quo vice amuleti uti ſolebant.* Ἀποβατήριον τὸν τόπον τοῦτον Ἀρμένιοι καλοῦσι. ἐκεῖ γὰρ ἀναστωθείσης τῆς λάρνακος ἔτι νῦν οἱ ἐπιχώριοι τὰ λείψανα ἐπιδεικνύουσι. τοῦ τε κατακλυσμοῦ τότε, καὶ τῆς λάρνακος μέμνηνται πάντες οἱ τὰς βαρβαρικὰς ἱστορίας ἀναγράφοντες, ἐν οἷς καὶ Βηρωσσὸς ὁ Χαλδαῖος. διηγούμενος γὰρ τὰ περὶ τὸν κατακλυσμὸν, ὕστερον πῶς διέζεσαι. λέγεται δὲ καὶ τοῦ πλοίου ἐκ τῆ Ἀρμενία πρὸς τῷ ὄρει τῶν Κορδυαίων ἔτι μέρος τι εἶναι, καὶ κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιρουμένους. Χρῶνται δὲ μείλιγμα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τὰς ἀποτροπιασμούς. μέμνηται δὲ τούτων καὶ Ἱερώνυμος ὁ Αἰγύπτιος, ὁ τὴν ἀρχαιολογίαν τὴν Φοινικὴν συγγραψάμενος. καὶ Μνασέας δὲ, καὶ ἄλλοι πλείους. καὶ Νικόλαος ὁ Δαμασκηνὸς. ἐν τῇ ἐνενηκοστῇ καὶ ἕκτῃ βίβλῳ ἱστορεῖ περὶ αὐτῶν, λέγων ὕτως. ἔστιν ὑπὲρ τὴν Μινυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν. Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ, λόγος ἔχει σωθῆναι· καὶ τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον, ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ἀφῖχθαι, καὶ τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺν χρόνον σωθῆναι. γένοιτο δ' ἂν ὕτος ὄντινα καὶ Μωυσῆς ἀνέγραψεν, ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης. "Apobaterion, id eſt egreſſorium, loco nomen Armeni fecerunt. Incolæ enim hodieque reliquias arcæ ſervatæ oſtendunt. Hujus autem diluvii & arcæ meminerunt omnes barbaricæ hiſtoriæ ſcriptores, & in his Beroſus Chaldæus. Narrans enim de hoc diluvio, ſic ferme ſcribit. Fertur autem & navigii hujus pars in Armenia apud montem Cordyæorum ſupereſſe, & quosdam bitumen inde abraſum ſecum reportare, quo vice amuleti loci ejus homines uti ſolent. Meminit horum & Hieronymus Ægyptius, qui antiquitates Phœnicum ſcripſit, & Mnaſeas, & alii plures. Quin & Nicolaus Damaſcenus Lib. XCVI de his rebus hæc verba narrat. Eſt ſuper regionem Minyarum magnus mons in Armenia, nomine Baris, in quo multos profugos diluvii tempore ſervatos ferunt, & quendam arca vectum in hujus vertice hæſiſſe, ac reliquias lignorum ejus longo tempore duraviſſe. Qui fortaſſis is fuit, de quo etiam Moſes ſcribit judæorum legislator." Idem autem confirmat ex Abydeno Euſebius Lib. 9. *Præparationis Evangelicæ* cap. 12. & Theophilus Antiochenus Lib. 3. ad Autolycum inquit, ἧς κιβωτοῦ τὰ λείψανα μεχρὶ τοῦ δεῦρο δείκνυται ἔτι ἐν τοῖς Ἀραβίοις ὄρεσιν: *Cujus arcæ reliquiæ adhuc durare perhibentur in montibus Arabicis, & illic oſtendi.*

Nec deſunt tamen qui *Gnoſticis* fœtum hunc tribuendum putant, ſeculi ſecundi hæreticis, a Montaniſtis prorſus diverſis, *Carpocratianorum* & *Nicolaitarum* propagini, de qua ſub hoc nomine Epiphanius & Auguſtinus agunt, reliquis cum aliis eos ferme confundentibus. In hanc ſententiam pronum non tantum video clariſſimum *Hoornbekium*, ſed & nuperæ Diſſertationis auctorem Iſaacum Voſſium, cui plurima a *Gnoſticis Chriſtianis* addita videntur. Ex duobus præcipue id conjici primus annotavit, ſcilicet ex libro 3. ubi ipſa Sibylla de ſe dicit

——————οἱ δέ με Κίρκης
Μητρὸς καὶ Γνώσου πατρὸς φήσουσι Σίβυλλαν
Matre ferent Circe, Gnoſio me patre Sibyllam.

Tum ex arrogata ſibi Lib. 8. a Sibylla audacius Divina revelatione, & tanta rerum omnium notitia, quantam cuiquam præterquam Deo tribuere nefas eſt.

Αὐτός μοι τάδε πάντα θεὸς κρῆνας κατέλεξε
Καὶ δι' ἐμοῦ στόματος τὰ λελέγμενα, πάντα τελέσσει.
Οἶδα ἐγὼ ψάμμων τ' ἀριθμὸν, καὶ μέτρα θαλάσσης,
Οἶδα μυχοὺς γαίης, καὶ τάρταρον ἠερόεντα,
Καὶ μερόπων ὄντωντε, καὶ ἐσσομένων, νεκύωντε.
Οἶδα ἀριθμὸν ἄστρων, καὶ ὀδόντεα, καὶ πόσα φύλλα
Τετραπόδων νηκτῶντε, καὶ ὀρνίθων πετεηνῶν.
Ipſe mihi Deus hæc ſibi decreta omnia dixit,
Perfici atque mea quæ ſunt dicta omnia verbis.
Novi ego arenarum numeros, menſumque profundi,
Telluriſque ſinus, tenebroſaque tartara novi.
Quot fuerint homines, quot ſunt, quot deinde futuri.
Aſtrorum numeros, ſtirpes, frondeſque quot uſquam
Quot ſint quadrupedes, quot piſces, quotque volucres.

Atque

Atque hic ipſiſſimus eſt *Gnoſticorum* character, ut inquit Auguſtinus libro *de Hæreſibus* cap. 6. *Gnoſticos propter excellentiam ſcientiæ ſe appellatos eſſe vel appellari debuiſſe gloriantur, cum ſint ſuperioribus omnibus illi vaniores atque impuriores.* Liceat mihi tertium addere, vana nempe Angelorum nomina in *Sibyllinis* obvia, quibus *infirmas animas cepiſſe* Gnoſticos, expreſſe eodem mox capite S. Auguſtinus teſtatur. Hæc probabilia maxime Joannes Markius, quidquid contra clamet Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Rei literariæ* ſeculo 2 ad annum 130. pag. 34. Nec enim ſole clarius eſt Oracula iſta extitiſſe annis 30. & amplius ante exortam Montani hæreſim, uti Anglus iſte arroganter affirmat.

CAPVT SEXTVM.

OBJECTIONES IN OPPOSITVM ALLATÆ DILVVNTVR.

DE his agunt Joannes Markius Diſputatione 7. *de Oraculis Sibyllinis* pag. 139. & ſequentibus, David Blondellus Lib. 1. *de Sibyllis* cap. 5. pag. 15. cap. 20. pag. 84. cap. 21. pag. 91. & ſeqq. quos hic pro more noſtro tranſcripturi tantum ſumus. Longe autem antiquiora anno Chriſti 140 Sibyllina hæc oracula nonnulli cenſent, illaque a Sancto Paulo Apoſtolo commendata volunt, ſicut inſinuat Antonius Poſſevinus Tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Sibylla*, & Lib. 2. *Bibliotheca ſelecta* cap. 71. & lib. 17. cap. 20. Sixtus Senenſis Lib. 2. *Bibliotheca Sancta*, Cæſar Baronius in *Apparatu Annalium* num. 19. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Rei literariæ* ad annum 136. pag. 33. illa quoque jam extitiſſe tempore Clementis I. Romani Epiſcopi, poſitive ſcribit.

Objiciunt itaque 1. ad ſuam fictam antiquitatem Sibyllinorum Oraculorum tempore etiam Divi Pauli jam exiſtentium, authoritatem Clementis Alexandrini Lib. 6. *Stromatum* pag. mihi 636. ita ſcribentem: Δηλόσει πρὸς τῆ Πετρῳ κηρύγματι, ὁ Ἀπόστολος λέγων Παῦλος· Λάβετε δὲ καὶ τὰς Ἑλληνικὰς βίβλους, ἐπίγνωτε Σίβυλλαν ὡς δηλοῖ ἕνα Θεὸν καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. καὶ τὸν Ἴσαιαν λαβόντε. ἀνάγνωτε, καὶ ἐυρήσετε πολλῷ τηλαυγέστερον καὶ σαφέστερον γεγραμμένον τὸν υἱὸν τῆ Θεῦ. καὶ καθὼς παράταξιν ποιήσει τῷ Χριστῷ πολλοὶ βασιλεῖς &c. *Præter Petri prædicationem, declarabit Paulus Apoſtolus dicens: Libros quoque Græcos ſumite, agnoſcite Sibyllam, quomodo unum Deum ſignificet, & ea quæ futura ſunt: & Hyſtaſpen ſumite & legite, & invenietis Dei filium multo clarius & apertius eſſe ſcriptum: & quemadmodum adverſus Chriſtum multi Reges inſtruent aciem &c.* Cum autem nihil tale reperiatur in Epiſtolis divi Pauli Apoſtoli, volunt authores citati recentiores, illum commendaſſe Sibyllina hæc Oracula, in ſermonibus ſuis privatis vel concionibus pronuntiatis, quæ ad nos uſque non pervenerunt. Reſpondet Blondellus Apoſtolum anno Chriſti 63. glorioſo martyrio coronatum, non potuiſſe commendare Oracula poſt annum 137. tantum ſcripta & conficta, quæ pugnant formaliter cum Scripturis ſacris, veriorem ſanctioremque Dei cognitionem ſolis Judæis, cum excluſione Gentium attribuentibus, Pſalm. 76. verſ. 1. Pſalm 147. 19. & 20. Joannis cap. 4. 22. Act. 14. 16. Act. 17. 30. Rom. 3. verſ. 1. & 2. Rom. 9. verſ. 4. Deceptus eſt itaque Clemens Alexandrinus, atque falſo allegavit authoritatem S. Pauli Apoſtoli ad ſtabiliendam antiquitatem & authoritatem Sibyllinorum Oraculorum. Vaſtum autem hoc ingenium Clementis, qui ex omnibus lucrari aliquid voluit, pompa admirabili adduxit contra Gentes, teſtimonia 250. authorum Gentilium, tam Philoſophorum quam Hiſtoricorum & Poëtarum, admiſit ad teſtimonium nefandiſſimos hæreticos ut Baſilidem, Carpocratem, Julium Caſſianum, Epiphanem, Heracleonem, Hermogenem, Iſidorum, Marcionem, Prodicum, Tatianum, Valentinum &c. Admiſit *Apocrypha* indiſcuſſim omnia, Prophetias Enochi, Chami, Abacuc, Eſdræ, Parchori & Sophoniæ, librum Aſſumptionis Moyſis, Evangelia Ægyptiorum & Hebræorum, Prædicationes ſancti Petri, & ſancti Pauli, Traditiones S. Matthiæ, Epiſtolam S. Barnabæ, Paſtorem Hermæ fratris Pii 1. Romani Epiſcopi. Nihil ergo mirum eſſe debet, quod *Oracula Sibyllina* tot aliis admiſſis acceperit & collaudarit, cujus carmina eo gratiora magis apparuerunt, quod inſtituto ipſius eximie convenirent.

Objiciunt 2. Guillelmus Cavus & alii, meminiſſe S. Clementem Romanum Epiſcopum qui anno Chriſti 90 vel circiter Eccleſiæ Romanæ gubernacula ſuſcepit, horum *Oraculorum Sibyllinorum* in Epiſtola ſua ad Corinthios. Hujus rei fidem nobis facit Author *Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos* ſub Juſtini nomine, in reſponſione ad Quæſtionem 74 ubi ſic. Ἐκ τῆς παρούσης κατασκάσεως τὸ τέλος ἔσται ἡ διὰ τῦ πυρὸς κρίσις τῶν ἀσεβῶν, κατὰ Φησιν αὐ γραφὴ Θεῦ Προφητῶν τε καὶ Ἀποστόλων· ἔτι δὲ καὶ τῆς Σιβύλλης, καθὼς Φησιν ὁ μακάριος Κλήμης ἐν τῆ πρὸς Κορινθίους ἐπιστολῆ. γίνεται δὲ αὐτὴ ἡ κρίσις διὰ Ἰησῦ Χριστῦ τῦ σταυρωθέντος ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων &c. *Si hujus ſtatus finis eſt judicium per ignem in impios, quemadmodum & Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta declarant: & præterea Sibylla, ſicut beatus Clemens in Epiſtola ad Corinthios ſcribit. Judicium autem hoc fit a Jeſu Chriſto, qui a Judæis in crucem actus eſt &c.* Reſpondet eximie huic argumento Blondellus Lib. 1. *de Sibyllis* cap. 20. pag. 90. authorem nempe Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos, qui poſt annum 406. ſub Juſtini nomine, ad Græcorum quæſtiones reſpondere voluit, deceptum fuiſſe dum ita ſcripſit. 1. quod Epiſtola S. Clementis ad Corinthios, quæ aliam quodammodo faciem in Anglia per editionem publicam Oxonii anno 1633 in 4 accepit, prorſus de *Sibylla* non loquitur. Et quamvis ſub finem uno folio mutila ſit, nulla tamen verisimilitudo eſt, quod in hac ultima parte quæ continebat concluſionem & epilogum totius ſermonis præcedentis,

cedentis, ex *Scripturis sacris* duntaxat contexti, voluerit sanctus Martyr provocare ad authoritatem testimonii externi atque gentilis, quales fuisse Sibyllas veras omnibus notum est. 2. Allegatio verborum Sibyllæ quoad *Ignis judicium* de quo loquitur anonymus hic author *Responsione 74 ad Gracos*, invenitur Libro 6. cap. 5. earum *Constitutionum Apostolicarum* quæ sub *Clementis Romani Episcopi* nomine dudum prodierunt. ubi 14 carmina Libri 4 *Pseudo-Sibyllæ* referuntur, post textus Propheticos & Apostolicos Gen. cap. 27. cap. 3. 14. Esaiæ cap. 26. 19. Ezechielis cap. 37. 13. Danielis cap. 12. 2. S. Matthæi cap. 4. 13. Lucæ cap. 21. 18. & S. Joannis cap. 5. 28. & cap. 4. 43. Itaque evidens est, authorem *Responsionum ad quæstiones Græcorum*, fuisse lapsum memoria, dum ex oblivione confudit *Constitutiones Apostolicas* S. Clementi perperam adscriptas, cum ipsius *Epistola ad Corinthios*, quæ Clementis fœtus genuinus plane est. 3. Si testimonium Sibyllinum in Epistola citata reperiretur, esset potius indicium corruptionis in hoc pretioso antiquitatis thesauro, quam confirmatio legitima authoritatis *Oraculorum Sibyllinorum*; quæ demonstravimus fuisse suppolita a morte Adriani, id est annis 38 post S. Clementis martyrium, & annis 60 post relegationem ejus ad Insulam Chersonesum.

Objiciunt 3. apud Joannem Markium *Disputatione 7.* num. X p. 158. prodeuntem in tertia quasi acie unicum ex Judæis Josephum, qui Lib. 1. *Antiquitatum* cap. 5. ubi de ædificatione Babyloniæ turris & divisione linguarum egerat, subjicit. *περὶ δὲ τῦ πύργυ τέτυ καὶ τῆς ἀλλοφωνίας τῶν ἀνθρώπων, μέμνηται καὶ Σίβυλλα λέγυσα ὧδε. Πάντων ὁμοφώνων ὄντων τῶν ἀνθρώπων, πύργον ἀκοδόμησάν τινες ὑψηλότατον, ὡς ἐπὶ τὸν θεὸν ἀναβησόμενοι δι' αὐτῦ. οἱ δὲ Θεοὶ ἀνέμους ἐπιπέμψαντες, ἀνέτρεψαν τὸν πύργον καὶ ἰδίαν ἑκάστῳ φωνὴν ἔδοσαν, καὶ διὰ τῦτο Βαβυλὼν συνέβη κληθῆναι τὴν πόλιν. De turri autem hac, deque mutatis hominum linguis, meminit & Sibylla his verbis:* "Cum homines omnes una lingua uterentur, turrim ædificarunt quidam excelsissimam, quasi ad cœlum per eam ascensuri. Dii vero procellis immissis turrim subverterunt, & suam cuique linguam dederunt, ob quam rationem urbs Babylonis nomen accepit." Quæ eadem historia cum lib. 3. *Carminum Sibyllinorum* legatur, hinc illa a Josepho pro Sibyllinis agnita colligitur. Respondet Markius usque adeo elumbem esse istam objectionem, ut omnia dicere quæ dici possint, necesse non sit. Optime siquidem Gelenius illud Josephi *λέγυσα ὧδε* transtulit, *hic verbu*, neque enim aliud hæc phrasis vult, quam *τὸν τρόπον τῦτον γράφει, sic scribit:* velut & similes aliæ quibus Josephus utitur, quando *Manethonem, Menandrum, Berosum, Hermippum, Theophrastum, Herodotum* allegans, non sensum tantum sed & *τὴν λέξιν*, seu verba eorum ipsissima refert. Quemadmodum Libro 1. *Contra Appionem*, simplici tantum verbo *λέγων* usus, Chærili antiqui Poetæ versus subjicere vocetenus non neglexit. Ita clarissimus Markius. Cum itaque Sibylla quam Josephus allegat, *oratione soluta* scripserit vel prædixerit ædificationem & destructionem turris Babylonicæ, Pseudo-Sibylla autem carmine & *oratione ligata*, ut constat ex lib. 3. *Oraculorum Sibyllinorum:* nequaquam authoritas Josephi favet his Oraculis Sibyllinis de quibus nos disputationem instituimus, cum in iis propria Sibyllæ a Josepho allata verba non inveniantur. Hinc potius aperte concludendum est, Oracula ista fuisse ad fraudem inducendam conficta, quæ male & absque cautela veram Sibyllam a Josepho vocetenus expressam, imitata sint. Denique Sibylla apud Josephum attribuit destructionem Babylonicæ turris *Diis Gentilium, οἱ δὲ Θεοὶ*, quippe quæ & Gentilis esset: at Pseudo-Sibylla Lib. 3. *Oraculorum Sibyllinorum* tanquam Christiana, *Deo immortali soli* attribuit, *ἀντίκα ἀθάνατος* &c. *Confestim immortalis &c.*

CAPVT SEPTIMVM.

SENTENTIA ANTONII POSSEVINI DE ORACVLIS SIBYLLINIS REFELLITVR.

NOn possum inquit Blondellus Lib. 1. *de Sibyllis* cap. 4. pag. 10. quin conquerar de judicio Antonii Possevini Theologi Societatis Jesu, qui cum impostura librorum Sibyllinorum agnoverit, illos corruptos magis quam suppositicios credere maluit. Referam igitur ejus censuram cum observationibus aliquot, tum postea sententiam ejus excutiam penitus. Sic autem ille Tomo 2 *Apparatus sacri* verbo *Sibylla*. "Sibyllarum quas Chaldæi *Semberbas*, "Græci & Latini Sibyllas Æolico sermone appellarunt, quæ quidem decem numerantur, "carmina, ortus, qualitas, fides, a plerisque tum "antiquis tum recentibus, allata sunt. Inter "antiquos fuere Clemens Alexandrinus, qui "Paulum Apostolum scribit monuisse Gentiles, "ut Sibyllarum Oracula legerent. Theophi"lus Antiochenus, si tamen Theophilus ille un"quam de Sibyllis scripsit: Athenagoras, Ju"stinus Martyr, Eusebius, Lactantius Firmianus, "Constantinus Magnus, Augustinus: ne quid "dicam de Pausania, Suida, & istiusmodi aliis. "Inter recentiores fuerunt Onuphrius Panvini"us, Gilbertus Genebrardus in sua *Chronologia*, "Sixtus Senensis in Lib. 2. *Bibliotheca sancta*, Mar"garinus Bignæus Tomo 8 Bibliothecæ Patrum "editionis secundæ Parisiensis &c. Ex Patribus "vero & reliquis Ecclesiasticis scriptoribus, nul"lam Sibyllam Moysi fuisse priorem: ut intelli"gatur, si quid in Oraculorum Sibyllinorum no"mine evulgatorum & 8 libris comprehenso"rum reperiatur, quod Moysis ætatem anteces"serit, id commentitium & falsum fuisse, nimi"rum a Satana invectum, ut veritati immixta "falsitas, eandem veritatem aliorum temporum "suspectam redderet. Quale illud libro 1. pag. 9. "

quod

„quod Sibyllæ de Moyſe (lege Noë) vaticinanti, „& diluvium prædicenti, tribuitur. Quale „item illud quod pag. 11. cum ibidem ſcriptum „ſit, ſeipſam Sibyllam una cum ſuo conjuge, ſo„cero, ſocru, leviris & aliis, in fluctibus fuiſſe „jactatam tempore diluvii. Atque hæc ipſa „quæ ſub nomine Oraculorum prolata ſunt in „lucem, patet ipſa pagina 30 fuiſſe conſcripta „mille quingentis annis poſt Græcorum impe„rium, cujus initium ſive ab Argivorum ſive a „Sicyoniorum, ſive ab Athenienſium regno, ex „Moyſe, ex regno Salomonis, ex Imperio Mace„donum, vel quatuor Monarchiis ſumatur: „vana erunt, atque poſt res geſtas hæc, quæ va„ticinia dicuntur. Minus quoque vera agno„ſcentur, ſi poſt Moyſem Græcorum regnum „inceperit: ab exitu enim Moyſis & Iſraelis in „Ægypto, uſque ad everſionem adminiſtratio„nis ſive Reipublicæ & Regni Judæorum ſub „Veſpaſiano, numerantur mille octoginta duo „anni. Quid quod libro 5. pag. 45. aſſerit Si„bylla ſe alterum incendium ædis Veſtalis vi„diſſe? hoc autem Euſebio in Chronicis teſte, „contigit anno 199 ſub Imperatore Commodo. „Tunc enim ea ædes Veſtalis, & palatium, & „plurima pars Vrbis conflagravit, cum primum „incendium acciderit Olympiade 134. Quam„obrem non ante Chriſtum natum, ſed multo „poſt, talis vates (ſi tamen vates dicenda eſt) va„ticinata eſt. Neque vero ultra Commodum „extenditur, quippe poſt Adrianum lib. 8. pag. „57. tres Imperatores, id eſt Antoninum Pium, „Antoninum Philoſophum, & Commodum re„gnaturos dicit.„

Conveniens ergo de ſuppoſitione prætenſæ Sibyllæ & antiquitate Moyſis ſupra omnes quæ hoc nomine utuntur, dico 1. Oracula Sibyllina non introducere lib. 1. pag. 9. Moyſem ſed Noachum prædicentem diluvium, id quod adhuc audacius multo eſt. 2. Ab egreſſu Ægyptiorum usque ad Hieroſolymam a Tito Veſpaſiano captam, annos 1600 completo, numerari, annos nimirum 518 amplius quam credatur. 3. Author Oraculorum Sibyllinorum non loquitur de incendio ſecundo ædis Veſtæ, ſed de incendio ultimo *Templi Hieroſolymitani*. Hoc patet ex illius verbis:

Extincta eſt iſthic ædes peramabilis olim
Tum, cum præcipitem flamma ſuperante ſecundam
Vidi labentem manibus crudelibus ædem,
Ædem perpetuo florentem, numine templum
Anguſtum, a Sanctis ſtructum, ſemperque futurum
Ipſius ex animo ſperatum &c.

Non enim Templo Veſtæ conveniunt laudes a Sibylla congeſtæ, quod ſit *πεποθημένος οἶκος*, *ædes* olim *deſiderabilis*: quod deſtruatur *δυσὶ χερσὶ ἀνόσιαις*, *per manum impuram*, vel ut habet metrum *manibus crudelibus*: quod appellet *ἀεὶ θάλλοντα, Θεοῦ τηρήμονα νηὸν, ἐξ ἁγίων γεγαῶτα, καὶ ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα*: *Domum ſemper florentem, templum Dei ſervativum, ex ſanctis ſtructum manibus, & incorruptum ſemper extans.* Haec autem encomia omnia præclare conveniunt Templo Hieroſolymitano, quod cum urbe Hieroſolyma a Romanis deſtruendum prædixit ſub Veſpaſiano. Quamvis ergo ſcribat

Non jam perpetuo ſervatas fomite flammæ
Virgines invenient in te, Diaſque puellæ.

Nec tamen prævidit incendium ædis Veſtalis, quod anno Commodi 12 qui Jeſu Chriſti 191 extitit, factum eſt: ſed mentem intendit ad ſancti Joannis mentem, declarantis Apoc. cap. 18. verſ. 8. & 21. *Babylonem illam magnam* quæ Roma eſt, *igne comburendam, quia fortis eſt Deus qui judicabit illam, & ultra jam non inveniendam*: unde & fruſtra illic tum ſacer Veſtæ ignis, tum alia Gentilitatis monumenta inquirerentur. 4. Si voluiſſet deſignare incendium ædis Veſtæ ſub Commodo factum, non appellaſſet illud *ſecundum*, quia præter *primum* apud Dionyſium Halicarnaſſenſem Lib. 2. narratum, quod ſub Conſulibus Graccho & Falcone Olympiadis 135 anno 3 contigit, & anno 516 Vrbis conditæ; contigit *ſecundum* a Tacito Annalium XV & ab aliis probis authoribus ſæpe obſervatum, ſub Conſulatu Baſſi & Craſſi, Olympiadis 210 anno 4 qui erat Vrbis conditæ annus 817. Chriſti Domini 64 atque Neronis Imperii XI. Deſignatum igitur incendium ad annum Commodi 12. Chriſtique 199 vel rectius 191, non fuiſſet *ſecundum* a Sibylla dictum, ſed *tertium*. 5. Non tantum non extenditur ultra Commodum, ſed manifeſte hæret in temporibus Marci Aurelii & Lucii Veri, quem utpote anno 128 natum, ac Marco Aurelio ad annum 121 nato, juniorem annis ſeptem, ultimum opinabatur, imperaturum poſt alios. Imo prædixit ſed falſo, ſub imperio Lucii Veri, qui tamen ante Imperium, media hyeme inter annum 169 & 170 obiit, conſummationem & finem orbis ultimum futurum, ad annum Vrbis conditæ 948 qui in annum Chriſti nativitatis 195 incidit, quo tempore Lucius Verus annum ætatis 68 attigiſſet. 6. Quamvis Lactantius præjudicio ſuæ ætatis abreptus, exiſtimaverit Libros 8. *Oraculorum Sibyllinorum* fuiſſe fœtum antiquarum Sibyllarum, quas Varro Romanorum doctiſſimus celebravit, easque *Caſtas ac a Deo inſpiratas τὰς ἁγνὰς τάς τε θεοπνεύστους* extitiſſe: in multis tamen deceptum aliis, fidem ſibi plurimum infirmaſſe debitam inter omnes fere conſtat. 7. Authorem libri 3 nec fuiſſe *Sibyllam Erythream*, nec talem exiſtimari voluiſſe: ſed propriam Noachi nurum, e Babylone in Græciam tranſeuntem, ſic enim ipſa loquitur ad libri finem:

Hæc ſunt, quæ monco Aſſyria Babylone profecta
in Græcos &c. & poſtea
Et tamen ex alia patria me Græcia dicit,
Ex Erythra natam, poſitique pudoris &c.

8. Non tantum primus liber, ſed omnes octo ſunt ejusdem ſtili, nam impudentia atque intemperantia quæ libris 2 & 7 deplorantur, admittuntur libro 3 velut propria, nota ac ſingu-

luris

laris character perſonatæ nurus Noachi, quæ ſcribit:

Καὶ καλέουσί μεγετοὶ με καθ' Ἑλλάδα πατρίδ' ἄλλην,
Ἐξ Ἐρυθρῆς γεγαῶταν, ἀναιδέα &c.
Et tamen ex alia patria me Græcia dicit,
Ex Erythra natam, poſitique pudoris &c.

Denique Libri omnes octo ſunt ejusdem impoſtoris ſomnium, qui ſub veritatis dilatandæ prætextu, mendacia multa & nefanda produxit. Eandem porro Antonii Poſſevini ſententiam iterum confutat multis idem Blondellus Libro 2. *de Sibyllis* cap. 5. pag. 155. 156. 157. 158. Atque hæc hactenus *de Sibyllinis Oraculis*, deſumpta ex authoribus in prologo noſtræ Diſſertationis allegatis & laudatis.

CAPVT OCTAVVM.

EADEM SENTENTIA POSSEVINI ITERVM CONFVTATVR.

VRget ulterius adverſus Poſſevini ſententiam David Blondellus Lib. 2. *DE SIBYLLIS* cap. 5. pag. 155. his verbis. „ Neceſſarium igitur ut impoſtor, qui ad catalogum Imperatorum Romanorum texendum, nomen Sibyllæ aſſumpſerat, impoſturam ſuam ab anno 138. commiſerit. Sed quantum ab hac ætate, videamus. Poſſevinus in *Apparatu Sacro*, dum ſibi fingit illum loqui de ſecundo ædis Veſtæ incendio, hunc iſto caſu poſteriorem facit, atque hinc quatuor modis fallitur. Nam *primum* male conjungit annum 199. Chriſti incarnati cum imperio *Commodi*, anno 192. die 31. Decembris occiſi. *Secundo* aſſignat perperam ad annum 199. incendium templi Veſtæ, cum juxta Dionem Lib. 72. Herodianum Lib. 1. & Oroſium Lib. 7. cap. 16. contigerit ſub finem imperii *Commodi*, qui ſeptem annis antea fatis humanis defunctus eſt. Adde Euſebium, cujus authoritate manifeſte abutitur, hujus exitioſi eventus determinare tempus, collocando ſub Olympiadis 242. annum 3. & imperii *Commodi* annum 12: qui characteres nonniſi annum Chriſti Domini 191. deſignant. *Tertio* dum tres Adriani ſucceſſores aſſignat, omittens Lucium Verum a Marco Aurelio ad Imperium aſſumptum, in ejus locum ſubrogat *Commodum*, de quo Sibylla larvata nec cogitavit, neque cogitare potuit: quippe quæ hos *Sibyllinorum Oraculorum* octo libros ſcripſerit annis 15. & amplius, antequam hic Princeps natus eſſet, id quod anno 161. die 31. Auguſti contigit: & annis plusquam 30. ante aſſociationem ad Imperium, die 17. Novembr. anni 176. factam. *Quæro* quamvis author horum *Oraculorum* de ſecundo templi Veſtæ incendio potuerit loqui, ille hoc ipſo quod ſuppoſuit Romam anno 948. fundationis ſuæ prorſus conſummandam igne, qui cum anno Chriſti incarnati 195. & Severi Imperatoris 3. concurrit: hoc ipſo inquam voluit exprimere, omnia Romæ templa, atque etiam ipſum Veſtæ templum cum aliis, deſtruenda igne: neque potuit velut antea mortuus, vel ejus incendium propriis oculis inſpexiſſe, nec dicere (juxta ſuas hypotheſes) proprias) quod vidiſſet. Quomodo enim durationem Romæ imo totius univerſi terminans cum vita Antonini Pii, ac filiorum ejus adoptivorum Marci Aurelii & Lucii Veri, quibus viventibus ſcribebat & conſequenter ante annum 160. Chriſti incarnati: quomodo inquam potuiſſet loqui de *Commodo*, die 31. Auguſti anni 161. nato, menſibus quinque & 24. diebus poſt mortem Antonini Pii? Quomodo potuiſſet affirmare, ſe vidiſſe ſecundum ædis Veſtæ incendium, quod anno duntaxat Chriſti incarnati 191. contigit & anno duodecimo poſt Marci Aurelii mortem, ſub quo fingebat ſibi & ſcribebat Romam & orbem univerſum conſummandum?„

Quemadmodum in libro 3. *Oraculorum Sibyllinorum* p. 27. ſcripſerat de Roma, ipſam fore ῥόμην, id eſt vicum: eidem pariter, ad imitationem Apocalypſeos cap. 17, 16. cap. 18, 8. & 9. cap. 19. verſ. 3. comminatus fuerat aperte ruinam finalem & ultimam per ignem, inquiens Lib. 2. pag. 14.

λοιὸν τε τοιόξω
Ῥώμης ἐπ]αλόφοιο, μέγας δέ τε πλὰξ ἐλεῦ-
σαι
Δευόμεν· πυρὶ πολλῷ ὑπὸ φλογὸς ἠΦαί-
στοιο
Et Roma populum, quæ ſeptem continet arces
Concutiet: dives delet a peribis opum vis,
Vulcano crebris miſcente incendia flammis.

Et pag. 20.

Τρὶς Ῥώμην ἑπτὰς μοῖρα καταβλήσουσαι
Πάντες δ' ἄνθρωποι μελάθρους ἰδίους τε ἑλοῦσαι
Ὁππόταν ἀμπνεύσῃ πῦρ· ῥεύσῃ κατα-
φλεχθείς.
Tres Romam triſti fatorum flamine perdent
Atque ſuis homines perdentur in ædibus omnes,
Tum cum de cælo torrens fluet igneus &c.

Et Lib. 5. pag. 40.

πυρὶ δὲ Φλεγέθοντι μεγῆται
Ταρτάρεαι τ' ὄψονται ἐς ἀθ χώρας ἀθέσφατον
Et flagrantibus indita flammis
Tartareæ habita ſedes, inamabilis Orci.

Et Lib. 8. pag. 58.

Νάφθα, καὶ Φάλτις, καὶ θείης, καὶ πυρὶ πολλῷ
Ἐκκαυσθήσῃ, καὶ ἔσῃ πόνος ἀνθρώποισιν
Ἀθρόοισιν.
Sulphureque, & naphtha, multoque bitumine, & igni
Vaneſces, & eris finis ardens tempus in omne.

Imo ut nulla difficultas ſupereſſet de hujus cataſtrophes ſeu ſubverſionis finalis tempore, his ſe explicat apertiſſimis verbis pag. 59.

Τέλος δὲ τριακοσίοις καὶ τετρακοσίοις καὶ ἑξακο-
σίοις
Πλεκτοῖσιν λυκάβαντας, ὅταν σὺν δούρασι
ἔλθῃ
Μῆδος, βουζυγίου τοῦ ἕκτου πλεκτὸν ἄροτρον.

» *Porro quater decies complebis, terque trecentos*
» *Annos atque octo, cum te pertingere metam*
» *Triſtia fata, tuo completo nomine, cogent.*

alludens ad nomen Romæ Græcum ῥώμη, cujus litteræ producunt numerum 948. hoc modo, ut ῥ 100. ω 800. μ 40. & η 8. efficiant.

» Non potuiſſet absque abſurditate & inſania, impoſtor Oraculorum Sibyllinorum, jactare ſe, non tantum ſupervixiſſe iis ſub quibus Roma & orbis univerſus conſummandus erat: ſed et am ſpectatorem fuiſſe unius eventus, qui annis tantum quatuor præcedebat, diem quem aſſignabat ultimæ ruinæ & deſolationi tum Vrbis Romæ, tum orbis univerſi. Adhuc autem abſurdius faſſus fuiſſet, ſe prætergreſſum eſſe tempus illud, quod durationi Imperii & orbis univerſi aſſignaverat. Sed non tam inſanus quam audax impoſtor extitit, cujus verba quæ Poſſevinus ſecundo ædis Veſtæ incendio adaptari poſſe arbitratus eſt, ultimam *Templi Hieroſolymitani* deſtructionem, temporibus Titi Veſpaſiani factam anno Chriſti 70. tangunt. Illud enim templum appellat, ut jam cap. præcedenti diximus, οἶκον περιόπτιμον, *Domum deſiderabilem* ὄλεσσεν ἀεὶ βάλλοντα, Θεοῦ τηρήμονα ναὸν, ἐξ ἁγίων γεγαῶτα, καὶ ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα, *Domum ſemper florentem, templum Dei ſervatorium, a ſanctis conſtructum, & incorruptum ſemper exiſtens:* quæ ſane elogia templo Veſtæ dari non poterant, ab eo qui diſputationem aggrediebatur contra idololatriam Gentilem, ob unius Dei veri cultum. Præterea cum notet Poſſevinus de authore hujus ſecundi incendii, quod juxta hanc PſeudoSibyllam, διὰ χειρὸς ἀναγνὺς, Templum iſtud *per impiam* vel *impuram manum* combuſtum ſit: hoc aperte declarat PſeudoSibyllam in mente habuiſſe *manum militis impii*, qui Templo Hieroſolymitano ignem admovit, quique judicio Titi exercituumque Romanorum Præfecti, impius declaratus eſt. Nam PſeudoSibylla recte quodammodo gloriari poterat, quaſi horrendum hoc ſpectaculum ipſa viderit, cum anno Chriſti incarnati 70. contigerit, annisque 68. imperium *Antoninorum* præceſſerit, ſub quibus illa ſcribebat, ut ſupra diximus. Maxima porro abſurditas eſt in PſeudoSibylla, dum ſe *Norum* Noachi dictitat, ſibique tamen gloriatur viſam ruinam annis 2068. poſteriorem morte Noachi; & annis 2427. diluvio ipſo poſteriorem. Quaſi juxta fabulam abOvidio Lib. *Metamorphoſeon* 13. allatam, perſonata hæc Prophetiſſa obtinuiſſet privilegium comparandi vitæ ſuæ annos, cum arenis quas Sibylla Cumana oſtendit Apollini. Tunc enim temporis dum hæc ſcribebat, non annos duntaxat 700. ut Ovidiana vates, emenſa fuiſſet: ſed plusquam 2400. annos, ac tandem ſe usque ad orbis totius conſummationem, ſperaſſet fore ſuperſtitem: cum Sibylla Cumana ut dicitur, perveniens ad millenarii finem, ſe tam fractam viribus fore crederet, ut corpore extincto, ſola poſt deſtructionem præcedentis formæ, vox reſtaret ad prædictionem futurorum. Ejus verba ejus ex libro 5. pag. 49.

Οὐκέτι γὰρ παρὰ σεῖο τὸ τῆς Φιλαδελφίμονος ὕλης
Παρθένοι κοῦραι πῦρ ἔνθεον ἐυρήσουσι,
Ἔσβεσαι παρὰ σεῖο πάλαι πεπρωμένον ἦμαρ.
Ηὑρήσω δεύτερον ἴδιον ἐγὼ ἀντίπυρον ὄλεθρον
Πρηνὲς, πυρὶ τηγγόμενον διὰ χειρὸς ἀναγνὺς,
Ὄλεθρον ἀεὶ βάλλοντα, Θεοῦ τηρήμονα ναὸν,
Ἐξ ἁγίων γεγαῶτα, καὶ ἄφθιτον αἰὲν ἐόντα,
Ἐκ ψυχῆς ἐλπιζόμενον, καὶ σώματος αὐτῆς.
Non jam perpetuo ſervatas fomite flammas
Virgines invenient in te, Diaque puella.
Extincta eſt iſthic ædes peramabilis olim,
Tum, cum præcipitem flamma ſuperante ſecundam
Vidi labentem manibus crudelibus ædem,
Ædem perpetuo florentem, numine templum
Auguſtum, a Sanctis ſtructum, ſemperque futurum
Ipſius ex animo ſperatum, & corpore quippe.

Quæ verba relationem habent apertam ad incendium Templi Hieroſolymitani ab exercitu Romano factum, cujus in pœnam PſeudoSibylla vel author Oraculorum Sibyllinorum, prædicit Romam ita deſolandam deſtruendamque, ut nec ignem quem *divinum* & *ſacrum* vocant, Veſtales conſervaturæ ſint. Hæc David Blondellus Gallice, quem Latine expreſſimus, vel nullis vel paucis mutatis.

Plura autem quisquis legere voluerit *de Sibyllis* & illarum *Oraculis*, conſulat Diſſertationes eruditas quas ſcripſit Servatius Gallæus *de Sibyllis earumque Oraculis* inſcriptas, Amſtelodami anno 1688. in 4. apud Henricum & Viduam Theodori Boom editas. Opuſculum *de Oraculis Sibyllinis* ab Iſaaco Voſſio, anno 1680. in 8. Oxonii editum & Lugduni Batavorum in 16. Aliud *de Sibyllis* a Jacobo Petito, primum Pariſiis, tum Lipſiæ anno 1686. in 8. iteratum. Opuſculum Gallice ſcriptum a Joanne Craſſetio Jeſuita, contra Davidis Blondelli ſententiam, editum Lutetiæ Pariſiorum anno 1684. in 8. apud Stephanum Michalet. In hac provincia miſerrime ſe geſſit Johannes iſte Craſſetius, injuriis ſine quam multis, ratione ipſi deficiente, Davidem Blondellum & Johannem Markium oppreſſit more Jeſuitico: convenientiſſimum ſibi in hoc argumento ignorantiæ atque præoccupationis vitium in eruditos viros detorquens, unde nihil mirum, quod neminem Opuſculo ſuo ſuas in partes pertraxerit. Hæc contra viri hujus inſanam loquacitatem, & effrontem confidentiam.

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS SANCTI JVSTINI MARTYRIS.

Ao. 150. IVstini vitam propriis quidem ſententiis ac verbis ſcribere, recentiores cum nequaquam poſſint, æquum eſt, ſi fidem hac in re comparare velint, ut Veterum teſtimoniis ac vocibus nitantur, qui tanta temporum intercapedine a priſcis illis Eccleſiæ temporibus remoti, aliquantam apud coætaneos ſupparesque ſuos fidem aſſequi valent. De Juſtino itaque, Operibusque ipſi imputatis, non propriis ſed Veterum verbis ac ſententiis agamus, quem ita depingit Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. „ Juſtinus Philoſophus, habituque Philoſophorum incedens, de Neapoli „urbe Palæſtinæ, patre Priſco Bacchio, pro religione Chriſti plurimum laboravit, in tantum „ut Antonino quoque Pio & filiis ejus & Senatui, *librum contra Gentes* ſcriptum daret, ignominiamque crucis non erubeſceret: & *alium librum* ſucceſſoribus ejusdem Antonini M. Antonio Vero & Lucio Aurelio Commodo. Extat ejus & *alind volumen contra Gentes*, ubi de „Dæmonum quoque natura diſputat: & quartum adverſus Gentes, cui titulum prænotavit „ἔλεγχον, ſed & alium *de monarchia Dei*, & alium librum, quem prænotavit *Pſalterem*, & alium „*de anima*: & *Dialogum contra Judæos*, quem habuit adverſus Tryphonem principem Judæorum. Sed & *contra Marcionem inſignia volumina*, „quorum Irenæus quoque in V adverſus hæreſes libro meminit: & alium librum *contra omnes* „*hæreſes*, cujus facit mentionem in Apologetico, „quem dedit Antonino Pio. Hic cum in urbe „Roma haberet τὰς διατριβὰς, & Creſcentem „Cynicum, quia multa adverſus Chriſtianos „blasphemabat, redargueret guloſum & mortis „timidum, luxuriæque & libidinum ſectatorem, „ad extremum ſtudio ejus & inſidiis accuſatus, „quod Chriſtianus eſſet, pro Chriſto ſanguinem „fudit.„ Hæc Hieronymus de vita & Operibus „ſancti Juſtini Martyris.

CAPVT PRIMVM.
QVÆDAM AD VITAM SANCTI IVSTINI MARTYRIS SPECTANTIA, EXAMINANTVR.

FVit autem Juſtinus Martyr, genere Samaritanus, non religione, ut ex ipſo Juſtino conſtat, qui ſe relicta philoſophia Platonica amplexum fuiſſe Chriſtianam fidem teſtatur, non autem Judæum aut Samaritanum religione unquam fuiſſe fatetur. Huic aſſentitur opinioni S. Epiphanius Panarii libro 1. tom. 3. contra XLVI. hæreſim Tatianorum ita inquiens: *Ac primum quidem, ut qui e Græcorum diſciplina eſſet, floruit (Tatianus ſcilicet) cum Juſtino Philoſopho, viro ſancto & Dei amante, qui e Samaritis in Chriſtum credidit. Hic enim Juſtinus, Samaritanus genere, Chriſti fidem amplexus, ac magnopere in ea exercitatus, tum multiplici virtutum ſpecimine per vitam edito, tandem martyrii pro Chriſto perfectam coronam meritus eſt in territorio Romano, &c.* ubi Juſtinum *Samaritanum genere* non *religione* prudenter appellat. Vnde immerito Scaliger in Notis ad Euſebii Chronicon, anno 157. Epiphanio litem intentat, ac ſi Juſtinum a Samaritarum religione ad Chriſtianos tranſiiſſe perhibuerit; cum ea quæ laudat verba ex Epiphanio Hæreſi 46. Tatianorum τῶν ἀπὸ Σαμαρειτῶν εἰς Χριστὸν πεπιστευκότων, eum non magis religione, quam genere & origine Σαμαρείτην fuiſſe arguant. Imo poſitive Samaritanum *genere & origine*, non *religione* ſtatuit Ἦν γὰρ ὁ Ἰούστινος ἐκ τὸ γένος, εἰς Χριστὸν πεπιστευκὼς, καὶ μεγάλως ἐξασκηθεὶς, ἀρετῆς τε βίον ἐνδειξάμενος, τὸ τέλος ὑπὲρ Χριστοῦ μαρτυρήσας, τελείαν στέφανον καταζεῦται, ἐπὶ τῆς Ρωμαίων &c.

Primis adoleſcentiæ annis animum Philoſophiæ applicuit, ſed ea libertate, ut nullius ſingularis ſectæ mancipium ſe præberet: unde pro conſervata ſibi libertate, a Stoicis ad Peripateticos, ab his ad Pytagoricos, inde etiam ad Platonicos tranſivit, in quorum ſchola prima veritatis ſemina concepit, quæ ſenis cujusdam venerandi ſermonibus & colloquiis fota, ubi præterea fortem & magnanimum Chriſtianorum in perſecutionibus animum inſpexiſſet, ad veri Dei & Chriſti cultum tandem promotus eſt. Agnoſcit iſta Juſtinus ipſe in Dialogo cum Triphone ſub initium, ubi de variis Philoſophorum ſectis agens, inquit. «Et cum ipſe quo-« que primum ita cum his agere cuperem, uni« eorum *Stoico cuidam*, me dedi, atque cum hoc« longo ſatis verſatus tempore, quia nihil am-« plius de Deo didiceram (Nam ne ipſe qui-« dem ſciebat, neque adeo diſciplinam hanc ne-« ceſſariam eſſe dicebat) ab eo deſcivi, & ad ali-« um me contuli *Peripateticum* vocitatum, ho-« minem ut ipſemet exiſtimabat, acutum. Hic« me primis diebus ſecum eſſe paſſus, poſtea mer-« cedem a me ſibi deſignari petiit, ne infructuo-« ſa mihi cum eo eſſet conſuetudo. Ego vero« illum hanc ipſam ob cauſam reliqui, ne Philo-« ſophum quidem omnino eſſe opinatus. Por-« ro cum impenſius adhuc animus meus audire,« quod Philoſophiæ proprium atque præcipu-« um eſt, expeteret, ad *Pytagoricum* quendam ma-« gni nominis, multique in ſapientia ſupercilii« virum acceſſi, & cum eo auditor ejus & fami-« liaris eſſe volens, egi &c. In hujusmodi vero« conſilii inopia, placitum mihi eſt, cum *Platoni-« cis* quoque converſari. Itaque in urbe noſtra« cum viro prudenti atque inter Platonicos ex-« cellenti, qui non ita pridem eo venerat, plurimum

„mum fui, promovi, & maxime quotidie crevi. „Valde me delectabat incorporeorum notio, & „idearum contemplatio mentem meam quasi „alis quibusdam altius evehebat, atque intra „breve tempus, sapientem me esse factum re„bar &c. „

Cum autem Justinus religionem Christianam arbitraretur unicam, quæ veram philosophandi rationem ostenderet: nihil mirum est quod eam amplexus, sub habitu Philosophi verbum Dei prædicaret, scriptis voluminibus pro fide nostra palam propugnaret, Christianorumque studia ac innocentiam scriptis ad Imperatores Apologiis tueretur. Hoc testatur Eusebius Libro 4. *Historia Ecclesiastica* cap. XI, his verbis: "Eadem tempestate præ cæteris omnibus „florebat Justinus, sub habitu Philosophi ver„bum Dei prædicans, & scriptis voluminibus „pro fide nostra propugnans. Qui in libro ad„versus Marcionem, eum adhuc superstitem „fuisse dum scriberet, testatur his verbis. *Prae„terea*, inquit, *Marcionem quendam Ponticum no„vimus, qui etiam nunc supersit, docetque discipu„los suos alium quendam invocare Deum, majorem „mundi hujus conditore. Qui quidem Damonum „adjutus auxilio, plurimos mortales per universum „orbem induxit, ut impie loquerentur, negarentque „universi opificem patrem esse Christi: alium vero „quendam, longe illo præstantiorem, hoc universum „condidisse affirmarent. omnes tamen eorum secta„tores, Christiani ut diximus appellantur: eodem mo„do quo Philosophi, tametsi diversa sint secta ac sen„tentia, commune nihilominus ex Philosophia nomen „est indictum.* Paucis deinde interjectis hæc „subjungit, *Est etiam* inquit, *Liber a nobis compo„situs, adversus omnes quæ unquam fuerunt hæreses: „quem librum vobis si ita videbitur, legendum trade„mus.* Idem porro Justinus præter opuscula „quæ adversus Gentiles doctissime elaboravit, „alios etiam libros, qui fidei nostræ defensionem „continent, Imperatori Antonino cognomento „Pio, & Senatui Romano nuncupavit. Ipse „enim in urbe Roma domicilium habebat. Cæ„terum in Apologetico, ipse de se quisnam esset „& unde oriundus, declarat his verbis: *Impera„tori Tito Ælio Hadriano Antonino Pio, Cæsari Au„gusto, & Verissimo filio philosopho, & Lucio philo„sophi quidem Cæsaris naturali filio, Pii autem ado„ptivo, doctrina amatori: Senatui quoque & Po„pulo Romano, pro viris ubique terrarum injusto odio „laborantibus, & calumnia appetitis, Justinus Prisci „filius, Bacchii nepos, oriundus Flavia Neapoli urbe „Syriæ Palæstinæ, unus ex illorum numero, allocutionem „& petitionem defero.* „ Juxta autem ejusdem Eusebii Chronicon, An. Christi CXLIV. Antonini Pii An. IV. Justinus Philosophus librum seu primam Apologiam, pro nostra religione conscriptam Antonino tradidit. Et anno Christi CLIII. Antonini Pii XIII. Crescens Cynicus agnoscitur, qui Justino nostri dogmatis Philosophō, quia se gulosum & prævaricatorem philosophiæ coarguebat, persecutionem suscitavit, in qua ille gloriose pro Christo sanguinem profudit. Hæc Eusebius breviter in Chronico de utraque Apologia & anno mortis Justini Martyris, quæ latius prosequitur Lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 16. his verbis. "Iisdem temporibus & Justi„nus, cujus supra mentionem fecimus, cum al„terum librum pro fidei nostræ defensione Im„peratoribus superius memoratis obtulisset, sa„cro martyrio exornatus est, fraude ac machi„nationibus Crescentis Philosophi, qui vivendi„rationem prorsus convenientem ac respon„dentem Cynicæ appellationi æmulabatur. „Quem cum ille disputans audientibus plurimis „convicisset, tandem veritatis illius quam præ„dicaverat, præmium martyrio consecutus est. „Hunc autem exitum vitæ, idem ille veræ sapi„entiæ studiosissimus sectator, in supra dicto A„pologetico aperte, prout erat ipsi propediem „eventurus, prædicit his verbis. *Ego etiam ex„specto, ut ab aliquo eorum qui philosophi appellan„tur, insidiis appetar, & in nervum compingar: ab „ipso forsitan Crescente, vera philosophiæ ignaro, & „vanitatis potius quam veritatis amatore. Neque „enim philosophi vocabulum meretur, qui de rebus „quas prorsus ignorat, publice loqui, & Christianos „impios ac prophanos affirmare non dubitat, quo gra„tiam captet plebeculæ, errans omnino. Si enim „cum doctrinam Christi nunquam legerit, eam tamen „fugillat: profecto nequissimus est, & vulgi hominibus „multo deterior, qui plerumque cavere solent, ne de „iis rebus loquantur quas ignorant, neve falsum testi„monium proferant. Si vero cum eam doctrinam „legerit, majestatem illius minime intellexit; aut si „intellexit quidem, verum ita ut dixi se gerit, ne for„te cum Christianum esse homines suspicentur: longe „adhuc ignavior pejorque judicandus est, quippe qui „popularibus atque insanis opinionibus metuque se „inferiorem esse fateatur. Neque vero illud igno„rare vos velim Augustissimi Imperatores, me cum „multas hujusmodi interrogationes ei proposuissem, „deprehendisse illum revera nihil scire. Atque ut „sciatis a me verum dici, paratus sum, si forte dis„putationes illæ ad vestram notitiam non pervene„runt, coram vobis interrogationes iterum proponere. „Neque id ab Imperatoria majestate alienum fuerit. „Si vero cum interrogationes meæ, tum illius respon„siones ad aures vestras pervenerint, perspicuum vo„bis est, illum in religione nostra prorsus nihil scire. „Aut si scit ille quidem, sed propter auditores eloqui „non audet, nequaquam philosophus ut antea dixi, „sed popularis auræ captator esse deprehenditur, „quippe qui pulcherrimum illud Socratis dictum „parvi faciat: Nullum esse veritati anteponendum „virum.* Hactenus Justinus. Quem quidem, „sicut ipse prædixerat, structis a Crescente insi„diis, martyrio esse coronatum Tatianus vir qui „primo ætatis suæ tempore Rhetoricam docens, „in Gentilium disciplinis summa cum laude ver„satus est, & qui plurima ingenii sui monumen„ta posteris reliquit, in libro adversus Gentes „testatur his verbis. *Et recte Justinum vir omni„admiratione dignissimus, vos latronibus similes esse „dixit,*

„dixit. Pauca deinde interlocutus de Philoſo„phis hæc ſubjungit: *Creſcens quidem qui in urbe „Roma nidulum ſuum fixerat, ſordis puerorum amo„ribus & avaritiæ, ſupra omnes mortales deditus „fuit. Et qui alios hortabatur ut mortem contemne„rent, ipſe tantopere eam formidabat, ut Juſtino tan„quam graviſſimum malum mortem concinnaverit. eo quod ille veritatem prædicans, philoſophos helluones & deceptores eſſe convinceret. Et hæc quidem Juſtino cauſa martyrii fuit.* Non tamen ita firmus in ſua ſententia fuit Euſebius, ut omnem ambiguitatem excuſſerit poſteris. Nam qui in Chronico ad annos CXLIV. & CLIII. Chriſti, Antonini autem Pii Imperatoris IV. & XIII. hujus Apologias ambas collocat: immemor ſui vel in opinione inconſtans, ultimam iſtarum Apologiarum Marco Antonino Vero Antonini Pii ſucceſſori nuncupatam ſcribit, cujus occaſione mortem Juſtino Creſcens Philoſophus Cynicus acceleraverit: Ita ille Libro 4. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 18. his verbis. «Hic porro vir „plurima ingenii ſui, doctrinæque, & intenti in „res divinas ſtudii monumenta nobis reliquit, „plena multiplicis utilitatis. Ex quibus ea quæ „ad notitiam noſtram pervenerunt, titulis ſuis „deſignaſſe contenti, diſcendi ſtudioſos ad illa „rejiciemus. Et quidem extat ab ipſo Oratio „ad Antoninum cognomento Pium, & ad ejus „liberos Senatumque Romanum, pro religione „noſtra conſcripta. Altera vero ejusdem ora„tio defenſionem ſimiliter fidei noſtræ conti„nens, Antonino Vero nuncupata eſt, Impera„toris ſupradicti ſucceſſori & cognomini, cujus „tempora inpræſentiarum exponimus.“ Cum autem Creſcens Philoſophus hac ſecunda Apologia offenſus, qua ejus improbi mores detegebantur & arguebantur, mortem Juſtino martyri procuraverit; neque conſtet an ea, ut ſcribit Euſebius in Chronico, Antonino Pio, an ut in Hiſtoria refert, Antonino Vero ejus ſucceſſori nuncupata fuerit: ita pariter annus mortis Juſtini incertus omnino eſt, aliis ad Antonini Pii annum XIII. Chriſti CLIII. rejicientibus, aliis verius ad tempora Antonini Veri ſucceſſoris & Lucii Aurelii, definientibus.

Intolerabilis autem eſt Epiphanii parachroniſmus de morte ſancti Juſtini Martyris, ubi in Panario, Hæreſi 46. quæ eſt Tatianorum, ſcribit: *Hic enim Juſtinus Samaritanus genere, Chriſti fidem amplexus ac magnopere in ea exercitatus, tum multiplici virtutis ſpecimine per vitam edito, tandem martyrii pro Chriſto perfectam coronam meritus eſt in territorio Romano, Ruſtico præſide, Hadriano Imperatore, annum agens trigeſimum in ætate conſtanti & firma.* Conſulatus enim Junii Ruſtici & Hadriani tertium, in annum Chriſti nati 119. incidens, longe diſtat ab Anno Antonini Pii XIII. & Chriſti CLIII. in quem Juſtini martyrium conjicit loco citato Euſebius. Adde, quomodo Juſtinus anno Chriſti 119. Hadriano tertium & Junio Ruſtico Conſulibus Creſcente inſtigante extinctus fuiſſet: quem conſtat in Apologia ſcripta pag. mihi 83 litt. B editionis Colonienſis, quam ſecundam inſcribunt, meminiſſe *annorum centum & quinquaginta a Chriſto nato elapſorum.* Sic autem ille: *Ne qui vero prætervationem, ad eorum quæ nos edocti ſumus, everſionem dicant, ante annos centum quinquaginta, nos aſſeverare Chriſtum ſub Cyrenio natum eſſe, docuiſſe autem quæ docuit, poſterius ſub Pontio Pilato &c.* Qui ſane meminit in Apologia I. *anni poſt Chriſtum natum centeſimi & quinquageſimi:* non potuit ſub Hadriano tertium & Junio Ruſtico Conſulibus, mortuus eſſe, hoc eſt anno Chriſti 119. Vnde merito hunc ſancti Epiphanii locum inſanabilem Dionyſius Petavius arbitratus eſt, cui mederi fruſtraneo conatu, Henricus Dodwellus voluit Diſſertationum Iren. cap. 3. theſ. 19. verum quia noſtri non eſt inſtituti, ut Scriptorum Eccleſiaſticorum vitas diſcutiamus, ad ſcripta Juſtino imputata his miſſis ut extraneis, tranſeamus.

CAPVT SECVNDVM,
DE
OPERIBVS QVÆ SANCTO JVSTINO MARTYRI ATTRIBVTA SVNT.

CLare quidem ac perſpicue de legitimis ſancti Juſtini Martyris Opuſculis & operibus locutus eſt S. Hieronymus, quem in prologo hujus Diſſertationis allegavimus; ſed clarius adhuc de iisdem diſſeruit Euſebius, integro ſeculo antiquior Hieronymo, qui eundem exſcripſit, in libro ſuo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Ita autem Euſebius Lib. 4. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 18. ubi de libris Juſtini, qui ad ipſius ætatem & tempora perveniſſent, loquitur.

Hic porro vir plurima ingenii ſui doctrinæ-« que, & intenti in res divinas ſtudii monumenta« nobis reliquit, plena multiplicis utilitatis. Ex« quibus ea quæ ad notitiam noſtram pervene-« runt, titulis ſuis deſignaſſe contenti, diſcendi« ſtudioſos ad illa rejiciemus. Extat quidem ejus« *Oratio ad Antoninum* cognomento Pium, & ad« ejus liberos Senatumque Romanum, pro reli-« gione noſtra conſcripta. *Altera* vero *ejus-« dem Oratio* defenſionem ſimiliter fidei noſtræ« continens, Antonino Vero nuncupata eſt, Im-« peratoris ſupradicti ſucceſſori & cognomini,« cujus tempora inpræſentiarum exponimus.« Eſt & alius ejus *liber adverſus Gentiles*, in quo« cum de aliis plurimis quæſtionibus, quæ tam a noſtris quam a Gentilium philoſophis agitari« ſolent, uberrime diſputat, tum de Dæmonum« natura ſententiam ſuam exponit, quam qui-« dem hic inſerere nihil neceſſe eſt. *Alius* præ-« terea *ejusdem liber adverſus Gentiles* ad nos per-« venit, quem ille *Confutationem* inſcripſit. Præ-« ter hos libros eſt etiam alius *de monarchia Dei,*« quam quidem non ſolum authoritate ſacro-« rum apud nos voluminum, ſed Gentilium eti-« am ſcriptorum teſtimoniis aſſerit. Eſt & alius« liber cui titulum fecit, *Pſaltes.* Alius item ex-« cepto-

„ceptorum liber, *de anima:* in quo propositis „variis interrogationibus, quæ ad argumentum „illud pertinent, Gentilium philosophorum af„fert sententias: quibus etiam se contradictu„rum, suamque de his sententiam in alio opere „prolaturum esse pollicetur. Composuit etiam „*Dialogum adversus Judæos*, quem apud Ephe„sum habuit cum Tryphone, omnium tunc „temporis Judæorum celeberrimo. Quo in „libro ingenue testatur, quemadmodum per di„vinam gratiam ad veræ fidei doctrinam impul„sus sit; & quam contento prius studio in phi„losophiam incubuisset, quantoque animi ardo„re in veritate pervestiganda laboravisset. Re„fert etiam Judæos adversus Christi doctrinam „multa insidiose ac fraudulenter machinatos „fuisse, hujusmodi ad Tryphonem verbis utens. „*Tantum abest*, inquit, *ut vos eorum quæ inepte gef„seratis, pœnituerit. Quin imo quosdam ad id lectos „homines in omnes orbis partes emisistis, qui dicerent „sectam impiorum Christianorum exortam esse, eaque „adversus nos probra divulgarent, quæ effutire solent „si qui res nostras penitus ignorant. Adeo non solum „vobis ipsis, sed cunctis ut ita dicam hominibus, erro„ris atque injustitiæ causam præbetis.* Sed & in eo„dem libro, prophetiæ dona adhuc sua ætate in „Ecclesia viguisse scribit. Joannis quoque Re„velationem commemorat, quam ab Apostolo „conscriptam esse diserte dicit. Quædam item „Prophetarum testimonia profert, quæ adver„sus Tryphonem disputans, a Judæis e sacris li„bris recisa atque expuncta esse convincit. *Ex„tant & alia complura ejusdem Opuscula, penes mul„tos fidei nostræ cultores.* Tanti porro æstimati „sunt etiam a veteribus illius libri, ut Irenæus „ejus testimoniis interdum utatur. Nam & in
c. 13. „libro quarto contra hæreses hæc habet: *Præ„clare*, inquit, *a Justino dictum est in libro adversus „Marcionem. Ne ipsi quidem Domino, ait, credidis„sem, si alium Deum prædicaret, quam mun„di conditorem.* Et in quinto ejusdem Operis
c. 3. „libro, *Recte*, inquit, *Justinus dixit, Satanam ante „adventum Domini nunquam ausum fuisse impie lo„qui adversus Deum, quippe qui damnationem suam „nondum liquido cognovisset.* Atque hæc neces„sario a nobis dicta sint, ut discendi studiosi, ad „libros ejus accurate pervolvendos incitentur. „Hactenus de Justino, Eusebius.

De his ergo libris quos recensuit primum Eusebius atque post ipsum Hieronymus, hic non loquemur: quod omnes illi qui Eusebii atque Hieronymi ætate adhuc extabant, temporum injuria ac lapsu, nobis exciderint, paucissimis exceptis, de quibus postea. Incumbit nobis agendum de iis opusculis, quæ hucusque sub Justini Martyris nomine, Græce primum a Joachimo Perionio Cormeriacensi Monacho Parisiis 1551 in folio typis Regiis, apud Robertum Stephanum ex MSS. Regis, atque Latine, ex versione & cum observationibus ejusdem Joachimi Perionii, ibidem 1554 in folio apud Jacobum du Fuys, evulgata sunt Heidelbergæ 1593 Græce & Latine in folio, ex versione Joannis Langi Silesii, cum notis Friderici Sylburgii. Item Parisiis in folio annis 1615 & 1689, tum denique Coloniæ Agrippinæ, eodem ordine ac modo, anno 1686. Quænam ex illis Operibus impressis legitima sint, quænam spuria, examine diligenti a nobis discutiendum est, quod hucusque nullus præstitit. Extant autem in ultima editione, hoc ordine

Tomo Primo.

Paræneſis ad Græcos pag. 1.

Oratio ad Græcos. pag. 37.

Apologia pro Chriſtiano ad Senatum, populumque Romanum 41.

Apologia pro Chriſtianis II ad Antoninum Pium, Imperatorem Romanum. 53.

De monarchia Dei. pag. 103.

Ariſtotelicorum quorundam dogmatum everſio. 110.

Quæſtiones V ad Græcos, cum Græcorum reſponſione & confutatione reſponſionis iſtius. 159.

Appendix ad Græcos, qua & Ariſtotelis & aliorum Philoſophorum dogmata quædam confutantur. 199.

Quæſtiones Græcanica ad Chriſtianos, de Deo, de Reſurrectione mortuorum &c. cum reſponſione Chriſtiana ad quæſtiones illas. 199.

Tomo Secundo.

Dialogus cum Tryphone, Judæorum tunc temporis facile principe, Epheſi per biduum pro Chriſtiana religione habitus. 217.

Tomo Tertio.

Expoſitio rectæ fidei, ſeu de ſanctæ & conſubſtantiali Deitatis Trinitate. 372.

Quæſtionum ſeu Dubitationum CXLVI ſolutiones ad Orthodoxos. 391.

Epiſtola paræneſica ad Diognetum. 494. atque pagina 503. ſequens.

Epiſtola ethica ad Zenam & Serenum: de quibus omnibus ſigillatim nobis agendum eſt.

Nonnulli autem opinati ſunt, *Paræneſim ad Græcos, Orationem ad Græcos, Apologiam pro Chriſtiano ad Senatum populumque Romanum*, & *Apologiam pro Chriſtianis II ad Antoninum Pium, Imperatorem Romanum*, eſſe quatuor Libros Juſtini Martyris indubios, quorum meminit Photius in Bibliotheca verbis ſequentibus: Τέτταρες δὲ πραγματείας κατὰ τῶν ἐθνῶν συνέταξε, ἃν τὴν μὲν πρώτην Ἀντωνίνῳ τῷ ἐπικλην Πίῳ, καὶ τοῖς υἱοῖς τῇ τε συγκλήτῳ ἐπέδωκε, τὴν δὲ δευτέραν ὁμοίως τοῖς ἐκείνῳ διαδόχοις. ἐν δὲ τῇ τρίτῃ, περὶ Φύσεως δαιμόνων διαλεκται. ὁ δὲ τέταρτος αὐτῷ λόγος ὁμοίως κατὰ τῶν ἐθνῶν συγκείμενος, Ἔλεγχος ἐπιγραφὴν ἔχει. *Porro quatuor adversus Gentes compositi tractatus, quorum primum Antonino cognomine Pio, filiisque ipsius ac Senatui obtulit: alterum similiter ejus successoribus: in tertio autem de Dæmonum natura disserit: quartus sermo & ipse contra Gentes ab eo compositus*, ἔλεγχος *inscriptus est.* Horum quoque locis citatis mentionem fecerunt, tum Eusebius tum Hieronymus, a nobis supra allati. Hanc ob causam nos quatuor tractatus in editionibus Parisiensibus cita-

tis præmiſerunt, quaſi de illis expreſſa fuiſſet mentio in præfatis authoribus. Favent huic ſententiæ, ultimi editores Operum ſancto Juſtino Martyri adſcriptorum, ubi reddentes rationem, cur ordinem immutaſſent in Græcolatinis Operum Juſtini Martyris editionibus, quem Robertus Stephanus in editione Pariſienſi Græca inſtituerat anno 1551 alterum: hæc pauca ſubjungunt. „Nec multum abſimilis ordo eſt, quem cum eodem Euſebio & Hieronymo in Scriptis Juſtini recenſendis, ſecutus eſt „Honorius Auguſtodunenſis Presbyter in libello de luminaribus Eccleſiæ ſive de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Ibi enim *Juſtinus*, inquit, „*Philoſophus de Neapoli urbe Paleſtina, patre Priſco „Bacchio, ſcripſit libros quatuor pro religione Chriſti „contra Gentes & unum de monarchia Dei, & unum „quem prænotavit Pſaltes, & unum de anima, & Di„alogum contra Judæos & inſignia volumina contra „Marcionem, & librum contra omnes hæreſes.* Vbi „cum *quatuor libros pro religione Chriſtiana contra „Gentes* nominat Honorius poſt Photium, in„telligit primum duas Apologias ad Sanctum „& Imperatores Romanos, deinde duas ſive „Apologias ſive Paræneſes ad Gentes: quarum „prior inter alia diſputationem habuit *de Dæmo„num natura*, poſterior ordine quarta ἔλεγχος „inſcripta fuit, ut idem Hieronymus ex Euſebio „refert, & confirmat Tatianus. Sed cum in „noſtris duabus, a quibus nos editionis fecimus „initium, neque *de Dæmonibus* extat diſputatio, „neque ἐλέγχου titulus viſatur: dubium eſt, titu„lorum ne tacta ſit mutatio, an alias quaſpiam „ad Græcos Apologias Euſebius & Hieronymus „intellexerint.„ Hæc nuperi editores Operum Græcolatinorum ſ. Juſtini Martyris, cum formidine & prudentia ſimul, ſententiam quidem ſuam, cur ordinem Græcæ editionis immutaſſent, aperientes: ſed tamen hos quatuor priores tractatus ſuæ editionis Juſtino non abſolute ac poſitive tribuentes.

CAPVT TERTIVM.

OPVSCVLA SANCTO JVSTINO MARTYRI ATTRIBVTA, SIGILLATIM EXAMINANTVR.

Λόγος Παραινετικὸς πρὸς Ἕλληνας, *Oratio exhortatoria ad Græcos ſive Gentiles*, quæ incipit: Ἀρχόμενος τῆς πρὸς ὑμᾶς παραινέσεως, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, εὔχομαι τῷ Θεῷ &c. *Exhortationem apud vos, viri Græci inſtituens, oro Deum &c.* Quod ſpectat igitur ad hanc Orationem Paræneticam, quæritur an a Juſtino Martyre conſcripta fuerit, necne? Affirmant iſtud, quotquot, niſi fallor, Juſtinum recenſuerunt, notisque illuſtrarunt, itemque fere omnes qui Scriptorum Eccleſiaſticorum indices conſcripſerunt. Ipſe Dupinius in noviſſima Patrum Eccleſiæ Bibliotheca, hunc Tractatum Euſebio, Hieronymo, atque aliis veteribus incognitum equidem fuiſſe atque a Juſtini ſtylo abhorrere fatetur, quem illi tamen abſque ulla injuria adſcribi poſſe exiſtimat. Nos illum Juſtino Martyri falſo adſcribi nulli dubitamus, quod ex indubiis veræ criſeos regulis nullo labore conſtare poteſt. 1. enim Juſtinum Gentilibus ſeu paganis parentibus eſſe natum, ac e Philoſophia ad Chriſtianam fidem fuiſſe converſum, certo certius eſt. At e contra conſtat authorem hujus *Orationis Paræneticæ ad Græcos*, ortum fuiſſe Chriſtianis parentibus: unde luce meridiana clarius eſt, eam ad Juſtinum Martyrem ut legitimum parentem, ſpectare nullatenus poſſe. Fuiſſe autem hujus Orationis Paræneticæ ad Græcos parentem ſeu authorem, Chriſtianis parentibus ortum, diſerte profitetur hic author ſub Orationis initium his verbis, ubi de futuro judicio agit: *Quod certe equidem non modo progenitores noſtri divini homines, Prophetæ & legiſlatores: verum etiam qui apud vos habiti ſunt ſapientes, Poetæ ſimul & Philoſophi, veram atque divinam ſe ſcientiam aſſecutos eſſe profeſſi, depradicant: recte me facturum eſſe putavi, ſi primum & noſtra & veſtra religionis auctores ſcrutarer, qui illi tandem, quales, & quibus extiterint temporibus: ut tum illi percepto nunc erroris ſenſu, quæ falſo cognominata religionis cultum a majoribus acceperunt, ex ejuſmodi veteri expediantur fraude & ſeductione: tum vero liquido & manifeſte declaretur, divinorum nos majorum ſacra ſequi & pietatem.* Is ſane non erat gentilis & philoſophus paganus, qualis fuit Juſtinus ante converſionem, qui in hujus Orationis principio, *liquido & manifeſte declarat, divinorum ſe majorum ſacra ſequi & pietatem.*

2. Juſtinus in Dialogo cum Tryphone, refert Judæos ſui temporis verſionem ſeptuaginta viralem non agnoviſſe, illam corrupiſſe, inde varia ſuſtuliſſe atque propria ſacri Codicis explicatione uſos fuiſſe: de quibus vide editionis Colonienſis anni 1686 paginam 297 & ſequentes, itemque 349. At longe aliud author hujus Orationis Paræneticæ, qui pag. 14. ejusdem editionis, vult verſionem ſeptuaginta interpretum, incorrupte in Judæorum Synagogis aſſervatam, a Judæis agnitam fuiſſe, & contra adverſarios quoscunque adhibitam. Quæ quomodo ab uno eodemque Scriptore proponi potuerint, nullus videt. Eſt ergo alius ab Juſtino ſcriptore hujus Orationis Paræneticæ, qui contraria vero Juſtino loquitur. 3. Verus Juſtinus in *Apologia VI.* quæ prima eſſe debet, pag. mihi 82 narrat *opera & inſtinctu malorum Dæmonum, mortis ſupplicium adverſus Hydaſpis aut Sibyllæ aut Prophetarum lectores ſua tempeſtate conſtitutum eſſe, ut per timorem homines abſterreantur ab illis, quominus ſcripta ea legentes, rerum bonarum notitiam percipiant, ſed in ſervitute eorum retineantur.* At author hujus Orationis Paræneticæ, non modo pag. 34 libros Sibyllinos per totum orbem ſparſos eſſe teſtatur, ſed etiam facile eſſe illis qui ſacras literas legere nollent, ex Sibyllæ carmine primordia noſtræ religionis addiſcere. Vnde etiam ibidem pag. 36. omnes ad illorum lectionem cohortatur. Hoc autem ita ſibi pugnans,

gnans, authorem hujus libri a Justino diversum fuisse arguit. 4. Author hujus Orationis, multa quidem ex Platone laudat, quorum & Justinus in Apologia mentionem facit: qui tamen nec minimum usquam, quod Platonis discipulus fuerit, uti de Justino verum est, indicium præbet: nec idem quod Justinus de Platone judicium profert. Magna Platonis est apud Justinum Martyrem authoritas, sed apud hujus Orationis authorem, nulla prorsus, qui ejus hypocrysim & inconstantiam gravissimis ubique verbis castigat. Contra Justinus Martyr, philosophiam Platonicam a Christiana religione non admodum esse alienam, *Apologia I.* pagina 51 docet, eamque propterea non sine veneratione laudat. Hic Platonis & aliorum Philosophorum sententias proponit, in eum potissimum finem, ut quam illæ sint Poetarum carminibus absurdiores, hinc ostendat. 5. Observant Tatianus, Eusebius, Hieronymus, & Photius, Justinum in ea Oratione Parænetica quam ad Gentiles conscripserat, *de Dæmonum natura* disseruisse: cujus tamen argumenti nulla in hoc sermone vestigia extant: unde concludimus hanc Orationem primo loco impressam, esse aliam omnino a legitimo S. Justini Martyris fœtu, qui temporum injuria deperiit. Atque ex his simul sumptis rationibus, hunc sermonem pro genuina Justini Oratione suppositum esse, certo colligimus.

Ejusdem Justini Oratio ad Græcos pag. 37. Μὴ ὑπολάβητε, ὦ ἄνδρες Ἕλληνες, ἄλογον, ἢ ἀνεπίκριτον εἶναί μου τὸν ἐκ τῶν πατρίων ἐθῶν χωρισμόν. *Nolite existimare Græci, nulla me cum ratione, aut nullo cum judicio a vestris ritibus defeciisse &c.* Justino Martyre indigna non est, atque ea forsitan, quam Eusebius & Hieronymus ἔλεγχον nominarunt, licet id asserere nolim. Certo enim Justino Martyri attribui non potest, cui adversam omnino doctrinam author hujus Orationis amplectitur. Nam Justinus in exordio Dialogi cum Tryphone asserit pag. 223 pias animas in loco quodam meliore manere, injustas vero & pravas in deteriore, judicii tempus expectantes. *Verum neque mori universas animas affirmo, lucrosum namque hoc esset revera malis. Quid igitur? Pia quidem in loco quopiam meliore manent, injusta vero & prava in deteriore, judicii tempus expectantes. Hoc namque modo quæ dignæ sunt, ut coram Deo appareant, non moriuntur amplius: illæ autem excruciantur, quoad eas & esse & excruciari velit Deus.* Hauserat Justinus Chiliasta tum somnium illud a Judæis, quo persuasus putavit pios post resurrectionem, ante judicium extremum & seculi consummationem, habituros corporale regnum: quod tractu temporis evanuit. At scriptor hujus orationis, animam vinculis carnis solutam, statim omni dilatione remota ad Deum suum abire contendit, ita concludens Orationem: Ἐπιθυμίας οὖν ἀπαλλαθείσης, ἐνθὺς ἡ ψυχὴ καὶ γαληνιῶσα γίνεται. περιλυθεῖσα δὲ τῶν περὶ τὸν τράχηλον αὐτῆς πατῶν περιέ-

ξεόντων, ἀπέρχεται πρὸς τὸν ποιήσαντα αὐτήν. δεῖ γὰρ ἀποκατασταθῆναι ὅθεν ἀπέστη, ὅθεν τις ἐγένετο, ἢ ἐστιν. *Cupiditate igitur expulsa, tranquillitatem & serenitatem anima consequitur. Soluta autem malis, quæ cervicem ejus circumstant, ad eum abit, qui ipsam condidit: in eum enim locum oportet restitui, unde abscessit.* Non igitur hæc Oratio ad Justinum Martyrem spectat, qui se Millenarium profitetur formaliter, in Dialogo cum Tryphone pag. 307. littera B.

Ejusdem Justini ad Senatum Romanum pro Christianis Apologia seu defensio. Καὶ τὰ χθὲς δὲ καὶ πρώην ἐν τῇ πόλει ὑμῶν γενόμενα ἐπὶ Οὐεβίκᾳ, ὦ Ῥωμαῖοι p. 41. *Quæ heri & proximis diebus in urbe vestra, o Romani, sub Vrbico accidere &c.*

Ejusdem Justini pro Christianis Apologia seu Defensio II ad Antoninum Pium pag. 53. Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ Ἀντωνίνῳ εὐσεβεῖ &c. *Imperatori Tito Ælio Adriano Antonino Pio &c.*

Quod ad numerum Apologiarum a Justino conscriptarum atque adhuc ut creditur extantium attinet, de eo dissensio magna est. Nam Harduinus nullam omnino genuinam Justini Apologiam superesse existimat, uti ex novissimo tomo *Bibliotheca Vniversalis* intelleximus. Juxta autem Scaligerum Apologia secunda amplius non extat, cui tamen prolixe, ac ut mihi videtur solide respondit, Cl. Kortholdus, in libro *de persecutionibus Ecclesiæ primitiva.* Superesse duas atque illas ipsas quidem quæ in Operibus Justini editis conspiciuntur, omnium ferme eruditorum communis est sententia, de quibus paullo latius hic mihi disputandum incumbit. Nullum dubium sine, quin duas pro Christianis Apologias variis temporibus Justinus Martyr conscripserit. Ambarum diserte meminerunt scriptores fere omnes, qui de Justini Operibus egerunt, Eusebius, Hieronymus, Photius, Honorius Augustodunensis, & alii. Atque Eusebius quidem Cæsariensis qui eas legerat, utriusque mentionem expressam facit tum in Chronico, tum in Historia Ecclesiastica, a quo Hieronymus atque alii acceperunt. In Chronico *prioris* quidem ad annum Antonini Pii IV Christi CXLIV. *posterioris* ad annum illius XIII, Christi CLIII. In Historia Ecclesiastica *prioris* quidem Libro 4. *Historiæ* cap. XI *posterioris* cap. 16 & 17. quamvis in hoc cap. 17. Apologia prima mendose pro secunda allegata sit, ut recte in notis observavit Cl. Valesius. Nullus ergo quantævis eruditionis, qui contra oculatum testem Eusebium Cæsariensem venire audeat.

Henricus Valesius *Annotationibus* in librum II Historiæ Ecclesiasticæ Eusebii Pamphili pag. 32. ad caput 13 Lib. 2 ad hæc Eusebii verba ἐν τῇ προτέρᾳ πρὸς Ἀντωνῖνον ἀπολογίᾳ, notat hunc Justini locum non in priore, sed in secundo ejus Apologetico hodie extare. "Verum Eusebi-" us, inquit, in citandis Justini Apologeticis, ali-" um ordinem secutus est, quam vulgatæ editi-" ones. Primum enim semper vocat eum, qui"

in

„in vulgatis editionibus eſt ſecundus: & ſecun-
„dum qui vulgo eſt primus. Qua de re pluri-
„bus infra diſputabitur. Et in Annotationibus
„ad cap. 16 Libri 4. pag. 75. ad hæc verba δευτε-
„ρον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀνεδὸς.
„Euſebius infra cap. 17 mentionem iterum facit
„hujus ſecundi Apologetici, quem Juſtinus
„Imp. M. Aurelio Antonino pro Chriſtianis di-
„caverat. Ejusdem libri meminit etiam Hie-
„ronymus in opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*
„Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis pag.
„201. ait hunc ſecundum Juſtini Apologeti-
„cum, cujus hoc loco mentionem facit Euſebi-
„us, hodie non extare, idque palam eſſe affir-
„mat. In quo tamen longe fallitur. Etenim
„Euſebius, poſtquam dixit Juſtinum philoſo-
„phum ſecundam pro Chriſtianis Apologiam
„M. Aurelio Antonino obtuliſſe, ſtatim ex ea-
„dem oratione inſignem locum affert, quo Ju-
„ſtinus adverſus Creſcentem Cynicum philo-
„ſophum invehitur. Qui quidem locus hodie
„extat in Apologia prima impreſſa ejusdem Ju-
„ſtini pag. 46. editionis Pariſienſis Græco-lati-
„næ. Verum in vulgatis Juſtini editionibus,
„Orationes illius Apologeticæ præpoſtero or-
„dine collocatæ ſunt. Nam quæ ſecunda po-
„nitur in excuſis exemplaribus, ea priore loco
„poni debuit. Quæ vero in editionibus prima
„recenſetur & ad Senatum Romanum inſcripta
„eſt, ea poſteriore loco collocari debet, ut plu-
„ribus infra dicturi ſumus. Idem pag. 76 An-
„notationibus in caput 17 ad hæc verba ἐν τῇ
„προτέρᾳ αὐτοῦ μνημονίου ἀπολογίᾳ. Scriben-
„dum eſt ἐν τῇ δευτέρᾳ, ut recte conjecit Doctiſ-
„ſimus Petavius in animadverſionibus ad hære-
„ſim XLVI Epiphanii, & Petrus Halloixius in
„vita S. Juſtini cap. 26. Quippe Euſebius alio
„ordine Apologias Juſtini recenſet, quam quo
„nunc editæ ſunt. Eam enim quæ in vulgatis
„editionibus ſecunda inſcribitur, & Antonino
„Pio nuncupata eſt, Euſebius priorem appellat,
„ut videre eſt in cap. 12. lib. 4 & in cap. 18 ejus-
„dem libri. Sed & in libro 2 cap. 12 ubi Juſti-
„num de Simone Mago loquentem inducit, lo-
„cum affert ex priore ejus Apologetico, qui in
„ſecunda Juſtini Apologia hodie legitur. Quæ
„vero in vulgatis editionibus Apologia prima
„dicitur & ad Senatum inſcribitur, eam Euſebi-
„us ſecundam vocat, ut videre eſt in cap. 16. &
„Marco Aurelio Antonino poſt Imperatoris Pii
„obitum, a Juſtino oblatam eſſe dicit in cap. 16
„& 18. Ego vero quod quidem ſpectat ad or-
„dinem Apologiarum Juſtini, facile Euſebio aſ-
„ſentior: & illam quæ ad Senatum vulgo inſcri-
„bitur, poſteriorem eſſe concedo: præſertim
„cum videam idem placuiſſe viris doctiſſimis,
„Bellarmino, Baronio, & iis quos ſupra memo-
„ravi. Sed & Georgius Syncellus in Chroni-
„co, ejusque interpres Anaſtaſius Bibliotheca-
„rius ad annum Chriſti 46 prorſus cum Euſebio
„conſentiunt. Sed quod priorem Juſtini Apo-
„logeticum M. Aurelio Antonino nuncupatum
„eſſe ſcribit, in eo non poſſum illi aſſentiri. Nec
„ignoro viros doctiſſimos quos ſupra memoravi,
„cum Euſebio conſentire. Sed quicunque rem
„ipſam accuratius expendere voluerit, inveniet
„profecto Apologeticum illum, non ut ſcribit
„Euſebius Marco Aurelio, ſed potius Antoni-
„no Pio nuncupatum eſſe. Nam initio Apolo-
„getici ait Juſtinus mulierem illam Chriſtia-
„nam, cum a viro accuſata eſſet, dediſſe libel-
„lum Imperatori, καὶ ἡμεῖς βιβλίδιον σοὶ τῷ αὐτο-
„κράτορι ἀνεδώκαμεν. Quod ſi Apologeticus ille
„ſucceſſoribus Antonini Pii dicatus fuiſſet, ut
„vult Euſebius; certe Juſtinus in plurali nu-
„mero dixiſſet ὑμῶν τοῖς αὐτοκράτορσιν: Marcus
„enim & Verus ambo ſimul erant Auguſti. *Se-*
„*cundo* ſcribit Juſtinus, Lucium quendam cum
„Ptolemæum Chriſtianum ad ſupplicium duci
„videret, his verbis judicem compellaſſe, ὃ πρέ-
„πουτα ὑιοθεσίᾳ αὐτοκράτορι, οὐδὲ φιλοσόφῳ πεῖσα-
„ι τοιαῦτ. Id eſt, *non hæc decent Imperatorem*
„*Pium, non philoſophi Cæſaris filium.* Apud Euſe-
„bium in cap. 17 lib. 4 rectius legitur, οὐδὲ φιλο-
„σόφου, quam lectionem manuſcripti codices
„confirmant. Quis eſt igitur qui non videat
„Antoninum Pium hic deſignari? Nam & co-
„gnomentum ipſum ὑιοθεσίᾳ id ſatis indicat, &
„quod ſequitur de philoſopho Imperatoris filio,
„ſententiam noſtram manifeſte confirmat. Di-
„cet forte aliquis, nomine Imperatoris Pii Mar-
„cum deſignari, quippe qui patris ſui cognomen
„aſſumpſerit. Sed ſi hoc conceditur, quiſnam
„erit ille philoſophus Cæſaris filius? Cur Luci-
„um Verum Auguſtum hic omiſiſſet Juſtinus,
„cum in priore Apologetico ejus mentionem
„faciat? An non luce clarius apparet, Antoni-
„num Pium hic a Juſtino deſignari, cui Apolo-
„geticum ſuum inſcripſit? Adde quod Vrbi-
„cus ille Præfectus, cujus ibidem meminit Juſti-
„nus, vixit ſub Antonino Pio. Is enim eſt Lol-
„lius Vrbicus, qui Legatus Imperatoris Britan-
„nos compeſcuit, ut refert Capitolinus in vita
„Antonini. Eum urbis Præfectum fuiſſe im-
„perante Pio, docet Apulejus in Apologia ſub
„initium. Nam cum Apulejus eam orationem
„habuerit ſub Pio, ut ipſemet in ea oratione te-
„ſtatur, Lollium quoque Vrbicum Præfectum
„urbi, a quo Æmilianum damnatum fuiſſe dicit,
„ſub eodem Pio fuiſſe dicendum eſt. De eo-
„dem Q. Lollio Vrbico Præfecto urbi vetus ex-
„tat inſcriptio, apud Gruterum pag. 38. Hæc
„ſunt rationes, quibus inductus Apologeti-
„cum poſteriorem Juſtini non Marco Aurelio,
„ſed Antonino Pio nuncupatum eſſe contendo.
„In vulgatis quidem editionibus is Apologeti-
„cus inſcribitur ad Senatum Romanum. Ve-
„rum aut falſa eſt hæc inſcriptio, aut Senatus
„nomine ipſe quoque Imperator ſubaudiendus
„eſt. Nam Juſtinus in eo Apologetico Impe-
„ratorem ipſum alloquitur, ut patet ex eo loco
„ſupra citato, καὶ ἡμεῖς βιβλίδιον σοὶ αὐτοκράτορι
„&c. Sed & pag. 47 ejusdem Apologetici de
„Creſcente loquens, & de diſputationibus quas

cum

„cum illo habuerat, Imperatorem ipſum com-
„pellat his verbis: *ἐι μὴ ἐνηνέχθησαν ὑμῖν αἱ κατ-*
„*ηγορίαι τῶν λόγων, ἕτοιμός εἰμι καὶ ἐφ' ὑμῶν κατηγορεῖν*
„*τῶν ἐραστῶν πάλιν. Βασιλικὸν δ' ἂν καὶ τοῦτο*
„*ἔργον εἴη.* Quid his verbis clarius eſſe poteſt?
„Ait enim Juſtinus, rem eſſe dignam Imperato-
„ria majeſtate, audire hujusmodi diſputatio-
„nes. Denique in fine ejusdem Apologetici,
„id ipſum indicat Juſtinus his verbis, *καὶ ὑμᾶς*
„*οὖν αἰτοῦμεν ὑπογράψαντας τὸ ὑμῖν δοκοῦν, προθεῖ-*
„*ναι τοῦτο τὸ βιβλίδιον* &c. Id eſt, *vos igitur ro-*
„*gamus, ut poſtquam ſubſcripſeritis quodcunque vo-*
„*bis viſum fuerit, libellum hunc proponatis.* An
„hæc verba alteri convenire poſſunt, quam Im-
„peratori? Neque enim alius quam Impera-
„tor, libellis precum ſubſcribendi jus habet.
„Porro Juſtinus libellum vocat Apologiam ſu-
„am, petitque ab Imperatore, ut eam publice
„proponat, quo veritas ab omnibus agnoſci poſ-
„ſit. Et paulo poſt ſubjicit, *ἐὰν δὲ ὑμεῖς τοῦτο*
„*προγράψητε* &c. id eſt: *Quod ſi hoc edictum*
„*propoſueritis &c.* Quæ certe nonniſi de Impe-
„ratore dici poſſunt, cujus eſt Edicta propone-
„re, aut certe mandare ut proponantur. Errat
„igitur Petrus Halloixius, qui in vita S. Juſtini
„cap. 26 & in notationibus ad cap. 9. negat Juſti-
„num in toto illo Apologetico vel ſemel Impe-
„ratorem alloqui. Vides enim quatuor loca
„ex eo libro a me eſſe citata, in quibus Juſtinus
„Imperatorem ipſum affatur. Cæterum ex
„his quæ dixi colligi poteſt, Juſtinum ſub Anto-
„nino Pio, non autem ſub Marco feciſſe mar-
„tyrium. Nullam enim aliam cauſam habuit
„Euſebius, cur Juſtini martyrium in tempora M.
„Aurelii conferret, niſi quod ſecundum Apolo-
„geticum Marco dedicavit. Atqui certiſſimis
„argumentis oſtendi, Apologeticum illum Pio
„nuncuparum fuiſſe. Ruit ergo funditus Eu-
„ſebii ratio atque ſententia. Quid quod Euſe-
„bius ipſe in chronico, eumque ſecutus Geor-
„gius Syncellus, Juſtini martyrium temporibus
„Antonini Pii videtur adſcribere, atque ita di-
„ſerte ponit Michael Glycas in Annalibus. Hæc
„Valeſius locis citatis, de ordine Apologiarum
„Juſtini, quam utramque adhuc extare arbitra-
„tus eſt.„

CAPVT QVARTVM.

PRIMA APOLOGIA JVSTINI IN EDITIS, VERE SECVNDA EST, QVÆ SINGVLARIVS JAM EXCVTITVR.

RECte ſatis ut antea monuimus, annotavit Valeſius Apologiam Juſtini ſecundam ab Euſebio primam appellatam & citatam, ac vice verſa primam appellari ſecundam. In hoc cum Valeſio & aliis ferme omnibus eruditis ego convenio *Apologiam primam* Juſtini in editis, ab his verbis incipientem, *καὶ τὰ χθὲς δὲ καὶ πρώ-*
ην ἐν τῇ πόλει ὑμῶν γενόμενα ἐπὶ Οὐρβίκου &c. eſſe verè Apologiam Juſtini ſecundam, cujus occaſione Creſcentis iram & indignationem hujus Cynici promeritus, martyrium conſummarit: Apologiam autem in editis ſecundam incipientem *Αὐτοκράτορι Τίτῳ Αἰλίῳ Ἀδριανῷ* &c. eſſe vere Juſtini primam: ſed conſentire non poſſum, Apologiam Juſtini vere ſecundam, ſemper ab Euſebio vocatam eſſe primam, imo diſerte ea vocatur ab illo ſecunda, lib. 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 16. quod poſitive contra Valeſium eſt. Hoc ex ſequentibus conſtare Euſebii verbis poteſt. *Iisdem temporibus & Juſtinus cujus ſupra mentionem fecimus, cum alterum librum pro fidei noſtræ defenſione Imperatoribus ſuperius memoratis obtuliſſet, ſacro martyrio exornatus eſt, fraude ac machinationibus Creſcentis philoſophi, qui vivendi rationem prorſus convenientem ac reſpondentem Cynicæ appellationi æmulabatur. Quem cum ille diſputans audientibus plurimis convicisſet, tandem veritatis illius quam prædicaverat, præmium martyrio conſecutus eſt. Hunc autem exitum vitæ, idem ille veræ ſapientiæ ſtudioſiſſimus ſectator, in ſupra dicto Apologetico aperte prout erat ipſi propediem eventurus, prædixit his verbis: Ego etiam expecto ne ab aliquo eorum qui philoſophi appellantur, inſidiis appetar, & in nervum compingar: ab ipſo forſitan Creſcente, veræ philoſophiæ ignaro, & vanitatis potius quam veritatis amatore &c.* Vbi poſitive hæc verba attribuit ſecundæ Juſtini Apologiæ, ob quam mors ejus a Creſcente philoſopho procurata eſt: quæ vere Juſtini ſecunda Apologia eſt, quanquam in editis prima ſit. Non ergo ſemper Euſebius appellavit primam Juſtini Apologiam quæ vere ſecunda, nec ſecundam, quæ vere prima eſt. Nam quæ toto illo cap. 16 l.b. 4 ab Euſebio citantur ex Apologia Juſtini ſecunda *δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδὺς τοῖς δεδηλωμένοις ἄρχεται* &c. vere ad ejus Apologiam ſecundam ſpectant, quæ in editis prima eſt, licet forſitan integra non ſit. Neque facit contra meam hanc mentem, quod idem cap. 17 attribuat priori Juſtini Apologetico, quæ vere ſpectant ad ſecundum, *ἐν τῇ προτέρᾳ αὐτοῦ μνημονέυει ἀπολογίᾳ*: atque hoc caput hniat his Juſtini verbis, *Ego etiam*, inquit, *expecto dum ab aliquo eorum qui philoſophi appellantur, inſidiis appetar &c.* quæ cap. præcedenti formaliter Apologetico ſecundo attribuit, ac vere ad Apologiam ſecundam ſpectant. Fefellit Valeſium ambiguitas hujus vocis *ἐν τῇ προτέρᾳ αὐτοῦ ἀπολογίᾳ*, quam interpretatus eſt in rigore *in priore Apologetico*: cum potius debuiſſet interpretari *in præcedente ipſius Apologetico*, id eſt de quo cap. præcedenti mentionem fecerat. Apologeticus autem cujus in hoc capite is mentionem facit, ſecundus eſt, *δεύτερον ὑπὲρ τῶν καθ' ἡμᾶς δογμάτων βιβλίον ἀναδὺς*: unde quæcunque habet his duobus Capitibus 16 & 17, ex ſecunda ejus Apologia deſumpta ſunt. Alias abſurdam & intolerandam admiſiſſet inconſtantiam & levitatem. Euſebius, dum capite 16 hæc verba, *Ego etiam expecto ut ab aliquo eorum &c.* attribuit Apologiæ ſecundæ, quæ cap. 17 attribuiſſet eadem, Apologiæ primæ. Idem quoque contra

Valeſium patebit ad oculum, ex iis quæ Euſebius allegat de Simone Mago Lib. 2. *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* cap. 13. ex priore Juſtini Apologetico ἐν τῇ πρωτέρᾳ ἀπολογίᾳ, quæ vere ſpectant ad primam Juſtini Martyris Apologiam, in editis ſecundam: ubi illa habentur in editione Colonienſi pag. 69. littera D. Non ergo ſemper Euſebius allegavit Apologiam Juſtini primam pro ſecunda, vel ſecundam pro prima, ut vult Valeſius.

An autem Apologia Juſtini ſecunda, quæ in editis prima eſt, integra ſit, ambigitur. Volunt nonnulli hanc Apologiam Juſtini ſecundam, in editis primam, nihil aliud eſſe quam farraginem fragmentorum ex antiqua & genuina Apologia, atque aliis Juſtini operibus collectorum, idque accurate illam perlegenti ita in promptu eſſe, ut res fere diſputatione non egeat. Non modo enim nulla in hac Apologia connexio obſervari poteſt, ſed & quæ inter ſe connexa fuerunt, inſertis aliis, quæ a ſcopo authoris aliena ſunt, disjunguntur: ita ut in impreſſis obturbata ſint & interpolata, quæ in vera & genuina Juſtini ſecunda Apologia, conſequenter & ordinate procedebant. Id ut uno tantum exemplo doceamus, quæ extant in editione Colonienſi pag. 41. 42 & 43 uſque ad hæc verba, καὶ ἄλλῳ δὲ τρίτῳ ἐπελθών, πολασθῆναι προσετιμήθη: Littera C. *Ad quos tertius alius acceſſit, in quem ſupplicio quoque eſt animadverſum.* At ex Euſebio Lib. 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* cap. 17 poſt verba ſtatim allata, ſequi deberent alia, *Deinde Juſtinus apte & conſequenter ea verba ſubjungit quæ ſuperius memoravimus:* Ego etiam, inquit, expecto, dum ab aliquo eorum qui philoſophi appellantur, inſidiis appetar &c. quæ in Apologia Juſtini impreſſa non habentur pag. 43 Littera C. ut haberi juxta Euſebium deberent, ſed tantum pag. 46 Littera E. *Et ego igitur expecto &c.* uſque ad pag. 47. Littera E. usque ad hæc verba inclusive: *Sed impoſſibile eſt homini Cynico, qui finem promiſcuum nullo adhibito rerum vitaque certo delectu, eſt amplexus, bonum aliud noſſe, quam adiaphoria, & inordinata hujusmodi confuſione & indifferentia.* Hæc prima impreſſorum interpolatio, quæ ex Euſebio manifeſte conſtat.

Interpolatione autem iſta eo quo diximus modo ſanata, redeundum eſt ad pag. 43. in impreſſis Littera C. ab his verbis, *Ne vero quispiam dicat, omnes vos igitur vobis ipſis afferte manus, atque ad Deum jam nunc ite, neque nobis negotium faceſſite &c.* pag. 43. 44. 45. ad pag. 46. E. ad hæc verba, *Hoc enim ita cum Prophetæ omnes prælocuti ſunt, tum & ipſe doctor noſter Jeſus docuit eſſe futurum.* Immediate autem poſt iſta, ſubjungi debet (ut videtur) objectio quam ſibi facit Juſtinus de Philoſophis de quibus antea locutus fuerat, quæ in editis habetur pag. 47 Littera E. & ab his verbis incipit: *Ne vero quiſpiam dicat, id quod a philoſophis (ut eſſe putantur) jactatur, voces eſſe inanes & terriculamenta &c.* pag. 48. 49. usque ad 50 littera A. ad hæc verba, *Omnia igitur propter res & expetendas & fugiendas, rationem & cogitationem illam ſecum trahunt, ut magno mortem contemnamus animo.* Quæ porro immediate ſequuntur pag. 50 Littera A. B. de Juſtini converſione his verbis: *Nam & ego ipſe Platonis diſciplina ſectator, cum calumnioſe audirem Chriſtianos deferri, intrepide autem ad mortem, & alia quæ terribilia eſſe videntur omnia, adire conſpicerem: ſtatui ipſe mecum, fieri haud quaquam poſſe, ut illi in vitiorum pravitate & voluptatum amore viverent. Quis enim voluptatis ſectator, aut per animi potentiam intemperans, & humanarum carnium dapes pro bono ducens, mortem libenter complecti queat, ut bonis ſuis ſeipſum privet: ac non potius modis omnibus, ut hanc ſibi continenter vitam agere, & celando Principes & Magiſtratus faliere liceat, operam navet, nedum per denuntiationem & indicium ſeipſum cadi offerat?* Hæc (inquam) quamvis non inveniuntur in Apologia prima Juſtini quæ in editis ſecunda eſt, deſumpta tamen ex illa videntur, atque in Apologiam ſecundam translata, ut patet ex teſtimonio Euſebii, qui eadem refert Libro 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* cap. 8. ut in eadem Apologia prima Juſtini contenta, quamvis in eadem ut nunc impreſſa extat, non reperiantur. Aliter autem de exemplo Antinoi & de bello Judaico, quæ ab eodem Euſebio ibidem ex Apologia prima allegantur, atque in eadem inveniuntur pag. 72 litteris A. & E. Colonienſis editionis.

Denique quæ ſequuntur in editis, ab his verbis pag. 50 littera C. *Jam vero & illud, ut a malis quibuſdam hominibus fieret, pravi effecerunt genii &c.* connexionem habere videntur inter ſe, atq; ad hanc Apologiam Juſtini ſecundam ſpectare, usque ad finem. Quamvis nonnulli ut jam diximus contendant, hanc ſecundam Apologiam omnino interiiſſe, atque eam quam habemus impreſſam, nihil aliud eſſe quam fragmenta ex Juſtini operibus in unum tumultuarie, atque absque ordine & connexione, comportata.

Ad calcem *Apologiæ pro Chriſtianis primæ*, quæ in editis ſecunda eſt, addita eſt *Epiſtola nomine Marci Aurelii Imperatoris* pag. 101. quam multis probat Joſephus Scaliger ad annum MMCLXXXIX Chronici Euſebiani, infra ſeculum Juſtiniani confictam fuiſſe, ab imperitiſſimo rerum Romanarum Græculo. Videant autem eruditi, an Apologiæ iſtius excerptorum confuſionem atque metatheſim ſanaverit & correxerit Joannes Erneſtus Grabe, qui anno hoc 1700 edidit, Oxonii Græce & Latine in 8. *Sancti Juſtini Philoſophi & Martyris Apologiam I. pro Chriſtianis, ad Antoninum Pium*, cum latina Joannis Langi verſione, quamplurimis in locis correcta, ſubjunctis emendationibus & notis Roberti ac Henrici Stephanorum, Perionii, Billii, Sylburgii, Scaligeri, Halloixii, Caſauboni, Montacutii, Grotii, Salmaſii, Valeſii, Cotelerii, pluribusque novis additis. Adnexis inſuper, poſt præmiſſam Langi præfationem, qua ſummam hujus Apologiæ enarravit, ad calcem operis, Langi & Kortholdi adnotationibus. Idem Johannes

hannes Ernestus Grabe *Dissertationem confecit in Justini Martyris vitam & Opera*, quorum ille fragmenta collegit Tomo 2. *Spicilegii SS. Patrum seculi secundi*, quod Oxonii eodem anno 1700. impressum in 8. est, quodque Eruditi consulere possunt, nempe a pagina 133 ad 203.

Denique Joannes Clericus vir emunctæ naris, annotationes non contemnendas in *Apologiam primam Sancti Justini Martyris* habet *Bibliotheca Selecta* tomo 2 anni 1703 pag. 328 ad 352 & tomo 3 anni 1704 pag. 372 ad 394 quæ attentionem merentur, licet negligentiam Justini oscitantiamque in multis demonstrative ostendant. *Apologia* etiam *Justini Martyris secunda pro Christianis, Oratio cohortatoria, Oratio ad Græcos, & de Monarchia* cum notis Joannis Ernesti Grabii & aliorum, Oxonii editæ Græce & Latine anno 1703 in 8.

CAPVT QVINTVM.

ALIA SANCTO JVSTINO MARTYRI ATTRIBVTA OPERA EXPENDVNTVR.

PLura quam ea quæ in libros sequentes sub Justini nomine editos annotavimus, si quis desideret, recurrat ad *Commentarium in Justini Martyris Opera*, quem Christianus Kortholtus anno 1686 in folio edendum curavit, sub hoc titulo, *Christiani Kortholti in Academia Kilonienſi, S. Theologiæ Professoris, in Opera Sancti Justini Martyris, Sancti Athenagoræ, Theophili Antiocheni & Tatiani, Commentarius*, Lipsiæ Græce & Latine anno 1686 in folio.

Ejusdem Justini *de Monarchia Dei* pag. 103. *Cum principio natura humana conjunctionem sapientiæ & salutis sive religionis, ad cognitionem veritatis &c.* Dubium nullum est, quin Justinus unum Librum *de Dei Monarchia* scripserit, cujus testimonium perhibent Eusebius lib. 4 *Historia Ecclesiastica* cap. 18. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Photius in *Bibliotheca*, & alii: sed quæstio est an liber *de Monarchia Dei* qui Græce & Latine extat tomo 1. Operum S. Justini martyris, vere ad Justinum pertineat. Negat Joachimus Perionius in Observationibus suis ad Justini opera, his verbis: *Libellus hic de Monarchia vel perfectus non est, vel certe alterum* de Monarchia *Justinus scripsit. Eusebius enim Cæsariensis Lib. 4. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 18 commemorat eum librum* de Monarchia Dei *scripsisse, quam non solum nostris, id est divinis, sed etiam Gentilium scriptis confirmaverit: cum hoc in libello scriptis testimoniisque eorum tantum, qui a religione nostra alieni fuerunt, probet. Quod etiam hinc intelligi licet, quod hic inscriptus est tantum* de Monarchia, *& is cujus mentionem facit Eusebius, itemque Photius & Suidas* de Monarchia Dei *ab illo inscriptus esse credatur. Hunc autem alterum videri aut esse potius, declarant quæ ex principio hujus libelli author iste scribit, se ex Poetis Græcorum testimonia sumpsisse, non ex nostris scripturis.* Hæc Joachimus Perionius loco citato, cui assensum præbent Andreas Rivetus Lib. 2 Critici sacri cap. 5. num. 5. Abrahamus Scultetus in *Medulla Theologiæ Patrum* Lib. 1. cap. 9. pag. mihi 24. atque alii.

Aristotelicorum quorundam dogmatum eversio ad Paulum Presbyterum pag. 110. *In his rebus, quæ humano studio ab hominibus colendi Dei gratia recta sunt, nihil illi tam gratum &c.* Antonius Possevinus tomo I. *Apparatus Sacri* verbo *Justinus Martyr*, negat hunc Tractatum vere Justini esse, his verbis: *Perionius adscribit Justino, quæ in Aristotelem scripta sunt, cum Justinus ea non scripserit.* Item sentire videtur Cæsar Baronius tomo 2. *Annalium* ad an. Christi 165 num. 8. & notat Sylburgius in annotationibus posterioribus ad Justinum pag. 86 vers. 13. Joachimum etiam Perionium animadvertisse, hunc librum esse multo prolixiorem eo, quem Photius in *Bibliotheca* a Justino scriptum dicit. Nam Photius Justinum in primum & secundum Physicorum Aristotelis scripsisse ait: cum hic etiam in tertium, quartum, quintum & octavum Physicorum & præterea in 1. 2 & 3. de *Cælo* scripsisse videamus. Opus ergo istud aliud omnino ab eo, quod a Photio sub Justini nomine indigitatum est. Præterea cum Justinum Photius scripsisse dicat contra *quintum corpus* seu *quintam naturam & essentiam* & contra *motum æternum*, incertum esse, de hoc ne, an de alio separato tractatu id Photius intellexerit. Ad hæc ex ipsa authoris ad Paulum præfatione hoc intelligi, non in solum tantum Aristotelem; sed contra omnes Gentiles & philosophos scriptum esse hunc librum, dum significat a se postulatam esse βραχεῖαν τινὰ ἐπλογὴν τῶν Ἑλληνικῶν περὶ Θεοῦ κτίσεως δογμάτων. Cum igitur in hoc tractatu sententia tantum Aristotelis de istis rebus refellatur, non inepte aliquis conjecerit, hujus Opusculi esse partem & Appendicem, primum *Quæstiones quinque ad Græcos cum Græcorum responsione & responsionis illius confutatione* pag. 159. secundo *Appendicem ad Græcos, qua & Aristotelis & aliorum Philosophorum dogmata quædam confutantur* pag. 196. Tertio loco *Quæstiones Græcanicæ ad Christianos de Deo, de Resurrectione mortuorum* p. 199. *cum responsione Christiana ad quæstiones illas* p. 201. *& responsione ad quæstionem de Resurrectione mortuorum* p. 208. Denique mirum videtur Joachimo Perionio, quod Justinus qui ante annos mille quadringentos & triginta vixit, ad unum Paulum scribens, illum compellando, utatur numero multitudinis. Sic enim inquit, ταύτην προθυμίαν ἐν ὑμῖν, ὦ τιμιώτατοι πρεσβύτερε Παῦλε, σφόδρα ἔσαν διάπυρον ὁρῶν, ἑτοίμως ὑμῖν ὑπέσχετο περὶ ὧν συνετέλεσθέ μοι. & quæ sequuntur. Cujus generis est quod Sylburgio scrupulum injicit pag. 160 linea 18 ἐπειδὴ ἔδοξε τῇ σῇ θεοσεβείᾳ τὸ καὶ παρ' ἡμῶν ἐγγράφως ἐλεγχθῆναι τὸ λόγῳ τὸ ἀσύστατον: *Sed enim cum pietati tuæ placitum sit, ut & a nobis scripto, instabilitas argumentationis istiusmodi redarguatur &c.* cum illa periphrasis sit posteriorum temporum, nec alibi a Justino usurpata. Hæc Sylburgius ex Perionio, in posterioribus ad Justinum annotationibus, pag. 49. editionis Colonienſis, quas amplectitur

plectitur Rivetus Lib. 2 *Critici ſacri* cap. 5. pag. mihi 196.

Quæſtiones V ad Græcos cum Græcorum reſponſione & reſponſionis illius confutatione pag. 159. Εἰ τῷ μεγίστῳ ἐν ἀνθρώποις ἀγαθῷ &c. *Si ſummo hominum bono ſummum opponitur malum &c.* quas Juſtini eſſe negat Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro* his verbis. "*Librum quæſtionum Gentibus a Chriſtianis poſitarum non eſſe Juſtini certum eſt: nam in prima reſponſione, & in reprehenſione reſponſionis, nominantur ſæpiſſime Manichæi, qui fuerunt centum annis & amplius, Juſtino poſteriores.* Idem cenſet Sylburgius primis Annotationibus in Juſtinum Martyrem pag. 15 editionis Colonienſis, his verbis. Porro cum verſu V & in ſequentibus aliquoties Manichæorum fiat mentio, quorum hæreſis poſt Juſtinum annis fere CXXX exorta eſt: (Nam Juſtinus vixit annis poſt Chriſtum CL ut ipſe ſupra teſtatur pag. 82. lin. 13. Manes autem Manichæam hæreſim effudit ſub Caro & Carino Imperatoribus, anno Chriſti circiter CC LXXXII. ut ex Zonara & aliis colligere eſt) non vana conjectura eſt, hæ non eſſe Juſtini: præſertim cum & ſtilus hic a ſuperiore nonnihil paſſim diſcrepet." Idem Andreas Rivetus, loco citato. Abrahamus Scultetus in Medulla Patrum Lib. 1. cap. 12. pag. mihi 31. Idem quoque judicium ferunt de *Appendice ad Græcos, qua & Ariſtotelis & aliorum Philoſophorum dogmata quædam confutantur*, pag. 196 & de *Quæſtionibus Græcanicis ad Chriſtianos de Deo, de Reſurrectione mortuorum* pag. 199 *cum reſponſione Chriſtiana ad quæſtiones illas* pag. 201. & *reſponſione ad quæſtionem de Reſurrectione mortuorum* pag. 208.

Dialogus cum Tryphone, Judæorum tunc temporis facile principe, Epheſi per biduum pro Chriſtiana religione habitus. pag. 217. Περιπατοῦντι μοι ἔωθεν ἐν τοῖς τοῦ ξύστου περιπάτοις &c. *Deambulanti mihi mane in Xyſti ambulacris &c.* Opus Juſtini indubitatum, cujus mentionem faciunt, Euſebius Cæſarienſis Lib. 4. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 18. Sanctus Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Photius in *Bibliotheca*, & alii.

Expoſitio recta fidei ſeu recta Confeſſionis de ſancta & conſubſtantiali Deitatis Trinitate. pag. 372. *Cum abunde ſatis Judæos juxta & Græcos orationibus noſtris confutavimus &c.* Hanc Expoſitionem fidei genuinum Juſtini Martyris fœtum non eſſe cenſet Abrahamus Scultetus Lib. 1. *Medulla Patrum* cap. 10. pag. 25. his rationibus. 1. Stilus in hoc libro nitidior eſt, quam in Paræneticis & Apologeticis ad Græcos, & in Agnoſticis ad Tryphonem. Id quod Magdeburgenſes etiam Hiſtoriographi, & nuperrime vir doctiſſimus, Fridericus Sylburgius annotarunt. 2. Euſebius, Hieronymus, Photius, Honorius meminiſſent utique libri hujus: cum illis temporibus, multum ad certamina de ſancta Trinitate, conferre potuiſſet Juſtini authoritas. 3. Vocabula μονάδος, Τριάδος, & alia hujus doctrinæ, nondum adeo in Eccleſia uſurpata erant. Itaque nuſpiam illorum fit mentio in Juſtini ſcriptis γνησίοις, cum tamen doctrinam de Deo Patre, Filio & Spiritu ſancto, aliquoties ex profeſſo tractat. 4. Omnis pars ſecunda, imprimisque ultima quæſtio de diſcrimine inhabitationis Chriſti in carne, & inhabitationis ejusdem in aliis rebus creatis omnibus: magno nobis documento eſt, poſt Neſtorii demum controverſiam motam, hunc librum fuiſſe confectum. 5. corroborat hanc ſententiam, quod author hujus operis, in ipſo ἐνθέσεως initio ſcribit, "Ἐνα τοίνυν Θεὸν σέβειν ἡμᾶς αἱ τε θεῖαι γραφαὶ διδάσκουσιν, οὔτε τῶν πατέρων διδασκαλίαι παιδεύουσι. Quorum enim Patrum doctrinæ hunc Juſtinum Martyrem erudiviſſent, qui proximus erat Apoſtolicis temporibus, & qui ſe Apoſtolorum eſſe diſcipulum gloriatur in Epiſtola ad Diognetum? Ita Abrahamus Scultetus, quem Andreas Rivetus exſcripſit atque amplexus eſt Lib. 2. *Critici ſacri* cap. 5. pag. mihi 199. Idem quoque cenſet Fridericus Sylburgius in prioribus ad Juſtinum Annotationibus, pag. 30. editionis Colonienſis, ut idem Rivetus loco citato obſervavit. Nec illos movit quod hujus libri meminerint ſub Juſtini nomine, Leontius Hieroſolymitanus Diſputatione *adverſus eos qui unam naturam compoſitam dicebant Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum:* & Euthymius in *Panoplia Dogmatica* titulo 16. contra *Monophyſitas.* Quamvis enim Juſtini Martyris legitimus non ſit fœtus, ſi quid tamen conjecturis dandum eſt, circa annum 430 editus videtur Juſtini nomine, ſive ille Martyr ſive alius ſit: nec id mirum, cum ſcripta Athanaſio ſuppoſita a poſterioribus, quoque citentur. Quisquis igitur author fuerit, liber eſt inſignis & utilis, ut fatetur Scultetus. Eadem eſt Bellarmini ſententia in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, de authore hujus libri ambigentis, propter ſilentium Veterum, propter ſtyli diſſimilitudinem, & perſpicuam nimis de Trinitate doctrinam, primis Eccleſiæ ſeculis magis obſcuram.

Solutio Quæſtionum ſive Dubitationum CXLVI ad Orthodoxos pag. 391. Εἰ τὴν ἀρχαίαν μὲν λατρείαν ὁ Θεὸς, ὡς αὐτὴν μὴ ἀρεσκόμενος, τὴν τῶν Χριστιανῶν ὡς αἵρεσιν αὐτῷ ἀντεισήγαγεν &c. *Si Deus veterem cultum ut minus ſibi placitum ſuſtulit, & contra Chriſtianam, ut acceptam ſibi religionem introduxit* &c. Citatur hic Liber a Bellarmino velut genuinus Juſtini Martyris fœtus ſæpius, ut in libro de *baptiſmo* cap. 21 ut probet baptiſmum Joannis non habuiſſe eandem vim & efficaciam, quam habet baptiſmus Chriſti. Et lib. eodem cap. 25 ut probet Catechumenos debere ungi ante baptiſmum. Libro *de confirmatione* cap. 5 ut probet confirmationem eſſe ſacramentum. Lib. 3 *de Euchariſtia* cap. 6 ut probet Chriſtum Dominum corpus ſuum ſolidum per aliud ſolidum introduxiſſe. Attamen Bellarminus idem ſibi inconſtans, Lib. 1. *de beatitudine Sanctorum* cap. 4 inquit, *Iſta quæſtiones non viderentur Juſtini, ſed alicujus recentioris:* qui etiam Poſſevino in his plane conſentit in libro, *de Script. Eccleſiaſticis.*

eccleſiaſticis. Idem cenſet Sixtus Senenſis Lib. 4. *Bibliotheca ſancta*, verbo *Juſtinus*, agens de hoc Collectaneo quæſtionum, his verbis: *Cum in quæſtionibus 82. 86 & 115. citentur Irenæus & Origenes, longe eo poſteriores, alterius authoris oportet eſſe hoc opus.* Idem Antonius Poſſevinus tomo I. *Apparatus ſacri verbo Juſtinus, ubi ſic: Opus CXLVI quæſtionum non videtur eſſe Juſtini, nam quæſtione 82 & 86 citat Origenem, & quæſtione 115 citat Irenæum & eum Martyrem appellat, cum tamen Juſtinus utroque prior fuerit*, inquit Poſſevinus. *Nam & Irenæus Lib. 5 citat Juſtinum tanquam ſe antiquiorem.* Hæc Poſſevinus. In eandem ſententiam accedit Abrahamus Scultetus *Medulla Patrum* libro I. cap. XI his verbis: „Irrepſiſſe & hunc Tractatum in numerum Scriptorum Juſtini, nullus credo dubitabit, qui illum cum iis ſcriptis contulerit, quæ citra controverſiam Juſtini ſunt. Vnde enim 1. Juſtinus quæſt. 16 & 17. item 139. & 144 vocabula ὑποστάσεως, προσώπων, τριάδος, μονάδος habuit, quæ in ſuperioribus ſcriptis ignoravit, & ad quæ uſurpanda longe poſt Eccleſia ſumma neceſſitate adacta eſt? 2. De contradictionibus dicam. Negat iſte author quæſtione 52 fuiſſe verum Samuelem, quem Pythoniſſa evocavit, quem fuiſſe verum Samuelem docet & affirmavit in Colloquio cum Tryphone, verus Juſtinus. Item hic author quæſt. 112. Angelum qui cum Jacobo & Moſe cæterisque Patriarchis locutus eſt, dicit fuiſſe Angelum creatum, qui propter commiſſum ſibi munus, Dei appellatione honoratus ſit: quod prorſus refragatur ſententiæ veri Juſtini, qui magno ſtudio in diſputatione cum Tryphone confirmavit, Angelum illum eſſe Chriſtum Dei filium. 3. Quæſtione 82 atque 86 Origenes, & quæſtione 127 Manichæi citantur: quorum ille octoginta circiter annis poſt Juſtinum floruit, hi teſte Euſebii Chronico, annis circiter 130 poſt Juſtinum exorti ſunt. Vt non tangam Irenæum, cujus citatio quæſtione 115 ſuſpectas itidem reddit has quæſtiones.„ Hæ ſunt rationes Sculteti non ſpernendæ, imo demonſtrativæ, quibus hoc Collectaneum quæſtionum a S. Juſtino Martyre amovetur. Easdem affert Robertus Cocus rationes in *Cenſura quorundam Scriptorum veterum* pag. mihi 118 ut has Juſtino quæſtiones pariter adimat. Addo authorem harum quæſtionum, non poſſe eſſe antiquiorem ſeculo quarto, ac vixiſſe ea tempeſtate qua Chriſtiani devicto paganiſmi cultu ubique potiſſimi dominabantur: quod nonniſi ſub finem ſeculi quarti fieri potuit, certe longe poſtquam Conſtantinus Chriſto nomen dediſſet. Supponit autem ſcriptor harum quæſtionum, quæſt. 126. *Chriſtianis autem invaleſcentibus, nefaria hujuſmodi Gracorum ſive paganorum ſacra prohibita ſunt.* Addit autem paullo poſt, *Tanto vero & hic Chriſtianiſmi temporibus abundat mundus magis, quanto nunc ille minus bellis etiam conflictatur, quam ante paganiſmo dominante conflictabatur.* Nam verus Juſtinus, qui Ethnicorum Imperatorum temporibus vivebat atque iis jubentibus in mortem datus eſt, ita Paganismum a Chriſtianismo debellatum, ut amplius populo Dei non dominaretur, ſcribere non potuit, quod ipſius temporibus nondum acciderat. Vero igitur Juſtino quadrare non poteſt, quod idem quæſtione 126 dominationis Chriſtianiſmi meminit, ut *ſacra etiam paganorum prohibita eſſent.* Affert hanc rationem ut demonſtrativam Andreas Rivetus Lib. 2 *Critici ſacri* cap. 5 pag. mihi 198. Quæ etiam ab authore harum quæſtionum ſcribuntur, arguunt ſcriptorem ſeculo IV ſupparem vel recentiorem. Sic autem ille quæſtione 110. *Vnde autem locupletes viri & fœmina, facultates ſuas conferentes, in deſertis locis Anachoretas & Monachos quæſiverunt, atque penuriam eorum ſuppleverunt, ſicut id ex priſcorum ſanctorum virorum hiſtoriis intelleximus: ſi non Dominus ipſe Chriſtus, promiſſionem ſuam ad exitum ſuum perduxit?* Supponit ergo hic author, & *Anachoretas & Monachos* in Eccleſia florentes, quorum penuria ſublevata ſit liberalitate divitum virorum ac mulierum: quod ſeculo duntaxat Eccleſiæ IV factum eſt. Supponit denique *Hiſtorias priſcorum ſanctorum virorum* id eſt *Anachoretarum & Monachorum iſtorum* ſcriptas: quod ſeculo duntaxat Eccleſiæ quinto aut quarto, in hiſtoria nempe Euſebii Cæſarienſis Eccleſiaſtica factum eſt. In eandem ſuppoſitionis harum quæſtionum Juſtino factæ ſuſpicionem venit Fridericus Sylburgius, Annotationibus in Juſtinum prioribus, pag. 32 editionis Colonienſis anni 1686 ad quas a nobis ob prolixitatem omiſſas, lectorem noſtrum remittimus. Imo & prima harum quæſtionum attente lecta, magis ad extincti quam ad vigentis Helleniſmi ſeu Paganiſmi ſeculum quadrat: ſicut etiam quæſtio LXXIV. & CXXVI de qua locuti ſumus: ut exinde aperte pateat authorem hunc ſcripſiſſe, poſt extinctum omnino paganiſmum: quod in Juſtinum Martyrem convenire non poteſt.

Epiſtola Paranetica ad Diognetum pag. 449. Ἐπειδὴ ὁρῶ σε πρόθυμον Διόγνητε &c. *Quandoquidem video te, Diognete vir præſtantiſſime &c.* quamvis Juſtino non indigna videatur, illius tamen mihi genuinum opus non apparet. 1. ob ſilentium Veterum, neque enim Euſebius, vel Hieronymus vel Photius ejus meminerunt. Primus illam Græce & Latine protulit in lucem Henricus Stephanus Roberti filius, anno 1592 Pariſiis cum ſua interpretatione ac prolixis annotationibus: qua ex privata editione accesſit ad ſequentes Operum Juſtini Græcolatinas editiones annorum 1615. 1636 & 1686. *Secundo* pag. 501 appellat ſe Apoſtolorum diſcipulum & Gentium Doctorem, quæ vero Juſtino Martyri qui anno circiter Chriſti CL floruit, convenire non poſſunt. *Non facio verba de rebus peregrinis, neque ſecus quam rationi conſentaneum ſit, quæro: ſed cum Apoſtolorum fuerim diſcipulus, ſic Gentium doctor: qua tradita ſunt mihi, ſubminiſtro iis, qui digni*

fiunt veritatis discipuli. Longe hujus jactantiæ majorem occasionem habuit verus Justinus in Dialogo cum Tryphone, quam tamen suppressit. Qui ergo similem jactantiam scribit, absque ratione & pueriliter, verus Justinus non est.

Epistola Ethica ad Zenam & Serenum de vita Christiana pag. 503. Περὶ μὲν τῆς κατὰ πρόληψιν νῦν ἀλογίστου παιδείας &c. *De quorundam, prout eorum fert præsumptio, institutione & disciplina, sed præter rationem suscepta illa & inutili &c.* cujus nullus quoque veterum meminit, unde idem judicium ac præcedentis est: quamvis utramque admittere videatur Abrahamus Scultetus Lib. 1. *Medulla Patrum* capp. 6. & 7. 2. Sub hujus Epistolæ initium meminit ipse Epistolæ a se scriptæ πρὸς τὸν Πάπαν, ad Papam, quibus Romanum Episcopum præ aliis indicare videtur. At ista non conveniunt Justini Martyris temporibus neque Græcis scriptoribus priorum Ecclesiæ seculorum, sed recentiorum. 3. Eadem est Bellarmini sententia in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Atque hæc pauca de operibus ipsi imputatis sufficiant. Agunt abunde de scriptis *Sancti Justini Martyris*, viri ex recentioribus celebres, Abrahamus Scultetus integro libro 1. *Medulla Patrum*, multis capitibus. Petrus Halloixius Soc. Jesu, in Vita diffusa S. Justini Martyris. Henricus Valesius a nobis supra citatus, in Annotationibus doctissimis ad Historiam Ecclesiasticam Eusebii Cæsarienſis. Elias du Pin tomo 1. *Nova Bibliotheca Ecclesiastica*, ad annum CL. Guillelmus Cavus in *Historia Rei litterariæ*, sub idem tempus, cum aliis multis.

Ao. 166. ATHENAGORAS Athenienſis primum Philosophus, deinde Christianus, seculo Christi secundo, circa annum 160. celebris fuit, legatione ad Imperatores pro Christianis suscepta. Vir ille acerrimi ingenii fuit, singularis eloquentiæ, omnigenæ eruditionis, qui incredibilis in Rem Christianam studii specimen dedit in Apologia seu Legatione pro Christianis quam Imperatoribus obtulit, tempore quo ubique vexabantur. Dispellit in ea infamem trium flagitiorum rumorem de nostræ religionis hominibus sparsum, Impietatis scilicet seu Atheismi, Epulorum Thiestæarum & Incesti concubitus. De Dei unitate, de Filii & Spiritus sancti Divinitate & origine, de Idolorum vanitate, de Christianorum morum sanctitate multa præclare dicit. Inter alia hæc habet, quæ quam ab omni illicito & crimine alieni sint veri Christiani, ostendunt. „ *Neque enim dubitare vos puto, homines illos, quorum vita omnis ad Deum veluti normam & regulam dirigitur, ut inculpatum & irreprehensibilem unusquisque se ei præbeat, ne cogitatione quidem vel minimum crimen ullum admissuros. Si enim solam hanc præsentem vitam nos victuros crederemus, suspicioni foret locus, nos carni & sanguini indulgentes, aut avaritiæ aut concupiscentiæ captos, peccare. Nos vero omnibus cogitationibus & sermonibus nostris, tum noctu, cum interdiu, Deum adesse scimus: eumque & totum esse lumen, & quæ in cordibus nostris latent videre, & ut hac mortali defunctos vita, alteram hac terrestri longe meliorem, nempe cælestem nos victuros.*„ Altum de eo silentium est apud veteres Scriptorum collectores Eusebium & Hieronymum, cujus tamen ex veteribus meminerunt S. Epiphanius in *Hæresi Origenis*, atque Methodius Patarensis, in cujus Excerptis ex libro *de Resurrectione Mortuorum*, quæ apud eundem Epiphanium Hæresi LXIV. & Photium Codice CCXXIV. habentur: locus ex Athenagora adducitur, qui legatione ejus pro Christianis pag. 27. totidem verbis hodie reperitur. Apologia Athenagoræ, *Imperatoribus Marco Aurelio Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, Armeniacis, Sarmaticis*, & quod maximum est *Philosophis* oblata, atque ejusdem Liber insignis *de Resurrectione mortuorum*, occurrunt Latine tantum in veteribus Bibliothecæ Patrum editionibus Parisiensibus annorum 1575. & 1589. Coloniensi 1618. Græce vero atque Latine in fol. Parisiis anno 1615. cum Operibus sancti Justini Martyris, atque eodem modo Coloniæ Agrippinæ 1686. in folio. Itemque in Auctario Parisiensi anni 1624. *Bibliotheca Sanctorum Patrum* a Frontone Le Duc adjecto, qui peculiares eis etiam notas adjecit. Denique S. P. Athenagoræ Opera Græce & Latine cum notis variis edidit Adamus Rechenbergius Theologiæ postea profess. Lipsiæ 1685. in 8. Item Christianus Kortholtus cum Justini Operibus, anno 1686. in folio. *Apologia pro Christianis* MS. exemplar in Bibliotheca Monachiensi Serenissimi Bavariæ Ducis, Cod. 149. Item Libri *de Resurrectione Mortuorum* MS. exemplar in Regis Catholici Bibliotheca Scorialensi; utriusque autem operis MSS. Codices, in Regia Gallicarum bibliotheca reperiuntur Codice MS. 2271. ut habet Bernardus de Montfaucon in *Palæologia Græca* lib. 1. cap. 6. pag. 43. & lib. 4. cap. 2. p. 275. quam anno 1708. Parisiis in folio edendam curavit. De quo etiam Codice MS. loquemur in *Arela Cæsariensi Archiepiscopo*, inferius. Denique S. Athenagoræ Athenienſis Philosophi *Legatio pro Christianis ad Imperatorem Marcum Aurelium Antoninum & Lucium Aurelium, Commodum:* Ejusdem *de Resurrectione Mortuorum* ad MSS. Codices Anglicos collatæ opera & studio Edmundi de Chaire, Oxonii Græce & Latine, 1706. in 8. prodierunt. Præter allatas supra Opusculorum Athenagoræ editiones, *Apologiam pro Christianis* ex Græco transtulit in Latinum & commentariis illustravit Suffridus Petrus Leonardiensis, Frisius, adjectis castigationibus, quæ Coloniæ apud Arnoldum Birkmannum anno 1567. prodiit. Ejus Commentarius de Resurrectione Mortuorum quam Gentiles irridebant, cum extaret Græce MS. Bononiæ in Bibliotheca S. Salvatoris, editus Lugduni Græce est anno 1581. & 1589. qui tamen antea ex MS. Codice Regiæ bibliothecæ, Parisiis Græce simul & Latine anno 1541. impressus fuerat apud Vechelum.

Porro

Digitized by Google

Porro cum eandem præ se ferat inscriptionem Apologia, quæ a Sancto Hieronymo, Justino martyri tribuitur, dum ait, *Alium librum ab eo datum successoribus ejusdem Antonini Pii, Marco Antonino Vero, & Lucio Aurelio Commodo:* inde vehemens suspicio multos permovit, ut crederent ejusmodi Apologiam de qua sermo est, eodem titulo præsignatam, ad Justinum Martyrem spectare, eo quod nulla alia data ad Marcum Antoninum Verum & Lucium Aurelium Commodum, reperiri videretur. Tanti autem meriti Apologiam hanc existimavit Baronius Cardinalis, ut *Annalium Ecclesiasticorum* tomo 2. sub annum 179. ad finem Latinæ hujus Apologiæ Athenagorianæ, partem inseruerit: quo tanto liquidius intelligeretur, quinam Christianorum rerum status eo tempore fuisset.

Sed quæstio est non modica, quonam anno hanc Legationem & Apologiam pro Christianis susceperit Athenagoras? Cæsar Baronius censet factam illam anno tantum Christi 179. Hoc autem anno scriptam illam esse, plane significatur, ex eo quod ipse pene ejus exordio, tum *universum terrarum orbem in altissima pace fuisse* asserat. Nam ut idem Baronius, usque ad annum superiorem, quo Marcus Antoninus sibi filium Commodum collegam adscivit, Imperium sub eo continuo vidimus vexatum bello, aut Parthico, aut Marcomannico, aut Cassiano: ab hoc autem anno 179. eundem Marcum usque ad obitum, fuisse in armis invenies. Siquidem hoc ipso anno, qui est tertius juxta Capitolinum (in Marco Antonio) ante ejus obitum, pugnandum fuit adversus eosdem Marcomannos: qui justo Dei judicio, quod victoria precibus Christianorum parta Gentiles abusi essent, bellum rursus acerrimum una cum aliis finitimis populis, adversus Romanum Imperium excitarunt. An autem Marcus Aurelius Antoninus, postulatis Athenagoræ, ut persecutionem prohiberet, annuerit, haud liquet: imo contrarium constat, cum ad ejus usque obitum perseveraſſe, qui his ipsis diebus vixit, Theophilus Antiochenus significet. Labbeus autem, *Legationem & Apologiam* ab Athenagora pro Christianis factam censet inter annum 165. & 170. habitamque ad Imperatores Marcum Aurelium Antoninum ejusque fratrem Lucium Aurelium Commodum, non vero dum filius Commodus esset Imperii consors. Ita ille in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 1. verbo *Athenagoras Philosophus* p. 124. Antonius Pagi in *Critica Chronologica* adversus Cæsarem Baronium seculo 2. ad annum Baronii 179. Christ. 177. num. 10. opinatur factam illam Legationem anno Christi 166. Eam Apologiam Athenagoras Marco & Lucio Imperatoribus obtulit anno Christi CLXVI. quo pacem per orbem Romanum viguisse monstravimus. In ea enim Legatione legitur: *Vniversus hic terrarum orbis, vestra prudentia beneficio, altissima pace perfruitur.* "Quare Dodwellus qui in Dissert. XI. Cyprianica *de paucitate Martyrum* num. 37. "ubi hanc Apologiam M. Aurelio & Lucio Vero porrectam recte scribit, in anno quo ea Imperatoribus iis oblata, manifeste peccat. Ait "enim Athenagoram eam scripsisse anno "CLXVIII. quo tamen bellum ardebat, ut suo "loco dictum est. Idem quoque docet Pagi ad "annum Christi 165. juxta Baronium 167. num. "6. ubi de morte Peregrini Philosophi his verbis. *Peregrinus* Cynicus Philosophus, cognomento *Proteus*, cum Herculis mortem æmulari "vellet, in conspectu totius Græciæ in rogum se "se immisit Olympiade CCXXXVI. in Panegyri Olympiaca, cum proxima ante Olympiade id se facturum pollicitus esset. Lucianus ejus mortem ac vitam peculiari libro "descripsit, & Eusebius in Chronico juxta editionem Schaligeri, id contigisse scribit anno "Abrahami 2181. qui Calendis Septembris anni "CLXIV. inchoatur, & quidem accurate. Olympias enim citata, mense Julio præsentis anni acta. Athenagoras in suo Apologetico de "ea re tanquam recenti loquitur, indeque liquet, "librum illum anno sequenti 166. elucubratum, "non vero anno CLXXVII. ut existimavit Baronius." Quam Antonii Pagi sententiam lubens amplector, ut omnium accuratissimam. Ex quibus liquet oblatam esse hanc Apologiam ad Marcum Aurelium Antoninum, & Lucium Verum Commodum Antonini fratrem, non autem ad Lucium Commodum ejus filium, ut nonnulli volunt.

Agunt de Scriptis *Athenagoræ* Cæsar Baronius in *Annalibus Ecclesiasticis* ad annum 179. Henricus Spondanus in *Epitome Annalium Baronii*, ad eundem annum num. 3. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Athenagoras* p. 131. Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, parce admodum ad annum 155. Philippus Labbeus in Dissertatione Histor. *de Scriptoribus a Bellarmino recensitis* tom. 1. verbo *Athenagoras* pag. 123. cum aliis.

S. IRENÆVS LVGDVNENSIS EPISCOPVS, gente ASIANVS, Smyrna ut videtur oriundus, ἐγγὺς τῶν Ἀποστόλων γενόμενος inquit S. Basilius in libro *de Spiritu Sancto* cap. 29. *non longe a* temporibus Apostolorum, juxta Augustinum lib. 1. *contra Julianum* cap. 3. secundum Hieronymum Epistola ad Theod. p. 196. Papiæ discipulus fuit. Imo ipso Irenæo teste in Epistola ad *Florinum* apud Eusebium Historiæ Ecclesiasticæ lib. 5. cap. 20. ipsius Polycarpi discipulus, cujus acta omnia, incessus, vitæque totius formam diligenter observabat, dicta omnia & sermones studiosius audiebat, audita in mente reposuit. Illum una cum Polycarpo Romam sub Aniceto venisse verisimile est, indeque in Gallias profectum, Lugduni lares fixisse, ejusque Ecclesiæ Presbyterum factum esse. Anno CLXVII. incalescente in Gallia persecutione, Pathino Lugdunensium Antistite martyrium passo, Irenæus ætate pariter & officio πρεσβύτερος. Ao. 167.

τῷ ☉ ſucceſſit, annum agens circiter LXX. Eleuthero Pontificatum tenente. Scripſit anno CLXXVI. vel ſequenti *Adverſus hæreſes*, opus omnium primum, poſt mortem Tatiani anno CLXXIV. poſt editam Theodotionis verſionem, cum anno CLXXV. Commodum imperii conſortem Marcus admiſiſſet, poſt aliquot a Polycarpi martyrio in ſede Smyrnenſi ſucceſſiones ſcriptum, cum Irenæus jam ſenuiſſet, annos nimirum agens circiter LXXX. Nam ut provinciam quam nactus fuerat, adornaret, nullis laboribus pepercit: hæreticos verbo & ſcriptis refutavit, in unione Eccleſiarum reſarcienda, præſertim in Paſchali controverſia componenda plurimum laboravit: eoque nomine ſub annum CLXXXIX, Commodi X, ætatis circiter XCII. ſub Victore habita eſt de Paſchate diſputatio, cui ſuperſtes fuit Irenæus, paulo poſtea defunctus. In hac diſputatione Victorem Romanum Pontificem anathema Eccleſiis Aſiaticis parantem, coacta Epiſcoporum Gallorum Synodo, per litteras pacifice admonuit, & renitentem graviter objurgavit. Obiit capite truncatus, ſi communes calculos ſequamur, ſub Severiana perſecutione, circa annum CCII. vel anno CCVIII. ut volunt alii, cum Britannicam expeditionem Severus Imperator molitus, Lugduni in Galliis aliquandiu commoratus eſt. Hæc Guillelmus Cavus *Hiſtoria literaria* ſeculo 2. pag. 40. & 41. Extant ipſius *adverſus hæreſes, ſeu de refutatione & everſione falſæ ſcientiæ libri V.* in quibus de omnibus ad ſua usque tempora Hæreſiarchis, deque execrandis eorum dogmatibus & actis agit, impias eorum objectiones refellit, quæſtiones objectas diluit, veritatemque adverſus omnia ipſorum tela animoſe propugnat. Deperditis Græcis, *Latina* tantum verſio horum librorum extat, vetuſta ſatis, ſed barbara imprimis, ſalebroſa & difficilis. Recentiorem eſſe hanc verſionem Tertulliano, poſtremis autem S. Auguſtini temporibus antiquiorem, ac proinde exeunte ſeculo IV. factam, Diſſertatione ſingulari Henricus Dodwellus vir doctiſſimus demonſtravit. Huic verſioni ortum videtur dediſſe Priſcilliani hæreſis, quæ veterum Gnoſticorum dogmata renovavit. Dolendum plane eſt, hujus operis originalem textum periiſſe. Vt autem damnum aliquo ſaltem modo reſarciretur, Græca plurima ipſius Irenæi nobis conſervavit Epiphanius, plurima etiam Damaſcenus in *Parallelis*, quæ magno ſane Reipublicæ literariæ beneficio, Græce ac Latine ſimul, nobis in *Vita Irenæi* cap. 15. exhibuit Petrus Halloixius Soc. Jeſu. Primus qui incubuit evulgandis Irenæi libris ad fidem MSS. Codicum, fuit Eraſmus ille magnus Roterodamenſis, apud Frobenium Baſileæ in folio 1526. 1534. 1548. 1560. Pariſiis 1563. 1567. in 8. Secundus Nicolaus Gallaſius Genevenſis Theologus, qui cum *annotationibus* non contemnendis, Genevæ 1570. in fol. edidit. Tertius Franciſcus Feuardent, natione Gallus, ordinis Fratrum Minorum, qui eosdem libros *Commentariis* illuſtravit, editos Pariſiis 1575. & 1576. apud Nirellum in folio. Coloniæ Agrippinæ 1596. & 1625. in folio. Cujus altera editio Pariſienſis anteriore multo præſtantior, anno 1639. in folio, cum fragmentis Græcis hinc inde acceptis editioni huic adjectis, nec Commentariis omiſſis, qui tamen omnia ad Pontificiam cauſam ſtabiliendam, obtorto collo trahere ſolet. Quartus autem Joannes Erneſtus Grabe Theologus Oxonienſis, Opera Irenæi collata ad MSS. Codices Latinos quatuor, cum fragmentis illorum Græcis quæ reperiri potuerunt, ad columnam primam poſitis e regione Latinorum, cum obſervationibus ac notis variorum, amplisque Prolegomenis, edidit Oxonii e theatro Sheldoniano 1702. in folio, impenſis Thomæ Bennet. Hæc de iis qui Irenæo incubuerunt. Placuit tandem Monachis Benedictinis editionem etiam novam Librorum Sancti Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi & Martyris moliri, quæ perfecta tandem eſt anno 1710. Pariſiis in folio, collata ut loquuntur ad MS. Codices Gallicanos, Vaticanos & Anglicanos, apud Joannem Baptiſtam Coignart, via Jacobæa ſub inſigni Bibliorum aureorum. Operis hujus promotor principalis, Renatus Maſſuet Monachus Congregationis Sancti Mauri in Gallia, qui variis Diſſertationibus illud amplificavit, Dictionariis duobus atque tabulis, adauxit ut in hac editione ſua aliquid feciſſe utile videretur. Nullum autem non movet lapidem Diſſertatione tertia ſeu ultima, ut doctrinam Sancti Irenæi hodiernæ Eccleſiæ Romanæ conformem in omnibus doceat, qua de re non facile convenient eruditi. Vſus eſt potiſſimum auctoritate trium MSS. Codicum, quos multæ antiquitatis fuiſſe, Lectoribus ſuis perſuadere nititur: quorum unus Collegii Jeſuitarum Claromontani Pariſienſis, alter Fratrum Prædicatorum vici S. Honorati, ac tertius ad bibliothecam Cardinalis Ottoboni pertinuit. Non dubitavit autem Monachus ex zelo ergo Romanam Eccleſiam, multa referre in textum Irenæi, quæ ab aliis accuratioribus relicta fuerant ut ſpuria, quoniam facichant illa ad Eccleſiæ Romanæ amplitudinem ac dominationem. De hac editione *Diarium Eruditorum Pariſienſe* ad ann. MDCCXI. menſe Januario.

Hæc editio hunc habet titulum: τῶ ἁγίων πατρὸς ἡμῶν Εἰρηναίου &c. "Sancti Patris noſtri Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi & Martyris, *Detectionis & everſionis falſo cognominatæ agnitionis*, ſeu *Contra Hæreſes libri quinque*, poſt Franciſci Feuardentii & Joannis Erneſti Grabe recenſionem, caſtigati denuo ad MSS. Codices Vaticanos, Gallicanos & Anglicanos, nec non ad antiquas editiones, & a multis quibus adhuc ſcatebant mendis expurgati. Aucti novis Græcis fragmentis, obſervationibus & notis, copioſiſſimisque Gloſſariis & indicibus illuſtrati & locupletati: quibus omnibus præmittuntur tres Diſſertationes, in quibus Hæreſes ab Irenæo

„næo memoratæ & loci difficiles explicantur, „Hiſtoria vitæ ejus ac geſtorum diſcutitur, Do„ctrina ejusdem quoad præcipua Chriſtianæ fi„dei capita ſigillatim examinatur & oſtenditur. „Pariſiis apud Joannem Baptiſtam Coignart, ſub „Bibliis aureis, anno 1710. in folio, Coll. 838.„

Ordo autem hujus editionis eſt ejusmodi.

1. Præfatio prolixa & erudita de omnibus editoribus Operum S. Irenæi Lugdunenſis Epiſcopi.

2. Diſſertationes tres diffuſæ & doctæ, de quibus in Operis titulo editor loquitur.

3. Libri quinque ſancti Irenæi cum obſervationibus & notis, quos ſequuntur fragmenta aliorum ejusdem Operum quæ ſuperſunt, ac fragmenta omnia Gnoſticorum, quæ colligi potuerunt.

4. Gloſſarium duplex, unum dictionum Græcarum, aliud Latinarum, quæ explicatione indigere viſæ ſunt.

5. Index ampliſſimus & accuratiſſimus rerum, quæ in Libris Irenæi continentur.

6. Præfationes & obſervationes omnium, qui hucusque novas editiones Operum S. Irenæi procurarunt.

Contra hanc editionem Operum Divi Irenæi a Maſſueto Benedictino Pariſiis factam, ſcripſit denuo Joannes Erneſtus Grabius in Anglia, qui multis adulterationibus tam textum quam veram divi Irenæi doctrinam corrupiſſe Maſſuetum accuſat. Opus iteratum Grabii MS. ex teſtamento Grabii, inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, ſub hoc titulo, *Irenæus ad novam editionem inſtructus, ac ad defenſionem contra Maſſuetum paratus.* Qui ſi vitam diutius protelaſſet, iteratum hunc laborem contra Maſſueti fraudes & corruptiones, orbi litterario obtuliſſet. Vide *Acta Eruditorum Lipſiæ* 1713. menſe Aprili pag. 165. 166. ubi *Exempla defectuum & omiſſorum in Guill. Wiſtoni Collectione Teſtimoniorum Scripturæ & Patrum, contra veram Filii Dei & Spiritus Sancti Deitatem, nec non ψευδεμμενείας quorundam, obſervata a Joanne Erneſto Grabio, S. Theologiæ Doctore.* Præmittitur Diſſertatio ſingularis Georgii Hickeſii S. Theol. Doctoris, qua de Grabio, ejusque MSS. Bodlejanæ bibliothecæ conſignatis poſt mortem, & hoc Tractatu poſthumo diſſeritur, Londini apud Henricum Clements 1712. in 8. plagis 7.

Ao. 180. TATIANVS gente Syrus, profeſſione Philoſophus, cultu Gentilis, Chriſtianus ad imitationem aliorum, imo ſancti Juſtini Martyris diſcipulus factus, quem Romam usque comitatus, Creſcentis cum magiſtro ſuo invidiam atque injurias paſſus eſt. Juſtino circa annum 165. vel 166. mortuo, enituit Tatianus ſcriptis, de quibus Euſebius Lib. 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 29. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiæ* cap. 29. Ex infinitis quæ ipſi attribuuntur ab Hieronymo voluminibus, unicum duntaxat ſupereſt Tatiani legitimum opus *Adverſus Gentiles*, quod & ſuos errores complectitur. Scribit enim animas hominum natura ſua mortales eſſe, beneficio autem divino factas immortales: ita tamen ut impiorum animæ cum corpore intereant, & cum eo iterum reſurgant, pœnis æternis puniendæ: Angelos atque Dæmones ex anima & corpore componi. Verbum divinum tempore creationis eſſe genitum, quamvis ab æterno eſſet: appellans Verbi generationem, ejus ad externa applicationem. Addit Verbum non genitum per ſejunctionem, ſed quemadmodum ignis ab igne gignitur: ita ut Deus nunquam absque Verbo fuerit, ſed in eo Verbum ſemper manſiſſe, quod ab illo productum eſt. Atque alia docet Theologiæ hodiernæ minus convenientia. Quantum autem ad *Diateſſaron* ſeu *Harmoniam Evangelicam* Tatiani, quæ ſub *Ammonii* nomine dudum prodiit, dixi in Supplemento *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* in Ammonio pag. 15. illam periiſſe, his verbis. „Altera „vero Concordia Evangelica quæ in prima im„preſſione Bibliothecæ veterum Patrum anni„ 1575. ſub nomine Ammonii continetur, & inci„pit a primis Evangelii Joannis verbis, *In princi„pio erat Verbum &c.* quam vertiſſe in Latinum„ ſermonem Ottomarus Luſcinius dicitur, nec„ Ammonii nec Tatiani eſt: ſed elegans ac Lati„na Anonymi cujusdam in Evangelia paraphra„ſis, quæ nunquam ex Græco textu verſa eſt,„ quod caute annotandum.„ Multi in hoc eccleſiaſticæ Criticæ puncto decepti fuerunt, atque cæteros inter, Baronius in *Annalibus* ad annum 174. num. 1. 2. & 3. Cœcum autem ſecutus Cavus, qui *Supplementum* noſtrum vidit, in eundem impegit errorem cum Baronio, dum loquitur de Tatiano in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiaſticorum pag. 47. „Latine extat hæc *Har„monia Evangelica* Orthodoxographi tom. 1. &„ Bibliothecæ Patrum tom. 2. Ammonio Ale„xandrino perperam adſcripta, ut & Ammonii„ Harmonia Tatiano male adſcribitur. Quod„ ex Victoris Capuani Ammonianæ Harmoniæ„ interpretis errore, primo ortum videtur, & fa„cillime agnoſcitur ex *Harmonia* Tatiani notis in„ Theodorito & Euſebio repertis quæ Harmo„niæ Ammonio inſcriptæ ad amuſſim conveni„unt, & viciſſim: ſed de hac re vide plura in Am„monio, licet eam ab Interprete Latino, viro ſa„ne non ineleganti multum mutilatam fuiſſe„ lubens conceſſerim. Idem Cavus paulo an„tea. Quin & erant, qui hunc librum *Evange„lium ſecundum Hebræos* vocabant, quod ex Epi„phanio *Hereſi* 46. liquet.„ Falſum autem primo eſt contra Cavum verba ac ſententiam Epiphanii ſibi adoptantem *Harmoniam Evangelicam* Tatiani ſeu *Diateſſaron* cum *Evangelio ſecundum Hebræos* eſſe unum & idem. Conveniebat quidem in hac parte utrumque opus, quod genealogiam Chriſti humanam ex ſemine David reſecuerant, ſed *Evangelium juxta Hebræos* antiquius erat Harmonia Tatiani. Vnde allegatur illud ab Hegeſippo apud Euſebium lib. 4. cap. 22.

Ignatio quem legitimum & non ſpurium ſcriptorem Cavus putat, in Epiſtola ad *Smyrnæos*. Clemente Alexandrino Lib. 2. Stromatum pag. 380. cujus hæc ſententia ὁ θαυμάσας βασιλεύσει καὶ ὁ βασιλεύσας ἀναπαυθήσεται. Hieronymus ex Catalogo *Scriptorum* in Ignatio & Jacobo, Lib. 2. in Matth. cap. 7. & 12. Lib. 3. contra Pelagianos, Evangelium iſtud ſecundum Hebræos in Linguam Græcam ac Latinam tranſtulit, ut ipſe teſtatur: quod abſurdum omnino fuiſſet, ſi unum & idem opus fuiſſet cum *Harmonia* Tatiani, quam Græce ſcriptam fuiſſe conſtat. Præterea Harmonia Tatiani puris conſtabat quatuor Evangeliorum ſimul compactorum verbis, his quæ ejus erroribus non convenirent, tantum reſectis: At Evangelium ſecundum Hebræos, alia quoque ſibi adſciverat quæ in Evangeliis quatuor non reperiebantur, ut conſtat ex allatis ſupra a Clemente Alexandrino Lib. 2. *Stromatum* pag. 380. Origenes quoque Homilia 8. in Matthæum ex hoc *Evangelio ſecundum Hebræos* refert aliis verbis factam homini diviti reſponſionem, quam apud Marcum cap. 10. v. 23. & Lucam cap. 18. v. 23. Idem tom. 2. in Joannem affert locum ex hoc *Evangelio* ubi Spiritus Sanctus vocatur *Mater Chriſti*, quod certe in Evangeliis quatuor non legitur, neque in Tatiani *Harmonia Evangelica* ex puris Evangeliſtarum verbis contexta, inveniri potuit. Falſum quoque eſt, quod affirmat Cavus Baronium ſecutus, extare *Harmoniam Evangelicam* Tatiani, atque illam eſſe quæ ſub Ammonii Alexandrini nomine in Bibliothecis Patrum legitur. Errorem hunc omnes norunt, quem poſt Labbeum, Opere etiam attente lecto, annotaveram. Nullus ferme excepto Cavo qui non obſervaverit, qua de re Antonius Pagi, in *Correctione Baroniana* ad annum Chriſti 172. juxta Baronium 174. ita Cavum damnat. "Opus quod poſt „*Ammonii* Harmoniam editum eſt, longe differt „ab Evangelio Tatiani, uti Valeſio obſervatum „in notis ad Euſebium Lib. 4. cap. 29. Illud „enim Opus ſicut lectio ipſa indicat, nihil aliud „eſt, quam paraphraſis quatuor Evangeliorum, „ſeu potius Epitome ab homine Catholico cle„ganter conſcripta. At Evangelium Tatiani „ipſius & Evangeliſtarum verbis contextum „fuit, reſectis duntaxat iis, quæ ad Davidicam „Chriſti genealogiam ſpectant. Præterea in „Opere illo quod editum eſt, Chriſtus filius Da„vid, non ſemel dicitur. Oſtendit enim Vale„ſius, illam quatuor Evangeliorum Harmoni„am, quæ priori loco relata eſt a Victore Ca„puano, & in quam Zacharias Chryſopolitanus „Commentarios ſcripſit, opus eſſe Ammonii A„lexandrini. Nam illud opus nihil aliud erat, „quam Evangelium Matthæi, cujus ſingulis ca„pitibus adjuncta erant ad latus, Capitula trium „aliorum Evangeliſtarum, qui cum Matthæi „Evangelio conſentiebant. Opus itaque illud „per columnas diviſum erat, perinde ac Origenis Tetrapla. Quæ res Euſebio Cæſarienſi anſam dedit Canones ſuos excogitandi, ut" ipſemet in Epiſtola ad Carpianum docet. Ex" his liquet, opus Tatiani Hæreſiarchæ non ex-" tare, contra quam credidit Baronius. Author" Chronici Alexandrini ſub præcedentis anni" Conſulibus de Tatiano plura habet, quo ideo" hæc referenda: cum Euſebius in Chronico de" Tatiano agens anno Abrahami 2188. qui Calen-" dis Septembris præcedentis Chriſti anni in-" choatur, ſcribat, *Tatianus hæreticus agnoſcitur*," *a quo Encratitæ.* Inſuper author Chronici A-" lexandrini ſub anni ſequentis Conſulibus, ubi" de Severianis, ait: *Tatianus his antiquior neſcio*" *quam Evangeliorum confuſionem & Synagogam* " *condiderit, quam Diateſſaron appellavit, & vero ho-*" *die in manibus paſſim verſatur.* Loquitur poſtea" de aliis voluminibus a Tatiano compoſitis quæ" ſuo tempore extabant: ſed quæ ad nos non" pervenerunt, non magis quam illud Diateſſa-" ron." Hæc Pagi contra vanas Cavi opinationes, cui quoque adverſatur Elias du Pin in *Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 2. verbo *Tatianus*.

Agunt de Tatiano ex veteribus, Irenæus Lib. 1. cap. 31. Euſebius *Hiſtoria Eccleſiaſtica* lib. 4. cap. 29. Epiphanius in *Panario* ſive *Adverſus Hæreſes* Hæreſi 46. Theodoretus *Hæreticarum Fabularum* lib. 1. cap. 20. & alii. Ex recentioribus, Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*, Baronius in *Annalibus Eccleſiæ* ad annum 174. num. 1. 2. & 3. Spondanus ejus Epitomator, ad eundem annum. Philippus Labbeus in opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus attigit. Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſtica Capitibus*, cum aliis plurimis.

ANONYMVS author *Teſtamenti XII. Patriarcharum*, exeunte ſeculo 2. circa annum 190. ſcripſiſſe videtur, certe ante Origenem, qui in Homiliis in *Geneſim & Joſue* illum citat. Haud liquido conſtat, an author Judæus, vel Chriſtianus fuerit, Judaizans forte Chriſtianus, quales iſto ævo non pauci fuerunt. Liber ſane ineptiis non vacat, plurimis tamen ethicis præceptis, ſæpe melioris quidem notæ, paſſim refertus eſt. In eo ſinguli ex duodecim Jacob filiis, jamjam morituri ad progeniem aſtantem de ſtudio virtutis alicujus vel fuga vitii, verba facere finguntur, ac præcepta iſtiusmodi nepotibus ſuis *Teſtamenti* vice delegant. Extant Latine ex verſione Roberti Groſthead Lincolnienſis Epiſcopi anno 1242. facta in *Orthodoxographis* pag. 842. & Tomo 2. Bibliothecæ Patrum Lugdunenſis editionis 1677. Quin etiam Græce MS. penes virum CL. Thomam Smith, S. Th. Doctorem, Collegii Magdalenæ Oxonii Socium, & ni fallor apud alios, qui ſe editionem Græcolatinam adornaturum eſſe, mihi dudum affirmavit." Hæc Guillelmus Cavus *Hiſtoria Literaria* ſeculo 2. ad annum 190. pag. 52. Cujus poſt Operis editionem Joannes Erneſtus Grabius natione Germanus, anno 1698. in 8. Oxoniæ e Theatro Sheldoniano

doniano edidit *Spicilegium SS. Patrum primi poſt Chriſtum natum ſeculi, quo continentur Teſtamenta XII Patriarcharum filiorum Jacob, nunc primum Græce edita, ſecundum exemplar Cantabrigienſe cum Oxonienſi collatum, una cum Latina verſione Roberci Groſthead Epiſcopi Lincolnienſis, emendata ex duobus MSS. Codicibus Bodlejanæ Bibliothecæ.* Porro *Teſtamenta XII Patriarcharum Filiorum Jacob* ita appellata ſunt, non quod ſingula a ſingulis Patriarchis illis condita atque literis conſignata fuerint: ſed quod illi Patriarchæ XII in iſtis loquentes introducantur, ultimaque horum verba recenſeantur, quibus partim futura prædicuntur, partim egregia morum & vitæ bene agendæ præcepta, poſteris traduntur. Hunc libellum ſeculo XIII ex Græco in Latinum vertit Robertus Groſthead, Epiſcopus Lincolnienſis in Anglia, Nicolai cujusdam Græci ope uſus, de quo Matthæus Paris ad annum Chriſti 1242 ita ſcribit. „*Ipſis quoque temporibus, Epiſcopus Lincolnienſis Robertus, vir in Latino & Græco peritiſſimus, Teſtamenta XII Patriarcharum de Græco fideli interpretatione tranſtulit in Latinum &c. coadjuvante Magiſtro Nicolao Græco, Clerico Abbatiæ S. Albani.*„ Unde Robertus reſciverit Teſtamenta iſta in Oriente latere, idem auctor nobis indicat ad A. C. 1252 his verbis. *Magiſter Johannes de Baſingeſtokes, Archidiaconus Legriæ, vir quidem in Trivio & Quadrivio experientiſſimus &c. intimaverat Epiſcopo Lincolnienſi Roberto, quod quando ſtuduit Athenis, viderat & audierat a peritis Græcorum Doctoribus, quadam Latinis incognita. Inter quæ reperit XII Patriarcharum, filiorum videlicet Jacob, Teſtamenta &c. Unde idem Epiſcopus miſit in Graciam, & cum ea habuiſſet, tranſtulit de Græco in Latinum ſermonem, & quadam alia.* Latina iſta Roberti verſio, niſi fallimur, primum anno 1549. in 12. prodiit: ſed tot tantisque cum ſphalmatis, ut, notante Grabio, ſæpius nullum vel ineptum præbeat ſenſum. Nihilominus ita vitioſe inter *Orthodoxographos* & *Bibliothecam Patrum* iteratis vicibus recuſa eſt. Græci textus nihil antea lucem viderat, præter paucas periodos a Cotelerio, Galeo, & Whartono, in aliis operibus ſuis vulgatas. Hinc editio Græco-Latina accuratior deſiderari cœpit, quam Grabius in hac Collectione nobis dedit. Habemus nimirum heic Græcum textum juxta membranaceum Codicem MS. in bibliotheca *Academiæ Cantabrigienſis*, cujus apographum auctor citatus cum Codice MS. bibliothecæ Bodlejanæ diligenter contulit, atque variantes alicujus ſaltem momenti lectiones, ad imam cujuslibet paginæ oram adpoſuit, obſervans inſuper, ubi Codex Oxonienſis deficiat, & contra ubi plura, quam exemplar Cantabrigienſe, habeat. Latinam verſionem adjunxit, non propriam, ſed Roberti Lincolnienſis ſupradicti: & quidem ut erudito Orbi quam vitioſa prior editio fuerit pateret, ita eam recudendam curavit, prout in editione Pariſienſi anni 1549 excuſa eſt, facta ad oram cujusque paginæ plurimorum ſphalmatum emendatione, ex duobus Bodlejanæ bibliothecæ MS. Codicibus. Præterea ſingula *Teſtamenta XII Patriarcharum* in paragraphos diſtinxit, ut eo promptius allegari, & allegata facilius inveniri poſſent. Hæc verbotenus Ludolphus Neocorus & Henricus Sikius in *Bibliotheca Librorum novorum*, Trajecti ad Rhenum anno 1699 in 8. edita, tomo 9 Menſibus Majo & Junio, pag. 323 & 331 poſt Grabium in Præfatione ad Opuſculum commemoratum.

TERTVLLIANVS PRESBYTER, natione Afer, Patria ut creditur Carthaginenſis, clarus anno Chriſti 200 extitit, natus paulo ante medium ſecundi ſeculi. Inſigni ortus genere, quippe qui patrem Centurionem Proconſularem habuerit. Nullus veterum fuiſſe Gentilem Tertullianum ſcripſit: ſed a paganiſmo ad Chriſtianam fidem converſum fuiſſe, alium ab ipſo teſtem non eſt quod quæramus. Ipſe ſe fuiſſe Ethnicum in *Apologetico* cap. 18 num. 262. profitetur, agens de judicio extremo, de vita & igne æternis, de ſuſcitatione mortuorum: *Hæc*, inquit, *& nos riſimus aliquando, de veſtris ſuimus: fiunt, non naſcuntur Chriſtiani.* Cum ergo adoleſcens lectioni ac ſtudiis animum intenderet, Chriſtianam Philoſophiam omnium eſſe præſtantiſſimam opinatus, eam amplexus eſt. Et vero ſcripta quoque multorum Veterum *adverſus Gentes*, converſioni occaſionem Tertulliano dediſſe ſentimus: ad quæ alluſiſſe videtur Libro *de Teſtimonio animæ* cap. 1. num. 2 inquiens. *Nonnulli quibus de priſtina litteratura, & curioſitatis labor & memoria tenor perſeveraverit, opuſcula penes nos condiderant: commemorantes & conteſtificantes in ſugillationem, & originem & traditionem & ſententiarum argumenta: per quæ recognoſci poſſit, nihil nos aut novum aut portentoſum ſuſcepiſſe, de quo non etiam communes litteræ ad ſuffragium nobis patrocinentur: ſi quid aut erroris ejecimus, aut æquitatis admiſimus.* Quonam anno Tertulliani converſio contigerit, nullus opinor fuerit qui definire audeat, neque num ante vel poſt nuptias illa advenerit? Pamelius autem in *Vita Tertulliani* §. 2. illum tunc temporis converſum fuiſſe ad Chriſtianam fidem atque baptizatum contendit, quo ſcripſit Librum *de Pallio*: quaſi ea tantum occaſione Librum hunc conſcripſerit, quod a nonnullis objecto a toga ad pallium probro derideretur Philoſophis, ob veſtem ratione converſionis & baptiſmi ſuſcepti mutatam. Cum autem Librum *de Pallio* anno 298 vel 299 ſcripſerit, eodem quoque tempore converſus fuiſſet: quod tamen falſum eſt, quia multis jam ante annis libros ſcripſerat, quod nonniſi poſt converſionem præſtitit. Sed longe citius Librum *de Pallio* compoſitum ab ipſo opinamur. Hoc autem argumentum improbabile prorſus ac falſum oſtendemus poſtea, illudque cum Salmaſio, objectum quidem *a toga ad pallium* Tertulliano acroama, non ratione converſionis ad Chriſtianam fidem vel baptiſmi ſuſcepti, ſed

Anno 200.

Liber de Pallio, qua occaſione ſcriptus.

quando Presbyteratu atque manuum impositione admissis, uxoreque a se ex mutuo consensu dimissa, ut ipse libro I. ad *Vxorem* testatur: aliam ac strictiorem, quam antea dum conjugis amplexibus potiretur, vitæ rationem amplexus, singulari quoque veste *a toga ad pallium* austerioris cælibisque vitæ indicium, novum rigidioris vitæ institutum, publice professus est. Non assentior itaque eidem Pamelio, tunc Tertullianum cum pallium induit, Christo primum nomen dedisse, vel baptizatum esse. Nec enim iis qui Catechumeni fierent, necesse erat togam relinquere, atque induere pallium: neque illi baptismi tempore pallium, quod furvum esse consueverat, sed candidam tunicam ac togæ instar talarem induebant. Ac deinde Tertulliani ipsius in *Apologetico* cap. 42 atque etiam Cypriani *de bono patientiæ*, testimoniis constat: non omnes æque Christianos pallium induisse, sed communi ut plurimum cum Gentilibus indumento incedere consuevisse. Imo nec qui pallium gestarent, mox Christianos convinci potuisse, vel inde manifestum fit: quod non solum turba Philosophorum omnium, sed & cuncti liberalium artium professores (ipsomet teste Tertulliano) *Lib. de Pallio* cap. 1, eo uterentur. Quapropter in eam adducimur sententiam ut opinemur, inter Christianos, perpaucos pallium induisse; illos nempe qui arctius vitæ genus amplecterentur, & eminentioris Philosophiæ cultum profiterentur: quod Tertulliano contigit, dum Presbyteratu insignitus est. Nimirum ut sicut eo habitu inter Gentiles eminebant Philosophi, ita inter Christianos effulgerent, qui se arctioris vitæ vinculis, ut Monachismo vel cælibatui mancipassent. Hoc enim satis probatur, tum ex eo quod S. Hieronymus Epistola 10 ad Furiam, & iterum Epistola 12 ad Marcellum scribit, suo tempore Romæ cum aliqui Christiani austeriori vitæ se dederent, solitos eos vocari impostores seu *Græcos*: quod nimirum amictu Græco & Philosophico, pallio nempe uterentur. Tum quod Salvianus *de vero judicio* Lib. 8. ait, Africanam provinciam a Barbaris affligi commeruisse, quod inter alia sanctos Monachos *Palliatos* incedentes, ludibriis ac sibilis insectari consuevissent. Ad quid enim tunc temporis, ejusmodi irrisiones Romæ & Carthagine, quæ Christianis essent refertissimæ, si iidem omnes pallio usi fuissent? Denique Patres Concilii Gangrensis can. 12. manifeste pallium a communi cæterorum Christianorum veste distinguunt, docentque eo tantum uti consuevisse illos sanctioris propositi viros. Et antiquissimus Origenes apud Eusebium Lib. 6. *Historiæ* cap. 13. laudans Heraclam Christianum Presbyterum, ait eum deposita vulgari & communi veste, Philosophi apparatum, hoc est, pallium sumpsisse. Denique Eusebius Lib. 8. *Historiæ* cap. 21 magnopere laudat in Porphyrio adolescente Christiano, quod Pallium, habitum Philosophicum induisset: in quo utique nulla esset singularis laudis occasio, si id ipsum æque omnes fecissent.

His igitur omnibus rationibus, facile contra Pamelium persuadeor; Tertullianum dum pallium induit, nequaquam tunc primum factum esse Christianum, sed Sacerdotio tunc assumpto, simul hanc breviorem pallii vestem assumpsisse, ut eo amictus genere novam se promissam Philosophiam, novumque vitæ arctioris genus amplexum testaretur: quo simul & effluentes togæ superfluitates resectas, & profluentis carnis delicias uxorisque curas a se prorsus alienatas esse, ostenderet. Præterea quomodo tunc Christianus primum esse potuit, cum antequam pallium ipsum sumeret, his ipsis Severi temporibus, complures doctissimo homine Christiano dignos, ediderit Commentarios? His ergo temporibus, annum circa 197 assumpto Presbyteratu, inter arctioris & eminentioris vitæ fideles, ingenio jam ipso auctorus, profiteri cœpit: a secularibus se prorsus negotiis, reque uxoria abdicando, ut satis ipsemet eodem tractatu *de Pallio* cap. 5. significat, dum ait: *Ego quidem nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio advigilo, nulla rostra præoccupo, nulla prætoria observo, cancellos non adoro, subsellia non contundo, jura non conturbo, causas non clatro: non judico, non milito, non regno: secessi de populo, imo unicum negotium mihi est, nec aliud nunc curo, quam ne curem.* Quæ quidem de Christianis omnibus dicta, minime intelligi possunt; cum nemini Christianorum illis operibus interdictum fuisse, aliqua lege constet: quin imo & ipse Tertullianus in *Apologetico* cap. 42. hæc & alia plura, quæ etiam Ethnici facere consueverant & exercere, Christianos pariter factitasse tradat.

Quando lapsus in Montani hæresim.

Quonam anno in Montani sectam seu hæresim Tertullianus lapsus sit, inquiritur: cui annum Christi 198 plurimi, nosque assignamus. Anno enim sequenti 199 qui Severi Imperatoris septimus fuit, quo majorem natu Filium Antoninum Cæsarem ex Senatus consulto (ut habent Spondanus & Antonius Pagi) creavit Imperatorem: placuit illi ad conciliandum sibi populum, præter munificentissimas munerum effusiones, congiariumque magnum populo collatum, militibus etiam erogare Donativum: cujus hactenus nonnulla extant numismata apud Pyrrhum Ligurem, quæ docent id factum esse anno 201, cum jam Severus auctus esset septima potestate Tribunitia. Hujus autem exhibitionis tempore, illud de Christiano milite accidit, quod Tertullianus Romæ tunc existens, in libro *de corona militis* cap. 1. describit: nempe cum is noluisset (quod alii omnes Christiani milites absque scrupulo facerent) coronam lauream, ex more, donativam accepturus, in capite gestare: eundem a Præfecto militia depositum ac fustibus cæsum, fuisse in carcerem detrusum. Additque idem Author, eundem militem & a Christianis quoque culpatum, tanquam nimis præcipitem & mori cupidum, & quod eo facto longam Ecclesiæ tranquillitatem in discrimen addu-

adduxiſſet. Qua de re cum ipſe graviter indignetur, ſimulque etiam in ipſos Chriſtianorum Antiſtites atque adeo Romanæ Eccleſiæ Pontifices invehatur, quod aſſererent non temere ſe offerendum eſſe Martyrio, ſed licitas eſſe perſecutionis tempore latebras atque fugam: demonſtrat ſatis ab anno 201 jam tunc ſe mutatum fuiſſe, & in Montani errores infeliciter prolapſum, a quibus inter cætera, contra præceptum Domini Matth. 10. negabatur, fugienda eſſe ullo modo Martyria. Contigit iſtud teſte Hieronymo circa mediam Tertulliani ætatem, hoc eſt circa annum ætatis 45. cum diu vixiſſe Tertullianum in confeſſo ſit, atque octogeſimum forſan ſuperaverit annum. Inde autem colligimus natum eſſe Tertullianum circa annum Chriſti 150. converſum eſſe circa 170. tum nupſiſſe, robuſta jam ætate, conſumptisque cum uxore ex qua liberos ſuſcepiſſe non legimus, multis annis, nuptiarum pertæſum, a toga ad pallium uxore relicta indutoque ſacerdotio tranſiiſſe, annum circa 187 ætatis 37. In quo per annos quatuordecim cum circiter manſiſſet, ad Montaniſtas anno 198 vel circiter, defeciſſe legitur. Cæterum cauſam cur ab Eccleſia deſciverit, S. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* enarrans ait, illum: "Cum us„que ad mediam ætatem Presbyter Eccleſiæ „permanſiſſet, invidia poſtea & contumeliis „Clericorum Romanorum, ad Montani dogma „dilapſum eſſe.„ At vero ipſi Tertulliano de ſeipſo loquenti, credendum potius eſt, *Adverſus Praxeam* cap. 1. aſſerenti, Agnitionem atque defenſionem Paracleti ipſum disjunxiſſe a Pſychicis, hoc eſt Catholicis, poſtquam Montani Prophetia a Romano Pontifice cognita eſt atque damnata. Quod autem ſcribit Pamelius, ob Carthaginenſis Epiſcopatus repulſam, Tertullianum ad Montaniſtas defeciſſe: commentum purum eſt, nulla ratione vel authoritate nixum, cum ab omni officio procul eſſet Tertullianus. Quibus de vita noſtri Afri punctis excuſſis, cum de illius ſcriptis omnes paſſim loquantur:

Quinam ad opera ejus in lucem edenda collaboraverint.

Reſtat ut hic unum excutiam, ad eorum qui in Opera Tertulliani labores ſuos contulerunt, laudem: quanam ratione quibusque temporum curſibus Opera illius collecta, & in eam formam ordinemque, quem videmus, redacta ſint. *Primus* qui in hanc arenam deſcendit, & ſcripta doctiſſimi Tertulliani ex Manuſcriptis Codd. hinc atque inde comparatis in unum collegit, fuit Beatus Rhenanus, Alſatus, patria Seleſtadienſis: qui ea quæ conſequi potuit, eruditis Commentariis ſuis illuſtrata, in unum volumen congeſta, evulgavit in fol. Baſileæ anno 1521. apud Frobenium. Tantum valuit labor Rhenani in Tertullianum, ut impreſſio poſthæc ſæpius repetita fuerit Baſileæ, annis 1525. 1528. 1539. 1550. 1562 in officina eadem Frobeniana. Denique Pariſiis anno 1566. 2 fol. in 8 Joanne Gognejo Doctore Sorbonico procurante. *Alter* qui in arenam eandem ingreſſus eſt, Jacobus Pamelius, Belga, Brugenſis Canonicus & Archidiaconus, Avdomaropolis deſignatus Epiſcopus, qui labore incredibili, quidquid ad Tertullianum ſpectabat inquirens ac colligens, Opera omnia perpetuis Commentariis illuſtrans, obſcura explicans, intricata ſolvens: Opus ſuum Antwerpiæ in fol. anno 1579 impreſſum, Catholico Hiſpaniarum Regi, Belgarum Principi, dedicavit. Diviſit illud in quinque tomos ut appellavit; Commentarium ſcripſit non in locos Tertulliani tantum difficiles, ut aſſolet: ſed continuum fere in omnia omnium Tractatuum verba & ſententias. Opus ſane magnum nec tamen memoria dignum æterna, ob violentas textus interpretationes, quamvis editionem Rhenani ſuppreſſerit. Iterata Impreſſio Pameliani laboris, Pariſiis anno 1580. 1583. Antwerpiæ anno 1584. Heidelbergæ 1596. 1601. Pariſiis 1608. 1610. 1616. Coloniæ 1617. In his omnibus Editionibus, Libri duo *ad Nationes* deſiderantur, a Jacobo Gothofredo primum editi Genevæ anno 1624. in 4. *Tertius* acceſſit Franciſcus Junius Bituricenſis, qui Opera Tertulliani annotationibus ſuis illuſtrata cum Rhenani & Pamelii Notis Franequeræ in fol. 1597. edidit. Poſt eum quartus Ludovicus de Lacerda, Toletanus Soc. Jeſu ſucceſſit, qui omnia Quinti Septimii Florentis Tertulliani Opera notis & argumentis illuſtravit, impreſſa Pariſiis anno 1624. 2 in fol. tomis apud Michaelem Sonnium. Ibidemque 1630. 1634. *Quintus* autem Nicolaus Rigaltius, ſuas etiam curas huic Scriptori adhibuit. Hic neglecta omni illa diviſione Operum Tertulliani in plures vel pauciores tomos, uti Jacobus Pamelius & Ludovicus Lacerdanus fecerant, ſimplici modo, uno volumine in fol. omnia Tertulliani Opera concluſit, cum paucis Commentariis in ſelectos Tertulliani locos, impreſſa Pariſiis anno 1634. cum volumine *Annotationum* & *Notarum* in Tertullianum, ibidem impreſſio, ſeorſim. Opus Rigaltii iterum Pariſiis impreſſum anno 1641. 1644. 1646. 1650. Argentinæ 1657. Pariſiis 1658. *Sextus* denique Philippus Priorius, Tertullianum in fol. Pariſiis anno 1663. apud Joannem Dupuis ſub ſigno coronæ aureæ edidit, cum integris Rigaltii, ſelectis Pamelii, Lacerdæ, aliorumque notis, ſuisque etiam ſicubi opus fuit, cujusvis paginæ calci ſubjectis. Hi quidem non omnes, ſed inſigniores qui in Scripta Tertulliani labores ſuos contulerunt: quos imitati ſcripſerunt etiam in Tertullianum *Annotationes Seleſtas* F. Georgius Ambianenſis ord. S. Franciſci Capucinus, *Tertulliani Redivivi* titulo inſignes, quas 3 in folio tomis anno 1646. Pariſiis impreſſit Michael Soly, via Jacobæa ſub ſigno Phœnicis. Carolus Moreau ex ordine Eremitarum D. Auguſtini, qui anno 1658. 3. in fol. tomis *Omniloquium Tertulliani*, Pariſiis edidit apud Jacobum Dallin ſub ſigno Sancti Stephani, & Thomam Jolly ſub ſigno Scuti Hollandici. Quisquis igitur opinor

Digitized by Google

poſt tantos ac tam varios auctores, in Tertullianum commentari tentaverit: ludere atque oleum perdere, apud prudentes exiſtimabitur. Porro non ingratum fore Lectori arbitror, ſi antequam de tabula manum amoveam, *Paradoxorum* Tertulliani breve compendium hic ſubnectam: quæ ſi quis amplioribus ambiverit verbis, ad Pamelianæ editionis fontem ubi plenius explicantur, accedere absque ullo negotio poteſt.

PARADOXA TERTVLLIANI.

Opinatus primum eſt, Angelos deſertores libidine in fœminas peccaſſe, & illarum pulchritudinem usque ad cælos ſcandalum intuliſſe. Libro de Idololatria cap. 9. De Habitu mulierum cap. 1. De cultu fœminarum cap. 10. De velandis Virginibus cap. 7. Denique lib. 5. Adverſus Marcionem cap. 18.

2. Angelorum apparitiones fieri in vera carne humana, quam ad tempus aſſumunt. Lib. 3. adverſus Marcionem cap. 9 & cap. 11.

3. Animas poſterorum Adæ eſſe ex traduce, ipſamque proinde in utero mulierum pariter ſeminari cum carne, pariterque cum ipſa ſortiri & ſexum. Lib. de anima cap. 9. 19. 22. & integris capitibus 27 & 36.

4. Animam ipſam eſſe corpoream. Apologetici cap. 48. Lib. de anima capp. 5. 6. 7. 8. 9. 22. 36. 37. De Carne Chriſti cap. 11. De reſurrectione carnis cap. 17. 45. 53. Libro 5. adverſus Marcionem cap. 10 & 15. Quod proinde Spiritus non ſit, ibidem Lib. de anima cap. 11. & in fragmentis Libri de cenſu animæ, adverſus Hermogenem.

5. Animam nihil pati poſſe ſine corpore. Apologetici cap. 48. De teſtimonio animæ c. 4.

6. Animas Sanctorum in ſinu Abrahæ vel in Paradiſo, id eſt, in loco non cœleſti ſed tamen inferis ſuperiore, foveri & gaudere, ad diem usque divini judicii. Apologetici cap. 47. De anima capp. 7. 9. 55. 56. & ultimo. De reſurrectione carnis cap. 17. Lib. 3. adverſus Marcionem cap. 34. In Scorpiaco adverſus Gnoſticos cap. 12. De judicio Domini cap. 11. Et in fragmentis libri, de paradiſo.

7. Animarum mortuorum omnem exhibitionem incorporalem, eſſe præſtigias. Lib. de anima cap. 57.

8. Animas hominum peſſimas, poſt mortem in Dæmones converti, teſte D. Auguſtino in Libro *de Hæreſibus* ad Quodvuldeum.

9. Hæreticos quoscunque eſſe rebaptizandos, eo quod apud illos omnia veritati extranea & contraria. Lib. de præſcriptione adverſus Hæreticos cap. 12. Lib. de baptiſmo cap. 15. De pudicitia cap. 19.

10. Chriſtum eſſe Dei Spiritum. Apologetici cap. 21. De oratione cap. 1. Adverſus Marcionem Lib. 1. cap. 19. Lib. 3. cap. 6 & 16. Lib. 4. cap. 21. Adverſus Praxeam cap. 26.

11. Deum eſſe corporeum, eo quod nihil incorporale eſſe exiſtimaverit. De pœnitentia cap. 3. Adverſus Hermogenem cap. 35. De Carne Chriſti cap. 11. Libro 2. adverſus Marcionem cap. 16 atque apertiſſime Lib. adverſus Praxeam cap. 7.

12. Circa Trinitatem an Orthodoxus plane fuerit, ambiguum valde eſt, quem plurimi tamen benigna interpretatione excuſant. Quamvis enim locis in multis eam admiſiſſe legamus, in aliis tamen Filium Patre minorem, aliquando non exiſtentem, ac Patris tantum portionem, quemadmodum in humanis fit, admittere viſus eſt. Quem ut Orthodoxum vindicat Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus* ſeculo 2. Diſſertatione 9. art. 3. pag. 490.

13. Mille annos in terra poſt reſurrectionem corporum admittit, ante ingreſſum in gloriam. De reſurrectione carnis cap. 25. Lib. 1. Adverſus Marcionem cap. 29. Lib. 3. cap. 24. Lib. 4. cap. 29. Et in fragmentis Libri *de Speſidelium*.

14. Filium Dei Chriſtum ſemper viſum ab hominibus, in vera, etſi non in nata carne. Lib. adverſus Judæos cap. 9. De Carne Chriſti cap. 6. Adverſus Marcionem Lib. 2. cap. 27. lib. 3. cap. 6 & 9. Lib. 5. cap. 19. Adverſus Praxeam Capitibus 14 & 16.

15. Eccleſiam eſſe in tribus, etiam laicis. De exhortatione ad caſtitatem cap. 7. De pudicitia cap. 21.

16. Mariam Virginem Chriſtum peperiſſe communi lege pateſacti corporis. Lib. de carne Chriſti capp. 4. 20 & 23. Contra Marcionem Lib. 3. cap. 11. Lib. 4. cap. 21. & Lib. 5. cap. 19.

17. Mariam Virginem ſemel nupſiſſe poſt partum. Lib. de velandis virginibus cap. 6. De Carne Chriſti cap. 23. De Monogamia cap. 8.

18. Euchariſtiam non eſſe verum Chriſti corpus, ſed per figuram tantum. Lib. 1. adverſus Marcionem cap. 14. ubi ſcribit de Chriſto, *Panem ipſum corpus ſuum repræſentat:* unde ſenſiſſe videtur Panem Euchariſticum eſſe meram & ſolam corporis Chriſti figuram. Sed expreſſius Lib. 4. contra Marcionem cap. 40. *Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit:* hoc eſt corpus meum *dicendo, id eſt, figura corporis mei.*

19. Pœnitentiam mœchis negandam, integro libro *de pudicitia* proſecutus eſt, imo & peccatis omnibus in Deum gravibus. Cum pœnitentiam omnino omnem tollerent Montanus, & ejus ſectatores Caraphrigæ, vel D. Hieronymo teſte, in Epiſtola ad Marcellam, & Paciano in Tractatu adverſus Novatianos. Tertullianum tamen diſſenſiſſe ab aliis hac in parte, Pamelius opinatur, ſed æquius Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus* Seculo 2. Diſſert. 9. *de Doctrina Tertulliani*, vult eum profeſſum eſſe omnes Montaniſtarum errores.

20. Nuptias ſecundas damnari ut ſtupra. Lib. 1. ad uxorem cap. 1. De velandis virginibus cap. 10. & 11. Adverſus Hermogenem cap. 11. De reſurrectione carnis cap. 8. De pudicitia

Digitized by Goc

dicitia cap. 1. quibus adde Libros integros, de exhortatione caſtitatis & de monogamia.

21. Quadrageſimas duas cum Montaniſtis obſervandas, integro Libro *de jejunio* adverſus Pſychicos, in earum defenſionem conſcripto, maxime cap. 15.

22. Repudium Chriſtianis licitum, ita ut aliam adulterii cauſa, uxorem ducant. Lib. 2. ad uxorem cap. 1. Lib. 4. adverſus Marcionem cap. 34.

23. Exſtaſim admiſit, ſeu Spiritum Montani Propheticum, & ſtultarum vatum Priſcillæ & Maximillæ, & ſimilium. De quibus libro de velandis Virginibus cap. 1. De anima capp. 9. 45. 47. De reſurrectione Carnis cap. 11. & ultimo. Adverſus Marcionem Lib. 4. cap. 22. & Lib. 5. cap. 8. Adverſus Praxeam capp. 1. & 15. & 30. Denique in fragmentis Librorum ſeptem de Exſtaſi.

24. Pſychicos ſeu animales, quo nomine Catholicis calumniam fecit, omnes qui Montaniſtæ non eſſent, appellat. Adverſus Marcionem Lib. 4. cap. 22. Adverſus Praxeam cap. 1. Lib. de Monogamia Capp. 1. 11. & 16. Libro de jejunio adverſus Pſychicos integro, & de pudicitia capp. 1. 6. 10 & 21.

Plura de Scriptis & Operibus Tertulliani, deque ejus erroribus, habent D. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*: Beatus Rhenanus, Jacobus Pamelius, & alii qui ejus Opera commentariis illuſtrarunt: Antonius Poſſevinus tom. 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Tertullianus* pag. 450: Cæſar Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis*, ſeculo ſecundo paſſim. Henricus Spondanus ejus *Annalium* epitomator, ad annos 197. 201. 209. 215. 216. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis a Bellarmino recenſitis* tom. 2. verbo *Tertullianus* pag. 380 & ſequentibus. Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus* ſeculo 2 Diſſertationibus 9 & 10.

220. HIPPOLYTVS, PORTVS ROMANI IN ARABIA EPISCOPVS, teſte Photio in *Bibliotheca* Cod. 121 Irenæi diſcipulus extitit, Origeni coævus, quo præſente Orationem aliquando habuit *de Laudibus Domini Salvatoris*. Convenit inter omnes fuiſſe eum Epiſcopum, ſed cujusnam Vrbis, adhuc incertum eſt. Neque id notum fuit Euſebio, qui in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* Lib. 6. cap. 20. ſic loquitur: Τούτων Βηρύλλου μὲν ἐπιστολαῖς καὶ συγγράμμασι διαφόροις φιλοπαλίας καταλέλοιπεν. Ἐπίσκοπος δὲ ἦν τῶν κατὰ Βόστραν Ἀραβίαν. οὗτος δὲ καὶ Ἱππόλυτος ἑτέρας που καὶ αὐτὸς προεχώρησεν ἐκκλησίας. Inter quos fuit Beryllus Boſtrorum in Arabia Epiſcopus, qui præter Epiſtolas & lucubrationes, varia quoque elegantis ingenii monumenta dereliquit. Similiter & Hippolytus alterius cujusdam Eccleſiæ Epiſcopus. Neque Hieronymo in Libro *de Scriptoribus Eccleſiæ* cap. 61 ubi ſic habet: *Hippolytus cujusdam Eccleſiæ Epiſcopus, nomen quippe urbis ſcire non potui.* Gelaſius in libro de *Duabus naturis* adverſus Eutychetem, *Hippolytum Arabum Metropolis Epiſcopum* vocat. Joannes autem Zonaras cum aliis recentioris ævi ſcriptoribus, conjecturæ ſuæ indulgentibus, dixit *Annalium* tom. 2 cum Nicephoro *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Lib. 4. cap. 31 & recentioribus fere omnibus, fuiſſe *Romani portus Epiſcopum.* Attamen inter varios diſſentientes, qui utramque allegatam ſententiam aliquo modo diverſam conciliat, eſt Stephanus Le Moine, qui conjectura veriſſima affirmat in *Prolegomenis* ad Varia Sacra, Hippolytum fuiſſe Portus Romani in Arabia Epiſcopum, ἐμπορίᾳ τῆς Ἀραβίας a Ptolomæo vocati, ac poſtea *Adana* ſeu *Adena* nomen quod & hodie retinet, adepti, Romanis tunc temporis notiſſimi, atque maxime frequentati. Hinc falluntur Leo Byzantinus in libro *de ſectis* Act. 3. Germanus Conſtantinopolitanus Junior in *Theoria Eccleſiaſtica*, qui eum *Romæ* Epiſcopum fuiſſe dicunt. Maxime autem omnium decipiuntur Magdeburgenſes *Centuria* 3. cap. 10. qui *Oſtienſem Epiſcopum* ſtatuunt, portum Romanum pro portu *Oſtiæ* accipientes. Nec omittendæ quæ de illo narrantur fabulæ. Maxime quod ait alicubi Petrus Damiani, Hippolytum dum in Oriente egit, plus quam triginta millia Ethnicorum ad fidem Chriſti adduxiſſe, vocatumque *Nonnum*: Sed videant prudentes Critici, an Petri Damiani teſtis ab his temporibus remotiſſimi authoritas, ad tam amplas ſtabiliendas contra dæmonum cultus victorias, ab Hippolyto reportatas, ſufficiens & idonea ſit. Inter fabulas quoque computari debet, quod aſſerit de Hippolyto Photius *Bibliotheca* Cod. 121 cui narrationi calculum quoque exponere videtur Hieronymus, loco citato. Hippolytum nempe ſuis ſumptibus Origeni ſeptem Notarios ſubminiſtraſſe, qui Commentarios in Scripturam ſacram ab eo dictatos exciperent: & librarios totidem, qui accurate deſcriberent. Hoc enim beneficium Origeni collatum ab Ambroſio Alexandrino, quem a Marcionitarum hæreſi ad fidem ipſe ſanam revocaverat, teſtatur Euſebius *Hiſtoria* Lib. 6. cap. 23. Cyrillus in Vita *Sancti Euthymii* magni Archimandritæ cap. 19 Hippolytum *Antiquum & ipſis notum Apoſtolis* vocat, quod omnino hyperbolicum eſt, ac legendum forſan, *Apoſtolicis Viris.* Quomodo enim fieri poteſt, ut ipſis notus fuerit Apoſtolis, quos vix annum Chriſti 90 exceſſiſſe conſtat vel circiter: Hippolytus vero usque ad tempora Alexandri Severi, & annum circiter 230 floruerit? Anno etenim Chriſti 222 Alexandri Severi Imperatoris primo, *Canonem Paſchalem*, quem Voſſius *Decennovalem circulum* vocat, conſcripſit. Hic effoſſus anno Chriſti 1551 ex agro Verano, non procul ab æde ſancti Laurentii ad Vrbem, deinde a Marcello Cervino S.R.E. Cardinali in Vaticanam delatus bibliothecam, Græce tandem editus eſt anno 1595 Lugduni Batavorum cum Commentariis Joſephi Scali-

Scaligeri, & quibusdam aliis: quem anno 1600 Janus Gruterus in *Thesaurum Inscriptionum* transmisit, Latinumque edidit Ægidius Bucherius Antwerpiæ in fol. anno 1634 cum eruditissimis notis, in Commentario *de Doctrina temporum* ad Victorii Aquitani Canonem Paschalem. Martyrium tandem Hippolytus sub Alexandro Severo Imperatore, circa annum 230 die 22 Augusti, passus legitur.

Jam veniamus ad Opera ejus, de iis paulo latius quam Bellarminus & Labbeus fecerunt, disserturi. De Scriptis autem Eusebius Lib. 6. *Historia Ecclesiastica* cap. 22. *Eodem tempore & Hippolytus inter plurima alia ingenti sui monumenta, librum de Pascha composuit: in quo temporum seriem describens, & Canonem quendam Paschalem per sexdecim annorum circuitum exhibens, anno primo Imperatoris Alexandri computationem temporum circumscribit. Ex reliquis autem illius scriptis, hæc sunt quæ ad notitiam nostram pervenerunt. In opus sex dierum. In ea quæ post sex dies consecuta sunt. Adversus Marcionem. In Canticum Canticorum. In capita quædam Ezechielis, De Pascha, Adversus omnes hæreses. Sed & alia plurima apud nos asservata, reperire licet.* Hieronymus in Catalogo *Scriptorum Ecclesiasticorum* cap. 61. opera Hippolyti sic recenset. „Hippolytus cujusdam Ec„clesiæ Episcopus (nomen quippe urbis scire „non potui) rationem Paschæ, temporumque „canones scripsit, usque ad primum annum Ale„xandri Imperatoris, & sedecim annorum circu„lum, quem Græci ἐξαεσδεκαετηρίδα vocant, re„perit: & Eusebio qui super eodem Pascha ca„nonem, decem & novem annorum circulum, „id est ἐννεακαιδεκαετηρίδα composuit, occasio„nem dedit. Scripsit nonnullos in Scripturas „Commentarios, e quibus hoc reperi. In ἑξα„ήμερον & in Exodum, & in Canticum Cantico„rum. In Genesin & in Zachariam. De Psal„mis. In Esaiam. De Daniele, de Apocalypsi, „de Proverbiis, de Ecclesiaste, de Saul & de „Pytonissa. De Antichristo. De Resurrectio„ne. Contra Marcionem, De Pascha. Ad„versus omnes hæreses, & Librum ὁμιλιῶν. De „laude Domini Salvatoris, in qua præsente Ori„gene se loqui in Ecclesia significat. In hujus „æmulationem, Ambrosius quem de Marcionis „hæresi ad veram fidem correctum diximus, co„hortatus est Origenem in Scripturas Com„mentarios scribere, præbens ei septem & eo „amplius Notarios eorumque expensas, & Li„brariorum parem numerum: quodque his „majus est incredibili studio quotidie ab eo opus „exigens, unde in quadam Epistola ἐργοδιώκτην „eum Origenes vocat.„ De Stylo ejus sic Photius in *Bibliotheca* Cod. 121 *τὴν δὲ φράσιν σαφὴς ἐστι, καὶ ὑπόσεως ἐμπλεως, εἰ καὶ πρὸς τὸν Ἀττικὸν οὐκ ἐπιστρέφεται λόγον. Oratio ejus clara est, ac nonnihil gravis, minimeque redundans, etsi ad Atticum sermonem non tendat.* Legerat autem Commentarium ejus in Danielem, quodque in eo reprehenderet, Cod. 202 his verbis designat. *Cæterum quod Antichristi adventum, quando etiam mundi hujus adspectabilis interitus sequetur, quem ne Discipulis quidem rogantibus Dominus manifestavit: Hippolytus hic quingentesimo post Christum anno adscribere ausus sit, quasi a prima mundi constitutione sex millibus annorum tum decursis, ejus interitus instaret: hoc sane calidioris, quam par sit, animi est. Quæ assertio*, inquit Photius, *humanam ignorantiam potius, quam cælestem inspirationem sapit.* Multa quoque alia Opera variis ex Scriptoribus, tribuit Hippolyto Guillelmus Cavus, in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ* seculo 3. pag. 71. quæ quia non extant, de his agere pluribus, supersedemus.

Cum autem indubia omnia atque ab Eusebio & Hieronymo adscripta Opera, paucis exceptis fragmentis, perierint: quæstio nunc est de attributis Hippolyto Operibus atque sub ejus nomine impressis, utrum genuina illa sint, an spuria? quæ sigillatim excutere, operæ pretium est. Ex his omnibus quæ sub Martyris nomine evulgata circumferuntur, Opusculis, nullum certo esse Authoris hujus, diserte statuit Ludovicus Elias du Pin in *Bibliotheca Ecclesiastica* Seculo 3 verbo *Hippolytus*. Idemque Guillelmus Cavus in *Historia Literaria* Scriptorum Ecclesiasticorum pag. 70. Singula examinemus.

1. *Oratio de consummatione mundi, & Antichristo, ac secundo adventu Domini nostri Jesu Christi*, Græce & Latine primum prodiit Parisiis anno 1557. interprete Joanne Pico majoris Ecclesiæ Parisiensis canonico, & in suprema ejusdem urbis curia Senatore, quam Hippolyto abjudicant Isaacus Casaubonus & Andreas Rivetus Lib. 2 *Critici Sacri* c. 11. „Pro„duxit Parisiis in 8. Græce anno 1661 Marquar„dus Gudius *Demonstrationem de Antichristo* „*ex Sacris Scripturis*, ex duobus MSS. Codicibus „Græcis, Remensi uno, Ebroicensi altero. Opus„hoc Hippolyti *περὶ νοθείας* minus suspectum, „sicque antiquo Episcopo & Martyre dignum: „ex quo libro ea mutuatus sum, quæ ad Domi„nicam ultimam post Trinitatem aptiora visa „sunt, etsi simplicia, pro tantæ antiquita„tis Theologo, merito amplectenda inquit„ Franciscus Combefis in *Apparatu Authorum* ad Bibliothecam Patrum Concionatoriam recensitorum, verbo *Hippolytus Martyr & Episcopus* fol. 19. Quam Demonstrationem *de Antichristo* cum homilia *in Susannam* iterum Græce & Latine recudit idem Combefis tomo 1. ultimi *Auctarii* Græco-Latini Bibliothecæ Veterum Patrum Parisiis in fol. anno 1672 apud Carolum Fosset, pag. 26 & 50. Utrum ambo ista Opuscula sint legitimum *de Antichristo* opus ab Hieronymo attributum in Catalogo *de Scriptoribus* Cap. 61. an neutrum, quæstio est? *Oratio de consummatione mundi, & Antichristo ac secundo adventu Domini nostri Jesu Christi*, non videtur opus ab Hieronymo designatum, neque dignum Hippolyto, varias ob rationes. *Primo*, quod Antichristum non hominem fere, sed dæmonem

monem humana forma indutum asserat, contra doctrinam S. Pauli Apostoli, 2. ad Thessalon. 2. v. 3. ubi Antichristum vocat *hominem peccati, filium perditionis.* Quis autem credat virum Apostolicum atque primis Ecclesiæ columnis proximum, tam absurde sentisse? *Secundo*, quod S. Joannem Evangelistam mortuum nondum esse, sed cum Elia & Enoch præcursurum secundum Christi adventum affirmet: quod pugnat cum Joanne ipso, in Evangelio cap. 21. v. 23. ubi errorem hunc a Discipulis amandat. *Tertio* stylus hujus Opusculi abjectus est ac puerilis, unde concluditur non esse designatum ab Hieronymo Opusculum: cum juxta Photium in *Bibliotheca* Cod. 121. *τὴν δὲ φράσιν σαφὴς ἐστι, καὶ ὑπόσημος, καὶ ἀπέριττος εἰ καὶ πρὸς τὸν Ἀττικὸν οὐκ ἐπιτρέφεται λόγον, Oratio ejus clara sit, ac nonnihil gravis, minimeque redundans, etsi ad atticum sermonem non tendat.*

2. *Demonstratio de Antichristo & in Susannam*, de qua jam ante locuti sumus, neque spectare videtur ad Hippolytum. *Primum* ob nimiam styli simplicitatem, non convenientem Hippolyto, quem eloquentem utpote Origeni æmulum, fuisse constat. *Præterea* titulus iste non convenit cum eo quem simpliciter habet Hieronymus *de Antichristo*, nulla facta *Susannæ* mentione: neque cum eo quem refert Photius in *Bibliotheca* Cod. 121. *de Christo & Antichristo.* Denique Photius ibidem Opusculum Hippolyti *Homiliam* appellat, cum tamen horum duorum Opusculorum nullum *homilia* ad populum formam præ se ferat.

3. Homilia *de Deo trino & uno, & de mysterio incarnationis, contra hæresim Noëti*, interprete & editore Gerardo Vossio Tungrensi Præposito, habetur Latine tantum tom. III. Bibliothecæ sanctorum Patrum editionis Coloniensis anni 1618. & Parisiensis anni 1644 tomo XV pag. 620 ex editione Operum S. Gregorii Thaumaturgi Moguntina anni 1604 in 4. quam anno 1621 in fol. dederunt typographi Parisienses. Hæc inquam homilia, opus dubium est apud eruditos & Criticos, quippe quæ nullius authoritate nomenclatoris nitatur.

4. *De Theologia & Incarnatione contra Beronem & Helicem hæreticos*, Excerpta. Primus Latine exhibuit Henricus Canisius tom. 1. *Antiquæ Lectionis*, unde irrepserunt in Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis Coloniensis anni 1618 seculo 3. ac Parisiensis anni 1644. tomo 4 pars 2. col. 951. Ex isto autem Opusculo octo fragmenta habentur Græce & Latine inter Collectanea Anastasii Bibliothecarii quæ edidit Jacobus Sirmondus Soc. Jesu Parisiis anno 1620 in 8. ubi pag. 209 & sequentibus leguntur. Eadem denique Græce & Latine edita a Francisco Combefis in *Prolegomenis* ad Opera omnia S. Maximi Abbatis & Martyris, quæ duobus in fol. tomis edita Parisiis ab ipso, anno 1675 apud Andream Cramoisy. At Opus istud, quanquam Anastasii authoritate nixum, spectare ad Hippolytum Martyrem, cujus nomen præfert, non videtur. Nec Hippolyti temporibus congruit, nec ejus meminerunt Veteres, quamvis accuratum satis illius Operum catalogum contexuerint, Eusebius *Historiæ* Lib. 6. cap. 22. Hieronymus *de Scriptoribus* cap. 61. & Nicephorus Callistus Lib. 4. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 31. Accedunt argumenta plura positiva, quæ quo jam usi sumus, negativum confirmant. *Primo* enim errorem Apollinaris & Eutychetis refellit de mutatione Divinitatis in carnem vel carnis in Deum, ut ex illis verbis cap. 4 constat. *Quam essentiam*, inquit, *habebit eorum opinione, factus homo mutata Divinitate in carnem; & quam habebit Deus, mutata carne in Deum. Mutatio enim duarum naturarum inter se, interitus est ambarum.* Addo *iterum* non solum videri, librum post hæreses Apollinaris & Eutychetis exortas compositum, sed etiam post effusas Monothelitarum etiam pernitiosas hæreses. Nam in eo maxima pars operis versatur, ut duas in Christo operationes probet, alioquin secuturam naturarum confusionem. Ita nimirum habet cap. 5. *Carnem a Verbo assumptam, unam & eandem operationem habere, quam Divinitas, propter assumptionem: Divinitatem vero eandem passionem quam caro, propter exinanitionem: sic mutationem simul & mixtionem ac confusionem, & ambarum naturarum in seipsas conversionem tradunt. Si enim caro assumpta eandem operationem habet, quam Divinitas, liquet factam esse natura Deum, habereque omnia, cum quibus naturaliter intelligitur Deus. Etsi Divinitas exinanita eandem passionem subit quam caro, liquet factam esse naturâ carnem, habereque omnia, cum quibus naturaliter nasci potest caro. Quæ enim inter se sunt ejusdem operationis & efficientiæ ac cognitionis, & omnino idem patiuntur, nullam natura differentiam recipiunt.* Et cap. 6. *Qui eandem operationem diversis Christi naturis tribuit, confusionem naturalem simul introducit, & divisionem personarum: cum naturalis essentia naturarum, per mutationem proprietatum penitus sublata sit.* Et cap. 7. *Creator omnium ex sancta virgine Maria, in conceptu puro, sine mutatione, animam intelligentem cum corpore sentiente sibi substantialiter uniens, factus est homo natura a peccato alienus, Deus Verbum, idem Deus totus, idem item homo totus; Divinitate quidem divina operans, per sanctam carnem, quæ natura non erant carnis: Humanitate vero humana, quæ natura non erant Divinitatis, patiens sustentatione Divinitatis. Nihil divinum, nudum corpore operans; nihilque humanum, expers Divinitatis: servans sibi novum modum, quo utraque, divina scilicet & humana operatus est, ut in neutra natura mutatio fieret.* Omnino cum hæc Monothelitarum hæresim, unicam in Christo voluntatem propugnantium directe petant: verisimillimum est Librum illum non esse elucubratum, ante septimum quo Monothelitæ exorti sunt, seculum. *Tertio* si hoc Opus extitisset tempore Chalcedonensis Concilii, procul dubio Theodoretus præfata adversus Eutychianos testimonia protulisset

tuliſſet in *Tribus Dialogis*, quos contra ipſos compoſuit: maxime cum alia ex operibus Hippolyti loca recenſeat, nimirum ex Oratione *de diſtributione talentorum*, ex epiſtola *ad quandam Reginam*, ex ſermone *in Helcanam & Annam*: quæ minus ſplendida & diſerta ſunt, quam ea quæ proxime adduximus. Non omiſiſſet ſane diligentiſſimus ſcriptor teſtimonia deprompta ex Libro *de Theologia & Incarnatione*, in ſuum ſcopum tam directe collineantia, & ſuo argumento tam convenientia, ſi in rerum natura ejusmodi liber extitiſſet. *Quarto* denique *Beronis & Helices* hæreticorum, contra quos editus fertur, nulla eſt in tota Antiquitate memoria, quod non minimum ſuppoſitionis indicium.

Nec objicias cum Henrico Caniſio & Antonio Poſſevino in *Apparatu Sacro*, errorem de mutatione Divinitatis in humanitatem, vel humanitatis in Divinitatem, eſſe Eutychete & Apollinari antiquiorem, cum meminerit illius Juſtinus in *Expoſitione fidei*: ideoque non eſſe adjudicandum S. Hippolyto librum præfatum, quia eorum errorem refellit. Reſpondeo enim *Expoſitionem* hanc, ut jam omnes fatentur, non eſſe genuinum Juſtini opus, ac propterea reſponſionem Caniſii & Poſſevini in auras evaneſcere.

5. *Demonſtratio adverſus Judæos* a Franciſco Turriano Latine reddita, & edita primum ab Antonio Poſſevino tomo 1. *Apparatus Sacri* pag. 763. verbo *S. Hippolytus Martyr*, incertum ac dubium opus eſt, cujus nullus e veteribus mentionem fecit: neque Euſebius neque Hieronymus, qui accurate opera Hippolyti recenſuerunt.

6. *Indiculus de duodecim Apoſtolis, ubinam quisque eorum prædicaverit, & ubi conſummatus ſit*, fertur ſub nomine Hippolyti Martyris: quem ex Regio Codice edidit Franciſcus Combefis Græce & Latine tomo 2. *Auctarii* ad Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis Pariſienſis, anno 1648. col. 831. Indignum Martyre Hippolyto opus, adſcribit Cavus Hippolyto cuidam juniori, ad annum 933. de quo pag. 580. Baronius in Notis a Martyrologium Romanum die 9. Aprilis citat S. Hippolyti libellum *de Septuaginta duobus Diſcipulis*, quem Græce viderat MS. in bibliotheca Cardinalis Sirleti, & ad annum 44. num. 38. ad annum 58. num. 56. qui nihil videtur diſtinctus a Synopſi *Dorotbæi*, de qua ſcriptione abſurda & Epiphanio attributa, plura Labbeus. Deſumptus autem ex hoc libello videtur, iſte *Indiculus de duodecim Apoſtolis* Hippolyto adſcriptus. Non mirum autem quod facillime opus ejusmodi evulgaverit Combefiſius, quem cum Pariſiis noverim, promptiſſimum ad credenda omnia quæ non abſurditatem omnimodam continerent, expertus ſum. Opus autem hoc MS. extat, nunc ſub nomine Dorotheæi Tyri Epiſcopi, in Regia Galliarum Bibliotheca Codd. 1789. & 2363. ſub nomine autem S. Epiphanii Cypri Epiſcopi, Codicibus 607. & 1026. ut habet Joannes Baptiſta Cotelerius in Notis ad *Opera SS. Patrum, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt*, col. 261. litera D. & col. 298. litera B.

7. Fragmentum ex libro πρὸς Πλάτωνα ἢ καὶ περὶ τοῦ παντός, *Contra Platonem* ſive *de univerſo*, ampliſſimum ſibi ex Italia miſſum edidit David Hœſchelius in Bibliotheca Photii pag. 9. ſub Joſephi nomine. Illud idem Græce ac Latine recudendum curavit ſub Hippolyti Martyris nomine tom. 1. pag. 53. *Variorum Sacrorum* Stephanus le Moine Leydenſis Theologus, Lugduni Batavorum apud Danielem Gaesbeck 1685. in 4. innixus authoritate *Laterculi Hippolyti*, titulos Librorum Hippolyti cum cura recenſentis, cui ego fidem facile præbuerim, opinatus hoc ferme unicum ex omnibus hujus Martyris operibus ſupereſſe, cum fragmentis aliis, quæ Theodoretus in *Dialogis* refert.

Agunt de Hippolyto Hieronymus variis in locis, poſt Euſebium citatum, in libro *de Scriptoribus Eccleſiæ* cap. 61. Quæſtione 3. ad Damaſum, in Epiſtola ad Magnum, & proœmio in Matthæi Evangelium, appellans Martyrem. Theodoretus paſſim in *Polymorpho*. Stephanus Gobarus apud Photium. Georgius Syncellus in *Chronico*. Anaſtaſius Bibliothecarius in *Collectaneis*. Iſidorus Lib. 6. *Originum* cap. 17. Nicephorus Calliſtus Lib. 4. *Hiſtoriæ* cap. 31. ubi Catalogum Scriptorum ejus refert, & Lib. 5. cap. 15. mortem ejus Martyrio conſummatam enarrans. Recentiores quoque doctiores, Baronius, Scaliger, Petavius, Poſſevinus, Bucherius, Henricus Valeſius pag. 123. *Annotationum* in Euſebii Hiſtoriam. Ludovicus Ellias du Pin in *Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 3. verbo *Hippolytus*. Guilielmus Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad annum 220. p. 66.

AMMONIVS ALEXANDRINVS, *Saccas* dictus, Philoſophus Chriſtianus, ſub ſeculi 3. initium, circa annum Chriſti 221. floruit, cum juxta Porphyrium in vita Plotini Platonicæ ſectæ Philoſophi, fuerit præceptor Origenis Adamantii in Philoſophia. Hanc artem dudum cum applauſu exercuiſſe conſtat. Nam Ammonio eodem ad annum Chriſti 234. Alexandriæ ibidem Philoſophiam Platonicam publice profitente, Plotinus præfatus Ægyptius, patria Lycopolitanus, homo Gentilis, annos natus viginti octo, ad audiendum illum ſe contulit, quem annos undecim audivit, id eſt usque ad annum Chriſti 245. ut teſtatur idem Porphyrus in *Vita Plotini*. Quod autem dicit, Ammonium a Chriſtianis ad Ethnicos defeciſſe: impudentiſſimi eum mendacii redarguunt Euſebius Lib. 6. *Hiſtoriæ* cap. 13. & Hieronymus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 55. quem ultimum audire juvat. " Ammonius vir diſertus & eru-" ditus in Philoſophia, eodem tempore Alexan-" driæ clarus habitus eſt: qui inter ingenii ſui" multa & præclara monumenta, etiam de *Con-" ſonantia Moyſi & Jeſu* elegans opus compoſuit;" 230

&

„& *Evangelicos Canones* excogitavit, quos poſtea „ſecutus eſt Euſebius Cæſarienſis. Hunc falſo „accuſat Porphyrius, quod ex Chriſtiano Eth„nicus fuerit: cum conſtet eum usque ad ex„tremam vitam, Chriſtianum perſeveraſſe. Cæterum, quod audivimus Chriſtianum hominem, externam philoſophiam coram auditoribus Gentilibus publice profeſſum: non absque divino conſilio his temporibus id fieri conſueverat, tum Alexandriæ, tum aliis in locis, ad magnam Chriſti gloriam & Evangelii profectum: quod ejusmodi ſcholæ compluribus eſſent quoddam velut ad capeſſendam fidem tyrocinium: dum quæ apud ſapientiores gentiles philoſophos ſublimiora erant, eadem longe facilius ſublimiusque ipſo Chriſtianæ inſtitutionis exordio diſcerentur. Qua via, conſtat ex Auguſtino Lib. *de vera religione* cap. 4. quamplurimos ac præſertim Platonicos, ad Eccleſiam eſſe perductos: & qui ſe profiterentur orbis magiſtros, libenter factos eſſe humilitatis Chriſtianæ diſcipulos. Conducere namque ad Chriſtianam pietatem philoſophicas diſciplinas, præſtareque ut Chriſtiani homines illis inſtituantur, non ſemel Clemens Alexandrinus, & ipſe eas ibidem profeſſus inſinuat: imprimis Lib. 1. & 6. *Stromatum*, dum adverſus eos agit, qui Chriſtianis Philoſophiam profitentibus detrahebant. Sed quod ea interdum abuti homines contingat, dum non ea ſcilicet ut organo ad veritatem utuntur, ſed finem in ipſa ſuum conſtituunt: idcirco apprime poſt Philonem Libro *de congreſſu quærendæ eruditionis gratia*, idem Clemens Lib. 1. *Stromatum* ſymbolicis figuris Agar & Saræ, docent ancillam debere ſubjici dominæ, humanam nempe divinæ Theologiæ philoſophiam. Et æque eleganter Gregorius Nyſſenus in *Vita Moſis*, externam philoſophiam alienigenæ fœminæ comparat: quam Judæus rite legitimeque juxta Exodi cap. 4. & Deuter. 21. accipiet in uxorem, dummodo ipſa deponat ungues & capillos, ac partus ejus circumcidatur. Plura alia in hanc ſententiam congeri poſſent, ſed digreſſioni temperamus, illud unum ex Auguſtino Epiſtola 56. ad *Dioſcorum* adjicientes: Platonis philoſophos, qui Chriſti diſcipuli fieri ſuperbe neglexerunt, ſeſe magiæ illi quæ per invocationem dæmonum fieri ſolet, penitus addixiſſe: idque ipſum, tam Plotino, cujus occaſione in hæc divertimus, quam ejus diſcipulis contigiſſe. Sed redeamus ad Ammonium ejus præceptorem ac magiſtrum. Scripſit juxta Hieronymum *de Conſonantia Moyſi & Jeſu*, quod opus interiit. *Concordiam* quoque *Evangelicam*, ſeu *Evangelium unum* ex puris quatuor Evangeliorum libris contexuit, quod Anonymum inventum & male Tatiano attributum, in Latinam linguam tranſtulit Victor Capuanus Epiſcopus, circa annum 545. Incipit ab ipſo ſancti Lucæ Exordio, genealogiamque Chriſti Domini humanam continet, quam ſtudio reſecuerat Tatianus, ut late ſatis hæc apud Labbeum in *Tatiano &* *Ammonio* explicantur. Altera vero Concordia, quæ in editione prima Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1575. ſub Ammonii nomine continetur, a primis Evangelii Joannis verbis, *In principio erat Verbum &c.* incipiens, quam vertiſſe in Latinum ſermonem Ottomarus Luſcinius dicitur: nec Ammonii eſt nec Tatiani, ſed elegans atque latina anonymi cujusdam in Evangelia paraphraſis, quæ nunquam ex græco textu verſa eſt. Hoc caute notandum, cum plures in his decepti fuerint. Huic errori occaſionem præbuit Victor Capuanus Epiſcopus, de quo ſupra, qui præfationem adjecit, ac Tatiano *Harmoniam* ab Ammonio concinnatam aſſeruit. Vnde factum poſtea, ut quæ Tatiani erat vel eſſe credita eſt, Ammonio tribueretur: ſicut quæ Ammonii vere eſt, Tatiano adſcripta fuit. Certum quippe eſt teſtibus Euſebio L. 4. Hiſtoriæ cap. 29. & Theodoreto Lib. 1. *Hæreticarum Fabularum* cap. 20. Tatianum in ſuo Evangeliorum Diateſſaro, fraude ac dolo hæretico omnes Chriſti genealogias, & quæcunque alia oſtendunt Jeſum Chriſtum ex David ſecundum carnem progenitum, amputaſſe: quæ tamen omnia integre atque optima fide ſuis locis inſeruit Ammonius noſter. Adde quod Zacharias Chryſopolitanus (non Epiſcopus ut perperam volunt Philippus Labbeus & Natalis Alexander, ſed ſancti Martini Laudun. Ord. Præmonſtratenſis canonicus, Veſuntione oriundus, ut poſtea ſuo loco ſeculo XII. idem Labbeus agnovit) *Harmoniam Evangelicam*, ex Evangeliorum verbis digeſtam, quæ a Præfatione Sancti Lucæ incipit, & genealogias continet, huic Ammonio Alexandrino vindicaverit, in eruditis Commentariis, quos in eam ante quingentos annos ex variis ſanctorum Patrum interpretationibus, circa annum 1150. compoſuit. Hanc in rem plura petere potes, ex *Annalibus Eccleſiaſticis* Cæſaris Baronii ad annum 174. atque Epitomatore ejus Spondano ad eundem annum 147. num. 3. ubi de Tatiano loquuntur: ex Antonio Poſſevino tom. 1. *Apparatus Sacri* verbo *Ammonius* pag. 66. Hi tamen omnes falluntur, dum putant attributam Ammonio Concordiam, eſſe vere Tatiani, quos oſcitanter ſecutus eſt Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ad annum 172. pag. 46. Quod vero idem Victor Capuanus, Zacharias Chryſopolitanus, & recentiores paſſim aſſerunt, ab Ammonio primum excogitatos fuiſſe *Evangelicos Canones*, quos deinceps Euſebius Cæſarienſis ſecutus ſit, iſtud ex Hieronymi cap. 55. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* didicerunt: quem tamen opinione ſua falſum eſſe cenſet Labbeus, ex ipſius Euſebii Cæſarienſis ſcripta ad *Carpianum* Epiſtola, quam habes impreſſam inter *Orthodoxographos* pag. 236. quæ iisdem Canonibus Evangelicis præmitti ſolet. Tradit enim, ſe occaſione Ammonianæ Harmoniæ excogitaſſe certo conſilio Canones illos, non vero ab Ammonio eos accepiſſe, aut ab ullo alio. De his quoque Caſſiodorus *Inſtitutionis*

Divinarum Scripturarum cap. 7. "Euſebius quo-
„que Cæſarienſis Canones Evangelicos com-
„pendioſa brevitate collegit, ut in quibus locis
„communia ſunt, in quibus propria tangunt, ve-
„riſſima diſtinctione monſtraret &c.„

De Ammonio Alexandrino conſule Hieroclem Libro *de providentia* apud Photii Bibliothecam Cod. 251. Ammianum Lib. 22. ſub finem, Svidam in *Plotino* & *Origene*. De ſcriptis Ammonii, D. Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum* cap. 55. Zacharias Chryſopolitanus in *Præludiis* Commentariorum ſuorum ad Concordiam Evangelicam. Sixtus Senenſis Lib. 4. *Bibliothecæ Sanctæ* verbo *Ammonius*. Cæſar Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis*, ad annos 174. & 234. Henricus Spondanus in *Epitome* eorumdem Annalium ad annum 31. num. 2. ad annum 174. num. 3. & 234. num. 2. Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Ammonius* pag. 66. Philippus Labbeus Diſſertat. Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, tomo 1. verbo *Ammonius* pag. 57.

DISSERTATIO
DE
VITA, OPERIBVS, DOCTRINA ET MORTE ORIGENIS ADAMANTII.

Ao. 230. ATrigi paucis in hujus Operis editione prima pag. 16. aliquos qui hoc ſeculo Origenem ſuis laboribus orbi notiorem fecerant, aliis omiſſis omnibus, quæ dicta jam a multis ſuperflua fore opinabar: & opere majori ſuſcepto, paulo prolixius quoque de eo agere viſum eſt, ſingularemque Diſſertationem aggredi, ducto illius initio, tam ab antiquis quam recentioribus noſtri ſeculi claris viris, qui Adamantium, productis in lucem publicam nonnullis ejus Opuſculis, illuſtrarunt. Omnium primus Jacobus Merlinus Victurmunienſis ac Pariſienſis Theologus, omnia Origenis Adamantii Opera Pariſiis apud Judocum Badium Aſconſium quatuor in fol. tomis tunc primum in unum collecta edidit, de cujus laudibus Joannes Lannoſius in *Hiſtoria Regii Navarræ Collegii* parte 2. lib. 3. cap. 31. pag. 666. Aucta prodierunt Baſileæ, annis 1536. 1545. 1556. & 1571. Secundus Gallus quoque, Merlini labori ac ſtudio plurimum adjecit circa evulgandum Origenem Gilbertus Genebrardus, Pariſienſis quoque Theologus, neque vulgare Gallicanæ Eccleſiæ ornamentum. Hic præter innumera quæ ſeculo præcedente ſcripſit volumina, quorum vel recenſere titulos prolixum eſſet, ſcripſit Vitam Origenis, novaque & ampliori editione, omnia illius Opera Caroli IX. Francorum Regi dicata, edidit Pariſiis in fol. duobus magnæ molis voluminibus, multis Merlinianæ editioni adjectis atque correctis, anno 1574. ex officina Petri Lhuillieri. Obtinuit ubique locorum Genebrardina Origenis impreſſio, quæ iterata tum Baſileæ anno 1581. 1620. tum Pariſiis ſemel & iterum annis 1604. & 1619. Operibus his Adamantii Latine duntaxat productis, ut plurimum ex Hieronymi vel Rufini verſionibus. Nullus hactenus repertus fuit qui Græcis ſi quæ ſupereſſent in Bibliothecis, evulgandis mentem adponeret: donec ſeculo noſtro Gallus & tertius, Origenis non minimus cultor, Daniel Huetius, nunc Sveſſionenſis Epiſcopus!, Græca Opera ſummo cum ſtudio undique conquiſita ex celebrioribus Europæ Bibliothecis in unum collegit, quibus ampliſſimum doctiſſimumque Commentarium *de vita, doctrina, ſcriptis & verſionibus Operum illius* præmiſit, *Origenianorum* nomine inſcriptum. Hæc Græcolatina tomis in fol. 2. Pariſiis anno 1679. apud Andream Pralart proſtant, complectunturque *Origenis de Engaſtrimytho, in Hieremiam Homilias XIX. Commentarios in Matthæum & Joannem*, cum Annotationibus, pollicebaturque tomo 3. *contra Celſum lib. 8. Philocaliam. Protrepticum ad Martyrium, de oratione Dominica*, quorum ultima duo opera in lucem nondum prodiiſſe opinabatur. Ne tamen Gallos ſolos laudaſſe videamur, alios quoque qui Origenis Opera ſingularia ediderunt, ex quibus ea collegit Huetius, enarremus. Homiliam *de Engaſtrimytho* habuit ex Leone Allatio, qui hanc Græcolatinam edidit inter Euſtathii Antiocheni Collectanea, Lugduni 1629. in 4. Homilias in *Hieremiam XIX.* habuit partim ex Michaele Ghiſlerio in Catena ſua in *Hieremiam* Lugduni edita 1623. partim ex Balthaſare Corderio, qui integras novendecim Græce ſub S. Cyrilli nomine, Pariſiis anno 1648. edidit. Commentarios autem in *Matthæum & Joannem*, Græce primus Daniel Huetius, orbi literario obtulit. Quantum ad alia quæ pollicebatur, nempe *Libros 8. contra Celſum:* hos Græcolatinos primus edidit David Hœſchelius Auguſtæ Vindelicorum 1605, in 4. atq; poſt eum Guillelmus Spencerus Cantabrigiæ 1658. in 4. una cum Annotationibus doctiſſimis. *Philocalia* quoque Græce & Latine prodierat Pariſiis anno 1618. in 4. & ad calcem *Librorum contra Celſum* editionis Cantabrigienſis præfatæ: unde nihil novum hac in re Huetius egiſſet. *Protrepticon ad Martyrium*, antea quoque ediderat Rudolphus Wetſtenius Græce & Latine Baſileæ 1674. in 4. cum Origenis *Dialogis contra Marcionitas:* qua parte rem quoque jam factam iteraſſet Huetius, qui notas absque dubio eruditas Wetſtenii ſuppreſſiſſet. Supererat igitur Origenis *Opuſculum de Oratione* hortatu Ambroſii & Tatiani elaboratum, quod nudo capite damnatam omnino doctrinam continet. Edidit illud Græce

ce ac Latine in Anglia Oxonii ex Theatro Sheldoniano anno 1685. in 12. Joannes Fell Oxonienſis Epiſcopus, cujus eruditionem inſignem, Opera S. Cypriani nuper edita plene edocent. Extatque modo Codex MS. Holmienſis, unde prodiit, in Bibliotheca Collegii S. Trinitatis Cantabrigiæ. Hæc haudquaquam ut Huetii labores extenuem, ſed ut cuique quod ſuum eſt, ſervetur: neque mittantur in oblivionem poſteris, qui ſigillatim Græcum aliquid ex Origenianis operibus evulgarunt. Plurima autem idem Huetius in *Origeniana*, de veteribus Origenis in Latinum ſermonem verſionibus, quæ neminem legiſſe pœnitebit, cum obvia ejuſmodi volumina MSS. in Bibilothecis inveniantur, ex antiquis hiſce verſionibus.

CAPVT PRIMVM.

DE VITA VARIAQVE ORIGENIS FORTVNA.

ORigenes patria Alexandrinus fuit, Leonidis Martyris filius, ſacras litteras una cum humanioris litteraturæ ſtudiis combibit. Pater ſententias aliquot ſacræ Scripturæ, quas ei memoriter recitandas perſcribebat, ab eo in dies exigebat. Hic decimo Severi Imperatoris anno, Chriſti 204. inter alios plurimos, quos ipſo perſecutionis exordio ibidem Alexandriæ paſſos Euſebius Lib. 6. *Hiſtoriæ* Cap. I. tradit, ſub Læto Præfecto Martyrio coronatus eſt, qui & Leonides apud Suidam verbo *Origenes* 2 Epiſcopus fuiſſe legitur. Additque Euſebius de eminentiſſimo ipſius Origenis ingenio, & in ipſa etiam pueritia curioſiſſimo, cum aliarum omnium ſcientiarum, tum maxime divinarum ſcripturarum interpretationis: ſed & de ardentiſſimo ipſius ſuſcipiendi Martyrii deſiderio: adeo ut cum patrem vidit captum, vix a matre non quidem precibus, ſed veſtium ſubtractione contineri potuerit, ne ſeipſum perſecutoribus offerret. Quo tempore cum nihil aliud potuit, ſaltem eundem Patrem ſuum in carcere detentum, ad ſubeundum fortiter Martyrium, literis hortatus eſt. Hæc Euſebius de primordiis Origenis, quem ait poſt Patris necem, relictum fuiſſe una cum matre & aliis ſex fratribus, natu minoribus, ætatis annos ſeptendecim agentem.

Mira autem quædam ad annum 205 facta de Origene narrat Euſebius Hiſtoriæ Lib. 6. cap. 3. Nimirum cum anno præterito poſt Martyrium Patris relictus, ann. decimum ſeptimum agens, ob paternorum bonorum præſcriptionem egeſtate premeretur: mulieris cujusdam locupletiſſimæ opibus primo ſuſtentum fuiſſe, ac poſtea ſcholam aperuiſſe præceptorum Grammaticorum: demumque his relictis venditisque humaniorum litterarum quos haberet libris, ea conditione ut ab emptore in dies ſingulos quatuor obolos ad victum quæreret, ſic magna continentia & frugalitate vitam tranſegiſſe. Interim cum omnes ferme Doctores & Magiſtros, terror & perſecutionis acerbitas Alexandria procul abegiſſet: accepta a Demetrio Epiſcopo poteſtate, ibidem anno ætatis decimo octavo, divinarum litterarum interpretationem profiteri cœpit. Idque adeo feliciter, ut complures diſcipulos ſuos, tam ex iis qui jam Chriſtiani eſſent, quam ex Gentilibus quos ad fidem Chriſti converterat, viros & fœminas ad Martyrium promoveret, & omnibus pietatis officiis publice inter ipſa ſupplicia afficeret: ipſo interim divina providentia mortem effugiente, domiciliumque ſubinde mutare coacto, ne a perſecutoribus magna ei ſollicitudine inſidiantibus, comprehenderetur. Hæc & alia Euſebius, de Origene. Citaturque alibi apud Palladium *in Lauſiaca* cap. 51. ipſemet Origenes ſuarum latebrarum aſſertor, qui aliquando perſecutionem Gentilium fugiens, integrum biennium latuit Cæſareæ Cappadociæ apud virginem quandam nomine Julianam, ubi & Symmachi interpretationem reperit.

Anno vero Chriſti 208. quo Annius Albinus & Fulvius Æmilius Conſulatum inierunt, putamus contigiſſe, ut Origenes partim ſententiam Chriſti Marci 19. de caſtratione propter regnum cœlorum ſimplicius interpretatus, partim quod cum ætate adhuc adoleſcens eſſet, & non ſolum cum viris, ſed etiam cum mulieribus, frequenter ſermones de rebus divinis conferret: quo omnem obtrectationis cauſam calumniantibus adimeret, ſeipſum ſecreto caſtravit. Rem geſtam narrat Euſebius Lib. 9. *Hiſtoriæ Eccleſ.* cap. 7. additque, ea cum reſciviſſet Demetrius Epiſcopus Alexandrinus, primum audax ejus facinus admiratum fuiſſe, poſtea vero in odium ejusdem Origenis, omnibus patefeciſſe. Idem ſcribit Hieronymus in Catalogo *Scriptorum Eccleſiaſticorum* cap. 65. ubi de illius ordinatione ita habet. *Cum jam media eſſet ætatis, & propter Eccleſias Achaje quæ pluribus hæreſibus vexabantur, ſub teſtimonio Eccleſiaſtica Epiſtolæ, Athenas per Paleſtinam pergeret: a Theoctiſto & Alexandro, Cæſarea & Hieroſolymorum Epiſcopis Presbyter ordinatus, Demetrii offendit animum, qui tanta in eum debacchatus eſt inſania, ut per totum mundum ſuper nomine ejus ſcriberetur.* Neutiquam autem ab mutilationem, ſed ob ordinationem Origenis ab Epiſcopis externis, iratum in eum fuiſſe Demetrium, planus teſtis eſt Euſebius his verbis: *Demetrius qui ibidem rexit Eccleſiam, de eo poſt certior factus, tametſi hoc audax ejus facinus vehementer admiratus eſt: tamen incredibilem animi propenſionem & ingenuitatem amplexatus, cum illico confidere, ac bono animo eſſe jubet, & majore cura ac ſtudio in munus Catecheſeon incumbere hortatur. Ac tum quidem Demetrius eo animo fuit, & ſententia. Verum non longo temporis ſpatio poſt, idem cum Origenem proſpere ac feliciter rem gerentem, & magno ſplendore famaque celebritate apud omnes prædicatum animadverteret, ardore quodam æmulationis (ut eſt hominum captus) incenſus, apud Epiſcopos totius orbis, eum tanquam abſurdiſſimi facinoris*

einoris reum, per litteras notare tentabat. Et quoniam Theoctiſtum Cæſarea Epiſcopus, & Alexander Hieroſolymorum ſpectati imprimis & præſtantes præ cæteris Palæſtinæ Epiſcopis, ampliſſima dignitate & ſummo honoris gradu Origenem dignum arbitrati, manus illi ut Presbyterio fungeretur, impoſuerant: idcirco Demetrius, ſimul atque Origenes ad tam magnam gloriæ claritatem proceſſerat, atque adeo apud omnes homines ubique Gentium non obſcurum virtutis & ſapientiæ nomen, decusque obtinuerat: cum nulla alia criminatio contra Origenem ipſi ſuppeteret, facti illius quod ineunte ætate conſciviſſet, calumniam, tanquam gravem ignominiæ notam ei objectavit: eosque ſimul, qui illum Presbyterum creaviſſent, criminibus involuere conatus eſt. Contigit hæc Origenis ordinatio anno Chriſti 230. cum natus eſſet annos quadraginta tres, quem diximus anno Severi decimo, cum Patre orbatus eſt, egiſſe decimum ſeptimum. An autem eviratio Origenis, fuerit canonicum illius ordinationis impedimentum, inter ſcriptores controvertitur. Affirmant Cæſar Baronius *in Annalibus Eccleſiaſticis* ad annum 230. & Henricus Spondanus ejus Abbreviator, ad eundem annum num. 2. Negat autem & recte meo quidem ſenſu, Natalis Alexander in *ſelectis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus* ſeculo 2. Diſſertatione XV. pag. 515. quod caſus Origenis in Canonibus haud contineretur. Abſurdum tamen omnino mihi eſt, quod ibidem ſcribunt uterque Baronius & Spondanus ad eundem annum, Origenem nempe fuiſſe authorem ſectæ cujusdam *Valeſiorum* a Valeſio quodam Arabe diffamatæ, atque *Eunuchorum* dictæ: quæ omnes quos in hanc ſocietatem admitteret, ut ſeipſos caſtrarent adigebat: quod ſi facere detrectaſſent, alii eos vinculis alligatos exſecabant. Hoc enim purum Baronii ſomnium eſt atque commentum, quod a veterum nullo hucusque aſſertum legitur. Nec apparentia veri ulla eſt, factum tam ſingulare Origenis & cruentum, occaſionem dediſſe ſectæ hominum, ſeipſos ex profeſſo mutilantium.

Anno 232. agente Origene Alexandriæ, Agricola & Clementino Conſulibus, novæ in eum rurſus turbæ excitantur, quæ & illum inde recedere coëgerunt. Meminit earum ipſemet in præfatione ſexti tomi Commentariorum in Joannem, quos hoc tempore ſcribebat: citatque eundem ejus locum Euſebius Lib. 6. *Hiſtoriæ* Cap. 18. dum elucubratos ab eo Alexandriæ & tempore Alexandri Imperatoris Commentarios recenſet. Inter quos fuit ille περὶ ἀρχῶν ſive *de Principiis*, qui præ cæteris omnibus, denſioribus majoribusque refertus eſt erroribus. Quapropter cum alioquin novorum iſtorum motuum, haud adeo cauſa explorata ſit, illam putat Baronius hos libros extitiſſe, quod (ut Hieronymus Lib. 2. adverſus Ruffinum ſcribit) ob multas hæreſes quæ in vulgatis ab Origene Scriptis reperirentur, prolata fuerit in eum a Demetrio Epiſcopo Alexandrino Excommunicationis ſententia, quam cæteræ quoque Eccleſiæ ratam habuerunt. Porro ejus rei gratia mox Origenes pro ſui defenſione literas circulares ſcripſit, quibus (ut ait idem Hieronymus) & ipſum Demetrium laceraret, & in totius orbis Epiſcopos ac Clericos inveheretur: fruſtraque ab Eccleſiis excommunicatum ſe eſſe diceret, quod quæ in ſuis ſcriptis arguerentur, ea ab aliis hæreticis depravata fuiſſent. Quæ quidem videri potuiſſent ad ejus exculationem ſatis idonea, quantumlibet ejusmodi errorum aſſertor fuiſſet, cum non modo illos non defendit, ſed nec ſuos eſſe aſſeruit. At in eo minus fuit excuſatione dignus, quod cum ſciret ſua ab omnibus impugnari, retractatorium nullum edidit Commentarium. „ Hæc Baronius, verbotenus. Anno autem 233. ſeu ſequenti, cum Alexander decimum in Imperio ageret, Origenes (ut tradit Euſebius lib. 6. *hiſtoriæ* capp. 20. & 23.) Alexandria Cæſaream in Palæſtina profugit. Quo tempore receſſum Tyri petens, ut ait Epiphanius in libro *de Menſuris*, ibi *Hexapla ſua atque Octapla*, in veteris Teſtamenti Scripturam compoſuit. Qui cum antea *Tetrapla* collegiſſet, ac ita in Codicibus Græce ſcripſiſſet, in ſingulis nempe paginis quatuor columnas, quarum prima eſſet editio ſeptuaginta Interpretum, ſecunda Translatio Aquilæ, tertia Symmachi, quarta Theodotionis, de quibus omnibus idem Baronius in Annalibus. *Hexapla* poſtea elaboravit, in quorum videlicet ſingulis paginis ſex columnæ eſſent diſtinctæ, quarum prima contineret textum hebraïcum, hebraïce ſcriptum: ſecunda hebraïcum eundem textum, ſed græco charactere exaratum: tertia Aquilæ verſionem: quarta Symmachi: quinta ſeptuaginta Interpretum: ſexta Theodotionis. Repertis vero poſtea quinta & ſexta Editionibus ab Hebræis, ſed piis (ut putat Hieronymus) hominibus elaboratis: easdem Origenes Hexaplis addens, *Octapla* compoſuit. Hæc fuſius narrat Epiphanius, qui licet Origeni infenſiſſimus, navatam egregie ab eo ejusmodi operam non ſemel laudavit. Reddit & ipſe ſæpe Origenes *Epiſtola ad Africanum* de Suſanna & *Tractatu 8. in Matthæum*, inſtituti ſui rationem: ejusdemque meminit Euſebius Lib. 6. cap. 12. *Hiſtoriæ*, & alii recentiores quamplures. Quod vero antiquam ſeptuaginta Translationem ita concinnaſſet, ut ubicunque Septuaginta plus dixiſſent, quam in Hebræo poneretur, Obelos apponeret: ubi vero minus, ex Theodotione, præfixis aſteriſcis adderet: hanc ejus operam non ſolum commendavit ſæpius Hieronymus *Præfatione* in Pentateuchum, *Epiſtolis* 104. & 89. ad Auguſtinum, *Apologiarum* adverſus Ruffinum Lib. 2. & *in Epiſtolam* ad Titum Cap. 3. ſed & ipſe ejus ſecutus eſt exemplum, dum eandem Septuaginta editionem vertit in Latinum.

Sed ut ad Origenis vitam redeamus, cum is pervenit in Palæſtinam, non ſic ad receſſum ſe Tyri

Tyri contulit, ut penitus docere desineret. Siquidem Eusebius Lib. 6. *Historiæ* cap. 23. ait, ad eum Cæsareæ consueta disciplinæ munera exequentem, non solum indigenas, sed ab exteris etiam regionibus pene infinitos discipulos adventasse: & ex iis maxime insignes *Theodorum* & fratrem ejus *Athenodorum*, cum integro quinquennio in ejus schola versati, magnam in sacræ Theologiæ studiis fecissent progressionem, ambos adhuc admodum adolescentes, Ecclesiarum in Ponto creatos esse Episcopos. Constat autem Gregorii Nysseni testimonio, alterum ipsorum nempe *Theodorum*, postea dictum *Sanctum Gregorium*, & ob ingentia præclaraque facinora prænomine *Magnum*, & agnomine *Thaumaturgum*, creatum fuisse patriæ suæ Episcopum, Neocæsareæ in Ponto. Ejus autem frater, licet cujus sedis fuerit Episcopus non satis liqueat: illud tamen certum est, cum vitam suam omnibus scientiis egregie excultam, post exantlatos demum immensos cum adversus gentiles, tum hæreticos, juges labores, illustriorem glorioso palma Martyrii reddidisse, in persecutione Aureliani, quo majorem fratre suo sortem habuit. Erant ambo Gentilibus parentibus geniti, qui Alexandriæ primum Philosophicis, postea vero sacris litteris operam dederant: indeque in Palæstinam ad audiendum Origenem profecti fuerant, una cum Firmiliano nobili Cappadoce magnique postea nominis Cæsareæ Cappadociæ Episcopo: ut pluribus idem Gregorius Nyssenus tradit, licet solius Gregorii rebus gestis, intentus. Reportatas denique ab Origene de Hæreticis palmas testantur debellati Arabes, profligatus Berillus: Ambrosius vir nobilitate & opibus potens, ex Valentinianorum, ut Eusebius lib. 6. *Historiæ* cap. 13. refert; vel ex Marcionitarum secta, ut sancto Hieronymo in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum* placet, ad fidem conversus. Hic Ambrosius Origenem impense fovit, Mæcenatis in sacris studiis ac laboribus beneficentiam ipsi exhibens. Septem enim scribas qui ei dictanti præsto essent, non pauciores librarios, & virgines ad concinne scribendum probe exercitatas ipsi addixit, ex Eusebio Lib. 6. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 17. quibus ubertim necessaria subministrabat.

Anno Christi 248. ex Porphyrio Philosopho *in Vita Plotini*, certum redditur, Plotino tunc Romæ docente sub Philippo Imperatore, Origenem accessisse Romam, & cum Plotino congressum esse. Cujus itineris ut causam exquiramus, sciendum est mortuo Heracla Alexandrino Episcopo atque in ejus locum subrogato Dionysio, Origenem tum ad Fabianum Romanum Pontificem, tum ad alios Episcopos Rectæ fidei confessionem scripsisse, quod Eusebius Lib. 6. *Historiæ* cap. 28. & 29. contigisse vult anno Philippi tertio, qui fuit Christi 248. Præsente & Albino Coss. *Per idem tempus*, inquit Eusebius cap. 30. libri ejusdem (quod ad annum 249. refert Baronius) *quidam in Arabia falsi cujusdam dogmatis authores nati sunt, asserentes hominum animas una cum corporibus extingui, ac rursum tempore resurrectionis universa carnis, cum eisdem vitam denuo recuperaturas. Sed Synodo adversus eos ibidem habita, plerosque eorum Origenes, qui ad Synodum ad hoc vocatus fuerat, disputatione superatos rectæ fidei restituit.*

Anno quoque Christi 253. qui Decii Imperatoris primus est, narrat idem Eusebius Lib. 6. *Historiæ* cap. 32. Origenis egregium pro fide Christiana certamen, superata tormenta, toleratæque fortiter crudelissima vincula: quæ quidem apud Alexandriam ei contigisse Epiphanius Hæresi 64. asserit, dum & eum per urbem tractum, probris affectum, & cruciatibus immanibus applicatum tradit. An vero adveniente pace, sicut alii plures scribunt, vinculis solutus fuerit: an gloriam confessionis, negatione & thurificatione maculaverit, quæstio est inter viros controversa eruditos. Baronius ad annum Christi 253 istud negat, verius alii plures affirmant, quorum nos sententiam hic amplectimur. Probatur primo authoritate S. Epiphanii *Hæresi 64.* ubi postquam de Origenis fide & fortitudine multa paucis complexus est, hæc subjungit de ejus lapsu: "Sed in ejusmodi præ-" mii possessione perpetuo non permansit. Ete-" nim ob eximiam sanctitatem & eruditionem, " summam in invidiam adductus est, eaque res " Magistratus ac Præfectos majorem in modum " acuit. Tum illud vero diaboli calliditate im-" probitatis artifices commenti sunt, ut ad tur-" pitudinis necessitatem hominem adigerent, at-" que ejusmodi pœnam statuerent, ut ad illius " corpori stuprum inferendum, Æthiopem com-" pararent. Ad hæc Origenes, fraudulentum " illud diaboli consilium non sustinens, vocem il-" lam edidit, qua duobus illis propositis, sacrifi-" care maluit. Quanquam non omnino sponte " illud sua præstitisse vulgo dicitur, sed ubi semel " hoc se esse facturum assensus, thus in manum " illius impositum, in subjectum aræ focum ex-" cussisse, gentiles asserunt. Hoc modo & a " Martyrii gloria, Confessorum Martyrumque " qui illis temporibus erant, judicio excidit, & ab " Ecclesia dejectus est. Accidit hoc Alexandriæ, " ubi cum exprobrantium ludibria ferre non " posset, illinc abiit, & in Palæstina sive Judæa do-" micilium constituit. Forte contigit ut Hie-" rosolymam profectus, ad verba in Ecclesia fa-" cienda sollicitaretur. Cumque ab iis, qui tunc " sacerdotalem in Ecclesia dignitatem obtine-" bant, vi propemodum ad id agendum impelle-" retur: ille in pedes consurgens, reliquis versi-" bus prætermissis, postquam hunc unum e Psal-" mo 49. locum attulisset: *Peccatori autem dixit* " *Deus, Quare tu enarras justitias meas, & assumis* " *testamentum meum per os tuum?* Complicatum " librum reddidit, flensque & lachrymans rese-" dit, flentibus cum eo, qui aderant, universis. " Respondet Annalium Scriptor, hæc ab aliquo Origeniani nominis hoste in sancti Epiphanii

textum

textum intrusa esse. Verum ariolatur vir doctissimus, & levioribus nititur argumentis, quam ut propterea sancto Epiphanio fides derogetur, ut inferius constabit.

Probatur *secundo*, ex tractatu Justiniani Imperatoris adversus Origenis Errores, qui a Synodo quinta probatus est, ubi inquit: «In fidei ergo petra nullo modo stabilitus, sed hujusmodi, atque his multo atrociores blasphemias, impius Origenes cum edidisset: nihil mirum est, eum in ipso Martyrii articulo Christum abnegasse, cultamque a paganis Deorum multitudinem, quam ipse inducit, adorasse. Atque id Dei providentia factum est, ne in Ecclesia pro Martyre acciperetur, atque inde gregi Christi inferretur aliquid detrimenti: Nam si etiam nunc sunt, qui de ejus quidem ruina confiteantur, doctrinam vero asserant: an non eam tanquam Martyris ac Patris, erant defensuri, si contigisset eum, nulla Idolis exhibita adoratione consumnari? Nemo enim veritatis retinens, excidit a Deo, ab eoque deseritur, juxta quod dicit divina Scriptura: *Respicite filii Nationes hominum, & scietis quia nullus speravit in Domino & confusus est.*« Probatur *tertio*, ex Leontio, Libro *de sectis* Actione 10. ubi de Origene hæc habet: *Ejus Pater Martyr factus est, ipsemet quoque deductus, ut Martyrium obiret. Verum sacrificare coactus ex hujusmodi causa fuit. Dum Martyrium obiret, quandam ad eum producebant Æthiopem, ut vel cum Æthiope foeda committeret, vel Diis sacrificaret, urgebant. Origenes Diis sacrificare maluit, acceptumque thus abjecit in sacrificium. Sed ejus cum facti magnopere postea penituit, idque commissum deploravit.* Probatur *quarto*, ex Nemesio Philosopho Christiano & Episcopo (ut quidam volunt) Emisseno, in libro *de Natura hominis* cap. 30. ubi inquit: *Oportet tamen ut plurimum pro turpibus expetere que molesta sunt, ut Susanna & Joseph fecerunt: etsi non semper. Nam Origenes qui ne dedecus & ignominiam susciperet, quam Æthiopes ostentabant, Diis sacra fecit, tota causa cecidit.* Denique hanc de Origenis lapsu historiam calculo suo probant Nicetas Choniates Lib. 4. *Thesauri Orthodoxæ fidei*, hæresi 31. Anastasius Bibliothecarius *in Historia* ad annum Christi 244. quam citius advenisse opinatur. Zonaras Lib. 2. *Historiæ*, Glycas parte 3. *Annalium*, Nicephorus Callistus lib. 5. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 32.

Objicit primo Annalium Ecclesiasticorum Parens, Sanctum Epiphanium libro *de mensuris & ponderibus* ea de Origene scribere, quæ lapsum illius modo dictum meram esse fabulam non obscure evincant. *Floruit Origenes*, inquit, *a temporibus Decii usque ad Gallum, & Volusianum.* Floruisse tne porro temporibus Decii, si tum lapsus esset? Pergit Epiphanius: *Caterum in persecutione a Decio facta & ipse Origenes multa passus, Martyrii exitum minime est adeptus, qui Cæsaream Stratonis primum, inde Hierosolymam se conferens, paululum istic moratus, Tyrum postea concessit. Ubi annorum octo & viginti spatio degens, cum severissimam, uti ferunt, vitæ disciplinam instituit, tum ad Scripturarum enarrationem animum adjecit.* Præmiserat ibidem sanctus Epiphanius, *Decii tempore illustris habitus est Origenes.* Exclamat Baronius, Næ virum illustrem si gloriam suam fœda negatione maculasset. Eccur Epiphanius, qui Origenis gesta & peregrinationes, ad illud usque tempus quo Exapla conscripsit, tam accurate perstringit, illius facinoris non meminerit, quod Alexandriæ sub totius orbis oculis perpetratum est, & quod peregrinationum ipsius in Palæstinam occasio supponitur? Respondet Natalis Alexander, quem hic exscribimus, faciles esse illas Eminentissimi Cardinalis conjecturas, & nihil plane efficere adversus historiam a sancto Epiphanio aliisque authoribus assertam. Esto enim floruerit, ac sub Decio illustris fuerit: non sequitur lapsum non esse. Quis enim nescit *florere* apud Authores, nihil aliud esse quam commendari vulgo, & in aliqua propter eruditionem aut virtutem, nominis claritate versari? At maximam Origeni peperit claritatem nominis, pristina virtus & eximia doctrina, quam lapsus ille omnino non eripuit, maxime cum pœnitentia culpam illam diluerit.

Objicit *secundo*, sanctum Augustinum Origenianos Hæreticos in duas classes aut sectas dividentem. Respondeo mirum non esse, quod sanctus Augustinus de turpissimo illo lapsu verbum nullum habeat, quamvis omnia sit ex Epiphanio mutuatus. Siquidem sanctus Augustinus cum suam *de hæresibus* ad Quodvultdeum, librum conscripsit, sancti Epiphanii Panarium, opusque adversus hæreses integrum non viderat: nam Opus illud perbreve esse asserit, & tam mediocri mole futurum, si in unum libellum redigatur, ut quibusdam suis libris non sit amplitudine comparandus. Ait etiam in illo Opere, Epiphanium adversus hæreses non disputare. At amplissimum est sancti Epiphanii adversus hæreses Panarium, & in eo adversus singulas accurate disputat. Verisimile igitur est S. Augustinum illud Opus non legisse, sed ejusdem duntaxat Anacephalæosim, sive breviarium ex singulorum tomorum & hæreseon argumentis & capitibus collectum. Vnde cum in Anacephalæosi nihil habeat de Origenis lapsu, non mirum quod illius non meminerit sanctus Augustinus, quamvis omnia se ab Epiphanio profiteatur mutuatum. Hæc solutio nititur verbis S. Augustini, in præfatione libri ad Quodvultdeum, ubi ita scribit: «Noster vero Epi-« phanius Cyprius Episcopus, abhinc non longe« humanis rebus exemptus, de octoginta hæresi-« bus loquens, sex libros etiam conscripsit: histo-« rica narratione commemorans omnia, nulla« disputatione adversus falsitatem pro veritate« decertans. Breves sane sunt hi libelli, etsi in« unum libellum redigantur, nec ipse erit nostris,« vel aliorum quibusdam libris, longitudine« compa-

„comparandus. Hujus brevitatem ſi fuero in „commemorandis hæreſibus imitatus, quod a „me brevius poſtulare vel expectare debeas, non „habebis.„

Objicit *tertio*. Antiquiores illos rerum Eccleſiaſticarum tractatores, qui Origenis errores oppugnarunt, ut Hieronymum & Theophylum Alexandrinum, tam nefandi lapſus non meminiſſe, qui ad ſugillanda Origenis dogmata opportunus ſatis extitiſſet. Deinde qui pro Origene Apologias ſcripſerunt, Euſebius nimirum atque Ruffinus, nunquam ipſum de negationis crimine excuſarunt: quod ſi vel leviſſima conjectura adverſarii ejus objicere potuiſſent, haud ſane præteriiſſent ſilentio: ſed objeciſſent iſti, diluiſſent illi. Reſpondeo, nec etiam præfatæ narrationis fidem evertere, Theophyli Alexandrini & ſancti Hieronymi ſilentium. Illiberale enim & iniquum fuiſſet, illud ipſi crimen objicere, quod eum pœnitentia diluiſſe noſcerent. Præterea, inter ipſos & Origenis defenſores de ejus tantum Dogmatibus quæſtio erat nulla plane de ejus moribus altercatio.

Objicit *quarto* ſilentium Patrum, qui Juſtiniano agente Origenis errores in quinta Synodo proſcripſerunt. Sed falſum eſt in quinta Synodo nullam de præfato lapſu mentionem injectam eſſe. Siquidem in Tractatu Juſtiniani adverſus Origenis errores, qui ad illam Synodum miſſus, ab eaque probatus eſt, ad elevandam ipſius authoritatem memoratur, & ex ſupradictis conſtat.

Objicit denique ſilentium Porphyrii, Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimi, qui cum celeberrimum illum Ammonium Chriſtianum Philoſophum a fide Chriſti ad Ethnicos deſciviſſe mendaciſſime prodiderit, ut Euſebius lib. 6. *Hiſtoriæ* cap. 13. refert: quid non de Origene dixiſſet, ſi ea de Chriſto ab eo negato vulgata fuiſſent? Reſpondeo ſilentium Porphyrii nihil probare. Namque cum thurificatio ab Origene vi prope extorta eſſet, ac ſtatim pœnitentiam egiſſet tam nefandi facinoris: nullum inde, ad Gentilitiæ ſuperſtitionis confirmationem, aut ad Chriſtianæ oppugnationem Religionis, argumentum trahere Porphyrius poterat. Neque neceſſe eſt, ut qui ad cultum idolorum deſciviſſe Ammonium mentitus eſt, ſcribere debuerit Origenem thus Diis adoleviſſe: cum id ejus cauſæ nullatenus faveret.

CAPVT SECVNDVM.
DE SCRIPTIS OPERIBVS ORIGENIS.

CVm vero Pariſiis anno 1512. accurante editionem Jacobo Merlino Victurmunienſi, ac Pariſienſi Theologo, omnia Origenis Adamantii Opera apud Jodocum Badium Aſconſium, 4 in folio tomis prodiiſſent, tunc primum in unum collecta: de cujus laudibus Joannes Launoius *in Hiſtoria Regii Navarræ Collegii* parte 2. Lib. 3. cap. 31. pag. 666. Sequentibus annis, Baſileæ eadem prodierunt Origenis Opera 1536. 1545. 1556. & 1571. Latine tantum: ſed & Venetiis anno 1552. Commentarii Origenis, Ambroſio Ferrario interprete, apud Andream Spinellum. Quin & Salingiaci in Germania anno 1537. Tropologiæ deſumptæ ex Origenis commentariis in Geneſim, Exodum, Leviticum, Numeros, Joſue & Judicum. Has omnes editiones aut nondum mature expenſas, aut verſas in Latinum ab iis, qui ſenſum Origenis minus fuerant aſſecuti, excepit Editio Gilberti Genebrardi viri doctiſſimi ac Pariſienſis Theologi ſub hoc titulo: *Origenis Adamantii, magni illius & vetuſti Scripturarum Interpretis, & ſecundi Eccleſiæ poſt Apoſtolos Magiſtri, Opera. Quæ quidem proferri potuerunt omnia, doctiſſimorum virorum ſtudio jam olim tranſlata & recognita, atque multiplici indice copioſe locupletata: nunc poſtremo a Gilberto Genebrardo Theologo Pariſienſi, Divinarum Hebraicarumque Litterarum Profeſſore Regio, partim cum Græca veritate collata, partim libris recens verſis, & e Regia bibliotheca depromptis aucta, & Carolo Nono Francorum Regi ab eodem Genebrardo dicata.* Pariſiis ex Officina Petri Lhuillier anno 1574. duobus tomis in folio. Hæc editio poſtea obtinuit ubique locorum, atque tum Baſileæ anno 1581. tum Pariſiis in folio iterum ac tertio annis 1604. & 1619. eodem tenore recuſa fuit. Tandemque hoc ſeculo anno 1679. Daniel Huetius ſumma cura inquiſivit, quidquid Græce MS. inveniri potuit in celeberrimis Europæ Bibliothecis, operum Origenis: collectumque omne, duobus in folio tomis imprimi curavit Rotomagi anno citato, quod Pariſiis proſtat apud Andream Pralart. Quia tamen in hoc ultimo Origenis operum collectaneo, pauca ſunt Opera quæ Græce inventa ſint, ideo hic editionem ſequemur Genebrardinam omnia continentem, adjicientes ſingulis cenſuram operibus, annotantesque, quando illa græce edita fuerint. De Origenis autem ſcriptis, prolixe atque eruditiſſime omnino diſſeruit vir clariſſimus Daniel Huetius citatus adverſus Andream Rivetum, integro libro 3. *Origenianorum* editioni ſuæ præmiſſorum. Non eſt inſtituti noſtri ſingula ab eo dicta recenſere & expendere, in præſentiarum ſatis erit annotaſſe quæ in editione Genebrardina atque aliis genuina ſint, quæ ſpuria ac ſuppoſititia: quæ Latina tantum aut Græca ſint Origenis opera: ut ſi cui aliquando in mentem veniat, collecta ſimul Origenis opera tum Latina tantum, tum Græca cum Latinis in publicam lucem edere: collatis potiſſimum Latinis operibus ad manuſcriptos codices, qui ſane in bibliothecis omnibus Europæ celeberrimis plurimi ſunt, variisque ſimul Græcorum Latinorumque additionibus, integrum perfectumque opus, litterario orbi offerre valeat. Itaque

Digitized by Google

Tomo Primo Genebrardinæ Editionis continentur

In Geneſim homilia 17. ex quamplurimis quas ediderat duos in libros teſte Ruffino, diſtributas.

In Exodum homilia 13. interpretibus Ruffino & Hieronymo.

In Leviticum homilia 16. eodem Hieronymo interprete, quæ falſo a quibusdam ſancto Cyrillo attributæ fuerunt.

In numeros homilia 28. Ex Criticorum claſſe non ignobilis Andreas Rivetus, falſo licet, cum nonnullis conjecturis, abjudicat Origeni *homilias 28. in Numeros.* Ruffinus enim illarum interpres intercedit, ne alteri tribuantur. Ita namque Ruffinus *in præfatione ad Vrſatium*, quam ſuæ interpretationi præfixit: *Quæcunque in Numerorum libro, ſive Homiliatico ſtylo, ſive etiam ex his quæ Excerpta appellantur, ſcripta reperimus, hac perurgente te, Romana (ut potuimus) voce, ex diverſis in unum ordinem collecta digeſſimus.* Nec objiciat Andreas Rivetus, Authorem harum homiliarum exponere differentiam inter *excludere* & *excidere*; quæ cautio in Græco authore, qualis eſt Origenes, locum non haberet. Reſpondeo enim obſervationem illam quæ homilia 12 extat, interpretis Ruffini eſſe, non authoris Origenis. Ruffinus autem ſcholia & obſervationes ſuas cum ipſius Adamantii textu permiſcuit frequenter. Vnde ſuis verſionibus in Latinum, mala duo nobis contigerunt, unum quod originalia ſeu textus Græcus Origenis lapſu temporum interciderit; aliud, quod purum atque ab omni gloſſemate Ruffiniano Origenis textum interpolatum non habeamus. Vbi igitur ejusmodi Latinarum vocum alluſiones reperiuntur, eæ nugamenta Ruffini ſunt, ut recte annotarunt viri eruditi, atque inter alios citatus Daniel Huetius.

In librum Jeſu Nave, homilia 26.

In librum Judicum homilia 9. Has homilias Novem Origenis genuinas eſſe, falſo inficiatur præfatus Rivetus, ſicut & Homilias in Pſalmos 36. 37 & 38. Hoc aperte probatur ex *Peroratione* Ruffini ſubjecta interpretationi Commentariorum Origenianorum in Epiſtolam ad Romanos, ubi inquit: *Nam illa quæ in Jeſu Nave, & in Judicum Librum, & in trigeſimum ſextum, & in trigeſimum ſeptimum, & trigeſimum octavum Pſalmum ſcripſimus, ſimpliciter expreſſimus ut invenimus, & non multo labore tranſtulimus.* Objicit Andreas Rivetus homilia 6 in librum *Judicum*, Scriptorem notare quod *Rex* dicatur a *Regendo*: quam etymologiam Græca vox non patitur. Sed Reſpondemus hanc rurſus notam Ruffini interpretis munificentiæ acceptam ferri, non Origeni. Conſuevit enim fere ſemper iſte Ruffinus in ſuis verſionibus, vel truncare vel interpolare aliquando ſcripta aliorum Scriptorum.

In librum Regum, homilia una.

Extat Latine tantum in editione Genebrardi, ſed Græcam Latinamque produxit in editione ſua anni 1679 Daniel Huetius. Produxit illam primus Leo Allatius ſub hoc titulo: *Origenis in libri primi Regum Caput 28. De Engaſtrimytho Commentarius* Leone Allatio Chio interprete, Græce & Latine Lugduni anno 1629 in 4. cum Euſtachii Archiepiſcopi Antiocheni & Martyris Diſſertatione de eadem Engaſtrimytho adverſus Origenem, & Commentario ejusdem Euſtathii in Hexaemeron, cum ampliſſimis Allatii Annotationibus, & ſingulari ſyntagmate de Engaſtrimytho. Hanc vero homiliam in *Reges* unicam, ſimillimus ſtylus ejusdem authoris eſſe, & eodem interprete Latine redditam eſſe, oſtendit citatus Allatius. Objicit idem Rivetus hæc verba ex homilia in *Reges*, quæ ipſam Origeni ſuppoſitam probent: *Nolite ergo in nobis requirere quod in Papa Alexandro habetis: fatemur enim quod omnes nos ſuperat in gratia lenitatis.* "Quis enim eſt iſte Alexander Papa? inquit Rivetus." Si primus Epiſcopus Romanus ejus nominis," multo antiquior eſt: ſin vero Epiſcopus Ale-" xandrinus, multo recentior: ſucceſſit enim" Achillæ anno Chriſti 311 cum Origenes extre-" mum diem obiiſſet circa annum 256." Reſpondeo cum doctiſſimo Huetio, neque Alexandrum primum Romanorum Pontificem, neque Alexandrum Patriarcham Alexandrinum his Origenis verbis ſignificari: ſed Alexandrum Epiſcopum Hieroſolymitanum, hominem benignum, a quo fuerat ad ſacerdotium promotus.

In Pſalmum 36 Homilia quinque. In Pſalmum 37 homilia duæ. In Pſalmum 38 homilia totidem.

De his dubitant poſt Eraſmum multi atque inter alios Andreas Rivetus, diſſentientibus Genebrardo & quibusdam aliis, quorum rationes modici ponderis ſunt. Certe Ruffinus in *Peroratione* Commentariis Origenianis in Epiſtolam ad Romanos ſubjecta, tacito Origenis nomine ait ſe de Græco vertiſſe hos Commentarios, & ad lectorum commodum in novem homilias diſſecuiſſe: quo quid expreſſius dici poſſit, haud video. Objicit idem Rivetus Ruffinum homilias in Pſalmos 36. 37 & 38. non indicato authoris nomine, aſſerere ſe de Græco in Latinum tranſtuliſſe, & ad majus legentium commodum in novem homilias diſſecuiſſe. Reſpondeo futilem eſſe objectionem hanc, atque erudito indignam: quid enim neceſſe fuit, ut nomen Origenis Ruffinus exprimeret, cum de interpretatione prædictarum homiliarum a ſe adornata loquitur? Hic de Origenis operibus Latine a ſe redditis agebat, initio *Perorationis* Origenem nominaverat, atque Origenis eſſe fœtus Homilias memoratas ſatis illarum titulus clamabat.

In Cantica Canticorum, homilia duæ.

Interprete ſancto Hieronymo, præfixa ejusdem in fronte earum, epiſtolari præfatiuncula ad Damaſum Papam. Eſt & aliud Opus in quo duo prima Canticorum capita eloquentiſſime explicantur: quod neſcio quis, forte Ruffinus (ut opinor) in quatuor Homilias diviſit, cum ſit continua & perpetua explanatio cum proli-

xiſſimo

xiſſimo prologo, quod incipit, *Epithalamium libellus &c.* interprete, ut Genebrardus edidit, & quidam Codices prænotatum habent, eodem Hieronymo. Pium, diſertum, atque eruditum Opus eſſe docet Sixtus Senenſis lib. 4. *Bibliotheca ſanctæ* pag. 178. ſed non eſſe authoris Græci, plures ſibi perſuadent, quorum ſententiæ ſubſcribere haud poſſumus. *Has homilias quatuor in Cantica Canticorum* ex catalogo Operum Origenis perperam expunxit Rivetus, cum nonnullis Criticis tum hetcrodoxis tum Catholicis: quos refellunt *Primum* verba Sancti Hieronymi dicentis: *Origenem cum in cæteris libris omnes vicerit, in Cantico Canticorum ipſe ſe vicit. Secundo.* Origeniani ſtyli, ſunt in hoc Opere promicantes caracteres. *Tertio* tropologica ubique ſectatur, propria nomina Hebraica exponit, & in eorum interpretationibus ſenſus tropologicos eruit, ut in aliis indubiis Operibus. Sæpe precibus ad Deum ſe convertit, cum ad myſticum ſenſum explicandum ſe applicat, quod & in aliis Operibus, illi ſolenne eſt. *Quarto* ſua Opera citat, quod & ipſi alibi frequens eſt, nempe homilias ſuas in *Exodum* & *Judices* ſemel, in *Numeros* quater, explicationes in *Leviticum*, & Commentarios in Novum Teſtamentum. *Quinto* Homiliæ duæ Origenis in Canticum Canticorum quæ ſunt ab Hieronymo in Latinum verſæ, & Damaſo Romano Pontifici nuncupatæ, atque a Ruffino agnitæ, habent ſententias conſimiles & germanas cum illis quæ in hoc Opere continentur: ut plurium collatione locorum probat eruditus Daniel Huetius Lib. 3. *Origenianorum* ſect. 3. num. 7. *Denique* fragmentum Origenis *ex ſecundo tomo Commentariorum in Canticum Canticorum* excerptum, extat etiamnum Græce ad finem *Philocaliæ.* Philocalia autem *de obſcuris ſacræ Scripturæ locis* a Sanctis Patribus Baſilio Magno, & Gregorio Nazianzeno, ex variis Origenis Commentariis excerpta eſt. His omnibus accedit teſtimonium Caſſiodori locupletiſſimum lib. *Divinarum Lectionum* ſeu *Inſtitutionum* cap. 5. ubi aſſerit ille Ruffinum interpretatum fuiſſe *Expoſitionem Origenis in Canticum Canticorum* usque ad illa verba, *Capite nobis vulpes parvulas, exterminantes vineas.* At ipſum Opus de quo agimus, in illa verba deſinit, unde Origenis genuinum eſſe cenſemus. En Caſſiodori verba: *In Canticis Canticorum, duabus homiliis expoſitionem Origenis idem S. Hieronymus Latina lingua multiplicator egregius, ſua nobis, ut conſuevit, probabili translatione proſpexit. Quæ item Ruffinus interpres eloquentiſſimus, adjectis quibusdam locis, usque ad illud præceptum quod ait, Capite nobis vulpes pusillas, exterminantes vineas, tribus libris latius explicavit.* Perperam tamen illud Opus in homilias diſtributum eſt a Ruffino, cum ſit continua & perpetua explanatio, & pars Tomorum decem quos in Cantica ſcripſiſſe Origenes memoratur.

Objiciunt Rivetus atque alii ex recentioribus Criticis poſt Eraſmum, *in Prologo iſtius Operis* Græcos laudari velut alienos: *Cum apud Græcos*, inquit, *qui eruditi & ſapientes videntur.* Colligi *præterea*, ajunt, ex interpretatione *Amoris, Charitatis, Dilectionis, Cupidinis*, authorem iſtarum homiliarum eſſe Latinum, non Græcum, adeoque nec Origenem. *Tertio* idem concludunt ex illis verbis quibus Philoſophiæ diviſionem exponit, inquiens: *Generales Diſciplinæ quibus ad Rerum Scientiam pervenitur, tres ſunt, quas Græci Ethicam, Phyſicam & Theoricen appellaverunt. Nos has dicere poſſumus, Moralem, Naturalem, & Inſpectivam. Nonnulli ſane apud Græcos, etiam Logicen, quam nos Rationalem dicere poſſumus, quarto in numero poſuerunt.* Reſpondeo *ad primum* Græcos ab iſtarum Homiliarum authore laudari velut alienos a religione ſua, non ut alienos a lingua, & a gente. Hic enim Græcos non opponit Latinis, ſed Chriſtianis, quod omnino certum eſt ex conſequentibus, ubi inquit: *Non ergo mirum eſſet, ſi & apud nos, ubi quanto plures ſimpliciores, tanto plures & imperitiores habentur.* Quæ verba non ad Latinos tantum, ſed ad Chriſtianorum omnium cœtus pertinent. Certe Ethnicos omnes a ſancto Luca Græcos appellari evidens eſt, & a Sancto Paulo in ſuis Epiſtolis: vnde Judæi Græcis, id eſt, Ethnicis ſeu Gentilibus ab ipſo paſſim opponuntur. *Ad ſecundum* reſpondeo, interpretationem vocum illarum *Amoris, Charitatis &c.* Ruffino interpreti & gloſſatori ſimul adſcribendam eſſe, non authori illorum Commentariorum ſeu homiliarum. *Ad tertium* reſpondeo, ejusdem Ruffini eſſe Expoſitiones illas & hæc verba, *Græci, & apud Græcos.* Ejusdem Ruffini eſt quod Robertus Cocus, Anglus, obſervat ſcripſiſſe authorem hujus Commentarii, *verbum Dei apud Græcos maſculino genere proferri, apud nos neutro genere.* Enimvero cum Græca Latinis quidem literis, verbis autem Græcis primo reddidiſſet Ruffinus: eadem latine rurſus interpretatus eſt, ne forte a Latinis non intelligerentur.

In Eſaiam homilia 9. quæ ſuperſunt hodie, ex viginti quinque.

In Jeremiam homilia 14. de octo aliis Græce & Latine editis poſtea dicendum.

Rhabanus Maurus præfatione Commentariorum in hunc Prophetam, cognitas ſibi affirmat fuiſſe *Quadraginta quinque.* At in Commentariis Michaelis Ghislerii Romani, Clerici Regularis Theatini in Jeremiam Prophetam, tribus in folio tomis Lugduni editis anno 1623 cum catena Græca in Jeremiæ Prophetiam & Threnos, ac Baruc Prophetæ librum, brevibusque ſancti Joannis Chryſoſtomi in Jeremiam explanationibus: inſertæ ſunt *Origenis octo homiliæ in Jeremiam Prophetam* ex Vaticano Codice, Græce tum primum vulgatæ, interpretibus Joanne Matthæo Caryophilo, Cretenſi, & Leone Allatio Chienſi. Sed & Balthaſar Corderius Societatis Jeſu ſub ſancti Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi nomine *Homilias XIX in Jeremiam Prophetam* latine donatas, emiſit in lucem Ant-

werpiæ anno 1648 in 8 præmiſſo Catalogo præcipuorum authorum ineditorum, qui Græce MSS. aſſervantur in Scorialenſi Regis Hiſpaniarum bibliotheca, opera & ſtudio Alexandri Barvoëtii ejusdem ſocietatis Theologi, qui Corderii comes in peregrinatione Hiſpanica extiterat. Has autem homilias eſſe Origenis ex collatione conſtat, quas Daniel Huetius immiſit Græce & Latine, numero *Novendecim*, in tomum primum editionis ſuæ *Græco-Latinorum Origenis Operum*, ex prælo Rotomagenſi anni 1679 quam ſupra expreſſimus breviter. De illis plura in ſuis Origenianis.

In Ezechielem Prophetam homilia 14. interprete ſancto Hieronymo.

Periarchon, id eſt, *de Principiis libri quatuor* a Ruffino latine redditi cum ipſius prologo, de quibus videndi ſanctus Hieronymus & ſanctus Epiphanius, nec non Photius Cod. 8 bibliothecæ, ac recentiores.

Lamentum ſeu *Threni, & Planctus Origenis*, qui falſo præfert ipſius nomen. Quanquam Editio Merlini & Codex MS. Regiæ Galliarum Bibliothecæ hunc ipſi libellum tribuant, nec non Vincentius Bellovacenſis in *Speculo Doctrinali* Lib. 18 Cap. 43. Gelaſius autem Romanus Pontifex anno 494 in Concilio Romano hanc ei notam inurit: *Liber qui appellatur de pœnitentia Origenis, apocryphus.* Plura apud Baronium ad annum 252. & Spondanum, in Epitome Annalium Baronii, ad eundem annum.

Apologia Euſebii pro Origene, nomine Pamphili Martyris edita, & a Ruffino Latinitate donata pag. 477.

Ruffinus de depravatione Librorum, præſertim Origenis pag. 493.

Extat hoc Opuſculum tam in Operibus Origenis ex editione Merlini, quam Gilberti Genebrardi. Extat quoque in editionibus omnium Ruffini Presbyteri Operum, atque etiam inter Opera S. Hieronymi tomo 9. pag. mihi 129.

De recta in Deum fide Dialogus

Adverſus Megethium, Marcum, Droſerium, Valentem, & Marinum hæreticos Marcionitas, ex verſione Joachimi Perionii, Benedictini Cormeriacenſi. Ejus Dialogi verſionem alteram vidimus Joanne Pico Senatore Pariſienſi interprete, in editione Pariſienſi anni 1556 in 4. ex MS. Codice Regiæ bibliothecæ. Item *de recta in Deum fide contra tria Marcionitarum principia, Eutropio Ethnico homine judice, Dialogi tres:* Laurentio Humfrido Anglo interprete, primum vulgati anno 1577. Verſum hunc eſſe ſinceriore autographo atque uberiore, quam aut Joannem Picum aut Perionium, de quibus ſupra diximus, res ipſa loquitur. Tandem *Dialogus de orthodoxa fide, agente Eutropio, defendente Megethio*, qui jam olim latine editus fuerat, prodiit Baſileæ anno 1674 Græce & Latine in 4 inſcriptus *contra Marcionitas.* Hoc autem Opuſculum Origeni ſuppoſitum quidam volunt, tum quod nec Euſebius nec ullus Antiquorum illius meminerit, tum quod Principum Chriſtianorum in eo fiat mentio: tum ob alias rationes quæ ſcrupuloſius expendendæ modo ſunt, ne nihil examini reliquiſſe videamur. Conſtat autem fere inter omnes, hoc opus Origeni ſuppoſitum eſſe, continet enim doctrinam *de anima* & *de reſurrectione mortuorum*, Origenianis erroribus maxime adverſam: imo impugnat hic aut hoc doctrinam veri Origenis. Difficultatem vero faceſſit SS. Baſilii & Gregorii Nazianzeni authoritas, qui fragmentum ex parte tertia hujus Dialogi depromptum in *Philocalia* exſcripſerunt, quam ex ſinceris Origenis Operibus contexuere. Sed verisimile eſt SS. illis patribus fucum feciſſe *Dialogi* titulum, qui nomen Adamantii præfert, quod in eo primas partes tractet Origenes, non quod ab Origene conſcriptus fuerit: quemadmodum Lælii & Catonis nomina præferunt *Dialogi de Amicitia & de Senectute* apud Ciceronem, non quod a Catone vel Lælio editi ſint, ſed quod primæ partes in eis ipſis tribuantur. Præterea Euſebius author antiquior, & in perſcrutandis Origenis rebus diligentia nulli ſecundus, idem iſtud fragmentum quod *Philocalia* inſertum eſt, libro 7. *de Præparatione Evangelica* refert, tribuitque Maximo in libro περὶ ὕλης, non Origeni. Denique ad finem fragmenti hujus, quod Philocaliæ cap. 23. inſertum eſt, Scholion iſtud reperitur in Codice MS. bibliothecæ Galliarum Regiæ, ex quo hoc opus edidit Joannes Tarinus & latinitate donavit: *Hæc e ſeptimo libro Evangelicæ præparationis Euſebii Pamphili deprompta ſunt. Sunt autem Maximi, ut ait ipſe Euſebius, non ignobilis inter Chriſtianos Scriptoris. Totidem vero verbis ſcripta ea inveniuntur in Origenis adverſus Marcionitas, aliosque hæreticos Dialogo, agente Eutropio, defendente Megethio.*

Commentariorum in Job libri tres, qui duo priora Jobi Capita cum tertii parte complectuntur, ſunt Origeni ſuppoſiti. Nam & ſtylus Origeniani plane diſſimilis eſt, innumeris battologiis, & jejunis Rhetoricæ figuris redundans, contra Origenis conſuetudinem. 2 Sententias continet ab Origene alienas. Libro namque ſecundo ait Chriſtum prædicaſſe tribus annis & dimidio: cum Origenes lib. 4. *Periarchon* Cap. 1. & homilia 32 in *Lucam*, unum duntaxat annum Chriſti prædicationi aſſignet. 3. Luciani Martyris cum laude meminit, Origenis temporibus multo recentioris. 4. Colligitur hos libros eſſe ſcriptos poſt Arrianæ hæreſeos ortum, ab homine item Arriano, ex eo quod ſacra Triadis & ὁμοούσιον vocabula ſugillet, & trium perſonarum in una eſſentia adoratore, inſectetur petulantius, inquiens: *Tria cornua fecit Diabolus in typum atque figuram trionyma illius ſectæ, triumque Deorum hæreſi, quæ univerſum orbem terræ in modum tenebrarum replevit: quæ Patrem & Filium & Spiritum Sanctum aliquando tanquam tres colit, nonnunquam unum adorat, quemadmodum Græcorum Lingua memoratur, Triada vel Homouſion. Iſtam ergo*

ergo Trinitatis ſectam & hæreſim, atque infidelitatem jam olim deſignans verſutiſſimus ille diabolus, tria cornua miſit ad Job deprædandum. Sic namque etiam nunc memorata trionyma hæreſis præſertim prædatur, atque expugnat Eccleſiam.

Alter Commentarius in Job, qui totum Jobi librum Paraphraſtice ſecundum ſenſum Hiſtoricum breviter ediſſerit, ſpurium etiam Origenis opus eſt. 1. quia nuſquam divertit in allegorias præter Origenis morem. 2. quia Manichæorum & Luciani Martyris etiam meminit, qui Origene fuerunt recentiores. 3. vocem ὁμοούσιον ſugillat, & Catholicos homouſiaſtarum nomine traducit. 4. Stellas animæ expertes eſſe aſſerit, cujus contrarium Origenes opinatus eſt. 5. Moyſem libri *Job* ſcriptorem eſſe affirmat *in prologo* hujus Commentarii. At Origenes libro 6. *contra Celſum*, tradit librum *Job* Moyſe antiquiorem eſſe, & *Philocalia* cap. 5. libros duntaxat quinque Moyſem conſcripſiſſe affirmat.

CAPVT TERTIVM.

QVÆNAM TOMO SECVNDO CONTINENTVR, AC DE ALIIS ORIGENIS EIVSDEM OPVSCVLIS SEORSIM EDITIS.

IN Matthæi Evangelium Commentarii, interprete Deſiderio Eraſmo: Et *Tractatus XXXV* interprete incerto. Compoſuiſſe dicitur Origenes in *Matthæum* explanationis genus triplex, hoc eſt *Tomos, Scholia & Homilias*. Ex his vero, *primum* compoſuit in totum hoc Evangelium *Tomos triginta ſex*, ex quibus *decem primi Tomi* deſiderantur, cæteri ſuperſunt, ab explanatione videlicet ejus loci, ex cap. 13. *Tunc dimiſſis turbis, venit in domum ſuam:* usque ad 27 Caput, quos librarii imprudenter in Tractatus ſive Homilias triginta quinque diviſerunt: cum nec veſtigium in ipſis appareat homileticæ tractationis, quæ ſemper a brevibus exordiis in præfatiunculas & doxologias decurrit. *Secundo* ſcripſit etiam in eundem Evangeliſtam ſcholiaſtici generis *librum unum*, in quo per commata & intervalla brevibus quibusdam ſcholiis, quæcunque ſibi videbantur obſcura, breviter annotavit. *Tertio* edidit ex Homiletico genere in varios Matthæi locos, *Homilias ad Populum viginti quinque*, quarum quæ nunc ſuperſunt, hæ cenſentur.

In Matth. 1. De Matre deſponſata, hom. 1.

In Matth. 2. De apparitione Angeli ad Joſeph, hom. 1.

In Matth. 6. Super illud, cum jejunatis, hom. 1.

In Matth. 8. De leproſo, homil. 1.

In Matth. 15. De Cananæa, hom. 1.

In Matth. 25. De adventu filii Hominis ad judicium, hom. 1. Cujus prior pars reſecta eſt ex tractatu Origenis in Matthæum XXXIV. poſtrema vero pars continere videtur duo fragmenta Latinorum Patrum: quorum alterum habetur in fine Commentariorum Hieronymi in *Eſaiam*, alterum extat apud Gregorium lib. 15. *Moralium* Cap. 14. ſed hæ ſex homiliæ ſunt ex decem, quæ ſub nomine Origenis habentur *in diverſos Locos Novi Teſtamenti*, quæ Origenis non ſunt: nec mihi dubium eſt, quin pleraque his ſimilia, hinc inde excerpta, in iſtis Homiliis *de Diverſis* inveniantur.

Quantum autem ad Commentarium *in Evangelium Matthæi ſeu tractatus XXXV*. Bellarminus opinatur atque poſt eum Andreas Rivetus, ſpectare illos ad authorem Latinum. «Nam adducens hic author verba Iſaiæ cap. 48. *Dominus miſit me & Spiritus ejus:* inquit, *in Græco Spiritus Sanctus neutrius generis eſt, non maſculini, ut apud nos:* ubi ſe inter Latinos numerat.» Jam inquit ſi tractatus quintus authoris Latini eſt, non parva ſuſpicio eſt, reliquos etiam tractatus ejusdem operis, eſſe Latini authoris.» Sed Bellarmini ratio iſta nulla eſt.„ Solebat enim Ruffinus qui omnia ferme Origenis Opera Latino orbi obtulit, interdum ſenſui authoris quem interpretabatur, gloſſemata ſua adjungere, quale iſtud unum eſt, atque utinam unicum fuiſſet: haberemus enim ſinceriorem hodie textum Origenis Adamantii.

Homilia 39. In Evangelium S. Lucæ.

Cum prologo Divi Hieronymi interpretis, qui eas ab admodum juvene Origene ſcriptas aſſerit, licet non deſint, qui de illis ambigant. Hoc porro opus Origeni vindicatum & antea tantum Latine in præcedentibus editionibus productum, Græce attulit Daniel Huetius in editione ſua Græco-Latinorum Origenis Operum Rotomagenſi anni 1679 quam quivis adire poteſt. Has autem *Triginta novem Homilias* Origeni perperam abjudicat Dallæus Carentonii Miniſter, aliique Critici. Nam S. Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum*, inter Opera a ſe *edita Homilias triginta novem in Lucam* recenſet. Homilias autem cum nunquam ſcripſerit ſanctus Hieronymus, interpres illarum tantum fuerit, neceſſe eſt. Nec conjectura noſtra vana eſt: cum in prologo ad Paulam & Euſtochium ſe eas ex Origene tranſtuliſſe profiteatur. *Quamobrem petiſtis*, inquit, *ut contemptis iſtiusmodi nugis, ſaltem triginta & novem Adamantii noſtri in Lucam homilias, ſicut in Græco habentur, interpreter. Moleſtam vero & tormento ſimilem, alieno, ut ait Tullius, ſtomacho, & non ſuo ſcribere: quam tamen idcirco nunc faciam, quia ſublimiora non poſſitis.* *Secundo* Ruffinus *Invectiva* in S. Hieronymum multa notat, quæ in his Homiliis perperam ipſum tranſtuliſſe contendit. *Tertio* S. Hieronymum *adira 70 libellos Origenis, quos Homilitos appellavit, tranſtuliſſe* refert Ruffinus in præfatione ad libros περὶ ἀρχῶν atque hoc fatetur Hieronymus ipſe *Apologia prima*. Notat Ruffinus Homilias, in Lucam, in Iſaiam, Jeremiam, & Ezechielem. Hieronymus *Prologo* in Ezechielem, teſtatur quatuordecim tantum in Hieremiam, & totidem in Ezechielem ſe tranſtuliſſe. Homiliæ autem in Eſaiam tantum-

modo novem sunt: quibus si addas duas in Cantica, adhuc extant tantum triginta novem. Libellos igitur ultra septuaginta ab Hieronymo versos invenire nunquam poteris, nisi illis *Triginta novem Homilias in Lucam* a Rufino memoratas annumeres.

Objiciunt primo Pseudocritici, authorem harum Homiliarum Latinum esse, adeoque Origeni falso adscribi. Hoc autem illi probant *Primum* quia hic author observat *Gratia plenam* Græce κεχαριτωμένην dici. 2. Quia homilia 5. hæc habet: *Ego autem sum ἀλογὸς*, quod licet Latinus aliter expresserit, tamen proprie transferri potest, *absque sermone*, vel *ratione*. 3. Quia homilia 16 notat *Cadaver* a *Casu* nomen accepisse. 4. Quia Homilia 35 ait, *Discrimen nominis vel cum articulo, vel absque articulo positi, apud Græcos magis intelligi.* 5. In eadem Homilia advertit, *Quadrantem sive minutum*, Græce *tenue* dici posse. Respondemus uno verbo hæc omnia esse glossemata quædam Divi Hieronymi interpretis, quibus se adjuturum lectores Græce linguæ ignaros opinatus est: quod & sæpius facilitasse Rufinum in suis versionibus, certum est. Objiciunt *secundo* esse quædam in his Homiliis ab Origenis genio, more, & sensu aliena: ut quod homilia 25. dicitur Spiritus Sanctus *Tertia persona a Patre & filio.* Usus namque ita distinctus istius vocis *Persona*, ab Origene alienus est. Respondeo objectionem hanc esse vanam, falsoque nixam fundamento. Origenes enim tomo 2 in Joannem distincte usurpat nomen Personæ, cum dicit τρεῖς ὑποστάσεις, quem locum ita vertit Ferrarius: *Nos autem tres Personas, Patrem, Filium, atque Spiritum sanctum esse credimus.* Objiciunt *tertio* secum pugnare Origenem, si ipsius sint homiliæ præfatæ. Cum enim doceat solos libros *Legis* Saducæos admisisse, Homilia 39 loca quædam ex Isaia & Psalmis citans, addit: *quæ omnia corporaliter intelligentibus Saducæis, qui erant portio Judæorum, dicit Salvator, Nescitis scripturas neque virtutem Dei.* Respondemus Origenem ibi non asserere, Saducæos in Canonem scripturarum *Prophetas* recepisse, qui duntaxat ait, Saducæos intellexisse Prophetas. Potuerunt autem male intelligere ea, quæ in censum sacrarum Scripturarum non referebant. Ita Dallæi objectiones soluit Joannes Pearsonius Presbyter Anglus, multæ eruditionis & exasciati judicii.

In Evangelium Joannis Tractatus seu tomi 32.

Edidit hoc Opus Græce simul ac Latine Daniel Huetius in editione sua anni 1679 atque asseruit Origeni. Cum autem tractatu in Caput primum Arrianorum & Manichæorum mentio fiat, hæc interpolamenta sunt scriptorum, non Origenis. In his autem vertendis Operam posuerunt Joachimus Perionius, & Ambrosius Mediolanensis Monachus Cassinus, cujus Versionem edidit Genebrardus, hoc initio: *Quemadmodum qui olim populus Dei &c.*

Homilia 12. in diversos Novi Testamenti locos. Absque dubio non sunt Origenis ut jam supra diximus, ubi de his quæ in textum Matthæi sunt. Atque ita censent Bellarminus, consentientibus Erasmo, Sixto Senensi *in Bibliotheca sancta*, Baronio, Possevino, aliisque ferme omnibus.

In Epistolam ad Romanos Explanationum Libri 10 ex translatione Divi Hieronymi, cujus extat & *Peroratio.*

Contra Celsum libri octo Sigismundo Gelenio interprete, de quibus S. Hieronymus in præfatione & cap. 12. Commentarii in *Danielem*, Epistola 84 ad Magnum Oratorem, & in Apologia ad Pammachium, aliique. *Origenis contra Celsum libri octo*, Opus plane aureum & venerandæ antiquitatis egregium monumentum, quod in aliquibus MSS. Codicibus inscriptum ferunt, ὁ κατὰ τῦ Κελσοῦ ἀληθὴς λόγος. ex Bibliothecis Palatina & Bavarica Græce & Latine prodierunt Interprete Sigismundo Gelenio, cum notis Danielis Hæschelii Augustæ Vindelicorum anno 1605 in 4. Addita Gregorii Thaumaturgi in Origenem Præceptorem suum Eucharistica Oratione Græce & Latine cum notis aliquot Isaaci Casauboni, Davidis Hæschelii, & Laurentii Rhodamani in eandem. Iidem *Libri Origenis contra Celsum & ejusdem Philocalia*, Græce & Latine prodierunt Cantabrigiæ in Anglia, studio Guillelmi Spenceri Cantabrigiensis Collegii Sanctissimæ Trinitatis Socii, editione anni 1658 in 4. & iterum 1677. Ibidem, *cum ejusdem Origenis Philocalia*, cujus etiam versionem recognovit, & Annotationes adjecit cum indice locupletissimo.

De recta in Deum fide contra tria Marcionistarum principia, Eutropio Ethnico homine judice, Dialogi tres.

Anno primum 1557 vulgati, Laurentio Humfrido Anglo Interprete, de quibus supra, ad tomum 1. locuti sumus.

Philocalia de aliquot præcipuis Theologiæ locis & quæstionibus, Capp. 27. distincta. Gilberto Genebrardo Theologo Parisiensi, Divinarum Hebraicarumque Litterarum Regio Professore, interprete.

At *Origenis Philocalia de obscuris sacræ scripturæ locis*, a sanctis Patribus Basilio Magno & Gregorio Nazianzeno ex variis Origenis Commentariis excerpta, Græce & Latine prodiit Parisiis annis 1618 & 1624 semel atque iterum in 4 Joanne Tarino Andegavo Interprete, qui cum aliquot Notis addidit I. Zachariæ Scholastici, postea Mytilenes Episcopi, *de Mundi Opificio contra Philosophos disputationem.* II. Anastasii Presbyteri in Syna monte *de hominis ad Imaginem & similitudinem Dei creatione sermonem*, qui & Gregorio Nysseno tribuitur. III. *Celebres Opiniones de anima*, δόξαι περὶ ψυχῆς.

Julii Africani ad Origenem Epistola adversus Historiam Susannæ, Danielis Cap. 13 cum Responsione Origenis pro ejusdem defensione, Gentiano Hervetо Aurelianensi, Remensi Canonico Interprete,

ex

ex Codice MS. Guillelmi Sirleti Cardinalis. Hujus autem Epiſtolæ Julii Africani & Origenis *de Hiſtoria Suſanna*, imo potius initium Epiſtolæ Origenis duntaxat, ex bibliotheca Andreæ Schotti ſocietatis Jeſu, cum fragmento D. Johannis Chryſoſtomi *de Suſanna*, Græce duntaxat edita ſunt Auguſtæ vindelicorum anno 1602 in 4 cura Davidis Hæſchelii Auguſtani, poſt Adriani *Iſagogen ſacrarum Scripturarum*, Heſychii Presbyteri Hieroſolymitani Στιχηρὸν in Eſaiam & XII Prophetas Minores, & aliorum conatus varios in Majores Prophetas. Habes quoque fragmentum ex Epiſtola ejusdem Origenis ad Africanum, poſt Catenam Græcorum Patrum in *Job*, Londini in folio Græce & Latine anno 1637. impreſſam, collectore Niceta Heracleæ Metropolita, a Patricio Junio editam una cum Græco textu Jobi στιχηρῶς, juxta LXX ſeniorum *interpretationem*.

His addenda Origenis ſive alterius Doctoris Græci συγγχρόνου *Scholia in Orationem Dominicam, & Cantica B. Virginis, Zachariæ & Symeonis*, Græce & Latine, quæ emiſit in lucem Fredericus Morellus Pariſiis anno 1601. in 8. Denique *Origenis Opuſculum de Oratione* edidit Græce & Latine in Anglia Oxonii e Theatro Sheldoniano anno 1685 in 12 Joannes Fellus Oxonienſis Epiſcopus. Promiſerat in editione ſua Daniel Huetius, nunc Sueſſionenſis Epiſcopus, *Protrepticon Origenis ad Martyrium:* quod hucusque non præſtitit. Extat *Protrepticon* illud Maximo Imperante ſcriptum, & Ambroſio ac Protocleto nuncupatum Græce & Latine Baſileæ anno 1674. in 4. editum a Wetſtenio cum notis. Denique *Dialogus contra Marcionitas ſeu de recta in Deum fide, Exhortatio ad Martyrium, Reſponſio ad Africani Epiſtolam de Hiſtoria Suſanna*, Græce nunc primum ex MSS. Codicibus prodierunt. Baſileæ 1674. in 4. cum notis & variantibus lectionibus Joannis Rodolphi Wetſtenii, Oratoriæ in Academia Baſileenſi Profeſſoris. Idem edidit ibidem 1694. in 4. Græce & Latine *Origenis de Oratione Libellum* cum *Sermone Marii Diadochi contra Arrianos* ex MSS. Codicibus. Maxima cautione legendus eſt Origenes, de quo dictum eſt, *ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus:* ut Caſſiodorus notat libro *de Inſtitutione Divinarum Scripturarum* Cap. 1. Habendaque ſunt ejus Scripta more anethi, ut ait idem author; cujus ſucco condienda eſt ſacræ Scripturæ lectio: decoctus ipſe exſuccusque, projiciendus eſt.

CAPUT QUARTUM.
DE
HEXAPLIS ORIGENIS.

EX *Diario Eruditorum Pariſienſi*, anni 1713, menſe Novembri pag. 537 editionis Amſtelodamenſis in 12, ejusdem anni, cujus recenſionem hic in Latinum transferemus.

„Hexaplorum Origenis quæ ſuperſ[illegible]nul„tis partibus auctiora, quam a Flaminio Nobilio & Joanne Druſio edita fuerunt. Ex Ma„nuſcriptis & ex editis libris eruit & Notis illu„ſtravit D. Bernardus de Montfaucon, Mona„chus Benedictinus e Congregatione Sancti„ Mauri. Accedunt opuſcula quædam Orige„nis anecdota, & ad calcem *Lexicon Hebraicum*„ ex veterum interpretationibus concinnatum,„ itemque *Lexicon Græcum*, & alia quæ præmiſſus„ initio Laterculus indicabit. Pariſiis 2 in folio„ voluminibus, quorum primum pagg. 708, ſe„cundum pagg. 636. anno 1713, apud Ludovi„cum Guerin, Viduam Joannis Boudet, & Ca„rolum Robuſtel.„ Hic operis magni titulus, de quo ita eruditi Pariſienſes cenſores.

Hexapla Origenis ſemper uti maximum opus hujus Patris, habita ſunt ab Eruditis, ita & Eccleſiæ ſunt utiliſſima. Opus iſtud quod magnitudo ab interitu remorari debuerat, ab annis tamen plusquam 800 periit, atque ea excidii ratione, ut ne unum quidem ejus fruſtum remanſerit quod e manibus Origenis emerſerat. Poſt reſtitutionem literarum, de fragmentis illorum colligendis cogitatum fuit. Ingens ſatis illorum numerus apparuit, erutus ex verſionibus Aquilæ, Symmachi, Theodotionis & aliorum interpretum, in Notis quas Flaminius Nobilius Romæ anno 1587 cum Bibliis Græcis, imprimi curavit. Collectionem hanc primam multis auxit Joannes Druſius, in Opere quod nonniſi poſt ipſius mortem prodiit, impreſſum Arnhemi anno 1622 curis Sixtini Amama, ſub titulo iſto: *Veterum interpretum Græcorum in totum vetus Teſtamentum fragmenta, collecta, verſa & notis illuſtrata a Johanne Druſio &c.* Dominus Bernardus de Montfaucon, ab annis 23 & amplius, huic Collectioni Druſianæ ampliandæ incubuit, imo & illi corrigendæ in locis qui correctione indigere videntur. Tantum ipſi labor ſucceſſit, ut opus Druſii cum erudita Bernardi de Montfaucon collectione contendi multo modo queat. Affirmat etenim in Pentateucho *lectiones Druſii* non accedere ad viceſimam partem lectionum quas profert. Druſius etiam in libros Joſue & Judicum nihil fere reperit: quibus in libris nullus fere verſus, quem Bernardus de Montfaucon novis obſervationibus non illuſtraverit. Fragmenta ex libris Regum, præſertim primo & ſecundo, non accedunt ad partem quinquageſimam eorum, quæ noſter laborioſus Bernardus collegit. Libri Job & Pſalmorum, longe magis completi in Collectione Montisfalconis, quam Druſii: cum apud Bernardum in plurimis Pſalmis tota & integra Verſio Symmachi habeatur. Diſcrimen autem non eſt tantum in *Proverbiis*, in *Eccleſiaſte & Canticis:* ſed in compenſationem Dominus Bernardus innumeras novas addit obſervationes in Prophetias *Jeremiæ, Ezechielis ac Prophetarum Minorum*, quæ apud Druſium deſiderantur. Præmiſit Collectioni huic *Diſſertationem præliminarem* plenam eruditis animadverſionibus lectore curioſo non indignis.

Diſſer-

Dissertatio hæc complectitur varias Collectiones quas Origenes ex versionibus Bibliorum fecerat: & Historiam singularem uniuscujusque harum versionum. In *Tetraplo* occurrunt versiones Aquilæ, Symmachi, Septuaginta & Theodotionis, quatuor columnis distinctæ. Prima Aquilæ, quia textui Hebraico magis conformis, quam sequebatur Symmachus ob eandem rationem: Septuaginta præcedebant Theodotionem, quia hic videbatur desudasse magis appositè, quam alii.

Hexapla his iisdem versionibus constabant, ante quas Origenes sub duabus columnis collocaverat textum Hebraicum Hebraice scriptum, & eundem textum litteris Græcis conscriptum. Numerus columnarum postea auctus fuit, non in omnibus Scripturæ libris, sed in quibusdam, ac præsertim in illis qui carmine scripti leguntur, adjunctione Versionum quæ *quinta*, *sexta* & *septima* appellantur: & hæ adjectiones *Octapla*, imo & *Enneapla* pepererunt. Dominus Bernardus de Montfaucon contendit textum Hebraicum *Hexaplorum* esse eundem cum eo quem hodie habemus, neque fuisse textum Samaritanum. Facit observationes quasdam curiosas de characteribus Hebraicis, & multa cura exponit diversos Sensus, ad quos magna quarundam litterarum similitudo interpretes seduxerat. Examinat non tantum relationem Aristeæ de versione Septuaginta interpretum, sed etiam testimonia Aristobuli, Philonis, Josephi, sancti Justini & sancti Epiphanii de eadem re. Decernit post Hieronymum & eruditos qui ejus ætate vivebant, Septuaginta libros quinque Mosis tantum traduxisse. Ratio ejus est, quia longe major exactitudo in horum traductione librorum Mosis, quam in aliis. Juxta illum stylus eorum qui cæteros libros verterunt ex Hebræo, discrepat omnino a traductorum primorum stylo, ac sæpissime termini Græci quibus utuntur, terminos Hebraicos non exprimunt. Hoc de cætero non impedit, quominus versio integra veneratione digna sit: cum Apostoli illa sæpissime usi sint, ac Ecclesia Græca uti veram Scripturam semper habuerit, ita quoque Ecclesia Latina primorum seculorum, idem de ea judicium tulerit. Verum quidem est, Divum Hieronymum nævos in ea annotasse, qui tanti tamen momenti visi non sunt, ut antiquæ hujus versionis auctoritas imminueretur. Incumbit Bernardus ut ostendat in quo statu versionem hanc Origenes reperit, in quibus consisterent correctiones ejus & curæ, dum novam illius editionem in Hexaplis fecit, tandemque mutationes quæ illi ab ætate celebris hujus Critici obtigerunt.

Hinc transit ad versiones Aquilæ, quas geminas fecit. In altera sensum pro sensu reddidit, non adhærendo minutiis: in altera verbum verbo reddidit, exactitudine ita scrupulosa, ut stylus etiam barbarus esset, obscurusque etiam in locis multis. Hæc tamen ultima fuit, quam Origenes elegit juxta Editorem nostrum, ut Hexaplis insereretur. Versio Symmachi est summæ claritatis & elegantiæ, quæ proinde scriptori huic semper elogia virorum Eruditorum conciliavit. Tale autem judicium de versione Theodotionis nunquam prolatum fuit, ac quidquid illius supereſt, occasionem suppeditat, ut vel ignorantiæ vel negligentiæ accusetur. Versio quinta Hierichunte ex tenebris eruta fuit, Caracallæ imperii anno septimo. Non satis constat, num Auctor hujus versionis, Judæus fuerit, num Samaritanus, vel Christianus. Tam libera fuit, ut ad paraphrasin propius accederet. Versio sexta adhuc magis libera erat, ut videre licet exemplis quæ Bernardus de Montfaucon profert, in quorum uno cernitur nomen *Jesu Christi* insertum Prophetiæ Habacuc, id quod Auctorem hujus versionis fuisse Christianum evidenter probat. Effossa ex terra, tempore Alexandri Severi prodiit. Versio septima opus judæi cujusdam fuit, paraphrastæ magis quam interpretis. Postquam de his omnibus antiquis versionibus locutus est Bernardus editor, depingit magna cura *Versionem Vulgatam Latinam* ut opus eximium & compendium eorum omnium quæ in antiquis illis versionibus præstantiora habebantur.

Non repræsentat illic *Hexapla* sub ea forma, quam in Collectione Origenis habebant. Hoc enim expensis exorbitantes, simulque inutilissimas postulasset: tam ob repetitiones superfluas faciendas, quam etiam ob vacuitates quæ in columnis relinquendæ fuissent, quas repleri ubique locorum, impossibile erat. Ut tamen ideam Origeniani laboris perfectiorem exhibeat, caput primum Geneseos eadem ratione qua olim in *Hexaplis Origenianis* videri poterat, imprimendum curavit. In sequentibus annotavit varia loca quæ reperit versionum discrepantium, adjecitque loca parallela textus Hebraici, Septuaginta interpretum & Vulgatæ, ut uno oculi aspectu comparari simul omnia possint. Quodvis caput sequuntur Annotationes, quæ lectores adjuvant ad eligendas quas voluerint diversas lectiones, & quæ eos docent unde hæ lectiones diversæ desumtæ sint. Lexica duo quæ calci Voluminis secundi adjiciuntur, ex vocibus in Hexaplis contentis componuntur, quorum unum ex vocibus Hebræis, alterum ex vocibus Græcis. In *primo* habetur qua ratione Aquila, Symmachus, Theodotion, Septuaginta & alii veteres interpretes phrasin Hebraicam reddiderint: quod magnæ utilitatis esse potest, ad phrasium istarum vim & robur recte intelligendum. In *secundo* Bernardus inserere noluit *verba* Versionis Septuaginta interpretum, sive quia opus nimium excrevisset, sive quia Conradus Kirkerus illa *Concordantiæ* suæ inseruit. Reperiuntur igitur solummodo voces quibus alii interpretes usi sunt, cum vocibus Hebraicis, quibus illæ respondent. Hoc Lexicon utilissimum erit iis qui Opera Græcorum

Digitized by Google

rum Patrum legentes, ſcire voluerint, quam verſionem ſequuti fuerint in diverſis locis, ubi Scripturam ſacram allegaverint. Præcedit hæc duo Lexica *Diſſertatio* quæ linguæ ſacræ ſtudioſis non ingrata erit. Illic Bernardus de Montfaucon loquitur de antiqua ratione pronuntiandi litteras Hebraicas, qua de re inter veteres non convoniebat: demonſtratque modernos, qui Maſſoretas ſequuntur, ſæpiſſime a pronuntiatione aliorum nimis procul abire.

CAPVT QVINTVM.
DE
ERRORIBVS ORIGENIS.

MVlti tum veterum, tum recentiorum, vindicias in gratiam Origenis ſcripſerunt, qui omnibus contenderunt viribus, ut doctrinam ejus ſanam integramque, miris ſed minus ſinceris ſæpe ſolutionibus defenderent. Horum in ſententiam velis remisque ſoluerem, ſi res ex animo & affectu potius quam veritate penderet. Verum tantum apud me veritatis pondus obtinuit, ut ingenue fatear, mirari me ſatis non poſſe cum Baronio, quomodo hoc noſtro ſeculo inventi ſint homines, qui tanto æſtu tantaque animi contentione Origenem ab erroribus purum, ſcribere auſi fuerint. Hic tamen Origenis libros omnibus erroribus ſcatere non contendam, quos ipſi plures tribuunt: neque enim vacat in ſingulos inquirere, ne ſola de *Rebus Origenis* Diſſertatio prolixitate ſua lectoris animum offendat, ejusque patientiam importune tentet. Nos pauca iſta hauriemus ab Natali Alexandro, qui Danielem Huetium egregie in compendium contraxit, *in ſelectis Hiſtoria Eccleſiaſtica capitibus*, ſeculo tertio cap. 3. art. 12. pag. 100. & cap. 4. art. 2. *de Scriptis Origenis* pag. 132. Deinde tribus aliis Diſſertationibus, quarum prima *de moribus Origenis*, ſecunda *de fide Origenis*, tertia *de Origenis defenſoribus* eſt, ubi diffuſe ſatis de hoc argumento.

1. Origeni ab antiquis hi tribuuntur errores, nempe quod filium non eſſe natum, ſed factum: eſſe Patre minorem & inferiorem, comparatum Patri non eſſe *veritatem:* & Spiritum ſanctum eſſe *Tertium* dignitate & honore poſt Patrem & Filium, Filioque inferiorem, dixerit. Hunc ipſi errorem tribuunt S. Hieronymus in Epiſtola 59. quæ eſt ad Avitum. Et Epiſtola 59. ad Pammachium & Oceanum data. Et libro 2. Apologiæ adverſus Ruffinum. Idem S. Epiphanius hæreſi 64. & in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum. S. Auguſtinus, libro de *Hæreſibus.* Juſtinianus Imperator, in Tractatu *adverſus Origenis errores* miſſo ad Mennam Conſtantinopolitanum Patriarcham, qui a quinta Synodo, necnon a Vigilio Pontifice Maximo poſtea probatus eſt. Hunc Errorem proprium eſſe Origenis, ex variis ipſius operum locis conſtat, quæ S. Hieronymus, & Juſtinianus proferunt. Clarum hoc atque apertum fit ex verbis Origenis Lib. 8. *contra Celſum*, ubi inquit: *Itaque religioſe colimus Patrem veritatem, & veritatem filium, duos quidem ſubſtantia, unum vero concordia, conſenſu, voluntatisque identitate.* Non me fugit Hœſchelium non ita vertere, ſed ſic: *Patrem & Filium duos ſubſiſtentia, unum vero concordia* ſed ὑπόστασιν pro οὐσία fuiſſe ab Origene acceptam, certum eſt: tum quia Sanctus Hieronymus qui libros Origenis aſſidua lectione contriverat, de hujus notione vocis, ait Epiſt. 57. ad Damaſum: *Tota ſecularium litterarum ſchola nihil aliud ὑπόστασιν niſi οὐσίαν novit:* tum quia *Vnitatem concordia* memoravit duntaxat inter Patrem & Filium. At poſt aſſertam diſtinctionem Patris & Filii quoad *ſubſiſtentiam*, memoranda fuiſſet eorum unitas quoad eſſentiam, niſi ὑπόστασιν pro eſſentia uſurpaſſet. Probatur *ſecundo.* Qui ſapientiam æternam creatam eſſe ait, ſolumque Patrem Deum eſſe verum, & ita comparari Filium ad Patrem in communione Divinitatis, ſicut rationales creaturæ ad Filium ipſum, qui primigenia & ſubſiſtens ratio eſt, in comparatione & ſimilitudine rationis; illo peſſime ſenſit de Filio Dei. Atqui hæc dixit Origenes, ergo Filii Dei majeſtatem læſit perverſis ſuis opinationibus. Aſſumptum probatur ipſis Origenis verbis, tomo 1. in *Joannem*, ubi inquit: *Dicendum eſt Deum cum animatam ſapientiam creaſſet, illius curæ permiſiſſe, ut ex figuris & ſpeciebus quas ipſe habebat, ſubſiſtentiam & plaſmationem, & formas praberet entibus, & materiæ.* Et tomo 2. in *Joannem* notat, quando in ſacris libris ὁ Θεὸς cum articulo ponitur, Patrem intelligi qui verus Deus eſt: cum autem ſine articulo Θεὸς legitur, Dei Filium ac cæteros ſignificari, qui Dii participatione quadam numerantur. *Sed quoniam*, inquit, *veriſimile eſt futurum ut multi offendantur, quia dixerimus unum eſſe verum Deum, nempe Patrem: & præter Deum verum, multos falſos Deos participatione Dei: verentes gloriam ejus qui omnem creaturam præceſſit, æquari reliquis obtinentibus appellationem Dei, ſine articulo. Præter datam differentiam, per quam Deum λόγον diximus reliquis omnibus Diis Miniſtrum eſſe Deitatis, etiam hæc differentia eſt apponenda. Ea enim ratio quæ in ſingulis rationis capacibus ineſt, eandem comparationem habet ad illam rationem, quæ in principio apud Deum eſt, & Deus eſt λόγος: quam habet Deus λόγος, id eſt, ratio ſine articulo ad Deum cum Articulo. Vt enim Pater αὐτόθεος, hoc eſt, Per ſe Deus & verus Deus, ſe habet ad imaginem, & ad imagines imaginis: ſic hanc in modum ſe habet ipſe λόγος, hoc eſt, ipſa ratio, ad eam quæ in ſingulis eſt rationem.* Sicut ergo Filius Dei, qui eſt ratio ipſa primigenia & ſubſiſtens, ſuperior eſt creaturis rationis compotibus, nec illæ habent eandem cum ipſo dignitatem & eſſentiam: ita nec filium ejusdem eſſe exiſtimavit cum Patre dignitatis atque divinitatis. Probatur *tertio.* Qui Chriſti Filii Dei cultores medium tenere locum ſcribit, inter eos qui Deum univerſorum adorant, & eos qui Solem, Lunam, & reliqua ſidera,

velut numina quædam venerantur: ille opinatus eſt Filium Dei inferioris eſſe gradus ac dignitatis a Patre. Atqui id ſcripſit Origenes, ergo opinatus eſt Filium Dei inferiorem eſſe Patre in gradu Divinitatis. Minor probatur Origenis verbis, tomo 2. in Joannem; ubi inquit: *Deum igitur, alii quidem Deum univerſorum habent: qui vero hos proxime ſequuntur, in Chriſtum Dei ipſius Filium, defixi ſunt. Tertii vero ſunt, qui Solem, Lunam, omneque cœli ornamentum habentes, ab eo aberrant: verum tamen errore longe præcellenti, præſtantioreque, quam eorum qui vocant Deos opera manuum hominum, aurum & argentum, artis excogitationes.* Probatur *quarto.* Qui omnia a Patre, qui verbo ſuperior eſt, facta eſſe contendit, non a verbo ipſo, quamvis condita fateatur per verbum: non ſenſit de filii Dei Majeſtate, ut par eſt. Atqui Origenes contendit omnia facta eſſe a Patre, qui verbo ſuperior eſt, non ab ipſo verbo: ergo non ſenſit de Filii Dei Majeſtate, ut par eſt. Minor probatur ipſis Origenis verbis tomo 2. in *Joannem* ubi ſic loquitur: *Si omnia per ſermonem facta fuerunt, non a ſermone facta fuerunt, ſed ab eo qui ipſo ſermone major eſt: quem quis alium dixerit, quam Patrem ipſum?* Impingit ſubinde in alium errorem contra divinitatem Spiritus Sancti, quem recentiorem eſſe ait Verbo, & ab ipſo factum. *Verum ſum ſit*, inquit, *omnia per ſermonem facta fuiſſe, ſi quis dicat factum eſſe Spiritum ſanctum, & admittat omnia per ſermonem facta fuiſſe: is etiam fateatur neceſſe eſt, Spiritum Sanctum a ſermone factum, nimirum Sermone ipſo antiquiore exiſtente, Spiritu.*

2. Senſit Origenes hominum animas ante corpora creatas fuiſſe, & cœleſtes fuiſſe virtutes, quæ ob peccatum, animæ evaſerunt, & in corpora velut in carceres quosdam, ſupplicii cauſa immiſſæ ſunt. Quem ad errorem probandum, hoc Davidis loco abutebatur, pſalmo 118. *Priusquam humiliarer, ego deliqui:* attribuens verba illa animæ, quæ antea deliquiſſet, quam corpori illigaretur. Ita ex ſancto Epiphanio hæreſi 64. ex ſancto Hieronymo locis citatis, & ex Juſtiniano in Tractatu adverſus Origenis errores. S. Hieronymus Libro 2. Apologiæ *contra Ruffinum*, poſtquam varias circa animæ creationem ſententias, & ipſius Ruffini dubiam nutantemque opinionem attulit, hæc habet: *O infelices animas, quæ tantis vitiorum lanceis vulnerantur! Non eas puto, juxta Origenis errorem, tantum laboraſſe, cum de cœlo in terras ruerent, & craſſis corporibus veſtirentur, ut nunc verbis & ſententiis hinc inde colliſas.*

3. Statuit animam Chriſti præextitiſſe Deo Verbo unitam, ante incarnationem & generationem ex virgine: ut teſtantur S. Hieronymus lib. 2. *Apologia* adverſus Ruffinum, Juſtinianus Imperator in Tractatu ſupra laudato, & ipſe Origenes lib. 2. *de Principiis* cap. 6. & lib. 1. *contra Celſum.* Et tomo 1. in Joannem pag. 35. editionis Huetianæ, & tomo 2. pag. 307.

4. Exiſtimavit Paſſionem Chriſti dæmonibus ipſis profuturam, imo Chriſtum in futuro ſeculo pro dæmonibus crucifigendum. Ex Theophylo Alexandrino Epiſtola Paſchali 2. ex Sancto Hieronymo, libro 1. *Apologia* adverſus Ruffinum, & Epiſtola 59. ad Avitum data. Ex Poſthumiano apud Sulpitium Severum *Dialogo* 1. cap. 3. & ex Juſtiniano in Tractatu ad Mennam adverſus Origenis errores. Idemque conſtat ex ipſo Origene lib. 4. Periarchon.

5. Propugnavit futuram aliquando diaboli ſalutem, & dæmonum, hominumque impiorum ſuppliciis finem imponendum eſſe. Id teſtantur S. Epiphanius in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum, Theophylus Epiſtola Paſchali 2. S. Hieronymus Epiſtola 59. ad Avitum, & Epiſtola 61. ad Pammachium, & Epiſt. 65. ad Pammachium & Oceanum. S. Auguſtinus libro *de Hæreſibus*, cap. 43. Juſtinianus loco ſupra laudato, & in Epiſtola ad quintam Synodum. Conſtatque ex ipſo Origene lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 6. & libro 3. cap. item 6.

6. Voluit non pœnarum tantum, ſed felicitatis etiam tempus, certis circumſcriptum terminis eſſe, animasque ad perfectionis culmen evectas, ac peccati corporeæque molis ſordibus expurgatas, rurſus a virtute in vitium deflectere poſſe: quod cum fecerint, in craſſioris corporis carcerem detrudendas eſſe. Hunc errorem adfirmat Origenes paſſim, in libris περὶ ἀρχῶν, locis notatis a S. Hieronymo, Epiſtola 59. ad Avitum.

7. Senſit peſſime de reſurrectione mortuorum Origenes, ut conſtat ex ſancto Epiphanio, hæreſi 64. ex Theophylo Alexandrino, S. Hieronymo, & Juſtiniano, locis prælaudatis: nec non ex S. Auguſtino libro *de Hæreſibus*, qui criminantur ipſum, quod reſurrectionem e medio ſuſtulerit. Et revera reſurrectionem corporis voce tenus aſtruxit, carnis vero reſurrectionem inficiatus eſt, ut conſtat ex S. Hieronymo in Epiſtola ad Pammachium, ex Pamphilo in Apologia, ex Methodio in libro *de Reſurrectione*, cujus extat Epitome apud S. Epiphanium hæreſi 64. & apud Photium Cod. 234. Et ex ipſo Origene lib. 2. περὶ ἀρχῶν cap. 3. & in commentariis ad Pſalmum 1. Addidit illud qualecunque corpus, quod in mundi conſummatione recepturæ ſunt animæ, orbiculatum fore, figuram omnium perfectiſſimam & rerum cœleſtium propriam novo corpori congruam exiſtimans. Id conſtat ex Juſtiniano, in Tractatu ad Mennam.

8. Intellexit allegorice duntaxat ignem inferni, nihilque aliud eſſe voluit, quam conſcientiæ peccatricis ſtimulos. Id conſtat ex ipſo Origene lib. 2. *de Principiis* cap. 2. Et ex Oroſio in *Commentario* ad ſanctum Auguſtinum, quo inter alia queritur, Origeniſtas quosdam jactare ſolitos, *ignem æternum quo peccatores punientur, non eſſe ignem verum, dicentes dictum eſſe ignem propria conſcientiæ punitionem: ac ſic omnes peccatorum*

Digitized by Go

rorum animas poſt purgationem conſcientiæ, in unitatem corporis Chriſti eſſe redituras. Quo ſpectant etiam illa verba S. Hieronymi Lib. 3. in Epiſtolam ad Epheſios cap. 5. *Quia igitur ſunt plerique, qui dicunt non futura pro peccatis eſſe ſupplicia, nec extrinſecus adhibenda tormenta, ſed ipſum peccatum, & conſcientiam delicti eſſe pro pœna: dum vermis in corde non moritur, & in animo ignis accenditur, in ſimilitudinem febris, quæ non torquet extrinſecus ægrotantem, ſed corpora ipſa corripiens punit, ſine cruciatuum extrinſecus adhibitione.*

9. Affirmavit Origenes aſtra animata eſſe, Deum cognoſcere ac precari, peccare poſſe, judicatum iri, & ſalutem ſperare, & poſſe conſequi. Ita ille libro 1. περὶ ἀρχῶν cap. 7. & lib. 5. *contra Celſum.* Cujus erroris ipſum inſimulant etiam Theophylus Alexandrinus Epiſtola 1. & 2. Paſchali, & S. Hieronymus Epiſtola 59. ad Avitum, & Epiſtola 61. ad Pammachium. Oroſius in *Commonitorio* ad S. Auguſtinum, & Auguſtinus ipſe in libro *contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas*, & Juſtinianus in Tractatu ad Mennam *de Erroribus Origenis.*

10. Senſit Origenes circumſcriptam Dei potentiam Lib. 2. *de Principiis* cap. 2. quod ei crimen etiam objiciunt Theophylus Alexandrinus Epiſtola 1. Paſchali, Juſtinianus loco laudato, & Rufinus Palæſtinus in libello *de fide*, quem doctiſſimus Jacobus Sirmondus edidit.

11. Aſſeruit mundum hunc viſibilem & corporeum, ex occaſione duntaxat & ſecundaria velut intentione Dei creatum eſſe, ad puniendas & quibusdam quaſi ergaſtulis concludendas naturas rationis compotes, quæ ante orbis creationem deliquerant. Sic ille ipſe libro 1. *de Principiis* capp. 1. 8. 9. & libro 3. cap. 5. Idem conſtat ex Theophylo Alexandrino, Epiſtola Paſchali 1. ex ſancto Hieronymo Epiſtola 59. ad Avitum, ex S. Auguſtino Lib. 11. *de civitate Dei*, cap. 23. & libro *contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas*. cap. 8.

12. Admiſit Origenes perpetuam mundorum propagationem ac ſucceſſionem, quod conſtat ex iisdem authoribus, & ex Methodio apud Photium Cod. 235.

13. Totam de Paradiſi conſitione Moſaicam narrationem, ad allegoriam detorſit. Arbitratus enim eſt Paradiſum terreſtrem in cœlo fuiſſe poſitum, arbores Angelicas eſſe fortitudines, coriaceas tunicas quibus Adamum & Evam Deus induit, eſſe terrenum corpus & mortale animabus impoſitum. Hic error ſe prodit apud Origenem Lib. 4. *de Principiis* cap. 2. Homilia 1. in *Geneſim*, & lib. 4. *contra Celſum*, quem ipſi eundem objiciunt Methodius apud Epiphanium hæreſi 64. Et Epiphanius ipſe in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum.

14. Senſit peſſime Origenes de gratiæ divinæ auxiliis, adeo ut ſanctus Hieronymus in Epiſtola ad Cteſiphontem cap. 2. Pelagii doctrinam *Origenis ramuſculum* eſſe non immerito pronuntiaverit: & lib. 3. adverſus Pelagium cap. ultimo, jure appellaverit Origenem *Pelagianorum Amaſium.* Exiſtimavit namque Origenes animas juxta menſuram meritorum, quæ comparaverant antequam corporibus illaberentur, variis gratiæ donis cumulatas. Imo & Deum contendit, largiri divinæ gratiæ præſidia meritis in hac vita acquiſitis: ita ut libero humanæ voluntatis arbitrio accepta referenda ſint, per quod homines talibus donis digni effecti ſunt. Hoc in errore fuiſſe Origenem, ac proinde Pelagianis ac Semipelagianis præfulſiſſe, demonſtravit Janſenius Iprenſis Lib. 6. *de Hæreſi Pelagiana* cap. 15. & Doctiſſimus Daniel Huetius Lib. 2. *Origenianorum*, quæſtione 3. Sed de hoc & aliis Origenis erroribus, Natalis Alexander ex Huetio *Diſſertatione* XVI. uberius agit, diſputatque, an ab iis abſolvi poſſit, quem legito.

Alios Origenis errores recenſet & excutit præfatus ſcriptor eruditione incredibili, lib. 2. *Origenianorum.* Sed vel benigna interpretatione molliri poſſunt loca, quæ his infarta erroribus apud Origenem videntur: vel cum aliis Patribus ipſi communes ſunt hujusmodi errores, vel falſo ipſi affinguntur. Ut quod metempſichoſim admiſerit, quam tamen diſerte impugnat lib. 4. & 8. *contra Celſum*, lib. 5. in Epiſtolam ad Romanos, & aliis in locis diligenter notatis a doctiſſimo Huetio Lib. 2. *Origenianorum*, quæſt. 6. num. 19. Ita etiam falſo ipſi affingitur, quod ſenſerit mentitum corpus & ſpecietenus apparens Chriſtum geſtaſſe, non verum & noſtris corporibus ſimile. Sed enim hunc errorem ſexcentis in locis impugnat, homilia 14. & 17. in Lucam, Tractatu 35. in Matthæum, homilia 1. in Ezechielem, lib. 5. in Epiſtolam ad Romanos, libro 2. contra Celſum, lib. 2. de Principiis cap. 6. & in Proœmio iſtorum librorum, ubi ait: *Incarnatus eſt* Filius Dei, *cum Deus eſſet, & homo manſit, quod Deus erat. Corpus aſſumpſit noſtro corpori ſimile, eo ſolo differens, quod natum ex virgine, de Spiritu ſancto eſt. Et quoniam hic Jeſus Chriſtus natus & paſſus eſt in veritate, & non per imaginem: communi hac morte vere mortuus eſt, vere enim a mortuis reſurrexit.* Falſum eſt quod ipſi tribuit Gennadius, libro *de Dogmatibus Eccleſiaſticis* cap. 2. quod nimirum aſſeruerit cum Marcione, Chriſtum carnem e cœlo detuliſſe. In quo dupliciter peccavit Gennadius: nec enim is fuit Marcionis error, nec Origenis, qui Homilia 14. in Lucam, conceptis verbis illum impugnat. Fateor quidem frequentem formarum mutationem, ipſum corpori Chriſti aſſignaſſe, adeo ut ſub qua vellet ſeſe ſingulis exhiberet conſpicuum, ſed adſcititiam corporis Chriſti ſubſtantiam, nullatenus exiſtimavit. Neque vero phanaticum illud dogma ab Origene confictum eſt, & conſtanter aſſertum, ſed ipſi traditum ab aliis, & ab eo propoſitum, ut non incredibile omnino. Id patet ex ipſius verbis tractatu 35. in Matthæum, ubi inquit: *Venit ergo traditio talis ad nos de eo, quoniam non ſolum duæ formæ in eo fuerunt, una quidem ſecundum quam*

Digitized by Google

omnes eum videbant: altera autem ſecundum quam transfiguratus eſt coram Diſcipulis ſuis in monte, quando & reſplenduit facies ejus tanquam ſol, ſed etiam unicuique apparebat, ſecundum quod fuerat dignus. Et cum fuiſſet ipſe, quaſi non ipſe omnibus videbatur &c. Et non mihi videtur incredibilis eſſe traditio hæc, ſive corporaliter propter ipſum Jeſum, ut alio & alio modo videretur ab hominibus: ſive propter ipſam Verbi naturam, quod non ſimiliter cunctis apparet &c.

Origeniſtæ quidam *turpes* dicti, nuptias repudiabant, monaſticam vitam ſpecie tenus profitebantur, qui in omnem libidinem effuſi erant, de quibus agit ſanctus Epiphanius Hæreſi 63. An ab Origene Adamantio, an ab aliquo alio propagati ſint, ignorare ſe profitetur. At duos Origenes S. Auguſtinus libro *de Hæreſibus*, Sophronius Hieroſolymitanus Antiſtes *in Epiſtola ad Sergium*, author *Prædeſtinati* a Jacobo Sirmondo editus, & S. Joannes Damaſcenus libro *de Hæreſibus* diſtinxerunt: Adamantium ſcilicet, & alium quendam Impurorum Origeniſtarum Principem.

CAPVT SEXTVM.
DE MORTE ORIGENIS, ET EIVS APOLOGISTIS.

ANno Domini 256. Origenem extremum clauſiſſe diem ex Euſebio lib. 7. *hiſtoriæ* cap. 1. poſt Baronium colligimus, dum ait accidiſſe anno illius ætatis ſexageſimo nono: quem videlicet ejusdem Euſebii teſtimonio ſupra vidimus, anno decimo Severi Imperatoris qui eſt Domini Jeſu Chriſti ducenteſimus quartus, natum fuiſſe annos ſeptemdecim. Qui autem vivens in ſcribendo ſæpe redargutus eſt erroris, multo amplius poſt mortem hæreſeos infamatus eſt. Quamobrem pluribus opus habuit Apologiis, quarum primam a Pamphilo Martyre conſcriptam credidit aliquando Hieronymus, in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, in Pamphilo: ſed poſtea retractans quod dixerat Epiſtola 62. ad Pammachium *de Erroribus Origenis*, & in Apologia *contra Ruffinum*, Euſebii illam, non Pamphili eſſe affirmavit. Sane quidem ſuam eſſe teſtatur ipſe Euſebius Lib. 6. *Hiſtoria* capp. 26. & 29. quam tamen ſcripſerit adjutus a Pamphilo. Vulgata quoque extat pro eodem Origene Rufini Apologia, ſed a S. Hieronymo in multis reprehenſa. Hæc vero olim ad Hieronymi usque tempora, fortaſſe licite facta ſunt, inquit Baronius. «Sed miratus ſum vehementer, poſt »damnationem Origenis ab Anaſtaſio Papa fa»ctam, poſt ejus reprobationem in quinta Oe»cumenica Synodo pronunciatam, poſt tot an»tiquorum Patrum in idipſum conſpirantes ſen»tentias: adhuc recentiores quosdam auſos eſ»ſe, pro eodem novas edere Apologias, & au»thoritate totius Eccleſiæ Catholicæ judicatas »ſæpius controverſias, denuo temere excitare. Quod viſus eſt feciſſe paulo ante noſtram ætatem, Joannes Pius Mirandulanus atque haud ita pridem Sixtus Senenſis, lib. 4. *Bibliothecæ ſanctæ* pagina mihi 278. & ſeqq. Hæc quidem pro tempore quo ſcribebat Baronius, ſed quid diceret, quidve ſcriberet, ſi jamjam viveret? Nam præter citatos recentes duos, ſcripſit quoque Origenis Apologiam Jacobus Merlinus Doctor Theologus Pariſienſis, natione Gallus, patria Victurnienſis, quam præmiſit prolixam tomo 3. *Operum Origenis*, editionis ſuæ Pariſienſis, anni 1512. apud Aſcentium. Scripſit & alteram Gilbertus Genebrardus Pariſienſis Theologus, doctrina Vir clariſſimus, qui una cum aliorum judicio, Origenem emendatiorem edi curavit, ac præter Epiſtolam, qua iſtos Origenis tomos Carolo nono Galliarum Regi obtulit, Collectanea adjecit *de Origenis Vita, Operibus, Rebus, & ſententiis:* in quibus (quod & in Epiſtola ad Regem dedicatoria fecerat) Origenem ſupra fidem humanam commendat, atque ex probatiſſimorum auctorum teſtimoniis tueri conatus eſt. Solus ille titulus, *Origenis Adamantii, magni illius & vetuſti ſcripturarum interpretis, & ſecundi Eccleſiæ poſt Apoſtolos Magiſtri, Opera &c.* quem ſupra jam attulimus, ſtuporem injicit, atque præ ſe fert ſcriptorem omni invidia ſuperiorem, nulli obnoxium telo, nulla cenſura dignum: cujus oppoſitam ſententiam eruditi omnes amplectuntur. Sed & tertius Petrus Halloixius, Theologus Societatis Jeſu Belga, ampliſſimis quatuor libris *Origenianæ Vindiciæ* complexus eſt, Leodii in folio anno 1648. typis Hoviorum editas, quas inſcripſit *Origenem defenſum*, ſive *Origenis Adamantii vita, virtutes & documenta doctrinæ:* quibus addi nihil poteſt ad defenſionem Origenis, licet annotet noviſſimus editor *Bibliothecæ Societatis Jeſu* verbo *Petrus Halloix*, hos libros a Sancta Inquiſitione Romana fuiſſe prohibitos. His fere ſuffragatur Daniel Huetius vir clariſſimus & eruditus, nunc Sueſſionenſis Epiſcopus, lib. 2. *Origenianorum*, in Adamantium propenſior, qui eundem excuſare omnimodis annititur.

Cæterum Origenis Operum lectionem, ut Tertulliani, vel horum ſimilium, non invenimus penitus improbatam: licet quod ſpectat ad dogmata, ea ſit de ejus ſcriptis in Concilio Romano anni 494. cenſura Gelaſii: ut illa tantum quæ S. Hieronymus non repudiat, dicat eſſe ſuſcipienda, reliqua vero cum ſuo authore rejicienda. Quod autem aliquando Arriani quandam ejus Diſputationem, in ſuam ſententiam trahere conati ſunt: eundem Athanaſius hac in parte catholicum, in libro *de Nicæna Synodo contra Arrianos*, ab eorum calumniis reddidit immunem. At de ejus ſcriptis jam ſupra pluribus, cum ea controverſia ſæpius in Eccleſia agitata ſit, & errores ejus ſigillatim capite 3. enumerati. Seriem autem librorum ejus, cum Euſebius, tum alii plures deſcripſerunt. Sed quod Epiphanius hæreſi 64. & Ruffinus in *Apo-*

logia

logia tradunt, & alii ſcripta fuiſſe ab eo *Librorum ſena millia*: haud facile credidit Hieronymus, tum Epiſtola 62. tum Apologiæ *contra Ruſinum* Lib. 2. Quanta vero lapſus tanti viri fuerit in Eccleſia Dei offenſio atque tentatio, deſcribit fuſe atque egregie Vincentius Lirinenſis, *in Commonitorio* cap. 23. Vbi eandem docet fuiſſe ſalubertimam commonitionem, ne quempiam quantumvis eruditum, ſibi quis ſequendum in omnibus ſuſcipiat, quem non inſiſtere traditionibus Eccleſiæ, & ſanctorum Patrum veſtigiis invenerit. Sed quod Sozomenus ad annum 402. atque alii omnes Chryſoſtomi defenſores, vel Origeniſtarum fautores, ad invidiam commovendam in eorundem adverſarios, uno ferme ore prædicant, Epiphanium tum antea, in Synodo Cypria, tum poſtea in litteris ad Chryſoſtomum ſcriptis, tum denique Conſtantinopoli congregatis aliis Epiſcopis qui ibi reperti ſunt, contendiſſe, ut damnarentur libri Origenis: quodque apud Severum *Dialogo* 1. æque traditur, Synodo Alexandrina vetitum, ne quis legeret Origenis libros, vel eos penes ſe haberet: hæc (inquam) omnia quam procul a veritate abhorreant, ſatis apparet ex ejusdem Epiphanii litteris ad Joannem Hieroſolymitanum ſcriptis, quas magna ex parte ſanctus Hieronymus *Epiſtola* 61. ad Pammachium, adverſus errores ejusdem Joannis Hieroſolymitani, inſeruit. Vbi declaratur, magno ſtudio Epiphanium curaſſe, ut Joannem avocaret ab erroribus Origenis, non autem a lectione librorum ejusdem: ſicut & ex Epiſtolis 67. & ſeqq. ultro citroque datis, inter ipſum atque Theophylum, ſimulque Hieronymum, nihil præterea actum eſt, niſi ut Origenis errores, & qui eis adhærerent, damnarentur. Nec aliud quidem accepit a Theophilo Epiphanius, niſi ut errores Origenis cum authore ac ſectatoribus condemnaret: de libris autem, ne verbum quidem. Nec item Hieronymus de iisdem frequentius agens, de damnatione librorum omnium Origenis, ſermonem aliquando miſcuit: imo Epiſtola 76. ad Tranquillum ſcribens, eos absque crimine legi poſſe, dummodo vitentur errores, ſignificavit. Ac denique ut quis libros Origenis omnino damnandos eſſe ſenſerit, neminem præter Fauſtinum quemdam invenimus, cujus ibidem Hieronymus meminit: quamvis non hæreſes tantum Origenis, ſed ipſarum authorem Origenem tanquam hæreticum ab Eccleſia explodendum, idem S. Hieronymus Apologia 2. adverſus Ruffinum, ex ſententia Epiphanii, absque ulla dubitatione conſenſerit.

Quod vero in Epiſtola Anaſtaſii Papæ ad Joannem Hieroſolymitanum habetur, damnatam fuiſſe Imperatorum reſcripto Origenis lectionem: id utique intelligendum eſt de libro *Periarchon*, de quo totus eſt ille ſermo Anaſtaſii cum Joanne Hieroſolymitano: cujus Operis editionem Latine redditam a Ruffino, Romæque vulgatam magno fidelium detrimento, idem Anaſtaſius proſcripſit, una cum ejus interprete Ruffino. Deque eodem Origenis opere, errorum fonte, intelligendum puto, quod reperitur in rebus geſtis ſancti Pachomii, ipſum execratum eſſe Monachos legentes libros Origenis. Nam & Papa Gelaſius in concilio Romano anni 494. *de libris Apocryphis*, Origenis Opera quæ Hieronymus non repudiaſſet, legi poſſe decrevit, cæteris una cum authore rejectis. Ac denique his conſentaneam eſſe Græcorum Patrum qui Origenem impugnarunt, ſententiam, ut nimirum præter errores, cætera ejusdem auctoris ſcripta retinerentur: teſtatur Socrates Lib. 6. cap. 12. Sed illud perperam facit, dum illos fugillat, quaſi ambitioſe conatus captare laudem ex vituperatione Origenis, ubi ſe Origeniſtam probat. Sicut & illud omnino falſum, quod de S. Methodio ſubdit, eum ante quidem vituperaſſe Origenem, ſed poſtea palinodia recantata ſummis laudibus extuliſſe: cum e contra, authore ipſo Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo ejusdem Origenis Patrono (ut habet Hieronymus Apologia 1. in Ruffinum,) aperte conſtet, accidiſſe ut cum Methodius Origenem antea laudaſſet, poſtea contra ipſum *Commentarium* aliquem elaboravit: cujus lucubrationis meminit quoque S. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, in Methodio cap. 83. citatque plurima ex eo S. Epiphanius *hæreſi* 64. dum errores confutat Origenis. Ex quibus plane intelligis, Socratem Novatianum, fuiſſe etiam Origeniſtam, atque etiam audaciſſimum, utpote novæ inventorem *Apologiæ*, Methodii nomine exornatæ: quam omnes Origenis defenſores, Euſebius, Ruffinus, & alii penitus ignorarunt.

Hæc nos per compendium ex aliis, quid enim impoſterum novi ſub cœlo dici poteſt? Agunt autem *de Scriptis Origenis* præter jam citatos ſupra Apologiſtas, ampliſſime Cæſar Baronius *in Annalibus Eccleſiaſticis*, ſeculo Eccleſiæ tertio Henricus Spondanus, ejus Abbreviator, ibidem diverſis annis. Joſias Simlerus *in Epitome Bibliothecæ Geſneri*, verbo *Origenes*. Sixtus Senenſis, libro 4. *Bibliothecæ ſanctæ* pag. 278. & ſeqq. Antoninus Poſſevinus tomo 2. *Apparatus ſacri* verbo *Origenes* pag. 179. & ſeqq. multis. Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 226. pag. mihi 70. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtoriæ *de Scriptoribus Eccleſiaſticis a Bellarmino recenſitis* tomo 2. verbo *Origenes* pag. 139. & in corrigendis & addendis pag. 771. Natalis Alexander, *Seculo 3. Eccleſiæ*, locis ſupra expreſſis.

THASCIVS CÆCILIVS CYPRIANVS, ex Rhetore factus Chriſtianus, Cæcilio Presbytero perſuadente, a quo & Cæcilii nomen ſortitus eſt, anno poſt converſionem proximo Chriſti 248. Carthaginenſis Eccleſiæ Epiſcopus, totius Africæ Primas conſecratus eſt. Pontius autem Diaconus qui res ejus geſtas A. 250. Vita Cypriani.

pro ſecutus eſt, ipſum ſeculo penitus renuntiato, Chriſtianum eſſe factum exemplo ſingulari ait: nec ſolum acquiſitas longo tempore divitias in pauperes erogaſſe, ſed & tenera conjuge atque dulciſſimis liberis Cæcilio Presbytero commendatis, a quo ad fidem converſus fuit, eminentioris vitæ confeſtim arripuiſſe iter. Antequam vero Cyprianus ad Epiſcopatum, imo ad Chriſtianam fidem vocaretur, Rhetoricam maxima cum laude Carthagine docuiſſe Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 67. tradit, cujus eloquentiam tam Latini quam Græci Patres, & inter eos diſertiſſimi Lactantius Lib. 5. *Divinarum Inſtitutionum* cap. 1. & Gregorius Nazianzenus *Oratione* in laudem Cypriani, mirum in modum extulerunt: quamvis ipſemet Epiſtola 2. teſtetur, ſe Epiſcopum factum eloquentiam miſiam feciſſe & ad Chriſtianam demiſiſſe ſimplicitatem. Genere porro illuſtrem fuiſſe, potentia clarum, fuitque civitatis Senatorem primarium, atque Diſciplinis Philoſophicis inſigniter ornatum, idem Gregorius teſtatur. Cum vero Chriſtianam religionem amplexus eſſet, ſcribit Lactantius, derilum a ſuis fuiſſe, quibus antea admirationi eſſet: & loco Cypriani ſcomnate dictum *Caprianum*, ſeu potius ut emendatiores Codices habent *Copricanum*, hoc eſt, Stercorarium: quod ingenium elegans rebusque altioribus aptum, abjeciſſet & ad aniles fabulas ſeſe contuliſſet. Jam porro ſeneſcenten Chriſto nomen dediſſe, ipſius ſui teſtimonio *Epiſtola* 1. conſtat: quem paulo poſt baptiſmum, adhuc neophytum & novellum, ad ſedis Epiſcopalis faſtigium eſſe provectum, Pontius teſtatur. Vnde mireris, tantam mox ei Chriſtianæ Theologiæ adſtitiſſe doctrinam, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ uſum accreviſſe: ut divinarum imbuta mens Scripturarum memoria & intellectus exſatiatus, exuberantia ſua mox in torrentes ad irrigandos alios foras eruperint. Cæcilius Cyprianus ſummo Cleri & populi conſenſu, uno tantum ut ipſe ſcribit Epiſtola 40. *ad Plebem*, adverſante Feliciſſimo Presbytero, Eccleſiæ Carthaginenſis anno 248. Epiſcopus eligitur. Id enim hoc anno accidiſſe, ex eo deduci poſſe videtur, quod ipſe Epiſtola 55. ſcribens ad Cornelium, anno ſecundo ex quo factus ille fuerat Romanus Epiſcopus, quartum jam annum tunc elapſum fuiſſe ſuæ ſedis teſtatur. Cuinam autem in Epiſcopatu ſucceſſerit, veriorem eſſe ſententiam dicentium ſubrogatum fuiſſe in locum Donati, ipſemet declarare videtur: ubi ad eundem Cornelium ſcribens, eodem anteceſſionis gradu Donatum ante ſe ſtatuit, quo Fabianum ante Cornelium. Vnde quod S. Auguſtinus prædeceſſorem Cypriani ſæpe nominat Agrippinum, non ſic intelligendus eſt, quaſi immediata ſucceſſio fuerit: ſed quod eodem pariter nomine, omnes qui Cyprianum præceſſerunt, cenſerentur. Nam & alibi iisdem Auguſtinus Lib. 3. *de baptiſmo contra Donatiſtas* cap. 12. & Cyprianus Epiſtolis 71. & 73. Agrippinum longe antea vixiſſe, plane ſignificant. Explodimus autem de ejus arte magica fabulam, quam Cypriani alterius patria Antiocheni, Nicomediæ cum Juſtina ſub Diocletiano Imperatore paſſi, jam certo fuiſſe conſtat. Ortam anno 255. *de baptiſmo Hæreticorum* controverſiam Cyprianus Concilii Carthaginenſis decreto ſedare conatus eſt, hæreticorum baptiſmum invalidum ac plane nullum eſſe ſtatuens. Hac enim de re Synodum hoc anno habitam eſſe oſtendit Pearſon *Annalium Cyprianicorum* ſcriptor. Iſtam ſententiam Synodus 71. Epiſcoporum, anno proxime ſequenti habita, authoritate ſua confirmavit. Cum vero non pauci, ac in iis præcipue Stephanus Epiſcopus Romanus, ſtrenue reſtiterint: majus & frequentius Concilium Calendis Septembris ejusdem anni convocavit Cyprianus, in quo Epiſcopi 87. ſuffragiis ſuis e ſcriptura ſigillatim pronuntiatis, anterius decretum confirmarunt. Tandem ſanctiſſimus vir, poſt decem Epiſcopatus annos, cum gregi ſibi a Deo commiſſo, incredibili ſollicitudine advigilaſſet, animam pro ovibus ad exemplum Domini ponens, die 14. Septembris anni 258. Martyrium haud procul Carthagine, ſub Valeriano ejusque filio Gallieno, Romanis Imperatoribus, paſſus eſt. Antequam autem Cyprianum mittamus, hic unum a me potiſſimum examinandum puto, nempe: An Cyprianus in ſententia ſua *de baptiſmo Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium iterando*, ad mortem usque permanſerit: an eam ob cauſam a Stephano Romano Epiſcopo extra communionem Eccleſiæ projectus, ita tandem vitam ſuam finierit? Alia enim puncta vitam S. Cypriani ſpectantia, accuratiſſime, tum a Baronio *Annalium Eccleſiaſticorum* ſeculo 3. tum ab ejus epitomatore Spondano, tum a Jacobo Pamelio in *Vita Chronologica* S. Cypriani Carthaginenſis Epiſcopi & Martyris, tum denique a Joanne Pearſono Ceſtrienſi Epiſcopo in *Annalibus Cyprianicis* tractata atque excuſſa ſunt.

An Cyprianus in ſententia ſua de Baptiſmo Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium reiterando, perſeveraverit.

Dico ergo S. Cyprianum, cæterosque collegas Epiſcopos Africanos, in ſententia ſua *de baptiſmo Hæreticorum ad Eccleſiam redeuntium reiterando*, permanſiſſe: nec ullum dari vel minimum indicium, quod illam tempore Cypriani, abjecerint vel emolliverint. *Primum* enim, quis dicere audeat illum depoſuiſſe errorem, quem nec propria ſcripta, nec ulla antiquitatis monumenta depoſuiſſe teſtantur? Atqui neque ex S. Cypriani ſcriptis, nec ex ullis aliis Eccleſiaſticæ antiquitatis veræ monumentis, commemoratum errorem a Cypriano vel Collegis fuiſſe depoſitum, colligi poteſt: ergo dicendum eſt, illos ad mortem usque ſuam tenuiſſe ſententiam, quam communi provinciæ ac nationis Concilio definiverant. Emollire autem ſententiam & nul atque firmitatem S. Cypriani, nititur Divus Auguſtinus Lib. 2. *de Baptiſmo contra Donatiſtas* cap. 4. dum de ſancto Cypriano ſic loquitur. «Si enim Petrum laudat & prædi-« cat,

Digitized by Google

„cat, ab uno posteriore collega pariter concor-„diterque correctum, quantocius ipse cum Con-„silio provinciæ suæ, universi orbis authoritati „patefacta veritate cessisset? Quia profecto & „uni verum dicenti & demonstranti, posset fa-„cillime consentire tam sancta anima, tam pa-„cata: & fortasse factum est, sed nescimus. Ne-„que enim omnia, quæ illo tempore inter Epi-„scopos gesta sunt, memoriæ litterisque manda-„ri potuerunt, aut omnia quæ mandata sunt no-„vimus. Et Epistola 48 ad Vincentium Dona-„tistam, de eodem sancto Cypriano ita iterum „scribit. Correxisse istam sententiam non in-„venitur, nec inconvenienter tamen de tali vi-„ro existimandum est quod correxerit, & forte „suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium „delectati sunt, & tanto velut patrocinio cave-„re noluerunt.„ Excusatio quidem ista charitate ac benevolentia divi Augustini erga compatriotam digna est: sed qua nullum non veterum factum excusari posset: atque idem de Origene, Tertulliano, Tatiano, & aliis dici posset. Jam quomodo quæstio ista processerit & exarserit, paucis audiamus.

Sanctus itaque Cyprianus & Africani Episcopi, ita dogma suum *de rebaptizandis hæreticis*, quod tuebantur, admiserunt, non quasi illud ad fidei substantiam pertinere, atque Catholicam unitatem rescindere debere existimarent: sed quia illud Scripturis conformis esse opinarentur. Hoc probatur *primo* ex Epistola S. Cypriani & Synodi Africanæ anno 256. habitæ ad Stephanum Romanum Episcopum, in qua hæc habet: „Cæterum scimus, quosdam quod semel imbi-„berint, nolle deponere, nec propositum suum „facile mutare: sed salvo inter Collegas pacis „& concordiæ vinculo, quædam propria, quæ „apud se semel sint usurpata, retinere. Qua „in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem „damus: cum habeat in Ecclesiæ administratio-„ne voluntatis suæ arbitrium liberum unus-„quisque Præpositus, rationem actus sui Domi-„no redditurus.„ In his profecto, quæ ad fidem Catholicam spectant, liberum non est Episcopo cuique vel sentire vel servare quod velit: unde sanctus Cyprianus & ejus Collegæ non censuerunt istam de Baptismate controversiam, ceu fundamentalem articulum ad fidem spectare vel unitatem convellere. Probatur *secundo* ex Synodo Carthaginensi 87 Episcoporum, cui ita S. Cyprianus præfatus est: "Et de hac ipsa „re, quid singuli sentiamus proferamus, neminem judicantes, aut a jure communionis alium, si diversum senserit, amoventes. Neque enim quisquam nostrum, Episcopum se „esse Episcoporum constituit, aut tyrannico „terrore ad obsequendi necessitatem Collegas „suos adigit: quando habet omnis Episcopus, „pro licentia libertatis & potestatis suæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quam nec ipse potest alterum judicare: „sed expectamus universi judicium Domini nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet potestatem & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione, & de actu nostro judicandi.„ Atqui ex iis quæ contra fidem sunt, Episcopus a Coepiscopis judicari potest, non ergo sanctus Cyprianus hanc controversiam spectare ad fidei substantiam & integritatem, existimavit. Probatur *tertio* ex Hieronymo in Dialogo adversus Luciferianos cap. 9. ubi inquit: *Verum si noluerint ii, qui ab Hilario instituti sunt, & oves sine pastore esse cœperunt, de Scripturis ea proferre quæ beatus Cyprianus ob Hæreticos rebaptizandos, in suis Epistolis reliquit: sciant illum hac non cum anathemate eorum, qui se sequi noluerunt, edidisse: si quidem in communione eorum permansit, qui sententiæ suæ contraierant: sed hortatum potius fuisse propter Novatianum, & alias tunc hæreses multas enascentes, ne unquam ab eo sine damnatione erroris sui, reciperetur. Sermonem denique suum, quem super hac re ad Stephanum Romanum Pontificem habuit, tali fine complevit: Hæc ad conscientiam tuam Frater carissime, & pro honore communi, & pro simplici dilectione protulimus, credentes etiam tibi, pro religione tua & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter & vera sunt.* At si rebaptizationem Hæreticorum, fidei rem esse Sanctus Cyprianus existimasset: anathema iis, qui contrariam sententiam tuebantur, dixisset, neque cum eis communicasset: quippe qui cum Hæreticis communione jungi, nefas existimaret. Quæstionem igitur illam non ad fidem, sed ad œconomiam duntaxat & disciplinam Ecclesiasticam pertinere existimavit. An vero semper ita senserit, haud modicum controversiæ punctum est. His igitur incepta primum controversia terminis inter Stephanum Papam & Cyprianum Carthaginensem Episcopum.

Ne quid autem hoc in negotio præceps, minusque perpensum vel meditatum ageret Cyprianus: insigne totius Africæ nobilissimorum Episcoporum Concilium, ad anni 256 Calendas Septembres collegit, ubi summa cum libertate proferentibus sententiam suam omnibus, unanimiter in opinionem Cypriani concluſum est. Munitus his Collegarum testimoniis, Acta Concilii Romani ad Stephanum misit, mollitum forte vel mutatum iri tot Episcoporum syngraphis Romani Episcopi duritiam sperans. Secus autem res accidit. Nam Stephanus audita lectaque Cypriani de rebaptizandis Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus constantia, excussis propius Concilii Carthaginensis Actis, iram zelo admiscens, sedisque suæ privilegium & prærogativam hac oppositione Africanorum, imminui credens: Cyprianum omnesque Episcopos Africanos & consentaneos, ab Romana communione removit. Arsisse in immensum ad hujus Concilii lectionem Stephanum, nullus etiam parum æquus rerum existimator, inficiabitur: tum quia tot Episcoporum sententiis subscriptionibusque 87 sententiam suam Cyprianus, quo eam firmiorem redderet, stabiliverat, tum

tum quod in hujus Concilii præludiis ſeu prologo, duplici ex cauſa, idem egregie, prætenſas Romanæ ſedis prærogativas atque ſupercilioſam in cæteros Epiſcopos (ut tunc Romani jam opinabantur) authoritatem vellicabat. *Nemo*, inquit Cyprianus, *noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem Collegas ſuos adigit.* Duriſſimæ ſine dubio, Stephanique ſtomacho ægre digerendæ voces: quæ juſtam ejus indignationem ciere videbantur. Sed & negabat Cyprianus cum omni Africana in hoc Concilio Eccleſia, ullam Eccleſiæ Romanæ vel ejus Epiſcopo, in Africanam Eccleſiam vel Epiſcopos transmarinos poteſtatem, his quæ ſubdit verbis: *Quando habeat omnis Epiſcopus, pro licentia libertatis & poteſtatis ſuæ, arbitrium proprium: tamque judicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe judicare poteſt.* Videant ſimplices hodiernorum temporum adoratores (an adulatores dicam) fuerintne Africani Epiſcopi tunc temporis in ea ſententia, ut Epiſcopum Romanum in definiendis fidei rebus infallibilem crederent: cui tam aperto marte; cum periculo etiam unitatis & communionis ab ipſo reſciſſæ, reſiſtebant.

Cyprianus cum Collegis, à Stephano Romano Epiſcopo, excommunicatus.

Stephanus itaque Pontifex Romanus, Cyprianum, Firmilianum atque conſentientes in dogmate *de rebaptizandis Hæreticis* Epiſcopos averruncandos cenſuit, ſuaque communione exluſit. Stant contra hanc ſententiam Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis* atque Natalis Alexander Seculo Eccleſiæ 3. Diſſertatione XII pag. 466. contra Joannem Launoïum affirmantem. Ego lectione duntaxat adverſus paraſitos iſtos, nullo ratiocinio vel argumento, ad id evincendum, opus eſſe opinor. Probatur autem *primo* ex ſancto Cypriano Epiſtola 74 ad Pompejum data, in qua Stephanum ſic perſtringit: *Dat honorem Deo, qui Marcionis baptiſmo communicat? Dat honorem Deo, qui apud eos qui in Deum blaſphemant, remiſſionem peccatorum dari judicat? Dat honorem Deo, qui foris de adultera & fornicaria, natos Deo filios aſſeverat? Dat honorem Deo, qui unitatem & veritatem de divina lege venientem non tenens, hæreſes contra Eccleſiam vindicat? Dat honorem Deo, qui hæreticorum amicus, & inimicus Chriſtianorum, ſacerdotes Dei veritatem Chriſti & Eccleſiæ unitatem tuentes, abſtinendos putat? Si ſic honor Deo datur, ſi ſic ac cultoribus ejus & ſacerdotibus timor Dei & diſciplina ſervatur: abjiciamus arma, manus demus in captivitatem, tradamus Diabolo ordinationem Evangelii, diſpoſitionem Chriſti, majeſtatem Dei &c.* Quibus ſane verbis, quid unquam magis cordate dici poſſit, non video. Quomodo enim, quæſo, Stephanus VNITATEM ET VERITATEM DE DIVINA LEGE VENIENTEM NON TENVIT, niſi dum Cyprianum a communione ſua removit? *Secundo* Firmilianus plurimi Epiſcopus meriti atque in eandem cauſam cum Cypriano contra Stephanum implicatus, in Epiſtola ad Cyprianum data, teſtatur ſe cum Coepiſcopis plurimis, & cum Africanis Antiſtitibus Cyprianum, excommunicatos fuiſſe ſeu extra Stephani communionem poſitos. Sic ille in Stephanum invehitur: *Imperitos etiam, animoſos atque iracundos eſſe manifeſtum eſt, dum per inopiam conſilii & ſermonis, ad iracundiam facile vertuntur: ut de nullo alio magis, quam de te dicat Scriptura divina: Homo animoſus paris lites, & vir iracundus exaggerat peccata. Lites enim & diſſenſiones, quantas paraſti per Eccleſiam totius mundi? Peccatum vero quam magnum tibi exaggeraſti, quando te a tot gregibus ſcidiſti? Excidiſti enim teipſum, noli te fallere; Siquidem ille eſt mere Schiſmaticus, qui ſe a communione Eccleſiaſticæ unitatis apoſtatam fecerit. Dum enim putas omnes a te abſtinere poſſe, ſolum te ab omnibus abſtinuiſti.* Et poſtquam retulit verba Apoſtoli ad Epheſ. 4. fideles adhortantis, ut ſervent unitatem Spiritus in vinculo pacis, mox ſubjungit: *Hæc Apoſtoli mandata & monita ſalutaria, quam diligenter Stephanus implevit, humilitatem ſenſus, & lenitatem primo in loco ſervans? Quid enim humilius aut lenius, quam cum tot Epiſcopis per totum mundum, diſſenſiſſe? Pacem pacem cum ſingulis vario diſcordiæ genere rumpentem, modo cum Orientalibus, quod nec latere nos confidimus: modo vobiſcum qui in Meridie eſtis. A quibus legatos Epiſcopos patienter ſatis & leniter ſuſcepit, ut eos nec ad ſermonem ſaltem colloquii communis admitteret: adhuc inſuper dilectionis & charitatis memor, præciperet Fraternitati univerſæ, ne quis eos in domum ſuam reciperet: ut venientibus non ſolum pax & communio, ſed & tectum & hoſpitium negaretur. Hoc eſt ſervaſſe unitatem Spiritus in conjunctione pacis, abſcindere ſe a charitatis unitate, & alienum ſe per omnia fratribus facere, & contra Sacramentum & fidem, contumacia furore diſcordiæ rebellare. Apud talem poteſt eſſe unum corpus & unus Spiritus, apud quem fortaſſe una anima non eſt, ſic lubrica, mobilis, & incerta?* Illi ſane quorum legatis non ſolum pax & communio, ſed tectum etiam ac domicilium negata ſunt, erant reipſa excommunicati: Stephanus igitur Romanus Epiſcopus Cyprianum, Firmilianum, eisque conſentientes in dogmate *de rebaptizandis Hæreticis* Epiſcopos, reipſa excommunicavit. Nec commentario opus eſt, ut Firmiliani ac Cypriani allegata ſuperius verba, quæ per ſe apertiſſima ſunt, intelligantur.

Excommunicatus cum Firmiliano ab Stephano Cyprianus, utrum in ea animi moderatione erga Stephanum permanſerit, qua quæſtionem movit, incertum mihi eſt. Poterat absque dubio in excommunicantem excommunicationem retorquere atque qui Africanos a ſua communione reſciderat, a ſua pariter excludere Stephanum ſuis cum Epiſcopis. Sed manſuetudinem iracundiæ, humilitatem faſtui, ſciſſionique unitatem [illegible]ferendam ratus: patienter juxtà Chriſti p[illegible]ceptum, irrogatam ſibi a Stephano contumeliam tulit. Quod probatur ex Epiſtola S. Cypriani ad Jubaianum, quæ poſt excommunicationem paſſam conſcripta eſt; ita enim inquit: *Nos quantum in nobis eſt, propter hæreticos,*

cos, cum Collegio & Coepiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus concordiam & Dominicam pacem tenemus. Servatur a nobis patienter & leniter charitas animi, honor collegii, vinculum fidei, concordia Sacerdotii. Rependit igitur Cyprianus Stephano, pacem pro bello, pro reſciſſione unitatem & concordiam, illatam injuriam humiliter ferens: atque ſic habet D. Auguſtinus Lib. *de unico Baptiſmo* contra Petilianum cap. 14. *Cum ergo*, inquit, *Stephanus non ſolum non rebaptizaret Hereticos, verum etiam hoc facientes, vel ut fieret decernentes, excommunicandos eſſe cenſeret, ſicut aliorum Epiſcoporum & ipſius Cypriani littera oſtendunt: tamen cum eo Cyprianus in unitatis pace permanſit.* Quibus innuit Sanctus Doctor, præter pacem & patientiam intolerabili Stephani faſtui nihil Cyprianum oppoſuiſſe.

De Cypriano pluribus Pontius ejus Diaconus in ejus vita, Acta varia vetera, ac probatæ fidei, Hieronymus atque Auguſtinus multis in locis. Rufinus in *Apologia* pro Origene. Gregorius Nazianzenus *Oratione* in ejus laudem. Petrus Chryſologus, Ennodius Ticinenſis, aliique paſſim. De cujus Operibus ſeu Scriptis abunde Nomenclatores omnes, Bellarminus & Labbeus in Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo 3. ad annum 248. pag. 87. omiſſis vulgaribus, quæ ſæpius ab aliis repetita ſunt, hic Lectoribus non ingratum fore arbitror, oſtendere quorum ſtudiis & laboribus Scripta ſancti Cypriani ad eam formam nitoremque pervenerint, ad quem ſucceſſu temporum adducta ſunt. Variæ illorum editiones antiquæ proſtant, quarum *prima* absque nomine typographi & urbis in qua impreſſa eſt, *altera* Spiræ 1471. apud Vindelinum, *tertia* Pariſiis 1512. apud Dombloth, quæ omnes impuriſſimæ ſunt, atque indignæ quæ commemorentur. *Primus* igitur qui Cypriani Opera ad formam decentem decoramque reduxit, hic magnus Deſiderius Eraſmus Roterodamenſis, cujus ſtudio atque vigiliis prodiit in folio Baſileæ apud Frobenium cum præfatione & paucis ſub initium notis, anno 1521 & 1525. Coloniæ 1525. Lugduni 1528. & 1537. Pariſiis apud Langelerium 1541. Lugduni apud Gryphium 1544 & 1550. Coloniæ 1544. & alibi. *Secundus* qui edendis Cypriani Operibus curas adjecit fuit Henricus Gravius Ord. Fratrum Prædicatorum; Coloniæ in fol. anno 1549. ex officina Querteliana. *Tertius* huic Martyri vigilias ſuas addidit, Paulus Manutius, editione Romana anni 1563. quam cæteris omnibus multo caſtigatiorem, & Epiſtolarum libro quinto integro auctiorem reddidit. Eandem Manutii editionem Guillelmus Morellius Caletenſis, Pariſiis anno 1564 auctiorem præ cæteris & recognitam etiam egregie, evulgavit. Poſt hos denique non modicos circa Cypriani ſcripta conſumſit labores, Jacobus Pamelius Brugenſis Eccleſiæ in Flandria Canonicus & Archidiaconus. *Quartus* ex prædictis, qui Opera ejusdem S. Martyris omnia evulgare aggreſſus eſt, inſigniori methodo, præmiſſis de Cypriano poſt vitam, teſtimoniis veterum: impreſſa primum Antwerpiæ 1568 & 1589 apud Bellerum, quæ cæteris oblivioni traditis ubique locorum obtinuit, repetita Pariſiis 1574. 1603. 1616. 1644. Coloniæ 1617. *Quinta* editio Operum S. Cypriani facta Genevæ 1593 in folio cum Commentariis Simonis Goulartii Sylvanectenſis Miniſtri, contra notas plerasque Pamelii, quæ contemnenda non eſt. In eo autem differt editio Pameliana, quod Epiſtolas quas Paulus Manutius & anteriores alii, libris quinque confuſe poſitas ediderant, ipſe juxta rationem temporum diſpoſuerit, ſervata, quantum ingenio proprio licuit, Chronologia. Alia etiam quammulta præmiſit, ad Cypriani ornamentum facientia, varias nempe, veteresque Cypriani vitas, cum prolixa altera, quam marte proprio ſecundum *Annos* digeſtam, ingenti labore compoſuit. *Sextus* poſt Goulartium ſuum etiam Cyprianum cum propriis notis edidit Nicolaus Rigaltius in fol. Pariſiis 1643. & 1648. ab altero tantiſper diverſum. Quamvis autem diu ſatis tanti totque viri S. Cypriano expurgando inſudaverint, nullus tamen, ut ita loquar, ſat Martyri amicus inventus eſt, ad tractatus plurimos ſupprimendos, qui cum ad alienos auctores & poſteriora tempora certo pertineant, abſurdiſſimi ſunt, & Cypriani dignitati officiunt. Huc ſpectant *Expoſitio in Symbolum Apoſtolorum* authore Rufino Aquilejenſis Eccleſiæ Presbytero. *De cardinalibus Chriſti operibus, ab ejus nativitate ad Spiritus ſancti deſcenſum*, quod certo Arnaldi Bonæ Vallis in tractu Carnotenſi Abbatis eſt. *De duplici martyrio ad Fortunatum*, quod cum de Turcis agat, ejusmodi opus Cyprianicis etiam incertis admiſceri, abſurdum eſt. *Revelatio capitis Sancti Johannis Baptiſtæ*, quam bene ad Cyprianum ſpectet, colligitur ex eo, quod Pipini Francorum Regis mentionem faciat. *Cœna Cypriano falſo adſcripta*, opus ſtultum, lectuque indignum, cum aliis quibusdam æque parum ſpectantibus ad Cyprianum. Nec ab Operibus ejusdem evulgandis propter tot editiones ceſſatum fuit, cui *ſeptimus* operam quoque ſuam adjecit Philippus Priarius in fol. Pariſiis anno 1666. qui Cyprianum cum integris Rigaltii, ſelectis aliorum, ſuisque etiam Commentariis uno conſpectu diſpoſitis edidit. Hæc editio inſuper, ad voluminis complementum, ad calcem habet *Marci Minucii Felicis Octavium de Idolorum vanitate Arnobii Afri adverſus Gentes, Libros VII. Julii Materni Firmici, librum de errore profanarum religionum. Inſtructiones Commodiani, adverſus Gentilium Deos.* *Octavus* omnia ſancti Cypriani Opera edidit Oxonii in Anglia 1682 e theatro Sheldoniano, correcta ad MSS. Codices potiſſimum Anglos, Joannes Fell Oxonienſis Epiſcopus, qui ſumma cura omnes Epiſtolas ordine temporum digeſſit, aliosque tractatus & libros commentariis ac notis illuſtravit.

Editiones Variæ Operum ſancti Cypriani.

vit. Differt hæc editio in multis, ab aliis omnibus. 1. Annales Cyprianicos ſub initium complectitur, ſive tredecim annorum quibus Cyprianus inter Chriſtianos converſatus eſt, Hiſtoriam chronologice delineatam, per Joannem Pearſonium Ceſtrienſem Epiſcopum, Felli amicum intimum. 2. Habet ſub finem tractatum *de baptiſmo non iterando*, quem incerti authoris vocat pag. 21. & quem jam Nicolaus Rigaltius in ſuo *Cypriano* ediderat ex MS. Codice S. Remigii Remenſis. Conſtat autem authoritate Gennadii *de viris illuſtribus* cap. 27 & MS. Vaticano, illum pertinere ad *Vrſinum* Monachum Africanum: quod non neſciſſet doctiſſimus Fellus, ſi attendiſſet ad Concilia editionis Labbeanæ, quæ rem hanc definiunt. 3. Continet Opera Arnaldi Abbatis Bonævallis, tractatus nempe *de verbis Domini in cruce*, *de operibus Chriſti cardinalibus*, cum vero illius prologo, qui tamen olim integer & duplex legebatur in editione Cypriani Eraſmiana, Baſileæ anni 1521. quod monuiſſe ſufficit. Ejusdem *de operibus ſex dierum*, *de laudibus beatæ Mariæ Virginis*, *Meditationes variæ*. Hæc autem nova editio ea propter carpitur, quod operibus multis jam D. Cypriano perperam attributis, opera ejusdem farinæ duo addiderit: *Confeſſionem* nimirum *Sancti Cypriani Martyris atque Pontificis*, & *Cæcilii Cypriani de Paſchate computum*, quæ prelum non merebantur. Abſcondiſſe enim ejusmodi adulterinas merces, quam orbi litterario obtuliſſe, fuiſſet longe convenientius: quippe quæ magis ad Cypriani contemptum, quam ad gloriam faciant. Mirum quod qui contra certas etiam aeerrime altercantur, tam probroſas in publicum producant. Adde his omnibus operum S. Cypriani editoribus inſignes duos viros Anglos, dictum jam Joannem Pearſon Ceſtrienſem Epiſcopum, qui ſuis *Annalibus Cyprianicis* editioni Oxonienſi præmiſſis, tempora aliasque res ad ſanctum Martyrem pertinentes, plurimum illuſtravit. Alterum Henricum Dodwellum qui anno 1684. Oxonii in 8. & in fol. *Diſſertationes Cyprianicas* doctiſſimas edidit, quas ſolent quoque ad calcem Oxonianæ Cypriani editionis adjicere typographi & Bibliopolæ Angli. Editio hæc Bremæ anno 1689 in folio repetita, ac Oxonii anno 1699 cum acceſſionibus citatis, tum Amſtelodami 1700 in folio. Vnum quoque me admonuit circa Opusculum, *Cœna Cypriani* in Operibus ejus inſcriptum, vir eruditione clariſſimus Godefridus Guilielmus Leibnitius Epiſtola Hanoveræ ſcripta anno 1707. 29. Decembris, haberi apud ſe editionem hujus opellæ factam in Germania anno 1681 in parva forma, cum verſione illius verſibus Germanicis, atque in iſta editione, quæ dubio procul ex fide MS. Codicis antiqui & ſinceri facta fuit, Opuſculum conſtare XX capitibus, ac *Maurum* quendam (ut opinor Gallum) dedicaſſe illud *Lothario Regi Francorum* filio Ludovici IV transmarini dicti, qui regnum anno 954 per annos XXXII tenuit, ad annum usque 985. Vnde patet Opuſculum iſtud nullius meriti, ac quod Regi Francorum dedicaretur indigniſſimum, eſſe fœtum hominis indocti, ac ſeculi decimi obſcuriſſimi, a temporibus Cyprianicis remotiſſimi. Quæ a clariſſimo Leibnitio, mecum communicata poſteros celare nolui. Hæc pluribus, ne quenquam laude ſua fraudaremus, qui in Cyprianum aliquid utilis operæ contribuit.

De Suppoſitis Cypriano tractatibus, nullum jam dubium, quos ſeorſim Rigaltius in editione ſua, aliique poſt ipſum de Martyre optime meriti collocarunt, usque ad Joannem Fellum in Oxonienſi editione, de quibus Bellarminus, Labbeus in Diſſertatione *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Guilielmus Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ* ſeculo 3. pag. 89. Verum quoad Epiſtolas, magnum certamen eſt inter Gallos potiſſimum, atque Italos ſummæ Romanorum Pontificum in Eccleſia poteſtatis adoratores: utrum Epiſtola ſub nomine S. Cypriani ad Stephanum Papam ordine 67 de Marciano Arelatenſi Epiſcopo excommunicando & exautorando, legitima ſit? Arguunt vel ſuſpicantur ſpuriam eſſe hanc Epiſtolam oculatiſſimi hujus ſeculi Critici, Nicolaus Rigaltius in Notis huic Epiſtolæ a ſe adjectis, in editione ſua Operum ſancti Cypriani; Joannes Fellus Oxonienſis Epiſcopus, in ſua editione Cyprianica, de quibus ſupra, obſervans ex MSS. viginti Codicibus Epiſtolarum S. Cypriani, quos habuit, Epiſtolam hanc in nullo eſſe repertam; Joannes Gerbaſius Doctor Pariſienſis & ſocius Sorbonicus in Diſſertatione *de Cauſis Majoribus* cap. 8. art. 1. pag. 154 & ſequentibus. Quibus præiverat Vir emunctæ naris Joannes Launoïus Theologus Pariſienſis & Conſtantienſis Presbyter in Diſcuſſione *de duobus Dionyſiis* cap. 5. pag. 54. illam Cypriani non eſſe, ſed alterius qui longo poſt tempore floruit, pluribus probans argumentis, quæ verbotenus hic tranſcribam.

Vtrum Epiſtola 67 ordine, ad Cyprianum ſpectet?

PRIMVM eſt, quod in multis quibus Cypriani Epiſtolæ continentur, manuſcriptis optimæ notæ Codicibus, non extet: unus eſt in Bibliotheca Thuana, nunc Colbertina, vetuſtiſſimus; alter in Regia, tertius in Victorina, quartus in noſtra Navarrica, quintus in monaſterio Sancti Remigii Remenſis, & alii forte plures, quos videre non licuit. Sed utut ſit, quod in nullis aliis, qui Cypriani ſint, Codicibus extare debeat, comprobatur. Hæc Launoïus, cui addere poſſumus Joannem Fellum Oxonienſem Epiſcopum, qui in Notis ſuis ad Epiſtolam hanc, in nullo viginti Codicum MSS. Epiſtolarum Sancti Cypriani, quibus ad ſuam editionem uſus eſt, illam ſe inveniſſe affirmat. Hoc enim argumentationem Launoïi plurimum roborat. 1. 2. SECVNDVM, quod Scriptorum veterum nemo meminerit hujus hiſtoriæ, quæ cum ex Epiſtola ſic ſe habeat, omnibus notiſſima eſſe debuit. Marcianus Arelatenſium Epiſcopus Novatiano Romæ contra Stephanum ſedenti conjungitur,

&

& Chriſtiani complures a Marciano Novatianorum dogmatibus imbuti, ſine pace excedunt. Marcianus a Fauſtino Lugdunenſi, & aliis Galliæ Epiſcopis, deponendus judicatur. Hi ſuper ea re ad Stephanum ſemel atque iterum ſcribunt, tum nihil conſecuti, Cyprianum rogant per litteras, ut cunctantem Stephanum excitet, & ad ſuccurrendum Eccleſiæ laboranti vehementius impellat. Hujus (inquam) Hiſtoriæ, nemo meminerit hiſtoricorum Latinorum aut Græcorum; non quidem inter Latinos Sulpitius Severus, qui centum quinquaginta circiter annos poſt Cyprianum & Stephanum ſcripſit: non Paulus Oroſius, qui eodem tempore Hiſtoriam contexuit ampliſſimam: non Gregorius Turonenſis, qui Chriſtianæ apud Gallos religionis exordia, resque memoratu dignas ſummo ſtudio proſecutus eſt: non Ado Viennenſis, non Freculphus Lexovienſis in *Chronico*: non illi omnes, quos ante Carolum Magnum, Gallicanæ ſeu etiam Latinæ Hiſtoriæ monimenta revolviſſe comperimus. Non vero inter Græcos, Euſebius: qui tamen Lugdunenſes Martyres, & habitas ab Irenæo in cauſſa Paſchatis Synodos, recenſet. Non Socrates, non Sozomenus: qui duo, quæ ad Novatianorum initium, diſciplinam, ſucceſſionem, multiplicem propagationem, imo & ſingularem commendationem pertinent, diligentiſſime notarunt. At totam illam Marciani hiſtoriam & abdicationem, quæ prima intra Galliam, eaque inter Italos, Africanos & Gallos, celebris facta fuiſſet, tot hiſtoricos, totque veteres ex toto orbe Scriptores fugiſſe, quis credat unquam? Hoc unico ratiocinii genere Auctores omnes eruditi paſſim utuntur, dum pleraque Veterum ſcripta excutiunt, quæ cæteroqui multo minus, ut apparet, nota fuerunt. 3. TERTIVM. Si Novatiani dogma tam late propagatum fuit inter Arelatenſes, quemadmodum propagatum eſſe docet Epiſtola iſta: cur in Concilio Arelatenſi, quod 63 poſt Stephanum anno coactum fuit, non eſt conditus aliquis Canon contra Novatianos, qui nondum omnes, ut opinor, erant extincti? Cum ut malorum graminum, ſic & falſorum dogmatum uberrima ſeges, & difficillima exterminatio eſſe conſueverit: imo qui non facilius in Gallia periiſſent, quam Romæ, ubi tamdiu durarunt. Oblatam condendi Canonis occaſionem nemo negabit, cum ex loco & reipſa, quæ palam loquitur: tum ex hoc Canone XXII *De his qui apoſtatant, & nunquam ſe ad Eccleſiam repraſentant, ne quidem agere pœnitentiam quærent, & poſtea infirmitate arrepti petunt communionem: placuit, eis non dandam communionem, niſi revaluerint, & egerint dignos fructus pœnitentiæ.* Præclara illic agendi de Novatianis occaſio. 4. QVARTVM, quia Author Epiſtolæ id ſuadet fieri, quod aſſertæ a Cypriano in judicandis Epiſcopis diſciplinæ repugnat. Nempe, ut Stephanus Marcianum removeat, & in remoti locum, alius ab eodem (ut ſatis apparet) Stephano ſubſtituatur. *Dirigantur*, inquit, *in Provinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem a te littera, quibus abſtento Cypriano, alius in locum ſubſtituatur.* Hæc autem abdicandi Marciani ratio, contraria eſt Cypriano ita Epiſtola 15 ſcribenti: *Nam cum ſtatutum ſit omnibus nobis, & æquum ſit ac juſtum, ut uniuſcujuque cauſa illic audiatur, ubi eſt admiſſum crimen.* Quod diſciplinæ genus etiam olim obſervarunt Gallicani Præſules, cum ad annum 362 in Concilio Pariſienſi, Saturninum Arelatenſem depoſuerunt. Cur ergo Fauſtinus & alii collegæ ad Stephanum & Cyprianum toties ſcripſiſſent, ut id exequerentur, quod ſine eorum opera poterant exequi? Atque eo facilius, quo Marcianus *Sententia* damnati nuper in Concilio Novatiani *convincitur adſtringi, & in ipſius pœnam merito recidiſſe, cujus elegerat conſortium, ſicut in cæteris hæreſibus facta ſemel Synodus, abjecti cujuslibet erroris cunctos ſequaces conſ. quenter involuit.* Vt inquit Sixtus III. 5. QVINTVM. Conſcribendæ Epiſtolæ tempus, nec Cypriano, nec Fauſtini (ſi tamen ille fuit unquam) conſilio ſuffragatur. Hoc ita planum facio. Fauſtinus de Marciano ad Stephanum ſcribit, Stephanus Fauſtino non ſatisfacit, ſive reſcripſerit ad Fauſtinum Stephanus, ſive non. At iſtud anno Stephani primo citius expediri non potuit, etiamſi pacem in Eccleſia Dei conſtitutam ſupponas. Deinde Fauſtinus, cui ut apparet, non fuerat a Stephano factum ſatis, ad Cyprianum ea ſuper re ſcribit ſemel atque iterum: nec iterum ſcripſiſſet, niſi poſtquam vidiſſet prioribus ſe litteris nihil conſecutum eſſe. Vt demus interim Fauſtinum ſemel duntaxat ſcripſiſſe ad Stephanum, quem multo ſatius fuerit ſecundis litteris compellare, quam Cyprianum. At iſta omnia, ut minimum, inciderunt in annum Stephani ſecundum, quo omnes collatum ab Hæreticis baptiſma rejicientes, a ſua Communione ſummovit. Nunc vero ex Epiſtolis Cypriani 70. 71. 72. 73. 74 & ex Carthaginenſis Concilii præfatione judicetur, utrum abſtentus Cyprianus, favorabilis apud Stephanum patronus Fauſtini & Collegarum fuiſſet? An quod Fauſtinus cum Coepiſcopis Stephano communicans, ab eodem obtinere non potuerat, excommunicatus obtinuiſſet pro Fauſtino Cyprianus? An quod tota Galliæ Synodus non effecerat apud Pontificem, id unus Afer effeciſſet? An denique Cyprianus, plenam tanta humanitate Epiſtolam miſiſſet ad Stephanum Papam, maxime cum Stephanus improperandæ in cauſſa Marciani negligentiæ juſtiſſimam dediſſe occaſionem videretur? 6. SEXTVM. Incredibile penitus eſt, Stephanum in deponendo Marciano, qui ſedenti atque docenti Romæ Novatiano conjungebatur, vel certe in procuranda illius depoſitione, tamdiu ſeſe negligenter habuiſſe: vel tot tantisque cohortationibus, ad pium juxta & neceſſarium opus exequendum indiguiſſe, quot quantasque adhibet Author Epiſtolæ, inquiens ſub finem: *Servandus eſt antecſſorum noſtrorum*

ſtrorum beatorum Martyrum Cornelii & Lucii honos gloriosus, quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, Frater cariſſime, honorificare & ſervare gravitate & auctoritate tua debes, qui vicarius & ſucceſſor eorum factus es. Quorſum, amabo vos, in retinendis anteceſſorum decretis tam iners, tamque lentus fuiſſet Stephanus, qui alias contra Cyprianum tam vehementer incaluit: aut quorſum Novatianum ipſum Romæ ſedentem, eique in Gallia ſtudentem Marcia-
7. num, tam æquo animo tuliſſet? SEPTIMVM. Quod author Epiſtolæ non obſcure doceat, ſe pro more communicatorias ad Arelatenſes, vel ad alios Galliarum Epiſcopos litteras tunc niſiſſe. *Significa*, inquit, *plane nobis, quis in locum Marciani Arelate fuerit ſubſtitutus, ut ſciamus, ad quem fratres noſtros dirigere, & cui ſcribere debeamus.* At inter omnes Cypriani Epiſtolas nulla eſt, quæ vel ad Arelatenſes, vel etiam ad alios
8. Galliarum Epiſcopos mittatur. OCTAVVM. Si tanta lapſorum multitudo fuit Arelate, quantam fuiſſe ſignificat Author Epiſtolæ, cur a veteribus non memoratur perſecutio, quæ Arelatenſibus Chriſtianis deficiendi cauſam dediſſet? Cur nullus in Arelatenſi Eccleſia martyr legitur ante Geneſium, qui ſub Maximiano paſſus eſt? conſuetam profecto de lapſis, Cypriani tempore ſcribendi rationem, non res eo tempore geſtas, neque temporum conditionem atten-
9. dit: quæ omnia ſuppoſitionem arguunt. NONVM. Quæ de priſco Saturnini vitæ ſcriptore, & de illius vindice Gregorio (Turonenſi) diſſeruimus, & poſtea diſſeremus, huic Epiſtolæ fidem omnem detrahunt. Quod ex annorum collatione manifeſtum fiet. Trophimus apud Arelatenſes Chriſtianam religionem prædicare cœpit, anno circiter 251. Novatianus contra Cornelium eligitur Epiſcopus, & ſchiſma conflat anno 254. Novatiano conjungi poſtea debuit Marcianus, Trophimi ſucceſſor, ſua prædicatione efficiens, ut plures Chriſtiani ſine pace decedant. At quomodo quæſo factum, ut deinceps verum ſit, tot Chriſtianos annis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace, ſi Chriſtiana religio primum prædicata ſit Arelatenſibus anno 251? Si Marcianus Trophimi ſucceſſor, conjungi Novatiano non potuerit ante annum 254? quo Novatianus ſchiſma conflavit. Si Stephanus cui ſcribitur, factus anno 257. Epiſcopus, abierit anno 259? Quaſi vero intra ſpatium tam paucorum annorum, a tam multis Ethnicis Chriſtiana ſuſcepta ſit religio, & tam multi ſuperioribus annis exceſſerint ſine pace. Cæterum quæ primo & ſecundo argumento notavimus, efficiunt, ut vetus Saturnini Hiſtoria huic Epiſtolæ
10. non immerito opponatur. DECIMVM. Inter initium Novatiani & electionem Stephani, vix anni tres intercedunt: & tamen de Martiano & Novatiano perinde loquitur author Epiſtolæ, ac ſi ab ætate Stephani longe abfuiſſent: *Qui* (Marcianus) *jampridem jactat & prædicat, quod Novatiano ſtudens & ejus pervicaciam ſequens, a noſtra ſe communione ſegregaverit.* VNDECI- 11.
MVM. Quod hæc Epiſtola, licet Cypriani ſtylum affectetur, & ex nonnullis illius locutionibus conſuta ſit, non ubique tamen prudentiam Cypriani, & judicium repræſentat. Non prudentiam quidem, cum epiſtola fere tota Stephanum author doceat, qua in re Novatianorum pravitas, & Præpoſitorum Eccleſiæ munus conſiſtant. At his de rebus multo minus docendus erat Stephanus, Novatianæ pravitatis oculatus teſtis, quam Cyprianus: qui & inſuper eo tempore expertus eſt, quanta fuerit Stephani in caſtigando ſchiſmate, & in obeundo munere, cura atque ſeveritas. Deeſt quoque judicium & ingenium. 1. quidem, quia ſub initium Epiſtolæ, *eandem*, cujus nulla præceſſerat mentio, *Provinciam* dicit: niſi velit idem eſſe Lugdunum atque Provinciam, ſed aliud Lugdunum aliud Lugdunenſis provincia. 2. Quia idipſum intra paucas lineas repetit, *Quapropter*, (inquit) *facere te oportet plenisſimas litteras &c.* & paulo poſt, *dirigantur a te litteræ.* 3. Quia nimium affectat *abſenti* vocabulum, quod identidem quater iteratur: atqui nimia hæc affectatio ſignum fraudis eſt. 4. Quia Galliæ regio quæ nunc *Provincia* dicitur, olim vero non ſic audiebat, *Provinciam* abſolute appellat: quod ex uſu recepto ſuffragium nullum habet, in antiquis Galliæ civilibus ſeu eccleſiaſticis diviſionibus. Quin etiam Arelatenſi Synodo ſubſcribunt, Marinus *de civitate Arelatenſi, Provincia Viennenſi*: Oreſius Epiſcopus *de civitate Maſſilienſi, Provincia Viennenſi*, & alii: ut non referam Aquilejenſe Concilium *Epiſcopi Provincia Viennenſis, & Narbonenſis prima & ſecunda, reſcribens.* 5. Quia hæc duo pugnant inter ſe, *Novatianus olim abſentus, & Novatianus nuper retruſus & refutatus.* 6. Quia Stephanum Corn. & Lucii prædeceſſorum *Vicarium & Succeſſorem* appellat. Fuerunt quidem bene multi, qui Felicem tertium ſecuti, Romanum Pontificem *beati Petri Vicarium* nuncuparunt: ſed hoc nec ad Cyprianum ſpectat, nec ad rem facit, in qua Stephanus non *Petri*, ſed *Succeſſorum Petri* Vicarius appellatur. 7. Quia hæc parum conſentanea videntur: *Quam vanum eſt, ut Novatiano nuper retruſo & refutato, & per totum orbem a Sacerdotibus Dei abſtento, nunc adulatores adhuc nobis patiamur illudere.* Qua in re quæſo, & cuinam adulabantur Novatiani ſectatores? Lapſiſne ac pœnitentibus, quos ut ait author Epiſtolæ, *ſine ſpe pacis & communionis relictos, ad luporum rapinam & prædam diaboli projiciebant?* Cornelione forſan, Lucio & Stephano Romanis Pontificibus? contra quos ut idem author ait, *adulteram cathedram Romæ collocarat* Novatianus, & in Gallia Marcianus. Procul a me iſtud inauditum adulationis genus, quo unius vita luporum rabiei committitur, & alterius corpus duas in partes diſſecatur. Hæc Launoius verbotenus.

Mortuus eſt Cyprianus, coronatusque Martyrio anno 258 in Africa XVIII. Calendas Octo-

Octobris, cujus quamvis a Romano Epiſcopo excommunicati, feſtum utraque Eccleſia Græca & Latina in maximo honore habet. De Scriptis vero illius ampliſſime Cæſar Baronius *Annalium Eccleſiæ* ſeculo 3 & ejus Epitomator Spondanus. Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus ſacri*, verbo *Cyprianus*, pag. 394. Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 250. Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis a Bellarmino recenſitis*, tomo 1. verbo *Cyprianus*, pag. 137. Natalis Alexander *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus*, ſeculo 3. cap. 4. art. 4. pag. 149 & ſequentibus. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiaſticorum ad annum 248 pag. 87. *Acta Eruditorum Lipſienſia*, menſe Februario anni 1683. a pag. 41 ad 46.

Ao. 215. NOVATIANVS, quondam energumenus, urgente morbo in lecto baptizatus, cum poſtea convaluiſſet, ceremonias baptiſmi ſuppleri in ſe nequaquam curavit, nec impoſitionem manuum, quæ ex Eccleſiæ diſciplina poſt baptiſmum conferebatur, ſuſcepit. Conſtat id ex S. Cornelio in Epiſtola ad Fabium Antiochenum Epiſcopum, cujus fragmenta refert Euſebius Lib. 6. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 43. juxta verſionem Valeſii. *Cui cauſam*, inquit, *atque initium credendi præbuit, Satana in eum ingreſſus, atque in ipſo aliquandiu commoratus. Cumque ab exorciſtis foveretur, in morbum graviſſimum collapſus, dum jamjamque moriturus creditur, in ipſo quo jacebat lectulo perfuſus, baptiſmum ſuſcepit: ſi tamen hujuſcemodi, baptiſmum ſuſcepiſſe dicendus eſt. Sed neque poſtquam morbo liberatus eſt, reliqua percepit, quæ juxta Eccleſiaſticam regulam percipi debent, neque ab Epiſcopo conſignatus eſt. Hoc autem ſignaculo minime percepto, quo tandem modo Spiritum ſanctum potuit accipere?* Aliquanto poſt Baptiſmum elapſo tempore, Presbyter factus eſt, Epiſcopo de regulis Eccleſiaſticis cum ipſo diſpenſante prohibentibus ad Clerum eos promoveri, qui in lecto baptizati eſſent: cui diſpenſationi Clerus univerſus, multique e populo refragabantur, qui ægre tandem ejus ordinationi conſenſerunt. Innotuit, quum tam eximio gradu indignus eſſet, tempore perſecutionis. Sicut enim aurum probat fornax, ita hominem tribulatio. Admonitus enim & rogatus a Diaconis, ut e cubiculo in quo ſeipſum incluſerat egreſſus, fidelibus ſuccurreret: abtuit tantum ut hortantibus Diaconis morem gereret, quin ira percitus diſceſſit, Presbyterum ſe amplius eſſe nolle teſtatus, ſed alterius philoſophiæ deſiderio teneri. Narrat iſta Cornelius in prædicta ad *Fabium* Epiſtola. Quibus autem artibus Romanum Epiſcopatum invaſerit, his ibidem verbis aperuit: *Egregius ille vir, qui tremendis quibusdam ſacramentis affirmaverat, ſe Epiſcopatum non concupiſcere: repente tanquam ex machina quadam in medium projectus, Epiſcopus apparuit. Et is qui ſe Doctorem & Eccleſiaſtica diſciplina propugnatorem ferebat, cum Epiſcopatum ſibi a Deo minime conceſſum recipere & vindicare conaretur, duos deplorata ſalutis homines ſibi ſocios adjunxit, ut eos in exiguam ac viliſſimam Italiæ partem mitteret: atque illinc accitos tres Epiſcopos, homines plane rudes ac ſimplices, fraudulenta quadam molitione deciperet: conſtantiſſime affirmans, ipſos quam primum Romam proficiſci oportere, ut omnis undecunque orta diſcordia, ipſorum una cum aliis interventu atque arbitrio ſedaretur. Qui cum adveniſſent, eos ille a quibusdam ſui ſimillimis, quos ad id comparaverat, incluſos hora decima, temulentos, & crapula oppreſſos, adumbrata quadam & inani manuum impoſitione, Epiſcopatum ſibi tradere per vim cogit: eumque nullo ſibi jure competentem, per fraudem atque inſidias vendicat.* Hæc de Novatiani Antipapæ primi, adverſus Cornelium anno 251. electi, & hæreſeos Catharorum principis, ſchiſmate & ſuperbia. Eadem refert Theodoretus lib. 3. *Hæreticarum Fabularum* cap. 5. Narrat denique Cornelius, ſacrilegam Novatiani in firmando ſchiſmate, ejusque fulcienda factione verſutiam, & extortum a ſuis partiariis in ipſa Euchariſtiæ participatione execrandum juramentum, quod ad Cornelium nunquam ipſi reverterentur. *Oblatione facta*, inquit, *portionem ſingulis dividens, tum eam tradit, miſeros homines benedictionis loco vorare cogit, manus ejus qui portionem accepit, ambabus ſuis manibus comprehenſas retinens, nec prius dimittens: quam jurati iſta dixerint, (ipſius enim utar verbis) Jura mihi per corpus & ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, te nunquam meas partes deſerturum, nec ad Cornelium eſſe rediturum. Ita miſer ille non prius guſtare ſinitur, quam ſibi ipſe malum imprecatus ſit: Et cum panem illum accipiens, dicere debuiſſet, Amen: ejus loco dicit, non revertar deinceps ad Cornelium.* Factus Antipapa Novatianus, legatos ad S. Cyprianum Carthaginenſem Epiſcopum miſit, cum famoſis contra Cornelium ejusque ordinationem libellis. At Cyprianus neque cum Schiſmaticis communicavit, nec ordinationem Novatiani adprobavit, nec confictis in Cornelium calumniis aures præbere voluit: ut conſtat ex ejus Epiſtola 41. ad Cornelium data. Jam ad Scripta Novatiani procedamus, de quibus ita Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſtic.* cap. 7. juxta Miræi editionem, cap. 8. juxta Erasmianam. "Novatianus Romanæ urbis Presby-" ter, adverſus Cornelium cathedram ſacerdo-" talem conatus invadere, Novatianorum, quod" Græce dicitur καθαρῶν dogma conſtituit, no-" lens apoſtatas ſuſcipere pœnitentes. Hujus" author Novatus, Cypriani Presbyter fuit." Scripſit autem de *Paſcha*, de *Sabbato*, *de Circumciſione*, de *Sacerdote*, de *Oratione*, de *Cibis Judaicis*, de *Inſtantia*, de *Attalo*, multaque alia. Et" de *Trinitate* grande volumen, quaſi ἐπιτομὴν" operis Tertulliani faciens, quod plerique ne-" ſcientes, Cypriani exiſtimant." Scripſit etiam Novatianus, antequam ſchiſma faceret, nomine Cleri Romani elegantem *ad Cyprianum* Epiſto-

piſtolam quæ inter Cyprianicas XXX eſt. Ex allegatis autem ab Hieronymo opuſculis, extat liber *de Trinitate* & alter *de cibis Judaicis*, quos illuſtravit Commentariis ſuis Jacobus Pamelius Brugenſis, habentque omnes cum operibus Tertulliani editiones Pamelianæ, Antverpiæ anno 1579. & 1584. in Belgio, in Gallia & alibi. Opuſculum iſtud *de Trinitate* ad Novatianum pertinens, appellavit Hieronymus loco cit. *Grande volumen, quaſi ἐπίδομα operis Tertulliani faciens:* non quaſi *de Trinitate* Tertullianus ſcripſerit; ſed quia Opus ſuum Novatianus, ex his quæ Tertullianus paſſim in operibus ſuis *de Trinitate* dixerat, excerptum compoſuerit. Nullus ambigendi de hoc Novatiani opuſculo locus datur, cujus meminit velut ad Novatianum pertinentis, Hieronymus loco citato, Rufinus in *Invectiva* adverſus Hieronymum, aſſerens non ad Cyprianum, cujus ferebat nomen, ſed ad Novatianum ſpectare. Idem Hieronymus in *Apologia* contra Rufinum, idem opus Novatiano, non Tertulliano adſcribit. Opuſculum autem *de Trinitate*, de quo jam agimus, eſt absque dubio illud idem, de quo Rufinus & Hieronymus loquuntur. 1. Ob eandem tituli inſcriptionem. 2. Quia Tertullianum imitatur, ejusque ratiociniis utitur. 3. Nonnulla in eo inveniuntur *contra Spiritus ſancti* divinitatem, ut Rufinus & ſanctus Hieronymus adnotarunt in libro quem legerant, quæ a Macedonianis adjici poſtea potuerunt. Statuit enim Author orthodoxa de myſterio Trinitatis principia, quæ ut Filii, ita Spiritus ſancti ex æquo Divinitatem probant. Guillelmus Cavus, in *Hiſtoria literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ambiguus eſt, an certo opus *de cibis Judaicis* Novatiani ſit: quod mihi certum videtur, cum expreſſam illius mentionem faciat Hieronymus loco citato, *de cibis Judaicis:* atque interpres Græcus ſive Sophonius, ſive alius antiquus omnino, περὶ βρωμάτων Ἰουδαϊκῶν. Præterea Author hujus operis, ſub initium inquit, ſcriptas a ſe fuiſſe duas Epiſtolas, quibus oſtendit Judæos ignoraſſe *veram Circumciſionem* & *verum Sabbatum.* Atqui horum duorum Opuſculorum in *Novatiano*, nominatim citatus Hieronymus meminit: unde dubium nullum relinquitur, quin Opus *de cibis Judaicis* ſpecter ad eundem. Denique ex hoc opuſculo *de cibis Judaicis*, aſſeritur quoque Novatiano Epiſtola ſeu libellus *de vera Circonciſione*, inter Opera Divi Hieronymi impreſſus: quippe cujus mentionem faciat dum Hieronymus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 8. vel 7. tum Novatianus ipſe ſub initium Operis *de cibis Judaicis*, ubi ait *Epiſtolam* a ſe *de vera Circonciſione* conſcriptam, quod huic opuſculo apprime convenit. Nullum itaque de his Novatiani Operibus dubium æquum eſſe poteſt. Omiſerunt Novatianum Bellarminus & Labbeus, cujus alii plerique non obliti ſunt: ut Ludovicus Elias du Pin in *Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 3. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiæ*, ad annum 251. pag. 91. Omnes denique vel ſcriptores *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, vel *Vitarum* Romanorum Pontificum.

AVRELIVS, ſancti Pontii qui Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo Diaconus altari adfuit, ſocius & contubernalis, Martyrium ejusdem Pontii Diaconi deſcripſit, quod anno Chriſti 258. die 8. Martii contigiſſe legitur. Habemus iſtud ex variis manuſcriptis codicibus Bibliothecæ Colbertinæ, tomo 2. *Miſcellaneorum* Stephani Baluzii pag. 124. Pariſiis anno 1679. in 8. apud Franciſcum Muguet. Fallunt tamen ſæpius legendæ ejusmodi, ſub ſpecioſis nominibus antiquitatem mentientibus, quo majoris apud incautos authoritatis fiant. Meminit vitæ hujus Pontii Fridericus Spanhemius hujus Academiæ Profeſſor primarius, atque cum hujus ſeculi eruditiſſimis merito comparandus, in Diſſertatione Hiſtorica *de Philippi Imperatoris Patris & Filii credito temere Chriſtianiſmo*, Lugduni Batavorum anno 1698. in 4. edita num. 4. & 5. & 8. ubi vitam hanc his verbis notat: "Ipſa etiam "*Acta Pontii* ſeu legenda fabuloſiſſima, narrant "Philippum utrumque Romæ jam fuiſſe Impe- "ratores, quum a Pontio converſi & baptiſmo "tincti fuere." Argumentum autem ſuppoſitionis Actorum iſtorum, latiſſime tractat numero ſeu §. XIV. hoc modo. "Quinto fa- "bulam arguunt, Philippi ſcilicet converſionem "ad Chriſtum, baptiſmum & alia, *Acta* illa quæ "dicuntur *Pontii Martyris*, & a Baronio ad an- "num 246. n. 9. 249. n. 2. Baluzio *Miſcellaneo- "rum* tomo 2. p. 493. Stephano le Moyne *Va- "riorum Sacrorum* pag. 1107. *Valerio Pontii contu- "bernali & ſtudiorum ſocio a prima adoleſcentia* "tribuuntur. Ac præter Euſebium, alterum "hunc diximus fontem omnis de Philippo Chri- "ſtiano traditionis: hinc ſumpſiſſe *Martyrologia "Romana Eccleſiæ, Vſuardi* ſcil. & *Adonis*, diſerte "Annalium ſcriptor fatetur, ne de poſterioribus "dicam. Sed bene habet, hæc Acta a doctiori- "bus in Romana Eccleſia, ut ſpuria & apocry- "pha reprobari. Ac ne Petavium, Valeſium, "aliosque dicam, laudatus ſupra Tillemontius, "quanquam pro Philippi Chriſtianiſmo decer- "tans, in *Notis* ad Hiſtoriam hujus Imperatoris "p. 816. *Baronius contendit converſum fuiſſe Phi- "lippum ante ſolemnia anni ab V. C. milleſimi, quam- "vis modum quo factam hanc converſionem refert, ex "Actis S. Pontii, qua nullo modo defendi poſſunt, ne- "que auctoritatem habent, neque veriſimilitudinem.* "Et Baronius ipſe ſuſpecta habuit ea Acta, ſal- "tem illatæ fraudis: *Quæ vero illic opponuntur de "Jovis templo diruto a Philippo Imp. atque a Fabiano "Papa* (adde *confracta omnia ſculpeilia*, ut in ipſis "Actis num. XIII.) *ab alio potius fuiſſe addita pu- "tamus, nam in aliis Pontii Actis deſiderantur.* Ad- "quæ poſtrema Baluzius loco citato p. 495. *deſi- "derantur in iis Actis quæ Mombritius deſcripſit, ut- "pote quæ ſint multum imperfecta & mutila, ſed ex- "tans in omnibus antiquis exemplaribus.* Extant "autem

Digitized

„autem in illo ipſo §. in quo narrantur verba „Pontii adhuc adoleſcentuli ad Fabianum Epi„ſcopum, de fide Imperatorum pridie ejus diei „ſuſcepta: tum gratiæ Deo & Chriſto a proſtra„to Fabiano hoc nomine actæ, tandem Bapti„ſmi gratia altero ſtatim die in Principes collata. „Præceſſit vero familiaris amicitia Philippo„rum cum Pontio, colloquium hujus cum Im„peratoribus habitum, occaſione ludorum ſe„cularium inſtantium, & ſacrificii Diis ſuis offe„rendi. Hinc ſumma colloquii, in quo Pontius „ſcilicet de uno Deo ſummo, de creato homine „in ſtatu felicitatis, de ſeductione hujus a diabo„lo, de miſſione Filii Dei in mundum, ejusdem „miraculis, Judæorum incredulitate, crucifixio„ne ſub Pontio Pilato Præſide, reſurrectione, „aſcenſione in cœlum, & promiſſione vitæ æter„næ in ipſum credituris. Ad quam Pontii præ„dicationem, protinus credidiſſe *Imperatores*, „*Dei voluntate* referuntur. Tacemus reliqua, „lætitiam quæ illi civitati hinc ſupervenit, diru„tum templum magnum Jovis ſcilicet cum ido„lis, concurſum omnis populi ad baptiſmatum „undam, & quæ alia ſua ſe futilitate produnt. „Et hæc commemoraſſe ſufficiat; ut Legendam „intelligas, paris cum reliquis originis & aucto„ritatis, fabricatam VIII. aut IX. minimum ſe„culo, ſi non ſerius. Et ſi quæ his Actis fides „eſſet, Philippus jam Imperator, diu poſt Orien„tem relictum, & quidem Romæ, ipſo anno „V. C. milleſimo, non modo converſus fuiſſet, „ſed baptizatus, & ad ſacramenta admiſſus, id„que Roma facti conſcia, nulla vero Philippo „patri pœnitentia impoſita. Quo ipſo corruunt, „quæcunque alii de Philippi Chriſtianiſmo, ex „Euſebio, Joanne Chryſoſtomo, Chronico Ale„xandrino, aliisque ſuſpicati ſunt. Abſurda „plura, quibus hæc *Pontii Acta* ſeſe produnt vel „initio ſtatim, ubi e. g. de *Marco* Portii patre, „absque nomine alio: de *Julia* matre prægnan„te, fabula &c. ſilentio transmittimus. Miror „oculatiſſimum in talibus Baluzium, & infinitæ „lectionis monachum noſtrum, nam de Baro„nio nihil novum, his glandibus aut quisquiliis „delectatum. Antiquiſſimi Codices bibliothecæ „Colbertinæ, qui hæc Baluzii integra ſuppedi„tarunt, nihil probant, cum ſint monachalis „ævi, vel ſi maxime eſſent illa X. aut XI. ſeculi, „Quæ vero ibi p. 133. de permiſſis Imperatori„bus ſpectaculis a Pontio converſore, ſolis ſacri„ficiis interdictis, in memorium revocant, illud „Aurelii Victoris in Philippo juniore, adeo aver„ſum ab iis fuiſſe Philippum juniorem, ſeveri & „triſtis animi Principem, plane ἀγέλαστον, ut „*Patrem ludis ſecularibus petulantius cachinnantem, „vultu notaverit averſato.* Hinc & *Saturninum* „appellatum hunc Philippum quidam voluere, „apud Aurelium Victorem in *Epitome*. Ac nol„lem clariſſimum le Moine in *Variis Sacris* pag. „1110. Baronium imitatum, duxiſſe inde argu„mentum pro hujus ſaltem Philippi Chriſtia„niſmo: *Qui forſan a matre vel ab Avia, vel ab Ori-*

gene, vel ab Hippolyto audiverat, Jeſum lachry-„ *mas quidem uberrimas nunquam riſum vel mini-*„ *mum ſibi permiſiſſe.* Nec aliunde Goltzius ſu„pra dixit, *Filius quippe Deum plurimum metue-*„ *bat.* Atqui Hiſtoricus Aurelius Victor, talem„ fuiſſe hunc adoleſcentem a natura, & *a quin-*„ *quenni ætate, ut nullo prorſus cujusquam commen-*„ *to, ad ridendum ſolvi potuerit.*„ Recte Baluzius in Notis ad Acta Pontii, *neque quinque annorum puer iſtius diſciplina capax eſſe potuit.* Ac per nos inde apud Romanos *Saturnini* nomen ſortitus ſit. Idem Spanhemius ibidem §. ſeu num. 6. deductis late rationibus, quæ Philippos Chriſtianos adſtruere videntur, ita concludit. Tan„tum abeſt ut detraxerimus momentis ratio„num, quæ pro Philippis Chriſtianis militant, ut„ etiam pondus iis addiderimus & robur. Nec„ illæ tamen intercedunt, quo minus in Joſephi„ Scaligeri ſententiam concedamus in *Animadver-*„ *ſionibus* ad Euſebii Chronicon num. MMCCIX.„ *Ne idi magnam injuriam ſanctiſſimo Chriſti cultui*„ *faciunt, qui primi hunc latronem Arabs, Domini*„ *ſui Imperatoris innocentiſſimi, & Reipublicæ ma-*„ *xime neceſſarii interfectorem, idolorum cultorem,*„ *& ex cujus vita nihil tale colligi poteſt, Chriſtianum*„ *dicere auſi ſunt.* Eadem fuit ſententia Onu„phrii Panvinii, in Faſtorum Opere, altum de„ Philippi Chriſtianiſmo tacentis, Faſtorum V.C.„ anno DCCCCXCVII. &c. Iſaacus Caſaubo„nus Notis Hiſt. Auguſtæ pag. 201. in notis ad„ eos Principes qui poſt Gordianum Pium im„perarunt, poſtquam de *Otacilia Severa, pleros-*„ *que autumare religionis Chriſtianæ ſacris imbutam*„ *fuiſſe:* hinc addit *Philippum uxoris gratia æquo-*„ *rem piis*, id eſt Chriſtianis, *palam Chriſtianum*„ ab Euſebio & aliis multis habitum: ſe vero aſ„ſentiri Zonaræ, confuſos eſſe Græcis Scripto„ribus *Philippos, Auguſtum & alterum præfectum*„ *Auguſtalem*, de quibus poſtea David Blondel„lus, Eccleſiaſticæ antiquitatis quondam βαβλο„βίκην ἔμψυχον, in opere Gallico *de Primatu Ec-*„ *cleſiæ* pag. 1128. & 1129. occaſione pœnitentiæ„ Philippo attributæ, qua ſcilicet *ad pedes*„ *Fabiani Pontificis* abjeciſſe fertur, prolixe fabu„lam hanc diſcutit & explodit. Sethus Calvi„ſius in Opere Hiſtorico ad annum Chriſti„ CCXLVI. mundi 4195. *Dicit ab Euſebio, Caſſio-*„ *doro & aliis, qui tamen ex Euſebio deſcripſerunt,*„ *Philippum operam dediſſe Chriſtianæ religioni, &*„ *baptizatum eſſe. Sed Euſebius hæc hauſit, ut ipſe*„ *dicit, ex Epiſtolis Origenis ad Philippum, & ejus*„ *conjugem Severam, quæ tamen Epiſtolæ fictæ ſunt.*„ Triſtanus in Commentario Hiſtorico ad num„mos Imperatorum quem Gallice edidit To„mo 2. pag. 554. *Chriſtianiſmum Philippi non at-*„ *tingo, ſic plerique auctores veteres, ex quibus re-*„ *centiores. Qui tamen debent rei teſtimonium uni*„ *Euſebio, & Actis Pontii Martyris:* addens *perſi-*„ *dum hunc Arabem dedecus potius quam ornamen-*„ *tum eſſe Chriſtiani nominis.* Falſus ergo hic„ ſcriptor *Vitæ* Pontii Diaconi, hanc fabulam de„ Chriſtianiſmo Philipporum Imperatorum, ac„

cepiſſe

cepiſſe mihi videtur ex Euſebio Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 6. cap. 34. & 36. & ex ejusdem Chronico quod Latine tranſtulit Hieronymus ad annum CCXLVI. quiitidem inquit in Catalogo, *Philippus primus omnium ex Romanis Imperatoribus Chriſtianus fuit.* Paulus Oroſius, vivo adhuc Hieronymo Hiſtoriarum libros ſcribens, lib. 7. cap. 20. & 21. Vincentius Lirinenſis pag. 343. editionis Baluzii. Proſper Aquitanus in Chronico quod integrum evulgavit Phil. Labbeus Tomo 1. *Nova Bibliotheca MSS. librorum* pag. 36. Itaque falſus hic Valerius ab omnibus iſtis ſententiam hanc ſuam accepiſſe videtur, quibus conſequenter ætate poſterior extitit. De Aurelio iſto Baluzius loco citato, Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo 3. ad annum 251. in *Pontio* pag. 92. Fredericus Spanhemius in Diſſertatione Hiſtorica *de Philippi Imperatoris Patria & Filii credito temere Chriſtianiſmo*, edita Lugduni Batavorum in 4. 1698. num. 45. ac potiſſimum 14.

260. ANONYMVS CYPRIANICVS, ita a me cognominatus, qui ſcripſit tractatum *de baptiſmo non iterando iis qui ſemel in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti tincti fuerint:* productus a Nicolao Rigaltio, Pariſiis anno 1634. in ſuis *Obſervationibus* ad Cypriani Epiſtolas pag. mihi 126. ac in editione anni 1666. pag. 138. Scriptorem hunc Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ*, anno 253. pag. 93. ſpectare ad Cypriani tempora opinatus eſt: *quodque pluribus locis libelli ſui non obſcure innuit, feruente certe adhuc controverſia de rebaptizandis Hæreticis, ſcripſit.* Hæc Cavus, qui in ſententiam quoque ſuam adducit Joannem Fellum Oxonienſem Epiſcopum, ubi idem Cavus de *Vrſino* loquitur, ad annum 440. pag. 342. Hujus Opuſculi atque Authoris anonymi pondus meriti tam exiguum, tantaque in ſcribendo obſcuritas & ſtribiligo, ut nec modicam ſui mentionem mereatur, quo proinde nec gloriaretur Vrſinus, hujus Opuſculi author aſſertus. Sed cum Cavum in antiquitate aſſignanda maxime liberalem eſſe, ac tractatum hunc temporibus controverſiæ inter Cyprianum & Stephanum de baptiſmo Hæreticorum excitatæ, compoſitum ſenſiſſe deprehenderim, paucis rem hanc verbis examinabimus. Opinor enim ego, Authorem hunc, non niſi ad extrema ſeculi IV. vel ſeculo quinto, opuſculum iſtud ſcripſiſſe. Probatur itaque *primum*, ex ipſis illius verbis a Cavo pag. 93. allatis. *Et ideo cum ſalus noſtra in baptiſmate Spiritus, quod plerumque cum baptiſmate aqua conjunctum eſt, ſit conſtituta: ſiquidem per nos baptiſma tradetur, integre & ſolenniter, & per omnia qua ſcripta ſunt aſſignetur, atque ſine ulla ullius rei ſeparatione tradatur: aut ſi a MINORE CLERO per neceſſitatem traditum fuerit, eventum expectemus, ut aut ſuppleatur a nobis, aut a Domino ſupplendum reſervetur.* Scimus quidem temporibus Cypriani extitiſſe in Eccleſia Clerum, Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Exorciſtas: de quibus videri poſſunt variis in locis, Epiſtolæ ipſæ Cypriani. Scimus Cyprianum ſummo ſemper honore habuiſſe Presbyteros atq; Diaconos, ut conſtat ex Epiſtola 38. qua Caldonium & Herculanum, qui Epiſcopi erant, *Collegas*, Rogatianum vero & Numidicum *Compresbyteros* vocat. Scimus quoque ex Epiſtolis SS. Ambroſii atque Auguſtini, quo honore ab Epiſcopis Presbyteri ac Diaconi ſeculo Eccleſiæ quarto habiti ſint: Sed quod ad *Minorem Clerum* probroſa ordinis abjectione a quoquam dejecti ſint, ut ab Anonymo iſto factum eſt, non legiſſe memini. *Aut ſi a* MINORE CLERO, 1.
id eſt Presbytero & Diacono, ut in notis recte Rigaltius: inquit Cavus. Presbyteri quidem & Diaconi a Cypriano & aliis, intra *Clerum* computati, ſed nunquam in MINORE CLERO conſtituti: neque hoc opinor invenietur quatuor primis Eccleſiæ ſeculis. Olet iſtud ſuperbiam primis Eccleſiæ ſeculis Epiſcopis incognitam. Fallor eximie, niſi vox iſta ſcriptorem ab ætate Cypriani remotiſſimum oſtendat, atque ſeculo Eccleſiæ quinto, ſtribiliginoſum hunc, non antiquiorem oſtendat. Diſtinctio igitur iſta *Cleri in Majorem & Minorem*, recentior eſt, ætatem Cyprianicam non ſapit. Adde, quod in *Majori Clero* ordines majores computari debeant, quales ſunt Epiſcopatus, Presbyteratus & Diaconatus: in *Minori Clero* ordines minores, & hypodiaconi, lectores, exorciſtæ. Hic autem pro recentiorum uſurpatione & uſu, ſolos Epiſcopos in *Majorem Clerum* admittit, Presbyteris ac Diaconis aperto ludibrio, per ſuperbiam in *Minorem Clerum* dejectis. Quæ etiam leguntur apud eundem Authorem pag. 131. 2.
ſeculi tertii ſcriptorem non denotant, ſed ut plurimum ſeculi quinti. *Perquam utile eſt credere, & tot annorum, totque Eccleſiarum, itemque Apoſtolorum & Epiſcoporum auctoritati, cum bona ratione adquieſcere. Cum ſit maximum incommodum ac diſpendium ſanctiſſima matris Eccleſiæ adverſus priſca conſulta, poſt tot ſeculorum tantam ſeriem, nunc primum repente ac ſine ratione inſurgere.* His verbis, aſſignatum a Cavo, huic ſcriptori tempus Cyprianicum, in auras cum antiquitate attributa, evaneſcit: nam Cavum quæſo, poterat author Cypriani temporis, *adverſus baptiſmi Hæreticorum iteratores* ſcribens dicere, *poſt tot ſeculorum tantam ſeriem:* cum duo tantum ſecula præceſſiſſent? Poteratne dicere, *adverſus priſca conſulta?* cum tempore Cypriani, controverſia tantum moveri cœpta fuiſſet. Verba ergo iſta, nonniſi ſeculi quinti vel ſexti, ut ita loquar, Authorem deſignare poſſunt. *Tertio* phantaſticam illam hujus tractatus juxta Cavum antiquitatem ſubvertunt, ipſa initia operis, his verbis. *In quo genere quæſtionis ut mihi videtur, nulla omnino potuiſſet controverſia aut diſceptatio emergere, ſi unuſquiſque noſtrum contentus venerabili Eccleſiarum omnium auctoritate & neceſſaria humilitate, nihil innovare geſtiret,* 3.

cum

cum locum contradictioni non quemlibet animadverteret. Quibus author ſupponit, *venerabilem omnium Eccleſiarum authoritatem* de Hæreticis ad Eccleſiam revertentibus non rebaptizandis, ſuo tempore extitiſſe: quod ſane in Eccleſiam tempore D. Cypriani exiſtentem non quadrat, ut patet ex omni Africana Eccleſia, atque Eccleſiis multis Græcis, pro quibus contra Stephanum Firmilianus agebat. Non ergo hic tractatus tempore Cypriani ſcriptus eſt, neque tantam antiquitatem ſapit: niſi quis ejus authorem mendacii aperti inſimulaverit. Scimus quidem ex multis Auguſtini locis, qui & Cyprianum hanc maculam ſanguine eluiſſe cenſet, Eccleſiam Africanam mutaſſe poſtmodum ſententiam: unde ſi Afer ille ſcriptor eſt, recte ad Auguſtini tempora, occupante paulatim ubique Stephani Romani Epiſcopi ſententia, devolvi
4. poteſt. *Quarto* denique, longe ſe poſt tempora Cypriani ſcribere teſtatur ſub tractatus initium pag. 126. his verbis: *Si contra priſcam & memorabilem cunctorum emeritorum Sanctorum & fidelium ſollemniſſimam obſervationem judicatur, damnari utique debet: cum in re olim compoſita & ordinata, quodcunque eſt illud, quod contra Eccleſiarum quietem atque pacem in medium producatur, nihil prater diſcordias & ſimultates & ſchiſmata allaturum.* Cum vero temporibus Cypriani, quæſtio illa adhuc intricata primum acerrime agitata fuerit, ac vix & ne vix quidem definita, hic ſcriptor qui *rem olim compoſitam & ordinatam* fuiſſe ſub tractatus initium pronuntiat, longe per illud olim ſe remotum ab ætate Cypriani ſignificat. Solvat Cavus nodos iſtos, antequam Anonymo ætatem Cyprianicam poſitive cum Joanne Fello, aſſignet. Addit Cavus: «Quod „vero rem omni dubitandi ratione eximit, Ano„nymi noſtri ætate crebras perſecutiones in Ec„cleſia graſſatas eſſe, innumeris libelli de quo „agitur locis, oſtendi poſſet.„ Hæc nimia confidentia Cavus, ob quem volui librum attente revoluere, in quo ne minimam quidem vocem, de graſſante dum ſcriberet Anonymus perſecutione, legiſſe memini. Legant tractatum, qui alios a me atque a Cavo oculos habent, & uter amborum librum accuratius legerit, nullo negotio judicabunt. Vix enim fieri poteſt, ut quod innumeris libelli locis ſcriptum eſt, non advertatur.

266. GREGORIVS THAVMATVRGVS. Hic in Ponto Epiſcopus, ob ſigna & miracula, quæ maximo cum Eccleſiæ ſtupore oſtendit, Thaumaturgus atque a ſede Epiſcopali Ponticus eſt appellatus, cum antea Theodorus vocaretur: ut habet ſanctus Hieronymus in *Catalogo* cap. 75. juxta Miræum 65 & in Epiſtola 84 ad Magnum. Diſcipulus Origenis fuit, doctrina celebris, poſtea a Phædimo Amaſenorum Epiſcopo, factus Neocæſareæ in Ponto Epiſcopus circa annum 239 vel 240. Ille primum ſe contulit juxta Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum Lib. 6. *Hiſtoria* cap. 27 cum fratre ſuo Athenodoro, ad Origenem anno circiter 233 Cæſareæ in Palæſtina ſcholas aperientem: ubi cum integro quinquennio in illius ſchola converſati fuiſſent, magnosque in Theologicis ſtudiis progreſſus feciſſent, ambo Eccleſiarum in Ponto creati ſunt Epiſcopi. Euſebium audiamus: Τῷ δὲ Ὠριγένει ἐπὶ τῆς Καισαρείας τὰ συνήθη πραττοντι, πολλοὶ προσήεσαν οὐ μόνον τῶν ἐπιχωρίων, ἀλλὰ καὶ ἀπὸ τῆς ἀλλοδαπῆς μυρίοι φοιτηταὶ τὰς πατρίδας ἀπολιπόντες. ὧν ἐπισημότατος μάλιστα ἔγνωμεν Θεόδωρον, ὃς ἦν αὐτὸς ἔτι ὁ καθ' ἡμᾶς ἐπισκόπων διαβόητος Γρηγόριος. Τόντε αὐτοῦ ἀδελφὸν Ἀθηνόδωρον. ὃς ἀμφὶ τὰ ἑλλήνων καὶ ῥωμαίων μαθήματα δεινῶς ἐπιστημένους, φιλοσοφίας αὐτοῖς ἐνθεὶς ἔρωτα, τῆς προτέρας σπουδῆς τὴν θείαν ἄσκησιν ἀντικαταλάξασθαι, προυτρέψατο. πάντε δὲ ὅλοις ἔτεσιν αὐτῷ συγγενόμενοι, τοσαύτην εἰσηνέγκαντο περὶ τὰ θεῖα λόγια βελτίωσιν, ὡς ἔτι νέους ἄμφω ἐπισκοπῆς τῶν κατὰ Πόντον ἐκκλησιῶν ἀξιωθῆναι. „Interim Origenes apud Cæſa„ream dum conſueto docendi genere fungere„tur, non ſolum regionis illius incolæ, ſed eti„am plurimi ex remotiſſimis provinciis diſcipu„li, relicta patria ad eum concurrebant. Quo„rum præcipuos fuiſſe cognovimus Theodo„rum, qui & Gregorius dictus eſt, Epiſcoporum„ noſtra ætate celeberrimus: & fratrem ejus„ Athenodorum. Quos Origenes Græcis Ro„manisque diſciplinis nimium deditos cum vi„diſſet, in eorum animos inſtillans Philoſophiæ„ amorem, abjectis prioribus ſtudiis, ad rerum di„vinarum meditationem traduxit. Igitur cum„ quinquennio integro in ejus auditorio verſati„ fuiſſent, tantopere in divinis eloquiis profece„runt, ut ambo adhuc admodum juvenes, Ec„cleſiarum in Ponto Epiſcopi fuerint conſtituti.„ Valeſius autem in Annotationibus ad has voces ἑλλήνων καὶ ῥωμαίων μαθήματα pag. 127 obſervat *Romanas diſciplinas* ab Euſebio appellatas eſſe *Jus Civile*, quod Gregorius in urbe Beryto diſcebat, tunc cum ab Origene ad altiora ſtudia excitatus eſt, ut ipſemet ſcribit in Oratione ad Origenem. Idemque teſtatur Origenes in Epiſtola ad Gregorium, cap. 13. *Philocalia.*

Gregorius modo mirabili factus Epiſcopus; nam ut inquit Baronius poſt Gregorium Nyſſenum in ejus Vita, Phædimus Amaſenus Epiſcopus, cui divinitus præſcia futurorum vis inerat, cum conſecrare vellet apud Neocæſaream Epiſcopum, illudque Gregorius fugiens diverſas latebras peteret: divino tandem quodam impetu, nihil curans interjectum ſpatium Phædimus, quo a Gregorio itinere tridui dirimebatur: intuitus mente abſentem, erectis ad Deum oculis, divinaque gratia implorata, precatusque ut ipſe & ille pariter in illa hora a Deo reſpicerentur, demum loco manuum impoſitionis Gregorio ſermonem adhibens, illum abſentem Deo conſecravit, eique Neocæſarienſem civitatem aſſignavit. Quo mirabili Orationis fine ille revocatus, conſuetam Eccleſiæ manus

impoſitionem & conſecrationem poſtea accepit. Grande profecto miraculum, quod (miror) ſilentio fuiſſe ab Euſebio ſuppreſſum. Graſſante Decii Imperatoris perſecutione, magnus Thaumaturgus Gregorius, ut Carthaginenſi Cypriano & Dionyſio Alexandrino contigit, divino plane conſilio furorem Gentilium declinans, anno 253 receſſit in ſolitudinem, ſuisque ut idem facerent perſuaſit: ne novelli adhuc in fide, deficerent in tormentis. Sed cum nihilominus diligentiſſime quæreretur in ſolitudine, accidit aliquando ut detectus, flexis ad orationem genibus una cum ſuo Diacono, ambo circumſtantibus inimicis arbores viſi ſint, ſicque manus eorum evaſerint: qui vero relictus erat ut eum detegeret, cognito miraculo converſus ad fidem Chriſtianam fuerit. Hæc pluribus S. Gregorius Nyſſenus in ejus Vita, ubi & plura alia ſtupenda recenſet, edita ab ipſo miracula, penes quem utpote Græcum, omnium iſtorum fides ſit. Anno 265. Valeriano Gallieni filio ſecundum & Lucillo Conſulibus, celebrata Antiochiæ Synodus eſt adverſus Paulum Samoſatenum ejusdem civitatis Epiſcopum: cui ut Euſebius Lib. 7. *Hiſtoria* cap. 21. ſcribit, inter alios pene infinitos Epiſcopos cum Presbyteris & Diaconis, interfuerunt præcipui Firmilianus Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, Gregorius Thaumaturgus Neocæſarienſis, ejusque frater Athenodorus Ponti pariter Epiſcopus, Helenus Tarſenſis, Nicomas Iconienſis, Hymenæus Hieroſolymitanus, Theotecnus Cæſarienſis Palæſtinæ, & Maximus Boſtrenſis. De quo Synodo Baronius ad annum 266. Annalium, quem conſule.

Porro ſub Gregorii Thaumaturgi, Neocæſarienſis Epiſcopi nomine, Opera varia Græce & Latine, ſumma cura, undique comparata, interprete & ſcholiaſte Gerardo Voſſio Tungrenſi Præpoſito, collecta ſunt Romæ anno 1594 una cum aliis ſanctorum Patrum Opusculis, quæ nunquam antea e prelis prodierant. Item impreſſa in 4. Moguntiæ anno 1604 & in fol. Pariſiis anno 1622. adjunctis ſanctorum Macarii Ægyptii & Baſilii Seleuciæ Epiſcopi Operibus, cum Expoſitione Zonaræ in aliquot Canonicas Græcorum Epiſtolas. In primo hujus Operis ſpecimine pag. 21. ad annum 260. dixi valde ſuſpecta mihi eſſe ea omnia, quæ ſub Gregorii Thaumaturgi nomine evulgata eſſent, ob authoritatem S. Gregorii Nyſſeni Epiſcopi, qui teſte Leontio Byzantino in libro *de Sectis* Act. 8. inquit in *Vita Gregorii Thaumaturgi* quam conſcripſit, eum nihil ſcriptorum reliquiſſe poſteritati. Ibi de Eutychianis Hæreticis, hæc Leontius habet: *Proferunt nobis & aliam quandam authoritatem ſancti Gregorii, quem prodigiorum effectorem nominamus, ex illius confeſſione fidei ſeorſim expoſita. Non duas perſonas, inquit, non duas naturas: quia non adorandæ ſunt quatuor &c. Ad hoc quoque reſpondemus*, ait Leontius, *primum de hac itidem dubitatum apud Antiquiores, an ſit Gregorii. Deinde Gregorius Nyſſenus Orationem de illo prodigiorum effectore funebrem ſcribens, nullum ait opus ipſius in manibus eſſe, præter ſolam fidem, quam in viſione conſpexerit.* Hujus rei diſcuſſione attentius facta, Leontium mentitum fuiſſe, ex lectione vitæ Sancti Gregorii Thaumaturgi cognovi, in qua Gregorius Nyſſenus de hac re nihil habet. Hinc ſententiam mutare ac palinodiam canere hic cogor *de Operibus* Thaumaturgo attributis, de quibus plene Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, Bellarminus & Labbeus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, contendentes multis, ut magnam ſaltem illorum partem, ſi non omnia, legitimam & putent & probent. Mendacium Leontii Byzantini non tantum arguit Vita Gregorii Neocæſarienſis a Nyſſeno conſcripta, quæ præ manibus eſt: ſed ſanctus Baſilius Nyſſeni frater, Epiſtola 64. pag. 101. ubi *de Diſputatione* Gregorii Neocæſarienſis *adverſus Ælianum de fide*, quam multis ſcatentem ſalebroſis, impropriisque dictionibus, excuſare omnimode conatur Baſilius, his verbis. Διὸ δὴ καὶ πολλὰς ἂν εὕροις ἐκεῖ φωνὰς, τοὺς νῦν τοῖς αἱρετικοῖς μεγίστην ἰσχὺν παρεχομένας. ὡς τὸ κτίσμα καὶ τὸ ποίημα, καὶ εἴ τι τοιοῦτον. πολλὰ δὲ καὶ περὶ τῆς πρὸς τὸν ἄνθρωπον συναφείας εἰρημένα, εἰς τὸν περὶ τῆς θεότητος ἀναφέρουσι λόγον, οἱ ἀπαιδεύτους τῶν γεγραμμένων ἀκούοντες ὁποῖόν ἐστι καὶ τοῦτο, τὸ παρὰ τούτων περιφερόμενον. *Quapropter & multas inveniat illic voces, quæ jam hæreticis multum addant roboris, utpote* Creatura & Factura, *& ſiquid aliud ejusmodi eſt. Inveniat autem multa, quæ ad hominis conjunctionem pertinent, quæ ad Divinitatis rationem referunt qui imperite quæ ſcripta ſunt audiunt, quale & ipſum eſt, quod ab iſtis circumfertur.* Scripſerat ergo teſte Baſilio, Gregorius Thaumaturgus, *de fide Diſputationem adverſus Ælianum*, quæ temporum injuria ad nos usque non pervenit. Miror Cavum hujus Operis oblitum fuiſſe, qui tamen Opera Veterum deperdita inquirere, ex profeſſo profitetur: cujus prolixam facit mentionem Ludovicus Ellias du Pin in *Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 3 verbo *Gregorius Thaumaturgus*, quem a ſe lectum teſtatur Cavus. Honorificam Gregorii ejusque Operum mentionem facit Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. mihi 75 his verbis. "Theodorus qui poſtea Gregorius appellatus eſt, Neocæſareæ Ponti Epiſcopus, admodum adoleſcens, ob ſtudia Græcarum & Latinarum Litterarum, de Cappadocia Berytum, & inde Cæſaream Palæſtinæ tranſiit, junctо ſibi fratre Athenodoro. Quorum cum egregiam indolem vidiſſet Origenes, hortatus eſt eos ad Philoſophiam, in qua paulatim Chriſti fidem ſubintroducens, ſui quoque ſectatores reddidit. Quinquennio itaque eruditi ab eo, remittuntur ad matrem, ex quibus Theodorus proficiſcens πανηγυρικὸν εὐχαριστίας ſcripſit Origeni: & convocata grandi frequentia, ipſo quoque Origene præſente recitavit, qui usque hodie extat. Scripſit & μετά-

Φρασιν

»Φραστὴν in Eccleſiaſtem, brevem quidem, ſed »valde utilem. Et aliæ hujus vulgo feruntur »Epiſtolæ, ſed præcipue ſigna & miracula, quæ »jam Epiſcopus cum multa Eccleſiarum gloria »perpetravit.« Hæc Hieronymus multa mutuatus ex Euſebio ſupra citato.

Παντηγυρικὸς ἐυχαριστίας *ad Origenem*, quem Scholæ Origenianæ valedicturus, coram frequenti auditorio, ipſo etiam præſente Origene recitavit, inſignis eſt, eloquens, atque ex optimis antiquitatis Opuſculis. Romæ prodiit primum Græce & Latine cum aliis Origenis operibus a Gerardo Voſſio evulgatis anno 1594 tum Moguntiæ in 4. 1604. Edidit quoque Græce & Latine David Hoeſchelius Auguſtæ Vindelicorum anno 1605 in 4. ad calcem librorum Origenis *contra Celſum*. Tandem eodem modo Antwerpiæ anno 1613 in 8.

Metaphraſis in Eccleſiaſtem, quæ præter editiones allatas Græce & Latine factas, Romanam anni 1594. Moguntinam 1604. & Pariſienſem 1622. de quibus jam ſupra, extat quoque ſed latine tantum inter Gregorii Nazianzeni Orationes, ordine LIII. cujus Opera Pariſiis in fol. edita annis 1609 & 1630.

Brevis Expoſitio fidei quam a B. Joanne Evangeliſta, una cum B. Virgine Maria noctu apparente, ei traditam, & ipſius Gregorii manu ſcriptam, in Eccleſiæ Neocæſarienſis archivis ſuo tempore conſervatam eſſe, refert Gregorius Nyſſenus, in ejusdem vita Thaumaturgi, cui ipſam inſeruit.

Epiſtola canonica, de iis qui barbarorum incurſu lapſi eſſent: quam allegat ſextum Concilium œcumenicum, & quam Commentariis illuſtrans Theodorus Balſamon, omnem quoque dubitandi anſam abſtulit. Secus de aliis.

Expoſitio fidei prolixior, Arrianis præcipue ac Sabellianis oppoſita.

Hæc certe ad Gregorium Thaumaturgum pertinere non poteſt. Concedimus quidem, ſcriptam modicam aliquam *Profeſſionem fidei* quam edidit in vita ejusdem S. Gregorii, Gregorius Nyſſenus: de qua hic non agitur. Approbamus quoque alteram *Confeſſionem fidei ad Ælianum* per modum Diſputationis ſcriptam, quæ vere Gregorii fuit, & quæ temporum lapſu interiit: ob quam fidei expoſitionem cujus Baſilius Epiſtola 64 meminit, Gregorius Neocæſarienſis Sabellianiſmi ſuſpectus fuit: cum dixiſſet Patrem & Filium eſſe unum Hypoſtaſi, & ſola cogitatione diſtingui. Vnde factum fuit ut plurimum laboraverit Baſilius, quo eum ab hæreſeos Sabellianæ ſuſpicione defenderet. De hac *Expoſitione fidei ad Ælianum*, ait Leontius in libro *de Sectis* Act. 9. *dubitatum fuiſſe a Patribus, an Expoſitio fidei vere fuerit ab ipſo Gregorio ſcripta, quam potius ex Evagrio oſtendit ab Eutychianis eſſe corruptam.* Teſtatur autem Evagrius lib. 6. *Hiſtoriæ* cap. 31 ab hæreticis quosdam Apollinarii libros, mutata inſcriptione, Gregorio Neocæſarienſi attributos fuiſſe. Cum vero hæc interierit, de ea quæſtionem non movemus; ſed de tertia, quæ differt, & ab ea quam Nyſſenus in vita Gregorii hujus retulit, & ab altera de qua loquitur Epiſtola 64 Baſilius. Hanc ergo *Expoſitionem fidei* tertiam, nullatenus ſpectare poſſe ad Gregorium Thaumaturgum cum Ellia du Pin dicimus. *Primum* quod adverſa omnino ſit huic de qua locutus eſt S. Baſilius, quam ad Ælianum ſcripſerat, & per modum Diſputationis inſtituerat, in qua Patrem & Filium eſſe unum *Hypoſtaſi* & ſola ratione diſtingui dixerat: quibus Gregorii verbis male intellectis, abutebantur Sabelliani ad hæreſeos ſuæ confirmationem. Contra vero, hæc diſerte errorem Sabellii proſcribit, expreſſeque dicit, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum eſſe *tres perſonas* & *tres hypoſtaſes:* unde manifeſte colligitur ſcriptam illam eſſe tum poſt Arrianos anno 325 tum poſt Macedonianos anno 381. condemnatos. Quis autem credat ita abſurdum & ineptum fuiſſe Gregorium Neocæſarienſem, ut plures ejusmodi *Expoſitiones fidei* ſibi contrarias faceret? *Secundo* non poteſt ſpectare hæc *Expoſitio fidei*, ad Gregorii Neocæſarienſis tempora, hæreſi Arriana anteriora. Author enim hic Arrianos ex profeſſo ſeu formaliter refellit, appellans Eccleſiaſticæ fidei inimicos, eos qui *Filium ex nihilo creatum* affirmant: atque eos qui vocem *Conſubſtantialis* rejiciunt, extra Eccleſiam conſtitui. Quæ duo Scriptorem Nicæno Concilio poſteriorem oſtendunt. *Tertio* dum Incarnationis myſterium explicat, ita loquitur, ut contra Neſtorium & Eutychetem agere videatur, diſtinctionem naturarum & operationum ſupponens. Opus ergo iſtud nonniſi Neſtorio, & Eutychete poſterius eſt.

Capita XII. de fide, cum Anathematiſmis, cum Neſtorii & Eutychetis errores præſertim jugulent, eandem cum *Expoſitione fidei citata*, cenſuram merentur.

Ad Tatianum de Anima brevis ſermo, cum nullum habeat ab antiquis teſtimonium, merito in dubium vocatur.

In Annuntiationem ſanctæ Dei Genitricis Mariæ, Sermones III. cum *Sermone in Sanctæ Theophaniæ.*

Hos quatuor ſermones recenſitos rejiciunt, ac neutiquam eſſe Gregorii Thaumaturgi exiſtimant, Bellarminus, Labbeus, aliique nonnulli Romanæ Eccleſiæ non ignobiles viri, inter quos Ludovicus Ellias du Pin in *Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo tertio, ubi de Scriptis S. Gregorii Thaumaturgi agit. Horum *de Annuntiatione B. Virginis* ſermonum tertius, ſub nomine S. Johannis Chryſoſtomi Latine tantum apud Lipomanum & Surium habetur. Græce autem inter opera ejusdem Chryſoſtomi editionis Savillianæ, tomo VII. pag. 537. Et editionis Morellianæ tomo VI. Quartus quoque Sermo *in Sanctæ Theophaniæ* extat pariter in Editione Chryſoſtomi Savilliana tomo VII. pag. 350. & in Morelliana tomo VI. Codicibus MSS. apud Græcos variantibus. Sane cuilibet obvium

Digitized by Google

eſt Sermones iſtos non pertinere poſſe ad Gregorium Thaumaturgum: cum ea omnia quæ ad feſta Mariæ Virginis ſpectant, longe recentioris ævi ſint ac poſteriora Concilio Epheſino, anno 431 habito. Vel pueri hoc norunt: ne tamen Critici partibus hoc in loco deeſſe videar, paucis tangam quæ de his ſermonibus habet verbotenus Ellias du Pin in *Bibliotheca Eccleſiaſtica*, loco citato. *Primum* itaque, inquit, præter Veterum de illis altum ſilentium, ſtyli ſunt hi ſermones abjecti ac puerilis, omnino diſcrepantis, multo minus ad eloquentiam & nitorem Gregorianum accedentis. *Secundo* horum Sermonum author, de myſteriis Trinitatis & Incarnationis his loquitur terminis, quibus vixiſſe eum poſt Arii ac Neſtorii natas hæreſes, cognoſcimus. Affectatione quadam differens de Maria Virgine, voce Θεοτόκος utitur, excedentibusque illam laudibus exornat: quod nonniſi poſt Concilium Epheſinum in uſu fuit. Tandem apparet has Homilias eo tempore eſſe conſcriptas, quo profunda pace utebatur Eccleſia, feſtaque Deiparæ multa ſollennitate celebrabat: quæ omnia ævo Gregorii Thaumaturgi non competunt. Sermo IV. *de baptiſmo Chriſti*, cujus feſtum in die Epiphaniæ celebrabatur, cæteris tribus eloquentior atque alterius authoris apparet: qui tamen Gregorius Thaumaturgus non eſt ob easdem cum præcedentibus rationes, in illo enim voces Θεοτόκος & *Conſubſtantialis* inveniuntur.

Hæc ille, qui cenſet tres priores *de Annuntiatione* Sermones, Procli Archiepiſcopi Conſtantinopolitani ſtylum referre, uti annotavit Vincentius Riccardus, qui Romæ anno 1630. Opera Græco-Latina omnia Procli edidit in 4. At pace tanti viri ſecus ſentio. Sermo enim primus *de Annuntiatione*, (de reliquis tribus idem judicandum eſt) ſpectare ad Proclum non poteſt: cum non tantum contra Arrianos & Neſtorianos agat, ſed etiam contra Eutychianos ſeculi ſexti hæreticos, duas in Chriſto naturas confundentes: quod ſane competere Proclo prorſus non poteſt. Si conjecturis hic uti liceret, absque certiorum præjudicio, nomen *Gregorii* indefinite his homiliis poſiti, fucum feciſſe Gerardo Voſſio dicerem: ut hos ſermones omnes cum *Expoſitione fidei prolixiore* atque *Capitibus XII de fide cum Anathematiſmis*, Gregorii Neocæſarienſis Epiſcopi crederet & ederet. Quæ probabilius multo, habita Eutychianiſmi quem ubique profligant ratione, ad ſeculi Eccleſiæ ſexti inſignem virum, Gregorium Antiochenum Epiſcopum, referri poſſent. Conſtat enim teſte Evagrio, illum Homiliis declamandis fuiſſe deditum. Vel etiam illas Gregorio Neocæſarienſi pariter Epiſcopo, magno illi Iconoclaſtarum Anteſignano, qui anno 754 Concilio Conſtantinopolitano vniverſali VII. Epiſcoporum 538 a Conſtantino Copronimo adverſus cultum imaginum congregato interfuit. Tum Palinodiam in Concilio Nicæno II. anno 787 cecinit, ut ex illius Actis conſtat, paſſim Actione 2. 3. 4. & 6. Nam Gregorii Neocæſarienſis Epiſcopi nomen hic quoque conveniens, nullo negotio Gerardum Voſſium fallere potuit, ut ſenioris crediderit, quæ ad juniorem ſpectabant opuſcula atque homiliæ, qui hisce ad populum ſermonibus in honorem Deiparæ prolatis, contractam iconomachiæ maculam abſtergere voluerit. Cæterum cum Feſta B. Virginis Synodo 2. Nicæna recentiora ſint, idem de auctore homiliarum iſtarum dicendum eſt.

Nulla poſt annum 266 amplius memoria Magni illius Thaumaturgi Gregorii habetur, quem anno citato, adfuiſſe Concilio Antiochiæ *contra Paulum Samoſatenum* habito diximus: ex quibus hariolari licet, ipſum quoque haud diu poſt, ex hac vita migraſſe. Quare & improbatur ſententia Nicephori Calliſti Lib. 6. *Hiſtoriæ* cap. 17. pervemiſſe ipſum ad Diocletiani tempora: multo magis Suidæ altera, Imperio Juliani illum ſupervixiſſe. Cæterum Gregorius, ut ait Nyſſenus in ejus vita, ubi cognovit ſuum inſtare obitum, civitatem ac dioeceſim ſuam ſcrutatus: cum ſeptendecim tantum in ea Ethnicos reperiſſet, gratias Deo egit: quod ſuo ſucceſſori tot relinqueret ſimulacrorum cultores, quot ipſe curam ſuæ Eccleſiæ ſuſcipiens, in ea Chriſtianos inveniſſet. Moriens vero domeſticis injunxit ſuis, ut ad ſepulturam nullum ei proprium locum compararent: quo uti vivus loci alicujus dominus vocari non ſuſtinuiſſet, ſed in alienis inquilinus vixiſſet: ita poſt mortem quoque inquilinus aliorum ſepulchrorum eſſet. Agunt pluribus *de Gregorio* noſtro *Neocæſarienſi* Epiſcopo, Baronius & Spondanus *Annalium Eccleſiæ* ſeculo 3. Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatu Sacri* verbo *S. Gregorius Neocæſarienſis* pag. mihi 672. Robertus Bellarminus in libro de *Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 233. quo factus eſt Origenis diſcipulus. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis a Bellarmino recenſitis* tomo 1. verbo *S. Gregorius Neocæſarienſis* pag. 371. Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus* ſeculo 3. cap. 4. art. 5. pag. 157 & ſequentibus Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ ſeculo 3. pag. 93. præter innumeros alios.

ARCHELAVS CARVORVM EPISCOPVS in Meſopotamia, vir celeberrimus qui poſt annum 270. claruit, cujus *Diſputationum cum Manete hæreſiarcha libros duos*, Latino delineatos ſermone exhibent *Collectanea Monumentorum veterum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ*, quæ hactenus in Vaticana Bibliotheca delituerunt, ac Laurentius Alexander Zacagnius Vaticanæ bibliothecæ Præfectus e MSS. Codicibus nunc primum edidit, Græca Latina fecit, notisque illuſtravit, Romæ typis congregationis *de propaganda fide*, 1698. in 4. Narratur in ea, ut profugus in Meſopotamiam Manes audieris de viro quo- 270.

quodam ob raras ſuas virtutes non apud Carrhas modo, qua in urbe degebat, ſed & paſſim alibi decantato, cui nomen *Marcelli:* quem cum hæretica ſua pravitate inficiendum cogitaverit, ſcriptis ad ipſum literis præſentiam ſuam pollicitus eſt. Conceſſiſſe huic ſe convcniendi copiam Marcellus perhibetur, qua uſus ille mox ad ſuſcipiendam cum Archelao diſputationem, ſe adactum vidit, præſentibus e numero Gentilium quatuor Philoſophis, vices arbitrorum ſubituris. Hanc igitur neceſſitatem nulla ratione declinare valens, ſua palam exponere dogmata occepit, quæ tamen ab Archelao adeo fortiter confutata fuerunt, ut univerſa, quæ in domum Marcelli confluxerat, audientium multitudo horrendam eorumdem indignitatem manifeſte perſpexerit, ac impium hæreſiarcham urbe excodere, non citra vehementes motus, ipſiusmet Archelai auctoritate ſedandos, coëgerit. Recepit ſe in vicum longius ab urbe modo memorata diſtantem, Diodori appellatione inſignitam, cujus Presbyter & ipſe *Diodori* nomen gerens, ſparſorum ab eo dogmatum fœditate perculſus, quanam iis ratione obviam eundum ſit, peculiari Epiſtola ad Archelaum exarata percontatus fuit. Qui nihil in ſe deſiderari paſſus, non argumenta ſolum, quibus ante ad incitas eum redegerat, per literas ſubminiſtravit: ſed & mox ad vicum ipſius pergens, diſceptationem cum hæreſiarcha pertinaciſſimo renovavit, eademque felicitate, ac in priori illo congreſſu uſus, acto in exilium antagoniſta, cauſa ſua palam cadente, univerſam hæreſeos hujus hiſtoriam, inde a primordiis ſuis repetitam coram populo expoſuit, animosque præſentium adverſus eam ſolide obfirmavit. Quisnam Acta hucusque enumerata ſcriptis conſignaverit, inter Epiphanium, Hieronymum & Heraclianum non convenit: dum illi, Archelaum ipſum, hic autem Hegemonium quondam officio hoc fuiſſe functum autumant. Sed Zacagnius in præmiſſa huic Tomo *præfatione* rem ita definiri poſſe credit, ut ſtatuamus, Archelaum Syriaca primum lingua divulgaſſe ea, quæ coram delectis judicibus adverſus Manetem protulerat; Hegemonium vero (apud Photium in *Bibliotheca* Codice LXXXV.) quæ ab Archelao jam deſcripta fuerant, meliori non ſolum ordine digeſſiſſe, verum etiam Exordio, Epilogo, aliisque nonnullis locupletaſſe: ut omnibus numeris abſoluta celebris illius diſputationis *Acta* ad poſteros transmitterentur. Et hunc quidem Græco idiomate uſum fuiſſe ſuſpicatur, de Latino autem interprete, cujus verſionem heic exhibet, plura ſibi non liquere; quam quod Hieronymo poſterior fuerit, ſed ante ſeptimum æræ Chriſtianæ ſeculum vixerit: hoc enim vel inde colligi, quod in laudandis Sacræ Scripturæ locis, vulgatam editionem non ſequatur. His prælibatis, urbem in qua habita diſputatio, non *Carchar* aut *Caſchar*, ut Socrates *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* lib. 1. cap. 22. ſcribit: ſed *Carram* fuiſſe Editor probat, & in inveſtigando ejus tempore occupatur, tutiſſimum fore ratus, ſi intra Julium atque Decembrem anni CCLXXVII iſtud collocaveris. Equidem ipſum Archelaum in ſua Diſputatione aſſerere obſervat, quod poſt trecentos & amplius annos a Chriſti morte Manes advenerit: Verum ad exaggerandam ejus ſtoliditatem, qua ſe Paracletum Spiritum a Chriſto promiſſum temere affirmavit, annorum numerum in Diſputationis æſtu eum auxiſſe reſpondet, ut clarius oſtenderet, ipſum longo adeo poſt Chriſti mortem tempore emergentem, Paracletum eſſe non poſſe: quippe quem Dominus poſt ſuum in cœlos aſcenſum illico Apoſtolis ſe miſſurum affirmaverit, & quem reapſe poſt quinquaginta ab ejus reſurrectione dies ab ipſo miſſum fuiſſe, *Acta Apoſtolorum* diſerte teſtentur. Sicuti autem in *Actorum* iſtorum antiquitate ac ſinceritate demonſtranda multus eſt, ita quoque varia eorum fragmenta antea collecta & edita commemorat, illa nempe ab Emerico Bigotio ſibi commiſſa, quæ ad calcem Notarum ſuarum ad Socratem & Sozomenum exhibuerit Henricus Valeſius, ex MS. Codice Ambroſianæ Bibliothecæ, qui monaſterii olim Bobienſis fuerat. Hos autem Scriptores Græce & Latine edidit dictus Valeſius, Pariſiis in folio anno 1668 pag. 197. & ſeqq. apud Antonium Vitræum Regis & Cleri Gallicani typographum. Totum fere iſtud Diſputationis Archelai fragmentum habetur Græce apud Epiphanium Hæreſi 66 a numero 25 ad 32. Cujus utriusque textus comparatione, nonnullos locos in Græco, plures in Latina verſione, ſe correxiſſe teſtatur Bigotius, qui appoſito Græco Epiphanii textu, eadem cum Palladio recudere cogitaverit, ſed poſtea tamen curam hanc iis relinquere ſatius duxerit, qui novam Operum Epiphanii editionem aggreſſuri eſſent. Zacagnius vero Latinum hunc textum e Codice ſexcentorum & ultra annorum, in Bibliotheca cœnobii Caſſinenſis reperto, deſcriptum heic cum Eruditis communicare aſſerit, ac de cætero nequaquam diſſimulat, ipſa hæc Acta nondum integra, ſed pluribus in locis a veteri librario mutilata videri. Cyrillum certe Hieroſolymitanum in ſua *Catecheſi ſexta* quædam Manetis argumenta cum Archelai reſponſionibus recitare, quæ in hac editione non reperiantur. Nec dici poſſe, Cyrillum dictorum modo ſenſum, non ipſa Archelai verba laudaſſe: cum ſimile quidpiam in nullo editionis hujus loco legatur, ac præterea verba illa quæ Cyrillus referat, ita concepta ſint, ut ab ipſomet Archelao prolata credi debeant. Ne tamen vel minimum Actorum Diſputationis iſtius omitteret, fragmentum ex hac Cyrilli Catecheſi deſumptum Græco-Latinum, corollarii loco ſubjunxit. Præterea cum inter Regio-Alexandrinos Vaticanæ Bibliothecæ codices, reperiſſet vetuſti cujusdam codicis apographum, excerpta quædam ex Actis Diſputationis Archelai

chelai a capite 51. ad usque 55. continentis: operæ pretium censuit, in *Appendice* totius tomi, varias ex eo lectiones accumulare, quemadmodum & similes e Babiensi codice, atque aliunde petitas, una cum notulis quibusdam brevioribus, textui ipsi passim substravit. Quo autem fundamento nitatur Editor, quando Archelaum pleraque Romano Catholicorum dogmata illustrare atque confirmare tradit, aliis dijudicandum relinquimus. Hæc verbotenus *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno 1698. Kalendis Septembris, pagg. 394. 395. 396. Illius autem *Archelai* præter allatos, meminit Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 82. atque ex recentioribus Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 278. pag. 100. *Novellæ Reipublicæ literariæ* anno 1700. mense Februario pag. 123. Amstelodami apud Henricum Desbordes.

290. METHODIVS OLYMPI LYCIÆ EPISCOPVS, sive Patarorum; nam Suidas verbo Μεθόδιος unam eandemque urbem nunc *Pataram*, nunc *Olympum* appellatam putat, quod in Olympo monte collocata esset. Eubulus cognominatus est, quod nomen in *Convivio Virginum* diserte assumit. Ex Olympo seu Patara Lyciæ, transiisse ad Episcopatum Tyri in Phœnicia, vult Hieronymus in Catalogo *Scriptorum Ecclesiæ* cap. 93. juxta Miræum & Cavum cap. 83. ubi sic: "Methodius Olympi Lyciæ & postea „Tyri Episcopus, nitidi compositique sermonis, „adversus Porphyrium confecit libros, & sym„posium decem Virginum. De resurrectione „opus egregium contra Origenem, & adversus „eundem de Pytonyssa, & ἀυτεξουσίῳ. In Ge„nesim quoque, & in Cantica canticorum Com„mentarios, & multa alia quæ vulgo lectitantur. „Et ad extremum novissimæ persecutionis, sive „ut alii affirmant, sub Decio & Valeriano, in „Chalcide Græciæ, martyrio coronatus est.„ Hæc Hieronymus. Passus autem Martyrium, non in persecutione Decii & Valeriani, ut quidam cum Suida & Hieronymo scripserunt: sed sub Diocletiano & Maximiano, in Chalcide Græciæ, ad extremum novissimæ persecutionis, die 18. Septembris anno 302. vel 303. Quamvis enim ambæ de tempore ejus martyrii opiniones passim obtineant, illa tamen, quam statuimus & omnes ferme amplexi sunt, verior est. Scripsit enim teste Divo Hieronymo *adversus Porphyrium* Christiani nominis infensissimum hostem, Methodius. At vero vetamam Porphyrii, qui circa annum 270. in Sicilia vixit, & contra Christianam religionem scripsit editis libris redarguere qui potuit, si sub Decio & Valeriano, martyrium Methodius subiit? Porphyrius namque anno Galieni X. qui est Christi 264. e Græcia Romam veniens, Plotino Philosopho adhæsurus, annos tantum XXX. natus erat, & nihil adhuc scripserat. Inde postmodum in Siciliam pervexit, ubi teste Eusebio lib. 6. cap. 19. *Historiæ*, cum alios libros plurimos, tum sceleratos illos contra Christianam religionem scripsit. *Sed quid de iis dico? quando & ipse Porphyrius, qui nostra propemodum memoria in Sicilia degens, contra fidem nostram libros conscripsit.* Cum ergo post annum 264. libri contra Religionem Christianam a Porphyrio conscripti sint, illosque nonnisi postea confutaverit Methodius: hinc infertur Methodii martyrium, ad tempora Decii referri non posse. Multo minus verum est, quod scribunt alii, Porphyrium circa annum 302. scripsisse libros *adversus Religionem Christianam* tempore persecutionis Diocletiani, quos longe ante istud tempus scripsisse, censet Antonius Pagi in *Critica Chronologia* Annalium Baronii, ad annum 302. num. 10. & 11. Cum vero compositionis istorum librorum Porphyrii tempus determinatum designari non possit: facile patet, annum quoque quo a Methodio confutati sunt, assignari non posse. Meminerunt cum laude *Methodii* S. Gregorius Nyssenus in libro cui titulus est, *quid sit ad imaginem & similitudinem Dei.* S. Epiphanius *Hæresi* LXIV. ubi prolixum & insigne ex ipsius libro *de Resurrectione contra Origenem* fragmentum exscribit. S. Hieronymus loco citato, & Epistola 84. ad magnum Oratorem Romanum, his verbis: "Scripse„runt contra nos Celsus atque Porphyrius, prio„ri Origenes, alteri Methodius, Eusebius & A„pollinarius fortissime responderunt: quorum„ Origenes octo scripsit libros, Methodius usque„ ad decem millia procedit versuum, Eusebius &„ Apollinarius XXV. & XXX. volumina condi„derunt.„ Idem in *Apologia* ad Pammachium, pro libris adversus Jovinianum: & in *Præfatione* Commentarii in Danielem Prophetam. Cur vero mentionem illius omiserit Eusebius, id inde profectum Critici volunt, quod in Origenem Eusebii amicum, stylum strinxisset Methodius. Cujus etiam meminit S. Maximus Monachus in *Scholiis* ad caput 7. libri Hierarchiæ Ecclesiasticæ. Anonymus apud S. Joannem Damascenum Oratione 3. *de Imaginibus*. Andreas Cæsariensis Homilia XI. in Apocalypsim, atque Aretas ibidem. Photius in *Bibliotheca* Codicibus 234. 235. 236. & 237. quibus producuntur insignia Methodii fragmenta ex libris *de Resurrectione, de creatis, de libero arbitrio, de symposio Virginum.* Honorius Augustodunensis lib. 1. *de luminaribus Ecclesiæ* cap. 84. Martyrologium Romanum ad diem Septembris XVIII. Menologium & Synaxarium Ecclesiæ Græcæ, ad diem X. mensis Julii.

Opera sancti Methodii edidit in fol. an. 1644. Græce & Latine Franciscus Combefis, vir laboriosissimus, mihi olim dum viveret amicus, Parisiis apud Symeonem Piget, cum Operibus Amphilochii Iconiensis Episcopi & Andreæ Cretensis, de quibus nos postea. Hujus ordinem editionis hic tibi pro more repræsentabo, posterioribus editionibus si quæ sint, ad opuscula singula adjectis, tum ad calcem subjunctis, quæ a Labbeo vel aliis, ad Methodium illustran-

ſtrandum facientia, omiſſa fuerint. Sunt autem

1. *Excerpta ex libro de Reſurrectione*, partim ex Epiphanio, qui libri mediam partem ſe tranſcripſiſſe teſtatur. Partim ex Parallelis S. Joannis Damaſceni, quæ MSS. donavit Collegio Pariſienſi Claromontano Societatis Jeſu, illuſtriſſimus Cardinalis a Rupefalcata. Ex aliis quoque, ut Apographo Jacobi Sirmondi, ex Orationibus *de imaginibus* Anonymi apud Damaſcenum, excerptis Photii Cod. 234. ubi etiam compendioſa expoſitio dictorum quorundam Apoſtolicorum, ex eodem S. Methodii libro habetur. Hic liber ſcriptus fuerat a Methodio *contra Origenem* per modum Dialogi, inter Aglaophonem Origenis ſenſa propugnantem, & impugnantem Proclum ſeu Eubulum, qui Methodius eſt. Quin Methodii ſint fragmenta iſta, nullus dubito, tum ob authoritatem Photii in *Bibliotheca*, tum Hieronymi in *Catalogo* cap. 95. tum ob hæc verba editionis Combefiſianæ pag. 301. *Nam vidi ego in Olympo, is porro mons eſt Lyciæ, ignem ſponte ſua, in montis cacumine, ex imo terræ erumpentem: juxta quem erat arbor Agnus nomine, adeo florida, virens & opaca, ut jugibus potius aquis irrigua naſci videretur.* Cujus quoque arboris meminit in excerptis *ex Sympoſio Virginum* pag. 392. Idem autem iisdem verbis pag. 325. *Vidi*, inquit, *in Olympo monte Lyciæ &c.* Non autem purum hunc librum, neque fragmenta omni extraneo exempta perveniſſe ad nos, conſtat ex Photii excerptis, quæ ex libro S. Methodii *de reſurrectione* retulit, ac Combefiſius habet hic pag. 305. „Lectum eſt ex libro S. Methodii Epiſcopi „& Martyris, cujus hoc eſt argumentum. *Corpus non eſſe vinculum animæ, ut Origenes exiſtimavit: neque corporibus illigatas a Jeremia Prophetâ dici, eo quod in corporibus ſint. Neque enim animæ operationes, a corpore impediri affirmat: imo corpus circumferri potius, & cooperari ad ea, ad quæ anima invitat.* „ *Enimvero quomodo hæc in parte „intelligendus Gregorius Theologus & alii plures?* Quibus allegatur Gregorius Nazianzenus, ad orationem *de amore pauperum*, ut Combefiſius hic annotat pag. 452. Quomodo autem Methodius allegare potuit Gregorium Nazianzenum tunc temporis nondum natum? Neceſſarium ergo eſt, etiam ante Photii tempora, interpolatos fuiſſe libros & dialogos S. Methodii Epiſcopi & Martyris. Neque in excerptis tantum ex libro *de Reſurrectione*, citatur Gregorius Nazianzenus, Methodio mortuo vix natus: ſed etiam in excerptis ex *Sympoſio Virginum* apud Photium, ut poſtea dicemus.

2. *Excerpta ex libro de creatis*, ex Cod. Photii 235. Hottingerus in dubium quidem revocat Methodii librum *de Creatis*, qui cum ſuæ opinionis nullam idoneam rationem afferat, nec idoneus ſit, qui adverſus Hieronymum in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 93. juxta Cavum 83. & Photium in *Bibliotheca* Cod. 235. pugnet.

3. *Excerpta ex libro de libero arbitrio*, qui jam ferme integer comparet, conflatus tum ex iis quæ Joannes Meurſius ab anno jam 1619. in *variis ſacris* edidit, tum ex Photianis fragmentis Cod. 236. atque altero quod Jacobus Sirmondus conferendum dederat dicto Franciſco Combefiſio, dum editionem ſuam meditaretur.

4. *Excerpta ex Sympoſio ſeu convivio Virginum & caſtitate.* Ex editis partim ab Allatio cum Euſtathio in Hexaemeron, partim ex Photianis excerptis Cod. 237. Sed integrum jam extat illud *Convivium Virginum* in quo colloquuntur decem virgines, Marcella, Theopatra, Procilla, Domnina, Theophila, Thalluſa, Thecla, Thabia, Agatha, Thuſiana *de laudibus virginitatis*: editum a Leone Allatio Romæ anno 1656. in 8. cum Diſſertatione *de Methodio*, quæ viro erudito indigna non eſt. Illud quoque idem opus anno ſequenti 1657. edidit Græce & Latine Petrus Poſſinus Soc. Jeſu Theologus, Pariſiis in fol. ex Typographia Regia, qui nihil quicquam huic adjunxit operi, præter editionem ſecundam. Denique & Franciſcus Combefis illud *tertio* edidit Græce & Latine in *Auctario poſtremo* ſuo Bibliothecæ veterum Patrum, in fol. 2. tomis impreſſo 1672. Aureliæ in Galliis, quod venale Pariſiis proſtat, de quo nos ſæpius. Extat parte 1. hujus Auctarii a pag. 64. ad 143. ubi notæ adjiciuntur ad pag. 162. Andreas Rivetus l. 1. *Critici Sacri* cap. 20. contendit librum hunc *de Caſtitate* non poſſe eſſe Methodii, in quo citatur *Theologus*, ſi is ſit Nazianzenus ut in margine annotat Jeſuita Schottus, quem ſeculo ferme uno Methodius anteiuit.„ Sed contra Hieronymi atque Photii authoritatem quis pugnaverit, hoc opus Methodio diſerte aſſerentium? Æquius longe cum Photio in Bibliotheca Cod. 237. dicamus. ὅτι σημειωτέον ἐκ τούτου ὁ διάλογος, ὃν ἐπιγράφει συμπόσιον, ἢ περὶ ἁγνείας, πολὺ νοθευμένος ἐστι. Εὑρήσεις γὰρ ἐν αὐτῷ παρεμβεβλημένας καὶ λεπτομερεῖς δοξολογίας, καὶ ἑτέρων τινῶν παλαιοξένιστα μυθολογήματα. *Notandum hunce Dialogum qui Sympoſium ſeu de Caſtitate inſcribitur, magnam partem adulteratum eſſe: offendes enim in illo adjectam etiam Arianæ vanaque opiniones, aliasque male ſentientium fabulas.* Unde & in his excerptis ex editione Combefiſiana pag. 394. allegatur Gregorius Theologus, qui dum Methodius ſcriberet, vix tum natus erat: cujus ad marginem notat Combefiſius, *Orationes* S. Gregorii Nazianzeni duas, alteram *in Chriſti natalitia*, alteram *in Paſchate II.* deſignatas, atque citationi convenientes. Addit Combefiſius in *Notis* p. 469. ad hanc Nazianzeni citationem: *Videtur gloſſema, ac forte a margine irrepſit in textum: quaſi voluerit Photius Methodii cum Gregorio conſenſionem in eo dogmate, levius perſtringere.* Sed vanæ mihi ejusmodi excuſationes ſunt, quibus ſæpius utitur Combefiſius, ut adulterata admittat.

5. *Homilia in festum occursus, seu de Simeone & Anna*, quam Leo Allatius sub nomine Methodii inventam, pro viribus sancto Methodio seniori asserit, Olympi in Lycia Episcopo & Martyri, cum aliis Marianæ devotionis alumnis post Baronium & alios. Quod nonnisi Ecclesiasticæ antiquitatis omnino ignaris persuaderi poterit, unde miror quomodo in hanc mentem Allatius, Combefisius, cæterique concesserint. Quam merito autem sancto Methodio juniori Constantinopolitano Patriarchæ asseratur, his evinco argumentis: 1. enim Homilia hæc pronunciata in Concilio aliquo seu Synodo Ecclesiastica, in qua plures aderant Episcopi, quos per reverentiam *honorabiles Patres ac Fratres* appellat. Ita sub initium: *Hodie siquidem divinorum oraculorum Concilium aperitur, glorioſaque hujus diei symbola gestaque facta a sacris Prædicatoribus Ecclesiastico cœtui relegantur.* Item sub finem: *Tanquam spiritu præsentes, se una cum positis illic Patribus ac Fratribus festum diem & conventum agentes, latis vocibus salutaverimus.* At hæc nullo modo in tempora persecutionum cadunt, quibus Methodius senior occubuit: optime autem cum Methodio Constantinopolitano noni seculi, cujus in sedem frequenter præstantissimus Clerus, varia ob negotia, Episcopi Archiepiscopiq; se conferebant, coram quibus habere potuit Orationem. 2. Author hujus Orationis, sub finem alludit sequentibus verbis ad Symbolum Nicænum seu Constantinopolitanum, dum de Christo: Σὺ εἶ Φῶς, λέγοντες, ἀληθινὸν, ἐκ Φωτὸς ἀληθινοῦ· Θεὸς ἀληθινὸς ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ. *Tu lumen es verum, ex vero lumine: Deus verus, ex Deo vero.* At Methodius senior excesserat longe ante utrumque Concilium, ad quorum alludere verba non potuit, bene tamen, junior. 3. Hæc oratio impetit manifeste Nestorium, ejusque sæpe sæpius hæresim profligat: unde nec pertinere ad Methodium seniorem potest, qui 130. circiter annis, ante damnatam in Concilio Ephesino Nestorii hæresim mortuus est. Audiamus loquentem Authorem, non per transennam, sed cum affectatione etiam maxima, ubi de Maria quam *Matrem Dei* apellat, pag. 417. Παρθενοῖς σε ὕμνοις προσφθέγξομαι, θύγατερ Δαβὶδ, καὶ μῆτερ τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ Δαβὶδ. *Patriis te canticis Filia David, Materque Domini & Dei David, salutabo.* Pag. 420. Ἔυγε ἔυγε μῆτερ Θεοῦ καὶ δούλη, ἔυγε ἔυγε, ἡ ὑπόχρεων ἔχουσα τὸν πάντων δανειστήν. *Euge euge, Mater Dei, Ancillaque. Euge euge, cui ille omnium creditor, debitor fit.* Enorme sane, atque impudens virginis præconium, Græco adultero dignum, pag. eadem. Ἡ μῆτερ τοῦ πλάσαντος, ἡ τιτθὴ τοῦ τρέφοντος, ἡ περιοχὴ τοῦ περιέχοντος, ἡ φέρουσα τὸν φέροντα ῥήματι τὰ πάντα, ἡ πύλη τῆς ἐν σαρκὶ ἀνατολῆς τοῦ Θεοῦ. *Mater creatoris, nutrix nutritoris, ejus complexio qui omnia complectitur, portans eum qui verbo omnia portat, porta per quam Deus in carne oritur.* Pag. 425. Θεότι καὶ μόνη συμμερίσασθαι Θεῷ τὰ τοῦ Θεοῦ κατηξίωσαι, Θεὸν γεννήσασα σαρκὶ μόνη, τὸν ἐκ Θεοῦ πατρὸς μονογενῶς καὶ συναϊδίως γεννηθέντα. Φιλαληθῶς ὄντως λόγοι πίστεως ἀκραιφνεῖς ἀντεχόμενοι. *Nam & sola eorum quæ Dei sunt, partem cum Deo habere meruisti, quæ sola Deum ex Deo Patre unigene ac sempiterne genitum, carne genueris. Ita veraciter sentiunt, qui sinceram fidem amplectuntur.* Quid quæso clarius dici unquam potuit, ut scribere se post Concilium Ephesinum profiteretur? Pag. 429. μνήμην ἀδιάλειπτον ἡμῶν ποιοῦ παναγία θεοτόκε, τῶν εἰς σὲ καταπαλλομένων. *Indefinentem nostri memoriam habeas sanctissima Deipara, qui in te gloriamur.* Hæc, ad satietatem. 4. Tanta styli affinitas inter hanc & alias junioris Methodii Orationes, quod patet ex ejus *Encomiis* in sanctam Agatham & Dionysium Areopagitam: ut ovum ovo similius non sit. Sane quod huic Authori Græco maxime singulare est, ut in dicta Oratione auditores allocutus, hos *Patres & Fratres* simul appellet: invenitur similiter expressum in Oratione dicta ad laudem S. Agathæ, quæ dubio procul junioris Methodii Constantinopolitani Patriarchæ est, unde ejusdem scriptoris utrumque Opus esse, judicandum est. Ita sub finem Orationis in *Occursum* pag. 426. εἷς τῷ πνεύματι συμπαρόντες, καὶ συνεορτάζοντες τοῖς ἐκεῖσε τιμιωτάτοις πατράσι καὶ ἀδελφοῖς. *Tanquam Spiritu præsentes, ac una cum positis illic honorabilibus Patribus ac Fratribus festum diem & conventum agentes.* Et junior, sub initium orationis in sanctam Agatham: *Patres Fratresque, quotquot simul hic adestis, ac prope adstatis.* 5. Voces istæ *Patribus ac Fratribus*, item *Patres Fratresque* seculum Ecclesiæ novum olent, referuntque Authorem qui vel eodem seculo vixerit, vel Sermones Catecheticos sancti Theodori Studitæ Abbatis legerit, qui suas omnes conciones ita orditur. 6. Denique sic loquitur Author hujus Orationis pag. 409. Ἔμπροσθέν σε ἐκ ἐγεννήθη Θεὸς ἄλλος ἐκ Θεοῦ καὶ πατρὸς, καὶ μετὰ σὲ οὐκ ἔσαι ἄλλος υἱὸς τῷ πατρὶ ὁμοούσιος, καὶ ὁμότιμος. *Ante te non est natus Deus alius ex Deo Patre, nec post te futurus est alius Filius Patri consubstantialis, & ejusdem cum ipso gloriæ.* Quæ verba Authorem Concilio Nicæno posteriorem aperte arguunt, proindeque Methodium seniorem ab hac Oratione excludunt, cujus temporibus vox consubstantialis nondum inventa vel usitata fuit. Si conjecturis indulgere licet, quantum ad stylum, spectat oratio ista ad *S. Theodorum Studitam* magnum illum nono seculo imaginum propugnatorem. Solebat enim ille semper auditores suos vocibus conjunctis *Patrum Fratrumque* compellare, ut in homilia ista cum affectatione aliqua contingit. Eandemque methodum observavit ejus discipulus Naucratius, ut habes apud Guillelmum Cavum in *Historia Literaria* ad annum 813. pag. 512. Sane idem Cavus hanc *Orationem* cum sequenti *in ramos palmarum* attribuit non incongrue Methodio Patriarchæ Constantinopolitano, ad annum 842. pag. 532. cui assentior.

Objicies

Objicies Authorem hunc ſub Orationis hujus initium, *Sympoſium Virginum* a ſe compoſitum allegaſſe: quod cum Methodio ſeniori competat, ejusdem eſſe orationem hanc, conſequitur. Reſpondeo, iſtud absque dubio a ſcribis additum, ut ornatæ mirum in modum orationi huic, majorem authoritatem conciliarent: vel a juniore etiam Methodio orationem ſuam tranſcribente, hoc potuiſſe fieri, ut gravius ei pondus antiquitatis & majeſtatis accederet. Arridet primum magis, nam periodus illa prima apud concionatores inſueta admodum, ut ſub ſermonum ſuorum initia, opera a ſe compoſita allegaverint. Præterea allegatio *Sympoſii Methodiani* abſurda hic eſt, cum neque ibi de *Virginitate* neque de *Virginibus* ſpeciatim agatur; ſed de Chriſto Domino, Maria Matre, Symeone ſene & Anna, feſtum *Occurſus* facientibus. Denique quid ſibi vult hic Scriptor in prima periodo, dum ait: *Et breviter quantum licuit, & de caſtitate in Sympoſiacis abunde explicuiſſe?* Hæc enim ſecum pugnant, *abunde & breviter:* aſſutoremque & interpolatorem arguunt.

6. Oratio *εἰς τὰ βάϊα* ſive *in ramos palmarum*, quam ex Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ edidit Græce & Latine Franciſcus Combefis, cum ejusdem Methodii aliis & Amphilochii, incerta eſt. Hanc ſub Joannis Chryſoſtomi nomine antea ediderat Henricus Savillius ſub hoc titulo *εἰς τὸν εὐλογημένον*, tomo 7. Certum autem eſt nequaquam pertinere ad Methodium Seniorem Epiſcopum, 1. quia facta eſt iis temporibus, quibus feſta feſtis in Eccleſia ſuccedebant, hoc eſt, frequentia erant, ut teſtatur author ſub Orationis initium. At feſta non fuerunt in Eccleſia, ante pacem & tranquillitatem ab Imperatoribus Chriſtianis datam. 2. pag. 439. inquit, *Unum quippe regnum eſt Patris & Filii & Spiritus ſancti, quemadmodum etiam eſt una ſubſtantia, unaque dominatio: unde & unam adorationem unam trine ſubſiſtentem Deitatem colimus &c.* quibus aperte Arrianos atque Macedonianos confodit: non ergo Methodius ſenior hujus homiliæ author eſſe poteſt. Nec enim priſcis Eccleſiæ temporibus, ita aperte ac clare myſterium Trinitatis, a doctiſſimis etiam explicabatur. 3. Idem pag. 440. Arrianos directe ferit. *Si ei ſervus, cum tremore ſubjiciere Domino. Qui enim Verbum bello impetit, is non ſervus benevolus, ſed maniſeſtus eſt hoſtis: nam ſcriptum eſt, Qui non honorat Filium, non honorat Patrem qui miſit illum.* At mortuus erat Methodius ſenior, longe ante exortam Arii hæreſim: unde ſi cui, certe Methodio juniori hæc homilia competit.

7. *Revelationes* ſub nomine S. Methodii, ſeu Relationes quæ res geſtas ſeculis 7. 8. & 9. in Oriente continent. Extant *Revelationes* ejusmodi Græce & Latine inter Orthodoxographos Baſilex 1569. 2. Volum. in fol. editas, Tomo 1. pag. 93 ſub hoc titulo *περὶ τῶν ἀπὸ συσέσεως κόσμου συμβάντων καὶ τῶν μελλόντων συμβαίνειν εἰς τὸ ἑξῆς &c. Divi Methodii Patarenſis Epiſcopi & Martyris, de rebus quæ ab initio mundi contigerunt, quæque deinceps contingere debent, Revelationes*, per paraphraſim authore incerto translatæ: in quibus multa de Turcis, multa de Antichriſto & extremo judicio prædicta habentur, adeoque (inquit Cavus pag. 106.) Methodio Confeſſori Patriarchæ Conſtantinopolitano qui anno 842 claruit, vel alteri forſitan Methodio Patriarchæ qui floruit circa annum 1240 adſcribendæ videntur. Quod enim eas tanquam genuinas Methodio Paterenſi adſerat Græci Synaxarii author, nullius momenti eſt, cum hujusmodi teſtimonia apud æquos rerum judices, nullius authoritatis ſint. Author enim hujus Operis Nicephorus Calliſtus, de quo ad annum 1310 abunde diximus, quemque Continuator Cavi anno 1333. collocat.

Agunt de ſancto *Methodio* Martyre & Epiſcopo, præter allatos veteres, Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis* ſeculo 3. Henricus Spondanus in *Compendio* Annalium Baronii ad annum 302. num. 8. & 402. num. 5. De Scriptis autem illius Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro* tomo 2. verbo *Methodius* pag. 106. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis a Bellarmino diſcuſſis* tomo 2. verbo *S. Methodius Martyr* pag. 87. & ſequentibus. Allatius in Diſſertatione ſingulari, *de Methodiis & eorum Scriptis*. Natalis Alexander in *ſelectis Hiſtoria Eccleſiaſtica capitibus* ſeculo 3. cap. 6. art. 1. pag. 391. cum multis aliis, quos hic brevitatis cauſa omittimus.

NILVS SCRIPTOR GRÆCVS cujus alia ignorantur, Græce *Martyrium S. Theodori Ancyrani & ſociorum* compoſuit, qui anno 304. ſub Diocletiano & Maximiano paſſi dicuntur, quod MS. extat in bibliotheca Vaticana Codice 655. Illud inde eductum edidit Græce & Latine ex ſua interpretatione Daniel Papebrochius, Tomo IV Maji menſis, anno 1685 ad diem 18 Maji pag. 149 ad 165 cui pag. 147. Commentarium præmiſit, ubi num. 1. & 2. de Nilo hujus Martyrii ſcriptore late diſſerit, quem ex authoritate Allatii in Diatriba *de Symeonum ſcriptis*, fuiſſe ſynchronum & oculatum teſtem Martyrii quod enarrat, aſſerit. Idem Papebrochius ibidem reperit in Codice 6188. *Alia* eadem Latine translata a Guilielmo Sirleto Cardinali Bibliothecario, in ejusmodi translationibus jampridem exercitato, quando ſolum Protonotarius Apoſtolicus complures vitas Sanctorum ex Codicibus MSS. bibliothecæ Cryptæferratæ Latinas fecit, rogante Aloyſio Lipomanno, ut apparet tomo 7. parte 2. Novam tamen ſe verſionem Papebrochius adornaſſe affirmat, quia ut alias ſæpe, ſic etiam hic deprehendit virum alias eruditum, leviori tamen manu multa interpretatum eſſe, nec omnino ad mentem Græci authoris, quæ ſane meretur penitus, accurateque cognoſci: cum vix aliud paris auctoritatis monumentum extet, inter Paſſiones

310.

Martyrum perſecutionis ultimæ, ad quam hoc ſpectare mox dicitur. Allatius ut probet hæc *Acta* a Nilo in Martyrio comite exarata vera eſſe, tria allegat loca. In *primo* ſub initium hæc leguntur, *nos ea dicamus quæ ab initio una cum Martyre verſantes, ipſi cognovimus & oculis noſtris vidimus, quantam fortitudinem ac toleantiam ſervaverit: quippe qui cum præſentes eſſemus, digni habiti ſimus, qui admonitionis noſtræ cauſa, ejus ſermones audiremus.* Dein num. 16 iſta profert: *Tunc cognovimus Polychronium eſſe proditorem.* Sed clariſſime ſub finem iſta indicat his verbis: *Hæc omnia ego Nilus humilis & abjectus homo diligenter expoſui, qui & in carcere una cum illo verſatus, ſingula hæc cognovi & in commentarium retuli, ubique veritatem ſecutus, ut & vos hæc audientes, ſine aliqua dubitatione, certa & vera eſſe cognoſceretis.* Id ipſum quoque ex Papebrochio, confirmat ſtylus, luculentus quidem, ſed gravis, nihilque licentiæ habens, admirationi magis quam fidei conciliandæ idonea, quæ in variis Martyrum paſſionibus notatur, ſcriptis diu poſt rem geſtam, ſæpe cum exigua non ſolum veritatis, ſed etiam veroſimilitudinis cura. Hæc Papebrochius loco citato. Sed non video cur hæc Acta a Nilo incognito homine ſcripta, cujus nullus veterum mentionem facit, quamvis ſynchroniſmum affectet, veriora ac ſinceriora ſint *Actibus aliis Græcis multis, ſynchroniſmum eundem affectantibus? Cur veriora & ſinceriora Martyrio Sanctorum Philetari & Eubioti*, quod eductum ex MS. Codice Regis Chriſtianiſſimi, interprete Daniele Cardono Societatis Jeſu, hoc eodem tomo Maji menſis, Græce & Latine editum eſt a Daniele Papebrochio ad diem XIX Maji pag. 312. *Commentario* etiam ad eorum ſuppoſitionem probandam præmiſſo, licet ſynchroniſmum pariter auctor affectet. Hæc enim figmenta Græcis frequentia ſunt, ut ex plurimis Martyriis ac Legendis ipſorum MSS. conſtat. Cur veriora *Actis ſuſpectis* ſub nomine Luciani & Pauli, ut Martyrio ſanctæ *Heliconidis Virginis & Martyris Corinthiæ* præſentium, quæ anno 1688. retulit tomo 6 Maji menſis Daniel Papebrochius Græce & Latine ad diem 27 Maji pag. 738. ex MS. Codice Græco bibliothecæ Laurentianæ Sereniſſimi Magni Hetruriæ Ducis, interprete Daniele Cardono Soc. Jeſu? Cur veriora denique ac ſinceriora *Actis fabuloſis Martyrii ſancti Meletii & Sociorum*, quæ anno 1685 Antwerpiæ edidit ex MS. bibliothecæ Laurentianæ Florentiæ Pluteo IX. Codice 14 tomo 5 Maji menſis, idem Daniel Papebrochius, in *Appendice* ad XXIV. Maji diem pag. 436 prævio *Commentario* pag. 435. Illaque ex interpretatione Danielis Cardoni Soc. Jeſu, a pag. 436 ad 467. Nullus enim neſcit, quam Græci proclives, ad Acta ſanctis Martyribus cum affectatione ſynchroniſmi ſupponenda, extiterint.

320. LVCIVS CÆLIVS LACTANTIVS FIRMIANVS, natione Afer. Arnobii Siccenſis in Numidia Rhetoris auditor, ob ſuavem ſcribendi rationem Cicero Chriſtianus a multis appellatus, cujus & laudes & nævos ingenue aperit variis locis D. Hieronymus, qui unus omnium inſtar *de Lactantio* eſſe poteſt. In libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 90. juxta alios 80 ita ſcribit: "Firmianus qui & Lactantius Arnobii diſcipulus, ſub Diocletiano principe accitus" cum Flavio Grammatico cujus *de Medicinalibus*" verſu compoſiti extant libri, Nicomediæ Rhe-" toricam docuit, ac penuria diſcipulorum ob" Græcam videlicet civitatem, ad ſcribendum ſe" contulit. Habemus ejus *Sympoſium* quod ado-" leſcentulus ſcripſit. Ὁδοιπορικὸν de Africa" usque ad Nicomediam, hexametris ſcriptum" verſibus: & alium librum qui inſcribitur *Gram-*" *maticus*, & pulcherrimum *de Ira Dei* & *Inſtitutio-*" *num Divinarum adverſus Gentes* libros ſeptem, &" ἐπιτομὴν ejusdem operis in uno libro acephalo," & ad *Aſclepiadem* libros duos, *de Perſecutione* li-" brum unum. Ad Probum *Epiſtolarum* libros" quatuor. Ad Severum *Epiſtolarum* libros duos." Ad Demetrianum auditorem ſuum libros" duos. Ad eundem de *Opificio Dei* vel *formati-*" *one* hominis, librum unum. Hic extrema ſe-" nectute magiſter Cæſaris Criſpi filii Conſtanti-" ni in Gallia fuit, qui poſtea a patre interfectus" eſt." Quantum autem ad *Epitomen divinarum inſtitutionum*, quæ ætate D. Hieronymi mutila principio fuit, illam nobis dat *integram ad Pentadium fratrem* directam, ex MS. Codice Bibliothecæ Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis quæ Taurini eſt, Chriſtophorus Mathæus Pfaffius huic Bibliothecæ Præfectus, diſtinctam in 72 capita, cujus 55 priora primum prodeunt, reliqua ex fragmento illius dudum edito cognita ſunt. Ita Pariſiis 1712 in 8. pagg. 246 apud Joannem Baptiſtam Delepine, vico jacobæo ſub ſigno Sancti Pauli. Vir Lactantius omnino juxta Hieronymum eloquentiſſimus, ut habet Epiſtola 13 ad Paulinum: *Lactantius quaſi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit.* Eidem Hieronymo Epiſtola 83 ad Magnum ſcribenti, libri ſeptem *Inſtitutionum Divinarum* Lactantii cum aliis *de ira & opificio Dei*, ob ſuavitatem & eloquentiam dictionis, quoddam Ciceronis compendium viſi ſunt. "Septem libros adverſus" Gentes Arnobius edidit, totidemque diſcipu-" lus ejus Lactantius qui *de ira* quoque & *opificio* " *Dei* duo volumina condidit: quos ſi legere vo-" lueris, Dialogum Ciceronis in eis excerptum" reperies." Adeo tamen in hac vita pauper, ut plerumque etiam neceſſariis indigeret, inquit Hieronymus in Chronico ad annum IV. Olympiadis CCLXXIII id eſt Chriſti 318 vel juxta Baronium 320. Hoc tamen intelligendum videtur de Lactantio noſtro dum Nicomediæ cum paucis auditoribus verſaretur, vel ſaltem antequam a Conſtantino Magno ad Criſpum erudiendum eligeretur: quis enim credat tam benevolum & liberalem etiam Imperatorem hoc paſſum,

Digitized by Google

passum, ut Lactantius Crispi principis præceptor, necessariis quoque indigeret, aliis in aula Regia omnibus ad satietatem atque delicias abundantibus? Male ergo ad hæc tempora ac serius quam par sit, Lactantii paupertas consignata videtur. Orator certe eloquentior Lactantius, quam Theologus insignis extitit: cujus & nævos Hieronymus non dissimulavit in *Apologia* ad Pammachium & Oceanum. *Lactantius in libris suis & maxime in Epistolis ad Demetrianum, Spiritus sancti omnino negat substantiam, & errore Judaico dixit eum ad Patrem referri vel ad Filium, & ad sanctificationem utriusque personæ, sub ejus nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam ejus Institutionum libros, quibus contra Gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestanda est?* Quin & in Epistolam ad Galatas Lib. 2. cap. 4. cum quorundam lapsus notasset, subdit de Lactantio: *Hoc ideo quia nimia per imperitiam Scripturarum, quod & Firmianum in octavo ad Demetrianum Epistolarum libro fecit, asserunt Spiritum sanctum sæpe Patrem, sæpe Filium nominari.* Quæ causa fuit cur etiam Gelasii Romani Episcopi judicio, in Synodo Romana anni 494. in Decreto *de libris Authenticis & Apocryphis*, Opuscula Lactantii apocrypha censerentur. Nec ibi tantum mentem suam de *Lactantio* Damasus Papa aperuit, sed Epistola etiam sua quæ apud Hieronymum 124 quid de illo sentiret, sequentibus non suppressit verbis: „Fateor quippe tibi, eos quos „jam pridem Lactantii dederas libros, ideo non „libenter lego, quia & plurimæ Epistolæ in eis „usque ad mille spatia versuum tenduntur, & „raro de nostro dogmate disputant: quo fit ut „& legenti fastidium generet longitudo: & si „quæ brevia sunt, scholasticis magis sint apta, „quam nobis, de metris & regionum situ & phi„losophis disputantia.

Justam quidem hanc se habuisse scribendi occasionem, Lactantius scribit. Cum anno circiter 302 N. comediæ Rhetoricam publice profiteretur, testatur Lib. 5. *Institutionum* cap. 2. hoc ipso anno quo Imperatores Christianorum Ecclesias persequebantur, duos in eadem civitate extitisse, qui adversus religionem nomenque Christianum scripta virulenta ediderint. Alterum quidem Philosophum, & inter hujus temporis Philosophos principem sibi locum vindicantem, cum tamen omni ex parte libidinibus infandis esset turpissimus. Alterum vero e Judicum numero, qui author imprimis persecutionis faciendæ extitisset. Porro licet quinam illi fuerint, Lactantius reticendum existimaverit: ultimus tamen, ex titulo nempe *veritatis amatoris*, quem operi suo imposuisse tradit, non alius quidem esse cognoscitur quam Hierocles: quam libros suos *contra Christianos* eo titulo annotasse author est Eusebius, qui adversus eum scribens, omnes impudentis hominis conatus temerarios confregit. De priore autem illo Philosopho, nullus nisi Porphyrius quem opinari possimus, occurrit: quem inter Platonicos horum temporum excelluisse, sed & Apostatam perfidum adversus Christianam religionem Commentarios edidisse, exploratum est. De cujus patria, religione ac moribus, a Baronio late dictum est, sub Gallieno Imperatore ad annum Christi 264. occasione ipsius in urbem Romam adventus. Vt igitur tam Porphyrii (ut volunt) quam Hieroclis vulgatos in Christianas Religionem libros penitus confutaret, veritatemque multis oppressam calumniis magis illustraret: Lactantius nobilem illam suscepit provinciam *Divinarum Institutionum* septem luculentissimos libros conscribendi, sicut ipsemet instituti sui rationem reddens, testatur. Ita ille Lib. 1. *Institutionum* cap. 4. *Ii ergo de quibus dixi, cum præsente me ac dolente, sacrilegas suas litteras explicassent, & illorum superba impietate stimulatus, & veritatis ipsius conscientia, ut ego arbitror: suscepi hoc munus, ut omnibus ingenii mei viribus, accusatores justitiæ refutarem. Non ut contra eos scriberem, qui paucis verbis obteri poterant: sed ut omnes, qui ubique idem operis efficiunt aut effecerunt, uno simul impetu profligarem.* Et quidem anno Christi 316 libros istos Divinarum Institutionum consummasse a nonnullis creditur, quo Licinius Ecclesiam Christi prosequebatur, atque adversus illum expeditio a Constantino Magno parabatur. Ita Baronius in *Annalibus* ad annum 316 num. 4. quos adhuc serius rejicit ad annum 320 Antonius Pagi in *Critica Chronologia* adversus Baronium, seculo 4 ad annum 315 num. 6. pag. 59. opinatus *Institutiones Divinas* Lactantii Constantino Imperatori fuisse dicatas. Verum fallitur uterque. Inscriptiones enim ad Constantinum Magnum quæ in Librorum 1. 2. 4. & 5. fronte comparent, nec antiquiores editiones, neque melioris notæ manuscripti Codices habent: quæ ideo ab aliena & adulterina adjectæ manu ab eruditis censentur.

Agunt de Scriptis *Lactantii Firmiani*, eorumque innumeris editionibus, Possevinus, Labbeus, Cavus, Ellias du Pin, de quibus agere, nobis omnino superfluum esse videtur. Hic aliud agamus, paucis recensentes eos, qui anterioribus seculis ac nostro, labores suos evulgandis corrigendisque ad MSS. Codices Lactantii Firmiani Operibus, contulerunt. Antonius Raudensis Italius ordinis Minorum circa annum 1450 diligenti facta collatione, Opera Lactantii ad Manuscriptos Codices emendavit, præfixa locorum notatione, qui minus quadrare veritati videbantur. Sic impressa prodierunt postmodum Romæ annis 1465. 1470. 1474. Venetiis 1472. 1478. 1483. 1490. 1497. apud Bevilaquam. Lugduni anno 1532 apud Griphium & alios sæpius. Alter seu *secundus* Xistus Betulejus Opera omnia Lactantii Commentariis suis auxit, quæ impressa Parisiis anno 1563. *Tertius* Michael Thomasius Hispanus, Antonii Augustini in Episcopatu Ilerdensi successor, cujus Notæ elegantes cum Lactantii Operibus prodierunt, impressæ Antwerpiæ annis 1579 & 1587

apud Plautinum. Et poſt biennium, hoc eſt anno 1589. Pariſiis quoque inſertæ Operibus Lactantii, in editione ſecunda Bibliothecæ Veterum Patrum, apud Michaelem Sonnium. *Quartus* Joſephus Iſæus Cæſenas, olim Sancti Petri in Vrbe Canonicus, Opera Lactantii omnia ad MSS. Codices eruendata, primum Cæſenæ 1646 in folio, tum poſtea Romæ in fol. edidit anno 1650 cum brevibus Commentariis ad calcem, ex typographia Maſcardi. *Vltimus* Servatius Gallæus anno 1660. Lugduni Batavorum Lactantium edidit cum doctiſſimis Variorum notis, quibus ſuas quoque non contemnendas adjecit, quo opere ſuperiores editiones omnes longe ſuperavit. His amicum adjungimus Stephanum Baluzium, qui anno 1679 tomo 2 *Miſcellaneorum* primus e tenebris eduxit Lactantii Librum *de mortibus perſecutorum*, cum eruditiſſimis notis ad tomi finem adjectis, qui poſtmodum etiam prodiit Oxonii 1680 in 12. Aboæ 1684 in 8. & alibi. Denique Opera Lactantii omnia cum libro *de mortibus perſecutorum* edita ſunt, collataque ad MSS. Codices, Oxonii anno 1684 & Cantabrigiæ 1685 in 8.

Ejus opera, ut ſupra jam attigimus, Gelaſius Romanus Epiſcopus in Concilio Romano 494 ad Apocryphorum claſſem rejecit, ob multos quos propugnavit errores, quorum hic tibi po-
1. tiſſimos in compendio ſiſtemus. *Primum* & graviſſimum ut ſupra jam expreſſimus, quem ſanctus Hieronymus Epiſtola 65. ad Pammachium & Oceanum, contra divinitatem ſancti Spiritus notat. *Lactantius*, inquit, *in libris ſuis & maxime in Epiſtolis ad Demetrianum, Spiritus Sancti omnino negat ſubſtantiam: & errore Judaico dicit eum vel ad Patrem referri, vel ad Filium, & ſanctificationem utriuſque perſonæ, ſub ejus nomine demonſtrari. Quis mihi interdicere poteſt, ne legam Inſtitutionum ejus libros, quibus contra gentes ſcripſit fortiſſime, quia ſuperior ſententia deteſtanda*
2. *eſt?* 2. Idem lib. 2. cap. 15. docet Angelos ad hominum tutelam deſtinatos, cum humanum genus augeri cœpiſſet, eosdem a Diabolo terræ dominatore ad vitia pellectos mulierum congreſſibus ſe coinquinaſſe, tum in cœlum, ob peccata quibus ſe immerſerant, non receptos, in terram cecidiſſe. Qui autem ex his procreati ſunt, neque Angelos neque homines fuiſſe, ſed mediæ cujusdam naturæ, terrenos ſcilicet dæ-
3. mones. 3. Idem Lib. 4. cap. 18. ait Pilatum ſententiam non protuliſſe adverſus Chriſtum, ſed tradidiſſe eum Judæis, ut de illo ipſi ſecundum legem ſuam judicarent: quod aperte repugnat Evangelicæ Hiſtoriæ, Matth. 27. *Jeſum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.* Non ait Evangeliſta, *tradidit eis ut judicaretur, ſed ut ſuffigeretur cruci:* quod idem eſt ac ſi ſcripſiſſet, damnavit eum ſupplicio crucis. Et Lucæ 23. *At illi inſtabant vocibus magnis, poſtulantes ut crucifigeretur, & invaleſcebant voces eorum, & Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum.* Et infra: *Je-*
4. *ſum vero tradidit voluntati eorum.* 4. Cenſet Lib. 6. cap. 20 militiam & accuſationem in cauſa capitali, illicitam eſſe Chriſtiano. *Non enim cum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet, ſed ea quoque ne fiant monet, quæ apud homines pro licitis habentur. Ita neque militare juſto licebit, cujus militia eſt in ipſa juſtitia: neque vero accuſare quemquam crimine capitali, quia nihil diſtat, utrumne ferro, an verbo potius occidat: quoniam occiſio ipſa prohibetur.* 5. Aſſerit Lib. 7. cap. 21. omnes ani- 5.
mas in una communi cuſtodia detineri, donec tempus adveniat, quo maximus judex meritorum examen faciat. Tunc quorum probata fuerit juſtitia, eos præmium immortalitatis accepturos: quorum autem peccata & ſcelera detecta fuerint, non reſurrecturos, ſed in easdem tenebras cum impiis recondendos, ad certa ſupplicia deſtinatos. 6. Idem Capp. 24. 25 & 26. ſcri- 6.
bit Chriſtum ante judicium ultimum in terras venturum, & eos qui tunc ſuperſtites fuerint, non morituros, ſed per mille annos infinitam multitudinem generaturos, vitamque in civitate ornatiſſima pacatam acturos, & omnibus uberrime commodis affluentem, ſub Chriſti & quorundam Sanctorum a mortuis ſuſcitatorum regno. His ferme nævis exceptis, nihil eſt in libris *Divinorum Inſtitutionum*, quod fidei Catholicæ & legis Chriſtianæ ſanctitati adverſetur, imo nihil quod eam non promoveat.

Quonam anno humanæ carnis debitum Lactantius ſoluerit, authores ſilent. De Scriptis autem illius præter veteres ſupra citatos, ex recentioribus agunt diffuſe poſt Baronium & Spondanum in Annalibus ad annum 316 Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Lactantius* pag. 1. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis a Bellarmino recenſitis* tomo 2. verbo *Lactantius* pag. 1. Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus* ſeculo 4. cap. 6. art. 3. pag. 403 & ſequentibus. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ* ſeculo 3. ad annum 302. pag. 112. Ellias du Pin *Bibliotheca Eccleſiaſtica*, ſeculo 3. ad annum extremum.

EVSEBIVS CÆSAREÆ IN PALÆSTINA EPISCOPVS. Extremis Gallieni Imperatoris temporibus in Palæſtina ortus eſt, cui ob ſingularem cum Martyre Pamphilo conjunctionem, cognomentum *Pamphili* adhæſit, ut Hieronymus habet in Catalogo *Scriptorum Eccleſiæ* cap. 91 ubi Scripta illius recenſet, de quibus nos hic ſilebimus, pauca duntaxat occaſione Lambecii delibantes. Euſebius Dorothei Eunuchi, Antiochenſis Presbyteri in ſacris litteris auditor fuit, cujus Lib. 7. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 32. honorificam fecit mentionem. Ab Agapio Cæſarienſis Eccleſiæ Epiſcopo in Clerum admiſſus, quo mortuo in ejus ſedem communi omnium conſenſu ſubſtituitur. Vir fuit immenſæ eruditionis, ut Opera ejus teſtantur, de quibus Hieronymus loco citato. Chroni- 325.

con

con edidit, quod a nativitate Abrahami usque ad annum tertium Olympiadis 276 æræ Christianæ 326 produxit, a sancto Hieronymo Latine redditum, multisque ad Romanam Historiam spectantibus auctum, ab anno 326 ad annum usque 379 Olympiadis vero 289 tertium usque continuatum. Multi multa de *Scriptis* hujus Eusebii Cæsariensis Episcopi, nos pauca ad supplementum duntaxat, quæ vel perperam ab aliis ei adscripta sunt, vel prætermissa omnino.

Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* pag. 134. accensuit inter Opuscula Eusebii Cæsariensis Episcopi dubia, *de fide adversus Sabellium Libros 2. De Resurrectione Lib. 1. De Resurrectione & Ascensione Domini Lib. 1. De incorporali & invisibili Deo. De incorporali. De incorporali anima. De Spiritali cogitatu hominis. Quod Deus pater incorporalis est. De eodem. De eo quod dicit Dominus*, Non veni pacem mittere &c. *De mandato Domini*, Quod dico vobis in aure, prædicate super tecta. *De operibus bonis & malis. De operibus bonis ex Epistola 2. ad Corinthios.* Quæ Jacobus Sirmondus Latine tantum emisit in lucem Parisiis anno 1643 in 8. nulla (inquit Cavus) alia ratione fultus ut ipse in præfatione fatetur, quam quod in duobus Codicibus MSS. altero Herivallensis Abbatiæ, altero S. Cornelii Compendiensis in Gallia, Eusebii Cæsariensis nomen præferebant, unde pro genuinis Eusebianis passim illa citat Henricus Valesius. Ego potius Eusebio Emisseno eas adjudicarem. Hæc Cavus absurdo plane judicio. Contra quem Ellias du Pin in *Bibliotheca Nova Ecclesiastica* tom. 2. seculo 4. pag. mihi 9. col. 1. Nam præter duos illos MSS. Codices Eusebio Cæsariensi diserte Opuscula attribuentes qui 600 annorum sunt, tertium vidi in Bibliotheca Bellævallis ord. Præmonstratensis in tractu Remensi, ejusdem antiquitatis, cum nomine Eusebii Cæsareæ in Palæstina Episcopi. Præterea non tantum innititur authoritate horum Codicum Sirmondus, sed quod Hieronymus in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 91. dicat Eusebium *edidisse infinita volumina*, ex quibus Opuscula ista esse possunt: & postquam enumeravit idem Hieronymus, quæ sub præsentem ejus memoriam venerant, addit *& multa alia.* Quæ sane non dicit Hieronymus ibidem cap. 101. dum de Operibus Eusebii Emisseni loquitur. Convenientius ergo Eusebio Cæsariensi Episcopo juxta MSS. Codicum fidem attribuit Sirmondus, quam juxta Cavi vanam conjecturam Eusebio Emisseno Episcopo: nulla præsertim data ratione, cur Cæsariensi conferantur.

1. Inter Manuscriptos Codices Theologicos Græcos augustissimæ Cæsareæ Vindobonensis Bibliothecæ Cod. 55 a folio 1. ut notat Lambecius tomo 1. ejusdem Bibliothecæ, usque ad folium 61. extant sub nomine *Eusebii Pamphili Cæsareæ in Palæstina Episcopi, Libri quatuor Eclogarum Propheticarum de Christo*, hactenus inediti atque Arrianismo infecti, de quibus amplissime agit Petrus Lambecius Imperatoris Bibliothecarius, in libro seu tomo 1. *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, paginis 139. 140. 141 & 142. & tomo 3. pag. 75. ubi inter alia indicavit, ultimo Libri tertii istarum Eclogarum capiti insertum esse insigne fragmentum ex Sexti Julii Africani vetustissimi Christianorum Chronographi libro quinto *Chronologiæ:* atque sub finem libri quarti earundem Eclogarum, ab authore aliud quoque postea edendum opus promitti, *adversus Hæreses Atheas.* At nullus dubito, quin Opera ista Eusebio ob nominis famam celeberrimo substituta sint: neque si vera fuissent, Lambecius ab evulgandis abstinuisset, qui minoris longe momenti fragmenta suis cum scrupulo inseruit. Fallunt autem Græcorum Manuscriptorum inscriptiones, sive ex ignorantia, sive ex fraude amanuensium. Extant porro in eadem Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, ejusdem Eusebii nomine *Prolegomena in Psalterium Davidicum, & hypotheses sive argumenta singulorum Psalmorum*, Cod. 321. num. 2. a folio 4 ad folium 154. veruntamen ibidem Codice 19 a folio 186 ad usque 203 eædem illæ *Hypotheses sive Argumenta omnium Psalmorum*, immutato titulo anonymæ inscribuntur, *secundum Symmachum, Origenem, Eusebium Pamphili, Sanctum Athanasium, Sanctum Basilium magnum, S. Joannem Chrysostomum, & Theodoretum Cyrensem Episcopum:* quorum illic nomina ad marginem adscripta sunt. Unde necessum est, ut titulus Codicis 321. (quod in MSS. Græcis Latinisque frequentissimum est) fallat, idemque etiam de Codice 167 affirmandum est, in quo idem opus sub expresso Eusebii nomine legitur, quamvis in Codice sequenti 168 idem habeatur absque authoris titulo. In eadem Cæsarea Bibliotheca inter Manuscriptos Græcos Theologicos, extat Cod. 56 a folio 1. ad 34. *Commentarius in Cantica Canticorum*, qui licet in principio hujus Codicis, soli Eusebio Pamphili attribuatur his verbis, Εὐσεβίου τοῦ Παμφίλου εἰς τὸ ἆσμα τῶν ἀσμάτων: nullatenus tamen ab ipso tantum Eusebio compositus revera est, sed partim ex ipsius, partim ex Sancti Athanasii, Didimi, Gregorii Nysseni, Philonis Episcopi Insulæ Carpathi, aliorumque Eusebio absque ulla controversia recentiorum Scriptorum Ecclesiasticorum operibus, collectus est. Catenæ autem istæ ex anterioribus Patribus, vix seculum IX. vel XI. excedunt. Hunc primus Commentarium Græce in lucem produxit in 4. Lugduni Batavorum anno 1617 Joannes Meursius una cum Polychronii quoque & Michaëlis Pselli in idem Canticum Græcis aliis expositionibus. Illud certe difficile atque rarum erit, ut impositorum inveniatur in Bibliothecis antiquis manuscriptum aliquod legitimum, quod ad veteres priorum sex Ecclesiæ seculorum Scriptores spectet: ac si quæ ejusmodi adhuc sub nominibus eorum habeantur, fallunt plerumque, ne dicam semper, Manu-

3.

ſcriptorum Codicum tituli. Item in Catalogo impreſſo MSS. Codicum Bibliothecæ Lugduno-batavæ, inter MSS. Codices quos Bonaventura Vulcanius dedit, extat pag. 415. num. 30. *Euſebii Pamphilii εἰς ἆσμα τῶν ἀσμάτων, in Canticum Canticorum Commentarius Græce MS.* Idemque in Eccleſiaſten, in fol. Plurima ejusmodi Euſebii nomen in Regia Galliarum Bibliotheca mentiuntur, quæ ſi genuina forent, diutius in tenebris latere, Bibliothecarius eruditus famæque comparandæ avidus, haud pateretur. Bernardus de Montfaucon Monachus ordinis divi Benedicti Congregationis ſancti Mauri edidit Græce & Latine anno 1706 *Novam Collectionem Patrum & Scriptorum Græcorum*, Pariſiis 2. in folio voluminibus apud Claudium Rigaud, quorum tomo primo continetur Euſebii Cæſarienſis in Pſalmos 118 Commentarius ex 3. MSS. Galliæ diverſis collectus & in linguam latinam translatus. Huic *Prælimínaria* præmittit, capitibus 10. quibus illum eſſe fœtum Euſebii legitimum, tam ex MSS. Codicibus quam ex authoritate veterum Patrum eximie probat. Idem tomo 2357 profert Græce & Latine *Commentarium ejusdem Euſebii in Heſaiam Prophetam* ex MSS. Codicibus excerptum, cui pag. 347 Præfationem adjicit, qua Paragraphis quatuor, genuinitatem Commentarii iſtius oſtendit. Mortuus eſt Euſebius anno Chriſti 340 de cujus fide atque orthodoxia, non unum eſt eruditorum judicium, qua de re ſingularem Diſſertationem poſt alios multos, inſtituit Natalis Alexander *Selectorum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitum* ſeculo 4. quem legas.

Hunc omnes Pontificii fere inter Arrianiſmi fautores maximos accenſent, quanquam neſcio quo caſu, memoriam in Martyrologio Romano a ſeculo nono, die 21 Junii obtinuerit: quæ res non minime affligit Monachos aliosque minoris notæ in Communioni Romana viros, Martyrologis ſuis, Romano potiſſimum, infallibilitatem adſcribentes. Qua de re ſic Antonius Pagi in *Critica Chronologia* adverſus Annales Baronii, ad annum 340. num. 22. «Porro quia in aliquibus »Martyrologiis a Valeſio loco laudato citatis »nomen Euſebii Cæſareæ in Palæſtina Epiſcopi »die XXI Junii legitur, exiſtimat Baronius pro »*Euſebio Samoſatenſi* infelici mutatione poſitum »eſſe *Euſebium Cæſarienſem*. Verum, ut inquit »Fortunius, in Notis ad Martyrologium Hieronymianum die XXI Junii, cum Euſebius Samoſatenſis non Cæſareæ, ſed *Dolichæ* quæ urbs Syriæ eſt ad Euphratem, palmam meruerit teſte »Theodoreto lib. 5. cap. 4. vel in propria Samoſatæ urbis ad Euphratem poſitæ eccleſia »venerationem receperit: & nimis diſtet Cæſareæ nomen a Dolichæ ſeu Samoſatæ appellatione, hujus erroris alia cauſa fuit. Quare »cum plures Cæſareæ ſint, Euſebius qui in Martyrologiis memoratur die XXI Junii, alius non »eſt quam Euſebius Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus, Sancti Baſilii immediatus deceſſor: in »veteri enim Martyrologio ſancti Hieronymi, paſſim a viris doctis Corbejenſi appellato, ad« diem XXI Junii legitur, *Cæſareæ Cappadociæ Euſebii Epiſcopi.* Hujus Euſebii ſanctitatem pluribus probat Fortunius laudatus, obſervatque« Vſuardum primum fuiſſe qui Eufebium Palæſtinum inter Sanctos numerarit, ideoque hunc« errorem octavo vel nono Eccleſiæ ſeculo eſſe« natum: cum ſcilicet in gratiam piorum Imperatorum, ex Martyrologiis ſeu ſacrorum nominum catalogo, Sanctorum geſta compendioſius addi in ipſis Martyrum Codicibus cœperunt. Cum enim pii illi Martyrologi, præter« Euſebium Palæſtinum, multiplici librorum,« præſertimque Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ editione« celebrem, nullum alium Cæſarienſem Epiſcopum hujus nominis agnoſcerent: in illum plures conſenſerunt, & laudes illius addiderunt.« Ita Fortunius citatus Martyrologia ab interpolatione minus pia egregie vindicavit, pluri-« busque *Exercitatione ſecunda* Martyrologio« Hieronymiano præfixa, Euſebium Palæſtinum« in illis locum habere non poſſe oſtendit.» Hæc Pagi. Sed cur, bone Vir, Eccleſia Romana quæ ſe infallibilem tanto faſtu clamitat, Martyrologium Vſuardi a ſeculo nono ad hoc usque tempus admiſit, propriumque ut conſtat ſuſcepit, ſi in illo errores inveniebantur, atque Hæreticorum fautores legebantur? Quid dicet Antonius Pagi de *S. Cypriano*, quem extra Communionem Eccleſiæ Romanæ mortuum eſſe, teſte Auguſtino, conſtat: quem tamen Eccleſia utraque ſuis laudibus ac Martyrologiis celebrat? Quid dicet Antonius Pagi *de Gregorio Batica*, quem conſtat fuiſſe Schismaticum Luciferianum, in eo mortuum: & tamen Martyrologio tum Vſuardi, tum Romano inſcriptum? Sic enim idem pronuntias ad annum 388. num. 13. «Legitur quidem hujus Gregorii nomen, tam« in Martyrologio Romano, quam Vſuardi: ſed« cum per annos amplius viginti in ſchismate« fuerit, nullibique legatur ab illo receſſiſſe, in-« certum, inquit Hermantius, an utriusque Martyrologii auctoritas fundamentum ſufficiens« ſit.» Quid dices *de Vincentio Lirinenſi*, quem apud omnes jam eruditos *Semipelagianum* fuiſſe conſtat, ſummis tamen cum laudibus Martyrologio Romano adſcriptum? Atque hæc contra anilem ac commentitiam Vſuardini ſeu Romani Martyrologii infallibilitatem, occaſione Euſebii Cæſarienſis in Palæſtina Epiſcopi, dicta ſufficiant.

De Scriptis Euſebii ex veteribus S. Hieronymus libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 91 & in Proœmio *de Locis Hebraicis*. Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus in *Bibliotheca* Codd. 9. 10. 11. 12. 13. 27. 39. 118. 127. Antonius Poſſevinus, tomo 1. *Apparatus Sacri.* Ludovicus Ellias du Pin in *Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 4. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Litteraria* Scriptorum Eccleſiaſticorum parte 1. ſeculo 4. ad annum 315. pag. 127. cum Labbeo & aliis omnibus, latiſſime, cujus labori nihil addi poſſe videtur. Itemque iterum

iterum de MSS. Operibus illius adhuc extantibus editis atque ineditis, Parte 2. ad annum eundem 315, ad quem lectorem mittimus. Joannes Albertus Fabricius Tomo VI Bibliothecæ Græcæ Cap. 4. latiſſime & doctiſſime a pag. 30 ad pag. 112 ubi tam de Operibus impreſſis quam MSS. adhuc extantibus, editionis 1714. Hamburgi in 4. ediſſerit.

325 EVSTATHIVS ANTIOCHIÆ EPISCOPVS, Side maritima Pamphiliæ urbe natus, circa annum 325 claruit, primum Berææ in Syria, deinde Antiochiæ Epiſcopus ab ipſis Patribus in Nicæno Concilio conſtitutus ut refert Nicetas Choniates, in *Theſauro Orthodoxæ fidei*, libro 5. cap. 6. Fidem Catholicam omni conatu Euſtathius propugnavit, quam ob cauſam multis infenſus, diu in Antiochena Eccleſia tranquille haud vixit ab Arrianis acriter eum proſequentibus, vel eorum factione, deſtitutus. De Scriptis ejus Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 95 his verbis: "Euſtathius „genere Pamphylius, Sidites, primum Berææ „Syriæ, deinde Antiochiæ rexit Eccleſiam: & „adverſus Arrianorum dogma componens multa, ſub Conſtantino principe pulſus eſt in exi„lium, Trajanopolim Thraciarum, ubi usque „hodie conditus eſt. Extant ejus volumina de „*Anima*, de *Engaſtrimytho adverſus Origenem*, & „infinitæ Epiſtolæ, quas enumerare longum eſt. „Præclaris commendat laudibus Euſtathium „hunc Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios pag. „629. Εὐσάθιός τις ἦν ἐπίσκοπος τῆς ἀντιοχέων, ἀνὴρ ὁμολογητὴς, καὶ τὴν πίστιν εὐσεβὴς, ὅτε ἐπειδὴ πολὺς ἦν ζηλῶν ὑπὲρ τῆς ἀληθείας. τάντα αἱρετισὴν αἵρεσιν ἐμίσει, καὶ τοὺς Φρονοῦντας τὰ ἐκείνης ἐκ ἐδέχετο, διαβάλλεται κοινσαντίῳ τῷ βασιλεῖ, πρόσφασίν τε ἐπινοεῖται ἐς τὴν μητρὶ αὐτοῦ πομπὰς ὕβρεν, καὶ εὐθὺς ἐξόρισται αὐτός τε γίνεται, καὶ πολὺς σὺν αὐτῷ πρεσβυτέρων καὶ διακόνων ἀριθμὸς &c. *Fuit quidam Euſtathius Epiſcopus Antiochiæ, vir confeſſione clarus, religione pius, quem magno ſtudio pro veritate ſtantem, & Arrianam hæreſim odio proſequentem, aversantesque homines Arrianicæ opinionis, ita apud Conſtantium (lege Conſtantinum) accuſarunt, quaſi in matrem principis contumelioſus fuiſſet: ut ſtatim in exilium pulſus ſit, & cum eo ingens turba Presbyterorum & Diaconorum. Deinde eos, quos ob impietatem ne in Clerum quidem recipi oportuit, poſt exilium Epiſcopi, non ſolum in Eccleſiam introduxerunt: ſed & plerosque ex iis Epiſcopos creaverunt, ut eos in ſua impietate ſocios conjuratosque haberent.* Viri quoque eloquentiam ac præclaras mentis dotes non paucis commendat Sozomenus lib. 2. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 19. ἐπὶ εὐγλωττίᾳ δικαίως θαυμαζόμενον· ὡς ἐκ τῶν Φερομένων αὐτῷ λόγων συνιδεῖν ἔστιν· ἀκριβείᾳ τε Φράσεως καὶ σωφροσύνῃ νοημάτων, καὶ ὀνομάτων κάλλει καὶ χάριτι ἐπαγγελίας ἐυδοκιμέντων. *Eloquentiæ cauſa merito admirandus, quemadmodum ex libris ejus qui hodie extant, licet cognoſcere: ob priſcum eloquentiæ genus, & ob gravitatem ſententiarum, tum ob verborum elegantiam & in rebus explicandis vetuſtatem, commendatis.* Ex his omnibus quæ citato loco Hieronymus recenſet, extat *Diſſertatio de Engaſtrimytho* adverſus Origenem, qua acriter in eum ejusque ſententiam invehitur, quam Diſſertationem Græce Latineque edidit Leo Allatius, Lugduni 1629 in 4. una cum Syntagmate erudito ejusdem argumenti. Quo de opere ambigendi, nullus locus datur. Edidit autem ſimul idem Allatius ſub ejusdem Euſtathii Antiocheni Epiſcopi nomine, *Commentarium in Hexaemeron* Græce & Latine, de quo an genuinum opus ſit, apud eruditos non parum ambigitur. Extat quidem Græce MS. in Bibliotheca Bavarica, Codice 8. chartaceo in folio, qui antiquus non eſt, lacunisque ſcatet. Illum autem eſſe ſuppoſitum, magnoque Euſtathio indignum, contra Allatium his adducor argumentis. *Primo* nullus eſt veterum, vel etiam recentiorum, qui tale opus ab Euſtathio compoſitum affirmet: neque Leo Allatius qui illum primus in lucem eduxit, ullo alio teſtimonio utitur, quam Manuſcripti Codicis in quo inventus eſt. Quam vero incerta ſit fides Manuſcriptorum Codicum, apud Græcos præſertim, nullus eſt qui neſciat. Extat hujus operis MS. Codex Græcus in MSS. Codicibus Jacobææ Bibliothecæ in Anglia Codice 843 ſed absque authoris nomine, quia initium Operis deeſt. Alius item Codex in Bodlejana bibliotheca Codice 10 Barocciano num. 3. ubi inſcribitur *Anonymi Diſcurſus ſuper contentis in Veteri Teſtamento ab Hexaemero ad finem Joſue* pag. 70. ad 130. Vnde Tractatus ille *Euſtathii Antiocheni Epiſcopi nomine*, ab Allatio editus, ab illo Anonymo deſumptus videtur, omiſſis aliis. Sane hic *Commentarius in Hexaemeron* farragini hinc inde collectæ ac male conſutæ proxime accedit. Nam ut recte Guillelmus Cavus, illud aſſumentum integrum a pag. 68. ubi de Jacobi Patriarchæ filiis agit, usque ad paginam 75 ubi eandem materiam denuo reſumit, ſatis ἀκαιροδιόνυσον eſſe, & in locum non ſuum intruſum videtur. Vnde ex eodem Diſcurſu *Anonymi*, importune huc immiſſum creditur, deſumptum ex dictis ejus ad caput 49. Geneſeos, ubi de benedictione filiorum Jacob agitur. Qua de re viderint Oxonienſes, quibus inſpiciendi hujus codicis facultas datur. *Secundo* non reſpondet Opus eloquentiæ ac gravitati Euſtathii Antiocheni, quam tam ſplendide Sozomenus loco citato commendat. Etſi enim (ut ait Cavus) in quibusdam locis, argumentum quod in ſe ſuſceperat, ſatis commodè pertractet author: majori tamen ſui parte claudicat opus, ineptis fabulis de Maria Virgine ejusque parentibus ex Jacobi Proto-Evangelio deſumptis, ab Euſtathii doctrina, judicio, gravitate alienis, refertiſſimum. Nec ego puto quenquam ſani judicii, affirmare vel Jacobi Proto-Evangelium Euſtathii ætatem ſapere, vel Euſtathium virum quidem gravem atque eruditum, iſtud ſuo calculo approbaſſe. *Tertio* quisquis

quisquis ille sit, Eustathius esse non potest: neque si eo tempore vixit, quo saltem vixisse videri voluit, tam immanem parachronismum admisisset, ut pagina 55 a Christo ad trigesimum Constantini annum, annos duntaxat CCXLIX numeraret, cum ex justa supputatione anni CCCXXXV inveniantur. Itane synchronus verus, supputare & scribere potuisset? ut intra 335 annos, annis 84 aberraverit. Neque etiam hallucinationem hanc enormem quisquam excusaverit, si supputationem hanc non ab annis Nativitatis Christi, sed Passionis, computaverit: qua ratione imminuitur quidem, sed non sanatur parachronismus, annis adhuc quinquaginta a vero aberrans, quod in Eustathium synchronum cadere nequaquam potuit. Vnde nihil mirum, tam frigide Allatium hoc opus Eustathio Antiocheno asseruisse, in aliis abunde sibi abblaudientem, dum firmum aliquid & citra cavillationem evulgandum reperit. Agunt de Eustathio cum laudibus Veteres plurimi, ex recentioribus autem Ellias du Pin in *Bibliotheca Ecclesiastica* verbo *Eustathius*. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ* seculo 4. ad annum 325 pag. 138.

326. COMMODIANVM qui se *Mendicum Christi* appellat, Gennadius in libro *de Viris illustribus* ita depingit. "Commodianus dum inter se„culares litteras, etiam nostras legit, occasio„nem accepit fidei. Factus itaque Christianus, „& volens aliquod studiorum suorum munus „offerre Christo suæ salutis authori, conscripsit „mediocri sermone, quasi versu, *librum adversus „Paganos*. Et quia parum nostrarum attigerat „litterarum, magis illorum destruere potuit „dogmata, quam nostra firmare: unde & de di„vinis repromissionibus adversus illos, vili satis „& crasso (ut ita dixerim) sensu disseruit, illis „stuporem & nobis desperationem incutiens. „Tertullianum & Lactantium & Papiam secu„tus, moralem sane doctrinam, & maxime vo„luntariæ paupertatis amorem optime prose„cutus, studentibus inculcavit. Hæc Gennadius de Commodiano, qui claruit, uti vult Henricus Dodwellus in *Dissertationibus Cyprianicis*, Oxonii anno 1684 in 8vo & in folio editis, ubi habet *Dissertationem singularem* de ætate hujus scriptoris lectu dignam, Cypriani Carthaginensis Episcopi temporibus: cujus *Institutiones* quas attigimus, Nicolaus Rigaltius, Parisiis primus edidit impressas anno 1664 ad calcem Operum Cypriani, post Opera *Minucii Felicis*, *Julii Materni Firmici*, *& Arnobii Afri contra Gentes*. Habuit nonnullos errores admissos etiam Lactantio ut opinor, de quibus ante egimus, quos recenset Cavus pag. 149 unde a Gelasio Romano Episcopo, in Decreto anni 494 inter *Apocryphos* recensitus est. Hujus ergo Scriptoris præter Gennadium & Gelasium veteres, meminit Suffridus Petri Leonardiensis, in libro *de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus*, qui anno 1580 Coloniæ apud Maternum, Cholinum editus est. Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Commodianus* pag. 373. Nicolaus Rigaltius, in editione Operum Sancti Cypriani Parisiensi anni 1644. Post ipsum Ellias du Pin in *Bibliotheca Ecclesiastica*, sub finem seculi 3. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria* Scriptorum Ecclesiæ, seculo 4. ad annum 326 pag. 148. partis primæ, qui tamen latius de eo differens parte 2, eundem velut antiquiorem, ex conjecturis levibus, anno 270 assignat.

THEODORVS HERACLEENSIS EPI- 330.
SCOPVS, anno 330 claruit, si tamen claruisse dicendus est, qui Arianæ impietati maxime favit, ejusque gratia cum sceleratissimis quibusdam Christum Dei sapientiam blasphemantibus, ad Episcopatus apicem promotus est. Depingit hominem S. Athanasius Oratione 1. *contra Arrianos* pag. mihi 116 his verbis. "Qui idcirco ab Eusebianis ad honores evecti sunt," quoniam hæresi in Christum hostili patronos" se & advocatos præstiterunt, audentque de fi-" de definire: & cum ipsi sint rei ac judicio ob-" noxii veluti Caiphas judicandi munus inva-" dunt. Et Thaliæ suæ quam faciunt, fidem ha-" beri volunt, qui ne ipsi quidem sciunt quid cre-" dant. Cui enim ignotum, Secundum Penta-" politen non semel exautoratum depositum-" que, gratia commendationeque Arianæ hære-" seos ab ipsis designatum esse? Georgium item" qui nunc Laodiceæ agit, & cum Georgio Le-" ontium illum spadonem electos esse, & ante" illos Stephanum, & Theodorum qui jam He-" racleæ est: qui cum antea ab ordine Presby-" terorum revulsi essent, postmodum impietatis" commendatione Episcopi appellati sunt." Quantum ergo modo dictus Eustathius Antiochenus Episcopus Arianam hæresim persecutus est, tantum illam præsens Theodorus Heracleensis Episcopus, pro viribus promovit. De illo paucis S. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiæ* cap. mihi 100. juxta Cavum. 90. *Theodorus Heracleæ Thraciarum Episcopus, elegantis apertique sermonis & magis Historicæ intelligentiæ, edidit sub Constantio principe Commentarios in Matthæum, & in Joannem, & in Apostolum, & in Psalterium.* Hunc porro *Commentarium in Psalmos*, edidit primus ex Manuscriptis Codicibus Bavaricæ Bibliothecæ & aliis, Balthasar Corderius Soc. Jesu, cui Commentarios duos alios anonymos adjunxit, Antwerpiæ in fol. anno 1643 impressos apud Balthasarem Moretum. Ibi plura in Theodorum præmissa. Illius etiam mentionem faciunt ex recentioribus, Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliothecæ Sanctæ* verbo *Theodorus Episcopus Heracleensis* pag. mihi 303. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Theodorus Heracleæ Thraciarum Episcopus*, pag. 465. Sed paucis isti omnes, quibus plura scire datum non est. Plura Guillelmus Cavus in *Historia literaria* Scriptorum Ecclesiæ, ad annum 334 pag. 153.

IACOBVS

330. IACOBVS NISIBIS IN MESOPOTAMIA EPISCOPVS, ob ſummam rerum divinarum humanarumque ſcientiam *Sapiens* dictus, patria Meſopotamienſis, cui Antiochia Amygdonia quam Syri Niſibim appellant, urbs in confinio Imperii Romanorum & Perſarum ſita, ortum dedit. Sub perſecutione Maximini confeſſione claruit, ad urbis patriæ Epiſcopatum tandem evectus. Anno 325 Concilio Nicæno interfuit, doctrinæ orthodoxæ vindex primarius τῶν ὀρθῶν ὑπερμαχήσων δογμάτων, ὅτε τις αἱρετικὸς κατὰ πρόμαχος αἰτίσεως Φάλαγγος, inquit Operum Tomo 3. Theodoretus *Hiſtoria Religioſa* cap. 1. p. 768. Sub initium Principatus Conſtantii circa annum 338 Sapor Perſarum Rex Niſibim Romanis tunc ſubditam arcta obſidione cinxit, cujus machinæ omnes & tela ſancti viri precibus irrita evaſere; & cum præteriabentis urbem fluvii, cujus curſum ingeſtis ageribus Sapor inhibuerat, violento impetu murus corruiſſet, ab incolis Jacobi precibus animatis una nocte reædificatus eſt. Jacobus tandem in turri quadam conſtitutus Deum oravit, ut ciniphum & culicum turma in hoſtes emitteretur. Dictum, factum. Equi enim, & elephanti, cæteraque Perſarum jumenta, cum animalium aculeos ferre non poſſent, ordinibus conturbatis & excuſſis ſeſſoribus in fugam ſe dederunt. Ita Rex infeliciſſimus recedere coactus eſt, ignominiamque pro victoria reportavit. Hæc pluribus Theodoretus ubi ſupra & *Hiſtoria Eccleſiaſtica* lib. 2. cap. 30 qui non uno loco teſtatur, Jacobum Apoſtolicis miraculorum donis claruiſſe, mortuos ſuſcitaſſe, futura prædixiſſe, aliaque ſtupenda feciſſe, quorum plura exempla profert Hiſtoriæ Φιλοθεῖ cap. 1. Nullum illi inter Scriptores Eccleſiaſticos locum Hieronymus tribuit, quod Opera eius D. Hieronymi ætate, uti recte obſervat Gennadius *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 1. nondum e Syro ſermone in Latinum vel Græcum converſa fuiſſent.

Scripſit teſte Gennadio Opus ingens XXVI libris conſtans, nempe *de fide adverſus omnes Hæreſes. De charitate generali. De dilectione erga proximum ſpeciali. De jejunio. De Oratione. De Reſurrectione. De vita poſt mortem. De humilitate. De patientia. De pœnitentia. De ſatisfactione. De Virginitate. De ſenſu Animæ. De Circonciſione. De Agno benedicto*, pro quo in Iſaia legitur, *Non eſt exterminandus bovus. De Chriſto, quod Filius Dei ſit & Patri conſubſtantialis. De Caſtitate. Adverſus Gentes. De conſtructione Tabernaculi. De Gentium converſione. De regno Perſarum. De Perſecutione Chriſtianorum.* Item *Chronicon, in quo Divinarum Scripturarum auctoritate eorum ora compreſſit, qui aut ſuſpicione de Adventu Domini Noſtri inaniter philoſophantur.* Vitam clauſit regnante Conſtantio, in urbe natali ſepultus: cujus ſacri corporis reliquias, teſte Gennadio *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* c. 1. Julianus Imperator Niſibin ingreſſus, civitate effern juſſit. Sozomenus vero libro 5. *Hiſtoriæ* cap. 3 ſolummodo ait, Julianum illac tranſeuntem Niſibenis minatum eſſe, ſe nec operam illis laturum, nec legationem admiſſurum, nec in ipſorum urbem utpote ſceleratam, pedem prius illaturum eſſe, quam eos ad Gentilium religionem ſe transtuliſſe didiciſſet. Ego Theodorito utpote viciniori temporum, *Hiſtoriæ Religioſæ* cap. 1. potius credendum ſentio, qui tradit, Niſibi a Joviano Juliani ſucceſſore Perſis tradita, incolas pene omnes urbe exceſſiſſe, & Epiſcopi ſui τῷ προμάχῳ corpus ſecum detuliſſe. Hæc Guilielmus Cavus verbotenus ab aliis accepta, *Hiſtoriæ Literariæ* ſeculo 4. anno 325. pag. 140 & 141. De ſcriptis a Gennadio allatis, plura dicere ſuperfluum, quia amplius non extant. Nugantur autem qui *Jacobum Niſibenum Epiſcopum* compilatorem *Canonum LXXXIV Arabicorum Nicæni Concilii* faciunt, cum Canones iſtos poſt Juſtiniani Imperatoris ætatem confictos eſſe, pluribus confirmet Joannes Pearſonus in *Vindiciis Ignatianis* part. 1. pag. 187. ad Supplementum eorum quæ a Cavo dicta ſunt.

In Catalogo impreſſo librorum Lugduno Batavæ bibliothecæ noſtræ tam impreſſorum quam Manuſcriptorum, anno 1674 a Frederico Spanhemio in 4. edito, extat inter Manuſcriptos Codices Orientales a Jacobo Golio viro doctiſſimo ex Oriente allatos, qui *Bibliothecæ Communis* inſcribuntur, pag. 300 dicti Catalogi, Codice 87 *Jacobi Epiſcopi Edeſſeni Hexaemeron ad Conſtantinum*, ſeu *Hiſtoria creationis ac rerum creatarum, Syriace.* Certe ratio temporis optime convenit, ſed ſilentium veterum de opere ejusmodi, fidei plurimum detrahit. Item inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 2918 in MSS. Sinenſibus Thomæ Bodleji Codice 135. num. 2. *Aliquot Homilia Mar Jacobi*, Syriace extant. Ibidem Codice 5335 in MSS. Codicibus Eduardi Pocockii Codice 8 *Homilia Sanctorum Jacobi & Ephraimi*, in folio. Ibidem Codice 5785 in MSS. Codicibus Roberti Huntingtoni Codice 36 *Sanctorum Ephraimi & Jacobi ſermones aliquot*, Syriace. Ibidem Codice 5795 in MSS. Codicibus ejusdem Roberti Huntingtoni, Codice 49. num. 4. *Homilia aliquot S. Jacobi Syri*, Arabice. Inter MSS. Codices bibliothecarum Hiberniæ, Codice 1003 in MSS. Codicibus Syriacis Domini Narciſſi Dublinenſis Archiepiſcopi, Codice 7. *Mar Jacobi Expoſitio ſuper Evangelia.* Ibidem Codice 1016 in iisdem Narciſſi MSS. Codicibus, Codice 20. *Marr Ephraimi, Jacobi, & Bar Moſſeh dicta quædam.* Mentionem faciunt *S. Jacobi Niſibeni Epiſcopi* velut Scriptoris Eccleſiaſtici, Gennadius in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 1. atque ab eo Catalogum ſuum auſpicatur; Guillelmus Cavus *Hiſtoria Literaria* ſeculo 4. anno 325. pag. 40. & 41 quem excerpimus.

ANTONIVS MONACHORVM PARENS, claruit circa hunc annum, de cujus 330.

vita ac laboribus multi ſcripſerunt. Extat ſub nomine Athanaſii Alexandrini Archiepiſcopi, vita *Antonii Abbatis*, quæ mores ejus, & contra Dæmones luctas frequentes deſcribit. Hic anno 252 ætatis ſuæ 18 parentibus orbatus, in ſolitudines Ægypti ſeceſſit. Magnum Athanaſium ob fidem orthodoxam ab Arrianis infinita paſſum crebro inviſit, cujus gratia non ſemel ad Conſtantinum Imperatorem, conatu licet incaſſo, reſcripſit. Innumerorum Pater Monachorum effectus, quos ἀσκητὰς Chriſtiana inſignes poſteris fecit. De illo Sanctus Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 98 „Antonius Monachus, cujus vitam Athanaſius „Alexandrinæ urbis Epiſcopus, inſigni volumine „proſecutus eſt, miſit Ægyptiace ad diverſa „Monaſteria Apoſtolici ſenſus ſermonisque Epi„ſtolas ſeptem, quæ in linguam Græcam trans„latæ ſunt, quarum præcipua eſt ad Arſenoïtas. „Floruit ſub Conſtantino, & filiis ejus regnanti„bus. Vixit annos centum & quinque.„ Habentur illæ ex Valerii Saraſii verſione, una cum Dionyſii Carthuſiani Commentariis in Dionyſium Areopagitam impreſſis Coloniæ anno 1536. Deinde immiſſæ in Bibliothecam ſanctorum Patrum, editionis Pariſienſis anni 1575 & 1589. Atque hæ quidem in Hieronymo authoritatem habent. Verum *Sancti Antonii Regula* Monachis præſcripta, una cum aliis Regulis primorum Eremi incolarum, Iſaiæ, Macharii Ægyptii, Serapionis, Paphnutii, & Alexandrini alterius Macharii, habetur in *Collectione Regularum* S. Benedicti Anianæ Abbatis parte 1. pag. 3. quam procuravit edendam Lucas Holſtenius, Pariſiis 1663 in 4. apud Ludovicum Billaire. An autem genuina ſit, valde incertum eſt. Cum enim clariſſimus ob vitam Monaſticam profeſſam extiterit Antonius, facilius nihil fuit poſteris Monachis ad authoritatem comparandam, quam Regulas ejusmodi ſub nomine primorum Eremi incolarum ac Patrum, condere. Quis autem credat, tot a tantis, eodemque tempore viventibus Monachis, ſcriptas eſſe eadem cantitantes Regulas? Atque quis *Antonium* Regulam hanc etſi modicam, ſcripſiſſe ſibi fingat, quem illiteratum fuiſſe omnino conſtat? Illiteratum fuiſſe *Antonium* teſtatur Pſeudo-Athanaſius in ejus Vita in principio pag. mihi 445 his verbis: *Et cum jam puer eſſet, non ſe Literis erudiri, non ineptis infantium jungi paſſus eſt fabulis, ſed Dei deſiderio flagrans, ſecundum quod ſcriptum eſt, innocenter habitabat domi.* Idemque teſtatur idem author ſub hujus Vitæ finem pag. 474. *Alios quoque ſimiliter mundi Sapientes, qui eum irridere cupiebant, quia literas ignoraret, tali diſputatione colligavit, dicens: Reſpondete mihi, quid prius, ſenſus, an litera? Et quid cujus exordium? Senſus ex literis, an litera oriuntur ex ſenſu? Illis aſſerentibus quod ſenſus eſt author atque inventor literarum, ait: Igitur cui ſenſus incolumis eſt, hic literas non requirit. Quis præſentium poſt hanc collocutionem non exclamaverit, cum obſtupuerint, & ipſi victi ſint; tantam in imperito literarum, ſagacitatem animi admirantes.* Idem quoque Sozomenus lib. 1. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 13. de Antonio teſtatur: *Litteras porro non noverat, nec magni æſtimabat: ſed bonam mentem utpote litteris antiquiorem, earumque inventricem commendabat.* Hinc mirum ſubit, quomodo tam facile nonnulli, inventa Opuſcula Græca ſub ſolo Antonii nomine, absque judicio, huic Antonio Monachorum Parenti adſcripſerint? Quem litterarum nullatenus peritum fuiſſe, ex teſtimoniis Sozomeni & Pſeudo-Athanaſii conſtat. Abſurdiſſimi ergo qui adſcripſerunt ipſi *Sermonum libros duos*, qui ſub ejus nomine in *Bibliotheca SS. Patrum* editionis Pariſienſis annorum 1575 & 1589 leguntur. Hos authoris eſſe longe recentioris, nomina Baſilii, Chryſoſtomi, aliorumque ad marginem poſita, ſatis liquido oſtendunt: unde poſtea accuratiori judicio, *Antonio* cuidam *Meliſſæ* cognominato attributi ſunt, ad annum 1144 a multis aſſignato. Excerpta etenim ejusmodi verbotenus ex vetuſtioribus authoribus, nonniſi ſequioris Græciæ ſunt. Neque his contentus Abrahamus Ecchellenſis, varia quoque ſancti Antonii Opuſcula ex Arabico Latine reddita, Pariſiis anno 1646. in 8. edidit. Nempe *Regulas* ſive *Canones ad Monachos numero LXXX. Sermones ad Monachos XX. Admonitiones & Documenta ad Monachos. Expoſitionem quarundam ſententiarum, & Reſponſiones ad Interrogationes variæ*, adjuncta duplici *Vita S. Antonii* ex Arabico verſa. Denique in Præfatione monet, emiſſas in lucem a ſe fuiſſe, ante quadriennium, *Viginti ſancti Antonii Epiſtolas*, Antonio Cardinali Barberino nuncupatas. Sed has ex Arabia merces Italia ac Gallia non amplexæ ſunt, ut adulterinas: quibus tamen apud Cardinalem Barberinum, Antonium nuncupatum, magnam ſibi exiſtimationem, nec vulgarem mercedem comparaſſet, ſi literariæ Europæ genuinas probare potuiſſet. Si ergo Litteras parum curanti Antonio, tot Opuſcula ſuppoſita ſunt: quid non in aliis factum fuiſſe putemus?

Obiit Antonius anno Chriſtianæ æræ 357. ætatis 105 die 17 Januarii, cujus mentionem faciunt honorificam tum Menologia Græcorum, tum Martyrologium Romanum, ad diem allatam. Socrates lib. 1. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 21 lib. 4. cap. 23 & 25. Sozomenus lib. 1. *Hiſtoriæ* cap. 13 ubi vitam ejus depingit, lib. 2. cap. 31. Ex recentioribus autem Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Antonius*. Philippus Labbeus in opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tomo 1 ibidem. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ſeculo 4 ad annum 330 pag. 150.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
OPERIBVS SANCTO ATHANASIO ATTRIBVTIS.

340. ATHANASIVS ALEXANDRINVS EPISCOPVS, re & nomine Magnus cognominatus, Nicænæ Synodo anno 325. interfuit, Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconus, in qua Alexandro Episcopo suo adversus Arium Hæresiarcham pro Catholica fide pugnanti egregiam opem tulit. Tum anno 326. mense post Concilium quinto duntaxat elapto, in demortui Alexandri locum Alexandrinus Episcopus creatus, qui multas pro Christi fide Arianorum Ethnicorumque perpessus injurias, variisque exiliis ac Imperatorum injuriis & contumeliis exercitatus est. Vixit tamen inter tantas tamque atroces persecutionum procellas imperterritus, usque ad Valentis Imperatoris tempora, sub quo die 2 Maji, Christianæ Æræ 373. Episcopatus sui anno 46. completo, debitum naturæ solvit: ut ex Epistola Proterii Alexandrini quoque Episcopi ad S. Leonem Romam Episcopum scripta colligitur, licet Socrates lib. 4. *Historiæ Ecclesiastica* cap. 20. biennio ante defunctum tradat, Gratiano II. & Probo Consulibus. De Magno Athanasio S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* in illius laudem habita, Basilius *Epistola* 46. aliisque in locis. Ruffinus lib. 1. *Historiæ* cap. 14. S. Hieronymus ejusque Græcus interpres Sophronius in *Catalogo Scriptorum* 97. his verbis. "Athanasius Alexandrinæ urbis „Episcopus, multas Arianorum perpessus insi„dias, ad Constantem Galliarum principem fu„git, unde reversus cum literis: & rursum post „mortem ejus fugatus, usque ad Joviani Impe„rium latuit, a quo recepta Ecclesia, sub Valen„te moritur. Feruntur ejus *adversus Gentes* li„bri duo, & *contra Valentem & Vrsatium* unus, & „de *Virginitate* & de *Persecutionibus Arianorum* „plurimi, & *de Psalmorum Titulis*, & *Historia Anto„nii Monachi Vitam* continens, & ἑορταστικὴ *Epi„stola*: & multa alia, quæ enumerare longum „est. Photius in Bibliotheca codicibus 32. 139. 140. & 258. De laudibus ejus innumera Veterum monumenta seu testimonia extant, Athanasium aliis *Tubam veritatis*, *Præconem Evangelii*; aliis *incussam vera fidei regulam*, *lumen & fundamentum Ecclesiæ*, *propugnaculum veritatis*, *fortissimum Divinitatis Filii Dei athletam* appellantibus. Præter allatos consule Epiphanium, Cyrillum Alexandrinum, Sozomenum, Theodoretum, Joannem Damascenum, Leonem Imperatorem, aliosque omnes sanioris doctrinæ scriptores, tam qui de rebus fidei agunt, quam qui de Historia Ecclesiæ: ut nullus sit, qui Athanasii certamina ad fidei defensionem ignoret. Hujus scripta quæ extant, variis quidem editionibus, nunc Latine tantum, nunc Græce & Latine evulgata sunt. Versa autem & collecta in unum omnia primum Græce & Latine edidit Heidelbergæ Hieronymus Commelinus 2 tomis in fol. 1600. quæ editio teste Possevino tom. 1. *Apparatus Sacri* verbo *Athanasius*, cæteris auctior est, quam quæ alibi in lucem datæ sunt. Altera editio Parisiis prodiit Latina tantum anno 1612. in fol. cui suas curas attulit Fronto Ducæus Burdegalensis, Soc. Jesu Theologus. Tertia denique Græco-Latina Parisiis tandem prodiit 1627. duobus tomis in fol. collata ad Heidelbergensem auctaque variis homiliis, quam ut omnium novissimam hic in nostris censuris sequemur. Extat tamen editio IV. Græce & Latine facta Coloniæ anno 1686. 2. tomis in folio juxta aliam Parisiensem, hoc excepto, quod huic adjectum sit *Syntagma fidei*, anno præcedente ab Arnoldo editum. De qua *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno 1686. mense Majo pagg. 270. & 271. Præclare de Editionibus antiquioribus Operum S. Athanasii, Ludovicus Elias du Pin in *nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo 4. tom. 2. pag. mihi 54. quam hic transcribere non gravabor. „ Primæ editiones „ Operum S. Athanasii valde imperfectæ, & ulti„mæ confusæ sunt. Antiquissima quam vide„rim, editio Latina est quorundam ejus Ope„rum, quam Barnabas quidam Celsanus Vicen„tiæ 1482. imprimendam curavit, quamque Pe„tro Bruto Episcopo dicavit. Inscribitur *Tra„ctatus Sancti Athanasii contra Hæreticos*, & conti„net *Tractatus quatuor adversus Arrianos*, cum al„tero *de unione naturæ humanæ*, cum *Disputatione* „ *contra Arium*, quæ anno adhuc 1500. impressa „ fuit. Editionem hanc sequuta est altera Pari„siensis anni 1520. quæ continet maximam par„tem Operum sancti Athanasii Latine, cum „ Commentariis Theophylacti in Psalmos, qui „ in publicam lucem dati fuerant sub nomine S„ Athanasii a Christophoro Persona, qui Romæ „ eos an. 1477. imprimendos curaverat, ut & „ Reuchlinus Tubingæ anno 1515. Hæc opera rei„terata imprimi Francofurti 1522. apud Kno„boulch & anno 1527. Basileæ apud Frobenium „ Eustachius Cornecef anno 1532. eadem, abs„que Theophylacti in Psalmos Commentario „ Coloniæ imprimenda curavit: eademque eo„dem anno Lugduni apud Treschelios adhuc „ impressa sunt. Post hos Episcopius & Frobe„nius novam Operum hujus Patris editionem „ aggressi sunt, adjuti a Petro Nannio in Colle„gio Buslidiano apud Lovanienses Latinæ lin„guæ Professore, viro magni apud suos nomi„nis: qui novam versionem egit Operum ple„rorumque, nomine S. Athanasii inscriptorum, „ textumque Græcum ad 9. MSS. exemplaria „ contulit. Hæc editio Basileæ anno 1558. perfe„cta est, anno 1564. iterata ibidem: quam in 4 to„mos diviserunt, atque in ultimum tomum im„miserunt Opera quædam S. Athanasio attribu„ta,

„ta, quæ a Nannio translata non fuerant. Quæ „autem Athanasii spuria Nannius arbitratus est, „in tertium tomum transmisit. Vt autem an„notavit in Epistola nuncupatoria dictus Nan„nius: *Vt fertilissimis agris multa zizania una cum optimis frugibus nascuntur: ita optimo cuique authori, plurimi falsi & notbi libri adscribuntur, nulli autem plures quam Athanasio.* Pergit Elias du Pin. "Nivellius his addidit quintum To„mum, constantem ex *Vita S. Antonii* & „*Dialogis quinque de Trinitate*, quos Basileæ „anno 1570 Beza ediderat, & ex *Epistola ad Am„monem.* Duæ sunt ejusmodi editiones Parisiis „annorum 1572 & 1581. Hucusque textus Græ„cus Operum S. Athanasii omissus fuerat, quem „Hieronymus Commelinus Heidelbergensis „typographus celebris aggressus, anno 1600 ad „exitum perduxit, atque hoc anno Græce & La„tine e regione, *Opera S. Athanasii omnia* duobus „voluminibus emisit, quorum primum comple„ctitur Opera quæ a Nannio translata in Lati„num fuerant, & alterum omnia alia Opera quæ „reperiri potuerant. Textus Græcus ad plu„res MSS. Codd. collatus & correctissime im„pressus. Adjecerat quoque ad calcem vari„antes lectiones a Keremanno collectas, sed „quæ in quibusdam tantum exemplaribus repe„riuntur. Hæc editio quamvis amplissima, con„fusa valde est: cujus Opera absque ullo ordi„ne, ullis notis, & versio sæpe defectiva & distor„ta. Correcta postmodum a Frontone le Duc, „& absque Græco, Parisiis anno 1612 impressa, „sed multis adhuc scatet mendis. Tandem „anno 1627 typographi Parisienses novam edi„tionem Græcam & Latinam Operum S. Atha„nasii aggressi sunt, Commelinianam quoad „Græcum, & Parisiensem anni 1612 quoad La„tinum sequuti: qui quamvis in Admonitione „prævia dicant, se procurasse textum Græcum „ad MS. Codd. Bibliothecæ Regiæ conferri, il„lumque locis innumeris fuisse correctum: „multis tamen adhuc mendis inspersum illum „reliquisse constat. Adjecerunt in hac editione „*Græcum textum Vitæ S. Antonii*, qui ab Hœsche„lio 1611 editus fuerat: *Homiliam in Paschatis „festum*, Antwerpiæ 1508 a Plantino editam: „*Homilias sex* ab Holstenio acceptas, & fragmen„ta quædam alia: sed nec ordinem Tractatuum „immutarunt, nec Opera germana a spuriis se„pararunt." Hanc tamen nos editionem, ut omnium amplissimam & optimam sequimur: quam nuper anno nimirum 1686. Colonienses typographi totidem tomis in folio, ordine eodem recudendam curarunt, addito insuper *Syntagmate doctrinæ ad Laicos & Clericos*, quod antea seorsim Andreas Arnoldus Græce & Latine Parisiis anno 1685 in 8. ediderat, ex MS. Codice bibliothecæ clarissimi Viri Isaaci Vossii, quam nunc Lugdunum Batavorum emptione comparatam possidet. Duplex autem martyrium, seu duplicem sustinuisse persecutionem videtur sanctus Athanasius, alteram quidem ab Arrianis dum viveret, post mortem in scriptis alteram, multis sub ejus nomine, tum Græce tum Latine, nugas evulgantibus. Hi scripta absque judicio ullo legitimis tanti Doctoris scriptis admiscentes, tantis hunc veritatis solem obduxerunt tenebris, ut aurum jam a plumbo, legitimum a spurio, atque a vili pretiosum separare, promptum non sit. Nec enim minorem veritatis labem crediderim, dum in Scriptis veterum Patrum sic omnia tumultuarie miscentur: quam dum Hæreses veritatibus ex industria, ad simplicium seductionem & literariæ Reipublicæ pacem perturbandam, miscentur. Qui vero pauca tantum in hujus Operis prima editione attigeram, in hac altera, amplam omnium discussionem, ex attenta singulorum discussione collectam Dissertationem *de Athanasii Operibus* producam: absque Doctiorum qui contra sentire voluerint, ullo præjudicio, editionis Parisiensis anni 1627 ordinem secutus.

CAPVT PRIMVM.

DISCVTIVNTVR OPVSCVLA QVÆDAM TOMO I OPERVM ATHANASII IMMISSA.

EX ipsis quantum licuerit, Pontificiorum & fontibus & verbis, quo minus infensi simus, censuras nostras venabimur: a quibus tamen abscedemus, ubi veritatis metam non attigisse comperiemus.

1. *Disputatio contra Arium in Concilio Nicæno habita.* Illam suppositiam esse multa probant. 1. quia nec Gelasius Cyzicenus qui Disputationes Concilii Nicæni alias scriptis mandavit, ullatenus illius meminit, nec alii veteres rerum Ecclesiasticarum scriptores. Licet enim Sozomenus scribat sanctum Athanasium maximam partem Concilii sustinere visum esse, Disputationem tamen illam non memorat. Adde, quod cum tam multi & docti Episcopi in hoc Concilio adessent, idonei qui fidem Orthodoxam defenderent, est omnino ab humana fide alienum, ut hanc provinciam disputandi cum Ario hæresiarcha, sancti Patres voluerint committere Diacono, in præsentia tot clarissimorum Præsulum. 2. Disputatio ista, nec in Nicæno Concilio, nec contra Arium habita est, sed contra Arrianum quendam, & in privato diversorio, ut ex ipsa Præfatione patet, in qua ait Author: *Simul tandem sletimus in loco quo iter habebamus, & natis genuinos sinceroscque homines, libenter quidem nos & cum gaudio ibi commorabamur: quod digni habiti essemus qui Sanctos visitaremus, illi vero quod fratres suos conspicerent. Nobis igitur hac invicem communicantibus, quæ ad pietatem spectabant, multa cum modestia & frugalitate: derepente ex radice Christo, inimici Arii bellua sub humana specie ad nos insiliit, & aliquantisper audiens sermones pietatis, ac tandem eorum impatiens, in hæc verba prorumpit: Docete me vestram doctrinam, aut ego doceba vos meam sententiam.* 3. Impugnat hæreticus acerrime in ea Disputatione, 1 2 3.

Spiritus

Spiritus ſancti Divinitatem: quam egregie defendit Orthodoxus. At nulla de Spiritus Sancti divinitate quæſtio mota fuit ab Ario, illa igitur Diſputatio non eſt habita contra Arium. Aſſumptum probatur. Ea enim Sanctorum Patrum ſententia eſt, nihil diſertis verbis de Divinitate Spiritus Sancti, ſicut de Filii Conſubſtantialitate, in Nicæno Symbolo poſitum eſſe? quod nulla eo de dogmate ab Ario quæſtio mota eſſet. Certe S. Athanaſius in Epiſtola ad *Serapionem*, ejusmodi blasphemias ab Arianis potius, quam ab Ario prodiiſſe meminit. S. Baſilius Magnus Epiſt. 78 de Nicæno Concilio agens, ait: *Sententia de Spiritu ſancto in transcurſu, ſine omni diligentia poſita eſt: propterea quod nondum mota eſſet iſta quæſtio, ſed adhuc credentium mentibus ſecurus ac nullis objectus inſidiis ineſſet de Spiritu ſancto intellectus.* S. Hieronymus Epiſtola 65. reſpondens cuidam objectioni in patrocinium Origenis adductæ, ait: *Quidam conſtantius aiunt, quomodo damnabimus, quos Nicæna Synodus non tetigit? Qui enim damnavit Arium, damnaſſet utique Origenem, ſi illius dogmata reprobaſſet. Scilicet, uno medicamine omnes ſimul morbos debere curari: & idcirco Spiritus Sancti neganda majeſtas eſt, quia in Synodo ſuper ſubſtantia ejus, ſilentium fuit. De Ario tunc, non de Origene quæſtio fuit: de Filio, non de Spiritu ſancto: confeſſi ſunt quod negabatur, tacuerunt ex quo nemo quærebat.* 4. Hæreticus ille contra quem inſtituta eſt præfata Diſputatio, ita ſuppoſititium Athanaſium alloquitur: *Ego igitur gratias ago Sanctæ Trinitati, adoroque Patrem & Filium & Spiritum Sanctum. Jam ergo Dilecte, ſimul deprecemur: ego enim omnia indumenta erroris exuens, ea abjicio per miſericordiam Dei.* At nunquam errorem abjecit Arius, itaque Diſputatio iſta non eſt habita contra Arium. 5. Pſeudo-Athanaſius ita compellat Hæreticum: *Dignitatem Clericalis ordinis tributam tibi ab hæreſi, nonne exiſtimas partem erroris eſſe?* Quod Ario non competit, qui non ab hæreticis ordinatus fuit, ſed a S. Petro Alexandrino Diaconus, ab Achilla ejus ſucceſſore Sacerdos cónſecratus eſt. Itaque contra Arium a S. Athanaſio habita non eſt illa Diſputatio. Hæc verbotenus Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſtica Capitibus* tom. 7. cap. 4. *de Authoribus Eccleſiaſticis* art. 8. pag. 425. Deſumpſit iſta ex Baronio tomo 3. *Annalium Eccleſiæ* ad annum 325 num. 51 qui eadem contractius habet: Roberto Bellarmino in Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, in Athanaſio: quæ nec ſiluit Andreas Rivetus Lib. 3. *Critici Sacri* cap. 5. pag. 266. Nos ſextam addimus rationem, ex ipſa Diſputationis inſcriptione: *Sancti Patris noſtri Athanaſii Archiepiſcopi Alexandrini Diſputatio in Nicæno Concilio contra Arium habita anno Chriſti Incarnationis 325 imperante pio Rege Conſtantino, beatoque Papa Sylveſtro, & Epiſcopo Conſtantinopolitano Alexandro.* Quot enim verba, tot parachroniſmi & lapſus, qui Athanaſii aperto impoſtori plurimam adferunt infamiam. Hæc autem Diſputatio ad *Vigilium Tapſenſem Epiſcopum* referri poteſt, ut in hujus operis compendio ſcripſeram, quam ille apud Græcos Conſtantinopoli poſitus ſcripſerit. Ita quidem ſenſeram, juxta Andream Rivetum lib. 3. *Critici Sacri* cap. 5. pag. 265 ita ſcribentem in examine Tomi primi Operum ſancti Athanaſii. «Quædam animo non malo *Athanaſio* ſua« Opuſcula inſcripſerunt, ut *Vigilius Martyr* (qui« Vigilius iſte Tapſenſis eſt juxta Chiffletium)« aut quis alius author, qui Libro contra Euty-« chen V fatetur, ſe *libros adverſus Sabellium, Photinum & Arium, idcirco ſub nomine Athanaſii ſcripſiſſe, ut præſentes cum præſentibus viderentur agere.*« Vt imperite in hoc Opuſculo fit. Idem olim« tentaverant Neſtoriani & Eutychiani, nam ut« refert Evagrius *Hiſtoria* lib. 3. cap. 31. *Sancto-*« *rum Patrum libros ſæpe depravarunt, multosque*« *Apollinarii libros Athanaſio, Gregorio cognomento*« *Thaumaturgo & Julio, inſcriptionibus commutatis,*« *attribuerunt.* Hoc exemplo quod neutiquam« condonari poſſit, abuſi impudentes & imperiti« Monachi, hanc ſibi licentiam ſumpſerunt, con-« fictas in clauſtris ſuis nugas, ſancto huic Patri« ſupponendi.» Cæſar Baronius, illud Scriptum commentitium iisdem quibus antea rationibus judicat, Annalium tom. 3 ad annum Chriſti 325 n. 51. verbis ſequentibus: *Fertur Diſputatio quædam inter Arrium & Athanaſium habita in Nicæno Concilio, relata inter Commentarios Athanaſii. Sed ejus Præfatio docet eam ſeorſum potius, quam in Concilio habitam: & cum nulla prorſus ſit ibi mentio de Nicæno conventu, nequaquam Nicæa habita eſſe creditur. Rurſus vero cum in ipſa Arrius aperte impugnet divinitatem Spiritus Sancti, eum creaturam pariter nominans: Arrianus potius homo, quam Arrius eſſe convincitur. Nam ea ſanctorum Patrum (ut dicemus) ſententia eſt, nihil expreſſius de divinitate Spiritus Sancti, ſicut de Filio, in Magno Symbolo propoſitum eſſe, quod nulla ea de re ab Arrio quæſtio mota eſſet. Quod ſi ejus divinitatem Arrius impugnaſſet, nequaquam ſanctiſſimi illi prætermiſiſſent illam diſertis verbis teſtatam, in omnibusque perſpectam, defenſamque a cunctis Adverſarii objectionibus reddere: cum accuratiſſime id præſtare conati ſint, de Divinitate Filii, quam Arrius tantum impugnabat. Certe quidem ipſe Athanaſius in Epiſtola poſteriori ad Serapionem ſcripta, ejusmodi in Spiritum Sanctum blaſphemias prodiiſſe tradit ab Arrii ſucceſſoribus potius, quam ab ipſo Arrio. Subinducta autem videtur in ea Diſputatione, perſona Arrii potius, quam ipſe Arrius Athanaſio credere neſcius, qui ibi Athanaſio conſenſiſſe dicitur.* Hæc ille Annalium parens. Cum autem Diſputationem unam atque etiam alteram Vigilius Tapſenſis Epiſcopus, in Africa ſub falſo Athanaſii nomine cum Ario in Synodo Nicæna, *Dialogis II* tum poſtea *Dialogis III* ediditſet: atque inde pulſus, Conſtantinopoli poſitus, *Libros V adverſus Eutychetem* conſcripſiſſet, Æneæ Pariſienſi ac Theotulpho Aurelianenſi Epiſcopis teſtibus: illic quoque cum non eſſet Græci ſermonis ignarus, Diſputationem hanc Græce conſcribere potuit, quæ

non abludit ab argumento & methodo aliarum Diſputationum, quas in Africa ſub Athanaſii, aliorumque Patrum ſuppoſitis nominibus conſcripſit. Quod autem tot parachroniſmis hæc Diſputatio atque abſurditatibus conſtet, hoc nequaquam impedit, quominus Vigilii Tapſenſis Epiſcopi ſit, qui in aliis ſuis Dialogorum fictionibus nullatenus felicior atque veritatis aſſequendæ ſtudioſior fuit.

II. *De naturali communione eſſentiæ inter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum*, pag. 209. An „ab Athanaſio, aut alio quopiam collecta ſint, „dubium eſt, inquit Natalis Alexander. In iis „quædam ad verbum tranſcripta ſunt ex *Quæ„ſtionibus* ad Antiochum, quæ non ſunt S. Athanaſii: ſed utrum *Collector teſtimoniorum* præfa„torum ex his quæſtionibus, vel *Quæſtionum* „*Author* ex illo Collectore exſcripſerit, incer„tum eſt.„ Hæc Alexander, mutuata ex Riveto Lib. 3. *Critici Sacri* cap. 5. pag. mihi 267. Sed aliæ rationes nobis Opuſculum legentibus acceſſerunt, quæ ſpurium omnino Athanaſii
1. Opus oſtendunt. *Primo* enim *Teſtimonia ex Scripturis de communione naturali eſſentiæ inter Patrem & Filium & Spiritum Sanctum* attente lecta, nihil aliud ſunt quam incondita & incompoſita farrago Athanaſio viro gravi indigna, quæ ſapit recentiorem Græcorum agendi & ſcribendi modum, ut omnibus antiquitatis peritis conſtare
2 nullo negotio poteſt. 2. Cum author hujus farraginis inſurgit in Arrianos & Macedonianos, cum Arrianis mitius quam cum Macedonianis agit: nunquam enim alio modo Macedonianos quam hæreticos appellat, quod de Arrianis non dicit. Vnde colligimus farraginem iſtam conditam eſſe poſt Concilium Conſtantinopolitanum primum, quo anno 381 mortuo jam Athanaſio, Macedonius damnatus eſt. Ita legimus Græcis ſuppreſſis Latine, *Hæreticos ſolere dicere, Verba Prophetarum ex perſona Sancti Spiritus pronunciata eſſe, unde arbitrantur ſe oſtendere poſſe, Spiritum Sanctum minorem Deo.* Ita tom. 1. pag. 387. editionis Heidelbergenſis. Et pag. ſequenti Πάλιν ὁ αἱρετικὸς θέλων δεῖξαι, ὅτι τὸ πνεῦμα κύριον καλεῖ τὸν λόγον τοῦ θεοῦ λέγει. Quod iterum Hæreticus oſtendere vult, dum Spiritus Sanctus *Dominum* Dei verbum vocat. Et pag. 389. ὅτι λέγουσιν οἱ αἱρετικοὶ ὅτι τὸ πνεῦμα δῶρόν ἐστι παρὰ θεοῦ. *De eo quod Hæretici dicunt, Spiritum donum Dei eſſe.* 3. Hic Author alio prorſus modo illud Lucæ 12. v. 10. *Omnis qui dicit verbum in Filium hominis, remittetur ei: ei autem, qui in Spiritum ſanctum blaſphemaverit, non remittetur*, interpretatur in hoc tractatu pag. 236. editionis Pariſienſis, quam in Epiſtola ad Serapionem pag. 175. Vnde unus idemque Author utriusque Operis eſſe non poteſt, qui tam diverſimode eundem textum exponit. Nam in Epiſtola ad Serapionem per *Spiritum ſanctum* intelligit tertiam perſonam divinæ Trinitatis ut a Filio diſtinctam, contra quam male ſentire vel loqui, licitum non eſt, absque blasphemia. At in iſto opuſculo *Teſtimoniorum de naturali communione &c.* nomine blaſphemiæ *contra Filium hominis*, hæreſim contra naturam Chriſti humanam intelligit: nomine autem blaſphemiæ *contra Spiritum ſanctum* blaſphemiam contra Chriſti divinam naturam intellexit. Interpretabantur Veteres hunc locum contra Arrianos vel Macedonianos, eo modo quo interpretatus eſt Athanaſius in Epiſtola ad Serapionem, de duabus Perſonis Trinitatis, Filio ſcilicet & Spiritu ſancto: quem naturalem eſſe ſenſum Scripturæ, nullus neſcit. At Neſtoriana hæreſi exorta, quæ naturam utramque in Chriſto per unionem Incarnationis confundebat, Orthodoxi hac interpretatione contra Neſtorianos agebant, ut duas naturas in Chriſto non confuſas ſtabilirent. Cum ergo hic Collectaneorum author hunc locum Lucæ 12. v. 10. *Omnis qui dicit verbum &c.* de duabus in Chriſto naturis intelligat: hinc aperte conſtat ſcriptam eſſe Collectionem hanc poſt hæreſim Neſtorii quam his verbis confutat: neque ideo ad Athanaſium longe antea ſatis functum referri poſſe. 4. Eandem hæreſim Neſtorii, manifeſte ſub finem condemnat his verbis: 4
δεῖξον εἶναι τὸν Χριστὸν μετὰ τὴν ἄῤῥητον ἕνωσιν φημὶ δὴ ἐν θεότητι καὶ ἀνθρωπότητι, καὶ αἱ ἱεραὶ ἡμῖν διαβοῶσι γραφαί. *Propterea neceſſum eſt, ut ſapienter iſta audiamus, & non errabimus, duplicem eſſe Chriſtum poſt inenarrabilem unionem, Divinitatis autem dico & humanitatis: quam ſacræ nobis conteſtantur Scripturæ.* Occurrunt hæc opuſculum attente legenti, quibus Athanaſio prorſus abjudicantur Teſtimonia ejusmodi Collectionis. Ad-
de 5. *ſub libri* medium hunc titulum, Adverſus 5.
„eos qui diſcrimen ponunt inter *Ex quo* & *Per*
„*quem*: & illud *Ex quo* Patri, illud *Per quem* Fi„lio, ut minus attribuunt.„ His enim puerilibus ac diſputandi nugacibus rationibus *Ex quo* & *Per quem*, deſignari recentiorem Græciæ in arguendo pruriginem fatebuntur eruditi, qui nugas pares in antiquis Veterum Patrum Scriptis non reperiunt.

III. *Expoſitio fidei* pag. 240. quam ut ſpuriam Bellarminus rejicit, cujus optimæ rationes ſunt.

„Illa (inquit) Expoſitio fidei quæ tomo 1. legi„tur, dubius eſt S. Athanaſii fœtus. Tres enim„ Hypoſtaſes ſeorſim diſtinctas in Deo eſſe ur„get, cum ſanctus Athanaſius & Orientales ple„riq; omnes eſſentiam unam & tres hypoſtaſes„ pie rectèque dicerent, idem intelligentes trium„ Hypoſtaſeon nomine, quam Latini dum tres„ perſonas profitebantur, ut conſtat ex S. Gre„gorio Nazianzeno *Oratione* XXI quæ eſt de„ Laudibus S. Athanaſii.„ Verum nullam eſſe hanc Bellarmini rationem contendit Natalis Alexander in cenſura hujus Opuſculi. Nam, inquit, & hypoſtaſim pro οὐσίᾳ S. Athanaſius uſurpavit, & licet demus ibi hypoſtaſes ſignificare perſonas: nihilominus recte ſcriptum eſt in illa fidei expoſitione, *Tres hypoſtaſes non eſſe ſeorſim diſtinctas:* id eſt a ſe invicem diviſas & ſeparatas,

by Google

paratas, tam naturis ſingulis quam proprietatibus, eo modo quo in corporea natura hypoſtaſes plures ſeorſim ſubſiſtunt: ita enim Deorum multitudo inveheretur. Eum eſſe ſenſum laudatæ Expoſitionis, verba ipſa oſtendunt: *Neque*, inquit, *tres hypoſtaſes diviſas ac ſeorſim conſiſtentes, ut corporum more fieri in hominibus intelligimus: ne uti Gentiles docent, Deorum multitudinem eſſe ſentiamus.* Aliqui iſtam Expoſitionem Athanaſii eſſe negant, quod Chriſtum *Dominicum hominem* appellaverit. At felicius non conjiciunt. Conſtat enim Veterum teſtimoniis S. Athanaſium hoc genus locutionis uſurpaſſe. Facundus Hermianenſis Lib. II. *Pro defenſione trium Capitulorum*, locum ex iſta fidei expoſitione, quam *Expoſitionem ſymboli* ipſe vocat, deſcribit: in quo a S. Athanaſio Chriſtus *Dominicus homo* appellatur. Et Theodoretus Dialogo 3. pag. 161 laudat inſignæ S. Athanaſii teſtimonium ex *Majori ſermone de fide*, in quo Chriſtus *Dominicus homo* appellatur. Rufinus in Appendice ad *Apologiam* pro Origene, quam nomine Pamphili Martyris edidit, eandem in libello quodam S. Athanaſii vocem agnoſcit, quam a ſancto Hieronymo interpolatum mentitur. Et S. Hieronymus qui hanc a ſe calumniam depellit, ac fabulam ridet *Apologiæ* adverſus Rufinum Lib. 2. cap. 5. libellum in quo hæc locutio uſurpatur, eſſe ſancti Athanaſii non negat. Nec movere nos debet ea vox *Homo Dominicus*, quaſi de Chriſto dici abſque errore non potuerit, ac proinde ea uſus non fuerit verus Athanaſius. Quamvis enim hanc loquendi formulam uſurparint Apollinariſtæ, ac propterea nonnullis Patribus diſplicuerit, præcipue ſancto Gregorio Nazianzeno Epiſtola 1. ad Cledonium: ea tamen abſque ſcrupulo uſi ſunt S. Epiphanius in *Ancorato* num. 95. Anaſtaſius Sinaita, vel quis alius in ὁδηγῷ. S. Auguſtinus *Lib. 85. quæſtionum* quæſtione 36 & quæſt. 57. & Lib. 2. *de Sermone Domini in monte* cap. 6. quam tamen emendavit Lib. 1. *Retractationum* cap. 19 quamvis cenſeat, nonnulla ratione poſſe defendi. Denique *Dominicum hominem* Chriſtum pariter vocat Caſſianus Lib. 6 *de Incarnatione* cap. 22. Nec itaque abjudicanda eſt S. Athanaſio *Expoſitio fidei* ſupra laudata, quod in ea uſurpetur vox iſta *Dominicus homo*: nec argui poteſt S. Athanaſius, quod ita locutus ſit. Ita Natalis Alexander ad malæ cauſæ patrocinium. Nemini tamen unquam opinor perſuadebit, Athanaſium Arrianorum inſenſiſſimum hoſtem, Trinitatis potiſſimum aſſertorem, ita bardum ac ſtupidum fuiſſe, ut inter acerrimos Divinitatis Chriſti impugnatores vivens, *Expoſitionem fidei* ſcribens, vel *Tres hypoſtaſes non eſſe ſeorſim diſtinctas*, vel Chriſtum *Dominicum hominem* ſcriberet: quibus omnia a ſe aſſerta unico calami ductu, deſtruxiſſet, cum expreſſiones ejusmodi directe *Divinitatem Chriſti* impugnent.

CAPVT SECVNDVM.
ALIA EJVSDEM TOMI OPERA DISCVTIVNTVR.

IV. *Epiſtola Athanaſii & Epiſcoporum Ægypti & Libyæ ad Felicem* pag. 243. Item *Liberii Romani Epiſcopi ad Athanaſium Epiſtola, cum reſponſione Athanaſii ad Liberium*, pag. 244. Certum eſt Iſidoriani eſſe furfuris Epiſtolas duas ſancti Athanaſii & Epiſcoporum Ægypti & Libyæ ad Romanos Pontifices Felicem & Liberium, quas eruditi Cardinales Baronius & Bellarminus, etiam ut ſuppoſititias arguunt. In ea quæ ad Felicem inſcribitur, ita Pſeudo-Athanaſio placuit: *Significamus Deo placita paternitati veſtræ, die 17 Cal. Auguſti Indict. 4. noſtram humilitatem divina gratia ſuo munere præveniente, veſtris ſanctis ac Deo dignis precibus in ſancta Romana Eccleſia, Pontificalis honoris accepiſſe conſecrationem & ſtolam.* Hæc autem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, aperte pugnant. Romam enim nunquam viderat Sanctus Athanaſius, cum ex Diaconorum ordine ad Epiſcopatum Alexandrinum aſſumptus eſt: & Felix nondum fuerat ad Romanam ſedem intruſus. Denique Sanctus Athanaſius intruſionem Felicis ſemper execratus eſt, quam ut monſtrum in Petri ſede ſemper æſtimavit, ut conſtat ex ipſius ad *Solitarios* Epiſtola. Vnde veriſimile non eſt, quod ad ipſum ut Pontificem Romanum ac legitimum ſcripſerit. Has igitur malas mali Mercatoris merces, has ineptas farraginis quisquilias, Baronius aliique eruditi viri longius ablegarunt, in quibus leguntur Epiſtolæ, de quibus ſupra. Sicut & *Epiſtola Athanaſii & Ægyptiorum Epiſcoporum ad Papam Liberium*, cum *Epiſtola Liberii Papæ reſponſoria ad Athanaſium & ad Epiſcopos Ægyptios*, quas ambas ex proprio cerebro confinxiſſe creditur Iſidorus Mercator, Græce poſtmodum translatas. Vtramque Epiſtolam Græcolatinam ſuppoſitionis recte Bellarminus arguit, cum neutra authoribus conveniat, quibus tribuitur. *Primo* enim ita ſcribit Liberius Romanus Epiſcopus Athanaſio, ac ſi de fide ejus dubitaret, quod abſurdum eſt: unde & jubet illum dicere anathema Sabellio & Ario, quorum ipſe per plurimos annos declaratus hoſtis erat. *Secundo* abſurdiſſimas duas rationes duobus verbis addit, nimirum, *ut ego ſecurior efficiar, tuaque mandata inhæſitanter obeam.* At neque credibile eſt, Liberium unquam dubitaſſe de fide ſancti Athanaſii, nec etiam ita ſe illi ſubjeciſſe, ut mandata ejus ſe obiturum polliceretur. Adde quod Epiſtola quæ tribuitur Liberio incipit per hæc verba ἡμῶν ἂν ἡμῖν ὁμολογία, *Noſtra ergo confeſſio*, ſine interrogandi nota: ut concluſio potius Epiſtolæ, quam Epiſtola eſſe videatur. Reſponſio quoque Athanaſii non habet formam Epiſtolæ, ſed ſimplicis Confeſſionis fidei. Neque Confeſſio concepta eſt idoneis verbis, præſertim dum inquit: *Illa caro ſuſpenſa eſt in cruce, non ipſe; in illa omnes humanas paſſiones ut homo ſuſtinuit, non ipſe.* Non enim negari poteſt, Chriſtum ipſum, ſive etiam Deum ipſum crucifixum & paſſum eſſe in carne. Sic enim loquitur ſanctus Petrus 1. Petri 4. v. 1. *Chriſto igitur in carne paſſo &c.* Et cap. 2. v. 21. *Chriſtus*

1.

2.

3.

Chriſtus paſſus eſt pro nobis &c. Et ſanctus Paulus ad Philip. cap. 2. v. 8. *humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis.* Et 1 ad Corinth. 2. v. 8. *Nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Sanctus autem Athanaſius maxime proprie & caſtigate de ejusmodi myſteriis loqui ſolet, proinde non videtur ejusmodi ſcriptio S. Athanaſio tribuenda. Hæc Bellarminus, Plura Rivetus Lib. 3. *Critici ſacri* cap. 7.

V. Refutatio Hypocriſeos Meletii, Euſebii & Pauli Samoſateni, pag. 572.

Non eſt legitimus S. Athanaſii fœtus. Alium hujus Opuſculi parentem probant 1. maxima ſtyli diſſimilitudo. 2. Sancti Athanaſii in Meletium veneratio quam in Epiſtola *ad Ægypti & Lybiæ Epiſcopos* ſive *Oratione 1. contra Arianos* honorifice *Magnum Meletium* appellat & inter orthodoxos Antiſtites recenſet. 3. Quia iſtius Tractatus author contendit non eſſe ſatis ad Catholicæ fidei integritatem, aſſerere Filium Dei eſſe ὁμοιούσιον Patri: cum tamen verus Athanaſius in libro *de Synodis* illos qui Filium Patri ὁμοούσιον profitebantur, & ὁμοούσιον certis de cauſis reſpuebant, vere Catholicos agnoſcat atque ut fratres amplectatur. Nonnulli Tractatum hunc Paulino Antiocheno Meletii æmulo, vel alicui ex ejus partibus tribuendum putant. Fœtum Athanaſii dubium cenſet Guillelmus Cavus, in *Athanaſio* pag. 144. ſpurium Ludovicus Ellias du Pin, ibidem pag. 40.

VI. *Epiſtola de Incarnatione Verbi Dei adverſus Paulum Samoſatenſem* pag. 591 primi voluminis, eſt ſpurius Athanaſii fœtus, contra errores Neſtorii ſcriptus. Nam 1. author hujus Operis hypoſtaſim pro perſona accipit, & invehitur in eos homines qui duas hypoſtaſes in Chriſto admittebant, velut pro Trinitate divinarum perſonarum quandam quaternitatem introducentes: contra quam Athanaſio Magno viſum eſt, qui hypoſtaſim ſemper pro eſſentia accepit, atque ex hoc principio duas in Chriſto hypoſtaſes agnovit, ut vult Ellias du Pin in *Athanaſio* pag. 40 & in Notis pag. 58 *Sanctus Athanaſius hoc nomen ſemper ad ſignificandam potius naturam, quam perſonam accepit.* "Concilium Nicænum „hoc ſenſu verbum hypoſtaſeos accepiſſe videtur, dum condemnat eos qui dicerent, Verbum „eſſe aliam hypoſtaſim vel ſubſtantiam. S. Athanaſius ſæpe in Oratione quinta dicit, Patrem & „Filium eſſe unam ſolam hypoſtaſim: & in Epiſtola ad Africanos, inquit hypoſtaſim eſſe ſubſtantiam. Tandem quamvis Alexandrina Synodus, hanc quæſtionem non pertinere ad fidem, perſuaſa fuiſſet: magis tamen approbavit opinionem eorum, qui hypoſtaſim pro natura & eſſentia accipiebant. 2. Neſtorium ſenſit, dum impugnat errorem eorum qui duas in „Chriſto perſonas admittebant, ut ſuo tempore „ab ſecta Hæreticorum defenſum. Incipit dicendo, olim Eccleſiam fuiſſe ſcandalizatam error Pauli Samoſateni, & nunc iterum ſcandalizari errore eorum, qui veram fidem impugnabant, hancque hæreſim renovabant. Tum" conſequenter aſſerit *Jeſum Chriſtum eſſe unicam" perſonam* & non duas, ὅπως ἡ νῦν ἀπιστία διάζεται," ut nonnullorum infidelitas perſuadere nititur." 3. Confutat eos qui dicebant *Verbum habitare in" carne*, quodque Chriſtus adoraretur, ratione" *Verbi in homine habitantis:* quæ ſunt propriæ" Neſtorii voces, quibus uteretur."

Oratio quod unus ſit Chriſtus, de qua ſic Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei Literariæ* ſeculo 4. ad annum 326 in *Athanaſio* pag. 144. "Hanc aliis" probatam in dubium vocant viri clariſſimi, Ri-" chardus Montacucius, Notis in Euſebium *ad-" verſus Marcellum* in initio, & Dionyſius Petavi-" us *de Trinitate* lib. 1. cap. 13 duplici præcipue ar-" gumento. 1. Quod ſtylus ſit multo comptior" & ornatior, quam Athanaſianus eſſe ſoleat." Sed hæc ratio mihi nulla viſa eſt, Athanaſium" enim quandoque ſcripſiſſe κομψοῖς τισὶ καὶ λαμ-" προῖς ex Photio in *Bibliotheca* cod. 32 ſupra obſervavimus. 2. Quod tres hypoſtaſes in Tri-" nitate confitetur, cum Athanaſius unicam" agnoſcere ſoleat. Eſto, inquit Cavus. At" aliter ſcribere potuit Athanaſius poſt quæſtio-" nem de vocibus ὁμοίου & ὑποστάσεως in Synodo" Alexandrina ſub Juliano habita determina-" tam: in qua decretum eſt non eſſe damnandos" trium ὑποστάσεων aſſertores, modo perſonas in-" telligerent: nec e contra qui unam eſſe hypo-" ſtaſim affirmabant, per hanc ὁμοίου ſive *eſſentiam* intelligentes. Et certe ſcriptam eſſe hanc" Orationem, poſt Marcellum ab Athanaſio pro" Hæretico agnitum, id eſt poſt annum" CCCLVII ex ipſa Oratione liquet, in qua Mar-" cellus diſerte damnatur. Denique ab authore" Catenæ in Lucam, ſub Athanaſii nomine cita-" tur." Contra Cavum Ellias du Pin in Athanaſio, pag. 40 his verbis. *Oratio quod unus ſit" Chriſtus* quamvis antiqua, alterius authoris eſt," quam divi Athanaſii. Nam 1. hic ſcriptor Mar-" cellum Ancyranum in numero hæreticorum" collocat, cum quo S. Athanaſius communio-" nem ſemper habuit, tanquam cum Epiſcopo" orthodoxo, imo in ipſis vitæ ſuæ ultimis annis," ut conſtat ex Epiſtolis ſancti Baſilii, qui hanc ob" cauſam de ſancto Athanaſio conqueritur. 2. Au-" thor hujus Tractatus unam duntaxat hypoſta-" ſim in Jeſu Chriſto agnoſcit, nomine hypoſta-" ſeos pro perſona accepto: cum e contra S. A-" thanaſius admiſerit ſemper hoc nomen ad ſi-" gnificandam naturam potius, quam ad deſignandam perſonam, ut ſupra dictum eſt." Hæc Ellias du Pin, cujus rationes mihi coloratis Guillelmi Cavi potiores videntur.

VII. *In illud Lucæ 12. v. 10. Quicunque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei &c.* pag. 970.

Abjudicatur ſancto Athanaſio ab eruditis Cardinale Perronio & Coeffello, qui judicium Eraſini & Centuriatorum Magdeburgenſium adverſus Reformatos proferunt, nec non editiones Baſileenſem & Pariſienſem, interſuppoſititia

titia S. Athanasii Opera homiliam istam rejicientes. Contra Aubertinus vir eruditissimus in opere *de Eucharistia Sacramento*, germanum esse sancti Athanasii opus contendit, tum ex styli similitudine, tum ex Gobaro apud Photium in *Bibliotheca* Cod. 232. testante Athanasium in multis Libris Theognostum laudare: quod semel tantum præstiterit, nisi hujus homiliæ author fuerit. Tum denique ex Concilio Lateranensi sub Martino 1. anno 649 celebrato, ubi sub sancti Athanasii nomine tria hujus homiliæ loca proferuntur. Ita constat Sermoni huic certitudo sua, inquit ille. Repetit eadem Philippus Labbeus in Dissertatione sua *de Scriptoribus Ecclesiasticis* a Bellarmino recensitis, verbo *Athanasius* tom. 1. in *Addendis* pag. 727. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* seculo 4. tomo 7. ubi *de Scriptis* Athanasii loquitur. Ego Spurium esse opus existimo,
1. quamvis antiquum. *Primo* enim alio prorsus sensu explicat verba citata, *Quicunque dixerit verbum contra Filium hominis*, quam Athanasius verus fecit in Epistola ad *Serapionem*: unde conjicimus esse alterius authoris, neque enim erat
2. inconstans Athanasius. *Secundo*. Nestorium ejusque sequaces, author in hac homilia ex hujus loci explicatione perstringit, unde post Nestorii Naturam utramque confundentis hæresim, scripsisse videtur. «Atque ista istius lectionis observatio hanc mihi sententiam complecti videtur, & ostendere, utramque blasphemiam ad Christum pertinuisse, & de se locutum esse Filium hominis: ut ex hoc quidem corporalitatem suam ostenderet: ex Spiritu vero, spiritualem suam & intellectualem deitatem demonstraret. Siquidem veniam assequi posse in blasphemia contra Filium hominis constituit, ut corporalitatem suam declararet.» Vbi contra confusionem utriusque naturæ in Christo agitur, quæ Nestorii doctrina fuit.

1. VIII. *Homilia in Passionem & crucem Christi*, pag. 992. Athanasii esse non potest. Jusjurandum enim vetitum penitus hominibus alierit, & omnem superare iniquitatem & audaciam, quod Deus testis ab hominibus advocetur. At non eam fuisse S. Athanasii sententiam ex eo certum est, quod ipse juramento se purgaverit apud Constantium Imperatorem a crimine conjurationis in ejus Majestatem, cujus accusatus fuerat, Deumque suæ innocentiæ testem invocaverit. *Tua enim pietati*, (inquit in Apologia ad Constantinum) *magna & clara voce respondeo, manuque extensa, quod didici ab Apostolo, Deum in meam ipsius animam testor, & ut scribitur in libris Regum, jusjurandum concipio. Testis mihi est Dominus, & testis sit Christus ejus, nunquam in malum tui mentionem feci apud fratrem tuum, beatæ memoriæ Constantem piissimum Augustum, neque illum adversum te irritavi, ut calumniantur isti. Imo si quando eum convenerim, mentionem ipse faciebat de tua humanitate: quod etiam tunc contigit, cum Thalassius veniebat Pitybionem, & nos commoraremur Aquileiæ. Deus conscius est, quam ego ibi tuæ pietatis meminerim, & qua ego per id tempus locutus fuerim: Deus tua aliquando menti revelabit, ut cognoscas sycophantias meorum apud te calumniatorum.* Præterea scribit hujus homiliæ author, Chri- 2.
stum Dominum, cum diabolum fugam adornantem conspiceret, ne fuga elaberetur metuentem, *voces humanas emisisse & voces imbecillitatis simulasse* dicendo, *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me!* At sanctus Athanasius in tanti rebus momenti, non ita improprie loqui solet. *Christum voces imbecillitatis simulasse*, modus loquendi est ab eo plane alienus. Oratione enim 4 *Contra Arianos*, voces illas esse proprias humanitatis diserte probat, illasque Filium Dei humanitus protulisse, & ratione carnis assumptæ, ut innotesceret eum, cum Deus esset impassibilis, carnem passibilem assumpsisse. Hæc Natalis Alexander *Selectorum Historia Ecclesiastica Capitum* seculo 4. tomo 7. cap. 5. art. 8. pag. 450. sed ante ipsum Andreas Rivetus Lib. 3. *Critici sacri* cap. 5. pag. mihi 267 editionis quartæ.

CAPVT TERTIVM.

ALIA HVJVS TOMI OPVSCVLA EXAMINANTVR.

IX. ORatio *de Sanctissima Deipara* pag. 1028 de qua Bellarminus & Baronius maxime dubitant, sed Spinellus, Maraccius aliique ignari & cœci Mariæ cultores, fulcire atque Athanasio vindicare conantur. Hoc devotis consuetum maxime est, ut intra suas ecstases gustu priventur, omniaque suis excessibus seu mentis alienationibus conducentia indiscriminatim adprobent, ut Spinello ac Maraccio, Mariæ devotis hac in parte contigit. At eruditis aliter, quorum solida semper pietas extitit, visum est, de quibus supra. Homiliam hanc *de sanctissima Deipara* suppositiam esse Rivetus asserit, quod in ea invocatio Beatæ Mariæ Virginis stabiliatur: Cum verus Athanasius *Epistola* ad Epictetum, & Oratione 3. *contra* Arianos scripserit Mariam esse sororem nostram, eo quod omnes liberi sumus ex Adamo procreati, ideoque *Creaturam*: porro *creaturam creaturæ non supplicare*. At Natalis Alexander loco citato, qui multis hinc inde corrasis, nihil probantibus, Riveto respondet, maximo injuriarum fœnore, loco solidarum rationum reposito. Neque enim hanc duntaxat rationem Rivetus affert Libro 3. cap. 5. pag. 268. *Critici sacri*, sed alias quoque multas ex ipsis Pontificiis clarissimis Baronio & aliis collectas, quas vapulante Riveto, non erubescit sibi arrogare imprudens iste Alexander his verbis. Nec tamen homiliam illam *de Sanctissima Deipara*, S. Athanasii esse contendimus: sed ipsi abjudicamus melioribus rationibus ducti, quas doctissimi Cardinales Baronius & Bellarminus protulerunt. Harum *prima* est, 1.
quod Nestorii dogma confutet illius homiliæ author, nec non & Eutychetis, easque loquendi

Digitized by Google

formulas uſurpet, quæ nonniſi poſt Conciliorum Epheſini & Chalcedonenſis tempora, ſolennes in Eccleſia eſſe cœperunt. *Atque hinc eſt*, inquit, *quod Chriſti Incarnatio ex Deo perſonam ſuam habeat, non humanitas ex homine. Siquidem juxta divinum charactterem, humana ejus forma ſtatum ſuum accepit unione ſcilicet cum anima: atque ita fit ut Chriſtus duo pariter ſit, & unum ſingulare: unusque item ſit, & non duo, ſecundum unitatem ſubſiſtendi &c. Sanctificata igitur ſuperventu Spiritus ſancti virgo & corroborata, & virtute Altiſſimi gravida, eum geſtabat, qui ex propria ſua eſſentia, Dei erat Filius, pro unica ejus Divinitatis natura: & gignit eundem incarnatum & hominem factum, ſecundum duarum naturarum proprietatem: Eundemque duplicem, & unum ex duobus conſtantem, inconfuſe, immutabiliter atque indiviſim credi oportere ſtatuimus.* Certe ſi tempore Conciliorum Epheſini vel Chalcedonenſis edita fuiſſet illa homilia, hanc laudaſſent iſtarum Synodorum Patres: qua nempe proferri nihil poterat luculentius, ad Neſtorii & Eutychetis proſternendas hæreſes. Accedit *ſecundo* quod hujus homiliæ author Chriſtum *Deiferum hominem* dicendum eſſe negat & ejusmodi locutionem execratur: quam tamen Nicæni Patres, S. Baſilius & alii ex Veteribus uſurparunt. Quæ vox cum ſuſpecta & odioſa eſſe non cœperit, niſi ex quo illa abuſus eſt Neſtorius, argumento eſt hanc homiliam, ante Neſtorianæ hæreſeos tempora, non fuiſſe ſcriptam. Enimvero Author hanc locutionem innoxiam eſſe contendit Nicæni Concilii tempore, nec venenum in ea latere, niſi ex abuſu hæreticorum, qui eam pravum in modum detorquebant. *Ceterum*, inquit, *neque hoc pro hæreticorum more intelligentes authores Nicæni Concilii, ſed ex operatione ſpiritus & virtutis Altiſſimi & impregnatione Virginis, Deiferum hominem eum qui ex Virgine prodiit, credendum eſſe ſtatuerunt.* Cum itaque hæretici qui Athanaſianis temporibus grafſabantur, Ariani ſcilicet hac voce abuſi non legantur: (nam ſi ea abuſi fuiſſent, notaſſet ipſam Nicæna Synodus) hanc homiliam S. Athanaſii non eſſe, certiſſimum eſt. *Tertio.* Hæreſim Monothelitarum diſerte perſtringit homiliæ iſtius author his verbis: *Ideoque duas voluntates prædicamus, ſed nequaquam duos volentes, aut duas operantes, ſed unum volentem, ſecundum unitatem perſonæ: contra duas voluntates & duas operationes, ſecundum peculiarem utriusque naturæ rationem.* Edita itaque videtur hæc homilia poſt ortum hæreſeos Monotheleticæ, quæ circa annum 630 orta fuit, & poſt Synodum ſextam Oecumenicam, quæ illud teſtimonium dubio procul laudaſſet, inter alia Patrum oracula, quibus Catholicum de duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus dogma aſſeruit: ſi ſancti Athanaſii fuiſſet vel alterius, a quo ante hæc tempora hæc homilia edita fuiſſet. *Quarto.* Hic Author leviter admodum & pene pueriliter etymologiam vocis ἰσότης derivat ἀπὸ τοῦ ἰσοῦ, id eſt *æqualis*, vel ἀπὸ τῆς ἰσότητος, quæ vox æqualitatem ſignificat. Atqui vox ἰσότης apud Græcos non reperitur, nec æqualitas apud Græcos dicitur ἰσότης, ſed ἰσότης. *Quinto.* Impegit hic Author in explicanda τῆς ὑποστάσεως notione, ac ſi de illo ſolum dicatur, qui ſub alio ſtat, & quaſi *ſecundo ordine* conſiſtit. Vnde Filium eſſe ὑπόστασιν colligit, quia *ſub aliquo ſtatum ſuum*, id eſt *ſub Patre* habet. Quæ notio falſiſſima omnino eſt, cum Pater qui ſub nullo ſtat, cum a nemine originem habeat, nihilominus ſit hypoſtaſis. *Sexto.* Cenſet hujus homiliæ Author, animam Chriſti ex quo Verbo divino hypoſtatice unita eſt, viſione beatifica uſum non fuiſſe: quod verus Athanaſius ut quidem exiſtimo, non ſenſiſſet. *Non enim*, inquit, *ſuſpicandum eſt, quod ſecundum ſimplicem naturæ ſuæ proprietatem, Virgo in ſe inhabitantem Deum videre potuerit: cum nec ipſa animata, rationisque ac intellectus facultate pradita caro filii, conſpicere valuerit: ſed quatenus fieri poterat, velut ipſa Altiſſimi virtute præſtante umbraculum, ac quaſi umbræ creantæ, quarum adminiculo videret, quantum res patiebatur, Deum in ſe habitantem. Vt quæ ipſi nos, qui in carne noſtra inhabitantem animam habeamus, haudquaquam tamen quomodo, qualisve ea ſit, conſpicere poſſumus: ſed quaſi umbram ejus ac lineamenta, ex ejus virtutibus ac operationibus colligimus: tale quiddam tum virgo, tum ipſa ratione ac intellectu pradita Chriſti anima, contueri poterat atque etiamnum poteſt, ex potentiis & operationibus inde prodeuntibus.* Has omnes Rationes ante Natalem Alexandrum, Rivetus Lib. 3. *Critici ſacri* cap. 5. pag. 269 attulerat, quas ſibi Mendicus ille arrogavit.

X. *Liber de Virginitate* ſive *Exhortatio ad Virgines.* Cujus meminiſſe videtur S. Hieronymus in Catalogo *de Scriptoribus Eccleſiæ* interiit, ſuſſecto in ejus locum tractatu plane puerili, ac qui magno Athanaſio tribuatur, prorſus indigno. Eraſmus ergo dubium, Rivetus & Scultetus ſpurium S. Athanaſii fœtum merito cenſent, ob ſimplicitatem ſtylique humilitatem, Athanaſiano in genuinis ejus Operibus longe diſſimilis. Multa Natalis Alexander garrulitate Mendicantibus innata utitur, ad manifeſtam hanc rationem locis quibusdam communibus nihilque probantibus infirmandam, ſed auras ventosque percutit. Non enim ſufficit in tractatu aliquo, recta quædam atque orthodoxa inveniri dogmata, ut Athanaſio tribuatur: Sed requiritur, ut in eo nihil reperiatur abſurdum, puerile, diſtortum, quodque viro gravi indignum ſit: qualia multa in hoc tractatu ſunt, ut Scultetus Rivetusque annotarunt. 1. Igitur hic Pſeudo-Athanaſius, hodiernorum more Directorum circa Devotas ſuas Virgunulas, nugatoria prorſus aſſertivaque promiſſione his præcepta ſua obſervantibus *Tertium Angelorum Ordinem* vir bonus pollicetur. *Μαρτύρομαι παντὶ ἀνθρώπῳ ἀκούοντι τὰ ῥήματα ταῦτα καὶ ποιοῦντι, ὅτι τὸ ὄνομα αὐτοῦ γεγραμμένον ἐν τῇ βίβλῳ τῆς ζωῆς, καὶ ἐν τῷ τρίτῳ τάγματι τῶν ἀγγέλων εὑρεθήσεται. Teſtificor omnibus qui audiunt verba hæc & faciunt, quod*

quod nomen illorum ſcribetur in libro vitæ, & in tertio ordine Angelorum invenietur. Quid hac promiſſione nugacius, quid viro gravi, qualem fuiſſe Athanaſium ſcimus, indignius? Placent iſta mirum in modum Natali Alexandro aliisque mendicantibus, qui devotis ſuis pari promiſſione illudunt, eorumque crumenas exhauriunt. Sed viris gravibus hæc promiſſio nugax & puerilis eſt, unde recte Andreas Rivetus Lib. 3. *Critici Sacri* cap. 4. pag. 261. "Et quidem nemo „paulo humanior credet, verum Athanaſium, „locum in tertio ordine Angelorum voluiſſe „temere polliceri, iis qui leves præceptiunculas „& conſtitutiones humanas obſervarent. Quæ „enim Scriptura de hominibus in iſtis ordinibus „conſtituendis, unquam aliquid ſpeciatim docuit? vt id author ille tam audacter teſtificetur." Hæc ergo unica ratio, prudentibus gravibusque viris ſufficiens eſt, ad Opus iſtud Athanaſio abjudicandum. Sed Opus iſtud Athanaſio Magno denegare mihi videtur ob potiores rationes, Jacobus Baſnagius in Diſſertatione *de Syntagmate fidei*, quod Athanaſio tribuitur, contra Andream Arnoldum Nurembergenſem pag. 124. Hic igitur Eraſmo doctiſſimo dimiſſo, qui illum *de Virginitate* librum ut ſpurium rejecit, quod futilia plurima Virgini præſcriberentur, ac nugæ paſſim toto libro occurrerent: ipſis libri verbis tomo 1. Operum Athanaſii p. 1050 utitur, quibus Virgini præcipit. Vult Virginem, quæ habet unam aut alteram ſororem unanimem & in rebus ſacris conſentientem, abjicere muliebrem ſenſum, & induere fiduciam & robur, tum abſurdiſſimam ac falſiſſimam rationem ſubjicit: *ἐν γὰρ τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, οὐκ ἔστιν ἄρρεν καὶ θῆλυ· ἀλλὰ πᾶσαι αἱ ἀρεσάσαισαι γυναῖκες ἀνδρῶν τάξιν λαμβάνουσιν. Quoniam in regno cœlorum, non eſt mas neque femina: ſed omnes quæcunque fœmina Deo placuerunt, virorum ordinem accipiunt.* Quæ a vero abhorrent, nec virum gravem, qualis Athanaſius fuit, redolere mihi videntur. *Tertio* Author ejusdem tractatus *de Virginitate*, circa veſtes ſubjicit ibidem pag. 1050. "Vt ejusdem coloris ſint „manicæ laneæ brachia obtegentes, usque ad „digitos manuum: capilli circumtonſi: crinalis mitra ex lana ſit, caput adſtringens: cucul„lula & ſuperhumerale laſcinias non habeat: „cum ſteterit in oratione, pedes calceamentis „obductos habeat: Ne depoſita veſte, corpus re„ſpiciat. Ne totum corpus immergat in aquas, „quoniam Domino conſecrata eſt: faciem tan„tummodo & manus lavet, & cum lavabit faci„em, non ambabus lavet manibus." *Οὐ μὴ βάψῃς ὅλον τὸ σῶμα σου εἰς ὕδωρ, ὅτι ἁγία εἶ κυρίῳ τῷ Θεῷ. Ne intinxeris totum corpus in aquam, quoniam Domino Deo ſanctificata es.* *ὅταν νίψῃς τὸ πρόσωπόν σου καὶ νίψῃ ταῖς δύο χερσὶν. Cum laveris faciem tuam, non lavabis duabus manibus.* Hæ nugæ ſeculum Divi Athanaſii non ſapiunt, aut ſaltem tanto viro non exciderunt. Quid enim magis ſuperſtitioſum, quam *totum corpus non immergi in aquas* a Virgine, *quoniam Domino conſecrata eſt?* Quid magis ſuperſtitioſum, quam *dum lavabit faciem, non ambabus lavet manibus?* Addit *quarto* Baſnagius, Pſeudo-Athanaſium jubere Virginem, ut jejunet annum unum integrum, ſumatque panem ſuum una cum oleribus oleo refectis, quod omnia inanimata ſint pura. At iſta olent authorem Manichæum. Quis autem Athanaſium credat in eorum, qui carnes ut immundas horrebant, partes propendere, Manichæorum ſcilicet, qui tanta laborarunt inſania? Hoc tamen dici debet, ſi illi tractatum de *Virginitate* inſcribi volueris: cur enim jubet Virginem inanimatis uti cibis, quia mundi ſunt, ſi carnes apud eum pari jure gauderent? Denique Baſnagius ibidem pag. 124. ex his verbis, *Indumentum tuum fuſcum ſit, non tinctum, ſed nativi coloris, aut ſaltem album amiculum fimbriis careat:* concludit Opus iſtud non eſſe Athanaſii ſed alicujus Novatiani; quia veſtes albæ erant Novatianis peculiares, Orthodoxis vero nigræ. Refert enim Sozomenus ipſe Novatianus Lib. 8. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 1. pag. 255. Siſinnium qui candida veſte ſemper utebatur, cum ideo a quodam Eccleſiæ Catholicæ viro deriderectur, poſtulaſſe, ubinam ſcriptum eſt, nigra veſte indui oportere? Qui cum hæſiſſet, Siſinnium mox ſubjecitſe: *Tu quidem id nunquam oſtendere poteris, mihi vero ſapientiſſimus Salomon his præcipit verbis*, ſint veſtimenta tua ſemper alba: *& Chriſtus ipſe, qui in Evangeliis ſemper candidus cernitur, & ejusmodi veſte indutos Moſen atque Eliam Apoſtolis ſuis exhibuit.* Vnde patet nigras veſtes geſtaſſe Catholicos, candidas vero Schiſmaticos Novatianos: ita ut mirari quis poſſit, quomodo album amiculum induere non modo Clerico, ſed Virgini per Athanaſium liceat. Olet igitur hic Tractatus authorem potius Novatianum aliquem, quam Catholicum vel Athanaſium. Hæc Baſnagius, cujus pace ſalva, nullam eſſe rationem hanc exiſtimo. Non attendit Baſnagius Græco textui, deceptusque eſt interpretis Latini Nannii errore, qui male hanc phraſim reddidit. Author ille non album ſed nigrum indumentum Virginibus injungit, unde Catholicus, non Novatianus arguendus eſt. *ὁ ἐξωτερικός σου μέλας, μὴ βεβαμμένος ἐν βαφῇ, ἀλλὰ αὐτοφυὴς ἰδιόχρως ἢ ἐνυχίζων, καὶ τὸ μαφόριον ἄκροστον αἰσαύτως τῆς αὐτῆς χρόας. Exterius indumentum tuum ſit nigrum, nullo colore tinctum, ſed naturalis coloris, ac raſum: atque amiculum pariter ejusdem coloris, absque fimbriis.* Omne ergo exterius Virginis indumentum nigrum eſt: fefellit autem Baſnagium vox *τὸ μαφόριον*, indumenti genus nullum deſignans colorem ſpecialem, quod tamen Nannius interpres *album* deſignavit. Sed his longe apertiorem rationem addimus. *Quinto* igitur Virginibus author hic injungit poſt menſam, ut more Monachorum hodiernorum gratias agant dicendo pag. 1052 *ἐλεήμων καὶ οἰκτίρμων ὁ κύριος, τροφὴν ἔδωκε τοῖς φοβουμένοις αὐτόν. δόξα πατρὶ καὶ υἱῷ καὶ ἁγίῳ πνεύματι,*

πνεύματι, καὶ τῶν καὶ ἀεὶ, καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. *Miserator & misericors Dominus, escam dedit timentibus se. Gloria Patri & Filio, & Spiritui sancto; sicut erat in principio & nunc & semper, & in secula seculorum Amen.* Quis autem temporibus Athanasii, atque ante tempora Concilii Constantinopolitani, quo Divinitas Spiritus sancti asserta est, has preces apud Monachos nunc quotidie decantatas, in usu fuisse dicat vel credat? Aperte ergo hic scriptor post Concilium Constantinopolitanum primum anno 381 celebratum, 6. scripsit: unde nec Athanasius esse potest. *Sexto.* Præcautionem hic Scriptor aliquanto ante accipit, quæ magno Athanasio indigna est: ἐὰν δὲ (ὃ μὴ γένοιτο) εἰς κάκωσιν ἐμπέσῃς, σεαυτῆς ἐπιμέλου, μὴ δῶς τόπον τοῖς ἀνθρώποις λέγειν, ὅτι ἐκ τῆς ἀσκήσεως αὐτῆς συνέβη αὐτῇ ἡ κάκωσις. *Jam si quod absit, in malum aliquod incidas, cura ne des hominibus occasionem dicendi, id malum tibi ob exercitia devotionis accidisse.* Quasi vero Exercitia devotionis & pietatis, credidisset Athanasius fore Virgini occasionem enormis lapsus: atque homines sui temporis, lapsus ejusmodi Virginum, adscripturos ipsis devotionis exercitiis. Imo noverat ille Exercitia pietatis instituta, ad im- 7. pediendos Virginum lapsus. *Septimo* sub finem Tractatus, *impertinentissimam* ut ita loquar, correctius autem *absurdissimam* ratiocinationem & Athanasio viro gravi *indignissimam* facit, Virginem allocutus: ἐὰν δὲ εἰσὶ μεγάλαι πρεσβύτιδες, καὶ ἀναγκάζωσί σε πιεῖν περισσὸν, μὴ ἀκούσῃς αὐτῶν· ἀλλὰ λέγε αὐτοῖς, ὑμεῖς κατετρίψατε τὴν νεότητα ὑμῶν ἐν ἀσκήσει πολλῇ· ἐγὼ δὲ οὔπω ἔφθασα οὐδὲ εἰς πρῶτον βαθμὸν ὑμῶν. *Quod si adsint magnæ anus, & cogant te abundantius bibere, ne audiveris illas: sed dic eis, Vos detrivistis juventutem vestram in multis exercitiis devotionis: ego eo nondum perveni, imo ne ad primum quidem gradum vestrum.* Quid hoc ratiocinio absurdius, quasi titulum plus bibendi, & æquas compotandi rationes, haberent *magnæ anus* ad Virgines accedentes: quod *Juventutem suam in multis devotionis exercitiis detrivissent?* Hæc insignis ratio πιεῖν περισσὸν abundantius bibendi, non aquam opinor. Quis sanæ mentis non rideat, ad tantam absurditatem authoris hujus, qui magna pietatis exercitia in juventute, titulum lautius compotandi, 8. in senectute, virginibus facit? *Octavo.* Denique ut hic author insigni promissione tractatum suum orditur, ita insigni Epitheto suas Virgines seu Christi sponsas sibi devincit, finiendo librum istum absurdum: ταῦτα ἔγραψά σοι ἀγαπητὴ ἀδελφὴ, χορεύτρια χριστοῦ, πρὸς στηριγμὸν καὶ ὠφέλειαν τῆς ψυχῆς σου. *Hæc ego tibi scripsi dilecta soror,* Saltatrix Christi, *ad stabilimentum & utilitatem animæ tuæ.* Nusquam legi, nec ullus opinor unquam legit, Virgines appellatas *Saltatrices Christi*, idque ab eo quem Athanasium Pontificii volunt: dicant nobis directores rationem hujus Epitheti, quod vel unicum sufficit, ad hunc tractatum non ab Athanasio, sed a quovis viro prudente & gravi, proscribendum. Recte ergo Scultetus: *Ego vero & gravitatem Theologicam abjecisse Athanasium dixerim, si istas pueriles præscriptiones Virgini præscripsit.* Nam qui propudiosa ejusmodi Opuscula Patribus inscribunt, atrocem eis injuriam, labemque nomini gravem inferunt. *Nono.* Addit Ellias du Pin in 9. *Bibliotheca Nova Ecclesiastica* Scriptorum Ecclesiæ tom. 2. Seculo 4. pag. mihi 58. Theodoretum lib. 4. *Historiæ* cap. 4. allegare locum aliquem ex hoc tractatu, qui in eo cum non inveniatur, evincit Tractatum hunc esse alium omnino ab Athanasiano. Sed ratio hæc nulla est, tum quia non Cap. 4. sed 14 apud Theodoretum ea de re agitur: tum quia Theodoretus citat ibi *Consolatoriam Epistolam* quam Athanasius scripsit ad Virgines, quæ sub Georgio usurpatore, atrocissima ob ipsius communionem passæ fuerant. Potuit autem Epistola ista distingui omnino atque aliud Opus esse, a Tractatu de Virginitate, quem ad eas alia forsan occasione misit. Nulla ergo mihi hæc ratio visa est.

CAPVT QVARTVM.

OPVSCVLA SECVNDI TOMI PRIORA EXAMINANTVR.

XI. *Historia Melchisedec* pag. 7. Sancti Athanasii non est. Nam *primo* describit 1. genealogiam Melchisedech, ejusque parentes nominat, qui in Scripturis sacris & apud cæteros Patres nullibi nominantur: qui a sancto Paulo ad Hebræos cap. 7. vers 3. dicitur *sine patre, sine matre, sine genealogia, neque finem vitæ habens: assimilatus autem Filio Dei, manet in æternum.* Dicitur *secundo* in isto libello Melchisedec fuisse 2. idololatra, & ex creaturarum contemplatione ad unius Dei cultum conversus. Multa quoque fabulosa narrantur de conversione ejus, de patre, de fratre ejus Melchi ad sacrificium idolorum celebrandum a patre electo, & terræ hiatu cum tota familia, orante Melchisedec, absorpto. Dicitur *tertio* orasse Melchisedec in mon- 3. te Thabor, ibique in densa sylva mansisse septem annos nudus, a ventre usque ad lumbos, & dorsum ejus occalluisse ut testam limacis: cibum ejus fuisse silvestria, & potum ejus rorem quem lingebat: atque illuc Abraham divina jussione se contulisse, consumque Melchisedecum vestibus induisse, & benedictionem ab eo accepisse. Quæ omnia, quam fabulosa & inepta sint, nullus non videt. *Quarto* denique trecentos decem 4. & octo vernaculos Abrahami, ait fuisse figuram Nicænorum Patrum: ac de Nicænis ipsis Patribus velut de hominibus præteritorum temporum, loquitur. *Tot etiam sancti Patres*, inquit, *inventi suo tempore in Nicænorum civitate, qui nobis rectam confirmarunt fidem, quorum numerus adæquatus Patriarchæ Abrahæ, fuit 318 sanctorum Episcoporum in Synodo.* His non obstantibus fabulis innumeris, placuit Guillelmo Cavo, cui mythologia arridet, hanc homiliam inter genuina Opera S. Athanasii admittere, in *Historia Literaria* Scriptorum Ecclesiæ, seculo 4 ad annum

326.

Digitized by Google

326 pag. 145 quam plures etiam Pontificii ſpuriam contendunt. Vidi eruditos viros, qui opinabantur hanc Hiſtoriam eſſe *Joannis Damaſceni*, cujus, inquiebant, ingenium monachale, ad genealogias & fabulas confingendas, pronum valde fuit. Ita inquiebant, absque ullo Veterum teſtimonio. Lib. 4. *de fide Orthodoxa* cap. 15. agit de *Chriſti genealogia & B. Mariæ Virginis*, enarrans avos & proavos Mariæ fuiſſe Joachimum, Melchi, Pantherum, Barpantherum &c. Ita ſub ejusdem nomine in Codicibus multis Græcis, extat *Hiſtoria SS. Barlaam & Joſaphat* in India, cujus veterum nullus meminit, quamvis in Codicibus MSS. pluribus Latinis ex verſione veteri, qui quingentos & ultra annos ætatis præ ſe ferunt, inveniatur: quamque omnes fabuloſam arbitrantur, reclamante nemine. Lambecius Libro 5 *Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* pag. 110 in diſcuſſione Codicis MS. Theologici Græci CCXLII num. 4. ubi Græce hæc Narratio habetur fol. 101. notat hanc *Athanaſio* ſuppoſitam fuiſſe, vultque pertinere ad Athanaſium quendam Juniorem, qui celeberrimum miraculum Imaginis in Beryto anno Chriſti 765 factum literis mandavit. Sed iſta gratis, absque authoritate ulla, quam producat, dicuntur.

XII. *Symbolum Athanaſii* pag. 31. Quamvis *Sancti Athanaſii Fides* ſeu *Symbolum* appelletur vulgo, Opus tamen iſtud Athanaſii non eſt, ut recte cenſet Godefridus Hermantius Bellovacenſis Canonicus in ſuis Obſervationibus ad Vitam *Sancti Athanaſii* Gallice a ſe conſcriptam.

1. 1. enim hujus operis Scriptor, expreſſe hæreſim Eutychetis ambas in Chriſto naturas confundentem aggreditur, quod omnino ſancto Athanaſio convenire non poteſt, longe ante ortam Eutychianorum hæreſim mortuo: unde hujus Opuſculi author, magnus Athanaſius eſſe nullatenus poteſt.

2. 2. Aggreditur etiam Neſtorii, qui duas in Chriſto diſtinxiſſe perſonas dicitur, hæreſim, & hanc ſequentibus Symboli verbis: *Unus omnino non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate perſonæ. Nam ſicut anima rationalis & caro, unus eſt homo: ita Deus & homo, unus eſt Chriſtus.* Ergo Symbolum iſtud poſt hæreſim Neſtorii natam & condemnatam ſcriptum eſt, quod proinde Athanaſii Alexandrini non eſt.

3. *Tertio.* Omnia hujus Symboli MSS. Græca Exemplaria variant, Latina autem ſibi invicem conſentiunt: quod indicium eſt, Authorem hujus Operis, non eſſe Græcum, ſed Latinum. Non convenit ergo Athanaſio, optime autem Vigilio Tapſenſi Epiſcopo Africano, qui illud ſub nomine ſancti Athanaſii ediderit, convenire poteſt.

4. *Quarto.* Nullus ante Hincmarum Remenſem Archiepiſcopum, ſub ſeculi IX finem, hujus Symboli apud Latinos vel Græcos, meminit. At quis credat tam nobile Opus, ſi Magni Athanaſii legitimus partus fuiſſet, in utraque Eccleſia tamdiu latitaſſe? Vnde ex tam profundo unanimique ſilentio, authorem hujus Symboli non extitiſſe ſanctum Athanaſium inferimus: ſed ſub ejus nomine ad majorem comparandam ei authoritatem, a Vigilio Tapſenſi Epiſcopo confictum fuiſſe. Qui plura voluerit, adeat Godefridum Hermantium, loco citato, Gerardum Voſſium, qui inſigne opus *de tribus Symbolis* conſcripſit, impreſſum Amſtelodami 1662 in 4. Jacobum Viſerium Armachacum Archiepiſcopum, de eodem argumento. Henricum Heideggerum tomo 2. *Selectarum Diſſertationum* Tyguri anno 1680 in 4. editarum *Diſſertatione* XVIII pag. 745 ad 782 de quo ita hic ultimus: «Nomine autem hic *Symboli Athanaſiani* non intelligitur ſive *Confeſſio fidei*, quæ legitur Tomo 2. Operum S. Athanaſii in libris XII *de una Deitate Trinitatis ad Theophilum*, initio nempe libri XI, qui Vigilii Tapſenſis cenſentur ac per errorem Athanaſio adſcribuntur: quæ *Confeſſio fidei* a Ratraumo quoque Corbeienſi Lib. 3 *contra Græcos* ſub Athanaſii nomine citatur, cujus etiam meminit Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, libro *de Spiritu ſancto* pag. 72 editionis Pariſienſis 1646 in 8. per Sirmondum factæ. Illud enim *Symbolum* Athanaſii non eſt, ſed ex Damaſi Symbolo exſculptum, ut magnus Viſerius *de Symbolis* pag. 32. conjicit. Neque etiam intelligitur ejusdem S. Athanaſii *Expoſitio fidei*, Ἔκθεσις τῆς πίστεως, quæ Operum ejus Tomo 1 pag. mihi 240. 241 &c. edita ſic incipit, πιστεύομεν εἰς ἕνα ἀγέννητον Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ποιητὴν, ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων &c. *Credimus in unum ingenitum Deum Patrem, omnipotentem, omnium creatorem, viſibilium pariter & inviſibilium &c.* quæ perſonarum SS. Trinitatis myſterium μάλα ἐμφατικῶς explicat, adeo ut Symboli Athanaſiani ſed privati illius, non publici, nomine merito venire poſſit. Sed Commune illud, Catholicum, Eccleſiaſticum, quod in officiis ſacris decantari dudum conſuevit, atque incipit, *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ipſi, ut teneat Catholicam fidem &c.* Εἰ τὶς θέλει σωθῆναι πρὸ πάντων χρὴ αὐτῷ τὴν καθολικὴν κρατῆσαι πίστιν &c. Certe quod ad Vigilium Tapſenſem ſpectat, quaſi illius Symboli primus auctor ſit, conjecturam firmat quod allatus Theodulphus Aurelianenſis *Symbolum* citet ex iſtis Athanaſii libris, qui Vigilii Tapſenſis eſſe jam certo dignoſcuntur: quique in Codice Floriacenſi antiquo & probæ notæ, cum Vigilii libris *adverſus Neſtorium & Eutychem* conjunguntur.

A magno Athanaſio quam *Speculo ſplendenti* vitam ſimilem egiſſe Caſſianus enuntiavit, hoc *Symbolum Athanaſianum* nuncupatum eſt, non ante annos tamen quadringentos quadraginta. Primi nempe Rodolphus & Aymo ex Minorum, & Hugo ac Petrus ex Prædicatorum ordine, anno 1239 a Gregorio IX ad Græcos Latinis conciliandos Conſtantinopolim miſſi, atque inde ἀποκρισιάριοι ſeu *Legati Eccleſiæ* dicti, nomen *Athanaſianum* Symbolo huic impoſuerunt, aſſerentes, *S. Athanaſium, dum in partibus Occidentalibus exulabat, expoſitionem fidei Latinis*

„verbis edidisse, uti Bzovius Tomo III *Annalium* „ad annum 1239 memorat. Sed & anno 1274 „Manuel Caleca, homo Græcus, *Lib. II contra* „*Græcos cap. 20* prodidit, Athanasium *Symbolum* „illud scripsisse, & ad Julium Pontificem Roma„num misisse, ut orthodoxiæ suæ fidem ei face„ret. Sed Græcis, illud tanquam adulterinum „repudiantibus, ejus γνησιότητα Manuel his ar„gumentis confirmavit, *quod Gregorius Nazian„zenus ejus meminerit, quodque per omnes Occiden„tis Ecclesias Dominicis semper diebus psallatur.* Cir„ca eadem tempora non *Gregorius*, sed *Guillel„mus Durandus* Mimatensis Episcopus, *Rationa„lis Divinorum officiorum lib. IV. cap. 25.* Symbo„lum illud a S. Athanasio Patriarcha in civitate „Trevirensi compositum esse affirmat. Opus „autem istud anno 1286 compositum & absolu„tum est. Neque aliter Johannes Beleth in „*Explicatione Divinorum officiorum* cap. 40. Euge„nius Papa IV in *Armenorum instructione*, Genna„dius Scholarius Patriarcha Constantinopolita„nus in libri pro Concilio Florentino scripti cap. „1. Sect. &c. aliique deinceps adeo multi, ut eo„rum numerus iniri vix possit.„ Hæc Heideggerus loco citato.

Josephus Anthelmius edidit anno 1693 in 8. apud Antonium Dezallier Parisiis *Disquisitionem Novam de Symbolo Athanasiano*, qua contendit illud esse *Latini hominis* atque *Vincentii Lirinensis* opus genuinum esse: qua de re vide infra in *Vincentio Lirinensi*, ad annum 450.

Objiciunt. Ex hoc Symbolo videtur sumpsisse illud sanctus Augustinus in Psalmum 120. *De hoc solo Patre Athanasius Alexandrinus Episcopus ita pulchre locutus est; Non factus, nec creatus, sed genitus:* ut acute Bellarminus. Valeret sane hoc argumentum, si allegata verba apud Augustinum citato loco legerentur, sed olim jam Lovanienses annotarunt, hæc legi nullatenus apud Augustinum in manuscriptis omnibus a se inspectis hujus in Psalmos tractatus Codicibus: quæ ab otioso aliquo in sancti Doctoris textum intrusa sunt, ut authoritatem huic Symbolo procuraret. Idem observarunt doctissimi viri Monachi Benedictini Thomas Blancpam ac Petrus Coutant, qui in Cœnobio S. Germani Parisiensis, suas corrigendis ordinandisque convenientius sancti Augustini Operibus curas impenderunt, ut ex eorum editione constat.

Instant alii, Symbolum quod vulgo dicitur Sancti Athanasii, & quod incipit, *Quicunque vult salvus esse &c.* Sancto Athanasio tribuit Synodus Augustodunensis in Gallia, sub S. Leodegario Episcopo habita anno Domini DCLXX. cujus hic Canon legitur: "Presbyter, Diaconus, „Subdiaconus, vel Clericus, Symbolum quod „sancto inspirante Spiritu Apostoli tradiderunt, „& Fidem sancti Athanasii Præsulis qui irrepre„hensibiliter non recensuerit, ab Episcopo con„demnetur.„ Imo etiam ab anno 633 aliqua ex isto Symbolo descripta esse videntur, in ea Confessione fidei, quæ edita est a Concilio Toletano IV, habeturque cap. 1. ejusdem. *Ad rationem primam* respondeo, confictum videri hoc Augustodunense Concilium, cujus nullus Veterum meminit. Atque certe cum Leodegarius Provinciæ Lugdunensis suffraganeus esset, idoneus per se non erat qui Concilium aliquod Episcoporum convocaret, cum Metropoliticum jus non haberet. Itaque hi Canones temporis incerti sunt, ex Manuscripto Codice Cœnobii Andegavensis collecti, qui ad fidem faciendam idoneus non est: Unde & Ludovicus Tomassinus in *Antiqua & nova Ecclesiæ Disciplina*, hoc Concilium incertum & suppositionis suspectum habet. Ad *secundam*, fateor Concilium Toletanum IV cap. 1. in professione fidei, alludere ad Symbolum istud quod Athanasii nomine evulgatum est: non dicere tamen cujusnam illud sit, neque sub nomine S. Athanasii allegare. Unde Concilium istud, ad Symbolum D. Athanasio asserendum, nihil facit: quamvis enim Vigilii Tapsensis Episcopi esset, allegari a Concilio Toletano IV anno Christi 633 habito poterat: cum circa annum 490 ac deinceps, Vigilius Episcopus Tapsitanus viveret & scriberet. Plura forsan de hoc Symbolo iterum, dum de Operibus Vigilii hujus ad annum 848 differemus.

XIII. *Definitiones quædam* pag. 42. de quibus vide Bellarminum. Recte quidem Andreas Rivetus Lib. 3. *Critici Sacri* cap. 6. pag. 273. Hic tractatus *de Definitionibus* titulo ipso satis probat 1. se spurium esse sancti Athanasii fœtum, sic enim inscribitur: *Variæ Definitiones juxta traditionem & fidem Ecclesiæ Catholicæ, collectæ a Clemente, & aliis sanctis viris ac beatis Patribus, quas ante omnes scientias alias indagare, & in animum recondere necessum est ei, qui per auxilium Dei verbo veritatis præesse voluerit, & cuivis homini orthodoxe sentienti, atque integrum fidem erga Deum habenti.* Nam omni vel tantillo judicii prædito talem titulum posterioris Græciæ esse, vanas suas merces ac viles venditantis, constabit. *Secundo* in definitione *Actus* laudatur S. Gregorius Nyssenus, qui 2. ante obitum S. Athanasii, nec dum aliquid scripserat: nam sub Theodosio tantum scribere cœpit, ut Bellarminus colligit ex S. Hieronymo in Catalogo *Scriptorum Ecclesiæ*. Liquet ergo Opusculum istud haudquaquam esse veri Athanasii. *Tertio*, Capite *de Unitate* ita distincte lo- 3. quitur de unitate duarum naturarum in Christo secundum hypostasim, ut dubium non sit, quin Tractatus iste post Concilii Chalcedonensis tempora & Eutychianæ hæreseos ortum, scriptus sit. καθ' ὑπόστασιν δὲ ἕνωσις ἔστιν ἡ ἀνθυπαρκτος ἐν τῇ μήτρᾳ τῆς ἁγίας θεοτόκου τῶν δύο φύσεων συνδρομή. *Unio vero secundum hypostasim, est per se subsistens duarum naturarum in utero sanctæ Deiparæ convenientia.* Stylus *quarto* Definitionum istarum sapit ætatem ac Methodum tumultuariam & Scholasticam S. Maximi Monachi & Martyris, qui multas ejusmodi Collectiones ex sanctis Patribus antiquis non expressis 4.

suo,

ſuo tempore contra plures hæreticos fecit. Cui gemina altera, maximam partem ὁδηγὸς ſub Anaſtaſii Sinaitæ nomine edito immiſſa invenitur, ut annotat Aubertinus vir eruditiſſimus in opere ſuo *de Euchariſtia Sacramento*, pag. mihi 406.

5. *Quinto* hæ ipſæ *Definitiones* inveniuntur in MSS. Codicibus ſancto Maximo Monacho & Martyri attributæ, unde in Opera ipſius inſertæ ſunt, quæ ſumma diligentia in unum collegit Franciſcus Combefis Ordinis fratrum Prædicatorum, de quibus nos in *Sancto Maximo* poſtea dicemus. Nam multa quæ hujus Maximi ſunt, Athanaſio quoque attributa ſunt, ut ex *Dialogis* infra recenſendis conſtare poteſt.

XIV. *Succincta divinæ Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti Synopſis* pag. 55. interprete Wolfgango Muſculo. Inclinarunt olim plures Pontificii, ut Opus iſtud prolixum ſatis Athanaſio adſcriberent: ſed cauſam hanc uti nimium vacillantem deſeruerunt, cum ea pro commodis illorum ac principiis eri ea Scripturas Canonicas non militaret. Poſitive enim author hujus Synopſeos a Scripturis proſcribit Librum *Eſther*, Librum *Judith*, Librum *Thobiæ*, Librum *Sapientiæ Salomonis*, Librum *Eccleſiaſtici*, Libros quatuor *Machabæorum*: quæ cum Decreto Concilii Tridentini convenire haudquaquam valent. Vnde cum Ellias du Pin ita cenſet, ſtramineum Concilii præfati *de Scripturis ſacris* Canonem factum, neceſſario arbitratur. Athanaſius ſane in Epiſtola 39 Feſtali Librum *Baruch* Canonicis accenſet Scripturis, quem in hac Synopſi nec quidem ἀντιλεγομένοις allectum, Apocryphis ſub finem annumerat. Quis autem ita infantem ac varium Athanaſium putet, ut Librum nunc admittat, nunc rejiciat: nunc Canonicum, nunc Apocryphum pronunciet?

XV. *Dialogi ſeptem contra Arianos, Apollinariſtas & Macedonianos*, pag. 158. interpretibus Theodoro Beza Vezeliacenſi, & Abrahamo Sculteto Sileſienſi, ad Athanaſium non ſpectant. Horum *Septem Dialogorum inter Orthodoxum & Hæreticum* extat MS. Exemplar Græcum ſub nomine Sancti Athanaſii Alexandrini Epiſcopi, inter MSS. Codices Græcos, quos Franciſcus Turrianus reliquit Patribus Societatis Jeſu, dum Romæ eorum inſtitutum amplexus eſt, unde forſitan Athanaſio eos attribuendi, occaſio ſumpta eſt. Sed contra *Macedonianos* ut hæreſeos condemnatos agere non potuit Athanaſius, ante damnatam illorum hæreſim mortuus. Hos autem Dialogos nuperrime Joannes Garnerius in Opere poſthumo Pariſiis 1684 in folio, cui nomen *Theodoreti Supplementum*, Theodoreto adſcripſit: & *gravibus* (meo quidem ſenſu) conjecturis, omni licet tam antiquitatis teſtimonio, quam veteris MS. codicis fide deſtitutus, qui fidem apud plurimos hucusque obtinuerit. Denique *Dialogos* iſtos (multa enim ſub Athanaſii nomine edita, ad Maximum pertinere videntur) nova a ſe verſione Latina ornatos atque cum MSS. codicibus collatos, ſub nomine *Sancti Maximi Monachi & Martyris*, in editione omnium *Operum Sancti Maximi*, Franciſcus Combefis edidit. Ac non immerito, cum in Europæ Bibliothecis celeberrimis atque iis plurimis, MSS. Græca Exemplaria *Scripti Maximi* nomen habeant, ut allatus Combefis probat. Eos eidem Sancto Maximo Monotheletarum debellatori fortiſſimo, tribuunt etiam Abrahamus Scultetus & Andreas Rivetus, ex fide membranæ veteris, qua Dialogi MSS. involuti erant, atque ex ſtyli & phraſeos ſimilitudine: denique ex indice Operum ſancti Maximi, in Vaticana Bibliotheca extantium, quem retexit Baronius tomo 8 *Annalium* ad annum 657 ubi inter alia meminit,

Diſputationis Anomæi ſive Ariani cum Orthodoxo.
Diſputationis alterius Anomæi & Orthodoxi.
Diſputationis Macedoniani & Orthodoxi.
Diſputationis ſancti Athanaſii, cum Apollinariſta.

quos Libros eſſe eosdem cum illis de quibus agimus, ex inſcriptione ipſa & argumento, probatur modo. Vide Lambecium Lib. ſeu tomo 4. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis pag. 212. ad Codicem MS. CXCIV. & Lib. 5. pag. 110 ad Codicem MS. CCXLVIII. Quia tamen hoc argumentum eximie tractavit contra Athanaſium Joannes Garnerius in *Auctario Operum Theodoreti* anno 1684 in folio Pariſiis impreſſo, Diſſertatione III. *de Dialogis adverſus Arianos, Macedonianos, & Apollinariſtas*, paragr. 4. pag. 263 hic rationes ejus verbotenus adducam. Paragraphus inſcribitur, "*Quod unus ille Auctor ſeptem Dialogorum, a Magno Athanaſio alius ſit.*" Quod ſi uni ſoli omnes Dialogi attribui debent, ut certe debent, nullus eorum ad Athanaſium pertinet: cum repugnent communia illa tria χρονικά, tempus, doctrina, & dictio. Quæ quamvis in adjudicandis Auctori alicui Operibus probabilem tantum faciant conjecturam, in abjudicandis certam ſententiam pariunt. Atque ut a tempore ducam initium, inde ſic argumentor. Athanaſius ex hac vita deceſſit anno 371. Scripſit Dialogorum Auctor poſt annum 381. quo anno ſecunda Synodus Conſtantinopolitana habita eſt. Alter igitur ab altero diverſus eſt. Propoſitio certa eſt, cum de tempore obitus S. Athanaſii, quantum hic ſufficit, conſtans omnium opinio ſit. De triennio enim ſolo vulgo ſolet eſſe quæſtio, nam Petavius ad annum 371. alii ad ſequentem, nonnulli etiam ad 373 referunt. Aſſumptio inde conficitur. Macedoniano jactanti ſe tenere fidem Luciani Martyris, quærentique ab Orthodoxo Nicænum Symbolum profitente, quid tandem in Luciani fide damnaret: reſpondet Orthodoxus id ſe damnare, *quod contra Martyris ſententiam, additum fuiſſet aliquid, idque ſe probare poſſe.* Excipit Macedonianus: *An non & vos Nicænæ fidei aliquid adjeciſtis? Adjecimus ſane*, inquit Orthodoxus, *ſed non ipſi pugnantia.* Tum Macedonianus: *Aliqua omnino adjeciſtis.* Refert Orthodoxus, *Ea ſane de quibus tunc non quærebatur, & quæ nunc ſunt a Patribus*

„*bus pie explicata.* Apertum eſt de iis agi, quæ „Conſtantinopolitani Patres ad Symbolum Ni„cænum adverſus Macedonii errorem addide„runt: cum enim in Symbolo aliud nihil de Spi„ritu ſancto eſſet poſitum a Nicænis, præter has „quatuor voces, *& in Spiritum ſanctum:* dictum „illud brevius coacti ſunt Conſtantinopolitani, „propter Pnevmatomachos, hac additione ex„plicare: *Et in Spiritum ſanctum Dominum, & vi„vificantem, ex Patre procedentem, qui cum Patre & „Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus „eſt per ſanctos Prophetas.* Quibus ſex attribu„tis & Pnevmatomachorum hæreſis proſcripta „eſt, & ſimul aſſerta Spiritus ſancti divinitas, at„que conſubſtantialitas. Scripſit igitur Auctor „tertii Dialogi poſt Synodum II, id eſt poſt an„num 381 qui ab obitu Athanaſii decimus aut „ſaltem octavus eſt. Et certe Dialogo tertio „quartoque aliud fere nihil agitur, quam quod „rationibus demonſtrantur ſigillatim illa ſex a „Conſtantinopolitanis Spiritui ſancto attributa, „quo vel uno invicte evertitur mea quidem ſen„tentia, judicium recentioris Græciæ, Dialogos „Athanaſio tribuentis. Oportuit igitur Græ„cos homines, quorum nomina mox appellata „ſunt, neque diligentiſſime verſatos fuiſſe in „Auctoribus ſuis perlegendis, neque multum „ſciviſſe, quæ, quibus temporibus, quave occa„ſione, quæſtiones motæ ſint, & ſcripti de quæ„ſtionibus libri. Intellexiſſent alioquin, quæ„ſtionem de ἀγεννήτῳ & γεννητῷ, aut non admo„dum motam Athanaſii ætate, aut ventilatam „duntaxat, cum nondum publicati eſſent ab Eu„nomio Aëtii libri: agitatam vero pugnaciter, „cum illi ipſi libri vulgati ſunt. Hos autem Epi„phanius recens editos tradit, quo tempore ad„verſus Anomæos ſcribebat, ſcribebat autem „anno Chriſti 375 aut etiam 376. Videtur enim „tres annos in elaborando Panario poſuiſſe: „quippe cum ut Petavius cenſet, inchoaverit „anno Valentis undecimo qui Chriſti 374. duo„decimo qui 375 ad medium pervenerit, ubi ad„verſos Cataphrygas diſputat. Oportet igi„tur Epiſtolam Aëtii, quæ Dialogo II impugna„tur, vulgatam fuiſſe Conſtantinopoli anno 372 „aut 373. qui ab Athanaſii obitu alter ſeu ſecun„dus eſt, ſi Chronologiam Petavii ſequimur. „Atque hæc de tempore Dialogorum, jam de „doctrina.

„De tribus hæreſibus in Dialogis agitur, Ari„ana, Macedoniana, & Apollinariana. Adverſus „ſingulas aliter Athanaſius, aliter Dialogiſta diſ„putat. 1. Dialogiſta pugnat contra Aëtium, „Eunomiumque, & horum ſectatores: Atha„naſius contra Arianos ipſos, vixque Aëtii, Eu„nomiique uspiam meminit. 2. Dialogiſta „Macedonium oppugnat, velut de Filio Dei „aperte ſentientem cum Aëtio: Athanaſius „vel Macedonii nomen nunquam memorat, vel „eum de Filio recte ſenſiſſe docet, ſi ſecunda ad „Spiridionem Epiſtola genuina ſit. 3. Dialo„giſta ſæpius Apollinarii nomen expreſſe appel„lat, ſeque legiſſe ipſius confeſſionem ait: Atha„naſius ſemel tantum quod ſciam, & quidem „obiter appellat, in Epiſtola ſcilicet ad Antio„chenſes, cum de Alexandrinæ Synodi ſubſcri„ptione ageret. 4. Dialogiſta tres hypoſtaſes „Trinitatis manifeſte dicit, quo dicto ſe Antio„chenum prodit, ut nemo eruditus neſcit: A„thanaſius non dicit tres hypoſtaſes, ſed unam„duntaxat, quippe qui Alexandrinorum more, „hypoſtaſis nomine, φύσιν ſeu θεότητα intellige„ret. Vide Epiſtolam S. Athanaſii ad Antio„chenſes, & Epiſtolam Alexandri apud Theodo„retum in Hiſtoria. 5. Dialogiſta totis tribus „Dialogis curioſe cavet, ne vel leviter indicet „Spiritus ſancti a Filio proceſſionem: Athana„ſius Spiritum ſanctum a Filio habere quæcun„que habet, Filiumque eſſe Spiritus ſancti fon„tem expreſſe tradit in Oratione 2 adverſus „Arianos, in libro de Spiritu ſancto ad Spiridio„nem, in libro de natura humana ſuſcepta, & „Oratione contra Gregales Sabellii. 6. Dia„logiſta denique Apollinariſtarum triginta ſol„vit argutias: Athanaſius quinque tantum, & „ita quidem ut nec iisdem omnibus reſpondeat, „nec iisdem eodem modo. Quid plura? Ve„riſſimum profecto eſt, quod Petavius aliquan„do ajebat, dum urgeret inſanum quendam A„thanaſii criminatorem, qui Dialogorum teſti„monio utebatur, ad faciendam Arianorum do„mitori, Arianæ hæreſis invidiam. Veriſſimum „eſt inquam, *Nemimem qui Dialogiſticum illud opus „legerit, & in hoc ipſum doctrinæ paululum ac judicii „contulerit, dubitare poſſe, quod Athanaſii non ſit id „totum quidquid eſt, quantumque & cujusmodi.* Sed „& veriſſimum quoque, quod idem alibi obſer„vat, dictionem Dialogorum ab Athanaſiana „inimitabili oratione mirum quantum differre.„

A Viro tam inſigniter erudito, non licet mihi „in hac utraque ſententia diſſentiri: aſſentiri „tamen in eo non poſſum, quod quæ ſcripta S. „Athanaſio abjudicat, S. Maximo Monacho at„tribuit, Græcorum, ut ait, judicium ſecutus. „Atqui ego contendo, nullius eſſe momenti hac „in parte Græcorum recentiorum judicium, „cum & ipſi inter ſe pugnent, quod antea oſten„dimus: & demonſtratione certa revincantur, „quod in *Maximo* poſtea præſtandum: Si tamen „prius objectioni reſponſum fuerit, quæ ex Con„cilio Lateranenſi ſub Martino I. celebrato, af„ferri poteſt. Adducuntur in Secretario V. „teſtimonia tria Athanaſii, & tertium quidem „hoc titulo: *Ex Sermone Athanaſii, qui per mo„dum interrogationis & reſponſionis cum Apollinario „ſit.* Quis vero ejusmodi ſermo eſt, præter Di„alogum unum de duobus adverſus Apollina„rium? Verum oportet aut vitioſam eſſe cita„tionem, aut alium Dialogum quam qui genui„nus habetur, laudari. Quæ enim eo loci af„feruntur, in neutro reperiuntur: imo nec in „ſeptimo, qui nonnihil cognationis habet cum „aliis duobus. Quin etiam teſtimonium ſe„cundum, quod affertur hac inſcriptione, *Ejus-*

dem

„dem de Sermone majore contra Apollinarem, de „Fide: fruſtra quæras in Sermonibus tribus ad„verſus Apollinarium, qui inter Opera Atha„naſii leguntur. Vnde non temeraria incidit „opinio, *primum* nomine Athanaſii proferri O„pera alterius Scriptoris, *deinde* certiſſimum „non eſſe ab Athanaſio aliud quidquam adver„ſus Apollinarium ſcriptum fuiſſe, quam Epi„ſtolam ad Epictetum, & Sermonem unum de „tribus mox appellatis. Sed hæc per tranſen„nam. Ita Garnerius loco citato.

Non tantum hi *Dialogi* a Græcis Athanaſio juxta Garnerium ſuppoſiti ſunt in MSS. Codicibus, ſed multi etiam tractatus tam Latini quam Græci, de quibus conqueritur ultimus Operum Sancti Athanaſii editor, Bernardus de Montfaucon, in *Diario Italico*, anno 1702. Pariſiis apud Joannem Aniſſon in 4. Hic cap. 3. pag. 32. "Inde, inquit, Rhegio Mutinam veni„mus, & urbane a D. Benedicto Riccinio Abbate „in Monaſterio excipimur. Aderat D. Bene„dictus Bacchinius vir eruditus, multis jam „Operibus editis clarus, qui Agnelli Ravenna„tis auctoris ſeculi noni inediti, *de vita Præſu„lum Ravennatenſium* ad ſuam usque ætatem, „editionem parat. Curabat ille tum Bibliothe„cam Sereniſſimi Ducis, quam ea ipſa die peti„mus. Nec opinantibus accidit, ut multi iſtic „Codices MSS. occurrerent, qui cum ante una „cum editis permixti eſſent, a CL. viro Bacchi„nio ſepoſiti ſunt. Præcipuorum notam hic „adferam &c. Magnus Codex in folio bom„bycius, XIV ſeculi, Athanaſio totus adſcri„ptus, cujus titulus, Ἀθανασίου Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας, περὶ τῆς ἁγίας ἐνσπλάγχνου καὶ ὑμοουσίου τριάδος. cujus initium hoc eſt, Οὐκ ἐπὶ μικροὺς ἡμᾶς ἀγῶνας ἐπ .... δεῖν ὁ σὸς ἀναπαίβει λόγος, ὦ φιλοπονώτατε ἀδελφὲ Νεμεσῖνε. „Procedit hic Pſeudathanaſius Syllogiſtico mo„re, ac plerumque veri Athanaſii argumenta „mutuatur, nonnunquam ſuo marte ratiocina„tur. Quod autem Nemeſino opus ſuum nun„cupat, hinc fortaſſis anſam arripuit, quod in „libri ὑχία ad Jovianum tertia Nemeſinus quidam „memoretur, ut veræ fidei vindex & Athanaſii „amicus. Sic qui Opuſcula ad Antiochum „Athanaſii nomine dederunt, inde fortaſſe oc„caſionem nacti ſunt, quod ejusdem Athanaſii „ad Antiochum epiſtola extaret. Opus autem „non exſcripſimus, quia id præſtari nonniſi ma„gno labore & nullo fructu potuit.

Idem cap. 2. pag. 12. ubi de MSS. Codicibus Mediolanenſis Bibliothecæ.

„Athanaſii Commentaria vera (ut putat) in „Pſalmos ex bibliotheca Scorialenſi exſcripta, „unde quæ deſiderabantur in Commentario nu„per a nobis edito exſcripſimus. Animadver„tendum eſt, Commentarium aliud in iſta Bibli„otheca, nec non in Muſæo Juſtinianæo Vene„tiis occurrere, quod Athanaſii item nomen „præfert: at Athanaſii Magni eſſe nequit, Ger„manum enim ſingulis ferme poſt Athanaſium ſeculis memoratum novimus. Illius initium" eſt, Μακάριος εἶπε &c. Αὕτη ἡ προφητεία πλη„ροῦται εἰς τὸν Ἰωσήφ, τὸν ἀπὸ Ἀριμαθίας. In" Codice num. 243 habetur Athanaſii in ſecun" dum Domini adventum ſermo, cujus initium," Φοβῆμαι τὸν θανατὸν, ὅτι πικρός μοί ἐστι, Φοβῆ„μαι τὴν γέενναν, ὅτι ἀτελεύτητός ἐστι &c. Subſe" quentia multa eodem ſunt, quæ in Sermone ad" Antiochum, de pœnis inferni. Dum evolve" rem Codices Athanaſii, nec opinanti ſingula" ris mihi lætitia objicitur: incidi enim in *Euge„nii Diaconi Legationem ad Athanaſium & Syno„dum Alexandrinam* pro cauſa Marcelli, quæ pro" pediem cum aliis bene multis S. Doctoris ἀνεκ„δότους lucem viſura eſt."

Idem cap. 28. pag. 433. ubi agit de MSS. Codicibus Bibliothecæ D. Julii Juſtiniani Procuratoris S. Marci Venetiis, hæc habet.

"Codex bombycinus ſcriptus anno Chriſti" 1346 ubi Michaelis Pſelli Synopſis Pſalterii." Interpretatio Athanaſii in Pſalterium, ſimilis" ei de qua ſupra in Bibliotheca S. Ambroſii Me" diolanenſis, quæ Magni illius Athanaſii opus" non eſt. Ejusdem in *Cantica*. Codice recenti," *Quæſtiones Athanaſii ad Antiochum*. "

Idem cap. 25 pag. 370. inter libros MSS." tam Græcos quam Latinos, quos Florentiæ in" diverſis Cœnobiis vidit, Codex eſt membrane" us XIII circiter ſeculi, ubi poſt plura alia, Atha" naſii Epiſcopi Alexandrini Libri IV de Trinita" te. Liber fidei & expoſitio fidei ad Luciferum" Libellus de miraculis imaginis Salvatoris, quæ" a Judæis crucifixa fuit. De exhortatione Mo" nachorum. Quæſtiones Athanaſii Archiepi" ſcopi Alexandrini, de pluribus & neceſſariis re" bus in ſacris Scripturis. Hæc omnia, exceptis" ad Luciferum Epiſtolis, ſpuria ſunt." Hæc de MSS. tam Græcis quam Latinis ſub Athanaſii nomine in Bibliothecis latentibus, vir Athanaſii cultor, & Operum ejus ultimus editor Bernardus de Montfaucon Benedictinus Monachus, Congregationis Sancti Mauri in Gallia.

XVI. *Epiſtola cujusdam prafationis loco ſcripta, in qua motuum Eccleſiaſticorum tragedia deſcribitur*, pag. 291. cum aliis ſeptendecim tractatibus ſequentibus. Spectant hi Tractatus modici ad Theodoretum, ſi fidem velis adhibere Photio in *Bibliotheca* Cod. 46. quibus aſſentire etiam videtur Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tomo 2. verbo *Theodoretus*. Nuperrime tamen Joannes Garnerius in *Supplemento Theodoreti*, de quo modo egimus, Tractatus hos ex Græco Latinos, ſub nomine *Etherii* Tyonenſis Epiſcopi reſtituendos cenſuit, ex authoritate Marii Mercatoris, qui ex illis fragmentum quoddam ſeu excerptum ſub dicti Etherii nomine, Theodoreti olim diſcipuli ac ſequacis, allegat. Addit deceptum fuiſſe in *Bibliotheca* Photium, quando Opuſculum iſtud Theodoreto attribuit, ex Manuſcripto Codice quem præ manibus habuit. Cum enim & primum Opus manuſcripti codicis & ultimum in-

dubie ad Theodoretum pertinerent: hos pariter Tractatus *de variis hæreſium capitibus* in dicto manuſcripto codice medios, ſpectare etiam ad eundem ſcriptorem opinatus eſt. Marii autem Mercatoris Auguſtino æqualis antiquitas tanta, ut qui hos tractatus Etherio non tribuant, pauci reperiantur, quod a Joanne Garnerio demonſtratum eſt. Adſcribit quidem iſtos libellos ſeu Capita Theodoreto ex authoritate Photii in ſua *Bibliotheca*, Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus* ſeculo 4. tomo 7. cap. 5. art. 8. pag. 430. Sed nondum viderat *Supplementum Theodoreti* a Joanne Garnerio editum, in quo Opuſcula iſta ſeu Capitula *Etherio Thyanenſi Epiſcopo* ex authoritate Marii Mercatoris attributa ſunt: qui hac in parte fide dignior eſt, quia antiquior ipſe Photio Conſtantinopolitano, utpote qui non omnia ſemper de quibus loquitur ſcripta, ad rectam judicii amuſſim excuſſit.

XVII. *Quæſtiones ad Antiochum ex veteri & Novo Teſtamento CXXXVI & Reſponſiones totidem*, pag. 331. Joanne Revelino, Valentino Ampolandro & Joanne Lampadio interpretibus. De quibus vide Bellarminum hic & in fine recognitionis Librorum *de Conciliis*, & Theophylum Raynaudum in *Erotemata*, qui reſpuunt: ne quicquam pro iis ſtantibus Franciſco Turriano, Malvenda, & aliis quibusdam malarum cauſarum patronis. Nullum ſane opus ſub nomine ſancti Athanaſii, quod manuſcriptum tam ſæpe inveniatur in celeberrimis Europæ Bibliothecis: in Vaticana ex Codicibus Heidelberga allatis ſæpius num. 69. 363 & 368. in Sfortiana num. 32. in Vallicellana ejusdem urbis, in Bibliotheca Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ, in Florentina Sereniſſimi Ducis, in Imperatoria Vindobonenſi ſemel atque iterum, in Auguſtana num. 77. in Regia Gallica, ſæpius. Has Sixtus Senenſis Lib. 4. *Bibliothecæ ſanctæ* ſequentibus rejicit verbis. „Quæſtionum ex Veteri & Novo Teſtamento „ad Antiochum Principem liber unus contiinens quæſtiones 161. Athanaſii non videtur. „Suſpicor, hunc ex variis Patrum ſcriptis a ſtu„dioſo quopiam collectum, qui in quæſtione 4. „Theologiam myſticam Dionyſii allegat, Atha„naſii ſeculo (ut opinor) incognitam. Et quæ„ſtione 33. citat Athanaſium ipſum, atque ab eo „diverſam ſententiam profert.„ Videndi quoque ex Jeſuitis Maldonatus, Poſſevinus, Delrio, Cornelius a Lapide, aliique. Quod Labbeus quoque *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* dixit in *Addendis* ex Leone Allatio de Quæſtionibus Sancto Juſtino Martyri, & Anaſtaſio Sinaïtæ attributis. Nam omnia iſta *Quæſtionum* miſcellanea, ab aliquo poſterioris ævi Anonymo vel collecta primum, vel ſaltem fermento multarum additionum locupletata ſunt. Neque ut aſſolet, Collectanea Quæſtionum ejusmodi in Manuſcriptis Codicibus ſibi conſtant, quorum in nonnullis feruntur quæſtiones 161 ut recte notat ex ipſis editis Sixtus Senenſis, in aliis quæſtiones duntaxat 64. in aliis ut in editione Commeliniana anni 1600 tomo 2. pag. mihi 275 quæſtiones 136. quæ ſingulæ in aliis & aliis Codicibus vel prolixiores vel breviores: ut nullus unquam majorem viderit Farraginem. Accedunt iſtæ maxime methodo Anaſtaſii Sinaitæ & Antiochenſis Archiepiſcopi, quem quartum hujus nominis diximus, ſub ſeculi XI initium celebrem, qui multas ejusmodi tumultuarias Quæſtiones in unum ex profeſſo collegiſſe videtur. Petrus Lambecius Lib. 3. *Bibliothecæ* Cæſareæ Vindobonenſis pag. 97. adſcribit iſtas Quæſtiones Athanaſio alteri Juniori, qui primus omnium tanquam σύγχρονος ſeu contemporaneus literis inandavit celeberrimum miraculum imaginis Chriſti in Beryto, quod anno 765 ſub imperatore Conſtantino Copronymo contigit. Idemque aſſerit in Catalogo hujus tomi pag. 220. Sed neque hoc ſtare poteſt, ob rationem quam infra 50 loco adducemus. Idem Lib. 4. pag. 163. 165. & 226. Lib. 5. pag. 20. 98. 229. 260. 314. Codices enim hujus Operis frequentiſſimi. Non eſſe autem has Quæſtiones Magni Athanaſii conſentiunt poſt Sixtum Senenſem, omnes etiam Pontificii, multas ob rationes. *Primo* enim Quæſtione 3. laudatur ſanctus Epiphanius Cypri Archiepiſcopus in *Panario*, his verbis: *Sanctus Pater noſter Epiphanius.* Et quæſtione 8. citatur S. Gregorius Nyſſenus in libro *de conditione hominis*, qui ambo patres S. Athanaſio poſteriores ſunt. *Secundo* quæſtione 33 ut inquit Sixtus Senenſis, citat author magnum Athanaſium & ab eo diſſentit: quis autem credat Athanaſium ſeipſum citaſſe, idque ut a ſeipſo verſatilis homo diſſentiret? Quin & inde legentibus conſtat pſeudepigraphas eſſe quæſtiones illas, quod quædam in his Chryſoſtomi, Scalæ Climaci, Maximi Martyris ac Monachi, Nicephori Conſtantinopolitani, & aliorum, innominatis authoribus, habeantur. Adde *tertio* in illis quæſtionibus multa eſſe abſurda atque erronea. Nam quæſtione 13 quærit utrum incantatio & veneficium occidere hominem valeant, cui reſpondet: *Juſtum certe nequaquam, peccatorem autem nonnunquam, Deo permittente, cum nec in porcos habeat poteſtatem, ſicut in Evangeliis audivimus.* Quaſi vero in juſtos etiam permittente Deo poteſtatem diabolus non habeat, ut hiſtoria Jobi fidem facit, qui & ipſe a dæmone multis modis afflictus eſt, cujus occiſi etiam filii, quos tamen peccatores fuiſſe non conſtat. Imo quæſtione 70. juſtos fuiſſe, aſſerit harum Quæſtionum author. *Quarto* Quæſtionibus 20 & 21. aſſerit nec dum juſtos recepiſſe bona ſua, nec peccatores mala; quamvis gaudio aliquo interim fruantur Sanctorum animæ, vel triſtitia quadam afficiantur damnati, donec veniat ſupremus Judex: denique meminem vel in regnum introiviſſe, vel in gehennam. Hæc autem omnia ſapiunt juniorem Theologorum palæſtram. *Quinto* quæ habentur quæſtionibus 39. 40 & 41 de veneratione Crucis & cultu imaginum,

1. 2. 3. 4.

imaginum, ſeculum octavum vel nonum præ ſe ferunt: tacito ſiquidem nomine, Claudii Taurinenſis Epiſcopi adverſus cultum crucis, objectiones iconodulus diluit. Impugnat etiam harum Quæſtionum & Reſponſionum author, ſententiam eorum, qui aſſerebant imagines ob Sanctorum & rerum ab iis præclare geſtarum duntaxat memoriam, eſſe conſervandas: nullam vero ipſis venerationem exhibendam. *Monachus quidam erat Hieroſolymis*, inquit, *cui frequenter adeſſe ac moleſtiam facere ſolebat daemon quidam malus. Quadam igitur die ita ipſi apparuit ſpiritus, ut conſpici poſſet, & dixit: ſi cupis ne te amplius oppugnem, imaginem hanc ne adoraſto, & ego abſiſtam a te. Erat vero imago illa, ſanctæ Dei genitricis. Quid ad hæc reſponderint illi, qui monent ut effigies Sanctorum adorentur, quas non ob aliud aliquid, quam memoriæ cauſa effingimus?* At hæc opinio, ſolius nimirum memoriæ cauſa retinendas eſſe Sanctorum imagines, Gallorum noſtratium fuit poſt ſeptimam Synodum, ut ex libris Carolinis, & ex Synodo Pariſienſi ſub Ludovico Pio, ex Agobardo Lugdunenſi & Jona Aurelianenſi Epiſcopis, conſtat. Nullæ ejusmodi quæſtiones temporibus ſancti Athanaſii motæ ſunt, unde luce meridiana clarius eſt, non eſſe
6. S. Athanaſii quæſtiones illas. *Sexto* Non conveniunt S. Athanaſii temporibus, quæ quæſtione 44. habentur. *Quantumvis ſæpe numero Barbari Paleſtinam occupaverint, non permiſiſſe tamen Chriſtum ſua ipſius loca hæreticis tradenda: ſed licet ad breve tempus ea aggreſſi ſint, ſtatim tamen iterum Catholica Eccleſia ut porcos eos expulit, ex Chriſti Dei noſtri ſanctis manſionibus & locis.* His enim verbis Anonymus hic Græcus, videtur quoque Anaſtaſio Antiocheno quarto junior, cui quæſtiones has ex conjecturis adjudicavimus: nam alludere omnino videtur ad primas expeditiones ab Occidentalibus in Palæſtinam factas, quod Vrbani Papæ ſecundi temporibus contigit: unde & illas ob expeditionem hanc, vocat *Eccleſiam Catholicam.* Idem confirmatur ex quæſtionibus in Novum & Vetus Teſtamentum, quæ in eodem MS. Codice Palatino iſtis ſubjiciuntur & ejusdem auctoris ſunt, qui quæſtione 76. prodit ſe anno 1096. poſteriorem, ac prima Francorum expeditione in Palæſtinam ſeu Terram ſanctam, quos crucifixiſſe Chriſtum inquit; dubio procul, ob mala quæ illic geſſerant.
7. Denique quæſtione 115. mentio fit hæreſeos quæ Verbum divinum *corpus incorruptibile* aſſumpſiſſe ex Maria Virgine effutiebat, quam poſt Chalcedonenſe Concilium emerſiſſe conſtat. Locus ergo nullus, ut Collectaneum illud Athanaſio concedatur. Hæc ex Labbeo, digna quæ legantur & obſerventur.

XVIII. *Dicta & interpretationes parabolarum ſancti Evangelii, cum aliis XX. quæſtionibus*, quæ ſequuntur pag. 394. interprete Joanne Lampadio, eandem cum præcedentibus cenſuram merentur. Non eſſe autem Sancti Athanaſii perſpicue conſtat ex quæſtionibus 86. & 99. in quibus diſerte allegatur S. Gregorius Theologus, Athanaſio valde junior. Sunt vero dicta & Interpretationes parabolarum ſancti Evangelii a quæſtione prima ad 46. Diverſæ Expoſitiones ex Veteri Teſtamento a quæſtione 47. ad 75. Dubia in ſelectos Pſalmos a quæſtione 76. ad 92. Denique a quæſtione 93. ad 133. & ultimam, Dubitationes ex epiſtolis Divi Pauli propoſitæ, explicantur. Solus quæſtionum ordo farraginem arguit, quales ab Anonymis Græcis multæ in MSS. Codicibus, ſub ſpecioſis Juſtini, Athanaſii, Maximi, & Anaſtaſii Sinaitæ nominibus, lectori fucum faciunt. Si conjecturis agere licet, ob allatas ſupra rationes, ſpectant ad Joannem Antiochenſem Archiepiſcopum, qui anno 1096. floruit, de quo infra ad annum 1090 diximus.

CAPUT QUINTUM.

UTRUM VITA SANCTI ANTONII ABBATIS AB HOESCHELIO PRODUCTA, ATHANASII SIT.

XIX. SCripſiſſe Athanaſium *Vitam S. Antonii Eremitæ* in confeſſo eſt, cujus & meminerunt S. Gregorius Nazianzenus *Oratione* in ſanctum Athanaſium, & Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 97. & alii. Similis argumenti librum habemus inter Opera S. Athanaſii, quem Latine ex MS. Codice Græco 101. Bavaricæ bibliothecæ, edidit David Hoeſchelius Auguſtæ Vindelicorum anno 1611. cum notis & interpretatione nova, inquit Rivetus lib. 3. *Critici Sacri* cap. 4. pag. 262. Ita primum Auguſtæ Vindelicorum 1611. in 4. typis Davidis Franciſci, item Latine tantum *Evagrio Presbytero Antiocheno* interprete (ut creditur) in Syntagmate *dd. Vitis Patrum* ab Heriberto Roswejello Soc. Jeſu Antwerpiæ typis Plantinianis 1628. in fol. edito pag. 35. usque ad 74. cum doctiſſimis annotationibus, hujus Vitæ MS. Codex Græcus in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi Codice MS. Theologico Græco CCCXXXIV. a fol. 35. pag. 1. usque ad fol. 60. pag. 2. cujus meminit Petrus Lambecius lib. ſeu tom. 5. *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* pag. 297. num. 6. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 314. Eadem quoque Græce MS. inter MSS. Codices Bodlejanæ Oxonii in Anglia Bibliothecæ, Codice 2524. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. II. Codice 29. num. 1. a pag. 1. usque ad 23. quæ antea jam prodierat Latine in Editione Commeliniana Heidelbergenſi 1620. tom. 2. pag. 444. Græce vero & Latine in editione Pariſienſi anni 1627. quam ſequimur tomo 2. pag. 451. pag. 505. At num iſte ſit idem liber qui ab Athanaſio compoſitus eſt, magna inter Pontificios atque alios controverſia eſt. Inter cæteros, Bellarminus hanc pro viribus & nervis, Athanaſio aſcribere vitam nititur: quam ambabus amplectitur manibus Natalis Alexander, garrulitate incredibili agens de hoc

argumento. "Nos ejusmodi verborum flumina non quærimus, ſed rationes paucis comprehenſas verbis, quæ Opus iſtud Athanaſio adjudicent. Audiamus primum Pontificios eadere, ſic differentes: *Ea quæ ſub ſancti Athanaſii nomine fertur, Sancti Antonii Vita* occurrunt & leguntur, quæ ex ea laudant S. Chryſoſtomus homilia 8. in Matthæum, Palladius *Hiſtorica Lauſiaca* cap. 8. Socrates lib. 1. *Hiſtoria* cap. 21. & lib. 4. cap. 14. Sanctus Ephrem, Joannes Damaſcenus & Juſtinianus Imperator in Epiſtola ad *Mennam Patriarcham Conſtantinopolitanum:* quam denique Evagrius Antiochenus Epiſcopus, paulo ante annum 370. latinitate donavit. Vita ergo eſt ea vere inquiunt, a ſancto Athanaſio conſcripta. Præclara certe verba, ſi vera eſſent. Judicium ſuſpendit Gerardus Joannes Voſſius libro IV. *de Hiſtoricis Græcis* cap. XVIII.

Stant contra Andreas Rivetus loco citato, variis ſuppoſitionem operis arguens rationibus. Narrant etiam alii, inquit, Antonium cauſidicum fuiſſe, & valde doctum. At commentitius author iſte dicit, eum indoctum fuiſſe, & litterarum imperitum. Id quidem verum eſt, Auguſtini tempore jactatum fuiſſe, Antonium illum ſine ulla ſcientia litterarum *Scripturas divinas & memoriter audiendo tenuiſſe, & prudenter cogitando intellexiſſe.* Simile etiam quid prædicatum fuiſſe de Servo barbaro Chriſtiano. Sed quantum his narrationibus fidei tribuerit Auguſtinus, ex eo patet quod ſubjicit *de doctrina Chriſtiana* lib. 1. in prologo: *At ſi hæc quisque falſa arbitretur, non ago pugnaciter.* Quod ſane non dixiſſet, ſi Athanaſium ejus narrationis habuiſſet authorem. Hanc eandem urget rationem Baſnagius Epiſtola tertia. *De fidei Symbolo* quod Athanaſio tribuitur, contra Andream Arnoldum Nurembergenſem pag. 134. dum inquit: „ Præterea non vexat apud Socratem Philoſophus Antonium, quaſi caeca involveretur ignorantia: ſed e contra illum in Veterum ſcriptis verſatiſſimum credidit: cum non ægre ferat is librorum ſolatio deſtitui, qui litteras primoribus labris ne quidem deguſtavit, ſed ruſticus eſt: quemadmodum apud Athanaſii interpolatorem Antonius deſcribitur. „ 1. Cenſent ergo uterque Rivetus & Baſnagius, Antonium fuiſſe doctum antequam eremum ingrederetur: atque proinde non poſſe eſſe Athanaſium illum authorem impreſſum, qui eum ignarum ſcripſerit. Sed rationem hanc optime meo quidem judicio Natalis Alexander refellit, cauſidicum nempe ſanctum Antonium non fuiſſe, quem in errorem nonnulli ex loco Suidæ male intellecto adducti ſunt. Loquitur enim apud Suidam Ethnicus quidam, Deosque ſuos rogat, ut *Antonium illum* in fortunatis inſulis cum ipſis tunc degentem, ob præſtita ipſis beneficia, remunerentur. Ideoque hic locus de *Antonio cauſidico*, ad Antonium Anachoretarum parentem nullatenus ſpectat. Sane ignorantiam Antonii teſtatur diſerti, verbis Sozomenus lib. 1. *Hiſtoria* cap. 13. *Litteras porro nec noverat, nec magni æſtimabat: ſed bonam mentem, utpote literis antiquiorem, eorumque inventricem commendabat. Fuit autem admodum manſuetus, & humaniſſimus &c.* Ignorantia igitur quæ Antonio ab authore hujus vitæ attribuitur, ſuppoſitionis indicium eſſe nullatenus poteſt: cum eam & atteſtetur loco citato Sozomenus. Neque huic adverſatur quod ſcribit Socrates *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* lib. 4. cap. 23. his verbis: *Ad juſtum Antonium quidam ejus temporis Philoſophus accedens, quomodo, inquit, pater, potes vivere, librorum ſolatio deſtitutus? Cui ille: meus, ait, liber, o Philoſophe, eſt natura rerum: quæ quidem præſto eſt, quoties Dei verba legere volucro.* "At illud Socratis dictum (inquit Baſnagius) non legitur in Vita ſancti Antonii tomo 2. Operum S. Athanaſii pag. 492. quæ Athanaſio aſſeritur: ergo patet Antonii Vitam Socrati notam & veram, ab vulgata Hœſcheliana fuiſſe diverſiſſimam." Optimum meo judicio Baſnagii argumentum, cui adde ex his duobus locis ſuperius a me allatis, ex Sozomeno lib. 1. *hiſtoriæ* cap. 13. & Socrate lib. 4. cap. 23. Pſeudo Athanaſium colligaſſe, id quod ſcribit pag. 474. tomi 2. Commelianæ editionis. "Alios quoque ſimiliter mundi ſapientes, qui eum irridere cupiebant, quia literas ignoraret, tali diſputatione colligavit, dicens: Reſpondete mihi, quid prius, ſenſus, an literæ? Et quid cujus exordium? Senſus ex literis, an literæ oriuntur ex ſenſu? Illis aſſerentibus quod ſenſus eſſet author, atque inventor literarum, ait: Igitur cui ſenſus incolumis eſt, hic literas non requirit. Quis præſentium poſt hanc colluctationem non exclamaverit, cum obſtupuerint, & ipſi victi ſint, tantam in imperito literarum, ſagacitatem animi admirantes. „ His pronunciatis, ſequitur author Sozomenum, qui verum Athanaſium refert, de Antonii benignitate agens: ex quibus intelligitur abſque negotio, authorem ab Hœſchelio productum, non eſſe verum *de Vita Antonii* Athanaſium, quem Sozomenus atque Socrates referunt, ſed pretii viliſſimi ſcriptorem qui quæ eleganter ac terſe ab Athanaſio vero dicta erant, atque relata ab his hiſtoricis, oratione prorſus ruſtica, deductis etiam abſurdiſſimis conſequentiis, Athanaſium verum e longinquo imitatus ſit.

Secundo. Non leguntur in vita S. *Antonii* coenobiticæ vitæ præcepta, quæ Athanaſium ſcripto mandaſſe teſtatur Gregorius Nazianzenus *Oratione* in S. Athanaſium: unde patet Athanaſium Antonii vitam elucubraſſe, ſed eam quæ nunc legitur, aut eſſe omnino ſpuriam, aut ſaltem ab interpolatore miſerrime fœdatam. Hæc altera Baſnagii ratio, quam urgent quoque Sculletus & Andreas Rivetus locis citatis. *At oppido falluntur* (inquit Natalis Alexander) *cum enim Sancti Antonii exempla & præcepta diſcipulis tradita propoſuit, literisque mandavit ſanctus Athanaſius:* 2.

nasius: vita monastica leges sub narrationis specie promulgasse non immerito dici potest. Hæc Natalis Alexander, ut eluderet objectionem factam, qui si legisset vere evulgatam sub Athanasii nomine vitam sancti Antonii, negasset simpliciter objectionem. Certum enim est in ea quam habemus Antonii vita, nonnunquam legi *Regulas* Monachis datas ad instituti sui observantiam, contra quam dicunt Basnagius & Andreas Rivetus. Cujus loco, opticum aliud ejusdem Basnagii argumentum subjicio. "Non occurrit „in opusculo *Vita S. Antonii*, narratio Pauli, „quam Sozomenus habet lib. 1. *Historiæ Ecclesiastica* cap. 13. pag. 422. qui cum rusticus esset, „mulierem formosam duxit, quam cum in adulterio deprehendisset: placide subrisit, & jurejurando affirmavit, se cum illa non amplius „victurum. Cumque adultero dixisset, *Tu illam tibi habeto:* ad Antonium se contulit, qui „postea ipso Antonio in vexandis & abigendis „dæmonibus superior evasit. Hoc saltem atque plurima, quæ de Pauli cum Antonio consuetudine memorantur, non omisisset verus „Athanasius: licet levissima apud ejus interpolatorem, seu Pseudo Athanasium accurate narrentur."

3. *Tertio* Dominus noster Jesus Christus, miraculorum gloria Antonio, qualis ab interpolatore describitur, longe inferior fuit: de quo hoc unum nunc observare liceat. Antonius nimirum ille, cujus cibus panis erat cum sale, potus aqua, tempus prandii solis occasus: qui sæpe biduo & amplius jejunus permanebat: qui vigilabat integras noctes, aut si forte somnum delibasset, brevissimo momento super storea cubans dormiebat. Iste, inquam, Antonius, jejunio & vigiliis jam confectus, inita cum dæmonibus pugna, magnos exantlabat labores. Sed tandem juxta hanc vitam pag. 460. cum e proximo quidam accederent effracturi fores, exiit ipse, & corpus monstravit neque obesum, neque ob jejunia gracile, nec dæmonum pugna contritum: sed eadem præditum forma & elegantia, ac antequam Anachoreta fieret. Cujus rei aut similis, ne quidem vola aut vestigium apparet apud veteres, nec Christo quidem excepto, qui jejunio fuit debilitatus, qui esuriit, angelosque sibi ministros accersivit. Deinde inquit idem Basnagius, istud miraculum ascetica vitæ jejunia convellit: quæ enim gloria aut decus, si cum cibis abstinueris, pugnam adversus infensissimos dæmones sustinueris, iisdem viribus ac antea corpus valeat? In id instituuntur jejunia, ut carnem præ nimio robore sese extollentem deprimas: sed si Antonianæ vitæ fides est, edit miracula Deus ipse, ne corpus nostrum per jejunia cæteraque pietatis exercitia debilitetur. Quod ne quidem verisimile est; & Augustino & Hieronymo qui miracula sæpe captant, in iisque procul dubio nimii sunt, condonaretur: non Athanasio qui aliquot annos ante vixerat, & acri pollebat judicio.

4. *Quarto* inquit Basnagius, vita ista olet aniles fabulas, visiones nempe diabolicas innumeras. Adest enim perpetuo dæmon, formam humanam aut alteram induens, ut Antonio illudat, vel cum eo in arenam descendat: quæ omnia ab Athanasio mihi aliena videntur. "Apparebat aliquando ibidem pagg. 466. & 467. corruscantibus oculis, de ore ejus procedebant lampades sicut tædæ ignis accensæ, & disjiciebantur ut craticulæ ignis: exibat de naribus fumus camini candentis igne carbonum. Alias loca scripturæ memorabat, alias legentibus repente velut echo sonum reddebat, alias dormientes excitabat ita frequenter, ut eos quiescere non sineret: alias ut mulier formosa Antonium stupri causa adibat, alias ut puer atro visus est vultu, qui edita voce, inquiebat: *Ego carnis titillationibus adversus juvenes utor, & Spiritus fornicationis vocor, ego sum propter quem Propheta lapsos accusat, cum spiritus fornicationis decipit eos.*" Quis talia unquam audivit, tamque vulgaria dæmonum spectra?

5. *Quinto.* Dæmones non modo videt Antonius in vita superius memorata, sed & Christum ipsum sæpius alloquitur: ut cœlum iteratis vicibus deseruisse Christus ipse videretur, quo cum Antonio sermones misceret. Dum vult Antonius in desertum abire, Christus ei indicat Saracenos viam monstrantes: dum cum dæmone manus conserit, mox adest Christus opem laturus, aut saltem athletam illum lucis radio consolatur. Si quando quæritur Antonius, quod in pugna defuisset sibi Christus, dicens: *Ubi tunc temporis degebas?* Continuo Redemptor humani generis huic reponit, *se adfuisse ut illud certamen oculis intentis videret.* Non modo Deum, sed animas spirituales invisibilesque intuetur Antonius. Ammonis enim anima, cum cœlum peteret, Angelorum satellitio stipata, ab Antonio visa fuit. Non diffiteor Socratem & Sozomenum hujus rei testes adhiberi posse: observo tamen illud ab eis referri tanquam dictum aliquod, quod famæ per ora volantis ope ad eos pervenerat, inquit Sozomenus lib. 1. *Historiæ* cap. 14. Et quamvis Socrates in Antonii vita ab Athanasio scripta id contineri tradat lib. 4. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 23. indecisum tamen semper manet, utrum Pseudo Athanasius vel ex Socratis loco citato, vel ex vera Athanasii de Antonio historia istud acceptum, fabulis suis ut fucum posteris faceret, inseruerit. Addit Basnagius, cum ab Arianis vexaretur Antonius, non modo animas incorporeas videt, non modo Christum videt & alloquitur, sed ea perspicit, quæ nequaquam sub conspectum venerunt. Vidit scilicet bestiam forma humana ad femora usque, crura & pedes asinum, quæ cum se crucis nota signasset Eremita, fugam cum dæmonibus arripuit: ita ut celeritate caderet & moraretur. Sic tomo 2. Operum D. Athanasii pag. 481. Vidit etiam Satyrum qui preces fudisse dicitur apud Antoni-

um, ut pro ſe Deum oraret, tanquam ſalutis in Chriſto particeps futurus eſſet: quæ omnia cum veritate nullatenus conſentiunt. Nam nulli tunc Satyri, quemadmodum fingit ille Scriptor, qui deinde ſalutis participes fierent: alios enim non ſalvat Chriſtus, quam quos aſſumpſit. At Satyros quis aſſumſiſſe credat? Niſi illos humani generis partem eſſe velit, cum tamen ſummum inter eos & homines occurrat diſcrimen. Beſtias non modo pro libitu fugat, ſed alloquitur: ut patet ex hiænis, quæ ſuis egreſſæ latibulis ipſum medium circondederunt, quasque habito ſermone (quemadmodum de Franciſco legitur, qui collectis avibus conciones habebat) in fugam impulit.

6. *Sexto* denique plurimas nænias brevitatis cauſa, idem Baſnagius omittit. Nam ibidem pag. 488. dum mente raptus oraret Antonius, ſe velut in aërem a quibusdam deduci ſenſit, conſpexitque ibi tetros & horribiles quosdam, qui ſuo obſtabant itineri, dæmones erant illum accuſantes. Sed ductores Antonii prohibuere, dicentes maculam a natali die usque ad Monachatum deleviſſe Dominum, licere autem illis a Monachatus primordio, & quo ſe Deo conſecrarat tempore, crimina objicere: ſed cum accuſarent tantummodo, non convincerent, tandem liber evaſit. Quæ omnia in cœnobiticæ vitæ decus & gloriam ficta ſunt. Ea ſcilicet ab omni tempore fuit Monachis indoles, ut ſanctitatem ſuam omnibus modis extollant, & peccata etiam minima ſe vitare ſupius jactitent. Ex quibus omnibus facile concluditur, vitam S. Antonii qualis nunc legitur, Athanaſio inique adſcribi. Hæc Jacobus Baſnagius, quæ lectu non indigna ſunt.

7. Jam ad alias Riveti rationes, nec ſpernendas veniamus, dicentis: Narratio de Melote aut pallio, quod Athanaſio Epiſcopo Antonius in extremis agens donavit, non convenit cum eo quod ſcribit Hieronymus in vita Pauli, qui ante aliquot annos petierat & obtinuerat ab Antonio illud pallium. Adde quod de congreſſu Pauli cum Antonio nullum veſtigium in Pſeudo-Athanaſio eſt, quem a vero Athanaſio omiſſum fuiſſe veriſimile non eſt. Validum certe de Pallio argumentum mihi eſt, quod ſoluere non poteſt Natalis Alexander, quanquam garrulitatis plurimæ ſcriptor. Vt hunc ſolvat nodum, confugit mendicans ad liberalitatem, duo enim dives homo pallia Antonio largitur: quorum alterum longe ante obitum Athanaſio miſerat, alterum adhuc moriens concedit Paulo. Opinatur bonus Alexander, tot Antonio pallia adfuiſſe, quod ſibi, quatuor nempe aut quinque, ad luxum adſunt, ut per vicos Pariſienſes ornatius incedat. Sed alia ratio Monachorum Antonii ætate viventium, alia venuſtulorum hodiernorum, veſte varia ſibi ablandientium. Nec dubito, quin ſi tertium quoque pallium ad tollendam hanc contradictionem, Antonio neceſſarium ſit, illud inveniat ac repræſentet Natalis Alexander.

Octavo Quin & nonnulla inter legendum occurrunt, quæ fidem orthodoxam lædunt, ut quod Dæmones facit corporeos: quod *virtutem nobis ineſſe & ex nobis ortum habere* aſſerit, *& rem non eſſe difficilem manere in eo ſtatu quo conditi ſumus:* quod gratiam Dei caſſam reddit. Hæc & ſimilia faciunt, ut libenter ſubſcribam Scultero judicanti Commentum eſſe narrationem illam hominis inſulſi. Nec me dimovent Bellarmini argutiæ, quibus ait Poſſevinus, facile eum probaſſe Tomo 2. *Controverſiarum* lib. 2. *de Monachis* cap. 5. eam eſſe cujus Hieronymus meminit, quas repetit in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 340. I. Ratio ex eo deſumpta eſt, quod Patres & Hiſtorici nonnulli meminerunt *Vitæ Antonii* ab Athanaſio ſcriptæ. Ex qua tamen id tantum ſequitur, Athanaſium ſcripſiſſe *Vitam Antonii*, quod a nemine in controverſiam vocatur. II. Hanc ipſam eſſe probat ex eo quod *revera ſit inſigne volumen*, quale Hieronymus dicit fuiſſe librum Athanaſii. Reſpondeo, inſulſum volumen debuiſſe dicere, aut *inſigne* eo ſenſu, quo dicimus *inſigne mendacium, inſigne ſcortum.* Alio ſenſu negatur, quod nec probat Bellarminus. III. Continere plurima illa miracula, quorum meminit Auguſtinus. Reſpondeo & inſulſum illud volumen cui titulum fecere *Vita Chriſti*, continere plurima illa miracula, quorum meminerunt Evangelia: nec tamen eſſe verum & genuinum Evangelium. IV. Quia recenſet *hiſtoriam de anima Ammonis*, quæ habetur teſte Palladio in *Vita* ab Athanaſio conſcripta. Reſpondeo nec propterea ſequi, quæ in unica hiſtoria recitanda conveniunt, eadem eſſe & ejusdem Scriptoris. V. *Nihil in contrarium adferre Centuriatores, niſi judicium ſuum.* Reſpondeo judicium eorum fuiſſe rationibus firmatum, & nos ſupra alias addidiſſe, ex quibus conſtabit nec ſine conjectura vel authoritate, in controverſiam nos id vocaſſe. Hæc Rivetus verbotenus. 8.

Quibus *nono* junge & rationem iſtam, ex aliis Athanaſii lucubrationibus quæ genuinæ ſunt, ubi quæ reperiuntur in hiſtoria *de morte Balatii Ducis*, non parum differunt a narratione quæ habetur in *Vita Antonii.* Nam verus Athanaſius in *Epiſtola ad Solitarios* narrat *Balatii femur proficiſcentis ad primam manſionem, equum cui inſidebat cervicibus retortis ita momordiſſe, atque ex dorſo excuſſum humi affixiſſe, ut intra triduum proximum perierit.* Hæc Athanaſius ille verus & indubius. Author vero Vitæ Antonii inquit, *equum quo Neſtorius Ægypti præſes vehebatur, morſu repentino Balatium decuſſiſſe in terram, ac ſic in eum inhiantem, femora ejus laceraſſe & corroſiſſe: ut ſtatim relatus in civitatem, poſt triduum mortuus ſit.* Hæc varietas verum Athanaſium a fictitio evidenter diſtinguit. Miror cur hic ad ſolvendam contradictionem, Natalis Alexander *Equos* non multiplicaverit, vel morſus, quemadmodum de *Pallis* dixit? Longe enim fuiſſet ſplendidius miraculum, ſi primum quidem Equus 9.

Neſto-

Neſtorii morſum Balatium in terram excuſſiſſet, tum & idem fatigato morſibus Neſtorii Equo, feciſſet proprius Balatii equus, Domino excuſſo ac proſtrato.

His Baſnagii atque Riveti rationibus, addamus noſtras. *Decimo* itaque hic PſeudoAthanaſius falſiſſima ſcripſit in *Vita Antonii*, quæ Sozomeno aperte repugnant, neque ſcribi unquam a Magno Athanaſio potuerunt: unde impudentiſſimus impoſtor hujus vitæ quicunque illé eſt, ſcriptor comprobatur. Scribit ergo Sozomenus lib. 2. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 31. pag. mihi 205. Frequentes Magnum Antonium in gratiam Athanaſii ſcripſiſſe epiſtolas, etſi fruſtraneas, his verbis. *Caterum morteo Ario, contentio de dogmatibus ab illo primum invectis nequaquam finem accepit: nec deſiterunt opinionis illius ſectatores, inſidias ſtruere iis qui contrariam ſententiam ſequebantur. Denique cum & populus urbis Alexandrinæ aſſidue vociferaretur, Deumque in ſupplicationibus publicis oraret pro reditu Athanaſii: & Magnus Antonius Monachus frequentes de eo literas ad Imperatorem ſcripſiſſet, rogans ne Meletianis fidem haberet, ſed eorum accuſationes calumniarum loco duceret: Imperator tamen flecti non potuit. Verum ad Alexandrinos quidem literas ſcribens dementiam illa & levitatem exprobravit: Clericis vero & ſacris Virginibus, ut quieſcerent præcepit: affirmans ſe nequaquam mutaturum ſententiam, nec revocaturum eſſe Athanaſium, utpote ſeditioſum, & Eccleſiaſtico judicio condemnatum. Antonio autem reſcripſit, ſe adduci non poſſe ut ſententiam Synodi deſpiceret &c.* cui conſonant, quæ idem habet lib. 1. cap. 13. pag. mihi 176. At iſte ſcriptor Vitæ Antonii, inſigni mendacio rem prorſus huic Sozomeni loco oppoſitam refert, pag. 478. editionis Heidelbergenſis, qua nunc utor. "Nam „& Conſtantinus Auguſtus, & ejus Liberi Con„ſtans & Conſtantius talia cognoſcentes, cre„bro ad eum quaſi ad patrem, miſſis literis obſe„crabant, ut reciprocis eos ſcriptis hilararet. „At ille ejusmodi manens, qualis & antequam li„teræ ad eum venirent, fuerat: nec ſalutatione „principum movebatur, tanquam non acceptis „literis, convocatis Monachis ajebat: Reges „ſeculi ad nos miſerunt Epiſtolas. Quæ hic „Chriſtianis adhibenda miratio eſt? licet enim „diverſa ſit dignitas, attamen eadem naſcendi „moriendique conditio eſt. Illa ſunt omni ve„neratione percolenda, illa toto animi affectu „retinenda ſunt: quod hominibus Deus legem „ſcripſerit, quod per filium ſuum propriis Eccle„ſias ditaverit eloquiis. Quæ Monachis eſt ra„tio, cum Epiſtolis Regum? Cur accipiam lite„ras quibus conſueta neſciam reddere ſalutatio„nis obſequia? Igitur rogatus ab univerſis fra„tribus, ut Chriſtianos Reges ſuis literis refri„geraret, ne ſcilicet per ſilentium ejus exaſpe„rarentur, ad ſuſceptas epiſtolas convenientia „reſcripſit. Laudavit primum quod Chriſtum „colerent, deinde ſalutaria perſuaſit, ne ma„gnam putarent Regiam poteſtatem, ne præ„ſentis carnis imperio tumentes, ſe homines „eſſe neſcirent, & judicandos a Deo obliviſcerentur. Ad poſtremum, clementiæ circa ſubjectos & juſtitiæ, curæ quoque inopum admonuit: atque unum ſempiternum eſſe Regem „omnium ſeculorum Jeſum Chriſtum, Epiſtolis teſtatus eſt." At lectorem æquum quæſo, an ſi verus Athanaſius eſſet author hujus Vitæ miſerrimæ Antonii, fuiſſet tam ingratus & mendax, ut Antonium vel nunquam vel raro ſcripſiſſe etiam invitatum atque præoccupatum, diceret? Cum conſtaret vero Athanaſio, quod Antonius *frequentes de eo literas ad Imperatorem ſcripſiſſet, rogans ne Meletianis fidem adhiberet, ſed eorum accuſationes calumniarum loco duceret:* ut Sozemenus refert ex vera Vita Antonii, ab Athanaſio ſcripta. Hinc ergo argumentum demonſtrativum, *Vitam Antonii* ab Hœſchelio productam, non eſſe veri Athanaſii, ſed impoſtoris ignari Opus. Fuiſſet enim verus Athanaſius ingratiſſimum omnium animal, ſi ita de Antonio tradidiſſet, qui tantas & tam frequentes pro ipſius cauſa literas ad Conſtantium Imperatorem ſcripſiſſet. Mitto obtuſum hujus impoſtoris judicium & contradictionem in his verbis: *Et tanquam non acceptis literis, convocatis Monachis aiebat: Reges ſeculi ad nos miſerunt Epiſtolas.* Cur dicebat obtuſus iſte illum *accepiſſe Epiſtolas*, ſi non accepiſſe ſimulabat? Vel ſi non accepiſſe ſimularet, *quaſi non acceptis literis:* cur convocatis Monachis, ajebat ſe accepiſſe? Similes habet hic impoſtor in ratiociniis abſurditates, quales de autore libri *de Virginitate* oſtendimus: quæ Monachum proxime olent. An verus Athanaſius poterat ſcribere, ut hic impoſtor facit de Antonio, *qua Monachis eſt ratio, cum Epiſtolis Regum?* Cum ſciret verus Athanaſius, non ſolum frequentes in gratiam ſui literas ad Conſtantium ſcripſiſſe ut ex citato Sozomeni loco conſtat, ſed ſolitudine etiam relicta, Alexandriam, ut Athanaſium tueretur, perrexiſſe. Audiamus contra impoſtorem hunc, verba Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi lib. 4. *Hiſtoria* cap. 27. *Idem porro antehac regnante Conſtantio, Alexandriæ præſiterat magnus Antonius. Relicta enim ſolitudine, totam illam urbem circuivit, cunctos admonens Apoſtolica doctrinæ præconem eſſe Athanaſium, Arianos vero hoſtes eſſe veritatis. Adeo divini illi viri, quid ſingulis temporibus congrueret probe norant, & quando ſolitudinem amplecti, quando urbes præferre ſolitudini oporteret.*

10.

Denique *undecimo* ita concludit *Vitam S. Antonii* Anonymus. Hoc enim Fratres, quod per „omnes provincias amor ejus, famaque volita„rit, quem nec librorum diſſeminatorum oratio„luculenta, nec mundanæ ſapientiæ diſputatio, „nec nobilitas generis, nec opum infinita conge„ſtio commendavit: cui omnium ore eſt aſcri„bendum, cujus donum eſt? Qui devotos ejus „animos ergo ſuam prævidens majeſtatem, ho„minem alio peneorbe celatum, & inter tantas „ſolitudines poſitum, Africæ, Hiſpaniæ, Galliæ, „Italiæ,

11.

„Italiæ, Illyrico, ipſi etiam, quæ urbium caput „eſt, Romæ, ut in exordio promiſerat, demon„ſtravit. Atqui Antonius omnibus his orbis partibus non innotuit, niſi poſt Vitam ejus ab Athanaſio conſcriptam, quæ, ut etiam creditur ab Evagrio Presbytero Antiocheno, circa annum 388. ex Græco in Latinum ſermonem translata eſt, ut Hieronymus habet in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 135. & Rosweidus in *Vitis Patrum* lib. 1. Hac enim mediante verſione, Antonius *Africa, Hiſpania, Gallia & Italia* innotuit: Ergo Athanaſius hoc ſcribere non potuit, ſed impoſtor aliquis, poſt vitam hanc ab Evagrio Antiocheno Presbytero in Latinum ſermonem ex Græco Athanaſii circa 388. translatam: qui illius nomine, nonnullis ex Athanaſiana Antonii Vita delibatis, inſulſum hoc opus conſcripſit. Mirum itaque mihi eſt, quod nuperi illi editores Operum S. Athanaſii, Monachi Benedictini, *Vitam* hanc inter genuina opuſcula reliquerint Tomo 1. parte 2. pag. 793. & ſequentibus.

CAPVT SEXTVM.

ALIA TOMI SECVNDI, SVB ATHANASII NOMINE OPVSCVLA, EXPENDVNTVR.

XX. *De unica Deitate Trinitatis ad Theophilum Libri XII.* pag. 550. Athanaſii non ſunt, ut multi jam antea ſenſerant. Compoſiti illi ſub nomine S. Athanaſii a Vigilio Africano, Tapſenſi poſtea Epiſcopo, cujus inter Opera pag. 198. recenſentur, evulgata a Petro Franciſco Chiffletio, de quibus latius poſtea. Quod autem ad ſanctum Athanaſium non ſpe-
1. ctant, conſtat *primum* quia Latine & non Græ-
2. ce ſcriptos ſtylus probat. *Secundo* quia nonnunquam indicat qua ratione phraſes Latinæ ſeu Latina vocabula Græco idiomate reddantur & efferantur, ut libro 6. de *Incarnatione* Filii Dei inquit: *Maledictus qui hanc Dei nativitatem ex nullis extantibus phantaſma eſſe confitetur, quod Græci ἐξ οὐκ ὄντων appellant.* Et lib. 7. de profeſſione Regulæ Catholicæ: *Vnita eſt Patris, Filii, & Spiritus Sancti ſubſtantia, quam Græci dicunt*
3. *ὁμοούσιον. Tertio* refellit hic author Eunomianos, unde multo eſſe Athanaſio poſteriorem neceſſe eſt, cum ſancti Gregorius Nyſſenus & Baſilius primi, contra Eunomium, calamum acuerint. Spectant autem hi libri ad Vigilium quendam Africanæ primum Eccleſiæ Diaconum, tum poſtea ut eruditi veri ſentiunt, Tapſenſem in Bizacena provincia Epiſcopum, quem ſeculo Eccleſiæ quinto jam finiente, claruiſſe poſtea dicemus, ad annum Chriſti 484. In Codice Floriacenſi optimæ notæ & antiquitatis venerandæ, qui in Bibliotheca Collegi Cleromontani Soc. Jeſu Pariſiis aſſervatur, iſti *Libri undecim de Trinitate* ſubjiciuntur libris Vigilii adverſus Neſtorium & Eutychetem: quam ob rem libros iſtos merito Vigilio Tapſenſi priorum ſcriptori aſſeruerunt Viri doctiſſimi Chiffletius & Sirmondus. Hic in *Notis* ad Theodulphum Aurelianenſem *de Spiritu Sancto*, & Chiffletius in Opuſculo 1. *Vindiciarum* Operum Vigilii Tapſenſis Epiſcopi. Quanquam ante octingentos annos, hoc opus ſub nomine Athanaſii laudaverint, Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus, Æneas Pariſienſis Epiſcopus, & Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, ut laudatus Chiffletius habet.

XXI. *Diſputatio Divi Athanaſii cum Ario Laodicea habita, coram Probo Judice, a Conſtantio Imperatore delegato* pag. 602. legitur quoque inter ejusdem Vigilii Tapſenſis Opera pag. 118. ad quem pertinere creditur. Hæc Diſputatio, quæ habita fingitur Imperatoris Conſtantii juſſu Laodiceæ in Syria inter Athanaſium & Arium, fictitia eſt, opusque eſſe ſuppoſitum multa evincunt. *Primo* quia in Epiſtola Conſtantii ad 1.
Probum huic Diſputationi præmiſſa, Athanaſius Diaconus nominatur, quem conſtat longe ante tempora Conſtantii, creatum fuiſſe Epiſcopum Alexandrinum, anno poſt Nicænam Synodum proximo. *Secundo* in progreſſu Diſpu- 2.
tationis, Athanaſius Arium Photiniani dogmatis arguit, cum tamen dogma Photini poſt Arii mortem tantum emerſerit. *Tertio* quia ille 3.
contra quem Diſputatio inſtituta eſt, *Creaturæ* nomen Filio non tribuebat, non factum, ſed vere ex Patre genitum credebat. Vnde fictus ille Athanaſius ait, *Mirari me fateor, cum Creaturæ nomen in Filio refugias, & non factum, ſed vere ſicuti eſt profitendum, ex Patre genitum credas: Photini quodammodo te impietatis ſuiſſe dogmata imitatum.* At nusquam locutus eſt ita Arius, imo nec unus germane Arianus. Illa igitur Diſputatio commentitia eſt. *Quarto.* Veriſi- 4.
mile non eſt, quod Conſtantius Diſputationem illam coram Probo homine Gentili & idolorum cultore, haberi voluiſſet. Videtur Cardinali Bellarmino hæc Diſputatio eſſe Dialogus ille, quem a ſe ſcriptum fuiſſe, Vigilius non quidem Tridentinus Epiſcopus, ſed Africanus Diaconus, atque Tapſitanus poſtea Epiſcopus, lib. 5. *adverſus Eutychetem*, teſtatur.

XXII. *Epiſtola Athanaſii & Ægyptiorum Epiſcoporum ad Marcum Papam Romanum, cum Marci Papæ reſponſo*, pag. 623. ſpuriæ aperte ſunt, docentibus etiam Bellarmino & Antonio Poſſevino, tom 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Athanaſius*. Neque abludit Cardinalis Baronius tom. 3. *Annalium* ad annum Chriſti 336. Quo pacto (in-« quit dictus Cardinalis) ſub dictis Conſulibus po-« tuit Athanaſius Alexandria ad Marcum Papam« ſcripſiſſe, qui jam exul hoc anno agebat in Gal-«lis? Et quænam ſub Conſtantino graſſatio A-« rianorum contigit in Ægypto, cum non Marci« tempore, ſed multo poſt, quando Conſtantius« Georgium in locum Athanaſii ſubrogavit, « paſſa ſit Eccleſia Alexandrina violentam Aria-« norum vaſtationem? Sed & quonam pacto po-« tuit *decimo calendas Decembris* ſcripſiſſe ad Atha-«

naſium

„nasium, cum hoc ipso anno *nonis Octobris* repe-
„riatur esse defunctus? Cum enim Pontificem
„nonnisi octo menses sedisse Hieronymus teste-
„tur in Chronico, has autem Epistolas citet Ma-
„rianus Scotus, & pariter contendat nonnisi octo
„mensibus sedisse Marcum Papam: quonam
„modo fieri potuit, eam datam esse ab ipso Mar-
„co Epistolam, si jam ante ipse ex humana vita
„excesserat?„ Epistolæ igitur istæ, ipso teste Ba-
ronio, spuriæ sunt, quæ ex Isidori Mercatoris, no-
bilis illius Hispan impostoris officina prodie-
runt, cum aliis Romanorum Pontificum Pseu-
depigraphis. Falsa temporum nota falsitatem
prodit, multisque scatet apertissimis mendaciis,
quæ sanctus Athanasius scribere nunquam po-
1. tuit. *Primo* enim juxta allatum Baronium, scri-
psisse Alexandria ad Marcum fingitur Athanasi-
us, quo tempore exul agebat in Galliis. *Secundo.*
2. Grassatio Arianorum in Ægypto Constantino
Imperatore, & librorum omnium Ecclesiastico-
rum incendium, ut recte idem Baronius, con-
3. tra Historiæ fidem narratur. *Tertio.* Septua-
ginta Nicæni Concilii Canones contra germa-
norum exemplarium fidem, quæ ex scriniis Ale-
xandrinæ Ecclesiæ ad Africanos missa sunt, con-
tra Veterum omnium testimonia, Epistola ista
recenset. Hoc autem constat, ex Epistola ab
Africanis scripta, eo tempore quo ipsos Appel-
lationum causa cum Zozimo Pontifice Roma-
no commisit. Hæ Mercatoris merces adulte-
rinæ Baronio, Bellarmino, aliisque acrioris ju-
dicii Pontificiis, merito suspectæ ac suppositiæ
visæ sunt: nec Binius ipse diffitetur, Baronianis
oppressus rationibus. Addi hic quoque pos-
sit, *Athanasii Epistola ad Agapetum Papam & Cle-
rum Persarum*; quæ Latine tantum prodiit seu
excusa fuit, in editione omnium S. Athanasii O-
perum Græcolatina, studio Monachorum Be-
nedictinorum Parisiis anno 1698 2. in folio Vo-
luminibus, apud Johannem Anisson Regium ty-
pographum, Tomo 2 pag. 716. ad 719, cujus
Manuscriptum Codicem Græcum reperit Do-
minus Bernardus de Monfaucon in Bibliotheca
Petri Seguierii, Franciæ Cancellarii. At in aliis
MSS. Codicibus Bibliothecæ Regiæ, Codice 3111
attribuitur *Anastasio Antiochiæ Archiepiscopo* no-
minis quarto, de quo locuti sumus in Anastasio
isto *Dissertationis* cap. 6, ad quem magis, quam
ad Athanasium Alexandrinum pertinere vide-
tur.

XXIII. *De passione imaginis D. nostri Jesu Chri-
sti, qualiter crucifixa est in Beryto civitate Syriæ* pag.
627 Spurius libellus, septem capitibus constans,
expressus duobus ex MSS. Græcis vetustis Bibli-
othecæ Palatinæ, columnis duabus sibi respon-
dentibus, eo quod Græcæ inter se narrationes
maxime diversæ sint: quibus subjuncta Latina
interpretatio. Sed de toto hoc negotio, plura
docebit te Cardinalis Bellarminus. Quamvis
autem hic libellus *de passione imaginis Domini no-
stri Jesu in Beryto* tanquam magni Athanasii lau-
datus sit Actione IV. Synodi septimæ seu Nicæ-
næ secundæ: non pertinere tamen ad illum
omnes fere Viri eruditi conveniunt. Sigeber- 1.
tus in Chronico hanc historiam contigisse ait
tempore Constantini Imperatoris & Irenes u-
xoris ejus, anno 765 adeoque tempore Synodi fu-
isse recentissimam. „Tempore (inquit) Con-„
stantini Imperatoris & Irenes uxoris ejus, in„
Syria, civitate Beryto, quæ subjacet Antiochiæ,„
Judæi imaginem Salvatoris Domini nostri Jesu„
Christi, invenientes in domo cujusdam Judæi,„
ibi relictam a quodam Christiano: eam injuri-„
ose deposuerunt, & omnia opprobria quæ Ju-„
dæi Christo Jesu intulerunt, ejus imagini infe-„
rebant, illudentes ei, in faciem conspuentes,„
criminose conviciantes, eamque procutien-„
tes, manus & pedes ejus clavis configentes,„
acetum & fel ei porrigentes. Tandem latere„
ejus aperto, exivit de eo sanguis & aqua. Quod„
illi supposita ampulla excipientes, ad experi-„
endum utrum fuerint vera miracula, quæ Je-„
sum fecisse audierant: omnes infirmos in Syna-„
goga sua collectos hoc sanguine adspergebant„
& a quocunque languore detinebantur,„
omnes sanabantur. Unde tamen Judæi com-„
puncti, ad Adeodatum civitatis Episcopum„
omnes cucurrerunt, eique re enarrata, imagi-„
nem cum sanguine dederunt. Quibus ba-„
ptizatis, Episcopus sanguinem per ampullas di-„
visum longe lateque dirigens, prædicabat ma-„
gnalia Dei, obtestatus omnes, ut singulis annis„
quinto idus Novembris, celebraretur passio„
Dominicæ imaginis.„ *Præterea* cum Historiæ 2.
Ecclesiasticæ veritate & ratione temporum pu-
gnant, quæ in eadem narratione habentur de
Christiano quodam, qui in cellula Synagogæ
proxima, sanctam imaginem ex oblivione & in-
curia reliquerat, qui *cum a Metropolitano fuisset
studiosissime interrogatus, quomodo icon ad se deve-
nisset, vel a quo eam mirabiliter posita esset, respon-
dit dicens: quod Nicodemus qui ad Jesum nocte ve-
nerat, propriis manibus eam composuisset, & moriens
Gamalieli tradidisset. Gamaliel autem Doctoris
Gentium didascalos, cum diem sibi cerneret adesse ex-
tremum, Jacobo eam reliquit, & Jacobus Symeoni,
& Symeon Zachæo: & sic per successiones temporum
in Hierosolyma perduravit, usquequo subversio illius
urbis patrata est, quadragesimo & tertio anno post
Ascensionem Domini Salvatoris ad cælos.* Cum au-
tem ut Cardinali Baronio placet, a Christi pas-
sione ad excidium Hierosolymitanum usque,
anni duntaxat XXXVIII præterlapsi sint: &
Jacobo præmortuo successit Simeon, qui ever-
sis jam diu Hierosolymis anno Christi CIX mar-
tyrium subiit, cui successit Justus & Justo Za-
chæus: tota ista narratio, historica cum veri-
tate conciliari nullatenus potest. *Tertio* in Hi- 3.
storia MS. quam in aliquibus Ecclesiis legi soli-
tam, & in Codice antiquo apud se haberi testa-
tur Baronius in suo Martyrologio ad diem IX.
Novembris, hæc caractere Longobardico scri-
pta leguntur: *Sermo sanctæ memoriæ Patris no-
stri Athanasii de imagine Jesu Christi, veri Dei aeter-*

ni, quod factum eſt miraculum magnum in Civitate Beryto, tempore Conſtantini Junioris & Irenes uxoris ejus. Suſtollite oculos &c. Vnde alicujus potius alterius Athanaſii in Syria Epiſcopi, quam noſtri Alexandrini, tractatum illum eſſe colligit
4 Baronius. *Quarto.* Silentium ſancti Joannis Damaſceni, vel anonymi, qui eum tres *de ſacris Imaginibus* Orationes ſelectiſſimas ſcripſerit, in quibus tum ex S. Athanaſii, cum ex aliorum Patrum ſcriptis teſtimonia laudat, Hiſtoriæ hujus Imaginis in Beryto crucifixæ nullatenus meminit: argumento eſt, illam non contigiſſe antequam S. Joannes Damaſcenus vel anonymus adverſus Iconomachos ſcriberet. Quamobrem miror vehementer, quod libellum hunc S. Athanaſio vindicare tentaverit Franciſcus Combefis Ordinis fratrum Prædicatorum in *Notis* ad Narrationem *de miraculo Dominicæ imaginis in puteo Magnæ Eccleſiæ* tomo 2. *Auctarii* Bibliothecæ Sanctorum Patrum. Nititur maxime vir doctus authoritate Synodi ſeptimæ, cujus Patres in critica ſacra peritiſſimos fuiſſe nemo ſibi perſuaſerit, qui illius Acta perlegerit attentius: cum apocryphas plurimas hiſtorias laudaverint, nec inquiſierint in authores tractatuum, teſtimoniorum, & narrationum, quas in ſuis codicibus deſcriptas habebant: ſed ſimpliciter eas protulerint ſub eorum nominibus, quibus inſcribebantur: de traditione & fide Eccleſiarum, quam de quæſtionibus ejusmodi criticis, magis ſolliciti. Nititur *ſecundo* Combefiſius authoritate fragmenti Concilii Cæſarienſis in Cappadocia, quod in Operibus Sancti Athanaſii, huic de imagine Chriſti in Beryto crucifixa, hiſtoriæ prætixum eſt: ex quo conſtat Petrum Epiſcopum Nicomedienſem, præfatum libellum S. Athanaſio Alexandrino vindicaſſe, in frequenti conſeſſu Patrum. Sed fragmentum illud æque apocryphum eſt, & omni retro antiquitati ignota Cæſarienſis illa Synodus, in qua de ſanguine lateris Domini noſtri Jeſu Chriſti, quæſtio mota eſt. Hæc verbotenus Natalis Alexander adverſus Confratrem, quibus addo noviſſe me Franciſcum Combefiſium, ab eoque Epiſtolas officii plenas & MSS. Codices mutuo olim accepiſſe: ſed exiſtimatum a me eſſe ſemper uti laborioſiſſimum, ita ad credendum facilem ac promptum, quibuscunque indiſcriminatim ſtupendis ſeu miraculis ſcripto conſignatis cedentem, quæ avidius ille audiebat captabatque. Habuit eandem facilitatem in admittendis quibuscunque MSS. Codicibus, inſcriptionibus & titulis, Homilias & alia Opuscula ſub antiquiſſimorum Patrum nominibus, ex fide MSS. Codicum vix annos 400 habentium, abſque ſcrupulo evulgans. At nullus neſcit, quam ſæpiſſime inſcriptiones MSS. Græcorum & Latinorum, quæ ab Eccleſiæ ſeculo XII. tranſcripta utplurimum reperiuntur, fallant. Vnde & nimiæ credulitatis ab eruditis viris accuſatur, ex multis antiquis, quæ laborioſiſſime in publicam lucem effudit. Multa de argumento hoc Petrus Lambecius Libro 1. Commentariorum *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* pag. 123 ad 132. & lib. 2. pag. 97 & 220. Lib. 4. paginis 67. 68. 101. 163. 165. 201 & 226.

CAPVT SEPTIMVM.

DE OPVSCVLIS QVÆ HOC SECVLO AB ANTIQVARIIS, ATHANASIO ADSCRIPTA SVNT.

CUm tam multa olim Athanaſio magno ſuppoſita ſint, ſub illius edita nomine, quæ gravitatem ejus atque ætatem attingere nequaquam poſſint: nunc conſiderandum & examinandum, utrum qui hoc ſeculo aliqua ſub illius pariter titulo ediderunt, cæteris ſaltem aliqui feliciores fuerint, productis in publicum Operibus vere Athanaſianis.

XXIV. *Homiliæ ſeptem de diverſis argumentis & myſteriis Chriſti*, pag. 645 & ſequentibus, ſtudio Lucæ Holſtenii editæ ex diverſis bibliothecis Latineque redditæ, ita languidæ humilesque ſunt, ut Magno Athanaſio doctis viris indignæ prorſus videantur. Has ego ſemel atque iterum legi, quas pueriles valde eſſe & nihil veteris doctrinæ continere, adverti. Vnde & prudenter Holſtenius, tanquam dubias in lucem produxit. Sunt autem Homiliæ hujusmodi.

1. *In Deſcriptionem ſeu cenſum Beatæ virginis* pag. 645.

2. In illud Matthæi 21. vers 2. *Ite in caſtellum quod contra vos eſt.* 654.

3. In illud Lucæ 19. *Eunte autem illo ſubſternebant veſtimenta ſua.* 663.

4. *In ſanctam feriam quintam, & in proditionem Judæ* 669.

5. *In ſanctum Paſcha & in recens illuminatos, Sabbato in albis.* 673.

6. *In cæcum a nativitate, Joannis cap. 6.* 679.

7. *In ſanctos Patres & Prophetas, & venerandam Eccleſiam & 34 Pſalmum.* 692.

Addidit & alias quatuor homilias ſub nomine Magni Athanaſii Franciſcus Combefis in *Auctario Græcolatino* ad Bibliothecam Veterum Patrum, editionis Pariſienſis anni 1648 tomo 1. col. 479 & ſequentibus: Nempe 1. *In Chriſti Domini occurſum ſeu Feſtum Purificationis:* ad quam interpres Combefiſius monet, adtextum neſcio quid de Neſtorii Eutychetisque hæreſibus apparere ſtudioſe legentibus: unde credit dictus Combefiſius, ab aliquo poſteriore ſcriptore homiliæ additum. Ita ſolebat vir bonus in gratiam falſarum inſcriptionum, excuſare omnia: verum Critici naſutiores inde arguunt hanc homiliam non eſſe Magni Athanaſii, ſed Scriptoris alicujus poſterioris, qui poſt hæreſes Neſtorii & Eutychetis ortas, eam ſcripſerit. 2. *In ſanctum Paſchatis diem.* 3. *in ſanctum Paſcha & in recens baptizatos, Sabbato in Albis.* 4. *In aſſumptionem Dominicam.* Verum duæ iſtæ poſtremæ, in quibusdam Codicibus, Baſilio Seleucienſi Epiſcopo

scopo adscriptæ reperiuntur. Collectaneum ergo istud omne incertum est, difficillimumque ut aliquid probatæ fidei novum in Bibliothecis MSS. reperiatur.

Extant etiam in Bibliotheca Veterum Patrum editionis Parisiensis anni 1644. *duæ Epistolæ* Athanasii ad Luciferum Coëpiscopum confessorem, tom. IX. col. 113. Exemplum *Epistolæ ejusdem* ex Græco in latinum conversæ col. 1117 opera Joannis Filii Meldensis Episcopi. Item tom. XI. pag. 3. leguntur *Expositiones duæ de Incarnatione Verbi Dei*, Francisco Turriano societatis Jesu interprete: quæ falso præ se ferunt hujusce sanctissimi Archiepiscopi nomen, expressionesque hæreticas continent.

XXV. *Vita sancta Syncletica* præterea MS. in Hispano Regia Scorialensi bibliotheca Græce extat, quæ ab eodem sancto Athanasio elucubrata inscribitur, quam ad diem 5 Januarii, ex interpretatione Davidis Colvilli societatis Jesu, latine tantum ediderunt Joannes Bolandus & Godefridus Henschenius, ejusdem societatis. Illam autem Græce & Latine ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ Græco 2480 edidit Joannes Baptista Cotelier *Veterum Ecclesiæ Græcæ monumentorum* tom. 1. pag. 201 Parisiis 1677. in 4. Habet illa Sanctum Athanasium authorem, si fides adhibeatur MS. Codici Vaticano 825, juxta Holstenium in *Animadversis* ad Martyrologium Romanum: vel etiam exemplari Bibliothecæ Scorialensis, cujus mentionem facit Alexander Barroëtius in Catalogo Bibliothecæ istius, ex quo manavit Latina interpretatio Davidis Colvilli apud Bollandum ad diem 5. Januarii. Hanc vero teste Nicephoro Callisto Lib. 8. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 40 eadem ratione scripsit, qua sancti Antonii vitam scripserat: "ut „sicut in hoc viri, ita in illa haberent mulieres, „quod imitari assidue possent." Sed infirma prorsus Nicephori Callisti authoritas, ad Opusculum istud Athanasio asserendum, cujus a temporibus mirum quantum distat. Quia tamen idem Holstenius vir eruditus, addit in alio Codice vetustissimo Bibliothecæ Vaticanæ Cryptaferratensi 1589, eam Vitam *Polycarpo ascetæ* assignari, atque cum Codex Regiæ Bibliothecæ nomen authoris non præfert, rem definire arduum est: præsertim cum hujus Operis ab Athanasio scripti, nullus Veterum recordatus sit. Fatendum autem est, Opusculo attente a me lecto, inventum, in scriptore tantam affectationem ad comparationes in omnes Operis sui paragraphos inducendas esse, cujus nullum extat in aliis genuinis Sancti Athanasii Operibus exemplum: ut ob hanc solam infantilem affectationem, Athanasio abnegem & Polycarpo Ascetæ tribuam, olent enim ista maxime Monachum, non magnum Athanasium.

XXVI. Sub sancti quoque Athanasii nomine in Codice Regularum Lucæ Holstenii, qui anno 1663 Parisiis in 4. prodiit, in *Appendice* ad dictum Codicem pag. 3. Latine tantum habetur *Athanasii liber de Observationibus Monachorum*. Et pag. 8. *Exhortatio ejusdem ad Christi Sponsam*: ex Manuscriptis Codicibus vetustissimis. Opuscula quidem, ob veterum eorum editionem Latinam veneranda, *Magno Athanasio* non indigna: de quibus tamen, saltum apud antiquiores omnes silentium, dubitandi rationem omnem non adimit: sed potius auget: unde cum certis Athanasianis computari nequaquam possunt. Examinatis autem iis, quæ hoc seculo, ab Holstenio, Combefisio, & Cotelerio impressa sunt sub nomine Athanasii, ulterius ad Opusculum quod *Syntagma fidei* inscriptum, ab Andrea Arnoldo Nurembergensi editum est, discutiendum procedamus.

XXVII. Denique edidit hoc anno 1685. Andreas Arnoldus Nurembergensis ex MS. Codice Domini Isaaci Vossii, Opusculum inscriptum *Syntagma fidei* sub nomine Magni Athanasii Alexandrini Archiepiscopi, Parisiis Græce & Latine apud Joannem Boudot & viduam Martini via Jacobæa, quod contentionem inter Criticos aliquam peperit. Vult Andreas Arnoldus hoc Opus esse genuinum Athanasii Alexandrini. Rationes quibus motus fuit Arnoldus, ut D. Athanasio istud Opus asserereet, hæ sunt. 1. Quod titulus id ei tribuat. 2. Quod in Codice MS. Bibliothecæ Regiæ Galliarum, cui titulus, *Quæstiones Canonica & Responsiones S. Synodi*; bina ex hoc libro loca tanquam S. Athanasii citata deprehenderit. 3. Denique quod complura hic occurrant conformia illis plane, quæ alibi in Athanasii libro *de Virginitate* habentur. Hæc quamvis legerim in præludiis Arnoldi ad editionem hujus Opusculi, vix tamen mihi unquam persuadere potui, ut Opusculum istud S. Athanasii genuinum crederem. At in mentem venerunt alii, atque inter cæteros Jacobus Basnagius, qui Rotomagi eodem anno modicam de hoc argumento epistolam Baylio Roterodami in historicis celebri Professori, scripsit tertio Idus Junii datam: qua per Novellas Literarias evulgata, suam Arnoldus iterum sententiam tuitus est Epistola Norembergæ ad eundem Baylium data die 8 Januarii anni 1686. At idem Basnagius expressa Dissertatione respondit, quæ anno 1687 Roterodami impressa est apud Abrahamum Acher: cui ambæ, de quibus supra, præmittuntur Epistolæ, quo rectius de controversia tota judicium feratur.

Non alias affert rationes Andreas Arnoldus in Epistola sua, quam quas jam antea in præludiis ad editionem Opusculi præmiserat, quasque jam statim attigi. Illis autem paucis ita respondet Basnagius. *Ad primam.* Reponi poterit titulum a scriba adjectum fuisse, eadem ratione, qua librarius aliquis, cum Novatiani nomen libro cuidam præfixum videret, expulso illo, Tertulliani, ut celebrius & minus exosum, substituit. Et sane in tam remotis scriptis, vix unius Codicis inscriptio sufficiens est ad fidem eliciendam cum sæpissime in MSS. Codicibus in-

ſcriptiones fallant. *Ad Secundam.* Synodum illam quæ D. Athanaſio hoc Opuſculum adſcribit, ipſo quoque Arnoldo agnoſcente, habitam duntaxat fuiſſe ſeculo IX. Quo tempore prævalente ubivis bonarum literarum ignorantia, facilis error fuit in aſſignando vero authore MSS. Codicibus. *Ad tertiam* vel ejusdem loco, hoc ſcriptum, de quo agitur a S. Athanaſio in ſuis Operibus, nullibi eſſe agnitum, nec a quoquam veterum Patrum ei tributum. His datis reſponſionibus, urget aliis rationibus ad oſtendendam Opuſculi ſuppoſitionem Baſnagius. Et 1. addit certum eſſe Athanaſii temporibus, neque Communionem inter Monachos fuiſſe, nec Regulam, quarum tamen mentio in hoc libro occurrit. Jubet enim iſtos Monachos bonis ſuis renuntiare, aut hæc ſaltem eſt explicatio verbis paginæ 22. ab Arnoldo ſubjecta. Jam vero Athanaſii temporibus jus adhuc erat Monachis, proprio nomine bona poſſidendi. Codex enim Theodoſianus Lib. 5. tit. 3. (ubi videndus Godofredus in Commentariis) liberam teſtandi facultatem eis concedit. Et Gregorius Magnus Lib. 1. Epiſtola 42. tradi jubet Fauſtino bona a Joanne Monacho, cum moreretur, relicta. Doctiſſimus Mabillonius videtur interdictionem bona propria poſſidendi, ad D. Benedictum referre. Sed agnoſcit ipſe, Magiſtrum *Regulæ* cap. 82. ſtatuiſſe, ut Donationum a Monachis factarum inſtrumenta teſtamento Abbatis inſerantur: talesque donationes factas olim eſſe, exemplis Abbatum & Abbatiſſarum, præſertim S. Reginæ Radegundis & Fulradi S. Dionyſii Abbatis, docet Lib. 1. *de Re Diplomatica* Cap. 2. 2. Vult ab iisdem *Decimas* exſolvi: quod quidem præceptum non ſolum interpretationi loci ſupra allegati e diametro adverſatur, ſed etiam S. Athanaſium non eſſe hujus ſcripti authorem evidenter oſtendit: nec enim *Decimæ* ſolvi cœperunt, niſi longo poſt obitum ejus tempore. Sane deſævientibus decem perſecutionibus in uſu non fuerunt, & ſi hac voce uſus Cyprianus oſtenditur: factum id eſt reſpectu ad veteris teſtamenti *Decimas* habito. Conſtantinus Paſtoribus frumenti certam quantitatem dari præcepit, quod inſtitutum usque ad Juliani Apoſtatæ tempora duravit, & poſt ejus obitum a ſucceſſore Joviano in uſum redactum eſt. Author *Hiſtoriæ Beneficiorum*, originem *Decimarum* avaritiæ Epiſcoporum quorundam aulam frequentantium adſcribit, qui quarta ipſis aſſignata non contenti, omnem penitus adeo exhauſerint ſubſtantiam: ut neceſſarium fuerit *Decimas* exigi ad alendos ſacerdotes, quam rationem in Italiam primus introduxit Carolus Magnus. 3. Obſervari mandat jejunium Eccleſiæ. Arnoldus rigide hæc verba interpretatur de *jejunio* a die Cinerum ad Palmarum usque feſtum obſervari ſolito. Ex Socrate quidem *Hiſtoria Eccleſiaſtica* lib. 5. cap. 22. conſtat Alexandrinos ſex ſeptimanis jejunaſſe: id tamen factum non eſt, niſi Valentiniano atque Theodoſio Imperatoribus. 4. Conjugio Clericos prohibet: nec tamen probabile eſt Athanaſium, qui Concilio Nicæno, ubi contraria ſententia prævaluerat, adſtitit, authorem eſſe prohibitionis ad omnes æque Clericos porrectæ.

Alias præterea rationes addit in *Diſſertatione* ſeu *in Epiſtola tertia*, quibus adhuc mirum in modum Opuſculi iſtius ſub nomine Athanaſii editi, fidem elevat. 1. Juxta hunc ſcriptorem, peccata omnia fore æqualia, uti Stoici opinati ſunt: quippe cum ab illo *Lex de ſuffocato* cum cædibus, adulteriis, veneficiis, ipſaque ſodomia in eundem referatur ordinem. An aliquid tale unquam, Magno Athanaſio accuratiſſima in aliis ſcriptis Methodo utenti, excidiſſe putaverit æquus Judex? 2. Plurima leguntur in ipſo Syntagmate, quæ perſonati Athanaſii drama procul dubio produnt. Quippe jurare vetat, jurantemque vult necari; aut ſaltem ſi Arnoldo credatur, deponi: quod quam ab Athanaſio ſit alienum, nemo non videt. Quippe jurat Athanaſius ipſe in Apologia ad Conſtantinum Imperatorem tom. 1. pag. 674. *Tuæ autem pietati magna & clara voce reſpondeo, manuque extenſa, quod didici ab Apoſtolo, Deum in meam ipſius animam teſtor: & ut ſcribitur in libris Regum, jujurandum concipio, teſtis ſit Dominus, & teſtis ſit Chriſtus ejus. Sinas (queſo) me loqui, nunquam in malam partem tui mentionem feci apud fratrem tuum Beatæ memoriæ Conſtantem piiſſimum Auguſtum.* Vides Athanaſium juramento de illati criminis infamia apud Imperatorem ſeſe purgare: vides igitur quanto ſuppoſitionis argumento noterur Syntagma, in quo jusjurandum vetatur. Concludunt Viri Doctiſſimi tractatum de *Paſſione & Cruce Chriſti*, qui Operibus Athanaſii inſeri ſolet, tanto viro inique adſcribi, ea potiſſimum ratione, quod Deum in teſtem allegari nolit author hujus Scripti. *Athanaſii Operum* tom. 1. pag. 995. *Si juranti fides eſt, quis uſus juriurandi? Sin autem fides ei non eſt, cur eo Impietatis devenimus, ut propter homunciones, eosque mortales, Deum in teſtem vocemus?* Quis ſibi fingat Athanaſium, dum apud Imperatorem ageret, jurejurando criminis ſuſpicionem a ſe removiſſe: nunc vero jurantem ut impietatis ſummæ reum accuſare? Pari ratione Syntagma Athanaſio vindicari non debere aſſerimus: cum author Syntagmatis 1. quodcunque juramentum interponi prohibeat. 2. id authoritate Chriſti niti velit καθὼς εἶπεν εὐαγγέλιον, *ut dicit Evangelium*: Cum tamen, ut dicit ipſe Athanaſius loco ſuperius memorato, jusjurandum ſuum tum ex libris Regum, tum ex Apoſtoli ſcriptis elicere teſtetur. 3. Jurantem necari vult: quod invictiſſimo argumento confirmat hoc Opuſculum non eſſe Athanaſii. Quoties enim invehitur Athanaſius in eos qui ſoli Deo debitum in animas imperium, fraude & violentis artibus ſibi comparant? Quoties cruentæ mortis parentem appellat diabolum, quæ fidei cauſa hominibus infligitur: vel pœnarum quas excogitavit

vel

vel cœca ſuperſtitio, vel innatus homini furor? Nonne igitur ſibi repugnaret Athanaſius hanc ferendo legem, quam habet author Syntagmatis, ut quicunque ſacramento utitur, præmaturæ mortis pœnas luat? Nec reponendum eſt, apud Syntagmatis authorem jurantem capite non plecti, ſed tantum deponi: nam locus integer hic ſubjiciendus ſic habet. *A venerando nomine prò jurejurando abſtine, neque aliud ſacramentum quodcunque interpone, quemadmodum pronunciavit Evangelium; omnia enim iſthæc non conveniunt. Nemini indulge, quicunque tandem hæc violant: quin imo ex Eccleſia ejice, quosdam autem excidat.*

4. Occurrit aliud, quod olim Baſnagium fugerat circa jejunia, in Syntagmate iſto, pag. 8. *Jejunium quartæ diei, niſi graviter decumbas, diligenter ſerva. Solve jejunium, ſi frater aliquis peregre ad te venerit; nequaquam vero jejunium quartæ diei, & jejunium Quadrageſimale & paſſionis.* Vetat igitur ne ſolvatur jejunium illud quod appellat Quadrageſimale: at illud jejunium anno 330 hoc eſt, ipſo tempore quo vixit Athanaſius, potuiſſe ſolvi, probat apud Sozomenum lib. 1. *Hiſtoriæ* cap. 1. pag. 417. exemplum Spiridionis. Eo enim tempore quo Spiridion una cum domeſticis jejunabat, acceſſit ad eum Peregrinus de via admodum fatigatus, cujus hominis ægritudo commovit Spiridionem. Præcepit igitur filiæ, ut ſuillas carnes, quas ſale conditas habebat, coqueret: quibus coctis, hoſpitem ſedere juſſit, hortatus ut comederet. Cumque ille detrectaret, impulit ea ratione, quod omnia mundis munda eſſe ſermo divinus edocuiſſet. Solverunt igitur jejunium Quadrageſimale hoſpes & Spiridion, qui fuit Epiſcopus Conſtantini temporibus celeberrimus. Quomodo autem fieri poſſit, ut eodem tempore oppoſitam legem ſancire voluerit Athanaſius? Tum ſolvit quæ Ludovicus Taumaſſinus in libro *de jejunio* in contrarium attulerat, concluditque manere invictum celeberrimi Præſulis exemplum. Hoc Athanaſium ſyntagmatis authorem eſſe non poſſe, ſatis evidenter arguit: quem ſic in unaquaque pagina, Athanaſii ſeculi moribus & inſtitutis repugnantem habemus. Idem a fortiori de jejunio quartæ diei, dicendum eſt.

5. Durißimus eſt author ſyntagmatis *in abluendis hoſpitum pedibus*: omnes enim etiam Epiſcopos, qui pedes hoſpitum non laverint, ut fontes & violatæ legis pœnam luituros, coram divino tribunali ſiſtit. Lavarunt quidem pauperum pedes olim nonnullæ, ſed paucæ Eccleſiæ: ſed nullus eſt qui hanc omnibus Epiſcopis legem ſanxit, quod imperium arrogat ſibi Syntagmatis author. Lotionem pedum in ſacramenti ſpeciem ad infima usque tempora tenuit Eccleſia Mediolanenſis, ſed hunc ritum vim legis tum in univerſo Occidente, tum apud Orientales obtinuiſſe non videmus. Quis igitur Athanaſium ob leviſſimam incuriam in omnes ita vehementer inſurrexiſſe credat, ut qui pedes hoſpitum non abluerit, de violata lege coram Deo reſpondere dixerit?

6. Aliud occurrit eadem pagina, quod vix pati quis poſſit. Omnes ſive Monachos ſive Laicos, mercaturam exercere vetat, niſi vel ingrata tellus, vel incultus ager eſcam miniſtrare recuſaverit: quod ab Athanaſio alienum videtur. Quantas enim apud Conſtantinum Magnum lites illi movit crimen ab Arianis objectum, quod ſegetes Conſtantinopolim deferri noluiſſet? Et quanto cum ſtudio hanc ſceleris ſuſpicionem a ſe amoverit, ipſe nos docet. Quomodo igitur ſub Conſtantio aut ſub Juliano, quos infenſiſſimos fuerat expertus, omnes omnino orbis incolas mercatura abſtinere debere ſcripſit, cum illa neque a Chriſto prohibeatur, neque generi humano quid fingi poſſit utilius?

7. Denique quod Arnoldus addiderat *convenire Syntagmatis doctrinam cum tractatu de Virginitate*, qui Operibus D. Athanaſii inſeritur: *unde concludebat Athanaſio Syntagma debere vindicari, hocque ſummum ſententiæ ſuæ eſſe columen*: ſic confutat Baſnagius, dum probat præcepta, quæ in utroque Opere occurrunt, ſibi invicem repugnare. Si Syntagmatis authori pag. 4. credas, Monachi & omnes continentes non debent mulierum uti conſuetudine, quin imo eas ſalutando, reſpicere nefas eſt. Sed oppoſiti fuerunt mores Athanaſio, aut ſaltem authori qui *Tractatum de Virginitate* ſcripſit: vult enim virginem viros ſanctos, cum ad eam venerint, ut filium Dei ſuſcipere, ſecundum illud Chriſti dictum, *qui vos recipit, me recipit*. Jubet Virgini, ut cum ædes ſuas ingreditur vir pius, illi cum tremore & metu occurrat, humique proſtrata illum flexis genibus adoret: ſiquidem illum non adorabit, ſed Deum qui miſit illum. Ita apud Athanaſium in libro *de Virginitate* tom. 1. pag. 1058. Præterea jejunium Quadrageſimale mandatur in Syntagmate: ſed hujus nec in libro *de Virginitate* veſtigium quidem appareret, quamvis non modo jejunia ſummis laudibus ſæpius extollat, ſed jejunandi tempora virgini deſignet author illius Operis. Vide Athanaſium tom. 1. *de Virginitate* pag. 1058.

8. Tandem pag. 148. idem Baſnagius hoc addit. «Quartum quod adjeceram argumentum, e Cœlibatu depromptum, breviter fum» vindicaturus. Exiſtimas hæc Syntagmatis» verba pag. 29. me reſpexiſſe, *ἀπεχόμενοι ἀπὸ γυναικὸς, abſtinent ab Uxore*: quæ nihil ad rem» faciunt propoſitam, & Clericos potius quam» Monachos reſpicere, confiteor. Sed alter eſt» locus in Syntagmate pag. 5. qui me plurimum» juvat, quem ſic reddis: *Monachos oportet a ſeminio eſſe ſeparatos, quin ab illarum non tantummodo familiaritate, ſed etiam converſatione prohibentur: atque ſi fieri poſſit, ne eas quidem intuerentur, quando vel honorare cupiunt.* Sed Athanaſius» ipſe rem oppoſitam Syntagmati ſcribit: *πολλοὶ γὰρ τῶν ἐγκρατευομένων μοναχῶν*.

„δὲ πατέρες τέκνων γεγόνασι. *Episcopi plurimi non „nupserunt, Monachi vero liberos genuerunt:* quæ „revera omnino cum Syntagmate pugnant. „Lex Codicis Theodosiani qua Monachis testa„menta condere licet, quamque superius protu„limus, hæc habet verba, *Si uxorem non habeant, „aut liberos genuerint.* Legatur hanc in rem Al„taserra, cum cæteris qui Monachorum votis „summam vindicare conantur antiquitatem: „Nullam circa cœlibatum legem aut præce„ptum, quod Hieronymi & Augustini tempora „præcedat, reperies. Cum igitur Monachos „omnino fœminis abstinere velit Author hujus „Syntagmatis, Athanasii seculo non debet inferi, „multo minus *Athanasius* appellari.„ Hæc verbotenus ex Basnagio. Nec vero desunt Opuscula similia in bibliothecis Manuscripta, quibus nomen suum posteritati commendare possunt, qui paribus lactucis refici exposcunt. Sic enim Petrus Lambecius tom. 5. seu libro *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* pag. 135. in examine MS. Codicis Græci Theologici CCXLVIII. num. 3. his verbis. „Tertio & quidem a fol. 38. pag. 1. „usque ad fol. 48. pag. 1. *S. Athanasii Archiepiscopi „Alexandrini Disputatio cum Zacheo Judæorum No„mo didascalo*, sive *Doctore legis:* hactenus quod „ego sciam nondum in lucem edita, cujus titu„lus & principium: Ἀθανασίου ἀρχιεπισκόπου „Ἀλεξανδρείας λόγος πρὸς Ζακχαῖον νομοδιδά„σκαλον τῶν Ἰουδαίων. Ζακχαῖος εἶπεν πλανᾶσθε „οἱ Χριστιανοὶ πρῶτον ὅτι νομίζετε καὶ ἑτέρους θεὸς „εἶναι &c. Item pag. 136. Quinto & quidem a „fol. 54. pag. 2. usque ad fol. 58. pag. 1. *Judæorum „Disputatio cum Athanasio & Cyrillo de adoratione „crucis & sacrarum imaginum*, cujus titulus & prin„cipium: Ἀντίθεσις Ἑβραίων πρὸς Χριστιανὸς μετὰ „Ἀθανασίου καὶ Κυρίλλου περὶ σταυροῦ καὶ εἰκόνων. „Λέγουσιν οἱ ἐκ περιτομῆς Ἑβραῖοι, διὰ τί προσκυ„νεῖτε οἱ Χριστιανοὶ σταυρὸν καὶ εἰκόνας τεκτόνων ἔργα, „καὶ διὰ τί τὸν ἀοράτον ὁρατὸν λέγετε &c. Miror „cur imaginum adoratores hæc tamdiu sepul„ta reliquerint, cum causæ suæ mirum in mo„dum faveant.

CAPVT OCTAVVM.
DE VLTIMA PARISIENSI EDITIONE OMNIVM OPERVM SANCTI ATHANASII, ANNI M DCXCVIII.

TAndem Athanasii Archiepiscopi Alexandrini Opera omnia, quæ extant, vel ejus nomine circumferuntur: optantibus id, obnixeque instantibus eruditis omnibus, collata ad MSS. Codices Gallicanos, Vaticanos &c. nec non ad Commelinianas lectiones castigata, multis aucta Opusculis, nova Interpretatione, Præfationibus, Notis ac variantibus lectionibus illustrata, nova sancti Doctoris Vita, Onomastico & copiosissimis indicibus locupletata, prodierunt Græce & Latine apud Joannem Anisson anno 1698. Parisiis, opera & studio Bernardi de Montfaucon & Jacobi Loppini, Monachorum Ordinis divi Benedicti e Congregatione Sancti Mauri, in duos Tomos distributa, quorum primus continet *Genuina* Athanasii, secundus *Dubia & Spuria.* Antequam autem Opera ipsa sistant, multa ad editionis ornamentum & perfectionem præmittunt.

Extant ergo velut præludia, *Præfatio amplissima in universa Sancti Athanasii Opera*, quæ in his præludiis habetur a pag. 1. ad 41. multis paragraphis.

Monitum in Vitam Sancti Athanasii pag. 43. ad 48. post quod sequitur aliis in præludiis

Vita sancti Athanasii Latine scripta pag. 1. ad 89. & a Benedictinis editoribus collecta.

Oratio sancti Patris nostri Gregorii Theologi, in Magnum Athanasium Archiepiscopum Alexandrinum, Græce & Latine pag. 91.

Vita & Conversatio sancti Patris nostri & Confessoris Athanasii Archiepiscopi Alexandrini, authore incerto Græce & Latine pag. 106. ad 127.

Excerpta ex Bibliotheca Photii de libro inscripto *Vita seu Certamina sancti Patris nostri, Magni Athanasii Episcopi Alexandrini* Græce & Latine, pag. 127. ad 136.

Vita seu Certamina sancti Patris nostri Athanasii olim Archiepiscopi Alexandrini ex Symeone Metaphraste, Græce & Latine pag. 137. ad pag. 156.

Athanasius Apostolicus inter Patriarchas Alexandrinos XX, sive Vita sancti Athanasii Magni ex Arabico conversa, interprete Viro Cl. Eusebio Renaudotto, pag. 156.

Denique Elogia a quibusdam Veterum Athanasio tributa, Græce & Latine pag. 160. ad Præludiorum finem.

Tomus Primus

Genuina Athanasii hoc ordine complectitur, distinctus in duas partes, novis alterisco notatis.

Pars prima Tomi primi.

Oratio contra Gentes pag. 1.
Oratio de Incarnatione pag. 47.
Expositio fidei pag. 99.
Oratio in illud, *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo &c.* pag. 103.
Epistola Encyclica ad Episcopos pag. 110.
Apologia contra Arianos, in qua accedunt duæ Epistolæ hactenus ineditæ pag. 123.
Epistola de Nicænis decretis pag. 208.
Epistola de sententia Dionysii Alexandrini pag. 243.
Epistola ad Dracontium pag. 263.
Epistola ad Episcopos Ægypti, & Libyæ pag. 270.
Apologia ad Imperatorem Constantium pag. 295.
Apologia de fuga sua pag. 320.
Epistola ad Serapionem de morte Arii pag. 340.

Epistola

Epiſtola ad Monachos pag. 343.
Hiſtoria Arianorum ad Monachos pag. 345.
* Condemnatio Arii pag. 396.
* Epiſtola Synodalis Alexandri Epiſcopi Alexandrini 397.
Orationes IV. contra Arianos pag. 405. 468. 550. 617. ad finem primæ partis.

Pars ſecunda Tomi primi,

Quæ multa dubia & falſo Athanaſio attributa complectitur.

Epiſtolæ IV. ad Serapionem pag. 648. 682. 690. 696.
Epiſtola de Synodis Arimini & Seleuciæ p. 716.
Tomus ſeu Epiſtola ad Antiochenos p. 770.
Epiſtola Joviniani ad Athanaſium & Athanaſii ad Jovianum Imperatorem pag. 779. & 780.
Petitiones ad Jovianum Imperatorem p. 782.
Vita ſancti Antonii pag. 793. quam alii Athanaſio abjudicant nobiſcum, multas ob rationes easque validas.
* Epiſtolæ duæ breves ad Orſiſium pag. 867.
* Narratio Athanaſii ad Ammonium pag. 868.
Liber de Incarnatione Verbi Dei & contra Arianos pag. 871.
Epiſtola ad Afros pag. 893.
Epiſtola ad Epictetum pag. 901.
Epiſtola ad Adelphium pag. 911.
Epiſtola ad Maximum Philoſophum pag. 918.
Libri duo contra Apollinarium pag. 923. & 940.
Epiſtola ad Johannem & Antiochum p. 956.
Epiſtola ad Palladium pag. 957.
Epiſtola ad Amun pag. 959.
Ex Epiſtola Heortaſtica ſeu Feſtali pag. 961.
Epiſtola ad Rufinianum pag. 963.
Epiſtolæ duæ ad Luciferum pag. 965.
* Epiſtola ad Monachos pag. 967.
* Fragmentum Epiſtolæ S. Athanaſii filiis ſuis pag. 968.
* Liber de Trinitate & Spiritu Sancto pag. 969.
Epiſtola ad Marcellinum pag. 981.
*Expoſitiones in Pſalmos pag. 1009.
*Fragmenta quædam Expoſitionum in Pſalmos pag. 1241.
*Excerpta Commentarii in Job pag. 1261.
*Fragmenta Commentarii in Cantica p. 1265.
*Fragmenta Commentarii in Matthæum pag. 1266.
*Fragmenta Commentarii in Lucam p. 1270.
*Fragmenta Commentarii in Epiſtolam ad Hebræos pag. 1272.
*Fragmenta ex Panoplia Euthymii Zigabeni pag. 1274.
*Interpretatio in Symbolum pag. 1278. Item Fragmentum aliud pag. 1279.
*Fragmenta a Petro Felckmanno collecta pag. 1282.
*De novem inſanabilibus morbis Herodis pag. 1289.

Hæc omnia mihi valde dubia ſunt, quicquid in Magni Athanaſii gratiam præludant his Opuſculis, novi editores Benedictini. Idemque dicendum de aliis Opuſculis, usque ad Tomi finem, fragmentis exceptis.

* De falſis Prophetis pag. 1290.
* In illud, *Qui reſpicit mulierem, ad concupiſcendum eam &c.* pag. 1291.
* In illud, *Laudate Dominum de terra &c.* pag. 1291.
* Fragmentum ex Sermone *contra omnes hæreſes* pag. 1292.
* Fragmentum in illud, *Si oculus tuus ſcandalizat te &c.* pag. 1293.
* Fragmentum Græce ex Epiſtola ad Eupſychium pag. 1293.
* Fragmentum ex Epiſtola ad Epiphanium pag. 1294.
* Fragmentum ex Epiſtola ad Antiochenos pag. 1294.
* Fragmentum ex Facundo Hermianenſi pag. 1294.
* Fragmentum Epiſtolæ ad Diodorum Tarſenſem ex Facundo eodem pag. 1295.
* Fragmentum ex Concilio Hiſpalenſi p. 1295.

Tomus Secundus,

Diſtinctus in duas partes, *Dubia & Spuria* quæ Athanaſio tribuuntur, complectitur.

Pars prima Dubiorum *quæ hoc ordine collocantur.*

De Incarnatione Dei Verbi pag. 1.
Teſtimonia ex Scriptura ſacra pag. 3.
Epiſtola Catholica pag. 29.
Refutatio hypocriſis Meletii & Euſebii Samoſatenſis pag. 31.
De Incarnatione Dei Verbi pag. 33.
De æterna Filii & Spiritus ſancti cum Deo exiſtentia, & contra Sabellianos pag. 37.
Quod unus ſit Chriſtus pag. 49.
De Sabbatis & Circumciſione pag. 55.
Homilia de Semente pag. 60.
In illud, *Profecti in pagum &c.* pag. 73.
In Paſſionem & Crucem Domini pag. 80.
De Virginitate pag. 110.
Synopſis Scripturæ ſacræ pag. 126.

Pars Secunda Spuriorum, *quæ hoc ordine collocantur.*

Diſputatio contra Arium in Concilio Nicæno pag. 206.
Sermo contra omnes hæreſes pag. 230.
Hiſtoria Melchiſedec pag. 238.
Epiſtola ad Jovianum Imperatorem pag. 241.
Liber de Definitionibus pag. 242.
* Doctrina ad Antiochum pag. 252.
* Ad Antiochum de pœnis Inferni pag. 264.
* Quæſtiones ad Antiochum pag. 268.
* Quæſtiones in Evangelia pag. 306.
* Fragmentum de Imaginibus pag. 310.
Quæſtiones in Scripturam ſacram pag. 311.
Quæſtiones aliæ in eandem pag. 335.

Hiſtoria

Digitized by Google

Hiſtoria Imaginis Berytenſis pag. 344. Aliud ejusdem Hiſtoriæ exemplar pag. 348.
* Aliud ejusdem exemplar Latine pag. 351.
* Aliud exemplar Latine pag. 354.
* Sermo contra Latinos pag. 355.
* Syntagma Doctrinæ pag. 360.
* Inſtitutio vitæ Monaſticæ pag. 364.
* Epiſtolæ II. ad Caſtorem pag. 366. & 374.
* Homilia in Nativitatem Præcurſoris pag. 387.
Sermo in Annuntiationem Deiparæ pag. 397.
Sermo in Deſcriptionem ſanctæ Mariæ pag. 404.
* Sermo in Nativitatem Chriſti pag. 410.
* Sermo in occurſum Domini pag. 416.
Sermo in Cœcum a nativitate pag. 426.
Homilia in illud Matthæi, *Ite in caſtellum quod contra vos eſt &c.* pag. 435.
Homilia in illud, *Eunte autem illo &c.* p. 440.
Homilia in ſanctam Quintam Feriam p. 444.
Sermo in ſanctam Paraſceven pag. 446.
Homilia in ſanctos Patres & Prophetas p. 450
* Sermo in ſanctum Paſcha pag. 455.
Sermo in ſanctum Paſcha & recens illuminatos pag. 458.
Sermo in aſſumptionem Domini pag. 462.
* Sermones II. in ſanctum Andream pag. 466. & 469.
Dialogi V. de ſanctiſſima Trinitate pag. 472.
Sermones XX. contra diverſas hæreſes pag. 541.
* Syntagma ad quendam Politicum pag. 584.
* Sermo iis qui ſeculo renuntiarunt pag. 591.
* Doctrina ad Monachos pag. 595.
* De templo Athenarum pag. 598.
* De corpore & anima pag. 600.
Libri VIII. De ſancta Trinitate pag. 604. & ſequentibus
De fide unitatis pag. 624.
De Ariana & Catholica confeſſione pag. 624.
De fide ſua pag. 628.
Diſputatio cum Ario coram Probo Judice libris duobus, pag. 632.
* Diſputatio contra Arium libris III. alia forma pag. 641. 649. 660.
Liberii ad Athanaſium Epiſtola Græce & Athanaſii ad Liberium reſponſum Græce pag. 664.
Athanaſii & Ægyptiorum ad Marcum Papam, cum reſcripto Marci Papæ ad Athanaſium & Ægyptios pag. 665. & 666.
* Epiſtola increpatoria Julii Papæ ad Orientales pro cauſa Athanaſii pag. 668.
* Epiſtola Orientalium ad Julium Papam p. 669
* Reſcriptum Julii Papæ ad Orientales p. 670.
* Epiſtola Athanaſii & Ægyptiorum ad Julium pag. 673.
* Reſcriptum Liberii Papæ ad eosdem p. 674.
* Epiſtola Athanaſii & Ægyptiorum ad Felicem Papam pag. 675.
* Reſcriptum Felicis Papæ ad eosdem p. 677.
* Vita ſanctæ Synclericæ pag. 681. quam Græce cum verſione ſua ſine nomine Auctoris edidit Joannes Baptiſta Cotelerius Tom. I. *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ*, hanc pag. 201. ad 277. teſtatus pag. 754. in Notis, tribui S. Athanaſio, in MS. Codice Vaticano 825.
* Exhortatio ad Monachos pag. 709.
* Exhortatio ad Sponſam Chriſti pag. 711.
* Epiſtola Athanaſii ad Epiſcopum Perſarum pag. 716.
* Epiſtola Dionyſii Alexandrini ad Paulum Samoſatenſem pag. 719.
Symbolum *Quicunque vult ſalvus eſſe &c.* cum Græca verſione pag. 728. cum tribus aliis
* Formulis Græcæ interpretationis pag. 729. 730. 731. Gallicis duabus pag. 733.
* Tractatus de fide Catholica, ſeu Commentarius Latinus in Symbolum *Quicunque &c.* pag. 735.
* Opuſculum de Trinitate pag. 739.
* Aliud de Paſchate ſub Athanaſii nomine, pag. 741.
Index locorum Scripturæ ſacræ, cum Indice rerum Tomi ſecundi. Denique Onomaſticon vocum vel inſolentium, vel quarum ſignificationes peculiares hactenus nondum obſervatæ ſunt.

Quis credat unquam Magnum Athanaſium, in omni vita tot exiliis, fugis & perſecutionibus agitatum, tantum habuiſſe otii, ut *Commentarios in Pſalmos, Jobum, Cantica, Evangelium Matthæi & Lucæ, Epiſtolam ad Hebræos & Expoſitionem in Symbolum* ſcriberet? Sunt hæc nugæ & commenta recentioris Græciæ, antiquis incognita ſcriptoribus, quorum nullus veterum mentionem unquam fecit. Miror Benedictinos Monachos ita pueros fuiſſe, ut excerptis iſtis & Commentariis adhibeant fidem, dubio procul ut in hac nova ſua editione novum aliquid licet falſum, Magni Athanaſii produxiſſe videantur. *Commentarius in Pſalmos* eductus ex recentiori MS. bibliothecæ Ambroſianæ Codice, qui trecentorum annorum non eſt, quique rectius multo ob codicis novitatem, Athanaſio Patriarchæ Conſtantinopolitano tribueretur, qui ſub Andronico Seniore circa annum 1300. floruit, cujus ætatem refert. Imo alter *Commentarius in Pſalmos* in eadem bibliotheca longe prolixior, ſub Athanaſii ejusdem nomine, quem tamen ipſius non eſſe, evincunt citationes Patrum Athanaſio recentiorum, uti fatetur ipſe Bernardus de Montfaucon in *Diario Italico* cap. 2. pag. 12. ubi Germanum multis poſt Athanaſium ſeculis, Patriarcham Conſtantinopolitanum, memoratum refert in Commentario iſto ultimo: cujus & aliud exemplar ſeculi XIV. bombycinum anni 1346. cap. 28. pag. 433. in Juſtinianea Venetiis bibliotheca a ſe excuſſum producit, dum illic ageret. His autem non contentus Bernardus de Montfaucon, anno 1706. emiſit in lucem Græce & Latine 2. in fol. tomis apud Claudium Rigaud Pariiis *Novam Collectionem Patrum & Scripto-*

Scriptorum Græcorum, cujus ſecundo tomo extant *Sancti Athanaſii Archiepiſcopi Alexandrini Opuſcula, ſecundis curis reperta & antehac inedita.* Præmiſit huic Appendici labore ingenti Præliminaria prolixa & *Animadverſiones* in Vitam & ſcripta Athanaſii quæ Animadverſionibus XXII. continentur: quibus ſubjunxit *Diatribam de cauſa Marcelli Ancyrani.* Sequitur *Elenchus Operum S. Athanaſii, quæ nunc primum eduntur.*

1. Legatio Marcelli & Eccleſiæ Ancyranæ ad Athanaſium & Epiſcopos Ægypti per Eugenium Diaconum pag. 1.
2. Sermo Major de fide contra Arianos & Dimæritas pag. 5.
3. Fragmentum de Paulo Samoſateno 20.
4. Fragmentum Hiſtoriæ Stephani Antiocheni, & de ejus contra Euphratem Colonienſem inſidiis 20.
5. Epiſtola ad Monachos, an precandum cum Arianis 22.
6. Commentaria ſive Sermones Athanaſii in Matthæum, opus murilum 24.
7. Ex Commentariis in Lucam 42.
8. Homilia in Canticum Canticorum 49.
9. Sermo de Patientia in calamitatibus ſui temporis 56.
10. Homilia in Ramos Palmarum 63.
11. Opuſculum in illud Apoſtoli, Novi hominem raptum usque ad tertium cœlum 67.
12. Opuſculum in dictum Apoſtoli, Datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ 67.
13. Argumentum ſeu προθεωρία in Pſalmos 70.
14. Supplementa in Pſalmos 72.
15. Fragmentum contra Macedonianos 102.
16. Fragmenta contra Novatianos 103.
17. Fragmentum de Amuletis 104.
18. Fragmenta alia 105.
19. Brevis Expoſitio fidei 106.
20. Præfationes veteriſtiſſimorum Athanaſii editorum pag. 107. Hæc omnia paginis 111. Præmiſit quoque interdum Opuſculis ejusmodi editis monita, ad illorum ampliorem dilucidationem.

Hæc omnia mihi otio deſtituto excutere non licuit, facile tamen adducor ut credam partem Opuſculorum iſtorum magnam vel ſputiam eſſe vel incertis niti conjecturis, eorumque examen aliis permittimus, qui otio majori abundabunt.

CAPVT NONVM.

DE MSS. CODICIBVS SVB NOMINE SANCTI ATHANASII ALEXANDRIÆ ARCHIEPISCOPI, DE QVIBVS GVILIELMVS CAVVS TOMO II. SEV PARTE II. HISTORIÆ LITERARIÆ AD ANNVM CCCXXVI. LOQVITVR, VELVT NONDVM IMPRESSIS.

INquit igitur apud Clariſſimum virum Thomam Galeum, Eboracis Eccleſiæ Metropolitanæ Decanum, ſcriptis pluribus inclytum, extare multos MSS. Tractatus ſeu Opuſcula nondum edita, unde illum non ſemel ſed ſæpius *Veterum Eccleſia Patrum & monumentorum Chartophylacem* nominat, atque hæc inter, plurima ad ſanctum Athanaſium Alexandrinum Archiepiſcopum ſpectantia, vel ſub ejus nomine in Bibliothecis adhuc latentia, unde editiones huc usque in publicam lucem emiſſæ, imperfectæ ac deficientes videri poſſent. Ejus verba audiamus.

Apud Cl. Galeum adſervantur hæc Opuſcula Athanaſii Græce ſcripta *In Pſalterium ſragmentum Expoſitionis. Epiſtola ad Ammonem cum ſcholio. Epiſtola de Feſtis. Epiſtola ad Rufinianum*, Ἐρωταποκρίσεις & alia. *In Chriſti Paſſionem.* In πορευθέντες εἰς ἅπαντα τὸν κόσμον. Περὶ Διδασκαλίας. *Fragmenta ex interpretatione in Matthæum de Pſeudoprophetis.* Ἐὰν ὁ ἁμβλύωπας εἰς γυναῖκα. In ἅγιον Πάσχα. *In Magnam* Παρασκευήν. *In Chriſti nativitatem.* Περὶ Σωτηρίας. Περὶ Συγκλητικῆς. *Ad Antiochum quæſtiones. Capitula Athanaſii in Pſalmos* ab editis diverſa, ex Codice antiquiſſimo deſcripta, penes ſe habere monet Cl. Andreas Arnoldus, præfatione ad *Syntagma Athanaſii*, ubi illorum initium ac finem exhibet. Diligens Cavus id egit timens ne aliquid excideret Operum Magni Athanaſii, quod alicubi MS. reperiri poſſet. At ſi vidiſſet Editionem ultimam Operum S. Athanaſii Pariſienſem anno 1698. Græce & Latine 3. tomis a Benedictinis Gallis procuratam, hanc *omnem ſeriem Opuſculorum S. Athanaſii manuſcriptorum* in ea contineri ex collatione titulorum facile animadvertiſſet. Eam ob cauſam, illic eandem ſiſtimus noſtræ Diſſertationis caput octavum. Ita Tomo 1. parte 2. editionis hujus *Fragmenta quædam Expoſitionis in Pſalmos* pag. 1241. *Epiſtola ad Ammonem* p. 959. *Ex Epiſtola Feſtali* p. 961. *Epiſtola ad Rufinianum* p. 963. Ἐρωταποκρίσεις Tomo 2. parte 2. pag. 311. & 335. *In Chriſti Paſſionem* ibidem parte 1. pag. 80. ad 110. Περὶ Διδασκαλίας Tomo 2. parte 2. pag. 360. *Fragmenta ex interpretatione in Matthæum* Tomo 1. parte 2. p. 1266. *de Pſeudoprophetis* ibidem pag. 1290. In illud, Ἐὰν ἁμβλύωπας εἰς γυναῖκα, pag. 1291. *In ſanctum Paſcha* Tomo 2. parte 2. pag. 455. & iterum 458. In Magnam Παρασκευήν, ibidem pag. 446. *In Chriſti Nativitatem*, ibidem pag. 410. Περὶ Σωτηρίας ibidem pag. 595. & 709. Περὶ Συγκλητικῆς pag. 681. *Ad Antiochum Quæſtiones* pag. 268. *Capitula Athanaſii in Pſalmos ab editis diverſa* Tomo 1. parte 2. pag. 1009. Nihil itaque in MSS. iſtis Codicibus ſub magni Athanaſii nomine inſcriptis, apud Thomam Galeum repoſitis, quod non in hac ultima editione Pariſienſi Operum Athanaſii anni 1698. Græcolatina reperiatur.

2. Jam veniamus ad MSS. Codices Græcos Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, mihi maxime familiares, de quibus loquitur idem Cavus parte 2. *Hiſtoria literaria* verbo *Athanaſius* ad annum 326. Inter MSS. Codices Theologicos Græcos hujus Bibliothecæ Cæſareæ Codice

LVII. num. 18. de quo loquitur Lambecius Tomo 3. Commentariorum hujusce Bibliothecæ pag. 80. extat Athanasii ejusdem *in Passionem Christi* Oratio Græce MS. quæ incipit, Τῶν μὲν ἀνθρώπων ἡ ἁμαρτία πολλή τις ἐν &c. desinit hoc modo, ἐντῶς ἐν τῷ Χριστῷ πάντες ζωοποιηθήσονται, ob quam Cavus Lambecium his verbis arguit. "Mirari subit eruditos hujus Bi„bliothecæ curatores, quid sit hic sermo ignoraſſe, affirmante ipſomet Lambecio *Commenta„riorum* Lib. 3. pag. 80. illum Latine ſolum edi„tum eſſe, ac proinde operæ pretium fore, ut „totus ille contextus Græcus ex Codice MS. „Cæſareo aliquando proferatur in publicum: „cum luce meridiana clarius ſit, non aliud illum „eſſe, quam mediam prolixæ orationis in *Paſſio„nem & Crucem Domini* partem, quæ tum in *Com„meliniana*, tum *Pariſienſi* editione Græce & La„tine exhibetur, ut cuivis inſpicienti ad oculum „patebit. Error quidem Lambecii hic levis eſt & venia dignus, extatque Homilia hæc in *Paſſionem & Crucem Domini* prolixa, in editione Pariſienſi Græcolatina anni 1627. duobus tomis in folio, Tomo 1. pag. 992. ad pag. 1028. Atque in Benedictina editione anni 1698. Tomo 2. parte 1. pag. 80. ad pag. 110. Volvendo vero Lambecium libro 3. *Commentariorum* pag. 82. ad. MS. Codicem LVII. num. 28. pag. 82. hoc lego. „Vigeſimo octavo & quidem a folio 203. pag. 1. „usque ad folium 217. pag. 2. Ejusdem ſancti A„thanaſii λόγος εἰς τὸ πάθος τοῦ Κυρίου καὶ εἰς τὸν σταυρόν, hoc eſt *Sermo in Paſſionem & Cru„cem Domini.* Principium ejus eſt, Καὶ ἐλθόντες „εἰς τόπον λεγόμενον Γολγαθᾶ &c. Τὸ μὲν ἀναγνω„σθὲν ἐντεῦθεν ἕως ἐνταῦθα ἀναγγελικὸν, σαφηνείας δὲ τέτυ„χέν &c. Agnoſcit autem Lambecius homiliam eſſe integram & haberi in editione Pariſienſi Tomo 1. p. 992. Si ergo Cavus accurate Lambecium legiſſet, tunc lapſum non illi imputaſſet, quem ex eodem MS. Codice num. 28. pag. 82. diſerte corrigit.

3. Codice MS. Theologico Græco LX. Tomo 3. Commentariorum pag. 102. inquit. "Sexa„geſimus Codex MS. Theologicus Græcus eſt „chartaceus mediocriter antiquus in 4. & con„ſtat octoginta quatuor foliis, quo continetur „*Primo* & quidem a fol. 1. usque ad fol. 51. pag. 1. „Τῦ ἁγιωτάτυ Ἀθανασίυ Πατριάρχυ Ἀλεξαν„δρείας Σύνοψις ἀκριβεστάτη εἰς τὸ παλαιόν: Hoc „eſt *Sanctiſſimi Athanaſii Patriarchæ Alexandrini „Synopſis accuratiſſima in Vetus Teſtamentum*, ſive „*Epitome Hiſtoriæ Sacræ Veteris Teſtamenti*, cu„jus principium, Χρὴ τὸν ἀληθῆ Χριστιανὸν πίστασθαί „τι Θεὸς, καὶ ἐσαεὶ ὁ Θεὸς, καὶ κατά τι ἄρχεται „Θεός. Θεὸς ὁ Πατὴρ ὁ ἀναρχος, ἀπερινόητος, „ἀπεριόριστος, ἀγένητος &c. Pertingit autem „hæc *Synopſis* ſive *Epitome* tantum usque ad *in„teritum Abſalonis*, cujus narratio ibi clauditur „his verbis: Περὶ τέτυ μέμνηται ὁ σοφὸς ἔτως: „ἐκάπνισας τὸν Ἀβισαλὼμ, πῶς τῆς Φύσεως ἀντε„ξανέστη, ἔγνως τὰς ἐναγεῖς αὐτῦ πράξεις, αἷς „ἐξύβρισε τὴν κοίτην Δαβὶδ τῦ πατρὸς αὐτῦ. Ἀλλὰ Φεῦγε τὴν μίμησιν, καὶ λέγε Θεῷ τὰς „ἁμαρτίας συ. Δόξα τῷ Θεῷ καὶ τέλος, ἀμήν." Cæterum quamvis hoc Opuſculum expreſſe „ibi attribuatur *S. Athanaſio*, revera tamen ſup„poſititium eſt, & omnino diverſum ab altera „illa *Synopſi Sacræ Scripturæ*, quæ extat tomo 2. „Operum S. Athanaſii editionis Pariſinæ a pag. „55. usque ad p. 157. ſub hoc titulo: Τῦ ἐν ἁγίοις „Πατρὸς ἡμῶν Ἀθανασίυ Ἀρχιεπισκόπυ Ἀλεξαν„δρείας Σύνοψις ἐπιτομος τῆς Θείας γραφῆς πα„λαιᾶς καὶ νέας Διαθήκης. Inquit autem his ver„bis, Πᾶσα γραφὴ ἡμῶν Χριστιανῶν θεοπνευστός „ἐστιν, ἐκ ἀόριστα δὲ, ἀλλὰ μᾶλλον ὡρισμένα καὶ „κεκανονισμένα ἔχει τὰ βιβλία &c " Idem obſervat tomo 3. p. 16. in Examine Codicis MS. Theologici Græci III. extare ad finem Codicis folio 143. fragmentum aliquod ex S. Athanaſii Archiepiſcopi Alexandrini *Synopſi ſacræ Scripturæ* deſumptum, quo de *Septem diverſis Veteris Teſtamenti interpretationibus & editionibus Græcis* agitur, diſcrepare autem non mediocriter ab editione ejus impreſſa, quæ extat pag. 156. & 157. Tomi ſecundi Operum *S. Athanaſii*, Græce & Latine Pariſiis anno 1627. editorum in folio. Sequuntur etiam ibidem *alia duo ejusdem Synopſeos fragmenta* hactenus non edita, quorum *primo* agitur de *Undecim præcipuis cladibus Hebræorum*, quarum primam acceperunt tempore Roboami a Suſakim ſive Seſac Rege Ægypti, ultimam autem a Tito Imperatore Veſpaſiani filio. Titulus hujus Fragmenti cum principio eſt talis: Ποσάκις καὶ ποτὲ ἐπορεύθησαν οἱ ἐξ Ἰσραὴλ ἐπὶ Ροβοὰμ, Σουσακὶμ ὁ Αἰγυπτίων βασιλεὺς &c. *Secundo* horum fragmentum ineditorum agitur *de decem nominibus Dei*, quæ uſurpantur in Hebraico contextu ſacræ Scripturæ, quod incipit his verbis: Δέκα ὀνόματα παρ' Ἑβραίοις ὀνομάζεται ὁ Θεὸς, ὧν ἓν μὲν Ἀδωναὶ λέγεται, ὅ ἐστι Κύριος: ἕτερον δὲ Ἰαὼ &c.

4. Tomo 5. Commentariorum ejusdem Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Codice MS. Theologico Græco CCXLVII. num. 3. pag. 135. hæc habet. "Tertio & quidem a fol. 38. p. 1. „usque ad folium 48. pag. 1. *Sancti Athanaſii Ar„chiepiſcopi Alexandrini Diſputatio cum Zacheo Ju„daorum Nomodidaſcalo* ſive *Doctori legis*, hacte„nus quod ſciam nondum in lucem edita, cujus „titulus & principium: Ἀθανασίυ Ἀρχιεπισκόπυ „Ἀλεξανδρείας λόγος πρὸς Ζακχαῖον Νομοδιδά„σκαλον τῶν Ἰουδαίων. Ζακχαῖος εἶπεν, Πλα„νᾶσθε οἱ Χριστιανοὶ, ὅτι νομίζετε καὶ Θεὸς εἶναι &c." Ibidem num. 5. pag. 136. Quinto & quidem a „fol. 54. pag. 2. usque ad folium 58. p. 1. *Judaeo„rum Diſputatio cum S. Athanaſio & Cyrillo de ado„ratione ſanctæ Crucis & Sacrarum imaginum*, cu„jus titulus & principium, Ἀντίθεσις τῶν Ἑβραίων „πρὸς Χριστιανὸς μετὰ Ἀθανασίυ καὶ Κυρίλλυ, περὶ „σταυρῦ καὶ εἰκόνων. Λέγυσι οἱ ἐκ τῆς περιτομῆς „Ἑβραῖοι, διά τι προσκυνεῖτε οἱ Χριστιανοὶ σταυρὸν „καὶ εἰκόνας τετυπωμένα ἔργα, ἢ διά τι τὸ ἀόρατον „ὁρατὸν λέγετε &c." At cum Opuſcula iſta velut incerta aut ſpuria Lambecius arbitraretur, atque

que hæc editio Operum S. Athanaſii Alexandrini Benedictina, nimia jam ſpuriorum & incertorum multitudine gravaretur: prudenter ab eis hæc Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis relicta ſunt, licet extare illa MSS. ex Lambecii Commentariis quæ habebant, non ignorarent.

Plura de ſcriptis S. Athanaſii Antonius Poſſevinus Tomo I. *Apparatus Sacri*. Robertus Bellarminus & Labbeus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo IV. Guilielmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeu *Scriptorum Eccleſiæ* ad annum 326. pag. 141. & multis ſequentibus, qui tamen ſpuria a veris & genuinis non ſatis diſtinxit. Bernardus de Montfaucon & Jacobus Lopinus, Monachi Benedictini Congregationis Sancti Mauri in Gallia, ultimi Operum D. Athanaſii Alexandrini editores atque emendatores in *Præfatione ad Lectorem*, editioni ſuæ præmiſſa. Acta Eruditorum Lipſiæ anno 1699. menſe Majo a pag. 193. ad 204. quæ conſulas. Denique Bernardus de Montfaucon citatus in *Nova Collectione Veterum Patrum* tomo 2. in Præliminaribus Operum S. Athanaſii a ſe illic editorum, ubi multa profert ad Vitam ſancti Athanaſii Alexandrini ſpectantia. Poſt ipſum autem Joannes Albertus Fabricius, ſacræ Theologiæ Profeſſor & Hiſtoriæ, in *Bibliotheca Græca* Tomo V. qui hoc anno 1712. Hamburgi in 4. Græce & Latine ex parte editus eſt, latiſſime diſſerit de *Operibus S. Athanaſii Alexandriæ Archiepiſcopi*, atque editione illorum ultima Pariſiis adornata, a pag. 296. ad pag. 319. quem adeas.

DISSERTATIO CRITICA
DE
SCRIPTIS EVSEBIO EMISENO EPISCOPO HVCVSQVE PERPERAM ATTRIBVTIS.

Ao. 340. FActum ſæpius hoc ſeculo, quo diſcuſſi diligentiſſime rerum Eccleſiaſticarum Authores pene omnes, ut qui ex primis ſeculi anterioris prelis, multis celebrabantur ſcriptis, iis jam deſtituti, ad ſummam, ut ita loquar, egeſtatem devenerint: hi qui ſæpius ut celebres in Commentationibus allegabantur, jam nihil ſcripſiſſe comperiantur, vel ex fide MSS. Codicum, quos nupera diligentia ſedulo excuſſit, vel ex argumentis omni ſublato præjudicio ad demonſtrationem quandam accedentibus. Aliis ut ita loquar, fortuna minus infenſa fuit, quibus ſuorum vel quaſi ſuorum Operum, opumve partem quandam abſtuliſſe ſatis fuit: legitimis, novis tamen atque inauditis poſt liminio quaſi ad ſuos legitimos reverſis auctores. Plura in hujus rei confirmationem afferri poſſent, niſi doctorum oculis criticorum argumentum pateret. Vnum ſpeciei primæ exemplum eſt, Vigilius ille Afer Tapſenſis ſeu Tapſitanus Epiſcopus, author ad noviſſima usque tempora inauditus, quem orbi Chriſtiano obtulit cum apparatu tanto, Petrus Franciſcus Chiffletius Burgundoſequanus, vir eruditus, in editione Divionenſi anni 1665. Hic itaque a morte ad vitam ſuſcitatus, evocatusque e ſepulchro Chiffletii curis & argumentationibus, foras prodiit, ſed tantis Vigilii cujusdam Tridentini Epiſcopi & Martyris damnis atque incommodis: ut ab hoc tempore Tridentinus ille, qui per annos multos ſcriptor audierat clariſſimus, extinctus & in exſuſcitati alterius tumulum literaria rerum viciſſitudine, conjectus æternum videatur. Tantum porro cæteris detrimentum haud contigit, ut Ambroſio, Auguſtino, Athanaſio, Hieronymo, Anſelmo, Bernardo: quibus contra longam etiam impreſſionis primæ poſſeſſionem a primis tribus, varia in gratiam Tapſitani hujus Epiſcopi vel aliorum, Opera ſublata ſunt: unde Vigilius hic novus mirum in modum ditatus eſt, atq; in dies juſto Criticorum judicio amplius ditatur. Fortunam paſſus eſt eandem, Victor in Africa Vitenſis Epiſcopus ex oblivione ſuſcitatus, in omnimodam Victoris Vticenſis Epiſcopi ruinam ac perniciem: idemque de aliis, quos hic, ne præſentis ſcopi limites egredi videamur, omittimus. Idem & Euſebio Emiſeno Epiſcopo contingere poterit, cui Opera multa ſuperiori ſeculo levibus ex conjecturis, imo ex argumentis multis: aliaque nuper a Cavo attributa ſunt. Harum opum, quarum legitimus poſſeſſor non erat, jam partem ampliorem, ut infra dicemus, abſtulit ab hoc Emiſeno ſagax Criticorum animus: imo gazam omnem qua hactenus gloriatus eſt, præſens forſitan Diſſertatio auferet, quam ſolius indagandæ cauſa veritatis, inſtituti. Nullis in Emiſenum Arianum Epiſcopum præjudiciis abreptus, nullis in Gallorum honorem ſtimulis: teſtor enim parem apud me gratiam ac meritum obtinere Authorem, Galſus an Hiſpanus ſit, Anglus vel Italus, Afer an Græcus. Vnica mihi mens eſt in Diſſertatione hac, ut invento legitimo authore harum homiliarum, quæ ſub Euſebii Emiſeni nomine hucusque evulgatæ ſunt, ſuo quæque reſtituantur parenti. Sed paucis præmittenda juxta morem noſtrum Emiſeni Vita.

CAPVT PRIMVM.
VITA ET SCRIPTA GENVINA EVSEBII EMISENI PAVCIS EXPLICANTVR.

EUſebius, juxta Georgium Laodiceæ Epiſcopum, qui librum inſignem de vita ejus ſcripſerat,

pſerat, ut habet Socrates lib. 2. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 9. ex viris nobiliſſimis Edeſſæ in Meſopotamia generis ſui originem duxit, qui a puero ſacris literis inſtitutus, Græcas poſtea diſciplinas a quodam Magiſtro, qui tunc temporis Edeſſæ degebat, percepit. Tandem vero Sacrorum Voluminum expoſitionem ex Patrophilo atque Euſebio hauſit, quorum hic Cæſarienſem, ille Scythopolitanam regebat Eccleſiam. Poſt hæc cum Antiochiam veniſſet, contigit ut Euſtathius a Cyro Beræenſi accuſatus tanquam Sabelliani Dogmatis aſſertor, deponeretur. Quare Euſebius cum Eufronio, qui Euſtathio ſucceſſerat, deinceps vixit. Poſtea cum ſacerdotium ei deferretur, honoris ejus vitandi cauſa Alexandriam ſe contulit, atque illic Philoſophiæ operam dedit. Hinc reverſus Antiochiam, cum Flaccillo Euphronii ſucceſſore familiariter verſatus eſt: tandemque ab Euſebio Conſtantinopoleos Epiſcopo, ad Alexandrinæ urbis Pontificatum anno 342 vel circiter, promotus eſt. Eo tamen profectus non eſt, propterea quod Athanaſius a populo Alexandrino plurimum diligeretur. Miſſus eſt itaque Emiſam in Phœnicia. Sed cum Emiſeni in ejus ordinatione ſeditionem excitaviſſent: probris enim ac conviciis appetebatur quaſi Mathematicarum artium ſtudioſus: inde Laodiceam fugiens, ſe contulit ad Georgium, hunc ipſum poſtea Alexandrinum Athanaſio ſuffectum Epiſcopum, qui de illo tam multa prædicavit. Hic cum Antiochiam illum perduxiſſet, ut a Flaccillo & Narciſſo Emiſam denuo reduceretur, effecit. Poſtea vero iterum in crimen vocatus eſt, quaſi idem cum Sabellio ſentiret. Ac de ejus quidem ordinatione, Georgius fuſius ſcribit. Ad extremum vero ſubjungit, Imperatorem cum adverſus Barbaros proficiſceretur, illum una ſecum abduxiſſe, & prodigia quædam ab illo eſſe perpetrata. Verum de his quæ Georgius de Euſebio Emiſſeno commemoravit, hactenus a me dictum eſto. Hæc Socrates, quæ ferme eadem repetit Sozomenus Lib. 3. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 6. de quo etiam mentionem facit cap. 14 ſub finem. Hieronymo in *Chronico* ad annum 348 audit Arianæ ſignifer factionis, conſueta illi macula, quam alibi Euſebio Cæſarienſi non ſemel inurit. Scripta autem ipſius idem recenſet in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 91. his verbis: *Euſebius Emeſenus Epiſcopus, elegantis & Rhetorici ingenii, innumerabiles, & qui ad plauſum populi pertinent, confecit libros: magisque hiſtoriam ſecutus, ab his qui declamare volunt, ſtudioſiſſime legitur. E quibus vel præcipui ſunt adverſum Judæos & Gentes & Novatianos, & ad Galatas libri decem: & in Evangelia homilia breves, ſed plurima. Floruit temporibus Conſtantii Imperatoris, ſub quo & mortuus, Antiochiæ ſepultus eſt.* Mortuus eſt igitur circa annum 360 & apud Antiochiam ſepultus, ſub Conſtantio, ut habet Hieronymus. Atque de ſcriptis his omnibus, quæ recenſuit Hieronymus, nihil ad nos pervenit: quorum in locum ſubſtitutæ plurimæ homiliæ, & conciones, quæ a nobis latius ſequentibus capitibus examinandæ ſunt.

CAPVT SECVNDVM.

HOMILIÆ PLVRES EDVNTVR SVB NOMINE EVSEBII EMISENI EPISCOPI, QVÆ CERTO AD EVM NON SPECTANT.

NOn uno eodemque tempore tantam homiliarum multitudinem accepit Euſebius Emiſſenus Epiſcopus, qui paulatim & ſucceſſive creſcente in dies gaza hac Eccleſiaſtica, homiliarum fere ducentarum author inſcriptus eſt, atque aliquandiu creditus. Ex parvis initiis magna ſæpe fiunt, ut in authore iſto contigit. Nihil uſquam ſub ejus nomine impreſſum eſt ante annum 1531. quo Coloniæ Agrippinæ in 12. impreſſæ ſunt: *Divi Euſebii Epiſcopi Emiſeni, Homilia decem ad Monachos, veteris Monaſtices ſanctimonia atque eruditione ſpectabiles.* Homilia 1. *De tremendo Dei judicio, gehennaque cruciatibus.* 2. *De profectu in vita melioris ſtatum.* 3. *De ardenti ſtabilique ad cœleſtia progreſſu.* 4. *De converſione vera & interna.* 5. *De fructu converſionis noſtræ in præſenti & perſeverantia.* 6. *Quam Deo alacriter ſerviendum ſit.* 7. *Quod in cœtu fratrum cautius converſandum ſit.* 8. *De utriuſque hominis interni ſcilicet & externi, vitiis extirpandis.* 9. *In quo verus Monachi profectus conſiſtat.* 10. *Quod pro delictorum varietate, variæ quoque purgationes adhibendæ ſunt.* Hæ autem omnes ex MSS. quorundam Codicum fide, quos in variis Bibliothecis vidi, ſpectant vel ad Fauſtum Abbatem primo Lerinenſem tum poſtea Regienſem Epiſcopum, vel ad ſanctum Cæſarium Arelatenſem Archiepiſcopum. Nam 4. 5. 6. 7. 9. & 10. attribuuntur ſancto Cæſario ab annis multis, cujus inter Opera etiam impreſſa recenſentur, olim edita ad fidem MS. Codicis Longipontani. 1. vero, 2. 3. & 8. quæ etiam olim impreſſæ ſunt, ex manuſcriptis Codicibus plurimis ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum ſpectant: omnes denique paſſim tum Cæſario, tum Fauſto, tum Euſebio Emiſeno ex plurimis aliis, quos vidimus, adſcribuntur. Has autem Homilias decem anno 1531. Coloniæ impreſſas non viderat Joannes Gagneius dum anno 1575. ſuas ſub nomine Divi Euſebii Emiſeni Epiſcopi evulgavit homilias: nec enim dubium, quin anteriorem hanc impreſſionem ad procurandam eis authoritatem allegaſſet, cum e contra ingenue fateatur fuiſſe eas anonymas in MS. Codice quo utebatur, ſeque tantum ex ſtyli ſimilitudine permotum, ut eas *decem Homilias ad Monachos* Euſebio Emiſeno Epiſcopo attribueret. Nihil ſane frequentius manuſcriptis Codicibus iſtarum *decem Homiliarum*, quæ nonnunquam anonymæ ſunt, quam ut ſub nomine tum ſancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, tum Fauſti Regienſis: ſed ſæpiſſime huic Euſebio Emiſeno Epiſcopo adſcribantur.

Fauſta

Fausta quidem hæc initia Eusebio Emisseno, harum decem homiliarum pseudo-parenti, in damnum Fausti infausti, quem legitimum illarum authorem fuisse, postea docebimus. Sed idem Emisenus successu temporum, ampliori etiam laboris alieni titulo ac possessione usus est, quo majorem sibi nominis famam, apud Ecclesiasticorum Scriptorum nomenclatores acquisivit. Anno enim primum 1554. Claudius Fremy Parisiensis Typographus sub falso Eusebii Emiseni nomine edidit *Centum quadraginta quinque homiliæ de tempore ac de Sanctis*, in 8. impressas oblatasque clarissimo viro Gabrieli Boverio Ecclesiæ Andegavensis Episcopo, decimo quarto Calendas Junii, quarum ipsi copiam fecerat Doctor quidam Ordinis fratrum Prædicatorum, dignas eas affirmans, quæ prelo committerentur. Non abnuo quin Opus istud probum sit & aliquantam saltem antiquitatem, stylique congruitatem aliquam seculo XII. adstipulantem, secum habeat: sed quod cum priscis Ecclesiæ Doctoribus comparari queat, & seculi Ecclesiæ quarti vel quinti leporem, dicendique formam sapiat, nullus, opinor, est, qui id asserere audeat. Hæc plena Collectio hodiernæ consuetudini Pontificiæ tam belle adaptata, seculum Ecclesiæ undecimum vel duodecimum etiam, præcedere haudquaquam potest. Quam gratis igitur istud Opus Episcopo Emiseno Eusebio attributum fuerat, ut in magnum inde Scriptorem accresceret: tam merito tandem jureque exceptum, legitimo parenti, sancto Brunoni Signiensi Episcopo (ut vocant) restitutum est, ex fide Manuscriptorum codicum, & authoritate Petri Diaconi Cassinensis Bibliothecarii. Contigit hæc nostri Eusebii Emiseni spoliatio atque Brunoni Episcopo Signiensi facta restitutio, anno 1651. per accuratam Operum hujus Brunonis editionem, in folio Venetiis procuratam, nunc satis obviam. Ab hoc tempore nullus quem sciam fuit, qui vel has homilias Eusebio Emiseno adscribere, vel Brunoni Signiensi auferre voluerit, ita apud Criticos hæc veritas obtinuit. Qua de re si quis plura velit, consulat Editionem citatam Operum Sancti Brunonis Signiensis Episcopi Venetianam, Labbeum in Dissertatione *de Scriptoribus Ecclesiasticis a Bellarmino recensitis*, verbo *Bruno Signiensis Episcopus*: & verbo, *Eusebius Emisenus*. Franciscum Combefis in *Apparatu* prævio ad Bibliothecam Concionatoriam, ubi de Scriptoribus a seipso huic Collectaneo insertis fusius agit, iisdem verbis, quibus Labbeus. Hi enim cuivis sufficiunt. Hoc igitur amplissimum in Eusebii Emiseni gratiam suppositum, integro nondum a substitutione elapso seculo, vero authori restitutum est: unde mihi mirum cur nuperus curator ultimæ editionis Bibliothecæ Sanctorum Patrum Lugdunensis, hac de veritate edoctus, Commentationem hanc seu Collectionem Brunoni Signiensi redditam, Eusebio cuidam Gallicano inscriptam reliquerit tomo 6. pag. 686. Nam ejusmodi falsæ Operum inscriptiones, errandi occasionem multis dare possunt, qui Criticæ operam suam non contulerint: licet allata pagina lectorem hujusce rei admoneat.

CAPVT TERTIVM.

ALIÆ HOMILIÆ EDVNTVR SVB NOMINE EVSEBII EMISENI EPISCOPI, QVÆ AD EVM NON SPECTANT.

TAndem anno Domini 1575. sub nomine ejusdem Eusebii Emiseni ad calcem prædictarum 145. homiliarum, aliæ homiliæ LVI. de variis argumentis prodierunt, inter quas habentur illæ *Decem ad Monachos*, de quibus postea agemus, cum omnes ab Eusebio ablegabimus. Huic ultimarum homiliarum Collectaneo, quæ si decem præfatas exceperis, impressæ nunquam fuerant, hic titulus est appositus: *Homiliæ ad populum eloquentissimæ & religiosissimæ recens in lucem emissæ:* quas in 8. cum præcedentibus Brunoni Signiensi debitis, impressit Parisiis Hieronymus de Marnet cum Guillelmo Cavillat in monte sancti Hilarii, sub pelicani signo. Subjunxit his homiliis, ut eas suo Eusebio Emiseno assereret, Joannes Gaignejus clarissimus universitatis Theologicæ Parisiensis Cancellarius, sequentem quam hic transcribimus notam.

BIBLIOPOLA LECTORI SALVTEM.

Ne tibi fucum fieri putes, qualem plerique faciunt, dum insignium ac veterum Authorum nomina libris anonymis, quo vendibiliores reddant, mutuantur: has homilias Eusebii Emiseni esse, tum ex inscriptione veterum exemplarium didicimus, tum ex Compilatore libri Decretorum, qui ante quadringentos annos in Ecclesia receptus est. Is autem *de Consecrat.* Distinct. 2. Cap. *Quia corpus*, duas integras paginas homiliæ hujus libri quæ inscribitur quinta *de Pascha*, Eusebii Emiseni nomine allegat. Nolo autem te ignorare ab eo, qui librum descripsit, insertas esse aliquot anonymas veterum authorum homilias, quales sunt *Homiliæ decem ad Monachos*, & aliæ nonnullæ: quas quia parem prope facundiam redolebant & pietatem, expunctas noluimus. Tu interim optime Lector, hocce præclaro Domini Johannis Gaigneji dono fruere, & illi bene precare. Vale.

Hæc Johannes Gaignejus Parisiensis Theologus Cancellarius, ad istarum homiliarum commendationem: quas fatetur antiquas, elegantissimas, primis Ecclesiæ seculis dignas, jam sub nomine Eusebii Emiseni a Gratiano allegatas: adde & a Guitmundo Aversano Archiepiscopo contra Berengarium, de quo postea.

Hæc est autem ipsa homilia, quæ multis a seculis omnem ansam præbuit errandi circa istarum homiliarum authorem, quæ a sexcentis amplius annis pseudo Eusebio Emiseno attributæ sunt, illegitimo earum parenti. Hanc etenim homiliam de qua loquimur, citavit sub no-

mine dicti Eusebii, ejusque fragmentum non ignobile protulit, Guitmundus Aversanus in Italia Archiepiscopus, seculo XI. libro 3. *adversus Berengarium*, post medium. Atque sub sequentis seculi medium, Gratianus tractatu *de panitentia* Distinct. 2. Capite *Quia corpus &c.* integras duas paginas hujus homiliæ, quæ in impressis inscribitur *Quinta de Pascha*, Eusebii Emiseni nomine adducens. Nec dubium quin Guitmundus Aversanus MS. aliquem Codicem ita inscriptum viderit, ut eum ita positive designaret appellaretque: quem forsitan re indiscussa, secutus postea sit Gratianus, in citandis Authoribus atque designandis parum accuratus. Vtut sit, certum est ex eo tempore plerosque Manuscriptos Codices, hanc homiliarum molem seu seriem continentes, inveniri nomine Eusebii Emiseni inscriptos: sive Guitmundus hanc occasionem his Codicum inscriptionibus dederit, vel secus. Ita inscriptus fuit Codex MS. quo Johannes Gaignejus anno 1575. ad primam harum homiliarum editionem Parisiis usus est: & alter quo usus est Johannes Livinejus Antuerpiensis Canonicus, ac ex eo Andreas Schottus Antuerpiensis anno 1618 ad earum revisionem & emendationem. Ita denique MS. Codex Regiæ Galliarum Bibliothecæ num. 4028 & alter Abbatiæ Signiacensis in Tractu Remensi, Ordinis Cisterciensis, qui saltem annos habent scripturæ quingentos: solo MS. Igniacensi, ab aliis nomen *Eusebii Emiseni Episcopi* habentibus, discrepante: quod *Eusebii Cæsariensis Episcopi* nomen habeat. Quidquid itaque de authoritate Guitmundi & Gratiani sit, quidquid de antiquitate & uniformitate MSS. Codicum quos bene multos vidimus, Eusebio vel Emiseno vel Cæsariensi homilias inscribentium: certum est falsam esse hanc etiam veterem inscriptionem, vel ex hoc sola homilia sexta sub ejus nomine allegata, quod postea evincemus demonstratione ineluctabili. Insolitum hoc nostro seculo non est, ut Opera quædam ab annis jam multis certis authoribus attributa, iisdem eripiantur, contra Veterum etiam authoritatem. Ita Opus *de dogmatibus Ecclesiasticis*, quod ab annis octingentis, ex testimoniis Veterum, & fide MSS. Codicum plurimorum Augustino adscriptum, Gennadio Massilienſi Presbytero jam tandem restitutum est. Ita liber *de fide ad Petrum* ab annis ferme totidem eidem attributum, jam Fulgentio Ruspensio Episcopo redditum. Ita Contemplationes sub nomine *Idiotæ* anonymi, quam seculi decimi vel undecimi authorem omnes suspicabantur, agnoscunt jam parentem proprium authorem seculi XIV. Raymundum Jordani Vcetiensem Præpositum. Idem his homiliis continget opinor, ut alium ab Episcopo Emiseno scriptorem habeant, idque ex ipsis causæ visceribus, ex ipsa homiliarum natura, Emisenum abigente: denique vel ex hac unica homilia quem allegant Guitmundus & Gratianus in Eusebii Emiseni gratiam, alium appellante authorem.

1. enim Eusebius Emisæ Episcopus in Syria sive Phænicia, quam Phænicem Episcopum Theodoretus vocat, Arianæ signifer factionis, temporibus Imperatoris Constantii vixit: de quo sanctus Hieronymus, tum in Chronico ad annum Christi 348. olympiadis 281. tertium, tum in Catalogo *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 101. ubi ait Eusebium sub Constantio mortuum & Antiochiæ sepultum: ideoque saltem ante annum 361 quo Constantius moritur, vivere desiit. At qui vivere desiit anno 361. haudquaquam hujus homiliæ sextæ de Paschate vel annexarum, author esse potest: unde Eusebius vel Emisenus vel Cæsariensis, hujus homiliæ, nec consequenter totius harum homiliarum consarcinationis, authores esse possunt. Hoc probat ipsa homilia, quæ verbis expressis *de hæresi Pelagiana* temporibus Divi Augustini, seculo sequenti nata agit: quod optime spectare potest ad Faustum Regiensem Episcopum de quo infra, nullatenus ad Eusebios. Hujus porro homiliæ hæc verba sunt: *Quod testimonium contra Pelagii blasphemias evidentissimum atque validissimum est, qui asserere arrepta impietate præsumit, non propter vitam, sed propter regnum cœlorum, baptismum parvulis conferendum.* Atqui ut iisdem hujus testimonii verbis utamur, *illud evidentissimum atque validissimum testimonium est*, ad ostendendam contra Guitmundi Aversani Archiepiscopi, & Compilatoris *Demetorum* Gratiani authoritates, imo contra MSS. omnium Codicum fidem: nec homiliam hanc, nec omnem hanc homiliarum ad eundem scriptorem spectantium, supellectilem, spectare posse ad Eusebios: recte autem convenire posse Fausto Regiensi in Galliis Episcopo & Abbati olim Lerinensi, ut amplius postea probabimus.

2. Homilia 2. *de Adscensione Domini*, hic author arguit expresse errorem Eutychetis Constantinopolitani Abbatis, utramque naturam in Christo confundentis. Sic itaque hic Scriptor loquitur, quibus seipsum verbis, ad Occidentalem Ecclesiam pertinere omnimode testatur: *Ideoque omnimodis detestanda sunt venena Orientalis erroris, qui impia novitate præsumit asserere, Filium Dei ac Filium hominis unius esse naturæ. In alterutra enim parte, vel qui solum hominem fuisse dixerit, negabit Conditoris gloriam: vel qui solum Deum, negabit misericordiam Redemptoris.* Idem in homilia 1. *de Nativitate Domini* his verbis: *Hoc loco Propheticus sermo, Dei & hominis inventur expressisse personam: utrumque enim fides Catholica & credit & prædicat. Nam si hominem tantum dixeris Christum, negas potentiam qua creatus es: Si Deum tantum dixeris Christum, negas misericordiam qua sanatus es.* Indicant enim ista Authorem hunc non esse Græcum, nec ad Orientalem Ecclesiam pertinere, sed e contra ad Occidentalem & Latinam. Imo Eutychetis arguit hæresim, qui suos errores non sparsit, nisi longe post Concilium Ephesinum Oecumenicum, neque ante annum 448 ut ex Historiæ Ecclesiasticæ Scripto-

Scriptoribus conſtat. Hæc autem nullatenus in Euſebium Emiſenum Epiſcopum, qui obierat annis plusquam octoginta ante exortam Eutychetis hæreſim, cadere poſſunt: recte vero in Fauſtum Lerini Abbatem, ac poſtea Regienſem in Gallia Epiſcopum, qui ad annum 494 vel 500 & ultra perveniſſe creditur.

3. Excludit ſe ſpecialius ab Eccleſia Græca & Orientali, ad quam Euſebius Emiſenus Epiſcopus pertinebat, verbis quibus de eadem loquitur, loco citato in Commentatione ad hæc verba: *Et peperit Filium ſuum primogenitum.* Audiamus Pſeudo Euſebium: *Vbi ſunt Hæretici, qui recenti errore decepti, & novo antiqui ſerpentis dente perculſi, dicere auſi ſunt, carnem Domini Salvatoris nihil habuiſſe de Maria? Hoc dicunt illi Orientales hæretici, nihil illum participaſſe de matre. Hic peſtifer ſenſus Orientales Eccleſias occupavit, nihil Chriſtum de matris conſanguinitate traxiſſe.* Quis unquam concedat hunc loquendi modum ſpectaſſe ad aliquem Græcum vel Eccleſiæ Orientalis membrum, quale Euſebius Emiſenus fuit? Jure ergo qui tantis aliorum ſpoliis ditabatur, his aliisque ad eum non ſpectantibus homiliis exuitur: unde merito Cæſar Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis* tomo 6 ad annum 441. has ei homilias auferendas cenſet, his verbis quæ hic inſerenda duximus: licet in gratiam ſancti Eucherii Lugdunenſis Archiepiſcopi dicta ſint, de quo poſtea nos ſuo loco agemus, quem legitimum earum authorem credidit. Annaliſtam audiamus.

„Cum igitur ex concionibus habitis de Martyribus Lugdunenſibus, Lugdunenſis Eccleſiæ „Antiſtitem ſe eſſe ſignificet, & homiliæ ipſæ ſtilum referant ſancti Eucherii, & argumenta rerum, id ipſum ibidem probe demonſtrent, & „tempora quibus author vixit, eundem annuntient: etenim in recens obortas Neſtorii & „Eutychetis hæreſes idem invehitur. Cum „hæc (inquam) tot in unum concurrant Eucherium, quis de his dubitandi amplius locus „relictus eſt? Redditis ergo his quæ Maximi „eſſe noſcentur, ſeu aliorum: (non hic de ſingulis nobis agendum) ſuis authoribus vindicentur egregiæ conciones ab injuſto & impio poſſeſſore Euſebio Emiſeno, cujus nomine citari „conſueverunt. Quid cum authore Græco „homiliæ, quæ Latine noſcuntur eſſe conſcriptæ? Quid cum homine Ariano, quæ ex omni „parte pietatem redolent, conciones? Quid „denique author Gallicanus cum Syro, & Lugdunenſes Martyres cum Emiſenis? Sed unde „adeo portentoſum prodiiſſe commentum putabimus, & monſtroſam adeo eſſe impoſturam „obortam? Potuit ſane ſefelliſſe Librarium imprudentem, ut ſub cujus authoris titulo reperit initium Codicis obſignatum: cætera omnia „quæ in eo continerentur, eidem putaret tribuenda eſſe authori. Nemo eſt qui ignoret, qui „antiquorum codicum habet uſum, ſæpe ſæpius „ſolere contingere: ut non unum vel duos, ſed tres quatuorque & amplius habeat idem volu-„men diverſorum auctorum tractatus, & ali-„quos ex illis inveniri ſub nomine unius auctoris „inſcriptos: ut niſi quis Lyncæos oculos habeat, „ſæpe accidat, ut inſcripto authori tribuatur, „quidquid inferius eodem codice continetur. „Cum alioquin & facile contigiſſe potuerit, ut „in corroſo conſumptoque nimia vetuſtate co-„dice, literis labefactatis, legerit librarius *Euſebius* pro *Eucherius.* Non patiantur amplius, „rogo, mei Lugdunenſes, tantum ſuum ipſorum „theſaurum theca latronis includi, ſed juſtiſſima vindicatione ſuæ eſſe Eccleſiæ intelligentes, easdem rurſus edentes, ejusmodi juſtum „ipſis affingant titulum, ac veluti ſigillo confi-„gnent: *Homilia Sancto Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo & Monacho Lerinenſi reſtituta, falſo hactenus edita titulo Euſebii Emiſeni.* Eſſent his alia ſuperaddenda, ſed in his diutius immorari, ratio noſtri inſtituti non patitur. Sed ſicut indignandum eſt, tamdiu ſanctiſſimi viri divitias, ſub titulo ſceleſtiſſimi Ariani palam expoſitas: ita dolendum eas omnes haud integre reperiri. Qui enim tum Monachus tum Epiſcopus, in eo dicendi genere, annis plurimis verſatus eſt: longe plures oportuit dixiſſe, cum ad Monachos, tum ad populum conciones.„

Hæc pro zelo ſuo in ſanctum Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum ardentiſſimo Cæſar Baronius, quem poſtea examinabimus, utrum ex rei veritate ſeu ſecundum ſcientiam ſentit: cum conjecturæ quas affert, aliquanti fuerint apud aliquos ſcriptores ponderis. Nobis nunc ſufficit, has homilias ab Euſebio Emiſeno abſtuliſſe juſtiſſimis de cauſis, ſuffragante Baronio.

CAPVT QVARTVM.

AN HOMILIÆ EVSEBIO EMISENO FALSO ADSCRIPTÆ, SINT EVSEBII ALTERIVS, QVEM GALLICANVM VOCANT?

POſſemus movere quæſtionem, an Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus ſit ſcriptor iſtarum ultimo impreſſarum ſub nomine Euſebii Emiſeni Epiſcopi homiliarum, cum ei attribuantur in Manuſcripto Codice Bibliothecæ Igniacenſis in Epiſcopatu Remenſi. Sed quam gratis moveretur iſta quæſtio, ita in promptu ſolveretur: cum invictæ eædem rationes, quæ Euſebium Emiſenum excludunt a partu homiliarum ejusmodi, Cæſarienſem quoque Euſebium attingant. Alio itaque vertimur, nempe ad Euſebium Gallicanum quendam, cui eas nonnulli attribuunt.

Annalium Eccleſiaſticorum Parens, Cæſar Baronius, ut capite præcedenti vidimus, tomo 6 *Annalium* anno 441. & Commentariis in *Romanum Martyrologium* ſuis ad diem 16. Novembris, niſu tanto, viribusque & argumentis tam variis, in gratiam Divi Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi pugnaverat: ut nullum amplius de vero iſtarum homiliarum authore, dubitandi

locum

locum crederet ſcriberetque. Sed o quantam humanæ mentis viciſſitudinem! Idem enim Annaliſta, qui cæteros omnes ad amplexandam ſuam ea de re ſententiam hortabatur, aliter ipſe & contra laudatum eminentius a ſe Eucherium, ſuam opinionem tomo XII. ſub finem retractans, *Euſebio Gallicano* tribuendas adſcribendasque commemoratas homilias cenſet: verſibus Hartmanni Monachi ſancti Galli, Rhabani Mauri Fuldenſis Abbatis diſcipuli perſuaſus, cujus poëma edidit Henricus Canisius tomo 5. *Antiquæ Lectionis.* Appellat enim inter ſanctos Epiſcopos quendam etiam Euſebium, ſed incertæ ætatis Epiſcopum.

Martinus, Proclus, Cavarius, Euſebiusque.

Non itaque *Euſebii* exhorreſcendum ejus nomen, quod vi vocis venerationem infert, ſed *Emiſeni* cognomen. Extuli ſemper ac plurimum colui profundam doctiſſimi hujus ſcriptoris ſcientiam, etſi lapſum in multis non negaverim. Sed miror cur poſt tam varias graveſque conjecturas in Lugdunenſis Eucherii gratiam, quas ardore tanto ſuſceperat, inauditum hucusque authorem atque antiquis incognitum, ob tam leves ac nullius momenti conjecturas, his homiliis aſſignaverit. 1. *Primum* enim nullus authorum qui de ſcriptoribus Eccleſiaſticis ſcripſerunt, quales Gennadius, Iſidorus & alii, hujus Euſebii Gallicani ullam unquam mentionem fecerunt: quod tamen ſpectabat maxime ad Gennadium hominem Gallum, cui proximus vel contemporaneus debebat eſſe iſte Euſebius. 2. *Secundo* Hartmannus non de Epiſcopis rerum divinarum ſcriptoribus, ſed de ſanctis Epiſcopis loquitur: cur ergo inde Baronius authoritatem ſumit, ut *Euſebium quendam Gallicanum* ſcriptoribus Eccleſiaſticis accenſeat? Cur ſpeciatim attribuat has homilias, Euſebio Emiſeno hucusque attributas? Nihil ſane hic video, quod in gratiam Euſebii Gallicani faciat, vel quo ſententiam ſuam eruditus Annaliſta defendat. 3. *Tertio* quis ex verſu Hartmanni videat ibi tantum agi de Gallicanis Epiſcopis? Nullum ſcio in Gallia Martinum Epiſcopum, qui ſcriptis ſuis veterem Eccleſiam illuſtravit: nullum legi ab Gennadio vel Iſidoro aut ab aliis nominatum. Unum habemus Martinum Bracarenſem in Luſitania Epiſcopum, ſcriptis & ſanctitate ſimul illuſtrem: ſed quid iſte ad Galliam? Niſi Galliam ac Portugalliam ſeu Luſitaniam, unum idemque velit. Idem de Proclo philoſophandum eſt. Scimus Proclum unum Conſtantinopolitanum Antiſtitem, variis & elegantibus homiliis clarum, cujus nonnullæ inter homilias Divi Chryſoſtomi, in Procli præjudicium adhuc latent anonymæ: ſed quis mihi oſtendat *Proclum aliquem Gallicanum ſcriptis nobilem*, cujus Opera etſi non extantia, Nomenclatores diſertis verbis deſignarint? Nihil itaque Proclus iſte Hartmanni ad Scriptores Gallicanos, de quibus loquimur. Idem de *Euſebio* quem memorat Hartmannus, dicam. Cum nihil impediat eum ibi locutum eſſe de ſanctiſſimo viro *Euſebio Vercellenſi Epiſcopo*, cujus apud nos pauca ſcripta extant, aliquot Epiſtolæ Apoſtolico ſpiritu plenæ, quas poſteri omnes legunt atque admirantur. Non igitur inde ex loco Hartmanni, ne vel levis quidem conjectura fuit Baronio, ut Euſebium quendam Galliarum Scriptoribus Eccleſiaſticis adſcriberet: multo minus ut ei Collectionem hanc veterum homiliarum, quæ hucusque licet falſo, attributa fuit Euſebio Emiſeno, illi adſcriberet. Et hæc ſufficiant ad ſententiam ultimam Annaliſtæ Eccleſiaſtici convellendam: quem jure miratus ſum ita mutaſſe priſtinam ſententiam ex conjecturis leviſſimis, ne dicam inanibus.

Alter in eandem nuperrime ſententiam acceſſit, Petrus Franciſcus Chiffletius, „eruditus vir, cujus varia in rem literariam effuſa Opera, ſcientiam probant. Hic in Notis ad Vigilium Tapſenſem pag. 80. ad ſequentia Vigilii Tapſenſis verba Lib. 2. contra Eutychetem cap. ultimo ſub finem: *In qua fidei profeſſione, cunctis Græca Eccleſia tractatores, quod ſuperiore libello commemoravi: & omnes Latini ſermonis Apoſtolici viri, id eſt Hilarius, Euſebius, Ambroſius, Auguſtinus & Hieronymus, cœleſtibus imbuti doctrinis, ſimul pariterque conſentiunt.* Sic autem Chiffletius hæc commentatur. «Vides cenſeri a Vigilio *Euſebium*« inter *Latini ſermonis* Apoſtolicos viros, cum Hi-« lario, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo: ne« Emeſenum, Græcumve ſuſpiceris. Nec vero« Latinum duntaxat, ſed & Gallum & Lugdunen-« ſem demonſtrant quædam ejus homiliæ ex il-« lis quinquaginta, quas primus edidit Johannes« Gaignejus ſub nomine Euſebii Emeſeni: & quæ« poſtea prodierunt ſub *Euſebii Gallicani* titulo, ex« recognitione Andreæ Schotti, in Bibliotheca« Veterum Patrum Colonienſi: cum alioqui« certum ſit, ex iis nonnullas eſſe Fauſti ex Leri-« nenſi Abbate Regenſis Epiſcopi. Cæterum« Euſebii Latini Scriptoris meminit quoque Au-« thor antiquus vitæ Sancti Hilarii Arelatenſis« Epiſcopi, ſive eſt Reverentius aut Ravennius« ejus ſucceſſor, ſive Honoratus Maſſilienſis.« Meminit & Liber *Scintillarum Defenſoris*, qui ſe-« ptem ex illo refert ſententias, capitibus 15. 30.« 34. 70. 72. 76 & 77. Sed cum nulla iſtarum« ſententiarum in hujus Euſebii Gallicani ſermo-« nibus reperiatur, recte illæ a me credantur eſſe« veri Euſebii Emiſeni Epiſcopi, cujus Opera in-« terciderunt.„ Chiffletius addit. «Ex tabulis« Lugdunenſibus, anno Chriſti 1187. IV Calen-« das Septembris, Lugduni in Baſilica veteri ſan-« cti Juſti, inventum ſeu recognitum eſt cum ali-« is plurimis Sanctorum corporibus *Corpus beati*« *Euſebii confeſſoris*, cujus nomen lapis ſupra eum« poſitus prætendebat. Et notat Codex ritualis« MS. ejusdem Eccleſiæ ſancti Juſti, quod feſtum« ejus agebatur die XIV. Auguſti, cum oratione« de Confeſſore non Pontifice: *Deus qui nos beati*« *Euſebii Confeſſoris tui annua ſolemnitate &c.* Ac« ſi eveniret Dominica die, Miſſa matutina ad«

majus

„majus Altare legebatur *de Dominica:* Missa „vero Dominica seu solemnis, *de sancto Euse-*„*bio.* Hunc ipsumet pronum est putare, Euse„bium Lugdunensem Scriptorem disertissimum, „cujus in homiliis citatis egregia extant testi„monia *de duabus in Christo naturis & persona uni-*„*ta:* cum gravi censura Orientalis erroris, præ„sertim homilia 1. & 2. *de Nativitate Domini*, & „pluribus *de Pascha &c.*„ Hæc verbotenus Chiffletius, in Baronii sententiam veniens, ut Eusebium quendam Gallicanum quocunque tandem modo e tenebris & antipodibus eruat, quem in Scriptorem Ecclesiasticum erigat, ut citatas ei homilias assignet. Vtrumque vero Baronium & Chiffletium, Eusebii Gallicani effossores, ita paucissimis verbis, sed validis rationibus impugnamus.

1. 1. Quidquid allegat Chiffletius ex Lugdunensibus tabulis, Eusebium quendam anonymum fastis Sanctorum inter Confessores non Pontifices adscribentibus: nihil ad rem facit, nec probat eum fuisse Scriptorem Ecclesiasticum; cujus ut supra diximus, tanquam Scriptoris nullus Veterum meminit. Addo (quod gratis concessum est) licet hunc Eusebium & Lugdunensem Presbyterum & Scriptorem Ecclesiasticum admitteremus: inde tamen haud sequeretur, scripsisse illum has homilias Eusebio Emiseno attributas: cum constet primis Ecclesiæ temporibus a solis Episcopis, non autem a Presbyteris homilias ad populum fuisse habitas, atque Chiffletianus Eusebius, ut ipse fatetur, Episcopus seu Pontifex non extiterit, nec dica-
2. tur. 2. Dum Vigilius Tapsensis Episcopus enumerat seu recenset *Eusebium* inter *Latini Sermonis Apostolicos viros Hilarium, Ambrosium, Augustinum, & Hieronymum cœlestibus imbutos disciplinis:* quis (excepto Francisco Chiffletio) existimet Eusebium Gallicanum intelligi, virum obscuri nominis, cujus tempora, merita, officia, Opera ignorentur? Longe sane & rationi & tempori convenientius est, *Eusebium illum Vercellensem Episcopum intelligi, virum Latini sermonis prorsus Apostolicum, inter Hilarium atque Ambrosium tempore medium, ob fidei defensionem Confessorem exulem & multa perpessum, cujus suscepti propter Ecclesiasticam libertatem labores nemini latent, cum his quatuor lectissimis Ecclesiæ Patribus merito comparandum.* Corruit igitur ex solo sensu communi, fundamentum Chiffletianæ sententiæ, Vigilium nempe Tapsensem dictum, dum *Eusibium* cum Hilario, Augustino, & aliis Ecclesiæ Latinæ Doctoribus comparat: attendisse ad *Eusebium quendam Gallicanum*, illumque scriptorem esse veterum homiliarum, quæ sub nomine *Eusebii*
3. *Emiseni* impressæ hactenus sunt. 3. Denique Chiffletius allegat ad hujus suæ sententiæ patrocinium sancti Honorati Massilienses Episcopi auctoritatem, in Vita *Sancti Hilarii* Arelatensis Episcopi, ubi cap. XI oculatos seu contemporaneos Hilarianæ eloquentiæ testes adducens, ita loquitur: *Vt ejusdem præfati authores temporis, qui suis scriptis merito claruerunt, Silvius, Eusebius, Domnulus, admiratione succensi, in hæc verba prorumperent: Non doctrinam, non eloquentiam, sed nescio quid super homines consecutum.* Ita fateor legimus, sed omnium appello tribunal, num ea sufficiens authoritas, nihil determinans, nihil enuntians, ad eas homilias, de quibus agimus, huic Eusebio Gallicano asserendas? Quem solus nominat Honoratus Massilienses Episcopus, cujus nec vel unicam designat scriptionem, qui alia omnino ab his homiliis scribere potuit: quem denique sicut & Sylvium & Domnulum authores obscuros, nullus sequentium, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis agunt, suis inseruit Catalogis. Et ista opinor sufficiunt, ad Eusebium hunc Gallicanum ab his homiliis amovendum, qui non recuso sententiam retractare, si quis vel certa vel probabilia aliquando in illius gratiam proferat.

CAPVT QVINTVM.

SANCTVS EVCHERIVS LVGDVNENSIS EPISCOPVS, NON EST AVTHOR HOMILIARVM EJVSMODI, VT CÆSARI BARONIO ECCLESIÆ ANNALISTÆ VISVM OLIM FVIT.

NUllo itaque ex supradictis fundamento probabili, Homiliæ controversæ sub nomine *Eusebii Episcopi Gallicani* editæ sunt in Bibliotheca Veterum Patrum Colonienses editionis anni 1618 ex recensione Andreæ Schotti Antverpiensis e Societate Jesu, & in editione ultima Lugdunensi ejusdem Bibliothecæ anni 1677 tomo 6. pag. 618. cum aliis *Emiseno* perperam adscriptis, & jam notorie spuriis. Discutiendum nunc, an ex spectent ad clarissimum Lugdunensis Ecclesiæ Antistitem Eucherium seniorem, cui eas olim tam confidenter Cardinalis Baronius attribuit tomo 6. *Annalium* ad annum 441. et Commentario suo ad *Romanum Martyrologium*, ad diem XVI. Novembris. Quas porro Annalista clarissimus attulerat conjecturas, in sancti *Eucherii* senioris Lugdunensis Episcopi gratiam, de quibus cap. 3; ita validas olim existimaveram, ut ad moralem quandam demonstrationem collectæ simul omnes, accedere viderentur. *Cum igitur*, inquit ad annum 441, *ex concionibus habitis de Martyribus Lugdunensibus, Lugdunensis Ecclesiæ Antistitem se esse significet, & homilia ipsa stylum referant sancti Eucherii, & argumenta rerum ipsum itidem probe demonstrent, & tempora, quibus author vixit, eundem annuntient: etenim in recens obortas hæreses Nestorii & Eutychetis idem invehitur. Cum hæc, inquam, tot in unum concurrant Eucherium, quis de his dubitandi amplius locum superesse?* Verum omnes eædem conjecturæ, in gratiam sancti *Hilarii* Arelatensis Episcopi, adduci possent, cui nonnulli authores omnem hanc homiliarum Collectionem attribuunt, de quo capite sequenti statuemus. *Nam ex concionibus habitis de Symbolo, & de sancto Genesio Arelatensi Martyre, & de sancto Honorato Are-*

latenſi Epiſcopo, Antiſtitem ſe eſſe Arelatenſis Eccleſiæ ſignificat: & homilia ipſa ſtylum referunt ſancti Hilarii, viri ſuo tempore clariſſimi & doctiſſimi, & rerum argumenta ipſum iisdem probe demonſtrant, & tempora quibus author vixit, eundem annuntiant: etenim in recens obortas Neſtorii & Eutychetis hæreſes idem invehitur. Cum hæc inquam tot in unum concurrant Hilarium Arelatenſem, quis de his dubitandi amplius locus reliquus eſt? Addo amplius aliquid, ex Honorato Maſſilienſi Epiſcopo in *Vita Sancti Hilarii* Arelatenſis Epiſcopi, ſcripſiſſe eum Homilias ejusmodi, ut capite ſequenti dicemus: quod nullus Nomenclatorum de ſancto Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo unquam dixit. Conjecturæ ergo potiores in Hilarii Arelatenſis, quam in Eucherii Lugdunenſis gratiam. Idem de Fauſto Regienſi Epiſcopo dici poteſt, ob homiliam *de Sancto Maximo Regienſi Epiſcopo*, quæ Fauſti certiſſime eſt, aliasque multas Fauſto attributas, in Collectione citata comprehenſas. Sunt itaque ſimiles in iſtis omnibus conjecturis, & Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, & Hilarius Arelatenſis, & Fauſtus Regienſis: omnes docti, eloquentes, ejusdem fere ætatis, ad quos nonnullæ in hac homiliarum Collectione certo ſpectare videntur. Sicut igitur ex his communibus conjecturis, Homiliæ controverſæ vel Fauſto vel Hilario attribui certo non poſſunt: ita neque Lugdunenſi Epiſcopo Eucherio vel ſeniori vel juniori.

Addo plures egiſſe de Scriptis ſancti Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi, ſed neminem eorum dixiſſe, homilias ab ipſo conſcriptas fuiſſe, qui tamen erat proprius hoc declarandi, locus. Juvat hic ſecundum ſeriem adducere omnes juxta temporum rationem, ad plenam noſtræ ſententiæ aſſertionem.

Gennadius de illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus cap. 63.

„Eucherius Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus „ſcripſit ad Valerianum propinquum ſuum, de „contemptu mundi & ſæcularis Philoſophiæ „Epiſtolam unam, ſcholaſtico ſermone & rationabili. Differuit etiam ad perſonam filiorum „Veranii & Saloniі poſtea Epiſcoporum, obſcura „quæque ſanctarum capitula Scripturarum. Sed „& Caſſiani quædam Opuſcula lato tenſa ſermone, anguſto verbi reſolvens tramite in unum „coëgit volumen, aliaque tam Eccleſiaſticis, „quam Monaſticis ſtudiis neceſſaria. Moritur „ſub Valentiniano & Marciano Imperatoribus.

Marcellinus Comes in Chronico ad annum 456.

Johanne & Varano Conſulibus.

„Eucherius Lugdunenſis Eccleſiæ Pontifex, „multa ſcripſit tam Eccleſiaſticis, quam Monaſticis ſtudiis neceſſaria.

Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, in Libro de viris illuſtribus, cap. 15.

„Eucherius Epiſcopus elegans ſententiis, ornatus in verbis, edidit ad Hilarium Arelatenſem „Antiſtitem, eremi deſerta petentem, unum Opuſculum *de laude ejusdem eremi* luculentiſſime & dulci ſermone dictatum: in quo opere laudamus Doctorem, etſi pauca, pulchra tamen dicentem: *Brevitas* enim, ut quidam ait, *laus eſt interdum in aliqua parte dicendi, in univerſa eloquentia laudem non habet.* Tullius in Bruto.

S. Ado in ſuis Chronicis, ætate ſexta, anno 454.

Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus, ſatis in Divinis Scripturis eruditus, moritur. Hic etiam inter alia Opera, Caſſiani quædam Opuſcula lato tenſa eloquio, anguſto tramite in unum coëgit volumen.

Honorius Auguſtodunenſis Presbyter in Catalogo de Scriptoribus Eccleſiæ ſeu de Luminaribus cap. 63. anno 440.

Eucherius Lugdunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, differuit Salonio & Veranio Epiſcopis, obſcuraque ſanctarum capitula Scripturarum: ſed & ſcripta Caſſiani longe ſermone diffenta, breviter coarctavit. Sub Valentiniano floruit.„

Vincentius Bellovacenſis in ſpeculo Hiſtoriali Lib. 20. cap. 20.

Porro ſanctus Eucherius Lugdunenſis & Hilarius Arelatenſis, quos eodem tempore cum ſancto Germano Altiſſiodorenſi floruiſſe jam ſupra diximus, ambo viri nobiliſſimi fuerunt & eloquentiſſimi: Eucherius ex nobiliſſimo Senatorum genere intra ſpeluncam incluſus, revelante Angelo Pontifex factus eſt cujus Natalis eſt XVI. Calendas Decembr. Hilarius multos ſermones ad populum ſplendidiſſimos compoſuit, cujus Natalis eſt tertio nonas Maji: Sancti vero Honorati, XVII. Calendas Februarii.

Joannes Trithemius, de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Eucherius Epiſcopus Lugdunenſis in Gallia, vir doctus & Monachorum diſciplina a juventute imbutus, ingenio promptus, & ſermone compoſitus, vita & converſatione Deo & hominibus gratus, quippe qui multos & verbo & exemplo ab iniquitate avertit: ſcripſit plura egregie volumina, ſed ad notitiam meam adhuc pauca pervenerunt. Reperi enim tantum iſta: *De contemptu* mundi librum 1. Epiſtolas quasdam ad diverſos librum 1. Expoſitionis Divinorum nominum lib. 1. Ad filios Salonium & Veranium lib. 1. Formulas ſpirituales. Epitomen Caſſiani lib. 1. Ad Hilarium Epiſcopum de laude Eremi lib. 1. Claruit ſub Theodoſio juniore, anno Domini 440.„

En Lectores magnam collectionem in Eucherii Lugdunenſis gratiam imo in ejus (ut ita loquar) præjudicium, quantum ad Pſeudo-Euſebianas Homilias, quas ad ipſum ſpectaſſe nonnulli opinati ſunt. Nullus e ſeptem clariſſimis Operum divi Eucherii Nomenclatoribus, qui harum homiliarum vel alterius operis ad homilias ſpectantis, mentionem fecerit: nec

Trithe-

by Goo

Trithemius quidem in omnibus Divi Eucherii cenſendis enumerandisque operibus minutatim, accuratiſſimus.

Objicere nobis aliqui poſſent teſtimonium Claudiani Mamerti Viennenſis Presbyteri libro 2. *de ſtatu anima* cap. 9. poſt medium, ubi ſic: *Haudquaquam tamen Eucherium praterierim, mihimet viventem doctrina & præſentaneis coram diſputationibus cognitum, non porro nuntiis aut lectione compertum: qui ſcilicet viridis ævi, maturus animi, terra diſpuens, cæli appetens, humilis ſpiritu, arduus merito, ac perinde ingenii ſubtiliſſimus, ſcientia plenus, eloquii profluus, magnorum ſeculi ſui Pontificum longe maximus, editis in rem fidei multijugis variorum Operum voluminibus, ad populum quoque his ſuper ſtatu anima concionatus eſt.* Hæc Claudianus loco citato, quæ non omiſit Cæſar Baronius tomo 6. *Annalium* ad annum 441. in ſententiæ ſuæ confirmationem. Ac prima quidem fronte hoc teſtimonium innuere aliquid videtur in ſancti Eucherii gratiam, ſed attente perpenſum vel modicum vel nihil facit. Nam 1. Claudianus Mamertus ait tantum Eucherium *Ad populum ſuper ſtatu anima concionatum eſſe*, non autem conciones ſcriptis mandaſſe. 2. Diſtinguit has conciones ad populum *de ſtatu anima* habitas, ab Operibus multijugis quæ in rem fidei edidit: unde ſequitur conciones iſtas non fuiſſe ſcriptas, nec editas. 3. Quid commune *cum concionibus ſuper ſtatu anima ad populum habitis*, & *cum homiliis, in totius anni feſtivitatibus poſteritati expeditis?* quales ſunt homiliæ de quibus loquimur. 4. Denique quod mihi inſigne argumentum eſt, contra hanc Baronii interpretationem. Allegat hic Claudianus Mamertus lib. 2. *de ſtatu anima* cap. 9. Authoritatem ſancti Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi, *qui ad populum quoq; his ſuper ſtatu anima concionatus eſt:* tanquam aliquid ad argumentum ſuum faciens, quod totum in tribus ejus libris eſt, ut contra Fauſtum Regienſem Epiſcopum probet, *Animam eſſe illocalem, incorpoream, immaterialem:* ubi de Angelis, & aliis immaterialibus. Ibi itaque de moralibus nequaquam agitur, ſed de phyſicis, naturalibusque animæ potentiis ac qualitatibus: de quibus nonnulla ad populum ex ſuggeſtu dixerat ſanctus Eucherius: unde teſtimonium iſtud nihil omnino facit, ad Euſebianas homilias iſtas Eucherio adjudicandas. Sola opinor citati loci conſideratio cum totius operis inſpectione vel leviſſima quemque de hac interpretatione convincere poteſt.

Hanc porro Baronii ſententiam amplexus non eſt Andreas Schottus ex ſocietate Jeſu, qui homilias has primas ſub *Euſebii Gallicani* nomine recenſitas ac ſermonibus duodecim anonymis locupletatas, ex Manuſcripto Codice Antverpienſi Johannis Livinei, inſeruit Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionis Colonienſis anni 1618. ſeculo V. Cujus Præfationem multa continentem, ut huic Diſſertationi nihil deſit, hic ad verbum inſerimus.

Andreas Schottus
De Homiliarum iſtarum authore, an Euſebii Emiſeni, vel Eucherii?

Exierunt olim Homiliæ quinquaginta ad populum & Monachos habitæ, ſane elegantes, falſo Euſebii Emiſeni nomine (ut credit ampliſſimus Cardinalis Baronius tomo 6. Annalium Eccleſiæ) repertæ primum in lucemque editæ a Johanne Gagnejo Pariſienſi Theologo, vetuſtiores longe atque diverſæ ab illis, quæ in Evangelia feſtosque dies anni vertentis circumferuntur: quæ potius Bedæ vel Rhabani Mauri eſſe Collectanea ex B. Auguſtino, B. Gregorio, aliisque Patribus eſſe videntur. Verum de authore γνησίῳ ſententias colligam. *Primum* Euſebii illius Græci hominis non eſſe argumento eſt, quod breviores hunc ſcripſiſſe ſermones author eſt Hieronymus, at hi paulo ſunt prolixiores. Deinde Latini ſunt, non Græci hominis, vel Gallici potius ſcriptoris ſtylus eſt: & quidem Diœceſis Lugdunenſis, cujus Sanctos celebrat, ut Blandinam, quam homiliam hic legas, licet. Ad hæc author *ad Monachos* homilia quinta, indicat ſe fuiſſe Abbatem in inſula conſtitutum quam & in homilia *de ſancto Maximo* inſulam Lerinenſem vocat; Epiſcopum quippe fuiſſe ex Abbate Lerinenſi, apparet. In antiquiſſimo Codice membraneo, qui in Bibliotheca Societatis Jeſu Antverpiæ aſſervatur, homiliæ duæ diſerte nomen *Fauſtini* præferunt, quem Fauſtum alii opinantur. Margarinus Bignæus Pariſienſis Theologus, edita iterum Bibliotheca Sanctorum Patrum, Cæſario Arelatenſi Epiſcopo plerosque ex his ſermonibus attribuit, qui floruit poſt annum clɔ. Baſilius vero Zanchius Bergomas, in prolegomenis *Notationum* ad ſacros libros utriusque Teſtamenti, ſancto Hilario Arelatenſi Epiſcopo magnam eorum partem adſcribendam cenſet, ut & ii qui Bibliothecam homiliarum tomis quatuor nuper evulgarunt. Illuſtriſſimus autem Cardinalis Baronius tomo 6. *Eccleſiaſticorum Annalium* ad annum Chriſti 441. & Commentario in *Martyrologium* die 16. Novembris, Beato Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo, tanquam veris reſtituens natalibus, vindicare diſerte conatur. Sed poſt extremo tomo XII. retractans, *Euſebio Gallicano* tribuendam adſcribendamque cenſet verſibus perſuaſus Hartmanni, Rhabani Mauri diſcipuli, cujus poëma edidit Henricus Caniſius tomo 5. *Antiquarum Lectionum*. Nominat enim inter Sanctos etiam Euſebium, ſed incertæ civitatis Epiſcopum.

Maximus, Proclus, Cæſarius, Euſebiusque.

Non itaque *Euſebii* exhorreſcendum nomen, ſed *Emiſeni*. Itaque Homiliæ iſtæ quæ circumferuntur Emiſeni nomine (inquit Joannes Savaro in Epiſtolam tertiam Sidonii Apollinaris libro 4.) non ſunt *Euſebii* omnes, nec *Eucherii*, ut illuſtriſſimus Baronius putat ad annum 441.

„Homilia enim quarta *de Paſcha* Maximi Regi„enſis eſt, cujus titulus præcedentes tres Maxi„mo eidem vindicare videtur, quarum tamen „prima & tertia inter Cæſarii homilias invenitur. Quinta autem in veteri Manuſcripto „ſancti Germani Pariſienſis cum hoc titulo, *Ho„milia ſancti Iſidori.* Item Homilias ad Mona„chos 5. 6. 9 & 10. & exhortationem ad plebem, „Cæſario adſcribunt ejus Opera. Homiliam *de „ſancto Maximo* Fauſti eſſe Dinamius ſcribit, in „Vita ſancti Maximi. De vidua *quæ duo æra miſit „in gazophylacium*, Fauſti etiam eſt. Ita Andreas „Schottus appoſite ad Manuſcriptorum Codi„cum veritatem, homilias de quibus agitur, Eucherio abjudicans.

CAPVT SEXTVM.

AN VERVS AVTHOR HOMILIARVM EJVSMODI, SIT SANCTVS HILARIVS ARELATENSIS EPISCOPVS, ? QVOD EX MVLTIS RATIONVM ET AVTHORITATVM TESTIMONIIS, MVLTI SENSERVNT.

QVas conjecturas omnes Cæſar Baronius in favorem ſancti Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi attulerat, de quibus nos Capitibus 3. & 5. egimus, easdem in ſancti Hilarii Arelatenſis Epiſcopi gratiam habemus. Ita ut ambo ſaltem in hoc conjectandi genere pares ſint. Sed certiora etiam quærimus, quibus Eucherium Hilarius ſuperet, ejusque nomen ab his homiliis jure arceat. *Primum* itaque ut capite 5. dictum eſt, nullus veterum Scriptorum eſt Nomenclator, qui ſancto Eucherio homilias aliquas tribuerit: cum ex adverſo omnes, quaſi digito demonſtrando ac deſignando homilias iſtas, Hilario Arelatenſi, ut ſequentibus palam eſt, adſcripſerint.

***Sanctus Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus in Libro* de Vita Sancti Hilarii *Arelatenſis Epiſcopi, cujus Diſcipulus fuit*, Cap. XI.**

„Et licet gratia ejus ex his operibus, quæ eodem „dicendi impetu concepit, genuit, protulit, or„navit, poſſit absque hæſitatione dignoſci: Vita „ſcilicet Antiſtitis Honorati, Homiliæ in totius „anni feſtivitatibus expeditæ, Symboli expoſitio „ambienda, Epiſtolarum vero tantus numerus, „verſus etiam fontis ardentis.

Gennadius Maſſilienſis Presbyter in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 69.

„Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, vir in ſanctis „Scripturis doctus, paupertatis amator, & erga „inopum proviſionem non ſolum mentis pietate, ſed & corporis ſui ſollicitus labore fuit: nam „pro reficiendis pauperibus etiam ruſticationem contra vires ſuas, homo genere clarus, & „longe aliter educatus exercuit. Sed nec in „Spiritualibus neglexit, nam in docendo gratiam habuit, & absque perſonarum acceptione „omnibus caſtigatum Opus prædicationis ingeſſit. Ingenio vero immortali aliqua & pa„ria edidit, quæ eruditæ animæ & fidelis linguæ„ indicio ſunt: in quibus præcipue & ad multo„rum utilitatem neceſſario opere Vitam ſancti„ Honorati Prædeceſſoris ſui compoſuit. Mo„ritur Valentiniano & Martiano regnantibus.„

Honorius Presbyter Auguſtodunenſis, lib. de Luminaribus Eccleſiæ cap. 69.

Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, in ſanctis„ Scripturis doctus, absque perſonarum acce„ptione omnibus caſtigatum Opus prædicatio„nis ingeſſit. Sub Valentiniano floruit.„

Vincentius Bellovacenſis in ſpeculo Hiſtoriali Lib. 20. cap. 20.

Porro Sanctus Eucherius Lugdunenſis &„ Hilarius Arelatenſis, quos eodem tempore„ cum ſancto Germano Altiſſiodorenſi floruiſſe„ jam ſupra diximus, ambo viri nobiliſſimi fue„runt & eloquentiſſimi. Eucherius ex nobilis„ſimo Senatorum genere intra ſpelunçam in„cluſus, revelante Angelo Pontifex factus eſt,„ cujus Natalis eſt ſexto decimo Calendas De„cembris. Hilarius multos ſermones ad po„pulum ſplendidiſſimos compoſuit, cujus Nata„lis eſt tertio nonas Maji: Sancti vero Honorati„ decimo ſeptimo Calendas Februarii.„

Petrus de Natalibus, Equilinus Epiſcopus, in Catalogo Sanctorum Lib. 4. cap. 121.

Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, vir in ſanctis„ Scripturis doctus, & Doctor inclitus fuit. Qui„ paupertatis amator, erga inopum proviſionem„ pietate mentis & corporis labore ſollicitus,„ grandi & ſolerti cura pauperes aluit. Et in do„cendo gratiſſimus extitit, multos ſermones„ ſplendidos ad populum fudit, & plurima eru„ditionum Opuſcula compilavit, volumen„ grande de fide, duodecim libris explicitum, ſer„mone ſplendido exaravit. Beati quoque Ho„norati prædeceſſoris ſui Vitam, cum multo„rum utilitate compoſuit. Finem vitæ dedit,„ Valentiniani & Marciani temporibus, tertio„ nonas Maji.„

Libri in ſancti Hilarii Pictavienſis de Trinitate.

Joannes Tritbemius in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Hilarius Epiſcopus Arelatenſis, ad quem„ Eremi deſerta petentem, Eucherius Lugdu„nenſis Antiſtes librum edidit *de laude Eremi.*„ Vir doctus in Scripturis divinis & ſatis diſerto„ eloquio, cujus merita ſanctitatis Catholica„ perſonat Eccleſia, tantæ pietatis extitit in pau„peres, ut omnibus ſuis in eorum uſus hilariter„ diſperſis, pater pauperum deinceps vocaretur,„ & eſſet. Scripſit inter cætera ſatis præclaro„ eloquio, Vitam prædeceſſoris ſui ſancti Hono„rati Epiſcopi Lib. 1. Homilias pene infinitos, &„ quædam alia. Claruit ſub Theodoſio Princi„pe juniore, anno Domini 440. Moritur autem„ ſub Valentiniano & Marciano Principibus.

Cum igitur ex authoritate Antiquorum conſtet,

ſtet, ſanctum Hilarium ſcripſiſſe *Homilias in totius anni Feſtivitatibus expeditas, Symboliquæ expoſitionem ambiendam:* ac præterea Expoſitio quædam Symboli cum his homiliis in Manuſcriptis plurimis, imo in MSS. omnibus in quibus integra Collectio iſtarum homiliarum continetur, inveniatur: denique & iſtæ homiliæ ſint omnium totius anni tunc temporis præcipuarum feſtivitatum, ut legenti conſtabit: inde a nonnullis *indubie* ac quaſi *demonſtrative* creditum ſcriptumque eſt, has homilias ſpectare ad ſanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, quas indigitabat elegans illa Symboli Apoſtolici Commentatio.

2. Nec Veteres tantum inſinuant ſed & recentiores has etiam homilias ſancto Hilario Arelatenſi Archiepiſcopo aſſerunt, antequam & poſtquam eæ editæ ſunt, ſub nomine Euſebii Emiſeni. Nam teſte Andrea Schotto, de quo ſupra, Baſilius Zanchius Bergomas qui circa annum 1530. floruit, in Prolegomenis *Annotationum* ad ſacros utriusque Teſtamenti libros, has homilias ſancto Hilario Arelatenſi attribuit, annis XLV. antequam ſub nomine Euſebii Emiſeni impreſſæ eſſent. Paucis etiam ab earum impreſſione annis, anno nempe 1588. has eidem adſcripſerunt Laurentius Cundius Italus & Gerardus Moſanus ex Ordine fratrum Prædicatorum in opere inſcripto: *Bibliotheca Homiliarum & ſermonum priſcorum Eccleſiæ Patrum*, quam Bibliopolæ Lugdunenſes ſpiſſis 4. in folio voluminibus, nitido caractere, opere emaculato, digna laude molitione in gratiam Concionatorum, lucis publicæ fecerunt. Idem quoque fecerunt Petrus Saxius in Hiſtoria *Archiepiſcoporum Arelatenſium* pag. 11. ad marginem, edita Aquis Sextiis in 4. anno 1629. apud Joannem Raizium Vniverſitatis typographum; denique Franciſcus Combefis in *Apparatu* ad Bibliothecam *Concionatoriam*, verbo *Hilarius Arelatenſis* & *Euſebius Emiſenus:* quam obtulit 8. tomis in folio Pariſiis anno 1662. apud Antonium Bertherium. Vnde ſequitur doctos ſemper viros aliquos, contra inſcriptionem Euſebio Emiſeno factam reclamaſſe, has Hilario Arelatenſi homilias attribuentes.

3. Sanctus Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, Semipelagianam doctrinam avide amplexus fuiſſe legitur, atque faviſſe Semipelagianis plurimum, ut recte probat Henricus de Noris Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini in *Hiſtoria Pelagiana* lib. 2. cap. 2. pag. mihi 166. & ſeq. Nec eſt qui eum excuſare ab hoc errore unquam poſſit, adverſus Baronium, qui ſuis in Annalibus ipſum fuiſſe ardentem in omnibus *Doctrina* Divi Auguſtini vindicem ac diſcipulum voluit: confundens Hilarium hunc Arelatenſem, cum Hilario altero ejusdem temporis & Galliarum alumno, ſancti Proſperi Aquitani Socio, qui doctrinæ Auguſtinianæ in omnibus ad mortem usque firmiſſime adhæſit, eumque ſæpe etiam in Africa commorantem literis conſuluit. Atqui in Homiliis iſtis PſeudoEuſebianis, plurima ſunt quæ Semipelagianis omnino favent, & quæ conſequenter Hilarium Arelatenſem Epiſcopum illarum authorem indigitant. Homilia 8. de Paſchate circa medium. *Vides quia dignantiſſimi medici ſtudium, infirmi requirit aſſenſum: per liberum arbitrium eſt excepta captivitas, per liberum rurſus arbitrium, erat reſtituenda libertas. Dominus enim qui januam referat, etiam ſollicitudinem pulſantis expectat: Pulſantis inquam, nam ubi labore ſtuduerit reparare quod perdidit, non damnum rei perditæ, ſed fructum ſentiet reſtitutæ. Beneficium non poteſt cuſtodire, qui neſcit conſiderare: periclitatur munerantis donum, ſi non inveniat ſuſcipientis affectum.* Quamvis enim ſenſu aliquo hæ expreſſiones excuſari poſſint, attamen ſecundum ſe atque omni cavillatione remota, initium fidei vel affectum ſupernorum, eſſe a nobis inſinuant: velut & *Chriſtum medicum noſtrum dignantiſſimum, requirere* ad ſanitatem *infirmi aſſenſum:* quem tamen ſemper ac neceſſario prævenit. Ita etiam homilia 2 ad octavam Paſchæ ſub initium, & alibi ſæpe: *Benignitas provocantis, etiam meritum deſiderat adquieſcentis: & dignantiſſimi medici ſtudium, infirmi ſui requirit aſſenſum.* Vſus etiam ſæpe eſt nomine *Credulitatis* pro actu aſſenſus fidei, quod Semipelagianis frequens ſemper fuit.

Hæ rationes erant ſeu conjecturæ validiſſimæ, quæ me olim ad hanc adduxerant ſententiam, ut homilias iſtas Euſebianas, tum ob authoritatem Veterum omnium ac recentiorum plurium ipſas Hilario Arelatenſi Epiſcopo attribuentium, opinarer ipſiſſimum Hilarii opus eſſe: tum ob argumenta de Semipelagianiſmo in iis latitante, imo & triumphante, allegata. Verum illam abjicere plane compulſus ſum, quod nonnulla in iis paſſim inveniantur, quæ in tempora Hilarii noſtri Arelatenſis Epiſcopi, vel Eucherii Lugdunenſis, cadere nullatenus poſſunt. Certum enim eſt, nihil eſſe in his homiliis frequentius, quam ut author hæreſim Eutychianam impugnet: unde noſter hic Anonymus, cum ſæpius conceptisque verbis Eutychem appellaverit hæreticum, neceſſario vixit, plurimasque ex his homiliis habuit poſt Chalcedonenſe Concilium, quod anno Chriſti 451. in Oriente celebratum eſt, in quo Eutyches hæreſeos damnatus atque ad remotiora relegatus. At Hilarius Arelatenſis Epiſcopus & Eucherius Lugdunenſis anno 449. e vivis exceſſerant, hic quidem tertio nonas Maji, ille autem decimo ſexto Calendas Decembris: unde neuter tam aperte ac frequenter, adverſus Eutychianam hæreſim in ſuis concionibus agere potuit.

Conſtat equidem, nihil eſſe auditum de hæreſi Eutychetis Conſtantinopolitani Archimandritæ, ante finem anni 448. quo opinionum ſuarum ſingularium accuſatus eſt, in Concilio Conſtantinopolitano ſub Floriano Epiſcopo, ubi & damnatus eſt. Inceptum illud Concilium ſexto Idus Novembris, anni 448. Sed anno 449.

convocatum aliud apud Epheſum ad 4. Idus Auguſti, in quo factione Dioſcori Patriarchæ Alexandrini, non modo innocens prædicatur Eutyches, ſed & ille Flavianus Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus, vindex fidei, columen religionis, cum Euſebio Doritæi Epiſcopo condemnatur, atque utroque loco & ſede moti, velut faces ſeditionis, Nicænæque fidei corruptores. Itaque Eutyches ille non eſt auditus nec hæreſeos damnatus ante Chalcedonenſe Concilium anno 451. habitum, qui antea ab hæreſi abſolutus, innocensque declaratus fuerat. Cum igitur hic author homiliarum, aperte & paſſim atque in Occidente hæreſim Eutychianam impugnet: indubie ſcripſit poſt Concilium Chalcedonenſe anni 451. quo hic Eutyches damnatus hæreſeos eſt. Vnde conſequenter hæ homiliæ ſpectare nullatenus poſſunt, vel ad Hilarium Arelatenſem, vel ad Eucherium Lugdunenſem, Epiſcopos: qui ambo 449. e vivis exceſſerant, annis ferme duobus ante Concilii Chalcedonenſis convocationem: imo antequam hæreſis iſta apud Occidentales audiretur.

Jam quam aperte arguat & expreſſe hæreſim Eutychetis Abbatis Conſtantinopolitani, utramque naturam in Chriſto confundentis, audiamus. In Homilia 1. *De Nativitate Domini* num. 1. his verbis: *Hoc loco propheticus ſermo, Dei & hominis invenitur expreſſiſſe perſonam: utrumque enim fides Catholica & credit & prædicat. Nam ſi hominem tantum dixeris Chriſtum, negas potentiam qua creatus es: ſi Deum tantum dixeris, negas miſericordiam, qua ſanatus es.* Vox enim iſta *Fides Catholica & credit & prædicat*, inſinuat Concilii Chalcedonenſis œcumenici deciſiones ſolemnes, cognitas atque in Occidentem etiam effuſas, quod ante annum 452. excogitare quiſpiam vix poſſit, ut inter concionandum tanquam publica veritas pronuncietur. Tum ibidem num. 5. illos ibidem expreſſe *Hæreticos* appellat. *Vbi ſunt hæretici qui recenti errore decepti, & novo antiqui ſerpentis dente percuſſi, dicere auſi ſunt, carnem Domini Salvatoris nihil habuiſſe de Maria? Hoc dicunt illi Orientales hæretici, nihil ipſum participaſſe de matre: hic peſtifer ſenſus Orientales Eccleſias occupavit, nihil Chriſtum de matris conſanguinitate traxiſſe.* Nec voces iſtæ tantum indicant illos hæreticos a Concilio Chalcedonenſi anno 451. condemnatos, ſed hæreſim etiam iſtam in multas jam Orientis Eccleſias graſſatam, quod ſucceſſu temporis contigit, neque ſtatim a celebratione hujus Concilii. Idem homilia 2. de Aſcenſione Domini, num. 1. *Ideoque omnimodis deteſtanda ſunt venena Orientalis erroris, qui impia novitate præſumit aſſerere, filium Dei ac filium hominis, unius eſſe naturæ. In alterutra enim parte, vel qui ſolum hominem fuiſſe dixerit, negabit Conditoris gloriam: vel qui ſolum Deum, negabit miſericordiam Redemptoris.* Expreſſiones igitur iſtæ arguunt certiſſime Scriptorem Concilio Chalcedonenſi poſteriorem, quales Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, vel Eucherius Lugdunenſis, non fuerunt.

CAPVT SEPTIMVM.

FAVSTVS ABBAS OLIM LERINENSIS, TVM POSTEA REGIENSIS IN GALLIA EPISCOPVS, VERVS HOMILIARVM EMISENARVM AVTHOR ASSERITVR.

CVm ex antecedentibus evidenter pateat, Emiſenarum Scriptorem homiliarum eſſe Concilio Chalcedonenſi poſteriorem, in quo Eutyches damnatus eſt: indeque pariter demonſtratur, neque Lugdunenſem Epiſcopum Eucherium, uti olim multis Cæſar Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis* voluit: neque Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ut olim ipſe opinatus fueram, qua de re etiam non incongruam Diſſertationem habueram: quippe cum duobus uterque annis vel circiter, ante concilium iſtud, defunctus ſit. Reſtat ut vel Fauſto Abbati olim Lerinenſi, tumque poſtmodum Regienſi Epiſcopo: vel Cæſario Epiſcopo Arelatenſi, ejusdem Lerini olim etiam alumno, attribuantur: cum certum ſit ſpectare illas ad aliquem olim hujus inſulæ incolam, atque etiam Abbatem. Hanc Collectionem homiliarum ad diverſos ſpectaſſe authores, opinatus eſt Edmundus Aubertinus lib. 2. *de Sacramento Euchariſtiæ* pag. 877 his verbis. Nonnullæ illarum ſub Cæſarii Are-« latenſis nomine in *Bibliotheca Patrum* editæ ſunt« a Binio. Nam homilia prima de Paſchate, ho-« milia tertia eſt Cæſario tributa: tertia, quarta« eſt apud Cæſarium: quinta, eſt ſeptima apud« eundem. Rurſum ſecunda & quarta reperi-« untur inter Sermones Maximi Taurinenſis, &« nona inter Sermones Auguſtini de tempore.« In tanta varietate, certum quid ſtatuere diffi-« cillimum eſt. Ego exiſtimaverim homilias has,« quemadmodum & præcedentes in Evangelia,« rapſodias eſſe variorum authorum, ac nonnul-« las eſſe poſſe Eucherii, nonnullas Fauſti, non-« nullas Cæſarii & Maximi, ſive Regienſis, ſive« Taurinenſis, nonnullas etiam aliorum nobis« ignotorum. Nam ſtyli diverſitas, plurimo-« rum eſſe evidenter indicat. Homiliam de ſan-« cta Blandina, & alteram de Martyribus Ephipo-« dio & Alexandro, alicujus eſſe ſeu Epiſcopi ſeu« Presbyteri Lugdunenſis, ipſæmet indicant, ut« improbabile non ſit, eas & fortaſſe nonnullas« alias Eucherii eſſe. Homilias quoque ad Mo-« nachos & de ſancto Maximo, Fauſti eſſe proba-« bile eſt propter rationes duas a Bellarmino« propoſitas. De reliquis incertiſſimum eſt,« quorum Authorum dici poſſint, nec æquum« eſt Adverſarios earum aliquas contra nos ur-« gere, tanquam ſi vel Eucherii, vel Fauſti, vel« Cæſarii forent: niſi prius oſtenderint & argu-« mentis evicerint, illis eſſe tribuendas, cum re-« centiorum Authorum perinde eſſe poſſint, ac« illorum trium. Ipſi tamen pro ſolita ſua ad-« verſus nos æquitate, homiliam quintam *de Pa-« ſchate* urgent, quæ apud Cæſarium ſeptima eſt,« tanquam ſi vel Eucherii vel ſaltem Cæſarii cer-« to eſſet: licet Eucherii eſſe ne tenui quidem«

conje-

„conjectura probare queant: nec magis constare posſit eam Cæſarii esſe, quam quadrageſimam ſecundam illi tributam, in qua Gregorius „& Iſidorus Cæſario longe posteriores citantur. Sed unius ejusdemque Authoris esſe, uniformitas doctrinæ, ſtyli paritas, Manuſcripti Codices easdem uno tenore habentes, contra Aubertinum teſtantur. Omnesque simul his temporibus quibus conſcriptæ ſunt, potiſſimas anni totius ſolennitates complectuntur. Jam autem hoc capite ſingularius probandum mihi incumbit, imo & demonſtrandum, quomodo illæ ſpectent evidenter ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum, nullatenus autem ad Sanctum Epiſcopum Arelatenſem Cæſarium.

Etſi primus ego ſim, qui argumentum iſtud data opera diſcuſſerim, ne laudem mihi indebitam adſcribam, ingenue fatebor præceſſiſſe nonnullos, qui hanc opinionem ſeu ſententiam ſubodorati ſint, quam paucis, dubitantesque tantum expreſſerunt. Horum Coryphæus vir magni nominis atque acris odoratus, Jacobus Sirmondus e Societate Jeſu, Theologus & antiquarius doctiſſimus, in *Notis* ſuis ad Epiſtolas Sidonii Apollinaris. Ibi ad Epiſtolam 3. Libri 9. dum de Dedicatione Lugdunenſis Eccleſiæ a S. Patiente Epiſcopo conſtructæ & dedicatæ, de qua lib. 2. Epiſt. 10. ſubjicit *in Notis* p. 159. *Sacrarum Fauſti concionum meminit iterum Sidonius in Euchariſtico. Hodie quidem quæ Fauſti nomen gerant, homilia non extant. Occurrunt tamen interdum aliquæ in antiquis Bibliothecis, citanturque a Sedulio Scoto in Collectaneis in Matthæum: ac niſi conjectura fallit, inter eas quæ Euſebii Emiſeni nomine circumferuntur, Fauſti hujus ſunt nonnullæ.* In eandem antea ſententiam venerat Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* verbo *Euſebius Emiſenus* ad annum 430. his verbis ab Aubertino etiam loco citato relatis. „Conſtat authorem illarum fuiſſe Monachum in Monaſterio „Lerinenſi. Nam homilia quinta ad Monachos indicat ſe fuiſſe Abbatem Monaſterii in „inſula conſtituti. Idem homilia de Sancto Maximo, eam inſulam Lerinenſem vocat. Videtur etiam ex Abbate Lerinenſi factus Epiſcopus, ut ipſe ſubjudicat in homilia de S. Blandina &c. Vidi unam ex his homiliis prænotatam „nomine Fauſti Epiſcopi Regienſis: neque eſt „improbabile eſſe omnes ejusdem Fauſti, qui „Abbas fuit monaſterii Lerinenſis, & ex Abbate „Epiſcopus creatus, teſte Gennadio, in libro *de „Viris illuſtribus.*„ In eandem poſtea venerunt ſententiam, eruditiſſimi atque narium emunctarum viri, Thomas Blancpain & Petrus Coutant, Benedictini Monachi, qui noſtris temporibus tanto ſucceſſu emendandis ordinandisque Divi Auguſtini Operibus incubuerunt. Illi in ſuppoſitis D. Auguſtino ſermonibus col. 269. ſermone 154. *De Paſſione Domini, & de beato latrone* ita homiliæ præfantur. „Extat inter homilias *in Bibliotheca Patrum* ſub nomine Euſebii „evulgatus, ibique ſicut in MSS. incipit ab his verbis, *Deus erat in Chriſto &c.* Non indignus eſt „Fauſto Semipelagiano, cujus inſpecto lib. 1. *de libero arbitrio* cap. 7. & lib. 2. cap. 6. mox intelliges ipſius esſe loquendi modos, quos habes „hic numero 3. *fides novella*, num. 7. *credulitatis affectum*. num. 9. *felicitas credulitatis, credulitatis compendioſa devotio.* Idem col. 285. ſermoni 161. qui *de Paſchate* tertius eſt, ita etiam præ„ludunt. Homilia hæc inter Euſebianas primæ„collectionis de Paſchate non ejusdem omnino,„ut ex ſtylo & rebus liquet, Authoris: cujus ſunt„homiliæ ibidem de Nativitate Domini 2. de Pa„ſchate 2. 6. 7. 10. 11. & quæ ſubſequitur de„beato latrone, aliæque bene multæ: id eſt, Fau„ſti Semipelagiani, noſtra quidem opinione, fœ„tus. Ipſius certe Sermones in homiliarum„Collectione illa, ſub Euſebii nomine plurimos„obtrudi liquet, atque hunc infauſtum docto„rem refert illud imprimis ex homilia 4. de Epi„phania: *Gratia divina &c. ubi infirmitatis noſtræ„invenerit votum, ſupponit auxilium.* Itemque„ex homilia de Pentecoſte iſtud: *Per liberum ar„bitrium eſt excepta captivitas, per liberum rurſus ar„bitrium erat reſtituenda libertas: Dominus enim qui„januam referat, etiam ſollicitudinem pulſantis expe„ctat.* Neque licet præterire, quæ ibidem proximo ante loco habentur verba: *Propterea homo, ſi inobedientiæ lapſu & liberæ mentis aſſenſu, a„diabolo ſeductus fuerat, non coactus; a totius ratio„nis æquitatisque auctore invitandus erat, non adtrahendus: iniquiſſimum videretur ſiquidem, ut qui ce„ciderat voluntarius, erigeretur invitus.* Quæ dicta„in hoc etiam Sermone 161. num. 2. reperiuntur, absque ulla, quoad ſenſum varietate. Hic„poſtremo Semipelagianorum hæreſim redolet„doctrina illa, quod Thomas *Reſurrectionem Domini non negavit*, ſed *doceri voluit, confirmari deſideravit:* quod in ipſo Chriſtus *non dubitationis„vitium, ſed ſollicitudinis inſtruxit affectum:* quod„denique *merito curioſæ perſcrutationis, non eſt exclusa ſedulitas.*„ Unde patet ex eorum ſenſu, plerasque hujus Collectionis homilias, ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum ſpectare: nec ab ipſis tantum appellatas, ſed & alias plures, imo fere omnes, Semipelagianiſmo laborantes. Cum vero Collectio iſta in MSS. multis Codicibus eodem tenore procedat a ſexcentis & amplius annis, atque unum eundemque in omnibus authorem ſpiret: ubi alias atque alias esſe authoris Fauſti certiſſime agnoverimus, concludendum inde eſt, illud omne Collectaneum ſpectare ad Fauſtum eundem.

Dico igitur Collectaneum iſtud omne homiliarum ſeu ſermonum Emiſenorum ac Pſeudo-Euſebianorum, pertinere & esſe opus genuinum, Fauſti Abbatis quondam Lerinenſis, poſtea Regienſis in Gallia Epiſcopi.

Probatur 1. ex homilia XII. ad Monachos, quæ hujus Collectionis atque editionis 74. eſt. Hanc enim eandem ad Monachos homiliam, & totam conſequenter Collectionem, cum ejusdem authoris tota ſit, attribuit expreſſe Fauſto 1.

Lerinenſi

Lerinenſi olim Abbati & Epiſcopo Regienſi, oculatus & contemporaneus teſtis, Sidonius Apollinaris in *Euchariſtico* ſuo ad ipſum Fauſtum: quo nihil validius dari unquam poteſt, ad Collectionem hanc Fauſto demonſtrative adjudicandam. Ibi igitur hanc inſignem Eremi Lerinenſis in homilia præfata expreſſam laudem, ſic Fauſto adſcribit:

Seu te Lerinus priſcum complexa parentem eſt,
Qua tu jam fractus, pro magna ſæpe quiete,
Diſcipulis ſervire venis: vixque otia ſomni,
Vix coctos captare cibos, abſtemius ævum
Ducis, & inſertis pingis jejunia palmis.
Fratribus inſinuans, quantos illa inſula plana,
Miſerit in cœlum montes &c.

At hanc alluſionem Sidonii Apollinaris, habet inſignis illa homilia, nobile & ampliſſimum Lerini inſulæ encomium continens num. 1. ubi ita verbotenus Fauſtus. *Beata inquam & felix inſula Lerinenſis, quæ cum parvula & plana eſſe videatur, innumerabiles tamen montes, ad cœlum miſiſſe cognoſcitur. Hæc eſt quæ eximios nutrit Monachos &c.* Hæc itaque homilia, omneque Collectaneum, Fauſtum agnoſcit parentem. Sola ſane inſinuatio humilis & elegans, qua Monachorum auditorum benevolentiam captat, absque argumento alio, Fauſtum illius operis parentem prodebat.

2. Probatur *ſecundo.* Cum tres homiliæ *de dedicatione Eccleſiæ*, inveniantur in omnibus ferme impreſſis Euſebii Emiſeni Homiliarum Collectionibus, ab anno 1618. quo ab Andrea Schotto illæ correctæ ſunt & auctæ, duodecim circiter homiliis, juxta Manuſcripti Exemplaris Antverpiani fidem. Itemque inveniantur in MSS. omnibus omnium Euſebii (qui Fauſtus eſt) homiliarum, ut in Antverpienſi, longipontano olim, & Regio 4028. Nullus videtur dubitandi locus, quin ad eundem ſpectent authorem, cujus tota iſta Collectio eſt, cum apud MSS. Codices in Collectione iſta cenſeantur. At habemus contemporaneum & oculatum teſtem Sidonium Apollinarem, Arvernorum Epiſcopum, Fauſti noſtri ſingularem amicum, qui lib. 9. Epiſtolarum Epiſt. 3. ad ipſum Fauſtum, teſtatur homilias iſtas vel omnes (quod probabilius eſt) vel ſaltem tertiam, factas eſſe ipſo præſente atque audiente, *in Dedicatione Lugdunenſis Eccleſiæ*, quæ anno 475. contigit, cujusque occaſione celebratum Lugdunenſe contra Prædeſtinatianam hæreſim Concilium, cui Fauſtus, ut nemo neſcit, aderat. Audiamus ipſum, ſe apud Fauſtum excuſantem, quod ad eum tardius vel rarius ſcribat, Lib. 9. Epiſt. 3. *Licet enim prædicationes tuæ nunc repentinæ, nunc cum ratio popoſciſſet, elucubratas, raucus planſor audierim: tum præcipue cum in Lugdunenſis Eccleſia dedicata Feſtis hebdomadalibus, Collegarum Sacroſanctorum rogatu, exoraveris ut perorares. Ibi te inter ſpirituales regulas vel forenſes, medioximum quiddam concionantem, quippe utrarumque doctiſſimum diſciplinarum, pariter erectis ſenſibus, auribuſque curvatis ambiebamus: hic parum facilitantem deſiderio noſtro, quia judicio ſatisfeceras.* Atqui his absque dubio verbis alludit, vel ad tres omnino, vel ſaltem ad *tertiam* de Dedicatione Eccleſiæ homiliam, ubi Fauſtus tanquam jurisperitus numero 4. integro *de Immunitatibus Eccleſiarum*, juxta juris Civilis leges pronuntiat: ergo hæc homilia, vel hæ tres homiliæ *de Dedicatione*, & conſequenter omne Collectaneum iſtud, quod ejusdem Authoris eſt, ſpectat teſte Sidonio Apollinari, ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum. Vtrum iſtæ tres homiliæ, an tertia tantum, in Dedicatione Lugdunenſis Eccleſiæ, pronuntiata fuerit: ego definire nec velim nec poſſim. Sed cum celeberrima fuit iſtius Eccleſiæ Galliarum omnium Primatialis Dedicatio, atque in urbe Galliarum tunc temporis omnium maxima & opulentiſſima, nobilium ac plebis abundantiſſima, idque feſtum ſumma pompa per octiduum integrum duraverit, eaque occaſione plurium Epiſcoporum Concilium convocatum fuerit: vix perſuadere mihi poſſum, quod in tanto Præſulum ac inſignium virorum conventu, ad plebem de Eccleſiarum frequentatione, pietate, cultu & immunitate, Fauſtus univerſæ Galliæ ob concionandi fœcundam artem notiſſimus, non ſæpius peroraverit. Maxime cum tres homiliæ eundem authorem arguant, ut in editione noſtra ſuo loco, in *Summariis ad ſingulas* probabimus. Homilia enim ſecunda de eodem argumento, inquit num. 1. *Times apparitorem judicis, damna & flagella minantem &c.* num. 2. *Si a duobus creditoribus urgereris, uni verbi gratia centum denarios, alii mille aureos, te debere cognoſceres &c.* Num. 3. *Sicut interdum utiles procuratores facere videmus, qui a Patronis ſuis, prædia & patrimonia longinqua & peregrina ſuſcipiunt &c.* quæ expreſſiones olent Juris Civilis prudentem virum, qualis Fauſtus fuit: atque ob hanc cauſam dixit Sidonius Apollinaris, ipſum in homiliis ad Eccleſiæ Lugdunenſis Dedicationem factis, *inter regulas ſpirituales & forenſes medioximum quiddam concionatum fuiſſe.*

3. *Tertio.* Ejusdem Scriptoris eſt hoc omne Collectaneum homiliarum ſub nomine Euſebii Emiſeni eo usque impreſſarum, cujus eſt homilia *de Sancto Maximo Regienſi Epiſcopo*, quæ in omnibus omnino editionibus & Manuſcriptis Codicibus totius iſtius Collectanei reperitur. Omnes enim iſtæ homiliæ eundem habent ſtylum, eandem ubique ſapiunt doctrinam, imo & ſapiſſime diverſis in locis, easdem habent ex affectatione quadam phraſes. Atque ad homiliam iſtam Fauſto aſſignandam, nec ratiociniis multis opus eſt: cum argumentum operis Fauſtum indigitet, ipſaque homilia ob ſtylum & dictionem, eundem referat. Imo quod palmare eſt, Dinamius author contemporaneus, in *Vita Sancti Maximi Regienſis Epiſcopi*, quam Vrbico ejusdem ſedis Antiſtiti dicavit, Fauſtum hujus homiliæ 3

homiliæ ſcriptorem facit: unde idem de tota Collectione cenſendum eſſe arbitror.

4. *Quarto.* Hujus omnis homiliarum Collectionis authorem eſſe Fauſtum Regienſem Epiſcopum, ſic probamus. Author Collectionis Homiliarum ad Monachos qui & totius Collectionis idem eſt, homilia XII. num. 2. teſtatur ſe dudum, ſeu *non parvo ſpatio* manſiſſe in inſula illa Lerinenſi. *Cum enim*, inquit, *parvitatem meam hæc ſancta Inſula velut præclara mater, & unica ac ſingularis bonorum omnium nutrix, brachiis quondam pietatis exceperit: & non parvo ſpatio, educare vel enutrire contenderit: licet reliquos ad virtutum culmina evexerit, a me tamen quia cordis mei duritia contradixit, omnes negligentias auferre non potuit.* Atqui hoc de Fauſto poſtea Regienſi Epiſcopo, duntaxat verum eſt, qui dudum ibi & Monachus & Abbas extitit: Falſum omnino de ſancto Cæſario Arelatenſi Archiepiſcopo. Ergo *Fauſtus & non Cæſarius*, omnis hujus homiliarum tam ad Monachos, quam de variis argumentis, Collectionis indubius author eſt. De diuturna Fauſti in Lerino manſione, ex *Carmine Euchariſtico* Sidonii Apollinavis oculati teſtis, nullus dubitandi locus eſt. De Cæſario prorſus falſum, qui cum junior & imberbis, atque vix emenſo Novitiatu in infirmitatem incidiſſet, etiam antequam humaniores literas hauſiſſet, Arelatem ab Abbate miſſus eſt, ad recuperandam ſanitatem. Illic ad notitiam Æonii Arelatenſis Archiepiſcopi veniens, qui modeſtiam illius admirans, Cæſarium nec dum Diaconum, nec forſitan adhuc in Eccleſiaſticis conſtitutum ordinibus benigne habuit; quem etiam promotum ad Diaconatum & Presbyteratum, Monaſterio inſulæ ſuburbanæ Arelatenſis præfecit. Vt pluribus teſtatur ſanctus Cyprianus Tolonenſis Epiſcopus & Cæſarii diſcipulus, in ejus *Vita* capitibus ſeu num. 6. 7. & 8. quam quivis adire poteſt.

5. *Quinto.* Author totius iſtarum, homiliarum Collectionis, tam illarum quæ ſunt *ad Monachos*, quam quæ *de diverſis ſunt*, aliarum, a prima ferme ad ultimam, ore pleno Semipelagianam ſpargit doctrinam, nullamque vel levem ſpargendi hujus peſſimi grani occaſionem omittit: qua perverſitate nullus eſt qui neſciat, quantum infectus fuerit Fauſtus infauſtus. Contra autem S. Cæſarius Arelatenſis Archiepiſcopus, infenſiſſimus Semipelagianorum hoſtis fuit, quorum doctrinam in Concilio Arauſicano damnari curavit, quam pro viribus ubique Galliarum extinxit: tantumque D. Auguſtini Doctrinæ *de Gratia & libero humanæ voluntatis arbitrio* adhæſit, ut moriens etiam lætatus ſit, quod diem obitus ſui ſolennitati Feſti Divi Auguſtini, cujus apprime doctrinam ſectatus fuerat, proximum ac quaſi contiguum cerneret: quemadmodum referunt ſignanterque annotant, inſignes ejus Diſcipuli, in ipſius *Vita*. Nullatenus ergo ſanctus Cæſarius poteſt eſſe author, vel hujus Collectionis integræ homiliarum Emiſenarum, vel Collectionis homiliarum ad Monachos: quamvis ſub ejus nomine nonnullæ, inter ejus Opera perperam impreſſæ ſint. Atque etiam hæc ratio fuit, cur Emendatores Operum & Sermonum D. Auguſtini, Monachi Benedictini doctiſſimi, qui ſumma cura ad calcem ſermonum Auguſtinianorum, adjecerunt homilias omnes ſub nomine ſancti Cæſarii Arelatenſis a ſe inventas, abſtinuerint ab edendis ſub ejusdem nomine Homiliis iſtis *ad Monachos*, quas ad ipſum pertinere nullatenus poſſe, argute opinati ſunt. Ex adverſo autem Doctrina iſta ſingularis, ubique locorum ſparſa, Fauſtum Semipelagianum, totius hujus Collectionis, quanta quanta illa ſit, indubium ſcriptorem clamat.

6. *Sexto.* Vbique locorum iſtius Homiliarum Collectanei extant voces, quæ Fauſtum Regienſem Epiſcopum, illius absque exceptione ſcriptorem enuntiant. Vbivis enim homiliarum ejusmodi extant voces ſeu phraſes, *ſed dicis: Non ita eſt: ſed non eſt ita:* atque aliæ plurimæ, quas nullus omnino Fauſti proprias atque ab ipſo affectatas negabit, qui cum attentione aliqua legerit indubitata Fauſti Opera, quæ huic homiliarum Collectioni præmiſimus. Libros nempe *de gratia & Libero arbitrio*, Libros duos *de Spiritu ſancto*, aliaque ipſius Opuſcula in editione a nobis ordinata, præmiſſa. Has Fauſto affectatas phraſes, plurimis Homiliarum *Summariis* deſignavimus, quas quivis Lector per otium legere, pluraque impoſterum obſervare poterit. Idem quoque Fauſtus cum teſte Sidonio Apollinari contemporaneo & amico, Juris Civilis ante Monachatum, ſcientiam imbibiſſet, in hoc homiletico ſcribendi genere, ferme etiam ubique vel comparationes vel voces Juriſprudentiæ affectatas exprimit: quibus ſe Collectanei hujus authorem in individuo deſignat, cum excluſione ſancti Cæſarii atque aliorum omnium.

7. *Septimo.* Solebat Fauſtus, ita ſuas amabat phraſes, ſeipſum aliquando verbotenus excerpere, ut conſtat ex aliis atque indubiis ejusdem Epiſtolis & Opuſculis, in quibus ſeipſum interdum ac ſæpe exſcribit, tum ex libris *de Gratia & libero arbitrio*, tum ex *Epiſtola ad Gregorium*. Atqui eodem modo procedit in his homiliis, in quibus notavimus, alias aliquando ex aliis tranſcribi quoad periodos integras & frequentes: unde conſequens eſt omnem hanc homiliarum Syllogen ſpectare certo ad Fauſtum Abbatem olim Lerinenſem, poſteaque Regienſem in Gallis Epiſcopum. Maxime cum ex Capite antecedenti conſtet, neque Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum, neque Hilarium Arelatenſem, poſſe eſſe hujus Collectanei Scriptores: neque etiam Cæſarium Arelatenſem, ut in hoc capite ad rationes quartam & quintam deduximus.

8. *Octavo.* Denique haud ita ab his homiliis Fauſti nomen eraſum eſt, quin in multis ex his adſcriptum adhuc inveniatur, in antiquis Manuſcriptis Codicibus Bibliothecarum, Regiæ, Colbertinæ, Victorinæ, qui ſexcentorum & ſeptingentorum ſunt annorum: quamvis in his Co-

dicibus non omnis ista Homiliarum Collectio, sed nonnullæ tantum ex illis, duæ nimirum vel tres, vel quatuor inveniantur, sub nomine hoc Fausti. Haud leve tamen argumentum, incuria amanuensium, temporum successu, vel suppressum esse vel mutatum nomen illud, quod amplioribus homiliarum ejusmodi Collectionibus præfigi debuerat.

CAPVT OCTAVVM.

CVR SVPPRESSVM FAVSTI NOMEN, ATQVE IN EJVS LOCVM EVSEBII NOMEN SVBROGATVM SIT, CONJECTVRÆ.

IAm supereſt inquirendum, quid rationis esse potuerit, cur nomen Fausti infausti atque Semipelagiani suppressum fuerit, & cur in ejus locum *Eusebii* nomen adductum sit: cumque nihil apud Veteres hac de re legerim, haud ingratum Lectores habebunt, ut conjecturis utar: quas si quis idoneas repererit, amplectatur; sin e contra leves, pro libitu a se projiciat. Vivens adhuc Faustus, ut postea dicemus in Dissertatione *de Fausto*; hoc habuit infortunii, ut pessime apud plurimos Gallicanæ Ecclesiæ venerandos Antistites, ob doctrinam Semipelagianam, audiret: cujus hominum generis, palam *Antesignanus* appellabatur. Hanc ob malam nominis famam, damnatio librorum ejusdem, a Romano Episcopo Gelasio, in Synodo Romana facta est. Etenim licet ejusdem libri in Galliis ubi Semipelagiana factio nondum consenuerat, laudatores invenissent: Romæ tamen ubi purior *de divina gratia & humana mentis arbitrio* doctrina fulgebat, in acerrimos accusatores, vindicesque immobiles inciderunt: a quibus ob latens in eis virus, quo incauti decipi poterant, ex Catholicorum scholis projecti sunt. Nam anno circiter 494 teste Baronio atque aliis, Romæ Synodus a Gelasio Episcopo celebrata est, in qua LXX consederunt Episcopi, habitaque ab eis est de libris a Catholicis vel admittendis vel foras projiciendis, consultatio. Tum communi Antistitum calculo, ibidem Libri doctrinaque Divi Augustini commendata cum S. Prosperi Opusculis, qui Sanctorum Patrum agmen ibidem claudit, & *Vir religiosissimus*, honoris causa dicitur. Contra vero inter plurimos Hæreticorum, aliorumque abjiciendorum authorum Libros, *Opuscula Cassiani & Fausti* infausti conjecta sunt, atque ceu apocrypha his verbis proscripta: *Opuscula Cassiani Presbyteri Galliarum apocrypha, Opuscula Fausti Regiensis Galliarum apocrypha.* Qua fronte, quibusve rugis, hanc censuram in libros suos latam Faustus admiserit, rescire datum mihi non est. Quem etsi religiosissimum fuisse, summæque virtutis virum, ex contemporaneis scriptoribus noverim: vix tamen impetrare a me possum, ut illum inde tædii vel irarum aliquid habuisse diffitear. Dolorem tamen boni hujus senis, lenivit eodem scribens tempore, librum suum *de Scriptoribus Ecclesiasticis* Gennadius Massilienſis Presbyter, ejusdem Cassianicæ doctrinæ alumnus, atque ipsi Fausto amicus: qui Episcopum censura inustum, affectatis extulit laudibus, hujus Opusculi cap. 85. his verbis.

"Faustus ex Abbate Lerinensis Monasterii apud Regium Galliæ Episcopus factus, vir in Divinis Scripturis satis intentus, ex traditione Symboli occasione accepta, composuit Librum *de Spiritu Sancto:* in quo ostendit eum juxta fidem Patrum, & consubstantialem & coëssentialem esse Patri & Filio, ac plenitudinem Trinitatis obtinentem. Edidit quoque Opus egregium *de gratia Dei qua salvamur, & libero humanæ mentis arbitrio, in quo salvamur.* In quo Opere docet, gratiam Dei semper & invitare & præcedere, & juvare voluntatem nostram: & quidquid ipsa libertas arbitrii pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum. Legi ejus & *adversus Arianos & Macedonianos parvum libellum*, in quo coëssentialem prædicat Trinitatem: & alium *Adversus eos qui dicunt esse in creaturis aliquid incorporeum:* in quo & divinis testimoniis & Patrum confirmat sententiis, nihil credendum incorporeum, præter Deum. Est ejus *Epistola in modum libelli*, ad Diaconum quendam, Græcum nomine edita, qui a fide Catholica discedens, ad Nestorianam abiit impietatem. In qua Epistola admonet, eum credere sanctam Mariam Virginem, non purum hominem genuisse, qui postea susciperet Divinitatem, sed Deum verum & hominem verum. Sunt ejus & alia scripta, quæ quia nec dum legi, nominare nolui: viva tamen voce, egregius doctor & creditur & probatur. Scripsit postea & ad Felicem Præfectum Prætorio, & Patriciæ dignitatis virum, filium Magni Consulis, jam religiosum, *Epistolam ad timorem Dei hortatoriam*, convenientem personis pleno animo pœnitentiam agere disponentibus."

Subblandiri videtur Gennadius Fausto, ob libros quos Gelasii Romani Pontificis censura damnaverat. Damnatum enim ejusdem Opusculum *de gratia Dei & humanæ mentis arbitrio*, non tantum ipse Semipelagianus non damnat, sed e contra ex quadam ad Gelasii censuram oppositione, Faustique ut injuste inusti quadam justificatione: appellat *Opus egregium &c. In quo opere docet gratiam Dei semper & invitare & præcedere, & juvare voluntatem nostram: & quidquid ipsa libertas arbitrii pro labore piæ mercedis acquisierit, non esse proprium meritum, sed gratiæ donum.* His enim vocibus inflicto Faustinis Operibus per Gelasianam censuram vulneri, emplastrum medicus ultroneus adducit. Vixisse autem his adhuc temporibus Faustum Episcopum, Gennadius aperte insinuat, dum ait: *Viva tamen voce egregius doctor & creditur & probatur:* quæ verba hominem adhuc viventem, sanumque arguunt.

Cum itaque Faustus aliunde scribendi satis avidus

avidus, teſtibus viris ſynchronis atque amiciſſimis, Sidonio Apollinari Arvernorum Epiſcopo in *Epiſtolis*, ac Gennadio Maſſilienſi Presbytero *de viris Illuſtribus*, clariſſimus ob Conciones olim atque tunc plurimas, tum Regii, tum Lugduni, tum Arelate, tum aliis in Galliarum locis habitas, eſſet: veriſimile utcunque eſt, Fauſtum ipſum has omnes conciones atque homilias, cum ad decrepitam usque ætatem vixerit, collegiſſe in unum: vel ipſo procurante, iſtud ab aliquo ex Diſcipulis ſuis, quos ſane plurimos habuit, factum: ne lapſu temporum, labores iſti poſteros fugerent. Quia vero ob cenſuram a Gelaſio Romano Pontifice in Opuſcula ſua latam, atque ob ſparſam ubique locorum Semipelagianiſmi ipſius famam, ſiniſtro paſſim nomine laborabat: vel Fauſtum ipſum vel Diſcipulos ſuppreſſiſſe nomen Fauſti, alienumque ex induſtria induxiſſe: quo avidius Homiliæ ejusmodi ab omnibus paſſim emerentur, conſcriberentur, legerentur: doctrinaque Semipelagiana a capite ad calcem his inſerta ſermonibus, paulatim delibaretur, transfunderetur que. Quod enim noſtris temporibus in Gallia noſtra atque aliis in locis factitatum vidimus, ut damnati, vel damnatæ doctrinæ libri ſuppreſſis Authoribus, ubique locorum ſparſi fuerint: hoc & primis Eccleſiæ ſeculis factum legimus. Ut Opuſcula plurima vel ſuppreſſis omnino Scriptorum nominibus, vel mutatis, ſub alienis ac ſpecioſis etiam prodirent: ut latens in eis venenum incautius ebiberetur, tectumque palato dulceſceret. Cum ergo noſceret Fauſtus, poſt cenſuram a Gelaſio latam in ſua Opuſcula, malumque ſibi ex Semipelagianiſmo nomen diffuſum, plurimos homilias ſuas non fuiſſe lecturos, ſi proprio nomine inſcriptæ illæ eſſent: vel ipſe, vel alius quispiam ex Semipelagianis ejus Diſcipulis, huic Homiliarum ſeu Sermonum Fauſti Collectaneo, ſpecioſum devotumque *Euſebii* nomen appoſuit, quod *Pii Viri ac Religioſi* Græce ſignificationem habet. Quid enim tam aptum ad venenum doctrinæ Semipelagianæ contegendum, quod ubique & in omnibus fere his homiliis, effuſum eſt? Ac primum quidem ſolum *Viri Pii* ſeu *Euſebii* nomen appictum eſt: quo non incongrue Fauſtus ſignificabatur, quem eximia commendavit pietas, inſignis abſtinentia, ingens mortificationis cultus, frequens etiam dum Epiſcopus eſſet, ad ſolitudinem Lerinenſem receſſus: ut ab omni hujus mundi ſtrepitu alienus, ſolitarius cum Monachis ſoli Deo vacaret, abſtemiusque viveret, ut inquit Sidonius Apollinaris. Tum poſtea cum Amanuenſes ad quemnam *Euſebium* hi ſermones ſpectarent, non intelligerent: propriumque eſſe Authoris nomen, perperam opinarentur: quisque pro captu adjunxit ſoli *Euſebii* nomini, vel cognomen *Caſarienſis* ut in Manuſcripto Codice Igniacenſi legimus: vel *Emiſſeni*, ut in plerisque aliis MSS. Codicibus. Tum ut firmius impoſterum iſta crederentur, nullusque amplius ambigeret, quin ſermones illi, qui ad Gallum quemdam Epiſcopum ex confeſſione omnium ſpectant; ad Euſebium quendam Græcum, vel *Emiſſenum*, vel *Caſarienſem*, pertinerent: manu audaciori addiderunt ejusmodi Scribæ ſeu Bibliographi, in plurimis MSS. Codicibus, præter *Euſebii Emiſeni* nomen: *Quem* vel *quos*, vel *quæ*, *translatum* vel *translatas ex Græco in Latinum reperimus*. Ut in Regio 4028. Cum tamen indicium nullum ſit, fuiſſe unquam homilias ejusmodi ex Græco in Latium translatas, ſed certiſſime Latini hominis ſint.

Si quis vero hanc fraudem ſeu ſuppoſitionem Fauſtinarum homiliarum ſub *Euſebii* nomine, Fauſto prorſus indignam, aliusque viri ingenui ac probi eſſe judicaverit: non abnuo, nec contendam, dum illam alteri alicui ex Fauſti diſcipulis fideliſſimis adſcribat: qui poſt mortem illius, habitas hinc inde a Magiſtro conciones ne poſteris interirent, in unum collegerit: atque una collectas compactasque, ob odioſum Orthodoxis Fauſti nomen & cenſura Gelaſiana inuſtum, ſub nomine *Euſebii* quod Græce *Religioſum virum* ſonat, evulgaverit. Utrumque enim fieri potuit, utrum amborum factum ſit, incertum eſt. Hoc tamen factum haud ita Fauſto indignum opinarer, quale illud fingere poſſent plurimi. Cum enim Fauſtus ille, etſi devotiſſimus, puriſſimus, abſtemius, ſolitarius, Semipelagianam ſuam doctrinam avide ac tenaciter uti veram amplexus ſit: cum veram illam, divinisque Scripturis conſonam arbitraretur; opinari ille potuit, Divinæ intereſſe laudis, divinique eſſe obſequii, Veritatem ſub alieno nomine edere atque effundere: quæ ſub proprio atque damnato, non ſuſcepta fuiſſet. Nihil ergo impediebat, quin fraudem hanc atque nominis alieni ſuppoſitionem, opus pium atque veræ doctrinæ dilatandæ conſervandæque utile & neceſſarium, devotus etiam, imo devotiſſimus amplexaretur. Penſatis tamen omnibus, longe ſimilius vero eſt, Collectionem illam omnem factam eſſe poſt Fauſti mortem, a Sincero quodam ejus Diſcipulo, Magiſtrique amantiſſimo. Si enim Fauſtus ipſe illam adornaſſet, non Sermones abruptos atque procemiis ut plurimum carentes, ſed integros omnes obtuliſſet. Non *fragmenta* Sermonum hinc atque illinc collecta, non Sermonum *Exordia nuda*, cæteris deficientibus, objeciſſet. Contra vero Diſcipulus ille, poſtquam integros quotquot reperire licuit, Magiſtri ſermones obtulit: ne quid tanti deperiret Doctoris, Sermones etiam incompletos & abruptos, prout aſſequi potuit, perfectis in Collectione iſta ſubjicere non erubuit. Denique & ad calcem, *Fragmenta* tantum atque *Exordia* Sermonum jam tunc amiſſorum, deſcripſit: quæ Diſcipulo convenire, non Fauſto Authori poſſunt. Hæc ego per conjecturas tantum, absque aliorum certiorum præjudicio, quaſi palpans ſcripſi: paratus ſemper veriora etiam his adverſa producta, plenis etiam velis ſequi.

CAPVT NONVM.

ALIA AB ALIIS EVSEBIO EMISENO ATTRIBVTA EXAMINANTVR.

PLacuit quoque Eusebio Emiseno attribui *Homilia XIII.* de variis argumentis, quæ sub nomine Eusebii Cæsariensis, olim a Sirmondo productæ sunt. Ita Cavo placuit, quem audiamus in *Historia Literaria* Scriptorum Ecclesiasticorum seculo 4. ad annum 340. pag. 156. "An "hujus Eusebii Emiseni potius sint *Homilia XIII.* "quas Latine sub Eusebii Pamphili nomine edidit "Jacobus Sirmondus Parisiis 1643. in 8. eruditis "disquirendum relinquimus. Certe nullum ali"ud opinionis suæ fundamentum habuit Sir"mondus, nisi Codicis MS. titulum, in quem Eu"sebii Pamphili, Scriptoribus Latinis magis no"ti, nomen irrepere potuit. Quam infirma "vero sit Codicum Manuscriptorum authori"tas vel hinc patet, quod Homiliæ breves (quas "nulli non spurias esse agnoscunt) in Codicibus "quibusdam Eusebii Cæsariensis nomen sibi præ"fixum habuerint. His habet consimilia in *Eu"sebio Cæsariensi* ad annum 315. pag. 134." Vbi eum confutavimus. 1. enim falsum est Sirmondum inniti sola authoritate unius Manuscripti Codicis, nam duos hujus Operis MSS. Codices sibi conformes vidit Sirmondus & habuit, alterum Abbatiæ Herivallensis Canonicorum D. Augustini Regularium celeberrimæ ob bibliothecam MSS. Codd. alterum S. Cornelii Compendiensis ordinis D. Benedicti: cui addo quod jam dixi, me tertium habuisse, dum degerem olim in Abbatia Bellævallis Ord. Præmonstratensis in Episcopatu Remensi, sexcentorum annorum & optimæ in fol. notæ. Falsum 2. est Sirmondum innitl sola authoritate hujus MS. Codicis, nam & authoritate D. Hieronymi non explicita quidem, sed implicita utitur: qui in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ait Eusebium Cæsariensem *infinita scripsisse volumina*, tum potioribus recensitis addit, *& alia multa:* ex quibus aliis opinatus est Sirmondus, hos tredecim libellos esse posse. 3. Quod ait ad malæ causæ patrocinium Cavus, nullum est, Homilias nempe breves sub *Eusebii Emiseni* nomine evulgatas, in quibusdam MSS. Codicibus *Eusebio Cæsariensi* attribui. Hoc fatemur, sed neutrius Eusebii illæ sunt, nec Emiseni, nec Cæsariensis: ergo exemplum illud, nihil facit ad hos *libellos tredecim* Eusebio Emiseno adscribendos. 4. In his *Libellis tredecim* Eusebio Cæsariensi a Sirmondo adscriptis, Marcellus Ancyranus diserte confutatur, ut recte Sirmondus notavit: constatque multa scripta esse ab Eusebio Cæsariensi Episcopo *contra Marcellum Ancyranum* Sabellianismi in Conciliabulo Constantinopoli anno 336 damnatum, ut ipse Cavus refert in dicto *Eusebio Cæsariensi* pag. 132. Atque hi libri *adversus Sabellianos* sunt, Marcellumque ut diximus perstringunt. Conveniunt ergo apprime dicto Eusebio, ut Sirmondus animadvertit, nec pares pro *Emiseno*, imo nec ullam conjecturam vel minimam, Cavus profert. 5. Cavum fefellit, quod hos libros non legerit, atque *Homilias ad populum* opinatus sit, quibus nuditatem Eusebii Emiseni tegere voluit, quem jure merito omnibus homiliis ipsi olim attributis spoliaverat. Hoc autem ex lectione mihi non patuit, esse *Homilias* quasdam, sed *Libellos* privatim scriptos, quos ita recte inscripsit Sirmondus. Hæc contra vanas Cavi conjecturas. Si quid extat Operum Eusebii hujus, maxime *Oratio Contra Judæos*, cujus meminit Hieronymus in Opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 91. ut supra diximus hujus Dissertationis cap. 1. Extat hæc *Oratio contra Judæos* MS. in *Bibliotheca Imperiali Vindobonensi*, ut habet Petrus Lambecius tomo 4. hujus bibliothecæ pag. 184. quæ legitur in Codice MS. Theologico CLXXVI. fol. 82. pag. 1. cujus hic titulus & initium: Τῦ ὁσίυ Πατρὸς ἡμῶν Εὐσεβίυ ἐπισκόπυ πρὸς τὺς Ἰυδαίυς κατασυλλογισμός. Δίκαιον ἡμῖν σήμερον ἀγαπητοὶ, τῦ χθὲς ἐιρημένυ λόγυ ἐπισκήψασθαι, καὶ ἰδεῖν τὴν τῦ διαβόλυ καὶ τῦ ὄφεως συμβολὴν πρὸς τὺς Ἰυδαίυς κατὰ τῦ Κυρίυ· αὐτὸς γὰρ ὁ διάβολος τῦ Κυρίυ ἐπόντος, περίλυπος ἦν ἡ ψυχή μῦ ἕως θανάτυ· ἐνόμισεν ὅτι τὸν θάνατον ἐφοβήθη, καὶ τὸν πανοῦργον ἐδουλίσατο, καὶ δρομὺν πρὸς τὸν ὄφιν, εἶπεν· ἀδελφὲ ὄφι, γενῦ ἕτοιμος, καὶ ἐυτρέπισόν μοι τόπον, ὅπως καταπλήσωμεν τὸν Ἰησῦν τὸν λεγόμενον Χριστὸν, ὃν &c. *Sancti Patris nostri Eusebii Episcopi contra* vel *ad Judæos, Oratio Syllogistica. Justum nobis hodie, dilecti, sermonem quem heri diximus, considerare &c.* An autem Eusebii Emissæni Oratio hæc digna sit, an supposita, viderint qui eam possident atque lectitant. Idem sane Petrus Lambecius tomo seu libro V. *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* pag. 135. in discussione Codicis MS. Theologici Græci CCXLVIII. num. 4. hæc habet. "Quarto & quidem a fol. 49. pag. 1. ad usque "fol. 54. pag. 1. Eusebii Emiseni in Phœnicia Epi"scopi Homiliæ sive Orationes tres, quarum "prima *de sancti Joannis Baptistæ post decollationem "suam, descensu ad inferos, & prædicatione adven"tus Christi.* Inscribitur atque incipit hoc mo"do: Τῦ μακαρίυ Εὐσεβίυ λόγος περὶ τῆς παρε"σίας Ἰωάννυ ἐν τῷ ἅδῃ, καὶ τῶν ἐκεῖσε ἐγκλει"σμένων. ἀναγκαῖον ἡμῖν ἐφ' ἑκάστυ σήμερον ἐρευνᾶ"σαι καὶ γνῶναι, ποταπὸς ὁ εὐαγγελισμὸς τῦ Προ"δρόμυ ἐν τῷ ἅδῃ &c. Secunda *de proditione Judæ.* τῦ αὐτῦ εἰς τὴν προδοσίαν. Δεῦρο λοιπὸν "οἱ ἐμοὶ ἀγαπητοὶ καὶ περὶ τῆς προδοσίας τῦ Ἰυ"δα &c. Tertia *in Diabolum & infernum post pro"ditionem Christi per Judam.* τῆ μεγάλη Παρασκε"ῆ τῦ μακαρίυ Εὐσεβίυ λόγος εἰς τὸν διάβολον "καὶ εἰς τὸν ἅδην, μετὰ τὸ παραδῶσαι ὁ Ἰούδας τὸν "Κύριον. Δίκαιον ἡμῖν σήμερον, ἀγαπητοὶ, τὰ "ἀκόλυθα τῦ χθὲς ἐιρημένυ λόγυ ἐπισκήψασθαι" &c. Plura de Eusebio Episcopo Emeseno ejus"que *Homiliis* sive *Orationibus*, & specialim qui"dem de *Tertia* vide Libro 4. horum Commen"tariorum pag. 184. & 231." De quo & Lambecius in Catalogo hujus tomi pag. 324. Videant quoque

quoque Critici, an ad eundem quoque Eusebium Emissenum spectare possint, Homiliæ tres *de variis argumentis*, quæ in MSS. Codicibus Græcis Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, sub Eusebii Episcopi Alexandrini, (qui nullus certe fuisse legitur) nomine inscriptæ feruntur, de quibus Lambecius tomo 5. seu libro citato pag. 22. in examine MS. Codicis Theologici Græci CCX. num. 15. his verbis. „Decimo quinto & quidem „a fol. 124. pag. 1. usque ad fol. 129. pag. 1. *Eusebii Episcopi Alexandrini Oratio de jejunio Quadragesimæ*, cujus titulus & principium: Τῷ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Εὐσεβίου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας λόγος περὶ νηστείας. Παραγενομένης τῆς ἁγίας τεσσαρακοστῆς τῶν νηστειῶν, προσελθὼν ὁ Ἀλεξανδρεὺς τῷ μακαρίῳ Εὐσεβίῳ ἐπισκόπῳ Ἀλεξανδρείας λέγει· δεομαί σε Κύριέ μου, διδαξόν με, πῶς ὀφείλει ἄνθρωπος Χριστιανὸς ἐν ταῖς ἡμέραις τῶν ἁγίων νηστειῶν &c. Ibidem pag. 24. „num. 21. Vigesimo primo. Et quidem a fol. „169. pag. 1. usque ad fol. 171. pag. 2. *Eusebii „Episcopi Alexandrini Oratio de memoria Sanctorum*, cujus titulus & principium: τῷ μακαρίῳ „Εὐσεβίῳ ἐπισκόπῳ περὶ μνείας ἁγίων. „ Μιᾷ τῶν ἡμερῶν μιᾷ μνήμη Μαρτύρων ἐτελεῖτο ἐν τῇ πόλει, καὶ προσελθὼν ὁ Ἀλέξανδρος τῷ μακαρίῳ Εὐσεβίῳ ἐπισκόπῳ λέγει. δέομαί σε, τίμιε ἐπίσκοπε &c. Hujus Eusebii Alexandrini aliæ variæ Orationes memorantur a Leone Allatio in Diatriba de Symeonum Scriptis. Ibidem pag. 148. in discussione Manuscripti Codicis Theologici Græci num. 8 „Octavo & quidem a fol. 66. pag. 2. „usque ad fol. 86. pag. 2. *Eusebii Archiepiscopi Alexandrini Oratio de Eleemosyna in Divitem & Lazarum*, cujus titulus & principium: Τῷ ὁσίῳ Πατρὸς ἡμῶν Εὐσεβίου Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας λόγος, περὶ ἐλεημοσύνης εἰς πλόσιον καὶ εἰς τὸν Λάζαρον. Φέρε εἰς μέσον τὸν λόγον σήμερον ἀγαπητοὶ προθήσωμεν περὶ ἐλεημοσύνης &c. de quo „in Catalogo quoque Scriptorum hujus tomi, pag. 324. „ De eodem quoque idem Lambecius tomo seu Lib. 8. ejusdem Bibliothecæ pag. 357. in examine Codicis MS. Historici Græci XXXIII. num. XIV. fol. 90. Idem pag. 360 in examine Codicis Manuscripti Historici Græci XXXIV. n. IV. fol. 39. *S. Eusebii Archiepiscopi Alexandrini Responsum ad cujusdam Alexandrini Interrogationem de causa colendi Dominicum diem, & abstinentia a laboribus eo die prohibitis*: quod inscribitur & incipit his verbis: Τῷ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Εὐσεβίῳ Ἀρχιεπισκόπῳ Ἀλεξανδρείας, ὅτι οὐ δεῖ ἐργάζεσθαι τῇ ἡμέρᾳ τῆς Κυριακῆς οἱονεῖ ἔργον. παθεζομένῳ τῷ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Εὐσεβίῳ Ἀρχιεπισκόπῳ Ἀλεξανδρείας ἐν ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας Κυριακῆς, μετὰ τὴν ἀπόλυσιν τῆς ἐκκλησίας, εἷς τις ὀνόματι Ἀλέξανδρος, ὁ δι' αὐτῷ ἐπιστρέψας πρὸς Κύριον τὸν Θεὸν ἡμῶν, προσελθὼν λέγει αὐτῷ· Δέομαί σε Κύριε τίνος ἕνεκεν ἐστὶν ἡμῖν ἐπ' ἀνάγκης φυλάσσειν τὴν ἡμέραν τῆς Κυριακῆς, καὶ μὴ ἐργάζεσθαι, ἢ ποῖον ἐκ τούτου ἔχομεν κέρδος; ὁ δὲ μακάριος ἐπίσκοπος ἤρξατο λέγειν· τέκνον, καὶ ἐγώ σοι περὶ πάντων τῶν γινομένων ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς Κυριακῆς &c.„ Verum hæ merces mihi maxime suspectæ sunt, præsertim cum nullus fuerit hujus nominis Alexandrinus: aliique plures Eusebii sint, inter Græcos, ad quos spectare possint, ut Cæsariensis, Nicomediensis, Dorilæensis, Thessalonicensis &c.

Constat ergo nihil omnino apud nos permansisse, ex operibus, quæ ab antiquis Eusebio Emiseno attributa sunt, atque Cavum in conjecturis suis, non minus quam alios, hallucinatum esse. Agunt de *Emiseni* scriptis, omnes recentiores, Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Eusebius Emisenus*. Bellarminus & Labbeus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Andreas Rivetus lib. 3. *Critici Sacri* cap. 1. pag. 148. Guillelmus Cavus, loco citato.

DISSERTATIO
DE
VITA ET OPERIBVS SANCTI HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI.

Ao. 350. PAucis Vitam atque Scripta sancti Hilarii Pictavensis Episcopi complectitur Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 100. his verbis, quibus prologi vice ad hanc Dissertationem utemur. „Hilarius urbis Pi„ctavorum Aquitaniæ Episcopus, factione Sa„turnini Arelatensis Episcopi, de Synodo Byter„rensi Phrygiam relegatus, *duodecim adversus „Arianos* confecit libros: & alium librum *de Syn„odo* quem ad Galliarum Episcopos scripsit: & „*in Psalmos Commentarios*, primum videlicet & „secundum, & a quinquagesimo primo usque ad „sexagesimum secundum, & a centesimo decimo octavo usque ad extremum: in quo opere imitatus Origenem, nonnulla etiam de suo addidit. Est ejus & *ad Constantium libellus*, quem viventi Constantinopoli porrexerat: & alius *in Constantium*, quem post mortem ejus scripsit: & *Liber adversus Valentem & Ursacium* historiam Ariminensis & Seleuciensis Synodi continens: & *ad Præfectum Salustium* sive contra Dioscorum: & *Liber Hymnorum & Mysteriorum* aliud: & *Commentarii in Matthæum* & *Tractatus in Job*, quos de Græco Origenis ad sensum transtulit: & alius elegans *Libellus contra Auxentium & nonnulla ad diversos Epistolæ*. Ajunt quidam scripsisse eum & in *Cantica Canticorum*, sed a nobis hoc opus ignoratur. „ Mortuus est Picta-

Digitized by Google

vis, Valentiniano & Valente regnantibus. Opera porro ſancti Hilarii Pictavorum Epiſcopi cum recenter anno nimirum 1693. Lutetiæ Pariſiorum apud Franciſcum Muguet, typographum Regis, Cleri Gallicani & illuſtriſſimi Pariſienſis Archiepiſcopi eleganter in fol. impreſſa ſint: illa nobis occaſionem Diſſertationis hujus præbuerunt. Collata enim dicuntur & vere ad Manuſcriptos codices Gallicanos, Romanos, Belgicos, nec non etiam caſtigata ad veteres editiones, aucta aliquot Opuſculis, ornata præviis in locos difficiles Diſputationibus, Præfationibus, Admonitionibus, Notis, illuſtrata vita nova ſancti Confeſſoris ex ejus ſcriptis potiſſimum collecta, & locupletata copioſiſſimis indicibus Scripturarum, Rerum & Gloſſarum: ſtudio & labore, Monachorum Ordinis divi Benedicti, Congregationis S. Mauri, ut inquit titulus: ſed hujus potiſſimus ac unicus ferme promotor editionis fuit Dominus Petrus Couſtant, cujus laboris oculati teſtes ſumus, quem jam affectum atque editioni paratum ſæpe ſæpius tenuimus. Quæ itaque latius in hac editione de Vita & Operibus Hilarii præmiſit Petrus Couſtant, nos hic in compendium contrahemus, ab ipſo verbotenus accipientes, quod ſemel admonuiſſe ſatis ſit. Ejusdem ſcriptoris ſunt *Vindiciæ Manuſcriptorum Codicum a R. F. Bartholomæo Germon impugnatorum* cum *Appendice* in qua S. Hilarii quidam loci ab Anonymo obſcurati & depravati, illuſtrantur & explicantur. Auctore D. Petro Couſtant Presbytero Monacho Ordinis ſancti Benedictini e Congregatione S. Mauri, Pariſiis apud Viduam Franciſci Muguet Regis & Cleri Gallicani Typographi 1706. in 8. Quæ Hilario illuſtrando conducit.

CAPVT PRIMVM.

VITA S. HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI, PAVCIS COLLIGITVR.

HOc argumentum latiſſime explicat novus Operum S. Hilarii Pictavienſis editor, in Præliminaribus ad Operum editionem col. LXXXIII. cujus compendium hic exhibemus, Clariſſimum Eccleſiæ ſidus Hilarium, in Galliis ortum habuiſſe nemo unquam negavit: unde Auguſtinus inquit Lib. 1. contra Julianum cap. 3. *Quis enim ignorat Hilarium Epiſcopum Gallum?* Et vero ex Aquitania, quam Sulpitius Severus ſub finem Dialogi 1. Ammiano Marcellino lib. 15. cap. 11. ſuffragante, cæteras Galliarum provincias urbanitate tunc ſuperaſſe ſignificat, eum oriundum eſſe apud omnes convenit. Neque ſolum Gallus, ſed & *Pictavis genitus* ab Hieronymo memoratur, præfatione in lib. 2. Commentariorum ad Galatas. Cui conſentit Venantius Fortunatus lib. 8. carm. 1. & lib. 2. carm. 16. Celebris hic oritur quæſtio, utrum Chriſtianis parentibus natus ſit: quam definire non audet Petrus Coutant, licet ad partem affirmativam propendere videatur. An Romæ, an etiam in Græcia ingenium ſuum optimarum artium ſtudio exoluerit, non temere aſſeruerim: maxime cum Hieronymus Epiſtola 4. ad Ruſt. ſcripto mandaverit ſtudia tunc in Galliis *florentiſſima* extitiſſe. Tantam vero eloquentia acquiſivit gloriam, ut ab eodem Hieronymo, præfatione in lib. 2. Commentariorum ad Galatas & Epiſtola 141. ad Marcellam, vir temporibus ſuis diſertiſſimus & eloquentiæ Rhodanus appellari meruerit. Operam quoque Poeticæ dedit, eamque artem quam ad pravos & impuros uſus multi detorquent, ad celebrandas Dei laudes & ad Apoſtolorum geſta, Martyrumque certamina decantanda adhibuit. Illum quandam duntaxat Græcarum litterarum aurulam cepiſſe, & ad obſcuriora Origenis verba intelligenda, Heliodori Presbyteri opera uſum eſſe, auctor eſt Hieronymus Epiſtola 141. ad Marcellam. Publicis expetitum votis, Pictavorum Epiſcopum eſſe conſtitutum circa annum 355. teſtatur Cardinalis Baronius, licet conjecturæ graves non deſint, quin annis aliquot ante id temporis aſſignatum, ad ſedem Pictavienſem aſſumi potuerit. Conjugatum fuiſſe, & cum uxore etiam poſt ſuſceptum Epiſcopatum cohabitaſſe, non inficiari cordatiores etiam Pontificios vult Cavus, ſed negat ultimus Operum S. Hilarii editor Petrus Coutantius in Vita S. Hilarii cap. 3. num. 20. colum. 89. Scribit ille *maritatos* ea lege ordinatos eſſe, ut ab operibus nuptiarum deinceps abſtinerent: quod Hieronymo Lib. 1. contra Jovinianum affirmanti, negare non auſus eſt, continentiæ quamvis adverſarius Jovinianus, adeo ut volens nolens confeſſus ſit: *non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat: alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur.* Verum ipſa ad Abram filiam Epiſtola S. Hilarii, quam ipſe editor ut germanam admittit, contrarium arguere mihi probatur. Citatus Operum editor, vult Hilarium ab Evangelio Matthæi exponendo non ſine cauſa exordium feciſſe docendi. Hoc porro Hilarius coram populo Pictavienſi interpretatus eſſe, ac deinde conciones ſuas in publicum emiſiſſe tanto exiſtimatur facilius, quod non ſingula verba, ut interpretes ſolent, ſeorſim expendat: ſed quod magis concionantis eſt, nonnulla omittat, alia paucis perſtringat, & alia copioſius tractet. Sed quemadmodum lib. 6. de *Trinitate* num. 1. declarat, ſe ad libros de Trinitate ſcribendos ea ſtudii atque officii ſui permotum eſſe neceſſitate, qua ut *Eccleſiæ Epiſcopus Evangelicæ prædicationis miniſterium* Eccleſiæ ſe debere ſentiebat: ita etiam non dubium eſt, quin eadem ratione adductus ſit, ut privatas conciones in unum Commentariorum corpus redactas publicas faceret, ut nimirum non uni ſed toti Eccleſiæ prodeſſet. Conſtitutus Epiſcopus cum privatæ etiam quietis incommodo, Catholicam fidem tuitus eſt. Anno 355. Conſtantius Concilio Mediolanenſi habito, lapidem omnem movit, ut extinctionem Nicænæ fidei procuraret,

procuraret, & Athanasii condemnationem extorqueret. Multi autem territi minis, ac fraude dolisque decepti, communionem Arianorum susceperant in hoc Mediolanensi Concilio, eratque metuendum, ne orbis Christianus tam pessimo exemplo ad defectionem veræ fidei alliceretur. Cui malo ut occurreret, statim post exilia Eusebii, Luciferi ac Dionysii, hoc est statim post prædictum Concilium, auctores totius mali Saturninum, Valentem & Vrsatium a fidelium communione separandos decrevit, indulta resipiscendi facultate cæteris eorum consortibus. De hoc decreto sic ipse lib. in Constantium num. 2. loquitur. *Ego gravissimum fidei periculum longe antea prævidens, post sanctorum virorum exsilia Paulini, Eusebii, Luciferi, Dionysii, a Saturnini & Vrsacii & Valentis communione me cum Gallicanis Episcopis separavi, indulta cæteris consortibus eorum resipiscendi facultate: ut nec pacis abesset voluntas, & principalium morborum fœtida & in corruptionem totius corporis membra proficientia desecarentur: si tamen hoc ipsum beatissimis Confessoribus Christi editum decretum tum a nobis manere placuisset.* Hilarius hujus auctor merito videri potest ac moderator præcipuus, quamvis hanc gloriam sibi ipse soli non arroget. Neque alia videtur causa, cur in eum nominatim Saturninus tantum odium conceperit, ut non longe post intervallo illum Biterras venire cogeret, & inde in Phrygiam confictis calumniis amandaret.

Itaque Saturninus Arelatensium Episcopus vir sane pessimus, & ingenio malo pravoque, qui sanis consiliis statutisque salubribus acquiescere non noverat; Vrsatiusque & Valens ei nequitia nihilo inferiores, eum procul amandandum constituunt, & pessimum hoc consilium in Biterrensi conventiculo adoriuntur. Hujus Synodi tempus facile est cognoscere. Quippe certis historiæ monumentis constat, Julianum die 8. Idus Novembris Arbatione & Lolliano Coss. id est anno 355. Cæsarem Mediolani dictum, & inde Calendis Decembris egressum in Gallias, Viennæ commoratum esse ad anni 356. mensem Junium, quo in Germaniam profectus, easdem Galliarum regiones ante annum 360. non repetierit. Ex quibus certe colligere est, Biterrensem conventum anno 356. ante mensem Junium actum esse. Nec ab his abludit computatio, qua Sulpitius consilii Hilarii annos numerat. Eo enim teste quartum jam exsilii annum agebat, cum ad Seleuciense Consilium vocatus est: Atqui mense Septembri anni 359. celebratum fuit Seleuciense Consilium, igitur ante mensem Septembrem anni 356. Hilarius fuit relegatus. Ad hæc Hilarius librum *de Synodis* num. 2. se scripsisse significat, cum in exilio *totum jam triennium* exegisset: hunc autem scripsit exeunte anno 358. vel saltem ineunte 359: & hinc igitur planum est, Hilarii exilium intra anni 356. initia, ac proinde ante Juliani adversus Germanos expeditionem, contigisse. Constitutus in exilio composuit Libros 12. de Trinitate inscriptos, adversus Arianorum impietates atque infamias. Sic ille lib. 10. num. 4. *Quia iniquitas se per hoc exilii nostri tempus ostenderit, quæ veritatis impatiens, sana doctrina prædicatores, ut secundum desideria sua coacervet sibi magistros, relegat: exilio nostro latantes & gaudentes in Domino constituisse in nobis plenitudinem Apostolicæ prophetiæ.* Atque iterum, *Licet nunc a multis coacervantibus sibi magistros, sana doctrina exulet: non tamen a Sanctis quibusque prædicationis veritas exulabit: loquemur enim exules per hos libros, & sermo Dei qui vinciri non potest, liber excurret.* Litteræ etiam a Gallicanis Episcopis ad Hilarium datæ, rescripto ei occasionem præbuerunt, quod vulgo juxta Hieronymum *Liber de Synodis* appellatur. De quo quamvis speciali præfatione agendum, silere tamen hic non licet, ne potiori parte careat tam præclaræ vitæ series. In hoc siquidem emicat sincera in Deum pietas, in Dei Ecclesiæque rebus singularis prudentia, reverentia in Regem, in patriam amor, pacis studium, humilitas Christiana, zelus secundum piæ discretionis scientiam temperatus, uno verbo omnes quæ piissimum juxta atque fortissimum Ecclesiæ principem decent virtutes. Maxime ut optatis satisfaceret Gallorum, qui de Orientalium rebus certiores ab eo fieri postularant, exeunte anno 358. aut anno 359. ineunte hoc Opus suscepit, non sine demissa sui præfatione, qua grave onus *sibi imperitissimo atque indoctissimo omnium* impositum testatur. Id in eo ab exordio sibi præscripsit, ut quia non ignoraret Gallos Orientalesque mutuis suspicionibus detineri: non eas augeret, sed imminueret, & utrosque ad concordiam in proxime habendis Conciliis firmandam præpararet.

Anno 359. Hilarius quartum jam exilii annum in Phrygia agens, inter reliquos Episcopos pervicarium ac præsidem data evectionis copia Concilio Seleucienſi adesse compellitur. Hæc ubi Severus Sulpicius lib. 2. pag. 254. dixit, addit Imperatorem de eo nihil specialiter mandasse, sed judices generalem jussionem secutos, qua omnes Episcopos ad Concilium cogere jubebantur, hunc quoque inter reliquos volentes miscuisse; idque ita Dei nutu gestum, ut vir divinarum rerum instructissimus, cum de fide disceptandum esset, interesset. „ In eo Concilio ut ipse testatur *Adversus Constantium* num. 12. non sine ingenti dolore tantum blasphemorum reperit, quantum Constantio placuerat. Vt tamen pluribus prodesset, & dolorem suum dissimulandum, & affabilem omnibus sese exhibendum esse existimavit, illicque Gallicanos Ecclesias ab infami Sabellianismi crimine apud Orientales laborantes coram vindicavit. Quæ vero de impiis & horrendis Anomæorum dogmatibus ipse præsens audivit, vide apud ipsum *Libro contra Constantium*, qui incipit *Tempus est loquendi* &c. num. 14. Habitum istud Concilium die 27. Septembris anno 359. de quo plenius

nius author Vitæ S. Hilarii ex ipſius potiſſimum ſcriptis collectæ cap. 8. num. 56. & ſequentibus. Soluto illo legatos Concilii, quos inter Baſilius Ancyræ, Euſtachius Sebaſtæ, Silvanus Tarſi, & Eleuſius Cyzici primarii erant, Conſtantinopolim ſecutus eſt noſter Hilarius. Conſtantinopoli tum aderat, nullis certis de ſe mandatis, opperiens Conſtantii voluntatem, ſi forte ad exilium redire juberetur. Illic Orientales opera Hilarii Gallos ſibi devinciunt, quod pluribus deducit ex fragmentis Hilarii, nuperus ſcriptor *Vitæ* ejus capp. 9. & 10. Tunc Hilarius uti diximus, Orientalium ſuſcepit literas, & in Gallias fideliter transmiſit. Sed & cum optimis Sacerdotibus aut metu territis aut exilio fractis, perfidiæ paucorum cuncti concederent: teſte Sulpicio Severo pag. 201 ubi extremum fidei animadvertit periculum, ut de fide coram adverſariis ſibi liceret diſceptare, ab Imperatore petiit. Hoc eum tribus libellis popoſciſſe, poſt Sulpicium ſcribit Fortunatus: ſed uterque tres libros, quos etiamnum aut in Conſtantium aut ad Conſtantium habemus, videtur confudiſſe.

Varios Hilarii conatus ad hæreſim in ipſa regia civitate tanquam in ſuo fonte comprimendam, cum diutius inimici veritatis ferre non valerent: Imperatori perſuaſere juxta Sulpicium Severum pag. 261. ut *quaſi diſcordiæ ſeminarium & perturbator Orientis redire ad Gallias juberetur.* Glorioſum ſane hoc illius crimen, quod iniquos prava ſua pace gaudere non ſineret, & ſeminarium quoddam eſſet, unde excitarentur aſſidue, qui ab hæreticis diſſentirent. Conſilii hujus quo in Gallias dimiſſus eſt, Valentem & Vrſacium auctores extitiſſe, teſtis eſt Fortunatus. Tum vero Hilarium, paulo ante annum 361. qui Conſtantii poſtremus fuit, de exilio revertentem Gallicana Eccleſia complexa eſt: non quidem poſt Conſtantii obitum, quod ſonare videntur verba S. Hieronymi in *Dialogo contra Luciferianos:* ſed ut in *Chronico* accuratius ſcribit, poſtremo ejusdem Imperatoris anno. Plura Petrus Coutant in Vita S. Hilarii ex ipſius potiſſimum ſcriptis collecta cap. 11. num. 82. columna CXI. & ſequentibus.

Intra Galliarum fines continere ſe non voluit, S. Hilarii pro Catholica religione ſtudium. His igitur pace reddita, tranſcendit Alpes, ut Italiæ ac vicinis regionibus quæ hæreſis Arianæ furore atque contagione longe magis depravatæ fuerant, conſuleret. Illum teſte Ruffino lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 30. Euſebius ab Alexandrino Concilio Vercellas rediens, ac ſingulas quasque Orientis atque Italiæ Eccleſias *abjurata infidelitate ad ſanitatem rectæ fidei revocans, in Italia poſitum hæc eadem ad inſtaurandas Eccleſias, fidemque Patrum reparandam reperit molientem,* eique ſe in idem opus libenter adjunxit. Specialem hanc duorum illorum Confeſſorum ſocietatem, non incommode credideris circa anni 363. principia initam: maxime cum Georgii PſeudoPatriarchæ Alexandrini mors, quæ poſt medium annum 362. contigit, præceſſerit Alexandrinum Conſilium, ex quo Euſebius tunc temporis revertebatur. Pluribus Vita S. Hilarii citata cap. 12. num. 94. & ſequentibus. Cap. 13. num. 100. & ſeqq. Juxta igitur Coutantium loco citato, partem anni 362. totumque 363. Hilarius in Italia egerat, cum Valentinianus rerum potitus, Mediolanum die 26. Februarii anni 364. pervenit. Cum autem Auxentius adverſus Chriſti divinitatem ſentiret, Hilarius in arenam cum eo deſcendit, ipſum Mediolano expellere niſus eſt, cum illo congreſſus eſt, fallacias detexit, geſtaque cum Auxentio in publicam lucem eduxit. Poſthabita tamen Hilarii admonitione, Valentinianus juſſit illum Mediolano cedere, & ad Auxentii communionem acceſſit. Cum ergo S. Hilarius Regis præcepto paruiſſet, circa finem anni 364. Italia diſcedens, Pictavos ſe recepit. Et quamvis hic nobis acta deficiant, non eſt ambigendum tamen, quin aſſiduæ orationi vacando, & populum ſibi creditum Chriſtianis inſtituendo diſciplinis, perfecti paſtoris munia obierit. Cum denique plurimos ad Eccleſiam ab hæreſi tuendam exantlaſſet labores S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, ſuæ reſtitutus Eccleſiæ, debitum humanæ ſortis exſolvit, vel anno 367. vel melius 368. die 13. Januarii, qua de re pluribus Petrus Coutant in *Vita S. Hilarii ex cujus ſcriptis hæc potiſſimum collecta ſunt* cap. 14. num. 113. 114. & 115.

CAPVT SECVNDVM.
DE
DOGMATIBVS SVSPECTIS AVT SINGVLARIBVS S. HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI.

NOvus Operum S. Hilarii editor Petrus Coutant, in inſigni præfatione omnes impactas Hilario ſententias ſuſpectas amolitur ex ipſis quantum poteſt Hilarii verbis, qui quantum valeret in antiquitate atque doctrina Eccleſiaſtica, eximie præfatione iſta ampliſſima orbi litterario teſtatus eſt. Difficiles porro S. Hilarii ſententias ab ipſo fuſe explicandas, in novem paragraphos diſtribuit, quorum hic tibi pauca per compendium dabimus.

§. 1. Sana ſancti Hilarii doctrina de conceptione Chriſti demonſtratur, pag. XIV. num. 41.

Præpoſitus Johannes apud Philippum Bonæ Spei Abbatem repetitis Epiſtolis contendit Hilarium in libro 10. *de Trinitate* aſſerere *Dominum noſtrum corporis initium non accepiſſe ex Maria, ſed, quaſi ex Spiritu Sancto: cum e contra Eccleſia Catholica teneat, quia in illa conceptione Domini Jeſu, Spiritus Sanctus non fuerit cauſa materialis ſed efficiens, caro autem ſacræ Virginis fuerit cauſa materialis.* Idem ſenſit Eraſmus in Præfatione ſua ad editionem Operum S. Hilarii, & Sculletus in *Medulla Patrum* pag. 412. Sed hanc ab Hilario calumniam ita evidenter pulſat Petrus Coutant in Præfatione

fatione ad Opera Hilarii pag. XIV. parag. 1. num. 41. & ſequentibus, ut nullus ſit qui contra audeat. Sic ille Tractatu in Pſalmum 138. num. 2. *Quæcunque homini illi, quem ex utero ſanctæ Virginis aſſumpſit, & in quo ſe naſci hominem qui Deus erat voluit, apta & congrua eſſe videbuntur, cum debita cœleſti naturæ ſuæ dignitate tractentur.* Sed & ex libro 10. de Trinitate, unde præſertim ortæ dicuntur ſuſpiciones, eas amovere licebit. Quid autem ſibi vult illud num. 17. *Quæ* (B. Virgo) *officio uſa materno, ſexus ſui naturam in conceptu & partu hominis exſecuta eſt:* niſi beatam Virginem in conceptu corporis Chriſti de carne ſua ſuppeditaſſe, quod ſuppeditare ſolent aliæ matres? Et lib. 1. de Trinitate num. 11. *Ac ne Verbum caro factum aut aliud eſſet quam Deus Verbum, aut non noſtri corporis caro eſſet, habitavit in nobis: ut dum habitat, non aliud quam Deus maneret: dum autem habitat in nobis, non aliud quam noſtra carnis Deus caro factus eſſet.* Et lib. 9. num. 7. *Corporis noſtri natus homo, ſecundum conſuetudinem naturæ noſtræ locutus eſt.* Lib. 11. num. 16. *Per id quod in nobis habitat Verbum caro factum, Deus eſt in corporis noſtri veritate.* Adeo ſenſit Hilarius carnem Chriſti ex Adam ac poſteris peccatoribus propagatam, ut eam & *carnem peccati* & *peccatum* vocare non dubitet: dum lib. 1. de Trinitate num. 13. inquit, *Carnem enim peccati recepit, ut aſſumptione carnis noſtri delicta donaret, dum ejus ſit particeps aſſumptione, non crimine.*

§. 2. **De naturali hominum unitate cum Chriſto, eoque mediante cum Patre p. XXIII. num. 76.**

Inter ſententias S. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi ſibi ſuſpectas, Eraſmus in præfatione ſua recenſet, quod *cum alias, tum in libro de Trinitate 8. magna contentione defendit, nos quoque cum Patre & Filio unum eſſe natura, non adoptione, neque conſenſu.* Recte autem oſtendit Petrus Coutant, nunquam hanc fuiſſe ſancti Hilarii mentem, quam ipſi affingit Eraſmus, ſed unitatem hominum cum Chriſto aſſeri tum ob naturam illorum ab eo vere aſſumptam, unde omnes homines unitatem quamdam cum Chriſto atque ipſo etiam mediante cum Patre ſervant. Tum hominum cum Chriſto unitas ab Hilario aſſeritur, ob carnem Chriſti ab Hominibus in Euchariſtia perceptam, ſic enim ille lib. 8. de Trinitate num. 13. noſtram cum Chriſto naturalem ſic unitatem declarat: *Si enim vere Verbum caro factum eſt, & nos vere verbum carnem cibo Dominico ſumimus: quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandum eſt, qui & naturam carnis noſtræ jam inſeparabilem ſibi homo natus aſſumpſit, & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis, ſub ſacramento communicandæ carnis, admiſcuit?* Tertius autem unitatis noſtræ cum Chriſto modus eſt gloria communis, qua Chriſtus nos cum Patre unum eſſe efficiat.

§. 3. **De impaſſibilitate corporis Chriſti pag. XXX. num. 98.**

Quæſtio eſt an S. Hilarius Chriſtum eſurien-

di, timendi, dolendi, aliisque humanis affectibus obnoxium negaverit? Primus inter veteres Claudianus Mamertus lib. 2. *de ſtatu animæ* cap. 9. in Hilarii ſcriptis duo ut veris adverſa animadvertit: *unum quod nihil incorporeum creatum dixit, aliud quod nihil doloris Chriſtum in paſſione ſenſiſſe dixit:* additque, *cujus ſi vera paſſio non fuit, redemptio quoque noſtra vera eſſe non potuit.* Multis poſt ſeculis Berengarius tanti viri famam labefactare, ac teſte Lanfranco Epiſtola 50. divulgare conatus eſt, quod *in Tractatu fidei perverſa ſenſerit, & in libro de divina Trinitate improbabiles ſententias de Domino Jeſu Chriſto protulerit.* Non ita multo poſt idem ille Johannes, qui Hilarium *de conceptione Chriſti* male ſenſiſſe pertinaciter voluit, Epiſtolis iisdem non minus præfracte contendit, ipſius de paſſione Chriſti opinionem a recta fide abhorrere. Ea quoque in re Baronius ad annum 563. num. 4. minus circumſpecte quam ſolet, de Hilario loquitur: dum ſcribit eum ab Aphthardocitis inſtauratum eſſe errorem, qui in Hilario jam damnatus fuerat: ac præter Claudiani Mamerti judicium, nullam affert damnationis hujus auctoritatem. Neque illi in hac cauſa parcunt Eraſmus atque Sculletus. Plures alii etſi non aperte ſanctum Præſulem damnant, eum tamen aut frigide defendunt, aut in eorum propendent ſententiam, qui illum erraſſe opinantur. Mediam nonnulli ſententiam ineunt, qui cum confiteantur eum in libris *de Trinitate*, parva & a recte fide aliena docuiſſe: hoc erratum poſterioribus ſcriptis ab ipſo caſtigatum ac retractatum fuiſſe exiſtimant. Non minus celebres fuere, qui venerandi Doctoris fidem adverſus reprehenſores vindicarunt. Ac primo quidem uni Claudiano Mamerto opponere licet, quotquot Eccleſiæ Patres Hilarium hunc laudarunt. Hoc jam eleganter præſtitit Lanfrancus Epiſtola 50. ubi Berengarii cenſuram eo maxime argumento repellit, quod *quisquis Hilario alicujus hæreſeos notam imponit, multos orthodoxos principes, qui magnis eum laudibus extulerunt, ejusdem erroris macula involvit.* Vt enim poſtea ſubjicit, *Gelaſius Papa in decretis ſuis libros ejus inter catholicas ſcripturas enumerat. Ejus auctoritas in ſacris Canonibus decentiſſime memoratur, recipitur, & laudatur. Sanctus Auguſtinus in libro de Trinitate 6. cap. 10. excellenti cum laude extollit. Beatus Hieronymus quantis eum, omnesque libros ejus in quibusdam ſuis præconiis effert, epiſtolari brevitate comprehendi non poteſt. Cæteri ſacræ religionis Doctores, quicunque de eo aliquid locuti ſunt, ab horum ſententia in hac parte non diſſenſerunt.* In eandem venit ſententiam Philippus Abbas Bonæ Spei, ord. Præmonſtratenſis, quem ſupra retulimus. Eundem quoque ſanctum Epiſcopum non longe poſtea Thomas de Aquino 3. parte quæſt. 15. art. 5. & 6. ac Bonaventura in 3. Sententiarum Diſt. 16. excuſarunt, imitati Magiſtrum Petrum Lombardum, qui omnes operam navarunt, ut Catholici præſulis dicta catholice intelligerentur: di-

luerunt objecta, & quæ nonnullam erroris ſpeciem præ ſe ferre videbantur, ſanæ fidei reddiderunt. Eximie autem atque diffuſiſſime ſolvit hanc quæſtionem propoſitam ex ipſis Hilarii verbis, noſter ultimus editor & illuſtrator Hilarianorum Operum Petrus Coutant a pag. XXX. Præfationis ſuæ num. 98. ad pag. XLVIII. num. 159. quem adeat quicunque voluerit. Nam ſuſcepta a nobis compendii ratio non patitur, ut hanc quæſtionem paucis attingamus.

§. 4. De morte Chriſti. An Hilarius moriente Chriſto, Verbum a carne ſeceſſiſſe ſenſerit. pag. XLVIII. num. 160.

Juxta Sixtum Senenſem Libro 6. *Bibliotheca Sanctæ* Annotatione CXXVI. S. Hilarius in Matthæum Canone 33. ſcribere videtur, Divinitatem ab humanitate Chriſti morientis receſſiſſe, dum inquit, *Clamor vero ad Deum corporis vox eſt, recedentis a ſe Verbi Dei conteſtata diſſidium. Denique cur relinquatur exclamat dicens, Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti? Sed relinquitur, quia erat homo etiam morte peragendus.* In hac ſententia exiſtimatur eſſe S. Ambroſius Lib. 10. Commentariorum in Lucam, de quo conſule Annotationem 164. libri hujus. Idem Annotatione 164. ad illud Lucæ 23. verſ. 46. *Et hæc dicens expiravit.* S. Ambroſius Libro in Lucam 10. docens quomodo Redemptor noſter expiraverit, videtur ſentire, humanitatem Chriſti morientis a Divinitate Verbi fuiſſe diviſam, hoc modo ſcribens: *Ego non erubeſcam fateri, quod Chriſtus non erubuit voce magna profiteri, conteſtatus ſeceſſionem Divinitatis & corporis: ſic enim habet, clamavit Jeſus voce magna dicens, Deus Deus meus reſpice in me, quare me dereliquiſti? Clamavit homo Divinitatis ſeparatione moriturus, nam cum Divinitas mortis libera ſit, utique mors eſſe non poterat, niſi vita diſcederet, quia vita Divinitas eſt.* In eadem ſententia, ut ſupra monuimus Annotatione 126. fuiſſe creditur ſanctus Hilarius in Matthæum Canone 33. Sed Magiſter *Sententiarum* Libro 3. Diſtinct. 21. utriusque Doctoris dicto dilucidans, inquit eam ſeparationem de qua ambo loquuntur, ſic eſſe accipiendam ſicut intelligitur *derelictio*, quæ illis verbis ſignificatur, *ut quid me dereliquiſti?* Hoc eſt, non ſecundum ſolutionem & diviſionem unionis Dei & hominis, ſed ſecundum ſucceſſionem protectionis: quia Divinitas humanitatis patrocinium ad tempus deſerens, hominem illum in tormentis, doloribus & morte deſtituit ſeparatum a defenſione, non diviſum ab unione. Hæc Sixtus Senenſis, quibus conſimilia ſunt ſed pluribus explicata verbis, quæ habet Petrus Coutant in Præfatione ad Opera Hilarii §. 4. pag. XLVIII. num. 160. ad pag. LV. num. 181.

§. 5. De gloria Chriſti hominumque aliorum poſt reſurrectionem, ſingulares Hilarii locutiones explicantur. pag. LV. num. 182.

Aſſerit editor novus Operum S. Hilarii, licet neminem ſciat, qui reprehenderit quod Hilarius ſcripſit de Chriſti gloria: rem tamen lectori non ingratam ſe facturum putat, ſi in his præludiis illius ea de re ſententiam pro modulo ſuo explicet, quam ad ſcripta illius accedenti probe perſpectam eſſe plurimi intereſt. Certe ſi ſolos attendas verborum ſonos, iis quæ Lib. 9. de Trinitate num. 38. offendes, ſignificari exiſtimabis humanam Chriſti naturam ita in divinam tranſiiſſe, ut genus mutarit, & hinc una evaſerit Dei & aſſumpti hominis natura. Idem ſapiet, quod cap. 27. in Matthæum n. 4. prædicat Deum & hominem in Chriſto *jam ambo unum.* Ita quoque nonnullis in locis reſurrectionem aliorum hominum ſtatuit, ut in naturam aliam transformari videantur. Has Hilarii obſcuritates diffuſius explicat dictus editor, usque ad pag. LX. num. 194. quem conſulere juvat.

§. 6. De judicio noviſſimo, an aliquos Hilarius ab eo excluſerit. pag. LXIX. num. 220.

Scripſit non ita pridem vir celeberrimus, S. Hilarii non eſſe ferendum errorem de judicio noviſſimo. Ac licet in quo ſitus ſit ille error, non declaret, antea tamen ſignificat hanc cenſuram ſuam in id cadere, quod in Pſalmum 1. n. 16. ait. *Cum enim dicit. Qui credit in me, non judicabitur, exemit judicio fideles: & cum ſubjecit, Qui autem non credit, jam judicatus eſt, non admiſit ad judicium infideles.* Et num. 17. *Sed adempto incredentes, non credentesque judicio, cauſam Dominus judicii & auctores in quos judicari neceſſe eſſet, adjecit. Sunt enim aliqui inter impios piosque qui medii ſint, ex utroque admixti, neutri tamen proprie, quia in id ipſum conſtiterint ex utroque: nec fidei admiſcendi, quia ſit illis aliquid infidelitatis inſertum: nec infidelitati deputandi, quia aliquid habeant & fidei.* Et poſt pauca, *Hi ergo judicabuntur, qui neque ut pii non judicabuntur, neque jam fuerint ut impii judicati.* Quod rurſum in Pſalmo 57. num. 7. explicat. Sed Hilarii mentem recte interpretatur Petrus Coutant, qui hanc quæſtionem movet a pag. LXIX. num. 220. ad LXXII. num. 229. Nempe in *judicio* aut *judicii* actu duplicem vim eſſe diſtinguendam. Nam cum actum judicis favet, ſpectari tamen poteſt judex aut ut ſententiam dicens, aut ut ea de quibus ſententiam dicturus eſt examinans. Si priore ſenſu hoc verbum accipias, fatetur S. Hilarius impios judicandos: ſi poſteriore, hoc negat. Sin hanc diſtinctionem reſpueris, eandem verborum pugnam non modo in diverſis locis offendes, ſed & in ipſo libro 6. de Trinitate num. 1. ubi inquit. *Judicaturus ipſe de omnibus, & pro majeſtatis ſuæ miſericordia pœna meritum ignoranti moderaturus errori, negantes ſe non judicabit utique, ſed negabit.* Nam ſecundum hæc, *Dominus judicaturus de omnibus:* neque tamen de omnibus judicaturus eſt, ſed *negantes ſe non judicabit utique, ſed negabit.* Cur autem pios & impios non judicandos priore intellectu dixerit, ipſe in Pſalmum 1. n. 17. declarat: *Quid enim neceſſe eſt judicare credentem? Judicium enim ex ambiguis rebus exiſtit, & ambiguitate*

tate adempta, judicii non desideratur examen. Ex quo ne infideles quidem necesse est judicari, quia ambiguitas quin infideles sint non recedit.

§. 7. De Igne judicii, an eum S. Hilarius, aliique Patres omnibus omnino esse subeundum senserint? pag. LXXII. num. 230.

Ignem judicii omnibus subeundum se existimare satis judicat S. Hilarius in Psalmum 118. lit. 3. num. 12. ubi ait, *An cum ex omni otioso verbo rationem simus præstituri, diem judicii concupiscemus? in quo nobis est ille indefessus ignis subeundus, in quo subeunda sunt gravia illa expianda a peccatis animæ supplicia. Beatæ Mariæ animam gladius* (flammeus) *pertransibit, ut revelentur multorum cordium cogitationes: si in judicii severitatem capax illa Dei Virgo ventura est, desiderare quis audebit a Deo judicari?* Quasi diceret, si ab hoc igne ne sanctissima quidem Dei mater futura est immunis, quis ab eo se immunem fore præsidat? Cum S. Hilario consentiunt Origenes homil. 6. in Exod. & in Psal. 36. homil. 3. Lactantius Lib. 7. cap. 21. Ambrosius in Psal. 118. serm. 3. n. 14. Paulinus Nolanus Epist. 28. n. 2. & Poëmate 7. Cæsarius Arelatensis in Appendice Serm. Augustini 104. n. 4. & 8. S. Eligius Noviomensis homil. 8. Ea demum opinio ita apud veteres recepta fuit, ut S. Ambrosius in Psalm. 118. Serm. 20. n. 12. scribat de sancto Johanne Evangelista, *de morte ejus aliqui dubitaverunt, de transitu per ignem dubitare non possumus.* Non ergo editor novus Operum Hilarii hanc opinionem esse illius negat, sed communem veterum omnium agnoscit. Idem quoque agnoscit Sixtus Senensis in *Bibliotheca Sancta* editionis mi[illegible] Parisiensis anni 1610. in fol. apud Rolinum Theodoricum, Libro 5. Annotatione CLXXI. pag. 385. & Annotatione CCII. pag. 397.

§. 8. De rerum spiritualium seu incorporearum natura, An S. Hilarium fugerit rerum spiritualium notitia? pag. LXXV. num. 242. ad pag. LXXIX. num. 257.

Jam notavimus S. Hilarium a Claudiano Mamerto lib. 3. *de statu animæ* cap. 9. reprehensum, quod nihil creatum incorporeum dixisset. Locum huic censuræ præbuerunt verba cap. 5. in Matthæum n. 8. *Nihil est, quod non in substantia sua & creatione corporeum sit: & omnium sive in cælo sive in terra, sive visibilium sive invisibilium elementa formata sunt. Nam & animarum species sive obtinentium corpora, sive corporibus exulantium, corpoream tamen natura sua substantiam fortiuntur: quia omne quod creatum est, in aliquo sit necesse est.* Et quidem si soli in Matthæum Commentarii superessent, facile daremus illum consensisse cum Methodio apud Photium in fine Codicis 234. Cassiano Coll. 7. c. 13. Theophilo Alexandrino apud Gennadium contra Anthropomorphitas, ac denique Gennadio *de Dogmatibus Ecclesiasticis* cap. 11. apud Augustini Opera, qui omnes Deum solum incorporeum, cæteras vero naturas corporeas pronuntiant. At cum aliis in scriptis alias a Divina naturas spiritales disertis verbis ac pluribus locis adstruat, iniquum est ex uno loco obscuro de vera illius sententia dijudicare. Nihilo tamen minus vix reperire est, qui Claudiani emendet censuram, nec Hilarium inter eos recenseat, qui corpoream hominis animam tradiderunt. Imo non satis claram ei fuisse rerum spiritalium notitiam, nuperrime a viro erudito scriptum est. Ipsum autem non Deum solum incorporeum credidisse & scripsisse, sed & Angelos & hominis animam. tot locis ab Hilario petitis probat Petrus Coutant ultimus illustrator & editor Operum S. Hilarii: ut vel mulo pertinaciorem esse oporteat, qui hoc imposterum sancto Doctori imposuerit. Immerito igitur hanc doctrinam adscribit Hilario nostro Sixtus Senensis lib. 6. *Bibliotheca sancta*, Annotatione 35. pag. 438.

§. 9. De Electione ex meritis.

Observat Sixtus Senensis Lib. 5. *Bibliotheca sancta* Annotatione CLXXXIII. pag. mihi 389. Hilarium in explanatione Psalterii, illustrantem hunc locum Psalmi 64. vers. 5. *Beatus quem elegisti & assumpsisti &c.* delatum videri in sententiam eorum, qui statuunt merita nostra esse causam divinæ & æternæ electionis, dum ita loquitur. *Beatus est quisquis fuerit electus, multi enim secundum Evangelium vocati sunt, sed pauci electi. Electi autem sunt nuptiali veste conspicui, pura atque integro novæ nativitatis corpore splendidi. Itaque non res indiscreti judicii electio est, sed ex meritis delectu facta discretio est: beatus ergo quem elegit Deus, beatus ob id, quia electione sit dignus.* Damnat S. Augustinus hanc sententiam in Pelagianis, ut habet idem Sixtus Senensis libro 6. ejusdem Bibliothecæ, Annotatione CCLI. pag. 522. & 523.

§. 10. De intercessione Sanctorum.

S. Hilarius in Matthæum Can. 17. explicans illud Matthæi 25. vers. 9. *Ne forte non sufficiat nobis & vobis &c. Respondent*, inquit, *non posse se dare oleum, quia unicuique lampadi sua emere oleum sit necesse, & alienis operibus ac meritis neminem adjuvandum.* Erasmus Scholiis in Hilarium a se editis, hunc locum in margine annotavit, quasi digito indicans baculum, cui innitantur hæretici, qui temporibus istis merita, intercessiones & suffragia Sanctorum irridebant. Bodius quoque in Collectaneis suis hanc sententiam objicit Catholicis, preces & auxilia Sanctorum implorantibus. Sed respondet Sixtus Senensis Libro 6. *Bibliotheca Sancta*, Annotatione CVII. pag. 463. Hilarium loqui non de iis, qui opportuno tempore & ex sincero charitatis affectu Beatorum opera efflagitant: sed de his qui cum in hac vita salutem suam neglexissent, demum ad Sanctos post mortem confugiunt, quando nulla superest vel promerendi facultas.

Alias quoque sed minoris momenti sententias singulares habet S. Hilarius Pictaviensis Episcopus, quas hic lubentes omittimus. Sic excu-

Digitized by Google

fat negationem Chriſti a Petro factam, de qua Sixtus Senenſis Lib. 5. *Bibliotheca Sancta*, Annotatione CLXXXI. pag. 389. Lib. 6. Annotat. CXVIII. pag. 468. & Annotat. CLX. pag. 486. Idem creditur eſſe in opinione eorum qui docent, licere uxorem adulterii ream dimittere & aliam ducere, ut habet idem Sixtus Senenſis Libro 6. Annotatione XXIII. pag. 432. Annotatione LXXXI. pag. 455. Denique non licitum eſſe Clericis poſſeſſiones habere, juxta eundem Sixtum Senenſem Libro 5. Annotatione CCIII. pag. 397. quem locis citatis conſulas.

CAPVT TERTIVM.

DE VARIIS EDITIONIBVS OPERVM S. HILARII PICTAVIENSIS EPISCOPI.

QUidquid hoc de argumento dixerimus, totum debemus diligentiæ Petri Couſtant, ultimi editoris & illuſtratoris Operum S. Hilarii, cujus me hic arare vitulo ingenue fateor. Sic autem ille in Præfatione ad hæc Opera, a pag. II. ad XIII. curis omnino exactis.

Primus qui S. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi Opera omnia in unum collecta in fol. Pariſiis edidit, fuit Jodocus Badius Aſcenſius, cujus
1510 optandum fuerat ut editio anni 1510. quemadmodum a ſuppoſitis pura, ita & a mendis innumeris caſtigata prodiiſſet. Ad hanc Badii editionem Robertus Fortunatus Maclovienſis adjecit præfationem, unde hujus editionis curam ſuſcepiſſe colligitur: ex quo accipimus *Libros de Trinitate, ad Conſtantium, contra Conſtantium, contra Auxentium & de Synodis* primum opera Georgii Cribelli presbyteri prodiiſſe in lucem, tum *Commentarios in Pſalmorum explanationem* a Johanne Solido Cracovio, adhortante Jacobo Fabro Stapulenſi, e ſitu & ſquallore fuiſſe redemptos: ac tandem anno 1510. Badium Aſcenſium, cum a Guillelmo Parvo Regiæ confeſſionis auditore *Tractatus in Matthæum* una cum *Epiſtola ad Abram* e Sancti Benigni Divionenſis Cœnobio accepiſſet, eosdem cum prædictis Hilarii Operibus prelo ſuo Pariſiis ſubjeciſſe atque divulgaſſe.

Secundus Deſiderius Eraſmus Roterodamus alteram editionem Operum S. Hilarii omnium
1523 aggreſſus eſt Baſileæ anno 1523. poſt Aſcenſianam annis tredecim, dedicatam D. Joanni Carondileto Panormi Archiepiſco, typis Frobenianis. Complectitur illa *Præfationem* Eraſmi non ignobilem, qui ut inquit ultimus editor, laudem ſuo ex labore relaturus erat, ſi ſe a declamatoria præfatione abſtinuiſſet, quæ & ſacræ Inquiſitioni Romanæ, & Pariſienſi Theologiæ Facultati, digna cenſuris merito viſa eſt. Continet illa editio *de Trinitate Libros 12. adverſus Arianos & alios hæreticos perperam de Filio Dei ſentientes. Adverſus Conſtantium Auguſtum, Arianæ factionis fautorem. Ejuſdem ad eundem. Ejuſdem adverſus Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum. Ejuſdem de Synodis diverſis adverſus Arianos babitis lib. 1. Ejuſdem Epiſtolam ad Apram filiam cum Hymno ad eandem, ſed nothum. Ejuſdem Commentarium in Evangelium Matthæi. Ejuſdem Commentarios in plerosque Pſalmos.* Cui acceſſerunt Appendicis vice, Opuſcula quæ ad Hilarium Pictavienſem Epiſcopum pertinere non videbantur *Tractatus de eſſentia Patris & Filii. Epiſtola ad Auguſtinum de reliquiis hæreſeos Pelagianæ. Altera ad eundem, in qua aliquot quæſtiones proponit. Ejuſdem Carmen in Geneſim ad S. Leonem Papam.* Hæc editio recuſa eſt Baſileæ anno 1535. apud eundem Fro- 1535
benium, adjecto *de Patris & Filii unitate* pſeudotractatu. Errores Eraſmi fevere caſtigat ultimus editor Operum Hilarii Pictavienſis, his verbis. "Eraſmus ad libros potiſſimum de Trinitate caſtigandos animum appulit, tractatus alios" ut plurimum aut prorſus neglexit, aut propter" veterum Codicum penuriam emendare non" valuit. Laudem tamen ſuo ex labore relatu-" rus, ſi ſe a declamatoria præfatione abſtinuiſſet," quæ & ſacræ Inquiſitioni Romanæ, & Pariſienſi Theologiæ Facultati, cenſuris digna merito" viſa eſt. In hac quippe, ut Gillotii verbis utamur, *vaniſſimis contumelioſisque digreſſionibus*," *quas gratioſis excuſationibus involvit*, plurima Hilarii dicta geſtaque ſiniſtram in partem ſic in-" terpretatur, ut videatur ex liberiori quadam" carpendi ſanctum virum licentia, gloriam ſibi" facere voluiſſe. Modo enim Arianos excuſat," quo Præſulem pium acrius mordeat: modo" quæ virtutem in eo ſpirant, vitio tribuit. Vbi" ille ſummæ moderationis ſuæ fidem hinc face-" re conatur, quod per totum exilii tempus nihil" contra Arianas partes famoſum aut ſcripſerit" aut dixerit: eam [illegible]am fingit Eraſmus tam" diuturni ſilentii cauſam, *quod in tanto mundi diſ-" ſidio nonnihil ambigeret illius animus, qua vera fi-" des eſſet.* Quaſi vero de fide vel minimum du-" bitaſſe credendus ſit, qui ſe pro ipſa tuenda" commori poſſe, nec ab ea poſſe ulla ratione di-" velli, & Lib. 6. de Trinitate num. 21. dixit, &" vere ſe dixiſſe, tam longo tamque diuturno ex-" ilio, ac multis aliis præclare geſtis evidentiſſi-" me comprobavit. Quid iſtud, quod cum ſola" Chriſti cauſa, ut ſilentium rumperet, permo-" tum ſe teſtatur in Conſtantium num. 2. & 3." Hilarius: Eraſmus vult hoc factum eſſe exilii" impatientia. His aliisque indicavit, nunquam" ſibi ſatis notum fuiſſe ſanctiſſimi Confeſſoris" animum, ſeque illius Opera, in quibus intrepi-" dam fidei ſuæ conſtantiam ubique graphice" conſignavit, feſtinanti animo attigiſſe. Hinc" non ſatis accuratus lectionum delectus, ſæpe" etiam neglectus. Hinc propterea illius de Do-" ctoris noſtri ſcriptis, doctrina, geſtis, moribus," & plerumque falſa judicia. Hominis multis" occupati lubenter excuſamus lapſus, ultro etiam nos ſilentio premeremus, niſi natæ inde" quædam opiniones *Hilario* contumelioſæ, plu-" rimorum animis altius inſediſſent. Quanquam" nemo eum facile excuſatum habeat, quod in" dicenda de rebus graviſſimis ſententia tam fa-" cilis tamque præceps fuerit. Quis enim eum"

non

„non damnet, quod quidquid Hieronymus con„tra Hilarium Diaconum Luciferianum ſcribit, „ad Hilarium Pictavienſem Epiſcopum referat, „licet poſtmodum fateatur ſe incertum eſſe, an „adverſus ipſum Hieronymi dicta intelligenda „ſint? Vt enim mittamus, quod non admodum „abſtruſa erat hujus rei perceptio, certe ab in„certo in Catholicum Eccleſiæ Doctorem ac „defenſorem, præfractæ hæreſis ſuſpicio nullo „modo injicienda erat.„

Eraſmi tamen laborem laudavit plurimum Ludovicus Miræus, quem ipſe diligentia ſuperavit, dum tertio hujus Hilarii Operibus in unum evulgandis incubuit. Nam ſcriptis Exemplaribus accurate collatis, quidquid in eis a Frobeniana editione diverſum nactus eſt, non minore cura notavit. Plurimos codices *mira antiquitatis* ſe contuliſſe teſtatur, unos licet Victorinos nominet, qui certe antiquitatis titulo a multis longe ſuperantur. Ex eadem S. Victoris bibliotheca eruit librum *de eſſentia Patris & Filii, Epiſtolas duas ad Auguſtinum*, & *Metrum in Geneſim*: quæ cum genuinis Hilarii Operibus
1544 anno 1544. Pariſiis apud viduam Carolam Guillar excudi curavit. Hæc Miræi editio omnium quæ ante & poſt prodiere, licet noſtro judicio caſtigatior, ita tamen rara eſt, ut luſtratis pluribus Pariſinis bibliothecis, eam detegere nos poſſe jam deſperaremus; illam tandem in magno Carmelitarum Conventu offendimus. Et ea quidem neglecta, imo nec memorata, lucubrationes Hilarii quales ab Eraſmo prodierant,
1550 tertio Baſileæ apud Frobenium anno 1550. vulgatæ ſunt, *vigilantiſſime & ad plura exemplaria per D. Martinum Lypſium collata & recognita.* Neque neganda eſt in mendis typicis emaculandis Lypſii vigilantia: ſed in conquirendis ac recenſendis MSS. curam poſuiſſe videtur longe minorem, quam in excogitandis conjecturis: in quibus non ſemper, imo raro felix fuit. Nemini hactenus venerat in mentem, ut Vitam Hilarii Operibus ipſius præmitteret. Primus hoc opus ſuſcepit Johannes Jacobus Grinæus, quod anno
1570 1570. Euſebio Epiſcopio Baſileæ in fronte lucubrationum ſancti Doctoris ex tenore Eraſmiano, edendum tradidit. At quam jejuna, arida, imperfecta ac falſa eſt illius narratio! Tempora vix uſquam recte aſſignat, plurima omittit S. Hilarii geſta, falſa aliunde adſciſcit, & in naſcentis hæreſeos gratiam, aliquot adjungit fabellas valde pueriles. Hæc porro vita ex iis potiſſimum conflata eſt, quæ adverſus Hilarium Diaconum baptiſma hæreticorum non recipientem, Hieronymus dialogo contra Luciferianos ſcripſit. Animadvertit Grinæus objectari ſibi poſſe, eum ibi ab Hieronymo Hilarium notari, qui in Diaconi munere defunctus ad Epiſcopatum nunquam pervenerit: ſed brevis ei ſuccurrit, expeditaque reſponſio, mendum in Hieronymi libros irrepſiſſe. Non levioris momenti eſt, quod in eadem vita aſſerit, *quosdam ex D. Hilarii collegio ſoodales ſive Canonicos quos vocant, extitiſſe qui dicerent, licere ipſis honorabile conjugium contrahere ex inſtituto Hilarii, qui legem de cœlibatu ſuis minime ſcripſiſſet* (tam gravis aſſertionis audi lepidam probationem) *ut mihi narravit vir clariſſimus Gaſpar Hervagius J. V. conſultiſſimus & amicus meus.* Quibus ineptiis confutandis, aliisque referendis ſuperſedemus.

Vt primum hujusmodi vitam, eique adhærentem Eraſmi Præfationem perlegit Johannes Gilletius Gallo Campanus, utrumque opus ut Sanctiſſimo Præſuli contumelioſum, ac pietati Catholicæ valde noxium, a Chriſtianis lectoribus abjiciendum judicavit. Ipſe melioris voti compos *Commentationem* eis ſubſtituit, in qua primum veniunt quæ ad Hilarii hiſtoriam ſpectant, ex illius aliorumque veterum ſcriptis collecta. Tum de ipſius ſtilo & ſcriptis diſſerit, ac poſtremo locos ſuſpectos notat, & quantum poteſt benigne interpretatur. Opus pro illa ætate exquiſitum & laude dignum, quamvis permulta in eo reperire ſit, quæ hiſtoriæ jam limatiori atque accuratiori aliuefactos nonnihil offendant. Commentationi huic elogia aliquot Hilarii, ac vitam per Hieronymum ex libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 100. per Fortunatum & Gregorium Turonenſem, nec non Sermonem Petri Damiani de translatione S. Hilarii adjecit: libros autem *de eſſentia* ac *de unitate Patris & Filii*, centonibus duntaxat ex quibus conſtant notatis, ſuppreſſit. Ac demum in indicandis plerisque Scripturarum locis ſuam probavit diligentiam: ſed illibatum prorſus reliquit Hilarii textum, in quem etiam incuria Nivellii, qui hanc editionem Pariſiis in fol. anno
1572. typis elegantibus, ſed manu minus accu- 1572
rata adornavit, menda non pauca irrepſerunt.

Tandem ut puriora & limpidiora Rhodani hujus latinæ eloquentiæ fluenta laberentur, anno 1605. animum adjecere typographi Pari- 1605
ſienſes magnæ Societatis, a quibus quid eo in negotio præſtitum ſit, nunc audiamus. *Primum*, inquiunt, *ab eo qui prælegere preloque adornare libros excudendos ſolet, Hilarii Opera curavimus cum optimis quibuſque MSS. codicibus conferri: quos benigne nobis ac liberaliter locupletiſſimis ſuis bibliothecis viri clariſſimi atque eruditiſſimi ſuppeditarunt, ad libros* de Trinitate *Nicolaus Faber*, ad Tractatus in Pſalmos *Jacobus Bongarſius*, ad Commentarios in Matthæum *recenſendos Paulus Petavius Senator Pariſienſis. Deinde vero cum adſcriptis ad oram marginis variis lectionibus ſuam nobis operam vir quidam doctiſſimus non denegaſſet, ut earum delectu habito, quæ jam receptis præferenda videbantur, reliquas expungeret: viſum eſt etiam ab altero impetrandum, ut eas quæ in ſuperioribus editionibus tolerata fuerant, ſub libri calcem colligeret: ne forte a te illa quoque deſiderarentur, ſive quod earum verbis alibi citata teſtimonia quædam poſſent occurrere, ſive quod utrum his novis poſthabenda fuerint, judicio tuo velles expendi. Adjecimus præterea Fragmenta ex Opere hiſtorico, quæ anno 1598.* (apud Ambroſium Drouar opera Nicolai Fabri) *V. C.*

Petrus Pithœus publici juris fecit, & exscriptus ex iisdem MSS. libris Tractatus in Psalmos 13. 14. 149. & 150. Post tot tamque variorum hominum in hac editione impensos labores, non multo tamen puriora prodierunt difertissimi Doctoris scripta. Qui enim variis lectionibus seligendis operam [illegible] commodavit, sive judicii fuerit non admodum exquisiti, sive ut sæpe fit in iis quæ alieno nomine laborantur, hoc admodum perfunctorie obierit: sæpe numero mutavit quæ retinenda fuerant, & contra quæ fuisient mutanda retinuit. Hinc qui in editione anni 1631. variantes lectiones, quæ primum ad calcem conjectæ fuerant, propriis locis aptavit atque ad marginem adscripsit, eas revocavit non semel, quæ in prioribus editionibus obtinuerant. Sed & Parisienses typographi, qui quod artis suæ non erat aliunde mendicarunt, ita neglexerunt quod erat industriæ suæ, ut eorum editioni, præ multitudine mendorum, facile an-
1617 teferendæ videantur Basileenses. Illa Colo-
1631 niæ Agrippinæ anno 1617. ac rursus Parisiis 1631.
& & 1652. apud Societatem Bibliopolarum recu-
1652 sa est.

Vel ex hac simplici expositione liquet, nihil unquam in edendis Hilarii scriptis præstitum fuisse, quod omnibus numeris suis absolutum esset. Namque Badii editio mendis scatet innumeris. Erasmus præter libros de Trinitate, vix alios ad MSS. fidem recognovit, & eos quidem non magno examine adhibito correxit. Eo diligentior Miræus, nec magnam MSS. copiam, nec in omnes Hilarii Tractatus habuit, atque plusculum credidit antecessoris sui ingenio & conjecturis. Novas deinde dum ex proprio excogitat D. Martinus Lypsius, singulos Hilarii libros pluribus in locis magis contaminat, quam castigat. Hunc tamen maxime secuti sunt qui Parisiensibus typographis operam suam contulerunt, post quos easdem lucubrationes nemo amplius limandas suscepit.

Ultima tandem editio, quam necessario procurandam existimarunt Monachi Benedictini Congregationis sancti Mauri in Gallia, facta Pa-
1693 risiis in fol. anno 1693. apud Franciscum Muguet, Regis, Cleri Gallicani, & illustrissimi Parisiensis Archiepiscopi typographum, dedicata Cæsari Estræo S. R. E. Cardinali, nomine Benedictinorum Monachorum, quorum primarius auctor extitit Petrus Coustant, ut supra diximus. Hujus Operis tres quasi partes sunt, 1. præludia continet, 2. Opera ipsa sancti Hilarii, 3. Appendicem aliquot spuriorum.

Præludia complectuntur *Præfationem generalem* a dicto Petro Coutantio concinnatam in qua pag. II. loquitur, *de variis Operum S. Hilarii editionibus*, quam hic verbotenus ferme transcripsimus. Pag. V. loquitur *de MSS. Codicibus* antiquissimis, quibus in emendandis S. Hilarii Operibus usus est. Pag. VI. differit *de Hilarii Operibus quæ intercidernnt*, de quibus nos ex ipso decerpentes cap. sequenti loquemur. Pag. XI. examinat *unde obscurus sit S. Hilarii sermo, & quid in hac editione ab ipso atque ipsius Monachis adjutoribus præstitum sit.* Tum huic Præfationi generali plura subnectens, in ea paragraphis novem difficiles sancti Hilarii Pictavientis Episcopi sententias diffuse explicat, hoc ordine:

§. 1. *De conceptione Christi* pag. XIV.

§. 2. *De naturali hominum unitate cum Christo & cum Deo Patre* pag. XXIII.

§. 3. *An Hilarius Christum esuriendi, timendi, dolendi, aliisque humanis affectibus obnoxium esse negavit?* pag. XXX.

§. 4. *An Hilarius, moriente Christo, Verbum a carne secessisse senserit?* pag. XLVIII.

§. 5. *De gloria Christi & aliorum hominum post Resurrectionem, singulares Sancti Hilarii locutiones in bonum sensum explicantur.* pag. LV.

§. 6. *De Christi regno, a regno Dei Patris distincto.* pag. LXI.

§. 7. *De judicio novissimo, an Hilarius aliquos ab eo excluserit?* pag. LXIX.

§. 8. *De igne judicii, an omnes omnino per illum purificandi sint.* pag. LXXII.

§. 9. *De rerum spiritualium natura, & de gratia, quis Hilarii sensus?* pag. LXXV.

Vita sancti Hilarii Pictavientis Episcopi, ex ipsius scriptis potissimum ac veterum monumentis nunc primum concinnata. pag. LXXXIII.

Vita ejusdem auctore Venantio Fortunato, libris duobus. pag. CXXVII.

Sermo Petri Damiani de translatione sancti Hilarii. pag. CXXXIX.

Selecta Veterum testimonia de sancto Hilario. pag. CXLI.

Opera Sancti Hilarii.

Commentarii in Psalmos. columna 1.
Commentarii in Matthæum. col. 609.
Libri duodecim de Trinitate. col. 765.
Liber de Synodis, seu de fide Orientalium 1149.
cum *Apologeticis responsis ad reprehensores superioris Opusculi*, col. 1205.
Epistola ad Abram filiam cum Hymno matutino ad eandem. col. 1209.
Lib. 1. ad Constantium. col. 1217. *Liber alter ad eundem*, col. 1225.
Liber contra Constantium Imperatorem col. 1237.
Contra Arianos vel Auxentium Mediolanensem. col. 1263.
Fragmenta Libri, in quo historia Ariminensis & Seleuciensis Synodi continebatur. col. 1279.

Appendix alienorum.

Carmen in Genesim ad Leonem Papam. col. 1369.
Liber de Patre & Filii unitate. col. 1371.
Liber de essentia Patris & Filii. col. 1375.
Fides Alcuini sub nomine Hilarii, Græce versa. col. 1377.
Præfatio Nicolai Fabri in Fragmenta Hilarii. col

Digitized by G

col. 1399. Epistolas autem duas ad Augustinum editas, ab anno 1544. adjectas, commodius legere licet apud eundem Augustinum editionis novæ, num. 156. & 226.

CAPVT QVARTVM.

DE LIBRIS S. HILARII JVXTA NOVAM HANC PARISIENSEM EDITIONEM, ADHVC EXTANTIBVS.

ERudite de his differit Petrus Coustant in præfationibus ad singula Hilarii Opera præmissis, quam in ipsa præfatione Generali p. VI. ubi de *Operibus Hilarii qua interciderunt*, sigillatim loquitur: quem quia prolixe nimium disputantem legimus hic in compendium contrahemus, permittentes lectori plurimum avido, recurrere ad ipsos fontes, unde hæc hausimus.

De Commentariis in Psalmos. col. 1.

Novus editor Operum S. Hilarii Pictavensis Episcopi in *Admonitione* ad Commentarium subsequentem prævia, exponit, cur hi Commentarii primo loco positi sint. Nempe Scripturis sacris eam deberi a nobis reverentiam, ut Opera quæ ad eas spectant, aliis præponenda existimemus. Quo circa servato rerum potius, quam temporum ordine, Psalmorum expositiones primo loco posuit: & eo quidem lubentius, quod sic ordinatæ, totum lecturis Hilarium subsidio non mediocri futuræ sunt. Cum enim difficiles ipsius sententiæ in his aut enuntientur plenius, aut apertioribus intermisceantur: speravit fore ut sine fastidio lectæ facilius subinde percipiantur, & ad obscuriores de Trinitate libros intelligendos, paratior inde pergat lectoris animus atque instructior. Ostendit hujus *Admonitionis* num. 2. hos Commentarios esse posteriores libris de Trinitate, ideoque ante Hilarii exilium non esse editos. Deinde maximum in illis est Ariani nominis silentium, nulla adversus hanc sectam disputatio, nulla controversia: unde colligere est, eum Catholicis illos scripsisse, non Arianis; ac proinde cum suis redditus esset prorsus Catholicis, non cum inter Asianos exsul degeret, omnes ferme Arianos. Postremo cum a suo in Gallias reditu ad conflictum cum Auxentio, hoc est ab anno 360. ad 364. nullum ei fere otium fuerit, superest ut postremis ætatis suæ annis, quos in Ecclesia sua pacatiores habuit, egregium hoc Opus prosecutus sit. Et certe non doctorem novitium, sed instructissimum senem spirat, in iis tractandis atque explicandis, quæ ad solidam Christi fidem spectant, apprime versatum. Hujus Operis non solum meminit Cassiodorus *præfatione* in Psalterium cap. 12. sed & ejus *Prologum* in expositione Psalmi 6. nominatim laudat. Laudat & Tractatum psalmi 57. auctor Commentarii in Psalmos, Hieronymi nomine vulgati. Hieronymus ipse Epist. 142. ad Marcellam expositiones psalmorum 126. & 127. ut indubitatos Hilarii fœtus commemorat. Ipsius quoque auctoritate defensam volens S. Augustinus Ecclesiæ adversus Pelagianos causam, varia ex variis Tractatibus, nimirum in Psalmos 1. 51. 118. lit. 3. lit. 15. lit. 22. adducit testimonia. Hunc imitatus Hincmarus, plurima ex diversis quatuordecim Tractatibus excerpta in unum caput 25. libri *de Prædestinatione* congerit.

An Hilarius Psalmos omnes exposuerit, quæri potest. Aliquos duntaxat ab eo tractatos esse, Cassiodorus libro *de institutione divinarum litterarum* significat. Hieronymus cum librum *de Scriptoribus Ecclesiasticis* edidit, viderat tantum Tractatus in psalmos 1. & 2. & a 51. ad 62. & a 118. ad extremum. His in Regio ac nonnullis veteribus MSS. alii septem adjiciuntur, puta a psalmo 62. ad 69. de quorum veritate nemini unquam dubitare licuit. Tanta enim est eorum cum cæteris consensio, tanta connexio, ut sese unius parentis esse aperte prodant. Certe in psal. 65. num. 1. quod prologo num. 20. tractatum, & in Psalm. 67. num. 15. quod libris *de Trinitate* uberius copiosiusque disputatum, & quod in enarrando psal. 59. num. 2. expositum fuerat, in psalm. 68. n. 1. in memoriam revocatur. Præterea nostri hujus seculi initio, Tractatus in psalmos 13. & 14. ab antiquo sancti Maximini Miciacensis codice in lucem editi sunt. Nec desunt Sixto Senensi teste lib. 4. *Bibliothecæ sanctæ* pag. mihi 248. qui in totum Psalterii corpus Tractatus ab Hilario scriptos esse, idque Opus integrum in Hispania extare asserant. An ibi exstet, nec ne, fides sit penes auctores: at multa suppetunt argumenta, quibus psalmos omnes ab eo esse enarratos probetur. Siquidem in psalm. 142. num. 2. manifeste indicat, se de tertio Tractatum habuisse. Id ipsum de trigesimo septimo in psal. 69. n. 1. etsi paulo obscurius significat. De quadragesimo autem quarto, perspicua sunt illius verba in psal. 59. n. 2. Ita & ex verbis ipsius in psalm. 149. n. 2. vix dubitari potest, quin psalmos 95. & 97. enarraverit. Demum in psal. 150. n. 1. declarat se & quinquagesimum & centesimum explicasse. Ex quibus conficitur, ab Hilario expositos esse psalmos 3. 37. 44. 50. 95. 97. & 100. quamvis in præsentiarum in eos nihil habeamus. Sane vix ulla succurrit ratio, cur non totum Psalterium illustrasse existimetur, qui tot tamque dissitos a se psalmos enarravit, nulla unquam præmissa admonitione, cur unum potius quam alterum tractet. Nec multo levius argumentum suppeditant illi loci, in quibus se de rebus nonnullis frequenter egisse commemorat, quarum mentio in superioribus Tractatibus, qui modo extant, nulla occurrit.

In hoc labore etsi Origenis lucubrationibus adjutus, earum tamen exscriptor aut interpres non fuit. Aliud enim est imitari, aliud interpretari aut exscribere. Nec interpretis officio fungitur, qui alia addit, resecat alia, & cætera proprium in stilum convertit. At vero Hilarius,

rius, ut Hieronymus lib. de Script. Eccl. auctor eſt, *in hoc opere Origenem imitatus, nonnulla etiam de ſuo addidit:* & ut idem habet Epiſt. 62. ad Theophilum, *Noxia quaque detruncans, utilia tranſtulit.* Quo autem pacto hæc tranſtulerit, Doctoris ejusdem teſtimonio comprobatur. Sicut enim arguitur ut Epiſt. 6. quod Origenis libros ita exponat, *ut in ſtilo proprio placens, pater verbi ſit potius quam interpres:* nulla ei ſolemnior eſt defenſio, quam ut Hilarii ea in re imitatorem ſeſe fuiſſe reſpondeat. Vnde Epiſtola 65. ad Pommachium & Oceanum inquit, *Nec diſertiores ſumus Hilario, nec fideliores Victorino, qui ejus* (Origenis) *tractatus, non ut interpretes, ſed ut auctores proprii operis tranſtulerunt.* Et Epiſtola 101 ad Pommachium, *Sufficit in præſenti nominaſſe Hilarium Confeſſorem, qui Homilias in Job & in Pſalmos Tractatus plurimos in Latinum vertit e Græco: nec aſſedit littera dormitanti, & putida ruſticorum interpretatione ſe torſit, ſed quaſi captivos ſenſus in ſuam linguam, victoris jure transpoſuit.* Idipſum reponit Epiſtola 62. ad Theophilum. Pluribus autem aliis argumentis confirmamus, Hilarium Origeni non coluiſſe omnia, quæ in ejus Tractatibus ediſſerit, ut probat editor novus Operum Hilarii in Admonitione huic Commentario præmiſſa num. XIV.

De Commentario in Evangelium Matthæi.

Nihil eſt cur in illis Commentariis Hilario aſſerendis diutius immoremur, quorum expreſſam mentionem facit Divus Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 100. & in prologo quem præfixit explanationi Origenis in Evangelium Lucæ atque Epiſtola 145. Quantum ad tempus quo hoc Opus compoſitum ſit, nulla ſubeſt nota, unde certum determinatumque aſſignetur. Quantum tamen ex comparatione illius cum aliis Hilarii ſcriptis aſſequi licet, ante alia Opera & ante exſilium ipſius, proindeque ante annum 356. compoſitum opinamur: non enim virum ſapit multis jam præliis adverſus Arianos commiſſis exercitatum. Hæc pluribus exponit editor novus Operum S. Hilarii in *Admonitione* huic Commentario prævia, col. 595 quem adeas.

In Libros XII. de Trinitate.

Editor novus eximie præfatur col. 753. & ſequentibus, ubi num. 2. oſtendit non ita conſtantem eſſe veterum in illis inſcribendis confeſſionem. Nam Hieronymus de Script. Eccl. in *Marcello* & *Hilario*, Codex vetus Canonum Eccleſiæ Romanæ cap. 41. & Ado Viennenſis in *Chronico* eos *contra Arianos* inſcribunt. Eosdem *de fide* alii appellant longe plures numero, & auctoritate non inferiores: quos inter præcipui ſunt Rufinus lib. 1. Hiſtoriæ cap. 31. Caſſianus lib. 8. *de Incarnatione* cap. 24. S. Leo Papa Epiſt. alias 97. cap. 3. Patres Concilii Chalcedonenſis Act. 2. p. 357. Theodoretus Dialogo 2. p. 106. Leontius Byzantinus lib. 1. contra Neſtorium & Eutychetem, ubi Hilarium ut ex Nicænæ Synodi Patribus unum, falſo commendat. Neque alio eos titulo laudant Alcuinus lib. 4. contra Felicem Vrgelitanum, Ratramnus Corbeienſis tomo 7. *Spicilegii* pag. 335. Johannes Diaconus Commentario nondum vulgato in Pentateuchum, & Hincmarus *de prædeſtinatione* cap. 25. At apud Caſſiodorum lib. 1. inſtit. cap. 16. *de Trinitate* inſcriptos eos videre eſt, conſentiente Fortunato lib. 1. vitæ S. Hilarii, juxta quas a Philippo Abbate *de fide ſanctiſſimæ Trinitatis* appellantur. Eosdem libros Auguſtinus laudat Epiſt. 180. n. 3. & libro 6. de Trinitate cap. 10. ſed a titulo indicando utrobique abſtinet. Hoc Hilarii Opus in exſilio illius elucubratum, antiqua MSS. fidem faciunt & ipſe lib. 10. n. 4. conceptis verbis teſtatur: adeoq; confectum fuerit ante annum 360. neceſſe eſt, quo patriæ ac propriæ Eccleſiæ redditus eſt, & perinde ante exortas Macedonii & Apollinarii hæreſes. Certe in patria ac propria Eccleſia, quamvis absque exſilii indulgentia, jam manenti, non congruunt hæc libri 10. verba: *Loquemur exſules per hos libros, & ſermo Dei qui vinciri non poteſt, liber excurret.* Vt enim hæc, quemadmodum vult non nemo, eum nondum exſulem, ſed ad exſilium animo duntaxat paratum ac promptum dixiſſe vel ſcripſiſſe intelligamus, alia quæ illis proxime cohærent, non permittunt. Quo autem exſilii anno animum ad hoc Opus appulerit, non conſtat. Veri tamen ſimillimum eſt eum non diſtuliſſe, quin illud ſuſciperet. Ex initio autem libri quarti perſpicuum eſt, tres primos *pridem* ante ſubſequentes fuiſſe abſolutos. Plura editor novus in Præfatione præmiſſa his 12. *de Trinitate* inſcriptis libris, compendio noſtro minus competentia.

In librum de Synodis.

Præfatur editor novus Hilarii Operum col. 1143. non illum eſſe ſejungendum a libris 12. *de Trinitate*, quem MSS. prope omnes cum illis ita conjungunt, ut in duobus Colbertinis, & Germanenſi, imo a Caſſiodoro *Liber decimus tertius* nuncupetur. Neque etiam diſtat tempore aut materia, nam & fidei illuſtrandæ gratia ſuſceptus eſt, & exſilii, non ſecus ac alii, partus fuit. Jam enim Hilarius uti declarat ipſe num. 2. & 63. totum triennium in exſilio exegerat, & adhuc intra decem Aſiæ provincias conſiſtebat, cum illum edidit. Quo circa poſtremis hujus libri verbis fratres ſuos, ut in orationibus ſanctis exſilii ſui memores ſint, enixe rogat. Itaque ex Hilarii ipſius verbis num. 8. perſpicuum eſt, ſcriptum eſſe hunc librum, cum jam propter terræ motum, qui anno 358. die Auguſti 24. contigerat, Concilium Nicomediæ, vel etiam Niceæ in Bithynia congregandi immutatum eſſet propoſitum; cumque nondum decretum eſſet, ut omnes quotquot poſſent Ariminum atque Seleuciam cogerentur: ſed tantum ut bini aut ſinguli ex ſingulis provinciis, iique Ancyram atque etiam Ariminum convenirent. Quod cum anno 358. deſinente ſtatutum fuerit, nemo facile concedet, hunc Tractatum anno 359. ineunte

eunte, vel etiam exeunte 358. fuiſſe editum. Hoc certe conſtat, & poſt menſem Auguſtum anni 358. & ante Majum anni 359. epocham illius eſſe figendam. Plura Petrus Couſtant Præfatione ſingulari in hunc librum *de Synodis* a col. 1143. ad 1149.

In Epiſtolam ad Abram Filiam cum Hymno matutino ad eandem.

Hanc Epiſtolam *nugamentum hominis otioſe indocti* vocat Eraſmus: Gillotius ſcribit a Fortunato ſibi videri confictam, idque eum *veriſſime* ſcripſiſſe Scultetus pag. 321. aſſeverat. Sed Fortunato ipſi qui ſe illius non auctorem, ſed teſtem facit, fidem non detrectandam, merito cenſent æquiores rerum æſtimatores, inquit editor novus S. Hilarii Operum, in *Admonitione* prævia ad ſequentem Epiſtolam & Hymnum ei ſubjunctum, col. 1207. Non enim credunt ſanctum Pictavenſis Eccleſiæ Præſulem mentitum, cum eam propria Hilarii manu ſubſcriptam ſua ætate Pictavis pro munere conſervatam eſſe teſtatus eſt. Longe minus veritati conſentaneum eſt, quod cum genuinam Hilarii Epiſtolam præ manibus haberet, ea ſuppreſſa adulterinam ſuę poſuerit. Vtrumque illud Opus in antiquis Hilarii editionibus libro *de Synodis* non male ſubjungitur: nam ut litteras Abræ cum Gallorum litteris ab eo acceptas fuiſſe, ita & illius reſcriptum cum libro *de Synodis* miſſum eſſe veri ſimillimum eſt. Hæc novus editor, cui interdum hac in re maſcule contradixi, cum ab Hilarii gravitate aliena mihi prorſus videatur.

De Libro 1. ad Conſtantium Auguſtum.

Præfatur col. 1215. editor novus Operum Hilarii ad hunc librum, ubi vult ambigi poſſe, an plures quam qui nunc extant, ſub iisdem titulis ab Hilario ſcripti ſint? Namque poſt Sulpicium Severum Fortunatus teſtatur, ipſum dum Conſtantinopoli opperiretur regis voluntatem, tribus libellis regis audientiam popoſciſſe: nec jam nobis ſupereſt niſi unicus Conſtantinopoli editus, quo ut aditum ſibi indulgeat poſtulat. Conſtat hunc libellum ab eo ante exſilium ipſius ſcriptum eſſe. Nam præterquam quod in iis, quos exſul ſcripſit, tacere non ſoleat exſilium: certe non idoneus ſatis eſſet exſul, qui aliorum ab exſilio reditum, ſeipſi neglecto, efflagitaret. Cum autem ſub anni 356. initium relegatus ſit, ad Baronii ſententiam accedo, ſcriptum fuiſſe ſub annum 355. hunc librum.

De libro 2. ad Conſtantium Auguſtum, quem & Conſtantinopoli eidem ipſe tradidit.

Paucis præfatur col. 1223. editor novus Operum S. Hilarii ad hunc librum, Hieronymo teſte in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 100. Hilarium ipſum tradidiſſe hunc libellum Conſtantio, cum Conſtantinopoli verſaretur. Huc enim Seleucia Synodi legatos ſecutus, ut cum Sulpicio Severo loquamur, ubi extremum fidei periculum animadvertit, audientiam Regis poposcit, ut de fide coram diſputaret. Quod in hunc libellum maxime convenire, vel ex titulo in omnibus MSS. prænotato perſpicuum eſt. Oblatus eſt autem *ſub lite famoſa*, cum alii ſubſtantiæ nomen retinendum, alii rejiciendum eſſe contenderent: *ſub Synodo diſſidenti*, Conſtantinopolitana ſcilicet, quæ non minus fide quam privatis jurgiis, varias in partes ſcindebatur: proindeque anno 360. ineunte, quo hæc Synodus celebrata eſt. Quæ cum ita ſint, tum a Ferrando Diacono Epiſtola ad Pelagium & Anatolium n. 2. tum in veterrimo baſilicæ Vaticanæ exemplari non ideo inſcribitur *Liber ad Conſtantium ſecundus*, quod cum ſuperiore cohæreat, ſed quod tempore poſterior ſit.

De libro contra Conſtantium Imperatorem.

Præmiſit novus editor Operum S. Hilarii col. 1231. & ſequentibus, Diſſertationem ſatis prolixam in librum adverſus Conſtantium, quem Hilario adſcribunt tum Hieronymus in libro *de Scriptorib. Eccleſiaſticis*, tum Facundus Hermianenſis *contra Mocianum*. Scriptum porro anno 360. invenient, quicunque expendent, poſt Seleucienſe Concilium, eo ipſo tempore, quo Sozomeno teſte lib. 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 25. *Omnes ubique Eccleſias quædam quaſi perſecutio occupavit, cujusmodi olim ſub ethnicis Imperatoribus graſſata fuerat.* Vnde mirum non eſt tam acriter invectum fuiſſe Hilarium in Imperatorem Conſtantium, præcipuum perſecutionis hujus auctorem.

De libro adverſus Auxentium Mediolanenſem, vel contra Arianos.

Libro hoc elegante, ut cum Hieronymo loquamur, Hilarius de ſuis cum Auxentio Mediolani geſtis, Catholicos certiores facit. Illum Conſtantii tempore, ac proinde ante annum 361 editum eſſe repugnat: quamvis hoc ſonare videantur, expendenda ſuo loco Facundi Hermianenſis verba Tomo 3. *Spicilegii* pag. 118. Neque magis veritati conſentanea eſt Baronii vel Blondelli ſententia, qua eum anno 369. ſcriptum volunt: cum eo tempore Hilarius, Hieronymo, Sulpicio Severo, & Gregorio Turonenſi auctoribus, e vivis exceſſiſſe compertum obetur. Deceptus uterque fuit ex mendoſa priorum editionum lectione, qua Auxentius ita ſcribebat num. 12. *Non oportere boo. Epiſcoporum unitatem poſt tantos labores ex contentione paucorum hominum* abjectis decretis *ante annos decem*: ita ut de contemptu Ariminenſium decretorum ante annos decem editorum, conqueri videretur. Verum ex ea ipſa lectione jam caſtigata, internoſci verus poteſt hujus Operis tempus. Cum enim pro *abjectis decretis ante annos decem*, legendum ſit *ab abjectis ante annos decem*: cumque Auxentius quos illos abjectos intelligat, ſubinde declaret his poſtremis Epiſtolæ ſuæ verbis, *Sic enim cognoſcet Serenitas veſtra, quia qui jamdudum depoſiti ſunt, hoc eſt, Hilarius & Euſebius contendunt ubique Schiſmata facere*: hinc tantum ſequitur, ſcriptam eſſe Auxentii Epiſtolam, & perinde reliquum Opus, decem annos poſtquam duo illi fortiſſimi Præſules abjecti fuere. At vero Euſebium

febium a Concilio Mediolanenſi anni 335. a Biterrenſi autem anni 356. Hilarium in exſilium ejectum fuiſſe nemo ignorat. Præterea ut Operis hujus tempus certius dignoſcatur, explorare juverit, quando Valentinianus Mediolani verſatus ſit: congreſſum enim Hilarii cum Auxentio, illo ibi commorante habitum fuiſſe manifeſtum eſt. Mediolani autem Valentinianum anno 364. identidem verſatum eſſe, fidem faciunt reſcripta inde, hoc ipſo anno data Kalendis Juniis, 13. Kalend. Julii, 14. Kalend. Septembris, Pridie nonas Novembris, nec non 15. & 7. Kalend. Decembris. Neque minus liquet ex variis reſcriptis, eum in eadem urbe maximam anni ſubſequentis partem tranſegiſſe. Porro Ammiani teſtimonio lib. 26. cap. 5. ac pluribus aliis monumentis conſtat, Valentinianum menſe Novembri anni 365. veniſſe Pariſios, neque annis ſubſequentibus a Galliis diſceſſiſſe. Vnde cum perſpicuum ſit, prædictum congreſſum ante menſem Novembrem anni 365. fuiſſe habitum: inquirendum duntaxat reſtat, habitusne ſit anno 365. an 364. Neutrum quidem certo definire licet, poſtremum tamen conſiderata congreſſus hujus occaſione, & rerum in eo geſtarum ſerie explicata, longe probabilius apparebit. Hæc novus editor Operum S. Hilarii *Admonitione* prævia ad librum *contra Auxentium Mediolanenſem Epiſcopum* col. 1261.

De Fragmentis continentibus hiſtoriam Synodi Ariminenſis & Seleucienſis.

Præclarum hoc antiquitatis monimentum opera Nicolai Fabri ex bibliotheca Petri Pithæi anno 1598. apud Ambroſium Drovar *Fragmentorum* nomine editum, ſummo omnium plauſu exceptum fuit. Manuſcriptis unde hæc Fragmenta educta ſunt, ſuffragatur Hieronymus. Qui enim ab illo in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 100. inter Opera Hilarii recenſetur, *Liber adverſus Valentem & Vrſacium hiſtoriam Ariminenſis & Seleucienſis Synodi continens:* haud obſcure promittitur titulo in fronte Fragmenti 1. prænotato, *Incipit Liber S. Hilarii Pictavenſis Epiſcopi provinciæ Aquitaniæ, in quo ſunt omnia, quæ oſtendunt vel quomodo, quibusnam cauſis, quibus inſtantibus ſub Imperatore Conſtantio factum eſt Ariminenſe Concilium &c.* Plura editor noſter novus Operum S. Hilarii Pictavenſis Epiſcopi, Præfatione ad hæc Fragmenta col. 1271. & ſequentibus.

Quæ autem in *Appendicem* Operum S. Hilarii a Monachis Benedictinis adjecta ſunt, cum Opuſcula modica & momenti nullius ſint, monitaque ſua ſingulis habeant præfixa, operæ pretium non eſt iis iſtic immorari.

CAPVT QVINTVM.

DE LIBRIS S. HILARII PICTAVENSIS EPISCOPI, QVI INJVRIA TEMPORVM INTERCIDERVNT.

DEnique unum ſupereſt ut agamus de Hilarii Operibus quæ exciderunt, de quibus erudite editor novus Operum Hilarii, in Præfatione generali ipſis præmiſſa, pag. VI. num. 19. & ſequentibus, quem pro more in epitomen contrahemus.

Liber Hilarii ad Saluſtium qualis, cujusve conditionis Dioſcorus fuerit, Hieronymus Epiſt. 84. ad Magnum explicat his verbis: *Brevi libello quem ſcripſit contra Dioſcorum medicum, quid in litteris poſſet oſtendit.* Quibus ſi addideris quod de Saluſtio narrat Theodoretus lib. 3. hiſtoriæ Eccleſ. cap. 11. eum ethnicum licet, Julianum tamen a cruciandis Chriſtianis quantum in ſe erat deterruiſſe, ac tandem hoc ei arte & induſtria perſuaſiſſe, quod primum verbis non valuerat: facile aſſentieris, hunc librum minime inſcribendum eſſe *adverſus Saluſtium*, ut in vulgatis Hieronymi obtinet: ſed ut in exemplari Corbeienſi litteris Merovingicis ſcripto, *ad Saluſtium*, ad quem ut natura mitem & humanum confugerit Hilarius adverſus nequitiam Dioſcori, qui forſitan crudelior Juliani juſſa propenſius exſequeretur. Hinc quoque conficitur, eundem libellum Juliano rerum potiente ſcriptum eſſe.

Hymnorum Liber quibus de rebus tractaverit, breviter perſtringit Concilium Toletanum IV. can. 13. ubi ait, *Nonnulli hymni humano ſtudio in laudem Dei, atque Apoſtolorum & Martyrum triumphos compoſiti eſſe noſcuntur, ſicut hi quos beatiſſimi Doctores* Hilarius *atque Ambroſius ediderunt.* De iisdem Hieronymus præfatione in librum ſecundum Comment. ad Galatas hoc unum indicat, quod *Hilarius latinæ eloquentiæ Rhodanus, Gallus ipſe & Pictavis genitus, in Hymnorum carmine Gallos indociles vocet.* Sed cum Iſidorus Hiſpalenſis lib. 1. *Officiorum Eccleſ.* cap. 6. hoc ei laudis tribuit, quod *Hymnorum carmine claruit primus*, in unos Latinos reſpexiſſe intelligendus eſt. Nam & in hoc genere longe ante Hilarium claruerunt Aſcetæ illi, de quibus Euſebius lib. 2. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 17. hæc ex Philone deſcribit: *Non ſolum contemplationi vacant, ſed etiam cantica hymnosque ad laudem Dei componunt omni metrorum ac modulationum genere.* Arianis quoque ab ipſo ortu ſuo ſollennem fuiſſe hymnorum cantum, teſtis eſt percelebris illa Arii Thalia, cui Athanaſius Orat. 1. contra Arianos pag. 310. Arium perverſa ſua commenta inſeruiſſe memorat. Magiſtrum imitati diſcipuli, teſtibus Socrate lib. 6. cap. 8. & Sozomeno lib. 8. cap. 8. hymnos apte ad ſuam hæreſim compoſitos alternatim cecinerunt. Quod cum Arcadio Imperatore, Gainæ potentia freti, publice ac ſumma cum licentia præſtarent: veritus Chryſoſtomus, nequis ex ſimplicioribus, hujusmodi canticis ab Eccleſia abſtraheretur, quosdam ex Catholicis eis oppoſuit, qui majore cum pompa & apparatu hymnos decantando, Arianorum ſtudium ſuperarent. Hymnorum S. Hilarii ſaltem nonnullos in uſum Eccleſiaſticum receptos

receptos esse, valde probabile est. Erasmus Hymnos de S. Johanne Baptista & de Cruce Hilarii esse conjectat: sed hujus conjecturæ suæ nullam affert probationem; & hymnos de Cruce nominatim constat esse Fortunati Hymnum *Gloria in excelsis Deo &c.* ab illo auctum & consummatum esse tradunt Alcuinus vulgatus Libro *de Divinis officiis* cap. 40. Remigius Antissiodorensis Lib. 1. *de celebratione Missæ*, Hugo Victorinus Lib. 2. *de Sacramentis* p. 9. cap. 9. atque Honorius Augustodunensis Lib. 1. *de gemma animæ* cap. 87. idque a pluribus ita existimari fatetur Innocentius III. Libro 2. *Mysterii Missæ* cap. 20. quamvis ipse Telesphoro hanc gloriam tribuat.

Ex libro *Mysteriorum* nihil nobis supereſt nisi titulus, ab Hieronymo indicatus. Quanquam quod de Hymnis diximus, idem de hoc libro conjectare licet, eum officiis Ecclesiasticis immixtum fuisse. Usu enim venit, ut cum in dies augeantur Ecclesiasticorum Officiorum solemnia, illius nomen diu retinere nequeant, a quo ordinata sint: sed Ecclesiæ, quæ pro temporibus ac locis per suos singula disponit, temperat, perficit, propria evadant. Hujus rei celebre exemplum præstat S. Gregorii Sacramentarium, quod in usus suos ita accommodarunt singulæ Ecclesiæ, ut vix unum reperias exemplar, quod Gregorio adscribere ex solido valeas.

Epistolas S. Hilarii in unum quoddam volumen collectas fuisse, vult Sulpicius Severus dum Libro secundo Osium centenario majorem lapsum esse testatus, subjicit, *ut Sanctus Hilarius in Epistolis refert.* Nonnulla adhuc in Operibus illius remanent vestigia, ex quibus deprehendere est quando, ad quos, quibus de rebus scripserit. Qui illum decreti anno 355. editi auctorem esse concesserit, quo se cum Gallicanis Episcopis a Saturnini, Ursacii & Valentis communione separavit, uti Libro in Constantium n. 2. declarat, non inficias ierit eumdem statim sanctis Confessoribus hoc suum decretum significasse, quod eorum auctoritate confirmandum dereliquerat. Apertius Lib. de Synodis n. 1. memorat, se ex eo tempore, quo in exsilium pulsus est, de diversis Romanarum provinciarum urbibus plures misisse litteras, quibus Occidentales de Orientalium Ecclesiarum statu, & de progressu Arianæ hæreseos certiores faciebat. Non tamen hinc negandum est, eum etiam Epistolas ad diversos scripsisse, quod superius ab Hieronymo in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 100. audivimus.

His omnibus Operibus longe celebriores sunt *Tractatus in Job*, Augustini Lib. 1. contra Julianum cap. 8. n. 27. & Lib. de natura & gratia cap. 62. & Hieronymi testimoniis toties commendati. Illos desiderio conquisivit eo majori Petrus Coutant, quo facilius est eorum veritatem vel ex Augustini loco Lib. 2. contra Julianum cap. 8. dijudicare. Ex hac una nota reprobatur eorum opinio, quos Possevinus in *Apparatu Sacro* ad verbum *Hilarius*, observat dubitasse, num illius sint tres Libri in Job apud Origenem vulgati, cum præfatione cujus initium, *Peritorum mos est medicorum &c.* Quamvis enim in MS. Monasterii Padolironensis inscribantur libri *quos de Græco in Latinum Hilarius Episcopus vertit:* in eis tamen non occurrunt verba ab Augustino allata; atque in hac editione producta in Fragmentis col. 1365. ex Hilarii in Job Tractatibus. Sed neque ii libri, ut Johannes Mabillonius in *Itinere Italico* pag. 208. admonuit, tanti Doctoris venam aut genium sapiunt. Etenim multo minus illi consentiunt cum illius fide. Eorum enim auctorem Ario adhæsisse vir illustr. Daniel Huetius in *Appendice* Lib. 3. Origenian. n. 2. hinc probat, quod in eis homousion rejiciatur, ac laudibus celebretur Lucianus, cujus se discipulos esse primi Ariani gloriabantur. Unde Arius ipse apud Theodoretum Lib. 1. Hist. Eccles. cap. 5. ad Eusebium Nicomediensem scribens, *Collucianistam* eum vocat. Forte etiam Licinianus qui *Carthaginis Spatarius* Episcopus ab Isidoro *de Scriptoribus Ecclesiæ* appellatur, falsa inscriptione deceptus fuerat, cum ad Gregorium Papam Tomo 7. *Spicilegii* pag. 369. scribit: *Habemus sane libellos sex Sancti Hilarii Pictavensis Episcopi, quos de Græco Origenis in Latinum vertit, sed non omnia secundum ordinem libri Sancti Job exposuit.* Siquidem Hieronymus usquam *Hilarii in Job libellos* commemorat, sed Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 100. *Tractatus in Job.* Apologia autem adversus Rufinum, Epistola 101. ad Pammachium, & alibi, *homilias in Job:* quo etiam nomine ab Augustino contra Julianum lib. 2. cap. 8. n. 27. citantur. Hoc Hilarii Opus ad exsilium ipsius referre licet, exsuli enim convenientissima erat libri hujus tractatio, in quo nobis rarissimum patientiæ exemplum Deus exposuit.

In Epistolas Pauli an S. Hilarius scripserit, probabilior esset ambigendi ratio. Nam Concilium Hispalense 11. Can. 12. illius ex Epistolæ ad Timotheum explicatione verba sic laudat: *Sanctus ergo Hilarius in explicatione Epistolæ ad Timotheum sic loquitur, nam & cum dixit Scriptura &c.* Nostrum porro, inquit editor novus Operum Hilarii, Hilarium omnino sapit fragmentum illud, quod cum aliis ad calcem Operum illius edendum curabimus. Alium quoque sancti Hilarii nomine locum, Augustinus Lib. 4. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 4. affert, quo Pauli verba *Rom.* 5. 12. explicantur: *Sic Sanctus Hilarius intellexit, In quo omnes peccaverunt: sic enim in quo, id est in Adam omnes peccaverunt.* Quæ verba quia occurrunt in Commentariis S. Ambrosii nomine vulgatis, qui ab Hilarii nostri stilo longe abhorrent, multi existimant Augustinum Hilarii nomine deceptum, eosque Commentarios Hilario Diacono Schismatis Luciferiani fautori esse adscribendos. Sed hi non facile se expediunt, cum eorum auctorem Romano Pontifici communione conjunctum esse, & errores refutasse baptizantium: Hilarium vero

Diaconum, Hieronymi in Dialogo contra Luciferianos teſtimonio, in errore & Schiſmate perſeveraſſe objicitur. Sed deceptus ſit S. Auguſtinus, necne; neque ex ipſius, neque ex Concilii Hiſpalenſis teſtimonio neceſſario concluditur, Hilarium in Epiſtolas Pauli edidiſſe Commentarios: ſed tantum ex operibus quorum jacturam novimus ac dolemus, quosdam ex eis locos expoſuiſſe. Quanquam Hiſpalenſis Concilii verba aliud quid ſonare fatendum eſt. Hæc de perditis S. Hilarii operibus de quibus præmonendum duxit editor novus Operum S. Hilarii, cujus diligentiam nihil effugit, quemque hic merito tranſcribendum ac contrahendum exiſtimavimus, omiſſis aliis noſtro inſtituto non inſervientibus.

„EVSEBIVS VERCELLENSIS EPISCOPVS „natione Sardus, & ex Lectore urbis Roma„næ, Vercellenſis Epiſcopus, ob confeſſionem „fidei a Conſtantio Principe Scythopolim, & „inde Cappadociam relegatus, ſub Juliano Im„peratore ad Eccleſiam reverſus, edidit in Pſal„mos Commentarios Euſebii Cæſarienſis, quos „de Græco in Latinum verterat. Mortuus eſt „Valentiniano & Valente regnantibus.„ Hæc Hieronymus in Catalogo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 106. cujus & meminit in *Chronico* ad annum 360. Claruit circa annum 354. quo anno rogatus eſt per literas Liberii Romani Pontificis, ut una cum Legatis ſuis ad Conſtantium Imperatorem tunc intra Gallias agentem proficiſceretur, ut ex epiſtolis 4. & 5. Liberii conſtat. Quod quidem fecit, ſuisque apud Imperatorem precibus effecit, ut ſequenti anno Concilium Mediolani conveniret: ad quod ipſe vix admiſſus eſt, Liberii licet vices gereret: Arianis per vim & fraudem omnia turbantibus. Non extat Commentarius Euſebii Cæſarienſis, quem Vercellenſis Euſebius ex Græco in Latinum ſermonem tranſtulit. Relegatus in exilium anno 355. ſcripſit nonnullas *Epiſtolas* ex Vercellenſis Eccleſiæ archivis depromptas, quas hucusque genuinas eruditi opinati ſunt, nempe ad Conſtantium Imperatorem *unam*, ad Patrophilum Arianum Epiſcopum *alteram*, ad Presbyteros Vercellenſes & quasdam Italiæ plebes de ſtatu ſuo & vitæ ærumnis *tertiam*. Denique *quartam* ad Gregorium Epiſcopum Hiſpanum, quæ habetur in Fragmentis *Hilarii* Pictavienſis Epiſcopi Col. 433. Sub Juliano Apoſtata ad Eccleſiam ſuam anno 360. reverſus, poſt multos pro Chriſto labores ſuperatos mortuus eſt anno 369. juxta aliquos 371. juxta alios Calendis Auguſti. Extant Epiſtolæ tres priores in Bibliotheca Sanctorum Patrum, editionis Pariſienſis annorum 1575. & 1589. atque aliis paſſim. De *Euſebio Vercellenſi Epiſcopo* Hieronymus locis citatis, Epiphanius in *Panario* Hæreſi 30. Socrates Lib. 2. cap. 36. & Lib. 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 5. & 9. Sozomenus Lib. 5. cap. 12. Theodoretus Lib. 3. cap. 4. Rufinus Lib. 1. cap. 27. & 28. Honorius Auguſtodunenſis Lib. 1. *de Scriptoribus* cap. 97. Baronius in *Annalibus* ad annum 355. num. 7. 356. num. 92. Et in *Martyrologio Romano* ad diem 1. Auguſti. Laurentius Surius in Vitis Sanctorum, ad eandem diem. Aubertus Miræus in *Auctario* Scriptorum *Eccleſiaſticorum* cap. 40. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* ad annum 354. pag. 166.

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS S. CYRILLI HIEROSOLYMITANI EPISCOPI.

CUm multis intricata mihi dubitandi rationibus, tum Vita Sancti Cyrilli Hieroſolymitani Epiſcopi, tum Scripta, quæ huc usque ſub ejusdem nomine in publicam lucem venerunt, apparuerint: ad ſpecialem de his capitibus Diſſertationem ſuſcipiendam animum appoſui: maxime cum Scriptores nuperos, tam Ludovicum Elliam du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica*, ſeculo IV. tomo 2. in *Cyrillo Hieroſolymitano* pag. 134. quam Guillelmum Cavum in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ſeculo IV. ad annum 350. pag. 161. maxima fiducia de Catecheſibus Cyrillo attributis pronuncient, quaſi nulla ambigendi fulciantur ratione, qui in contrariam abierunt ſententiam, Robertus Cocus in *Cenſura quorundam Scriptorum Veterum* paginis mihi 233 & 238. Andreas Rivetus Lib. 3 *Critici ſacri* capp. 8. 9. 10. & 11. pag. 279. æquius certe Gerardus Joannes Voſſius, qui licet in Opuſculo *de tribus Symbolis*, has Catecheſes Cyrillo adſcribat Diſſertatione 1. pag. 34. §. 51. hoc tamen cum formidine aliquanta ſcribit, nec dubitandi rationes negat.

CAPVT PRIMVM.
VITA S. CYRILLI HIEROSOLYMITANI EPISCOPI PAVCIS EXPLICATVR.

CYrillus quem Cavus vult ſub Macario Hie-347.
roſolymorum Epiſcopo Diaconum, a Maximo Presbyterum ordinatum, Catechiſtæ etiam munere functus, ſermones ſuos Catecheticos in eadem Eccleſia habuiſſe dicitur, circa annum CCCXLVII. juxta Cavum, ſeptuaginta nempe poſt exortum Manetem annis, qui cœpit hæreſim ſuam divulgare anno Imperatoris Probi ſecundo, Chriſti CCLXXVII. ut ipſe nos docet Catecheſi 6. pag. 141. juxta Voſſium Diſſertatione 1. *de tribus Symbolis*, ad annum CCCL.

Quæ

Quæ prorſus dicta ſint ex ſuppoſitione, quod Catecheſes ad ipſum vere ſpectent, qua de re controvertitur. Poſt Maximi mortem circa annum CCCL. in ſede Hieroſolymitana ſucceſſit, ab Acacio Cæſarienſi Epiſcopo jure Metropolitico ordinatus: imo ut Hieronymo in Chronico ad an. CCCXLIX. aliisque ut Rufino Lib. 1. cap. 23. Socrati Lib. 2. cap. 38. Arianæ factionis Epiſcopi, ex Imperialibus edictis majorem ſumpſerunt audaciam. «Quanam autem »ratione Concilium cogere aggreſſi ſint, paulo »poſt dicturus ſum. Prius tamen ea percurram »quæ ab illis ante Synodum geſta ſunt. Acacius »quidem & Patrophilus pulſo Maximo Hiero»ſolymorum Epiſcopo, Cyrillum in ejus locum »ſubſtituerunt. Macedonius vero vicinas Con»ſtantinopoli civitates ac provincias ſubver»tit, &c.» Quibus aperte conſtat, in exulantis ob Catholicam fidem Maximi locum, ab Arianis ſuffectum Cyrillum, absque dubio Arianum: vel ſaltem Arianis tunc fortioribus ut hanc ſedem aſſequeretur, conniventem atque conſentientem. Quem enim alium in locum orthodoxi exulis ſubſtituiſſent Ariani, quam Arianum? Nec juvat quod affert Cavus ex Sozomeno Lib. 2. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 26. qui ſibi ipſi contradicere videtur, dum laudat ſimul & Maximum Martyrio conſummatum, & Cyrillum in ejus locum ſuffectum: quem falſo ſedi Hieroſolymitanæ, nonniſi poſt Maximi mortem ſuffectum per electionem vult. «Hieroſo»lymorum vero ſacerdotium, poſt Macarium »illum, cujus jam antea mentionem fecimus, »Maximus ſuſcepit. Vir qui pro pietatis de»fenſione in perſecutionum certaminibus incla»ruerat. Nam & oculo dextro orbatus, & dex»tro poplite debilitatus fuerat. Quo deinde »ad immortalem vitam translato, Cyrillus A»poſtolicæ doctrinæ acerrimus propugnator, »Epiſcopalem gratiam promeruit. Hi cum de »primatu inter ſe contenderent, reipublicæ »Chriſtianæ graviſſimorum malorum cauſam »præbuere.» Nec etiam juvat Concilii Conſtantinopolitani Epiſtola ad Damaſum Papam Synodica, quæ apud Theodoritum Lib. 5. cap. 9. legitur: Cyrillus enim cum pro temporibus inconſtans ac verſipellis eſſet, fidem nullo negotio mutare potuerat, maxime ex quo Theodoſius Imperium obtinuerat, atque Arianos & Macedonianos infirmiores viderat. Quam ob cauſam, in ſedem ſuam revocatus, atque mutatus mente & ſententia, hoc a Conſtantinopolitanis Patribus teſtimonium tunc temporis habuerit. Ambitionem certe ipſius, qui doctrinam laudat, Theodoretus ipſe non diſſimulat: dum contra Ordinatorem & Metropolitanum ſuum inſurrexiſſe Cyrillum, atque de primatu cum Acacio contendiſſe, aſſerit. *Hi cum de primatu interſe contenderent, reipublicæ Chriſtianæ graviſſimorum malorum cauſam præbuere.* Clarum eruditis eſt, quis in hac contentione injuſtus eſſet, injuſta exigens, novitatem quæritans; Cyrillus Hieroſolymitanus titulis vanis Cæſarienſem Eccleſiam acquiſita juris poſſeſſione ſpoliare tentans, omnemque movens lapidem, ut Metropolitani jugum excuteret. Cum ergo contra matrem Eccleſiam Cæſaream inſurgeret Cyrillus, aliis nonnullis contra eum hinc inde collectis ad molem cauſarum, accuſationibus: ab Acacio Cæſarienſi Epiſcopo depoſitus eſt, ut habet his verbis Sozomenus Lib. 4. *Hiſtoriæ* cap. 25. ubi & ejus fidem non orthodoxam de Filio Dei teſtatur. «Cum his vero Cyrillum quoque »excuterunt Epiſcopum Hieroſolymorum, pro»pterea quod cum Euſtathio & Elpidio commu»nicaſſet, qui decreta Melitinenſis Synodi, cui »ipſe quoque interfuerat, abrogare ſtuduerant. »Et quod poſt depoſitionem in Palæſtina factam, »communionem iniiſſet cum Baſilio, & Georgio »Epiſcopo Laodiceno. Etenim poſt ſuſceptum »Hieroſolymorum Epiſcopatum, de jure Me»tropolitano adverſus Acacium Epiſcopum Cæ»ſareæ controverſiam moverat, tanquam Apo»ſtolicam ſedem obtinens. Ex quo factum fue»rat, ut inimicitias inter ſe ſuſciperent, ſeſeque »mutuo accuſarent, quod non recte ſentirent »de Divinitate. Nam & antea uterque eorum »in ſuſpicionem venerat, Acacius quidem, quod »cum Ario idem ſentiret: Cyrillus vero quod »eos ſectaretur, qui Filium Patri ſimilem ſecun»dam ſubſtantiam aſſerebant. Cum igitur ita »ſentiret Acacius, una cum Epiſcopis provinciæ »Palæſtinæ, qui idem cum ipſo ſentiebant, Cyril»lum præveniens, depoſuit hujusmodi ob cau»ſam. Cum Hieroſolymorum regionem fames »occupaſſet, egentium multitudo neceſſariis ali»mentis deſtituta, in Cyrillum utpote Epiſco»pum oculos conjecit: cum autem pecuniæ »deeſſent, quibus ſubveniri poſſet egentibus, »Cyrillus theſauros Eccleſiæ & ſacra vela di»vendidit. Ajunt igitur quendam poſtea dona»rium ſuum agnoviſſe in muliere ſcenica, quæ »illo amicta erat: inquientemque curioſius »unde haberet, deprehendiſſe mercatorem qui »illud mulieri vendiderat: mercatori autem Epi»ſcopum venundediſſe. Hanc ergo cauſam præ»texens Acacius, Cyrillum depoſuit: & hæc qui»dem ita geſta eſſe, auditione accepi.» Quibus Sozomeni verbis, inconſtantem maxime in fide fuiſſe Cyrillum, patet: nunc Arianum, nunc autem cum Semiarianis convenientem, pro commodis vel incommodis inde accidentibus. Ab iniqua (ut putabat) Acacii ſententia Cyrillus, teſte Socrate Lib. 2. *Hiſtoriæ* cap. 40. ad majus judicium provocavit, adſtipulante ipſo Imperatore Conſtantio: ſolus ac primus juxta Socratem loco citato, qui contra Eccleſiaſtici Canonis conſuetudinem, appellationem talem interpoſuit. Hieroſolymis pulſus, Tarſi cum Sylvano Epiſcopo vixit (ut Lib. 2. *Hiſtoriæ* cap. 26. Theodoritus habet)] in ejusque Eccleſia frequentes ad populum ſermones habuit, qui Cyrilli concionibus admodum delectabatur, nec

quicquam per literas reclamante Acacio. Anno CCCLIX. in Synodo Seleucienſi Acacio ſuperior fuit, ſed in Conciliabulo paulo poſt Conſtantinopolim coacto, incruſtatis prioribus calumniis, additisque novis, illum Acacius iterum depoſuit. Sub Juliano ſuæ reſtitutus Eccleſiæ, Judæos Imperiali gratia ad Templum Hieroſolymitanum e ruderibus extruendum animatos, magnoque molimine id agentes, ludibrio habuit: & memoria recolens tum Prophetæ Danielis vaticinium, tum D. Jeſu Chriſti oraculum: prædixit fore brevi, ut in eo ædificio lapis ſupra lapidem non maneret: quod quidem ita contigit, ut narrat Socrates Lib. 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 20. Tandem ſub Theodoſio, in ſedem ſuam reverſus eſt, fugatis adverſariis, quam inconcuſſam tenuit. Anno CCCLXXXI. inter ἡγέμονας ſeu ἐξάρχους ſecundæ Synodi generalis accenſetur, a Concilio iſto in integrum reſtitutus, & honorificentiſſimo elogio ornatus: absque dubio, ut anterioris fidei qua nunc Arianus, nunc Semiarianus audiverat, labes abſtergeretur: unde nullus dubito, quin tunc inter Orthodoxos jure computaretur, ad integram reverſus fidem. Tandemque anno CCCLXXXVI. debitum humanæ naturæ ſolviſſe dicitur. Hæc ex Cavo atque aliis, quo variæ Cyrilli formæ, mentisque elatio & inconſtantia, noſcerentur.

CAPVT SECVNDVM.

DE CATECHESIBVS CYRILLO HIEROSOLYMITANO ATTRIBVTIS.

SCripſiſſe Cyrillum Catecheſes teſtatur S. Hieronymus in Lib. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 122. his verbis. *Cyrillus Hieroſolymæ Epiſcopus, ſæpe pulſus Eccleſia & receptus, ad extremum ſub Theodoſio Principe, octo annis Epiſcopatum inconcuſſum tenuit. Extant ejus κατηχήσεις, quas in adoleſcentia compoſuit.* Joannes Grodecius Glogovienſis Decanus, Vratislavienſis & Varmienſis Canonicus, edidit anno 1564. in 8. Pariſiis apud Sebaſtianum Nivellium Latine *Sancti Patris noſtri Cyrilli Hieroſolymorum Archiepiſcopi, Catecheſes illuminatorum Hieroſolymis XVIII. & Myſtagogicæ V. cum Epiſtola ad Conſtantium Imperatorem*, ſub finem. Eædem Græce prodierunt Pariſiis in 8. anno eodem 1564. apud Guillelmum Morellium, ſed XI. tantum *ad illuminatos* & *V. Myſtagogicæ*. Græce & Latine, Coloniæ 1564. Omnia autem Opera Græce & Latine edidit Joannes Prevotius Burdegalenſis, Pariſiis in 4. anno 1609. apud Claudium Morellium. Deinde Dionyſius Petavius ibidem anno 1622. in fol. ut & ibidem cum Syneſio in fol. anno 1631. & 1640. Sed tandem anno 1703. eadem Opera Græce & Latine cum MSS. collata, edita Oxonii in folio, e theatro Seldoniano, rem promovit Thomas Milles S. Theologiæ Baccalaureus, ex Ædc Chriſti, quæ præſtantiſſima editio eſt. Evulgavit autem Græce Grodecius ex MS. Codice Romano, quem dum in Vrbe eſſet apud illuſtriſſimum Cardinalem Stanislaum Hoſium nactus fuerat, atque cum altera Slavonopolona verſione Jacobi Vchanski Gnesnenſis Archiepiſcopi contulerat. Has *extemporaneas* vocat Grodecius, ſeu ex tempore pronuntiatas atque excerptas confeſtim ab aliquo, ſecutus in hoc absque dubio fidem Manuſcripti Codicis. Ita enim invenitur quoque MS. Codex ejusdem tenoris, de quo Lambecius Libro ſeu tomo 3. *Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* pag. 76. in examine Codicis MS. Theologici Græci LV. num. V. his verbis. "Quinto & quidem a fol. 155. usque ad fol. 249. *Sancti Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani Catecheſes tam extemporance ad illuminatos, quam Myſtagogica ad recens baptizatos.* Earum prior inſcribitur atque incipit hoc modo Κυριλλου ἐπισκόπου Ἱεροσολύμων κατήχησις α βαπτιζομένων ἐν Ἱεροσολύμοις σχεδιασθεῖσα, εἰσαγωγικὴ τοῖς προσελθοῦσιν, καὶ ἀναγνωσις ἐκτῆ Ἡσαΐᾳ. λύσασθε, καθαροὶ γίνεσθε, ἀφέλετε τὰς πονηρίας ἀπὸ τῶν ψυχῶν ὑμῶν, ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν μου, καὶ τὰ ἑξῆς. καινὸς διαθήκης μαθηταὶ, καὶ Χριστοῦ μυστηρίων κοινωνοὶ &c." Extant quoque harum Catecheſeon S. Cyrilli Hieroſolymitani MSS. duo Codices Graci in Bodlejana bibliotheca Oxonii in Anglia, Codice Græco 271. in MS. Codd. Thomæ Roe Militis Codice 25. 2 pag. 1. ad 215. Et Codice 2877. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, ſupra P. 3. Art. Codice 94. num. 4. 2 pag. 159. ad 206. In eodem Codice 271. de quo diximus ſupra, extat quoque pag. 215. *Ejusdem Epiſtola de apparitione Crucis ad Conſtantinum Magnum.* Et pag. 217. *Homilia ejusdem in Paralyticum* fragmentum ὑδὲν ἂν φανῇ &c. Item ad calcem *Apparatus Sacri* Antonii Poſſevini in Catalogo MSS. Codicum Græcorum Sereniſſimi Bavariæ Ducis, Codice 74. *Sancti Cyrilli Hieroſolymitani Epiſcopi* Catecheſes illuminatorum 18. & Catecheſes tres Myſtagogicæ cum Epiſtola ad Conſtantinum de ſigno Crucis Hieroſolymis viſo in 4. in charta, id quod recentem Codicem denotat. Et in Catalogo Auguſtanæ bibliothecæ Codice 22. *Catechetica inſtitutiones Epiſcopi Hieroſolymitani*, quem Cyrillum eſſe putavit, qui anno 1595. Catalogum contexuit, quia Opus anonymum illic in membrana eſt. Jam quæſtio non modica inter Criticos, utrum evulgatæ iſtæ Catecheſes ad Illuminatos ſeu Competentes, ſpectent ad Cyrillum Hieroſolymitanum, ſintque Opus ab Hieronymo ſupra deſignatum. Scribit enim Hieronymus ſuo tempore extitiſſe *Catecheſes Cyrilli Hieroſolymitani*, ſed quale ſit Opus non deſignat: an ſimplices ad quoſuis auditores plebejos homiliæ, an autem illæ *ad Competentes vel Catechumenos* ſcriptæ ſint, de quibus omnino ſilet. *Non deſunt* (inquit Voſſius pag. 37.) *tamen viri eruditi, qui has Catecheſes Cyrilli Hieroſolymitani eſſe negant.*

1. Afferunt verba illa ex Catech. π. Τὸ ξύλον τὸ ἅγιον τῆς σωτηρίου μαρτυρεῖ, μέχρι σήμερον αὐτοῦ

„παρ' ἡμῖν φαινόμενον καὶ διὰ τῶν κατὰ πίστιν ἐξ „αὐτοῦ λαμβανόντων ἐντεῦθεν τὴν ὀπισθένην πᾶσαν „σχεδὸν ἤδη ἐπλήρωσαν. *Lignum crucis teſtatur „ad hodiernum diem apud nos apparens, & apud eos „qui ſecundum fidem ex eo capientes, univerſum or- „bem fere jam repleverunt.* Illa inquit verba, μέ- „χρι σήμερον, *usque hodie*, non conveniunt ulli niſi „qui ſcribat poſt ſeculum vel amplius. Cyrillus „autem potuit intereſſe Crucis inventioni, ut „quæ reperta ſit anno CCCXXVI. quippe qui „anno juxta Cavum & ipſas Catecheſes ſcribe- ret CCCXLVII. anno tantum poſt citatam in- ventionem vigeſimo primo. Idem Catechef. 4. pag. 79. & Catechef. 13. pag. 284.

„2. Addunt ex Simlero in Indice librorum „quos Auguſtana Respublica ab Antonio Epar- „cho Corcyræo emptos poſſidet, legi Joannis „Jeroſolymitani Catecheſes Illuminatorum „duodeviginti & Myſtagogicas quinque. Porro „Cyrillo in Epiſcopatu ſucceſſit Joannes anno „CCCLXXXVI. ad an. CCCCXVI. quo mortu- „us eſt. Ac alter etiam ejus nominis Epiſcopus „Hieroſolymitanus factus eſt anno IↃXIII. ad „IↃXXV. Vt horum alteruter author videri „poſſit.„ Sed omnis hæc conjectura facile iis diſſlatur, quæ ut ſuperius dicebamus, Cyrillus ipſe ſcribit Catech. 6. pag. 141. de Manete: in- de enim liquido conſtat, eum ſcripſiſſe anno CCCXLVII. Quæ ætas uti melius Cyrillo quam Joanni priori convenit: ita poſteriori illi Joanni minime competere poteſt. Hæc Voſſius ſup- ponens Opus iſtud eſſe legitimum, neque ſup- poſitum Cyrillo, quod non concedimus: uti nec Rivetus, qui has easdem rationes affert *Critici Sacri* Lib. 3. cap. 8. pag. 281. & 283. Sed & Mar- cus Velſerus in Catalogo MSS. Græcorum Rei- publ. Auguſtanæ, nihil certum de his Catechē- ſibus pronuntiare auſus eſt, quem tamen Appa- ratui ſuo Poſſevinus adjecit: *Catechetica*, inquit, *Inſtitutiones Epiſcopi Hieroſolymitani, quem Cyril- lum eſſe puto &c. Ejusdem autem authoris & has quæ ſequuntur exiſtimo, Myſtagogicas Catecheſes quinque.*

3. Argumentum quod mihi admodum vali- dum videtur, illud eſt. Author iſtarum Cate- cheſeon explicat Symbolum Conſtantinopoli- tanum anno 381. a CL. Patribus compoſitum, paucis duntaxat vocibus contractum, uti ab ex- cerptoribus fieri conſuevit. Ergo Cyrillus has Catecheſes non compoſuit, quas enim Cyrillus conſcripſit, has in adoleſcentia teſte Divo Hie- ronymo habuit, antequam anno CCCL. ad ſe- dem Jeroſolymitanam promoveretur: unde in iis exponere non potuit Symbolum Conſtanti- nopolitanum verbotenus, paucis duntaxat vo- culis omiſſis, argumento a ſe tractando nihil conducentibus. Major propoſitio explicatio- ne & collatione, manifeſta omnibus fiet: unde erubeſcent opinor, qui tanta fiducia & oſtenta- tione Opuſculum iſtud Cyrillo adfirmarunt.

Symbolum Conſtantinopolitanum ac Cyril- lus putativus ſic incipiunt: Πιστεύω εἰς ἕνα θεόν, *Credo in unum Deum.* De hoc agit Cyrillus pu- tativus Catecheſi VI. quæ ideirco *de monarchia* inſcribitur. Sequitur πατέρα, *patrem:* quod exponitur Catecheſi VII. Hinc habes in Sym- bolo Conſtantinopolitano & Catechete παντο- κράτορα, *omnipotentem* ſive *in omnia imperium ha- bentem:* de quo Catecheſi VIII. Exinde in Symbolo Conſtantinopolitano eſt, ποιητὴν οὐρανοῦ, καὶ γῆς, ὁρατῶντε πάντων καὶ ἀοράτων· *Factorem cœli & terræ, viſibilium & inviſibilium:* quæ ver- ba explicantur Catecheſi IX. Hinc in Symbo- lo Conſtantinopolitano & Catechete eſt, καὶ εἰς ἕνα κύριον Ἰησοῦν χριστόν, *& in unum Dominum Jeſum Chriſtum:* quorum interpretationem ha- bet Catecheſis X. Subdunt poſtea Symbolum Conſtantinopolitanum & Catechetes τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, τὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς γεννηθέντα πρὸ πάντων τῶν αἰώνων. *Filium Dei unigenitum, ex Patre genitum, Deum verum ante omnia ſecula:* quæ narrantur Catecheſi XI. Poſt illa habes in Symbolo Conſtantinopolitano, hæc verba, quæ Catechetes omiſit: Θεὸν ἐκ Θεοῦ καὶ Φῶς ἐκ Φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ. δι' οὗ πάντα ἐγέ- νετο. τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέ- ραν σωτηρίαν κατελθόντα ἐκ τῶν οὐρανῶν. *Deum de Deo, & lumen de lumine, Deum verum de Deo ve- ro, genitum, non factum, conſubſtantialem Patri: per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homi- nes & propter noſtram ſalutem, deſcendit de cœlis.* Hæc Catechetes omiſit, utpote ſublimiora, at- que lavacrum regenerationis competentibus minime neceſſaria: quæque prolixam diſſeren- di occupationem exegiſſent, ad explicationem. Hinc Symbolum Conſtantinopolitanum habet, καὶ σαρκωθέντα ἐκ Πνεύματος ἁγίου, καὶ Μαρίας τῆς παρθένου, καὶ ἐνανθρωπήσαντα. *Et Incarnatum de Spiritu ſancto, & Maria Virgine, & hominem fa- ctum.* Quæ fuſius expreſſa a Concilio, ſic pau- cis contracta, σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, *incarnatum & hominem factum:* exponit Cyrillus putativus, Catecheſi XII. Idem Catecheſi XIII. iſta, σταυρωθέντα καὶ ταφέντα, *crucifixum & ſepultum* interpretatur: pro quo plenius in Conſtantinopolitano, σταυρωθέντα τε ὑπὲρ ἡμῶν ὑπὸ Ποντίου Πιλάτου, καὶ παθόντα καὶ ταφέντα: *Crucifixum pro nobis ſub Pontio Pilato, & paſſum & ſepultum.* Catecheſi XIV. explicantur iſta, ut inſcriptio habet: καὶ ἀναστάντα ἐκ νεκρῶν τῇ τρί- τῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς. καὶ κα- θίσαντα ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρός: *Et tertia die reſur- gentem a mortuis, & aſcendentem in cœlos, & ſe- dentem ad dexteram Patris.* Quæ ſimiliter Con- ſtantinopolitanum habet Symbolum, niſi quod præterit ἐκ νεκρῶν, *ex mortuis:* & pro καθίσαντα habet καθιζόμενον, forma vocis ſolum mutata. Inde Conſtantinopolitanum Symbolum, καὶ πάλιν ἐρχόμενον μετὰ δόξης κρῖναι ζῶντας καὶ νε- κρούς, οὗ τῆς βασιλείας οὐκ ἔσται τέλος: *Qui rurſum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos,*

cujus

cujus regni non erit finis. Quæ Catechetes ſic contraxit & Catecheſi XV. explicat, καὶ ἐρχόμενον κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, *Qui venturus eſt judicare vivos & mortuos*, ut habet inſcriptio cæteris omiſſis. Sed etſi hæc verba ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος, *Cujus regni non erit finis*, in lemmate prætereantur, juxta Voſſium: in mea tamen editione Pariſienſi 1564. Latina pag. 122. comparent, ac nihilominus fuiſſe in Græco videntur: cum ea ibi habeat interpres, imo & in Catecheſi ea exponat Pſeudocyrillus. Vbi & Galatæ meminit, qui nuper ſuccreviſſet, & auſus eſſet dicere, Chriſtum in fine mundi deſiturum regnare, ac reſolutum iri in Patrem. Sequitur in Symbolo Conſtantinopolitano, καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, τὸ κύριον, τὸ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, τὸ σὺν Πατρὶ καὶ υἱῷ προσκυνούμενον καὶ συνδοξαζόμενον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν. *Et in Spiritum Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre procedit, qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur, qui locutus eſt per Prophetas.* Quæ ſic paucis contraxit Catechetes: καὶ εἰς τὸ ἅγιον πνεῦμα, τὸ παράκλητον, τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν Προφητῶν: *Et in Spiritum Sanctum paracletum, qui locutus eſt per Prophetas.* Vbi omiſſis plurimis vocem *Paracleti* addidit, quæ ſuis Commentariis explicuit, Catecheſibus XVI. & XVII. Denique Symbolum Conſtantinopolitanum ſic concluditur, καὶ εἰς τὴν μίαν καθολικὴν καὶ ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν, εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν. Καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. Quæ immutato tantum ordine, atque voce ἀποστολικὴν omiſſa, Catecheſis XVIII. ſic recenſet: εἰς ἓν βάπτισμα μετανοίας, εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Καὶ εἰς μίαν καθολικὴν ἐκκλησίαν. Καὶ εἰς σαρκὸς ἀνάστασιν καὶ εἰς ζωὴν αἰώνιον. Vnde attente legenti luce meridiana clarius patet, authorem hunc in Catecheſibus explicuiſſe atque contraxiſſe Symbolum Conſtantinopolitanum anno 391. a CL. Patribus compoſitum: unde ſequitur hoc Opus non eſſe Cyrilli nec eſſe poſſe, qui in adoleſcentia & ante annum 350. Catecheſes ſuas ſcripſerat, ut teſtatur ſanctus Hieronymus. Porro baptiſmum pœnitentiæ & remiſſionem peccatorum, hac Catecheſi XVIII. non interpretatur Pſeudocyrillus cauſamque refert, quia de iis antea puta Catecheſi II. & III. egerit: quarum illa eſt *de pœnitentia & remiſſione peccatorum*, hæc *de baptiſmo.* Sed nec ordini ſuperiori inſiſtit: quia prius agit *de reſurrectione*, hinc *de Catholica Eccleſia*, tum *de vita æterna.* Hoc argumentum oluit Voſſius in Diſſertatione prima *de tribus Symbolis* pag. 38. his verbis. *Interea tamen non diffiteor quiddam eſſe, quod ſcrupulum injicere videatur, ſed aliis intactum. Nempe quod in Symbolo hoc quædam reperiam, quæ videantur eſſe ex Symbolo Conſtantinopolitano, ut ea quæ ſubjiciuntur poſt illa in Spiritum Sanctum.* Subdit deinde atque ſic Diſſertationem primam concludit. *Vel potius poſt Synodum Conſtantinopolitanam, ſive Joannes Patriarcha, ſive alius Hieroſolymitana Eccleſia Epiſcopus, iſta ex Symbolo addiderit Conſtantinopolitano, & interpretationem quoque adjecerit: quo Catecheſim pleniorem planioremque, Hieroſolymitana deinceps Eccleſia haberet. Ita Opus pene univerſum fuerit a Cyrillo, ab Joanne ſolum vel ſucceſſorum alio, valde exigua acceſſio facta ſit.*

4. Author hujus Operis ſe ſcripſiſſe poſt Concilium I. Conſtantinopolitanum anno CCCLXXXI. congregatum ſubindicat, ex Catecheſibus XVI. & XVII. quæ integræ ſunt ad ſtabiliendam divinitatem Spiritus ſancti, ut recte Voſſius ſuboluit. Non enim tantum excerpſit ut ſupra diximus, atque Symbolum Conſtantinopoleos explicuit: ſed inſuper addidit, his quæ a Conſtantinopolitanis Patribus *de Spiritu Sancto* definita fuerant. Definierunt tantum illi quidem, *Spiritum ſanctum Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, cum Patre & filio adorandum & glorificandum, qui locutus fuerat per Prophetas.* At Scriptor harum Catecheſeon, his adjiciens Catech. XVII. vult Spiritum ſanctum ab Apoſtolis, & eorum ſociis omnibus *Patri & Filio conſubſtantialem* creditum fuiſſe. Ita pag. 159. editionis latinæ 1564. *Et quod Spiritu Sancto plenus erat Paulus, & ejus ſocii omnes Apoſtoli: & qui per eos in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum conſubſtantialem crediderunt.* Longe autem ab hac mente fuit Cyrillus dum Catecheſes compoſuit, qui Maximo Epiſcopo Hieroſolymitano ob fidem orthodoxam exuli ſucceſſit, ab Arianis ordinatus: difficillimo nimirum Eccleſiæ tempore, Arianis & Semiarianis, ubique fere ſub Conſtantio obtinentibus, unde Rufinus lib. I. *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* cap. 23. *Cyrillus qui ſacerdotio confuſa jam ordinatione ſuſcepto, aliquando in fide, ſæpius in communione variabat.* Coluiſſe communionem Cyrillum cum Baſilio Galata, Arriano Antiocheno, & Georgio Laodiceno Semiarianis Epiſcopis, author eſt Epiphanius *hæreſi* 73. quæ Rufino fortaſſe cauſam dedit, ut illum tanquam qui aliquando in fide nutaſſet, notaverit. Vide quæ diximus cap. I. hujus Diſſertationis, de inconſtantia ejus in fide, licet illum ſub finem vitæ ad Catholicam unitatem temporibus Theodoſii rediiſſe certum ſit. Longe autem ab hac mente Cyrilli alienus eſt ſcriptor iſtarum Catecheſeon qui Catech. XI. pag. 234. & Catech. XV. pag. 369. Arianæ hæreſeos dogmata, velut a recta fide apoſtaſiam, & venientis Antichriſti præcurſorem damnat. Addo cum longe amplius ſcriptor harum Catecheſeon, *Divinitatem Spiritus Sancti* contra Macedonianos non nominatos tamen, Catecheſibus XVI. & XVII. affirmat, quam Catecheſibus X. & XI. *Divinitatem Filii* contra Arianos: hinc recte concludi, vixiſſe illum ac ſcripſiſſe poſt Conſtantinopolitanum Concilium, ut ſuboluit Voſſius: atque ita contra Voſſium, Catecheſes illas ad Cyrillum Hieroſolymitanum ſpectare nullo modo poſſe.

5. Hic Catechetes Catecheſi IV. *de decem dogma-*

dogmatibus, ubi *de ſepulchro*, loquitur de deſcenſu Chriſti ad inferos his verbis: *Deſcendit ad inferos, ut & juſtos illinc liberaret.* Et *de reſurrectione* ſic loquitur: *Qui deſcenderat ad inferos, rurſus aſcendit.* Atqui hæc nullatenus extabant teſte Rufino Explanatione in *Symbolum* §. 20. neque in Symbolo Eccleſiæ Romanæ, neque in Orientalibus ſuo tempore, ſed in Aquilejenſi tantum, & vulgari quodam Symbolo, ut habet Voſſius Diſſertatione 1. *de Symbolo* cap. 34. pag. 27. Rufinum audiamus ſub ſeculi IV. finem loquentem. *Sciendum ſane eſt, quod in Eccleſia Romana Symbolo, non habetur additum*, deſcendit ad inferna: *ſed neque in Orientis Eccleſiis habetur hic ſermo: vis tamen verbi eadem videtur eſſe in eo, quod ſepultus dicitur.* Sed cum longe alio ſenſu hunc locum intelligat hic interpres & Catechetes, quam quo Rufini tempore intelligebatur, de *Limbo* nimirum, & non de *Sepulchro*: hinc infero Scriptorem hunc non eſſe Cyrillum Ieroſolymitanum Epiſcopum, qui anno 347. Catecheſes ſcripſiſſe dicitur, ſed & Rufino longe recentiorem authorem. Deinde quis credat authorem Græcum hanc Latinorum mentem ſeu ſententiam, in Symboli explicationem immiſiſſe, niſi valde recentem? Cum & ipſi Latini veteres, *Inferos* hic pro *ſepulchro*, non pro *Limbo*, ut ex Rufino conſtat, acceperint: Pſeudocyrillus autem pro Limbo ſeu loco, *in quo juſti cum Adam a longo tempore concluſi erant, ut libertate deinceps potirentur.*

6. Idem ſcriptor Catecheſi XVIII. „Porro „amplius fidei noſtræ confeſſio iterum atque ite„rum vobis, cum diligentia omni a nobis recita„ta, per nos ipſos profiteri & enuntiari fortiter „debet. Tum & illud memineritis, quod jam „propoſita fides ſeu fidei confeſſio hoc in ſe con„tinet: „ *Et in unum baptiſma pœnitentiæ, in remiſſionem peccatorum: & in unam ſanctam Catholicam Eccleſiam: & in carnis reſurrectionem, & in vitam æternam.* Atqui hæc verbotenus habentur in Symbolo Conſtantinopolitano, atque in eo ſolo habentur, ordine verborum tantum immutato: Ergo ſcriptor hic allegat Symbolum Conſtantinopolitanum, quo conſequenter poſterior eſt. Ergo hæ Catecheſes non ſunt, quas Cyrillus adoleſcens ab Hieronymo ſcripſiſſe dicitur, antequam Epiſcopus eſſet, annis XXXIV. ante Conſtantinopolitanum Concilium. Quid ad hæc Ellias du Pin & Cavus, qui tanta firmitate pronuntiant, has Catecheſes eſſe Cyrilli indubium Opus? Imo certum eſt, non eſſe, nec ipſius eſſe poſſe.

7. Idem ſcriptor cauſam Cyrilli Hieroſolymitani aperte jugulat, Catecheſi IV. *de decem dogmatibus.* Ibi de Spiritu ſancto, Macedonianam hæreſim jam non natam tantum, ſed latè ſparſim denuntians, admonet Competentem ſeu Catechumenum. *Crede & in Spiritum Sanctum, & rectam habeas de illo ſententiam. Multi enim ſunt alieni a Spiritu ſancto, qui nefanda de illo docent.* Nullus opinor ſanæ mentis negabit, quin hic Macedonium ejusque hæreſim deſignet, poſt quem *Multi alieni a Spiritu ſancto, nefanda de illo docent:* unde patet authorem hunc aperte ſcripſiſſe poſt evulgatam Macedonii hæreſim & ſparſam, quod poſt ipſius depoſitionem anno CCCLX. vel circiter contigit. At Cyrillus jam ab anno CCCL. Epiſcopus Ieroſolymitanus fuerat, qui adoleſcens Catecheſes juxta Hieronymum conſcripſerat, ante ortam Macedonii hæreſim. Catecheſes igitur iſtæ quæ poſt hæreſim Macedonii neceſſario ſcriptæ leguntur, nullatenus ad Cyrillum Hieroſolymitanum tunc presbyterum dum ſcriberet, ſpectare poſſunt.

CAPVT TERTIVM.

EÆDEM CATECHESES ALIIS RATIONIBVS CYRILLO ABJVDICANTVR.

8. QVæ habet ſcriptor ille Catecheſi XVII. nequaquam conveniunt temporibus Cyrilli & anno CCCXLVII. quo a Cavo Catecheſes ſcriptæ a Cyrillo referuntur. Ita autem hac Catecheſi pag. 441. *Nonne habet Eccleſia vitulum & taurum cum Leone ſimul paſcentes? Sicut ad hodiernam usque diem cernimus mundanos principes regi & inſtrui ab Eccleſiaſticis.* Et Catech. XVIII. *Nunc vero temporibus pacis, gratia Chriſti debitum habet honorem a Regibus, & illuſtribus, & omni genere hominum.* Conſtat enim nullos tunc temporis, ſeu usque ad an. CCCXLVII. quo Cyrillus adoleſcens iſtas Catecheſes habuiſſe dicitur, nullos inquam Imperatores ab Eccleſiaſticis directos & inſtructos: ſi Conſtantinum & Conſtantium excipias, qui magis Arianis quam Catholicis Epiſcopis faviſſe leguntur. Adde voces has *mundanos principes & reges*, deſignare varias dominationes & regna ſub Chriſti jugo humiliata, quod nonniſi ſeculo Eccleſiæ quinto contigit. Vnde mirari ſatis non valeo obtuſum Cavi ingenium, inde accipientis argumentum, ad Catecheſes has Cyrillo aſſerendas, pagina nimirum 163.

9. Non minus quam præcedentia Cyrillum ab his Catecheſibus excludunt, imo magis adhuc arcent, quæ Catecheſi XVI. his leguntur verbis: *Extende rurſus mentem* (agit illic de converſione gentium per gratiam Spiritus ſancti) *ab hac provincia, in totum Imperium Romanum, ac ex eo deinde conſidera univerſum mundum. Perſarum & Indorum gentes ac nationes. Gothas & Sauromatas multos, Hiſpanos & Mauros, Afros & Æthiopas, & reliquos, quorum nomina ignota ſunt nobis. Multarum enim Gentium ne nomina quidem in notitiam noſtram venerunt. Perſpice cujuſlibet nationis Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos, Monachos, Virgines, & reliquos laicos &c.* Jam quæro Doctiores antiquitatis viros, an dum adoleſcens adhuc Cyrillus Ieroſolymitanus erat & anno CCCXLVII. Catecheſes pronuntiabat: in Eccleſia eſſent *Epiſcopi, Sacerdotes, Diaconi, Monachi, ex omni natione?* De Monachis po-

tissimum loquor, qui nonnisi sub finem seculi IV. in varias Europæ & Ecclesiæ regiones propagati sunt. Qui igitur ita scribebat, post seculum quartum vixisse videtur.

10. Scriptor istarum Catecheseon Semipelagianus est, unde Cyrillus aperte ab his Catechesibus excluditur. Ita enim in prologo seu præfatione ad Catecheses : *Liberalis namque Deus est, & pronus ad beneficentiam, expectat tamen cujuslibet propriam voluntatem: Propterea subjecit Apostolus*, secundum propositum vocatis sanctis. *Propositum cum adest proprium, vocatum te facit.* Quod quæso magis Semipelagianum, *Expectat tamen cujuslibet propriam voluntatem*, nempe quoad vocationem ? contra illud Apostoli ad Rom. 9. v. 16. *neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Deinde Semipelagianum more & sensu, illud *secundum propositum* quod Apostolus formaliter intellexit de voluntatis Divinæ proposito Rom. 4. v. 5. Rom. 9. v. 11. Ephes. 1. v. 5. & 11. 2. ad Timoth. 1. v. 9. Sensu hic Semipelagiano contra mentem Apostoli Rom. 8. v. 28. interpretatur de proposito voluntatis humanæ. Rectius ergo juxta ea quæ num. 2. dicta sunt, adscriberentur hæ Catecheses Joanni Episcopo Ierosolymitano, ut & in MSS. aliquibus codicibus reperias, quam Cyrillo, qui mortuus fuit & Catecheses scripsit, longe ante Pelagianismum & Semipelagianismum ortos. Favisse sane Pelagianis Joannem Ierosolymitanum constat, sicut fatetur Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ* seculo IV. ad annum 386. pag. 233. Imo impediviſse quo minus in Synodo Diospolitana Pelagius hæreseos illic accusatus, damnaretur. Fuisse autem plures Ierosolymæ Episcopos qui Joannes vocarentur, constat. Unum Joannem ab an. 386. ad 416. per annos triginta Episcopum. Alterum per annos duodecim, ab anno 513. ad 525. Tertium per annos XXXIV. ab anno 561. ad 595. Vossius in libro *de tribus Symbolis* opinatur horum primum Catecheses citatas vel composuisse, vel ut perfectas redderet, variis adauxisse. Equidem potius existimaverim hunc tertium & ultimum Joannem esse istarum Catecheseon authorem : quæ enim habentur de resurrectione in corpore isto proprio & palpabili Catechesi IV. & XVIII. contra Eutychium Constantinopolitanum scripta videntur, cujus hæresim consulere potuit Joannes hic tertius, qui hoc tempore vivebat.

11. Manifesta contradictio reperitur in Opere isto, eo modo quo prodiit. Nam in Manuscriptis Codicibus Catecheses istæ *Extemporaneæ* dicuntur, *ἐχεδιαθῆναι* : quasi ex schedis, vel in schedis ab ore pronunciantis excerptæ. At quicunque hoc Opus attente consideraverit, nullum forsitan antiquum reperiet, in quo tantus ordo sit, atque tanta collectio ad probanda quæ incumbunt, aliquando desumpta ex Scripturis, aliquando ex comparationibus, ab exemplis, a fabulis. Hæc autem Excerptores facere non consueverunt, sed qui de industria aliquod Opus aggrediuntur. Ex Catechesibus quidem XVII. & XVIII. author videtur illas habuisse ad Competentes & illuminatos, sicut & Catechesis Mystagogica 1. indicat. At ex innumeris aliarum Catecheseon locis attente legenti patebit, Opus istud factum ab aliquo in musæo, cum otio, ad instructionem Competentium seu admittendorum ad Baptismum : unde nunc inconstans hic scriptor modo multitudinem illuminatorum alloqui videtur, modo aliquem in singulari alloqui & erudire, quemadmodum qui in otio scribunt, facere consueverunt. Adde præfationem prolixam Operi omni convenientem, indicare Catecheses illas non fuisse tumultuarie ab aliquo e suggestu pronuntiatas : sed cum meditatione elaboratas, licet quicquam inde in gratiam Cyrilli concludi non possit. Jam alias Andreæ Riveti rationes subjiciamus, quæ non ita contemptibiles mihi videntur, ut Guilielmo Cavo placuit.

12. Ego nullatenus sane dubito, quin non-« nulla in his Catechesibus detracta, nonnulla« assuta sint. Si quis exempla requirat, en pauca« ex multis, Catechesi XII. pag. 268. *Si enim« qui apud Jesum benefungitur Sacerdotio, abstinet a« muliere : ipse Jesu quomodo ex viro & muliere pro-« diturus esset ?* Id esse insulsi alicujus Monachi« assumentum ex eo satis constat, quod Cyrilli« tempore vigebat Concilii primi Nicæni autho-« ritas inter Orthodoxos, quod a Paphnutio per-« suasum, *reliquit eorum arbitrio qui vellent, a pro-« prias uxoribus abstinere :* ut Gelasius Cyzicenus« inquit cap. 33. quæ libertas etiamnum apud« Græcos obtinet. Et sane qui authoris verba« perpendet, & præcedentia cum subsequentibus« comparabit, nullo negotio deprehendet *ἀπο-« λογίαν* ex Psalmo *Quia tu extraxisti me de ventre,«* quæ assumentum illud immediate sequitur, re-« spondere verbis illis præcedentibus, *decebat« enim purissimum puritatis doctorem, ex puris prodi-« re thalamis.* «

13. In eadem Catechesi XII. pag. 279. ex eo« quod Salvator in ventre Virginis novem men-« sium tempore fuerit, vir vero factus sit triginta« trium annorum, ineptissima infertur conse-« quentia, ipsis etiam Pontificiis blasphema, qua« major debeatur cultus & veneratio Sacerdoti-« bus, quam ipsi Mariæ Virgini & Verbi divini« matri. *Itaque si Virgo in veneratione est, propter« novem mensium tempus : multo magis nos, propter« multorum annorum tempus.* Quis Cyrillum ita insulsum credat, ut Sacerdotes multis annis Christum in sacrificio proprio stomacho inferentes, multo magis veneratione dignos, quam Virginem Deiparam quæ Christum novem duntaxat mensibus in utero gestavit, crediderit vel docuerit ? Addo ratiocinium istud, supponere cultum atque venerationem Mariæ Virginis in Ecclesia stabilitam, quam post Concilium duntaxat Ephesinum anno 430. coactum paulatim introductam eruditi viri censent : unde

de concludendum ſcriptorem harum Catecheſeon vixiſſe & ſcripſiſſe poſt Epheſinam Synodum.

14. Ejusdem generis eſt, quod Catecheſ. XVIII. in qua de Reſurrectione agitur, quam confirmat author exemplis particularibus eorum, qui Chriſti juſſu immediate, vel Apoſtolorum aut Prophetarum miniſterio ſurrexerunt e ſepulchris. Facta mentione Eliſæi, qui in vita & poſt mortem, bis mortuos excitavit: impoſtor quidem dimidiam fere paginam addit qua digreditur ea occaſione ſumpta in commendationem virtutis, quam Sanctorum mortuorum corporibus, abſente etiam anima, ineſſe fingit, inquiens: *Ineſt corporibus mortuorum virtus & potentia, & mortuum corpus Prophetæ perfecit opus animæ, & jacens præbuit vitam defuncto.* Addit, *Non id mirum, cum ſudaria & ſemicinctia, extra corpus exiſtentia, liberaverint ægrotos ab infirmitate &c.* Hæc qui credat Cyrilli eſſe, negabit eundem eſſe authorem Catecheſeos XVI. in qua omnia miracula facta eſſe ſcribit ἐν τῇ ἐνεργείᾳ τῷ ἁγίῳ πνεύματος, *Virtute Spiritus Sancti.* Et de ſudariis & ſemicinctiis Pauli loquens ibidem, *Quomodo pro dignitate differam, quæ a Spiritu S. per Paulum facta ſunt Epheſi operationes?* Et paulo poſt, *Propter hoc enim dictum eſt, quod per omnes civitates manifeſtabat Paulus, quod ea quæ in unaquaque civitate ferebant miracula, Spiritus ſancti energia eſſent, & nutu Dei, & in Chriſti nomine, qui per eum loquebatur.* Ergo non virtute & energia ſudariorum, vel etiam animarum aut corporum Eliſæi vel Pauli, ut vult Cyrilli corruptor. Ejusmodi multa poſſunt obſervari, ex quibus hæc in præſenti delibaſſe ſufficiat, contra Cavum ita poſitive concludentem in gratiam Cyrilli, nec dum diſcuſſo argumento.

CAPVT QVARTVM.

SOLVVNTVR ADVERSARIORVM OBJECTIONES.

Objiciunt 1. authoritatem S. Hieronymi in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 122. Cyrillus, Hieroſolymæ Epiſcopus, ſæpe pulſus Eccleſia & receptus, ad extremum ſub Theodoſio Principe, octo annis inconcuſſum Epiſcopatum tenuit. Extant ejus καθηχήσεις quas in adoleſcentia compoſuit. Quæ verbis totidem Sophronius Hieronymi interpres Græce reddidit. Reſpondemus verum quidem Hieronymi teſtimonium, fuiſſe Catecheſes a Cyrillo, ſeu Inſtitutiones, ſive ad populum, ſive ad Catechumenos compoſitas: ſed negari eas quas habemus, eſſe genuinas quas Cyrillus habuit: imo vel omnino a poſteris ſuppoſitas, vel ita interpolatas, ut Cyrilli germanum opus eſſe non poſſint, ob rationes allatas.

Objiciunt 2. antiquorum teſtimonia, qui variis ſeculorum intervallis ſcribentes Catecheſes iſtas ſub Cyrilli nomine perpetuo laudant: unde nec impoſterum dubitare liceat Cyrillum Hieroſolymitanum harum Inſtitutionum verum ac legitimum eſſe authorem. Theodoretus igitur (ut ab antiquiore ordiamur) Dialogo 2. qui inſcribitur ἀσύγχυτος, in hanc loquitur ſententiam pag. 106. Κυριλλε Ἐπισκόπῳ Ἱεροσολύμων ἐν τῇ κατηχητικῇ τετάρτῃ λόγῳ περὶ τῶν ι. δογμάτων, περὶ τῆς ἐκ παρθένου γεννήσεως. πίστευε δὲ ὅτι ἔστιν ὁ μονογενὴς υἱὸς τοῦ Θεοῦ, διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, ἐξ οὐρανῶν καθηλθεν ἐπὶ τὴν γῆν, τὴν ὁμοιοπαθῆ ταύτην ἡμῖν ἀναλαβὼν ἀνθρωπότητα, καὶ γενηθεὶς ἐξ ἁγίας παρθένου, καὶ ἁγίου πνεύματος, ἀ δοκήσει καὶ φαντασίᾳ τῆς ἐνανθρωπήσεως γενομένης, ἀλλὰ τῇ ἀληθείᾳ. εἰδὲ ὥσπερ διὰ σωλῆνος διελθὼν τῆς παρθένου, ἀλλὰ σαρκωθεὶς ἀληθῶς ἐξ αὐτῆς. Φαγὼν ὡς ἡμεις ἀληθῶς, καὶ γαλακτοτροφηθεὶς ἀληθῶς ἐξ αὐτῆς. εἰ γὰρ φαντασίᾳ ἦν ἡ ἐνανθρώπησις, φάντασμα καὶ ἡ σωτηρία ἁπλῶς ἦν ὁ Χριστός, ἄνθρωπος μὲν, τὸ φαινόμενον: Θεὸς δὲ, τὸ μὴ φαινόμενον. ἐσθίων μὲν ὡς ἄνθρωπος, ἀληθῶς ὡς ἡμεῖς. εἶχε γὰρ τῆς σαρκὸς τὸ ὁμοιοπαθὲς, ὡς ἡμεῖς· τρέφων δὲ ἐκ πέντε ἄρτων τοὺς πενταχισχιλίους, ὡς Θεός. ἀποθνήσκων μὲν ὡς ἄνθρωπος ἀληθῶς, νεκρὸν δὲ τετραήμερον ἐγείρων, ὡς Θεός. καθεύδων εἰς τὸ πλοῖον ὡς ἄνθρωπος, καὶ περιπατῶν ἐπὶ τῶν ὑδάτων, ὡς Θεός. Catecheſi autem 4. titulo *de generatione ex Virgine*, habes verborum iſtorum interpretationem: *Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani ex Catechetica Oratione 4. de decem dogmatibus, de nativitate ex Virgine. Crede quod unigenitus hic Dei filius propter peccata noſtra de cœlis deſcenderit, ſimilium huic noſtræ paſſionum ſuſcepta humana natura, natusque ſit ex ſancta Virgine & ſancto Spiritu: incarnatione non per opinionem & phantaſiam, ſed revera factus: neque tanquam per canalem tranſiens per Virginem, ſed ex ipſa vere incarnatus. Qui vere ſicut & nos comedit, & lacte ab ea vere nutritus eſt. Si enim phantaſia eſſet incarnatio, ſpectrum quoque eſſet ſalus. Duplicis naturæ fuit Chriſtus, homo quidem quod videbatur, Deus autem quod non apparebat. Comedens quidem ut homo vere, ſicut nos, habebat enim carnis ſimiles nobis paſſiones: quinque autem panibus, quinque millia paſcens, ut Deus: moriens quidem vere ut homo, mortuum vero quatriduanum ſuſcitans ut Deus: dormiens in navi ut homo, & ambulans per aquas ut Deus.* Ergo Catecheſes iſtæ Theodoreto teſte ſpectant indubie ad Cyrillum Hieroſolymitanum. Reſpondet Rivetus huic argumento, quod unicum quidem in gratiam Cyrilli validiſſimum videtur, hoc Theodoreto adjectum videri, ad conciliandam his Catecheſibus authoritatem. Ita ille l. 3. *Criticæ Sacri* c. 8. ubi de Cyrilli Catecheſibus. Ego potiꝰ cenſeo harum Catecheſeon ſuppoſitorem, ut fucum poſteris inſignem prorſus faceret, omnemq; de iis ambigendi occaſionem tolleret: legitimum hoc Theodoreti fragmentum a ſe lectum ſuppoſitis inſeruiſſe Catecheſibus, hacque Theodoretiani teſtimonii intruſione ſuppoſitionem ſuam, adulterinamque ſubſtitutionem alienæ prolis occultaſſe. Quæ ſane habet hac Catecheſi Pſeudocyrillus *de Reſurrectione*

rectione in proprio & naturali noſtro corpore, atque etiam Catecheſi XVIII. quibus reſurrectionis veritatem egregie propugnat: ſcripta videntur contra Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui anno circiter 586. in Origenis errorem lapſus, negabat reſurrecturum corpus carne palpabili indutum, quem eximie adhuc agens Conſtantinopoli, confutavit Gregorius Papa primus atque compreſſit. Reſpondent alii ad Theodoretum, nullo modo examinaſſe an hæ Catecheſes S. Cyrilli Hieroſolymitani, eſſent ſuppoſitæ & adulterinæ. Satis autem fuiſſe temporis inter annum 360 vel 370. quo Cyrillus vivebat, & annum 446. quo Theodoretus *Eraniſtem* ſcribebat, ut hoc Opus citato Cyrillo ſupponeretur: maxime cum in eo citentur ſæpius Epiſtolæ Sancti Ignatii Antiocheni Epiſcopi quæ ſuppoſitæ ſunt, puta Dialogo I. pag. 33. Dialogo II. pag. 86. Dialogo III. pag. 154. Vnde pariter Theodoretus altero ſcripto adulterino uti potuit.

Objiciunt 3. Joannem Damaſcenum, qui ejusdem Cyrilli Catecheſeon meminit Oratione 3. *de Imaginibus*, adducens hæc verba ex Catecheſi XII. ſub hujusmodi titulo. Κυρίλλου πατριάρχου Ἱεροσολύμων, τῆς δωδεκάτης κατηχήσεως. Εἰ τοίνυν ζητῆς τῆς Χριστοῦ παρουσίας τὸ αἴτιον, ἀνάβαινε ἐπὶ τὸ πρῶτον τῶν γραφῶν βιβλίον. ἐν ᾗ ἐξ ἡμέρας ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν κόσμον, ἀλλ' ὁ κόσμος διὰ τὸν ἄνθρωπον. ἥλιος μὲν γὰρ λαμπρότατος, ἀνυγαῖς ἀποκίλβων, ἀλλὰ διὰ τὸ, ἀνθρώπῳ φαίνειν ἐγένετο. Quæ Catecheſi XII. continentur. Verum reſpondemus has Orationes *de imaginibus* nullatenus ſpectare ad Damaſcenum, ſed authoris Anonymi atque incerti temporis eſſe: neque etiam ſi ad ipſum pertinerent, affirmandis iſtis Cyrillo Catecheſibus multum conducerent, cujus ab ætate remotus nimium iſte Damaſcenus Joannes eſt. Longe adhuc minoris momenti eſt Joannes Cypariſſiota, *Decade* 6. cap. 4. quem Latine tantum evulgavit Franciſcus Turrianus, ubi Cyrillum his verbis allegat: *Ad hæc Cyrillus Hieroſolymitanus in decima Catecheſi: quandoquidem nemo faciem Dei videre & vivere poteſt, aſſumpſit faciem humanitatis, ut eum videntes viverent: & diem voluit eum oſtendere cum modica dignitate, quando facies ejus ſplendunt ſicut ſol, tunc diſcipuli ejus territi cadunt &c.* Scriptor enim iſte annum 1360. non excedit, quippe qui Gregorium Palamem hæreticum hujus temporis, ſcripto Opere impugnaverit.

CAPVT QVINTVM.

ALIA CYRILLI HIEROSOLYMITANI NOMINE EDITA, EXPENDVNTVR.

EXtat ad finem Catecheſeon, *Epiſtola S. Cyrilli Hieroſolymitani Epiſcopi ad Imperatorem Conſtantium de apparitione Crucis*, cujus meminit Sozomenus Lib. 4. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 5. Sed an ea quæ ſub Cyrilli nomine circumfertur, genuina ſit, incertum eſt. Guillelmus Cavus ex hac Epiſtola quam genuinam cenſet, concludit Cyrillum non fuiſſe Arianum, ſed Orthodoxum, cum in ea τὴν ἁγίαν καὶ ὁμοούσιον τριάδα venerari fateatur: quam ſcripſit jam Epiſcopus, & eo circiter tempore, quo maxime obſequii erga Arianos accuſatus eſt. *Vnde*, inquit, *mirari libet, perverſum plane Riveti lib. 3. Critici Sacri cap. 11. ingenium: qui ex hac ipſa Epiſtola concludit, aut eam non eſſe Cyrilli, aut Cyrillum fuiſſe hæreticum Arianum.* Ego ſuppoſitam illam Cyrillo opinor, ac contrarietates continentem. Suppoſitam, ex eo quod *Conſubſtantialem Trinitatem agnoſcat:* nam Sozomenus qui Epiſtolæ Cyrilli ad Conſtantium facit mentionem Lib. 4. cap. 5. ut ſupra dictum eſt, ejusdem ut Semiarriani hominis, qui Filium Patri tantum ſimilem in ſubſtantia ſeu ὁμοιούσιον agnoſceret, meminit Libro eodem cap. 25. ut Diſſertationis hujus cap. 1. diximus. Epiſtola ergo quæ *Conſubſtantialem Trinitatem* ſub Cyrilli nomine continet, Cyrilli, teſte Sozomeno, eſſe non poteſt. Alioquin ſententiam mutaſſet, ſimul atque ſedem Hieroſolymitanam occupaſſet, cum certum ſit fuiſſe eum Arianum purum, dum ad ſedem hanc ab Acacio Cæſarienſi ordinatus & promotus eſt. Continet etiam contrarietates, nam ex una parte τὴν ἁγίαν τριάδα confitetur: ex altera parte Conſtantium infenſiſſimum Arianum miris atque indebitis laudibus ornat, quod hominem Arianum ſapere videtur. Quis fuerit Conſtantius Imperator, nemo qui Eccleſiaſticam hiſtoriam ſummis labris deguſtavit, ambegerit. Hic ab Hilario, eo tempore quo Cyrillus vixit, & ab aliis Orthodoxis, habitus eſt *Antichriſtus & impietatis Anteſignanus*, utpote Arianus & Arianorum acerrimus patronus & propugnator. Cyrillus tamen (quem inter Orthodoxos & propter fidem ſinceram perſecutiones paſſos reponunt, quotquot ſcriptores de eo mentionem fecerunt) hæc Ariano Imperatori ſcripſiſſe pag. 551. fingitur: *Potes ipſe alios docere, adeo pius es:* & iterum, *tua erga Deum pietate majori, parentes tuos ſuperaſti.* Quæ non poſſunt dici, quin Imperatori Conſtantino hæretici Conſtantii patri, ſumma inferatur injuria. Ob has ergo laudes Ariano Imperatori a Cyrillo datas, Cyrillum hæreticum Arianum etiam in hac Epiſtola credidit Rivetus, non ita abſurde atque Cavus ſuppreſſa Riveti (per malitiam) ratione ſcripſit. Quod autem Baronius tomo 3. *Annalium* anno Chriſti 353. num. 24. ut Cyrillum excuſet, ait, *uſum illum hac occaſione ad comprimendam Conſtantii in Eccleſiam inſolentis audaciam, quem & delinire blandis & immeritis laudibus & titulis celebrare ſtuduit:* ab ipſo Pſeudocyrillo redarguitur, qui de perſecutione Eccleſiæ ne mutit quidem, & ſub Epiſtolæ initium diſerte profitetur, *ſe literas dare & λόγων κολακείας πεπληρωμένας, non verborum adulationibus refertas.* Nec me dimovet Glycæ recentis Græci authoritas, a Prevotio allata, quam Poſſevinus tomo 5. *Apparatus Sacri* non magnopere habendam eſſe in pretio dicit, quia & Schiſmaticis ævi ſui adhærebat.

bat. Alibi oſtendimus Baronium rejicere Orationem Athanaſii *de ſancta Deipara*, quamvis Glycas Siculus recentior hiſtoricus eandem Athanaſio adſcripſerit. Sane cujus authoritati nihil tribuunt Papiſtæ, ejus teſtimonio incaſſum novas & falſas merces commendare nobis nituntur. Hæc ex Riveto verbotenus, ut plurimum.

Oratio in Feſtum ὑπαπαντῆς, ſeu *de occurſu Domini*, quæ extat Græce & Latine, Coloniæ 1568. Pariſiis in *Auctario* Bibliothecæ veterum Patrum, anni 1624. tomo 2. pag. 849. & in *Auctario* Franciſci Combefis, ejusdem Bibliothecæ, 1648. tom. 1. pag. 621. Extat inter MSS. Codd. bibliothecæ Bodlejanæ, Codice 234. Barocciano pag. 294 ad 298. Et ibidem Codice 2500. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera F II. Codice 5. pag. 188. ad 191. Non eſt Cyrilli Heroſolymitani Epiſcopi, ut eruditi jam omnes cenſent, nec ulla Oratio *de hoc feſto* excedere videtur tempora Juſtiniani Imperatoris, a quo feſtum iſtud inſtitutum dicitur. De hoc argumento vide, quæ diximus in *Methodio Patarenſi Epiſcopo*, & quæ dicentur in *Amphilochio Iconienſi Epiſcopo*, ſecuti hac in parte Baronium in Notis ad *Martyrologium Romanum* ad diem 2 Februarii, ubi de hoc Feſto pluribus agit. Nititur contra in Notis ad *Homilias Amphilochianas*, Franciſcus Combefiſius, hoc Feſtum ex homiliis ſuppoſitis, antiquius oſtendere: ſed ut illic diximus, aërem percutit, vaniſſimisque illudit argumentis. Imo hæc ipſa homilia S. Cyrillo Alexandrino in MSS. Codicibus adſcribitur, ut habet Lambecius tomo 4. *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* pag. 111. in examine Codicis 146. MS. Theologici Græci num. 17. a folio 161. ad 164. pag. 2. *Sancti Cyrilli Archiepiſcopi Alexandrini Oratio in Feſtum ὑπαπαντῆς ſeu Purificationis*, cujus initium χαῖρε σοφὸν θύγατερ Σιὼν &c. Additur editionibus anterioribus, in editione Oxonienſi pag. 311. Græce & Latine fragmentum *Homiliæ S. Cyrilli in Paralyticum juxta piſcinam poſitum*, Græce & Latine ad pag. 327, quod an Cyrilli ſit, omnino incertum eſt.

Epiſtola Cyrilli ad Auguſtinum, quæ legitur in Operibus Divi Auguſtini, ad calcem legitimarum Epiſtolarum, non poteſt eſſe illius, inquit Bellarminus. Nam loquitur de obitu Hieronymi, qui tamen dudum, annis nempe 34. poſt Cyrillum mortuus eſt. Imo Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 122. quem anno 392. ſcripſit, Cyrilli tanquam mortui mentionem facit, & dicit eum poſt multas vexationes, ad extremum octo annos quiete in Epiſcopatu vixiſſe. Cum autem Cyrillus anno 386. mortuus ſit, quomodo potuit ſcribere ad Auguſtinum de morte Hieronymi, quæ anno duntaxat 420. contigit? Præterea idem author dicit hæreticam eſſe eum, qui putat Chriſtum habuiſſe duas voluntates, & D. Hieronymum credidiſſe Chriſtum non habere niſi unam voluntatem. Ex quo patet authorem hujus Operis, non ſolum impoſtorem, ſed etiam Monotheletam hæreticum fuiſſe: præſertim cum in 6. Synodo Act. 17. ab Agathone Cyrillus iſte citetur, ad probandum Chriſtum habuiſſe duas voluntates. Idem Baronius *Annalium* tom. 5. ad annum 420. num. 44. & 47. & in Notis ad Martyrologium Romanum, die XXX. Septembris. Marianus Victorius, Cenſura in tomum 9. Hieronymi. Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* verbi *Hieronymus*. Joannes Molanus Lib. *de picturis* cap. 68. Eandem habet editio Oxonienſis anni 1703. pag. 133. ad finem.

Extat quoque teſte Lambecio tomo 4. *Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis*, pag. 215. in examine Codicis MS. Theologici Græci e LXXXXVI. num. 9. & quidem a fol. 80 pag. 1. usque ad fol. 89. pag. 2. *Sancti Cyrilli Archiepiſcopi Hieroſolymitani Hiſtoria Eccleſiaſtica & Myſtagogica*, ſive *Explicatio vocabulorum & rituum Eccleſiaſticorum*, cujus titulus & principium: Τῶ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Κυρίλλε ἐπισκόπε Ἱεροσολυμίτε. Ἱερία ἐκκλησιαστικὴ καὶ μυσταγωγικὴ ἐκκλησία ἐστὶ ναὸς τε Θεῦ. Θέμεν ἅγιοι, οἶκος προσευχῆς συναθροισις λαῦ, σῶμα Χριστῦ, νύμφα Χριστῦ, ἐπίγειος οὐρανὸς, ἐν ᾧ ὁ ἐπουράνιος Θεὸς ἐνοικεῖ καὶ περιπατεῖ &c. ἡ λόγκη ἐστὶ &c. de qua Lambecius in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 229. Qua de re viderint, quibus evolvendi hujus Codicis manuſcripti copia datur. Eadem extat inter MSS. Codd. Bodlejanæ bibliothecæ Codice 27. Barocciano pag. 103. Edendam illam curavit in editione Oxonienſi 1703. Thomas Milles, Græce & Latine pag. 325 ad 332. ſed quam tribuit verius juxta MSS. Codices, Germano hujus nominis II, Patriarchæ Conſtantinopolitano, qui anno 1220. floruit. De Scriptis S. Cyrilli Heroſolymitani, Bellarminus, Poſſevinus, Labbeus, & omnes univerſim Scriptorum nomenclatores.

MACARII TRES MONACHI. Hos ſimul jungimus, cum disjungi vix poſſint, atque ad diſtinctionem a ſe mutuo magis perſpicuam, ſimul conjungi conveniat. Vixerunt hi tres eodem tempore, atque Magiſtri ejusdem Antonii, diſcipuli pariter extiterunt. De quorum primis duobus hic inſerendis loquuntur Socrates Libro 4. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 23. Sozomenus lib. 3. cap. 14. Theodoretus Lib. 4. cap. 21. Palladius *Hiſtoria Lauſiaca* capitibus 19 & 20. Horum *primus* Macarius, gente Ægyptius, Monachus Scetenſis, Magni Antonii diſcipulus claruit ab anno 350. qui in juventute adhuc conſtitutus, ita virtutibus monaſticis & auſtero vivendi genere excelluit, ſibi ſemper præſens & gravis, ut a fratribus παιδαριογέρων vocaretur. Annos natus quadraginta ad Presbyterii gradum evectus eſt, miraculis & Prophetia clarus tot ſanavit ægros, tot a dæmonibus obſeſſos liberaſſe dicitur, ut Socrate teſte miracula ab eo patrata ſpeciale opus exigerent. Nihil mirum vero tam celebrem inter Mona- 360.

chos virum, fuiſſe etiam inter Scriptores Eccleſiaſticos ſucceſſu temporis recenſitum. Illos enim inſignes homines, Monachi ſequiorum temporum pro viribus, inter doctos etiam ſuppoſitis Operibus allegerunt. Hunc Macarium inter Scriptores non omiſiſſet Hieronymus, ſi tempore ſuo aliquid ſub Macarii nomine extitiſſet. Annis circiter centum poſt Hieronymi ætatem, Gennadius Maſſilienſis Presbyter retulit hunc Macarium inter Scriptores Eccleſiaſticos Libro *de Viris illuſtribus* cap. 10. cui unicam duntaxat attribuit Epiſtolam, quippe cum tunc temporis hæc tantum ſub Macarii celeberrimi nomine proſtaret. Socrates qui illorum Macariorum virtutes Lib. 4. *Hiſtoria* cap. 23. magnifice extollit, de ſcriptis ſilet: quamvis ibidem Evagrii illorum Diſcipuli Opera poſitive recenſeat. Nihil ergo ſub Macariorum nomine tempore Socratis extat ſcriptum, quod ſane dicere tam præclara occaſione data non omiſiſſet: quorum & Apophtegmata illic refert, ſicut & Palladius locis citatis. Audacior ſane Græcia ac Monachiſmus recentior, qui erubuiſſet, ſi nihil ſub Macariorum nomine ſcriptum extitiſſet. Sub falſo igitur *S. Macarii Senioris & Ægyptii*, quem unicam duntaxat ſcripſiſſe Epiſtolam voluit citato loco Gennadius, productæ *Homilia Spirituales quinquaginta de integritate qua Chriſtianos decet*, extant Græce & Latine Pariſiis 1559. in 8. deinde cura Zach. Palthenii Francofurti 1594. in 8. Denique cum Operibus Gregorii Thaumaturgi, Pariſiis in fol. anno 1622. quas cum Cavus ſi recte ſenſiſſet, ceu ſuppoſititias, nulloque antiquitatis teſtimonio fultas proſcribere debuiſſet, *ab aliquo forſan ſequioris ſeculi interpolatas* dixiſſe, ſatis habuit. Illas Petrus Poſſinus e Societate Jeſu in *Prolegomenis* ad Theſaurum Aſceticum Græce & Latine impreſſum in 4. anno 1684. Tholoſæ apud Guillelmum Boſch, cenſet pertinere ad Macarium Juniorem Ægyptium, eodem tempore illuſtrem: quæ contentio modici momenti eſt, cum uterque & ſenior & junior tempore eodem vixerint. Ego ob Veterum de his Operibus ſilentium, utrique Macario homilias iſtas opinor ſuppoſitas, a Monachis Græcis, ad majorem Macariorum nominis famam. Omiſſo Veterum de his Operibus ſilentio, dico tum *Epiſtolam* illam de qua loquitur Gennadius, tum has *Quinquaginta homilias* de quibus ſupra egimus, non poſſe eſſe Macarii illius Ægyptii ſive ſenioris ſive junioris, qui ſeniori ſynchronus erat, atq; ætate duntaxat junior. Rationem optimam aſſero, Pelagianiſmum ſubtiliſſimum atque puriſſimum, quo & *Epiſtola* & *Homiliæ* plenæ ſunt, ut attente legenti conſtabit. Erant autem hi tres Macarii mortui omnes ante Pelagianam ortam hæreſim: unde ſcripta illa ad Macarios iſtos pertinere nullatenus poſſunt. De Epiſtola quæ interiit, expreſſum eſt Gennadii qui legerat teſtimonium ex libro *de Viris illuſtribus* cap. 10. his conceptum verbis. "Macarius Monachus ille Ægyptius, ſignis & virtutibus clarus, unam tantum, ad Juniores profeſſionis ſuæ ſcripſit Epiſtolam: in quo docet illum perfecte poſſe Deo ſervire, qui conditionem creationis ſuæ cognoſcens, ad omnes ſemetipſum inclinaverit labores: & luctando, atque Dei, adverſum omne quod in hac vita ſuave eſt, auxilium imploranado: *ad naturalem quoque pervenient puritatem, continentiam velut naturæ debitum munus obtinuerit.* Continentiam enim eſſe munus naturæ debitum, non gratiæ, doctrina Pelagiana prorſus eſt, contra Salomonem *ſapientiæ* cap. 8. v. 21. & cap. 10. v. 2. Apoſtolum Gal. 5. v. 23. *Fructus autem Spiritus eſt, &c. fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Quod etiam hæ *Quinquaginta Homiliæ* ad Macarium iſtum, atque alios ejusdem temporis duos nullatenus ſpectent, his duobus affirmo argumentis. *Primum* Homiliæ iſtæ 1.
non ſunt proprie homiliæ ad populum habitæ, ſed tantum farrago quædam ab aliquo Archimandrita collecta ac privatim compoſita, quæ interdum quidem homilias continet, interdum vero Quæſtiones varias & Reſponſiones, nullam homiliarum ſpeciem habentes, quas conſarcinator pro captu, absque connexione ſimul collegit. Ex inſpectione & lectione illarum, res conſtare poteſt, quod non diffitetur Ellias duPin *Nova Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum* tom. 2. ſeculo 4. pag. mihi 70. Nam ad finem homiliæ 6. *de Oratione* movet duas quæſtiones de *Incarnatione Jeſu Chriſti* cum totidem Reſponſionibus, quæ ad argumentum Orationis nihil faciunt. Homiliæ 7. & 8. conſtant quoque variis Quæſtionibus & Reſponſionibus, unde liquet ſole clarius, non eſſe homilias ad populum dictas, ſed *Collectaneum Quæſtionum* quas ad Archimandritam aliquem Monachi accedentes propoſuiſſe finguntur. Homilia 12. continet Quæſtiones & Reſponſiones, vel nullatenus vel parum utiles. Homilia 15. nullum habet ſpeciale argumentum, ſed varias Quæſtiones de *Reſurrectione & concupiſcentia* continet, quæ nullam inter ſe connexionem habent. Homilia 26. continet plures Quæſtiones & Reſponſiones *de tentationibus diaboli & gratia effectibus.* Homilia 27. reſpondet quoque Quæſtionibus multis *de gratia effectibus.* Homilia 37. habetur verbotenus inter Opuſcula Marci Exercitatoris. Homilia 40. tres adhuc Quæſtiones proponit, quas Reſponſionibus totidem ſolvit. Non ergo Collectaneum iſtud Homiliarum proprie eſt, ſed farrago variorum indiſcriminatim, ut collectori allubuit. *Secundo* Quisquis iſtius farraginis au- 2.
thor, is poſt ortam Pelagianam hæreſim ſcripſit, quam ſubtiliter & caute docet paſſim: quod & agnovit Ellias du Pin loco citato, dum inquit Homilias iſtas de quibus agimus, eſſe conformes quoad doctrinam, *Epiſtola* ſub Macarii nomine quam depingit Gennadius in libro *de Viris illuſtribus* cap. 10. At Epiſtola iſta Pelagiana eſt, idemque dicendum de Homiliis iſtis. Nam Homilia 15. vult *concupiſcentiam* eſſe quandam ignis

in

in homine accenſi ſpeciem, omnes (ut ita dictum ſit) ipſius partes accendentem, cui reſiſtere poteſt, ſi aſſidue invigilet ſibi atque pugnet. *Eos autem qui paſſionibus reſiſtunt, ſanctum Spiritum atque Chriſti gratiam recipere:* quod Pelagianum omnino eſt, quaſi ante gratiam Chriſti perceptam, concupiſcentiæ ac paſſionibus accenſis, ex naturæ viribus reſiſtere valeamus. Homilia 16. inquit hominem debere ſemper timere, eo quod ſemper tentationibus expoſitus ſit: itaque qui gratiam nondum habent, debere ſemper & bonum agere & malum fugere, ex motibus naturalibus: qui vero gratiam acceperint, non indigere motibus his naturalibus atque interioribus. Supponit ergo, hominem etiam antequam gratiam habeat, poſſe & bonum facere & malum fugere ex inſtinctibus naturalibus: quod Pelagianum eſt, quaſi his naturæ laboribus & conatibus gratiam Dei ad nos trahamus. Homilia 26. tota quoque Pelagiana eſt, ut attente legenti conſtabit, atque ex iis quæ affert loco citato Eilias du Pin, cognoſci abunde poteſt. Miror tamen, cur pagina mihi 72. Æthiopem dealbare conetur, intendatque Authorem hunc nihil aliud velle, quam conciliare gratiæ neceſſitatem cum liberi arbitrii noſtri cooperatione. Aliud ſane vult Pelagianus ille, initium nempe ſalutis noſtræ eſſe a nobis per opera naturæ incipientibus, quibus accedente divina gratia, ſalus jam ad perfectionem adducatur. Vnde quamvis ſæpius dicat Gratiam eſſe neceſſariam, vel ad juſtitiam perfectam, vel vitam æternam, ut homilia 24. vel ad evitandas omnes peccati occaſiones, vel ad omnibus tentationibus reſiſtendum, ut homilia 25. nunquam tamen aſſeruit illam eſſe neceſſariam ad omne & quodlibet in ſingulari opus bonum, opinatus nempe juxta Pelagium & Pelagianos, initium ſalutis eſſe a nobis ex natura operantibus.

Convenit maxime hic author quoad doctrinam cum Marco *ἀσκητῇ* ſeu Exercitatore, qui olim Macarii hujus diſcipulus fuit: nec difficile fuit, ut ſcripta diſcipuli Magiſtro poſtmodum ex quadam majoris authoritatis affectatione, vel etiam malitia, attribuerentur. Plura de his homiliis ſeu etiam Quæſtionibus, nos poſtea in Marco Aſceta, cui adjudicandas ob doctrinæ & ſtyli ſimilitudinem cenſemus.

Extant autem hæ S. Macarii Ægyptii homiliæ, MSS. Græce in Bodlejano Oxonii in Anglic. Bibliotheca Codice 213. in MSS. Baroccianis, atque in hoc Codice extant *Homiliæ* LVII. quarum quæ in editis poſtrema eſt, in MS. iſto auctior eſt, quam in impreſſis.

Ejusdem Homilia LI. ad Symeonem Aſcetam pag. 202. b. *μακάριός τοῖς ἀγαπητοῖς.*

Ejusdem Homilia 52. in Natali Chriſti pag. 208. *ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἔργον τῆς ἀληθείας.*

Homilia 53. de longanimitate & tolerantia in afflictionibus pag. 215. *ὁ βουλόμενος Θεῷ εὐαρεστῆσαι.*

Homilia 54. de beneplacito Dei & permiſſione divina. *πάντα τὰ γενόμενα.*

Homilia 55. contra inanem gloriam captantes in Concionibus ad populum pag. 230. b. *Ἰσθι ὅτι τινὲς εἰσὶ νεώτεροι.*

Homilia 56. de nomine & officio Monachi pag. 234. b *Τί ἐστι μονάζων.*

Homilia 57. de variis Spiritus ſancti operationibus pag. 238. b. *Τὸ πνεῦμα ὅταν θέλει, πνεῖ.*

Quæ eandem cum impreſſis methodum, eandem doctrinam aſceticam continent, atque in aliis homiliarum ejusmodi MSS. exemplaribus non reperiuntur.

Adducor autem maxime ut credam has omnes *Homilias & Quæſtiones Aſceticas*, ſpectare ad Marcum Aſcetam ſeu Exercitatorem, qui inter Monachos Nitrienſes ſolitariam vitam duxit, atque Macarii Ægyptii Junioris diſcipulus fuit, clarus anno 400. & ſequentibus, usque ad annum circiter 440. vel ultra, de quo Sozomenus lib. 6. cap. 29. Palladius *Hiſtoria Lauſiaca* capp. 20. & 21. Nicephorus *Hiſtoria Eccleſiaſtica* lib. 14. cap. 54. Vixit enim poſt Pelagianam hæreſim multis annis, perveniens ad decrepitam usque ætatem, obiitque centenario major. Nec mihi rationes ſeu conjecturæ deſunt. 1. Ipſa doctrina Pelagiana, quam eandem cum *Marco Exercitatore* prorſus habet. 2. Homilia 37. *De Paradiſo & lege Spirituali* habetur verbotenus inter Opuſcula Marci Exercitatoris, unde non leve indicium eſt, omnem hanc Homiliarum Collectionem ad eum pertinere, maxime cum Macarius Ægyptius Abbas etiam junior, ad tempora Pelagianæ hæreſeos non pervenerit, ſed Marcus Exercitator, qui eam ubique operum ſparſit. 3. Stylus homiliarum iſtarum apprime convenit cum ſtylo Marci Exercitatoris, de quo loquitur Photius in *Bibliotheca* Codice 200. 4. Hæ Homiliæ S. Macarii Ægyptii L. poſſunt convenire cum iis quæ Marco Excercitatori, loco citato Nicephorus Calliſtus aſſerit, *ex Marci Exercitatoris operibus ad ætatem ſuam perveniſſe Libros octo univerſalium affectionum numerum aquantes, & alios triginta duos de re aſcetica.* Poſſunt enim hæ Homiliæ L. ſub nomine S. Macrii Ægyptii, complecti opuſcula illa XL. quæ Marco Exercitatori a veteribus tribuuntur. Nam plurimi Marcum conſulebant quæſtionibus aſceticis, quibus ille reſponſiones dabat, ut conſtat ex *Epiſtola Nicolai cujusdam*, qua gratias Marco agit, ob Præcepta ejus ſalutaria ſibi nuncupata. Cum autem plures quam 40. ſint, hoc nihil facit contra Marcum Exercitatorem, quia omnia ipſius opera Nicephorus non aſſecutus fuerat. Huic Macario Ægyptio ſeniori, Opuſcula omnia Macariis diverſis attributa adſcribit imperite omnino Joannes Georgius Pritius, qui ea collecta ſimul, edenda Græce & Latine curavit Lipſiæ an. 1698. & 1699. t. duobus in 8. itemque anno 1709. cum Prolegomenis. Denique Macarius hic Senior exactis in ſolitudine ſexaginta

ginta annis, obiit nonagenarius ut volunt, anno 391. die 2. Januarii.

Macarius alter, Junior paſſim dictus, Alexandriæ ortum duxit, in qua junioribus annis bellaria vendendo, quæſtum quærebat. Cum ſuperiore Macario ejusdem Antonii diſcipulus. Nam urbe ſimul Alexandrina & arte renuntiatis, in eremum Nitrienſem ſecedens, vitam monaſticam amplexus eſt. Anno quadrageſimo ætatis baptiſmum ſuſcepit, deinde ſucceſſu temporum Presbyter factus & Archimandrita Nitrienſis. Archiorem vitæ monaſticæ diſciplinam tanto ſtudio ſectatus eſt, ut ex nimia cutis ariditate, pili barbæ ei non ſuccreverint, inquit Sozomenus Lib. 3. *Hiſtoria* cap. 14. Macarius vero Alexandrinus, inquit Socrates Lib. 4. *Hiſtoria* cap. 23. cum usquequaque ſimilis eſſet Ægyptio, in hoc uno diſcrepabat, quod hilaris esset erga eos, qui ad ipſum acceſſerant, & urbanitate quadam juniores ad diſciplinam monaſticam alliceret. Mira de ejus virtutibus, abſtinentia, miraculis patratis, & dæmonibus per illum expulſis, narrat Palladius *Hiſtoria Lauſiaca* cap. 20. de quibus plurimum ambigo, quamvis eo familiarieer uteretur, qui recenſet. Hic quoque cum Macario Ægyptio virtutibus & miraculis inferior non eſſet: inter Eccleſiaſticos quoque Scriptores recenſeri a Monachis Græcis recentioribus debuit, ne doctrina alteri cederet. Habetur ergo adſcripta illi Latine *Regula Monaſtica* XXX. capitulis comprehenſa, quam primus edidit Petrus Roverius Jeſuita, in Hiſtoria Monaſterii Reomacenſis, pag. 24. Eandemque edidit Lucas Holſtenius, in *Codice Regularum*, Pariſiis anno 1663. in 4. apud Ludovicum Billaine. Sed cum Regulæ iſtæ nullo teſtimonio Veterum nixæ ſint, figmenta recentiorum Monachorum Græciæ, a viris prudentibus cenſentur. Edidit & Cavus ſub ejusdem Macarii Alexandrini nomine, Sermonem ex MS. Codice Paulinæ Lipſienſis Bibliothecæ abſurdiſſimum, Græce & Latine, in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ ad annum 373. p. 208. Eundem ſermonem etiam Græce & Latine iterum ex eodem MS. Codice edidit Jacobus Tollius anno 1696. in 4. Trajecti ad Rhenum apud Franciſcum Halmam in *Inſignibus Itinerarii Italici* pag. 192. collatum ad MSS. Codices bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, ac variantibus lectionibus ditatum. Cujus ex lectione in promptu eſt intelligere impudentiam atque ignorantiam eorum, qui tales nænias recentiorum temporum antiquis Eccleſiæ patribus obtrudunt. Mortuus dicitur Macarius Alexandrinus circa annum 404. annos ætatis centum habens, cujus memoria in Martyrologio Romano, die 15. menſis Januarii agitur.

Tertius Macarius, etiam ſancti Antonii Magni diſcipulus, amborum præcedentium æqualis, Amathæ ſocius, ab aliis duobus, altero Ægyptio, altero Alexandrino diſtinctus. De hoc Macario tertio abunde Poſſinus in *Prolegomenis* ad Theſaurum Aſceticum num. 5. 6. & ſequentibus, ubi recte tres Macarios ſancti Patris Antonii diſcipulos diſtinguit, nempe Ægyptium qui Scythi ſedem habuit, Alexandrinum qui in Cellliis quæ in Lybia ſunt, locis longe diſtantibus a Thebaide, ubi Antonius degebat. Itaque in Thebaide erat mons interior ubi ſolus plerumque reſidebat Antonius: & mons exterior in quem ſubinde excurrebat, ut habitantes in eo ſuos Monachos inviſeret. In eo hic *Tertius Macarius* habitavit, ſub cujus nomine Opuſcula ſeptem, nempe *de cuſtodia cordis* pag. 19. *de perfectione in ſpiritu* pag. 47. *de oratione* pag. 63. *de patientia & diſcretione* pag. 81. *de elevatione mentis* pag. 115. *de caritate* pag. 141. *de libertate mentis* pag. 183. edidit Petrus Poſſinus in *Theſauro Aſcetico* Græce & Latine impreſſo, Tholoſæ in 4. anno 1684. apud Guillelmum Boſch. Plurima illic in Prolegomenis de iſto Macario tertio, quem Ægyptium quoque cum primo facit, & cui etiam *Homilias quinquaginta*, quæ tamen vulgo Ægyptio ſeniori inſcribuntur, huic juniori quidem & tertio attribuit. Claruit eodem tempore, quo Antonius Abbas, cui anno 357. morienti adfuit. Incerta igitur omnia Opuſcula, quæ tribus his Macariis, hoc ſeculo a doctis viris adſcripta ſunt, quorum nullus Veterum mentionem fecit. De his tribus agit Macariis, Petrus Poſſinus in *Prolegomenis* ad Theſaurum Aſceticum. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria*, ſeculo 4. ad *annum 373.* pag. 207. 208. & 212. Acta Eruditorum Lipſiæ anno 1685. menſe Novembri pag. 488. latiſſime ad 491.

DISSERTATIO
DE
OPERIBVS HILARIO ROMANÆ ECCLESIÆ DIACONO ATTRIBVTIS.

PROLOGVS.

354. HILARIVS ROMANÆ ECCLESIÆ DIACONVS, Sardiniam Inſulam patriam habuit, qui anno 354. ut tradit ſanctus Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 105. una cum Pancratio Presbytero, velut aliis placet, cum Eutropio cæterisque, Liberii ad Conſtantium literas intrepidus detulit. Advenientem non modo ſannis & vituperiis exceperunt Ariani, ſed detractis inſuper veſtibus, ut narrat Athanaſius in Epiſtola ad *Solitarios* pag. 647. terga flagellis exciderunt, inter verbera inſultantes: *Quare Liberio non reſtitiſti, ſed ejus*

litteras

literas attuliſti? Mitiſſimo Diacono inter flagellorum crepitus Deum laudante. Anno ſequente ſeu 355. cum Athanaſium damnare noluiſſet, cum ſancto Euſebio aliisque in exilium ejectus eſt. Confeſſionem inſignem ſchiſmate nefario ac ſuperbo contaminavit. Nam Luciferianis ſe adjunxit, quin & Hæreticorum baptiſmum nullum prorſus eſſe contendebat, proindeque revertentes ab hæreſi rebaptizari voluit: unde ab Hieronymo in Dialogo *adverſus Luciferianos* pag. mihi 146. per Sarcaſinum, *Deucalion orbis* appellatus eſt. *Eſt præterea aliud quod inferemus, adverſus quod ne mutire quidem audeat Hilarius Deucalion orbis: ſi enim Hæretici baptiſmum non habent &c.* Hiſtorici Magdeburgenſes, non nominis ſolum æquivocatione, ſed etiam temporis & ætatis convenientia deluſi, Hilario Pictavienſi Epiſcopo tribuerunt, quæ de *Hilario Diacono* ab Hieronymo in Dialogo *adverſus Luciferianos* dicta ſunt, baptizatum nempe fuiſſe in Eccleſia Romana, atque Diaconatu ibidem functum. Poſſevinus in eandem incidit culpam, cujus Magdeburgenſes reos fecerat, nempe ut Hilario Pictavienſi ea tribueret incautus, quæ Hieronymus de Hilario Diacono ſcripſerat, inquiens: „Patres cum magna veneratione citant Hilarium, ut Hieronymus interdum eum „vocet *Orbis Deucallionem* &c.„ ſed abſurdius tamen Magdeburgenſibus, quam enim illi contumeliæ & convicii vocem in Hilarium Pictavienſem retulerant, hanc Poſſevinus encomii & laudis arbitratur, negligentia intoleranda. In eundem errorem incidit Petrus Beſſæus Regi Galliarum olim a Concionibus, celeberrimus, *Concione* in Feſto Circonciſionis Dominicæ dicens: *Pictavorum Epiſcopus, Aquitania noſtræ decus, tantaque doctrinæ & authoritatis vir, ut eum in Dialogo contra Luciferianos, Hieronymus mundi tubam, totius Deucalionem orbis appellare non dubitaverit.* Jure omnino judices quis non rideat, quibus probra laudes & encomia ſunt?

CAPVT PRIMVM.

AN COMMENTARIVS IN EPISTOLAS DIVI PAVLI, JAM OLIM S. AMBROSIO ADSCRIPTVS ET INTER EJVS OPERA EDITVS, AD HILARIVM ROMANÆ ECCLESIÆ DIACONVM PERTINEAT?

Jam ad Hilarii Diaconi ſcripta veniamus, quem juxta Natalem Alexandrum in *Selecta Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus*, in Seculi IV. Scriptoribus, & Guillelmum Cavum *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ* Seculo quoque IV: ad annum 354. pag. 168. authorem eſſe *Commentariorum* in Epiſtolas S. Pauli, jam olim S. Ambroſio adſcriptorum, quos Remigio Lugdunenſi qui anno 870. florebat, perperam alii tribuerunt, ex ſancto Auguſtino colligitur. Nam S. Auguſtinus lib. 4. *contra duas Epiſtolas Pelagianorum* cap. 4. ex S. Hilario affert interpretationem dicti, *In quo omnes peccaverunt:* quæ totidem verbis reperitur in Commentario ad caput 5. Epiſtolæ ad Romanos, qui Ambroſio tribuuntur, & Hilario Diacono a Bellarmino poſt Joannem Lovanienſem vindicantur. *Sic Sanctus Hilarius intellexit quod ſcriptum eſt, in quo omnes peccaverunt. Alii enim, in quo id eſt in Adam, omnes peccaverunt. Deinde addit: Manifeſtum eſt in Adam omnes peccaſſe, quaſi in maſſa. Ipſe enim per peccatum corruptus eſt, & omnes quos genuit, nati ſunt ſub peccato. Hæc ſcribens Hilarius &c.* Scripſit vero Hilarius ille quem Auguſtinus laudat ſedente Damaſo, ut ipſemet diſertis verbis teſtatur in c. 3. Epiſtolæ 1. ad Timotheum, inquiens: *Cum totus mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus Dei dicitur, cujus hodie rector eſt Damaſus.* Obiit autem Damaſus anno Chriſti 384. ex quibus facile intelligitur authorem Commentariorum prædictorum eſſe *Hilarium Sardum* Romanæ Eccleſiæ Diaconum. Non enim Hilarius ille Syracuſanus Monachus, qui ſanctum Auguſtinum *de quæſtionibus* Pelagianorum anno 413. conſuluit. Neque ejusdem nominis Epiſcopus, ad quem literas dedit Auguſtinus anno 416. poſt damnatam a Conciliis duobus in Africa Pelagianam hæreſim. Neque vel Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, vel Laicus ſcriptor *de reliquiis Pelagianæ hæreſeos* ad Auguſtinum. Omnes enim iſti longe poſt Damaſum vixerunt. Sed neque fuit S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, ut ſtyli, verſionis Scripturæ, ac doctrinæ diverſitas demonſtrant: nec etiam magni illius Hilarii ætas, qui ſub Damaſo extremam agebat ſenectutem, tam prolixo elucubrando operi prorſus impar. Videtur itaque Cavo poſt alios, hujusmodi Commentariorum author, ab Hilario Sardo Romanæ Eccleſiæ Diacono, alius non fuiſſe. Ita quoque Andreas Rivetus lib. 4. *Critici Sacri* cap. 13. pag. mihi 425. in examine quarti Tomi Operum Auguſtini. Ellias du Pin in *Hilario* pag. 239.

Hos tamen & merito ipſi abjudicat doctiſſimus Petavius lib. 1. *de Eccleſiaſtica Hierarchia* cap. 12. duabus rationibus fretus. *Primum* quia author ille honorifice de Damaſo locutus eſt, eique communione conjunctus fuit, quod Hilario Schiſmatico Luciferiano minime convenit. *Secundo* quia contra Rebaptizantes Schiſmaticos luculentam ſententiam dicit iſte ſcriptor in cap. 1. Epiſtolæ 1. ad Corinthios ad illa verba, *Gratias ago Deo quod neminem veſtrum baptizavi &c. Per hoc*, inquit ille, *arguens & baptizantes & baptizatos, qui ad injuriam Salvatoris, baptiſmatis ejus gratiam hominibus deputabant, illis diſſimulantibus gratiæ cauſa. Sic enim erant ſicut nunc Novatiani & Donatiani, qui baptiſmum ſibi vindicant, a noſtris baptizatos reprobantes: & baptizati ab his, gloriantur in perſonis eorum. Denique Chriſti nomine abdicato, Novatianos & Donatianos vocari ſe gloriantur.* Quæ verba Catholicæ communionis & Romanæ cupidum & renitentem cumprimis arguunt, & a ſuſpicione ſchiſmatis alienum. Non eſt igitur Commen-

tariorum iſtorum author habendus Hilarius Luciferianæ partis anteſignanus, quem ſacratus Hieronymus *Deucalionem Orbis* appellavit. Reſpondet Natalis Alexander in *Seleƈtis Hiſtoriæ Eccleſiaſtica Capitibus* ſeculo 4. tomo 7. cap. 5. art. 8. pag. 531. "Hæc equidem Doctiſſimi viri „argumenta convincere opus illud Hilario Sardo eſſe abjudicandum, niſi credibilius eſſet „ipſum a Rebaptizantium hæreſi & Luciferiano „ſchiſmate reſipuiſſe, & Sedi Apoſtolicæ fuiſſe „reconciliatum, ac tandem in pace & unitate Eccleſiæ obiiſſe: unde ipſum Auguſtinus *Sanƈtum* „appellavit. Non mirum itaque quod ad unitatem Eccleſiæ reverſus, honorifice de Damaſo „locutus fuerit, & ſententiam dixerit in Rebaptizantes, quorum errorem ejuraverat. Hæc utinam tam vere, quam gratis dicta eſſent: conſtat nobis de Hilarii ſchiſmate & errore, de cujus regreſſu ad Eccleſiæ unitatem & veritatem non conſtat. His imaginationibus omnia excuſarentur, ut in Cypriano jam ſupra adverſus eundem Alexandrum diximus.

Tertio conſtat præfatorum Commentariorum authorem Pelagianis erroribus eſſe refertiſſimum, ut habet Janſenius lib. 7. *de Hæreſi Pelagiana* cap. 4. & Poſſevinus in *Apparatu Sacro*, ubi loquitur de Operibus S. Ambroſio adſcriptis. Vnde concludendum eſt, hoc Scriptum fuiſſe factum poſt Pelagianam hæreſim ortam, proindeque Hilarium Sardum anno 380. florentem, non poſſe eſſe illius authorem, ut luce meridiana clarius eſt. Ita nimirum in caput 5. Epiſtolæ ad Romanos ſcribit, Mortem ſecundam, quæ gehenna eſt, non redundare in poſteros ex Adami peccato: ſed ſolam mortem primam, quæ eſt animæ ſolutio a corpore. *Mors autem diſſolutio corporis eſt, cum anima a corpore ſeparatur. Eſt & alia mors, qua ſecunda dicitur in gehenna, quam non peccato Adæ patimur, ſed ejus occaſione propriis peccatis acquiritur, a qua boni immunes ſunt.* His aperte conſtat, poſt Pelagium ſcripſiſſe authorem iſtum. Et poſtea. *Maxima enim pars mundi, Deum fore judicem ignorabat, perpauci autem in quos non regnavit mors. In quos autem regnavit, poſt iſtam mortem quæ prima dicitur, a ſecunda exempti ſunt ad pœnam & perditionem futuram.* Et poſtea explicans ejusdem capitis verſum 17. *Si enim unius delicto* &c. inſinuat vel potius expreſſe ait, peccatum Adami nobis tantum nocuiſſe per imitationem ejus exempli, dicens: *Hoc eſt, ſi unius delicto multi mortui ſunt, imitantes prævaricationem ejus: magis gratia Dei & donum abundavit in plures confugientes ad ſe.* Ibidem cap. 6. *Gentes in Chriſtum duce natura credidiſſe, vidiſſeque ſua eſſe naturæ, quod crediderint.*

Excuſare hominem nititur Natalis Alexander, dum ait. "Equidem aliqua eſſe in iis non „inficior dicta paulo durius, & quæ ſi per ſe ſola „ſpectentur, hanc ingenerare Pelagianiſmi ſuſpicionem poſſint. Verum cum hæc omnia a „Patribus Græcis, qui ante Pelagianam hæreſim „ſcripſerunt, & præſertim a ſancto Johanne „Chryſoſtomo, iisdem pene verbis, & ad eosdem Apoſtoli locos prolata fuerint: quia non-" dum litigantibus hæreticis ſecurius loquebantur (ut ait Auguſtinus) benigna interpretatio-" ne, in Hilarii, ut aliorum Patrum Commenta-" riis molliri poſſunt. Et certe cum negat *mortem ſecundam quæ eſt in gehenna, a primo parente in poſteros traduci*: nihil aliud vult, quam non re-" pendi a Deo *pœnam ſenſus* Originali peccato." Cæterum, ipſum de Originali peccato Catholice ſenſiſſe, ex S. Auguſtino conſtat, lib. 4. ad" Bonifacium *contra duas Epiſtolas Pelagianorum*" cap. 4. Et ex iſta ejusdem Hilarii ſententia" in cap. 7. ad Romanos: *Diabolus hominem tam" propter Adæ, quam propter ipſius peccatum, in con-" ditione ſe habere gloriatur.* Ait autem *Gentes" duce natura in Chriſtum credidiſſe*, naturam adju-" torio divinæ gratiæ non opponens, neque illud" excludens, ſed legi ſolum Moſaicæ: quo ſenſu" dixit Apoſtolus, *Gentes quæ legem non habent, natu-" raliter ea quæ legis ſunt, faciunt.* Cum docet *conatus bonos a Deo adjuvari*: non negat quin ab eo-" dem, per gratiam & fidem excitentur. Nec" gratiam excludit, cum *velle dicit eſſe noſtrum*, ſed" neceſſitatem removet. Ait *Prædeſtinationem*" ex præſcientia fidei pendere, id eſt, prædeſtina-" tionis effectum ultimum, nempe gloriæ conſe-" cutionem, pendere ex propoſito Dei vocantis" per fidem Chriſti. *Deum velle omnes homines" ſalvos fieri* aſſerit, *ſi velint*: Sed non negat vo-" luntatem a Domino præparari, cujus bona vo-" luntas munus eſt, & tantum adjuvari, ut poſ-" ſint. Gratuitas non eſſe hujusmodi interpre-" tationes, ſed Commentatoris menti conſenta-" neas, demonſtrant inſignes duo loci illius." Vnus ex Commentario in 1. ad Timoth. cap. 2." *Fides eſt*, inquit, *qua dat ſalutem, quam niſi mens" tota ſuſceperit voluntate, non ſolum nihil prode-" rit, ſed & oberit. Fidei etenim gratia hanc habet" poteſtatem, ut devotis ſibi divinam infundat mede-" lam: in devotis vero conferat morbum, per quem" totus homo intereat.* Alter locus eſt ex 2. ad" Timoth. cap. 1. ubi ait: *Neque merito ſuo qui" ſalvantur, neque horum per quos ſalvantur, ſed Dei" gratia iſtud donum præſtari per fidem Chriſti.* Hæc" Natalis Alexander, qui dum hunc authorem excuſat Æthiopem dealbat. Nam & hoc modo Pelagii omnia orthodoxa eſſent, contra quem tamen omnis Eccleſia anathema pronunciavit: nec loci duo allati pelagianiſſimum puriſſimum deſtruunt, qui in locis ſuperioribus allatus eſt: imo & iſti duo poſſunt etiam habere ſenſum Pelagianum. Poſſet hoc modo Natalis Alexander & Evangelium & Alchoranum conciliare, his maxime temporibus, quibus Rex Chriſtianiſſimus cum ſolis ferme Turcis fœdere ſolemni, licet Chriſti inimicis, conjunctus eſt.

CAPVT SECVNDVM.

AN HILARIVS ROMANÆ ECCLESIÆ DIACONVS SIT AVTHOR QVÆSTIONVM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, QVÆ EDITÆ HABENTVR AD CALCEM VOLVMINIS III. OPERVM S. AVGVSTINI?

Quæritur

QVÆRITVR utrum hic idem Hilarius Sardus, Romanæ Eccleſiæ Diaconus, ſit author *Quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti, & ex utroque:* quæ leguntur ad calcem voluminis tertii Operum Divi Auguſtini fol. 35. & ſequentibus ultimæ Editionis Pariſienſis anni 1680. quam procurarunt Monachi Benedictini, cura & labore amicorum noſtrorum, Thomæ Blanc-pain & Petri Coutant, virorum inſignium, qui mirum in ordinem, nitoremque eximium Auguſtini Opera reſtituerunt. Aſſerit multis conjecturis Natalis Alexander poſt Labbeum in opere ſuo *de Scriptoribus Eccleſiæ* quos Bellarminus attegit, tomo 1. verbo *Hilarius Diaconus* pag. 454. Cavum, qui absque ratione hoc ſupponit, atque alios. Ego contendo Collectaneum iſtud Quæſtionum eſſe poſterius *Hilario iſto Diacono*, compoſitum ab homine Pelagiano, nec conſequenter ad hunc Hilarium ſpectare poſſe. Sed antequam ea de re mentem meam aperiam, nonnulla de his Quæſtionibus ſedulo annotanda ſunt, quæ etiam ad recte judicandum de omnibus his anonymis Quæſtionum ejusmodi Collectaneis, juvabunt. Notandum igitur *primum* hæc omnia *Collectanea Variarum Quæſtionum* illa etiam quæ ſub certo authoris nomine inſcripta ſunt, incerta atque incertæ ætatis eſſe, plerumq; authoritatibus, Scriptorum ſeculi 7 & 8. infarta, quamvis præ ſe ferant nomen authoris vel ſeculi tertii, vel quarti, vel ſexti. Tale eſt Collectaneum Quæſtionum Variarum, quod Græce & Latine circumfertur ſub nomine S. Juſtini Martyris, atque inter ejus Opera impreſſum ſæpius extat. Conſtat enim ex lectione, Monachi alicujus eſſe Collectionem iſtam. Ita Collectaneum aliud Quæſtionum ad Antiochum, Græce & Latine ſub nomine determinato & inter Opera ſancti Athanaſii Alexandrini Epiſcopi impreſſum: de quo conveniunt omnes, quod ad Athanaſium non ſpectet, ſed ad Authorem poſterorum temporum, qui Claudium etiam Taurinenſem Epiſcopum in argumento *de Imaginibus* confutet. Ita Collectaneum Variarum Quæſtionum ſub nomine S. Anaſtaſii Sinaitæ, Antiocheni Patriarchæ, Græce & Latine a Jacobo Gretſero editum, quod MS. extat ſub ejus nomine in variis Bibliothecis: quod tamen continere legitur, fragmenta & excerpta Scriptorum ſeculi octavi. Idem igitur jure merito *de Collectaneo Quæſtionum iſtarum* factum opinor, quod ſub Auguſtini nomine MS. extat, & inter ejus Opera, tomo citato frequenter editum eſt. Collectanea enim prima Quæſtionum ejusmodi, quæ germana ſunt, certumque authorem habeant, ſunt illa quæ ad S. Maximum Monachum & Martyrem ſpectant, ſeculo ſeptimo florentem, annoque tandem 662. die 13. Auguſti, Martyrio coronatum. Hæc nota prima, nec ſpernenda. Notandum *ſecundo* duplex eſſe *Collectaneum iſtarum Quæſtionum* de quibus loquimur, in Operibus Divi Auguſtini. Nam aliæ ſunt quæ dicuntur *primo editæ*, in tres partes diviſæ, quarum *prima* continet Quæſtiones 47. ex Veteri Teſtamento, *ſecunda* Quæſtiones 50. ex Novo, *Tertia* Quæſtiones 30. ex utroque mixtim. Aliæ ſunt ſeu Collectaneum aliud Quæſtionum, quæ *poſtremo editæ* dicuntur, atque a Jacobo Hemeræo, ex Veteri Codice Bibliothecæ Victorinæ Pariſienſis, per ſupplementum, cæteris adjectæ ſunt. Illæ pariter in tres partes diviſæ, quarum *prima* continet Quæſtiones 20. ex Veteri Teſtamento, *ſecunda* Quæſtiones 65. ex Novo, *tertia* Quæſtiones 12. ex utroque mixtim.

Notandum *tertio* hæc Collectanea Quæſtionum eſſe ita diſtincta ab iis qui ea evulgarunt, non ab ipſis Scriptoribus ſeu Rapſodiſtis. Conſtat enim ex MSS. pluribus Codicibus quos viderunt & deſignant, qui ultimo Operam ſuam contulerunt ordinandis atque illuſtrandis Divi Auguſtini Operibus, hæc Collectanea aliter eſſe ordinata & diſtincta ab ipſis authoribus. Nam Collectaneum Quæſtionum quæ *primo editæ* dicuntur, in duas tantum partes diſtinguitur, quarum *prima* Quæſtiones 47. ex Veteri Teſtamento continet, *ſecunda* Quæſtiones 80. ex Novo, ita ut collectæ ambæ faciant numerum 127. Quæſtionum. Item Collectaneum Quæſtionum quæ *poſtremo editæ* dicuntur, diſtinctum pariter in MSS. Codicibus in duas tantum partes, quarum *prima* Quæſtiones 56. ex Veteri Teſtamento complectitur, *ſecunda* Quæſtiones 95. ex Novo, unde omnes ſimul collectæ numerum 151. Quæſtionum faciunt. Nec dubium quin diviſio iſta uti antiquior, ita convenientior ſit & germanior altera, quam in tres partes ex ſuo capite induxerunt illi, qui primum has Quæſtiones in publicum protulerunt. Atque miror, cur in nova Operum Divi Auguſtini ordinatione, veterem hanc diſpoſitionem Quæſtionum ejusmodi, non reſtituerint doctiſſimi Benedictini, ſublata omnino arbitraria iſta diſtinctione, quam attulerunt editores priſci Quæſtionum iſtarum. Notandum *quarto* non eſſe unum eundemque authorem utriusque Quæſtionum Collectanei, quamvis enim utrumque habeat plurimas quæſtiones easdem verbotenus, attamen utrumque Quæſtiones etiam habet proprias. Ac Collectaneum Quæſtionum *primo editarum* habet tantum 127. Quæſtiones, *poſtremo editarum* Quæſtiones 151.

Nunc quæſtio eſt utrum author Quæſtionum *primo editarum* ab altero acceperit, an author *poſtremo editarum* ab ipſo? Cenſet Natalis Alexander *Quæſtiones poſtremo editas* furto ſubductas atque collectas ex Collectaneo Quæſtionum *primo editarum*, his verbis: *Quarta*, inquit, *nihil aliud eſt quam prima & ſecunda & tertia interpolata repetitio, quæ a Jacobo Hemerao, ex Veteri Codice Bibliotheca Victorina Pariſienſis, cæteris adjecta eſt.* Ego contra cenſeo Scriptorem Collectanei Quæſtionum *poſtremo editarum*, eſſe antiquiorem ſcriptore Quæſtionum *primo editarum*, variis ob rationes. Nam Collector Quæ-

ſtionum poſtremo editarum, uno tenore decurrit, uno ſtylo, una methodo, a capite ſeu quæſtione prima ad 151. ultimam, interrogans ſemper & reſpondens. At Collector Quæſtionum primo editarum, verum ſe rapſodiſtam & recentem conſarcinatorem prodit; qui poſtquam ab altero Collectore accepit *per modum Quæſtionum* quidquid placuit, nunc iisdem omnino verbis, nunc pro lubitu diverſis utitur: tandem pertæſus hanc methodum quam ſequitur tantum usque ad Quæſtionem ſuam 99. & ferme ultimam ſui Operis: aggreditur aliam prorſus methodum, quæ nullam cum præcedentibus Quæſtionibus connexionem habet. Nam quæ in *primo editis* inſcribitur Quæſtio centeſima, eſt concio vel initium concionis Anonymi alicujus, in illud Evangelii ſecundum Matthæum, cap. 11. v. 15. *Confiteor tibi Domine cœli & terræ, qui abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus &c.* Quæſtio 101. eſt Epiſtola alicujus Anonymi, quæ inſcribitur *de jactantia Romanorum Levitarum*, & nullam habet connexionem cum Quæſtionibus præcedentibus. Quæſtio 102. nullam habet rationem quæſtionis, ſed eſt tractatus valde amplus *contra Novatianos*, quem Rapſodiſta ex Codice antiquo deſcriptum, ſuæ conſarcinationi aſſuit. Quæſtio 105. & 107. *de Libro geneſis*, ſunt fragmenta deſumpta ex Commentario alicujus Anonymi, in librum Geneſeos. Quæſtio 108. *de lingua Hebraica*, ex quo nomen acceperit: Quæſtio 109. *de Melchiſedech*, nullam habet quæſtionis rationem: ſed conſtat hanc quæſtionem 109. eſſe tractatum maximum *de Melchiſedech*. Quæſtio 110. non eſt quæſtio, ſed integer Commentarius Pſalmi primi. Quæſtio 111. eſt integer Commentarius Pſalmi vigeſimi tertii. Quæſtio 112. eſt integer Commentarius Pſalmi quinquageſimi. At Rapſodiæ ſimiles quæ non reperiuntur in Collectaneo Quæſtionum *poſtremo editarum*, arguunt Scriptorem hunc recentiſſimum, qui ſeculum XI. vel XII. non excedat. Quæſtio 114. eſt integer Tractatus *adverſus Paganos*, qui nullam habet affinitatem cum quæſtionibus & dubiis in Scripturam ſacram. Ejusdem eſt illa authoris cujus Quæſtio 44. quæ eſt Tractatus *adverſus Judæos*, quem ſic Rapſodus rapſodiæ ſuæ ex authore Anonymo inſeruit. Quæſtio 115. *de fato*, ex qua putat Natalis Alexander inferri poſſe, quo tempore & loco hic Author ſcribebat, eumque eſſe *Hilarium Sardum Romanæ Eccleſiæ Diaconum:* eſt Tractatus hic abſurde aſſutus *de fato* vel *contra mathematicos*, prolixus & doctiſſimus, qui nullam habet connexionem cum Collectaneo iſto Quæſtionum in Scripturam ſacram. Hi tractatus ſunt potius controverſiarum adverſus Hæreticos, quam Quæſtionum quæ propoſita in Scripturam dubia ſolvant: quibus omnibus aſſumentis & pannis caret, Collectaneum Quæſtionum *poſtremo editarum:* unde uti ordinatius & ſincerius, ita antiquius illud opinamur. Jam Conſarcinator a tractatibus polemicis ad Sermones vel Sermonum excerpta, inſtabilis tranſit. Nam Quæſtio 116. de ratione Paſchæ, quæſtio 117. de Abraham, quæſtio 118. de Job, quæſtio 119. de Tobia, quæſtio 120. de Jejunio, quæſtio 121. Laus & gloria Paſchæ &c. vel homiliæ ſunt vel fragmenta Homiliarum, ut legenti conſtabit. Cæteræ omnes Quæſtiones, hujus Collectanei Quæſtionum *primo editarum* usque ad finem, aſſumenta ejusdem rationis ſunt, absque methodo & ordine ad materiam, temere ab Anonymo collecta, quæ recentiſſimum rapſodiſtam probant, deſuntque in Authore Quæſtionum *poſtremo editarum*. Hæc prima ratio, qua Scriptorem Quæſtionum *primo editarum*, cenſeo recentiorem Authore Quæſtionum *poſtremo editarum*. Alteram addamus. Author iſtarum Quæſtionum quæ prius editæ ſunt, non ſibi ipſe conſtat in ſuis ſententiis: unde nunc cum Pelagianis ſentit, nunc contra Pelagianos: juxta authores diverſos, ex quibus ſuam rapſodiam contexuit. Sentit cum Pelagianis, dum ſequitur Authorem Quæſtionum *poſtremo editarum*, ut Quæſtione 13. ubi vult parvulos Sodomitarum a Gehenna fuiſſe liberos, ex quo ſequitur ipſos Originale peccatum non contraxiſſe. *Ut*, inquit, *nimis impium facinus Sodomicarum poſſit adverti, peccatum eorum pervenit usque ad necem filiorum ipſorum, ne de origine illorum ſignum aliquod remaneret. Nonne proviſum eſt illis, ne diu viventes, exempla ſequerentur Patrum? A gehenna enim liberi ſunt, in aliena cauſa occiſi.* Item juxta Lovanienſes, Janſenium & Bellarminum, Quæſtione 80. pelagianizat, dum ait de homine: *Hic ſi reſipiſcat, & juxta naturam ſuam ſentiat, ad Creatorem ſe conferens, filius Dei erit. Ac per hoc neque filii Dei ſunt, qui naſcuntur, neque filii Diaboli.* Ibi ſequitur Authorem Quæſtionum poſtremo editarum, qui idem his verbis exprimit: *Hic ſi reſipiſcat, ad naturalem regreſſus juſtitiam, recipiens fidem Chriſti, erit filius Dei. Ac per hoc neque filii Dei ſunt, qui naſcuntur, neque diaboli.* Facit autem contra Pelagianos, dum admittit in ſuam Rapſodiam aſſumenta alia, quæ contra Pelagianos ſunt. Ita Quæſtione 112. quæ nihil eſt aliud quam inſignis & integer Commentarius Pſalmi quinquageſimi, quem in ſuam rapſodiam hic inconſtans immiſit: immemor doctrinæ quam acceperat ab Authore Quæſtionum poſtremo editarum, expendens illud Davidis oraculum ſeu verſum 7. allegati Pſalmi, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum &c.* originale peccatum admittit his verbis. *Nunc hoc adjecto, cauſam infirmitatis humani generis memorat, quia facile eſt homini peccare, ut examen circa ſe judicii mitiget. Prima enim culpa facit mentionem, ex qua prævaricando, Adam genus humanum obnoxium fecit peccato. Suaſu enim & fallacia inimici iniquitatem concipiendo, omne ſemen ſuum peccato ſubjecit: ut ex eo omnes per traducem geniti, peccato eſſent obnoxii. Propterea adjecit*, & in delictis concepit me mater mea: *ut ab Adam derivatio facta peccati,*

2.

cati, concepti & nati impedimento esset, ad bonam vitam agendam. Idem hujus immemor contradictionis, quam admiserat in Commentario isto quinquagesimi Psalmi ad 112. Quæstionem admittit iterum Pelagianismum, Quæstione 113, ubi *Hominem habere in natura sua semen fidei* asserit, in Tractatu *de fato contra Mathematicos*, quem in suam rapsodiam immisit. Cum itaque Scriptor Quæstionum quæ postremo editæ sunt, in suis sententiis constans sit: & hic scriptor Quæstionum *primo editarum* inconstantissimus, juxta assumenta ex quibus suam farraginem componit: inde arguo inconstantem istum assutorem, esse recentiorem Scriptore Quæstionum postremo editarum. Tertia Ratio. Author Quæstionum postremo editarum, testatur has quæstiones a se compositas alibi quam Romæ, parte secunda, quæstione 86. ex Novo Testamento, his verbis: *Et quia in primo mense, in quo æquinoctium habent Romani, sicut & nos, ea ipsa observatio, ab his custoditur &c.* Loquitur enim illic perinde, ac si alibi quam Romæ scriberet. Hanc eandem habet verbotenus Author Quæstionum primo editarum, parte secunda, quæstione 84. ab Authore priore desumptam: qui tamen immemor sui atque inconstans Rapsodista, Quæstione 115. assumentum aliud addit, unde has Quæstiones esse Romæ compositas concluditur, dum corruptionem Romanæ fidei vel gloriæ parum consentaneam allegat. *Hic enim*, inquit, *in urbe Roma & finibus ejus, quæ sacratissima appellatur, licet mulieribus viros suos dimittere, cum cautum sit in lege divina, ut ne viri quidem hac potestate uterentur, excepta fornicationis causa. Ecce in hac re meliores sunt Barbari, quod & hic servari posse non impossibile est, quia primi servatum docetur.* Denique *quarto* dum author Quæstionum postremo editarum parte I. quæstione 23. quærit, *quid sit ad imaginem & similitudinem Dei, factum esse hominem?* Quæstionem hanc ex ipso mutuatam habet Author Quæstionum primo editarum, parte eadem, quæstione 21. iisdemque verbis: & tamen immemor sui scriptor iste & eorum quæ scripsit, tractat eandem quæstionem *quæstione* 45. ex alio quopiam authore Anonymo mutuatam. Vnde notorium est lanistam hunc Quæstionum primo editarum, juniorem recentioremque esse authore Quæstionum postremo editarum.

CAPVT TERTIVM.

HILARIVS ALLATVS QVÆSTIONVM PRÆDICTARVM AVTHOR NON VIDETVR.

IAm quæritur quis sit Author harum Quæstionum antiquiorum, seu hujus Collectanei? Affirmat Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* seculo 4. tomo 7. Cap. 5. articulo 14. pag. 533. esse hunc *Hilarium Sardum Romanæ Ecclesiæ Diaconum* ex variis conjecturis, atque post illum Cavus. Ego ex adverso, non esse illum hujus Collectanei Authorem censeo. *Primum*, quia omnes isti Anonymi Collectores quæstionum & Responsionum in Scripturam sacram, seculo VII. vel æquales vel recentiores sunt, ut a me supra observatum est. *Secundo* Author istarum Quæstionum sive postremo editarum, sive primo editarum, ut ante dictum est, Pelagianus fuit: atque ex consequenti recentior Pelagio, unde non potest is esse idem cum Hilario Sardo Romanæ Ecclesiæ Diacono, qui anno circiter 380. vivebat. *Tertio* quisquis fuerit ille Scriptor harum Quæstionum sive postremo editarum, quem seniorem puto: sive primo editarum, quem recentiorem arbitror: habet plurima desumpta quoad verba & sententias, ex authore ejusdem Commentarii in Epistolas tredecim S. Pauli Apostoli, qui inter Opera S. Ambrosii legitur, & qui Hilario Sardo Romanæ Ecclesiæ Diacono adscribitur. Ergo recentior est isto *Hilario Sardo*, a quo accepit, quam legit & expilavit, cujus Pelagianismum expressit. Tantum ergo abest, ut inde recte concludat Natalis Alexander hoc *Collectaneum Quæstionum in Scripturam sacram*, ad hunc Hilarium Sardum spectare: quin concludi hinc debeat, ad ipsum non pertinere: Quis enim credat Authorem hujus Commentarii, operis continui neque spernendi, vel seipsum transcripsisse, vel ad tam miseram sese dejecisse rapsodiam? Denique *quarto* quisquis sit author hujus *Collectanei Quæstionum in Vetus & Novum Testamentum*, ex quæstionibus IV. V. XI. XII. & XIII. quæ sunt in Genesim, testatur se legisse Opus Alcuini in Genesim, quem imitatur: unde manifeste sequitur hunc Autorem non posse esse Hilarium Sardum Romanæ Ecclesiæ Diaconum, ut concludit Natalis Alexander, & affirmat Guillelmus Cavus. Sed e contra Authorem hunc esse Alcuino, qui ineunte seculo 9. floruit, anno circiter 804. mortuus, posteriorem. Hæc sane methodus componendi Tractatus & libros ex anterioribus Patribus, seculo nono valde usitata fuit: sed tam stupida corrasio omnium indiscriminatim tractatuum, quos author Quæstionum primo editarum in rapsodiam suam induxit, hoc facit apud me, ut illum hoc seculo adhuc recentiorem opiner, possequ spectare ad ignarum satis seculum undecimum, qua tamen de re nihil definio.

Objicit Natalis Alexander, unum esse Commentariorum in Epistolas S. Pauli de quibus diximus, & Quæstionum harumce authorem, demonstrant & ratio temporis & sententiarum consensus. Quod ad *primum* spectat, scribit se elucubrasse istud Opus trecentis circiter annis post excidium Hierosolymorum a Vespasiano. Cum ergo Vespasianus anno Christi LXX. Hierosolymam expugnaverit, colligitur hunc Authorem edidisse Opus suum anno Christi circiter 370. Scripsit itaque sedente Damaso, sicut author Commentariorum. Nam Damasus anno Christi 367. sedere cœpit, obiit vero

„anno 384. Præterea refellit argumenta Pho-„tini, quem adhuc tanquam viventem alloqui-„tur. Obiit vero Photinus exul in Galatia anno „376. cum prius damnatus fuiſſet Sirmii, anno „373. Deinde meminit Quæſtione 115. vaſtatæ „Pannoniæ tanquam recentis cladis, quæ va-„ſtatio contigit anno 351. Meminit inſuper „inſignis cujusdam calamitatis, non ita pridem „toleratæ, *Ecce ſcimus*, inquit, *laboraſſe fame Ita-„liam, & Africam, Siciliam & Sardiniam:* quæ fa-„mes ſæviit anno 363. Meminit porro Sardi-„niæ tanquam patriæ ſuæ, unde Sardus credi „poteſt. Quod ſpectat ad *ſecundum*, multa con-„tinere Quæſtiones & Commentarios in ean-„dem ſententiam, evidenter innoteſcet, ſi u-„trumque opus inter ſe conferatur. Præſer-„tim vero Quæſtio 24. ad Commentium in 1. „Corinth. 11. verſ. 5. Quæſtio 74. ad Comment. „in 2. Corinth. 5. verſ. 21. & in Galatas 3. verſ „12. Quæſtio 102. ad Comment. in 2. Timoth. „2. verſ. 20. Quæſtio 108. ad Comment. in Phi-„lipp. 3. verſ. 5. Quæſtio 113. ad Comment. in „Epheſ. 3. verſ. 10. &c. ubi concordiam in rebus, „in ſententiis, in verbis etiam ipſis, quam maxi-„mam deprehendent. Cum itaque Commen-„tarios in Epiſtolas Paulinas Hilario Diacono „vindicaverimus, eidem quæſtiones in Vetus & „Novum Teſtamentum adjudicandæ ſunt, præ-„ter partem quartam, quæ alterius eſt Autho-„ris.„ Hæc in ſuam ſententiam affert Natalis Alexander, ſed omnia iſta abſunt a Collectaneo Quæſtionum poſtremo editarum, quæ tamen antiquiores ſunt. Comparent tantum in Quæſtionibus primo editis ex quæſtione 44. quæ Tractatus eſt *adverſus Judæos*, & quæſtione 115. quæ Tractatus eſt Anonymi *de fato adverſus Mathematicos:* quos noviſſimus harum Quæſtionum conſarcinator in rapſodiam ſuam immiſit, quæ ob ſuam abſurditatem & confuſionem quam ſupra explicuimus, probare nihil omnino poteſt. Quod autem Collector iſtarum Quæſtionum ἀμεθόδευτον imitetur Scriptorem Commentariorum in Epiſtolas Divi Pauli apud Ambroſium: recte probat eſſe illo poſteriorem, ſed non ſpectare utrumque Opus ad unum & eundem Authorem, ut contendit Natalis Alexander. Vnde conſtat nos nihil habere ex Scriptis hujus Hilarii Sancti & Romanæ Eccleſiæ Diaconi, contra Bellarminum, Labbeum, Cavum, & alios omnes. Hæc de Hilario Sardo dicta, ſatis ſint.

365. VLPHILAS in Mœſia Gothorum Epiſcopus, circa annum 365 clarus, interpretatus fuiſſe *Biblia Gothica*, ſeu Biblia in Gothicam linguam ætate ſua tranſtuliſſe ad Gentis hujus informationem, quæ minus eruditionem & ſcientias, quam arma & bella ambiret, juxta hæc verba Socratis lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 33. *Vlphilas in Mœſia Gothorum Epiſcopus ſacris Scripturis in Gothorum ſermonem converſis, effecit ut barbari divina eloquia perdiſcerent.* Huic conſentit Sozomenus Lib. 3. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 37. & Philoſtorgius Libro 2. cap. 5. pag. 12. qui ſcribit illum *univerſa Biblia tranſtuliſſe præter libros Regum, qui res bellicas tractant*, ex quibus quatuor duntaxat Evangelia viri quidam eruditi ad nos perveniſſe arbitrantur. De Gothorum converſione ita loquitur Walafridus Strabo cap. 7. de rebus Eccleſiaſticis. „Gothi & Ge-„thæ, eo tempore quo ad fidem Chriſti, licet „non recto itinere, perducti ſunt, in Græcorum „provinciis commorantes, noſtrum id eſt The-„otiſcum ſermonem habuerunt. Et ut hiſtoriæ „teſtantur, poſtmodum ſtudioſi illius gentis, Di-„vinos libros in locutionis ſuæ proprietatem „tranſtulerunt, quorum adhuc monumenta „apud nonnullos habentur.„ Joſephus Scaliger Libro 3. Canonum Iſagoges pag. 138. Gothi etiamnum in iisdem regionibus (nempe circa Mæotidem paludem) degunt, & utrumque Teſtamentum iisdem litteris, quas excogitavit Vlphila, conſcriptum, & eadem lingua, qua tempore Ovidii utebatur, translatum legunt. *Quatuor Evangelia ex Græco, circa annum Chriſti 365. in Gothicum idioma ab Vlphila*, ut communis „fert opinio, converſa ſunt.„ Codex membraneus, argenteus, antiquiſſimus, ſed vetuſtate multis in locis exeſus, madore vitiatus, fruſtatim quondam diſcerptus, ac ſolutarum diſſipatarumque philyrarum imperita compaginatione indigeſtus, mutilus ac fœdus. Ita Franciſcus Junius in præfatione editionis ejusdem Codicis. Kortholdus inquit pag. 367. *de variis Scripturarum editionibus.* „Hic Codex argenteus „dicitur, quod literis argenteis, præter initiales „quæ aureæ ſunt, deſcriptus ſit. Cum ad Wer-„dini ſive Werdinenſis in regione Bergenſi qua-„tuor fere a Colonia nulliaribus diſtantis Mo-„naſterii bibliothecam olim argenteus hic Co-„dex pertineret, auctore illuſtriſſimo Comite „Magno de la Gardie in Sueciam translatus eſt: „cumque inde in Belgium veniſſet, ab eodem „quingentis imperialibus redemptus, Academi-„æque Vpſalienſi donatus, ubi etiamnum in *Bi-„bliotheca Antiquitatum* cuſtoditur.„

Pleniora ſunt quæ de hoc Codice, tam ex Loccenii Antiquitatibus Sueco Gothicis, & Olai Rudbeckii Atlanticis, quam ex ipſius Codicis accurata inſpectione refert, Ge. Fridericus Heupelius in erudita Diſſertatione de *Vlphila*, Witembergæ anno 1693. edita. Hinc igitur hactenus dictis, ſequentia addere placet. „Bibliothecæ Academiæ Vpſalienſis a Magno „Gabriele de la Gardie, cum quampluribus „MSS. ineditis, hic Codex donatus eſt: poſt-„quam illum in Sueciam primo inter alia ſpolia „Pragenſia delatum, deinde ſingulari fato, re-„gnante Chriſtina in Belgium abductum, 500. „imperialibus redemiſſet, & ligatura ſolide ar-„gentea, aſſabreque cælata, compingi curaſſet. „Stupenda Codicis eſt antiquitas, quem Rud-„beckius ante annos MCCC. deſcriptum eſſe „arbitratur. In apographo donationis Comitis „de

„de la Gardie, extat Eruditos omnes, qui hujus „Codicis mentionem fecerunt, Vlphilæ tempo„re credidiſſe ſcriptum. Arn. Mercator, ante „mille plus minus annos perſcriptum eſſe ait. „Si non ipſius auctoris ætate, tamen ante 8. vel „7 ſecula ſcriptus, ut exiſtimatur, inquit Locce„nius. Denique Petrus Salanus, pro ipſo Au„ctoris Codice hoc Manuſcriptum venditare „non dubitat, in Diſſertatione *de veris & antiquis „gentis Gothicæ ſedibus*, Vpſaliæ 1691. edita. Gra„viſſimis hiatibus laborat, deſiderantur enim in„tegra capita. Totus in membrana violacei „coloris, continua ſerie, literis argenteis pul„chre ſcriptus, unde *Codex argenteus* appellatur. „Tantum initia ſententiarum illuſtrium aut „narrationum diverſarum, quæ margini adſcri„ptis elementis alphabeticis, a principio ad fi„nem cujusque Evangeliſtæ numerantur, aureis „litteris exprimuntur. Intra textum quatuor „arcuata frontiſpicia in ſingulis paginis conſpi„ciuntur, & ſui Evangeliſtæ nomine unumquod„que notatum, numerisque marginalibus im„pletum, qui Evangeliſtarum harmoniam mon„ſtrant. Sectiones Vlphilanæ perſæpe Cano„nibus Euſebianis reſpondent.

Eorundem apographum Junianum, ſeu a Franciſco Junio Franciſci filio, ex præcedenti Codice MS. nitidiſſime deſcriptum in 4. habet Bibliotheca Bodlejana, Codice 5167. Qualiter autem habitum fuerit monumentum iſtud venerandum, antequam in manus Gardianas incideret, appoſite docet narratiuncula quæ extat apud Janum Gruterum, *Inſcriptionum antiquarum* pag. 146. Arnoldus videlicet Mercator ait, extare in Bibliotheca Abbatiæ Werdinenſis, codicem antiquiſſimum ante mille plus minus annos in pergameno, aureis & argenteis litteris perſcriptum, continentem quatuor Evangeliorum opus, ſed quod dolendum eſt, lacerum, dirutum, & nullo ordine, ignorantia compactoris, colligatum. Hæc refert Thomas Mareſchallus pag. 389. Obſervationum in hanc Gothicam verſionem. Jam pag. præcedente dixerat, *Mihi certe ſtupenda argentei Codicis vetuſtas, argumentum eſt non contemnendum, hanc verſionem non aliam eſſe, quam Epiſcopi Gothorum illam antiquiſſimam.* De illa Richardus Simon *Hiſtoria Critica Verſionum Novi Teſtamenti* cap. 19. pagina 222. *Vetuſtiſſimam eſſe hanc verſionem probatur, magna illius conſenſione cum antiquis codicibus editionis Latinæ, quæ ante S. Hieronymi tempora in Eccleſiis Occidentalibus erat in uſu. Hujus rei plurima in Notis ſuis teſtimonia Mareſchallus produxit.* Antiquiſſimæ duæ autem verſiones *quatuor Evangeliorum Domini noſtri Jeſu Chriſti, Gothica* ſcilicet charactere Gothico, & *Angloſaxonica*: quarum illam ex celeberrimo Codice argenteo Vpſallenſi nunc primum deprompſit *Franciſcus Junius Franciſci filius.* Hanc autem ex Codicibus MSS. collatis, emendatius recudi curavit Thomas Mareſchallus, cujus etiam obſervationes in utramque verſionem ſubnectuntur. Acceſſit Gloſſarium Gothicum Franciſci Junii, in 4. Dordrechti 1665. typis Junianis, Amſtelodami 1684. apud Waesbergios. Hæc verbotenus a quo deſcripſi, Jacobus Longus Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Pariſienſis, in *Bibliotheca Sacra* parte ſeu tomo 2. cap. 9. Sectione 1. pagg. 167. 168. 169. & 170. editionis Lipſianæ 1709. in 8.

DISSERTATIO
DE
OPERIBVS SANCTI EPHRÆMI SYRI, ECCLESIÆ EDESSENÆ DIACONI.

365. MVlti vitam atque laudes S. Ephræmi Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconi congeſſerunt, quos hic recenſere ſigillatim operoſum eſſet, neque argumento a nobis ſuſcepto conferret. Id præſtitit omnium primus S. Gregorius Nyſſæ Epiſcopus, in *Encomio S. Ephræmi* quod Græce & Latine editum extat in editione Pariſienſi Græcolatina omnium S. Gregorii Nyſſeni Operum anni 1615. Tomo 2. pag. 1027. apud Sebaſtianum Cramoiſis ex officina Nivelliana. Et in editione anni 1638. Tomo 3. pag. 595. & ſequentibus. Alias vitas S. Ephræm Syri Latine tantum edidit Gerardus Voskeus ſeu Voſſius Borchlonienſis, in Leodienſi tractu, alteram Anonymi cujusdam Tomo 1. Operum ejus præmiſſam, alteram Symeonis Metaphraſtæ affixam Tomo 2. ac tertiam denique Tomo 3. de quibus latius agere ſupervacaneum. Nos autem de Operibus ſolum ipſi adſcriptis, cæteris omiſſis, agendum e re noſtra putamus, remittentes eos qui plura ad ejus vitam ſpectantia noſſe voluerint, ad Joannem Bollandum in *Probatis Sanctorum Vitis*, ad diem 1. Februarii, ubi Commentarium eximium pag. 49. atque ſequentibus præmittit, ad varias ejusdem vitas illic productas.

CAPVT PRIMVM.
QVID VETERES DE OPERIBVS S. EPHRÆM SYRI SCRIPSERINT?

CLaruit S. Ephræm Edeſſenæ Eccleſiæ Diaconus ab anno 360. ob doctrinam, quem merito Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* anno 365. aſſignavit, cujusque vim ingenii extulerunt plurimi veteres, quorum hic verba propria, ne mendacii arguamur, referemus. Agmen ducat Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 115. *Ephræm Edeſſena Eccleſia*

ſis Diaconus, multa Syro ſermone compoſuit, & ad tantam venit claritudinem, ut poſt lectionem Scripturarum publice in quibuſdam Eccleſiis ejus ſcripta legerentur. Legi ejus de Spiritu Sancto *Græcum volumen, quod quidam de Syriaca lingua verterat, & acumen ingenii, etiam in tranſlatione cognovi. Deceſſit ſub Valente principe.* Ejus autem elogium atque doctrinam inter cæteros mirifice commendat Sozomenus *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* l. 3. c. 16. ex verſione Henrici Valeſii a p. 525. ad 528. his vocibus. „Omnium vero laudem ſupergreſſus „eſſe, & Catholicam Eccleſiam plurimum ex„ornaſſe videtur Ephræm Syrus. Qui Niſibi „natus aut in aliquo ejus territorii loco, in Mo„naſtica Philoſophia ab ineunte ætate ſeſe exer„cuit. Et cum nec ab ullo doctus fuiſſet, nec „ſpem antea feciſſet talem ſe aliquando futu„rum, repente in Syrorum lingua ad tantam „eruditionem pervenit, ut Philoſophiæ quidem „difficillima quæque theoremata facile perci„peret: facultate vero & ſplendore orationis, „& ſententiarum crebritate ſimul atque ſapien„tia Græcorum ſcriptores longe intervallo ſu„peraret. Etenim iſtorum quidem ſcripta, ſi „quis in Syriacam aut aliam linguam converte„rit, & condimentum, ut ita dicam, Græci lepo„ris abſtulerit, ſtatim deprehenduntur, & priſti„nam gratiam amittunt. In libris autem Ephra„im, idem non accidit. Nam & ipſo adhuc ſu„perſtite, libri ejus in Græcum ſermonem trans„lati ſunt, & usque ad hoc tempus transferun„tur: nec tamen a domeſtica ac nativa præ„ſtantia multum recedunt. Sed dum Græce „legitur, non minus admirationi eſt, quam dum „Syriace. Denique Baſilius, qui poſtea Cæſa„reæ Cappadocum Metropolis Epiſcopus fuit, „virum hunc admiratus eſt, & eruditionis ſenſa „maxima ſuſpexit. Quamobrem non immeri„to Ephraim mihi videtur, hoc laudis teſtimo„nium quod ex ore Baſilii prolatum eſt, ab omni„bus ſimul qui doctrinæ cauſa inter Græcos eo „tempore claruerunt, communi conſenſu retu„liſſe: quippe cum Baſilius, omnium ſui tem„poris eloquentiſſimus fuiſſe ab omnibus com„probetur. Dicitur porro *tricies centena verſuum millia*, τριακοσίας μυριάδας ἐπῶν in uni„verſum ſcripſiſſe, multosque habuiſſe diſcipu„los, qui doctrinam ejus ſtudioſe æmulati ſunt. „Inter quos nobiliſſimi fuerunt, Abba, Zeno„bius, Habraam, Maras atque Symeones: qui„bus Syri & quicunque apud Syros exquiſitioris „doctrinæ ſtudioſi fuerunt, magnopere glorian„tur. Nec ſecus Paulonam & Aranad eloquen„tiæ cauſa celebrant, eos tamen a vera fidei do„ctrina aberraſſe dicunt. Nec ignoro, olim „quoque apud Osdroenos fuiſſe viros doctiſſi„mos, Bardeſanem ſcilicet, qui hæreſim ex ipſius „nomine appellatam condidit: & Harmonium „ejusdem Bardeſanis filium: qui cum Græcis „diſciplinis egregie inſtitutus fuiſſet, primus pa„trium ſermonem metris ac modulis ſubjeciſſe „dicitur & choris tradidiſſe; qua ratione Syri etiamnum frequenter pſallunt, non carmini„bus ab Harmonio ſcriptis, ſed numeris ejus„utentes. Nam cum a paterna hæreſi non omni„no alienus eſſet, neque ab iis quæ de anima & „de ortu atque interitu corporis, deque gene„ratione, Græcorum Philoſophi ſentiunt: ſcri„pta ſua ad lyræ cantum compoſuit, & opinio„nes illas operibus ſuis inſeruit. Ephraim ve„ro, cum Syros & verborum eloquentia & mo„dulationis concinnitate delinitos videret, ea„que ratione paulatim adduci, ut idem cum „Harmonio ſentirent: ipſe licet Græcæ erudi„tionis expers, operam dedit ut Harmonii nu„meros intelligentia aſſequeretur: & juxta nu„meros ſcriptorum Harmonii, alios compoſuit „libros, Eccleſiaſticæ doctrinæ conſentientes. „Cujusmodi ſunt ea, quæ in Hymnis & in Enco„miis Sanctorum virorum, ab illo elaborata „ſunt. Ex eo tempore Syri juxta numeros can„ticorum Harmonii, ſcripta Ephraim pſallere „ſolent. Quantum igitur ingenio valuerit, „hinc etiam conjicere licet. Quod vero ad vi„tam attinet, ex bonis operibus & ſevera con„verſatione, non minus ſpectatus fuit. Erat „quietis amantiſſimus, gravis præterea & calu„mnias tantopere metuens, ut cujusvis mulie„ris vel ſolum aſpectum refugeret. Fertur ſa„ne mulierem quandam ſolutioris vitæ, & mori„bus fortaſſe inverecundam, ſive ſua ſponte „permotam, ut hominem tentaret: ſive ab aliis „accepta mercede ad hoc agendum impulſam: „de induſtria ei in angiportu quodam ex adver„ſo occurriſſe, intentis oculis eum contuentem. „Illum vero mulierem objurgaſſe, juſſiſſeque ut „deorſum oculos in terram defigeret. Et cur„nam, inquit mulier, id faciam, quæ non ex tel„lure, ſed ex te orta ſum? æquius eſt ut tu qui„dem terram aſpicias, ex qua ortus es: Ego ve„ro te aſpiciam, ex quo procreata ſum. Admi„ratus Ephraim mulierem, rem ut acciderat, „peculiari libro expoſuit: quem quidem librum „doctiſſimi Syrorum inter præſtantiſſimos illius „libros collocarunt. Memoriæ quoque prodi„tum eſt, illum cum antea ſupra modum iracun„dus eſſet, ex quo Monaſticam diſciplinam ex„colere cœpit, a nemine unquam viſum eſſe ira„tum. Quodam igitur tempore, cum per mul„tos dies, uti ſolebat, jejunaſſet: miniſter qui „cibum ei aſferebat, ollam fregit. Quem ille „pudore ac metu conſtrictum animadvertens, „Bono animo eſto, inquit, Eamus ad cibum, „quando ille ad nos non venit. Mox ad ollæ „fragmenta ſedens, cenavit. Qualiter vero „inani gloria ſuperior fuerit, hinc intelligi po„teſt. Decretum quo electus fuerat Epiſcopus, „quidam ad eum detulerunt, ac ſimul eum com„prehendere conabantur, tanquam ducturi ad „ordinationem. Id cum præſentiſſet, ſtatim in „forum cucurrit: & indecore incedens, ac ve„ſtem trahens, & in publico comedens, ſe pro„inſano ſpectandum exhibuit. Vbi vero qui „comprehenſuri illum venerant, hominem „mente

Digitized by Google

„mente captum esse arbitrati, appetere eum „ulterius ac persequi destiterunt: ille opportu„nitatem nactus aufugit, & eo usque delituit, „donec alius ordinatus fuisset. Ac mihi quidem hæc de Ephræm commemorasse sufficiet. „Indigenæ vero plura de illo & norunt simul „& commemorant. Illud autem quod paulo „ante mortem ab eo gestum est, quoniam me„moria dignum mihi videtur, hoc loco expo„nam. Cum fames urbem Edessenam jamdiu „premeret, ipse post longum temporis spatium „progressus e cella in qua philosophabatur, divites increpare cœpit, qui tribules suos alimentorum penuria pereuntes, contra quam fas „esset negligerent, & suas opes studiose servarent ad suam ipsorum perniciem, & ad cruciatum animæ suæ: quam quidem ille quibuscunque opibus, ipsique adeo corpori & omnibus „aliis rebus præstare, philosophando ostendebat. Ipsos vero animam suam nullo in pretio „habere, ex operibus ipsis demonstrabat. Illi „hominem ejusque sermones reveriti, hæc ei „responderunt. Nobis facultatum levis est cura, sed cuinam committenda sit earum dispensatio ambigimus, cum omnes propemodum „inhient lucro, eaque re ad quæstum faciendum „abutantur. Tum ille, Ecquis, inquit, vobis „ego esse videor? Cumque illi fide dignum & „valde probum ac bonum virum faterentur, talemque omnino qualis de eo fama percrebuisset: ille, Vestra igitur causa, inquit, libens hoc „munus subibo. Sumptaque ab illis pecunia, „trecentos circiter lectos in publicis porticibus „constituit: & eos qui ex fame morbum contraxerant, curare cœpit. Peregrinos quoque „& eos qui ob alimentorum inopiam ex agris „confluebant, benigne excepit. Postquam fames finem accepit, ipse in cellam suam regressus est, in qua prius philosophari consueverat. „Et cum paucos illic dies supervixisset, fato functus est: in Ecclesiastico quidem ordine ad „Diaconatum duntaxat progressus: virtutis „tamen causa non minus celebratus, quam illi „qui ob sacerdotii dignitatem, vitæque integritatem & eruditionem ab omnibus suspiciuntur. Hæc sunt virtutis quæ in Ephræm fuit, „indicia. Nam pro dignitate dicere, & omnia „accurate commemorare, quonam modo & ille, & singuli qui eo tempore philosophati sunt, „vixerint, & apud quos conversati sint: res est „quæ scriptorem ejusmodi requirat, qualis ille „ipse fuit. Me quidem id præstare non posse „intelligo, tum ob doctrinæ tenuitatem, tum ob „ignorantiam tam virorum ipsorum, quam rerum ab iisdem præclare gestarum. Alii enim „eorum in solitudine delituerunt, alii vero licet „in media civitatum turba vixerint, viles & abjecti, nec a vulgo ullatenus discrepantes videri „voluerunt: virtutem quidem sedulo excolentes, veram tamen hominum de ipsis existimationem subterfugientes, ne ab aliis laudarentur. Nam cum ad mercedem futurorum bonorum mentis suæ aciem intenderent, testem operum suorum Deum solum constituebant, „externæ vero gloriæ nulla ipsis cura fuit.„ Idem cap. 14. pag. 510. de *Vita Juliani anachoretæ* ab Ephræmo conscripta sic loquitur:

Κατ' ἐκεῖνο καιρὸν Ἰουλιανὸς ἀμφὶ τὴν Ἐδεσσαν ἐφιλοσόφει, ἀκριβεστάτη, καὶ οἷα ἀσωμάτου ἀγωγῆ καὶ πολιτείᾳ ἐπιχειρήσας, ὡς ἐκτὸς σαρκὸς ὀστέων καὶ δέρματος δοκεῖν συνεστάναι, καὶ Ἐφραὶμ τῷ Σύρῳ συγγράφει πρόφασις γενέσθαι πραγματείας τῆς κατὰ τὸν αὐτοῦ βίον ἀφηγήσεως. Per idem tempus Julianus apud Edessam philosophabatur, severissimam quandam, & ut ita dicam, incorpoream vivendi rationem aggressus: adeo ut carnis expers, ossibus tantum & cute constare videretur, Ephraim scriptori Syro libri de ipsius vita scribendi argumentum suppeditaverit.„ Videndus quoque Theodoretus *Historia Ecclesiastica* lib. 2. cap. 30. & lib. 4. cap. 29. qui cum laude etiam de Ephræmi doctrina loquitur.

At nullus est qui majorem de scriptis operibus Ephræmi existimationem habeat, Photio Patriarchæ Constantinopolitano in *Bibliotheca* Codice CXCVI. pag. mihi 511. quem hic tum Græce tum Latine per partes proferam ex versione Andreæ Schotti Soc. Jesu Presbyteri, illius Scholiis altero charactere singulis periodis adjunctis, quod hæc plurimum juvent ad intelligentiam editionis Operum Ephræmi, Gerardi Vossii Tungrensis Præpositi, ad quam in singulis Sermonibus recensitis alludit. Nam volumen in quod Photius incidit, & quod continua serie explicat, non erat unus aut alter tractatus continui tenoris, sed Collectaneum multorum S. Ephræmi Syri Operum, quæ sparsim in omnibus editionis Vossianæ tomis continentur. Sic itaque Photius orditur.

Codice CXCVI. *Ἀνεγνώσθησαν τοῦ ἐν ἁγίοις Ἐφραὶμ λόγοι ἐννέα καὶ τεσσαράκοντα.* Lecti sunt S. Ephraim sermones undequinquaginta, *de quo multa Sozomenus lib. 3. Historiæ cap. 16.* *ὧν ὁ μὲν πρῶτος, ἑαυτὸν ποιεῖ ἀπολοφυρόμενον οἷς ἐβίω, καὶ ὅπου ἐπίσχει προλόγου τῶν ἑξῆς παραινέσεων.* 1. Quorum primus deplorantem ipsum inducit, quæ admiserat in vita, & Prologi vicem præbet sequentium deinceps admonitionum. *Cujus argumenti tres habes in nuper editis hujus S. patris Operibus sermones, unum Tomo 1. num. 34. secundum altero Tomo num. 1. & tertium Tomo denique 3. num. 6. Plerique autem horum 49. sermonum, ad illud quinquaginta Paræneseon opus spectant, quod pene secundum editorum Tomum conficit.* *Ὁ δὲ δεύτερος, τοῖς ἐν κοινοβίῳ ἀδελφοῖς παραίνεσίν ἐστιν εἰσηγούμενος.* 2. Secundus, Fratribus in cœnobio degentibus adhortatio est, *Tom. 2. num. 35.* *Παρορμᾷ πρὸς εὐσέβειαν ὁ τρίτος.* 3. Tertius ad pietatem invitat. *Videtur ad Tomum 1. num. 35. translatum inedite.* *Ὁ δὲ τέταρτος τῶν μοναχῶν εἰσαγόμενος ποιεῖται, καὶ ὁ πέμπτος, καὶ ὁ ς', καὶ ὁ ζ', καὶ ὁ η', καὶ ὁ θ'. ἐπίκομος δὲ πως ὁ δέκατος, καὶ ὁ ια', καὶ ὁ ιβ' ὁμοίως εἰσαγωγικὸς, καὶ ὁ ιγ', καὶ* 4. ad

ὁ ιδ', καὶ ὁ ιε', καὶ ις', καὶ ὁ ιζ', καὶ ὁ ιη', καὶ ὁ ιθ', ἕως τῦ κγ. Quartus eos qui ad Monachos primum adducuntur, informat: ut etiam quintus, sextus, septimus, octavus & nonus, quibus & decimus quodammodo consentit atque undecimus. Duodecimus similiter introductorius est, & XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. usque ad vigesimum tertium. *Vide Tomum 2. in editis,*
24. *num. 37.* εἶτα ὁ ἐξῆς κοινὴν παρεμβαίνων ἀπαγορ-
φει. Nam qui deinceps sequitur, communem
25. continet admonitionem. ὁ δὲ κε', ὅτι μὴ δεῖ. τόπους ἀμείβειν, τὴν παραίνεσιν ποιῦται. At XXV. non oportere locum mutare, hortatur, *qui in editis Tomi 2. num. 62. Vigesimus sextus & Vigesimus septimus praeteriti sunt*, (nempe vel a Photio, vel
28. a librariis illum transcribentibus.) XXVIII. ὁ δὲ κη', ὅτι μὴ δεῖ τὸν ἀποστάντα τῆ κοινοβίᾳ, ὑποστρέφοντα καὶ μεταβαλλόμενον, ἀποθεῖσθαι. Non oportere docet, desertorem coenobii redeuntem ac poenitentem, repudiare. *Vide Tomum 2.*
29. *num. 63.* ὁ δὲ κθ', ἐξ ἱστορίας γεγενημένης, ὅιον ἐστι κακὸν ἀρίστως ἔστιν ἡ πειθαρχία. Καὶ ὅτι δεῖ τὸν Χριστιανὸν μακρόθυμον καὶ μνησικακίας κρείττω εἶναι. XXIX. Ex historia gesta refert, quam sit pernitiosum praesidentibus non obedire: oportere quoque Christianum iram differre, & injuriarum oblivisci. *Vide Tomum 2. num. 64. & n. 68.*
30. ὁ λ', περὶ παθῶν, ὅτι δεῖ φεύγειν αὐτά. Trigesimus de perturbationibus animi fugiendis. *Vide ibidem num. 70. & ejusdem argumenti alterum To-*
31. *mo 1. num. 53.* ὁ λα', ὅτι δεῖ τὰς ὀλιγωρούσας παρακαλεῖν. XXXI. Abjecto animo qui sint, esse
32. consolatione erigendos. *Tomo 2. num. 71.* ὁ λβ', ὡς ἐν ἀντιλογίᾳ τῇ σοφρσύνῃ καὶ ἀγνείᾳ τὸ κρά-τ@· καὶ τὴν ἰσχὺν βίβαιοῖ. XXXII. Per contradictionem (qua diabolo quendam inducit repugnantem) temperantiæ & castitati robur viresque addit. *Extat* Antirrhetici *nomine in edi-*
33. *tis Tomo 1. num. 50.* Καὶ ὁ λγ', περὶ ἁγνείας παραινεῖ. XXXIII. de castitate præcepta dat. *Vide*
34. *Tomum 1. num. 51.* ὁ λδ', τὴν ἡσυχίαν πρόξενεῖ, τοῖς ἐθέλουσιν συνιέναι. XXXIV. quietem atque silentium iis commendat, qui degere una volunt.
35. ὁ δὲ λε', περὶ τῦ μὴ ῥᾴμβλεσθαι διαλαμβάνει τοῖς ὀφθαλμοῖς. Καὶ ὡς δ' ἐρωτήσεως διδασκαλία εἰ δ' ἀποχῆς βρωμάτων ὁ τῆς πορνείας καλαγῆται λογισμός, καὶ τίνι ἄλλω. XXXV. Non elle oculis vagandum docet. Quædam etiam quasi ad interrogationem facta institutio, An ciborum abstinentia fornicationis frangatur cogitatio, &
36. qua re alia? *Tomo 2. num. 73.* Καὶ ὁ λς', περὶ πραυπαθείας. XXXVI. de mansuetudine *ibidem*
37. *num. 74.* ὁ δὲ λζ', πρὸς ἀνυποστάκτους ἐστὶν, ὃς καταξίλλει μὴ πρὸς τὸ ἔσχατον τῆς ἀπωλείας ἐκπαχηλισάντας, τῷ ἐκ Θεῦ Φόβῳ καὶ τῷ τῦ μέλλοντ@· δικαιωτηρίῳ κρίματι. XXXVII. est sermo ad inobsequentes habitus, quos etiamsi non ad extremum interitus præcipitarint, cum Dei metu, tum justo judicio futuro compescit; *ibi-*
38. *dem num. 75.* ὁ δὲ λη', τὴν καλὴν εὐλαβείαν ἐνδιδάσκει. XXXVIII. rectam pietatem docet, *bi-*
39. *dem. num. 76.* ὁ δὲ λθ', πρὸς τὰς ἐξ οὐσίας ἐπεί-πλοντας ἀμελείας, καὶ προφασιζομένους προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις. XXXIX. ad eos qui sua negligentia labuntur, & excusationes deinde excu-
40. sant in peccatis, *ibidem num. 77.* ὁ δὲ μ', πρὸς ἀδελφὸν ἐκ ἐκπίσοντα, καὶ περὶ μετανοίας. XL. ad fratrem lapsum habitus est, & agit de pœni-
41. tentia: *ibidem num. 78.* ὁ δὲ μα', ὡς ὐ δεῖ ὀμνύειν ἀδὲ δυσφημεῖν. XLI. suadet a juramento ac maledicentia abstinendum, *ibidem num. 79.*
42. ὁ δὲ μβ', συνίστησιν, ὡς δίκαια πέπονθεν Ἠλεὶ, ὁ ἐν τῷ νόμῳ ἱερεὺς, πρὸς τὸν περὶ αὐτῦ τῦτα ἐπιδιαζοντα. XLII. Colligit juste punitum Heli sacerdotem legis, ad eum qui hac ipsa de re dubitabat. *Hic est Tomi 1. num. 3.* Περὶ δὲ Φόβυ Θεῦ,
43. ὁ μγ', ὃ περὶ ἀγάπης ὁ μδ'. De timore porro &
44. Dei XLIII. Sermone differit, ut & de dilectione
45. XLIV. *Tomo 2. num. 80. & 81.* ὁ δὲ με', πρὸς Εὐλόγιον μὲν αἰτήσαντα γεγράφεται, πλείονας δὲ κατορθωμάτων παραινέσεις, ἃ διδασκαλίαν ἀναπλήσει. XLV. Multarum virtutum admonitiones ac doctrinam ad Eulogium, qui hæc postularat, explicat. *Ibidem num. 82.* ὁ δὲ μς', ὃ μὴ
46. πρὸς ἀκηδίαν ἐστὶ μοναχὸν συντεθειμέν@·, πολλαῖς καὶ καλαῖς ὑποθήκαις ἀπάγων αὐτὸν τῆς πρὸς τὸν βίον ἐκανόδυ. XLVI. ad negligentem & ignavum Monachum habitus, argumentis pulchris ac variis, a reditu ad secularem vitam, revocare illum studens. *ibidem num. 83.* ὁ δὲ μζ',
47. καταδρομὴν ποιῦται τῆς κακοηθείας. XLVII. reprehensio est pravorum morum, *ibidem num. 84.*
48. ὁ δὲ μη', ὅσον διενήνοχεν ὁ μοναδικὸς βί@· τῆς ἐν κόσμῳ πολιτείας, ἐπιδεικνύει. XLVIII. quantum differat solitaria vita a seculari, ob oculos ponit.
49. ὁ δὲ μθ', τὴν δευτέραν τῦ Κυρίυ διατυπῦ παρουσίαν, καὶ παρακαλεῖ πρὸς μετανοίαν τὰς ἀνθρώπυς. XLIX. secundum Christi adventum describit, & ad pœnitentiam homines hortatur. *Ibidem num. 93. cui non absimilis alter Tomo 1. num. 80.*

Ἐν τύτοις τοῖς παραινετικοῖς λόγοις τῦ ἁγίυ θαυμάσειεν ἄν τις, ὅσον μὲν ἐμβαθύνεται τὸ πεῖθον, ὅσον δὲ αὐτῶν ἀποσάζει τὸ ἡδύνον, καὶ ὅλως εἰς ὅσον βρύει τὸ ἦθος. ἡ δὲ λέξις καὶ τὰ σχήματα ὐ θαυμαστὸν ἢ πρὸς τὸ κοινότερον τῆς ὁμιλίας, καὶ ἠμελημένον νένευκεν. οὐ γὰρ εἰς τὸν γεννήτορα τῶν νοημάτων, ἀλλ' εἰς τὸν ταῦτα μεταφρασάμενον, ἡ αἰτία διαλαμβάνει. Ἐπεὶ εἴ γε τῆς σύρας Φωνῆς τὴν ἀκριβείαν ἠσκημένοι, ἐπὶ τοσῦτον ταῖς λέξεσι καὶ τοῖς σχήμασιν αὐτὸν ἴσασιν ἐυδοκιμῆσαι, ὡς ἀμφίρρυτον εἶναι, πότερον διὰ ταῦτα, ἢ διὰ τὸν ἐν αὐτοῖς νῦν, ἢ τοσαύτη χαρὶς καὶ δύναμις τῶν ἐκείνυ πρόεισι λόγων. οὐ θαυμαστὸν ἂν ἡ τῆς Φράσεως ταπεινότης, ἀλλ' ἐκεῖνο θαυμαστὸν, ὡς καὶ διὰ χυδαιότητ@· τοιαύτης ἡμάτων πλησαύτη σωτηρία, καὶ ὠφελεία τοῖς προσέχυσι προχεῖται. In his admonitoriis sancti viri sermonibus, jure quis admiretur, quam alte penetret persuadendi vis, quantumque ab his fluat jucunditatis, quam denique affectuum copia referti sint. Oratio tamen ejus, ac figuræ nihil mirum, si ad consuetum homiliarum usum, & inelaboratum dicendi genus vergant. Non enim in Auctorem sensuum, sed in horum interpretem ea confe-

Digitized by Google

conferenda culpa. Qui namque Syriacæ ſunt linguæ bene periti, verbis adeo ac tropis excellere norunt, ut ambiguum ſit, ab hiſne, an a ſenſu recondito, tanta ejus dicendi vis atque elegantia proficiſcatur. Quamobrem non tam dictionis humilitas admiranda, quam illud ſuſcipiendum, quomodo per tantam verborum vilitatem, tanta ſalus atque utilitas in legentes velut effundatur.

Τῆς δ' αὐτῆς ἐστι πρᾳθημέν☉ καὶ χάριτ☉ καὶ δυνάμεως καὶ ὁ περὶ ταπεινοφροσύνης λόγ☉, κεφαλαίοις ἑκατὸν ἐνιπλωμέν☉. ὡσαύτως δὲ καὶ ὁ λόγ☉, ὁ περὶ τοῦ, ὅτι μὴ χρὴ γελᾶν, καὶ μετεωρίζεσθαι, ἀλλὰ ἐν πένθει μᾶλλον διατελεῖν, οὐ ψεύσεται τὴν πρὸς αἰλιήλους συγγένειαν. Eadem eſt refertus dicendi vi & gratia ejusdem *de humilitate ſuique deſpectione* ſermo in centum productus capita: *habes eum in recens editis Ephraemi Operibus, Tomo 2. num. 87.* Vt nec illa mutuam cum ſuperioribus affinitatem ac ſimilitudinem, falſo indicat Oratio, qua ridere atque extolli oportere negat, ſed in moerore potius degendum eſſe. *Extat Tomo 1. num. 44.*

Ὡσαύτως οὐδ' ὁ πρὸς μετεβίνας μοναχὸς αὐτῷ διειλημμέν☉. ὃς περιότητα μὲν ἐκκόπτει, πονηρίαν δὲ ἀποτρέπει, καὶ πρὸς μὲν μακροθυμίαν ἄγει, ὀξύχολον δὲ διελέγχει. καὶ τὴν μὲν ὑπομονὴν μακαρισμῷ πρόξενον δεικνύει, τῷ δ' ὀλιγώρῳ τὸ ἄθλιον ἐπιτρύει. καὶ τὸν μὲν θεῖον φόβον, τῆς αἰδοῦς εὐφροσύνης χορηγὸν κατασκευάζει, τὸν δὲ καταφρονητὴν δίκαιος ὑποβάλλει. καὶ τὴν μὲν ἀγάπην πρὸς θεὸν ἐνάγει, τὸ δέμο☉, τῷ διαβόλῳ φαίνεται συνάπτειν. καὶ ὡς ἡ ἀλήθεια πολλῶν ἐστὶ μήτηρ καταθαυμάτων. Φθορεὺς δὲ τούτων τὸ ψεῦδ☉. ὡσαύτως ἡ ὑπομονή, ὅτι μακαρίους τοὺς χρωμένους ἀποφαίνει, τὸ δὲ ἀνυπόλειπτον κατάρας καὶ πολλῆς ἄλλης αἰσχύνης ποιεῖ κληρονόμους. καὶ τὸ καθαρὸς εἶναι φθόνου, καὶ ζήλου, ἀγάπην ἐστὶ κατασκευάζειν, δὲ τοὺς ἐνισχημένους τῷ πάθει, τοῖς τοῦ διαβόλου κείμασιν, ὥσπερ καὶ τοὺς λαιδορίας ἐκλακότας. καὶ περὶ ἐγκρατείας δὲ καὶ ἀκρασίας κατὰ τὸ ἀνάλογον διαλαμβάνει. ὁ μὲν οὖν πρὸς τοὺς Μετεβίνας λόγ☉ ἐπὶ τοσούτοις διατεραιοῦται. καὶ ἄλλα δὲ πλεῖστα τοῦ ἀνδρὸς, μεταβληθέντα παρὰ τὴν Ἑλλάδα, συντάγματα, φέρεται πλήρη χάριτ☉ καὶ δυνάμεως. Σύροι δὲ παῖδες φασιν ὑπὲρ τοὺς χιλιάδας λόγους αὐτὸν ἀναγράψαι, οἷς καὶ ὁ περὶ τὴν ἰσαρίαν ἐκ ἀναξιόπιστος, εἰ καὶ μὴ τὰ δόγματα Εὐσέβιος ὁ τοῦ Παμφίλου ἐπώνυμος φέρων, ἐπιμαρτύρεται. Ad eundem modum & illa ad Metebinos monachos ab illo habita oratio, *quam inſcriptionem, non videtur reperiſſe Voſius recentior interpres, cum hunc ipſum tractatum cum epigraphe* de virtutibus & vitiis per oppoſitionem *retulit in Tomo 1. num. 16. & undecim ſequentium capitum ordine plerumque mutato.* Hæc ut lenitatem ac manſuetudinem docet, ita malitiam fugiendam ſuadet, ducitque ad longanimitatem, iracundia reprehenſa. Sic patientia cœlum parari ac beatitudinem oſtendit, animi ſimul abjecti prolatam miſeriam exponens. Inſuper timorem Dei, qui ſapientiæ æternæ author eſt ac principium, inducit, hominemque Dei contemptorem pœnis damnat. Ad hæc caritatem ad Deum ducere, odium vero dæmoni ſimiles efficere, compertum, ait, habetur. Quem item ad modum veritas multorum eſt recte factorum parens, quibus mendacium perniciem adferat: ita obedientia beatos reddit, & inobedientia Dei maledictionem, multaque præter eam dedecora acquirit. Puros præterea ab invidia & æmulatione, charitate divites fieri oſtendit. Obnoxios contra diaboli judicio effici, qui hoc morbo laborent, non minus quam qui conviciis jaciendis dediti ſunt. De temperantia denique atque intemperantia, pari modo agit. Atque hæc fere oratio illa ad Metebinos Monachos continet. Quanquam alia quoque plurima ſancti viri, in Græcam converſa linguam opuſcula circumferuntur, dicendi vi ac virtute referta. Syri vero affirmant Orationes ſupra mille ſcripſiſſe, quibus etiam teſtimonium reddit, cujus gravis eſt in Hiſtoria, non item in dogmatibus fides, Euſebius ille Pamphili cognomento. *Ex quibus ſupra centum, præter jam memoratas, Latine redditas, protulit Gerardus Voſſius, Romæ & Coloniæ editas.*

CAPVT SECVNDVM.
DE EDITIS S. EPHRÆMI EDESSENÆ ECCLESIÆ DIACONI OPERIBVS.

PRimus qui Opuſcula nonnulla S. Ephræmi Syri in Græcum jam olim translata, Latine reddidit, vir fuit magni nominis Ambroſius Abbas Camaldulenſis & totius Ordinis Præfectus generalis, cujus interpretatione extant *S. Ephraem Syri Sermones XIX. in Latinam linguam e Graeca converſi*, editi primum Brixiæ anno 1490. Argentorati anno 1500. quaternionibus 24. apud Matthæum Schuterium, & Coloniæ anno 1547. in 8. Extant vero in bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi *Sermones XXI. S. Ephraemi* ab Ambroſio olim Camaldulenſi *Latine* verſi, & Coſino Medici, ſummo ipſius Mæcenati nuncupati, cujus *Præfationem ad Coſmum* elegantiſſimam ſane Lambecius exhibet Tomo 1. Commentariorum *Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis*, pag. 119. Non ſolum autem verſionem, ſed Præfationem etiam, tacito Ambroſii nomine expilaſſe Gerardum Volckens ſeu Voſſium Tungrenſis Eccleſiæ Præpoſitum, ibidem Lambecius conqueritur. Sed longe inſigniores curas Gerardus Voſſius ſeu Volkens, Borchlonienſis in Germania, Tungrenſis Eccleſiæ Præpoſitus adhibuit, ut omnia hujusce Patris opuſcula, Græce in bibliotheca Cryptæ ferratæ atque alibi manuſcripta latitantia, in unum colligeret, ac in Latinam linguam transferret, multis hoc in labore improbo annis inſumptis. Omnia tomis 3. diſtincta, quæ unico volumine in folio continentur. Primus Tomus Sixto V. Romano Pontifici dicatus,

catus, anno 1589. Romæ prodiit. Secundus Clementi VIII. dicatus, ibidem anno 1593. prodiit in publicum, denique tertius ibidem anno 1598. Idem opus uno volumine, ſed tomis etiam tribus diſtinctum, Coloniæ in folio anno 1603. & Antuerpiæ anno 1619. recuſum extitit, cujus tenorem editionis hic referemus.

Tomo primo editionis Voſſianæ, Romæ 1589.

Poſt Præfationem factam Sixto V. Romano Pontifici, vitam S. Ephræm Syri præmittit, quam ab anonymo ejus diſcipulo conſcriptam, ex Græcis acceptam atque translatam Voſſius profert, quamque Joannes Bollandus in Præludiis ad Vitam S. Ephræm ad Februarii diem primam, iterum a ſe productam, ab ipſo ſancto Ephræmo ſcriptam cenſet: qua de re Critici viderint. His præcurrentibus opuſcula S. Ephræm hoc ordine ſequuntur.

1. De ſacerdotii dignitate.

2. Ad quem dictum illud pertineat Apoſtoli, *Melius eſt nubere, quam uri?*

3. De Heli ſacerdote.

4. De feſtis diebus & dignitate divinorum myſteriorum.

5. De charitate erga proximum, Tractatus 3.

6. Encomium in Pſalmorum cantum.

7. De laudibus & utilitate orationis.

8. De amore pauperum & eleemoſyna.

9. De jejunio, ejusque utilitate.

10. Quomodo illud Evangelii intelligendum, *Duo erunt in agro &c.*

11. De miſeriis, quæ noſtra hæc vita in ſe continet.

12 & 13. De manſionibus ſive locis beatis, Tractatus II. Horum primo obſervat, quamvis Sancti eandem habeant beatitudinem, inæquales tamen eſſe illius gradus ac diſcrepantes. Nihil autem inter inferni pœnas & cœlorum regnum, medium eſſe docet. 13. ejusdem argumenti eſt.

14. De non ſuſcipiendis rebus his momentaneis.

15. Ode in quotidie peccantes, & quotidie pœnitentes.

16. Tractatus Antirrheticus de virtutibus & vitiis, multis conſtans capitibus. In Præfatione humilitatem plurimam præfert, iis qui apud ipſum inſtabant ut in Aſceticis edocerentur, ſe inferiorem declarans. Habet

De timore Dei Tractatus II.

De Longanimitate tractatus II.

De Patientia & Compunctione & Impatientia tractatus V.

De Lenitate & Iracundia tractatus II.

De Manſuetudine & Malitia tractatus II.

De Veritate & Mendacio tractatus II.

De Obedientia & Inobedientia ac Murmuratione tractatus II.

De Invidia & Æmulatione tractatus II.

De Maledicentia tractatus II.

De Temperantia & Continentia tractatus II.

De Intemperantia & Incontinentia tractatus II. Meminit hujus Operis S. Ephræmi Photius in ſua *bibliotheca* Codice 196. quod ad Metebinos Monachos miſſum & ſcriptum fuiſſe tradit, nimirum ex fide MS. Codicis Græci quo utebatur & quem legerat: id quod Gerardum Volckenſium latuit.

17. De recta vivendi ratione, Capita XCI. ad juniorem Monachum ſcripta & miſſa.

18. De Vita ſpirituali, Capita XCVI. ad eundem.

19. De non ſcandalizando proximo, & de recta vitæ ratione.

20. Quomodo anima ab hoſte tentata, Deum lachrymis interpellare debeat.

21. De timore animi.

22. Reprehenſio ſui ipſius Ephræmi atque Confeſſio, quam Bollandus non edidit in *Probatis Sanctorum Vitis*, in Ephræmo, ad diem 1. Februarii menſis, uti & duas alias in Tomis ſequentibus. In hac vero multorum ſe reum teſtatur Ephræmus, fratresque orat ut divinam pro ſe miſericordiam implorent. Habet hæc igitur contraria eis, quæ in Teſtamento Ephræmi conſcripta ſunt, ut vel *Reprehenſio ſui ipſius* vel *Teſtamentum* Ephræmi non ſit.

23. Sermones Paræneticí ad Pietatem II.

24. De divina gratia.

25. De fide.

26. De terræ motibus.

27. De Gentilium erroribus tractatus II.

28. Oratio ad everſionem ſuperbiæ conducens.

29. Adverſus vitioſe in Monaſteriis viventes & honores affectantes.

30. De morbo linguæ maledicentis, aliisque vitiis.

31. Non eſſe ridendum Chriſtianis, ſed lugendum potius.

32. Ludicris rebus abſtinendum eſſe ac ſpectaculis.

33. De mala Converſatione evitanda.

34. De charitate qua fratres corripi debent, dum in culpam aliquam inciderint.

35. Contra Curioſitatem & de vitandis peccati occaſionibus.

36. Adverſus improbas mulieres.

37. De Virginitate ſeu Continentia Tractatus II.

38. De Caſtitate, ejusque ſervandæ mediis.

39. De paſſionibus animi.

40. De Compunctione Sermones IV.

44. 45. 46. 47. De Pœnitentia & Converſione tractatus IV.

48. De Patientia in malis & vitæ hujus adverſitatibus.

49. De Conſtantia & Compunctione in adverſis.

50. De Perſeverantia & Vigilantia ex metu Judicii divini & cruciatuum inferni.

51. 52. 53. De Beatitudinibus tractatus III.

54. Quæ-

54. Quæſtiones, quomodo blaſphematur Deus &c. & Reſponſiones V.

55. Quæſtiones aliæ de Extremo judicio, & Reſponſiones plurimæ.

56. De variis cruciatuum generibus ac locis in Inferno.

57. De Reſurrectione tractatus II.

58. De recordatione mortis, ubi vanitatem divitiarum eximie exponit.

59. Oratio de Morte, quæ S. Ephræmi non eſt, ſed S. Baſilio ex Codicum MSS. fide adjudicanda eſt, inquit Cavus: imo neutrius eſt, ſed Symeonis Metaphraſtæ & Logothetæ, qui Homilias XXIV. ex operibus S. Baſilii verbotenus conſarcinavit, ubi *undecima* occurrit inter Metaphraſticas pag. 522. editionis Græcolatinæ Pariſienſis Tomo 3. anni 1638.

60. De Antichriſto.

61. De apparitione Crucis tempore judicii. Meminit hujus Orationis Leo Allatius in Diatriba *de Symeonum ſcriptis* pag. 106. Ephræmi Syri λόγος εἰς τὸν Σταυρὸν. Incipit, πᾶσα ἑορτὴ καὶ πρᾶξις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ σωτήριος καὶ καυχήματα ἡμῶν τῶν πιστῶν &c. quæ extat Græce & Latine ad MSS. Codices collata apud Jacobum Gretſerum Tomo 2. *de Cruce* editionis 1603. col. 1593. & ſequentibus. Non eſt autem de Cruce integra, ſed de extremo judicio in MSS. multis codicibus inſcribitur.

61. De Extremo Judicio tractatus duo, quibus alius S. Baſilii ſubjungitur.

63. De ſecundo Domini adventu.

64. Threni de divina retributione.

65. Threni de die Judicii.

66. Threni ad animam negligentem.

67. Orationes ſive Preces ad Deum plurimæ.

Tomo ſecundo, Romanæ editionis 1593.

Poſt dedicationem Operis anno 1593. Clementi VIII. Romano Pontifici factam, præmittit *Vitam S. Ephræmi* a Symeone Metaphraſte ex antiquioribus ſcriptoribus pro more ſuo, verbotenus utplurimum compoſitam, quam aliis atque aliis duntaxat verbis, idem ac alii declarantibus, conſarcinaſſe legimus. His præmiſſis

1. Sententiæ ex Operibus Ephræmi ſelectæ, quæ in *Collatione Sanctorum Patrum* reperiuntur.

2. Narratio S. Ephræmi ad Monachos de ſua converſione, quam etiam Joannes Bollandus retulit in *Probatis Sanctorum Vitis* ex Operibus citatis, ad diem 1. Februarii menſis.

3. Canticum Spirituale in laudem Doctrinæ, ex Chaldaico traductum.

4. Epiſtola de Patientia ad Joannem Monachum.

5. Hypomneſticon, ſive Admonitoria Oratio ad fratrem.

6. Adhortationes IV. de Virtute ad Naritium Monachum.

7. De Virtute Capita X.

8. Sermones duo in illud, *Attende tibi ipſi.*

9. Opus Paræneſium quinquaginta ad Monachos.

10. De humilitate comparanda, Capita C.

11. De Monachis ac Turture.

12. De perfectione Monachi.

13. De Panoplia ſpiritali ad Monachos.

14. De Agone ſpiritali.

15. Sermo Aſceticus & exhortatorius ad fratres.

16. De ſecundo Domini adventu & de Pœnitentia.

Sancti Aumonii Abbatis Capita paræneticæ XIX.

Apophthegmata Sanctorum Patrum & Abbatum Antonii, Ephræm Syri, Paſtoris, Arſenii &c. plurima.

Tomo tertio, editionis Romanæ 1598.

1. Sermo aſceticus *de timore Dei* ad Proverbiorum imitationem.

2. Sermo aſceticus de Vita Religioſa & Monaſtica.

3. Tractatus de Pœnitentia.

4. Sermo de Compunctione animi.

5. Confeſſio Sancti Ephræm & ſui ipſius reprehentio, quam Joannes Bollandus habet Latine editam in *Probatis Sanctorum Vitis* ad diem 1. Februarii, quam ipſius non eſſe teſtatur in Præludiis ad vitam illius §. 1. num. 4. pag. 49. col 1. ex his verbis quibus incipit: *Sanctus Abbas Ephræm, accedentibus ad ipſum fratribus de ſe ipſo utilitatis cauſa enarravit dicens: quando adhuc puer eſſem &c.*

6. De Vniverſali Reſurrectione.

7. Humilis ad Deum Oratio.

8. In Noe & de Continentia.

9. In Abraham & Iſaac, ubi ad obedientiam Deo hortatur.

10. In Loth & adverſus falſam confidentiam.

11. De laudibus Joſeph Patriarchæ, qui in MSS. Codicibus Græcis frequenter occurrit.

12. In Danielem Prophetam & SS. tres Pueros.

13. In Jonam Prophetam ac de Ninivitarum pœnitentia.

14. In Heliam Prophetam ac Viduam Sareptanam.

15. In Parabolam Margaritæ pretioſæ.

16. De natura Dei curioſe non ſcrutanda.

17. Sermo in Transfigurationem Domini.

18. Sermo in Paſſione Domini.

19. Planctus B. Virginis ſuper Paſſione Domini, qui mihi recentioris Græculi videtur.

20. Sermo de Cruce Domini, de quo pluribus ſupra Tomo 1. num. 61. locuti ſumus.

21. Sermo de laudibus B. Virginis, ætate S. Ephræmi multis ſeculis recentior.

22. Oratio ad B. Virginem, quam Ephræmi non eſſe, ſed ſequiorum ſeculorum deliramentum, conjicit Cavus in *Hiſtoria rei literariæ*, ad annum 370. in Ephræmio pag. 191.

23. Sermo in Mulierem peccatricem, qui ſæpe in MSS. Græcis codicibus reperitur.

24. Sermo in Peccatricem & Phariſæum, D. Joanni Chryſoſtomo adſcribitur. Extat inter Chryſoſtomi Opera Græca editionis Etonenſis

Digitized by Google

in Anglia 1613. tomo 7. pag. 490. Et Græce & Latine in Operum eorundem editione Græcolatina Parisiensi Frontonis Ducæi curis procurata, Tomo 6. inscripta εἰς τὴν πόρνην καὶ Φαρισαῖον Lucæ 7. τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ δ'. Incipit πάντοτε μὲν ὁ Θεὸς ὡς φιλάνθρωπος &c.

25. Encomium in sanctum Basilium, ex MS. Regio editum Græce & Latine cum notis a Baptista Cotelerio in *Veteribus Monumentis Ecclesiæ Græcæ* Tomo 3. pag. 54. Cujus mentionem facit Leo Allatius in Diatriba *de Symeonum scriptis* pag. 98. Τῷ Ἐφραὶμ Σύρῳ λόγος ἐπιτάφιος εἰς τὸν μέγαν Βασίλειον Ἀρχιεπίσκοπον Καισαρείας τῆς Καππαδοκίας. Oratio funebris in Magnum Basilium Archiepiscopum Cæsareæ Cappadociæ. Incipit Κλίνατέ μοι ὦς ἀδελφοὶ καὶ διηγήσομαι &c. Inclinate mihi aurem Fratres, & enarrabo &c. Non caret tamen suspicione hoc Opusculum an Ephræmi sit, etiam juxta Elliam du Pin, qui illud admittit, sed parum consentance iis quæ scripsit. Vult enim mortuum esse S. Ephræmum anno 378. die 1. Februarii, Basilium autem mortuum anno 379. die 1. Januarii, mensibus undecim post Ephræmum. Necessum ergo fuit ut Ephræm e tumulo resurgeret, vestes cucullumque desumeret undecim a morte mensibus, ut Orationem funebrem Magni Basilii vel scriptis traderet vel pronuntiaret. Aliam habet rationem τῆς ποθείας hujus Orationis Rivetus Lib. 3. *Critici Sacri* cap. 21. pag. mihi 337. quod Author hujus Orationis alusiones ad Græcam linguam faciat, quam tamen Ephræmum nescivisse, certum est ex Veterum omnium testimonio.

26. Encomium in sanctos quadraginta Martyres, cujus meminit idem Allatius loco citato pag. 87. *Ephrem Syri* Ἐγκώμιον εἰς τοὺς ἁγίους τεσσαράκοντα Μάρτυρας. Ἐπόνα μαρτυρικὴν διαγράψαι βέλομαι.

27. Encomium in omnes sanctos Christi Martyres.

28. Sermo alius de eodem argumento.

29. Vita S. Abrahami & Mariæ neptis illius.

30. Vita S. Juliani Anachoretæ, cujus mentionem facit Sozomenus lib. 3. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 14. p. 520. Valesianæ versionis, quam cap. 1. Dissertationis hujus retuli.

31. De Sanctis Patribus suo tempore defunctis, sermones II.

32. Sermo in eos qui in Christo obdormierunt, & de vanitate vitæ.

33. Testamentum S. Ephræmi nomine inscriptum, quod eximie laudat Ellias du Pin in *Nova bibliotheca scriptorum Ecclesiasticorum* seculo 4. Tomo 2. pag. mihi 151. Amstelodamensis, quodque ob authoritatem, Gregorii Nysseni jactatam in *Encomio S. Ephræmi*, indubiæ firmitatis opinatur. Sed incertum plane est, in *Encomium illud Ephræmi* inter Opera Gregorii Nysseni impressum, vere Nysseni sit, cum apud veteres testimonium non habeat. Si Robertum Cocum legisset, sententiam forsan aut opinionem suam de hoc Testamento immutasset. Ita ille autem in *censura quorundam scriptorum veterum* pag. mihi 240. " Author hujus Testamenti decreverat loqui in persona *Ephræm*, sic enim incipit, " *Ego Ephræm morior. Notum igitur vobis sit omnibus o viri Edessæni, testamentum enim vobis relinquo &c.* At circa medium oblitus sui, verba facit in persona alterius, inquiens: *Quum adhuc ea ipsa loqueretur, vir ex adstantibus &c.* quemadmodum in Surio Tomo 1. ad diem 1. Februarii videre licet, apud quem habetur hoc Testamentum ex translatione *Julii Clementis*. Et hæret in translatione hujus Testamenti *Romæ* per Gerardum Vossium edita aliter legatur, nimirum *Me adhuc ea loquente &c.* In fine tamen hujus Testamenti *Romæ* per Vossium editi, error similis commissus est. Ibi enim iterum tertiam personam inducit dicens, *dum hæc cum lachrymis præciperet ac mandaret beatus vir &c.*" Quod usque adeo absurdum ipsi Vossio visum est, ut aliud non haberet quod diceret, præter puerile illud, *corrumpitur textus*. Unde Vossius in Annotationibus marginalibus inquit, *sequentia non ab Ephræm, sed a discipulis post ipsius obitum verbis Testamenti adtexta sunt.*" En quibus se immiscent irrisionibus Pontificii, dum fabulas ac somnia Monachalia orbi literario per fas nefasque obtrudunt. Jam glorietur ex hoc Testamento Ellias du Pin, non abnuo, si paribus nugis delectetur.

34. Sermo contra impios Hæreticos & de Consummatione mundi, Chrysostomo vulgo tribuitur. Hactenus Vossiana editio. Extat inter Opera Græca S. Joannis Chrysostomi, editionis Etonensis in Anglia anni 1613. Tomo 7. pag. 211. & Græcolatine in Operum eorundem, editione Græca & Latina Parisiensi, Tomo 6. ita inscriptus Περὶ ψευδοπροφήτων καὶ ψευδοδιδασκάλων καὶ αἱρετικῶν, καὶ σημείων τῆς συντελείας. ἐρρέθη δὲ μέλλοντος αὐτῷ ἐκδημεῖν ἀπὸ τοῦ σώματος. De Pseudoprophetis & falsis Doctoribus & impiis Hæreticis & signis consummationis seculi. Dictus est autem sermo, dum morti proximus esset. ὁ δυνηρὸς ὁ λόγος, καθότι καὶ ἔσχατος, ὡς μηδὲ δήλωσαι. ἀλλὰ καὶ πολλῆς χαρᾶς γέμων &c. Sermo lugubris quemadmodum & ultimus, ut neque declaravit: sed multo gaudio plenus &c.

Nec sane tanto contemptu dignus Andreas Rivetus, quam sibi opinatus est Ellias du Pin, Seculo 4. Tomo 2. *Nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum* pag. 146. 147. & 148. editionis Amstelodamensis anni 1693. in 4. Imo utroque scriptore attente lecto, Rivetum multis obtinere animadverti lib 3. *Critici Sacri* cap. 21. p. 336. Inquit Andreas Rivetus pag. 339. in plerisque " sermonum illorum qui Ephræmi nomine circumferuntur, non reperiri *illud acumen sublimis ingenii*, quod Hieronymus etiam in translatione Græca libri *de Spiritu Sancto* notavit, nec dignum aliquid quod *post lectionem Scripturarum, publice in Ecclesiis recitaretur*; quod de genuinis

„nis Ephræmi libris aliquando factum eſt. Niſi „forte illud ſcripturis conſonum probetur, quod „damnati in inferno exclamabunt invocantes „ſanctos omnes: *Salvete omnes Sancti, ſalvete Apo-* „*ſtoli, Prophetæ ac Martyres, ſalve Patriarcharum* „*cœtus, ſalve Monachorum agmen, ſalve & tu Domi-* „*na ſancta Dei Genitrix virgo &c.* An qui in infe- „ris ſunt, laudant Dominum in Sanctis ejus? „Sic tamen Ephræmum inſulſe concionantem „fingunt in libello *de variis inferni tormentis*, apud „Voſſium Tomo 1. num 56. qui eſt apud Camal- „dulenſem *liber de Pœnitentia* cap. 7. Quo loco „ut dignoſcatur leo ex ungue, poterit quivis le- „ctor ex interpretum collatione, tot fere inver- „ſiones, mutationes & additiones animadverte- „re, quot verba ſunt. Multa enim omittit Vos- „ſius quæ Camaldulenſis habet, & contra.„ Nec Ellias du Pin huic argumento reſpondit, nec immenſam illam ſimplicitatem ac monachales illas exclamationes ubique abundantes diluit, veluti parum convenientes eloquentiæ illi, quæ Ephræmo, a Sozomeno aliisque veteribus tribuitur.

Idem pag. 337. juxta Baronium tomo 4. An- „nalium, anno Chriſti 378. num. 14. *lucubratio-* „*nes ejus quod idiomate Syro eſſent conſcriptæ, haud* „*confeſtim Græcorum aut Latinorum Eccleſiæ inno-* „*tuere. Nam S. Hieronymus unius tantum volumi-* „*nis libro de Script. Eccleſiaſticis cap. 115. meminit,* „*quod ex Syro in Græcum translatum accepit: pede-* „*ntim autem alia complura viri egregii monumen-* „*ta per Græcorum alveos in Latinam Eccleſiam con-* „*fluxere.* Qui Ephræmi tempora proxime ſe- „quuti ſunt Scriptores, ei Græcæ linguæ noti- „tiam adimunt. Hieronymus multorum ejus „ſcriptorum in genere meminit, ſed quæ Syria- „ce tantum ab eo edita fuerant. Theodoretus „lib. 4. Hiſtoriæ cap. 29. inquit, *Utebatur ille qui-* „*dem lingua Syriaca, qua radios gratiæ ſpiritualis* „*expicabat, & Græcas linguas non deguſtarat.* Un- „de liquet vanum eſſe, quod a fabularum artifi- „cibus proditum eſt, *Baſilium Ephræmo hanc gra-* „*tiam fuiſſe impertitum, ut Græce ſcripta intelligeret,* „*atque etiam Græce pariter loqueretur.* Quod com- „mentum ipſe etiam Cardinalis Baronius rejicit „*Annalium* Tomo 4. anno Chriſti 370. num. 56. „quo loco Baſilium per interpretem Ephræmo „loquutum, ex hiſtoria congreſſus illorum „evincit, inquiens. *Quoniam nihil de his ipſe* „*Ephræm, qui teſtatur ſibi Baſilium per interpretem* „*fuiſſe loquutum, libentius dicere prætermittimus,* „*pauciora potius referre contenti, quæ omni ſint fide* „*munita, atque acceptatione digniſſima, quam plura* „*veritate nutantia incalcare.* Verba Ephræmi ad „quæ reſpicit, habentur apud Voſſium Tomo 3. „in Encomio Baſilii Magni num. 25. ubi inquit, „*Meam vilitatem accerſendam curans, per interpre-* „*tem interrogabat me.* Si tamen Encomium illud „Ephræmi genuinum, quod Græciſmis ſcatet, „& in quo per alluſionem Græcam, τῶν ἀρετῶν „βάσις Baſilius dicitur. Quod ſi Græce non „norit, explodi debent tractatus illi, in quibus Græcorum authorum ipſiſſima verba ſine in- „flexione aut inmutatione vel leviſſima citan- „tur, iſtud etiam fatente novo interprete; qua- „les ſunt Tomo 2. editionis Voſſianæ num. 7. li- „bri *de virtute* cap. 8. in quo adducuntur verba „Græce Irenæi quæ cap. 1. libro 1. *contra hæreſes* „ad verbum leguntur, & ſimilis farinæ reliqui. „Sic ibidem num. 8. in illa verba *Attende tibi ipſi* „cap. 19. S. Antonii Vitam Græce ab Athanaſio „ſcriptam laudavit, & ex ea non pauca decer- „pſit: quod alium ab Ephræmo authorem ſapit.„

Idem pag. 340. Imo etiam ſi quis unius & „ejusdem interpretis Orationes inter ſe confe- „rat, non paucæ occurrent lectori non oſcitanti „contradictiones & aperta mendacia, quæ pro- „dent artifices. Exempli gratia qui in *Teſtamen-* „*to* quod Ephræmi eſſe dicunt, hæc verba repe- „riet, a Gregorio etiam Nyſſeno (ſi tamen „Gregorii Oratio *de Vita Ephræmi* ſit) repetita: „*Nullo modo in tota vita mea* (inquit) *adverſus Do-* „*minum contumelioſus fui, nec ſermo fluitans a labiis* „*meis egreſſus eſt, neminem in tota vita mea maledictis* „*oneravi &c. nec cum ullo plane Chriſtiano homine* „*contentioſum me præbui.* Vel Orationem illam „Gregorii Nyſſeni, vel Teſtamentum Ephræmi „abjiciet: vel ſane mentitam nomine authoris „judicabit *Narrationem ad Monachos de ſua conver-* „*ſione*, quæ habetur Tomo 1. Voſſianæ editionis „num. 22. p. 116. Item Tomo 2. num. 2. p. 261. „Item *Confeſſionem & ſui ipſius reprehenſionem* To- „mo 3. nunn. 5. pag. 599. & ſequentibus. In ſe- „cunda enim fatetur *ſe occidiſſe juvencam pauperis* „*ferentem uterum, & pauperem illum per ſummam* „*injuriam contumeliis oneraſſe.* Quomodo igi- „tur neminem in toto vitæ decurſu maledictis „oneravit? In ultima vero inquit, *Cum adhuc ju-* „*venis eſſem me Chriſtianum profeſſus ſum, verum* „*paucis illis annis contumelioſus fui, & percuſſor, at-* „*que ſeditioſus, & cum vicinis contentioſus, ac invi-* „*dus in advenas, in peregrinos inhumanus, in amicos* „*durus, in pauperes acerbus, ob res leves ac viles oc-* „*currens pugnax, & immodeſtus. Improbis quoque* „*cogitationibus vacans, atque laſcivis etiam præter* „*tempus incitamentis.* Quæ quomodo cum ver- „bis *Teſtamenti* conveniant, quemvis lectorem „judicem appello.„ Hæc æquiſſima Rivetus, quæ Ellias du Pin ſupra allatus nequaquam ſolvit.

Falſum eſt autem quod ſcribit Ellias du Pin ibidem, *Teſtamentum S. Ephræmi* a Gregorio Nyſ- ſeno allegari, ſicut mihi illum cum attentione legenti innotuit. Narrat quidem Nyſſenus non- nulla ab Ephræmo morti proximo ſuis mandata, quæ Teſtamenti impoſtor huic inſeruit, ſed quod Teſtamentum ea de re fecerit, nequa- quam dicit.

CAPVT TERTIVM.

DE

MSS. CODICIBVS IN GENERE, OPERA VARIA S. EPHRÆM CONTINEN- TIBVS.

Nullum

NVllum eſt dubium quin S. Ephræmi Opuſcula varia exciderint, multa adhuc MSS. in tenebris lateant bibliothecarum. Volumen illud cujus Hieronymus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 115. meminit, hoc tempore non extat. Nec prodiit *Commentarius in Geneſim*, quem toties citat Moſes ille Barcepha, cujus liber *de Paradiſo* e Syriaca lingua in Latinam ab Andrea Maſio converſus eſt, & anno 1569. Plantinianis typis excuſus. Quam multa autem a S. Ephræmo opera conſcripta fuerint, ex Gregorio Nyſſeno in *Encomio Ephræmi*, aliisque authoribus allegandis infra, cognoſcere lector poteris. Sic itaque Gregorius Nyſſenus in *Encomio* apud Bollandum cap. 2. num. 7. pag. 69. col. 1. "Quin „& futiles effrænatasque Anomœorum nugas „variis argumentis, Scripturæque teſtimoniis, „penitus repreſſit: ſummeque utilia ac divina „nobis adverſum eos monumenta reliquit. Si „quis vero in ſancti Ephræm diſputationum cum „Novato conflictu, cupiat audaciſſimi ejus con„tueri ſtragem, adverſarii caſum reſpiciat, opor„tet. Ibi enim usque adeo ſuperiores in ipſo „certaminis congreſſu noſtri Doctoris vires in„veniet, ut hunc pancratiaſten atque certato„rem invictum: illum autem mollem, ac tan„quam puerum nondum ætate firmatum dixe„rit. Quæ apud Gregorium Nyſſenum Tomo 2. editionis Græcolatinæ 1615. col. 1031. ita habentur. Ἀλλὰ μὴν ἡ τῶν Ἀνομίων διὰ πολλῶν ἀποδεικτικῶν τε καὶ γραφικῶν λόγων τὰ ἀπόλωτα ἀνέφηξε τόμαρα, μεγίστην ἀσφάλειαν ἡμῖν τὰ αὐτῆ Θεοδιδακτα λαπὼν λόγια. Νυνὶ δὲ εἰ βούλοιτό τις τὸ θεασυτάτυ ἦτημα καταδεῖν, ἐν τῇ διὰ τῶν λόγων τῆ Ἐφραὶμ πάλη τὸ τῆ ἐναντίυ πλῶμα βλεπέτω, ἐν ᾗ ποιῆτον ἐυρήσει τὸ πτερὸν τῆς δυνάμεως τῆ ἡμετέρυ Διδασκάλυ ἐν τῇ τῆ λόγυ παρατάσει, ὅσην ἀνδρὸς παγκρατιαστῆ καὶ παιδὸς ἀγυθενῆς δι' ἀπαλότητα &c. Quibus apparet ſcripſiſſe illum contra *Anomœos ac Novatianos* opera, quæ ad nos usque non pervenerunt. Idem ſcripſit teſte eodem *Commentarios in omnem ſcripturam ſacram* tum veteris tum novi Teſtamenti, ibidem col. 1033. & apud Bollandum ad diem 1. Februarii in Commentariis ad Vitam Sancti Ephræmi præviis parag. 4. num. 29. p. 53. col. 1. Πᾶσαν γὰρ παλαιάντε καὶ καινὴν ἐμελετήσας γραφὴν, καὶ ὡς οὐκ ἄλλῳ τις τοῖς τοιούτοις θεωρήμασιν ἐυφιλοχωρήσας, ὅλην ἀκριβῶς πρὸς λέξιν ἑρμήνευσεν, ἀπότε τῆς κοσμογενείας καὶ μεχρὶ τῆς τελευταίας τῆς χάριτος βίβλυ, τὰ βαθη τῶν κεκρυμμενων εἰς τὸ φανὲς ἀγὼν θεωρημάτων, λύχνῳ κεχρημένος τῷ πνευματι. "Nam *omnem & antiquam* „*& novam ſcripturam evolvens*, & ut nemo alius, in „ejus contemplationem incumbens, totam ac„curate ad verbum interpretatus eſt: atque ab „ipſa mundi creatione usq; ad ultimum Gratiæ „librum quæ abdita & recondita erant, Commen„tariis illuſtravit, ſpiritus lumine uſus. Horum autem *Commentariorum* nonnulli adhuc Syriace in bibliothecis MSS. habentur, uti poſtea dicemus. Porro ut inquit idem Bollandus in Commentariis ad *Vitam S. Ephræmi* præviis paragrapho 4. num. 27. pag. 52. col. 2. "In latinam„ quoque linguam nonnulla ejus ſcripta transla„ta ſunt. Vincentius Bellovacenſis qui ante„ annos 400. ſcripſit, *Speculi Hiſtorialis* lib. 14.„ cap. 87. iſta habet. *Hujus Ephræm ſeptem opuſcu„la extant apud nos, ſcilicet de pœnitentia, de lu„ſtaminibus ſeculi, de compunctione cordis, de beati„tudine animæ, de reſurrectione, de die judicii.* Ea„dem ex Vincentio recitat S. Antoninus parte„ 2. *Summæ Hiſtorialis* tit. 10. cap. 5. paragr. 6. Sed„ & ipſe ſex ſolum recenſet, cum ſeptem dicat ex„tare. Trithemius *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*„ eadem, aliaque inſuper ſeptem enumerat, quæ„ apud Latinos inveniri inquit, *de Spiritu ſan„ctо, de contritione cordis, de cogitationibus*,„ *de prædicatione dura, de celebratione My„ſteriorum, planctum ſuper Edeſſenam urbem.*„ In Collectaneis *Monumentorum Veterum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ*, quæ hactenus in Vaticana bibliotheca latitarunt, quæ Romæ 1698. in 4. Laurentius Alexander Zacagnius Vaticanæ bibliothecæ Præfectus edidit, extant Tomo 1. Sermones duo S. Ephræm Syri, qui ex citatis ſupra videntur, Latine tantum ex verſione veteri. Primus agit, *de reſurrectione, extremo judicio, regno cœlorum & puritate animæ:* alter *de pugna præſentis ſeculi:* ambo ſatis breves, in quibus magna pietas, ſed ordo vel modicus vel nullus cernitur. Hæc Opuſcula in MSS. quoque Latinis bibliothecarum ſæpe reperiuntur, uti poſtea dicemus.

Denique Hebedieſu ChaldæoSyrus, ſcriptor ſeculi ſuperioris, adhæc etiamnum inter Gentiles ſuos, ſcribit in libro *de Scriptoribus Syris* p. 25. extare lingua Syriaca *Commentarios S. Ephræmi in Geneſim, Exodum, Leviticum, Joſue, Judices, Samuelem, libros Regum, Davidis, Jeremiæ, Ezechielis, Danielis, Iſaiæ, duodecim Prophetarum minorum. Libros & Epiſtolas de fide Eccleſiæ, Orationes metricas; adhortationes, cantica, officia defunctorum omnia, appoſitiones Alphabeti, diſputationes cum Judæis, & adverſus Manichæum, Bardeſanem, Marcionem, & Ophitas: denique Diſſolutionem impietatis Juliani.* Hæc Hebedieſu in Catalogo quem *de libris Chaldæorum* edidit cap. 60. pag. 25. Jure merito igitur Bollandus citatus in *Comment.* ad Vitam S. Ephræmi prævius Tomo 1. Februarii menſis, paragr. 4. num. 28. pag. 52. col. 2. optavit, ut Opera S. Ephræm Syri Græcolatina ex MSS. Codicibus Græcis edita fuiſſent. Idem Ludovicus Ellias du Pin in *nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* Tomo 2. Seculo 4. editionis Amſtelodamenſis 1693. pag. 151. *Optandum eſſet, ut verſio Græca omnium aliorum S. Ephræm Operum ederetur, uti & quorundam ex illis Syriacus textus.* Hæc illi conceptis verbis.

His ut modo quodam obtemperemus, hic exhibebimus *primum* MSS. Codices quos perſpectos habemus ad *Vitam S. Ephræmi* ſpectantes, *ſecundo* illos Codices, qui multa ejusdem Opuſcula vel Græce, vel Syriace vel Latine ex anti-

qua

Digitized by G

qua verſione complecti videntur, denique capite ſequenti Codices illos qui ſingillatim Opuſcula quædam illius Græca comprehendunt.

Vita S. Ephræm Syri MS. Græce in MSS. Heidelbergenſibus Vaticanæ bibliothecæ Codice 308. in MSS. Bibliothecæ Bodlejanæ Codice 739. inter MSS. Codices Guilielmi Laudi Cod. 97. Ibidem num. 2923. in MSS. Codicibus Thomæ Bodlej. inter Codices Sinenſes Codice 140 Oratio Encomiaſtica ejusdem Patris a Gregorio Nyſſeno, Arabice in folio. Ibidem num. 5769. in MSS. Codicibus Orientalibus Roberti Huntingtoni codice 23. Vitæ ſanctorum Ephræm, Zenæ & Nicephori, Græce. Ibidem num. 5831. in MSS. Codicibus Orientalibus ejusdem Huntingtoni codice 85. Acta SS. Theodori, Georgii & Ephræmi, Arabice. Inter MSS. Codices Eccleſiarum Hiberniæ codice 626. in MSS. Collegii S. Trinitatis Dublinenſis, litera P. Codice 486. num. 2. Hiſtoria S. Ephræm Syri Arabice. Ibidem num. 1017. in MSS. libris Syriacis Narciſſi Archiepiſcopi Dublinenſis Codice 21. Vita S. Ephraimi, Syriace. Denique Vita S. Ephræm Syri Græce MS. in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theologico Græco LXI. num. 1. pag. 1. & 2. ſed mutila, ut obſervat Lambecius Tomo 3. *Commentariorum* hujus Bibliothecæ pag. 104.

Diverſa S. Ephræmi Opera inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 739. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Codice 97. S. Ephræm Syri Vita & Opera cum Encomiis aliquot Patrum, Græce. Ibidem Codice 741. in MSS. Codicibus ejusdem Laudi Codice 99. S. Ephræm Syri Sermones Græce. Ibidem Codice 1923. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, inter Codices Sinenſes Codice 140. Paræneſes, Epiſtolæ & Sermones beati Ephræm Syri, & Oratio Encomiaſtica ejusdem Patris a Gregorio Nyſſeno, Arabice in folio. Ibidem Codice 3061. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleij, Rotulis in Archivo A. Codice 72. Expoſitiones, id eſt Epiſtolæ de mundo hoc tranſitorio, & altero permanente mundo, factæ ad filios gregis ſui per Dominum Ignatium de Tur Abdin, cum homiliis tribus S. Ephræm Syri, & Homiliis tribus Iſaaci Syri, cum aliis ad pietatem ſpectantibus, Syriace. Ibidem Codice 3980. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, in Hyperoo Bodlejano, inter MSS. Codices Orientales Codice 13. num. 2. S. Ephræm Syri Homiliæ de fine mundi, de Gog & Magog & de Antichriſto, Syriace. Num. 4. Homiliæ S. Ephræm & aliorum, Carmine Syriaco. Num. 5. Homiliæ S. Ephræmi de humilitate & fide. Ibidem Codice 4035. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, inter MSS. Codices CXII. Hattonianos, Codice 10. Homiliæ S. Ephræm, Chryſoſtomi & aliorum, Arabice. Ibidem Codice 5335. in MSS. Orientalibus Eduardi Pocokii Codice 8 Homiliæ ſanctorum Jacobi & Ephræmi, in folio. Ibidem Codice 5346. in MSS. ejusdem Pocockii Codice 19. Homiliæ aliquot Joannis & Ephræmi, in folio. Ibidem Codice 5785. in MSS. Orientalibus Roberti Huntingtoni Codice 39. Sermones aliquot SS. Ephræmi & Jacobi Syri, Syriace. Ibidem Codice 5826. in MSS. Orientalibus ejusdem Huntingtoni Codice 80. Homiliæ quædam ſanctorum Ephræmi & Joannis Chryſoſtomi, Arabice literis Syriacis.

Nec deſunt etiam MSS. Codices Operum S. Ephræmi, inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium regni ejusdem bibliothecarum, ut ex earum Catalogo impreſſo conſtat. Illic enim Codice 3374. inter MSS. Codices Nortfolcianæ bibliothecæ, in MSS. Orientalibus Codice 475. Beati Ephræm Syri Tractatus 53. Arabice, & Gregorii Nyſſeni Oratio in laudem ipſius Ephræmi, Arabice. Ibidem Codice 3394. eodem loco Codice 495. SS. Johannis Chryſoſtomi, Baſilii & Ephræmi homiliæ, Arabice. Ibidem Codice 5907. in MSS. Codicibus Græcis Thomæ Galeii Codice 73. Ephraim Syri opera quamplurima, manu antiqua in membrana. Ibidem Codice 5914. in MSS. eisdem Codice 80. Ephræmi, Amphilochii, Johannis Chryſoſtomi, & Alexandri Monachi varia opera. Ibidem Codice 5918. in MSS. iisdem Codice 84. Ephræmi Syri & Joannis Chryſoſtomi Sermones aliquot. Ibidem Codice 7945. in MSS. Codicibus Jacobeæ bibliothecæ Codice 223. Ephræmi opuſcula quædam 80. libri ad Monachos.

Inter Manuſcriptos Codices bibliothecarum Hiberniæ, Codice 404. in MSS. Collegii S. Trinitatis Dublinenſis litera E. Codice 264. S. Ephræmi Syri liber homiliarius, continens Orationem ejus de humilitate & fide, & alias homilias, Syriace in 4. A. 11. Ibidem Codicibus 1014. 1015. 1016. in MSS. libris Syriacis Narciſſi Archiepiſcopi Dublinenſis, Codicibus 18. S. Ephræmi Carmina, aliique diſcurſus, cum aliis tractatibus. 19 Sancti Ephræmi diverſa, ſchedis ſolutis ſcripta. Mar Ephraimi, Jacobi, & Bar Moſſeh dicta quædam.

Nec puto etiam deeſſe antiquas illas verſiones homiliarum Ephræmi quarundam in MSS. Anglicanis, de quibus loquitur Vincentius Bellovacenſis in *Speculo Hiſtoriali* lib. 14. cap. 87. Nam inter MSS. Codices Univerſitatis Oxonienſis, Codice 242. in MSS. Codicibus Collegii Baliolenſis litera E. 6. poſt Joannem Climacum *de vita Monaſtica*, extant Sermones S. Ephræmi Latine. Inter MSS. Codices Univerſitatis Cantabrigienſis Codice 1136. in MSS. Codicibus Collegii Cajo Gonvillenſis Clarke C. Codice 72. num. 6. S. Ephræmus de judicio Domini & de reſurrectione & regno coelorum &c. Ibidem Codice 1776. in MSS. Codicibus Domus S. Petri Codice 114. num. 4. Libri tres beati Ephræm Diaconi de contemptu mundi. Ibidem Codice 2322. in MSS. Codicibus bibliothecæ publicæ Cantabrigienſis Codice 142. num. 2.

Libri quidam B. Ephræm Diaconi, ut quidam neotericus obſervat. Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 994. in MSS. Codicibus Eccleſiæ Cathedralis Sarisburienſis Codice 68. litera E. Ephræm Diaconi libri ſex. Ibidem Codice 1296. in MSS. Codicibus Eccleſiæ Cathedralis Weſtmonaſterienſis, Codice 206. Beatus Ephræm de compunctione. Ibidem Codice 7945. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 223. *Ephræmi opuſcula quædam, 80. libri ad Monachos*, ſed opinor 8. non 80. legendum eſſe. Denique inter MSS. Codices Eccleſiarum & bibliothecarum Hiberniæ Codice 863. in MSS. Dudleji Loftuſii Codice 14 Conciones Ephræm Syri ex Syriaco in Latinum traductæ.

Extant quoque in bibliotheca noſtra Lugdunobatava, in libris MSS. Orientalibus Bibliothecæ communis Codice 88. diverſi tractatus Theologici D. Ephræm Syri, Syriace a Golio ex Oriente allati, ut habet Catalogus impreſſus pag. 300. Et item inter MSS. Codices ab hæredibus Iſaaci Voſſii emptos, in MSS. Codicibus Græcis Codice 35. S. Ephræm, vel ut Hebræi & Syri vocant, *S. Ephraim Homilia, Græce*. Demum præſtantiſſimus extat Codex Græcus Operum Ephræmi in bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theologico Græco LXI. cujus contentum exhibet Petrus Lambecius Tomo 3. Commentariorum hujus bibliothecæ pag. 104. & ſeqq. his verbis.

„Sexageſimus primus Codex MS. membra„neus & optimæ notæ in 4. qui foliis 271. con„ſtat, & ad Joannem Sambucum ut ipſe etiam „ſolita propriæ manus inſcriptione teſtatur, „olim pertinuit, in quo hæc continentur.

„Primo & quidem folio 1. pag. 1. & 2. Vita S. „Ephræmi ſive Ephraimi Syri, *Niſibi* in Meſopo„tamia nati, *Edeſſæ* autem quæ ejusdem regio„nis urbs eſt, Diaconi: ab anonymo quodam „antiquo auctore compoſita, quæ extat Tomo „1. editionis Operum S. Ephræm a Gerardo Voſ„ſio Tungrenſi Præpoſito Latine tantum ador„natæ, & Coloniæ Agrippinæ apud Arnoldum „Quentelium anno 1603. tribus in folio Tomis „ſecundo impreſſæ, pag. 12. 13. & 14. In hoc au„tem Codice MS. Cæſareo *Vita* illa ob unius fo„lii defectum caret principio, & quod ad finem „attinet, ibidem ultra hæc verba, Καὶ πληθεὶς „πνεύματος ἁγίου ὁ Κύριος βασίλειος ἔγνων αὐτὸν, „καὶ λέγει αὐτῷ. Σὺ εἶ Ἐφραὶμ ὁ Σύρος &c. non „pertingit. Vide editionem Operum S. Ephræm „Colonienſem Tomo 1. pag. 13. verſu 39. & 40.

„Secundo & quidem a folio 1. pag. 2. usque „ad folium 92. p. 1. ejusdem *S. Ephræmi* Λόγοι „παραινετικοὶ πεντήκοντα πρὸς μοναχούς: hoc eſt „*Sermones Parenetici*, ſive *admonitorii quinquaginta ad Monachos*, quorum hoc principium: „Δόξα σοι ὁ Θεὸς, δόξα σοι, καὶ πάλιν ἐρῶ „δόξα σοι. Vide Operum S. Ephræmi editionem Colonienſem Tomo 2. pag. 334. “

Tertio & quidem a folio 92. p. 1. usque ad “ folium 113. p. 2. ejusdem *S. Ephræmi* κεφάλαια “ ἑ, πῶς κτᾶταί τις ταπεινοφροσύνην, ſive Capita “ centum ad Monachos, quibus continentur “ narrationes & admonitiones variæ, ſed potiſſi- “ mum de ratione & modo acquirendæ humili- “ tatis. Principium earum eſt, Ἀρχὴ καρπο- “ φορίας ἄνθος, καὶ ἀρχὴ ταπεινοφροσύνης ὑποτα- “ γὴ ἐν Κυρίῳ &c. hoc eſt, Initium fructificatio- “ nis eſt flos, & principium humilitatis eſt obe- “ dientia in Domino. Vide edit. Colonienſem “ Operum S. Ephræmi Tomo 2. pag. 446. “

Quarto & quidem a fol. 113. pag. 2. usque “ ad folium 116. p. 2. ejusdem *S. Ephræmi* Λόγος “ περὶ θείας ἀνταποδόσεως, ὑπομνηστικὸς τῇ ἑαυτοῦ “ ψυχῇ: ſive ſermo commonitorius de divina “ retributione ad propriam animam, cujus prin- “ cipium, τὴν ἄφατον φιλανθρωπίαν τῆς τοῦ Θεοῦ “ ἀγαθότητος τὴν ἐπί σοι γενομένην ὦ ψυχή μου. “ Vide Tomum 1. pag. 245. “

Quinto & quidem a folio 116. pag. 2. uſque “ ad folium 136. pag. 1. ejusdem *S. Ephræmi* Λό- “ γος ἀσκητικὸς, ſive ſermo de exercitatione ſpi- “ rituali vitæ religioſæ atque monaſticæ, cujus “ principium, ὁ πόνος τοῦ λέγειν ἀναγκάζει με &c. “ Vide Tomum 3. pag. 539. “

Sexto & quidem a folio 136. pag. 1. usque “ ad folium 142. pag. 1. ejusdem *S. Ephræmi*. Λό- “ γος πρὸς νουθεσίαν τοῖς ἀδελφοῖς, ſive Sermo ex- “ hortatorius ad fratres, cujus principium Ἀδελ- “ φοὶ εὐλογίαις ἐθισθῶμεν, ἵνα εὐλογίας κληρονομή- “ σωμεν &c. Vide Tomum 2. pag. 487. “

Septimo & quidem a folio 142. p. 1. usque “ ad folium 144. pag. 2. ejusdem *S. Ephræmi* Ὅτι “ οὐ χρὴ γελᾶν, ἀλλὰ πένθειν καὶ κλαίειν, hoc eſt, “ Non eſſe ridendum, ſed lugendum potius at- “ que plorandum. Principium hujus ſermonis “ eſt, Ἀρχὴ κατασρόφης μοναχῷ γέλως καὶ παῤ- “ ῥησία &c. Vide Tomum 1. pag. 104. “

Octavo & quidem a folio 145. pag. 1. usque “ ad folium 146. pag. 1. ejusdem *S. Ephræmi* εἰς “ τὸς ἐν ἡμέρᾳ ἁμαρτάνοντας, καὶ ἐν ἡμέρᾳ με- “ τανοῦντας, ſive Sermo in quotidie peccantes & “ quotidie pœnitentes, cujus principium Μέχρι “ τίνος ὦ Φίλε ἀνέχόμενος &c. Vide Tomum 1. “ pag. 23. “

Nono & quidem a folio 146. pag. 1. usque ad “ folium 147. pag. 2. ejusdem *S. Ephræmi* περὶ “ ἀποταγῆς καὶ μακαρισμῶν καὶ ταλαιπωριῶν, ſive “ ſermo de renuntiatione & de beatitudinibus “ atque miſeriis, cujus principium, Μακάριοι οἱ “ τὸν Θεὸν ἀγαπήσαντες &c. Vide tomum 1. pag. “ 177. “

Decimo & quidem a folio 147. pag. 2. usque “ ad folium 151. pag. 1. ejusdem *S. Ephræmi* περὶ “ ψυχῆς ὅταν πειράζεται ὑπὸ τοῦ ἐχθροῦ πῶς “ ὀφείλει τῷ Θεῷ μετὰ δακρύων προσεύχεσθαι: “ ſive ſermo de anima, tempore tentationis, “ quomodo nempe cum lachrymis ad Deum re- “ currere

„currere debeat. Principium ejus est, ψυχὴ „τεθλιμμένη προσέρχεταί σοι ὦ ἅγιε Δέσποτα &c. „Vide Tomum I. pag. 62.

„Undecimo & quidem a folio 151. pag. 1. us„que ad folium 157. pag. 1. ejusdem *S. Ephraemi* „περὶ κρίσεως καὶ κατανύξεως, sive sermo de ju„dicio extremo & compunctione, cujus princi„pium, Δεῦτε πάντες ἀδελφοὶ, ἀκούσατε συμβου„λῆς ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀπαιδεύτου Ἐφραιμ. „ἤδη γὰρ συνέφθασεν ἡμᾶς ὦ ἀδελφοὶ, ἡ ἡμέρα „ἐκείνη Φοβερὰ &c. Vide Tomum I. pag. 233.

„Duodecimo & quidem a folio 157. pag. 1. „usque ad folium 162. pag. 1. ejusdem *S. Ephrae„mi περὶ ὑπομονῆς*, sive sermo de patientia, cu„jus principium, ὁ βελόμενος τῷ Θεῷ εὐαρεστῆ„σαι &c. Vide Tomum I. pag. 153.

„Decimo tertio & quidem a folio 162. pag. 1. „usque ad folium 166. pag. 2. ejusdem *S. Ephrae„mi εἰς τὸν Μακαρισμὸν*, sive Sermo de beatitu„dine, cujus principium, Μακάριος ὃς μισήσας „κατέλιπεν τὸν βίον τοῦτον &c. Vide Tomum I. „pag. 173.

„Decimo quarto & quidem a folio 166. pag. 2. „usque ad folium 169. p. 2. ejusdem *S. Ephrae„mi περὶ κατανύξεως*, sive Sermo de compunctio„one, cujus principium κατανύγηθι ψυχή μου &c. „Vide Tomum I. pag. 135.

„Decimo quinto & quidem a folio 169. pag. 2. „usque ad folium 173. pag. 1. ejusdem *S. Ephrae„mi Λόγος εἰς τὴν παρουσίαν τοῦ Κυρίου*, sive Sermo „in secundum adventum Domini nostri Jesu „Christi, cujus principium, Προσέλθετε καὶ δεῦ„τε υἱοὶ τοῦ φωτὸς &c. Vide Tom. I. pag. 239.

„Decimo sexto & quidem a folio 173. pag. 1. „usque ad folium 175. pag. 1. ejusdem *S. Ephrae„mi περὶ τῆς δευτέρας παρουσίας τοῦ Κυρίου λόγος „δεύτερος*, sive de secundo adventu Domini no„stri Jesu Christi sermo secundus, cujus princi„pium: Δεῦτε πάντες ἀδελφοί μου, ἀκούσατε συμ„βελῆς ἐμοῦ τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀπαιδεύτου Ἐ„φραὶμ καὶ καθίσωμεν κρατὴν τὸν ἡμέτερον λογι„σμὸν &c. Vide Tomum I. pag. 231.

„Decimo septimo & quidem a folio 175. pag. „1. usque ad folium 178. pag. 2. ejusdem *S. E„phraemi* sermo asceticus, cujus principium, *οἱ „βελόμενοι κατ' ἀλήθειαν τῷ* Κυρίῳ *εὐαρεστῆσαι*: „Qui volunt juxta veritatem Domino place„re &c. Vide Tomum I. pag. 73.

„Decimo octavo & quidem a folio 178. pag. 1. „usque ad folium 181. pag. 2. ejusdem *S. Ephraemi* „Περὶ *πίστεως*, sive sermo de fide in illud, *Qui in „modico fidelis est, & in multo erit:* cujus princi„pium illud est, ὁ Κύριος ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ τοὺς „ἑαυτοῦ μαθητὰς &c. Vide Tomum I. pag. 80.

„Decimo nono & quidem a folio 181. pag. 2. „usque ad folium 185. pag. 2. ejusdem *S. Ephrae„mi περὶ παρθενίας, καὶ ὅτι οὐ χρὴ τοὺς νέους οἰνο„ποτεῖν*, sive sermo de virginitate, & quod ju„venes bibere vinum non debent. Principium „ejus est, Παῦλος ὁ Ἀπόστολος, ὁ ἄριστος σύμβου„λος &c. Vide Tomum I. pag. 126.

Vigesimo & quidem a folio 185. pag. 2. us„que ad folium 188. pag. 1. ejusdem *S. Ephraemi* „περὶ μετανοίας καὶ ὑπομονῆς, sive Sermo de Pœ„nitentia & Patientia, cujus principium, Τίς „τὸν παρόντα βίον &c. Vide Tomum I. pag. „150.

Vigesimo primo & quidem a folio 188. pag. „1. usque ad fol. 192. pag. 2. ejusdem *S. Ephraemi* „περὶ μετανοίας, sive sermo de Pœnitentia, cujus „principium ὁ καταλθὼν Κύριος ἐκ τοῦ κόλπου τοῦ „Πατρὸς &c. Vide Tomum I. pag. 144.

Vigesimo secundo & quidem a folio 192. pag. 2. usque ad folium 193. pag. 2. ejusdem *S. „Ephraemi πρὸς διόρθωσιν τῶν ἐυπαθῶς διαγόντων „καὶ τιμὰς ἀπαιτούντων*, sive Sermo ad correcti„onem eorum qui vitiosè vivunt & honores ad„petunt. Principium ejus est, Ἀγωνιάω ἀδελ„φοὶ, καὶ φρικιάω, καὶ τῇ λυπῇ κατατρώσκομαι „&c. pertingit autem tantum usque ad hæc „verba, τὶς ἐν οὐ πενθήσῃ. Vide Tomum I. pag. „92. & ibidem pag. 93. versu 9.

Vigesimo tertio & quidem a folio 193. pag. „2. usque ad folium 199. pag. 2. ejusdem *S. Ephrae„mi* Sermo de Virtutibus & Vitiis per oppositi„onem, sed in principio mutilus. Incipit enim „ab his ad caput *de mansuetudine* pertinentibus „verbis, πάντι ἔργῳ ἀγαθῷ κεκόσμηται. ὁ πρᾶος „καὶ ὑβρίζεται χαίρει &c. Vide Tomum I. pag. „25. 9. Vide ibidem pag. 31.

Vigesimo quarto & quidem a folio 199. pag. „2. usque ad folium 201. pag. 2. ejusdem *S. E„phraemi* Νουθεσία ἤγουν Κατήχησις πρὸς Μοναχὸς, „hoc est, Institutio sive Catechesis ad Mona„chos, cujus principium, Δεῦτε ἀγαπητοί μου, „δεῦτε πατέρες καὶ ἀδελφοί μου. ποίμνιον ἐκλεκτὸν ἐν „τῷ Σωτῆρος &c. Similiter quidem etiam inci„pit sermo *de compunctione animi*, qui extat To„mo 3. pag. 590. a quo tamen diversus est.

Vigesimo quinto & quidem a folio 201. pag. „2. usque ad folium 203. pag. 2. ejusdem *S. E„phraemi* Εὐχὴ, sive Precatio ad Deum, cujus „principium Ἴασαί με Κύριε, καὶ ἰαθήσομαι &c. „Sana me Domine, & sanabor. Vide Tomum I. „pag. 250.

Vigesimo sexto & quidem a folio 203. pag. „2. usque ad folium 29. pag. 2. ejusdem *S. Ephrae„mi Λόγος εἰς τὸν Ἀντίχριστον*, sive Sermo in An„tichristum, cujus principium, πῶς ἐγὼ ἁμαρ„τωλὸς, μεστὸς πλημμελημάτων, δυνηθείην ἐξειπεῖν „τὰ ἐμοὶ ὑπάρχοντα &c. Vide Tomum I. pag. 219.

Vigesimo septimo & quidem a folio 29. pag. „2. usque ad folium 216. p. 1. ejusdem *S. Ephrae„mi Λόγος περὶ μετανοίας*, sive Sermo de Pœni„tentia, cujus principium ὁ καταλθὼν Κύριος ἐκ „τοῦ κόλπου τοῦ Πατρὸς &c. Est autem idem qui„extat supra in eodem Codice MS. a folio 188. „pag. 1. usque ad folium 192. pag. 2. Vide To„mum primum pag. 144.

Vigesimo octavo & quidem a folio 216. pag. „1. usque ad folium 223. p. 2. ejusdem *S. Ephra„mi περὶ κατανύξεως καὶ σωτηρίου ψυχῆς*, sive „

„Sermo de compunctione & ſalute animæ, cu„jus principium, *Δεῦτε πάντες ἀδελφοὶ, ἀκούσα„τε καλῆς συμβουλίας* &c. Vide Tomum 1. pag. „141.

„Vigeſimo nono & quidem a folio 224. pag. 1. „usque ad folium 250. p. 2. ejusdem *S. Ephraemi „κατὰ πένθος καὶ ἀπόκρισιν*, Inſtitutio per inter„rogationem & reſponſionem, nempe quomo„do blasphemetur Deus, & quid ſibi velit, illud „dictum S. Pauli Apoſtoli cap. 2. Epiſtolæ ad Ro„manos verſu 23. *Qui in lege gloriaris, per prava„ricationem legis Deum inhonoras.* Item de ab„renuntiatione in ſacro baptiſmate facta, & de „variis locis ac generibus tormentorum Infer„ni. Principium ejus eſt, *Ἐρώτησις. Πῶς βλασ„φημεῖται Θεὸς* &c. Vide Tomum primum a „pag. 179. uſque ad paginam 195.

„Trigeſimo & quidem a folio 250. pag. 2. us„que ad folium 254. pag. 1. ejusdem *S. Ephraemi „Λόγος περὶ ἀγάπης*, ſive Sermo de Charitate „& dilectione cujus principium *Καλῶς εἶπεν ὁ „Κύριος, ὅτι τὸ ῥᾴστόν μου ἐλαφρόν ἐστι* &c. Vide „Tomum 1. pag. 11.

„Trigeſimo primo & quidem a folio 254. pag. „1. usque ad folium 255. pag. 2. ejusdem *S. E„phraemi περὶ ψαλμῶν καὶ ὅτι οὐ δεῖ κιθαρίζειν*, ſi„ve Sermo de Pſalmis, & quod citarizandum „non ſit. Principium ejus eſt, *Καὶ περὶ μὲν τῆς „ἀγάπης ταῦτα.* Vide Tomum 1. pag. 13.

„Trigeſimo ſecundo & quidem a folio 255. „pag. 2. uſque ad folium 256. pag. 1. ejusdem *S. „Ephraemi περὶ νηστείας*, ſive ſermo de jejunio, „cujus principium *Πόθησαν τὴν πτωχείαν τοῦ „Χριστοῦ* &c. Vide Tomum 1. pag. 17.

„Trigeſimo tertio & quidem a folio 256. pag. „1 & 2. ejusdem *S. Ephraemi περὶ ὧν ἔχει ὁ βίος*, „ſive ſermo de iis quæ præſens hæc noſtra vita „continet. Principium ejus eſt, *Ἐννοήσωμεν „ἀδελφοὶ, ὅτι ὀδὸν ἡμᾶς ὀφελήσει τὰ πέρατα τοῦ „κόσμου* &c. Vide Tomum 1. pag. 18.

„Trigeſimo quarto & quidem a folio 256. „pag. 2. uſque ad folium 259. pag. 2. ejusdem *S. „Ephraemi περὶ φόβου ψυχῆς*, ſive Sermo de timo„re animæ, cujus principium *Ἐγὼ Ἐφραὶμ „ἁμαρτωλὸς χαῖρος καὶ χάρμος* &c. Vide „Tomum 1. pag. 66.

„Trigeſimo quinto & quidem a folio 259. pag. „2. usque ad folium 271. ſive ultimum pag. 2. „ejusdem *Sancti Ephraemi Διαθήκη* ſive Teſta„mentum, cujus principium *Ἐγὼ Ἐφραὶμ „ἀποθήσομαι* &c. Vide Tomum 3. pag. 585. Hæc „præclarus Codex MS. Cæſareæ bibliothecæ.

CAPVT QVARTVM.

DE MANVSCRIPTIS CODICIBVS OPVSCVLORVM S. EPHRÆM SINGVLARIVM.

COmmentarius in Geneſin & Exodum, inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 5820. in MSS. Codicibus Orientalibus Roberti Huntingtoni Codice 74. Arabice literis Syriacis. Inter MSS. Codices Eccleſiarum Hiberniæ Codicibus 1251 & 1252. in MSS. Theologicis Narciſſi Dublinenſis Archiepiſcopi, Codice 9. Mar Ephraim in Geneſim & Exodum, Arabice in folio. Codice 10 Mar Ephraim in Geneſim, Arabice in folio.

De compunctione cordis ſermo MS. Græce apud Vaticanam in MSS. Heidelbergenſibus Codice 269. Et 364. num. 4. S. Ephræm Syri homilia de compunctione cordis. Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum bibliothecarum celebrium Codice 7947. in MSS. Codicibus Jacobeæ bibliothecæ Codice 225. Ephrænius de compunctione cordis. Inter MSS. Codices Græcos bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis Tomo 5. Commentariorum hujus bibliothecæ, Codice MS. Theologico Græco CCXIV. num 15. & quidem a folio 184. pag. 2. usque ad folium 187. pag. 1. S. Ephræm Syri Oratio *περὶ κατανύξεως*, ſive de compunctione, cujus principium, *κατανύγηθι ψυχή μου, κατανύγηθι* &c. Vide editionem Colonienſem Tomo 1. pag. 135. Ibidem Codice MS. Theologico Græco CCX. num. 22. ut habet Lambecius Tomo 5. Commentariorum dictorum pag. 24.

De Conſummatione ſeculi in Vaticana bibliotheca inter MSS. Codices Heidelbergenſes Codice Græco 269. Item ibidem Codice 264. num. 10. Ejusdem ſermo de patientia & conſummatione hujus ſeculi, & ſecundo adventu Domini, perpetuoque juſtorum regno & ſceleratorum ſupplicio. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 3980. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, in Hyperoo Bodlejano, inter MSS. Codices Orientales Codice 13. num. 2. S. Ephræm Homiliæ de fine mundi, de Gog & Magog, & de Antichriſto, Syriace. Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 9077. in MSS. Codicibus Georgii Wheleri Canonici Danelmenſis Codice 6. Sanctus Ephræm de conſummatione ſeculi, Græce. Inter MSS. Codices bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Codice MS. Theologico Græco 151. num 2. Secundo & quidem a folio 6. pag. 2. usque ad folium 13. pag. 1. S. Ephræmi Syri Oratio in ſecundum Chriſti adventum, cujus titulus & principium, *Κυριακὴ τῆς ἀποκρέω. Τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Ἐφρὲμ τοῦ Σύρου λόγος εἰς τὴν δευτέραν παρουσίαν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.* Incipit, *Πᾶσα ἑορτὴ καὶ πᾶσα πρᾶξις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ* &c. quomodo incipit ſermo de Cruce qui etiam eſt *de conſummatione ſeculi & ſecundo adventu Chriſti* inſcriptus. Ita Lambecius lib. 4. *Commentariorum* bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis pag. 123. In eadem bibliotheca Codice MS. Theologico Græco CCX. num. 30. Ibidem Trigeſimo & quidem a folio 238. pag. 1. usque ad folium 243. pag. 1. S. Ephræm Syri Oratio de ſecundo adventu Chriſti & de conſummatione ſeculi, & de ſeparatione hominum

in

„in die judicii, quæ inſcribitur atque incipit hoc „modo: Τῇ κυριακῇ τῆς ἀπόκρεω, Τῷ ὁσίῳ Πα„τρὸς ἡμῶν Ἐφραὶμ τῷ Σύρῳ λόγος περὶ δευτέρας „παρουσίας τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ περὶ τῆς „συντελείας τοῦ αἰῶνος, καὶ πῶς ἕκαστοι διαμερίζον„ται ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῆς κρίσεως. Ἠρώτησαν τινὲς Φι„λόχριστοι καὶ εὐσεβεῖς ἀκροαταὶ &c. Ita Lambecius libro 5. Commentariorum hujus bibliothecæ pag. 26.

Ad idem argumentum ſpectare mihi videntur, ejusdem S. Ephræmi *in adventum Domini Sermones 2.* inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 274. in MSS. Codicibus Thomæ Roe Codice 28. Sermo Ephræmi in adventum Domini pag. 61. Πῶς ἐγὼ ὁ ἁμαρτωλὸς &c. Ejusdem Sermo alius in adventum Domini, incipit ἀγαπητοὶ μηδὲν προτιμησώμεθα &c. pag. 68. Hic autem ſecundus habetur in eadem bibliotheca Codice 147. in MSS. Codicibus Baroccii pag. 238. inſcriptus *ſermo de reſurrectione* ad pag. 242. Ἀγαπητοὶ μηδὲν προτιμησώμεθα &c. Ibidem Codice 283. in MSS. Codicibus Oliverii Cromvelli Codice 104. num. 11. S. Ephraim Oratio de Antichriſto & de fine ſeu de conſummatione mundi pag. 144. Πῶς ἐγὼ ὁ ἁμαρτωλὸς μετὰ τοσούτων πλημμελημάτων &c. ad pag. 160. Ibidem Codice 2042. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera B. 6. Codice 10. num. 1. S. Ephræm Diaconi *de die judicii, de reſurrectione & de regno cælorum, libri ſex.* Latine ut opinor, ex verſione veteri, de quibus Vincentius dictus Bellovacenſis, de quo capite præcedenti diximus. Idem ſermo videtur de *Antichriſto* in MSS. inſcriptus, in bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theologico Græco CXLIV. num. 11. ut habet Lambecius libro 4. Commentariorum „hujus bibliothecæ pag. 95. his verbis. Vnde„cimo & quidem a folio 47. pag. 2. uſque ad foli„um 55. pag. 2. S. Ephræmi Syri Homilia de An„tichriſto, cujus titulus & principium, Τῷ μα„καρίῳ Ἐφραὶμ ὁμιλία περὶ τοῦ Ἀντιχρίστου, πῶς „ἐγὼ ὁ ἁμαρτωλὸς μετὸς πλημμελημάτων δυνη„θείην ἐξελθεῖν τὰ ἐμοὶ ὑπάρχοντα &c. Vide Tom. „1. editionis Voſſianæ Colonienſis pag. 219. ubi „extat Latine tantum.„ Item ibidem Codice MS. Theologico Græco CCX. num. 3. ut habet Lambecius Lib. 5. Commentariorum hujus bibliothecæ pag. 20. his verbis: Tertio & qui„dem a folio 8. p. 1. usque ad folium 15. pag. 1. „S. Ephraim Syri Oratio in ſecundum adven„tum Chriſti & de Antichriſto cujus titulus & „principium, Τῷ μακαρίῳ Ἐφραὶμ λόγος εἰς τὴν „δευτέραν παρουσίαν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ „περὶ τοῦ Ἀντιχρίστου, τῇ Κυριακῇ τῆς ἀπόκρεω. Πῶς „ἐγὼ ὁ ἐλάχιστος καὶ ἁμαρτωλὸς Ἐφραὶμ &c. „Vide editionem Tomo 1. pag. 219.

De charitate inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 5917. in MSS. Codicibus Græcis Thomæ Galei Codice 83. Ephræmi Syri homilia de charitate. Et in bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theologico Græco CXLIV. num. 5. ut habet Lambecius lib. 4. Commentariorum hujus bibliothecæ pag. 94. Quinto & quidem a folio 12. pag 2 uſque ad folium 20. pag. 1. S. Ephræmi Syri Oratio de charitate & pœnitentia, cujus titulus & principium, τῷ μακαρίῳ Ἐφραὶμ λόγος περὶ ἀγάπης καὶ μετανοίας καὶ περὶ τῆς μακαρίας κρίσεως. incipit, Ἀγαπητοὶ μηδὲν προτιμησώμεθα πλεῖον τῆς ἀνυποκρίτου ἀγάπης, πολλὰ γὰρ &c. Ibidem Codice MS. Theologico Græco CCX. num. 22. ut habet Lambecius lib. 5. Commentariorum hujus bibliothecæ pag. 24. his verbis. Vigeſimo ſecundo & quidem a folio 171. pag. 2. uſque ad folium 180. pag. 2. S. Ephræmi Syri Orationes III. quarum prima περὶ ἀγάπης ſive de charitate, incipit Ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ μηδὲν προτιμησώμεθα πλεῖον τῆς ἀνυποκρίτου ἀγάπης &c. Secunda περὶ ἐργασίας ἀγαθῶν ἔργων, ſive de actione bonorum operum. Incipit ἤδη καιρὸς ἐπείγει ἡμᾶς εἰς τὴν ἐργασίαν τῆς αἰωνίου ζωῆς &c. Tertia περὶ τοῦ μὴ τρέπεσθαι εἰς τὰ τῶν ἐθνῶν ἔργα, ſive de non convertendo ad Gentilium opera. Incipit Ἐάδετε ἀδελφοί μου ἀγαπητοὶ, εἴ τις τρέπεται εἰς τὰ ὀπίσω &c. Quarta autem ad Pœnitentiam ſpectat.„

Ephræmi Paræneſis cum appendice de iis qui affectibus indulgent, vanamque gloriam & honores quærunt, & de iis qui cum ſua ipſorum incuria exorbitant, aliis prætextibus peccata ſua excuſant. In bibliotheca Vaticana, inter MSS. Codices Græcos Heidelbergenſes, Codice 364. num. 9. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 286. in MSS. Codicibus Oliverii Cromvelli Codice 107. num. 19. *Beati Ephræmi Paræneſis & adhortatio ad Deum colendum* pag 271. ad 274.

Inter MSS. Codices Eccleſiarum & bibliothecarum Hiberniæ Codice 405. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Dublinenſis litera E. Codice 265. *Ephræmi Liber de Oratione* Syriace in 4. A. 5. Ibidem Codice 538. in MSS. Codd. ejusdem Collegii litera L. Codice 398. *Liber de oratione ex Domini Ephraim libris collectus,* Syriace in 4. A. 5. Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 5917. in MSS. Codicibus Græcis Thomo Galei Codice 83. *S. Ephræmi Alphabetum doctrinæ aſcetica.* Ibidem Codice 5936 in MSS. iisdem Codice 102. num. 3. *Ephræmi Paræneſis aſcetica ordine Alphabeti.* Inter MSS. Codices Eccleſiarum & bibliothecarum Hiberniæ Codice 403. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Dublinenſis litera E Codice 263 num. 5. *Ephraimi Syri Carmen alphabeticum de amore ſapientiæ & ſcientiæ,* Syriace in 4. A. 4.

In ſanctam crucem homilia de qua locuti ſumus cap. 2. hujus Diſſertationis ad Tomum 1. Operum impreſſorum S. Ephræmi num. 61. Extat inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 148 Baroccii, *S. Ephræmi Syri Oratio de ſancta cruce & ſecundo adventu Chriſti, nec non de charitate & eleemoſyna* pag. 184. b. incipiens πᾶσα ἑορτὴ καὶ

καὶ πρᾶξις ad pag. 194. Ibidem Codice 3397. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni Codice 9. num. 4. Sermo S. Ephræm Syri in pretiosam & vivificam crucem, tertia jejunii Dominica &c. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & insignium aliarum bibliothecarum Codice 5936. in MSS. Codicibus Thomæ Galæi Codice 102. num. 3. Ephræmi ejusdem sermo in crucem. In Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Codice MS. Theologico Græco CLI. num. 2. ubi *in secundum Christi adventum* inscribitur, ut habet Lambecius Tomo 4. *Commentariorum* ejusdem bibliothecæ pag. 123. his verbis. „Secundo & quidem a folio 6. pag. 2. usque ad „folium 13. pag. 1. S. Ephræm Syri Oratio in se„cundum Christi adventum, cujus titulus & „principium, Κυριακῇ τῆς ἀπόκρεω. Τῷ ὁσίῳ Πα„τρὸς ἡμῶν Ἐφρεμῷ Σύρῳ λόγος εἰς τὴν δευτέραν „παρουσίαν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Πᾶσα ἑορτὴ, „καὶ πρᾶξις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ &c.

In formosum Josephum MS. Græce in Vaticana bibliotheca inter MSS. Heidelbergenses Codice 363. num. 31. *sermo nempe Ephræm asceta in formosum Josephum* in 4. Inter MSS. Codices bibliothecæ Bodlejanæ Codice 147. Barocci pag. 129. ὁ Θεὸς τοῦ Ἀβραάμ &c. ad pag. 138. Ibidem Codice 148. sermo Panægiricus S. Ephræmi in Joseph pag. 277. ὁ Θεὸς τοῦ Ἀβραάμ &c. ad pag. 298. Ibidem Codice 192. Ephræmi sermo de venditione Josephi &c. ut supra. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Hiberniæ Codice 626. in MSS. Codicibus Collegii sanctæ Trinitatis Dublinensis litera P. Codice 486. Paraphrasis Arabica in historiam Josephi filii Jacobi Patriarchæ. In bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Codice MS. Theologico Græco CLI. num. 17. ut habet Lambecius libro 4. Commentariorum hujus „bibliothecæ pag. 128. his verbis: Decimo se„ptimo & quidem a folio 85. pag. 1. usque ad fo„lium 100. pag. 2. S. Ephræm Syri Oratio pane„gyrica, de vita Josephi Patriarchæ, habita feria „secunda magnæ hebdomadis, cujus titulus & „principium: Τῷ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἐφραὶμ „λόγος εἰς βίον τοῦ παναλὸς Ἰωσὴφ. ὁ Θεὸς Ἀ„βραάμ, καὶ ὁ Θεὸς Ἰσαάκ &c. Vide Tomum 3. „Vossianæ editionis Colonienfis pag. 632. Ibidem Codice MS. Theologico Græco CCX. num. 26. ut habet Lambecius Tomo 5. Commentariorum hujus Cæsareæ bibliothecæ pag. 25.

In meretricem quæ unxit pedes Domini, in bibliotheca Vaticana, inter MSS. Codices Græcos Heidelbergenses, Codice 364. num. 7. *Sermo Ephræm in meretricem, quæ pretioso unguento Domini pedes unxit.* In bibliotheca Bodlejana Codice 199. a pag. 76. ad 82. S. Ephræmi homilia in mulierem peccatricem, quæ unguento Salvatorem unxit. Πολλῶν ὄντων ὁσίων &c. Ibidem Codice 141. pag. 39. ejusdem in mulierem peccatricem, ut supra. In bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Codice MS. Theologico Græco 116. num. 9. ut habet Lambecius *Commentariorum* hujus bibliothecæ libro 4. pag. 69. his verbis: Nono & quidem a folio 216. pag. 2. usque ad fo„lium 222. pag. 2. sancti Ephræm Syri Oratio in„ mulierem ungentem Christum, habita feria 4.„ sanctæ & magnæ Hebdomadis, cujus titulus &„ principium: Τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ δ', τῶν ἐν„ ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἐφραὶμ λόγος εἰς τὴν πόρ„νην τὴν ἀλείψασαν τὸν Κύριον μύρῳ. Πολλῶν„ ὄντων ὁσίων καὶ ἀξίων τοῦ Θεοῦ &c. Vide Operum„ S. Ephræm editionem Colonienfem anni 1603.„ in folio a Gerardo Vossio Tungrensi Præposi„to adornatam Tomo 3. pag. 711. ubi extat La„tine tantum incipitque his verbis, *Inter multos„ viros sanctos & dignos Dei &c.* Ibidem Codice„ MS. Theologico Græco CCXLIX. num. 10. ut„ habet Lambecius libro 5. Commentariorum„ hujus bibliothecæ pag. 143. his verbis: Deci„mo & quidem a folio 117. pag. 2. usque ad fo„lium 129. pag. 1. S. Ephræm Syri Homilia in me„retricem ungentem Christum, habita feria„ quarta sanctæ & magnæ hebdomadis, cujus ti„tulus & principium: Τῷ ὁσίῳ πατρὸς ἡμῶν„ Ἐφραὶμ ὁμιλία εἰς τὴν πόρνην τῇ ἁγίᾳ καὶ με„γάλῃ δ', Διπλοῦς ἡμῖν ὁ καιρὸς, καὶ ἐυμήχα„νον τὸ ζήτημα περὶ δικαιοσύνης &c. Extat qui„dem hæc homilia etiam in Codice MS. Theo„logico Græco CXVI. num. 9. ut libro 4. horum„ *Commentariorum* pag. 69. videre est, sed inte„gris fere duabus foliis in principio mutila, in„cipitque ibi perperam ab his verbis: Πολλῶν„ ὄντων ὁσίων καὶ ἀξίων τοῦ Θεοῦ &c. Æque im„perfecte eadem quoque extat Oratio inter O„pera S. Ephræm a Gerardo Vossio Tungrensi„ Præposito Latine edita, editionis Colonienfis„ Quentelianæ Tomo 3. pag. 711. ubi incipit hoc„ modo, *Inter multos viros sanctos ac dignos Dei &c.*„ In hoc autem posteriori Codice MS. Cæsareo,„ non legitur simpliciter πολλῶν ὄντων &c. Sed„ πολλῶν τέινυν ὄντων, ita videlicet ut per infer„tam τέινυν particulam, clare significetur ver„ba illa non esse illius homiliæ principium: sed„ epilogum sive clausulam simul exordii, & con„nexionem ejus cum ipsa subsequenti tractatio„ne propositi thematis.„

In omnes Sanctos Patres in Domino defunctos, extat Oratio Græce in bibliotheca Vaticana, inter MSS. Codices Græcos Heidelbergensis bibliothecæ illuc allatos, Codice 269. ut constat ex illius Catalogo impresso.

Ejusdem *Oratio in omnes sanctos Martyres*, in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Codice MS. Theologico Græco CXVI. num. 24. ut habet Petrus Lambecius lib. 4. *Commentariorum* hujus bibliothecæ pag. 71. his verbis. Vigesi„mo quarto & quidem a folio 303. pag. 1. usque„ ad folium 307. pag. 1. S. Ephræm Syri Oratio„ panegyrica in omnes sanctos Martyres Serva„toris nostri Jesu Christi, qui per totum terra„rum orbem passi sunt. Ipsa tituli Græci ver„ba una cum principio Orationis hæc sunt. Τῷ„ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἐφραὶμ ἐγκώμιον εἰς τοὺς„ ἁγίους Μάρτυρας τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ.„ Τῶν ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ μαρτυρησάντων Φαιδρὰ ἡ„ ἐπίφασις.

Digitized by Google

ὑπέρας & ὑπάρχει διὰ παντὸς ἀγγέλοις καὶ ἀνθρώποις &c. Vide operum S. Ephræmi editionem Voſſianam Colonienſem Tomo 3. p. 740. ubi extat Latine tantum.

S. Ephram Syri Fragmentum de hora mortis, inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 13. in MSS. Codicibus Baroccii pag. 61. Vide Tomum 1. editionis Voſſianæ, num. 58. ubi Latine tantum legitur.

S. Ephram beatitudines in eodem MS. Codice 13. Bodlejanæ bibliothecæ Baroccii pag. 169. Μακάριος ὃς γέγονεν ὅλος ἐλεήμων &c. Et in bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi Codice MS. Theologico Græco CCXIV. num. 17. ut habet Petrus Lambecius Libro 5. *Commentariorum* hujus bibliothecæ p. 42. his verbis. "Decimoſeptimo & quidem folio 188. pag. 2. & fol. 189. pag. 1. ejusdem Ephræmi fragmentum ἐκ τῶν μακαρισμῶν, ſive ex Opuſculo *de beatitudinibus*, cujus principium, Μακάριος ὃς γέγονεν ὅλος ἐλεήμων ἐν κυρίῳ &c. Vide Operum S. Ephræm Colonienſem editionem Latinam a Voſſio procuratam Tomo 1. pag. 168.

"In eadem Cæſarea bibliotheca, eodem MS. Codice Theologico Græco CCXIV. num. 16. & quidem a folio 187. pag. 1. usque ad folium 188. pag. 2. ejusdem *S. Ephræmi* Περσευχὴ κατὰ ἐξομολογήσεως, ſive *Precatio ad Deum cum confeſſione* cujus principium, Ἐλέησόν με Κύριε καὶ ἰάσομαί &c. Vide Tomum editionis Voſſianæ pag. 250.

In eadem Cæſarea bibliotheca Codice MS. Theologico Græco CXLIV. num. 43. ut habet Petrus Lambecius libro 4. *Commentariorum* hujus bibliothecæ pag. 103. his verbis: "Quadrageſimo tertio & quidem a folio 212. pag. 1. usque ad folium 215. pag. 2. S. Ephræm Syri *Oratio de pœnitentia* cujus principium, ὁ καταλλαγὴν Κύριος ἐκ τῶν κόλπων τοῦ Πατρὸς &c. Vide Tomum 1. Latinæ editionis pag. 144.

Ejusdem *Homilia in Transfigurationem Domini* extat Græce MS. in bibliotheca Bodlejana Codice 174. Baroccii pag. 119. quæ incipit ἐκ τῆς χώρας Θάρρος &c. ad paginam 126. Ibidem Codice 3397. in MSS. Codicibus Johannis Seldeni Codice 9. num. 17. Sermo Ephræm Syri in transfigurationem Domini.

Ejusdem *Sermo contra Hæreticos* in eadem Bodlejana bibliotheca, Codice 212. p. 121. Φιλῶ σε τὸ Εὐαγγέλιον Δέσποτα &c. Videndum an idem ſit, cum eo qui extat Tomo 3. Operum S. Ephræmi, Voſſianæ editionis.

Abrahami vita per S. Ephræmum MS. Græce in eadem Bodlejana bibliotheca Codice 148. Baroccii, a pag. 61. ad 77. Ἀδελφοί μου βούλομαι ὑμῖν διηγήσασθαι &c. Et ibidem Codice 737. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, litera C. Codice 95. num. 15. S. Ephraim ex Abrahami vita de conſobrina ejus Maria Græce pag. 19. numero 16. ejusdem de Salla, Græce pag. 194.

Ejusdem de octo cogitationibus pravis. In Bodlejana bibliotheca Codice 277 in MSS. Græcis Oliverii Cromwelli Codice 98 num. 25. S. Ephraim de octo cogitationibus pravis pag. 385.

Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis Codice 1974 in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis Oxonienſis Codice 37 *Vita S. Eliæ Eremitæ per Ephram Syrum.*

Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 2918 in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji, inter MSS. Sinenſes Codice 135 *Mar Ephræmi ſermo ſeu homilia de S. Palkido, ejusque uxore, & duobus filiis*, Syriace in 8.

In eadem Bodlejana bibliotheca Codice 2500 in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera I. 11. Codice 5. num. 12. *S. Ephram ſermo in Danielem & tres pueros* pag. 92.

In eadem bibliotheca & eodem Codice proxime citato, num. 13. *Ejusdem in Abraham & Iſaac ſermo*, qui tamen Chryſoſtomo adſcribitur, pag. 93.

In bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi Codice MS. Theologico Græco CLXV num. 10. ut habet Petrus Lambecius Libro 4. *Commentariorum* hujus bibliothecæ pag. 170. his verbis: Decimo & quidem a folio 239. pag. 2 usque ad folium 243 pag. 1. *S. Ephram Syri Oratio de operatione diaboli*, cujus titulus & principium, Τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἐφραὶμ λόγος περὶ τῆς ἐνεργείας τοῦ μισοκάλου δαίμονος. Πατέρες καὶ ἀδελφοὶ ἀκούσατε. πολλάκις γὰρ ἐχθρὸς ὑποβάλλει τῷ ἀνθρώπῳ λέγων, ἀκμὴν νεώτερος εἶ, ἀπόλαυε τῶν ἐπιθυμιῶν &c.

Ibidem Codice eodem CLXV. num. 17. ut habet idem Lambecius ibidem pag. 171. his verbis: Decimo ſeptimo & quidem a folio 270. pag. 2. usque ad folium 289. pag. 2. Capita quædam Selecta ex S. Ephræmi Syri Libro de Virtutibus & Vitiis per oppoſitionem, & ex aliis ſimul ejusdem Paræneſibus ſive adhortationibus aſceticis, quorum primum inſcribitur atque incipit, Τοῦ ἁγίου Ἐφραὶμ περὶ τῶν μὴ ἐχόντων μακροθυμίαν. Ὁ μὴ ἔχων μακροθυμίαν, καὶ ὑπομονῆς ἐκτὸς ἔσται ὁ τοιοῦτος· ὁ γὰρ μὴ ὢν μακρόθυμος &c.

Ibidem eodem Codice MS. Theologico Græco CLXV. num. 21. ut habet idem Lambecius lib. 4. citato pag. 172. his verbis: Vigeſimo primo & quidem a folio 296 pag. 2. usque ad folium 300. pag. 2. S. Ephræm Syri Oratio, cujus titulus & principium, τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἐφραὶμ λόγος ψυχωφελὴς. Μὴ δαπανήσῃς ὅλον τὸν χρόνον τῆς ζωῆς σου ἐν τῇ τοῦ σώματος φρόντιδι, ἀλλ' ὅταν &c."

Hæc de MSS. Codicibus a me obſervata ſunt, tum Latinis, cum Græcis & Syriacis, ad futuram correctiorem ſimul & ampliorem omnium S. Ephræmi Operum editionem, quam nonnulli optarunt eruditi viri.

Non tantum autem Ephræmus ab anno 360. ut cap. 1. Diſſertationis hujus diximus, claruit ſed etiam ante annum 340. Nam ex Theodoreto Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 2. cap. 30. Valeſianæ verſionis pag. 118. ſub initium Principatus

Conſtantii

Conſtantii circa annum 338. Sapor Perſarum Rex, Niſibin Romanis tunc ſubditam arcta cinxit obſidione, cujus omnes machinæ & ſola Sancti Jacobi illius loci Epiſcopi precibus irrita facta ſunt. Et cum præterlabentis urbem fluvii, cujus curſum ingeſtis aggeribus Sapor inhibuerat, violento impetu murus corruiſſet, ab incolis Jacobi precibus animatis una nocte reædificatus eſt. Tandem Ephræmo inſtante qui tunc in urbe aderat, Jacobus in turri quadam eminenti conſtitutus Deum oravit, ut ciniphum & culicum turma immenſa in hoſtes emitteretur, quæ ad obſidionem ſolvendam equis ſeſſores excutientibus cogeret. Dictum factum. Equi enim, elephanti, cæteraque Perſarum jumenta, cum animalculorum aculeos ferre non poſſent, obturbatis aciebus & ordinibus, & ſeſſoribus excuſſis in fugam ſe dederunt. Ita Rex infeliciſſimus recedere coactus, ignominiam pro victoria retulit. Hæc Ephræmo ſuadente & cooperante, Jacobus Niſibis Epiſcopus ſtupenda præſtitit. Denique mortuus creditur anno 379. die 28 Januarii juxta Menologium Græcorum, die autem 1. Februarii juxta Latinorum Martyrologium.

Illius inter Eccleſiaſticos ſcriptores mentionem faciunt, potiſſimi recentiores Philippus Labbeus in *Diſſertatione Hiſtorica* de Scriptoribus Eccleſiaſticis quos Bellarminus attigit, Tomo 1. verbo *S. Ephræm Eccleſiæ Edeſſenæ Diaconus*. Joannes Bollandus in *Probatis Sanctorum Vitis* Tomo 1. Februarii menſis, tam in Commentariis ad ejus Vitam prævijs pag. 49 & ſeqq. quam in Vitis ipſis pag. 55 & ſequentibus. Petrus Lambecius Tomo 3. Commentariorum bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis ad Codicem 35 pag. 104 & ſequentibus, & in Catalogo Scriptorum hujus Tomi pag 232. Tomo 4. eorundem Commentariorum Codice 116 pag 69 & 71. Codice 44. pag. 94. 95 & 103. Codice 151 pag. 123 & 128. Codice 165. pag. 170. 171. 172. Et in Catalogo Scriptorum hujus Tomi pag. 220. Tomo 5. Commentariorum eorundem, Codice 210. pag. 20. 24. 25 & 26. Codice 214. pag. 42 & 43. Et in Catalogo Scriptorum hujus Tomi pag. 322 Ludovicus Ellias du Pin Tomo 2 *Nova Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum* Seculo 4 editionis Amſtelodamenſis 1693 in 4. a pag. 145 ad 151. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei Literariæ*, ad annum 370. pag. 188 ad 192. Joannes Albertus Fabricius S. Theologiæ Profeſſor, latiſſime in *Bibliotheca Græca* Tomo V. a pag. 319 ad 335 qui anno 1712. in 4. Hamburgi editus prodiit, ad quem lectorem remittimus.

364. CANDIDVS ARIANVS Secta fuit, cujus mentionem habet Hieronymus in Catalogo *Scriptorum Eccleſiæ* cap. 111. juxta me, & 101. juxta alios, ubi de Operibus Marii Victorini, qui adverſus hunc Candidum Arianum ſcripſit, mentionem facit. Claruit circa annum 364. & ad Marium Victorinum *Librum de Generatione divina* miſit, qui extat primum una cum Victorini confutatione editus, & ſubjunctus Zeigleri Commentariis in Geneſim, Baſileæ anno 1548 in folio. Hinc autem pertranſiit inter *Orthodoxographos* integer & correctus, una cum Marii Victorini confutatione Baſileæ annis 1550. & 1555. Addit autem Cavus. «Habetur etiam fragmentum *Epiſtolæ ejus ad Victorinum*, una cum Victorini reſponſione apud Mabillonium *Analectorum* tomo 4 p. 155.» Sed Cavus hic fallitur, opinatus eſſe aliud Opus a *Libro* Candidi *de Generatione divina*. Cum enim iſtud fragmentum contuliſſem, inveni eſſe partem duntaxat Operis Candidi *de generatione divina*, deſumptam ex Manuſcripto Codice corruptiſſimo, initio ac fine carentem, quam Joannes Mabillonius cum mendis etiam edidit, non attendens Opus integrum & correctum, jam ter & quater impreſſum eſſe. Cui cum mentem meam aperuiſſem, ne verbo quidem contradicere manifeſtæ veritati auſus eſt. His Cavus non attendens, neque rem examinans, Epiſtolam hanc ut aliud Opus a libro Candidi *de Generatione Divina* enumerat, cujus ut errorem emendarem, hic tantum occaſione data mentionem *de Candido* egimus. Vide Cavum in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ ſeculo 4 ad annum 364. pag. 182.

DISSERTATIO
DE
OPERIBVS S. EPIPHANII CONSTANTIÆ IN CYPRO EPISCOPI.

PROLOGVS.

68. EPIPHANIVS CONSTANTIÆ CYPRI EPISCOPVS, genere Palæſtinus, cujus vitam ſcripſiſſe feruntur, duo ex ejus Diſcipulis Joannes & Polybius, quam tamen ut fabuloſam & commentitiam rejiciunt eruditiores Critici, ſecuti doctiſſimum Petavium, qui illas tamen Græce & Latine ſubjunxit ad calcem tomi 2. Operum Divi Epiphanii. Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ*, Epiphanium ortu Judæum fuiſſe vult, ſecutus absque dubio vitas has apocryphas, quæ converſionem ejus enunciant, cui aſſentiri vix poſſum, Sozomeno majorem adhibens fidem: qui Lib. 6. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 32. vult ipſum *ab ineunte adoleſcentia a præſtantiſſimis Monachis inſtitutum fuiſſe, ejusque rei cauſa diutiſſime moratum eſſe in Ægypto.* Dum ergo Sozomenus de Monachis Palæſtinis virtute inſignibus loco citato loquitur, ita Epiphanium depingit. «Ex quorum numero fuit« Heſychas Hilarionis ſodalis, & Epiphanius, qui« poſtea Salaminis in Cypro Epiſcopus fuit. Et« Heſychas

„Heſychas quidem in eodem quo magiſter lo„co, philoſophatus eſt. Epiphanius vero jux„ta Beſanducem vicum, in territorio Eleuthero„politano ſitum, ex quo ortus erat. Qui cum „ab ineunte adoleſcentia a præſtantiſſimis Mo„nachis inſtitutus fuiſſet, ejusque rei cauſa diu„tiſſime moratus eſſet in Ægypto, in monaſtica „Philoſophia celeberrimus extitit, non apud Æ„gyptios ſolum & Palæſtinos: verum etiam „apud Cyprios, apud quos (circa annum 368) ele„ctus eſt, ut in Metropoli totius inſulæ Epiſco„patum adminiſtraret. Qua ex re per univer„ſum (ut ita dixerim) orbem terrarum, maxi„mam nominis celebritatem adeptus eſt. Nam „cum in media hominum multitudine, & in ur„be magna & maritima, ſacerdotio fungeretur, „& cum ea qua præditus erat virtute civilibus „negotiis ſeſe applicuiſſet, brevi omnibus tam „urbanis, quam peregrinis notus extitit: illis „quidem, utpote qui hominem vidiſſent, & piam „ejus converſationem experimento cognoſce„rent: his vero utpote qui ab illis accepiſſent. Vir erat pietate, reliquisque virtutibus Chriſtianis ornatiſſimus, Hebraice, Syriace, Ægyptiace, Græce & Latine doctus: unde Hieronymo *Apologia 1.* adverſus Rufinum pag. 222. & *Apologia 2.* pag. 233. Πενταγλωττος audit. De Scriptis ejus idem Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 124. *Epiphanius Cypri Salaminæ Epiſcopus ſcripſit adverſus hæreſes libros, & multa alia, quæ ab eruditis propter res, a ſimplicioribus propter verba lectitantur.* In Diſputationibus etiam adverſus hæreſes ſuſceptis ut plurimum infirmus, ut habet Photius *Bibliotheca* Cod. 122. τὴν δὲ Φράσιν ταπινός τε, καὶ οἵα εἰκὸς ἀπείρου παιδείας ἀμελέτητον τυγχάνειν. *Dictio ejus humilis ac plane talis, qualem ejus eſſe oportuit, qui Attica elegantiæ rationem nullam haberet.* Suidas autem Hieronymi verba tranſcripſit, quod quidem ego ſic interpretor, ut res ab doctrinam & eruditionem doctis probarentur, verborum ac phraſeos humilitas & inelegantia indoctis placeret. Præterea provectiori ætate Græcis Literis eruditus, „inquit Conſalvus Pontius Legionenſis, quid „mirum ſi Atticas illas veneres, quibus Magnus „Nazianzenus, quibus τὸ χρυσοῦν illud στόμα, at„que alii abundant, in illo deſideras?„ Eruditionem vero atque eloquentiam Epiphanii ſi minus commendant Hiſtorici, pietatem ac virtutes magnifice efferunt, & alios inter Sozomenus lib. 7. *Hiſtoriæ* cap. 27. his verbis. *Per idem tempus in Metropoli inſulæ Cypri Epiphanius Epiſcopatum gerebat. Quem non ſolum vitæ converſatio illuſtrem ob virtutes reddidit, verum etiam miracula, quæ Deus illum honore afficere volens, ipſo adhuc ſuperſtite, & poſt obitum ejus edidit. Mortuo enim illo, id quod viventi non contigerat, ad ſepulchrum ejus dæmones etiamnum fugari, & morbi quidam curari dicuntur. Dum autem in vivis ſupereſſet, multa illi miracula tribuuntur: ex quibus iſtud ad notitiam noſtram pervenit &c.* Miſſis autem ingentibus illis inimicitiis, quas Epiphanius exercuit cum Joanne Hieroſolymorum Epiſcopo, atque Joanne Chryſoſtomo Conſtantinopolitano Archiepiſcopo, ſuadente potiſſimum Theoph. Alexandrino, de quibus accurate loquuntur Hieronymus in Epiſtola ad Pammachium p. 166. Socrates *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* lib. 6. cap. 10. 12. & 14. Sozomenus lib. 8. *Hiſtoriæ* cap. 14. & 15. Mortuus eſt Epiphanius extrema quidem ſenectute, anno Chriſti 402. ætatis anno prope centeſimo Epiſcopatus 36.

CAPVT PRIMVM.

DE EDITIONIBVS OPERVM SANCTI EPIPHANII CONSTANTIÆ IN CYPRO EPISCOPI.

IAm de Operibus Epiphanii loquamur, cujus illa meriti atque authoritatis apud eruditos ſint. Ex his itaque, quæ ſcripſit Epiphanius, conſtat neque illum fuiſſe in Antiquitatibus Eccleſiaſticis apprime eruditum, in temporibus diſtinguendis parum accuratum, narrationibus nullo examine adhibito nimis credulum: quorum omnium vel ſolæ Meletianæ & Arianæ Hæreſeon enarrationes teſtes eſſe poſſunt, de quibus Dionyſius Petavius in *Animadverſionibus* ad hæreſim LXVIII. *Meletianorum* tomo 2. pag. mihi 273. & ad hæreſim LXIX. *Arianorum* pag. 286. Hic enim ferme perpetuus eſt in corrigendis, vel emolliendis Epiphanii lapſibus incumbit. *De Meletianis Actis ac tota Shiſmatis hiſtoria, quam hic proponit Epiphanius, quid ſentiendum ſit, in Baronianis Annalibus explicatur anno 306. num. 45. quibus ego lubentiſſime ſubſcribo.* Hæc Petavius contra Epiphanium, de ſchiſmate Meletianorum. Melchior Cavus inſignis Theologus, *Locorum Theologicorum* lib. 11. p. 477. quam parum Epiphanium æſtimaret in Hiſtoricis, his aperit verbis: Epiphanii, inquit, ſententia quæ contra hiſto„riæ fidem ponitur, nihil prorſus movere nos„ debet: quoniam in rerum geſtarum tempo„rumque ratione nullos ille graves authores ſe„qui ſolet.„ Cæſar Baronius in *Annalibus* tomo præſertim 3. aliam de Epiphanio ſententiam non habuit, quem paſſim relinquere, imo refutare in fabuloſis & anilibus coactus eſt. Largius in Arianæ LXIX. Hæreſis deſcriptione, num. 9. peccavit Epiphanius. Nam quæ deinceps exponit, ea poſt Concilium Nicænum acciderunt, anno undecimo, hoc eſt, Chriſti 336. At Epiphanius Arium ante Nicænum Concilium exceſſiſſe putat, in quo Scriptorum omnium conſenſu refellitur. Nimis illud notum eſt, Arium adhuc viventem a Synodo damnatum, & poſt aliquot annos Euſebii opera reſtitutum, Conſtantinopoli mortuum eſſe. De quo Socrates, Rufinus, Theodoretus, Sozomenus, & ante omnes iſtos Athanaſius: ex quibus corrigendus Epiphanius, qui ex falſiſſimis quibusdam actis aut hiſtoriis iſta deſcripſit. Hiſtoriam quoque de Petro & Meletio, a Meletiano ali-

quo, neſciens & imprudens mutuatus eſt, a quo deceptus, nominat authorem hujus Schiſmatis S. Meletium Confeſſorem, Dei teſtem & Martyrem. Ab omni quoque veritatis ſimilitudine abhorret, quod apud eundem Epiphanium legitur, poſt Conſtantini obitum, Arſenium eſſe repertum. Falſum item eſſe quod ait, Athanaſium exulem manſiſſe in partibus Italiæ, annos plures quam duodecim &c. Immenſus eſſem, ſi omnes illos enormes Epiphanii in Hiſtoria lapſus enarrare aggrederer. Viderit plura qui otium habuerit apud Cæſarem Baronium tomo 3. *Annalium Eccleſiæ* anno 306. n. 45. 310. n. 15. & 16. 326. n. 4. & 8. 327. num. 7. 338. num. 2. 342. num. 50. Jure ergo Caſaubonus *Exercitatione* XV. in Baronium anno 33. num. 13. *Vir Maximus Epiphanius, ſed quem res arguit ipſa, levibus anditiunculis neſcio unde acceptis, facile nimis aliquando fidem habuiſſe.*

Prodierunt Opera Sancti Epiphanii Græce omnia Baſileæ 1544. in fol. Latine Baſileæ 1533. 1540. 1560. 1578. Pariſiis 1612. Coloniæ 1617. in folio. Græce & Latine cum doctiſſimis Dionyſii Petavii Animadverſionibus 2. in fol. voluminibus, Pariſiis 1622. & eodem modo Coloniæ 1682. tomis 2. in folio.

Tomvs 1. *Panarium* continet, ſive *adverſus hæreſes* LXXX. tribus comprehenſum voluminibus, ſeptem tomis, anno Chriſti 374. inchoatum, Valentis & Valentiniani anno undecimo, Acacii & Pauli Archimandritarum inſtantia, quorum Epiſtola ad Epiphanium de ea re miſſa etiamnum præfixa *Panario* legitur, una cum reſponſione Epiphanii. De hoc Opere mentionem facit luculentam Socrates lib. 5. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 24. *Quod ſi quis variarum Sectarum nomina cupit cognoſcere, perlecto libro Epiphanii Cypriorum Epiſcopi, qui* Ancoratus *inſcribitur, cuncta facile cognoſcet.* Illius quoque meminit Sozomenus lib. 8. *Hiſtoriæ* cap. 15. Photius in *Bibliotheca* Cod. 122. Opus, inquit, omnibus ante eum ſcriptis adverſus hæreſes lucubrationibus, uberius atque utilius, quippe cui ex Juſtini Martyris, Irenæi, Hippolyti, aliorumque veterum ſcriptis, incrementi haud parum acceſſit: nihil enim ab eis excogitatum intactum reliquit Epiphanius, quæque ipſo proprio marte elaborabat, addidit. Hæreſeon iſtarum Catalogum a Barbariſmo incipiens, & per omnes ordines percurrens contexuit, usque ad Maſſilianorum hæreſim ſub Conſtantio exortum, quam ultimo omnium loco depingit & refutat.

Tomvs 2. continet *Ancoratum* ſive *de fide Sermonem*, pag. 1. anno circiter 373. ſcriptum, rogantibus Presbyteris Suedræ Pamphyliæ urbis & Palladio Præſide ut doctrinam *de Sancta Trinitate* ac imprimis *Spiritu Sancto* Catholicam ipſis explicatam daret, & inter ipſos graſſantem Hæreſim Macedonianam ſcripto compeſceret.

Anacephaleoſim ſive *Panarii Epitomen*, interprete Dionyſio Petavio pag. 126.

Librum *de ponderibus & menſuris*, interprete Dionyſio Petavio, ut & præcedentium, p. 158.

Phyſiologum, Græce & Latine, interprete Conſalvo Poncio, Legionenſi.

De duodecim gemmis librum, cum ejusdem compendio, interprete Jola Hierotarantino. pag. 225. 233.

De his Opuſculis Dionyſius Petavius in præfatione ad Lectorem. *De Ancorato, Anacephaleoſi* ac libro *de Menſuris & Ponderibus*, dubium fuit hactenus nemini, quin Epiphanii genuinis adſcriberentur. Idem *de Phyſiologo* & libro *de Lapidibus* debet eſſe judicium. Hoc quidem poſterius Epiphanii γνήσιον eſſe, fidem facit author graviſſimus Hieronymus, qui Epiſtola CXXVIII. ad Fabiolam de habitu Sacerdotali ſcribens, de Lapidibus & eorum ſignificatione nihil ideo ſe tradidiſſe demonſtrat: quod idem argumentum ſingulari libro jam Epiphanius occupaſſet. *Sufficiat*, inquit, *quod & Sanctus Papa Epiphanius egregium ſuper hoc volumen edidit, quod ſi legere volueris, pleniſſimam ſcientiam conſequere.* Hæc Hieronymus. Ejusdem porro Anaſtaſius in Quæſtionibus, *Epitomen* condidit: quod nihil aliud eſt, quam alterum illud de Lapidibus opuſculum, quod priori ac longiori iſti ſubjicitur.

De Vita XXV. Prophetarum, Græce & Latine, interprete Dionyſio Petavio pag. 235. ad 251.

Cum autem alter hic Operum Epiphanii tomus contineat Opuſcula, quæ partim extra controverſiam ſunt, partim νοθευόμενα, vel ἀποβεβλημένα certe merito cenſeantur: Liber *de Vita Prophetarum* horum ultimorum agmen ducit, quem ψευδεπίγραφον eſſe, ſexcentæ (inquit Petavius) mendaciorum nugæ perſuadent, quibus ille refertus eſt. Vnam hic aut alteram, ad probandam hanc ſuppoſitionem, referemus. In Vita Jeremiæ Prophetæ narrat, Arcam & quæ fuerunt in ea ſingula, ante excidium Templi, Jeremiam ſuſtulisse, atque in ſaxum abſorpta condidiſſe: adjungit autem *Arcam in reſurrectione primum reſurrecturam, & e ſaxo prodituram, ut in monte Sina collocetur, & omnes Sancti ad eam confluant: ibique Dominum exſpectantes, hoſtem qui ſibi necem molitur, effugituros.* His dictis digito ſuo Jeremiam lapidi nomen Dei impreſſiſſe atque obſignaſſe, figura quæ perinde ac ſi cælata ferro eſſet, inhæſit. Tum nubem ſaxum illud abduxiſſe ac occultaſſe, ut nulluspiam aut locum illum noverit, aut ad hanc diem legere inſcriptionem potuerit, neque ad mundi finem unquam poterit. Hæc Thalmudica ſomnia nemo inter Adverſarios non ſomno lentus, probaturus eſt: quaſi Arca eſſet primum reſurrectura, ut ad eam omnes Sancti confugerent, quatenus ab inimicis, a quibus eſſent vexati, liberarentur. Cum Apoſtolus dicat 1. Theſſ. 4. verſ. 16. mortuos in Chriſto reſurrecturos primum, deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, una cum iis raptum iri in nubes, in occurſum Domini, ut cum eo ſimus in æternum. Idem

in

in Vita Danielis Prophetæ patria Thalmudiſtarum ſomnia concinit, de Rege Nabuchodonoſore, nempe *Anteriora* illius cum capite bovis fuiſſe ſimilia, *poſteriora* cum pedibus leonis. Nabuchodonoſorem in hoc ſtatu poſitum, die ac nocte quadragies deprecatum fuiſſe Deum Beemon, id eſt, Iſraelis Deum. Ad cum ſpectandum cum ex urbe Principes ac vulgus innumerabile confluëret, unicum Danielem videre noluiſſe: cum interim toto illo, quo Rex immutatus eſt tempore, perpetuas pro eo preces funderet, aſſerens denuo illum hominem futurum, ac regnum eſſe recuperaturum. Hæ nugæ, hæ phantaſiæ, de quibus Petavius, atque alii etiam Pontificii non diſſentiunt.

Sequuntur homiliæ octo *de diverſis* argumentis, S. Epiphanio attributa, juxta hunc ordinem.

Oratio *in Feſto Palmarum*, Græce & Latine pag. 251. interprete Stanislao Phœnicio.

Oratio *in Chriſti Sepulturam*, Græce & Latine pag. 259. interprete Conſalvo Poncio Legionenſi.

Oratio *in Chriſti Reſurrectionem* Græce & Latine pag. 276. interprete Dionyſio Petavio.

Oratio *in Chriſti Aſſumptionem* Græce & Latine pag. 285. interprete Theodoro Peltano.

Oratio *de Laudibus Beatæ Mariæ*, Græce & Latine pag. 291. interprete Joanne Pico, Pariſienſi Canonico.

Oratio *in Feſto Palmarum* Græce & Latine pag. 301. interprete Dionyſio Petavio.

Oratio *de Numerorum Myſteriis*, Græce & Latine pag. 304. interprete Dionyſio Petavio.

Oratio *de Chriſti Reſurrectione* Latine tantum, pag. 310. interprete Gerardo Voſſio.

„ Jam Orationes illæ, inquit, Petavius in *Præludiis* ad tomum ſecundum, quæ Epiphanii no„mine fucum jamdudum faciunt, ſatis cum ſty„lo ipſo, tum aliis quibusdam indiciis, alterius „vel Epiphanii vel authoris ſe eſſe declarant. „Epiphanios enim fuiſſe complures, Cypri eti„am Epiſcopos, obſervabat R. P. Jacobus Sir„mondus, hoc eſt, præter noſtrum illum & inſi„gnem, duos. Alter Cypri Archiepiſcopus fuit, „cujus nomine in Synodo ſexta anno 680. ſub„ſcripſit Theodorus Epiſcopus Trimethuntorum, ut in Actione XVIII. legitur. Alter Ar„chiepiſcopus perinde Cypri, cujus extat Epi„ſtola ad Ignatium Patriarcham a Matthæo Ka„dero noſtro edita, cum Synodo VIII. Horum „igitur alteri, vel ambobus, vel cuivis denique „potius, quam Epiphanio noſtro, Orationes iſtæ „tribuendæ ſunt. Quare nullo a nobis flagitio, „prætermitti in hac Editione poterant. Sed ne „quid, quod Epiphanii nomine utrumque eſſet „inſcriptum, deſideraret lector: tum ut ne pau„latim, quamvis alienæ, non contemnendæ ta„men lucubrationes obliterarentur, eas in cal„cem Tomi hujus ſecundi conjiciendas decre„vimus. „ Cum ergo Epiphanius alter Cypri Archiepiſcopus anno 870. claruerit, quo circiter tempore reſtitutum Ignatio Conſtantinopoleos Patriarchatum per literas gratulatus eſt, ſe Synodi anno ſuperiore ab illo habitæ Decreta ex animo ſuſcipere profeſſus: cujus hæc extat *Epiſtola* Græco Latina in *Prolegomenis* Synodi VIII. Generalis, Conciliorum tomo 8. pag. 1276. Aliunde autem Græci declamandis ad plebes homiliis ſeculo IX. maxime claruerint: recte has homilias Epiphanio iſti ſeculi noni adſcribunt Critici naſutiores.

CAPUT SECUNDUM.

CENSURA ALIORUM OPUSCULORUM SUB EPIPHANII NOMINE IMPRESSORUM.

QUo loco, inquit Rivetus *Critici Sacri* lib. 3. cap. 29. pag. mihi 370. habemus Sermonem *de Laudibus B. Mariæ Deiparæ*, quem Latinum fecit Joannes Picus Pariſienſis Canonicus, & cum aliis ſimilis argumenti edidit, apud viduam Guillelmi Morellii Pariſiis 1565. extatque etiam in Bibliotheca Sanctorum Patrum Margarini Bignæi, annorum 1575. & 1589. Stylus longe recedit ab eo qui genuino Epiphanio proprius eſt, vanas & ineptas conquirit etymologias nominis *Mariæ*, in quibus & multus & abſurdus eſt. *Mariam*, inquit, *interpretari ſolemus Dominam, atque etiam ſpem.* Rurſus, *Maria myrrha maris.* Item, *Maria illuſtrata:* quæ omnes interpretationes authoris ſupinam produnt ignorantiam. 1.

Præterea certum eſt *de laudibus Mariæ* ſingulare nihil ſcriptum eſſe ante Concilium Epheſinum, quo laudari illa cœpit, & quo Epiphanius annò 402. mortuus, longe antiquior eſt. Hæc ergo homilia, quæ non encomium duntaxat Mariæ, ſed vel ingens laudum ejus plauſtrum, vel collectus undique encomiorum acervus dici poteſt: authorem ſeculi alterius recentioris, noni forſan, quo Panegyrici ejusmodi perſonabant, deſignare valet. 2.

Denique ut recte idem Rivetus, quicunque inſulſum hunc Sermonem cum Epiphanii *Panario* hæreſi 79. contulerit, niſi omnino bardus ſit, authorem impudentem quisquis ille fuerit, comperiet: qui in animo habuerit, oratione ſub Epiphanii nomine ſuppoſito contraria, deſtruere illa quæ a vero Epiphanio de *Maria* ſancte ſcripta ſunt. Ait loco citato Epiphanius verus, *Si Angelos adorari non vult, quanto magis eam quæ genita eſt ab Anna? Eximium quidem eſt vas, ſed mulier, & nihil a natura immutata, non aliter genita eſt præter hominum naturam: ſed ſicut omnes, & ſemine viri & utero mulieris, ſic in honore Maria. Pater vero, Filius & Spiritus Sanctus adoretur: Mariam nemo adoret, non dico mulierem, imo neque virum.* Hæc ille & alia in hunc ſenſum. Falſus autem iſte Epiphanius, *Solo Deo excepto, cunctis ſuperior exiſtit, natura formoſior eſt ipſis Cherubim, conſpicio illam ab Angelis adorari &c.* Quæ ſiquis ejusdem authoris eſſe contendat, probabit eadem opera Epiphanium ἐκ αὐτῆ στόματος τὸ θερμὸν, καὶ τὸ ψυχρὸν ἐξάγειν: ex ore eodem calidum & frigidum efflare. Hæc cum judicio Rivetus. 3.

Epiſtola ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, pag. 312. latine tantum, de qua Rivetus lib. 3. *Critici Sacri* cap. 29. integro pag. mihi 365. quem paucis mutatis tranſcribam.

In Epiſtolam *ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum*, Pontificii omnes quaſi denſato agmine irruunt, qua imaginum in templis erectionem, non ſolum verbo ſed etiam facto damnavit. Et quia totius Epiſtolæ ab Hieronymo ut conſtat converſæ, fidem non poſſunt omnino convellere: quidam ut refert, Bellarminus Lib. 2. *De Imaginibus* cap. 9. reſpondent, egiſſe Epiphanium contra Anthropomorphitarum errorem, ut Thomas Valdenſis. Alii ut Salmeron Commentario in 1. Joannis cap. 5. Diſp. 32. poſſe aliquem Sanctum zelo Dei percitum, errare in aliquo facto. Alii ut Sixtus Senenſis Lib. 5. *Annotatione 247. Bibliothecæ Sanctæ*, ex Damaſceno, unam hirundinem ver non facere. Alii ut Gregorius a Valentia Lib. 2. *de Idololatria* cap. 7. ſi maxime factum illud Epiphanii exploratum eſſet, plus ponderis apud ſe Eccleſiæ authoritatem atque uſum habere debere. Idem tamen Gregorius & Bellarminus etiam uti ſupra, & Baronius Annalium tomo 4. ad annum 392. num. 53. veriorem ſolutionem exiſtimant, ſi verba illa, quibus ſcribit Epiphanius ſe ſcidiſſe velum pendens, in quo erat hominis imago, ſuppoſititia eſſe dicantur. Quod quidem evincere volunt conquiſitis undique argutiolis, quas Bellarminus, ut numero pugnet qui pondere non poteſt, novem enumerat.

I. eſt, *quia poſt finem Epiſtolæ iſta adjecta ſunt, Epiſtola enim plane finita erat, ut apparebit legenti.* Reſpondet Doctiſſimus Junius id negari: Non enim finis eſt Epiſtolæ, cum plura adtexuerit illius author, ad finem ipſius. Potuit quidem eſſe finis, ſi ita fuiſſet authori viſum: ſed non continuo ſequitur, ſi potuit eſſe finis, eſt finis igitur: neque ita apparere poteſt legenti cuiquam quamvis Lynceo. II. *Quia hæretici Iconomachi non objecerunt hunc locum Catholicis.* Reſpondeo Objectionum alias fieri expreſſas & explicitas, alias implicitas. Gregorius Neo-Cæſarienſis ille, non objecit expreſſe quidem ſed implicite, cum Synodi illius Nicænæ II. Act. 6. tomo 5. pag. mihi 474. de Epiphanio noſtro diceret: *Idem in aliis quoque Sermonibus ſuis, de imaginum ſubverſione multa dixit, quæ ſtudioſi quærentes facile invenient.* Extitiſſe autem verba ea in illa Epiſtola Concilii illius tempore, ex eo patet, quod author *Capitularis* ſub nomine Caroli Magni, quem eodem tempore vixiſſe & ſcripſiſſe Baronius & Bellarminus concedunt, ea totidem verbis proferat. Lib. 4. *De Imaginibus* cap. 25. Et fortaſſe etiam a Gregorio illo objecta ſunt, ſed ab Adverſariis diſſimulata, quod nihil haberent probabile, quod *Epiphanii & Hieronymi* authoritati opponerent. Deinde etiamſi non adduxiſſet, ab authoritate tamen negativa, conſequentia non valeret. III. *Quia Epiphanius Diaconus in 7. Synodo Act. 6. convincit duo alia ſimilia loca Epiphanii Scriptis fuiſſe inſerta ab hæreticis.* Reſpondeo. Non convincit ille, ſed aſſerit ſine probatione. Deinde non ſequitur ex ſuppoſitione quorundam, ſuppoſitio omnium, alioquin omnia Patrum ſcripta ſuppoſita eſſent. IV. *Quia ibidem dicitur, quod Diſcipuli Epiphanii in ejus templo imaginem ejus poſuerunt, quod certe non feciſſent, ſi eorum præceptor dixiſſet eſſe contra Eccleſiæ authoritatem.* Reſpondeo id quidem aſſeri, ſed a fabulatoribus, ut in plerisq; conſtat. Neque ſequitur, ſi inhibuiſſet, diſcipulos non fuiſſe facturos. Contrarium Stoæ & Academiæ Atticæ exemplis jam olim fuit confirmatum: Diſcipuli enim a Magiſtrorum placitis paulo momento diſceſſerunt. Recte igitur author Capitularis Caroli Magni, *Plerumque a bonis magiſtris bene diſcipuli educati, poſtmodum neglecta inſtitutione magiſtrorum, efficiuntur perverſi:* quod fuſiſſime probat allatis exemplis Lib. 4. cap. 19. V. *Quia tempore Epiphanii Baſilius, Nyſſenus & alii vivebant, qui imagines in templis laudabant.* Reſpondeo de Baſilio falſum eſſe, quia ex conſideratione *Orationis* in Barlaam quæ citatur, patet agere Baſilium de *pictoribus* non qui oculis præferunt imagines, ſed qui per aures infundunt animis ſancta Martyrum certamina: ut quaſi picta ferantur in oculis bonorum omnium, quemadmodum & Galatis Chriſtum Apoſtolus in oculis ipſorum crucifixum fuiſſe pronuntiat, *Galat.* cap. 3. v. 1. Quod ne quis in dubium revocet, en clara Baſilii verba. *Sed quid puerili balbutie victorem extenuo? quin magnificentioribus laudum ipſius linguis cedamus, ſonoratiores doctorum tubas ad illius præconia advocemus. Exſurgite præclari athleticorum geſtorum pictores, mutilam Ducis imaginem veſtro illuſtrate artificio, & obſcurius a me depictum coronatum athletam, veſtra induſtria coloribus conſpicuum reddite.* Quis non videt, eum agere de eodem pingendi genere atque artificio, quo & ipſe *mutilam imaginem Ducis* appellat, quam ab aliis perfici oratoria arte ſeu majori eloquentiæ induſtria deſiderat? De Nyſſeno autem reſpondeo I. ſtylum non eſſe Nyſſeni. II. Exemplum ſingulare eſſe & Ponticum, ex quo nihil inferri aliud poteſt, quam quod nempe, in quibusdam locis hiſtoriæ Martyrum pingerentur, & a nonnullis Doctoribus haberentur. Quod nihil authoritati & rationibus Epiphanii derogat, cum ex facto particulari nihil ſequatur. Quid ſi eodem argumento convellam Orationem *Nyſſeni* in *Theodorum?* Nyſſenus ille laudat picturas in templis, Epiphanius, qui eodem tempore vixit, improbat: ergo non ille eſt verus Nyſſenus. Quid diſſimile Bellarminus inveniet? præſertim ſi pro me faciat ſtyli diverſitas, quam notavit Clariſſimus Junius. VI. *Quia ſententia illa*, eſſe contra Scripturæ authoritatem pendere in templo imaginem hominis, *indigna eſſet Epiphanio viro doctiſſimo: cum ſit ineptiſſima, nusquam enim id legitur prohibitum, imo contrarium legitur, ut patet de Cherubinis.* Reſpondeo, prius falſum eſſe. Eſt enim

enim optima ratio,& digna docto viro: prohibet enim Scriptura *Omne ſculptile* adorandum aut adorabile : ergo imaginem hominis, in loco adorationi deſtinato. Nec ſequitur contrarium ex mandato ſingulari & extraordinario Dei,hominibus licere extra mandatum, ut optime docet Tertullianus Lib. *de Idololatria* cap. 5. VII. *Quia Gregorius Lib. 9. Epiſtola 9. dicit,nullum unquam Epiſcoporum ante Serenum Maſſilienſem fregiſſe imaginem Chriſti vel Sanctorum.* Reſpondeo Gregorium non omnia noviſſe, hominem fuiſſe, memoria labi potuiſſe. Et ſi extaret Sereni reſponſum,fortaſſe haberemus unde poſſet evinci, ignotum non fuiſſe Epiphanii factum optimo viro. Tum de Seculo ſuo loquitur Gregorius,in quo mos pingendi imagines ad hiſtoricum uſum in quibusdam Eccleſiis invaluerat: cujus dictum de priſcis ſeculis intelligi non poteſt,quo tempore imaginum publicus cultus nondum obtinuerat. VIII. *Quia B. Hieronymus Epiſtola ad Pammachium contra Joannem Jeroſolymitanum,totam* fere *hanc Epiſtolam Epiphanii,latinam a ſe factam recitat, & tamen non meminit hujus veli.* Reſpondeo inconſequentem eſſe ab authoritate negativa (ut vocant)argumentationem. Nihil hæc hiſtoria ad cauſam Joannis illius Hieroſolymitani pertinuit, quid attinebat afferri? Præterea caute Bellarminus illud *fere* addidit, quia alia ejusdem Epiſtolæ argumenta reticentur in Scripto ad Pammachium: exempli cauſa de Presbytero ordinato per Epiphanium in Miniſterio ad dioeceſim Joannis pertinente, & ſimilia. Inanis ergo & falſa probatio. IX. *Quia nec convenit ſtylus cum reliqua epiſtola.* Reſpondeo emunctæ naris eſſe, qui iſtud animadvertit. Nam ſecus videtur aliis quidem & doctiſſimis viris, & optime reſpondent omnia inter ſe, & conveniunt cum dicto illo alio Epiphanii, ex *Panario* Hæreſi LXXIX. *Unde enim non eſt ſimulacrificum hoc ſtudium, & diabolicus conatus? Pretextu enim juſtitiæ ſemper ſubiens hominum mentem Diabolus, mortalem naturam in hominum oculis deificans ſtatuas*, Humanas imagines *præ ſe ferentes, per artium varietatem expreſſit.* Quæ ibi vide,ut tibi perſpectum ſit, toto conatu illo ad labefactandam hujus Epiſtolæ fidem, Adverſarios nihil aliud quam deſperationem perfidiamque prodere: dum explorata & cura Patrum monumenta ſuo arbitratu contemnunt,& nobis ſuccenſent dum manifeſte ſuppoſititia rejicimus. Hæc loco citato Rivetus.

Vita Sancti Epiphanii Græce & Latine pag. 318. excerpta, ex voce Joannis, unius ex ejus diſcipulis.

Reliqua Sancti Epiphanii Vita Græce & Latine pag. 351. ſub nomine Polybii Rhinocurorum Epiſcopi : quam utramque interpretatus eſt Dionyſius Petavius, licet incertas illas atque fabuloſas,in Prolegomenis merito arbitretur.

CAPVT TERTIVM.

DE ALIIS, EXTRA EDITIONEM OPERVM SANCTI EPIPHANII, IMPRESSIS VEL MSS. EXTANTIBVS.

ALia quoque multa enumerat Cavus parte 2. *Hiſtoria literaria* ad annum 368. vel impreſſa vel manuſcripta ſub S. Epiphanii nomine,quæ ſigillatim excutere literato orbi non ingratum fore arbitratus ſum: eo quod hæc Opuſcula vel opellæ,ob titulorum vel brevitatem vel incertitudinem,apud eruditos raro commemorentur.

Extat Opuſculum ejus *de LXXII. Prophetis & de Prophetiſſis*, Codice MS. Græco 1007. Regiæ Galliarum Bibliothecæ,ſed in quo præter nuda nomina nihil aliud continetur, opella S. Epiphanio indigna,quam Græce & Latine edidit *Joannes Baptiſta Cotelerius* in *Notis ad librum IV Conſtitutionum Apoſtolicarum col. 220.*

In eadem Bibliotheca Codice MS. Græco CXLII. habetur Græce MS. *Expoſitio Epiphanii in Nahum Prophetam*,cujus mentionem facit Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, ſeu *ſpecimine antiquarum lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum* ex Catalogis potiſſimum MSS. Codicum Regiæ Gallicarum Bibliothecæ collecto, & Pariſiis anno 1653. in 4. edito apud Johannem Henault. Ita parte 2. pag. 78. *Epiphanii Expoſitio in Nahum Prophetam* in Codice Regio 142. item in Supplemento VII. pag. 272. Codice 142. *Epiphanii in Nahum Prophetam.* Sed cum ab annis tam multis in Regia Bibliotheca hoc opus exiſtat,ſpurium hinc colligo illud eſſe: quod ſi genuinum fuiſſet,tamdiu in tenebris non latuiſſet,tot Gallis eruditis extantibus,qui hac editione famam non ignobilem ſibi comparaſſent.

Ibidem Codice MS. Græco 1026. Libellus ſub nomine S. Epiphanii Cypri Epiſcopi, *περὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, πῶς ἕκαστος ἐκήρυξε* &c. *De ſanctis Apoſtolis, ubi quisque prædicavit, quomodo & ubi mortui ſunt, quibusque in locis ſancta eorum corpora ſepeliantur.* Ex hoc opuſculo quædam hinc inde adducit Cotelerius Notis ad Patres Apoſtolicos,columnis 262. 297. 358. Spurium vero eſſe, nemo opinor, denegabit. Recte Cavus, cui concinit Carolus Dufreſnius Dominus du Cange,qui MS. Codicem tenuit ac contulit, in Notis ad Chronicon Paſchale,quod anno 1688. Pariſiis in folio ex typographia Regia edendum curavit,pag. 437. his verbis. Deſcribitur de-« nique in alio Codice Regio ſignato 2951. folio« 231. Syntagma τῦ Ἐπιφανίυ Ἐπισκόπυ Κύπρυ« περὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, πῶς ἕκαστος αὐτῶν ἐ-« κήρυξε, καὶ περὶ καὶ πῶ ἐτελεύτησαν, καὶ τὰ ἅ-« για αὐτῶν σώματα πῶ κεῖνται, καὶ ἐν ποίοις τό-« ποις. Cui quidem Syntagmati ſubjiciuntur« nomina & Epiſcopatus LXX. Diſcipulorum.« Verum cum nihil aliud fere contineat, quod« non habeatur apud Dorotheum,& in illius ſe-« rie XII. Apoſtolorum, ac illa quæ præfigitur« Oecumenii operibus, Catalogum illum ut &« alios quorum mox meminimus,omitti debere« cenſuimus. Cui quidem Epiphanii opuſculo« ſubjicitur in eodem Codice aliud ejusdem for-« taſſe Epiphanii hoc titulo : Τὰ ὀνόματα τῶν γο-« νέων τῶν ιβ' Ἀποστόλων καὶ τῦ Μελχισεδὲκ, edi-« tum

„tum a J. Baptista Cotelerio ad Constitutiones „Apostolicas Libro IV. in Notis col. 194.

Fragmentum Epiphanii *in Evangelium Joannis* edidit *Franciscus Combefisius* in *Auctario Bibliothecæ Patrum Novissimo* pag. 300. editionis Græco Latinæ Parisiensis anno 1672. in folio, quod nullius momenti existit. Item inter Apophtegmata Patrum quæ evulgavit anno 1677. Baptista Cotelerius Tomo I. pag. 426. ad pag. 430. extant Epiphanii nostri Cypri Episcopi Apophtegmata XVII. Græce & Latine, ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ.

In Bibliotheca Bodlejana, Codice Barocciano CLXXIV. folio 170. pag. 2. *Encomium S. Epiphanii Episcopi Cypri in Beatam Virginem*, incipit τὰς ἐκλαμπρότητας μαρμαρυγὰς τῆς θεολόγου & habetur tom. 2. Operum Sancti Epiphanii editionis Parisiensis anni 1622. pag. 291. Græce & Latine, interprete Joanne Pico Parisiensi Canonico. Idem dic de homilia *in Sepulturam Christi*, quam Cavus inquit extare Græce MS. apud Georgium Whelerum: habetur enim ibidem Græce & Latine pag. 259. interprete Constalvo Poncio Legionensi. Ac λόγος σύνομος τῶν αἱρέσεων, desumptus est ex Panario adversus hæreses.

Tomo 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Petri Lambecii pag. 163. Codice Manuscripto Theologico Græco XLVII num. 68. ita Lambecius. Sexagesimo octavo „& quidem folio 146. pag. 2. *Sancti Epiphanii Epi„scopi Salaminæ sive Salaminis in Cypro Explanatio „verborum S. Pauli Apostoli* 1. ad Corinthios cap. 2. „versu 10. Spiritus enim omnia scrutatur, etiam „profunda Dei. Inscribitur ea atque incipit „hoc modo. Τῷ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἐπι„φανίου Ἀρχιεπισκόπου Κύπρου Ἑρμηνεία εἰς τὸ „ῥητὸν τὸ γάρ Πνεῦμα πάντα ἐρευνᾷ, καὶ τὰ βάθη „τοῦ Θεοῦ. Ἆρα τὸ ἅγιον Πνεῦμα ἐρευνᾷ τὰ βάθη „τοῦ Θεοῦ; διὰ ποίαν αἰτίαν &c. Sexagesimo no„no, & quidem fol. 146. pag. 2. & fol. 147. pag. 1. „ejusdem S. Epiphanii Explicatio verborum „Christi apud Matthæum cap. 24. versu 36. De „die autem illa vel hora nemo scit, neque Ange„li, neque filius, nisi Pater. Inscribitur ea atque „incipit hoc modo, τῷ αὐτῷ εἰς τὸ ῥητὸν τὸ λέγον, „Οὐδεὶς οἶδε τὴν ἡμέραν καὶ τὴν ὥραν, φησὶ ὁ υἱὸς „τοῦ Θεοῦ, οὔτε οἱ Ἄγγελοι, οὔτε ὁ Υἱὸς, εἰ μὴ ὁ Πα„τήρ. Νομίζουσιν οἱ ἀνόητοι, οἱ Πνεύματι ἁγίῳ μὴ „κεκοσμένοι &c.

„ Ibidem pag. 196. Codice MS. Theologico „Græco LXXXIX. Num. 19. idem Lambecius, „Decimo nono & quidem a fol. 117. pag. 2. us„que ad fol. 118. pag. 2. *S. Epiphanii Episcopi Con„stantiæ Cypri, Recensio viginti duorum Operum „Hexaemeri creationis mundi*, cujus titulus & prin„cipium: Τῷ ἁγίῳ Ἐπιφανίῳ Ἀρχιεπισκόπῳ Κύ„πρου, Ἔστιν δύο ἔργα ἃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἀπ' ἀρ„χῆς ἄχρι τῆς ἑβδόμης ἡμέρας, ἅτινα ἐστὶ ταῦτα τῇ „πρώτῃ ἡμέρᾳ &c. Idem autem opus inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ, in Barocianis Codd. Codice CLXXXV. folio 8. sub eodem titulo *de XXII. Operibus Dei, quæ sex prioribus diebus fecit*, cujus initium, τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ τὰς Οὐρανὰς &c. Opuscula autem ista pertinere videntur ad Epiphanium juniorem alterum, Cypri etiam Archiepiscopum, de quo postea ad annum 870. loquemur, ut Petavius etiam Operum S. Epiphanii Senioris editor opinatus est, ad quem lectorem remittimus.

Ibidem pag. 198. Codice eodem MS. Theo-“ logico Græco LXXXIX. Num. 24. inquit. Vi-“ gesimo quarto & quidem a folio 298. pag. 1.“ usque ad fol. 305. pag. 2. *Ejusdem sancti Epi-“ phanii Liber supposititius de Vitis Prophetarum, eo-“ rumque obitu & sepulcris*, sed abbreviatus, & tam“ respectu ordinis quam styli, non mediocriter“ discrepans ab eo, qui extat in editione Operum“ S. Epiphanii Græco Latina Parisiensi anni 1622.“ Tomo 2. pag. 235. Titulus autem hujus Libel-“ li seu Compendii, in hoc Codice MS. Cæsareo“ talis est: Περὶ τῶν ἓξ καὶ δέκα προφητῶν, καὶ“ πόθεν ἦσαν, καὶ πῶς ἐτελειώθησαν. Sequitur“ deinde ipsa Recensio sedecim Prophetarum ab“ Osea usque ad Danielem, hoc modo: Ὡσηὲ“ υἱὸς Βαρὴ ἦν ἐκ Βελεμὼθ Φυλῆς Ἰσάχαρ &c.“ Vita autem Danielis desinit his verbis, Φόνος“ ἔσται τοῦ Βελίαρ ἐν πάσῃ τῇ γῇ. Qua finita se-“ quitur Appendix quædam de Prophetis Elia &“ Elisæo, cujus principium, Ἠλίας ὁ Θεσβίτης ἦν“ ἐκ γῆς Ἀραάβων &c. finis autem, καὶ εὐθὺς ἀνέζη-“ σεν ὁ νεκρός.“ Hæc de impressis vel manuscriptis Opusculis sub nomine Sancti Epiphanii extantibus, extra editionem Operum ejus Græco-latinam, anno 1622. Parisiis factam.

Agunt de Scriptis *S. Epiphanii*, Antonius Possevinus tom. I. *Apparatus Sacri* verbo, *Epiphanius*. Bellarminus & Labbeus, uterque in opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* seculo 4. ubi de Scriptoribus loquitur. Guillelmus Cavus *Historiæ Literariæ* Scriptorum Ecclesiasticorum parte 1. seculo 4. ad annum 368. pag. 134. Et parte 2. ad eundem annum ad pag. 134. Et Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* tom. 2. seculo 4. p. m. 295.

CÆSARIVS GREGORII NAZIANZENI FRATER, cujus hic pauca per compendium delibabimus, ex Basilio Magno *Epist.* 84. & Gregorio Nazianzeno *Oratione X.* quæ tota in laudem Cæsarii fratris est. Hic adolescens, celeberrimam bonarum artium matrem, insignium eruditione virorum nutricem, Alexandriam profectus, Philosophiæ illic, præcipue vero Medicinæ mentem admovit. Ubi cum in ea scientia progressus fecisset non ignobiles, Constantinopolim profectus, tantam in paucis gloriam nominis assecutus est, ut publici honores, nobile matrimonium, & Senatoria dignitas ei oblata fuerint: communique decreto ab Imperatore per legatos petitum sit, ut Cæsarius & Medici & Civis Constantinopolitani titulo potiretur. Verum istam oblatam conditionem, fratris importunitate victus, tum respuit. 362.

Sub

Sub Juliano Apoſtata, indignante tum patre tum fratre, Archiater Auguſtæ Domus & Bithyniæ quæſtor factus eſt, ita integer rectæque famæ Cæſarius, licet Chriſtianus noſceretur. Tentatus autem eſt a Juliano, & promiſſis & argumentis, ſed in fidei profeſſione immobilis perſtitit, unde exclamavit Julianus de parente Cæſarii, *O felicem parentem, O infelices parentis filios!* Mortuo Juliano Conſtantinopolim rediit, iisdemque muneribus ſub Valente functus, anno 368. apud Nicæam Bithyniæ Quæſtor degebat, dum omnem ferme hanc urbem inſolitus terræ motus ſubvertit: unde miraculo quodam Cæſarius ſalvus evaſit, quemadmodum narrat Gregorius Nazianzenus in oratione ipſius funebri, quam omnium in luctu concurrentium publice habuit. Mortuus autem eſt anno ſequente 369. die 25. Februarii juxta Romanum Martyrologium, die 9. Martii juxta Græcorum Menologium, cujus utraque Eccleſia natalem celebrat.

De illo ita ſcripſeram in ſpecimine primo hujus Operis, ſeu *Supplemento Bellarmini* de Scriptoribus Eccleſiaſticis pag. 39. „Extant ſub ejus „nomine editæ anno 1626. ab Elia Ehingero Au„guſtanæ Bibliothecæ Præfecto *Quæſtiones Theo„logica & Philoſophica numero LXXVIII.* Græce „& Latine ex interpretatione Joannis Leuncla„vii, quam emendavit atque ſupplevit. Item „in Bibliotheca Veterum Patrum editionis Pa„riſienſis 1644. tom. XI. pag. 545. habentur e„jusdem *Quæſtiones Theologica & Philoſophica „Græcolatina numero CXCV.* in Dialogos quatuor „diſtributæ, ex *Auctario* Bibliothecæ Patrum an„ni 1624. a Frontone Ducæo Burdegalenſi, e So„cietate Jeſu, qui omnium primus Græcum tex„tum ex MS. Codice nobiliſſimi Viri Franciſci „Olivarii Abbatis edidit. Harum ſane Quæ„ſtionum ſub Cæſarii fratris Sancti Gregorii „Nazianzeni nomine, extant MSS. exemplaria „Græca in multis Bibliothecis, ut in Regia Gal„lica, in Bavarica Monachienſi num. 102. hoc „titulo: *Cæſarii fratris Sancti Gregorii Theologi, „ſolutiones Quæſtionum CXCV. Theologicarum, „quas illi propoſuerunt Conſtantius, Theocharistus, „Andreas, Gregorius, Domnus, Iſidorus, Leontius.* „Item in Auguſtana numero 74. cum eodem „titulo, quamvis pauciores inveniantur, ac for„ſitan tantum illæ LXXVIII. quas Elias Ehinge„rus Auguſtanæ Bibliothecæ Præfectus 1626. „in 4. edidit. Sed in Catalogo Bibliothecæ Mo„naſterii, quod Inſula Pathmos in mari Ægæo „habet, quem Antonius Poſſevinus ad calcem „*Apparatus Sacri* pag. 142. refert, *Interrogationes „propoſitæ a diverſis Cæſario Gregorii Theologi fratri, „cum Reſponſionibus, ſunt CCXXI.* Quod conve„nit Photio, qui in *Bibliotheca* Codice 210. Opus „iſtud CCXX. capitibus conſtitiſſe memorat: „quod tamen hodie non ultra CXCV. Quæſtio„nes excurrit. Circa has Quæſtiones, duo aut „tria maxime obſervari vellem. 1. ex Photio „authorem eorum videri potius eſſe S. Gregorium Nazianzenum, qui hac ratione nomen „fratris ſui commendare poſteritati voluerit. „2. Dialogos illos eandem cum ſimilibus Eclo„garum libris aleam ſubiiſſe, hoc eſt, ab interpo„latoribus aliqua Gregorii Nyſſeni, Maximi Ab„batis, aliorumque poſterioris ævi Patrum ſeg„menta, infarta eſſe: quo factum eſt, ut Cæſa„rius illarum author a quibusdam poſt annum „a Chriſti natalibus 700. rejectus fuerit, quod „annotaſſe juvat. 3. Manuſcriptos Codices „maxime diverſos eſſe in numero Quæſtionum „& Reſponſionum, ut conſtat ex prædictis, eſt„que indicium incerti Scriptoris ac farragi„nis.“

Hæc ſcripſeram incertus ſententiæ, tum ob MSS. Codicum uniformem inſcriptionem, tum ob authoritatem Photii in *Bibliotheca* Codice 210. dicentis, *hujus libri authorem ferri Gregorium Theologum, qui fratrem ſuum ita clarescere voluerit.* Quo clarius dici nihil poteſt. In eandem ſententiam poſt Photium venerat, *Michael Glycas* in Annalibus, cujus ipſiſſima verba cum paginis profert Petrus Lambecius Lib. 4. *Bibliotheca Vindobonenſis* pag. 34. ad Codicem MS. CVII. Nicephorus Calliſtus Hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ Lib. 12. cap. 24. Joannes Leunclavius, qui has Quæſtiones interpretatus fuerat. Cæſar Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 25. Februarii. Ludovicus Morerius in *Dictionario Hiſtorico* tomo 1. verbo *Cæſarius* pag. mihi 100. quorum tamen omnium ſententiam meam amplexantium authoritate lapſum meum excuſare volo. Lecta itaque *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* Guillelmi Cavi, ſeculo 4. ad annum 370. pag. 201. ejusque penſatis rationibus, præclare eum hoc in argumento proceſſiſſe agnoſcens, a Cæſario nihil in re literaria poſteritati relictum fuiſſe arbitratus ſum, eſſeque ipſi ſuppoſitos *Dialogorum libros IV.* ſive *Quæſtionum quarundam Theologicarum & Philoſophicarum numero CXCV.* ob rationes quas aſſignat ibidem. “ 1. Enim“ 1.
Gregorius frater in Oratione quam in funere“
Cæſarii habuit, ubi minima quæque ad Cæſarii“
laudem facientia recenſet, horum Dialogo„
rum, imo vel ullius Scripti a Cæſario editi, ne“
verbo quidem meminit, neque ad id aſſeren„
dum ſufficiens eſt Photii in *Bibliotheca* Cod. 210.“
authoritas, harum nempe quæſtionum autho„
rem videri potius eſſe Gregorium Nazianze„
num, qui hac ratione nomen fratris ſui poſteri„
tati commendare voluerit. Præter quam“
enim quod noluiſſe cenſendus ſit Vir ſanctiſſi„
mus hac inſigni fraude Chriſtiano orbi fucum“
facere, ſi tale quid in animo habuiſſet, loco tam“
opportuno fraterni Operis mentionem non“
tacuiſſet. 2. Cæſarius erat ætate Juvenis,“ 2.
profeſſione Medicus, dignitate Quæſtor in ci„
vilibus negotiis & honoribus pene totus oc„
cupatus. Dialogi vero penitiorem rei Theo„
logicæ peritiam oſtendunt; agunt enim ma„
xima ex parte de SS. Trinitate, aliisque recon„

di-

„ditioribus Christianæ fidei mysteriis, adeoque „exhibent veteranum & subacti judicii Theolo-„gum, cui judice Photio Cod. 210. πρὸς τῶν
3. „δογμάτων ἀκριβέστερον ὀλίγων δεῖ. 3. Horũ Dialogo-„rum Author in ipsa inscriptione, totos viginti „annos Constantinopoli permansisse ibique do-„cuisse dicitur; Cæsarius autem nonnisi ad pau-„cos annos Constantinopoli substitit, neque ibi „Medicinam multo minus Theologiam docuis-„se legitur. Quosdam Photii ætate opus istud „Gregorio Theologo adscripsisse, ex eo in Bi-„bliotheca Cod. 210. liquet. Verum quam „sine ulla ratione id fecerint, videsis Jacobii Billii „argumentum, in Nazianzeni Orationem deci-
4. mam. 4. Nec illæ Quæstiones Cæsarii esse possunt, quem constat esse mortuum anno 368. vel 369. die 25. Februarii ex fastis Romanis. Qua ergo ratione potuisset in his Quæstionibus allegare tum Gregorium Nyssenum Episcopum, qui anno duntaxat 370. hanc sedem conscendit: tum Maximum Monachum, seculi 7. duntaxat scriptorem, quem anno 1662. die 13.
5. Augusti denatum esse constat. 5. Denique hæc omnia *Collectanea Quæstionum & Responsionum Theologicarum* sive in *sacram Scripturam*, seculum mihi 7. vel 8. vel 9. excedere antiquitate non videntur, quamvis speciosissimis nominibus insigniantur: quod omnibus attente considerantibus liquere potest, ex iis quæ dicta a me sunt in *Justino*, de Quæstionibus ipsi attributis: in *Athanasio*, de Quæstionibus ejusdem argumenti: in *Hilario Sardo* Romanæ Ecclesiæ Diacono, cui pari levique opinatione *Quæstionum*, quæ apud Augustini opera versantur, Collectanea adscripta sunt: in *Anastasio Sinaita* Antiocheno Episcopo, de quo nos quoque postea diffuse agemus, ob similium ipsi Quæstionum in Scripturam sacram farraginem affictam. Maneat ergo cum Cavo ac Billio locis citatis firma sententia, a Cæsario S. Gregorii Nazianzeni fratre nullum Scriptum posteritati commendatum esse.

Agunt de Cæsario fratre D. Gregorii Theologi, ipse Gregorius frater, qui Orationem funebrem in ejus morte habuit. Basilius Cæsariensis Episcopus, *Epistola 84.* Suidas in voce Καισάριος, ubi scripsisse illum *Varia* atque speciatim *contra Gentes* author est, quæ quidem unde acceperit, nescimus. Nicephorus Callistus *Historia Ecclesiastica* Lib. 12. cap. 24. Jacobus Billius præfatione in Orationem X. Nazianzeni, ubi Photii errorem emendat. tom. 2. Operum *D. Gregorii Nazianzeni* pag. 546. ex quo sua mutuatus est omnia Cavus. Cæsar Baronius *Annalium Ecclesiæ* seculo 4. ad annum 362. num 10. & sequentibus. 368. num. 9. Et in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem 25. Februarii. Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* tom. 2. seculo 4. pag. mihi 232. Plenissime omnium atque ad nauseam usque, Petrus Lambecius Lib. 3. *Bibliotheca Vindobonensis* ad Codicem Theologicum MS. LXXXI. & Lib. 4. ad Codicem CVII. pag. 31. ubi sententiam communem ac Photianam amplectitur, qui hos libros Gregorio Nazianzeno licet cum aliquanta formidine asseruit. Ludovicus Morerius in *Dictionario Historico* tomo 2. voce *Cæsarius* pag. 100. cum multis aliis, *Bolando* in Vitis Sanctorum ad diem 25. Februarii. *Godofrido Hermantio*, in Vita Gallica Sancti Gregorii Nazianzeni.

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS SANCTI BASILII CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA EPISCOPI.

PROLOGVS.

370. BAsilius cognomento Magnus, Cæsareæ in Cappadocia circa annum Christi 328. natus, patrem habuit Basilium, matrem vero Ejumeliam, Christianos ambos. Imbutus institutionibus divinis ab avia Macrina, a patre autem humanioribus primum literis, studuit primum Cæsareæ in Palæstina, unde Constantinopolin ad audiendum Libanium translatus, Athenas inde bonarum artium matrem profectus est. Habuit fratres ille duos ob morum probitatem & doctrinam inclitos, *Gregorium* ac *Petrum*, illum Nyssæ, hunc Sebastæ in Armenia Episcopum, duosque alios anonymos Monasticen professos, cum sororibus totidem, quæ & ipsæ seculo nuntio dato monasticam vitam amplexæ sunt. Athenis invenit Gregorium, quo nullus unquam Basilio conjunctior ob studiorum animique similitudinem, neque fratrum quidem ipsius ullus carior exstitit. Solitudinem ad philosophandum aptiorem ratus, in vastam illam, ab omni hominum strepitu remotam secessit, quam cum amico individuo instinctu pietatis consimili Gregorius amplexus postea fuit. Defuncto Eusebio Cæsariensi Episcopo, a quo Presbyter Basilius, antequam in eremum secederet, ordinatus fuerat: communi omnium voto, ejus successor designatus est sub anni 369. finem. Vitam Basilii per compendium, quotquot ferme de Operibus ipsius mentionem habent, scripserunt: ut Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, quos Bellarminus attigit, tom. 1. verbo *Basilius*, Ellias du Pin *Nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum* tomo 2. seculo 4. pag. mihi 154. ubi

ubi prolixiſſima Diſſertatione tum mores tum ſcripta Baſilii recenſet. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ ad annum 370. pag. 192. Ego pro more ex antiquis, pauca quædam referam verbotenus, ex quibus efficacius, quam ex recentiorum dictis, Baſilii probitatem atque doctrinæ eminentiam Lectores conjicient, antequam ad Operum excuſſionem progrediamur. Quamvis enim ſumma id cura factum eſſe ab Ellia du Pin olim credidiſſem, lecto tamen atque iterum relecto Baſilio, multa ab ipſo vel omiſſa vel diſſimulata eſſe animadverti.

CAPVT PRIMVM.

DE VITA ET DOCTRINA SANCTI BASILII CÆSAREÆ CAPPADOCVM EPISCOPI.

VT autem ad ſanctiſſimi Cæſareæ Cappadocum Epiſcopi vitam redeamus, audiamus eloquenter de illo pronuntiantem libro 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 26. Socratem. Ac Didymum quidem Arianis qui Alexandriæ erant, divina oppoſuit providentia: in aliis autem civitatibus Baſilium Cæſarienſem & Gregorium Nazianzenum, de quibus opportunum arbitror pauca commemorare. Sufficere quidem ad utriusque commendationem poterat, tum memoria illorum atque fama, quæ etiamnum apud omnes perſeverat, tum doctrinæ copia, quæ ex eorum libris quotidie percipitur. Sed quoniam tunc temporis Eccleſiis plurimum profuerunt, ac veluti fomites quidam fidei a Deo conſervati ſunt, inſtituti noſtri ratio poſtulat, ut illorum mentionem præcipue faciamus. Si quis igitur Baſilium & Gregorium inter ſe conferre, & utriusque vitam ac mores & quæ in illis fuerunt virtutes exponere voluerit, omnino anceps hærebit, utrum alteri præponat. Ambo enim inter ſe pares & æquales fuere, ſeu rectam vivendi rationem ſpectes, ſeu doctrinam, tam Gentilium quam Sacrarum Literarum. Nam cum eſſent adoleſcentes, celeberrimorum eo tempore Sophiſtarum, Himerii ac Prohæreſii Athenis auditores fuerunt: ac poſtea Antiochiæ in Syria Libanii ſcholam ſimul frequentantes, ad ſummum eloquentiæ culmen pervenerunt. Cumque digni ſophiſtico throno judicarentur, multi exhortati ſunt, ut ad docendum ſe conferrent. Aliis vero ad cauſas agendas eos hortantibus, utrumque vitæ genus aſpernati ſunt: abjectaque Rhetoricæ Artis diſciplina, Monaſticam vitam amplexi ſunt. Cum igitur Philoſophiæ præcepta ſub magiſterio ejus, qui tum Antiochiæ Philoſophiam docebat, paululum delibaſſent: paulo poſt comparatis Origenis libris, interpretationem ſacrarum literarum ex illis hauſerunt. Quippe ea tempeſtate per univerſum orbem celebris erat Origenis fama. In hujus igitur librorum lectione cum ſeſe exercuiſſent, adverſus Arianos fortiſſime decertarunt. Et quamvis Ariani libros Origenis ad dogmatis ſui, ut putabant, confirmationem adducerent: illi tamen eos redarguerunt, & Origenis doctrinam ab iis nequaquam intelligi demonſtrarunt. Ariani certe, eorumque fautor Eunomius, licet eo tempore diſertiſſimi haberentur: quoties tamen cum Baſilio & Gregorio in colloquium venerant, rudes omnino atque imperiti videbantur. Ac Baſilius quidem primum a Meletio Antiochenæ urbis Epiſcopo ad officium Diaconi promotus; inde ad ſuæ patriæ, Cæſareæ ſcilicet Cappadociæ Epiſcopatum evectus, Eccleſiarum curam ſuſcepit. Veritus enim ne Ariani dogmatis novitas Ponti quoque provincias depaſceretur, celeriter ad eas partes ſe contulit. Cumque illic Monaſteria conſtituiſſet, & cunctos ſuis prædicationibus inſtituiſſet, nutantes eorum animos confirmavit. Gregorius vero Nazianzi, vilis Cappadociæ oppidi, cui etiam pater ipſius ante præfuerat, Epiſcopus conſtitutus, eadem quæ Baſilius geſſit. Nam & ipſe urbes circumeundo, ſegnes & languentes in fide corroboravit. Sed præcipue Conſtantinopoli commoratus, Orthodoxos illic degentes prædicationibus ſuis confirmavit: eamque ob cauſam paulo poſt, multorum Epiſcoporum ſuffragio Epiſcopus illius urbis eſt conſtitutus. Porro cum ad Valentis Imperatoris aures perlata eſſent, quæ ab utroque horum gerebantur, confeſtim Baſilium ab urbe Cæſarea Antiochiam abduci jubet. Sine mora igitur adductus, Imperatoris præcepto, ad tribunal Præfectorum ſiſtitur. Interrogatusque a Præfecto, cur Imperatoris fidem non amplecteretur: multa cum fiducia Baſilius religionem quidem Imperatoris reprehendit, fidem vero conſubſtantialis aſſeruit. Cumque Præfectus mortem illi interminaretur: Vtinam, inquit Baſilius, hoc mihi contingat, ut pro veritatis defenſione corporis vinculis liberer. Deinde cum Præfectus monuiſſet, ut rem attentius apud ſe conſideraret, reſpondiſſe fertur Baſilius: Ego quidem & hodie & cras idem ſum: tu vero utinam te non mutares. Ac tum quidem Baſilius eo die ſub cuſtodia manſit. Accidit vero non multo poſtea, ut parvulus Valentis filius, nomine Galates, in gravem morbum incideret, adeo ut medici de ſalute ejus deſperarent. Mater autem pueri Dominica Auguſta, Imperatori affirmavit ſe per ſomnium horrendis quibusdam viſis vexatam fuiſſe, puerumque male habere propter contumeliam Epiſcopo illatam. Hæc Imperator ſecum ipſe reputans, Baſilium accerſit, & ut periculum ejus faceret, ita eum alloquitur: Si vera eſt doctrina fidei tuæ, ora ne moriatur filius meus. Tum Baſilius: Si credideris, inquit, o Imperator, quemadmodum ego credo, & ſi adunata fuerit Eccleſia, vivet puer. Sed cum

„Imperator minime aſſentiretur, Fiat igitur, ait „Baſilius, de puero quodcunque Deus voluerit. „Hæc cum dixiſſet Baſilius, Imperator eum di„mitti præcepit. Puer autem non multo poſt, „ex hac vita migravit. Atque hæc de iſtis viris „obiter, quaſi compendio dicta ſint. Porro uter„que eorum multos eximios libros conſcripſit „atque evulgavit: ex quibus nonnullos a ſe in „latinum ſermonem converſos eſſe teſtatur „Rufinus. Cæterum Baſilius duos habuit fra„tres, Petrum & Gregorium. Sed Petrus qui„dem monaſticam Baſilii vitam æmulatus eſt: „Gregorius vero ejus in docendo eloquentiam: „qui & librum Baſilii de opere ſex dierum, quem „ille imperfectum reliquerat, poſt obitum fra„tris ſupplevit: & Orationem funebrem in lau„dem Meletii Antiochenſis Epiſcopi Conſtanti„nopoli recitavit. Extant & aliæ plures Ora„tiones ab eo conſcriptæ de illo quoque lib. 4. „cap. 11. Sozomenus lib. 6. *Hiſtoriæ* capp. 15. 16. & 17. Cap. quoque 34. ubi meminit *Prapidii, qui jam provecta ætate multis in vicis Epiſcopi munere fungebatur. Erat etiam Præpoſitus Baſiliadis quod eſt celeberrimum Ptocotrophium a Baſilio Cæſarienſi Epiſcopo conſtructum: a quo cognomentum initio capit & adhuc retinet.* Theodoritus lib. 4. *Hiſtoriæ* cap. 19. & præfatione in Cantica Canticorum. Gregorius Nazianzenus Epiſtola 8. & 38. & in Oratione quam de laudibus ejus habuit, & alibi. Cum autem annis octo & menſibus aliquot præfuiſſet, anno ineunte 379. Calendis Januarii in Domino obdormiit, Romanis Faſtis & Menologio Græcorum ad eandem diem adſcriptus. Hæc præclara ad commendationem Doctrinæ Sancti Baſilii, de cujus Operibus agit S. Hieronymus in Catalogo *Virorum illuſtrium* cap. 116. juxta Cavum, juxta me 126. „Baſilius „Cæſareæ Cappadociæ quæ prius Mazaca voca„batur, Epiſcopus, egregios contra Eunomium „elaboravit libros, & de ſpiritu ſancto volumen „& in Hexaëmeron homilias novem & ἀσκητικὸν, „& breves variosque tractatus. Moritur Imperante Gratiano.

Jam ad eruditorum de Baſilii eloquentia judicium procedamus. Ipſe Libanius Rhetorum hoc ſeculo extra controverſiam princeps, & a religione noſtra alienus, in Eruditorum corona poſitus, acceptis a Baſilio literis: *νὴ τοὺς μούσας*, exclamavit, Epiſtola inter Baſilianas 145. Rogatus dicti rationem, reſpondit *ἐν καλλει μὲν ἐπιστολῶν νενίκημαι: In elegantium Epiſtolarum certamine victus ſum, & Baſilius eſt qui vicit, is autem amicus noſter eſt: & eam ob rationem gaudeo.* Lectis palam literis, eadem ab omnibus ſententia lata eſt. Philoſtorgius lib. 8. *Hiſtoriæ* cap. 11. 12. & 13. referente Photio in *Bibliotheca*, Cod. 40. & in amplioribus excerptis quæ Valeſius edidit anno 1677. Pariſiis, poſt Hiſtorias ſimul collectas Euſebii, Socratis, Sozomeni, Theodoriti & Evagrii, *Impius iſte Scriptor licet invitus Baſilium Magnum & Gregorium Theologum ſapientiæ cauſa admiratur. Nazianzum vero patriam Gregorii, Nadianzum etiam nominat. Apollinarem tamen Laodicenum, quod quidem ad ſacras literas pertinet, utrique anteponit. At Baſilium quidem Apollinare ſplendidiorem eſſe dicit in panegyricis. Gregorii vero ſi cum utroque comparetur, magis fundata ad ſcribendum fuit oratio. Et Apollinare quidem uberior fuit in dicendo, Baſilio autem firmior.* Idem Photius in *Bibliotheca* Baſilii mentionem facit Codd. 128. 141. 142. 148. 144. 191. Suidas in verbo Βασίλειος. De ſtylo ejus ſententiam Photius profert Cod. 141. *Ὁ κρυτοκώτατος καὶ ἄριστος ἐν πᾶσι τοῖς αὐτοῦ λόγοις ὁ μέγας Βασίλειος, λέξει δὲ καθαρᾷ καὶ εὐσήμῳ καὶ κυρίᾳ καὶ ὅλως πολιτικῇ καὶ παιηγυρικῇ, δεινὸς εἴ τις ἄλλος, χρῆσασθαι. νοημάτων τάξει καὶ καθαρότητι πρῶτος, ἀλλ' ἡδονῆς δεύτερος. πιθανότητός δὲ καὶ γλυκύτητος καὶ γε λαμπρότητος ἐραστὴς, καὶ ῥέων τῷ λόγῳ, καὶ ὥσπερ ἐξ αὐτοσχεδίου πηγάζων τὸ ῥεῦθρον. Judicio callentiſſimus & præſtantiſſimus eſt in libris omnibus: pura etiam dictione, ſignificante, propria, & omnino civili ac panegyrica, ſi quis alius, uti novit: ſenſuumque ordine ac puritate primus & nemini ſecundus apparet. Jam perſuadendi quoque vim ac jucunditatem cum perſpicuitate amat, atque ita ejus fluit oratio, quaſi ultro tanquam e fonte rivulus ſcaturiret.* Subdit neminem, qui hunc ſibi recte propoſuerit, ullum alium, ne quidem ipſum Platonem aut Demoſthenem deſideraturum eſſe. Photium quoque ſequitur in judicio, Philotheus Patriarcha Conſtantinopolitanus qui anno 1362. florebat, in Sermone Encomiaſtico *de tribus Hierarchis*, Baſilio, Gregorio Theologo & Joanne Chryſoſtomo, quem Græce & Latine Jacobus Pontanus cum Dioptra Philippi Solitarii edidit Ingolſtadii 1604. in 4. & Fronto Ducæus in *Auctario Patrum* Pariſiis 1624. tomo 2. pag. 313. ubi hoc Baſilii ſingulare eſſe obſervat, tanto de ſingulis vigore diſſerere *ὥσπερ τινα ψυχὴν τοῖς ἀψύχοις λογοις ἐμπνέειν: ut animam quandam ſermonibus inanimatis inſpirare videatur.* Agunt autem de diverſis Operum S. Baſilii Cæſareæ Cappadocum Epiſcopi editionibus, inter cæteros Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Baſilius.* Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ ad annum 370. p. 195. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* tomo 2. ſeculo 4. in Baſilio pag. mihi 199. quas illic Lector quærat. Bellarminus Latinam Baſilii Operum editionem anni 1540. exhibuit, & Labbeus Græco-latinam Pariſienſem anni 1618. duobus tomis in fol. Ego Pariſienſem ultimam omnium ampliſſimam, Græce & Latine 3. in fol. tomis anno 1638. apud Claudium Sonnium via Jacobæa ſub ſcuto Baſilienſi hic ſequar.

CAPVT SECVNDVM.

DISCVSSIO EORVM, QVÆ TOMO I. BASILIANORVM OPERVM CONTINENTVR.

TEſtatur quidem Caſſiodorus lib. 1. *de Divinis Lectionibus* cap. 1. Baſilium quidem Commentarios

mentarios edidiſſe in omnes fere Divinæ Scripturæ libros: quod ego non intellexerim quemadmodum Ellias du Pin in *Baſilio* pag. 180. quaſi ſcripſerit ille in omnes Scripturæ libros poſitive atque ex profeſſo, ſed pro concionibus ad populum, aſſumptis identidem omnium ferme Scripturæ librorum textibus, illam hoc modo ferme integram explicuiſſe, atque in illam commentatum eſſe. Inter has autem *Homiliæ IX. in Hexaemeron*, quas nullis niſi Divinitus inſpiratis libris cedere debere, affirmat frater ejus Gregorius Nyſſenus Epiſcopus in Hexaemeron pag. 5. quæ maximam admirationem merentur, teſte Suida, verbo βασίλειος. Has Homilias, quarum mentionem facit S. Hieronymus in Catalogo *Scriptorum Eccleſiaſticorum* cap. 126. Socrates lib. 4. *Hiſtor.* cap. 26. Gregorius Nazianzenus Oratione in laudem Baſilii, accuratiſſime & elegantiſſime olim, teſte Caſſiodoro lib. 1. *Divinarum Lectionum* cap. 1. pag. 445. in Latinam linguam translatos, circa annum 440. Euſtachius quidam ſorori Syncleticæ dedicavit: quæ extant in editione Operum S. Baſilii Pariſienſi 1603. Antwerpienſi 1616. Impreſſa autem iſta Euſtathii interpretatio Homiliarum S. Baſilii in Hexaëmeron, Pariſiis anno 1520. Jacobo Fabro procurante, apud Badium Aſcenſium, quam habes quoque in editione Bibliothecæ Patrum Pariſienſi 1644. tomo 1. pag. 1467. Joannes Argyropilus Byzantinus anno circiter 1350. clarus, alteram harum Homiliarum in Latinam linguam verſionem aggreſſus eſt, quam a Godefrido Tilmanno Carthuſiano Pariſienſi paucis in locis recenſitam, in omnibus Græco-Latinis Baſilii Operum editionibus, legimus.

Homiliæ duæ de Creatione hominis, quas nonnulli germanas eſſe Baſilii contendunt, alii autem Gregorio Nyſſeno Baſilii fratri adſcribunt, qui imperfectum defuncti Baſilii opus abſolvere & conſummare voluerit. Habentur autem & illæ inter Opera S. Gregorii Nyſſeni Epiſcopi, tomo 1. paginis 139. & 153. de quibus agemus ſuo loco. Contendit Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* verbo Baſilius pag. 180. nulla ratione nixus, has duas homilias eſſe Divi Baſilii, cujus a ſtylo non abhorrere illas aſſerit. Sed fallitur Ellias du Pin, cui contrarius eſt D. Hieronymus, qui Homilias tantum IX. Baſilii in Hexaëmeron enumerat loco citato: contrarius Socrates lib. 4. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 26. ubi aſſerit Gregorium, *librum Baſilii de opere ſex dierum, quem ille imperfectum reliquerat, poſt obitum fratris ſuppleviſſe.* Contrarius Caſſiodorus, lib. 1. *Divinarum Lectionum* cap. 1. qui notat a Baſilio in Homiliis de opere ſex dierum, *non explicatam eſſe creationem hominis.* Quis ergo contra tot teſtes, tam vetuſtos, novus inſurgere audeat? Falſum quoque eſt has homilias duas eſſe Baſiliani ſtyli: ſunt enim longe inferioris, licet & ornatum qualemcunque habeant. Conveniens ſane fuit, ut Gregorius Nyſſenus, qui Opus Baſilii perficere volebat, eodem quoque modo omiſſam ab eo hominis creationem, per homilias nimirum duas, qua Baſilius ratione proceſſerat, explicaret.

Homiliæ XVII. in quosdam Pſalmos, pag. 107. Ad commodiorem vero Operum S. Baſilii intelligentiam, non parum conferre poteſt Franciſci Combefiſii, amici olim noſtri, *Baſilius Reſtitutus*: in quo ex fide MSS. Codicum textum emendavit, auxit, illuſtravit, & verſiones recenſuit. In hoc autem Opere Pariſiis 2. in 8. tomis anno 1679. edito, varia ſunt, ad cenſuram Operum D. Baſilii, lectu utilia, maxime quoad homilias in Pſalmos, quarum occaſione de hoc Opere egimus. Prologus ergo his homiliis XVII. in *Pſalmos* præmiſſus, unum idemque Opus eſt, cum Prologo qui Commentariis Divi Auguſtini in Pſalmos præfixus eſt: unde neceſſario alius quispiam anonymus, illum in Latinam linguam translatum his Commentariis præmiſit, quos prologo caruiſſe, incongruum opinatus eſt. Neque enim videtur a Latina lingua in Græcam translatus. Ex his autem Homiliis S. Baſilii in Pſalmos, Combefiſius loco citato rejicit 2. homiliam in Pſalmum 28. quæ præcedentis tantum repetitio atque compendium eſt, quæque in plerisque melioris notæ MSS. Codicibus non reperitur. Quis enim credat Baſilium, hominem judicio ac prudentia maximum, bis eandem cantilenam repetiiſſe? Idem Combefiſio judicium de Homilia in Pſalmum 37. quam a ſtylo homiliarum cæterarum plurimum differre aſſerit. Fallitur Ellias du Pin, dum Homilias Baſilii in Pſalmos XXII. pag. 181. recenſet, quæ ſunt tantum XVII.

In editionibus Latinis Operum D. Baſilii, Pariſienſi 1566. Antwerpienſi 1578. & altera Pariſienſi 1603. Commentarius *in Pſalmos*, qui ad calcem rejectus, nihil aliud eſt quam Collectio Commentariorum *Chryſoſtomi & Theodoreti*, Baſilio recentiorum Scriptorum. Nam ea quæ in primum Pſalmum ſcribuntur & in alios tredecim ſequentes, ex Chryſoſtomi homiliis in Pſalmos in Compendium redactis decerpta ſunt. Et quia non extabant Homiliæ Chryſoſtomi in 15. 16. 17. usque ad 42. Conſarcinator Theodoreti verba exſcripſit. Hæc fuſius notavit Poſſevinus in *Apparatu Sacro* verbo *Baſilius*. Idem quoque cenſet Fronto Ducæus Notis in *Baſilium*, in Appendice pag. 19.

Homiliæ XXXI. de diverſis argumentis p. 276. In prima quidem editione Græca Operum Divi Baſilii apud Frobenium Divi Baſileæ anno 1532. Homiliæ *de diverſis* ſunt tantum XXIX. quæ paulatim accreverunt ad XXXI. Harum nonnullas a Volaterrano in latinum converſas, Coloniæ anno 1531. impreſſas videre eſt. Has inter extant Homiliæ II. *de jejunio*, quarum primam allegat D. Auguſtinus lib. 1. contra Julianum, ubi refert adhuc nonnulla alia loca, quæ hic allegaret Hæreticus, ex Opere quodam *S. Baſilii* adverſus Manichæos, quod interiit. Quantum ad alteram *de jejunio* homiliam Era-

ſmus illam Baſilio ſuppoſitam aſſerit, nec temere ut vult Ellias du Pin p. 183. ſed merito, ut legenti mihi eam ac relegenti conſtitit. Eſt enim alterius præcedentis quædam imitatio, ſtylo ab illa omnino diverſa, quæ Baſilio indigna eſt. Neque juvat, quod allegetur illa a Joanne Damaſc. & Enthymio, qui cum a Baſilii temporibus maxime remoti ſint, falli hac in parte facillime potuerunt. Poſt hos autem ſermones duos *de jejunio* pag. 276. & 286. addi poſſent ſi indubia crederentur opuſcula, Sermo ſeu Homilia *de jejunio*, quam cum altera in caput 6 *Proverbiorum* edidit Græce & Latine ex fide MSS. Codicum Bibliothecæ Regiæ & Colbertinæ, Joannes Baptiſta Cotelerius tom. 1. *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* pag. 28. & ſequentibus. Vtramque hanc a Cotelerio productam, cenſet non indignam Baſilio concionem Ellias du Pin: ſed an ita ſe res habeat, alii judicent.

Homilia XXV. de *diverſis* pag. 504. ad pag. 513. εἰς τὴν ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γένεσιν a Guilielmo Cavo T. 2. ſeu parte 2. *Hiſtoriæ Literariæ* ad p. 192. partis primæ, creditur Divo Baſilio Magno ſuppoſita, tum quia voce θεοτόκος utitur, tum quia ſcriptor infectus fuiſſe videtur Hæreſi Antidicomarianorum ſeu Helvidianorum, qui Mariam fuiſſe *ſemper virginem* negabant. At ſtylus Orationis iſtius S. Baſilium Magnum maxime refert, ac Fronto Ducæus qui Notas in Baſilii opera ac orationes eruditas conſcripſit, hanc ut legitimam agnoſcit, nulla ipſi impacta nota ſuppoſitionis. Imo verba Baſilii quæ in pravum ſenſum verti poterant, excuſat & benigne interpretatus in Notis ad Tomum 1. pagg. 49. & 50. quem hic verbotenus deſcribemus.

Ita in Notis pag. 49. litera C. 9. „ *Veruntamen* „ *ne hoc*, imo addit, *Veruntamen quoniam eorum* „ *qui Chriſtum amant, aures ferre non poſſunt, quod* „ *Dei Genitrix deſierit eſſe virgo:* paulo poſt editioni Baſilienſi addidimus ex Auguſtana, τὸ ἀπαρθενίας σημαίνει, *Perpetuitatem ſignificat.* Porro „ad fidem pertinere beatiſſimam Dei Genitricem virginem in partu fuiſſe & poſt partum, „conſtat ex Concilio Oecumenico Conſtantinopolitano Conſult. 8. Can. 6. ubi ἀειπαρθένος „*ſemper virgo* appellatur, & a Taraſio Patriarcha „in Epiſtola ad ſummos Sacerdotes in 7. Synodo, „& Concilio 1. Lateranenſi Conſult. 5. Can. 3. „Et ex eo quod tanquam hæretici damnati ſunt, „quod id negabant, Antidicomariani apud Epi„phanium hæreſi 78. & Helvidiani apud Augu„ſtinum *de hæreſibus* cap. 84. Quod vero hic ait „Baſilius, *Nihil doctrinæ pietatis officere, ſi non ne*„*gaſſe nuptialia opera viro beatam Virginem quis* „*ſuſpicetur*: non hoc dicit, quaſi liberum ſit „utrumvis opinari, ſed id nihil referre ad myſte„rium ab Iſaia prædictum, de quo agebat, & ita „ad illius explicationem non anxie conjungen„dam eſſe Virginitatem poſt partum. Porro „abſolute ad fidem & pietatem id pertinere, ma„niſeſte indicavit, proxime ſequentibus verbis, „cum ſubjunxit, *hoc fidelium aures ferre non poſſe,* Ita locum hunc tuetur Gabriel Vaſquez in 3. „partem S. Thomæ Diſputatione 121. cap. 6. & „Petrus Caniſius *de Maria Deipara* lib. 2. cap. 10. „De Antidicomarianitis Carolus Dufreſnius in *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis* columna 83. his verbis. „ Ἀντιδικομαριανῖται Hæretici Ara„bes, qui Mariam poſt Chriſtum natum viro ſuo „commixtam eſſe volunt, de quibus Epiphanius „Hæreſi 78. Facundus Hermianenſis lib. 8. cap. 7. „Sexta Synodus Act. 11. Chronicon Alexandri„num pag. 482. & Synaxarium Calliſti in Pen„tecoſtario γ 6. ν & Helvidiani apud Auguſti„num *de hæreſibus* cap. 84. „

Quod autem Maria perpetuo virgo per„manſerit, etiam Zachariæ declarat Hiſtoria „quædam, quæ ex traditione ad nos pervenit. „Fronto Ducæus ad eandem Homiliam in Notis pag. 50. eandem narrat hiſtoriam quæ ex Protoevangelio S. Jacobi Apoſtoli fabuloſo deſumpta eſt, ob quam Cavus homiliam ſuppoſitionis arguit. Sed Hiſtoriam hanc non ſolus Baſilius allegavit, teſte enim Frontone Ducæo in Notis loco citato, Frater ejus Greg. Nyſſenus Homi„lia *de Chriſti Nativitate* p. 777. item apud Origenem Tractatu XX. in Matthæum, & apud Cy„rillum adverſus *Anthropomorphitas* legitur. At „S. Hieronymus in 23. cap. Matthæi, non admo„dum fide dignam eſſe innuit. Idem cenſent „Theophylactus & Euthymius in Matthæum. „Petrus etiam Alexandrinus in Epiſtola Cano„nica, aliam necis Zachariæ occaſionem pro„fert. „ Hæc ad hanc Homiliam Fronto Ducæus in Notis ad Baſilium pagg. 49. & 50. quæ ex diffuſiore ſtylo contraximus, relictis citationibus prolixioribus.

Homilia quoque XXXI. ſeu ultima *de libero arbitrio* p. 544. quæ incipit ὡς ἐνυπάρχει ὁ θεῖος νόμος &c. *Quibus ineſt Divina Lex &c.* valde mihi ſuſpecta eſt. Quanquam enim hujus ſermonis Græca dictio D. Baſilio haud indigna ſit, attamen ex compoſitionis ratione, indigna prorſus iſto Rhetore eſt: qui ubique Scriptorum atque homiliarum, in figuris exprimendis brevis ſimul atque recreans, non lectorem ad ſomnum usque fatigans, & laſſitudinem. Hic autem infantis more atque pueraſcentis, perpetuam repetitionem atque viro non dicam gravi, ſed etiam judicio mediocri parum convenientem ingerit: quæ Baſilium authorem negat. Orditur repetitio iſta a voce ὅυπω ἐκληρονομήσαμεν τὴν γῆν τῆς ἐπαγγελίας pag. 545. *Nondum terram promiſſionis ſorte comparavimus &c.* prolixitate infanda usque ad paginam 545. qua tandem ceſſante, alteram puerilitate conſimili orditur a voce πῶς, *Quomodo:* ejusdem tædii atque inſipiditatis. Tum pag. 547. multis ſimul & conſequenter exclamationibus factis (quod D. Baſilio quoque inſolitum) tertia repetitione, eaque non minus inſulſa hunc ſermonem concludit, pag. eadem 597. occaſione *Ignis Dei conſumentis*, τοῦτο τὸ πῦρ ἐνήργησε, *Hic ignis operatus eſt in Apoſtolis &c.* usque ad finem. Neque

que enim duntaxat ad verba, ſed ad formam etiam homiliarum attendendum eſt, antequam determinatis attribuantur authoribus: quibus ſæpe convenire non poſſunt.

De Baptiſmo libri duo pag. 548. de quibus Veteres omnes ſilent.

De vera Virginitate Liber 1. pag. 609. Hujus opinantur nonnulli Gregorium Nazianzenum Operis mentionem facere Oratione funebri in laudem Baſilii; ſed incertum iſtud eſt: opinantibus aliis, Gregorium locutum illic *de Epiſtola* quadam inſigni Baſilii *ad Virginem lapſam*, quam hortatur ad pœnitentiam, ut legitur tomo 3. Operum Divi Baſilii pag. 13. ad 19. Suidas autem qui ſeculo duntaxat X. florebat, circa annum 980. meminit hujus Voluminis *de Virginitate* in *Lexico* verbo βασίλειος: Sed jam quæſtio eſt, utrum hoc, de quo agimus, ſit ipſum genuinum Opus Baſilii, an aliud ipſi ſuppoſitum? Legitimum ac Baſilii cenſent omnes fere Pontificii, Bellarminus in Opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 370. in *Baſilio*. Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus recenſuit, tomo 1. verbo *Baſilius Cæſarea Archiepiſcopus*. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* tomo 2. ſeculo 4. verbo *Baſilius* pag. mihi 182. aſſerens nimia confidentia habere Baſilianum ſtylum. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ* ſeculo 4. ad annum 370. pag. 193. Contra ſentit Godefridus Hermantius, Bellovacenſis Canonicus in Vita Sancti Baſilii Gallica, vir acris ingenii & judicii recti, qui Opera Baſilii attenta meditatione legerat. Librum ergo ſeu tractatum *de vera & integerrima Virginitate ad Letojum Melitenſem Epiſcopum* pag. 609. & ſequentibus evulgavit Græce, & Latine interpretatus eſt Ambroſius Camaldulenſis, vir ſcriptis clariſſimus, ex MS. Codice Bibliothecæ Florentinæ. Quem autem ſtatim allegavimus Godefridus Hermantius in ea Vita, quam Gallice *de Sanctis Baſilio Cæſarienſi & Gregorio Nazianzeno* Epiſcopis conſcripſit, abnegare hunc Baſilio tractatum conatur, variis rationibus. 1. ex inſcriptione tituli *Ad Letojum Melitenſem Epiſcopum*, cujus tempora cum ſancti Doctoris temporibus non conveniunt: unde & Opus & ipſam inſcriptionem falſi arguit: quod non modicum ſuppoſitionis argumentum eſt. 2. Aliud mihi longe validius argumentum videtur ſumma & omnimoda ſtyli diſcrepantia hujus Operis, cum aliis omnibus divi Baſilii homiliis, tractatibus & Epiſtolis: quam quisque Græce vel modice doctus, nullo negotio agnoſcet atque fatebitur. Vnde miror diverſitatem ſtyli non adnotaſſe Elliam du Pin quem Græci idiomatis gnarum audio: vel enim infanti in Græcis illa pateret. Baſilius enim in aliis omnibus & Opuſculis & Epiſtolis, perſpicuus, planus, obſcuritate omni remota, brevisque in periodis, ne Lectori tædium inſerat. Hic autem e contra a capite ad calcem operis, prolixus, intricatus, atque perio-

1.

2.

dorum perplexam affectatamque connexionem, obſcuritatem ſimul & prolixitatem efformans: quam & recte annotavit dictus Hermantius loco citato, qui attentioribus ſane oculis hunc tractatum legit, quam Ellias du Pin. Certe ubi indubia Baſilii Opera ter quaterque volvi, atque ad hunc tractatum acceſſi: Orbem quaſi novum, ſeu Americanam regionem ab aliis remotiſſimam ingredi mihi viſus ſum, nihil illic Baſilii agnoſcens, etſi quater aut quinquies attentione maxima legerim. Sunt & aliæ rationes, quibus hoc Opus D. Baſilio negamus. 3. igitur affectat Scriptor iſte Comparationes, quas cum fecerit, illarum in applicationibus, voces cum affectatione repetit, ut æquitatem earum probet. Quod puerile prorſus eſt, & nunquam Baſilius in aliis Operibus egit, virumque gravem non ſatis decet. Sic pag. 624. habet comparationem *amoris cum igne*. pag. 625. *alteram cum lapide in ciſternam miſſo*. pag. eadem alteram, quam latiſſime proſequitur, *de milite* qui domus poſſeſſionem ſibi, per armorum depoſitionem vendicat, dum in procinctu obſidionis eſt. pag. 141. integra comparat *mentem hominis cum pictore*. pag. 642. alteram affert *de maculis corporis exuta veſte apertis*. pag. eadem & ſequentibus, habet comparationem *mentis hominis cum arte exceptoria*. pag. 657. habet alteram *de oleo & aqua ſimul mixtis*, quæ nonniſi ſejuncta, ad nativam puritatem & perfectionem redeunt. pag. 660. alteram *de imaginibus cereis*, quas radii ſolis liquefaciunt. Vnde omnis ferme Tractatus in comparationibus occupatur, quas pueriliter & cum ſcrupulo repetitas verbotenus adaptat, ne pravas egiſſe comparationes videatur. Hoc autem nullibi Operum Divi Baſilii invenietur. 4. paginis tribus integris 616. 617. & 618. occupatur anxie omnino, ad probandum quod nec corpori abblandiri debeamus, nec in illud nimium deſævire: ne anima ipſi attrito occupata, dum illud ad exercitia vitæ aſceticæ inutile eſt, divinis ab obſequiis retardetur. Affectata autem iſta tanta præcautio, per tres paginas integras inculcata, non habet judicium, & contraire ingenio D. Baſilii ad corporis macerationem ſemper proclivi, videtur. 5. pagina 640. ut avertat virginem, ne clanculum aliquid profeſſione ſeu integritate indignum agat, ait eam eſſe inſpectam non tantum ab Angelis, ſed etiam a Sanctorum Patrum beatiſſimis ſpiritibus: *οὐδεὶς γὰρ ἐστὶν ἐξ ἐκεῖ πανταχῆ κατοπτὴς, Nullus enim ex illis eſt, qui non ſingula ubique conſideret.* Quis autem credat, in cœlis quemque Beatum, omnia hominum vel virginum, ſingula & occulta intueri? 6. pag. 643. & ſequentibus multis, iſtum locum Apoſtoli, *Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium, quosdam vero & ſubſequuntur*, 1. ad Timoth. 5. v. 24. ita interpretatur, ut non certam ſingulis hominibus ſpeciatim, Dei judicio decretam vel poenam vel gloriam dicat: ſed vel hanc vel iſtam creſcere ſucceſſu temporum, atque effe-

3.

4.

5.

6.

ctuum in beatis vel damnatis, quo plures ab ipsis ad bonum vel ad malum eruditi, illas ad partes accesserint. Quod de Doctoribus vel Hæresiarchis, ob doctrinam bonam vel malam, positive affirmat. 7. Indignum viro gravi atque pudico, qualem Basilium maxime fuisse omnes sciunt, ut scribendo ad Virgines, easque ad animæ corporisque integritatem, ad quinque sensuum corporis exactissimam custodiam exhortando: tot verbis naturales marium ad fœminas, &fœminarum ad mares, pruriginis scintillas aperiret explicaretque: & hoc modo ad Tractatum *de Virginitate*, ingressum sibi sterneret. Hoc autem iste Scriptor, utcunque inverecunde agit pag. 611. 612. 613. 614. *τὶ γὰρ ἄν τις καὶ περὶ τῶν παιδογόνων μορίων ἔτι καὶ λέγοι; Quid enim quis & de genitalibus membris adhuc & dicat?* Quod idem paucis adhuc perstringit, pag. 656. *Est enim gravis ac vehemens insita masculinis corporibus adversus fœminas, flagrantis concupiscentiæ vis &c.* 8. 8 Quæcunque iste Author plena manu adversus Eunuchos colligit ab his verbis paginæ 675. *οἱ γὰρ τὸ ὅπλον τῆς σαρκικῆς ἡδονῆς, ἵνα μὴ παρὸν ἐνεργῇ ἀπορρίψαντες, δῆλοί εἰσιν, ὅτι ἐς ἔστι ἐν πρὸς τὴν μῖξιν. Nam qui arma carnalis voluptatis, ne præsentia operarentur, abjecerunt: declarant quod contendunt quidem ad concubitum &c.* & prosequitur paginis 676. 677. 678 679. repugnant etiam pudori, neque talia Virginibus enarrasset Basilius, quas tanta ille sollicitudine ad integritatem ut corporis ita & mentis edocebat. Vnde hic Scriptor imprudentiæ suæ conscius, pag. 680 excusationem denudatæ nimium Virginibus marium fœminarumque infirmitatis, affert his verbis. *μηδεὶς δὲ ἀπιστησάτω τῷ λόγῳ, ὡς παρὰ τὸ πρέπον τῷ παρθενικῷ ἤθει, εἰς τὴν θεωρίαν τῆς Φύσεως τῶν ἄρρενος, ἐμβαθύνοντι. Nemo autem sermonem redarguat, velut præter virgineos mores decens, ad considerationem naturæ masculi, ingressum.* Atque huic patet, excusationem horum pudendorum detectorum, a Papistis allatum, esse nullam: Nempe quod hi libri non a Basilio ad Virgines, sed ad Letojum Episcopum missi sunt, cui minori verecundiæ damno mentem suam aperire, quam Virginibus, potuerit Basilius. Nam Basilius intendit, ut ista Virginibus exponantur & dentur quæ ad Letojum ille mittit & scribit. Excusationis autem Author rationem falsissimam, & Divo Basilio indignissimam profert: nempe *quod nulla Virgo, annos pubertatis assecuta, ignoret aliquid eorum quæ marium natura sint, cujus ex latere educta est.* Absurdam plane rationem, pudendorum detegendorum. *πρῶτον μὲν ὅτι ἀδύνατον οὕτω νηπίαν ἐτι παρθένον ἡβῶσα τῷ σώματι, ὡς ἀγνοεῖν τι τῶν ἐν τῇ Φύσει αὐτῆς, ἢ τῆς πλευρᾶς ἐς ἀπεσπάσθη.* Hoc autem falsissimum, omnes sciunt. Quamvis enim multæ, ad annos pubertatis adductæ, quæ sint utriusque sexus propria, noverint: nonullæ tamen sunt, nec paucæ, ita pudice & solitarie educatæ, quæ longe etiam post annos pubertatis obtentos, ista naturæ & voluptatis secreta ignorent. Vnde vix puto, ita miseram ab authore, imprudentiæ suæ rationem, reddi potuisse. Ita nos contra Guillelmum Cavum in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 270. pag. 193. Ludovicum Elliam du Pin in *Nova Bibliotheca Authorum Ecclesiasticorum*, tomo 2. pag. mihi 182. editionis Amstelodamensis.

Objicies Suidam hujus *de Virginitate* operis meminisse in *Lexico*, ubi de Scriptis D. Basilii agit, ut præmissum est in testimoniis Veterum huic editioni præfixis. Addere potes & testimonium Symeonis Metaphrastæ, qui in Sermonibus suis ex Divo Basilio collectis, nonnulla adducit, quæ habentur in hoc opere *de Virginitate* pag. 648. Litt. B. *καὶ τὰς μὲν συμπαθεῖς εἶναι σπουδάζοντας, πρὸς τὰ πάθη πάντως ἐμαλάκυνε: τὰς δὲ τὸ ἐλεεῖν φεύγοντας, ἀνηλεῖς, καὶ ἀπανθρώπους ἐποίησεν &c. Et qui misericordes esse studerent, ad vitia male emollivit: qui vero misericordes esse renuerant, immites immanesque declaravit.* Responsio hujus argumenti prompta, remotiorem fuisse Suidam a Divi Basilii temporibus, quam ut ei afferere hoc Opus posset. Idemque multo magis de Symeone adhuc recentiore dicendum est, quam alii seculo X, alii XI, alii XIII. tantum floruisse volunt. Quibus æquius, & Divi Hieronymi silentium opponi posset.

Adversus Eunomium de æqualitate Patris & Filii & Spiritus Sancti, Libri quinque pag. 695. & sequentibus. interprete Georgio Trapezuntio. Habentur quoque ex versione Theodori Bezæ, anno 1520. impressi.

Dubium nulli debet esse, quin *Libros adversus Eunomium plures* scripserit Sanctus Basilius, quorum meminerunt, tum Divus Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 126. tum individuus Vitæ Basilii comes, studiorumque conscius Gregorius Nazianzenus in ea luculenta Oratione, quam de laudibus illius habuit. Quæstio est, utrum *tres priores libri* tantum, in formam Dialogi inter Basilium & Eunomium scripti, a pag. 695. ad 758 ad Basilium spectent? An etiam reliqui duo, a pag. 758. ad voluminis finem? Georgius Trapezuntinus, qui Opus istud Latine e Græco primus reddidit, hos quinque Basilio genuinos esse voluit, in ea Præfatione quam pag. 758 libro 4. præmisit, vel quisquis alius hujus Prologi author est. Opinionem suam ut iste confirmaret, profert D. Basilium libro 2. pagina 744. Litt. D. promisisse se latius tractaturum de hoc loco Proverbiorum 8. vers. 22. *Dominus creavit me* &c. quod postea præstitum est lib. 4. pag. 774. Atque ita nullum relinqui dubium, quin hi duo posteriores libri ejusdem sint authoris, teste Trapezuntio vel Anonymo authore Prologi ad libros IV. & V. Venit in hanc sententiam Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* verbo *Basilius* pag. mihi 181. ea fultus ratione straminea, quod illos Græci quoque in Concilio Florentino admiserint. Rectius Guillelmus Cavus in *Historia Literaria* ad annum

annum 370. pag. 193. *Verum duo posteriores libri tum ob nonnullam stili discrepantiam, tum quod in antiquissimis MSS. desint, neque Veterum testimoniis fulciantur, non immerito in dubium vocari possunt.* Ego cum Cavo censeo, Basilium esse tantum scriptorem trium priorum, alios duos adjectos esse instar farraginis male assutæ, neque referre Basilium, sequentibus argumentis. 1. Basilius sub forma Dialogi cum Eunomio altercatur, nec ratio ulla apparet, cur abjecta hæc forma, duobus libris posterioribus aliam agendi rationem assumpsisset. Hæc itaque diversitas, diversum authorem arguit. 2. Alter quoque stylus est priorum trium librorum, alter aliorum posteriorum: nam in primis confutat Eunomium ample simul atque ornate, in posterioribus sola quædam confusa satis collectio Syllogismorum scholastica, quæ recentem scriptorem indigitat. 3. Si Divus Basilius adjecisset hos duos libros postremos tribus præcedentibus, alio modo complesset Libro 4. pag. 774. quod promiserat Lib. 2. pag. 744. littera D. Agens ibidem de hoc versu Proverbiorum cap. 8. v. 22. *Dominus creavit me initium viarum suarum* &c. pollicetur acturum se de his quæ male ab Adversariis ibidem intellecta sunt, ubi hæc quoque pars concedente Deo examinabitur. Ὥστε καὶ ἐν ἰδίῳ τόπῳ τῆς περὶ τῶν νοημάτων αὐτοῖς νοηθέντων ἐξετάσεως ἡμῖν ὑπερθέσεως, ἐν ᾧ καὶ τοῦτο τὸ μέρος Θεοῦ διδόντος διαπονηθήσεται. At Libro 4. pag. 774. ubi de his verbis loquitur, nequaquam promissionem implet, nec de variis modis quibus hunc locum adversario male interpretabantur, loquitur. Igitur neque Basilius est qui duos illos postremos libros tribus anterioribus adjunxit, alioquin suum ibidem promissum implesset. Atque hoc mihi decretorium suppositionis argumentum videtur.

1. 2. 3.

CAPVT TERTIVM.

DISCVTIVNTVR OPERA, QVÆ SECVNDO TOMO BASILII NOMINE CONTINENTVR.

Commentarius in Esaiam Prophetam, ex versione Godefridi Tilmanni Carthusiani Paris. p. 1.

Quæstio non modica inter eruditos an hic Commentarius spectet ad Basilium Magnum, cujus inter Opera componitur: aliis affirmantibus, ut Bellarminus, Labbeus, Possevinus, Cavus loco citato, Ellias du Pin in *Basilio* pag. mihi 184. aliis negantibus, ut Erasmus doctissimus, qui Librum hunc e Græco primus transtulit, Andreas Rivetus Lib. 3. *Critici sacri* cap. 20. pag. mihi 332. Erasmus ergo primus hunc Commentarium prolixum sub D. Basilii nomine inventum, haudquaquam Basilii Cæsareæ Cappadocum Episcopi esse opinatus est: quem tamen a se in Latinum conversum Cantabrigiæ, Domino Johanni Roffensi Episcopo dicavit, ut testatur Godefridus Tilmannus Carthusianus Parisiensis, qui eum ipsum a se iterato labore versum, Latine & Græce edidit Parisiis anno 1556. Operi prologum præfecit prolixum, quo plurimum quidem desudat ut Opus istud quasi indubium D. Basilio adstruat, multis debacchatus in Erasmum, quod aliter sensisset. Hunc audiamus solitarium injustissime Erasmum vellicantem. "Erasmus igitur in ea" Epistola qua prooemium nostri hujus Basilii a "se versum Cantabrigiæ dicarit R. P. ac D. Joanni Episcopo Roffensi, suspicionibus plane calu-" mniosis adductus, scribit suo more hosce Com-" mentarios non respicere divinam illam phra-" sim Basilii eloquentissimi Theologi in eloquen-" tissimum Prophetam„ In ea permulta movet adversus legitimum authorem Operis plane divini, nihil interim probat. Tum conviciis innumeris prologum adversus Erasmum implet, bilemque in cellula Carthusiæ suæ dudum recoctam in mortuum evomit, rationibus deficientibus. Sunt enim plerique qui egregie confutasse hominem censent, dum injuriis superiores fuerunt. Censent ergo Erasmus ac Rivetus, ac post ipsos ego quoque, lectis attente atque sæpius divi Basilii indubiis Operibus, hunc Commentarium nullatenus spectare ad ipsum, nec vel tantillum phrasim ejus atque eloquentiam referre: quod nullus in Scriptis sancti Basilii versatus, difficebitur. Author autem hujus Commentarii, videtur esse alius Basilius, qui in plerasque divi Gregorii Nazianzeni Orationes commentatus est, atque sub Constantino Porphyrogenito circa annum 920. vel 930. floruisse creditur, de quo forsan amplius suo loco. Extat autem inter MSS. Codd. Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 102. Barocciano. Et Codice 2534. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji, litera F. 11. Codice 39. num. 1. ibidem Codice 3092. Rotulis in Archivo A Codice 103. Sed an cum nomine Basilii, an autem anonymus sit, ignoro.

Porro Tilmannus ut opus Basilio asserat, profert Commentarios illos excerptos sæpius sub nomine Basilii Magni, tum ab Antonio quodam Monacho, quem ab opere *Melissam* appellant: tum a Symeone Metaphraste qui & λογοθέτης, quodque ludum literarium Constantinopoli adaperuisset, dictus est *Magister*. Hic cum ἐκλογὴν s. Collectionem ex omnibus Libris S. Patris nostri Basilii Magni Cæsareæ Cappadociæ Archiepiscopi, 24. Sermonibus *de variis Argumentis* corrasisset: plurima in eam segmenta ex isto in Esaiam Commentario, in singulis fere sermonibus passim inseruit. Veruntamen hæc argumenta straminea sunt, cum recentiores sint Authores isti, quam ut hujus rei fidem facere possint. Antonius ille Monachus *Melissæ* dictus, seculum XI. non superat. Simeon Metaphrastes iste, ut jam omnes censent, seculi XII. tantum scriptor est, quem alii quoque ad seculum XIII. & XIV. rejiciunt. Neuter ergo amborum idoneus est ad firmam & indubiam divi Basilii operum faciendam fidem. Profert Godefridus Tilmannus *in Prologo* pag. 12. alterum testem Johannem Damascenum. Hic vir, inquit, insigni pietate præcellens, ita nec doctrina spirituali inferior, præter cætera monumenta

Scri-

„Scripturæ quæ ad posteros transmisit, tres li„bellos scripsit pro tuenda veneratione sancta„rum imaginum. Hos Roma allatos nobisque „exhibitos opera R. P. D. Joannis Tilii Briocen„sis Episcopi, anno superiore vertimus, & per „prælum emisimus. In horum tertio locos „duos producit nomine Basilii ex hac nostra „editione. Posterior sic habet. *ὥσπερ γὰρ ὁ „βασιλικὴν εἰκόνα καθυβρίσας, ὡς εἰς αὐτὸν τὸν „βασιλέα ἐξαμαρτήσας, κρίνεται· ἔστω δῆλον ὅτι „ὑπόδικός ἐστι τῇ ἁμαρτίᾳ, ὁ τὸν κατ' εἰκόνα θεοῦ „γεγενημένον καθυβρίζων.* Hoc est: *Quemad„modum enim regiam imaginem qui ultro dedecore „aut contumelia aspergit, proinde reus peragitur, ac „si in ipsum Regem fuisset contumelioſus: sic sane „obnoxium se reddit peccato, qui ad imaginem Dei „genitum contumelioſe inficiat.* „ Addit Fronto Ducæus in Notis, Tarasium Patriarcham Constantinopolitanum & Oecumenium. Ita Ellias du Pin *in Basilio* pag. 181. Respondemus autem, Tilmannum rem incertam authoritate incerta probare, quod absurdum est. Est enim incertum an hi tres libri spectent ad S. Johannem Damascenum, ad quem pertinere non posse, suo postea loco docebimus. Tarasius autem & Oecumenius recentiores sunt, quam ut authoritate sua opus aliquod ab aliis omissum, reclamante præsertim stylo, Basilio affirment.

Variis autem rationibus constat hunc Commentarium non pertinere ad Magnum Basilium
1. 1. ex Veterum silentio. Nam sane Hieronymus videtur enumerasse quidquid a Basilio prolixi operis scriptum est, reliqua in genere perstringens, dum addit *& breves variosque Tractatus:* inter quos hi Commentarii locum habere non possunt. Suidas autem in *Lexico* verbo *βασίλειος* omnia ferme nominatim Basilii Opera persequitur, qui tamen de his Commentariis
2. altum silet. 2. Nihil hic Basiliani styli in hoc Commentario, quod etsi non ingenue fateatur Ellias du Pin, insinuat tamen in *Basilio*, dicens pag. 184. *Commentarium in Isaiam, licet valde perspicuum & doctum, non tamen ita elegantem atque „morali doctrina refertum*, ut reliqua Basilii opu-
3. scula. 3. vt Rivetus inquit, Lib. 3. Critici sacri cap. 20. pag. 333. „ His adde repugnare „Commentarium illum legitimis Basilii operi„bus. Is enim Epistola 80. ad Eustathium me„dicum scribit, *Pythonissam fuis incantationibus „evocasse ab inferis animas quæ requirebantur, inpri„mis animam Samuelis:* ex quo loco Bellarminus „Lib. 2. *de purgatorio* cap. 6. contendit Basilium „fuisse in ea sententia, animam Samuelis vere „apparuisse Sauli. In Commentario autem „Isaiæ c. 8. ait author, *Pythonicum illum Spiritum „quem consuluit Saul, stragem annuntiasse minis„terio Dæmonum, & spiritus illos fuisse Dæmones, „qui stridentes, seipsos transformarent in habitum „& personam Samuelis.* Aut igitur Basilius sibi „ipsi secundum Adversarios contradicit, quod „leviſſimi hominis est: aut hæc in Esaiam pa„raphrasis non est Basilii, quod Erasmus recte existimat. Audiamus illum in Epistola ad Jo„annem Fischerum Roffensem Episcopum tom. „ 8. Operum Erasmi pag. 413. Hunc aggressus „ Latinum facere instituí, sed quo altius descen„do in operis penetralia, hoc mihi minus vi„sum est, divinam illam Basilii phrasim sapere: „ tametsi mox in ipso libri vestibulo, titulus non„nullam animo suspicionem injecerat, ita testa„tus ab ipso quidem Basilio descriptum opus: „ cæterum ab illius obitu, ab alio quodam Pres„bytero evulgatum. Auxit suspicionem, quod „ ne apud Scriptores quidem, qui Basilii recen„sent lucubrationes, hujus voluminis ulla fit „ mentio.„ Citatur tamen impudenter a Pontificiis, velut genuinus Basilii fœtus. *A Bellarmino* Basilius in Cap. 9. Esaiæ pro Purgatorio, Lib. I. *de Purgatorio* cap. 6. a Turriano pro continentia Sacerdotum, *Apologia* Canonum Apostolorum Lib. I. Cap. I. p. 7.

De Spiritu Sancto ad Amphilochium liber pag. 291. Interprete Desiderio Erasmo Roterodamensi.

Scriptum fuisse a Sancto Basilio Librum *de Spiritu Sancto* nullus jure ambigere potest, neque hæc est quæstio quæ movetur inter Pontificios & Protestantes: Sed utrum liber ille, qui sub nomine sancti Basilii Cæsareæ in Cappadocia Episcopi, ab Erasmo ex MS. Codice erutus est atque in latinam linguam translatus, sit purus, & non interpolatus. Constat autem D. Basilium scripsisse librum *de Spiritu Sancto*, ex authoritatibus variis, Hieronymi in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 126. Gregorii Nazianzeni Oratione funebri in laudem divi Basilii, Suidæ in *Lexico*, verbo Βασίλειος: qui hoc expresse asserunt. Ex Theodoreto quoque *Dialogo I.* & in *Refutatione* Anathematismorum Cyrilli. Post authorem hunc, Joannes (ut creditur) Damascenus Oratione 3. *de Imaginibus*, Nicæna Synodus II. Act. 4. Photius in Nomocanone, Burchardus in Decreto, Euthymius in Panoplia, Anastasius Nicænus Quæstione 84. Zonaras & Balsamon in Nomocanone, denique Nicephorus Callistus Lib. 12. *Historia Ecclesiastica* cap. 20. illum citant. Hæc ostentatione summa allegat Ellias du Pin atque velut nihil absurdius posset dici a Protestantibus pronunciat, pag. mihi 181. & 182. *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* in Basilio. Quæstio alia omnino ab ista est, nempe utrum hic liber *de Spiritu Sancto* ad Amphilochium, quemadmodum ab Erasmo anno 1532. editus est, non sit interpolatus, sed eadem cum sinceritate & puritate, qua a Basilio scriptus est jam prostet? Hæc quæstio quæ mouetur inter eruditos, quam dissimulat Ellias du Pin, qui multis vanisque verbis triumphat, dum hanc quæstionem diffuse tangit. Volunt hunc librum, qualis nunc voluitur & habetur, genuinum seu non interpolatum Basilii fœtum esse, omnes ferme Pontificii, Bellarminus & Labbeus in opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ipse Ellias du Pin loco citato. Guillelmus Cavus in *Basilio* seculo 4. *Historia Literaria* Scriptorum Ecclesiæ pag. 193. Isaac-

ſaacus Caſaubonus *Exercitatione XVI.* in Baronium num. 33. & 34. Ea nota abſolvit, & Baſi„lio vindicat vir moderati animi atque in an„tiquorum ſcriptis verſatiſſimus Iſaacus Caſau„bonus (inquit Cavus) qui diſerte ait, Eraſmum „ejusque ſequaces in hac opinione planiſſime „falli, omnesque ad unum Eccleſiæ Doctores, „Græcos pariter & Latinos, hac in re conſenti„re.„ Nec omiſit iſta Ellias du Pin pag. 182. ſententiam Caſauboni, Pontificiorum commodis ac ſtudiis militantem, velut Oraculum ex tripode producens, qua adverſarios omnes compeſcat, motamque definiat quæſtionem. Aliter autem clariſſimus eruditione, ac judicio Eraſmus ſentit, in editione hujus Opuſculi, quam procuravit: quem ſequuti ſunt Scultetus in *Medulla Patrum*, Robertus Cocus Anglus in *Cenſura ſcriptorum quorundam veterum*, verbo *Baſilius* pag. mihi 245. Andreas Rivetus Lib. 3. *Critici ſacri* cap. 20. pag. mihi 329. Cum vero ſapere paucorum ſit, hic inferiorem numero ſed ratione ſuperiorem turmam ſequor. Integrum nempe hunc librum non eſſe Baſilii Magni, ſanctiſſimi (inquit Cocus) doctiſſimi, graviſſimique Patris, ſed dimidium plus operis, a principio videlicet Cap. 15. ad finem usque otioſi potius fuiſſe hominis ſuſpicatur Eraſmus. Nam ad finem cap. 14. perſentiſcens ſtyli diverſitatem, adnotat in margine, *alius Deus*. Quod in Epiſtola D. Joanni Dantiſco Epiſcopo Culmenſi Poloniæ Regis apud Cæſarem Oratori Dedicatoria, monuerat his verbis. „Non ſilebo „quod mihi inter vertendum acciderit: viſus „ſum mihi in hoc opere deprehendiſſe factum, „quod in celeberrimis quibusque laudatiſſimis „ſcriptoribus, velut in Athanaſio, Chryſoſtomo „& Hieronymo factum, & videmus & indigna„mur. Quid iſtuc inquis? Poſtquam dimidi„um operis abſolveram citra tædium, viſa eſt „mihi phraſis alium referre parentem, aliumque „referre genium. Interdum ad tragicum co„thurnum intumeſcebat oratio, rurſus ad vul„garem ſermonem ſubſidebat. Interdum ſub„inane quiddam habere videbatur, velut oſten„tantis ſe didiciſſe quæ Ariſtoteles in libro de „Enuntiatione & Prædicamentis, Porphyrius in „libello de quinque vocibus prædicabilibus, tra„diderunt. Adhæc ſubinde digrediebatur ab „inſtituto, nec ſatis concinne redibat a digreſſio„ne. Poſtremo multa videbantur admiſceri, „quæ non admodum facerent ad id quod agitur: „quædam etiam repetuntur, oblivione verius „quam judicio. Cum Baſilius ubique ſit ſanus, „ſimplex & candidus, ſibi conſtans, atque etiam „inſtans: nunquam ab eo quod agitur excur„rens temere, nunquam divinis myſteriis admi„ſcens Philoſophiam mundanam: niſi per Ad„verſarios coactus, idque contemptim. Ex his „rebus ſubiit animum meum ſuſpicio, ſtudioſum „quempiam, ut volumen redderet auctius, „multa intexuiſſe, vel ex aliis authoribus de„cerpta emblemata, vel ex ſe reperta. Sunt enim in his quædam erudita, ſed a charactere „Baſilii diſcrepantia: quædam rurſus ejusmodi, „ut indole referant parentem ſuum, videlicet „eum qui doctiſſimis Athanaſii libellis de Spiritu „Sancto ſuas loquaces & elumbes attexuit næ„nias.„ Hæc ille, quæ (inquit Rivetus) a Pontificiis non ſine ſtomacho excipiuntur, ne ſi ita res habere credatur: acies teli pro *Traditionum neceſſitate humanarum & authoritate* hebeſcat ac retundatur, quod illi depromunt ex hoc libro & indefinenter vibrant, quod tamen aliis ex Baſilio libris indubiis, plene retunditur. Hæc ergo Eraſmi ad Dantiſcum verba, tres aut quatuor continent rationes, quas eleganter illuſtrat Robertus Cocus in Cenſura *quorundam Scriptorum veterum* pag. mihi 245. quemque hic paucis adjunctis ſequar. *Primum* igitur Cap. 17. & 18. 1.
ut hic author oſtendat Spiritum Sanctum Patri ac Filio junctum, ut perſonam æqualem, non ipſis inferiorem: utitur Vir bonus authoritate Ariſtotelis in libro de *Enuntiatione & Prædicamentis*, tum Porphirii in libello *de quinque vocibus*. Cum tamen, ut inquit recte ibidem, *nunquam Baſilius divinis myſteriis admiſceat Philoſophiam mundanam, niſi per Adverſarios coactus, idque contemptim.* Falſum autem eſt quod huic rationi reſpondet Ellias du Pin pag. 185. coactum fuiſſe ab Adverſariis, ut his armis uteretur: cum ut inquit Eraſmus, verba ſint *velut oſtentantis ſe didiciſſe quæ Ariſtoteles in libro de Enuntiatione & prædicamentis, Porphyrius in libello de quinque vocibus prædicabilibus tradiderunt.* Neque certe Pneumatomachi ſeu Macedoniani utebantur authoritate Ariſtotelis aut Philoſophorum, ut hæreſim ſuam contra Catholicos tuerentur.
Secundo Cap. 27. Larvatus hic Baſilius diſputans 2.
an æque liceat dicere *Gloria Patri cum Filio & Spiritu Sancto*: ut *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*: inquit, *ſupereſt dicere de ſyllaba* cum, *unde cæperit, & quam vim habeat, & quatenus Scripturæ concordet.* Atque protinus incidit in longam fabulam & diverſionem *de traditionibus*, in quâ nec de Syllaba *cum*, nec de ſyllaba *in* unam habet ſyllabam. Et tamen quaſi re bene geſta, in hæc verba prorumpit: *Dictum eſt igitur eandem eſſe vim utriusque proloquii.* Annon hoc manifeſtum eſt interpolationis argumentum, dum Scriptor aliquis de re aliqua dicturum ſe pollicetur, qua tamen non attacta, gloriatur quaſi illam attigerit? Appello Papiſtas omnes ad ſenſum communem, ſi quem habeant. Annon hoc arguit, dictum vere ab Eraſmo: *ſubinde digrediebatur ab inſtituto, nec ſatis concinne redibat a digreſſione.* Quod autem pudore confunderé deberet omnes, qui cenſent hoc Baſilii opus genuinum eſſe nec interpolatum, quale hodie legitur: hoc unum eſt, quod quæ verus Baſilius executus eſt de his particulis, capitibus 7. & 8. hujus libri, hic Interpolator cap. 27. locuturum ſe pollicetur, quod tamen non exequitur. Auditores quæſo, an verus Baſilius promiſiſſet cap. 27. quæ ille executus fuerat

capitibus 7. & 8. nisi vecors & amens fuisset.

3. *Tertio.* In illa *de Traditionibus* cap. 27. digressione recenset falsus Basilius inter traditiones, *signum crucis, ad Orientem inter precandum spectare, invocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistia: Consecrationem olei unctionis, confirmationem ejus qui baptismum accipit, olei inunctionem, trinam immersionem, prima sabbathi & toto tempore usque ad Pentecosten, stantes absolvere preces.* De quibus traditionibus hanc tulit sententiam: *Si consuetudines, quæ scripto prodita non sunt, nunquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere: imprudentes & damnabimus quæ in Euangelio necessaria ad salutem habentur, imo potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.* Quis enim nisi delirans, tam delirum faciat Basilium, ut hæc diceret? Siquidem vel ipsis modestioribus Pontificiis testibus, non sunt hæ magni momenti, quamvis rejicerentur: minime pertimescendum, ne damnarentur quæ in Evangelio necessaria ad salutem habentur: absque istis prædicationi fidei nihil omnino esse periculi. Nam ex his quædam antiquata sunt apud ipsos Pontificios, puta: *Verba invocationis, dum ostenditur panis Eucharistiæ: Consecratio ejus qui Baptismum accipit: Prima Sabbati & toto tempore usque ad Pentecosten stantes absolvere preces:* ut habet Bellarminus Lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 11. Licet Costerus impudenter nimis dicat Apologia 2. pro 2. parte Enchiridii pag. 275. *ipsos suscipere, ad unum omnia quæ memorat Basilius, & cuncta, venerari & religiose observare.* Reliquæ ejusmodi Traditiones sunt liberæ observationis, vel saltem non necessariæ. Nam 1. juxta Pontificios & Durandum Lib. I. de ritibus Ecclesiæ cap. 3. num. 6. inter cæteros, Orantes privatim, si alio respiciant quam ad Orientem, culpa carent: imo & qui publice preces fundunt. Cum & Bellarminus Lib. 3. de cultu Sanctorum cap. 2. agnoscat, non omnes Ecclesias ita fabricari, ut qui in eis orant, Orientem respiciant. 2. Nunc *utrum unica, an trina oblatio fiat*, nihil referre docent ipse Catechismus Romanus *de Baptismi sacramento*, & Bellarminus Lib. I. *de Baptismo* cap. 26. Imo pauciissimæ sunt hodie Pontificiæ Ecclesiæ, non tantum quæ per *trinam*, sed etiam quæ per *unicam immersionem* baptizent; infusione aquæ in infantis caput ubique suscepta. His adde, quod Author Capitum 27. & 29. affirmat *Patres suos ista in silentio observasse, non scripto publicasse:* quod tam apertum est mendacium, ut intolerandam inferret Basilio Magno injuriam, qui Basilium horum capitulorum authorem assereret. Constat enim quædam ex istis ab Authore commemoratis, ante Basilii tempora scriptis publicata, ut ex Tertulliani Operibus constat: imo omnia, si Costero credimus, loco citato. Nam *quidquid hic in Basilio in exemplum Apostolicarum traditionum allatum est, ante ipsum alii retulerunt:* inquit loco allato Costerus, annotans libros in quibus ea retulerint. Præterea hic nugator impudens, eo nomine quædam citra scriptum vult esse tradita, *ne dogmatum cognitio propter assuetudinem, vulgo veniret in contemptum:* quasi Mysteria sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Filii Dei, Historia Dominicæ passionis, Remissio peccatorum & Promissio vitæ æternæ, quæ satis perspicue Apostolicis scriptis comprehensa sunt, exposita sint ab Apostolis contemptui, in eo quod ab ipsis scripta sint. Quid absurdius? Mirum, quandoquidem Scriptura exponat dogmata contemptui, cur hic, quicunque demum fuit, manum a tabula non cohibuit, & silentio ista non involvit, sed propalam scripsit? Cur non est veritus, ne scriptione sua ista ad populares ac vulgares aures deferrentur, atque ita dignitatem suam amitterent? Sed ad alia progredior, inquit Robertus Cocus.

4. *Quarto.* Quæ hisce duobus capitibus 27. & 29. continentur, ea e diametro repugnare videntur iis, quæ a vero Basilio alibi dicta sunt: ergo hæc interpolata sunt, neque ad Basilium spectant. Antecedens probatur. In uno enim horum cap. 29. *Arbitratur Apostolicum etiam esse, non scriptis traditionibus adhærere:* in altero cap. 27. *Traditiones scriptas & non scriptas, parem vim ad pietatem habere.* Atque ipse Basilius verus in Sermone *de vera ac pia fide* pag. 384. quem ut prologum Asceticis præmisit, contrarium his docet verbis: *Manifestus est fide lapsus, & liquidum superbiæ vitium, vel respuere aliquid eorum quæ Scriptum habet; vel inducere quicquam, quod scriptum non est.* Ex qua doctrinæ repugnantia, Authorem horum capitulorum alium esse oportet a Basilio: quam tamen doctrinam habet idem Basilius in *Quæstionibus brevius explicatis*, quæstione 1. & 95. ubi condemnat traditiones, ut notavit quoque Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 370. *in Basilio.* Recte ergo Cocus ex repugnantia doctrinæ, librum *de Spiritu Sancto*, qualem nunc habemus sub Basilii nomine, interpolatum juxta Erasmi opinionem probat. Nec omnes Pontificii quantumvis garruli, huic argumento respondere possunt.

5. *Quinto* addit Cocus, Author verba faciens cap. 29. de *Meletio* illo viro admirando & omnibus notissimo, ita de eo loquitur, quasi per aliquot annos *Meletius* ille ante sua tempora, tum vixerit, tum obierit. *Nam insuper & Meletium illum admirandum, in eadem fuisse sententia, narrant qui cum illo vixerunt:* inquit iste. Vbi loquitur de Meletio, quasi sibi incognito atque suis a temporibus remoto. Atqui Meletium admirandum floruisse ætate Basilii, ipsi intime amicum atque familiarissimum fuisse ex eo constat: quod Socrates Lib. 4. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 26. testatur Basilium ab illo creatum fuisse Diaconum, & ex ipsis *Basilii* Epistolis 56. 57. 58. 59. patet, Basilium ab eo accepisse & ad eum sæpius scripsisse litteras. Imo Meletium in vivis fuisse post Basilium, agnoscit Baronius in *Annalibus*, qui Basilium ad annum 378. Calendis Januarii mortuum observat, Meletium vero ad annum 381.

post

poſt Concilium Conſtantinopolitanum œcumenicum : qua de re conſentiunt omnes. Quomodo ergo Baſilius potuit meminiſſe Meletii tanquam mortui, in cap. 29. libri *de Spiritu Sancto*, cum ipſe ante Meletium duobus annis & amplius, mortuus fuiſſet? Solvant Pontificii nodos iſtos, antequam in Eraſmum inſurgant, qui optimo jure interpolatum hunc Baſilii Librum ſubodoratus eſt : hos egrediantur Labyrinthos, antequam bilem ſuam in Cocum effundant, qui tam invictis rationibus conjecturas Eraſmi confirmavit, ac veriſſimas probavit.

6. Addo *Sexto* duplicem huic Operi videri adjunctum prologum, primum *Interpolatoris*, ſecundum *Baſilii*. Habetur primus pag. 289. qui encomium *de Spiritu Sancto* complectitur libro præmiſſum, & prologi communis rationem habet, ab his verbis incipiens, *ἐθυμούμην πᾶσα ψυχὴ ζητοῦσα περὶ τῶν θειοτέρων* &c. nec ab argumento Operis ſecedit. Alter, proprius hujus libri, a Baſilio ad Amphilochium videtur habitus, qui pag. 291. caput primum Operis eſt, ut legenti conſtabit. Cur ergo duos prologos Operi non magno Baſilius aſſuiſſet, ipſe in aliis tam accuratus & cautus ? Non modicum igitur argumentum, unum eſſe Authoris, alterum Interpolatoris.

Aſcetica & Ethica, de quibus hoc tomo, ſatis intricata ſunt. Conſtant autem proprie quatuor Opuſculis ſeu Tractatibus. Nempe *Capitulis Ethicis ſeu Moralibus LXXX.* quæ habentur pag. 405. quibus præmittuntur tanquam præludia a Baſilio ac procœmium Ethicorum, Sermo *de Judicio Dei* pag. 392. Deinde *de vera ac pia fide* pag. 384. poſt quæ ſequuntur ipſa Capita Ethicorum pag. 405. Nam tres priores homiliæ ſeu Admonitiones, quarum una inſcribitur *Præfatio in Aſcetica* pag. 366. eſt adhortatio ad eos qui Monaſticam vitam aggrediuntur, quæ nullam connexionem cum Aſceticis habet, & verbotenus legitur inter Opera divi Chryſoſtomi tom. 5. & *de militia ſpirituali* inſcribitur. Item *Sermo de abdicatione rerum*, & tertius *de cultu ſive exercitatione monaſtica* paginis 370. & 382. non ſpectant quoque ad Aſcetica, neque ad rationem prologi : ſed illuc allata ob eandem argumenti materiam. Idem quoque dicendum eſt, quoad de duobus ſermonibus *de Inſtitutionibus Monachorum* pag. 508. *de Animadverſionibus adverſus Canonicos delinquentes* pag. 740. *de pœnis in Monachos delinquentes*, incerti authoris pag. 804. De his rectè Ellias du Pin in *Baſilio* pag. mihi 196. ubi ferme eadem obſervat. *Aſcetica* igitur ſeu *Monalia divi Baſilii* proprie ſunt, poſt Procœmium *de judicio Dei* p. 392. *De vera ac pia fide* pag. 384. *Capita Ethica ſeu Monalia LXXX.* pag. 405. ad 508. *Regulæ fuſius Diſputatæ LV.* ad pag. 525. ad 608. quæ Quæſtiones a Monachis propoſitas una cum Baſilii reſponſionibus, complectuntur. *Regulæ brevius explicatæ CCCXIII.* a pag. 608. ad 740. Quas aliquantulum tamen contractas, in Latinum ſermonem vertit Rufinus, cum prologo ad Vrſejum Abbatem : uti habentur in *Collectione Regularum* ab Holſtenio edita, parte prima, pag. 95. & ſequentibus. *Conſtitutiones Monaſticæ* pag. 745. ad 804. Vult Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ ad annum 370. verbo *Baſilius* pag. 193. Hos quatuor tractatus ejusdem eſſe argumenti & ſub generali *Aſcetici* nomine ab Hieronymo *de Scriptoribus* cap. 126. & Sozomeno Lib. 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 14. memorari : quamvis Sozomeni tempore erant, qui hunc libellum Euſtathio Sebaſteno Epiſcopo adſcriberent : Sed absque ſumma Baſilio injuria adjudicari non poteſt. Scripſiſſe illum *Regulas Monaſticas*, dum adhuc in Eremo ipſe verſaretur, teſtatur Gregorius Nazianzenus Oratione 20. pag. 358. ſeque in illis condendis una cum Baſilio laboraſſe indicat, Epiſtola 9. ad Baſilium pag. 774. Totum opus ætate Photii, qui illud in Bibliotheca Cod. 191. magnopere laudat, duobus conſtabat libris : quorum primus continebat breves illos Sermones *de Judicio Dei, de vera & pia fide* &c. qui Ethicis præponi ſolent. Secundus *Ethica* ſeu *Monalia*, item *Regulas Aſceticas fuſiores LV.* per modum Interrogationum & Reſponſionum explicatas : deinde *Breviores aliæ* numero CCCXIII. prout hodie extant deſcriptæ ex vetuſtiſſimo Exemplari ex Ponto allato & collato cum altero, quod Cæſareæ in ipſius Baſilii Ptocotrophio aſſervabatur : quod ex Scholiis quibusdam, quæ his Regulis apponi ſolent, manifeſtum eſt. Contra vero Ellias du Pin in *Baſilio* pag. mihi 197. Sermones duos *de Inſtitutionibus Monachorum* pag. 508. & *Conſtitutiones Monaſticas* pag. 745. ad hæc Aſcetica non pertinere, atque eſſe opus ſejunctum opinatur : quod certe verum erat tempore Photii, qui de *Aſceticis* agens, de iſtis non loquitur. Quamvis ob hanc rationem ſolam divo Baſilio abnegare nolim, niſi aliunde argumenta ſuppetant, quæ ſpurium opus evincant. Licet ergo temporibus Photii, *Conſtitutiones Monaſticæ* pag. 745. cum Ethicis aliis junctæ non extarent : hoc non impedit, quo minus hodie ſimul ob argumenti ſimilitudinem jungantur : atque hoc ipſum eſſe, quod vult Cavus loco citato.

Jam Quæſtio non modica eſt inter Pontificios atque Reformatos, utrum *Aſcetica* illa, qualia a Photio enarrantur, ſint ſeu ſpectent ad Baſilium Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopum, an ad Euſtathium Sebaſtæ in Armenia Epiſcopum? Nulla tamen ratio dubitandi eſt, quin *Aſcetica* illa ad Baſilium ſpectent, quorum expreſſe meminerunt Gregorius ipſe Nazianzenus Oratione 20. in laudem D. Baſilii, & Epiſtola 9. ad Baſilium ipſum, Hieronymus in Catalogo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 126. Suidas in *Lexico*, verbo Βασίλειος. Neque Sozomenus Lib. 3. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 14. negat quin *Aſcetica* Baſilii ſint, ſed tantum ait nonnullos ſuo tempore opinatos eſſe, quod Baſilii non eſſent. *Adeo ut quidam*

dam affirment, librum Aſceticum qui Baſilio Cappadoci vulgo adſcribitur, ab iſto conſcriptum fuiſſe. Hæc Sozomenus, loco citato. Nicetas Serronius in Commentario ad Gregorii Nazianzeni Orationem 20. ut habet Billius ad eandem Orationem, num. 60. Audacior fuit ſeculo XIV. qui hoc aſſeruit Nicephorus Calliſtus lib. 9. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 16. & lib. 13. cap. 29. *Qui Baſilio Magno inſcribitur liber & Aſceticus dicitur, Opus Euſtathii Sebaſtienſis Armeniæ Epiſcopi eſſe a multis fertur.* Idem antea circa annum 1077. Nicetas Serronius ab Andrea Riveto dixiſſe fertur *Commentario* in Nazianzeni Orationem 20. num. 60. *Leges Monaſticas in Aſceticis tradit Baſilius: quem tamen librum non Baſilio, ſed Euſtathio Sebaſtiæ Epiſcopo tribuit Nicephorus.* At hic num. 60. ſicut & 62. Orationis 20. Nazianzeni, non eſt Nicetæ, ſed Billii: ut attente legenti conſtabit, imo hic Billius contrarium ſenſiſſe Nicetam in ſuo Commentario dicit, nempe *Aſcetica* ſpectaſſe ad Baſilium Magnum, non ad Euſtathium Sebaſtæ Epiſcopum. Jam videant æqui rerum exiſtimatores, annon protervia formalis atque expreſſa Papiſtarum ſit, ex authoritate duorum ſeculi XIV. Scriptorum, velle ſpoliare *Aſceticis* Baſilium, contra teſtimonia duo Gregorii Nazianzeni, tertium Hieronymi, atque Suidæ quartum? Contra Photium etiam in Bibliotheca Cod. 191. Baſilio tribuentem, & Nicetam illius Commentatorem ſeculi XI. ſcriptorem. Maneant ergo Aſcetica ſeu Moralia, genuinus atque etiam indubitatus Baſilii fœtus. Ratio cur tam præfracte Papiſtæ negant Aſcetica ad Baſilium Magnum pertinere, hæc unica vel potiſſima eſt: quod Traditiones humanas, quas ipſi tam avide amplexantur, projiciat nec admittendas ducat. Audiamus Papiſtas aliquos. Bellarminus lib. 1. cap. 13. de amiſſione gratiæ. *Non certe conſtat an hæ quæſtiones ſint Magni Baſilii, an potius Euſtathii Sebaſteni, cujus multi & graves errores damnantur in Concilio Gangrenſi.* Et paulo poſt, *cum valde probabile ſit eas quæſtiones editas eſſe ab homine parum probatæ fidei, non eſt cur earum teſtimonium magni faciamus.* Idem in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis in *Baſilio* ad annum 370. *Quæſtionibus 1. & 95. in quæſtionibus compendio explicatis contemnat traditiones, quas in libro de Spiritu Sancto cap. 24. defendit.* Ita veneratur Scripta Patrum Bellarminus, dum ſuis non militant partium ſtudiis, abjectis legitimis ſpuria amplexus, ut ex dictis ſupra ad librum *de Spiritu Sancto* evidens eſt. Joannes Garetius Ordinis Canonicorum Regularium D. Auguſtini, de veritate corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia *Centuria IV.* ut probet Hæreticos *quarto annorum Centenario*, veritatem corporis Chriſti in Euchariſtia profeſſos eſſe: affert *quæſtionem* 172. in hoc libro, ſub *Euſtathii Sebaſtæ Epiſcopi* nomine, cujus ſuperſtitiones damnatæ ſunt in Concilio Gangrenſi circa annum Domini 360. Ex quo liquet Garetium exiſtimaſſe, Hominem hæreticum, non Baſilium, harum Quæſtionum Authorem fuiſſe. Idem Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Baſilius*. Sed non bene Bellarmino & Poſſevino convenit cum Cardinali Baronio, qui *Annalium* tom. 3. ad annum Chriſti 361. num. 51. ſententiam iſtorum his verbis rejicit. "Inanis eſſe prorſus convincitur illorum aſſertio, qui adeo temere effu-" tiverunt, Commentarium illum egregium ſan-" cti Baſilii de Regulis quibus Monachi victuri" eſſent inſtituendi, fuiſſe Euſtathii Sebaſteni, " non autem Baſilii: cum aſſertione Gregorii" Nazianzeni id exploratiſſimum habeatur: ut" hoc in dubium revocaſſe, SVMMA STVLTI-" TIA SIT." Baronio aſſentitur vir multæ lectionis firmique judicii, Fronto Ducæus in Notis ad Baſilium, quem videas. Ellias quoque du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica*, qui accurate omnia Baſilii Opera legiſſe & excuſſiſſe ſe profert, pag. mihi 196. SVMMA ERGO juxta Baronium STVLTITIA Antonio Poſſevino, Roberto Bellarmino, Joanni Garetio, dum Aſcetica Baſilii eſſe pernegant.

Notandum autem verſipelle Bellarmini judicium, atque aliorum Papiſtarum. Nam cum ſæpius Bellarminus Aſcetica Baſilii eſſe negaverit, cum eſſe Hæretici hominis poſt Garetium affirmaverit: illorum tamen authoritate inconſtans hic Theologus utitur, dum illa ſuis opinationibus ſeu ſuperſtitionibus affirmandis utilia cognoverit. Ita igitur *Ex Quæſtionibus fuſius explicatis*, citat lib. 2. de Monachis cap. 37. Quæſtionem Baſilii 12. ut probet licere conjugatis ex conſenſu vovere continentiam. Lib. eodem de Monachis cap. 27. Quæſtionem 14. pro votis ſolemnibus Monachorum. Libro eodem cap. 35. Quæſtionem 15. ut probet quod juniores vovere poſſint. Libro eodem 2. de Monachis cap. 40. Quæſtionem 22. pro ſingulari & notabili habitu Monachorum. Idem lib. 1. de bonis operibus in particulari cap. 13. affert Quæſtionem 37. pro horis Canonicis. Denique ne multus ſim, lib. 3. de pœnitentia cap. 8. Bellarminus citat 229. & 228. ex *Regulis brevius explicatis*, ut probet Auricularem confeſſionem. Nec minus perfidus atque inconſtans Gregorius de Valencia, qui citat in libro ſuo *de Confeſſione* cap. 2. quæſtionem 26. ex *Quæſtionibus* a Baſilio *fuſius explicatis*, ad probandam Auricularem Confeſſionem. Ita lucris ſuis & opinationibus adaptant omnia Pontificii, dicentes bonum malum & malum bonum.

CAPVT QVARTVM.

DISCVTIVNTVR OPERA, QVÆ TOMO TERTIO CONTINENTVR.

JAm ad ea quæ tertio Baſilii volumine continentur, excutienda veniamus. Cujus fronti adſunt Epiſtolæ, de quibus cum parce admodum locutus ſit Cavus in *Hiſtoria Literaria* verbo *Baſilius*: abunde ad compenſationem loquitur & ad nauſeam usque, Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca*

Digitized

theca Eccleſiaſtica ſeculo 4. in Baſilio a pagina nihi 155. ad 180. Nos mediam incedentes viam, ut nec labori parcamus, nec inutilia prodamus, ſelecta duntaxat de illis dicemus: cui enim bono Summaria cujusque exhiberemus Epiſtolæ, quemadmodum Ellias citatus fecit, niſi ut puerili oſtentatione lectas a nobis illas (quod non ſemel) poſteris oſtenderemus?

Sunt ergo hoc ordine. *Epiſtola ad Chilonem Diſcipulum* pag. 1. *Ad Monachum lapſum* pag. 9. *Ad Virginem lapſam* pag. 13. *Epiſtola Canonica ad Amphilochium* pag. 19. *Epiſtola Sanctorum Baſilii Magni & Gregorii Theologi CCXIV.* pag. 41. & ſequentibus. Tandem *Epiſtola alia ſancti Baſilii CCXIV.* quas edidit Richardus Montacutius Anglus, pag. 230. & ſeqq. Elegantes prorſus ſunt Baſilii Epiſtolæ, dictione puræ, judicio graves, quas jure merito Libanius ille Sophiſta præſtantiſſimus Epiſtola ad Baſilium inter Baſilianas 145. ob ſtyli puritatem dictionisque nitorem admiratus eſt. Has tanquam Epiſtolarum ſcribendarum normam Photius in *Bibliotheca* Cod. 143. commendat, quæ nimirum ut verbis ejus loquar, ἀπιστολιμαῖον τὸν χαρακτῆρα exprimunt. Omnes ferme genuinæ ſunt, quæ ita ſibi ſimiles atque ſorores, ut negotio nullo eundem oſtendant parentem, quas inter tamen ſpuriæ nonnullæ viris eruditis videntur. Nam Epiſtola 205. pag. 224. ad Imperatorem Julianum aperte ſuppoſita Baſilio eſt, ab Græco aliquo ſequioris ævi, qui hac Epiſtola imprudentem Baſilii zelum poſteris oſtendere voluerit. Quis enim
1. *Primo* credat ita imprudentem, impudentemque ſimul fuiſſe Baſilium, ut ad Julianum ſcribens Imperatorem, infami illum *Apoſtatæ* nomine ſubſannare voluerit atque irritare? Recte ergo Cavus in *Baſilio* pag. 195. "Fragmentum Epiſtolæ "*ad Julianum Imperatorem* habetur Concilii Ni"cæni Secundi Act. 4. & exinde inter Epiſtolas "Baſilii num CCV. ſuppoſititium eſſe, & ſtylus & "materia ſatis arguit: quin & cordatiores Ponti"ficii non inviti agnoſcunt. Idemq; Ellias du Pin,
2. pag. mihi 158. *Secundo.* Epiſtola iſta aliud nihil eſt quam profeſſio fidei, quam Baſilius ad Julianum mittit. At quidnam urgebat Baſilium, ut ad unum Imperatorem Apoſtatam, qui Chriſtianam abjecerat fidem, fidei profeſſionem mitteret? Num Julianus ambigebat vel exegerat a Baſilio hanc fidei profeſſionem, qui fidem ipſe
3. nullam habebat? *Tertio.* Quod abſurditatem ſummam Impoſtoris & ignorantiam in ſuppoſitione ſimul arguit, huic profeſſioni fidei Pſeudo-Baſilius inſerit Sanctorum invocationem atque cultum Imaginum: quod quam immane a Baſilii temporibus diſtet, vel ſtupidiſſimi atque hebetes agnoſcunt. Quis enim audivit unquam primis Eccleſ. ſeculis has controverſias agitatas, vel hæc argumenta profeſſionibus fidei inſerta?
4. *Quarto* denique ad majorem Suppoſitionis notam, confitetur ſe venerari & adorare ſanctorum Imagines, *ex Traditione Apoſtolica.* Nunquam ita ſane locutus fuiſſet Baſilius verus, qui unum tantum Deum adorandum paſſim docuit. Sane Baſilius Ancyræ Epiſcopus, claruit anno 787. quo in Synodo Nicæna II. reus factus Iconomachiæ, eo quod Concilii CP. œcumenici anno 754. habiti Decretis ſubſcripſiſſet, *Libellum ſupplicem* ſeu *Confeſſionem* obtulit: facti veniam poſtulavit, & anathema Iconomachis dixit, cultumque imaginibus deberi confeſſus eſt. Extat *Confeſſio* iſta Græco-Latina inter Acta Conciliabuli Nicæni, Conciliorum tom. VII. pag. 56. Quibus Bibliopolæ non attendentes, hanc Baſilii Ancyrani Confeſſionem Epiſtolis Baſilii Cæſarienſis num. 205. vel ex ignorantia vel malitia inſeruerunt: ut Imagines quoque adorandas & colendas imaginaria Baſilii Doctoris Confeſſione oſtenderent. Hinc hujus ſuppoſitionis origo: quare perperam arbitratur Ellias du Pin *Confeſſionem hanc fidei*, eſſe poſt Concilium Nicænum II. factam, quippe quæ in ipſis Concilii Actis legatur. Impudentes autem mihi imprimis videntur, Bellarminus in *Appendice* ad librum de cultu imaginum cap. 4. dum allegat hanc Epiſtolam ſub nomine Baſilii Magni, inquiens: *Baſilius eſt teſtis, omni exceptione major.* Et Guillelmus Lindanus Panopliæ lib. 3. cap. 28. *Ex omnibus antiquis Patribus nullus eſt, qui illuſtrius teſtimonium habeat de uſu ſimul & adoratione imaginum, quam D. Baſilius, cujus authoritas propter illius doctrinam, ſapientiam, vitæque ſanctitatem, præter vetuſtatem, tantum habet in judiciis omnium ponderis: ut omnes noſtri novi Magiſtri, ſi in lance adverſa ponerentur, quavis pluma leviores deprehenderentur.* Ita cum umbris luctantur illi.

Epiſtolæ 208. & 209. pag. 216. & 227. Baſilii ad Imperatorem Julianum, quibus reſpondet Epiſtolæ Juliani ad ipſum, quæ illic extat num. 207. ſuppoſitæ quoque ſunt. Non ſunt autem hæ duæ Epiſtolæ, ſed unica duntaxat, quam cum in duobus Manuſcriptis Codicibus maxime variantibus Anonymus aliquis inveniſſet, nec ſanare potuiſſet infirmam utramque ope aliorum Codicum, utramque ægram quaſi duas exhibuit. Hanc autem Epiſtolam integram, ex qua duas alii fecerant, edidit ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ Joannes Cotelerius tom. 2. *Veterum Monumentorum* Eccleſiæ Græcæ. Dubitat Ellias du Pin 158. an Epiſtola iſta ad Epiſtolam 207. reſponſiva, vere Baſilii ſit. Ambigit an non ſit luſus alicujus Græci recentioris, qui ad Epiſtolam Juliani ad Baſilium, ex perſona Baſilii reſpondere voluerit. Equidem, inquit citatus du Pin, ſtylus hujus Epiſtolæ, longe quoad elegantiam, aliis Baſilii Epiſtolis inferior eſt. *Præterea* ſcribit ad Julianum, tremere ſe, dum apud ſe recogitat Julianum Regia indutum purpura, infaneque caput ipſius corona aurea redimitum & ornatum. Num veriſimile unquam eſt, Baſilium virum prudentem ac gravem, ita egiſſe cum Imperatore, ut omni depoſita reverentia, fatuum illum atque ridiculum, contumeliis Chriſtiano quovis prorſus indignis, appellitaret? quem etiam Apoſtatam, omni ob-

ſervantia juxta Apoſtolum, colere tenebatur. *Tandem* ſub Epiſtolæ finem, legitur judicium a Juliano datum, ab argumento remotiſſimum, cujus intelligentia atque applicatio juſta vix fieri poteſt : quod a Baſilii ingenio prorſus juſto, atque in ſuis & conceptibus æquo & expreſſionibus modeſto, remotiſſimum eſt. Addo ego paucis verbis, Olera a Baſilio ad Julianum relata atque oblata, olere Monachum quendam olitorem, qui Epiſtolam iſtam in horto ſuo invenerit, quum olera ſua coleret. Si ergo allubent olera iſta Monachis atque Pontificiis, per me licet, illa comedant, his infartiantur.

Epiſtola quoque 43. quæ apud Baſilium Gregorio Nyſſeno Epiſcopo inſcripta eſt, atque legitur tomo 3. Operum Gregorii Nyſſeni pag. 28. ad Petrum Fratrem *de differentia Eſſentiæ & Hypoſtaſeos*; itemque Epiſtola *Ad Euſtathium de ſancta Trinitate, & quod Spiritus Sanctus ſit Deus* apud Baſilium 80. Nyſſeno quoque Gregorio tribuitur, cujus extat inter Opera tomo 8. p. 6. dubiæ ſunt an ſpectent ad ſanctum Baſilium, an ad Gregorium Nyſſenum. Contendit Guillelmus Cavus utramque potius Baſilio adſcribendam, ubi de Scriptis Gregorii Nyſſeni agit p. 196. Ex adverſo utrumque Opuſculum ſpectare potius ad Gregorium Nyſſenum, contendit Ellias du Pin in *Baſilio* pag. mihi 164. Edidit quoque Joannes Baptiſta Cotelier tomo 2. *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* Pariſiis anno 1681. in 4. apud Franciſcum Muguet, pag. 84. & ſequentibus, *Epiſtolas duodecim* mutuas ſub nominibus Baſilii, Apollinaris, Libanii & Amphilochii : quas incertæ admodum fidei Critici cenſent. Ita Cavus in *Baſilio* pag. 195. „*Epiſtolæ duæ Baſilii ad Apollinarium*, a Cotelerio Græcolatine editæ „*Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* tomo 2. dubiæ admodum fidei, imo ſi conferantur cum *Epiſtolis* „*59. 79. 82.* certo certius ſpuriæ. Nec melioris „quidem notæ eſt *Epiſtola ad Theodoſium Imperatorem*, ab eodem evulgata. „ Idem quoque Cavus *de Reſponſionibus Apollinaris ad Baſilium*, ad annum 370. verbo *Apollinarius junior* pag. 203. Convenit cum Cavo Ellias du Pin in *Baſilio* pag. mihi 158. ſuppoſitionem iſtarum Cotelerii Epiſtolarum, ex allatis Baſilii genuinis 59. 79 & 82. Epiſtolis convincens, atque productas a Cotelerio Epiſtolas, Baſilio ab Apollinariſtis confictas oſtendens. Ex his ergo Epiſtolis, ſex rejiciuntur ut aperte ſpuriæ, nempe *Baſilii ad Apollinarium & Theodoſium & Apollinarii ad Baſilium* : aliæ autem ſex admittuntur *Baſilii, Libanii & Amphilochii ad Baſilium*, juxta Elliam du Pin loco citato pag. 174. & Guillelmum Cavum ibidem „in *Amphilochio* pag. 204. Extat etiam (inquit) „*Epiſtola Synodica* Græco-Latina apud Cotele„rium *Monumentorum* tomo 2. pag. 99. unicum „forſan, quod hodie ſupereſt, Amphilochii opus „genuinum.

Conciones Morales XXIV. de vita & moribus Chriſtianis a Symeone Metaphraſte & Logotheta ex Sancti Baſilii libris excerptæ, pag. 445. Latinas quas fecit, Simon Maillæus Turonenſis Archiepiſcopus, ex Manuſcripto Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ, quæ ſeorſim quoque editæ ſunt anno 1556. & 1558. Pariſiis apud Morellium, & Francofurti anno 1598. tum immiſſæ in Editiones Operum Baſilii Pariſienſes, Græcolatinas annorum 1618. & 1638. Notandum autem Sermones duos, *de morte* unum, & alterum *de extremo Judicio*, qui ſub Baſilii nomine a Gerardo Voſſio inter Ephræmi Opera editi ſunt, eſſe ex iis Sermonibus Moralibus qui a Simeone Logotheta *de diverſis argumentis* collecti ſunt : nec ſpectare proprie ad Baſilium, ex cujus operibus duntaxat a Græculo illo recentiore compacti per excerpta ſunt.

Libellus de Grammatica exercitatione pag. 592. quem merito Critici opus recentioris Græci autumant. Impreſſus eſt ſeorſim Florentiæ 1513. Baſileæ 1562. & 1585. in 8. Non pertinere ad Baſilium extra controverſiam eſt, cum hic author, ut legenti mihi patuit, honorificam faciat Joannis Chryſoſtomi CP. Epiſcopi Baſilio junioris, mentionem : quem Guillelmus Cavus poſt Labbeum Johanni Moſchopulo recentiori Græco, pag. 194. attribuit. Idem cenſet Martinus Crucius linguæ Græcæ priſcæ peritiſſimus in *Turco Græcia* libris octo, quibus Græcorum ſtatus ſub Imperio Turcico in Politia & Eccleſia, œconomia & ſcholis deſcribitur, Baſileæ anno 1584. & 1594. in folio impreſſis. In his ſtatim ſub initium memorat MS. Codicem Grammaticarum Quæſtionum *Manuelis Moſchopuli*, qui pridem Reuchlini fuit, ante annum Chriſti 1391. ſcriptum, docetque eundem eſſe qui Baſileæ 1533. ſub falſo Baſilii Magni τῦ μεγάλυ Βασιλείυ περὶ γραμματικῆς γυμνασίας prodierit.

Epiſtola conſolatoria in adverſis, pag. 613. Neutiquam ſpectat ad ſanctum Baſilium Cæſareæ Archiepiſcopum, vel ad Græcum alium authorem : ſed hominis Latini eſt, Victoris Cartennæ in Africa Epiſcopi, qui eam ad amicum ſuum quendam nomine Baſilium ſcripſit, ut infra dicemus, verbo *Victor Cartennæ Epiſcopus* ad annum 460.

De Laudibus Eremi pag. 621. eſt unum ex Opuſculis B. Petri Damiani, quod *Dominus vobiſcum* inſcriptum eſt.

Admonitio ad Filium ſpiritualem pag. 624. non indigna Magno Baſilio mihi videtur : quam habes quoque aliquantulum emendatiorem in *Appendice* ad Codicem Regularum Holſtenii, Pariſiis anno 1663. in 4. pagina 20.

CAPVT QVINTVM.
DE
LITVRGIA SVB NOMINE DIVI BASILII A VARIIS EDITA, RECTIVSQVE ORDINANDIS OPERIBVS.

CErtum eſt *Liturgiam* quandam a Baſilio Cæſareæ Cappadocum Epiſcopo conditam fuiſſe, nullaque de ea re juſta dubitandi ratio eſt, cum

cum teſte Nazianzeno Oratione 20. pag. 340. ὑμνῶν διατάξεις καὶ ἐυκοσμίας τῷ βήματι dispoſuerit, ipſeque in Epiſtola 63. *ad Clerum Neocæſarienſem* deſcribit *Precum formulam*, quæ in Monaſteriis ſuis obſervari ſolebat, omnibus Dei Eccleſiis, ut ait, conſonam. Tantum porro ſibi caverunt Pontificii, ne tam inſignis Opuſculi jacturam facerent, ut hodieque ſummo Ritualiſtarum omnium voto *Liturgiæ Baſilii tres*, magna piorum conſolatione circumvolitent: de quibus hic diffuſius agendum duximus. *Prima Liturgia* ſub nomine Divi Baſilii, ex verſione Gentiani Herveti, Remenſis Canonici, edita primum Latine Venetiis 1548. in 8. apud Alexandrum Bruciolum, quam Claudius de Sainctes Pariſienſis Theologus edidit quoque cum aliis, Pariſiis & Antverpiæ 1560. Græce autem edita illa eſt, Pariſiis ſeorſim annis 1601. & 1620. Eandemque in Bibliothecam Sanctorum Patrum editionis Pariſienſis 1644. Græce & Latine tom. XII. pag. 382. Quæ jam antea Græce & Latine extabat in *Auctario* Bibliothecæ Patrum Frontonis Ducæi, editionis Pariſienſis 1624. tom. 2. a pag. 42. ad 58. ſub titulo hoc, *Ritus Divini Sacrificii Sancti Magni Baſilii* denique Græce & Latine in *Euchologio* ſeu *Rituali Græcorum* pag. 159. ad 186. quod Jacobus Goarus Ordinis Fratrum Prædicatorum anno 1647. Pariſiis in folio Græce & Latine edendum curavit apud Simeonem Piget. *Altera* quæ *Anaphora* quoque Græco nomine a Syris appellatur, ex Syriaca lingua in Latinam ab Andrea Maſio converſa, Antverpiæ a Plantino 1569. edita eſt, quam habuit a Moſe quodam Mardeno Syro, præceptore ſuo. Quisquis autem *Liturgias* ſeu *Anaphoras* illas inter ſe comparaverit, nullo negotio comperiet, non poſſe illas eſſe unius ejusdemque authoris: ſed temporis progreſſu ita fuiſſe vel decurtatas vel auctas & interpolatas, ut præter authoris Baſilii nomen, nihil pene reliquum ſit ejus, a quo profectæ ſunt. Quod autem non pauca in *Liturgia Græce* legantur, quæ in *Syriaca* expreſſa non ſunt, ludicram Maſius rationem affert, quæ nobis tamen prodeſt, ut in his *Liturgiis* nihil firmum eſſe noſcamus. „Audiamus Maſium diſſonantiam „bona fide agnoſcentem. Fateor equidem pro„lixiorem eſſe Græcam. Quippe is fuit perpe„tuo hominum in religione ſenſus, ut intra præ„ſcriptas a Patribus Ceremonias quantumvis „ſanctiſſimas, ſeſe continere pauci potuerint: „unde pro temporum tractu ad illas pro vario „Antiſtitum pietatis affectu, alia atque alia addi„ta, multa etiam mutata videre eſt: & quod eſt „longe majus malum, non paucas etiam ſuper„ſtitiones eſſe enatas. Qua in re mihi viden„tur fuiſſe Syri, tanto Græcis Latinisque tempe„rantiores: quanto minus in tranquillo, ne di„cam luxurioſo, apud illos Chriſtiana res ſtatu „verſata eſt. Hæc ille, nequaquam diſſimulans Græcam & Latinam illam Liturgiam a prima illa ſimplicitate plurimum recedere, ſuperſtitionibus ſcatere: & in illa quam Græce ſub Baſilii nomine habemus, non pauca addita & mutata eſſe. *Tertia alia Liturgia* ex Arabico converſa a Victorio Scialagh Accurrenſi Maronita, e monte Libano, & edita Auguſtæ Vindelicorum 1604. in 4. Illæ autem tres *Liturgiæ* ut ingens propugnaculum, ſimul omnes editæ ſunt, immiſſæ in citatam Bibliothecam Patrum Pariſienſis editionis anni 1644. Nimirum *Liturgia Divi Baſilii Latine* tantum tomo 6. pagina 1. *Anaphora* quæ *ſecunda Liturgia*, ex Syriaca lingua ab Andrea Maſio Bruxellenſi verſa Latine, pag. 13. cum *Precatione* qua idem ſanctus Baſilius, antequam ſacra operaretur, uti conſueverat, pag. 22. Denique *Tertia Liturgia* ex Arabico a Victorio Scialagh, ibidem pag. 75.

Jam quæſtio eſt, quamnam illæ Liturgiæ fidem apud æquos rerum judices mereantur. Nullam vult mereri fidem Guillelmus Cavus, ob certas illarum interpolationes, ut hic habet in *Baſilio* pag. 194. atque etiam poſtea in *Chryſoſtomo* pag. 258. Sed quia loquentes etiam æquiſſime Proteſtantes audire nolunt Pontificii, producamus ejusdem cum noſtris ſententiæ & æquitatis Pontificium, Ludovicum Elliam du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* verbo Baſilius pag. mihi 183. *Reſtant tantum examinanda Liturgiæ huic Patri attributæ, quæ tres illæ ſunt. Prima Græce a Morello impreſſa. Secunda e Syriaco translata eſt, atque a Maſio edulta in publicum. Tertia ex Arabico translata, a Maronita monte Libani. Sed quamvis conſtet Liturgias a Baſilio eſſe compoſitas, ut Proclus Conſtantinopoleos Epiſcopus, Epiſcopi in palatio Imperatoris convocati, & Leontius teſtatur: certo tamen non conſtat, an ulla earum, quas habemus, ſit hujus Patris Liturgia, quemadmodum illam conſcripſerat. E contra verisimillimum eſt, in ſua puritate conſervatam non fuiſſe, multaque ipſi addita & mutata, ut ejusmodi Operibus fieri contingit. Imo animadvertitur Petrus Diaconus citaſſe Orationem celebrem, ex Liturgia ſancti Baſilii eductam, qua in neutra illarum, nomen ipſius præferentium, reperitur.* Ea loquentem Pontificium hominem, ſed a ſemetipſo tamen non loquentem: cum illa quæ profert, ſicut & Cavus qui eadem habet, ab aliis acceperit. Non eſſe autem has *Liturgias* Divi Baſilii probat Robertus Cavus in *Cenſura quorundam Scriptorum Veterum*, verbo *Baſilius* p. 253. *Primo*, ex magna & valde diſſentiente Exemplarium varietate, ut qui plura viderunt, affirmant. Vetus enim translatio cum Græco exemplari & nova verſione non convenit. Quod ex parte verum eſſe, fateatur neceſſe eſt Bellarminus lib. 3. *de Euchariſtia* cap. 14. Nam ibi negat in Baſilii Liturgia legi *Fac panem iſtum corpus Chriſti:* cum tamen Pereſius Guidixienſium Epiſcopus *de Traditione* parte 3. Titulo *de ſacra communione* pag. 159: & Beſſarion Epiſcopus Tuſculanus, Romanæ Eccleſiæ Cardinalis & Conſtantinopolitanus Patriarcha, fateantur in Baſilii Liturgia inveniri: *Fac panem iſtum corpus Chriſti &c.* uter autem iſtorum mentiatur, viderint Pontificii. *Secundo* hanc Liturgiam ſive Miſſam

Miſſam non eſſe Baſilii probari poteſt ex eo, quod Baſilius ad finem precum ſolitus eſt glorificationem abſolvere vel ſub hac forma, *Gloria Deo ac Patri, cum Filio ipſius ac Spiritu Sancto:* vel ſub altera, *Gloria Deo ac Patri, per Filium, in Spiritu Sancto.* Ita Baſilius in libro *de Spiritu Sancto* ad *Amphilochium* cap. 1. Atqui in hac Liturgia, glorificatio abſolvitur alia verborum forma, videlicet, *Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto.* Quod arguit ſatis, Baſilium non fuiſſe authorem hujus Liturgiæ. *Tertio.* Author in hac Liturgia precatur *pro piiſſimo atque fideliſſimo ſuo Imperatore.* Atqui Imperator tempore Baſilii, Valens nimirum, *Vir piiſſimus & fideliſſimus* dici non potuit, cum Arianum atque Dei Eccleſiæ valde inimicum fuiſſe conſtet. Hæ Coci rationes non ſpernendæ, quibus addi poſſunt, quæ ſuperiùs ex Ellia du Pin allatæ ſunt.

Hinc patet quam parum ſinceræ fidei ſint Pontificii, qui quamvis ſciant has *Liturgias* eſſe ſpurias atque ſuppoſitas, illarum tamen corruptarum & interpolatarum authoritate abuntur, ad ſeducendas plebes. Ita Bellarminus lib. 1. *de purgatorio* cap. 6. ad probandas preces pro mortuis. Lib. 4. *de Euchariſtia* cap. 10. ad probandum in ſancto calice, vinum eſſe aqua temperandum. Lib. 1. *de Miſſa* cap. 18. ad probandum Miſſæ ſacrificium. Lib. 2. *de Miſſa* cap. 8. & libro 4. *de Euchariſtia* cap. 21. ad probandam invocationem Sanctorum, & aliis de cauſis. Citatur etiam a Gregorio de Valentia in libro *de præſentia Chriſti in Euchariſtia* cap. 5. pag. 370. & cap. 6. pag. 372. ob realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam & venerationem Euchariſtiæ ſtabiliendam. Denique a Pereſcio *de Traditione*, parte 3. titulo *de ſacra communione* fol. 159. propter Tranſubſtantiationem aſſerendam. Vnde Pereſius ob teſtimonium tam luculentum, quaſi præ gaudio exiliens inquit. «Gratias tibi agimus o Magne & ſancte Baſili, quod „tam apertis verbis, rem de qua agimus aperuiſti: & nullum locum perditiſſimis his hominibus, quæ contra Altaris Sacramentum, pignus „pretioſiſſimum hæreditatis noſtræ, tam impudenter latrant, reliquiſti. Nam & transmutationem panis in Chriſti corpus, & vini in Chriſti ſanguinem, veramque & realem præſentiam, ibidem apertiſſime faſſus es.„ Hæc præclara Rivetus, ex Pereſio.

Contra alii ex Pontificiis volunt ipſum faviſſe ſententiæ Calviniſtarum, atque in Liturgia appellaſſe *Euchariſtiam τὰ ἀντίτυπα τῦ σώματος καὶ αἵματος κυρίυ figuras & imagines corporis & ſanguinis Chriſti Domini:* quemadmodum hoc Sacramentum Græci omnes teſte Combefiſio appellare conſueverant. Ita Carolus du Freſne Dominus du Cange, in *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis* in verbo *ἀντίτυπα* col. 89. In Liturgia Sancti Baſilii pag. 169. *τὰ ἀντίτυπα τῦ σώματος καὶ αἵματος τῦ Κυρίυ, Figuras & imagines corporis & ſanguinis Chriſti.* Sed in orthodoxum ſenſum hæc Baſilii Magni verba alii Pontificii intelligunt, atque in primis S. Joannes Damaſcenus lib. 4. de fide orthodoxa cap. 14. qui Liturgiam divi Baſilii legerat. *Εἰ δὲ καί τινες ἀντίτυπα τῦ σώματος καὶ αἵματος τῦ Κυρίυ τὸν ἄρτον καὶ τὸν οἶνον ἐκάλεσαν, ὡς ὁ Θεοφόρος ἔφη Βασίλειος: οὐ μετὰ τὸ ἁγιασθῆναι αὐτὴν προσφορὰν ἔτω καλέσαντες. Etſi quadam exemplaria ſeu figuras Corporis & Sanguinis Domini, panem & vinum vocaverunt, ut Deifer vocavit Baſilius: non tamen poſt ſanctificationem dixit, ſed priusquam ſanctificaretur oblatio, ita vocabant.* Et Tomo VII. Conciliorum Labbeanæ editionis in folio, Pariſiis 1672. in Actis Concilii Nicæni ſecundi Tomo IV. columna 837. C. D. E. & 838. A. B. C. Epiphanius Diaconus ex Baſilio ſtatuit, Chriſti corpus & ſanguinem in Euchariſtia *non eſſe imaginem corporis & ſanguinis Chriſti*, ſed ipſum corpus & ſanguinem vere: quod ſacrificium etſi antea a Baſilio *ἀντίτυπα* vocetur. *Per panem & vinum ἀντίτυπα membrorum corporalium Chriſti prædicat, ille vero ex eodem fonte hauriens, (ut omnes Sacerdotii miſtæ cognoſcunt,* in precatione divinæ Anaphoræ *ita Græci Miſſa partem vocant*) *ſic alibi legit:* Confidentes tuo ſacro altari appropinquamus, & proponentes *Antitypa ſacri corporis & ſanguinis Chriſti tui,* te precamur & invocamus. Et quæ deinceps ſequuntur, ſententiam Patris amplius confirmant, quod ante ſanctificationem *Antitypa* vocaverint: poſt conſecrationem autem, *corpus Domini & ſanguinem Chriſti*, atque ita eſſe creduntur. Eadem habentur apud S. Amphilochium D. Baſilii ſynchronum, in editione Operum illius Græce & Latine facta Pariſiis anno 1644. in folio, interprete & ſcholiaſte Franciſco Combefiſio, ordinis Fratrum Prædicatorum. Sic enim S. Amphilochius in Vita S. Baſilii cap. 17. pag. 221. *Itaque nequit fieri, ut dictum eſt, ut quis intret in regnum Dei, niſi per aquam & Spiritum Sanctum: & niſi vivifica Antitypa intemerati corporis & ſanguinis Chriſti ſumpſerit.* Porro Combefiſius num. 128. pag. 278. ad voces *Vivifica Antitypa* ita habet. Vix fuerit ſacer ſcriptor, qui non ita *Euchariſtiam* dixerit: eoque ſuſpectus Damaſcenus libro 4. *de fide Orthodoxa,* «id amoliens a Miſſa Magni Baſilii, aut certe non „de ipſa Euchariſtia, & a conſecratione, contendens dictum, ut & Epiphanius 7ma Synodo, qui „forte a Damaſceno accepit.„ Porro ſi vox iſta *Antityporum*, Euchariſtiæ a Græcis attributa paſſim, nihil in gratiam Calviniſtarum figuram tantum admittentium faciat, ex Pontificiis ipſis: multo magis ipſis favere creditur, eadem Vita S. Baſilii ab Amphilochio Iconienſi Epiſcopo ac Baſilii amico intimo conſcripta, cap. 6. pag. mihi 175. Ille enim Baſilius antequam moreretur, hoſtiam in tres partes diviſiſſe ibi dicitur, unam earum communicaſſe cum timore multo, alteram reſervaſſe ſecum ſepeliendam, tertiam vero impoſuiſſe *columbæ aureæ* pendenti ſuper altare. Hoc enim facto, quo *Euchariſtiæ partem ſecum ſepeliendam* voluit, indicaſſe illam etiam poſt conſecrationem ab ipſo factam, non fuiſſe *verum cor-*

pus

pus & ſanguinem Chriſti, ſed in figura & imagine tantum. Vide de hac hiſtoria Cavum *Hiſtoria litteraria* pag. mihi 136, Elliam du Pin *Nova Bibliotheca* pag. 231. & ſeq. At huic Pontificiorum diſtinctioni ſupra allatæ, obſtant maxime verba S. Joannis Chryſoſtomi in Epiſtola ad Cæſarium Monachum, quam integram refert Joannes Harduinus Jeſuita in Tractatu illo prolixo *de Sacramento altaris*, quamque a Sorbonicis cenſoribus ſuppreſſam in editione Emerici Bigotii, ut genuinam & antiquis cognitam ibi ingenue ille agnoſcit. Sic autem Chryſoſtomus ibidem. *Sicut autem antequam ſanctificetur, panem nominamus: divina autem illum ſanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus eſt quidem appellatione panis, dignus autem habitus eſt Domini corporis appellatione, etiamſi natura panis in illo permanſit.* Vbi in Euchariſtia poſt conſecrationem, remanſiſſe *naturam panis* agnoſcit, atque in conſecratione tantum eſſe factum, *ut corpus & ſanguis Chriſti appellaretur.* Hæc occaſione Liturgiæ S. Baſilio Magno attributæ ab antiquis.

Diſcuſſis latius Baſilio attributis Operibus, ſupereſt ad Diſſertationis complementum, paucis agere, quomodo impoſterum convenientiori methodo, in editione proxime futura, diſtribuerentur. Commodius itaque meo quidem judicio, Opera D. Baſilii omnia in tres tomos dividerentur, quorum primus eſſet *Homiliarum atque Sermonum*, ſecundus aliorum ejusdem *librorum & tractatuum*, tertius *Epiſtolarum*: ſubjunctis ad ſingulos tomos ſuppoſitis minutiori charactere opuſculis, quemadmodum in noviſſimis Ambroſii & Auguſtini Pariſienſibus, Benedictinis Editionibus factum eſt.

TOMVS I. HOMILIARVM ET CONCIONVM.

Homiliæ IX. in Hexaëmeron ex interpretatione Joannis Argiropyli, & recognitione Godefridi Tilmanni Carthuſiæ Pariſienſis Monachi. Eædem Homiliæ IX, Latine ex interpretatione Euſtathii ad Syncleticam Diaconiſſam, quæ leguntur in magna Bibliotheca Veterum Patrum editionis Pariſienſis 1644. tom. I. pag. ſeu col. 1467.

Homiliæ XVII. in Pſalmos quosdam pag. 107. rejectis ad calcem tomi, iis quas ex Combefiſio dubias diximus.

Homiliæ XXX. *de diverſis argumentis* pag. 276. rejecta ad calcem tomi homilia XXXI. de libero arbitrio pag. 544. quam Capite ſecundo hujus Diſſertationis ſpuriam probavimus.

Adde his XXX. homiliis alias duas, ſi dignæ Magno Baſilio videantur, poſt ſermones duas *de Jejunio* pag. 276. & 286. homilias nimirum quas edidit Joannes Cotelerius Græce & Latine Pariſiis 1677. in 4. unam *de jejunio* & alteram in Caput 6. *Proverbiorum*, tomo 1. *Veterum Monumentorum* Eccleſiæ Græcæ pag. 38. & 28. ſqq.

Homiliæ Aſceticæ tomi ſecundi, ſequantur Homilias XXX. *de variis argumentis*: nempe Homilia *de militia ſpirituali*, quæ legitur tomo 2. ut prologus Aſceticorum & Ethicorum pag. 366. ad quæ tamen nullatenus ſpectat.

Homilia *de abdicatione rerum* tomo 2. pag. 370. Homilia *de cultu* ſive *Exercitatione Monaſtica*, ibidem pag. 382.

Sermones duo *de inſtitutionibus Monachorum*, ibidem tomo 2. paginis 508. & 515.

APPENDIX ſequatur *Homiliarum* ſeu *Sermonum ſuppoſitorum*, charactere minutiori: ut Sermonum in *Pſalmos*, vel *de jejunio* pag. 286. vel *de libero arbitrio*, pag. 544. ut recte viſum fuerit.

TOMVS II. LIBRORVM AC TRACTATVVM.

Adverſus Eunomium Hæreticum Libri tres tomo 1. pag. 695.

De Baptiſmo Libri duo, ibidem pag. 548.

De Spiritu Sancto ad Amphilochium Liber pag. 297. cum cenſura Operi præmiſſa, quæ interpolationem doceat.

Aſceticorum & Ethicorum prologus *de judicio Dei* pag. 392. *de vera ac pia fide* pag. 384. Indiculus Ethicorum, tum *E hica ipſa* pag. 405. *Regulæ fuſius Diſputatæ* pag 525. *Regulæ brevius ſeu compendioſe expoſitæ* pag. 608.

Eadem Regulæ ex vetuſta verſione Latina Rufini Aquilejenſis Presbyteri cum prologo ad Vrſejum Abbatem, habentur in Collectione Regularum Holſtenii, parte prima, pag. 95. & ſequentibus.

Conſtitutiones Monaſticæ pag. 745.

APPENDIX charactere minori, ad diſtinctionem majorem a genuinis operibus.

Adverſus Eunomium Liber quartus & quintus tomo 1. pag. 758.

De vera & illibata Virginitate Liber, p. 609.

Commentarius in Sexdecim priora Capita Iſaiæ Prophetæ, tom. 2. pag. 1.

Animadverſiones in Canonicos peccantes, p. 740. cum *pœnis in Monachos delinquentes* pag. 804. qui inter Baſilii Opera impreſſæ, cum incerti Authoris ſint, recte inter ſpuria vel incerta committuntur.

TOMVS III. EPISTOLARVM ET ALIORVM ADIVNCTORVM.

Epiſtolæ omnes Græce & Latine genuinæ, remiſſis ad *Appendicem* dubiis & ſpuriis, ut cap. 4. dictum ſupra eſt.

APPENDIX charactere minori, ſpuriarum & incertarum.

Epiſtolæ ſpuriæ & incertæ de quibus in diſcuſſione Epiſtolarum cap. 4. locuti ſumus.

Liturgia Sancti Baſilii Græce & Latine, ex interpretatione Gentiani Herveti Aurelianenſis, Remenſis Canonici, quæ habetur tomo XII. Bibliothecæ Veterum Patrum, editionis Pariſienſis anni 1644. pag. 382.

Eadem *Liturgia* alterius opinor verſionis, Latine tantum, ejusdem Bibliothecæ tomo 6. pag. 1.

Anaphora Sancti Basilii ex lingua Syriaca per Andream Masium Bruxellensem Latine versa, ibidem Col. 13.

Precatio qua Sanctus Basilius ad Deum, antequam sacra operaretur, uti solebat: ibidem Col. 22.

Alia Liturgia ex Arabico versa, a Victorio Scialagh Accurensi, Maronita ex Monte Libano. Ibidem Col. 75.

Admonitio Sancti Basilii ad filium spiritualem Latine tantum, tomo isto pag. 624. Habetur autem eadem ex veteri MS. Latine Interpretis antiqui Anonymi, ordine meliori, in *Appendice* ad Codicem Regularum Holstenii p. 20.

Conciones Morales XXIV. de Vita & Moribus Christianis, a Simeone Magistro & Logotheta ex libris sancti Basilii Magni excerptæ, pag. 445. tomi tertii.

PROSCRIBENDI autem a Basilianis Operibus, *libellus de Grammatica Exercitatione* tomo 3. pag. 592. *Epistola in adversis consolatoria*, ibidem pag. 621. ob allegatas illic rationes. Hæc sunt quæ de Basilianis Operibus seu Scriptis dicenda habuimus: nunc a quibus paulatim evulgata illa sint, paucis aperiendum est.

Primus omnium circa evulganda Magni Basilii Opera allaboravit Desiderius Erasmus Roterodamensis, seculi sui decus, qui Græcam illorum editionem in fol. Basileæ anno 1532. ex Frobenii prælo correctissimo produxit: continente hac editione homilias *in Hexaemeron*, *in Psalmos*, *XXIX homilias diversi argumenti*, *librum de Spiritu Sancto ad Amphilochium*, *cum Epistolis paucis*. Hanc vero editionem secuta est Editio Veneta apud Sabium 1537. in qua modo dictis adjecti tres libri priores D. Basilii *adversus Eunomium*. Secundus Janus Gruterus, anno 1551. edidit Parisiis insigni prorsus cura, Græce in fol. omnia ferme D. Basilii opera, qui eodem anno 1549. Basileæ apud Frobenium, Latine in fol. ediderat. Tertius Wolfangus Musculus editionem novam Operum divi Basilii procuravit Basileæ apud Oporinum anno 1565. tribus in fol. tomis, qui præcedentibus editionibus addidit Commentarios in *Isaiam Prophetam*, qui anno 1532. ab Erasmo in Latinam linguam versi fuerant, cum viginti Epistolis. Quartus Godefridus Tilmannus, Carthusianus Parisiensis, Vir Græce quidem eruditus, sed obductarum in discernendis veterum scriptis narium, primus e grege Pontificiorum, suas impendit curas, ad Latinam novam Operum sancti Basilii editionem promovendam. Collegit quidquid invenit indiscriminatim sub nomine Basilii, admisit quæ spuria cæteri opinabantur, atque inter cætera Commentarium ingentem *in Psalmos omnes*, quem jam exceptum ex Chrysostomo & Theodoreto fuisse constat, præmisit tractatibus *Censuras* interdum pueriles, quæ Monachum suum ore pleno eructant: Magnumque Erasmum ingenti injuriarum plaustro, in laborum Basilio impensorum compensationem, cumulavit. Hæc satis erant, ut editio ejusmodi velut divina Pontificiis commendaretur, multamque distributionem haberet: quod contigit, facta enim 1566. Parisiis primum, iterata Antverpiæ 1578. apud Plantinum, ac Parisiis iterum 1603. apud Sonnium. Quintus Fronto Ducæus Burdegalensis ex Ordine Jesuitico, primam Græcolatinam omnium D. Basilii Operum editionem 2. in fol. tomis urbit Parisiis anno 1618. ubi textus Græcus ex MSS. Codicibus Anglicis, tum Regiis Gallicis emendatus est: adjectis ad 3. tomi calcem tum Frontonis Ducæi tum Friderici Morelli Notis atque variantibus lectionibus, ab Schotto collectis. Sextus denique Basilio plurimum hoc seculo contulit Richardus Montacucius Anglus, Cestriensis postea Episcopus, qui *ducentas quatuordecim* Epistolas D. Basilii, easque genuinas in vulgus produxit: quibus ditata atque plurimum aucta, ultima omnium editio Græcolatina Parisiensis Operum divi Basilii, facta anno 1638. curis & expensis magnæ Bibliopolarum Societatis. Atque hæc de Basilii Operibus satis sint.

S. OPTATVS MILEVITANVS EPISCOPVS in Numidia, natione Afer, ac acerrimus Donatistarum impugnator, circa annum 368. vel 370. claruit, Damaso Romanæ Ecclesiæ clavum tenente. Quod autem in catalogo Romanorum Pontificum quem libro 2. *contra Donatistas* exhibet, agmen Siricius claudit: assentitur prorsus Baronio ad annum 368. Guilielmus Cavus, suspicanti nomen *Siricii* a librario, qui *Siricii* tempore librum exscripserit, additum fuisse. Optatum enim sub Valente scripsisse, Hieronymus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 110. diserte tradit. *Siricius* vero nonnisi Theodosio regnante, anno 384. vel sequente, ut Baronius aliique volunt, Ecclesiæ Romanæ regimen adeptus est. Quid? quod ipse Optatus duobus in locis lib. 1. pag. 15. & lib. 3. pag. 98. de persecutione Diocletiani quæ anno 303. incœpit loquens, *sexaginta & quod excurrit annos* effluxisse dicit: ubi hanc phrasim *& quod excurrit*, majorem decadis currentis partem significare Baronius recte notat. Hæc Cavus. Porro Ellias du Pin in Præfatione ad Optati Operum editionem, quam anno MDCC. Parisiis apud Johannem Anisson in folio aggressus est, cap. 1. ubi de Vita Optati & tempore, quo scripsit, loquitur: contendit *primum* quidem Optatum circa annum 368. vel 370. *sex priores Operis libros* scripsisse sub Papa Damaso, postea autem Siricii Papæ tempore, qui anno 384. vel sequenti Romanam Ecclesiam regere cœpit, scripsisse *librum septimum*, qui velut ad sex priores libros additamentum est, in quibusdam locis, ubi imperfecti ac deficientes sibi esse videbantur. Itaque in secunda illa recensione librorum sex & adjectione septimi, in Catalogo Romanorum Pontificum, additum fuisse *Siricii* nomen, sed ab ipso Optato, & non ab alio: unde nihil esse mirum,

rum,quod illud in MSS. omnibus,quibus uſus ille fuit,reperiatur. Vult ergo Optatum libros ſex compoſuiſſe ſub Valente,ſed librum 7. cum recenſione ac reviſione aliorum ſex priorum, ſcripſiſſe ſub Theodoſio Imperatore ac Siricio Romano Pontifice. Quousque ille vixerit, quove anno Optatus mortuus ſit, nihil liquet. Hæc contra Cavum. Inſcribitur editio Elliæ du Pin hoc modo.

Sancti Optati Milevitani de Schiſmate Donatiſtarum Libri VII. ad MSS. Codices & veteres editiones collati & innumeris locis reſtituti,quibus acceſſerunt *Hiſtoria Donatiſtarum* una cum *Monumentis veteribus ad eam pertinentibus*, nec non *Geographia Epiſcopalis Africæ*. Opera & ſtudio Ludovici Elliæ du Pin ſacræ facultatis Pariſienſis Doctoris Theologi & Philoſophiæ Profeſſoris Regii. Cum ejusdem Notis ut & Gabrielis Albaſpinæi, Merici Caſauboni, Caſparis Barthii & aliorum,ſingulis paginis in hac editione nova ſubjectis, Pariſiis apud Joannem Aniſſon typographiæ Regiæ Præfectum anno 1700. in fol. Antverpiæ etiam apud G. Gallet Præfectum typographiæ Huguetanorum anno 1701. in folio.

Præfationem tripartitam inſtituit,quarum 1. Vitam Optati, paucis deſcribit, parte 2. agit de libris ab eo conſcriptis, parte 3. differit de rationibus ad hanc editionem ſuſcipiendam ipſum incitantibus, quibus teſtimonia veterum de Optato ſubjungit. Sequitur

Hiſtoria Donatiſtarum pag. 1. *Geographia Epiſcopalis Africæ* pag. XXIII. cum tabula ſeu mappa ejusdem Geographiæ, omnia ſub unum aſpectum objiciente. Hæc Præludia. Tum *Sancti Optati Afri Melevitani Epiſcopi de Schiſmate Donatiſtarum adverſus Parmenianum libri VII.* pag. 1.

Franciſci Balduini Præfationes & Annotationes in S. Optatum,pag. III.

Gabrielis Albaſpinæi Epiſcopi Aurelianenſis Obſervationes in S. Optatum,pag. 134.

Monumenta vetera ad Donatiſtarum hiſtoriam ſpectantia pag. 143. ad 373.

In Præfatione ad Optati Opera §. ſeu parte 2. de libris Optati,contendit illos eſſe *Septem*,licet aliter alias ſenſerit,nondum inſpectis MSS. Codicibus. Septimum autem librum eſſe tantum Supplementa quædam ad ſex libros præcedentes, quæ iterata conſideratione, nonnullis librorum locis velut imperfectis poſtea adjecerit. Ita id quod dicitur Liber Optati ſeptimus, nihil aliud eſſe,quam triplex additamentum ad tres Optati libros, atque ideo (inquit) non plures quam ſex revera fuerunt,aut enumerandi ſunt. Parte 3. Præfationis teſtatur Elias du Pin, laborem ſuum in Optato edendo, in quatuor potiſſimum verſatum fuiſſe, 1. in emendando textu, 2. in Notis novis conſcribendis & aliorum Obſervationibus edendis, 3. in adjiciendis veteribus monumentis ad Hiſtoriam Donatiſtarum pertinentibus, 4. in texenda breviter Hiſtoria hujus Schiſmatis ab ejus origine ad finem usque.

Optati textus hucusque corruptiſſimus fuit, typis primum excuſus Moguntiæ anno 1549. cura Joannis Cochlæi. Plura in hac editione menda, quam verſus, fuiſſe affirmat Franciſcus Balduinus, qui novam hujus Operis editionem Pariſiis anno 1563. adornavit, adjutus collatione MS. exemplaris,quod cum ipſo communicaverat Claudius Eſpenæus Pariſienſis Theologus non ignobilis. Sex tantum libros priores continebat iſthæc editio, ſed ſeptimum paulo poſt minoribus exaratum characteribus adjecerunt. At emendatiorem alteram editionem idem anno 1569. duobus MSS. uſus Pariſiis fieri curavit, quorum unum Joanni Tilio Meldenſi Epiſcopo, alterum Maceræo Pariſienſi Theologo debebat, quorum ope multa loca reſtituit, fatetur tamen in Præfatione,multa adhuc menda,multas lacunas ſupereſſe. Juxta editionem illam Commeliniana anno 1599. Heidelbergæ facta eſt. Imo id quod Ellias du Pin non obſervavit,eadem hæc editio admiſſa eſt in *Bibliothecam Patrum* editionis 1. Pariſienſis anno 1575. tomo 2. col. 351. & ſeqq. apud Michaelem Sonnium via Jacobæa ſub ſcuto Baſileenſi. Nec mihi dubium, licet rem non excuſſerim, quin idem Optati opus extet in aliis ſequentibus *Bibliothecæ Patrum* editionibus Pariſienſibus annorum 1589. 1610. 1624. Colonienſi 1618. atque poſterioribus. Hæ omnes Operum Optati editiones ſimplices erant,donec ſeculo ſequente Gabriel Albaſpinæus Aurelianenſis Epiſcopus, qui fere primus e Gallis antiquæ Eccleſiæ diſciplinæ illuſtrandæ ſerio incubuit, novam editionem pompaticam *Librorum Optati* molitus eſt, quæ Pariſiis ſtatim ab ejus morte anno 1631. apud Claudium Sonnium prodiit, in folio.

Complectitur hæc editio plurima, quibus vel parum vel nihil adjuvamur, in libris Optati legendis & intelligendis, hoc ordine conſtituta.

Obſervationes Gabrielis Albaſpinæi in Hiſtoriam Donatiſtarum pag. 1.

Sancti Optati de Schiſmate Donatiſtarum libri VII. pag. 33.

Notæ Gabrielis Albaſpinæi in ſeptem Optati libros pag. 114.

Annotationes in 7. Optati Libros ex Franciſci Balduini Commentariis pag. 163.

Delibatio Hiſtoriæ Africanæ ex ejusdem Balduini Commentariis pag. 199.

Acta Conciliorum & Collationum contra Donatiſtas pag. 265.

Hiſtoria Collationis Carthaginenſis ex Franciſci Balduini Commentariis pag. 599.

Obſervationum Gabrielis Albaſpinæi libri duo, *Appendicis* pag. 1.

Ejusdem Notæ in Canones Concilii Eliberitani pag. 187.

Ejusdem Notæ in quosdam Canones Concilio-

liorum Hiſpaniæ, Aſiæ, Galliæ, Africæ, pag. 227.

Obſervationum libri duo, in Opera & libros quosdam Tertulliani pag. 281.

Hæc pompa hujus editionis, at tantum abeſt, ut in hac editione textus emendatus fuerit, ut e contra innumeris typographias mendis ſcateat, quas editoris incuria parum cavit, inquit du Pin.

Eodem anno Mericus Caſaubonus ſeptem Optati libros Londini in 8. cum notis edidit, ſed in emendando illo auctore, nullo MS. codice uſus, & ex conjecturis tantummodo loca multa, ſeu recte, ſeu perperam immutavit. Denique Philippus Priorius anno 1679. in folio, novæ Librorum Optati editioni, quæ Pariſiis impenſis Johannis Dupuis bibliopolæ facta eſt, profuit. Juxta Guillelmum Cavum in *Hiſtoria rei litterariæ* ad annum 368. pag. 187. Omnes „alias ſuperat tum typorum elegantia, tum notarum fere omnium editarum mole, Pariſienſis „illa quam Philippus Priorius adornavit, & in „lucem emiſit Pariſiis 1679. in folio, Albaſpinæi, Merici Caſauboni, Caſparis Barthii & Anonymi cujusdam non indocti notis paginæ „cujusvis calci ſubditis, quibus ſuas etiam Annotationes Priorius præmiſit. *Geſta Collationis Carthaginenſis* a Papirio Maſſone primum „edita, *Hiſtoriam hujusce rei* Balduini ejusdem, „itemque *Annotationes in Optatum uberiores* Balduini ut & Albaſpinæi in *Appendicem* rejecit, *facundi Hermianenſis opem* adjunxit, denique Libros „duos Albaſpinæi *de Veteribus Eccleſiæ ritibus*, alia„que addidit. Hæc Cavus ad hujus editionis commendationem, contra quem aliter plane opinatur & ſcribit Ellias du Pin de Priorio.

„Is in monito ad Lectorem, fatetur corruptiſſimum eſſe Optati textum, qui non tantum ni„hil quicquam præſtitit ut emendatior prodiret, ſed & negligentia ſua, nova in textum irrepere σφάλματα permiſit: *quid facias*, inquit, „*ubi melioris notæ Codicum maxima penuria eſt.* „At licet admodum rari MSS. Codices Optati „ſint, non tamen omnino nulli ſunt. Nam Ellias du Pin, ſe quatuor habuiſſe bonæ notæ affirmat, MSS. Codices S. Theodorici prope Remos, S. Germani a Pratis, Philippi Silvii, & Sancti Pauli Connaricenſis, qui nunc in Colbertina bibliotheca num 1951. habetur: ex quibus textum librorum Optati ad puritatem retulerit. „Horum ope Codicum vix dici poteſt, quot „loca reſtituerimus, corrupta emendavimus, „luxata ſuis reſtituimus locis, omiſſa ſupplevimus, aſcititia reſecavimus: uno verbo, textus Optati nativo ſplendori reſtitutus, integer & „emendatus prodit. Conjecturis vix quic„quam indulſimus, niſi MSS. Codicibus innixi. „Variantes lectiones ſeparatim a Notis, in fine „uniuscujusque paginæ adſcripſimus: ex qui„bus intelligitur, quot & quanta ſublata ſunt a „nobis menda & errata, & quot loca obſcura ac „ſenſus plane vacua lucem acceperint. Hæc „quoad emendationem textus, cui præterea „illuſtrando non parum conducit, ejus in arti„culos aut paragraphos diſtinctio, cum brevi„bus argumentis ad marginem appoſitis, quod „nondum a quoquam in Optati libris præſti„tum fuerat. „

Quod ſpectat ad notas, paucas ſane breves „& neceſſarias de novo confecimus, ac ſingulis „paginis poſt variantes lectiones, una cum notis „Albaſpinæi, Merici Caſauboni, Caſparis Barthii, „& incerti ſcriptoris, ſubjecimus. Balduini vero Obſervationes & Albaſpinæi, appendicis „loco, *Libris Optati* integras adjecimus, ſed repurgatas ab innumeris mendis typographicis, „quæ in editionibus Albaſpinæi & Priorii irrepſerant. Notas Priorii non prætermiſiſſemus, ſi quid in eis quantivis pretii inventum „fuiſſet, quod ab aliis non eſſet obſervatum. Sed „qui aliorum habet obſervationes, has fruſtra „requireret. Notas variorum excipiunt *Monumenta vetera* ad hiſtoriam Donatiſtarum per„tinentia, ordine Chronologico digeſta, & ad „MSS. Codices & meliores editiones exacta. „Neque novum eſt hujusmodi *Monumenta* Op„tati libris aſſuere, cum hoc ipſum Optatus „feciſſet, ut teſtatur Lib. I. §. 13. & 20.„ Ad iſtorum exemplum, Ellias du Pin in editione nova, vetera omnia *Monumenta* quæ ad hiſtoriam Donatiſtarum pertinent, *Acta ſcilicet Conciliorum & Collationum Epiſcopalium, Epiſtolas Epiſcoporum, Edicta & Epiſtolas Imperatorum, Geſtaque Proconſularia* exhibuit, deducta ad annos ſuos. Hæc in editione Pariſienſi ultima anni MDCC. apud Aniſſonium, Ludovicus Ellias du Pin. Agunt de Optato Milevitano Epiſcopo Bellarminus in Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 368. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus attigit, tomo 2. verbo *Optatus Milevitanus*. Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus ſacri*, ibidem. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literaria* ſeculo IV. ad annum 368. pag. 186. Ludovicus Ellias du Pin in *Præfatione* ad editionem Optati Librorum a ſe procuratam, quem heic excerpſimus ac ſecuti ſumus in omnibus.

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS SANCTI GREGORII NYSSENI EPISCOPI.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

VITA SANCTI GREGORII NYSSENI EPISCOPI PAVCIS PERSTRINGITVR.

370. GRegorius Nyſſæ urbis in Cappadociæ confinio Epiſcopus, genere Ponticus, ſancti Baſilii Magni frater natu minor fuit, quem perperam Emiſenum Epiſcopum Honorius Auguſtodunenſis & Joannes Trithemius in Catalogis *Scriptorum* appellant. Hunc venerabilis Eccleſiæ antiquitas eximie coluit, laudibus extulere ſummis Theologi ſequiorum ſeculorum Græci & Latini, quem ad Dogmata orthodoxa fidei confirmanda teſtem certiſſimum adhibuerunt: *quippe qui in iis quæ ad fidem attinent, nulla in re a Baſilio diſſenſerit*, inquit Cardinalis Bellarminus. Vitam ejus, ſtudia, res geſtas, nullus quem noverim, continua hiſtoriæ ſerie, ſingulari opuſculo quodam contexuit: ſed quæ ſanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione ad illum habita commemorat, tot & tanta ſunt, ut Hiſtoriæ inſtar eſſe queant. Imo cum Nazianzenus idem varias ad eum Epiſtolas, nimirum 34. 35. 36. 37. 42. 43. 95. & 142. ſcripſerit: nullo labore, quid de Nyſſeno Epiſcopo vel dicere vel ſentire poſſimus, ex his elici poteſt. Ex Epiſtola autem 43. pag. 804. conſtat primis juventutis annis, Rhetoricæ ſtudio totum incubuiſſe: quem ſcriptis ad ipſum literis Gregorius Nazianzenus ad ſacrarum literarum cognitionem revocavit, elicitque ut ἀδόξου ἐνδοξίαν, ut verbis utar Gregorii, contemptui haberet, qua nimium antea delectari videbatur. Conjugatum fuiſſe, inquit Cavus pag. 195. & uxorem habuiſſe Theoſebiam nomine, ejus etiam τῆ ἱερέως σύζυγον, teſtes omni exceptione majores ſunt, Gregorius Nazianzenus Epiſtola 95. qui illam impenſe laudat: ipſe quoque Nyſſenus in libro *de Virginitate* cap. 3. Nicetas in *Scholiis*, ad 20. Orationem Gregorii Nazianzeni, num. 19. & Nicephorus Calliſtus Lib. II. *Hiſtor. Eccleſiaſtica* cap. 19. Idem quoque fatetur Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* in Gregorio Nyſſeno p. mihi 231. Rhetoricam, cujus ſtudio ab annis junioribus tenebatur, vix abjicere potuit, ut Eccleſiaſticis officiis totum ſe daret: qua de re Gregorius Nazianzenus, Epiſtola 34. conqueritur. Epiſcopus creditur inſtitutus, annum circa 370. vel 371. Quod ſane Gregorius iſte Nyſſenus ſub Valente Imperatore in exilium anno 374. actus ſit, quod hoc demortuo anno 378. ad Eccleſiam ſuam reverſus, ab Antiochena Synodo ad inſtaurandas Orientales Eccleſias deſtinatus ſit: non mediocre iſtud in Nyſſeno virtutis eximiæ argumentum eſt. Quod a Synodo Conſtantinopolitana œcumenica anno 381. ſub Theodoſio habita, ad Eccleſias Arabiæ viſitandas, ut inter præcipuos Catholicæ fidei propugnatores, Sancione etiam imperiali laudaretur, dignus habitus ſit: maxima ſunt, quæ nos ad ſcripta ipſius legenda, & ad fortitudinem in fide imitandam provocent. Vixit in Epiſcopatu annis non paucis, certiſſime enim conſtat usque ad Synodi Conſtantinopoli anno 394. habitæ tempora, cui præſens aderat, vitam prorogaſſe. Obiiſſe die 9. Martii, anni 395. vel 396. Cujus diem mortis, Latini ad 9. Martii, Græci ad 4. Idus ejusdem menſis celebrant. De ſcriptis ejus parce Hieronymus in libro *de Scriptoribus* cap. 138. *Gregorius Nyſſenus frater Baſilii Cæſarienſis, ante paucos annos, mihi & Gregorio Nazianzeno contra Eunomium legit Libros, qui & multa alia ſcripſiſſe & ſcribere dicitur.* Socrates Lib. 4. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 26. Ceterum Ba-« ſilius duos fratres habuit, Petrum & Gregori-« um. Sed Petrus quidem monaſticam Baſilii« vitam æmulatus eſt: Gregorius vero ejus in« docendo eloquentiam: qui & Librum Baſilii« *de Opere ſex dierum*, quem ille imperfectum re-« liquerat, poſt obitum fratris ſupplevit: & O-« rationem funebrem in laudem Meletii Antio-« chenſis Epiſcopi, Conſtantinopoli recitavit.« Exſtant & aliæ plures Orationes ab eo conſcri-« ptæ.« Idem Lib. 5. cap. 8. Theodoretus Lib. 4. cap. 30. & Lib. 5. cap. 8. Et in Polymorpho Dialogis 1. & 2. Photius in *Bibliotheca* Codicibus 6. & 7. qui Nyſſenum Eloquentia & dicendi jucunditate nulli ſecundum exiſtimat. Τὴν μὲν Φράσιν εἴ τις ἄλλος ῥητόρων λαμπρὸς καὶ ἡδονῆς ὠσὶν ἀποσταλάζων &c. πλεονάζει δὲ τοῖς ἐνθυμήμασι καὶ τοῖς παραδείγμασι. *Stylus illi, ſi cui Rhetorum illuſtri, & jucunditatem auribus inſtillans &c. Abundat etiam enthymematis atque exemplis.* Leo ſapiens Imperator Orientis, Conſtitutione 88. in qua eum dulcem & illuſtrem Eccleſiæ ſontem vocat. Omnium ampliſſime mentionem fecit Suidas in *Lexico* verbo Γρηγόριος Νύσσης ἐπίσκοπος, Scriptionum quæ ad Gregorium Nyſſæ Epiſcopum pertinere dicuntur, his verbis. Γρηγόριος Νύσσης ἐπίσκοπος, ἀδελφὸς Βασιλείου τοῦ καισαρείας, ἀνὴρ καὶ αὐτὸς ἐλλογιμώτατος, καὶ πάσης ὑπάρχων παιδείας ἀνάπλεως. προσκείμενος δὲ μᾶλλον τοῖς τῆ ῥητορικῆ χαίρουσι καὶ γὰρ εὐδόκιμος ἐν ταύτη γεγένηται, καὶ λαμπρὸς εἴ τις ἄλλος τῶν πάλαι ταύτη γεγενημένων. ὕστερον συνέταξε κατ' εὐνομίου λόγον ἐξαίρετον. καὶ τεύχος θαυμάσιον εἰς τὴν τοῦ ἀνθρώπου κατασκευήν. ἄλλους τε πυκνοὺς καὶ συνεχεῖς ὁμιλίας. εἴς τε τὰ ἅγια τῶν ἁγίων. καὶ εἰς τὸν ἐκκλησιαστήν. καὶ πρὸς τὴν ἀδελφὴν μακρίναν, μακρόν τινα καὶ περιπαθῆ περὶ ψυχῆς συνέθηκε λόγον. ἄλλα τε πολλὰ γεγραφήκει. καὶ τὸν πολυθαύμαστον ἔπαινον τοῦ πρώτου τῶν μαρτύρων στεφάνου. καὶ βίον δὲ συνέταξε Γρηγορίου τοῦ ἐν θαύμασι διαλάψαντος. « Gregorius« Nyſſenus Epiſcopus, frater Baſilii Cæſarienſis,« vir & ipſe clariſſimus, omnique doctrina refer-« tus. Illis tamen, qui eloquentia delectaban-« tur, magis adhærens: quamobrem etiam in« hac clarus evaſit, & illuſtris ſi quisquam ali-« us de priſcis, qui hac laude clari fuerunt.« Hic eximiam Orationem compoſuit contra«

„Eunomium, & admirandum librum de homi-„nis fabricatione, aliosque multos, & frequen-„tes sermones. Et in Cantica Canticorum, & „in Ecclesiasten; & in sororem Macrinam, pro-„lixam & elegantem orationem de anima com-„posuit. Aliaque multa scripsit, & illam ma-„gna dignam admiratione laudationem Stepha-„ni primi martyris. Composuit etiam vitam „Gregorii, qui miraculis valde claruit.

Extant Opera omnia S. Gregorii Nysseni simul collecta & Latine edita in fol. variis locis & temporibus. Basileæ anno 1562. Auctiora ibidem anno 1571. cui Joannes Leunclavius curas suas adjecit. Editio tertia Parisiis apud Nivellium 1573. adhuc amplior, quæ continet omnia opera Nysseni, quæ hucusq; in Latinam linguam translata fuerant: & ibidem 1605. apud Claudium Morellium, cura & studio Frontonis Ducæi, tomis duobus. Eadem Græco Latina studio Frederici Morellii, Parisiis 1615. duobus voluminibus, cum Notis Frontonis Ducæi Burdegalensis e Societate Jesu, qui potissimus editionem hanc ut & præcedentem curavit. Huic Appendicem addidit, supplentem ea quæ in Editione illa vel Græce & Latine, vel Græce tantum deerant, Jacobus Gretserus, ibidem in folio 1618. Denique integra prodierunt ibidem Græcolatina anno 1638. 3. in folio voluminibus, quæ quidem editio ut omnium amplissima, licet parum castigata, hic repræsentatur.

CAPVT SECVNDVM.

EX ORIGENIANA HÆRESI, SALVTEM OMNIVM ETIAM DAMNATORVM, IMO ET DÆMONVM, DOCVISSE GREGORIVS NYSSENVS EPISCOPVS DICITVR.

INnumeris quanquam laudibus Gregorium Nyssenum ornarint Scriptores Pontificii, quoad vitam doctrinamque: hoc non ita tamen intelligendum videtur, quin humanum ipse homo aliquid, pro more cæterorum passus sit. Dallæus ille vir insignis Lib. 4. *de pœnis & satisfactionibus humanis* cap. 7. pag. 368. eximie evincit Gregorium illum Nysscnum, de quo agimus, ad Origenis quoque deliria intoleranda accessisse, quibus passim infecta esse Nysseni Opera ostenditur: tum ex ipsis ejus libris, tum ex Nili, Germani & Photii testimoniis. Aureum plane Dallæi hoc caput est, quo nitidius cum scribi nihil possit, integrum hic ne mutata quidem voce describemus.

Jam quæ de Origenis locis diximus, eadem de iis dicta volumus, quæ ex Gregorio Nysseno afferuntur. Is enim tametsi in cæteris fidei quam Origenes fanioris, hoc tamen ejus de *omnium purgatione* atque restitutione delirium, manifeste sequitur ab omni veteri Ecclesia damnatum. Idque Nilus Thessalonicensis Archiepiscopus in Tractatu *de Purgatorio* pag. 147. Græcorum nomine *contra purgatorium* disputans, ad objectam a Latinis ejus authoritatem jam pridem observavit. Τῷ γὰρ (inquit) *περὶ αἰωνίου κολάσεως μήπω ἐξητασμένῳ ζητήματος τῆς τῶν ἁμαρτωλῶν ἀποκαταστάσεως δόξης, καὶ ὅτος γενέσθαι δοκεῖ, καὶ τέλος ἐξάγειν κολάσεως. μηδὲν ἄλλο ταύτην εἶναι ἀποφαινόμενος, ἢ καθαρσίν τινα καὶ χώνευσιν, καὶ πρὸς θεὸν ἕλκυσμὸν διὰ ὀδύνης καὶ πόνων, ὃς ἐσομένης ποτὲ τελείας ἀποκαταστάσεως πάντων, καὶ τῶν δαιμόνων αὐτῶν, ἵνα ᾖ, φήσιν, ὁ θεὸς τὸ πᾶν ἐν πᾶσι. Cum itaque quæstio de pœna æterna nondum agitata discussaque esset, videtur etiam Gregorius Nyssenus ejus opinionis fuisse, quæ restitutionem peccatorum ponit, finemque punitionis inferre: nihil aliud punitionem esse statuens, quam purgationem quandam, & fornacem, attractionemque ad Deum per dolorem & labores: tanquam perfectæ omnium, etiam ipsorum Dæmonum instauratio aliquando futura sit, ut sit Deus* (inquit) *omnia in omnibus, juxta Apostoli dictum.* Atque hæc Nilus. Germanus vero Episcopus Constantinopolitanus, qui non paucis ante Nilum seculis vixit, anno a Christo nato 680, librum teste Photio in *Bibliotheca* Cod. 233. pag. 478. edidit, hoc titulo Ἀνταπόδοτικος, ἢ Ἀνθρωπος: in cujus priori parte Origenis *de impiorum & Dæmonum purgatione* delirium fuse ex Scripturis & Patribus confutabat: in posteriori autem contendebat vitiatos fuisse ab Origenistis Gregorii Nysseni libros, multis de suo additamentis hujus Scriptoris orationi passim insartis, eosque ab hac Hæreticorum fraude, atque impostura vindicabat. Tres autem maxime libri erant, quibus hanc operam præstabat, *Dialogus de Anima cum sorore Macrina, Catechetica oratio, & de Vita perfecta.* Germani opus non extat; quo fit, ut difficile sit judicare, quid præstiterit. Photius qui legerat, magni facit totum Opusculum. Sed utcumque sit, sive ipse Nyssenus ita scripserat, sive (quod mavult Germanus) ab Origenistarum manu corrupti sunt ejus libri: hoc quidem certum est, Origenicam illam labem non paucis ejus Operibus jampridem insedisse. Hoc hodieque clamant pleraque viri, quæ supersunt, Opera, ex quibus non pigebit nonnulla describere. Sic igitur ille Tomo 3. Lib. *de anima & resurrectione* pag. 226. ἐ γὰρ μισῶν ἐδ' ἀμυνόμενος ἐπὶ τῇ καινῇ ζωῇ (τὸν ἐμὸν λόγον) ἐπάγει τοῖς ἐξημαρτηκόσι τὰς ὀδυνηρὰς διαθέσεις ὁ θεὸς, ὁ ἀντιποιούμενός τε καὶ πρὸς ἑαυτὸν ἕλκων πᾶν ὅτι περ' αὐτῷ χάριν ἦλθεν εἰς γένεσιν. Ἀλλ' ὁ μὲν ἐπὶ τῷ κρείττονι σκοπῷ πρὸς ἑαυτὸν, ὅς ἐστι πηγὴ πάσης μακαριότητος, ἐπισπᾶται τὴν ψυχήν. Ἐπισυμβαίνει δὲ κατ' ἀνάγκην ἡ ἀλγεινὴ διάθεσις τῷ ἑλκομένῳ. *Nec enim odio, ac vindicanda vitæ pravæ caussa, mea quidem opinione, Deus iis qui peccaverint, dolorem facientes adhibet affectiones: qui & apprehendit, & ad se trahit quidquid ipsius gratia, provenit in rerum naturam. Sed ille quidem meliori animo, atque consilio ad sese, qui omnis beatitudinis fons est, animam attrahit: ex necessi-*

tate

tate autem ei, quod attribitur, accidit illa afflictio acerba. Ita ſtatuit omnem omnino *pœnam* Deum ad hoc infligere, non ut *puniat*, ſed ut *emendet*: & ſic creaturam ratione præditam paulatim ad ſe trahat, ſibique uniat: ac per accidens fieri & præter Dei conſilium, ut pœnæ iis, qui *purgantur*, graves ſint atque acerbæ. Quod poſtquam in ſequentibus duplici ſimilitudine illuſtravit, ita pag. 227. ibidem concludit. Χρὴ γὰρ πάντη καὶ πάντως ἐξαιρεθῆναί πόθεν τὸ κακὸν ἐκ τοῦ ὄντος, καὶ ὅπερ ἐν τοῖς Φθάσασιν εἴρηται, τὸ ὄντως μὴ ὄν, μηδὲ εἶναι ὅλως. ἐπειδὴ γὰρ ἔξω τῆς προαιρέσεως, ἡ κακία εἶναι Φύσιν οὐκ ἔχει, ὅταν πᾶσα προαίρεσις ἐν τῷ Θεῷ γένηται, εἰς παντελῆ ἀΦανισμὸν ἡ κακία χωρήσει, τῷ μηδὲν αὐτῆς ὑπολειΦθῆναι δοχεῖον. *Oportet enim penitus ac prorſus malum aliquando eximi ex eo quod eſt, & quod in ſuperioribus dictum eſt, id quod reipſa non eſt, ne eſſe quidem omnino. Quoniam enim ea vitii, malitiæque natura eſt, ut eximat voluntatem & arbitrium non ſit: Cum omnis voluntas & omne arbitrium in Deo fuerit, ad abſolutam atque perfectam & extremam abolitionem & interitum vitioſitas redigetur, quod nullum ejus receptaculum relictum ſit.* Idipſum mox etiam diſertius ibid. pag. 229. ὁ δὲ πάντα γινόμενος (inquit) καὶ ἐν πᾶσι γίνεται. ἐν τούτῳ δέ μοι δοκεῖ τὸν παντελῆ τῆς κακίας ἀΦανισμὸν δογματίζειν ὁ λόγος. εἰ γὰρ ἐν πᾶσι τοῖς οὖσι ὁ Θεὸς ἔσται, ἡ κακία οὐκέτι ἐν τοῖς οὖσιν οὐκ ἔσται. *Porro qui omnia exiſtit, etiam in omnibus exiſtit. Atque in hoc mihi videtur perfectum & abſolutum interitum vitioſitatis ac nequitiæ tradere Scriptum. Si enim in omnibus rebus Deus erit, vitioſitas nequitiaque nimirum in rerum natura non erit.* Tum paulo poſt. πάντα χρὴ τάξει τινὶ, καὶ ἀκολουθίᾳ κατὰ τὴν τεχνικὴν τοῦ καθηγεμόνος σοφίαν τῇ θείᾳ προσπεποιῆσθαι Φύσει. *Oportet omnia ordine, ac viciſſitudine quadam, ſecundum artificioſam Creatoris & authoris ſapientiam, divinæ conciliari atque conjungi naturæ.* Vbi clare docet creaturas rationales a peccati labe puras atque immunes, omnes aliquando futuras. Quo etiam ſupra retulerat illud Apoſtoli dictum ad Philipp. 2. v. 10. fore ut Chriſto *omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium & infernorum.* Eo enim ſignificari ait ibidem pag. 212. ὅτι τῆς κακίας ποτὲ τοῖς μακρυαῖς τῶν αἰώνων περιόδοις ἀΦανισθείσης οὐδὲν ἔξω τοῦ ἀγαθοῦ καταλειΦθήσεται· ἀλλὰ καὶ παρ' ἐκείνων ὁμοΦώνως ἡ ὁμολογία τῆς τοῦ χριστοῦ κυριότητος ἔσται. *Quod vitioſitate longis ſeculorum anfractibus, & circuitionibus aliquando abolita, atque extincta, nihil præter bonum relinquetur: ſed etiam Dæmones concorditer & conſentienter dominationem Chriſti confitebuntur.* Sic etiam aliquot pagellis ante libri finem, ibid. pag. 254. σκοπὸς δὲ αὐτῷ ἐστι, τὸ τελειωθέντος ἢ διὰ τῶν καθ' ἕκαστον ἀνθρώπων παντὸς τοῦ τῆς Φύσεως ἡμῶν πληρώματος, τῶν μὲν ἐυθὺς ἤδη κατὰ τὸν βίον τοῦτον ἀπὸ κακίας κεκαθαρμένων, τῶν δὲ μετὰ ταῦτα διὰ τοῦ πυρὸς τοῖς καθήκουσι χρόνοις ἰατρευθέντων, τῶν δὲ ἐπίσης καὶ τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ κακοῦ τὴν πεῖραν παρὰ τὸν τῆδε βίον ἀ-

γνοησάντων, πᾶσι προθεῖναι τὴν μετουσίαν τῶν ἐν αὐτῷ καλῶν, ἅπερ Φησὶν ἡ γραΦὴ, μήτε ὀΦθαλμὸν ἰδεῖν, μήτε ἀκοὴν δέξασθαι, μήτε λογισμοῖς ἐΦικτὸν γενέσθαι· τοῦτο δὲ ἐδὲν ἄλλο ἐστι, (καλέσω τὸν ἐμὸν λόγον) ἢ τὸ ἐν αὐτῷ Θεῷ γενέσθαι. *Porro propoſitum atque conſilium ejus (Dei) hoc unum eſt, ut omni naturæ noſtræ plenitudine ſingulatim per quosque homines jam perfecta atque abſoluta, cum alii quidem jam ſtatim per hanc vitam a vitioſitate expiati, alii vero poſthac convenientibus temporibus per ignem curati fuerint: alii autem ex æquo, boni ſimul ac mali ſcientiam atque experientiam per hanc vitam non habuerint: omnibus proponat participationem & uſum bonorum, quæ in ipſo ſunt. Quæ bona Scriptura neque oculum vidiſſe, neque aures accepiſſe, neque cogitationibus & ratiocinationibus aſſequi, atque comprehendi poſſe dicit. Id autem nihil eſt aliud, (ut mea quidem opinio fuit) quam in ipſo Deo eſſe.* Tum ibidem pag. 255. inquit. ἡ δὲ τῆ κατ' ἀρετὴν ἢ κακίαν βίου διαΦορὰ ἐν τῷ μετὰ ταῦτα καλὰ τοῦτο δεγχθήσεται μάλιστα, ἐν τῷ θᾶττον ἢ ὀκνηρότερον μετέχειν τῆς ἐλπιζομένης μακαριότητος. *Porro differentia vitæ, quæ vel cum virtute, vel cum nequitia, vitioque tranſigitur, poſthac maxime per hoc oſtenditur, quod citius aut tardius quis beatitudinis, quæ ſperatur, particeps fiet.* Similia habet tomo 3. in Oratione catechetica cap. 8. pag. 61. ἐπειδὴ χρεία τοῦ κατεύνης τὰς ἐμΦυείσας ἐξ ἁμαρτιῶν κηλίδας διά τινος ἰατρείας ἐξαιρεθῆναι τοῦτο ἔνεκεν ἐν μὲν τῇ παρούσῃ ζωῇ, τὸ τῆς ἀρετῆς Φάρμακον εἰς θεραπείαν τῶν τοιούτων προσετέθη τραυμάτων, εἰ δὲ ἀθεράπευτος μένει, ἐν τῷ μετὰ ταῦτα βίῳ, ταμιεύεται ἡ θεραπεία. *Quoniam vero opus eſt, ut illius quoque (animæ) quæ ex peccatis ei ingenerata inſederunt macula, per medicinam aliquam auferantur: propterea in præſenti quidem vita adhibitum eſt medicamentum virtutis, ad hæc curanda vulnera. Quod ſi minime curata permaneat, in futuram vitam reſervatur curatio.* Ideo ait ibidem de judicio illo ultimo, quo hæ pœnæ peccatoribus infligentur ὅτι τοῖς συνετωτέροις ἰατρεία καὶ θεραπεία παρὰ τοῦ Θεοῦ τὸ ἴδιον πλάσμα πρὸς τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐπανάγοντος χάριν εἶναι πιστεύεται. *Quod iis qui ſunt intelligentiores, creditur a Deo eſſe medicina & curatio, figmentum ſuum reducente ad eam, quæ erat ab initio, gratiam.* Eodem libro c. 35. extremo p. 101. clariſſime ſtatuit homines tam initiatos Chriſti myſteriis, quam non initiatos, utrosque ad Beatitudinem perventuros: ſed cum hoc diſcrimine, quod qui Chriſti doctrina & ſacramentis purgati fuerint, in beatam & impaſſibilem vitam reſurrecturi ſint ultima die: alii reſurrecturi quidem, ſed ad felicitatem nonniſi poſt diuturnam ignis *Purgationem* perventuri. οἷς δὲ προσεπωφελήθη τὰ πάθη, καὶ ὀδὲν προσέχθη τῆς κηλιδώδους καθάρσιον, οὐκ ὕδωρ μυστικὸν, οὐκ ἐπίλυσις θείας δυνάμεως, οὐκ ἡ ἐκ μεταμελείας ἔκβασις· ἀνάγκη πῦρ, καὶ τοῦτος ἐν τῷ κατακλήλῳ γενέσθαι. Κατάκλυσον δὲ τῷ κεκιβδηλευμένῳ χρυσίῳ τὸ χωνευτήριον, ὡς τῆς ἐμμιχθείσης αὐτοῖς κακίας ἀποτακείσης, μακροῖς ὕστερον αἰῶσι καθαρσίοις ἀποσωθῆ-

Digitized

ναι τῷ Θεῷ τὴν Φύσιν. *Quibus autem indurate occalluerunt affectiones, neque ſordium aut macularum ullæ fuit adhibita purgatio, non aqua myſtica, non divinæ virtutis invocatio, non inconcinna pravitatis ex pœnitentia correctio: neceſſe eſt ut ii quoque ſint in eo quod convenit. Manifeſtum eſt autem, auro adulterino, confuſoque & non ſincero convenire fornacem, ut cum eis miſtum vitium fuerit liquefactum, longo poſtea ſeculo, Deo puro ſalvetur natura.* Sic etiam alibi tomo 3. in Oratione *de iis qui præmature abripiuntur* pag. 322. purgationem illam per ignem, in ultimi judicii tempora rejicit, cum de infante mortuo quærit. Ὄψεται ἆρα κἀκείνη ἡ ψυχὴ τὸν κριτὴν; παραστήσεται μετὰ τῶν ἄλλων τῷ βήματι; ὑφέξει τῶν βεβιωμένων τὴν κρίσιν; λήψεται τὴν κατ' ἀξίαν ἀντίδοσιν; ἢ πυρὶ καθαιρομένη κατὰ τὰς τῶν ἀγγέλων Φωνὰς, ἢ τῇ δρόσῳ τῆς εὐλογίας ἐναποψύχεται; *An illa quoque anima judicem videbit? an tribunali cum aliis ſiſtetur? ſubibit ædæ vitæ judicium? accipiet pro merito retributionem & compenſationem? vel igni purgata juxta Evangelii verba, vel in rore benedictionis refrigerata atque refocillata?* Ille enim *Ignis καθάρσιος* quem intelligit, flamma eſt, in quam ſummi judicis ſententia conjicientur οἱ ἡμαρτηκότες καὶ μὴ μετανοήσαντες πρὸ τελευτῆς: *Qui peccaverunt, & ante mortem non, ut dignum erat, pœnitentiam egerunt:* ut rectè annotat Græcus Scholii author, quod hoc loco inſertum habetur. Plura congerere nihil neceſſe eſt. Ex his enim ſatis clarum eſt, Origenis *de pœnis & purgatione*, omniumque rationalium creaturarum reſtitutione, ſententiam vel Nyſſenum (quod ait Nilus) eſſe ſecutum: vel certe (quod mavult Germanus) Origeniſtas doloſe hujus libris inſeruiſſe. Eoque pertinent, quæ inde Adverſarii fruſtra & inſcite in hac cauſſa afferunt, qualia illa ſunt, quæ Bellarminus lib. 1. *de Purgatorio* cap. 10. deſcripſit ex Oratione *de mortuis*. *Vel*, inquit, *in præſenti vita precibus, ſapientiæque ſtudio purgatus, vel poſt obitum per expurgantis ignis fornacem expiatus, ad priſtinam vellet redire felicitatem.* Et infra: *Non poterit* (inquit) *a corpore egreſſus, divinitatis particeps fieri: niſi maculas animæ immixtas, purgatorius ignis abſtulerit.* Et infra: *Aliis* (inquit) *poſt hanc vitam purgatorio igne materia labes abſtergentibus.* Hæc quæ in ſpeciem Adverſariorum dogmati favere videntur, omnino de Origenica illa purgatione, quam ſupra ex ipſo Nyſſeno deſcripſi, intelligenda ſunt: ut facile animadvertet, quisquis ea accurate ac plene apud eum legerit, tomo 3. Oratione *de mortuis* pag. 634. Deum enim ait hominem, cum is ſponte ad malum deflexiſſet, in iis eſſe ſiviſſe, quæ ſibi ipſe elegerat: quo guſtatis malis quæ concupiverat, experiendoque diſcens, quæ quibus commutaſſet. Παλινδρομήσῃ διὰ τῆς ἐπιθυμίας ἐκουσίως πρὸς τὴν πρώτην μακαριότητα, ἅπαν τὸ ἐμπαθές τε καὶ ἄλογον, ὥσπερ τι ἄχθος ἀποσκευάσας τῆς Φύσεως, ἤτοι κατὰ τὴν παροῦσαν ζωὴν, διὰ προσευχῆς τε καὶ Φιλοσοφίας ἐκκαθαρθεὶς, ἢ μετὰ τὴν ἐνθένδε μετανάστασιν, διὰ τῆς τοῦ καθαρσίου πυρὸς χωνείας: *Vel ſponte per cupiditatem ad primam felicitatem redibit, omni eo, quod perturbationi obnoxium, & rationi inimicum eſt, velut onere depoſito atque abjecto: vel in præſenti vita per precationis & Philoſophiæ purgationem, vel poſt migrationem ex hac vita, per purgatorii ignis fornacem.* Omnes omnino homines, ut in ſuperioribus, ſtatuit ad eam, unde exciderunt, felicitatem perventuros, eoque omnes illud perturbationum & τῶν ἀλόγων onus, quo eorum natura laborat, abjecturos: ſed non uno omnes modo, aut tempore. Alios enim in præſenti vita, per Chriſti diſciplinam purgatum iri, quo in ſenſu omnes vere fideles habet: Alios, nimirum qui hanc vitam in impietate vel injuſtitia & immundicia extra Chriſtum egerint, igne illo, in quem poſt reſurrectionem conjicientur, mundatum iri. Id Clariſſime oſtendunt ea quæ mox ſubjicit. Poſtquam hanc Dei diſpenſationem, hominem ſibi permittentis, cum medici arte ægroto intemperanti indulgentis comparavit: quo refert *pelleas illas tunicas*, quibus Adamum a Deo indutum Moyſes ſcribit. Ea enim veſte una cum Origene, hic quoque ſignificari putat *corpus beſtiarum*, unde deſumpta erat, paſſionibus obnoxium: quo ſcilicet hominem a Deo poſt peccatum indutum fuiſſe volunt. Nam his explicatis, quibus animalis natura conſtat, hæc ibidem p. 635. ſubdit. Τούτοις ἐμβιοτεύων κατὰ τόνδε τὸν βίον ὁ ἄνθρωπος τῇ αὐτεξουσίῳ κινήσει, εἰ μὲν διακρίνοιτο τὸ ἄλογον τὸ ἴδιον, καὶ πρὸς ἑαυτὸν βλέποι διὰ τῆς ἀσκητικῆς ζωῆς, καθαρσιον τῆς ἐμμιχθείσης κακίας τὸν παρόντα βίον ποιήσεται, κρατῶν διὰ τοῦ λόγου τῆς ἀλογίας. Εἰ δὲ πρὸς τὴν ἄλογον τῶν παθημάτων ῥοπὴν ἐπαλθείη, τῷ τῶν ἀλόγων δέρματι συνεργῷ χρησάμενος πρὸς τὰ πάθη: ἀλλως μετὰ ταῦτα βιωσόμενα πρὸς τὸ κρεῖττον, μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον γνοὺς τῆς ἀρετῆς. τὸ πρὸς τὴν κακίαν διάφορον, ἐν τῷ μὴ δύνασθαι μετασχεῖν τῆς θειότητος, μὴ τοῦ καθαρσίου πυρὸς τὸν ἐμμιχθέντα τῇ ψυχῇ ῥύπον ἀποκαθήραντος. *In his degens præſentis vitæ tempore homo, pro arbitrio ſuo, ſi neglecto quod beſtiarum eſt, urbanius vivendi genus complectetur: ratione vincens, quod rationi conſentaneum non eſt: præſentem hanc vitam, vitii ſibi admixti purgatricem efficiet.* Hic eſt prior eorum hominum ordo, qui Dei verbo, velut Medici mandatis parent: non alii, quam veri fideles. Sequitur alter hominum ordo, qui contemptis cœleſtis Medici mandatis, ſeſe mundanis & belluinis vitiis dedunt, de quibus inquit: *Sin quo perturbationum impetus ruet inclinabit, beſtiarumque pellem ad vitia miniſtram & adjutricem adhibebit: aliud poſtea inibit conſilium ut ad bonum perveniat, cum e corpore egreſſus, cognita qua inter virtutem & vitium differentia eſt, ex eo quod non poterit Divinitatis particeps fieri, niſi maculas animo immixtas purgatorius ignis abſtulerit.* Illam nimirum purgationem ſignificat, quam ipſe cum Origene poſt reſurrectionem factum iri ſomniat per gehennæ ignem: quem iſti quidem aliquando

do desiturum, cæteri autem Christiani æternum fore putant. At ne quis dubitet, explicat continuo quinam illi sint duo hominum ordines: quorum alii Dei & Christi disciplina hic in terris, alii igne futuri seculi purgantur. In priori censet ibidem pag. 636. Patriarchas, Prophetas, Apostolos, Discipulos, Martyres: *καὶ πάντας τὰς τὴν ἀνάρτητον ζωὴν πρὸ τῆ ὑλικῆ τιμησάμενος, quicunque vitam cum virtute conjunctam, rebus corporeis materiaque immersis pratulerunt:* hoc est, omnes vere pios & Christianos. In altero reliquos omnes homines collocat, quos & ipsos ad gratiam naturæ initio concessam sponte redituros affirmat: *διὰ τῆς εἰς ὕστερον ἀγωγῆς ἐν τῷ καθαρσίῳ πυρὶ ἀποβαλόντας τὴν πρὸς τὴν ὕλην προσπάθειαν: Postquam per futuram in posterum disciplinam, in purgatorio igne abjecerint sive absterserint propensionem & affectionem ad materiam.* In altero nimirum post judicium ultimum seculo. Sic enim habent Nysseni verba, non ut Bellarminus ea repræsentat, *Alii posthanc vitam materiæ labes abstergentibus.* Idem istorum, qui superiorum sensus: Vere pios in hac vita Christi fide & obedientia purgari, reliquos mortales igne illo, qui post judicium in eos arsurus, quidquid iis materiæ inolitum erat, depascet ac consumet: atque utrosque tandem quanquam diversis temporibus, illos maturius, hos serius ad summam beatitudinem perventuros. Quo pertinet quod in eodem libro legitur pag. 642. *τῆς κακίας καθόλε πάντων τῶν ὄντων ἐξομοιθέισης, ἐν τὸ θεοειδὲς κάλλ@ ἐπαςράψειν τοῖς πᾶσιν, ᾧ κατ' ἀρχὰς ἐμορφόθημεν: Futurum, ut malo ex his omnibus, quæ sunt, penitus ac universe exturbato, sive ejecto: una in omnibus divina pulchritudo fulgeat, ad quam initio formati eramus.* Ex his patet, quantum ab Adversariorum purgatorio distet ista Nysseni purgatio. Illi aliquos tantum, ex iis qui vere fideles fuerint, igne illo purgant: hic contra, nullos vere fideles flamma sua lustrat. Illi nullos purgant præter fideles, hic omnes omnino homines (solis exceptis fidelibus) igne suo purgatum iri statuit. Hic non peccati pœnam igne illo suo purgari vult, sed *τὴν πρὸς ὕλην προσπάθειαν, Propensionem ad materiam*, id est, vitiosos animæ affectus ex ante acta vita inolitos, tanquam scorias *ἀποβάλλεσθαι, abjici & abstergi* docet. Illi contra nullos a fidelibus vitiosos animi vel habitus vel affectus deponi volunt (quotquot enim illam fornacem intrant, eos volunt perfecta esse caritate præditos, nullaq; carnis libidine, nullo omnino vitio laborare) sed pœnas tantum expendi, quas nondũ in hoc seculo exsolverant. Quod discrimen in iis ipsis verbis extat, quæ Bellarminus attulit, in quibus ait Nyssenus *Maculas animo immixtas ignem illum auferre*, & *Materiæ labes abstergere.* Eoque inexcusabilior est istius temeritas, qui cum vel ex his intelligere posset illum Nysseni ignem a suo alienum esse, non dubitavit tamen hæc ejus verba eo trahere. Sed etiam impudentiores sunt, qui ad eandem Purgatorii causam torquent, quæ ex alio Nysseni Opere laudant, *Nos in eandem gratiam restituendos, qua Deus nos creavit.* Is enim locus quem innuunt, Origenicam illam omnium tum hominum tum Dæmonum *ἀποκατάστασιν* tam clare constituit: ut ferream ejus frontem esse oporteat, qui eum pro *Romano purgatorio* testem dare ausus est. Sic enim ille habet Oratione in illud, *Tunc ipse Filius subjicietur &c.* tomo 2. pag. 12. *τίς ἂν ὁ τῆ λόγε ἐςὶ σκοπὸς, ὃν δογματίζει ἐν ἐκείνῳ τῷ μέρει ὁ θεῖ@ Ἀπόςολ@;* Intelligit autem illam Apostoli Disputationem, quæ extat in priori Epistola ad Corinthios cap. 15. in hoc dicto desinentem: *Quando sibi subjecerit omnia, tunc etiam ipse Filius subjicietur ei, qui ipsi subjecit omnia.* *ὅτι ποτὲ πρὸς τὸ μὴ ὂν, ἡ τῆ κακῆ φύσις μεταχωρήσει, παντελῶς ἐξαφανισθῆσα τῆ ὄντ@. καὶ πᾶσαν λοιπὴν φύσιν, ἡ θεᾶτε καὶ ἀκήρατ@ ἀγαθότητ@ ἑαυτῇ περιέξει, μηδενὸς τῶν παρὰ τῆ θεῆ γεγονότων τῆς Βασιλείας τῆ Θεῆ ἀποπίπτ[ον]@.* *Ὅταν πάσης τῆς ἐμμιχθείσης τοῖς ὅλοις κακίας ὅλον τὸν@ ὕλης κιβδήλε διὰ τῆς τῆ καθαρσίε πυρὸς χωνείας ἀναλυθείσης, τοιῦτον γένηται πᾶν ὅ παρὰ τῆ Θεῆ ἔσχε τὴν γένεσιν, οἷον ἐξ ἀρχῆς ἦν, ὅτε ἔπω τὴν κακίαν ἐδέξατο.* *Quinam est ergo scopus verbi, cujus in ea parte dogma tradit divinus Apostolus? Quod aliquando ad nihilum transibit mali natura, plene & perfecte deleta ex rerum essentia. Divinaque & ab omni interitu aliena bonitas, in se continebit omnem naturam ratione præditam: nullo ex iis qui a Deo facti sunt, excidente a regno Dei: quando omni vitio quod rebus fuerat immissum, tanquam impura aliqua materia, per ignis purgatorii fusionem consumpto: omne quod a Deo ortum habuit, tale factum fuerit, quale erat ab initio, quando nondum susceperat vitium.* Sic infra in eadem Oratione, ibidem pag. 14. *Σαφῶς γὰρ ἐν τῷ τελευταίῳ τῶν ἱερημένων τὸ τῆς κακίας ἀνύπαρκτον τῷ λόγῳ παρίςησιν ἐν Ἰῷ ἐν πᾶσι γίνεσθαι τὸν θεὸν, πάντα ἐκβέβηκεν ὑπόμνημον. δῆλον γὰρ ὅτι τότε ἀληθὲς ἔσαι τὸ ἐν πᾶσι τὸν Θεὸν εἶναι, ὅταν μηδὲν κακὸν ἐνθεώρηται τοῖς ὅλοις. ἐ γὰρ δὴ καὶ ἐν κακῷ τὸν Θεὸν ἐικὸς ἐςὶ γίνεσθαι. ὥςε ἢ οὐκ ἐν πᾶσι ἔσαι, ὅταν ὑπολείφθη τι κακὸν ἐν τῆς ὅλοις. ἢ εἰ ἀληθῶς ἐν πᾶσι χρὴ πιςεύειν αὐτὸν εἶναι, τὸ μηδὲν κακὸν εἶναι τῇ περὶ τέτε πίςει συναποδείκνυται.* *Est enim perspicuum tunc verum futurum, quod Deus sit in omnibus, quando nullum malum in rebus conspectum fuerit. Non est enim consentaneum, ut Deus sit in malo. Quamobrem aut non erat in omnibus, quando in rebus aliquod malum fuerit reliquum: aut si vere cum in omnibus esse oportet credere, simul ostenditur cum ea, quam de ipso habemus fide, nullum esse malum.* Iterum ibidem pag. 16. *Κεφάλαιον δὲ τῶν ἡμετέρων ἀγαθῶν ἡ πρὸς τὸ θεῖον ἐςὶ ὑποταγὴ, ὅταν ὁμόφων@ πᾶσα ἡ κλίσις γένηται πρὸς ἑαυτὴν. Καὶ πᾶν αὐτῷ γόνυ κόμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσεται ὅτι Κύρι@ Ἰησῦς Χρις@ς. τότε πάσης τῆς κλίσεως ἓν σῶμα γενομένης, καὶ πάντων διὰ τῆς ὑπακοῆς μετ' ἀλλήλων ἐν αὐτῷ συμφυέντων, τὴν τῆ ἰδίᾳ σώματ@*

τῷ πρὸς τὸν πατέρα ὑποταγὴν εἰς ἑαυτὸν ἀναφέρει. *Noſtrorum autem bonorum ſumma eſt & caput, Deo eſſe ſubjectum, quando univerſa creatura ſibi fuerit conſonans: & omne genu ei ſe flexerit cœleſtium, terreſtrium, & inferorum: & omnis lingua confeſſa fuerit, quod Dominus eſt Jeſus Chriſtus. Tunc cum omnis creatura unum corpus fuerit effecta, & omnia per obedientiam inter ſe invicem ei conjuncta, & coalita fuerint: ad ſe refert corporis ſui Patri obedientiam.* Ideo corpus Chriſti, quod per eum aditum habet ad Patrem, non de ſola Eccleſia, ſed de univerſa hominum natura ibidem intelligit, pag. 17. Σῶμα δὲ αὐτοῦ, καθὼς εἴρηται πολλάκις, πᾶσα ἡ ἀνθρωπίνη Φύσις, ᾗ κατεμίχθη. *Corpus autem ejus, ſicut ſæpe dictum eſt, omnis eſt natura humana, cui admiſtus eſt.* Denique Diſputationem hanc concludens ibidem pag. 18. ἐκεῖνο Φανερὸν διὰ τῶν εἰρημένων γίγονε τὸ ἀποστολικὸν νόημα, ὅτι πάσης ἀνθρωπίνης Φύσεως [illegible] γνωριζομένην τῷ ὄντως ἐπίγνωσίν τε καὶ σωτηρίαν, ἡ τὸ υἱὸν πρὸς τὸν πατέρα ὑποταγὴ διασημαίνει. *Per ea ergo quæ dicta ſunt, ſit perſpicuum ſenſus Apoſtolicus, nempe quod per eam, qua Patri Filius ſubjicitur, ſubjectionem, ſignificetur cognitio, qua eum qui revera eſt, cognoſcet omnis humana & ſalus ipſius.* Sed & mox non longe ab Orationis fine, idem diſertiſſime docet, quo loco ait hoſtes Chriſti duorum eſſe generum: *alios* Chriſto ſubjectum iri, *alios* vero abolitum iri. Ibidem inquit pag. 20. Καταργηθήσεται μὲν ὁ τῇ Φύσει ἐχθρὸς, τυτέστιν ὁ θάνατος· καὶ ἡ περὶ αὐτὸν τῆς ἁμαρτίας ἀρχὴ καὶ ἐξουσία, καὶ δύναμις. ὑποταγήσονται δὲ οἱ καθ' ἕτερον λόγον ἐχθροὶ τῷ Θεῷ λεγόμενοι, οἱ ὑπὸ τῆς Βασιλείας πρὸς τὴν ἁμαρτίαν αὐτομολήσαντες. *Delebitur quidem, qui ex natura inimicus, nempe mors: & quod circa eam verſatur peccati imperium, visque & poteſtas. Subjicientur autem, qui alia ratione Dei dicuntur inimici, qui a regno tranſfugerunt ad peccatum.* Tum paulo poſt, ibidem. ὡς διὰ τούτου γενέσθαι δῆλον, ὅτι τῶν μὲν κακῶν ἡ δυναστεία εἰς τὸ παντελὲς ἐξαφθήσεται. οἱ δὲ διὰ τῆς παρακοῆς ἐχθροὶ τῷ Θεῷ κληθέντες, ὕστερον διὰ τῆς ὑποταγῆς Φίλοι τῷ Κυρίῳ γενήσονται, ὅταν πιστεύσωσι τῷ λέγοντι, ὅτι ὑπὲρ Χριστοῦ πρεσβεύομεν· ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν, δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ Θεῷ. *Adeo ut ex hoc ſit perſpicuum, quod malorum quidem potentia omnino tolletur. Qui autem propter inobedientiam vocati ſunt Dei inimici: ii per ſubjectionem Dei fient amici, cum fidem adhibuerint dicenti: Pro Chriſto legatione fungimur, tanquam Deo per nos hortante, rogamus pro Chriſto, Reconciliamini Deo.* Poſtremo denique ait, Omnes qui nunc inimici vocantur, olim factum iri *ſcabellum pedum Dei*, ἐν τῷ δέξασθαι τὸ θεῖον ἴχνος ἐν ἑαυτοῖς: *Eo quod in ſe divina ſuſceperint veſtigia, morte deleta.* In quibus omnibus manifeſte apparent Origenis *de impiorum & dæmonum reſtitutione*, non ſolum ſenſus, dogmaque ipſum: ſed enthymemata etiam & argumenta. Atque hæc quidem *de Nyſſeno* Dallæus, nosque ex ipſo præmiſimus, prius quam ſingularem Operum diſcuſſionem aggrederemur.

CAPVT TERTIVM.

EXAMINANTVR OPERA, QVÆ TOMO I. GREGORII NYSSENI CONTINENTVR.

IN Hexaemeron ſive *de Opere ſex dierum* pag. 1. ad 44. Hoc Opuſculo Nyſſenus omiſſis iis quæ a Baſilio latius explicatæ fuerunt quæſtionibus, ſenſum potiſſime verborum Geneſeos atque Creationis ordinem paucis proſequitur. Non modica dubitandi ratio eſt, an hoc Opus ſit Gregorii Nyſſeni Epiſcopi. 1. quod nulla videatur ipſi adfuiſſe ratio, tam paucis aridisque aggredi Hexaemeron verbis: quod plurimis atque ornatiſſimis a fratre Baſilio ſuſceptum fuerat Orationibus, quæ eruditis omnibus admirationi ſunt. 2. Suſpicionem ſuppoſitionis adauget non modice, ſilentium hujus Operis apud Veteres altum: nullus enim ejus mentionem facit, nec Suidas quidem ipſe, qui Opera Gregorii Nyſſeni in Lexico diligenter enumerat. 3. Hic Scriptor opinatus eſt, non futurum fuiſſe inter marem & fœminam coitum ad generationem, ſi Adam non peccaſſet: quod abſurdiſſimum mihi videtur atque viro quam indignum. Licet enim peccatum naturam corruperit, alias tamen in naturalibus, ut in generandi ratione, rationes non inſtituit, ut omnes conveniunt. Licet enim propenſio ad id operis, ſtante originali juſtitia, æquior ac moderatior fuiſſet, nec obnoxia paſſioni, qua jam homines toti vincuntur: quia tamen naturalis erat hæc generandi ratio, ſubmota vitioſitate quæ nunc eſt, integra in hominibus permanſiſſet. Idem tamen ſenſerunt cum authore iſto, Joannes Chryſoſtomus & Procopius in cap. 4. Geneſis, Auguſtinus in idem caput, Euthymius in Pſalmum 50. Damaſcenus lib. 2. *de fide orthodoxa* cap. 11. quos Thomas Aquinas ſcholaſticus 1. parte *ſummæ* q. 98. art. 2. refutat: de quibus Sixtus Senenſis lib. 8. *Bibliotheca Sancta* Annotatione 20. 21. 63.

De hominis opificio pag. 44. Nonnulli opus iſtud *Nemeſio Philoſopho* olim adſcripſerunt, quod Opuſculum ejusdem tituli conſcripſiſſet: verum illud cum MSS. Codicibus Anglicanis diligentiſſime collatum, Græce & Latine editum eſt Oxonii in 8. 1671. e theatro Sheldoniano, ab opere Gregorii Nyſſeni diverſum. Dionyſius autem Abbas Romanus cognomento Exiguus, qui circa annum 533 floruit, e Græco in Latinum tranſtulit hunc librum ſancti Gregorii Nyſſeni *de Opificio hominis*, quem Eugippio Abbati dicavit. Hæc verſio Latina typis primum evulgata eſt Coloniæ anno 1551. tum Baſileæ 1562. iterumque Coloniæ anno 1573. Sed utrobique absque Epiſtola translatoris Eugippio Presbytero inſcripta, imo & absque verſione Præfationis Gregorii Nyſſeni: quas exhibet Johannes Mabillon tom. 2. *Analectorum* pag. 1. ex MS. Codice vetuſtiſſimo Abbatiæ Corbeienſis. Hæc autem antiqua Dionyſii Abbatis verſio primæ editioni futuræ Operum ſancti Gregorii Nyſſeni

ni

ni apprime conveniret, poſt collateralem textus Græci cùm nova verſione editionem ſubjuncta, a docto nimirum viro & antiquo exarata. Nullam de hoc Opere dubitationem nobis reliquit, tum Dionyſii Abbatis antiqua verſio, tum Suidæ teſtimonium in *Lexico* expreſſum, verbo *Gregorius Nyſſæ Epiſcopus.* Græcus hujus Operis textus editus primum ſeorſim Venetiis anno 1537. tum Græce & Latine ſeorſim quoque Baſileæ 1567. cum Notis Leunclavii. Quod autem in hoc libro *de formatione hominis* cap. 28. putaverit Gregorius Nyſſenus, una cum S. Johanne Chryſoſtomo hom. 18. in Geneſim & Auguſtino in Geneſeos cap. 1. Procopio in caput 4. ejusdem, ſancto Joanne Damaſceno lib. 4. *Orthodoxæ fidei* cap. 25. Euthymio in Pſalmum 50. ſi Adam non peccaſſet, non fuiſſe futurum coitum ad generationem: S. Thomas parte 1. q. 98. art. 2. & Sixtus Senenſis lib. 5. *Bibliotheca Sancta* Annotatione 20. & 63. refutant.

In ea Scripturæ verba, *faciamus hominem ad imaginem noſtram* Oratio I. pag. 139. In hominis ejusdem Creationem Oratio II. pag. 153.

Has homilias alii adſcribunt Baſilio Cæſareæ Cappadocum Archiepiſcopo, ut Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* in Baſilio pag. mihi 180. & in Gregorio Nyſſeno pag. 223. ſecutus Godefridi Tilmanni Pariſienſis Carthuſiani ſententiam, qui eas ſub ſancti Baſilii nomine in ſuam Operum Baſilii Pariſienſem editionem anno 1566. tranſtulit. Sed cum defuncti viri pace dixerim, judicium Tilmanni de Veterum Operibus judicandis, ſemper mihi ſuſpectiſſimum fuiſſe. Alii contra adſcribunt & meo quidem ſenſu rectius Gregorio Nyſſeno noſtro, ut Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo Gregorius Nyſſenus, in recenſione Operum ipſius. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* hic pag. 197. Franciſcus Zinus, qui Latinas illas fecit, longe magis illas cenſet Gregorii Nyſſeni, quam Baſilii. Audiamus Zinum. „Licet „ab ejusdem authoris Gregorii Nyſſeni, & multo etiam magis a Baſilii Magni, cui a quibusdam „falſo attributas audio, ſcribendi conſuetudine „abeſſe videantur: antiquiſſimæ tamen ſunt, „aut ab ipſo Gregorio adhuc juvene compoſitæ, „antequam abſolutiſſimum librum *de Opificio hominis* perſcripſiſſet: aut ab aliquo ejusdem authoritatis viro tum pio, tum minime indocto. „Nos tamen conjicimus ex primæ Orationis initio, ubi ſcriptum legitur: *Iniquum eſſe cum ea „quæ ad feras, tum natantes, tum gradientes, tum „volantes, quæque ad cælum, ad ea quæ in cælo ſunt; „quæque ad terram, ad ea quæ ſunt in terra, pertinent: didicerimus &c.* Easdem non eſſe Gregorii noſtri, neque enim de hiſce tractavit in „Opere *de Opificio hominis*, ſed Baſilius in Hexaemero. Ambæ autem ſi non habitæ ad populum, tamen ſcriptæ domi, & coram recitatæ „videntur. Sed de his aliorum eſto judicium. „Hæc Zinus.„ Certæ autem mihi videntur eſſe Gregorii Nyſſeni Epiſcopi. 1. Quod conſtet ex Hieronymo, Photio, Suida & aliis, Opus Baſilii in Hexaemeron imperfectum relictum eſſe, neque attigiſſe Baſilium *Creationem hominis.* Homiliæ ergo iſtæ non ad Baſilium, ſed ad Gregorium Nyſſenum ſpectant. Hoc poſitive Socrates lib. 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 26. his verbis: *Cæterum Baſilius duos fratres habuit, Petrum & Gregorium. Sed Petrus quidem monaſticam Baſilii vitam emulatus eſt, Gregorius vero ejus in docendo eloquentiam: qui & librum Baſilii* de opere ſex dierum, *quem ille imperfectum reliquerat, poſt obitum fratris ſupplevit.* Quo nihil expreſſius unquam dici potuit. *Præterea* ex allatis a Zino verbis conſtat authorem alludere ad alium Scriptorem *de operibus ſex dierum*, cujus operi ſupplementum adjicit: ut recte annotavit Zinus. 3. Cum Gregorius Nyſſenus Operi Baſiliano ſuppleret, eodem modo procedere debuit, quo Baſilius inceperat, per Homilias nimirum: ut utrumque opus, nempe principale cum ſupplemento conveniret. Hoc autem fit in his duabus homiliis *de Creatione hominis*, & non in libro Nyſſeni *de opificio hominis*: unde convenientius hæ homiliæ creduntur ſupplementum Baſiliani Operis, quam Tractatus *de opificio hominis*, alia methodo procedens. *Quarto* denique conveniunt hæ duæ homiliæ cum aliis Gregorii Nyſſeni Operibus, quæ Baſilianis ſtylo ita inferiores ſunt: ut nullus ſit qui diſcrepantiam hanc ſummam facile animadvertere non poſſit. *Denique* ut vult Ellias du Pin in *Baſilio* pag. 184. Baſilius has homilias in Hexaemeron ad populum habuerat, cum tamen hic author homiliarum *de Creatione hominis*, illas domi juxta Zinum ſcripſiſſe videatur. Non ergo ad unum eundemque Baſilium ſpectare, ob allatas rationes, videntur.

De Vita Moſis, ſive *de vita perfecta liber*, p. 167. Hic liber editus ſeorſim Baſileæ anno 1521. ex verſione Georgii Trapezuntini. Viennæ 1527. cum aliis Nyſſeni Operibus, Coloniæ 1551. cum verſione Dionyſii Exigui *de Opificio hominis*, & Nemeſii libris octo, *de anima.* Baſileæ 1567. ex nova verſione Joannis Leunclavii. Quin Opuſculum iſtud Gregorii Nyſſeni genuinum ſit, ambigere opinor nullus poteſt: an autem quale a Gregorio compoſitum eſt, vel ab Origeniſtis corruptum ad nos usque pervenerit, videant quibus vacat. Corruptum autem fuiſſe ab ipſis, evidenter patet ex Photio in *Bibliotheca* Cod. 233. pag. 478. ubi ait, Germanum Epiſcopum Conſtantinopolitanum qui anno 690. floruiſſe dicitur, compoſuiſſe librum Ἀνταπόδοσιν ἢ ἀνθεκτὸν: in cujus poſteriori parte Germanus contendebat, libros Gregorii Nyſſeni ab Origeniſtis corruptos fuiſſe, qui pravam Origenis in eos doctrinam immiſcuerant. Atque hoc contendebat nominatim de tribus Nyſſeni Operibus, *Dialogo de anima cum ſorore Macrina, Catechetica Oratione magna*, & libro *de vita perfecta*: de quibus ex Dallæo cap. 2. hujus Diſſertationis abunde dictum eſt. Ex hoc autem Germani

Digitized by Google

Opuſculo quod intercidit, Gregorio Nyſſeno liber *de vita perfecta* aſſeritur, quem ita ex malitia depravaſſe Origenianos volunt.

Tractatus prior in Pſalmorum inſcriptiones pag. 177. *Tractatus poſterior in Pſalmorum inſcriptiones* pag. 291.

Maximus Margunius Epiſcopus Cytherenſis hos tractatus ſeorſim imprimi fecit Venetiis anno 1585. cum verſione libri *de perfectione*, & *Epiſtola Canonica* ad ſanctum Letojum Metilenes Epiſcopum. Alteram quoque verſionem aggreſſus Jacobus Gretſerus *Inſcriptionis Pſalmorum*, quam Græce & Latine Ingolſtadii anno 1600. edidit.

In ſextum Pſalmum pro Octava, *Commentarius* pag. 367. allegoriis perpetuis conſtans.

In Eccleſiaſtem Conciones octo pag. 373. hujus Operis meminit Suidas in *Lexico* verbo Γρηγόριος Νύσσης ἐπίσκοπος, de quo in dubium vocando nullus locus datur. Advertendum autem eſt ad proximam Operum Gregorii Nyſſeni editionem, Petrum Poſſinum ſoc. Jeſu Toloſanum, de ſanctis Patribus evulgatis bene meritum, in *Prologo* ad Theſaurum Aſceticum quem Toloſæ anno 1684. in 4. apud Guillelmum Boſch edidit, aſſerere integrum apud ſe D. Gregorii Nyſſeni in *Eccleſiaſtem* Commentarium editioni proximum aſſervari, illumque ex Manuſcripto Codico Romano a ſe tranſcriptum, quem præſens editio mutilum tantum atque imperfectum exhibet.

In Cantica Canticorum explanatio perfecta pag. 468. cujus Suidas quoque meminit in *Lexico* loco citato. Immiſſa autem primum ex verſione Joannis Leunclavii, in Opera ſancti Gregorii Nyſſeni editionis Baſileenſis anni 1571. cum Epiſtola ad Flavianum ex verſione ejusdem viri.

De Oratione Dominica homilia quinque p. 712.

De vita Beata comparanda, ſive *de beatitudinibus orationes octo* pag. 762. quod utrumque Opus allegoriis abundat.

CAPVT QVARTVM.

EXAMINANTVR, QVÆ TOMIS SECVNDO ET TERTIO OPERVM GREGORII NYSSENI, CONTINENTVR.

IN illud Apoſtoli 1. Corinth. 15. *Quando ſibi ſubjecerit omnia, tunc & ipſe filius ſubjicietur ei, qui ſibi ſubjecit omnia &c.* pag. 6.

Hanc Homiliam, Origenianis erroribus *de ſalute omnium hominum* etiam perditiſſimorum favere, nulli qui attente eam legerit, dubium eſſe poteſt: cujus loca huic errori patrocinantia, cum ex Joanne Dallæo, Diſſertationis hujus cap. 2. allata ſint, hic repetere atque iterum deſcribere, ſuperfluum prorſus eſſet. Inde tamen colligi nullo modo poteſt, ſuppoſitam hanc homiliam Gregorio fuiſſe: imo cum Origeniani Operum Nyſſeni corruptores, non adulterina ſed genuina ejus Opuſcula corruperint: hinc potius concludendum ex corruptione eſſet, homiliam hanc vere a Gregorio Nyſſeno compoſitam eſſe. Hæc autem dogmata cum ſacris literis e diametro repugnent, imo Gregorio ipſi Nyſſeno in indubiis Opuſculis, Oratione 12. *in Cantica*, & Epiſtola ad Olympium *de vita perfectione*, ſcribenti *extra omnem dubitationem poſitum eſſe, non poſſe nos beatam illam vitam conſequi, niſi peccato moriamur.* Item, *Non æqualem fore ſtatum priorum & impiorum poſt hanc vitam:* adduci non poſſum ut hæc eſſe Gregorii credam, forteque probabilius, omnia mirum in modum ab Hæreticis interpolata eſſe credam.

De eo, quid ſit ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditum eſſe hominem: Libellus pag. 22.

Epiſtola *de Ventriloqua* ſeu *Pythoniſſa* pag. 35.

Oratio in ſuam ordinationem, pag. 40.

Contra Apollinarem pag. 47.

Contra Fatum pag. 62.

Tractatus adverſus Græcos de communibus. p. 82.

De Anima pag. 90. Vbi animam ſpiritualem & immortalem ſubſtantiam adverſus Hæreticorum & Philoſophorum errores probat.

Epiſtola Canonica ad ſanctum Letojum Mytilenes Epiſcopum pag. 114. De Canonicis Peccatorum Remediis agit illa Epiſtola, quam Nyſſeno eſſe certo ſuppoſitam affirmat Scultetus in *Medulla Patrum.* Cujus ſententiam firmat ſtyli diverſitas, pœnitentiæ forma quam fuiſſe Gregorii tempore ſeveram conſtat, ſed non ita indiſtinctam: ut non longiori abſtinentia *Sodomita* plecteretur, & qui *cum beſtiis concubuerat*, quam *adulter*, ut vult ille fictus Gregorius Nyſſenus. Præterea dum ſæpe *Veterum Patrum* meminit qui ita ſtatuerunt, ſatis ſe arguit Græculum recentiorem, nomen Nyſſeni mentitum. Adde quod nemo eorum qui antiquitus ſcripta Nyſſeni recenſuerunt, hujus Epiſtolæ meminit. Sed vanæ Sculteti argumentationes ſunt, cum hujus Gregorii Nyſſeni Epiſtolæ, Concilium Trullanum anni 686. meminerit: cum illius Canones Zonaras atque Balſamon Commentariis ſuis explicarint, eamque genuinam agnoverint: ut habet Ellias du Pin in *Gregorio Nyſſeno*, p. 229. Illa ſeorſim edita fuit, Pariſiis anno 1561. cum Notis Balſamonis. Anno 1585 Venetiis a Maximo Margunio Cytherenſi Epiſcopo, cum verſione libri *de perfectione*, & tractatibus in *Inſcriptiones Pſalmorum.* Item Venetiis 1589. cum Notis Antonii Auguſtini. Denique Auguſtæ Vindelicorum ex verſione Gentiani Herveti, anno 1591. cum Oratione *de Divinitate Filii & Spiritus Sancti.* Nullum ergo dubium, quin Epiſtola iſta ſit Gregorii Nyſſeni germanum Opuſculum.

Oratio in eos qui differunt Baptiſma pag. 124.

De fugienda fornicatione in dictum Apoſtoli 1. ad Corinthios 6. *Omne peccatum quodcunque fecerit homo &c.* pag. 129.

In mulierem peccatricem, vel *in eos qui durius & acerbius alios judicant atque condemnant, quique converſione indigent & pœnitentia* pag. 132. Hæc homilia non videtur ſpectare ad ſanctum Gregorium

gorium Nyſſenum, ſed ad Aſterium Amaſeæ Epiſcopum, cujus excerpta exhibet Photius in *Bibliotheca* Cod. 271. unde Aſterio authori reſtituenda eſt.

De pauperibus amandis & benignitate complectendis, pag. 138.

Contra Vſurarios pag. 144.

De Trinitate ex Veteri Teſtamento ſelecta teſtimonia adverſus Judæos, cum explicatione pag. 153. interprete Laurentio Sifano, Latine tantum. Adulterina ſunt atque Gregorio Nyſſeno ſuppoſita, cum in iis allegetur Joannes Chryſoſtomus, qui Gregorio Nyſſeno junior eſt: quod Ellias du Pin loco citato pag. 225. & Guillelmus Cavus pag. 197. agnoſcunt.

Oratio de Pœnitentia pag. 165.

Vita ſancta Macrinæ Virginis, Sororis ſancti Gregorii Nyſſeni, pag. 177.

Oratio tertia in Quadraginta Martyres, p. 205.

Oratio adverſus eos qui Baptiſmum differunt, pag. 225.

Oratio de pauperibus & beneficentia, pag. 235.

Oratio in principium jejuniorum pag. 247. neque etiam eſt ſancti Gregorii Nyſſeni, ſed Aſterii Amaſeæ Epiſcopi, cujus excerpta refert Photius in *Bibliotheca* Cod. 271. unde Aſterio vero illius parenti reſtituenda eſt.

Oratio adverſus fornicarios, pag. 260.

Orationes ſeu libri duodecim vel tredecim contra Eunomium, p. 265. usque ad voluminis finem. Ex quibus primus a Jacobo Gretſero primum editus eſt in Appendice editionis Græcolatinæ Operum Nyſſeni, Pariſienſis 1618. Notandum autem eſt in nonnullis integris etiam Exemplaribus Græcis, libros nonniſi XII. inveniri, eo quod in illis liber quintus, qui bifariam in aliis dividitur & in editis, unicus ſit, nec in duos diviſus. Horum meminit Hieronymus, & Suidas, citati.

Tomo Tertio. *De ſancta Trinitate, & quod Spiritus Sanctus ſit Deus*, ad Euſtathium pag. 6. Extat inter Epiſtolas ſancti Baſilii eſtque numero 80. *ad Euſtathium Medicum*, quam Baſilii germanum Opus nonnulli volunt, ut etiam a Bellarmino ſupra dictum eſt, & Frontone Ducæo in Nota II. ad Epiſtolam Nyſſeni de *Pythoniſſa*, unde reddendam vero authori concludunt. Ego cenſeo potius ex ſtylo ſpectare illam ad Gregorium Nyſſenum, quamvis nihil definire velim.

Oratio, quod tres Deos dici non oporteat, ad Ablabium, pag. 15.

De differentia ſubſtantiæ & hypoſtaſeos ad Petrum Fratrem pag. 28. habetur quoque inter Epiſtolas Divi Baſilii, numero 43. ad Gregorium Nyſſenum Epiſcopum, de qua decernere nihil poſſum.

De fide ad Simplicium Tribunum pag. 38. Hunc tractatum Græce primus edendum curavit Amſtelodami David Hæſchelius anno 1593. cum libro *de perfectione Chriſtiana, de vita Moſis, & Tractatu adverſus Apollinarem.*

Magna Catechetica Oratio, pag. 43.

De qua eximie Edmundus Aubertinus lib. 2. *de ſacramento Euchariſtiæ* pag. 486. in *Gregorio Nyſſeno.* Primo igitur noſtrorum nonnulli dubitant, utrum hæc *Oratio Catechetica Magna* Gregorii ſit, nec ne. Quoniam (inquiunt) Suidas, Nicephorus & Photius in Catalogo Operum hujus authoris, nullam hujuſce Orationis mentionem faciunt. Deinde quia in hoc capite objecto, locutiones habet omnino Eutychianas: ut quando unionem naturarum in Chriſto *mixtionem & contemperationem* appellat, addens *Naturam humanam in dignitatem divinam fuiſſe mutatam, imo & Deificatam.* Denique quia ſub finem Operis meminit Severi hæretici Acephali, qui longo tantum tempore poſt Gregorii Nyſſeni obitum vixit. Ad rationem primam Reſpondet dupliciter Aubertinus. Primum eſt, Suidam, Photium & Nicephorum, ne decimam quidem partem Operum Gregorii Nyſſeni recenſere: unde mirum non fore, eos non meminiſſe hujus Orationis. Satis eſſe, Authores illis longe vetuſtiores, Theodoretum videlicet, non in tribus ſuis Dialogis (ut falſo notat Peronius) ſed in duobus, ſecundo nimirum & tertio: Leontium Byzantinum, & Maximum mentionem illius facere, & ex ea locos aliquot adducere: Leontius quidem contra Eutychetem & Neſtorium lib. 3. ex capite 10. & lib. 2. ex cap. 37. Maximus autem in cap. 3. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ex cap. 22. Secundum eſt, ipſum etiam Photium eam agnoviſſe, cum *Bibliotheca* Cod. 233. teſtatur Germanum Conſtantinopolitanum Epiſcopum *Apologiam* ſcripſiſſe, ad Orationem hanc cum aliis quibusdam ejusdem Authoris, adverſus Origeniſtas vindicandam, qui eas erroribus ac dogmatibus ſuis infecerant. Veriſimile autem dici poteſt, nos eam habere, quemadmodum ab Origeniſtis corrupta fuerit. Notat autem & recte Morellius, falſam Origenis opinionem reperiri capiti 35. immiſtam, ſub finem. Cui addiderim, *Comparationem utris cum corpore*, qua utitur ipſo capite 37. ab Adverſariis objecto, ſumptam quoque eſſe ex Origene: de qua vide Methodium apud Epiphanium *Hæreſi 64.* Quanquam cum Gregorius Nyſſenus ſicut & Baſilius ipſius frater, & Gregorius Nazianzenus illorum amiciſſimus, maximus fuerit Origenis admirator: facile contingere potuit, illum in quibusdam ſecutum eſſe dogmata Origenis. Quod etiam Stephanus Gobarus apud Photium in *Bibliotheca* Cod. 232. & Græci recentiores in Apologia *de purgatorio* obſervant. Germanum autem Conſtantinopolitanum, ferventi in Gregorium Nyſſenum zelo, hanc ab illo invidiam amoliri volentem, Origeniſtarum adulterationi attribuiſſe, aliquot etiam genuinos & proprios ejus nævos. Ad ſecundam pariter rationem dici poteſt, eam eſſe infirmiſſimam. Nam non modo Veterum quamplurimi ante Nyſſenum, Irenæus lib. 1. cap. 21. Tertullianus *contra Marcionem* lib. 2. ad finem, Novatianus *de Trinitate*, Cyprianus *de idolorum vanitate*,

nitate, Euſtathius apud Facundum Lib. II. cap. 1. cum aliis, quos citat dictus Aubertinus pag. 486. ad deſignandam naturarum in Chriſto unionem, iisdem vocabulis *Commixtionis*, *Contemperationis* & *Deificationis* uſi ſunt: ſed & ipſemet Gregorius Nyſſenus in ſcriptis quæ ab omnibus genuina judicantur, *contra Eunomium* lib. 3. 5. & 6. & in Epiſtola *contra Apollinarem*. Hoc periculoſe dici fateor, inde enim Eutiphiani hæreſeos ſuæ vulgandæ anſam acceperunt: orthodoxo tamen ſenſu, quod jam dudum obſervarunt Cyrillus Alexandrinus *contra Neſtorium* Lib. 1. Ruſticus Diaconus *adverſus Acephalos*, & Photius in *Bibliotheca* Cod. 250. Tertia denique ratio, licet firmiſſima appareat, nihil tamen eſt. Obſervat enim idem Aubertinus, quod a nemine Scholiaſtarum Gregorii Nyſſeni animadverſum eſt, finem hujuſce Orationis ſeu poſtremas novemdecim lineas, in quibus mentio Severi fit, non eſſe Gregorii Nyſſeni: ſed fragmentum ex Theodori libello *de incarnatione*, neſcio quo pacto huic Orationi aſſutum. Obſervat etiam idem Aubertinus loco citato p. 487. cum nonnullis, *Orationem hanc Catecheticam*, non modo depravationis eſſe ſuſpectam, ut patet tum ex locis a Theodoreto ex ea citatis, quæ non omnino congruunt cum iis quæ nunc habemus: tum ex additamentis ex Theodoro ſupra memoratis. Tum ex eo quod poſtquam Capitibus 34. 35. & 36. prolixe de Baptiſmo egiſſet, capite autem 37. de Euchariſtia: rurſus de Baptiſmo agat capite 40. plane extra ordinem, quæ interpolationis indicia maxima ſunt. Hæc Aubertinus, ut probet *Orationem Catecheticam* corruptam eſſe. Rivetus quoque Lib. 3. *Critici ſacri* cap. 23. pag. mihi 248. inquit, *Orationem Catecheticam* quæ Magna dicitur, neque a Sifano Pontificio, neque a Leunclavio Evangelico, pro genuino Nyſſeni libro agnitam fuiſſe: ideoque in Editione Pariſienſi operum Nyſſeni omiſſam eſſe. Author autem Editionis Pariſienſis inquit. *Huic dogmata multa præcipue vero Origenis, Hæretici injecerunt. Et immixtas hujuſmodi falſas opiniones demonſtrare poſſis, ex eo quod in Catechetico cap. 35. circa finem, ex ſententia Origenis reperitur, longis poſt ſeculis DEO puram conſervandam eſſe naturam:* & quod huic errori contrarium habetur in Oratione *de die Nativitatis Domini*, cum ſcribitur: *Quod per reſurrectionem qui juſti erunt, ad cæleſtem quietem accedent: qui autem peccatis obnoxii, in gehennæ ignem detrudentur.* Nec enim pugnantia, tantus vir aut ſenſit aut docuit. Opus tamen Nyſſeni eſſe & eximium, ſi paucos illos nævos excipias, cenſet Caſaubonus in Notis ad Epiſtolam *ad Ambroſiam & Baſiliſſam*.

CAPVT QVINTVM.

EXAMINANTVR ALIA OPVSCVLA TERTII TOMI OPERVM NYSSENORVM.

De Virginitate vera & incorrupta pag. 111. Prodiit Romæ primum anno 1567. cum quinque aliis Gregorii Nyſſeni Orationibus ex verſione Galeniſii, deinde Antverpiæ idem Opus ex verſione Livineji 1574. Tractatum hunc inter dubios Nyſſeni fœtus Sculletus in *Medulla Patrum* recenſuit, adductus ea ratione, quod author cap. 3. uxoratum ſe eſſe ſcripſerit: cujus contrarium (inquit) probabiliter oſtendi poſſe videtur, ex Oratione Nazianzeni in *Baſilium*, in qua beatum Sacerdotum & Virginum numerum diſtinguit ab eis, qui per copulam conjunctionis in vita conjugata vixerunt: per Sacerdotes intelligens *Baſilium*, *Gregorium*, *Petrum Sebaſtæ Epiſcopum*, quorum cœlibatum prædicatum fuiſſe putant Magdeburgenſes. Sed extat Epiſtola 95. Gregorii Nazianzeni, quam legitimam eſſe ſtylus indicat, litem omnem dirimens, cum conſolatoria ſit ad Nyſſenum de *Theoſebia* uxoris obitu. Idem quoque poſtea ſenſerat Nicephorus Calliſtus Lib. II. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 19. & antea Nicetas Serronius in Scholio ad Orationem XX. *Nazianzeni*. Licet ea de re nihil affirmare auſus ſit Baronius *Annalium* tomo 4. ad annum 369. num. 64. inquiens, *fuiſſe conjugio obligatum, tum Nicetas tum Nicephorus teſtari videntur*. Tantum ergo abeſt, ut hæc ratio Sculteti, librum hunc Nyſſeno abjudicet, quin & confirmet, juxta Elliam du Pin in *Nyſſeno*, pag. 226.

Contra Manichæos Syllogiſmi decem. p. 180.

Dialogus de Anima & Reſurrectione pag. 181. Author Præfationis editionis noviſſimæ Pariſienſis (inquit loco citato Rivetus) quantum quidem ſpectat ad librum *de anima* fatetur ingenue, *Diſputationi de anima & reſurrectione quosdam hæreticos, ut in pleriſque Veterum lucubrationibus, dogmata nonnulla, præcipue vero Origenis injeciſſe*. Poſſevinus autem in Diſcuſſione Operum Nyſſeni inquit, quod Nyſſeno tribuitur dicenti in libro *de anima* cap. 6. animas humanas ſimul cum Angelis conditas fuiſſe, ac deinde modo unam, modo aliam, ad corpora demitti: Liber ille non eſt ipſius Nyſſeni, nec admittendus is error, quem ipſe Gregorius Nyſſenus in libro *de opificio hominis* cap. 28. & 20. ex inſtituto refellit. Sed Poſſevino male cum Baronio convenit, qui *Annalium* tomo 4. ad annum 378. n. 46. ait, *Gregorium ex iis quæ ſoror ipſa cum eo diſſeruit, compoſuit librum aureum de anima & reſurrectione*. Infartus ergo juxta Poſſevinum hæreticis ſententiis, & vere: juxta Baronium aureus eſt tractatus.

Adverſus Apollinarem ad Theophilum, pag 216. David Hæſchelius anno 1593. Amſtelodami procuravit ſeorſim Græce imprimi librum *de perfectione Chriſtiana, de Vita Moſis, adverſus Apollinarem*, cum tractatu *de fide*. Anno quoque 1598. Ingolſtadii Fronto Ducæus procuravit Latine ſeorſim imprimi, Nyſſeni *Tractatus contra Apollinarem, de Pythoniſſa, de reſurrectione Chriſti, Orationes in ſuam ordinationem, contra Manichæos, de Fato, contra Vſurarios*.

Quid nomen vel profeſſio Chriſtiani ſibi velit? pag. 267.

De

De perfectione Christiani ad Olympium, pag. 275. seorsim Venetiis anno 1575. ex interpretatione Francisci Zini.

De proposito secundum Deum, pag. 298. seorsim a Morellio editum Opusculum, anno 1606.

In eos qui aegre ferunt reprehensiones, pag. 311.

De Infantibus qui praematurè abripiuntur, pag. 317. Scultetus sequentem censuram edidit in Orationes tres, *de Infantibus qui matùre abripiuntur, de anima & resurrectione & de iis qui in fide obdormierunt.* Hi tres tractatus caute legendi sunt. Habent enim nævos quosdam Origenis, quem Nyssenus magnificit, ut apparet ab exordio Concionum in Cantica Canticorum. Nicephorus nempe Libro II. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 19. scribit, se accepisse hæreticos quosdam, Origenica dogmata injecisse. Tale est, quod omnes malos, omniaque scelera putat igne purgatorio purgari. Laborat præterea tota Disputatio de *Anima* tædiosa prolixitate, & errores contradictionesque habet Gregorio Nysseno indignas. Modo scribit author pœnas impiorum fore æternas, modo dicit impios vitiositatem suam in igne expurgaturos, & propterea salvatum iri. Ex dicto Apostolico, *DEVS erit omnia in omnibus*: colligit Deum etiam in impiis futurum, vitiositate illorum expurgata, qua ratione tollitur judicium Christi, & bonorum malorumque discrimen evertitur. Sic ex typo templi Hierosolymitani, item ex dicto Pauli, *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*: colligit impios & pios tandem commune festum celebraturos, & communi in Deo lætitia gavisuros. Quæ cum sacris literis e diametro repugnent, imo Gregorio ipsi Oratione 12. in *Cantica Canticorum* & Epistolæ ad Olympium *de vita perfectione*: ubi scribit extra omnem dubitationem positum esse, non posse nos beatam vitam consequi, nisi peccato moriamur. Item non æqualem fore statum piorum & impiorum post hanc vitam: non possum adduci ut credam Gregorii hæc esse, nisi forte dicam mire omnia ab hæreticis esse interpolata.

Oratio in Natalem diem Domini nostri Jesu Christi, pag. 339. Scultetus in tertia parte *Medulla Patrum*, annotare nititur contradictionem quandam in hac homilia cum Oratione *in eos quo differunt Baptisma*, de qua superius. Nam in Oratione citata *de differentibus baptisma*, Author tres hominum status post hanc vitam facit, damnatorum, glorificatorum, & eorum qui neque damnantur neque glorificantur. In hac autem Oratione *de Nativitate Domini*, duo tantum hominum status post vitam præsentem constituuntur: unde Scultetus vult homiliam hanc esse Gregorii Nysseni veram, quæ Purgatorium, tertium hunc hominum statum demolitur: alteram ipsi contrariam, spuriam, quippe quæ illud statuere videatur.

Oratio in sanctum Stephanum martyrem, pag. 354. Hanc homiliam non esse sancti Gregorii Nysseni, sed Asterii Amaseæ in Ponto Episcopi vult Labbeus in Photio in *Bibliotheca* Cod. 271. cujus excerpta ut Asterii affert: neque mihi dubium quin hanc Orationem sub Asterii nomine legerit, quam ita excerpit. At contra asserit illam Nysseno Suidas in *Lexico* expresse, verbo *Gregorius Nyssæ Episcopus.* Disputent ergo Suidæ & Photii manes, uter amborum hac in re viderit: quamvis mihi authoritas Photii ut annis centum antiquior, ita præstantior sit. Ita quidem ex Labbeo, sed mihi attente consideranti, Labbeus deceptus est: neque Photius hanc excerpit homiliam, quasi Asterii sit: sed alteram, de argumento eodem quæ habetur inter Opera Procli Constantinopolitani.

De sancto Christi Baptismate, pag. 366.

Orationes de sancto Paschæ festo & Resurrectione Christi, V. pag. 382. 400. 416. 435. 437.

Mirum est (ait Joannes Lorinus Jesuita in cap. 13. Actorum vers. 30.) potuisse venire in mentem tanto viro Gregorio Nysseno, ut ad exacte assignandum spatium trium dierum, quibus Christus fuit in sepulchro: affirmarit Lib. I. *de Resurrectione Christi*, Christum mortuum esse feria V. in Cœna, quando exhibuit carnem & sanguinem discipulis sub panis viniqûe speciebus: ita ut tunc separata fuerit anima a corpore, & prævenerit ipse mortem, quam illaturus erat inimicus, licet non apparuerit tunc mortuus. Nam Christus post cœnam passus est tristitiam, usque ad mortem & agoniam, pertulit tormenta, spiritum Patri commendavit. Taceo quod ibidem computat pro duplici nocte dieque, parasceven ob tenebras, quæ diei lucem bipartito secuerant.

De Ascensione Domini, pag. 441.

Oratio de occursu Domini & Symeone pag. 444. Quam Possevinus Gregorii Nysseni titulum præ se ferre asserit, sed quoniam Symeon Metaphrastes eam in aliquibus tum immutaverit, tum uberiorem fecerit, sunt qui putent non esse Nysseni. Ideo inquit Author editionis Parisiensis anni 1615, *quasi fœtus esset illegitimus, eam cum vere nativis stare noluimus.*

De Deitate Filii & Spiritus Sancti & de Abraham, pag. 464. quam Latine versam anno 1544. Joachimus Camerarius in publicam lucem edidit.

Oratio in laudem Basilii Magni fratris sui, pag. 479.

Orationes duæ in laudem Sanctorum quadraginta Martyrum, paginis 499. & 504.

Oratio consolatoria in funere Pulcheriæ, p. 514.

Oratio funebris de Placilla Augusta, p. 527.

De Vita sancti Gregorii Thaumaturgi, pag. 534. Scultetus ait Vitam sancti Gregorii Miraculorum opificis, esse somnium somniorum, cui si credimus, Joannes & Maria apparuerunt Gregorio, eique dictarunt *Confessionem de Deo & Trinitate*: quasi ex Scripturis eam non Joannes & Maria didicissent. Et quid hoc est, quod noluit Gregorius prædicare Evangelium, nisi divinitus sibi

Digitized by Google

ſibi veritas revelaretur? Ergo non ſuffecerant ipſi ſcripta Prophetica & Apoſtolica. Non tango ſaxum, quod transtuliſſe ſolo Dei verbo dicitur, quod nemo Apoſtolorum fecit, nec Chriſtus ipſe: cum miracula omnia Dei gloriam & hominum ſalutem ſpectarent, neutram hæc ſaxi translatio. Non ignoro Socratem Libro 4. *Hiſtoriæ* cap. 27. prædicentem Gregorii miracula, ſcribere, illum per epiſtolas fugaſſe dæmones. Atque hæc ipſa cauſa eſt, cur credam Orationem hanc Nycæni eſſe, ex qua Socrates iſta transſcripſerit. Sed impoſuit homini ſcribenti facilitas & ſimplicitas congenita, quam in eo a germano fratre Baſilio fuiſſe aliquando reprehenſam, Epiſtola Baſilii 44. teſtatur. Certe Euſebius qui proximior fuit ætate Gregorio Neocæſarienſi, illam revelationem non reticuiſſet, ſi quid de ea inaudiſſet, vel quando audivit, fidem fabulæ adhibuiſſet. Hæc Scultetus, quæ vana ſunt. Nam Leontius Bizantinus qui anno 590. floruit, in libro *de ſectis* Act. 8. teſtatur *vitam S. Gregorii Thaumaturgi* a Gregorio Nyſſeno ſcriptam fuiſſe: quod etiam confirmatur ex Suida in *Lexico*, verbo *Gregorius Nyſſenus Epiſcopus*.

Oratio de laudibus ſancti viri ac Martyris Theodori, pag. 570. Voluerunt nonnulli Critici, (inquit Ellias du Pin in *Nyſſeno* pag. 232.) *Panegyricum Theodori Martyris* eſſe ſuppoſitum. 1. quod hujus author orationis Martyrem ſanctum oret ut incurſiones Scytharum arceat: qui tamen Scythæ (ut volunt) nonniſi ſub Anaſtaſii Imperio irruptiones in Armeniam egerunt, annis circiter poſt Greg. Nyſſeni mortem, centum. 2. hic Scriptor ait S. Theodorum ex patria Jobi ortum fuiſſe, id eſt ex Arabia: cujus nomen tamen *Theodorus* Græcum eſt, atque in eadem panegyri ex Amaſea Cappadocia oriundus dicitur. Verum hos quæſtionum nodos ſolvere arduum non eſt. Ad 1. ergo objectionem, Scythas in Imperium Romanum egiſſe incurſiones Gregorii Nyſſeni temporibus, ut liquet ex Epiſtola 30. Hieronymi, & ex Cedreno, dicente ingreſſos illos eſſe in Thraciam ſub Valentis Imperio. Ad objectionem ſecundam, nec hujus panegyreos author inquit, vel Jobum Arabem fuiſſe, vel ex eadem qua Jobus provincia ortum Theodorum: ſed tantum utrumque ex Oriente oriundum fuiſſe.

Oratio funebris de Magno Meletio pag. 580. cujus mentionem facit Socrates Lib. 4. *Hiſtoriæ* cap. 27.

Vita atque Encomium ſancti Patris Ephraim, pag. 595. quam fruſtra aliqui in dubium revocant.

Epiſtola ad Flavianum pag. 645.

Oratio de iis qui adeunt Hieroſolymam pag. 652. *cum Epiſtola ad Euſtachium, Ambroſiam & Baſiliſſam* pag. 655.

Ambo hæc opuſcula ultima Græce & Latine Pariſiis ſeorſim anno 1606. edita ſunt, unum apud Morellum, aliud apud Robertum Stephanum cum Notis Caſauboni. Vtrumque opuſculum, Græce quoque & Latine iterum Hanoviæ anno 1607. Item *Oratio* ſeu *Epiſtola de iis qui adeunt Hieroſolymam*, ad calcem Diſſertationis *de Peregrinationibus religioſis*, addita etiam pro hac Epiſtola Apologia, edidit Joannes Henricus Heideggerus Tiguri 1670. in 8. Præter illos tractatus in duos tomos diſtributos & editos (inquit Rivetus Lib. 3. *Critici ſacri* cap. 24. p. 352.) habentur Gregorii Nyſſeni Epiſtolæ nonnullæ lectu digniſſimæ: quarum unam *de iis qui adeunt Hieroſolymam*, Guillelmus Morellius ediderat anno 1551. Græce & Latine. Cujus tamen filius, qui editionem Pariſienſem adornavit, quique nonnulla quæ *Gregorii* non ſunt, hinc inde conquiſita inſperſit, graviſſimam & doctiſſimam Epiſtolam conſulto omiſit: uſus conſilio Frontonis Ducæi Jeſuitæ, qui ſtudioſe cavit ne cuderetur in perniciem peregrinationum Papatus ſuperſtitioſarum. At (inquit Bellarminus Lib. 3. *de cultu Sanctorum* cap. 8.) *forte non eſt Nyſſeni, nam nec habetur in Operibus ejus, nec ſcitur quis illam verterit in ſermonem Latinum, & forte etiam Græce non invenitur.* Imo Græce edita fuerat a Morellio, antequam Bellarminus hæc ſcriberet, & ejus opera Latine reddita. Nuper vero vir doctiſſimus & chariſſimus Symmiſta Petrus Molinæus Græce & Latine ex ſua interpretatione edidit, cum Notis & Reſponſionibus ad objectiones Bellarmini & Richeomi, qui ſolidis argumentis Epiſtolam eſſe Nyſeni demonſtravit. 1. Quia ſcribendi character redolet phraſim Gregorii Nyſſeni elegantem & doctam. 2. Mens & verba, cum aliis Gregorii dictis pulchre conſonant. 3. Aloyſius Lipomanus Methonenſis Epiſcopus *de Vitis Sanctorum*, tom. 2. Epiſtolam hanc recitat, & Gregorio huic adſcribit. 4. Adſtipulatur vetus Codex MS. Bibliothecæ Regiæ, in quo hæc Epiſtola legitur. 5. Gregorius ipſe meminit profectionis ſuæ in Arabiam & Hieroſolymam, in Epiſtola ad *Olympium* ſuper *Macrina* ſororis obitu ſcripta. Adde 6. Baronium non ire inficias, legitimum eſſe Gregorii Nyſſeni partum, in *Annalibus* tomo 4. ad annum 386. num. 36. unde aliam parat defenſionem, ex applicatione prohibitionis Gregorii, ad Monachos Anachoretas, præſertim ad fœminas. Quod *προσφύγετον* illi & Bellarmino ademit, idem qui ſupra Petrus du Moulin, accurate probans, argumenta Gregorii neminem cujuscunque conditionis ſit, excipere: quod ex Epiſtolæ ipſius lectione ita liquido patet, ut in eo demonſtrando pluribus non ſit opus. Hujus Epiſtolæ vindicationem Molinæanam graviter tulit Jacobus Gretſerus, omnium Jeſuitarum (juxta Rivetum) maledicentiſſimus: qui etſi negare non potuerit, fuiſſe olim utraque lingua a Morellio editam, a Lipomano vitis Sanctorum inſertam, & a Baronio agnitam: veritati cognitæ acquieſcere noluit. Sed occaſionem captare, convicia, ſcommata, & farcaſinata ſua evomendi in Scaligerum, Caſaubonum & Molinæum: cum rationibus careret, quibus tantam veritatis lucem eludere poſſet. Vt

mirum

mirum ſit, voluiſſe Pariſienſes Typographos editionem ſuam Nyſſeni commaculare hujusmodi ſpurcitiis: quæ a nullo lectore, qui pius ſit & candidus, ſine indignatione & fœtoris deteſtatione legi poſſunt. Sed a tali homine, ſi tamen homo fuerit (qui omnem humanitatem exuerat) nihil aliud potuit expectari, præter convicia agaſonem potius quam Literatum decentia, ut ipſe alibi loquitur.

Edidit etiam Græce & Latine Iſaacus Caſaubonus clariſſimus & doctiſſimus vir, Pariſiis anno 1606. ex Typographia Roberti Stephani *Epiſtolam ad Euſtathiam, Ambroſium & Baſiliſſam*: de qua Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro* tomo I. in examine Operum Gregorii Nyſſeni, inquit: *Quisquis eam legerit, caute, attente & prudenter legat: metuendum enim eſt, ne ſub honeſto titulo aliena divulgentur.* Alienam illam non eſſe pluribus oſtendit ejus interpres, qui ſtudioſe fecit, ut ex aliis ejusdem ſcriptoris opuſculis, & ſtyli & doctrinæ ſimilitudinem, vel potius τὴν ταυτότητα probaret. In genere autem admonitio Poſſevini notanda eſt, quæ magno uſui eſſe poteſt, hoc præſertim tempore, quo a malefidis Monachis & præſertim Jeſuitis, tot aliena ſub honeſtis titulis evulgantur.

CAPVT SEXTVM.

DE

VARIIS GREGORII NYSSENI OPVSCVLIS NVPER QVIDEM, ET OLIM ANNO M D LXII. SVB EJVS NOMINE EDITIS.

LAurentius Alexander Zacagnius Vaticanæ bibliothecæ Præfectus anno 1698. Romæ in 4to typis Congregationis *de propaganda fide.* Collectanea *Monumentorum Veterum Eccleſiæ Græcæ & Latinæ*, quæ hactenus in Vaticana bibliotheca delituerant, ex MSS. Codicibus nunc primum edidit, Græca Latina fecit & Notis illuſtravit. Inter hæc ſpatium multum occupant 3. loco, diligentiamque Zacagnii majorem teſtantur, *Opera Gregorii Nyſſeni nonnulla*, ex ſolis Vaticanis codicibus eruta, cum eorum exemplar aliud in Vrbanis bibliothecis reperiri haud potuerit. Ex his autem primum locum occupat *Antirrheticus adverſus Apollinarem* ex 700. circiter annorum Codice depromptus. Et hunc quidem *Gregorii* genuinum fœtum eſſe, non ex ſtyli ſolum, ſed e ſententiarum ab eo prolatarum congruentia, patere exiſtimat. Quid? quod & Leontius Byzantinus ex Scholaſtico ſeu Advocato Monachus in Laura S. Sabæ prope Hieroſolymam, qui Juſtino imperante floruerit, & Synodus ſexta generalis, & Joannes Damaſcenus & Euthymius Zigabenus excerpta quædam ex hoc *Antirrhetico* referant, quæ ſuo loco in Notis ſtudioſe Zacagnius indicat. De tempore quo opus iſtud compoſuerit, nihil certi ex illius lectione colligere ſe potuiſſe profitetur, medio tamen inter annum 373. & Synodum primam Conſtantinopolitanam ſpatio, fœtum hunc conceptum vix dubitat. In Synodo namque Alexandrina paulo poſt Conſtantii mortem A. 362. ſub Joviano Imp. habita, damnatum quidem Apollinaris errorem, ſed ejus nomini adhuc parcitum fuiſſe. Præterea nec Athanaſium Alexandrinum, qui primus omnium Apollinaris hæreſim ſcripto confutarit, nec alium quempiam, antequam Baſilius Cæſarienſi Eccleſiæ præficeretur, hæretici eum loco habuiſſe. At paulo poſt Baſilii Epiſcopatus initia, hæreſeos eum palam accuſatum, quin & annis mox ſequentibus ab Eccleſiæ conſortio excluſum deprehendi memorat. Gregorium igitur Nyſſenum eo tempore ſcripſiſſe colligit, cum cujusdam librum *de incarnatione verbi ad hominis ſimilitudinem facta* in hoc *Antirrhetico* ſuo ſic confutat, ut iſtum modo Ario & Eunomio parem faciat, modo eosdem impietate ſuperaſſe contendat. Deinde cum in eodem libro nulla mentio judicii in Apollinarianam hæreſim a Damaſo vel a Synodo œcumenica ſecunda lati habeatur, nec ita ſolos Apolinaris aſſeclas Auctor redarguat, quemadmodum in *Epiſtola ad Theophilum Alexandrinum* multis poſt Apollinaris obitum annis directa fecerit: ſed adverſus ipſummet ſcribat, eumq; hæreſin deponere optet: inde haud inani conjectura colligi, quòd ante Synodum œcumenicam ſecundam, & ante Apollinaris obitum, quem circa A. 380. accidiſſe putent, *Antirrheticum* ſuum Gregorius Nyſſenus' elucubraverit. Quod attinet ad locutiones ab eo heic adhibitas, non equidem inficiatur Editor, tales nonnunquam occurrere, quæ a veritate Catholica alienæ videri queant iis, qui in *Nyſſeni* ſcriptis ad eo verſati non fuerint. Sed ex genuina ejus mente, quicquam a fide orthodoxa recedens adſtructum reperiri, totus pernegat: ac proin, licet hypoſtaticam divinæ & humanæ naturæ in Chriſto unitionem μίξιν quandoque appellarit, & σύμμιξιν ac σύγκρασιν, attamen Eutychianæ naturarum confuſioni ipſum faviſſe non admittit. Vtut etiam de Chriſti gloria poſt aſcenſionem in cœlos adeo magnifice loquatur, ut ipſum nullam humanæ carnis ſubſtantiam ac proprietatem in glorificato Chriſti corpore agnoviſſe quispiam fortaſſis ſuſpicari valeret, & ab hac tamen opinione eum revera abhorruiſſe, multis modis evincere ſatagit: ad alia ejus loca contrarium penitus aſſerentia provocans, & morem Patribus interdum receptum urgens, quo ad accuratiſſimas Theologiæ regulas verba ſua non ſemper exegiſſe eos conſtet, quippe qui in id incubuerint, ut quam maxime fieri poſſet, ſublimes de divina Majeſtate notiones legentium animis imprimerent.

Poſt *Antirrheticum* Gregorii Nyſſeni, exhibentur in Tomo hoc ejusdem S. Patris, *Selecta quædam Teſtimonia ex Veteri Teſtamento adverſus Judæos,*

dæos, quæ ille urget atque roborat, & ea quidem concernunt Myſterium ſacroſanctæ Trinitatis, adventum Domini in carnem, nativitatem ejus ex illibata virgine, miracula ab ipſomet edita, paſſionem, crucem, reſurrectionem, aſcenſionem, gloriam item Eccleſiæ, Evangelium, incredulitatem Judæorum, vocationem gentium, baptiſma, & articulos quosdam alios, quos veluti primarios Chriſtiani profitentur, quosque Judæi viciſſim acriter impugnare conſueverunt. Hæc *Teſtimonia* Latine tantum ex Laurentii Siſanii verſione olim prodierunt, nunc vero eadem Græce quoque cum ſua nova translatione Zacagnius publici uſus facit, ac pro libello hoc ipſi Nyſſeno utique tribuendo, ſollicite pugnat. Sunt ſane qui in alia omnia abire malunt, ea ratione freti, quod ſub Teſtimoniorum horum finem, quædam ex Chryſoſtomo poſt tempora demum Nyſſeni florente, mutuata legantur. At verba illa in Codice Græco Vaticano non extare, adeoque pro panno huic Operi aſſuto habenda venire, Editor contendit. Neque tamen iis adverſaturum ſe teſtatur, qui Opuſculum hoc quosdam interpolaſſe credant, cum in eo laudari nonnulla videat, quæ in ſacrorum Bibliorum textu haud appareant: quemadmodum & ejus exordium totidem verbis apud Baſilium in libro *de Spiritu Sancto* repererit.

Mox duæ ejusdem *Orationes* comparent, quarum prima *Laudatio altera S. Stephani Protomartyris* inſcribitur, quamque Editor ſe primum Græce & Latine dare ſolertiſſimus innuit: qui etiam non in feſto die Stephano ſacrato, ſed in ſequenti potius eam recitatam cenſet, cum pauca de S. Stephani laudibus præfatus, ſtatim ad celebrandos Petrum, Jacobum & Joannem, Apoſtolos, Gregorius digrediatur. Hinc inſuper manifeſtum reddi ſibi perſuadet, Eccleſiæ cui Nyſſenus præerat, & fortaſſe totius Cappadocum gentis inſtituto, una eademque die, quæ Stephani ſolemnitatem proxime ſequitur, Apoſtolorum modo nominatorum feſtum celebrari conſuevisſe. Magnificas autem totius Apoſtolici cœtus laudes, easque imprimis Petro tributas, ſpeciminis in locum ex hac Oratione decerpit, ac maximopere commendat. Secunda Oratio *de Spiritu Sancto* agit, & *in Pentecoſten* habita fuit. Hanc ſuperiori jam tum ſeculo Franciſcus Zinus ſed Latine tantum, imprimi curavit, nunc vero Græcam quoque ac nova verſione ornatam, evolvere heic poſſumus. In calce ejusdem annectitur mantiſſæ loco, exiguum ſupplementum Græci textus, *Orationis* ejusdem Nyſſeni *adverſus fornicarios* compoſitæ, quod addere hoc in loco non incongruum Zacagnius exiſtimavit, quia in *Appendice* Operum illius a Jacobo Gretſero vulgata deſideratur.

Nondum tamen Operum Nyſſenorum ſatis eſt, nam *Epiſtolæ quatuordecim* adhuc illius, Græce & Latine, conſpectui ſe noſtro ſiſtunt. *Prima* harum ad Euſebium quendam perſcripta verſatur in reddenda cauſa myſtica, cur nocte ad longitudinis ſummum provecta Chriſtus naſci voluerit, ac tunc cum noctes diebus æquantur, e mortuis reſurrexerit? Occaſionem ei præbuiſſe Editor exiſtimat vetuſtum illum morem, juxta quem in Paſchatis ac Natalis Dominici ſolennitatibus munuſcula quædam ſibi invicem Chriſtiani miſerint, ut mutuam benevolentiam teſtarentur: qua de cauſa & hanc ſumma pietate refertam Epiſtolam, muneris loco Nyſſenus ad Euſebium miſerit. *Secunda* ad Sebaſtenos directa eſt, quibus ſuſpecta erat Nyſſeni in aliquibus fidei capitibus ſententia, quam tamen hic egregie defendit, & ab impacto crimine heterodoxiæ liberat. *Tertia* honorem illum & varias lætitiæ ſignificationes, quibus poſt reditum ſuum ad Eccleſiam, ab auditoribus ſuis exceptus fuerat, deſcribit: unde eam Editor vel poſt primam Synodum Conſtantinopolitanam, vel eo tempore, quo ab exilio redierit, exaratam putat. *Quarta* nobilem juvenem, conſanguineum ſuum, capitalis criminis reum actum, Cynegio Præfecto Prætorii in Oriente, commendat. *Quinta* eidem Alexandrum quendam commendat. *Sexta* ex eremo, & *Septima* ab exilio, dubium ad quos, miſſæ Editori videntur. *Octavam* ſenex admodum Nyſſenus ad eruditum quendam Cappadocem juvenem, vel in Cappadocia commorantem conſcripſit, qui iſtum peregre agentem patri commendaverat. *Nona* Cappadocem aliquem in Ponti quodam loco agentem, ad Paſchatis celebrationem accerſit, deque morum, qua laborent Cappadoces, aſperitate queritur. *Decimam* & *undecimam* pro reſponſoriis Editor habet & Libanii Sophiſtæ literas, quem ſancti Baſilii magiſtrum fuiſſe pluribus in Præfatione oſtendit. Cumque inter Libanii Epiſtolas inceditas adhuc, quarum plusquam duæ chiliades in Vaticana Bibliotheca ſerventur, nulla Gregorio Nyſſeno inſcripta deprehendatur: non omnes certe Epiſtolas ab eximio hoc Rhetore profectas, in antiquiſſimis earum Collectionibus adhuc dum ſupereſſe, exin colligit. In *duodecima* ad incertum aliquem, initio Nyſſenus excuſat ſe, quod libros ſuos adverſus hæreſim ob librariorum penuriam citius haud miſerit: id quod non de *Antirrhetico* illius, quippe non admodum prolixo; ſed *de tredecim adverſus Eunomium libris* capiendum Zacagnius exiſtimat. *Decimam tertiam* Nicomedienſi Eccleſiæ paſtore orbatæ, & idcirco in plures factiones diſciſſæ deſtinatam, idem concludit. In *decima quarta* de miſero vitæ ſuæ ſtatu, de adverſariorum ſuorum inſidiis, deque perverſis ſuorum temporum moribus prolixe queritur: unde ei exilium, in quod Valens Imperator Nyſſenum abire juſſerit, anſam ſuppeditaſſe, Zacagnius fortaſſis haud præter rem conjicit. Has igitur Epiſtolas Græce & Latine, uti primus jam legi publice Zacagnius facit, ita Notis etiam quibusdam criticis illuſtrat, quin imo in tribus poſtremis lacunas aliquot ex ſuo ingenio ſupplet. Etenim hic deturpatum deprehendit Vatica-

num

Digitize

num exemplar, non veteris quidem librarii culpa, ſed quia in alio Codice, ex quo ante quingentos annos Vaticanus tranſcriptus fuerat, nonnullas paginas in extrema parte vetuſtas conſumpſerat. Quem defectum adeo accurate Vaticani codicis ſcriptor repræſentavit, ut deſideratorum numerum verborum, relicto nunc majori, nunc minori ſpatio, diligentiſſime deſignaverit. Editor autem, ne tot hiatus in textu conſpicerentur, ratione habita majoris minorisve intervalli in Codice illo denotati, eos complevit: ſed ita, ut conjecturas ſuas ſemicirculis incluſerit, ne forſan eas quispiam Nyſſeni verba eſſe reputet. Hæc verbotenus *Acta Eruditorum Lipſiæ* anno 1698. menſe Septembri pagg. 396. 397. 398. 399. & 400.

In editione quoque Latina Operum divi Gregorii Nyſſeni, quæ Baſileæ 1562. in folio apud Joan. Frobenium facta eſt, & qua Bellarminus uſus eſt, extant *de philoſophia lib. 8.* ſub ejusdem nomine qui, ut habet Bellarminus libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* obſervatione 3. ad annum 380. Gregorii Nyſſeni eſſe non videntur. Nam libro 2. docet animam in corpore non creari, ſed ante corpus fuiſſe creatam, qui error eſt Origenis: & præterea tum opus philoſophicum eſt & Pelagianiſmum ſapit. Adde quod hoc idem opus invenitur in *Bibliotheca Patrum* ſub nomine cujusdam *Nemeſii Philoſophi Chriſtiani*, hoc ſolum excepto, quod apud *Nyſſenum* in octo libros dividitur, apud *Nemeſium* unus liber eſt, in capita 45. diviſus, & *de homine* ſive *de anima* inſcribitur. Hic autem Nemeſius, quando ſcripſerit, ignoratur: ſed quia nominatim Manichæos, Apollinarem & Eunomium refellit, vixiſſe & ſcripſiſſe tempore Gregorii Nyſſeni, vel certe non antea, videtur. Hæc Bellarminus loco citato. At aliquanto poſt idem hoc Opus ſub proprii authoris nomine prodiit Græce & Latine ex MS. Codice, Antverpiæ 1565. in 8. ex verſione Nicaſii Ellebodii Casletani in Belgicis partibus, cum Præfatione Græca ſive Epiſtola prævia, ubi ait, Nemeſium Emeſæ urbis in Phœnicia Epiſcopum extitiſſe, apud alios omnes altum de illo eſſe ſilentium. Notat idem, quod lectori facile apparebit, ſenſiſſe animas ante exiſtere, Pythagoræ, Platonis & Origenis, quem amplectitur, ſtudio: ac proinde ante Juſtiniani tempora vixiſſe, quibus anno videlicet 551. in Synodo Conſtantinopolitana error iſte damnatus eſt. Reperias apud Gregorium Nazianzenum Operum tomo 1. pag. 882. *Epiſtolam* 79. ad Nemeſium in Cappadocia Præſidem, & Operum tomo 2. *Carmen* LXI. pagina 140. & ſequentibus, ſed non forſitan iſtum. Hunc autem in hoc *Carmine* ad abjiciendam Ethnicam ſuperſtitionem atque impium idolorum cultum hortatur, ad quod ut eum inducat, prodigioſos Gentilium errores late proſequitur. Ab hac editione Græcolatina 1562. acceſſit in *Bibliothecam Sanctorum Patrum* Latine tantum, editionis Pariſienſis annorum 1575. tomo 8. col. 153. 1589 tomo 9. col. 557. 1610 tomo 8. col. 163. Et in editionem Colonienſem anni 1618. quam Colonienſes Theologi ordine ſeculorum digeſſerunt, ubi Nemeſius ſeculo V. parte 3. pagina 594. collocatus eſt. Tandem Græce & Latine ut primum ab Ellebodio Antverpiæ impreſſus erat, in eandem *Bibliothecam Sanctorum Patrum* editionis Pariſienſis 1624. tomo 2. columna 464. ad 560. Idemque ex fide MSS. Anglicanorum, Oxonii Græce & Latine 1671. in 8. Hæc de Opere Nemeſii, quod falſo Gregorio Nyſſeno attributum eſt.

Hæc ex Riveto, Aubertino, Dallæo, atque aliis: quæ mirum in modum juvant, ad Nyſſenorum Operum impreſſorum notionem perfectam. Vtrumque autem Opuſculum de quo cap. 5. agnoſcit genuinum Gregorii Nyſſeni, Elias du Pin, pag. 230. *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica*, Poſſevino atque aliis acerbis Pontificiis ſincerior & moderatior.

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS SANCTI GREGORII NAZIANZENI, CONSTANTINOPOLITANI EPISCOPI.

CAPVT PRIMVM.
DE
VITA ET ELOQVENTIA GREGORII NAZIANZENI.

370. GRegorius a Nazianzo ſecundæ Cappadociæ obſcuro oppido, unde oriundus erat, Nazianzenus appellatus eſt: non quod hujus urbis Epiſcopus poſtmodum factus ſit, ut multi volunt. Vnde patet Hieronymi, ejus quidem diſcipuli atque aliorum error, qui *libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 127. Nazianzenum Epiſcopum fuiſſe Gregorium voluit: ipſemet Epiſtola 42. & Oratione 8. pag. 148. diſerte negante, ſeque nunquam Nazianzi Epiſcopum factum, ſed patris ſolummodo vices, eo adhuc vivente obiiſſe affirmante. Natus Gregorius Nazianzi anno 318. patrem habuit Gregorium, hæreſi Hypſiſtariorum, qui cum ritibus Gentilibus ac Judæis unum duntaxat Deum adorabant, infectum: Nonnam vero matrem Chriſtianam atque perfectiſſimam fœminam. Gregorius iſte præclarus ingenio adoleſcens, primum Cæſareæ Cappadocum liberalibus diſciplinis

nis operam dedit, deinde apud Cæsaream Palestinæ Thespesii Rhetoris scholam frequentavit. Posthæc Alexandriam profectus, inde periculosa admodum navigatione Athenas circa anni 344. finem accessit, unde studiis feliciter perfunctus ad suos rediit. Ordinatus a Patre Presbyter, aliquanto post in Ponti solitudinem cum Basilio Amico intimo secessit, ut nuntio rebus mundanis misso, tranquillius cœlestium rerum contemplationi totus vacaret. Cum vero pater ejus formulæ fidei Constantinopolitanæ anno 360. incautus cum aliis subscripsisset, atque eam ob rem Monachi & alii Catholici ab ejus communione secessissent: egressus e solitudine Gregorius, Nazianzum ad opem patri ferendam veniens, dissidentem a pastore gregem iteratis pacis vinculis colligavit: quibus fauste consummatis, iterum ad solitudinem reversus est. Posthæc Basilius circa an. 370. Cæsareæ Cappadocum Archiepiscopus factus, Nazianzenum Sasimorum vilissimi Cappadociæ secundæ oppidi Episcopum constituit: stomachante Gregorio, & indissolubile amicitiæ vinculum tantum non rumpente. Quin nec sedem suam semel invisere Gregorius ipse dignatus est, locum quidem insalubrem, ignobilem & inamœnum, procellis urbicisque tumultibus plenum. Tandem obnixe rogatus, ut ad sublevandam patris extremo jam senio laborantis infirmitatem, Ecclesiæ Nazianzenæ curam susciperet, acquievit: ea lege, ut patre ex hac vita egresso, gubernacula istius Ecclesiæ diutius retinere non cogeretur. Circa annum 378. a Synodo Antiochiæ habita, invitus quidem Constantinopolim missus est, ut causam Catholicam ab Arianis oppressam erigeret & sustentaret. Fecit id strenue & feliciter, aucto in dies Catholicorum numero, quos fideliter colligebat in Neobuli affinis sui ædibus, quæ mox in templum erectæ sunt, indicto ei Anastasiæ nomine: eo quod fides languens antea, & moribunda, illic revixisse visa fuerit. Hinc a Theodosio Magno in Imperialis urbis cathedra collocatur, in eodem a Concilio Oecumenico anno 381. illic coacto, confirmatus. Verum orta mox in Synodo non levi hac de re contentione, ipse sponte sedi suæ renuntiavit: & domum repetens, privatus deinceps & quietus vixit: qui partim pietatis exercitiis, partim poeticis lucubrationibus, incommoda senectutis sublevavit. Vitam hanc caducam cum meliori permutavit, anno 389. ætatis suæ 71, juxta Cavum 65. quem natum tardius putat, quam statuimus. Vnde falsum esse Suidam in *Lexico* verbo Γρηγόριος, necesse est, qui illum nonagenario majorem obiisse scribit. Hæc ex Guillelmo Cavo paucis mutatis, in *Historia Literaria* pag. 198. Billius quoque plurima in *Argumento* seu *Summario* ad Orationem 2. Gregorii.

Quæ autem hic allegatis annis dicta sunt, simul omnia nihil distinguens Socrates *de Basilio Cæsariensi & Gregorio Nazianzeno* habet lib. 4. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 26. his verbis. "Ac Didymum quidem Arianis qui Alexandriæ erant, divina opposuit providentia: in aliis autem civitatibus Basilium Cæsariensem, & Gregorium Nazianzenum: de quibus opportunum arbitror pauca commemorare. Sufficere quidem ad utriusque commendationem poterat, tum memoria illorum atque fama, quæ etiamnum apud omnes perseverat, dum doctrinæ copia quæ ex eorum libris quotidie percipitur. Sed quoniam tunc temporis Ecclesiis plurimum profuerunt, ac veluti fomites quidam fidei a Deo conservati sunt: instituti nostri ratio postulat, ut illorum mentionem præcipue faciamus. Si quis igitur Basilium & Gregorium inter se conferre, & utriusque vitam & mores & quæ in illis fuerunt virtutes exponere voluerit, omnino anceps hærebit utrum alteri præponat. Ambo enim inter se pares & æquales fuere, seu rectam vivendi rationem spectes, seu doctrinam tam Gentilium quam Sacrarum Literarum. Nam cum essent adolescentes, celeberrimorum eo tempore Sophistarum, Himerii ac Proæresii Athenis auditores fuerunt: ac postea Antiochiæ in Syria Libanii scholam simul frequentantes, ad summum eloquentiæ culmen pervenerunt. Cumque digni sophistico throno judicarentur, multi eos hortati sunt, ut ad docendum se conferrent. Alii vero ad causas agendas eos hortantibus, utrumque vitæ genus aspernati sunt: abjectaque Rhetorica artis disciplina, monasticam vitam amplexi sunt. Cum igitur Philosophiæ præcepta sub magisterio ejus, qui tum Antiochiæ Philosophiam docebat, paululum delibassent: paulo post comparatis Origenis libris, interpretationem Sacrarum Literarum ex illis hauserunt. Quippe ea tempestate per universum orbem celebris erat Origenis fama. In hujus igitur librorum lectione cum sese exercuissent, adversus Arianos fortissime decertarunt. Et quamvis Ariani libros Origenis ad dogmatis sui (ut putabant) confirmationem adducerent, illi tamen eos redarguerunt, & Origenis doctrinam ab iis nequaquam intelligi demonstrarunt. Arriani certe, eorumque fautor Eunomius, licet eo tempore disertissimi haberentur, quoties tamen cum Gregorio ac Basilio in colloquium venerant, rudes omnino atque imperiti videbantur. Ac Basilius quidem primum a Meletio Antiochenæ urbis Episcopo ad officium Diaconi promotus: inde ad patriæ suæ Cæsareæ scilicet Cappadociæ Episcopatum evectus, Ecclesiarum curam suscepit. Veritus enim ne Ariani dogmatis novitas Ponti quoque provincias depasceretur, celeriter ad eas partes se contulit. Cumque illic monasteria constituisset, & cunctos suis prædicationibus instituisset, nutantes eorum animos confirmavit. Gregorius vero Nazianzi, vilis Cappadociæ oppidi, cui etiam pater ipsius ante præfuerat, Episcopus constitutus, eadem quæ Basilius gessit. Nam & ipse urbes circum-

„circumeundo, ſegnes & languentes in fide cor-
„roboravit. Sed præcipue Conſtantinopoli
„commoratus, Orthodoxos illic degentes ſuis
„prædicationibus confirmavit: eamque ob
„cauſam paulo poſt multorum Epiſcoporum
„ſuffragio, Epiſcopus illius urbis eſt conſtitutus
„&c. porro uterque eorum multos eximios li-
„bros conſcripſit atque evulgavit: quorum non-
„nullos a ſe in Latinum ſermonem converſos ef-
„ſe, teſtatur Rufinus. De Gregorio idem Socrates lib. 4. cap. 11. & lib. 5. cap. 6. Sozomenus lib. 6. *Hiſtoria* cap. 17. lib. 7. capp. 3. & 5. Theodoretus lib. 4. *Hiſtoria* c. 30. l. 5. c. 8. Philoſtorgius *Hiſtoria* lib. 8. capp. 11. 12. & 13. apud Photium.

Hæc ſummatim de vita & eloquentia Gregorii Nazianzeni in genere, jam ad libros procedamus, de quibus Hieronymus primus ipſius olim diſcipulus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 117. juxta Cavum, juxta me 127. *Gregorius primum Safimorum, deinde Nazianzenus Epiſcopus, vir eloquentiſſimus, præceptor meus, a quo Scripturas explanante didici, ad 30 millia verſuum omnia Opera ſua compoſuit. E quibus illa ſunt, de morte fratris Cæſarii, περὶ Φιλοπτωχίας. Laudes Machabæorum, laudes Cypriani, laudes Athanaſii, laudes Maximi philoſophi poſt exilium reverſi, quem falſo nomine quidam Heronis ſuperſcripſerunt: quia eſt & alius liber vituperationum ejusdem Maximi continens: quaſi non licuerit eundem laudare, & vituperare pro tempore. Et liber Hexametro verſu, Virginitatis & Nuptiarum contra ſe diſſerentium. Contra Julianum Imperatorem, liber unus. Secutus eſt autem Polemonem, dicendi charactere. Vivoque ſe, Epiſcopum in loco ſuo ordinans, ruri vitam Monachi exercuit deceſſitque ante hoc ferme triennium, ſub Theodoſio principe.* Vir erat Gregorius Nazianzenus in quovis genere diſciplinarum præſtantiſſimus, in Theologia ſummus: unde etiam *Theologus κατ' ἐξοχὴν* Gregorius ab antiquis dictus eſt: de quo Ruffinus, qui anno 410. floruit, Gregoriique *Apologeticum* cum ſeptem ejusdem Orationibus in Latinam linguam tranſtulit, Prologo in libros Gregorii a ſe verſos ita loquitur. *Utpote qui ſolus ſit, de cujus fide ne diſſidentes quidem (ut fieri ſolet) partes & ſtudia diſputare potuerint: ſed id obtinuerit apud Dominum & Eccleſiæ Dei meriti, ut quicunque auſus fuerit doctrinæ ejus in aliquo refragari: ex hoc ipſo, quia ipſe ſit magis hæreticus, arguatur. Manifeſtum namque judicium eſt, non eſſe rectæ fidei hominem, qui in fide Gregorio non concordat.* Audiamus Philoſtorgii hominis Ariani anno circiter 420. celebris judicium, qui hunc cum Baſilio & Apollinario viris clariſſimis comparat apud Suidam in *Lexico* verbo ἀπολλιναρίου & verbo γρηγορίου, his verbis: γρηγόριος γὰρ ἤκμαζε κατ' ἐκείνους τοὺς χρόνους ἐν τῇ ναζιανζῷ. ϛαδμὸς δὲ ἔστιν ὁ τόπος καππαδοκίας. καὶ βασίλειος ἐν καισαρείᾳ τῆς καππαδοκίας. καὶ ἀπολλινάριος ἐν τῇ λαοδικείᾳ τῆς συρίας. τρεῖς δὴ οὗτοι τότε ἄνδρες τῇ ὁμοουσίῳ πρεσβεύοντι κατὰ τῆς ἑτεροουσίου, μαχρὰ πάντας παρασυγκόπτες τοὺς πρότερον καὶ ὕστερον ἄχρις ἐμοῦ, τῆς αὐτῆς αἱρέσεως προσάντας, ὡς παῖδα παρ' αὐτοῖς κριθῆναι τὸν Ἀθανάσιον. τῆστε γὰρ ἔξωθεν καλυμμένης παιδεύσεως ἐπὶ πλεῖστον ἔυτοι προσεληλύθεισαν. καὶ τῶν ἱερῶν γραφῶν, ὁπόσα εἰς ἀνάγνωσιν καὶ τὴν πρόχειρον μνήμην ἐτέλει, πολλὴν εἶχον ἐμπειρίαν. καὶ μάλιστά γε αὐτῶν ὁ γρηγόριος. καὶ μὴν καὶ συγγράφειν ἅπας αὐτῶν εἰς τὸν αὐτὸν τρόπον ἐν ἰσονώτατος. τῷ μὲν γὰρ Ἀπολλιναρίῳ τὸ ὑπομνηματικὸν εἰδος τῆς λέξεως, μαχρῷ ἀρίστα εἶχε. Βασίλειος δὲ πανηγυρίσαι λαμπρότατος ἦν. τῷ δὲ γε γρηγορίῳ καὶ παρ' ἀμφοτέροις ἐξεταζομένῳ μείζω βάσιν εἰς συγγραφὴν εἶχεν ὁ λόγος. καὶ ἦν ἐκεῖνα ἀπολλιναρίου μὲν ἀδρότερος, βασιλείου δὲ σαθερώτερος. τοσαύτης δὲ αὐτοῖς ἐν τῷ λέγειν καὶ γράφειν δυνάμεως ὄσης, καὶ τὸ ἦθος ἀδὲν ἧττον οἱ ἄνδρες παρεῖχοντο πρὸς τὴν τῶν πολλῶν θέαν ἐπαγωγότατον. ὥστε καὶ οἷς ὁρῶντο, καὶ οἷς ἔλεγον, καὶ ὁπόσα γράφοιεν διαδόσαν, διὰ πάντων ἦγεν εἰς τὴν ἑαυτῶν κοινωνίαν τὰς καθ' ὁτιῶν αὐτῶν ἐυμαρέστερον ἁλίσκεσθαι δυναμένας. Gregorius enim illis temporibus florebat Nazianzi. Hic autem locus eſt Cappadociæ ſtatio. Et Baſilius Cæſareæ, quæ eſt Cappadociæ urbs. Et Apollinarius Laodiceæ, quæ eſt Syriæ urbs. Tres igitur iſti viri tunc pro Homouſio contra Heterouſion propugnabant, & longe ſuperarunt omnes qui ante & poſt, ad meam usque ætatem, eandem hæreſim ſuo patrocinio defenderunt: ut Athanaſius cum illis collatus, puer judicatus fuerit. Nam & in ea, quæ externa diſciplina vocatur, hi maximos progreſſus fecerant: & Sacrarum Scripturarum quæcunque ad lectionem, & promptam memoriam conferebant, magnam habebant experientiam. Præcipue vero Gregorius inter ipſos, hac laude florebat. Quin etiam ipſorum unusquisque, ad ſcribendum in ſuo genere erat aptiſſimus. Genus tamen dicendi, Commentariis ſcribendis accommodatum, quo Apollinarius utebatur, longe præſtantiſſimum erat. Baſilius vero in demonſtrativo dicendi genere ſplendidiſſimus erat. Gregorii vero cum utroque comparati oratio, ſublimiorem in ipſa ſcriptione gradum obtinebat. Nam & Apollinarium uberiore dicendi genere ſuperabat, & Baſilio gravior erat. Quamvis autem iſti tanta & dicendi, & ſcribendi facultate præditi eſſent, nihilominus tamen iidem viri moribus etiam iis fuerunt inſtructi, qui multitudinis oculos ad ipſos ſpectandos maxime alliciebant. Quamobrem & aſpectu ſuo & oratione & ſcriptis paſſim divulgatis, omnibus his, in ſuam ſententiam & familiaritatem omnes protrahebant, quotquot ex ipſis facile capi poterant.„ Hæc Philoſtorgius. Jam autem Suidam ipſum audiamus a ſe loquentem, tom. 1. *Lexici* pag. mihi 626. Γρηγόριος ναζιανζοῦ ἐπίσκοπος (ϛαδμὸς δέ ἐστιν ὄρος καππαδοκίας) ἀνὴρ ἐλλογιμώτατος, ἀναγκαῖος φίλος βασιλείῳ τῷ τῆς καισαρείας ἐπισκόπῳ τῆς ἐν καππαδοκίᾳ. ἔστι δὲ οὐ μόνον γραμματικὸς, καὶ τὰ εἰς τὴν ποίησιν δεξιὸς· ἀλλὰ πολλῷ πλέον καὶ εἰς

Φιλοσοφίαν ἐξήσκητο. καὶ ῥήτωρ ἦν ἀμφιδέξιος. ὅτ᾽ ἔγραψε καταλογάδην πολλά. εἰς γὰρ τρεῖς μυριάδας στίχων τὰ συντάγματα αὐτῶ συνέθηκεν. ἀφ᾽ ὧν εἰσὶ ταῦτα. περὶ τῆς τελευτῆς τοῦ ἀδελφοῦ κηδευτηρίοι. ἐπιτάφιος εἰς τὸν ἑαυτοῦ πατέρα. ἕτερος εἰς τὴν ἀδελφὴν γοργονίαν. περὶ φιλοπτωχίας. ἐπαίνους τῶν μακκαβαίων. ἐπαίνους κυπριανοῦ. ἐπαίνους ἀθανασίου. ἐπαίνους ἥρωνος φιλοσόφου. κατὰ ἰουλιανοῦ τοῦ βασιλέως λόγοι δύο. περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος λόγος εἷς. πανηγυρικοὶ λόγοι δέκα, καὶ ἕτεροι πλείους καὶ πᾶσι γνώριμοι. ἠκμάσθησε δὲ τῷ πολέμωνος χαρακτῆρι, τοῦ λαοδικέως, τοῦ σοφιεύσαντος ἐν σμύρνῃ ὃς ἐγεγόνει διδάσκαλος ἀριστείδου τοῦ ῥήτορος. ἐγράφη δὲ αὐτῷ καὶ ἑτέρα βίβλος δι᾽ ἑξαμέτρων, παρθενίας καὶ γάμου καθ᾽ ἑαυτὰς διαλεγομένων, καὶ εἰς ἑτέρας ὑποθέσεις, ἐν παντοίοις καὶ διαφόροις μέτροις, αἵτινα συνάγονται εἰς ἐπῶν μυριάδας τρεῖς τοῦ δὲ γρηγορίου τούτου καὶ φιλοστόργιος ὁ ἀριανὸς ἐν τῇ κατ᾽ αὐτὸν ἱστορίᾳ, μνήμην πεποίηται, καὶ φησί. γρηγόριος γὰρ &c. ut supra. τοσαῦτα περὶ αὐτῶν εἰς ἐν παραδρομῇ φιλοστόργιος, καὶ ταῦτα ἀριανὸς ὤν, ἔγραψεν. ἔτι γοῦν περιὼν εἰς τὸν οἰκεῖον τόπον ὁ γρηγόριος ἐπίσκοπον καταστήσας ἐν τῇ λαοχίῃ αὐτὸν ἐκκλησίᾳ, αὐτὸς ἐν ἀγρῷ τινι βίον μοναδικὸν ἐπηγάγετο. ἐλάσας δὲ περὶ τὰς ἔτη καὶ ἑπτακαίδεκα, θεοδοσίου τρίτου καὶ δέκατον ἔτος ἄγοντος, καταλύει τὸν βίον. ἀναξίων τοῦτο τῆς αὐτοῦ παθῶν ἀρετῆς, καὶ τῆς καθέδρας ἀποκεκληῆναι τῆς βασιλευούσης τῶν πόλεων καὶ πρεσκριθῆναι μᾶλλον τοὺς φαυλοτέρους, ἢ τὸν ἐπ᾽ ἀρετῇ καὶ λαμπρότητι βίῳ πάντων μᾶλλον ὑπερέχοντα. Gregorius „Nazianzenus Epiſcopus (hoc autem Nazianzum eſt Cappadociæ ſtatio) vir celeberrimus, „Baſilii Cæſarienſis in eadem Cappadocia Epiſcopi neceſſarius amicus. Hic non ſolum „Grammaticus, & ingenioſus Poeta, ſed etiam in „Philoſophia multo magis exercitatus erat, & „orator ambidexter, *id eſt, peritiſſimus & feliciſſimus*. Hic multa ſcripſit oratione ſoluta. Opera enim quæ ille compoſuit, continent ad XXX „millia verſuum. De quibus hæc ſunt. De obitu fratris Cæſarii. Funebris Oratio in ſuum patrem. Altera in ſororem Gorgoniam. De „pauperibus amandis. Laudes Maccabæorum. „Laudes Cypriani. Laudes Athanaſii. Laudes „Heronis Philoſophi. Contra Julianum Imperatorem, orationes duæ. De Sancto Spiritu, oratio una. Panegyricæ Orationes decem. Item „aliæ plurimæ, omnibusque notæ. Secutus autem eſt dicendi genus Polemonis Laodicenſis, „qui Smyrnæ docuit, & qui fuit Ariſtidis Rhetoris præceptor. Scripſit & alterum librum verſibus hexametris, de Virginitate & Conjugio „nter ſe colloquentibus. Item in alia argu„menta, omnigenis & diverſis metris, quorum „ſumma eſt ad Carminum XXX millia. Hujus „autem Gregorii Philoſtorgius etiam Arianus „in ipſius hiſtoria mentionem facit, his verbis, „*Gregorius* &c. Hæc de ipſis Philoſtorgius, id„que cum eſſet Arianus, obiter ſcripſit. Cum „autem Gregorius adhuc eſſet ſuperſtes, Epiſcopum in ſuum locum, in ſua Eccleſia conſti„tuit, & ipſe in agro quodam vitam ſolitariam „transegit. Cum autem ad nonageſimum æta„tis annum, & ulterius progreſſus fuiſſet: deci„mo tertio Theodoſii imperantis anno, ex vita „excedit. Hoc haud dignum ſuæ virtutis præ„mium conſecutus, quod repulſus fuiſſet a ſede „urbis urbium omnium Reginæ, & longe dete„riores ipſi prælecti fuiſſent: viro qui propter „virtutem & vitæ ſplendorem, omnibus longe „antecellebat. *Hæc Suidas.*

Prodierunt Opera Gregorii Nazianzeni Græce Baſileæ 1550, Latine cum Notis & Scholiis Variorum tribus tomis, Baſileæ 1571. Pariſiis duobus tomis 1583. Græce & Latine Pariſiis 2. voluminibus in fol. 1609. & 1630. cum Commentariis Nicetæ Serronii, Pſelli, Nonni, Eliæ Cretenſis: quos delibavit utplurimum atque ex Græco vertit Jacobus Billius, & ſuas (ubi opus erat) Annotationes & Scholia addidit. Poſteriorem editionem Fredericus Morellus aliquot Epiſtolis, & ſuis item Notis auxit. In hac autem editione ultima, non ſatis accurate notata diſtinctio eſt Scholiorum Billii ab aliis, charactere diſtincto: ut in Commentariis ad Orationem 20. *Gregorii* & aliis, a me animadverſum eſt: ubi Scholia num. 60. & 62. notata *Billii* ſunt & non *Nicetæ*, qui tamen conſueto *Billii* charactere non diſtinguuntur. Eadem editio iſta Pariſienſis, Coloniæ repetita anno 1690. 2. tomis in folio. *Duas etiam in Julianum* cum Scholiis Græcis *Invectivas*, & Nonni *Collectione Hiſtoriarum* ſeorſim edidit Richardus Montacucius Etonæ Græce in 4. anno 1610. quibus ſuas etiam Notas & varias lectiones, vir eruditiſſimus adjecit.

CAPVT SECVNDVM.

EXAMINANTVR QVÆ CONTINENTVR TOMO PRIMO OPERVM D. GREGORII NAZIANZENI.

1. *Apologeticus de fuga ſua*, poſt reditum ex Eremo conſcriptus: ad quam factus a Patre Presbyter confugerat ut ibi lateret & tranquille viveret. Cum autem ſeceſſiſſet ex metu ne in Epiſcopum promoveretur: hanc ob cauſam hac in oratione invehitur in eos qui quavis ratione Epiſcopatus, aliasque dignitates Eccleſiaſticas negotiantur. Notandum porro eſt S. Gregorium Nazianzenum in *Apologetico de fuga ſua*, ſeu *Oratione prima* editionis Græco-Latinæ Pariſienſis anno 1630. in folio appellare Evchariſtiam *ἀντίτυπον corporis & ſanguinis Chriſti ſeu ſignum* Oratione 1. pag. 38. Nota 162, itemque *Oratione XL. in laudem Gorgoniæ ſororis* p. 187. Num. 22, de quibus videas quoque Tomo 2. Eliam Cretenſem in Commentario ad Orationem XI. Num. 22. columna 622, cum Jacobi Billii Notis, ubi late de hujus vocis ſignificatione loquuntur, videtur tamen Billius in Notis ad Orationem I. Nota 161. col. 201. litera C. opinari S. Gregorium Nazianzenum non admiſiſſe niſi ſi-

gu-

guram corporis & ſanguinis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, his verbis. Eximius ille Joannes Damaſci alumnus interventu ſuo diſſenſionem eam, cujus hic ſpecies quædam objicitur, diſſolvit, his verbis utens: Panis & vinum corporis & ſanguinis Chriſti minime figura ſunt, abſit. Quod ſi nonnulli ea corporis & ſanguinis Domini antitypa dixerunt (ſicut Gregorius Nazianzenus) non poſt eorum conſecrationem dixerunt, ſed priusquam conſecrarentur. Quæ Gregorii Nazianzeni locis citatis applicari minime poſſunt. Idem Billius in Notis ad Gregorii Nazianzeni Orationem XI. Nota 22. col. 623. littera D. iterum. Cur autem Patres Euchariſtiæ Sacramentum aliquoties *Antitypum* appellarint, variæ rationes affruntur. Quarum unam quæ apud Damaſc. lib. 4. *de fide orthodoxa* cap. 14. extat, merito explodit Beſſario, ac poſt eum Turrianus in Scholiis ſuis Græcis in Libr. 5. Conſtit. Apoſtolicarum cap. 14, vocemque ipſius libro a ſcioliis quibusdam aut malevolis aſſutam fuiſſe cenſuit. Negat enim illic Damaſcenus, panem & vinum a Baſilio poſt conſecrationem *Antitypa* vocari. Quod tamen aperte falſum eſt. Ex plerisque enim tum Divi Clementis in libro Conſtitutionum Apoſtolic. tum Nazianzeni, atque aliorum Authorum locis, quos Damaſcenum ignoraſſe veriſimile non eſt: perſpicue conſtat, hanc vocem non pani ipſi & vino, ſed corpori & ſanguini Chriſti cum ſpeciebus usquequaque tribui conſuevisſe. Hæc Jacobus Billius, quibus Damaſcenum diſerte mendacii arguit: idemque facit Franciſcus Combefiſius anno 1644. in Notis ſuis ad Opera S. Andreæ Cretenſis, Nota 128. pag. 278. editionis Græcolatinæ Pariſienſis in folio.

Apertum eſt autem ſancti Joannis Damaſceni in Liturgia divi Baſilii allegata mendacium. Nam Divus Baſilius in *Liturgia* editionis Jacobi Goari Ord. FF. Prædicatorum, in *Euchologio Graecorum*, pag. 168. de Benedictione ſeu Conſecratione panis Euchariſtici agit, tum aliquanto poſt pag. 169. hæc habet, προσαγγίζομεν τῷ ἁγίῳ σου θυσιαστηρίῳ, καὶ προθέντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ χριστοῦ σου, δεόμεθα καὶ σε παρακαλοῦμεν, ἅγιε ἁγίων, εὐδοκίᾳ τῆς σῆς ἀγαθότητος *Appropinquamus ſancto altari tuo & propoſitis figuris ſancti corporis & ſanguinis Chriſti tui, ſeu iis quæ ſanctum corpus & ſanguinem Chriſti tui repræſentant, rogamus & te obſecramus, Sancte Sanctorum, per tuæ bonitatis beneplacitum* &c. Atque de hac voce ipſemet Jacobus Goarus τῶν ἀντιτύπων, in Notis ad Liturgiam pag. 186.

2. *Oratio poſtquam factus eſt Presbyter.* Facta circa annum 362. in qua Nazianzenorum negligentiam ad ſe audiendum divina concionantem accuſat, cum tamen eorum hortatu ſolitudinem ſuam deſeruiſſet, eorumque ſalutem promoveret.

3. & 4. *In Julianum Imperatorem invectiva duo,* plurima eruditione prophana florentes, quas ſcholiis non longe poſt Gregorii Nazianzeni tempora illuſtravit, circa annum 420. Nonnus Panopolita. Edidit autem Richardus Montacutius ac Richardo Cantuarienſi Archiepiſcopo dicavit Etonæ 1610. in 4. Græce *Gregorii Nazianzeni Invectivas duas contra Julianum & Gentiles*, cum Scholiis authoris incerti, nunc primum editis, pag. 1. ad 112. *Ejusdem in Martyres & contra Arianos* pag. 113. nondum Græce editam. *Ejusdem Epiſtolas XI.* Græce nunc primum editas p. 111. denique *Teſtamentum* pag. 123. Collectionem Nonni Panopolitæ & Expoſitionem Hiſtoriarum, quarum meminit S. Gregorius Nazianzenus in duabus iſtis Invectivis p. 127. & 172. Accedunt Notæ Richardi Montacutii in Opuscula a ſe edita Nazianzeni pag. 1. ad 32. Variantes Lectiones in Opera S. Gregorii Nazianzeni, juxta Pariſienſem editionem, collata cum libris manuſcriptis p. 33. ad finem Operis.

5. *Oratio poſt reditum ex fuga*, facta circa annum 362. Fatetur ſe ſeceſſiſſe amore ſolitudinis illectum, patris tamen amore ac erga canitiem illius ſumma reverentia, coactum ut reverteretur. Revocatum ſe a patre dicit, a quo in Sacerdotem unctus fuerat, ut in adminiſtrando paſtorali onere, ſeneſcenti auxilium opemque afferret.

6. *Oratio ad Gregorium Nyſſenum*, qui Gregorium Nazianzenum inviſerat, aliquanto poſtquam Saſimorum conſtitutus fuerat Epiſcopus. Cujus initio adverſus Baſilium graviter conqueritur, quod contra leges amicitiæ, ad novam hanc dignitatem invitum ſe & reluctantem ordinaſſet.

7. *Apologeticus cum Saſimorum Epiſcopus factus eſt*, coram Gregorio patre ſuo & Baſilio pronuntiatus, eodem tempore, atque de eodem argumento. Teſtatur quam invitus onus ſuſceperit, quorum conſilia & auxilia implorat, ad plebem recenter ſibi commiſſam recte dirigendam.

8. *Oratio cum cum Eccleſia Nazianzena ei commiſſa eſt.* Habita anno 372. coram plebe Nazianzena, quibus exponit nunquam a ſe cum ambitu conquiſitas eſſe Eccleſiaſticas ſublimitates, non rejectas tamen dum vocante Deo offerrentur, neque vires ſuperarent. Addit ſe quidem modo ſuſcipere curam Eccleſiæ Nazianzenæ ob patris ſenium, ſed ea conditione, ut poſt ejus mortem oneris liber eſſet, neque ad ſucceſſionem adigeretur.

9. *Oratio de ſuis Sermonibus ad Julianum exaquatorem.* Habita circa eundem annum 372. Duplex eſt autem hujus Orationis inſcriptio: nam aliquando & εἰς τοὺς λόγους inſcribitur, quoniam in ea ſe de ſilentio anteriori purgat, illiusque cauſas reddit: & ad *Julianum* non *apoſtatam* illum, ſed alterum Gregorii amicum & in literarum ſtudiis ſodalem: qui exæquandis, hoc eſt, deſcribendis & corrigendis publicis vectigalibus præfectus erat.

10.

Digitized by Google

10. *Oratio funebris in laudem Cæsarii fratris.* Facta aliquanto post mortem Cæsarii, quæ anno 369. vel circiter accidit. Hæc tripartita est Oratio. Primum enim Cæsarium fratrem laudat: Deinde parentes suos illius interitu mœstos & afflictos doctissimis rationibus consolatur. Postremo ad populum orationem convertit, eumque hortatur, ut contemptis hujus mundi vanitatibus, omni animi cura cœlestis vitæ bona consectetur.

11. *Oratio funebris in laudem Gorgoniæ sororis,* circa annum 370. pronuntiata. Tota hæc Oratio in genere demonstrativo versatur. Nec enim ut in præcedenti luctum parentum minuere conatur, nec populum ad vitam pie sancteque traducendam cohortatur: sed per omnem Orationis cursum sororis laudes deprædicat, ac sub illius persona mulieribus conjugio mancipatis egregium vitæ exemplum proponit.

12. *De pace Oratio I.* circa annum 363. facta. Gregorius Theologi nostri pater, vir alioqui optimus ac veræ religionis studiosissimus, Arianorum fraudes & impostura, qua erat simplicitate, minus animadvertens, quosdam hoc veneno afflatos benigne susceperat, atque adeo cuidam eorum formulæ fidei in Concilio Constantinopolitano anni 361. incautus subscripserat. Quæ res tanta indignatione animos Monachorum permovit, ut confestim ab ipsius communione procul se removerint, suoque exemplo magnam populi partem in eandem secessionem pertraxerint. Atque hinc latissima fenestra ad oppugnandos & exagitandos Catholicos Arianis aperta est. Serpsisset que longius hoc malum, nisi Theologi nostri consilio atque prudentia compressum & extinctum fuisset. Nam cum ejus monitis & hortatu (quemadmodum in Theologi nostri vita scribit Gregorius Presbyter) fidem suam Gregorius pater aperte professus esset, petiisset que sibi condonari, quidquid in ea re per imprudentiam deliquerat: facile a Monachis impetravit, ut secum in gratiam redirent. Pace igitur constabilita, hanc noster Gregorius Orationem habuit, qua primum officii sui causas reddit, ac per occasionem vitæ monasticæ formam elegantissime describit: deinde pro accepto beneficio gratias Deo agit. Tum ad inflammandos majori concordiæ studio Nazianzenos, pacis laudes & utilitates exponit, easque per collationem cum discordiæ incommodis mirum in modum amplificat. Postea eos hortatur, ne deinceps tam facile ab errantium fratrum societate se separent, sed eos potius humane fraterneque corrigant. Demum patri suo illorum reditum gratulatus, confessione Trinitatis Orationem concludit.

13. *De pace Oratio II.* ejusdem cujus præcedens temporis & argumenti. Quoniam dissidium illud, de quo superiore Oratione Gregorius verba fecerat, Ariani quantum poterant, verbis adaugebant: atque ex musca (ut dicitur) elephantum faciebant: ideireo hac secunda Oratione primum id agit, ut ostendat hanc contentionem non tantam fuisse, quantam illi calumniabantur. Imo ostendit, quoad fidem & religionem, perpetuum inter eos consensum extitisse. Hinc ad sacrilegum eorum errorem confutandum transit, quo & Filium a Patre genitum esse, & Spiritum processisse negabant, eosque in rerum creatarum ordinem redigebant. Mox veram ac simplicem de Trinitatis doctrina Confessionem subnectit: ac postremo votis pro Arianorum salute ac resipiscentia factis, eorum adversus pietatem scripta, ut vana & frivola suggillat.

14. *De pace Oratio III.* Cum propter mutuam quorundam Episcoporum contentionem, plebs Constantinopolitana in partes divisa, atque in diversa studia distracta esset, totaque civitas pernicios issimo discordiæ morbo laboraret: ut huic malo mederetur, Gregorius hanc Orationem habuit. In qua omnibus eloquentiæ viribus contentionis turpitudinem insectatur, ostenditque quam indignum, atque a fidei Christianæ professione alienum sit, simultates & factiones exercere. Oratio hæc vehemens est & concitata, atque ut in tali argumento, miris amplificationibus exornata, & affectibus ardens. Constantinopoli pronuntiata est.

15. *Oratio in plagam grandinis,* quæ in Ponto anno 372. contingens, agros omnes devastavit. Hanc Orationem Gregorius hujus grandinis occasione habuit. Tiberinæ enim regionis, in qua natalitius ipsius Arianzi pagus situs erat, fruges jam maturæ, grandine percussæ fuerant. Quam calamitatem cum Gregorius pater ob populi scelera immissam fuisse cerneret, silebat. Theologus autem plebis suasu in medium prodiens, patrem potius ad dicendum cohortatur, utpote & ætate & virtute provectiorem. Porro moralis & suasoria est Oratio, Nazianzenos ad pœnitentiam vitæque correctionem exhortans. Naturalem etiam philosophiam & placita Philosophorum attingit, nec consuetæ Theologiæ expers est.

16. *Oratio de amore pauperum,* in aliqua solemnitate circa annum 393. pronuntiata, ut vult Ellias du Pin, pag. mihi 209. Svasorii generis est hæc Oratio, ad bene de pauperibus & ægrotis merendum exhortans. Eorum autem causa potissimum habita est, qui in *Basiliadi* valetudinario sacro morbo laborabant: quod quidem Magnus Basilius extruxerat, ibique collectos ægrotos curabat: de quo Sozomenus Lib. 6. *Historia Ecclesiastica* cap. 34. Pathetica autem & moralis est hæc Oratio: quæ tamen interdum etiam dogmata quædam ac naturæ disciplinam attingit: cum videlicet ex antithesi aliqua ad institutam materiam occurrunt.

17. *Oratio ad cives Nazianzenos gravi timore perculsos & Præfectum iratum,* quam occasione seditionis alicujus, anno 372. pronuntiatam esse vult citatus Ellias du Pin pag. 210. Quodnam illud

illud Nazianzenorum crimen civium fuerit, quod Præfectum (quem Choniates Julianum Exiloten fuiſſe ſcribit) ira inflammarit, ex hac Oratione non ſatis conſtat. Conjectura tamen ductus Billius exiſtimat, eos aut edicto quopiam, aut fortaſſe tributorum vectigaliumque gravitate offenſos, ſigna quædam dediſſe animorum ad ſeditionem ſpectantium. Veriſimile enim eſt Gregorium multo acriorem ad eos orationem habiturum fuiſſe, ſi eam non modo in animo habuiſſent, ſed etiam re ipſa concitaſſent. Intigms autem eſt hic locus movendæ clementiæ, diligenterque legendus ac memoriæ mandandus. Accidit enim ſæpenumero, ut idem argumentum tractare neceſſe habeamus. Porro illud te etiam obiter admonendum eſſe duxi, quisquis es rei Theologicæ ſtudioſus, ut ſedulo animadvertas, qua arte & copia ſub initium Orationis quosdam Scripturæ locos amplificet: luculentum certe operæ pretium facturus, ſi eam dilatandi rationem tibi imitandam propoſueris.

18. *Oratio in laudem Cypriani Martyris*, anno 373. pronuntiata. Notat hic egregie Billius tom. 2. operum Nazianzeni in argumento ad Orationem hanc col. 686. Gregorium Nazianzenum in hac Oratione turpiter hallucinatum fuiſſe, quippe qui duos Cyprianos in unum confuderit: unum Carthaginenſem Epiſcopum, inclytum illum Martyrem, cujus hic laudes proſequitur: alterum Antiochenum magicæ olim arti deditum, cujus etiam ſingularia facta Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo incautus Nazianzenus attribuit, utrumque hominem confundens. Quid? quod hunc Cyprianum, de quo hac Oratione agit Gregorius, Antiochiæ ab Anthimo Epiſcopo baptizatum fuiſſe, ac Nicomediæ prope fluvium Gallum necem ſubiiſſe teſtantur Nicetas in ſuo Commentario hujus Orationis, & Simeon Metaphraſtes in ipſius vita. Quæ tamen huic Cypriano affinguntur. Idem de duobus Cyprianis annotavit Joannes Fell Oxonienſis Epiſcopus in editione ſua Operum Cypriani Oxoniana anni 1682. Nec non Ellias du Pin in *nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* pag. 210. dum argumentum hujus Orationis explicat.

19. *Oratio funebris in Laudem Patris ſui*, quam anno 373. ad plebem Nazianzenam habuiſſe creditur. Hac Oratione primum Baſilium magnum alloquitur, eique velut argumentum quoddam Orationis ſubminiſtrat. Deinde paternæ vitæ hiſtoriam exordiens, oſtendit quemadmodum portentoſa quadam atque impia ſuperſtitione abjecta Chriſtianam fidem amplexus ſit: idque miris modis exornat, ac ſimul captata occaſione matris laudem annectit. Poſtea ad Orationis inſtitutum rediens, miracula quædam narrat, quæ in illius baptiſmo contigerunt. Tum ad Epiſcopatum ejus tranſit, ubi varias ejus laudes proſequitur. Ac pietatem quidem illius, fideique conſtantiam per collationem amplificat, obiterque eundem purgat, quod imprudens falſo cuidam & ſacrilego hæreticorum dogmati ſubſcripſiſſet. Mox ejusdem liberalitatem benignitatemque in pauperibus complectendis, gloriæque humanæ contemptum laudat. Poſt, quibusdam virtutibus per congeriem enumeratis, ad humilitatis laudem redit, eamque eleganter pertractat. Cui ignoſcendi facilitatem ſubjungit, atque injuriarum oblivionem, eximiamque humanitatem, cum mira in rebus gerendis dexteritate conjunctam. Ita demum exponit, quemadmodum Deus eum duplici miraculo celebrarit: dum & eos, a quibus offenſus fuerat, ultio divina ſtatim ſubſecuta eſt: & eundem a medicis comploratum, præter omnium ſpem, ipſe priſtinæ valetudini reſtituit. Et quia his rebus hominum ſanctimonia perſpicue declaratur, addit quemadmodum mater graviſſimo & atrociſſimo morbo laborans repente ſanitatem recepe-rit: ac præterea quonam modo ipſe periculoſiſſima tempeſtate jactatus, parentum precatione certiſſimum mortis periculum effugerit. Hinc ad fortitudinis conſtantiæque laudem ſe confert. Qua pluribus exemplis demonſtrata, patris encomio finem imponit. Poſtremo ad matrem jam ſenio confectam Orationem convertit, eamque elegantiſſime & doctiſſime conſolatur.

20. *Oratio funebris in laudem Baſilii Magni.* Illuſtris eſt hæc Oratio, & princeps inter eas quæ in genere demonſtrativo verſantur. In qua, tanquam optimi artifices in pulcherrima materia, omnes ingenii & induſtriæ vires effudiſſe videtur Theologus, perſpicuumque omnibus facere voluiſſe, quantas ſecum opes ex Ægypto ad terram ſanctam deportaſſet. Adeo luculentum hic eloquentiæ ſpecimen edit, adeo ſcite & feliciter externæ diſciplinæ inſtrumenta pio inſtituto ſervire cogit. Nec me fugit doctiſſimum quendam virum huic Authori oſtentationem tribuiſſe, quia videlicet prophana interdum operibus ſuis admiſceat. Sed profecto æquum fuit eum temporis, quo hæc ſcripſit Gregorius, rationem habere. Quod ſi feciſſet, aniniine mirum ei vilum fuiſſet, hominem, qui & Athenis & in plerisque aliis Græciæ urbibus, ſceleratos & impuros falſorum deorum cultus oculis uſurpaſſet: libenter oblata occaſione, in eos ſtylum ſtringere. Id ſi quis tempeſtate faceret, ineptiæ & vanitatis notam non effugeret: quod jam nemo ſit adeo vecors & ſtupidus, qui non hæc errorum portenta rideat & execretur. Hanc porro Orationem poſt ſuum ex urbe Conſtantinopolitana in patriam reditum anno 381. ad Baſilii Magni (qui anno 389. die 1. Januarii obiiſſe creditur) ſepulchrum habuit Gregorius.

21. *Oratio in laudem Athanaſii Magni*, cujus pronunciationis annus aſſignari nequit. Hæc Oratio pure laudatoria eſt, & non funebris, ut quidam exiſtimarunt. Neque enim lamenta-

Digitized by Google

tiones ullas aut conſolationes habet,nec ad ſepulchrum Athanaſii pronuntiata eſt. Nam cum Gregorius in Conſtantinopolitana urbe commoraretur, Imperante Theodoſio, hanc Orationem conſcripſit. Magnus autem Athanaſius antea, Valente imperium obtinente, ad Deum migraverat: cum totos quadraginta ſex annos Alexándrinam Eccleſiam non ſine graviſſimis laboribus gubernaſſet.

22. *Oratio in laudem Maccabæorum.* In Machabæorum libris Lib. 1. cap. 3. vir quidam Judas nomine, cognomento Machabæus deſcribitur: qui pro civitate Hieroſolymitana, legisque Moſaicæ cultu,ac contribulibus ſuis, multa præclare & ſtrenue geſſit. Propter quem cæteris quoque hiſtoriæ partibus, Machabæorum nomen inſcriptum eſt. Quoniam igitur in eodem volumine Lib. 2. cap. 6. & 7. Eleazari ſeptemque filiorum & matris certamen continetur,Machabæi etiam ipſi nominati ſunt. Neque enim qui hiſtoriam conſcripſit, eos a Juda Machabæo genus duxiſſe tradit.

23. *Oratio in laudem Heronis Philoſophi, revera Maximi Cynici*,quam Ellias du Pin pag. 211. vult Conſtantinopoli pronuntiatam anno 378. Heronem Philoſophum laudat, quod pro Chriſti nomine virgarum ſupplicium atque exilium magno fortique animo tulerit. Fuerat porro ille profeſſione Cynicus, ut ex Orationis contextu perſpicue colligi poteſt. Primum autem quoniam inceptum videri poterat, coram aliquem laudare, officii ſui rationes exponit. Deinde illius vitæ inſtitutum extollit, ac per comparationem cum vita ſolitaria amplificat, theſimque illam commode tractat, officium quod ad tuendam hominum ſocietatem valet, præferendum eſſe illi officio, quod cognitione tantum & ſcientia continetur: de quo vide Ciceronem *officiorum* 1. Sequebatur jam ut ad ejus martyrium tranſitum faceret, verum cum ſe in argumento non admodum lato & ſpatioſo verſari perſpiceret: per occaſionem varias Eccleſiæ perſecutiones interſerit, & miſerandum Presbyteri cujusdam (Heliodorus nominatur in Cardinalis Lotharingi codice) Martyrium narrat,Luciique qui ejecto per vim Petro Athanaſii ſucceſſore,Alexandrinæ Eccleſiæ ſedem invaſerat,importunam crudelitatem tanto artificio depingit: ut res non narrari, ſed oculis ipſis uſurpari videatur. Tum ad Heronis ſupplicium accedit,ejusque exilium multis circumſtantiis amplificat. Poſtremo myſterium Trinitatis ingreditur multisque verbis explicat, quid vero Chriſtiano *de divinitate* credendum ſit. Sed illud pene præterii, quod Hieronymus in Catalogo *Scriptorum Eccleſiaſticorum* hanc Orationem,non in Heronis, ſed in Maximi Philoſophi laudem habitam eſſe affirmat, atque hanc inſcriptionem falſam eſſe contendit. Et certe ita eſſe conſtat ex Gregorii vita ab ipſomet Jambicis verſibus conſcripta: ubi eum jam non martyrem, ſed flagrionem vocat. Quare apparet eum, ne ingratiſſimi hominis nomen in ſuis monumentis extaret, conſulto nomen ipſius mutaſſe. Id quod ab Elia minime animadverſum fuiſſe miror.

24. *Oratio in Ægyptiorum adventum*, pronuntiata anno 379. antequam Maximus ab Ægyptiis Epiſcopus Conſtantinopolitanus ordinatus fuiſſet. Cum Ægyptiaca plebe, quæ annuum illud frumentum,quod Conſtantinus Magnus civibus Conſtantinopolitanis donaverat, in eam urbem deportaret, Epiſcopi quoque nonnulli Ægyptiaci quarundam quæſtionum cauſa ſimul navigarant,ad quos hæc Oratio habita eſt. Laudat itaque Gregorius fidelium Alexandriæ pietatem, Athanaſii defuncti memoriam commendat, Petri ſucceſſoris ejus ſedem tunc occupantis plurimam teſtatur venerationem, plebemque Alexandrinam appellat ſuam,cui communione conjungi exoptat. Cumque hac in parte populus Alexandrinus nonnihil ambiguitatis oſtendiſſet, ſuam Gregorius iis de Trinitatis myſterio fidem atque doctrinam explicat, probandæque potiſſimum Sancti Spiritus divinitati incumbit.

25. *Oratio adverſus Arianos & de ſeipſo*, facta aliquanto poſtquam Conſtantinopolim, anno circiter 376. adventaſſet. In qua primum Arianorum crudelitates ac nefarias adverſus Orthodoxos perſecutiones exponit. Deinde ineptis & puerilibus calumniis reſpondet, quibus obtrectatores eum in contemptum apud populum adducere nitebantur. Objiciebant autem quod ex ignobili oppido, quod parum illuſtri familia eſſet,quod non admodum feſtivis moribus,quod ſermone minus jucundus,quod externus ac peregrinus, atque alias hujusmodi putidiſſimas nugas. Sub finem ex baptiſmi forma, eorum errorem redarguit, qui Filium & Spiritum Sanctum creatos aſſerebant.

26. *Oratio de moderatione in Diſputationibus ſervanda*,Conſtantinopoli pronuntiata. Nunquam uno eodemque tempore, tot hæreſium procellis concuſſa, tot errorum fluctibus agitata fuerat Eccleſiæ navis, quam cum hanc Orationem habuit Theologus: hinc infeſtantibus eam Arianis,hinc Macedonianis, inde Apollinariſtis,Marcellianis,Photinianis, ne Novatianos Schiſmaticos commemorem. Vt igitur huic morbo medicam manum admoveret Gregorius,hanc Orationem habuit,in qua primum Eccleſiæ ſtatum velut in theatro ſpectandum proponit, ac morbi magnitudinem & gravitatem explicat: deinde fontem ipſum aperit,atque omnium hæreſium diſſidiorumque cauſas in præcipitem & effrenatam animorum acrimoniam confert. Mox remedium promit, atque ad modeſtiæ ſtudium hortatur. Atque hic latiſſimo ſeſe aperiente campo,laudes ordinis copioſe proſequitur: ibique ſatis exſpatiatus, Orationem contrahit,atque ad hypotheſim reverſus, de Eccleſiæ ordine & diſciplina multa diſſerit. Tum eorum impudentiam inſectatur,

tur, qui neglecta officii sui ratione, docendi jus licentiamque sibi arrogabant: atque ut temeritatem tantam coërceat, quanta sit hujus muneris difficultas, quam non invidenda, sed potius miseranda sit ea dignitas, exponit. Post moderationis exempla, tum a Veteri, tum a Novo Testamento petit: ac deinde quædam objectionum offendicula, subjecta responsione, submovet ac de medio tollit. Hinc eo devolvitur, ut ostendat nihil necesse esse promiscuæ plebi, sublimibus arduisque disputationibus implicari: sufficere ei, ut corde credat, atque ore confiteatur. Atque hanc propositionem loco communi exornat, docens omnia quæ ad vitam vel ad salutem necessaria sunt, Dei beneficio cunctis ex æquo patere: reliqua nec ambitiose affectanda, nec temere usurpanda esse. Demum extremæ arrogantiæ esse demonstrat, cum ne creationis quidem nostræ, compositionisque rationem intelligere ac perspicere queamus, divinæ naturæ abyssum cognoscere, & comprehendere velle. Tandem Orationem ad eos convertit, qui alios nimium temere impietatis crimine damnatos ab Ecclesia proscribebant: &, quæ in fratris correctione ratio tenenda sit, docet. Postremo importunam disputandi libidinem hoc argumento extinguere ac profligare nititur: Si sunt viæ multæ in cœlum ferentes, non uni tantum insistendum est, nempe ei quæ in disputatione sita est. Atqui sunt permultæ &c. Ergo &c. Probatur assumptio ex eo Evangelii loco, ubi ait Christus: *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.*

CAPVT TERTIVM.

EXAMINANTVR ATQVE SVMMATIM EXPLICANTVR RELIQVÆ ORATIONES HVJVS TOMI.

OMnia ferme præcedenti Capite delibata Orationum Gregorii Nazianzeni Argumenta summaria verbotenus desumpta sunt ex Billio atque Niceta: qui in has Orationes ampliſſime commentati sunt, atque singularum compendia & ordinem summa industria communique applausu expresserunt, quos hoc quoque capite transcribemus.

27. *Oratio ad eos qui eum cathedram Constantinopolitanam affectare dicebant.* Cum Theodosius atque plebs sub anni 380. finem, Gregorium Nazianzenum ad thronum Episcopatus Constantinopolitani compulissent: nonnullis id oculo maligno intuentibus, hanc aliquanto post adversus obtrectatores Orationem habuit. Multi enim erant illic, quorum oculi gloria Gregoriani nominis & splendore perstringerentur. Alii non tam invidia quam odio, adversus optimum virum incitabantur: quales erant Macedoniani atque Apollinaristæ, reliquaque hæreticorum colluvies. Hi omnes cum nihil invenire possent, quod vere ipsi objicerent, levissimis quibusque nugis eum opprimere, atque ex iniquissimis suspicionibus crimen aliquod ei conflare nitebantur: atque homini ab omni honorum cupiditate remotissimo, solitudinisque amantissimo, ambitionis notam impingere non dubitarunt. His itaque respondet Gregorius, atque illud ostendit, nobis parum curandum esse, quid de nobis homines garriant, quid suspicentur, quidve existiment: nec tam spectandum esse, ut boni videamur, quam ut simus: nec tam ut hominibus vitæ nostræ rationes probemus, quam ut Deo vero judici. Magnum Religionis ac morum principium.

28. *Oratio post reditum in urbem*, pronunciata anno 379 Constantinopoli, ex occasione infra dicenda. Maximus qui ex Philosopho Cynico Christianus factus fuerat, ac per simulationem ita Gregorii animum coeperat, ut intima ejus familiaritate uteretur, domumque & mensam cum eo communem haberet: nefario scelere patronum, imo parentem optime de se meritum Episcopatu dejicere, sedisque dignitatem ad se transferre instituit. Quod quo facilius assequeretur, pecunia & muneribus perfecit, ut Alexandria Episcopi nonnulli Constantinopolim mitterentur, qui suffragiis suis pestiferum hominem Episcopum crearent, ovesque lupo, ut dicitur, pascendas committerent. Sed id coeptum frustra fuit. Tanta eam enim ob rem excitata in urbe seditio est, ut Ægyptii Episcopi, multitudinis clamore obruti atque conterriti, inchoatam in Ecclesia electionem abrumpere coacti sint. Gregorius itaque (nam tum aberat) rure in urbem reversus, hanc Orationem habuit: in qua postquam populum ad fidei virtutisque studium hortatus est, Christianum Philosophum omnibus artis coloribus depingit: qui nec secundarum rerum oblectamentis deliniri atque emolliri, nec sevientis fortunæ incursibus frangi ac debilitari, nec invidorum obtrectationibus deprimi, nec injuriis ullis & contumeliis perturbari ac percelli queat: sed omnia tam naturæ quam fortunæ commoda vel incommoda, in virtutis occasionem trahat, atque ut peritissimi gubernatores, quemlibet ventum cursui suo servire cogat. Deinde ad hujusmodi hominis exemplar seipsum expendit, ac tanquam ad Lydium lapidem explorat, perspicue ostendens, eum qui Christianam philosophiam ex animo amplexus fuerit, & (ut cum Horatio loquar) virtute sua se involverit: firmiori præsidio subnixum esse, quam ut ullis inimicorum atque invidorum machinis labefactari, ac de magnanimitatis gradu deturbari possit. Idem argumentum ex professo tractat Chrysostomus in Oratione, *Quod nemo leditur nisi a seipso.*

29. *Oratio de dogmate & constitutione Episcoporum*, Constantinopoli pronuntiata. Notat Theologus eorum temeritatem atque impudentiam, qui nec literarum Sacrarum cogni-

Digitized by Google

tione inſtructi, nec vitæ ſanctimonia commendabiles: illotis ut dicitur manibus, abſtruſiſſima quæque fidei myſteria pertractabant, atque in divinitatis ipſius adytum ſingulari quadam audacia irrumpebant. Poſtea dogmate Trinitatis compendioſe explicato, ſententiam eorum confutat, qui Filium non genitum, ſed creatum aſſerebant. In Commentariis Eliæ Cretenſis hæc Oratio poſt ſecundam de Theologia collocata eſt, præpoſtero tamen, ut opinor, ordine. Nam ſeorſim ab illis eam a Gregorio elucubratam fuiſſe, ipſa Orationis ſeries facile oſtendit. Hic quippe poſtquam illud demonſtravit, quam periculoſum ſit, animo non ante ſatis perpurgato, de rebus divinis differere: ſtatim adverſus Arianos concertationem ſuſcipit, ac multis rationibus & argumentis Filii generationem aſſerit. Ex quo perſpicue patet, eam poſt ſecundam de Theologia minime collocandam eſſe. Nam cum illic Oratione tertia ex profeſſo de Filio tractet, quid attinebat priori Oratione materiam hanc præcipere, ut poſtea veluti jam actam rem agere videretur? Vnde etiam uno Eliæ Codice excepto, in omnibus Manuſcriptis exemplaribus, quæ quidem viderim, hæc Oratio ſeparatim collocata eſt.

30. *Oratio habita in electione Eulalii Doarenſium Epiſcopi*, pronuntiata circa annum 372. Elias Cretenſis, de ordine hujus Orationis nihil certi & explorati ſe habere fatetur. Hanc Orationem habuit Gregorius cum Eulalius Doarenſium Epiſcopus inſtitutus eſſet, qua gratias agit Deo, quod ſubmoti eſſent, qui orthodoxam fidem adulterare contendebant, aliisque modis Eccleſiam Dei, gregemque Doarenſium turbare conabantur. Nam quod Elias hunc Epiſcopum quem hic Greg. agitat, Authimum Tyanenſem eſſe exponit, id non ſatis ex hujus Orationis verbis colligi poteſt. Imo quædam ſunt, quæ hanc expoſitionem reſpuere videantur. Hæc enim verba ὅυτε τῷ ποιμένι τῷ σῷ μέγα τι ἐχθρόσω, in eum quadrant, qui fruſtra aliquem vexare ſtuduit, ut a quodam alio gratiam iniret: non autem in Authimum, qui cum infeſtiſſimum ſe hoſtem Baſilio præbuerit, non video quonam pacto hæc verba ei convenire poſſint. Dicendum enim potius fuiſſet, ὅυτε τὸν ποιμένα τὸν σὸν μέγα τι ἔβλαψας· quam τῷ ποιμένι τῷ σῷ μέγα τι ἐχθρόσω.

31. *Oratio in illud*, cum conſummaſſet Jeſus hos ſermones &c. anno 380. pronuntiata juxta Elliam du Pin. Hanc unam Gregorii homiliam habemus, in quo concionatorio dicendi genere, Evangelicum textum exponat. Vtinam plura eodem argumento nobis ingenii ſui monumenta reliquiſſet! Vel potius utinam ad nos usque perveniſſent! Nec enim veriſimile eſt, eum ex tot tantisque ad populum concionibus hanc unam literis mandaſſe. Multa autem hic de matrimonio & cœlibatu tractat & de Eunuchis. Quomodo etiam intelligendum ſit illud, quod ſemel atque iterum a Chriſto dictum, *Sed quibus datum eſt*: copioſe atque ornate explicat.

32. *Oratio in præſentia CL. Epiſcoporum, qua ut ſedis CP. cura ſeſe abdicare liceret, impetravit*: pronuntiata anno 382. in Concilio Conſtantinopolitano. Hæc Oratio (inquit Billius tom. 2. Operum Nazianzeni col. 918.) συνταχτήριος appellatur, quæ quidem vox quoniam paucis fortaſſe nota eſt, illud obiter indicandum putavi: idem hoc loco λόγον συνταχτήριον ſignificare, quod ἀποταχτήριον: vel potius ut ſub Orationis finem exponit Nicetas ἀποχαιρετικὸν, hoc eſt, ut ita loquar, valedictoriam Orationem. Quod pluribus exemplis a nobis demonſtratum eſt, in Scholiis tractatus illius Damaſceni, ubi mortuos vivorum precibus juvari oſtendit.

33. 34. 35. 36. 37. *Orationes V. de Theologia contra Eunomianos & Macedonianos.* Videntur hæ Orationes Conſtantinopoli pronuntiatæ fuiſſe, quæ tantæ admirationi ſeculis poſterioribus fuerunt, ut *Theologi* cognomentum Gregorio adſcripſerint: ſintque iſtæ quinque Orationes Theologicæ, velut primitiæ *Theologiæ Scholaſticæ*, quæ tantum in Eccleſia Latina, potiſſimum a ſeculo XII. crepuit atque ſtrepuit.

38. *Oratio Panegyrica in Chriſti nativitatem*, quam in urbe Conſtantinopolitana Theologus edidit. Ob eamque cauſam factum eſt, ut quia cum hæreticis certamen haberet, divinitatis doctrinam perquam accurate tractarit.

39. *Oratio Panegyrica in ſancta lumina*, videlicet *in feſtum Baptiſmi Chriſti*. Multi hoc feſtum, quia luminum feſtum appellatur, idcirco feſtum Purificationis eſſe exiſtimarunt, ut non modo Daniel Greſerus in Evangelium *de Purificatione*, ſed etiam doctiſſimus Pamelius in Annotationibus in Cyprianum, & Galeſinius in ſuo *Martyrologio*. At revera Baptiſmi Chriſti feſtum eſt, quod 8. Idus Januarii tam apud Græcos, quam Latinos celebratur. Idque ſatis hinc liquet, quod Gregorius Nazianzenus in hac & ſequenti Oratione, *de purificatione* nullum omnino verbum faciens, *de baptiſmo* duntaxat agit, atque etiam diſertis verbis ſub hujuſce Orationis initium, diem hunc luminum pro Chriſti baptiſmo accipere ait.

40. *Oratio in ſanctum baptiſma.* Hæc Oratio acri ac vehementi diſputatione, baptiſmum nequaquam differendum ac prorogandum eſſe demonſtrat. Atque cum præcedenti quidem Oratione, quam cum iſta habitam eſſe Conſtantinopoli anno 381. vult Elias du Pin pag. mihi 216. connexionem habet: verum temporis brevitate atque anguſtia factum eſt, ut ab ea diſtinguatur.

41. *Oratio in Paſcha & in tarditatem.* Cum Gregorius invito animo ſacerdos creatus fuiſſet & patre jam ad ſenectutem provecto, Nazianzeni gregis curam ſuſciperet, atque id, quod patri deerat, ſuppleret: hanc rem moleſte ferens, in Pontum profugerat, illicque conquieſcebat. Ac non multo poſt, ipſo Paſchatis die Nazian-

zum

zum reverſus eſt, civiumque hortatu in medium Eccleſiæ prodiens, hanc Orationem circa annum 362. deinde vero magnum *Apologeticum* per otium conſcripſit. Demonſtrativa porro eſt hæc Oratio, duplex habens argumentum, Paſchatis nempe feſti ſolennitatem atque tarditatem in ſuſcipienda Eccleſiæ Nazianzenæ præfectura. Nam & feſtum diem laudibus proſequitur, & tarditatis ſuæ rationem reddit: tametſi hæc defenſionis pars paucis abſolvatur. Paſcha autem, non ut quibusdam male viſum eſt, ſalutiferæ paſſionis nomen eſt: ſed dictio hæc tranſitum ſignificat, quemadmodum idem author Oratione 2. *de Paſchate* interpretatur.

42. *Oratio ſecunda in Paſcha*, quam pronuntiatam credunt poſt reditum Conſtantinopoli, poſt annum 382. Hanc Orationem elaborate conſcriptam Arianzi, quod avitum ipſius prædium erat, in lucem emiſit, multis poſt annis, quam præcedentem Orationem habuerat: cum jam Conſtantinopoli exceſſiſſet, ac Patriarchatu ſe abdicaſſet. Nam cum Dei lenitate & patientia plerique offenderentur, quod bonos viros in mœrore ac triſtitia vivere, improbos contra ſecunda omnia habere permitteret: periculumque eſſet, ne paulatim ex incuria ad deſperationem laberentur, eoque paulatim ruerent, ut nec reſurrectionem, nec judicium, nec præmia ulla aut ſupplicia futura crederent: ex Reſurrectionis feſto commodam occaſionem nactus, præſentem doctrinam inſtituit, dubias & fluctuantes eorum ſententias hac *de Reſurrectione* Oratione conſtabiliens, atque hoc fidei caput plenisſime & certiſſime probans. Simulque etiam vim feſti gratiamque prædicans, laudibusque proſequens, ac per anagogen cum veteris Teſtamenti litera, novæ legis ſpiritum commiſcens: atque omnia hujus feſti myſteria, quæ apud Hebræos celebrantur, ſigillatim exponens.

43. *Oratio in novam Dominicam & in ſanctum Mamantem Martyrem.* Hanc quidem Orationem in urbe Nazianzena ſcripſit Gregorius, verum in ſancti Martyris Mamantis templo urbi vicino pronuntiavit. Quod & tunc, & in hunc usque diem, in Dominica Paſchati proxima, mira incolarum frequentia celebratur. Atque hac de cauſa hæc Oratio, ut ad promiſcuam plebejamque multitudinem habita, magis ad perſpicuitatem & facilitatem attemperata eſt, plusque ſuaſorii generis habet, quam demonſtrativi.

44. *Oratio in ſanctam Pentecoſten.* Theologus per animi modeſtiam ſua extenuans, ut plerumque facere ſolet, parva ea nominat, quæ de Feſto dicturus eſt, quamvis magna ſint. Sive quia omnia, quæ de Spiritu Sancto quisquam dicere ac philoſophari poſſit, admodum parva ſunt quantum ad Spiritus Sancti dignitatem: ſive etiam ut nonnulli exiſtimant, quia de hoc Feſto, hoc eſt *de Pentecoſte* pauca verba facit, ac per reliquum omnem Orationis curſum *de Spiritu Sancto* diſputat, deque ſeptenario donorum Spiritus Sancti numero.

45. *Oratio ſive Epiſtola ad Evagrium Monachum, de Divinitate:* quam inter dubia nullis allatis rationibus, collocat Guillelmus Cavus, in *Gregorio Nazianzeno* pag. 201. Ita argumentabatur Evagrius, Si ſimplex Dei natura eſt, inanis & ſupervacanea eſt nominum poſitio, hoc eſt, Patris & Filii & Spiritus Sancti. Si autem nominum poſitio vera, Deo ſimplicitatis ratio conſtare non poteſt. Hunc nodum multis rationibus ac ſimilitudinibus diſſoluit Gregorius.

46. *Oratio ſive Epiſtola ad Nectarium Conſtantinopolitanum Epiſcopum*, Scripta poſt annum 381. Hic Nectarius noſtro Gregorio in Epiſcopatu Conſtantinopolitano anno 381. ſubrogatus fuerat, a quo nunc Theologus petit, ut Apollinariſtarum furorem per Cappadociam longe lateque graſſantem, ſiſtendum & comprimendum curet.

50. & 51. *Orationes ſeu Epiſtolæ duæ adverſus Apollinarium, ad Cledonium Presbyterum.* Hæc Oratio quidem & ea quæ deinceps ſequitur, Epiſtolæ duæ ſunt: ſed quia in rebus ad fidei doctrinam pertinentibus verſantur, atque Orationum formam habent, idcirco inter Orationes collocatæ ſunt. Atque has quidem in Conſtantinopolitana urbe ad Presbyterum quendam Cledonium, qui procul ab ea degebat, atque oppido cuidam præerat, illius urbis throno ſubjecto, conſcripſit: in quibus adverſus Apollinarium, ejusque aſſeclas pugnat: qui nunc quidem Dominum humanam naturam aſſumpſiſſe negabant, opinione duntaxat atque in ſpeciem incarnatum eum fuiſſe aſſerentes: nunc autem incarnatum quidem confitebantur, ſed absque mente, ac carnalem hanc naturam habentem deſcendiſſe. Quos quidem hic inſectans, tum adulterina eorum dogmata confutat, tum fidei ſuæ doctrinam accurate proponit, infamiæ notam ipſis inurens: ut qui ad ſimpliciores in fraudem inducendos, illud falſo diſſeminarent, Nazianzenum eadem cum ipſis ſentire.

CAPVT QVARTVM.

OPERA HVIVS TOMI SPVRIA LATIVS EXPENDVNTVR.

IN Operibus Nazianzeni quæ hactenus edita ſunt, pauca admodum inter ſuppoſititia rejecta ſunt: nimirum eo quod ab ſeculis pene multis, ut ex MSS. Codicibus patet, ſimul collecta ſint, eo minus fraudibus obnoxia fuerunt. Nonnulla tamen ſunt in manuſcriptis etiam Codicibus, quæ ab ipſis Collectoribus vel Scholiaſtis, atque poſt ipſos ab ipſo Billio interprete notata, quorum recenſionem cum ejus rationibus hic ſubjicienus.

47. *Significatio ſeu Annotatio in Ezechielem*, de qua ita loquitur Billius tomo 2. Operum Gregorii Nazianzeni pag. 1266. Dubitant Græci an hæc lucubratio Gregorio tribuenda ſit. Et

ſane hic ita involuta & intricata ſunt omnia, imo ita inverſa atque confuſa, atque adeo ſtilus ipſe ita ſalebroſus & perturbatus: ut mihi hoc Opuſculum tanti Authoris nomen nullo modo ſuſtinere poſſe videatur. Plane ſcopas diſſolutas eſſe dixeris. Titulus præfert *Significationem* ſive *Annotationem in Ezechielem:* ubi multa alia loca diverſorum ſcriptorum exponuntur, ab hoc argumento prorſus aliena, & ut Græci dicunt, *ἀπροσδιόνυσα.* Fortaſſe quispiam, ut ex Græca cenſura vertit Germanus interpres Leunclavius, illas Annotationes ſicut reperit, conjunctim ſcripſit: propterea quod Gregorium eas ad hunc modum inſcripſiſſe invenit, in libello ſuo cui hujusmodi Annotationes inſerere conſueverat. Ac principio quidem in Ezechielem nonnulla annotaſſe, ſubinde tamen & alias ſacrarum Scripturarum expoſitiones eodem congeſſiſſe. Hæc Billius, quæ nominatim quoque Rivetus expreſſit lib. 3. *Critici Sacri* cap. 22. pag. 342. Authores autem novæ editionis Pariſienſis teſtantur in vetuſtiſſimo Codice MS. Regiæ Bibliothecæ additum fuiſſe hoc *Significationi iſti* Scholion, Ἰσέον ὅτι ὅτος ὁ λόγ@ ἀμφιβάλλεται: *Sciendum eſt in dubium revocari a nonnullis, utrum hic ſermo Gregorii ſit, vel ſecus.* Quod in editione Germanica annotaverat, ex ejusmodi ſcholiaſte Græco, interpres. Atque etiam ita annotatum reperitur libro 5. *Bibliothecæ Imperialis Vindobonenſis* Petri Lambecii, ad MS. Codicem 79. pag. 182. ubi legimus, quod ad homiliam hanc in Ezechielem, ibi quoque *aureis literis* in margine adſcriptum eſſe: ἰσέον ὅτι κατὰ ὁ λόγ@ ὅτος ἀμφιβάλλεται. Hæc autem ſcholia marginalia ad multas Orationes S. Gregorii Nazianzeni, quamvis anonyma ut plurimum ſint, ad Maximum Monachum & Martyrem ab eruditis ſpectare creduntur, qui ſcholia ejusmodi ſcripſiſſe legitur. Ibidem quoque Cod. 81. pag. 188. folio Codicis MS. 60. pag. 2. Ejusdem S. Gregorii Nazianzeni σημειώσεις εἰς τὸν Ἰεζεκιὴλ, *cujus initium* Νομίζομεν τὸν ἄνθρωπον, ſcripta eſt *minus antiqua manu*, qua eadem ſcriptura nonnullis ſupra memoratis Orationibus Nazianzeni, Scholia Anonymi cujusdam authoris marginalia adjecta ſunt.

48. *Oratio in laudem Martyrum*, Latina primum edita eſt, a Joanne Leunclavio, deinde a Billio, tandem in ultima editione Pariſienſi Græce & Latine prodiit, quem interpretes exiſtimarunt eſſe genuinum Gregorii fœtum: de quo tamen prorſus ſilent omnes MSS. Codices Operum D. Gregorii Nazianzeni, qui in Imperiali Bibliotheca plurimi: non leve ſuppoſitionis indicium. Sed Nicolaus Faber judicabat excerptum eſſe ex aliqua S. Joannis Chryſoſtomi Oratione ἀποσπασματιον, quod confirmare videtur familiaris illa Jeſabelis & Nabathi mentio, cum in Eudoxiam Imperatricem Theodoſii uxorem inveheretur.

49. *Oratio ſive Tractatus de fide.* Præter Orationes hactenus Græce editas, extant nonnullæ Latinæ tantum in editionibus Nazianzeni novis, de quibus ambigitur, num ſint ipſius. De hac Oratione ita Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, in Gregorio Nazianzeno, p. 200. "Latine tantum extat, interprete Rufino, qui & Orationem Nazianzeni primam una cum ſeptem aliis (12. 15. 17. 28. 33. 38. 39.) latinitate donavit præfixa primæ præfatione, quæ in Editionibus Græcolatinis Tractatui huic præponitur. Cæterum tam Orationes quam Tractatus iſte *de fide*, ab eo verſæ prodierunt Lipſiæ anno 1522." Vbi eximie Cavus fallitur, dum vult hanc Orationem ſeu Tractatum *de fide* in linguam latinam a Rufino verſum, qui ſane hominis Latini eſt, neque Græce unquam unde in Latinum verteretur, inventus eſt. Corrigit apprime Cavum Rivetus lib. 3. *Critici Sacri* cap. 20. pag. 344. *Extat Latine tantum Gregorii Nazianzeni de fide liber, qui tamen videtur eſſe genuinum Opus Gregorii, neque ullius authoris Graci, ſed Latini, tametſi antiqui: citat enim Scripturam, maxime Iſaiam, verbis antiqua verſionis Latinæ vulgatæ, quæ Itala dicebatur, ex Græco LXX. expreſſa. Prologus Rufini qui præfigitur, non erat ab authore huic libro præfixus, ſed Apologetico & VII Orationibus.* Male ergo Cavus ex præfatione Rufini, quæ perperam huic Tractatui *de fide* præfigitur, hunc a Rufino ex Græco in Latinum translatum opinatus eſt, quem eruditi omnes Latini hominis eſſe cenſent. Id quoque animadvertit Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica*, verbo *Gregorius Nazianzenus* pag. mihi 217. Nec ſane hominis Græci hic Tractatus eſſe poteſt, cum duobus in locis, de Græcis tanquam de *Externis* ſibi hominibus loquatur. *Ratio ſeu verbum* (inquit) *apud Græcos* λόγ@ *dicitur:* atque alibi, *Hoc Græci homouſion appellant.* Hic tractatus ab Auguſtino allegatur Epiſt. 3. ſub nomine Gregorii, cumq; ex prædictis, ad Gregorium Nazianzenum ſpectare nullatenus poſſit, neque etiam ad ullum alium authorem Græcum: neceſſarium eſt omnino, ut ad authorem Latinum, nomine Gregorium ſpectet. Nullum porro alium invenimus, cui tam recte convenire poſſit, quam Gregorium Bæticum, de quo poſtea loquemur, cui Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 115. elegantem *de fide* libellum attribuit, *qui hodieque ſupereſſe dicitur.* Nonnulli adſcripſerunt hunc Tractatum Divo Ambroſio, cujus inter Opera impreſſus ſæpiſſime extat: alii ut Franciſcus Chifletius, Vigilio Tapſitano, cujus etiam in Operibus inſertus legitur: ſed Auguſtini teſtimonium allatum, nec ad ultimum ſpectare poſſe evincit: Ambroſioque pariter eripit, cujus Opera noſſe debuerat Auguſtinus. Evidenter autem meo quidem Judicio, Gregorii eſſe Bætici oſtendit doctiſſimus Quesnellus, *Diſſertatione* 14. num. 5. & 6. pag. 716. in Antiquum Codicem Canonum Eccleſiæ Romanæ, cui hic Tractatus inſertus eſt. Aſſentitur Ellias du Pin loco citato, nec diſſentit Cavus in *Gregorio Batico* pag. 188. quamvis

quamvis hic in *Gregorio Nazianzeno* pag. 200. Opus Græci hominis a Rufino translati affirmet, immemor eorum quæ pag. 188. paulo ante dixerat.

50. *Oratio de fide Nicæna, sive Paraphrasis illius brevissima.* Istam pariter ac præcedentem Orationem, vel Gregorium authorem vel Rufinum interpretem habere, præfracte negavit Chifletius, qui utramque Vigilio Tapsensi operose, sed absque successu vindicare conatus est. Latino equidem scriptori utramque deberi in confesso est. Verum Vigilii non esse exinde probatur, quod cum unius & ejusdem authoris uterque sit, priorem Tractatum Augustinus Epistola 3. sub Gregorii cujusdam nomine proferat, quem Gregorii Bætici esse supra notavimus. Ita quoque Josephus Quesnellus loco citato. Antonius Pagi in *Historia Critica* contra Baronium ad annum 388. num. 13. & 14. de qua latius postea in *Gregorio Batico* agemus.

51. *Metaphrasis in Ecclesiasten.* Hoc quoque Opus an sit hujus Gregorii, apud Græcos in controversia est. Nam in duobus Manuscriptis Codicibus Bibliothecæ Imperialis, de quibus Lambecius tomo 3. *Bibliothecæ Vindobonensis* pag. 182. & 187. num. 79. & 80. quamvis hæc Metaphrasis legatur inter genuina Nazianzeni Opera, adscriptum tamen ibi est ad marginem æque antiqua manu Ἰσέον ὅτι κατά τινας ὁ λόγος οὗτος ἀμφισβάλλεται: ut jam supra ad Orationem 47. adnotavimus. Quid autem eo de Opere Billius senserit, quem hic ferme semper ut in evolvendis Nazianzeni Operibus assiduum & accuratissimum exscripsimus, iterum audiamus tom. 2. Operum Nazianzeni in Commentario ad *Orationem hanc 53.* pag. seu col. 1318. "Certe in eo „libro qui a permultorum Operum collectione „& confarcinatione μακρηγορίας βυτιώδη dicitur, „non Gregorii Nazianzeni, sed Neocæsariensis „nomen præfert, quem & ex Eusebio *Historiæ Ecclesiasticæ* lib. 6. cap. 30. lib. 7. cap. 25. & ex „Hieronymo in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, „& ex Haymone Halberstatensi Episcopo *de „Christianarum rerum memoria* lib. 7. cap. 8. lucu„lentam Metaphrasin in Ecclesiasten scripsisse „constat. Quantum etiam ex stylo conjectu„ram facere licet, tametsi negari non possit, quin „sit hominis apprime eruditi & copiosi: non „usquequaque tamen refert elaboratum illud „& ἀπηξιωμένον dicendi genus, quod passim in „hujus authoris scriptis lucet. Connexiones „sententiarum aliquanto duriores, transitusque „abruptiores. Quod si quædam verba quan„doque intertexta fuissent, multo mollior esset „tota contextus facies, minusque invite inter „se coirent sententiæ. Verum hoc idcirco fortasse non facit, quia minime libero campo de„currit Oratio: sed translationis quasi cancel„lis quibusdam circumscripta est. In Reginæ „tamen Codice literis capitalibus scripto, ac „Gregorii nostri antiquitatem propemodum „æquante, inter Germana ipsius Opera numeratur. Id quod tanti apud me momenti est," ut quanquam reclamante stilo, vix tamen hanc" lucubrationem inter ψευδεπίγραφα nume-" rare auderem; nisi Hieronymus omnem dubi-" tationis ansam nobis eximeret, atque hunc fœ-" tum vero suo parenti assereret. Explicans" enim hunc locum Ecclesiastæ cap. 4. *Melior est" puer pauper &c.* Vir sanctus, inquit, Gregorius" Ponti Episcopus, Origenis auditor, in Meta-" phrasi Ecclesiastæ ita hunc locum intellexit:" ego vero intelligo adolescentulum pauperem" & sapientem, Rege senc meliorem & stulto;" cui nunquam venit in mentem, quod possibile" sit quenquam de his, quos vinxerat, ad regnum" exire de carcere, & seipsum de iniqua deinceps" potestate sua corruere. Evenit enim inter-" dum, ut hi qui sub adolescentulo sapiente fue-" rint, absque mœrore sint: ita tamen ut sub se-" ne Rege antea versati sint. Qui enim postea" nati sunt, quia mala præterita nescierunt: ne-" que adolescentulum laudare possunt, qui post-" ea consurrexit, abducti opinione perversa &" impetu Spiritus adversantis. Hæc ille ex Gre-" gorio Ponti Episcopo (quem & Neocæsarien-" sem & ab editione miraculorum θαυματουργὸν" vocant) transtulit. Atqui hæc verba haben-" tur cap. 4. hujus Metaphrasis. Non est itaque" dubium, quin verus illius author sit Grego-" rius Neocæsariensis. Quod autem huic quo-" que nostro ascripta fuerit, commune nomen" in causa fuit. Nec vero hoc cuiquam mirum" videri debet. Frequenter enim in scriptis Ec-" clesiasticis accidit, ut idem liber duobus, atque" etiam pluribus attribuatur: sed diversa de" causa. Multi enim ex neotericis, vel ipsi par-" tus suos, parum alioqui felices, classicis autho-" ribus supposuerunt, in eorumque nomen & fa-" miliam invaserunt: in aliorum videlicet no-" mine apparere præoptantes, quam in suo con-" culcari, & in tenebris jacere: vel hominum" ignorantia & stupore clarissimis viris indignissi-" me attributi sunt. At in veterum monumen-" tis præsertim facundis & eruditis, quoties idem" accidere videmus, temporum quæ postea secu-" ta sunt infelicitati, & librariorum incuriæ id assi-" gnandum est. Nec enim verisimile est, do-" ctissimos viros ab aliorum laboribus laudem si-" bi libare, atque alienis (ut dicitur) pennis sese" impudenter ornare voluisse. Hujus rei duo" Exempla a nobis inter legendum annotata pro-" feremus. Basilii Præfatio Græca in Psalmos" cum Latina Augustini Præfatione, prorsus ea-" dem est. Id quod tamen fortasse Notariis, a" quibus ille Augustini in Psalmos tractatus ex-" ceptus fuisse creditur, tribuendum videri pos-" sit. Est & alia Basilii, sive ut alii malunt, Eusta-" thii Sebastiensis, in Asceticis, homilia *de Spiri-" tuali militia*, quæ in Chrysostomi Operibus, to-" mo 5. Plura hujusmodi deprehendet, qui an-" tiquos scriptores sedula manu versabit." Hæc Billius in *Metaphrasim* præmisit, unde nonnulla sumpsit Rivetus *Critici Sacri* lib. 3. cap. 22. p. 342.

Corri-

Corrigendus tamen eſt Billius, dum ait ſupra, Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum lib. 7. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 25. dicere ſcriptam a Gregorio Neocæſarienſi *Metaphraſim in Eccleſiaſten*: qui de ea re ne ſomniavit quidem, atque tantum meminit Gregorii Neocæſarienſis lib. 6. cap. 30. nulla *Metaphraſeos* mentione facta. Sed hoc teſtatur Rufinus in editione ac verſione ſua *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii* lib. 7. cap. 24. ſcripſiſſe nimirum Gregorium Neocæſarienſem *Metaphraſim in Eccleſiaſten* magnificentiſſime: quod ipſe Euſebio addidit, ut & alia multa.

Epiſtola CCXLII. in quibus duæ Gregorii patris 22. & 23. vel ſaltem nomine Patris a Gregorio ſcriptæ. Tres vero Baſilii, nempe 30. 206. & 207. ſimul habentur. Vltimæ decem Jacobi Sirmondi cura prodierunt primum in editione Pariſienſi anni 1630. Quibus addi poteſt *Epiſtola ad Nectarium Conſtantinopolitanum*, quam in Notis ad Patres Apoſtolicos primus eruit Joannes Cotelerius, quæque proinde inter Gregorii Opera non reperitur.

Teſtamentum Gregorii Nazianzeni, quod moriens, ut vult Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro*, condidit, vel longe ante mortem, imo & ante Concilium illud Conſtantinopolitanum anni 381. in quo ejus abdicatio facta eſt, ut vult Baronius *Annalium* tomo 4. ad annum 389. num. 42. Præter ea quæ hactenus a Billio edita fuerant, Teſtamentum iſtud e tinea erutum & ſcholiis illuſtratum, ex interpretatione Jacobi Sirmondi *Annalibus* ſuis ubi ſupra, idem Baronius inſeruit, legitimumque eſſe Nazianzeni Gregorii monumentum multis probare conatus eſt: iis tamen rationibus, quæ ſi res hoc poſtularet, levi opera confutari poſſent. Græce etiam illud Marquardus Freherus ex Bibliotheca Palatina edidit, & Lingelshemius, tanquam genuinum Nazianzeni fœtum: cui contraire nec nobis intereſt. Nam quia in eo dogmaticum nihil eſt, vel quod accurate expendere magni alioquin interſit, ab eo labore tanquam inutili abſtinemus. Id ſane mihi mirum viſum eſt, ſi illud ſit *Gregorii Nazianzeni* Teſtamentum, quod tantus Theologus & vir adeo ſanctus, in poſtremæ voluntatis tabula, ne verbo quidem attigerit vitam anteactam, fidem & dogmata quæ docuerat, in genere ſaltem non confirmaverit: illo præſertim tempore turbulentiſſimo: neque animam ſuam Deo ille commendaverit, de temporalibus ſuis bonis diſpenſandis tantum ſollicitus. In quo etſi eluceat non vulgaris ſollicitudo ejus erga pauperes, in tanti tamen Epiſcopi teſtamento, aliud quid non injuria circumſpectus lector requiſierit. Hæc Rivetus de *Nazianzeni* teſtamento, Critici Sacri loco citato. De hoc *Teſtamento* ita Richardus Montacutius qui Græce illud edendum curavit:

„Teſtamentum hoc omnium primus edidit „vir longe doctiſſimus & meliori fato digniſſi„mus Barnabas Brifonius in *formulis* ſuis quas „inſcripſit, lib. 7. pag. 160. ſed vitio exemplaris depravatiſſimum, & mutilum. Secutus eſt „Briſſonium Freherus, in illo Opere, quod *Jus „Græco-Romanum* inſcribitur, a Johanne Leun„clavio collecto & digeſto, ſed poſt ejus mor„tem Francofurti anno Domini 1596. edito, ubi „habetur Græce & Latine, Tomo 2. ejusdem „Operis pag. 203. Melioribus multo exempla„ribus uſus eſt Leunclavius, quam Briſſonius. „Tertio editum eſt, ſed Latine tantum a Cæſare „Baronio Cardinale doctiſſimo, *Annalium* ſuorum „T. 4. ex verſione Jacobi Sirmondi Soc. Jeſu, qui „duos codices Vaticanæ bibliothecæ contulit, „atque ex illis multa emendavit. Poſtremo vir „clariſſimus Georgius Michael Lingelshemius, „Freherianum exemplar cum MS. codice con„tulit, ex Bibliotheca illuſtriſſimi ſui Principis „Palatini ad Rhenum, & aliquot varietates ſcri„pturæ Richardo Montacutio inde communi„cavit. Porro fœtum eſſe Nazianzeni germa„num, non ſuppoſititium, diſputat Baronius ad „annum Chriſti 389. quem vide.„ Hæc Richardus Montacutius, qui ſuam eadem re ſententiam non profert.

Anecdota Græca quæ ex MSS. Codicibus primum eruit, Latio donat, Notis illuſtrat & Disquiſitionibus auget Ludovicus Antonius Muratorius Sereniſſimi Raynaldi primi Ducis Mutinæ Bibliothecarius, Patavii 1709. in 4. typis Seminarii. Hoc Syntagmate continentur 1. *Carmina ſancti Gregorii Nazianzeni ex MSS. primum edita.* 2. *Carmina quædam Firmi Cæſarienſis Epiſcopi*, qui tempore Concilii Epheſini floruit. 3. *Epiſtola IV Juliani Apoſtatæ*, cum *Epiſtola celebri quæ Julio Papæ primo attribuitur*: quibus Notas adjunxit Muratorius & Diſſertationes duas, unam Bernardo de Montfaucon Monacho Benedictino, alteram Joanni Boivin Profeſſori in Græcis apud Lutetiam Pariſiorum Regio & Bibliothecæ Regiæ cuſtodi dedicatas. Videndum autem annon hæc *Carmina Nazianzeni* eadem ſint, cum illis quæ ex MSS. Codicibus edenda curavit Jacobus Tollius, de quo poſtea loquemur. Acta Eruditorum Lipſiæ an. MDCCX. menſe Novembri pag. 494. explicant latius *Analecta* iſta S. Gregorii Nazianzeni, ut conſtant CCXXVIII. epigrammatibus a Gregorio Nazianzeno conſcriptis, quæ ex MS. Codice Bibliothecæ Mediolanenſis Ambroſianæ potiſſimum, ad ſeptingentos annos aſſurgente accepta ſunt: quædam ex Bibliotheca Regis Galliarum ſuppeditavit Joannes Boivinus illi præfectus, alia Salvinius in Liceo Florentino Græcæ Linguæ profeſſor. Vt autem de argumento horum Epigrammatum rectius conſtet, priora 135. omnia ſunt compoſita in defunctos eorumque laudem: inter quæ cum plura compareant uni eidemque dicata, & omnino quinquaginta ab Auctore contexta in matris ſuæ honorem. Item Epigrammate 137. & ſequentibus usque ad 183. in ſepulchrorum effoſſores invehitur. Rurſus Epigrammate 201. usque ad 212. in Agapetos & Agapetas clamat: denique Epigrammate 218. &c ſeqq.

& ſeqq. in eos qui in Martyrum baſilicis genio indulgebant. Cætera agunt de Chriſto ac virtutibus quibusdam & vitiis. Ex doctis Muratorii annotationibus unam duntaxat afferre placet, & quidem conjecturam illam, qua ex Epigrammate 132. probatum it, Theoſebiam non fuiſſe Gregorii Nyſſeni uxorem, quæ Baronii, Papebrochii, reliquorumque omnium ſententia eſt, ſed uxorem Gregorii illius Nazianzeni. Alter cujus Anecdota ex Ambroſiana bibliotheca exhibet, Firmus Cæſarienſis in Cappadocia Epiſcopus, qui Epheſinæ Synodo œcumenicæ A. 431. interfuit, & A. 439. diem ſuum obiit, cujus pag. 279. Epiſtolas XLV. a ſitu liberatas ac latina verſione donatas evulgat, quæ licet omnes familiares ſint, ac rerum plane ſteriles, auctoris tamen eruditionem produnt, quippe qui adagia interdum præclara interſerit, non ingrata philologis.

CAPUT QUINTUM.

EXPENDUNTUR QUÆ CONTINENTUR TOMO II. OPERUM GREGORII NAZIANZENI.

1. *Carmen de vita Gregorii* a natalibus usque ad egreſſum ex urbe Conſtantinopolitana. Nulla Vita, quæ unquam majori nitore, veritate atque ornatu ſcripta ab ullo ſit. Illic plura ad Concilii Conſtantinopolitani hiſtoriam explicandam facientia, contra diviſiones ſeu ſciſſiones Eccleſiarum Orientis & Occidentis, contra ignorantiam, faſtum & mores corruptos Epiſcoporum ſui temporis dicta invenias.

2. Carmen *de rebus ſuis* pag. 31. quo nos ad piam vitam & Chriſto dignam occulte adhortatur. His Carminibus duobus, adjungi poſſunt *D. Gregorii Nazianzeni Theologi Carmina Cygnea inedita*, num. XX. quæ *de ſeipſo & adverſus Epiſcopos & æmulos ſuos* ſcripta, Græce & Latine impreſſa apud Franciſcum Halmam in 4. Trajecti ad Rhenum anno 1696. a Jacobo Tollio in *Inſignia Itinerarii Italici* a pag. 1. ad 105. cum *Argumento Joannis Leunclavii & cauſa Scripti.* Spectant enim fere hæc omnia ad *Vitam Divi Gregorii Nazianzeni.*

3. *In laudem Virginitatis* pag. 42. Hoc tractatu diſputatur, utra vita præſtantior ſit, cælebs, an conjugata? Cujus poematis meminit Divus Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Hoc ut magis perſpicuum fiat, poſtquam Virginitatis laudes altius repetivit Gregorius, per proſopopœiam utramque vitam inducit, cauſam ſuam diſceptantem: quibus auditis, cælibatus vincit.

4. *Præcepta ad Virgines* pag. 55. Quoniam præcedenti tractatu Virginitatem laudibus extulit, commode nunc ad Virgines Orationem confert, easque ſalutiferis præceptis inſtruit, atque ad veræ præcipue Virginitatis ſtudium cohortatur. Nec vero quisquam miretur, (inquit Billius pag. 135.) quod cum prima fronte ad ſacras duntaxat virgines hic tractatus ſpectare videatur, maſculino tamen genere aliquoties utamur. Græca enim ſecuti ſumus, quæ nunc ad viros, nunc ad ſacroſanctas puellas orationem convertunt. Atque ipſa quoque inſcriptio ſatis oſtendit hoc Opuſculum ad omnes utriusque ſexus pertinere, qui virginitatis ſtudium profitentur. Nec enim fœmineum articulum affixum habet, ſed abſolute ac citra ullam diſtinctionem virginibus concilium pollicetur.

5. *De anima ſuæ calamitatibus*, pag. 68.

6. *De ſuis calamitatibus*, pag. 73.

7. *De vanitate hujus vitæ*, pag. 75.

8. *Ad ſeipſum per interrogationem & reſponſionem* pag. 77.

9. *In Somnium de Anaſtaſia templo* p. 78.

10. *De diverſis vitæ generibus, & adverſus falſos Epiſcopos* p. 79.

11. *Ad Epiſcopos* pag. 81. Hoc carmine malorum Epiſcoporum vitia, mutuaque diſſidia, quæ univerſam Eccleſiam graviſſimis detrimentis afficiebant, inſectatur Gregorius. Ac potiſſimum in eos invehitur, qui nec doctrinæ nec morum probitate commendabiles, ad dignitates ſacras temere proſiliebant, atque præ dominandi libidine, omnia ſurſum deorſumque miſcebant. Scripſit autem hoc carmen Gregorius, cum improborum invidiæ cedens, anno 381. ex urbe Conſtantinopolitana, in qua religionis Chriſtianæ cauſa plurimos labores ſuſceperat, in patriam ſeſe recepiſſet.

12. *Ad Conſtantinopolitanos Epiſcopos & ipſam urbem* p. 85.

13. *De Natura humana* pag. 86. Poſtquam de virtute humana, vir divinæ ſapientiæ laude præſtantiſſimus ea diſſeruit, quæ ſuprema atque omnium rerum effectrix ſapientia ipſi conceſſerat: hoc carmine jam de ipſa hominum natura tractat, ejusque fragilitatem ac vilitatem, & inconſtantiam ſugillat & inſectatur.

14. *De externi hominis vilitate ac præſentium rerum vanitate*, p. 88.

15. *De vitæ itineribus* p. 90.

16. *Beatitudinis & ſpiritualis vitæ regula* p. 91.

17. *Jujurandum Gregorii* p. 91.

18. *Adverſus carnem* p. 93.

19. *Adverſus diabolum* p. 93. cum XX. usque ad XLVI. de variis argumentis.

47. *Ad Hellenium pro Monachis admonitorium carmen* pag. 106. a quo idem Gregorius Nazianzenus petit, quod a Juliano tributis imponendis & exæquandis præfecto, in ea Oratione tomi primi, quam ad eum habuit. Idem Carmine 48. ad Julianum pag. 111. qui idem omnino mihi videtur, cum Juliano exæquatore, ad quem Orationem habuit.

49. *Ad Nicobulum patrem Nicobuli filii nomine* pag. 112. cum *reſponſione Nicobuli ad filium* p. 115. Nicobulus vir clarus atque apud Imperatorem gratus, Alypianam Gregorii noſtri neptem, hoc

eſt Gorgoniæ ſororis filiam,in matrimonium acceperat. Ab eo ſub Nicobuli filii perſona obtinere Theologus conatur,ut ipſum doctrinæ cupiditate flagrantem,in celebrem quandam Academiam mittat : quo Literarum ſtudiis commodius operam dare, ac diſciplinarum orbem felicius abire atque abſolvere poſſit.

51. *Ad Vitalianum , nomine filiorum* p. 120. ad placandum ulcerati patris animum.

52. *In divitem immorigerum* p. 126.

53. *Precatio ad Chriſtum Gregorii peregre profecturi*, p. 127.

54. *De ſilentio quod jejunii tempore tenuit* pag. 128.

55. *Hymnus ad Chriſtum in Paſchate, poſt ſilentium.* pag. 131. Divus Gregorius toto Quadrageſimæ tempore ſilentium ſibi indixerat,quo carmine conſilii ſui cauſam exponit, quotque mala e lingua oriantur,docet: ut ad eam ſummo ſtudio frænandam excitemur.

56. *Parænæticum carmen ad Olympiadem virginem nubilem* pag. 132. Hæc Olympias Anyſii filia fuiſſe videtur. Nam in ſecunda Epiſtola quam ad eum ſcribit,petit ab eo ne moleſte ferat,quod aureæ filiæ ſuæ Olympiadis nuptiis minime interfuerit. In libro quodam MS. hujus carminis eſt ejusmodi inſcriptio ἐφαμιλλός τις πρὸς ἐπίγαμον παρθένον ἐλυμπιάδα λεγομένην. Huic porro regulas ac præcepta quædam tradit, quibus honeſte ac ſancte in matrimonio vivat.

57. *De ſeipſo poſt reditum ex urbe Conſtantinopolitana* pag. 134.

58. *De virtute humana* pag. 135. Eruditiſſimum ac contemplationis pleniſſimum carmen *de humana virtute* hic condidit Gregorius , in quo omnem mentis elationem , ſtudiumque vel ſibi vel aliis placendi,ex anima elidit : at contra humilitatem & modeſtiam ipſius amatoribus conciliat.

59. *Ad ſictos Monachos* pag. 138.

60. *Ad diabolum in morbo* pag. 138.

61. *Ad Nemeſium Cappadocia præſidem* p. 140. Extat quoque Gregorii Nazianzeni ad hunc Nemeſium Epiſtola , quam hic in hoc carmine ad abjiciendam Ethnicam ſuperſtitionem atque impium idolorum cultum hortatur. Ad quod ut eum inducat, prodigioſos Gentilium errores late perſequitur.

62. *Sententiæ Diſtichis verſibus conſtantes* , pag. 146. quas Latine quoque habet Billius col. 1521.

63. *Adverſus mulieres ambitioſius ſeſe adornantes & excolentes* pag. 147. quas proſa quoque Billius habet col. 1526. Opus aureum Gregorio Nazianzeno digniſſimum , contra ſtupendam mulierum vanitatem atque luxum.

64. *Epitaphia Baſilii Magni* pag. 152. quæ ſoluta quoque Oratione habentur pag. 1537. hujus ſecundi tomi.

Sententiæ Divi Gregorii Nazianzeni diſtichis jambis conſtantes, pag. 153. quæ proſa quoque leguntur pag. citata 1537.

Tetraſticha Divi Gregorii Nazianzeni pag. 156. in quæ ſcholia ſcripſit Nicetas Dadibrenſis Epiſcopus,quæ Latine verſa habet Billius tomo 2. Operum ejusdem Gregorii p. 1405.

Arcanorum carmina VIII. pag. 161 in quæ ſcholia quoque Nicetas Dadibrenſis Epiſcopus edidit,quæ latine verſa habet idem Billius loco citato p. 1436.

De pudicitia Carmen p. 175.

Ad ſuam animam Carmen Pentametro & tribus Jambis conſtans, p. 176. quadraginta duabus ſectionibus diſtinctum.

Anacreonticum carmen ad ſuam animam pag. 182.

Hymnus ad Deum pag. 185. cum *Monaſticha ſecundum ordinem Alphabeti* p. 186.

Jam pag. 187. ſequuntur Carmina Jambica XXIII. Gregorii Nazianzeni *de variis argumentis*, quorum hic potiora libabimus, cæteris quæ minora ſunt omiſſis, ne tædium Lectori pariamus. Jambicum I. *de ſeipſo adverſus invidos* pag. 187. Jambicum II. *de providentia* pag. 188. Jambicum III. *ad Seleucum* pag. 190. ad 195. Jambicum VII. *adverſus brutam animæ partem* pag. 196. Jambicum XV. *Definitiones minus exactæ* pag. 198. Jambicum XVI. *in Sepulchrorum effoſſores* p. 202. Jambicum XVII. *Eliæ miracula* pag. 204. Jambicum XVIII. *de virtute* p. 204. Jambicum XIX. *Comparatio Vitarum* pag. 220. Jambicum XX. *Dialogus adverſus eos qui frequenter jurant* pag. 224. Jambicum XXI. *Adverſus iram* pag. 229. Jambicum XXII. *Adverſus opum amantes* pag. 237. Jambicum XXIII. *de ſeipſo* pag. 243.

Ejusdem Senarii adverſus Apollinarem , de incarnatione ſive *aſſumpti hominis myſterio* p. 247.

Ejusdem in ſuos verſus Senarii pag. 248.

Ejusdem Jambici ad Maximum pag. 249. cum aliis variorum argumentorum pag. 251.

Tragœdia ſive *Tragicomœdia* quæ *Chriſtus patiens* pag. 253. inſcribitur,quæ & Græce extat & Latinis verſibus a Guillelmo Roilleto facta legitur,ſub nomine Sancti Gregorii Nazianzeni atque inter ejus Opera circumfertur : in cujus argumenti initio pietatem facile quis odorabitur. Hæc Antonius Poſſevinus tomo 2. *Bibliotheca ſelecta* Libro *de poeſi & pictura*, de authore illius hæſitans. Addit Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis , non videri habere gravitatem Nazianzeno ſolitam,præſertim cum deſcribitur ejulatus matris Chriſti,quæ prudentiſſima & conſtantiſſima erat. Baronius *Annalium* tomo 1. ad annum 34. num. 133. ait *ab eruditis potius Apollinario Laodiceni, quam Gregorii Nazianzeni Opus merito exiſtimari.* Hæc ex diverſis Rivetus loco citato.

Denique *ejusdem exhortatio ad Virgines* p. 299. Ad correctiorem vero , plenioremque Poematum Divi Gregorii Nazianzeni editorum iteratam impreſſionem, conduceret plurimum conſulere Codices Manuſcriptos Bodlejanæ biblio-

the-

Digitized by Goo

thecæ & alias Anglicanas bibliothecas. Etenim inter MSS. Codices Baroccianos Codice 96. reperiuntur Gregorii Nazianzeni carmina, cum Scholiis Niceteæ Davidis, alibi appositis, alibi prætermissis: inter quæ occurrunt XLVI. inedita. fol. 105. 3. 106. 1. 108. 1. 109. 1. 111. 1. 147. 2. 149. 7. 150. 13. 151. 1. 155. 12. 159. 1. 160. 3. Iemniſco in ſingulis foliis ſignata. Item vide Petrum Lambecium libro 4. *Commentariorum* Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis pag. 1. ubi explicat Codicem MS. 101. Theologicum Græcum hujus bibliothecæ, continentem *primo* & quidem a fol. 1. usque ad folium 115. varia *S. Gregorii Nazianzeni Poemata*, numero *centum viginti ſex*, partim jam edita, in editione Græcolatina Operum *S. Gregorii Nazianzeni* Pariſienſi anni 1619. duobus tomis in fol. partim nondum edita, cum antiquis lectionibus variantibus in margine paſſim adſcriptis, de quibus dictus Lambecius, a pag. 1. usque ad 10. vel undecimam, ubi lacunas editionis nonnullas ſupplet, aliasque ex hoc MS. Codice ſuppleri poſſe, momenti majoris indicat.

Videndus quoque ibidem p. 3. 16. ejusdem Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Codex MS. Theologicus Græcus 102. chartaceus, in 4. mediocriter antiquus, qui ad Sebaſtianum Tengnagelium, ut ipſe propria manu teſtatur, olim pertinuit. Quo continentur & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 31. pag. 2. anonymi cujusdam auctoris *Paraphraſes triginta tres* in Carmina Sancti Gregorii Nazianzeni totidem, quarum *prima* inſcribitur atque hoc modo incipit: Παραφράσεις α' ὑποθῆκαι παρθένοις. Ἡ μὲν δὴ νίκη σὴ παρθενία σοφὴ &c. Cæterum quod authorem harum *Paraphraſium triginta trium* attinet, de eo quidem nondum aliquid certe affirmare audet pag. 17. libro 4. Commentariorum Lambecius, cui tamen veriſimile videtur, eas eſſe attribuendas, vel potius *Joanni Zonaræ*, qui non ſolum *S. Gregorii Nazianzeni Tetraſticha*, verum etiam alia non pauca partim ejusdem, partim diverſi generis monumenta antiqua, *Commentarios* atque *Paraphraſibus* ſuis illuſtravit, ut habet idem Lambecius Libro 3. *Commentariorum* hujus Bibliothecæ Cæſareæ pag. 39. & 247. Verum illæ tribuendæ videntur *Niceta* cuidam, alias dicto *David Philoſopho*, cujus *Commentarius in S. Gregorii Nazianzeni Tetraſticha & Monoſticha* ab Hercule Phaello Presbytero Imolenſi Latine verſus, & Imolæ anno 1588. in 8. apud Laurentium Gianottum editus eſt. Nam licet Zonaras in *Carmine ſancti Joannis Damaſceni* commentatus ſit, in Carmina tamen S. Gregorii Nazianzeni commentatus nihil eſſe legitur, & male ſcribit dictus Lambecius.

Vt autem idem Lambecius habet ibidem pag. 22. extat ejusdem Bibliothecæ Codex MSS. Theologicus Græcus 103. chartaceus in 8. mediocriter antiquus, quo continetur primo & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 51. pag. 1. *S. Gregorii Nazianzeni Tragœdia* ſeu potius *Tragicomœdia*, quæ vulgo Χριστὸς πάσχων, hoc eſt *Chriſtus patiens* inſcribitur, & inter Opera ipſius extat tomo 2. editionis Morellianæ Pariſienſis Græcolatinæ in fol. a p. 253. usque ad pag. 298. In Codice autem hoc MS. Cæſareo illa inſcribitur hoc modo, τὸ κοσμοσωτήριον Παθος τῆ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίῳ Ἀρχιεπισκόπῳ Κωνσταντινουπόλεως τῆ Θεολόγῳ δρᾶμα κατ' Εὐριπίδην. Sequitur deinde *Hypotheſis* ſive *Argumentum Tragœdiæ*, & ipſa porro *Tragœdia* cum anonymi cujusdam Scholiaſtæ antiqui Expoſitione interlineari, incipitque *Hypotheſis* ut in editionibus impreſſis, hoc verſu, ἐπεὶ δ' ἀκέσας εὐσεβῶς ποιημάτων &c. Cæterum nec ſilentio prætereundum eſt, eandem Tragœdiam a nonnullis contra veterum codicum MSS. fidem *S. Gregorio Nazianzeno* abjudicari, & loco ejus attribui *Apollinari Laodicæ in Syria Epiſcopo*, ſacra poeſi iisdem temporibus inclyto, cujus etiamnum extat *Metaphraſis Pſalterii Davidis verſibus heroicis*, de quo vide Cardinalem Baronium *Annal. Eccleſiaſt.* tomo 1. anno 34. num. XXII. & Joannem Sarisberienſem *de nugis curialium* lib. 8. cap. 21. ubi extat inſigne teſtimonium de *Apollinaris* eruditione & ſcriptis poeticis, inter quæ etiam ſpeciatim mentio fit *Tragœdiarum*, quas ad imitationem Euripidis compoſuit. Hac igitur de controverſia ſi quis plura ſcire deſideret, conſulat Philippi Labbei Diſſertationem *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, & reliquos ab eo ibidem citatos autores, quos inter præcipuum locum obtinet Cardinalis Bellarminus, qui in Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* dubitationem ſuam indicat, ejusque rationem reddit his verbis: „Tragœdia *Chriſtus patiens* „non videtur habere gravitatem ſolitam Na„zianzeno, præſertim cum deſcribitur ejulatus „Matris Chriſti, quæ prudentiſſima atque con„ſtantiſſima erat.„ Hæc Cardinalis Bellarminus. Mihi autem, ut verum fatear, ratio illa vel nullius vel certe exigui videtur eſſe ponderis. Si enim ea ſola ad controverſiam iſtam dijudicandam ſatis valida eſſet, poſſent profecto longe majori jure, non pauca alia *S. Gregorii Nazianzeni* genuina carmina, tanquam gravitati tanti viri minus congrua, rejici & pro ſuppoſitis haberi.

Idem Lambecius pag. 23. Centeſimus quartus, Codex MS. Theologicus Græcus eſt chartaceus, mediocriter antiquus in quarto, conſtatque centum & undecim foliis. Continetur in eo *S. Gregorii Nazianzeni Tragœdia* ſeu potius *Tragicomœdia* quæ vulgo quidem Χριστὸς πάσχων, hoc eſt *Chriſtus patiens*, in proxime autem præcedenti MS. Codice Cæſareo, τὸ κοσμοσωτήριον πάθος inſcribitur: cui præfixa eſt in poſteriori hoc codice *Vita S. Gregorii Nazianzeni* ex Suidæ Lexico deſumpta, cujus principium, Γρηγόριος Ναζιανζῆ ἐπίσκοπος (σαθμὸς δὲ ἐστὶν ἔτος Καππαδοκίας) ἀνὴρ ἐλλογιμώτατος &c. Notandum eſt autem inter ſcripta ſancti Gregorii Nazianzeni, quæ ibi a Suida enumerantur, iſtius etiam *Tragœdiæ ſacræ* ad imitationem Euripidis

compoſitæ, expreſſam fieri mentionem his verbis : ἔτ@ ἔγραψε καταλογάδην πολλά. Εἰς γὰρ τρεῖς μυριάδας στίχων τὰ συντάγματα αὐτῷ συνέθηκεν, αἰΦ' ὧν εἰσὶ ταῦδε περὶ τῆς τελευτῆς τῷ ἀδελΦῷ Καισαρείᾳ. ἐπιτάΦι@ εἰς τὸν ἑαυτῷ πατέρα. ἕτερος εἰς τὴν ἀδελΦὴν Γοργονίαν, τὸ κατ' ἐυριπίδην περὶ τῶν τῷ Χριςῷ παθῶν, περὶ Φιλοπτωχίας &c. In editionibus enim Suidæ impreſſis, verba hæc τὸ καθ' Ἐυριπίδην περὶ τῶν τῷ Χριςῷ παθῶν (ſcilicet δρᾶμα) perperam omiſſa ſunt. Finita autem illa Vita *S. Gregorii Nazianzeni* ſequitur ἡ ὑπόθεσις τῦ δράματος, ſive *Argumentum Tragœdiæ*, Ἐπεὶ δὲ ἀνύσας &c. una cum anonymi Scholiaſtæ cujusdam antiqui *Expoſitione Græca*, partim marginali, partim interlineari, diverſa tamen ab illa, quæ in Codice præcedenti proxime extat.

CAPVT SEXTVM.

DE SCHOLIASTIBVS ET INTERPRETIBVS OPERVM GREGORII NAZIANZENI.

FVerunt certe plurimi, qui diverſis locis ac temporibus, tum interpretandis, tum commentandis & ſcholio illuſtrandis D. Gregorii Nazianzeni orationibus atque carminibus, operam ſuam contulerunt. Horum omnium primus, Rufinus Toranius, Gente Italus, patriâ Aquilejenſis, qua in Eccleſia & fidei lavacrum & Presbyteratus ordinem ſuſcepit, ab ipſis Gregorii Nazianzeni temporibus clarus, ab anno nimirum 370. ad 412. quo circiter mortuus creditur. Hic inter multa Græcorum Opuſcula, quæ Latinam in Linguam tranſtulit, orbi quoque Latino verſos a ſe latine obtulit Orationes 8. ſancti Gregorii Nazianzeni cum Prologo his Orationibus præmiſſo, quæ Lipſiæ anno 1522. in lucem prodierunt, typographo non nominato. Sunt autem Orationes iſtæ octo, 1. Apologeticus de fuga ſua. 2. De pace Nazianzi inter patrem ſuum & Monachos reſtituta, quæ XII. 3. *In plagam grandinis*, quæ XV. 4. Ad cives Nazianzenos gravi timore perculſos & Præfectum iratum, quæ XVII. 5. Poſt reditum ſuum in urbem, quæ XXVIII. 6. *Contra Eunomianos*, quæ XXXIII. ac prima *de Theologia* eſt. 7. In Chriſti Nativitatem. 8. In ſancta lumina, vel in feſtum Baptiſmi Chriſti, quæ XXXVIII. & XXXIX. ſunt. Hæc Gregorii Opuſcula tranſtulit in Latinum Sermonem Rufinus.

2. Alter Nonnus, Gente Ægyptius, urbe Panopolitanus, qui circa annum 410. vixit, cujus mentionem facit Syneſius Epiſtola 43. occaſione cujusdam Soſenæ Nonni filii, qui patris ſui bona ad alios dilapidatione ſua tranſtulit. Hic Nonnus ſcripſit Græce *Collectionem* & *Explicationem Hiſtoriarum*, quarum meminit Gregorius Nazianzenus in duabus *Steleuteticis* adverſus Julianum Apoſtatam. Illam Græce ex Bibliotheca Viennenſi deſcriptam una cum Nazianzeni Invectivis edidit Richardus Montacucius Norvicenſis poſtea Epiſcopus, Etonæ 1610. in 4. Jacobus autem Billius Latine antea, inter Opera Nazianzeni tomo 2. pag. 499. poſt Eliæ Cretenſis prolixiſſimos in utramque Invectivam Commentarios. Sed ex MSS. Græcis Regiæ Galliarum Bibliothecæ. Habetur autem hæc *Collectio & Explicatio fabularum* Nonni, in Bibliotheca Imperatoria Viennenſi, cujus meminit Lambecius tomo 3. Hujus Bibliothecæ Codd. 99. & 100. paginis 205. & 206. Ibidem Cod. 79. pag. 182. *Ejusdem Nonni Panopolitæ Collectio & Enarratio Hiſtoriarum profanarum, quarum S. Gregorius Nazianzenus meminit in Oratione funebri in laudem ſancti Baſilii Magni, & in ſancta Lumina*, cum aliis ad duas Invectivas in Julianum. Extat quidem hæc Nonni Panopolitæ *Collectio & Enarratio Hiſtoriarum in Orationes de Baſilio & Luminibus ſeu Chriſti Baptiſmo* in editione Pariſienſi Operum ſancti Gregorii Nazianzeni, tomo 2. pag. 768. ſed latine tantum, & quidem mutile atque interpolate, ut Billius ibidem fatetur. Nonnus ergo ſcripſit ſcholia ſeu Commentationes in 4. Orationes ſancti Gregorii Nazianzeni, ad duas nempe *Invectivas in Julianum Imperatorem*, atque ad *Encomia in ſanctum Baſilium Magnum, & luminum feſtum* ſeu *Chriſti Baptiſmum*: quæ Græce habentur tum in Regia Galliarum Bibliotheca, ut ex Billio patet: tum in Imperatoria Viennenſi, ut ex Lambecio. Porro *duas in Julianum invectivas* cum Scholiis Græcis & *Nonni Collectione Hiſtoriarum profanarum* edidit ſeorſim Richardus Montacucius, Ætonæ 1610. Græce in 4. quibus ſuas etiam Notas & lectiones variantes adjecit.

3. Succeſſit Nonno Sanctus Maximus Monachus, Monothelitarum infenſus hoſtis, qui anno 662. die 13. Auguſti coronam Martyrii aſſecutus eſt. Hic ſcripſiſſe dicitur Scholia in Divi Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi locos difficiles, quæ ex relatu Combefiſii apud Labbeum in Diſſertatione *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* verbo *S. Maximus Monachus*, opus prolixum ſunt, quod MS. inquit idem Combefiſius in Regia Galliarum Bibliotheca eſt: cujus latinam verſionem Joannes Scotus erigere olim aggreſſus legitur, verſione inſcripta Carolo Calvo Francorum Regi, atque etiam reperitur MS. in Bibliotheca Cluniacenſi, ex quo multa emendari in Manuſcripto Codice Regio & ſuppleri poſſent. *Sancti Maximi Ambigua*, ſeu *Scholia in Gregorii Theologi locos difficiles*, Græce & latine Oxonii in folio edita anno 1681. una cum libris Joannis Schali *de diviſione naturæ*, ſed ambigo plurimum, an opus iſtud editum, ſit legitimum ac integrum Maximi Opus in Nazianzenum: cum ſcribat poſitive Combefiſius opus iſtud eſſe prolixum, iſtud autem quod e Theatro Sheldoniano impreſſum eſt, modicum omnino ſit, ad Maximum certe non ſpectare mihi videtur aliquis

ex

ex his duobus Codicibus 79. & 80. *Orationem Gregorii Nazianzeni cum Scholiis Marginalibus*: de quibus loquitur Lambecius tomo 3. Bibliothecæ Imperialis pag. 175. & 183. licet id pro certo affirmare nolim.

4. Basilius Homiliarum seu Orationum sancti Gregorii Nazianzeni Scholiastes cum Gregorio altero Presbytero, de quibus Elias Cretensis infra, circa annum 940. floruisse mihi videtur. Illius enim ut & Gregorii citati, mentionem facit Elias Cretensis Archiepiscopus, qui circa annum 1100. vel 1120. claruit: non autem uti Cavus male scribit, alter ille senior, qui temporibus Constantini Copronimi ab anno 742. ad 775. imperantis clarus, anno quoque 787. Concilio Nicæno 2. adfuit, cultumque Imaginum confirmavit. Ita verba Eliæ Cretensis refert Joannes Leunclavius in editione Latina Operum S. Gregorii Nazianzeni pag. 1. editionis Basileensis Heruagianæ, anni 1571. in fol. *Sancti Gregorii Nazianzeni Orationes una cum Epistolis interjectis, numerantur conjunctim quinquaginta duæ. Quarum illæ sedecim, quæ uno libro comprehensæ sunt, magnam interpretum copiam nactæ sunt, tam priscorum quam recentiorum, quorum in dicendo lingua perpolita esset. Cæteræ vero a nemine, qui vel dicendi facultate floruisset, vel cum spiritu dijudicare posset, saltem mediocrem, quantum quidem nobis constat, sunt explicationem consecutæ. Solus Basilius quidam & Gregorius, qui & sedecim istis Orationibus enarrandis operam impenderunt suam, voluerunt quidem illi quasdam Annotationes Scholiis consimiles, etiam in Orationes quas nunc contemplaturi sumus, nobis relinquere. Verum quod in ipsis fuit, nulla ex parte per ipsorum doctrinam adjutos nos reliquerunt. Quippe quibus neque dicta vel de libris divinitus scriptis vel de exteris, curæ fuerint: neque quicquam aliorum, ad quæ magnus hic vir partim alludendo, partim quædam adglutinando, partim mutando & multipliciter variando, suas Orationes contexuit.* Hæc Elias Cretensis Metropolita, ex Joanne Leunclavio: quem refert Petrus Lambecius tomo 3. *Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis*, pag. 202. & 203. Cum porro Basilius in principio Orationis 9. *In Nativitatem Christi*, præmittat *Epistolam ad Constantinum Imperatorem* τῷ Φιλοχρίστῳ Δεσπότῃ Κωνσταντίνῳ Αὐτοκράτορι: hoc intelligendum videtur *Constantino* factum, cognomento *Porphyrogenito*, nominis VIII, Leonis VI. qui sapiens & Philosophus dictus est, filio, qui floruit cæteros inter Imperatores pietate in Christum singulari, doctrina eminenti, ab anno 912. ad 944. Imperium administrans. Clarus ergo Basilius ille, qui & Monachus quoque & Archiepiscopus in MSS. Codicibus legitur, circa annum Christi 940. scribebat, florebatque. Ambigo tamen multum de Basilii hujus Monachi Archiepiscopatu, quem MSS. Codices attribuunt satis recentes, ob verba quibus usus est Elias ille Cretensis, dum de utroque tum Basilio tum Gregorio Monachis loquitur. Nam omnes sciunt, quam sæpe fallant tituli codicum Græcorum manuscriptorum. Hæc paulo latius hujus ut Basilii tempora assignarentur, quem Veteres omnes silent, atque hallucinatione stupenda recentiores cum Magno Basilio Cæsareæ in Cappadocia Episcopo confundunt. De illo diffuse, qui tamen ejus ætatem non attigit, Petrus Lambecius tomo 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 202. 203. 204. 205. 206. Scripsit autem Scholia seu Commentarios in omnes fere Gregorii Nazianzeni jam tunc simul collectas Orationes, quæ loco citato habentur Cod. 98. in Orationes XVI. Codice 100. in Orationes XV. Cod. 99. in Orationes XXIX. Codicis 98. Orationes sexdecim sunt. 1. In sanctum Pascha & in tarditatem. 2. Item in sanctum Pascha. 3. In novam Dominicam & sanctum Mamantem Martyrem. 4. In Pentecosten. 5. In Machabæos. 6. In sanctum Cyprianum Martyrem. 7. Ad patrem silentem ob plagam grandinis. 8. Ad julianum tributorum exactorem. 9. In nativitatem Christi. 10. Funebris in laudem S. Basilii Magni. 11. In sancta Lumina, sive in festum Epiphaniæ. 12. In sanctum Baptisma. 13. In sanctum Gregorium Nyssenum Episcopum. 14. In laudem S. Athanasii Alexandrini Archiepiscopi. 15. In præsentia centum & quinquaginta Episcoporum. 16. De amore erga pauperes. Codicis 100. Orationes quindecim sunt. 1. Magna apologetica post reditum ex fuga in Pontum. 2. De Theologia. 3. De Theologia, sive de filio. 4. De Theologia, sive secunda de filio. 5. De Theologia, sive de Spiritu Sancto. 6. Ad eos qui ex Ægypto advenerant. 7. Est Epistola prima ad Cledonium Presbyterum. 8. Est Epistola secunda ad eundem. 9. De seipso & adversus eos qui dixerant ipsum affectasse cathedram Constantinopolitanam. 10. Cum post ea quæ a Maximo perpetrata sunt, rure in urbem rediisset. 11. In laudem Heronis Philosophi Alexandrini. 12. Ad Evagrium Monachum de Divinitate. 13. De modestia in Disputationibus servanda. 14. Est Invectiva prima in Imperatorem Julianum Apostatam. 15. Invectiva secunda in eundem Imperatorem. Tum folio 96. hujus Codicis pag. 1. ejusdem Basilii *Epilogus Apologeticus Scholiorum suorum in sancti Gregorii Nazianzeni Orationes*, & potissimum *in Invectivas duas in Imperatorem Julianum Apostatam.* Codicis 99. Orationes XXIX. sunt. 1. De Theologia, sive Disputationis adversus Eunomianos præludium. 2. est secunda de Theologia. 3. de Theologia, sive prima de Filio. 4. de Theologia, sive secunda de filio. 5. est quinta de Theologia, sive de Spiritu Sancto. 6. est de pace. 7. Ad eos qui ex Ægypto venerant. 8. est Epistola prima ad Cledonium, 9. est epistola secunda ad Cledonium. 10. De seipso & ad eos qui dixerunt ipsum affectare cathedram Constantinopolitanam. 11. Cum post ea quæ a Maximo perpe-

Digitized by Google

trata fuerant,rure in urbem rediiſſet. 12. In laudem Heronis Philoſophi Alexandrini. 13. eſt magna Apologetica poſt reditum ex fuga in Pontum. 14. eſt Apologetica ad patrem, præſente Baſilio Magno,cum Epiſcopus Saſimorum creatus eſt. 15. eſt Apologetica ad patrem & Baſilium Magnum,poſt reditum ex fuga. 16. Ad eos qui ipſum vocaverant, & poſtea non venerant,cum factus eſſet Presbyter. 17. ad cives Nazianzenos timore perculſos,& ad Præfectum iraſcentem. 18. Oratio funebris in laudem fratris Cæſarii. 19. Oratio funebris in laudem Gorgoniæ ſororis. 20. Funebris in laudem patris,præſente Baſilio Magno. 21. Invectiva prima in Julianum Imperatorem. 22. Invectiva ſecunda in eundem. 23. De ſeipſo & ad Arianos. 24. De dogmate & conſtitutione Epiſcoporum. 25. De ordinatione Eulalii Doarenſium Epiſcopi. 26. Ad Evagrium Monachum de Divinitate. 27. prima de pace eſt, poſt monachorum reconciliationem. 28. eſt ſecunda de pace. 29. De modeſtia ſive moderatione in Diſputationibus ſervanda. Atque inter iſtas Orationes,fol. 122. pag. 2. ejusdem Baſilii,Epilogus Apologeticus Scholiorum ſuorum in Gregorii Nazianzeni Orationes, ac præſertim quidem in duas Invectivas adverſus Julianum Imperatorem. Jam itaque circa annum Chriſti 940. Orationes Gregorii omnes, ut ex his Scholiis patet, comportatæ ſimul atque Commentariis illuſtratæ fuerant.

5. Quintus Nicetas Serronius, dictus aliquando Bizantinus,aliquando Philoſophus, aliquando Serrarum Epiſcopus,aliquando denique Heracleenſis in Thraſia Archiepiſcopus : quod & Byzantio oriundus eſſet & Philoſophiam profeſſus,& utramque ſedem Serrarum atque Heracleæ ſucceſſive occupaſſet. Claruit circa annum 1080. atque ſcriptis etiam ſuis Commentariis, tum in plurimas Gregorii Nazianzeni Orationes quibus inſeruit Scholia quædam brevia Michaelis Pſelli in Gregorium Nazianzenum: cum in illius Carmina varia,nomen poſteris ſuum notum fecit. De quo nos latius agemus poſtea, ad dictum annum. Vt compendio dicamus omnia, paſſim Commentaria ejusmodi Nicetæ Serrarum Epiſcopi inveniuntur in Imperatoria Viennenſi Bibliotheca, ut patet ex libro 3. Commentariorum Petri Lambecii, ubi inter Manuſcriptos Codices Theologicos Græcos. Codd. 91. 92. 93. 94. 95. 96. Et libro 4. eorundem Cod. 102. pag. 16. & 17. Ejusdem Nicetæ Serrarum Epiſcopi *Commentarii in Orationes Divi Gregorii Nazianzeni*, MSS. in Regia Galliarum Bibliotheca Codd. 1822. 1919. 1311. 2312. 2313. 2314. 2315. 2316. 3183. Iidem in Bavarica Codd. 44. 64. & 65.

6. Sextus atque ultimus Elias Cretenſium Archiepiſcopus,ſeculo ſequenti,ob eminentem doctrinæ famam,circa an. 1130. vel 1120. clarebat: quem ob præclaras animi dotes promotum ad ſedem hanc Inſulæ Metropoliticam haud ignobilem,nullatenus ambigimus. Caute hic ultimus diſtinguendus ab altero qui adfuit Synodo ſeptimæ univerſali, quam Nicænam ſecundam dicunt,ad annum 787. collectam,cui cum pluribus Epiſcopis ſubſcripſit. Appellatur ibi inter hujus confeſſus Antiſtites,Act. 1. col. 39. ex verſione Anaſtaſii, & col. 661. ex interpretatione alterius Anonymi,tomo 7. Conciliorum,editionis Labbeanæ Pariſienſis ultimæ. Scripſit noſter ultimus doctiſſimos Commentarios atque faciles,licet nonnulli æquo prolixiores ſint, in *Orationes pleraque Divi Gregorii Nazianzeni*,quos ex MSS. Codicibus Græcis Regiæ Galliarum Bibliothecæ Latine transmiſſos, habes ad calcem ſecundi tomi Operum ſancti Gregorii Nazianzeni editionis Græcolatinæ anni 1583. 1609. & 1630. ſumptibus Caroli Morelli Regii Typographi. Excurrunt hi Commentarii in *Orationes Gregorii 1. 2. 3. 4. 10. 11. 19. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 33. 34. 35. 36. 37. & in Epiſtolas ad Cledonium*, quæ numerantur 51. & 52. Orationes. Vnde cum duabus Epiſtolis,ad numerum XXIII. pertingunt. Hic ſane labor Eliæ Archiepiſcopi magnus eſt,neque hi Commentarii MSS. tantum inveniuntur in Regia Galliarum Bibliotheca. Verum etiam in aliis Europæ celeberrimis,ut in Vaticana,Barbarina,Veneta, Bavarica Sereniſſimi Ducis Codd. 64. & 65. Auguſtana Codd. 26. 27. 29. & 30. Nec deſunt Codices ſimiles,in Bibliotheca Imperatoris Vindobonenſi, ut ſi forſan alicui placeat, Græcus textus addi poſſit. De quibus vide Libros Commentariorum Lambecii *de Bibliotheca Imperatoria Vindobonenſi*. Hæc paucis ſummatimque,donec de ſingulis Orationum Gregorii Scholiaſtibus, copia latius differendi,ſuis locis offeratur. Sufficiunt enim iſta ad præſens,ut poſteri agnoſcant,quanto in pretio Orationes Gregorii Nazianzeni, apud majores noſtros fuerint.

HELIODORVS THEODOSII FILIVS 380.

PHOENIX EMESENVS, ut ipſe teſtatur diſerte ſub finem libri decimi *Ethiopicorum*, circa annos 380. 390. ad 400. vel circiter claruiſſe videtur,Imperatorum Theodoſii Magni, atque Arcadii & Honorii filiorum temporibus, homo Chriſtianus, qui juvenis Αἰθιοπικὰ libris X, fabulam diſertam, elegantem & amœnam, proſa ſcriptam compoſuit,amoresque caſtos & varias Theagenis & Charicleæ jactationes complexam. Poſtea teſte Socrate, Epiſcopus Tricenſis in Theſſalia factus,auctor fuit moris, ut Clericus,qui poſt ſuſceptum ſacrum munus, cum uxore ante Clericatum legitimo matrimonio juncta cohabitaret,deponeretur. Ita Socrates Hiſtoriæ lib. V. cap. 22. pag. 287. αὐθὶς τῶ μὴν ἐν Θεσσαλίᾳ ἔθος ἀρχηγὸς Ἡλιόδωρος, Τρίκκης τῆς ἐκεῖ Ἐπίσκοπος, ὃ λέγεται πονήματα ἐρωτικὰ βιβλία, ἃ νέος ὢν συνέταξε, καὶ Αἰθιοπικὰ προσηγόρευται. Quod vero Nicephorus libro XII. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 34. addit, Synodum Provincialem ſtatuiſſe, ut quoniam lectione librorum ejus juvenes multi in periculum pudoris con-

conjicerentur, ipſos vel igni abolendos daret, vel Epiſcopatu cederet; atque Heliodorum Epiſcopatu excidere, quam ſcripta ſua abolere maluiſſe: hoc merito fabuloſum videtur viris doctiſſimis, Valeſio in Notis ad Socratem pag. 72. Petavio apud Vavaſſorem & Vavaſſori ipſi *de Ludicra dictione* pag. 149. Sorello in Obſervationibus ad librum XIII. *Paſtoris inſanientis*, Gallice *le Berger extravagant* p. 685. Huetio libri *de origine fabularum Romanenſium* pag. 36. & Petro Bælio in Dictionario Hiſtorico Critico Tom. 2. p. 1499. Meminit Heliodori hujus Αἰθιοπικῶν ſcriptoris præter Photium in Bibliotheca Codd. LXXIII. LXXXVII. XCIV. & CLXVI. & Socratem ac Nicephorum allatos, Elias Cretenſis ad Orationem 17. Nazianzeni, ac Michaelis Pſelli judicium ineditum de *Hiſtoria Charicleæ & Leucippes* laudat, & ex eo nonnihil profert Leo Allatius *de patria Homeri* cap. 4. pag. 79.

Lucem vidit primum Opus Heliodori Græce Baſileæ 1534. in 4. ex officina Hervagiana cum Vincentii Obſopœi præfatione, quod ex Bibliotheca Matthiæ Corvini Hungariæ Regis, a milite quodam direptum redemit. Hæc editio cum MSS. Codicibus ab Andrea Schotto, niſi fallor, vel Guillelmo Cantero, diligentiſſime collata fuit in Bibliotheca Marquardi Gudii. Prodiit Latine ex verſione non ineleganti & cum argumentis Stanislai Warſchewizki nobilis Poloni, Baſileæ 1551. in folio apud Oporinum. Item Græce & Latine cum eadem verſione ejusdem *Warſchewizii* & *Hieronymi Commelini* caſtigationibus, qui Heliodorum cum quatuor MSS. Codicibus Palatino, Vaticano, Guillelmi Xylandri & Baſileenſi contulit, Heidelbergæ 1569. in 8. & Lugduni 1611. in 8. Cum ejusdem Warſchewiczii verſione & *Jani Bourdelotii* Notis eruditis, Pariſiis 1619. in 8. Cum verſione eadem & Davidis Parei annotationibus, Francofurti 1631. in 8. Mitto alias Heliodori editiones Gallicas & Hiſpanicas, Anglicas, Germanicas, Belgicas, Polonicas, quas accurate recenſet Joannes Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ* pag. 787. qui cap. 6. pag. 784. ad pag. 800. Diſſertationem de hoc Heliodoro inſignem atque prolixam conſcripſit, cujus hic verba nonniſi per compendium lectori offerimus. Tribuitur præterea huic Heliodoro, incerta fide, Poema Chemicum verſibus Jambicis. Chronicon MS. in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi ſub hoc titulo: Ἡλιόδωρος ὁ γράψας τὰ λεγόμενα Αἰθιοπικὰ Ἐπίσκοπος ὢν τῆς Τρίκκης ἐπὶ Θεοδοσίου, γράφει δὲ διὰ στίχων ἰαμβῶν τὴν τῆς χρυσῆς ποίησιν πρὸς τὸν αὐτὸν Θεοδόσιον. Vide Ducangii Gloſſarium Græcum, in vocabulo ποίησις, Conringium de *Hermetica Medicina* pag. 251. Bartholinum de *Medicis Poetis* pag. 103. & ſeqq.

„Extat adhuc illud Poema ſub Heliodori nomine in variis Bibliothecis manu exaratum, inquit Fabricius, quod interpretabor infra, ubi „libro VI. Chemicos ſcriptores recenſebo. Nunc „Græcum repræſentabo, quale ex apographo Codicis Pariſienſis, ſed valde mendoſo exſculpere potui, ut ſi non omnia reſtituerim ac correxerim, lector æquus mihi facile hoc condonaturus ſit. tum pag. 790. Ἡλιοδώρου Φιλοσόφου πρὸς Θεοδόσιον τὸν μέγαν βασιλέα, περὶ τῆς τῶν Φιλοσόφων Μυστικῆς τέχνης, διὰ ἰάμβων. Complectitur autem a pag. 790. ad 797. verſus 269. Paragrapho autem quinto pag. 797. Fabricius, quem hic tranſcribimus, loquitur de Heliodoris aliis, tam antiquioribus quam recentioribus, qui ad argumentum meum non pertinent.

GREGORIVS BÆTICVS, a provincia unde oriundus erat ſic dictus, natione Hiſpanus, Illiberis ejusdem Bæticæ provinciæ ad montes Pyrenæos oppidi Epiſcopus, claruit circa annum 370. Hunc eundem cum Gregorio præfecto prætorii Galliarum, cujus Sulpitius lib. 2. *Hiſtoriæ* meminit & Innocentius Papa 1. Epiſtola 23. ad Synodum Toletanam: faciunt Pſeudo-Dexter in *Chronico* ad annum 388. ejusque Commentator ſimul & confictor Bivarius ad annum citatum, quem hanc ob cauſam, anno nonniſi 390. Epiſcopalem cathedram aſcendiſſe volunt: quo ſomniis ſuis fabulisque probabilitatem majorem afferant. Verum multo magis audiendus Hieronymus in *Chronico* ad annum 371. ubi illum Hiſpaniarum Epiſcopum vocat, & Lucifero Calaritano contemporaneum facit, & nunquam Arianæ hæreſi ſeſe immiſcuiſſe ſcribit. Erat ſane Arianorum implacabilis hoſtis, quibuscum ad Eccleſiam licet reverſis, communi- 370.
care duritia intoleranda, rogatus etiam & interpellatus noluit. Quid eam ob cauſam, ab Hoſio aliisque paſſus eſſe dicitur, videri poteſt apud Fauſtinum & Marcellinum in *Libello precum*. Huic enim duritiei parum Chriſtianæ cedere nolens, in Luciferianorum ſchiſma, ne plura dicam, lapſus eſt, in quo ad mortem usque permanſiſſe legitur. De illo quoque Hieronymus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 115. his paucis. *Gregorius Baticus Illiberi Epiſcopus usque ad extremam ſenectutem diverſos mediocri ſermone tractatus compoſuit, & de fide elegantem libellum, qui hodieque ſupereſſe dicitur.* Erat ergo adhuc, ſeu juxta Hieronymum in extrema ſenectute vivebat: dum anno 392. ſcribebat ad Dextrum ſanctus Doctor, Catalogum ſuum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Paſchaſius Quesnel tomo 2. Operum ſancti Leonis Diſſertatione XIV. *de libellis in Codice veteri Romanæ Eccleſiæ contentis*, exiſtimat Tractatum *de fide*, qui Latine tantum extat ex verſione Rufini putativa, quique Gregorio Nazianzeno adſcribitur, legitimum eſſe fœtum Gregorii Bætici, de quo loquitur Hieronymus loco citato: cum appareat illius Operis authorem Latinum non fuiſſe, nec Tractatum ex Græco idiomate donatum, neque legitime Gregorio Nazianzeno adſcribi potuiſſe. Divus quidem Auguſtinus Epiſtola 3. ex eo Opuſculo nonnulla refert ſub nomine *Gregorii Orientali Epiſcopi*. Sed unum pro altero laudatum a ſancto Auguſtino Gregorium, probabiliter

biliter cenſet Quesnellus, Orientalem nempe pro Bætico & Illiberitano: cum Auguſtinus ipſe lib. 1. *contra Julianum* cap. 5. eundem Nazianzenum a Nyſſeno non diſcernat. Quare perperam Tractatus ille *Orationis 49.* locum inter Opera Gregorii Nazianzeni obtinet. Male etiam tomo 4. Operum ſancti Ambroſii, ſub hoc titulo inſcriptus eſt: *de Filii divinitate & conſubſtantialitate contra Arianos.* Male denique Vigilio Tapſenſi a Chiffletio, in *Vindiciis Vigilianis* aſſeritur. Ejusdem Gregorii Bætici eſt *Tractatus de fide Nicæna*, qui *Orationis 50.* locum obtinet inter Opera Gregorii Nazianzeni. Oſtendit enim Queſnellus citatus, utrumque in ſtili ſimilitudine convenire, utrumque Nicænæ fidei Symbolum explicare: ſed compendioſe unum, alterum fuſiori & dogmatica tractatione. Addit, unum alterius explicationem & Apologeticum eſſe, priorem poſterioris. Vnius igitur ejusdemque authoris eſt uterque Tractatus, ſed brevior *de fide Nicæna* priorem locum obtinere debet: prolixior qui ſimpliciter *de fide* inſcribitur, poſteriori loco reponi. Neuter autem S. Gregorio Nazianzeno, ſed Gregorio Bætico uterque adſcribendus, ſi conjecturæ Viri doctiſſimi apud ipſum legendæ, admittendæ ſunt. Exiſtimat vero Baronius qua erga Romanam Eccleſiam devotione valet, *Gregorium Baticum* Epiſcopum Eliberitanum, in Eccleſiæ Catholicæ communione obiiſſe. Sed cum is a ſolo Iſidoro cap. 1. libelli *de viris illuſtribus* laudetur, hicque Author ſuppoſititius ſit, teſte Baronio ad annum 357. num. 31. (ubi etiam ait, *Iſidori Hiſtoriæ* primum authorem extitiſſe Marcellinum Presbyterum Luciferianum) merito ab eo diſſentit Hermantius in Vita S. Athanaſii lib. 10. cap. 11. Legitur quidem hujus Gregorii nomen, tam in Martyrologio Romano, quam Vſuardi: ſed cum per annos amplius viginti in ſchiſmate Luciferiano fuerit, nullibique ab eo receſſiſſe legatur: incertum, inquit Hermantius, an utriusque Martyrologii authoritas, fundamentum ſufficiens ſit. Vide quoque quæ diximus ſupra, in *Euſebio* Cæſareæ in Paleſtina Epiſcopo: nec enim unus ſchiſmaticus aut hæreticus, ſed plures Martyrologio Romano adſcripti ſunt. Agunt de *Gregorio Batico* præter Poſſevinum, Bellarminum & Labbeum in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*: Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* ſeculo 4. ad annum 370. pag. 187. Patchaſius Quesnel tomo 2. Operum ſancti Leonis *Diſſertatione* XIV. pag. 716. Cæſar Baronius *Annalium* ſeculo 4. ad annum 388. num. 13. Antonius Pagi in *Chronologia Critica* Annalium Baronii, ſeculo 4. ad annum 388. num. 13. & 14.

DISSERTATIO
DE
OPERIBVS SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI, ILLORVMQVE VARIIS EDITIONIBVS.

374. SAnctus Ambroſius Mediolanenſis Archiepiſcopus, unus & primus ex quatuor Eccleſiæ Doctoribus, ut cum Scolaſticis atque terminis recentioribus loquamur, ob Auguſtinum ad Catholicam veritatem appellatum inſignis fuit, vir intrepidi in munere paſtorali animi & invictæ fortitudinis, cum in propugnanda fide, tum in tuenda diſciplina Eccleſiaſtica: fide quidem adverſus Arianos & Juſtinam Imperatricem ipſis faventem: diſciplina, in cauſa Maximi Tyranni, quem ob illatam Gratiano Imperatori necem a communionis conſortio ſegregavit: & in cauſa Imperatoris Theodoſii, quem ob cædem Theſſalonicenſem, publicæ addixit pœnitentiæ. Doctrinam ipſius & ſcripta veteres laudarunt, inter quos maxime Sanctus Auguſtinus, qui ejus authoritate contra Pelagianos pugnat libro 1. contra Julianum cap. 3. ubi inquit: *Adhuc audi alium excellentem diſpenſatorem, quem veneror ut patrem, in Chriſto enim per Evangelium ipſe me genuit, & eo Chriſti miniſtro lavacrum regenerationis accepi. Beatum loquor Ambroſium, cujus pro Catholica fide gratiam, conſtantiam, labores, pericula, ſive ſermonibus, ſive operibus, & ipſe ſum expertus, & mecum non dubitat orbis prædicare Romanus.* Plurima e Græcorum patrum ac præſertim ex S. Baſilii Cæſarienſis Archiepiſcopi ſcriptis Ambroſius decerpſit, & propria ſibi fecit, quæ cauſa Baronio Cardinali viſa eſt, cur S. Hieronymus ſuum de Ambroſii ſcriptis ſuſpenderit judicium, *ne in alterutram partem, aut adulatio in ipſo reprehendcretur, aut veritas:* ut ipſe ſcribit in Catalogo. Ipſe Pelagius hæreſiarcha apud Sanctum Auguſtinum libro *de gratia Chriſti* cap. 43. magnis laudibus S. Ambroſium extulit, inquiens: *Ambroſius Epiſcopus in cujus præcipue libris Romana elucet fides, qui Scriptorum inter Latinos flos quidam ſpecioſus enituit, cujus fidem & puriſſimum in Scripturis ſenſum, ne inimicus quidem auſus eſt reprehendere.* Glorioſis ad Eccleſiam Catholicam defendendam perfunctus laboribus, præclarisque libris conſcriptis, obiit die 4. Aprilis, anno Chriſti 397. ætatis ſuæ 64. Epiſcopatus 22.

CAPVT PRIMVM.
DE NOVISSIMA EDITIONE PARISIENSI OPERVM OMNIVM SANCTI AMBROSII MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI.

Agunt

AGunt abunde de Operibus S. Ambroſii, variiſque illorum editionibus Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *S. Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus.* Robertus Bellarminus atque Philippus Labbeus, unusquisque in Opere ſuo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei Literariæ* ad annum 375. Elias du Pin tomo 2. ſeculo 4. *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica.* De quibus omnino ſiluiſſem, niſi noſtris temporibus, tumque a viris nobis etiam amicis atque notiſſimis, quibuscum ſæpe converſati ſumus, Jacobo du Friche & Nicolao Noury, Monachis Sancti Germani Pariſienſis, Benedictinis Congregationis S. Mauri in Gallia, noviſſima atque correctiſſima procurata fuiſſet, quam eruditi omnes celebrant, editio omnium Operum Sancti Ambroſii Mediolanenſis Archiepiſcopi, duobus tomis in folio, Pariſiis, anno 1686. apud Johannem Baptiſtam Coignart via Jacobæa ſub Bibliis aureis. De illa diffuſe ſatis *Acta Eruditorum Lipſiæ* anno 1688. menſe Februario a pag. 64. ad 70. *Et Supplementum ad Acta Eruditorum Lipſiæ* anno 1696. Tomo 2. Sectione 5. a pag. 209. ad 223. quæ quivis per otium conſulere poteſt. Cum enim impreſſio illa ab antiquis omnibus, aliisque præcedentibus immenſum diſtet, cum plurimis illa commendetur admonitionibus nec pœnitendis, ad ſingula Opuſcula præviis: cum ſingulæ etiam paginæ maximis abundent tum notis, tum lectionibus variantibus, vel Commentariis non inutilibus: cum Opuſcula novo ordine procedant, ſublimiorique majeſtatis pompa incedant: nefas, hanc a me prætermitti editionem, fuiſſet. Itaque poſt inſignem prologum & varia Veterum inſigniumque virorum de ſancto Ambroſio collecta teſtimonia, hæc editio ſic progreditur.

Tomus primus impreſſus ao. 1686.

In Hexaemeron libri ſex. Col. 1. mutuati ut plurimum ex Homiliis Sancti Baſilii.

De Paradiſo liber unus. Col. 145.

De Cain & Abel libri duo. Col. 183.

De Noe & Arca, liber unus. Col. 227.

De Abraham libri duo. Col. 281.

De Iſaac & Anima, liber unus. Col. 355.

De bono mortis, liber unus. Col. 389.

De fuga Seculi, liber unus. Col. 417.

De Jacob & Vita beata, libri duo. Col. 443.

De Joſeph Patriarcha, liber unus. Col. 483.

De Benedictionibus Patriarcharum, liber unus. Col. 513.

De Elia & jejunio, liber unus. Col. 535.

De Nabuthe Jezraelita, liber unus. Col. 565.

De Tobia, liber unus. Col. 591.

De Interpellatione Job & David, libri quatuor. Col. 625. quos antea nos habebamus miſerrime perturbatos, diſtractos ab ſe invicem, luxatosque in editionibus: unde ob nativam eis ſedem, diſpoſitionemque huic Operi confuſo legitimam reſtitutam, his patribus Benedictinis plurimum debemus.

Apologia Prophetæ David, quæ prima dicitur. Col. 675.

Apologia altera Prophetæ David. Col. 707. quam tamen ut dubiam in *Admonitione prævia* col. 703. emendatores cenſoresque Benedictini proponunt, ob rationes varias ibi expreſſas.

Enarrationes in Pſalmos duodecim diverſos. Col. 737.

Expoſitio in Pſalmum centeſimum decimum octavum. Col. 971.

Expoſitio Evangelii ſecundum Lucam, libris decem. Col. 1261.

Per modum *Appendicis*

Commentarius eximius in Cantica Canticorum ex ſcriptis Sancti Ambroſii, a Guillelmo quondam Abbate ſancti Theodorici Remenſis, poſtea Monacho Signiacenſi collectus: quem nos ex autographo acceptum atque deſcriptum, locisque unde ab Ambroſio eductus fuerat accurate collectis & annotatis, lubentes præfatis editoribus obtulimus: cujus ipſi in *Admonitione ad Lectorem* beneficii licet modici, haud immemores fuerunt. Col. 1545. ad finem. Hic primus, qui circa 1150. ex Operibus S. Ambroſii dictum Commentarium fecit, quem alter Bartholomæus de Vrbino, Epiſcopus Vrbinas a Clemente 6. Papa conſtitutus, ad annum circiter 1344. imitatus eſt, labore ingenti componens *Milleloquium Sancti Ambroſii*, quod anno 1556. Lugduni in folio impreſſum eſt, de quibus ad annos citatos dicemus. Hi duo tantum ex D. Ambroſii operibus, Collectores & Excerptores veteres, mihi innotuerunt.

Tomus ſecundus, anno 1688. nondum completus.

De Officiis Miniſtrorum, libri tres. Col. 1.

De Virginibus ad Marcellinam Sororem, libri tres. Col. 145.

De Viduis liber unus, Col. 185. atque in admonitione prævia multis, iisque demonſtrativis teſtimoniis Sancto Ambroſio aſſertus, & ab ipſo multis in locis agnitus.

De Virginitate liber unus, Col. 213. olim confuſione maxima, cum tertio libro *de Virginibus ad Sororem Marcellinam* immixtus, unde eductus nitori ſuo, natalibusque reſtitutus eſt: quod egregie annotarunt in *Admonitione prævia*, col. 211. Monachi Benedictini Operum emendatores.

De inſtitutione Virginis ad Euſebium. Col. 249.

Exhortatio ad Virginitatem, Col. 277.

De lapſu Virginis conſecratæ, Col. 305. quem illic reliquerunt editores Benedictini ob argumenti ſimilitudinem ſeu paritatem cum antecedentibus, quamvis dubium cenſeant columna 301. in *Admonitione prævia*, quam legere quisque per otium poteſt. Hujus libri authorem credi-

mus esse *Niceam Romatiana Episcopum*, de quo latius postea loquemur ad annum 440. quo floruisse creditur, occasione hujus libelli quem illic expendimus.

De Mysteriis liber unus, col. 325. quem *admonitione prævia* col. 319. asserere divo Ambrosio multis conantur Benedictini Operum illius emendatores, reluctantibus eorum opinioni multis, de quibus nos statim.

De Sacramentis libri sex. Col. 349. quos in *Admonitione prævia* col. 341. amplissima, Sancto Ambrosio recte quidem, ob multas ibi datas rationes abjudicant. Quorum occasione ac præcedentis libri *de Mysteriis*, heic aliqua notatu digna subjicere lubet. Nec enim modicum Criticis punctum istud est, an *Libri isti sex de Sacramentis*, & *liber de Mysteriis*, qui antea *de initiandis* inscriptus est, ad sanctum Ambrosium Mediolanensem Episcopum spectent: quidquid scripserint ad librum *de Mysteriis* ipsi affirmandum, novissimi editores Operum Ambrosii, Benedictini Monachi, Jacobus du Friche & Nicolaus Nory, eruditi ambo viri, quos eximie semper, infra tamen meritum, coluimus. Ad hanc criticen recte diluendam, *quæstiones tres* instituendæ sunt, *prima* utrum liber de Mysteriis, sit pars quædam, vel spectet tanquam primus, ad sequentes sex libros de Sacramentis? *Secunda*, utrum libri de Sacramentis spectent ad Ambrosium Mediolanensem Episcopum? *Tertia*, quis sit author istorum librorum, an Gallus aliquis Episcopus, an successor aliquis S. Ambrosii, in Episcopatu Mediolanensi? His enim solutis quæstionibus, controversia ad omnem adducetur evidentiam.

Quoad quæstionem primam, *Vtrum liber de Mysteriis sit pars quadam, vel spectet, tanquam primus ad sequentes libros de Sacramentis?* Negant emendatores nostri Ambrosiani in *Admonitione huic prævia* col. 319. Vnde eam ob causam, ibidem hoc primum Opusculum, quantum cis licuit, Divo Ambrosio asserunt, qui tamen postea columna 341. sex libros *de Sacramentis* Ambrosii esse negant, contra Natalem Alexandrum pro viribus suis illos Ambrosio affirmantem. Non sunt igitur juxta Benedictinos nostros, Opuscula hæc unius atque ejusdem authoris, multo minus, unum atque idem opus. Contra ego contendo, Opusculum *de Mysteriis* esse partem quandam, vel spectare tanquam primum, ad sequentes libros sex *de Sacramentis* qui septem esse debent. Hoc probamus *primum* authoritate plurium venerandorumque MSS. Codicum, qui librum istum *de Mysteriis* habent simul inscriptum *de Sacramentis*, atque tanquam primum hujus septenarii numeri inscriptum, simulque compactum: quod egregium argumentum est, esse hunc librum *de Mysteriis* ejusdem authoris, atque primum ex libris *de Sacramentis*, qui septem esse debent. Vnde enim rescire hoc melius possimus, quam ex MSS. Codicibus sexcentorum & amplius annorum? Qui decretorii hac in parte testes esse debent, quorum nos plures passim vidimus. Sed & huic argumento validissimo, nostri utcunque assentiuntur amici, emendatores Ambrosianorum Operum Benedictini in *Admonitione* ad libros de Sacramentis prævia, col. 348. sub finem his verbis. «Quamvis a vero quoque non nimium abludat, eos a quibus iidem sermones sunt exarati, illo spectasse, ut per octavam suum cuilibet diei adtribuerent, Dominica Resurrectionis, quod propter solennitatem impeditior esset, tantum omissa. Sed nec aliunde ortum videtur, ut in Manuscriptis aliquot, liber *de Mysteriis* inscribatur *primus de Sacramentis*: qui vero primus est *de Sacramentis* in secundum ordinem dejiciatur, & sic deinceps.» Conveniunt igitur bona fide Benedictini, hos libros in Manuscriptis & quidem bonæ notæ esse septem, & non sex tantum: ac primum illorum esse eum librum, quem *de Mysteriis* sejunctim ediderunt, nosque in diversis Galliarum ordinis Cisterciensis Abbatiarum bibliothecis, 7. aut 8. ex MSS. illis vidimus. Talis est antiquissimus MS. Codex, inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 77. in MSS. Codd. Ecclesiæ Cathedralis Dunelmensis, Codice 12. num. 5. *de Sacramentis Sermones septem*. Nulla autem in Anglia bibliotheca antiqua, quæ tot opera S. Ambrosii, Codicibus quatuor 11. 12. 13. & 14. habeat. Et inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 25. 29. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji litera F. 11. Codice 34. ubi opera solum D. Ambrosii, num. 18. extat ejusdem liber *de Mysteriis* seu *Initiandis*, qui etiam libros sex *de Sacramentis* complectitur, velut opus unum atque idem. Conveniunt pariter Benedictini, ex natura & lectione librorum istorum, debere illos esse septem, & non sex tantum: *quia iidem Sermones sunt exarati, ut per Octavam suum cuilibet diei adtribuerent, Dominica Resurrectionis, quod propter Solemnitatem impeditior esset, tantum excepta.* Constat ergo ex MSS. Codicum fide, ac ipsorum quodammodo consensu, Sermonem (sic enim inscribendus est, uti & libri ipsi de Sacramentis) vel librum *de Mysteriis*, esse partem quandam, vel primum ex libris *de Sacramentis*, qui septem esse debent. Vnde parum cohærent, quod ipsi ante scribunt, his verbis: Hoc porro liquet sex istos libros totidem conciones fuisse, quarum unam singulis diebus habebat author. Quippe idem se vel pridie verba fecisse, vel postridie facturum, subinde ait. Orsus autem feria post Dominicam Resurrectionem tertia, eo modo ad usque octavam ejusdem Festi prosequutus est. Quandoquidem sub finem Sermonis 4. eos qui supererant, *crastina die Sabbato, & Dominica* (in Albis videlicet) habiturum se pollicetur.» Vellem scire a Benedictinis, cur iste author, qui per omnem septimanam concionari juxta eos aggressus fuerat, *excepta Dominica Resurrectionis, quod propter solemnitatem impeditior esset*, ut statim

tim ipſi aſſerunt Benedictini : a feria tantum tertia orſus fuerit, ſexque tantum conciones ſeu libellos hic egerit? Ego longe æquius, cum Benedictinis iisdem hac in parte vacillantibus, a feria ſecunda orſum eſſe, *Dominica duntaxat Reſurrectionis excepta, quod propter ſolemnitatem impeditior eſſet*, opinor : atque ſeptem conciones ſeu libellos eſſe conſcriptos, quorum primus ſit qui *de Myſteriis* recenter inſcriptus, cum cæteris cohæret, idemque argumentum cum ſex ſequentibus ob ſolemnitatem eandem tractat. Cum autem in aliis Manuſcriptis aliquando deeſſet, ad ſupplendum hunc numerum, hoc fieri potuit, quod factum ſcribunt iidem Benedictini in MS. Codice Alnetenſi Ordinis Ciſtercienſis in Epiſcopatu quodam Galliæ, his verbis. *Hinc etiam fieri potuit, ut Sereno quidam in Appendice Auguſtinianorum editionis nova numero 247. quem Ivonis Carnotenſis nomine typis editum, etiam ipſius eſſe, unus e Bibliotheca noſtra Codicibus teſtatum facit, in Alnetino tamen ſub titulo libri ſeptimi* de Sacramentis *poſt hoſce noſtros collocaretur.*

Secundo ita habebantur libri iſti temporibus Paſchaſii atque Ratramni, doctiſſimorum Corbeienſis Abbatiæ virorum, ſeculo nono ſcriptis illuſtrium : ut liber ille *de Myſteriis* partem quandam faceret, atque eſſet primus Librorum iſtorum *de Sacramentis*, qui ſeptem tunc erant. Hoc agnoſcunt Aubertinus in Libro *de Euchariſtia*, atque Andreas Rivetus in *Critici ſacri* Lib. 3. cap. 18. pag. mihi 318. ubi de Scriptis Divi Ambroſii loquitur. Resque patet ex lectione libri Ratramni *de corpore & ſanguine Domini*, ubi ex primo libro *de Sacramentis* varia profert loca, quæ in eo quomodo nunc usque editus eſt, nullo modo reperiuntur. Sed Capitibus 8. & 9. libri *de his qui Myſteriis initiantur*, ſeu *de Myſteriis*. Quamvis duo ex libro 5. adducat, quæ in eo ipſo libro, unde ipſa laudat, inveniantur. Erat ergo ſeculo Eccleſiæ nono, Ratramni atque Paſchaſii temporibus, liber iſte poſtea ſeparatim impreſſus, atque ab ſeculo Eccleſiæ duodecimo circiter, ab aliis diſtinctus atque citatus : erat (inquam) anterioribus iſtis temporibus pars quædam, imo liber primus *de Sacramentis*, qui tunc temporis juxta Manuſcriptorum adhuc veterum rationem, ad ſeptenarium aſſurgebant numerum : *quod eodem agant de argumento*, inquit Natalis Alexander. Nec huic rationi ſatisfaciunt, tum Natalis Alexander *ſeculo Eccleſiæ quarto* parte 1. cap. 6. art. 25. pag. 610. *memoria lapſum eſſe Bertramum* ſeu Ratramnum aſſerens : tum Benedictini Ambroſianorum Operum illuſtratores in Cenſura prævia Libri de Sacramentis col. 345. addentes : *At vero quid ſi imperfectus Codex illi impoſuit? Quid ſi labilis memoria? Et ſane hic error eo fuerat proclivior, quod uterque tractatus conjungi ſolet in Manuſcriptis. Clamant poſtremo ipſa ſtyli diverſitate, authorum quoque diverſitatem prodi, demonſtrarique.* Ego contra contendo, eorum ſæpe factam a me collationem, atque utriusque Operis unum eundemque ſtyliſſimumque mihi videri authorem : neque Codices Manuſcriptos falli, neque Ratramnum illos ſecutum, memoria lapſum fuiſſe. Vnde non ita inconcinne locutus fuiſſe mihi videtur Henricus Bullingerus in literis ad Joachimum Vadianum apud ſanctum Gallum 7. Julii anni 1535. datis, quibus hunc librum *de Myſteriis* cum ſex ſequentibus *de Sacramentis* una complectens, ita ſe de utroque Opere ſentire ſignificat, nimirum *ſtupidos hos, nequaquam eſſe authoris optimi & judicii emunctiſſimi ſaturam.*

Tertio non tantum non differunt ſtylo utrumque Opuſculum *de Myſteriis* atque *de Sacramentis*, ubi volunt poſitiveque affirmant, illuſtratores Ambroſianorum Operum Monachi Benedictini : quin e contra maximam habeant uniformitatem tum argumenti, ut vult Natalis Alexander : tum dictionum ac methodi, ita ut eundem prorſus authorem ſpirent. Legant qui oculos habent, tum primum quidem Libros ſex *de Sacramentis*, quos ubi menti recte impreſſerint lectione iterata vel tertia, redeant ad librum *de Myſteriis*. Fallarque impenſe, niſi omnes cordati, unum eundemque omnium parentem agnoſcant. Affectat enim iſte ſimplex author in hoc libro *de Myſteriis*, ut lector *aures ſemper habeat arrectas*, quem nec vel modicum reſpirare, vel tantillum quieſcere patitur : quod & in libris *de Sacramentis*, cum eadem infantili affectatione ubique proſequitur. Sic num. 6. *Vidiſti illic Levitam, vidiſti Summum Sacerdotem*, Num. 8. *Quid vidiſti? Aquas utique, ſed non ſolas : Levitas illic miniſtrantes, Summum Sacerdotem interrogantem & conſecrantem.* Num. 28. *Deſcendiſti igitur, recordare quid videris &c.* Num. 29. *Poſthac utique aſcendiſti ad Sacerdotem, conſidera quid ſequutum ſit.* Num. 31. *Aſcendiſti de fonte, memento &c.* Num. 34. *Accepiſti poſthac veſtimenta candida &c.* Addo librum hunc *de Myſteriis* eſſe quoddam compendium ſex librorum *de Sacramentis*, quod ab eodem authore feria ſecunda Paſchalis hebdomadæ pronuntiatum primo ſit : tumque poſtea aliis Octavæ diebus latius explicatum, in ſex ſequentibus, quæ *de Sacramentis* inſcriptæ ſunt, concionibus.

Quarto denique Opuſcula *de Myſteriis* atque *de Sacramentis*, unum eundemque clamant ſcriptorem, ex uniformitate doctrinæ cujusdam ſingularis, quoad ablutionem pedum. *Quod in his libris peccata propria, id eſt actualia, per Baptiſmum relaxari dicat : hereditaria vero, id eſt originalia, per lotionem pedum, certe hæreticum eſt, cum Theologia & Eccleſiæ doctrina non convenit*, teſte Maldonato. Audiamus hunc ſcriptorem libro *de Myſteriis* cap. 6. num. 32. *Ideo plantæ ejus abluitur, ut hereditaria peccata tollantur : noſtra enim propria per Baptiſmum relaxantur.* At conſone ad hanc doctrinam idem libro I. *de Sacramentis* cap. 5. hæc verba Matthæi 3. *Decet nos implere omnem juſtitiam*, a Chriſto prolata expendens, ait: *Vide quia omnis juſtitia in Baptiſmate conſtituta eſt.* tum lib. 3. cap. 1. conformiter ad doctrinam libri *de Myſteriis*, ſic loquitur : *Vide omnem juſtitiam, vi-*

de humilitatem, vide gratiam, vide ſanctificationem: niſi lavero, inquit, non habebis partem mecum. tum latius adhuc poſtea perfectam Baptiſmi ſanctificationem, ſeu gratiam attribuit lotioni pedum, his verbis: *Qui lavit, non neceſſe habet iterum lavare, niſi ut ſolos pedes lavet. quare hoc? quia in Baptiſmate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adam ſupplantatus a Diabolo eſt & venenum ei effuſum eſt ſupra pedes, ideo lavat pedes: ut in ea parte, in qua inſidiatus eſt ſerpens, majus ſubſidium ſanctificationis accedat, quo poſtea te ſupplantare non poſſit. Lavat ergo pedes, ut lavet venena ſerpentis.* Fallor plurimum, ſi iſta vel modice præ ſe ferant ingenium grave & firmum divi Ambroſii: atque niſi referant ſcriptorem aliquem Gallicanæ Eccleſiæ, apud quos iſte mos lavandi pedes baptizatis invaluerat, uti ex homiliis S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi conſtat. Spectat igitur meo quidem ſenſu liber *de Myſteriis*, ad libros *de Sacramentis*. Non nego tamen quin in Codicibus MSS. recentibus atque notæ inferioris, liber *de Myſteriis* velut opus diſtinctum a libris VI. *de Sacramentis* interdum reperiatur, ut in MS. Codice Vltrajectinæ bibliothecæ Num. 253. y quem habui, uti habet Catalogus librorum hujus bibliothecæ impreſſus anno 1670. Vltrajecti in folio, parte 1. pag. 89. in MSS. Codicibus. Sed iſte codex vix ſeculo 13. accenſeri ob antiquitatem poteſt.

Quæſtio ſecunda, *utrum libri ſex de Sacramentis*, ac juxta me, *libri ſeptem ſpectent ad Ambroſium Mediolanenſem Epiſcopum?* Certum omnino eſt S. Ambroſium Mediolanenſem Archiepiſcopum ediditſe opus *de Sacramentis*, cujus rei teſtis locuples eſt D. Auguſtinus lib. 2. *contra Julianum* cap. 5. & ſeqq. in *Retractationum* lib. 2. cap. 4. Atque ex hoc loco, qui volunt libros ſex *de Sacramentis* ſpectare ad ipſum, inquiunt, *aut opus iſtud repræſentetur nobis, aut concedatur hoc ipſum eſſe, quo de agimus.* Sed ſolutio ejusmodi in promtu eſt, neque enim utriusque idem argumentum refertur, neque titulus idem. Quandoquidem opus cujus mentio fit ab Auguſtino, non ſimpliciter inſcribebatur *de Sacramentis*, ſed adjiciebatur, *ſive de Philoſophia*: unde cum eodem Auguſtino teſte, *adverſus Platonicos* compoſitum eſſet, diverſam in eo tractatam materiam contra Platonicos, obſcurum non eſt. Noſtra autem quæſtio eſt, utrum libri ſex *de Sacramentis*, qui modo ſub nomine divi Ambroſii prodeunt, nullamque connexionem cum libro ejusdem *de Sacramentis ſive de Philoſophia* deperdito habent, ad ipſum ſpectent & pertineant. Affirmativam tenet ſententiam Natalis Alexander *ſeculo Eccleſiæ quarto* parte 1. cap. 6. art. 25. pag. 609. multis pro more ſuo verbis, ſingulis in contrarium rationibus reſpondens Scholaſticis diſtinctionibus, quæ an eruditis placeant, plurimum ambigimus. Negativam amplectuntur noviſſimi correctores Ambroſianorum Operum, atque ſolvunt multis & ipſi, Alexandrinas reſponſiones, de quibus ſtatim diximus. Cæterum quominus iis aſſenſum præbeamus, qui Ambroſio hoc opus affirmant, ea præcipue impediunt ac ſcrupulum movent. *Primum* diverſitas elocutionis, nam etſi cum Natali Alexandro, ſtylum ab authoribus interdum variari, & pro re ac tempore modo attolli, modo deprimi non ignoremus: ſemper tamen Scriptoris apparet ingenium & quaſi intermicat. Nam qui nobili & eleganti dictione uti conſuevit, nunquam ſeſe ad humilem demittit, luditque velut infans. At vero tam in libris ſex *de Sacramentis*, quam in altero *de Myſteriis*, frigidæ multæ & pueriles interrogationes, quæ ſcriptionum iſtarum nauſeam pariunt, ſubinde aſperguntur: perpetuæ ab authore ex auditoribus aurium arrectiones, importunæque expetuntur, quas ſancto Ambroſio indignas viri graves cenſent. *Secundo* author librorum *de Sacramentis ac de Myſteriis*, utitur alia Scripturæ verſione ab ea, quam Ambroſius in Operibus ſuis adhibuit: unde ille Ambroſius eſſe non poteſt. Quod autem reſpondet Natalis Alexander, ex Operum S. Ambroſii lectione, conſtare ipſum non iisdem ſemper verbis laudaſſe eosdem Scripturæ locos: haud quaquam ſatisfacit magnæ varietati quæ intercedit in Scripturis citatis ad hæc duo Opuſcula, comparatis cum aliis. *Tertio* ingens illa affectatio quæ elucet tam in libro *de Myſteriis* quam *de Sacramentis*, ad aſſignandam lotioni pedum remiſſionem peccati Originalis, & Baptiſmi Sacramento omnem juſtitiam: indignæ prorſus videntur ſancto Ambroſio, quas tamen ſententias cum affectatione urget libro *de Myſteriis* cap. 6. num. 32. Libro 1. *de Sacramentis* cap. 5. & Lib. 3. cap. 1. *Quarto* denique plures in illis libris obſervationes leguntur, quæ leves, ridiculæ, & Ambroſio viro gravi indignæ ſunt. Sic libro 1. cap. 1. *quod Baptizati, Roma fideles dicebantur:* quaſi vero non ita per univerſum orbem cognominarentur. Lib. 3. cap. 1. profitetur ſe in omnibus Romanam Eccleſiam ſequi, a cujus tamen ritibus, officiis & moribus, Eccleſia Mediolanenſis, annis amplius ſexcentis a morte divi Ambroſii, ſemper in plurimis diſcrepavit. Hæc igitur nullatenus conveniunt, neque divo Ambroſio, neque ulli veterum temporum, ejus in eadem ſede ſucceſſorum. Item lib. 4. cap. 4. exponens Orationem Dominicam, ait Chriſtum non dixiſſe, *Non inducas nos in tentationem* ſed *ne patiaris nos induci in tentationem:* quamvis tamen conſtet ex Evangelio Chriſtum dixiſſe, *ne nos inducas in tentationem.* Hæc quamvis multis excuſare conetur Natalis Alexander, haud tamen reſponſionibus emollitis, modici hujus ſcriptoris vulnus ſanat, quod emplaſtro duntaxat contegit. Neque juvant *diſtinctiones differentiarum Eccleſiæ Mediolanenſis in rebus fidei vel morales:* quas hic garrulus affert, cum hic author agat de *ritibus Eccleſiæ*, in quibus Eccleſia Mediolanenſis nunquam omnimode conſentanea fuit Eccleſiæ Romanæ. Cum ergo hic author lotione pedum excepta, in omnibus aliis ritibus

ſe

ſe conformem eſſe Eccleſiæ Romanæ fateatur, hinc Eccleſiæ Modiolanenſis Archiepiſcopus eſſe non poteſt. Denique idem Scriptor Lib. 6. cap. 3. ad hæc verba *clauſo oſtio ora patrem tuum*, hæc habet: *Audi quod oſtium habeas, quod debeas claudere, cum oras. Vtinam mulieres audirent!* Hoc ſane quam vafrum, quam abſurdum, quam nugax? Quaſi vero mulieres aperire ſoleant oſtium domus ſuæ, quando illic orant? Erudite & diffuſe utcunque mentem Benedictinorum anxiam ea de re declarant *Supplementa* ad Acta Eruditorum Lipſiæ Tomo 2. anni 1696. Sect. 5. paginis potiſſimum 213. 214. & 215.

Quæſtio tertia, *utrum libri iſti pertineant ad aliquem Mediolanenſem Epiſcopum?* Ita cenſent Monachi Benedictini, ſecuti D. Godefridum Hermannum, in *elucidationibus vitæ D. Ambroſii Gallicæ*, pag. 30. *Minime tamen refragabimur*, inquiunt, *ſi quis cum doctiſſimo viro, eosdem ſermones aut Venerio aut alii cuidam Ambroſii diſcipulo, qui non multo poſt ipſum præfuerit Eccleſiæ Mediolanenſi, tributos malit.* Ego potius cenſeo ſpectare hos ſeptem libellos ſeu ſermones ad Epiſcopum aliquem Eccleſiæ Gallicanæ. Affirmat enim ſcriptor ſermonum iſtorum, duo ex quibus undenam ſcriptor fuerit, judicari poteſt. *Primum* in Eccleſia vel regione cujus erat Epiſcopus, ablutionem pedum in Baptiſmo fuiſſe obſervatam: *ſecundum* in aliis omnibus, excepta hac ceremonia, Eccleſiam ſuam fuiſſe Eccleſiæ Romanæ conformem. Hæc autem non poſſunt in Epiſcopos etiam utcunque veteres Mediolanenſis Eccleſiæ convenire, qui in plurimis ſemper diſcreparunt & ceremoniis & vivendi rationibus a Romana Eccleſia, usque ad ſeculum duodecimum & ultra. Convenire autem poſſunt in Epiſcopum aliquem Eccleſiæ Gallicanæ, ſub finem ſeculi octavi. Conſtat enim tum in Baptiſmo, ablutionem pedum fuiſſe uſitatam ab Epiſcopis, ut habet in ſermonibus, S. Cæſarius Arelatenſis Archiepiſcopus: Tum temporibus Caroli Magni, Eccleſiam omnem Gallicanam ſingularibus abjectis ritibus, Romanæ ſeſe accommodaſſe, juxta Principis ſui votum, usque etiam ad cantum, ut in Annalibus Eccleſiæ cernere eſt ad annos 759. & 787. apud Spondanum & alios. Ac ſane barbaræ ſimplicesque hujus anonymi ſcriptoris non paucæ phraſes, ſeculum iſtud horridum atque incultum haud excedere antiquitate ſua videntur. His punctis critice prolixe diſcuſſis, jam ad alios hujus ſecundi voluminis Tractatus veniamus.

De Pœnitentia libri duo. Col. 389.

De fide libri quinque ad Gratianum Auguſtum Col. 443. Nec ultra progreſſa eſt hæc editio, dum hæc ſcribimus Pariſiis, anno 1688. die 4. Aprilis quæ tandem anno 1690. completa atque perfecta eſt, apud Viduam Johannis Baptiſtæ Coignart.

Cætera autem hujus editionis accipiemus a Ludovico Ellia du Pin in *Nova Bibliotheca authorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo 4. tomo 2. pag. 276. editionis Amſtelodamenſis anni 1690. ubi inquit ſe ea accepiſſe ab ipſis hujus noviſſimæ editionis promotoribus.

De Spiritu Sancto libri tres ad eundem Gratianum Col. 599. quos Ambroſius ex Græcis Didymi bonis Latinos feciſſe non bonos ſcribit ſanctus Hieronymus, Præfatione in librum Didymi *de Spiritu Sancto*, nomine tamen Ambroſii ad reverentiam ſuppreſſo: nihil ibi dialecticum, nihil virile atque diſtrictum, quod Lectorem in aſſenſum trahat, inveniri arguens. Accuſat eum quod Græcos expilaverit, ac ſpeciatim librum Didymi *de Spiritu Sancto*, ut habet Ruffinus, qui Ambroſium illic ab Hieronymo deſignari, diſerte tradit. Non Didymum autem ſolummodo excerpſit in hoc opere, ſed & Baſilium & S. Athanaſium: in quo colligit Ambroſius quidquid dici unquam potuit ad probandam Spiritus Sancti divinitatem. Compoſitum illud poſt Athalarici Gothorum regis mortem, ante Petri Alexandrini Epiſcopi obitum atque Concilii Conſtantinopolitani celebrationem, hoc eſt ante annum 381.

De Incarnationis Dominicæ Sacramento col. 703. Compoſuit hunc tractatum ad confutandas objectiones duarum Nobilium virorum Arianorum, in caſtris Gratiani Imperatoris militantium, quas ipſi magna animi elatione propoſuerant. Sequenti ergo die ſolvendas has objectiones in hac concione aggreſſus eſt, quem cum Arriani præfati aſcenſo curru ad audiendum accederent: hos Paulinus in Vita Ambroſii, præcipites e curru factos fuiſſe divino quaſi miraculo ſcribit. En occaſionem hujus Tractatus, quem compoſuit aliquanto ante Gratiani mortem, quæ anno 383. contigit, atque poſt libros *de fide* ad eundem Gratianum anno 379. compoſitos, hoc eſt circa annum 382.

Epiſtolæ de variis argumentis XCII. in hac editione collocatæ novo ordine, & in duas claſſes diviſæ, col. 751. Harum claſſis prima continet Epiſtolas 64. quarum tempus ac conſequentia inveniri potuerunt: Secunda autem Epiſtolas reliquas ad numerum 92. quarum nulla certa temporum ratio aſſignari poteſt. Omnium autem ſummaria atque argumenta, nonnullarumque excerpta exhibuit plurimis paginis Ellias du Pin in *nova Bibliotheca authorum Eccleſiaſticorum* pag. 277. & ſequentibus, ad pag. 290. Inter Epiſtolas prioris claſſis reperiuntur Epiſtolæ aliquot nomine Concilii Aquileienſis ſcriptæ, quibus etiam *Acta Aquileienſis illius Concilii contra Palladium & Secundianum* præmittuntur. Etſi enim *Chiffletius* Acta hæc vertente quinto ſeculo, a Vigilio Tapſenſi conficta ſuſpicatus fuerit, ideoque Acta illa cum reliquis Vigilii Tapſenſis Operibus ediderit, & conjecturam hanc ſuam Diſſertatione peculiari ſtabilitum iverit: aliter tamen Benedictinis editoribus viſum eſt, nec perſuadere ſibi poſſunt, Vigilium & famam propriam & Eccleſiæ Catholicæ cauſam ficto aliquo Concilio, Arianorum probro atque ludi-

Digitized by Google

briis expoſuiſſe. Epiſtolas etiam 13. & 14. prioris claſſis, Concilii alicujus Italiæ nomine, ab Ambroſio ad Theodoſium Imperatorem ſcriptas, & in aliis Ambroſii editionibus hactenus omiſſas, ex Sirmondi Appendice ad Codicem Theodoſianum, & Labbeanis Conciliorum tomis, huc transferre Benedictinis noſtris placuit, cum eas non minus quam Concilii Aquileienſis literas ad Ambroſium pertinere judicaverint, licet ſecus eruditiſſimi viri multi ſentiant. Denique Epiſtolis Ambroſii numero 91. inſertæ ſunt *Epiſtola Gratiani ad Ambroſium & Siricii ad Mediolanenſem Eccleſiam*, nec non *Symmachi relatio & Ambroſii de baſilicis ſermo*, ut & *Sermo de reliquiis ſanctorum Gervaſii & Protaſii*: quæ ultima alii ſuppoſitionis arguunt, non inventa inter Opera Ambroſii ante Sixtinam editionem corruptiſſimam.

De exceſſu fratris Satyri libri duo col. 1113. quorum poſterior *de fide reſurrectionis* inſcribitur, poſt Epiſtolas primum locum tenent, tractatus occaſione funerum ſcripti. Dubio procul autem hallucinatus eſt Dungalus, cum in tractatu *de cultu imaginum* tertium Ambroſii librum de *morte Satyri* allegavit: in quem errorem a librariis inductus eſt, quorum aliqui ob nonnullam argumenti cognationem, duobus libris *de morte Satyri*, librum *de Paradiſo* adjunxerunt. Idem vero Dungalus in eodem tractatu *epitaphium Satyri* tanquam ab ipſo Ambroſio poſitum memorat, ex quo colligi poteſt, Satyrum Ambroſii fratrem, etiam Vranium cognominatum fuiſſe. Sic enim ſe habet:

Vranio Satyro ſupremum frater honorem
Martyrio ad lævam detulit Ambroſius.
Hæc meriti merces, ut ſacri ſanguinis humor
Finitimas penetrans adluat exuvias.

Forte tamen vox *Vranii* in hoc Epitaphio, non tam cognominis quam epitheti rationem habet, quo Ambroſius fratris in cœlum recepti beatitudinem denotare voluit, id quod Benedictini editores in medio relinquunt.

Oratio funebris in obitu Valentiniani Imperatoris, col. 1173. quæ in hac editione ſequitur Epiſtolas divi Ambroſii, cum *Oratione funebri in obitu Theodoſii Imperatoris*, col. 1197. ambæ mirabiles atque Ambroſii eloquentia digniſſimæ. Prima autem anno 392. in præſentia ſororum Valentiniani pronuntiata, cujus Principis virtutes eximie attollens, ſine ulla dubitatione & hæſitatione ſalvum illum ac beatum profert, quamvis ante Baptiſmi perceptionem extinctus ſit, fide atque baptiſmi ſuſcipiendi voto, hunc defectum ſupplentibus. In altera ſingularius laudat clementiam, charitatem, atque humilitatem Theodoſii Imperatoris, quam conſolatione atque adhortatione filii Honorii, in cujus præſentia funebrem hanc Orationem anno 395. habuerat, animoſe concludit.

Hymni varii ſub nomine divi Ambroſii vulgati.

Nullus ambigere poteſt, quin S. Ambroſius *Hymnos* conſcripſerit, quos Sanctus Auguſtinus libro 12. *Confeſſionum* laudat, & libro 6. *Muſices* cap. 9. hymnum veſpertinum *Veni Creator omnium*, ut Ambroſii fœtum: quique hac in parte ſynchronus & oculatus teſtis falli non poterat. Verum cum numerum hymnorum ab Ambroſio compoſitorum non expreſſit, jure ambigi poteſt, an hymni omnes, qui nomen Ambroſii præferunt, vere illius ſint. Hymnus autem qui in officio diurno quotidie canitur, incipiens *Jam lucis orto ſydere &c.* cum aliis qui priſcis a temporibus in Eccleſia cantantur, Ambroſium authorem habere videntur: quemadmodum & hymnus in *Hexaemeron creationis*. Quantum autem ad alios hymnos, & alterius ſtyli, & alium referre authorem videntur.

Hymnus, Te Deum laudamus &c. de quo prudenter ſilet Ludovicus Ellias du Pin, ſed juxta Guillelmum Cavum in *hiſtoria litteraria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad annum 374. pag. 215. cœlitus" ut fertur dilapſus, & inter baptizandum Augu-" ſtinum, ab Ambroſio & Auguſtino alternis ver-" ſiculis recitatus. Videtur autem ab Ambro-" ſio eo tempore compoſitus, quo Ariani omnia" ſusque deque miſcentes, Eccleſiam militari ma-" nu obſederunt, ut fatiſcentes Catholicorum" animos refocillaret. Vide quæ de hac re ha-" bet Ambroſius Orat. in *Auxentium* pag. 128." Hæc Cavus, ſed majori cum eruditione & judicio Antonius Pagi amicus noſter in Annalibus ſuis ſeu *Chronologia adverſus Baronium*, ad annum 388. num. 11. pag. 252. Quoad Canticum *Te*" *Deum laudamus*, quod in Chronico S. Datio" Mediolanenſi Epiſcopo attributo, dicitur a divis" Ambroſio & Auguſtino poſt hujus Baptiſmum" decantatum eſſe, Menardus in Notis ad Sacra-" mentarium Gregorii Magni, certum, ait, non" eſſe Sancti Dacii illud Chronicon, ex quo ea" narratio deſumpta, quod non redoleat ſtylum" illorum temporum, atque etiam falſa quædam" contineat. Poſt Menardum idem ſcripſit Ma-" billonius tomo 1. *Analectorum veterum Patrum*" pag. 3. ubi inquit, Chronicon illud quod in Bi-" bliotheca Ambroſiana aſſervatur, variorum" eſſe Scriptorum: cum producatur illud usque" ad annum Chriſti 1067. & S. Dacius imperante" Juſtiniano obierit. Gavantus in Rubrica" Breviarii ſect. 5. cap. 19. aſſerit in antiquiſſimo" Breviario MS. Collegii Aniciani de urbe, iſti" Cantico præferri hunc titulum, *Hymnus Sancti*" *Abundii*. In antiquo Breviario chori Monaſte-" rii Caſſinenſis, paulo poſt annum 1086. de-" ſcripto, hoc Canticum inſcribitur, *Hymnus Siſe-*" *buli Monachi*. Joannes Bona Cardinalis Lib." *de divina Pſalmodia* cap. 16. ſcribit, ante S. Bene-" dictum *Regula* cap. XI. & Terridium ſancti Cæ-" ſarii Arelatenſis Epiſcopi diſcipulum, qui de hoc" in Regula ſua locutus eſt, nullum Veterum fe-" ciſſe illius mentionem. In Pſalterio MS. Baſi-" licæ ſancti Petri in Vaticano, inſcribitur *Hymnus*" *S. Siſebuti*. In Pſalterio Latino Gallico, cujus" meminit Jacobus Vſſerius in tractatu *de Symbo-*" *lo Romana Eccleſia*, Epiſtola ad Voſſium, Sancto"

Ni-

„Nicetio attribui: ſed non eſſe recedendum ab „antiqua traditione, quæ hoc Canticum ſanctis „Ambroſio & Auguſtino tribuit, cum adeo com„muniter recepta ſit. Authorum tamen di„verſitas, quibus illud adſcribitur, authorem hu„jus Cantici adhuc nos latere, ſatis oſtendit.

Appendix Suppoſititiorum.

Alia quoque Opera nonnulla S. Ambroſius conſcripſerat, quæ temporum injuria interciderunt, ut librum *de Sacramentis & Philoſophia*, quem ſæpius citat S. Auguſtinus. Idem quoque lib 4. ad Bonifacium cap. 62. & lib. 2. contra Julianum, citat *Commentarium ſancti Ambroſii in Iſaiam prophetam*, cujus etiam mentionem facit ipſe Ambroſius *Commentario in Lucam*. Scripſerat quoque *ad Fritigildum inſtitutionem*, cujus Paulinus ejus Diaconus in ejusdem Vita meminit, atque alteram *inſtitutionem* ad Panſophium. Sed longe plures adulterini tractatus ſucceſſu temporum ſancto Ambroſio adſcripti, quam genuini deperditi: de quibus ſpuriis agendum nobis nunc incumbit, ad finem ſecundi voluminis, ab editoribus hujus ultimæ impreſſionis rejectis.

Igitur conjuncta eſt Tomo huic ſecundo *Appendix* ad Ambroſii Opera, in qua poſt Vitam D. Ambroſii triplicem, Pſeudepigraphi tractatus multi continentur. Et *Prima* quidem Ambroſii *vita* pag. 1. a Paulino ſcripta eſt, non Nolano Epiſcopo, ut perperam aliqui opinati ſunt: ſed Ambroſii *Notario*, quem poſtea ad gradum Presbyterii perveniſſe ex Iſidoro *de Viris illuſtribus* cap. 4. colligi poteſt. *Altera Vita* Ambroſii p. 15. ab Auctore quodam anonymo, qui forte Metaphraſtes fuit, Græce ſcripta eſt, quæ ex Colbertinæ bibliothecæ Codicibus nunc primum addita Latina verſione, luce publica donatur. *Tertiam* Ambroſii *Vitam* pag. 31. hi ipſi Benedictini, ex Ambroſii ſcriptis potiſſimum collegerunt, & juxta chronologiæ ordinem digeſſerunt, cujus in exordio monent, *Baronium* quidem Vitam Ambroſii elaboraſſe, eamque Romanæ Ambroſii Operum editioni præfixam eſſe: ſed celeberrimi hujus viri laborem usque adeo ab omnibus probatum non fuiſſe, ut ipſi Auctori non ſatisfecerit, quippe qui, poſtea cum Annales Eccleſiaſticos ſcriberet, multa illius vitæ errata emendaverit. *Godefridi* autem *Hermanni*, Doctoris Sorbonici, *Vitam Ambroſianam* propterea a ſe omiſſam notant, quod & Gallico idiomate ſcripta ſit, & mole ſua amplior, quam ut præſenti volumine comprehendi commode potuerit.

Inter Pſeudepigrapha, quæ in *Appendice* præſenti leguntur, primo loco ponitur *Tractatus de Manſionibus XLII. filiorum Iſrael*, pag. 1. Authoris quidem eſt antiqui, ſed non ſancti Ambroſii Mediolanenſis Archiepiſcopi: utitur enim hic author verſione Latina librorum Origenis, quæ Ruffino ex parte plurima debetur, qui Ambroſio poſterior eſt.

Commentarius in Epiſtolas ſancti Pauli pag. 15. creditur pertinere ad Hilarium Diaconum, de quo nos ſuo loco. Eſt tamen notandum, *Commentarium in decem priora capita Epiſtola ad Hebræos* non eſſe hujus Hilarii Diaconi, ſed, ut notat Cavus, a falſario quodam aſſutum fuiſſe, partim ex ſancto Joanne Chryſoſtomo, partim ex ſancto Hieronymo contextum.

Tractatus in Symbolum Apoſtolorum col. 321. Rectius, ut volunt Benedictini Galli Congregationis ſancti Mauri, in MSS. Codicibus inſcribitur, *Tractatus de Trinitate & Reſurrectione*, qui nihil aliud eſt, quam collectio & farrago variorum excerptorum ex SS. patribus, indigna prorſus Ambroſio. Auctus eſt paſſim in editione Romana juſſu Sixti V. poſtea Romani Pontificis facta, variis adjectionibus, & adulteratus mutationibus paſſim: quem integrum & ſanum, licet breviorem exhibent in editione Pariſienſi anni 1689. citati Monachi.

Expoſitio fidei ſecundum Symbolum Nicænum, excerpta eſt ex libro 1. *de fide* ad Gratianum, ut annotant Guillelmus Cavus & Ludovicus Ellias du Pin, locis citatis.

Liber de Filii Divinitate & Conſubſtantialitate col. 345. juxta Guillelmum Cavum in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad annum 374. pag. 215. ſpectat ad Vigilium Tapſenſem Africanum Epiſcopum, ut aſſerit Franciſcus Chiffletius, in ſuo *Vigilio Tapſenſi*, de quo poſtea loquemur. Juxta autem Ludovicum Elliam du Pin in *Nova Bibliotheca Authorum Eccleſiaſticorum* tomo 2. ſeculo 4. pag. mihi 291. ſpectat ad Gregorium Bæticum, uti cum de Operibus S. Gregorii Nazianzeni ageret, ab ipſo ibidem probatum eſt.

Liber de dignitate Sacerdotali, col. 357. quem etiam Cavus germanis Ambroſii Operibus annumerat loco citato, ad Gerbertum ſpectat ſeu Silveſtrum II. Papam, *liber Paſtoralis* inſcriptus, cujus ſub nomine editus prodiit ab Joanne Mabillonio in tomo 2. *Analectorum* pag. 212. ubi dicitur *Sermo de informatione Epiſcoporum*. Ita ex Benedictinis Operum ſancti Ambroſii ultimis emendatoribus, Ellias du Pin tomo 2. ſeculo 4. *Nova Bibliotheca Authorum Eccleſiaſticorum*, pag. mihi 291. cui favet ipſe Cavus, dum Opuſculum iſtud recenſet inter Opera Gerberti ſeu Silveſtri ſecundi, in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ad annum 999. pag. 594.

Sermo exhortatorius ad Virginitatem, col. 365. quem Guillelmus Cavus genuinis quoque D. Ambroſii adſcribit, juxta Elliam du Pin, ſtyli ab Ambroſiano diverſi omnino eſt: unde in Appendicem incertorum vel ſpuriorum a Benedictinis Monachis, Operum Ambroſianorum ultimis cenſoribus, projectus legitur.

Sermones varii col. 391. *Conciones de tempore ac de Sanctis XCII.* ejusdem Opuſculis paulatim ſucceſſu temporum adjectæ, quarum nulla vere ad Ambroſium ſpectat, teſtibus Benedictinis ultimis Operum ſancti Ambroſii

ſii emendatoribus. Inter has impreſſas ſub nomine Ambroſii, inveniuntur XXXVI. editæ inter Sermones S. Maximi Taurinenſis Epiſcopi. Aliæ XIV. in Appendice Sermonum ſancti Auguſtini, & aliæ duæ quæ in his duobus locis habentur. Concio inter Ambroſianas impreſſas LXIV. aliud nihil eſt quam verſio in Latinam linguam homiliæ cujusdam ſancti Baſilii Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopi, in illud Lucæ 12. verſ. 18 *Deſtruam horrea mea &c.* Expoſitio in caput 31. Proverbiorum, eſt ſermo 37. ſancti Auguſtini. Vnde Benedictini noviſſimi Operum S. Ambroſii cenſores & editores, ab edendis præfatis abſtinuerunt, quorum Catalogum duntaxat exhibuerunt. Quantum autem ad reliquas, quæ quinquaginta octo ſunt, illas quidem hic edendas curarunt, ſed ingenue fatentur, ad ſtilum & ingenium Divi Ambroſii non accedere, nec proinde ad eum pertinere. Ex his quoque LXIV. homiliis ſeu concionibus, in hac editione ſub nomine vel inter Opera ſpuria ſancti Ambroſii impreſſis, extant una & viginti, quæ vere ſpectant ad ſanctum Cæſarium Arelatenſem Archiepiſopum, ut poſtea dicemus in diſcuſſione Homiliarum hujus ſancti Cæſarii.

Epiſtolæ quatuor col. 479. nimirum, *Epiſtola XXIX Floriano* ſcripta, ſtyli Ambroſiano longe abjectioris & inferioris eſt, quam ob cauſam a noviſſimis Operum divi Ambroſii cenſoribus Monachis Benedictinis, in *Appendicem* ſpuriorum & incertorum relegata fuit. Adhuc autem clarius elucet, *Epiſtolam XXXIV.* quæ narrationem Martyrii beatæ Agnetis complectitur, eſſe opus impoſtoris cujusdam. Hic cum hanc hiſtoriam ad libitum confinxiſſet, ſub narrationis finem Ambroſii nomen adjecit, qui cum in divinis voluminibus hæc inveniſſet, ad Eccleſiæ ædificationem ac Virginum adhortationem, in ſcriptis ſub hac forma digeſſiſſet. Stylus hujus narrationis ſolus impoſturam detegit, atque alium ab Ambroſio authorem præfert. Idem cenſet Ellias du Pin quoad *Epiſtolam XXXV.* quæ de *Inventione reliquiarum ſanctorum Gervaſii & Protaſii agit.* Rem enim geſtam hic author alia omnino ratione refert, quam verus Ambroſius in genuinis ſuis ſcriptis: habetque hæc Epiſtola alium omnino ab Ambroſiano ſtylum. Volunt nonnulli utramque Epiſtolam fuiſſe confictam a Sixto V. Romano Pontifice. Idem quoque dicendum eſt de *Epiſtola LV.* quæ *Inventionem Reliquiarum Sanctorum Vitalis & Agricolæ* refert, quæ deſinit per hanc formulam, *Regnante Chriſto Domino noſtro &c.* quæ ſeculorum Ambroſio longe recentiorum eſſe, apud antiquarios fertur.

Precationes ad Miſſam duæ col. 489. Sacerdotem ad obeundum rite hoc munus præparantes, Ambroſii eſſe non videntur. Ita ſentiunt Ludovicus Ellias du Pin loco citato, Robertus Cocus in *Cenſura quorundam Scriptorum Veterum*, pag. mihi 273. Andreas Rivetus lib. 3. *Critici Sacri* cap. 18. Argumentum autem hujus ſuppoſitionis primum, ſumitur ex materia harum Precationum, præſertim ſecundæ. Nam in illa author pro *Regibus* nominatim precatur, cum tamen de *Imperatoribus* verbum nullum habeat. Atqui licet, ut rectè annotavit Bellarminus lib. 2. *de Miſſa* cap. 21. oratio fiat pro *Regibus* in iis locis qui *Regibus* ſubſunt: cum tamen Ambroſius in Italia vixerit ſub Imperatoribus glorioſiſſimis Valentiniano & Theodoſio, ſub Rege nullo: incredibile eſt Ambroſium neglectis Imperatoribus, Deo Reges commendaſſe, præſertim cum Tertullianus in *Apologetico* cap. 30. teſtetur, *morem fuiſſe Occidentalium, pro ſalute Imperatorum, Deum vocaſſe æternum, dum coirent in cætum.* Præterea in eadem Precatione mentio fit *Septem capitalium vitiorum, & vitiorum ex iis manantium*, eodem plane modo & iisdem omnino verbis, quibus ea expreſſit Gregorius Magnus, Expoſitione Moralium in Job lib. 31. cap. 31. Neque tamen Doctores Scholaſtici, cum eam doctrinam humanis teſtimoniis ſtabilire conantur, ullum antiquius S. Gregorio teſtimonium proferunt: unde ſequitur ſcriptorem harum Precationum eſſe Gregorio Magno poſteriorem. Ex quo colligi poſſe videtur, ipſos Scholaſticos haſce precationes pro Ambroſianis non agnoviſſe.

Commentarius in Apocalypſim ſancti Joannis, pag. 499. eſt authoris valde recentis, cui plurimæ paſſim inſperſæ leguntur ſancti Gregorii Magni, qui ſub finem ſeculi ſexti floruit, ſententiæ. Imo allegat ſanctum Gregorium præfatum, & loquitur de Longobardis adhuc longe poſterioribus. Inſcribitur Berengaudo in quamplurimis MSS. Codicibus, ut in Oxonienſi, quem citat Cavus, & longe ante Cavum Andreas Rivetus libro 3. *Critici Sacri* cap. 19. Meminit autem cum honore hujus Berengaudi Dionyſius Carthuſianus cap. 10. *Commentarii in Apocalypſim*, quem ſicut & Bedam & Haimonem antiquos authores citat. Notat etiam Salmeron Jeſuita, Comm. in Epiſt. Pauli Diſputatione 19. pag. 63. *charactere & ſtylo longe differre ab Ambroſiano*, & citare Gregorium Magnum, duobus ſeculis integris Ambroſio poſteriorem. Cutbertus Tonſtallus Dunelmenſis Epiſcopus, qui Expoſitionem hanc Pariſiis primus edidit anno 1548. apud Vaſcolanum, quibusdam rationibus, ſed plane puerilibus, eſſe legitimum Ambroſii fœtum, probare conatus eſt. Sed contra Tonſtallum eximie facit, quod author ipſe in Explanatione capitis VI. aperte fatetur ſe ſcripſiſſe poſt Romanum imperium a Longobardis occupatum, quod annis amplius ducentis poſt Ambroſium contigit. Vnde mirum videtur, quomodo in mentem Tonſtalli venire potuerit, tale Opuſculum inſcribere & aſſerere Ambroſio. Hi majores Appendicis tractatus ſunt, minores autem qui ſequuntur.

Liber de Pœnitentia col. 589. cum Exhortatione ad pœnitentiam peragendam, & *Epiſtola, cur Deus permiſerit Monachum quendam a dæmone vexari*, Victoris ſcriptoris Africani eſt, quem Victorem

ctorem Cartennenſem eſſe nonnulli, alii vero Tunnonenſem eſſe volunt. Sane in duobus MSS. antiquis hujus tractatus, nomen *Victoris* præfigitur, nec dubium quin liber ad Victorem aliquem pertineat, cujus hæc ſunt verba ultima, *Nulla capiaris oblivione Victoris.* Extabat aliquando, in 2. parte Operum Ambroſii, impreſſionis Baſileæ anni 1492. tractatus quidam ſub hoc titulo, *Exhortatio ad pœnitentiam.* Hunc tractatum non eſſe Ambroſii cenſebant ſine dubio illi, qui poſtea hunc reſecuerunt ex Ambroſii Operibus. Et quidem idem cenſent, qui reſectam denuo interſerendam novis editionibus putarunt, tum Pariſienſes, tum Romanenſes. Venditatur ſub Auguſtini nomine, & quod ad ſummam rei attinet, idem omnino cum homilia 39. quæ Cæſario Arelatenſi tribuitur, juxta cenſores Gregorianos in Gratianum *de pœnitentia* diſt. 7. Si quis. Unde *exhortatio ad pœnitentiam, non ab Ambroſio, ſed ab Auguſtino conſcripta, merito omiſſa eſt*, inquit Joannes Coſterius in Catalogo librorum poſt Vitam Ambroſii, tomo 1. Operum Ambroſii editionis Baſileenſis 1567. Exhortatio igitur iſta ad ſanctum Cæſarium Arelatenſem Archiepiſcopum pertinere cognoſcitur.

Libellus de Spiritu Sancto, col. 605. ſeu potius fragmentum cujusdam libelli, quamvis authoris utcunque antiqui ſit, Ambroſii tamen non videtur, juxta Guillelmum Cavum & Elliam du Pin locis citatis.

De concordia Matthei & Lucæ in Genealogia Chriſti tractatus col. 609. quem ſpurium & ſancto Ambroſio perperam affictum, cenſent Andreas Rivetus libro 3. *Critici Sacri* cap. 19. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo 4. ad annum 374. pag. 215. Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca authorum Eccleſiæ* tomo 2. ſeculo 4. pag. mihi 298. Vt autem recte advertit dictus du Pin loco citato hic anonymus circa hanc quæſtionem ſequitur Julium Africanum, cujus Syſtema ipſis ab Ambroſio dictis adverſum amplectitur, unde Ambroſius haudquaquam eſſe poteſt author hujus Tractatus: qui cum in duobus pervetuſtis exemplaribus fuiſſet inventus, altero Sancti Victoris, altero Sancti Dionyſii Pariſienſis agri, adjectus primum olim fuit a Joanne Gilotio, editioni Pariſienſi anni 1569. Ac quidem putabat illum non abhorrere neque materia neque ſtylo ab Ambroſio, ſed aliis emunctæ naris Viris ſecus viſum eſt, atque inter cæteros Antonio Poſſevino.

De dignitate humanæ conditionis libellus col. 611. attributus quoque ſancto Auguſtino, atque inter ejus Opera ſub titulo *de creatione primi hominis* computatus.

Tractatus de Myſterio Paſchæ, a Guillelmo Cavo qui rem exacte non diſcuſſit, inter genuina Sancti Ambroſii Opuſcula computatur pag. 214. *Hiſtoriæ Literariæ*, quem inter ſpuria rejicit vir emunctiorum narium & acrioris judicii Ellias du Pin, loco citato, pag. 291. Vult Opus iſtud, eſſe ſermonem perperam in varia capita, per modum Tractatus diſtinctum, ſtylo ſancti Maximi Taurinenſis potius, quam S. Ambroſii accedentem.

Libri duo de vocatione omnium Gentium & *Epiſtola ad Demetriadem*, certo ad ſanctum Ambroſium pertinere non poſſunt, cum utrumque Opuſculum poſt ortam Pelagianam hæreſim compoſitum ſit, cujus ad tempora Ambroſius non pervenit. Ita cenſent Guillelmus Cavus, Ellias du Pin loco citato, cum eruditis omnibus.

Liber de conflictu vitiorum & virtutum, quem recte Cavus inter ſpuria Opera conjicit, qui etiam interdum in MSS. Codicibus partim ſancto Auguſtino, partim S. Leoni attribuitur: ſpectat ad Ambroſium Autpertum, ut in præfatione hujus Operis obſervatum eſt, ad *Appendicem* ſexti tomi ſeu voluminis novæ editionis Operum S. Auguſtini, pag. 219. Ita loco citato Ellias du Pin, quidquid in oppoſitum dicat Guillelmus Cavus, *Hiſtoriæ Literariæ* ſeculo 8. pag. 489. ad annum 760. ubi de Scriptis Ambroſii Autperti loquitur.

Tractatus de origine & moribus Brachmanorum, in cujus fine aliqua deſiderari videntur, abeſt omnino a ſtylo, gravitate & inſtituto divi Ambroſii, juxta Andream Rivetum lib. 3. *Critici Sacri* cap. 19. Idemque cenſent Guillelmus Cavus & Ludovicus Ellias du Pin, uterque locis citatis. Extat tum in recentioribus Ambroſii editionibus, tum Palladio *de Gentibus India*, Londini anno 1668. in 4. impreſſo adjunctus. Jam ad editiones veteres veniamus.

CAPVT SECVNDVM.

DE ANTIQVIORIBVS EDITIONIBVS OPERVM EJVSDEM AMBROSII MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI.

PRima editio Operum ſancti Ambroſii Mediolanenſis Archiepiſcopi, ea eſt quam Maffellus Venea Monachus ordinis Eremitarum divi Auguſtini, Ambroſio Corano Ordinis ſui Generali Præpoſito dedicavit, cujus annus editionis & locus non deſignantur. Secunda facta Mediolani anno 1490. curis Cribellii Presbyteri, quæ cum præcedente modicam Opuſculorum & Operum S. Ambroſii manticam continet. Tertia apud Amerbachium Baſileæ anno 1492. facta, tribus partibus conſtans, parum correcta quidem, quæ longe ampliorem Opuſculorum Ambroſii numerum continet, atque anno 1506. Baſileæ apud Joannem Petri repetita fuit, magno indice materiarum priori duntaxat adjuncto. Primus qui curis ac ſtudiis majoribus incubuit colligendis in unam molem Operibus ſancti Ambroſii, eſt celebris ille Deſiderius Erasmus Roterodamus, qui Opuſcula hujus Doctoris quatuor tomis diſtinxit, quorum primus *Moralia*, ſecundus *Polemica*, tertius *Sermones & Orationes* cum Epiſtolis, quartus *Commentaria in*

Teſtamentum Vetus & quintus tomus Commentaria in *Novum Teſtamentum* complectebatur. Hi quinque tomi duobus voluminibus in folio conſtant, qui & Baſileæ impreſſi annis 1527. Pariſiis 1529. apud Chevallonium, iterumque Baſileæ annis 1538.

Complevit editionem ſuam Eraſmus anno primum 1527. extatque Epiſtola Deſiderii Eraſmi Roterodami ad Reverendiſſimum Dominum D. Joannem a Laſco Archiepiſcopum Gneſnenſem ac totius Poloniæ Primatem data Baſileæ Idibus Auguſti anno 1527. qua illi Collectionem Operum Divi Ambroſii a ſe procuratam dedicat, æquiſſima ſingulis tomis cenſura præmiſſa. Continentur autem Eraſmianæ editionis

Tomo primo.

Officiorum libri III.
De Virginibus libri III.
Exhortatio ad Virgines.
Inſtitutio Virginis.
Ad Virginem devotam liber.
Ad Virginem lapſam liber.
De Viduis liber.
De Pœnitentia libri II.

Tomo ſecundo.

De Vocatione omnium Gentium libri II.
De fide ad Gratianum Imperatorem libri V.
De Spiritu Sancto ad eundem libri III.
De fide contra Arrianos liber.
De Incarnationis Dominicæ Sacramento liber.
De Myſteria Paſchæ liber.

Tomo tertio.

Oratio funebris in obitu Valentiniani Imperatoris.
Oratio funebris de exceſſu fratris ſui Satyri.
Oratio ſecunda de eodem de fide reſurrectionis.
De fide reſurrectionis liber *εἰκόφαλος*.
Oratio funebris de morte Theodoſii Imperatoris.
Epiſtolarum libri X.
Conciones XCII. quas S. Maximo Taurinenſi Epiſcopo Eraſmus adjudicat.

Atque hoc eſt primum volumen Operum Ambroſii ex Eraſmi diſpoſitione, cujus tomus primus *τὰ ἠθικά*, hoc eſt, quæ ad mores Chriſtianorum inſtituendos faciunt, quorum primam hanc eſſe curam oportet, complectitur. Secundus *Πολεμικά*, ſeu pugnas adverſus hæreticos tibi exhibebit. Tertius Orationes, Epiſtolas & Conciones ad populum breves, quas ultimas ſuppoſititias eſſe Eraſmus nihil addubitat, in quibus nihil eſſe Ambroſianæ venæ inquit: uti etiam Joannes Coſterius, in editione Operum D. Ambroſii ſucceſſor Eraſmi, qui omnes omnino S. Maximo Taurinenſi Epiſcopo, tum ex MSS. Codicum fide, tum ex libris impreſſis attribuit. Secundum vero volumen Commentarios Scripturam explicantes complectitur, tomo quarto veteris Teſtamenti, tomo quinto novi, ut ſequitur.

Tomo quarto.

Hexaemeron libris VI.
De dignitate humanæ conditionis libellus incerti authoris.
De Paradiſo liber.
De Cain & Abel libri II.
De Noe & Arca liber.
De Abraham Patriarcha libri II.
De Iſaac & Anima liber.
De bono mortis liber.
De Joſepho Patriarcha liber.
De benedictionibus Patriarcharum lib.
De Naburhe Iſraelita liber.
De ſancto Jacob & vita beata libri II.
De Eſaia vel de fuga ſeculi liber.
De Helia & jejunio liber.
De Thobia liber.
De Interpellatione libri III.
Apologiæ Davidis II.
De Interpellatione David.
De Salomone liber.
De iis qui Myſteriis initiantur liber I.
De Sacramentis Eccleſiaſticis libri VI.
De dignitate Sacerdotali lib.
Precationes ad Miſſam præparantes duæ,
Commentarii in Pſalmos XII. Davidicos, i. ſcilicet, 35. 36. 37. 38. 39. 40. 43. 45. 47. 48. 61.
Commentarii in Pſalmum 118. in XXII. Sermones diſtincti.

Tomo quinto.

Commentarii in Scripturas novi Teſtamenti.
In Evangelium S. Lucæ libris X.
In Epiſtolas divi Pauli omnes, qui Ambroſii non ſunt.

Secundus Joannes Gillotius Campanus, cum longe majorem numerum MSS. Codicum collegiſſet, procuravit novam editionem Operum omnium ſancti Ambroſii, anno 1547. & 1568. Pariſiis apud Merlinum, quæ ibidem quoque. anno 1579. repetita eſt. Editio hæc quamvis omnium correctiſſima, obſcura & incognita utcunque manſit, extincta omnimode per editionem Romanam quæ aliquanto poſt maximi nominis facta eſt. Ordinem illius & methodum Robertus Bellarminus nobis repræſentat in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis in Ambroſio Mediolani Archiepiſcopo*, qui ab ordine Eraſmi atque Coſterii quidem alius eſt, nihil autem novum vel de novo additum continet.

At poſtea tertius huic Operi incubuit, Joannes Coſterius Lovanii ex ordine Canonicorum Regularium, qui cum Eraſmi editionem multis ſcatentem mendis crederet, textum librorum & tractatuum S. Ambroſii ad nonnullos MS. Codices collatum, Baſileæ apud Epiſcopium anno 1555. imprimendum curavit, editio hæc & illic repetita fuit anno 1567.

Obſervat eandem Tomorum diſtributionem cum

Digitized by Google

cum Eraſmo, eundem Opuſculorum numerum & ordinem, unde ſi correctiones Operum excipias, in pauciſſimis ab Eraſmiana differt. Inſcribitur autem, *Omnia D. Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi Opera primum per D. Eraſmum Roterodamum, mox per Sigismundum Gelenium, deinde per alios viros eruditos diligenter caſtigata, nunc vero poſtremum per Johannem Coſterium, ad plurimum antiquorum Codicum collationem, pluquam bis mille erroribus ſublatis, prater integros verſus pluribus locis deſideratos, quos nunc adjecit, ita emendata: ut ſuperioribus editionibus ubicunque gentium evulgatis longe præſtare, æquus lector, ſi vel unicum tantum librum cum ſuperioribus editionibus contulerit, facile dijudicet.* Dicavit opus Joannes Coſterius nobiliſſimo ac eruditiſſimo viro Domino D. Claudio Cærondeleto, inſignis Eccleſiæ D. Donatiani Brugis Præpoſito, totius Flandriæ Cancellario, Eccleſiæ Metropolitanæ Biſuntinæ in Burgundia Supremo Decano ac Cæſareæ Majeſtatis Conſiliario, Epiſtola data Lovanii e Cœnobio S. Martini anno 1555. quarto nonas Martias.

Adjecit Coſterius editioni ſuæ, ipſam Deſiderii Eraſmi præfationem ac cenſuras tomis ſuis ſingulis, deinde *Vitam S. Ambroſii Mediolanenſis Archiepiſcopi* ex ipſius potiſſimum ſcriptis, per ſe Joannem Coſterium, Ordinis D. Auguſtini Canonicum contextam, cum *Vita ejusdem Divi Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi* a Paulino Presbytero ad beatum Auguſtinum conſcripta. Denique Tomo 3. pag. 325. Petri Nannii Alcmarienſis Scholia in Orationes duas funebres & aliquot Ambroſii Epiſtolas, eidem Claudio Carondeleto dicata 1552. quarto Calendas Decembres. His duntaxat Coſteriana editio pauciſſimis ab Eraſmiana diſſidet.

Quartus qui Ambroſii illuſtrandis Operibus operam conferre voluit, Felix de Montalto S. R. Eccleſiæ Cardinalis, poſtea Summus Pontifex ſub Sixti V. nomine, qui rem aggreſſus eſt dum eſſet adhuc Franciſcanus, atque Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum, poſtea Cardinalis factus, quatuor volumina Operum ſancti Ambroſii edenda curavit, annis 1579. 1580. 1581. & 1582. Gregorio XIII. dedicata: nam quintum & ſextum nonniſi ſub Pontificatu Sixti V. annis 1585. & 1587. in publicam eruperunt lucem. Hæc editio quamvis multis in locis reiterata fuerit, inſtar tamen exemplaris & archetypi ſequentibus editionibus facta eſt, ob decretum Sixti quinti, huic editioni præfixum. Hinc juxta editionem hanc Romanam, impreſſa ſunt Ambroſii Opera ſæpius multis in locis, ſed Pariſiis potiſſimum, annis 1586. 1603. 1614. Coloniæ 1616. & Pariſiis 1632. 1642. 1665. Creditum eſt Opus tanto apparatu collectum, tantis curis ſuſceptum, tam præclaris characteribus & cartis impreſſum, fuiſſe correctiſſimum & perfectiſſimum. Interea hæc editio plurimis laborat inſignioribus mendis, quæ eam deprimunt. Primum ac principale hujus editionis vitium, ac viris utilitati publicæ deſudantibus indignum, quod *Correctores Romani* licentiam ſibi arrogaverint immutandi, reſcindendi, & adjiciendi quidquid ſibi viſum rectum eſt, abſque fundamento vel authoritate ullius manuſcripti Codicis. Imo eo audaciæ proceſſerunt, ut non ſatis habentes immutaſſe voces & phraſes quæ eis duræ & indigeſtæ videbantur, atque alias in earum locum juxta phantaſias ſuas ſubſtituiſſe: deleverint etiam, vel addiderint lineas integras, & integras periodos, quæ ſenſum omnino novum ac penitus diſcrepantem faciunt: ut videri poteſt ab iis, qui contulerint antiquas illas & ſinceras Operum divi Ambroſii editiones, cum illa recentiore Romana Sixtina. 2. Inſeruerunt *Commentarios* textum integrum librorum ſacrorum, id quod impedit, quominus Commentarius Sancti Ambroſii continua ſerie legatur. 3. Non obſervarunt in Operibus collectis ordinem naturalem. Collocarunt enim Epiſtolas inter Tractatus in Scripturam ſacram, ſeparaverunt libros qui diſjungi non debuerant, ut *Tractatus interpellationis Jobi & Davidis*, quorum partem quidem tomo primo, alteram autem tomo ſecundo inſeruerunt. Conjunxerunt item Tractatus, qui ſeparari debuerant. Epiſtolas in ordinem incommodum digeſſerunt. Uno verbo, ubi nimia immutandi & expoliendi prurigine abripiuntur, omnia ſubvertunt & confundunt: inquit Faber in Epiſtola ad Frontonem Ducæum Jeſuitam, ubi notat defectus Romanæ Operum ſancti Ambroſii editionis. „ *Inveni*, inquit, *nimium fuiſſe ingenioſos* „ *in alieno opere, ut in libris* de interpellatione ſan- „ ctorum Job & David, *quos ab invicem ſepararunt,* „ *& unum in tomo primo, alterum in ſecundo colloca-* „ *runt. Quod ut facerent, quadam interpolari, mi-* „ *nime probabili exemplo compulſi ſunt. Idem in* „ Apologia priore Davidis *præſtiterunt, & pejori* „ *adhuc modo*, in Apologia poſteriore. *Cum enim* „ *capite 8. dicat Hiſtoriam Davidis cum Berſabea non* „ *eſſe hiſtoriam, (id quod oſtendit hunc librum non eſſe* „ *divi Ambroſii, ſed Origeniſtæ cujusdam, qui omnes* „ *libros ſacros ad allegoricum ſenſum trahebat: ſi-* „ *cut etiam ex illius accurata lectione, liber hic ex duo-* „ *bus aut tribus ſermonibus collectus & conſarcinatus* „ *videtur) quinque aut ſex lineas, quæ in omnibus an-* „ *tiquis editionibus inveniuntur, reſecuerunt.* „ Hæc ad Frontonem Ducæum Faber. 4. Claſſem ſingularem aliquot librorum ſuppoſitorum inſtituerunt, ſed magnam ejusmodi librorum partem reliquerunt inter Opera ipſa quæ vere ſancti Ambroſii genuina ſunt. Ex his inveniuntur, quorum ſuppoſitio ita manifeſta eſt, ut hæc eis culpa condonari nullatenus poſſit, quod patere poteſt in libris ſeu Tractatibus *de arbore interdicta, de dignitate hominis ſeu humanæ conditionis, de vocatione omnium Gentium, de Epiſtola ad Demetriadem, de Tractatu in Symbolum Apoſtolorum:* & aliis pluribus. Magna laborabat ignorantia, qui credebat hos libros ſeu Opera eſſe divi Ambroſii: & magna impudentia, qui relinquebat inter Opera legitima, quando etiam claſſem quandam Opuſculorum ſuppoſitorum digerebat.

Quinto in hac Romana editione noviſſima F. Felix Cardinalis de Monte alto, alium omnino ordinem abſurdum atque Opuſcula omnia confundentem excogitavit, tum ab ordine Deſiderii Eraſmi & Joannis Coſterii, tum Joannis Gillotii diſtinctum. Velut ergo præludia hujus editionis præmittuntur, Epiſtola F. Felicis Cardinalis de Monte alto ad SS. D. Gregorium Papam XIII. qua illi Opera S. Ambroſii Mediolanenſis Archiepiſcopi a ſe edenda offert, data 1580. Romæ Kalendis Decembris. Hinc ad lectorem Præfatio, tum Epiſtola Cardinalis Baronii ad Felicem de Monte alto Epiſcopum Cardinalem tituli ſancti Hieronymi, ſcripta ex Oratorio Sanctæ Mariæ ad Valliculam Idibus Decembris 1583. cum ſubjuncto Roberti Bellarmini teſtimonio *de Scriptis S. Ambroſii*, ex libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Vita S. Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi a Cæſare Baronio Sorano, Presbytero Congregationis Oratorii collecta pag. 1. Altera vita ejusdem S. Ambroſii a Paulino etiam Presbytero ad beatum Auguſtinum conſcripta: quibus omnibus præmittitur bulla Sixti V. jam Romani Pontificis, qua unicam hanc Operum divi Ambroſii editionem authenticam & ubique Eccleſiarum futuris temporibus amplectendam ac imprimendam incredibili temeritate & audacia pronuntiat, data Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die 14. Septembris 1585. Pontificatus ſui anno primo. Hæc Romanæ præludia editionis. Ordo autem hujus editionis inordinatus, & a Felice infelice perturbatus, ita ſe habet.

Tomo primo.

Hexaemeron ſeu de Operibus ſex dierum libri VI.

De dignitate conditionis humanæ libellus.

De Paradiſo liber unus.

De Abel & Cain libri II.

De Noe & Arca liber unus.

De Abraham Patriarcha libri II.

De Iſaac & anima liber unus.

De bono mortis liber unus.

De Jacob & Vita beata libri II.

De fuga ſeculi liber unus.

De Joſeph Patriarcha liber I.

De benedictionibus Patriarcharum liber I.

Epiſtolæ 2. ad Horontianum, quibus Ambroſius examinat loca quædam cap. 1. Geneſeos, a Collectione Epiſtolarum avulſæ, & huc temere allatæ.

Epiſtola ad Sabinum in qua de Paradiſo ex cap. 2. Geneſeos, deque ejus loco myſtice agitur, eodem modo huc allata.

De arbore interdicta ſuper cap. 3. Geneſeos, libellus.

Epiſtolæ 2. Ambroſii ad Irenæum, quibus explicat loca quædam capitis 8. & 16. Exodi, a Collectione Epiſtolarum avulſæ, & huc temere translatæ.

Epiſtola Ambroſii ad Simplicianum, qua loca quædam cap. 24. Exodi explicat.

Epiſtola ejusdem ad Juſtum, qua loca quædam capitis 30. Exodi explicat.

Epiſtola ejusdem ad Romulum, ad loca quædam cap. 32. ejusdem Exodi.

Epiſtola Ambroſii ad Simplicianum, ad caput 10. Levitici.

Ejusdem Epiſtola ad Conſtantium, ad caput 12. Levitici.

Ejusdem brevis Epiſtola ad Romulum ad quædam capitis 36. Levitici.

Epiſtola Ambroſii ad Chromatium, ad quædam cap. 23. Numerorum.

De quadraginta duabus filiorum Iſrael manſionibus, Tractatus, ad caput 33. Numerorum.

Epiſtola Ambroſii ad Irenæum brevis, in quædam cap. 22. Deuteronomii.

Apologia Davidis prior & poſterior.

De Helia & jejunio liber unus.

Sermo de Heliæ jejunio qui auctoris incerti eſt.

De Nabuthe Jezraelita liber.

De Sancto Eliſæo Propheta Sermones II. ad caput 6. libri 4. Regum. Ex quibus apparet, quam fœde Cardinalis Epiſtolas D. Ambroſii mutilaverit, quam abſurde omnia miſcuerit & confuderit, diſtributione Operum abſurda. Sunt enim ſancti Maximi Taurinenſis Epiſcopi.

Tomo ſecundo.

De Tobia liber unus.

De interpellatione Job libri II.

Sermo de Sancto Job & gratiis Deo agendis, qui eſt S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi.

Enarrationes in Pſalmum 1. 21. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 45. 47. 48. 50. 61.

In Pſalmum 72. enarratio, quæ ſub titulo *de interpellatione David* circumfertur.

Epiſtola Ambroſii Simpliciano ſcripta, qua Pſalmi 104. aliqua explicat, ex Collectione Epiſtolarum avulſa & imperite huc intruſa eſt.

Anonymi authoris ſermo in Pſalmum 109. & alter in Pſalmum 117.

Enarratio in Pſalmum 118. Ambroſii Epiſcopi, in XXII. Sermones diſtributa.

De Salomone liber unus.

Enarratio in caput 31. Proverbiorum.

Epiſtola Ambroſii ad Clericos, qua Eccleſiaſtis pauca explicantur, ex Collectione illius Epiſtolarum huc adducta.

Sermones II. de eleemoſyna ad caput 3. Eccleſiaſtici, qui non ſunt Sancti Ambroſii, ſed ſancti Cæſarii Arelatenſis Archiepiſcopi, ut ex lectione mihi innotuit. Idemque de ſermone qui ſequitur, mihi dicendum videtur.

Epiſtola Ambroſii ad Irenæum, qua quædam capitis 52. Eſaiæ explicat, ex Collectione Epiſtolarum huc advecta.

Epiſtola Ambroſii ad Salinum, qua quædam

Jeremiæ

Digitized by Google

Jeremiæ cap. 17. explicat, ex eadem Collectione Epiſtolarum huc translata.

Sermones duo de *Suſanna* ad caput 13. Danielis, quorum author ſanctus Maximus Taurinenſis Epiſcopus, cujus inter Opera extant.

Enarrationes 2. de Ninivitis ad caput 3. & 4. Jonæ Prophetæ, ad eundem ſanctum Maximum ſpectant, cujus & nomine impreſſæ ſunt.

Epiſtolæ duæ Ambroſii ad Horontianum, quibus Michææ quædam explicantur, ex Collectione Epiſtolarum avulſæ, & imperite huc translatæ.

Epiſtola Ambroſii ad Irenæum, qua Aggæi Prophetæ quædam exponit, ex Collectione eadem Epiſtolarum Ambroſii, huc allata.

Sermo *de gratiarum actione*, qui vel ad Maximum Taurinenſem Epiſcopum, vel ad Cæſarium Arelatenſem Archiepiſcopum ſpectare videtur.

Tomo tertio.

Commentarii in Evangelium ſecundum Lucam, in libros X. diſtincti.

Commentarii in omnes Epiſtolas D. Pauli Apoſtoli. Hæc primi voluminis ſunt.

Tomo quarto.

De officiis libri III. a quibus volumen ſecundum incipit.

In Symbolum Apoſtolorum Tractatus.

De fide ad Gratianum Auguſtum libri V.

De Spiritu Sancto ad eundem Gratianum Auguſtum libri III.

De filii divinitate contra Arrianos liber.

De Incarnationis Dominicæ myſterio, liber.

De Myſterio Paſchæ libellus.

Epiſtola S. Ambroſii Epiſcopi ad Epiſcopos per Æmiliam conſtitutos *de ratione Paſchalis celebritatis*, ex Collectione Epiſtolarum imperite huc allata.

De obitu fratris ſui Satyri liber.

De fide reſurrectionis liber.

De iis qui Myſteriis initiantur, liber.

De Sacramentis libri VI.

De Sacerdotali dignitate liber.

De Pœnitentia contra Novatianos libri II.

De Virginis inſtitutione liber.

Hortatorius ad Virginitatem tractatus.

De Virginis forma vivendi, ad Virginem devotam, tractatus.

De virginis lapſu ad virginẽ lapſam, tractatus.

De Virginibus ad Marcellinam ſororem, libri III.

De Viduis liber unus.

De Vocatione omnium gentium libri II.

Tomo quinto.

Sermones qui in anterioribus editionibus 92. tantum cenſebantur, atque ab Eraſmo Roterodamo & Joanne Coſterio aliisque, vel omnes vel pene omnes ſancto Maximo Taurinenſi Epiſcopo adſcribebantur, imperite hic absque hæſitatione S. Ambroſio attribuuntur: quibus Felix Cardinalis de Montalto alios adjecit ad centum & novem cum præfatis aſſurgentes, qui omnes ſpectant indubie ad S. Cæſarium Arelatenſem Archiepiſcopum.

Epiſtolarum Ambroſii libri VIII. Epiſtolas LXXIV. continentes, quarum plures huic editioni de novo adjectæ, quæ omnes adulterinæ Opera D. Ambroſii depravant, atque nares obductas Felicis de Montalto aperte offendunt, de quibus poſtea.

Precationes ad Miſſam præparatoriæ II.

Hymni XXXIV. diverſis temporibus concinendi.

Opuſcula Sancto Ambroſio adſcripta.

Commentarius in Apocalypſim beati Johannis.

De conflictu vitiorum & virtutum ad Simplicianum liber.

Expoſitio fidei ſive Symboli Nicæni Explicatio, contra Arium & Photinum, cum Notis Wilhelmi Lindani, Ruremundenſis Epiſcopi.

De Spiritu Sancto libellus, ſeu fragmentum.

De concordia Matthæi & Lucæ in Genealogia Chriſti deſcribenda, tractatus.

De Pœnitentia liber.

Exhortatio ad pœnitentiam agendam.

Epiſtola cur Deus permiſerit monachum quendam a dæmone vexari?

De origine & moribus Brachmanorum tractatus.

Expoſitio in Cantica Canticorum ex libris B. Ambroſii excerpta, quam Antonius Demachares evulgavit in lucem.

Annotationes ex Petri Nannii & aliorum Scholiis ſelectæ, ad hujus editionis uſum accommodatæ. Hæc volumine 2. continentur.

6. Vt jam ſupra dixi in Concionibus illis ſub Ambroſii nomine evulgatis, nihil ferme ſanum, quod Doctorem ſanctum referat, ſi excipias conciones duas funebres, unam *in obitum Valentiniani Imperatoris*, & alteram *in obitum Theodoſii ſenioris Auguſti*, die 40. depoſitionis ejus habitam. Denique ad coronidem amplitudinis & augmenti, quod Ambroſianis Operibus Felix de Montealto, infelici omnino ſorte ſollicitus procuravit: Sermones adjecit XX. *de variis argumentis*, quos ab aſteriſco præfixo diſtinxit, Ambroſioque doctori injuſtus impoſuit. Quos ego ſermones hic ex ordine ſubjeci.

De Adventu. *Hoc tempus, fratres chariſſimi, non immerito &c.*

Dominica 4. Adventus. *Propitia Divinitate, fratres dilectiſſimi, jam adveniunt dies &c.*

In die Natalis Domini. *Domini noſtri Jeſu Chriſti, fratres, Nativitatem celebrantes &c.*

In Epiphania Domini. *Dies iſte & feſtivitas, quam hodie fratres celebratis &c.*

In octava Epiphaniæ. *Hanc baptiſmi Jeſu Chriſti Domini noſtri celebritatem &c.*

Dominica in Septuageſima. *Redimite vos ipſos fratres &c.*

Dominica in Sexageſima. *Adeſt tempus, charisſimi fratres &c.*

Feria IV. Cinerum 1. *Dominus & Salvator noſter, qualiter poſt multas negligentias &c.*

2. *Rogo vos fratres cariſſimi, ut in iſto legitimo tempore &c.*

Dominica I. Quadrageſimæ IV. *1. Ecce adſunt dies Sancti &c.*

2. *Quam timendus eſt fratres cariſſimi, dies iſte judicii &c.*

3. *Ecce nunc tempus acceptabile &c.*

4. *Lectum eſt nunc in Evangelio &c.*

Dominica IV. Quadrageſimæ. *Agite gratias, fratres, divinæ pietati &c.*

Dominica in Paſſione. *Scitote fratres, quoniam cujus opera quisque facit &c.*

Dominica in Palmis. *1. Veniente Domino noſtro Jeſu Chriſto ad urbem Hieruſalem &c.*

2. *Video vos fratres hodie attentius, quam ſoletis &c.*

Dominica Reſurrectionis Chriſti. *Audiſtis fratres quod ſanctæ mulieres &c.*

In Aſcenſione Domini. *Laudemus Dominum, fratres cariſſimi &c.*

In die Pentecoſtes. *Magna eſt, fratres cariſſimi, hodierna feſtivitas &c.*

Hos quidem ſermones cum inveniſſet Felix de Montalto, in Italiæ bibliothecis anonymos, atque in iis tum pietatem inſignem, tum aliqualem ſtyli ſuavitatem & antiquitatem advertiſſet: totus Ambroſio, quem in lucem dabat, amplificando ditandoque intentus, hos eidem Franciſcana audacia adſcripſit. At ipſo naſutiores, atque in diſcretione vilis ac pretioſi periciores, Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in Gallia, in ultima cribratione legitimorum Sancti Auguſtini ſermonum a ſpuriis, quatuor ex his ſermonibus Ambroſio a Felice adſcriptis, juxta vel Manuſcriptorum fidem, vel Cæſariani ſtyli perfectam notionem, Cæſario Arelatenſi adſcripſerunt, in ultima editione Pariſienſi Sermonum divi Auguſtini. Sermonem nimirum *de Epiphania* inter Appendicem Pſeudo Auguſtinorum num. CXXXIX. col. 248. cum nomine Cæſarii ad marginem adjecto. Sermones duos *in Quadrageſima, Dominus & Salvator noſter, qualiter ad eum poſt multas negligentias &c.* ibidem num. CXLI. col. 250. *Rogo vos & admoneo fratres cariſſimi, ut in iſto legitimo &c.* num. CXLII. col. 251. cum nomine Cæſarii ad marginem adjecto, quem, ut ipſi inquiunt, in phraſibus ſingulis referunt. Et quartum *in die Aſcenſionis*, incipientem *Laudemus, fratres chariſſimi, & DEO gratias agamus &c.* num. CCLXVI. col. 438. nomine etiam Cæſarii ad marginem poſito, licet notent quod inveniatur inter Sermones Ambroſii. Hæc de Sermonibus Ambroſio adjectis, in editione Romana, quam procuravit Felix de Montealto, Cardinalis.

7. Haud autem felicior fuit Sixtus Papa V. ſeu Felix Cardinalis, dum adjecit Operibus Ambroſianis Epiſtolas quasdam antea ineditas, omnes illas ſuppoſititias atque tanto Antiſtite indigniſſimas. Præfixit nimirum libro 1. quæ non imparem præ ſe impoſturam referunt, *Acta Concilii Aquilejæ anno 381. habiti* opera S. Ambroſii Mediolanenſis Archiepiſcopi, quæ ad Epiſtolarum frontem a Felice collocata ſunt in editione Epiſtolarum Ambroſii, cum Epiſtolis tribus Concilii ejusdem ad Galliarum Epiſcopos, provinciæ Narbonenſis & Viennenſis, & ad Imperatores Chriſtianos ac Principes Gratianum, Valentinianum & Theodoſium: quæ omnia ſuppoſitionis notavit Petrus Franciſcus Chiffletius, atque Vigilii Tapſenſis Africani opuſculum ſeu Commentum, alieno nomine ad majorem eis fidem conciliandam, in ſuo *Vigilio Tapſenſi* opinatus eſt. Ita lib. 1. Epiſt. 1. 2. 3. 4.

Nec majoris authoritatis ſunt libro 2. Epiſtola 15. qua datæ rationem Eugenio tyranno, quare ipſum non expectans, Mediolano receſſerit, illumq; quod idolorum ſacrificiis ſumptus conceſſerit, libere argeit. Et Epiſt. 16. qua ſe apud Theodoſium Imp. quod ſuperioribus diebus non ſcripſerit excuſat, ejusque clementiam implorat, pro iis qui ad Eccleſiam confugerunt. Et Epiſtola 18. Marcellinæ ſorori, de concione quam in Eccleſia ad Theodoſium Imperatorem habuit, in cauſa Epiſcopi & Monachorum, ob Synagogæ conflagrationem. Hæ enim eruditis confictæ & ſuppoſititiæ cenſentur, uti & libro 4. Epiſt. 29. Floriano adoleſcenti lapſo & revertenti, poſcenti autem ut via ei oſtendatur, qua alienus a peccato tutior ad ſalutem progredi valeat: cui Ambroſius fictus diſciplinam converſationemque Chriſtiano conſonam fuſe deſcribit, ut cœlum conſequi poſſit.

Item libro 7. Epiſt. 53. fratribus per omnem Italiam conſtitutis, quomodo Mediolani ſanctorum Martyrum Gervaſii & Protaſii corpora invenerit, ubi aliqua de ipſorum etiam paſſione deſcribuntur. Epiſt. 54. ad Marcellinam ſororem de eorundem corporum inventione & translatione, cum ſermone qui incipit *Heſterno die tractavi verſiculum Pſalmi* dies diei eructat verbum &c. *prout noſtri captus tulit ingenii &c.* inter ſermones de Sanctis V. pag. mihi 65. Hujus enim ſolius phraſeos lectione, agnoſcas opilionem aliquem, non Ambroſium Mediolanenſem Archiepiſcopum, talis ſermonis ac ſomniorum authorem. Epiſtola 55. *de inventione corporum Sanctorum Vitalis & Agricolæ*, ejusdem farinæ eſt, aptiſſimæque omnes, quæ Pontificiis ſomnia deliriaque anilia aucupantibus, eximie placeant. Idem de Epiſtola 58. ad Imperatorem Theodoſium, qua ſe excuſat quod Mediolano receſſerit ob Eugenii tyranni adventum. Hæ Epiſtolæ in MSS. Codicibus nullibi comparent, quæ a nonnullis confictæ creduntur a ipſo Sixto Papa V. audaciſſimo plane viro. Quid enim inſulſius, quam quod larvatus ille Ambroſius, ad Marcellinam ſororem ſcribit de corporibus Gervaſii & Protaſii, *ſequenti die tranſla-*

transtulimus ea in basilicam quam appellant Ambrosianam? Quis unquam tale portentum audivit, vt Ambrosii tempore, Ecclesia ipsius nomine sacra audiret atque appellaretur? Olet parem nugatorem, quam idem Felix Cardinalis editioni suæ adjecit, Epistolam Ambrosii ad Marcellinam sororem, *in causa Episcopi & Monachorum ob Synagoga conflagrationem* lib. 2. Epist. 18. pag. mihi 106. quæ nec vim habet Ambrosianæ eloquentiæ, cujus initium abruptum aperte impostorem arguit. Finis quoque post garrulitatem infinitam abruptus, eundem blateratorem præ se fert, qui Scripturæ verbis abutitur, ad procurandam sceleratis Monachis impunitatem.

Tandem authores hujus editionis, nullas adjecerunt notas, nullam marginibus discrepantiam lectionum annotarunt: arbitrati satis se egisse, dum ad finem ultimi voluminis adjecerint *Dissertationes Scholasticæ* cujusdam Ferdinandi Velosilli, intelligentiæ textus Ambrosiani nihil conducentes, quæ sunt Collectaneum locorum communium & sanctorum Patrum in varias quæstiones.

Quinti & ultimi qui post Felicem de Montalto Ambrosianorum Operum corruptorem & interpolatorem, illis emendandis & ordinandis cura & studio insigni incubuerunt, Jacobus du Friche & Nicolaus Noury, Monachi Benedictini Congregationis sancti Mauri in Gallia, quorum editio in folio duobus voluminibus anno 1686. Parisiis, apud Joannem Baptistam Coignart via Jacobæa prodiit, qui omnes Romanæ editionis defectus correxerunt. Nam 1. firmam sibi & inviolabilem præfixerunt legem, ut nihil in textum Ambrosii admitterent, nisi illud unius aut plurium MSS. Codicum authoritate approbatum esset: neque quicquam immutarunt, quin admonuerint cujusnam MS. codicis authoritate id egerint. 2. expunxerunt textum Bibliorum in anterioribus editionibus a Sixto V. positum, & Commentarium sancti Ambrosii continuum posuerunt, eo modo quo ab ipso compositus fuit, excepta Capitum distinctione, quæ magno Lectoribus adjumento est. 3. Ordo quem in dispositione Opusculorum observarunt, simplex est & naturalis: qui præterea chronologiam cujusque Operis annotarunt, Epistolas denique juxta temporis quo scriptæ sunt ordinem, digesserunt: aliis quarum incerta epocha, ad calcem priorum ablegatis. 4. Nullum Opus certo suppositum, cum veris & indubiis collocarunt: sed solum reliquerunt illam *Apologiam Davidis secundam* & *libros sex de Sacramentis* & *de initiandis* inter veros Ambrosii partus, eo quod eruditi adhuc plurimi tractatus istos esse Ambrosii arbitrentur, quamvis rationes non desint plurimæ, suppositionis & adulterii. Tandem ad caput seu frontem cujusque tractatus, præmiserunt Argumenta maxime utilia, quibus aperiunt Operis cujusque tempus, & Summarium illius complectuntur. Adjecerunt etiam ad paginarum omnium infima, notas quæ differentias lectionum in Manuscriptis non tantum continent, sed etiam explicationes locorum quorundam textus Ambrosiani difficilium exhibent, cujus sensum cum omni penetratione, perspicuitate & æquitate possibili explicant, absque divagatione in quæstiones quæ nihil prosunt ad intelligentiam textus sui Authoris. Vt vere dici possit, hanc editionem Operum sancti Ambrosii perfectissimam esse, nec in ullo, editioni Operum Augustinianorum inferiorem haberi. Editio hæc anno 1698. apud fratres Huguetanos recusa Anstelodami est eodem ordine iisdemque paginis & formis, quibus Parisiensis constat, quam illi ad incautos decipiendos, factum Parisiis anno 1686. inscripserunt.

NECTARIVS EPISCOPVS CONSTAN- 381.
TINOPOLITANVS, anno 381. Gregorio Nazianzeno suffectus, ea ratione quam ingenue describit Sozomenus *Historiæ Ecclesiasticæ* Libro 7. cap. 8. his verbis. „Eodem tempore Nectarius quidem Tarso Ciliciæ oriundus, vir Senatorii ordinis, Constantinopoli degebat. Qui cum in patriam reverti jam pararet, adit Diodorum Episcopum Tarsi, velut laturus epistolas, si quas ille Tarsum scribere voluisset. Fortetum Diodorus secum ipse tacitus agitabat, quisnam potissimum eligendus esset, ad eam ordinationem, quæ tanta ambitione celebrabatur. Qui Nectarium conspicatus, cum Episcopatu dignum esse censuit. Statimque in intimo mentis recessu, suffragium suum ei contulit. Canitiem viri, vultumque Sacerdotio dignum, & morum suavitatem considerans. Itaque tanquam alterius negotii causa, eum ad Episcopum Antiochensem deduxit: multisque laudibus prosecutus, oravit Episcopum ut illum suffragio suo adjuvaret. Ille vero in tanti momenti negotio, ubi multi illustres viri proponebantur eligendi, Diodori suffragiū derisit. Nihilominus evocatum ad se Nectarium, aliquantulum temporis opperiri jussit. Haud multo post cum Imperator mandasset Episcopis, ut nomina eorum, quos quisque Episcopatu dignos judicaret, in charta perscriberent, unumque ex omnibus eligendi facultatem sibi ipsi reservasset, alii quidem aliorum nomina perscripserunt. Antiochensis autem Ecclesiæ Antistes, scripsit & ipse eos quos voluit: omnium tamen postremum adjecit Nectarium, in gratiam Diodori. Imperator igitur perlecto indiculo eorum, qui inscripti fuerant, subsistit in Nectario. Et intenta mentis acie, secum ipse consultabat, digito in postremum vocabulum impresso. Rursusque ad caput reversus, cum cunctos ordine percucurrisset, Nectarium elegit. Tum vero admiratio omnes invasit: quærebantque, quis & unde esset Nectarius ille, & quod vitæ genus sectaretur. Cumque didicissent, ne sacro quidem lavacro eum initiatum esse, inopinatum Principis judi-

cium

„cium eo amplius mirabantur. Ignorabat autem iſtud, ut opinor, etiam Diodorus. Neque „enim, ſi id ſciviſſet, auſus eſſet unquam viro „nondum initiato ſacerdotii ſuffragium dare. „Sed ut veriſimile eſt, virum jam canum, pridem „baptizatum eſſe exiſtimabat. Verum hæc non „ſine nutu Dei evenere. Siquidem Imperator, „poſtquam eum Baptiſmi expertem eſſe intelle„xiſſet, in eadem ſententia permanſit, multis li„cet Epiſcopis refragantibus. Poſtquam vero „univerſi ceſſerunt, & Imperatoris ſententiam „ſuffragio ſuo comprobarunt, baptizatus eſt: & „adhuc neophyti veſtem indutus, communi to„tius Concilii calculo, Epiſcopus Conſtantino„polis renuntiatur. Multi porro crediderunt „hæc ita ab Imperatore geſta eſſe, Deo id illi „mandante ac præcipiente. Sed utrum id ve„rum ſit, nec ne, certo equidem affirmare non „poſſum. Mihi tamen ipſe perſuaſerim, non „ſine divina providentia id actum eſſe, dum & „ordinationis illius miraculum conſidero, & ex „iis quæ conſecuta ſunt animadverto, Deum „manſuetiſſimo & optimo atque honeſtiſſimo „viro, Epiſcopatum hunc conferre voluiſſe. „Et hæc quidem in ordinatione Nectarii ita „geſta ſunt, ut auditione accepi. Factum ejus temporibus anno 394. Conſtantinopoli Concilium, ubi Nectarius iſte præerat cum Theophilo Alexandrino, Flaviano Antiocheno, atque aliis ſexdecim Orientis & Aſiæ ſelectis Epiſcopis, ad cauſam terminandam Agapii & Bagadii de Boſtrenſi Epiſcopatu contendentium. Habetur autem ejusmodi *Sententia Synodalis de Epiſcopatu Boſtrenſi*, Græcolatine libro 4. *Juris Græco Romani*. Vide quoque tomum 2. Conciliorum editionis Labbeanæ Pariſienſis, colum. 1152. Syntagma Canonicum Joannis Zonaræ pag. 525. cum Syntagmate Canonico Theodori Balſamonis Patriarchæ Antiocheni pag. 761. editionis Græcolatinæ Pariſienſis 1620. in folio, cum Gentiani Herveti interpretatione Latina. Extat quoque ſub ejus nomine *Homilia de ſancto Theodoro Duce & Martyre*, inter Chryſoſtomi homilias quasdam excuſas Pariſiis 1554. in 8. atque apud Surium in *Probatis Sanctorum Hiſtoriis* tom. 6. ad diem 9. Novembris, ſed Latine tantum, ab his verbis incipiens: *Quam magna eſt multitudo benignitatis tuæ Domine &c.* Verum an genuina ſit, merito dubitari poteſt, inquit Cavus. Extat autem Græce inter MSS. Cod. Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Codice 144. fol. 105. pag. 1. ad folium 111. pag. 2. ut refert Petrus Lambecius tomo 4. Commentariorum in eandem Bibliothecam pag. 95. his verbis: *Nectarii Archiepiſcopi Conſtantinopolitani narratio, quam ob cauſam in primo Sabbatho ſanctorum jejuniorum, celebremus memoriam ſancti Theodori Martyris, cum annexa admonitione de jejunio & eleemoſyna conjungendis.* Ipſa tituli Græci verba cum initio Orationis hæc ſunt: Νεκταρίου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως Διήγησις, δι' ἣν αἰτίαν τῷ πρώτῳ σαββάτῳ τῶν ἁγίων νηστειῶν ἑορτάζομεν τὴν μνήμην τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Θεοδώρου, καὶ περὶ νηστείας καὶ ἐλεημοσύνης. ὡς πολὺ τὸ πλῆθος τῆς χρηστότητός σου Κύριε &c. Eadem extat MS. ibidem inter MSS. Codices Hiſtoricos Græcos, Cod. XI. num. XXVII. a fol. 166. ad 173. ut habet Lambecius tomo 8. *Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* pag. 86. Ibidem Cod. XV. num. XXVII. a fol. 200. ad 208. ut habet Lambecius ibidem pag. 231. Denique ibidem Cod. XXXII. num. IX. a fol. 60. ad 69. ut habet Lambecius eodem libro, pag. 349. Eadem quoque MS. Græce in bibliotheca Bodleiana Codice 274. in MSS. Codd. Thomæ Roe Cod. 28. pag. 121. ὡς πολὺ τὸ πλῆθος τῆς &c. Et Codice 726. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi litera C. Codice 84. pag. 324. Inter MSS. Codices Bibliothecæ Græcos Sereniſſimi Bavariæ Ducis, Codicibus 8. 63. & 114. Mortuus dicitur Nectarius anno 398. cujus mentionem faciunt Socrates Lib. 5. *Hiſtoria* cap. 8. Sozomenus Lib. 7. *Hiſtoria* cap. 8. ut ſupra jam diximus, atque capitibus 9. & 10. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiæ*, ſeculo 4. ad annum 381. pag. 229. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Auctorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo 4. tomo 2. pag. mihi 246. Petrus Lambecius Libro 4. *Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, pagg. 97. 248. & 256.

DISSERTATIO CRITICA
DE
VITA ET OPERIBVS SANCTI JOANNIS ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI COGNOMENTO CHRYSOSTOMI.

390. INſignes hoc ineunte ſeculo viri, ſuos labores ſudoresque, tum colligendis in unum, tum ordinandis atque in linguam Latinam vertendis Operibus ſancti Johannis Conſtantinopolitani Archiepiſcopi, cognomento Chryſoſtomi, ſumma cum laude contulerunt: quorum induſtria ſtudiisque religioſiſſimis, poſteri magna jam cum voluptate perfruuntur. Ex his Angli plures, Gallus unus. Ex Anglis primarius, abſque tamen ullo aliorum exiſtimationis damno, Clariſſimus *Henricus Savilius*, gentis hujus nobile decus & ornamentum, qui eximio labore expenſisque immenſis Opera hujus ſancti Doctoris Græce inquirenda ab hujus ſeculi initio,

tio, ex omnibus Christiani orbis partibus collecta, maximis octo voluminibus in folio edenda curavit in Anglia anno 1613. Etonæ in Collegio Regali, ex typographia Joannis Norton, Regii in Græcis typographi. Alii Angli duo, *Johannes Boisius* & *Andreas Downæus*, in gratiam Savilii, Notas eruditas contexerunt, quas Tomo VIII. editionis suæ idem Savilius pag. 30. & seqq. inseruit, de quibus nos occasione data frequenter postea loquemur. Quartus autem qui illustrandis maxime S. Johannis Chrysostomi Operibus operam suam contulit, *Fronto Ducæus*, Gallus, eruditus Societatis Jesu Theologus, qui Parisiis editionem Græcam ac Latinam, eodem ferme tempore quo in Anglia Savilius, aggressus, eandem annis sequentibus maximo eruditorum omnium bono, in lucem produxit. Anno enim 1609. primum ac secundum volumen Operum Græcolatinorum Joannis Chrysostomi opera Frontonis hujus, prodiit Parisiis in folio, cum notis ad finem voluminum, tum propriis, tum etiam ex editione Etonensi acceptis. Anno 1614. tertium & quartum volumen, pari methodo. Anno 1616. quintum atque sextum. Alia autem divi Chrysostomi Commentaria in Novum Testamentum, tunc temporis edita non sunt : quippe quæ recenter atque ab annis paucis, Heidelbergæ apud Commelinum impressa fuerant. Denique *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno 1697. mense Augusto pag. 351. ajunt *Opera omnia S. Johannis Chrysostomi Archiepiscopi Constantinopolitani* Græcolatina in folio XII. tomis proditura, sumptibus Balthasaris Chr. Wustii, juxta ultimam Græcolatinam editionem Parisiis factam, partim cura Frontonis Ducæi adgubernante, Morelli partim studio accedente, qui Commelini Tomos IV. in VI. divisit, illisque sex tomos a Ducæo editos adjunxit. Ita tomis XII. Græcolatinis anno 1698. Francofurti in folio, quo editio illa incepta primum annoque demum 1709. perfecta fuit. Ex his autem fontibus desumpserunt omnia quæcunque de Scriptis Divi Johannis Constantinopolitani dixerunt prolixissimis suis tractatibus eo de argumento Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo 4. ad annum 398. pag. 252. ad finem seculi, & Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* tomo 3. seculo 4. pag. mihi 7. ad 57. qui neque unde sua sumpserint, conticent. Pari igitur jure ab iisdem fontibus quibus illi aquas hauriam, sed religiosiori quodam modo, iisdem ipsis verbis eorum authorum, qui tot annos in Joanne Chrysostomo ordinando, evulgandoque insumpserunt : ipso eorum judicio singulis Opusculis applicato, quod ad finem editionum aut voluminum singulorum rejectum, minus a posteris legebatur. Ipsa eorum verba proferam, singulisque adaptabo, ut non me, sed Savilium, aut Dounæum, aut Boisium, aut Ducæum, criterii authores, audire videantur Lectores.

CAPUT PRIMUM.

VITA SANCTI JOANNIS CONSTANTINOPOLITANI PAUCIS PERSTRINGITUR, COGNOMENTUM CHRYSOSTOMI EXCUTITUR, SCRIPTORES VITÆ ILLIUS EDITIONESQUE OPERUM POTISSIMÆ RECENSENTUR.

Vitam S. Joannis Constantinopolitani Archiepiscopi cum compendio Guillelmus Cavus exacto comprehenderit, hanc tibi verbotenus, labori inutili parcentes, ex ipso hic dabimus. Joannes ergo Chrysostomus ab insigni quâ pollebat facundiâ dictus, nobili apud suos prosapiâ, Antiochiæ ad Orontem fluvium circa annum CCCLIV patre Secundo inter viros militares maxime illustri, matre Anthusâ piâ plane & lectissimâ fœminâ, natus est. Primis pueritiæ rudimentis peractis, cum mira prægnantis indolis specimina edidisset, præstantissimis in quavis facultate præceptoribus traditus est. Audivit in Rhetorica Libanium, in Philosophia Andragathium, Carterium in sacris literis, & Diodorum postea Tarsensem Episcopum, Archimandritas Antiochenos : à quibus literalem S. Scripturas exponendi rationem didicit. Condiscipulos & amicos plures habuit, neminem vero quo familiarius utebatur, & cum quo etiam sermones *de Sacerdotio* habuit : quam illum Basilium quem Socrates lib. 6. *Historia Ecclesiastica* cap. 3. aliique Magnum Basilium Cæsariensem fuisse volunt, Photius autem *Bibliothecæ* Cod. 148. & ex eo plures, Basilium Seleuciæ Episcopum : ego vero tertium ab utroque diversum esse arbitror. In Theologicis Meletium etiam Antiochenum diligenter audivit, cujus & in familia per triennium hæsit, á quo sacrarum literarum rudimentis acceptis (Carterium enim & Theodorum grandior postea audivit) ab eodem salutari adhuc lavacro tinctus, & Ecclesiæ Antiochenæ Lector ordinatus est. Juvenis adhuc Chrysostomus cum Monasticæ vitæ institutum in animo haberet, non obstantibus matris quæ alia ei antea persuaserat consiliis, ad vicinos se montes contulit, & cum sene quodam eremita per quadriennium degit. Inde in secretiorem eremi solitudinem profectus, speluncæ integro biennio se inclusit : donec vigiliis, inediis, aliisque disciplinæ arctioris exercitiis fatigatus, deficientibus pene naturæ viribus, Antiochiam redire coactus est. Hic a Meletio Episcopo ineunte anno CCCLXXXI Diaconus constitutus, ad scribendum se accinxit, librosque *Adversus Judæos, Gentiles, Anomæos*, *de Sacerdotio ad Basilium*, *& de Providentia ad Stagirium Monachum*, aliosque aliquot edidit. Exacto in Diaconatu quinquennio, à Flaviano, (nam falsus est Socrates loco citato, qui ab Evagrio factum refert) anno CCCLXXXVI. Ecclesiæ Antiochenæ Presbyter factus est : quo

»quo tempore primam concionem habuit, quæ »extat Tomo IV pag. 953 editionis Græcolati»næ Parisiensis, & Tomo VI pag. 443 editionis »Græcæ Etonensis. Anno CCCLXXXVIII. »flagrante ob dejectas Imperatoris statuas sedi»tione Antiochena, & Vrbe totâ tumultu, stre»pitu, querelis, ac gemitibus plena, quotidianas »fere concionandi vices in se suscepit, illasque »celebres XXI *Homilias εἰς τὺς Ἀνδριάντας, ad* »*populum Antiochenum* habuit. Annos fere duo»decim Presbyter transegerat, cum anno »CCCXCVIII mortuo Nectario, ab Arcadio »Imperatore, invitus Regiæ Vrbis Episcopus de»stinatus est. Astuto certe consilio uti necesse »habuit Asterius Comes Orientis, cui in man»datis Imperator dederat, ut Joannem Constan»tinopolim accerseret: quo hominem sibi ca»rissimum & suis, populo Antiocheno eriperet. »Anno igitur CCCXCVIII Februarii XXVI »reclamante licet Theophilo Alexandrino in »sede CP. collocatur. Factus Episcopus, dum »anno proximo, morum & disciplinæ Ecclesia»sticæ reformationem ingenti plane zelo, & »summo animi ardore perurgeret: primo qui»dem Clerum, deinde Laicos, & in his præci»pue Eutropium Patricium, & Gainam Scy»tham, totius militiæ Præfectum, fide Arianum, »sibi quam infensos habuit. Anno CCCC E»phesum proficiscitur, & Synodo convocata »Heraclidem Archidiaconum suum isti sedi »præfecit, mortuo nuper Antonino, quem va»riorum criminum coram Chrysostomo reum »peregerat Basilius Valentinopolitanus, quo»rum capita exhibet Palladius *Vita Chrysostomi* »cap. 13 pag. 125. Reversus domum Arianos »insolentius solito se gerentes compressit, & in »Gothis ad fidem Catholicam, aliisque gentibus »ad Christianam religionem convertendis sum»mo animi studio laboravit. Paulò post An»tiochus Ptolemaidis, & Severianus Gabalo»rum in Cælesyria Episcopi, Chrysostomo ha»ctenus amici, inito una cum aliis contra eun»dem fœdere, Theophilum Alexandrinum »Chrysostomo infensissimum, partim ob præ»ptam Isidoro Diacono suo sedem Constantino»politanam, partim ob exceptos benigne Mo»nachos Nitrienses à seipso fugatos, in partes »suas pertraxerunt. His accessit Eudoxia Au»gusta, quam nimia Chrysostomi *παῤῥησία* & in »redarguendo libertas, male habuit. Istius »consilio Theophilus regiis literis Constantino»polim accitus eo tandem devenit: qui cum ut »moris erat apud Chrysostomum Episcopum »divertere nollet, in regiis ædibus Placidianis, »paratum sibi domicilium accepit. Collecto »mox undequaque Episcoporum XLV conven»ticulo, Chalcedone in prædio Rufiniano *ad* »*Quercum* dicto, oblatus est accusationum libel»lus XXIX capita complexus, quæ apud Pho»tium in Bibliotheca Cod. 59 habentur: cui »postea alium XVII articulos continentem sub»rogavit Isaacius. Quarta jam vice citatus Chrysostomus, ut frivolas ac levissimas crimi«nationes istas dilueret, posthabita judicum au«ctoritate pariter ac desiderata æquitate, com«parere recusavit. Hinc statim sententia Sy«nodali damnatus, sede sua depositus est, & edi«cto Imperatoris anno CCCCIII in Bithyniam« relegatus, vel ut Cl. Savilius contendit, mense« Novembri anni præcedentis. Verum tumul«tuante plebe, solemni pompa statim revocatur.« Hactenus autem nonnisi dolorum initia, nam« eodem anno exeunte inimici iterum insur«gunt, habitaque altera Synodo iterum da«mnatum Chrysostomum deponunt: eo« præsertim nomine, quod a Synodo depositus, repugnantibus licet Canonibus IV« & XII Concilii Antiocheni, sedem oc«cupasset. Nec ipse modo, verum & omnes« ejus fautores ac sectatores *Joannitæ* dicti, qui« seorsim collectas agebant, vi & armis, ferro &« flammis divexati sunt: plurimis interim Epi«scopis tum coram, tum per literas causam« Chrysostomi apud Arcadium frustra agenti«bus. Anno igitur CCCCIV militari satelli«tio stipatus, septuaginta dierum itinere conti«nuato, Cucusum Armeniæ urbem, locum« præ aliis sterilem, inamœnum, inhospitalem, de«portatur: comiter tamen ubique & honorifi«ce exceptus. Quin & Cappadociæ confinia« transeunti, Episcopi, Monachi & Virgines, lon«go agmine obviam prodibant, magnoque cum« lachrymarum imbre, ut ipse Epistola IIs testa«tur, hæc fundebant verba: *Συνέφερεν, ἵνα ὁ ἥ«λιος συνέσειλε τὰς ἀκτῖνας αὐτοῦ, ἢ ἵνα τὸ στόμα«Ἰωάννου ἐσιώπησε. Satius esset solem radios suos« subtrahere, quam Joannis os conticere &c.* Nec« ipsa etiam Cucusus amicos & hospites ei dene«gavit. Verum continuis morbis, & quotidia«nis fere Isaurorum incursionibus vexatus, exi«lii sedem sæpius mutare coactus est. Exacto« triennali exilio, inimici qui omnia apud Arca«dium poterant, illum Pityunta desertissimam« Ponti regionem transferendum curarunt.« Quo abducendus Comana Pontica pervene«rat, quando curis, molestiis, injuriis, ac assiduis« durioris exilii tædiis fractus, & de appropin«quante jam morte in somnio noctu admoni«tus, crastino die depositis jam mortalitatis ex«uviis, animam cœlo remisit anno CCCCVII« die XIV Septembris, ætatis LII completo su«pra mensem octavum, Episcopatus anno IX,« mense III, die XVI. Exilii anno III mense III.« Sepultus est in Martyrio S. Basilisci prope Co«mana, eodem quo & ipse Martyr, incluſus tu«mulo: unde post annos XXX ossa ejus so«lemni pompa Constantinopolim translata« sunt, ac recondita in SS. Apostolorum Basili«ca, ejusdem nomine etiam in Diptycha, unde« exciderat, honorifice relato. Summam ejus« pietatem, zelum, modestiam, abstinentiam,« erga pauperes curam, in concionando assidui«tatem, indefessam in munere episcopali ob«eundo vigilantiam & sollicitudinem, totam«que

„que vivendi rationem, diffuſe non minus quam „accurate deſcripſit Palladius, quem adeat cu„rioſus lector. Hucusque ex Guillelmo Cavo.

2. Quantum autem ad *Chryſoſtomi* cognomentum ipſi ab Scriptoribus inditum, de illo Elias du Pin in Notis ad ea quæ de vita S. Chryſoſtomi ſcribit, latiſſime diſſerit pag. mihi 91 in 4. quæ cum verbo tenus a Savilio mutuatus ſit, quem Gallice tantum expreſſit, ſatius eſt ipſos cū eo fontes adeamus, ex quibus uterq; accepit. Ita ergo Henricus Savilius Tomo VIII editionis Etonenſis, notas ſuas in Tomum primum columna I orditur: Quando *Chryſoſtomi* cognomen Joanni noſtro Conſtantinopolitano Epiſcopo tribui cœptum, ſtatuere non eſt facile. Symeon Metaphraſtes & poſt eum alii, id ei dum Antiochiæ Presbyter eſſet, impoſitum adſtruunt: quod tamen neque ſuo ſæculo, neque etiam proxime ſequenti obtinuiſſe videtur. Nam ut a ſynchronis ipſius exordiar, Hieronymus in Catalogo Eccleſiaſticorum Scriptorum, Johannem ſimpliciter nominat *Antiochenæ Eccleſiæ Presbyterum:* & eum ſecutus Gennadius in libro de viris illuſtribus, in vita Severiani Gabalorum Epiſcopi, *Epiſcopum Johannem* duntaxat. S. Auguſtinus libro 2. contra Julianum Pelagianum, *Sanctum Johannem Conſtantinopolitanum Epiſcopum.* Nam de Libanio & Zozimo, quorum alter in Epiſtola ad Chryſoſtomum ſcripta apud Iſidorum Peluſiotam lib. 2 Epiſt. 42 *Johannem* nominat: alter Libro V editionis Francofurtenſis anni 1590 pag. 799 *Johannem Chriſtianorum Epiſcopum:* cum a fide noſtra alieni fuerint, minus mirum videri debet. Sed neque Theodoretus, neque Socrates, aut Sozomenus, cum ſexcentis in locis ejus mentionem faciant, alio quam *Johannis* nomine ignorant. Et quod caput eſt, Sozomenus ipſe lib. 8 cap. 10 cognomento *Chryſoſtomi* Antiocho Ptolemaidis Epiſcopo Johannis noſtri in concionibus æmulo ac rivali, ipſo etiam vivente *Johanne*, tributum aſſerit: ἀλλ' ὁ μὲν (Ἀντίοχος ὁ Πτολεμαΐδος) εὐκόλως καὶ εὐήχως ἔλεγεν, ὡς καὶ Χρυσόστομος πρός τινων ὀνομάζεσθαι: de Joanne noſtro Conſtantinopolitano omnino non taciturus, tam opportuna oblata occaſione, ſi vel Johanne vivente, vel ſe ſcribente, cognomen illud obtinuiſſet. Quin & Theodoretus in quinque illis Orationibus a ſe in laudem Chryſoſtomi noſtri ſcriptis, quarum nonniſi fragmenta quædam extant apud Photium, Bibliothecæ ſuæ Cod. 273 pag. 827 editionis Auguſtanæ, aliud non agnoſcit nomen: neque adeo Iſidorus Peluſiota, Johannis noſtri diſcipulus & admirator ſummus: ut nonniſi poſt aliquot ab ipſius ætate ſæcula, cognomen *Chryſoſtomi* tantopere poſtea celebratum, de noſtro Johanne evaluiſſe videatur. Atque hæc de re non magni momenti, fortaſſe nimis multa.

3. De Scriptoribus vitæ S. Joannis Chryſoſtomi erudite Savilius in Notis ad Tomum IIX Operum ejusdem pag. ſeu col. 942. Ex hiſce βιογραφεῖς authorem *Dialogi* in quo colloquuntur Palladius Helenopolitanus Epiſcopus, & Theodorus Eccleſiæ Romanæ Diaconus, facile primo loco ſtatuo: qui ſolus ut mihi quidem videtur, ad enarrandam Chryſoſtomi vitam ſobrius acceſſit: cum cæteri poſt eum omnes, candorem hiſtoriæ & ſinceritatem fabuloſis miraculorum aſſumentis polluerint & contaminarint. Quidni enim fabuloſa dicam, cum ipſe Chryſoſtomus ſexcentis in locis ſanationum χαρίσματα & ſua ætate & aliquot ante ſeculis deſiiſſe teſtetur? Hujus libelli Græcum exemplar quamvis diligentiſſime a me quæſitum in Italia, Germania, Hiſpania, Gallia, & ultimo Oriente, videre nunquam contigit: quod tamen alicubi in Italia extare plusquam probabile eſt, cum Latinam ejus verſionem habeamus ante annos 60 Venetiis primo editam, Ambroſio Monacho Camaldulenſi interprete. Ita Savilius qui pluribus de authore hujus Dialogi diſſerit. Primus hunc Dialogum Latine tranſtulit Ambroſius Camaldulenſis Monachus, cujus verſio Eugenio IV. Romano Pontifici nuncupata, ſeorſim Venetiis prodiit anno 1533 in 8. Poſtea idem Latine poſitus eſt in *Appendice* Tomi II Operum S. Joannis Chryſoſtomi, opera Frontonis Ducæi, pag. 1. Cujus vide notas pag. 54. 55. & fragmentum Græcum hujus Operis, pag. 56. Integrum opus Græcum ab Henrico Savilio & Frontone Ducæo diu inquiſitum, invenit tandem Florentiæ Emericus Bigotius, & ex vetuſto Bibliothecæ Mediceæ codice tranſcriptum, eodem ut videtur quo olim Monachus Camaldulenſis uſus eſt, cum verſione nova a ſe adornata, Pariſiis in lucem emiſit anno 1680 in 4. cum multis aliis ad Joannem Chryſoſtomum ſpectantibus, & cum *Epiſtola* ejusdem ad *Ceſarium Monachum*, apud Viduam Edmundi Martini & Joannem Boudot. Ex quo jam liquide conſtat, Ambroſium interpretem non modo Præfationem breviuſculam contra Codicis MS. fidem verſioni ſuæ aſſuiſſe, ſed & in Dialogi decurſu, quædam paſſim adjeciſſe de ſuo, quæ Palladii non ſunt. Meminit hujus operis Photius in *Bibliotheca* Codice 96 cujus authorem Palladium Epiſcopum Helenopolitanum facit, de quo multa hic Savilius.

1. *Vita S. Chryſoſtomi per Georgium Archiepiſcopum Alexandrinum*, extat Græce Tomo 8 editionis Savilii pag. 157. cum notis Savilii col. 941. 943. Edita Latine primum eſt a Godefrido Tilmanno Pariſienſi Carthuſiano, anno 1557 unde poſtea acceſſit ad initium Tomi primi Operum S. Joannis Chryſoſtomi, editionis Pariſienſis 1581 & 1588 ubi excuſa legitur. Epitome illius habetur in Bibliotheca Photii, Cod. 96. in quem locum vide Hæſchelii notas, & marginales Andreæ Schotti, qui in ſecunda notula de hujus authoris ætate differit, quod pluribus in ſuis notis proſequitur Henricus Savilius col. 941. 942 his verbis: Porro quis fuerit hic Georgius, ſi Pho-

„Photio qui ante annos fere octingentos vixit, „& infinita volumina pervolutavit, quæ nunc „perierunt, ignotum fuit : jam velle nos dis„quirere, næ ſtultum videatur. Neque tamen „abſtinendum, cum & Photius ipſe Epiſcopum „Alexandriæ fuiſſe teſtetur : & Anonymus no„ſter Georgium hunc Papam Alexandriæ in S. „Cyrilli de vita Chryſoſtomi Commentarios „incidiſſe, ex iisque ſuum concinnaſſe libellum, „his verbis diſerte ſcribat : *μετὰ τούτους (τοὺς εἰς „τὸν βίον τῦ Χρυσοστόμε συγγραψαμένους) ὁ ἐν „ἁγίοις Κύριλλος Ἀλεξανδρείας, μετὰ τὴν ὀπλα„σίαν ἐκείνην, ἣν περὶ αὐτῦ (Χρυσοστόμε) ἐθεάσατο. „Οὗ καὶ χρόνῳ μετὰ πολλὰ ἔτη ἐυρὼν ὁ Πάπας „Ἀλεξανδρείας Γεώργιος, καὶ ἑτέρων συλλεξά„μενος συγγραφέων πονήματα, τὸ διὰ πλάτους „ἀπετέλεσε βιβλίον.* Et quidem apud Georgi„um ipſum, qui Cyrilli, ut videtur, ſcrinia compi„lavit, de Cyrillo ſilentium : cum tamen in „Prooemio nominatim laudet auctores, ex qui„bus hanc hiſtoriam ſumpſerit, nempe Dialo„gum Palladii & Theodori, Socratem, alios Scri„ptores, & præterea quorundam fidelium Cle„ricorum & piorum Laicorum traditionem. „Ex Theodoreto præterea multa hic reperiun„tur, ad verbum deſcripta, nonnulla ex Soſome„no. Jam quo tempore vixerit Georgius no„ſter, colligere arduum non eſt. Cum Alexan„driæ fuerit Epiſcopus, & multis annis poſterior „Cyrillo, ut ſcribit Anonymus : etiam inde a „ſexta Synodo & aliquot retro annis Patriar„chas Alexandrinos creari deſitum ſit, Saracenis „ſcilicet Ægypto & Palæſtina petitis, teſte Zo„nara Tomo 3 p. 74 *Ἀλεξανδρείας δ' ἐκ ἦν πα„τριάρχης, ἀδὲ Ἱεροσολύμων (in ſexta Synodo) ὅτι „ὑπὸ τὲς Σαρακηνὲς αἱ πόλεις αὗται ἐτύγχανον.* „Inter quintam Synodum anno 553 & ſextam „anno 680 celebratam, tempora noſtri Georgii „incidiſſe probabile eſt. In quibus etiam tem„poribus obſervatu non indignum, Chryſoſto„mi cognomen ignotum fuiſſe, ut ex tota libelli „ſerie patet. Sed quid conjecturas conſector? „cum poſt Cyrillum usque ad Apollinarium „Alexandriæ Epiſcopum in Synodo quinta, nul„lus Alexandriæ Epiſcopus eo nomine fuerit : & „poſt Apollinarium, Chronicon Nicephori Pa„triarchæ ſuggerat nobis Epiſcopos Alexan„driæ, Johannem qui ſedit annos undecim, Eu„logium qui annos XXVII. Theodorum Scri„bonem, qui biennium : & Johannem Cyprium „qui annos decem, cui proxime Georgius ſuc„ceſſerit. Itaque cum ab Apollinario, qui ut „diximus Synodo quintæ anno 553 interfuit, ad „Georgium anni 50 fluxerint : paulo poſt an„num Domini ſexcenteſimum, Georgium no„ſtrum vixiſſe liquet. Qui certe ut de *ἀνηρο„γησίᾳ* Photio notata nihil dicam, omnibus ſane „ſuis æqualibus etiam poſteris, ut de vetuſtiori„bus taceam, infantiæ in dicendo palmam præ„ripuiſſe merito judicetur. Ex hujus tamen „fœcibus hauſerunt Leo Imperator, Auctor in„certus, & Symeon Metaphraſtes, quos una da„mus.“ Hujus autem Operis *Epilogo* intexuntur *Orationes duæ Chryſoſtomi γνήσιαι, una antequam iret in primum exilium, altera poſt reditum a priore exilio*, quæ nusquam alibi reperitur : licet ejus ut *γνήσιας* meminerit Sozomenus Lib. 8 Hiſtoriæ cap. 18 quemadmodum in notis monet dictus Savilius, quas conſule col. 959. 960.

2. *Panegyricus in Chryſoſtomum Leonis Imperatoris cognomento Sapientis*, qui anno Chriſti 886. imperare cœpit Tomo VIII. editionis Savilii pag. 267. cum notis dicti Savilii col. 959. 960. Habetur etiam in Symeone Metaphraſte ad diem XIII. Novembris, indeque Latine Gentiano Herveto interprete, tomo V. Sanctorum Aloyſii Lipomanni fol. 114. & tomo I. Vitarum Surii, die 27. Januarii, pag. 685. Vnde ſupplenda lacuna paginæ unius aut folii in editione Saviliana pag. 274. lin. 27. Eſt autem tantum Breviarium Georgii non bono judicio collectum, & pene barbare ſcriptum : neque enim aliud Leo Imperator Georgio addidit, „præter affectatam alicubi ſtyli obſcuritatem.

3. *Anonymi Vita Chryſoſtomi* habetur tomo VIII. edit. Savilii pag. 293. cum notis dicti Savilii col. 963. Poſterior fuit Conſtantino Porphyrogenneta Imp. hoc eſt anno 950. ut patet ex præfixo Auctorum indice pag. 293. Ipſi cum Metaphraſte qui eo poſterior videtur, neque enim in indice illo commemoratur, ſenſus fere ſemper, verba etiam plerumque communia ſunt. Sed Metaphraſte uberior & copioſior eſt, Georgio autem multo *γραμματικώτερος*. De ejus *ἀνηρογησίας*, vide D. Savilium in fine admonitionis ineditæ *de Scriptoribus rerum Chryſoſtomi.*

4. *Vita Chryſoſtomi per Symeonem Metaphraſtem*, Tomo VIII. edit. Savilii pag. 373. cum notis Savilii col. 967. 968. Habetur Latine Gentiano Herveto interprete, cum reliquis vitis Metaphraſtæ tomo V. Aloyſii Lipomanni, die 13. Novembris fol. 79. & tomo I. Surii, die 27. Januarii pag. 634. Pag. 377. lin. 35. multa addita notat D. Savilius ex Codice MS. Reginæ Matris Catharinæ Mediceæ, quæ Latinus interpres non agnoſcit. Item a pag. 386. lin. 16. ad finem usque, tantam fuiſſe diſſimilitudinem Regii Codicis Lutetiæ deſcripti, quem in ſua editione expreſſit Savilius, & Latinus interpres ſecutus eſt : ac Codicis Reginæ, qui magis cum Anonymo conveniebat, quem fere Metaphraſtes exprimere ſolet : ut an unius ejusdemque eſſet Authoris uterque, merito aliquis dubitaret. Scriptum hoc Symeonis citatur a Nicephoro *Hiſtoria Eccleſiaſtica* lib. 13. cap. 2. & Gennadio Scholario *Defenſ. Synodi Florentinæ* cap. 5. parag. 19. Hactenus Vſſerius, qui ſeſe ex Savilio fere exſcripſiſſe teſtatur, quæ de Scriptoribus rerum Chryſoſtomi habet.

Addit autem Savilius in notis ad Tomum VIII. editionis Etonenſis, columna 943. 944. Præter hos quatuor ſciat lector, nobis eſſe in manibus Græce, ſive *βιογραφίας* magis, ſive Panegyri-

negyricorum ſcriptores quinque alios, Johannem Damaſcenum, Coſmam Veſtitorem, ab Anonymo in Catalogo pag. 293. recenſitos. Johannem Euchaitam, Philotheum Patriarcham,& Matthæum Camariotem: quos omnes ut luce indignos ſupprimendos putavimus, adſcriptis hic tantum titulis, & pauculis ab initio ſingulorum verbis, ne quis forte in eos incidens aliquid ſe credat nactum ſingulare, quod noſtram diligentiam fugerit.

5. Τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννυ τῦ Δαμασκηνῦ ἐγκώμιον εἰς τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν Χρυσόςομον, cujus initium: Ἔδει μὲν, ἔδει ὦ Ἰωάννη πάγχρυσε, τὰς τῶν σῶν ἐγκωμίων πειρωμένας ἐφάπτεσθαι, γλώσσης χρυσέης ἐυμοιρηκότας, καὶ τὰ ἑξῆς.

6. Τῦ μακαρίυ Κοσμᾶ τῦ Βεςήτορ@· εἰς τὴν ἀνάδοδον τῦ λειψάνυ τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννυ τῦ Χρυσοςόμυ. Initium. Ἤκυσαν πάντως ὑμῶν, ὦ Φιλόχρις@· παννύχιος καὶ Φιλάγιον ἄθροισμα, τὰ μεγαλεῖα τῦ Θεῦ, καὶ τὰς λίβυς ἀυτὰς, καὶ τὰ ἑξῆς.

7. Τῦ παναγιωτάτυ μητροπολίτυ Εὐχαΐτων, Γεωργίυ λόγ@· εἰς τὸς θεηγόρυς καὶ θεοειδεῖς ἱεράρχας, τὸν Βασίλειον, τὸν Γρηγόριον, καὶ τὸν χρυσῦν Ἰωάννην. Initium. Πάλιν Ἰωάνης ὁ τὴν γλῶτταν χρυσῦς, καὶ πάλιν ἡμῖν περοφανὴς ἑορτή.

8. Φιλοθέυ πατριάρχυ λόγ@· ἐγκωμιαςικὸς εἰς τὸς μεγάλυς ἱεράρχας καὶ οἰκυμενικὸς διδασκάλυς, Βασίλειον τὸν μέγαν, Γρηγόριον τὸν Θεολόγον, καὶ Ἰωάννην τὸν Χρυσόςομον. Initium. Τὸς διδασκάλους ἡμῶν ἐπαινέσωμεν, τὸς πατέρας οἱ παῖδες κατὰ χρέ@· τιμήσωμεν.

9. Τῦ σοφωτάτυ καὶ λογιωτάτυ κυρίυ Ματθαίυ τῦ Καμαριώτυ ἐγκώμιον εἰς τὸς ἁγίυς τρεῖς ἱεράρχας, Βασίλειον τὸν μέγαν, Γρηγόριον τὸν Θεολόγον, καὶ Ἰωάννην τὸν χρυσόςομον. Initium. Εἶπερ ἄλλο τι τῶν τῦ λόγυ θεραπευτῶν καὶ λόγ@· ἐγκωμίων προσήκει. ὧν γὰρ τῆς ὠφελείας ἀυτοὶ προίςηται, καὶ τὰ ἑξῆς.

10. Extat etiam præter hos novem in Bibliothecis Romanis, Κωνσταντίυ ἐν Χριςῷ τῷ ἀιωνίῳ Βασιλεῖ βασιλέως, υἱῦ Λέοντ@· τῦ σοφωτάτυ ἀειμνήςυ βασιλέως λόγ@·, ἡνίκα τὸ τῦ σοφῦ Χρυσοςόμυ ἱερὸν καὶ ἅγιον σκῆν@· ἐκ τῆς ὑπερορίας ἀνακομισθὲν, ὥσπερ τις πολύολβος καὶ πολυέραςτ@· ἐναπετέθη θησαυρὸς τῇ βασιλίδι ταύτῃ καὶ ὑπερλάμπρα τῶν πόλεων. Initium. Τί τερπνότερον τῦ νῦν ὁρωμένυ θαύματ@·, ἢ τί λαμπρότερον τῆς παρούσης ἡμέρας; ἰδῦ λαὸς ἔκπεςτ@·, Θεῷ μόνῳ καὶ ἀεςτῇ ἀναπείμεν@·.

4. Omnium prima editio Operum S. Joannis Chryſoſtomi, prodiit duobus in fol. voluminibus, Venetiis anno 1503. quæ recuſa Baſileæ 1504. apud Pfortzen. Prodierunt deinde Opera Chryſoſtomi quinque tomis diſtincta Baſileæ 1522. apud Andream Cratandrum, tum Pariſiis 1524. eodem ordine & methodo, quam excepit editio longe locupletior Tomis V. Joannis Frobenii, Baſileæ anno 1530. & 1533. quibus operam non modicam atque laborem Erasmus contulerat. In his editionibus quæcunque Latine ab antiquis præſertim interpretibus, verſa reperiri potuerunt, Chryſoſtomi nomen præferentia,nulla ordinis,nulla auctoris ratione habita,immiſſa ſunt. Verum meliori deinceps ordine diſpoſita Opera Chryſoſtomi, prodierunt Pariſiis 1543. 1546. opera Joannis Eucherii Vernolienſis Theologi, innumeris pene locis nativæ integritati reſtituta, cum ad collationem Latinorum Codicum, tum ad Græcorum exemplarium fidem. Auctiora deinde & pari methodo recognita Baſileæ 1547. 1558. cura Sigismundi Gelenii. Eadem methodo recognita Pariſiis 1556. cura Philippi Montani,& auctiora ibidem anno 1576. Prodierunt etiam quinque tomis diſtincta Venetiis 1574. ſtudio Gentiani Herveti Aurelianenſis,quam mancam multisque prætermiſſis mutilam dicit Vſſerius apud Guillelmum Cavum in *Hiſtoria rei literaria* ad annum 398. pag. 170. præſtantiorem autem præcedentibus contendit Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo IV. tomo III. pag. mihi 56. in 4. Recognita autem & auctiora multo quam antehac, præmiſſis etiam Vitæ Chryſoſtomi Scriptoribus, apud Nivellium IV. voluminibus in folio Pariſiis 1581, 1588. procurata enim hæc editio conſiliis ac ſtudiis doctiſſimorum hujus temporis virorum, Jacobi Billii, Flaminii Nobilii, Gentiani Herveti, Franciſci Zini, & aliorum. Omnium vero abſolutiſſimæ editiones ſunt, quæ prodierunt cura Frontonis Ducæi Burdegalenſis, Soc. Jeſu Presbyteri, ſex tomis in fol. Pariſiis 1613. & Antwerpiæ 1614. Hactenus de editionibus Latinis.

Græce prodierunt Opera S. Johannis Chryſoſtomi,octo Tomis diſtincta curis & ſumptibus viri undequaque clariſſimi D. Henrici Savilii, una cum ejusdem, Joannis Boiſii, Andreæ Dounæi, aliorumque notis, Etonæ in Collegio Regali 1613. Primus Tomus continet 67. homilias in Geneſim, Commentarios in Pſalmos & in Iſaiam, Homilias 11. in Pſalmum 50. quas dubias cenſet. Explanationes Pſalmorum 51. 95. 100. usque ad 107. & in Pſalmum 118. quas ſuppoſititias opinatur. Secundus Tomus Homilias 90. in Evangelium Matthæi, & 88. in Evangelium Joannis. Tertius & Quartus complectuntur omnes Homilias in Apoſtolum Paulum. Quintus continet Sermones 62. in varios ſacræ Scripturæ locos, ac alios Sermones 34. de Sanctis vel Feſtorum ſolennitatibus: quibus ſubnectit Sermones 73. de diverſis argumentis, quos in cenſum ſuppoſitorum rejicit. Sextus Tomus continet Tractatus varios Sancti Chryſoſtomi, ut libros 6. *de ſacerdotio* ad Baſilium, contra Judæos Sermones V. De incomprehenſibili adverſus Anomæos, Orationes V. De non anathematizandis vivis aut defunctis, Orationem in ſeipſum, dum Presbyter eſſet ordinatus, & in Epiſcopum & in multitudinem populi: Statuarum orationes XXI. aliasque plures Orationes de diverſis argumentis, præſertimque in pœnitentiam, jejunium, eleemoſy-

nam, aliasque Christianas virtutes. Cujus ad finem occurrunt Homiliæ quædam, quæ ἀναγνώσματα potius videri queant; aut fragmenta ethica aliarum Orationum, a pag. 883. tum Liturgia pag. 983. ac Precationes duæ pag. 1005. Septimus Tomus orditur ab Oratione ad eos qui scandalizati fuerant propter adversitates quæ contigerunt. Hanc sequitur Oratio sive Epistola Cucuso missa, Quod nemo lædatur nec lædi possit nisi a seipso. Tum sequuntur Epistolæ 17 ad Olympiadem Diaconissam, & Epistolæ 243. dispositæ secundum ordinem Alphabeticum personarum ad quas missæ sunt. Deinde Epistolæ V. Constantii Presbyteri pag. 205. tum Sermones CX. de variis argumentis, falso nomen Chrysostomi præ se ferentes, a pag 237. ad 582. quas sequuntur Orationes quædam Chrysostomo in quibusdam Codicibus adscriptæ, quæ alios tamen habent auctores notos. Nimirum Orationes 6. Severiani Gabalorum Episcopi in Creationem mundi pag. 587. Oratio de Pœnitentia & Continentia & Virginitate, Johannis Jejunatoris CP. Archiepiscopi pag. 641. Gregorii Thaumaturgi Neocæsariensis Episcopi in Sancta Epiphania pag. 657. Pantaleonis Presbyteri Nonæ Byzantinorum in exaltationem pretiolæ crucis pag. 661. Flosculi 48 ex Chrysostomi Operibus hinc inde decerpti p. 665. Concluditur tandem Orationibus VII. Latine tantum extantibus pag. 936. quarum tres ultimæ suppositiciæ sunt. Octavus Tomus complectitur supplementa quædam Operum in aliis tomis comprehensorum. Orationes VII. de laudibus sancti Pauli, pag. 33. In Eutropium Eunucum, Patricium & Consulem pag. 67. De futurorum voluptate & utilitate præsentium pag. 71. Atque alia de aliis argumentis. In Appendice autem hæc adsunt, Responsum Theodori lapsi qui Mopsuestiæ Episcopus fuit, ad Orationem sive Epistolam Chrysostomi, quæ extat tomo 6. pag. 60. Responsum autem Tomo VIII. pag. 121. Oratio Libanii Sophistæ ad Theodosium Magnum, *de seditione & eversis Antiochiæ Imperatorum statuis* pag. 124. Ejusdem Libanii Oratio ad Theodosium Imperatorem post reconciliatam gratiam pag. 131. Excerpta quædam ex Photii Bibliotheca ad Chrysostomum pertinentia, pag. 137. Vita Chrysostomi per Georgium Archiepiscopum Alexandrinum pag. 157. cui attexuntur duæ Orationes Chrysostomi γνήσιαι, una pag. 259. antequam iret in primum exilium, altera post reditum pag. 262. Panegyricus Leonis Imperatoris in Chrysostomum pag. 267. Anonymi Vita Chrysostomi pag. 293. Symeonis Metaphrastæ vita Chrysostomi pag. 373. Denique Notæ eruditorum hominum in Opera Divi Chrysostomi, Henrici Savilii, Johannis Boisii, Andreæ Dounæi, cum castigationibus ac variis lectionibus.

Denique prodierunt Græcolatine cum notis Frontonis Ducæi ad finem cujusque tomi, Parisiis 1609. & annis sequentibus XI. voluminibus in folio, & ibidem 1636. totidem in fol. voluminibus. Editionem hanc Frontonis Ducæi repetierunt tandem anno 1709. Bibliopolæ Germani, Græce & Latine XII. voluminibus Francofurti ad Mœnum in folio, sub hoc titulo. *Sancti Patris Joannis Chrysostomi Opera omnia in duodecim tomos distributa, Græce & Latine conjunctim edidit ex bibliotheca Christianissimi Regis, & melioribus undique conquisitis exemplaribus, recensuit & Parisiis anno 1609. in lucem emisit Fronto Ducæus, Soc. Jesu Theologus. Juxta cujus Exemplar, nova hac editio accurate recensita, emendata, & in artiorem modum redacta, nunc primum in Germania prodit, cum copiosis indicibus in folio, Francofurti ad Mœnum.* Extat etiam alia editio quæ prostare solet, ex sex prioribus Tomis Morellianis, & quatuor Commelinianis Commentarios in Novum Testamentum complectentibus constans, qui ab anno 1596. ad 1603. Heidelbergæ editi sunt. Primus Tomus hujus editionis Commelini continet Homilias Seculi Chrysostomi & Opus imperfectum in Matthæum, Secundus Homilias in Evangelium Joannis, Tertius Homilias in Acta Apostolorum, Quartus Homilias in Apostolum & Commentarium Andreæ Cæsarienſis in Apocalypsim. Nos in hac Dissertatione sequemur ordinem editionis Frontonis Ducæi, cui adjiciemus notas & judicia vel Savilii, vel aliorum ad Opuscula singula, qui argumentum illud multis annis volutarunt, nihil nostrum esse in ea ingenue fassi: sed uno quasi conspectu colligentes ad commodum lectorum, quæ hinc & inde sparsa, nonnisi cum tempore in fascem unum comportarentur. Neque hinc culpandi sumus, quasi nihil novi dicamus: cum recentes quales sunt Guillelmus Cavus & Ludovicus Ellias du Pin, id unum etiam egerint, ut præscripta ab aliis in compendium duntaxat contraxerint.

CAPVT SECVNDVM.

CONTENTA TOMO PRIMO OPERVM S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI EXAMINANTVR.

DE hac editione cujus ordinem sequemur, pauca quædam præmittenda sunt, antequam ad discussionem Opusculorum procedamus. Eodem igitur tempore quo Savilius in Anglia editioni textus Græci Operum S. Joannis Chrysostomi incumbebat, Fronto Ducæus Burdegalensis, in Gallia iisdem Græce & Latine edendis totus quantus occupabatur. Procuravit anno 1609. Parisiis, Tomum primum continentem Sermones XXI. εἰς τὰς ἀδριάντας, & 56. alios Sermones, cum notis ad finem voluminis. Anno eodem secundus Tomus prodiit continens Homilias & Sermones in Genesim, Sermones quinque de Anna & Samuele, Homilias tres de David & Saule, Orationem contra ignaviam, Sermonem in Joseph de *continentia*,

tia, & quosdam alios Sermones Latine, cum notis, atque Appendicis loco *Vitam S. Chryſoſtomi a Palladio editam*, latine tantum. Tertius Tomus anno 1614. prodiit complexus Homilias & Sermones in Pſalmos cum Commentario in Iſaiam. Quartus Tomus ejusdem anni complectitur Tractatus diverſos Chryſoſtomi de variis rebus & Epiſtolas illius omnes, cujus ad finem notæ extant Frontonis Ducæi, ſicut in aliis tomis. Quintus Tomus habet Sermones LXX. in varia loca Veteris & Novi Teſtamenti atque de aliis argumentis, anno 1616. impreſſus, cum notis ad finem. Sextus Tomus anno 1616. impreſſus continet Sermones LXXIII. quos Chryſoſtomo ſuppoſitos Fronto Ducæus exiſtimavit, Florigeria a Theodoro Magiſtro ex Homiliis Chryſoſtomi decerpta, cum notis ad finem. Tunc temporis enim Opera S. Chryſoſtomi in Novum Teſtamentum impreſſa non ſunt, ob recentem neque diſtributam adhuc Commelini in quatuor Tomos editionem, quæ anno 1596. incœpta, anno tantum 1603. completa fuerat. Hi igitur Commentarii S. Chryſoſtomi Græcolatini, dilati ad annum 1633. quo Pariſiis quinque Tomis in folio impreſſi ſunt, editione Commelini, quæ multo correctior hac Pariſienſi extitit, omnino diſtributa. Omnia autem hæc eadem Opera S. Chryſoſtomi, Pariſiis Græcolatine, anno 1636. XI. voluminibus iterum prodierunt in publicum.

Homilia XXI. de ſtatuis ad Populum Antiochenum, Antiochiæ anno 388. habitæ, quas Græcolatinas cum nonnullis aliis Orationibus primas collocavit in editione ſua Pariſienſi Fronto Ducæus anno 1609. in fol. quasque ſeorſim etiam Græce antea ediderat Joannes Hartmarus Londini 1590. in 8. Extant autem in editione Græca Savilii Tom. VI. pag. 447. de quibus ipſe in notis ad Tomum 6. col. 804. his verbis: In titulo lege, Χρυσοστόμου Ἀνδριάντες. Ομιλία λεχθεῖσα &c. Hunc enim titulum agnoſcunt omnes omnium (ut puto) Bibliothecarum Codices manuſcripti. Et quidem everſarum Theodoſii & Placillæ ſtatuarum, meminerunt omnes pene illorum temporum Scriptores, Theodoretus, Sozomenus, Zoſimus, Libanius in Oratione περὶ φάσεως, cæteri. De numero, conſtat in Bibliothecis non plures reperiri una & viginti Homiliis ἀνδριάντων: rectequc vidit, & primus quod ſciam notavit Fronto Ducæus, cæteras omnes præter unam & viginti priores ad populum Antiochenum, eſſe centones ex aliis Operibus Chryſoſtomi, præſertim ethicis locis conſarcinatos. Porro hanc Ἀνδριάντων adornavimus ex optimo meo MS. & duobus Oxonienſibus, uno in Collegio Novo quem expreſſit in editione ſua doctiſſ. Johannes Harmarus, altero in Bibliotheca Vniverſitatis, cui acceſſit quartus Croshavii noſtri. Adhibitis etiam ex octo Regiis Lutetiæ, variantibus lectionibus & caſtigationibus a doctiſſ. Frontone in Notis ſuis repræſentatis. Recte ergo Cavus pag. 255. In quamplurimis editionibus Latinis, hiſce Homiliis τῶν ἀνδριάντων 21. ſubnexæ ſunt 59. aliæ, eodem titulo inſignitæ: quas tamen (excepta unica Joannis Neſteutæ, quæ in fine Tomi hujus habetur) conſtat nihil aliud eſſe, quam ἀπανθίσματα quædam & centones ex aliis Chryſoſtomi Operibus, præſertim ex Ethicis locis conſarcinatos: quemadmodum in notis ſuis recte monet Fronto Ducæus, & in Homiliarum Catalogo, quem editioni ſuæ 1609. præfixit, indicatis locis, ex quibus ſingula Centonum iſtorum fragmenta deſumpta ſunt, luculenter demonſtrat.

De ſimultate ſive ira Homilia, habita Antiochiæ, paulo poſt Homilias τῶν Ἀνδριάντων, quam habet Savilius Tom 6. pag. 611. de qua in notis ad Tom. 6. col. 809. Habita eſt hæc oratio Antiochiæ non multo poſt everſionem ſtatuarum, fortaſſe in fine ejus Quadrageſimæ, quæ everſionem illam ſecuta eſt: eoque fit, ut in multis Codicibus MSS. τοῖς τῶν ἀνδριάντων λόγοις accenſeatur. Porro hanc editionem damus ex fide trium MSS. Codicum, duorum in Bibliotheca Collegii Novi Oxonienſis, & tertii Croshavii noſtri: adhibita etiam doctiſſ. Frontonis editione, quam ipſe ex quinque MSS. concinnaverat.

In eos qui novilunia obſervant, Serme Antiochiæ habitus: quem Savilius habet Tom. 5. pag. 355. de quo in notis ad Tom. 5. pag. ſeu col. 731. Hanc orationem melioris notæ, & in Auguſtano Catalogo memoratam num. 38. bis in Angliæ editam Græce, ſemel ante annos 70. Londini ab illuſtriſſimo Checo, iterum Oxonii ab erudiſſimo Harmaro, tertium nuper Lutetiæ ex impreſſo Oxonienſi expreſſam, ex tribus his quantum fieri potuit, emendatiſſimam damus: aditis etiam & inſpectis MSS. Cantabrigienſi, & alio MS. Collegii novi Oxonienſis, ex quibus Checus & Harmarus editiones ſuas concinnarunt. Porro ſciat lector, nos in hac editione fere Checi codicem, ut cæteris multo accuratiorem, ſecutos.

De Chriſti Baptiſmo, quam habet Savilius tom. 5. pag. 523. de qua in notis ad tom. 5. col. 738. Orationem hanc a Frontone Ducæo anno 1595. Ingolſtadii editam, ex MS. in Collegio Novo Oxonii, & editione poſteriore Pariſienſi ejusdem Ducæi recenſuimus. Agnoſcit eam Catalogus Auguſtanus numero 94.

De Diabolo tentatore Homilia Antiochiæ habita, quam habet Savilius Tomo 6. pag. 690. de qua in notis ad Tom. 6. col. 813. ubi ait ſecutum ſe eſſe editionem Frontonis Ducæi Burdegalenſem, caſtigatam illam ex MS. Cod. Oxonienſi, & alio MS. in Bibliotheca Regia Lutetiæ, agnitam a Catalogo Auguſtano numero 28. atque habitam Antiochiæ Flaviano præſente.

De incomprehenſibili Dei natura Homilia VI. adverſus Anomæos, inter annos 381. & 386. habitæ, præter ultimam quæ Conſtantinopoli ſcripta eſt. Habet Savilius Tomo 6. pag. 389. de quibus

bus in notis ad Tom. 6. col. 799. Eunomiani qui & Aëtiani, ἀνόμοιοι dicti quod æternum Dei Verbum non modo non ὁμοούσιον Patri, quod Orthodoxorum fuit: sed nec ὁμοιούσιον quidem, quod Arianorum fuit, esse passi sunt, Arium ipsum impietate superantes. Præter hanc Arianisini ὀπίτασιν, se etiam Deum ipsum tam nosse affirmabant, quam ipse sibi notus esset. Vide Epiphanium & Socratem apud quem hæc Eunomii verba citantur lib. 4. cap. 7. Φησὶν (Eunomius) κατὰ λέξιν ταῦτα. Ὁ Θεὸς περὶ τῆς ἑαυτοῦ οὐσίας οὐδὲν πλέον ἡμῖν ἐπίσταται, οὐδέ ἐστιν αὐτὴ μᾶλλον μὲν ἐκείνῳ, ἧττον δ' ἡμῖν γινωσκομένη· ἀλλ' ὅπερ ἂν εἰδείημεν ἡμεῖς περὶ αὐτῆς, τοῦτο πάντως καὶκεῖνος οἶδεν· ὃ δ' αὖ πάλιν ἐκεῖνος, τοῦτο ἀπαραλλάκτως εὑρήσεις ἐν ἡμῖν. Contra hanc posteriorem ipsorum opinionem hæ Orationes quinque scriptæ sunt, quæ proprii sunt περὶ ἀκαταλήπτου, quas itidem solas Gaza Latine vertit. De reliquis duabus postea videbimus. Porro has Orationes damus ex fide duorum Codicum scriptorum, in Bibliotheca Collegii Novi Oxoniæ: adhibita doctissimi Frontonis editione, quam ipse ut videtur, ex quatuor MSS. Codd. Bibliothecæ Regis Galliæ concinnavit.

Habet Savilius ultimas duas Tom. 6. pag. 425. & 434. de quibus in notis ad Tom. 6. col. 802. Has duas Orationes, quæ in Codicibus nostris inter Orationes περὶ ἀκαταλήπτου reperiuntur, Gaza non vertit, ut ab hoc περὶ ἀκαταλήπτου argumento alienas. Contra Anomœos quidē dictæ, videri queant. Nos tamen omisso ἀκαταλήπτου vocabulo, quod hic non attingitur, inscripsimus περὶ ὁμοουσίου: auctoritatem Frontonis Ducæi secuti, quem videas. Damus autem eas ex fide duorum Codicum MSS. Oxoniensium, quorum supra mentionem fecimus, adhibita editione doctissimi Frontonis.

De Sancto Philogonio. Habet Savilius Tomo 5. pag. 505. de qua in notis ad Tomum 5. col. 737. Hanc Orationem edimus ex fide quatuor Codicum scriptorum, quorum duo sunt in Bibliotheca Collegii Novi Oxonii, tertius in Bibliotheca Vniversitatis Oxoniensis, quartus in Bibliotheca mea: quibus accessit demum editio nupera Parisiensis Frontonis, ex duobus Regiis adornata. Agnoscit Catalogus Augustanus, numero 91.

De Consubstantiali, quam habet Savilius Tom. 6. pag. 425. *Orationem XXXV.* inscriptam, de qua jam citatus in notis ad Tomum 6. col. 801.

De petitione Filiorum Zebedæi. Habet Savilius Tomo 5. pag. 206. de qua in notis ad Tom. 5. col. 726. Hanc Orationem ex Codice Palatino descriptam, ubi minus recte octava περὶ ἀκαταλήπτου inscribitur, castigatam ex altero Palatino codice, & tertio Oxoniensi in Bibliotheca Collegii Novi damus. Edidit eam nuper Lutetiæ inter alias Fronto Ducæus, ex Regio MS. γνησίαν omnino & germanam puto, quamvis in Catalogo Augustano minime reperiatur. Reperitur tamen in aliis omnibus fere quos vidi, Catalogis Vaticano, Cæsareo, Regio, Palatino, Oxoniensibus, & attestante doctissimo Frontone, etiam in Mediolanensi. Descripsit itidem eam in meum usum, Samuel Sladius in Cholco insula Chalcedonis in Bosphoro Thracio: ex quo apographo varietates quasdam decerptas hic signamus literis Ch.

Adversus Judæos Libri VI. seu Orationes. Habet Savilius Tomo 6. pag. 312. & 366. de quibus in notis ad Tomum 6. col. 796. In his quinque Orationibus editionem Hæschelianam ex tribus conflatam manuscriptis Marguniano, Palatino & Augustano, Græce anno 1587. in 8. Augustæ Vindelicorum factam, castigavimus ex aliis Oxoniensibus tribus: quorum unus est in Bibliotheca Collegii Corporis Christi, alter in Bibl. Collegii Novi, tertius qui etiam olim fuit interpretis Erasmi, ut ex certis constat indiciis, & jam in Bibl. Vniversitatis Oxoniensis asservatur. Illam *contra Judaizantes*, quæ in editione Hæscheliana & multis Codicibus scriptis, duobus etiam e nostris *Prima contra Judæos* nuncupatur, auctoritate Codicis Erasmi & aliorum MSS. & dissimilitudine argumenti, e numero Orationum contra Judæos, expunximus, sua tamen sede ipsi relicta in sequentibus. De tempore quo scriptæ vel habitæ sunt hæ Orationes, ἄπορον. Omnes βιογράφοι primas aut cum primis a Chrysostomo editas censent, ex ipsius Chrysostomi verbis, *annis post Julianum viginti*, & alibi *præsente Flaviano*, & alibi post ἀνδρικίντας: quæ omnia vix est ut simul vera esse possint, nisi demus diversis temporibus ab ipso fuisse auctore interpolatas.

Tum col. 798. In hac Oratione editionem Hæschelianam ex fide duorum MSS. Codicum emendavimus, quorum alter est in Collegio Corporis Christi, alter in Collegio Novo. Cur hanc a præcedentibus contra Judæos secreverimus, causa superius dicta: Porro habita est, ut ex Proœmio constat, proxime post primam περὶ ἀκαταλήπτου.

De Sanctis Juventino & Maximo. Habet Savilius Tomo 5. pag. 533. de quo in notis ad Tomum 5. col. 738. Panegyricum hunc tractatum ex Regio codice Lutetiæ descriptum, ex Bavarico castigavimus manuscripto. Edidit nuper ex Regio doctissimus Fronto Lutetiæ, quem agnoscit quoque Catalogus Augustanus numero 65.

De Sancta Pelagia Virgine. Habet Savilius Tomo 5. pag. 482. de quo in notis a Tomum 5. col. 736. Orationem hanc recipit Catalogus Augustanus numero 62. quam nos damus ex Regia Bibliotheca Lutetiæ descriptam, & ex codice MS. Bavarico castigatam. Edidit quoque eam doctissimus Fronto anno 1609. Lutetiæ, ex eodem, ut videtur, Regio codice.

Oratio in sanctum Ignatium Episcopum Antiochenum. Habet Savilius Tomo 5. pag. 498. de quo in notis ad Tomum 5. col. 737. Panegyricum hunc ex Regio Lutetiæ descriptum codice, castigavimus

by Google

ſtigavimus ex Bavarico, quem agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 72.

De ſancto Romano Martyre Orationes duæ. Habet Savilius Tomo 5. pag. 488. & 842. de quibus in notis ad Tomum 5. col. 736. de *prima* quidem ſic. Panegyricum hunc notæ cum primis bonæ, & ab Auguſtano Catalogo receptum numero 70. damus ex Regio MS. Codice Lutetiæ deſcriptum, & ex Bavarico MS. accurate caſtigatum : quem mirum eſt inter Panegyricos ſuos non edidiſſe Frontonem. De *altera* quam inter Scripta dubiæ fidei collocat, ita in notis ad Tomum 5. col. 751. Recte monet doctiſſimus Ducæus, hoc videri alterius initium, aut fragmentum aliquod ſuperioribus attextum.

De nativitate Maccabæorum Orationes tres. Habet Savilius Tomo 5. pag. 633. de quibus in notis ad Tomum 5. col. 741. Prima deſcripta eſt ex Codice MS. Regio, & emendata ex Bavarico, recepta a Catalogo Auguſtano numero 58. Secunda ex editione Burdegalenſi Frontonis Ducæi, emendata ex MS. Bavarico. Tertia ex editione Frontonis Ducæi Burdegalenſis, emendata ex MS. in Bibliotheca Cæſarea Viennæ: quam tamen cum Frontone ἀπόσπασμάτιον eſſe alterius Homiliæ reor, nec vero partes ejus inter ſe optime cohærere videntur. Primam in Maccabæos deſcripſit iterum in uſum noſtrum Samuel Sladius ex Monaſterio in monte Atho, ex quo apographo excerptæ notæ litera A ſignantur.

De ſancto Meletio Antiochæno Epiſcopo Sermo, anno 386. habitus. Habet Savilius Tom. 5. pag. 537. de quo in notis ad Tomum 5. col. 738. Ex Regio itidem deſcriptum, caſtigavimus ex Bavarico, qui reperitur in Catalogo Auguſtano numero 59.

De ſancto Luciano Martyre. Habet Savilius Tomo 5. pag. 529. de quo in notis ad Tomum 5. col. 738. Orationem hanc anno 1601. Burdegalæ a doctiſſimo Frontone editam, nos ex Cod. MS. Bavarico caſtigavimus: ex quo etiam Codice nuperam ſuam editionem Pariſienſem, ut videtur, emendavit idem Ducæus. Agnoſcit tractatum hunc Catalogus Auguſtanus numero 71.

De ſanctis Berenice & Prosdoce. Habet Savilius Tomo 5. pag. 413. de quibus in notis ad Tomum 5. col. 736. Hanc Homiliam in Catalogo Auguſtano numero 61. memoratam, a Frontone bis editam, damus ex Bavarico MS. accurate caſtigatam, ex quo etiam Codice varias lectiones habuit in editione poſteriori idem Fronto Ducæus.

De ſancto Juliano Martyre, ſermo Antiochiæ habitus. Habet Savilius Tomo 5. pag. 621. de quo in notis ad Tomum 5. col. 741. Orationem hanc receptam a Catalogo Auguſtano numero 73. tibi lector damus ex editione Frontonis Burdegalenſis anno 1601. emendatam, & ex codice MS. Bavarico, quem etiam, ut videtur, idem Fronto in editione nupera Pariſienſi anni 1609. conſuluerat. Antiochiæ habita eſt.

De ſancto Euſtathio Antiochæno. Habet Savilius Tomo 5. pag. 628. de quo in notis ad Tomum 5. col. 741. Ex editione Frontonis Burdegalenſis 1601. emendata ex MS. Bavarico, quem agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 60.

De Pœnitentia Homiliæ Sex. Primam Antiochiæ, poſtremam Conſtantinopoli habitas eſſe cenſet Savilius. Habet idem Savilius Tomo 6. pag. 824. 798. 769. 830. 792. 763. de quibus in notis ad Tomum 6. De *prima* col. 819. Hanc Orationem ex Bibliotheca Regia Lutetiæ deſcriptam emendavimus ex MS. Palatino. Habita eſt Antiochiæ, eſtque notæ melioris, eamque agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 95. De *ſecunda* col. 818. Hanc Orationem ex MS. Cæſareo nos deſcriptam emendavimus accurate in his notis ex editione doctiſſimi Frontonis, quam in excudenda noſtra editione, neſcio quo modo, adire negleximus. De *tertia* & *quarta* & aliis, idem Savilius col. 816. Ex decem homiliis *de Pœnitentia*, quas nobis Latine dedit vir doctiſſimus Lælius Trifernas, duas hoc eſt 6. & 7. Græce non reperimus, nec fortaſſe quisquam alius reperturus eſt. Videntur enim mihi ab aliquo ex Latinis Patribus ſcriptæ, ſed nihil auſim affirmare. Doctiſſimus Fronto centones eſſe putat ex Chryſoſtomi Operibus hinc inde collectos, octo reliquæ ſuis locis exhibentur. Alias etiam 7. vel 8. de eodem argumento dat hæc noſtra editio, partim γνησίας, partim ſuſpectas, de quibus ſuo loco. Jam primam hanc ex Bibliotheca Regia Lutetiæ deſcriptam, caſtigavimus ex MS. Bibliothecæ Cæſareæ Viennæ, & editione Frontonis Ducæi, quæ habita eſt Conſtantinopoli ut opinor. De aliis nempe LXXVIII. LXXIX. ibidem col. 816. LXXX. LXXXI. LXXXII. col. 817. LXXXIV. col. 819.

De ſancto Babyla Martyre Oratio, Antiochiæ habita. Habet Savilius Tomo 5. pag. 438. de qua in notis ad Tomum 5. col. 734. Orationem hanc ex eodem Sereniſſimi Bavariæ Ducis manuſcripto codice damus, ex quo ſuam doctiſſimus Fronto adornavit editionem Pariſienſem, ipſius & noſtris conjecturis emendatiorem multis in locis. Habita eſt Antiochiæ.

Contra Gentiles ſeu de vita Babyla liber. Habet Savilius Tomo 5. pag. 442. de qua in notis ad Tomum 5. col. 734. Orationem hanc ex Regia Bibliotheca Lutetiæ deſcriptam, emendatam ex Cod. MS. Bibliothecæ Bavaricæ, & excuſa Baſilienſi damus. Nam Frontonis editio Pariſienſis, ſcriptis ut opinor deſtituti libris, exiguo aut prope nulli nobis uſui fuit.

Catecheſis ad illuminandos. Habet Savilius Tomo 6. pag. 851. de qua in notis ad Tomum 6. col. 820. Hanc Orationem ex Bavarica Bibliotheca deſcriptam, aliquot in locis emendavimus ex editione Pariſienſi Frontonis Ducæi.

De Fato & Providentia Orationes Sex. Sexta ne verbum quidem habet de Providentia, & de Ingluvie inscribenda est. ἀπανθίσματα potius quam Homiliæ integræ Frontoni Ducæo videntur; verum id negat Savilius. Habet ille Oratiunculas V *de fato & providentia* Tomo 6 pag. 863 & sequentibus, de quibus in notis ad Tomum 6 col. 821. Non assentior Frontoni Ducæo, has περὶ προνοίας Orationes, ἀπανθίσματα esse: neque enim memini, me ea quæ hic asseruntur, alibi apud hunc Nostrum legisse, eodem modo dicta. Aliud tamen exemplar præter excusum Basileense, & ex eodem fonte derivatam Frontonis editionem, mihi videre non contigit, meisque librariis plurimas easque illustriores orbis Christiani Bibliothecas perlustrantibus. Tum de *Sexta* col. 822. In hac Oratione neque περὶ προνοίας, nec περὶ εἱμαρμένης verbum ullum, nihil enim est aliud, nisi invectiva *contra γαστριμαργίαν*: itaque hæc prior tituli pars inducenda est.

De Precatione Homiliæ II. Habet Savilius Tomo 6 pag. 754 de quibus in notis ad Tomum 6 col. 816. Harum Orationum περὶ προσευχῆς *priorem* ex editione Romana, & ex MS. Collegii Novi damus: *posteriorem* ex editionibus Romana & Ingolstadiensi, & Bavarico manuscripto.

In Sanctos Petrum Apostolum & Eliam Prophetam. Habet Savilius Tomo 8 pag. 18 de qua in notis ad Tomum 8 col. 933. Descripta ex MS. in Bibliotheca Regia Lutetiæ, ex alio MS. Bibliothecæ Palatinæ castigata γνησίαι ut opinor, sed non melioris notæ, habitaque ut videtur Constantinopoli.

Encomium Martyrum Ægyptiorum. Habet Savilius Tomo 5 pag. 519 de quo in notis ad Tomum 5 col. 738. Hanc Orationem a Frontone bis editam, cum MS. Bavarico comparatam damus, ab Augustano Catalogo receptam numero 63.

De Sancto Phoca Martyre. Habet Savilius Tomo 5 pag. 826 de quo in notis ad Tomum 5 col. 750. Hunc tractatum 128 & centesimum vigesimum qui de Sancta Thecla est, bis excudit Fronto, semel Burdigalæ 1601 & iterum Lutetiæ 1609 qui tamen non docet, unde eos habuerit. Nos exemplar nostrum harum Orationum vidimus, uterque in dubiis relinquendus, posterior vero me judice, etiam in spuriis.

Encomium in Sanctam Protomartyrem & Apostolem Theclam. Habet Savilius Tomo 5 pag. 835 de quo in notis ad Tomum 5 col. proxime dicta.

In Sanctum Barlaam Martyrem. Habet Savilius Tomo 5 pag. 493 cujus meminit in notis ad Tomum 5 col. 736. Agnoscit hanc Orationem pro germana, ut est, Catalogus Augustanus numero 69. Nos editionem Ducæi Burdigalensem valde mendosam, olim ex Bavariæ MS. a nobis emendatam hic damus, a posteriori ejusdem Ducæi editione Parisiensi parum admodum discrepantem: uterque enim ab eodem hausimus fonte, Medicæo scilicet & Bavarico Codicibus. [illegible] ille amplius, quod Regium etiam adhibuit, quem librarii mei non inspexerunt.

In Sanctos omnes, qui passim in toto orbe martyrio affecti fuerunt. Habet Savilius Tomo 5 pag. 614 de quibus in notis ad Tomum 5 col. 740. Duas hasce Orationes XC & XCI descripsimus ex Bibliotheca Collegii Novi Oxonii. Priorem emendavimus ex edito codice doctiss. Frontonis, posteriorem damus ex fide unius tantum Exemplaris, satis tamen emendate scripti. Utramque recipit Catalogus Augustanus, priorem numero 102. posteriorem autem numero I.

In Beatum Abrahæ. Habet Savilius inter dubia Tomo 5 pag. 653 de quo in notis ad Tomum 5 col. 742 fragmentum & capite & cauda mutilatum, neque Johannis nostri, ut opinor, quamvis Halesio meo aliter videatur.

De non anathematizandis vivis aut defunctis. Habet Savilius Tomo 6 pag. 439 cujus meminit in notis ad Tomum 6 col. 802. Orationem hanc, cujus manuscriptum exemplar nusquam invenimus, edidere Erasmus, & Erasmum secutus Fronto Ducæus. Chrysostomi sit, an non, haud temere asseruerim. Exordium in quo Sermonum περὶ ἀναπαλήπτου meminit, Chrysostomum auctorem arguere videtur. Si quis tamen singula accuratius examinarit, veri fortas[illegible] magis videbitur simile, potuisse alium aliquem, qui de ἀκαταλήπτῳ disputavit, Orationem hanc habuisse, quam Chrysostomianis adeo dissimilem Orationem, ab ipso Chrysostomo prodire potuisse. Non ignoro parte prima Juris Græco-Romani pag. 289 Philotheum Patriarcham ex Theodoro Balsamone proferre quædam, inque iis unam aut alteram Orationis istius particulam, idque sub nomine Chrysostomi. Sed multis abhinc seculis cœpere adulterina Patrum scripta circumferri, quæ res doctissimis etiam imposuit; dum rei magis sensuique, quam stylo & auctorum characteribus dignoscendis animum adverterent. Quamobrem τελευτέτω μου τὴν γνώμην, ut inquit Nazianzenus: eo tamen inclino, ut putem Chrysostomi non esse. Halesius.

Oratio de Pœnitentia, Continentia & Virginitate, sive potius *Epistola Parænetica ad Virginem quandam Deo devotam.* Habet Savilius Tomo 7 pag. 641. de qua in notis ad Tomum 7 col. 872. Orationem hanc a doctissimo Ducæo satis mendose, quippe libris destituto editam, nos ex aliis Codicibus, scilicet Regio & Cæsareo, damus multo emendatiorem. Neque tamen plene nobis satisfacere potuimus, cum Joannes Jejunator, cui eam Savilius attribuit, aliquando mulierem alloqui videatur, aliquando virum: idque tanta & tam insigni inconstantia, ut nihil certi de hac pronuntiare liceat.

CA-

CAPVT TERTIVM.

TOMVS SECVNDVS OPERVM S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI EXAMINATVR.

In Geneſin Homilia LXVII. Habet Savilius Tomo I pag. 1 de quibus in notis ad Tomum I col. 1 ſic. Hanc Homiliarum Chryſoſtomi in Geneſin editionem, Lector, ex quinque manuſcriptis Oxonienſibus concinnavimus: quorum duos nobis ſuppeditavit Bibliotheca Collegii Novi, alterum integrum Homiliarum 67, alterum 30 tantum priores complectentem. Tertium nobis exhibuit Bibliotheca Collegii Magdalenenſis, 37 homiliarum poſteriorum. Quartum & quintum 30 tantum priores continentes, non ita pridem Conſtantinopoli advectos, unum ante annos fere quadraginta ſcriptum, alterum antiquum & omnium emendatiſſimum, cui uni plura ferimus accepta, quam cæteris omnibus, debemus clariſſimo viro Thomæ Bodleio, qui vetuſtate & temporum an hominum injuria collapſam Bibliothecam Vniverſitatis immenſis ſumptibus inſtauravit, conquiſitis undique præter omnes omnium generum Codices excuſos, manuſcriptis, quantum in hoc ſpicilegio licuit, compluribus vetuſtis optimæ notæ. Præter hos quinque, acceſſit demum excuſo libro, ſextus doctiſſimi Crashavii noſtri quem Cr. ſignamus, triginta priores manu ſatis antiqua ſcriptas complectens, ex quo etiam pauca delibavimus. Aditum eſt etiam ad libros Regios Lutetiæ, in locis difficilioribus. Lectiones probabiliores in contextum fere recepimus, minus probabiles in marginem, quantum quidem locus capere potuit, conjecimus, falſis & aperte mendoſis repudiatis. Neque neceſſe putavimus ſigillatim annotare, quid quisque codex attulerit, quod plerique viri docti & diligentes fecerunt. Satis eſt ex his te ſcire, hanc editionem eſſe adornatam, neque indultum eſſe conjecturis, niſi in margine tantum, idque rariſſime: quod quando fiat, adſcripto in ora libri ἴσως, indicatur. Symbolas etiam ſi quas amici contulerunt, ſuis quæque locis referentur. De numero Homiliarum in Geneſin, fere convenit. Omnes enim manuſcripti in Gallia, Germania, & Italia, ſexaginta ſeptem nobis exhibent, præter duos Cæſareos Viennæ numero 13 & 18 qui hanc primam omittunt: ut quæ nihil ὑπομνηματικὸν contineat, atque ita ſex & ſexaginta non amplius erunt. Photius Bibliothecæ Codd. 172. 173. 174 non plures agnoſcit una & ſexaginta, & quæ in Codicibus noſtris eſt tricesima tertia, ipſe viceſimam octavam numerat: ut vel neceſſe ſit aliam Operis diſtinctionem eſſe ſecutum, quod mihi non ſit veriſimile, vel in libros incidiſſe minus perfectos. De loco & tempore, aſſentior conjecturis Photii, habitas eſſe Conſtantinopoli, quod (ut ipſe loquitur) phraſis ipſa indicat, ἐπὶ τὸ ταπεινότερον ἀπενηνεγμένη: ut ſunt pleraque omnia ejus ſcripta Conſtantinopolitana, Antiochenis minus accurata. Et auctor ἀνωνύμου vitæ Chryſoſtomi cap. 36 hunc librum in Geneſin ponit inter excepta ὑπὸ ταχυγραφῶν, & annis Epiſcopatus ſui ſecundo & quarto, hoc eſt, annis Chriſti 399 & 401. Porro & hoc ſciendum eſt, primam hanc εἰς τὴν ἔκδοσιν τῆς τεσσαρακαιδεκάτης, paſſim in Bibliothecis inter ſingulares reperiri: quod ideo monendum duximus, ne quis in eam incidens a reliquo ſegregatam corpore, aliquid ſe novi reperiſſe arbitretur. Poſtremo ὁμιλίαι inſcribantur ut Photius vult, an λόγοι, nihil intereſt: cum & λόγος recte dicatur de Concione ad populum habita, & ita eſſe cum in ſuis Codicibus ipſe Photius teſtetur, tum nos fere in noſtris deprehenderimus.

In varia Geneſeos loca Sermones ſeu Omiliæ IX. Habet Savilius Tomo 5 pag. 1 de quibus in notis ad Tomum 5 col. 713 de *prima*. Hanc Orationem deſcriptam ex MS. Regio Lutetiæ, emendavimus ex optimæ notæ Auguſtano. Habita eſt Antiochiæ, præſente, ut apparet ad finem, Epiſcopo Flaviano. Hæ autem Orationes octo in principium Geneſeos, habent multa tam ῥήματα quam νοήματα communia cum Homilis ejusdem Patris in Geneſim. Ac ne longe abeamus, pleraque quæ in hac prima Oratione continentur, iisdem fere verbis perſcripta reperiuntur in ſecunda Homilia in Geneſim. Tertia hujus tomi oratio convenit cum nona in Geneſim, & ſic fere in cæteris. Extat Latine hæc Oratio tomo 1 col. 439 edit. Pariſienſis 1588. Reperitur autem hæc Oratio Græce una cum quinque ſequentibus, eo ordine quo nos hic digeſſimus, in Codice MS. Cæſareo numero 26. De *ſecunda* col. 714 Hanc Orationem & tres ſequentes, melioris notæ ac γνησίας omnes, damus ex Bibliotheca Auguſtana deſcriptas, & ex Cæſarea accurate emendatas. De *tertia* ibidem. Hæc Oratio, quod ſupra diximus, eadem fere tam ſenſu, quam verbis, cum 9 in Geneſim. De *ſexta* col. 715 Codicem excuſum Lutetiæ a Morellio caſtigavimus ex MS. in Bibliotheca Bavarica. Extat etiam hæc Oratio in Bibliotheca Cæſarea numero 16. Idem argumentum tractatur Homilia 16 in Geneſim, & ſimilis huic & plane germanæ concluſionis, alibi in hoc Noſtro meminiſſe videor. Γνησίαν eſſe non dubito, ſed utrum ita ab ipſo auctore ſcripta, an ex pluribus hinc inde particulis in unum corpus ab aliquo ſtudioſo coagmentata fuerit: id vero eſt, quod ſummam difficultatem parit, in diſcernendis hujus auctoris Germanis operibus. De *ſeptima*. Deſcripta eſt ex Regia Bibliotheca Lutetiæ, emendata ex MS. Auguſtano. Non eſt opus opinor id denuo monere, quod ſæpe numero fecimus, multa hic eſſe, quæ iisdem prope verbis reperiuntur in Homiliis in Geneſim. De *octava*. Hanc Orationem ex Bibliotheca Cæſarea deſcriptam, emendavimus ex Bibliotheca Regia Lutetiæ. De *nona* col. 716. Hanc Orationem γνησίαν omnino & a Catalogo agnitam

Digitized by Google

Auguſtano, excuſam ante annos 80 Baſileæ, caſtigavimus ex Cod. MS. in Bibliotheca Bavarica.

In Annam Samuelis matrem Orationes V. Habet Savilius Tomo 5 pag. 50 de quibus in notis ad Tomum 5 col. 717 de *prima*. Homiliam hanc nec Græce quod ſciam, nec Latine adhuc vulgatam, agnoſcit ut γνησίαν Catalogus Auguſtanus numero 5. Eam nos exhibemus ex manuſcripto in Bibliotheca Collegii Novi Oxonii, emendatam & variis lectionibus illuſtratam ex Codice MS. ab eruditiſſimo Ducæo noſtris librariis liberaliter communicato Lutetiæ, ante aliquot annos. Titulus eſt in Ducæi codice περὶ τῆς Ἄννης λόγος ά, καὶ περὶ νηστείας καὶ προσευχῆς. Nos eum retinuimus quem in Manuſcripto Oxonienſi reperimus, haud ignari quanta licentia ludunt librarii in Orationum titulis. Habita eſt Antiochiæ, cum in hac Oratione patris ut opinor Flaviani mentionem faciat, ubi etiam reliquas in Annam dictas proclive eſt credere. De *ſecunda* col. 718. Hanc etiam Homiliam agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 6 quam vertit Eraſmus ex Codice mutilato in medio, ut poſtea notabimus. Nos eam damus ex optimo MS. in Collegio Novo Oxonii, caſtigatam ex alio MS. Gabrielis Archiepiſcopi Philadelphiæ, qui Venetiis jam vivit, eamque nobis liberaliſſimo animo communicavit, quamvis fine truncatam. De *tertia* col. 718. Hanc etiam Orationem agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 7. quam vertit Eraſmus. Vide tomum I, col. 484 editionis Pariſienſis 1588. Eam damus ex MS. in Bibliotheca Collegii Novi Oxonii, neque aliud præterea nobis ſuppetebat exemplar. Extat tamen aliud in Bibliotheca Vaticana, menſa 8 Codice 26 ut olim erant diſpoſiti libri. De *quarta* col. 719. Apparet ex verbis Chryſoſtomi tum in hac Oratione pag. 74. 26 tum in proxime ſequenti p. 79. 7. aliam prius Orationem ab ipſo habitam in prima *Cantici* verba, Ἐστερεώθη ἡ καρδία μου ἐν Κυρίῳ, quam nusquam reperio. Codex etiam Vaticanus, cujus ſupra meminimus, & Catalogus Auguſtanus, non plures in Annam agnoſcunt quam quinque, easdem plane cum noſtris, & eodem ordine diſpoſitas. Florigerus hanc quintam memorat, & nos hanc quintam memoravimus, quod a noſtro Johanne conſtaret aliam ante hanc eſſe habitam, ut dixi, in prima verba *Cantici*. Porro hanc Orationem ut & ſequentem, agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 8 & 9 cujus unicum nobis obtigit exemplum ex Bibliotheca Collegii Novi Oxonienſis. De *quinta* col. 719. Huic Orationi in noſtra editione ἀκεφάλῳ, ſic enim accepimus ex Codice MS. non admodum veteri in Bibliotheca Sereniſſimi Bavariæ Ducis, & ita Latine vertit Bernardus Brixianus ex MS. itidem truncato, ut apparet in editione Pariſienſi 1588 tomo 1 col. 490. Huic igitur Orationi ἀκεφάλῳ, caput ſuum Tomo 8 pag. 8 reſtituimus ex MS. in Bibliotheca Collegii Novi Oxonienſis, & transmiſſo ad nos à doctiſſimo Ducæo apographo, ex Bibliotheca illuſtriſſimi Cardinalis Perronii. Itaque Tomum 8 ſi placet adi, priusquam ad hujus Orationis lectionem accedas, gratiamque hujus τελειώσεως, tantis te auctoribus debere ſcito. Porro Bavaricum apographum emendatum damus, ex duobus Codicibus, Oxonienſi & Cardinalis, cujus librum ſignamus nota C.

In Davidem & Saulem Homiliæ III. Quarum *primam* habet Savilius Tomo 8 pag. 10 de qua in notis ad Tomum 8 col. 932. Hanc Orationem ab Eraſmo cum cæteris ejusdem argumenti Latine verſam reperire non potuimus Græce in hiſce Europæ Bibliothecis. Deſcripta eſt autem ex MS. Peræ Conſtantinopolis, a Samuele Sladio τῷ μακαρίτῃ & emendata ex alio MS. ἐν Χαλκῇ νήσῳ τῆς Καλχηδόνος invento. Reperitur autem in Catalogo Auguſtano, numero 11. Habet *ſecundam* Savilius Tomo 5 pag. 83 de qua in notis ad Tomum 5 col. 720 Primam εἰς τὰ κατὰ Δαβὶδ καὶ Σαοὺλ, cujus initium σιὰν ἐναντία τις καὶ συλήσει &c. quam & Eraſmus Latine vertit, nobis in orbe Chriſtiano irrepertam, deſcripſit Peræ Conſtantinopoleos, Samuel Sladius, quam in principio Tomi 8 pag. 10 vide. Deſcripta eſt autem hæc *ſecunda* Oratio in David & Saul, ex manuſcripto Gabrielis Archiepiſcopi Philadelphiæ Venetiis, bono cum primis & emendato, quo ſolo nixi ſumus. Verſa ab Eraſmo extat Tomo I col. 503 editionis Pariſ. 1588. Hanc Orationem & ſequentem agnoſcit Catalogus Auguſtanus, numero 12 & 13 poſt quam excuſam aliud apographum acceſſit, a Samuele Sladio deſcriptum Peræ Conſtantinopoleos, ex qua excerpta quædam in his notis, litera P ſignavimus. Habet *tertiam* Savilius Tomo 5 pag. 89 de qua in notis ad Tomum 5 col. 721 de proœmio hujus Orationis ſatis dictum eſt ſupra ad eam quæ eſt in Abraham. Porro eam damus ex unico MS. in Bibliotheca Collegii Novi Oxonienſis, quem tamen rara certe librariorum felicitate, ita accurate ſcriptum offendimus, ut alio vix opus eſſe videatur exemplari.

Contra Ignaviam. Habet Savilius Tomo 6 pag. 844 de qua in notis ad Tomum 6 col. 820. Hanc Orationem damus ex editione Romana accurate caſtigatam, tam ex notis doctiſſimi Florentis Chriſtiani, quam ex Codice ſcripto in Bibliotheca Collegii Novi Oxonii. Agnoſcit eam Catalogus Auguſtanus, num. 29.

Sermo in Joſeph de Continentia. Habet Savilius Tomo 7 pag. 939 Joanne Oecolampadio interprete, ſed Latine tantum, quam Græcam reperire non potuit, ut teſtatur in Catalogo Tomi Septimi.

Homilia in regreſſu Johannis de Aſia. Habet Savilius Tomo 7 pag. 944 Latine tantum, de qua idem paucis loco citato, ubi anno 400 habitam putat.

Homilia Quum Saturninus & Aurelianus in exi-

lium

lium ejus esset, & Gainas è civitate egressus esset, & de avaritia, Latine Erasmo interprete, qui eam spuriam esse censet. Habet Savilius Latine tantum Tomo 7 pag. 936

Homilia post reditum à priori exilio. Habet Savilius Latine tantum Tomo 7 pag. 943

De recipiendo Severiano. Habet Savilius Latine tantum Tomo 7 pag. 947 quam circa annum 401 habitam, Fronto Ducæus spuriam omnino censet.

Oratio Severiani de Pace, cum a beato Johanne Episcopo Constantinopolitano susceptus esset. Habet Savilius Tomo 7 pag. 948 Latine solum, ejusdem cum præcedente suspectam suppositionis.

De Canticis Davidicis, Latine. Nihil aliud est, quam Epilogus Homiliæ 28 in Epistolam ad Romanos.

Homilia ad Neophytos Latine Aniario interprete, genuina videtur: nam ex illa laciniam bene longam Augustinus citat Lib. I. contra Julianum cap. 2 quæ inibi reperitur. Quædam etiam ex hac ipsa Latina versione habet Adrianus Papa in Epistolis Pontificum a Gretsero editis pag. 326. Contendit tamen esse spuriam Flaminius Nobilius in Notis ad Opera Chrysostomi, sub finem Tomi V editionis Parisiensis 1588.

CAPVT QVARTVM.

TOMVS TERTIVS OPERVM S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI, EXAMINATVR.

CVm Tomus iste Frontonis Ducæi nihil aliud contineat, quam Exegeses vel certas vel dubias Sancti Joannis Chrysostomi in Psalmos Davidicos & in Esaiam: præmittemus hic primum id quod habet Savilius Tomo 8 col. 95 in notis ad Tomum I Operum Chrysostomi, de Commentariis in genere, quos Samius Doctor in Psalmos vel omnes vel plerosque olim composuerat, ab edaci pretiosorum omnium tempore consumptos. Ita igitur Savilius. De Chrysostomi nostri Expositione in Psalmos, quærendum videtur *primo* loco utrum in totum Psalterium scripserit, *secundo* num hæc Joannis nostri germana sint, *tertio* ubi demum scripta, Antiochiæ an Constantinopoli? *quarto* quid sentiendum sit de aliis Expositionibus in quosdam Psalmos, quæ in Latinis quidem extant codicibus nomine Chrysostomi insignitæ, cum tamen earum pars nulla Græce reperiatur. Et quidem quod ad *primum* attinet, auctor tituli Codicis Collegii Corporis Christi, quem libro præfiximus, quisquis ille fuerit aut quo demum seculo vixerit, nam recentiorem esse plus quam probabile est: putat Johannem nostrum in Psalterium integrum scripsisse, sed partem majorem temporum aut hominum injuria periisse, ea tantum superesse, quæ ipse undecunque corrasa nobis proposuit Photius in Bibliotheca Cod. 172 τὰ εἰς τὸν ψαλτῆρα Johannis ὑπομνήματα commemorat, Suidas τὰς εἰς τὰς ψαλμὰς τῦ Δαβὶδ λόγους, sine ulla exceptione uterque. Georgius item Alexandrinus sect. 17 τὰς ἐπὶ τῦ ψαλτηρίυ ἐξηγήσεις, quas cum ab ipso dum Presbyter adhuc esset, elucubratas asserat: nullam video rationem, cur in otio illo Antiocheno, principio & fini Psalterii lucem interpretationis afferre voluerit, & id quod in medio est, intactum relinquere. Quale enim fuerit totius antiquitatis de hoc in Psalmos volumine judicium, locuples est testis Suidas, qui hunc nostri Joannis in Psalmos Commentarium, ejusdem libris *de Sacerdotio* qui reliquis omnibus τῶντε ὕψει, καὶ τῇ Φράσει καὶ τῇ λειότητι, καὶ τῷ κάλλει τῶν ὀνομάτων antecellunt, ἐφάμιλλον esse disertis verbis scribit. Photius etiam Cod. 172 hanc ἐξήγησιν cum aliis optimæ notæ Chrysostomi scriptis componit, reliquis facile præponit. Populum autem Antiochenum tanto hujus scripti desiderio inflammatum esse scribit Georgius, ut illud memoriter effati sint: Sic enim verto illud ἐνεφίζειν, vel ἀποσφίζειν. Porro germana esse censeo omnia, quæ sunt in Codice Collegii Corporis Christi, & Vaticano & Barberino, de reliquis suo loco videbimus. Et quidem Antiochiæ scripta esse, cum stylus ipse aperte indicat, sine salebris fluens, altior & copiosior, quam in scriptis ejusdem Constantinopolitanis: tum auctoritas Georgii Alexandrini, qui opus hoc ab eo dum Presbyter esset, confectum scribit: & verba auctoris incerti in margine Codicis Collegii Corporis Christi, ad illa Chrysostomi verba in Psalmum 110 pag. 356 de Crucis signo, quod in vestibus tunc temporis apparuerit. De cæteris vero quæ nobis Latinæ editiones exhibent, neque tamen Græce a nobis reperiuntur: assentior Sixto, pleraque omnia non esse Chrysomi, quamvis inter ea, quædam spernenda non sint. Neque moveor authoritate Danielis Barbari, qui ex eis nonnulla producit in Catena sua, quam appellat Græcorum Patrum in Psalmos: cum pro certissimo habeam, eum multa afferre editionum Latinarum fidem secutum, quæ nec in auctoribus ipsis, nec in Catenarum scriptoribus Græcis ipse unquam Græce viderit: quod ex germano ejusdem Catenæ in Psalmos exemplari, quod extat Oxonii in Bibliotheca Collegii Novi, facile cuivis constare potest.

Collectio Expositionum in undesexaginta Psalmos Davidicos. Habet Savilius Tomo I pag. 521 quarum meminit in notis ad Tomum I col. 95 & Catalogum refert ad initium Tomi I editionis suæ. Sunt autem Expositio in Psalmos 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11. Lacunæ autem quædam horum Psalmorum asteriscis signatæ, explentur in Tomo 8 pag. 5 ex Codice illustrissimi Cardinalis Barberini. Initium Expositionis in Psalmum 12 pag. 608 cui reliqua attexuntur Tomo 8 pag. 5 lin. 36 ex Codice ejusdem Cardinalis. Item Homilia in duos priores versus Psalmi 41. Expositio in Psalmos 43. 44. 45. 46. 47. 48. & 49

Digitized by Google

Expoſitio in Pſalmos 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. Expoſitio in Pſalmos 119. 120. & reliquos usque ad 150.

Homilia in Pſalmum III. Habet Savilius Tomo 8 pag. 1. de qua in notis ad Tomum 1 col. 97 & ad Tomum 8 col. 931. Hanc Expoſitionem Pſalmi tertii ab illo *Φιλοθέῳ* & *φιλοχρίστῳ* viro, qui *τῆς συναγωγῆς* in Pſalmos, quam ex Collegio Corporis Chriſti Oxonii ſumpſimus, auctor fuit, vel non viſam vel repudiatam: milit ad me doctiſſimus Fronto Ducæus, ex Vaticana ut ipſe ajebat, deſcriptam: quæ extat etiam teſte Flaminio Nobilio in notis ad Chryſoſtomum, in Bibliotheca Clericorum Regularium Romæ. Hujus principium, & quidem non inelegans aut Chryſoſtomo indignum, citat Damaſcenus Orat. 3 *de Imaginibus*. Vertit Latine vetus Interpres, quam uti & nos quoque Græce damus, ſine truncatam. Quæ tamen omnia non eam apud me vim habent, ut non plane acquieſcam Halefii mei *περὶ νοθείας* judicio, qui ſic de Expoſitione iſta ad verbum cenſuit.

In locum Pſalmi XLIV Aſtitit regina &c. ex occaſione Eutropii Eccleſia abrepti, Sermo Conſtantinopoli habitus. Habet Savilius Tomo 5 pag. 100. de qua in notis ad Tomum 5 col. 721. Hanc Orationem ante annos fere 60 Lutetiæ mendoſiſſime editam, ad ſanitatem prope attulimus ex Cod. MS. in Bibliotheca Regia ibidem. Porro Eutropius hic Arcadii Imperatoris eunuchus & Joanni noſtro in adipiſcenda ſede Conſtantinopolitana maximus ſuffragator, cum in ipſo Conſulatus ſui anno in Imperatoris iram incidiſſet, ad Eccleſiam confugit, in quem ſub altari deliteſcentem Chryſoſtomus Orationem habuit, quam vide Tomi 8 pag. 67. Quod plerisque inhumanum viſum eſt, hominis calamitoſi & olim amici miſeriis inſultare. Colligitur autem ex proœmio hujus Orationis, Eutropium ab Imperatore repetitum, a Johanne neutiquam deditum: ſed poſtea extra Eccleſiam forte repertum, ad ſupplicium fuiſſe abreptum. Quæ tamen circumſtantiæ aliquo modo pugnare videntur, cum iis quæ in Hiſtoria Eccleſiaſtica narrantur: ſed Johanni noſtro, qui rebus gerendis interfuit, etiam contra omnes hiſtoricos adhibenda fides.

In locum Pſalmi XLVIII Ne timueris cum dives &c.

In eundem locum & de Eleemoſyna Sermo Conſtantinopoli habitus. Habet utrumque Savilius Tomo 5 pag. 113 & 123 de quibus in notis ad Tomum 5 col. 721. Hujus Orationis & proxime ſequentis apographa ex Bibliotheca Collegii Novi Oxonienſis, deſcripta. Priorem emendavimus ex duobus manuſcriptis in Bibliotheca Regia Lutetiæ, uno Cæſareo Viennæ, & Codice excuſo Lutetiæ 1554. Nam ne neſcias Lector, eadem eſt hæc noſtra cum illa excuſa, quamvis initia diverſa ſint, paucis duntaxat exceptis. In poſteriore Oratione, plana ſunt omnia: in priore, non pauca hiulca & aſpera. Præſtitimus quod potuimus, ut loca quæ minus placerent notaremus, ingenioſis & induſtriis lectoribus vel interpretanda vel emendanda. Vtraque *γνησία*, & habita ut opinor Conſtantinopoli: & quidem poſterior videtur a Johanne noſtro habita poſt aliam, ab aliquo Presbytero fortaſſe ſuo dictam.

In locum Pſalmi CXLV Lauda anima mea Dominum &c. Habet Savilius Tomo 5 pag. 540 de qua in notis ad Tomum 5 col. 738. Deſcripta eſt hæc Oratio ex Bibliotheca Regia Lutetiæ, multis in locis plenior emendatior & emendatior ex Codice MS. in Bibliotheca Bavarica.

In Pſalmum XIII. Homilia, Latine tantum.

In Pſalmum L. Homilia II. Habet Savilius Tomo 1 pag. 692 de quibus in notis ad Tomum 1 col. 113. Has duas in Pſalmum 50 Orationes ſive Homilias non agnoſcit, aut non vidit ille *Φιλόθεος καὶ Φιλόχριστος ἀνήρ*, qui nobis Oxonienſem illam longe optimam Commentariorum Chryſoſtomi in Pſalmos *συναγωγὴν* reliquit. Et certe diſſimiles eſſe cæterarum, præſertim priorem, hoc eſt, *πολὺ τῆς τῶν ἄλλων τῶν ὁμολογουμένως γνησίων δεινότητος ἀπεδεῖνι* luce clarius eſt. Itaque *ἐπέχω*, non abjudico, cum & magnos habeant patronos Sixtum Senenſem & Jacobum Billium, & paſſim in Bibliothecis Græce ſub Chryſoſtomi noſtri nomine inveniantur: & quod mihi non leve *γνησιότητος* argumentum eſt, vetus jam pridem in Eccleſia Latina recepta ſit earum verſio. Quin & Græcorum neotericorum longe doctiſſimum Maximum Margunium Cytherorum Epiſcopum, earundem habemus aſſertorem in Epiſtola ad doctiſſimum Davidem Hæſchelium miſſa, quam mihi ab eodem Hæſchelio transmiſſam, quia negotium hoc Chryſtomicum tota fere attingit, Savilius col. 115 ſubjicit. Tum col. 115. His igitur adducti rationibus, hiſce duabus Homiliis locum inter germana Chryſoſtomi damus: recte, an ſecus, penes eruditos judicium eſto, nam eas Fronto, ut video, rejecit *ὡς ὑποβολιμαίους*. Porro eas cujuscunque ſint, id enim in medio relinquo, exhibemus ex cod. Regio deſcriptas, & ex duobus codicibus Viennenſibus caſtigatas: quibus acceſſerunt in hiſce notis variæ lectiones, in priorem ex apographo Orientali, literis Or. notato.

In Pſalmum LI. Homilia. Habet Savilius Tomo 1 pag. 911 de qua in notis ad Tomum 1 col. 123. Commentarios in hunc Pſalmum LI atque in 101 & ſex ſequentes, deſcriptos damus ex Bibliotheca Regia Lutetiæ, neque enim alibi usquam extare opinor: minime quidem illos germanos, ut mirum ſit doctiſſimú Billium ita voluiſſe *ἀδεσπότους* in lucem edere has nugas. Nam quod ad 118 attinet, clarum eſt fœtum eſſe recentioris alicujus & ineruditi Græculi. De 101. & ſex ſequentibus, idem video placere doctiſſimo Ducæo in annotatis ad *ἀνδρυάντας* Chryſoſtomi noſtri.

In

d by Google

In Psalmum XCV Homilia. Habet Savilius Tomo I pag. 916 de qua in notis ad Tomum I col. 124. Homiliam in Psalmum 95 seu potius in duos priores ejusdem Psalmi versus, plane νόθον, & ineptis allegoriis & anagogiis scatentem, quamvis passim per Bibliothecas descriptam & ab Erasino versam, in classem νοθευομένων rejecimus, jure merito ut opinor. Eam ex Bibliotheca Collegii Novi Oxonienſis descriptam, & ex alio ibidem MS. emendatam, excudi jussimus. Post editionem absolutam, missum est ad me a librariis meis apographum Constantinopolitanum, ex quo literis Or notato, varias lectiones inferius positas, sciat Lector omnes petitas.

In Psalmum C Homilia. Habet Savilius Tomo I pag. 925 de qua in notis ad Tomum I col. 126. Hanc Expositionem ex editione Parisiensi 1555 & MS. Regio Lutetiæ expressam damus, aliquot locis doctissimi Alleni conjecturis emendatam.

Enarratio in Esaiam Prophetam, a Johanne adhuc Presbytero scripta, nempe in Capita septem, & quod excurrit. Habet Savilius Tomo I pag. 1016 de qua in notis ad Tomum I col. 133. Hujus libelli quatuor exemplaria sunt, bina vetera, unum Romæ in Vaticana, alterum in Bibliotheca Bessarionis: bina nova, Regium Lutetiæ ex quo nostrum descriptum, & alterum Bavaricum in Bibliotheca Monachiensi, quæ ex duobus prioribus fluxisse constat. In hoc libello perquam eleganti, in conjecturis audacior fui, ab omni quippe Codicum subsidio destitutus. Quin hoc sit germanum Chrysostomi Syntagma, equidem qui legerit, dubitare puto neminem: vel ipsa 1034 pagina satis indicat, non alia quam Chrysostomi ætate scriptum fuisse. Extant quoque col. 137 Joannis Boisii cura posteriores ad Tractatum Chrysostomi in Esaim, & col. 139 annotationes Thomæ Alleni in eundem Tractatum.

In locum Esaiæ cap. 6 Vidi Dominum sedentem super solium excelsum, Homiliæ V Antiochiæ habitæ. Habet Savilius Tomo 5 pag. 127 & seqq. de quibus in notis ad Tomum 5 col. 722. Ex his quinque Orationibus in Oziam, Catalogus Augustanus numero 30. 31. 32. 33. agnoscit quatuor, hoc est, dempta quarta cæteras omnes, & sunt procul dubio omnes γνησίαι. Primam hanc bis editam Romæ, emendavimus ex quatuor scriptis Codicibus, quorum primus fuit Erasmi interpretis, & nunc est in Bibliotheca Vniversitatis Oxonienſis. Secundus ex Bibliotheca Collegii Novi Oxonienſis depromptus, tertius ex Bibliotheca Vniversitatis Cantabrigienſis, quartus mihi a doctiss. Croshavio commodatus, adhibitis etiam Quinti Septimi Florentis Christiani, viri multis nominibus orbi Christiano noti, ingeniosis & doctis conjecturis: nam libris manuscriptis, ut videtur, prorsus destituebatur. Porro sciat lector, in omnibus fere illustrioribus Bibliothecis Italiæ, & in Regia Lutetiæ, reperiri inter Chrysostomi manuscripta librum inscriptum χρυσοστόμου μαργαρίται: qui codex nihil aliud continet, quam συναγωγήν quandam lectissimarum Orationum Chrysostomi, ut ipsi συναγωγεῖ visum est, non magni judicii viro, ut qui pleraque collegerit inter suas margaritas, subfusca ac liventia. Quo in numero sunt hæ quinque in Oziam, sex contra Judæos, & aliæ ad 70 vel 80 numero, quas omnes suis locis repræsentabimus, ne quis in illam συναγωγήν incidens, aliquid se novi reperisse putet.

In Seraphim Esaiæ 6 Oratio. Habet Savilius Tomo 5 pag. 155 de qua in notis ad Tomum 5 col. 724. Hanc Homiliam ex Bibliotheca Collegii Novi Oxonii descriptam, emendavimus ex quatuor aliis codicibus scriptis, uno Regio Lutetiæ, altero doctissimi Ducæi, tertio Cantabrigiæ, & quarto Croshavii nostri. Agnoscit eam pro legitima, ut est, Catalogus Augustanus num. 34.

In illud Esaiæ cap. 45 Ego Dominus Deus feci lucem & tenebras, faciens pacem & creans mala. Habet Savilius Tomo 5 pag. 160 de qua in notis ad Tomum 5 col. 724. Hanc Orationem sane perquam elegantem & γνησίαν, debemus Bibliothecæ Sereniſſimi Bavariæ Ducis: quo dolendum magis, unicum ejus nobis obtigisse exemplar, quod tamen tale fuit, ut pauca admodum supersint emendanda, præter unam aut alteram lacunulam.

In textum Jeremiæ cap. 10 v. 23 Non est in homine via ejus &c. Habet Savilius Tomo 5 pag. 168 de qua in notis ad Tomum 5 col. 725. Hanc Homiliam γνησίαν & melioris notæ, quam etiam agnoscit Catalogus Augustanus numero 36. ex Bibliotheca Regia Lutetiæ descriptam, emendavimus ex alio Manuscripto in Biblioth. Bavarica.

De obscuritate Prophetiarum & Veteris Testamenti, Homiliæ II. Habet Savilius Tomo 6 pag. 649 de quibus in notis ad Tomum 6 col. 812. Agnoscit Catalogus Augustanus has duas Orationes ut γνησίας, numero 40 & 41. Descriptæ sunt ex Bibliotheca Regia Lutetiæ, neque aliud præterea suppetebat exemplar: quod sane dolendum, nisi quod Regium certe incommode scriptum erat.

Atque hæc Tomo tertio Frontonis Ducæi Græco & Latino continentur, cui tamen addi possent ex editione Savilii Tomo I pag. 925 *Expositio in Psalmos 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. & 107.* de quibus in notis ad Tomum I col. 126. Hanc Expositionem Psalmi 100 ex editione Parisiensi 1555 & MS. Regio Lutetiæ expressam damus, aliquot locis doctissimi Alleni conjecturis emendatam. Expositio in hunc Psalmum 101 & sex sequentes, ad verbum pene ex Theodoreto sumpta, nisi quod assutæ sunt aliunde frigidæ quædam & ineptæ allegoriæ & anagogæ. Ex Theodoreti igitur codicibus manuscriptis hic in Anglia repertis, non

Digitized by Google

non pauca reſtituimus in melius, ut ex notis ſequentibus patebit: neque enim Theodoreti codicem, niſi poſt abſolutum Tomum primum, nacti ſumus. Porro neque hoc relatum lectorem volumus, non Theodoreti, ſed Euthymii Zigabeni nomen ambobus noſtris manu exaratis præſcriptum, falſo ut opinor: cum ipſiſſima ſit Expoſitio, quam Latinus interpres Theodoreti nomine ediderit. Item *Expoſitio in ſtationem primam, ſecundam & tertiam Pſalmi 118* quam habet ibidem Savilius Tomo I pag. 978 de qua in notis ad Tomum I col. 130. De Commentario in hunc Pſalmum, ſupra diximus ἔκτρωμα recentioris alicujus Græculi, vix lectione dignum. Eum nobis ſuppeditavit Regia Bibliotheca Lutetiæ, vertit vulgavitque pro vero fœtu, ſatis a βατανίσως, ut dixi, Billius. Nam *primum* citantur nominatim Aquila, Symmachus, Theodotion, quod Theodoreto ſolemne quidem, Chryſoſtomo inuſitatum eſt: qui non aliter fere loquitur, quam ἄλλος, aut ἄλλος ἑρμηνευτής. *Deinde* præter morem omnium veterum, citatur nominatim Athanaſius & Nazianzenus, bis adjecto Theologi cognomine, quod nemo non videt recentioribus ſeculis eſſe introductum. Et quod caput eſt, contra Paulicianos invehitur etiam nominatim & Iconoclaſtas, quorum nomen circa annum Chriſti 850 mundo innoteſcere cœpit, imperantibus Michaele & matre Theodora. Zonaras Annalium tom. 3 pag. 126. Neque Iconoclaſtarum ſive Iconomachorum nomen, niſi aliquot poſt mortem Chryſoſtomi ſeculis, auditum fuit. Porro author hic quisquis eſt, in hunc Commentarium totam pene ad verbum Theodoreti Expoſitionem effudit, aſſutis quibusdam quisquiliis domi ſuæ natis, an alibi unde petitis? Id quod in proxime præcedentibus, itidem factum monui.

Edidit quoque *Homilias IV. in Pſalmos* Græce & Latine, Pariſiis 1661. Joannes Baptiſta Cotelerius, Socius Sorbonicus, quas genuinas eſſe opinatur: ſed eruditi illas accedere magis ad dictionem Gabalorum Epiſcopi conciſam exiſtimant. Edita ab eodem ibidem *Interpretatio in Danielem Prophetam* Græce & Latine, quam vel non eſſe Joannis Chryſoſtomi, vel Epitomen & Eclogam eſſe fuſioris ſaltem Commentarii, merito idem Cotelerius cenſet.

CAPVT QVINTVM.

TOMVS QVARTVS OPERVM S. JOANNIS CHRYSOSTOMI EXAMINATVR.

De Sacerdotio Lib. 6. quos dum adhuc in Eremo hæreret maximam partem elaboratos, poſtea Diaconus factus ad umbilicum perduxit. His primum locum τῶν ὕψει καὶ τῇ φράσει καὶ τῇ λειότητι τῶν ὀνομάτων, jure merito Suidas in voce Ἰωάννης tribuit. Habet Savilius Tomo 6. pag. 1. de quibus in notis ad Tomum 6. col. 788. Περὶ ἱερωσύνης, doctiſſimi Hæſchelii editionem duobus ſubnixam Codicibus manuſcriptis, Palatino ſcilicet & Auguſtano, præter tres vulgatos, emendavimus aliquot in locis, ex duobus aliis Oxonienſibus MSS. uno in Bibliotheca Collegii Corporis Chriſti, altero in Bibliotheca Collegii Novi: in quorum poſteriori titulus eſt, Πρὸς τοὺς ἐγκαλοῦντας ἐπὶ τῷ διαφυγεῖν τὴν ἱερωσύνην &c. In vulgatis, Ἰωάννου Χρυσοστόμου, ὅτι πολλῷ μὲν ἀξιώματος, δύσκολον δ' ἐπισκοπεῖν &c. Indicem τῶν κεφαλαίων in Auguſtana editione repræſentatum, aliumque plane diverſum noſtrorum Manuſcriptorum, neutrum bono judicio collectum, in hac editione negleximus.

De Compunctione cordis ad Demetrium. Habet Savilius Tomo 6. pag. 138. de qua in notis ad Tomum 6. col. 793. Hanc Orationem & quatuor ſequentes ex fide duorum Codicum MSS. edimus, Bavariæ & alterius, quem nobis utendum Venetiis dedit Reverendiſſimus Philadelphiæ Archiepiſcopus Gabriel. Has omnes agnoſcit Catalogus Auguſtanus, ἐπότως: δῆλα γὰρ ἐκ τούτων γνησιώτερον. Scriptas eſſe Antiochiæ, vel dum in Eremo eſſet, ex verbis ipſius liquet. Interpres, ut hoc obiter moneam, in duabus prioribus vertendis, libertate uſus eſt: quo fit ut veterum magis quam recentiorum aliquem, extitiſſe putem.

Ad Stelechium de eodem argumento. Habet Savilius Tomo 6. pag. 151. de quo idem Savilius, loco ſtatim citato.

De Providentia Dei ad Stagirium Monachum libri III. inter annos 381. & 386. ſcripti. Habet Savilius Tomo 6. pag. 84. de quibus in notis ad Tomum 6. col. 791. Haſce ad Stagirium Orationes tres damus, Lector, ex Bibliotheca Palatina deſcriptas, & ex Bavarica caſtigatas.

Quod regulares fœmina viris cohabitare non debeant. Habet Savilius Tomo 6. pag. 230. & ſequentem.

In eos qui domi tenent Virgines introductitias, ibidem pag. 214. de quibus in notis ad Tomum 6. col. 795. Sex Orationum κατὰ συνεισάκτων habitarum Conſtantinopoli a Johanne noſtro, meminit Georgius Alexandrinus, eumque ſecuti βιογράφοι alii. Nos non plures duobus damus, & quidem ut puto Antiochenas, ex Bibliotheca Bavarica deſcriptas, & ex Cæſarea emendatas. Vterque tractatus a Chryſoſtomo ſtatim poſt ſuſceptum Epiſcopatum, judice Savilio ſcriptus eſt, a Diacono tamen ſcriptos eſſe teſtatur Socrates lib. 6. cap. 3.

De Virginitate, Chryſoſtomi adhuc Presbyteri opus. Habet Savilius Tomo 6. pag. 244. cujus meminit in notis ad Tomum 6. col. 795. Editionem doctiſſimi Livineji anno 1575. Antverpiæ, emendavimus ex duobus Codd. Manuſcriptis in Bibliotheca Cæſarea, uno in membrana, altero in papyro, & tertio κατ' ἐπιτομὴν in Auguſtana. Verterat ante Livineium hunc librum

librum non male Pogianus, & ex melioribus libris, quam erant ii quibus uſus eſt Livineius, quamvis Livineio ſecus videatur. Ea enim fere omnia, quæ a Pogiano aſſuta putat, nos in libris noſtris διαρρήδην ſcripta deprehendimus, ſuisque repræſentavimus quæque locis. Meminit hujus tractatus Chryſoſtomus ipſe Homilia 19. in priorem ad Corinthios, ut Catalogum Auguſtanum γνησιότητος aſſertorem addere, ineptum ſit ac putidum.

Adverſus vitæ Monaſticæ vituperatores libri III. quarum ſecundus & tertius *ad patrem infidelem* & *ad patrem fidelem*, in editione Saviliana inſcribuntur. Habet Savilius Tomo 6. pag. 161. de quibus in notis ad Tomum 6. col. 793. ut ſupra attulimus in Opere *de compunctione cordis ad Demetrium.*

Comparatio Regis & Monachi. Habet Savilius, Tomo 7. pag. 230. de qua in notis ad Tomum 7. col. 861. Hæc Oratio neſcio quo errore huc detruſa, inter ἀμφιβαλλόμενα ſaltem locum tueri potuiſſet. Nam & in multis Bibliothecis deſcribitur, & a Florigero citatur, & quod caput eſt, multa habet tam ſenſu quam phraſi non abhorrentia a Chryſoſtomicis.

Ad viduam juniorem libri II. quos a Chryſoſtomo antequam Diaconus factus eſſet, ſcriptos affirmat Symeon Metaphraſtes. Habet Savilius Tomo 6. pag. 296. de quibus in notis ad Tomum 6. col. 796. Harum Orationum priorem ex Bibliotheca Palatina deſcriptam, ex Auguſtana emendatam damus: poſteriorem ex Auguſtana deſcriptam, & ex Bavarica emendatam.

In Eutropium Eunuchum Sermo, anno 399. habitus, cum Eutropius plebem tumultuantem fugiens, apud altare, ſacrum ſibi aſylum quæſiviſſet. Habet Savilius Tomo 8. pag. 67. de quo in notis ad Tomum 8. col. 937. Meminerunt hujus Orationis Socrates Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. 7. cap. 5. fol. 255. edit. Roberti Stephani, & Sozomenus Lib. 8. cap. 7. fol. 108. a, quos vide, quia huic Sermoni multum locis afferunt. Vide etiam Orationem 18. Tomi V. ubi multa huc pertinentia. Porro apographum hujus Orationis miſit ad me Fronto Ducæus, mihi ſæpe memoratus.

Quod nemo leditur niſi a ſeipſo, Liber paulo ante obitum ſcriptus, & Olympiadi mulieri nobiliſſimæ, ac ob Chryſoſtomi cauſam graviſſima quæque paſſæ, nuncupatus. Habet Savilius Tomo 7. pag. 36. de quo in notis ad Tomum 7. col. 851. Hanc Orationem ante omnes alias Chryſoſtomi, notiſſimam Occidenti, & per omnes fere Bibliothecas deſcriptam, ediderunt Græce quod ſciam primi, viri docti Romæ, & poſt eos Fronto Ducæus Ingolſtadii. Nos priores editiones aliquammultis locis emendavimus ex MS. Bavarico. In Latina verſione deprehendet Lector veriſſimum illud eſſe, quod aliquoties memini monuiſſe, ſumma in vertendo libertate uſos eſſe antiquos illos interpretes, & rem, non verba ſpectaſſe. Hujus Orationis meminit Chryſoſtomus ipſe Epiſtola 16. ad Olympiadem pag. 102. lin. 25. & pag. 27. 42. præcedentis.

Liturgia. Habet Savilius Tomo 6. pag. 983. de qua in notis ad Tomum 6. col. 818. De Liturgia integram Theologis diſceptationem relinquo, hæc tantum admoniſſe contentus, miram eſſe in ſcriptis Codicibus inconſtantiam. Quid enim habent fere ſimile verſio Eraſmi, & editio Morellii? Deinde multa paſſim in Operibus Chryſoſtomi ex Liturgia, qua tum utebatur Eccleſia Orientalis, recitari, quæ hic non reperiantur: multa hic reperiri, quæ vix illorum temporum eſſe videantur. Hæc Savilius pauca, cujus in ſubſidium Cavus hoc loco pag. 258. Eadem hujus, quæ & Baſilii Liturgiæ ratio. Compoſita videtur in uſum Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, ſed variis ſeculis varie pro cujusque genio interpolata, communi tamen uſu apud Græcos etiam hodie habetur. Ex editionibus plurimis nullas fere invenias (niſi quæ forſan ex altera expreſſa eſt) quæ non immenſum diſcrepent. Omnium optima, quæ breviſſima ac ſimpliciſſima Græce primum edita eſt a Demetrio Duca Romæ, inde Græc. Lat. Venetiis 1528. mox Eraſmi verſionem ementita, prodiit Gr. Lat. Pariſiis 1537. in 8. Latine ex Leonis Tuſci verſione Conſtantinopoli circa an. 1180. facta, a Joanne Hofmeiſtero edita 1540. & a Claudio Sanctes Antverp. 1560. 1562. 8. Ex Ambroſii Pelargi verſione Wormatiæ 1541. 4. ex vulgari verſione Pragæ 1544. Ex Gentiani Herveti verſione Venetiis 1548. Iterum Græce edita a Morellio, Pariſiis 1560. Optimam denique editionem Gr. Lat. adornavit, notisque ac variantibus lectionibus auctam, in *Euchologio Græcorum* adhibuit vir Cl. Jacobus Goar, Pariſiis 1647. in folio. Plura de hac Liturgia Robertus Cocus in *Cenſura Operum Chryſoſtomi*, pag. mihi 329. Andreas Rivetus lib. 4. *Critici Sacri* cap. 3. qui de hoc argumento inſtar omnium eſſe poſſunt. Audiamus ea de re Robertum Cocum. Eodem Tomo habetur *Miſſa Chryſoſtomi* ab Eraſmo Roterodamo (ut ajunt) in gratiam Roſſenſis Epiſcopi verſa, quæ Antverpiæ anno 1560. excuſa eſt juxta verſionem *Leonis Tuſci*, & edita per Claudium de Sainctes. Ex hac Miſſa Pontificii, nominatim vero Bellarminus, multa citant in cauſæ ſuæ patrocinium: idque interdum, ubi melius inſervire cauſæ ſuæ vident, ex verſione *Eraſmi*, interdum ex verſione *Leonis Tuſci*. Bellarminus lib. 2. *de Imag.* cap. 9. conatur probare ex *Liturgia Chryſoſtomi quam Eraſmus Latinam fecit*, Imagines recte in templis collocari. Et lib. 2. *de Miſſa*, cap. 21. ex *Liturgia Chryſoſtomi a Leone Tuſco Latine reddita*, Græcos poſterioribus temporibus addidiſſe Canoni Miſſæ, nomen Papæ Romani. Ex Miſſa Chryſoſtomi in genere, idem concludit lib. 4. *de Euchariſtia* cap. 10. neceſſarium eſſe vinum aqua miſceri in calice lib. 1. *de Miſſa* cap. 8. Sanctos in-

vocandos, ibid. lib. 2. cap. 2. Sacrificium Missæ esse propitiatorium. Ibid. cap. 7. orandum esse pro defunctis, cap. 14. Cereos accendendos dum Missa dicitur, cap. 15. thus adolendum. De hac Liturgia integram Theologis disputationem reliquit notis in Tomum 6. Chrysostomi Græce a se editi col. 828. Henricus Savilius, hæc tantum admonuisse contentus. *Miram esse in scriptis Codicibus inconstantiam, nihil fere simile habere versionem Erasmi, & editionem Morellianam: multa passim in Operibus Chrysostomi ex Liturgia, qua tum utebatur Ecclesia Orientalis, recitari, quæ hic non reperiantur: multa hic reperiri, quæ vix illorum temporum esse videantur.* Missa Chrysostomi anno 1528. Græce & Latine Venetiis excusa, non potest esse *Chrysostomi:* quia in illa fit commemoratio, tum multorum qui post Chrysostomum vixerunt, tum ipsius *Chrysostomi* ut mortui, imo in ea Chrysostomus invocatur. Missa Chrysostomi a Leone Tusco Latine reddita, Chrysostomi esse non potest. Nam licet in ea nulla fit mentio *Chrysostomi*, ut mortui, fit tamen mentio *Nicolai*, *Alexii* & aliorum, qui septingentis annis post *Chrysostomum* nati sunt. Alexius enim Imperator, cujus tempore Episcopatum Constantinopolitanum tenuit *Nicolaus* iste, teste Zonara Annalium Tomo 3. post annum 1080. regnare cœpit. Missa, Chrysostomi quam Erasmus dicitur sed falso, ut argute probat Joannes Rainoldus lib. 1. *de idololatria* cap. 7. num. 9. *Latinam* fecisse, Chrysostomi esse non potest. Nam licet in illa mentiones illæ mortuorum supprimantur omnes, & omnis etiam mentio *Nicolai* & *Alexii*, ex qua versio *Leonis Tusci* merito suspecta redditur: tamen & hæc habet, quæ plane arguunt, authorem hujus *Missæ* alium fuisse a *Chrysostomo*. Nam in hac Virgo Maria prædicatur, *penitus incontaminata, honoratior Cherubin, & glorioſior incomparabiliter Seraphin:* quod etsi Bellarminus in præfatione *de Sanctorum beatitudine*, tanquam a Chrysostomo dictum & fere dictum credi voluit: tamen a Chrysostomi doctrina alienissimum est. Agnoscente enim Cano *locorum Communium* lib. 7. cap. 1. Chrysostomus ex eorum numero est, qui *Virginem Mariam in Originali peccato conceptam esse volunt*. Imo unus est ex iis, fatente Salmerone Tomo 3. Commentariorum in Epistolas Pauli Disp. 9. qui *Virginem Mariam ambitiosam & cupidam gloriæ vana ac laudis, & incredulam etiam aliquando extitisse volunt:* hoc enim de *Chrysostomo* concedit Canisius lib. 4. *de Virgine Maria* cap. 1. At qui fieri potuit, ut Chrysostomus nisi insigniter sibi contradiceret, penitus *incontaminatam* diceret, sicut iste dicit? Præterea Chrysostomus in genuinis scriptis, Commentario in Epist. ad Hebræos cap. 2. dicit *Christum, nisi natura esset Dei filius, Angelis non solum non excellentiorem, sed minorem etiam fore:* ex quo necessario sequitur *Mariam*, quæ ex gratia Dei adoptata fuit, non solum non honore & gloria superiorem, nedum *incomparabiliter* Angelis superiorem, sed etiam inferiorem esse *Chrysostomo* iudice: & per consequens, hanc Missam non esse *Chrysostomi*. Id ipsum sentit Erasmus, Sic enim ille in Epistola ad Erardum de Marca Præsulem Leodiensem & Cardinalem, Tomo VII. Operum ejus ad initium Paraphraseos in I. ad Corinthios: *Legi Græcorum Liturgiam, quam illi Chrysostomo tribuunt, cui nihil fere non tribuunt, mihi non sit verisimile.* Hæc de *Liturgia S. Patris nostri Joannis Chrysostomi*, quæ extat etiam Græce & Latine edita Gentiano Herveto interprete, in *Supplemento Græcolatino* Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Parisiensis anni 1624. Tomo 2. a pag. 59. ad 88. Atque etiam ut supra diximus, cujus optimam editionem Græce & Latine adornavit notisque ac variantibus lectionibus auctam & collatam, in *Euchologio* seu *Rituali Græcorum* a pag. 49. ad 158. exhibuit Jacobus Goarus Ordinis Fratrum Prædicatorum, Parisiis 1647. in folio apud Symeonem Piget. In hoc autem *Euchologio* seu Rituali Græcorum, *Ordo sacra ac divinæ Missæ Sancti Patris nostri Joannis Chrysostomi* inscribitur.

De Pœnitentia. Habet Savilius Tomo 6. pag. 784. ubi Homilia LXXX. numeratur, quam agnoscit in Bibliotheca Photius Cod. 277. de qua in notis ad Tomum 6. idem Savilius col. 817. cum aliis ejusdem argumenti.

Ad Theodorum lapsum Paræneses II. scriptæ eo fine, ut Theodorum qui secularem vivendi rationem amplexus fuerat, & de uxore ducenda consilium iniverat, ad vitam asceticam revocarent. Theodorus iste Mopsuestiæ postea Episcopus fuit ordoque istarum Paræneseon verus invertitur, primoque collocata loco post alteram rejicienda est. Habet Savilius Tomo 6. pag. 55. de quibus in notis ad Tomum 6. col. 789.

In hac editione, errore nescio quo, transpositæ sunt istæ duæ πρὸς Θεόδωρον ἐκπεσόντα Orationes, & quæ prior esse debuit, posteriore loco; quæ posterior priore loco collocatur: correctore nostro secuto (ut puto) auctoritatem editionis Moguntinæ τῶν ἀπανθισμάτων, ubi sic citantur. Porro hujus Orationis quæ in nostra editione octava est, meminit magnificis cum præconiis Sozomenus lib. 8. cap. 2. cujus verba a me qua ex MS. Cod. qua ex conjecturis emendatiora facta, visum est adscribere, Οὗτος μὲν δὴ (Chrysostomus) παρὰ τούτοις (Carterio & Diodoro) ἐφοίτα, ἔπεισε δὲ τῆς αὐτῆς γνώμης εἶναι ἑταίρους αὐτῷ γενομένους ἐκ τῆς Λιβανίου, διατριβῆς, Θεόδωρόν τινα καὶ Μάξιμον. ὧν ὁ μὲν (Maximus) ὕστερον ἐπίσκοπος ἐγένετο Σελευκείας τῆς Ἰσαυρέων, Μάξιμος δ' ἐξίας τῆς Κιλικίας Θεόδωρος. πρὸς ὃν πεσόντα γράφει ὁ Θεῖος Χρυσόστομος ἐπιστολὴν δευτέραν. ὃς ἦν καὶ τῶν ἱερῶν βίβλων, καὶ τῆς ἄλλης παιδείας, ἐπτέρων τε καὶ φιλοσόφων ἱκανῶς ἐπιστήμων. ἀλλ' οὗτος μὲν (Theodorus) πρώτα τὴν ἀρχὴν ἐντυχὼν τοῖς Θείοις νόμοις, καὶ ἱεροῖς ἀνδράσιν ὁμίλησεν, ἐπένυσε ταύτην τὴν ἀγωγήν, καὶ κατέγνω τῶν ἀσκῶν. ὃ διήρεσις

διήκεσε δὲ τὴν αὐτὴν προθυμίαν ἔχων. μεταμεληθεὶς δὲ, πρὸς τὸν πρώτερον βίον εἵλκετο. οἷα δ' εἰκὸς, ἐναντίους λόγους κοσμήσας τὸ σπουδαζόμενον ἐκ παλαιῶν ὑποδειγμάτων, (ἐν γὰρ πολυΐσῳ) εἰς τὴν πόλιν ἐπανῆλθεν, ἄμεινον ὡς ἐνόμιζε τοῦτο κρίνας, ὅπερ ἐπιθύμει τυχεῖν μαθὼν δὲ Ἰωάννης (Chryſoſtomus) ἐν πραγμασιν αὐτὸν εἶναι, καὶ περὶ γάμου σπουδάζειν, θειοτέρου ἢ κατὰ τῶν ἀνθρώπων Φρόνησει καὶ νοήμασι συντάξας ἐπιστολὴν (ſic enim Orationem hanc 8. appellat, quæ in noſtris MSS. λόγος titulum habet) πρὸς αὐτὸν διεπέμψατο. ὁ δὲ ταύτης ἐντυχὼν, μετανοήσει αὐθίς τε τὴν οὐσίαν καταλιπὼν, ἀπεπαύετο τῷ γάμῳ, τοῖς Ἰωάννου συμβούλοις ἐσώζετο, καὶ πρὸς τὸν Φιλόσοφον ἐπανῆκε βίον. Vide pag. 121. voluminis, 8. ex Vaticana Bibliotheca depromptum Θεοδώρου ἐπισκόπου ἀντίγραμμα πρὸς Ἰωάννην τὸν Χρυσόστομον. Quod tamen ἀντίγραμμα ſi legitimum eſt & non ſpurium, plane diverſum eſt a paulo ſupra memorata a Sozomeno Oratione, quam videtur adornaſſe Theodorus a Chryſoſtomo minime provocatus, vel ante reditum, vel in ipſo reditu ab Eremo, in ſui excuſationem. Vtcunque, certum eſt ipſum poſtea factum Epiſcopum, neque perſtitiſſe in fide Orthodoxa. Poſtremo ex ipſo Chryſoſtomo pag. 58. lin. 36. obſervatu dignum, Theodorum, cum nondum annum ætatis ſuæ viceſimum attigiſſet, ἐπισκοπεύειν.

Ad Innocentium Papam Epiſtola II. Habet Savilius Tomo 7. pag. 154.

Ad Epiſcopos in carcere incluſos Epiſtola. Habet Savilius ibidem pag. 138.

Ad Olympiadem Epiſtola XVII. in exilio ſcriptæ. Habet Savilius ibidem pag. 51. de quibus in notis ad Tomum 7. col. 851. Olympias ad quam ſunt hæ μέλιτος καταλειβομένου Epiſtolæ dulciores, neptis fuit Ablabii, qui ſub Conſtantino Magno Præfectus Prætorio fuit, Anyſii Secundi Comitis filia. Vtrum vero Ablabii neptis fuerit ex filia Olympiade, quæ primum Conſtanti Auguſto nupſit, tum Arſaci Armeniæ Regi, quam tertium putat Cardinalis Baronius Anyſio nupſiſſe, ex eoque hanc noſtram Olympiadem juniorem matri ὁμώνυμον ſuſcepiſſe, pro certo non dixerim. Veri mihi ſimile videtur, auctores illorum temporum in hujus noſtræ laudes ſatis effuſos, de tanta gloria non fuiſſe tacituros, ſi Auguſtæ, ejusdemque Reginæ filia extitiſſet. Alteram ſororem habuit Olympias, ut ex Nazianzeni Epiſtola ad Anyſium patrem patet, cujus initium, Τὸν καὶ δευτερέος σοι γαμβρὸν &c. & in tenera ætate rectricem & formatricem morum, Theodoſim magni Amphilochii ſororem germanam. Jamque nubilis collocata eſt a patre in matrimonium Nebridio ex Præfectis: ad quas nuptias invitatus Nazianzenus ab Anyſio per Epiſtolam, cujus initium Διὰ πάσας τῶν ἐγκλημάτων &c. ſe ipſum excuſat, podagricum nuptiis intereſſe neque commode poſſe, neque etiam decere: egregium tamen Carmen quod extat Tom. 2. pag. 132. edit. Pariſienſis, Epithalamium ſeu Paræneticum potius ad novam ſponſam miſit. Ex quo apparet nuptias haſce celebratas fuiſſe ante finitum Concilium Conſtantinopolitanum, quo tempore Epiſcopatu relicto Gregorius in Cappadociam ſeceſſit: & fortaſſe ipſo Concilii tempore, hoc eſt, anno 381. Conſulibus Syagrio & Eucherio, quod Gregorius ſcribat nuptiis illis interfuiſſe magnum Epiſcoporum numerum, καὶ παρὴν ἐπισκόπων ὅμιλας quos per occaſionem Concilii in Regiam urbem confluxiſſe par erat. In hoc matrimonio Olympias vix menſes viginti, id eſt, usque ad annum 383. quo Nebridius vita functus eſt, conſumſit. In ipſo itaque ætatis flore, in magna rerum omnium copia & affluentia, marito viduata, in eodem perpetuæ viduitatis propoſito, usque ad mortem conſtantiſſime perſeveravit. Neque precibus aut minis Theodoſii Magni Imperatoris dimoveri potuit, qui eam forma, opibus, omnium virtutum decoratam corona, Elpidio cognato ſuo, homini Hiſpano, ſumma vi deſpondere ambiebat. Qua repulſa offenſus Imperator, antequam contra Maximum Tyrannum proficiſceretur (quod anno 388. contigit) Præfecto urbis mandavit, ut quæſito aliquo legis colore, omnem ejus ſubſtantiam cuſtodiret, quousque trigeſimum ætatis impleſſet annum. Quam illa fortunarum ſuarum direptionem, adeo excelſo & ſupra ſexum virili animo tuliſſe perhibetur: ut etiam ſibi illam ab Imperatore injuriam illatam, gratam fuiſſe videretur, in eodem ut dixi viduitatis tenore ſtrenue permanens. Nam de Virginitate perpetuo conſervata fabuloſum eſſe cum Baronio fatebitur, quisquis cum judicio legerit illam Epiſtolæ ſecundæ Johannis noſtri ad eam ſcriptæ partem, Tomo 8. pag. 58. lin. 38. editionis noſtræ. Poſt reditum a bello contra Maximum geſto, hoc eſt anno 391. Theodoſius intellecta Olympiadis conſtantia, res ſuas ſibi habere juſſit. Quæ ex eo tempore, commune aperuit domi ſuæ diverſorium Epiſcopis omnibus, Monachis, Sacerdotibus, & viris Eccleſiaſticis eo venientibus. Inter cæteros, magno Amphilochio, Optimo Epiſcopo, Petro Baſilii fratri, Epiphanio Cypri Epiſcopo pecunias donavit & villas: illos etiam συσσυγῆς, Theophilum, Antiochum, Acacium, Severianum, omni liberalitatis & munificentiæ genere complexa. Itaque ab ipſo Nectario Conſtantinopolitano Epiſcopo Diaconiſſa facta eſt, cujus etiam morientis, ut & Optimi Epiſcopi oculos, propriis manibus clauſit. Poſt Nectarium, quam fuerit chara Johanni, quam ipſi charus Johannes, declarant hæ Epiſtolæ. Et quidem poſt exilium Johannis rapta ad judicium, & incendii Templi S. Sophiæ inter cæteros Johannis fautores rea, cum conſtantiſſime quæſitoribus reſpondiſſet, non mediocri tamen ſumma auri mulctata, relicta Conſtantinopoli, Cyzicum conceſſit, tempora expectatura mitiora. Hæc & multo his plura inveniet

lector, de hac divina fœmina literis prodita, a Gregorio Nazianzeno, Palladio, Sozomeno, Ammiano, Menelogiis, Georgio Alexandrino, cæterisque Chrysostomi βιογραφοις. Epistolas autem ad Olympiadem in Regio MS. Lutetiæ descriptas, ex Cod. Palatino & alio MS. eruditissimi Jani Douzæ nuper Constantinopoli allato, accurate castigavimus. Agnoscit Photius in Bibliotheca Cod. 86.

Ad diversos Epistola CCXXV. maximam partem tempore triennalis exilii conscriptæ. Habet Savilius Tomo 7. pag. 104. de quibus in notis ad Tomum 7. col. 855. Hæc editio Epistolarum ad diversos conflata est ex MSS. in Palatina, Augustana, Bavarica, & Viennensi Bibliothecis: quibus accesserunt MSS. Reverendissimi Gabrielis Philadelphiæ Archiepiscopi, & doctissimi clarissimique Jacobi Bongartii. Tum de Epistola 143. ad Cyriacum ita Savilius ibidem col. 856. De hac Epistola Halesius in hunc modum: Hæc ad Cyriacum Epistola semper mihi vehementer ut supposititia, suspecta est. Primo enim Epistolarem illum characterem, qui in reliquis, omnino non video. Deinde procemium idem fere habet cum Epistola prima ad Olympiadem, quin etiam integras sententias ex aliis Chrysostomi Operibus decerptas, quæ imitatorem aliquem sapere videntur: & alioquin certe, nisi ubi Chrysostomus plane compilatur, stylus Chrysostomum non refert. quin etiam quædam sunt a Johannis nostri moribus & ingenio aliena. Nam quod ad adulterii crimen respondet, ἀποδύσασθέ μοι τὸ σῶμα &c. & popularis vocis commemoratio, συνίφησιν ἵνα ὁ ἥλιος συνίσχυσε τὰς ἀκτῖνας αὐτοῦ, ἢ ἵνα τὸ σῶμα Ἰωάννης ἐσώσατο. quodque in Arsacium paulo quam par est, acerbius invehitur: hæc inquam omnino non placent. Primum enim habet aliquid in se impudentiæ, secundum jactantiæ, tertium stomachi. Atque certe horum ultimum dudum a Photio observatum memini, cui & medelam adhibere conatur, sed non satis dextro Æsculapio. Postremo quod ait ἀπὸ τῶν κυκλάδων, nusquam noster hoc numero loquitur, sed semper in singulari. Atque hæc fere sunt, quæ in hac Epistola (inquit Halesius meus) observavi, integrum de re tota judicium erudito permittens lectori. Agnoscit Photius in Bibliotheca Cod. 86. contra quem validæ rationes pugnant.

De hac Epistola ita Robertus Cocus in *Censura Operum Chrysostomi* pag. mihi 328. Eodem „Tomo habetur *Epistola ad Cyriacum*, quæ cita„tur a Bellarmino lib. 2. *de Missa* cap. 14. ut „probet jejunos esse debere, qui Eucharistiæ Sa„cramentum celebrant: & a Coccio 2. lib. 8. „*de Ordine* art. 6. ut probet Clericos in majori„bus Ordinibus constitutos, non posse uxores „ducere. Sed hæc Epistola suppositicia est, „nam verba faciens de criminibus in se confictis, „ob quæ in exilium relegatus est, duo tantum „commemorat: unum, *quod ad communionem non jejunos receperit*, alterum *quod cum muliere dormierit*: de quibus inter *46. capita Calumniarum* Chrysostomo objecta, quæ extant apud Photium in *Bibliotheca* Cod. 59. nullum verbum, nec alibi sane apud quemvis illorum temporum scriptorum. Rursus in hac Epistola, si vera sit lectio, quam antiqui Interpretes sequuti sunt, *Nectarius* dicitur in throno *Chrysostomi* collocatus, Chrysostomo vivo: cum tamen constet, non *Nectarium*, sed *Arsacium Nectarii germanum* loco *Chrysostomi* substitutum. Mitto dicere de styli dissimilitudine, ex qua tamen Halesius juvenis magnæ spei, & Joannes Boissius summo judicio vir, audacter pronuntiant, authorem hujus Epistolæ non fuisse *Chrysostomum*, sed alium aliquem cum *Chrysostomo* nec ingenio, nec eloquentia comparandum. Vide notas in Tomum 7. ex editione Savilii col. 856. & 888. Hæ rationes Coci, quæ testimonio Photii prævalere videntur.

Epistola ad Casarium Monachum adversus Apollinarii hæresim, tempore secundi ipsius exilii scripta, inserenda hic est: de qua ita Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 398. in *Chrysostomo* pag. 267. Antiquam hujus Epistolæ per multa retro secula desideratæ versionem Latinam e Codice Florentino olim descripsit Petrus Martyr Florentinus, ac delatam secum in Angliam in Cranmeri Archiepiscopi Cantuariensis Bibliotheca reposuit: unde nobile illud si quod unquam aliud, adversus Transsubstantiationis dogma testimonium protulit in *Defens. Eucharistiæ* adversus Gardinerum Vintoniensem part. 1. pag. 390. 502. edit. Tigurinæ 1559. & *Locorum Communium* Classe 4. cap. 10. p. 603. Verum post Cranmeri Martyrium Archiepiscopali Bibliotheca direpta, Epistola nusquam postea comparuit. Hinc factum est, ut inter alios Cardinalis Perronius merum esse figmentum, ac nunquam extitisse hanc Epistolam audacter asserere non dubitarit. Tandem paucis abhinc annis vir Cl. Emericus Bigotius versionem istam ex Codice Florentino in Bibliotheca Dominicanorum D. Marci asservato, a se descriptam, edito Parisiis 1680. Græce & Latine Dialogo Palladii de vita Chrysostomi subtexuit. Verum impressione ad umbilicum perducta, Epistolam ab reliquis divulsam supprimendam curarunt Censores aliquot Sorbonici: de qua insigni fraude merito conquestus est ex Reformatorum gente Parisiensis Theologus *Expostulatione* lib. XII. Anastasii in Hexaemeron præmissa Londini 1682. 4. Interea nos non contemnendum hujus Epistolæ fragmentum Græcum ex Bibliothecæ Arundelianæ antiquo Codice MS. descriptum in *Chartophylace* nostro pag. 69. edidimus. Eodem circiter tempore 1685. Stephanus le Moine, de antiquitate Ecclesiastica præclare meritus, Latinam versionem integram, plurimis quidem scatentem mendis, inter *Varia sua Sacra* exhibuit. Nec laude sua fraudandus est clarissimus Ecclesiæ Anglicanæ Theo-

Theologus, qui ipſum quaternionem a Doctoribus Sorbonicis e Codice Bigotiano abſciſſum nactus, cum *Expoſitionis ſuæ Vindiciis adverſus Meldenſem Epiſcopum*, patrio ſermone editis Londini 1686. una cum *Præfatione Bigotiana*, & fragmentis Græcis, quotquot reperiri poterant, & quæ ad editionem ſuam ornandam collegerat Bigotius, fideliter ſubjecit. Hæc Cavus loco citato. Ex Gallis vero noſtris & reformatis, Jacobus Baſnagius Rotomagenſis olim Eccleſiæ Miniſter, tum poſt perſecutionem a Ludovico XIV. in Reformatos ſuſcitatam & illorum e Gallia proſcriptionem *Epiſtolam divi Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum*, juxta exemplar Emerici Bigotii, edendam curavit Vltrajecti 1687. in 8. dum Miniſter Eccleſiæ Roterodamenſis Gallicæ ex diſperſione illic collectæ exiſteret.

Sermo habitus cum Presbyter eſſet deſignatus. Habet Savilius Tomo 6. pag. 443. & Tomo 8. pag. 100. de quo in notis ad Tomum 6. col. 803. Hujus Orationis meminerunt βιογράφοι, Georgius Alexandrinus & alii, cum Catalogo Auguſtano. Nos eam ex unico Archiepiſcopi Philadelphienſis codice, eoque minus integro edidimus ut potuimus. Sed poſtea aliud nacti apographum ex Monaſterio S. Lauræ ἐν χαλκῇ νήσῳ τῆς χαλκηδόνος, & quod defuit in Appendice, initio Tomi 8. pag. 100. adjecimus, & editionis noſtræ menda in his notis ſuſtulimus.

Sermo antequam iret in exilium. Habet Savilius, Tomo 7. pag. 941. & Tomo 8. pag. 259. de quo in notis ad Tomum 8. col. 958. Hanc Orationem verſam Latine vide Tomo 7. p. 941. Eſt autem γνησία, quam alibi non repertam Græce, conſervavit nobis hic libellus Georgii *de Vita Chryſoſtomi.*

Sermo poſt reditum a priore exilio, anno 403. ex tempore recitatus. Habet Savilius Tomo 8. pag. 262. etiam apud Georgium Alexandrinum in Vita Chryſoſtomi.

His addi poſſet *Oratio in Diodorum Tarſenſem* quam Græce & Latine Emericus Bigotius nobis anno 1680. Pariſiis in 4. dedit, ad calcem Vitæ D. Chryſoſtomi a Palladio editæ, una cum antiqua verſione, mutila tamen, quæ habetur apud Facundum Hermianenſem Epiſcopum lib. 4. *Defenſionis trium Capitulorum*, cap. 2. Hujus meminit Ellias du Pin, in Nova Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum in *Chryſoſtomo* pag. mihi 28.

CAPVT SEXTVM.

TOMVS QVINTVS OPERVM S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI EXAMINANTVR.

IN parabolam de debitore decem millium talentorum Matth. 18. v. 23. Habet Savilius Tomo 5. pag. 196. de qua in notis ad Tomum 5. col. 725. Hanc optimæ notæ homiliam ex Auguſtano MS. deſcriptam caſtigavimus ex Bavarico, quam Catalogus Auguſtanus agnoſcit numero 10.

In Lazarum pauperem & divitem epulonem Orationes VI. ad caput Lucæ 16. v. 24. Habet Savilius *Orationes IV.* Tomo 5. pag. 220. *Quintum* Tomo 6. pag. 670. *Sextam in Lazarum quatriduanum* Joan. 11. v. 43. *De quatuor primis* in notis ad Tomum 5. col. 727. Hæ quatuor Homiliæ in Lazarum, quas agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 22. 23. 24. 25. ex quatuor manuſcriptorum fide eduntur, quorum unus fuit Eraſmi interpretis, qui jam Oxonii in Bibliotheca Vniverſitatis aſſervatur. Alii duo in Bibliotheca Collegii Novi ibidem, & quartus in Bibliotheca Vniverſitatis Cantabrigienſis. Habita eſt autem hæc prima Antiochiæ, proximo die poſt illam, κατὰ τὸν παρατηρήσαντα τὰς νέας, quam vide ſuo loco pagina 355 Tomi hujus. De *quinta* in notis ad Tomum 6. col. 813. Hanc Orationem ex Bibliotheca Regia Lutetiæ deſcriptam damus. Edidit eam quoque inter ſuas Burdegalenſes, ſed ex eodem fonte hauſtam, nempe Medicæo manuſcripto qui jam inter Regios eſt, ut ex communi utrique apographo lacuna liquet, Fronto Ducæus, cujus doctiſſimas notas adire te, lector, non pigeat. Nobis tantum animus fuit, veram ex Codicibus MSS. quatenus fieri potuit, conſtabilire lectionem. Agnoſcit Photius ſuæ Bibliothecæ Cod. 277. Vera eſt & germana, quamvis in Catalogo Auguſtano minime recenſeatur. De *ſexta* in notis ad Tomum 5. col. 728. Orationem hanc ex Bibliotheca Regia Lutetiæ deſcriptam emendavimus ex MS. in Biblioth. Auguſtana. Haleſio γνησία non videtur, Stylus certe (inquit ille) non multum abhorret, at tractandi ratio ſimul & inventionis modus, Johannem noſtrum non ſapiunt. Ratio quam reddit, cur Chriſtus Lazarum nominatim compellavit, apoſtrophe ad infernum & proſopopœia ejusdem, παιπαιοτέραν olent audaciam alicujus ingenii recentioris monetæ, non autem illam Johannis noſtri ſoliditatem. Referri certe debuit inter ἀμφιβαλλόμενα, aut etiam νοθευόμενα: ſed neſcio quomodo factum ſit, ut nobis aliud agentibus, in numerum τῶν γνησίων καὶ ἀναβδήλων irrepſerit. Hæc Haleſius.

In Paralyticum 28 annorum Joan. 5. v. 5. Habet Savilius Tomo 5. pag. 264. de qua in notis ad Tomum 5. col. 728. Hanc Homiliam veram & germanam, Romæ 1581. excuſam, ex MS. in bibliotheca Collegii Novi emendatam damus. Nonnulla habet communia cum Homiliis 35. & 36. in Johannem, eamque agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 99.

In illud Matthæi 26. v. 39. Pater ſi poſſibile eſt &c. Habet Savilius Tomo 5. pag. 213. de qua in notis ad Tomum 5. col. 727. Hujus Orationis germanæ & elegantis cum primis apographum ex Bibliotheca Regia nacti, ex alio MS. in eadem Bibliotheca accurate caſtigatum damus.

In illud Matthæi 7. v. 13. Intrate per anguſtam portam &c. Homilia II. Habet Savilius Tomo 5.

pag. 175. de quibus in notis ad Tomum 5. col. 725. De *prima*. Homiliam hanc melioris notæ ex Bibliotheca Collegii Novi Oxonienſis deſcriptam emendavimus ex alio MSS. in eadem Bibliotheca, & alio Cantabrigienſi, quem agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 21. *De ſecunda*. De auctore hujus Orationis, nihil pro certo affirmaverim, cenſet doctiſſ. Haleſius inventionem quidem eſſe Chryſoſtomi, ſtylum vero multo humiliorem: eſſe tamen alicujus qui Chryſoſtomi ſtudioſus fuerit, quem licet ſenſibus ſit imitatus, ſtylo tamen certe conſecutus non eſt, niſi ubi eum verbatim compilavit. Pleræque enim particulæ hujus Orationis inveniuntur alibi apud Chryſoſtomum. Porro ſciendum eſt, Florigerum quisquis auctor fuerit, multa ex hac Oratione citare: quod nemo γνησιότητι & ἀπόδειξιν eſſe credat: cum ipſi mos ſit ne a ſpuriis quidem, nedum dubiis abſtinere manum. Neque enim heri aut nudius tertius invectæ ſunt in mundum iſtæ bonorum auctorum νοθεύσεις.

Hic addi poteſt *Homilia in illud Matth. 21. v. 23. In qua poteſtate hæc facis?* Habita Antiochiæ, quem Pariſiis 1686. in 4. Græce & Latine cum notis edidit Joannes Baptiſta Cotelerius Tomo 3. *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ*, pag. 121. Cui non obſtat judicium Elliæ du Pin, qui in Cenſura Operum Chryſoſtomi, licet gravem cenſeat, inferiorem tamen Chryſoſtomo quoad eloquentiam ac dictionis majeſtatem opinatur.

In inſcriptionem Actorum Apoſtolorum, Sermo Antiochiæ habitus. Habet Savilius Tomo 5. pag. 274. de quo in notis ad Tomum 5. col. 728. Hanc Orationem & ſequentem, utramque ut γνησίαν & melioris notæ agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 49. & 53. Porro hanc debemus Sereniſſimi Bavariæ Ducis inſtructiſſimæ Bibliothecæ. Habita eſt Antiochiæ, Epiſcopatum tenente Flaviano, quem ad finem Orationis, Petrum vocat διὰ τὴν τῆς πολιτείας καὶ τῶν δογμάτων συγγένειάν τε καὶ κοινωνίαν cum Petro Apoſtolo, qui Antiochenam Eccleſiam princeps, ut ipſe ait, fundavit. Pauca ſubſunt ſuſpecta de mendo, quod neceſſe eſt evenire unico nixis exemplari manuſcripto, ſed valde illa quidem levia, aut nullius prope momenti. Eſt hæc Oratio una ex illis quatuor, quas habuit hic noſter Antiochiæ præſente Flaviano, in Principium Actorum. *Primam* habes Tomo 6. pag. 272. *Secundam* nondum reperire potuimus, *tertia* eſt hæc quæ in manibus. Quartam habes Tomo 8. pag. 111.

De ferendis reprehenſionibus & in illud Act. 9. v. 4. Saule, Saule quid me perſequeris? Habet Savilius Tomo 5. pag. 282. de qua in notis ad Tomum 5. col. 729. Hanc Orationem ante aliquot annos excuſam Baſileæ, caſtigavimus ex Cod. MS. in Bibliotheca Bavarica.

In varia loca Epiſtolæ ad Romanos, Homilia V. Habet Savilius Tomo 5. pag. 292. de quibus in notis ad Tomum 5. col. 729. De *prima*. Agnoſcit Catalogus Auguſtanus hanc Orationem numero 14. Excudi curavit doctiſſimus Fronto Ducæus Burdigalæ 1604. quam editionem perpaucis locis emendatam ſequuti ſumus. De *ſecunda* ibidem col. 729. Proœmium hujus Orationis idem ſenſu & verbis etiam propemodum, cum illo Orationis 32. Fortaſſe non dubitavit Johannes noſter, ex occaſione conſimili valetudinis, eodem proœmio ſæpius uti. Oratio perelegans certe, proœmium tamen imitatorem aliquem ſapere videtur. Hæc Haleſius. Deſcripta eſt ex Bibliotheca Auguſtana, ut opinor, Conſtantinopoli. Locum etiam illum de δεσμοφύλακι in Actis alibi apud Johannem noſtrum, legiſſe mihi videor. De *tertia* col. 730. Elegans hæc Oratio, & auctore Chryſoſtomo digniſſima, ex Bibliotheca Collegii Novi Oxonienſis deſcripta, & alterius ope Codicis deſtituta, aliquot in locis non ſatis emendata, quod dolendum eſt, editur. Loca nobis maxime ſuſpecta, deinceps ordine ſubjicientur. De *quarta* & *quinta*, col. 730. Has Orationes quas ambas recipit Catalogus Auguſtanus, numero 16. & 17. damus ex fide duorum Codicum Manuſcriptorum, quorum unus Archiepiſcopi Philadelphiæ Venetiis, alter Bavaricus quam emendatiſſimus.

In varia loca Epiſtolæ I. ad Corinthios, Homiliæ IV. Habet Savilius Tomo 5. pag. 330. de quibus in notis ad Tomum 5. col. 730. De *prima* & *ſecunda*. Hoc argumentum eodem fere modo tractatum mihi videor alibi apud Chryſoſtomum meminiſſe. Quidquid ſit, non dubito quin γνήσιον ſit: ſed videndum num ἀπάνθισμα ſit, aut ex Ethicis conſutum. Nos tamen ita, ut in Codice Auguſtano reperimus, bona fide repræſentamus. De *tertia* col. 731. Hanc Orationem recipit Catalogus Auguſtanus numero 93. quam ex Codice in bibliotheca Collegii Novi Oxonii deſcriptam, ex manuſcripto Bavarico emendavimus, eſtque homilia melioris notæ. De *quarta* ibidem. Suſpicor ex ethicis locis Chryſoſtomi alicunde deſumptam eſſe hanc Orationem: ſi alibi occurrat, non celabimus lectorem, quem nobis favere æquum eſt, ſi in Opere tam longo idem per errorem bis impreſſum detur. Tot enim paſſim per omneis Bibliothecas occurrunt in MSS. Johannis noſtri Orationem & Homiliarum fragmenta ſæpe repetita, quandoque etiam integri tractatus; ut hoc incommodum evitare, propemodum fuerit τῶν ἀδεκάτων. γνήσιον eſt certe ac probum, hoc quidquid eſt, ex Bibliotheca Regia Lutetiæ deſcriptum, ex Bavarica emendatum. Poſtquam hæc ſcripſiſſem, monuit me clariſſ. Theodorus Canterus, hanc Homiliam iisdem verbis legi Homil. 26. in Matthæum, quam vide tomo 2. pag. 185. linea 26. noſtræ editionis.

De Eleemoſyna in primam ad Corinthios 16. v. 1. Habet Savilius Tomo 6. pag. 816. de qua in notis ad Tomum 6. col. 819. Ex Bibliotheca Regia

Lutetiæ

Lutetiæ descripta, & emendata auctaque ex MS. multo pleniore in Bibliotheca Augustana: habita Antiochiæ, quam agnoscit Catalogus Augustanus numero 47.

In illud secunda ad Corinthios 4. Habentes eundem Spiritum &c. Homilia III. Habet Savilius Tomo 5. pag. 368. de quibus in notis ad Tomum 5. col. 732. Tres hasce Orationes pro germanis, ut sunt, agnoscit Catalogus Augustanus numero 18. 19. & 20. Porro eas ex Bibliotheca Collegii Novi Oxonii descriptas, castigavimus ex Codice Augustano.

In illud secunda ad Corinthios 11. v. 1. Vtinam sustineretis modicum quid &c. Habet Savilius Tomo 5. pag. 392. de qua in notis ad Tomum 5. col. 732. Recipit hanc Orationem Catalogus Augustanus numero 3. descriptam ex Augustana Bibliotheca emendavimus ex Bavarica.

In illud Philippensium 1. v. 18. Quid enim sive pretextu, sive ex veritate Christus annuntietur. Habet Savilius Tomo 5. pag. 410. de qua in notis ad Tomum 6. col. 733. Hanc Orationem melioris notæ, quamvis in Catalogo Augustano non memoratam, ex Augustana Bibliotheca descriptam, & ex Cod. Bavarico emendatam damus.

Laus Maximi & quales uxores ducere oporteat. Habet Savilius Tomo 8. pag. 80. de qua in notis ad Tomum 8. col. 938. Oratio γνησιωτάτη, quamvis in Catalogo Augustano non reperiatur: descripta ex Bibliotheca Monasterii S. Trinitatis in insula Chalce super Bosphorum Thraciæ. Vide Homiliam 48. in Genesim, ubi nonnulla sunt iis, quæ ad finem hic dicuntur, similia. Inscribitur, περὶ τῦ, ποίας δῦ ἄγεσθαι γυναῖκας.

In illud prima ad Thessalonicenses 4 Nolumus vos ignorare de dormientibus &c. Sermo Antiochiæ habitus. Habet Savilius Tomo 5 pag. 418 cujus meminit in notis ad Tomum 5 col. 734. Hanc Orationem Catalogus Augustanus agnoscit numero 26. Edidit Londini ante annos 70 illustriss. noster Checus & Oxonii nuper doctissimus Harmorus. Ex his & duobus MSS. in Bibliotheca Cantabrigiensi, & in Bibliotheca Collegii Novi Oxoniensis, ex quibus duæ illæ editiones fluxerunt, hanc nos adornavimus editionem, Checi Codicem etiam hic fere secuti.

In illud prima ad Timotheum 5. v. 9. Vidua eligatur non minus &c. Sermo Antiochiæ habitus. Habet Savilius Tomo 5 pag. 425 de quo in notis ad Tomum 5 col. 734. Etiam hanc Orationem agnoscit Catalogus Augustanus num. 27. Habita est Antiochiæ post eam, quæ proxime collocata est. Eam ex Bibliotheca Collegii Novi Oxoniensis descriptam, ex Codice MS. in Bibliotheca Bavarica emendavimus.

In proditionem Judæ, & in Pascha & in traditionem mysteriorum. Habet Savilius Tomo 5. pag. 547 de qua in notis ad Tomum 5. col. 737. Hanc Orationem & sequentem excudi curavimus ἐκ παραλήλε, quia nec eædem prorsus sunt, nec prorsus diversæ, ut ex collatione patebit. Agnoscit Catalogus Augustanus hanc septuagesimam & nonam, numero 96. Multa habet ut dixi cum sequente communia, tam verba quam sententias, ut propemodum eadem Oratio esse videatur. Cæterum nos hanc 79 excusam Augustæ Vindelicorum anno 1587. infinitis pene locis emendatam, ex MS. proprio hic lectori damus.

In natalem diem Salvatoris nostri Jesu Christi, qui adhuc quidem tunc temporis incertus erat, ante paucos autem annos notus factus per quosdam, qui ab Occidente venerunt & retulerunt. Habet Savilius Tomo 5 pag. 511. de in notis ad Tomum 5. col. 737. Orationem hanc a doctissimo Petro Pautino Tiletano ante aliquot annos editam Antverpiæ, damus emendatiorem ex alio MS. in Bibliotheca nostra. Recipit eam Catalogus Augustanus numero 92. atque Antiochiæ est habita. Porro mensium nomina quæ hic reperiuntur, scias esse Macedonica, ut ex Epistolis Philippi apud Demosthenem apparet, quibus inde usque ab Alexandri temporibus, usus est Oriens, uti reor: Romanis autem sic respondent.

Gorpiæus	September.
Hyperberetæus	October.
Dius	November.
Apellæus	December.
Audonæus	Januarius.
Peritius	Februarius.
Dyslæus	Martius.
Xanthus	Aprilis.
Artemisius	Majus.
Desius	Junius.
Panemus	Julius.
Loüis, al Lous	Augustus.

In Cœmeterii appellationem & Crucem Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi. Habet Savilius Tomo 5 pag. 563. de qua in notis ad Tomum 5 col. 739. Hujus Orationis apographum ex Bibliotheca Augustana descriptum ex alio MS. in Bibliotheca Gabrielis Philadelphiæ Archiepiscopi, accuratissime castigatam damus. Edita est etiam a Jacobo Gretsero in Opere *de Cruce* inter cæteras, & agnoscit hanc Orationem Catalogus Augustanus n. 39.

In Crucem & Latronem & de secundo Christi adventu. Habet Savilius Tomo 5. pag. 567. de qua in notis ad Tomum 5. col. 739. Octogesimam secundam & octogesimam tertiam ἐκ παραλήλε excudi jussimus, ut supra 79. & 80. & ob easdem causas. Est autem hæc 82. descripta ex libro MS. in Bibliotheca Regia Lutetiæ, castigata ex MS. semimutilato in Bibliotheca Bavarica. Agnoscit Catalogus Augustanus n. 97. cum hoc titulo, Τῶ μεγάλῃ παρασκευῇ.

De Resurrectione mortuorum. Habet Savilius Tomo 6 pag. 703. de qua in notis ad Tomum 6. col. 814. Agnoscit Catalogus Augustanus numero 46. hanc Orationem pro vero & legitimo

mo Johannis noſtri fœtu, quam nobis eadem exhibuit Bibliotheca Auguſtana.

De Reſurrectione Chriſti & contra ebrietatem. Habet Savilius Tomo 5. pag. 581 de qua in notis ad Tomum 5. col. 739. Hanc Orationem editam anno 1595. Ingolſtadii a doctiſſimo Frontone, caſtigavimus ex MS. Codice in Bibliotheca Collegii Novi Oxonii. Agnoſcit eam Catalogus Auguſtanus cum hoc titulo, εἰς τὸ πάσχα.

In Aſcenſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, Homilia Antiochiæ habita. Habet Savilius Tomo 5. pag. 595. de qua in notis ad Tomum 5. col. 740. Orationem hanc a Catalogo Auguſtano numero 100. receptam, deſcripſimus ex Codice MS. in Bibliotheca Collegii Novi Oxonii, emendavimus ex Bavarico. Habita eſt Antiochiæ.

In ſanctam Pentecoſten Orationes II. Habet Savilius Tomo 5. pag. 602. quarum meminit in notis ad Tomum 5. col. 740. Priorem ut γνησίαν & melioris notæ agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 101. quam ex quatuor MSS. Codicibus a doctiſſimo Ducæo editam Burdigalæ ante aliquot annos, perpaucis in locis ex Regio Codice Lutetiæ emendavimus, qui tamen videtur unus ex iis eſſe, quibus etiam uſus eſt Ducæus, quem ille ut opinor Medicæum indigitat. Neque tamen non aliquid attulit diverſum, ab editione Ducæi minime ſpernendum. Habita eſt Antiochiæ, præſente Flaviano. Poſteriorem debemus Frontoni Ducæo, qui eam ex MS. Medicæo, & excuſo Romano edidit.

CAPVT SEPTIMVM.

RELIQVA EJVSDEM TOMI OPVSCVLA EXAMINANTVR.

De panitentia & Euchariſtia. Habet Savilius Tomo 6. pag. 790. de qua in notis ad Tomum 6. col. 817. quæ ultima eſt, ex tribus quas illic recenſet, atque ita notat. Vltimam etiam ex editione Pariſienſi Frontonis, puto eſſe Chryſoſtomi, quamvis multa ab his non abludentia, alibi in ejus Operibus reperiantur. Credibile enim eſt, ſæpius eum eadem dixiſſe, de eodem argumento.

De Laudibus ſancti Pauli Orationes VII. Habet Savilius Tomo 8 pag. 33. de quibus in notis ad Tomum 8. col. 934. Conſtantinopoli deſcriptæ ſunt hæ ſeptem Orationes, neque enim plures γνήσιαι ſunt, opera atque diligentia mihi ſæpius memorati, ſemperque memorandi Samuelis Sladii τῆ μακαρίτῃ: caſtigatæ autem & meliores factæ ex alio MS. in Monaſterio S. Lauræ in monte Sancto, olim Atho appellato. Pag. 44. lin. 12. αἱ πηγαὶ αἱ παρ' ἡμῖν, αἱ νικῶσαι τῶ ῥεύματι τὰς ποταμούς, ἄθρουν ἔφυγον καὶ ἀπεπήδησαν· μηδέποτε τοῦτο παθοῦσαι πρότερον, ἀλλ' ὅτε θυσίαις καὶ σπονδαῖς τὸ χωρίον ἐμόλυνεν ὁ βασιλεύς. Orationes ergo hæ in Paulum habitæ ſunt Antiochiæ, ex his verbis. Aquarum autem iſta penuria ab Ammiano Marcellino lib. 22. enarratur: *Eo anno* (quo ſcilicet Apollinis Daphnæi templum conflagravit) *ſydere etiam tum inſtante brumali, aquarum inceſſit inopia metuenda: ut & rivi ceſſarent quidam & fontes, antehac aquarum copioſis pulſibus abundantes, ſed in integrum poſtea reſtituri ſunt.* Præter has ſeptem in Paulum Orationes, editio Latina octavam habet, ideoque in Ecclogis num 28. pag. 839. Tomi 8. locum illi ſuum dedimus. Quæ autem in Latinis octava, mihi non videtur Chryſoſtomum referre. Licet enim Græca nusquam compareat, cenſuram tamen ferre de ea, difficile non eſt: quæ enim ſunt Chryſoſtomi, habent ſigna quædam non obſcura, & vim & energiam, quæ nulla poſſunt alterius idiomatis proprietate occultari. Halleſius Tomo 8. col. 936.

De manſuetudine Oratio. Habet Savilius Tomo 6. pag. 750. de qua in notis ad Tomum 6. col. 816. Hanc Orationem damus ex Baſileenſi editione, perpaucis in locis ex conjectura a nobis emendatam, nam aliud exemplar mihi meisque librariis videre non contigit. Putavi aliquando ἀπάνθρωπα eſſe, ſed muto ſententiam.

In illud Actorum 9. v. 1. Saulus adhuc ſpirans minarum &c. Habet Savilius Tomo 8. pag. 60. cujus meminit in notis ad Tomum 8. col. 936. Hujus Orationis apographum ad me miſſum eſt a doctiſſimo Frontone Ducæo, a librariis quidem male acceptum, ſed a me magna ex parte in his notis ſanitati reſtitutum. Eſt quidem Oratio notæ melioris, cujus titulum in Ducæi codice ſic reſtituo: Χρυσοστόμου λόγος εἰς τὸ Σαῦλος ἔτι ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου, πάντων προσδοκώντων εἰς τὴν ἀρχὴν τῶν πράξεων τὴν ὁμιλίαν λαχθήσεσθαι· καὶ ὅτι ἀναστάτεως χρεῖα ἀπόδειξις, ἡ Παύλου κλῆσις. Meminit hujus ut γνησίας Catalogus Auguſtanus numero 52.

In inſcriptionem altaris, Ignoto Deo, Act. 17. v. 23. Habet Savilius Tomo 6. pag. 722. de qua in notis ad Tomum 6. col. 814. Deſcripta ex Bavarico codice, quam agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 48. γνησίαν cumprimis. Vnico nixi exemplari, ut in tribus etiam proxime præcedentibus, multa neceſſaria manca relinquimus, emendanda ab iis, quibus Codicum aliorum MSS. copia ſuppetet. Nonnulla illius excerpit Photius in Bibliotheca Codice 270.

In illud prima ad Corinthios 1. Paulus vocatus Apoſtolus &c. Habet Savilius Tomo 8. pag. 102. de qua in notis ad Tomum 8. col. 938. Hanc Orationem perquam elegantem ſane & γνησίαν debemus Monaſterio Divi Johannis Præcurſoris in Monte Atho, dicto communiter *Sancto*, in Cherſoneſo Thraciæ. Agnoſcit Catalogus Auguſtanus n. 55.

Vtilem eſſe lectionem Scripturæ, & quod ſervitute & incommodis omnibus liberet eum, qui ei intentus ſuerit: Et quod Apoſtolorum nomen multa

dis-

dignitatis eſt, & quod Apoſtoli externis Magiſtratibus ipſisque adeo Regibus, multo majorem habent poteſtatem & auctoritatem. Habet Savilius Tomo 8. pag. m. de qua in notis ad Tomum 8. col. 939. Hanc Orationem γνησίαν cum primis, & Catalogo Auguſtano numero 50. memoratam, debeo, ſciat lector, doctiſſimo Frontoni Ducæo, qui eam ex Vaticana ut opinor deſcriptam, pro ſua humanitate mecum liberaliter communicavit. Mendoſa aut ſuſpecta ineſſe aliqua, mirandum non eſt, ut in unico exemplari. Vide quæ de Orationibus, quorum infra pag. 113. lin. 30. meminit, notavimus ad Orationem 42. Tomi 5. Ibi enim erat Orationis hujus locus, ut etiam ſeptuageſimæ primæ Tomi 6. Sed ante lectam hanc Orationem, conſilium nobis Chryſoſtomi non innotuit.

In preces quibus Chriſtus uſus eſt, & auctoritatem qua omnia faciebat, & veterem legem emendabat, & quod Incarnatio ipſius æqualitatem cum Patre non minuit, ſed confirmat potius. Habet Savilius Tomo 6. pag. 714. de qua in notis ad Tomum 6. col. 814. Edita ex MS. Auguſtano, eſtque γνησία, quamvis in Catalogo Auguſtano illo a me ſæpius memorato reperta non ſit.

In eos qui Paſchate jejunant. Habet Savilius Tomo 6. p. 366. de qua in notis ad Tom. 6. col. 798. Hanc Orationem debemus Bibliothecæ Collegii Novi Oxonienſis, in qua emendate ſane ſcripta extat, eſtque dubio procul γνησία, quamvis in Auguſtano Catalogo non reperiatur.

Contra Judaizantes & cum illis jejunia celebrantes. Habet Savilius Tomo 6 pag. 366. de qua in notis ad Tomum 6. col. 798. In hac Oratione editionem Hæſchelianam ex fide duorum codicum MSS. emendavimus, quorum alter eſt in Collegio Corporis Chriſti Oxonii, alter in Collegio Novo. Cur hanc a præcedentibus contra Judæos ſecreverimus, cauſa ſuperius dicta. Porro habita eſt, ut ex proœmio conſtat, proxime poſt primam περὶ ἀκαταλήπτου. Vide quæ diximus ad Tomum I. cap. 2. hujus Diſſertationis, *de Libris ſex S. Chryſoſtomi adverſus Judæos.*

In Eliam & in Viduam & de Eleemoſyna. Habet Savilius Tomo 8. pag. 26. cujus meminit in notis ad Tomum 8. col. 933. Oratio hæc bonæ cum primis notæ, deſcripta eſt ex MS. ἐν χαλκῇ νήσῳ χαλκηδόνος : neque aliud præterea ſuppetebat exemplar, ut mirum non ſit aliqua ſupereſſe emendanda, quamvis pauca, eaque non magni momenti.

De futura vita delitiis & vilitate rerum præſentium. Habet Savilius Tomo 8. pag. 71. inſcripta περὶ τῆς τῶν μελλόντων ἀπολαύσεως &c. de qua in notis ad Tomum 8. col. 937. Deſcripta in noſtrum uſum Peræ Conſtantinopoleos, γνησία procul dubio, niſi ſi fragmentum alterius Orationis eſt, quod neſcio.

Non oportere quenquam de ſeipſo deſperare, aut preces contra inimicos fundere, aut deficere animo, quamvis non accipiat : & ad maritos de pace erga uxores conſervanda. Habet Savilius Tomo 8. pag. 75. de qua in notis ad Tomum 8. col. 937. Inſcripta Περὶ τοῦ μὴ ἀπεγνώσθαι &c. ex Bibliotheca Monaſterii S. Trinitatis in inſula Chalce ſuper Boſphorum Thraciæ deſcripta, ipſamque ut γνησίαν agnoſcit Catalogus Auguſtanus n. 44.

Quod non oporteat evulgare peccata fratrum, neque inimicis imprecari. Habet Savilius Tomo 6. pag. 695. de qua in notis ad Tomum 6. col. 814. Hanc Orationem ex Bibliotheca Auguſtana deſcriptam damus, quam etiam jure merito pro vera & germana agnoſcit ſæpius a nobis nominatus Catalogus Auguſtanus, n. 43.

Quod res eſt plena periculi & dicentibus & audientibus, ad gratiam concionari : & quod utile eſt & juſtitiæ maxima, propria accuſare peccata. Habet Savilius Tomo 8. pag. 93. de qua in notis ad Tomum 8. col. 938. Ex eodem fonte cum duabus paulo ante ſuperioribus, hauſta hæc elegans & melle dulcior Oratio, nempe ex manuſcripto in Bibliotheca S. Trinitatis in Chalce ſupra Boſphorum Thraciæ : quam agnoſcit Catalogus Auguſtanus, n. 45.

De ſanctis Martyribus, Homilia Antiochiæ habita. Habet Savilius Tomo 5. pag. 618. de qua in notis ad Tomum 5. col. 740. ſicut & de altera, quæ Tomo I. continetur. Duas haſce Orationes deſcripſimus ex Bibliotheca Collegii Oxonii. Priorem emendavimus ex edito codice doctiſſimi Frontonis : poſteriorem damus ex fide unius tantum exemplaris, ſatis tamen emendate ſcripti. Vtramque recipit Catalogus Auguſtanus, priorem numero 102. poſteriorem n. 1.

Adverſus eos qui dicunt Dæmones gubernare res humanas, & iniquo animo ferunt Dei punitiones, & ſcandalizantur ob proſperitates malorum & adverſitates juſtorum. Habet Savilius Tomo 6. pag. 680. de qua in notis ad Tomum 6. col. 813. ut & de altera, de qua cap. 2. hujus Diſſertationis, quæ Tomo I. editionis Ducæanæ continetur. Harum Orationum priorem ex MS. Oxonienſi deſcriptam, emendavimus ex MS. Bavarico. In poſteriore editionem Ducæi Burdegalenſem ſecuti ſumus, caſtigatam ex MS. Oxonienſi, & alio MS. in Bibliotheca Regia Lutetiæ. Vtraque proba & γνησία, agnita a Catalogo Auguſtano numero 42. & 28. Prior habita Conſtantinopoli ut opinor, poſterior Antiochiæ, Flaviano præſente. Prior ergo hæc Tomo 5. editionis Ducæanæ legitur, poſterior quæ Antiochiæ habita, Tomo I. ejusdem editionis : Sed utraque Tomo 6. editionis Savilianæ, n. LXVI. & LXVII. p. 680. & 690.

In illud Apoſtoli ad Galatas cap. 2. v. 4. In faciem ei reſtiti &c. Habet Savilius Tomo 5. pag. 398. de qua in notis ad Tomum 5. col. 732. Hanc Orationem inter præcipuas Chryſoſtomi facile numerandam, ab Auguſtano Catalogo nume-

ro 35 agnitam, in Codice Bavarico ἀκέφαλον deprehenſam, explevimus & accurate caſtigavimus ex manuſcripto doctiſſimi Frontonis Ducæi. Acceſſit poſt excuſum librum, non contemnendum apographum, a Samuele Sladio meo deſcriptum Conſtantinopoli, ex quo quædam excerpſimus, quod in his notis litera C ſignavimus. Vide Epiſtolas adverſarias Hieronymi & Auguſtini, qui de hoc Petri facto, ex hac ut videtur Oratione Johannis noſtri, materiam litigandi ſumpſerunt.

Adverſus Judæos & Gentiles demonſtratio, quod Chriſtus ſit Deus, ex iis quæ a Prophetis, multis in locis de ipſo dicta ſunt. Habet Savilius Tomo 6 pag. 622. de qua in notis ad Tomum 6. col. 809. Hanc Orationem quam agnoſcit Catalogus Auguſtanus numero 66. deſcriptam ex Bibliotheca Cæſarea damus, ſed miſeris modis truncatam. Explevimus autem lacunas duas p. 625. lin. 15. & 640. lin. 26. in Appendice ad Tomum 8. pag. 101. ex Cod. MS. Venetiis in Bibliotheca S. Marci, qui olim Cardinalis Beſſarionis fuit: ex quo etiam in reliqua Oratione quædam emendavimus, neque enim maculas omneis ἀποσμήχειν ἠδυνάμεθα. Codicem Venetum in his notis litera V ſignamus.

Adverſus eos qui ſcandalizati fuerunt propter adverſitates quæ contigerunt, & ob populi & multorum Sacerdotum perſecutionem & perverſionem, Oratio. Habet Savilius Tomo 7. pag. 1. de qua in notis ad Tomum 7. col. 851. Hujus Orationis inter primas nobilis, cum omnes fere alii βιογράφοι meminerunt, tum Leo Imperator his verbis: Ἄρτι τῷ Φερωνύμῳ τῆς τοῦ Θεοῦ χάριτος ἐνιαυτῷ παυσὶ πρὸς τῇ πολύχνῃ Κεκροσσῷ διαπρέψαντος, κἀνταῦθα τὰς λιμῷ καὶ δίψει Κυρίου λόγων λιμώξεντας διατρέψαντος, λιμὸς ἄρτι καὶ τῶν ἀναγκαίων κατέσχε τὴν γῆν, καὶ τὴν βασιλεύουσαν. ταύτην ἐκλείπουσαν διαγνοὺς ὁ ποίμην ὁ καλὸς, ἐπιστολῶν παρηγορεῖ, καὶ λόγων τοῖς βοηθήμασι. καὶ πρῶτον μὲν τὸν δι' ἐπιστολῆς λόγον, θαυμασίως τρέφοντα τὰς ψύχας τῶν ἀναγομένων, ὁ τῷ λόγῳ σιτοδότης σιτοδοτεῖ, ἐν κεφαλαίοις ἔξοσι καὶ τέτταρσιν ἀριθμούμενον. Πρὸς τὰς σκανδαλιζομένας ἐν ταῖς τοῦ βίου παρανομίαις ὁ λόγος ἔσχε ὑπόθεσιν. ἀρχὴ δὲ τῷ λόγῳ τίς; Ἱατρῶν μὲν οἱ παῖδες, καὶ τοι ἐξῆς. Porro hanc Orationem damus ex Codice MS. Bibliothecæ Collegii Novi Oxonii, usque ad cap. 10. & inde ad finem ex optimo & vetuſtiſſimo MS. Auguſtano deſcriptam, emendatam vero ex duobus Palatinis, & in poſterioribus capitibus ex illo Oxonienſi.

In Paralyticum per tectum dimiſſum.
Cur in Penteceſte Acta Apoſtolorum legantur.
De mutatione nominum in Scriptura.
De ſanctis Martyribus Homilia Antiochiæ habita.
} *Hæ 4. Orationes Latine tantum.*

De ſancto Baſſo Martyre Latine tantum, de quo ſtatim ad hujus finem capitis: nam hanc Homiliam Græce atque Latine Pariſiis edidiſſe videtur Franciſcus Combefiſius.

De ſancta Droſide Martyre, Latine tantum.

De pœnitentia & mœſtitia Achab. Habet Savilius Tomo 6. pag. 779. de qua in notis ad Tomum 6. col. 818. Hanc Orationem ex manuſcripto Cæſareo deſcriptam, ex doctiſſimi Frontonis editione accurate emendavimus in his notis, quam in excudenda noſtra editione, neſcio quomodo adire negleximus.

His addi poſſunt *Homilia de inani gloria & educandis a Parentibus liberis.*

In ſanctam Chriſti nativitatem.

In ſancta Lumina.

In recens baptizatos & de Paſchate.

In ſancti Baſſi Epiſcopi & Martyris memoriam.

Poſt terræ motum, quas ſex homilias Græce & Latine ſub S. Cdryſoſtomi nomine edidit Pariſiis anno 1656. Franciſcus Combefiſ. Si tamen prima ex hiſce ſex *de inani gloria & educandis a Parentibus liberis*, non eſt aliquid idem cum ἀπροσδιορίστως tertio *De arrogantia & vana gloria*, editionis Savilii Tomo 7. pag. 682. vel cum vigeſimo ſexto *De liberorum educatione*, ibidem pag. 823. Et quinta *in ſancti Baſſi Epiſcopi & Martyris memoriam*, non ſit idem cum ea quæ Latine tantum habetur Tomo 5. editionis Frontonis Ducæi, de qua ſtatim egimus.

Homilia de monuli politia, in Præcurſoris decollationem, atque mulierem peccatricem, quam Græce & Latine Pariſiis anno 1640. idem Combefiſius edidit.

CAPVT OCTAVVM.

TOMVS SEXTVS OPERVM S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI EXAMINATVR.

QVæcunque vel dubiæ fidei vel ſpuria Fronto Ducæus opinatus eſt ſub nomine Chryſoſtomi evulgata Opera, illa in Tomum ſextum editionis ſuæ immiſit, quæ ſigillatim a nobis juxta Savilii mentem & verba, examinanda ſunt.

Eſſe unum & eundem Legislatorem utriuſque Teſtamenti Sermo, quem ſpurium uti & alia omnia Tomi hujus Opuſcula, licet eſſe cenſeat Fronto Ducæus: genuinum tamen eſſe Chryſoſtomi fœtum pluribus contendit Cl. Joannes Pearſonus in Vindiciis Ignatii Epiſtolarum, part. I cap. 132. Habet Savilius Tom. 6. pag. 640. de quo in notis ad Tomum 6. col. 811. Hanc Orationem damus ex editione Romana caſtigatam, & aliquot pagellis ex MS. Cæſareo auctam. Quæ ſane absque Photio, qui illius meminit in Bibliotheca Codice 277. inter ἀμφιβαλλόμενα, quamvis alicujus ex veteribus fuiſſe videatur, locari debuiſſet. Neque vero tanti eſt apud me auctoritas Photii, qui alia quædam non opti-

optimæ notæ recepit, ut inter γνησίας ἀναμφιβόλως annumerandam cenſeam. Nam *primo* ſtylus eſt a Chryſoſtomi charactere alienus, *ſecundo* tota ſcatet allegoriis, quas noſter fere, niſi veniam precatus, non admiſcere ſolet. *Tertio* quod Ignatius nominatim citetur, quod huic noſtro inſolens. *Poſtremo* tota inventionis ratio & ſaltus potius quam tranſitus ab una re in aliam, noſtrum χρυσορρήμονα non ſapiunt. Et certe in decem his Homiliis a viris doctis Romæ editis, vix duæ ſunt γνήσιαι, aut ſuminum tres. Paulo tamen illi felicius, quam alii fecerunt, qui nobis ex 10. vel 12. vix unam dederunt γνησίαν. Hoc idem tamen *de unico legislatore* argumentum in germanis ejus ſcriptis, ſæpe egregie γυμνασθὲν reperitur; hic certe vix, idque frigide attingitur. Scripta videtur hæc Oratio, ut ex epilogo patet, difficillimis Reip. temporibus, & imminentibus exitio Orientalis Imperii barbaris nationibus, quod in tempora Chryſoſtomi vix quadrare videtur. Ita Savilius, cui addo vocis Θεοτόκου affectationem, referre auctorem Concilio Epheſino recentiorem, quod Chryſoſtomo non convenit.

In illud Geneſ. I. v. 31. Vidit Deus omnia quæcumque fecit, & erant valde bona &c. Habet Savilius Tomo 5. pag. 642.

In illud Geneſ. I. v. 26. Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram &c. Habet Savilius Tomo 5. pag. 645. de quibus in notis ad Tomum 5. col. 741. Duas Orationes haſce primus edidit, quod ſciam, Lutetiæ ante aliquot annos ex Bibliotheca Medicæa, quæ nunc Regiæ pars eſt, Federicus Morellius, neque aliud exemplar mihi videre contigit. Quo fit ut cum nihil aliud habuerimus præter conjecturas: multa ſuperſint emendanda: quod hiſce cum reliquis dubiis & ἀμφιβαλλομένοις Chryſoſtomi ſcriptis commune eſt.

In illud Geneſis 24. v. 10. Pone manum tuam ſuper femur meum &c. Habet Savilius Tomo 7. pag. 565. de qua in notis ad Tomum 7. col. 870. Orationem hancce cum quinque ſequentibus, quæ inter ἀμφιβαλλόμενα locum tueri potuiſſent, huc rejecimus, quia ſerius pleræque præter primam omnes ex Oriente ad manus noſtras pervenerunt. In hac autem prima ſtylus conciſus, ſpinoſa diſputatio, liberum illud Chryſoſtomianæ elocutionis flumen non ſapiunt. Vtcunque certe eruditum opus eſt, & antiquitatem ſapit. Ex editione Romana, emendatur ex MS. Oxonii.

De ſerpente Moyſis quem in Eremo crucifixit, & de Trinitate. Habet Savilius Tomo 5. pag. 659. de quo in notis ad Tomum 5. col. 741. Hujus Orationis tres partes ſunt. Prima de Cruce, ſecunda contra Arianos, Tertia contra Macedonianos. Aut fœtus eſt Chryſoſtomi genuinus, vel quod potius reor, alterius alicujus ex illa antiquitate erudita. Collata ex MSS. hoc eſt, uno non integro in Bibliotheca Cæſarea Viennæ, & alio in Regia integro, ex quibus non pauca in editione Romana emendavimus. Acceſſerunt Florentis Chriſtiani in eundem conjecturæ, qui in recenſendis & vertendis decem illis Orationibus, Romæ 1581. excuſis, operam non pœnitendam navavit, quamvis libris ſcriptis deſtitutus.

De juſto & beato Job Sermones IV. Habet Savilius Tomo 5. pag. 949. de quibus in notis ad Tomum 5. col. 757. Hiſce quatuor in Jobum Orationibus perineptis, quæ tamen per omneis fere Bibliothecas deſcriptæ reperiuntur, Lælius Tifernas interpres *quintam* addit, quæ nihil aliud eſt, quam ἀπάνθισμα περὶ ὑπομονῆς, ſuo demum loco repræſentatum, nempe Tomo 7. inter *Floſculos* ex Chryſoſtomo, Oratione XXXV. pag. 872. Vult Ellias du Pin in *Nova Scriptorum Bibliotheca* in Chryſoſtomo, hanc *quintam* eſſe XXII. ex Homiliis quas Symeon Logotheta ex verbis Chryſoſtomicis contexuit. Ad finem 2. Orationis in Jobum, Samuel Sladius meus, qui magno meo cum dolore, in reditu ab Oriente (ubi me auctore omneis perrimatus eſt Bibliothecas, ut aliquid Chryſoſtomi γνήσιον hic irrepertum, huc adveheret, neque ſpe ſua falſus eſt, ut ex hac editione plerisque in locis apparebit) Zacinthi mortuus eſt, de auctore harum Homiliarum in Jobum hanc cenſuram apponit: Μεταχός τις ἦν, οὐχ ἅτω πάλαι, ὡς ὑπέλαβα, γεγενημένος· ὄνομα μὲν χαλκέως μοι, ὡς μεγαλοφρῶν ἐπὶ τῷ πολλὰ πεπαιδεῦσθαι ἐκ τῶν ἱστορημάτων πρὸς Δημονικὸν παραινέσεων, τοῦτον τὸν λόγον ὁμοιόπλωτον, καὶ ὁμοιοτέλευτον, ἀνάρθρον, ἀσύνταχτον, χάυνον, ἐξίτηλον, ἐκνευρισμένον, ἰλίβιον συνεγράψατο. τελευτῶν δὲ μέγαν ὅρκον προσομόσας, ὅτι Ἰωάννην Χρυσόστομον, ὃν ὡς διδάσκαλον ἐκτήσατο διὰ πολλῶν ἐν τῷ λέγειν παρρησίαν ὑπεκρίνατο. Hæc ille, & tamen *prima* in Jobum in Eccleſiis Græcorum 6. Majî legitur: atque ut verum fatear, poſteriores ſunt prioribus tolerabiliores.

In illud Pſalmi 38. v. 7. Fruſtra conturbatur omnis homo vivens &c. Habet Savilius Tomo 7. pag. 558. ex editione Joachimi Perionii Pariſiis, ſed emendata ex MS. Cæſareo.

In illud Pſalmi 83. v. 4. Et turtur nidum ſibi, ubi ponat pullos ſuos. Habet Savilius Tomo 7. pag. 264. de qua in notis ad Tomum 7. col. 862. Concluſio ridicula omnino, imitaturque abſurdiſſimum illud Opus, quod Cœna Cypriani nominatur, & neſcio annon inde ſumpta fuerit. Haleſius. Prodiit ex MS. Regio Lutetiæ, emendata ex alio MS. ut ad marginem annotatur.

In Eliam Prophetam. Habet Savilius Tomo 5. pag. 672. de qua in notis ad Tomum 5. col. 744. Sixtus Senenſis pag. 260. col. 2. diſpungit hanc Homiliam e numero γνησίων, & quidem non puto eſſe germanam. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Scriptorum Eccleſiaſticorum Bibliotheca* in Chryſoſtomo pag. mihi 26. edit. Amſtelodami, hanc Homiliam melioris notæ putat, licet Chryſoſtomi ipſius non videatur, ſed Se-

verianiGabalorum Epiſcopi: velut tres ſequentes de *Joſeph, Suzanna & tribus pueris in fornacem injectis.*

In Joſeph & de temperantia. Habet Savilius Tomo 5. pag. 656.

In Suſannam. Habet Savilius Tomo 5. pag. 703. ubi in notis ad Tomum 5. col. 745. advertit extare MS. in Bibliotheca Cæſarea Viennenſi.

In tres pueros & in Babyloniam fornacem. Habet Savilius Tomo 5. pag. 698. cujus meminit in notis ad Tomum 5. col. 145. Hanc Homiliam quæ nihil fere eſt aliud, quam explicatio Cantici trium puerorum, & veteris alicujus auctoris eſſe poteſt, quamvis ut puto non Chryſoſtomi: ex Codicibus MSS. Cryptæ Ferratæ erutam, & a Frontone Ducæo editam, caſtigationibus & variis lectionibus ex MS. Regio quem Lutetiæ nacti ſumus, auctiorem damus.

De Sigillis librorum Eſaiæ 46. v. 3. & quomodo offerat Filius Patri & Pater Filio, & in Salvatoris incarnationem. Habet Savilius Tomo 5. p. 689. cujus meminit in notis ad Tomum 5. col. 744. Hujus Orationis & proxime præcedentis, & 102. eundem eſſe auctorem cenſet Halesius. Scripti codices ex quibus emendationes hauſtæ, ſunt Regius Lutetiæ, & alter Croshavii noſtri, quibus acceſſerunt Florentis conjecturæ: neque tamen hæc omnia ſtabulum hoc perpurgare potuerunt. Ludovicus Ellias du Pin loco citato pag. 26. Homiliam *de Sigillis librorum* ejusdem ſtyli ac præcedentes, certo eſſe Severiani Gabalorum Epiſcopi inquit, cum ſub illius nomine citetur a Theodoreto in Dialogo 3. atque ab Adriano I. Eundem characterem & eundem ſtylum reperiri in Sermonibus ſequentibus *de fide & lege naturæ, de ſancta & individua Trinitate, de ſancto & adorando Spiritu*, quem Photius ſub nomine D. Chryſoſtomi allegat. *De ſancta Pentecoſte Homilia*, temporibus Arcadii Imperatoris habita. *In illud Joan. 1. In principio erat Verbum. In ſancta Theophania Domini. De Chriſto Paſtore & ove &c.*

De fide & lege naturæ. Habet Savilius Tomo 6. pag. 837. de qua in notis ad Tomum 6. col. 820. Hanc Orationem deſcriptam ex MS. in Bibliotheca Regia Lutetiæ, caſtigavimus ex MS. Auguſtano, duabus quaſi paginis pleniore: quam puto inter ἀμφιβαλλόμενα rejiciendam. Eſt quidem Opus eruditi alicujus viri, ſed fortaſſe non Chryſoſtomi.

De ſancta & individua Trinitate. Habet Savilius Tomo 6. pag. 955. de qua in notis ad Tomum 6. col. 826. Oratio ſane erudita, & quam Chryſoſtomi eſſe non multum abnuerim. Nam quod nudior videatur & inornatior, fortaſſe inde eſt, quod floridam & elaboratam elocutionem ſpinoſa & diſputatrix Oratio non admittat. Haleſius.

De ſancto & adornando Spiritu. Habet Savilius Tomo 6. pag. 729. de qua in notis ad Tomum 6. col. 815. Hanc Homiliam agnoſcit Photius in *Bibliotheca* Cod. 277. quæ deſcripta eſt ex Bibliotheca Regia Lutetiæ, emendata ex Palatina. Vel Chryſoſtomi eſt, vel quod potius reor, alicujus ex illa antiquitate erudita. Stylus etiam magis conciſus, & frequentes loquendi formulæ Johanni noſtro non uſitatæ.

De ſancta Pentecoſte Homilia, temporibus Arcadii Imperatoris habita. Habet Savilius Tomo 5. pag. 976.

In illud Joannis 1. In principio erat Verbum &c. Habet Savilius Tomo 5. pag. 747.

In occurſum Salvatoris & Deiparæ & in Symeonem. Habet Savilius Tomo 5. pag. 872. de qua in notis ad Tomum 5. col. 754. Hanc Homiliam αὐτόφωνον edidit Fronto Ducæus cum alio titulo, *In circumciſionem Domini.*

In ſancta Theophania Domini. Habet Savilius Tomo 7. pag. 350.

De Nuptiis Joannis 2. & contra Judæos, Gentiles & Hæreticos. Habet Savilius Tomo 7. pagina 284.

De Chriſto Paſtore & ove, Joannis 10. Habet Savilius Tomo 5. pag. 984. inſcribitur, *In memoriam Martyrum, & quod Paſtor & ovis Chriſtus nominetur, & in velum & in propitiatorium.* Cujus meminit in notis ad Tomum 5. col. 759. Hanc Homiliam editam Romæ anno 1581. caſtigavimus ex MS. in Bibliotheca Regia Lutetiæ, etiam adhibitis Florentis Chriſtiani conjecturis. Ac primum ſublato titulo Romani Codicis, quem rectiſſime damnat Florens, cum de Acacio nullum in hoc toto ſermone verbum, ſubſtituimus alium Regio commodiorem. Florens pro Ἀκάκιον, ex ingenio ἄκακον, ut de Chriſto intelligatur.

In decollationem Præcurſoris & Baptiſtæ Johannis, & in Herodiadem. Habet Savilius Tomo 7. pag. 545. ex editione Auguſtana, emendatam ex MS. Oxonienſi, de qua in notis ad Tomum 7. col. 870. Cum Græculus quidam ineptus & indoctus, Orationem cum hujusmodi principio a Johanne noſtro habitam eſſe, apud Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcriptores reperiſſet: affinxit homo impudentiſſimus humano capiti corpus plane belluinum, nobisque pro vero hunc ſpurium & falſiſſimum fœtum ſuppoſuit, vix lectione, nedum emendatione dignum.

In ſaltationem Herodiadis & in decollationem Johannis Præcurſoris & Baptiſtæ. Habet Savilius Tomo 7. pag. 549. acceptam ex editione Auguſtana, emendatam ex MS. Palatino. Hanc ſane cum præcedenti etſi Photius vidiſſet ac legiſſet, Codice tamen 274 *Bibliothecæ* utramque Chryſoſtomo abjudicat, propter enormem ſtyli diſcrepantiam ac abjectionem.

In venerabilem Crucem & de transgreſſione Adami. Habet Savilius Tomo 7. pag. 502. qui hanc Homiliam retulit ex MS. Cæſareo, emendatam ex editione Gretſeri, in Opere *de Cruce.*

In dimiſſionem Chananææ Oratio habita poſt reditum ejus ab exilio. Habet Savilius Tomo 5. pag. 118. de qua in notis ad Tomum 5. col. 726. Orationis

tionis hujus apographum ex Bibliotheca Palatina deſcriptum, nos emendavimus ex duobus MSS. in Bibliotheca Ducis Bavariæ. Multa habet communia cum Homilia 52. in Matthæum, neque agnoſcit Catalogus Auguſtanus: puto tamen germanam eſſe, quamvis languidiuſcule ſcriptam, ut ſunt multæ hujus noſtri Conſtantinopolitanæ.

In Præcurſorem Domini Johannem. Habet Savilius Tomo 7. pag. 531. ex editis Antverpiæ.

In ſanctos Apoſtolos Petrum & Paulum. Habet Savilius Tomo 5. pag. 992.

In ſanctos duodecim Apoſtolos. Habet Savilius Tomo 5. pag. 995.

In ſanctum Thomam Apoſtolum & contra Arianos, & in eum qui in Thracia tyrannidem arripuit, & caſus eſt, cum *& ipſe Arianus eſſet.* Habet Savilius Tomo 5. pag. 486. de qua in notis ad Tomum 5. col. 736. Orationem hanc editam Burdigalæ a Frontone Ducæo, accurate emendavimus ex Codice Bavarico. Quominus autem credam duabus Synodis, ſcilicet Lateranenſi 1. anno DCL. habitæ, & 6. Vniverſali Conſtantinopolitanæ, Chryſoſtomo hanc Orationem aſſerentibus, facit totius Homiliæ textura & ſtylus a Chryſoſtomo, meo judicio, diverſiſſimus. Eſt enim Oratio tota fere dramatica, & ex proſopopœiis confícta: neque ut alias monui, novum eſt aut nuper natum, fœtus ὑποβολιμαίους ſubdere claris parentibus.

In ſanctum Stephanum Protomartyrem. Habet Savilius Tomo 5. pag. 864.

In illud ſecunda ad Corinthios 12. Sufficit tibi Paule gratia mea &c. Habet Savilius Tomo 5. pag. 799. de qua in notis ad Tomum 5. col. 749. In concionante, & non ſemper meditatos ſermones promente, non eſt requirenda tam compta oratio. Sane hæ Homiliæ 10. excuſæ Romæ 1581. multas habent ὑπερβάσεις, multas ταυτολογίας, ut putem exceptas eſſe ab aliquo ſtudioſo Chryſoſtomi tempore, qui mella iſta ab ore aureo concionantis ſublecta, in tabularum ceris, nobis conſervavit. Nam ſic ſcripſiſſe, aut manum his extremam impoſuiſſe Chryſoſtomum, vix eſt ut credam. Hæc Savilius contra auctoritatem Photii, qui Orationem hanc cum aliis multis haud elegantioribus, Chryſoſtomo expreſſe adtribuit, *Bibliotheca* Cod. 277.

In Annuntiationem ſanctæ Deiparæ. Habet Savilius Tomo 7. pag. 537. quam effudit ex Auguſtana editione, emendata ex MS. Codice. Habetur autem hæc inter Opera S. Gregorii Neocæſarienſis, cui in MSS. Codicibus attributa reperitur: ſed ut recte obſervat Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſticorum Scriptorum* in *Gregorio Neocæſarienſi Epiſcopo* ſeculo 3. pag. mihi 186. in 4. " Homiliæ ſeu Sermones tres de „*Annuntiatione Deiparæ* conveniunt ſtylo Procli „Conſtantinopolitani, ut annotatum eſt ab eo „qui notas fecit in Homilias hujus auctoris. Vltima etiam ex tribus attributa eſt S. Chryſoſtomo, ſed ſtyli diſcrepantia non eſſe ipſius oſtendit. "

In ſancta Theophania, & Sanctum Johannem. Habet Savilius Tomo 7. pag. 533. quam inſeruit huic loco, ex editione Auguſtana.

In parabolam de filio prodigo. Habet Savilius Tomo 7. pag. 539. cujus ut ad Chryſoſtomum ſpectantis, mentionem facit Photius *Bibliotheca* Codic. 277. Verum ex ſtylo ad Severianum Gabalorum Epiſcopum ſpectare, non injuria meo quidem ſenſu arbitratus Ludovicus Ellias du Pin, in cenſura Tomi ſexti Operum S. Joannis Chryſoſtomi.

In illud Matthæi 12. v. 14. Egreſſi Phariſæi conſilium ceperunt &c. Habet Savilius Tomo 7. pag. 326. de qua nihil in notis, erutamque ex MS. Regio Gallicarum produxit.

In parabolam decem Virginum, Matthæi 25. & de Eleemoſyna. Habet Savilius Tomo 7. pag. 554. quam obtulit ex editione Auguſtana emendatam ex MS.

In meretricem & Phariſæum, Lucæ 7. Habet Savilius Tomo 7. pag. 490. quam obtulit ex editione Auguſtana, ex duobus manuſcriptis emendatam.

In die ſanctæ & magnæ Paraſceves. Habet Savilius Tomo 5. pag. 906.

In Samaritanam Joannis 4. Habet Savilius Tomo 7. pag. 442. cujus meminit in notis ad Tomum 7. col. 867. In hac Homilia nihil eſt Chryſoſtomo dignum, præter Epilogum pag. 447. lin. 42. qui totus fere ex 31. Homilia Chryſoſtomi in Joannem ſumptus eſt. Prodiit ex MS. Cæſareo, emendata ex MS. Oxonienſi, & excuſo Ducæi. Codex Oxonienſis, Cæſareus & Ducæi Romanus inter ſe conſentiunt, Medicæus plenior, ſed illorum brevitas magis placet.

In cæcum a nativitate, Joannis 9. Habet Savilius Tomo 5. pag. 761. cujus meminit in notis ad Tomum 5. col. 747. In hac Oratione edenda tribus uſi ſumus Codicibus, excuſo Frontonis Ducæi, quem ex Medicæo deſcriptum profitetur, manuſcripto in Bibliotheca Regia Lutetiæ, ex quo multas in procemio lacunas Medicæi codicis ſupplevimus: & tertio manuſcripto in Bibliotheca Collegii Novi Oxonienſis, non integro, ut qui toto procemio mutilatus, ab interpretatione verborum Evangeliſtæ incipiat. Hujus tamen deinceps ſecuti ſumus veſtigia potius quam Medicæi, ut Regio magis congruentis.

CAPVT NONVM.

RELIQVA EJVSDEM TOMI OPVSCVLA EXAMINANTVR.

IN triduanam Chriſti Reſurrectionem. Habet Savilius Tomo 5. pag. 592. de qua in notis ad Tomum 5. col. 739. Hanc Orationem Antverpiæ 1598. editam a doctiſſimo Pautino, ex MS. in Bibliotheca Regia Lutetiæ caſtigavimus. Titulus eſt in manuſcripto, εἰς τὴν τριήμερον ἀνα-

σαιν τῦ Κυρίε ἡμῶν: conjecturas autem omneis pene viri illius doctiſſimi, a MS. Codice reperi firmatas.

In Chriſti Aſcenſionem Sermones IV. a Gerardo Voſſio primum edidi in Appendice ad Gregorium Thaumaturgum anno 1603. Moguntiæ. Habet Savilius Tomo 5. pag. 973. & 970. duas ex his quatuor, alias autem Tomo 7. primam pag. 330. datam ex MS. Regio Lutetiæ, ultimam p. 426. datam ex MS. Cæſareo. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ad Cenſuram Operum Chryſoſtomi, pag. mihi 26. editionis Amſtelodami, hos quatuor Sermones *de Aſcenſione* non indignos Johanne Chryſoſtomo arbitratur, licet ſtylo cum aliis ejusdem Opuſculis non omnino conveniant. Vult eſſe ex illis XXII. de hoc argumento quos Photius legerat, de quibus in *Bibliotheca* Cod. 25. loquitur. Citat Facundus lib. 2. cap. 14. *Defenſionis trium Capitulorum* alium ejusdem argumenti ſermonem. Sed hæc Elliæ cenſura, conjecturis tantum nititur, nec ſatis firmis.

Oratio, quod oporteat Chriſti diſcipulum Clementem eſſe, nec cito iraſci. Habet Savilius Tomo 6. pag. 903.

De PſeudoProphetis & falſis Doctoribus Homilia, quæ habetur etiam inter Opera Ephræmi a Gerardo Voſſio Tungrenſis Eccleſiæ Præpoſito edita, quam eſſe Joannis Neſteutæ cenſent Voſſius & Pearſonus. Habet Savilius Tomo 7. pag. 211. ex MS. Cæſareo editam, de qua in notis ad Tomum 7. col. 858. In hac Homilia conjecturæ ad margineu, fere ab Alleno noſtro ſunt, per ingenioſæ & probabiles omnes, ſed conjecturæ tamen. Poſt abſolutam editionem miſit ad me doctiſſimus Fronto Ducæus, caſtigationes ex Romano apographo Jacobi Sirmondi, quod cum alio codice Vaticano contulerat: quibus tamen non alias fere utor, niſi tum a conjecturis noſtris diſſentiunt, quod raro fit, vel aliquid adferunt novi. Porro apographum iſtud Sirmondi ſigno in his notis litera S. atque Vaticanum litera V.

In Circum Oratio. Habet Savilius Tomo 6. pag. 974. cujus meminit in notis ad Tomum 6. col. 827. Oratio nec Chryſoſtomi, nec alicujus docti, quam tamen, in gratiam doctiſſimi Bullengeri cui de ea optime perſuaſum eſt, inter ἀμφιβαλλόμενα locandam duximus, quæ vix inter νοθευόμενα extremo loco conſiſtere debuiſſet. Certe criticis, quisquis eſt, crucem fixiſſe videri queat.

In Salvatoris noſtri Nativitatem Homilia, quæ genuinam Chryſoſtomi opus Cavo videtur, ſub cujus nomine a S. Cyrillo Alexandrino Archiepiſcopo citata libro *ad Reginas*, Conciliorum Tomo 3. col. 118. Habet Savilius Tomo 5. pag. 846. de qua in notis ad Tomum 5. col. 751. In meo manuſcripto & MS. Collegii Novi Oxonienſis, ſic hic Oratio incipit, Τί τῦτο; σημεῖον ἀντιλεγόμενον ἐγῶ, καὶ μυστήριον ξένον &c. Et quidem niſi memoria fallor, tota hæc Oratio alterius eſt Orationis particula, quam alibi inter Opera Chryſoſtomi legiſſe mihi videor. Acceſſit poſt Orationem impreſſam, auxilium ex Cod. in Chalce inſula ſane optimo, quicquid enim fere nobis ſuſpectum erat, ſanavit: cum prius plurima eſſent hiulca. Codex autem hic inſignitur O, id eſt Orientalis.

In illud Luca 2. Exiit edictum a Cæſare Auguſto, & in deſcriptionem ſanctiſſimæ, immaculatæ, & ſupra quam dici poteſt, benedictæ Dominæ noſtræ, Deiparæ, & ſemper Virginis Mariæ. Habet Savilius Tomo 5. pag. 715. Hanc Homiliam cum duabus ſequentibus in *Oraculum Zacharie* Luc. I. & in *Conceptionem S. Johannis*, cenſet Ellias du Pin loco citato, eſſe ejusdem ſtyli, a Chryſoſtomico valde diſcrepantis; continere autem inſipidas in Lucæ textum notas, quæ ſine tædio atque nauſea legi non poſſunt.

In oraculum Zacharie redditum Luca I. Habet Savilius Tomo 7. pag. 340. ex MS. Regio Lutetiæ.

In conceptionem S. Johannis Prophetæ, præcurſoris & Baptiſtæ. Habet Savilius Tomo 5. pag. 831.

In illud Matthæi 6. Cavete ne Eleemoſynam veſtram faciatis coram hominibus &c. Habet Savilius Tomo 7. pag. 486. ex MS. Regio Lutetiæ.

Quod mores ſimulatos fugere oporteat. Habet Savilius Tomo 7. pag. 247. ex MS. Regio Lutetiæ.

De muliere profluvio ſanguinis laborante, in principium in dictionis novi anni, & in Sanctos Martyres. Habet Savilius Tomo 5. pag. 816. de qua in notis ad Tomum 5. col. 750.

De patrefamilias & operariis Matthæi 20. Habet Savilius Tomo 5. pag. 708.

In parabolam de ficu areſacta Matthæi 21. Habet Savilius Tomo 7. pag. 252. editam ex MS. Regio Lutetiæ, emendatam ex MS. Bavarico: quam cum duabus præcedentibus, conjicit eſſe Severiani Gabalorum Epiſcopi, Ellias du Pin loco antea citato.

In Phariſæi convivium Lucæ 7. verſu 36. Habet Savilius Tomo 7. pag. 280. ex MS. Regio Lutetiæ.

In Divitem & Lazarum Luca 16. Habet Savilius Tomo. 5. p. 728.

In Publicanum & Phariſæum Luca 18. Habet Savilius Tomo 7. pag. 233. ex MS. Regio Lutetiæ, emendatam ex alio MS.

In cæcum quem Chriſtus ſanavit, & in Zachæum, & de Judicio & Eleemoſyna. Habet Savilius Tomo 5. pag. 731. de qua in notis ad Tomum 5. col. 746. Hanc Orationem unico nixi exemplari damus, perpaucis in locis quos ſubjicimus hic] inemendatam, aut ſaltem de mendis mihi ſuſpectam.

Quod non oporteat Monachum facetiis & ſcurrilitatibus eſſe deditum. Habet Savilibus Tomo 6. pag. 963. de qua in notis ad Tomum 6. col. 816.

Oratio

Oratio valde mutila, ut in unico exemplari, ejusdem aliqua ex parte argumenti cum Orationibus κατὰ συνεσταύκτων: in qua materia ſex Orationes a Johanne noſtro habitas ſuperius e βιογραφοῖς monuimus. Nos duas tantum habemus, quibus hanc tertio loco accenſere non auſim.

De Sancto Johanne Theologo, Latine tantum. Cui duæ aliæ ejusdem argumenti adjungi poſſunt, quas Græce Savilius habet Tomo 7. editionis ſuæ, nimirum XXXV. p. 342. & XXXVI. pag. 344. utramque eductam ex MS. Palatino.

In adorationem pretioſæ & vivificæ crucis, media hebdomade jejuniorum. Habet Savilius Tomo 5. pag. 877.

Quod non oporteat pudere nos confiteri pretioſam crucem, & quemadmodum per ipſam nos ſervaverit Chriſtus, & quod oporteat in ipſa gloriari, & de virtute, & quomodo Deus deſideret ſalutem noſtram, & de eleemoſyna. Habet Savilius Tomo 7. pag. 864. ubi in Catalogo obſervat hanc Orationem ante an. fere 70. editam eſſe pro vero & genuino Chryſoſtomi fœtu Lutetiæ Pariſiorum: illam autem eſſe florilegium 33. ex quadraginta octo, quæ Græce ab eodem Savilio ex variis Operum S. Johannis Chryſoſtomi locis collecta evulgata ſunt.

De negatione Petri, Matthæi 26. Florilegium eſt ſeu fragmentum decerptum ex Homilia 3. in illud Apoſtoli ſecundæ ad Corinthios 4. v. 13. quam habet Savilius Tomo 5. pag. 382.

De jejunio & Eleemoſyna. Oratiunculæ tres apud Savilium Tomo 6. p. 883. quæ ἀπαναβίωματα potius, aut aliarum Orationum fragmenta ethica videri queant.

In Sanctum Paſcha. Habet Savilius Tomo 5. pag. 587. cujus meminit in notis ad Tomum 5. col. 739. Oratio ex Regiis membranis Lutetiæ deſcripta, ex codice Bavarico accurate caſtigata, eſtque notæ melioris. Multa habet communia cum Oratione 81. & proxime præcedenti 84. editionis iſtius Savilianæ.

In ſecundum Domini adventum, & in illud omnes aſſiſtemus tribunali Chriſti, & unuſquiſque pro ſe rationem Deo reddet &c. Habet Savilius Tomo 5. pag. 782. cujus meminit in notis ad Tomum 5. col. 748. Orationem hanc in Bibliothecis paſſim margaritis annumeratam, & ab ἀπαναβιωμάτων collectoribus pro germana citatam, obſervavit doctiſſimus Fronto Ducæus conſutam ex duobus locis ethicis, Homiliarum 25. & 31. in Epiſtolam ad Romanos.

Florigeria XXXI. ex Homiliis S. Johannis Chryſoſtomi decerpta per Theodorum Magiſtrum. Hic in MSS. Codicibus Græcis, dicitur *Theodorus Daphnopata*, de quo ad annum 1050. poſtea loquemur. Habet Savilius Tomo 7. pag. 565. Florigeria XLVIII. additis nempe 5. 9. 11. 21. 28. 32. 33. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48 Verum ex his quamplurima excerpuntur ex illis quæ ſuperſunt homiliis, atque adeo alibi habentur. Exempli gratia, Florigerium 33. idem eſt cum Homilia modo memorata *de confeſſione ſanctæ Crucis.* De his autem ita Savilius in notis ad Tomum 7. col. 919.

Apanthismatum numerus in MS. fere 32. 33. vel 34. & quidem ex noſtris numeratur 38. prioribus, nam cætera quæ ſequuntur, alterius generis ſunt, quibus ſi demas 9. 11. & 28. ſuperſunt tantum capita 31. Eclogarum nomine jure cenſenda. Cæterum & hic Eclogam de Virginitate, quæ in MS. Auguſtano reperitur, (ſi verus eſt titulus in libro XXXIV.) deſiderari ſciat lector. Auctor ſeu verius conſarcinator harum Eclogarum, in Codice Vaticano & Palatino, fertur Theodorus Magiſter. Alii fere nihil ei tribuunt præter vigeſimam ſeptimam, quæ Divi Pauli continet encomium. Porro in hac editione Moguntinam editionem caſtigavimus, & multis in locis locupletavimus e tribus Manuſcriptis (nam in omnibus fere Bibliothecis extant deſcriptæ) 1. Oxonienſi, 2. Londinenſi, & 3. in Bibliotheca mea. Titulos particularum ſive ſectionum, qui ut plurimum, in Moguntina corrupti erant, e MSS. aliis præſertim Oxonienſi, cujus nobis fides exploratior, & ſæpiſſime conſultis fontibus, emendavimus. De Oxonienſi codice obſervandum, illum a reliquis quos vidimus omnibus, plurimum diſcrepaſſe. In illo enim capita quædam, eædemque particulæ collectæ, at nullo ordine, nulla methodo. Vnde omnes particulæ τοίνυν, καὶ, aliæque quæ quaſi cæmenti vice ſunt, aberant: ut in hoc demum codice congeſta materia, in reliquis digeſta videatur. Quæ ſequuntur trigeſimum octavum, e Bibliotheca Regis Galliarum ſunt, exceptis duabus ultimis, quæ (ut & 28.) ex Sladii mei chartis Orientalibus. Non ſum neſcius plura in his Eclogis emendari poſſe e fontibus, ſi quis venas omneis perſcrutetur, quin & fonteis ipſos ex his rivulis nonnunquam purgari potuiſſe, ſi quis otium & integram ætatem afferret: quam palmam aliorum, qui poſt nos erunt, induſtriæ diligentiæque relinquimus, in harum emendatione: quatenus a nobis commode fieri potuit, operam non mediocrem poſuiſſe contenti. Grammatica ſphalmata ubique ſuſtuliſſe non erat curæ, ne videamur illam in edendis fragmentis iſtis diligentiam præſtare, quam auctor ipſe in colligendis præſtitiſſe non videtur. Nec enim edimus qualia formavit Chryſoſtomus, ſed qualia deformavit ſupinus & oſcitans mutilator. Solæciſmi enim occurrunt non pauci, iique tanto Codicum conſenſu firmati, ut non librariorum, ſed ipſius auctoris vitio, contigiſſe merito videantur. Nota eſt enim poſterioris ætatis Grammatica qualis fuerit, aut ſi cui nondum explorata ſit, adeat Georgium Alexandrinum & biographos noſtros, aut apanthiſma iſtud quod in hoc volumine ultimi eſt tum loci, tum pretii. Quamobrem ne expectet lector, ut Opus hoc a nobis correctius prodeat, quam eſt ab ipſo auctore profectum. Neque miretur lector, citari hic

Oratio-

Orationes & Tractatus aliquot a nobis inter ἀμφιβαλλόμενα, seu etiam νοθευόμενα rejectos: cum ut aliquoties admonuimus, non heri aut nudiustertius invectæ sint in Bibliothecas, hæ bonorum auctorum corruptelæ.

Tandem hoc caput finiendum ea annotatione, quam habet de spuriis multis Chrysostomi nomen perperam præferentibus, ab hac editione exclusis, ut testatur Savilius in notis ad Tomum 7. col. 857 his verbis. "Τῶν νοθευομένων ingens passim in omnibus fere Bibliothecis tam privatis quam publicis numerus: quæ tam cupide exquiri, tam ambitiose edi a viris doctis miror. Gerardus Vossius, vir ut audio doctrina excellenti, ex Bibliotheca Strozziana novem Orationes in Ascensionem Domini Latine versas evulgavit, easque δηθεν in 9. annos Episcopatus Johannis nostri tribuit, in quibus ὠδὶν ὑγίες. Possem idem de aliis, sed contineo me. Nobis certe venia ut spero dabitur, post tot egregia opera, edentibus hæc pauca χίβδηλα: & tamen sciat lector, nos multa rejecisse ut luce prorsus indigna, quæ a librariis meis in meum usum descripta fuerant, qualia sunt μετὰ τῶν ἄλλων καὶ τάδε.

" 1. Εἰς τὸ, ὠθεὶς δύνασαι δυσὶ κυρίοις δουλεύειν. Initium, Φασί τινες ἐκ αὐρωπ☉ καὶ λέοντ☉ &c. quæ Oratio extat in bibliotheca Cæsarea, Vaticana, & Veneta.

" 2. Περὶ τῶν Γαλιλαίων, ὧν ὁ Πιλάτ☉ τὸ αἷμα &c. in Bibliothecis Italiæ & Oxoniensi.

" 3. Εἰς τὸ τῆ Χριστῆ γενέθλιον: Initium. Ὁπόταν τὸ ἔαρ ἐπέλθῃ &c.

" 4. Περὶ τῆς συντελείας. Initium, Ὅταν ἄρξωμαι.

" 5. Περὶ τῆς ψυχικῆς ἀφελείας, alias Περὶ ὄφεως παραβολικός. Initium ὁμοιώθη ἡ ζωὴ ἡμῶν &c. in Cæsarea & Orientalibus.

" 6. Εἰς τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν Θεολόγον. Initium, Ἰωάννης σήμερον ὁ εὐαγγελιστὴς, in Orientalibus.

" 7. Εἰς τὸν ἐκ γενετῆς τυφλόν. Initium, Εἰ δὲ καὶ τοῦτο πρὸς τοῖς ἄλλοις &c.

" 8. Εἰς τὸ γενέσιον τῆ ἁγίᾳ Μακρίνῃ. Initium, Ἠκούσατε ἀδελφοί &c.

" 9. Ἐκ τῶν ὁράσεων τῆ προφήτῃ Δανιὴλ καὶ περὶ τῆς Κωνσταντινουπόλεως, καὶ περὶ τῆς συντελείας τῆ κόσμῳ, καὶ περὶ ἀντιχρίστου. Initium, Ἄνισον ὦ ἱερεῖ, μετ' ἀκριβείας &c. ex Bibliotheca Palatina.

" 10. Εἰς τὸν Ἡρῴδην καὶ τὰ νήπια. Initium ὥσπερ ὁ ἡλιακὸς ὅτ☉ πόλ☉.

" 11. Περὶ ὀργῆς καὶ κενοδοξίας, καὶ περὶ μετανοίας, καὶ ἐλεημοσύνης. Initium, ὠδὴν τῆς ἀληθείας Φαιδροτέραν.

" 12. Εἰς τὴν πόρνην. Initium, ἐν παντὶ καιρῷ &c.

" 13. Ὅτι οὐ δεῖ τὸν χριστιανὸν φοβεῖσθαι τὸν θάνατον, καὶ περὶ μετανοίας καὶ ἐξομολογήσεως. Initium, Εἰς θάνατος ἡ ἁμαρτία.

14. Εἰς τὸν Εὐαγγελισμόν. Initium, Τῆς παρούσης τιμίας καὶ βασιλικῆς &c.

15. Περὶ τῶν ἀπολιμπανόντων ἐν ταῖς θείαις συναξεσι. Initium. Διηγήσατο ἡμῖν τις γέρων πάνυ ἐναρέτος &c.

16. Περὶ ἀκτημοσύνης. Initium, Τίνες τῶν ἀγαπητῶν &c.

17. Περὶ τοῦ μὴ προσπλώσθαι τοῖς βιωτικοῖς. Initium. Φέρε δὲ καὶ σήμερον τῆ περὶ καταπύξεως ἀψώμεθα λόγου, in Bibliotheca Regia Lutetiæ, apanthisma est varie mutilatum.

CAPVT DECIMVM.

TOMI SEPTIMVS ET OCTAVVS OPERVM S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI EXAMINANTVR.

TOmo VII. continentur *Commentariorum in Evangelium Matthæi Homiliæ XCI.* quas numero XC. Savilius habet Tomo 2. editionis Græcæ Etonensis pag. 1. de quibus in notis ad Tomum 2. columna 145. his verbis. Harum editionem Homiliarum adornavimus, Lector, ex quinque libris manuscriptis. Primum nobis exhibuit Bibliotheca Collegii Corporis Christi Oxonii, a *Sorbopulo* quodam homine Græco anno Domini 1499. satis negligenter & imperite Redingæ in Anglia scriptum, quadraginta tantum & quinque priores Homilias continentem. Secundum Bibliotheca illustrissimi Cæcilii Comitis Exoniensis, ab eodem *Sorbopulo* ibidem anno sequente, scilicet 1500. eadem fide & diligentia scriptum, reliquas posteriores complectentem. Tertium nobis codicem dedit Bibliotheca Collegii Novi Oxonii, & Quartum Bibliotheca Vniversitatis Oxoniensis, Constantinopoli nuper advectum melioris notæ & antiquum satis, non plures tamen quemque quam 44. aut 45. priores repræsentantem. Quintum & ultimum posteriores Homilias, easque non plene continentem, sed optimæ cum primis notæ codicem supra commemoratæ Vniversitatis Bibliothecæ debemus. Hisce accessit editio vulgata Heidelbergensis, de qua, quamvis innumeris scateat erroribus, quorum magnam & certe maximam partem nos expurgavimus: tamen gratia debetur bonis illis viris, quia & prius inedita edere voluerunt, idque libris non negligentissime inspectis. Quam fidem & diligentiam si iidem in Paulinis Epistolis edendis præstitissent, non tanta, quanta nunc meritissime, apud omneis doctos & æquos rerum æstimatores infamia laborarent. Sed de hac re alius erit dicendi locus. Nunc ut quod instat agamus, sciat Lector, hanc primam in Matthæum homiliam extare a Roberto Stephano vulgatam in principio Testamenti Novi, ab ipso Græce excusi ante annos 60. Lutetiæ, ne quenquam sua laude fraudare videamur. Præter

ter hæc ſi quid eſt aliud, ſcito ſymbolas eſſe parciſſimas ex conjecturis meis & amicorum meorum, in quibus primo loco facile ſtatuerim doctiſſimos viros, Græcarum literarum non minus quam Theologiæ peritiſſimos, Joannem Boiſium & Thomam Allenum, qui mihi tibique lector, in toto hoc opere in Evangelia operam navarunt egregiam. Porro ubi ſcriptæ vel dictæ fuerint hæ Homiliæ, de illis in Johannem nihil mihi liquet: in Matthæum homilias Antiochiæ habitas ex ipſius Chryſoſtomi verbis conſtat. Sic enim loquitur Homilia 7. pag. 49. lin. 16. *Πρώτη ἡ πόλις ἡμῶν τὸ τῶν χριστιανῶν ἀνεδήσατο ὄνομα.* Vide homil. 67. pag. 427. lin. 22. Videtur tamen nonnunquam loqui ut Epiſcopus, ut homil. 17. pag. 124. lin. 42. & homil. 40. pag. 269. lin. 38. Vide etiam ἦθικὸν homiliæ 85. & apoſtrophen ejus ad Diaconos homil. 82. pag. 515. lin. 4. & 28. Quæ tamen conjecturæ non eam vim habent, ut poſſint illa infirmare quæ ſunt in homilia 7. niſi fortè non omneis eodem loco habitas, aut eodem tempore dicamus. Ita Savilius præluſit notis ſuis atque Joannis Boiſii in Matthæi Evangelium.

Tomus Octavus editionis Græco latinæ Frontonis Ducæi Pariſienſis habet, *Operis imperfecti in Matthæum Homiliæ LIV*, ſeu potius *Commentarium in Homilias perpetuum diſtributum* Latinè, qui Chryſoſtomi non eſſe ab omnibus jam agnoſcitur. De hoc Opere nihil rectius quam quod inquit Andreas Rivetus Lib. 4. *Critici ſacri* cap. 1. ex Pontificiis præſertim Horum „primus Antonius Poſſevinus Tomo I. *Apparatus ſacri* verbo *Johannes Chryſoſtomus*, ita loquitur. Auctoris Operis imperfecti in Matthæum Homiliæ LIV. quæ Græce & Latine non „ſemel prodierunt, non ſunt Chryſoſtomi. Scatent enim hæreſibus Arianorum, Manichæorum, Montaniſtarum, Armenorum, Donatiſtarum: quin & ipſe auctor qualis fuerit, ſe prodit „potiſſimum Homilia 49. Diſtinguitur autem „hic a perfecto in idem Evangelium Commentario, quo 91 homiliæ comprehenduntur. Plura de auctore Operis imperfecti cerni poſſunt „in Sixti Senenſis *Bibliotheca ſancta* lib. 6. in Cardinali Bellarmino *de verbo Dei non ſcripto* cap. „11, & *de bonis operibus in particulari* lib. I. cap. 9. „in Maldonato ad Matth. cap. 11. & alibi. in Cardinali Baronio Tomo 5. Annalium, anno 407. „§. 11. præter illa quæ Melchior Canus in *Locis* „*Communibus*, & alii attigerunt.“ Hæc Poſterius loco citato, & ſane Baronius Tomo 5. *Annalium* anno 407. §. 11. in auctorem illum impotentiſſime invehitur, quem vocat *incertum quidem auctorem, ſed certum hæreticum, hæreticorumque deterrimum.* Item *ejus homilias purulentas, hæreſum ſcatentes vermibus, quæ ne pilum quidem Chryſoſtomi habent, vel in dictione, vel in ſententiis, vel in dogmatibus.* Bellarminus modeſtius agit dum ait, *auctorem vel fuiſſe Arrianum, vel ejus librum fuiſſe multis in locis ab Arrianis depravatum, et* quod poſtremum verum eſt, ita ut ſublatis iis quæ ad Arrianiſmum propendent, reliqua lectu digniſſima ſint. Annuit idem Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* inquiens, *Alioquin liber eſt doctus, & minime ſpernendus*: item, *Credibile eſt auctorem fuiſſe Catholicum, ſed opus illius ab Arrianis fuiſſe depravatum.*

Vt autem cuivis perſpectum ſit, quam varius ſit apud Pontificios & præſertim Jeſuitas diſcretionis ſpiritus, teſtimonio Sixti Senenſis qui a novis iſtis magiſtris ſub ferulam revocatur, addam ex ipſis Loyolæ ſociis, qui Baronii & Poſſevini temeritatem redarguant. Joſephus Acoſta Hiſpanus Jeſuita lib. 2. *de temporibus noviſſimis* cap. 12. pag. 493. ſic ſcribit. *Abominationem deſolationis a Chriſto intelligi Antichriſtum in templo Dei, ut Paulus habet, pro Deo ſedentem, tradunt primum antiquiſſimus Irenæus Martyr, Hyppolitus Martyr, & ipſe Gregorius Nazianzenus, Hilarius, Hieronymus, Ambroſius, Auctor Operis imperfecti in Matthæum*, eruditione *ſuperioribus comparandus.* Hæc ille agens de ipſa homilia 49. in qua Poſſevinus ait, veſtigia Baronii ſecutus, præcipue *auctorem ſe prodere hæreticum*: qui non tam huic auctori infenſus fuit, propter inſperſas Arrianorum fæces, quam quod ibi ſcripſerit, *tempore Antichriſti, ex quo hæreſis eccleſiæ obtinuerit, nullam probationem eſſe poſſe vera Chriſtianitatis, vel refugium Chriſtianorum fidei veritatem agnoſcere volentium, quam Scripturas divinas*: id quod Cardinalis Tomo 5. ubi ſupra, dicit eſſe *confugium & argumentum commune omnium hæreticorum.* In eundem ſcopulum impingit Bellarminus, in libro *de verbo Dei non ſcripto* cap. XI. in quo verba illa ab Arrianis addita, *merito fuiſſe ſublata in novis editionibus* ſcribit. Verum ex Hiſpania alter Jeſuita prodiit, qui Italis noſtris reſiſtere auſus eſt. Is eſt Alphonſus Salmeron Tomo XIII, Lib. I. in Epiſtolam Pauli ad Romanos, parte 3. Diſp. 3. pagg. 193. & 194. titulo *de falſis Eccleſiæ Signis* ſectione *Ad hæc* inquiens. *Auctor Operis imperfecti in Matthæum Homilia 49. volentibus agnoſcere, quæ ſit vera Eccleſia, non eſt alius modus niſi tantummodo per Scripturas. Quia omnia hæc quæ ſunt propria Chriſti, in veritate habent & hæreſes in ſchiſmate, ſimiliter Eccleſias, ſimiliter & Scripturas, ſimiliter Epiſcopos, cæterosque ordines Clericorum, ſimiliter Sacramenta, denique Chriſtum. Volens ergo quis cognoſcere quæ ſit vera Eccleſia, unde cognoſcat in tanta confuſione ſimilitudinis, niſi tantummodo per Scripturas? Hæc ille ut Jeſuita, elegantèr ſane.* Ex his judicet Lector, quid de iſtorum hominum judiciis ſentiendum? Et præterea notet Franciſcanum quendam Aldenardenſem *Mabuſium* nomine, opus illud Antverpiæ primum anno 1545. deinde Lutetiæ edendum curaſſe: tum prætextu purgandi a fæcibus Arrianorum, eraſiſſe quæcunque de Scripturarum auctoritate, deque Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, pie vereque dixerat: ne talibus editionibus deinceps fidem habeat.

Rationes eorum qui ita ſentiunt, affert Sixtus Lib. 4. *Bibliothecæ ſanctæ*, nempe *quia non ſolum Prima Eccleſia publice inter divinas laudes legit Homilias ex Commentariis ſub nomine Chryſoſtomi, ſed etiam quia graves ſententiæ & magni ponderis propoſitiones ad confirmationem Chriſtianorum dogmatum, ſub titulo, teſtimonio & auctoritate Chryſoſtomi inducuntur in Gloſſis authenticis quas vocant Ordinarias, in Catenis Evangelicarum explanationum, in Decretis ſummorum Pontificum, & in Summis Theologicis magni nominis Theologorum: in quibus multa ex his ſententiis diligentiſſime expenſa, ab omni erroris ſuſpicione vindicantur.* Deinde oſtendit *faces & ſordes, quibus inquinatum fuit opus, non authoris culpa, ſed hæreticorum fraude in hos Commentarios irrepſiſſe, idque triplici argumento. 1. Quod exemplaria quædam vetuſtiſſima nihil contineant ejusmodi errorum, ſed alia omnia manu habeant ſcripta in marginibus. 2. Quod quidquid hæreticum eſt, ita per illationem ſit germanæ lectioni aſſutum, ut ſi refecetur, ne latum quidem unguem mutetur ſententia: quod ſane fieri non poſſet, ſi ab ipſo auctore ingenue ſuiſſet intextum. 3. Quod credibile non ſit auctorem, qui nec amens nec obliviosus fuerit, eodem in libro ſibi ita aperte contradixiſſe: multis enim in locis Orthodoxam de Chriſti Deitate ſententiam contra Arrianorum perfidiam tuetur, cujus rei exempla affert ex homilia 28. 44. & 45.* Suum deinde ſubdit judicium his verbis: *Ego quid addam nihil habeo, niſi hoc ipſum Opus diſertum & doctum eſſe, & dignum quod aſſidue legatur, ſi tamen prius diligentiſſime expurgatum fuerit ab erroribus, quas in libro 6. annotavimus.* Hæc ille Savilius cum Sixto Senenſi ſentit, eſſe opus ab aliquo ex Latinis Patribus confectum, nec minus eruditum, nec minus fortaſſe Johanne Chryſoſtomo antiquum, & quæ dogmata ſuſpecta in ea inſperſa ſunt, aſſumenta eſſe hæreticorum. Ita ille in notis ad Tom. 2. col. 215.

Præter hos Johannis noſtri Commentarios in Matthæum & Johannem, feruntur alia ſub ejus nomine, partim Latine tantum, partim Græce, juxta Savilium quem exſcribimus. Et Latine quidem opus imperfectum in Matthæum, cujus nullum unquam in Græcis codicibus veſtigium, etiamſi omneis omnium Bibliothecas diligentiſſime ſcruteris: opus ſine dubio ab aliquo ex Latinis Patribus confectum, nec minus erudito, noſtro Johanne, nec minus fortaſſe antiquo. Nam de ſuſpectis dogmatibus toti paſſim operi inſperſis, aſſentior doctiſſimo & ſagaciſſimo veterum Scriptorum cenſori Sixto Senenſi, aſſumenta eſſe ea hæreticorum, non ab eodem fonte, quo cætera illa præclara & lectu digniſſima profecta. Idem ſentio de cæteris omnibus in Matthæum, Marcum, Lucam & Johannem homiliis, quæ in editionibus extant Latinis, neque Græce reperiuntur: niſi quod earum magnam partem, dormientium eſſe putem Monachorum ſomnia, non ſobriorum & doctorum, ut Opus illud imperfectum, vigilias. Atque hactenus de iis quæ nonniſi Latine reperiuntur. Præter hæc autem in Bibliothecis paſſim reperiri ſcio, & quidem in manibus habeo in Evangelia, tria Opuſcula Græce Chryſoſtomo inſcripta. Primus eſt libellus Quæſtionum in Matthæum, cujus initium, Διὰ τί λέγεται Εὐαγγέλιον; Εὐαγγέλιον ἡ παροῦσα βίβλος λέγεται, ὅτι καλάσεως εἰσάγουσιν, καὶ ἁμαρτημάτων λύσιν, καὶ δικαιοσύνην, καὶ ἁγιασμὸν, καὶ ἀπολύτρωσιν, καὶ υἱοθεσίαν καὶ κληρονομίαν τῶν ἐφανῶν πάσιν εὐαγγελίζεται. Quem vertit Latine, vulgavitque Venetiis anno 1554. Chriſtophorus Serrarigus, unde in editiones Pariſienſem anni 1613. Latinam Frontonis Ducæi, & Antverpienſem anni 1614. acceſſit. Secundus eſt libellus, brevem continens enarrationem in Lucam, cujus initium, Ἰσέον ὅτι τὰς μὲν ἄλλους εὐαγγελιστὰς ἐξ αὐτῶν ἀρχομένους ἐσιν ἰδεῖν τῶν πραγμάτων, τὸν δὲ μακαρίον Λουκᾶν καὶ πρεσβύτερον ἐπιβάλλοντα &c. quæ à Theodoro Peltano Latine verſa, anno 1580. edita fuit. Tertius eſt libellus Quæſtionum in Johannem, in notis mihi ſæpe citatus, cujus initium, Τίνων ἕνεκα πάντα τἄλλα παραδραμὼν ἅγιος Εὐαγγελιστὴς περὶ τῆς ἀϊδίε γεννήσεως ἐυθέως διηγᾶται; ἐπειδὴ οἱ ἄλλοι εὐαγγελισαὶ &c. Horum *ſecundum* qui in Lucam eſt, tribuunt Codices Florentini & Pariſienſes D. Tito Boſtrorum Epiſcopo: *primum* qui in Matthæum eſt, conjectura Serragii eidem Tito: *Tertium* in Johannem, ex eadem officina prodiiſſe dubium non eſt. Cujus cujus ſint, Chryſoſtomi certe non ſunt, quanquam ex ejus Operibus magnam partem pene ad verbum collecti: cum & Iſidorum Peluſiotam citant, & Cyrillum Alexandrinum, atque adeo Chryſoſtomum ipſum. Atque hæc quidem cum & ex Bibliotheca Collegii Corporis Chriſti Oxonii, & ab amicis quibusdam Auguſtæ & Ingolſtadii Græce ad manum ſuppeterent exemplaria, ut aperte νοθευόμενα, edenda non curavi. In Marcum quoque quædam ſe habuiſſe, mihi non viſa, in ſuis ad me literis perſcripſit doctiſſimus Fronto Ducæus, nihilo, uti credo, iſtis meliora. Quin & nos nuper adeo ex Oriente opera Samuelis Sladii τῦ μακαρίτε, tractatum accepimus bene longum in Marcum, in quo nominatim citatur Origenes, & Ἰωάννης τῆς βασιλίδος πόλεως Ἐπίσκοπος: hoc eſt, Chryſoſtomus ipſe, ejusdem ut apparet cum ſuperioribus monetæ. Quare non eſt opinor, cur quisquam hiſce quæ nos afferimus, in Evangelia eruditus Lector ſperet amplius. Hæc Savilius loco citato. Idem quoque judicandum de *Synopſi Veteris Teſtamenti* ſub nomine Chryſoſtomi, quæ extans MS. Græce in Bibliotheca Cl. Iſaaci Voſſii, emptione in Bibliothecam Lugduno Batavam translata eſt. Nam an genuina ſit, pro certo affirmare non poſſum, utpote quam huc usque nondum percurri. At credibile eſt illam ex mercibus illis adulterinis eſſe, quæ nomina celebrium virorum mentiuntur. Habetur alias edita Græce & Latine in-

Digitized b

inter Opera Sancti Athanaſii editionis Pariſienſis anni 1627. in folio, Tomo 2. pag. 53. & ſequentibus, ubi opus integrum extat. Verum illud ſpurium eſt, nec Athanaſii nec Chryſoſtomi genuinum, quorum nomina in MSS. Codicibus præferre dicitur. Nec majori authoritate adſcribit Opus idem Sancto Joanni Damaſceno, Michael Lequien, Ord. Fratrum Prædicatorum, in editione Omnium S. Joannis Damaſceni Operum, quam meditatur, Pariſiis procurandam. Extat quoque in bibliotheca publica Cantabrigienſi Codice 253. *Teſtamentum XII. Patriarcharum*, quod ex Hebræo dicitur in Græcam linguam translatum *à Joanne Chryſoſtomo*, ſed pro Græcorum recentium more cum illo actum eſſe reor, qui Opera recentiora ceu antiqua ſpecioſis Sanctorum Patrum nominibus ac mendacibus inſcribere ſolent, ut poſteros decipiant, quibus fidem omnem Critici prudentes denegant.

Commentariorum in Johannis Evangelium, Homilia LXXXVII. quas teſte Nicephoro Calliſto, uti & priores in Matthæum, Antiochiæ adhuc Presbyter ſcripſit. Habet Savilius Tomo 2. pag. 555. de quibus in notis ad Tom. 2. col. 183. Commentarios hoſce in Johannem, tanquam melioris notæ, Suidas cum Libris *de Sacerdotio* componit. Quam recte, res ipſa docebit, & diligens utriusque ſcripti lectio. Porrò harum in Johannem Homiliarum ſex & quadraginta priores edimus ex fide Codicis manuſcripti in Collegio Magdalenenſi Oxonii, cum editione tamen Heidelbergenſi vulgata collati & emendati. Poſteriores ex fide vulgatæ editionis caſtigatæ & emendatæ ex manuſcripto in Bibliotheca Regia Lutetiæ: adhibitis etiam, prout res tulit, paſſim noſtris & amicorum noſtrorum conjecturis.

CAPVT VNDECIMVM.

TOMI NONVS, DECIMVS ET VNDECIMVS OPERVM S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI EXAMINANTVR.

Tomus nonus editionis Ducæanæ Pariſienſis Græco Latinæ, complectitur Opera duo, *Homilias LV. in Acta Apoſtolorum* & *Homilias XXXII. in Epiſtolam Pauli ad Romanos.* Horum primum habet Savilius Tomo 4. pag. 607. de quo in notis ad Tomum 4. col. 623. his verbis.

De auctore harum in Acta Homiliarum, magnam eſſe inter doctos video controverſiam. Eraſmus in Epiſtola quadam ad Tonſtallum, magnum ſuo tempore ornamentum Angliæ, in volumine Floridarum, inquit: *Ex Chryſoſtomo in Acta vertenda Homilias tres, cujus opera me poenituit, cum nihil hic viderem Chryſoſtomi: tuo tamen hortatu recepi codicem in manu, ſed nihil unquam legi indoctius. Ebrius ac ſtertens ſcriberem melius, habet frigidos ſenſiculos, nec eos ſatis commode poteſt explicare.* Hæc ille ſeveritate plusquam cenſoria uſus. Idem tamen in præfatione huic libro a ſe latine verſo præfixa, haud paulo mitius, *ſubdubitare ſe, quod ſtylus haberet conciſum quiddam & abruptum, id quod a phraſi Chryſoſtomi videbitur alienum: ſi docti tamen* (inquit) *cenſebunt opus Chryſoſtomo dignum, ſe lubenter hoc quidquid eſt ſuſpicionis poſiturum*: quam tamen haud temere concepiſſe ſibi viſus eſt. Atque ut Eraſmi ſuſpicionem augeam, addo perplexa & involuta hic reperiri plurima, pleraque aſpera & ſalebroſa, ὑποσόλοικα multa, ab alio argumento in aliud ſaltum potius quam tranſitum, textum bis percurſum magis quam explicatum, ſolennem illam cantilenam, ἴδωμεν δ' ἄνωθεν τὰ εἰρημένα, vel τὰ εἰνεγνωσμένα, ſexcenties ad nauſeam usque inculcatam. In ſumma, deſtituta omnia iis luminibus, iis Orationis ornamentis, quibus diſertiſſimus vir *Chryſoſtomi* nomen apud poſteritatem invenerit. Tantum abeſt ut Jacobo Billio aſſentiar, qui ſive odio Eraſmi ſtimulatus, ſeu quo alio partium ſtudio abreptus, *Græco codice aut nihil fingi poſſe elegantius, nihil quod Chryſoſtomi phraſim melius referat.* Quando rectius doctiſſimus vir Flaminius Nobilius inquit: *Omnino hi Commentarii in Acta parum explere animum lectori poſſunt, ſcatent enim mendis, ſuntque ex variis ut puto librariorum ſcriptis, omnia Chryſoſtomi ſententiae quoquo potuerunt modo excipientium, male coagmentati.* His accedat Photii auctoritas, qui in Bibliotheca Cod. 172. Chryſoſtomum quidem in Acta commentatum eſſe prodit, ſed Homilias non plures quinquaginta numerat, easque multo elegantius ſcriptas cenſet, quam ſunt illæ in Geneſim? ἡλαττῶσθαι δ' ὁ λόγος (ſcilicet phraſis homiliarum in Geneſim) τῆς ἐν ταῖς πράξεσι Φράσεως, ἐπὶ τὸ τεπαινότερον ἀπενηνεγμένη: quod aperte, ut mihi quidem videtur, ſi de hiſce accipias, ſecus eſt. Atque hæc fere ſunt, quæ in eam partem afferantur. Quæ tamen omnia eam vim non habent, ut mihi vel tantillum perſuadeant γνήσιον hunc fœtum, etſi minus fortaſſe αἰρέσιον, à γνησίῳ patre abjudicare. Ac primo ramenta quædam paſſim apparent, quæ nonniſi ab aurea illa vena manare potuerunt. At multa ſunt, inquis, plumbea. Reſpondeo, proclivius eſſe χρυσοῤῥήμονι noſtro, alicubi humi repere, adeoque jacere, quam alii ad ejus altitudinem aſſurgere: ut propter aliqua admirabiliter ſcripta, malim Chryſoſtomum inſcribere auctorem, quam alium propter nonnulla humilius. Deinde quis neſcit, non eosdem eſſe omneis omni tempore? Aliter eloquentiæ Latinæ princeps dixit adoleſcens, aliter jam Conſularis; Et de Chryſoſtomo noſtro vere Photius, ipſum Antiochiæ ſemotum a publicis curis, multo accuratius limatiusque ſcripſiſſe: quam eundem Conſtantinopoli ἀφχιεπισκοπῶντα: in quod tempus, hæc quæ in manibus habemus,

incidisse luce clarius est. De numero apud Photium homiliarum, respondeo idem objici posse de Homiliis in Genesim, quæ sine dubio germanæ sunt, & non plures Photio una & sexaginta: cum tamen omneis nostri Codices, septem & sexaginta præferant: ut vel Photium hic & ibi memoria lapsum esse necesse sit, vel in Codices incidisse minus integros, vel oscitantes librarios hic pro ν', facili lapsu scripsisse ϛ'. Has enim esse quas in manibus terimus, non alias in Acta homilias a Photio intelligi, verba ipsius aperte declarant. αἱ γὰρ εἰς τὰς πράξεις ὁμιλίαι πεντήκοντα μέν εἰσι, χεδὸν δὲ δι' ὅλου αὐτῷ τῷ ἐνιαυτῷ ἐρρήθησαν. ἢ γὰρ καθ' ἡμέραν τούτας, ἀλλὰ καὶ ὑπὲρ πέντε (malim τρεῖς: respexit enim ad locum in Homilia 44. διὰ τριῶν σχεδὸν ἡμερῶν ἢ ἐπὶ τοῦτο ποιοῦντες) καὶ ὑπὲρ ἑπτὰ καὶ πλείω καθωμίλει: nam de diebus loquitur, ὃς ὅλον αὐτὸς ποιεῖ, ὅτι ἀρχιερατεύων κατὰ τὸ τρίτον ἔτος ὡμίλησε. Locus ad quem respexit Photius, est in Homilia 44. pag. 856. lin. 39. ubi arrepta occasione ex Pauli verbis, μνημονεύοντες ὅτι τριετίαν νύκτα καὶ ἡμέραν οὐκ ἐπαυσάμην Actorum 20, Chrysostomus de se, ἰδοὺ τῇ χάριτι τοῦ θεοῦ καὶ ἡμεῖς λοιπὸν τριετίαν ἔχομεν. Atque ut non alium esse hujus libri auctorem, quam Johannem nostrum, liquidius appareat, hæc pauca adjecisse non abs re fuerit. Omitto multas loquendi formulas huic nostro peculiares, interrogatiunculas, dialogismos, digressiones moraleis, leges contra juramenta latas, Sixto Senensi atque ipsi Erasmo notata. Quod in Homilia 1. invehitur in eos qui baptismum reiiciunt usque ad extremas ἀναπνοάς: quod in Homilia 30. legem statuit in eos, qui Episcopo concionanti plausus cient: quod contra Platonem & Philosophos toties ac tam vehementer disputat: an non satis indicant antiquum esse Scriptorem, qui in vitia multis jam inde seculis antiquata tam acriter invehatur? Quid quod Homilia 2. ἀκούσατέ ποτε πατέρων τῶν ἡμετέρων, inquit, λεγόντων, ὅτι κατὰ τὸν διωγμὸν τὸν παλαιὸν, ἦν ἰδεῖν ὄντας χρυσιανοὺς ἄνδρας &c. ex quibus apparet hujus libri auctorem, statim post tempora persecutionis vixisse, qui hæc a patribus suis audire potuerit. Quid quod Homilia 22. legitur, σπεῖρα, ὃ καλοῦμεν νῦν νάμερον? & quod Homilia 46. ὃ παρ' ἡμῖν λέγουσι κατὰ τὴν Ῥωμαϊκὴν συνήθειαν, ἐν τοῖς σίγνοις αὐτὸν ἔβαλε, nonne satis hæc per se antiquitatem produnt? Sed quid conjecturas consector, cum ipse aperte Homilia 41. Juliano contemporaneum se profiteatur? Locus est pag. 839. lin. 7. ἰδοὺ γὰρ ἐπὶ τῶν καιρῶν τῶν ἡμετέρων τὰ κατὰ τὸν Μακάριον βαβύλαν γέγονε, τὰ κατὰ τὰ Ἱεροσόλυμα, τὰ κατὰ τὴν παβαίρεσιν τῶν ἱερῶν: quorum duo priora sub Juliano contigerunt, tertium sub Theodosio. Jam illud Homiliæ 38. de libro magico invento in flumine, cum adhuc μεγάλων esset Chrysostomus, recte Cardinalis Baronius ut opinor, ad tempora Valentis refert. Ex his liquet scriptorem fuisse temporum illorum æqualem. Sed & Episcopum fuisse satis constabit. Homilia 3. loquitur de seipso, ut Episcopo. Homilia 9. aperte seipsum Episcopum vocat, ἀλλὰ σύ, φησιν, ἄρχων εἶ καὶ ἐπίσκοπος. Homilia 8. de seipso loquitur ut Episcopo, in civitate βασιλευούσῃ: quod nomen præterquam Romæ & Constantinopoli, nulli alii conveniebat civitati. Imo περὶ τῆς ἑαυτοῦ καθαιρέσεως, suspicioseque de sua expulsione quædam aspergens: qualia sunt pag. 655. lin. 24. ἢ καθέλετέ με τούτης τῆς ἀρχῆς, ἢ μένοντά με μὴ περιβάλλεσθε κινδύνους. Et pag. sequente lin. 12. ἕως οὖν ἐν τῷ θρόνῳ καθέζωμαι τούτῳ, οὐδὲν πρόσεστι τῶν αὐτοῦ δικαιωμάτων. ἂν μέ τις καταβιβάσῃ, λοιπὸν ἀνένθυνός εἰμι. Et Homilia 11. loquitur, ut in civitate, quæ præter Judæos & Gentiles, plusquam centum millia Christianorum habeat. Homilia 42. pag. 848. lin. 12. ἰδοὺ ἤλιξη πόλις ἡμῶν ἐστιν ἡ μεγάλη αὕτη. Et quod nusquam, ut opinor, alibi in ejus Operibus reperitur, Homilia 52. pag. 901. lin. 40. nomen suum directe ponit: εἰμὶ τῷ μακαρίῳ μὲν ἐκείνῳ (Ἰωάννῃ) ὁμώνυμος· ὁ μὲν οὐρανόμυος· οὐκ εἰμὶ Ἰωάννης, ἀλλὰ καλοῦμαι. Postremo accedunt & veterum Scriptorum de hujus libri auctore testimonia. De Photio supra diximus. Damascenus Lib. 3. *de fide Orthodoxa* cap. 15. locum citat ex Homilia 2. in Acta, qui tamen auctoris an librarii lapsu, non in 2. Homilia reperitur, sed in 1. pag. 610. lin. 18. Deinde Catenarum Scriptores, Nicetas, Oecumenius &c. non ex aliis, quam ex hoc horto depromptis floseulis, suas contexuere corollas: ut jam stultum sit deinceps, ut mihi quidem videtur, de hujus libri auctore dubitare.

Harum editionem Homiliarum in Acta continuavimus Lector, ex tribus Codicibus: uno manuscripto in Bibliotheca Collegii Novi Oxonii, altero itidem manuscripto, quem mihi insigni sua humanitate & in bonas literas amore, communicavit, magnum seculi hujus ornamentum, Jacobus Augustus Thuanus: tertio non ita pridem in Germania excuso. Ex his quantum licuit, in codice & a librariis negligenter descripto, & duas jam inde ab antiquis temporibus (ut mihi quidem videtur veteres libros inspicienti) ἐκδόσεις sortito, & ab ipso auctore, ut minimum dicam, non adeo accurate limato, præstitimus quod potuimus. Errores certe infinitos codicis excusi sustulimus, aut incommodius dicta, ex libris mutavimus in melius: nam conjecturas omneis rejecimus fere in notas. Neque tamen subsidium aspernati sumus a Catenis Græcorum patrum, & ab Interprete, quem codicem habuisse ab his tribus diversum, plusquam probabile est. Hæc erudita Savilius etsi prolixa, post quæ sequuntur col. 627. notæ Andreæ Donnæi in Homilias ad Acta Apostolorum, ad col. 704.

Homiliæ XXXII. in epistolam Pauli ad Romanos. Habet Savilius Tomo 3. pag. 1. quarum meminit in notis ad Tomum 3. col. 225. Sermones Chrysostomi in Epistolas Pauli ante fere nona-

git-

ginta ediderunt Græce Veronenſes anno 1532. in fol. quæ Latine a Wolfgango Muſculo verſæ Baſileæ 1536. in folio, atque iterum Græce & Latine nuper admodum Heidelbergæ 1596. Hieronymus Commelinus. Illi quod potuerunt præſtiterunt, præter interpunctionum vitia: quod non potuerunt ex unico eoque ἡμιξεῴτῳ codice, quod viros bonos decuit, ingenue confeſſi ſunt. Heidelbergenſes cum ſcriptos codices tam Auguſtanæ quam Palatinæ Bibliothecæ magnificis titulis præ ſe ferrent, & quidem haberent ad manum, caſtigatis ex Manuſcriptis levi manu Homiliis tredecim prioribus ad Romanos, quo fucum lectori facerent, usque ad illa verba, ἵνα οἱ ζῶντες μηκέτι ἑαυτοῖς ζῶσι: quæ reperiuntur Homilia 14. pag. 113. lin. 7. editionis noſtræ, in cætero opere usque ad finem Epiſtolarum, nullo ut videtur adito libro, nullo inſpecto, Veronenſium errores novis de ſuo erroribus auctos & accumulatos, pro nova ſcilicet & emendata editione nobis obtruſerunt. Nos hac tertia editione quantum præſtiterimus, lectori liberum permittimus judicium. Codices certe manuſcriptos in Bibliothecis illuſtrioribus Galliæ, Germaniæ quæ adivimus, & omnibus hinc inde decerptis, expenſis, allectis lectionum varietatibus, editionem concinnavimus, quantum potuimus, emendatiſſimam. Ac ne longe abeamus, hanc in Epiſtolam ad Romanos ex Regio Codice caſtigatam damus. Porro notas omneis proxime ſequentes, paucis exceptis, quas diverſis characteribus exoudi juſſimus, debere ſe ſciat lector eruditiſſimo Andreæ Dounæo, Græcarum literarum in Vniverſitate Cantabrigienſi Profeſſori Regio, qui in his Chryſoſtomi in Epiſtolas Pauli Homiliis recenſendis, mihi, tibique Lector, egregiam operam navavit.

Cæterum de loco, ubi ſcriptæ vel dictæ ſint hæ in Beatum Apoſtolum a Johanne noſtro elaboratæ Expoſitiones & Homiliæ, a doctis video in varias itum eſſe ſententias. Andreas Dounæus in notis ſuis doctiſſimis ad eum locum Chryſoſtomi, qui reperitur Tomo 4. pag. 126. lin. 13. προσέκρουσε τῷ ποτε κρατοῦντι ἡ πόλις ἡμετέρα &c. omnia hæc in B. Paulum Antiochiæ ſcripta eſſe videtur aſſerere: cum tamen de illis ipſis in Epiſtolam ad Coloſſenſes, certiſſimum ſit ſcriptas fuiſſe vel habitas Conſtantinopoli, ut ex ſequentibus liquebit. Contra βιογράφοι, qui bellam nobis excogitarunt fabulam illam, de Paulo in aurem dictante noſtro Johanni, quæ ſcriberet: eamque rem Proclo qui tum Chryſoſtomo miniſtrabat, & poſtea in Epiſcopatu ſucceſſit, per rimas viſam: cuncta iſta Conſtantinopoli vindicare videntur. Neutri, ut opinor, vere; rectiſſime Photius in *Bibliotheca* Codice 172. qui mediam ſecat viam his verbis: ἀλλὰ τὰς μὲν εἰς τὸν ἀπόστολον (συγγραφὰς) ἔστιν ἐξ αὐτῶν ἐκείνων ἐπιγνῶναι, ποῖαί τε αὐτῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ διατρίβοντι ἐξεπονήθησαν, (αἱ πᾶσαι μᾶλλον διαπρεψάντων) καὶ ποῖαι ἀρχιεπισκοπεύοντι ἐποιήθησαν. Ex quibus verbis, quamvis nec ibi, nec usquam, quod ſciam, ab ipſo diſerte exprimatur, quo quæque loco ſcripta fuerint: hoc tamen habemus Antiochenorum & Conſtantinopolitanorum κριτήριον, nimirum τὴν ἀκρίβειαν. Quo tamen κριτηρίῳ certius habemus aliud & minus fallax in nonnullis, verba ipſius auctoris. Vbi autem hoc deſtituemur ſubſidio, neque enim in omnibus illud ex verbis Chryſoſtomi apparet: confugiendum erit ad prius illud τῆς ἀκριβείας κριτήριον, hoc eſt, res probabilibus conjecturis expendenda erit. Ac ne longe abeamus, de priore ad Corinthios expreſſum habemus teſtimonium ex ipſis Chryſoſtomi verbis, ſcriptas fuiſſe Antiochiæ homilias illas. Locus eſt Homilia 21. pag. 379. lin. 7. Καὶ πῦτα ἐν Ἀντιοχείᾳ, ἐν ᾗ πρῶτον ἐχρημάτισαν χριστιανοί. Et quidem Photii κριτήριον huic ſcripto belle convenit, cum nihil ſit uspiam ab Johanne noſtro illis Sermonibus ſcriptum accuratius, nihil limatius. De Sermonibus in Epiſtolam ad Titum, plusquam probabile eſt, fuiſſe itidem Antiochiæ habitos. Sic enim loquitur Homilia 3. pag. 392. lin. 43. τί ἂν εἴποι τις περὶ τῶν εἰς τόπους ἀπερχομένων ἐκείνους (ſcilicet Ἰουδαίους) ἀφιερωμένους; τὸν ἐν Δάφνῃ λέγω, τὸ τῆς Ματρώνης λεγόμενον σκήλαιον; Eſt autem Daphne, illud notiſſimum Antiochenum ſuburbanum. Jam de Sermonibus in Epiſtolam ad Coloſſenſes, quidquid doctiſſimus Dounæus dicat, certum eſt Conſtantinopoli ab eodem jam Epiſcopo ſcriptos fuiſſe: id quod ex multis locis ad finem ethici 3. luce clarius appareret, pag. 107. lin. 14. μὴ γὰρ ἐγὼ δίδωμι τὴν εἰρήνην; atqui ſupra lin. 2. hoc proprium eſſe τοῦ ἐφεστῶτος τῆς ἐκκλησίας dixerat. Aut ſi Presbyter dici poteſt πρόεδρος τῆς ἐκκλησίας, quod non puto, in urbe potiſſimum Epiſcopalem ſedem habente: certe quod ſequitur lin. 41. ἵνα δ' ἂν ἐπὶ τὸ ἱερὸν τοῦτο καθήμενα &c. de Presbytero dici non poteſt. Et illud pag. 108. lin. 5. τοῦτο γὰρ ἐστὶ τὸ τῆς ἐπισκοπῆς ἄξιωμα, manifeſtiſſime convincit, verum eſſe quod de his in Epiſtolam ad Coloſſenſes Homiliis dicimus. In utramque etiam ad Theſſalonicenſes, Chryſoſtomi Homilias ajo Conſtantinopoli ſcriptas, dictasve. De priore Homilia 2. pag. 217. lin. 17. εἰ γὰρ ὑπεύθυνος ἐγενόμην τῆς πάντων ὑμῶν προστασίας &c. De poſteriore, Homilia 4. pag. 238. lin. 22. σὺ δ' ἀξιοῖς τὸν λαὸν ὑπὲρ τοῦ ἡγεμόνος παρακαλεῖν; & mox lin. 25. τοῦ κρατοῦντος, quæ nonniſi Epiſcopo convenire poſſunt. Sermone 4. in Epiſtolam ad Hebræos pag. 454. loquitur ut Epiſcopus, de iis agens, qui præficas ad planctum ciendum conducunt, inquiens lin. 30. πολὺν αὐτοὺς χεῖνον τῆς ἐκκλησίας ἀπείργει, ὡς τὸν εἰδωλολάτρην. & lin. 38. εἰ δὲ μὴ βούλεσθε, ἡμεῖς ἂν ἀνεχόμεθα ἤδη τοιαῦτα ἐλεήμονι ἐκκλησίᾳ ἐπεισαγαγεῖν. Quin & in ipſo titulo editi dicuntur Sermones illi in Epiſtolam ad Hebræos μετὰ τὴν κοίμησιν αὐτοῦ, ut verisimile ſit dictos fuiſſe extremis illius temporibus. De poſteriore

ſteriore ad Corinthios, ſubdubitare me cogit dictio, quam in proxime memoratis, paulo ἀκριβεστέρα: ſi tamen γνήσιον eſt illud Ethicon 26. quod inter doctos diſceptari video: verba certe illa paginæ 687. lin. 28. καὶ ἐντεῦθεν Κωνσταντῖνον τὸν μέγαν &c. Conſtantinopoli clare indicant. Atque hæc ſunt quæ ex ipſis Chryſoſtomi verbis, utcunque pro tempore, elicere potuimus. Ad reliqua adhibito Photii κειμηλίῳ, quod alterum nos, ſi recte obſervavi, dehinc deſtituerit: Homiliæ in Epiſtolam ad Romanos & Expoſitio ad Galatas, Antiochenis ob ornatum & elegantiam accenſendæ, διὰ τὴν ἀκρίβειαν: Homiliæ in Epiſtolas ad Epheſios, Philippenſes, utramque ad Timotheum & Philemonem, Conſtantinopolitanis, διὰ τὸ ἀυτὸ ἀυτοσχέδιον τῆς λέξεως. Atque hæc quidem nos ἀυτοσχεδιάζοντες, meliora monentem haud illibenter ſecuturi.

Tomo Decimo, *In Epiſtolam 1. Pauli ad Corinthios Homiliæ XLIV.* Habet Savilius Tomo 3. pag. 243. cujus meminit in notis ad Tomum 3. col. 253. In priore ad Corinthios, editionem Veronenſem anni 1532. ut Germanica 1596. minus depravatam, emendavimus ex manuſcripto optimæ notæ, in Bibliotheca Collegii Novi Oxonii. Cæterum hæ Orationes habitæ ſunt ſive ſcriptæ Antiochiæ, ut ex ipſius Chryſoſtomi verbis apparet pag. 379. lin. 7.

In Epiſtolam 2. ad Corinthios Homiliæ XXX. Habet Savilius Tomo 3. pag. 541. de qua in notis ad Tomum 3. col. 315. In ſecunda ad Corinthios editionem Veronenſem, quæ hic ſolito incorruptior, caſtigavimus ex MS. in Bibliotheca Medicæa Lutetiæ. Notæ ſunt pleræque doctiſſimi Dounæi, præter pauculas, quas aliis characteribus excudi juſſimus.

In Epiſtolam ad Galatas Commentarius perpetuus. Habet Savilius Tomo 3. pag. 709. de quo in notis ad Tomum 3. col. 363. In hoc Commentario in Epiſtolam ad Galatas editionem Veronenſem anni 1532. ex MS. in Bibliotheca Regia Lutetiæ emendavimus, adhibitis etiam ab Interprete, qui & ipſe alium codicem MS. habuit, noſtrisque & amicorum noſtrorum conjecturis: in quibus præcipua laus, ut in cæteris Epiſtolis, doctiſſimi Dounæi eruditiſſimis notis debetur, quæ hic ſequuntur, ad pag. ſeu columnam 390.

In Epiſtolam ad Epheſios Homiliæ XXIV. Habet Savilius Tomo 3. pag. 763. de quibus in notis ad Tomum 3. col. 391. Harum Homiliarum in Epiſtolam ad Epheſios editio adornata eſt ex Veronenſi excuſo, & MS. Auguſtano. De notis ſupra monuimus aliquoties, eſſe maximam partem ab Andrea Dounæo, additis ad finem ingenioſiſſimi Boiſii obſervationibus: neque tamen potuit omnium noſtrum induſtria, in libro tam mendoſo præſtare quod voluimus.

Tomo Vndecimo. *In Epiſtolam ad Philippenſes Homiliæ XV.* Habet Savilius Tomo 4. pag. 1. de quibus in notis ad Tomum 4. columna 459. In hiſce ſermonibus in Epiſtolam ad Philippenſes, editionem Veronenſem anni 1532. primum ex MS. Cæſareo emendavimus: neque eo contenti, cum videremus Flaminium Nobilium doctiſſimum interpretem aliis melioribus Romæ codicibus uſum, illuſtrium amicorum opera apographum ex optimæ notæ Vaticano deſcribendum curavimus, ex quo & multas explevimus lacunas, & integras non ſemel pagellas adjecimus. Notæ ſunt pleræque omnes, ut in cæteras Paulinas Epiſtolas, doctiſſimi Dounæi: præter paucas noſtras & Haleſii noſtri, quas diverſis characteribus excudi juſſimus. Neque tamen quod voluimus, plene aſſecuti ſumus. Nam ut Ethica hic demus eſſe bona, & tanto auctore digna, Commentarii certe mediocres ſunt, & ut plurimum, quales illi in Epiſtolam ad Epheſios, conciſi & ἀυτοσχεδιαζόντες, ut puto. Ac licet plurimum ex Vaticano Codice & ingenioſis Dounæi conjecturis acceſſerit auxilii, multa tamen paſſim librariorum vitio luxata, multa depravata emendanda ſuperſunt. Porro neque hoc neſciendum, argumentum Epiſtolæ, & ſermonem proxime ſequentem, olim ante multos annos edita eſſe Baſileæ Græce ab Eraſmo, & a nobis eorum in hac noſtra editione habitam eſſe rationem.

In Epiſtolam ad Coloſſenſes Homiliæ XII. Habet Savilius Tomo 4. pag. 89. quarum meminit in notis ad Tomum 4. col. 481. Johannis noſtri tractatus in Epiſtolam ad Coloſſenſes, utramque ad Theſſalonicenſes, utramque ad Timotheum, ad Titum & Philemonem, recenſuimus & caſtigavimus ex Manuſcripto Auguſtano, adjectis Dounæi notis.

In primam ad Theſſalonicenſes Homilia XI. Habet Savilius Tomo 4. pag. 161. cum notis Andreæ Dounæi ad calcem Tomi 8. col. 507.

In ſecundam ad Theſſalonicenſes Homilia V. Habet Savilius Tomo 4. pag. 221. cum notis Andreæ Dounæi ad calcem Tomi 8. col. 515.

In primam ad Timotheum Homiliæ XVIII. Habet Savilius Tomo 4. pag. 249. cum notis Andreæ Dounæi ad calcem Tomi 8. col. 517.

In ſecundam ad Timotheum Homilia X. Habet Savilius Tomo 4. pag. 329. cum notis Andreæ Dounæi ad calcem Tomi 8. col. 527.

In Epiſtolam ad Titum Homilia VI. Habet Savilius Tomo 4. p. 381. cum notis Andreæ Dounæi ad calcem Tomi 8. col. 535. de quibus ita Savilius. Harum Homiliarum editionem adornavimus Lector, ex Veronenſi anni 1532. excuſo, caſtigato ad manuſcriptum Oxonienſem, & aliquot in locis ad Auguſtanum.

In Epiſtolam ad Philemonem Homilia III. Habet Savilius Tomo 4. pag. 411. cum notis Andreæ Dounæi ad calcem Tomi 8. col. 547.

In Epiſtolam ad Hebræos Homiliæ XXXIV. Sive Ἑρμηνεία continua, ἐκτιθεῖσα (uti præ ſe fert titulus) ἀπὸ σημείων μετὰ τὴν κοίμησιν ἀυτῦ (Chryſoſtomi) παρὰ Κωνσταντίνῳ πρεσβυτέρῳ Ἀντο-

Digitized by Google

Ἀντιοχίας. Habet Savilius Tomo 4. pag. 427. cum notis Andreæ Dounæi ad calcem Tomi 8. col. 551. Sermones Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Hebræos fœdiſſime depravatos in vulgatis editionibus, nitori ſuo aliqua ex parte, neque enim omnia menda ex Codice mendoſiſſimo tollere potuimus, neque poſt nos fortaſſe quisquam alius: reſtituimus ex tribus ſcriptis Codicibus, duobus Auguſtanis, & tertio Crashavii noſtri, adhibito in conſilium plurimis in locis vetere Interprete, quem libros veteres cum primis bonos tractaſſe conſtat. Nuperum enim interpretem, qui ex editione Veronenſi, hoc eſt, Græcis non bonis Latina fecit peſſima, nihil moror. Et certe quisquis poſt hac futurus eſt, qui Chryſoſtomum Latine edere velit, ei cum primis auctor fuerim, ut illius veteris docti & diligentis viri verſionem ſequatur, ſpretis recentioris putiditatibus & ineptiis. Quem doctum admodum ac diligentem interpretem vocat Savilius, eſt *Mutianus Scholaſticus* circa annum 550. clarus, cujus verſio *Homiliarum XXXIV. Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Hebræos*, Coloniæ anno 1530. a Jacobo Gymnico excuſa eſt. Hanc enim interpretationem ſuo tempore & ſuo rogatu factam teſtatur his verbis in libro *Divinarum Lectionum* cap. 8. Marcus Aurelius Caſſiodorus. *Ad Hebræos Epiſtolam, quam ſanctus Johannes Conſtantinopolitanus Epiſcopus, triginta quatuor Homiliis Attico ſermone tractavit, Mutianum virum diſertiſſimum, transferre fecimus in Latinum.* Eſt vero notandum, *Commentarios in Epiſtolam ad Hebræos*, qui falſo Ambroſio tribuuntur, cujus etiam nomine ab Algero, Magiſtro Sententiarum, aliisque citantur, ex hiſce Chryſoſtomi Homiliis a Mutiano converſis, excerptos eſſe. Obſervationes, ut in cæteras Paulinas Epiſtolas, pleræque omnes doctiſſimi Dounæi ſunt, præter paucas, quæ diverſis characteribus excuſæ ſunt. Porro Conſtantinus, cujus opera hi Commentarii editi, videtur is eſſe, ad quem ſcriptæ ſunt Epiſtolæ 145. & 146. Tomo 7. pag. 171. & 172. Sic enim ibi legitur in pluribus Codicibus, Κωνσαντίῳ, non Κωνσαντίῳ. Atque ut quod ſentio dicam, mallem & hic legi Κωνσαντίῳ, & illic Κωνσαντίνῳ. Neque enim illarum Epiſtolarum circumſtantiæ conveniunt Conſtantio, qui tum Cucuſi cum Chryſoſtomo vixit: multoque probabilius eſt has Chryſoſtomi poſt mortem reliquias a Conſtantio, aſſidue Johannis noſtri comite, quam ab ullo alio edi potuiſſe. Ne quid tamen diſſimulem, is ad quem duæ illæ Epiſtolæ ſcriptæ ſunt, longe vero ſimilius videtur fuiſſe Presbyter Antiochenus, quam Conſtantius, cujus ſunt illæ quinque, ad finem Chryſoſtomicarum. Cæterum hic ſive Conſtantinus, ſive Conſtantius, ἀπὸ σημείων, hoc eſt, ut opinor, ex notis quibusdam & ſcribendi compendiis, quibus verba concionantis Chryſoſtomi ſubſecutus eſt, hoſce poſt ipſius mortem Sermones edidit. Hanc enim artem compendioſe per notas ſcribendi, illis temporibus fuiſſe in uſu, nemo doctorum neſcit: quod vel ipſa vox Notarii, pro exceptore actuario indicat. Si tamen per notas ab ore Chryſoſtomi, hæc a Presbytero Antiocheno excepta ſunt, quidni dicamus conciones haſce Antiochiæ habitas a Johanne Presbytero, & ante Epiſcopatum? Sed σοχασμῶν ἄλις. Singulas lectiones variantes obſervare non libuit. Hoc enim in tanta MSS. varietate egiſſe, nihil aliud erat, quam inutile tædium lectori parare, & variarum volumen ipſis pene par Commentariis exarare. Vbi lectionis varietas aliquam ſenſus varietatem efficeret, aut in margine, aut in notis obſervavi: ſin ſecus, judicio meo, ſi quod habeo judicium, uſus ſum, & ſcripturam eam quæ maxime placuit, repoſui.

CAPVT DVODECIMVM.

REGENSENTVR ILLA, QVÆ IN EDITIONE FRONTONIS DVCÆI GRÆCO-LATINA DESIDERATA, IN SAVILIANA GRÆCE HABENTVR.

HAbentur Tomo 1. editionis Græcæ Operum S. Johannis Chryſoſtomi, ſtudio & cura Savilii Etonæ in Anglia anno 1613. procuratæ, *Expoſitio in Pſalmos 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. & 107. pag. 925.* & ſequentibus, atque *Expoſitio in primam, ſecundam & tertiam ſtationem Pſalmi 118.* pag. 978. & ſequentibus, quas omiſit in ſua editione Fronto Ducæus, monuitque decerptas eſſe maximam partem ex Theodoreti in Pſalmos Commentariis. Sed longe plura vel dubia vel ſuppoſititia, Tomus Savilii V. VI. & VII. continentur de quibus hic paucis agendum, licet in editione Ducæi GræcoLatina Pariſienſi non reperiantur.

Tomo quinto.

In proditionem Judæ & in Paſcha & in traditionem Myſteriorum &c. pag. 547. nec eadem prorſus eſt cum illa ejusdem argumenti quæ habetur Tomo V. editionis Morellianæ, nec diverſa prorſus: licet tam multæ habeat communia, ut propemodum eadem Oratio eſſe videatur.

In crucem & confeſſionem Latronis ac de ſecundo Chriſti adventu pag. 567. quam cum alia ejusdem fere rationis ex παραλλήλῳ excudi Savilius curavit, ut ſupra 79. & 80. & ob easdem cauſas. Eſt autem hæc 82. deſcripta ex libro MS. Bibliothecæ Regiæ Lutetiæ, caſtigata ex MS. ſemimutilato in Bibliotheca Bavarica, quam agnoſcit Catalogus Auguſtanus num. 97. cum hoc titulo, Τῇ μεγάλῃ παρασκευῇ.

In Publicanum & Phariſæum, & de humilitate & Oratione pag. 261. Ἀπάνθισμα eſt ex Oratione V. adverſus Anomœos *de incomprehenſibili*, de qua vide Tomum 6. Savilianæ editionis pag. 422. lin. 84. De illa in notis ad Tomum 5. col. 727. ita Savilius. Omitti potuit hæc Oratio, imo debuit: eſt enim ex quinta Oratione περὶ ἀκαταλήπτου

ταλήπ]α decerpta particula. Vide Tomum 6. pag. 421. 34. Fraudi nobis fuit, non tam editio 1554. Parisiensis, quam manuscriptus Palatinus, ubi etiam pro integra Oratione reperiri scias.

Quod non oporteat usque ad finem confidere, eum qui stat: neque spem sui abjicere, qui ceciderit. pag. 251. De ea doctissimus Savilius in notis ad Tomum 5. col. 731. quem monuit clariss. Theodorus Canterus hanc Homiliam iisdem verbis legi Homilia 26. in Matthæum, quæ Tomo 2. pag. 185. lin. 26. editionis Savilii.

De theatris non frequentandis Sermo pag. 39. cujus meminit Savilius in notis ad Tomum 5. col. 716. his verbis. Orationis hujus præfationem, Chrysostomi esse res ipsa dicit. Est enim sumpta tota ad verbum ex Oratione tertia in Davidem & Saul, quam vide pag. 89. Ipsa vero Oratio Chrysostomi non est, quamvis per omnes Bibliothecas pene sub ejus nomine descripta reperiatur. Nec enim stylus tumidum quiddam & inflatum sonans, nec inventionis ratio frigida satis & inepta, Chrysostomum omnino refert. Longissimus in periochis, audacissimus in metaphoris, quæ debent esse verecundæ, quisquis eam habuit; & humano capiti cervicem plane equinam junxit, quicunque proœmium hoc Operi suo præposuit. Itaque poterat rectius inter ἀμφιβαλλόμενα rejici, aut etiam ad νοθευόμενα detrudi. Hic enim per errorem locum inter γνησίας occupavit. Eam vero qualis est, ex bibliotheca Collegii Novi Oxonii descriptam, emendavimus ex MS. membranaceo in Bibliotheca Palatina. Adjectæ sunt etiam castigationes post excusam editionem, ex libro MS. Constantinopolitano, qui litera C signatur.

Quomodo Adam acceperit animam, & de Passione Christi, pag. 648.

Protheoria in Psalmos pag. 676. de qua Savilius in notis ad Tomum 5. col. 744. Hæc Homilia magnam partem, nisi quod aliquanto plenior est, convenit cum ea quam Latine leginus Tomo 1. col. 583. edit. Parisiensis 1588. quam Sixtus Senensis ut γνησίαν probavit. Quam recte, ipsa viderit. Hanc certe quam in manibus habemus, mutilator aliquis e Chrysostomi locis ethicis excerpsit. Propemodum enim omnia habentur in Hom. 28. in Epistolam ad Romanos. Hujus generis sunt etiam Oratio 120. *In secundum adventum Domini nostri Jesu Christi* pag. 782. & 123. *In illud, sponte peccantibus nobis post acceptam cognitionem veritatis &c.* pag. 807. quas in ἀμφιβαλλομένοις numeramus: non quod Chrysostomi non sint, nam quidquid in illis est, apud Chrysostomum sparsim habetur: sed quia a rapsodo aliquo hanc in formam digestæ sunt. Locum suum habere debebant in ἀπαυθίσμασι, in quibus Orationes bene multas istis ἀδελφὰς habes. Sed cum hæc ageremus, consilium de ἀπαυθίσμασιν ea qua nunc ratione disponuntur ordinandis, nondum in mentem venerat.

In illud Psalmi 92. v. 1. Dominus regnavit, exultet terra &c. quam Severiani Gabalorum Episcopi esse censet Halesius. Habet Savilius Tom. 5. p. 680. de qua in notis ad Tomum 5. col. 744. Hujus Orationis Apographum ex Bibliotheca Regia Lutetiæ exscriptum, ex alio codice in eadem Bibliotheca, aliquammultis in locis emendavi: ita tamen ut plura emendanda supersint, quorum aliquot asteriscis in margine editionis signavimus.

Expositio in Orationem Dominicam, pag. 707.

In prodigum filium, & de pœnitentia, & in arborem scientiæ boni & mali, & in latronem, pag. 720.

In mulieres quæ unguenta attulerunt, & quod nulla discrepantia nec pugna inter Evangelistas circa resurrectionem Domini nostri Jesu Christi reperiatur. pag. 740.

In illum textum Evangelii Joannis 7. v. 15. Quomodo novit literas, cum non didicerit? Et in verba Salvatoris Matth. 24. v. 36. Quod nemo novit diem illum. pag. 752. cujus meminit in notis ad Tomum 5. col. 747. Oratio misere corrupta, in quibus loca plurima, deplorata sane, satis habeat lector si tantum indicemus, & iis relinquamus, qui aliquid possunt amplius, aut ingenio aut Codicibus.

In Chananæam & in Pharaonem, & in illud Apostoli ad Romanos 9. v. 16. Non est volentis neque currentis, sed miserentis est Dei, pag. 771. cujus meminit Savilius in notis ad Tomum 5. col. 748. Hanc Orationem ex fide MS. codicis in bibliotheca Collegii Novi Oxonii damus, neque aliud præterea suppetebat exemplar, quo fit ut plura emendanda supersint. Et dogmata & doctrinam agnosco Chrysostomica, sed in stylo disparitas magna est, itaque inter ἀμφιβαλλόμενα relinquo. Oratio (inquit Halesius) perelegans certe, & quæ disparitatem styli, ingenii & doctrinæ paritate, compenset.

In textum Apostoli ad Romanos 7. v. 19. Non quod volo bonum, hoc ago: sed quod odi malum, hoc facio. Et quomodo Jacob fuerit typus Christi, & in Orationis proœmio contra eos qui ad spectacula accedunt. pag. 789. de qua Savilius in notis ad Tomum 5. col. 749. Allegoriis plenior Oratio, quam pro more χρυσορρήμονος nostri. Cæterum aut ipsius esse judico, aut alicujus ex antiquis Patribus. Loca aliquot, ut in unico exemplari, mendosa vel de mendo suspecta subjecimus, ut studiosi ea facilius ex aliis codicibus corrigant.

In illud Apostoli ad Hebræos 10. v. 26. Sponte peccantibus nobis post acceptam cognitionem veritatis &c. & quomodo ad Christi Sacramenta accedere oporteat. pag. 807. de qua in notis ad Tomum 5. col. 750. Apanthisina consarcinatum ex homil. 20. 15. & 14. in Epistolam ad Hebræos, aliisque locis ethicis Chrysostomi. Variantem lectionem notare tanti visum non est, quia fortassis mutilatori non placuit, verba Chrysostomi religiose ubique observare: si quid lectori suspectum

dum ſit, facile ipſi erit remedia ab ipſis fontibus petere.

In principium Indictionis, pag. 815. Orationes II. quarum meminit Savilius in notis ad Tomum 5. col. 750.

In pretioſam & vivificam crucem, & in illud Matth. 11. v. 3. Tu es qui venturus es, an alium expectabimus? Et in cæcum & mutum, & in textum Prophetæ Abacuc, Domine audivi auditionem tuam & timui. pag. 898. de qua Savilius in notis ad Tomum 5. col. 754. quam Cavus eſſe Joſephi Theſſalonicenſis Archiepiſcopi obſervat.

In Adorationem pretioſæ & vivificæ crucis, mediæ hebdomadæ jejuniorum. p. 877.

In ſanctum Thomam Apoſtolum, pag. 837. cujus ita meminit Savilius in notis ad Tomum 5. col. 751. In tractatu hoc amplificationes & dialogismi magis tument quam pro more Johannis noſtri. Huic Orationi conſimilem habes Tomo 7. pag. 575. ex Oriente allatam, ita tamen in multis diſſimilem, ut pro plane diverſa imprimere non piguerit.

In Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti, & quod unicuique climati præſint Angeli, pag. 851. cujus mentionem facit Photius in Biblioth. Cod. 277. unde prolixa excerpta refert. Chryſoſtomi tamen non eſſe, ſtylus humilis abunde evincit legenti hanc Orationem cuilibet.

In ſanctum Stephanum Protomartyrem, p. 871.

In mediam hebdomadam jejuniorum, p. 876.

In Feſtum Palmarum, p. 882.

In ſanctam Virginem & Deiparam Mariam, Orationes II. paginis 887. & 889.

In proditionem Salvatoris, p. 893.

In die ſanctæ & magnæ Paraſceves, in pretioſam & vivificam crucem, p. 906.

In latronem & proditionem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, pag. 910. cujus meminit in notis ad Tomum 5. Savilius col. 755. Hæc Oratio ut nos edidimus, certe tolerabilis. At Romæ impreſſa a Zaneto ex MS. Alani Copi, tum principio caret, incipit enim ab illis verbis p. 911. lin. 11. ὁ τῶν ξένων &c. tum poſt illa verba pag. 912. lin. 22. σήμερον μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ, concluſio futiliſſima attexitur, quam cum aliis in Codicibus, Orationi LXXI. νοθευομένην Tomo 7. attextam deprehenderemus, ibi imprimendam curavimus. Hanc cum videre voles lector, adi pag. 460. lin. 10. ὅτε ἦν εἶδεν ὁ διάβολος &c. usque ad finem Orationis.

In ſalutiferam ſepulturam & triduanam reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, in magno Sabbato dicta, pag. 912. de qua Savilius in notis ad Tomum 5. col. 755. Hanc Orationem concionator aliquis excerpſit ex Homilia 89. in Matthæum. Nam ab illis verbis pag. 912. lin. 44. τῇ δ' ἐπαύριον, usque ad illa p. 915. lin. 23. εἴδετε πῶς διὰ πάντων &c. omnia conveniunt: etiam quæ ſequuntur usque ad finem, alicubi (inquit Halelius meus) apud Chryſoſtomum habentur, licet locus non occurrat. Nec enim fieri poteſt, præſertim in opere tam longo varioque, ut omnium meminerimus.

Oratio Catechetica in ſanctum Paſcha, p. 916.

In Paſcha Orationes ſeptem CXLIX. CL. CLI. CLII. CLIII. CLIV. CLV. pag. 917. Meminit Savilius Orationis CLI. & quatuor ſequentium, in notis ad Tomum 5. col. 755. his verbis. Hanc Orationem & quatuor ſequentes ex codice mendoſiſſimo Gabrielis Archiepiſcopi Philadelphiæ, deſcriptas Venetiis damus, multis in locis mutilatas. Quatuor priores, allegorias fere continent in Exodi cap. 12. ultima tota Syllogiſtica eſt, & ad conſtituendum cyclum Paſchalem pertinet: ex qua fortaſſe non difficile fuerit de auctore ſtatuere, quando vixerit.

In Pentecoſten Orationes duæ, vel tres, nimirum CLXIII. CLXIV. CLXV. pag. 976.

In Synaxim Archangelorum pag. 997. cujus Savilius meminit in notis ad Tomum 5. col. 760. advertens hujus Orationis apographum ex Bibliotheca Palatina eſſe deſcriptum, nec aliud ſuppetiviſſe exemplar, quo corrigeretur.

Tomo ſexto.

De perfecta charitate, & retributione operum ſecundum meritum & de compunctione pag. 742. cujus meminit in notis ad Tomum 6. Savilius col. 815. his verbis. Homilia melioris notæ eſt, & Chryſoſtomo digna, quamvis in Catalogo Auguſtano minime reperiatur. Deſcripſimus eam ex optimo manuſcripto Auguſtano, neque aliud præterea ſuppetebat exemplar. Porro illud monendum duximus, multa reperiri in Homilia 8. in primam ad Theſſalonicenſes, affinia his quæ hac in Oratione habentur, tam verbis quam ſenſu. Neque tamen apanthiſma eſſe puto, ſed eundem de iisdem rebus eodem pene modo diviſſe, diverſis temporibus. Verum ſententiam mutavit Savilius, nam in Catalogo quem toti editioni præmiſit, inquit, *Hujus Orationis multas particulas alibi apud Chryſoſtomum reperiri, ut fortaſſe inter apanthiſmata numerari poſſit.*

De Pœnitentia Oratio p. 804. quæ illic octava *de pœnitentia* numeratur, cujus Savilius meminit in notis ad Tom. 6. col. 819. quamque LXXXIV. dicti Tomi enumerat, dicitque *Orationem ex MS. Cæſareo miſeris modis, quod dolendum eſt, truncato deſcriptam, doctiſſimi Alleni conjecturis emendationem multis in locis factam.*

De Eleemoſyna Orationes II. pag. 811. quarum meminit Savilius in notis ad Tomum 6. col. 819. Prima quæ LXXXV. numeratur, deſcripta ex Bibliotheca Regia Lutetiæ, & caſtigata ex alio MS. in Bibliotheca Cæſarea Viennæ. Secunda quæ LXXXVI. ex Bibliotheca quoque Regia Lutetiæ deſcripta, & emendata auctaque ex MS. multo pleniore in Bibliotheca Auguſtana, habita Antiochiæ, & quam Catalogus Auguſtanus agnoſcit, numero 47.

De jejunio Orationes II. pag. 824. quarum me-

minit Savilius in notis ad Tomum 6. col. 819. Prima quæ LXXXVII. numeratur, quam germanam agnoscit Savilius his verbis: Hanc Orationem ex Bibliotheca Regia Lutetiæ descriptam emendavimus ex MS. Palatino. Habita est Antiochiæ, estque melioris notæ, quam agnoscit Catalogus Augustanus num. 95. Secunda quæ LXXXVIII. de qua in notis col. 820. Descripta est hæc Oratio ex MS. Regio Lutetiæ, ex quo ut opinor fonte, etiam Fronto Ducæus eam hausit. Hæ duæ Orationes *de jejunio γνήσιαι* videntur cum tertia quæ XCIX. numeratur, extatque ibidem pag. 883. quam Orationem descriptam ex MS. Bavarico castigavit Savilius ex MS. Cæsareo Viennæ, & editione Ducæi, ut habet in notis ad Tomum 6. col. 828. Sed duæ sequentes quæ C. & CI. numerantur, *ἀπαθίσματα* potius aut aliarum Orationum fragmenta ethica, quam Orationes quædam Chrysostomi videri queant.

Quod anima medicina medicina corporis anteponenda sit, pag. 893. cum altera quæ sequitur, *Quod Sacerdotibus non oporteat exprobrare, quod in abundantia vivant &c.* pag. 896. fragmenta sunt aliunde sumpta, descripta ex Bibliotheca Regia Lutetiæ, ut Savilius testatur tum in Catalogo Tomi 6. tum in notis ad Tomum 6. col. 823. Oratio autem hæc ultima, sumpta est ad verbum ex Homil. 9. ad Philippenses, usque ad ὅτῳ δὲ μεγα pag. 900. lin. 3. reliqua usque ad finem ex Homil. 2. in Epistolam ad Titum.

Oratio exhortatoria ad Pœnitentiam, in qua meminit carpitque omnia vitia humanæ vitæ, pag. 905. de qua in notis ad Tomum 6. col. 824. Hujus Orationis nonniſi unicum nacti exemplar ex Bibliotheca Regia Lutetiæ, eam qualem potuimus damus, ac lacunis nonnullis & mendis, quod necesse fuit, deformatam. Non puto esse Chrysostomi, sed alterius fortasse ex veteribus mediocriter eruditi, quam putabam esse aliquam versionem ex aliquo e Latinis Patribus.

De Pœnitentia & Eleemosyna, Dominica τῆς τυροφάγου, p. 917.

Item de Pœnitentia pag. 924. Descriptæ ambæ ex Bibliotheca Cæsarea, emendatæ tantum ex conjecturis doctissimi Alleni & nostris, inquit Savilius in notis ad Tomum 6. col. 824.

De Eleemosyna, p. 926.

De jejunio Orationes septem, p. 930.

De patientia & mortuis non amare defendis, pag. 943.

De patientia, p. 949.

De salute animæ p. 968.

Ad Catechumenos, pag. 971.

Deploratio eorum qui Christi Virgines corrumpunt pag. 976. Cujus meminit Savilius in notis ad Tomum 6. col. 827. ubi dicitur descripta ex Bibliotheca Regia Lutetiæ, castigata ad exemplar aliud MS. Frontonis Ducæi, multis tamen adhuc mendis deformata. Halesius alterius operis *ἀποσπασμάτιον* putat, recte ut opinor.

Contra Hæreticos pag. 979. de quo Savilius in notis ad Tomum 6. col. 828. Eruditi scriptoris, nescio an Chrysostomi opus, conjecturis tantum nostris emendatum, neque enim aliud præter Regium Lutetiæ exemplar suppetebat.

Duæ precationes pag. 1005. de quibus Savilius in notis ad Tomum 6. col. 828. Has duas *ἰυχὰς* debemus Bibliothecæ Palatinæ, quarum *περὶ γνησιότητος* non facile dixerim. Prior extat totidem verbis in Oratione *περὶ ὑπομονῆς* inter *νοθευόμενα* pag. 437. lin. 28. de posteriore non liquet.

Tomo septimo.

Epistola ad Monachos, utilitatis & sobrietatis plena pag. 225. edito ex MS. Cæsareo, emendata ex MS. alio. Vocat Halesius opus plane ineptum, nisi ubi quædam ex Orationibus in Annam, auctor scriptioni suæ intexuit.

In expulsionem Adam & de malis mulieribus pag. 237. ex MS. Regio Lutetiæ, emendata ex MS. Bavarico.

In sacrificia Cain & in dona Abel, & de Gigantibus p. 458. ex MS. Cæsareo.

In Abraham & Isaac pag. 394. ex MS. Henrici Savilii.

In Serpentem æneum contra Judæos, & in illud, *Dedit ei nomen super omne nomen*: & in illud, *Quia per neminem potuit majorem jurare, juravit per semetipsum*, p. 448. ex MS. Cæsareo.

In illud Psalmi 4. In tribulatione dilatasti mihi, p. 431. ex MS. Cæsareo.

In illud Psalmi 75. Vovete & reddite Domino Deo nostro &c. p. 260. ex MS. Regio Lutetiæ, emendata ex MS. Cæsareo.

In illud Psalmi 92. Sustulerunt flumina voces ipsorum, & de Servatore in mari ambulante, & in quinque panes & duos pisces, & in protoplastorum transgressionem. pag. 256. ex MS. Regio Lutetiæ.

In illud Psalmi 94. Venite exultemus Domino, & de pœnitentia, & in Ninivitas & de eleemosyna pag. 561. ex MS. Cæsareo.

In illud Psalmi 139. Eripe me Domine ab homine malo &c. pag. 347. ex MS. Palatino.

In Rachel & in infantes pag. 317. ex MS. Regio Lutetiæ.

In Herodem & infantes pag. 318. ex MS. Regio Lutetiæ.

In Jordanem fluvium pag. 354. ex MS. Palatino.

In illud, si filius Dei es, projice teipsum deorsum, & quod Diabolus assumpsit Christum in montem excelsum valde. p. 301. ex MS. Regio Lutetiæ, emendata ex MS. Frontonis Ducæi. Nestorii esse, ex authoritate Marii Mercatoris constat.

In illud, egressi Pharisæi consilium ceperunt, p. 326. ex MS. Regio Lutetiæ.

In Metamorphosin Domini nostri Jesu Christi, pag. 339. ex MS. Regio Lutetiæ. Item *in eandem*

Digitized by Goo

dem pag. 331. ex MS. Regio Lutetiæ. Item *in eandem* pag. 345. ex MS. Palatino.

In illud, quæcunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlis, pag. 268. ex MS. Regio Lutetiæ.

In illud, Pater si possibile est, transeat a me poculum hoc, pag. 383. ex MS. Oxonienſi, emendata ex MS. Regio Lutetiæ.

In abnegationem Petri & in crucem, & quomodo Joseph Christi typus fuerit, pag. 275. ex MS. Regio Lutetiæ.

In meretricem & Phariſæum pag. 329. ex MS. Regio Lutetiæ. Item *in eosdem* pag. 357. ex MS. Auguſtano.

In mulierem peccatricem quæ Dominum unxit unguento, & in Phariſæum, pag. 376. ex MS. Collegii Novi Oxonienſis.

In filium Viduæ pag. 439. ex MS. Cæſareo, emendata ex MS. ἐν Χαλκῇ νήσῳ τῆς Χαλκηδόνος.

In Centurionem p. 405. ex MS. Cæſareo.

In illud, exiit qui seminat, seminare semen suum, pag. 409. ex MS. Cæſareo, emendata ex MS. Auguſtano.

In parabolam Evangelii secundum Lucam, Homo quidam descendit & incidit in latrones, pag. 387. ex manuſcripto Collegii Novi Oxonii, emendata ex MS. Regio Lutetiæ. It. in *eandem parabolam*, pag. 506. ex MS. Cæſareo.

In illud, ignem veni mittere in terram, & non veni mittere pacem sed gladium p. 478. ex MS. ἐν Χαλκῇ νήσῳ τῆς Χαλκηδόνος.

In illud Evangelii Luca de dragma: & in illud, *Homo quidam habuit duos filios* pag. 418. ex MS. Cæſareo.

In parabolam œconomi injuſti, & nihil esse nostrum pag. 413. ex MS. Cæſareo. Aſterii esse dicitur.

In publicanum & Phariſæum pag. 462. ex MS. in Pera Conſtantinopolitana.

In Zachæum publicanum pag. 403. ex MS. Cæſareo.

In Samaritanam pag. 374. ex MS. Palatino. Item *in eandem* pag. 442. ex MS. Cæſareo, emendata ex MS. Oxonienſi atque excuſo Frontonis Ducæi.

In paralyticum, & in illud, nolite judicare secundum aſpectum pag. 414. ex MS. Cæſareo, emendata ex alio MS.

In illud Judæorum, Dæmonium habes: & in illud, *Nolite judicare secundum aſpectum* pag. 272. ex MS. Regio Lutetiæ.

In illud, cum aſcenderet Dominus in templum in medio feſti &c. p. 360. ex MS. Auguſtano.

In Martham & Mariam & Lazarum & Eliam Prophetam pag. 320. ex MS. Regio Lutetiæ.

In Lazarum redivivum pag. 524. ex MS. Regio Lutetiæ. *In eundem* pag. 528. ex MS. Regio, emendata ex MSS. aliis.

In eundem pag. 530. ex MS. Cæſareo.

In Nativitatem Domini noſtri Jeſu Chriſti pag. 307. ex MS. Regio Lutetiæ. Item *in eandem* pag. 367. ex MS. Palatino. Item *in eandem* pag. 400. ex MS. Collegii Novi Oxonienſis.

In ſanctum Johannem Theologum pag. 341. ex MS. Palatino. Item *in eundem* pag. 344. ex MS. Palatino.

In ſancta Theophania pag. 398. ex MS. Collegii Novi Oxonienſis.

In adorationem pretioſi ligni p. 493. ex MS. Bavarico, emendata ex editione Gretſeri.

In Annuntiationem Deiparæ & contra impium Arium pag. 515. ex MS. Cæſareo, emendata ex alio MS. ibidem. Item

In Annuntiationem ſacroſanctæ Deiparæ pag. 249. ex MS. Regio Lutetiæ, emendata ex 3. codicibus Cæſareis.

In Feſtum Palmarum p. 334. ex MS. Regio Lutetiæ, emendata ex MS. Cantabrigiæ.

In proditionem Judæ & in Paſſionem Domini Jeſu Chriſti pag. 326. ex MS. Regio Lutetiæ. Item *in eandem Paſſionem Domini* pag. 459. ex MS. Cæſareo.

In Reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti pag. 364. ex MS. Palatino. Item *in Reſurrectionem Domini noſtri Jeſu Chriſti & in mulieres quæ aromata afferebant* pag. 500. ex MS. Cæſareo.

In Aſcenſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti pag. 330. ex MS. Regio Lutetiæ. Item *in eandem* pag. 466. ex MS. ἐν Χαλκῇ νήσῳ τῆς Χαλκηδόνος, emendata ex MS. Monaſterii S. Lauræ in monte Atho.

In Meſopentecoſten p. 371. ex MS. Palatino.

In Nativitatem ſancti Johannis Præcurſoris & Baptiſtæ pag. 389. ex MS. Oxonienſi, emendata ex MS. Palatino.

In ſanctam Pentecoſten p. 582. ex MS. ἐν Χαλκῇ νήσῳ τῆς Χαλκηδόνος.

In Dominicam novam, hoc eſt Dedicationis, & in Apoſtolum Thomam pag. 575. ex MS. ἐν Χαλκῇ νήσῳ τῆς Χαλκηδόνος.

In ſanctum Stephanum Orationes tres, p. 579. ex MS. ἐν Χαλκῇ νήσῳ τῆς Χαλκηδόνος.

In principium ſacrorum jejuniorum Orationes II. Prima pag. 465. ex MS. in Pera Conſtantinopoleos. Secunda pag. 483. ex MS. ἐν Χαλκῇ νήσῳ τῆς Χαλκηδόνος.

De jejunio Orationes IV. Prima 469. ex MS. ἐν Χαλκῇ νήσῳ τῆς Χαλκηδόνος. Secunda p. 470. ex MS. eodem. Tertia p. 509. ex MS. Cæſareo. Quarta pag. 510. ex MS. Cæſareo.

De pœnitentia pag. 282. ex MS. Regio Lutetiæ.

De fide, ſpe & charitate Orationes III. Prima p. 288. *Secunda* p. 293. *Tertia* pag. 195. omnes ex MS. Regio Lutetiæ.

De charitate alia Orationes II. Prima pag. 299. ex MS. Regio Lutetiæ, *Secunda* pag. 522. ex MS. Cæſareo.

De patientia & conſummatione hujus ſeculi & ſecundo Chriſti adventu & regno juſtorum infinito pag. 435. ex MS. Cæſareo, quæ inter opera S. Ephræmi a Voſſio edita integrior etiam habetur.

Digitized by Google

De Oratione pag. 476. ex MS. ἐν χαλκῇ νήσῳ τῆς Χαλκηδόνος.

De Eleemosyna pag. 520. ex MS. Bibliothecæ Cæsareæ.

In secundum adventum Domini nostri Jesu Christi pag. 412. ex MS. Cæsareo.

De ficcitate seu *in ficcitatem evertendam* pag. 351. ex MS. Palatino.

Quod oporteat eum, qui habeat gratiam quamcunque, communicare ei, qui opus habet, pag. 421. ex MS. Cæsareo.

Admonitiones Spirituales p. 481. ex MS. ἐν Χαλκῇ νήσῳ Χαλκηδόνος.

Ecloga XLVIII. ex quibus tantum XXXI. habet editio Græcolatina Frontonis Ducæi.

Severiani Gabalorum Episcopi Orationes sex in Creationem mundi, pag. 587.

Johannis Jejunatoris Archiepiscopi Constantinop. Oratio de Pœnitentia & Continentia & Virginitate, pag. 641.

Gregorii Thaumaturgi, Neocæsariensis Episcopi, in sanctæ Epiphania pag. 657.

Pantaleonis Presbyteri Mona Byzantinorum Oratio in exaltationem pretiosæ Crucis, p. 661.

De Scriptoribus Græcis vitæ Chrysostomi, qui Tomo 8. editionis Savilianæ habentur, diximus cap. 1. Dissertationis hujus, prolixe satis, ut hic repetere superfluum foret.

Ex Diario Parisiensium litterario ad annum 1708. mense Septembri pag. mihi 588. Clarissimus vir Ericus Benzelius Vniversitatis Regiæ Vpsalensis Bibliothecarius pollicetur ac sub prælo fudare inquit *Homilias plurimas S. Johannis Chrysostomi*, quæ in lucem nondum prodierunt. Has Benzelius, ex MSS. Codicibus Bibliothecæ Oxoniensis accepit, ubi reconditæ jacebant, collectæ jamdudum (ut audio) ex MSS. Codicibus variarum bibliothecarum ab Henrico Savilio, dum anno 1613. & sequentibus editioni Græcæ omnium divi Johannis Chrysostomi Operum, Etonæ in Anglia incumberet: quas cum minus Chrysostomum referre putaret inferere editioni suæ noluerat. Illas igitur Benzelius in latinam linguam transtulit, quibus ex industria sua notas adjicere promittit. Extant etiam nunc editæ sub hoc titulo Græce & Latine: *Supplementa homiliarum Joannis Chrysostomi, Archiepiscopi Constantinopolitani ex Codicibus MSS. Bibliotheca Bodlejana eruit, Latine vertit & notis illustravit Ericus Benzelius, Vpsalæ* in 4. typis Johannis Henrici Werneri anno 1708.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

RECENSENTVR ILLA, QVÆ IN EDITIONE GRÆCA SAVILII, ET GRÆCOLATINA DVCÆI DESIDERATA, IN EDITIONIBVS LATINIS QVAMPLVRIMIS AB ANNO MDLVIII. FACTIS, HABENTVR.

PORro extant in editionibus Latinis Operum Chrysostomi, quæ in Græcis non habentur, *Opuscula & Homiliæ* quamplurimæ, de quibus fuse agunt ex Pontificiis Sixtus Senensis lib. 4. *Bibliotheca sancta* & Antonius Possevinus Tomo 1. *Apparatus sacri* verbo *Joannes Chrysostomus*: ex Reformatis Robertus Cocus *in Censura Scriptorum quorundam* pag. mihi 320. Andreas Rivetus lib. 4. *Critici Sacri* cap. 1. 2. & 3. de quibus nos sigillatim agemus, verba ipsorum pro more nostro, referentes: ubi nihil diversum ab eorum sententia dicendum occurrerit. Habentur autem ista Latine primum in editione Basileensi 1558. unde postea in Parisienses editiones annorum 1570. 1581. 1588. 1613. Antverpianam 1614. & ultimam Lugdunensem 1687. emanarunt.

In editione Basileensi 1558. Latine habentur

TOMO PRIMO:

In Geneseos cap. 2. Homil. 1. quæ incipit, *Dignitas humana originis.*

In Genes. cap. 2. Homil. 1. incipiens, *Deus institutor mundi.*

In Genes. cap. 2. Homil. 1. *Jubetur Adam.*

In Genes. cap. 3. Homil. 1. *Deus sine initio.*

In Genes. cap. 3. Homil. 1. *Nemo qui nescit.*

In Gen. cap. 3. Homil. 1. *Quoties mecum tempus.*

In Genes. cap. 3. Homil. 1. *Christiano cum hoste.*

In Genes. cap. 15. Homil. 1. *Fides est religionis.*

In Genes. cap. 25. Homil. 1. *Portabat Rebecca.*

In Genes. cap. 37. Homil. 1. *Filii autem Jacob.*

In Exodi cap. 17. Homil. 1. *Stabat Moyses.*

In Judicum cap. 11. Homil. 1. *Deus qui voluit.*

Homilia *de Adamo & Eva*, quæ incipit *Dignitas humana originis &c.* supposititia est, nusquam enim apud Græcos invenitur. De hoc Sermone in hunc modum scribit Bellarminus *de amissione gratiæ* lib. 4. cap. 9. *Homilia de Adam & Eva, quæ inter Opera Chrysostomi legitur, non censetur Chrysostomi, tum quod Græce nusquam inveniatur, & author non Græcus, sed Latinus fuisse existimatur: tum quod in eo duo capita integra reperiuntur, nempe 31. & 32. ex libro de dogmatibus Ecclesiasticis, qui inter Opera divi Augustini invenitur.* De hoc in hunc modum Joannes Azorius *Institut. Moralium* parte 1. lib. 4. cap. 25. quæritur 3. *Videtur totus hic sermo compilatus ex Operibus Augustini, præsertim vero ex quibusdam capitibus libri* de Ecclesiasticis Dogmatibus, *qui tribuitur Augustino.* Recte ergo hic sermo recensetur a Sixto Senensi *Bibliotheca* lib. 4. in posteriore Catalogo, qui continet *Opera Chrysostomi Pseudepigrapha, id est, quæ Chrysostomo sub falsa inscriptionis titulo tribuuntur.* Eodem Tomo habetur *Sermo de interdictione arboris ad Adam*, qui incipit, *Jubetur Adam.* Hic citatur a Coccio Tomo 1. *Thesauri* lib. 3. *de Deipara Virgine* art. 5. pag. 305. ut probet Mariam Deiparam, omni laude a Christianis celebrandam esse. Sed Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliotheca* in *Johanne Chrysostomo*, recenset hunc Sermonem in posteriore suo Catalogo, *qui continet opera quæ Chrysostomo sub falsa inscriptio-*

by Google

ſcriptionis titulo tribuuntur. Neque ob hoc reprehenditur a Poſſevino in *Apparatu Sacro*, qui tamen nonnulla in *Sixto* præſertim lib. 4. emendanda cenſuit: ex quo ſequitur hac in re Poſſevinum ejusdem eſſe judicii, cum Sixto. Denique idem de omnibus præfatis Sermonibus, doctorum virorum judicium eſt.

In 1. Regum cap. 13. Homil. 1. *Dominus Deus tuus David.*

In 2. Reg. cap. 7. Homil. 1. *Imitatores Chriſti.*

In 2. Reg. cap. 17. Homil. 1. *Perdidit Abſalon.*

In 3. Reg. cap. 17. Homil. 1. de Helia, *Glorioſus olim.*

In idem Homilia 1. *Cum geſta peccata.*

In 4. Reg. 2. de aſcenſione Heliæ, Homil. 1. incipiens, *Apud quosdam veteres.*

In 4. Reg. 5. de Naaman Homil. 1. *Cum Naaman.*

In 4. Reg. 6. de Heliſæo Homil. 1. *Etſi frequenter.*

In Job cap. 1. Homil. 1. *Verumtamen Fratres cariſſimi.*

In Job cap. 1. Homil. 1. *Athletam in certamen impellit.*

Homiliam de aſcenſione Heliæ, incipientem *apud quosdam veteres*, Beda in Quæſtionibus libri Regum, putat eſſe Chryſoſtomi: ſed ſtylus reſpicit auctorem hujus Homiliæ cujus initium, *Exulet cœlum & in lætitia eſto terra &c.* quæ ponitur inter Pſeudepigrapha Hieronymi, in die Dominicæ Reſurrectionis, & inter ſermones *Euſebii Emiſſeni* eſt. Sed hi omnes Sermones recenſentur a Sixto Senenſi inter Opera *quæ perperam Chryſoſtomo adſcribuntur*, nec reclamat Poſſevinus loco citato Apparatus Sacri: licet Fevardentius *de purgatorio* lib. 12. cap. 18. Sermonem in Job & Abraham cujus initium eſt, *Athletam in certamen impellit*, pro Purgatorio probando citet.

In lib. Pſalmorum præfatio incipiens, *Poſt Moſen.*

In lib. Pſalmorum præfatio altera incipiens, *Omnis Scriptura.*

In Pſalmum 1. Homil. 1. *Beatitudo eſt omnium.*

In Pſalmum 2. Homil. 1. *Quemadmodum qui in ſolem.*

In Pſalmum 9. Homil. 1. *Deus generis noſtri.*

In Pſalmum 13. Homil. 1. *Quemadmodum cum Dominus.*

In Pſalmum 14. Homil. 1. *Pulcher eſt Pſalmus.*

In Pſalmum 22. Homil. 1. *Circulo conſiderato.*

In Pſalmum 24. Homil. 1. *Viatores arcta & angusta via.*

In Pſalmum 25. Homil. 1. *Filii lucis.*

In Pſalmum 26. Homil. 1. *Ex plenitudine verbi.*

In Pſalmum 29. Homil. 1. *Celebritas Confeſſionis.*

In Pſalmum 33. Homil. 1. *Sermo divinus.*

In Pſalmum 37. Homil. 1. *Sæpe a nobis.*

In Pſalmum 38. Homil. 1. *Et quomodo poteſt Pſalmus.*

In Pſalmum 39. Homil. 1. *Nec hunc quidem Pſalmum.*

In Pſalmum 40. Homil. 1. *Nonnulli quidem.*

In Pſalmum eundem Homil. 1. *Etiamſi prophetæ.*

In Pſalmum 41. Homil. 1. *Hic Pſalmus eſt.*

In Pſalmum eundem Homil. 1. *Cohæret priori.*

In Pſalmum 68. Homil. 1. *Qui orationibus.*

In Pſalmum 71. Homil. 1. *Dominus virtutum.*

In Pſalmum 84. Homil. 1. *Omnis qui ſe agnoſcit.*

In Pſalmum 90. Homil. 1. *Adverſus fluctus.*

In Pſalmum 95. Homil. 1. *Egregium vereque mirandum.*

In Pſalmum 96. Homil. 1. *Illum a vipera Paulus.*

In Pſalmum 106. Homil. 1. *Spiritus Sanctus.*

In Pſalmum 115. Homil. 1. *Narratur quod apicula.*

In Pſalmum 118. Homil. 1. *Benignitas Dei.*

In Pſalmum eundem Homil. 1. *Veritatem prædicandam.*

In Pſalmum 121. Homil. 1. *Dominus noſter.*

In Pſalmum 142. Homil. 1. *Judicia Domini ſicut abyſſus multa.*

In Eſaiæ cap. 1. Homil. 1. *Si volueritis & audieritis.*

In Eſaiæ cap. 9. Homil. 1. *Chriſtus unum cum Patre.*

In Eſaiæ cap. 42. Homil. 1. *Vita innovata.*

In Eſaiæ cap. 62. Homil. 1. *Quoniam tempus venit.*

In Jeremiæ cap. 1. Homil. 1. *Magnum Jeremiæ meritum.*

In Danielis cap. 3. de tribus pueris Homil. 1. *Trium puerorum ſermo.*

In Danielis cap. 13. de Suſanna Homil. 1. *Divina lectionis.*

In illud Zachariæ 6. *Ecce vir oriens*, Homil. 1. *Nobilis genere.*

De his ſermonibus ita Robertus Cocus, ad verbum: Eodem tomo habetur ſermo in Pſalmum 14. qui incipit, *Pulcher eſt Pſalmus:* qui citatur a Coccio Tomo 2. lib. 5. *de baptiſmo* art. 6. ut probet infantes propria fide carere, & ſine baptiſmo non ſalvari. Sed Nobilius Flaminius, Notationibus in B. Chryſoſtomi ſententias ad finem Tomi 5. Chryſoſtomi impreſſi Pariſiis 1588. col. 1557. inquit: *Hanc homiliam neque apud Græcos puto haberi, neque in ea Chryſoſtomum agnoſco.* Eodem tomo habetur ſermo in Pſalmum 21. qui citatur a Coccio Tomo 2. lib. 5. *de baptiſmo* art. 5. ut probet aquæ baptiſmalis conſecrationem, & aquæ benedictæ uſum. Sed Sixtus Senenſis lib. 4. *Bibliotheca ſancta* in Johanne Chryſoſtomo, enumerat hunc ſermonem inter ea quæ *perperam Chryſoſtomo adſcribuntur.* Et confidenter lib. 5. Annotat. 164. aſſerit *phraſin & characterem palam arguere, non eſſe illius, cujus titulo prænotatur.* Nobilius item loco citato inquit, *Commentarius in Pſalmum 22. ſine dubio non eſt Chryſoſtomi, imo neque Græci alicujus, phraſis enim*

Digitized by Google

enim Latina eſt: & cum res, tum verba longiſſime abſunt a ſtylo Chryſoſtomi. Idem inquit Bellarminus lib. 2. *de Euchariſtia* cap. 22. cui & Poſſevinus in *Apparatu Sacro* verbo *Johannes Chryſoſtomus* ſubſcribit. Eodem tomo habetur ſermo in Pſalmum 95. qui citatur a Bellarmino lib. 1. *de Miſſa* cap 8. ut probet varia ſacrificia Veteris Teſtamenti fuiſſe figuras Sacrificii Miſſæ: & ibidem cap. 10. verba Malachiæ cap. 1. v. 11. intelligenda eſſe de Sacrificio Miſſæ. Sed Sixtus Senenſis hunc ſermonem in Catalogo poſteriore ponit, qui continet quæ ſub falſo Chryſoſtomi titulo inter ipſius vera Opera immiſſa ſunt. Nec diſſentit Poſſevinus. Idem ſentit Henricus Savilius vir clariſſimus, qui pari ſumptu ac labore, utrisque immenſis, *Chryſoſtomum* nobis Græce loquentem nuper edidit. Sic enim ille Tomo 8. in notis ad Tomum 1. Operum Chryſoſtomi. col. 124. *Homiliam in Pſalmum 95. plane κιβδηλον, & ineptiis allegoriis & anagogis ſcatentem in claſſem νοθευομενων rejecimus jure merito, niſi fallor.* Eodem tomo habetur ſermo ſuper illud Eſaiæ 1. *Si voluerit*, qui citatur a Coccio Tomo 2. lib. 1. *de natura hominis* art. 5. ut probet hominem poſt lapſum eſſe liberi arbitrii. Sed hic ſermo recenſetur a Sixto Senenſi loco citato, inter Opera quæ Chryſoſtomo adſcribuntur, neque reclamat Poſſevinus. Eodem tomo habetur Sermo *de tribus pueris*, qui incipit *trium puerorum.* Hic citatur a Bellarmino lib. 1. *de verbo Dei* cap. 9. & Coccio Tomo 1. lib. 6. *de ſacra Scriptura* art. 5. ut probet Orationem Ananiæ &c. eſſe Canonicam Scripturam. Hunc ſermonem Sixtus Senenſis ponit inter ea quæ falſo Chryſoſtomo adſcribuntur, non diſſentiente Poſſevino, utroque locis citatis. Eodem tomo habetur ſermo *de Suſanna*, qui incipit *Divinæ lectionis* &c. Hic citatur a Bellarmino lib. 1. *de verbo Dei* cap. 9. & Coccio Tomo 1. lib. 6. *de ſacra Scriptura* art. 4. ut probet hiſtoriam Suſannæ eſſe Canonicam Scripturam. Sed hic ſermo ponitur a Sixto Senenſi inter ea quæ perperam Johanni Chryſoſtomo adſcribuntur, nec diſſentit Poſſevinus loco citato. Ita Cocus, ſed alias ab Andrea Riveto rationes audiamus, lib. 4. *Critici Sacri* cap. 2. pag. mihi 386.

Hos hucusque enumeratos ſermones, quanquam ipſi eruditi ſint & digni qui a ſtudioſis avide legantur, multis tamen non ſpernendis conjecturis apparet, non eſſe Chryſoſtomi: ſed aliorum auctorum, quibus neque candor, neque illa perpetua orationis facilitas ineſt, quam in Chryſoſtomo miramur: ſed ſermo commaticus, conciſus, & affectatione duriuſculus, ſimilitudinum & collationum, quæ præcipua ſunt Chryſoſtomi argumenta, nihil habens. Contra vero abundans ſimiliter terminantibus ſententiis, veluti illud eſt quod in Expoſitione Pſalmi 33. legitur, *Ea Fratres mei, hic modo reſpondere volo: quanti modo dicunt Nolo, qui jam dicebant, Volo.* Itemque illud, *Oracula ſanctæ lectionis quæ ſonant in auribus veſtris, nidum faciant in cordibus veſtris:* a quibus dicendi formis maxime abhorret *Chryſoſtomus.* Continent etiam aliqui ex hiſce ſermonibus, notas quasdam ex quibus facile ſuſpicari queas, auctorem illorum non Græce ſcripſiſſe: quales nonnullæ orationis figuræ, quæ aptari non poſſunt ad Græcum ſermonem, & ſimiliter interpretationes aliquæ vocabulorum. Sic *Meridies* etymologia quam habes in Homil. Pſalmi 90. videlicet *Meridies dicitur, quia dividit diem: meros enim pars eſt diviſa diei.* Et in Homil. Pſalmi 118. *Veritas tres ſunt ſyllabæ & ſeptem litera, quia in ſeptima die requievit Deus ab operibus ſuis.* Sunt præterea Homiliæ iſtæ contra Chryſoſtomi conſuetudinem deſtitutæ exordiis in ingreſſu orationis, ſine moralibus exhortationibus ante finem, & absque ullis doxologiis ac precationibus in concluſione ſermonis. Sed & loci communes de peccato originali, de prædeſtinatione, de præſcientia, de induratione, de gratia & merito, in quibusdam ſermonibus pertractati, Auguſtino magis peculiares videntur, quam Chryſoſtomo: qui ut ab his ſemper abſtinet, ita nunquam citare ſolet nomina Eccleſiaſticorum doctorum. Ex quibus tamen non ulli in his ſermonibus nominatim inducuntur, ut *Hippolytus & Cyprianus.* Item citatur S. Johannes Evangeliſta ſub appellatione *Theologi*, quod ſane cognomen neſcio, an alicubi unquam Johanni Chryſoſtomus tribuerit: quem tamen ſæpe *tonitrui filium* vocare conſuevit. Neque prætereundum arbitror, quod auctor hic lectiones Scripturarum quarumque illæ ſint, dividit & exponit per verſiculos, interdum quoque numeratim diſtinctos, crebro illud repetens, *Verſiculum quem modo audivimus*: item *ſequitur alter verſiculus*: & rurſus, *Viſo jam primo verſu, atque item ſecundo, videamus & tertium*: quam dividendi formulam nullibi in Chryſoſtomi ſcriptis reperies. His accedit, quod auctor ſæpe relicto hiſtorico ſenſu, citra ullam occaſionem ad allegoricos & anagogicos ſenſus devolvitur: quod facit rariſſime *Chryſoſtomus*, & nonniſi neceſſitate adactus. Cæterum quisquis ille fuerit horum ſermonum ſcriptor, apparet eum eſſe vetuſtum, tum ex antiqua translatione Scripturarum ab eo expoſita, quod non leve indicium vetuſtatis eſt: tum ex Paſchali baptismate, aliisque antiquis Eccleſiæ ritibus, quos commemorat temporibus ſuis in obſervatione fuiſſe. Hactenus de Pſeudepigraphis ad Vetus Teſtamentum pertinentibus, nunc ea quæ ad Novum ſpectant enumerabimus.

Tomo Secvndo.

Poſt imperfectum Opus in Matthæum de quo hujus Diſſertationis cap. 10. diximus, habetur inter Opera Chryſoſtomi Latinæ hujus editionis & aliarum de quibus ſupra, Farrago diverſorum ſermonum in diverſos quatuor Evangeliſtarum locos, quorum alii deſumpti ſunt ex homiliis Chryſoſtomi, alii ex jam memorato Opere imperfecto, alii autem putantur eſſe ejusdem auctoris, cujus habemus ſermones

quatuor-

quatuordecim in Marcum: qui quantum ex ejus ſcriptis deprehenditur, Monachus fuit ſub poteſtate Epiſcopi conſtitutus, & ad Monachos explanationes ſuas edidit, illas frequentibus intermixtas allegoriis, & interdum violentis: quod ipſe ignorans homilia 9. in Marcum, ſe his verbis excuſat: *Putatis nos vim facere Scripturæ, & forſitan aliquis dicat in tacita cogitatione, Iſte ſemper allegorias loquitur, & vim Scripturæ ſacræ facit &c.* Hujus igitur atque aliæ aliorum Homiliæ hæ ſunt.

In Matth. cap. 2. De adventu Magorum, Homilia incerti Monachi quæ incipit, *Hoc futurum Eſaiæ.*

In Matth. 2. De fuga pueri in Ægyptum, Homilia incerti Monachi. *Hunc ergo puerum.*

In Matth. 2. De cæde infantum, Homilia incerti Monachi. *Dedicatur novus.*

In Matth. 2. De reditu pueri in Judæam, Homilia incerti Monachi. *In eo quod dixit.*

In Matth. 4. De tentatione Chriſti, Homilia incerti Monachi. *O incomparabilem.*

In Matth. 5. De beatitudinibus incipiens, *Non tantum corpora:* quæ eſt pars homil. 15. Chryſoſtomi in Matthæum.

In Matth. 5. De maximo & minimo in regno cœlorum, Homilia incerti Monachi. *Cum nobis pro officio.*

In Matth. 5. De dilectione inimicorum, Homilia incerti Monachi. *Per omnia vult nos &c.*

In Matth. 6. De oratione Dominica, Homilia incerti Monachi. *Dominica oratio.*

In Matth. 6. De jejunio, Homilia incerti Monachi. *Sicut in ſuperioribus.*

In Matth. 6. De cavendo jejunio hypocritarum, Homilia incerti Monachi. *Series lectionis.*

In Matth. 7. De cavendis pſeudoprophetis, Homilia incerti Monachi. *Omnibus notum eſt.*

In Matth. 9. De navicula, Homilia *Chriſtum in humanis actibus*, quæ eſt S. Petri Chryſologi.

In Matth. 9. De converſione Matthæi, Homilia. *Multæ tempeſtates.*

In Matth. 14. De Johannis decollatione, Homilia. *Hodie nobis Johannis virtus*, quæ eſt Petri Chryſologi.

In Matth. 15. De Cananæa, Homilia. *Mirantur Evangeliſtæ*, quæ habetur inter Opera Origenis.

In Matth. 18. De neceſſitate ſcandalorum, Homilia incerti Monachi. *Videtur quidem.*

In Matth. 18. De correctione fraterna, Homilia incerti Monachi. *Exercitia legis.*

In Matth. 18. De correctione fraterna, Homilia. *Magnum quiddam*, quæ ſumpta eſt ex Explanatione Chryſoſtomi in Matthæum, homilia LXII.

In Matth. 19. De repudio, Homilia, *Juſtus Dominus:* quæ eſt in Opere imperfecto homilia XXXII.

In Matth. 19. De Petro Chriſtum interrogante, Homilia. *Quoniam poſſibile*, eſt pars hom. 33. Operis imperfecti.

In Matth. 20. De aſcenſu Chriſti in Hieruſalem, Homilia incerti Monachi. *Poſtquam virginei.*

In Matth. 20. De Chriſto aſcendente Hieroſolymam, Homilia incerti Monachi. *Proximæ cum &c.*

In Matth. 21. De Chriſto afinis invecto, Homilia. *Puto res ipſa*, quæ eſt in Opere imperfecto homilia XXXVII.

In Matth. 21. De ficu arefacta, Homilia incerti Monachi. *Si ad arborem.*

In Matth. 22. De cenſu, Homilia. *Omnis malitia*, quæ eſt pars homiliæ 42. Operis imperfecti.

In Matth. 22. De dilectione Dei & proximi, Homilia. *Frequenter Judæi*, quæ eſt altera pars ejusdem Homiliæ.

In Matth. 26. De cœna Domini, Homilia incerti Monachi. *Ad hoc æternum.*

In Matth. 26. De cœna Domini, Homilia incerti Monachi. *Secundum Salvatoris.*

In Matth. 27. Homilia incerti Monachi. *Evangeliſtæ ſeries.*

In Matth. 27. Homilia incerti Monachi. *Sufficiant quidem.*

Ex his Homiliis decima quæ incipit *Sicut in ſuperioribus &c.* citatur a Coccio Tomo 1. lib. 6. *de ſacris Scripturis* art. 22. & a Nicolao Senario *Commentariis in Judith* prologo 4. ut probent librum *Judith* eſſe Canonicum. Sed rejiciuntur a Sixto Senenſi libro 4. *Bibliothecæ Sanctæ*, neque in hoc repugnat Poſſevinus loco citato.

In Marci cap. 1. De principio Marci, Homilia incerti Monachi. *Animal illud.*

In Marci 1. De Johanne baptiſta, Homilia ejusdem. *Nunc veniamus.*

In Marci 1. De Jeſu veniente a Nazareth Galileæ, Homilia ejusdem. *Videte unitiones.*

In Marci 1. De Chriſto degente cum beſtiis, Homilia ejusdem. *Quoniam præterita Dominica.*

In Marci 1. De Chriſto ingrediente Capernaum, Homilia ejusdem. *Felix & pulchra mutatio.*

In Marci 1. De ſocru Simeonis, Homilia ejusdem. *Inſtruxerat Dominus.*

In Marci 5. De ſanguiniflua, Homilia ejusdem. *Interrogat circumſpiciens.*

In Marci 8. De panibus, Homilia ejusdem. *In ſuperiori parte.*

In Marci 8. De transfiguratione, Homilia ejusdem. *Iverat Chriſtus.*

In Marci 10. De cæco, Homilia ejusdem. *Quoniam S. Presbyter.*

In Marci 11. De ficu arefacta, Homilia ejusdem. *Ingreditur Dominus.*

In Marci 11. De Chriſto afinis invecto, Homilia ejusdem. *Iſte qui ligatus.*

In Marci 11. De ejectione vendentium, Homilia ejusdem. *In Evangelio ſecundum Johannem*

In

In Marci 13. De die judicii, Homilia ejusdem. *Evangelica lectio.*

Fatentur ingenue Pontificii omnes has in Marcum Homilias, & sequentes in Lucam, esse anonymi Monachi, nequaquam Chrysostomi. Ita Sixtus Senensis lib. 4. *Bibliotheca sancta*, in Johanne Chrysostomo. *Author sermonum in Marcum, quantum ex ejus scriptis deprehenditur, Monachus fuit, sub potestate Episcopi constitutus, & ad Monachos edidit explanationes suas, frequentibus intermixtas allegoriis, & interdum violentis.* Posse vinus autem in Apparatu sacro inquit, *Falso adscripta Chrysostomo sunt sequentia*, qui statim nominat *Authorem Expositionis in Marci Evangelium.* Joannes Maldonatus, Commentario in Marcum cap. 8. 25. inquit: *Opus illud Chrysostomi in Marcum, etsi ingenio, eruditione & pietate non caret: genio tamen, stylo, sublimitate & judicio Chrysostomi caret.* Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiæ* ad annum 398. inquit, *In Tomo 2. sunt Homiliæ XIV. in Marcum, quæ sine dubio Chrysostomi non sunt, sed alicujus simplicis Monachi, qui Fratribus suis Evangelium explicabat.*

In Lucæ cap. 1. *De nativitate Johannis Baptistæ*, Homilia ejusdem Monachi, *de solstitiis & æquinoctiis conceptionis & nativitatis Domini nostri Jesu Christi & Johannis Baptistæ &c.*

In Luc. 2. De ortu Christi, Homilia ejusdem quæ incipit, *Et reclinavit eum mater, Joseph autem non audebat.*

In Luc. 10. De eo qui incidit in latrones, Homilia ejusdem. *Tunc dixit Dominus.*

In Luc. 15. De duobus filiis, Homilia. *Omnium quidem de Scripturis*, quæ fertur inter Opera Hieronymi, etsi tamen Hieronymi non sit.

In Luc. 16. De divite, Homilia incerti Monachi. *Quoniam dixerat.*

In Luc. 19. De Zachæo, Homilia incerti Monachi. *Si per Christum.*

Ex his Homiliis quæ eodem Tomo habentur, Homilia *de nativitate Domini*, quæ incipit *Et reclinavit eum mater, Joseph autem non audebat*, ex Lucæ 2. desumpta, citatur a Ferreolo Locrio lib. 5. *Mariæ Augustæ* cap. 45. ut probet Dominicum præsepe in quo recens natus Salvator recubuit, Romam Constantinopoli translatum. At hæc Homilia rejicitur a Sixto Senensi loco citato, in posteriorem Catalogum, qui Opera falso inscripta Chrysostomo complectitur. Et jure quidem, nam author disertis verbis profitetur se in Occidente vixisse, cum vixisse Chrysostomum in Oriente cuivis notum sit. Homilia etiam prima *de Johanne Baptista* quæ incipit *de solstitiis & æquinoctiis*, distinguitur ab altera quæ habetur Tomo 3. de *Johanne* eodem ad cap. 1. Johanni, incipiens, *De Johanne dicitur*, & allegatur ab Anglo-Remensibus ut probent S. Johannem extitisse authorem professionis Eremiticæ: & a Bellarmino lib. 3. *de Eucharistia* cap. 6. ut probet Christum exiisse e sepulchro clauso. Verum Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiæ*, fatetur hanc ultimam homiliam dubiæ esse fidei. Nam verba faciens *de sex homiliis interpositis inter Commentaria in Johannem & in Acta*, quarum hæc una est, inquit: *Non est omnino certum, an sint Chrysostomi, excepta tertia, quæ incipit*, Hirundinum pulli. Sixtus vero Senensis loco citato, non ut dubiam modo, sed ut spuriam, rejicit inter ea, quæ Chrysostomo perperam adscribuntur.

CAP. DECIMVM QVARTVM.

RELIQVA EARVNDEM EDITIONVM LATINARVM RECENSENTVR ET EXAMINANTVR.

Tomo Tertio.

IN Joan. cap. 1. De Verbo Filio Dei, Homilia incerti Monachi. *Si credis quod Deus.*

In Joan. 1. De Johanne baptista, Homilia ejusdem. *De Joanne dicitur*, de qua supra diximus.

In Joan. 4. De veris adorantibus, Homilia ejusdem. *Numen beneficia.*

In Joan. 11. De Lazaro, Homilia. *Grandi Fratres*, qui creditur esse S. Petri Chrysologi.

In Joan. 15. super illud *Vos amici mei estis*, Homilia incerti Monachi. *Dominus Christus in Evangelio.*

In Joan. 20. De Maria flente ad Monumentum, Homiliæ II. quarum una incipit, *Maria veniens:* altera, *licet omnes.*

In Joan. 20. De Thoma, Homilia 1. *Hoc ergo die.*

In 1. ad Corinthios cap. 13. *De fide, spe, & charitate*, Homilia 1. *Apostolus Paulus loquitur.*

In 1. ad Corinthios cap. 15. super illud, *Cum subjecta illi fuerint omnia &c.* Homilia 1. *In hesterno Fratres.*

Cocus in Censura Operum Chrysostomi inquit Tomo, 3. habetur Sermo *de fide, spe & charitate*, qui citatur a Bellarmino lib. 1. *de justificatione* cap. 13. ut probet timorem, spem & dilectionem justificare. Hic autem sermo recensetur a Sixto Senensi lib. 4. *Bibliotheca sancta* verbo *Johannes Chrysostomus*, inter Opera quæ falso divo Chrysostomo inscripta sunt.“

De Laudibus S. Pauli Homilia octava, de qua cum fileant alii, ita loquitur ex occasione Græcarum septem, vir Cl. Henricus Savilius in notis ad Tom 8. editionis Græce Operum Chrysostomi col. 936. “Præter has septem in Paulum Orationes, Latina editio octavam habet, quin & Codices nostri octavam exhibuerunt: sed erat illa tantum ecloga e septem prioribus, ideoque in Eclogis suum illi locum numero XXVIII. dedimus. Quæ autem in Latinis octava, mihi Chrysostomum referre non videtur. Licet enim Græca nusquam appareat, censuram tamen de ea ferre, difficile non est. Quæ enim sunt Chrysostomi, habent signa quædam non obscura, & vim & energiam, quæ nulla possunt alterius idiomatis proprietate occultari.“ Halesius.

De proditore & Mysteriis cœnæ Dominicæ, Feria V. Passio-

Passionis, Sermones sex. Quorum primus incipit, *Ad hodiernum convivium &c.* qui cum aliis quinque Latinum scriptorem refert. Horum secundus incipit, *secundum Salutaris positi munus:* tertius *Evangelica series lectionis:* quartus, *sufficiunt quidem fratres ad testimonium:* quintus, *Postquam virginei partus:* sextus, *Proxime cum Dominica passionis, multas & acerbas contumelias audiremus.*

De cruce & latrone Sermones II. in die Parasceves, quorum primus incipit, *Hodierno die noster Dominus pependit in cruce:* secundus, *Hodie incipimus Carissimi, de crucis trophæo prædicare.* Robertus Cocus in *Censura quorundam Scriptorum veterum* pag. mihi 326. inquit Homiliam de *Cruce & Latrone,* quæ incipit *Hodierno die &c.* citari a Gretsero Tomo 1. *de Cruce* lib. 2. cap. 54. & 55. ut probet Crucem Domini colendam & honorandam esse. *Verum hæc Homilia inter sermones Augustini de Tempore reperitur, & est sermo trigesimus, nec satis constat, num sit legitimus Chrysostomi partus: & Latina interpretatio valde dissidet a Græcis,* inquit Gretserus Notis in hanc Orationem Tomo 2. *de Cruce* pag. 626 Idemque sentit Possevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri,* verbo *Johannes Chrysostomus.*

De Resurrectione Sermones IX. quorum primus prolixissimus incipit *de fidei nostræ placitis:* Octo alii sunt breviores, quorum secundus, *de Resurrectione Domini nostri Jesu Christi:* tertius, *Post custodias sævas & vincula dura:* quartus, *Domini resurrexio induxit mundo lætitiam:* quintus, *Fratres quam pretiosa & grata hodie Ecclesia:* sextus, *Maria veniens ad Christi Domini monumentum:* septimus, *Licet omnes solennitates dilectissimi:* octavus, *Paschalis solemnitas dilectissimi:* nonus, *Post dies octo iterum erant discipuli ejus intus &c.* Ex his forsitan nonnulli sint, quos recenset Photius in *Bibliotheca,* Codice 25.

De Ascensione Domini Sermo col. 865. incipiens, *Quando autem de cruce &c.*

De Pentecoste Sermo col. 873. *Hodie nobis terra facta est cælum.* Item *de Pentecoste* col. 878. *Multi quidem alter. De sancto & adorando Spiritu Sancto* col. 886. sermo incipiens, *Heri a nobis amatores Christi.* Denique *de fide & lege naturæ & sancto Spiritu* col. 901. incipiens, *Omnis scriptura quæ divinitus inspirata* &c. Hos omnes esse spurios Chrysostomi fœtus censent eruditi.

Tomo Quarto Operum Chrysostomi habentur *Homilia LXXX. ad populum Antiochenum,* quarum XL. a Bellarmino citatur lib. 4. *de pœnitentia* cap. 9. pro satisfactionibus. LX. lib. 2. *de Eucharistia* cap. 22. pro reali Christi in sacramento præsentia. LXVI. lib. 1. *de Sanctorum Beatitudine* cap. 19. pro Sanctorum invocatione. LXIX. lib. 1. *de Purgatorio* cap. 6. ad stabiliendas orationes pro defunctis. At fatente Bellarmino in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 398. *Ex homiliis ad populum Antiochenum 50. viginti & una tantum reperiri dicuntur manuscriptæ in antiquis bibliothecis,* illæque viginti & una sunt ex primis illis, quas habet Tomo 5. Latinæ editionis, teste Frontone Ducæo, in notis ad Tomum 1. editionis suæ Græcolatinæ. Vide etiam Possevinum in *Apparatu Sacro,* verbo *Johannes Chrysostomus,* eadem sentientem: & Guillelmum Ca[illegible]m in *Historia rei literariæ* ad annum 398. verbo *Johannes Chrysostomus,* pag. 269.

Homilia Miscellaneæ XXX. de quibus idem judicium eruditorum est. Inter has eodem Tomo Quinto habetur *Expositio duplex in Symbolum Apostolorum* col. 718. quæ citatur a Bellarmino lib. 1. *de justificatione* cap. 9. ut probet non esse fidem aliquam specialem. Et citatur etiam a Gregorio de Valentia contra Fortunatum *de reali Christi præsentia* lib. 1. cap. 2. ut probet B. Virginem non patefacta sui corporis lege peperisse. Sed Sixtus Senensis lib. 4. *Bibliothecæ sanctæ* verbo *Johannes Chrysostomus,* probat has Expositiones non esse Chrysostomi. Sic enim in iis legimus, *Dixisti credo, quam breve est, quam modicum est? Si ad latitudinem literarum redigatis, quinque sunt literæ: si ad Syllabarum numerum, duæ sunt Syllabæ.* Quis enim ista aptare potest ad Græcum scriptorem? Nam licet Latina vox *Credo* non habeat nisi quinque literas & duas Syllabas, Græca vox πιστεύω, & longior atque latior est. Similiter probari potest, inquit Sixtus Senensis, Homiliam in Psalmum 118. quæ fertur nomine Chrysostomi, non fuisse scriptam Græce, quia continet orationis figuram quæ ad Græcum sermonem aptari non possit, dicens: *Veritas, tres sunt syllabæ, & septem literæ.*

Eodem Tomo habetur *Homilia ad Neophytos* col. 723. quæ citatur a Bellarmino lib. 2. *de Eucharistia* cap. 22. pro reali Christi in Sacramento præsentia. Neque Homilia hæc quicquam Chrysostomum refert, inquit Flaminius Nobilius loco citato.

Eodem Tomo habetur *Homilia ad Baptizandos* col. 728. quæ citatur a Coccio Tomo 2. lib. 5. *de Baptismo* art. 14. ad probandum Exorcismum Catechumenorum. At Homilia est Latini hominis, inquit idem Nobilius loco citato.

In editionibus Parisiensibus 1570. 1581. 1588. accesserunt seorsim antea impressæ *Orationes IV.* videlicet *de Juramento, Adversus eos qui in deliciis vitam agunt, Adversus iram, & De oratione,* quæ in aliis editionibus absunt. Verum ex Opusculis præmissis pauca quædam Græce extant, quamplurima ex aliis Chrysostomi Operibus hinc inde excerpuntur, pars autem maxima spuria doctorum judicio censetur.

Orationes etiam *in S. Pelagiam, in Catenas S. Petri Apostolorum principis, in Sanctum Andream, & in natali S. Johannis Baptistæ,* ex Metaphraste sumptæ habentur Latine apud Laurentium Surium & Aloysium Lipomanum. Verum spuriæ sunt, nam ut recte Cocus pag. 333. Apud Surium Tomo 4. *de vitis Sanctorum* habetur sermo sub nomine Chrysostomi *in adorationem venerabilium Catenarum & gladii sancti Apostolorum principis Petri,* qui citatur a Canisio Catechesi

„*de veneratione Sanctorum* quæſt. 8. & a Coccio „Tomo 1. lib. 5. art. 6. pro invocatione Sanctorum. Hanc vero Orationem non eſſe Chryſoſtomi, Baronius fatetur *Annalium* tomo 5. ad „annum 439. num. 5. & in notis ad Martyrologium Romanum die 1. Auguſti: „quod *tempore divi Chryſoſtomi, Catena Petri invotuiſſent, nec Conſtantinopolim delata eſſent.*

Favet huic ſententiæ de tot Opuſculis Chryſoſtomo ſuppoſitis atque inter ejus Opera Latinæ editionis inſertis, Ludovicus Ellias du Pin, vir ingenuus & magni judicii, in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſticorum Scriptorum*, ſeculo 5. Tomo 3. in Johanne Chryſoſtomo, pag. mihi 29. editionis Amſtelodamenſis, quem hic verbotenus referam. „En fere omnes ſermones divo Chryſoſtomo attributos, Græce & Latine impreſſos. „Alii plures in bibliothecis manuſcripti, falſo „nomen ejus præferentes, non tantum ipſo indigni, ſed qui nec lucem publicum merentur. „Tantum enim prudentiæ ineſt, occultandis bibliothecarum pravis mercibus, quam bonis „producendis. Furti ſpecies quædam eſt, monumenta utilia in obſcuritate & tenebris continere: ut injuria non modica eſt, obtrudere „libros fatigandis duntaxat lectoribus idoneos. „Hanc ſi legem Reſpublica literaria obſervaſſet „ab incunabulis typographiæ, tanta librorum „peſſimorum multitudine non oneraremur, „tam magnam ſcientiis & artibus liberalibus, ac „in Theologia maxime confuſionem afferentibus. Hoc in transcurſu dictum ſit, occaſione „magnæ ſermonum multitudinis quam ſub „nomine Chryſoſtomi imprimendam curarunt. „Sed minus adhuc ſtupendum, quod redentiores Græci, ut Opellas ſuas efferrent, ex ſeſe parum conducibiles, easdem auguſto Chryſoſtomi nomine inſcripſerint. Quod mirandum „magis, nempe ſatis imprudentiæ nonnullis affuiſſe, ut nomen Græci ſcriptoris ac Chryſoſtomi, fronti plurimorum Latini hominis ſermonum præniſerint. Fieri interdum poteſt, „ut originali Græco amiſſo, ſola duntaxat Latina verſio ſuperſit, ut in ſermone *de Joſeph & Continentia* a S. Auguſtino citato, qui Latine „inter Opera S. Chryſoſtomi invenitur: ſed „impoſſibile eſt, ut ſermones ex Operibus Latinorum patrum educti, vel qui Latine (ut apertum eſt) compoſiti ſunt, ſint alicujus authoris „Græci. Exempli gratia, abſurdum eſſet dicere, Sermonem *de Adam & Eva*, qui ex pluribus „D. Auguſtini locis collectus eſt, ex quo capita „31. & 32. Gennadii *de dogmatibus Eccleſiaſticis* reperiuntur, adſcribere ſancto Chryſoſtomo. „Eſſet quoque exercitatus parum in ſcriptis veterum, qui non videret *Commentarium imperfectum in Evangelium Matthæi*, eſſe authoris Latini: ac plerasque Homilias in vetus & novum „Teſtamentum, quæ Græce non extant, inveniuntur tamen in Latinis Operum S. Chryſoſtomi editionibus, cum veris ejus Opuſculis „immixtæ, compoſitas fuiſſe Latine, & non Græce. Hæ Homiliæ ſunt *Homilia 2. in Geneſ.* & ſequentes usque ad 16. a pag. 206. ultimæ editionis Operum ſancti Chryſoſtomi Lugdunenſis, ad pag. 222. *Octo Sermones* in varias hiſtorias de libris Regum, a pag. 243. usque ad pag. 250. *Homilia 11. in Job* pag. 261. & ſequentibus. *Alia duæ Homiliæ* pag. 267. *Præfationes duæ in Pſalmos* pag. 269. & 270. *Sermo de utilitate Pſalmorum*, p. 272. *Homiliæ in Pſalmos* 9. 14. 22. 24. 25. 26. 29. 33. 37. 38. 39. 40. 42. 68. 71. 84. 90. 93. 95. 96. 121. 122. Sermo in illud Sapientiæ 3. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori &c. Homilia IV. in Eſaiam*, p. 598. 613. & 614. *Homilia in Jeremiam* pag. 616. *Sermo de tribus pueris*, pag. 617. *alius de Suſanna*, ibidem. *Homilia in cap. 6. Zachariæ*, p. 619. Hi omnes fere ſermones præ ſe ferunt authores Latinos, pleni ſunt ſententiis, antitheſibus, luſibus verborum, & figuris Latinum ſcriptorem referentibus. Nec eloquentia, nec abundantia & copia, nec ſublimitas expreſſionum ſancti Chryſoſtomi illic reperiuntur, diſcrepant a methodo & ordine ſermonum illius, denique tractata in illis argumenta non ſunt ea quæ ſanctus Chryſoſtomus agitare conſueverat. Idem ferri debet judicium de plerisque Homiliis in varia loca quatuor Evangeliorum, Græce non repertis: ſcilicet *de XXVII. Homiliis in ſanctum Matthæum*, quæ in ſecundo volumine editionis Lugdunenſis inveniuntur pag. 465. & ſequentibus, usque ad 502. *De XIV. Homiliis in Evangelium S. Marci* a p. 503. ad 519. *de ſex Homiliis in S. Lucam*, a p. 519. ad 529. *De Homilia in Zachæum* pag. 551. Idem Tomo tertio *de variis Homiliis in Evangelium Johannis*, a p. 164. ad pag. 172. Hæ omnes Homiliæ, vel authorum Latinorum ſermones ſunt, quorum aliqui inter Opera ſancti Chryſologi reperiuntur: vel excerpta Commentarii imperfecti in Matthæum, vel verſiones nonnullorum Chryſoſtomi locorum, ſimul collectæ ac colligatæ. Denique *Homilia LIX. ultima in Statuas*, quæ in quinto volumine editionis Lugdunenſis a pag. 75. ad 188. reperiuntur, hujus ultimi generis ſunt: ſicut & aliæ plures *Homilia de diverſis argumentis*, quæ habentur a pag 287. ad pag. 298. & a pag. 312. ad p. 335. Item *Sermones tres de Pœnitentia & Confeſſione & ſermones quidam de Jejunio & Eleemoſyna* a pag. 361. ad pag. 376. Et tandem loci communes de Providentia, de Divitiis, de Blaſphemiis, de voluptatibus, ac de quibusdam argumentis aliis Moralibus, qui in eodem volumine a pag. 582. ad pag. 601. reperiuntur.“ Hæc ille, de maxima multitudine Opuſculorum ſancto Johanni Chryſoſtomo in Latinis editionibus fere omnibus ſuppoſitorum, poſt Sixtum Senenſem & Antonium Poſſevinum, locis præfatis.

Agunt ampliſſime de Operibus ſancti Johannis Chryſoſtomi, Henricus Savilius in editione Græca omnium Operum illius, quam nos hic pro viribus ſimul collectam repræſentavimus. Fronto Ducæus Burdegalenſis ſoc. Jeſu Theologus,

logus, in editione GræcoLatina eorundem Operum. Sixtus Senenſis lib. 4. *Bibliotheca ſancta*, verbo *Johannes Chryſoſtomus*. Antonius Poſſevinus Tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Johannes Chryſoſtomus*. Robertus Cocus in *Cenſura quorundam Scriptorum Eccleſiaſticorum*, pag. mihi 320. Andreas Rivetus libro 4. *Critici Sacri* capp. 1. 2. 3. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis a Bellarmino recenſitis*, Tomo 1. verbo *Joannes Chryſoſtomus* pag. 524. & ſeqq. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo 4. ad annum 398. pag. 252. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo 5. Tomo 3. pag. 7. & ſequentibus editionis Amſtelodamenſis.

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS SANCTI HIERONYMI PRESBYTERI.

Effundendis in publicam lucem S. Hieronymi Presbyteri ſcriptis, plures equidem magno cum labore deſudarunt. Horum primus atque omnium etiam potiſſimus, qui ſequentibus eandem provinciam ſuſcipientibus, palmam omnium eruditorum judicio præripuit, fuit Deſiderius Eraſmus Rotterodamus, cujus opere & induſtria Opera S. Hieronymi Presbyteri omnia, Domino Guillielmo Waramo Cantuarienſi Archiepiſcopo, totius Angliæ Primati dicata, collata ad manuſcriptos Codices plurimos ac venerandæ antiquitatis, anno 1516. Tomis 9. in folio Baſileæ apud Joannem Frobenium prodierunt, atque annis ſequentibus. Eadem editio ab Eraſmo recognita, ibidem anno 1526. apud eundem iterata eſt, unde aliis etiam in locis prodiit. Lugduni nempe 1530. apud Gryphium, Pariſiis anno 1533. apud Claudium Chevallonium, & anno 1546. Baſileæ anno 1553. quæ nitida plane & accurata editio eſt, ibidemque 1565. utraque in folio Tomis IX. apud Hieronymum Frobenium & Nicolaum Epiſcopium, cum paucis obſervationibus Brunonis Amorbachii. Extant hæ ſeptem editiones diverſæ Operum S. Hieronymi Presbyteri, juxta diſpoſitionem & mentem Deſiderii Erasmi, quæ variis atque eruditis tum ſcholiis tum argumentorum ſummariis & annotationibus illuſtrata ſunt. Cum autem Pontificiis ac potiſſimum Monachis, ſincerior Eraſmi animus in cenſuris ferendis non placuiſſet: Marianus Victorius Reatinus Epiſcopus, ut Eraſmi famam, ejusque editione Operum Hieronymi comparatas merito laudes obtegeret, aliam editionem aggreſſus eſt, Romæ completam Tomis novem in folio, annis 1566. 1571. & 1572. apud Manutium, quæ ab hoc tempore, magno Erasmiani nominis damno, ubique locorum obtinuit, iterata variis in locis. Nimirum Antverpiæ 1578. cura ipſius Mariani Victorii, Pariſiis 1579. & 1602. Coloniæ 1616. Pariſiis 1623. & 1643. cui variæ Obſervationes & emendationes acceſſerunt. Denique Bibliopolæ Lipſienſes, commemorari debent qui Lipſiæ ut notum eſt, licet Francofurti illa inſcripta ſit, editionem anno 1684. in XII. Tomis Operum divi Hieronymi omnium exhibuerunt orbi literario, una cum omnibus omnium Collectaneis, Notis, Scholiis, Cenſuris, Indicibus, aliisque ad Hieronymi Opera quibuscunque ſpectantibus, quæ tribus ultimis Tomis comprehenduntur. De quibus nobis ſigillatim, poſt enarratam paucis Divi Hieronymi Presbyteri vitam, differendum erit.

CAPVT PRIMVM.

VITA S. HIERONYMI PRESBYTERI PAVCIS PERSTRINGITVR.

NAtus eſt igitur vir eximius Hieronymus anno a Chriſto nato 329. ſub Imperatore Conſtantino, in oppido Stridonis, quod jam tum a Gothis omnia devaſtantibus everſum fuiſſe, teſtis eſt ipſe in Catalogo Scriptorum illuſtrium, olim Dalmatiæ Pannoniæque confinio. Id hodie nonnulli de quorum numero Blondus eſt, idem eſſe volunt cum eo, quod hac tempeſtate vulgus Sdrignam appellat, oppidulum in Hiſtoria Italiæ regione, inter Petram Piloſam, Portulam & Primontem ſitum, ut horum temporum utamur vocabulis. Pater ipſi Euſebius homo Chriſtianus, frater natu minor nomine Paulinianus, qui & habuit ſororem cujus nomen continuit. Matertera Caſtorina, cum qua diſcidii neſcio quid interceſſerat, ob rem ni fallor familiarem, quam tamen humaniſſimis literis ad concordiam invitat. Ab his domi diligenter inſtitutus, una cum Bonoſo inter ipſos ſtatim parentum amplexus & nutricum blanditias, Chriſtum imbibit. Qui mox Chriſtianæ pietatis rudimentis, ſimulque bonis literis imbutus, quarum ea tunc ætas capax eſſe poterat, Romam adhuc puer miſſus eſt, ut a primaria eo ſeculo tum religionis tum eruditionis magiſtra, liberalibus ſtudiis erudiretur; quod ipſe declarat enarrans caput XI. Ezechielis. Habuit præceptores eximios, Donatum in Grammaticis, Victorium in Rhetoricis: Etiamſi video ambigere quosdam, num hic fuerit Donatus ille cujus extant eruditiſſimi Commentarii in Terentium ac Virgilium. Tum an Victorino præceptore uſus ſit, ex Hieronymi 378.

verbis non ſatis liquet, quibus in Appendice Annalium Euſebii, utriusque meminit in hunc modum: *Victorinus Rhetor & Donatus Grammaticus, praceptor meus, Roma inſignes habentur: e quibus Victorinus etiam ſtatuam in foro Trajano meruit.* Hactenus Hieronymus, magis exprimens alterum, nempe Donatum ſibi præceptorem fuiſſe, quam utrumque: dicturus alioquin, *Præceptores mei.* Adoleſcens Romæ baptizatus eſt, quod ſatis indicat in Epiſtolis duabus 57 & 58 ad Damaſum Papam, teſtatus ſeſe ejus urbis velle ſequi fidem, in qua Chriſti veſtem accepiſſet. Igitur in profanis literis, quas quidam ſeculares vocant, ad plenum eruditus, gravioribus ſtudiis jam animum adjiciens, hac in parte laudatiſſimos etiam viros imitatus eſt: velut Pythagoram, Platonem, Apollonium, ut luſtrandis regionibus, ſapientiæ ſupellectilem redderet auctiorem. Gallias omneis ſic undique luſtravit, ut nonnullis locis habitaſſe videatur: adeo & locorum ſitum ac nomina tenet, & multorum ſibi conciliavit amicitiam. Atque in Epiſtola quadam ad Florentium, teſtatur ſe Treviris ingens Hilarii volumen *de Synodis* ſuapte manu deſcripſiſſe: quod aliquanto poſt ſibi remitti jubet, jam in Eremo quæ Syriam a Saracenis dirimit, agens. Atque hujus peregrinationis comitem bonoſum habuit, ut alicubi declarat ipſe. Hinc Aquilejam perrexit, ubi cum Rufino Aquilejenſi Presbytero intimam amicitiam contraxit: inde per Dalmatiam, Thraciam, atque varias Aſiæ provincias, Evagrio viro prædivite Antiocheno, & Heliodoro condiſcipulo comitibus Antiochiam petiit: ubi in morbum graviſſimum, tum ob aeris vitæque novitatem, tum ob peregrinationis inevitabiles curas & moleſtias incidens, humanitate quorundam Monachorum ad ſanitatem reſtitutus eſt, Evagrii præſertim, cujus etiam hoſpitio aliquandiu uſus eſt. Exinde Monaſticum vitæ inſtitutum amplexus, ac multis receſſibus tentatis, moxque derelictis, tandem anno ætatis 30. in ſolitudinem horridum inter Syros & Agarenos accedens, illic per quadriennium conſedit: ubi rebus neceſſariis Evagrii ſumptu ſuppeditatis, pietatis ac literarum ſtudiis immenſo animi ardore incubuit, linguas Orientales didicit, & ad ſcribendum ſe accinxit. Hieronymum in hac eremo Heliodorus deſerit, in ea moriuntur Innocentius & Hylas ipſius ſocii, in qua & ipſe graviter ægrotat. Invitus igitur ab ea ſecedens, Antiochiam redit, cujus urbis Eccleſia tunc diſcindebatur, factionibus Meletii, Paulini & Vitalis, qui omnes hujus urbis Epiſcopatum invaſerant. Nec anceps Hieronymus dudum extitit, cuinam parti adhæreret, quem baptiſmus Eccleſiæ Romanæ alumnum fecerat: nec poterat non amplecti partes Paulini, quem Eccleſia Romana huic ſedi aliquo modo præfecerat. Cum ergo eam ob rem Damaſo tunc Romæ ſedenti ſcripſiſſet, atque ab eo in Paulini gratiam reſponſum accepiſſet, hujus cauſam pro viribus amplexus eſt, imo ipſe teſtatur ſe Presbyterum Antiochiæ ordinatum, ſub Paulino ejusdem urbis Epiſcopo. Ordinem Presbyteratus a Paulino ſuſcepit, ea conditione ut genus vitæ Monaſticæ a ſe ſuſceptum non deſereret, nec ullis miniſterii functionibus adſtringeretur. Narrat enim in *Apologia ad Pammachium*, dixiſſe ſe Paulino: *Si ſic Presbyterum tribuis, ut Monachum nobis non auferas, tu videris de judicio tuo.* Sanctus etiam Epiphanius Johanni Antiocheno ſcribens, teſtatur ſanctum Hieronymum & Vincentium Presbyteros, nolle ullam miniſterii ſui partem agere, imo nec ſacrificia offerre: *Cum ſancti Presbyteri Hieronymus & Vincentius, propter verecundiam & humilitatem, nollent debita nomini ſuo exercere ſacrificia, & laborare in hac parte miniſterii, qua Chriſtianorum præcipua Lues eſt.* Hanc ordinationem circa annum 376. factam eſſe oportet, aliquanto ante pacem anno 378. inter Meletium & Paulinum ſancitam, Hieronymo tunc temporis agente annum ætatis XXXV. vel circiter. Cum ergo ita ſe a Paulino, ordinari Presbyterum paſſus fuiſſet, ut nulli Eccleſiæ addiceretur, ſed ſolutus ac juris ſui, quocunque vellet ire poſſet: Antiochenæ Eccleſiæ nullatenus alligatus, Bethleem juxta Chriſti Domini præſepe, ſedem venturæ ſenectuti delegit. Quem locum jam religione orbi celebrem, ſcriptis & manſione ſua adhuc longe celebriorem reddidit. Is abeſt ab Hieroſolymis ſex paſſuum millibus verſus meridianam plagam, juxta viam quæ ducit Chebron, eſtque civitas David in tribu Juda. Juxta hanc Paula quatuor Monaſteria condidit, tria mulierum, quibus ipſa præfuit: quartum virorum, in quo Hieronymus cum piis & doctis amicis & ſtudiorum adjutoribus, non minus jucundam quam ſanctam vitam multis egit annis, ut ipſe teſtatur in *Epitaphio Paulæ.* Haud diu tamen tunc temporis ibi manſit, continuo profectus Conſtantinopolim anno 380. vel 381. ubi Gregorium Theologum audivit, & quo præceptore ad intelligentiam ſacrarum Scripturarum uſus eſt, de quo gloriatur in *Apologia adverſus Rufinum* his verbis: *Nunquid in illa Epiſtola Gregorium virum eloquentiſſimum non potui nominare: qui fui apud Latinos impar eſt, quo ego magiſtro glorior & exulto?* Et in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 127. *Gregorius primum Saſimorum, deinde Nazianzenum Epiſcopus, vir eloquentiſſimus, præceptor meus, a quo Scripturas explanante didici &c.* Vbi aliquandiu cum Gregorio manſit, anno 382. Romam appellatus eſt cum Paulino atque Epiphanio Epiſcopus, quorum cauſæ adverſus Orientales patrocinabatur: quod poſt mortem Meletii Antiochiæ Epiſcopi contigit. Hoc ipſe teſtatur in Epiſtolis 16. ad Principiam virginem, & 27. ad Lucinium Hiſpanum, unde tribus poſt annis exiit, ut teſtatur Epiſtola 99. ad Aſellam. Commoratus Romæ, per triennium, apud Paulam pietate ac nominis ſplendore illuſtrem fœminam remanſit, maximam apud

omnes

omnes famam ac nominis celebritatem ob eloquentiam & reconditam doctrinam obtinuit: in tantum ut a Damaſo Papa eligeretur, qui ſibi ab Epiſtolis conſcribendis adeſſet, & a tota plebe ac Clero pariter dignus acclamaretur, qui ſummi Sacerdotii munere fungeretur. Loquitur ipſe in *Epiſtola* II. & in *Apologia ad Pammachium* de Epiſtolis ac reſponſionibus, quas nomine S. Damaſi Papæ ageret. Cæterum in Epiſtola II. ad Ageruchiam, teſtatur ſe juvenem, etiamnum Damaſo a libellis Synodicis fuiſſe, inquiens: *Ante annos plurimos cum in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ urbis Epiſcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem.* Interea nobilium matronarum familiaritatem nactus eſt, imprimis Marcellæ, quæ prima fœminarum Romæ, inſtitutum monaſticum profiteri auſa eſt, cum id vocabuli vehementer Romanis auribus eſſet inviſum. Conceperat autem potiſſimum hunc ardorem mulier, ex Athanaſio ac cæteris Ægypti Sacerdotibus, qui tum Arianæ factionis perſecutionem fugientes, Romam velut ad tutiſſimum communionis ſuæ portum confugerant. His enim referentibus Antonii vitam, cujus etiamnum viventis mira nominis celebritas fuit, ac Monachorum in Thebaïde verſantium, Virginum item ac viduarum didicerat inſtitutum. Complures eadem etiam allexit ad æmulationem propoſiti ſui tum matronas tum virgines, cum primis autem Principiam, Albinam, Paulam & Euſtochium, Aſellam, Ruffinam: ac brevi tantus fœminarum mundi contemptum profitentium accrevit numerus, ut quod prius ob novitatem invidioſum erat, poſtea glorioſum eſſe coeperit. Has omnes Hieronymus ad divinæ Scripturæ ſtudium inflammavit, inflammatas ſua doctrina provexit, quo fœdius eſſet ab Epiſcopis ſacros libros negligi, quos ſexus infirmior amplecteretur. Marcellæ ſtudium teſtatur in ipſius Epitaphio, hiſce ferme verbis: *Et quia tunc alicujus nominis eſſe exiſtimabar, ſuper ſtudio Scripturarum nunquam me convenit, quin de Scripturis aliquid interrogaret.* Ac paulo inferius, *Hoc ſolum dicam quod quidquid in nobis longo fuit ſtudio congregatum, & meditatione diuturna quaſi in naturam verſum, hoc illa libavit, didicit atque poſſedit: ita ut poſt profectionem noſtram, ſi in aliquo teſtimonio Scripturarum eſſet oborta contentio, ad illam judicem pergeretur.* Hiſce rebus inclaruit ita apud univerſos Hieronymiani gloria nominis, ut omnium ſuffragiis dignus acclamaretur, qui Damaſo ſuccederet. Non deerant tamen qui primum illum in Syriam receſſum, & Romanam cum mulieribus nimiam conſuetudinem calumniarentur, & abſentem virulentæ linguæ telis impeterent. Cum mores Clericorum Romæ vehementius argueret, ab ipſis vice verſa ſubſannatus, nimiæ cum Paula familiaritatis accuſatur, famulusque ſuſcitatus dicitur, qui nefariæ cum Paula commixtionis Hieronymum argueret. Verum ille teſte Hieronymo appoſitus equuleo, accuſationem revocavit, ut idem habet in Epiſtola 99. ad Aſellam. Poſt mortem Damaſi anno 385. variis Origeniſtarum calumniis exagitatus, Roma diſcedere neceſſe habuit, ulterius non valens ſuſtinere dicteria in ſe ſparſa, ob frequentiorem cum Paula & Melania conſuetudinem. De rumore iſto ita ille in Epiſtola ad Aſellam citata. *O invidia primum mordax tui! O Satanæ calliditas, ſemper ſancta perſequens! Nullæ aliæ urbi Romæ fabulam præbuerunt, niſi Paula & Melania, quæ contemptis facultatibus pignoribuque deſertis, Crucem Domini quaſi quoddam pietatis levavere vexillum.* Et in hanc ſententiam illic plura, quæ ne longior æquo ſim, prætermitto. Itaque relicta Roma, Syriam repetiit, an una cum Paula & Melania, parum Eraſmo liquet, qui conjicit tamen benigne, matronas priores illuc ſe contuliſſe, & aut mox ſecutum Hieronymum aut diverſo itinere eodem perveniſſe. Reditum illum & hunc quandoquidem Ruſinus calumniatus eſt, deſcribit ipſe in *Apologia* his verbis. *Vis noſſe profectionis meæ de urbe ordinem, narrabo breviter. Menſe Auguſto, flantibus Etefiis, cum ſancto Vincentio Presbytero & adoleſcente fratre, & aliis Monachis qui nunc Romæ commorantur, navim in Romano portu ſecurus aſcendi, maxima me Sanctorum frequentia proſequente. Veni Regium, in Scylleo littore paulum ſteti, ubi veteres didici fabulas, & præcipitem fallacis Vyſſis curſum, & Sirenarum cantica, & inſatiabilem Charybdis voraginem. Cumque multi accolæ illius loci multa narrarent, darentque conſilium, ut non ad Protheï columnas, ſed ad Jonæ portum navigarem, hunc enim fugientium & turbatorum, illum ſecuri hominis eſſe curſum: malui per Maleas & Cycladas Cyprum pergere. Ubi ſuſceptus a venerabili Epiſcopo Epiphanio, cujus tu teſtimonio gloriaris, veni Antiochiam, ubi fruitus ſum communione Pontificis Confeſſoriſque Paulini. Et deductus ab eo media hyeme & frigore graviſſimo, intravi Hieroſolymam, vidi multa miracula, & quæ prius ad me fama pertulerat, oculorum indicio comprobavi. Inde contendi in Ægyptum, luſtravi Monaſteria Nitriæ, & inter Sanctorum choros, aſpides latere conſpexi. Protinus concito gradu Bethleem meam reverſus ſum, ubi adoravi præſepe & incunabula Salvatoris. Vidi quoque famoſiſſimum lacum, nec me inerti otio tradidi, ſed multa didici, quæ ante neſciebam.* Hactenus ille, qui per *aſpides* intelligit Monachos illos Nitriæ, labe Origeniana infectos: quos ut vitaret, gradu concito Bethleem acceſſit. Verum erit fortaſſis, qui putet hæc ad primam Hieronymi in Syriam profectionem pertinere: quæ ad poſteriorem referri, longe mihi probabilius videntur. Tum quod cum Hieronymus pene puer, ut ipſe ſcribit, Syriam primum adierit, non admodum conſentaneum eſt, illum & ignotum & id ætatis, tanto honore ab Epiſcopis celeberrimis ejus regionis exceptum fuiſſe: tum quod hujus profectionis & luſtratæ Syriæ atque Ægypti deſcriptio, cum itinere Paulæ quod in illius deſcribit epitaphio, mire congruat: cui

tum Hieronymum fuiſſe comitem, ex narratione ipſa deprehendere licet. Reliqua ejus vitæ a Guilielmo Cavo mutuabimus, qui libere mentem ſuam de S. Hieronymo aperit: ne ſi plura nos diceremus, inſultare manibus Hieronymi vere hominis, videremur. „Hic loci ingentes cum Rufino amico olim admodum familiari, & Johanne Epiſcopo Hieroſolymitano, „Origeniſmi cauſam tutantibus, lites & inimicitias per plures annos exercuit, & Pelagii ejusque aſſeclarum hæreſim ſcriptis ſuis contudit. „Anno 410. plurimos ab urbe Roma a Gothis „expugnata profugos, Hieroſolymam & loca „ſancta tendentes, in Monaſterio ſuo benigne „excepit, ſummaque qua potuit, ope ſublevavit. Tandem anno 420. famæ ac dierum ſatur, & ſenectute gravis, in receſſu Bethleemico rebus humanis exemptus eſt, ætatis ſuæ 91. „Vt quæ de tanto viro dicenda ſunt, in pauca „contraham: ſufficit elogium, quod ipſi olim „dicavit Proſper ætate ſuppar, libro *de Ingratis*, „non longe ab initio.

Tunc etiam Bethlei præclari nominis hoſpes,
Hebræo ſimul & Græo, Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplar, mundique magiſter,
Hieronymus libris valde excellentibus hoſtem
Diſſecuit, noſcique dedit, quo turbine veram
Vellent exorta lucem obſcurare tenebræ.

„ *Ego Philoſophus, Rhetor, Grammaticus, Dialecticus, Hebræus, Græcus, Latinus, Trilinguis,* ut de „ſe *adverſus Rufinum* Apologia 2. p. 233. loquitur. His adde, quod conſummatiſſimus erat „Theologus, & judice Eraſmo lib. 5. Epiſtolarum Epiſt. 19. omnium Chriſtianorum ſine „controverſia longe tum doctiſſimus, tum facundiſſimus & Theologorum princeps. De „ejus eloquentia atque eximiis animi dotibus, „unus ſententiam dicat Eraſmus loco citato. „Nam cæterorum quidem alios aliæ commendant dotes, in hoc uno συλλήβδην ut ajunt, con„junctum fuit, eximium fuit, quidquid in aliis „per parteis miramur. Et cum in ſingulis egregium eſſe magnum ſit ac rarum: hic ita in „omnibus excelluit, ut longe præcurrat in ſingulis, ſi illum cum cæteris conferas: ſin ipſum „ſecum componas, in nullo præemineat. Tanta eſt rerum omnium ſummarum temperatura. Etenim ſi naturæ felicitatem expendas, „quid illius ingenio vel ardentius ad diſcendum, vel acrius ad judicandum, vel fœcundius „ad inveniendum? Denique quid dexterius aut „feſtivius, ſi forte res delectationem deſideret? „Seu eloquentiæ laudem requiras, in hac certe „Chriſtianos ſcriptores univerſos tanto poſt ſe „reliquit intervallo, ut nec hi cum Hieronymo „conferri queant, qui vitam omnem in uno benedicendi ſtudio contriverunt. Ac prorſus „tantum abeſt, ut quisquam noſtræ religionis „ſcriptor ſit, quem cum hoc poſſis componere: „ut meo judicio, Ciceronem etiam ipſum, ſuffragiis omnium eloquentiæ Romanæ principem, „nonnullis dicendi virtutibus ſuperet: quod quidem in ipſius vita copioſius demonſtrabi„mus. Mihi ſane hoc ipſum ſolet uſu venire in„ Hieronymo, quod olim in Marco Tullio: cum„ quo ſi quem per ſe quantumvis diſertum con„tulero, repente velut obmuteſcere videtur;„ & cujus linguam citra contentionem vehe„menter admiror, ad hunc compoſitus & ad„motus, elinguis videtur & balbus. Sin doctri„nam exigas, quæſo te, quem habet vel eruditis„ſima Græcia ſic abſolutum in omni doctrinæ„ genere, ut cum Hieronymo committendus„ ſit? Quis unquam pari felicitate omnes totius„ eruditionis parteis conjunxit & abſolvit? Cæ„terum quod ſanctiſſimi viri pace dictum ſit,„ præfervidi erat & impotentis animi, qui affectibus ſuis nimium indulgebat. Semel lacceſſi„tus, adverſarios aſperrime tractavit, & ab in„vectiva & Satyrica ſcribendi vena vix ac ne vix„ temperavit. Teſtes ſunt nobis ſatis luculenti, inimicitiæ quas cum Rufino olim ſibi neceſ„ſario, Johanne Hieroſolymitano, Auguſtino,„ Joviniano, Vigilantio, aliisque habuit. In„hos arrepta levi quavis occaſione, & remota„ omni pene gravitate, tota conviciorum plau„ſtra evomuit, nulla perſonæ, dignitatis, eruditionis, ratione habita.„ Epiſtolis quoque 91. & 92. iram erga Auguſtinum, liberali plane viro indignam oſtendit, ut Epiſtola etiam 92. Auguſtinum his verbis, hæreſeos accuſet. *Ego autem, ut ſimpliciter fatear, dignationi tuæ primum idcirco reſpondere nolui, quia tuam quidem Epiſtolam non credebam: nec, ut vulgi de quibuſdam proverbium eſt, lutum melle pladium. Deinde illud cavebam, ne Epiſcopo communionis meæ viderer procaciter reſpondere, & aliqua in reprehendenda Epiſtola reprehendere, præſertim cum quædam in ea hæretica judicarem.* „Qui ergo ita cum Auguſti„no & Rufino viris illuſtribus doctrinaque exi„miis agebat: quid mirum, ſi in ipſum D. Pau„lum Apoſtolum duram nimis & plane inſolen„tem cenſuram exercere ſoleat? Quoties ipſum„ ad criticas Grammaticorum regulas anxie„ expendit, *Solœciſmos & vitioſam elocutionem*, &„ quod *ſermone utatur triviali* objicit, Commen„tario in Epiſtolam ad Epheſios Tom. 9. p. 215.„ & 218. ut Apologiam pro ſemetipſo hac de re„ ſcribere neceſſe habuerit, in Epiſtolam ad Ga„latas cap. 3. p. 170. inquiens: *Nos quotiescun„que Solœciſmos, aut tale quid annotamus, non Apoſtolum pulſamus, ut malevoli criminantur, &c.* Et„ in Epiſt. eandem cap. 6. pag. 198. ait quod *profundos ſenſus aliena lingua exprimere non valeret,„ nec curabat magnopere de verbis, cum ſenſum habe„ret in tuto.* Adeoque in Epiſtolam ad Titum„ cap. 1. pag. 243. *Non juxta humilitatem, ut pleri„que æſtimant, ſed vere dixiſſe Paulum, ſe ſermone„ imperitum eſſe.* Denique in Epiſtolam ad Ga„latas cap. 3. pag 176. *Studium cum ſtultis Gala„tis factum, ſimplicioribus ſolummodo uſum argu„mentis, & quæ ſtulti poſſent intelligere, & pene de„ trivio: adeo ut niſi præmiſſet, ſecundum hominem„ dico, ſapientibus diſputare potuiſſet,* Mitto plura„

in

„in hominem Θεοπνευστον & Apostolorum longe „eruditissimum dicta durius, ne viri doctissimi & „de Ecclesia optime meriti manes nimis solliciitare videar. Certe digamos tanquam scortis solummodo meliores facit, de quibus vide „Epistolam ad Gerontiam seu Ageruchiam quæ „XI. est, *Libros adversus Jovinianum*, & alibi pas„sim, ubi cum immundis Arcæ Noë animalibus „& serpentibus confert: mulieremque secundas nuptias repetentem, cani ad vomitum, suique lotæ ad volutabrum revertenti, comparare non erubescit. In hoc igitur reprehendendus, quod cum virginitatem immodicis prorsus laudibus efferat, de nuptiis minus honeste ac verecunde sentire videatur. Sed *quaque suos patimur manes.* Ita Cavus & vere, „de Hieronymi ingenio.

CAPVT SECVNDVM.

OPERA D. HIERONYMI, JVXTA EDITIONEM ERASMI, EXPENDVNTVR.

QVicunque lectioni Operum divi Hieronymi se accingit, (juxta Andream Rivetum lib. 4. *Critici Sacri* cap. 6.) imprimis vero qui Commentarios quos idem in varios Scripturæ libros edidit, inoffenso pede evolvere, variaque ejusdem Opuscula legere voluerit: illi notandi sunt *Canones duo*, quos ex ipso Hieronymo Franciscus Ribera collegit & sæpe inculcavit, præsertim Proœmio in Zachariam numero 11. & 12. *Primus* est, solere Hieronymum in proœmiis aliorum librorum, sed maxime eorum quos in Paulum scripsit, enumerare authores quos secutus sit, quorum postea sententiam sine nominibus proponit, nihil definiens, sed integrum lectori judicium relinquens: & quidem non raro, etiamsi valde absurde sint, & a Catholicæ fidei regula discrepantes. Inde accusat illum Ruffinus in Invectiva, quasi eadem cum Origene sentientem in Commentario Epistolæ ad Ephesios, cui ita in Apologia prima respondit. *Ego in Commentario ad Ephesios sic Origenem, Didymum & Apollinarium secutus sum, qui certe contraria inter se habent dogmata, ut fidei mea non amitterem veritatem. Commentarii quid Operis habent? alterius dicta edisserunt, qua obscure scripta sunt, plano sermone manifestant, multorum sententias replicant, & dicunt: Hunc locum quidam sic edisserunt, alii sic interpretantur, illi sensum suum & intelligentiam his testimoniis & hac nituntur ratione firmare: & prudens lector cum diversas explanationes legerit, & multorum vel improbanda didicerit, judicet quid verius sit, & quasi bonus trapezita, adulterinæ monetæ pecuniam reprobet &c.* Itaque Hieronymus non oscitantem & inerudituin lectorem postulat. Videat igitur qui eum legit, quos sequatur auctores, quod ex proœmio cognoscet: & cum invenerit, aliquid quod *Origenis* errores, aut *Apollinarii*, aut *Didymi* sapiat, etiamsi ille non rejiciat, sciat non esse Hieronymi. In quo multi errantes, ea ipsi tribuerunt interdum, quæ execrabatur. Idem notavit Benedictus Pererius Jesuita in Genes. cap. 19. Disput. 6. Bellarminus Tomo 4. libro *de gratia primi hominis* cap. XI. cum illi objiceretur authoritas Hieronymi *ex quæstionibus Hebraicis*, in quibus videtur existimasse paradisum terrestrem non fuisse corporeum: *Respondeo*, inquit, *S. Hieronymus eo loco ex aliorum sententia loquutus est, ut sæpe fecit in Commentario Epistolæ ad Ephesios & aliis in locis.* Alter Canon est in Commentariis Prophetarum dum historiam exponit, ea maxime nobis tradere, quæ ab Hebræis accepit: in quibus si quid falsum putat, rejicere continuo solet, quæ autem non rejicit probat. Hoc ex ipso Hieronymo didicimus initio cap. 2. Nahum, in illud Zach. 8. *factum est verbum Domini exercituum:* & initio lib. 2. in Zachariam. Quod si quis in Hieronymo non observaverit, sæpe fluctuabit incertus, & circumferetur omni vento doctrinæ. Ad hæc ne existimes adhærendum necessario iis omnibus, quæ Hieronymus in suis Commentariis probat, quod ipse *Michea* cap. 2. enarrans ait: *Exposui juxta quod mei ingenioli patiebantur angustia.* Et paulo post, *si quis autem in lege Domini dies ac noctes meditatus, majus habuit studium, majus ingenium, otium, gratiamque & potest de præsenti Capitulo probabilius aliquid dicere: non invideo, non aspernor, quin potius cupio ab eo discere quod ignoro, & libenter me discipulum profitebor, dummodo doceat & non detrahat.* Rursus eodem capite inquit, *videtur mihi sic posse sensus reddi vel exprimi, si tamen prudens lector nostræ rationi acquieverit.* Hæc ille.

Jam ad discussionem Operum D. Hieronymi procedendum, juxta Erasmi editionem & ordinem, in quibus primum locum Epistolæ obtinent, velut etiam in editione Mariani Victorii, de quibus in proœmio Dissertationis hujus summatim disseruimus. Quæ autem in editionibus omnibus Operum Hieronymi inveniuntur, & locum primum occupant, seorsim ante & post collecta simul hæc Opera, evulgatæ sunt multis in locis. Prodierunt 2. volum. Romæ anno 1468. in folio, & a Joanne Andrea Episcopo Alevensi recognitæ ibidem in fol. 1470 Moguntiæ 1470. Venetiis 1476. Ut sequiores editiones hoc seculo factas omittam, prodierunt quoque seculo superiori, Dilingæ 1565. Romæ apud Manutium 1565. Antverpiæ 1568. cum notis Gravii. Lovanii 1573. Parisiis 1583. Tres autem primi Epistolarum Tomi, cum procedant eodem ordine & numero, tum in editionibus Desiderii Erasmi, tum Mariani Victorii, ut ex collatione constat: hic argumenta singularum Epistolarum, ad imitationem Ludovici Elliæ du Pin, a Desiderio Erasmo Theologo accepimus, qui genere dicendi aperto & eleganti, cujusque Hieronymi Epistolæ analysim complectitur.

Ita porro de his Epistolis Erasmus in Epistola nuncupatoria editionis anni 1516. ad Guliel-

mum

„mum Waranium Cantuarienſem Archiepi„ſcopum. Denique totum opus, de ea loquor „portione, quam nobis proprio ſumpſimus, in „quatuor digeſſimus volumina. Primo παραινετικὰ & παραδειγματικὰ complexi, quod eo„rum quæ ad vitam inſtituendam pertinent, pri„mam eſſe curam oporteat. Secundum volu„men dedimus ἐλεγκτικοῖς & ἀπολογητικοῖς, ni„mirum his quæ ad refellendos hæreticorum „errores, & malevolorum calumnias, pertinent. „Tertium tribuimus ἐξηγηματικοῖς, videlicet „quæ ſacrorum voluminum habent enarratio„nem. Quartum in tres diviſimus claſſeis, in „quarum primam quædam non inerudita qui„dem illa, nec indigna lectu retulimus, ſed ta„men falſo inſcripta Hieronymo. In proximam „aliena, ſed quæ ſuis titulis authorem teſtentur. „In tertiam, velut in ſentinam, ineptiſſimas in„eptias impoſtoris, haud ſcio cujus, rejecimus: „de quo merito dubites, infantiorne ſit, an in„doctior, an impudentior. Is mihi certe quis„quis fuit, videtur digniſſimus, quem publicis „odiis omnia ſecula proſequantur, qui de omni„um ætatum ingeniis tam male ſenſerit, ut ſpe„rarit neminem futurum, qui inſani rabulæ næ„nias, ab eloquentiſſimi, doctiſſimi, ſanctiſſimi„que viri libris dignoſcere poſſet.

Tomvs Primvs complectes παραινετικὰς & παραδειγματικὰς Epiſtolas, quæ ad vitam inſtituendam pertinent, cum argumentis Erasmi præviis.

Epiſtola 1. ad Heliodorum *de laude vitæ ſolitariæ.*

Cum Divus Hieronymus eremum adiiſſet, Heliodorum ſodalem cariſſimum, qui ipſum officii cauſa proſecutus fuerat, ut alibi teſtatur, apud ſe retinere conatus eſt: quod cum non potuiſſet efficere, literis ad illum datis, ad ſolitariæ vitæ ſocietatem exhortatur. Refellens ſingula quæ eum vel ab eremo deterrere, vel in urbibus remorari poſſent: oſtendensque quam non ſit tutum Epiſcopi munus ſuſcipere, & quam non facile tueri ſuſceptum. Deinde velut in peroratione, eremiticæ vitæ felicitatem decantat, ac ſupremi judicii terrorem ob oculos ponit. Hujus Epiſtolæ nominatim mentionem facit in Catalogo operum ſuorum, & exhortatoriam vocat. Scripſit autem admodum *adoleſcens, ac pene puer*, quemadmodum in proxima teſtatur Epiſtola, illud addens ſeſe in hac *calentibus adhuc rhetorum ſtudiis, pro illius ætatis ratione, ſcholaſtico more luſiſſe.* Proinde ſcatet metaphoris, allegoriis, etiam fabuloſis, epiphonematis, dilemmatis, ac reliquis id genus orationis ornamentis. Conatus artis ejusmodi eſt, ut tyronem, ſed ſummæ ſpei tyronem agnoſcere poſſis. Cæterum argumenti genus πρεσβευτικὸν eſt, de quo paulo poſt dicemus. Scripta eſt hæc Epiſtola circa annum 374.

2. ad Nepotianum *de vita Clericorum & Sacerdotum.*

Nepotiano, qui fuit Heliodori ex ſorore nepos, vivendi formam præſcribit, quam Clerici & Epiſcopi ſequi debeant, ſaluberrima quæque præcepta tradens, de ſpernendis divitiis, & fugienda familiaritate ſecularium, & præcipue fœminarum. De doctrina pietatis, de frugalitate cultus, ædificiorum & victus, de fugienda laude hominum, de fugienda obtrectatione, de fide ſilentii, de fugiendis muneribus, de diſpenſandis in pauperes eleemoſynis. Eſt autem genus paræneticum, in quo mire valet divus Hieronymus, ſicut & in cæteris. Ex hac Epiſtola multa citantur in Decretis Pontificum, compluribus locis. Sub Epiſtolæ finem notat, ſcribere ſe hanc Epiſtolam in ſeceſſu Bethleemico, ac lapidato jam virginitatis libello, quem ſanctæ Euſtochio Romæ ſcripſerat ab annis eremi unde hæc Epiſtola eſt anni 393.

3. ad Heliodorum, *Epitaphium Nepotiani.*

Heliodorum Monachum & Epiſcopum conſolatur ſuper morte Nepotiani Monachi & Presbyteri, ex ſorore nepotis. Ac primum poſt argumentum propoſitum, exſpaciatur in locum jucundum ac plenum affectibus, de morte a Chriſto devicta: deinde conſolationem aggrediens, variis exemplis oſtendit, quatenus Chriſtiano in amicorum morte dolendum ſit. Deinde interminſſa conſolatione, Nepotiani laudes partibus demonſtrativi generis explicat. Poſt regrediens ad intermiſſam conſolationem, oſtenſa miſeria & brevitate hujus vitæ, tum autem publica calamitate temporum, hortatur ad contemptum vitæ, & ad morum correctionem.

4. *Ruſtico Monacho vivendi formam præſcribit.*

Docet Ruſticum Gallum Monachum, eruditum adoleſcentem, quemadmodum oporteat inſtituere vitam, eo dignam cognomine. Admonet imprimis vitandam ſuſpectarum fœminarum conſuetudinem. Tutius autem eſſe, juvenem in Cœnobio, quam in ſolitudine, vitam agere. Tum ſero ad docendum & ſcribendos libros veniendum eſſe, obtrectatorum familiaritatem modis omnibus fugiendam. Ac per ſingula taxat eos, qui ſub prætextu ac titulo Monachi, ſuis indulgent vitiis. Cum mentionem faciat Epiſtolæ, quam ad Nepotianum anno 393. ſcripſerat, anno 394. ſcripta videtur.

5. *ad Florentium* familiaris eſt Epiſtola, nec eget argumento, præſertim tam brevis. Scripta anno 374.

6. *ad eundem* & hæc familiaris eſt, nec eget argumento, ne ſcholiis quidem. Niſi quod ex hac liquet, divum Hieronymum apud Treviros aliquandiu fuiſſe commoratum, ut apud quos grande volumen Hilarii de Synodis, deſcripſerit ſuis ipſius articulis. Eſt autem Trevirorum metropolis inter imperiales Germaniæ civitates, juxta quosdam qui nunc linguæ commercio æſtimant Germaniam: ſed juxta veterum deſcriptionem, inter Galliæ Belgicæ civitates vel imprimis inclyta, ad Moſellæ ripam, plurimum adhuc

adhuc obtinens antiquitatis. Quæ mihi jure optimo gloriari poſſe videtur, quod tam eximium virum hoſpitem habuerit: atque id quidem non exiguo temporis ſpatio.

7. ad Lætam *de inſtitutione filiæ.*

Lætam hortatur, ut filiam ſuam jam inde ab ipſis incunabulis ad pietatem Chriſtianam inſtituat, & ſtatim antequam ullis inficiatur vitiis, ſanctas imbibat cantiones, ut & inter blanditias nutricum, & luſus puellares, Chriſti guſtum accipiat. Deinde de cultu, de victu, & quomodo jam adoleſcens ſit à ſecularium contagio arcenda. De ſtudio divinæ Scripturæ, de fugiendis apocryphis, ſaluberrima tradit præcepta: adhortans ut mature mittatur in Bethleem, antequam ulla macula contaminetur, ſe & magiſtrû & nutricium fore pollicens. Hanc Lætam Toxotius Paulæ filius duxerat uxorem, ex qua filiam nomine Paulam ſuſcepit, quam avia Paula virginitati deſtinarat: ut teſtatur Hieronymus in Epitaphio Paulæ. Ipſa mater Læta, mortuo Toxotio, monitis & exemplo ſocrus, in viduitate perſeverare decreverat. Scripta eſt ex ſeceſſu Bethleemico circa annum 400.

8. Ad Demetriadem *de ſervanda virginitate.*

Laudat Demetriadem virginem, Julianæ filiam, neptem Probæ, quod ſe Chriſto conſecrarit, hortans ut perſeveret, utque ſtatim obſiſtat inſtinctibus diaboli ſollicitantis ad turpia. De ſtudio, de jejunio, de obedientia, de fugiendis jocis, cæterisque rebus, quæ ad virginis inſtitutum pertinent, præcipit. In hac Epiſtola ſtilus nonnihil diſcrepat a cæteris, movent & alia quædam: verum de hoc in præſentia non pronunciabo, donec compertius aliquid ero nactus. Scripſit autem jam fere decrepitus, ut teſtatur ipſe, poſt Romam a Gotthis captam, anno 411. vel 412.

9. Ad Salvinam *de viduitate ſervanda.*

Salvina mulier nobiliſſima, puella adhuc, juvenem maritum ac nobilem amiſerat, relicto Nebridio puero, & hujus ſorore. Maritum laudat Hieronymus, ut vidua liberos ſuperſtites diligenter educet, admonet. Docet quibus rationibus caſtimoniam & famam tueri poſſit, ab iterandis nuptiis vehementer deterret. Scripta aliquanto poſt mortem Mariti Nebridii circa annum 400.

10. Ad Furiam, *de viduitate ſervanda.*

Hortatur Furiam viduam, Titianæ filiam, Probi Conſulis nurum, ut in cœlibatu perſeveret, nec matrimonium iterare velit: & quoniam adhuc viventi erat ætate, quibus modis pudicitiam ſimul ac famam tueri debeat, præcipit. Teſtatur ſe ſcribere, duobus annis poſt libros adverſus Jovinianum, aliquanto ante annum 392. conſcriptos: unde Epiſtola anno 394. ſcripta fuit.

11. Ad Gerontiam vel Ageruchiam viduam, *de monogamia.*

Dehortatur Gerontiam viduam a digamia, hoc eſt, ſecundis nuptiis, refellens eos qui ex verbis divi Pauli probabant iteratas nuptias. Epiſtola eſt cum primis elegans & erudita, primam partem habet laudatoriam, veluti per excurſum, quo fere ſolet uti. In ſecunda tractat argumentis rem ipſam. In tertia rurſum exſpatiatur in locum communem, de calamitatibus rerum humanarum. Sed mirum, quam ſcite utramque digreſſionem ad propoſitum argumentum accommodet, optimus artifex. Concludit deſcriptione miſerrimi ſtatus Imperii Romani, ex incurſionibus barbarorum in Gallias & Hiſpanias, unde nec Roma formidine careat. Id evincit Epiſtolam hanc ſcriptam eſſe aliquanto ante Romam a Gotthis captam, quod anno 410. contigit.

12. Ad Gaudentium *de Pacatula infantula educatione.*

Ad preces amici Gaudentii, docet quibus rudimentis imbuenda ſit rudis ætas puellæ, virginitati deſtinatæ, priusquam boni malique diſcrimen noverit. Deplorat miſerias Romæ à Gotthis captæ, quod anno 410. accidit.

13. Ad Paulinum, *de inſtitutione Monachi.*

Paulinus juvenis eloquens & Monachus, ut tum quidem erant Monachi, Hieronymum literis, cum aliis nominibus, tum his præcipue laudarat, quod ſenex in ſanctis ageret locis. Miſerat una librum, quem in defenſionem Theodoſii Imperatoris ſcripſerat: rogans ut ſibi præſcriberet, quam vitæ formam potiſſimum ſequi deberet. Hunc igitur collaudatum ob inſignem eloquentiam, hortatur ut arcanarum literarum ſcientiam adjungat. His Paulinus, Paulæ ni fallor cognitus, poſtea Nolanæ civitatis Epiſcopus fuit, ut Gennadius teſtatur. Puto diverſum ab eo, quem divus Hieronymus in Epitaphio Marcellæ, teſtatur Antiochenæ in Syria Eccleſiæ Epiſcopum fuiſſe, a quo Romam cum Epiphanio retractus eſt, cujus meminit & in Epitaphio Paulæ Romanæ. Hæc Epiſtola ſcripta poſt converſionem Sancti Pauli & ante ejus ordinationem, circa annum 380.

14. Ad Celantiam matronam, *de ratione pie vivendi*, forte Epiſtola Paulini Nolani Epiſcopi.

Celantiæ matronæ, quomodo ſe debeat erga maritum & familiam gerere, præſcribit: illud admonens, in matrimonio votum perpetuæ continentiæ non eſſe ſuſcipiendum, niſi ex utriusque conſenſu. Epiſtola cum primis eloquens & erudita, verum ab Hieronymiano ſtylo plurimum diſcrepans. Conjecturis aliquot huc adducor, ut exiſtimem eſſe Paulini. Primum quod talis hujus dicendi character ſit, qualem illius in ſuperiori epiſtola depinxit Hieronymus. Deinde quod inter Paulini lucubrationes, meminit Gennadius Epiſtolarum quas de mundi contemptu ſcripſerit ad Sororem. Sunt & aliæ quædam, quas ſtilus arguit ejusdem eſſe authoris. Admixtas autem Hieronymianis fuiſſe conſentaneum eſt, vel quod eloquentiam illius propemodum æquent, vel

quod consimilia tractent argumenta, velut æmulante præceptorem Hieronymum Paulino: vel quod ob familiaritatem, quæ illi cum divo Hieronymo summa fuit, convenire visum sit, ut adjungerentur. Atque utinam omnes quæ divi Hieronymi titulo circumferuntur, hujusmodi essent.

15. Ad Marcellam, *de laudibus Asellæ.*

Pater Asellæ somniarat, se in vitrea phiala videre puellam virgunculam. Eam natam, & ante pubertatis annos virginitati consecravit, flammeo virginali tectam. Ea protinus post duodecimum annum Monachæ vitam arripuit, ac Romæ perinde quasi in eremo vixit. Hujus laudes ad Marcellam illius familiarem scribit, ne videretur assentari, quod viventem adhuc tantopere laudaret.

16. Ad Principiam virginem, *Marcellæ viduæ Epitaphium.*

Marcella primæ nobilitatis puella, septimo a nuptiis mense orbata marito fuerat. Deinde Cerealem Consulem nuptias illius ambientem, pertinaciter rejecit, decreta jam in reliquam vitam viduali castimonia. Monachæ vitam prima nobilium fœminarum, ausa est Romæ profiteri, ac multas ad idem institutum pertraxit. A divo Hieronymo divinas literas diligentissime didicit, cum Romæ esset: cui absenti sæpe scripsit, & cum opibus suis adjuvit. Hujus mulieris opera factio Origenistarum, quæ Hierosolymis invalescere cœperat, prodita atq; extincta est. Periit feliciter paucis diebus post urbem Romam a Gotthis direptam. Scribit ad Principiam virginem, Marcellæ quondam contubernalem ac discipulam. Scripta anno 412. vel 413. cum noverit Marcellam mortuam aliquanto post Romam a Gotthis captam, seque scribere ejus Panegyricum duobus post mortem annis.

17. Hieronymus nomine Paulæ & Eustochii, Marcellæ, *ut commigret Bethleem.*

Paula & Eustochium quæ jam in Bethleem demigrarant, his literis adhortantur Marcellam nobilem fœminam, ut Roma, quam Babylonem vocant, relicta, ad loca sancta sese conferat, fruitura tot Christi monumentis. Stylus palam indicat, mulieres in hac Epistola, divi Hieronymi opera usas fuisse. Scripta videtur circa annum 400.

18. Hieronymus, *Marcellam invitat ad rus Bethleemicum.*

Hortatur Marcellam viduam, jam Monachorum institutum sequentem, ut Roma relicta, Bethleem se conferat: per oppositionem ostendens, & quantum habeat Roma molestiarum, & quantum commoditatum habeat rus Bethleemicum scripta eodem videtur anno & tempore, quo præcedens.

19. Ad Eustochium, *de acceptis ab ea munusculis.*

Lusit in hac Epistola sanctis quibusdam locis. Eustochium in natali divi Petri, xeniola quædam misit Hieronymo. Ex mystica interpretatione trahit ad morum institutionem, cujusmodi deberent esse Christianorum joci, ut pietatem pariter saperent & eruditionem.

20. Ad Marcellam, *de acceptis ab ea munusculis*, cujus xeniola missa sibi & Paulæ, filiæque ejus, per jocum interpretatur allegorice.

21. Hieronymus *ad Paulum Concordiensem.* Centesimum agentem annum, Paulum Concordiensem, & tamen adhuc integro viventique corpore, laudat, & libros aliquot ab eo petit commodato. Est autem plena Epistola festivis jocis, nec minus sanctis.

22. Ad Eustochium, *de custodia virginitatis.*

Eustochium ex omnibus Paulæ liberis sola, perpetuam virginitatem amplexata est, solaque matri Bethleem demigranti comes fuit. Sub hujus igitur persona, quoniam apud Romanos primæ nobilitatis fuit, virgines omnes docet, quomodo vivendum sit. Et sicut est boni præceptoris officium, non solum indicat formam, quam oporteat sequi, verum etiam prodit & aperit technas ac fucos Virginum, Monachorum & Clericorum, qui sub prætextu castimoniæ, ventri & avaritiæ servibant. Lusit autem in his depingendis paulo liberius, quam delicatæ quorundam aures ferre possent. Unde alibi scribit, libellum hunc Romæ, nam illic scripsit, fuisse lapidatum: & in Epistola ad Demetriadem, indicat multos hoc offensos fuisse. Et Rufinus inter cætera crimina, hoc quoque viro sanctissimo impingit, quod institutionem virginis professus, omnium omnia crimina prodidisset. Meminit hujus & Severus Sulpitius in Dialogo quodam, sed cum laude. Verum hic liber quam male tractat malos Monachos & Clericos, tam male vicissim ab illis tractatus fuit. Adeo namque mendosum reperimus, ut pro unico vitio exprobrato, decem menda induxisse videantur. Videtur hic quoque quædam durius dicere in matrimonium, cui Hieronymus non admodum favit: imo tanto magis favit, quod voluit esse quam minime inquinatum libidine, & virginitati simillimum. Nominatim illud durius dictum, *Tempus amplexandi & tempus abstinendi a complexibus*, significare in Evangelii lege, tempus esse abstinendi a complexibus. Scriptus hic tractatus Romæ videtur, circa annum 385. sub finem Pontificatus Damasi Papæ.

23. Ad Marcellam, *de agrotatione Blesillæ.*

Blesilla Paulæ filia, mortuo marito, admonita valida febri, totam sese convertit ad Christum, & Monachatum cœpit profiteri, non sine magna invidia & oblatratione cognatorum, quorum obtrectationibus hic respondet divus Hieronymus. Epistola scripta videtur Romæ, circa annum 384.

24. Ad Marcellam *de exitu Leæ.* Ejusdem temporis videtur, cujus præcedens. Porro Leæ mortem, quæ virginum Monasterio præfuerat, cum Consulis designati morte, qui sub idem

fere tempus obierat diem, componit: oſtendens, quantum interſit inter exitum Sanctorum, & interitum eorum quos hic mundus ut felices adorat.

25. Ad Paulam, *ſuper obitu Bleſillæ filiæ.*

Paulæ primogenita filia, ſeptimo poſt nuptias menſe maritum amiſit: deinde periit & ipſa, nomine Bleſilla, maternæ aviæ vocabulum referens. Hujus obitum intemperantius ac ſine fine plorantem Paulam Hieronymus conſolatur, atque etiam acriter objurgat, oſtendens non eſſe Chriſtianorum, tantopere deflere bene vita defunctos. In ipſius autem Epitaphio Paulæ, vitium hoc illi tribuit Hieronymus, quod impenſiſſime dilexerit liberos ſuos. Hujus Epiſtolæ mentionem facit in eo quod modo citavimus Epitaphio, teſtans Romæ (circa annum 384) ſcriptam fuiſſe, nimirum eo tempore, cum illuc per Epiphanium & Paulinum Epiſcopos e Syria retractus, Marcellæ cæterisque nobilibus fœminis innotuiſſet.

26. Ad Pammachium, *conſolatio ſuper obitu Paulinæ uxoris.*

Paulina Paulæ filia, poſt Bleſillam natu maxima, Pammachio juveni docto cum primis & nobili nupſerat. Qua defuncta Monachi propoſitum ſuſcepit, opes ſuas in pauperum ſubſidium elargiens. Laudat Hieronymus uxorem defunctam, adhortans maritum, ut in ſancto propoſito pergat: verecunde ſignificans, ut in Bethleem ſe conferat, anguſtia rei familiaris laborantem, & Paulæ ſocrui, Euſtochioque cognatæ ſeſe adjungat. Scripta videtur circa annum 398. apud Bethleem hæc Epiſtola, quæ tametſi brevis eſt, multum tamen habet & eruditionis & eloquentiæ, utpote ad virum eruditum & eloquentem ſcripta, a viro omnium doctiſſimo & eloquentiſſimo. Scripſit ad eundem & alia permulta.

27. Ad Euſtochium virginem, *Epitaphium Paulæ matris.*

Paula Romana, primariæ nobilitatis mulier, patre Rogato, matre Bleſilla, nupſerat Toxotio: cui quatuor edidit filias, Bleſillam, Paulinam, Euſtochium quæ eadem Julia dicta eſt, & Ruffinam: unum filium paterno nomine Toxotium. Marito defuncto, mundi contemptum profiteri cœpit, atque in eo propoſito Romæ annos quinque vixit. Deinde peragratis ſacris Judeæ locis, peragrata Ægypto ad Alexandriam usque, in Bethleem conſedit. Ibi quatuor inſtituit Monaſteria, unum virorum, tria virginum: inter quas viginti peractis annis, feliciter obiit diem. Hujus Epitaphium Hieronymus ſcribit ad Euſtochium filiam, in quo declarat quantam habuerit totius divinæ ſcripturæ ſcientiam, & quam paratam promptamque memoriam: Cum obierit Paula mater die 22. Februarii ac die 24. humo contecta ſit ſub Conſulatu Honorii VII. & Ariſteneti, hoc eſt noſtro ſupputandi modo, anno Chriſti 404. hoc ejusdem anni Epitaphium Paulæ, credendum eſt.

28. *Ad Lucinium Beticum.* Hic Lucinius Beticus deſtinarat adire Bethleem, & opibus ſuis gregem Hieronymi adjuverat: ſanctum igitur illius propoſitum collaudat, hortans ut pergat quo cœpit, ad perfectam virtutem. Ad quædam etiam reſpondet, de quibus Lucinius ſcripſerat, atque inter cætera concludit: *Sed ego illud te breviter admonendum puto, traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſervandas, ut a majoribus tradita ſunt. Nec aliorum conſuetudinem, aliorum contrario more ſubverti.* Scripta videtur Epiſtola circa annum 406.

29. Ad Oceanum, *Epitaphium Fabiolæ.*

Fabiolam nobilem fœminam laudat, quod poſt lapſum, converſa ad Chriſtum, ſanctiſſimam vereque Chriſtianam egerit vitam, glorioſumque meruerit vitæ finem. Scripſit ad hanc *de veſtibus Aaron*, cujus Epiſtolæ initium eſt, *Vsque hodie &c.* quam in ſuo Tomo reperies. Item alteram, *de manſionibus.* Scripta eſt hæc Epiſtola anno 400. annis duobus poſt Paulinæ orationem funebrem Pammachio ſcriptam, & annis quatuor poſt Epitaphium Nepotiani ad Heliodorum Epiſcopum ſcriptum, ut ibidem ſub initium teſtatur.

30. *Ad Theophilum.* Excuſat ſe Theophilo Papæ Alexandrino, quod librum illius Paſchalem, eruditum pariter & eloquentem, ſerius verterit: impeditus partim obitu Paulæ, partim ſuo morbo. Itaque hæc Epiſtola ſcripta anno 404.

31. *Ad Abigaum Presbyterum Hiſpanum.* Excuſat ſe Abigao Presbytero Hiſpano, quod non reſcripſerit, cujus integritatem laudat. Eundem conſolatur, ne moleſte ferat cœcitatem corporis, cum animo cernat. Orat eundem, ut exhortetur Theodoram Lucinii viduam, per ſe commendatam, ad continuandum ſuſceptum iter ad terram ſanctam, in Jeruſalem. Hoc oſtendit aperte, Epiſtolam hanc poſt Lucinii mortem ſcriptam eſſe, circa annum 408. vel 409.

32. *Ad Caſtrutium.* Epiſtola conſolatoria, eodem circiter tempore quo præcedens ſcripta ad Caſtrucium Pannonium, quam conſolatur de cœcitate oculorum, docens eam quandoque a Deo propitio immitti.

33. *Ad Julianum.* Scripta ex eremo Bethleemico circa annum 408. Julianus dives & potens, intra paucos dies, amiſit duas filias & uxorem: mox incurſantibus barbaris, bonam poſſeſſionum partem perdidit. Hunc comparatione Job conſolatur, & exemplo Pammachii Paulinæque adhortatur ad perfectam vitam, hoc eſt ad abſolutum mundi contemptum, videlicet huc vocante etiam ipſa fortuna.

34. *Ad Exuperantium*, quem exhortatur ut relicta Imperiali militia, conferat ſe ad perfectam Chriſtiani vitam, unaque cum fratre ſuo Quintiliano, Bethleem commigret.

35. *Ad Caſtorinam materteram.* Ex eadem Epiſtola non liquet ad quam ſcripta ſit, titulus tamen indicat hanc ſcriptam ad Caſtorinam materteram, cum qua apparet Hieronymo fuiſſe diſſidii neſcio quid. Rogat igitur, ut tandem ſecum redeat in gratiam. Veriſimile eſt ſcriptam eſſe tempore primæ profectionis Hieronymi in Syriam, & cum illi ſcribat, *quod & ante annum prioribus literis* eandem cum ipſa pacem rogaverit, circa annum 373. vel 374. ſcripta videtur.

36. *Ad Julianum Diaconum.* Familiaris eſt Epiſtola, & ex parte jocoſa, eodem tempore ſcripta, quam ſcripſit juvenis ex eremo, quam Heliodoro comite, primum relicta patria adiit.

37. *Ad Theodoſium.* Ex titulo magis quam ex Epiſtola, cognoſcimus hanc ſcriptam ad Theodoſium & anachoretas cæteros. Apparet ſcriptam fuiſſe poſt annum 374. quo deſertum Syriæ reliquit: nec illic manere poſſet, ob vexationem regionis: nec redire, quod jam aggreſſus eſſet hoc vitæ genus.

38. *Ad virgines Hermonenſes.* Scripta videtur e deſerto Syriæ circa annum 373. Apparet hoc eſſe fragmentum Longioris Epiſtolæ. Scripſerat in charta puſilla ob inopiam, & tamen minutis literis, quo plus verborum complecteretur. Videtur humaniter exceptus fuiſſe a virginibus quibusdam, quibus gratias agit, quod ipſæ ſanctæ ſe peccatorem non contempſerint. Nec hic titulus additus eſt ex Epiſtola, inſcribitur enim ad virgines Hermonenſes, quas apparet fuiſſe in monte Hermon.

39. *Ad Auguſtinum.* Nec a quo ſcripta ſit hæc, nec ad quem, ſatis liquet: ſtylus Auguſtinum magis reſpicit, quam Hieronymum. Lege urbs eſt in Africa, unde magis videbitur eſſe ſcripta ab Auguſtino.

40. *Ad Ruffinum.* Cum primum Hieronymus relictis cognatis & amicis Syriam adiiſſet, Heliodorus aliquantisper apud eum commoratus, in patriam reverſus eſt, Innocentius febri periit, ſoliusque Evagrii & Hylæ contubernio ſublevabatur. Nam Bonoſus cum quo pariter ab infantia fuerat educatus, & in literis inſtitutus, quem ad Monachi propoſitum prior inflammaverat, ſolus in inſula quadam horrida, ſanctam agebat vitam. Ac rebus hoc loco ſtantibus, tandem intellexit Ruffinum, quem & ipſum ſtudiorum ſacrorum ſodalem habuerat, in Ægyptum conceſſiſſe. Hunc igitur invitat ad ſe, & de ſuo ſtatu, deque Bonoſi ſodalis ſui vita, reddit certiorem. Scripta circa annum 373. vel 374.

41. *Ad Nitiam.* Expoſtulat cum Nitia hypodiacono Aquilejæ, quod nihil ſcribat, velut immemor recentis amici: quem exemplo Chromatii & Euſebii hortatur, ut aliquando ſcribat. Hic Nitias Hieronymo delitiarum ſodalis fuit, & peregrinationum comes. Quanquam ad quem ſcripta ſit Epiſtola, liquet e titulo, non ex ipſa,

42. *Ad Chromatium.* Chromatius & Euſebius fratres, una cum Joviniano amico & matre, nec non ſororibus virginibus, eadem in domo ſancte vivebant. His omnibus una Epiſtola ſatisfacit Hieronymus, laudes Bonoſi de quo ſcripſerant, comprobat. Sororem ſuam illis commendat, & ſanctum illorum contubernium laudibus extollit.

43. *Ad Chryſogonum Monachum.* Expoſtulat cum Chryſogono Aquilejæ Monacho, quod nihil ſcribens, oblitus videatur abſentis amici? idque tam cito, & ejus quem nuper amicum habere cœperit.

44. *Ad Antonium, de modeſtia.*

45 *Ad Ruſticum.* Quidam ex conſenſu uxoris, inſtituerat ab uſu matrimonii abſtinere: ſed per occaſionem domeſticæ conſuetudinis, relapſus eſt ad coitum. Illa pœnitens, ad loca ſancta ſe contulerat, ubi Hieronymo rem narraverat. Adhortatur igitur maritum, ut uxoris exemplo pœniteat, & ſacra viſat loca. Opinor nomen ejus ad quem ſcribit, data opera ab Hieronymo prætermiſſum, ne famam illius notaret: quanquam haud ſcio quis hanc epiſtolam inſcripſerit ad Ruſticum.

46. *De vitando ſuſpecto contubernio.*

Docet viduis & virginibus vitandam eſſe domeſticam conſuetudinem eorum, unde ſit periculum vel pudicitiæ, vel famæ Argumentum Epiſtolæ narrat ipſe. In calce hujus libelli ſubſignificat hoc argumentum a ſe declaratorio more fuiſſe ſumptum & tractatum. Idem innuit in alia quadam Epiſtola, unde nec hic ullum nomen admiſcetur usquam. Verſatur in genere ſuaſorio, tamen plurimi incidunt loci conjecturales, in quibus mire luſit Hieronymus. Vtitur crebris dilemmatibus in argumentando, multum item admiſcet feſtivitatis.

47. *Objurgatio gravis in Sabinianum Diaconum.*

Diaconus quidam impoſtor, fugiens maritum cujus vitiaverat uxorem, Epiſcopi ſui literis Hieronymo commendatus, venerat in Bethleem, ſimulans ſe velle Monachum fieri, qui receptus eſt. Hic in ipſis ſacris locis virginem quandam ad ſtuprum ſolicitare auſus eſt, cui deprehenſo, & veniam petenti ignovit Hieronymus. Is deinde paſſim cœpit obtrectare famæ ſancti viri. Admonet igitur eum, ut ingreſſus Monaſterium aliquod, pœnitentiæ laboribus expiet ſua commiſſa. Apparet hoc quoque thema, ab Hieronymo declamatoria ratione tractatum.

48. Ad Innocentium, *de muliere ſepties icta.*

Vercellis maritus quidam uxorem innoxiam adulterii detulerat, conjectam in carcerem una cum juvene, quem accuſarat maritus. Admoventur tormenta, juvenis impatiens, quod non admiſerat, confeſſus eſt: mulier conſtanter negavit. Vterque damnatus ducitur ad ſupplicium, ille occiditur: hæc ſæpius icta vixit, demum admoto jugulo mucrone, mori viſa eſt.

est. Sublatum cadaver revixit. Huic, cum ad supplicium iterum requireretur, Evagrius ab Imperatore libertatem suis precibus impetravit. Lusit in hac Epistola divus Hieronymus artificio scribendæ Epistolæ, & stilum jam scribendi desuetudine torpescentem, hac nova exercitatiuncula renovavit.

49. *Vita Pauli Eremitæ.* Videtur & hoc Hieronymus exercitandi ingenii gratia lusisse. Agit de ortu, vita & obitu Pauli, primi sicut putant eremitæ, & quomodo a divo Antonio Monacho sepultus fuerit. Tanta erat in exemplaribus varietas, ut appareat Hieronymum sæpe idem argumentum aliis tractasse verbis, aut alium hoc fecisse, exercendæ copiæ causa.

Vita Sancti Hilarionis Monachi. Paulus & Hilarion diverso vitæ genere parem assecuti sunt laudem. Ille per omnem vitam latitavit, hoc ipso notissimus, quod nulli notus fuerit: hic dum huc & illuc discurrens fugitat famam, quo magis fugit hominum notitiam, hoc magis innotuit omnibus.

Vita Malchi captivi Monachi. Depinxit Solitarium, depinxit celebrem, depingit hic captivum & aptatum Hieronymus, qui lusit in hoc argumento, ingenii exercitandi gratia. Cæterum apparet, non casu, sed studio alicujus accidisse varietatem lectionis.

50. Ad Dextrum Prætorio Præfectum, *Catalogus Scriptorum Ecclesiasticorum.*

Eruditum opus & Hieronymo dignum, sed quod nemo cui bonæ literæ cordi sunt, sine gravi dolore legere possit, nimirum hinc intelligens, extat egregiis clarissimorum virorum monumentis vix paucula quædam supereſse, atque ea sane mutila, depravata, contaminataque. O jacturam vere deplorandam, si quid proficeretur, complorationibus. Vertit hunc librum Græce Sophronius, cujus mentionem facit inter cæteros Hieronymus, nec id sane infeliciter: ex quo permulta restituimus, exemplar emendatum ac vetustum nacti. *Catalogum* etiam *Gennadii*, non omnino lectu indignum ob historiæ cognitionem, post nostra in hoc opus Scholia reperies. Ne quid autem fallat lectorem, illud noverit, *Andream*, *Jacobum Zebedæi filium*, *Philippum*, *Bartholomæum*, *Thomam*, *Simonem Cananæum*, *Matthiam*, *Timotheum*, *Titum* & *Crescentem*, non censeri ab Hieronymo, sed additos a studioso quopiam ex alio Catalogo: nam pleraque conveniunt cum his quæ retulit Theodorus Tyri Episcopus. Cæterum ab Hieronymo non commemorantur, nisi Scriptores. Nos tamen in hoc vertimus, ne Latina-Græcis non responderent. Bene vale. Præter editiones omnium Operum divi Hieronymi, hic tractatus seorsim prodiit cum aliis ejusdem argumenti Scriptoribus ac notis Suffridi Petri, instructus, Coloniæ 1580. in 8. Lovanii & Helmstadii anno 1611. Lugduni cum notis Rosweidi 1617. denique Antverpiæ in folio 1639. cum notis Auberti Miræi.

CAPVT TERTIVM.

TOMVS SECVNDVS EPISTOLARVM HIERONYMI, CVM ARGVMENTIS ERASMI, RECENSETVR.

COmplectens *ἐλεγκτικὰ καὶ ἀπολογητικὰ*, nimirum ea quæ pertinent ad refellendas diversas hæreses, & maledicorum calumnias: una cum argumentis, annotationibus & scholiis Desiderii Erasmi Roterodami.

51. Adversus Helvidium *de perpetua virginitate Beatæ Mariæ.*

Helvidius Auxentii discipulus, Symmachi imitator, homo nec facundus nec eruditus, scripsit librum, in quo testimoniis divinæ Scripturæ non intellectis probare conabatur, Deiparam Mariam postquam Jesum citra conjugis operam peperiret, ex Joseph marito filios aliquot communi more produxisse, eosque in divinis literis fratres Domini vocatos fuisse. Et invenit hic egregius Doctor discipulos, hoc est, reperit dignum patella operculum, qui Helvidiani dicti sunt: sive quemadmodum testatur Epiphanius, Græco vocabulo *Antidicomariani*, quos latine possis dicere, Mariæ adversarios. Ita refert Augustinus in libello *de hæresibus* ad Quodvultdeum. Hunc igitur Helvidium refellit Hieronymus, & Mariam perpetuo fuisse virginem confirmat, etiamsi hoc aperte in literis divinis scriptum non est: sed Apostolorum ac Sanctorum Petrum traditione, veluti per manus ad nos derivatam, & omnium consensu Christianorum comprobatam. Scriptus hic tractatus Romæ, circa 383.

Adversus Jovinianum libri duo.

Jovinianus ex Monacho Clericus, homo obscurus sed dives, nec eruditus tamen nec eloquens, jam olim extinctam Basilidis hæresim instaurare conatus est, Commentariis super hac re editis, quibus ex divinæ Scripturæ testimoniis perperam intellectis, probare nitebatur, virgines, viduas, & maritatas ejusdem esse meriti, si cæteris vitæ operibus non discreparent. Deinde vero baptizatos, non posse relabi in peccatum: quem errorem Augustinus ascribit & Pelagio. Ad hæc nihil interesse inter vescentem cibis & abstinentem, modo cum gratiarum actione sumat: postremo par omnibus fore præmium in regno cœlorum, quicunque suum baptisma servaverint. Hæc cum Romæ doceret, neminem Sacerdotem aut alicujus nominis Clericum trahere in errorem potuit, tantum mulierculas quasdam corrupit: adeo ut hoc audito, quædam virgines sacræ provectæ jam ætatis, nupserint viris. Porro quod ipse non duceret uxorem, id negabat se facere, quod hinc præmium aliquod speraret: sed ne molestiis matrimoniorum irretiretur, hoc est, non ut melior esset, sed liberior. Divus Augustinus errores quosdam in Jovinianum confert, quos tamen Hieronymus illi non impingit, utique non dissimulaturus, si quid tale docuisset. Nem-

pe Mariam Jesu matrem pariendo fuisse corruptam: ad hæc, omnia peccata esse paria, quemadmodum habent Stoicorum paradoxa. Verum apparet, Divum Augustinum nec Joviniani, nec in hunc Hieronymi libros legisse, sed tantum rumore populari didicisse, quod de Joviniano noverat. Testatur autem Joviniani nullam factam esse mentionem, nec apud Epiphanium, nec apud Philastrium in Hæresiarcharum catalogo: reperisse tamen in quodam libro, qui scriptoris titulum non habebat, Jovinianum inter hæresiarchas annumeratum. Addit hanc hæresim se juvene ortam, ac protinus extinctam fuisse, nec ad ullorum Sacerdotum deceptionem perveniisse. Apparet autem hujus errorem damnatum fuisse opera Victorini & Pammachii, & antequam adversus eum scriberet Hieronymus. Attamen hoc argumentum non illibenter arripuit, impendio semper favens virginitati, & ob id nuptiis iniquior, quam Episcopi quidam esse volebant. Nactus itaque suum campum, omnes ingenii & eloquentiæ vires explicat, ac veluti luxuriatur, & ita refellit hominem: ut literarum etiam imperitiam, & prodigiosam sermonis infantiam rideat, & insectetur: tota disputatione, quoniam erat prolixior, in duos distributa libros. Nondum scripti erant hi libri, dum librum *de viris illustribus* anno Christi 392. Imperii Theodosii 14. scriberet, cujus mentionem facit in libro 1. *adversus Jovinianum*. Sunt ergo compositi post annum 392.

52. *Pro libris adversus Jovinianum Apologia ad Pammachium.*

Quanquam Joviniani dogma Romæ jam damnatum esset opera Victorini & Pammachii, duo tamen libri adversus eum ab Hieronymo scripti multos offenderant, quod propensior videretur in laudem virginitatis quam oportuisset, & durior in matrimonium. Notatis igitur locis, Pammachius Paulæ gener & Hieronymi quondam condiscipulus, admonuerat familiariter amicum, ut ad ea responderet. Id quod mira causæ fiducia facit Hieronymus, ut non solum refellat quæ objiciebantur, verum etiam multis convitiis insectetur obtrectatores. Vtinam hanc Epistolam diligenter legant isti, qui maligne paucula verba decerpunt ex alienis libris quæ calumnientur, haud perpendentes a quo, cui, qua occasione dicantur: quid præcesserit, quid consequatur. Tantum circa duo verba muliebriter cavillantes, arguti sibi videntur.

53. *Apologeticon ad Domnionem.*

Monachus quidam juvenis & avidus gloriæ, cum antea Joviniani dogma cum cæteris oppugnasset, postea cœpit in Hieronymi libros, quos adversus Jovinianum scripserat, declamare passim, quod contumeliosius scripsisset adversus matrimonium. Hunc igitur mordicus arreptum, miris jocis sursum ac deorsum jactat, ac vexat. Sive vere aliquis fuit talis, sive sub hujus persona, voluit omnes obtrectatores suos deterrere, ut est vafer Hieronymus: & hunc nescio quem subornavit, ne quid offenderet Domnionem, ut apparet, Episcopum, aut certe Abbatem, nam patrem vocat & aliàs. Est autem tota jocosa Epistola, a capite usque ad calcem, sed a nemine temperans, quo liberius convicietur.

54. *Ad Pammachium, pro libris suis adversus Jovinianum.*

Pammachius vir nobilis, affinis Paulæ, consobrinus Marcellæ, Hieronymo amicus, cum videret multos offendi libris quos adversus Jovinianum scripserat, exemplaria suppressit, & ut idem faceret Hieronymus admonuit: quo liberum esset, emendare quæ displicebant. Ad id respondet Hieronymus, eumque adhortatur, ut sacrarum studio literarum, dignum se honore sacerdotii præbeat, ad quod videretur omnium studio accersendus.

55. *Ad Riparium Presb. adversus Vigilantium.*

Hieronymus admonitus Riparii Presbyteri literis, quod Vigilantius quidam doceret non esse adorandos Martyrum cineres, solemnesque Christianorum ad horum sepulchra vigilias damnaret: hac Epistola quasi velitatur ac ad pugnam præludit, ostendens se paratum ad refellendum hominis errorem, si libros illius mitterent. Scripta est hæc Epistola dudum post librum *de viris illustribus*, circa annum 406.

56. *Adversus Vigilantium, Barcinonensis Ecclesiæ Presbyterum.*

Vigilantius natione Gallus, Barcinonensis Ecclesiæ, quæ in Hispania est, Presbyter, scripsit librum in quo docebat, non esse adorandas Martyrum reliquias, nec ad horum sepulchra vigilandum, id quod id temporis magna religione fiebat a Christianis. In hunc ita conviciis debacchatur Hieronymus, ut pluseulum modestiæ in eo desiderare cogar. Vtinam argumentis duntaxat egisset, & a conviciis temperasset. Nam vigilias nocturnas non placuisse Ecclesiasticis viris, vel illud satis arguit, quod horum authoritate sublatæ sint, nomine duntaxat superstite. Nec hodie simili studio concurritur ad Martyrum reliquias. Gennadius huic tribuit eloquentiam, sed divinarum Scripturarum scientiam detrahit. Hieronymus neutrum illi tribuit, attamen quæ citat Hieronymus, mediocrem dicendi munditiem præ se ferunt. Scripta eodem tempore, quo præcedens.

57. *Ad Marcellam, adversus Montanum.*

Circa annum 400. scripta Epistola, in qua refellit paucis Montani hæretici dogmata, & in quibusdam, in quibus videbatur Ecclesiastica consuetudo nonnihil convenire cum illius institutis, ostendit quid interfit inter illius errores & Ecclesiæ sententiam. Licet autem conjicere, Marcellam ob id admonuisse Hieronymum, quod quidam calumniarentur eum de monogamia cum Montani sectatoribus convenire.

58. *Hieronymus Riparío Presbytero.*

Epistola

Epiſtola ejusdem temporis, cujus præcedens. Riparius Presbyter ſummo ſtudio adnitebatur, ut Eccleſias ab hæreticorum dogmatibus purgaret. Vnde adverſus Vigilantium incitaverat Hieronymum, huic ſcripſerat de ſuo conatu, & viciſſim ex Hieronymo cupiebat diſcere, quid de dogmatibus Origenicis actum eſſet, quæ per Ruffinum & illius ſectatores inſtaurabantur.

59. *Hieronymus Apronio.* De eadem re tractat, de qua ſuperior, licet ſtilus non admodum ſapiat Hieronymum, ſuo tamen loco reliquimus. Alioquin ubi legimus Hieronymi domum, hæreticorum perſecutionibus fuiſſe ſubverſam? Niſi forte hoc ſentit de mutata ſede, qua de re meminit in Epiſtola ſuperiore. Ambæ hæ Epiſtolæ ſcriptæ ſub Pontificatu Anaſtaſii, circa annum 400.

60. & 61. *S. Damaſo Romano Epiſcopo.* Hanc Epiſtolam & ſequentem circa annum 374. ſcripſit, cum primum in Syriam demigraſſet, & in ea habitaret parte, quæ Antiochiæ proxima eſt. Quo tempore factiones Arianorum quanquam expulſæ plerisque locis, in aliquot tamen adhuc Eccleſiis aut regnabant, aut regnum ambiebant. Antiochena Eccleſia jampridem magnis rerum vicibus jactata, videbatur adhuc Arianam hæreſim ſapere, & tres hypoſtaſes ab omnibus exigebat. Eam profeſſionem Hieronymus ſuſpectam habens, conſulit Damaſum Romanæ urbis Epiſcopum, ut ſuis literis ſignificet, num eam ſequi debeat: prænonens illum, venenum latere in verbis, ne Campenſibus id ambientibus aſſentiatur. Eſt autem Epiſtola accuratius ſcripta, utpote ad eruditum Pontificem, de re quæ cordi erat. Cum autem vehementer Hieronymus vexaretur, & Damaſus non reſponderet: iterum de eadem re interpellat, blanditiis & obteſtationibus adnitens, ut impetret reſponſum.

62. *Dialogus Hieronymi adverſus Luciferianos.*

S. Auguſtinus in libello ad Quodvultdeum, meminit Luciferi cujusdam Epiſcopi Calaritani, cujus tamen neque Philaſter nec Epiphanius ullam inter hæreticos mentionem fecerunt. Meminit & hujus Platina in Liberio, ſed inter eos qui in exilium relegati fuerant, quod a Liberio miſſi ad Conſtantium, Nicænam fidem damnare noluerint. Meminit ejusdem & divus Hilarius in libro primo ad Cæſareæ Conſtantium, ſed honorifice. Meminit & Hieronymus in appendice ad Chronicon Euſebii, Luciferi cujusdam, qui poſt reſtitutum Athanaſium, una cum Euſebio Vercellenſi revocatus fuerit. Meminit & in Catalogo Scriptorum illuſtrium, verum hunc teſtatur nunquam Ariana pravitate contaminatum fuiſſe, quo loco mortem hominis recenſet. Vnde palam eſt, Auguſtinum ambiguitate nominis deceptum fuiſſe. Hic immoderato in Arianos odio abreptus, Luciferianorum ſectæ nomen & originem dedit. Acrius contendit & protervius, an Epiſcopi qui cum Ario ſenſerant, non adempta prius honore Epiſcopali, recipi debuerint? Deinde an eſſent rebaptizandi, qui ab Arianis baptizati fuiſſent? Cum utrumque affirmaret vel ipſe vel ejus ſequaces, contra illos hoc Dialogo agit Hieronymus, Romæ circa annum 384. conſcripto. Liber autem eſt in primis lectu dignus, quippe qui multa ſalutaria præcepta complectatur, de vita Epiſcoporum, variam item hiſtoriæ notitiam ſuppeditet de primis hæreſibus, de actis Synodi Ariminenſis. Atque utinam divus Hieronymus ad eundem modum, cum cæteris quoque diſputaſſet, & minus conviciorum ingeſſiſſet.

63. *Ad Avitum, quid cavendum in libris περὶ ἀρχῶν.*

Rufinus opinor malé verterat libros Origenis περὶ ἀρχῶν, quia Pammachio ante annos decem Hieronymo miſſi fuerant, unde liquet Epiſtolam circa 407. ſcriptam fuiſſe. Proinde ad Pammachii preces ipſe denuo vertit Hieronymus, nihil immutans. Verum quoniam Arianorum hæreſis & aliorum, in multis videbatur Origenis decretis conſentire, quo poſſet citra religionis periculum legi tam eruditum opus, quæ ſint illic impie dicta, indicat Hieronymus: hoc agens, ne aut periret liber, aut cum pernicie legeretur. At illud aſſecutus eſt ſua induſtria Hieronymus, ut perdito libro, nihil inde teneamus præter ea, quæ ſola ignoraſſe profucrat.

64. *Epiſtola Epiphanii Joanni Epiſcopo Hieroſolymorum.* Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus excuſat ſe Joanni Epiſcopo Hieroſolymitano, quod Paulinianum Hieronymi fratrem, Presbyterum in Monaſterio divi Hieronymi ordinaſſet in illius diœceſi, ipſo inconſulto: deinde commonet, ut ab Origenis erroribus abſtineat. Alibi oſtendimus hanc Epiſtolam (inquit Ellias du Pin) vere ab Epiphanio anno 392. ſcriptam eſſe, quam anno 393. Hieronymus in odium Joannis & Ruffini latinam fecit.

65. *Ad Pammachium adverſus errores Joannis, Hieroſolymitani.*

Joannes Epiſcopus Hieroſolymitanus, ſuſpectus erat, quod Origenis & Arianorum dogmatibus eſſet infectus: a cujus proinde communione divus Hieronymus abſtinebat. Congregato autem ſuper hac re ſub Epiphanio, Monachorum & Presbyterorum Concilio apud Antiochiam efflagitatus eſt Joannes ut ſe purgaret de infamia hæreſeos. Is diu tergiverſatus, tandem miſſo quodam, ſed ſine literis, ſuſpicionem malæ conſcientiæ magis auxit. Hunc igitur in hac Epiſtola anno 393. ſcripta, magna libertate provocat, ut aperte aut hæreſim ſuam profiteatur, aut Chriſtianum ſe eſſe declaret. Hæc tametſi erudita ſunt, absque dolore tamen legi non poſſunt, inter tantos viros, tantos factionum & ſimultatum turbas incidiſſe.

66. *Ad Theophilum adverſus Joannem Hieroſolymitanum.* Inviſerat Syriam Theophilus Epiſcopus

ſcopus Alexandrinus, ut diſſidium inter Epiſcopos & Monachos componeret. Huic igitur purgat ſe Hieronymus, de his quæ ab Joanne Epiſcopo Hieroſolymitano objiciebantur, ac de illo viciſſim queritur, ſed ita ut multa reticeat, ob reverentiam Epiſcopalis gradus.

67. *Præfatio Ruffini in libros περὶ ἀρχῶν Origenis*, ſcripta anno 397. quando Ruffinus verſionem librorum *de Principiis* Origeniis aggreſſus eſt. Ex hac præfatione ingens incendium natum eſt inter Hieronymum & Ruffinum, quod figurata laude videretur id agere, ut Hieronymum in partes Origeniſtarum pertraheret.

68. *Pammachius & Oceanus Hieronymo.* Exſtimulant uterque Hieronymum, ut a calumniis Ruffini, & hominum ſuſpicionibus ſe purget, & ſe ab Origeniſtarum errore alienum oſtendat.

69. *Hieronymus Pammachio & Oceano.* Exponit eodem anno 397. quo animo Origenem legerit & amarit & laudarit, quem ab omnibus legi cupiat, ſi fieri poſſit abſque periculo pietatis: & æmulorum calumnias refellit, ac ſuſpiciones hominum diluit. Coactusque prodit errores Origenis, quas fruſtra defendere conabantur, qui hæreſim ſuam illius prætextu defendere ſtudebant.

70. *Hieronymus Ruffino Aquilejenſi Presbytero.*

Ex hac Epiſtola apparet & ante interceſſiſſe inter Hieronymum & Ruffinum ſimultatem, verum eos rediiſſe in gratiam. Sed ut inquit Horatius, Male ſarta gratia nequicquam coit, & reſcinditur. Deinde cum obliquis Ruffini laudibus in ſuſpicionem hæreſis Origenicæ traheretur, incitantibus etiam amicis, priſtinum inimicitiæ vulnus recruduit, & illa qualiscunque concordia in apertum bellum erupit. Admonet autem ne ſe poſt hac ſimili modo laudet.

71. *Ad Pammachium & Marcellinum, Apologia Hieronymi adverſus Ruffinum libri II.*

Refellit Ruffini calumnias, quas ex aliorum ad ſe literis intellexerat: idque facit majori fortaſſe ſtomacho, quam ut talem decuerit virum, niſi intolerabilis eſſet calumnia, hæreſeos inſimulari. Si cui libebit Ruffini libros in Hieronymum ſcriptos legere, vel ob id quo rectius hæc intelligat (nam alioqui non video magnopere, cur legi debeant) reperiet eos in ſecunda parte Tomi quarti, qui in prima editione ſecundus erat.

72. *Apologia Hieronymi adverſus Ruffinum.*

Miſerat, ut apparet, Ruffinus Epiſtolam ad Hieronymum, contumeliis ac minis plenam, ac præterea libros quos in illum ſcripſerat, ad publicum certamen inimicitiæ provocans. Ad quæ magna libertate reſpondet, in quo non oportebit offendi lectorem. Sua cuique dolent, in alienis facile ſedato animo ſumus. Erat Hieronymus natura ingenio vehementi, deinde bene ſibi conſciæ mentis fiducia, libertatem dicendi addebat. Adhæc laceſſitor improbus, & juxta Publianam ſententiam, læſa ſæpius patientia furor fit. Poſtremo contumelia erat intolerabilis, quippe quæ notam hæreſeos impingebat. Super omnia memineris & Hieronymum licet eruditiſſimum, licet ſanctum, fuiſſe tamen hominem.

73. *Adverſus Pelagium ad Ctesiphontem*, Epiſtola anno 411. ſcripta.

Pelagius Brito Monachus poſt Arium ſucceſſit, author novi erroris, Cœleſtioque ac Juliano fautoribus & adjutoribus, multos in ſuam factionem pertraxit. Is tantum libero arbitrio tribuebat, ut absque gratia Chriſti, ſolis meritis hominem poſſe ſalutem conſequi diceret. Atque ſuper hac re primum a fratribus increpatus, eatenus admonitioni ceſſit, ut gratiam non excluderet, ſed diceret, hac accedente facilius poſſe perveniri ad ſalutem: quaſi & absque hac perveniri poſſet, licet difficilius. Orationes quæ in Eccleſia, vel pro fidelibus, vel pro infidelibus fierent, ut ſupervacuas damnabat: quod diceret, ſibi quemque ſua induſtria præſtare poſſe, id quod peteretur. Verum hoc cum metueret, ne in Concilio Antiocheno damnaretur, recantavit: etiamſi deinceps in ſcriptis ſuis eadem docere non deſiit. Addebat Adæ peccatum nulli nocuiſſe, niſi ipſi qui commiſerat. Omnes infantes tam inſontes naſci, quam ipſe Adam conditus a Deo fuiſſet. Baptizandos autem, non ut a peccato exuerentur, quo carerent, ſed ut ſacramento adoptionis honorarentur. Scripſit tres de fide Trinitatis libros, & Eclogas, hoc eſt, Excerptiones ex libris divinis, in morem indicis per capita digeſtas. Publicatus hæreticus, ſcripſit in defenſionem ſui dogmatis. Damnatus eſt a Zozimo Pontifice inſectantibus Afris, & Auguſtino potiſſimum reliquias factionis perſequente, idque in Concilio apud Carthaginem habito ducentorum & quatuordecim Epiſcoporum. Nam ipſe Pelagius, antequam de hoc pronunciaſſet Zozimus, jam ab Innocentio I. damnatus fuerat. Hæc partim ex Proſpero, partim ex Auguſtino, Gennadio, ac Platina. Hunc Auguſtinus tradit ſua tempeſtate recentiſſimum hæreſiarcharum extitiſſe, hominem eloquentia, ut apparet, munitum. Hujus dogma rogatu Cteſiphontis refellit Hieronymus, oſtendens e quorum fontibus hic error natus fuerit. Atque hac quidem Epiſtola ceu velitatus eſt in Pelagianos, pollicetur autem ſe per otium juſto volumine reſponſurum.

74. *Dialogorum adverſus Pelagium libri III.* Quoniam vita Pelagii prædicabatur a multis, & vir erat eruditionis haudquaquam aſpernandæ, divus Hieronymus rem agit fictis nominibus, quo pariter & minus adverſarium læderet, & reſipiſcendi anſam daret. Id quod primum, ſe quoque feciſſe ſcribit Auguſtinus, ut nomini parceret. Dialogus in tres libros diſtinguitur interlocutoribus Attico & Critobulo, ſcriptus aliquo

quo tempore post Epistolam ad Ctesiphontem, circa annum 415.

75. *Epistola Theophili ad Epiphanium*, anno 399. scripta qua Theophilus Episcopus Alexandrinus Epiphanium Salaminæ Cypri Episcopum adhortatur, ut modis omnibus adnitatur, quo convocata Synodo, hæresis Origenistarum publica authoritate damnetur.

76. *Hieronymus Theophilo Alexandriæ Episcopo.* Theophilum Episcopum Alexandrinum exstimulat in Origenistarum factionem, Epistola anno 398. scripta. Verum in his Epistolis, tametsi doctæ sint, admiror æqualitatem stili, cum Theophilus nisi fallor, Græce scripserit. Unde mihi videtur eruditus aliquis, ex actis hæc conscripsisse: sed integrum nihilo secius, cuique suum judicium esto. Hic Theophilus libro *Historiæ Tripartitæ* decimo, pessimis coloribus depingitur, homo faver & fraudulentus, ingeniique tyrannici, cujus artibus Chrysostomus in exilium actus est.

77. *Theophilus Hieronymo*, scribit victos & explosos & damnatos Origenistas, qui in Monasteriis Nitriæ hæresim Origenis serere & fundare modis omnibus nitebantur.

78. *Hieronymus Theophilo*, cujus industriam collaudat, & prudentem lenitatem, quibus Origenistarum factio victa fuerit.

79. *Hieronymus Theophilo*, scribit in eandem fere sententiam, ejus opera non solum Ægyptum & Syriam, sed Italiam omnem ab hæresi Origenistarum liberatam.

80. *Theophilus Hieronymo* scribit, purgata a se Monasteria Nitriæ omnia Origenistis sectatoribus, pacem esse Ecclesiæ redditam & disciplinam Domini conservatam. Admonet ut explosa factione Origenistarum, & eos ejiciat qui clam & oblique Origenistæ essent, Ruffinum & illius amicos.

81. *Epiphanius Hieronymo*, nuntiat Origenistarum factionem opera Theophili Alexandrini damnatam, exemplar Epistolæ ad eum, velut hujus rei præcipuum adjutorem mittens: & tacite adhortans, ut quos adversus eum libros scripsisset, ederet.

82. *Hieronymus Marcellæ*, excusat se quod paucis scripserit, nimirum occupatus conferendis Hebræorum voluminibus cum editione Aquilæ. παέργον hanc Epistolam vocat, non quod supervacaneum sit, sed alienum ab opere suspecto, & velut extraordinarium.

83. *Hieronymus adversus Vigilantium.* Reprehendit Vigilantium, ut habet titulus, qui factioni Ruffini adjunctus, Hieronymianum nomen & illius amicos infamabat: hortaturque ut aliquando resipiscat, ac calumniari desinat. Epistola scripta circa annum 397. non sine crebris adversus Vigilantium injuriis ac sannis.

84. *Hieronymus Tranquillino*, quem amicum docet, quatenus amplectendus ac legendus sit Origenes.

85. *Hieronymus Marco Celedensi Presbytero.* Scripta circa annum 373. Epistola ex eremo Syriæ, eo tempore quo ab Arianorum factionibus agitatus, qui confessionum trium hypostaseon ab eo modis omnibus exigebant. Cum primum ergo in Syriam venisset, Marco fidei suæ professionem exponit, quæ cum Romana & Alexandrina Ecclesia consentiat.

86. *Hieronymus Pammachio & Marcellæ.* Quibus anno 399. nuntiat studium Theophili Alexandrini Episcopi, in opprimenda factione Origenistarum: adhortans, ut quod per eum apud Orientales factum sit, Romana Petri Apostoli authoritas confirmet, cujus sedis Antistitem Anastasium ob eundem fidei fervorem laudat.

87. *Hieronymus Alipio & Augustino.* Hæc ultima Epistola S. Hieronymi ad Augustinum, quam dedit perferendam Innocentio Presbytero, qui ab Africa in Orientem anno 419. missus fuerat, ad exemplaria Concilii Nicæni perquirenda. Non scripta tantum Augustino, sed & Alipiæ, quibus congratulatur hæresin extinctam, testaturque se nondum rescripsisse contra libros Anniani Celodensis Pseudodiaconi. Loquitur de morte Eustochii, quæ adhuc anno 419. in vivis erat, dum Palladius *Historiam Lausiacam* scriberet: inde colligimus Epistolam esse anni 420.

88. *Hieronymus Augustino*, cujus industriæ gratulatur, per quam factiones hæreticorum extinctæ sint atque extinguantur, qua quidem in re suum quoque studium testificatur.

89. *Hieronymus Augustino*, cui significat palam extinctas ac damnatas hæreses, clam & oblique adhuc moliri, & Episcopum Hierosolymitanum Joannem, dissimulanter favere Arianis. Scripta post damnationem Origenistarum, circa annum 404.

90. *Hieronymus Marcellino & Anapsychiæ.* Interrogatus de origine animarum, ut responderet quid sentiret, jubet ut potius ex Augustino discant, aut ex libris quos scripsit adversus Ruffinum. Narrat Commentarios, in Ezechielem sibi olim cœptos, sed ob hostium barbaricorum incursationes nondum absolutos. Duos Commentarios, operis initium, jubet ut ab Fabiola petat. Oceani doctrinam ac pietatem collaudat. Hæc Epistola est anni 410.

91. *Hieronymus Oceano, num repetens matrimonium a baptismo, possit fieri Sacerdos.*

Refellit eos, qui nolebant eum creari Episcopum, qui ante baptismum uxorem habuisset, & ea mortua post susceptum alteram duxisset: & horum opinionem hæresim Cainam appellat: quanquam & illis temporibus secus erat cautum Constitutionibus Episcoporum, & hodie jure Pontificio, quam Hieronymus sentit. Atque hoc quoque unum est de numero criminum, quæ Hieronymo Ruffinus objicit, contempsisse constitutiones Episcoporum.

92. *Hieronymus Magno Oratori Romano.* Ruffinus subornarat Magnum quendam Oratorem Romanum, qui ab Hieronymo quæreret, cur libris sacris admisceret literas enthnicorum, &

ſacra profanis contaminaret. Huic Epiſtola iſta circa annum 400. conſcripta rationem reddit, oſtenditque quatenus id liceat, & quorum exemplo id faciat.

93. *Hieronymus Evagrio.* Epiſtola ſcripta poſtquam Roma egreſſus eſſet anno incerto, ſed circa annum 387. Refellit errorem eorum, qui Diaconum Presbytero æquabant, oſtendens quid ſit diſcriminis inter Epiſcopum, Sacerdotem, Presbyterum & Diaconum.

94. *Auguſtini Epiſtola Hieronymo.* Origenes ex ſententia Platonis, ſapienti bonoque viro mendacium permittebat, modo ſalutare iis, quorum gratia fieret. Et Hieronymus omnino non caruit ſuſpicione Origenici dogmatis. nam hujus ſententiam ſecutus in Commentariis quos edidit in Epiſtolam ad Galatas, ſcripſerat utrosque Petrum ac Paulum, pro tempore ſimulatione uſos: Petrum cum ſe ſubduceret a menſa, ſupervenientibus Hebræis: Paulum, cum illum in os graviter objurgaret, ut per eum alios deterreret. Auguſtinus igitur adhuc juvenis, blande quidem, ſed tamen ſuſpicioſe Hieronymum de hac re admonet, negans in literis divinis ullam mendacii ſuſpicionem eſſe recipiendam. Deinde improbat ejus translationem ex Hebraica veritate, quod diſcedere usquam a Septuaginta authoritate, nefas eſſe duceret. Scripta circa annum 395.

95. *Auguſtinus Hieronymo* iterum de eadem re ſcribit, oſtendens eum Pauli locum alia ratione potuiſſe exponi. Scripta autem hæc ſecunda circa annum 397. per Paulum quendam delata.

96. *Auguſtinus Hieronymo* per Cyprianum quendam Diaconum circa annum 403. tertio ſcribit, Epiſtolis duabus præcedentibus non redditis. Cum non reſponderet Hieronymus, Auguſtinus eadem inculcat. Quod novum Teſtamentum ex Græcorum fontibus reſtituerit, probat: cæterum idem in veteri Teſtamento, ex Hebræorum literis fieri nolit: ac narrat in urbe quadam periculoſum tumultum exortum inter Epiſcopum & populum, ob unam voculam ab Hieronymo commutatam.

97. *Hieronymus Auguſtino.* Reſpondet tandem ad ſuperiores Auguſtini Epiſtolas, anno 404. Hieronymus, (ut inquit Eraſmus) copioſe quidem, ſed ita ut Andabatas inter ſe commiſſos eſſe, dicas. Nam Pauli locus de diſſimulatione ac ſimulatione tractat, non de mendacio: & Auguſtinus tantum agit de mendacio. Suam interpretationem acriter tuetur Hieronymus, & Auguſtini argumenta de non vertendo veteri Teſtamento rejicit, irridens fabulam illam de tumultu exorto inter Epiſcopum & populum. Hieronymus teſtatur ſe tres ſimul Epiſtolas Auguſtini accepiſſe, per Diaconum Cyprianum, de quibus ſupra num. 94. 95. & 96.

98. *Auguſtinus Hieronymo.* Scribit, quia intellexerat indigne ferre Hieronymum, quod audiviſſet librum contra ab Auguſtino ſcriptum. Id pernegat Auguſtinus, in hoc errans, quod is qui nunciarat, longam Epiſtolam librum appellaſſet.

99. *Hieronymus Auguſtino* aperit de Epiſtola, quam neſcio quis librum appellarat. Excuſat ſe quod nondum reſponderit, illum adhortans ad mutuum amorem, nonnihil querens de debacchatione Ruffini adverſum ſe.

100. *Hieronymus Auguſtino.* Cum adhuc erraret Auguſtinus in nomine libri, cum Epiſtolam Hieronymus ſentiret, & tamen crebris literis reſponſum efflagitaret: hortatur Hieronymus ut certum opus mittat, cui reſponderi velit, juvenem admonens, ne temere ſuoque malo, ſenem ad hujusmodi certamen provocet.

101. *Auguſtinus Hieronymo*, quem placare iratum conatur, utpote quem ſuis Epiſtolis nonnihil irritatum ſenſerat. Hinc deplorat ſimultatem tam atrocem inter Ruffinum & Hieronymum quondam amiciſſimos ortam, adhortans illos ad concordiam.

102. *Hieronymus Auguſtino* reſpondet Epiſtola anno 406. ſcripta, qua indicat ſe Virum honorabilem Oroſium & ſui merito & Auguſtini juſſu ſuſcepiſſe. Libros duos alterum *de origine animæ*, alterum de loco explicando ex Epiſtola Jacobi, nomini ſuo dicatos approbat, ut eloquentiæ omni ſplendore fulgentes, & eruditiſſimos, quos illi per Oroſium miſerat. Paulus Oroſius in fine Hiſtoriæ ſuæ, cum Hieronymo ſibi fuiſſe colloquium teſtatur. Cæterum excuſat ſe Auguſtino, quod tunc non reſponderit.

103. *Auguſtinus Præſidio*, quem rogat ut Epiſtolam ſuam curet Hieronymo reddendam, atque eundem ſibi ſuis quoque mitiget literis.

104. *Hieronymus Auguſtino* quem reſalutat, excuſans quod liberius reſponderit: & rurſum de cucurbita meminit hortatus ut ſuper hac re ſua Commentaria legat, denique invitans ut quæſtionibus contentioſis omiſſis, verſentur in campo ſacrarum Scripturarum. Epiſtola ſcripta anno 397.

105. *Auguſtinus Hieronymo.* Reſpondet accurate libro, quo Hieronymus illi reſponderat, de interpretatione loci qui eſt in Epiſtola ad Galatas. Et cum Hieronymus adjeciſſet ſe neceſſitate compulſum, ut eam interpretationem ſequeretur, Auguſtinus eandem difficultatem alia via potuiſſe explicari demonſtrat.

106. *Hieronymus Auguſtino* teſtatur ſe proximo anno ſcripſiſſe per Aſterium, nunc per Præſidium Romam denuo ſcribit, quem commendat, non ut pecunia juvetur, qua non eget, ſed ut in amicitiam recipiatur. Queritur ſe vexari tumultibus hæreticorum. Illud annotandum in hac Epiſtola, quod Alipium Papam nominat, quem tamen fratrem ſuum appellat.

107. *Hieronymum Aſellæ.* Ingens apud Romanos odium ſibi conflaverat Hieronymus, quod Paulam & Euſtochium primarias fœminas traxiſſet ad inſtitutum Monachorum, neque caruit

caruit suspicione quod Paulam adamaret. Hujusmodi obtrectatorum obloquiis respondet, ac hominum malevolentiam deplorat hac Epistola, quæ anno 385. scripta est, dum navigationi jam proximus esset, ut in Bethleem rediret.

108. *Hieronymus Onaso vel Bonoso.* Epistola ejusdem temporis cum præcedente, qua Onasum quempiam vel Bonosum obtrectatorem ridet, qui quod Hieronymus in suis libris adversus vitia scripserat, ad contumeliam suam pertinere putabat.

109. *Hieronymus* ad *Pammachium, de optimo genere interpretandi.* Ruffinus subornaverat Palladium quendam Galatam adversus Hieronymum, qui illius interpretationem calumniaretur. Hujus refellit calumnias, officium veri interpretis explicans, Ciceronis autem titulum *de optimo genere dicendi*, imitatus est. Cum hic tractatus scriptus sit biennio post interpretationem Epistolæ Epiphanii anno 393. factam, ad annum 395. pertinere colligitur.

110. *Hieronymus Marcellæ.* Hæc Epistola scripta post discessum ejus Roma anno 385. vel 386. respondens illis qui obtrectabant, quod de Græcis & Hebræis literis quædam jam recepta mutasset, immodicam in Hieronymo doctrinam calumniantes, quasi sola insciti Christianum efficiat.

CAPVT QVARTVM.

TOMVS TERTIVS EPISTOLARVM HIERONYMI, CVM ARGVMENTIS ERASMI, RECENSETVR.

COmplectens τὰ ἐξηγητικὰ, nempe quæ ad explicationem divinæ Scripturæ faciunt.

111. *Hieronymus Paulino.* Ethnicorum sapientum & Ecclesiasticorum exemplis provocat ad studium literarum, præcipue sacrarum: & in his quantum sit difficultatis, ostendit. Deinde ceu mundum quendam divinæ Scripturæ exponit oculis, ac veluti per transennam ostendit singulos ejus libros, auctores & argumenta elogiis quibusdam breviter commendans, quo magis inflammet ad ejus studium.

112. *Ad Desiderium præfatio in Pentateuchum Mosis*, qua reddit rationem quo consilio post editionem Septuaginta, Vetus Testamentum ex Hebræorum voluminibus Latine verterit.

113. *Præfatio in librum Josue*, ubi refellit calumnias æmulorum, & hoc opere confecto, polliceatur sese ad intermissam Prophetarum interpretationem rediturum.

114. *Præfatio in libros Regum*, ubi omnium sacræ Scripturæ voluminum velut indicem facit, numerum & ordinem indicans, quæ primæ notæ sint, quæ hagiographa, quæ apocrypha & extra Canonem. At hodie recepta sunt in Canonem, quæ tunc in Canone non erant.

115. *Præfatio in librum Paralypomenon ad Chromatium Episcopum Aquilejensem.* In nonnullis Codicibus ex fragmento primæ præfationis cujus initium *Tantus ac talis* &c. & hac Epistola, nescio quis unam conflaverat præfationem, & artifex connexuerat per *sed* interjectum: quæ sanitati reddita per Erasmum.

116. *Ad Domnionem & Rogatianum Præfatio altera in librum Paralipomenon.* Ostendit utilem esse Geographiam ad divinæ Scripturæ cognitionem. Duos Paralipomenon libros, qui apud Hebræos unus est, cum Judæo quodam Tyberiadensi diligenter collatos, restituit.

117. *Ad Domnionem & Rogatianum Præfatio in Esdram & Neemiam.* Ubi duos Esdræ & Neemiæ libros probat, qui apud Hebræos unico volumine continentur, tertium & quartum improbat.

118. *Ad Chromatium & Heliodorum Præfatio in Tobiam.* Cum hic liber nec sit apud Hebræos & inter hagiographa censeatur, auctore Hieronymo, tamen a nobis inter præcipua receptus est.

119. *Præfatio in librum Judith.* Non affirmat approbatum hunc in Synodo Nicæna, sed ait, *Hunc librum Synodus Nicæna in numero sanctarum Scripturarum computasse legitur.* Subjicit hoc loco aliud argumentum, sed indoctum & parum Hieronymo dignum, *Chaldæo tamen sermone conscriptum, inter historias computari:* quod proinde hic non adjunximus.

120. *Præfatio in librum Hester.*

121. *Præfatio in librum Job.* Ostendit se bis vertisse librum Job, semel juxta editionem Septuaginta, additis obelis & asteriscis, ac rursum ex Hebraïs voluminibus. Hæc utra sit, incertum est.

122. *Altera Præfatio in librum Job.* Hæc est præfatio in Job e Septuaginta versum, sed additis notulis. Additur & tertia præfatio, cujus initium *in terra quidem:* quæ non est divi Hieronymi.

123. *Præfatio in Salomonis Proverbia, Ecclesiasten & Canticum Canticorum.*

124. *Epistola ad Paulam & Eustochium, de Ecclesiaste Blesillæ interpretato, cum adhuc Roma esset.*

125. *Ad Paulum & Eustochium Præfatio in translationem Esaiæ ex Hebraica veritate.*

126. *Præfatio in Hieremiam.*

127. *Præfatio in Ezechielem.*

128. *Præfatio in Danielem.*

129. *Præfatio in duodecim Prophetas minores.*

130. *Præfatio in Jobelem.*

In Bibliis impressis Antverpiæ anno 1570. habetur *Prologus in libros Machabæorum* qui incipit, *Machabæorum libri duo sunt.* Hic Prologus citatur tanquam ipsius Hieronymi a Rossensi Art. 17. adversus Lutherum, Bunderio in Compendio Theologiæ tit. 18. art. 11. & Alfonso de Castro Adversus hæreses lib. 13. verbo *Scriptura*, ut probent libros Machabæorum esse Canonicos. Hunc Prologum reperiet lector apud Isidorum, libro *Proœmiorum*, cujus revera esse putatur.

by Google

tatur. Non esse Hieronymi consentiunt Erasmus, Scultingus, & alii. Nam quod ad Erasmum spectat, ille verba faciens de hoc & altero prologo iisdem libris in aliquibus editionibus præfixis, ad initium Tomi 1. Operum Hieronymi edit. Paris 1533. inquit: *In Machabæorum libris prafationes duæ eodem initio, præfixæ Machabæorum libris, mihi non videntur Hieronymi.* Scultingus in Censura Operum Hieronymi in Confessione Hieronymiana, inquit: *Præfationes duæ in Machabæorum libros, dum Marianus Victorius Reatinus in novissima editione silentio tacite præteriit, neque Tomo 3. cum aliis præfationibus inseruit: satis significavit & Lectori insinuavit, se pro Hieronymianis non agnoscere, consentientibus aliis doctis viris.*

131. *Ad Damasum Præfatio in quatuor Evangelia.*

Denique mihi notare liceat Hieronymum, ut reliquorum Novi Testamenti librorum, ita & Epistolarum Canonicarum novam adornasse versionem. His Prologum præfecit ad Eustochium Virginem, qui etiamsi in omnibus pene Codd. MSS. reperiatur, in impressis tamen raro habetur, etiam in editionibus Erasmianis desideratus. Præmisit eum Expositioni suæ in Epistolas Canonicas, Nicolaus de Lyra Tomo ult. fol. 209. In hoc Prologo duo præcipue nos docet Hieronymus, *primum* in Latinis Codicibus suo tempore, B. Petri Epistolas primum locum inter septem Canonicas tenuisse: *ut quia Petrus primus erat in ordine Apostolorum, prima sint etiam ejus Epistola in ordine caterarum.* Ipse vero Græcos Codices secutus, eas proprio ordini restituit. *Secundo* decantatissimum illum S. Joannis in Epistola prima de Trinitate locum, ab infidelibus translatoribus, quos Arianos præcipue intelligit, esse deletum: Patris, Verbi & Spiritus sancti testimonio penitus omisso: unde nihil mirum videri debet, si in tot Codicibus MSS. desideretur.

132. *Hieronymo Damasus Romanus Episcopus* scribit, cui quæstiones quinque proponit, ex libro Geneseos propositas.

133. *Hieronymus Damaso* rescribens, solvit quæstiones tres ab ipso sibi propositas. Primam, quid sibi vult illud Geneseos 4. v. 15. *omnis qui occiderit Cain, septem vindictas exolvet.* Secundam Gen. 15. Cur, Deus loquitur ad Abraham quod quarta progenie filii Israel essent de Ægypto reversuri: & postea Moyses scribit Exodi 12. *Quinta autem progenie ascenderunt filii Israel de terra Ægypti.* Tertiam, cur Isaac vir justus & Deo carus, non illi cui voluit, sed cui noluit, deceptus errore, benedixit?

134. *Hieronymus Evagrio.* Historiam quæ est cap. 16. Geneseos, de Melchisedec rege Salem, qui decimas acceperit ab Abraham, exponit juxta sensum Pauli, rejecta interpretatione cujusdam infantis & indocti, qui Melchisedec non hominem, sed aut Angelum aut Spiritum sanctum esse voluerit.

135. *Hieronymus Fabiola.* Quod Fabiolæ venti promiserat Hieronymus, id memoriæ illius reddit: jam enim vita decesserat, ut in superioribus ipse testatur. Quæ leguntur in libris Exodi & Numerorum, de egressu Hebræorum ex Ægypto, deque XLII. mansionibus diuturni itineris, juxta tropologiam exponit: quibus gradibus Christianus, relictis vitiis, duce Christo, perveniat ad perfectam pietatem.

136. *Hieronymus ad Fabiolam de vestitu Sacerdotum.* Fabiola nobilissima matrona, Bethleem contulerat sese, illic cum Paula & Eustochio victura, quæ ingruentibus barbaris, redire Romam coacta est. Itaque quod præsenti pollicitus fuerat Hieronymus, nunc absenti cum fœnore reddit. Etenim cum illa tantum doceri postulasset, quid mysterii haberet vestitus Sacerdotum & Levitarum, tam diligenter a Moyse descriptus: adjecit velut auctarium de ritu, ceremoniisque sacrorum, deque vasis templi. Invitat autem illam verecunde, ut quandoquidem pacato jam esset Bethleemitica regio, ad pristinum contubernium redeat.

137. *Hieronymus Dardano.* Quæ de terra promissionis in sacris literis leguntur, eo potissimum ad allegoriam pertinere docet: cum tota Judæorum regio perquam angusta sit ambitu, tum multa loca non sint occupata Judæis, quamvis in promissione recensentur. Et quia potissimum utitur authoritate Epistolæ Pauli ad Hebræos, ad probandum quod incumbit, subjungit: "Illud nostris dicendum est, hanc" Epistolam quæ inscribitur ad Hebræos, non so-" lum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro" Ecclesiasticis Græci sermonis Scriptoribus, qua-" si Apostoli Pauli suscipi, licet plerique eam vel" Barnabæ vel Clementis arbitrentur. Et nihil" interesse cujus sit, cum Ecclesiastici viri sit, &" quotidie Ecclesiarum lectione celebretur." Quod si eam Latinorum consuetudo non reci-" pit inter Scripturas Canonicas, nec Græcorum" quidem Ecclesiæ, Apocalypsim Joannis eadem" libertate suscipiunt: & tamen nos utraque su-" scipimus, nequaquam hujus temporis consue-" tudinem, sed veterum scriptorum authorita-" tem sequentes, qui plerumque utriusque abu-" tuntur testimoniis, non ut interdum de apo-" cryphis facere solent.

138. *Hieronymus Marcellæ.* Docet quid in libro primo Regum, sit Ephod bad apud Hebræos, quod quidam ridicule interpretati sunt: inde explicat, quid sit *Teraphim.*

139. *Hieronymus Ruffino.* Interpretatur historiam de judicio Salomonis per allegoriam, de Ecclesia ex gentibus congregata, & Synagoga Judæorum, quas duas meretrices adumbratas intelligit.

140. *Hieronymus Vitali.* Docet ex annorum supputatione, Salomonem & Achaz ante pubertatis annos, genuisse liberos. Verum ab hujusmodi quæstionibus anxie tractandis dehortatur, quod in litera nihil sit fructus, in allegoria plurimum.

141. *Hie-*

141. *Hieronymus Marcellæ.* Rheticium Heduorum Episcopum taxat, cujus mentionem facit in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 82. cujus Commentarios in Cantica Canticorum legerat, qui quondam ab Imperatore Constantinopolitano sub Silvestro Episcopo ob causam Montensium Romam missus fuerat: quod perperam interpretatus sit *Tharsis* pro Tarso Ciliciæ: & aurum Ophaz ad Petrum accommodet, quia dictus sit Cephas. Hominis eloquentiam non improbat, eruditionem & judicium non probat.

142. *Hieronymus Sophronio.* Quem de divisione Psalterii, & auctoribus ac titulis Psalmorum instruit, parantem Psalmos ex Hebræa veritate versos ab Hieronymo, in Græcam transferre linguam. Hujus meminit in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 134. ut hominis eruditi, qui nonnulla ex Operibus suis in Græcum sermonem verterat.

143. *Hieronymus Sunia & Fretellæ.* Docet collatione voluminum facta, quibus in locis editio Septuaginta ab Hebraica veritate dissonat, & interpretibus cæteris inter se (ut sæpe faciunt) discordantibus, indicat potissimum quid sequendum sit. Hoc opus quoniam reperi satis diligenter emendatum opera Joannis Canonis, viri Græcarum Literarum peritissimi: & quod ad hujusmodi negotium, non minus habeat momenti, summa fide parique præterea diligentia clarissimi viri Joannis Capnionis, postremo fratrum Amerbachiorum: illorum studio contentus, non putari meo labore opus esse. Respondet autem Germanis quibusdam, ostendens quomodo restitui debeant depravata in Psalmis, juxta Hebraicam veritatem, & septuaginta editionem ab ipso Hieronymo sub asteriscis & obelis prius traditam.

144. *Hieronymus Marcellæ.* De decem mysticis vocabulis, quibus apud Hebræos designatur Deus. Nonnihil subolet hoc fragmentum esse, ex Commentario quopiam.

145. *Hieronymus Marcellæ.* Quid sit Hebræis *Alleluja*, *Amen*, *Maranatha*, quo Paulus usus est: & *Ephod*, quæ recepta sunt etiam in Ecclesiis Latinorum, neque translata sunt ab interpretibus.

146. *Hieronymus Marcellæ.* Quid sit *Sela*, hoc est *Diapsalma* in Psalmis adscriptum, ex sententia Origenis explanatum, rejectis aliorum sententiis.

147. *Ad Cyprianum Explanatio Psalmi octogesimi noni.*

148. *Ad Principiam Explanatio Psalmi quadragesimi quarti.*

149. *Ad Marcellam Expositio Psalmi centesimi vigesimi sexti.*

150. *Hieronymus Damaso* exponit primam Esaiæ visionem, explicans illud cap. 6. *Vidi Dominum sedentem super solium excelsum &c.* ubi nonnulla habet de morte Oziæ Regis.

151. *Hieronymus Damaso* explicat ex visione Esaiæ Prophetæ, mysterium Seraphim & calculi candentis, quem sumpsit Angelus de altari.

152. *Damasus Hieronymo* scribit, ut abscissis opinionibus ambiguitatibusque scrupulosis, explicet quid sibi velit juxta Hebraicam veritatem, *Osanna filio David:* orthodoxis viris olim ac nuper, non solum diversa, sed etiam contraria sibimet proferentibus.

153. *Hieronymus Damaso Papæ.* Quoniam vocem Hebraicam *Osanna* Evangelistæ reliquerunt, & celebres alioqui Scriptores vehementer excutierunt ob linguarum imperitiam: Hieronymus a Damaso Romano Pontifice consultus super hac re, vocem explicat.

154. *Hieronymus Damaso* exponit parabolam Evangelicam de filio prodigo & filio frugi. Est alter libellus ejusdem argumenti, sed falso Hieronymo inscriptus, quem in suo Tomo reperies.

155. *Hieronymus Amando.* Amandus Presbyter proposuerat per literas treis quæstiones, simulque de fororis statu consuluit: cujus ad inte rogata singula divus Hieronymus respondet.

156. *Hieronymus Marcellæ* respondet quæ magnis eum provocabat quæstionibus, cujus ingenium otio torpens dum interrogat, docet. Sati facit autem quæstionibus quinque, quas ex Scripturis illa proposuerat.

157. *Hieronymus ad Marcellam, de blasphemia in Spiritum Sanctum*, quodnam peccatum sit, & quo sensu irremissibile sit. Verum Hieronymus quæstionem non solvit, ostendens duntaxat contra Novatianum, hoc peccatum non esse idololatriam.

158. *Hieronymus Hedibiæ.* Apparet hanc Hedibiam eruditam fuisse mulierem, utpote ab eruditis majoribus ortam, Paterio Rhetore atque Delphidio quorum alter Rhetoricam Romæ docuit, antequam Hieronymus ipse nasceretur: alter ipso jam adolescentulo, omnes Gallias prosa versuque, suo illustravit ingenio. Hæc proinde per Apodemium in Bethleem missum, duodecim quæstiones divo Hieronymo proponit, quas ille explicat.

159. *Hieronymus Algasiæ.* Algasia & Hedibia ab extremis Galliarum partibus, in Bethleem usque miserant juvenem Apodemium Hieronymi visendi cupidum, ac per hunc Algasia quæstiones undecim ipsi explicandas proponit. Unde apparet admirabilem divi Hieronymi fuisse famam, ad quem & suum Orosium divus Augustinus misit ex Africa.

160. *Homiliæ duæ Origenis in Cantica Canticorum*, interprete divo Hieronymo, cum præfatione ad Damasum.

161. *Hieronymus Minerio & Alexandro* exponit illud Apostoli primæ ad Corinthios 15. vers. 51. *Omnes quidem dormiemus, sed omnes immutabimur.* Epistola hæc est anni 406. in qua diversas explicationes exacte refert, quas veteres Commentatores his Apostoli verbis attulerunt, citatque

Digitized by Google

Theodorum Perinthi, Diodorum Tarsi Episcopos, Apollinarium Laodiceæ, Acacium Cæsareæ, Origenem & Eusebium Cæsariensem.

162. *Hieronymus Paulino* respondet, qui ad se eloquentes Epistolas scripserat. Duas quæstiunculas literæ Paulini præferebant, unam *quare sit a Deo induratum cor Pharaonis*, Exodi 4. & 7. & 10. & 14. Et Apostolus dixerit, Rom. 9. *Non volentis neque currentis sed miserentis est Dei?* Alteram, *Quomodo sancti sint, qui de fidelibus id est baptizatis nascuntur:* cum sine dono gratiæ postea acceptæ & custoditæ, salvi esse non possint? His duabus quæstionibus ex aliorum sensu respondet, *prima* ex Origenis verbis, *secunda* ex mente Tertulliani in libro *de Monogamia.*

163. *Hieronymus Desiderio.* Scripta est hæc Epistola circa annum 400. post librum *de viris illustribus* compositum, quem illic allegat. Gratulatur Desiderio & sanctæ ac venerabili sorori ejus Serenillæ, quod calcatis mundi fluctibus, ad Christi tranquilla pervenit. Hortatur utrumque per Domini charitatem ut sibi tribuant aspectus suos, & per occasionem sanctorum locorum, tanto munere ipsos ditent.

164. *Hieronymus ad Paulam Urbicam, de interpretatione alphabeti Hebraici.*

165. *Divi Hieronymi quæstiones seu traditiones Hebraicæ in Genesim.* pag. 65.

166. *Quæstiones seu Traditiones Hebraicæ in Libros Regum & Paralipomenon*, quo authore parum liquet, nisi quod probabile est, nonnulla per studiosum quempiam decerpta ex Hieronymi Commentariis, quas in præfatione pollicetur. pag. 74. De hoc Opere erudite Andreas Rivetus lib. 4. *Critici sacri* cap. 5. his verbis: „Quæstionum *in tres libros Regum* librum unum, „& *in duos Paralipomenon* librum unum, quos Nicolaus Lyranus in Commentariis eorundem „voluminum, negat esse *Hieronymi*, affirmans „authorem fuisse Neophytum quendam Judæum, qui ex Hebraicis fabulis, multa non minus ficta, quam ridicula annotaverit. Quam „Lyrani sententiam illud etiam comprobare videtur, quod *Hieronymus* in Annotationibus „quas in Genesim scripsit, Hebræa passim & „Græca divinæ Scripturæ testimonia profert, „Hebraicis & Græcis expressa verbis, expendens „ubique varias diversorum Interpretum translationes: quarum rerum nullam in his Annotationibus mentionem reperies. Assentitur Lyrano Bellarminus in observationibus ad Tomum 3. Hieronymi. Erasmus autem hanc Censuram Operi postposuit, præmittendam. „Non parum discriminis est inter „Annotationes quas divus Hieronymus scripsit „in Genesim, & quas hactenus in reliquos libros „Pentateuchi, quanquam & illas nonnihil abbreviatas suspicor. Et tamen in præfatione „similes Commentariolos pollicetur, nec est „dissimile veri, opus hoc ab Hieronymo fuisse „conscriptum. Verum solet ille in docendo „esse diligentior, quam hic est, citare diversas interpretationes, adducere Græca Hebræaque testimonia, & omnino fusius ac locupletius rem edisserere. Ad hæc quodam in loco propemodum fatetur se nescisse Hebraice. Proinde conjicio præsens Opus a docto quopiam, sed Græcarum & Hebraicarum ignaro literarum, ex diversis in compendium fuisse contractum, omissis his, quæ tantum Latine scientes torquere possent, & his quæ poterat intellectus consequi, breviter annotatis. Advigilandum igitur, si forte liber integer, ut ab Hieronymo scriptus fuit, inveniri queat. Hæc interim indigna visa sunt, quæ prætermitterentur.

167. *Divus Hieronymus, de Locis Hebraicis*, pag. 87.

168. *Divus Hieronymus de nominibus Hebraicis*, pag. 97.

CAPVT QVINTVM.

TOMVS QVARTVS OPERVM HIERONYMI, EX EDITIONE ERASMI, RECENSETVR.

Dividitur hic Tomus in tres partes, in quarum *prima* reperies erudita quædam, sed hactenus falso inscripta divo Hieronymo. In *secunda* aliena quædam, sed suis quæque titulis auctorem testantia. In *tertia*, indigna prorsus lectu, & impudenter attributa doctis viris: quæ tamen adjunxit, ne quid amputasse videretur Erasmus editioni jam receptæ. Omnia autem hæc diligentius ab ipso recognita, cum argumentis prævis, quæ hic subjiciuntur.

Partis primæ Epistola I. *ad Demetriadem virginem*, quæ in MS. Bib. S. Victoris præfert Juliani inscriptionem. Erudita prorsus & eloquens Epistola, sed quam, ut nihil aliud accedat, vel stilus palam arguat non esse Hieronymi. Præterea consentaneum non est, Hieronymum ad eandem virginem iisdem de rebus bis scripsisse. Divus Augustinus nonnihil suspicari videtur ab hæretico Pelagio conscriptam, quod insint in ea nonnulla, quæ Pelagianorum dogmata resipiant: præsertim cum is Pelagius in Epistola quadam, sese ad Demetriadem scripsisse testetur. Beda putat esse Juliani hæretici, qui traditur Pelagiani erroris author. Cæterum error inscriptionis hinc natus est, quod Hieronymus quoque scripserit ad hanc virginem, argumento non dissimili. De hac Epistola sic Rivetus Lib. 4. *Critici sacri* cap. 7. Epistola I. *ad Demetriadem de virginitate*, Pelagiani hominis esse creditur, cum nimium libero arbitrio etiam sine Dei gratia tribuat, quod fatentur etiam qui in eo nimii sunt. *Cœlestii Pelagiani* nomen exemplaria quædam præ se ferebant, jure igitur ab *Augustino & Alypio* Epistola sequente refutatur. Ab Augustino *de gratia Christi* cap. 22. 27. 37. 38. & 40. a quo tribuitur ipsi Pelagio, ut etiam a Baronio Tomo V. *Annalium*, anno 413. num. 17.

2. *Au-*

2. *Auguſtini & Alypii ad Julianam Demetriadis virginis matrem*, quam hic collocavit Eraſmus, ut proximum veneno remedium. In ea enim Auguſtinus præcedentem Epiſtolam ut Pelagianam allegat & confutat.

3. *Ad Geruntii filias de contemnenda hereditate*, quæ Bellarmino ſimiliter Pelagiana eſt. Et ſane nec infans eſt juxta Eraſmum, nec inerudita, non admodum diſcrepans a ſuperioris Epiſtolæ ſtilo, ab Hieronymiano longe lateque diſſidens. Verum quod Geruntii meminit titulus, & ad Geruntiam ſcripſit Hieronymus, hinc opinor errorem tituli natum fuiſſe.

4. *Exhortatio ad Marcellam, ut adverſa toleret.* Non abhorret a ſtilo Paulini, ſicuti nec ſuperior, cujus extant aliquot ad divum Auguſtinum Epiſtolæ. Verum ineptum ſit in tanta Scriptorum turba, quos illa ferebat ætas, divinare cujus ſit, præſertim cum pauciſſima extent. Vt Hieronymo tribueretur, illud anſam præbuit, quod ad Marcellam ſcripta ſit, ad quam & alias ille ſcripſerat.

5. *Conſolatio ad virginem in exilium miſſam.* Hanc non eſſe Hieronymi, ſi parum e ſtilo liqueret, vel illud arguere poterat, quod cum honorifico favorabilique ſit argumento, nullius tamen præferat nomen. Concordat & hujus ſtilus cum ſuperioribus.

6. *Ad amicum ægrotum.* Hæc longius etiam abeſt ab Hieronymiana dictione quam ſuperiores, non abhorrens ſtilo Tertulliani, quantum ex illius fragmentis odorari licet: eſt enim affectatior & duriuſculus, etiamſi gravibus ſententiis. Ne hæc quidem ullius nomen præferebat, aut meminit, quod nusquam Hieronymus facere ſolet.

7. *Ad amicum ægrotum de viro perfecto.* Eloquentis quidem & eruditi hominis hæc Epiſtola fuit, ac diligenter elaborata, ſed ita diſcrepans a phraſi Hieronymiana, ut nec hic illius dictionem potuerit imitari ſi voluiſſet, nec hujus ille. In plerisque codicibus nullum præferebat nomen, in quibusdam Cteſiphontis erat additum. Nec in ipſa Epiſtola fit ulla mentio, ejus ad quem ſcripta eſt.

8. *Inſtitutio amici in ſcientia divinæ legis*, quæ etiam Bellarmino Pelagiana eſt. Præterquam quod totus Sermonis habitus modis omnibus a dictione Hieronymiana diſſidet, vel hinc deprehendi poterat ab alio ſcriptam fuiſſe, quod in plerisque codicibus non erat adſcriptum nomen ejus, ad quem ſcripta fuerit, quod divus Hieronymus nunquam emittere ſolitus eſt, niſi cum odioſius eſt argumentum, velut ad matrem & filiam de ſuſpecto convictu. Præſertim quoties verſatur in argumento declamatorio, in quo ſtuduit magis exemplum proponere, quam rem narrare geſtam. In cæteris non ſolum adſcribit vocabulum, verum etiam aliquid laudis admiſcet Epiſtolæ. In quibusdam adſcripta erat ad Cteſiphontem.

9. *De tribus virtutibus.* Ne pilum quidem Hieronymianæ dictionis hæc Epiſtola, nec ullum veſtigium pectoris illius: quanquam videtur hominis eſſe pii nec indiſerti, forſitan Auguſtini vel Bernardi. Certe cujus eſt, Hieronymi non eſſe, ipſa clamat.

10. *Ad Paulam & Euſtochium ſermo de Aſſumptione beatæ Mariæ Virginis.* Totus hujus Epiſtolæ ſtylus ſic abhorret ab Hieronymiano, ut non dubitem negare Latinum fuiſſe qui ſcripſerit, ſed Græcum. Reſipit enim ſermo totus Græcitatem quandam, & balbutiem hominis in aliena lingua verſantis, id quod ipſe propemodum teſtatur, cum ait: *Latino nitens eloquio.* Quorſum enim attinebat Hieronymum præfari Paulæ & Euſtochio, ſe Latine velle ſcribere, cum quidquid ſcripſit, latine ſcripſerit? Deinde cum addit, *Infantium more balbutientium, qui quæcunque audierint, fari geſtiunt, cum necdum poſſint ad plenum verba formare:* nonne palam indicat, ſeſe tentare ſermonem peregrinum, in quo parum exercitatus ſit? Quod etiamſi non fateatur, ipſa tamen dictio præ ſe fert. Ita Eraſmus, contra quem alii cenſent eſſe authoris Latini ſeculo octavo poſterioris, qui loquitur de *Solemnitate Aſſumptionis beatæ Virginis* celebrata in Eccleſiis: quod ſub initium ſeculi IX. temporibus Caroli Magni, nondum inſtitutum erat, ut ex ejus Capitularibus lib. 1. cap. 158. conſtat. Opuſculum itaque iſtud recentiſſimi authoris eſſe, ex lectione illius aperte conſtat.

11. *Sermo de Aſſumptione beatæ Mariæ Virginis.* Ego hunc ſermonem vidi ſub nomine *Fulberti Carnotenſis* Epiſcopi, cujus apprime ſtilum refert. Vnde fallitur Eraſmus, dum in Cenſura inquit, *Similiter cadentia & ſimiliter deſinentia, adnominationes, traductiones, aliaque id genus ſchemata, denique totius ſermonis guſtus Auguſtinum ſapit: & in nonnullis libris Lectiones quæ recitantur in feſto Purificationis hinc decerpta, nomen illius præferunt.*

12. *De honorandis parentibus.* Tam evidens eſt in hac ſtili diſcrimen, ut cujuscunque ſit, Hieronymi videri non poſſit. Ad hæc nec præfert in titulo nomen ejus ad quem ſcripta eſt, nec usquam habet admixtum.

13. *De ſeptem gradibus Eccleſiæ.* Et hanc Epiſtolam non fuiſſe ab Hieronymo ſcriptam, arguit ſatis diſcrepantia Sermonis: & fuiſſe falſo directam Ruſtico Norbonenſi Archiepiſcopo, qui vivebat ætate S. Leonis Papæ. Ea eſt auctoris Divo Hieronymo longe recentioris, qui nempe multa illic dicta accepit ab Iſidoro Hiſpalenſi, circa annum 600. claro, cujus Epiſcopatus anno 595. contigit, tum poſt multa concilia celebrata anno 636. die 3. Aprilis mortem obiit. Antiquior tamen eſt hic ſcriptor Micrologo, quin & Hincmaro Rhemenſi Archiepiſcopo, qui hoc opus ſub nomine Divi Hieronymi allegat: unde author vel ſeculo VII. vel VIII. Eccleſiæ floruiſſe intelligitur.

14. *Ad Mauricii filiam, Virginitatis laus.* Hanc non eſſe Hieronymi, deprehenſum eſt & ab aliis: etenim in editione Romana adſcriptum fuit,

Divi-

Dicitur, ſed non eſt beati Hieronymi. In quibusdam exemplaribus habebatur hic titulus *ad Mauritium filium*, in aliis *ad Mauricii filium*, in aliis nullius nomen erat adſcriptum. Quorum ſi nihil deeſſet, ſtilus diverſiſſimus ſatis erat argumenti, ex officina Hieronymi non fuiſſe profectam: imo parum abfuit, quin hanc in extremam claſſem rejicerem.

15. *De his qua Deo in Scripturis ſanctis attribuuntur.* Nihil eſt in hoc Opuſculo nec ſermonis, nec eruditionis, nec pectoris, quod Hieronymum reſipiat. Idem autem Tractatus multo fuſior habetur inter Opera S. Auguſtini, Tomo IV. ſub titulo, *de eſſentia divinitatis*, inter ſpuria Opuſcula collocatus.

16. *Damaſi Symbolum*, longe poſterius Damaſo, cum ibi dicatur Spiritus Sanctus procedere a Patre & filio.

17. *Explanatio Symboli ad Damaſum.* Eſt libellus fidei Pelagii Hæreſiarchæ, miſſus Romam ab eo ad Innocentium, de quo loquitur Auguſtinus Libro *de gratia Chriſti* cap. 30. & 32. & 33.

18. *Explanatio fidei ad Cyrillum*, quæ recentis auctoris eſt, ut conſtat ex ratione qua Myſteria explicat.

19. *Ruffini Aquilejenſis Presbyteri, Expoſitio Symboli ad Laurentium Epiſcopum.*

20. *Ad Præſidium Diaconum de Cereo Paſchali.* Hæc Epiſtola non unius hominis eſt. Qui priorem ſcripſit partem, divi Hieronymi ſtilum æmulatus eſt, ut qui ex ejus Epiſtolis ad Heliodorum & cæteros, ſententias quasdam ac verba ſublegerit, homo ſicut apparet, nec ineruditus nec infans. Cæterum ab eo loco cujus initium eſt, *Itaque invitus Placentiam te remitto &c.* haud ſcio quisnam rabula, ſomnia quædam non ſolum indocta, ſed nec ad rem quicquam pertinentia, de naturis animantium affuit.

21. *De vera circumciſione ad Themiſiam.* Vt librum hunc fateor lectu non indignum, ita ſtilus, ut nihil aliud ſit, evidentiſſime declarat non eſſe ab Hieronymo ſcriptum. Inſcriptio variabat in exemplaribus, in aliis erat titulus ad Terentiam, in aliis ad Therapiam. Deinde in ipſo volumine, nulla ſit ullius rei mentio, quæ pertineat vel ad eum qui ſcripſit, vel ad eos quibus ſcripſit: cum hujusmodi ſoleat admiſcere divus Hieronymus, præſertim in principio & in fine. Poſtremo cum ſit juſtum volumen, & de celebri argumento, nusquam tamen ab Hieronymo citatur, qui tamen illi mos eſt in cæteris. Si extaret index operum Tertulliani, fortaſſis inter illius lucubrationes reperiretur: nam phraſis ab illius ſermone non abhorret, quanquam extat Epiſtola Paulini titulo & Theraſiæ.

22. *De celebratione Paſchæ Epiſtola.* Hanc Epiſtolam non eſſe Hieronymi, etſi parum ſtilus argueret, ex hoc certe poterat intelligi, quod is qui ſcripſit, non ſemel teſtatur, ſeſe Græci & Hebræi ſermonis ignarum. Extat autem inter Epiſtolas Auguſtini, ſuo titulo prænotata: ſtilus quoque cum titulo conſentit. Ita Eraſmus, Hoc autem Opuſculum eſt Epiſtola ſancti Auguſtini ad Januarium, quæ olim inter Epiſtolas illius, erat Epiſtola 119. nunc autem 55. in editione recentiſſima ex emendatione Monachorum Benedictinorum.

23. *In Suſannam lapſam objurgatio.* Mirum dictu quam hic liber diverſus habebatur in exemplaribus, nec idem erat initium, & alia in aliis ſupererant aut deerant, tum pleraque diverſa habebantur. Stilus palam arguit non eſſe Hieronymi, etſi non indignum cenſeam qui legatur. Guſtus phraſeos ab oratione divi Auguſtini non abhorret.

24. *In Evagrium objurgatio, quod Levitam lapſum non conſolatus ſit.* Hæc nec ineloquens eſt nec indocta, quanquam ab Hieronymiana dictione longe lateque diſſidens. Magis autem Paulinum reſipit, quam Auguſtinum. Nam ſi verus eſſet titulus, qui teſtabatur ab Hieronymo ſcriptam ad Evagrium: Si ad Epiſcopum ſcribit Evagrium, ſtultum eſt cum vocare fratrem: ſi ad nondum Epiſcopum, nulla veſtigia familiaritatis in Epiſtola.

25. *Adhortatio ad militem ſeculi, ut Chriſto militet.* Ipſa phraſis indicat hanc eſſe ejusdem auctoris, cujus eſt quæ proxime præceſſit, nempe Paulini Nolani Epiſcopi.

26. *De decem tentationibus populi Iſraelitici.* Apparet fragmentum eſſe decerptum ex Commentariis alicujus, nam & abruptum eſt initium, & ſimiliter deſinit ut incipit. Neque video cur quisquam hoc exiſtimarit Hieronymo tribuendum, niſi forte deceptus hac conjectura, quod interpretatur aliquot voces Hebraicas. Stilus eſt alicujus recentioris.

27. *Explanatio in Pſalmum 41.* Apparet hoc fragmentum eſſe ex homiliis alicujus in Pſalmos myſticos, & certe nihil habet Hieronymianum.

28. *Explanatio in Pſalmum 117.* Ejusdem eſt farinæ, cum homilia quæ proxime præceſſit, & eundem ſapit auctorem.

29. *Ad Dardanum de diverſis generibus Muſicorum.* Tantum abeſt ut hoc fragmentum Hieronymo tribuendum ſit, ut hoc ordine vix dignum ſit, quod cujusnam haud ſcio.

30. *Sermo de Reſurrectione Domini.* Nullam hic umbram Hieronymiani pectoris poſſis deprehendere, & in aliis codicibus alio atque alio titulo prænotatur. Sermo eſt Fauſti Regienſis Epiſcopi, qui hucusque Euſebio Emiſſeno inſcriptus ſæpe prodiit. Imo non unus ſermo, ſed duo ſimul juncti, quorum ultimus incipit fol. 69. col. 2. linea 1. *Beneficia Dei noſtri cum magna atque mirifica ſint &c.*

31. *Sermo de Nativitate Domini.* Video dubitatum & ab aliis, cujus hæc homilia ſit, quam Hieronymi non eſſe palam eſt. Cujus ſit non pronuntio, quanquam Leonem vel Maximum refert.

32. *Sermo de Epiphania Domini.* Nec de hac quic-

quicquam habeo quod pronuntiem, niſi non eſſe Hieronymi, & addubitant inſcriptiones exemplarium.

33. *Sermo de Quadrageſima.* Adeo non ſapiunt hæc Hieronymum, ut parum abfuerit, quin in extremam claſſem relegarim: niſi quod malui in hanc peccare partem, ut indigna lectu ferrem, quam ut digna rejicerem.

34. *In vigilia Paſchæ, ſermo de eſu Agni.* Eundem & his ſermo recipit auctorem, ut paucis quod ſentio dicam.

35. *Sermo de Reſurrectione Domini.* Ex eadem & hic ſermo profectus eſt officina, & ad fratres cariſſimos pertinet.

36. *Ad Euſtochium de vinculis Sancti Petri.* Niſi quemadmodum dixi, modeſtius eſſe ducerem in hanc peccare partem, ſermonem hunc in extremam hujus Tomi ſeriem rejeciſſem: nam plane ſapit impoſtoris illius artificium. Miror autem cum adſcripſerit Euſtochii nomen, cur non item addiderit, *Ego Hieronymus.*

37. *De obſervatione vigiliarum.* Et hæc ejusdem quod ajunt farinæ eſt, nec in hoc ordine eſſet, niſi meæ magis modeſtiæ, quam illius meriti rationem haberem. Habetur idem Sermo ex MS. Codice optimæ notæ, impreſſus Tomo 3. *Spicilegii* Domini Lucæ Dacherii, ſub nomine Nicotii Trevirorum Archiepiſcopi, qui anno 535. vel 540. vivebat.

38. *Ad Pammachium & Oceanum exhortatoria.* Quæſo Lector, ut de ſermonis habitu nihil dicam, quid eſt in hac Epiſtola, quod ad Pammachium aut Oceanum pertinere videatur? Objurgat eos, quorum pietatem ſemper alias prædicare ſolet: poſtremo quo ſigno deprehendas ad duos ſcriptam potius, quam ad unum?

39. *Ad quendam qui in ſeculo pœnitebat.* Hæc Epiſtola refert tota ſpecie eundem parentem quem ſuperior, quam in plerisque codicibus reperi absque titulo, cum nullo indicio nec ad quem ſcripta fuerit, nec a quo.

40. *De diverſis generibus lepræ rum.* Demiror quis hanc Epiſtolam Hieronymianis admiſcuerit, prodigioſæ cujusdam balbutientiæ, & modis omnibus talem, ut Joviniani videri poſſit, quantum ſubodorari licet ex his quæ divus Hieronymus ex illius Commentariis recenſuit.

41. *De duobus filiis, frugi & luxurioſo.* Quid veniſſet in mentem divo Hieronymo, ut eadem de re bis ſcriberet? Quanquam totus ſermo clamat, alium hujus homiliæ authorem. Ita Eraſmus, ſed latius Andreas Rivetus Libro 4. „*Critici ſacri* cap. 5. pag. mihi 402. Tractatum „*De Filio prodigo* non eſſe Hieronymi, ſi parum ex „charactere liqueret, vel illud arguere poterat, „quod veriſimile non ſit Hieronymum, qui parabolæ hujus expoſitionem ad *Damaſum* ſcripſerat, Tomo 3. fol. 41. extantem: iterum mutata ſententia tractatum alterum edidiſſe: & „quod ipſum typographi omnes inter Homilias „*Joannis Chryſoſtomi* excuderint, quanquam neque *Chryſoſtomi* ſit, ſed incerti ſcriptoris.

Secunda pars continet Opera inter Hieronymiana edita, quorum pleraque ſuis titulis proprios teſtantur auctores. Sunt autem

42. *Epiſtola Paulini ad Sebaſtianum Eremitam.*

Prœmium Ruffini ad Macarium, in Apologiam Euſebii Cæſarienſis pro Origene, falſo Pamphilo adſcriptum.

Apologia Euſebii Cæſarienſis pro Origene, capitum XV. continens, Ruffino interprete, falſo Pamphilo adſcripta.

Ruffini liber ad Macarium de adulterinis librorum Origenis, capita 2. continens.

Prologus Ruffini ad Macarium in libris περὶ ἀρχῶν Origenis.

Apologia Ruffini pro fide ſua, ad Anaſtaſium urbis Romæ Epiſcopum.

Anaſtaſii Romani Epiſcopi ad Hieroſolymorum Epiſcopum, de Ruffino ſententia.

Ruffini Aquilejenſis in divum Hieronymum invectivarum Libri duo.

43. *Auguſtini ad Hieronymum Epiſtola, de eo quod ſcriptum eſt:* Qui totam legem ſervaverit &c.

44. *Auguſtini ad Hieronymum de natione animæ.*

45. *Auguſtini ad Optatum Epiſcopum, de origine animarum.* Hæ tres Epiſtolæ inter Auguſtinianas olim omnium editionum, num. 28. 29. & 157. in noviſſima autem editione Operum Auguſtini Pariſienſi 166. 167. & 190.

46 *Auguſtini Homilia de Paſtoribus*, quæ habetur Tomo 9. Operum divi Auguſtini.

47. *Valerii ad Ruffinum, me ducat uxorem.*

Martini V. Romani Pontificis approbatio Regulæ Monachorum per Lupum de Oliveto collecta.

Regula Monachorum D. Hieronymi ex ſcriptis ejusdem per Lupum de Oliveto collecta, triginta duo capita continens.

Dialogus de origine animarum, ſub nomine Hieronymi & Auguſtini, ex utriusque ſcriptis, ab incerto auctore collectus.

Homilia de Corpore & ſanguine Domini, incerti authoris. Id quidem juxta Eraſmum, ſed ex initio *Magnitudo cœleſtium beneficiorum &c.* agnovi illam certo eſſe Fauſti Regienſis Epiſcopi, qui hucusque ſub nomine Euſebii Emiſſeni latuit, in cujus homiliis ſæpius impreſſa fuit.

Super Evangelium Matthæi, Homilia incerti authoris. Itaque quidem juxta Eraſmum, ſed ejusdem hominis Fauſti eſt, Semipelagiana peſte laborantis, quam in hac homilia, ut ubique ſermonum inſinuat.

Oratio Petri Pauli Vergerii Juſtinopolitani in laudem divi Hieronymi.

Tertia ſeries ſeu pars continet Opera, quorum etiam pleraque in titulis alios authores auteſtantur, aut ementiuntur: verum ſuperioribus eruditione multo inferiora ſunt. Nempe

48. *Conſolatoria ad Tyraſium ſuper morte filii ſui.* Animadverte quæſo lector, quam totus ſermo jaceat, adeo non facundus, ut nec ſenila-

tinus. Deinde quam nulla felix inventio, tum quam rara frigidaque ſacrarum teſtimonia ſcripturarum. Sentias impudentiſſimum aliquem rabulam effutientem, non proloquentem, & quidquid in buccam venerit, eblaterantem. Et tamen auſus eſt homo ſuaviſſimus, addito ſuis nugis Hieronymi nomine, ſperare futurum, ut hæc pro Hieronymianis legerentur. Ac veriſſime quidem dictum eſt, nihil tam abſurdi fieri, quod non reperiat admirationem. Non ſolum hæc a magnis, ut ſibi videntur, Theologis leguntur: verum etiam in graviſſimis quæſtionibus, velut oracula citantur.

49. *Ad Oceanum hortatoria de ferendis opprobriis.* Hæc in quibusdam exemplaribus ad Oceanum inſcribitur, verum homiliarum more deſinit. Sapit eundem auctorem, cujus eſt anterior Epiſtola: quippe nec eloquens, nec erudita, nec ullo modo ſpirans pectus Hieronymianum.

50. *Ad Oceanum de vita Clericorum.* Quis non rideat hunc ſimiam, qui in ipſa ſtatim ſalutatione addit Hieronymo patris nomen? Nec hoc contentus Sochronium tritavi opinor, nomen adjecit, ne non haberet tria nomina: cum Hieronymus nusquam ſe niſi ſimplici nomine notet, addens in Catalogo propter hiſtoriæ fidem, *Preſbyteri* tantum titulum: nonnunquam modeſtiæ cauſa, cognomentum *Peccatoris*. Patris nomen & patriam indicavit duntaxat, non uſurpat. Deinde affinxit *Oceani* vocabulum, quod ad hunc extent quædam ſcripta ab Hieronymo, ut ne dicam interim, totam ſalutationis figuram ab Hieronymi conſuetudine alienam eſſe. Tum autem quam venuſte rem aggreditur, *Deprecatores*, inquit, *ut tibi breviter exponerem, qualiter Clerici debeant viſitare in hac vita mortalium*: jam illud quod ſequitur, quam concinne cohæret cum ſuperioribus: *Hinc me plerique maledictis emuli præſtolantur, quia non ſilco veritatem.* Rurſum illud jam diſputationis caput, quam dextre attexuit: *Tamen mihi cariſſime ab Apoſtolo ſumamus exordium, qui ait &c.* Quis non ſtatim ſentiat, ut libere quod ſentio dicam, hunc ſcriptorem aut temulentum fuiſſe, aut febri laboraſſe? Atque hujus elegantiæ totus eſt ſermo reliquus, infans, incompoſitus, inſulſus, diffluens, ſordidiſſimis verborum portentis ſcatens: quod genus ſunt illa, *melienare, ſecretaliter.* Nam *agapenarum* Græco vocabulo, quod e divo Hieronymo ſublegit, mire ſibi placuit: plane futurum ratus, propter hanc unam voculam neminem dubitaturum, quin hæc ipſe articulis ſuis ſcripſiſſet Hieronymus. Adde his, quod tam reverenter citat Severum Sulpitium, qui divi Martini vitam conſcripſit. Atque is quidem vidit divum Hieronymum, ſed ſenem juvenis: nec hujus ullam in Catalogo mentionem facit, nec is Hieronymo mos eſt, recentiores ſcriptores præſertim Latinos, citare tanta cum reverentia. Sed quid opus argumentis? Quisquis hunc ſermonis characterem non poteſt ab Hieronymiano ſecernere, is nec aſinum ab equo diſtinguet. Proinde Epiſtola hæc pro ſuo merito tractata fuit a librariis, qui eam depravatiſſime ſcriptam, depravatius deſcripſerunt. Et quemadmodum ille ſibi permiſit ſcribere quidquid in buccam veniret, ita hi ſibi permiſerunt, quidquid in calamum incideret, chartis illinere.

51. *Epiſtola Damaſi ad Hieronymum.* Clarius eſt quam ut admoneri debeat, hanc Epiſtolam ejusdem eſſe artificis, cujus eſt ea quæ proxime ſequitur, & eadem febre laborantis. Deum immortalem! quæ fuit impudentia hoc tribuere Damaſo, cujus elegantiam etiam in ſcribendis verſibus approbat Hieronymus: cujus & alia quædam extant, e quibus character hominis deprehendi poſſit.

52. *Reſponſum Hieronymi ad Damaſum.* Abſurdum plane & Hieronymo indignum.

Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogus ad Deſiderium. De hoc ipſo Opuſculo non poſſum aliud judicare, quam quod ipſum præ ſe fert. Nec ipſa febris quicquam ſcribere poſſet inſanius, nec ipſa temulentia temulentius. Deinde quid ſtultius, quam ubi ſe dicturum de luminaribus toto mundi firmamento luculentius profeſſus ſit, ibi Pelagium, Jovinianum, & conſimiles inculcare tenebriones?

53. *Ad Paulam & Euſtochium de virtute Pſalmorum.* Ne tantulus quidem in hac Hieronymi guſtus, imo barbarum quiddam ac neotericum ſapit.

54. *Ad Damaſum de oblationibus altaris.* Et hic quisquis fuit, nugas ſuas conatus eſt Hieronymiani nominis umbra prætexere. Quam apte autem congerit auctorum nomina, e quibus tamen nihil adducit, quia nihil illorum legerat. Chryſoſtomi Commentarios nominatim citat, cum divus Hieronymus Chryſoſtomum prorſus ignoraverit.

Regula Monacharum cum prooemio, capita XLI. continens. Abſurda prorſus & indigna quæ divi Hieronymi nomen præ ſe ferat, ut cuique legenti nullo negotio conſtare poteſt.

55. *Ad Hieronymum Chromatii & Heliodori Epiſcoporum.*

56. *Hieronymi ad Chromatium & Heliodorum Epiſcopos.* Abunde ſatis arbitror admonere tantum, hoc opus ejusdem artificis eſſe, cujus id quod proxime præceſſit. Utramque ſuppoſititiam oſtendit Cæſar Baronius, Tomo IV. *Annalium*, anno 388. num. 101. Et Annalium Tomo I. Apparatu ad Annales Eccleſiaſticos, num. 44. Idem Joannes Molanus in Libro *de picturis* cap. 21.

57. *De Nativitate ſanctæ Mariæ.* Ejusdem cum præcedentibus rationis & pretii.

58. *Euſebius Hieronymi diſcipulus, de morte Hieronymi ad Damaſum Portuenſem Epiſcopum.* fol. 154.

Opuſculum iſtud 58. cum duobus ſequentibus 59. & 60. unum eundemque habent Scripto-

ptorem, nempe Damasum Portuensem Episcopum, qui anno 891. Papa factus, se Formosum nominavit. Cum autem D. Hieronymum singulari cultu haberet ac se illius discipulum esse in doctrina gloriaretur, his sequentibus tribus tractatibus gloriam Magistri sui extollere voluit, parum sollicitus, an falsæ inscriptiones his Opusculis adjectæ, chronologiæ temporum convenirent. Vide nostram Dissertationem *de Vita & Operibus Damasi Portuensis Episcopi*, ad annum 890. cap. 7. infra.

59. *Augustini Hipponensis Episcopi ad Cyrillum Hierosolymitanum Episcopum, de miraculis sancti Hieronymi.* fol. 164.

60. *Cyrilli Episcopi Hierosolymitani de miraculis sancti Hieronymi, ad sanctum Augustinum Episcopum Hipponensem.* fol. 166. Opuscula tria hæc ultima, omnium absurdissima & falsissima, ut ad id probandum, nec argumentis ab Erasino singulis præmissis, ullo modo opus sit.

Incerti auctoris vita divi Hieronymi. fol. 175.

CAPVT SEXTVM.

TOMI QVINTVS, SEXTVS ET SEPTIMVS OPERVM HIERONYMI, EX EDITIONE ERASMI, RECENSENTVR.

VT curas autem suas Erasmus quatuor prioribus Tomis Operum divi Hieronymi contulit, ita quod per se ipsum ob inferiorem huic conatui comparatam sibi Hebraicæ linguæ scientiam, efficere non potuit, aliorum adjumento complevit, Brunonis & Basilii Amorbachiorum, quorum opera usus est in corrigendis Commentariis quos Hieronymus in diversos sacræ Scripturæ libros mira eruditione composuit. Hoc ipsum testantur in sua præfatione ad Tomum quintum dicti fratres Amorbachii, anni 1516. Nonis Majis. Atque etiam Erasmus ipse in Epistola nuncupatoria ad Guilielmum Waramum Cantuariæ Archiepiscopum, anno salutis 1516. Kalendis Aprilis. „ Nec enim „tantundem laboris exantlatum arbitror Her„culi in paucis edomandis monstris, quam mihi „in tollendis tot mendarum millibus. Neque „vero paulo plus utilitatis huic orbi profectu„rum existimo, quam ex illius omnium ore cele„bratis laboribus. Primum enim complurium, „sed præcipue veterum collatione voluminum, „nonnunquam ex apicum vestigiis addivinan„tes, mendas sustulimus, & germanam scriptu„ram reposuimus. Græca quæ vel omissa fue„rant, vel perperam addita, restituimus: quod „idem fecimus & in Hebraicis. Verum sane „hac in parte, quod minus nostro marte potera„mus, aliorum suppetiis præstitimus, fratrum „præcipue Amerbachiorum, Brunonis, Basilii & „Bonifacii: quos optimus pater Johannes A„merbachius, velut instaurandis bonis authori„bus genitos, trium linguarum peritia curavit instruendos. Atqui hi sane paternum ani„mum & expectationem vicerunt etiam, nihil„ antiquius ducentes Hieronymi gloria, & hac„ gratia nec impendio parcentes, nec valetudini.„ Quorum equidem auxilio libenter sum usus,„ quod Hebræorum literas degustassem verius,„ quam didicissem. Et tamen curavimus, ne„ quid avido lectori deesset, etiamsi quid deesset„ nobis; quodque nostris viribus erat diminu„tum, id ex aliorum suppetiis aliunde sarci„mus.“

Itaque *Tomus quintus* operum divi Hieronymi continet *Commentarios in Prophetas* quos *Majores* vocant, editos & castigatos studio Brunonis & Basilii Amorbachiorum fratrum. Sunt autem

Ad Eustochium Virginem Commentariorum in Esaiam Prophetam Libri XVIII. anno 409. conscripti.

Ad Eusebium Commentariorum in Hieremiam Prophetam Libri VI. quos ultimos composuit ut in præfatione his verbis testatur: *Post explanationes duodecim Prophetarum, Esaiæ, Danielis & Ezechielis, ad extremum in Hieremiam manum mittimus, tibi frater Eusebi eosdem Commentariolos dedicantes: ut Evangelicum virum Matthæo Evangelistæ copules, quem ante annos plurimos strictis sensibus te hortante differui.* Scripti circa annum 414.

Ad Eusebium Commentariorum in Lamentationes Jeremiæ Libri III. De his ita recte Andreas Rivetus etiam ex sententia clarissimorum Pontificiorum, Lib. 4. Critici sacri c. 5. p. m. 401. In Commentationibus in Threnos præter Epistolam ad„ Eusebium quæ ex Epistola Hieronymi ad *Paulam Urbicam* desumpta est, partim ex aliis ejus„ scriptis collecta, nihil habetur, quod Sixto Se„nensi, Hieronymi ingenium spiret. Nullum„ ibi vestigium intelligentiæ, vel linguæ Græcæ„ vel Hebraicæ. Structura sermonis inæqualis,„ clamat esse farraginem centonum, a studioso„ collectore ex variis authorum dictis, Gregorii„ potissimum sententiis & integris capitulis, co„acervatam. Rhabano Mauro collectionem„ illam tribuit idem Sixtus Senensis, cui concinit„ Bellarminus in censura Tomi 4. & plerique„ omnes.“ Idem sensit Marianus Victorius, qui opus istud Tomo IV suæ editionis inseruit, quod tunc temporis forsan vel genuinum vel dubium Hieronymi opinabatur, in *Indice* Operum divi Hieronymi, verbo *Hieronymus*, ita scribens: *Commentarius in Threnos Hieremiæ, videtur esse potius Rabani quam Hieronymi, & hoc nomine in Germania inter Opera Rabani typis jam excusi sunt.* Bellarminus Libro de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 390. in discussione Tomi IV Operum Hieronymi inquit: *Commentarius in Threnos Hieremiæ videtur esse potius Rabani quam Hieronymi, habetur enim inter Opera Rabani, & inveniuntur in eo sententiæ aliquæ ex sancto Gregorio decerptæ.* Addimus his authoritatibus rationem. Nempe Hieronymum in omnibus Commentariis suis sensum literalem maxime persequi, varieta-

tesque versionum inculcare: at authorem hujus Commentarii in lamentationes, adhærere potissimum sensui mystico & allegorico, ut ex ejus lectione cuivis constare potest.

Ad Eustochium in Ezechielem Commentariorum Libri XIV. circa annum 410.

Ad Pammachium & Marcellam Commentariorum in Danielem Liber unus: quem conscripserat antequam aggrederetur Commentarium in Ezechielem, ut constat ex proœmio ad librum XIV seu ultimum, ubi unicum sibi restare Hieremiam Prophetam interpretandum inquit. Non vero immediate hic Commentarius ante alios in Hieremiam ab Hieronymo susceptus est, ut scribit male Ellias du Pin, sed etiam ante Commentarios in Ezechielem.

Tomus Sextus operum divi Hieronymi, continet juxta utramque translationem, Commentarios in duodecim Prophetas quos minores vocant, cum præfatione Brunonis Amorbachii, nempe

Ad Pammachium Commentariorum in Osee Prophetam libros III.

Ad eundem Commentarios in Joel, Amos & Abdiam.

Ad Chromatium Commentarios in Jonam Prophetam.

Ad Paulam & Eustochium Commentariorum in Micheam Prophetam Libros II.

Ad eadem Commentarium in Nahum Prophetam.

Ad easdem Commentarios in Sophoniam & Aggæum.

Ad Chromatium Commentariorum in Habacuc Prophetam Libros II.

Ad Exuperium Tholosanum Episcopum, Commentariorum in Zachariam Prophetam Libros III.

Ad Minorium & Alexandrum Monachos, Commentarium in Malachiam Prophetam. Hos non uno eodemque tempore scriptos esse constat, nam Commentarii in Prophetas Micheam, Nahum, Habacuc, Sophoniam & Aggæum, ante annum 392. conscripti erant, alii autem in alios Prophetas circa annum 406. consummati videntur.

Tomus septimus complectitur *Commentarios in Proverbia Salomonis*, de quibus ita Bruno Amorbachius Basiliensis in Epistola ad Lectorem. *Non clam me est candide lector, Commentarios in Proverbia Salomonis, quibus primum in hoc tomo locum dedimus, Hieronymi non esse: nam vel hinc deprehenditur, quod tota dicendi figura ab Hieronymiana dictione, modo omnibus dissidet. Quin Gregorius semel atque iterum in hoc opere citatur. Vetustissimi quidam codices in membrana scripti, Bedæ vindicabant. Certe cujus cujus sint, Hieronymi non esse, ipsi clamant. Sed enim potissimum ob id non omittendos censuimus, ne lector queri possit, in hac nostra editione pauciora sibi data, quam in Veneta habebantur.* Audiamus & eruditos Pontificios idem sentientes. Ita Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliotheca sancta* verbo *Hieronymus*, loquitur. „Libri tres Commentariorum in Proverbia, negan-“ tur fuisse Hieronymi, tum propter sententia-“ rum & eloquii dissimilitudinem, tum quod in“ iis non semel citantur Gregorius & Augusti-“ nus. Nam & testimonium Augustini ex Li-“ bro *de mendacio* ad Consentium adducitur, in“ explanatione capitis sexti; & iterum in expla-“ natione capitis 20 citatur ejusdem Distichon“ ex Sermonibus ad Eremitas, qui recentioris“ Augustino authoris sunt: “

Si quis amat dictis absentum rodere vitam “
Hanc mensam indictam noverit esse sibi. “

Et in expositione capitis 21 citat B. Gregorium“ Papam in Homilia Evangelii, & in 30 capite al-“ legat nominatim ipsius D. Hieronymi senten-“ tiam ex Commentariis in Hieremiam.“ Cui Sixto Senensi Melchior Canus annuit Lib. 2. *Locorum Theologicorum* cap. 15. *Commentarii qui in Libros Proverbiorum circumferuntur, quanquam Hieronymo in Decretali de Constit. tribuuntur, Hieronymi tamen non esse liquido deprehenditur.* Melchiorem Canum sequitur Marianus Victorius in censura Tomi 8 operum Hieronymi his verbis: *Commentarii in Proverbia Salomonis, ut communi eruditorum sententia receptum est, Hieronymum authorem non habuerunt.* Et consentiens horum judicium approbat Scultingus in censura Operum Hieronymianorum in Confessione Hieronymiana: *Commentarios in Proverbia Salomonis non esse Hieronymi, sed Bedæ Presbyteri, certissimis rationibus Sixtus Senensis Bibliotheca sancta libro 4. & Marianus Victorius comprobant.* Dominicus Bannes in 22. quæst. 1. art. 10. col. 71. inquit, *Commentaria in Proverbia tribuuntur Hieronymo, tamen vere sunt Venerabilis Bedæ.* Bellarminus Lib. *de Scriptoribus Ecclesiæ* ad annum 390. in discussione Tomi 8. operum divi Hieronymi, inquit: *Recte Commentarii in Proverbia tribuuntur Bedæ, non Hieronymo.* Hinc est quod Canisius in Catechismo, Titulo *de Satisfactione* num. 9. de purgatorio, hunc librum citet nomine Bedæ.

Commentarius in Ecclesiasten ad Paulam & Eustochium circa annum 388. compositus, verum & indubium divi Hieronymi opus est: de quo ita Bruno Amorbachius in censura Tomi septimi Operum divi Hieronymi. Porro Com-“ mentarios in Ecclesiasten secundo posuimus“ loco, qui ex ipsissima Hieronymi prodierunt“ officina, id quod vel mediocris peritiæ lector, ex“ dicendi charactere, nisi plane Acarnanius bos“ sit, olfacere facile potest. Sunt enim tersi, e-“ ruditi, excussi, non barbarie stribiliginosi, aut in“ epte loquaces & otiosi. Explicant mysteria,“ sed acutissime doctissimeque: jungunt alle-“ gorias, sed convenientissimas. Neque id mi-“ rum, quandoquidem sic fuit linguarum auxi-“ liis instructus Hieronymus, ut Latinos omnes“ superaret, Græcis non inferior. Quoties igi-„ tur aliquid scripturus erat, Hebræorum exem-“ plaria & Græcorum potissimum Commenta-“

rios

„rios inſpexit: ſed quod intelligeret, hoc lin-„guarum peritiæ debebat. Vtinam & noſtræ „ætatis Theologi diſcerent linguam Græcam, „qua ſe carere deplorat Auguſtinus: & Hebrai-„cam, qua non eſt alia vel ſanctior, vel ad intel-„ligenda Prophetarum ſenſa, magis neceſſa-„ria.

Homiliæ quatuor in Cantica Canticorum, nomine Origenis, Latine ex interpretatione D. Hieronymi.

Hæ 4. Homiliæ in Cantica in nonnullis exemplaribus Hieronymum authorem præferebant, ſed Hieronymi non eſſe, ſtilus palam arguit. An Origenis opus ſit, dubitari poteſt, quia Hieronymus in Præfatione quam præfixit duabus a ſe translatis, teſtatur Origenem adoleſcentem bis ſcripſiſſe in Canticum, Homilias duas, deinde copioſiſſimum Commentarium decem explicitum voluminibus. Neuter numerus reſpondet his quatuor homiliis, ſi tamen ſint Origenis. Marianus Victorius mavult exiſtimare, quam affirmare, illas ab Hieronymo verſas. Bruno Amorbachius in cenſura Tomi ſeptimi Operum divi Hieronymi, illas nec vertiſſe Hieronymum, nec opus eſſe Græci ſcriptoris ſed latini his verbis cenſet: Cæterum de homiliis quatuor in Cantica Canticorum, quas in volumine Epiſtolarum in hunc tomum retulimus, ſint Origenis necne, nolo in præſentia diſputare: certe multa ſunt, quæ eas Latini hominis eſſe, non Græci, comprobent. Illud auſim affirmare, etiamſi Græci hominis ſint, Hieronymum non vertiſſe.

Commentarius in librum Job. Poſtremo de Commentariis in Job, quos antiquiſſimus codex e Bibliotheca ſancti Galli huc allatus, Hieronymo tribuebat, idem mihi dicere licet, quod Eraſmus noſter de Pandectis Juſtiniani quodam loco ſcribit, videlicet centones eſſe, & inæquales Gloſſariorum rapſodias. Quod ſi quispiam judicio noſtro non accedit, ſuo fruatur. Ita Bruno Amorbachius in Epiſtola ad Lectorem Tomo VII operum divi Hieronymi prævia. *Hic Commentarius ſuppoſititius exiſtimatur*, inquit Sixtus Senenſis Lib. 4. Bibliothecæ Sanctæ, verbo *S. Hieronymus*. Marianus Victorius in Cenſura Tomi VIII operum divi Hieronymi inquit, *Hos Commentarios minime Hieronymi eſſe, ab eruditis ante nos jam receptum fuit:* idque multis argumentis, rationibusque probatur. *Recte Marianus Victorius Commentarium in Job non tribuit S. Hieronymo, ſed Bedæ:* inquit Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 390. ubi de Tomo 8 operum divi Hieronymi. Idem poſt iſtos omnes Andreas Rivetus Libro 4. *Critici ſacri* cap. 5. Hi Commentarii etiam inter Opera Bedæ haberi ſolent. Qui autem hic traditur, eſt Commentarius mutilatus Philippi Presbyteri in Jobum, qui ſeorſim integerrime impreſſus extat. Teſtis autem eſt Gennadius in Libro *de viris illuſtribus* cap. 62. ſcripſiſſe Philippum noſtrum *Commentarium in Job.* Et quidem Philippi nomine, *Libri III. Commentariorum in Job ad Nectarium Epiſcopum*, correctiſſime prodierunt Baſileæ anno 1527. tum in 4. tum in folio: quos revera Philippi eſſe fidem facit locus, quem Beda in libro *de ratione unciarum* citat ex *Philippi Expoſitione in Job*, qui in hiſce Commentariis reperitur, & dudum notavit Sixtus Senenſis Lib. 4. *Bibliothecæ ſanctæ* pag. 293. Vidi etiam hos Commentarios MSS. in antiquiſſimo Codice Bibliothecæ Igniacenſis in tractatu Remenſi, qui nomen Gennadii præfixum habuerunt.

CAPVT SEPTIMVM.

TOMI OCTAVVS ET NONVS OPERVM DIVI HIERONYMI, EX EDITIONE ERASMI, RECENSENTVR.

HAbet *Tomus octavus* Commentarios in Pſalterium, quibus accedit Pſalterium triplici lingua, Hebraica, Græca & Latina, cum præfatione Hieronymi ad Sophronium.

Commentarius in Pſalmos, de quo ita Bruno Amorbachius in Cenſura ad Tomum 8. operum divi Hieronymi. *Hic octavus Tomus optime lector, Commentarios Davidicorum Pſalmorum complectitur: qui tametſi eruditione non omnino vacant, Divo tamen Hieronymo hactenus falſo adſcripti ſunt. Quod in præſentia certis argumentis oſtendere non duximus operæ pretium: quando hoc in Hieronymianarum lucubrationum cenſura, quam in operis frontiſpicio locavimus, egit Eraſmus noſter Roterodamus, qui vir, ut ob incomparabilem eruditionem meretur cum priſcis illis literarum heroibus conferri: ita in dijudicandis authorum ſcriptis, abſit verbo invidia, omnium eſt quos ætas noſtra habet, primus.* Idem Sixtus Senenſis Lib. 4. Bibliothecæ ſanctæ, verbo *S. Hieronymus* inquit: *Commentaria in Pſalmos multa indicia ſignificant non eſſe Hieronymi, primum quod author hic poſthabito hiſtoriæ ſenſu, in ſolis allegoriis ac tropologicis expoſitionibus verſatur, nulla uſus varietate editionum. Græcam deinde & Hebraicam eruditionem, quam in omnibus exegematicis afferre ſolet Hieronymus, nullam habet. Multa quoque ſcripſit cum Hieronymianis placitis e diametro pugnantia &c. Hic accedit, quod ineptiæ ſermonis, battologiis & ſolaciſmis ubique ſcatens, ab Hieronymiana tam phraſi quam ſcribendi genere abhorret.* Idem ſentit Melchior Canus Locorum Theologicorum Lib. 2. cap. 14. *Commentaria quæ Hieronymi nomine circumferuntur in Pſalmos, divo Hieronymo tribuere, manifeſta ignorantia eſt.* Nec ab Eraſmo multum diſſentit Lindanus Epiſtola ad Scultingum, teſte ipſo Scultingo, in Confeſſione Hieronymiana. *Quod petis*, inquit, *an Commentarii in Pſalmos, qui divi Hieronymi nomen præ ſe ferunt, ſint genuini & germani, non levem apud plurimos habet difficultatem. Nos poſt longam hujus quæſtionis conſiderationem, ita de iis ſalvo aliorum judicio, arbitramur: eos variis ex authoribus raptim confutos, aut ex variis potius ſtu-*

Digitized by Google

„expositionis in Marcum, magis abhorrent a stilo *Hieronymi*, quam ignis ab aqua. Orationis „barbaries, & inepta peregrinarum vocum interpretatio, argumento sunt, esse hominis qui „parum Latine, Græce & Hebraice pene nihil noverit. Cap. 14 *Nardum pistícam*, vult idem valere quod *mysticam*. C. 15. in explanatione vult „*Phase* significare *immolationem*, & similia.

Evangelium secundum Lucam cum prefatione Hieronymi Presbyteri, Lucas Syrus, natione Antiochenus &c. cum *Evangelio secundum Johannem ac prefatione B. Hieronymi Presbyteri*, Hic est Joannes Evangelista &c. In Tomo V. Sacrorum Bibliorum impressionis Antverpiæ anni 1570. habetur Prologus sub nomine Hieronymi qui incipit, *Hic est Joannes Evangelista:* & alius in Apocalypsim qui incipit, *Joannes Apostolus & Evangelista.* Horum prior citatur a Bunderio in Compendio Theologiæ tit. 12. art. 4. & a Gregorio de Valentia libro *de insolubili vinculo matrimonii* cap. 2. ut probent Christum D. Joannem a nuptiis ad perpetuam professionem castitatis vocasse. Prior prologus rejicitur ab Erasmo in censura quarundam Præfationum Tomo 4. Hieronymi editionis 1533. & a Sultingo in Censura Operum Hieronymi ante citata. Nam inquit Sultingus *Prefationes quæ in Lucam & Joannem Hieronymi titulo circumferebantur, quia re-vera judicio omnium doctorum communi, ejus non sunt, rectissime a Mariano Reatino in postrema editione prætermissæ fuerunt.* Quæ censura & posteriorem prologum in *Joannis Apocalypsim* involvit, nam neque ille in postrema Mariani Victorii editione reperitur.

Ad Paulam & Eustochium Commentariorum in Epistolam ad Galatas, libri III.

Ad easdem Commentariorum in Epistolam ad Ephesios, libri III.

Ad easdem Commentarius in Epistolam ad Titum.

Ad easdem Commentarius in Epistolam ad Philemonem, hoc ordine collocatus, quamvis ab Hieronymo compositus sit, ante Commentarios in Epistolam ad Galatas, ut constat ex prologo quem his Commentariis ad Galatas præmilit Hieronymus Paulæ & Eustochio virginibus.

Annotationes in tredecim S. Pauli Epistolas, quanquam in fronte præferunt præfatiunculam divi Hieronymi ad Heliodorum scribentis, stili tamen diversitas, & dogmatum discrimen, ipsius non esse indicant, inquit Sixtus Senensis libro 4. *Bibliotheca sancta* verbo Hieronymus: Et idem paulo post, *Ego nihil dubito, authorem quisquis ille fuerit, pelagiana peste laborasse.* Paulo acriorem censuram fert Benedictus Peverius, Commentario in cap. 14. Geneseos num. 8. *Nam iste author tantum abest ut fuerit Hieronymus, ut ne Catholicus quidem fuerit, sed germanus Pelagianus, ut liquido cognoscet lector ex Commentario ejus in cap. 7. 8. & 9. Epistola ad Romanos.* Quo cum conspirat Bellarminus lib. 4. *de verbo Dei* cap. 5. *Commentaria in Epistolas Pauli, nomine Hieronymi inscripta, non esse Hieronymi, sed Pelagii hæretici, beatus Augustinus docet, & ipsa verba Commentarii in cap. 5. 7. 8. & 9. ad Romanos, clamant autorem esse Pelagianum.* Ita inquit Bellarminus loco citato, & idem lib. 2. *de gratia & libero arbitrio* cap. 6. *Commentaria in Epistolas non Hieronymi esse, sed Pelagii, aut Pelagiani alicujus, dubium non est.* Et in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. *In omnes Pauli Epistolas Commentaria falsò attributa sunt Hieronymo, non solum enim non sunt Hieronymi, sed quod magis mirum est, Pelagii hæresiarchæ sunt.* Paucis, ut plures idem sentientes prætermittam, Alfonsum Salmeronem in Epistolas Pauli Disput. 16. Sultingum in Censura Confessionis Hieronymianæ, Marianus Victorius similem censuram de his Commentariis tulit, in Censura Tomi VIII. Operum Hieronymi. *Commentarii in 13. Pauli Apostoli Epistolas, Hieronymi minime sunt, nam nec ejus phrasim habent, nec eruditionem: quamvis in fronte Operis, Epistolam ad Heliodorum inscriptam contineant: quin potius hominis esse Pelagiana labe commaculati compertissimum est. Notavit hoc ante nos Ambrosius Catharinus Politus, Compsæ Archiepiscopus, Catholicæ religionis assertor. Notavit & Sixtus Senensis 4. & 6. volumine Bibliotheca sancta.* Recte ergo Andreas Rivetus lib. 4. *Critici Sacri* cap. 5. pag. mihi 402. scribit. „*Annotationes in tredecim Pauli Epistolas*, stili diversitas „& dogmatum discrimen ostendunt non esse „*Hieronymi.* Ambrosius Catharinus existima„vit scriptorem fuisse Pelagium, quia in exposi„tione cap. 8. & 9. Epistolæ ad Romanos, docet „prædestinationem æternam esse ex meritis ele„ctorum divina præscientia prævisis. Sixtus „Senensis non dubitat authorem, quisquis fue„rit, Pelagiana peste laborasse, utpote qui cap. 7. „Epistolæ ad Romanos, peccati Originalis tra„ducem, *insaniam* vocet. Atque his assentiun„tur Marianus Victorius & Bellarminus lib. 4. „*de amissione gratia & statu peccati.* Item in cen„sura Tomi 8. operum Hieronymi, ex Augusti„no probat esse Pelagii Hæresiarchæ. „

Libri III. Didimi de Spiritu Sancto, interprete divo Hieronymo, cum præfatione ad Paulinianum fratrem suum.

Hucusque editiones Erasmi, quibus nonnulla alia addi possunt, quæ seorsim edita, quoquo modo ad Hieronymum spectant.

Chronicon Eusebii Cæsariensis Episcopi, a divo Hieronymo latinitate donatum. Observat in præfatione sua Hieronymus sinceram fuisse a Græco versionem a se factam de rebus gestis ab Nino & Abrahamo usque ad Trojam captam, sed a capta Troja ad Constantini vicennalia, multis additamentis in Romana maxime historia hinc inde interpolatam. Opus quale quale jam est, cum Hieronymi versione suisque animadversionibus in lucem emisit Josephus Scaliger, Lugduni Batavorum anno 1606. Recusum anno 1658. in folio Amstelodami cum notis auctioribus. Nec tantum e Græco hoc Chronicon in Latinum vertit Hieronymus, variisque

locis

locis usque ad Constantini vicennalia, seu annum æræ vulgaris 325. interpolavit: sed proprio etiam marte continuavit, ab anno Constantini XX. usque ad Consulatum VI. Valentis & II. Valentiniani, hoc est ad annum æræ vulgaris 378.

Homilia in Hieremiam XIV. & in Ezechielem XIV. quæ ex Græco Origenis versæ, inter Opera Origenis, una cum Hieronymi præfatione habentur.

Homilia in Esaiam IX. ex Græco Origenis versæ, cujus inter Opera habentur, quas extemporales fuisse atque ab Hieronymo versas censet in Origenianis Huetius.

Homilia in Lucam XXXIX. inter Origenis Opera ex eodem versæ.

Martyrologium. Prodiit hoc opus Parisiis primum anno Domini 1661. Tomo 4. Spicilegii Lucæ de Acherio Monachi Benedictini, Congregationis Sancti Mauri in Gallia, sub hoc titulo. *Sancti Hieronymi Martyrologium vetustissimum, ipsius Doctoris nomine insignitum* Tomo IV. pag. 617. & *Index nominum ordine Alphabetico* pag. 689. Sed post editionem Acherianam in 4. Parisiis factam, iterum Lucæ sub hoc titulo, *Vetustius Martyrologium Occidentalis Ecclesiæ, Divo Hieronymo a Cassiodoro, Beda, Walfrido, Notkero, aliisque Scriptoribus tributum, quod Franciscus Maria Florentinus, Nobilis Lucensis, ex pluribus probata fidei Codicibus MSS. illustratum Exercitationibus & Notis, Luca anno 1668. in fol. edendum curavit.* Istud autem esse Hieronymo suppositum, ex ipsis Januarii Calendis constat, ubi profert *Augustoduni Beati Agrippini Episcopi depositionem.* Cum vero Agrippinus hic Concilio Aurelianensi secundo anno Domini 533. & tertio anno 538. interfuerit, non incongruum est affirmare, hoc Opus a Gallo aliquo conscriptum, perperam esse divo Hieronymo tributum. Innumeras suppositionis absurdæ notas reperiet, quicunque illud percurrere voluerit. Nam die 3. Januarii recenset S. Genovefam Parisiis depositam, quæ ætate divi Hieronymi, seculo integro posterior est. Neque pluribus his Monachorum Martyrologiis falso inscriptis, immorari convenit. Referam quæ profert Lucas de Acherio in Præfatione ad Tomum IV. *Spicilegii* pag. 14. & sequentibus, quia erudita sunt, atque aliquid illis addere, difficillimum sit.

„ Vetustissimum Martyrologium S. Hiero„nymo attributum, reperi quidem in Codice „Monasterii Corbeiensis scripto ab hinc annis „circiter 600. quod Hugo Menardus prælo in„ferendum paraverat, ante annos undeviginti. „At nec ego tanquam germanum fœtum, inte„gramve eidem Doctori velim asserere: cum „plures ipso recentiores Sanctos, constet diversis „temporibus tam a Clericis quam a Monachis, „pro libitu fuisse adjectos, potissime Patronos, „alios q; qui anniversario cultu cujusq; in Eccle„siis celebrantur. Similes passa sunt accessio„nes Martyrologia Bedæ, Vsuardi, Adonis: quapropter cogerentur indentidem eruditi viri „his ipsis Martyrologiis fidem denegare, nisi ad„jecta secernerent. Eo quoque ductus animo, „complures non tamen omnes Hieronymo „ætate posteriores, prout in mentem venerunt, „mutato charactere notare curavi, quod & ante „me præstiterat plerisque in locis, Menardus „noster. Prætermisi duas Epistolas, quæ etsi „præferant nomina Heliodori & Hieronymi, fal„si arguuntur. Legesis cap. V. Præfationis Ba„ronii ad Martyrologium Romanum, ac duo se„quentia capita, ubi Epistolæ illæ referuntur & „confutantur: deque Martyrologio Hierony„mi perperam nomini adscripto, prolixius per„tractatur. Quanquam non desunt Scripto„res, iique viri graves & optimæ notæ, qui Hie„ronymum conscripsisse *Martyrologium*, aut in„terpretem fuisse Eusebii, fidem faciant. Ve„nerabilis Beda Retract. in Acta Apostolorum „cap. 1. hæc ait: *Adstipulatur & liber Martyro„logii, qui Hieronymi nomine & Præfatione attitu„latur, quamvis idem Hieronymus illius libri non au„ctor, sed interpres, Eusebius autem auctor extitisse„ cognoscatur.* Idem laudat Martyrologium in „Caput 6. Evangelii Marci. Walafridus Stra„bo in libro de rebus Ecclesiasticis cap. 28. *Hie„ronymus Martyrologium, secutus Eusebium Cæsa„riensem, per anni circulum conscripsit &c.* Verum „enim vero, delectat excerpere, & Præfationi „meæ inserere, præcipua ex Dissertatione V. C. „Henrici Valesii *de Martyrologio Romano*, quod „edidit Rosweidus, testimonia, tum propter sin„gularem ejus doctrinam diligentiamque, tum „propter amicitiæ usum, tum præsertim quod „validis argumentis aperte demonstret, nullum „hactenus Martyrologium nostro antiquius, „publicam prodiisse in lucem. Primum itaque „probat Ecclesiam Romanam olim proprium „ac peculiare nunquam habuisse Martyrologi„um, quo universa uteretur Ecclesia, ante illud „quod jussu Sixti V. Pontificis Maximi editum „est: sed nobiliores Ecclesias suos habuisse fa„stos semper, in quibus & Episcoporum nomina „& Martyrum, qui apud ipsos passi fuerant, na„tales dies erant perscripti. Deinde latius pro„bat, Martyrologium quod publici juris faci„mus, Gregorii Magni potissimum auctoritate, „omnium conseri debere antiquissimum ac ve„lut fontem cæterorum. Locus Gregorii, ait Va„lesius, in Epistola ad Eulogium Alexandrinum „Episcopum sic habet: *Nos pene omnium Mar„tyrum, distinctis per singulos dies passionibus, collecta „in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis „diebus in eorum venerationem Missarum solemnia „agimus: non tamen in eodem volumine, quis quan„ter sit passus indicatur, sed tantummodo locus passio„nis ponitur: unde fit, ut multi ex diversis terris at„que provinciis, per dies ut prædixi singulos, agno„scantur Martyrio coronati. Sed hac habere vos „beatissimos credimus.* Nullum hic verbum de „*Martyrologio Romano &c.* Quare illud Marty„rologium cujus ibi meminit Gregorius, non „fuit

„fuit proprium Eccleſiæ Romanæ, ſed commu-„ne cum reliquis Occidentalibus. Hoc autem „non aliud fuit eo tempore, quam *Martyrolo-„gium beati Hieronymi* nomine inſcriptum. De „hoc igitur intelligendus eſt *Gregorii* locus. „Certe hoc Beati Hieronymi Martyrologium „in Italia atque in Occidentis partibus vulgo „receptum fuiſſe, docet Caſſiodorus in libro *de „divinis lectionibus* cap. 32. Ex quo colligitur, „Martyrologium illud, licet falſo nomen Hiero-„nymi præferat, tamen vetuſtiſſimum eſſe, ac „paullo poſt obitum ipſius Hieronymi, a neſcio „quo evulgatum. Legimus illud nuper a viro „doctiſſimo religioſiſſimoque Domino Luca Da-„cherio ex Bibliotheca Sancti Germani nobis „commodatum, ſimulque proſpeximus, verba „*Gregorii Magni* huic Martyrologio egregie „convenire. Quod enim ait Gregorius, *locum „duntaxat & diem paſſionis* in eo volumine poſi-„tum fuiſſe, id in illo Beati Hieronymi Marty-„rologio perſpicue deprehenditur. Deinde „quod Gregorius addit, *per dies ſingulos notata il-„lic fuiſſe multorum Martyrum nomina*: id etiam „cernere licet, in illo quod dixi Martyrologio, „in quo nullus dies eſt ſine Martyrum turma, „contra quam in Martyrologio Roſweidi. Qua-„re locus Gregorii Magni nullo modo accipi po-„teſt de Martyrologio illo quod pro vetere edi-„dit Rosweidus, cum in illo Rosweidi Marty-„rologio, unius fere Martyris nomen ſingulis „diebus adſcriptum ſit. Hucusque Valeſius. „Cætera quæ ad noſtrum propoſitum nequa-„quam faciunt, ne ſim prolixior, atque adeo le-„ctori tædium pariam, prætermitto. Innume-ra omittimus, quibus hoc Martyrologium, li-cet antiquum, S. Hieronymo fuiſſe ſuppoſitum, ſaltem eo modo quo jam habetur, probari poſſit. Extant enim plusquam centum Epiſcopi, Abba-tes & Virgines, in illud intruſi, qui nonniſi poſt mortem D. Hieronymi vixiſſe & floruiſſe no-ſcuntur. Quales ſunt Kalendis Januarii S. Ful-gentius Ruſpenſis in Africa Epiſcopus, die 3. Januarii Pariſiis depoſitio S. Genovefæ Virgi-nis. Die 15. Januarii Remis depoſitio S. Remigii & Confeſſoris. Die 12. Martii Romæ depoſitio S. Gregorii Papæ, bonæ memoriæ. Die 21. Mar-tii depoſitio ſancti Benedicti Abbatis. Die 1. A-prilis in Iganau Monaſterio depoſitio Beati Va-larici Confeſſoris. Die 2. in Luxovio Mona-ſterio depoſitio Euſtaſii Abbatis. Die 26. Apri-lis, Centulo Monaſterio in Gallia depoſitio ſan-cti Richarii. Die 27. Auguſti Arelate civitate depoſitio ſancti Cæſarii Epiſcopi & Confeſſoris. Die 28. in Africa civitate Hippone Regio depo-ſitio ſancti Auguſtini & confeſſoris. Die ulti-ma Septembris Bethleem civitate depoſitio ſancti Hieronymi Presbyteri. Quaſi ſeipſum quoque Divus Hieronymus Martyrologio ſuo per anticipationem inſcripſerit. Kalendis De-cembribus, in Gallia, civitate Noviomo S. Eligii Epiſcopi & confeſſoris. Menſe Auguſto die 15. Aſſumptio ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri habeatur, & die 8. Septembris Nativitas ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecun-dum carnem: quæ tamen feſtivitates ſeculo nono antiquiores non ſunt: ſicut & Kalendis Novembribus feſtivitas omnium Sanctorum, quæ adhuc recentior eſt. Meminit Caſſiodo-rus *Divinarum Lectionum* cap. 32. *Epiſtola Hiero-nymi ad Chromatium & Heliodorum Vitas Patrum ac Paſſiones Martyrum complectentis*, quam alii a Martyrologio ipſi attributo diſtinguunt, alii unum & idem opus faciunt. Verum eruditi omnes etiam Pontificii hoc Opus Hieronymo vel Euſebio ſuppoſitum cenſent. Martyrolo-gium vetus quo utebatur Eccleſia paſſim ante Vſuardi tempora, ab Hieronymo compoſitum creditum eſt, quod præmiſſam haberet falſam hanc Epiſtolam ſub Hieronymi nomine *ad Chro-matium & Heliodorum*, de opere Martyrologii colligendo. Hoc Martyrologium cum ſeculo nono Vſuardus Monachus S. Germani Pariſien-ſis ampliaviſſet, reliquit in initio hujus Marty-rologii ſui hanc *Epiſtolam ſub Hieronymi nomine ad Chromatium & Heliodorum de opere Martyrolo-gii colligendo*, quæ citatur a Johanne Mariana, ut probet S. Jacobum Hiſpaniam aliquando invi-ſiſſe: & a Jacobo de Voragine in *Legenda Aurea*, in die Omnium Sanctorum, ut probet nullum diem eſſe, in quo quingentorum Martyrum nu-merus non aſcribitur, excepto die Kalenda-rum Januarii. Joannes Molanus Præfatione in Vſuardi Martyrologium cap. 2. inquit, *Epiſtolam Chromatii & Heliodori ad Hieronymum, & hujus ad eosdem reſponſionem, ipſorum tantum nomine con-ſcriptas puto, atque ex parte confictas, revera autem ipſorum non eſſe.* Cæſar Baronius de Martyro-logio Romano cap. 7. inquit, *Alius longe diverſus ab Hieronymo fuit Epiſtolæ illius author, quisquis fue-rit, in eadem Epiſtola excipit de Kalendis Januarii, quaſi ea die nullus paſſus ſit Martyr: quam mendax & frivola ea ſit de Kalendis iſtis exceptio, conſule quæ inferius notantur die prima Januarii.* Idem An-nalium Tomo 4. ad annum 188. num. 101. *Fer-tur Chromatii Epiſcopi Aquilejenſis & Heliodori Epi-ſcopi Altinenſis nomine, Epiſtola ad ſanctum Hieronymum ſcripta, qua eum rogarent ut Martyrologium ſcriberet: cui quidem Epiſtolæ velut ad eum redditæ, ab eodem Hieronymo ad ipſos litera ſubjiciuntur, quæ omnia ut ſpuria demonſtrata rejecimus, confuta-vimusque in noſtra de Romano Martyrologio tracta-tione.* Qui plura cupit eo de argumento, legat Cæſarem illum Baronium in *Diſſertatione Præli-minari* ad Martyrologium Romanum cap. 7. & Joannem Bollandum in Præfatione Generali ad Vitas Sanctorum cap. 4. parag. 4. p. 45. 46. & 47. qui omnium inſtar eſſe poſſunt. In hoc autem adſcripto Martyrologio divo Hieronymo, multi habentur Epiſcopi, & Virgines etiam recenſitæ, quæ in Galliis floruerunt: unde col-ligendum videtur, Gallum fuiſſe illius auctorem, de quibus idem Bollandus. Illic enim die 3. Januarii fit mentio Genovefæ virginis in agro Pariſienſi, apud Nanteram ſeu Namnetodo-

rum, quæ poſt annum 504. vel juxta alios anno 515. mortua dicitur.

De vitis Sanctorum Patrum liber, quem eruditi etiam Pontificii Hieronymo abjudicant. Ita Claudius Eſpencæus in Commentario 2. ad Timotheum cap. 4. *Non carent narrationibus parum verisimilibus Vita Patrum, Hieronymo, cui falso attribuuntur, minus digna.* Melchior Cavus *Locorum Theologicorum* lib. 11. cap. 6. *Gelasii testimonio eorum impudentiam retundimus, qui harum rerum authorem Hieronymum promulgarunt, quas nemo nisi rudis atque elinguis ederet.* Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad annum 390. verbo Hieronymus. *Tribuitur sancto Hieronymo liber de vitis Sanctorum Patrum, sed sciendum est, eum librum non esse unius authoris.* Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro* tomo 1. verbo *Hieronymus:* & Tomo 2. verbo *Vitæ Patrum* inquit. „Cæterum ſciant lectores vitas Pa„trum, quæ falſo erant adſcriptæ Hieronymo, „fuiſſe olim a Celſo Hugone Jurisconſulto cum „MSS. codicibus collatas, atque Lugduni in „Gallia apud Jacobum Huguetanum anno 1515. „editas. Evagrii autem & diverſorum eas eſſe „proprios fœtus, plerique judicant. Prima „pars eſt ab initio prologi, *Benedictus Deus qui* „*omnes &c.* usque ad caput *de periculis itineris ad* „*Eremos*, qui præcedit ſancti Pauli vitam. Cum „autem hujus primæ partis authorem eſſe Eva„grium Ponticum Hyperboritam, multi ut di„ximus putent: alii tamen divum Petronium „Bononienſem, fuiſſe earum ſcriptorem exiſti„mant, ut conſtat ex Gennadio. Secunda pars „continet varias Patrum de virtute ſententias, „ipſius vero ſicut & quartæ partis, ignotus eſt „author. Tertia pars a cap. 1. usque ad 14. „contexitur ex Dialogo Severi Sulpitii *de virtu„tibus Monachorum.* Ab eo capite usque ad 40. „omnia ex libris *Inſtitutionum* Caſſiani deſumpta „ſunt: ſicut ex *Collationibus*, quæ ſequuntur us„que ad finem. Eadem fere habet Bellarminus „in Cenſura Tomi IX. operum divi Hieronymi. Edidit autem has *Vitas Patrum* cum inſignibus commentariis & notis, Heribertus Rosweidus Antverpiæ in folio anno 1615. & 1628. collatas ad MSS. Codices plurimos, quas inter paucæ admodum inveniuntur, quæ Hieronymi ſint.

Liber Comitis ſive Lectionarius, extat apud Pamelium Tomo 2. *Liturgicorum*, Coloniæ Agrippinæ 1571. & 1609. in 4. editorum, cujus libri Præfationem ex MS. codice veteri eduxit Lucas Acherius Tomo XIII. *Spicilegii* pag. 253. Epiſtolam Hieronymi nomine inſcriptam ad Conſtantium. Citatur ſub Hieronymi nomine, titulo que *Comitis & Lectionarii* a Bernone Augienſi in libro *de rebus ad officium Miſſæ pertinentibus* cap. 1. Micrologo cap. 25. Hugone de ſancto Victore lib. 2. *de officiis Eccleſiaſticis* cap. 11. Plura de hoc libro habet Cardinalis Bona lib. 2. *Rerum Liturgicarum* cap. 6. §. 2. qui illum Hieronymo, ſed levi quidem argumento nixus, aſſerere conatur. Hunc *Comitem* multo ampliorem quam a Pamelio editus ſit, ſe habuiſſe teſtatus eſt Cornelius Scultingus. Edidit tandem collatum ad MSS. Codices, Stephanus Baluzius Tutelenſis amicus olim noſter, ad calcem Voluminis 2. Capitularium Regum Franciæ, quæ Pariſiis 1677. in fol. edita apud Franciſcum Muguet.

Edidit ergo hoc opus Tomo 2. in Appendice ad Capitularia col. 1309. dictus Baluzius, ex veteriſſimo MS. Codice Eccleſiæ Bellovacenſis, cujus ex lectione tantum abeſt ut ad divum Hieronymum vel ejus ætatem ſpectet, nec certo certius, ætate Ludovici Pii Imperatoris antiquius eſſe poſſit. Hoc probatur 1. quod habeat expreſſam mentionem *Aſſumptionis ſanctæ Mariæ matris* ad diem 15. Auguſti, & *Nativitatis ſanctæ Mariæ Dei genitricis* ad diem 8. Septembris Conſtat autem evidenter apud eruditos, ex multis Capitularibus Caroli Magni, hæc feſta ejus ætate non extitiſſe inſtituta, ſed vel Ludovici Pii, vel ſerius: unde liquet dictum *Comitem* ſeu *Lectionarium*, eſſe ab ætate divi Hieronymi remotiſſimum, fuiſſeque penitus ignaros antiquorum Eccleſiæ rituum, qui illi adſcripſerunt. 2. Conſtans eſt apud eruditos ætate Gelaſii Papæ 1. qui anno 492. in Romanum Epiſcopum electus, anno 496. die 8. Septembris obiit, nullam tunc temporis factam eſſe mentionem in Eccleſiaſtico Officio, niſi Martyrum. Vnde in Sacramentario Gelaſiano, quod an. 1680 in 4. Joſephus Maria Thomaſius edidit, pauciora quam in aliis Liturgiis, Sanctorum, eorumque duntaxat Martyrum natalitia celebrantur. At in Lectionario iſto fit mentio & Virginum & Pontificum & Epiſcoporum non Martyrum, unde concludimus illum eſſe recentioris Gelaſio fabricæ, proindeque immerito a citatis ſeculi XI. & XII. Scriptoribus Hieronymo fuiſſe attributum. 3. meminit Sanctorum divo Hieronymo multis ſeculis recentiorum, ut ex hac inductione liquet. Meminit 3. Januarii *S. Genovefæ Virginis* in Agro Pariſienſi, quæ a ſancto Germano Antiſſiodorenſi Epiſcopo Chriſto dicata, usque ad Clodovæum Francorum Regem vivens pervenit, ſeu ad ſeculum ſextum. Kalendis Februarii meminit *S. Brigidæ Virginis*, cujus Vitam ſcripſit Cogitoſus natione Hibernus, quæ habetur apud Caniſium Tom. V. *Antiquæ Lectionis* parte 2. pag. 625. & apud Surium & Bollandum ad diem 1. Februarii. Hanc Marianus Sectus in *Chronico* ſcribit obiiſſe diem extremum anno tertio Juſtini Senioris Imp. qui eſt a Chriſto 521. ſecundum Faſtos Onuphrii. Sigebertus autem in Chronico, anno Domini 518. diem obiiſſe ſcribit. Die XI. Aprilis meminit *S. Leonis Papæ 1.* qui anno 440. die 28. Julii electus ad Romanam ſedem, anno 461. die 30. Octobris obiit. Die 26. Aprilis meminit *S. Richarii Abbatis in Centulo, qui circa* annum 630. temporibus Dagoberti Francorum Regis claruit, cujus acta ſcripſit Albinus Flaccus ad Carolum Magnum. Die 13. Maji meminit *S. Servatii*

Tungren.

Tungrenſis Eccleſiæ Epiſcopi. Die 28. Maji meminit *S. Germani Pariſienſis Epiſcopi*, qui migravit ex hac vita anno 579. ut in *Chronico* Sigebertus tradit, quod etiam colligitur ex Gregorii Turonenſis Hiſtoria lib. 5. cap. 8. Die 3. Junii meminit *S. Liphardi presbyteri Aurelianis*, qui temporibus Clodovæi Francorum Regis floruit. Die 18. Julii meminit *S. Arnulfi Metenſis Epiſcopi*, qui ut tradit Sigebertus in *Chronico*, migravit ex hac vita anno 640. Die 16. Auguſti meminit *S. Leodegarii Epiſcopi Auguſtodunenſis & Martyris*, qui ut Sigebertus in *Chronico* ſcribit, anno 685. martyrio coronatus eſt. Die 20. ejusdem Auguſti, meminit *S. Philiberti Abbatis Gemmeticenſis*, qui vixit temporibus Dagoberti Regis ac filiorum ejus, cujus meminit Sigebertus in *Chronico* ad annum 649. 4. conſtans eſt, auctorem hujus *Lectionarii* fuiſſe Gallum, tam ex ſolis præcedentibus Gallis Abbatibus & Epiſcopis ab illo recenſitis, ut id obiter dicam, quam ex ſequentibus. Nam die 24. Auguſti meminit *S. Audoeni Rothomagenſis Epiſcopi*, cujus obitum Ado refert in *Chronico* ad annum 696. & Sigebertus ad 690. Die 1. Septembris meminit *Depoſitionis S. Firmini Epiſcopi & Confeſſoris*, Ambionis. Die 9. Septembris meminit *S. Audomari Epiſcopi & Confeſſoris*, qui anno 695. ex humanis abiit. Die 10 ejusdem, meminit *S. Hilarii Papæ*, qui S. Leoni 461. ſuccedens, obiit anno 467. die 21. Februarii. Die 13. Septembris, meminit Turonis *depoſitionis S. Lidorii Epiſcopi* & Andegavis *S. Mauritii Epiſcopi*. Die 17. meminit *S. Lamberti Leodienſis Epiſcopi*, cujus meminit Sigebertus, in *Chronico* ad annum 698. Die 11. Novembris meminit *S. Martini Turonenſis Epiſcopi*, die 13. *S. Britii ejusdem loci Epiſcopi*. Die 16. *S. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi*, qui floruit anno 456. Die 17. *S. Aniani Epiſcopi Aurelianenſis*, qui claruit tempore Leonis Papæ 1. circa annum 450. Die 21. Novembris meminit *S. Columbani Abbatis Luxovienſis & Bobienſis*, cujus meminit Sigebertus in *Chronico* ad annum 598. & 622. quem anno 615. mortuum volunt. Calendis Decembris meminit *depoſitionis S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi*, qui anno 640. Epiſcopus Noviomenſis inſtitutus, anno ſecundum quosdam 663. vel 665. juxta alios die 1. Decembris mortuus legitur. Die 12. Decembris meminit *S. Valerici Abbatis* in territorio Ambianenſi, qui ſancti Columbani diſcipulus fuit, ac circa annum Domini 620. vixit, cujus meminit Trithemius lib. 3. *de viris illuſtribus Ordinis divi Benedicti* cap. 78. Die 13. ejusdem Decembris, meminit *Sancti Autberti Cameracenſis Epiſcopi & Confeſſoris*, cujus mentionem facit Sigebertus in *Chronico* ad annum Chriſti 650. 651. 658. Cum ergo hic *Lectionarii* auctor nullius mentionem faciat, quam Epiſcoporum & Abbatum Galliæ vel in Gallia illuſtrium: hinc evidenter apparet Gallum illum fuiſſe, atque ſeculis quidem tribus aut quatuor ab ætate divi Hieronymi eſſe remotum, ut ex præfatis conſtat.

Ordo Solaris anni cum litteris, a Sancto Hieronymo ſuper poſitis, ad explorandam Septimanæ diem, & Lunæ ætatem inveſtigandam, in uno quoque die per XIX. annos. Opus quod anno circiter 830. conſcriptum creditur ſub nomine divi Hieronymi, ex MS. Codice Abbatiæ Corbeienſis, datum luci a Luca de Acherio Tomo X. *Spicilegii* 130. Pariſiis 1671. in 4. quod mihi nullius momenti ad res Eccleſiaſticas apparuit, unde titulum Opuſculi huc referre, ſatis fore arbitratus ſum.

CAPVT OCTAVVM.

OPERA DIVI HIERONYMI, EX EDITIONE MARIANI VICTORII REATINI EPISCOPI, AC LIPSIENSIVM THEOLOGORVM, RECENSENTVR.

CVm Pontificiis plurimis ob liberiorem cenſuram ſuis inſertam Annotationibus in Opera divi Hieronymi, Eraſmus Roterodamus vir eruditione nulli ſecundus, Monachis præſertim ac Theologaſtris ſcholaſticis diſplicuiſſet: hanc ob cauſam Marianus Victorius Reatinus Epiſcopus, Eraſmo nequaquam comparandus, aggreſſus eſt Tomis novem novam Operum divi Hieronymi editionem: qui Romæ primum annis 1565. 1671. & 1572. apud Manutium, deinde alibi ſæpius prodierunt. Vt Eraſmus in eruditione, annotationibus & ſcholiis Marianum plene vicit, ita editio Mariani Victorii ordine inſigniori præfertur Eraſmianæ editioni.

Tomi primus, ſecundus & Tertius editionis Mariani Victorii, pauciſſimis exceptis, easdem Epiſtolas divi Hieronymi complectuntur, & ordine eodem quo in editione Eraſmiana comparent.

Tomo 3. Victorianæ editionis habetur tractatus *Annotationum in Acta Apoſtolorum*, in Erasmiana deſideratus, qui citatur nomine *ſancti Hieronymi* a Baronio Tomo 1. Annalium ad ann. 34. num. 173. ut probet Chriſtum cum in cœlum aſcendit, reliquiſſe ſuorum ſacrorum pedum impreſſa terræ veſtigia &c. Verum hic tractatus non eſt *Hieronymi*, nam prope finem verba faciens de civitate Smyrna, ipſum Hieronymum allegat inquiens: *Hieronymus in libris Hebraorum nominum ponit Smyrnam, & interpretatur Amaram.* Qua ratione commoti Sixtus Senenſis, Marianus Victorius, & Cornelius Sculcingus, non de eo dubitarunt tantum, ut Erasmus in Indice eorum quæ dubio ſunt titulo, tomo 1. Operum Hieronymi editionis 1533. Pariſienſis: ſed rejecerunt prorſus. Nam Sixtus Senenſis lib. 4. *Bibliotheca ſancta* verbo *Hieronymus*, adjicien, inquit: *Harum Annotationum libellum ſtudioſus quidam collegit ex divo Hieronymo, cujus & nomen & librum de nominum interpretatione, citavit in fine voluminis.* Victorius autem in Argumento præfixo Tractatui de Actibus Apoſtolo-

ſtolorum, ait: *Credibile eſt collectorem fuiſſe Bedam, in cujus operibus hic idem libellus adhuc extat. Opus hoc divi Hieronymi non eſſe ex eo colligitur, quod cum de Smyrna Lycia civitate meminit, ipſum citat Hieronymum.* Suffragatur Scultingus in Cenſura Operum D. Hieronymi, præfixa Confeſſioni Hieronymianæ.

Tomus quartus complectitur *Commentarios eosdem* & ordine eodem, quo illos Tomo 5. Deſiderius Eraſmus complexus fuit.

Tomus quintus complectitur *Commentarios in Eccleſiaſtem & in duodecim Prophetas Minores*, quos habet Eraſmus Tomo ſexto & ſeptimo editionis ſuæ.

Tomus ſextus complectitur *Canones ſeu Concordiam quatuor Evangeliſtarum*, *Commentarium in Matthæi Evangelium*, alium *in Evangelium Marci*, cum *Commentariis in Epiſtolas divi Pauli ad Galatas, Epheſios, Titum & Philemonem*, quos ultimo loco ſequitur *Verſio Librorum trium de Spiritu Sancto Didimi*, interprete divo Hieronymo: quæ omnia continentur Tomo IX. Operum ejusdem editionis Eraſmianæ.

Tomus ſeptimus editionis Marianæ complectitur *Commentarios in Pſalmos* qui Hieronymo tribuuntur, & *Commentarios in tredecim Pauli Epiſtolas*, ſola ad Hebræos excepta: quos editio Eraſmi Tomis octavo & nono continet.

Tomus octavus complectitur *Commentaria in Job & in Proverbia Salomonis*, quæ in editione Eraſmiana Tomo ſeptimo continentur. Item *de locis Hebraicis, de nominibus Hebraicis, ad Paulam Urbicam de interpretatione alphabeti Hebraici, denique Quæſtiones ſeu Traditiones Hebraicæ in Geneſim, in libros Regum atque Paralipomenon*: quæ 3. Tomo editionis Eraſmianæ continentur.

Tomus nonus complectitur plurima Opuſcula ſpuria, divo Hieronymo male inſcripta, quæ ab Eraſmo in editionis ſuæ Tomum quartum, omnia ſimul eodem tenore & ordine, conjecta fuerant, quo a Mariano Victorio in Tomum nonum relegata ſunt.

Quamvis autem in editione Victoriana, Opuſcula genuina a ſpuriis ſejuncta magis ſint nova diſtinctione Tomorum, ſpuria tamen nonnulla germanis adhuc immixta remanent, quod mirum cur non Marianus Victorius correxerit. Ita *Tomo tertio* complectitur cum genuinis Hieronymi Epiſtolis, *Libellum Annotationum in Acta Apoſtolorum*, qui Hieronymo ſuppoſitus eſt, ut ſupra diximus.

Tomo quarto complectitur cum genuinis Hieronymi in Prophetas omnes Veteris Teſtamenti Commentariis, *Libros tres Commentariorum in Lamentationes Hieremiæ*, huic doctori gratis ſuppoſitos, quos Rhabano Mauro Moguntinenſi Archiepiſcopo ſeculi IX. ſcriptori omnes adſcribunt.

Tomo ſexto cum genuinis divi Hieronymi in libros Novi Teſtamenti Commentariis, commiſcuit *Commentarium in Evangelium Marci*, nullam præ ſe Hieronymianæ eruditionis notam ferentem.

Tomo octavo denique ſpuria ſimul & genuina commiſcet absque ratione ulla, Nam *Tractatus de locis Hebraicis* & *de nominibus Hebraicis*, atque *Ad Paulam Urbicam de interpretatione alphabeti Hebraici*, denique *Quæſtiones ſeu Traditiones Hebraicæ in Geneſim*, germana Hieronymi a plerisque eruditis Opuſcula creduntur: quæ tamen adjunguntur ſpuriis aliis, nimirum *Commentariis in Job & in Proverbia Salomonis*, *Quæſtionibus in libros Regum & in libros Paralipomenon*, ut ſupra diximus. Hæc autem omnia Opuſcula utpote Hieronymi genuina, extabant convenientius ab Eraſmo Tomo 3. editionis ſuæ, collocata cum Epiſtolis Hieronymi exegeticis ſacræ Scripturæ, nimirum *Hieronymus ad Paulam Urbicam de interpretatione alphabeti Hebraici*, fol. 64. *Divi Hieronymi Quæſtiones* ſive *Traditiones Hebraicæ in Geneſim*, fol. 65. *De locis Hebraicis*, fol. 87. *De nominibus Hebraicis* fol. 97. Solæque ſupererant hinc ob ſpurietatem amovendæ in tomum VII. vel VIII. editionis Marianæ Victorii, *Quæſtiones ſeu Traditiones in libros Regum & in libros Paralipomenon*, quæ tomo 3. editionis Eraſmi habentur foliis 74. & 80. Denique in hac nova editione Mariani Victorii, nihil aliud affertur, quam quod in Eraſmianis editionibus continebatur, ſi *Sacras Sententias Theodoti*, verſionem Hieronymi eminentias exceperis, a Mariano Victorio primum editas: ſed opuſculum ſtramineum, ut nullius meriti, ita nominis quoque nullius.

Quantum porro ad editionem Operum divi Hieronymi factam ultimo Lipſiæ anno 1684. in fol. XII. voluminibus, ea ſequitur ordinem Eraſmianæ editionis, nec quidquam habet Hieronymianum, quod vel in Eraſmiana vel Victoriana editionibus deſideretur: unde ampliorem illius mentionem facere, ſupervacaneum prorſus eſt, modicique momenti apud eruditos exiſtimatur. Amplam hujus editionis mentionem faciunt *Acta Eruditorum Lipſiæ* anno 1684. Kalendis Auguſti a pag. 343. ad 348. Verum poſtquam hanc Diſſertationem conſcripſi, in Catalogo librorum Regneri Leers bibliopolæ Roterodamenſis ad annum 1694. pag. 83. lego aliud Opus a Monachis Benedictinis Gallis, quod ſi genuinum eſt, illuſtrandis divi Hieronymi Operibus plurimum conducet. Inſcribitur titulo maxime ſplendido atque ampullato, *S. Euſebii Hieronymi Stridonienſis Presbyteri Divina Bibliotheca antehac inedita, complectens Translationes Latinas Veteris ac Novi Teſtamenti, cum ex Hebraïs, tum e Græcis fontibus derivatas, innumeraque ſcholia marginalia antiquiſſimi Hebraï cujudam Scriptoris anonymi, Hebraas voces preſſius exprimentis.* Prodit ex vetuſtiſſimis MSS. Codicibus Gallicanis, Vaticanis &c. ſtudio & labore Domini Johannis Martianay & Domini Antonii Pouget, Monachorum Benedictinorum Congregationis S. Mauri, in fol. Pariſiis anno 1693. „ Quod opus quia non viderim,

an

Digitized by Google

an legitimum ſit, judicium ferre non poſſum. Iidem pollicentur Benedictini Monachi, editionem novam & accuratiorem Operum divi Hieronymi omnium, cujus jam volumina duo in lucem publicam prodiiſſe Pariſiis hoc an. 1699. ex publicis novellis diſcimus.

CAPVT NONVM.

DE VLTIMA EDITIONE PARISIENSI OMNIVM DIVI HIERONYMI OPERVM, EX ACTIS ERVDITORVM LIPSIÆ, ANNIS M DC XCV. ET MDCXCIX.

QVI igitur *Acta Eruditorum Lipſiæ* conſcribunt, ita ad annum 1695. Kalendis Martii pag. 98. loquuntur, de hac editione præſenti.

Doctiſſimos Ordinis Benedictini e Congregatione S. Mauri Monachos de *Sanctorum Patrum ſcriptis* præclare hactenus mereri, novæ æque egregiæ, *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Hilarii*, *Hieronymi & Bernardi* editiones, Pariſiis illorum ſtudio procuratæ, abunde teſtantur. Et Bernardi quidem Opera Joannes Mabillonius ſibi vindicavit, Patres quos nominavimus reliqui, ſub communi Congregationis totius nomine prodierunt: etſi *Auguſtinum* Thomæ Blanpain & Petro Couſtant, *Hilarium* eidem Couſtant, & *Hieronymum* Johannis Martianay curis debeamus. Præmiſit autem dictus Martianæus, Pariſiis ad hanc editionem procurandam accuratius, anno 1690. opuſculum *divi Hieronymi Prodromum* appellatum, de quo nonnulla prius afferre lubet, quam divi Hieronymi Tomum 1. recenſeamus. Primam igitur Prodromi illius partem conſtituit *Epiſtola prædicti Johannis Martianay ad viros doctos & ſtudioſos*, in qua oſtendit, quam neceſſaria ſit *Nova Operum Hieronymi editio*, & eruditos ubivis gentium degentes humaniter invitat, ut ſi quid Hieronymi ineditum in bibliothecarum forulis delitescere noverint, indicent: aut ſi quid in privatis commentariis ſchedisque ſuis ſingulare habeant, quod ad exornanda & illuſtranda Hieronymi opera faciat, in publicam Eccleſiæ ac ſtudioſorum utilitatem illud conferant, epiſtolasque ſuas, ſi reſcribere dignentur, vel ſibi vel ſocio ſuo *Antonio Pouget* in Cœnobio S. Germani a Pratis, quod Pariſiis eſt, inſcribant. Accuratam enim Operum Hieronymi editionem, magnæ molis opus eſſe agnoſcit, tantisque difficultatibus obſeptum atque intricatum, ut totius Reipublicæ literariæ ſtudia mereri videatur. Quamobrem etiam Regiæ bibliothecæ Præpoſitos dignis laudibus celebrat, quod facilem MSS. copiam ſibi quotidie faciant. Nec minus doctiſſimum *Baluzium* commendat, quem Colbertinam bibliothecam ſibi ſociisque ſuis, velut communem domum aperire, ultroque ad eam invitare, & MSS. copiam quotiescunque opus habeant, liberaliter impertire, gratus deprædicat. Nec immemor eſt beneficii a Domino de Tilmon accepti, a quo *Vitam Hieronymi* ſe commodatam habere dicit, quam ex variis authoribus, maximeque ex Hieronymo ipſo, magna cum diligentia, nec minori cum judicio digeſtam, Gallico idiomate conſcripſit, & hactenus nondum edidit: qua ad multa obſcurioraHieronymi loca illuſtranda, & imprimis ad chronologiam Operum ejus facilius aſſequendam, aditum ſibi apertum non diſſimulat. Neceſſitatem autem novæ editionis Operum Hieronymi probaturus, etiam poſt Herculeos Eraſmi Roterodami & Mariani Victorii Reatini labores, magnam adhuc erratorum ſylvam in his Operibus dictam eſſe, exemplis nonnullis probare ſatagit. Et imprimis eo nomine in Eraſmum & Victorium invehitur, quod Hebraicis vocibus & textibus ab Hieronymo allegatis ſubinde puncta appoſuerint, & hoc facto Hieronymi ſenſum & interpretationem ſæpius plane ſubverterint, effecerintque, quod in editis Hieronymi libris, quoad res Hebraicas, nihil prorſus ſinceri occurrat: ſed totum ſit vel Maſorethorum, quos ſæpe ex præjudicio erroris Judaici, Hebraico textui puncta vocalia appoſuiſſe ſtatuit, vel Grammaticorum Hebræorum hodiernorum, quorum tricas ut vocat & interpunctiones, Hieronymi ævo inauditas fuiſſe præſupponit.

Altera *Prodromi* pars exhibet *S. Hieronymi Epiſtolam ad Sunniam & Fretelam*, ad MSS. Codd. optimæ notæ caſtigatam, cui in altera paginarum columna oppoſitæ ſunt vitioſæ lectiones in Eraſmi & Mariani Victorii editionibus occurrentes, quarum tantus apparatus eſt, ut vix tertia Epiſtolæ hujus licet ſatis prolixæ pars, cum MSS. Codicibus conveniat. Cujus diverſitatis hanc eſſe cauſam Prodromi author pronuntiat, quod Marianus Victorius & Eraſmus, Hieronymum non ex Hieronymo, ſed ex hodierno Maſorethorum Hebraico textu, & ex Seniorum LXX. editione Sixtina, emendare præſumpſerint: non intelligentes, longe diverſam fuiſſe Hebraicam veterem lectionem, ab ea quæ nunc Maſorethorum punctis circumſcripta eſt; & Græcarum interpretationum exemplaria, quibus Hieronymus uſus eſt, multum ab iis diverſa fuiſſe, quæ Romæ cum Nobilii notis edita hodie leguntur. Subjiciuntur autem huic *Epiſtolæ* notæ in Epiſtolæ titulum & inſcriptionem, in tempus hujus Epiſtolæ, in loca ejus difficiliora & celebriora, in variantes lectiones Græcas, nec non in Hebraica verba hujus Epiſtolæ, quibus notis ſubjungitur index Codicum MSS. ad quos Epiſtola hæc nunc recognita & caſtigata prodiit.

Tertia denique & ultima pars hujus Prodromi continet *Epiſtolam Gallico idiomate ad fratres Conœtos ab eodem Prodromi auctore ſcriptam, & Michaeli Lequieno oppoſitam*. Etſi enim ille Lequienus, perinde ac Martianay noſter Pauli Pezronii *Antiquitatem temporum reſtitutam* peculiari

tractatu confutaverit, nonnulla tamen etiam in noſtri Martianay tractatu reprehendit, militum inſtar, ut authoris noſtri ſimili utamur, qui cum tela in hoſtes dirigunt, improvide ſocios ſuos lædunt. Duo autem imprimis Lequienus in Auctore noſtro deſideraverat, unum quod de verſione Græca quæ κοινὴ appellata fuit, non recte judicaſſet: alterum, quod de Sunnia & Fretela, tanquam de viris locutus fuiſſet. Ad utrumque Martianay noſter breviter reſpondet, qui etiam in Notis ad titulum & inſcriptionem hujus Epiſtolæ, quarum ſupra mentionem fecimus, Sunniam & Fretelam viris, non fœminis accenſendos, hoc argumento probat, quod in MSS. [illegible]dd. inſcriptio hujus Epiſtolæ ita ſe habeat: *Dilectiſſimis fratribus Sunnia & Fretela &c.* Confirmat hanc ſententiam ex ipſo contextu, ſiquidem Hieronymus de iis dicit, *quod calloſa tenendo capulum manus & digiti tractandis ſagittis aptiores ad ſtylum calamumque molleſcant, & bellicoſa pectora in manſuetudinem Chriſtianam vertantur*, quod elogium viris potius quam fœminis competere animadvertit. Denique obſervat, quod virilia nomina ſint apud Gothos, Attila, Totila, Agila, & ſimilia. Verum hæc de Prodromo D. Hieronymi, qui ante quinquennium, in quarta ut loqui amant forma ſeorſim prodiit, dicta ſufficiant.

CAPVT DECIMVM.

DE TOMO PRIMO OPERVM DIVI HIERONYMI, PRÆFATÆ EDITIONIS.

INſcribitur *S. Euſebii Hieronymi Stridonenſis Presbyteri Operum Tomus primus, ſeu Divina Bibliotheca antehac inedita, complectens translationes Latinas Veteris ac Novi Teſtamenti, cum ex Hebrais, tum e Græcis fontibus derivatas, innumera quoque Scholia marginalia antiquiſſimi Hebræi cujusdam Scriptoris anonymi, Hebræas voces preſſius exprimentis.* Prodit e vetuſtiſſimis MSS. Codicibus Gallicanis, Vaticanis &c. ſtudio & labore Monachorum Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri, Pariſiis apud Ludovicum Roulland 1693. in fol.

Præmittuntur Tomo huic *Prolegomena*, de quibus aliquid dicendum convenit, in quorum *primo de nomine Bibliotheca divina*, & de modo quo edita eſt, diſſeritur. Narrant igitur Benedictini noſtri, Hieronymum primum ea quæ librariorum incuria, vel temporum injuria, vel imperitia interpretum, in Latina exemplaria e Græcis derivata irrepſerant, diligenter emendaſſe. Poſtea vero, ne Judæi amplius Chriſtianis Græce verſionis errores exprobrarent, novam ex Hebraico textu verſionem adornaſſe: ac ut ea tanto felicius progredi poſſet, addiſcendæ linguæ Hebraicæ maximos labores, nec minores ſumptus impendiſſe. Referunt quoque quorum precibus & hortatu Hieronymus varios libros Biblicos in Latinum ſermonem transtulerit, & quales calumnias a Rufino aliisque æmulis ob novas ſuas verſiones paſſus fuerit: animadvertentes, ita eum in verſionibus ſuis fuiſſe verſatum, ut ea imprimis quæ ſenſum pervertebant mutaret, & ſimplicitati potius verborum, quam ſtyli elegantiæ ſtuderet, etiam vitiis quibusdam ſermonis admiſſis, ſicubi intelligentiæ facilitas & vulgi conſuetudo id poſtulare videretur.

In *Prolegomeno ſecundo* de tempore translationum Hieronymi, earumque in Eccleſia uſu agitur, ubi inter alia diſquiritur, num omnes libros Veteris Teſtamenti juxta 70. interpretes emendaverit? Tum collatis utrinque rationibus concluditur, etſi pauciſſimæ ex illis Hieronymi verſionibus ad nos pervenerint, univerſa tamen Græce editionis volumina ab eo Latine verſa, ſeu potius juxta Hexaplorum fidem emendata fuiſſe. Hinc exponitur, quo ordine Canonem Hebraicæ veritatis interpretatus fuerit, & oſtenditur Hieronymianas utriusque generis verſiones, ſtatim apud Græcos & Latinos in magno pretio habitas fuiſſe. Quod ut probetur, inter alia ex nonnullis Hieronymi locis adducitur, quod Latinæ ejus verſiones a Græcis in Græcum ſermonem translatæ fuerint. Quæ Hieronymi loca Daniel Huetius in tractatu *de claris interpretibus* ita accepit, ac ſi prior Hieronymi editio e LXX. ſeniorum interpretatione expreſſa, Græce iterum verſa, & a Græcis ſuſcepta fuerit. Verum Benedictini in hoc a Viro eruditiſſimo diſſentiunt, cum neceſſe non fuerit, ea quæ in Hexaplis Græce extabant, ex Latino Hieronymi ſermone denuo Græce vertere & actum agere: unde probabilius ipſis videtur, poſteriorem Hieronymi translationem ex Hebraicis fontibus derivatam, & imprimis verſionem Pſalterii & duodecim Prophetarum, a Sophronio Græce redditam & a Græcis ſuſceptam fuiſſe. Confirmatur hæc ſententia de translationibus Hieronymi apud Græcos ſuſceptis, exemplo Heſychii, qui in Commentariis in Leviticum nonnulla loca juxta editionem Hieronymianam, ex Hebraicis fontibus derivatam explicavit. E Latinis patribus, qui Hieronymi translationes in pretio habuerunt, adducitur præter alios Philippus, qui in ſuis Commentariis in Jobum, Hieronymi verſione, & quidem illa, quam ex Hebraico textu reddidit, uſus eſt. Et ipſe Auguſtinus, qui etſi primum novas Hieronymi translationes, confuſionem aliquam Eccleſiarum metuens, improbaverit: poſtea tamen quam inſignem translationum illarum utilitatem perſpexit, non raro easdem laudavit, & in ſcriptis ſuis uſurpavit, quod multis Auguſtini locis adductis demonſtratur. Tandem poſt Gregorii Magni & aliorum quorundam de translationibus Hieronymi teſtimonia, additur quod Eccleſia Romana Hieronymianam Bibliorum verſionem

nem authenticam declaraverit: ubi tamen additur, aliquos in Vulgata libros contineri, ab Hieronymo non translatos, ac propterea in hac *Bibliotheca divina Hieronymi* omissos, nempe *librorum Baruch, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Machabæorum duos.* Præterea *Psalterium* quod in Vulgata extat, non illud esse quod divus Hieronymus ex Hebraico textu expressit, sed illud quod secundis curis juxta Græcam editionem emendavit. In reliquis autem Veteris Testamenti libris, ac imprimis in libris Regum ac Proverbiorum, nonnullas sententias Hieronymianæ versioni ac integros versus ex antiqua seu Itala versione admistos deprehendi, qui in hac Hieronymi Bibliotheca admissi non fuerunt.

In *Prolegomeno tertio* Hebraica veritas commendatur & ostenditur, Græcos & Latinos Patres, quanto fuere cæteris doctiores, tanto plus eos Hebraicæ veritati studuisse. In eodem Prolegomeno de divisione Scripturæ Veteris Testamenti in *Legem, Prophetas & Hagiographa* agitur, & nuperus quidam Scriptor perstringitur, qui asseruit Ecclesiam Christi *Translationem Hieronymi* castigasse, & eas Danielis partes in Canone restituisse, quas sensu Judaico & Rabbinico spiritu Hieronymus abscideriť: cum tamen Hieronymus illa Danielis additamenta non omiserit, etsi ea, quia in Hebraico textu non inveniuntur, obelis signaverit: qua occasione etiam de signis illis disseritur, quibus apocryphas illas Scripturæ partes Hieronymus signavit. Postremo loco in Authorem scholiorum marginalium inquiritur, quibus in hac *divina Hieronymi bibliotheca* libri Veteris Testamenti ac imprimis tres posteriores Pentateuchi libri, nec non Josue liber, Regum volumina, Jobus, Psalterium, & quidam alii illustrantur. Observat autem doctissimus Martianay, quem horum Prolegomenorum auctorem esse nulli dubitamus, Scholiastem hunc, etsi doctus & Hebraicæ linguæ peritus agnoscatur, & ad stylum Hieronymi quodammodo accedat, ab Hieronymo tamen diversum esse, sed eundem cum authore Quæstionum in libros Regum & Paralypomenon, quæ inter Hieronymi Opera habentur. Notat insuper Authorem hunc seculo IX. floruisse, & a Rhabano Mauro Hebræum in scientia legis non mediocriter celebrem appellari, eidemque ex Opusculis inter Hieronymi Opera editis, tribui debere librum *de decem tentationibus* & *Epistolam ad Dardanum:* quin etiam extare nondum hactenus editam *lucubrationem in Canticum Deboræ* & *Commentarium in primam lamentationem Jeremiæ*, etsi de posteriori tractatu nondum asseverare ausit, quod Hebræum illum Scholiasten authorem habeat.

In *quarto* denique *eodemque ultimo Prolegomeno* de variis divisionibus librorum biblicorum in *Capitula, Titulos & Breves*, deque illorum authoribus agitur, nec non de distinctionibus versuum antiquitus usurpatis: item de metris in Codice sacro ac imprimis in Psalmis occurrentibus. Verum cum ista sine prolixitate quadam recenseri non possint, pedem hic figere, quam relatione nimis longa lectorem fatigare malumus. Illud tamen celare lectores nostros nolumus, esse penes doctissimos hos Monachos, quibus *divinam Hieronymi Bibliothecam* debemus, libros etiam quosdam Biblicos ex antiqua versione Latina, *Italica* vulgo dicta, quos se publici juris facturos suo tempore pollicentur, initium a Matthæo facturi, propter ferventem controversiam duorum hujus temporis Scriptorum *Simonii & Arnaldi*, qui occasione Cantabrigiensis MS. de antiqua versione Evangeliorum Latina, quæ in Ecclesia Occidentali ante Hieronymianam castigationem obtinuit, multa disputarunt. Verius autem causæ MSS. Codices faveant, post ipsorum Codicum impressionem, plenius cognitum iri dicunt. Interim indicant, multa in his exemplaribus MSS. legi, quæ ab utriusque conjecturis longe absunt: nonnulla vero, quibus nunc hujus, nunc illius dicta vera esse comprobentur.

Quantum autem ad Tomum primum Operum Hieronymi attinet, ille *divinam S. Hieronymi Bibliothecam* seu *Translationes Latinas Veteris ac Novi Testamenti ex Hebræis & Græcis fontibus derivatas* complectitur. Quæ *divina Bibliotheca* in treis partes dispescitur. *Prima* exhibet Canonem Hebraicæ veritatis, seu libros Canonicos V. Testamenti ex Hebræis fontibus expressos, ac Annotationibus marginalibus Hebræi cujusdam, qui tempore Rabani Mauri in scientia legis claruit, illustratos, & triplici ordine distinctos. *Primus* enim *ordo* libros legis seu Pentateuchum, *Secundus* libros Prophetarum, nempe Josue, Judicum, Ruth, Samuelis, Regum, Jesaiæ, Jeremiæ cum Threnis, Ezechielis, & duodecim Prophetarum, qui minores appellari solent. *Tertius* Hagiographa, seu libros Jobi, Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastæ, Cantici Canticorum, Danielis, Paralipomenon, Esdræ, Nehemiæ & Esther complectitur.

Altera *Bibliothecæ Divinæ* pars continet libros quosdam Veteris Testamenti, partim ex Chaldaico, partim ex Græco sermone translatos, in quibus primum locum tenent liber Tobiæ & liber Judith, e Chaldaico sermone per Hieronymum in Latinum translati & sæpius editi. Hos excipiunt libri quidam Biblici, quos Hieronymus e Græcis LXX. Interpretum exemplaribus Latine vertit, nempe liber Jobi cum asteriscis & obelis hactenus ineditus, & nunc demum e tenebris, in quibus per multa retro seculorum spatia jacuit, protractus, & ex Majori Monasterio a *Claudio Martino* ad Hieronymi editores transmissus. Et duplex Psalterii editio, quorum unum *Romanum* audire solet, quod eo Romana Ecclesia antiquitus uteretur, ejusque usus etiam adhuc in Ecclesia Vaticana perseveret: alterum quod obelis & asteriscis signatum est, *Gallicanum* dictum, quod Galli primi inter omnes, ad usus Ecclesiasticos illud adhibuerint.

Etsi

Digitized by Google

Etſi autem duplex hoc Pſalterium jam olim a Joſepho Caro editum fuerit, Benedictini tamen noſtri conquiſitis plurimis Codicibus MSS. ut ea quæ cum in textu, tum in obelis & aſteriſcis deeſſe videbantur, ſupplerent operam navarunt. Duplici autem huic Pſalterio ſubjecerunt *Præfationes* Hieronymi duas, unam in libros Paralipomenon, & alteram ad libros Salomonis: & dolent, quod ipſa illorum librorum verſio ab Hieronymo ad Græcam LXX. Interpretum verſionem conformata, non amplius ſuperſit: & reliqui etiam libri ſacri omnes, exceptis Jobi & Pſalterii voluminibus, ex illa Hieronymi verſione, quam juxta LXX. Interpretes additis etiam obelis & aſteriſcis diligenter emendavit, pridem perierint: vel forte adhuc in tenebris deliteſcant, unde omnes S. Scripturæ ſtudioſos hortantur, ut Manuſcriptos Codices ſacros cum editis diligenter conferant. Hac enim ratione fieri poſſe ſperant, ut aliorum quoque librorum biblicorum verſiones, ab Hieronymo juxta Græcos codices adornatæ, indagari poſſint. Cæterum ſecundæ huic *Divinæ Bibliothecæ* parti appendicem aliquam addere Benedictini noſtri conſtituerant, nempe libros Tobiæ, Judith, Eſther & Pſalmorum cum Canticis quibusdam Scripturæ S. ante Hieronymum, ad Græcorum codices latinitate donatos, & nunc ad plurimorum MSS. codicum fidem edendos, quæ appendix proxime ante pag. 1157. promittitur. Verum pag. 1419. hanc appendicem propterea a ſe omiſſam dicunt, quod ob magnam Manuſcriptorum differentiam, & variarum lectionum copiam, res illa majori otio reſervanda videretur.

Tertia denique hujus *Bibliothecæ Divinæ* pars libros Novi Teſtamenti continet.

Jacobus Longus Presbyter & Bibliothecarius Oratorii Pariſienſis anno 1709. *Bibliothecam ſacram* 2. in 8. voluminibus edendam curavit, quæ cum ab eruditis viris eximia cenſeretur, anno eodem 1709. Lipſiæ recuſa fuit, in qua diffuſe agit de *Bibliis omnibus* tam MSS. quam editis, tam linguis ut loquuntur ſacris, quam & vernaculis. In hoc Opere bis loquitur iſte Longus de *Bibliis Latinis* ſub nomine Divi Hieronymi a Martianæo editis, tomo 1. Operum Hieronymianorum, ſub ſplendido titulo *Divina Hieronymi Bibliotheca antehac inedita.* Primum quidem *Bibliothecæ Sacræ* cap. 4. ſectione 1. pag. mihi 526. & 527. Secundo Sectione 3. pag. 644. Sectione autem prima, ubi pag. 526. diſſeruit de Manuſcriptis Codicibus ex quorum fide editionem ſuam produxit, pag. 527. titulum illum *Divina Hieronymi Bibliotheca antehac inedita* improbat uti non verum, licet convenientem auctori ſuo Joanni Martianæo, homini Vaſconi ac hyperbolarum amanti, his verbis. „Cum voluminis hujus Editor aſſerit divinam hanc Bibliothecam fuiſſe antehac ineditam, nihil ſane aliud voluit innuere, quam quod in ea ſint novus Librorum ordo, novæ capitulationes ex Manuſcriptis Codicibus collectæ, Scholia denique marginalia, quæ nondum in lucem prodierant. Libri namque in hac Bibliotheca contenti, exceptis Pſalmis, nullo modo differunt a Vulgata Latina, proindeque toties editi fuerunt, quoties Vulgata publicata eſt.“ Hæc ad Vaſconis jactantiam & arrogantiam contundendam Jacobus Longus loco citato.

CAPVT VNDECIMVM.

VARIÆ OBSERVATIONES, EX HAC DIVINA HIERONYMI BIBLIOTHECA.

AD calcem paginarum paſſim in hac *Bibliotheca Divina*, variæ lectiones aliæque conſpiciuntur notæ, quibus Hieronymi in libros ſacros Præfationes, & ipſe ſacrorum librorum textus illuſtrantur, ex quibus nonnulla delibabimus. Ad dictum Geneſ. 3. *ipſe conteret caput tuum* adnotatur, in multis MSS. codicibus legi *ipſa*, ſed Hieronymum in *Quæſtionibus Hebraicis* legiſſe *ipſe*, & in Codice perantiqua bibliothecæ S. Germani a Pratis, prima manu ſcriptum ſupereſſe *ipſe*, etſi recentior manus hanc vocem in *ipſa* mutare conata fuerit. Obſervant præterea Benedictini, quod olim veteres pronomina & adverbia in e terminata per diphthongum ſcripſerint, ut eſt illud: *Ipſæ dicit, & facta ſunt: Superbæ loqueris, ſtultæ egiſti:* ex quo ſcribendi modo facile contingere potuiſſe dicunt, ut pro *ipſa ipſa* ſcriberetur. Ad verba Exodi 34. v. 6. annotatur hactenus locum illum a Latinis ita intellectum, quaſi Moſes Domino transeunte clamaverit, *Dominator Domine Deus miſericors &c.* ſed ex Canone Hebraicæ veritatis apparere, quod non Moſis ſed Dei verba illa ſint. Ne quis tamen vulgatam lectionem ob diſcrepantiam ab Hebraica veritate reprehendat, ei Targum Hieroſolymitanum adſtipulari Benedictini noſtri obſervant, quod ita legit: *Et cum tranſiret gloria Majeſtatis Domini coram eo, oravit Moſes, & dixit: Domine Domine Deus &c.* Ad Deuteronomii cap. 1. v. 1. notatur Chriſtianorum fæces *Hobbeſium, Spinoſam & ſimiles*, ex his verbis perperam concludere, quod Moſes totius Pentateuchi author non fuerit, cum hoc argumentum profligetur ſcholio marginali ad Canonem Hebraicæ veritatis appoſito, quo verba *trans Jordanem* ita explicantur, *in tranſitu Jordanis.* Vnde ſibi gratulantur Benedictini noſtri, quod *Divina Hieronymi bibliotheca*, cum appoſitis a docto quodam Hebræo ſcholiis marginalibus, palmarium eorum argumentum evertat, quo Moſen totius Pentateuchi autorem extiſſe negant. Ad Joſuæ cap. 21. obſervatur, exemplaria Hebraica Hieronymi quadam ſui parte mutila fuiſſe, nec verſus omnes bibliorum habuiſſe, cum verſus 36. hujus capitis de 4. urbibus Rubenitarum, ab Hieronymo omiſſus deprehendatur. In Præfatione ad libros Samuelis

lia & Regum, asserit Hieronymus, *Sapientiam* quæ vulgo *Salomonis* inscribitur, & *librum Jesu filii Sirach, & Judith & Tobiam, & Maccabæorum libros*, non esse in Canone. Illa verba *Marianus Victorius, Richardus Simonius*, plurimique alii interpretantur ita, quasi Hieronymus de *Hebræorum*, non de *Ecclesiæ canone* locutus fuisset. Verum Benedictini ex Præfatione Hieronymi in libros Salomonis demonstrant, auctores illos procul a vero recedere, & propriam potius quam Hieronymianam opinionem lectoribus obtrudere. Qua in re candor Benedictinorum nostrorum, & imprimis Martianay noster laudandus est, qui in Prolegomenis ad primum hunc Hieronymi tomum, a sui Ordinis socio, quam a veritate discedere, maluit. Cum enim *Petrus Coustant* in suo *Hilario*, cujus exemplar propediem ad nos allatum iri speramus: dixerit, ab Hilario librorum sacrorum Canonem recensitum esse juxta Hebræorum, non juxta Ecclesiæ usum, non dissimulat sibi id displicere Martianay noster: cum ad Hilarii usque ætatem, non plures a Christianis quam a Judæis libri, in Canonem Veteris Testamenti recepti fuerint: quam in rem Melitonis Sardensis, Origenis, Synodi Laodicenæ, Athanasii, Cyrilli Hierosolymitani, Gregorii Nazianzeni, Amphilochii, aliorumque, testimonia allegat. In notis ad libros Regum pag. 431. quidam nuperus Chronologus perstringitur *Paulus Pezronius*, qui Josepho adhærens, Regem Salomonem per 80 annos regnasse, contra Scripturæ textum, & unanimem Græcorum & Latinorum consensum audacter asseruerit. Scribit Hieronymus in Præfatione ad Jobum apud Latinos ante suam translationem, quam sub asteriscis & obelis edidit, septingentos fere vel octingentos versus defuisse. Quem locum *Simonius* in Critica Veteris Testamenti emendandum, & pro 700 vel 800, septuaginta vel octoginta versus in verbis Hieronymi reponendos esse censet. Verum Benedictini nostri in loco illo, nihil Hieronymi mutandum esse putant. In notis ad Ps. 45 indicatur, totum hunc Psalmum cum bona parte Ps. 2 Hebraice, sed Latinis literis in antiquo Codice MS. Monasterii Carnutensis legi. Ut autem omnibus constet, quantum hodierna lectio Hebraica ab antiqua discrepet, in appendicula ad Canonem Hebraicæ veritatis, totus hic Psalmus cum bona parte Psalmi secundi, ex Codice illo MS. exscriptus exhibetur. In annotationibus ad Prologum divi Hieronymi in Epistolas Catholicas, prolixe Benedictini nostri contra *Simonium* disputant: ac primum fidem ejus vacillare, vel nonnihil diligentiæ in eodem desiderari indicant, cum asserit, Prologum illum in illis tantum exemplaribus reperiri, quæ proximis sexcentis annis descripta sunt, in antiquioribus raro inveniri: cum tamen certum sit, longe rariores esse antiquiores codices, in quibus Prologus ille abest, quam eos, in quibus legitur. Quod ne gratis dixisse videantur, memorant duos in Regia, duos item in Colbertina bibliotheca vetustissimos codices reperiri, quos ante Caroli Calvi ætatem vel circa illius Imperatoris tempora scriptos esse nemo refragetur. Et in his præstantissimis & optimæ notæ Codicibus, unum tantum esse, in quo Prologus ille ante Epistolas Catholicas omissus deprehendatur: quatuor autem codices octingentis annis antiquiores in San Germanensi bibliotheca haberi, & ex illis unum tantum illo Prologo carere. Contra negant, in recentioribus MSS. hunc Prologum constanter legi, cum meminerint, se in plurimis Codicibus ante quadringentos annos scriptis, eundem minime invenire potuisse. Vlterius notant nonnullas Præfationes Hieronymi, quæ ab omnibus pro genuinis agnoscuntur, deesse in antiquissimis codicibus, quod exemplis quibusdam demonstrant: unde inferunt, ex eo quod Hieronymi Prologum in Epistolas Catholicas nonnulli Codices antiqui adscriptum non habent, colligi non posse quod Hieronymi nomen mentiatur. Infirmum quoque ipsorum judicio est *Simonii* argumentum inde depromptum, quod ille Prologus in multis exemplaribus, nomen Hieronymi adscriptum non habeat, cum etiam illas Hieronymi Præfationes, quas genuinas esse Simonius neque negat, neque negare potest, in plurimis exemplaribus, nomen Hieronymi appositum non habere, demonstrari possit. Porro falsum esse observant, quod Simonius asseruit, in bibliotheca S. Germani a Pratis, duos esse MSS. codices, in quibus Prologus ille non legitur: cum ex omnibus Monasterii hujus codicibus, unus tantum illo Prologo carere deprehendatur. Non minus in eo Simonium hallucinatum animadvertunt, quod auctorem, qui libros Vulgatæ Latinæ uno volumine complexus est, Prologum in fronte Epistolarum Catholicarum positum edidisse probaturus, pro certo asserat, Præfatiunculam Exemplari Caroli Calvi Actis Apostolicis præfixam ex Hieronymi Prologo Galeato excerptam esse: cum tamen in prologo Hieronymi Galeato altum sit de libris Novi Testamenti silentium: & locus quem Simonius intendit, non in Prologo Galeato, sed in Epistola Hieronymi ad Paulinum reperiatur. Concludunt ergo infirmas esse rationes, quibus Simonius suppositionem illius Prologi probare voluit, qui tamen in re ipsa Simonio consentiunt, nempe quod Prologus ille alium quam Hieronymum auctorem habeat, quod tribus argumentis demonstrant. Primum inde petitum est, quod Hieronymus Epistolas Catholicas nunquam *Canonicas* appellare soleat, ut Catalogus *Scriptorum Ecclesiasticorum* ab ipso concinnatus, in illis capitibus quæ de Petro, Jacobo & Juda agunt, testari potest. Auctor autem Prologi, has Epistolas non aliter quam *Canonicas* appellat, quo nomine etiam a Cassiodoro *de institutione divinarum literarum* cap. 8 & a Synodo Laodicena illas Epistolas appellatas deprehendimus. Alterum argumentum hoc est, quod Prologi auctor se rem maximi momenti & Ecclesiæ utilissimam procurasse glorietur, dum has septem Epistolas proprio ordini restituerit, quarum

rum ſeries hactenus apud Græcos orthodoxos a Latinis exemplaribus diverſa fuerit. Benedictini enim obſervant falſum eſſe, quod apud Græcos orthodoxos alia Epiſtolarum iſtarum ſeries fuerit, quam eſt illa quæ in Latinis exemplaribus reperitur. Contrarium probant ex Canone 59 vel 60 Synodi Laodicenæ, Athanaſii Epiſtola feſtiva, Synopſi librorum Scripturæ Athanaſio tributa, Gregorio Nazianzeno, Joanne Damaſceno, & aliis. Deinde ſe non videre dicunt, quod ad utilitatem Eccleſiæ magnopere faciat, quacunque ſerie Epiſtolæ illæ locentur. Præterea ordinem illum, quem falſus Hieronymus tanti fecit, a vero Hieronymo non obſervatum animadvertunt. Nam in diviſione Scripturæ apud Caſſiodorum, qui eam ſecundum Hieronymum factam eſſe dicit, alia Epiſtolarum illarum ſeries deprehenditur, quemadmodum etiam apud Auguſtinum lib. 2. *de doctrina Chriſtiana* cap. 8 alia occurrit. Tertium denique argumentum e ſtylo Benedictini depromunt. Etſi enim auctor Prologi hujus Prologum Hieronymi in 12. Prophetas imitari anniſus fuerit, infeliciter tamen hoc ipſi ceſſit, cum præter vocem infimæ latinitatis *quod quia*, aliæ quoque phraſes ſtylum Hieronymi minus ſapientes ipſi exciderunt. Cum autem hic Prologus imprimis occaſione verborum Johannis quæ v. 7 capitis 9 in Epiſtola ejus prima occurrunt, ſcriptus videatur, de illo etiam teſtimonio nonnulla Benedictini noſtri ſubnectunt. Obſervant igitur teſtimonium illud Johannis de tribus in cœlo teſtibus, in plurimis vetuſtiſſimis exemplaribus deſiderari, nec in paucis ejusdem ætatis ad marginem ſuppleri: in recentioribus autem ſemper adeſſe, etſi non in omnibus eodem ordine legatur, ſed in quibusdam exemplaribus verſus octavus ſeptimum præcedat. Omiſſionis vitium inde natum non dubitant, quod nonnulla verſus 7 verba in octavo repetantur: quemadmodum ob ſimilem eorundem verborum recurrentium cauſam, in cap. 30 Jeremiæ verba quædam a LXX. Interpretibus omiſſa, Hieronymus ad v. 14 & 15. illius capitis obſervavit. Commodiorem locum & exemplum probandæ hujus omiſſionis, efficacius Joſue cap. XXLV. v. 36 occurrere obſervant. Nam cum tribus vicibus verſu 35. 36. 37 legantur illa verba *civitates quatuor cum ſuburbanis ejus:* librariorum incuria factum eſt, ut in multis exemplaribus, & in illo quoque quo Hieronymus uſus eſt, verſus 36 omitteretur. Poſtremo non ſine animi mœrore ſe videre poſſe teſtantur, quod auctor Communionis Catholicæ, qualis *Simonius* eſſe velit, probare contendat, hoc Johannis teſtimonium, librariorum veterum temeritate additum fuiſſe. Neque in eo ſe acquieſcere poſſe teſtantur, quod dicat, Eccleſiæ auctoritatem hodie hoc teſtimonium nobis tanquam authenticam ſcripturam ingerere. Nullam enim Eccleſiæ auctoritatem tantam eſſe agnoſcunt, ut corruptelas, interpolationes, aliaque librariorum vitia in *Verbum Dei* & Canonicam Scripturam commutare poſſit: quo nihil obtuſius & ſcripturarum divinarum fidei magis exitiale, dici poſſe arbitrantur. Hæc verbotenus *Acta Eruditorum Lipſiæ* Calendis Martii, anno 1693 a pag. 97 ad 110.

CAPVT DVODECIMVM.

DE TOMO SECVNDO OPERVM D. HIERONYMI, EIVSDEM EDITIONIS.

Acta Eruditorum Lipſiæ Kalendis Decembris anno 1699 a pag. 529 ad 534 habent quæ ſequuntur: *S. Euſebii Hieronymi Strydonenſis Presbyteri Operum Tomus ſecundus, ſtudio Johannis Martianay Presbyteri Congregationis S. Mauri, Pariſiis apud Joannem de Nully 1699 in folio.*

Qui primum Tomum Operum Hieronymi, *Bibliotheca Divina* titulo inſignitum, & a nobis in *Actis* hiſce anno 1695 pag. 98 & ſeqq. late recenſitum, doctiſſimus *Martianæus* evulgavit, acrem nuper nactus fuit adverſarium in quodam Richardi Simonii nepote, qui in libello aut Epiſtola potius a Simonii Commentariis excerpta, & Coloniæ ſub hac inſcriptione *Critique du Livre publié par les Moines Benedictins de la Congregation de St. Maur, ſous le titre de Bibliotheque divine de Saint Jerome*, hoc ipſo anno impreſſa, modis omnibus oſtendere annititur, fruſtra *Hieronymo* attribui, quæcunque in Tomo illo continentur. Quod quidem quomodo laturus ſit celeberrimus Editor, impoſterum fortean dilucidius conſtabit. Nobis in delineando Tomo Operum Hieronymianorum ſecundo, qui lucem nunc adſpicit, occupatis eſſe impræſentiarum licet, cujus faciem noſſe, non injucundum lectoribus noſtris, uti opinamur, futurum eſt.

Edito nimirum jam utriusque Teſtamenti ſacro contextui, Libros Commentariorum in Legem & Prophetas ſubnectendos, & hos, quidquid ſecus aliis viſum fuerit, Epiſtolis beati Patris moralibus præponendos eſſe exiſtimavit. Sed cum ejusdem liber unus *de nominibus Hebraicis*, alterque *de ſitu & nominibus locorum Hebraicorum*, generales velut Commentarii in omnem Scripturam ſacram nuncupari mereantur, Etymologicus quidem alter, & alter Geographicus, hinc eos primo ſtatim loco collocat. Mox tamen duo hæc Opuſcula, excipiunt *Quæſtiones Hebraicæ in Geneſim*, quas ſolas reperire ſe potuiſſe teſtatur, quamvis aliarum in cæteros libros ſacros Hieronymus ipſe ſæpius meminerit. Deinceps, cum partes modo nonnullas plurimorum divinorum voluminum ab eodem expoſitas teneamus, *Epiſtolas omnes Criticas* a Geneſi usque ad librum Eccleſiaſtæ in unum collectas, & juxta ordinem librorum diſpoſitas ſiſtit: ut adeo, quantum fieri potuit, integram Commentariorum Hieronymi ſeriem in hac editione invenire poſſimus. Singula vero opuſcula ex fide plurimorum MSS. vetuſtiſſimorum ſe emen-

Digitized by Google

emendaſſe, tantamque ſe in hoc negotio diligentiam adhibuiſſe ſcribit, ut dicere haud vereatur, Hieronymum ipſum propria quaſi manu correxiſſe, & reſtituiſſe in hac editione, quodcunque in veteribus libris antea deſcriptis corruptum fuerat. Nullam quippe tutiorem eſſe poſſe, & magis Hieronymianam reſtitutionis librorum viam atque methodum, quam Autorem ex Autore caſtigare, eumque mutua exemplarium veterum ac novorum contentione facta, ad primigeniam integritatem revocare. Cui induſtriæ cum & altera acceſſerit, collatio ſcilicet quamplurium Hieronymi locorum ſimilium, quibus invicem illuſtrentur ſæpius ſententiæ, ac variantes lectiones in unam genuinam concilientur: nihil deſiderari poſſe, quod ad perfectam textus cujusque emendationem & reſtitutionem neceſſarium arbitreris. Multas quoque ad res perutilem, imo & perneceſſariam eſſe notitiam chronologiæ Operum Hieronymi deprehendens, quandoquidem vir ſanctiſſimus diverſa vel contraria diverſo tempore ſcripſerit, ætateque major plurima, quæ juvenis ediderat, mutarit; idcirco in eam indagandam haud mediocrem operam impendit. Libros videlicet Hebraicorum nominum & locorum, ac Quæſtionum Hebraicarum in Geneſim, conditos eodem tempore exiſtimat, iisque annum 388 circiter aſſignat. Epiſtolam quæ ſequitur ad Damaſum Papam A. 384. ad Evangelum 398. primam ad Fabiolam A. 396 vel 397. alteramque vix ante annum 400. ad Dardanum 414. ad Vitalem Presbyterum 395. ad Sunniam & Fretelam 405. cunctas ad Marcellam & Paulam Romanam 384. ad Principiam 398. ad Cyprianum poſt annum 389. Commentarios ad Eccleſiaſten A. 388. vel 389.

Translationem Homiliarum Origenis in Canticum Canticorum A. 383 vel circiter. *Epiſtolam* denique ad Rufinum Romanum poſt A. 398 conceptam conſtat. Atque hæc ſingula, quæ breviter hactenus indicavimus, Martianæus prolixiori ſtylo proſequitur in *Prolegomenis* huic Tomo præfixis, ubi & iſtud agit, ut eruditionem Hieronymi evehat, eamque contra Criticorum quorumdam, & Simonii imprimis objectiones vindicet.

More autem ſuo ſingulis propemodum paginis Notas aliquas ſubjecit Editor, inque iis varias diverſorum textuum lectiones, jam hujus illiusve dicti interpretationes, jam alia paſſim notavit & recenſuit. At ſpatium multo amplius Præfationes & Commentationes occupant, quas tractatibus his addidit, & e quibus ſumma quædam capita huc transferre operæ pretium exiſtimamus.

Quemadmodum nempe libri *de nominibus Hebraicis* tres ſimul Scriptores fuiſſe innuit, Philonem Judæum, qui nomina Hebraica Veteris Teſtamenti Græce interpretatus fuerit: Origenem, qui omiſſa a Philone, utpote Judæo, ſupplèverit, nominaque Hebraica Novi Teſtamenti addiderit: tandemque Hieronymum, qui plurima emendaverit ad fidem Hebræorum fontium, quæ in Philonis aut Origenis exemplaribus Græcis depravata jacuerint: ita, quod alias non facile dictu apparuit, quænam Philonis ſint, quæ Origenis, quæ Hieronymi in iſto libro, diſtinctius oſtendit. Tum poſt allata quædam MSS. antiquiora, in quibus Lexica Græca nominum Hebraicorum reperit, eruditionem Hieronymi in rebus Hebraicis laudat, librumque iſtum nominum, ab utilitate ſua plurimum commendat.

Circa librum *de ſitu & nominibus locorum Hebraicorum*, Bonfreriana ſubinde diligentia gratum ſe uti voluiſſe innuit, cumque iſtum librum ex Græco Euſebii textu ſic in idioma Latinum tranſtulerit Hieronymus, ut literarum alphabeti ordinem in nominibus Hebraicis rite collocandis ſermoni Latino accommodaverit, utut ab Euſebio Græcus uſurpatus fuerit: ideo nec ipſe Euſebio Hieronymum, ſed huic potius iſtum accommodare, Græcarumque literarum ordinem ad Latinum revocare voluit. Inſuper Græce neſcientibus indicaturus, quænam ab Hieronymo addita ſunt ad Euſebium Græcum additamenta, illa in Latino contextu uncinis Includit: notas tamen illas omiſit, ubi ea ex abſentia Græci contextus in altera pagina, clare ſatis a quolibet internoſci poſſunt. Plura etiam, quæ in Bonfreriana editione typographorum imperitia corruperat, notavit, reſtituit, & ſupplevit. Libro iſti ſubjunxit Geographicam tabulam ex Operibus Hieronymi concinnatam, e qua facili negotio internoſcatur illa terra ſancta, quæ tempore Euſebii & Hieronymi, viculis, caſtellis, urbiumque nominibus recentioribus, haud parum diſcrepavit in ſuperficie, ab ea quam Joſua victori populo diſtribuit.

Nuperrime Librum illum *de locis Hebraicis*, quam Græce & Latine Jacobus Bonfrerius Soc. Jeſu, ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ, Pariſiis anno 1631 ediderat, etiam poſt iſtam Joannis Martianay Monachi Benedictini in Hieronymo ſuo expreſſionem iteratam, tertio Græce & Latine edere voluit Joannes Clericus hoc titulo:

Onomaſticon Vrbium & Locorum ſacræ Scripturæ, ſeu *Liber de locis Hebraicis*, Græce primum ab Euſebio Cæſarienſi, deinde Latine ab Hieronymo ſcriptus, in commodiorem vero ordinem redactus, variis additamentis auctus, notisque & tabula Geographica Judææ illuſtratus, opera Jacobi Bonfrerii S. Jeſu. Recenſuit & auxit animadverſionibus ſuis Joannes Clericus. Acceſſit huic editioni *Brocardi Monachi ex ordine Prædicatorum Deſcriptio Terræ Sanctæ*, accepta ex Collectaneo Symonis Grynæi, impreſſo Baſileæ 1555 in folio apud Hervagium ſub titulo: *Novus Orbis Regionum ac Inſularum veteribus incognitarum.* Amſtelodami apud Franciſcum Halma 1707 in folio p. 200. Jam revertamur ad editionem divi Hieronymi Operum Martianæi.

Libro *Quæſtionum Hebraicarum in Geneſim* notas prolixiores ſubjecit, inque iſtis ea loca examinat, in quibus vitium admiſiſſe, aut imperitiam ſuam prodidiſſe Hieronymum, ſtatuant Critici recentiores. Sigillatim vero, quid circa translata ab eo verba Gen. I. 2. II. 8. III. 6. 17. VI. 14. XIII. 14. monitum a nonnullis deprehenderit allegat, & Hieronymum, quantum poteſt, tuetur.

Quod *Epiſtolas Criticas* ſpectat, ſive eas quæ ad explanationem Veteris Teſtamenti pertinent: hoc in loco monendum ducimus, quod eandem illam ad Sunniam & Fretelam, quam in *Prodromo Divi Hieronymi* jam anno 1690. edidit, hic repetere haud dedignatus fuerit. Ad *Commentarium in Eccleſiaſten* eandem diligentiam attulit, quam ad ſuperiorem Quæſtionum Hebraicarum librum. Iſtum enim non minus atque hunc, maxime Richardum Simonium obſervationibus ſuis criticis impugnaſſe queritur, quas tamen inertes ex ſe & male ſanas ac Hieronymo iniquiſſimas appellat, eaque de cauſa ad eas ſtrictim refellendas teneri ſeſe opinatur.

Duas Origenis homilias in Canticum Canticorum ab Hieronymo latinitate donatas poſteaquam exhibuit, partem *Hexaplorum Origenis* non minimam ſubjungit. Nam cum eorum hodie nec volumina, nec partes, nec laciniæ ſaltem aliquæ ſuperſtites inveniantur in manuſcriptis libris aut editis, magnum iſtud damnum reſarcire, toto animo cogitare cœpit, cum occurrentes haberet in ſuſcepta Operum Hieronymianorum editione & Hebraici contextus, & Græcarum verſionum, e quibus Hexapla conſtabant, recitationes frequentiſſimas. Sane quidquid nunc reſtitui poteſt Hexaplorum, totum illud ab Hieronymo mutuandum venire cenſet, quippe qui non ſolum propriam nobis ediderit Sacrorum Bibliorum translationem, ſed veterum quoq; Græcorum Interpretũ ſæpiſſime recordatus, ingentem verborum ac verſuum Scripturæ copiam ſuo ordine in Hexaplis poſitam & deſcriptam ſubminiſtraverit. Quamobrem cum multa huc pertinentia excerpſiſſet ex *Hebraicis Quæſtionibus in librum Geneſeos*, plurima quoque ex *Epiſtolis criticis* & ex *Commentario in Eccleſiaſten*, integrum tandem volumen *Hebraicorum locorum* denuo revolvit, & ex eodem Sylvam nominum propriorum, quæ tanquam appellativa Aquila, Symmachus & Theodotion interpretantur, in Hexaplorum excerpta ſuo ordine digeſſit. Græcas interim voces nonnullas Græce repoſuit, utut Latine tantum apud Hieronymum legantur. Vbi vero omnes interpretationes Græcas diverſas recitatos invenit, excepta illa quæ Theodotionis eſt, perſuaſum ſibi habuit, in ipſis ſententiis Theodotionem a LXX Interpretibus non diſceſſiſſe, e quorum proin columna defectum illum ſupplevit. Sed ea tamen ſupplendi licentia & in Theodotione, & maxime in Aquila & Symmacho rariſſime abuſum ſe fuiſſe profitetur, ne pro Græcis interpretationibus conjecturas ſuas ſubdole venditaret.

Atque hactenus memoratum a nobis eſt, quid circa ea Opera Clariſſimus Martianæus in hoc Tomo præſtiterit, quibus nomen Operum Hieronymi genuinorum deberi ſtatuit. Jam igitur & eorum mentio injicienda, quæ ſuppoſititiis accenſet. Hæc in peculiarem *Appendicem* conſtipavit, ſed eam iterum nonniſi Expoſitiones aliquot librorum ſacrorum comprehendentem. Harum vero ſex ſunt, utpote 1 *Epiſtola de decem tentationibus populi Iſraël in deſerto.* 2 *Commentarius in Canticum Deboræ.* 3 *Quæſtiones Hebraicæ in libros Regum, itidemque in libros Paralipomenon.* 4 *Expoſitio interlinearis Philippi in librum Jobi.* 5 *Prologus & Commentarius in Pſalmos Davidis*, tandemque *Epiſtolæ. Opuſcula duo priora*, quorum alterum jam olim editum, alterum hucusque ineditum dicit, pro genuinis agnoſcit fœtibus antiquiſſimi illius Scriptoris Hebræi, de quo plura ille in Prolegomenis ad *Bibliothecam Divinam* dixerit. Confer *Acta* noſtra loco citato pag. 109 & cui *Quæſtiones* quoque *Hebraicas in libros Regum & Paralipomenon*, Hieronymo vulgo, ſed male, tribui ſolitas, adſcribit.

Interlinearem in librum Jobi Expoſitionem Philippo Presbytero tribuit, diſcipulo Hieronymi inſignique ejus auditori & amico, eidem illi cui *Commentarius in Jobum* debeatur, a Johanne Sichardo Baſileæ a. 1527 editus, & e quo *Commentaria etiam in Jobum*, quæ nomine Hieronymi circumferuntur, tota fere, paucis detractis & additis, confecta ſint. Præſentem vero *Expoſitionem interlinearem* hactenus ineditam pronuntiat, & eam in multis breviorem eſſe dicit, quam Commentaria modo nominata ſint, in paucis autem aliquando prolixiorem, maxime ad finem operis, ubi quædam addita legantur, quæ in editis non reperiri conſtat. Producit vero illam ex Codice MS, contextum ſacrum libri Jobi literis majuſculis ſive uncialibus, *Expoſitionem* vero *interlinearem* minutis literis Longobardicis ſcriptam ſiſtente, unde illum Codicem nongentos ante annos exaratum fuiſſe, ſibi penitus perſuadet.

Hieronymum *Commentarios in univerſum Pſalterium* confeciſſe unquam negat, quippe cum diſertis ipſe verbis inficiatur, in Pſalmum 8 & 83 ſe ſcripſiſſe, quorum tamen uterque in Breviario quod nunc ſubjungit illuſtretur, & cum cæteris eodem modo explicetur. Quid? quod ſtylus & character dictionis falſum ubique Hieronymum coarguat, hominemque haud indoctum quidem referat, ſed qui ſtamina atque ſubtegmina & licia præparata apud Origenem, Hilarium, Anonymum, Hieronymum & Eucherium in ſuos uſus converterit, pulchramque veſtem confecerit, qua in Republica Chriſtiana inſtar Hieronymi ſplenderet. Imo ne unum quidem auctorem ipſius Breviarii agnoſcit, ſed & alterum priori aſſociat, quem pro Concionatore habet, qui in Eccleſia & Congregatione Monachorum, diebus præcipue Dominicis, præle-

lectos Psalmos stylo homiletico breviter exposuerit. Nec alium ab hoc dicendum esse arbitratur illum, qui *Expositionem* in Psalmos tantum aliquot struxit, quam hactenus *ἀνέκδοτον* dicit, & *Commentario* illi priori subnectit. Quod vero ad *Præfationem in libros Psalmorum* attinet, in tribus MSS. exemplaribus *Canonis Hebraica veritatis* tomo I hujus novæ Operum Hieronymi editionis nuper inserti, translationem ejus Hieronymo constanter tribui monet. Ludovicum contra Ferrandum, qui eandem in fine voluminis *Paraphraseos sua* in Psalterium Davidis ediderit, acceptam eam ferre ait falso illi Hieronymo, *Commentariorum in Psalmos* consarcinatori. Verum neutri horum eam deberi, Cotelerio adstipulatus contendit. Cujus porro fuerit, non omnino quidem constare sibi fatetur; vix tamen dubitat, quin Eusebio Cæsariensi adscribenda sit, cum hypotheses ejus huc derivatæ nobis id indicare videantur. Illum vero, qui latinitate eam donavit, vix primis imbutum literis pronuntiat.

Joannes Clericus Gibennensis, Professor Remonstrantium Amstelodamensium, edidit anno 1700 apud Ludovicum de Lorme in 8 Opusculum inscriptum *Quæstiones Hieronymianæ, in quibus nupera D. Hieronymi editio Parisina expenditur, multaque ad Criticam Sacram & Profanam pertinentia agitantur* 33 foliis. Opusculum eruditione ac judicio refertum est, multis tamen præsertimque Pontificiis ingratum fore arbitror, quod imperitiam D. Hieronymi in linguis Græca & Hebraica multis exagitet, hallucinationes ejus & contradictiones non paucas ostendat, quibus conceptæ de Divo Hieronymo eruditioni plurium detrahit. Vult enim ille Patres antiquos multo minus eruditos fuisse, quam seculo nostro Doctissimi quidam viri fuerint: neque ratione ætatis veteres præ recentibus considerandos vel præferendos esse, sed eruditionis solius habendam esse rationem. Opusculum istud longe Divo Hieronymo iniquius, quam Operum ejus editori nupero Joanni Martianæo, videtur, licet utrumque non in vanum feriat. Quia tamen instituti nostri non est, ut singulos Scriptorum errores & lapsus discutiamus; ideo pluribus disserere de his supersedemus: maxime, cum in his voluminibus duobus quæ hucusque Parisiis sub divi Hieronymi nomine prodierunt, nullum Opusculum his contentum, Joannes Clericus suppositionis arguat. Quæstione duntaxat IX. pag. 291 ignoscit facile Martianæo titulum affectatum *Divina Bibliotheca Hieronymi*, quamvis putidum habeatur, rei notissimæ novum nomen imponere. Satius sane fuisset, præfigere titulum, *Scriptura Veteris & Novi Testamenti e Linguis Hebraica & Græca ab Hieronymo conversæ*, aut similem; quam ex locis quibusdam *Hieronymi* aut aliorum, rhetorice potius quam proprie loquentium, novam fingere inscriptionem. Hæc Clericus non inepte. Qui multo Martianæum etiam arguere potuit, quod *Editionem Bibliorum vulgatam* jam centies factam a bibliopolis, & nunquam positive divo Hieronymo attributam, sed illi dubitanter tantum adscriptam: Doctori huic, velut *Bibliothecam aliquam* a nemine ante se inventam, velut miraculum & inventum aliquod novum recenter detectum, evulgaverit, id quod eruditi omnes deriserunt. Quæstione autem XI. a pag. 384 ad opusculi finem, Volumen secundum examinat, cujus pauca hæc verba rationis non insipidæ sunt. Major quidem fuit in hoc edendo *Martianæi* labor, & feliciorem nemo dixerit, qui verum peritus, id paullo attentius evolverit. Multa huic de suo adfuit, & præter consuetudinem *Commentarios* grandiori characterе, quam est ipse Hieronymianus contextus, adjecit, quo moles ejus augeretur: at quibus sine ullo damno & *Hieronymus* & Respublica Literaria carere poterant; ita ut emptores, hujusce editionis pretium, sine ullo usu suo auctum esse ubique clamitent, & paullo Doctiores contaminatum laciniosis Monachi nugis graviter querantur. Videant ergo Benedictinorum quidem Præfecti, qui hisce querelis, ad sequentia volumina quod attinet, satisfacturi sint? Bibliopolæ vero melius suis rebus consulant, quam ut tanto ære Martianæi centones excudant, quos profecto non vendent, si ita pergat. Omnes enim præferent veteres editiones, tanquam alienæ farraginis mole non onustas: nisi si quis vir doctus in hocce Belgio nostro aut in Anglia, novam ejus editionem emittere aggrediatur: quod poterit quidem fieri, si non sibi caveant & Benedictini & Typographi Parisienses.„ Hæc recto sensu Clericus, loco citato, qui etiam multa alia profert, Tomo XVII *Bibliotheca selecta* Opusculo I. a pag. 1 ad 152 editionis 1709 in 12. Amstelodamensis, contra tres ultimos Tomos hujus editionis, de quibus infra.

CAPVT DECIMVM TERTIVM,

DE

ALIIS OPERIBVS HVJVS EDITIONIS.

TOmus tertius Operum divi Hieronymi, complectens *Commentarios in XVI Prophetas, IV Majores, XII Minores:* quibus Martianay præmisit Prolegomena duo prolixa multæ & variæ eruditionis atque adjecit *Appendicem* inscriptam *Eruditionis Hieronymiana defensionem adversus Joannem Clericum*, in duas partes distributam, quarum prima S. Hieronymum, altera seipsum, ut putat, ab impositis utrique a Clerico accusationibus, apologia forti & eleganti defendit. Parisiis apud Ludovicum Roulant & Claudium Rigaut 1704 pag. 917 in folio. Nullas porro Clericus in Censura sua Priorum duorum voluminum Hieronymianæ editionis, injurias in

Martianæum effudit,ſed ſincere ac modeſte illum abſurditatum ſuarum admonuit,quomodo Volumini primo *Divinam S. Hieronymi Bibliothecam* titulum abſurde contuliſſet, dum nihil niſi *Bibliorum vulgatam editionem* Hieronymo a viris peritioribus denegatam proferret. Quoad autem Volumen ſecundum, improbavit Commentarios Martianæi prorſus inutiles,confuſionem Tractatuum & Epiſtolarum Hieronymi inter ſe,quæ in aliis editionibus prudentius diſtinctæ fuerant. At Monachus ille inſolens, cum Clerico ob monita optima gratias referre debuiſſet ; in iras exarſit, frequenter ad *Hæreticum* clamavit,in quem cum ratione deſtitueretur, plauſtra injuriarum effudit. Iſtius autem Monachi inſolentis Superiores, ea quæ contra Martianæi editionem a Clerico dicta fuerant, vera attendentes,illi injunxerunt ut Opera & Commentarios Hieronymi nuda ac ſimplicia, absque farraginibus ſuis ullis ederet, qui alioquin ex tertio Volumine illo, duo minimum Volumina, magno Bibliopolæ hujus damno conſarcinaſſet. Debet ergo Respublica Clerico gratias,quod editionis hujus abſurdæ, inutilia Martianæi a Voluminibus 3. 4 & 5 proſcripta fuerint.

Tomvs IV. Operum Sancti Hieronymi Presbyteri, in duas partes dividitur, complectens *Commentarios omnes hujus Doctoris in Novum Teſtamentum, atque Epiſtolas criticas ejusdem argumenti*, juxta ordinem Librorum Scripturæ ſacræ poſitas. Deinde *cunctas alias Epiſtolas ordine chronologico nunc primum editas & in claſſes varias diſtributas*,cum Opuſculis Apologeticis & Polemicis,ad fidem Codicum vetuſtiſſimorum recenſitis ac reſtitutis, apud Claudium Rigaud Pariſiis 1706 via Citharæ.

Contenta in hoc præſenti Tomo quoad partem primam hæc ſunt.

Prolegomena duo huic Tomo præmiſſa,quorum primum *de præcipuis contextus Hieronymiani in hac nova editione Tomi IV. reſtitutionibus*. Secundum *de notis Chronologicis præfixis hujus Tomi IV. Opuſculis & Epiſtolis omnibus*.

In parte prima

Commentariorum in Evangelium Matthæi libri IV pag. 1

1 Damaſi Papæ Epiſtola ad Hieronymum pag. 146
2 Epiſtola Hieronymi ad Damaſum,ibidem.
3 Ejusdem ad eundem Papam. 149
4 Ad Amandum 160
5 Ad Marcellam 164
6 Ad eundem 165
7 Ad Hedibiam 167
8 Ad Algaſiam 187
9 Ad Minervium & Alexandrum 210

Commentariorum in Epiſtolam ad Galatas libri III pag. 222

Commentariorum in Epiſtolam ad Epheſios libri III 319.

Explanatio in Epiſtolam ad Titum. 407

Expoſitio in Epiſtolam ad Philemonem 442.

cum Indicibus verborum ſacræ ſcripturæ, itemque ſententiarum & rerum inſigniorum, quæ prima parte hujus Tomi IV continentur.

APPENDIX ad Tomi IV partem primam.

Præfatio Divi Hieronymi ad Paulinianum in Libros Didymi *de Spiritu Sancto*, quos transtulit in Latinam linguam pag. 494 & ſeqq. cujus Lectiones variantes extant pag. 529

In parte ſecunda

Complectitur Epiſtolas & Opuſcula pia & apologetica & polemica adverſus hæreticos.

Sancti Hieronymi Epiſtolæ univerſæ, exceptis Criticis ſive Exegeticis,ſecundum ordinem temporum digeſtæ, & in varias Claſſes diſtributæ.

Prima Claſſis complectens Epiſtolas in Eremo ſcriptas,ab anno 365 ad annum Chriſti 380 col. 1

Secunda Claſſis complectens Epiſtolas Romæ ſcriptas ab anno 380 *ad annum* 385 col. 27

S. Hieronymi Liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ad MSS. Codices plurimos collatus. col. 97.

Tertia Claſſis complectens Opuſcula univerſa adverſus Hæreticos ſcripta, Apologetica quoque, cum Epiſtolis nonnullis. col. 119

Adverſus Helvidium de perpetua Virginitate beatæ Mariæ anno 381 vel 382. col. 129

Adverſus Jovinianum libri II. ſcripti anno 393 vel 394. col. 144.

Ejusdem Epiſtola XXX ſeu *Apologeticus S. Hieronymi Presbyteri ad Pammachium pro libris contra Jovinianum*, anno 394 vel 395 ſcriptus. col. 229

Epiſtola XXXI ad Pammachium,cum ſuperiore ſcripta. col. 243

Epiſtola XXXII ad Domnionem anno 395 ſcripta col. 244

Epiſtola XXXIII ad Pammachium,*de optimo genere interpretandi*, circa annum 396. col. 248

Epiſtola XXXIV ad Nepotianum,*de Vita Clericorum & Monachorum* anno 394 ſcripta vel circiter. col. 256

Epiſtola XXXV ad Heliodorum, *Epitaphium Nepotiani*,anno 396 ſcripta. col. 266

Epiſtola XXXVI ad Vigilantium, ſcripta anno 396. col. 275

Epiſtola XXXVII ad Riparium Presbyterum Tarraconenſem, ſcripta anno 404 vel circiter. col. 278

Hieronymus adverſus Vigilantium, Opuſculum ſcriptum anno Chriſti 406. vel circiter. col. 280.

Altercatio Luciferiani & Orthodoxi a Sancto Hieronymo ſcripta, anno 378 vel circiter. col. 289.

Epiſtola XXXVIII ad Pammachium, adverſus hæreſes Joannis Jeroſolymitani Epiſcopi, ſcripta anno 397 vel circiter. col. 306.

Præ-

Præfatio Rufini in Libros Περὶ ἀρχῶν Origenis. col. 339.

Epiſtola XL Pammachii & Oceani ad Hieronymum Presbyterum, ſcripta anno 398, vel circiter.

Epiſtola XLI Hieronymi ad Pammachium & Oceanum reſpondens, anno 399 vel circiter ſcripta, quæ cum antecedenti habetur col. 341.

Epiſtola XLII ad Rufinum, ſcripta eodem anno 399 quo ſuperior. col. 348

Hieronymi ad Pammachium & Marcellam, contra accuſatorem ſuum Rufinum Monachum defenſio, circa annum 401. ſcripta. col. 349.

Rufini Aquilejenſis contra Divum Hieronymum Invectivarum Libri II cum Reſponſione Hieronymi. col. 350.

Hieronymi Presbyteri adverſus ſcripta Rufini Presbyteri, ultima Reſponſio. col. 415.

Epiſtola XLIII Hieronymi ad Cteſiphontem adverſus Pelagium, ſcripta anno 417 vel circiter. col. 473.

Dialogi divi Hieronymi adverſus Pelagianos Libris III eodem circiter anno editi. col. 483.

Quarta Claſſis Epiſtolarum, ab anno 388 ad annum 400. col. 545

Epiſtola XLIV Paulæ & Euſtochii ad Marcellam, *de locis ſanctis*, poſt annum 388 ſcripta. col. 545.

Epiſtola XLV Hieronymi ad Marcellam, ejusdem temporis. col. 552

Epiſtola XLVI ad Marcellam *de muneribus*, ſcripta poſt annum 389. col. 554

Epiſtola XLVII ad Furiam *de viduitate ſervanda*, ſcripta anno 396 vel circiter. col. 554

Epiſtola XLVIII ad Deſiderium, anno 396 vel 397 ſcripta. col. 562

Epiſtola XLIX ad Paulinum *de inſtitutione Monachi*, ſcripta anno 393 vel circiter. col. 563

Epiſtola L ad Paulinum Presbyterum ſecunda, *de ſtudio Scripturarum*, ſcripta anno 396 vel 397 col. 568

Epiſtola LI ad eundem Paulinum, anno 398 ſcripta. col. 575

Epiſtola LII ad Lucinium, ſcripta anno 397 vel circiter. col. 576

Epiſtola LIII ad Theodoram viduam, *de morte Lucinii*, ſcripta eodem anno. col. 579

Epiſtola LIV ad Pammachium, anno 398 ſcripta. col. 582

Epiſtola LV ad Abigaum, ſcripta eodem anno quo ſuperior. col. 588

Epiſtola LVI ad Tranquillinum, ſcripta anno 398 vel circiter. col. 589

Epiſtola ad Lætam *de inſtitutione filiæ*, ſcripta eodem tempore quo ſuperior. col. 590

Quinta Claſſis Epiſtolarum, complectens eas quæ ſcriptæ ſunt ad Theophilum & Auguſtinum, cum Epiſtolis eorundem Patrum, quibus Hieronymo reſpondent col. 597 ad 646

Has recenſere ſigillatim operæ pretium non duximus.

Sexta Claſſis Epiſtolarum Hieronymi, complectens Epiſtolas ab anno Chriſti 400 *ad* 420

Epiſtola LXXXII Hieronymi ad Oceanum, ſcripta circa annum 400 col. 646

Epiſtola LXXXIII ad Magnum Oratorem Vrbis Romæ, anni ejusdem. col. 654.

Epiſtola LXXXIV ad Oceanum *de morte Fabiolæ*, circa annum 400 ſcripta. col. 657.

Epiſtola LXXXV ad Salvinam circa annum eundem ſcripta. col. 663

Epiſtola LXXXVI ad Euſtochium Virginem, *Epitaphium Paulæ matris*, anno 404 ſcripta. col. 669

Epiſtola LXXXVII ad Pammachium & Marcellam, anno 405 ſcripta. col. 689

Theophili Alexandrinæ urbis Archiepiſcopi Paſchales libri tres ad totius Ægypti Epiſcopos, ſanctiſſimo Doctore Hieronymo interprete. col. 691 & ſequentibus.

Epiſtola LXXXVIII ad Theophilum Epiſcopum, anno 405 ſcripta. col. 727

Epiſtola LXXXIX ad Matrem & filiam, ſcripta anno 406. col. 729

Epiſtola XC ad Ruſticum *de Pœnitentia*, ſcripta anno 408 col. 734

Epiſtola XCI ad Ageruchiam, *de Monogamia*, ſcripta anno 409. col. 740

Epiſtola XCII ad Julianum, ſcripta anno 409. col. 750

Epiſtola XCIII ad Sabinianum lapſum, ſcripta anno 409. col. 754

Epiſtola XCIV ad Avitum, Quid cavendum in libris περὶ Ἀρχῶν, ſcripta anno 409. col. 760

Epiſtola XCV ad Ruſticum Monachum, ſcripta anno 411 col. 769

Epiſtola XCVI ad Principiam Virginem, *Marcellæ Viduæ Epitaphium*, ſcripta anno 412. col. 778

Epiſtola XCVII ad Demetriadem *de virginitate ſervanda*, anno 414 ſcripta. col. 784

Epiſtola XCVIII ad Gaudentium *de Pacatulæ infantulæ educatione* anno 415 ſcripta. col. 796

Septima Claſſis Epiſtolarum Sancti Hieronymi, quarum tempus minus compertum.

Epiſtola XCIX ad Exſuperantium hortatoria col. 799

Epiſtola C ad Caſtrucium. col. 801

Epiſtola CI ad Evangelum. col. 802

Epiſtola CII ad Riparium. col. 804

Epiſtola CIII ad Apronium. col. 804

Octava Claſſis Epiſtolarum ſeu Prafationum Sancti Hieronymi. col. 805

Epiſtola CIV ſive Præfatio I in translationem Chronicorum Euſebii Cæſarienſis ad Vincentium & Galienum. col. 805

Epiſtola CV ſive Præfatio II in translationem Homiliarum Origenis in Jeremiam & Ezechielem, ad Vincentium Presbyterum. col. 807

Epiſtola CVI ſive Præfatio III in translationem Homiliarum Origenis in Lucam, ad Paulam & Euſtochium. col. 808

Epiſtola CVII ſive Præfatio IV in translatio-

nem

nem & explanationem Origenis ſuper Epiſtolam S. Pauli ad Romanos, ad Heraclium. col. 808

Epiſtola CVIII ſeu Præfatio V in translationem Regularum SS. Pachomii, Theodori, & Oreſieſis. col. 809

Nona Claſſis Epiſtolarum alienarum, quæ promiſcue cum Hieronymianis edita ſunt. col. 809

Epiſtola CIX Paulini Nolani Epiſcopi ad Celantiam matronam *de ratione pie vivendi.* col. 809

Epiſtola CX Epiphanii ad Joannem Epiſcopum Jeroſolymitanum col. 822

Epiſtola CXI. Theophili ad Epiphanium. col. 829

Sequitur Index teſtimoniorum ſcripturæ ſacræ, quæ in hac ſecunda parte hujus Tomi quarti citantur & explicantur, cum Indice verborum, ſententiarum & rerum inſigniorum, quæ in eadem parte continentur.

TOMVS V Operum S. Hieronymi Stridonenſis Presbyteri, complectitur Opuſcula omnia ſpuria & incerta quæ hucusque illi attributa ſunt atque in Operibus ejusdem recenſita, quæ in *Series quatuor* a Monacho Joanne Martianay diſtinguitur. Præmittit huic Tomo *Vitam S. Hieronymi* duplicem col. 1 & 2 cum lectionibus variantibus col. 7. Teſtimonium Severi Sulpitii de Sancto Hieronymo col. 25 Catalogum Gennadii *de viris illuſtribus* col. 26 cum variantibus lectionibus col. 50.

Tomi quinti ſeries prima.

Epiſtola Hieronymi ad Damaſum Papam, cum reſcripto Damaſi col. 5

Canones pœnitentiales de ebrioſo Epiſcopo & de Presbytero & Diacono, ibidem.

De perjurio & de ſacerdotibus qui concupiſcentiam habent col. 7

De Communione Euchariſtiæ in Sacrificio. 9.

In Natali ſancti Hieronymi Presbyteri lectiones. 10

Epiſtola ad Demetriadem Virginem. 12

Auguſtini & Alipii Epiſtola ad Julianam Demetriadis Virginis matrem 30

Ad Geruntii filias, de contemnenda hæreditate 33

Exhortatio ad Marcellam, ut adverſa toleret. 37

Ad Virginem in exilium miſſam, conſolatio. 39

Ad ægrotum amicum 43

Ad amicum ægrotum, de viro perfecto 52

Inſtituit amicum in ſcientia divinæ legis 71

De tribus virtutibus 78

Ad Paulam & Euſtochium ſermo de Aſſumptione beatæ Mariæ Virginis 82

Sermo alius de Aſſumptione beatæ Virginis Mariæ 95

De honorandis Parentibus 97

De ſeptem Ordinibus Eccleſiæ 99

Laus Virginitatis 108

De iis quæ Deo in Scripturis ſactis attribuuntur 117

Symbolum Papæ Damaſi cum Explicatione Symboli ad Damaſum 122

Explanatio fidei ad Cyrillum 124

Symbolum Rufini Aquilejenſis Presbyteri 127

Ad Præſidium, de Cereo Paſchali 146

De vera circumciſione 150

De celebratione Paſchæ 164

Ad Suſannam lapſam objurgatio 176

Objurgatio in Evagrium 182

Hortatur militem ſeculi, ut Chriſto militet 184

De decem tentationibus populi Iſraelitici 186

Explanatio in Pſalmum XLI. 188

Explanatio in Pſalmum CXVII 189

Ad Dardanum de diverſis generibus muſicorum 191

De Reſurrectione Domini Sermo 192

De Nativitate Domini Sermo 195

De Epiphania Domini Sermo 196

Sermo de quadrageſima 197

In vigilia Paſchæ Sermo de Eſu Agni 198

De Reſurrectione Domini Sermo. 200

Ad Euſtochium de vinculis beati Petri. 201

De obſervatione vigiliarum. 205

Ad Pammachium & Oceanum exhortatio. 208

Ad quendam qui in ſeculo pœnitebat. 210

De diverſis generibus leprarum 212

De duobus filiis, frugi & luxurioſo 214

Quinti Tomi ſecunda ſeries.

Paulinus Sebaſtiano Eremitæ 218

In Apologiam Pamphili pro Origene, Procemium Rufini ad Macarium 219

Apologia Pamphili Martyris pro Origene, Ruffino interprete 220

Origenes de Deitate filii Dei 229

De eo, quod non ſit Pater, antequam Filius, ibidem.

Ruffinus de adulteratione Librorum Origenis ad Macarium 251

Prologus Ruffini in libros περὶ ἀρχῶν Origenis ad Macarium 254

Fragmentum librorum Origenis περὶ ἀρχῶν 255

Apologia Ruffini ad Anaſtaſium urbis Romæ Epiſcopum, pro fide ſua 259

Anaſtaſii Romani Epiſcopi, de Ruffino ſententia, ad Jeroſolymorum Epiſcopum 260

Ruffini Aquilejenſis invectivarum in Divum Hieronymum, liber primus & ſecundus. 261

Auguſtinus Hieronymo, de eo quod ſcriptum eſt, *Qui totam legem ſervaverit, & in uno offenderit &c.* 302

Auguſtinus ad Hieronymum, de ratione animæ. 307

Auguſtinus ad Optatum Epiſcopum, *de origine animarum* 316

Divi Auguſtini Homilia de Paſtoribus 322

Vale-

Digitized by Google

Valerius Ruffino, ut uxorem non ducat. 337.

Approbatio Martini quinti Pontificis, Regulæ Monachorum ſequentis. 341.

Regula Monachorum divi Hieronymi, collecta ex ſcriptis ejusdem per Lupum de Oliveto. 343.

Dialogus de origine animarum, ſub nomine Hieronymi & Auguſtini, ex ſcriptis utriusque, ab auctore incerto collectus, 384.

Homilia de corpore & ſanguine Chriſti, Auctore incerto. 390.

Homilia ſuper Evangelium Matthæi, Auctore incerto 393.

Oratio Petri Pauli Vergerii Juſtinopolitani, *de divo Hieronymo* 395.

Quinti Tomi Tertia Series.

Præfatio Eraſmi in tertiam partem ſeu ſeriem hujus Tomi col. 397.

Ad Tyraſium ſuper morte filiæ ſuæ, conſolatio. 405.

Hortatoria ad Oceanum de ferendis opprobriis 408.

Ad Oceanum *de vita Clericorum* 412.

Damaſus Hieronymo & Hieronymus Damaſo 415.

Hieronymus *de duodecim Doctoribus* 416.

Scriptorum Eccleſiaſticorum Catalogus ad Deſiderium 417.

Ad Paulam & Euſtochium, *de virtute Pſalmorum* 419.

Ad Damaſum *de oblationibus altaris* 420.

Regula Monacharum, capitibus XLI. comprehenſa 421.

Chromacius & Heliodorus Hieronymo, *de nativitate ſancta Mariæ.* 444.

Euſebius de morte Hieronymi ad Damaſum 449.

Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus ad Cyrillum Hieroſolymitanum Epiſcopum de miraculis Beati Hieronymi 477.

Incerti Auctoris Vita divi Hieronymi. 508.

Quinti Tomi quarta Series.

Commentariorum in libros ſacros, qui falſo Hieronymo attribuuntur.

Commentariorum in Proverbia Salomonis, libri III. col. 518.

Homiliæ quatuor Origenis in Cantica Canticorum 603.

Commentarii in Job 677.

In Lamentationes Jeremiæ libri III. col. 801.

Expoſitio quatuor Evangeliorum 848. 865. 869. 876.

De Deo & nominibus ejus 883.

De filiis Jacob 884.

Commentarii Hieronymi antea editi in Evangelium Marci 886.

Præfatio in Evangelium ſecundum Lucam 924.

Commentarii in Epiſtolas ſancti Pauli 926. ad 1106.

Hæc de ultima editione omnium divi Hieronymi Presbyteri operum dicta ſufficiant.

EVAGRIUS ANTIOCHIÆ EPISCOPUS, 380 floreba anno circiter 380. Antiochiæ Presbyter, qui Paulini partes atque ſtudia adverſus Meletium ſequebatur. Poſt mortem autem Paulini, Epiſcopus Antiochenæ Eccleſiæ anno 389. creatus, paucis illic annis præſedit, qui annum ultra 393. vitam prorogaſſe non creditur. De Epiſcopatu illius ita Socrates Lib. 5. *Hiſtoriæ* cap. 15. „ Eadem tempeſtate, apud Antio-« chiam Syriæ hæc geſta ſunt. Poſt mortem« Paulini, populus qui eum ſequebatur, Flavia-« no parere detrectabat: eamque ob cauſam,« Evagrium ſuæ partis Epiſcopum ordinandum« curavit. Qui cum poſt ordinationem modi-« co tempore ſuperſtes fuiſſet, cura & ſtudio« Flaviani, nullus poſtea in ejus locum ſubroga-« tus eſt.„ Sozomenus Lib. 7. *Hiſtoriæ* cap. 15. paulo latius hæc refert. « Per idem tempus« mortuo Antiochiæ Paulino, hi qui ſub illo in« Eccleſia congregabantur, Flavianum utpote« qui jurisjurandi ſub Meletio præſtiti fidem vio-« laſſet, averſari perſeveraverunt, licet in do-« ctrina fidei nihil ab eo diſſentirent. Et Eva-« grius eorum Epiſcopus eſt ordinatus. Qui« cum exiguo temporis ſpatio ſupervixiſſet, ne-« mo deinceps in ejus locum ſucceſſit, obſi-« ſtente videlicet Flaviano. Sed quicunque« communionem Flaviani detrectabant, ſepara-« tim collectas agebant.„ Denique latius ea-« dem Theodoritus Cyrenſis Epiſcopus lib. 5. *Hiſtoria* cap. 23. ubi & ordinationem Evagrii multis criminatur. Antiochiæ vero poſt ma-« gnum Meletium, Epiſcopatum ſuſcepit Flavia-« nus, is qui una cum Diodoro pro Chriſtiani« gregis ſalute, tot ac tanta ſubierat certamina.« Ac Paulinus quidem præſulatum Eccleſiæ il-« lius ſibi vindicabat. Sed reclamavit Antiſti-« tum cœtus, rationi conſentaneum non eſſe di-« cens, ut qui Meletii conſilia reſpuiſſet, poſt« ejus obitum, ſedem illius acciperet: illum po-« tius paſtorem fieri oportere, qui multis labori-« bus inclaruiſſet, & pro ovibus diutiſſime pro-« pugnaſſet. Ea res Romanos & Ægyptios diu« infenſos reddidit Orientalibus: nam nec Pau-« lini morte ſimultas extincta eſt. Sed poſt ejus« mortem, cum Evagrius in locum illius ſubro-« gatus fuiſſet, adverſus magnum Flavianum« infenſo animo perſeverarunt: idque tametſi« Evagrius contra Eccleſiaſticas regulas ordina-« tus fuiſſet. Solus enim Paulinus eum elege-« rat, multos ſimul canones transgreſſus. Hi« enim neque Epiſcopo permittunt morienti, ut« loco ſuo quemquam conſtituat, & omnes Pro-« vinciæ Epiſcopos convocari jubent. Præterea« absque tribus Epiſcopis, ordinationem cujus-« quam Epiſcopi fieri vetant. Illi tamen cum« nihil iſtorum conſiderare voluiſſent, Evagrii«

Digitized by Google

„quidem communionem amplexi ſunt: adver-
„ſus Flavianum vero, Imperatoris auribus ſub-
„repere tentarunt. De illo quoque Caſſiodo-
rus Lib. 9. *Hiſtoria Tripartita* cap. 26. De Scri-
ptis ejus Hieronymus in libro de Scriptoribus
Eccleſiaſticis cap. 135. his verbis: *Evagrius Antio-
chiæ Epiſcopus, acris ac ferventis ingenii, cum adhuc
eſſet Presbyter, diverſarum hypotheſeon tractatus
mihi legit, quos necdum edidit. Vitam quoque Bea-
ti Antonii, de Græco Athanaſii in ſermonem noſtrum
tranſtulit.* Cum autem in *Supplemento Bellar-
mini* de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Vitam hanc
Antonii ab Athanaſio Græce ſcriptam extare
opinarer: ejus quoque verſionem in Latinam
linguam Evagrii Antiocheni Epiſcopi, pag. 47.
exiſtimabam, quæ extat in *Vitis Patrum*, Antver-
piæ in fol. anno 1628. editis, cum Notis Heri-
berti Rosweidi. Atque inter Opera Athana-
ſii tom. 2. pag. 544. Denique apud Surium &
Bolandum in *Vitis Sanctorum*, ad diem XVII. Ja-
nuarii. Verum cum poſtea, argumento at-
tentius inſpecto, Vitam hanc Antonii, *ſuppoſi-
tam* atque Athanaſio prorſus indignam agno-
verim, uti in *Athanaſio* ſupra ſcriptum eſt: idem
quoque de verſione hujus vitæ, ab Evagrio An-
tiochiæ Presbytero factæ, philoſophandum eſt.
Neque ab hac ſententia longe abſunt, in *Evagrio
Antiocheno Epiſcopo*, Ellias du Pin in *Nova Biblio-
theca Eccleſiaſtica* ſeculo 4. tom. 2. pag. mihi 250.
Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria*, ſeculo 4.
ad annum 388. pag. 235.

380 EVAGRIVS SCETENSIS, ſeu NITRIEN-
SIS MONACHVS, Genere Ponticus, San-
ctorum Macarii Ægyptii, & alterius Alexandri-
ni dicti diſcipulus, juxta Caſſiodorum *Hiſtoria
Tripartita* Lib. 8. cap. 1. e civitate Iberorum, quæ
in Ponto circa Euxinum ſita eſt, Amaſia vel He-
lenopoli oriundus, circa annum 380. claruit,
quem Sanctus Hieronymus Hyperboritam vo-
cat. Presbyteri filius erat, Lector ordinatus a
Sancto Baſilio Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopo
ad Argæum, tum a Sancto Gregorio Nazianze-
no cujus diſcipulus etiam fuerat, ad Diacona-
tum promotus, ejusque Archidiaconus factus.
Lapſus eſt ab anno 379. in Origenis ſectam Dy-
dimo docente, ſed cum Conſtantinopoli mune-
re Diaconi fungeretur, ibi a muliere cujusdam
ex Præfectis tentatus & viſu territus, divino im-
pulſu excedere ab urbe poſt annum 385. com-
pellitur. Inviſit itaque Melaniam ſeniorem
Hieroſolymis commorantem, eique adhæſit.
Cumque in morbum incidiſſet, Melania induit
eum habitu (ut Palladius aſſerit) monaſtico,
quem poſtmodum ad Nitriæ montem dimiſit, in
quo per biennium commoratus eſt. Tum in
ſolitudinem profundiorem ſolvens, ibi quoque
annos quatuordecim in Celliis vixit, jejuniis &
orationibus inſiſtens, ubi & longævam ætatem
complexiſſe dicitur. Hæc omnia ſatis graphi-
ce depingit Sozomenus *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* lib.
6. cap. 30. his verbis. „Haud multo poſt, ſe-
quentis ſcilicet Imperatoris temporibus, Eva-
grius ſapiens cum illo (Ammonio) familiariter
vixit. Vir doctus imprimis, & tum intelli-
gendi facultate, tum dicendi copia præditus:
& in diſtinguendis cogitationibus quæ aut ad
virtutem, aut ad vitium tenderent, ſagaciſſi-
mus: & quomodo illæ quidem excolendæ, hæ
vero cavendæ eſſent, conſultor idoneus. Ve-
rum quod quidem ad doctrinam attinet, qua-
lis quantusque vir fuerit, libri quos poſteris
reliquit, ſatis declarabunt. Moribus vero
moderatis fuiſſe dicitur, & ab omni faſtu & ar-
rogantia ita alienus, ut nec jure merito lauda-
tus, præconiis intumeſceret; nec immerito
vituperatus, contumelias iniquo animo ferret.
Ortus hic fuit ex urbe Iberis, quæ ad Euxinum
Pontum ſita eſt. Philoſophiam vero & ſa-
cras literas didicit ſub Gregorio Epiſcopo Na-
zianzi: qui dum Conſtantinopolitanam Ec-
cleſiam adminiſtraret, eum Archidiaconum
habuit. Cumque vultu eſſet eleganti, & ex-
quiſito veſtium cultu uteretur, quidam ex
Proceribus zelotypus, eum uxori ſuæ familia-
rem eſſe intelligens, interficere molitus eſt.
Cumque inſidiatores ipſum opus aggreſſuri
eſſent, dormienti Evagrio Deus terribilem
quandam ac ſalutarem in ſomnis viſionem o-
ſtendit. Videbatur enim ſibi quaſi in ſcelere de-
prehenſus, manu ac pedes ferro vinctos habere.
Et cum in judicium ducendus ac ſupplicio affi-
ciendus eſſet, quidam ad eum accedens, ſacrum
Evangeliorum codicem demonſtravit: polli-
citus modo ex urbe egredi vellet, ſe illum vin-
culis liberaturum: jurareque illum juſſit, ſe
ita facturum. Ille tactis Evangeliis, ita ſe fa-
cturum juravit: & ſolutus vinculis, confeſtim
e ſomno excitatus eſt. Divinoque obtem-
perans ſomnio, præſens periculum evitavit.
Porro cum apud ſe ſtatuiſſet vitam ſibi mona-
ſticam excolendam eſſe, Conſtantinopoli pro-
fectus eſt Hieroſolymam.“ Aliquanto poſt
tempore, ad viſendos monachos qui in Sceti
philoſophabantur profectus, illic degere con-
ſtituit. Cum floreret in Nitrienſi Monaſterio
Evagrius, ad Epiſcopatum promovere illum
voluit Theophilus Alexandriæ Epiſcopus, quem
conſtanter oblatum fuga etiam ſibi conſulens,
ne invitus raperetur, rejecit: ut docet Socra-
tes *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* lib. 4. ad finem cap. 23.
quod etſi prolixum, de Evagrio tamen integrum
ſcripſit. De eodem multa habet Hieronymus
in Epiſtola ad Cteſiphontem contra Pelagianos,
apud quem ſæpe vapulat, quod Origeniſtarum
partes ſtrenue propugnaverit. Atq; in Vitis Pa-
trum lib. 2. cap. 27. Vita Evagrii Pontici extat,
qui ibidem a *Spiritualium rerum ſcientia & incre-
dibili abſtinentia* ſupra modum commendatur;
quas quidem ipſum de ſe Evagrium texuiſſe ve-
riſimile non eſt. Hujus autem libri ſecundi &
tertii Autor ſive Interpres, in editione More-
tiana, Rufinus Aquilejenſis Presbyter fuit, ut
Prolegomeno X. ad Vitas Patrum, docet Heri-
bertus

bertus Roswcidus. Jam ad Scripta Evagrii Pontici veniamus, quorum meminit Gennadius libro *de Viris illustribus* cap. 11. ubi plerasque Evagrii Monachi lucubrationes e Græco in Latinum a se conversas esse asserit: quem *continentissimum & eruditissimum virum* nominat. „Sed „luculenter omnino Socrates lib. 3. *Historiæ* c. 7. „Evagrius quidem in libro quem *Monachum* in„scripsit, monet ne de Deo temere & inconsidera„te loquamur. Divinitatem vero definire „prorsus vetat, utpote rem simplicissimam. De„finitiones enim rerum compositarum esse di„cit. Idem quoque his utitur verbis. Omnis „propositio, aut genus habet quod prædicatur, „aut speciem, aut differentiam, aut proprium, „aut accidens, aut quod compositum est istis. „At in sancta Trinitate, nihil horum reperiri „potest. Quod igitur verbis explicari non po„test, silentio adoretur. Hæc Evagrius, de quo quidem infra dicturi sumus. Idem autem scriptor exactiorem mentionem facit Operum Evagrii lib. 4. *Historiæ* c. 23. ubi postquam Macarium Ægyptium atque alterum Alexandrinum depinxit, de Evagrio utriusq; discipulo ita loquitur. „Horum discipulus Evagrius, cum „antea verbis solum philosophatus esset, ab iis „opere ipso philosophari didicit. Qui primum „a Gregorio Nazianzeno Constantinopoli Dia„conus ordinatus, postmodum una cum illo in „Ægyptum profectus est: ibique cum supra „memoratis viris congressus, eorum vivendi „genus æmulatus est. Nec pauciora aut mi„nora miracula ab illo, quam ab ejus præcepto„ribus edita sunt. Hic libros conscripsit valde „utiles, quorum unus *Monachus* inscribitur, seu „*de virtute activa*: alter *Gnosticus*, vel ad eum qui „scientiam consequi meruit. Hic liber in quin„quaginta distributus est capita. Tertius *Anir„rhethicus* inscribitur, ex Divinis Scripturis col„lectus contra Dæmones tentatores: & in octo „partes divisus, juxta numerum octo cogitatio„num. Scripsit præterea *Gnostica problemata* „sexcenta. Denique *duos Carminum libros*: al„terum ad Monachos, qui in Cœnobiis seu Con„gregationibus degunt, alterum ad Virginem. „Qui quidem quam eximii sint, & admiratione „digni, quisquis eos legerit, facile agnoscet. „Non alienum autem fuerit, ut opinor, ex iis „quæ ab illo de Monachis commemorantur, „pauca quædam superioribus attexere, sic enim „ille dicit ad verbum. Necessarium etiam est &c. Ita Socrates de Evagrii libris. Hieronymus autem in Opusculo *adversus Pelagium* ad Ctesiphontem, illius librorum ita meminit. *Evagrius Ponticus, hyperborita, qui scribit ad Virgines, scribit ad Monachos, scribit ad eam cujus nomen nigredinis testatur perfidiæ tenebras: edidit librum & Sententias περὶ ἀπαθείας, quam nos Impassibilitatem vel Imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur: & ut simpliciter dicam, vel Saxum vel Deus est. Hujus libros per Orientem Græcos, & interpretante discipulo ejus Rufino, Latinos plerique in Occidente lectitant. Qui librum quoque scripsit, quasi de Monachis: multosque in eo enumerat, qui nunquam fuerunt, & quos fuisse scribit Origenistas, & ab Episcopis damnatos esse dubium non est.* Clarissime autem omnium Gennadius in Catalogo *Scriptorum illustrium* cap. 11. *Evagrius Monachus supradicti Macarii familiaris discipulus, divina & humana literatura insignis, cujus etiam liber qui attitulatur Vita Patrum, velut continentissimi & eruditissimi viri mentionem facit: scripsit multa Monachis necessaria, ex quibus ista sunt. Adversum octo principalium vitiorum suggestiones, quas aut primus advertit, aut inter primos didicit, Octo ex Sanctarum Scripturarum testimoniis opposuit libros. Ad similitudinem videlicet Domini, qui tentatori suo semper, Scripturarum testimoniis obviavit: ita ut unaquæque vel diaboli vel vitiatæ naturæ suggestionum, contra se habeat testimonium. Quod tamen Opus eadem simplicitate, qua in Græco inveni, jussus in Latinum transtuli. Composuit & Anachoretis simpliciter viventibus, librum centum sententiarum per capitula digestum: & Eruditis ac Studiosis, quinquaginta sententiarum: quem ego Latinum primus feci. Nam superiorem olim translatum, quis vitiatum & per tempus confusum vidi; partim reintegrando, partim emendando, authoris veritatem restitui. Composuit & Cœnobitis ac Synodotis, doctrinam aptam vitæ communis. Et ad Virginem Deo sacratam, libellum competentem religioni & sexui. Edidit & sententias paucas valde obscuras, & ut ipse in his ait, solis Monachorum cordibus agnoscibiles, quas ego similiter Latinas dedi. Vixit longa ætate, signis & prodigiis pollens.* Scribit autem Carolus du Fresne du Cange extare MS. Græce in Bibliotheca Colbertina Cod. 3975. Evagrium Monachum *de vestibus Monachorum Ægypti*, & *Ejusdem sermones practicos.* Ita ille in Catalogo MSS. Codicum quam subjecit *Glossario media atque infimæ Græcitatis*, col. 25.

Nunc ex his tractatibus & libris, quinam ad nos pervenerint atque impressi sint, videamus. *Practicon Monachicum* quidem sive περὶ τῆς πρακτικῆς, Capitulis centum constans, quo ex libro fragmentum recitat Socrates lib. 3. *Historiæ* c. 7. aliud vero longe majus lib. 4. cap. 23. integrum Græcolatine edidit cum Notis ad tomi calcem Joannes Cotelerius *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* tomo 3. pag. 70. præmissa etiam *Græcolatina Epistola ad Anatolium*, quæ *Practico* huic & *Gnostico* Præfationis vicem ostendit. Itidem quoque *Gnosticon* seu *de iis qui cognitionis munere donati sunt* cum capitibus LXXI. quem in L. capita distributum a se Latine versum esse testatur Gennadius, cujus & fragmentum extat apud Socratem lib. 4. *Historiæ* cap. 23. Στιχηρῶν quoque, sive *Elementorum libri duo, quorum alter ad Monachos in cœnobiis degentes, alter ad Virgines Deo sacratas*, sub nomine quoque Evagrii Græce & Latine reperiuntur ad calcem primi Voluminis *Supplementi* Bibliothecæ SS. Patrum, editionis Parisiensis anni 1624. Opera & studio (ut opinamur) Frontonis Ducæi.

Itemque in Bibliotheca Patrum ultimæ editionis Lugdunenſis anni 1675. Latine tantum tomo XXVII. ubi (inquit Cavus) licet incertæ ætatis ſcriptori adſcribantur, noſtri tamen Evagrii eſſe, ipſo ſole clarius conſtat: neque erraſſe, qui antea ſub illius nomine ediderunt. Spectat quoque ad eundem Evagrium *Sermo dogmaticus de Sancta Trinitate, ad eos qui Monaſticam vitam degunt in patria*, quem quando Conſtantinopoli cum Sancto Gregorio Nazianzeno manebat, ſcripſit. Editus ille Græce & Latine pag. 358. inter Opuſcula ſancti Nili Monachi, quæ Joſephus Maria Suarez, Epiſcopus olim Vaſionenſis in Gallia, Romæ anno 1673. in fol. ex typographia Barberina edidit. Idemque dicendum *de hiſtoria Monachi Pachon*, hanc Epiſtolam in Nili Operibus præcedente: de qua Palladius c. 29. *Hiſtoriæ Lauſiacæ* mentionem facit. Nam ibi Suarez notat in Codice MSS. hanc Hiſtoriam non ſecus ac ſequentem *de Trinitate* Epiſtolam, Evagrio attributam eſſe. Item *Sententias quæ ad Monachos & Anachoretas pertinent*, quas Gennadius interpretatus eſt: ut *libellum ad Virgines Deo devotas*, ſeu *Doctrinam aptam vitæ communis Cœnobitis*, ex ejusdem interpretatione, ut ipſe teſtatur. Hæc Opera vocat Suidas in Lexico *Commentarium in Proverbia Salomonis*, eo maxime quod in iis imitetur Librum Proverbiorum Salomonis, ut utrumque legenti conſtabit, Latine tantum conjectum in Appendicem Regularum Holſtenii pag. 34. ex Codice Manuſcripto Floriacenſi, de quo ſupra in *Antonio*, & aliis Veterum Regularum authoribus. Item *Capitula Gnoſtica 61.* quæ & forſitan *Commentarium Gnoſticum* vocat Socrates lib. 4. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 23. Et Evagrio tribuuntur in Cod. Barberino & in Vaticano 653. quamvis in Vaticano alio 1434. anepigrapha exiſtant, ut appictum eſt ad oram Codicis Barberini, unde ea deſcripſit tranſtulitque Suarez citatus. Hæc nos ex Joſepho Suare in Indice Operum ſancti Nili, absque eorum præjudicio, qui plura de Scriptis Evagrii Pontici cognoverint. Inter eadem Nili Opuſcula, extant pag. 543. *Sententiæ* ſeu *Capita 33.* per gradus quosdam diſpoſita. pag. 548. *Spirituales ſententiæ* per Alphabetum diſpoſitæ, cum aliis pag. 552. *Inſtitutio Aſcetica ad Monachos* pag. 553. *Sententiæ abducentes hominem a corruptibilibus* pag. 557. ad 575. quæ juxta Holſtenium ex fide MS. Codicum ad Evagrium ſpectant, ut habet Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 4. tomo 3. pag. 2. in *Evagrio*. Denique *liber de rerum Monachalium rationibus, earumque juxta quietem appoſitione*; qualem ſcripſiſſe Evagrium ex Vitis Patrum lib. 2. cap. 27. conſtat, Græce & Latine cum Notis ab eodem Cotelerio editus eſt *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* tomo 3. pag. 103. qui ejusdem Evagrii *Fragmentum* ſeu *Scholium in Nomen Dei tetragrammaton*, ibidem pag. 116. Græcolatine cum Notis edidit.

Jam quæſtio eſt an *Ἀντιῤῥητικὸν ex Scripturis ſacris collectum contra Dæmones tentatores*, & juxta numerum octo vitioſarum cogitationum in octo libros diviſum, Anatolio nuncupatum, quod a ſe Latino ſermone donatum eſſe aſſerit lib. *de Viris illuſtribus* cap. 11. Gennadius, extet noſtris temporibus. Primus Græce ac Latine edidit doctiſſimus Emericus Bigotius tractatum *de octo vitioſis cogitationibus* ſub Evagrii nomine, quem cum Palladio *de Vita Chryſoſtomi* edidit Pariſiis apud Joannem Boudot in 4. Dubitat tamen cum tractatus hic quem nos habemus, ſit idem liber, cum eo ejusdem argumenti, qui a Socrate lib. 4. *Hiſtoria* c. 23. memoratus. Cum in eo nihil de ſacris Scripturis collectum legatur. Non invitus tamen concedit, fieri potuiſſe: ut tractatus iſte operis a Socrate deſcripti compendium quoddam ſit, detractis nempe teſtimoniis e Scriptura deſumptis, & retentis Evagrii verbis, quæ pravas hominum cogitationes graphice depingebant. Conſideratis autem attente Gennadii verbis, qui Opus iſtud in Latinum Sermonem tranſtulerat, hunc Evagrii tractatum *de octo vitioſis cogitationibus* recte depingentibus: alius omnino eſt, quem Bigotius loco citato cum Palladio edidit. Quod autem ſcribit Ellias du Pin *Vitas Patrum* vulgo attributas fuiſſe Evagrio, quodque nonnulli edixerint hoc a Gennadio ſcriptum fuiſſe: falſum eſt, nam Gennadius nunquam dixit Evagrium fuiſſe authorem *de Vitis Patrum*, ſed tantum librum qui inſcribitur *Vita Patrum*, Evagrii *velut continentiſſimi & eruditiſſimi viri* mentionem feciſſe. Et vere lib. 1. *de Vitis Patrum* cap. 27. doctrina & pietas Evagrii plurimum laudantur. Hoc autem longe convenientius opinati fuiſſent nonnulli, ex Opuſculo divi Hieronymi *adverſus Pelagium ad Cteſiphontem*, ubi inquit de Evagrio: *Qui librum quoque ſcripſit, quaſi de Monachis, multosque in eo enumerat, qui nunquam fuerunt, & quos fuiſſe ſcribit Origeniſtas, & ab Epiſcopis damnatos eſſe, dubium non eſt.* Videtur enim hic Hieronymus indicare, librum quendam *de Monachis Origeniſtis* hiſtoricum, ab Evagrio ſcriptum fuiſſe: quod tamen aliud Opus a Vitis Patrum eſſe debuiſſet.

Quonam anno Evagrius mortuus ſit, non liquet, quem conſtat juxta Gennadium libro *de Viris illuſtribus* cap. 2. ætate grandævum mortuum eſſe. At juxta Socratem lib. 4. *Hiſtoriæ* cap. 24. Quod ſi quis accurate velit cognoſcere ea quæ ab illis facta, (nempe Ammonio & Evagrio) & ad audientium utilitatem dicta ſunt, & quomodo feræ illis obtemperaverint: extat liber ſingularis a Palladio Monacho Evagrii diſcipulo elucubratus: in quo cuncta quæ ad illos pertinent, accuratiſſime exponuntur. De Evagrio præter citatos multos ſupra, Palladius *Hiſtoria* Lauſiacæ cap. 86. Nicephorus Calliſtus libro 11. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 42. Ex recentioribus, qui nonnulla ſub ejus nomine, hoc ſeculo ediderunt: Emericus Bigotius, in Vita Chryſoſtomi a Palladio ſcripta, quæ

d by Google

quæ Parisiis anno 1680. in 4. prodiit. Josephus Maria Suarez, Vasionensis olim in Gallia Episcopus, in editione Operum S. Nili Constantinopolitani, quæ Romæ Græce & Latine, anno 1673. in folio ex typis Barberinis prodierunt.

390 TICHONIVS natione Afer, in Divinis literis eruditus juxta historiam sufficienter, & in secularibus non ignarus fuit, in Ecclesiasticis quoque negotiis studiosus. Scripsit *de bello intestino libros tres, & expositiones diversarum causarum:* in quibus ob suorum defensionem, antiquarum meminit Synodorum: Ex quibus agnoscitur Donatianæ partis fuisse. Composuit & *Regulas ad investigandam & inveniendam intelligentiam Scripturarum, octo:* quas uno volumine comprehendit. Exposuit & *Apocalypsim Joannis* ex integro, nihil in ea carnale, sed totum intelligens spirituale. In qua Expositione dixit Angelicam stationem corpus esse, mille annorum quoque regni in terra justorum post resurrectionem futuri, suspicionem intulit. Neque duas in carne mortuorum resurrectiones futuras, unam justorum, aliam injustorum: sed unam & simul omnium, in qua resurgent abortivi etiam reformati, ne quid humani generis deformatum & animatum substantia, intereat. Ostendit distinctionem sane duarum resurrectionum, ita facit ut primam quam justorum Apocalypsim dicit, credamus modo in Ecclesiæ incremento agi: ubi justificati per fidem, a morticinis peccatorum suorum per baptismum, ad vitæ æternæ stipendium suscitantur. Secundam vero generaliter, omnis hominum generis. Floruit hic ætate qua memoratus Rufinus, Theodosio & filiis ejus regnantibus. Hæc Gennadius in libro *de Viris illustribus* cap. 18. Cum itaque eadem ætate qua Rufinus Aquilejæ Presbyter claruerit juxta Gennadium, ad annum 390. & sequentes recte collocatur. Ex his Opusculis quæ Gennadius vel viderat vel legerat, *libri tres de bello intestino & expositiones diversarum causarum* perierunt. *Regula* autem *octo ad investigandam Scripturarum sacrarum intelligentiam* ad nos usque peruenerunt, quæ impressæ sunt inter *Orthodoxographos* pag. 1352. in Bibliothecis Patrum Parisiensis primæ editionis & secundæ, annorum 1575. & 1589. atque in aliis ferme omnibus sequentibus. Hujus *Septem Regularum librum* ad MSS. Codices collatum Andreas Schottus Antverpiensis e Societate Jesu, edidit tomo V. *Bibliothecæ Patrum* Coloniensis editionis anni 1618. *Commentarius in Apocalypsim Joannis* cui plurima (inquit Cassiodorus lib. *Divinarum Lectionum* cap. 9.) venenosi sui dogmatis fæculenta permiscuit, extat *Homiliis XVIII.* comprehensus, inter Augustini Opera Tom. IX. ei falso adscriptus. Sed Commentarius hic quamvis cum aliquanta formidine Tichonio adscriptus sit, ad ipsum spectare nullatenus potest: cum non habeat Characteres, quibus Gennadius legitimum Tichonii Commentarium a se lectum designat. Vnde recte Guillelmus Cavus in *Augustino* pag. 250. *In Apocalypsim Expositio seu Homilia XVIII.* Tichonii opus vulgo habetur. Quod si tamen recte judicent Benedictini Parisienses in *Appendice* ad Tomum 3. Operum Augustini pag. 159. Tichonii non est: sed Annotationes quædam ex Victorini, Primasii, Bedæ, forsan & ipsius Tichonii verbis consarcinatæ, & in homiliarum formam redactæ. Cum autem alius Commentarius inter Opera quoque Ambrosii Mediolanensis Episcopi legatur, idem Cavus hic quoque de eo ita loquitur. „ *Commentarii in Apocalypsim Beati Joannis*, quibus plurimæ passim insperse leguntur Gregorii Magni Sententiæ, in quamplurimis MSS. Codd. Berengaudo inscribuntur. Quisnam fuerit iste Berengaudus, an Berengarius, ut vult Balæus, an alius quispiam, non satis liquet. Vnde idem Cavus in *Berengario* pag. 601. ad annum 1035. *In Apocalypsim* scripsisse testatur Bostonus Buriensis. Certe ejus *Expositio Apocalypseos*, si modo ejus sit, habetur etiam hodie MS. in Collegio Gonvilli & Caji, Cantabrigiæ in 4. Vereor autem ne Berengwiddi cujusdam sit, cui Exemplaria septem in diversis Angliæ Bibliothecis latitantia tribuit Thomas Jamesius: cuique duo Codices MSS. qui in Bibliotheca Lambethana hodie extant, eam diserte adjudicant. Hæc Cavus, cui addo, in Galliis passim vidi hos Commentarios MSS. in Bibliothecis, quorum plusquam 10. MSS. Codices vidi, nunc Expositionem hanc *Berengaudo*, nunc *Berengwiddo*, vel *Berengario* attribuentes. Hunc autem nequaquam Tichonii esse, ex Gennadio clare constat. Idem sentit mecum Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* in Ambrosio pag. 291. secutus novissimam editionem Operum Divi Ambrosii, ubi tomo 2. Commentarium hunc Benedictini emendatores, *Berengaudo* adscribunt.

Tichonii mentionem faciunt Augustinus lib. 3. *de doctrina Christiana* cap. 30. & lib. 2. *Retractationum* cap. 18. Cassiodorus *Præfatione* in Psalmos & libro *Divinarum Lectionum* cap. 9. Isidorus lib. 1. *de summo bono*. Ex recentioribus, Possevinus, Bellarminus, Labbeus, Cavus, cum aliis multis.

397 QVINTVS JVLIVS HILARION seu HILARIANVS, scripsit Latine *Chronicon* seu *libellum de duratione mundi*, in quo se quoque librum *de die Paschatis* scripsisse dicit, qui interiisse videbatur. Libellus *de duratione mundi* editus primum a Petro Pithæo Trecensi, unde postea in Supplementum Editionis primæ Bibliothecæ Veterum Patrum 1575. immissum est, quod Parisiis anno tantum 1579. impressum fuit. Deinde in Editionem secundam ejusdem Bibliothecæ, quæ anno 1589. apud Michaelem Sonnium Parisiis in IX. tomis in folio prodiit. Scripsisse creditur *Hilarion* Cæsario & Attico Consulibus, id est anno 397. quem Chiliastam, uti & Ti-

Digitized by Google

chonium, fuiſſe ex fine Chronici ſui patet. Hujus Antiquorum nullus quem noverim, mentionem facit. Chriſtophorus Matthæus Pfaffius, Sereniſſimi Sabaudiæ Ducis Bibliothecæ quæ Taurini extat Præfectus, edendum curavit ex MS. Codice dictæ bibliothecæ, *Quinti Julii Hilariani Expoſitum de ratione Paſchæ & Menſis*, poſt Epitomen integram Divinarum Inſtitutionum Firmiani Lactantii, Pariſiis in 8. pag. 246. apud Joannem Baptiſtam de Lepine. Editionem hanc prævia Diſſertatione illuſtravit Pfaffius editor, qua vult Julium Hilarianum hunc Tractatum de Paſchate compoſuiſſe anno 397. ſub Conſulatu Cæſarii & Attici. Cumque magna Quæſtio de tempore Paſchatis celebrandi nondum deciſa eſſet, Hilarianus in hoc opere opinionem Latinorum contra Græcos defendit, juxta Victoris Papæ decretum, atque Concilii Nicæni ſequentis.

400 PHILO DIACONVS, tum Carpathiorum Epiſcopus dictus, cujus meminit Polybius in Vita S. Epiphanii Salaminæ in Cypro Epiſcopi cap. 49. hoc ſeculo IV. ineunte, ab Arcadii & Honorii Imperatorum ſorore, quæ deſperata prorſus valetudine Romæ ægrota decumbebat, una cum aliis nonnullis Cyprum miſſus dicitur, ut Epiphanium accerſerent, qui precibus ſuis atque manuum impoſitione, decumbenti ſanitatem reſtitueret. Delatus in Cyprum ab eodem Epiphanio, rectius quidem mea ſententia Capraſiæ urbis in Cypro non ignobilis, Epiſcopus juxta Polybium ordinatus eſt circa annum 401. Quin etiam Epiphanius Romam pergens, Eccleſiæ ſuæ Conſtantienſis curam ei commiſit: ut ſi Clericis opus eſſet, ipſe ordinaret. Hinc fateor deceptum me fuiſſe poſt alios omnes, dum in *Supplemento Bellarmini* pag. 58. illum Epiſcopum dixi Carpathi, inſulæ maris Mediterranei, ab Aſiatico littore non longe diſtantis, quæ ad Epiphanium nihil ſpectabat. Scripſit *Commentarium in Cantica Canticorum*, nondum quod ſciam impreſſum, de quo tamen ambigendi nullus locus datur. Nam & illius mentionem facit Suidas in *Lexico* verbo Φίλων & longe Suida antiquior qui circa annum 530. florebat Caſſiodorus, lib. 1. *Divinarum Lectionum* cap. 5. Verus autem *Philonis* hujus Commentarius, cum illa interpretatione veteri cujus meminit Caſſiodorus loco citato, habetur MS. in Bibliotheca cl. viri Emerici Bigotii Rotomagenſis, quem in publicum efferre ſtatuerat, ut ipſe teſtatur in præfatione ad Lectorem, quam *Palladio* ſeu *Vitæ D. Chryſoſtomi* præmiſit, ubi id legiſſe (ni fallor) me memini. Atque hinc patet *Commentarium in Cantica Canticorum* huc usque impreſſum in Bibliotheca Patrum editionis 2. 1589. eſſe Philoni ſuppoſitum: quod docet nos, ipſe qui primus Commentarium hunc in publicam lucem produxit Stephanus Salutatus, Piſcienſis, inquiens: *Non unus nobis Philo, ſed plures fuerunt, qui hoſce Commentarios confecerint: nam qui Philonis nomine circumfertur apud Græcos, breve admodum Opuſculum eſt.* Eandem hujus Operis ſuppoſitionem agnoſcit Margarinus de la Bigne in Nota ad initium Philonis, tomo 1. Editionis Bibliothecæ Veterum Patrum, editionis 2. & 3. *Cum multa occurrant in hoc Opere Philonis, quæ totidem ferme verbis poſita inveniuntur in Commentariis in Cantica Canticorum S. Gregorii Magni, ſuſpicantur Viri eruditi ab aliquibus Operi Philonis inſerta. At multo melius conjeciſſent, ut ſæpe alias ſolent hac ipſa de cauſa, non fuiſſe Philonem Carpathium, ſed alium multo recentiorem.* Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 374. *Philo ſcripſit Commentaria in Cantica Canticorum, ſed videntur multa inſerta ex Commentario S. Gregorii Papæ in Cantica, quæ cum reliqua explicatione non multum cohærent.* Martinus Delrio Iſagoge Commentarii in Cantica Canticorum cap. 5. *Miror in Philone Carpathio plurima inveniri, quæ totidem fere verbis occurrunt in B. Gregorii Pontificis Commentariis. Suſpicor Græculum aliquem recentiorem, ea ex D. Gregorio Philonianis inſeriſſe potius, quam vetuſtum illum Carpathium conſcripſiſſe: nam cum reliquo Commentario non nimis cohærent.* Eadem habentur etiam apud Poſſevinum, tom. 2. Apparatus Sacri, verbo *Philo Carpathius*. Quamvis autem hic Commentarius ſit ſuppoſitus, Coccius attamen qui hunc authorem floruiſſe vult ad annum 410. in *Catalogo* ſive *Indice Authorum* ad initium tomi 1. *Theſauri Catholici*, plurima ex hoc vir bonus allegat. Nempe tom. 1. lib. 2. *de Chriſto* art. 4. ut probet animam Chriſti vere ad inferos deſcendiſſe, ut Sanctorum animas inde liberaret. Lib. 5. *de ſanctis* art. 6. ut probet Sanctos recte invocari. Tomo 2. lib. 7. *de pœnitentia* art. 4. ut probet culpa dimiſſa, reſtare quandam temporalem pœnam. Non tantum autem *Commentarium* Philoni impoſitum, eſſe ſuppoſitum, ſed ipſum quoque authorem Philonem: contendit Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* tomo 2. ſeculo 4. pag. mihi 302. quod putet hunc authorem ſola niti authoritate Polybii in Vita ſancti Epiphanii, quam fabuloſam, falſamque, atque a recenti Græco aliquo confictam putat. Verum hic abſurde mihi falli videtur, cum hujus & Scriptoris & Commentarii meminerint, tum Caſſiodorus loco citato, tum Suidas in *Lexico*: quibus elevandis, Ellias idoneus mihi eſſe non videtur. Agunt de *Philone Carpathio* ſeu melius *Carpaſienſi*, Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 374. Robertus Cocus in *Cenſura quorundam Scriptorum Veterum* pag. 382. Andreas Rivetus lib. 3. *Critici Sacri* cap. 15. pag. mihi 308. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria literaria* ſeculo 4. ad annum 401. pag. 284. Ellias du Pin loco citato.

ASTERIVS AMASEÆ IN PONTO EPI- 400
SCOPVS, eloquentia, & ſanctitate conſpicuus, ſub quarti ſeculi finem, ſancto Joanni Chryſoſtomo æqualis, floruit. Prædeceſſorem habuit

habuit *Eulalium*, cujus mentio apud Sozomenum lib. 7. *Hiſtoriæ* cap. 2. ſucceſſorem vero Palladium quendam, ex Epheſinæ Synodi Patribus unum, cujus illic quoque mentio fit. Vixiſſe autem circa annum 400. a Chriſti Domini Natalibus, colligitur ex homiliis *adverſus avaritiam* & *in Feſtum Calendarum*, ubi eorum quos Julianus Apoſtata Imperator ad fidem negandam induxerat, ut coëtaneorum & rei recentis meminit: *Etiamnum recentia & noſtra ætati, cum enim Imperator ille &c.* Scripſit multa antiquis etiam non ignota, atque inter alia homilias plurimas, quarum meminit Photius in *Bibliotheca* Cod. 271. Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus ſeculo IX. anno circiter 806. *in Antirrethicis* 1. & 2. Secunda Synodus Nicæna, Actionibus 4. & 6. cum aliis *Catenarum* conſarcinatoribus. Caute autem hic diſtinguendus eſt ab aliis duobus Aſteriis, eodem tempore florentibus, quorum primus fuit Aſterius Arianæ factionis Philoſophus ſeu Sophiſta; quem ex Sancto Hieronymo in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 94. floruiſſe ſub Conſtantio Imperatore circa annum 330. & ultra conſtat: quem hanc ob cauſam accenſet ſacris Scriptoribus, quod *Commentarios in Epiſtolam ad Romanos, & in Pſalmos*, multaque alia a ſuæ factionis hominibus legi ſolita ſcripſiſſet: denique & *contra Marcellum Ancyræ in Galatia Epiſcopum* librum, cujus idem Hieronymus meminit ejusdem libri cap. 96. De quo Socrates quoque lib. 1. *Hiſtoriæ* cap. 36. Sozomenus lib. 2. cap. 33. Philoſtorgius lib. 2. *Hiſtoriæ* cap. 14. Imo & ſanctus Athanaſius, in libro *de Synodis*. Alter qui a noſtro quoque diſtinguendus eſt, Aſterius Petræ in Arabia Epiſcopus, qui una cum Acacio ad ſanctum Julianum cognomento Sabam legatione functus eſt, teſte Theodoreto in *Philoteo* ſeu *Hiſtoria Religioſa* cap. 2. atque Catholicus ex Ariano factus, ſanctorumque Athanaſii & Euſebii Vercellenſis Epiſcopi æqualis, in Africam a Conſtantino Imperatore relegatus, ibidem occubuit: cujus memoria in *Martyrologio Romano* ad diem Junii 10. legitur. Aſterius noſter Amaſeæ Epiſcopus his duobus quorum temporibus vixit, paulo junior fuiſſe legitur, atque ad initia quinti ſeculi perveniſſe. Cum autem homiliis ad populum declamandis valeret, harum nonnullæ ad nos usque pervenerunt, nimirum

Homilia V. I. *In Divitem & Lazarum.* II. *De œconomo iniquitatis.* III. *Adverſus avaritiam.* IV. *In Feſtum Calendarum Januarii.* V. In illud Matth. 19. v. 3. *An liceat dimittere uxorem quacunque ex cauſa* &c. quas Græce & Latine edidit Antverpiæ Philippus Rubenius anno 1615. in 4. tum Græcolatine quoque in *Auctario* Bibliothecæ Veterum Patrum editionis anni 1624. tomo 2. pag. 563. In Bibliothecam Patrum Editionis Pariſienſis 1644. irrepſerunt. Atque in *Auctarium* aliud ejusdem Bibliothecæ anni 1648. tom. 1. pag. 1. & ſequentibus, quibus alias ſeptem Franciſcus Combefiſius adjecit, videlicet

In Prophetam Danielem & Suſannam, quæ MS. extat Græce inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 192. Barocciano ad diem 31. Decembris.

In cæcum a Nativitate.

In Principes Apoſtolorum, Petrum & Paulum.

In ſanctum Martyrem Phocam, quæ MS. paſſim in Vitis Sanctorum Metaphraſticis, menſe Septembri die 22. legitur.

Laudatio in Sanctos Martyres.

Enarratio Martyrii S. Euphemiæ, excerpta ex Act. 6. ſecundæ Synodi Nicænæ.

Laudatio in ſanctum Protomartyrem Stephanum, quam Proclo adſcripſit atque inter ejus Opera recenſuit Vincentius Richardus, licet Aſterio noſtro tum ſtylus, tum authoritas Photii in *Bibliotheca* Cod. 271. aſſerant. Addidit autem Combefiſius idem, excerpta aliarum octo homiliarum ex Photii Codice citato 271. deſumpta, Sermonum nempe

De Pœnitentia in Mulierem peccatricem, quem jam ut ſupra diximus in Gregorio Nyſſeno, cujus inter Opera tomi ſecundi pag. 132. ob Photii authoritatem, Aſterio adjudicandum eſſe monuimus. Hoc idem nobiscum ſenſit Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* in Aſterio, ſeculo 4. pag. mihi 81.

In illud Lucæ 10. verſ. 30. *Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho.*

In illud Lucæ 18. verſ. 10. *Duo homines aſcenderunt in templum, ut orarent.*

De Zachæo. De filio prodigo. De ſervo Centurionis a Domino ſanato.

De jejunio, cujus excerpti Orationem integram habes tom. 2. Operum S. Gregorii Nyſſeni pag. 271. quam illic quoque ex teſtimonio Photii in *Bibliotheca* Cod. 271. Aſterio aſſeruimus.

De Jaïro & Muliere quæ profluvio ſanguinis laborabat. Vide quoque Combefiſium in *Auctario ultimo* Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1672. Pariſiis pag. 538.

Huic quoque Aſterio adſcripſeram *homilias octo in Pſalmos diverſos*, pag. 59. *Supplementi* de Scriptoribus Bellarmini: hac in parte ſecutus mentem Joannis Baptiſtæ Cotelerii, nempe *Homiliam in Pſalmum quartum*, qui ſub nomine Aſterii legitur in MS. Codice Regiæ Bibliothecæ num. 2402. quæ etiam Græce impreſſa extat inter Opera Joannis Chryſoſtomi ex editione Henrici Savilii tomo VII. num. 65. pag. 431.

Homiliæ ſive *Orationes VII.* in Pſalmos V. VI. & VII. quas Græce & Latine ex MSS. Codicibus Regiæ Bibliothecæ evulgavit ſub nomine hujus Aſterii, Joannes Baptiſta Cotelier tomo 2. *Veterum Monumentorum* Eccleſiæ Græcæ pag. 1. Pariſiis 1681. in 4. Habet autem de his homiliis plura, in notis ſuis pag. 516. quibus citatus Cotelerius eas vindicare & aſſerere Aſterio huic annititur, tam ex authoritate MSS. Codicum, quam Catenarum veterum, ſub Aſterii nomine allegantium. Verum huic opinioni refragatur

tur Ludovicus du Pin in *Asterio* pag. mihi 82. Contendit enim nec immerito, esse has homilias Asterii Sophistæ & Arianorum fautoris, anno Christi 330. vel 340. celebris: cujus Hieronymus mentionem fecit in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 94. asserens eum scripsisse *Commentarios in Epistol. ad Romanos, in Evangelia, & in Psalmos.* Esse ergo has homilias portionem quandam Asterii Sophistæ in Psalmos, non improbabile omnino est, quæ neque omnimodam cum aliis Asterii Amaseni Episcopi homiliis, styli similitudinem habeat.

Agunt de Asterio inter recentiores Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo Asterius. Bellarminus & Labbeus uterque in Opere seu *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, verbo *Asterius.* Guillelmus Cavus in *Historia Literaria* Scriptorum Ecclesiæ seculo V. ad annum 401. pag. 282. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* seculo 4. tomo 3. p. mihi 77.

400 THEODORVS MOPSVESTIÆ EPISCOPVS in Cilicia, primum quidem junioribus annis sub Sophista Libanio Rhetoricæ studuit, sancti Joannis Chrysostomi in exercitatione monastica sub Diodoro Tharsensi sodalis fuit, vir multæ ut dicitur virtutis, doctrinæ non vulgaris, eloquentia insignis, atque ex infinitis voluminibus quæ posteris reliquerat & quæ omnia ferme interciderunt, sequacibus quanti laboris atque eruditionis extiterit, perspicue ostendit. Cum asceticam vitam aliquandiu amplexus fuisset, pertæsus illius abjecto Monastico instituto ad seculum rediit, Hermionemq; quandam uxorem duxit, quod tunc temporis non illicitum fuit. Sed hac quoque sorte non contentus, instante potissimum per Epistolas Chrysostomo atque inconstantiam acrius urgente Theodorus levitatem levitate diluit, derelicta enim Hermione iterum ad Monachos inconstantiam altera inconstantia sanans reversus est: quæ omnia non omnimodam Theodoriani ingenii evincunt firmitatem. Hæc quidem utcunque depingit Socrates lib. 6. *Historiæ* cap. 3. sed prolixe Sozomenus lib. 8. cap. 2. Vnde magnam Eloquentiæ vim in Chrysostomo concludit, qui non obvios quosque idoneus esset persuadere, sed pares etiam in eloquentia sibi ad contrariam mentem urgere. Sozomenum audiamus, Theod. levitatem enarrantem. „Neque vero solus sese illorum (Cartherii scilicet ac Diodori qui Tarsensis Ecclesiæ Episcopus fuit) magisterio subdidit: sed & sodalibus „suis ex Libanii schola, ut idem facerent persuasit, Theodoro nimirum & Maximo. Quorum „hic quidem Seleuciæ in Isauria, Theodorus „vero Mopsuestiæ in Cilicia posthac Episcopus „fuit. Vir tum in sacris literis, tum in reliquis „disciplinis Rhetorum ac Philosophorum non „mediocriter eruditus. Atque hic quidem cum „sacræ Philosophiæ leges primum didicisset, & „sanctorum virorum contubernio usus esset, eam vivendi rationem probavit, civilem autem vitam damnavit. Verum in eodem proposito haudquaquam perseveravit: sed pœnitentia ductus, ad priorem vivendi rationem abripiebatur. Cumque propositum suum confirmaret contrariis argumentis, quæ ex Veterum argumentis desumpserat: erat enim multiplici eruditione præditus: in urbem reversus est, rectius esse judicans, id assequi quod cupiebat. Joannes igitur cum negotiis eum vacare intellexisset, & de uxore ducenda cogitare, Epistolam ejusmodi verbis ac sententiis conscriptam quæ humanæ mentis captum excedant, ad eum misit. Quam ille cum accepisset, pœnitentia tactus est: rursusque relictis facultatibus & nuptiis renuntians, Joannis consilio servatus & ad Philosophicam vitam regressus est. Ex quo non difficile meo quidem judicio conjici potest, quanta persuadendi vis in Joanne inerat. Vicit enim illa eos, qui pari dicendi ac persuadendi facultate pollebant.„ Vnde patet ex verbis Sozomeni, Theodorum dum abjecto Monachismo ad seculum reversus uxorem duxit non rem novam atque insolitam egisse, ut hodierni Pontificii volunt: sed consuetam atque exemplis confirmatam: quippe qui ut Sozomenus inquit, *propositum suum confirmaret contrariis argumentis, quæ ex Veterum argumentis desumpserat: erat enim multiplici eruditione præditus.* Reversus ergo ad Monachicum cucullum, factus postea Presbyter, tumque ob insignes animi dotes Episcopus circa annum 392. Anno enim Christi 394. Synodo apud Constantinopolim celebrato & tertium Calendas Octobris, in causa vertente inter Agapium & Gabadium, utrumque Episcopatum Bostrensem sibi vindicare satagentem: Theodorus jam tum in Cilicia Episcopus, ex eorum erat numero Episcoporum, qui dirimendæ liti assidebant. Vnde quoque apparet ipsum tunc Catholicum & Orthodoxum fuisse, quippe quem in fide male sonantem aut distorta sentientem, alii nequaquam in consessum suum admisissent. Duos ille insignes viros atque Historicis notos habuit discipulos: Nestorium illum Constantinopolitanum, quem nullus non novit: atque Theodoritum Cyri Episcopum, tot effusis in publicum voluminibus celebrem, virtutis atque doctrinæ Theodori Mopsuestiæ Episcopi tubam sonoram. Cujus in magistrum discipuli gratissimus animus, ex laudibus quas in ejus gratiam profert, nosci abunde potest. Non tantum enim uno in loco, dignus Theodoro discipulus magistrum laudibus effert lib. 5. *Historia Ecclesiastica* cap. 27. sed illius quoque laudibus historiam concludere cap. 40. voluit, his verbis. « Interea vero Sanctissimo Theodo«ro Antiochensem Ecclesiam gubernante, The«odorus Episcopus Mopsuestiæ, totius Ecclesiæ« doctor, & qui adversus omnes Hæreticorum« catervas strenue decertaverat, vivendi finem« fecit. Hic præstantissimi quidem Diodori au«ditor,

„ditor, divini ante Joannis ſocius atque adjutor „fuerat. Ambo quippe ex ſpiritalibus Diodo„ri fontibus hauſerunt. Annis porro ſex & tri„ginta Epiſcopatum geſſit, contra Phalangem „Arii & Eunomii aſſidue dimicans, & Apollina„ris turmam Latronum more inſidiantem pro„fligans: ovibus autem Chriſti optimum pa„bulum præbens. Ejus quoque frater Poly„chronius, Apameenſem Eccleſiam egregie ad„miniſtravit, emendatiſſimæ vitæ ſplendorem „cum ſermonis gratia ac venuſtate conjun„gens. Ego vero hoc loco ſcribendi finem fa„ciens, ab iis qui hæc lecturi ſunt, poſtulo, ut la„borem noſtrum precibus ſuis remunerentur. „Quinque autem ac centum annorum ſpatio „res geſtas, hæc hiſtoria complectitur: ab Arii „quidem veſania ducens exordium, deſinens ve„ro in obitu ſanctiſſimorum virorum, Theodo„ri atque Theodoti. Ob has laudes quas in magiſtrum effudit diſcipulus, accepti beneficii memor, nonnihil damni paſſus fuiſſe videtur, Theodoretus Cyri Epiſcopus: Cujus Hiſtoriam Eccleſiaſticam ab Eccleſia Romana ideo non recipi lib. 6. *Epiſtolarum* Epiſt. 31. tradit Gregorius Magnus *quod Theodorum Mopſueſtia nimium laudaverit, atque usque ad diem obitus ſui magnum Eccleſiæ Doctorem fuiſſe ſcripſerit.* Grande crimen amici, cujus cauſa merito inter Apocrypha accenſeatur Eccleſiaſtica Theodoreti Hiſtoria. In eandem convenit ſententiam atque Theodori Mopſueſteni Epiſcopi Orthodoxiam Liberatus in Breviario cap. 10. his verbis. „Neſtorii namque Sectatores videntes libros illius „blaſphemos non poſſe proferri in publicum, „eo quod Synodo Epheſina anathematizante „fuerunt condemnati: & Imperiali lege pro„hibitum fuerat, ne quis eos legere auderet aut „defendere. Tunc cœperunt Diodori Tarſen„ſis & Theodori Mopſueſtenæ civitatis Epiſco„pi & aliorum Epiſcoporum, qui contra Euno„mium & Apollinarem unius naturæ aſſertores, „libros compoſuerant duas in Chriſto oſten„dentes naturas in una perſona: quod Neſto„rius ſic non dixerat, circumferre volumina. Et „ſimpliciſſimos quosque decipere cupientes, „ajebant non ſapuiſſe nova Neſtorium, ſed anti„quorum Patrum proſecutum fuiſſe doctri„nam: & in tantum ſtudii geſſerunt, ut ipſa eo„rum volumina in Syrorum linguam & Arme„niorum atque Perſarum transferrent.„ Quibus indicat verbis Liberatus, Theodorum Mopſueſtenum Epiſcopum haudquaquam fuiſſe dogmatis Neſtorio adſcripti defenſorem: dum ait Diodorum Tarſenſem & Theodorum Mopſueſtenæ civitatis Epiſcopum, *duas in Chriſto naturas in una perſona*, libris etiam compoſitis docuiſſe. Tum poſtea in eodem loco idem Liberatus ſubdit in Theodori Mopſueſteni gratiam: „Poſthæc autem occaſione accepta, ſurrexe„runt quidam Monachi ab Armenia, Apollina„ris ſectatores, duo vel tria (ſicut refert Joannes „Antiochenus in Epiſtola ſua) portantes excerpta capitula, ut dicebant, de libris Theodori« Mopſueſteni, vel aliorum ſanctorum Patrum,« qui in illo tempore, ſicut diximus, contra Apol-« linarem ſcripſerant. Et intrantes Regiam ci-« vitatem, & multorum ſordidantes auditum,« calliditate ſua omnia perturbabant. Deinde« circumeuntes totius Orientis civitates & uni-« verſa monaſteria, damnata eſſe cum authori-« bus clamabant, accuſantes ea Neſtoriano ſenſu« fuiſſe conſcripta. Quia ſi Neſtorius juſte da-« mnatus eſt, damnentur & iſta, dicebant, cum« ſuis authoribus. Et hæc agebant, firmare vo-« lentes, ea quæ Apollinaris ſunt, qui per unam« naturam Chriſtum nobis conſubſtantialem« non expoſuit. Qui quorumdam utentes pa-« trocinio, terrebant minis Clericos, Populos &« Monachos, qui vitam ſectabantur quietam.« Tunc Johannes Antiochenus Synodo congre-« gata, tres pro Theodoro Mopſueſteno dicta-« vit Epiſtolas, & unam quidem direxit Theo-« doſio Imperatori, aliam autem Cyrillo Alexan-« drino, & tertiam Proclo Conſtantinopolitano« Epiſcopo, laudans in eis Theodorum, & ejus« exponens ſapientiam. Ad hæc autem Impe-« rator dirigens Sacram Joanni, derogatores il-« los Theodori contra ſalutem propriam veni-« re judicavit. Cy. illus autem reſcripto ſuo The-« odorum præferens, tale de accuſatoribus ſuis« tulit judicium, eo quod dogmate veritati con-« trario uterentur: interponens de Symbolo in« Concilio ſibi oblato Tetteradecadas factas a« Chariſio Presbytero. Nihilominus & Pro-« clus per Maximum Diaconum ſuum ipſi Joan-« ni reſcribens, cujus eſſent illa Capitula, quæ« Theodori dicebantur, quæſivit: qui pro ejus« excuſatione, ignorare ſe dixit. Veruntamen« duas memorati Joannis Epiſtolas, id eſt primam« & tertiam, laudes Theodori Mopſueſteni con-« tinentes, Chalcedonenſis Synodus per relatio-« nem ſuam Marciano Imperatori directam, cum« tomo Procli quem ad Armenios direxit, & aliis« ſanctorum Patrum Epiſtolis, ſuſcepit & con-« firmavit.„ Hæc in gratiam Theodori Mopſueſtiæ Epiſcopi Liberatus in *Breviario* cap. 10. Quam autem affert de Concilio Chalcedonenſi, relationem ad Marcianum Imperatorem, habes poſt Actionem XVI. hujus Concilii. Facundus etiam Hermianenſis Anno 547. fervente adhuc controverſia, pro defenſione *trium Capitulorum* Libros XII. aliumque poſtea *Contra Mutianum* ſcripſit: in quibus Theodorum velut hominem Catholicum omni quo potuit ſtudio defendit, coarcervatis pluribus S. Patrum teſtimoniis exiſtimationem ejus ſartam tectam tuetur, quædam ipſius dicta excuſat, ac emollit & commodo ſenſu explicat, quædam ab adverſariis truncata, interpolata, vel in alienum plane ſenſum detorta eſſe oſtendit. Denique iniquum eſſe, ut qui pro Epiſcopo Catholico habitus ſit, & in Eccleſiæ pace diem obierit, plusquam integro poſt mortem ſeculo, velut Hæreticus anathemati ſubjiceretur. Hæc Cavus.

to, quin multa Marci Aſcetæ opuſcula, de quibus Nicephorus Calliſtus agit, inveniat.

Sunt & Manuſcripta alia Exemplaria horum Opuſculorum in aliis Bibliothecis, ut in Veneta ex MSS. Codicibus quos ipſi teſtamento legavit Cardinalis Beſſarion. In Bibliotheca Bavarica num. 88 ubi *Marci Monachi Sermones Decem:* cum Abbatis Dorothei Sermonibus ſeu Inſtitutionibus: Sermonibus XXVIII Iſaiæ Abbatis & Presbyteri: Capitibus centum de perfectione Diadochi Photices in Veteri Epiro Epiſcopi. Æquior autem cæteris, Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 4 tomo 3 pag. 3 ſi quid in his Opuſculis arguit, quod hodiernis Romanæ Communionis ſententiis minus conveniat: non in Interpretem Joannem Picum, ſed in ipſum authorem Marcum, quippe cum in Græcis reperiantur, refundit. Longe autem plura ſcripſiſſe Marcum Opuſcula tradit Nicephorus Calliſtus Lib. 14 *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* cap. 54 non tantum Opuſcula decem ut in MS. Codice Bavarico enumerans, ſed ad XL procedens, quem audire juvat. *Ipſe quoque Marcus in Monaſtica vita prius verſatus, multa poſt ſe reliquit Scripta. Eorum qui ad nos pervenerunt, Libri octo ſunt, univerſalium affectionum numerum æquantes: & alii triginta duo, in quibus viæ totius Aſcetica vitæ omnes perſequitur. Ad quæ loca ſecedendum, & quomodo ad voluntatem Dei greſſus dirigendi ſint: quomodo etiam homo dæmonum tentationes ſuperet, mentemque repurget, atque ad veterem dignitatem progrediatur, ut cum Deo cœleſte inſtitutum ſeſtatus, vivat.* Extabant ergo adhuc temporibus Nicephori Calliſti, Opuſcula XL Marci Exercitatoris ſeu ἀσκητοῦ.

De Stilo Marci ita Photius in *Bibliotheca* Cod. 200 Σαφὴς μέν ἐστιν, ὅσον ἐπὶ τῇ καινότητι τῶν λέξεων, καὶ τῷ κεφαλαιωδῶς ἐξενηνέχθαι ἡ φράσις, εἰ καὶ μὴ πρὸς τὴν Ἀττικὴν ἐξηκρίβωται τὰ ἄλλα γλῶσσαν. εἰ δὲ πῇ τὸ αὐταδὲς ἐνοχλεῖται, τῷ διὰ πρόξεως αὐτὰ πεφυκέναι μᾶλλον καλαισθάνεσθαι, ἀναχορεῖ τῆς διὰ τῶν λόγων ἑρμηνείας, ἐκ τὸ δυσκόλως εἰρῆσθαι. *Perſpicua ejus eſt dictio, quatenus verbis utitur communibus, & ſumma capita percurrat Oratio: etſi quod ad Atticum ſermonem, non ſatis accurate linguam componat. Sicubi vero in his obſcuritas aliqua cernitur, ideo nimirum ab ea quæ per verba fit, clara explicatione recedit: quod hæc ejusmodi ſint, ut per actionem ipſam potiſſimum percipi debeant, non quod difficulter eadem exprimi oratione poſſint.* Quod non de Marci ſolius ſcriptis, notat Photius, ſed & in omnibus ferme iis, qui Aſcetica tractarunt, ejusmodi obſcuritatis vitium reperiri docet: τῆς ἐκ τῶν ἔργων αὐτῶν ἐπιγνώσεως ὄντι μᾶλλον ἐργάσης τὰς διὰ τῶν ῥημάτων ἐπιδηλώσεις: *Cognitione quæ ex ipſis operibus percipitur, non amante has per verba perſpicuitates.* Obſcurum ergo fuiſſe Marcum, tum ex teſtimonio Photii, tum ex Opuſculorum allatorum lectione conſtat. Quantum autem ad doctrinam, ita ſentit qui legerat, Ellias du Pin loco citato pag. 3. *Hic author plurimum fidei atque Chriſti gratiæ, modicum operibus bonis & liberis hominum actibus tribuit, contra Aſceticorum authorum morem. plurimum quoque virtuti & efficaciæ baptiſmi tribuit, quem contendit non ſolum nos a morte eximere, ſed a cupiditate etiam: nosque in potentia agendi bonum & malum, conſtituere. Ita ut qui Baptiſmum ſuſceperint, ad bonum vel malum pari libertate præditi ſint, quæ Adam hominum primus. Vult Chriſtianum perfectum, eſſe tentationibus & paſſionibus immunem, plurima Evangelii conſilia in præcepta transfert: quod iſtis Spiritualibus frequens ſatis ſit. Tandem negari non poteſt, quin inter plurima ſalutaria dogmata, nonnulla veritati rectæque rationi adverſentur: quod in omnibus Spiritualium Inſtitutionum ac præceptorum libris antiquis ac modernis, vulgare nimium eſt.* Ego contra cenſeo Marcum Exercitatorem Pelagianam doctrinam ſapuiſſe, atque nimium indulſiſſe humanæ libertati: qui interdum quidem gratiam eſſe neceſſariam ad omnem actum admittit, interdum negat. In Opuſculo I ad Interrogationem 2 reſpondet. Jam diximus hominem a natura habere promptitudinem animi, quam Deus requirit. Jubet ergo, ut homo inprimis cognoſcat: & cum cognovit, amet, & voluntatem depromat. Ut autem mens exerceatur, laborem perferat, aut opus aliquot perficiat: gratia Domini largitur, volenti & credenti. Quare voluntas hominis eſt velut auxilium a natura inſitum: qua abſente, ne Deus quidem quicquam operatur, tametſi facultate non careat: quod fit ob arbitrii humani libertatem. Igitur operis perfectio, Dei eſt: voluntas autem, hominis. Ad quæ verba ad marginem notat Bignæus vel quis alius: *Caute lege, nam author nimium obſcure de gratia Dei differere, ſeu potius in Pelagianum errorem labi videtur.* Quamvis idem autem ſibi inconſtans ſtatim ante dixiſſet: Nunquam igitur exiſtimes te præveniſſe Dominum in virtute, ex ejus ſententia qui dicit: ipſe eſt qui operatur in nobis & velle & perficere, pro bona voluntate. Atque eandem in hac ſententia inconſtantiam ſupra notavimus in authore homiliarum XLIX quæ S. Macario Ægyptio adſcribuntur, quasque hujus Marci eſſe opinor. Idem in Opuſculo *de his qui putant ex operibus ſe juſtificari*, num. 23. Omne opus bonum quod per noſtram naturam operamur, tantum equidem efficit, ut a contrario malo aut vitio abſtineamus: adjectionem autem ſanctitatis, extra gratiam facere non poteſt. Quibus in margine Bignæus adjicit ad num. 23. & 24. *Caute lege, nam falſum eſt virtutum nullum aliud opus eſſe, quam peccati abſtinentiam: cum ſuam formalem & poſitivam rationem habeat. Nec enim ſortu dicitur, quia non puſillanimis &c. Includit ſane quæque virtus abſtinentiam ſui peccati contrarii, ſed propriam præter hoc & nativam rationem habet. Porro quod addit Author*, peccati abſtinentiam naturæ opus eſſe: *Pelagianum redolet.* In Libro *de Pœnitentia* ſub finem. Quemadmodum natura edimus, bibimus, loquimur & audimus: ita

„ita proclives esse debemus ad agendam pœni„tentiam.„ In Opusculo *de baptismo* inquirit, *nonne transgressionem Ada (quod est anima nostra rationalis peccatum) necessario susceptmus?* Respondet autem Pelagiano sensu; *Peccatum, non est Adami transgressio, sed index voluntatis cujusque. At neque transgressionem suscepimus: nam per successionem oporteret omnes transgressores esse, nec reprehendi debere a Deo, qui transgrediuntur necessitate successionis naturalis. Nunc autem non ita est. Quia non omnes transgredimur mandatum, neque item omnes observamus: unde clarum est transgressionem, non a necessitate originem trahere, sed a voluptate.* Denique in eodem Opusculo sub finem ipsum solam mortem ab Adamo corporalem non suscepisse profitetur, cui ad marginem Pelagianæ omnino sententiæ Bignæus adjicit cautelam his verbis: *Caute lege, nam non solam mortem, sed & peccatum originale & peccati fomitem, & multa mala inde nascentia, ex Adami lapsu suscepimus.* Nullum ergo dubium supereſt, quin eandem haberet doctrinam Marcus Ἀσκητής, cum multis aliis Monachis celeberrimis, Evagrio, Macariis & aliis, quam postea Pelagius in vulgus produxit: qui ob hanc causam Origenistæ vocati sunt, quod illius doctrinæ libero arbitrio plurimum concedens, semper & ubique favissent. Quam ob causam forsan Pelagius hæreseos accusatus, ad has solitudines se contulit, ut pessimæ suæ causæ patronos sanctitate ac meritis claros, nanciscerctur. His autem Opusculis attente lectis, horum non tantum authorem Marcum Exercitatorem opinatus sum, sed etiam Homiliarum seu Quæstionum Asceticarum XLIX quæ sub nomine S. Macarii sive Ægyptii, sive Alexandrini, circumferuntur, ut supra diximus in *Macariis tribus*, ad annum 360. Conjecturis duntaxat ducor, quas Critici per otium excutere possunt. Nam 1. eadem utriusque Operis styli similitudo, nec ovum ovo similius, quam homiliæ Macarianæ cum his octo Opusculis. 2. Eadem tractandi ratio per interrogationes & responsiones. 3. Eadem interdum obscuritas, in sententiis, ut annotavit Ellias du Pin, in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica*, verbo Macarius. 4. Denique doctrina eadem Pelagiana, atque inconstantia quædam in affirmanda sententia nunc admittendo gratiam ad omne opus bonum, nunc concedendo opera quædam naturaliter bona, absque auxilio gratiæ. Quod hic quoque animadvertere possumus. Ac sane proclive fuit, ut Opera discipuli Magistro, Marci Macario, ad majorem Pelagianæ doctrinæ procurandam authoritatem attribuerentur: quod tamen per conjecturas tantum, absque aliorum præjudicio, dictum sit. Quibus certe favet Petrus Lambecius tom. seu Lib. V *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* pag. 98 in discussione Manuscripti Codicis Theologici Græci CCXXXVIII num. 15 ubi hæc habet. „Decimo quinto & quidem a fol. 246 pag. 2 usque „ad folium 253 pag. 1 Ex Marci Eremitæ Sermonibus catecheticis ad discipulos suos *Excerpta quadam*, quorum titulus & principium: „τῆ ὁσίᾳ Μάρκῳ ἐκ τῶν λόγων αὐτῆ κατηχητικῶν, ὧν ἐποιῆτο πρὸς τὰς ἑαυτῆ μαθητάς. ἀ„φεληθέντων δὲ πάντων ἐπὶ τῆ ἐπιγνώσει καὶ„ μετανοίᾳ τῆ ἀδελφῆ ὁ γέρων ἔφη· λέλειπται λοι„πον ἡμᾶς δεῖξαι ἀπὸ τῆς γραφῆς, ὅτι &c.„ Scripserat ergo velut homilias quasdam ad discipulos suos, isto MS. authore teste, quod optime omnino convenit homiliis XLIX Macarianis: quas ex lectione, non ad populum, sed ad Monachos factas esse atque discipulos, constat. De Marco mentionem faciunt Guillelmus Cavus in *Historia Literaria* seculo 4 anno 401 pag. 282. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* seculo 4 tomo 3 pag. 2. Caute autem hic Marcus noster distinguendus est, ab alio item Monacho, qui tempore Leonis VI Imperatoris quem Philosophum vocant, circa annum 900 vitæ sanctitate (ut dicitur) clarus: faucium illum Imperatorem curavit, decemque adhuc vitæ annos illi adjecit, ut Joannes Zonaras in vita Leonis VI Imperatoris, & eum secutus Glycas *Annalium* parte 3 & Constantinus Manasses cum aliis narrant.

PALLADIVS HELENOPOLITANVS E- 400
PISCOPVS, gente Galata, anno ætatis 20, Christi Domini 388 Theodosio iterum Consule, in Ægyptum porrexit, ut asceticam vitam ab insignibus hujus temporis Monachis hauriret. Alexandriam delatus, ad Isidorum se contulit, cujus consilia atque vitæ instituta sequeretur, de quo Sozomenus Lib. 6. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 28. Hic Palladium commisit, Dorotheo Ascetæ celeberrimo Thebano, qui in specu quodam non longe ab Alexandria vivebat, cujus austeritatem cum ferre Palladius non posset, alio migrare coactus est. In hac eremo Evagrii Pontici quoque discipulus extitit, ut habet Socrates *Historiæ* lib. 6. cap. 23 qui Rufini quoque Aquilejensis est Presbyteri æqualis atq; intimus fuit, in Origenis & Pelagianorum errores propensior, quos in hac solitudine ab his Monachis hauserat. Pelagianam igitur cum Monachis Ægypti & Palestinæ, alias probitate morum præstantibus, doctrinam Palladius didicit, etiam antequam ipse Pelagius in vulgus erumperet: quam usque ad mortem mordicus tenuit. Vnde Hieronymus Proœmio in Dialogos *adversus Pelagianos* inquit. *Palladius servilis nequitiæ, eandem hæresim instaurare conatus est & novam translationis Hebraicæ mihi calumniam struere. Num & illius ingenio nobilitatique invidemus? nunc quoque mysterium iniquitatis operatur, & garrit unusquisque quod scribit: ego solus sum, qui sanctorum gloriæ mordear: & tam miser, ut his quoque invideam, qui non merentur invidiam.* Cum vero ex vitæ Ascelicæ studio & exercitatione ægritudinem non spernendam contraxisset, atque Alexandriam rediisset, reparandæ valetudinis causa Palæstinam ex Medicorum consilio accessit: ubi

cum

ter MSS. Codd. Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 6047 in MSS. Codicibus Thomæ Galci Codice 213 num. 2. In Lugdunobatava nostra bibliotheca inter MSS. Codices Latinos ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice 182 num. 3. Hos autem Centones primum olim Lugduni in Gallia anno 1516 impressos vidimus, una cum Poëmatibus Baptistæ Mantuani. Inde transmissi sunt in Bibliothecam Patrum Veterum tomo 8 editionis primæ ac secundæ Parisiensium 1575 & 1589. quorum primus Isidorus meminit in Opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 5 atque post eum Sigebertus *de viris illustribus* cap. 52. ante quos altum de Proba Falconia, inter Ecclesiæ Scriptores silentium. Secuti autem Isidorum Guillelmus Cavus, in *Historia Rei Literariæ* ad annum 371 pag. 207. Philippus Labbeus in Opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, verbo *Proba Falconia*, quos imitatus sum. Sed falluntur omnes, quotquot post Isidorum hos *Homerocentonas* Probæ Falconiæ attribuunt. Extabant enim tum *Homeracentones* tum *Virgiliocentones* ante annum 400 quo Proba Falconia claruit, ut aperte constat ex Epistola 103 Hieronymi ad Paulinum: qui certe Opus illud non ita despexisset, si ad Probam Falconiam spectasset, quam ipse impense venerabatur & colebat, ut patet ex his quæ ad Demetriadem Virginem scripsit, contra vero & recte hoc Opusculum summo habet contemptui in Epistola citata his verbis: *Quasi grande sit & non vitiosissimum dicendi genus, depravare sententias & ad voluptatem suam, Scripturam trahere repugnantem? Quasi non legerimus* Homerocentonas & Virgiliocentonas? *Ac non sic etiam Maronem sine Christo possimus dicere Christianum, quia scripserit:*

Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna:
Jam nova progenies cœlo demittitur alto.

Quod ergo absurdum Opus atque viro gravi indignum existimavit Hieronymus, hoc posteri mulierum adoratores, judicio excæcante ducti, Probæ Falconiæ mulieri nobilissimæ ac pientissimæ, ipsius Hieronymi amicæ adtribuerunt: quod certe ille non ignorasset, si Virgiliocentones isti ad Probam pertinuissent, neque despexisset ob illius vel solam reverentiam. Scripsit autem Proba Marito Epitaphium, quod sepulchro ejus marmoreo inciſum, Romæ seculo præcedente effossum, atque a Baronio *Annalium* tomo 4 ad annum 395 quo mortuum illum putat, exhibitum. Olybrius autem Probæ Falconiæ filius, Julianæ maritus, atque Demetriadis pater, aliquanto post mortuus est: sane ante captam ab Alarico Romam quod anno 410 contigit. Ita Hieronymus. „Vereor plura dicere ne sanctæ matris vulnus exasperem, & virtutum ejus recordatio, fiat doloris instauratio. Pius Filius, vir amabilis, clemens Dominus, civis affabilis, Consul quidem in pueritia, sed morum bonitate Senator illustrior. Felix morte sua, qui non vidit patriam corruentem: imo felicior sobole, qui Demetriadis proaviæ nobilitatem insigniorem reddidit, Demetriadis filiæ perpetua castitate.“ Ultimus opinor filiorum, paucis post Romam anno 410 a Africanis captam & Barbaris, extinctus est mensibus: quam æquissimo animo sustulisse filii orbitatem testatus est Hieronymus. Neque id solum, sed Probam vere probitatem suam ostendisse Barbaris etiam venerabilem, dum Monachæ bona sibi comparantibus ex aliorum calamitate vilibus, ipsa comparatas venderet ut egentibus auxiliaretur, possessiones. Proba „illa omnium dignitatum, & cunctæ nobilitatis „in orbe Romano nomen illustrius: cujus sanctitas & in universos effusa bonitas, etiam apud „barbaros venerabilis fuit. Quam trium Liberorum Probini, Olibrii & Probi, non fatiga„runt ordinarii Consulatus: & cum incensis direptisque omnibus in Vrbe captivitas sit: nunc „habitas venundare dicitur possessiones, & face„re sibi amicos de iniquo mammona, qui se re„cipiant in æterna tabernacula: ut erubescat „omnis Ecclesiastici Ministerii gradus, & cassa „nomina Monachorum emere prædia, tanta no„bilitate vendente. „Vix barbarorum effuge„rat manus, & avulsas de complexu suo Virgi„nes fleverat: cum subito, intolerabili, quod nun„quam timuerat, amantissimi filii (Probi nempe) „orbitate percutitur. Et quasi futura Virgi„nis Christi avia, spe futurorum mortiferum „vulnus excepit: probans in se verum esse „quod in lyrico carmine super Justi præconio „dicitur: Si fractus illabatur orbis, impavidum „ferient ruinæ.“ Post captam autem anno 410 ab Alarico Romam, Proba cum Juliana nuru, ac nepte Demetriade in Africam trajecit: quæ quonam anno mortua sit, incertum est.

Idcirco autem inter Ecclesiasticos viros positam ait Isidorus Lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 5. *Quod in Laudibus Christi versata sit.* Sigebertus quoque Lib. de Viris illustribus cap. 52 ait *Centonem de Mundi Fabrica & Evangelio plenissime* expressisse. Cujus & meminit Sixtus Senensis Lib. 4. *Bibliotheca Sancta* pag. 293. Antonius Possevinus tomo 2 *Apparatus Sacri*, verbo Proba Falconia. Et in *Selecta bibliotheca* Lib. 16 editionis Venetæ 1602 apud Societatem Venetam, & Colonensis 1608 per authorem auctæ, apud Joannem Gymnicum.

MARCUS Ἀσκητὴς sive *Exercitator* dictus est, inter Monachos Nitrienses solitariam vitam ducens atque sub Imperatore Theodosio seniore vivens, jam centenarius visitatus est a Palladio, qui illius meminit *Historiæ Lausiacæ* cap. 20 & 21. Dictum illum ἀσκητὴν opinor, quod conscribendis potissimum Opusculis ad vitæ Ascetiçæ perfectionem tendentibus occupatus sit, quorum multa usque ad tempora Nicephori Callisti posteris relicta, fuisse constat. Insignem illius mentionem facit Sozomenus Lib. 6. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 29. *Per idem tempus, celebris*

cum diu manſiſſet, atque ſub cura & regimine Innocentii Abbatis per triennium integrum: anno tandem 400 vel 401 a Palæſtina Bithyniam veniens, Epiſcopus Helenopolitanus electus eſt. Hic anno Chriſti 421 ætatis 53. Epiſcopatus 20 vitæ ſolitariæ 33 poſt luſtratam & pedibus calcatam Eremum, ſcripſit Græce *Hiſtoriam Lauſiacam* (ſic autem dicta, quod ad Lauſum virum illuſtrem & ſacro Cubiculo Præfectum, ſcripta ſit) quam habes Latine ex veteri interpretatione Rufini editam, cum Notis Heriberti Rosweidi in *Vitis Patrum*, Antuerpiæ in fol. annis 1615 & 1628. Itemque Græce primum cum Notis Joannis Meurſii anno 1616 Lugduni Batauorum in 4. Denique Græce & Latine cum Notis Frontonis Ducæi in *Auctario Græcolatino* Bibliothecæ Veterum Patrum, editionis Pariſienſis 1624 tom. 2 pag. 893. Quia vero in illa Meurſii atque Ducæi editione Græca, multæ lacunæ in Græco textu, ex defectu manuſcripti Codicis unde prodierat, occurrebant: emplaſtrum hinc vulneri adponens Joannes Baptiſta Cotelier, in *Veteribus Græcæ Eccleſiæ Monumentis*, lacunas has complevit tomo 2 pag. 341 qui fragmenta etiam XI ſatis ampla in editis exemplaribus deſiderata, quibus vel hiſtoria augeatur, vel Græcus textus ſuppleatur, Græce & Latine cum Notis edidit, tomo 3 pag. 117 & 158. Suppletus autem Græcus textus, ex MSS. Codd. Græcis variis, Bibliothecæ Regiæ Pariſienſis & Colbertinæ: unde primigenius textus, jam integer prodire poteſt. Opus iſtud Lauſiacum Palladii habetur etiam Græce MS. inter Manuſcriptos Codices Hiſtoricos Græcos *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* num. XXIX ut habet Petrus Lambecius Libro 8 ejusdem Bibliothecæ pag. 312 ubi noſtrum Palladium his graviter perſtringit. „Primus hanc Hiſtoriam ex Græco in Latinam „Sermonem translatam, edidit Gentianus Hervetus Aurelianenſis, Pariſiis anno 1555 in 4. „Græce autem Joannes Meurſius ex Codice „MS. Bibliothecæ Palatinæ Heidelbergenſis, „Lugduni Batavorum typis Elzevirianis anno „1616 itidem in 4. Conjunctim vero Græce ſimul & Latine extat eadem Hiſtoria in Magna „Bibliotheca Veterum Patrum Pariſina anni „1654 in fol. & quidem tomi XIII pag. 893 atque „deinceps usque ad pag. 1055. Nec ſolum in „duabus ſupra memoratis editionibus impreſſis, „verum etiam in duobus Codicibus manuſcriptis Græcis Bibliothecæ Regiæ Pariſinæ adornata & eruditis Frontonis Ducæi Notis illuſtrata: ſed & ab iſta tertia editione, Exemplar „præſens MS. Cæſareum valde diſcrepat: ut ex „ſola ſupra exhibiti principii & finis collatione, „& adjunctis meis marginalibus annotationibus, luculenter apparet. Cæterum qualis iſte „fuerit Palladius, & quod Scripta ejus caute legenda ſint, ſollicite ac recte monet Fronto Ducæus Soc. Jeſu in Prolegomenis ſupra memoratæ Græcolatinæ editionis *Hiſtoriæ Lauſiacæ* in „Magna Bibliotheca Veterum Patrum tomo XIII pag. 893 & 894 his verbis. *Ut probe noſcas Lector, quinam Palladius fuerit, accipe judicia Patrum de ipſo. S. Hieron mus cujus hac in re judicium probat S. Gelaſius I, Præfatione in libros adverſus Pelagianos ait:* Palladius ſervilis nequitiæ, hæreſim Pelagianam reſtaurare conatus eſt. *S. Epiphanius in Epiſtola ad Joannem Hieroſolymitanum ſic inquit:* Palladium vero Galatam, qui quondam nobis charus fuit, & nunc miſericordia Dei indiget, cave: quia Origenis hæreſim prædicat & docet, ne forte aliquos de populo tibi credito, ad perverſitatem ſui inducat erroris. *Hæc Sanctus Epiphanius. At res Palladii geſtas, vafritiem & odium in S. Hieronymum pluribus exponunt Annales Eccleſiaſtici Card. Baronii, tomo V. Ex quibus omnibus diſces, qua fides adhibenda ſit hæretico homini Origeniſtæ & Pelagiano, in his præſertim, quæ de quibusdam ſuis ſimilibus Monachis, eadem fuligine tinctis, in hoc Opere prodit: ac maxime verendum, ne aliquos pro Sanctis venditet, qui fuerunt Origeniſtæ & Pelagiani. Sagaci conjectura ſuis locis in Opere, quosdam iſtius furfuris indicabimus. Ut magis autem faciem & intima Palladii introſpiciat, ſcito ipſum fuiſſe diſcipulum Evagrii Ponici, Origeniſtæ hæretici, toties ab Eccleſia damnati, de quo plura annotavimus initio Libri Evagrii. Hoc de ſe teſtatur Palladius in hac Lauſiaca, cum ait:* Reſpondi me eſſe peregrinum & de Galatiæ partibus venire, & unum ex Evagrii fratribus eſſe confeſſus ſum. *Idem affirmarunt Socrates Lib. 4 cap. 18 & Nicephorus Calliſtus Lib. 11. cap. 44 ut nihil mirum ſit, ſi eodem luto errorum quo Magiſter, tinctus Palladius fuerit. Quocirca, etſi hoc Opus laudarunt Socrates & Nicephorus, ut non imus inficiat multa illi ineſſe utilia & recta: ita certum eſt, illos, qualis Palladius fuerit, non penitus perſpectum habuiſſe.* Hæc Fronto Ducæus in prolegomenis, quæ Palladii laudibus parum conducunt.

Extant præclari & multi MSS. Codices hujus *Hiſtoriæ Lauſiacæ* in Anglicanis bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Oxonii in Anglia bibliothecæ, Codice 277 in MSS. Codicibus Oliverii Cromwelli Codice 98 num. 24 *Vitæ & res geſtæ Patrum quorundam* ſeu *Hiſtoria Palladii Lauſiaca* a pag. 325 ad 385. Inter Manuſcriptos Codices Eccleſiarum Cathedralium Angliæ & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 3426 in MSS. Codicibus bibliothecæ Norfolcianæ Codice 527 num. 1 *Palladii hiſtoria ad Lauſum.* Et ibidem Codice 3452 in MSS. Codicibus iisdem Norfolcianis Codice 553 num. 2 *Palladii hiſtoria ad Lauſum.* Et ibidem Codice 5951 in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 117 *Palladii liber de gentibus India & de Bracmanibus*, collatus cum Manuſcriptis aliis. In noſtra denique Lugdunobatava celebri bibliotheca, inter MSS. Codices ab hæredibus Iſaaci Voſſii emptos, Codice Græco 24 *Palladii hiſtoria Lauſiaca*, triplo fere amplior editione Meurſii, cum aliis multis de Eremitarum vita in Ægypto.

Idem ſcripſiſſe dicitur Tractatum *de Gentibus Judæa & Brachmanibus* quem anno 1665

Græce & Latine Londini in 4 edidit Eduardus Biſſæus, nobilis Anglus. At vix mihi perſuadere poſſum, hunc Tractatum authorem habere Palladium noſtrum. Ex ipſo opere nihil certi peti poteſt, niſi quod a Chriſtiano & florente adhuc Romano Imperio ſcriptus fuerit. Meminit quidem Moſis cujusdam Adulenorum Epiſcopi, itineris ſui ad Indiæ ingreſſum comitis: quem ſuſpicari aliquis poſſit eundem eſſe cum Moſe Saracenorum Epiſcopo, qui circa annum 370 floruit, cujus ſplendide mentionem faciunt Socrates Lib. 4 *Hiſtoriæ* cap. 36 & Sozomenus Lib. 6 cap. 38. ſed hoc ipſum quod de Moſe itineris ad *Indiam* ſocio legitur, Palladium Helenopolitanum Epiſcopum ab hujus Opuſculi productione removet: nam quo tempore florebat ille Moſes anno nimirum circiter 370 vix triennis erat Palladius noſter, qui anno ætatis 20 Chriſti 388 (ut ipſe inquit) ad Monachos Ægypti & Palæſtinæ ſe contulit. Ab hoc autem tempore usque ad annum ætatis 53 Chriſti 421 neque vel minimum indicium apparet, Palladium Galatam in *Indiam* perrexiſſe: multo minus ibidem per annos plures commoratum eſſe, ut Gentis illius ac *Brachmanum* mores ſingulari Opuſculo deſcriberet. Quisquis igitur attente conſiderabit vitam Palladii noſtri usque ad annum ætatis 53 quam in Præfatione *Hiſtoriæ Lauſiacæ* refert, atque ſub initium ejusdem Hiſtoriæ, nullo negotio fatebitur, authorem *Hiſtoriæ Lauſiacæ* atque Tractatus *de Gentibus India & Brachmanibus*, unum & eundem eſſe non poſſe. Opus autem Palladii inſcriptum *Hiſtoria Lauſiaca*, olim Romæ MS. in Bibliotheca Sfortiana, in claſſe *Hiſtoricorum* num. 93. & Tractatus *de Gentibus India & Brachmanibus*, ibidem in claſſe *Theologorum* num. 106. Eadem autem *Hiſtoria Lauſiaca* MS. in Bibliotheca Galliarum Regia Cod. MS. 2466 & tribus aliis Colbertinis, ut habet Cotelerius, loco citato. Eadem *Hiſtoria Lauſiaca Palladii cum Hiſtoria Brachmanum* MS. Græce in Codice 973 Bibliothecæ Colbertinæ extat. Adſcribunt quoque nonnulli Palladio Helenopolitano Epiſcopo *Vitam Sancti Joannis Chryſoſtomi*, quam habes Latine tantum inter ejus Opera Græcolatina ſub ſecundi voluminis initium, per modum Dialogi inter Epiſcopum & Theodorum ſcriptam, unde quidam Theodoro iſtam attribuerant. Verum eandem Græce & Latine ex MS. Codice Bibliothecæ Florentinæ, quo olim in interpretatione ſua Ambroſius Camaldulenſis uſus fuerat, edidit Emericus Bigot Rothomagenſis, vir eruditus, Pariſiis 1680 in 4 apud viduam Edmundi Martini. Nullam vero præfationem omiſit, ut perperam in *Supplemento* Bellarmini pag. 67 ſcripſeram: ſed quam Ambroſius Camaldulenſis proprio marte Opuſculo affinxerat, Bigotius fidem Manuſcripti Codicis ſecutus, reſcidit. Ideoque ſi quod malæ fidei crimen, illud Bigotio imputandum non eſt, ſed Ambroſio Camaldulenſi Monacho, qui & prologum adjeciſſe, & vitæ interdum aliqua addidiſſe accuſatur: cujus verſio Eugenio IV nuncupata Venetiis ſeorſim prodiit anno 1533 in 8. poſteaque cum Chryſoſtomi Operibus, Pariſiis & alibi ſæpius recuſa eſt. Omiſit quidem Bigotius in Editione ſua, vel potius ſuadentibus Sorbonicis quibusdam Doctoribus, ſuppreſſit ad calcem Palladii impreſſam, *Epiſtolam Sancti Joannis Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum*: ſed quæ ad vitæ Chryſoſtomi integritatem nihil conferat, prorſusque aliena ſit ab illo Palladii Dialogo. De Suppreſſione hujus *Epiſtolæ S. Chryſoſtomi ad Cæſarium Monachum* conqueruntur Ballietus in *Judiciis Sapientum* tom. 3 pag. 553. Author Reipublicæ Literariæ ad annum 1685 pag. 594 quos videas. Plura docebit hac de re, *S. Anaſtaſii Sinaitæ Anagogicarum Contemplationum in Hexaemeron Liber XI hactenus deſideratus*: quem edidit Petrus Allix Londini Græce & Latine in 4. 1682. cui præmiſſa eſt Expoſtulatio *De S. Joannis Chryſoſtomi Epiſtola ad Cæſarium Monachum adverſus Apollinaris hæreſim, a Pariſienſibus aliquot Theologis non ita pridem ſuppreſſa.* De Dialogi hujus authore (inquit Cavus in *Hiſtoria Literaria* ſeculo V pag. 287) multa inter Eruditos lis eſt. Palladium fuiſſe Hiſtoriæ Lauſiacæ authorem, communis eſt Scriptorum ſententia: quod tamen alii in dubium vocant, alii plane negant. Palmarium negantium argumentum eſt, quod in Dialogo Palladius ſe tunc primum Romam vidiſſe fateatur: Palladium vero Helenopolitanum ibi aliquot ante annis commoratum fuiſſe affirmet. Cui tamen reſponderi poteſt, Dialogi authorem data opera nomen ac perſonam ſuam (quod aliunde etiam patet) diſſimulantem: Locum priorem Operi ſuo eo fine interuiſſe, ut eo melius lateret. Aut hoc dicendum erit, aut neceſſe eſt, ut cum Cl. Bigotio alium fuiſſe Palladium ſtatuamus, qui priori Aſpunam translato in ſede Helenopolitana ſuccеſſerit: iſtumque demum eſſe, qui cum Theodoro Dialogum Romæ habuerit. Interim notatu non indignum, Hiſtoriæ Lauſiacæ Scriptorem, Olympiadi Chryſoſtomi Diaconiſſæ perquam familiarem, ac Chryſoſtomi calamitatum participem fuiſſe: & ob ejus cauſam Romam demum profectum eſſe, ut ipſe teſtatur *Hiſtoria Lauſiaca* capp. 144. 43 & 121. Quid quod non modo Georgius Alexandrinus & ex eo Photius Dialogi conditorem Palladium vocat: non modo Dialogi Codicis Græci titulus, & indiculus Savillianus, hunc Epiſcopum fuiſſe Helenopolitanum teſtantur, ut recte notat idem Bigotius: Sed & Theodorus Trimithuntis in Cypro Epiſcopus, unum eundemque *Hiſtoriæ Lauſiacæ & Dialogi* Scriptorem, Palladium diſerte facit. Verum omnia doctiorum placitis lubens ſubmitto. Hæc Cavus in quam ſe verteret partem incertus, quas quoque rationes non diſſimulat Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 5 tomo 3 pag. 92 in Palladio. Verum his tribus con-

conjecturis in gratiam Palladii Helenopolitani allatis a Cavo,& aliis: alias tres conjecturas affert,quæ allatis graviores esse videntur, atque Helenopolitanum hunc Palladium ab hujus Dialogi partu excludere,cum Emerico Bigotio. Nam 1. Author Vitæ Sancti Chrysostomi loquitur de itinere Palladii Helenopolitani Romam, quasi longe præcesserit propriam profectionem suam. 2. Supponit se scribere hujus Vitæ Dialogum, eo tempore quo Palladius Helenopolitanus Episcopus, in Oriente captivus tenebatur. 3. Tandem Palladius Helenopolitanus tempore mortis Chrysostomi annos tantum XXXIX natus erat, a sexennio tantum Episcopus: cum tamen author hujus Dialogi Theodorum introducat, de se tanquam de veteri Episcopo loquentem. Hæ sunt rationes quibus motus Bigotius, authorem *Dialogi vitæ Chrysostomi*, alium a Palladio Helenopolitano Episcopo opinatus est: quas conjecturis in contrarium allatis validiores arbitror. Opinatus est olim Joannes Sambucus *Dialogum de Vita Chrysostomi a Palladio* conscriptum, extare Græce MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi: quo Sambuci errore Antonius Possevinus deceptus in Catalogo MSS. Codicum Theologicorum hujus Bibliothecæ, qui *Apparatui sacro* ejus subjunctus est. Hoc notat egregie Lambecius Lib. 8 seu tomo *Bibliothecæ Cæsareæ* pag. 297 dum Codicem MS. Historicum Græcum XXVI examinat. In hoc enim Codice Vita quidem S. Joannis Chrysostomi continetur, sed ab Anonymo scripta, non a Palladio. Hujus mentionem faciunt ex Veteribus, Epiphanius Epistola *ad Joannem Hierosolymitanum*, quæ est 60 inter Epistolas D. Hieronymi. Hieronymus in Proœmio Libri *adversus Pelagianos*, ad Ctesiphontem. Gelasius I Papa, Præfatione in librum *Adversus Pelagianos*. Socrates Lib. 4 *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 23 ubi hujus *Historiæ Lausiacæ* meminit. Sozomenus Lib. 7 *Historiæ* cap. 36 cum aliis qui ab una sede Episcopali ad aliam migrarunt, Palladium Helenopoli Aspunam translatum enumerans. Cassiodorus Lib. 8 *Historiæ Tripartitæ* cap. 1. Joannes Damascenus,vel Author quivis anonymus,*de iis qui in fide dormierunt*. Ex recentioribus post Labbeum, Gerardus Joannes Vossius in Opere *de Historicis Græcis*. Heribertus Rosweidus in Prolegomenis & Notis ad Vitas Patrum. Emericus Bigotius, in editionis *Vitæ Chrysostomi* sub Palladii nomine, Præludiis, ut supra monuimus.

SEC. V. 401

SEVERVS SVLPITIVS natione Gallus, patria Aquitanus, quemadmodum ipse fatetur Dialogo I cap. 20. Phœbadii Agennensis Episcopi discipulus,ut fatetur ipse Lib. *Historiæ sacræ* 2 ubi Phœbadium Agennensem,Episcopum suum vocat. Alii appellat *Severum Sulpitium*, alii *Sulpitium Severum*. Gennadius in Opere *de Viris illustribus* cap. 19 vult Severum fuisse cognomento *Sulpitium*, cui suffragatur Gregorius Turonensis Episcopus tum lib. 10 *Historiæ Francorum* cap. 31 tum Lib. 1 *de Vita S. Martini* cap. 1 qui eum more nostro *Severum Sulpitium* appellat: quamvis in Epistolis ipse *Sulpitium Severum* se inscribat, quod Antiquis non insuetum, ut nomini pronomen præmitterent. Plerique Veterum,*Severum* eum duntaxat, suppresso cognomine appellitant. Claruit ille tum nobilitate tum eloquentia,quam libri ab eo scripti insigni stylo,testantur. Quantum autem Severus Sulpitius necessitudinis,Christianæque amicitiæ cum Paulino viro illustri ac postea Nolæ Episcopo contraxerit: quantis ab eo titulis vicissim honoratus sit: luce meridiana clarius constat, ex Epistolis Paulini Episcopi sexdecim ad Severum Sulpitium, qui inter Opera Paulini volvuntur. Fuisse illum Monachum nonnulli,sed perperam scribunt: nam qui de conversione ipsius splendide loquitur Paulinus,de Monachatu ab eo suscepto ne Syllabã quidem habet: imo e contra Severo Sulpitio aggratulatur Paulinus, quod ille præstantissimis Tullii orationibus,gloriam Christi ac Peccatorum prædicationes prætulerit: quod certe his temporibus Monachorum officio non competiit. Dictus Primuliacensis Presbyter, quod oppidi hujus cura ei demandata fuerit ab Episcopo, ad erudiendam plebem concionibus sacris: professione a Monachis lugentibus ac latitantibus, multum aliena. De Scriptis ejus insignem facit mentionem Gennadius in Libro *de Viris illustribus* cap. 19 his verbis. Severus Presbyter,« cognomento Sulpitius,Aquitanicæ provinciæ,« vir genere & literis nobilis,& paupertatis atque humilitatis amore conspicuus, charus etiam Sanctorum virorum Martini Turonensis« Episcopi,& Paulini Nolani, scripsit non contemnenda Opuscula. Nam Epistolas ad amorem Dei & contemptum mundi exhortatorias,« scripsit sorori suæ multas, quæ & notæ sunt.« Scripsit & ad supradictum Paulinum Nolanum« duas,& ad alios alias. Sed quia in aliquibus« etiam familiaris necessitas inserta est, non digeruntur. Composuit & Chronica. Scripsit &« ad multorum profectum, Vitam beati Martini« Monachi & Episcopi, signis & prodigiis & virtutibus illustris viri. Et Collationem Post-« humiani & Galli se mediante & indice,de conversatione Monachorum Orientalium & ipsi-« us Martini,habitam in Dialogi specie, duabus« incisionibus comprehendit: in quarum priore« refert,suo tempore apud Alexandrinam Syno-« dum Episcoporum decretum esse: Origenem« & cautius a sapientibus pro bonis legendum,&« a minus capacibus pro malis repudiandum.« Hic in senectute sua a Pelagianis deceptus, &« agnoscens loquacitatis culpam, silentium us-« que ad mortem tenuit: ut peccatum quod« loquendo contraxerat,tacendo penitus emen-« daret.« Hæc Gennadius. Stylus Severo Sulpitio elegans facilisque,& longe supra seculi sui genium tersus & politus, unde etiam apud Scaligerum, purissimus Ecclesiasticorum scriptor audit: inquit Cavus. Sed quantum nitore

atque eloquentia Latina Severus valuit, tantum nimia credulitate atque importuna miraculorum in Vitam ſancti Martini intruſione deſpiciendus venit, qui omnia nullo delectu quæcunque de Magiſtro diſſeminata ſunt, ſcripto nimium credulus mandavit. In Dialogis quoque ſuis imbutum ſe Millenariorum errore oſtendit, ut obſervavit Hieronymus Commentario in *Ezechielem* cap. 36 ubi eum primariis Millenii propugnatoribus accenſet: quam ob cauſam illos damnavit Gelaſius Papa, in Decreto anni 494. De editionibus Operum ejus abunde agunt Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* tomo 3 ſeculo 5 pag. mihi 146 Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ ad annum 401 pag. 284 quos vide. Hujus Operibus ſæpius impreſſis cum Notis etiam & Commentariis diverſis, addiderunt hoc ſeculo *duas inſignes Epiſtolas ad ſororem* ſuam Stephanus Baluzius tomo 1 *Miſcellaneorum* ſuorum p. 329. Itemque *alias quinque* non ignobiles Lucas Dacherius, ex MS. Codice evulgatas tomo 5 *Spicilegii* pag. 532. Magnum veteris ac venerandi Scriptoris ſupplementum, de cujus laudibus & ſcriptis præter Elliam du Pin & Cavum allatos, abunde agunt Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus in Opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Antonius Poſſevinus tom. 2 *Apparatus ſacri*. Errant autem eximie, qui eum Epiſcopum fuiſſe volunt, confundentes temere Severum Sulpitium Primulavienſem Presbyterum anno circiter 400 celebrem, cum Sulpitio Severo XXVII Bituricenſi Epiſcopo, qui ſub ſeculi ſexti finem extinctus eſt.

401 PELAGIVS natione Scotus, ſaltem ex majori Britannia oriundus fuit ex Oroſio in *Apologetico* & ſancto Auguſtino Epiſtola 106 ad Paulinum, ubi eum Britonem cognominatum eſſe ait, ut a Pelagio Tarentino diſtingueretur. Idem ex Proſpero ſub carminis de *Ingratis* initium conſtat, ubi *Britannum colubrum* Pelagium vocat: qui ob Gentis utriusque viciniam, nam Britanni etiam Scoti olim dicebantur, a Sancto Hieronymo *Scotus* dicitur & *Scotorum pultibus pregravatus*, præfatione Libri 1 in *Jeremiam*. Ex Sancto Auguſtino Libro *de Geſtis Pelagii* cap. 25 & Lib. *de Hæreſibus* cap. 88 Monachus dicitur, non tamen ex eo genere Monachorum, qui vel Cœnobiticam in Monaſteriis vel Eremiticam in ſolitudinibus vitam degunt: ſed ex iis duntaxat hominibus, qui ſingulari ſecularium contemptu Religioſam in ſuis ædibus vitam agebant, & modeſtiori corporis habitu atque indumento, ſeculi deſpectum palam profitebantur. Vnde ſanctus Auguſtinus ipſum non ſimpliciter *Monachum*, ſed *veluti Monachum* appellat. Nullibi quod Ordines ſacros ſuſceperit legimus, imo ipſum Zozimus Pontifex *virum Laicum* Epiſtola ad Aurelium vocat, & ſanctus Auguſtinus Lib. *de Geſtis Pelagii* cap. citato, Presbyterum vel Clericum fuiſſe negat. Neutiquam confundendus (ut Baronius, Voſſius, Vſſerius & Cavus ſecerunt) cum alio ejusdem nominis Monacho, cujus defectionem a fide, pravosque mores arguit S. Joannes Chryſoſtomus Epiſtola 16 ad Olympiadem. Vt enim Doctiſſimus obſervat Petavius Libro *de Pelagianorum & Semipelagianorum Hiſtoria*, hæc Epiſtola a S. Chryſoſtomo exule circa annum 405 ſcripta eſt, quo etſi interius concepta eſſet a Pelagio hæreſis, nondum tamen palam eruperat ad Eccleſiæ ſcandalum, maxime apud Orientem. Imo tunc Pelagius magnum ſanctimoniæ nomen ſuſtinebat, ut ſanctus Auguſtinus teſtatur, qui Libro *de peccatorum meritis & remiſſione* cap. 1 quem anno 413 contra ipſius doctrinam ſcripſit, eum *Sanctum* vocat: poſt damnatum nempe anno 412 in Concilio Carthaginenſi Celeſtium, qui ante Pelagium perverſæ doctrinæ virus ſparſerat. Anno 412 in Collatione Catholicos inter & Donatiſtas Carthagine habita, illum præſentem ſe vidiſſe teſtatur Auguſtinus, Libro *de Geſtis Pelagii* cap. 22. Intelligens doctrinam ſuam pervorſam anno 412 in Celeſtio diſcipulo damnatam, contra quam etiam Auguſtinus anno 413 Librum *de peccatorum meritis & remiſſione* ſcripſit: anno eodem 412 Ægyptum profectus eſt Monaſteria illic poſita inviſurus, atque ex Ægypto in Palæſtinam tranſiit, ut patronos vitæ ſanctimonia celebres, Anachoretas illos clariſſimos, libero arbitrio humanisque actibus plurimum tribuentes, pravæ doctrinæ patronos arceſſeret. Nec fruſtra, anno enim 415 accuſante ipſum apud Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum Oroſio, veteratoriis artibus gratiam inivit, & Synodi Dioſpolitanæ Patribus impoſuit. Nam objecta ſibi ab Oroſio hæreſeos capita partim negando, partim emolliendo, Synodi cenſuram evaſit, dignusque Catholica communione renuntiatus eſt. Tandem Pelagius poſt multas tergiverſationes atque vana ſubterfugia ab Innocentio Papa 1 anno 417 menſe Januario, una cum Celeſtio, Eccleſiaſtica communione privatus eſt. Eosdem anno 418 Zozimus Innocentii in Pontificatu ſucceſſor damnavit, quos Edicto quoque ſuo Honorius Imperator percuſſit. Africani demum Epiſcopi, accepto Zozimi decreto, in plenaria Synodo Epiſcoporum CCXIV Carthagine congregata, ut ſcribit Proſper in Chronico, Canones octo adverſus Pelagianam hæreſim condiderunt, qui Milevitanæ in Numidia Synodo per errorem attribuuntur.

Scripſit Pelagius *Commentarium in Epiſtolas Sancti Pauli*, quem habes tomo 8 Operum Sancti Hieronymi, & quem nonnulli ſancto Doctori perperam adſcripſerant. Conſtat autem eſſe Pelagii, tam ex Auguſtino, qui variis locis illum Pelagio attribuit: quam ex Commonitorio Marii Mercatoris cap. 2 authoris ſynchroni, quod tomo 2 Conciliorum pag. 1512 legitur, atque inter ipſa Marii Mercatoris Opera. Ex Authore *Prædeſtinati* hæreſi 88 & Caſſiodoro Libro *Divinarum Lectionum* cap. 8. Idem *Epiſtolam*

lam ad Demetriadem Virginem dedit, ſæpius impreſſam tomo 9 eorundem Operum S. Hieronymi, atque etiam poſt Epiſtolas Sancti Auguſtini: anno 413 ſcriptam, quæ incipit, *Si ſummo ingenio &c.* Denique *Libellum fidei ad Innocentium Papam* una cum Literis anno 417 miſſum, quem habes tomo 2 Conciliorum pag. 1563. Hæc de Pelagii Scriptis ad nos usque permanentibus, cæteris omiſſis: qui circa annum 418 mortuus creditur. Quæ compendio dicta ſint. Qui plura voluerit, legat Dionyſium Petavium Libro *de Hiſtoria Pelagianorum & Semipelagianorum* inter Theologica Dogmata, quæ Pariſiis 1644 tomis 5 in fol. impreſſa ſunt. Gerardi Joannis Voſſii *Hiſtoriam Pelagianam* Amſtelodami 1655 impreſſam. Vſſerium Archiepiſcopum Armachanum, de eodem argumento. Henricum de Noris, Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini, qui omnes amplis doctisque voluminibus ea de re ſcripſerunt. Plurima etiam *de Pelagii & Celeſtii doctrina, moribus, condemnatione, diſcipulis & impugnatoribus*, Natalis Alexander Ordinis fratrum Prædicatorum, in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus*, ſeculo V tom. 1 Cap. 3 articulis decem a pag. 57 ad 271 quem conſulas.

410 PONTIVS MEROPIVS PAVLINVS, ex Senatoribus tum paterno tum materno genere Romanis, Burdigalæ in Aquitania anno Chriſti 353 exeunte vel ineunte 354 Patre Paulino natus, ſub Decio Auſonio Rhetoricis ſimul atque Poëticis diſciplinis inſtitutus fuit. Tantis animi dotibus ac diſciplinarum elegantia inſtructus fuit, ut Conſulis honorem, licet non ordinarii, anno Chriſti 375 ætatis circiter 22 aſſecutus ſit. Cum ampliſſimis ditaretur tum poſſeſſionibus cum pecuniis, Theraſiam pariter locupletem atque honeſtam duxit uxorem, cujus exhortationibus, Sanctorumque Epiſcoporum & Presbyterorum inſtantiis anno exeunte 389 ad Chriſtum converſus eſt, anno 36 ætatis, a Delphino Burdegalenſi Epiſcopo ſacris baptiſmi renatus aquis. Ante annum 390 ſeu ſub exeuntis 389 finem, baptiſmo ſuſcepto in Hiſpaniam cum piiſſima conjuge Theraſia ſeceſſit, ubi completos 4 commoratus annos, filiũ interim ex ea ſuſcipit, qui Compluti ſub octavum ab ortu diem defunctus, terræ mandatus eſt. Inde Paulinus totum ſe Deo dicat & conſecrat, venditis prædiis, ac ingentibus pecuniarum ſummis in pauperes erogatis, anno 392 Monaſticam vitam amplectitur. Tum exeunte 393 Barcinone facto multitudinis impetu, a Lampio Presbyter anno ætatis 40 invitus licet, die Dominica Nativitatis Chriſti, ordinatur. Anno 394 ex Hiſpania in Italiam venit, & Florentiæ peramanter ab Ambroſio exceptus eſt, qui illum Clero ſuo adſcribere voluit: ut ſi quando diverſis in locis degeret, Mediolanenſis tamen Eccleſiæ Presbyter ubique cenſeretur. Hinc Romam ſe contulit, ad quam dum honorifice admiſſus eſt a Populo & Proceribus vrbis, contra ſe Siricii Papæ atque quorumdam Eccleſiæ Romanæ Clericorum invidiam ſenſit: quamobrem paucis poſt diebus Nolam ſe recipit, ubi una cum conjuge conſiſtit. In morbum anno 395 incidit, qui ab Africæ & Campaniæ Epiſcopis, Clericis & Monachis, (multa enim adhuc poſſidebat) inviſitur. Sanctiſſimo Capuanæ Eccleſiæ Presbytero Baſilio magna vi ereptam domum, reſtitui impetrat. In Paulini gratiam anno 399 ſcribit Anaſtaſius Papa, ad Epiſcopos Campaniæ: eodemque tempore gravi & diutino morbo laborat Paulinus. Anno 402 a Niceta Dacorum Epiſcopo & a Melania ſeniore inviſitur, anno 403 Baſilicas Nolæ ædificat, itemque fundis Eccleſiam conſtrui jubet. Ipſius fratre mortuo, exeunte anno 409 Paulinus ætatis anno 56 Nolæ creatur Epiſcopus. Capta a Gothis anno 410 urbe Nola, nihil mali Paulino illatum eſt: imo apud eum ut ad aſylum ſe recipiunt Paulini duo, unus Presbyter, alter Laïcus. Ad Synodum Ravennam anno 419 ab Imperatore invitatur, ut Eccleſiæ Romanæ ſchiſma componat. Anno 431 menſe Junio graviſſimo laterum dolore correptus, triduo ante obitum a duobus Epiſcopis inviſitur, cum quibus Deo laudis ſacrificium offert ante lectulum ſuum. Extorres a ſacris Myſteriis ad Eccleſiæ communionem revocat, poſtridie cum ſuis matutinum perſolvit officium: tum omnibus Eccleſiæ ſuæ Clericis pace data, circa decimam noctis horam cubiculum in quo jacebat, motu terræ concutitur: ac paulo poſt animam Deo reddidit anno Chriſti 431 die 22 Junii, anno 78 ætatis. Vultus ejus totumque corpus niveo candore reſplenduit, cujus ad exequias demortui, Pagani & Judæi ingenti fletu ſciſſisque veſtibus, cum Chriſtianis convenerunt. Nolæ autem in ſancti Felicis, quem ſummis celebrarat laudibus, Baſilica ſepultus, anno ſequenti 432 ad Cœlos ſanctum Joannem Neapolitanum Epiſcopum ſecum advocavit. Hanc Vitæ Epitomen ex nupera Operum Divi Paulini editione mutuatam, verbotenus huc transtulimus.

Quantum Hieronymus Paulinum faceret, abunde teſtatur his verbis, in Epiſtola ad Julianum. *Nec eſt quod excuſes nobilitatem & divitiarum pondera. Reſpice ſanctum virum Pammachium, & ferventiſſima fidei Paulinum Presbyterum, qui non ſolum divitias, ſed ſeipſos Domino obtulerunt. Qui contra diaboli tergiverſationes, nequaquam pellem pro pelle, ſed carnes & oſſa & animas ſuas Domino conſecraruns. Qui te exemplo & eloquio, id eſt, & opere & lingua poſſunt ad majora perducere. Nobilis es, & illi: ſed in Chriſto nobiliores. Dives & honoratus, & illi: imo ex divitibus & honoratis pauperes & inglorii, & idcirco ditiores & magis inclyti, quia pro Chriſto pauperes & inhonorati. Et tu quidem bene facis, quod Sanctorum dicaris uſibus miniſtrare, fovere Monachos, Eccleſiis offerre quamplurima: ſed hæc rudimenta ſunt militiæ tuæ.* De Scriptis ejus plene Gennadius libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 48 his verbis: Paulinus Nolæ Campaniæ Epiſcopus, compoſuit ver-

„versu brevia, sed multa. Et ad Celsum quen„dam epitaphii vice consolatorium libellum, su„per morte Christiani & baptizati infantis, spe „Christiana munitum: & ad Generum plures „Epistolas. Ad Theodosium Imperatorem, an„te Episcopatum, prosa Panegyricum super vi„ctoria tyrannorum: eo maxime, quod fide & „oratione, plusquam armis vicerit. Fecit & „Sacramentarium & Hymnarium. Ad Soro„rem quoque Epistolas multas de contemptu „mundi dedit, & de diversis causis disputatione „diversa tractatus edidit. Præcipuus tamen o„mnium Opusculorum ejus, est liber de poeni„tentia & de laude generali omnium martyrum. „Claruit temporibus Honorii & Valentiniani, „non solum eruditione & sanctitate vitæ, sed & „potentia adversus dæmones. Hæc Gennadius. Interciderunt Opuscula quæ Paulini maxime a Gennadio laudantur *Liber de poenitentia & de laude generali omnium Martyrum cum Sacramento & Hymnario*, atque *Panegyrico in Theodosii Imperatoris laudem*, quem eximie laudat Hieronymus in Epistola ad ipsum Paulinum. „Librum tuum quem pro Theodosio principe „prudenter ornateque compositum transmisi„sti, libenter legi, & præcipue mihi in eo subdivi„sio placuit. Cumque in primis partibus vin„cas alios, in penultimis teipsum superas. Sed „& ipsum genus eloquii pressum est, & nitidum: „& cum Tulliana luceat puritate, crebrum est „in sententiis. Jacet enim (ut quidam ait) Ora„tio, in qua tantum verba laudantur. Præter„ea magna est rerum consequentia, & alterum „pendet ex altero. Quidquid assumpseris, vel „finis superiorum, vel initium sequentium est. „Felix Theodosius, qui a tali Christi oratore de„fenditur. Illustrasti purpuras ejus, & utilita„tem legum futuris seculis consecrasti. Macte „virtute, qui talia habes rudimenta, qualis exer„citatus miles eris? O si mihi liceret istiusmodi „ingenium, non per Aonios montes & Heliconis „vertices, ut poëtæ canunt: sed per Sion & Ita„birium, & Sina excelsa ducere. Si contingeret „docere quæ didici, & quasi per manus mysteria „tradere Scripturarum: nasceretur nobis ali„quid, quod docta Græcia non haberet. Audi „ergo mi conserve, amice, germane, ausculta „paulisper, quo in Scripturis sanctis calce gra„diaris. Totum quod legimus in Divinis Li„bris, nitet quidem & fulget etiam in cortice, sed „dulcius in medulla est. Qui edere vult nu„cleum, frangat nucem.„ Hæc Hieronymus, quibus & Paulini panegyricum eximie laudat, & ad lectionem Scripturarum authorem hortatur.

De Scriptis Paulini abunde loquuntur Bellarminus & Labbeus in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*: ego diversas tantum illorum editiones breviter attingam. *Editio prima* Operum S. Paulini prodiit Lutetiæ Parisiorum anno 1516 typis Jodoci Badii Ascentii, in multis lacera, mutila in nonnullis, atque etiam ab ipso Badio censore depravata. *Secunda* est editio Henrici Gravii Ordinis Fratrum Prædicatorum, qui anno 1560 Coloniæ sub prælo Choliniano Paulini Opera multis mendis repurgavit ex veteribus MSS. Exemplaribus. Inde *tertia* prodiit Basileæ anno 1569 inter Orthodoxographos a Joanne Jacobo Grinæo collectos, quæ ex Manuscriptis post priores editiones expressa videtur. *Quartam* cum MS. Codice collatam immisit Andreas Schottus Jesuita in Coloniensem Bibliothecæ Patrum editionem anni 1618. *Quintam* & postremam editionem anno 1622 Antverpiæ curavit, typisque Plantinianis commisit Heribertus Rosvveidus Soc. Jesu, vir eruditus, sed multis occupationibus implicatus: cui cum otium non sufficeret, aliorum sæpe studiis & curis uti cogebatur, manumque duntaxat succedaneam Operi imponebat. Illam profecto editionem, Petrus Franciscus Chiffletius vir ejusdem Societatis, accuratam non existimavit: qui ad novam Operum Sancti Paulini editionem procurandam, in suo *Paulino illustrato* multa in medium protulit, quem anno 1662 Divione apud viduam Philiberti Chavancii in 4. edidit. Tandem jam ex prælo novo Opera S. Paulini, in 4 duobus tomis a. 1684 Parisiis apud Joannem Couterot & Ludovicum Gverin evulgata sunt. Collata illa ad MSS. Codices plurimos, Notis ac Lectionibus variantibus illustrata, cura & studio Joannis Baptistæ le Brun eruditi Presbyteri, cujus diligentiæ atque laboribus multum hic debet orbis literatus. Reperio quoque inter *Acta Eruditorum Lipsiæ* Kalendis Februarii anno 1698 pag. 57 & sequentibus *Anecdota quæ ex Ambrosiana Bibliotheca MSS. Codd. nunc primum eruit, Notis ac Disquisitionibus auget Ludovicus Antonius Muratorius, in eadem Bibliotheca Ambrosiani Collegii Doctor*, edita Mediolani typis Josephi Pandulphi Malatestæ 1697 in 4. Porro quemadmodum vetera monumenta restituere utilitatis haud minoris est, quam nova condere: ita non poterit non Eruditorum applausum sibi polliceri Antonius ille Muratorius, postquam scripta quædam antiquiora hactenus tantum non deperditis annumerata e scriniis potissimum Bibliothecæ quæ Mediolani patet, Ambrosianæ eruere, ac Notis suis illustrata, cum doctis communicare instituit. Et hac quidem vice in domo priore, *Poëmata quatuor S. Paulini Episcopi Nolani*, a nemine adhuc, ut innuit, exhibita, publicat, quorum priora tria *Natali S. Felicis* consecrata sunt, ultimum autem *adversus Judæos & Gentiles*, ac hos quidem imprimis directum, eorum numina, variam Philosophiam, & plurimos errores, solide non minus atque eleganter confodit. Singula se reperisse ait in Codice vetustissimo, Venantii Fortunati, Prosperi, Juvenci, Aratoris, aliorumque veterum Christianorum carmina continente, quem nono jam tum seculo characteribus quadratis minutissimis venuste satis scriptum fuisse autumat. Tria igitur priora car-

carminibus istis decem *in Sancti Felicis Natalem* a Paulino effusis, quæ eruditis affatim innotuere, sub undecimi, duodecimi & decimi tertii nomine associat. Dolet autem, in Codice laudato repertum non fuisse decimum quartum, quod ultimum inter hæc poëmata natalitia facit. Minime enim iis assentitur, qui eorum quindecim enumerant, Dungali forsan auctoritate adducti, qui in suo *adversus Claudium Taurinensem tractatu de cultu sacrarum Imaginum*, versus quosdam ex *Natali tum decimo quarto, tum decimo quinto* citavit. Siquidem aut ipsum hunc auctorem, aut librarios eum exscribentes deceptos, & carmina ex Natali decimo quarto allegata in decimum tertium rejicienda, & quæ apud Dungalum ex decimo quinto citentur, ad decimum quartum referenda esse arbitratur: idque & Codicem suum & rerum ordinem evincere ait. Equidem non omni adeo ex parte ignota hactenus Poëmata hæc fuerunt. Nam ex eodem Dungali libro excerpta ex Natali undecimo fragmenta, ex decimo tertio, decimo quarto & decimo quinto exhibentur, & a Frontone Ducæo atque Heriberto Rosweido in editione Operum S. Paulini Antverpiensi anni 1622, & in Bibliothecis Patrum recentioribus, & in novissima Paulini editione Parisiensi anno 1685 a Johanne Baptista le Brun adornata, & a nobis in *Actis* istius anni pag. 482 & sequentibus delineata, exhibentur. Interim optime nihilominus de Paulino Muratorius hic meritus est, dum, quod nemo ante ipsum præstitit, *Poëmata illa integra*, una cum altero *adversus Gentiles* nunc divulgavit, ultimo tantum, sive illud decimum quartum, sive decimum quintum fuerit, excepto.

Sed & hoc præterea suarum duxit esse partium, [illegible] sine Notis suis eadem prodire in lucem [illegible]etur, ac idcirco paginis quibusque hujusmodi subjunxit animadversiones, quæ ad sensum Paulini hinc inde melius noscendum, quicquam conferre posse ipsi visa sunt. Poëmatibus quoque tribus posterioribus peculiaria monita præmisit, quæ de eorum tempore, materia, aliisque ad eadem attinentibus lectorem informant. At ne in his quidem acquievit, sed Dissertationes insuper plures breviores annexuit, in quibus, desumpta ex his Paulini poëmatibus occasione, capita nonnulla ad Historiam Ecclesiasticam spectantia æque ac literariam, illustrare studet. Velut ubi de Turcio Aproniano, de Asterio Turcii istius filio, de Avita ac Eunomia, de Therasia, & aliis a Paulino nominatis disputat: prout & ipsiusmet Paulini dignitates ac res gestas paulo distinctius enarrat. Jam de Sanctorum Protasii & Gervasii inventis ab Ambrosio corporibus, jam de templorum apud veteres Christianos ornatu, & de diurno in iis cereorum usu: de eorumdem sepulchris, votis & votivis oblationibus in Sanctorum venerationem factis: de sanctorum Martyrum natalibus, deque similibus aliis erudite commentatur. Recte etiam Paulinum in Poëmate quod inter hæc quatuor postremum locum obtinet, cœlum inter elementa retulisse, ac ignem omisisse, in Dissertatione integra contendit. Sub finem ex MS. suo Spicilegium ex Operibus S. Paulini deperditis instituit, & pauca quædam verba hinc excerpit. Nec minus Decem poëmata natalitia, ut in editione anni 1622 Plantiniana impressa sistuntur, cum isto comparat, & quæ amissa in hac fuere, exinde supplet. Tomum tandem integrum claudit *Appendix* quæ prolixam Muratorii nostri Dissertationem *de jure antiquo Metropolitæ Mediolanensis in Episcopum Ticinensem* complectitur.

Agunt de Scriptis Paullini, Gvillelmus Cavus in *Historia rei Literariæ* seculo 4 ad annum 393 quoad Presbyteri gradum evectus est ab Eulampio Præsule Barcinonensi, pag. 240. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* seculo V tomo 3 pag. mihi 146. Quod vero narrat Cavus ex Gregorio Magno Lib. 3. *Dialogorum* cap. 1. in Vita Paulini, Episcopum Campania a Gothis vastata, cuncta sua captivis redimendis erogasse: cumque nihil amplius impendendum supereresset, seipsum pro redimendo viduæ cujusdam filio, quem in Africam Vandali captivum abduxerant, illuc profectum in servitutem vicarium obtulisse: Regisque Vandalorum genero sese in mancipium tradidisse. Cum autem ab eo horto excolendo præfectus & quis sit tandem agnitus esset: in Italiam honorifice remissum esse, cunctis ipsi civitatis suæ captivis dono datis, cum plurimis navibus frumento onustis. Hoc inquam stupendum factum Paulini, primus Gregorius Magnus ex auditu incerto scriptis commisit, quod fabulam puriſſimam olet, dignam sane modico Gregorii Magni judicio. Nam Vranius qui Vitam Paulini scripsit, tam ingens atque insolitum factum haud omisisset, de quo tamen silet, ipse Discipulus, qui morienti adfuit. Nec idoneus Gregorius, longe a Paulini ætate remotus, ad facti hujus faciendam fidem: unde nuperus Scriptor Vitæ Paulini Joannes le Brun, hoc factum ut fabulosum a Paulini Vita prescripsit. De quo plura qui voluerit, reperiet in nupera Operum editione Parisiensi 1684 apud Vranium Scriptorem Vitæ illius, tomo 2 pag. 143. Franciscum Sacchinum, qui idem Opus aggressus est, novi[illegible]æ quoque Operum Paulini editioni insertum, Joannem Baptistam le Brun, in Prolegomenis editionis allatæ. Conf. *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno 1685 mense Octobri pag. 482 & sequentibus 483 & 484.

PAVLINVS Sancti Ambrosii Mediolanensis Archiepiscopi primum Diaconus, Presbyterii honorem postmodum assecutus est, ut habet Isidorus Libro *de Viris illustribus* cap. 4. Imo author *Prædestinati* quem Sirmondus edidit Hæresi LXXXVIII pag. 81 illum Ecclesiæ Mediolanensis procuratorem & defensorem vocat. 410

Claruit eodem tempore quo Paulinus alter, cujus ante mentionem fecimus, unde fit ut nonnulli utrumque confuderint. Maxime autem ab anno 410 innoteſcere cœpit, nam anno 412 Carthagine agens, Celeſtium Hæreſeos apud Aurelium Epiſcopum accuſavit, eundemque ab ordine Sacerdotii quem ambiebat removit: imo tantum effecit, ut cum illic in confeſſu Patrum Originale peccatum agnoſcere nollet, excommunicatus ab iis, ex Africa migrare compelleretur. Rebus Paulino contra Celeſtium & Pelagium ſuccedentibus, idem obtulit *Libellum Zozimo Papæ in gratiarum actionem ob Pelagium & Celeſtium condemnatos*, quem habet ultima Collectio Conciliorum Pariſienſis anni 1671 tomo 2 col. 1578. Scripſerat jam opinor *Vitam Sancti Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi*, quæ omnibus Operum Ambroſianorum editionibus, cum Vita a Baronio conſcripta præmitti ſolet: quam & Laurentius Surius & Joannes Bolandus habent, in Vitis Sanctorum, ad diem 4 Aprilis. De illo ita Iſidorus Libro *de Viris illuſtribus* cap. 4. „Paulinus Presbyter explicuit in *Benedictionibus* „*Patriarcharum* triplici intelligentiæ genere li„bellum ſatis ſuccincta brevitate compoſitum. „Idem etiam petente Auguſtino conſcripſit *Am„broſii Vitam*, ſignis florentem atque doctrinis, „meritis Apoſtolorum non imparem. Siquidem „& Conſtantius Epiſcopus Germani Vitam „contexuit, obitumque Paulini Vranius edidit. Hæc ſanctus Iſidorus. Opuſculum vero iſtud *de Benedictionibus Patriarcharum* illud ipſum eſt, quod ſub nomine & inter Opera Rufini Aquilejenſis Presbyteri habetur. Quod neque Paulini hujus Mediolanenſis eſt, neque alterius Paulini Nolani Epiſcopi de quo ſupra: ſed Rufinum habet authorē, cujus inter Opera impreſſum extat. Deceptus ergo eſt Iſidorus, qui ex eo, quod dictum Rufini Opus inſtante Paulino Nolano compoſitum atque eidem transmiſſum, *Paulini* eſſe crediderit. Claruit autem ab anno 400 ad 420 vel ultra, diſtinguendus caute, ab aliis duobus Paulinis eodem adhuc tempore viventibus. Horum unus *Paulinus Biterrenſis* in Gallia Epiſcopus, de quo Aubertus Miræus in Auctario ſuo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 63 ſub annum 410 clarus, ſub nomine cujus apud Cardinalem Baronium in *Annalibus Eccleſiaſticis* ad annum 418 extat *Epiſtola* enarrans ſigna terrifica quæ Biterris effecta ſunt. Heribertus quoque Rosweidus in Notis ad Paulinum Nolanum dubitat, annon huic Paulino Biterrenſi, elegans *Homilia in Sanctum Geneſium Martyrem Arelatenſem* attribuenda ſit: quæ inter Paulini Nolani Opera legitur, & quam antea Surius ad diem 25 Auguſti in *Probatis Sanctorum Vitis* ediderat. Alter Paulinus Auſonii ex filio, vel ut alii volunt ex fratre Heſperio nepos, hoc etiam tempore floruit, qui ad annum usque 83 vitæ ſuæ perveniſſe legitur. Cujus *Euchariſticum carmen de vita ſua*, poſt Sancti Paulini Nolani poëmata legitur, in Bibliotheca Patrum editionis Pariſienſis 1575 & 1589 quas conſule. De quo Gvillelmus Cavus, in *Paulino Nolano* ad annum 393 pag. 241. De Paulino hoc noſtro, Omnes qui ediderunt Opera S. Ambroſii in *Prolegomenis*. Philippus Labbeus in editione Conciliorum ultima Pariſienſi, anni 1671 tom. 2 col. 1578. Gvillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ſeculo V ad annum 420 pag. 311.

ANNIANVS CELEDENSIS DIACONVS, 418
natione Italus, patria Campanus, Pelagii ſi non amanuenſis, ut vult Cavus, certe cauſæ ſocius, doctrinæ particeps, atque acerrimus Pelagianæ hæreſeos aſſertor ac diſſeminator. Claruit anno 417 vel 418 quo Synodo Dioſpolitanæ interfuit, neque Pelagii cauſam maxima diligentia atque animi ſtudio egit, ut vult Cavus: ſed quia eadem cum Pelagio & Celeſtio accuſatione involvebatur, omnia illic, juxta Hieronymum Epiſtola ad Auguſtinum (quæ 24 inter Auguſtinianas Epiſtolas) contra ſe allata præfracte negavit, qua ratione cum Pelagio ſententiam in hac Synodo condemnationis & excommunicationis a ſe amovit. Joannes Garnerius e Societate Jeſu Diſſertatione I ad Marium Mercatorem cap. 7. & Appendice ad Notas in Juliani Coenſis Epiſcopi Libellos pag. 271 vult Annianum eundem & unum eſſe, cum Anniano qui ſancti Joannis Chryſoſtomi homilias aliquot Græcas in Latinum Sermonem interpretatus ſit. Argumenta quibus Garnerius Sententiam ſuam probat, eo tendunt ut ſtatuat idem utrique fuiſſe nomen, dignitatem, ætatem, doctrinam denique perverſam: nam procul dubio Pelagianæ hæreſeos veneno infectum fuiſſe Chryſoſtomi homiliarum interpretem, ex Epiſtolis ejus ad Orontium & Evangelium apparet. Calente etiam adhuc controverſia Pelagiana claruiſſe Interpretem, luculentis ſatis argumentis dictæ Epiſtolæ ad Orontium & Evangelum, fidem faciunt. Opuſcula ab Anniano in Latinum verſa, ſunt *Homilia VIII Chryſoſtomi in Matthæum* cum Epiſtola ad Orontium Epiſcopum illis præmiſſa, quæ in Chryſoſtomi Latinis editionibus reperiuntur. Item *Homilia VII Chryſoſtomi de Laudibus Sancti Pauli* cum Homilia unica *ad Neophytos*, quibus præmittitur *ad Evangelum Presbyterum Epiſtola*, quæ in Tomis Operum Bedæ legitur, & Homiliis de Sancto Paulo præmitti ſolet. Salvus Annianus ex Synodo Dioſpolitana ereptus, iterum ad vomitum rediit: atque omnia quæ ſibi illic impoſita, dixiſſe negaverat: libris poſtmodum conſcriptis aſſeruit, ut vult Hieronymus Epiſtola ad Auguſtinum citata, ubi & his verbis alios ſcripſiſſe libros indicat. „Quod autem quæritis utrum „reſcripſerim *contra Libros Anniani Pſeudo-Diaconi Celedenſis*, qui copioſiſſime paſcitur, ut alie„næ blaſphemiæ verba frivola ſubminiſtret: „ſciatis me ipſos libros in ſchedulis miſſos a ſan„cto fratre noſtro Euſebio Presbytero ſuſcepiſ„ſe,

„ſe,non ante multum temporis: & exinde vel „ingruentibus morbis,vel dormitione ſanctæ ac „venerabilis filiæ veſtræ Euſtochii, ita doluiſſe, „ut propemodum contemnendos putarem. In „eodem enim luto hæſitat, & exceptis verbis „tinnulis atque emendicatis, nihil aliud loqui„tur. Tamen multum egimus, ut dum meæ „Epiſtolæ reſpondere conatur,apertius ſe pro„deret, & blaſphemias ſuas omnibus patefaceret. Quidquid enim in illa miſerabili Synodo „Dioſpolitana,dixiſſe ſe denegat, in hoc Opere „confitetur. Nec grande eſt ineptiſſimis ne„niis reſpondere. Si autem Dominus vitam „tribuerit, & notariorum habuerimus copiam, „paucis lucubratiunculis reſpondebimus: non „ut convincamus hæreſim emortuam, ſed ut „imperitiam atque blaſphemiam ejus, noſtris „ſermonibus confutemus. Melius hoc faceret „Sanctitas veſtra,ne compellamur contra Hæ„reticum noſtra laudare.„ Hæc Hieronymus, quibus patet, non niſi negatione, Cenſuram Dioſpolitanæ Synodi, cum Pelagio ac Celeſtio evaſiſſe Annianum. Ejusdem etiam Anniani ſtudium erga Pelagianos,aliunde nobis innoteſcit. Hæretici ne omni prorſus Veterum Patrum præſidio deſtituti viderentur, ſub Sancti Joannis Chryſoſtomi Laciniis ſeſe præſertim occultare conabantur: vnde gravis inter Auguſtinum & Julianum Pelagianum de Chryſoſtomi ſententia diſputatio fuit, ut ex libro 1 & 2 contra Julianum patet. Sane libri 1 cap. 6 hæc habet S. Auguſtinus: *Ingredere Sancte Joannes, ingredere,& conſide cum fratribus tuis, a quibus nulla ratio,nulla tentatio te ſeparavit. Opus eſt & tua & maxime tua ſententia,quoniam in tuis Literis iſte juvenis inveniſſe ſe putat: unde tot, tantorumque Coepiſcoporum tuorum ſe arbitretur percellere & evacuare ſententias.* Annianus itaque ſuum eſſe putavit, S. Joannis Chryſoſtomi homilias e Græco in latinum convertere. Imprimis autem,ut viro authoritatem apud Latinos conciliaret, Chryſoſtomi Homilias *de laudibus Divi Pauli* interpretatus eſt, quod Opus Evangelo cuidam Pelagianæ Sectæ Presbytero inſcripſit. In epiſtola autem nuncupatoria, cui titulus eſt: *Domino ſancto Evangelo Presbytero Annianus ſalutem:* Catholicos invidioſo *Traducianorum* nomine infamat,nec obſcure etiam ſanctum Auguſtinum ſugillat. Cujus verba hæc ſunt: „Quod qui„dem opus eo eſſe apud te amabilius debet & „gratius, quo de Sanctarum Scripturarum luce „rutilans clariſſimi Syderis vice, noctem Mani„chæi erroris exagitat. Quantum enim nobis „conſolationis exoritur,cum cernimus tam eru„dito tamque illuſtri Orientis Magiſtro, eam „quam in nobis *Traducianus* oppugnat, adſtrui „veritatem? Quam certe beatus Joannes,ut in „omnibus libris ſuis,ita hic quoque ab omni mu„nitam latere cuſtodit, armat, accendit: ut vi„deatur non tam præſentes informaſſe diſcipu„los,quam nobis contra veræ fidei oppugnatio„nem auxilia præparaſſe. Quantus enim ille, adverſus neceſſitatem? Quantus pro libero ſur„git arbitrio? Quam noſtrorum libris ubique „concinens, voluntatis vere ſervato, divinæ „gratiæ præſidia commendat? &c.„ Gratiam Pelagianam Annianus hic juxta Scholæ ſuæ phraſim intelligebat,nempe quæ in doctrina, lege,exemploque conſiſteret: ſub quorum vocabulorum ambiguo, deformiſſimæ hæreſeos nuditatem occulere verſipelles illi tentabant. Poſtea vero S. Auguſtini explicationem in illud Pauli dictum Rom. 7. *Non enim quod volo bonum, hoc facio: ſed quod nolo malum, hoc ago:* qua in propria perſona Paulum locutum contendit Lib. 1 *de nuptiis & concupiſcentia* cap. 27 & 31. Libro 1 *Operis imperfecti* cap. 67 his refellit. Sexto ſolvendo illas omnes quæſtiones,quibus „*Traducianum* os innitens, beatum Paulum vi„tiorum oſtuſcatione commaculat: ut ſcilicet „fidelibus ſuis Apoſtolico exemplo peccata con„ciliet.„ Fortaſſe novum *Traducianorum* nomen, quo poſtea Julianus ſemper ignominiæ cauſa contra Auguſtinum uſus eſt, Annianus primum invexit. Hinc Julianus S. Auguſtinum appellabat *Traducianæ Gentis primatem* Lib. 1 *operis imperfecti* cap. 66, cui Auguſtinus cap. 76 reſpondet: *Vos vero ſoli nos appellatis Traducianos.*

Idem Annianus grande Opus homiliarum S. Joannis Chryſoſtomi in Matthæum,in Latinum Sermonem transferendum ſuſcepit, cujus octo latinas Orationes Chryſoſtomi eodem interprete legimus. Omnes quidem interpretaturum ſe ſpoponderat,idne reapſe præſtiterit, vel manum de tabula amoverit, incertum eſt. Hocce volumen Orontio Epiſcopo Pelagiano, quem in Epheſino Synodo cum aliis Epiſcopis Pelagianis damnatum novimus, inſcripſit: pro quo etiam duæ leguntur Neſtorii Epiſtolæ datæ ad Celeſtinum Papam. Ita orditur præfationem: *Domino vere ſancto & beatiſſimo Orontio Epiſcopo, Annianus. Piiſſimi patris affectum, & ſapientiſſimi artem magiſtri in me pariter exercet, quem inter has, quas pro fidei vobiſcum amore perpetimur tentationum procellas,& a mœrore ſimul,& a torpore ſubducis: animumque anxietate marcentem ad ſtudium Scripturarum remittis. Jubes enim beatiſſime, ut Commentarium S. Joannis Conſtantinopolitani Epiſcopi, quem in Matthæo Evangeliſta, nonaginta & uno libro explicavit, in latinam linguam, quo poſſim ſermone, transfundam.* Ex quibus patet ab Orontio Pelagiano Epiſcopo, ad illam interpretationem Annianum impulſum fuiſſe, cum quo Pelagianam hæreſim fovebat, ut ex verbis allatis liquet. Poſtea in Auguſtinum, imo in Eccleſiam Catholicam invectus addit: *Quid inquam ille preſſius commendat, quam ingenita nobis a Deo Libertatis decus,cujus confeſſio præcipuum inter nos, Gentilesque diſcrimen eſt? Qui hominem ad imaginem Dei conditum tam infeliciter fati violentia, & peccandi putant neceſſitate devinctum, ut is etiam pecoribus invidere cogatur. Quid ille adverſus eosdem magiſtros potius inſinuat, quam Dei*

eſſe

cus Chriſtianorum cothurnus incedere poſſit, ad manum habeatur. Incipit ἄχρονος ἦν, ἀνέκφατος, ἐν ἀῤῥήτῳ λόγος ἀρχῇ. Hoc eſt, ut verbatim reddamus: *Sine tempore, ineffabile, incomprehenſibili verbum principio erat &c.* Hæc Paraphraſis Nonni *in Evangelium Joannis*, prodiit primum Græce ex Aldi Manutii officina, Romæ 1508. ut in *Apparatu* Poſſevinus aſſerit, tum Francofurti Græce 1541. Denique Græce cum Evangelii textu & Danielis Heinſii Exercitationibus, Lugduni Batavorum, anno 1627. in 8. Græce autem & Latine ſimul prodiit, Nonnus Panopolitanus *in Joannem*, Pariſiis 1561. cum Franciſci Nanſii Emendationibus ad marginem conſcriptis. Item Pariſiis Græce & Latine eodem modo, 1578. in 8. Denique eodem modo cum Notis Nanſii, Lugduni Batavorum, 1598. in 8. Vnde tandem Opus idem GræcoLatine tranſiit in *Appendicem Bignæanam* ſeu *Auctarium* Bibliothecæ Veterum Patrum Græcolatinorum, quod procurante Frontone Ducæo ſoc. Jeſu Burdegalenſi, Pariſiis 2. in fol. tomis 1624. impreſſum eſt. Extat hoc Opus Græce MS. in Bibliotheca Vaticana, ex Codice Heidelbergenſi, num. 90. Idem Nonnus collegit ac commentatus eſt *in Hiſtorias Prophanas, quarum meminit S. Gregorius Nazianzenus in duobus ſtelcteuticis adverſus Julianum Imperatorem*, cujus Collectio & Explicatio Græce quidem ex Bibliotheca Viennenſi, una cum Nazianzeni Invectivis, Etonæ in Anglia, anno 1610. in 4. curis & ſtudio Richardi Montacutii Angli, viri doctiſſimi, de quo jam in *Baſilio* egimus. Eadem autem Latine per Jacobum Billium ex MSS. Regiæ Galliarum Bibliothecæ, inter Opera S. Gregorii Nazienzeni, extat Pariſiis in folio, 1609. tom. 2. pag. 499. & 522. Extat hoc Opus Nonni in tribus MSS. Codicibus Græcis Theologicis Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, ut teſtatur Lambecius tomo 3. hujus Bibliothecæ. In MS. Codice Græco Theologico LXXIX. num. LVII. a fol. 343. p. 1. usque ad fol. 359. ſive ultimum ut habet Lambecius loco citato pag. 183. ubi ſic, „Quinquageſimo ſeptimo & quidem a fol. 343. „pag. 1. usque ad fol. 359. ſive ultimum, *Ejuſdem Nonni Panopolitæ Enarratio Hiſtoriarum profanarum, quarum ſanctus Gregorius Nazianzenus meminit, in duabus Orationibus Invectivis adverſus Imp. Julianum Apoſtatam.* Incipit ea hoc „modo: ἐξήγησις ἱστοριῶν τῶν ἐν τῷ πρώτῳ στηλιτευτικῷ· λόγος στηλιτευτικὸς, ἐστι ψόγος ὑπὲρ στήλαις γενομένων· διαφέρει δὲ &c. Extat quidem etiam hæc *Enarratio Nonni Panopolitæ*, tomo 2. ſupra citatæ editionis Operum S. Gregorii Nazianzeni, Pariſinæ Billianæ, pag. 499. & 522. ſed tantum Latine. Extat quoque eadem Explicatio Græca Nonni, in aliis duobus MSS. Codicibus Theologicis Græcis ejusdem Cæſareæ Bibliothecæ, de quibus agit Lambecius eodem Libro ſeu tomo 3. Nimirum in Codice MS. Theologico Græco XCIX. de quo Lambecius pag. 205. atque in centeſimo, de quo pag. 206. Idem quoque aggreſſus eſt Nonnus in alias duas ſancti ejusdem Nazianzeni Orationes commentari, quæ habentur in eadem Imperatoris Bibliotheca, in MS. Codice Theologico Græco LXXIX. de quo loquitur his verbis Petrus Lambecius lib. 3. hujus Bibliothecæ p. 182. in examine Codicis MS. LXXIX. „Quinquageſimo quinto & quidem a fol. 337. pag. 1. „usque ad fol. 339. pag. 2. *Nonni Panopolitæ*, qui „vixit tempore Imperat. Theodoſii Junioris & „*Dionyſiaca* variis antiquorum Poëtarum fabulis referta, heroico carmine compoſuit, „*Enarratio Hiſtoriarum profanarum, quarum S.* „*Gregorius Nazianzenus in Oratione funebri in Laudem S. Baſilii Magni meminit*, cujus titulus & „principium. Ἐξήγησις ἱστοριῶν τῶν ἐν τῷ ἐπιταφίῳ τῷ ἁγίῳ Βασιλείῳ. οἱ τῶν ἔξω σοφιστάι τε καὶ ῥήτορες, βυλόμενοι τὸν ἐγκωμιζόμενον παρ' αὐτῶν ἐυγενέστατον δεῖξαι, λέγουσιν ὡς δυτος κατάγει τὸ γένος ἀπὸ Πέλοπος, ἢ Κέκροπος, ἢ Ἡρακλέους, ἢ τῶν ἄλλων τῶνομισθέντων Θεῶν &c. Extat quidem hæc *Enarratio Nonni Panopolitæ* in ſupra dicta Operum *S. Gregorii Nazianzeni* editione Pariſina Billiana, tomo 2. p. 768. „ſed latine tantum, & quidem mutile atque interpolate. Quinquageſimo ſexto & quidem „a fol. 340. pag. 1. usque ad fol. 343. pag. 1. *Ejusdem Nonni Panopolitæ Collectio & Enarratio Hiſtoriarum profanarum, quarum Sanctus Gregorius Nazianzenus meminit in Oratione in Sancta Lumina, ſive in Feſtum Epiphaniæ.* Ipſa tituli & principii iſtius Enarrationis verba Græca hæc ſunt: „Συναγωγὴ καὶ ἐξήγησις ὧν ἐμνήσθη ἱστοριῶν ὁ ἐν ἁγίοις Πατὴρ ἡμῶν Γρηγόριος ἐν τῷ εἰς τὰ Φῶτα λόγῳ ἤ ἀρχή. Πάλιν ἰησοῦς. ἤ Διοὶ ταῦτα γοναὶ καὶ κλοπαὶ τῆ Κρητῶν τυράννυ. οἱ Θεολόγοι τῶν ἑλλήνων ἐκ Κρόνυ καὶ Ῥέας λέγυσι γεγενῆθαι τὸν Δία, περισωθῆναι δὲ τρόπῳ τοιῷδε. Ὁ Κρόνος τῇ Ῥέᾳ γαμέτῃ σύνοικος &c. Extat „quidem Hæc etiam Enarratio Nonni in ſupra „citata Operum S. Gregorii Nazianzeni editione Pariſina, tom. 2. p. 1010. Sed Latine tantum, „& quidem mutile atque interpolate.“ Hæc Lambecius, quibus addo iſtas quoque *Explanationes* extare MSS. Græce in Regia Galliarum Bibliotheca: unde ſuas excerptiones Latinas tomo 2. citatæ Gregorii Nazianzeni Operum editionis immiſſas paginis citatis expreſſerit Billius. Agunt de *Nonno Panopolita*, Agathias qui ſub Juſtiniano floruit, & libro 4. *de Bello Gothico*, ejus authoritate utitur. Suidas in Lexico, verbo Νόννος his verbis: *ἰσέον δὲ ὡς ἐστὶ καὶ Νόννος, ἄνηρ. Πανοπολίτης ἐξ Αἰγύπτυ λογιώτατος, ὁ καὶ τὴν παρθένον Θεολόγον παραφράσας διὰ ἐπῶν. Sciendum autem & Nonnum eſſe nomen viri proprium. Nonnus Panopolita, Ægyptius eloquentiſſimus, qui & Virginem Theologum*, hoc eſt, Joannem Evangeliſtam *verſibus heroicis eſt interpretatus.* Sixtus Senenſis libro 4. *Bibliotheca Sanctæ*, eum inter Græcos poëtas Chriſtianos præcipuum numerat, cujus (inquit) feruntur *Dionyſiacon* libri XLVIII. heroice conſcripti, ſed ii ad rem Eccleſiaſti-

ſiaſticam nihil conferunt. Antonius Poſſevinus in libro 17. *Bibliothecæ Selectæ* cap. 12. ac tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo Nonnus Panopolita. Aubertus Miræus in *Auctario* ad Scriptores Eccleſiaſticos cap. 128. pag. mihi 205. Petrus Lambecius tomo 3. *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, locis citatis. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria*, ſeculo 5. ad annum 410. pagina 299.

410 POLYCHRONIVS APAMEÆ EPISCOPVS, natione Syrus, Theodori Mopſueſtiæ Epiſcopi Frater fuit, ut teſtatur Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus lib. 5. *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica* cap. 40. & ultimo, Diodori quoque Tarſenſis Epiſcopi, de quo S. Hieronymus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 129. clarus circa annum 410. factus Apameæ Epiſcopus, de quo ita paucis Theodoretus loco citato: *Ejus quoque frater Polychronius, Apamenſem Eccleſiam egregie adminiſtravit, emendatiſſima vita ſplendorem, cum ſermonis gratia ac venuſtate conjungens.* Scripſit *Commentarium in Job* cujus Argumentum, ac longe majorem partem Nicetas inſeruit Catenæ ſuæ *in Job*, quæ Londini in fol. Græce & Latine prodiit, cura & ſtudio Patricii Junii. *Expoſitionem in Cantica Canticorum*, quam una cum Euſebii & Pſelli Expoſitionibus, Joannes Meurſius Græce edidit Lugduni Batavorum 1617. in 4. Extant autem hi *Commentarii in Cantica*, MSS. in Bibliotheca Galliarum Regia. Habetur quoque ſub nomine Polychronii Diaconi *Commentarius in Eccleſiaſtem & in Cantica Canticorum*, in Bibliotheca Bavarica num. 49. & 50. Item inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Oxonii in Anglia, Codice 3023. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji Codice 34. num. 2. *Catena in Proverbia collectore Polychronio Diacono* Græce. Et Codice 3073. in MSS. Codicibus ejusdem Bodleji Codice 84. Et ibidem Codice 3024. in MSS. Codicibus Bodleji ejusdem Codice 35. *Polychronii Diaconi Exegeſis in Cantica Canticorum*, Græce. Viderint curioſi Veterum Codicum indagatores, an ſeculum Polychronii Apameæ Epiſcopi, agendique modum habeant. Quod autem ſcribit Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ad annum 410. pag. 299. adhuc vidori in vivis fuiſſe anno 427. quo Hiſtoriam ſuam Eccleſiaſticam clauſit Theodoritus, falſum eſt, cum ibi de eo tanquam mortuo loquatur. Τὴν ἀπαμέων ἐκκλησίαν ἐπιφανῶς ἐφρόντισε, τῇ τῆς λέξεως χάριτι, καὶ τῇ τοῦ βίου λαμπρότητι κοσμήσας. *Apamenſem Eccleſiam egregie adminiſtravit, vitæ ſplendori, ſermonis gratiam & venuſtatem adjungens.* Quæ verba cum jam mortuum deſignant. Plura de Polychronio Theodoritus *Hiſtoria Religioſa* cap. 24. quem ob eximias virtutes, religioſum vivendi modum, plurimaq; perpetrata ab eo miracula, ſummis effert laudibus. Verum norunt omnes, quam credulus Miraculorum fuerit Theodoretus, quam ſcribendorum illorum facilis: qui ſe & miraculo conceptum eſſe vir bonus voluit, Monachis uterum matris ejus, interventu orationum, aperientibus. Hæc ergo vetulis, non gravibus viris producantur. Agunt de Polychronio Sixtus Senenſis lib. 4. *Bibliothecæ Sanctæ*. Cæſar Baronius tomo 5. ſuarum *Annalium* in Geſtis anni 433. Petrus Lambecius lib. 5. *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* p. 62. ad MS. Codicem Theologicum Græcum CCXXXI. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo V. tomo 3. p. 267.

DISSERTATIO SINGVLARIS,
DE
EDITIONIBVS ANTIQVIS ATQVE NOVISSIMA OMNIVM SANCTI AVGVSTINI OPERVM PARISIENSI ANNI MDCLXXIX. ET SEQVENTIVM.

420 S. Auguſtinus natus Tagaſte in Numidia eſt anno Chriſti 355. Idibus Novembris, qui Africam regionem omnemque ſimul Eccleſiam, innumeris quibus ille fulſit, ſcriptis illuſtravit. Detentus aliquandiu Manichæorum hæreſi aliisq; deliriis, tandem a Sancto Ambroſio ad fidem Catholicam converſus atque baptizatus tempore Paſchatis, anno ætatis ſuæ 34. Chriſti Incarnati 388. Ordinatus Presbyter a Valerio Hipponenſi Epiſcopo anno 391. invitus utcunque, Epiſcopus eodem vivente Valerio atque urgente, (quod nec fieri debuiſſe nec potuiſſe vult ipſe Auguſtinus) anno Chriſti 396. conſecratus eſt. Commiſſam ſibi Eccleſiam per annos 35. usque ad diem 28. Auguſti 430. anni rexit, quo Wandalis Hipponem Regium obſidentibus, annum agens ætatis LXXVI. ad immortalem vitam tranſiit ex caduca ac tranſitoria iſta. "Doctor ſuper omnes" (inquit Sixtus Senenſis) qui ante eum & poſt" eum hucusque fuerunt, mortales, admirabili" ingenii acumine præditus, omnibus liberali" bus diſciplinis inſtructus, Platonica philoſo" phia pleniſſime imbutus, Ariſtotelicæ doctrinæ" non ignarus, in Divinis Scripturis longe omni" um eruditiſſimus, & in earum Explanatione" ultra quam dici queat, incomparabili ſubtilita" te ſublimis: omnes Latinæ Eccleſiæ Scripto" res ſcribendi labore, & lucubrationum multi" tudine ſuperavit, editis plus quam Mille & Tri" ginta

„ginta ex omni Disciplinarum genere Volumi„nibus. De quibus composuit ex professo in „omnes sparsim Divinæ Scripturæ libros quam„plurima diversi generis *Exegetica*, id est, *Expla„natoria Scripta*: quæ ipse in præfatione *Retracta„tionum* suarum in tres partes divisit, hoc est, in „Epistolas, Tractatus, & Libros &c.„ Ita ille lib. 4. *Bibliothecæ Sanctæ* pag. 204. ubi & longe pluribus, in Scripta Laudesque Theologorum hujus verticis, seipsum effundit. De his quæ vitam ipsius spectant, legendi Confessionum ejus libri, & Possidius. *De Scriptis* illius, legendi libri *Retractationum* atque ejusdem Possidii *Indiculus*. Eadem sors Augustini fuit, quæ aliorum Ecclesiæ Veterum Patrum, ut multa ipsius nomine quæ ipsius non sint: imo tanto plura, quanto celebrius in Ecclesia nomen Augustini semper fuit. Agunt autem doctissime *de Scriptis* ejusdem inter recentiores Viros, Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Augustinus*. Robertus Bellarminus in Opusculo *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, Philippus Labbeus *in Dissertatione Historica* de iisdem Scriptoribus. Sixtus Senensis, lib. 4. *Bibliothecæ Sanctæ* pag. 204. Natalis Alexander, in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* Seculo V. tomo 10. pag. 468. paragraphis undecim ad pag. 579. prolixis. Præter Bernardum Vindingum ac Prosperum Stellartium, ambos Augustinianæ familiæ eruditos viros, qui specialibus Opusculis illisque lectu dignissimis, Opera D. Augustini judicio singulari discusserunt, quorum censuras in plurimis sequuntur Benedictini Monachi, novissimi omnium Augustinianorum Operum illustratores, editoresque. Cum igitur tot tantique viri jam de Scriptis D. Augustini egerint, visum est haudquaquam nostrarum esse partium, de illis non agere.

CAPVT PRIMVM.

DE

ANTIQVIS OPERVM DIVI AVGVSTINI EDITIONIBVS, QVARVM PRIMA OPERVM OMNIVM, JOANNIS AMERBACHII SEV AMERBACHIANA EST.

OPuscula Sancti Augustini Hipponensis Episcopi varia diversis in locis, sub initia typographiæ nascentis, sed seorsim tantum in lucem publicam emissa sunt.

Omnium primi *de Civitate Dei libri XXII.* Romæ impressi anno 1468. in fol. & ibidem 1482. Venetiis 1470. & 1475. Moguntiæ 1473. in folio per primos typographiæ inventores. Basileæ 1479. & 1490. iidem libri *de Civitate Dei* cum Comm. Thomæ Vallensis seu Guallensis, qui & Anglicus dicitur: & Nicolai Triveth Angli pariter scriptoris, Venetiis 1489. & Friburgi 1494. in folio excusi sunt. Imo translati in Gallicam linguam per R. de Præstis, impressi apud Abbavillam anno 1486. in fol.

Homiliæ L. quibus varia Scripturæ loca explicantur & loci communes tractantur, Augustæ anno 1475. & Basileæ 1494.

Sermones 2. Voluminibus, Basileæ 1494. in fol.

Sermones de Sanctis Basileæ 1495.

Explicatio Psalmorum Davidis Basileæ 1489. in folio.

Epistolæ Basileæ 1493.

Soliloquia, Scala Paradisi, de triplicibus abusionum gradibus, de beata vita, de assumptione B. Mariæ Virginis, de contemptu mundi, Confessiones, de doctrina Christiana, de vera religione, Venetiis 1484. in 4.

Opuscula varia, Argentorati 1489. & 1491. in folio, quæ eadem opinor cum præcedentibus, vel plura.

Quæstiones in Scripturam sacram Lugduni 1497. Denique *Regula S. Augustini* cum Commentario Ambrosii Coriolani, Romæ 1481. in folio.

Cum igitur Operum Augustini maxima pars ex allatis supra, Basileæ in lucem prodiisset: hinc quoque occasio data est Joanni Amerbachio, typographo Basileensi clarissimo simul & doctissimo, ut de omnibus Divi Augustini operibus conquirendis atque in unum congerendis, evulgandisque cogitaret, circa annum 1500. maximo Christianæ reipublicæ commodo. Primus igitur Joannes Amerbachius huic collectioni vigilias suas, operamque haud vulgarem posuit, tanta diligentia, ut Opus anno 1586. applausu eruditorum omnium, Basileæ completum fuerit. Quo de instituto illum laudat Desiderius Erasmus Roterodamus, in Præfatione ad editionem quam anno 1529. complevit, his verbis,

Primus hoc egregium facinus ausus est, vir „singulari pietate Johannes Amerbachius, re„sat beatus, sed animi dotibus longe beatior, „quem nec sumptus immensi, nec in conquirendis undequaque exemplaribus instantia, „nec in conferendis cædium, nec Operis difficultas, nec distractionis alea, nec ulla res alia „deterruit, quominus totum Augustinum redderet omnibus communem. Non hunc invitavit virum quæstus amor, sed sincera pietas, „quam omnes illius Præfationes spirant, ac revocandi priscos illos Ecclesiæ doctores studium „quos videbat ac dolebat propemodum antiquatos. Proinde non dubito, quin illius manibus bene precantur omnes, qui per Augusti „ni libros ad pietatem profecerunt. Idem in „universas Hieronymi lucubrationes majore „etiam studio molientem Deus ad superos evocavit. Eam tamen provinciam tribus filiis, „Brunoni, Basilio & Bonifacio, quos ad hoc curarat trium peritia linguarum instituendos, „moriens delegavit, per quos non minore studio quam fide peractum est, quod optimus pater voluit.„

Primus igitur id fecit *Johannes Amorbachius* Basileensis, qui *Omnia Augustini Opera* ex Italia, Gallia, & Germania, cujus Bibliothecas per

Auguſtinum Dodonem Phryſium ſufficienti pecunia inſtructum perſcrutatus fuerat, ad ſe comportata edidit, & *undecim partibus* diſtinxit: ex quibus octo priores, eos Auguſtini libros, quos ipſe in *Retractationibus* ſuis recenſet, continent: reliquæ cæteros complectuntur, quorum in *Retractationibus* nulla mentio injicitur. *Plurimos* vero *Sermones*, *plurimasque Epiſtolas & Enarrationes in Pſalmos*, quas jam antea circa annum Chriſti 1489 1494. & 1495. excudi curaverat, undecim his partibus adjicere noluit, quæ anno Chriſti 1506. Baſileæ lucem aſpexerunt. Vnde prima illa Amerbachii editio, quæ Tomis novem fuiſſe comprehenſa legitur, *Sermonibus & Epiſtolis* prætermiſſis, non niſi imperfecta eſſe potuit, licet illa Pariſiis anno 1515. recuſa fuerit.

CAPVT SECVNDVM.

DE EDITIONE OPERVM DIVI AVGVSTINI A DESIDERIO ERASMO PROCVRATA.

PRocuravit alteram editionem Operum D. Auguſtini omnium ex editione Frobeniana Deſiderius Eraſm. Roterodamus, ætatis ſuæ magnum ornamentum, Baſileæ anno 1529. completam, dicatam R. in Chriſto Patri, eidemque Principi clariſſimo, Alfonſo Fonſecæ Archiepiſcopo Toletano, totius Hiſpaniæ Primati, Epiſtola Friburgi Brisgaviæ data anno 1529. cujus editionis hic ordo eſt.

Tomo primo.

Retractationum libri duo.
Confeſſionum libri 13.
De Grammatica liber 1.
Principia Dialecticæ.
Categoriæ decem.
Principia Rhetoricæ.
De Muſica libri 6.
Contra Academicos libri 3.
De Ordine libri 2.
De Vita beata.
Soliloquiorum libri 2.
De Magiſtro.
De immortalitate animæ.
De quantitate animæ.
De libero arbitrio libri 3.
De vera religione.
De moribus Eccleſiæ Catholicæ & de moribus Manichæorum libri 2.
De Geneſi contra Manichæos libri 2.
Regulæ tres divi Auguſtini, cum cenſura.
Poſſidonius de vita divi Auguſtini, cum Indiculo librorum illius.

Tomo ſecundo.

Epiſtolarum CCXLII. liber, ſine ullo rerum aut temporum ordine temere digeſtus, inter quas ſunt epiſtolæ L. aliorum ad Auguſtinum. Ex quibus Epiſtolis plurimas tractatuum aut librorum nomine deſignant Auguſtinus in *Retractationibus*, & Poſſidius in Indiculo librorum divi Auguſtini. Spuriæ vero ſunt undecim 142. 181. 182. 184. 185. 187. 189. 192. 194. 196. 198.

Tomo tertio.

De doctrina Chriſtiana libri 4.
Locutionum libri 7.
De fide & ſymbolo liber 1.
Enchiridion de fide, ſpe & charitate ad Laurentium, liber 1.
De Eccleſiaſticis dogmatibus liber 1.
De fide ad Petrum Diaconum liber 1.
De Trinitate libri XV.
De Geneſi ad literam imperfectus lib. 1.
De Geneſi ad literam libri 12.
De mirabilibus ſacræ Scripturæ libri 3.
De agone Chriſtiano lib. 1.
De opere Monachorum lib. 1.
De Spiritu & littera ad Marcellinum lib. 1.
De divinatione Dæmonum lib. 1.
De Spiritu & anima lib. 1.
Speculum de præceptis Dominicis liber 1.
Quæſtiunculæ de Trinitate.
De benedictionibus Jacob Patriarchæ.
Sententiæ ex Auguſtini & aliorum libris decerptæ.

Tomo quarto.

De mendacio ad Conſentium liber 1.
Contra mendacium ad eundem lib. 1.
De fide & operibus liber 1.
Quæſtionum in Vetus Teſtamentum lib. 7.
Quæſtionum Evangelicarum libri 2.
Quæſtionum Evangelicar. ſecundum Matthæum liber 1.
De conſenſu Evangeliſtarum libri 4.
Octogintatrium quæſtionum lib. 1.
Viginti unius Sententiarum lib. 1.
De diverſis quæſtionibus ad Simplicianum lib. 1.
De octo Dulcitii quæſtionibus lib. 1.
Quæſtionum LXV. Dialogus.
Quæſtionum Veteris & Novi Teſtamenti l. 1.
De cura pro mortuis gerenda ad Paulinum lib. 1.
De cathechizandis rudibus liber 1.
De Incarnatione Verbi libri 2.
De Trinitate & Vnitate Dei lib. 1.
De eſſentia Divinitatis lib. 1.
De fide rerum inviſibilium lib. 1.
De ſubſtantia dilectionis lib. 1.
De continentia liber 1.
De Patientia lib. 1.
De bono viduitatis liber 1.
De vera & falſa pœnitentia lib. 1.
De ſalutaribus documentis lib. 1.
De amicitia lib. 1.
De Sermone Domini in monte libri 2.
Expoſitionis Epiſtolæ Pauli ad Romanos, liber 1.
Expoſitionis quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos liber 1.

Expo-

Expoſitionis Epiſtolæ Pauli ad Galatas lib. 1.
Annotationum in Job, liber 1.

Tomo quinto.

De Civitate Dei ad Marcellinum libri XXII. cum Commentariis Joannis Ludovici Vivis, Valentini.

Nihil mirum, quod Commentarium hunc Eraſmus Collectioni ſuæ Operum divi Auguſtini inſeruerit, cum Ludovicus Vives Eraſmi conſilio, celeberrimum S. Auguſtini opus *de civitate Dei* recognoſcendum & Commentariis elucidandum ſuſceperit. Quanto id ſucceſſu præſtiterit, norunt eruditi, ac quicunque bonas literas amant. Opus ſuum anno 1522. abſolutum, data Lovanii Epiſtola Henrico VIII. Angliæ Regi inſcriptum, Baſileæ edendum in folio curavit, quod integrum Eraſmus amicus editioni ſuæ inſeruit. Notatu autem indignum non eſt, in editione S. Auguſtini quam Lovanienſes theologi anno 1577. procurarunt, opus iſtud vitiatum, truncatumque eſſe, plurimosq; illius locos Pontificiis minus gratos, eſſe ſuppreſſos, quos in Eraſmianis D. Auguſtini editionibus reperies.

Tomo ſexto.

De hæreſibus ad Quodvultdeum liber 1.
De quinque hæreſibus, oratio.
Concio ad Catechumenos contra Judæos, Paganos & Arianos.
Oratio adverſus Judæos.
De altercatione Eccleſiæ & Synagogæ Dialogus.
De utilitate credendi ad Honoratum lib. 1.
Contra Epiſtolam Manichæi, quam vocant *Fundamenti*, lib. 1.
De duabus animabus contra Manichæos lib. 1.
Contra Fortunatum quendam Manichæorum Presbyterum.
Contra Adimantum Manichæi diſcipulum.
Contra Fauſtum Manichæum libri 33.
De actis cum Felice Manichæo libri 2.
Contra Secundinum Manichæum lib. 1.
De natura boni contra Manichæos lib. 1.
De fide contra Manichæos lib. 1.
Contra adverſarium Legis & Prophetarum lib. 2.
Contra Priſcillianiſtas & Origeniſtas lib. 1.
Contra Sermonem Arianorum lib. 1.
Contra Maximinum Arianorum Epiſcopum libri 3.
Contra Felicianum Arianum, de unitate Trinitatis.
De bono conjugali contra Jovinianum lib. 1.
De ſancta virginitate liber 1.
De adulterinis conjugiis ad Pollentium libri 2.
Tractatus de Epicuræis & Stoicis.
Tractatus de eo quod ad Moyſem dictum eſt, *Ego ſum qui ſum*, incerti authoris.

Tomo ſeptimo.

Contra partem Donati, pſalmus.
Contra Epiſtolam Parmeniani, libri 3.
Contra literas Petiliani Cirtenſis, Donatiſtæ Epiſcopi, libri 3.
Contra Greſconium Donatiſtam, Grammaticum libri 4.
Contra Gaudentii Donatiſtarum Epiſcopi Epiſtolam libri 3.
De Baptiſmo contra Donatiſtas libri 7.
De unico baptiſmo contra Petilianum lib. 1.
De unitate Eccleſiæ contra Epiſtolam Petiliani Donatiſtæ lib. 1.
Opus Breviculi collationum cum Donatiſtis.
Poſt Collationem contra Donatiſtas lib. 1.
Super geſtis cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo, ſermo.
De geſtis cum Emerito Donatiſtarum Epiſcopo lib. 1.
Contra Fulgentium Donatiſtam lib. 1.
De peccatorum meritis & remiſſione ac de baptiſmo parvulorum ad Marcellinum lib. 3.
De natura & gratia contra Pelagianos lib. 1.
De gratia Chriſti & peccato originali contra Pelagium & Cæleſtium lib. 2.
De nuptiis & concupiſcentia ad Valerium Comitem libri 2.
Contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium libri 4.
Contra Julianum Pelagianum lib. 6.
De anima & ejus origine libri 4.
De prædeſtinatione & gratia lib. 1.
Proſperi Epiſtola ad Auguſtinum *de reliquiis Pelagianæ hæreſeos*, cum Epiſtola Hilarii ad eundem de eodem argumento.
De prædeſtinatione Sanctorum lib. 1.
De bono perſeverantiæ lib. 1.
De prædeſtinatione Dei lib. 1.
De gratia & libero arbitrio ad Valentinum lib. 1.
De correptione & gratia ad eundem lib. 1.
Reſponſio Auguſtini ad articulos ſibi falſo impoſitos.
Contra Pelagianos Hypognoſticon lib. 6.
De perfectione juſtitiæ contra Cæleſtium, liber 1.

Tomo octavo.

Enarrationes in Pſalmos Davidis CL.

Tomo nono.

Cujus libri fere omnes, cenſuras habent præfixas, magno Deſiderii Eraſmi judicio elaboratas. Sunt autem

Expoſitio in Evang. Joann. ſeu Tract. CXXIV. quibus præfixa eſt Præfatio authoris incerti.
Expoſitio in Epiſtolam primam Joannis, tractatibus X.
Expoſitio in Apocalypſim Joannis.
Meditationum lib. 1.
De diligendo Deo liber alius, qui & *Meditationum* inſcribitur.

Digitized by Google

Soliloquiorum animæ ad Deum liber 1.
Manuale liber 1.
De triplici habitaculo lib. 1.
Scalæ Paradiſi liber.
De duodecim abuſionum gradibus.
De contritione cordis lib. 1.
De cognitione veræ vitæ liber 1.
De ſpeculo liber 1.
De vita Chriſtiana lib. 1.
De aſſumptione beatæ Mariæ Virginis.
De diſciplina Chriſtiana.
De decem chordis.
De Cantico novo lib. 1.
De contemptu mundi lib. 1.
De vanitate ſeculi lib. 1.
De obedientia & humilitate, ſermo.
De bono diſciplinæ, ſermo.
De viſitatione infirmorum libri 2.
De conſolatione mortuorum Sermones duo.
De quarta Feria, ſeu cultura agri Dominici, Sermo.
De cataclyſmo, ſermo.
De tempore barbarico, ſermo.
De ſobrietate & virginitate, ſermo.
Speculum peccatoris, Tractatus.
De conflictu vitiorum & virtutum liber 1.
De quatuor virtutibus charitatis, tractatus.
De laudibus charitatis tractatus.
De honeſtate mulierum lib. 1.
De paſtoribus lib. 1.
De ovibus, liber ſive homilia.
De Symbolo fidei ad Catechumenos lib. 4.
De convenientia decem præceptorum & decem plagarum Ægypti lib. 1.
De rectitudine Catholicæ converſationis, tractatus.
De utilitate jejunii, tractatus.
De urbis excidio, Tractatus.
De creatione primi hominis, tractatus.
De arbore ſcientiæ boni & mali, tractatus.
De pugna animæ, tractatus.
De Antichriſto tractatus.
Pſalterium, quod Auguſtinus matri ſuæ compoſuit.
Expoſitio ſuper canticum Mariæ Virginis, Lucæ 1. verſu 46. *Magnificat* &c.

Tomo decimo.

Sermones de verbis Domini, ſive de verbis Evangelii, LXIV.
Sermones de verbis Apoſtoli XXXV.
Homiliarum L. liber.
Sermones de Tempore CCLVI.
Sermones de Sanctis, LI.
Sermones ad Fratres in Eremo LXXVI. cum cenſura.

Hæc editio Operum divi Auguſtini omnium ab Eraſmo procurata Baſileæ anno 1529. apud Joannem Frobenium, iterata Pariſiis 1531. ex officina Claudii Chevallonii cum Jacobi Hemeri Studgardienſis Epiſtola nuncupatoria ad Gallum Millerum Eccleſiæ Tubingenſis Theologum, quæ totam editionis hujus rationem fuſius exponit. Baſileæ 1543. 1556. 1569. Venetiis 1571. in 4. decem tomis apud Valgriſium. Pariſiis 1571. apud Morellium & Nivellium, atque Lugduni, anno eodem. Nonnullæ tamen interdum, aliis atque aliis editionibus adjectiones factæ ſunt. Sermones enim XVII. in editione Pariſienſi 1531. primum editi ſunt, ex quibus ſex ſunt *de tempore*, ſeptimus *de verbis Apoſtoli*, & decem *de Sanctis*. In editione Baſileenſi 1556. tomo X. Sermones quinque primum excuſi ſunt, *de Jacob & Eſau ad populum ſermo* col. 1487. *Sermo in caput 13. Proverbiorum Salomonis* col. 1505. *In parabolam ſeminantis ſermo* col. 1517. In illud Matthæi 16. *Qui vult venire poſt me* &c. col. 1519. *Tractatus in Orationem Dominicam* col. 1523. Denique in editione Baſileenſi 1569. tomo X. præter hos quinque Sermones de quibus ſtatim diximus, acceſſerunt *Sermones XLIII. de diverſis*, itemque *Fragmenta ſermonum divi Auguſtini XXVII.* ex Theſauro Eugippii Abbatis, & Commentariis Bedæ ſeu Flori Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconi decerpta. Et hactenus quidem Frobenianæ editiones, juxta Eraſmi collectionem.

CAPVT TERTIVM.
DE EDITIONE OPERVM D. AVGVSTINI, A THEOLOGIS LOVANIENSIBVS FACTA.

NVnquam ſatis laudanda Theologorum Lovanienſium opera & ſtudium, a quibus libri omnes Auguſtini, poſt Eraſmi editionem, accuratiſſime expenſi atque editi ſunt: quorum labor anno 1577. Antverpiæ primum apud Chriſtophorum Plantinum Catholici Hiſpaniarum Regis typographum Tomis X. in folio prodiit.

In Tomo primo corrigendo Martinus Baccius Tiletanus laboravit, qui poſtea Aloſtenſis Paſtor fuit.

In ſecundo ſeu Epiſtolis Jacobus Bajus Melunenſis, Collegii Sabaudiæ apud Lovanium Præſes, operam poſuit. In Additamento Epiſtolarum Auguſtini ex Vrbe transmiſſo, Joannes Gravius Lovanienſis, & Soc. Jeſu ſacerdos theologus.

In Tomo tertio Henricus Cnickius Culemburgenſis, Lovanii Ethices profeſſor.

In quarto Tomo Embertus Everards Arendoncanus, Eccleſiæ D. Jacobi paſtor, & concionator celebris.

In quinto Tomo, qui Libros *de Civitate Dei* continet explanando, alii quidem multo antiquiores, inter quos Nicolaus Triveth & Thomas Wallenſis ſeu Gualenſis, nam de Ludovico Vives jam dictum eſt, quem emendatione indigentem opinati Lovanienſes, multis in locis fœde mutilarunt. De emendando denique

Libro-

Librorum de Civitate Dei contextu, ex aliis pluribus & ſanioribus Codicibus Theologi Lovanienſes deliberarunt, inter quos Petrus Coretus Athenſis primarius fuit, qui Paſtor deinceps & profeſſor Criſpinienſis extitit.

In ſexto Tomo Chriſtophorus Broide Arienſis, qui paulo poſt ad Arienſis Eccleſiæ Decanatum vocatus eſt.

In ſeptimo Tomo qui pluribus mendis ſcatebat, Henricus Gravius Lovanienſis, Regius profeſſor, ſumma cum cura atque induſtria operam contulit.

In octavo Tomo Claudius Porta Bapalmenſis, qui poſtea Bianctriæ Paſtorem & Canonicum egit.

In nono Tomo Guillelmus Eſtius Gorcomius, Batavus, ſcriptis operibus notiſſimus. Qui omnes a Facultate Theologica Lovanienſi, publicum eruditionis ſuæ teſtimonium habebant.

In decimo Tomo Regulares Canonici S. Martini Lovanii operam ſuam contulerunt: quem in Tomum jampridem apud eos Martinus Lipſius Bruxellenſis, ejusque diſcipuli Joannes Coſterius & Joannes Vilmerius Lovanienſes, operam magni laboris egerant. Quin & Joannes Vilmerius in editionem hanc Auguſtini a Lovanienſibus procuratam, varios a ſe repertos D. Auguſtini Sermones nondum editos contulit, multos etiam antea latentes ex Cambronæ MSS. Codicibus ſtudioſe tranſcripſit.

Præmiſit autem Joannes Molanus, libris Auguſtini atque tractatibus *retractationem* ipſius: aut ſi illa deerat, brevem cenſuram multorum Theologorum ſententia confirmatam. Quæ autem manifeſte deprehenſa *Auguſtini non eſſe* conſtabat, illa cenſuris præmiſſis in *Appendicem* Tomi cujusque reponenda cenſuit. Addita eſt Joannis Heſſelii doctiſſimi Theologi *cenſura manuſcripta* in novem Tomos, & Martini Lipſii in Tomum decimum, quæ magno uſui fuerunt. Adjuncti etiam Molanio Socii & adjutores fuerunt a Collegio Doctorum Theologorum Lovanienſium, Henricus Gravius & Laurentius alter Weſterhovius, multæ eruditionis viri, quorum calculo quæſtiones terminabantur. Hi Lovanienſes Antverpianæ Operum D. Auguſtini editionis, adjutores fuerunt.

Præmittuntur huic Antverpienſi Plantinianæ anni 1577. editioni, velut præludia, *Vita S. Auguſtini & Indiculus librorum & tractatuum illius*, authore Poſſidio Calamenſi Epiſcopo, ipſius olim diſcipulo, qui *Vitæ* cap. ultimo, ſe cum ipſo annos fere 40. familiariter vixiſſe aſſerit. Deinde *Indices quatuor* magna diligentia adjecti, quorum *primus* in Sectiones tres diſtinguitur. *Prima* librorum omnium nomina & capita juxta ſeriem Tomorum decem, una cum Appendicibus ſtellula notatis continet. *Secunda* libros eosdem & eorum capita, ſeriemque Alphabetico ordine complectitur. *Tertia* rurſum nomina librorum, initiaque titulorum, & argumenta capitum omnium dilucide narrat. *Secundus Index* rerum & ſententiarum, juxta Alphabeticum ordinem. *Index tertius* in tres ſectiones diſtinctus, ex quibus *prima* loca Scripturarum ſacrarum citata, ad formam veteris & novi Teſtamenti diſpoſita continet. *Secunda* Scripturarum inter ſe pugnantium loca aliquot conciliata, eodem ordine librorum ſervato, propoſuit. *Tertia* Scripturarum, quibus Eccleſia Dominicis ac Feſtivis, & aliis quibusdam certis diebus, ad formam Miſſalis Romani ac Breviarii jam caſtigati, explanationum loca complectitur. *Quartus Index* additus eſt, eorum quæ ab Auguſtino inſignius ſcripta ſunt, ordine literarum, fideliter digeſtus. Continentur autem Auguſtini Operum

Tomo primo.

1 *Retractationum libri duo*
2 *Confeſſionum libri 13.*
3 *Grammatica.*
4 *Dialectica principia.*
5 *Categoriæ decem.*
6 *Principia Rethoricæ, Geometriæ, Arithmeticæ, Philoſophiæ.*
7 *De Muſica libri 6.*
8 *Contra Academicos libri 3.*
9 *De ordine* [illegible] *2.*
10 *De Vita beata liber.*
11 *Soliloquiorum libri 2. De cognitione Dei & animâ.*
12 *De Magiſtro liber.*
13 *De anima immortalitate.*
14 *De quantitate animæ.*
15 *De libero arbitrio libri 3.*
16 *De vera religione liber.*
17 *De moribus Eccleſiæ Catholicæ liber.*
18 *De moribus Manichæorum liber.*
19 *De Geneſi contra Manichæos libri 2.*
20 *Regula S. Auguſtini ſeminis data, non viris*, ex epiſtola 109. Meminitque Poſſidius in *Indiculo*, quam *Sanctimonialibus objurgationem & regulam* vocat. Neque vero difficile fuit, titulum & pronomina atque adjectiva ex fœmineo genere in maſculinum immutare, ut viris quoque prodeſſet. Ejus quoque S. Bernardus meminit, eamque Hugo Victorinus commentario illuſtravit; quam pariter adverſus Eraſmum, ſub finem Tomi 1. editionis Pariſienſis 1586. defendit Richardus Cenomanenſis, Theologus Pariſienſis, ſed rationibus admodum infirmis.

In Appendice Tomi I.

1 *Regula Clericis tradita* fragmentum. Negatur eſſe Auguſtini, tam ex ſtilo, quam communi Doctorum conſenſu.

2 *Regula Secunda*, cujus eadem eſt ratio ac præcedentis.

3 *Liber de vita Eremitica ad Sororem.* Incerti authoris eſt, qui SS. patres Benedictum & Gregorium allegat, nec ab Eraſmo editus habetur.

mul-

multaque vocabula B. Auguſtino incognita & inconſueta habet.

Tomo Secundo.

Epiſtolæ tum Sancti Auguſtini ad alios, tum aliorum ad ipſum, numero CCLXXI quarum ſeptem duntaxat in *Retractationibus* exerte memorantur. Notandum tamen cum Bellarmino, Sanctum Auguſtinum Lib. 2 *Retractationum* ſub finem monuiſſe, non fuiſſe Epiſtolas ac Sermones omnes a ſe in Retractationibus comprehenſos.

In Appendice Tomi II.

1 *Epiſtolæ XVI mutuæ S. Auguſtini & Bonifacii breviſſimæ.* Quas abjudicavit Auguſtino Erasmus, antiquas eſſe fatetur. Item Bellarminus & Lovanienſes, quibus multum a vena & ſtilo Auguſtiniano diſcrepare videntur, atque ab aliquo exercendi ſtyli gratia confictæ. Baronius in Annalibus ad annum 427 num. 7 forte mutato ſtylo ab S. Auguſtino ad Bonifacium R. I. perduellem ſcriptas eſſe aſſerit, aut certe ab aliquo Africanorum Epiſcoporum, Aurelio vel Alipio.

2 *Epiſtola ad Demetriadem.* Eſt Pelagii vel certe Juliani Pelagiani, ſive alterius, ut ex Auguſtini *Epiſtola 145 ad Julianam Demetriadis matrem* intelligitur ex Libro *de gratia Chriſti*, ex Proſperi Epiſtola ad eandem Virginem, ex Beda lib. 1. in Cantica, & communi Doctorum conſenſu.

3 & 4 *Auguſtini ad Cyrillum de laudibus Hieronymi, & Cyrilli ad Auguſtinum de ejusdem obitu atque miraculis.* Suppoſititiæ ſunt, ut Lovanienſes docent, Bellarminus, Poſſevinus, vulgoque alii omnes.

Tomo tertio.

1 *De doctrina Chriſtiana libri 4.*
2 *Locutionum ſacræ Scripturæ lib. 7.*
3 *De fide & Symbolo liber.*
4 *Enchiridion ad Laurentium de fide, ſpe & charitate.*
5 *De Trinitate Libri 15.*
6 *De Geneſi ad litteram imperfectus liber.*
7 *De Geneſi ad litteram libri 12.*
8 *De agone Chriſtiano.*
9 *De Opere Monachorum.*
10 *De Spiritu & littera ad Marcellinum* tom. VII habetur.
11 *De divinatione Dæmonum.*
12 *Speculum ex utroque Teſtamento.*

In Appendice Tomi III.

1 *De Eccleſiaſticis Dogmatibus*, ſive *de definitionibus Orthodoxæ fidei*, eſt Gennadii Maſſilienſis Presbyteri, ut ex Hadriano Papa I. in Epiſtola ad Carolum Magnum, Walafride Strabone, Algero, Magiſtro Sententiarum, D. Thoma Aquinate, Platina, aliisque conſtabit. Capita quæ ſequuntur XXI usque ad LI non in MSS. Codicibus reperiuntur, ut Lovanienſes teſtantur, quos conſule, cum Gebehardo Elmenhorſtio, qui anno 1614 opuſculum iſtud cum Notis edidit.

2 *De fide ad Petrum Diaconum*, ſive *Regula veræ fidei*, eſt Sancti Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, ut Lovanienſes, Bellarminus, Theophilus Raynaudus, aliique teſtantur.

3 *De mirabilibus ſacræ Scripturæ libri tres.* Hos ſancto Auguſtino abjudicant D. Thomas, Lovanienſis, Bellarminus, aliique. Incertus author poſt annum 530 aut etiam 700 vixiſſe perhibetur, cum lib. 2 cap. 4 *cyclorum* meminerit. S. Marchiano Hiberno aſſerit Henricus Firthſimon Jeſuita Theologus, in *Catalogo Sanctorum Hiberniæ*, qua fide ipſe viderit. Diſſentit enim Waræus lib. I *de Scriptoribus Hiberniæ* pag. 26 quia in eo fit mentio obitus Manichæi Sapientis Hiberni, quem ipſe haud dubiis indiciis, illum ipſum eſſe Manchianum ſeu Marchianum Abbatem exiſtimat.

4 *De Spiritu & anima.* Cujus author incertus Boëthium citat, anno 526 ut Miræus ſcribit, die 23 Octobris, juſſu Theodorici Regis occiſum. Item nonnulla profert ex libro *de Eccleſiaſticis dogmatibus.* Inter libros Hugonis de Sancto Victore enumerat Joannes Trithemius, denique Ciſtercienſi cuidam tribuit S. Thomas Opuſculo 72 quæſt. unica *de anima* art. 12 ad primum.

5 *Quæſtiuncula de Trinitate numero XXXIII.* ex libris ejusdem *de Trinitate* excerptæ ſunt.

6 *Interrogatio de benedictionibus filiorum Jacob*, decerpta incerto authore, ex libro *Quæſtionum Hebraicarum in Geneſim* S. Hieronymi, omiſſis aut immutatis aliquot verbis.

7 *Proſperi Aquitani Sententiarum 388 ex Operibus Sancti Auguſtini excerptarum liber*, quæ eædem cum Operibus Sancti Proſperi, tum ſeorſim impreſſæ reperiuntur.

Tomo quarto.

1 *De mendacio ad Conſentium, liber.*
2 *Contra mendacium ad eundem Conſentium.*
3 *De fide & operibus.*
4 *Quæſtionum in Heptateuchum libri 7.*
5 *Quæſtionum Evangelicarum libri 2.*
6 *Quæſtionum Evangelicarum ſuper Matthæum liber 1.*
7 *De conſenſu Evangeliſtarum libri 4.*
8 *Octoginta trium quæſtionum liber.*
9 *De diverſis quæſtionibus ad Simplicianum libri 2.*
10 *De octo Dulcitii quæſtionibus liber*, de quo Eraſmi cenſura ineptiſſima eſt.
11 *De cura pro mortuis gerenda ad Paulinum Epiſcopum.*
12 *De catechizandis rudibus.*
13 *De continentia liber.* Invenitur in *Indiculo* Poſſidii, citatur a Beda vel Floro, aliisque, quem etiam Joannes Trithemius recenſet: ideoque juxta Labbeum iratum & iniquum, cenſura Eraſmi contraria, ſimiliumque, irridetur a Doctis.

14 *De*

Digitized by Google

14 *De patientia*, cujus eadem est ratio, ac tractatus præcedentis, juxta Labbeum.

15 *De bono viduitatis*, quem Possidius agnoscit & Florus sæpissime citat. Erasmus & Hosius Juliano opus illud tribuere videntur, Pamelius velut incerti authoris allegat. Labbeus cum Lovanienſibus, Bellarmino, aliisque Pontificiis, esse Augustini censet, quem nec tricæ Riveti deterrent, inquit.

16 *De Sermone Domini in monte libri 2.*

17 *Expositionis Epistolæ Sancti Pauli ad Romanos inchoata liber unus.*

18 *Expositio quarundam Propositionum ex eadem Epistola ad Romanos.*

19 *Liber Expositionis Epistolæ Sancti Pauli ad Galatas.*

20 *Annotationum in Job liber unus.* Quem S. Augustinus ita se depravatum vitio librariorum deprehendisse asserit, ut illum pro suo agnoscere vix auderet.

In Appendice Tomi IV.

1 *Liber viginti unius Sententiarum, sive Quæstionum*, quem Augustino abjudicant quoque Erasmus, Bellarminus, & alii.

2 *Sexaginta quinque Quæstionum Dialogus*, sub persona Orosii interrogantis & Augustini respondentis, qui ex consensu omnium, Augustini non est.

3 *Quæstiones Veteris & Novi Testamenti*, non sunt Sancti Augustini, ut facile omnes consentiunt, quamvis sub illius nomine reperiantur citatæ ab Episcopis anno 824 Lutetiæ Parisiorum congregatis, & quibusdam aliis.

4 *Libri duo de Incarnatione Verbi*, sive *de Deitate & Incarnatione Verbi ad Januarium*, non sunt Augustini.

5 *De Trinitate & Unitate Dei liber*, non Augustini est.

6 *De essentia Divinitatis*, rejicitur velut excerptum quoddam ex libris 3 *De formulis Spiritualis intelligentiæ* Sancti Eucherii Lugdunensis Episcopi.

7 *De fide rerum invisibilium liber*, consutus est ex diversis S. Augustini Operum Sententiis.

8 *De Substantia dilectionis & amoris*, neque Augustinum olet, quem Lovanienses, cujuscunque sit, opusculum pium esse censent.

9 *De vera & falsa pœnitentia ad Christi devotam.* Non esse Sancti Augustini sentiunt Trithemius, Lovanienses, Bellarminus & quidam alii, nonnullis tamen Catholicis refragantibus.

10 *Exhortatio de salutaribus documentis ad Comitem quendam*, cujus author incertus, pietatem non vulgarem spirat.

11 *De amicitia liber*, Augustino indignus.

Tomo quinto.

Libri XXII de Civitate Dei contra Gentes ad Marcellinum, de quibus vide Augustinum libro 2 *Retractationum* cap. 43.

Appendicis vice

Sequuntur in editione ista, in hosce 22 libros, Commentaria Joannis Ludovici Vivis Valentini, ad Henricum VIII Angliæ Regem, quorum tamen nonnulla truncata sunt ex censura Facultatis Theologicæ Lovanienſis, quæ Pontificiis ingrata videbantur.

Tomo sexto.

1 *De hæresibus liber ad Quodvultdeum*, cui a Gennadio hæreses IV additæ, Nestoriana, Eutychiana, Timotheana & Prædestinatiana: qua de re Sirmondus omnino videndus in *Historia Prædestinatiana hæreseos* elegantissima atque omnium Doctorum consensu doctissima. Unde miratur Labbeus, qui factum sit, ut in editione Antverpiana Theologorum Lovanienſium studio anno 1577 in folio procurata, sola ex quatuor hæresibus, quæ in MSS. Codicibus additæ reperiuntur, Prædestinatiana omissa fuerit, relictis cæteris Augustini ætate inferioribus.

2 *De quinque hæresibus oratio*, sive *Liber contra quinque hostium genera.* De cujus libri cap. 5 multa citat Florus inter Opera Bedæ impressus, in caput 1 Epistolæ S. Pauli ad Romanos. Ildefonsus aut quisquis alius auctor Libri *de Virginitate & parturitione sanctæ Mariæ Virginis*, illud opus S. Chrysologo tribuit. Verum enim in Indiculo Possidii & apud Trithemium reperiatur, disputationi locus superesse non amplius videtur, quidquid Erasmus sentiat.

3 *Concio ad Catechumenos contra Judæos, Paganos & Arrianos*, cum in Indiculo Possidii legatur, recte Bellarminus judicat eandem Augustini vere esse.

4 *Oratio contra Judæos*, cujus eadem est opinio, eo quod in Indiculo Possidii inveniatur.

5 *De utilitate credendi ad Honoratum.*

6 *Contra Epistolam Manichæi, quam vocant fundamentum.*

7 *De duabus animabus contra Manichæos.*

8 *Contra Fortunatum Manichæorum Presbyterum.*

9 *Contra Adimantum Manichæi discipulum.*

10 *Adversus Faustum Manichæum libri XXXIII.*

11 *De actis cum Felice Manichæo libri duo.*

12 *Contra Secundinum Manichæum.*

13 *De natura boni contra Manichæos.*

14 *De fide seu Unitate Trinitatis contra Manichæos.* Mirum profecto nulli esse debet, quod nec in *Retractationibus*, neque in *Indiculo* Possidii sit, cum ad Evodium Vzalensem Episcopum pertineat, ut evicit Sirmondus *Historiæ Prædestinatianæ* cap. 1. ex fide MSS. Codicum, præcipue Corbejensis. Ejusdem autem Evodii extant Epistolæ aliquot inter Augustinianas, ut in Codice MS. Sancti Maximini Treviris, una ad Valentinum Abbatem & Monachos Adrumetinos, cujus fragmenta loco citato Sirmondus edidit.

15 *Contra adversarium Legis & Prophetarum libri 2.*

16 *Contra Priscillianistas & Origenistas ad Ore-*

ſium, cujus Commonitorium ſive Conſultatio præmittitur.

17 *Sermo Arrianorum numeris XL diſtinctus.*

18 *Contra Sermonem Arrianorum.*

19 *Contra Maximinum Arrianorum Epiſcopum libri 3.* Sunt in *Indiculo* Poſſidii, & citantur in Epiſtola Agathonis Papæ in Concilio VI generali recitata, & a Floro Lugdunenſi, inter Opera Bedæ.

20 *Contra Felicianum Arianum de Vnitate Trinitatis ad Optatum.*

21 *De bono conjugali adverſus Jovinianum.*

22 *De ſancta Virginitate.*

23 *De adulterinis conjugiis ad Pollentium libri 2.*

24 *De Epicureis & Stoicis tractatus.*

25 *De eo quod ſcriptum eſt*, Ego ſum qui ſum. Cum hoc opuſculum & ſuperius, ſermones ſint potius, quam tractatus, recte Bellarminus admonet, nec in *Retractationibus*, nec in *Indiculo* reperiri. Citatur tamen inter Opera Bedæ, a Floro Lugdunenſi in caput 1 Epiſtolæ prioris ad Corinthios.

In Appendice Tomi VI.

De altercatione Eccleſiæ Dialogus. Rejicitur quoque a Bellarmino, quod nec in *Retractationibus* nec in *Indiculo* reperiatur, nec ab ullo bono authore teſtimonium habeat, neque phraſim Auguſtini ſapiat. Eraſmus elegantem vocat, ab aliquo aulico vel Jurisconſulto ſcriptum.

Tomo ſeptimo parte prima contra Donatiſtas.

1 *Pſalmus contra partem Donati.*

2 *Contra Epiſtolam Parmeniani Donatiſtarum Epiſcopi, libri 3.*

3 *De baptiſmo contra Donatiſtas libri 7.*

4 *De unico baptiſmo contra Petilianum Donatiſtarum Antiſtitem.*

5 *Contra literas ejuſdem Petiliani libri 3.*

6 *De unitate Eccleſiæ contra ejuſdem Petiliani Epiſtolam.*

7 *Contra Creſcentium Grammaticum libri 4.*

8 *Breviculus Collationum cum Donatiſtis.*

9 *Epiſtola nomine Cirtenſis Concilii ad Donatiſtas.*

10 *Poſt Collationem ad Donatiſtas.*

11 *Sermo ad plebem Eccleſiæ Cæſarienſis de Emerito.*

12 *De geſtis cum eodem Emerito Cæſarienſi Donatiſtarum Epiſcopo.*

13 *Contra Epiſtolas Gaudentii Donatiſtarum Epiſcopi libri 2.*

In Appendice primæ partis Tomi VII.

Contra Fulgentium Donatiſtam Dialogus, incerti authoris. Neque enim in *Retractationibus*, neque in *Indiculo* Poſſidii mentio ejus ulla eſt, nec ſub nomine Auguſtini ab aliquo vetere ſcriptore allegatur. De quo vide quoque quid Bellarminus ſcribat, in Opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.*

Tomo ſeptimo parte ſecunda contra Pelagianos.

1 *De peccatorum meritis & remiſſione ad Marcellinum libri 3.*

2 *De ſpiritu & anima ad eundem.*

3 *De natura & gratia contra Pelagianos.*

4 *De gratia Chriſti & de peccato originali contra Pelagium & Cæleſtium libri 2.*

5 *De nuptiis & concupiſcentia ad Valerium Comitem libri 2.*

6 *Contra Julianum Pelagianum libri 6.*

7 *Contra duas Epiſtolas Pelagianorum ad Bonifacium Romanæ urbis Epiſcopum libri 4.*

8 *De anima & ejus origine libri 4.*

9 *De perfectione juſtitiæ contra Cæleſtium.*

10 *De gratia & libero arbitrio ad Valentinum & cum illo Monachos.*

11 *Epiſtola duæ ad eundem.*

12 *De correptione & gratia ad eundem.*

13 *Epiſtola duæ ad Sanctum Auguſtinum*, altera, Proſperi Aquitani, altera Hilarii Galli, qui in titulo a Lovanienſibus aliisque præfixo, mendoſe Arelatenſis Epiſcopus inſcribitur; utraque autem *de reliquiis Pelagianæ hæreſeos in Gallia Maſſilienſi ſuboleſcentibus.*

14 *De prædeſtinatione Sanctorum ad eosdem Proſperum & Hilarium.*

15 *De dono perſeverantiæ ad eosdem.*

In Appendice partis ſecundæ Tomi VII.

1 *Sancti Proſperi libri quatuor Reſponſionum adverſus calumniatores doctrinæ S. Auguſtini de gratia Dei*, quem contra veterum ſcriptorum fidem, *Epiſcopum Regienſem* in Gallia, perperam Lovanienſes vocant.

2 *Cæleſtini Romani Pontificis pro B. Auguſtino ad Epiſcopos Galliarum Epiſtola.*

3 *Concilium Arauſicanum II adverſus revivi ſcentes per Gallias Pelagianæ hæreſeos errores*, non ſeculo quinto, vel ſub Sancto Leone, aut ejus Succeſſore Hilaro celebratum, ſed anno 529 præſide S. Cæſario Arelatenſi Archiepiſcopo.

4 *Contra Pelagianos Hypognoſticon libris 6* incerti authoris, quos S. Auguſtino fuiſſe falſo adſcriptos, jam olim Lugdunenſes ſeculo 9 docuerunt, aut quisquis eſt author operis *Adverſus Joannem Scotum Erigenam*, & libri *de tribus Epiſtolis*, de quibus vide Lovanienſes & Bellarminum.

5 *Liber de prædeſtinatione & gratia*, eſt S. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, ut erudite adverſus Lovanienſes & quosdam alios refragantes, Jacobus Sirmondus Soc. Jeſu probavit in Præfatione ad librum illum, cum aliis S. Fulgentii opuſculis, Pariſiis anno 1613 in 8 apud Sebaſtianum Cramoiſy editum. Alter quoque Theophilus Raynaudus in Cenſura pro Sancto Valeriano Cemalienſi Epiſcopo, ac ſimilibus antiquis Scripto-

Digitized by Google

ptoribus, temere de Pelagianiſmo ſuſpectis & accuſatis.

6 *De prædeſtinatione Opuſculum*, quod Auguſtini non eſſe contendit Bellarminus, quia neque in *Retractationibus*, nec in *Indiculo* Poſſidii eſt, doctrinæque S. Auguſtini repugnare videtur.

Tomo octavo.

Præfatio cujuſdam in Commentarios ſancti Auguſtini in Pſalmos. Item *Prologus alter in librum Pſalmorum cum Enarrationibus in Pſalmos CL. Davidis.* Hic alter Prologus eſt Sancti Baſilii, ab aliquo e Græcis in Latinam linguam translatus. Opus iſtud variis temporibus & locis compoſitum fuit, Pſalmos enim S. Auguſtinus, prout loca, tempora, res & perſonæ ſuggerebant, modo publice ſermocinando, modo dictando expoſuit. Pſalmum vero CXVIII ultimo loco, rogantibus id amicis elucidavit.

Tomo nono.

1 *In Evangelium S. Joannis Apoſtoli Expoſitio ſeu Tractatus CXXIV.*

2 *In Epiſtolam primam S. Joannis Expoſitio ſeu Tractatus X.*

3 *De decem chordis*, qui liber eſt in *Indiculo* Poſſidii, & a Floro Lugdunenſi Diacono inter Opera Bedæ citatur.

4 *De Paſtoribus*, in caput 34 Ezechielis.

5 *De ovibus*, in idem caput ejusdem Prophetæ.

6 *De Symbolo vel Regula fidei ad Catechumenos Libri 4.*

Tractatus quatuordecim de diverſis argumentis.

1 *De diſciplina Chriſtiana vel de bono diſciplinæ.*

2 *De Cantico novo & de reditu ad cœleſtem patriam ac vitæ periculis.*

3 *De quarta feria, ſive cultura agri Dominici.*

4 *De Cataclyſmo.*

5 *De tempore barbarico.*

6 *De quatuor virtutibus charitatis*, idem Tomo X cum Sermone 46 de Tempore.

7 *De laudibus charitatis*, idem cum Sermone 39 de Tempore.

8 *De honeſtate mulierum*, idem cum Sermone 250 de Tempore.

9 *De convenientia decem præceptorum & decem plagarum Ægypti.* Vide *Indiculum* Poſſidii atque Enarrationem ipſius S. Auguſtini in Pſalmum 77. Item Fragmenta Tomi X ex Eugippio Abbate.

10 *De utilitate jejunii*, qui a Poſſidio recenſetur.

11 *De Vrbiexcidio*, citatur inter Opera Bedæ, a Floro Lugdunenſis Eccleſiæ Diacono, in caput X Epiſtolæ prioris ad Corinthios.

12 *De pugna animæ*, de qua vide extremam partem Sermonis 43 *de verbis Domini.*

13 *De utilitate pœnitentiæ* eſt homilia 27 inter Homilias quinquaginta Tomi decimi.

14 *Pſalterium quod matri ſuæ compoſuit.*

15 *Meditationum liber*, cujus vel ipſe author creditur, vel qui libros ejus aſſidue legerat.

In Appendice Tomi IX.

1 *Expoſitio in Apocalypſim Joannis*, ſeu *Homilia XVIII* quam male Tichonio nonnulli adtribuunt.

2 *De diligendo Deo liber*, qui & *Meditationum* inſcribitur, pius quidem, ſed ab Auguſtini phraſi alienus.

3 *Soliloquia* quæ incipiunt *Cognoſcam te Domine cognitor meus &c.* de quibus vide Lovanienſium cenſuram.

4 *Manuale*, collectum magna ex parte a ſuperioribus libellis atque aliis.

Tractatus vigintiquatuor de diverſis argumentis.

1 De triplici habitaculo, qui nomine S. Fulgentii citatur a S. Bonaventura *Soliloquiorum* cap. 4 quem incerti auctoris eſſe Lovanienſes profitentur.

2 *Scala paradiſi*, quæ etiam inter Opera S. Bernardi verſatur.

3 *De duodecim abuſionibus* ſeculi, cujus auctor ignoratur.

4 *De contritione cordis*, cujus author etiam incognitus eſt.

5 *De cognitione vera vitæ*, qui a Thoma Argentinate in 2 Diſt. 37 Sancto Anſelmo tribuitur, nempe quæſtione 1 art. 2 in corpore, ut monuit Theophilus Raynaudus.

6 *De Speculo* tractatus manifeſte ſuppoſititius, tum quod in eo verſus Boëthii afferantur, tum quod Spiritus Sanctus a Filio procedere negetur.

7 *De vita Chriſtiana*, cujus author perhibetur Faſtidius Britannus Epiſcopus, ſcriptus ad Sororem, id eſt, fœminam piam quæ vidua erat.

8 *De aſſumptione B. Mariæ*, de quo Baronius videndus ad annum Chriſti 48 num. 27

9 *De contemptu mundi*, cujus author incertus.

10 *De vanitate ſeculi*, cujus ignotus pariter author.

11 *De obedientia & inobedientia* ſcriptoris incerti.

12 *De bono diſciplinæ.* Jacobus Sirmondus poſt Melchiorem Goldaſtum, docuit authorem eſſe S. Valerianum Cemelienſem in Gallia Epiſcopum, qui poſterior nominatus eſt, cujus Homilias XX in lucem edidit Pariſiis 1612 in 8.

13 *De viſitatione infirmorum.*
14 *De eodem argumento.*
} utrumque Opuſculum authoris incerti.

15 *De conſolatione mortuorum*
16 *De eodem argumento*
} cujus utriusq; author ignoratur.

17 *De ſobrietate & virginitate*, authoris incogniti.

18 *Speculum peccatoris*, ignoti etiam Scriptoris.

19 *De conflictu vitiorum & virtutum*, qui nec S. Auguſtini, nec S. Leonis eſt, ſed authoris poſterioris, nempe Iſidori Hiſpalenſis, qui Regulam S. Benedicti allegat, ac ſtilum ab Auguſtini charactere dicendi, diſſimillimum omnino habet.

20 *De rectitudine Catholica converſationis*, eſt concio S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi, cujus ſanctus Audoënus Rothomagenſis Archiepiſcopus lib. 2 cap. 18 Vitæ S. Eligii meminit, uti obſervavit Sirmondus in Notis ad Concilium Antiſſiodorenſe, Tomo 1 Conciliorum Galliæ.

21 *De creatione primi hominis*, fragmentum authoris incerti.

22 *De arbore ſcientiæ boni & mali*, opuſculum quod Auguſtini eſſe non videtur.

23 *De Antichriſto* recentioris authoris eſt, meminit enim Imperii a Græcis ad Francos translati, nec deſunt qui Rhabano Moguntinenſi Archiepiſcopo tribuunt.

24 *Super Magnificat Canticum Mariæ Virginis*, incerti authoris.

Tomo decimo.

1 *Sermones de verbis Domini, ſive de verbis Evangelii LXIV.*

2 *Sermones de verbis Apoſtoli & aliorum, & de actibus Apoſtolorum XXXV.*

3 *Liber quinquaginta homiliarum.*

4 *Sermones de Tempore CCLVI.*

5 *Sermones de Sanctis LI.*

6 *Sermones XVII.* ex quibus ſeptem de Tempore, & X de Sanctis in editione Pariſienſi 1531 primum editi ſunt.

7 *Sermones de diverſis numero CXXIII* a Theologis Lovanienſibus additi.

8 *Fragmenta operum S. Auguſtini numero XXVII* ex primo & ſecundo tomo *Theſauri* ſeu *Collectionum Eugippii Abbatis* ad Probam Virginem, atque ex Commentariis Flori Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconi in Epiſtolas Pauli ex verbis Auguſtini, inter Opera Bedæ ſub Bedæ nomine impreſſis.

In Appendice Tomi X.

1 *Epiſtola Aviti Presbyteri de reliquiis B. Stephani primi Martyris.*

2 *Epiſtola Luciani Presbyteri de revelatione reliquiarum S. Stephani & aliorum Sanctorum.*

3 *De miraculis beatiſſimi Protomartyris Stephani libri 2.* juſſu Evodii Vzalenſis Epiſcopi conſcripti, quam ob rem illi nonnunquam in MSS. Codicibus attribuuntur.

4 *Translatio corporis Protomartyris Stephani ab Hieroſolyma ad Conſtantinopolitanam urbem*, authore incerto.

5 *Appendix Sermonum de Verbis Domini & Apoſtoli, de Tempore & de Sanctis*, num. LXXXVI.

6 *Sermones LXXVI ad fratres in Eremo commorantes, & quosdam alios.* Sub nomine Auguſtini ab impoſtore aliquo ſemilatino conficti ſunt, qui SS. Auguſtini, Cæſarii, Gregorii, & aliorum verba identidem immiſcet. Ab Apoſtolico Conſervatore Rhegii anno 1414 damnatos & repudiatos ferunt, eosque pluribus exagitant Joannes Maubuonus in *Venatorio Canonicorum Regularium*, Cardinalis Baronius annis 382 & 385. Bellarminus, qui inter cætera ſcribit, phraſim horum Sermonum (duobus *de communi vita Clericorum* qui 52 & 53 reperiuntur, exceptis, & inter diverſos S. Auguſtini a Lovanienſibus additos, ordine 49 & 50 numerantur) impropriam eſſe, lutulentam, ineptam: ut mirum ſit potuiſſe Sermones ejusmodi S. Auguſtino ab aliquo viro prudente attribui, ut reliquos prætermittam, qui in Farraginem hanc gravius invehuntur. An vero Galloflander declamator aliquis, quod Martinus Lipſius in editione Lovanienſi iſta, ex phraſibus quibusdam & dictionibus ſuſpicabatur; quove tempore & ætate eos fabricaverit, mihi nondum plane compertum. Hæc Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quos Bellarminus attigit, Tomo 1 verbo *Aurelius Auguſtinus*, pag. mihi 167.

7 *De Vita, converſatione ac morte Sanctæ Monicæ matris S. Auguſtini*, narratio authoris incerti.

8 *Oratio de Paſſione Domini noſtri Jeſu Chriſti*, quam ſanctus Auguſtinus edidiſſe fertur, pro qua diligentius dicenda Bonifacius VIII indulgentias dediſſe fertur.

Idem Labbeus in *Addendis & corrigendis* pag. 714 ſcribit, ſe nondum vidiſſe *Dulciloquiorum ſancti Auguſtini libros tres*, quos ex bibliothecæ Romersdorpianæ vetere MS. exemplari, primum editos Herbornæ anno 1592 in 12 a viris fide dignis accepit.

Porro hæc editio Operum D. Auguſtini Plantiniana Antverpiæ 1577 recuſa variis in locis, nempe Venetiis 1584. decem Tomis in 4. apud Valgriſium. Pariſiis 1586. 1603. 1609. 1614 ſub ſigno Magnæ Navis. Coloniæ 1616. Pariſiis denique 1626. 1635. 1652. Lugduni 1664.

CAPVT QVARTVM.

DE SVPPLEMENTO OPERVM DIVI AVGVSTINI.

PRæcipuas ac pene omnes Operum S. Auguſtini editiones, præſertimque omnium confeſſione, præſtantiſſimas tres, Baſileenſem 1529 Frobenianam, Antverpienſem 1577 Plantinianam, & Pariſienſem anni 1586 ſub ſigno Magnæ Navis, ſtudio diligenti, ſervataque temporum ſerie collectas reperiet, curioſus harum rerum lector, in Præfatione *Supplementi præcedentium S. Auguſtini editionum*; quod publicæ omnium eruditorum utilitati, Hieronymus Vignier Bleſen-

ſenſis, Congregationis Oratorii D. N. Jeſu Chriſti Presbyter, eruditione ac pietate clariſſimus, duobus in fol. tomis anno 1654 Pariſiis edendum curavit, quorum hic tenor eſt.

Tomo primo Supplementi.

Extant *Sermones novi XL de variis argumentis*, a Jacobo Sirmondo anno 1630 cum Notis primum editi, quorum nonnullos in dubium revocare videtur Andreas Rivetus.

Sermones de diverſis numero CXXIII. ſtudio Lovanienſium Theologorum anno 1577 additi, omnibusque eruditis probati, quibus ſubjunguntur *Homilia undecim* a Pariſienſibus in editione anni 1614 ex MS. Codice Majoris Carthuſiæ bibliothecæ editæ, atque *alia tredecim* ex MSS. Pithœanis.

Item *Brevis Expoſitio Symboli.*

In Kalendas Januarias.

De Kalendis Januariis.

Ante Altare ad infantes de Sacramento.

Sermones ſex Romæ ex bibliothecis Vaticana & Barberina anno 1644 a Joanne Baptiſta Maro primum editi.

Tractatus de ſeptem vitiis & ſeptem donis Spiritus Sancti, a Guillelmo Camerario Scoto, primum anno 1634 cum quibusdam B. Fulgentii opuſculis vulgatus.

De geſtis Pelagii contra adverſarios gratiæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, Auguſtæ Vindelicorum anno 1615 in 8. primum editus ex MS. Codice Abbatiæ Feſulanæ, cujus Operis germanitatem, omni exceptione majores teſtantur, ipſe S. Auguſtinus lib. 2. *Retract.* cap. 47 Poſſidius in *Indiculo* cap. 4 Photius in *biblioth.* Codice 54 aliique.

Epiſtolæ circiter LX. quæ ante editionem Antverpienſem anni 1577 opera Theologorum Lovanienſium procuratam, in editionibus Baſileenſibus, Pariſienſibus & Lugdunenſibus omiſſæ fuerant.

Speculum S. Auguſtini in Scripturam ſacram, diverſum ab eo quod jampridem apparuerat, & tunc primum ex apographo Bibliorum MSS. Theodulphi Aurelianenſis Epiſcopi vulgatum.

Tomo ſecundo Supplementi.

Contra Julianum hæreticum Pelagianum Operis perfecti, ſive Reſponſionis poſtremæ libri ſex, ex MS. Codice Claravallenſi in lucem producti: cum duo tantum illique imperfecti admodum, Pariſiis anno 1617 in 8. lucem vidiſſent, opera Claudii Menardi Proprætoris Andegavenſis e tenebris MSS. Codicum educti, & poſtea a Michaele Paludano Ordinis Auguſtinianorum, Lovanii anno 1644 in 4 editi fuiſſent, erratis innumerabilibus prioris editionis ex conjectura duntaxat emendatis.

Epiſtola ad Macrobium, quam ſcripſit nondum Epiſcopus, ſed Presbyter.

Sermones XLVI. hactenus inediti, atque ex diverſis bibliothecis deprompti.

De Oratione & eleemoſyna Tractatus, ſeu potius fragmentum majoris operis, ex Codice B. R.

Teſtimonia adverſus Pelagianos hæreticos, quæ delibata quoque ex alio ampliori tractatu videntur.

CAPVT QVINTVM.

DE EDITIONE PARISIENSI VLTIMA MONACHORVM BENEDICTINORVM.

QVoniam tamen & grande opus aggreſſi ſumus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, atque maximi nominis eſt, ultima illa Editio omnium Divi Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi Operum: quæ Pariſiis anno circiter 1677 apud Franciſcum Muguet, via Citharæ ſub Inſigni Adorationis trium Regum incœpta, erupit tandem foras anno 1679 atque ad annum hunc 1689 nondum conſummata, Tomis undecim, octo Voluminibus comprehenſis, ad annum 1700 excurrit. Haud potuimus vel debuimus, Editionem hanc omittere, nobile noſtri Operis, ut & hujus ſeculi ornamentum. Maxime cum noſtri Inſtituti partes ſint, noviſſimas editiones promere, atque illas præſertim, quæ ſingularius ab aliis trivialibus diſcrepaverint. Adde viros illos ambos, Monachos Benedictinos Congregationis S. Mauri in Gallia, ætate florentes, moribus probos, judicio graves, obſervantia clauſtrali morum inſignes, ab omni partium præjudicio ſanos, ab ſtrepitu omni ſeculique genio alienos: ex quo Pariſiis manſimus, ita nos ſingulari ſua amicitia coluiſſe, ut me velut fratrem dilexerint, amplexi ſint, nihilque non egerint, quo ſtudium meum cœptosque a me labores paucos promoverent. Ingratus ergo omnino ac vita indignus eſſem, niſi & his quantum viros iſtos colam, teſtarer omnibus: quorum alter *Thomas Blancpain*, alter *Petrus Conſtant*, immortalem ſibi gloriam tam laborioſo diuturnoque Opere, futuris ſeculis, ſibi ſuisque ſodalibus compararunt. Dum interim alii aliorum Ordinum Alumni, vel deſidia torpent, vel ad nugas & quisquilias animum adjiciunt, vel ingeſtas in animum vilium argumentorum ac millies recantatorum crambes, Brutorum inſtar recoquunt, ruminantque: nulla immortalitate digna meditantes, quæ Eruditis prodeſſe impoſterum poſſint.

Obſtupui autem maxime, quando legi apud Guillelmum Cavum, parte 2 *Hiſtoriæ literariæ* ad annum 396, pag. 242 partis primæ editionis Londinenſis anni 1688 editionem hanc novam Auguſtinianorum operum eſſe attributam Joanni Mabillonio his verbis:

Ex eo tempore abſoluta eſt noviſſima, eaque omnium optima Pariſienſis editio, quam Monachi Benedictini Congregationis ſancti Mauri, homines ad juvandas has literas magno Reipublicæ Eccleſiaſticæ bono nati, Duce & ἐργοδιώ-

„διώκτη Clariſſimo Mabillonio,haud ita pridem „adornarunt. Operæ pretium igitur me fa„cturum exiſtimavi,ſi in Lectoris gratiam, præ„ſtantiſſimam hanc editionem, ea qua fieri po„teſt brevitate repetam,& in anteceſſum pauca „de ea in genere notanda præmittam &c.„ Nihil falſius iſto Gulielmi Cavi judicio unquam fuit, aut eſſe unquam poterit. Miror quomodo tam confidenter pronuntiavit, de re quam prorſus ignoravit,cum ſint adhuc in vivis plura hominum millia,qui Cavum mendacii aperti convincere poſſint. Nihil omnino ad hanc editionem Auguſtinianorum operum contulit Joannes Mabillio,diſtentus aliis curis & ſtudiis,quæ totum illum occupabant: unde hæc falſitas in *Hiſtoria literaria* Gulielmi Cavi prorſus enormis, idonea quæ omnem ab eo fidem proſcribat. Eram tunc temporis cum Mabillone utpote conterraneo quotidianus,ut ſtudia illius ac lucubrationes ignotæ mihi eſſe non potuerint. Itaque quod ſcripſit hic Cavus, falſiſſimũ eſt,cujus editionis opifices ſingularius quotidiana converſatione cognovimus, Dominos Thomam Blancpain & Petrum Couſtant Benedictinos Monachos,ex quorum manibus emergentes Tomos atque ex recenti prælo madentes ſæpe vidimus. Hi duo Monachi præſtantiſſimi ed tionem omnium D. Auguſtini operum novam aggreſſi ſunt,& ad umbilicum ſucceſſu temporum adduxerunt: quibus tertius adjunctus fuit,cujus nomen mihi excidit, qui Tomorum ſingulorum Indices ſeu Tabulas labore ingenti conſtruxit, ac tunc temporis in Abbatia Sancti Germani officio Supprioris fungebatur, maximi vir meriti ac virtutis. Imo non tantum Indices ſeu Tabulas ſingulorum D. Auguſtini Tomorum conſtruxit, ſed etiam Indices & Tabulas omnium Operum generales,quæ ultimum hujus editionis Tomum efficiunt. Hæc teſtamur contra Cavum, quæ vidimus oculis noſtris. Hujus editionis Tomus primus anno 1679 completus.

Tomus primus anno 1679.

In quo poſt Epiſtolam dedicatoriam ad Ludovicum XIV Galliarum Regem ampliſſimam Kalendis Januarii 1679 datam, & Præfationem ad lectorem,ſequuntur.

Retractationum lib. 2 pag. 1
Confeſſionum libri 13 pag. 69
Contra Academicos lib. 3 pag. 249
De Beata vita liber 1 pag. 297
De Ordine libri 2 pag. 315
Soliloquiorum libri 2 pag. 355
De Immortalitate animæ liber 1 pag. 387
De Quantitate animæ liber 1 pag. 401
De Muſica libri 6. pag. 443
De Magiſtro liber unus. pag. 541.
De libero arbitio libri 3 pag. 569
De Geneſi contra Manichæos libri duo p. 645.
De Moribus Eccleſiæ Catholicæ & de Moribus Manichæorum libri 2 pag. 687
De vera religione liber unus. pag. 747

Regula ad Servos Dei. pag. 789.

Iſta *Regula, quæ ad Servos Dei inſcribitur*,atque inter germana Divi Auguſtini Opera ab amicis noſtris relicta tandem eſt, eſt quidem Divi Auguſtini,ſed fœminis data,non viris. Epiſtola eſt, non Regula : unde expungendam ſub forma Regulæ plurimi cenſuerant. Illi volebant cautum eſſe ſufficienter, dum inter Epiſtolas relinquebatur, uti ſincere ab Auguſtino ſcripta fuerat: ubi olim Epiſtola fuit CIX nunc autem in Editione Noviſſima, CCXI. Verba iſta Regulæ hujus, *Præpoſito tanquam Patri obediatur, multo magis Presbytero,qui omnium noſtrum curam gerit:* viris non conveniunt. Idem namque *Auguſtino* Præpoſitus Monaſteriorum & Presbyter,ut liquet ex Epiſtola laudata,ubi inquit: *Novum non accepiſtis niſi Præpoſitum.* Et Monachorum Præpoſitos fuiſſe Presbyteros docet lib. *de Moribus Eccleſiæ Catholicæ* cap.33. *Vidi ego diverſorium Sanctorum Mediolani non paucorum hominum, quibus unus Presbyter præerat, vir optimus & doctiſſimus.* Cujusmodi etiam fuit Presbyter Eudoxius, ad quem S. Doctor Epiſtolam dedit octogeſimam primam. Nec in Monaſteriis Auguſtinianis id inſvetum,ut colligitur ex Poſſidio *in vita D. Auguſtini* cap. 5 *factus ergo Presbyter, Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit,& cum Dei ſervis vivere cœpit*,utiq; eorum Præpoſitus. Sanctimonialibus vero,præter Matrem ſeu Abbatiſſam,Presbyter præerat ab Epiſcopo Præpoſitus, qui eis Sacramenta miniſtraret: unde in Epiſtola laudata legitur: *Præpoſita tanquam Matri obediatur, honore ſervato, ne in illa offendatur Deus ; multo magis Presbytero,qui noſtrum omnium curam gerit.* Quod in Regulam virorum ab Interpolatore, genere mutato, perperam translatum eſt. Nullam itaque viris ſive Clericis, ſive Monachis Regulam ſcripſit S. Auguſtinus. Hic enim Sermone 50 *De Diverſis*,ubi de Regula & vivendi modo ſuorum Clericorum prolixe diſſerit,deſcriptam *in Actibus Apoſtolorum* ait formam,quam cum ſuis implere amplectique deſiderabat. Et Poſſidius virum ſanctum cum ſervis Dei vivere cœpiſſe ſcribit, *ſecundum modum & Regulam ſub ſanctis Apoſtolis conſtitutam.* Sicut igitur Ægyptii Monachi ſub Antonio, & Palæſtini ſub Hilarione, Turonenſes ſub S. Martino, Mediolanenſes ſub Ambroſio, Bethleemici ſub Hieronymo, aliam præter Evangelium & Apoſtolicam illam vivendi formam, Regulam non habebant: ita Clerici & Monachi Auguſtiniani,imo & Sanctimoniales,ſine ulla ſua Regula,viginti ferme annos vixerunt. Cum enim a Sancto Auguſtino Epiſtola iſta ſive Regula ſcripta eſt, jam obierat ejus ſoror,quæ *vidua Deo ſerviens, multo tempore, usque ad diem obitus ſui, Præpoſita Ancillarum Dei vixit*,teſte Poſſidio. Quæ autem huic ſucceſſerat Felicitas, jam multos annos in Monaſterio non ſolum fuerat,ſed etiam præfuerat, ut ex Epiſtola præfata perſpicuum eſt,ubi inquit: *Perſevemte in bono propoſito,& non deſiderabuis mutare Præpoſitam,qua in Monaſterio illo per tam multos annos*

nos perſeverante, & numero & ante creviſtis, qua vos Mater non utero, ſed animo ſuſcepit. Omnes enim quæ illuc veniſtis, aut ſanctæ Præpoſitæ ſororis meæ ſervientem, placentem, aut etiam ipſam Præpoſitam, quæ vos ſuſcepit, inveniſtis. Sub illa eſtis eruditæ, ſub illa velatæ, ſub illa multiplicatæ: & ſic tumultuamini, ut eam vobis mutetis, cum lugere deberetis, ſi eam vobis mutare vellemus.

Appendix Tomi primi.

De Grammatica lib. pag. 1.
Principia Dialecticæ p. 15.
Categoriæ Decem. p. 21.
Principia Rhetoricæ p. 33.
Regulæ Clericis datæ fragmentum p. 39.
Regula Secunda, ſeu potius, Tertia p. 39.
De Vita Eremitica ad Sororem p. 41.

De quibus ſingulis breviter agendum eſt, ex prolixioribus ad ſingula Opuſcula Admonitionibus vel Cenſuris præmiſſis, ad quas qui prolixiora optaverit, recurrat.

Hi quatuor primi tractatus, *de Grammatica Liber, Principia Dialectica, Categoriæ Decem, Principia Rhetoricæ*; qui hucusque in anterioribus omnibus Operum Divi Auguſtini Editionibus, inter genuina cenſebantur & inſerta fuerant: jam inter Pſeudepigrapha prudenter, a procuratoribus ultimæ Editionis inſerta ſunt, ex Cenſuris atque Admonitionibus ipſis præmiſſis. Neque enim per modum Dialogorum ſcripti ſunt, quales eſſe libros his de Argumentis a ſe editos S. Auguſtinus teſtatur: nec ad Deum evehunt animam, quod illi præſtabant ex lib. 1. *Retractationum* cap. 6. ubi inquit: *Per idem tempus, quo Mediolani fui, baptiſmum percepturus, etiam Diſciplinarum libros conatus ſum ſcribere, interrogans eos qui mecum erant, atque ab hujusmodi ſtudio non abhorrebant: per corporalia cupiens ad incorporalia, quibusdam quaſi paſſibus certis, vel pervenire vel ducere.* Præterea infarti ſunt hi libri Græcis paſſim vocibus, contra Sancti Auguſtini morem, 3. Vim illam & acumen Auguſtiniani ingenii non exhibent: quod in libris *de Muſica* agnoſcitur. 4. Denique Author libri *de Decem Categoriis* cap. 10. Antipodas agnoſcit, quos S. Auguſtinus negat libro 16. *de Civitate Dei* cap. 9.

Fragmentum Regulæ Clericis datæ pag. 39. & Regula Secunda pag. 41. haud cenſuram merentur, cum modiciſſima ipſa ſint.

Liber de Vita Eremitica ad Sororem pag. 41. videtur ſcriptus ab aliquo Aſceta Benedictini Ordinis, atque non eſſe hunc librum Auguſtini, cum ex aliis multis Argumentis, tum ex eo liquet, quod B. Benedicti Regula laudatur cap. 14. tum cap. 19. Cibi potusque modum præſcribit Virgini a ſe inſtituendæ, ſecundum Regulam S. Benedicti, quam allegat. Inhumana videtur prima fronte hæc Doctrina capitis 43. *Clauſtralibus nulla debet eſſe pro pauperibus ſollicitudo, nulla pro hoſpitibus ſuſcipiendis diſtentio:* quod contra praxim veterum omnium ordinum eſt, qui pauperum tam egentium, quam aliorum etiam hoſpitum curam ſuſceperunt: magno Ordinum recentiorum opprobrio, qui hoſpitalitatem abjicientes, aliud ferme nihil agunt, quam ut aliis oneri ſint, etiam quibus inſultant. Eſſe B. Aëlredi Rhievallenſis in Anglia Abbatis, qui nimirum ſeculo XII. medio ſcribebat, certo ſe ſcire ait Lucas Holſtenius *in Codice Regularum*, parte ſecunda: Et revera in *Indice* Operum S. Aëlredi Centuria 2. *Scriptorum Britannia* num. 99. recenſetur ſub hoc titulo, *de Inſtitutione Incluſarum lib. 1. Jam pluribus annis exigis a me ſoror &c.* Habes autem hujus Operis partem circiter tertiam, a capite 47. ad finem, inter Opera S. Anſelmi nomine vulgata, ſcilicet Meditationes XV. XVI. & XVII. Nec abludunt Farragines iſtæ & conſarcinationes, ab ſeculi XII. more, tam apud Latinos, quam & apud Græcos. Singulis autem Tomis Index materiarum ampliſſimus & Scripturarum explicatarum extat.

Tomus ſecundus, anni ejusdem.

Poſt Præfationem omnino prolixam atque eruditiſſimam, & poſt Indices varios Epiſtolarum tum Chronologicos tum Alphabeticos & tertium juxta præcipua illarum argumenta digeſtum, hic Tomus Epiſtolas S. Auguſtini omnes complectitur, quas meliorem in ordinem reſtitutas, ſervata Scriptionis Chronologia, a multis expurgatas mendis, ac Notis illuſtratas eruditis, cum accuratiſſimo variantium Lectionum indice, in lucem ediderunt, præfati Doctiſſimi Aſcetæ Benedictini Congregationis S. Mauri, qui ſtudio ac labore indefeſſo, in adornanda cæterorum S. Auguſtini Operum Editione caſtigatiſſima & elegantiſſima, usque ad hunc annum 1688. pergunt. Quibus hoc nomine & Eccleſia & Reſpublica Literaria, plurimum debet, æternumque debebit.

Appendix Tomi ſecundi

Continet *Epiſtolas ſexdecim breves Auguſtini ad Bonifacium*, vel contra, quas poſt Eraſmum Lovanienſes Theologi repudiarunt. *Primum* quia multum, imo prorſus diſcrepant a vena & ſtylo D. Auguſtini: *deinde* quia neque recenſentur a Poſſidio, neque ab ullo veterum citantur: de quibus citati Emendatores Auguſtiniani plenius *in Admonitione* ipſis prævia, quam legito.

Epiſtola ad Demetriadem pag. 5. eſt hic ipſe liber ad Demetriadem, qui olim cum in manus Auguſtini veniſſet ſine Authoris nomine, reſcripſit ille quamprimum ad Matrem Demetriadis Julianam ſupra, Epiſtola 188. reſcire cupiens, unde profectum eſſet iſtud Opuſculum, quo Pelagianam hæreſim tradi animadvertebat. Poſtmodum vero in libro *de gratia Chriſti* cap. 20. & ſequentibus, Authorem ipſius indicavit Pelagium: imo ex ejusdem libri 37. capite, ſe ipſe declaravit Pelagius in ſuis ad Innoc. Papam literis ſcribens, *legant quam ad Sacram Chriſti Virginem Demetriadem in Oriente conſcripſimus, & invenient*

veniens nos in hominis laudare naturam, ut Dei semper gratia addamus auxilium. Tribuebat eidem Pelagio Oroſius Auguſtini Diſcipulus, in Apologetico anno 415. edito, niſi quod ipſi Sermonem ait ſuppeditatum fuiſſe ab alio, fortean ab Aniano illo Diacono, quem Hieronymus ſugillat ſupra in Epiſtola 202. Adverſus hanc eandem Pelagii Epiſtolam, poſt S. Auguſtinum ſcripſerunt S. Proſper, ſeu potius S. Leo Papa *in Epiſtola ad Demetriadem:* & Beda *libro 1. In Cantica*, notans a quibusdam falſo tributam eſſe Hieronymo, ſed falſo etiam ipſe Juliano tribuens. Data fuit vel anno 413. quo Demetriadi virginitatis velamen ſuſcipienti, literas miſerunt certatim Hieronymus, Auguſtinus, & Innocentius: vel certe anno 414. poſteaquam illa ſe Romam recepiſſet, id quod ſignificare videtur Pelagius hic, capite 23.

Epiſtolæ mutuæ SS. Auguſtini & Cyrilli, de magnificis adminiculisque S. Hieronymi virtutibus & miraculis pagina ſeu columna 18. quibus hanc Cenſuram Lovanienſes Theologi præmiſerunt, haud lectu prolixam.

„Impoſtor indoctus fuit, quisquis ſequentes „Epiſtolas de obitu Hieronymi confinxit, ſub „nominibus S. Auguſtini ad Cyrillum Jeroſolymorum Epiſcopum, & contra S. Cyrilli ad Au„guſtinum. Nam conſtat Cyrillum ante Hie„ronymum obiiſſe, unde Hieronymus in libro „*de Viris illuſtribus* ſcribit: *Cyrillus Jeroſolyma Epi„ſcopus ſæpe pulſus ab Eccleſia, & receptus, ad extre„mum ſub Theodoſio Principe, octo annis inconcuſſum „Epiſcopatum tenuit.* Præterea hic falſus Cyril„lus in ſuo reſcripto cap. 4. Sabinianum vocat „hæreſiarcham peſtiferum, quia in Chriſto duas „aſſerebat voluntates: additque Hieronymum „Epiſtolam ſuper hujus erroris deſtructione „edidiſſe. Ex quo conſequitur, hunc Autho„rem hæreticum fuiſſe, ac impoſtorem. Et hæc „contra has Epiſtolas, e multis pauca, ſed præ„cipua ſufficiant.

Collatio Beati Auguſtini cum Paſcentio Arriano, habita in domo Anicia Hippone Regio, præſente Laurentio Judice, delecto a Paſcentio Viro Spectabili. Col. 41. Non eſt Sancti Auguſtini.

Conſtat enim ex Poſſidio, nonniſi ſemel a S. Auguſtino cum Paſcentio collatum, idque Carthagine. Hanc Collationem ſine Notariis habitam, S. Doctor prolixius exponit Epiſtolis 174. & 175. Cui admodum convitioſe reſpondit Paſcentius. Vnde S. Auguſtinus data ad ipſum Epiſtola 177. illum conviciis abſtinere juſſit, & coram conferre, ſed excipientibus Notariis. Hinc anſam arripuit aliquis fingendi hanc alteram Collationem quaſi habitam Hippone, in domo Anicia. Sed fictitia *eſt primum* propter Poſſidii ſilentium, qui unam tantum Collationem agnoſcit. *Secundo* tum quia veriſimile non eſt, Paſcentium coram Notariis conferre voluiſſe, qui prius Notarios contra pacta conventa, tam pertinaciter rejecerat: tum etiam quia ſecularem Judicem in Collatione quæ tota merum dogma fidei ſpectabat, admiſſum, vix credibile eſt. *Tertio.* Id quod in prima & vera Collatione de Auxentio quæſiverat Alypius, hic Paſcentius Auguſtino tribuit. Multaque hic repetuntur, quæ ad priorem Diſputationem pertinent. Anathema enim dixerat Paſcentius Ario & Eunomio, viciſſimque ab Auguſtino & Alypio poſtulaverat ut ὁμοούσιον anathemate configerent: id quod totidem verbis hic repetit Paſcentius. *Quarto* ſtilus Auguſtiniano longe diſſimilis eſt, ſtyloque eodem Auguſtinus, Hæreticus, & Judex in hac Diſputatione loquuntur. Jam ab antiquo hæc Epiſtola Auguſtino ſuppoſita eſt, quam ejus nomine laudat venerabilis Beda, vel Florus Lugdunenſis in Collectaneo vulgato ad 1. Corinth. 16. & ad Philipp. 2. Conſule Bernardum Vindingum e familia Auguſtiniana Theologum, qui id Operis ſpurium eſſe, ante Benedictinos exiſtimavit in *Auguſtiniano Critico* ad Tomum 2. & ad Tomum 6. quo poſteriori loco recenſet quindecim Opuſcula ab Authore, ut putat, uno & eodem profecta. Horum vero plurima, Vigilio Tapſenſi jam ab Eruditis tribuuntur.

Index materiarum & argumentorum Tomi ſecundi, qui in aliis quoque ſequentibus eodem tenore & methodo reperitur, ampliſſimus, cum breviore altero locorum ſcripturæ explicatorum.

Tomus Tertius anno 1680.

Qui poſt Præfationem, de diverſis editionibus Operum divi Auguſtini accuratiſſime diſſerentem, diſtinctus eſt in duas partes ordine concinno, quarum *prima* continet *Exegetica Commentaria Divi Auguſtini in Vetus Teſtamentum*, juxta rationem librorum ſcripturæ ſacræ: *altera* complectitur ejusdem *Exegetica Commentaria in Novum Teſtamentum.*

In prima parte *de Doctrina Chriſtiana libri IV.* pag. 1.

De Geneſi ad Litteram imperfectus liber. col. 93.

De Geneſi ad Litteram libri XII. col. 117.

Locutionum libri VII. col. 325.

Quæſtionum in Heptateuchum libri VII. col. 379.

Annotationum in Job liber unus. col. 615.

Speculum ſeu Compendium ex libris Scripturæ. col. 681.

In parte ſecunda. *De conſenſu Evangeliſtarum libri IV.* col. 1.

De Sermone Domini in monte libri II. col. 165.

Quæſtionum Evangeliorum libri II. col. 237.

Quæſtionum ſeptemdecim in Evangelium ſecundum Matthæum liber unus. col. 277.

In Joannis Evangelium Tractatus CXXIV. col. 289.

In Epiſtolam Joannis ad Parthos, Tractatus X. col. 825.

Expoſitio quarundam propoſitionum ex Epiſtola ad Romanos, liber unus. col. 902.

Epiſtolæ ad Romanos inchoata Expoſitio, liber unus col. 925.

Expo-

Expoſitio Epiſtolæ ad Galatas, liber unus. col. 941.

Appendix Tomi Tertii

Continet *de Mirabilibus Sacræ Scripturæ libros III.* col. 1.

De Benedictionibus Jacob Patriarchæ. col. 31.

Quæſtiones Veteris & Novi Teſtamenti primum evulgatæ. col. 41.

Quæſtiones Veteris & Novi Teſtamenti poſt evulgatæ. col. 143.

Expoſitionem in Beati Johannis Apocalypſim. col. 159. ad finem.

Index rerum in hoc Tomo contentarum ampliſſimus, & alter Scripturarum quæ in eo explicantur.

De quibus omnibus cum jam antea dictum ſit ab iis ſupra recenſitis, qui de Operibus Divi Auguſtini ſcripſerunt: haud neceſſarium hic viſum eſt, eadem jam repetere. Conſulendæ ſunt *Admonitiones* eruditæ a citatis Benedictinis præfixæ his Opuſculis ſuppoſitis, in editione, tertii hujus Voluminis, columnis 1. 31. 34. 142. 159. quas cæteræ impoſterum editiones habebunt.

Tomus quartus anno 1681.

Poſt Præfationem non contemnendam, complectitur maximum Divi Auguſtini Opus, immenſum illum *Commentarium in Pſalterium Davidis*, ad MSS. Codices plurimos atque optimæ notæ diſcuſſum, cui olim præmiſſi fuerant *duo Prologi*, quorum alter Authoris cujusdam recentioris eſt, alter eſt *ipſa S. Baſilii Præfatio ad Commentationem ſuam in Pſalmos*, ex interpretatione Rufini Aquilejenſis Presbyteri. Vtrumque prudenter a corpore Commentarii Auguſtini avulſum, legimus in Prolegomenis Benedictinorum huic tomo adjectis, ne alicui deinceps incauto fucum facerent, neve Auguſtini eſſe putarentur.

Index rerum in hoc Tomo contentorum, & alter Scripturarum quæ in eo explicantur.

Tomus quintus anno 1683.

Complectitur poſt Præfationem omnino prolixam atque inſignem, *Sermones Divi Auguſtini ad Populum* poſt Lovanienſium Theologorum recenſionem, correctos denuo ad Manuſcriptos Codices Gallicanos, Romanos &c. nec non ad Editiones antiquiores & caſtigatiores. Quibus præluſerunt Doctiſſimi iſti Viri atque humillimi, inſigni atq; erudita præfatione, multa eaque varia continente de Auguſtini Sermonibus, antiquisque ac variis illorum Editionibus, magno litteratorum applauſu. Diſtincti illi omnes ſunt in claſſes quatuor, quarum prima continentur *Sermones de Scripturis Veteris & Novi Teſtamenti*, ſecunda *Sermones de Tempore*, tertia *Sermones de Sanctis*, quarta *Sermones de diverſis*. Atque illi Omnes, vel ex authoritate vel ex ſtylo aut argumento, legitimi Divo Auguſtino, quantum humana licuit diligentia, aſſerti. His ſuccedunt in quinta Claſſe *Sermones Dubii*, qui ſcilicet non certo habendi videntur pro Auguſtinianis.

Appendix Tomi quinti.

In Appendicem demum conjecti *Sermones Suppoſititii*, in quatuor itidem Claſſes præfato nunc primum ordine ſubjecti. Quarum prima continet, ut de genuinis jam dictum eſt, *Sermones de Scripturis Veteris & Novi Teſtamenti*, ſecunda *Sermones de Tempore*, tertia *Sermones de Sanctis*, quarta *Sermones de diverſis Argumentis*: atque his paſſim quatuor Claſſibus, ſingulari ſtudio & diſcuſſione, inſerti ſunt *Sermones S. Cæſarii Epiſcopi Arelatenſis Centum* & ultra, præter eos qui inſcribuntur ad Monachos. His ſuppoſitis a legitimo fœtu diſcernendis, ſuisque quantum licuit parentibus reddendis, incubuit Petrus Coutant labore improbo ac grandi, qui ſingulis Summaria multo judicio adjecit, atque ad marginem unde ſæpius excerpti eſſent, vel quibus aliis eadem Appendice comprehenſis ſimiles eſſent, diligentia haud vulgari indicavit: quam pauci qui tantis utentur impoſterum laboribus, niſi ſagacis illi fuerint ingenii ac judicii, vix cognoſcent. Hæc ſummatim, univerſimque dicimus: Nam leges æqui animi ſanæque mentis excedit, inquirere *in trecentos ſeptemdecim ſermones* qui Appendice iſta continentur, atque de unoquoque Cenſuram ſpecialem inſtituere. Hoc agant quibus vel neceſſarium, vel conveniens fuerit viſum, hujus rei faciendæ nobis otium haud ſuppetit.

Index rerum in hoc Tomo contentarum, & alter Scripturarum, quæ in eo explicantur.

Tomus ſextus, anno 1685.

Poſt Præfationem, *Opuſcula Moralia* ſeu ad mores formandos reformandosque conducentia complectitur, poſt Lovanienſium Theologorum recenſionem, caſtigata denuo ad Manuſcriptos Codices Gallicanos, Vaticanos, Belgicos. Diſpoſita longe meliori ordine quam antea, ſimulque collecta in hunc Tomum, quæ paſſim in anterioribus editionibus Operum Divi Auguſtini, errabant atque in diverſis tomis vagabantur. Quorum hic ordo eſt.

De diverſis Quæſtionibus octoginta tribus liber 1. col. 1.

De diverſis Quæſtionibus ad Simplicianum libri 2. col. 81.

De octo Dulcitii Quæſtionibus liber 1. col. 121.

De Fide Rerum quæ non videntur, liber 1. col. 141.

De Fide & Symbolo liber 1. col. 151.

De Fide & Operibus liber 1. col. 165.

Enchiridion de Fide, Spe & Charitate liber 1. col. 195.

De Agone Chriſtiano liber 1. col. 245.

De Catechizandis Rudibus liber 1. col. 263.

De Continentia lib. 1. col. 297.

De Bono Conjugali liber 1. col. 319.

De Sancta Virginitate liber 1. col. 341.

De Bono Viduitatis liber 1. col. 369.

De Conjugiis Adulterinis libri 2. col. 387.

De Mendacio liber 1. col. 419.
Contra Mendacium liber 1. col. 447.
De Opere Monachorum liber 1. col. 475.
De Divinatione Dæmonum liber 1. col. 505.
De Cura pro Mortuis gerenda liber 1. col. 515.
De Patientia liber 1. col. 533.
De Symbolo ad Catechumenos, Tractatus IV. col. 547.
De disciplina Christiana, Tractatus 1. col. 581.
De Cantico Novo Tractatus unus. col. 590.
De Quarta Feria Tractatus unus. col. 597.
De Cataclysmo Tractatus unus. col. 602.
De Tempore Barbarico Tractatus unus. col. 608.
De utilitate Jejunii Tractatus unus. col. 613.
De Urbis Excidio Tractatus unus. col. 622.

Appendix Tomi sexti.

Liber 1. Viginti-Unius Sententiarum seu Quæstionum. col. 1.

Cui præmittunt subsequentem Annotationem illustratores Augustinianorum Operum Benedictini Galli, ut librum hunc Augustini esse haud censeant, nec immerito. Hic enim habes Sententias alias ex Augustino, alias ex aliis collectas Authoribus, & eas temere nullaque certa ratione ad viginti unius Sententiarum sive Quæstionum numerum revocatas: quo fit ut sub eodem titulo res non raro diversæ, & minime ad propositum facientes, reperiantur. Nonnulla etiam bis referuntur in tam exiguo libello, nec absunt solœcismi & indoctæ rerum definitiones ac distinctiones, uti Lovanienses Theologi post Erasmum observarunt. Hic ergo liber mera Farrago est, incondita atque indigesta, quæ nullatenus Augustinum præ se fert, ut legenti constabit.

Dialogus Quæstionum sexaginta quinque, sub titulo Orosii percontantis & Augustini Respondentis col. 7.

Extat iste liber in vetustissimis Exemplaribus sub titulo Orosii percontantis & Augustini Respondentis. Verumtamen ut Præfationis & Interrogationum stilus ab Orosiana phrasi dissidet, ita reliquus sermo non convenit Augustino, nisi cum ipsius verba recitantur. Congestæ huc sunt Quæstiones ex variis locis. Nam duodecim priores sunt in Opusculo *de Trinitate & Unitate Dei*, qui inter subdititios Libros Tomi 8. exhibetur. Aliæ ex subsequentibus plures, pertinent ad *Commentarios in Genesim*, falso D. Eucherii nomine evulgatas. Non paucæ ex Augustini libris *de Genesi ad Litteram*, decerptæ sunt. Ad extremum Dialogus iste clauditur sententia Augustini citati in hæc verba: *Nam de eo qui præesse festinat, quidam Patrum eleganter expressit dicens, sciat se non esse Episcopum, qui præesse cupit, non prodesse,* Locus est lib. 19. de Civitate Dei cap. 19. *Intelligat non esse se Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse.* Opus itaque istud authoris Augustinum ut a se alterum allegantis, suumque librum Augustiniana sententia concludentis, Augustini esse haud potest.

De fide ad Petrum, sive de Regula vera fidei liber unus. col. 19.

Impressus olim est *liber de Fide ad Petrum* inter Augustini Opera, ex veterum aliquot Manuscriptorum Codd. authoritate, qui ei adsignant. Verum non esse Augustini probe monstravit Erasmus ex ipsa phrasi aliisque argumentis, quæ hic referre superfluum putamus. Nam indubitatus ejus author a nemine jam ignoratur Fulgentius. Huic certe asserit Scriptura antiquissima Codicis Corbeiensis ante mille annos exarati, quæ ad Operis calcem exhibetur in hæc verba: *Fulgentii Episcopi Sancta Ecclesia Catholica Ruspensis de Regula vera fidei liber explicit.* Neque contemnendus quanquam altera & posteriore manu, ibidem additus in fronte Operis titulus: *Epistola Fulgentii Episcopi de fide Catholica.* Præterea sub Fulgentii nomine citatur a Ratramno in libro *de Corpore & Sanguine Domini.* Isidorus etiam in *Catalogo*, & Honorius Augustodunensis in *Chronico* testantur Fulgentium scripsisse *Regulam vera Fidei:* atque eam Regulam ab eodem Fulgentio petit Ferrandus Diaconus, in Epistola inter Fulgentianas novæ editionis decima tertia. Inscribebatur olim, *de Fide ad Petrum Diaconum.* Sed Petrum hunc alium esse a Petro Diacono cui scriptus est Fulgentii *de Incarnatione* liber, facile credimus, ob rationes allatas in nova Fulgentii Editione, quæ Parisiis ex officina Guillelmi Desprez jam anno 1684. prodiit, studio & labore eruditi viri Lucæ Mangeant Clerici Parisiensis, recognita, aucta & castigata. Nec injuria expunctum e titulo est Diaconi nomen, quando hunc in Exordio Fulgentius *Petrum Filium* vocat: non, uti Diaconos compellare solet, *Fratrem aut Condiaconum.*

De Spiritu & Anima liber unus. col. 35.

Opus hoc, quemadmodum Erasmus probe judicavit, hominis est variæ multæque lectionis, in quo non aliquid artis videas aut ingenii, sed quasi arenam sine calce, Dicta tantum & Collectanea ex diversis locis exscripta. Ex Augustino scilicet, Gennadio, Boëthio, Cassiodoro, Isidoro Hispalensi, Beda, Alcuino, Hugone Victorino, Bernardo, Isaaco Stellensi Abbate &c. Joannes Trithemius recenset hunc librum in Catalogo Lucubrationum Hugonis a Sancto Victore, quem sub ejusdem nomine citat Vincentius Bellovacensis in *Speculo Naturali* lib. 13. & 25. passim, ac lib. 24. cap. 1. lib. 27. cap. 73. Præterea in *Speculo Historiali* lib. 18. cap. 55. Vbi Opusculum istud stilum Augustini, cui a nonnullis tribuebatur, minime sapere observavit, inquiens sibi videri ex ejusdem libris excerptum: authore, uti ferebatur, Magistro Hugone Victorino. Inter Opuscula demum Hugonis vulgata exhibetur, estque ibi *liber de anima secundus*, ipsius nomine in MS. Victorino prænotatus. Attamen excerpta quæ in eo plurima ex ipsius Hugonis libris occurrunt, cum insigni sententiarum mutatione, authorem

rem Operis quærere alium cogunt. S. Thomas de Aquino in Quæſtione unica *de anima* Articulo 12. ad 1. Anonymo cuidam Ciſtercienſis Ordinis illud adſcribit. Hunc Alcherum Monachum Auguſtiniani illuſtratores Benedictini ſuſpicantur, cui ut amico ſuo Iſaac Abbas Stellenſis ex Ciſtercienſi familia *Epiſtolam de anima* ſcripſit, rogatus nimirum ab eodem Alchero: qui ipſum de hoc argumento diſputantem in Collatione audiverat, ut ſe aliquid amplius *de Anima eſſentia & viribus* edoceret. Enimvero in Bibliothecæ Ciſtercienſis Tomo 6. poſt prædictam Epiſtolam, proxime ſubjungitur liber iſte *de Spiritu & Anima*, cum hac inſcriptione excuſus: *Ejusdem B. Iſaac Abbatis de Stella, ſeu ut ipſi inſcribere placuit, ALCHERI DE ANIMA LIBER.* Hujus nempe inſcriptionis pars poſterior vera, prior falſa merito videbitur: præſertim quia Epiſtola Abbatis Iſaac maximam partem libro huic a collectore inſerta eſt. Alcherus porro Clarevallenſis Monachus apud Poſſevinum in *Apparatu ſacro* verbo *Iſaac*, fuiſſe legitur, *diſcendi ſtudioſus vir & in Phyſica eminens*, teſte Iſaaco in prædicta ad Alcherum Epiſtola: Clarus ſub finem ſeculi XII. ob doctrinam ac pietatem.

De Amicitia liber unus. col. 65.

Opuſculum eſt Aëlredi Rhievallenſis in Anglia Abbatis, Dialogi forma conſcriptum, & tres in libros ab ipſo digeſtum: quod quidem inter alia ejus Opera prælo edita, ſincerum exhibetur & integrum. Hic vero in Epitomen contractum eſt ab homine otioſo, qui non modo ſtilum Auctoris ac methodum non ſervavit: ſed ejus quoque ſententias mutavit paſſim, & inſigniter vitiavit. Ita cenſores Benedictini in noviſſima editione hujus Opuſculi, tomo 6. Operum Divi Auguſtini in *Appendice* col. 63. ubi de hoc argumento pluribus agunt.

De ſubſtantia Dilectionis liber unus. col. 72.

Conſtat iſte Libellus Opuſculis in unum confuſis duobus, quæ in ſcriptis libris non ſic loco conjunguntur, quin a ſe invicem ſuo ſaltem præfixo cuique titulo ſeparentur. Opuſculum primum, cui titulus eſt, *de ſubſtantia Dilectionis*, deſinit ad ultima verba capitis quinti, & Auguſtini raro admodum, Hugonis autem plerumque nomen in MSS. Exemplaribus præfert: quod & fane extat inter Opera nomine Hugonis Victorini evulgata, aſſutum ſcilicet libro qui appellatur, *Inſtitutiones Catholicæ in Decalogum.* Alterum Opuſculum ab illis verbis Capitis ſexti incipiens, *Vita Cordis amor eſt &c.* titulum ſine Auctoris nomine hunc vel ſimilem habet: *Quod vita cordis ſit amor.* Hoc etiam cum Operibus Hugonis editum eſt in lib. 1. *Miſcellaneorum* titulo 170. vel 171. Eruditionum Theologicarum. Itaque illuſtratores Operum Divi Auguſtini, Monachi Benedictini opinati ſunt *Librum de ſubſtantia Dilectionis* ſpectare ad Hugonem Victorinum: ego contra opinor ſpectare illum, ad Anonymum quendam Hugone Victorino adhuc recentiorem. Cum enim *Collectanea* ſeu *Miſcellanea iſta*, quæ in hoc Opuſculo excerpta ſunt, ſint poſteriora Hugone Victorino, ut in Cenſura Operum Hugonis adnotavimus: hinc aperte ſequitur, & conſarcinatorem hujus Tractatus eſſe quoque Hugone Victorino ipſo poſteriorem. Conſtant autem Miſcellanea iſta XXIV. Libris, atque in eo qui Hiſtoricus eſt, Reges Francorum referuntur ad annum 1180. quo pervenire non potuit Hugo Victorinus, quem anno 1140. mortuum volunt.

De diligendo Deo liber unus. col. 75.

Eſt pius quidem judicio Eraſini ac Theologorum Lovanienſium, nec ineruditus: ſed ſubditicius tamen, vel ex ipſa phraſi plurimum diſcrepante ab Auguſtiniana, merito iisdem viſus. Auctor certe ſe ipſe ætatis recentioris eſſe ſatis eo prodit, quod Hieronymi dictum ex lib. 3. in Matth. cap. 18. citat in hunc modum: *Unde quidam ſanctus ait, Magna dignitas Animarum &c.* Contulit huc ſententias ad inflammandam Dei dilectionem, variis ex libris, Hugonis Victorini imprimis, Bernardi & Anſelmi. Et quidem a capite 4. ad 11. nihil nobis legendum aliud præbet, quam quod iisdem ac ferme totidem verbis ſcripſit Hugo Victorinus in *Soliloquio de arra Animæ.* Alia itidem ſunt ex aliis Opuſculis Hugonis excerpta loca, plura etiam ex diverſis S. Bernardi concionibus, & quædam ex *Meditatione* apud Anſelmum decima ſexta poſtremæ editionis, quæ paſſim poſitis Notis a regione ad marginem indicantur. Ad extremum cap. 18. exhibetur inſignis locus Anſelmi, ex ipſius Proſologio. Sapit hoc Opus eundem authorem, ac liber *de Spiritu & Anima.* Nec forte alteri melius adſcripſeris *Manuale* & alia quædam Opuſcula, quæ hic poſtea repræſentantur: itemque libros apud Hugonem Victorinum *de Anima* primum & tertium, qui apud Bernardum *Meditationes & de Conſcientia* nuncupantur. Cæterum Vincentius Bellovacenſis libro 23. *Speculi Naturalis* cap. 1. nonnihil quod legere eſt cap. 3. hujus libri, citat nomine Petri Comeſtoris: cui lubens Opuſculum adſcriberem, cum ſoleret ille in concionibus etiam ſuis, Patres ſeculi XII. excerpere, ipſis etiam innominatis.

Soliloquium Animæ ad Deum, liber unus. col. 85.

Compoſita ab Auguſtino *Soliloquia* memorat Poſſidius in *Indiculo* cap. 6. atque ea recenſet Auguſtinus ipſe lib. 1. *Retractationum* cap. 4. Sed quæ ſcribendi methodo & argumenti ratione, ſatis intelliguntur diverſa longe eſſe ab Opere de quo agimus, eademque plane ac illa, quæ in Tomo 1. extant inter primas Auguſtini Lucubrationes. Hæc enim duos in libros diſtributa, & Dialogi forma conſcripta, cur *Soliloquiorum* nomine fecerit Auguſtinus, ita in eodem *Retractationum* capite docet: *Scripſi duo volumina &c. de his rebus quas maxime ſcire cupiebam, me interrogans mihique reſpondens, tanquam duo eſſemus,*

mus, Ratio & Ego, cum solus essem; unde hoc Opus Soliloquia nominavi. Tum inde quas in primo libro, quas in secundo quæstiones moverit, quæve in iis dicta repererit minus probanda, disertis verbis declarat: eaque omnia in Soliloquiis prædictis primi Tomi deprehenduntur, atque iis solis conveniunt. Cæterum libro de quo loquimur, si non inepte, minime tamen eandem ob causam, inscriptum Soliloquiorum nomen, cujus veterum nullus ante annos forte quingentos, nedum ipse Augustinus, meminisse usquam potuit. Quippe recentius ab incerto authore collectus est, non modo ex Augustino, *in libris* præsertim *Confessionum ipsius:* sed etiam ex Hugone Victorino, in Libro *de arra Anima:* habetque (unde Collectoris tempus conjicies) in 32 Capite insertum caput 1 Concilii Lateranensis quarti, anno circiter 1198 habiti, paucis tantum interpolatum verbis. Magnam porro consensionem & affinitatem in eo reperies, cum plerisque Collectaneis Opusculis hujusce Appendicis: Scilicet, cum Libris *de Spiritu & Anima* & *de diligendo Deo*, cum *Manuali &c.* Præ cæteris vero ad exercitandum Dei Amorem collectus, ac piis erga ipsum affectibus refertus est.

Meditationum liber unus. col. 107.

Lovanienses Theologi hunc *Meditationum* librum inter germanos Divi Augustini fœtus in tomo IX reliquerant, neque de eo pronunciaverant aliud, quam id quod antea dubitans incertusque Erasmus iisdem fere verbis dixerat: *Authorem* videlicet *esse vel Augustinum, vel qui ejus libros non indiligenter legit.* Bernardus Vindingus suspicatus est ab Anselmo Cantuariensi profectum, non esse autem Augustini his argumentis demonstravit. Nam Scriptor istarum Meditationum cap. 31 dicit *fidem suam ab ipsis enutritam cunabulis, & illuminatam semper per intelligentiam gratiæ divinæ.* tum cap. 39 & 41 ubi sua peccata deflet, multis quidem & gravibus post baptismum, sed tamen ante Baptismum solo se originali peccato obligatum fuisse significat. Hæc vero minime convenire in Augustinum, nemo est qui *Confessionum* ipsius cognitis Libris ignoret. Itaque prudenter ac merito a Benedictinis Gallis Augustinum evulgantibus, hic Liber conjectus est inter fœtus Augustino suppositos. Consarcinatus est autem potissimum ex Meditationibus sub sancti Anselmi nomine evulgatis, quoad Capita decem priora: tumque per Capita viginti quatuor sibi invicem succedentia, nimirum a Capite 12 ad 37 inclusive, ex libro quodam precum Joannis, Abbatis (ut creditur) Fiscamnensis, qui anno 1078 diem obiit, Anselmo Abbate tunc temporis Beccensi. Vix ergo Collector iste, qui scriptores seculi XI excipit, ante initium vel medium seculi XII floruisse credendus est. Quisquis plura voluerit, legat *Admonitionem* huic Opusculo præmissam col. 103 eruditissimam, quam habes in editione ista ultima omnium D. Augustini Operum, dilatatam multis, quæ nos hic compendio expressimus.

De contritione cordis liber unus. col. 131

Neque etiam Scriptor hujus Opusculi antiquior seculo XII esse potest. Consarcinavit enim illud omnimode, ex variis Divi Anselmi nomine evulgatis *Meditationibus atque Orationibus*; ex libris *de modo orandi & de arra anima*, qui hucusque Hugoni Victorino adscripti sunt, atque inter ejus Opera impressi. Ex libro *de Spiritu & anima*, quem Alchero Cisterciensis Ordinis Monacho, sub seculi XII finem illustri viro, asseruimus. Atque hæc omnia aperte constant, notanturque suis locis ad marginem, in Editione hujus Opusculi a Benedictinis illustrata, de qua hic loquimur.

Manuale liber unus. col. 135.

Istud *Manuale* non Augustini nomine, sed Anselmi etiam penes aliquam partem, & Hugonis Victorini titulo vulgatum est. Extant scilicet Capita viginti quatuor priora, apud Hugonem Victorinum, in libro *de Anima* quarto. Apud Anselmum vero, priora novem Capita efficiunt *Orationem quartam decimam*, cui Orationi titulus ipse *Manuale* appositus est. Collegit incertus author istud Opusculum variis ex locis, idem ille forsitan, cujus studio superiores aliquot libros, nimirum *de Spiritu & Anima* & *de Diligendo Deo*, (quantum quidem ipsis comparatis inter se Opusculis conjecturam facere licet) compositos opinamur. Hic adhibet Augustini plura dicta, nec non Cypriani quædam, & SS. Gregorii ac Isidori: sed qualia hausit non a germanis fontibus, sed a rivulis minus puris. Primam nempe *Manualis* partem, id est, Prologum & primum ac secundum Caput, descripsit Auctor ex libro proxime hic secuturo, quod *Speculum* appellatur. Alteram partem a Capite tertio ad Capitis duodecimi circiter medium, decerpsit ex Oratione quadam inedita veteris Codicis Metensis laudati supra in *Admonitione* ad Meditationum librum, quæ in isto Codice Johannis Fiscamnensis & Vuillelmi Abbatis Preces continente, reperitur sub hoc titulo: *Oratio devota compilata per Contemplationem, vel Meditatio theorica.* Habet eadem pars ista *Manualis* in capite 4 verba S. Bernardi nonnulla ex Sermone illius 20 in Cantica num. 1, quæ ab illa *Metensis* Codicis Oratione absunt. Reliquæ partes hujusce *Manualis* apertæ sunt, authorem suum seculo duntaxat XII floruisse, palam arguentes. Aliæ quidem, puta Capita 16 & 17. excerptæ sunt ex sermone ducentesimo quinto *Appendicis* Tomi Quinti. Aliæ vero, Capita videlicet octo sequentia, ex Divi Bernardi concionibus. Tum postea quæ habentur a Capite vigesimo sexto usque ad trigesimum, ex Hugone Victorino. Demum postrema pars, ex Anselmi *Proslogio* desumta est. Cæterum veteres Codices MSS. quos sane multos conspexerunt Benedictini Operum D. Augustini Procuratores, haudquaquam cum editis, vel secum ipsi satis consentiunt.

Digitized by Google

unt. Nam alii plura continent, alii pauciora, plerique vero quædam ab Editis aliena inferunt: decerpta ex Auguſtino, ſive ex Bernardo, aut Hugone Victorino, vel ex Libris *de Spiritu & Anima*, & *de Diligendo Deo*, aut ex *Meditationibus*, Bernardi nomine vulgatis. Poſtrema tandem Capita vix unus continet Codex Regius, qui tamen vigeſimum ſextum & vigeſimum ſeptimum fere totum prætermittit.

Speculum, liber unus. Col. 145

Non una eſt hujus libri inſcriptio, in antiquis Codicibus. Appellatur in plerisque *Speculum*, ſive *Manuale*: ducto forſitan titulo ex verbis Auctoris, ad Deum circa finem ita loquentis: *Huic Deflorationcula operam dedi, ut Breve & Manuale verbum mecum de te ſemper haberem, ex cujus lectione, quotiens tepeſco, in tuum reaccendar amorem.* Dicit paulo poſt Auctor decerptum a ſe hunc *Sermonculum, uti de Deo ſicut corde credit ad juſtitiam, ita ore confiteretur ad ſalutem.* Hinc non inepte in MS. Codice Pariſienſis Collegii Bernardinorum inſcribitur, *Libellus Catholicæ fidei.* Quo etiam in Bernardinorum Codice, alterum habet proxime adjunctum Opuſculum cum hocce titulo, *Confeſſio quantum Chriſtus humano generi ſubvenire dignatus eſt*: quod incipit in hunc modum, *Superiori Sermunculo Confeſſionis fidei meæ &c.* Hæc autem Opuſcula duo, nihilo diverſa ſunt a partibus prima & ſecunda Confeſſionis fidei, quæ Petri Franciſci Chiffletii cura, ſub Alchuini nomine, quatuor inſtructa partibus, prodiit ex Boheriano Exemplari. Conſtat porro hoc Opuſculum non eſſe D. Auguſtini, quippe cum ex locis in hac ultima Editione ac perfectiſſima ad marginem annotatis, plurima habeantur ex Alchuini *Confeſſione fidei* putatitia, qui ſeculo 9 mortuus eſt. Nonnulla ex Sancto Gregorio Magno, atque Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo, qui omnes Auguſtino longe poſteriores ſunt. Imo lubens opinarer hujus Opuſculi Conſarcinatorem haud eſſe ſeculo XII antiquiorem, cui favent voces illæ *Sermunculi* atque *Deflorationcula*, quæ ſæpius hoc ſeculo uſitatæ ſunt. Præterea excerpit iſte Collector ubique, putatitiam Alchuini *Confeſſionem fidei*, a Franciſco Chiffletio evulgatam: quam viri graves multique judicii, volunt haud eſſe ſeculo undecimo antiquiorem, quippe quæ colligat & excerpat vel S. Anſelmi Orationes, vel Joannis Abbatis Fiſcamnenſis *Libellum Precum*, quem anno tantum 1078 mortuum legimus. Vix igitur ſeculum XII antecedere poteſt.

Speculum peccatoris, liber unus. col. 155

Incerti authoris eſt iſtud aliud *Speculum*, Auguſtini ætate longe poſterioris. Hoc patet ex illis verbis Capitis 7. *Et Satanas auſus fuit cum furore impetum facere in ſanctiſſimam Beati Martini animam, qui erat ut dicitur, Gemma Sacerdotum*: quæ ſane verba reſpiciunt Martini laudes a S. Odone Cluniacenſi Abbate conſcriptas. Adde *Prebenda* vocabulum in capite 7 pro Beneficio Eccleſiaſtico uſurpari, ſignificatu ante Seculum decimum, ut opinamur, inaudito. Præterea quæ in Capite 5 leguntur, illa ſupponere videntur, Hugonis Victorini librum *de modo Orandi*: habentque magnam conſenſionem cum Libro ſupra expenſo *de Spiritu & Anima*, & cum Opuſculo *de Conſcientia*, in Appendice Operum D. Bernardi. Vnde Collector hujus Opuſculi ſeculum XII excedere ætate haud poteſt.

De Triplici Habitaculo, liber unus. col. 159. Incerti authoris eſt, nec ineruditi.

De Scala Paradiſi, liber unus. col. 163

Hoc Opuſculum circumferebatur etiam inter Opera Divi Bernardi in plurimis Editionibus, usque ad eam quam *Joannis Merlonis Horſtii* Colonienſem dicimus, inſcriptum *Scala Clauſtralium*, ſive *Tractatus de Modo Orandi*: ſed nec illius eſſe, recte quidem, Lovanienſes cenſuerunt. Detexit autem citatus Horſtius authorem legitimum, in ſua editione Operum Divi Bernardi. In Codice enim MS. Carthuſiæ Colonienſis, ſicut in ultima editione iſta annotatum eſt, habet præfixam Epiſtolam, quæ legitur cum iſta epigraphe: *Epiſtola Domini Guigonis Carthuſienſis ad fratrem Gervaſium, de vita Contemplativa. Dilecto fratri ſuo Gervaſio frater Guigo, delectari in Domino. Amare te ex debito teneor, quia prior me amare incepiſti: & reſcribere tibi compellor, quia litteris tuis ad ſcribendum me prius invitaſti. Quadam ergo &c.* tum liber incipit: *Cum quadam die corporali manuum labore occupatus &c.* poſt extrema autem illa verba, *pacem in idipſum*: ſic liber clauditur: *Tu ergo mi frater Gervaſi, ſi quando datum tibi fuerit, de ſuper prædictorum graduum celſitudinem conſcendere, memento mei & ora pro me, cum bene fuerit tibi; ut ſic cortina cortinam trahat, & qui audit, dicat, veni.*

De Cognitione vera vitæ, liber unus. col. 169

Honorius Auguſtodunenſis in libro *de Luminaribus Eccleſiæ*, recenſet editum a ſe Opus, cui titulus *Cognitio vitæ, de Deo & vita æterna.* Hoc ipſum eſt argumentum hujus Opuſculi, quod cum *de Deo* & *vita æterna* totum ſit: appellatur tamen ſive tantum *Cognitio vitæ*, ut in vetere Codice Audoënenſi, qui ætate fere Honorii ſcriptus videtur: ſive ut in impreſſis, *de Cognitione vera vitæ*: quamquam vocem *vera* titulus in quadam Jodoci Badii editione non habeat. Nemo vero eſt qui hic Honorium Auguſtodunenſem, ſi modo alia ejus Opuſcula viderit, non facile agnoſcat. Solet ille in primis eam Methodum, quæ in hoc libro ſervatur, conſectari, Dialogi forma res tractare, & colloquentes cum Magiſtro Diſcipulos inducere, qui ei ſemper in Dialogi fine bene precantur. Et quidem hic loco *diſcipuli*, ſubſtitutum ubique fuerat *fratres*: ſed erratum ad Audoënenſe Exemplar correctum eſt. Præterea Anſelmum imitari amat Honorius, & ipſius non tantum doctrinam tradere, ſed etiam quasdam interdum voces uſurpare, ut cum hic *Summum Spiritum* appellat Deum, ſive Spiritum Sanctum: cum toties adhi-

bet particulam *amplius*, ubi ad alias & alias probationes disputando pergendum est, &c. Eosdem autem sensus & ipsissimam Anselmi doctrinam ex ipsius *Monologio* expressam reperies, atque huc translatam. Denique scholas redolet Opusculum, atque eo nomine non indignum est Honorio, qui seipse Scholasticum in libro *de Luminaribus Ecclesiæ* vocat. Plure ad hoc argumento Benedictini Divi Augustini Operum illustratores, in *Admonitione* huic libro præmissa, col. 176 Appendicis Tomi sexti, quam consulas.

De vita Christiana, liber unus. col. 183

Jam ante Parenti suo restitutus fuit hic liber *de vita Christiana* per Lucam Holstenium, qui novam ac singularem ejusdem Libri Editionem ad vetus Exemplar Monasterii Cassinensis, in quo *Fastidii* nomine inscriptum reperit, perficiendam curavit Romanis typis anno 1663. Fidem Cassinensi Exemplari authoritatemque affert Gennadius, de Fastidio ejusque Lucubrationibus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 56 ita loquens: *Fastidius Brito scripsit ad Fatalem de vita Christiana librum, & alium de viduitate servanda, sana & digna doctrina.* Gennadii verba sunt ex vetustissimo Codice Corbejensi descripta, quæ quidem in editis non sic pura leguntur, sed male interpolata duobus tribusve locis. In hoc autem Gennadii testimonio, tria menda sunt. *primum* dum ait *ad Fatalem* vel *ad Fatalem quemdam* directum esse librum, qui *ad viduam* directus est: non enim ad virum, sed ex ejus Lectione, ad *viduam quandam* directum esse liquet. *Secundum*, dum ait *de vita Christiana librum, & alium de viduitate servanda:* quasi Fastidius duo distincta Opuscula de his argumentis scripserit, qui tamen hoc unico libro utrumque argumentum tractat. *Tertium*, ubi Fastidium vult scripsisse *de sana & Deo digna doctrina*, quem tamen Pelagii conterranei sui Hæresi addictum fuisse non temere suspicantur eruditi viri. Nam de Adamo in hujus libri cap. 13 sic loquitur: *In quo nihil fuisse incredulitatis invenio, præter solam inobedientiam, cujus caussa ille damnatus est, & omnes suo damnantur exemplo.* Qui ipse Pelagii error est docentis, Adæ peccatum *posteris exemplo nocuisse, non transitu:* ut in Epistola ad Demetriadem, in Appendice Operum Augustini, quam Pelagianum errorem Augustinus sæpe reprehendit. Vide *Admonitionem* huic Opusculo præmissam, in novissima Editione Operum Divi Augustini, atque hunc Commentarium nostrum *de Scriptoribus Ecclesiasticis* verbo *Fastidius*, ad annum circiter 420. quo floruisse creditur.

Liber exhortatorius, vulgo *de Salutaribus Documentis, ad quemdam Comitem.* Col. 193

Sit tandem aliquando restitutus iste Liber Paulino Forojulicnsi seu Aquilejensi Patriarchæ, authoritate Colbertini cujusdam optimæ notæ & antiquissimæ scripturæ Codicis, in quo liber hunc in modum inscribitur: *Sermo Beati Paulini Forojulicnsis Episcopi, cuidam amico suo in seculo militanti, pacem & prosperitatem, salutem & gaudium sempiternum optat, in Domino Jesu Christo Salvatore nostro.* Scribebat sub octavi seculi finem Paulinus Forojulienſis, anno seculi noni secundo, forte vel tertio denatus. Mox vero ipsi, in seculo eodem nono, ademptum videmus hoc Opus, ut supponeretur Augustino. Nam Exemplar Monasterii S. Theodorici prope Remos, extat annorum nisi fallimur octingentorum, titulum hunc a prima manu scriptum, in fronte libri habens: *Liber Exhortationis Sancti Augustini ad quemdam Comitem carissimum sibi.* Citatur a Gratiano de pœnit. Dist. 2. Cap. *Si quis*, ibique uti & apud Trithemium, *Augustini ad Julianum Comitem Epistola* nuncupatur: quo sub titulo etiam inter Augustini Epistolas, locum habuit in prima Editione earum, Amerbachiana. Et quidem liber in ceteris quidem MSS. Codicibus, quos Theodoricensi posteriores invenerunt Benedictini editores, *ad quemdam Comitem sibi amicissimum* prænotatur: cui titulo favet illud quod in Cap. 62 legitur, *Cujus* (judicis Christi) *palatium auro argentoque nullus Episcopus, nec Abbas, nec Comes corrumpere poterit.* At nomen *Juliani Comitis*, vix unus aut alter Codex in libri fine adscriptum habet. Et vero recte quidem Editores Benedictini suspicantur, missum potius librum *ad Æricum Ducem sive Comitem*, quæ dignitatum nomina de eodem promiscue usurpata olim esse reperies in vita S. Eligii Lib. 2 Cap. 59. & in Lib. 1 Chronici Casaurienſis. Quam suspicionem injecit Alcuinus in Epistola 94 sic Æ-rico scribens: *Plura tibi vir venerande, de Christiana pietatis observatione forte scripsissem, si tibi doctor egregius & pius cœlestis vitæ præceptor, Paulinus meus præsto non esset, de cujus corde emanat fons viventis aquæ in vitam salientis æternam. Illum habeas tibi salutis æternæ consiliatorem.* Legerat Paulinus, Prosperi seu verius Juliani Pomerii Opus *de Contemplativa vita*, quo ex fonte ea fere omnia hausit, quæ hic a Capite decimo ad vigesimum usque comprehenduntur.

De duodecim Abusionum gradibus, liber unus. Col. 29.

Vulgatus quoque est Tractatus iste inter Cypriani Opera sæpius, idque authoritate veterum aliquot librorum, quorum falsa inscriptione decepti sunt Scriptores antiqui, qui eum Cypriani nomine citant, Jonas Aurelianensis in lib. *de Institutione Regia* Cap. 3 tomo 5 Spicilegii Dacheriani. Ino Lib. 8. Decreti, & Gratianus 23 q. 5 Cap. *Rex.* Sancto autem Augustino pauciores MSS. tribuunt, ut' recentior quidam Victorinus. Ejusdem argumenti Librum edidit Hincmarus, adhuc latentem, sed ab hoc Tractatu longe differentem: ut patet ex verbis Flodoardi Lib. 3 *Historiæ Remensis* Cap. 18 ubi Opus Hincmari describit. Hic autem Tractatus nullatenus Augustinum referre videtur.

Tractatus de septem vitiis & septem donis Spiritus Sancti. Colum. 217

Trans-

Transtulit primus Hieronymus Vignierius Opuſculum iſtud in partem Auguſtiniani Supplementi primam, hoc titulo prænotatum: *Tractatus de ſeptem vitiis & ſeptem donis Spiritus Sancti* incipiens, *Septem ſunt vitia principalia, quæ rationalem naturam inficiunt &c.* Illud a Vignierio repertum eſt inter *ſanctorum Patrum Monimenta* impreſſa Pariſiis anno 1634 ſtudio & cura Guilelmi Camerarii, Scoti, e Congregatione Oratorii Presbyteri, quod *Auguſtino* non ab antiquis MSS. Codicibus, ſed tantum *a multis viris doctis* tribui dicit. Verum hoc ipſum Opuſculum habetur apud Hugonem Victorinum in Libro ſecundo cap. 3 *Allegoriarum in Matthæum*, cui eidem *Allegoriarum* libro cap. 19 inſertum etiam eſt Opuſculum aliud *de Donis Spiritus Sancti*, hoc exordio: *Scriptum eſt, ſi enim vos cum ſitis mali &c.* quod ejusdem Camerarii auctoritate, velut Auguſtini Sermonem dederat Vignierius in eadem *Supplementi* parte, non longe ante dictum tractatum *de ſeptem vitiis*. Huic autem Tractatui, conjunctum eſſe debet Opuſculum aliud *de ſeptem donis Spiritus Sancti*, quod & ſummam habet cum primo affinitatem, & confert nonnihil ad ejus integritatem: ſecundo enim Opuſculo ſejuncto, imperfectus videtur Tractatus, vel titulo ſaltem per Vignierium præfixo, qua parte *de donis Spiritus Sancti* inſcribitur, haudquaquam reſpondens. Cæterum aptior eſt apud Hugonem Victorinũ inſcriptio Tractatus in hunc modum, *De ſeptem peccatis mortalibus, contra quæ valent Orationis Dominicæ ſeptem petitiones*: cum nihil aliud ſit, quam quædam Dominicæ Orationis ſeptemque ejus petitionum adverſus ſeptem vitia, expoſitio. Hic autem Tractatus Hugoni ſuo Victorino manere debet, multis ſi res poſceret, argumentis ipſi aſſerendus. Confer ſi lubet, librum ipſius 2 *de Sacramentis* parte 13 cap. 1. Et *Summæ Sententiarum* Tractatum 3 cap. 16. ubi eadem plane ratione, *ſeptem vitia* deſcripta reperies. Item quid ſit Dei nomen, ibi expoſitum non ſecus ac in alio Tractatu Hugonis ſuper *Magnificat*: & de captanda Dei benevolentia initio precationis, habet ſimilia cum hoc libello, Tractatus ejusdem *de modo orandi*. Poſtremo Tractatus quem ſcripſit *de quinque Septenis* ſive *Septenariis*, editus in citato libro *Allegoriarum* 2 Cap. 15 authorem plane eundem cum Tractatu *de ſeptem vitiis* refert. Iisdem quoque verbis hic definitum in genere vitium, atque in libro primo *Miſcellaneorum* ejus nomine, quos tamen poſtea Hugone Victorino recentiores eſſe probabimus. Sed Miſcellanea potius ab hoc opuſculo mutuarunt.

De Conflictu vitiorum & virtutum, liber unus, col. 219

Tributum eſt Opuſculum iſtud Scriptoribus quatuor nobiliſſimis, Auguſtino primum in omnibus Operum illius editionibus. S. Leoni Papæ deinde, in editione Pariſienſi anni 1511. Poſtea S. Ambroſio in Romana Editione anni 1585 in qua ſcriptus ad Simplicianum prænotatur. Denique & S. Iſidoro Hiſpalenſi in Editione anni 1599 apud Madritum, & in altera Pariſiis, procurante Jacobo du Breul Monacho Benedictino Cœnobii S. Germani, excuſa anno 1601. Decepit Breulium Sigebertus Gemblacenſis in Libro *de viris illuſtribus*, deceptus ipſe falſa veterum aliquot inſcriptione Codicum, qui nomen Iſidori habere dicuntur. Inſpecti porro a Benedictinis Monachis Codd. MSS. aut Ambroſio aſſignant, aut Auguſtino, aut S. Leoni: ſed nomine Auguſtini Gratianus cit. 2. q. 12 Cap. *Nec artificioſo*. Authorem illi credunt Ambroſium, non illum quidem ſupra laudatum Mediolanenſem Epiſcopum, ſed *Autpertum* Monaſterii S. Vincentii ad Vulturnum in Beneuento Abbatem, cui etiam Ambroſii prænomen fuit. Nam teſtatur Scriptor vitæ ejus, quæ in *Seculo III Benedictino* parte 2 ad Annum Chriſti 778 extat, compoſitum ab ipſo librum *de conflictu vitiorum*. Atqui liber ſubſequens multam quoque affinitatem cum Ambroſii Autperti Opere in Apocalypſim habet, ac virum plane ſapit Monaſticæ vitæ Sectatorem, & propter Monachos maxime ſcribentem, veluti cap. 16 ubi ait. *Si igitur ſecularibus viris ista eſt perniciosa cupiditatis induſtria, quanto magis illis periculoſior, qui habitu & converſatione jam ſeculares eſſe deſierunt, qui totum quod vivunt Domino devoverunt.* Et Cap. 18. *Si cuncta quæ tibi Prælatus ſervanda commiſit, illibata conſignas, & ne modicum quid reſervandum exiſtimas &c.* Quæ poſtrema verba, aliaque multa *de Stabilitate* Cap. 14. *de Taciturnitate* Cap. 22. &c. ex S. Benedicti præceptionibus uſurpata videntur. Nec ad rem confirmandam addimus, commendari diſertis verbis Benedictinam Regulam in fine Libri: maxime quod liber apud Ambroſium & Iſidorum editus, nec non in MSS. quibusdam & in Editione Eraſmiana &c. careat duobus poſtremis Capitibus, & ad hæc verba Capitis 26 deſinat: *Tu autem homo Dei, vigilanti animo attende quæ dico*, addita plerumque clauſula, *ipſo adjuvante qui vivit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.*

De Sobrietate & Caſtitate, liber unus. Col. 227 qui incerti authoris eſt.

De vera & falſa Pœnitentia ad Chriſti devotam, liber unus. Col. 231

Totus fere hic liber cum nomine Auguſtini, in Decreta per Gratianum, & in Sententias per Petrum Lombardum translatus eſt. Eundem poſtea citarunt & Auguſtino tribuerunt Petrus Bleſenſis in libris *de Confeſſione* ac *de Pœnitentia*. Vincentius quoque Bellovacenſis in *Speculo Morali* Lib. 3 parte 10 Diſt. 12. Thomas Aquinas, in Summa Theologica, & alii deinceps. Attamen ſuppoſititium credit Trithemius libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quoniam, inquit, *Capite 17 Auguſtinus ipſe allegatur*. Reclamat Martinus Navarrus Tomo 2 *Commentario* in Diſt. 5 *de Pœnitentia*: & dicit exiſtimandum potius, illam partem qua citatur Auguſtinus, ex Annotatione viri alicujus docti ad marginem adſcripta, migraſſe in textum: quam propterea ne-

negandum esse Augustini Librum optimum, tot seculis ei attributum. Conjecturam Navarri juvant Libri Veteres a Benedictinis inspecti, qui eo loci nomen saltem Augustini prætereunt: sed illud attamen & sensus postulat, & legit reipsa Gratianus. Verum, de hoc loco quidquid tandem putetur, alia undique suppetunt argumenta, quæ clamitant hoc opus non esse Divi Augustini. Quædam in *Critico Augustiniano* collegit Bernardus Vindingus, atque illa opposuit *adversus quemdam*, ut ait, *recentem nec malum alioqui Theologum: qui stilo & doctrina totum Augustinianum esse, adeoque stulte ipsi hoc negatum ab Erasmo & aliis doctioribus contendebat.* Opponit itaque phrases ab Augustino plurimas alienas, Cap. nimirum 3. *Naamam per aquam perdidit leprum.* Cap. 4. *Petrus Dominum negavit, & a se amicos Christi excommunicavit.* Eodem cap. 4. & 6. & 7. *pœnam promittere.* Cap. 9. *ad Deum anxiari.* Ibidem, *Meliori quam potest confiteatur.* Cap 17. *Oportet peccatorem, ut in pœnitentia fructificet.* Cap. 14. *omnia ista varietas confitenda est, si peccavit in loco sacro, aut cui debuit excellentiam fidei, ut sunt domus Dominorum, & aliorum multorum: Si in tempore Orationi constituto, aut in festivitate Sanctorum, & in tempore jejunii &c. Si quis cadit in avaritiam, etiam castitatem minuit.* Quæ sane vel recentius seculum Ecclesiæ olent, vel viro summo qualis fuit Augustinus, haud conveniunt. Ostendit idem Vindingus, in Scripturis exponendis hunc Authorem neque Augustini sollertiam habere, neque cum illo consensionem. Nam Cap. 5 ait, *Quod omnibus promisit indulgentiam, aliis promissionibus declarat: qui me confessus fuerit coram hominibus, id est, omnis quantuncumque & quotiescumque peccator, cujuscunque ordinis, etiamsi fuerit Sacerdos; confitebor & ego eum coram Patre meo.* Capite 9. *Totum hominem sanavit in Sabbatho, quia & corpus ab infirmitate, & animam ab omni contagione liberavit.* Capite 11. *In Petro & Joanne & Jacobo & Patre & Matre puellæ (Luc. 8. v. 51) figuraliter continentur Sacerdotes Ecclesiæ.* Idem inquit ibidem Lacrymis Matris viduæ, Marthæ & Mariæ, ac turbæ Judæorum: *Docemur publice peccantibus, non proprium, sed Ecclesiæ sufficere meritum.* Multa igitur habet tum recentioris Disciplinæ, tum Augustino indigna.

De Antichristo, Liber unus. Col. 243

Tractatus iste *de Antichristo* excusus etiam est in Opera Alchuini & Rhabani Mauri. Apud Alcuinum quidem integer & plenus, hic vero & apud Rhabanum imperfectus. Nam & quædem hic omittuntur, quæ & in Alcuino sunt, & in Rhabano: & Nonnulla vicissim in Rhabano desiderantur, quæ neque hic, neque in Alcuino desunt. Citatur a Ruperto Tuitiensi Abbate Lib. 8 in Apocalypsin 13 sed reticente Auctoris nomen, in hæc verba: *Tradunt Nonnulli &c. Sicut, inquiunt, Dominus & Redemptor noster Bethleem sibi providit, &c.* Neque compertum habemus unde Theologi Lovanienses id didicerint, quod in Censura ad hunc Tractatum annotarunt, nempe quod Rupertus Rhabani esse Opus velit. Hujus Libelli doctrinam & easdem sententias suo Operi in Paulum Lib. 22 Cap. 2 inseruit Rhabanus, qui videlicet Alcuinum ipsum, perinde ac superiores alios auctores, passim exscribit. Codici Thuaneo, cujus authoritate impressus primum fuit sub nomine Alcuini adstipulatur Codex Regius notatus 4411 qui libellum eundem cum hac inscriptione repræsentat: *Incipit vita Antichristi ad Carolum Magnum, ab Alcuino edita.* Confer Alcuini Librum *de fide S. Trinitatis*, Cap. 19

Psalterium. Col. 245

In ante editis inscriptum, *Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi, quod Matri sua composuit.* Sed in MS. Cod. Regio 4373 ita inscribitur: *Incipit Psalterium Beati Joannis Papæ* (forte XXII) *factum apud Viennas.*

Expositio Cantici Magnificat. Col. 247. decerpta ex Hugonis Victorini Tractatu super *Magnificat* per Scriptorem incertum, qui Opus Hugonis egregium fœdissime corrupit, & capite ac membris truncavit.

De Assumptione Beatæ Mariæ Virginis, liber unus. Col. 249. Incerti sed pii Scriptoris.

De visitatione infirmorum, libri duo. Col. 253. Incerti authoris.

De consolatione mortuorum, libri seu sermones duo. Col. 259. 261. Incerti authoris.

De rectitudine Catholicæ conversationis, Tractatus. Col. 265.

Extat iste Tractatus in Libro 2 vitæ S. Eligii Noniomensis Episcopi Cap. 15 collectus nimirum ac descriptus opera S. Audoëni Rotomagensis Episcopi, qui vitam ejus scripsit: Præsulisque piissimi monita ad plebem suam quotidiana & præcipua, comprehendere hoc Sermone studuit. *Diebus namque singulis*, ait Audoënus, *plebem sibi commissam infatigabiliter salutaribus monitis exhortabatur &c. Nam collectis undique ad Ecclesiam turbis multa quidem & magna in sermone complexa, sed in ædificatione spiritaliter copiosa, cum Prophetica fiducia exaltans vocem, hujuscemodi ad eos præferebat monita. Rogo vos, Fratres Charissimi, & cum grandi humilitate admoneo &c.* Repræsentat illic Audoënus sermonem integrum, atque finito subjicit: *Hæc summatim de tanti viri familiaribus monitis hucusque narrasse sufficiat, quæ ille etsi non sub unius diei articulo ex ordine ut digesta sunt percurrebat, diversis tamen temporibus, hujusmodi semper præcepta populis intimabat.*

Sermo de Symbolo. Col. 277. farrago est, qui integre collectus ex Symbolo Rufini Aquilejensis Presbyteri, ex homiliis S. Cæsarii, Gregorii Papæ, & Ivonis Carnotensis, qui seculis XI & XII floruit. Insuper & hic sermo complectitur totum sermonem 242 *Appendicis* Tomi quinti, membratim dissectum.

Sermo in pervigilio Paschæ, de Esu Agni, Col. 285. qui inter suppositicia Hieronymi Opera etiam reperitur.

Sermo

Sermo in Pſalmum XLI ad Neophytos. Col. 287. qui Hieronymo quoque falſo tributus in Editis.

Sermones tres de Ritibus & Myſterio Baptiſmatis. Coll. 288. 289. 291.

Hos Sermones evulgavit primus Jacobus Sirmondus *in Appendice* poſt Sermones quadraginta, arbitratus iſtos tres haudquaquam eſſe D. Auguſtini, tametſi ei a Codice Floriacenſi, unde illos depromptit, adſcriberentur. Stylo minime diſſimiles ſunt Sermonibus olim *de Tempore* 192. 193 & 194. qui nunc in Tomi 5 Appendice, ordine 237. 238. 239. quos in Codice non tantum Floriacenſi, ſed etiam in vetuſtiſſimo S. Remigii Remenſis ſubſequuntur, atque eosdem Auguſtino peræque in iſtis Codicibus attributos. Leidradus Lugdunenſis Epiſcopus, non pauca ex primo trium iſtorum Sermonum, cujus initium *Omnis quidem Dei ſermo &c.* transtulit in librum *de Baptiſmo*, quem juſſu Caroli Magni edidit, evulgatum nuper in *Analectorum* Tomo 3. ſed Authoris ipſe nomen reticet. Hos tres ſubſequentes ſub Auguſtini nomine, citat Ivo Carnotenſis in Decreto, *de Baptiſmo* : Sed Ivo Sermonem cujus exordium *Promiſimus primo Tractatu &c.* homiliam tertiam vocat, & eum qui incipit *Hucusque &c.* ſubinde Homiliam quartam. Sermo incipiens *Hucusque &c.* agit de Ritu lavandi pedes poſt Baptiſmum, quem ritum ab Eccleſia Romana non ſervari, narrat author Librorum *de Sacramentis* apud Ambroſium, Lib. 3 Cap. 1.

Sermo de contemptu mundi. Col. 293 incerti authoris eſt.

Sermo de bono diſcipline Col. 295. jampridem Valeriano Cemelienſi in Galliis Epiſcopo reſtitutus eſt a Melchiore Goldaſto Haiminsfeldio, ejusque etiam nomen præferunt fragmenta Opuſculi hujus, reperta in vetuſto Codice Bibliothecæ Colbertinæ. Collatus eſt cum MS. Colbertino & Victorino, cum Goldaſti Exemplari, nec non cum editione, quæ extat in Bibliotheca Patrum.

Sermones de Obedientia & Humilitate Col. 297. *Tractatus de Caritate* ſeu *de verbis* Pſalmi, *Terra dedit fructum ſuum.* Col. 298. *De Oratione & Eleemoſyna* Col. 299. *De generalitate Eleemoſinarum* Col. 300. *Sententiæ Miſcellaneæ.* Col. 302. Sunt Incerti authoris, neque D. Auguſtinum ſapiunt.

Sermones LXXVI. ad Fratres in Eremo commorantes, & quosdam amicos. Col. 306.

In iſta Sermonum Collectione, duo tantum vere Auguſtiniani cenſentur, qui nimirum *de Communi vita Clericorum* appellantur, locum ſuum in anteriore Tomo tenentes, ordine 355 & 356. Reliquos fere omnes ſubditicios & Auguſtino indignos haberi ac dici patiemur ab Eruditis. Inter eos Baronius ad annum Chriſti 381 ait. *Auctor illorum Sermonum nonniſi impoſtor dicendus, cum multorum mendaciorum Sanctiſſimum ac doctiſſimum virum conſtituerit aſſertorem.* Et ad annum 385 *Frigidus ille fictor multa delira, vana & fabuloſa ſub tanti Patris nomine effutit, portentoſa mendacia blaterat &c.* Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ait : *Sermones ad Fratres in Eremo, videntur magna ex parte conficti. Inter illos multi ſunt leves & fabuloſi. Phraſis eſt inepta, impropria, lutulenta, ut mirum ſit potuiſſe ejusmodi Sermones S. Auguſtino ab aliquo viro prudente tribui.* Lovanienſes Theologi cenſura in eosdem Sermones præfixa ſic loquuntur : *Satis conſtat ſub Divi Auguſtini nomine a quodam ſemilatino exercitii cauſa conſcriptos eſſe. Aliquando intermiſcet verba Auguſtini, Cæſarii, Gregorii. Martinus Lipſius ex phraſibus & dictionibus quibusdam, ſuſpicatur auctorem fuiſſe Declamatorem Galloflandrum.* Hæc Lovanienſes Cenſores, plurimique etiam poſt illos alumni tam Ordinis Canonicorum Regularium, quam Eremitarum Auguſtiniani Inſtituti : quos referunt Noviſſimi Editores Operum Divi Auguſtini, Monachi Benedictini, *Admonitione* præmiſſa *Sermonibus ad Fratres* in Eremo, Colum. 303 *Appendicis* Tomi Sexti.

Index rerum in hoc Tomo contentarum ampliſſimus, & alter brevior Scripturarum quæ in eo explicantur.

Tomus ſeptimus, anni ejusdem,

Continet, Præfatione inſigni præfixa, Libros XXII de Civitate Dei, caſtigatos denuo ad MSS. Exemplaria Gallicana, Vaticana, Belgica, nec non ad Editiones antiquiores & primarias.

Appendix Tomi Sexti.

Aviti ad Palchonium Epiſtola de Reliquiis Sancti Stephani, & de Luciani Epiſtola a ſe ex Græco in Latinum verſa. col. 1.

Luciani Epiſtola ad univerſam Eccleſiam, de revelatione corporis Stephani Martyris. col. 3.

Anaſtaſii ad Landuleum Epiſtola, de ſubſequente Scriptura col. 11.

Scriptura de alia detectione ac Translatione Sancti Stephani in urbem Byzantium, quam Anaſtaſius latine vertit. col. 11.

Severi Epiſtola ad omnem Eccleſiam, de virtutibus in Minoricenſi Inſula factis, per Reliquias S. Stephani Martyris. col. 15.

Evodii Epiſcopi Libri duo, de Miraculis S. Stephani. col. 25.

De quibus omnibus dicendum nihil occurrit, quod ad Auguſtinum vel ad ejus Opuſcula, ſpectare poſſit.

Index rerum in hoc Tomo contentarum maximus, & alter brevior Scripturarum quæ in eo explicantur.

Tomus Octavus, anno 1688.

Complectitur Præfatione prævia non ignobili, Opera Polemica *contra Manichæos & Arrianos*, ordine ſequenti.

De Hæreſibus ad Quodvultdeum Liber unus. col. 1.

Tractatus adversus Judæos. col. 29.

De utilitate credendi ad Honoratum liber unus. col. 45.

De duabus animabus contra Manichæos liber unus. col. 75.

Acta seu Disputatio contra Fortunatum Manichæum, liber unus. col. 93.

Contra Adimantum Manichæi Discipulum, liber unus. col. 111.

Contra Epistolam Manichæi, quam vocant Fundamentum, liber unus. col. 151.

Contra Faustum Manichæum, libri Triginta tres. col. 183.

De Actis cum Felice Manichæo, libri duo. col. 471.

De Natura boni contra Manichæos, liber unus. col. 501.

Secundini Manichæi Epistola ad Augustinum. col. 519.

Contra Secundinum Manichæum, liber unus. col. 523.

Contra Adversarium Legis & Prophetarum libri duo. 549.

Consultatio seu Commonitorium Orosii ad Augustinum. col. 607.

Ad Orosium contra Priscillianistas & Origenistas, liber unus. col. 611.

Sermo Arianorum. col. 621.

Contra Sermonem Arianorum, liber unus. col. 625.

Collatio cum Maximino Arianorum Episcopo. col. 649.

Contra Maximinum Hæreticum Arianorum Episcopum, libri duo. col. 677

De Trinitate contra Arianos, libri quindecim. col. 749.

Appendix Tomi Octavi.

Ubi Adversus quinque Hæreses seu contra quinque hostium genera, Tractatus. col. 1.

Inscribitur in MSS. Codicibus *libellus adversus quinque hæreses*, sive *contra quinque Hostium genera:* quia nempe est *contra Paganos, Judæos, Manichæos, Sabellianos, & Arianos.* Quem Erasmus hominis eruditi, & arguti & facundi, esse censuerat: non tamen Augustini, *nisi forte*, ait, *juvenis scripserit.* Augustino sine cunctatione adjudicant Lovanienses & Bellarminus aliique, authoritate Bedæ, qui ex Capite ejusdem Tractatus quarto & quinto, citat quædam in caput primum Epistolæ Pauli ad Romanos. Ea quoque verba nomine Augustini citata, reperiuntur non solum in vulgata Bedæ Collectione illa auctiore, quæ verius est Flori Lugdunensis: sed etiam in altera certa Bedæ, quæ penes Monachos S. Germani Parisiensis est, brevior in Paulum Collectio, nondum typis edita. Verum sermo iste dictus eo tempore deprehenditur, quo Africa tenebatur Arianorum dominatu, quando jam Orthodoxis Pastoribus, aliis exsilio seu fuga, aliis morte sublatis, Hæretici Catholicos & concertationibus sollicitabant, & largitionibus, pecuniave corrumpere tentabant. Sic Cap. 7. *Adversatur, (Arrianus) clamat, litigat, pugnat, turbas congregat, contra Christum dimicat. Ille sanguinem fundit, ut redimat: iste pecuniam spargit, ut perimat.* Similia leguntur in sermone 2 ad Catechumenos, num. 24. Et Sermone de tempore Barbarico, num. 10. quæ Tomo 6 in tempus Vandalicæ persecutionis post Augustini mortem excitatæ, convenire observarunt Censores atque Editores Augustinianorum Operum. Præterea dictio nec latis accurata, nec tam seria est, quam solet esse Augustini. Notatum dicit Bellarminus in *Indice Possidii*, in eo videlicet, quem interpolatum edidit Joannes Vlimmerius: nusquam vero in cæteris tum editis tum Manuscriptis, quæ Benedictinis videre licuit, *Possidiani Indicis* Exemplaribus reperitur.

Sermo contra Judæos, Paganos & Arianos. col. 11.

Is quoque sermo sub Arianorum dominatu habitus est, eo tempore quo Hereticis illis Disputantibus, & Catholicos, alios pollicitatione ac præmio, alios vi potentiaque deducere a fide nitentibus, obsistere nullus audebat. *Magnum tibi videris*, ait Concionator Cap. 7. *quia disputas nullo tecum altercante, nullo judice præsidente. Et dum suffragatur tempo errori tuo, existimas te aliquid esse, cum nihil sis: & seducto multos seducere contemptis, aliquos pecunia, aliquos potentia.* Quæ conferenda cum superiore sermone, c. 7. p. 10. Idem quoque videtur exscripsisse D. Gregorium tum in Sermonis exordio, tum quædam ejusdem alia. cap. 17.

De altercatione Ecclesiæ & Synagogæ, Dialogus. col. 19.

Nihil habet phraseos Augustinianæ, ejusque author videtur fuisse aulicus aut Jurisconsultus quispiam.

De fide contra Manichæos, liber unus. col. 25.

Illum ex vetustissimi Corbejensis Codicis authoritate, Evodio Vzalensi in Africa Episcopo asseruit Jacobus Sirmondus *in Historia Prædestinatiana* cap. 1. Ambigit tamen, non affirmat Codex Corbejensis, cum huic Opusculo hæc præmittat: *Incipit ejusdem contra Manichæos (utrum ejusdem, utrum Sancti Evodii ignoratur.)* Corbejensi Codici consentit Colbertinus alius, aliique nonnulli MSS. eandem de Authore Augustino & Evodio dubitationem præferentes. Plura novissimi Editores Operum Divi Augustini, in hac Appendice, col. 24.

Commonitorium Ecclesiæ Catholicæ (vulgo S. Augustini Episcopi) quomodo sit agendum cum Manichæis, qui convertuntur. col. 37.

Sub Augustini nomine vulgatum est in *Appendice* ad Tomum Decimum Operum S. Augustini Editionis perfectæ anno 1586. Prodiit etiam circa idem tempus procurante Baronio in Tomi V. *Annalium Ecclesiasticorum* Appendice ex veteri Codice Collegii Gervasiani Parisiensis. Nunc demum recognitum diligentius prodit ad Exemplar quod in Bibliotheca Reginæ Christinæ asservatur, nec non ad Prosperi cujusdam ex Ma-

d by Google

Manichæis converſi *Anathematiſmos*, quos edidit Sirmondus, in Tomo 1. Conciliorum Galliæ.

Contra Felicianum Arianum de Vnitate Trinitatis, liber unus vigilio reſtitutus. col. 39.

Pronuntiavit olim Eraſmus, non eſſe probabile hunc Dialogum eſſe Auguſtini, cujus non meminit in libris *Retractationum*. Nam & Actis Eccleſiaſticis, inquit, ſolet addi locus, interdum etiam quid fecerit qui proponit, aut qui reſpondet. Ad hæc non ſolent Ariani tam facile concedere in diſputando, quam hic facit Felicianus. Præterea denſior eſt Auguſtinus in citandis Scripturis, quam hic eſt. Notat poſtremo Eraſmus phraſeos diſſonantiam, & concludit Eruditum aliquem exercendi ingenii gratia finxiſſe Dialogum: quod factum & ab Hieronymo videmus. Diſſimulata vero hac Eraſmi cenſura, Lovanienſes librum hunc inter genuina Opera & cum nomine Auguſtini, excudi curarunt: quia videlicet ipſius eſſe agnoſcit Beda vulgatus in Paulum ad 1. Cor. 1. Et Lanfrancus in Opere *contra Berengarium*: quibus adjungi poteſt Alcuinus libro 1. *contra Elipandum*, & Petrus Lombardus in 3. Sententiarum Diſt. 21. cap. *Sicut*. Et Diſt. 22. cap. *Et utique*. Sed quod ad Bedam attinet, ubi citatur tanquam Auguſtini: certe Collectio veri Bedæ in Paulum, quam in Bibliotheca Germanenſi habemus nondum vulgatam, caret prorſus eo loco libri hujus, qui in Collectione vulgata eſt, cujus auctorem eſſe Florum, infra notabimus. Non autem mirum, quod Auguſtini creditus eſt liber, cujus & nomine in vetuſtiſſimis Codicibus prænotatus, & forte ipſi a vero illius auctore certis de cauſſis ſuppoſitus. Id ſcilicet a Vigilio Tapſenſi factitatum obſervatur, *Admonitione* in Altercationem cum Paſcentio, in Appendice Tomi 2. Hunc eundem Vigilium, ſubſequentis cum Feliciano Altercationis auctorem detexit demonſtravitque Petrus Franciſcus Chiffletius, non ſolum ob ſimilitudinem ſtyli cum indubitatis Vigilii contra Eutychem libris: ſed etiam quia in Divionenſis Abbatiæ Codice antiquo (quem quidem ante annos circiter octingentos ſcriptum putant) nomen Vigilii præfert. Vigilius ipſe in Præfatione Librorum *contra Varimadum*, digeſtos a ſe in unum corpus *de Vnitate Trinitatis* libellos memorat: ubi Adverſarii propoſitionibus, non Teſtimoniorum auctoritate, ſed ut ait, *Ruſtico Sermone*, id eſt, quaſi Sacrarum Litterarum rudis reſpondebat. Hæc tamen intelligi poſſunt de aliis XII. libris, ſub nomine ejusdem Vigilii editis.

Quæſtiuncula de Trinitate & de Geneſi. col. 49. quæ ex Alcuino deſcriptæ ſunt.

De Incarnatione Verbi ad Januarium, libri duo. col. 51. Collecti ex Origenis Opere περὶ ἀρχῶν juxta verſionem Ruffini, Aquilejenſis Presbyteri.

De Trinitate & Vnitate Dei, liber unus. col. 63. Diſtributus olim fuit in capita tredecim, quorum poſteriora novem continebant, contractum interpolatumque totum fere librum D. Auguſtini *contra Sermonem Arianorum*, dictis eorundem hæreticorum ſine diſtinctione poſitis. Capita autem priora, quæſtiones aliquot Dialogi Oroſii, qui in 6. Tomi *Appendice* eſt, decurtatas & depravatas referunt: ut verisimilius ſit hunc librum ex Dialogo, quam ex hoc libro Dialogum locupletatum fuiſſe. In ea porro Dialogi parte quæ huc translata eſt, verba Auguſtini nonnulla reperies: illud exempli gratia, quod hic legitur cap. 3. & in quæſtione Dialogi 9. *Si Spiritus Filius diceretur, amborum filius diceretur: nullus autem Filius eſt duorum, niſi &c.* deſcriptum eſt ex Tractatu 99. in Joannem & ex lib. 15. *de Trinitate*. Altera etiam parte capitis ejusdem tertii, exhibentur breviora quædam excerpta, ex libro 2. *de Trinitate*. Tandem caput quartum deſumptum eſt ex libro *Quæſtionum de Novo Teſtamento*, quæſt. 93. qui quæſtionum liber in *Appendice* primæ partis, Tomi 3. extat.

De Eſſentia Divinitatis, liber unus. col. 67.

Non Auguſtino, ſed multis aliis auctoribus æque falſo tributus fuit, Ambroſio, Hieronymo, Anſelmo, Bonaventuræ. Quamquam apud Hieronymum non totus extat, ſed tantum usque ad verba pag. 71. *Hæc omnia quæ prædicta ſunt &c.* Apudque ipſum inſcribitur, *de his quæ Deo in Scripturis adtribuuntur*. Apud Anſelmum, *de Veſtimentis & membris & actibus Deo tributis*. Apud Bonaventuram, *de Eſſentia & Inviſibilitate & Immenſitate Dei*. In MSS. Vaticano & Victorino ſub Auguſtini nomine titulum habet, *de Eſſentia Divinitatis, & de Inviſibilitate atque incommutabilitate Dei*. Prima & maxima libri pars, ex Eucherii Lugdunenſis Opere *de Formulis Spiritalis intelligentiæ* ſumpta, continet totum ejusdem Operis caput primum, quod in certis quibusdam editionibus *de Divinis nominibus* inſcribitur.

Libellus ſeu Dialogus de Vnitate ſanctæ Trinitatis. col. 71.

Ignoti auctoris eſt, ſed antiquiſſimi. Nam extat in Codicibus annorum octingentorum, duobus videlicet S. Remigii Remenſis, quorum alter titulum ſine Auguſtini nomine hunc ipſum præmittit, *Incipit libellus ſeu Dialogus de Vnitate ſanctæ Trinitatis*: alter autem Auguſtino Dialogum hacce inſcriptione tribuit, *incipit Tractatus ſancti Auguſtini Epiſcopi a ſemetipſo ad ſemetipſum*: falſo quidem, uti ſatis ex dicendi ratione liquet. Tametſi iſte ipſe Codex ante annos circiter octingentos ſcriptus putetur, & ad antiquius aliud Exemplar exaratus, quemadmodum oſtendit Scriptura hæc in fine Dialogi, calamo prorſus eodem facta, ubi poſt verbum *nanciſcantur*: continuo in ipſa linea ſequitur, *contuli ut potui, cum omni ſolertia: qui legis, ora pro me*.

De Eccleſiaſticis Dogmatibus, liber unus. col. 75. Non eſt Catholici Scriptoris, ſed Gennadii

Massilienſis in Gallia Presbyteri, qui ſupplevit Catalogum, quem S. Hieronymus ſcripſit, *de Viris Illuſtribus.* Vnde Vualafridus Strabo libro *de rebus Eccleſiaſticis* cap. 20. inquit. *Gennadius Maſſilienſis Presbyter in Dogmate Eccleſiaſtico &c.* Sub ejusdem nomine citatur ab Algero lib. 1. *de Corpore & Sanguine Domini* cap. 22. editionis primæ. Et a Magiſtro Sententiarum lib. 2. diſtinctione 8. in editione Lovanienſi, & in MSS. & vetuſtiſſimis quos vidimus, Codicibus. Scimus utroque loco haberi in quibusdam Editionibus nomen Auguſtini, ſed hoc referendum videtur, ad quorumdam audaces & præpoſteras editiones. Plura de hoc libro ejusque Scriptore, tum Lovanienſes in Editione ſua Operum Divi Auguſtini ad *Appendicem* tomi tertii pag. 364. atque noviſſimi Correctores Monachi Benedictini, loco citato.

Index rerum in eo contentarum ampliſſimus, & alter brevior Scripturarum, quæ in eo explicantur.

Tomus nonus, anni ejusdem.

Complectitur Præfatione juxta morem ſolitum præmiſſa, Polemica contra Donatiſtas, ordine ſequenti.

Pſalmus S. Auguſtini Epiſcopi contra partem Donati. col. 1.

Contra Epiſtolam Parmeniani, libri tres. col. 11.

De Baptiſmo contra Donatiſtas, libri ſeptem. col. 79.

Contra Litteras Petiliani Donatiſtæ Cirtenſis Epiſcopi, libri tres. col. 205.

Ad Catholicos Epiſtola contra Donatiſtas, vulgo *de Vnitate Eccleſiæ, liber unus.* col. 337.

Contra Creſconium Grammaticum Partis Donati, libri quatuor. col. 389.

De unico Baptiſmo contra Petilianum, ad Conſtantinum liber unus. col. 527.

Breviculus Collationis cum Donatiſtis. col. 545.

Ad Donatiſtas poſt collationem, liber unus. col. 581.

Ad Cæſareenſis Eccleſiæ Plebem, Emerito præſente habitus ſermo. col. 617.

De geſtis cum Emerito Cæſareenſi Donatiſtarum Epiſcopo, Liber unus. col. 625.

Contra Gaudentium Donatiſtarum Epiſcopum, libri duo. col. 635.

Appendix tomi noni

Continet *contra Fulgentium Donatiſtam incerti authoris librum unum.* col. 1. cui præmiſerunt *Admonitionem* prolixam ſeu *Cenſuram.* Tum col. 11. usque ad Appendicis finem, *excerpta & ſcripta varia ad Donatiſtarum Hiſtoriam pertinentia, quorum lectio ſuperioribus Divi Auguſtini contra eosdem Hæreticos libris lucem affert.*

Index rerum in hoc Tomo contentarum ampliſſimus, & alter brevior Scripturarum, quæ in eo explicantur.

Tomus decimus, anno 1690.

Poſt inſignem plane Diſſertationem *de ortu & progreſſu Hæreſeos Pelagianorum & Semipelagianorum*, tempore Divi Auguſtini enatæ, ſectionibus XXIX. comprehenſam, complectitur tandem Opuſcula omnia a ſancto Doctore contra Hæreticos conſcripta, hoc ordine.

De peccatorum meritis & remiſſione, & de baptiſmo parvulorum ad Marcellinum libros tres columna 1.

De ſpiritu & littera ad eundem, librum unum. col. 86.

De natura & gratia contra Pelagium, ad Timaſium & Jacobum librum unum. 127.

De perfectione juſtitiæ hominis, Epiſtolam ſeu librum ad Eutropium & Paulum. 667.

De geſtis Pelagii ad Auxilium, librum unum. 191.

De gratia Chriſti & de peccato originali contra Pelagium, ad Abinam, Pinianum, & Melaniam libros duos. 230.

De nuptiis & concupiſcentia ad Valerium, libros duos. 279.

De anima & ejus origine contra Vincentium Victorem, libros quatuor. 338.

Contra duas epiſtolas Pelagianorum, ad Bonifacium libros quatuor. 411.

Contra Julianum hæreſis Pelagianæ defenſorem, libros ſex. 498.

De gratia & libero arbitrio ad Valentinum, & cum illo Monachos Adrumetinos, librum unum. col. 718.

De correptione & gratia ad eosdem, librum unum. 750.

De prædeſtinatione Sanctorum ad Proſperum & Hilarium, librum unum. 790.

De dono perſeverantiæ ad eosdem, librum. 822.

Contra ſecundam Juliani reſponſionem, imperfectum opus ſex libros complectens. 874.

Appendix

Continet *Hypomneſticon contra Pelagianos & Cæleſtianos libris ſex*, qui vulgo & perperam *libri ſex Hypognoſticon* ſeu *Subnotationum* inſcribuntur. Columna 6.

Librum de prædeſtinatione & gratia col. 50. qui ſuſpecti auctoris eſt, nullatenus autem ſancti Auguſtini, ut in admonitione huic prævia egregie obſervatum eſt.

Librum ſeu Libellum de prædeſtinatione Dei col. 59. incerti auctoris.

Varia ſcripta & monumenta eorumdem auctorum, ad Pelagianam hiſtoriam pertinentia. Nimirum a columna 63. ad 163. quibus maxime illuſtrantur & probantur, quæ de hæreſi Pelagiana dicta ſunt, in Diſſertatione præliminari, huic tomo præmiſſa.

Apologetica Opuſcula Proſperi Aquitani pro Auguſtino, contra iniquos doctrinæ ipſius de gratia & prædeſtinatione reprehenſores, ſcilicet.

Epiſtolam de gratia & libero arbitrio ad Ruffinum. col. 163.

Librum unum contra Collatorem. 171.

Reſpon-

Digitized by Google

Responsiones ad capitula calumniantium Gallorum. 198.

Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum. 207.

Responsiones ad excerpta, quæ de Genuensi civitate missa sunt. 214.

Ejusdem librum Sententiarum ex Augustino. 223.

Vitam sancti Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi, auctore Possidio Calamensi Episcopo ipsius discipulo. columna 257.

Indiculum librorum, tractatuum & epistolarum sancti Augustini Hipponensis Episcopi, editum cura Possidii Calamensis Episcopi. col. 281.

Index rerum quæ in hoc Tomo continentur amplissimus, & alter brevior Scripturarum, quæ in eo explicantur.

Atque hæc de novissima editione & dispositione omnium Divi Augustini Operum, cura & studio Thomæ Blancpain ac Petri Coutant, Monachorum Gallorum congregationis Sancti Mauri: quam quisquis attenta mente conspexerit, & cum anterioribus editionibus contulerit, laboris immensi opus, nec minoris utilitatis fatebitur.

Tomus undecimus anno 1700.

Complectitur *Vitam S. Augustini* in ejusdem operibus collectam & *indicem generalem* in omnia Opera, studio Monachorum sancti Mauri.

Agunt de editione Parisiensi ista cum encomio, *Acta Eruditorum Lipsiæ* Tomo 2. ad annum 1683. mense januario pag. 1. ad 5. ubi de Tomo V. Operum Divi Augustini, qui *Enarrationes in Psalmos* continet, loquuntur. Itemque Tomo 7. ad annum 1688. mense Novembri pag. 618. ad 623. ubi diffuse de Operibus D. Augustini, nempe Tomo V. 1683. Tomo VI. & VII. 1685. Tomo VIII. & IX. 1688.

Verum hoc anno 1700. fratres Huguetani Amstelodami editionem hanc Parisiensem imitati sunt, quam Tomis XIV. in folio recudendam curarunt, licet illam falso titulo *editionis Parisiis anno 1689. facta* ad incautorum deceptionem inscripserint. Differt hæc editio Amstelodamensis a Parisiensi, non quoad ullam Operis mutationem factam, sed quoad Tomorum & Voluminum distinctionem. Parisiensis enim constat Voluminibus VIII. quæ in Tomos XI. distinguuntur, Amstelodamensis autem in Volumina XIV. seu Tomos totidem distributa venditur.

Tomus 3. editionis Parisiensis, qui complectitur *Exegetica in Vetus & Novum Testamentum*, in Amstelodamensi editione, in duo Volumina seu duos Tomos distinctus est, quorum 1. complectitur Exegetica in Vetus Testamentum, 2. in Novum.

Tomus 4. seu Volumen 3. editionis Parisiensis continet *Commentarium in Psalmos Davidis CL.* seu Psalterium integrum, quod in Amstelodamensi editione, inutili prorsus separatione, in Volumina duo seu Tomos duos distinctum est, Psalmis 88. primo Volumine, reliquis Volumine secundo comprehensis.

Tomus 5. seu Volumen 4. editionis Parisiensis *omnes Sermones D. Augustini* complectitur tam de tempore quam de Sanctis, tam germanos quam supposititios. Editio Amstelodamensis distinxit in Volumina duo, quorum 1. continet *Sermones de tempore* ad populum habitos, 2. *Sermones de Sanctis, de diversis, ac dubios & suppositios cum appendice.*

Tomus 10. seu Volumen 7. editionis Parisiensis, complectitur *Opera D. Augustini in Pelagianos* conscripta, cum *Appendice Operum* ad eandem hæresim spectantium. Editio Amstelodamensis distinxit hoc Volumen in duo, absurde & inutiliter, contra mentem Monachorum illorum qui tantis curis incubuerant emendandis D. Augustini operibus. Continet primum *Opuscula contra Pelagianos*, secundum *Opus imperfectum Augustini contra secundam Juliani responsionem* cum Appendice Opusculorum quorundam suppositititiorum, variisque scriptis ad Pelagianam historiam pertinentibus, cum Prosperi Apologeticis pro Augustino, Vita denique Augustini auctore Possidio Calamensi Episcopo conscripta. Hoc discrimen inter editionem Parisiensem anno 1679. primum evulgatam & anno 1700. perfectam, atque Amstelodamensem anno 1700. impressam ac titulum editionis Parisiensis 1689. factæ, mendacio præferentem. Debentur hæ nugæ Joanni Clerico, qui victum sibi comparat ex Opera inutili quam bibliopolis Amstelodamensibus præbet.

Tomus undecimus Parisiensis editionis anno 1700. ad umbilicum perductus, complectitur *Vitam S. Augustini* ex scriptis illius factam a Monachis Benedictinis Congregationis sancti Mauri, ac potissimum a Domino Thoma Blancpain, qui Operum Divi Augustini novissime editorum primarius auctor fuit. Item Indices generales in omnia Augustini Opera, cui similis omnino est Tomus undecimus editionis Amstelodamensis.

CAPVT SEXTVM.

DE APPENDICE AVGVSTINIANA JOANNIS CLERICI, QVAM EDITIONI AMSTELODAMENSI SVB TITVLO *TOMI DVODECIMI*, ANNO MDCCIII. ADJECIT.

JOannes Clericus, qui damnat alios novis Sanctorum Patrum editionibus incumbentes, uti Joannem Martianay in *Quæstionibus Hieronymianis*, quas dictus Clericus contra eundem edidit, quod Hieronymo *multas observationes & notas* addidisset, quæ nulli usui erant; quam ut molem voluminum Hieronymianorum, eorumque *pretium* augerent: atque ita & emptores ab emendo ob enorme pretium, & lectores a legendis illis ob tædium avocarent; in illud

cujus alios arguit, ipſe omnium primus impegit, in editione Operum ſancti Auguſtini omnium anni 1700. Amſtelodamenſi, quam Tomis ſeu Voluminibus XIV. in folio diſtinctam vendi vidimus hic Lugduni Batavorum, enormi auctione pretii, inutili tot Voluminum partitione & compactione, ac meditata a Bibliopolis deceptione, eorum qui minus ſibi ſuisque pecuniis non diſperdendis attendunt. His non contentus, ut obtemperaret typographis, mercenarium ipſum conducentibus, anno 1703. *Appendicem Auguſtinianam* ſub ficto *Joannis Phereponi* nomine, ac *Tomi duodecimi* titulo edere, contra principia a ſe adverſus alios ſtabilita aggreſſus eſt. Vnde Auguſtinianorum Operum pretium auctum, & exemplaria novæ editionis quæ non vendebantur, difficiliora adhuc venditu facta ſunt.

Inter *Acta Eruditorum Lipſiæ* anni 1707. Februario menſe paginis 94. 95. & 96. habetur *Protrepticon ad Eruditos* Joannis Baptiſtæ Clarelli Bibliopolæ Veneti, quibus editionem novam *Operum divi Auguſtini* promittit, atque his Amſtelodamenſem increpat. „Quoad Amſtelodamenſem vero editionem, Antverpiæ nomine „pervulgatam, undequaque reprobatur, non „tantum propter Tom. XII. multam non ſane „doctrinæ copiam continentem, verum etiam „propter tranſcriptionis infidelitatem ipſius Di„vi Patris textus, quem non ſolum adulterati „ſunt, multa verba demendo: ſed etiam muti„lum reddiderunt, integras periodos auferen„do, præter innumeros errores paſſim inſertos. Sed imprudens hic Bibliopola fallitur, quamvis enim Joannis Clerici Tomum XII. non approbam ob tumorem quo plenus eſt, & operis inutilitatem; falſum tamen eſt quod *multum doctrinæ non ſanæ copiam* contineat, itemque quod multa verba decerpta ſint & integræ etiam periodi ablatæ: ſi quæ talia contigerunt, vitia & errores ſunt correctorum parum accuratorum, non eorum qui editionem illam reiterandam voluerunt. Nec Proteſtantes in editionibus ſuis Opera Patrum corrumpunt, ſed Pontificii & Papicolæ, quibus id centies probatum fuit. Longe igitur meliori fide in editionibus Patrum agunt Lutherani & Calviniſtæ, quam Pontificii, quibus omnia corrumpendi occaſionem & neceſſitatem præbent *Indices Expurgatorii Romani*, ad corruptiones & adulteria Operum ejusmodi, juſſu Romanorum Pontificum compoſiti. Nec opinor Editio Veneta correctior erit Amſtelodamenſi, quæ quamvis male correcta ſit, a nemine tamen Pontificiorum adulterationis de induſtria factæ hucusque accuſata fuit. Imo venditur publice ut authentica, tum Antverpiæ, tum in Belgicis partibus Pontificiis nemine contradicente: quod Belgæ non paſſi fuiſſent, ſi adulterata de induſtria hæc editio fuiſſet. Hæc contra mendacia Joannis Baptiſtæ Clavelli.

In hac vero *Appendice Auguſtiniana* a Joanne Clerico congeſta, hæc continentur: Opus iſtud falſo inſcriptum eſt, *impreſſum anno 1703. Antverpiæ ſumptibus Societatis*, cum conſtat editum fuiſſe Amſtelodami apud fratres Huguetanos & Petrum Mortier, apud quos venditur.

Incipit Joannes Phereponus *Præfatione*, quam Tomo huic XII. præmittit, ut rationem *Appendicis hujus adjectæ* reddat, & quæ in ea continentur, recenſeat. Quantum autem de ſe Joannes Clericus præſumat, quanto faſtu turgeat, abunde ex *Præfatione* iſta liquet, ubi Auguſtinum ſibi longe inferiorem facit, ſe autem a triginta annis Dei minime fallacia lumina, ſive „per rectam tantum rationem, ſive per revela„tionem ad nos delata, ſola attendere conatum„ eſſe: ita ut magiſtros omnes quaſi adjutores„ ad eam rem, non quaſi dominos judiciorum„ ſuorum habuerit. Quamobrem & Dialecti„cam diligenter coluit, ne ratiocinando fallere„tur: & Grammaticam ac Criticam, ſive litte„ras Hebraicas, ſive Græcas ſpectes; lectionem„que indefeſſam, non verſionum tantum, ſed &„ Authenticorum Scripturæ librorum, Diale„cticæ pro virili adjecerit: ut intelligeret quid„ revelavit Deus, ac intellectum toto animo am„plecteretur.„ Nihil unquam iſtis verbis inſolentius dici poteſt, quibus eruditionem ſuam Joannes Clericus, orbi literario commendatam eſſe cupit.

Continentur autem *Appendice iſta Amſtelodamenſi*, Carmen Sancti Proſperi *de Ingratis*, cum Commentario Doctoris cujusdam Lovanienſis eruditi, olim editum Lovanii, nomen *Martini Steyarti* perperam præferens, quod in hac editione deletum eſt. Pag. 1. ad 37.

Joannis Garnerii Soc. Jeſu Presbyteri Diſſertationes ad Hiſtoriam Pelagianam facientes, a pag. 37. ad 315. acceptæ ex editione ejusdem Operum Marii Mercatoris, Pariſiis in folio, anno 1673.

Pelagii Britanni Commentarius in Epiſtolas S. Pauli, qui ſæpiſſime editus ad calcem Operum divi Hieronymi, ab Eraſmo & aliis, pag. 315. ad 459.

Deſiderii Eraſmi Præfatio in Opera Divi Auguſtini omnia ad Alfonſum Fonſecam, Archiepiſcopum Toletanum, totius Hiſpaniæ Primatem pag. 461.

Præfatio Joannis Vlimmerii, Canonici Regularis S. Martini Lovanienſis, *de Indiculo Poſſidii* a ſe edito, ad Jacobum Pamelium Sacrarum litterarum Licentiatum ac Brugenſem Canonicum, data XI. Kalendas Apriles anno 1564. p. 468. quam Clericus immemor ſui repetiit, ad *Appendicis* calcem, pag. 621.

Carmen ad lectorem Chriſtianum, quo breviter, quid in Lovanienſi editione Operum divi Auguſtini anni 1564. præſtitum ſit, declaratur, pagg. 469. 470. Hucusque nihil Joannis Clerici, qui immerito nomen *Phereponi* ſeu *Laborioſi*, in hac *Appendice* accepiſſe videtur.

In Tomum 1. Operum Auguſtinianorum, poſt

Digitized by Google

poſt *Cenſuram* Deſiderii Eraſmi Roterodami pag. 471. in libros Retractationum & Confeſſionum ſancti Auguſtini, incipiunt Joannis Phereponi Notæ in libros Retractationum S. Auguſtini pag. 471. Ejusdem Animadverſiones in libros Confeſſionum S. Auguſtini p. 472. In libros contra Academicos p. 477. In librum de vita beata pag. 478. In libros de ordine p. 478. In libros Soliloquiorum pag. 479. Et in alios Tomi primi libros & tractatus, usque ad pag. 486. nonnullis interdum Deſiderii Eraſmi *Cenſuris* adjectis.

Ad Tomum II. poſt cenſuram Deſiderii Erasmi Roterodami ad Epiſtolas divi Auguſtini pag. 487. Animadverſiones Joannis Phereponi pag. 488. ad 499. ubi Henrici de Noris Veronenſis, Auguſtiniani Animadverſiones in Epiſtolam CLXXV. viro clariſſimo Antonio Magliabeco, Florentino, & in Epiſtolam CLXXVI. pag. 507. ad 517. tum ſequuntur Joannis Phereponi pag. 517. Animadverſiones ad pag. 523.

Ad Tomum III. Animadverſiones ejusdem Phereponi a pag. 524. ad 537. adjectis cenſuris brevibus Deſiderii Eraſini Roterodami pag. 524. & 531.

Ad Tomum IV. Animadverſiones ejusdem Phereponi a pag. 537. ad 541.

Animadverſiones ejusdem Phereponi ad Tomum V. Auguſtini pag. 541. quibus præmittitur per eundem, poſt brevem Eraſini cenſuram *Sermonum ad Fratres in Eremo*, Præfatio Joannis Vlimmerii, Canonici Regularis Monaſterii S. Martini Lovanienſis, dedicatoria D. Martino Rithorio, primo Yprenſis Eccleſiæ Epiſcopo, ad Sermones S. Auguſtini, aliaque opuſcula, a ſe Lovanii edita, apud Hieronymum Wellæum anno Domini MDLXIV. Pag. 544. Præfatio Jacobi Sirmondi Soc. Jeſu Presbyteri, ad Sermones XL. novos, ex diverſis exemplaribus antiquis collectos, editosque Pariſiis anno 1631. apud Sebaſtianum Cromoiſy, via Jacobæa ſub Ciconiis. Animadverſiones autem ad Tomum V. incipiunt pag. 544. ad 555. quæ partim ad Joannem Phereponum ſpectant, partim ad Jacobum Sirmondum, ut ex ſubſcriptionibus patet.

Ad Tomum VI. Animadverſiones ejusdem Phereponi incipiunt pag. 555. quæ adjectis brevibus Deſiderii Eraſini Roterodami cenſuris, p. 566. finiunt.

Animadverſiones ejusdem Phereponi in Tomum VII. S. Auguſtini pag. 567. ad 594. Sed pag. eadem 567. præmiſſa Dedicatione Joannis Ludovici Vivis ad Henricum VIII. Angliæ Regem & Hiberniæ Dominum. Pag. 569. Præfatione ejusdem in ſuos Commentarios ad Libros divi Auguſtini *de Civitate Dei*. Pag. 571. Ejusdem de veteribus Interpretibus hujus Operis. Pag. 574. Quinam hominum fuerunt Gothi, & quomodo Romani cœperint usque ad pag. 576. Vbi Animadverſiones Joannis Phereponi incipiunt, & pag. 594. deſinunt.

Animadverſiones Joannis Phereponi in Tomum VIII. S. Auguſtini p. 594. ad 602.

Animadverſiones ejusdem in Tom. IX. S. Auguſtini a pag. 602. ad 607.

In Animadverſionibus ad Tomum X. Sancti Auguſtini nihil fere aliud agit Joannes Phereponus, quam *Præfatiunculam* pag. 607. cui pag. eadem 607. addidit *Præfationem* ad librum Divi Auguſtini *de geſtis Pelagii*, anno 1611. primum Auguſtæ Vindelicorum editam. Pag. 609. *Epiſtolam adventoriam* Henrici de Noris, Veronenſis Auguſtiniani in Academia Piſana Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſoris, ad P. Franciſcum Macedo in Academia Patavina Ethices interpretem, ad pag. 618. *Præfationem* Claudii Menardi Monachi Benedictini in Priores libros Operis Imperfecti, pag. 619. Joannis Vlimmerii *Præfationem* ad Jacobum Pamelium ſacrarum literarum Licentiatum ac Brugis Canonicum *de Indiculo Poſſidii* pag. 621. quibus Animadverſiones paucul æ Clericales annectuntur Joannis Phereponi, *in librum de correptione & gratia* pag. 618. *in Opus imperfectum contra Julianum* pag. 620. *in Vitam divi Auguſtini* pag. 622.

In hoc Tomo XII. a pag. 1. ad 470. nihil omnino eſt, quod ad laborem Joannis Clerici ſpectet, excepta Præfatione, quæ ſuperbiam ejus orbi literario detegit. A pag. 471. ad 622. qua Tomus concluditur, vix columnæ viginti ex labore Clericali procedunt, aliis omnibus, vel ad Deſiderium Eraſmum, Henricum de Noris, vel ad alios pertinentibus. Vnde mirum eſt tanto faſtu nomen ſuum Tomo huic præfixiſſe, in quo tam modica laboris pars ad ipſum ſpectat. Agunt de hac *Appendice Auguſtiniana* Acta Eruditorum Lipſiæ anno 1703. menſe Julio pag. 289. ad 292.

CAPVT SEPTIMVM ET VLTIMVM.

DE DEFLORATORIBVS VEL COMMENTATORIBVS OPERVM D. AVGVSTINI, TAM ANTIQVIS QVAM RECENTIBVS PRÆCIPVIS.

PRimus ex illis fuit *Eugyppius Abbas Africanus*, dignitate Presbyter, qui Caſſiodoro teſte, *Divinarum Inſtitutionum* cap. 23. vir non usque adeo ſecularibus literis eruditus, ſed Scripturarum divinarum lectione pleniſſimus, anno 553. clarus, hortatu Renducis Neapolitani Epiſcopi, quæſtiones, ſententias ac diverſas res ex S. Auguſtini ſcriptis defloravit, & in unum corpus collectas in 338. capitulis collocavit, cui Operi nomen *Theſauri* indixit, & Probæ virgini ſacræ nuncupavit. Extat autem *Theſaurus* hic Baſileæ 1542. in folio, & Venetiis 1543. editus in lucem, unde fragmenta nonnulla in editiones Operum D. Auguſtini acceſſerunt.

Inter MSS. Codices Bibliothecæ Venetæ Cardinalis Beſſarionis, extat *Petri Abbatis Tripolitani*

lium nomine Expoſitio in Epiſtolas D. Pauli ex divi Auguſtini Sermonibus, in membrana, de qua loquitur Baronius ad annum 562. poſt Caſſiodorum *Divinarum Inſtitutionum* cap. 8. Sed an legitimum opus Petri Tripolitani Abbatis ſit, caute diſcutiendum eſt: licet hoc ſcribat Jacobus Philippus Thomaſinus in Catalogo Bibliothecarum Venetarum Publicarum & Privatarum, quem anno 1650. Vtini in 4. inprimendum curavit.

2 Venerabilis Beda, natione Anglus, profeſſione Monachus & Presbyter, qui anno DCCX & ſequentibus floruit. Extant inter Opera V. Bedæ, *Commentaria in omnes Epiſtolas S. Pauli, ex Auguſtini Operibus ut plurimum excerpta*, de quo Opere Baronius in Annalibus ad annum 562. litem Bedæ movet, ac Petro Abbati Tripolitano, de quo Caſſiodorus *Divinarum inſtitutionum* cap. 8. adſcribendum cenſet. Verum Joannes Mabillonius litem intentatam præclare diluit, qui Tomo 1. *Analectorum*, Diſſertatione ſingulari pag. 12. nec Bedæ nec Petro, ſed Floro Magiſtro, Lugdunenſis Eccleſiæ Diacono, deberi demonſtrat. Verum interim *Commentarius Bedæ* (nam S. Pauli Epiſtolas ab eo explicatas eſſe, ipſe in *Indiculo* Operum ſuorum fidem facit) ejusque *Collectaneum in Apoſtolum ex Operibus Auguſtini decerptum*, grandi ſatis volumine nondum impreſſum, penes ſe habuiſſe teſtatur Lupus Ferrarienſis Abbas Epiſtola 76. ad Hincmarum pag. 118. extat autem in duobus MSS. exemplaribus MS. apud Joannem Mabillonium, ex bibliotheca S. Germani Pratenſis, ut idem teſtatur. Vide quæ habet Stephanus Babezius in Notis ad Lupum Ferrarienſem pag. 405.

3 Magiſter Florus Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconus circa annum 850. inclytus, ſcripſit *Commentarium in omnes S. Pauli Epiſtolas ex S. Auguſtini ſcriptis contextum*, qui habetur Tomo 6. Operum Bedæ, ei falſo adſcriptus, de quo latius in Beda diximus. Nam *Flori* iſtius eſſe ex pluribus MSS. codicibus docuit Joannes Mabillon, Diſquiſitione hac de re compoſita *Analectorum* tomo 1. pag. 12. & ſeqq. qua etiam oſtendit, genuinum Bedæ Commentarium ab evulgato eſſe opus aliud, idque nondum typis editum penes ſe habere, aliquando in lucem proferendum. Alibi tamen obſervat in 3. MSS. codicibus Abbatiæ S. Galli in Helvetia, qui annorum 800. & 700. ſunt, hanc ipſam Bedæ Expoſitionem ſub nomine *Flori Presbyteri* contineri, de qua vide quæ adnotavit erudite Tomo 4. *Analectorum* p. 630. Nos plura de hoc critices puncto, ſeculo 9. in *Floro Lugdunenſi* dicemus. Abbreviavit prolixum *Flori Commentarium in Epiſtolas Pauli* circa annum 1180. *Robertus de Torinneio*, in Normannia, Abbas S. Michaelis de Monte, diœceſis Abrincenſis, quem arbitratus eſt ſpectaſſe ad Petrum Tripolitanum, quamque ſententiam ad annum Chriſti DLXII. Baronius amplexus eſt, cujus *Abbreviatio* MS. extat inter MSS. Codices bibliothecæ S. Michaelis de Monte. Extat autem *Epiſtola una & Prologus in Abbreviationes Epiſtolarum Apoſtoli ſecundum Auguſtinum*, in Appendice ad Guiberti Opera a Luca Dacherio edita Pariſiis in fol. 1651. pag. 715. quam ex MS. Codice produxit.

4 Bonizo Sutrii ac Placentiæ Epiſcopus circa annum 1073. compoſuit *Auguſtinianum Epitomen* ſeu *Excerptum Sententiarum Mirifici doctoris Auguſtini* libris 8. diſtinctum, quod S. Joanni Gualberto, Fundatori & primo Abbati Vallis Vmbroſæ dedicavit, extatque MS. in bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, inter MSS. Codices ex arce Ambroſiana illuc allatos, Codice LXXXV. & teſtatur Petrus Lambecius illius inſpector & cuſtos tomo 2. *Commentariorum* hujus bibliothecæ cap. 8. pag. 790. & ſequentibus, ex quo plura afferemus infra in hoc Commentario ad annum 1080. quo Bonizo iſte claruit.

5 Guillelmus Abbas Sancti Theodorici prope Remos, in Gallia, Ordinis ſancti Benedicti, tum ex Abbate factus Monachus ordinis Ciſtercienſis apud Signiacum in eadem Diœceſi, cujus extat ingens *Collectaneorum Opus* in dicta Signiacenſi bibliotheca MS. quod aliquamdiu penes me habui atque tranſcripſi. Inter hæc, Opuſculum quoque *Sententiarum de fide ex divi Auguſtini Operibus collectum*, a me tranſcriptum ex avtographo, traditumque Thomæ Elanpain Monacho Benedictino, Congregationis Sancti Mauri in Gallia, qui hanc *Collectionem* ſub authoris proprii nomine, edendam ad calcem ultimi voluminis Operum D. Auguſtini, in *Appendice* Tomi promiſerat, quod tamen non præſtitit. Hujus autem Operis ſui, Guillelmus meminit in Prologo Epiſtolæ *de vita ſolitaria ad Fratres de Monte Dei*, verbis iſtis: *Sententias de fide quas de beati Auguſtini libris extraxi, ſi vultis tranſcribere, fortes nimirum & graves ſunt: cum ſupradicto opuſculo quod Ænigma fidei intitulari placuit, magis congruunt.* Claruit ab anno circiter 1130. ad 1160. vel 1170. de quo prolixe infra agemus in hoc Commentario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad an. 1150. Suppar autem fuit *Roberto de Torinneio* ſeu *de Monte*, de quo diximus ſupra n. 3.

6 Thomas Jorſius ſive Joycius, dictus Anglicus & Gualenſis, natione Anglus, patria Londinenſis, ex ordine Fratrum Prædicatorum, claruit anno 1305. quo Cardinalis & Epiſcopus Sabinenſis a Clemente V. die 18. Decembris renuntiatus eſt. Contulit ille operam ſuam cum *Nicolao Triveth* Anglo pariter, ejusdemque inſtituti Theologo, ad concinnandum *Commentarium in Libros XXII. D. Auguſtini de Civitate Dei*, qui extat MS. Oxonii in bibliotheca Mertonenſi Cod. 169. & Balliolenſi Cod. 70. & Toloſæ quidem excuſus eſt anno 1488. & Venetiis 1489. ſub nomine utriusque, cum uterque ſimul viventes & collaborantes huic Operi manum adhibuiſſent. Verum Commentarius hic eruditis haudquaquam hujus ætatis ſapit, oletque barbariem & nugas Scholaſtici pulveris. Incertum,

tum, quonam anno Thomas Gualenſis mortuus ſit, Nicolaus autem Triveth anno 1328. Londini apud Fratres ſuos ſepultus eſt.

7 Bartholomæus de Vrbino, Italus patria Vrbinas, Auguſtini Triumphi diſcipulus, ex Ordine Erenitarum divi Auguſtini, anno 1343. claruit, quo circiter tempore a Clemente VI. Papa, Epiſcopus Vrbinas renuntiatus eſt. Divorum Auguſtini & Ambroſii Operum lector aſſiduus, Sententias utriusque maxime inſignes excerpſit, quas in Alphabeti ordinem digeſtas, *Milleloquium* appellari voluit. Atque ab Auguſtino quidem ejus præceptore ſeu Magiſtro *Milleloquium Auguſtini Sententiarum* inceptum a Bartholomæo abſolutum, anno 1555. Lugduni in folio impreſſum eſt: *Milleloquium Ambroſii* ibidem anno 1556. eadem forma. Obiiſſe anno 1350. dicitur, de quo Henricus Warthon in Continuatione *Hiſtoriæ Literariæ* Guillelmi Cavi, ad annum 1343. pag. 38.

8 Joannes Ludovicus Vives, gente Hiſpanus, patria Valentinus, circa annum 1518. Erasmo inſtante *Opus S. Auguſtini de Civitate Dei recognoſcendum & Commentariis ſuis* illſtrandum ſuſcepit. Quanto id ſucceſſu præſtiterit, eruditi norunt, & quotquot bonas literas curæ habent. Opus ſuum anno 1522. Baſileæ in fol. impreſſum & abſolutum, data Lovanio Epiſtola Henrico VIII. Angliæ Regi inſcripſit, quod ſæpe recuſum in Eraſmianis Operum Divi Auguſtini editionibus.

9 Johannes Gaſtius Germanus ut opinor Theologus, *Commentarios in univerſa biblia ex Auguſtini Operibus collectos*, Baſileæ 2. tomis in folio, 1542. edidit.

10 Hieronymus Torrenſis, Hiſpanus Soc. Jeſu Theologus, *Confeſſionem Auguſtinianam* 4 libris, ex omnibus S. Auguſtini Operibus accuratiſſime collectam, Dilingæ annis 1567. & 1596. in fol. editam compoſuit, atque poſt primam editionem, ad multam usque ſenectutem provectus correxit. Ablatis iis, quæ tanquam divi Auguſtini attulerat ex libro *de fide ad Petrum*, quem S. Fulgentii eſſe compertum eſt. Et ex libro *de Eccleſiaſticis Dogmatibus*, qui Gennadio Maſſilienſi tribuitur.

Hæc nobis de Operibus D. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi dicenda, ſuppeditarunt D. Erasmus in Præfatione editionis ſuæ Omnium divi Auguſtini Operum. Antonius Poſſevinus Tomo 1. *Apparatus ſacri* verbo *Aurelius Auguſtinus*. Hieronymus Vignorius in Præfatione *Supplementi Operum D. Auguſtini*. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus recenſuit Tomo 1. verbo *Aurelius Auguſtinus* 2 pag. 125. ad 168. Cornelius a Beughem *de incunabulis typographiæ* verbo *Aurelius Auguſtinus* pag. 21. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ad annum 396 pag. 242. ad 252.

418 SEVERVS BALEARIS INSVLÆ MINORIS EPISCOPVS, quam nos Minorcam prope Hiſpaniam in Mari Mediterraneo appellamus, ſcripſit poſt Conſulatum Honorii XI. & Conſtantii II. id eſt anno Chriſti 418. ut recte Baronius habet in *Annalibus Eccleſiaſticis* Epiſtolam circularem ad Eccleſias omnes *de converſione Judæorum in ea Inſula, & de miraculis ibidem factis ad Sancti Stephani reliquias*. Hanc retuleram in *Supplemento Bellarmini* Hiſtoriam poſt Miræum ad annum 423. Aſclepiodoro & Mariniano Conſulibus, ſed attentius Baronio inſpecto, antiquiorem eſſe hanc Narrationem cognovi. Quod autem hic acriter arguat me Cavus exſcripti, neque tamen nominati Miræi: hoc abſurdum omnibus videbitur, qui *Supplementi* titulum legerint. Non enim authorem me, quemadmodum Cavus, qui vel nihil omnino, vel pauca tantum in tanta Operis mole, propria induſtria detexit: ſed *Collectorem* tantum inſcripſi, ut omnia hinc inde comportata Lectores ſcirent: *Collectore F. Caſimiro Oudin Presbytero Veteris Inſtituti Ordinis Præmonſtratenſis*. Hæc ſi Cavus recte & attente legiſſet, cantilenam eandem infantis inſtar tripudiantis ac ludibundi, non repetiiſſet. Eandem merito Plagii literarii notam poſſemus ipſi objicere, cum ex proprio ſtudio nihil ferme habeat: imo quidquid (ne longius divagemur recriminationis ergo) in Severo colligit, illud omne, licet aliis verbis, a Cæſare Baronio in Annalibus atque a Miræo mutuatus eſt: ab iisdem nimirum unde hauſeram, fontibus. Quis enim quæſo hodie eſt, qui nomen aliquid in Argumentis communibus producat? Jam ad argumentum contempto Cavi contemptu, redeamus. Illam quoque Hiſtoriam cum aliis nonnullis ad *Reliquias & Miracula ſancti Stephani* ſpectantibus, ad Appendicem ſeptimi tomi Operum Divi Auguſtini, ediderunt noviſſime eruditiſſimi Benedictini in caſtigatiſſima ſua editione Pariſienſi, hujus anni 1685. quo tomus hic apud Franciſcum Muguet Pariiis in fol. editus eſt. Appendix hujus ſeptimi Auguſtinianorum Operum tomi, ſic procedit.

Aciti ad Palchonium Epiſtola de Reliquiis ſancti Stephani, & de Luciani Epiſtola, a ſe ex Græco in Latinum verſa Sermonem. col. 1.

Luciani Epiſtola ad univerſam Eccleſiam de revelatione corporis S. Stephani Martyris. col. 3.

Anaſtaſii ad Lauduleum Epiſtola de ſubſequente Scriptum, col. 11.

Scriptum de alia detectione & Translatione ſancti Stephani in Vrbem Byzantium, quam Anaſtaſius Latine vertit. col. 11.

Severi Epiſtola ad omnem Eccleſiam, de virtutibus in Minoricenſi inſula factis, per Reliquias Sancti Stephani Martyris. col. 15.

Evodii Vzalenſis Epiſcopi libri duo, de Miraculis Sancti Stephani Martyris. col. 25.

Hæc nos uno tenore, ne quemadmodum Cavus cum ſcrupulo egit, de Somniis ejusmodi Monachorum, ſæpe loqui compellamur: atque ejusmodi quisquiliis operam perdere, cum oleo,

De quibus Cavus ad annum 415. in *Luciano* pag. 304. ad annum 418. in *Severo* pag. 306. ad annum 420. in *Evodio Vzalensi* pag. 311. Miror quod omiserit ille *Aviti ad Palchonium Epistolam* de Reliquiis sancti Stephani, argumento Luciani immissam: unde specialem articulum, ad majorem Operis molem, conscribere potuit. Vbi enim vel unicam, eamque modicam ac momenti nullius Epistolam, vel concionem alicujus rescivit authoris: hinc avide articuli alicujus singularis occasionem arripuit, ut mille ex locis constat.

420 PHILOSTORGIVS natione Cappadox, habuit patrem nomine Carterium, matrem Eulampiam dictam, unicam vero Filiam Anysii cujusdam Presbyteri, qui quatuor quoque filios habuit, atq; Borissi, qui secundæ Cappadociæ vicus est, habitavit. Ita Philostorgius ipse lib. 9. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 9. Carterius uxori suæ persuasit, ut ad opinionem suam desciscere: illa enim tam ex paterno quam materno genere, Filium patri consubstantialem profitebatur. Mulier vero mariti persuasionibus inducta, fratres primum, deinde patrem, & reliquos paulatim propinquos suos in eandem sententiam pertraxit. Secta non tam Arianus, quam Eunomianus & Anomæus fuit, filiumque dissimilis a Patre substantiæ ac patre minorem esse fatebatur τὸν ἑτεροούσιον, ut ibidem de patre suo Carterio Philostorgius fatetur. Scripsit *Historiam Ecclesiasticam* libris XII. ab Arianæ hæreseos ortu, ad annum circiter 425. cujus tibi non meum, sed Photii judicium in *Bibliotheca* Cod. 40. cum propriis verbis, pro more nihil a nobis dicentes, dabimus. „ Secta est Philo„storgii Ariani veluti Ecclesiastica Historia. „Narrat autem fere contraria omnibus Eccle„siasticis Historicis, laudibus extollens quos no„vit Arianismo infectos, & conviciis Orthodo„xos confundens: ita ut hoc ejus Opus non „tam Historia esse videatur, quam Hæretico„rum laudatio, cum nuda & mera vituperatio„ne atque accusatione Catholicorum. Stylus „illi comptior, & poëticis sine tædio, minime„que ingratis vocibus utitur. Tropi quoque „ac verba significantia, gratiam ipsi cum jucun„ditate conciliant: nisi quod interdum ipsis au„dacius, vel nimium detortis utendo, in frigi„dum, & importunum sermonem incidit. Or„natur ab illo varie oratio, vel ad satietatem: „ut in obscuritatem, nec eam semper gratam, „occulte trahatur auditor. Sæpe etiam senten„tias apte suis locis inserit. Incipit autem ab „Arii studio in hæresim atque exordio, usque ad „Aëtii impii hominis revocationem. Hic au„tem Aëtius ab ipsis qui idem cum illo sentie„bant Hæreticis, propterea quod ipsos impieta„te superaret, ut ipse Philostorgius vel invitus „refert, Diaconus submotus, postea ab impiissi„mo Juliano Imp. revocatus, humaniterque „acceptus est. Et hæc quidem ejus Historia, uno volumine sex libros complexa, ad hoc us„que tempus progreditur. Ipse vero scriptor „mendax est, & a fabulis minime abstinens. „Prædicatque doctrinæ quidem causa Aëtium „maxime & Eunomium: solos illos pietatis dog„mata quæ temporis longinquitate obruta „erant, repurgasse fingens. Miraculorum ve„ro & vitæ gratia laudat Eusebium Nicomediæ „Episcopum, quem etiam Magnum nominat: & „Theophilum Indum, & alios complures. Re„prehendit vero Acacii maxime Cæsareæ Palæ„stinæ Episcopi, vim dicendi intolerabilem, & „versutiam inexpugnabilem: quibus eum arti„bus oppressisse ait præ omnibus, tam eos qui „idem sentire viderentur, odio tamen quodam „divisi erant: quam eos, qui contraria in religio„ne sentiebant. Et hæc quidem jam a nobis le„cta sunt. Exiguo autem post tempore, lecti „sunt in alio volumine sex quoque alii ejus libri: „adeo ut totum ejus Opus compleatur libris „duodecim. Quorum librorum principes lite„ræ si connectantur, Scriptoris Philostorgii „nomen conficiunt. Progreditur autem us„que ad Theodosii junioris tempora, finem scri„bendi faciens, quo tempore Theodosius post„mortem Honorii, sceptra Romani Imperii Va„lentiniano Juniori, Placidæ & Constantini filio, „Patrueli suo tradidit. Quamvis autem Phi„lostorgius hic in Orthodoxos fureret, in Gre„gorium tamen cognomento Theologum, in„currere non est ausus, cujus doctrinam vel in„vitus prædicat. Basilio vero Magno calu„mniam texere ausus est, qua illustriorem eum „reddit. Vim enim & venustatem sermonis in„concionibus, ipsa rei evidentia fateri coactus „est: temerarium tamen ipsum homo futilis „appellat, nec in refutando exercitatum: eo „quod, ut ait, Eunomii libris respondere ausus „esset.„ Hæc Photius, unde sua per compendium sumpsit Cavus. Libro autem 9. Philostorgius Miracula quædam recenset Aëtii, Eunomii, Leontii, Candidi item & Evagrii, præcipue vero Theophili Indi & aliorum quorundam. Ita quoque Georgius Patriarcha Alexandrinus Athanasio substitutus scripserat librum *de vita Eusebii Emiseni miraculis plenum*, quem citat Socrates lib. 2. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 9. Nulla enim secta tunc temporis, quæ Miraculis non gloriaretur, quibus fidem suam confirmaret: quemadmodum fastu eodem Pontificii hodierni tument, etsi nullum ullus mortalium mente sanus conspexerit. Ita quoque Miraculis plurimis abundarunt Monachi secta Pelagiani, Evagrius, Marcus, Exercitator, & alii: ut annotavit ante editionem *Historiæ Lausiacæ*, Fronto Ducæus. Vide quæ præmisimus in *Palladio Helenopolitano* superius. Ampliores autem solito horum librorum *Eclogas* Photius fecit, quas ex Bibliotheca Bongarsiana erutas primus edidit Jacobus Gothofredus, Genevæ 1643. in 4. qui cum Præludiis, uberrimas ipsi Annotationes adjecit. Recudit autem

post

poſt Gothofredum Henricus Valeſius Regius Hiſtoricus, Græce & Latine Pariſiis in folio, 1673. cum paucis aliis ex hoc Opere fragmentis ex Suida atque aliis acceptis: ad calcem Eclogarum Photii ſubjectis, præmiſſis Veterum de Philoſtorgio teſtimoniis. Extat idem Opuſculum inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 142. Barocciano num. 7. pag. 243. ad 262. Agunt de Philoſtorgio Photius citatus in *Bibliotheca* Cod. 40. Suidas in Lexico in voce Ἀπολλινάριος. Βασίλειος. Γεηγόριος. Ἀγαπητὸς. Ἄττικος. Ἀυξέντιος. Εὐδόξιος. Θεόφιλος. Λεόντιος. Δημόφιλος. Φλέγων. Nicetas Chroniates in *Theſauro Orthodoxæ fidei* lib. 5. cap. 7. ſub finem, & cap. 8. Nicephorus Calliſtus lib. 1. cap. 1. *Hiſtoria Eccleſiaſtica*. Lib. 9. cap. 19. Lib. 12. cap. 29. Quæ omnia tum præmiſſa a Valeſio, tum ſubjuncta Editioni Excerptorum Philoſtorgii Latinæ, anno 1677. Pariſiis in fol. cum Hiſtoria Euſebii, Socratis, Sozomeni, Theodoreti, Evagrii, ac Theodori Lectoris, impreſſæ.

240 PHILIPPVS SIDETES cognomine, ab urbe Pamphyliæ Sida, unde oriundus fuit, Presbyter atque Syncellus ſancti Joannis Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Epiſcopi, morum probitate inſignis fuit, qui anno potiſſimum 420. atque deinceps tum ob doctrinam tum ob ſanctitatem floruit. Poſt mortem autem Attici Conſtantinopolitani Archiepiſcopi quæ anno 427. contigit, de ſede Conſtantinopoleos obtinenda cum Siſinnio Presbytero contendit: quo ipſi in electione prælato, damnum inde paſſum Philippus ultus eſt in Hiſtoria, multis Siſinnii ordinationes & ordinatores dilacerans. Audiamus ea de re Socratem lib. 7. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 26. „Cæterum poſt obitum Attici, ingens contentio de ordinatione Epiſcopi exorta eſt, aliis alium poſtulantibus. Quidam enim Philippum „Presbyterum cupiebant, quidam Proclum, qui „etiam Presbyter erat. Sed univerſus Populus communi conſenſu Siſinnium optabat, qui „& ipſe quidem Presbyter erat, non tamen in „ulla intra urbem Eccleſia conſtitutus: ſed in „Suburbano Conſtantinopoleos cui nomen „Elæa, Presbyterii gradum ſortitus fuerat. Situm eſt hoc Suburbanum ex adverſo urbis Regiæ, & illic ex antiqua conſuetudine dies Feſtus Aſcenſionis Dominicæ ab univerſo populo „celebratur. Hujus autem viri Deſiderio o„mnes Laici flagrabant, tum quod pietatis no„mine celeberrimus ubique eſſet, tum præci„pue quod pauperibus fovendis etiam ultra vi„res ſuas incumberet. Prævaluit igitur ſtudi„um Laicorum, ordinatusque eſt Siſinnius pri„die Calendas Martii, Conſulatu proxime ſe„quente, qui fuit Theodoſii duodecimus, & Va„lentiniani junioris Auguſti ſecundus. Poſt„hæc Philippus Presbyter, quoniam alter ipſi „antepoſitus fuerat, ordinationem illam pluri„bus reprehendit, in ea quam conſcripſit *Hiſto„ria Chriſtiana*. Vbi & ordinatum ſimul & ordinatores perſtringens, ac præcipue Laicos: ea„ dicit quæ litteris mandare equidem nolim. „ Neque enim ullo modo probare poſſum ejus„ temeritatem, qui talia ſcriptis ſuis prodere au„ſus fuerit. Sed de illo pauca dicere, haudqua„quam intempeſtivum puto. „ De ipſius autem *Hiſtoria Eccleſiaſtica* ſeu *Chriſtiana* quam conſcripſit, mentem quoque ſuam cap. 27. his verbis Socrates aperit, remota diſſimulatione omni. „Philippus patria quidem fuit Sidenſis. Eſt„ autem Side urbs Pamphyliæ, ex qua Troïlus„ etiam Sophiſta originem duxit, cui ſe Philip„pus propinquitate generis conjunctum eſſe„ gloriabatur. Cum autem eſſet Diaconus,„ cum Joanne Epiſcopo ut plurimum verſaba„tur. Idem in ſtudiis literarum multum operæ„ & laboris poſuit, pluresque omnis generis li„bros collegit. Porro Aſianum dicendi genus„ æmulatus, multa elucubravit. Nam & *Juliani Imperatoris libros* confutavit, & *Chriſtianam„ Hiſtoriam* compoſuit, quam in triginta ſex li„bros diviſit. Singuli autem libri, plures con„tinent tomos: adeo ut ſimul omnes ſint pro„pemodum mille numero. Argumentum ve„ro cujusque tomi, ipſum tomum magnitudine„ exæquat. Cæterum hoc Opus non *Eccleſiaſti„cam Hiſtoriam*, ſed *Chriſtianam* inſcripſit. Va„riam porro eruditionem in id Opus congeſſit,„ dum videri vult Philoſophicarum diſciplina„rum haudquaquam expers. Proinde Geo„metricorum & Aſtronomicorum theorema„tum, Arithmeticorum quoque ac Muſicorum„ mentionem facit. Deſcribit item inſulas &„ montes, atque arbores, & alia quædam parvi„ momenti. Vnde Opus laxum reddidit ac ſo„lutum: ac proinde doctis pariter atque indo„ctis, ut mihi quidem videtur, inutile illud effe„cit. Nam indocti quidem, dictionis ornatum„ perſpicere non poſſunt: docti vero, inanem„ verborum repetitionem contemnunt. Ve„rum unusquisque de his libris, pro arbitratu„ ſuo judicet. Ego vero id unum dico, rerum„ geſtarum tempora ab eo confundi. Poſtquam„ enim Theodoſii Imperatoris res geſtas com„memoravit, ſtatim recurrit ad tempora Atha„naſii: idque ab illo ſæpius fieri ſolet. Sed de„ Philippo hactenus. „ Photius autem in *Bibliotheca* Codice 35. num. 8. a folio 80. ad 92. Viginti quatuor tantum libros ex his triginta ſex, viderat & legerat, ut ipſe teſtatur. Hujus porro extant inter Manuſcriptos Codices Theologicos Græcos, Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Codice CCXLVIII. num. VIII. a folio 80. pag. 1. usque ad fol. 92. pag. 1. *Philippi Sidetæ Presbyteri & Syncelli S. Joannis Chryſoſtomi, Archiepiſcopi Conſtantinopolitani Acta Diſputationis de Chriſto, in Perſide inter Chriſtianos, Gentiles & Judæos habita, cui ipſe interfuit:* excerpta ex ampliſſimo ipſius Opere in *triginta ſex libros* diviſo, quod inſcripſit Χριστιανικὴν Ἱστορίαν, ſive *Hiſtoriam Chriſtianam:* & quidem ex eo jam memoratæ Hiſtoriæ libro, quo agit, *de Nativitate Chriſti*

& de Magis. Ipſa tituli Græci verba cum initio *narrationis* hæc ſunt: Τὰ γενόμενα ἐν Περσίδι μεταξὺ Χριστιανῶν, Ἑλλήνων τε καὶ Ἰουδαίων. Φίλιππος Πρεσβύτερος καὶ σύγκελλος γενόμενος Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ Χρυσοστόμου ἀνέθετο ἱστορίαν περὶ τοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν Μάγων βασιλευόντων Ἀβριναάτου, τῆς Περσικῆς χώρας, καὶ Ἀφροδιτιανοῦ τοῦ τῆς Ἀρχιμαγείρου διέποντος ἀξίαν, γίγονεν Φιλονεικία κατ' αὐτὴν τὴν χώραν μεταξὺ Χριστιανῶν Ἑλλήνων τε καὶ Ἰουδαίων, περὶ Διονυσάρου καὶ Φιλίππου τῶν Ἱστοριογράφων· καὶ οἱ μὲν Ἕλληνες Διονυσάρου προϊσταμένου, οἱ δὲ Χριστιανοὶ Φιλίππου καὶ πολλῶν κινηθέντων, συνῆξεν ὁ βασιλεὺς πάντας τοὺς τῆς χώρας Ἐπισκόπους, ὑπὲρ ἑκατὸν γενομένους, καὶ Ἀρχιμανδρίτας ὡσὶ ὀλίγους. ἐν οἷς κἀμὲ προσῆγεν ὁ ναύτης, μόνον ὄντα ἐκ Ῥωμαίων. οἱ δὲ πάντες τῶν μερῶν ἐκείνων ἦσαν· καὶ συναθροισθέντες ὁμοῦ ἅπαντες &c. Plura de hoc Philippo Sideta & vaſtiſſimo ejusdem Opere *Hiſtoria Chriſtiana*, unde ſupra memorata, & quod ego ſciam, nondum hactenus edita *Narratio* excerpta eſt: Inquit Petrus Lambecius tomo ſeu libro quinto ſuorum *Commentariorum* Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis pag. 137 & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 351 & 363. *Poſt obitum Siſinnii* qui anno 428 contigit, *propter homines inanis gloriæ cupidos, placuit Imperatoribus neminem ex Eccleſia Conſtantinopolitana ad Epiſcopatum promovere: licet multi Philippum, nec pauciores Proclum ordinari ſummo ſtudio contenderent.* Inquit Socrates lib. 7. *Hiſtoriæ* cap. 29. Agunt quoque de Philippo Sideta, Photius in *Bibliotheca* Cod. XXXV. Nicephorus Calliſtus lib. 14 *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 29. Guillelmus Cavus *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ad annum 418. pag. 306.

420 MARCVS GAZÆ IN PALÆSTINA DIACONVS, ſub Sancto Porphyrio Gazenſi Epiſcopo circa Chriſti incarnati annum 400 florere cœpit, qui Marcum a ſe Diaconum ordinatum, Theſſalonicam primum miſit, ut bona ſua divendita, in pauperum uſum mox pecuniis diſtributis erogaret. Eundem poſtea Gentilibus Eccleſiam Gazæ abturbantibus, ad Arcadium Imperatorem anno 398. Conſtantinopolim delegavit, litteras etiam ad Chryſoſtomum perferentem, quibus poſtulabat obnixe ab illo Porphyrius, ut ſuſceptum a ſe negotium interventione ſua, ſuffragioque promoveret. Hoc igitur anno, Marcus cum S. Joanne Chryſoſtomo, qui tum recenter ad diem ejusdem anni XXVI. Februarii conſecratus fuerat, ſummis curis commendatum a Porphyrio negotium proſecutus: idemque etiam cum Eutropio Evnucho Imperatoris cubiculario egit, qui anno ſequenti Conſul creatus, & ſecuri percuſſus interiit. Scripſit Marcus *Vitam S. Porphyrii Gaza Epiſcopi*, proximis ab obitu ejus annis, ejus diſcipulus atque ab eo Diaconus ordinatus, familiaris, omnium laborum atque itinerum per ultimos triginta vitæ annos vel circiter, ſocius & comes. Appellatur a Pontificiis legendarum ejusmodi collectoribus, *diligens ac veritatis cultor, illorum temporum gnarus hiſtoricus*, uti ex tota vitæ hujus ſerie accurate deducta conſpicitur. Hunc autem Scriptorem Eccleſiaſticum, quem male Cavus ad annum 402 pag. 290 collocat, quo junior forſan atque imberbis tantum erat: inter annum 420 & 430 affixi tautius quam antea *in Supplemento Bellarmini*, ubi eum ad annum 403 alligaveram, annis viginti & ultra fortaſſe, antequam S. Porphyrii Magiſtri ſui labores litteris mandaret. Vitam hanc latine ex MS. Codice Græce interpretatus eſt Gentianus Hervetus Aurelianenſis, Remenſisque Metropolitanæ Canonicus, quam ediderunt Aloyſius Liponanus, Laurentius Surius, & Joannes Bolandus *in Vitis Sanctorum* ad diem XXVI Februarii, p. 643. & ſequentibus. Cum autem S. Porphyrius anno 393 Presbyter factus ſit, & anno 396 Gazenſis Epiſcopus factus, anno 421 mortuus fuerit, ut recte in ſuis præviis Commentariis Socii Bollandiſtæ annotant: illumque per triginta annos in ſuis itineribus atque occupationibus, Marcus ſemper comitatus ſit: recte floruiſſe illum ab anno 391 vel circiter usque ad annum 422 & ultra advertimus, quo vitam Sanctiſſimi magiſtri ſui ſcripſit. Audio Manuſcriptam Græce ipſam inveniri in Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ, unde in Latinam linguam Gentianus Hervetus transtulerat. Extat autem hæc *Vita* Græce Manuſcripta in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, ut teſtatur Petrus Lambecius tomo 8 hujus Bibliothecæ pag. 93 in diſcuſſione MS. Codicis Græci Hiſtorici XI num. 36 his verbis, „Trigeſimo ſexto & quidem a fol. 234 pag. 1 usque ad folium 261 pag. 2. „*Vita Sancti Porphyrii Gazæ in Palæſtina Epiſcopi*, „qui ſecundum Godefredi Henſchenii ſupputationem Epiſcopus factus eſt anno 396 & anno „421 obiit, conſcripta a Marco Diacono, ipſius „Diſcipulo & Familiari. Inſcribitur ea atque „incipit his verbis: Μνὶ Φευρουαρίῳ κε'. Βίος „καὶ πολιτεία τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Περ„φυρίου Ἐπισκόπου Γάζης· τῶν ἁγίων ἀνδρῶν „τοὺς ἄθλους καὶ τὸν θεσπέσιον αὐτῶν ζῆλον τε καὶ „πόθον. Extat hæc Porphyrii vita apud Surium „*de probatis Sanctorum Hiſtoriis* die 26 Februarii, „ut & apud Bollandum & Henſchenium inter „Acta Sanctorum ejusdem diei, cum conſuetis „Annotationibus.„ Agunt de Marco Diacono *Vita Sancti Porphyrii Epiſcopi* Scriptores omnes qui de S. Porphyrio ſcripſerunt, uti Surius & Henſchenius, locis citatis. Cæſar Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis* ad annum 398 num. 97. Petrus Lambecius, loco citato. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ad annum 402 pag. 190.

FASTIDIVS BRITANNIARVM EPISCOPVS, 429

„PVS, ſcripſit ad Fatalem quandam *de vita „Chriſtiana* librum unum, & alium *de viduitate „ſervanda*, ſana & Deo digna doctrina„ Hæc Gennadius in libro *de Scriptoribus Eccleſiæ* cap. 56. Vbi errorem duplicem nonnulli recentiores volunt, primum quod ibi legatur *ad Fatalem quandam*, ubi legendum notant, *ad viduam quandam*. Secundum: quod ibi Faſtidius dicatur ſcripſiſſe duplicem librum, unum *de vita Chriſtiana*, alium *de viduitate ſervanda*: cum tamen unicus idemque Faſtidii qui præ manibus eſt liber, utrumque argumentum tractet, nempe potiſſimum *de vita Chriſtiana*, tum ſub finem *de viduitate ſervanda*. Hoc autem Opuſculum *de vita Chriſtiana* legitur inter Opera Sancto Auguſtino ſuppoſita tomo 9 Auguſtinianorum Operum pag. 416. Cujus ad cenſuram tomi, Philippus Labbeus in Opere ſuo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tom. 1 pag. 148 Faſtidio Britannorum Epiſcopo hoc Opus adjudicat, ſub cujus nomine illud impreſſit ex fide MS. Codicis, Lucas Holſtenius Romæ anno 1663 multis in locis emendatum. Idem Opus correctum ad diverſos Manuſcriptos Codices, in editione nupera Pariſienſi Benedictina, omnium Divi Auguſtini Operum, *Appendice* ad tomum 6. pag. 183. Notandum autem ex induſtria, vel affectatione ſeu malitia, Gennadium Maſſilienſem ac Semipelagianum virum, hujus Opuſculi laudaſſe doctrinam, *ſana ac Deo digna doctrina*: quem tamen Faſtidium Pelagiana conterranei ſui hæreſi infectum fuiſſe, non temere ſuſpicantur viri eruditi. Nam de Adamo in hujus libri cap. 13 ſic loquitur: *In quo nihil fuiſſe incredulitatis invenio, præter ſolam inobedientiam, cujus cauſa ille damnatus eſt, & omnes ſuo damnantur exemplo.* Quæ ſane eſt Pelagii hæreſis dicentis: *Ada peccatum poſteris exemplo nocuiſſe, non tranſitu.* Apud Proſperum in Epiſtola ad Demetriadem, cujus pravæ doctrinæ plena ſunt *Commentaria* Pelagiana in caput 7 Epiſtolæ Pauli ad Romanos in Appendice Hieronymi, ut habet, Henricus de Noris *Hiſtoria Pelagiana* lib. 1 cap. 3. Idem vero Faſtidius cap. 11 hæc ſcribit. *Ille enim merito ad Deum extollit manus, ille preces bona conſcientia fundit, qui poteſt dicere: Tu noſti Domine, quam ſancta, quam innocentes, quam pura ſunt ab omni fraude, & injuria & rapina, quas ad te expando manus, quam immaculata labia, & ab omni mendacio libera, quibus tibi, ut mihi miſereatis, preces fundo.* Hæc ipſiſſima verba poſita in libro Pelagii *ad viduam* recitat S. Hieronymus Lib. 3 *Dialogorum*, exclamans ſtatim: *Chriſtiani hæc eſt, an Phariſæi ſuperbientis oratio?* Quo loco ſuperbam illam orandi formam pluribus inſequitur. Scripſiſſe totam eam ſententiam Pelagium in libro *ad viduam* teſtatur Auguſtinus in libro *de geſtis Pelagii* cap. 6. Quare cum Faſtidius hic dicto libro *de vita Chriſtiana*, impias Pelagii ſententias exſcriptas inſeruerit, Pelagiana illum loligine aſperſum fuiſſe non dubito: indeque ſuſpicio creſcit quod Pelagius Britanniam patriam infecit, eaque peſtis univerſam inſulam late pervagata fuit. Vnde anno 429 a Concilio Gallicano Legati *contra Pelagianos* in Britanniam miſſi ſunt, ut ad eum annum habet Henricus de Noris lib. 2. *Hiſtoria Pelagiana* cap. 5 pag. mihi 124. Agunt de Scriptore Faſtidio Baleus *Centuria* 1 cap. 41. Philippus Labbeus in Opere ſuo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tomo 1 pag. 148 in *Auguſtino*. Emendatores Benedictini Operum D. Auguſtini ad *Appendicem* tomi 6 pag. 183. Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica capitibus*, Seculo V ubi *de Scriptoribus* hujus ſeculi pag. 678. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ*, ad annum 420 pag. 310. cum aliis multis. Henricus de Noris Lib. I. *Hiſtoria Pelagiana* cap. 19 pag. mihi 80.

EVODIVS VZALENSIS EPISCOPVS, natione (ut videtur) Afer, claruit anno 420 & ſequentibus, ad quem plures extant S. Auguſtini Epiſtolæ. 420 Vnus eſt ex illis quinque Africæ Epiſcopis, quorum nomine Epiſtolam ad Innocentium Papam habemus. Cum Oroſius anno 415 in Palæſtinam penetraſſet contra Pelagium, atque anno 416 hinc in Africam reverſus, reliquias Sancti Stephani Martyris ſecum referens, variis locis diſtribuiſſet: nonnullas quoque Evodio Vzalenſi Epiſcopo, ſibi amico donavit: quarum occaſione Evodius Baſilicam in Martyris memoriam erexit, cujus ad invocationem accurrente populo, plurima ſtatim facta illic eſſe miracula produntur. Oroſius dicitur ſcripto confirmaſſe iſta miracula, ad Reliquias Sancti Martyris facta, quas ex Oriente primus in Occidentem Oroſius attulerat, ut habet Auguſtinus lib. 22 *de Civitate Dei* cap. 8. Ita quoque de miraculis quæ apud Vzalim fiebant, ſcribit in Sermone XXX de Diverſis. *Apud Vzalim, ubi eſt Frater meus Epiſcopus Evodius, quanta ibi miracula fiant, quærite & invenietis.* Ibidemque recitat de matre Protomartyrem rogante pro filio absque Baptiſmo defuncto, qui ad gratiam baptiſmi ſuſcipiendam reſuſcitatus dicitur. Hæc tamen notandum eſt ab Auguſtino ex aliorum relata ſcripta eſſe, qui fallere eum credulitate nimia potuerunt: nec memini me legiſſe, vel unum miraculum factum, quod a ſe viſum, dixerit Auguſtinus. Itaque eo modo miracula enarrat Auguſtinus, in libris *de Civitate Dei*: quomodo Gregorius in libris *Dialogorum*, aliis nimirum referentibus, de quorum veritate nihil definit. Jam ad Scripta Evodii veniamus. Leguntur inter Opera Auguſtini, *Evodii ad Auguſtinum Epiſtola V.* 98. 246. 247. 259. unusque eſt ex illis quinque Epiſcopis Afris, quorum apud Auguſtinum extat *Epiſtola* 95. *ad Innocentium I. Papam.* Suntque totidem *Epiſtola D. Auguſtini ad Evodium* 99. 100. 101. & 102. Scripſit etiam librum *de fide* ſeu *de Vnitate Trinitatis contra Manichæos*, quem habes tomo 6. Operum Divi Auguſtini: ut evincit Jacobus Sirmondus libro *de Hiſtoria Prædeſtinatiana* cap. 1 ex fide trium Ma-

Digitized by Google

nuſcriptorum Codicum, & præcipue ex uno Corbejenſis Abbatiæ. Extant autem in Editione Operum Sancti Auguſtini Antverpienſi anni 1577, aliisque omnibus ſequentibus, libri duo *de miraculis S. Stephani ad Evodium noſtrum* tomo X, quæ cum nullius nomen præ ſe ferant, atque eo jubente compoſiti legantur, Evodio vulgo attribuuntur. Horum ſecundus citatur a Bellarmino lib. 1 *de imaginibus* cap. 18 ut oſtendat imaginem S. Stephani peculiarem devotionem ob artificem meruiſſe, quia ab Angelo formata & allata fuiſſe putatur. Idem liber citatur a Copo *Dialogo* 4 cap. 7 utpote qui inſignem plane narrationem contineat, qua palam conſtat, Imagines Sanctorum in templis extitiſſe Auguſtini ſeculo, etiam in ipſa Africa: nec extitiſſe ſolum, ſed Deo & piis Epiſcopis ſummopere placuiſſe. Sed hi libri non ſunt Evodii. Nam ex libri primi Prologo, eos juſſu Evodii, non ab Evodio fuiſſe compoſitos conſtat, niſi mentiatur ipſe author. Hoc Baronius fatetur in *Annalibus* tomo 5. ad annum 416 num. 20. *Nam extant duo libri de miraculis &c. qui licet inſcribantur nomine Evodii Epiſcopi Vzalenſis, & ita citari conſueverunt, ſicut & nos citaſſe meminimus: tamen non ab ipſo, ſed ad ipſum potius ſcriptos, accuratus lector inveniet.* Imo & Bellarminus ipſe, qui licet libro 2 *de Reliquiis* cap. 3 *Evodium libros duos de Miraculis Sancti Stephani* ſcripſiſſe quondam dixerat: in Libro tamen poſtremo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 420. inquit: *Scripti ſunt libri duo de miraculis Sancti Stephani ad Evodium Vzalenſem Epiſcopum, ſed quia authoris nomen ignoratur, dicuntur Libri Evodii.* Mentionem faciunt Evodii, Sigebertus Gemblacenſis in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 15. Aubertus Miræus in *Auctario* de iisdem Scriptoribus cap. 73. Antonius Poſſevinus, tomo 1 *Apparatus ſacri*. Robertus Cocus in *Cenſura quorundam Scriptorum*, pag. mihi 386.

420 LEPORIVS, Gallus ut creditur, circa annum 420 & ſequentes floruit. Monaſticam primum profeſſus vitam in Galliis, deinde promotus ad Sacerdotium in Africa, Pelagianorum erroribus imbutus, in Neſtorianam etiam hæreſim ſucceſſu temporis prolapſus eſt. Admonitus a Caſſiano cum adhuc in Galliis verſaretur, a Sancto Auguſtino in Africa ad fidem Catholicam unde abſceſſerat revocatus, *libellum ſuæ emendationis* ſive *fidei profeſſionem* edidit: quam Aurelius Carthaginenſis, Auguſtinus Hypponenſis, Florentius & Secundus, Africani Epiſcopi probaverunt, & cum literis de converſione ejusdem Leporii, ad Proculum Maſſilienſem & Cilinium Aquenſem in Galliis Epiſcopos miſerunt. Quo præciſe anno, incertum: quamvis circa 425 hoc juxta Labbeum in *Chronologia Scriptorum Eccleſiaſticorum* contingere potuerit. Circa 420 juxta Aubertum Miræum in Scholio ad c. 59 Gennadii Maſſilienſis *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, qui de Leporio ſic. „Leporius adhuc Monachus, poſtea Presbyter, præſumens de puritate vitæ, „ quam arbitrio tantum & conatu proprio, non „ Dei ſe adjutorio obtinuiſſe credebat, Pelagianum dogma cœperat ſequi. Sed a Gallicanis „ Doctoribus admonitus, & in Africa per Auguſtinum a Deo emendatus, ſcripſit *Emendationis* „ *ſuæ Libellum*, in quo & ſatisfacit de errore, & „ gratias agit de Emendatione. Simul & quod „ de incarnatione Chriſti male ſenſerat corrigens, Catholicam ſententiam tulit dicens, ma- „ nentibus in Chriſto in ſua ſubſtantia duabus naturis, unam reddi Filii Dei perſonam.„ Hæc Gennadius. Hujus etiam Libelli meminit Vigilius Tapſenſis Lib. 2 *de Trinitate*, & ante hunc utrumque S. Leo Papa in Collectione teſtimoniorum Veterum Patrum, ad aſſerendam duarum in Chriſto naturarum veritatem, ſubnexa ipſius Epiſtolæ ad Leonem Imperatorem. Laudat ſanctus Leo verba iſtius Leporii confeſſionis, ſed ſub divi Auguſtini nomine, cui etiam attribuitur in illo Teſtimoniorum delectu, quem habet Actio II Concilii Chalcedonenſis. Quare hunc libellum a Sancto Auguſtino conſcriptum, aſſerit & probare pro viribus contendit, vir eruditus Paſchaſius Queſnel Presbyter Oratorii Gallicani, *in Notis ad Epiſtolam 134 Sancti Leonis Papæ*. Integrum vero Libellum Jacobus Sirmondus, cum Victorii Afri, Iſaaci, Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi & Anonymi alterius, Opuſculis Dogmatis: primus in lucem edidit, Pariſiis anno 1630 apud Sebaſtianum Cramoiſy. Immiſſus poſtea in Collectionem Conciliorum Editionis ultimæ Pariſienſis, anno 1671 tomo 2. pag. 1678. poſt editionem Sirmondi primam. Denique emendatior a Garnerio editus in *Appendice* ad partem 1 Operum Marii Mercatoris, Diſſert. 2 cap. 20 pag. 225. ubi & quam ob cauſam ſcriptus ſit præter Gennadium in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 59 citatum, narravit quoque Caſſianus Lib. I. *de Incarnatione Chriſti* cap. 4. Facundus Hermianenſis Lib. 1. cap. 4. quorum teſtimonia ex parte, cum teſtimonio Joannis II Papæ, Epiſtola 3 ad Anienum & alios illuſtres viros, ad Libelli finem annexa ſunt. Sed hunc variis illi nominibus deſignant, Caſſianus *Flebiles confeſſionis & planctus litteras* vocat, Gennadius *Libellum emendationis*, Joannes Papa *Epiſtolam*, Facundus *Libellum ſatisfactionis*. Ad calcem adjecit Sirmondus, Epiſtolam Sancti Auguſtini (a quo dictatum librum ſtylus indicat) atque collegarum Africæ Præſulum, quam una cum Leporii libello, ad Epiſcopos Galliæ miſerant, ut facti fidem facerent.

ISAAC ex Judæo Chriſtianus circa annum 430 & ſequentes floruiſſe creditur, de quo ſic Gennadius in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 26. Iſaac ſcripſit *de Sancta Trinitate & de incarnatione* „ *Domini*, librum obſcuriſſimæ Diſputationis & „ involuti ſermonis, confirmans ita in una Deita- „ tate tres eſſe perſonas, ut tamen ſit in ſingulis „ proprium aliquid, quod non habeat alia. Pa- „ trem 430

„trem ſcilicet hoc habere proprium, quod ipſe „ſine origine origo ſit aliorum: Filium hoc ha„bere proprium, quod genitus genitore non ſit „poſterior: Spiritum Sanctum hoc habere pro„prium, quod nec factus ſit nec genitus, & tamen „ſit ex altero. De incarnatione vero ita ſcri„bit, ut manentibus in eo duabus naturis, una „credatur Filii Dei perſona.„ Hunc libellum Iſaaci ex Judæo Chriſtiani *de Sancta Trinitate & de incarnatione Domini* tractantem, edidit primus anno 1630 in 8 Pariſiis Jacobus Sirmondus Soc. Jeſu Theologus, cum Leporii Presbyteri, Capreoli Carthaginenſis Epiſcopi, & Victorini Afri libellis. De Iſaaco Cavus in *Hiſtoria Literaria* ad annum 430 pag. 325. parce, quippe cui nihil ab aliis ſuppeditatum ſit.

430 „VRSINVS MONACHVS ſcripſit adver„ſus eos qui rebaptizandos hæreticos de„cernunt, docens nec legitimum nec Deo di„gnum, rebaptizari illos, qui in nomine ſimplici„ter Chriſti, vel in nomine Patris & Filii & Spiri„tus Sancti, quamvis pravo ſenſu baptizentur: „Sed poſt Sanctæ Trinitatis & Chriſti ſimplicem „confeſſionem, ſufficere ad ſalutem manus im„poſitionem Catholici Sacerdotis. Hæc Gennadius libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 27. Hoc Opuſculum, cujus titulus: *Non debere denuo baptizari, qui ſemel in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti ſint tincti:* Initium autem, *Animadverti quæſitum apud fratres, quid potiſſimum obſervari oporteat, in perſonam eorum qui in hæreſi quidam &c.* deſcripſerat primum Jacobus Sirmondus ex MS. Codice S. Remigii Remenſis, evulgavit ſuppreſſo authoris nomine Nicolaus Rigaltius in *Notis ſuis ad Cyprianum.* Sed authorem tandem deſignavit Philippus Labbeus in tabula præfixa Conciliis a ſe collectis ultimis editionis Pariſienſis 1671 ex fide MS. Codicis Vaticani, ibidemque tom. 1 Conciliorum col. 770 recudit. Vel neſcivit vel non advertit Joannes Fell Oxonienſis Epiſcopus in ultima editione Operum Sancti Cypriani, Oxoniæ 1682 in fol. procurata, ubi Opuſculum allatum, reliquit Anonymum. Ita ſcripſeram in *Supplemento Bellarmini* pag. 72. quod tamen Guillelmo Cavo Joannis Felli amico atque admiratori non placuit, ubi meam poſt Labbeum ſententiam, nugis magis quam ratione impugnat. Contendit ille iſtud a Fello non ignoratum, ſed Fellum opinatum fuiſſe, hunc tractatum Vrſino fuiſſe antiquiorem, atque Cyprianica tempora ſapere. *Certe unicum* (inquit) *pro Vrſino argumentum eſt Codicis Vaticani titulus, quem Tractatui Anonymo cuivis, qui Gennadium legerat, adjicere in promptu erat.* Non unicum pro Vrſino argumentum ſuppetit, ſed triplex funiculus qui dirumpi vix poſſit, in ejus gratiam connexus eſt. Tria argumenta in gratiam Vrſini militant, 1. authoritas Gennadii, 2. Manuſcripti Codicis Vaticani, 3. validiſſimum ex lectione libri poſtulatum. Nam non niſi ad authorem ſpectat, qui plurimis etiam poſt motam de baptiſmo Hæreticorum contentionem temporibus, vixerit. De perſecutionibus in hoc libro, velut adhuc perdurantibus, ne γρὺ quidem. Debuerat Cavus vel ſaltem librum legiſſe, antequam tam poſitive loqueretur. Semel atque iterum antequam Cavum arguerem legi, nihilque omnino eorum quæ illic ſcripta eſſe dicit, a me repertum eſt. Quod Cavus ſcribit hic, *Tractatui Anonymo titulum, cuivis qui Gennadium legerat, adjicere in promptu fuiſſe:* delirium potius quam ratiocinium eſt, quo ſtante nullam jam fidem MSS. Codicibus præſtare deberemus, ne ipſis quidem Anglis, quos Cavus interdum allegat. Sed hæc ſatis, ne manibus defuncti inſilire videamur. Plura de hac re ſupra, ſeculo Eccleſiæ 3. in *Anonymo Pſeudocyprianico.* De Vrſino poſt Gennadium, Honorius Auguſtodunenſis libello 2. *de viris illuſtribus* cap. 27 loquitur.

VIGILIVS DIACONVS circa annum 430 ac deinceps floruiſſe creditur, de quo ſic paucis Gennadius in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 51. Vigilius Diaconus compoſuit ex „traditione Patrum, Monachorum regulam, „quæ in Cœnobiis ad profectum Fratrum in „Conventu legitur, brevi & aperto ſermone: „totius Monaſticæ profeſſionis in ſe continen„tem diſciplinam.„ Hanc nos habemus in Collectione Regularum Holſtenii, prima parte pag. 89 quæ anno 1663 in 4 Pariſiis edita eſt, apud Ludovicum Billaine. Nec plura quoque Guillelmus Cavus *in Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ* ad annum 420 pag. 311. qui plura ab aliis excerpere non potuit. 430

VRANIVS PRESBYTER Sancti Paulini Nolæ Epiſcopi diſcipulus, qui Magiſtro ſuo anno 431 morienti adfuit, hortante Pacato *Narrationem de ejus obitu* ad poſteros transmiſit, quam Laurentius Surius primus in lucem produxit in probatis *Sanctorum Vitis*, ad diem 22 Junii, atque poſt illum in *Paulino illuſtrato*, anno 1662 Divione impreſſo, Petrus Franciſcus Chiffletius Societatis Jeſu. Denique Joannes Baptiſta le Brun, ultimus editor & illuſtrator Operum Sancti Paulini, editionis Pariſienſis 1684 duobus in 4 tomis, tom. 2 pag. 143. Mentionem faciunt *Vranii* Iſidorus in Catalogo *Scriptorum Eccleſiaſticorum* cap. 4. ipſe Paulinus Epiſtola 17. Nec plura Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* ad annum 431 p. 331. 431

DISSER-

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS SANCTI CYRILLI ALEXANDRIÆ EPISCOPI.

CAPVT PRIMVM.
VITA S. CYRILLI ALEXANDRIÆ EPISCOPI PAVCIS PERSTRINGITVR, CVM VARIIS EDITIONIBVS OPERVM IPSIVS.

412 SANCTVS CYRILLVS Episcopus Alexandrinus, Theophili ejus urbis Episcopi nepos extitit: nam Socrates lib. 7. *Historiæ* cap. 5. Theodoritus Lib. 5 cap. 35 Isidorus Peluſiota lib. 1 Epistola 310. Alypius in Epistola quam ad eundem scribit tom. 3. Conciliorum col. 788. Theophilum ipsius avunculum dicunt. Nicephorus, id ex parte matris Cyrillo contigisse credit, sed Facundus lib. 4. *Defensionis trium Capitulorum* cap. 2 & Epiphanius Scholasticus *Hist. tripartitæ* cap. 25 Cyrillum inquiunt fuisse *consobrinum*, id est filium sororis Theophili Alexandrini Episcopi. Anno 412 die 16 Octobris, tribus post Theophili mortem diebus, in ejus locum subrogatus est: magna altercatione ob successorem inter cives Alexandrinos mota, aliis quidem Timotheum Archidiaconum eligentibus, aliis Cyrillum designantibus, quorum factio major extitit atque triumphans, quamvis Præfectum Equitum Ægypti sibi adversarium experiretur. Episcopi porro Alexandrini jam maximam in urbe authoritatem ac potestatem usurpaverant, ac veluti supremam jurisdictionem obtinebant: quam tantum abfuit, ut nimiam Cyrillus ad legitimos terminos limitesque remitteret, quin ipsius in dies amplificandæ atque confirmandæ cupidus arderet. Vix ac ne vix quidem homo ardens, ad hanc sedem promotus, cum authoritate propria Novatianos expulit, eorumque Episcopum nomine Theopemptum, bonis ac fortunis quibus fruebatur, exuit. Ita Socrates lib. 7. *Historiæ* cap. 7. his verbis: „Quamobrem tertio post obitum Theophili die Cyrillus ordinatus, majore potestate „quam Theophilus, ad Episcopatum accessit. „Ex eo enim tempore, Episcopi Alexandrini sacerdotalem gradum atque ordinem prætergressi, principatum quendam obtinere, & cuncta pro imperio agere cœperunt. Statim igitur Cyrillus clausis Novatianorum ecclesiis, „quotquot erant Alexandriæ, primo quidem „sacra eorum vasa atque ornamenta abstulit: „deinde Episcopum illorum Theopemptum, „omnibus suis facultatibus nudavit. Anno autem 416 Episcopatus Cyrilli quarto, multæ contentiones & tumultus Cyrillo vel promovente vel dissimulante saltem, Alexandrinam urbem conturbarunt, Ecclesiam scandalizarunt: de quibus Socrates lib. 7. *Historiæ*, cap. 13. quod inscribitur, *de pugna inter Christianos & Judæos Alexandriæ facta & de Cyrilli Episcopi adversus Præfectum Orestem simulate:* his verbis. „Sub idem tempus, Judæorum gens ab Episcopo Cyrillo Alexandria ejecta est, hanc ob causam. Alexandrinus populus supra quam cæteri omnes, seditionibus delectatur: ac si forte ansam nactus fuerit, ad intoleranda facinora prorumpere solet: neque enim impetum comprimit nisi sanguine fuso. Contigit autem tunc temporis, ut plebs illic inter se tumultuaretur, non ex aliqua gravi ac necessaria occasione, sed obmalum quod in omnibus prope civitatibus inolevit, studium scilicet in spectandis saltatoribus. Nam cum die Sabbati Pantommius quidam saltare solitus, maximam populi multitudinem congregaret, eo quod Judæi tum feriantes, non audiendæ legi, sed scenicis spectaculis vacarent, is dies populi factiones inter se committere consueverat. Ac tametsi a Præfecto Alexandriæ id aliquatenus repressum fuisset, nihilominus Judæi contrariæ factionis hominibus infensi esse perseverarunt: & præterquam quod perpetui sunt hostes Christianorum, tum Pantomimorum causa multo magis iisdem infesti extiterunt. Itaque cum Orestes Præfectus Alexandriæ, *πολιτείαν* in theatro celebraret, sic autem vocare solent publicas dispositiones: adfuerunt illic etiam Fautores Cyrilli, ut quid a Præfecto dispositum esset cognoscerent. Inter hos quidam fuit nomine Hierax, humilis literaturæ magister: qui Cyrilli ferventissimus erat auditor, & in ejus concionibus plausus excitare solitus. Hunc igitur Hieracem in theatro conspicatus Judæorum populus, confestim exclamavit, non aliam obcausam eum in theatrum veniisse, quam ut populum ad seditionem concitaret. Oresti vero jampridem invisa erat Episcoporum dominatio, tum quod Episcopi de potestate eorum qui ad regendas Provincias ab Imperatore missi erant, plurimum decerperent: tum quod Cyrillus actus suos explorare vellet. Correptum igitur Hieracem, publice in theatro tormentis subjecit. Quo cognito Cyrillus Judæorum primates ad se accersit, malumque eis minatur, nisi adversus Christianos tumultuari desinant. At plebs Judæorum compertis ejusmodi minis, majore adhuc pertinacia exarsit, multasque in perniciem Christianorum frau-

„fraudes machinati ſunt. Quare occaſionem „præcipuam, & quæ in cauſa fuit ut Judæi Ale„xandria pellerentur, hoc loco commemorabo. „Signo inter ſe dato, ut unusquisque ipſorum „annulum ex cortice ſurculi palmei geſtaret, „nocturna pugna Chriſtianos aggredi ſtatuunt. „Quadam igitur nocte viros ad id comparatos „mittunt, qui per univerſas urbis regiones pro„clament, Eccleſiam quæ Alexandri dicitur, in„cendio conſumi. Ea re audita Chriſtiani, alius „aliunde occurrunt, ut Eccleſiam ſervent. Tum „Judæi impetu in illos facto, cædem faciunt: a „ſuis quidem qui annulos oſtendebant, manus „abſtinentes: Chriſtianos vero quotquot inci„derant, obtruncantes. Orto mox die, hujus „ſceleris authores minime latuerunt. Com„motus ea re Cyrillus, cum ingenti multitudine „ad Synagogas Judæorum profectus, ſic enim „vocantur eorum oratoria: eas quidem ademit „Judæis, ipſos vero urbe expulit, facultates quo„que eorum diripi a plebe permittens. Itaque „Judæi, qui jam inde ab Alexandri Macedonis „temporibus urbem illam incoluerant, tum nu„di omnes ex ea emigrarunt, & alii alio diſperſi „ſunt. Ex his Adamantius quidam Medicinæ „profeſſor, Conſtantinopolim profectus, ad E„piſcopum Atticum confugit: cumq; Chriſtiano„rum religionem profeſſus fuiſſet, poſtmodum „Alexandriâ reverſus, in ea urbe domicilio fixit. „At Præfectus Alexandriæ Oreſtes hoc factum „permoleſte tulit, incredibili dolore affectus, „quod tanta civitas repente tot incolarum mul„titudine viduata eſſet. Proinde rem geſtam „ad Imperatorem retulit. Sed & Cyrillus Ju„dæorum ſcelera, principi per literas ſignifica„vit: atque interim reconciliandæ amicitiæ „cauſa, internuntios ad Oreſtem miſit. Id enim „populus Alexandrinus ipſum facere compule„rat. Cumque Oreſtes ſermones de amicitia „redintegranda minime admitteret, Evangelio„rum codicem protendit Cyrillus, ejus reve„rentia pudore ſe Oreſti incuſſurum exiſtimans. „Sed cum Oreſtes ne hac quidem ratione emol„liretur, verum inter ipſum ac Cyrillum bellum „implacabile perſeveraret, hujusmodi quidpiam „poſtea contigit. Cap. 14. *Quomodo Nitriæ Mo„nachi Cyrilli cauſa Alexandriam ingreſſi, ſeditionem „contra Præfectum Oreſtem concitarunt.* Quidam „ex Monachis qui in Nitriæ montibus habita„bant, ferventiore animo præditi, jam inde a „Theophili temporibus qui eos injuſte adverſus „Dioſcorum fratresque ejus armaverat, tum „quoque acri zelo incenſi, pro Cyrillo fortiter „pugnare inſtituerunt. Egreſſi igitur ex Mo„naſteriis circiter quingenti viri, in urbem ve„niunt, & Præfectum obſervant in vehiculo „procedentem. Ad quem illi accedentes, im„molatorem eum appellant & paganum, multis„que aliis contumeliis afficiunt. Ille ſuſpicatus „inſidias ſibi parari a Cyrillo, exclamavit Chri„ſtianum ſe eſſe, & Conſtantinopoli ab Attico „Epiſcopo baptizatum. Sed cum Monachi verbis illius non attenderent, quidam ex illis „Ammonius nomine, jacto lapide Oreſtem per„cuſſit in capite. Quo vulnere ipſe quidem to„tus cruore conſperſus eſt. Apparitores vero „omnes, paucis exceptis, alius alio diffugiunt, ſe„que intra turbam occultant, mortem ex jactu „lapidum formidantes. Inter hæc Alexandri„norum populus accurrit, opem Præfecto latu„rus adverſus Monachos: & alios quidem o„mnes in fugam vertunt, Ammonium vero „comprehenſum ſiſtunt Præfecto. Qui ex præ„ſcripto legum, publice tormentis hominem „ſubjiciens, eo usque excruciavit, quoad vitam „ei adimeret. Nec multo poſt, quæ geſta eſſent, „principibus ſignificavit. Cyrillus quoque „contraria ejus relationi nuntiavit. Ammonii „vero corpus receptum, in Eccleſia quadam de„poſuit, eum mutato nomine Thavmaſium ap„pellans. Quin etiam Martyrem illum vocari „juſſit, magnitudinem animi illius multis laudi„bus in Eccleſia proſecutus, qui pro pietate cer„tamen ſubiiſſet. Sed qui modeſtiores erant ex„ipſis etiam Chriſtianis, hoc Cyrilli ſtudium erga „Ammonium non probarunt. Compertum „enim habebant, hunc temeritatis ſuæ pœnas „dediſſe, non autem tormentis immortuum eſſe, „dum Chriſtum negare compelleretur. Quam„obrem & Cyrillus ipſe hujus rei memoriam, „paulatim ſilentio obliteravit. Verum ſimul„tas inter Cyrillum atque Oreſtem, nequaquam „hic ſtetit. Quidam enim caſus prioribus haud „abſimilis, eam denuo excitavit. Cap. 15. *De Hy„patia Philoſopha.* Mulier quædam fuit Alexan„driæ, nomine Hypatia, Theonis Philoſophi fi„lia. Hæc ad tantam eruditionem pervenerat, „ut omnes ſui temporis Philoſophos longo in„tervallo ſuperaret, & in Platonicam Scholam a „Plotino deductam ſuccederet, cunctasque Phi„loſophiæ diſciplinas auditoribus exponeret. „Quocirca omnes Philoſophiæ ſtudioſi ad illam „undique confluebant. Porro propter fidu„ciam atque auctoritatem quam ſibi ex erudi„tione comparaverat, interdum quoque cum „ſingulari modeſtia ad judices accedebat. Ne„que vero pudor erat ipſi, in media hominum „frequentia apparere. Nam ob eximiam mo„deſtiam ipſius, omnes eam reverebantur ſimul „ac ſuſpiciebant. Hanc igitur eo tempore ad„ortus eſt invidiæ livor. Nam quoniam cum „Oreſte crebrius colloquebatur, hinc concinna„ta eſt adverſus eam calumnia apud plebem „Chriſtianorum, quaſi per ipſam ſtaret, quomi„nus inter Cyrillum atque Oreſtem amicitia re„conciliaretur. Quidam igitur viri ardentio„ribus animis præditi, quorum dux erat Petrus „quidam Lector, conſpiratione facta mulierem „obſervant, domum neſcio unde redeuntem, „Eamque ē ſella detractam, ad Eccleſiam quæ „Cæſareum cognominatur, rapiunt: & veſtibus „exutam, teſtis interemerunt. Cumque mem„bratim eam diſcerpſiſſent, membra in locum „quem Cinaronem vocant, comportata incen„dio,

„dio conſumpſerunt. Ea res tum Cyrillo, tum „Alexandrinorum Eccleſiæ non mediocre attu„lit probrum. Etenim ab inſtituto Chriſtiano„rum prorſus aliena ſunt cædes & pugnæ, & „quæcunque alia ejusmodi. Geſta ſunt hæc „anno quarto Epiſcopatus Cyrilli, Honorio de„cimum & Theodoſio ſextum Conſulibus, men„ſe Martio, tempore jejuniorum. Hæc Socrates, quibus indicat Cyrillum ardentis fuiſſe animi atque ad tumultum proclivis. Reliqua autem ad hiſtoriam Cyrilli Alexandrini Epiſcopi ſpectantia, ex Evagrio Scholaſtico Lib. I. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* capp. 2. 3. 4. 5. 6 & 7. deduxit in compendium Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo 5. ad annum 412. pag. 301. his verbis. Hæreticis undique erumpentibus ſeſe fortiter oppoſuit, Neſtorio præcipue Conſtantinopolitano Epiſcopo, quem anno 429. hæreſis ſuæ virus evomentem primo quidem per literas blande admonuit. Mox Cæleſtino Papa hac de re per literas certiore facto, coacta Synodo Alexandrina, veritatem Neſtorii blaſphemiis oppoſitam, XII. Capitibus ſive *Anathematiſmis* complexus eſt: ac legatis ad Neſtorium Epiſcopis quatuor, ab eo poſtulavit, ut ſi Catholicam communionem & ſedem ſuam ſibi conſervatas vellet, iis ſubſcriberet. Verum cum id recuſaret Neſtorius, neque ullis monitis, argumentis ve cederet: petiit a Theodoſio Imperatore Cyrillus, ut ejus mandato Synodus Oecumenica Epheſi congregaretur, quod & factum eſt, indicta Synodo ad diem S. Pentecoſtes, anni 431. Quo tempore adeſt Cyrillus, & cum eo ducenti fere Epiſcopi. Cumque Joannes Antiochenus, aliique Orientales Antiſtites, moras de die in diem necterent: poſt dies quindecim, nempe X Calendas Julii inchoata eſt Synodus. In hoc Concilio Epiſcopi CCLXX convenerunt, præſidem autem egit Cyrillus, utpote primus Orientalium Patriarcha. Vices geſſiſſe Cæleſtini Pontificis non nego: verum id tum in more poſitum erat, ut Epiſcopus quivis, vices ſuas ſuffragium ferendi, alteri demandare poſſet. Præſedit igitur, non tanquam Pontificis legatus, ſed proprio jure, quaſi Orientalium Patriarcharum princeps. Ter in Concilium vocatus Neſtorius, cum ſeſe in judicio ſiſtere nollet: ab Epiſcopis qui aderant, cauſa ejus examinata, tanquam impie ſentiens, ſententia Synodali damnatur & ſede dejicitur. Interea Joannes, Theodoritus, aliique Orientales Epiſcopi, Epheſum appulerunt: & habito ſeorſim Conciliabulo, Cyrillum & Memnonem Epheſinum deponunt: & Irenæum Imperatoris legatum in partes trahentes, carceri includi curant. Verum a Synodi patribus cognita mox cauſa, ſedi ſuæ uterque reſtitutus eſt. Poſt finitum Concilium, & cauſam ab Imperatore utrinque diſceptatam, victo plane ac proſtrato Neſtorio, Cyrillus Alexandriam rediit. Anno ſequente 432 ipſe pariter ac Orientales Epiſcopi, de pace inunda ab Imperatore per literas interpellati ſunt. Orientalium igitur nomine, legatus ad Cyrillum Paulus Emeſenus, Expoſitionem fidei ſatis catholicam, Alexandriam attulit: aliamque viciſſim a Cyrillo ab Orientalibus ſubſcribendam retulit. Vulnus id aliquantulum obduxit, non perſanavit tamen. Lites enim ſubinde natæ, cum inter & Orientales, imprimis vero Theodoritum, usque ad mortem ejus agitari non deſierunt. Obiit anno 444. vir ſane pietate juxta ac eruditione, zeloque pro fide Catholica invicto nobilis. Ita Cavus. His quæ ex Socrate adduximus non obſtantibus, Martyrologium Romanum honorificam hujus S. Cyrilli memoriam habet ad diem 17. Januarii his verbis: *Sancti Cyrilli Alexandrinæ urbis Epiſcopi, qui Catholicæ fidei præclariſſimus propugnator, doctrinæ & ſanctitatis illuſtris, quievit in pace.* Græci autem in Menologio ad diem 9. Junii, his verbis: *Apud Alexandriam natalis Sancti Cyrilli ejusdem civitatis Epiſcopi, viri eruditiſſimi & Catholicæ fidei propugnatoris egregii: quem Summus Pontifex Cæleſtinus idoneum judicavit, cui ſuas vices in Epheſino Concilio delegaret.* Controvertitur itaque inter Græcos & Latinos, quanam die ab humanis excesſerit.

Extant variæ collectiones Latinæ Operum Sancti Cyrilli Alexandrini, ante Græcolatinam Pariſienſem ſeptem tomis in folio procuratam, ſtudio & opera Joannis Auberti, Laudunenſis Eccleſiæ Canonici Presbyteri, & in Schola Pariſienſi Laudunenſis Collegii Magiſtri ac Interpretis Regii. Primum prodierunt Opera S. Cyrilli Latine tomis IV per Georgium Trapezuntium, Baſileæ anno 1546. Deinde per Gentianum Hervetum Rhemenſis Eccleſiæ Canonicum, tomis in fol. duobus, Pariſiis anno 1573. & ibidem apud Sonnium anno 1605. Multæ quoque editiones extant aliquorum ejusdem Cyrilli Operum ſeorſim, de quibus occaſione data loquemur, ubi Opuſcula ſingillatim examinabimus. Interim ſequemur hic ordinem editionis Græcæ, ac Latinæ Pariſienſis anni 1638. quam non cum Guillelmo Cavo perfunctorie, ſed cum Ellia du Pin accurate diſcutiendam ſuſcepimus.

CAPVT SECVNDVM.

EXPENDVNTVR QVÆ CONTINENTVR TOMO PRIMO OPERVM S. CYRILLI EPISCOPI ALEXANDRINI.

TOmus I complectitur *de adoratione & cultu in ſpiritu & veritate Libros XVII.* interprete Antonio Agellio Neapolitano, Congregationis Clericorum Regularium Presbytero, qui poſtea ad Epiſcopatum Acernenſem promotus eſt, ut in præfatione editionis ſuæ teſtatur Auberus.

Deinde *Glaphyra* ſive *Commentaria ſcita & elegantia in V. libros ſeu Pentateuchum Moyſis*, interpre-

prete Andrea Scotto, Antverpienſi, Societatis Jeſu Presbytero.

Libri XVII. *de adoratione in ſpiritu & veritate*, in formam Dialogi conſcripti ſunt, cujus operis hic ſcopus eſt, ut oſtendat omnem Moyſis legem, ac ceremonias quas præcipiebat omnes, rectè intellectas, *ad adorationem Dei in ſpiritu & veritate*, quam Evangelium docuit, referri. Ad probandam hanc propoſitionem, allegorias ex omnibus Veteris Teſtamenti libris conquirit, quas affectatione omnimoda ad ſpiritualem myſticamque Evangelii intelligentiam adducit.

Liber 1. inſcribitur, *de lapſu hominis in vitia, & de captivitate peccati, de vocatione & converſione quæ per pœnitentiam fit, & recurſu ad meliorem vitam.* In illo invenis, quod quidquid Adamo, Abrahæ, Lotho, & aliis Patriarchis accidit, doceat homines quomodo in peccatum labantur, & quanam ratione reſurgere hinc poſſint. Delectatio quæ eos attrahit, ſignificatur per mulierem, per delicias Ægypti, per bona terræ &c. Gratia autem Salvatoris, per vocationem Abrahæ factam, per protectionem divinam Lotho conceſſam, per curam ſingularem populi a Deo ſuſceptam: ac tandem pœnitentia, fuga mali, amor boni ac virtutis, per actiones veterum iſtorum Patriarcharum laude & imitatione dignas.

Liber 2 & 3. inſcribitur: *Quod mortem quæ eſt ex peccato, & diaboli tyrannidem effugere nullo modo poſſimus, niſi per ſanctificationem quæ ex Chriſto eſt: & quod non in Lege, ſed in Chriſto ſanctificatio eſſe poſſit.* Vtitur in his, pluribus Legis Moſaicæ locis, ad oſtendendum lapſum hominis nonniſi per adventum Chriſti potuiſſe reparari: ſolum ipſum potuiſſe eum eximere a peccati malis effectibus, morte nimirum, tyrannide Dæmonum, concupiſcentia ac propenſione ad malum. Solum Chriſtum omni peccato immunem, poſſe redimere hominem eumque ſanctificare: atque in plurimis Legis & Prophetarum reconditis locis, invenire baptiſmum & in Chriſto Jeſu redemptionem.

Liber 4. *Quod is qui a Deo ad juſtificationem vocatus & redemptus eſt, Deum ſequi debeat: & quod excuſſa mollitie quæ ad vitium ducit, ad piam & generoſam vitam ei enitendum ſit.* Aſſumit igitur exhortationes, promiſſiones & in Lege factas comminationes, ad Chriſtianos a Chriſto redemptos invitandos urgendosque ad vocationem ſibi factam ſequendam, ad peccati & criminum deteſtationem & fugam, ad omnis denique boni amplexum.

Liber 5. *Item de fortitudine quæ in Chriſto Jeſu eſt.* Vult autem ille conſtantiam ac generoſitatem Veterum in tolerandis malis atque debellandis ſuis inimicis, eſſe figuram fortitudinis, qua Chriſtianus quivis omne vitium omnesque animi paſſiones immoderatas debellare debeat.

Liber 6. *Quod ei ſoli qui ſecundum naturam Deus eſt, adhærere nos oporteat, & illum ex tota anima, toroque corde diligere:* unde condemnat & præſcribit ſuperſtitiones omnes, & cultui huic Dei puriſſimo contrarias prophanationes.

Liber 7. *De charitate in fratres.*

Liber 8. *Item de charitate in fratres, & de eo quæ furatur vitulum aut ovem.*

Liber 9. *De adoratione in ſpiritu & veritate, & de ſancto Tabernaculo, quod typus Eccleſiæ Chriſti ſit.*

Liber 10. *De iis quæ erant in ſancto Tabernaculo:* ubi invenit infinitam ſimilitudinis relationem, inter Tabernaculum & Eccleſiam. Nam ſacerdotium veteris Legis, conſecratio & unctio ſummorum Pontificum, forma, figura, materia veſtium ſacerdotalium, miniſterium Levitarum, omnia hæc ſuppeditant ampliſſimam allegoriarum ſylvam, quæ tribus libris ſequentibus explicantur.

Liber 11. *De Sacerdotio* inſcribitur, *quodque Sacerdotium legale ſit typus illius quod in Chriſto eſt.*

Liber 12. *De Sacerdotio.*

Liber 13. *Item de Sacerdotio.*

Liber 14. *Quod oporteat eos qui adire Eccleſiam volunt, puros & ab omni peccati labe ablutos eſſe, atque ita coram Deo ſe ſiſtere.*

Liber 15. *Quod oporteat puros & ablutis peccati maculis Deo ſiſti, & quod in Chriſto rurſum noſtra purificatio conſiſtat.* In his ergo duobus ultimis libris, oſtendit perſonas prophanas vel juxta Legem Moyſis impuras, ab ingreſſu Templi & Tabernaculi ob immunditiam excluſas, eſſe figuram improborum & malorum hominum ab aditu Eccleſiarum arcendorum: atque erudire nos, quomodo ſoli puri, & mundi, coram Deo in Eccleſiis ad preces perſolvendas comparere debeant. Illic quoque de *animalibus mundis ad ſacrificia & immundis* agitur, quæ allegoriarum adhuc plurimarum argumentum præbent.

Liber 16. inſcribitur, *Quod oporteat nos ſpirituales hoſtias & oblationes offerre Deo.*

Liber 17. *De ſanctis feſtivitatibus.* De oblationibus igitur & ſacrificiis Legis, quæ figuræ ſunt & typi oblationum ſpiritualium quas offerre Deo tenemur: & de Feſtivitatibus Judæorum ſolemnibus, quæ cœleſtes nobis remunerationes repræſentant, agitur his ultimis duobus hujus prolixi Commentarii libris. Atque ex iis quæ ſtatim diximus judicare licet, quam myſticum iſtud Opus ſit, quantas explicationes allegoricas & extraordinarias contineat: quas ubique locorum, in his XVII libris ultro citroque ingerit, lectione non omnino lectoribus delicatis jucunda. Ita ante nos Antonius Agellius in *Admonitione ad Lectorem* editioni ſuæ præmiſſa, quem tranſcripſit atque in Gallicam linguam tranſtulit. Ellias du Pin, in *nova bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 5. tomo 3. p. m. 42.

qui opus illud accurate, ut de eo judicium ferre posset, legerat.

Jam quæstio est, an illi *libri XVII. de adoratione & cultu in spiritu & veritate*, sint indubius partus sancti Cyrilli Alexandrini Episcopi, cui inscribuntur in Codicibus Vaticanis, & illustrissimi D. de Harlay Maclovienſis in Gallia Episcopi. Ita contendit qui illos Græce & Latine anno 1588. Romæ edendos curavit Antonius Agellius, Congregationis Clericorum Regularium Presbyter, in *Admonitione ad Lectorem* editioni suæ præmissa, his verbis. „Cyrilli hoc opus „esse, qui in ejus scriptis perlegendis sit versa„tus, puto dubitaturum neminem: idque non „ex inscriptione solum cognosci potest, quæ in „omnibus quos videre potui Manuscriptis li„bris prænotata est: verum etiam ex elocutio„nis genere cum cæteris ejus libris quam simil„limo. Habet enim Cyrillus, ut Scriptores o„mnes, suam quandam orationis formam ac fa„ciem, quam ut in ipsa vultus humani specie usu „venit, haud facile in alio deprehendas: eaque „in Latino quoque, sed facilius ac certius in „Græco perspicitur. Accedit alterum argu„mentum, quod eædem sententiæ ac dogmata, „quibus in his libris utitur, in aliis item libris de „quibus controversia nulla est, leguntur. Lon„gum vero esset neque necessarium, si eas o„mnes persequi velim: sed satis erit ad eam „rem demonstrandam, unum aut alterum com„memorare exemplum. Ne longius abeam, „quod in libro 1 *de adoratione in spiritu & veritate* „posuit, *substantialiter ex Patre & Filio procedere „Spiritum Sanctum*, nonne Cyrillum auctorem „coarguit? quo ex Græcis doctoribus nemo, „dogma hoc apertius protulit. Nam eandem „sententiam cum alibi, tum in *Thesauro* Lib. 13. „capitibus 2 & 3. legimus, itemque Lib. 14. c. 1. „& *in Johannem* Lib. 10. cap. 33. vel juxta ulti„mam editionem ad versum 26. & 27. cap. 15. „pag. 910. Litt. A. & Libro 11. capp. 1. & 2. In„sufflationem deinde Spiritus Sancti in hominis „corpus è limo formatum, ut Geneseos cap. 2. „legimus, id effecisse Cyrillus putat, ut Spiritus „Sancti munere animam decoraret. Hanc „sententiam in libro quoque 2 cap. 3. *in Evan„gelium B. Johannis*, & lib. 12. cap. 56. posuit. „Cyrilli opinionem non satis probat B. Thomas „in 1. partem qv. 91. art. 4. & in libello quem „*adversus errores Græcorum* scripsit, tanquam „Cyrilli propriam agnoscit. Sed ut solet Pa„trum sententias modestissime in rectum sen„sum interpretari, ut magis eos defendere „quam reprehendere videatur: eam reve„rentia tanti Patris permotus excusat, allego„rice ab illo id prolatum dicens. *Tum idem „postea*, Postremo Anastasii Patriarchæ Antio„cheni sanctissimi & eruditissimi viri, quem non „moveat auctoritas? Is enim in suo *Deducto„rio* libro de his libris testimonium profert *In„terrogatione vigesima*. Locus autem quem ci„tat, adversus vanitatem *Augurionum*, ex libro 6. sumptus est. Ex his omnibus illud profecto liquet, proprium esse Cyrilli opus, neque apud„quenquam puto hanc rem in dubium revocan„dam.„ Ita Agellius primus editor & interpres hujus Operis.

Contra quem tamen non incongrue de his libris S. Cyrillo Alexandrino Episcopo adscribendis, dubitari posse nonnulli, ut Rivetus, crediderunt. Primum, quod nulli Veterum meminerint horum Operum prolixorum, magnorumque Commentariorum in varios Scripturæ libros. Nam Photius in *Bibliotheca* meminit quidem multorum Cyrilli Alexandrini ac minoris quidem molis Operum & Opusculorum, altum autem de his prolixis in libros *Scripturæ* varios Commentariis silet: quem tamen tam multa tamque stupenda Opera effugere non debuerant. 2. hic auctor lib. 6. *de adoratione in spiritu & veritate* pag. mihi 188. ita loquitur κεῖται τὸ τῆς Ἀποκαλύψεως βιβλίον ὑμῖν συντεθὲν ὁ σοφὸς Ἰωάννης, ὃ καὶ ταῖς τῶν πατέρων τετίμηται ψήφοις, τὰς τῶν ἁγίων ψυχὰς ὑπ' αὐτὸ τὸ θεῖον τεθεᾶσθαι θυσιαστήριον, διεβεβαιώθη σαφῶς. *Atqui Joannes ille sapiens, qui Apocalypsis libellum conscripsit, qui Patrum judicio comprobatus est, Sanctorum animas sub ipso Dei altari se„conspexisse, aperte confirmat.* Quibus indicat librum *Apocalypseos* atque ab Joanne Evangelista conscriptum, atque *Patrum judicio* comprobatum, id est Concilii alicujus Græci & authentici decreto. Nullum autem vel ante Cyrillum vel ejusdem ætate, extitit Concilium Græcum, quod Apocalypsim inter libros Canonicos & Scripturam sacram diserte collocaverit: imo potius in Ecclesiis Græcis, de Apocalypseos auctoritate dubitabatur. Nam ut recte notat Ellias du Pin tomo 1 *Nova Bibliotheca Ecclesiastica*, in Dissertatione Præliminari *de libris Sacræ Scripturæ* parag. 6. *De Canone librorum Novi Testamenti, ac speciatim de libris, de quibus olim dubitatum est*, pag. 71. Nonnulli veterum juxta„testimonium Eusebii, *Apocalypsim* in numero„librorum indubiorum admiserunt, aliis in du„biorum vel suppositorum ordinem admitten„tibus. Rejecta fuit a Cajo Romæ Presbyte„ro antiquo, qui eam Cerintho hæresiarchæ at„tribuebat, ut testatur Eusebius Lib. 3. *Historia*„cap. 28. Econtra sancti Justinus, Irenæus,„Origenes, Cyprianus, Clemens Alexandrinus„& Tertullianus multis in locis eam allegant,„& sancto Johanni Evangelistæ attribuunt. S.„Dionysius Alexandrinus notat, plurimos ante„se, *Apocalypsim* rejecisse ac refutasse, ut librum„fictionum & falsitatum plenum: sed alios il„lam plurimos adprobasse: quoad se vero, il„lam rejicere non ausum, quod crederat sensu„abscondito eam pollere: licet persuaderetur„non scriptam esse a S. Johanne Evangelista, ut„pluribus rationibus probare conatur. San„ctus Hieronymus in Epistola 129. inquit *ple„raque Græcia Ecclesiæ* hunc librum non admit„tere, sicut nec Latinæ *Epistolam ad Hebræos*:„

sed

„ſed utrumque librum ſe recipere, non adhære-
„re ſe moribus ſui temporis, ſed auctoritati Ve-
„terum. Notat etiam Amphilochius, nonnul-
„los ſua ætate eandem admiſiſſe, ſed rejeciſſe il-
„lam longe plures. Et vere ut jam ſupra adno-
„tavimus, in Catalogo Concilii Laodiceni, nec
„in Catalogo Cyrilli Hieroſolymitani Cathec. 4
„non invenitur. Sed poſtea admiſſa fuit ab Ec-
„cleſiis Græcis & Latinis, atque allegata ab SS.
„Epiphanio, Chryſoſtomo, Hilario, Ambroſio,
„Hieronymo, Auguſtino, & ab aliis omnibus
„poſtmodum Scriptoribus. Tandem admiſſa
„eſt inter Libros Canonicos, in Concilio Car-
„thaginenſi, ab Innocentio Papa I. & in Concilio
„Romano ſub Gelaſio. Concilium Toleta-
„num IV. anno 633. celebratum decrevit Ca-
„none 17 eam eſſe Sancti Johannis, atque in ca-
„nonem divinorum librorum recenſendam eſſe.

Cum itaque juxta Hieronymum loco citato, qui ætate ipſius Cyrilli Alexandrini vixit, Apocalypſis *apud pleraſque Græcia Eccleſias* non admitteretur: qui ita loquitur ut ſupra diximus, Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus eſſe non poteſt.

3. Idem auctor libro 8. *de adoratione in ſpiritu & veritate* pag. 282. litt. D. *Non eſt improbabile Palladi, putare fortaſſis eos qui peccatis implicati ſunt, ſua anima velut homicidas eſſe, atque ad eam miſeriam non ſponte delapſos: ſed ad legem violandam & Deum offendendum, coactos eſſe quodammodo & impulſos, eo quod prona ſit mens hominum ad mala ex juventute, & indomita concupiſcentia lex in membris carnis dominetur. Igitur procul a mundo & a corpore, hominis anima infelix, exilio mulctabatur: atque in abditis mortis ac penetralibus loci, tanquam in urbe quadam refugii reſidens, longo tempore perſeverabat. Mortuo autem Chriſto magno Sacerdote, vix tandem dimiſſa eſt: qui cum pro omnibus pertuliſſet mortem, ad inferna deſcendit, atque portas inferi aperuit, eorumque vincula relaxavit: dicens iis qui vinctierant*, Exite: *& iis qui in tenebris*, Revelamini. Quibus verbis alludit hic auctor ad Symboli Apoſtolici articulum, *deſcendit ad inferos*. At juxta Rufinum in *explicatione Symboli*, hic articulus non inveniebatur in Symbolis Eccleſiæ Græcæ & Orientalis: *Sciendum ſane eſt, quod in Eccleſia Romana Symbolo, non habetur additum*, deſcendit ad inferna: *ſed neque in Orientis Eccleſiis habetur hic ſermo: vis tamen verbi eadem videtur eſſe, in eo quod ſepultus dicitur.* Hæc Rufinus qui ſub initium ſeculi V. clarebat. Non videtur ergo auctor qui ita ſcribit, fuiſſe Cyrillus ille Alexandrinus Epiſcopus, cujus ætate additio iſta ad Symbolum Apoſtolorum, juxta Rufini teſtimonium, non extabat. Præterea hic Scriptor, non tantum vult antiquos Patres, qui juſte quodammodo atque ad mandatorum regulam vixerant, ſed ob clauſas Paradiſi portas aditu cœlorum cohibebantur, Chriſto ad inferos deſcendente, his vinculis ſolutos eſſe, reſeratis cœli portis: ſed etiam peccatores omnes, *eos qui peccatis implicati ſunt*, quos *anima ſua velut homicidas eſſe* dicit, *dicens iis qui vincti erant*, Exite: *& iis qui in tenebris*, Revelamini. Excuſat eorum peccata & delicta, *atque ad eam miſeriam non ſponte delapſos, ſed ad legem violandam & Deum offendendum coactos eſſe & quodammodo impulſos*: unde ſequitur omnes peccatores ante Chriſtum in his locis concluſos atque ad inferna divino damnatos judicio, ſuis eſſe ſolutos vinculis Chriſto ad inferna deſcendente, nullumque remanſiſſe flammis æternis addictum: id quod dogma Millenariorum ſapit, Chriſtum omnia in omnibus etiam damnatis, fore dicentium.

Sed conjecturæ iſtæ ſtraminæ ſunt, falſumque eſt quod iſti contendunt, Photium nullam de his libris mentionem feciſſe in *Bibliotheca*. Etſi enim titulum de illis ſingularem non inſtituerit, illorum tamen expreſſam mentionem facit Codice 49. his verbis, ubi *de libris V. Cyrilli adverſus blaſphemias Neſtorii*. Ἀναγνώσθη τῶ ἐν ἁγίοις Κυρίλλω τῶ Ἀλεξανδρείας, κατὰ τῶν Νεστορίου βλασφημιῶν, ἐν λόγοις πέντε. Φυλάττει δὲ καὶ τούτοις τῶν οἰκείων λόγων τὸν χαρακτῆρα καὶ τὸ ἰδίωμα. σαφέστερος δὲ ἐστι τῶ πρὸς Ερμείαν, καὶ τῶ περὶ τῆς ἐν πνεύματι λατρείας. ὁ δὲ λόγος αὐτῶ πεποιημένος, καὶ εἰς ἰδιάζουσαν ἰδέαν ἐκβιασμένος, καὶ οἷον λελυμένη καὶ τὸ μέτρον ὑπερορῶσα ποίησις. Lecti ſunt Libri Beati Cyrilli Alexandrini adverſus blaſphemias Neſtorii libri V. Servat in his quoque ſuum dicendi characterem, & ſermonis proprietatem. Clarior vero eſt, quam ad Hermiam ſcribens aut in libris *de adoratione in Spiritu*. Sermo illi confictus, & ad propriam dicendi formam contortus, ac veluti ſolutum, numerosque negligens metrum. „ Scribit ergo perperam Andreas Rivetus Lib. 4. *Critici ſacri* cap. 19. pag. 450. *In dubium etiam poteſt adduci Liber ſub Cyrilli nomine editus* de adoratione in ſpiritu & veritate, *quem Antonius Agellius Clericus antea regularis & nunc Epiſcopus Acernenſis Latinitate donavit. Cavendum enim a fallacibus talium inſtitutorum mercibus.*

Glaphyra ſive Commentaria ſcita & elegantia in Pentatheucum Moyſis, interprete Andrea Scotto Societatis Jeſu Presbytero, edita primum Latine in editione Sonniana Pariſienſi Operum omnium S. Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, tum Græco-Latine ſeorſim Antverpiæ anno 1618. unde in hanc editionem ultimam acceſſerunt.

Unum autem atque eundem eſſe auctorem, tum *Glaphyrorum in Pentatheucum Moyſis*, tum *librorum XVII. de adoratione & cultu in Spiritu ac veritate*, liquido conſtare poteſt, tum ex *Prologo* in Glaphyra eadem, tum ex ultimis verbis Glaphyrorum in Numeros: ubi idem auctor agnoſcit expreſſe *Libros XVII de adoratione in Spiritu ac veritate*, tanquam ſuos. Sic autem ille in Prologo *Glaphyrorum in Pentatheucum Moyſis*, pag. 2. Ἐπηνόμασα δὲ χαρίεντος, πρώτου μὲν, τὸ ἐν-

ρμηνῶς πεπραγμένα. διασαφήσαντες δὲ τὴν τοιάδε συμμέτρεσιν, καὶ ὅπερ ἐν τύπῳ καὶ σκιᾷ μεταπλάττοντες τὸ ἐνύγπιον, σαφῆ ποιησόμεθα τὴν ἀφήγησιν, ἀποτετευκότος ἡμῖν τοῦ λόγου πρὸς τὸ Χριστοῦ μυστήριον, καὶ αὐτὸν ἔχοντος πέρας, εἴπερ ἐστιν ἀληθὲς, ὅτι τέλος νόμου καὶ προφητῶν ὁ Χριστός. Εἰ δέ που γένοιτο καὶ ἀφαμαρτεῖν τῶν πεπαιδευτέρων ὡς ἐν ἰσχνότητι νοημάτων καὶ ἀσαφεία πολλῇ, συγγνώμονας εἶναι προσήκει τοὺς ἐντυγχάνοντας. ἰστέον δὲ δὴ, ὅτι περὶ τῆς ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ προσκυνήσεως καὶ λατρείας ἐπαλαιόθεν συνέντες βιβλία, καὶ πολλὴν ἐν ἐκείνοις ἀθροίσαντες νοημάτων πληθύν. παρήκαμεν οἰκονομικῶς τῇ προκειμένῃ συγγραφῇ τὰ ἐντεταμένα καὶ φάλαια, καὶ ἀβασάνιστα τετηρήκαμεν. κἂν ἔν που συνίβῃ μνημονεῦσαί τινος ὡς ἐξ ἀναγκαίας λόγου ἀρχόμενα τοίνυν τῶν ἐπὶ τῇ γενέσει γλαφυρωτέρων, ἔστω τε λοιπὸν ἑφεξῆς τὰ πάντα Μωσέως δεσμόντος βιβλία, πραγματευόμενα πρὸς αὐτοῖς, καὶ τὰ ἐκ τῆς ἑτέρας γραφῆς τῷ προκειμένῳ χρήσιμα σπεπῶ. „Exponemus itaque „utiliter, ea quæ hiſtorice geſta ſunt: conve„nientique eorum declaratione adhibita, & ve„luti ex typo atque umbra narrationem trans„formantes, claram manifeſtamque eam efficie„mus: tendente nobis oratione ad Chriſti my„ſterium, & ipſum habente finem, ſiquidem ve„rum eſt, quod finis Legis & Prophetarum eſt „Chriſtus. Si vero alicubi contingat, etiam „aberrare ab iis quæ magis conſentanea ſunt: „utpote in tanta contemplationum ſubtilitate „atque obſcuritate, æquum eſt ut veniam apud „lectorem inveniamus. Sciendum vero etiam „hoc, quod cum *de adoratione & cultu in ſpiritu & „veritate Libros XVII. ſcripſerimus*, multamque in „illis contemplationum copiam complexi ſi„mus: capita huic Operi inſerta certo conſilio „prætermiſimus atque inexaminata reliquimus, „tametſi interdum accidit, ut alicujus eorum „neceſſaria de cauſa meminerimus. Ordiemur „itaque ab iis quæ in *Geneſi* ſunt politiora & ſe„lectiora, atque ita deinceps ordine reliquos „*Moſis* libros percurrentes, accurate inveſtiga„bimus, una cum his etiam ea quæ ex alio Com„mentario ad ſcopum nobis propoſitum conce„dunt.„ Sic quoque concludit librum tertium *Glaphyrorum in Exodum*, pag. 342. Μέχρι γὰρ τούτου τῶν ἐν τῇ Ἐξόδῳ κεφαλαίων τὴν ἀφήγησιν συμμετρεῖν ἠγωνίσαμεν, ὑπὲρ τὴν τῶν ἑφεξῆς καταναρκήσαντες ἐρμηνείαν ἀλλ' ὅτι τοὺς περὶ τῆς ἐν πνεύματι τε καὶ ἀληθείᾳ προσκυνήσεως συντιθέντας λόγους, τοῖς καθυπόσας ἑρμηνείας ὑπεβαλίκαμεν αὐτήν τε τῆς ἁγίας σκηνῆς τὴν κατασκευὴν, καὶ ἅπαντα τῶν ἐν αὐτῇ κειμένων, ἁγιαστήριόν τε φημὶ, καὶ τῆς κιβωτοῦ, τραπέζης, καὶ λυχνίας, ὡς ἀλλαχοῦ φέρειν τὴν τῶν ἀναγκαίων ἀφήγησιν μηδέν. δεδανείκαμεν γὰρ εἰς τοῦτο γε ὄγδοον καὶ δέκατον λόγον. Θεῷ δὲ ἡμῶν δόξα εἰς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. " Hactenus enim capitum „Exodi enarrationem digeſſimus, non quod ad „eorum quæ deinceps ſequuntur explanatio„nem ſegniores ſimus: ſed quod iis libris quos *de adoratione in Spiritu & veritate* conſcripſimus, " accurate ſancti Tabernaculi conſtitutionem in" veſtigaverimus: & ſingula proſecuti ſumus" quæ in eo ſunt, Propitiatorium inquam, & Ar" cam & Menſam ac Candelabrum: ut nihil" quod declaratione egere videretur, omiſeri" mus. Nam hac de re nonus & decimus liber" nobis eſt conſumptus. Deo autem noſtro glo" ria in ſecula ſeculorum, Amen.

Jam vero quæritur, utrum *Glaphyra iſta in Pentateuchum Moſis*, vere ſpectent ad Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum, an de iis ambigendi nonnulla ratio ſubſit? Aliqui omnem illam ingentem *Allegoriarum* Sylvam, putant ſuppoſitam fuiſſe Cyrillo Alexandrino, atque eſſe recentioris Græciæ. 1. enim excuſatio illa quæ habetur in Prologo Glaphyrorum, εἰ δέ που γένοιτο καὶ ἀφαμαρτεῖν τῶν πεπαιδευτέρων, ὡς ἐν ἰσχνότητι νοημάτων καὶ ἀσαφεία πολλῇ, συγγνώμονας εἶναι προσήκει τοὺς ἐντυγχάνοντας. Si vero" alicubi contingat, etiam aberrare ab iis quæ" magis conſentanea ſunt: utpote in tanta con" templationum ſubtilitate atque obſcuritate," æquum eſt ut veniam apud lectorem invenia" mus.„ Excuſatio (inquam) illa cordatis omnibus, videbitur eſſe recentiorum Græcorum, neque ſimiles inveniri in antiquioribus ſcriptoribus, qualis extitit Cyrillus Alexandrinus. 2. juxta Poſſevinum tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *S. Cyrillus Alexandrinus*: Commentarii in Le" viticum ſub ejusdem Cyrilli nomine, ab omni" bus fere Origeni potius vindicantur, tum quia" ubique deſtruit literam, & ſolum approbat al" legorias: tum etiam ex Origenicis erroribus," qui in eis ſparſi leguntur, idem liquet. Adde" quod ſemper eædem Homiliæ Origeni tributæ" fuerint.„ Item Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 226. in *Origene*, aſſerit *Homilias in Leviticum vere Origenis eſſe, quia phraſim Origenis ſervant, & erroribus ejusdem ſentent*: quamvis tamen dubius fuiſſe videatur, utrū Origeni vel Cyrillo, vel neutri tribuendæ eſſent: ſic enim lib. 4. *de verbo Dei* cap. 11. olim ſcripſerat. *Homilia illæ in Leviticum non ſunt Cyrilli, ſed Origenis vel neſcio cujus alterius, qui paſſim literam deſtruit, ut myſticos ſenſus ex ſuo capite fingat*: proinde *illæ Homiliæ non ſunt magnæ authoritatis*. Quod recte ab eo dictum fuiſſe, ſcribit Jacobus Greteſerus Tomo 1. *Defenſionis Bellarmini* lib. 4. cap. 11. Denique Homilias iſtas Cyrillo abjudicat, in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 430. in Cyrillo his verbis. " Libri ſedecim in *Leviticum* qui circumferuntur, Cy" rilli non ſunt, ſed Origenis potius, ut in *Origene*" diximus: & manifeſtum hoc eſt, tum quia" auctor ubique ſenſum literalem deſtruit, tum" quia habentur iſti libri inter Opera *Origenis*:" ut mirum ſit, cur impreſſores in omnibus edi" tionibus iſta Opera auctori non ſuo attribuant." Si igitur juxta Poſſevinum, Bellarminum, Gretſerum & alios, Commentarii *in Leviticum* qui inter Opera Origenis ſunt, & Cyrillo ab aliis attribue-

tribuebantur, Cyrilli non ſint, quod *ubique literam deſtruant, & ſolum approbant allegorias:* idem omnino dicendum erit juxta eosdem, *de Glaphyris illis in Pentatheucum Moſis & de libris XVII. de adoratione & cultu in Spiritu & veritate*, quia ubique ſenſum literalem hic author deſtruit, & ſolum approbat allegorias: unde merito Antonius Agellius qui primus eos in lucem produxit, in Prologo ſuæ editionis ad Lectorem, appellat hos libros *Theſaurum Allegoriarum:* ego *Sylvam* illamque denſiſſimam, unde exitum reperire vix licet. Sed conjecturæ iſtæ ac rationes nullæ ſunt. Nam conſtat eſſe unum atque eundem auctorem, tum *Librorum XVII. de adoratione in Spiritu & veritate, tum Glaphyrorum in Pentatheucum Moyſis:* atqui ex Photio in *Bibliotheca* Cod. 49. liquet *Libros XVII. de adoratione in Spiritu & veritate*, eſſe indubium fœtum ſancti Cyrilli Alexandrini Epiſcopi: unde idem neceſſario concludendum, de *Glaphyris in Moyſis Pentatheucum.*

CAPVT TERTIVM.

EXPENDVNTVR QVÆ CONTINENTVR TOMO SECVNDO OPERVM EJVSDEM CYRILLI ALEXANDRINI.

TOmus 2. continet *Commentarium in Iſaiam Prophetam* libris V. cum interpretatione Laurentii Humfredi Angli, aliquot in locis emendata atque recenſita.

Scriptorem hujus in Iſaiam Commentarii prolixi, alium omnino eſſe ab eo, qui ſcripſit *libros XVII. de adoratione & cultu in ſpiritu & veritate*, & *Glaphyra in Pentatheucum Moyſis*, ex collatione utriusque tomi, manifeſte apparebit: quod & ingenue agnoſcit Ellias du Pin, dum in *Baſilio* diverſam methodum atque ſcopum utriusque Operis contra Simonium confitetur. Duplici id ex capite potiſſimum probare poſſumus.

1. Ex Prologo in Commentarium ad Iſaiam Prophetam ſic loquitur. Χρῆναι δὲ φημὶ τὸς ἐθέλοντας διατρανῶν τὰ ὄντως ἰσχνὰ, καὶ αἰνιγματώδη τῶν θεωρημάτων πλάτη διανοίας ἐμμανέσι περιαβρῶν ἐπεύχεσθαι, καὶ μάλα ἀνφέρονς τοῦτο μὲν, τῆς ἰσορροπίας τὸ ἀκριβὲς; τοῦτο δὲ, τῆς πνευματικῆς θεωρίας τὴν ἀπόδοσιν, ἵνα παντὶ χάθεν τοῖς ἐντυγχάνουσιν ἐκβαίη τὸ ὠφελῶν, καὶ ἡ τῆς τῶν προκειμένων ἐυγοίας διασάφησις μηδὲν ἔχουσα τὸ ἐνδεὲς διαφαίνοιτο. "Qui vero hanc „tam ſubtilem & ænigmaticam horum theore„matum vim & amplitudinem explicaturi ſunt, „eos ego cum hiſtoriæ accuratam rationem, „tum ſpiritualis ſenſus accommodationē ocu„lo mentis, idque valde prudenter intueri opor„tere ſtatuo: ut & his qui ea lecturi ſunt, un„decunque occurrat utilitas, & ſententiæ eo„rum de quibus agitur explanatio plena ſit, ut „nihil deſiderare videatur.„ Quibus verbis indicat, a ſe explicandum Iſaiæ non tantum myſticos ſenſus, ſed literalem etiam hujus hiſtoriam, quemadmodum ubique Explanationis ſuæ exequitur. Recte ergo Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica*, ſeculo 4. tomo 2. in Baſilio, pag. mihi 43. inquit: *Sanctus Baſilius ſenſui literali hujus Prophetæ adhæret, neque a ſenſu naturali tantum abſcedit, ut Chriſtum inveniat, eo quod Iſaiæ prophetia naturalius ipſi conveniat. Idem judicium ferri debet de Commentario in XII. Prophetas minores, in quo ſatis explicationi literæ adhæret: ita ut plurimum a ſcriptis ſit inter Commentarios hujus patris in Prophetas, & Glaphyra in Pentatheucum. Non ita Simonius judicat, qui poſtquam de Commentariis hujus patris in Pentatheucum locutus eſt, tanquam de Opere prorſus allegorico: adjicit ſe premere ſilentio Commentaria ejus in Iſaiæ Prophetiam, quod hic pater in methodo ſatis uniformis ſit. Sed quicunque aſſumpſerit ſibi laborem, legendi loca quædam Commentariorum ejus in Geneſim vel Exodum, eaque conferendi cum locis aliquot Commentariorum ejuſdem in Iſaiam vel Prophetas XII. minores, diſcrimen magnum utrorumque inveniet.* Recte ergo poſitum a me eſt, auctorem hujus Commentarii in Iſaiam, eſſe alium hominem, a ſcriptore Commentariorum *de adoratione & cultu in Spiritu & veritate*, itemque *Glaphyrorum in Moyſis Pentatheucum:* licet hoc ipſum non intendat Ellias du Pin, eo loci quem tranſtulimus.

2. Scriptor Commentarii in Iſaiam Prophetam, ſtatuit libertatem hominis verbis clariſſimis, lib. 1. Oratione 1. pag. 22. litera D. Ἐπειδὴ γὰρ τέθεικεν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς ἐν τοῖς τῶν παιδαγωγουμένων ῥοπαῖς, τὸ ἱλίσθαι μὲν τὸ αἰγαθὸν, ἀποφοιτᾶν δὲ τῶν φαύλων, πεπληροφόρηκεν ὅτι τοῖς τῶν πραχθέντων ἢ μὴ, ἑκάστῳ τῶν ἐπὶ γῆς ἡνίας, καὶ ἐφ' ὅπερ ἂν ἕλοιτό τις, ἐλθεῖν μετ' ἐξουσίας. ἐπειδὴ δὲ τοῦτό ἐστιν ἀληθὲς, ἀναῖτιον ἴδοι καὶ ψυχρὸν, καὶ ἀνεπ' ἀκόλουθον τὸ διατείνεσθαι καὶ λέγειν, ὅτι φυσικὸν ἐν ἀνθρώπῳ τὸ κακόν. ἤγουν ὅτι τύχῃ τε, καὶ εἱμαρμένῃ, καὶ γενέσεως πηδαλιοῦχοι τὰ ἀνθρώπινα, καὶ πρός γε τὸ ἑκάστῳ δοκοῦν, ὃς ἂν ἕλοιτο καταφέρεσθαι· φαυλότητός τε καὶ ἀρετῆς ἀποτελοῦσιν ἐργάτας, ἐκ ἐθελουσίοις ῥοπαῖς ἑκόντες εἰς τοῦτο, καταζυγέντες δὲ ὥσπερ ἀφύκτοις πόνοις, καὶ δυσφορήτως ἔχοντες τῇ τῶν κρατούντων ἀνάγκῃ. "Cum enim poſuerit univerſitatis Deus, in propenſione eorum „qui erudiantur, cum bonum eligere, tum a ma„lis recedere: liquido probat, rerum facienda„rum & fugiendarum habenas cuique morta„lium deditiſſe, ut ad id quod elegerit quis, libere„ire poſſet. Cum hoc verum ſit, vana nimi„rum & frigida ſutela eſt, contendere ac dice„re, naturale eſſe in homine malum, vel fortu„nam aut fatum aut nativitatem, clavum rerum„ humanarum gubernare: & ad quod cuique„ eorum placet, quoslibet pro ſuo arbitratu adi„gere, ut vitium aut virtutem colant: non ad„ id voluntario impulſu, ſed tanquam inevitabili„ nutui ſubjugati & ſubditi, neceſſitate dominan„tium ægre ac difficulter impulſi.„ At ſcriptor

ptor Librorum XVII. *de adoratione & cultu in Spiritu & veritate*, imponit homini non tantum neceſſitatem, ſed coactionem etiam ad malum, ut lib. 8. pag. 282. littera D ſicut ſupra retulimus. Non ergo unus idemque ſcriptor, omnium iſtorum Commentariorum atque librorum.

Admittunt autem S. Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum, hujus *Commentarii in Iſaiam* ſcriptorem, omnes quotquot de Operibus Scriptorum locuti ſunt, Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei Litterariæ* ad annum 412. pag. 402. qui nihil diſcuſſit. Ellias du Pin, loco citato. Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *S. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus*. Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ad annum 430. in *Sancto Cyrillo Alexandrino*. Andreas Rivetus lib. 4. *Criticî Sacri* cap. 19. pag. mihi 449. poſt Poſſevinum. Ego autem compertum habeo, eſſe recentioris auctoris, qui longe poſt S. Cyrillum Alexandrinum floruerit, atque plurimos ante ſe hujus libri Commentatores *ſuperioribus temporibus* habuerit. Conſtat id ex Prologo totius operis, ubi auctor ita loquitur. οἶδα μὲν ἔγωγε ὅτι φθάσαντες τοῖς πρόσθεν εἰς ταῦτα, καὶ μακρὰς ἡμῖν περὶ αὐτῶν ἐποιήσαντο λόγους. ἀπόχρη δὲ ἴσως τισὶ, καὶ πρός γε τὸ δεῖν ἑτέρους ὅπως πρόφασιν μὴ ἀγεννῆ παρασχῶν, ἀναπῆσαί τε σιωπῆσαι μᾶλλον, οἷς ἕτεροι προσηρήκασιν ἐπιπόνῳ μὲν ὄντι, ταυτοπόνῳ δὲ μᾶλλον, καὶ διὰ τῶν αὐτῶν ἰέναι θεωρημάτων. "Equidem ſcio eſſe, qui ſuperioribus temporibus in hæc ſcripſerunt, & prolixos de his „ſermones inſtituerunt. Et hæc quidem ſuffi„cere arbitror, ut occaſionem otii non injuſtam „præbeat aliis, perſuadeatque ut tacere malint: „& ad ea quæ prius dixerunt alii, nihil addant „novi, ſed idem dicant potius, iisdemque obſer„vationibus inſiſtant." Addo quoque primæ huic rationi alteram non contemnendam, ex eodem Prologo deſumptam, ſcriptum nempe Commentarium iſtum fuiſſe ab homine qui otio perfruebatur: qualem ſane non fuiſſe ſanctum Cyrillum Alexandrinum Epiſcopum conſtat, quem maxima Diœceſis adminiſtranda variis occupatum ſemper negotiis detinuit, atque ab otio capeſſendo impedivit. Audiamus ſcriptorem ita in Prologo loquentem. *Cum autem etiamſi ipſa quidem id veniat, nihil incommodi ſit per conſenſum plurimorum, auditores in veritate confirmari: etiam nunc otium mihi excutiendum putavi, ratus ſudorem & induſtriam in bonis ſtudiis locatam ignavia præſtabiliorem eſſe, ac laborare melius eſſe, quam ſtertere. Nec plane diffiſus, quin aliquando poſſim aliquid novum & varium invenire: quandoquidem Deus hanc Commentationum viam rationemque dilatat. ſcriptum eſt enim*, Latum mandatum tuum vehementer. Conveniunt itaque iſta magis Monacho cuidam otium habenti ac ſtertenti (ut inquit) præ ignavia: quam Cyrillo Alexandrino Epiſcopo, viro ardentis animi, cui negotia & quidem plurima ob indiſcretum zelum nunquam defuerunt, ut in ejus vita ſupra explicuimus.

CAPVT QVARTVM.

EXPENDVNTVR, QVÆ TOMIS TERTIO ET QVARTO CONTINENTVR.

TOmus 3. complectitur *Commentaria in XII. Prophetas minores*, Jacobo Pontano Societatis Jeſu interprete, quæ evulgata Græce & Latine primum Ingolſtadii anno 1607. in hanc editionem immiſſa ſunt: nec ullum MS. Codicem ſe reperiſſe teſtatur Joannes Aubertus, quo in editione ſua adjuvari poſſet.

Vnus idemque videtur auctor horum *Commentariorum in 12. Prophetas minores*, atque *Commentarii in Iſaiam*, de quo ſuperius locuti ſumus: atque ita cenſere cogor poſt Elliam du Pin pag. 43. in *Cyrillo Alexandrino* ſcribentem ſic: Com-"mentarius in Iſaiam prolixus tomo 2. compre-"henſus, rationi magis convenit. Adhæret" ſanctus Cyrillus ſenſui hujus Prophetæ litte-"rali, nec tantum a ſenſu naturali diſſidet ad" Chriſtum inveniendum, quia prophetia Iſaiæ," facilius ipſi convenit. Dividitur hic Com-" mentarius in ſex partes. Idem judicium de" Commentario in XII. Prophetas minores ſer-" ri debet, in quo ſatis explicationi litteræ inſi-" ſtit: ut plurimum diſcriminis ſit inter hujus" Patris Commentarios in Prophetas, ejusque" in Pentatheucum ſcripta."

Porro ut *Commentarium in Iſaiam Prophetam* illegitimum ac ſuppoſitum ſancto Cyrillo fœtum exiſtimo, ita pariter cenſeo de *Commentario iſto in 12. Prophetas minores*, qui ſub ejusdem nomine circumfertur, ob rationes, quas ſuperius attuli, ubi de *Commentario in Iſaiam* actum eſt. Sic enim author præfatur, Οὐηθείη μὲν ἄν τις περίεργόν εἶναί πως, καὶ ἀναίσθυλον, καὶ ὅτι τὰ σοφίσθεντα τῶν ἀναγκαίων εἰς ὕπνον, καὶ πολλοῖς ἤδη προσεγμένα μονονουχὶ, καὶ ἀπασχολήσειν ἐπιχειρεῖν καὶ τοῖς τῶν προλαβόντων πόνοις ἐπισοφίζειν ἑτέρους· καίτοι καὶ λίαν ἀποχρώντως ἐχόντων ἐκείνων, εἴς γε τὸ δύνασθαι διατεγνεῖν ἐν μέλα τὰς τῶν ἁγίων προφητῶν συγγραφάς. ἐγὼ δὲ τὸ χρῆμα φαίην ἂν οὐχ ἕδε ἔχειν, πολλῇ τε καὶ δεῖ. μεμνῆσθαι γὰρ ἐπιδονοῦντος τῷ Παύλῳ τοὺς παρ' αὐτῷ μυσταγωγουμένους· τὰ αὐτὰ λέγειν ὑμῖν, ἐμοὶ μὲν οὐκ ὀκνηρόν, ὑμῖν δὲ ἀσφαλές. "Exiſtimabit fortaſſe quiſpiam, otioſum eſſe quodammodo, &" cum temeritate conjunctum, parumque con-" ducibile, etiam antea pluribus diſputata & ex-" plicata tantum non refodere, perſcrutarique" velle: & laboribus aliorum præteritis novos" ſuperaddere, quanquam illi ad exponenda ſan-" ctorum Prophetarum ſcripta, omnino ac pla-" ne ſufficere queant. Ego vero magnopere" contra ſenſerim. Memorabo enim Paulum" acclamantem iis quos rebus divinis erudiebat:" *Eadem ſcribere vobis, mihi quidem non piguum, vobis autem neceſſarium.*" Tum poſtea, οὐκ οὖν κἂν

οἱ πολλοὶ γεγράφασι πρὸ ἡμῶν, τὰ ἐν τοῖς ἁγίοις προφήταις διερμηνεύοντες, οὐχὶ ταύτης ἕνεκεν τῆς αἰτίας σιωπήσομεν. Διωσόμεθα δὲ μᾶλλον εἰς εὐδρανῆ τὸν ὄκνον, ἢ ἦπερ ἂν ἡμῖν αὐτοῖς ἐπιδοίη χάριν, ὁ ἀπολάμπων βαθέα, καὶ ἀπόκρυφα, ταύτην καὶ ἑτέροις φανερὰν κατασήσομεν, μεμνημένοι λέγοντος τοῦ Χριστοῦ, δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε. "Quod cum ita ſit, tametſi ante nos non "pauci in ſacros Prophetas Commentarios edi-"derunt, hac quidem de cauſa non tacebimus: "potiusque inertiæ repulſa mollitie, quam nobis "quoque gratiam impertiverit, qui profunda & "occulta illuminat, eam cæteris etiam prode-"mus, memores illius Chriſti: *gratis accepiſtis, gratis date Matth.* 10. Idem ſane prologus in hos Commentarios, quam qui in Iſaiam Prophetam: unde eundem utriusque authorem, vel ex Prologo ſolo agnoſcimus. Eſſe autem illum recentioris Græciæ, ex allatis Prologi verbis arguimus, dum inquit *ante ſe non paucos in ſacros Prophetas Commentarios edidiſſe*, πρὸ ἡμῶν, τοὺς ἐν ἁγίοις προφήταις διερμηνεύσαντας: quæ temporibus ſancti Cyrilli Alexandrini Epiſcopi non conveniunt, ideoque ab ipſo dici nullatenus potuerunt. Quinam enim illi *multi*, qui ante Cyrillum Alexandrinum, in 12. Prophetas minores commentati erant? Quis illos detexerit?

Tomus 4. continet *Commentariorum in Evangelium Joannis libros XII.* ex interpretatione Joannis Auberti, qui novam hanc editionem omnium S. Cyrilli Alexandrini Operum, Græce & Latine aggreſſus eſt.

Hi *Commentarii in S. Joannis Evangelium*, in omnibus MSS. Codicibus bibliothecæ Vaticanæ & aliis etiam qui hactenus viſi fuerant, teſte Poſſevino mutili reperti erant. Cum ergo ex duodecim libris, intermedios quatuor periiſſe crederent: hos Jodocus Clichtoveus Neoportuenſis, Theologus Pariſienſis reſarcire conatus fuerat, ut in editionibus Pariſienſibus Latinis annorum 1572. & 1605. leguntur. Qui igitur libros V. VI. VII. & VIII. horum Commentariorum leget, ſe novi hominis Jodoci Clichtovei Commentaria, non Cyrilli Alexandrini Expoſitiones legere meminerit: quæ quamvis ex S. Joanne Chryſoſtomo & aliis Patribus Græcis collecta dicantur, tutius tamen ab ipſis fontibus, cupidus lector hauriet. Quomodo autem tam inſignis lacuna, in hac editione Pariſienſi anni 1638. a Joanne Auberto reſtituta ſit, ab ipſo in Epiſtola ad Lectorem, editioni prævia audiamus. "Horatius Juſtinianus libros duos "poſteriores Commentarii in Iſaiam Prophe-"tam, & VIII. in Johannis Evangelium ad nos ex "Vaticana transmiſit. Nam quintum & ſex-"tum in Johannem neſcire te non oportet, illu-"ſtriſſ. ac reverendiſſ. Domino Carolo de Mon-"chal Archiepiſcopo Toloſano, de literis ſupra "quam dici poteſt bene merito, deberi: qui no-"bis eos ex Lucæ Holſtenii eruditiſſimi viri κει-μηλίοις deprompſit, id inſuper commendante N. Fabricio Peireſcio, in Senatu Aquenſi Con-"ſiliario Regis ampliſſimo, cujus morte clariſſi-"mum literarum lumen extinctum, boni omnes "deſiderio ſuo ac dolore teſtantur. Nec taci-"turus abibit Nicolaus Borbonius, candoris & in-"genii dotibus ornatiſſimus, qui luculenta nobis "fragmenta intermediorum IV. Librorum in "Joannem, ex Catena illuſtriſſimi D. Epiſcopi "Maclovienſis deſumpta benigne tradidit: quo-"rum ope multa in quintum & ſextum loca "emendavimus: cum alioquin unicum exem-"plar ſuppeteret, infinitis, ut ne quid diſſimulem, mendis inquinatum. " Quantum autem ad interpretationem, illa Joannis Auberti eſt, ut ex conſpectu totius Collectanei prævio conſtat, ubi ſic: *Tomus IV. Commentariorum in Joannis Evangelium Libri XII. quorum V. & VI. Græce & Latine nunc primum prodeunt, una cum fragmentis VII & VIII. reliqui novam interpretationem habent.* Cur vero illam ſuſceperit, in Admonitione ad Lectorem his declarat. "Dici quippe non po-"teſt, quantum ſibi juris in eam ſumpſerit Geor-"gius Trapezuntius, multis in epitomen reda-"ctis, & perperam ſæpe translatis. Quod in "*Theſauro* quidem expertus primum Bonaven-"tura Vulcanius, ego deinde nihilo religioſio-"rem fuiſſe in *Commentariis illis in Joannem*, reipſa "comperi. Nec longe felicior interpres Oeco-"lampadius, ut *libros de Trinitate & contra Julia-"num* legenti, facile conſtabit. Neque tamen "eos laude ſua carere velim, aut ego tam accu-"ratus haberi: ut non quamplurima ſupereſſe "quoque fatear, quæ diligentiorum operam ac "judicium requirant.

Jam *Commentarios iſtos in Joannem*, eſſe opus indubium ſancti Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, conſtare poteſt ex iis quæ jam cap. 2. diximus ubi probavimus *Libros XVII. de adoratione & cultu in Spiritu ac veritate*, eſſe dubio procul, ejusdem Cyrilli Alexandrini Epiſcopi. Nam ut inquit Antonius Agellius in *Admonitione ad Lectorem*, quam præmiſit anno 1588 editioni ſuæ Græcæ & Latinæ dictorum Librorum: *Accidit alterum argumentum, quod eadem ſententiæ ac dogmata, quibus in his libris utitur, in aliis item libris, de quibus controverſia nulla eſt, leguntur. Longum vero eſſet neque neceſſarium, ſi eas omnes perſequi velim: ſed ſatis erit ad eam rem demonſtrandam, unum aut alterum commemorare exemplum.* Tum ne longius abeat, ſubdit quod in libro 1. *de adoratione in Spiritu & veritate* poſuit, *ſubſtantialiter ex Patre & Filio procedere Spiritum Sanctum*: illud coarguere S. Cyrillum auctorem, quo ex Græcis doctoribus nemo, dogma hoc apertius protulit. Nam eandem habet ſententiam in *Theſauro* lib. 13. capitibus 2 & 3. itemque lib. 14. cap. 1. juxta Agellium: quæ ſane indubia ſunt Sancti Cyrilli Alexandrini Opuſcula, ut jam ſupra ex Photio probatum eſt, & infra adhuc probabitur. Atqui hoc idem dogma ſtatuitur formaliter in hoc *Commentario in Evangelium Joannis*, Lib. 2. in Syllabo Capitum pag. 111.

ὅτι ἡ κατὰ μετοχὴν, οὐδὲ ὡς ἐπακτὸν ἐν τῷ ὑῷ τὸ ἅγιον πνεῦμά ἐστι, ἀλλ' οὐσιωδῶς καὶ κατὰ φύσιν ὑπάρχει αὐτῷ. „ Quod non per participa-„tionem, neque tanquam aſcititius ſit in Filio „Spiritus Sanctus, ſed ei ſubſtantialiter & ſecun-„dum naturam inſit. Idemque habet verbo-tenus, pro leminate capitis primi, pag. 116. Idem quoque docet libro 10. ad verſum 26. & 27. capitis 15. Joannis, pag. 910. Litt. A. & Lib. 11. tum in Syllabo capitum pag. 926. tum cap. 1. pag. 928. cap. 2. pag. 930. Præterea idem S. Cyrillus in libris *de adoratione in ſpiritu & veritate*, inſufflationem Spiritus in hominis corpus e limo formatum, ut Geneſeos cap. 2. legimus, effectam putat, ut Spiritus Sancti munere animam decoraret. Quam Cyrilli opinionem licet non ſatis probet Thomas de Aquino in 1. partem quæſt. 91. art. 4. & in libello quem *adverſus errores Græcorum* conſcripſit: hanc tamen ut Cyrilli propriam agnoſcit, unde ut ſolet, illam permotus reverentia tanti Patris excuſat, allegorice ab ipſo hanc prolatam dicens. Hanc autem ſententiam habet quoque *Commentario in Evangelium Johannis* iterum ac tertio inculcatam. Lib. 1. ad verſum 13. capitis 1. Joannis pag. 95. litt. A. ἐπειδὴ δὲ πεποίητο παρὰ Θεοῦ καὶ παρεκύθη πρὸς γένεσιν, οὐκ ἔχων ἐξ ἑαυτοῦ φύσεως, τότε ἄφθαρτον καὶ ἀνώλεθρον μένῳ γὰρ ταύτῃ πρόσεστιν οὐσιωδῶς τῷ Θεῷ κατισφραγίζεται τῷ πνεύματι τῆς ζωῆς, σχέσει τῇ πρὸς θεὸν ἀποκεδαίνων τὸ ὑπὲρ τὴν φύσιν ἀγαθὸν ἐνυφίστησι γὰρ, φησὶν, εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς, καὶ ἐγένετο ὁ ἄνθρωπος εἰς ψυχὴν ζῶσαν. "Cum „autem factus ſit a Deo, & in ortum eductus, „non habens ex natura ſua ut ſit incorruptibilis „& immortalis: hæc enim ſoli Deo ſubſtantialiter inſunt, obſignatus eſt vitæ Spiritu, habitudine ad Deum bonum, quod naturam excedit conſequutus. *Inſufflavit enim*, inquit, *in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem*, Gen. 2. verſ. 7. Idem lib. 2. ad verſum 32. cap. 1. Joannis pag. 122. καὶ ἐποίησε, φησὶν, ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, κατ' εἰκόνα Θεοῦ ἐποίησεν αὐτόν. ὅτι δὲ διὰ τοῦ πνεύματος εἰς εἰκόνα τὴν θείαν κατεσφραγίζετο, πάλιν αὐτὸς ἡμᾶς ἐδίδαξεν εἰπών, καὶ ἐνεφύσησεν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς· ἅμα γὰρ καὶ ζωὴν ἐνετίθει τὸ πνεῦμα τῷ πλάσματι, καὶ τὰς ἑαυτοῦ χαρακτῆρας θεοπρεπῶς ἐνεσήμαινεν. " Et fecit, in-„quit, *Deus hominem, ad imaginem Dei fecit eum.* „Quod autem per Spiritum ad imaginem Dei „fuerit obſignatus, ipſe nos rurſus docuit, his „verbis: *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ.* Simul enim & vitam creaturæ Spiritus „indidit, & ſuos characteres divinitus impreſſit. Denique libro 9. ad verſum 20. cap. 14. Joannis, pag. 822. littera A. ἵνα τοίνυν τὸ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος παρεισαχθὲν εἰς γένεσιν, μὴ πρὸς τὴν ἰδικὴν ὑποστᾶσαν ἀρχὴν, πάλιν ὀλισθαίνῃ πρὸς τὸ μηδὲν, σώζηται δὲ μᾶλλον ἀθανάτως. ἔστι γὰρ ἦν ὁ τοῦ κτίσαντος σκοπὸς. μέτοχον αὐτὸν τῆς ἰδίας φύσεως ἀποπλεῖ Θεός· ἐνεφύσησε γὰρ εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πνοὴν ζωῆς, τοῦτ' ἔστι, τὸ πνεῦμα τοῦ υἱοῦ· ἡ γάρ ἐστιν αὐτὸς ἡ ζωὴ μετὰ πατρὸς, συνέχων εἰς τὸ εἶναι τὰ πάντα. Ne igitur id quod e nihilo „in ortum eductum eſt, ad principium ſuum re-„diens, rurſus in nihilum abeat, ſed potius per-„petuo conſerveretur: hic enim Creatoris ſco-„pus eſt, participem eum reddit Deus ſuæ natu-„ræ. *Inſufflavit* enim *in faciem ejus ſpiraculum vi-„tæ*, hoc eſt Filii ſpiritum: ipſe enim vita eſt „cum Patre, in eſſe omnia continens." Hanc autem ſuam ſententiam prolixius tota hac pagina 822. perſequitur. En quomodo in ſententiis conveniat hic ſcriptor cum auctore Commentariorum *de adoratione in Spiritu & veritate & Glaphyrorum in quinque libros Moyſis.*

CAPVT QVINTVM.

EXPENDVNTVR QVÆ PARTE PRIMA TOMI QVINTI CONTINENTVR.

THeſaurus *de ſancta & conſubſtantiali Trinitate*, interprete Bonaventura Vulcanio Brugenſi, de quo ita recte Ellias du Pin pag. 44. „Tractatus Theſauri ad Trinitatem ſpectat, in „quo allegat XXXV. Propoſitiones de divini-„tate & conſubſtantialitate Filii & Spiritus San-„cti, quam methodo plane Scholaſtica probat, „teſtimoniis Scripturæ innixis ratiocinio vario „& ſyllogismis in forma, quibus utitur ad debel-„landos Arianos & Eunomianos, atque ad re-„torquendum in eos teſtimonia Scripturæ ſa-„cræ quæ afferre conſueverant. Eorum ob-„jectiones eodem modo proponit, quibus ea-„dem ſubtilitate reſpondet. Georgius Trimi-„tuntinus obtulerat nobis imperfectam valde „hujus libri verſionem, ſeu Latinum potius „compendium, in quo plurima immutaverat, „addiderat, reſciderat, atque ordinem ſancti „Cyrilli penitus interverterat: ſed Bonaven-„tura Vulcanius Brugenſis ſinceram fidelem-„que illius verſionem aggreſſus eſt, Baſileæ an-„no 1576. editam. Ambigi non poteſt quin „Opus iſtud ſancti Cyrilli ſit, cum Photius illud „legerit, atque volumine 136. *Bibliothecæ* ſuæ „deſcribat, eadem que poſſidemus, & ad nos „pervenit ratione." Ἀνεγνώσθησαν Κυρίλλου θησαυροί. Ἐπιχειρηματικόν δέ ἐστι βιβλίον, καὶ κατὰ τῆς Ἀρείου, καὶ Εὐνομίου λύσσης γενναίως καὶ πολυτρόπως ἀγωνιζόμενον. καὶ γὰρ καὶ λογικαῖς ἐφόδοις ἐπιστημόνως αὐτῶν ἀπελέγχει τὴν ἄνοιαν, καὶ γραφικὰς αὐτοὺς συμπλέκων καὶ συνυφαίνων χρήσεις, πανταχόθεν τὸ σθεῖον αὐτῶν σηλιτεύει δόγμα. τίθησι δὲ καὶ μαρτυρίας ἁπλῶς τῆς γραφῆς ὁ θεολόγος ἐνταῦθα, καὶ μάλιστα τοῖς ἔννοιαν λαβοῦσι τῶν λογικῶν ἐφόδων σαφέστατα. Le-„guntur Cyrilli Theſauri. Epicheremaris re-„fertus eſt liber, pugnatque valide ac varie cum „Arii & Eunomii furibunda rabie. Etenim & „Logicis argumentis ſapienter ipſorum de-„ſtruit amentiam, quibus dum ſacræ Scripturæ „adne-

»adnectit adtexitque teſtimonia: quam ſit illa »doctrina futilis, omni ex parte divulgat. Ad»hibet idem nuda quoque ſacræ Scripturæ te»ſtimonia, ut quo ſe faſtuoſi vertant, obſepti un»dique & concluſi non habeant. Eſt autem »inter omnia ejus ſcripta, liber hic maxime per»ſpicuus, iis potiſſimum qui Logicorum argu»mentorum ſenſum capere poſſunt. Quomo»do autem aut per quos in editione hujus Ope»ris Græca & Latina profecerit, Joannes Auber»tus in Epiſtola ad Lectorem, ita teſtatur. Ex»inde certatim huic Operi manum admove»runt. Nam *Theſaurum* una cum ejus inter»pretatione & *de adoratione in ſpiritu & veritate* »*libros XVII.* quos Bonaventura Vulcanius Aca»demiæ Lugduno-Batavæ quondam legaverat, »advehi curavit vir Cl. Petrus Puteanus, ju»vandis literis natus. Ex ſua vero Bibliotheca »illuſtriſſimus D. de Harlay Maclovienſis Epi»ſcopus, codices duos benigne ſuppeditavit: »quorum unus *Catenam in Joannis Evangelium*, »ex Cyrilli, aliorumque Patrum Commentariis »concinnatam: alter *Glaphyra in Pentateuchum*, »una cum libris *de adoratione in Spiritu & veritate*, »ac *Theſauro* complectitur.

Allegantur ex Cyrilli *Theſauro* ſententiæ quædam pro Romani Pontificis primatu, ſi divo Thomæ Aquinati credimus in Opuſculo *contra Græcos*, quas refert Bellarminus Lib. 1. *de Romano Pontifice* cap. 25. & lib. 2 cap. 15. *Sicut Chriſtus*, inquit, *accepit a Patre Sceptrum Eccleſiæ gentium, dux ex Iſraël egrediens ſuper omnem principatum & poteſtatem, ſuper omne quodcunque eſt, ut ei cuncta ſerviant: ſic & Petro & ejus ſucceſſoribus pleniſſime commiſit, & nulli alii quam Petro Chriſtus, quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.* Item, *debemus nos, ut qui membra ſumus, capiti noſtro Romano Pontifici, & Apoſtolicæ ſedi adhærere, a quo noſtrum eſt quærere, quid credere & quid tenere debemus.* Et paulo poſt: Patet etiam quod ipſe Patriarchis prælatus exiſtat, ex hoc quod Cyrillus dicit, quod *ipſius ſcilicet Apoſtolici throni Romanorum Pontificum ſolium eſt, reprehendere, corrigere, ſtatuere, ſolvere, diſponere, & loco illius ligare, qui ipſum ædificavit.*

» At inquit Rivetus Lib. 4. *Critici Sacri* cap. 19. »in libris *Theſauri* quos in Cyrilli Operibus ha»bemus, ne veſtigium quidem horum teſtimo»niorum apparet, quæ conficta eſſe non dubi»tamus. Auctor falſi fuit Thomas Aquinas in »Opuſculo adverſus Græcos, qui primus ex Cy»rilli Theſaurorum libris, tyrannidem Pontificis »Romani aſſerere voluit. Bellarminus tamen »loc. cit. quædam profert, & ex eo Poſſevinus: ex »quibus ab eo crimine *Thomam* ſuum abſolvere »conantur, quæ ordine ſuo diluemus. 1. *Con»ſtare multos libros Theſauri periiſſe. Ratio eſt,* »*quia non extent hoc tempore libri niſi quatuordecim:* »*& tamen ex ſexta Synodo Conſtantinopolitana, citan»tur liber XXXII. Ex libris igitur deperditis potuit* »*S. Thomas ſumpſiſſe teſtimonia, quæ in excuſis non»habentur.* Reſpondeo fallere Jeſuitas vel ex imperitia vel ex malitia: neque ſequi ex diver«ſa librorum, capitulorum & diſtinctionum enu«meratione, ejusdem libri factam eſſe diminutio«nem, vel ex eo aliquid deperditum. Verum« quidem eſt *Trapezuntium* totum opus *Theſauri*« diſtinxiſſe in XIV. libros, & unumquemque li«brum in multa capita. Idem autem Opus aliter« fuiſſe diſtinctum in antiquis Codicibus, ex Sy«nodi Conſtantinopolitanæ Actione 10. liquet:« in qua citantur libri vel ſermones vel capitula,« non tanquam diſtinctiones diverſæ, ſed tan«quam unum & idem diſtinctionis vel ſectionis« genus: qua ratione multiplicantur quidem li«bri vel ſermones, ſed manet unum & idem O«pus: ut patet ex ipſo exemplo, quo *Bellarminus*« utitur. Nam citatur Act. 10. pag. 238. tomo« 2. Concil. *ſanctus Cyrillus* libro 32. *Theſaurorum*« explanans Epiſtolam ad Romanos: & hanc« ipſam ſententiam in explicatione auctoritatum« pro Deitate Chriſti ex Epiſtola ad Romanos,« reperio Libro 12. cap. 1. *Theſauri Cyrilli*, juxta« diſtinctionem & interpretationem Trapezun«tii: *Nemo enim unam eſſe operationem Dei veri &* «*creaturæ concedet, ne aut creaturam in dignitate divi«na collocet eſſentiæ, aut Deum in creaturarum condi«tionem deprimat.* Sic quæ ex 22. *Theſauri* libro ci«tantur in ſexta Synodo, de timore & perpeſſio«nibus Chriſti: reperiuntur in diſtinctione no«ſtra, libro 10. *Theſauri* cap. 3. Ergo vanum eſt« illud commentum, in quo ſibi tantopere Jeſui«tæ placent: ut ex iis quos deperditos ſuſpican«tur libris, *Thomæ* ſui mendacia velo aliquo ob«ducant. Qua de re plura videbit qui cupiet,« apud exactiſſimum Scriptorem, Joannem Rei«noldum in *Colloquio cum Harto* cap. 5. ſect. 2. ubi« hanc fraudem & alias in ea cauſa a Thoma A«quinate factas, apertiſſime detegit. 2. Ait« Bellarminus, *eadem verba citari a Gennadio ſcho«lario Græco authore, in libro* de Primatu Romani« Pontificis. *Et Andream Coloſſenſem Epiſcopum*« *in Synodo Florentina ſeſſ. 7. affirmaſſe in Theſauris*« *Cyrilli mirifice prædicari Romani Pontificis auctori«tatem, nec ullum Græcorum contradixiſſe.* Hæc« ille Lib. 2. *de Romano Pontifice* cap. 15. Reſpon«deo *Gennadium* illum & *Andream Coloſſenſem*« eſſe auctores admodum recentes, utpote qui« tempore Synodi Florentinæ vixerunt, ducentis« annis poſt *Thomam Aquinatem*, ex quo falſa te«ſtimonia deſcribere potuerunt in gratiam Ro«mani Pontificis, cujus partes ſequuti ſunt.« Quod idem dici debet de *Joanne Turrecremata*,« Cardinale, & *Auguſtino Anconitano*, a quibus ea«dem nomine Cyrilli citantur. Neque hic« Gennadius, eſt Archiepiſcopus ille Conſtanti«nopolitanus, qui ſub Leone Imperatore, *Anato«lio* anno 458. ſucceſſit; ſed perſonatus neſcio« quis Patriarcha, qui Expoſitionem Synodi Flo«rentinæ ſcripſit, & ejus quinque Decretorum« contra Græcos, patrocinium ſuſcepit. Nec« etiam potuit eſſe *Gennadius* ille *Scholarius* Pa«triarcha Conſtantinopolitanus, qui in *Gregorii*« Florentiæ demortui locum a Græcis ſuffectus«

„est, rejecto Bessarione quam Papa creaverat „Patriarcham, sed titulo tenus, ut testatur Ge„nebrardus *Chronologia* lib. 4. anno Christi 1449. „Aut si fuit idem *Scholarius*, certum est resipuisse: „cum una cum *Marco Ephesino* retraxerit omnes „Græcos a Latina Ecclesia, ut scribit Chalcon„dylas Lib. 5. *de rebus Turcicis*. Sed nec verum „est aliquando aliter sensisse *Scholarium*, Græco„rum doctissimum, si eidem auctori fides habea„tur, qui ne quidem ab initio, Latinorum do„gmati consensum præstare voluisse, *Marcum* „*Ephesium & Scholarium* testatur: ut valde pro„babile sit, quæ sub hujus *Gennadii* nomine inter „Latinos prodierunt, a Græcis transfugis a Pon„tifice conductis, fuisse sub CPolitani *Scholarii* „nomine conficta, & ex *Thoma Aquinatis* Opuscu„lis adversus Græcos magna ex parte desumpta. „Ait 3. Bellarminus, neminem Græcorum *An„dreæ Colossensi* Cyrillum in *Thesauro* pro Romani „Pontificis authoritate ementienti, contradixis„se. Respondeo, ex authoritate negativa non „valere argumentum: Nemo legitur contra„dixisse, ergo nemo contradixit. Contradictio„nem, si qua fuit, silverunt Pontificii, qui Acta „conscripserunt. Respondeo 2. contradictio„nem satis constare, ex eo quod neque *Marcus* „*Ephesinus* qui pro Græcis in disputatione stabat, „consenserit: ut patet ex Actis. Quamvis „alii Græcorum dissentire non ausi fuerint, non „quod ita se rem habere crederent: sed quod „Imperatorem & Pontificem demereri stude„rent, ut sibi suppetias ferrent in necessitate ex„trema. Et hæc quidem ad *Bellarmini* & *Posse„vini* conjecturas, pro *Thoma* imposturis Cyril„lum ementientis. Cui insigni Riveti responsioni injurias persolvit abundantes, Philippus Labbeus in sua Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, verbo *S. Cyrillus Alexandrinus*, tomo 1. pag 244. homine erudito plane indignas. Longe autem ipso sincerior, Ludovicus Ellias du Pin hæc testimonia Cyrilli a *S. Thoma Aquinate* producta, falsa esse ingenue fatetur, in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* seculo 5. tomo 3. in *Cyrillo Alexandrino* pag. mihi 44. quem utpote Pontificium audient multo lubentius loquentem, ipsi Pontificii omnes.

„Sanctus Thomas sæpe citat testimonium in „gratiam Romani Pontificis, ut eductum ex se„cundo libro *Thesauri* Sancti Cyrilli, quod in O„pere integro non reperitur. Sed lectione „tantum opus est, ut illic nunquam extitisse, „neque ibidem inveniri potuisse, persuadeamur. „En præclari hujus testimonii propria verba: „*Debemus nos, ut qui membra sumus, capiti nostro „Romano Pontifici, & Apostolicæ sedi adhærere &c.* „ut supra. Quis unquam Græcorum vel La„tinorum Patrum, ita locutus est? Quis eo„usque Episcopo Romæ adulatus est? Sed quo„modo hoc, in Opus *Thesauri* sancti Cyrilli in„gredi potuisset, quod aliud nihil est, quam con„geries testimoniorum ac ratiociniorum de *Tri„nitate?* Quænam connexio hujus testimonii, ad hoc argumentum? Quid sibi vult hæc phra„sis, *Debemus nos, ut qui membra sumus, capiti nostro „Romano Pontifici, & Apostolicæ sedi adhærere?*“ Aliusne author, tale aliquid unquam locutus“ est? Ad quem hæc verba diriguntur, & de“ quonam dicuntur? *Debemus nos, ut qui mem-“ bra sumus &c.* Num Episcopi Ægypti loquun-“ tur illic? vel in tractatum Theologicum“ alicujus e Patribus hoc ingredi potest? San-“ctus Thomas primus est, qui hoc testimonium“ protulit. Scitur, quanta cum negligentia, ac“ quam modica discussione, Opera Patrum cita-“ret? Apparet imo, quod nunquam Thesau-“rum S. Cyrilli viderat, cum secundum hujus“ Operis librum citet, quod nunquam in libros“ divisum fuit. Vrbanus IV. illud allegavit“ post Sanctum Thomam, sed ex fide hujus au-“thoris. In Concilio Florentino *Thesaurus san-“ctus Cyrilli* in genere citatus est, sed ubi data oc-“casio testimonii allegandi, altum de eo silen-“tium extitit. Hæc omnia ostendunt, neque“ hoc testimonium, nec aliud simile ab eodem“ sancto Thoma ex quadam Catena in Matthæ-“um citatum, tanquam ex *Thesauro sancti Cyrilli:*“ cum neutrum illic reperiatur, non esse hujus“ Patris, nec ex *Thesauro* ipsius educta esse. Mi-“ror, quod Philippus Labbeus, tam aperte se de-“fensorem duorum istorum testimoniorum sup-“positorum declaraverit. Ita Ellias du Pin, vir“ sincerus & emunctæ naris.

De sancta & consubstantiali Trinitate, de Incarnatione Unigeniti, & quod Christus sit unus ac Dominus secundum Scripturas, Dialogi IX. ad Hermiam: quorum septem priores cum nova interpretatione prodeunt, duo posteriores cum interpretatione Bonaventuræ Vulcanii. Spectant autem ad Cyrillum omnino hi Libri, quorum expressam mentionem habet Photius in *Bibliotheca* Cod. 49 ubi de libris *adversus Nestorium*, quos his Dialogis apertiores esse scribit.

Scholia de Incarnatione Unigeniti, in quibus respondet objectionibus sibi factis: quæ etiam certo sancti Cyrilli Alexandrini sunt, cum mentionem illorum Photius habeat in *Bibliotheca*, Codice 169. p. m. 311. Horum pars longe major Græci textus desideratur: extant autem integra, a Mario Mercatore in Latinam linguam versa, inter Opera Mercatoris a Joanne Garnerio edita, parte 2. p. 219.

CAPVT SEXTVM.

COMPREHENSA TOMI QVINTI PARTE SECVNDA EXAMINANTVR.

Homilia de Festis Paschalibus XXX. quas primus Græce & Latine ex MS. codice Bibliothecæ Vaticanæ, edidit anno 1618. Antverpiæ, atque interpretatus est Antonius Salmatia, S. Theologiæ in Ambrosiano Collegio Doctor: qua ex editione prima in hanc de qua agimus, immissæ sunt. Habet autem insignia & erudita

in his Prolegomena, quæ utcunque ab Ellia du Pin contracta in compendium, hic ob eximiam quam continent doctrinam, referre verbotenus non gravabor.

Tria in anteceſſum præmittere, ut rei de qua agitur, maxime neceſſariæ placuit. Linguis favete & animis. Primo de Scriptionis hoc genere, deinde de Auctore legitimo, deque ἑορταστικοῖς, ſive *Epiſtolas* ſive *Homilias Paſchales* appellare libeat, Alexandrinorum Epiſcoporum *Dionyſii* ac *Theophili*, poſt noſtri etiam CYRILLI. Denique de earum Homiliarum numero atque ordine breviter differam. Principio, unde hoc in Eccleſia Catholica ſcripti genus initium ſumpſerit, & cauſam paucis ſic accipe. Quod de Paſchatis Feſti Feſtorum omnium principis celebrandi tempore, ne cum Judæis in quarta decima Luna convenirent, a quibus Chriſtiani mire hac in re diſſidebant, ritusque ac cæremonias fugiebant: multæ ſemper ac variantes in Eccleſia ſententiæ extiterunt. In Synodo Nicæna, prima & antiquiſſima ſuper hac re *Epiſtola* eſt Sanctorum Patrum CCCXVIII ad Alexandrinos, quotquot adfuerunt ad Chriſti nati annum CCCXXV. Itemque Conſtantini vere Magni Imp. ad omnes Eccleſias: & Athanaſii ad Africanos Epiſcopos: ſecretumque ad negotium datum Epiſcopis & Metropolitanis, & in his maxime Alexandrino Præſuli (quod in Ægypto Nili incrementis Mathematicæ potiſſimum diſciplinæ vigerent) ut in Chriſti Domini Feſto natali, diem proximi Paſchatis ſuis denuntiarent Eccleſiis. At cum adeſſe concionanti Præſuli pauci poſſent, qui *Paſchales* audirent ſermones: Litteris veluti circulatoriis ſive encycliis paſſim ad Eccleſias eæ habitæ mittebantur *Omiliæ*, quæ hinc etiam *Epiſtolæ heortaſticæ* ſeu *Paſchales* appellari cœperunt, ut ex Euſebio diſcimus Lib. VII. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. XV. Qui vero deferret has Epiſtolas, a Syneſio Cyrenenſium Epiſcopo Epiſt. VIII. & XIII. διακομιστὴν τῶν πανηγυρικῶν γραμμάτων, quaſi *ſolemnium lator litterarum* dictus. Hæc itaque cum Alexandrino fuit Epiſcopo potiſſimum delegata, ſed qui de more ad Summum referebat Pontificem: ut Leo Magnus Epiſtola LXXII. ad Marcianum Auguſtum, & Beda Venerabilis *de ratione temporum* cap. XLII. luculenter exponunt. Item eſt Beati Ambroſii Epiſtola *de Paſchate* evulgata. Tres quoque extant *Theophili* Alexandrini Antiſtitis, noſtri Cyrilli patrui, *Paſchales Epiſtolæ*, a B. Hieronymo Latinæ de Græcis factæ, hoc fere temporum ordine dirigendæ: ut prima ſit hoc principio, *Chriſtum Jeſum &c.* pertinens ad annum Chriſti CCCCI. Altera vero incipit, *Primam ſolemnitatis &c.* ad ſequentem ſpectans annum: ambæ ſuperſtite etiam Anaſtaſio Papa in vulgus editæ, ut ex ejusdem Hieronymi Epiſtolis ad Pammachium & Marcellam, & Apologia contra Rufinum, colligas. Hinc tertia Theophili Paſchalis, hoc initio, *Nunc quoque Dei &c.* quæ ad annum Chriſti CCCCIV. referenda, mortuo jam Anaſtaſio Pontifice Maximo, & Theophilo ſuperſtite. Hiſce patrui inſiſtentem veſtigiis, noſtrum adeo *Cyrillum*, Alexandrinum proxime poſt Theophilum, viceſimum octavum Epiſcopum, ut numerat in *Chronologia* Nicephorus CP. Epiſcopus: eadem ratione *Paſchales haſce homilias* habuiſſe colligo, ut e Sigeberto Gemblacenſi in *Catalogo Scriptorum Eccleſiæ* clarum, qui *Cyclos Paſchales* edidiſſe Cyrillum affirmet. Addit Gennadius Maſſilienſis Presbyter *Catalogi Cap. LVII.* (en elogium ſanctiſſimi viri ſingulare) *Homilias plurimas compoſuiſſe Cyrillum, quæ ad concionandum a Græcia totius Epiſcopis memoriæ mandarentur.* Quin & Alexandriæ ſolum Epiſcopum initio apud ſuos concionari, verbaque ad populum facere ſolitum, refert in variis Eccleſiæ ritibus, Nicephorus Calliſtus lib. XII. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. XXXV. extremo. De Dionyſii vero utroque antiquioris ἑορταστικοῖς, mox videro. Carthaginenſis ad hæc Epiſcopus, cæteris Africæ Epiſcopis ſolemnem indicabat Paſchatis diem, quem tamen Pontifex Maximus præſcripſerat, ut ex Epiſtola X Innocentii I ad Aurelium Carthaginienſem Epiſcopum aperte convincitur. Toletanum præterea Concilium IV Canone V & Bracarenſe in Luſitania Act. II. cap. IX mandant, ut quotannis Paſcha tempus a Metropolitano cæteris denuntietur Epiſcopis & Diaconis: illi viciſſim populis, ſinguli in ſuis Eccleſiis, die Natali Domini poſt Evangelicam lectionem denuntient. Ex his efficitur, Cyrilli hos etiam eſſe, quos nunc primum damus *Sermones*, ut Alexandrini Præſulis: quod exemplum & aliæ Eccleſiæ cum Aſiæ, Africæque, tum Europæ, ex decreto Nicænæ Synodi ſecutæ ſunt. Dehinc cur aut *Homiliæ* aut *Epiſtolæ*, a variis nominentur, dubitari video. Certe libri Græci calamo exarati, quibus in interpretando uſi ſumus, λόγους nominant: & declamatorio dicendi genere conſcriptos Dionyſii tales Sermones fuiſſe, Hieronymus fatetur, in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum*, & res ipſa inſpicienti clamat. Semel duntaxat quod diſſimulandum non duxi, Cyrillus noſter in προθεωρίᾳ Sermonis XXII *Epiſtolam* nominat, ut *Orationem* tamen eſſe magis pronuntiet: ut de Dionyſianis, ἑορταστικοῖς pronuntiat & Euſebius libro VII. cap. XV. Sed *Homilias* primo, poſt *Epiſtolas* varie miſſas dici easdem potuiſſe, quid vetat? Hæreſes autem ob Paſchæ feſtum ortas in Aſia obſervo, *Quatuordecimanorum* ut & *Novatianorum*, exorta quæſtione de celebrandi Paſchatis tempore, & *Sabbatianorum*, ut refert idem Nicephorus Lib. XI. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. XIV. & Lib. XII. cap. XXII. & XXIII. Beatus Auguſtinus libro *de Hæreſibus* Teſſerasceadecalitas nominatos ait, & Tertullianus Blaſtum quendam ejus facit auctorem. *Paſchalitas* quoque commemorat Philaſtrius Brixienſis Epiſcopus. Legendi Epiphanius, hæreſi XX. & LI. & Euſebius & Socrates, uterque Lib. V. *Hiſto-*

via Ecclesiastica, & ille Lib. III. *de vita Constantini Magni*.

Quod vero utile hoc B. Cyrilli opus tamdiu in tenebris latuisse animadvertissem, evulgatis Latine reliquis sanctissimi viri monumentis: dubitare aliquando cœpi, an ad alterum essent parentem hæ *Homiliæ* referendæ. Accedebat B. Hieronymi, summi sanctique viri auctoritas, qui in Catalogo Ecclesiasticorum Scriptorum, *Dionysium & Alexandrinum* quoque, ante *Theophilum* & Cyrillum Antistites Alexandrinos, *ἑορταστικὰς de Paschate plurimas declamatorio sermone conscripsisse*, non Cyrillum, quem non attigit, affirmet: & quidem ut alia pleraque, per Epistolas. Quod ex Eusebio, ut solet, Hieronymus latine descripsit: ut ex hoc vicissim Græce Sophronius. Eusebius autem *Historia Ecclesiastica* Lib. VII. cap. XV. & ex eodem Nicephorus Lib. VI. cap. XX. ἑορταστικὴν ad Flavium a Dionysio datam ait: qua tempestate sub Decio Imperatore a Valeriano adversa perpessus est. Alteram item ad Domitium & Didymum dedit, qua & octennii Canonem tradidit, & Pascha nonnisi post æquinoctium vernum celebrandum esse docuit. Tertia Dionysii Paschalis epistola ad Presbyteros Alexandrinos missa, ut & quarta post reditum ejus ab exilio, cum seditio orta esset Alexandriæ, scripta ex Vrbe epistola. Quinta ad Hieracum Episcopum Ægyptium, quem fortasse *Heraclam in Ægypto Episcopum* Hieronymus nominet: qua epistola seditionis Alexandrinæ rursum meminit. Sexta ad Alexandrinos, rursum grassante post seditionem pestilenti lue. Septima denique ad Ægyptios iterum missa est, reddita jam pace civitati: & alias aliis missas auctor est Eusebius Lib. VII. capp. XVI. XVII. & XVIII. Episcopatus itaque nomen, & argumenta ἑορταστικῶν cum istis Cyrilli, sive *Epistolas* sive *Homilias* nominare libeat, magnam partem habent communia: cum etiam de Alexandrinis motibus, tum de Ægyptiacis agant grassatoribus. Verum enim vero dum Codices antiquos membraneos denuo in Vaticana Pontificis Maximi bibliotheca, unde descriptum nostrum est exemplar, attentius inspicio: legitur litteris integris, *τῶ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Κυρίλλω ἀρχιεπισκόπω Ἀλεξανδρείας ἑορταστικοὶ λόγοι*. Heortasticæ itaque sive *Homiliæ* sive *Epistolæ*, præter Cyrillum ac Dionysium Alexandrinos Præsules, de quibus adhuc egimus: usitatæ etiam *Athanasio*, & ex Theophili Græcis, beato Hieronymo. Leonis quoque Augusti ἑορταστικοὶ λόγοι, extant a Jacobo Gretsero latina etiam civitate donatæ: & plures fortasse Patrum reliquerunt, sed quæ temporum injuria, majorumve incuria interciderunt. Ductum autem nomen, a Festorum dierum principe Paschate καθ' ἐξοχήν.

Venio ad ultimum caput de Homiliarum Cyrilli numero, cum undetriginta tantum sint, præfederitque Alexandriæ beatus Cyrillus, annis duobus & triginta: ut singulas singulis annis Orationes ad populum de Paschate habuerit, vel ad exteros sub Epistolæ forma miserit, ab anno Christi CCCCXIV usq; ad CCCCXLIV. Hæc mihi animo reputanti, in mentem venit logisticen adhibendam, hoc est rationem ad calculum revocandam: cum ecce venit in manus Paulus Guldinus, Societatis Jesu Sacerdos, Gregorianum defendens Calendarium, Sethum etiam Calvisium refellens: qui vidit acute tertiam sive *Epistolam* sive *Homiliam*, in Cyrillo temporum ratione non desiderari, quod tamen librarius notarat. Id tabula subjecta ejusdem Pauli Guldini clare docebit, ut Phamenoth mensis Ægyptius Martio, Pharmuthi autem Aprili fere respondeat: quorum mensium est in omnibus hisce Cyrilli, ut & in illis Theophili Homiliis mentio.

HOMILIARVM PASCHALIVM SANCTI CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI ARGVMENTA.

Homilia I. Tria pertractat, 1. Festum Paschæ diem, Festorum omnium principem, rite celebrandum. 2. Quis denuntiare debeat, & hinc de Episcopi officio: mox de jejunio potissimum agit, cum spirituali, tum corporali. 3. In Judæos perfidos ac pervicaces invehitur. Hinc figuram de duabus tubis cap. X. *Numerorum*, ad veritatem transfert Evangelicam.

Homilia II. 1. Laborandum pro pietate. Quibusdam timentibus ne oneri sustinendo sint impares, verendum ne peccent gravius, talentum humi defodiendo, ut servus ille nequam. 2. Hinc sex veteris Testamenti figuras ad Evangelicam traducit veritatem. 3. Hortatur denique ad anniversariam festi diei Paschatis celebritatem.

Homilia IV. 1. Vt se quisque laboribus tolerandis ac jejunio, ad festi celebritatem serio comparet: ducta ab athletis similitudine, qui in stadio, gloriæ potissimum studio currunt. 2. Altera sermonis pars in Judaïcam nationem incurrit.

Homilia V. 1. Paschæ festum non paganorum ritu celebrandum, sed pie & Christiane. Quid hic inter pios profanosque interst. 2. De duobus veteris Testamenti typis Incarnationis Christi, quorum alter illustrior est.

Homilia VI. 1. Deum esse propitiandum domita carne, ut spiritus imperet. Jejunium ad hanc conciliandam pacem aptissimum. 2. Gentiles ac paganos relicta idololatria Deum pacaturos, in quam acerbe invehitur, ut & in fatum ac Genethliacos, qui natalem cujusque e stellis per fraudem aucupantur: idque ut recens Christo aggregatos ab idolorum cultu deterreat. 3. Hortatur Judæos adhuc ut Deum placare studeant, figura duplici, puta Circumcisionis & Sabbati: hos ad veram Messiæ agnitionem invitare conatur, typis illis ad veritatem traductis.

Ho-

Homilia VII. Jejunium ut virtutum omnium parentem cum Basilio Magno laudat, quod puros efficiat. Animi robore ad jejunium opus esse, quamobrem de fortitudine differit ac de caritate, quæ fortes reddat. In hanc graviter peccare Ægyptios, ea tempestate prædones agros vastantes. Terræ autem sterilitatem, iræ divinæ, ob hominum illorum flagitia, acceptam esse referendam.

Homilia VIII. 1. In Festi diei Paschalis celebritate ignaviam esse pellendam. 2. De caritatis officiis, & contra prædones, sicarios, ac piratas. 3. De Dei vindicta ac grandinis plaga, peccatis calamitates attrahi. 4. In perfidam Judæorum nationem invehitur. 5. Contra Nestorium, qui duos Christos Dei filios constituerit. 6. Contra hæresim mox exortam Eutychis Archimandritæ, qui duas in Christo naturas post Incarnationem negavit. 7. Vnigenitus & primogenitus quid differant.

Homilia IX. 1. Pastoris munus esse Festum Paschæ diem denuntiare, etsi eloquentia careat. 2. Cur Festum hoc, ut plurimum in vernum tempus incidat, ut Homilia XVI. 3. Animalis homo & spiritualis, quid distent. 4. Ecclesiastem patienter esse audiendum, qui se ad rudium captum demittat. 5. In cultum idolorum iterum incurrit. 6. Περὶ δίψυχίας, de duplicibus ac bilinguibus, in quos etiam Homil. XII. & XIV. 7. Vtroque pede claudicantium figuram, ad veritatem derivat Evangelicam. 8. Qui sint alienigenæ, advenæ, mercenarii, hypocritæ, & servi.

Homilia X. 1. In illud Psalmi 9. vers. 9. *Christus venit judicare orbem terræ in æquitate*, & in Satanam, qui orbem fere suo subjecit imperio. 2. De animi fortitudine copiosius, quam Homilia VII. & XIX. quam exornat variis Veteris Testamenti figuris. 3. Contra Judæos pertinaces disputat.

Homilia XI. 1. Pugnandum strenue potissimum abstinentia & temperantia, cum hostibus carne ac dæmone. 2. De lege carnis & spiritus. 3. Magna hic opus est animi fortitudine ac constantia. 4. Expugnandam iracundiam & avaritiam. 5. Misericordiæ septem opera exercenda. 6. Fidem sine operibus ad salutem non sufficere. 7. Id Lazari ac divitis epulonis exemplis fusius docet. 8. De pauperis ac divitis officio. 9. Rerum æqualitatem adamandam, ex umbra Veteris Testamenti. 10. Religiones plures in Republica pernicioſas esse, domi rixas & odia gignere, publice factiones, seditiones ac defectiones.

Homilia XII. 1. A δίψυχίας crimine rursum deterret, ut Homilia IX. 2. In eos qui Angelos, Principatus, & Potestates, pro Diis colerent. 3. De vera fide Trinitatis. 4. Patrem e sua substantia vere filium genuisse. 5. Christum non esse filium adoptionis latius disputat. 6. Argumentum de ingenito objicit ac diluit.

Homilia XIII. 1. Quo miseriarum, diaboli tyrannide prolapsum sit genus humanum, ut creaturæ potius quam Creatori serviat. 2. De Christi divinitate, quæ ab illa nos dæmonis servitute vindicavit. 3. Jejunium externum non sufficere, nisi accedat & spiritale, quo a vitiis abstinemus, ut Homilia I.

Homilia XIV. 1. Jejunii necessitas ac fructus. 2. De veste nuptiali ac triplici concupiscentia apud Johannem Epistola 1. cap. 2. vers. 16. *omne quod est in mundo &c.* fusius explicatum. 3. Rursus de animo duplicibus, ut Homil. IX. & XII. 4. In eos qui ariolos consulunt latius. 5. De adventus Christi Salvatoris causa longe necessaria, ut Homil. XVI. XVII & XVIII.

Homilia XV. 1. Miles Christianus quibus tubis potissimum, ad dimicandum fortiter excitandus sit. 2. Quibus armis instructus esse debeat. 3. Duplici id figura Veteris Testamenti expositum. 4. Tertia quoque figura docet quinam exauctorandi hac militia, leprosi nimirum & immundi. 5. Bellicos labores Christi exemplo fortiter tolerandos. 6. Generatio Christi divina & humana, quid differant.

Homilia XVI. 1. Pro cœlesti præmio sudandum esse, exemplo mercatorum, qui ob lucellum pericula terra marique adeunt: & de præmiis Sanctorum. 2. Cur Pascha in vere celebretur, ut & Homilia IX. quæsitum. 3. Cur Lex præcedere Evangelium debuit, duplici similitudine docet. 4. Pascha qua præparatione celebrandum, ut in esu agni Paschalis, accincti lumbos. 5. De necessitate adventus Christi, ut Homil. XIV. XVII. & XVIII.

Homilia XVII. 1. Deum rudiorum opera sæpe docere peritiores, e Veteri Testamento probat. 2. Vt Paschæ Festum celebrandum sit, ex dictis Christi. 3. Alius Pater, alius Filius, sed una essentia. 4. Modus unionis Incarnationis ineffabilis. 5. Maria Dei mater, Θεοτόκος, contra Nestorium. 6. Qui fructus adventus Christi, ut Homilia XIV. & XVIII. 7. Quomodo ad diem festum præparare se quisque debeat. 8. Christum vere est Deum: omnia figuris Veteris Testamenti ostensa.

Homilia XVIII. 1. Laborandum pro cœlesti præmio, similitudine persuadet. 2. Armatura contra hostes, simili quoque figura. 3. Abstinentia & temperantia perfugium ad Deum patet. 4. Armamur jejunio & oratione. 5. Orationis vis exemplo Moysis & Samuëlis. 6. Fructus adventus Christi, ut Homilia XIV. & XVII. ex similitudine Samuëlis. 7. Spiritum Sanctum a Patre per Filium procedere.

Homilia XIX. 1. Quæ gratiarum actio Christo, pro redemptionis beneficio debeatur. 2. Ad progressum in virtute, opus fortitudine animi, similitudine persuadet, ut Homilia VII. & X. 3. Per eleemosynam comparanda quæ ad salutem æternam necessaria, pulchro simi-

simili docet. 4. De officio Legis antiquæ, ut infra Homilia XXIX. & XXX.

Homilia XX. 1. Festus Paschatis dies celebrandus omni diligentia, ob redemptionis beneficium: quo pugnante Amalec, hostis Satan deletus est. 2. Membra domanda jejunio, ne arma hosti tradamus. 3. Denique iterum contra Judæos disputat.

Homilia XXI. 1. De beneficio per Incarnationis mysterium accepto. 2. Nostri esse muneris, nos præparare jejunio ad Festum Paschatis agendum, ut Homil. 1. neque externo tantum, sed & spiritali. 3. Postremo contra Judæos disputat.

Homilia XXII. 1. Vt se quisque Deo offerre debeat, Biblicis figuris docet. 2. Christum verum esse Messiam, contra Judæos.

Homilia XXIII. Qui longe a Deo dissiti, per Christum ad fidem vocantur. De Gentium vocatione, figuræ Veteris Testamenti.

Homilia XXIV. 1. Per Christi adventum qua simus miseria liberati. 2. Liberatus vestem sibi comparet nuptialem. 3. Opera præter fidem esse necessaria, contra hæreticos. 4. Christum verum esse Dei filium, contra Judæos. 5. Incorruptos manere qui Deo adhærent, nec ab eo recedunt: cujus in veteri Lege typus est.

Homilia XXV. 1. Mundi delitias longe esse a Christi delitiis diversas. 2. Quæ hujus seculi sunt, prudentes sedulo fugiunt. 3. Vt Judæorum periculo edocti, cautiores reddamur, nos hortatur, exquirendo quos Deos deservit, & fugiendo desertæ fidei causas.

Homilia XXVI. 1. Intistendum labori assiduo, ob imminentes otiosis ac securis hostes. 2. Typo vetere, quanta nos cura præparare deceat, ut in Sancta Sanctorum intremus. 3. Nihil æque Deum offendit, atque mala de Deo fides.

Homilia XXVII. 1. Docet temporis rationem habendam, quia ad promerendam vitam æternam aliud tempus non dabitur. 2. De eleëmosyna in pauperes eroganda. 3. Denique de recta in Deum fide, de qua & sancti Cyrilli liber contra Nestorium.

Homilia XXVIII. 1. Figuris veteris Testamenti docet quomodo in conspectu Dei apparere oporteat. 2. Ter apparere coram Deo. 3. Viriles homines Deo gratos, displicere effeminatos: contra Diabolo placere, qui molles amat, odit viriles. Clarum id variis figuris typicis.

Homilia XXIX. 1. Christi athletam, debere labores subire, fuse docet. 2. Legis antiquæ officium, ut Homil. XIX. 3. Contra Judæos qui Christum contumelia affecerunt, tandemque cruci affixerunt.

Homilia XXX. 1. De præparatione ad celebrandum diem Festum Paschæ necessaria, deducta ex Veteri Testamento ad veritatem figura. 2. De veteris Legis officio, ut Homilia XIX. & XXIX.

Homilia de variis argumentis XIV. quæ cum *Epistolis* sequentibus, atque *Orationibus III. de fide ad Imperatores & Reginas*, sæpius Græce & Latine in tomis Conciliorum, unde in hanc editionem emanarunt, impressæ leguntur.

Homilia 1. valde insignis habita Ephesi adversus doctrinam Nestorii. 2. De eodem argumento habita quoq; Ephesi in die S. Joannis Evangelistæ. 3. De Paulo Emesæ Episcopo qui ante disseruerat, & de Incarnatione Dominica. 4. Habita Ephesi in Nestorium, quando septem ad sanctam Mariam descenderunt. 5. Dicta Ephesi cum depositio Nestorio, Synaxes peragerentur. 6. Facta in Joannem Episcopum Antiochenum Schismaticum. 7. Habita Ephesi, priusquam a Comite comprehenderetur, asservandusque militibus traderetur. 8. Argumentum habet, *Transfigurationem Domini nostri Jesu Christi.* 9. In mysticam coenam, nunc primum Græce & Latine edita ex duobus MSS. Codicibus Bibliothecæ Regis Christianissimi, & Vaticanæ. Vult Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo V. tomo 3. in *Cyrillo Alexandrino* pag. mihi 46. Cyrillum in ea expressissime loqui de "præsentia Corporis & Sanguinis Christi in "Eucharistia, sicut & Commentario suo in Ev-"angelium Sancti Johannis." Seclusis omnibus præjudiciis, eandem legi semel atque iterum, nihilque animadverti a Cyrillo dictum, quod non in utramque partem, a Pontificiis atque Calvinistis accipi possit. 10. Encomium est in sanctam Mariam, atque Deiparam, Ephesi etiam coram Synodo sanctorum Episcoporum pronunciatum, adversus impium Nestorium: quod nunc quoque primum Græce & Latine editum, ex MS. Codice bibliothecæ Regis Christianissimi. 11. Homiliæ in occursum Domini nostri Jesu Christi, nunc primum Græce & Latine edita, ex Bibliotheca ejusdem. 12. Ejusdem in sanctum Festum Palmarum & in pullum asini, nunc primum Græce & Latine edita, ex MS. Codice ejusdem Bibliothecæ. 13. Oratio ejusdem Cyrilli, de exitu animi & de secundo adventu. 14. Sermo, De eo quod Verbum Dei factum sit homo: cujus textus Græcus desideratur.

Epistolæ de variis argumentis LXI. quarum tamen plurimæ ad Historiam Concilii Ephesini pertinent, ad dissensiones sancti Cyrilli cum Joanne Antiocheno, aliisque Orientalibus. 1. Cyrilli pag. 1. Presbyteris, Diaconis, Patribus, Monachis, cæterisque solitariam vitam secum excolentibus, & in fide Dei constanter perseverantibus. 2. Cyrilli pag. 19. Religiosissimo Deique amantissimo Episcopo & comministro Nestorio. 3. Cyrilli pag. 21. ad eundem cum iisdem titulis. 4. Cyrilli pag. 22. ad eundem, cum iisdem titulis. 5. Cyrilli

pag.

pag. 25. ad eundem. 6. Cyrilli pag. 30. ad eos ſcripta, quorum literis notatus fuerat: quod ſolo vulgi rumore perſuaſus, impiam Neſtorii doctrinam in peius ſerpere, non ſiluiſſet. 7. Cyrilli pag. 31. ad quendam Neſtorii ſtudioſum. 8. Cyrilli pag. 32. ad Clericos Conſtantinopolitanos, mutuis diſſidiis inter ſe conflictantes. Notat autem Guillelmus Cavus *Epiſtolam Cyrilli ad Clericos ſuos Conſtantinopoli conſtitutos*, quæ incipit, Ἀνέγνων τὸ ὑπομνηστικὸν, longe auctiorem atque emendatiorem haberi, ex Marii Mercatoris verſione, inter iſtius Opera a Joanne Garnerio edita, parte 2. pag. 49. 9. Cyrilli pag. 36. Beatiſſimo Deoque dilectiſſimo Patri Cœleſtino. 10. Cœleſtini dilecto fratri Cyrillo, pag. 40. 11. Cyrilli pag. 42. ad Joannem Antiochenum. 12. Cyrilli pag. 44. ad Acacium Beroënſem Epiſcopum. 13. Acacii Beroënſis Epiſcopi pag. 63. ad Cyrillum. 14. Cyrilli pag. 65. ad Juvenalem Hieroſolymorum Epiſcopum. 15. Cyrilli pag. 67. ad Neſtorium de Excommunicatione. 16. Cyrilli pag. 78. cum Synodo quæ ex Ægyptiaca diœceſi Alexandriam convenerat, ad Clerum populumque Conſtantinopolitanum: ne attendant impiæ doctrinæ Neſtorii hæretici, neve communionem ejus ferant, ſi pro paſtore maneat lupus. 17. Cyrilli ejusdem pag. 80. Synodique cum eo collectæ, ad Monachos Conſtantinopolitanos. 18. Cyrilli Epiſtola prima pag. 81. è Rhodo ante Synodum ſcripta, ad Presbyteros, Diaconos, populumque Alexandrinum. 19. Cyrilli Epiſtola ſecunda pag. 82. ſcripta iisdem Presbyteris, Diaconis, populoque Alexandrino. 20. Epiſtola Joannis Epiſcopi Antiochiæ pag. 83. ad religioſiſſimum, ſanctiſſimumque comministrum Cyrillum. 21. Cyrilli pag. 84. ad quosdam de Clero Conſtantinopolitano. 22. Cyrilli pag. 87. ad Clerum populumque Alexandrinum. 23. Cyrilli p. 88. ad eundem Clerum & populum. 24. Cyrilli pag. 89. ſcripta ab Epheſo ad Patres Monachos. 25. Cyrilli pag. 90. ad Clerum populumque Conſtantinopolitanum. 26. Cyrilli pag. 91. ad Theopempum, Potamonem, & Danielem, reverendiſſimos Epiſcopos Conſtantinopoli agentes: qua ea exponit, quæ ob ſententiam in Neſtorium & Joannem latam, perpeſſus fuerat. 27. Alypii Apoſtolorum Presbyteri pag. 92. ad Cyrillum Archiepiſcopum. 28. Maximiani creati Conſtantinopolitani Epiſcopi pag. 94. ad Cyrillum Archiepiſcopum Alexandrinum. 29. Cyrilli reſponſio pag 95. ad Maximianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum. 30. Cyrilli Epiſcopi pag. 99. Epiſtola ad Juvenalem Epiſcopum, & cæteros Concilii Legatos Conſtantinopolim miſſos, ſed Latine tantum. 31. Joannis Antiocheni cæterorumque qui cum illo erant, pag. 99. ad Xyſtum Epiſcopum Romanum & Cyrillum Alexandrinum, & Maximianum Conſtantinopolitanum. 32. Pag. 100. Libellus quem Paulus Epiſcopus Emiſenus Cyrillo Archiepiſcopo Conſtantinopolitano obtulit, a Joanne Antiocheno miſſus. 33. Epiſtola Joannis Antiocheni Epiſcopi pag. 102. ad Cyrillum Archiepiſcopum Alexandrinum. 34. Cyrilli pag. 104. ad Joannem Antiochenum Epiſcopum miſſa, per Paulum Epiſcopum Emeſæ. 35. Cyrilli pag. 109. ad Acacium Meliten æ Epiſcopum, qui de eo per epiſtolam conqueſtus fuerat, quaſi Orientalibus conſentiſſet. Media autem pars hujus Epiſtolæ nempe a pag. 115. littera B. usque ad finem, incipiens Θεὸν μὲν ἰδεῖν &c. legitur quoque verbotenus in Epiſtola ſecunda ad Succenſum Diocæſareæ Epiſcopum a pag. 146. littera A. usque ad finem, ubi aſſumentum eſt. 36. Cyrilli ejusdem pag. 121. ad eundem Acacium Epiſcopum *de capro emiſſario*. 37. Commonitorium pag. 132. S. Cyrilli Archiepiſcopi ad Eulogium Presbyterum Conſtantinopolitanum miſſum. 38. Cyrilli Epiſtola *de fide* pag. 135. ad Succenſum Diocæſareæ, Iſaurienſis provinciæ miſſum. 39. Cyrilli pag. 141. Epiſtola ſecunda ad eundem Succenſum. Finit autem Epiſtola iſta p. 146. lit. A. in his verbis, ὥσε ἐχ ἁπλῶς τὰς λέξεις προφέρουσιν, ἀλλὰ μετὰ τῦ δόλε καὶ πανυργίας: *imque haud ſimpliciter verba proferunt, ſed cum dolo & fraude.* Unde recte ad marginem reperitur, *Quæ ſequuntur, reperiuntur apud Dionyſium Exiguum in hac Epiſtola, eademque ſunt in Epiſtola ad Acacium Melitinenſem.* In hanc ſententiam ita ſcribit Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo 5. ad annum 412. in *Cyrillo Alexandrino* pag. 303. In Epiſtolis vero binis ad *Succenſum* Diocæſareæ in Iſauria Epiſcopum, quæ libro *de Incarnatione Unigeniti* vulgo ſubnecti ſolent: notandum monet Vſſerius in *Bibliotheca Manuſcripta*, dimidiam fere partem Epiſtolæ poſterioris inde reſecandam eſſe. Nam 1. Eulogius apud Photium in *Bibliotheca*, & Maximus apud Euthymium *Panoplia* parte 2 titulo 15. ex fine ſecundæ ad Succenſum Epiſtolæ laciniam adducunt, quæ in medio iſtius reperitur. 2. Pars Epiſtolæ dimidiata poſterior, habetur totidem verbis in Epiſtola Cyrilli XXIX. ad Acacium Melitinenſem. 3. Narratio quæ in fine habetur, de Athanaſii Epiſtola ad Epictetum ab Hæreticis depravata, recte Epiſtolæ ad Acacium intexi potuit, non vero huic ad Succenſum: cum in priore Epiſtola prolixe ſatis, Cyrillus eandem narrationem commemoraſſet.„ 40. Cyrilli pag. 152. ad Theognoſtum & Charmoſynum Presbyteros, & Leontium Diaconum, Conſtantinopoli degentes, ejusque Apocriſiarios: Epiſtola, nunc primum Græce & Latine edita, ex Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi. 41. Epiſtola Joannis Epiſcopi Antiochiæ ad Cyrillum pag. 153. nunc primum Græce & Latine edita, ex Regis Chriſtianiſſimi bibliotheca. 42. Cyrilli Epiſtola pag. 155. ad Donatum Nicopolis veteris Epiri Epiſcopum. 43. Cyrilli pag. 157. ad Maximianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum. 44. Cyrilli pag. 158. ad Valerianum Epiſcopum re-

Digitized by Google

ligioſiſſimum, adverſus eos qui juxta Neſtorii dogmata ſentiunt. 45 Epiſtola Sancti Xyſti Papæ pag. 172. Latine tantum, ad Cyrillum Alexandrinum, poſt pacem factam inter ipſum Cyrillum & Joannem. 46. Epiſtola Xyſti Papæ pag. 173. Latine tantum, ſcripta Joanni Antiocheno Epiſcopo. 47. Cyrilli in Sanctum Symbolum pag. 174. ſcripta Monachis orthodoxis. 48. Cyrilli pag. 191. ad Gennadium Presbyterum & Archimandritam. Quod connivendum ſit in aliquo a juris rigore, majoris emolumenti gratia. 49. Cyrilli pag. 192. admonitio ad Maximum Diaconum Antiochenum. 50. Joannis Antiocheni & Synodi ejus, pag. 192. ad Cyrillum Alexandrinum, Latine tantum. 51. Cyrilli Epiſcopi Alexandrini pag. 194. ad Joannem Antiochenum Epiſcopum, & Synodum ibidem congregatam. 52. Cyrilli pag. 197. ad Acacium Epiſcopum Melitenæ. 53. Cyrilli pag. 198. ad Clericos & Lamponem Presbyterum. 54. Cyrilli pag. 199. ad Proclum Conſtantinopolitanum Epiſcopum de Theodoro Mopſueſteno petente ab ipſo, ne permitteret ipſum anathematizari, quod hoc tumultus cauſa ſit. 55. Cyrilli pag. 201. ad Rabbulam Edeſſæ Epiſcopum, ſed Latine tantum. 56. Attici ad Cyrillum, pag. eadem 201. 57. Cyrilli pag. 204. ad Atticum. 58. Cyrilli p. 208. ad dilectiſſimum fratrem & conſacerdotem Domnum. 59. Cyrilli pag. 209. Epiſtola Canonica. 60. Cyrilli p. 211. Epiſcopis qui ſunt in Libya & Pentapoli. 61. Cyrilli pag. 212. ad Aurelium, Valentinum, & reliquos qui in Africana Synodo convenerunt. Quibus addi poſſent aliæ duæ, nimirum Epiſtola S. Cyrilli Alexandrini ad Optimum Epiſcopum, in illa verba Geneſeos, *Omnis qui occiderit Cain in ſeptuplum punietur &c.* Græce & Latine edita in *Chronico Alexandrino*, Monachii anno MDCXV. opera Matthæi Raderi, Societatis Jeſu Theologi. Altera inſcripta *Commonitorium de Neſtorio*, quod primus in lucem extulit Stephanus Baluzius, & Græce ac Latine edidit in *Nova Collectione Conciliorum*, p. 377. Pariſienſis impreſſionis in folio anni 1683. Denique *Prologus ſancti Cyrilli pro Cyclo XCV. annorum*, Latine tantum ab Ægidio Bucherio Societatis Jeſu, ſub finem Commentarii in Canonem Paſchalem Victorii Aquitani, anno 1633. Antverpiæ editus. Sed loca ubi reperiantur, indicaſſe tibi ſatis ſit.

Cyrilli Epiſcopi Alexandrini, de recta in Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum fide, liber religioſiſſimo Imperatori Theodoſio nuncupatus. pag. 1. Græce & Latine.

Cyrilli Epiſcopi Alexandrini de fide liber, religioſiſſimis Reginis nuncupatus, Græce & Latine pag. 42. & ſequentibus.

Cyrilli Epiſcopi Alexandrini liber alius de recta fide, religioſiſſimis Reginis inſcriptus, Græce & Latine pag. 128. Quæ omnia ex editione Græcolatina Conciliorum, huc acceſſerunt.

CAPVT SEPTIMVM.

EXAMINANTVR, QVÆ TOMO SEXTO OPERVM CYRILLI ALEXANDRINI CONTINENTVR.

Adverſus Neſtorii blaſphemiæ contradictionum libri V. interprete Antonio Agellio Acernenſi Epiſcopo. Quos primum Græce ac Latine Romæ anno 1707. Agellius citatus imprimendos curavit, unde poſtea in editionem Græcolatinam Concilii Epheſini, cum aliis Græcorum Conciliis tranſierunt. Horum diſerte Photius meminit in ſua *Bibliotheca* Cod. 49. his verbis: Ἀνεγνώσθη τῇ ἐν ἁγίοις Κυρίλλου τῇ Ἀλεξανδρείας, κατὰ τῶν Νεστορίου βλασφημιῶν, ἐν λόγοις πέντε. Φυλάττει δὲ καὶ ἐν τούτοις τῶν οἰκείων λόγων τὸν χαρακτῆρα, καὶ τὸ ἰδίωμα· σαφέστερος δὲ ἐστι τῇ πρὸς Ἑρμείαν, καὶ τῇ περὶ τῆς ἐν πνεύματι λατρείας. ὁ δὲ λόγος αὐτῷ πεπαιμένος, καὶ εἰς ἰδιάζουσαν ἰδέαν ἐκβεβιασμένος, καὶ οὐκ ἐν λελυμένῃ καὶ τὸ μέτρον ὑπερορῶσα πείσει. Lecti ſunt libri beati Cyrilli Alexandrini adverſus blaſphemias Neſtorii, Sermonibus quinque. Servat in his quoque ſuum dicendi characterem, & ſermonis proprietatem. Clarior vero eſt, quam ad Hermiam ſcribens, aut in libris *de adoratione in ſpiritu.* Sermo illi confictus, & ad propriam dicendi formam contortus, ac veluti ſolutum, numerosque negligens metrum.

Explanatio duodecim Capitum, Epheſi pronunciata a Cyrillo Archiepiſcopo Alexandrino, ſancta Synodo clariorem illorum declarationem exigente. p. 145.

Cyrilli Archiepiſcopi Alexandrini Apologeticus, pro duodecim Capitibus adverſus Orientales Epiſcopos. pag. 157.

Sancti Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi, adverſus impugnationem duodecim Capitum a Theodoreto editam pag. 200. *ad Evoptium Epiſcopum.* Hæc Opuſcula indubia S. Cyrilli Alexandrini Epiſcopi, deſumpta ſunt ex editione Græcolatina Concilii Epheſini, cujus partem conſtituunt: illic enim acerrime inter Cyrillum Alexandrinum, & Orientales Epiſcopos atque Theodoretum, de his duodecim anathematiſmis diſputatum eſt. Hos cum obſcuritatis pravique ſenſus, Orientales ac Theodoretus, ut idem Cyrillus in ſuo ad Evoptium prologo teſtatur, accuſaſſent: majorem ad explicationem horum Anathematiſmorum, Cyrillum Alexandrinum poſtulante Synodo, adegerunt. Extant illi primum inter Epiſtolas ſancti Cyrilli, in *Epiſtola XV.* Cyrilli pag. 67. ad Neſtorium *de Excommunicatione ipſi intentanda*, ut Synodus quoque ex Ægypti provincia Alexandriæ congregata decreverat. Cyrillus ergo ac citata Synodus, *Epiſtolam* ſuam, his Anathematiſmis pag. 76. & 77. finiunt, quos ille latius in Opuſculis præcedentibus explicat.

Apologeticus Cyrilli Alexandrini ad religioſiſſimum Imperatorem Theodoſium p. 241.

Sancti Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi, pro ſancta

Ita Christianorum religione libri X. adversus libros Athei Juliani, scripti nuncupatique, *ad religiosissimum Christoque addictissimum Imperatorem Theodosium.* Edidit hos libros Græce & Latine primum, Nicolaus Borbonius, Regius Græcarum literarum interpres, Parisiis anno 1630. Illic autem, ut notat Joannes Aubertus in specimine Operis præfixo editioni suæ, solus liber primus interpretem habet Nicolaum Borbonium, reliqui novem cum nova interpretatione prodeunt.

Sancti Cyrilli Alexandrini Archiepiscopi adversus Anthropomorphitas liber unus pag. 363. cum Epistola nuncupatoria *ad Calosyrium*, Bonaventura Vulcanio interprete, cujus curis hic tractatus primum Græce & Latine impressus est, Amstelodami anno 1605.

Esse autem Opusculum istud certo S. Cyrilli Alexandrini Archiepiscopi, constare potest ex iis quæ diximus hujus Dissertationis cap. 4. ubi de *Commentario in Evangelium Joannis.* Singularem enim divi Cyrilli mentem, *de insufflatione Spiritus* in hominem recenter ac perfecte quoad naturam formatum, idem hic scriptor habet capite 2. hujus libri. Inscribitur, πρὸς τὰς λέγοντας δεδημιουργῆσθαι τὴν ψυχὴν ὑπὸ τοῦ ἐμφυσήματος, ὡς ὑπὲρ χειρῶν τὸ σῶμα· καὶ πρὸς τὰς ἀποτεινούσας, ὅτι τὸ ἐμφύσημα ἐκεῖνο, ψυχὴ αὐτῷ γέγονε· καὶ πρὸς ἑτέρας, ὅτι τῷ κτισθέντι ἀνθρώπῳ ὁλοκλήρῳ, ζωτικὴν δέδωκε δύναμιν ἐκεῖνο τὸ ἐμφύσημα, λέγοντας καὶ ὅτι ὁ νοῦς ἐστὶ τὸ ἐμφύσημα τοῦτο, καὶ διώρισται τῆς ψυχῆς. καὶ τοῦτ' ἐστὶ τὸ κατ' εἰκόνα, ὡς ἐκ τριῶν τῶν ἀνθρωπίνων τούτων συνίσασθαι, σώματος, καὶ ψυχῆς, καὶ νοῦ, ἰδιάζοντος ἐν ἑνώσει. ἢ εἰ ἴδιον τῆς τοῦ Θεοῦ οὐσίας, ἢ ἀλλότριον ἐστὶ τοῦτο τὸ ἐμφύσημα. „Adversus eos qui dicunt, creatam esse animam ab insufflatione, ut corpus a manibus: & adversus „affirmantes, quod insufflatio illa facta sit in anima: & contra alios, quod homini creato omnibus suis partibus constanti, insufflatio illa vitalem facultatem indiderit, & dicentes *mentem esse insufflationem*, atque hanc ab anima esse divisam: atque hoc esse, *juxta imaginem factum esse*: ita ut ex tribus hisce homo sit compositus, „corpore nimirum, & anima & mente secreta, „in unitate. Et an propria sit Dei essentiæ, aut „aliena, hæc insufflatio. „ In corpore autem capitis sententiam habet eandem quam passim in Evangelium Joannis docet, nempe insufflationem Spiritus in homine, non cessisse ipsi in animam neque etiam in mentem, ut quidam existimant: sed ad infusionem cœlestium donorum, supra vires naturæ existentium: *Cum vero id non tantum ratione præditum esse oporteret, sed etiam Spiritus Sancti particeps: ut illustriores in se haberet divinæ Naturæ characteres, insufflavit ipsi Spiritum vitæ.* Ita ille cap. 2. integro pag. 338. quem audiamus. Ἔχει δὲ ἡ Φύσις ἐγκαταβαλλομένην ἑαυτῇ τὴν εἰς τῶν ὅτιοῦν τῶν ἀγαθῶν ἕξιν τε ἐστὶν καὶ προθυμίαν, καὶ τὸ βέλτιον ἐπιμελεῖσθαι ἀγαθότητος καὶ δικαιοσύνης. Τὸν ἄνθρωπον γὰρ ὅτι κατ' εἰκόνα καὶ καθ' ὁμοίωσιν Θεοῦ γίνεσθαι φαμὲν, καθ' ὃ καὶ ἀγαθὸν καὶ δίκαιον πέφυκεν τὸ ζῷον εἶναι. ἐπεὶ δὲ οὐ μόνον λογικὸν ἔχειν εἶναι, ἀλλὰ καὶ πνεύματος ἁγίου μέτοχον· ἵνα λαμπροτέρας ἔχῃ τὰς χαρακτῆρας τῆς θείας Φύσεως ἐν αὐτῷ, ἐνεφύσησεν αὐτῷ πνοὴν ζωῆς. τοῦτο δέ ἐστι τὸ δὲ υἱὸς τῇ λογικῇ κλίσει χορηγούμενον πνεῦμα, καὶ διαμορφῶν αὐτὴν εἰς εἰδος τὸ ἀνωτάτω, τοῦτ' ἐστι τὸ θεῖον. *Habet autem naturæ immissam sibi atque innatam ad omne boni genus propensionem cupiditatemque, & probitatis atque justitiæ studium. Siquidem hominem ita secundum imaginem & similitudinem Dei factum dicimus, quatenus natura comparatus est, animal bonum & justum esse. Cum vero id non tantum ratione præditum esse oporteret, sed etiam Spiritus Sancti particeps: ut illustriores in se haberet divinæ naturæ characteres, insufflavit illi Spiritum vitæ. Hic autem est Spiritus, qui per Filium rationali creaturæ est suppeditatus: qui quidem ipsam transformat, in formam eminentissimam, hoc est divinam.* Ὅτι γὰρ ἐκ εἰς ψυχὴν ἀνθρώπου τὸ ἐμφυσηθὲν αὐτῷ γέγονε πνεῦμα, ἔστι μὲν, εἰς νοῦν ὡς ὄιονται τινὲς, ἐξὸν ἐντεῦθεν ἰδεῖν. πρῶτον μὲν ὁ ἐμφυσήσας, Θεὸς νοεῖται. τὸ δ' ἐμφυσηθὲν ἐξ αὐτοῦ, πάντως που νοεῖται καὶ ἴδιον αὐτοῦ. εἶτα πῶς ἂν τὸ ἐκ τοῦ Θεοῦ πνεῦμα μεταβεβλῆται εἰς Φύσιν ψυχῆς, ἢ καὶ νοῦς ἐγένετο; ἀμήχανον γὰρ τοῦ τρέπεσθαι τὸ πνεῦμα ἐξὸν. εἰ δὲ δοίη τις εἶναι, καὶ κατὰ τροπὴν γενέσθαι ψυχὴν, ἢ νοῦν, ὅπερ ἐστὶ τῶν ἀμηχάνων· ἀλλ' ἐκεῖνο γε εὐθὺς ἐστὶν ἰδεῖν. εἰ γὰρ εἰς ψυχὴν τῷ ἀνθρώπῳ τὸ θεῖον πνεῦμα γέγονεν, ἥμαρτεν ἂν ἡ ψυχὴ καὶ ὁ νοῦς ἀνεπιδέκτως ἁμαρτίας. εἰ δὲ ἁμαρτίας ὑποπέπτωκεν εἰς ψυχὴν μεταβεβλημένον τὸ ἐκ Θεοῦ πνεῦμα, δίπλοῦν αὐτῷ τὸ ἔγκλημα παρ' ἡμῶν ἐπάγεται. πρῶτον μὲν, ὅτι τροπὴν ὑπέμεινεν τὴν εἰς ὅπερ οὐκ ἦν. δεύτερα πρὸς τοῦτο, καὶ ἁμαρτίας αὐτὸ Φαμὲν γενέσθαι δεκτικόν. ἄκρατον τὸ ζῷον μὲν ψυχὴν ἄῤῥητον δυνάμει Θεοῦ, καὶ ἐν τῇ πρὸς αὐτὸν ὁμοιώσει γέγονε, καθ' ὃ πέφυκεν ἀγαθὸν καὶ δίκαιον, καὶ ἀρετῆς ἁπάσης εἶναι δεκτικόν. τελειοῦται δὲ τῷ θείῳ πνεύματος ἀποδεδεγμένον μέτοχον. ὃ καὶ διὰ τὴν ἁμαρτίαν ἀπεβεβλήκει. ἔφη γάρ που Θεὸς, ὅτι οὐ μὴ καταμείνῃ τὸ πνεῦμα μου ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις, διὰ τὸ εἶναι αὐτοὺς σάρκας, τοῦτ' ἔστι, μόνα Φρονεῖν τὰ τῆς σαρκός. *Quod enim Spiritus homini insufflatus, non cesserit ipsi in animam, neque etiam in mentem, ut quidam existimant, hinc videre licet. Primum quidem, qui insufflavit, Deus intelligitur: quod vero ex ipso insufflatum est, proprium omnino censendum est ejus, nimirum essentiæ ejus. Atqui quonam pacto Spiritus ex Deo emissus, mutatus est in naturam animæ? Aut quo pacto, mens effectus fuerit? Fieri siquidem non potest, ut Spiritus mutetur. Si autem quis concesserit fieri posse, concedatque, Spiritum mutatum in animam aut mentem, quod quidem nulla ratione fieri potest: vide statim rei consequentiam. Si enim in animam hominis divinus Spiritus cessit, profecto in animam aut mentem peccatum cadere non potuit. Si autem peccato succubuit Spiritus Dei in animam mutatus, duplex ei accusatio a nobis intendi potest. Primum quidem, quod mutationem subierit, in id quod non erat:*

deinde etiam, peccati ipsum capacem fuisse dicemus. Quocirca anima quidem in animal immissa est ineffabili Dei vi atque efficacia: quod quidem similitudinem cum eo est nactum, ea ratione, qua natum est bonum & justum, omniumq; virtutum capax. Sanctificatum vero est, divini Spiritus participeps declaratum, quem etiam per peccatum repudiavit. Ait enim alicubi Deus, Quia non manebit Spiritus meus in hominibus istis, ideo quod sint caro: *hoc est, ea tantum quæ carnis sunt cogitent.* Gen. 6.

Ἐπειδὴν δ' ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ ἀναπεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἠυδόκησεν ἐν τῷ Χριστῷ, ἦγεν εἰς τὸ ἀρχαῖον ἀναγωγῆν, τὸ ἀποπλὰν ἡμῶν καὶ ἀποφοιτῆσαν ἅγιον πνεῦμα, πάλιν ἡμῖν ἀποκαθιστᾶν, τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις ἐνεφύσησε τοῦτο, λέγων· λάβετε πνεῦμα ἅγιον. ἀνανέωσις γὰρ τῆς ἀρχαίας ἐκείνης δωρεᾶς, καὶ τοῦ δοθέντος ἡμῖν ἐμφυσήματος, τὸ διὰ Χριστοῦ γέγονεν, ἀναμορφοῦν ἡμᾶς εἰς τὸν πρῶτον ἁγιασμὸν, καὶ ἀνακομίζον τὴν ἀνθρώπου φύσιν, ὡς ἐν ἀρχῇ τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις, εἰς τὸν ἄνωθεν καὶ ἐν πρώτῃ κατασκευῇ δοθέντα ἡμῖν ἁγιασμόν. *Cum autem placitum fuit Deo ac Patri, instaurare omnia in Christo, hoc est, ad pristinam integritatem revocare: Spiritum Sanctum qui a nobis avolarat atque recesserat, iterum nobis restituens, sanctis eum Apostolis insufflavit, dicens:* Accipite Spiritum Sanctum. Joh. 20. *Instauratio enim veteris illius doni & insufflationis nobis datæ, insufflatio per Christum fuit, transformans nos in primam illam sanctificationem, revocansque humanam naturam veluti in primitias sanctis Apostolis, in eam quæ olim & in prima creatione data fuerat, sanctificationem.* Capite autem 13. pag. 380. simillimas modernæ Theologiæ Scholasticæ quæstiones atque absurdas propositas sibi ab Monachis istis otiosis, æterno ponendas silentio, quam solvendas observat, concludens: δεῖ δ', ὡς ἔφην, τὰς ἐνήθεις ἅτινα τῶν ἐρωτήσεων, καὶ πολὺ τὸ ἄτοπον ἐχούσας μηδὲ προσίεσθαι τὴν ἀρχήν. *Oportet autem, ut dixi, frustras hujusmodi, multumque absurditatis in se habentes quæstiones, ab initio ne admittere quidem.* Quænam autem hæ quæstiones sint, quam inutiles, quam otio torpentibus Monachis condignæ, audiamus. Εἰ ὁ τῶν ὅλων Θεὸς τὰ γενόμενα ἤδη καὶ πεπραχθέντα δύναται ποιῆσαι μὴ γεγενῆσθαι ποτὲ, κατὰ τὸ ἐκ ἀδυνατήσει αὐτῷ πᾶν ῥῆμα. καὶ γὰρ λέγουσιν ὡς μὴ γενόμενα, ἀλλὰ μὴ γεγενῆσθαι τὴν ἀρχήν. οἷον, ὅτι πόρνην δύναται παρθένον ποιῆσαι ἐκ νεωλαίας μητρὸς, ἵνα μήτε εἶναι ποτὲ πόρνην πορνεύσασαν ὅτι τὰ παρὰ ἀνθρώποις ἀδύνατα, δύνατα παρὰ τῷ Θεῷ. *An Deus universi possit efficere, ut ea quæ jam contigerunt & facta sunt, nunquam contigerint aut facta sint, juxta illud:* Non erit ipsi impossibile omne verbum. Luc. 1. *Non enim dicimus, tanquam non contingentia, sed ut omnino non contigerint. Veluti, An meretricem possit virginem efficere ex utero matris, ita ut meretrix nunquam fuerit, quæ fornicata est: quia quæ impossibilia sunt hominibus, Deo possibilia sunt.* Sic autem solide his quæstionibus absonis respondet. ζητεῖσθαι μὴ χρὴ παρ' ἡμῶν τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν, ἣ μεγάλη καὶ ἐξαίρετος, ὅτι τὸ θρώμενον ἐκ ἀπρεπὲς ἐστὶ τῇ θείᾳ δόξῃ. ἃ γὰρ ἔστι πάντα δύναται, διὰ τοῦτο καὶ τῶν ἀτόπων ἐργάτην αὐτὸν ὁρᾶσθαι προσήκει. νενοῆσθαι μὲν γὰρ, ὅτι ἄτοπον ἐστὶ τὸ λέγειν, εἰ δύναται ὁ Θεὸς ἑαυτὸν ποιῆσαι, μὴ εἶναι Θεόν. εἰ δύναται ἑαυτὸν ποιῆσαι, ἁμαρτίας δίκαιον. εἰ δύναται ἑαυτὸν ποιῆσαι, μὴ εἶναι ἀγαθὸν, ἢ ζωὴν, ἢ δίκαιον. δεῖ τοίνυν παντὶ παραιτεῖσθαι, σθένει τὰς ἀσόπους ἔτω τῶν ἐρωτήσεων. Διὰ τί δ' ὁ Θεὸς τὴν πορνεύσασαν ἃ δύναται ποιῆσαι ποτὲ μὴ γεγενῆσθαι πέρυσιν· ὅτι εἰ τὸ ψεῦδος δύναται ἀλήθειαν ποιῆσαι. καὶ ἐκ ἀσθενείας τοῦτο ἔγκλημα, ἀλλὰ φύσεως ἀπόδειξις, ἔ τι παθεῖν ἀνέχομένης, ὃ μὴ πρέπει αὐτῇ. ἀλλότριον δὲ τούτου ψεῦδος παντελῶς. ψεῦδος δ' ἐστὶ τὸ, τὴν πορνεύσασαν ποιῆσαι μὴ πορνεύσαν ποτέ. Δεῖ δ', ὡς ἔφην, τὰς ἐνήθεις ἔτω τῶν ἐρωτήσεων, καὶ πολὺ τὸ ἄτοπον ἐχούσας μηδὲ προσίεσθαι τὴν ἀρχήν. *Potentia Dei nequaquam a nobis investiganda est, quæ certe magna atque admiranda est: quia id quod factum est, a divina gloria alienum non est. Neque enim quia omnia potest, idcirco eum absurdorum operatorem cerni par est. Intelligi enim absurdum dictu esse, An Deus possit præstare, ut ipsemet Deus non sit: An possit efficere seipsum peccati capacem: An possit facere, ut ipse non sit bonus, aut vita, aut Justitia. Oportet igitur summo studio absurdas hujusmodi quæstiones detestari. Cur vero Deus eam quæ fornicata fuit, facere non possit ut meretrix non fuerit, in causa est, quod mendacium ut sit veritas, efficere nequeat. Neque vero hoc impotentiæ ipsum arguit, sed demonstrat naturam, quæ ab eo quod ipsam non deceat, abhorret. Alienum autem prorsus ab ipso est mendacium. Porro mendacium est efficere ut fornicata meretrix, fornicata non fuerit. Oportet autem ut dixi, frustras hujusmodi, multumque absurditatis in se habentes quæstiones, ab initio ne admittere quidem.*

De Sacrosancta Trinitate Liber, S. Cyrillo Alexandrino adscriptus, Joanne Wegelino Augustano interprete, qui primus illum Græce & Latine ex MS. Cod. Bibliothecæ Augustæ Vindelicorum, ibidem edendum curavit, annis 1604. & 1608. Cujus autem curis hic iterum collatus sit, narrat Joannes Aubertus in Prologo ultimæ Parisiensis editionis, his verbis: "Ex Augusta-"na Matthias Ehingerus ejus tum custos dili-"gentissimus *de Sacrosancta Trinitate libros* sua-"manu difficili tempore descriptos misit. Po-"stremo *Collectanea ex Cyrillo, aliisque Patribus ex-"cepta*, suppeditavit nobis illustriss. vir D. Ribe-"rius sacri Consistorii Comes, integritatis &"eruditionis gloria clarissimus. Quibus omni-"bus tantum gratiarum ego debeo, quantum"Ecclesia commodi ex Scriptis Sanctissimi Do-"ctoris capiet. Longum esset reliquos per-"censere, qui mihi in hoc curriculo sudanti su-"am opem aut obtulerunt aut præstiterunt."
Opus istud Cyrillo Alexandrino esse suppositum, diserte affirmat Bellarminus libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 430. in Cyrillo Alexandrino. *Liber de Sacrosancta Trinitate, non videtur esse Cyrilli, sed alicujus posterioris. Auctor enim*

enim copiosè disputat de duabus naturis in Christo, & de duabus voluntatibus & operationibus: & reddit rationem, cur non repugnent istis dogmatibus, qui aliquando dixerunt in Christo esse operationem theandricam, & unam Verbi naturam esse incarnatam. Itaque videtur auctor scripsisse post sextam Synodum. Ita Bellarminus. Hoc ex capitibus hujus libri tribus constare evidenter potest, nimirum, ex 18. 19. & 20. quæ potissimum Monothelitas aggrediuntur: cujus 18. retulisse verbotenus sufficiat. Προτρέπουσι τοίνυν ἐπὶ Χριστοῦ μίαν ὑπόστασιν σύνθετον, ἐκ δύο συντεθειμένην Φύσεων, θεότητος δηλονότι καὶ ἀνθρωπότητος ἀλλήλαις ἡνωμένων κατ' αὐτὴν τὴν τοῦ λόγου ὑπόστασιν. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ τὴν τοιαύτην ἕνωσιν καθ' ὑπόστασιν λέγομεν. ὅτι μία ὑπόστασις ἐκ τῶν τριῶν τῆς θεότητος ὑποστάσεων, ἥπερ ἐστὶν ἡ τοῦ υἱοῦ, τὰς δύο Φύσεις ἀλλήλαις ἥνωσεν ἀσυγχύτως ἐν ἑαυτῇ τε καὶ καθ' αὑτήν. εἰ γὰρ ὑπόστασιν καθ' αὑτὸ καὶ ἀπαρέγκλιτος τοῦ τοῦ Χριστοῦ ἀνθρώπινον, ὡς ἂν ὑπόστασις τοῦτο λέγοιτο. καὶ γὰρ οὐκ ἐχρῆν. τί γὰρ ἦν τῷ κέρδει ἡμῶν, τὸ θεωρεῖσθαι μίαν ὑπόστασιν. ἀλλὰ τὴν Φύσιν ὁ ἐκ λόγου ἐν ἑαυτῷ προσλάβετο πᾶσαν τῆς ἀνθρωπότητος, ἵνα θεωρήσῃ πάντας ἡμᾶς. ὅθεν μιᾶς ὑποστάσεως κηρύττομεν τὸν Χριστὸν, ἐκ δύο Φύσεων ἡνωμένων ἀλλήλαις ἀσυγχύτοις ἕνωσιν ἄκραν, ἀδιαιρέτων μενουσῶν ἐκείνων ἀλλήλων, ἧς τῆς ὑποστάσεως καθ' ἣν ἥνωνται. τῶν δὲ Φύσεων ἐχουσῶν τὸ ἀσύγχυτον, καὶ τὰ προσόντα ταύταις ἀσύγχυτα· τὰς θελήσεις καὶ τὰς ἐνεργείας Φημί. μένει οὖν ἡ θεϊκὴ θέλησις, θεϊκή· καὶ ἡ ἀνθρωπικὴ πάλιν, ἀνθρωπικὴ· πλὴν πεφυκυῖα διὰ τὴν ἕνωσιν· τοῦτο καὶ τὰς ἐνεργείας γεγενῆσθαι δύο τοίνυν θελήσεις ἐν τῷ Χριστῷ. θέλων δὲ ἡ κατ' ἄμφω τὰς θελήσεις, καθ' ἄμφω τὰς ἐνεργείας ἐνεργῶν, εἷς ὁ αὐτὸς ὁ θεάνθρωπος, μὴ διαιρούμενος εἰς Θεὸν ἰδικῶς, καὶ εἰς ἄνθρωπον ἰδικῶς· ἀλλ' εἷς ἀμερίστως ὑπάρχων, Θεὸς καὶ ἄνθρωπος ὁ αὐτὸς, ταυτὸν δ' εἰπεῖν, Θεὸς καὶ ἀνήρ. "Prædicamus proinde "in Christo unam personam compositam ex "duabus naturis, humanitate scilicet & divinitate compositam, sibi invicem secundum personam unitis. Quæ sane etiam causa est, quod "hanc unionem secundum personam dicimus: "quod una ex tribus Divinitatis personis, quæ "Filii est, duas naturas inter se invicem in seipsa "& secundum seipsam citra confusionem univit. "Neque enim humanitas Christi vel momento "subsitit per se, ut ipsa persona diceretur, neque enim etiam opus erat. Quid enim nobis "lucri inde foret, si ut una persona consideraretur? Sed totam humanitatis naturam Deus "Verbum in seipso assumpsit, ut omnium nostri "rationem haberet. Unde Christum unius "personæ prædicamus, ex duabus naturis sibi "invicem citra confusionem arctissima unione "unitis, indivisis permanentibus, cum a se invicem, tum a persona, secundum quam unitæ "sunt: ex naturis autem distinctionem, & quæ ipsis distinctæ adsunt, voluntates inquam & "actiones habentibus. Divina proinde voluntas manet divina, & humana vicissim humana: veruntamen propter unionem deificata. Quod idem etiam in actionibus perspicitur. Duæ itaque in Christo voluntates sunt. Vult autem etiam secundum utramque voluntatem, & agit secundum utramque actionem, unus idemq; Deus homo: non in Deum & in hominem seorsim divisus: sed unus citra partitionem existens idem Deus & homo, seu quod idem dictu est, Deus & vir. " Eandem doctrinam inculcat capitibus duobus sequentibus contra Monothelitas, cap. 19. p. 25. & cap. 20. pag. 26. ut sole ipso clarius pateat, scriptorem hunc esse posteriorem Cyrilli Alexandrini temporibus.

Dicta veteris Testamenti & sanctæ Scripturæ, interpretata anagogice, breviter & dilucide collecta, & a divino Cyrillo & a Magno Maximo & a cæteris interpretibus, cum interpretatione Gentiani Herveti Rhemensis Ecclesiæ Canonici, ad scriptorem recentioris ætatis pertinent.

Extant quoque extra hanc ultimam Operum S. Cyrilli Alexandrini editionem, nonnulla quæ a Joanne Auberto Laudunensi Canonico omissa sunt, quia spuria illa credidit. Ex his *Liturgia Cyrillo inscripta*, ex Arabico sermone in Latinum conversa, a Victorio Scialagh, quæ prodiit Augustæ Vindelicorum anno 1604. in 4. Item Balthazar Corderius societatis Jesu *Apologos Monachos*, Latine sub Cyrilli nomine anno 1631. edidit, Opus a Latino aliquo scriptum, quod olim quoque Parisiis sub titulo *Speculi Sapientiæ* prodierat. Idem denique Balthasar Corderius Græce & Latine edidit sub Cyrilli ejusdem nomine, *Homilias XIX. in Hieremiam*, anno 1648. Antverpiæ in 8. Sed harum *primas octodecim* esse Origenis, non Cyrilli Alexandrini, consentiunt jam Critici omnes. Ultima autem *de divite salvando*, ad Clementem Alexandrinum pertinet: ex qua satis prolixum fragmentum refert Eusebius lib. 3. cap. 23. Prodierat quidem antea, sed sub Origenis nomine, a Michaële Gislerio edita in Commentario Origenis super Jeremiam.

Juxta virum illustrem Carolum du Fresne in Catalogo Manuscriptorum Codicum & Authorum Græcorum, quem subjunxit ad calcem *Glossarii mediæ & infimæ Græcitatis* col. 25. extat Cyrilli Alexandrini Lexicon hoc titulo, Λεξικὸν τοῦ ἁγίου Κυριλλου Ἀλεξανδρείας ex Codd. Regiis & Colbertino 4279. optimæ notæ. In Indice autem MSS. librorum Græcorum Bibl. Vaticanæ, Λεξικὸν τοῦ ἁγίου Κυρίλλου κατ' στοιχεῖον. Impressum autem cum Lexicis aliis antiquis Græce & Latine Parisiis in folio anno 1679. studio Caroli Labbei Bituricensis causarum patroni, ex fide MSS. Codicum.

Agunt de Scriptis sancti Cyrilli Alexandrini Archiepiscopi, Antonius Possevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *S. Cyrillus Alexandriæ Episcopus*. Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ad annum 430. Andreas Rivetus libro 4. *Critici Sacri* cap. 19. pag. 445. Philippus Labbeus in Dissertatione Historica

de Scriptoribus Eccleſiaſticis quos Bellarminus attigit, tomo 1. verbo *S. Cyrillus Alexandrinus*, pag. 241. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo V. ad annum 412. pag. 301. & ſequentibus. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo V. tomo 3. pag. mihi 41. & ſeqq.

DISSERTATIO
DE
VITA ET OPERIBVS THEODORETI CYRENSIS EPISCOPI.

CVm ſuperiori Diſſertatione late ſatis prolixeque diſputatum ſit de ſcriptis Sancti Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi: non incongruum rationi videtur, ut Diſſertatione conſimili Theodoretum ejusdem æmulum, acrioribus cum ipſo colluctatum telis, veneremur: ejusque vitam atque ſcripta omni partium ſtudio ſecluſo depingamus, omnia ferme verbotenus deſumentes ex variis illis Diſſertationibus, quas Joannes Garnerius non ineruditus Soc. Jeſu Theologus ſuo *Auctario Operum Theodoreti* ſparſim inſeruit. Cum itaque multis annis huic Operi ille incubuiſſet, immaturoque adhuc ad prælum immortuus eſſet anno 1681. die 26. Octobris, dum Romam ob negotia Societatis pergeret, Bononiæ morbo devictus: illius labores poſthumos in publicam lucem effudit Joannes Harduinus ejusdem Societatis & Collegii Claromontani Pariſienſis Bibliothecarius, ſub nomine ſeu titulo *Auctarii Theodoreti Cyrenſis Epiſcopi*, ſeu *Operum Tomi quinti*, quod anno 1684. Pariſiis in folio impreſſum eſt, apud viduam Edmundi Martini & Joannem Boudot, via Jacobæa ſub ſole aureo. *Auctarium* iſtud maxima ex parte conſtat Diſſertationibus quinque Hiſtoricis, cum Operibus nonnullis vel fragmentis Operum, quæ Garnerius Theodoretiana eſſe opinatus eſt. Diſſertatio 1. *de vita ſeu Hiſtoria Theodoreti*, complexa illas lites & contentiones, quæ tam vivente Theodoreto, quam mortuo illo, ejus occaſione ſuſcitatæ ſunt, a pag. 109. ad 171. capitibus viginti prolixis. Diſſertatio 2. *de libris Theodoreti* a pag. 173. ad 258. Diſſertatio 3. *de Dialogis adverſus Arianos, Macedonianos & Apollinariſtas* pag. 259. ad 273. quos hucusque vel ſancto Athanaſio Alexandrino Archiepiſcopo, vel ſancto Maximo Monacho & Martyri imputatos, atque inter Opera illorum impreſſos, Joannes Garnerius tum authoritate, tum rationibus non immodicis, Theodoreto Cyrenſi Epiſcopo adjudicat. Diſſertatio 4. *de fide Theodoreti* a pag. 457. ad 492. qui multis apud Garnerium vapulat, tractandum aſſumit. Diſſertatio denique 5. a pag. 493. ad 549. *Critica de V. Synodo Generali*, quæ Theodoretum peſſime habuit. Quia vero adverſarentur noſtro inſtituto, conſuetæque agendi methodo, tot Diſſertationes, prolixæ nimium, lectorisque animum ultra quam par erat fatigarent: nos unicam ex his quinque contrahemus, id potiſſimum obſervantes, ut nihil quod ad Scripta Theodoreti recenſenda vel elucidanda conferat, omittamus: reſecemus autem omnia quæ nobis non conducant, noſtroque compendio minime conveniant.

CAPVT PRIMVM.
VITA THEODORETI CYRENSIS EPISCOPI PAVCIS PERSTRINGITVR.

1. QVo tempore natus ſit Theodoretus, nec 420
uſpiam expreſſe ipſe tradit, nec ullus ſcriptorum alius: quamvis ex ſerie vitæ, notas temporis quo prodiit certas, habere poſſimus. Vnde ſi quis animo præteritam ætatem remetiri velit, facile inveniet, Theod. ortum incidiſſe in Conſulatum Honorii Cæſaris & Evodii, qui fuit annus Chriſti 386. Siricii Romani Pontificis II. Theodoſii Magni Imperatoris VIII. Originem duxit ex parentibus nobilibus & opulentis, qui pietatem maxime ſectarentur. Nam Theodoretus ipſe *Hiſtoria Religioſa* cap. 9. de matre quidem narrat, qua ratione uno eodemque Petri Aſcetæ miraculo, cum XXIII. ætatis annum ageret, & a mundi amore quo tenebatur, & ab ægritudine qua tenebatur, ſanata ſit. Factam vero matrem divina virtute, & Macedonii Aſcetæ ſanctiſſimi precibus, poſt tredecim conjugii annos, idem Theodoretus refert ibidem cap. 13. Atque hæc cauſa fuit, cur *Theodoreti* nomen cum naſceretur, acceperit: quaſi parentibus infœcundis a Deo donatus, & a parentibus viciſſim Deo a quo illum acceperant, oblatus: cui ſerviret in Monaſterio ubi primum per ætatem liceret, hoc enim fuerat parentum ſupplicantium votum. Pluribus hanc Theodoreti miraculoſam eductionem exponit ex Theodoreto Garnerius in *Hiſtoria Theodoreti* cap. 1.

2. Vixdum ſeptennis anno 393. Monaſterio ſancti Euprepii traditus eſt, non vitæ tantum religioſæ inſtitutis, ſed literis quoque informandus. In utroque genere ita profecit, ut & paternas opes pauperibus largitus ſit, quas defunctis parentibus largiſſimas acceperat: & ſacris profanisque doctrinis pene omnibus mentem admirabiliter excoluerit. Non aliud ſane initio Monaſterium incoluit, quam quod ſancti Eupre-

Digitized by Google

Euprepii dicebatur, prope Antiochiam positum. Sed forte accidit, ut ea tempestate in Monasterio degerent Nestorius & Joannes, quorum primus Constantinopolitanæ postea, alter Antiochenæ Ecclesiæ præfuit. Vterque pietati studere videbatur, & reipsa forsan studebat: sed magnopere tunc temporis referebat videri pium, cum opinionis merces foret, toti ingenti diœcesi præesse, & ex Monachis Patriarchas fieri. Cum his duobus arcta fuit Theodoreto necessitas, quæ ortum a societate vitæ religiosæ, incrementum a studiis communibus, id est, ab arctissimis magnarum animarum vinculis accepit.

3. Anno 420. Ecclesiam Cyrensem orbari pastore contigit. Theodotus Antiochiæ Antistes, qui Alexandro ut & iste Porphyrio successerat, ut viduæ provideret: non alium quam Theodoretum præficiendum putavit, unicum quippe idoneum profligandis hæreticis, qui propter Isidori Episcopi ætate gravis incuriam, multi diversique generis, Ecclesiam hanc misere vexabant. Posita est Cyrus in ea parte Augustæ Euphratesiæ, quæ ad Occidentem vergit, & ad mare propius accedit. Nec nomini quod a Cyro fundatore accepisse fertur, celebritas urbis vel amplitudo respondet. Theodotus itaque Antiochenus, reluctantem Theodoretum & apti ad studia otii amantem, ordinat Cyrumque mittit, ut agrum excoleret, sentibus, quod ipse ait, lolioque fœdissimum. Quonam anno etiam Episcopatum Theodoretus adeptus sit, positive adhuc agitat Joannes Garnerius in Dissertatione *de libris Theodoreti* cap. 1. parag. 1. pag. 174. Cui annum 420. ex Epistola 81. ad Nomum Consulem assignat, uti & ex Epistola altera, quæ 80. ad Eutrechium Præfectum est. Quam vitæ formam Episcopus servaverit, quamque suis Clericis servandam tradiderit, narrat Epistola 81. ad Nomum his verbis: *Cum invitus ordinatus essem, annos viginti quinque ita vixi, ut neque in jus vocatus sim a quoquam, neque ipse quenquam accusarim. Nullus religiosissimorum Clericorum, qui sub me fuerunt, tribunalia tot annis frequentavit. Non obolum, non vestem a quoquam accepi: panem unum vel ovum nullus domesticorum meorum accepit unquam: præter panniculos quibus amictus sum, nihil volui possidere.* Vbi primum accessit ad sedem Episcopalem, incubuit indefesso studio ad parochiam ab hæreticis purgandam: quibus autem laboribus, quibus vitæ discriminibus, sed quo tandem animarum fructu, qua errantium conversione, Theodoretus Eutrechio, Epistola eadem 81. exponit verbis sequentibus. *Vicos ello Marcionis hæresi corruptos, una cum vicinis locis, ad veritatem nolentes perduxi: vicum alium Eunomianis refertum, & alium Arianis, divina cognitionis luce illustravi: nullumque apud nos Dei beneficio, hæresis idolum relictum est. Neque vero ista sine periculis præstiti; sed fuso plerumque sanguine, lapidatus ab eis persæpe, & ad ipsas Orci portas impulsus.* Decem Marcionitarum millia a se baptismo tincta esse alio in loco refert, Epistola nimirum 145. ad Monachos Constantinopolitanos. Tanta fuit laborum Theodoreti merces, tanta usque ad sanguinem pugnantis victoria, tantusque victoriæ triumphus extitit.

4. Nestorio ad diem 10. Aprilis anni 428. ordinato Constantinopolitanæ sedis Archiepiscopo, intima amicitiæ necessitudine Theodoretus junctus est, ut & Theodoro Mopsuesteno Episcopo, quibuscum plures annos in Mandra sancti Euprepii prope Antiochiam vixerat. Cum autem sinistra omnino fama, pravusque rumor, de Nestorii orthodoxia spargeretur, ipsius vel doctrinam vel personam saltem defendendam, suscepit Theodoretus, sive ex vinculo anterioris necessitudinis, sive quod immunem a tali labe illum arbitraretur. Porro juxta Joannem Garnerium in *Historia Theodoreti* cap. 4. pag. 120. primus Theodoreti casus fuit, quod cæca cum Nestorio necessitudine junctus, non personam tantum, sed doctrinam quoque illius impiam amplexus sit. „Cum enim scriberet pro amici causa, non tantum Cyrilli Alexandrini capita, propter speciem Apollinariani erroris, quod aliis quoque bonis contigit: sed cæco impetu in errores quatuor ipse abreptus est, propter quos a V. Synodo damnatus est. Nam cum *primum Anathematismum* reprehenderet, negavit beatam Virginem peperisse Verbum carnem factum: cum *secundum*, naturas in Christo καθ' ὑπόστασιν uniri: cum *quartum*, unicam esse Christi ὑπόστασιν seu personam: cum *decimum*, Deum dici posse mortuum.„ Contra, alii putant utrumque adversarium & Cyrillum & Theodoretum, falso atque magis ex calumniæ impetu, sibi notam hæreseos imposuisse: Theodoretum S. Cyrillo Alexandrino Archiepiscopo Apollinaris errorem, Cyrillum Theodoreto Hæresim Nestorianam dictam imputasse, cujus immunis prorsus erat, cum non doctrinam Nestorio imputatam defenderet Theodoretus, sed solam duntaxat Nestorii sui condiscipuli personam, quem asserebat nunquam docuisse, quæ ipsi imputarentur a Cyrillo Alexandrino. Acerrime in Theodoretum invehitur passim in suis Dissertationibus Joannes Garnerius, quem ex adverso purum ab omni erroris labe opinatur & scribit Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* seculo 5. tomo 4. in *Theodoreto* pag. mihi 117. *Quoad doctrinam ejus, de ea sæpius iterum loquemur. Interim hucusque visum est, quod quamvis personam Nestorii defenderit, nullum errorem defendit, quod semper se unicum Jesum Christum agnoscere professus sit, Deum simul & hominem. Naturas duas unius Christi nunquam divisit, sed distinxit, nunquam vocem* Deiparæ *condemnavit, cujus admittendæ & Nestorio & Irenæo author fuit. Verum est quod Capitula seu Anathematismos sancti Cyrilli approbare vel subscribere noluerit: quia nimirum credebat has propositiones continere errorem ab Eutychete postea propugnatum.*

Tandem

Tandem explicat tot locis Operum ſuorum doctrinam ſuam de Incarnatione Verbi, terminuque tam orthodoxis atque formalibus, ut in hoc argumento, erroris argui, absque maxima injuſtitia, non poſſit. Accuſavit eum erroris S. Cyrillus, ſed omnes etiam Orientis Epiſcopos ejuſdem accuſavit, quos tamen poſtea Catholicos absque ulla palinodia agnovit, poſt profeſſionem fidei pro pace agenda ſubſcriptam, quam Theodoretus quoque calculo ſuo gratam habuit. Orthodoxus ergo cum aliis cenſendus venit. In eandem cum Ellia du Pin ſententiam, quoad Theodoreti orthodoxiam, veniunt alii quamplurimi, quos hic proferre in medium, ratio compendii prohibet.

5. Scripſit autem Theodoretus *adverſus Anathematiſmos ſancti Cyrilli* Alexandriæ Epiſcopi, ante Synodum Epheſinam quæ anno 431. contigit, id eſt circa annum 430. ut ipſe indicat in *Præfatione Pentalogii*, ſive *Librorum quinque adverſus Beatum Cyrillum & Concilium Epheſinum*, ut conſtat ex 2. parte Operum Marii Mercatoris lib. 3. Vnum de tempore hujus Opuſculi, teſtimonium Theodoreti adducit Joannes Garnerius, Diſſertatione 2. *de Scriptis Theodoret.* cap. 7. pag. 299. ex quo veteres plures atque recentes auctores in eo erraſſe convincantur, quod *Reprehenſionem hanc Anathematiſmorum Cyrilli* poſt Synodum Epheſinam ſcriptam aſſerant: quo tempore de pace inter Eccleſias, ex parte Orientalium Epiſcoporum ac Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi, agebatur. Anno 431. Theodoretus Synodo Epheſinæ adfuit, cum Joanne Antiocheno aliisque Epiſcopis Orientalibus, quorum cauſam ſeu Neſtorii potius perſonam defendebat, adverſus Cyrilli Anathematiſmos. Vix annus a Concilii ſolutione effluxerat, cum Antiochiam acceſſit Ariſtolaus Tribunus, mandata Theodoſii Imperatoris ad Joannem pariter Antiochenum & Cyrillum Alexandrinum deferens: ut vel ſponte convenirent, pacemque Eccleſiis redderent: vel Nicomediam accederent, non prius inde receſſuri, quam concordiam inter ſe iniiſſent. Inita pax inter Joannem Antiochenum ejusque Epiſcopos atque Cyrillum, obnitente in contrarium Theodoreto, qui Neſtorium malam doctrinam docuiſſe, agnoſcere nunquam voluit. Neque tamen eo contentus fuit, ſed eo impotentiæ prorupit, vir qui divinitus matri conceſſus dicitur, ut quod traditur in Excerptis 2. parte Operum Marii Mercatoris, anno 432. poſt Epheſinam Synodum atque etiam (ut probabile eſt) poſt factam inter Orientales Epiſcopos & Cyrillum Alexandrinum pacem: *quinque libros adverſus beatum Cyrillum Alexandrinæ civitatis Antiſtitem, ſanctumque Concilium Epheſinum, a quo Neſtorius damnatus eſt, Diabolo inſtigante conſcriberet.* Atque ii ſunt libri, quibus quinta Synodus, & ſanctus Gregorius Magnus fidem Catholicam, ac Nicephorus Calliſtus *tertiam Synodum* impugnatam tradit. Miretur autem nemo, Mercatoris dictum lib. 1. cap. 1. *de libris inſtigante Diabolo conſcriptis*: nihil enim ipſis aut amarulentius ſcribi aut calumnioſius dici adverſus Patres Epheſinos potuit. *Tantum*, inquit loco mox citato, *valuit invidia, cui vos mancipaſtis, ut quæ olim per unum aut duos & hos latentes, Apollinaris loquebatur: hæc nunc per multos Eccleſiæ Præſules, congregationibus Eccleſiarum ſacris exhibeat: & tales herbæ per Paſtores gregibus offerantur, luporumque morſus, rectorum miniſterio, rationalibus ovibus inſigantur. Qui in duabus aut tribus civitatibus extra murorum ſepta, paucos alloquebatur, quos etiam variis canticis ſeducebat: nunc iſte per vos in mediis tripudiat urbibus: ejus enim prædicatis errores, & vocum novitatibus decommini, reparantes ejus blaſphemiam, quæ jam fuerat conſumpta temporibus.* Quis credat ab homine non emotæ mentis iſta effutita? Cum vero exercuerit tam grandes inimicitias adverſus Cyrillum Alexandrinum & ante Synodum Epheſinam quæ anno 431. facta eſt, & poſt Synodum, amarulentis in eam conſcriptis libris: miror qua ratione Theodoretus glorietur, ſibique potiſſimum de mititate abblandiatur Epiſtola 81. ad Nomum: *Cum invitus ordinatus eſſem, annos viginti quinque ita vixi, ut neque in jus vocatus ſim a quoquam, nec ipſe quemquam accuſarim:* hoc eſt ab anno 420. quo Epiſcopus ordinatus eſt, ad annum 445. Vt enim impactam Neſtorii hæreſim Theodoreto, non facile crediderim: ita neque tantam Theodoreti manſuetudinem poſt tantas cum Cyrillo altercationes & injurias, admiſerim.

6. Anno 444. Cyrillo, poſtquam Alexandrinam Eccleſiam triginta duos annos rexiſſet, die IX. Junii mortuo: ubi primum nuntius mortis in Orientem venit, continere ſe Theodoretus non potuit, quin ſtatim animi ſui ſenſum, ſcripto teſtaretur. Dedit igitur Domno Antiochiæ Epiſcopo epiſtolam, quam ego cum Concilio generali tribuere ipſi malim: quam vel abjudicare cum Baronio, vel cum aliis vanas ob cauſas ſuſpectam habere. Vide *Auctarium* Operum Theodoreti a Joanne Garnerio editum pag. 98. ubi hæc Epiſtola cum notis extat. Illa vero cum plena ſit collectæ ex longo bilis, aperte oſtendit, quousque efferri poſſit aut furere potius illuſa religio: habet enim unde valeat creare horrorem impotentiæ, qua cæcus zelus abripit aliquando viros, magni quidem animi, ſed commoti. Neque vero ſcripſiſſe contentus eſt, ſed impotens animi advolavit continuo Antiochiam, & præſidente Domno, concionem habuit in Eccleſia, allatæ epiſtolæ parem. *Nemo jam neminem*, inquit, *blaſphemare compellit: ubi ſunt qui dicunt, quia Deus eſt, qui crucifixus? Non eſt crucifixus Deus, ſed homo Jeſus Chriſtus. Deus autem templum ſuum ex David ſuſcitavit, ſicut idem David ante prædixit: Homo genuit hominem; natura quidem Filius Dei eſt Deus Verbum, Chriſtus vero eſt Filius David: ſed Filius Dei templum non eſt. Contentio ultra jam non eſt: ſub uno jugo Oriens & Ægyptus convenerunt, mortua eſt invidia, & conſepulta illi hæreſis; jam quieſcunt, qui paſſum Deum*

Deum prædicant &c. Fecit illa tum epiſtola quæ vulgo edita eſt, tum concio, quæ ad immenſam pro more multitudinem habita, ut Theodoretus in ſuſpicionem conſenſionis cum Neſtorio venerit: quaſi divideret Chriſtum in duos filios, quorum alter ſit crucifixus, alter mortuum ſuſcitaverit. Fecit etiam ut apud Imperatorem impietatis & ſeditionis reus ageretur: pluribus enim fidei pacisque amantibus, velle videbatur, vel in Synodis quas frequens ſuo conſilio congregabat, priſtinas Eccleſiæ turbas excitare: vel etiam eloquentia & authoritate, imputatam ſibi hæreſim erigere. Quare poſt anni integri patientiam, Imperator Antiochia abſtinere hominem turbulentum, ſicque tanquam honeſto carcere, ſuis ſe parochiis continere juſſit. Rem narrat Theodoretus ipſe in Epiſtola 82. ad Euſebium Ancyræ Epiſcopum, his verbis. *Qui Marcionis & Valentini & Manetis, aliorumque Docitarum hæreſim hac noſtra tempeſtate renovant, egre ferentes hæreſim a me ſuam aperte confutari, Imperatoria aures circumvenire conati ſunt: hæreticos nos appellantes, & unum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, incarnatum Deum Verbum in duos filios dividere calumniantes. Sed verbis ſuis, ut ſperabant, non perſuaſerunt: quare ſcriptum eſt commonitorium magnificentiſſimo & glorioſiſſimo Magiſtro militum Conſuli, hæreſis accuſationem nullam continens, ſed alias quaſdam cauſas, easque falſas. Synodos etiam ajebant me frequentes apud Antiochiam convocare, & ea re offendi nonnullos: proinde quieſcere me oportere, & commiſſas mihi Eccleſias gubernare. Hoc igitur oſtenſo mihi commonitorio, decretum velut bonorum fontem arripui.* Commonitorium ipſa Imperatoris manu, tanti res erat, exaratum fuiſſe Epiſtola 79. teſtatur: unde rei inſolentiam miratus, ex Anatolio Patricio literis ſciſcitatus eſt, num vana foret ſua fraudis ſuſpicio. *Veſtra*, inquit, *excellentia indicavimus, commonitorium nobis oſtendiſſe Rufum Comitem magnificentiſſimum, imperatoria manu exaratum, quo fortiſſimo Magiſtro militum præcipiebat, ut prudenter ſciteque curaret nos Cyri conſiſtere, nec ad alias civitates proficiſci, ut qui Synodos aſſidue apud Antiochiam cogeremus, & orthodoxos turbaremus. Nunc indico me regiis obſequutum literis Cyrum veniſſe, ac diebus ſex ſupremo transactis, miſſo ad me devotiſſimo Euphronio Magiſtriano, flagitaſſe, ut ſcripto confiterer, exhibitas mihi regias literas fuiſſe. Ego vero hoc etiam feci, & promiſi me apud Cyrum & in hac regione permanſurum, & paſcendo gregi mihi commiſſo inhæſurum. Rogo itaque magnificentiam tuam, accurate ut exquirat, & an vere hæc ita impetrata ſint, & quam ob cauſam.* Quale vero fuerit, quibusve ſcriptum verbis, legere licet in Epiſtola Theodoreti 80. ad Eutrechium Præfectum. *Relegati ac circumſcripti Cyro ſumus, ſi verum eſt commonitorium, quod victoriis ipſius Auguſti manu ſcriptum ferunt, & ita ſe habet: Quoniam ille civitatum illius Epiſcopus aſſidue congregat Synodos, turbatque ea re orthodoxos, da operam congruenti moderatione ac prudentia, ut is Cyro ſe contineat, nec ad aliam civitatem proficiſcatur.*

7. In domeſticum illud exilium, ſicut ipſe loquitur, anno 445. ejectus eſt, quo anno gerebat Nomus conſulatum. Etſi autem Theodoretus in hac calamitate, præ ſe ferret animi conſtantiam: neminem tamen non invocavit, unde auxilium ſperaret. Nam & Anatolio Patricio Epiſt. 79. & Eutrechio Præfecto Epiſt. 80. & Nomo Conſuli Epiſt. 91. lamentabiliter queſtus eſt, ſe inaudita cauſa damnatum: cum ne incendiarii quidem atque effoſſores ſepulchrorum, imo & parricidæ damnentur, priusquam ad objectum crimen reſponderint. Quin & Synodum Epiſcoporum cogi poſtulat, ſed eorum qui judicium de doctrina ferre poſſint, & in qua Magiſtratus pronuntient, quæ diſputantium doctrina Apoſtolicæ conformior ſit. Ad hæc innocentiam ſuam deprædicat, ſuosque labores pro fide, ac efficax in hæreticis convertendis ſtudium, nec non integritatem vitæ ab initio actæ: denique infracti malis animi firmitatem divini expectatione judicii ſuſtentat, ad quod adverſarios, ſive qui accuſant, ſive qui damnant, aut etiam damnare ſinunt, confidenter citat.

8. Anno 449. Chryſaphio eunucho allaborante, Eudoxiaque regina, Theodoſius Imperator uxoria facilitate ſeductus, cauſam Eutychis damnati recognoſci voluit, ſimulque de Flaviano Conſtantinopolitano Archiepiſcopo qui illum damnaverat, haberi judicium. Miſſa eſt evocatoria ſanctio ad omnes magnarum ſedium Antiſtites, id eſt ad S. Leonem Romæ, Dioſcorum Alexandriæ, Flavianum Conſtantinopoli, Domnum Antiochiæ, Juvenalem Hieroſolymorum Epiſcopum. Prohibuit Imperator, ne admitteretur in conſeſſum Theodoretus, donec concordi totius Synodi ſententia admittendus diceretur. Obſervandum vero hoc præceptum ſingulis ſanctionibus contentum fuiſſe: quod continetur ea quæ ad Dioſcorum, & quæ ad Juvenalem atque Thalaſſium de præſidentia ſcripta eſt, nec dubium quin aliis duabus ad S. Leonem & Flavianum datis. Adfuit Eutyches Conſtantinopolitanus Archimandrita, cum aliis Monachis, quorum dux Barſumas: præſidebant Dioſcorus, Thalaſſius, & Juvenalis. Datum Concilio huic 11. Epheſino initium die 10. Auguſti, die 12. finis impoſitus. Relecta triduo quæ Conſtantinopoli Flavianus acta confecerat, abſolutus Eutyches, Flavianus ipſe damnatus atque in exilium pulſus, Epiſcopi intentatis jugulo gladiis in pura charta ſubſcribere compulſi ſunt. Dejectus a throno Domnus Antiochenus cum Euſebio Doryläi, Sabiniano Perrhæ, Iba Edeſſæ, & Theodoreto Cyri Epiſcopis. Conjectus in carcerem Euſebius, deportandus Flavianus militum manui traditus: omnia velut in latrocinali tumultu geſta, unde Synodo etiam infame nomen inditum.

9. Dum hæc geruntur, Theodoretus poſtquã ſe depoſitum didicit, decrevit ad ſedem Apoſtolicam mittere, qui ſuam cauſam agerent coram juſto S. Leonis Papæ tribunali. Hoc prolixe

tractat Garnerius in *Historia Theodoreti* cap. 9. pag. 136. De recursu Theodoreti ad Apostolicam sedem contenderunt novissime Theologi duo, suis Operibus nobiles : alter confugisse tantum vult tanquam ad præsidium, alter appellasse velut ad judicem. Scripsit eodem fere tempore Theodoretus epistolam 119. ad Anatolium Patricium, quo maxime patrono utebatur, enixe precatus, ut ab Imperatore obtineret sibi facultatem fieri, vel eundi Romam ad Romani Pontificis judicium : vel se ad Monasterium recipiendi, quod centum & viginti milliaribus Cyro, septuaginta quinque Antiochia, Apamea tribus aberat. Sunt qui putent neutrum impetrasse, obfirmante Imperatoris animum Chrysaphio. Probabilius tamen est, cum Imperatoris venia in Monasterium secessisse, in eoque vitam procul tumultu negotiisque duxisse. Id enim ipse, si non aperte declarat, innuit certe in Epistolis 114. 115. & 116. ad Andiberim & Apellam post latrocinale Concilium scriptis, in quibus de suo e civitate discessu aliorumque sui studiosiorum loquitur. Innuit & in Epistola 124. ad Oeconomos Ecclesiæ suæ, Presbyterumque Theodotum, quibus absens hæc scribit : *Ego quoque incumbentem defleo calamitatem, & mihi sane gratulor, qui ex tumultibus evaserim, mihique grata fruar tranquillitate &c.* Non absimilia sunt quæ Epist. 131. ad Longinum Archimandritam Doliches : *Communicastis passionibus nostris, tum per literas consolantes, tum mittentes reverendissimos ac religiosissimos Matthæum & Isacium Diaconos : audietisque, sat scio, a justo Judice*, in carcere eram, & venistis ad me &c.

10. Qui legationem Theodoreti Romanam obibant, Abramius, Hypatius & Alypius, immensum iter Romam usque Cyro sub finem anni 449. terrestri via aggressi sunt : nec enim alia potuissent ea tempestate, mari nempe clauso atque hiemante : quocirca ante Februarium affectum anni 450. Romam pervenisse non videntur. Quanta benignitate excepti sint, quantaque lætitia a Romano Pontifice, quanto Episcoporum in cœtu auditi, quibus instrumentis, quibusve patrociniis, & quo eventu causam propter quam venerant, tandem peregerint : etsi nemo veterum mandavit memoriæ, intelligere tamen licet, partim ex adjunctis negotii & consuetudine temporum, partim ex actis Concilii Chalcedonensis, ubi pauca quidem de re verba sunt, sed amplissima tamen gestorum indicia. Negotio Theodoreti disceptato, judicialem sententiam tulit Pontifex, qua declaravit illum primo injuste damnatum & judicatum, deinde nunquam communionis Apostolicæ fuisse exortem, denique restituendum in sedem, ex qua per injuriam expulsus esset. Sententiæ hujus locuples testimonium, indubitatumque monumentum in Actis Concilii Chalcedonensis continetur. Nam cum actioni primæ daretur initium, Judices ab ipso Imperatore constituti, Theodoretum introduci jusserunt : *Quia restituit ei*, dicebant, *Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo.* Et postea, *Theodoretus, qui proprium locum recepit a sanctissimo Episcopo inclyta urbis Romæ &c.* Cum ventum esset ad actionem octavam, in qua Theodoreti causa tractanda erat, cumque ipse Nestorio anathema dixisset, Judices in hæc verba interlocuti sunt : *Omnis jam dubitatio de Theodoreto soluta est : quippe qui & Nestorium coram vobis anathematizavit, & a sanctissimo Archiepiscopo Senioris urbis Romæ Leone susceptus est, & definitionem fidei a religiositate vestra prolatam libenter suscepit, & insuper epistolæ memorati sanctissimi Archiepiscopi Leonis subscripsit. Restat ut sententia proferatur a reverentia vestra, ut Ecclesiam suam recipiat, sicut & sanctissimus Leo Archiepiscopus judicavit.* Græce, ἐδικαίωσε interlocutionem excepit Episcoporum conclamatio, *Theodoretus dignus est sede, divine Leo judicavit :* Græce, μετὰ τῦ θεῦ Λέων ἐδίκαιωσε. Tum Legati sedis Apostolicæ subjecerunt : *Theodoretum sanctissimus universæ Ecclesiæ Episcopus Leo dudum in communionem recepit, sicut litera ab eo ad humilitatem nostram directa testantur. Si igitur fidem Catholicam, sicut promittit, & secundum beatum Episcopum subscriptionem in proprio libello direxit, & nostræ insuper humilitati alio dato libello monstravit &c.* Ita sane vetus interpres Julianus Coënsis verbis simplicius inhærens, paullo melius alii, ut Venetus editor, Crabbus &c. *Cum igitur Catholicam fidem promittat, sicut & secundum prædictum beatum Episcopum subscriptionem in proprio libello direxit, & insuper dato humilitati nostræ alio libello manifestum fecit. Cumque Nestorio & Eutychi, non tantum scripto, sed etiam ore proprio, coram toto consessu, anathema dixerit &c.* Judicium igitur de Theodoreto a S. Leone exercitum est, non jure quidem privato, ob Ecclesiæ Romanæ Apostolicam potestatem ac dignitatem : sed in Synodo, juxta morem his temporibus consuetum.

11. Eodem anno 450. cum Theodosius e vita decessisset die 29. Julii, anno ætatis 49. Imperii 43. suffectus est in ejus locum Marcianus cum Pulcheria quam uxorem duxit. Fecit ea rerum mutatio, ut annitentibus Vincomalo officiorum Magistro, & Avieno Consule, Anatolioque Patricio, viris authoritate ac merito potentissimis, noster Theodoretus, cujus in sedem infanda Synodus nullum suffecerat, ab exilio revocaretur, suæque urbi restitueretur. De accepto ille beneficio unicuique trium, singulares gratias literis egit : petiitque agi suo nomine Principibus, sed simul de convocatione Concilii fieri preces. Sperabat siquidem fretus patronorum ope, suam se toti orbi innocentiam probaturum, & Dioscoro vicem repensurum. Epistola Theodoreti 134. ea de re ad Consulem Avienum est, 138. ad Anatolium Patricium, 140. ad Vincomalum officiorum Magistrum. Mirum vero, quibus artibus illustres viros alloquatur, quas delibat Joannes Garnerius in *Historia Theodoreti* cap. 11. pag. 142. An Theodoretus ipse

ipſe Auguſtis gratias egerit, incertum eſt: certum nihilominus obtuliſſe libellum precum. Nam in Concilio Chalcedonenſi actione 8. cum pro ſe interloqueretur, inquit: *Preces obtuli ſacratiſſimis, & piiſſimis & Chriſtianiſſimis mundi Dominis, & enarravi, quæ in me acta ſunt vulnera, & precor hæc perlegi.*

12. Quod tantopere optabat, id poſtulante Romano Pontifice perfectum eſt: imperiali ſiquidem ſanctione indicta generalis Synodus Nicææ Bithyniæ ad Kalendas Septembris anni 451. Verum cum urbs non placuiſſet Legatis Romanæ ſedis, deſignari aliam ab Imperatore obtinuerunt. Convenerunt igitur Chalcedonem ſexcenti & triginta Patres, & ipſe Theodoretus nominatim accerſitus, quippe qui Pontificia & regia auctoritate ſuam in ſedem reſtitutus eſſet. Cumque die 8. Octobris primum conſediſſent Patres, admiſſus ipſe quoque eſt in conſeſſum. Rem quomodo geſta ſit, narrat ex actis Concilii Chalcedonenſis, Facundus Hermianenſis Epiſcopus Lib. 5. cap. 5. *Pro defenſione trium Capitulorum*, eos refellens qui Theodoretum nonniſi octava actione admiſſum putarent. Obſtiterunt diu tumultuoſe Ægyptii ſimul & Illyriciani ac Palæſtini vociferantes rejici Cyrillum, cum Magiſtri Neſtorii, cum Judæus impugnator Dei, cum accuſator Cyrilli, cum recipiebatur homo, qui injuriam Chriſto feciſſet, quem Deus averſatus ſit, cui univerſa Synodus anathema dixiſſet. Sedatus eſt tumultus interloquentibus Principibus, ſuumque locum, ſed jure quidem Fiduciario, Theodoretus tenuit, donec actione 8. lis dijudicata eſt. Actionem octavam una fere totam tenuit Theodoreti cauſa, quæ quomodo in actis Concilii conſignatur, huc utiliter quidem afferretur, niſi ratio compendii a nobis ſuſcepta id prohiberet. Reſidentibus omnibus ante cancellos ſanctiſſimi altaris, reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: *Theodoretus modo anathematizet Neſtorium.* Poſt multas utrinque clamitationes Epiſcoporum, Theodoretique tergiverſationes ac protelationes, quibus & Neſtorium & Eutychem & omnem hominem dicentem vel opinantem duos filios, anathematizabat: tandem *Theodoretus reverendiſſimus Epiſcopus dixit: Anathema Neſtorio, & ei qui non dicit Dei genetricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum Filium unigenitum. Ego autem & fidei definitioni ſubſcripſi, & epiſtolæ ſanctiſſimi & Deo amantiſſimi Archiepiſcopi Domini Leonis, & ſic ſapio. Et poſt omnia hæc dixit, Salvete. Glorioſiſſimi judices dixerunt, omnis jam dubitatio de Theodoreto reverendiſſimo Epiſcopo ſoluta eſt: quippe & Neſtorium coram vobis anathematizavit, & a ſanctiſſimo & Dei amantiſſimo Seniore urbis Romæ Leone ſuſceptus eſt, & definitionem fidei a religioſitate veſtra prolatam libenter ſuſcepit, & inſuper epiſtolæ memorati ſanctiſſimi Archiepiſcopi Leonis ſubſcripſit. Deeſt igitur, ut ſententia proferatur a reverentia veſtra, ut Eccleſiam ſuam recipiat, ſicut & ſanctiſſimus Leo Epiſcopus judicavit. Omnes reverendiſſimi Epiſcopi clamaverunt: Theodoretus dignus eſt ſede, Eccleſia Paſtorem recipiat, orthodoxum Doctorem Eccleſia recipiat, Theodoretus dignus eſt ſede: Archiepiſcopo Leoni multos annos. Poſt Deum Leo judicavit, populus orthodoxum recipiat dignum ſua ſede, Theodoreto Catholico Doctori reddatur Eccleſia. Paſchaſinus & Lucentius reverendiſſimi Epiſcopi, & Bonifacius reverendiſſimus Presbyter, inſuper & Julianus reverendiſſimus Epiſcopus Coënſis, habentes locum Apoſtolicæ ſedis dixerunt: Sanctiſſimum & venerabilem Epiſcopum Theodoretum ſanctiſſimus & beatiſſimus univerſæ Eccleſiæ Epiſcopus, urbis Romæ Leo, dudum in communionem ſuſcepit, ſicut litteræ ab eo ad noſtram humilitatem directæ teſtantur. Si igitur fidem Catholicam, ſicut promittit, & ſecundum prædictum beatum Epiſcopum ſubſcriptionem in proprio libello direxit, & noſtræ inſuper humilitati alio dato libello monſtravit, quoniam & Neſtorium & Eutychem non ſolum ſcripto, ſed & ſub præſentia totius confeſſus ore proprio anathematizavit: hoc judicio ſanctiſſima & venerandiſſima Synodus, inſuper vero & noſtra humilitas, reddi ei propriam Eccleſiam definivit.*

13. Quæ poſt Concilium ſolutum atque prima die Novembris anni 451. finitum, Theodoretus geſſit, non tam fortaſſe in obſcuro latent, quam Baronius Sirmondusque opinati ſunt. Nam & Opera duo præſtantiſſimis quibusque prioribus paria conſcripſit, & literas dedit ad S. Leonem Romanum Archiepiſcopum, ab eoque accepit fidei ſuæ teſtes: & eam inivit vitæ rationem, qua ſuperioris temporis maculas abſtergere potuit, dignusque evadere, qui finem ſuis initiis plane admirandis congruum habuiſſe merito creditus ſit. Statim igitur peracta Synodo, proripuit ſeſe Chalcedone, ſive turbarum pertæſus, quas fugere jam per famam licebat: ſive id paſſus, quod humanitus contingit excelſi animi viris, quibus nihil intolerabilius conſpectu hominum ſuæ pœnitentiæ teſtium. Sporatius unus de illuſtriſſimis Judicibus, & ſingulare Theodoreti præſidium, abeunti mandatum dedit de explicanda hæreticarum fabularum, quotquot ab ortu Eccleſiæ extiterunt, differentia; ſingulisque Catholicorum dogmatum veritate opponenda. Opus hoc elucubravit Theodoretus anno 452. ſed edidit tantum anno 453. poſt Conſulatum Sporatii. Cujusmodi fuerit ſecedentis ſolitudo, narrat ipſe Epiſtola 147. Joanni œconomo, inquiens: *Mihi grata eſt quies, & vita curis libera: propterea fane & Monaſterii atrienſem januam obſtruxi, & amicorum congreſſiones devito.* Quin etiam a ſcribendis literis, edendisque in publicum tractatibus abſtinere ſtatuerat: ne quid avocaret animum ſe frui volentem, & rerum divinarum ſitim explendi avidum. Non ideo tamen omnem gregis curam depoſuit, ſed ut erat Monaſterium prope Cyrum, ita vacabat ſingulis rebus providendis, ſaltem majoribus, quam ut a Chorepiſcopis duobus, Hypatio & Abramio, agi poſſent. Non temere tamen quispiam pu-

taverit, Theodoretum abdicato Episcopatu, alterum sibi e duobus, Hypatium scilicet substituisse, seque totum scribendis libris, aut repetendis potius pristinæ vitæ religiosæ exercitationibus dedisse. In hoc secessu accepit a sancto Leone 63. Epistolam, qua Pontifex amorem in gratulando, paternum affectum in exhortando, fiduciam in datis mandatis ostendit. Ibidem rogante Hypatio, cæterisque familiaribus veritis, ne cum infirmo fractoque annis & malis Theodoreti corpore, interiret eximia in elucidandis Scripturæ abstrusis locis, qua pollebat, doctrina: juxta Photium Bibliothecæ Cod. 204. *Scripsit igitur explanationem in Octateuchum, quæ inscriptionem nacta est operi congruentem, in obscura & abstrusa Scriptura loca: in quibus sunt & ad libros Regum, & in Paralipomena. Utilissimum autem imprimis hoc opus &c.*

14. Quo tempore Theodoretus obierit, nemo definite tradit. Gennadius in Libro *de viris illustribus* cap. 89. defunctum ait sub Leone Augusto, qui regnare cœpit anno 457. unde colligi potest neque statim a Concilio Chalcedonensi obiisse, quod Sirmondo visum est: neque multum post initia Leonis Imperatoris superfuisse, quod aliis placitum. Facit adversus Sirmondum id etiam, quod Theodoretus in vivis adhuc die 10. Junii anni 453. fuerit, quo tempore literas ad eum Sanctus Leo dedit; Facit contra alios, quod de Theodoreto nulla fiat mentio post initum a Leone Imperium. Meminit, fateor, Theodoreti Marcellinus Comes ad annum Christi 466. Leone seniore tertium Consule, Indictione IV. inquiens: *Theodoretus Episcopus Sanctæ Cyri civitatis, scripsit de Incarnatione Domini adversus Eutychem & Dioscorum Alexandriæ Ecclesiæ Episcopum, qui humanam in Christo carnem negant.* Sed apertus est de tempore error Marcellini. Nam cum exscriberet verba Gennadii, tradentis Theodoretum scripsisse contra Eutychem & Dioscorum, & sub Leone seniore mortuum: indefinitam temporis notam, de media parte Imperii Leonis interpretatus est. In quo mirum, quantum hallucinatur: Siquidem *Enniates* qui contra Eutychem & Dioscorum scriptus dicitur a Theodoreto per Gennadium, prodiit in lucem ante annum 446. ut in recensione Operum manifesta ratione conficitur. Theodorus Lector in Collectaneis Lib. 1. hæc habet: *Vrnam Theodoretus magno Jacobo ad sepulturam paravit, ipsum autem Theodoretum prius mori contigit: in eadem tamen & ipse magnus Jacobus reconditus est.* Vnde non obscure concludi potest tempus, quo Theodoretus decessit. Nam Jacobus ille Thaumaturgus, adhuc anno Leonis Imperatoris secundo vivebat, qui Christi 458. si qua fides Evagrio Lib. 2. *Historiæ* cap. 9. Neque diu superstes esse potuit, cum ea tempestate admodum senex, & nonagenarius saltem, aut etiam major esset: quippe qui jam magni foret nominis propter prodigiosam vitæ rationem, quando Isauri latrones plurima Orientis loca depopulati sunt, quod anno 404. contigit. Hæc autem omnia si recte se habent, probabiliaque sunt, ostendunt Theodoretum, qui Jacobo ad sepulchrum præivit, diem extremum clausisse, anno quo Leo qui dicitur Senior, imperium capessivit, hoc est anno 457. vel potius sequente, qui fuit Christi 458.

15. In pace Ecclesiæ decessisse de vita, probant ampliſſimæ a veteribus sanctisque Scriptoribus, in ipsum post mortem congestæ laudes. Summi certe Pontifices, Vigilius, Pelagius I. Pelagius II. Gregorius Magnus, & alii venerabilem atque orthodoxum dicunt, defunctumque in communione universalis Ecclesiæ testantur. Ipsa etiam quinta Synodus, etsi erroribus Theodoreti graviter, ut par erat, infensa, nihil tamen personæ detraxit: imo aperte innuit, ad mortem usque non permansisse in iis, quæ damnanda putavit. Sunt & alia gravissima in hanc rem testimonia, quæ quia inter legendum sæpius occurrunt, sigillatim persequi opus non est. Hæc verbotenus ex Capitibus primis tredecim *Historiæ Theodoreti*, quam Joannes Garnerius adornavit.

Opera Theodoreti Latine edita sunt in folio, Romæ 1556. apud Paulum Manutium, Coloniæ 1567. 1573. Parisiis 1608. Coloniæ 1617. Græce autem & Latine digesta sunt studio Jacobi Sirmondi, doctissimi Theologi Societatis Jesu, Parisiis anno 1642. tomis IV. in folio apud Sebastianum Cramoisy. His Tomum quintum partim ex Codicibus MSS. partim ex iis quæ aliorum nominibus inscripta circumferebantur, collectum adjecit Joannes Garnerius Parisinus, ejusdem Societatis Theologus, eo jam mortuo Parisiis anno 1684. in fol. editum cura Joannis Harduini. Excrevit ad tantam molem *Auctarium Operum Theodoreti*, non ratione quidem novorum Operum, sed ob Dissertationes quinque admodum prolixas huic insertas, nec minus eruditas: quarum tres proprie ad Theodoretum spectant, nempe *de vita & Historia, de libris & de fide Theodoreti:* aliæ autem extra argumentum sunt, ut Dissertatio Critica *de quinta Synodo Generali* a pag. 493. ad 549. *Collectio Epistolarum ad Theodoreti & Orientalium causam spectantium* a pag. 549. ad 685. *Sermones Eutherii Tyanorum Episcopi* p. 685. ad finem.

CAPVT SECVNDVM.

EXAMINANTVR QVÆ TOMO PRIMO OPERVM THEODORETI CONTINENTVR.

DVas in partes dividitur Tomus primus Operum Theodoreti, in priore *Quæstiones in Octateuchum, in Libros Regum & in libros Paralipomenon* elucidantur: in posteriore *Interpretationes in omnes Psalmos & in Cantica Canticorum perpetuæ*, recensentur. Non una tamen in utraque parte, ratio interpretandi servatur: nam in prio-

priore, Quæstiones ambiguæ per interrogationem & responsionem solvuntur: in posteriore, mos ordinarius commentandi & perpetuus, retinetur. Prior pars est quasi magisterium Theodoti senis, posterior velut rudimentum illius scribere incipientis. Illam e Græco in Latinum verterunt Joannes Picus in Senatu Parisiensi Præses, & Gentianus Hervetus Remensis Canonicus: istam Antonius Caraffa & Franciscus Zinus: utramque autem recognovit, sed paucis admodum immutatis, Jacobus Sirmondus. Quantum igitur ad *Quæstiones in Octateuchum*, hoc est in *Genesim*, *Exodum*, *Leviticum*, *Numeros*, *Deuteronomium*, *Josue*, *Judices* & *Ruth*: nactæ illæ sunt interpretem Joannem Picum in Senatu Parisiensi Classium inquisitoriarum Præsidem, virum in Græcis versatum. Impressa hæc versio Parisiis a Pico, cujus Præfationis excerptum præmittit Sirmondus editioni suæ Græcolatinæ. Idem in editione Græca Operis ejusdem, procurata ibidem anno 1558. Calendis Februarii, unicum se nactum esse exemplar Græcum ab Asulano Veneto, ipsumque imperfectum, & in singulis pene paginis mendosum, confitetur, cujus nonnulla ex Catena Oecumenii correxerit. *Quæstiones* autem *in libros IV. Regum & in 2. Paralipomenon*, interpretem habent Gentianum Hervetum Aurelianensem, Remensis Ecclesiæ Canonicum, ex MS. Codice quem anno 1558. habuit, dum esset Tridenti in Concilio cum Cardinali Lothareno, ut in Epistola ad Lectorem testatur, quam editioni quoque suæ Sirmondus præmittere dedignatus non est. Quantum autem ad Quæstiones in Octateuchum Sirmondus in Præfatione suæ editionis, testatur se eas contulisse cum Manuscripto codice Bibliothecæ Regiæ quod non extabat tempore Pici, atque ex eo plura correxisse his verbis. „Primum autem de Quæ„stionibus in Octateuchum, quæ sunt in princi„pio Tomi primi: cum harum exemplar in Bi„bliotheca regia Joannes Picus interpres, nul„lum ætate sua fuisse narret: optimum vetu„stissimumque in ea nunc esse, quod nobis non „solum Theodoreti Præfationem hactenus non „editam, cum iis quæ in Pici codice sub finem de„siderabantur exhibuit: sed & alia passim mul„ta vel pleniora vulgatis, vel emendatiora sub„ministravit, perturbationemque illam discussit, „quæ suspensos legentium animos in Quæstione „XX. morabatur. Hæc Sirmondus.

Quæstiones in Genesim pag. 1.
Quæstiones in Exodum 77.
Quæstiones in Leviticum 114.
Quæstiones in Numeros 141.
Quæstiones in Deuteronomium 166.
Quæstiones in Josue filium Nave 194.
Quæstiones in Judices 208.
Quæstiones in Ruth 224.
Quæstiones in Libros IV. Regum 229.
Quæstiones in libros Paralipomenon. 362.

Horum omnium sub nomine Theodoreti, meminit Photius in *Bibliotheca* Cod. 204. his verbis. Ἀνεγνώσθη τοῦ αὐτοῦ θεσπεσίᾳ ἀνδρὸς τῆς μακαρίᾳ Θεοδωρήτου, ἐξήγησις εἰς τὴν ἑπτάτευχον. Ἐπιγραφὴν δ' ἔλαχε συμβαίνουσαν τῷ ἔργῳ. Εἰς τὰ ἄπορα γάρ χειμαζίζει τῆς γραφῆς. Ἐν οἷς ἐξῆ καὶ εἰς τὰ τῶν Βασιλειῶν, καὶ εἰς τὰ παραλειπόμενα χρήσιμον δ' εἰς τὰ μάλιστα τὸ βιβλίον. *Legi ejusdem divini viri, beati Theodoreti Explanationem in Octateuchum, quæ inscriptionem nacta est operi congruentem,* in obscura atque abstrusa Scripturæ loca: *in quibus sunt, & ad Libros Regum & ad Paralipomena. Utilissimum autem imprimis hoc Opus &c.* Interpretationem in Octateuchum agnoscit Theodoretus ut suam, in præfatione ad libros Regum, his verbis. Ἐπειδὴ τῆς θείας χάριτος ἀπελαύσαντες, Μωσέως τοῦ νομοθέτου τοὺς βίβλους, καὶ Ἰησοῦ τοῦ προφήτου καὶ τῶν Κριτῶν καὶ τῆς Ρὰθ ἡρμηνεύσαμεν· Φέρε πάλιν τῶνδε τῶ Φωτὸς τὴν αἴγλην λαβόντες ἱκετεύσαντες, τοὺς τῶν βασιλειῶν ἀναπτύξωμεν ἱστορίας. τοὺς μὲν σαφῆ παριόντες, τοὺς δὲ σαφηνείας δεόμενα δῆλα τοῖς εὐτυγχάνουσιν ἀποφαίνοντες· ἵνα σου τὴν αἴτησιν, ἐραστμιώτατε παίδων Ὑπάτιε, μὴ καταλείπωμεν ἀτελῆ. *Quoniam divina freti gratia, interpretati sumus Libros Moſis Legislatoris & Jesu Prophetæ & Judicum, & Ruth: age, ſplendorem hujus lucis rursus accipiamus iterum implorantes, explicemus Regum historias. Ea quidem quæ ſunt aperta prætermittentes, quæ autem declaratione indigent, lectoribus declarantes, ne tuam petitionem, o filiorum amabiliſſime Hypati, relinquamus imperfectam.* Omnes igitur has quæstiones elucidandas Theodoretus aggressus est ad Hypatii instantiam, ut constat tum ex Præfatione in Octateuchum ad Hypatium directa, tum ex altera ad eundem, quæ Quæstionibus in libros Regum præmittitur.

Postremis vitæ temporibus Commentaria hæc Theodoretus composuit, nam de ipsis in nullo alio Opere meminit, cum in his alia plura appellet. Quæstione I. in Leviticum, quæ est de causa, cur Deus sacrificia sibi offerri jusserit: de aliis suis Operibus inquit, *de his diximus multis in locis, tum in his quæ contra Græcos ſcripſimus, & adverſus hæreſes: tum in his quæ adverſus Magos: præterea in Enarrationibus Prophetarum, & in Apoſtolicarum Epiſtolarum Commentariis.* Scripserat igitur hæc omnia Opera & Commentaria quæ illic citat, antequam aggrederetur has Commentationes in Octateuchum & in Libros Regum & Paralipomenon. Imo & *Commentarium in omnes Pſalmos* jam antea, licet prolixissimum scripserat: nam Quæstione 43. in librum II. Regum, cum ageret de hymno triumphali, quem David post hostes ipsumque Saülem devictum, Domino Deo cecinit, subdit: *Conſonat cum Pſalmo VII. vel potius idem eſt, habens paucas nominum mutationes. Ego autem cum aliis Pſalmis hunc quoque interpretatus, ſupervacuum exiſtimavi ſecundam*

componere interpretationem. Posteriora sunt igitur Commentaria hæc, libris de Græcanicis affectionibus curandis, hæreticarum fabularum, ad quæsita Magorum, Psalmorum, Prophetarum, & Epistolarum Apostoli: quæ nondum certe composita fuerant, cum Theodoretus scriberet, vel Eusebio Ancyrano anno 445. vel sancto Leoni anno 449. Alias sane de ipsis non siluisset, cum ad rem suam vel quam maxime facerent. Quod autem in Epistola 116. ad Renatum Presbyterum, se sacram Scripturam ait interpretatum fuisse: ut indefinite dixit, ita intelligendum perinde atque est in Literis ad S. Leonem una missis, *de prophetiis oraculis:* quo nomine significantur pro more, Psalmi, Cantica, & Prophetæ, sive majores, sive minores.

Composita esse post Concilium Chalcedonense, imo post annum 453 certa ratio demonstrat. Sunt enim elaborati post Libros quinque *de hæresibus*, qui libri post Concilium Chalcedonense anno 453. editi sunt, ut certo argumento conficietur paulo post. Allegantur enim hi libri *de hæresibus*, jam conscripti ante hæc Commentaria in Octateuchum, ut ex Quæstione I in Leviticum superius allata constat. Necesse est igitur supremum fuisse Theodoreti laborem, qui primus in editione Operum extat. Et vero cum ad ipsum suscipiendum ab Hypatio impelleretur, infirma valetudine utebatur: quam ego infirmitatem, magna saltem ex parte, senectutem interpretor, tum ex Epistola 113. ubi eadem fere verba usurpantur: tum ex eo quod Hypatium non jam Presbyterum duntaxat & Chorepiscopum, sed Cyri Episcopum, παιδῶν Φίλτατον & ἐρασμενώτατον appellat, quam loquendi formam sola senis ætas, hominem quem educaverit alloquentis, excusat: tum denique quoniam in præfatione ad Libros Regum, se ad hanc etiam partem perficiendam accedere scribit, *ne petitionem Hypatii imperfectam relinquat*, morte scilicet præventus. Opinor igitur auctorem non diu superstitem fuisse tanto operi, neque enim brevi tempore absolvi potuit, sed meditatione diuturna: cum ut ita loquar, medullam intelligentiæ Scripturarum contineat. Accessit autem ad opus post annum 453. qui obiit tamen anno 457. vel 458.

Dictum hactenus quo tempore, quo impulsore, & qua de causa opus istud susceptum atque etiam absolutum sit: nunc cur alia explanandi forma quam qua in aliis, usus sit Theodoretus, rationem affert: quod sit utilior, quod sit exemplo Christi qui interrogabat dum doceret, similior: quod fastidii minus taediique habeat: denique si modestia permisisset, addere poterat, quod eruditum senem magis deceat.

Quæstione II. III. & IV. in Genesim habet de Angelis sermonem, eosque docet esse creatæ naturæ atq; incorporeæ, sed tamen circumscriptæ: singulis hominibus, imo & Gentibus, suum esse assignatum custodem: eos in loco esse, quia circumscripti sunt: in tempore, quia creati: factos cum cœlo & terra, quamvis non sit contra verbum pietatis, dicere ante cœlum & terram esse conditos.

Quæstione XIX. Cum hæc verba *faciamus hominem ad imaginem &c.* interpretaretur, Catholicam de Incarnatione Christi doctrinam tradit, quasi testamento fidem suam consignans. Cum enim promiscue πρόσωπον & ὑπόστασιν de Trinitate differens usurpasset, atque adeo ostendisset se nomen προσώπου sensu physico accipere, hæc habet: *Deus qui præscit omnia, quæ nondum facta sunt tanquam jam facta, & qui prævidebat Incarnationem & inhumanationem Unigeniti, quodque ex Virgine eandem naturam sumpturus esset, quam sibi coaptaret & uniret sic, ut una persona Dei & hominis intelligatur, & una eademque illi adoratio ab universa creatura deferatur &c.* Inde fit evidens adversus Severianorum calumniam, quam sincera fuerit Theodoreti professio fidei Chalcedone in Concilio facta, quamque ex animo, imputatis Nestorio dogmatibus anathema dixerit.

Quæstione XX. quæ est de similitudine hominis cum Deo, afferuntur testimonia Diodori, Theodorique & Origenis: quæ nonnullis visa sunt non a Theodoreto sed ab alio inserta, propterea quod post argumenti tractationem & opinionum sine authorum nomine relationem, non admodum utilia sunt. Verum cum iidem interpretes in quæstionibus consequentibus XXI. XXII. XXVIII. XXXIX. XL. & LVII. laudentur, Garnerius existimat Theodoretum habuisse in animo, ad insigniores locos proferre sententias tantorum virorum: sed laboris magnitudine deterritum abstinuisse, unde crevisset nimium opus, quod breve esse voluerat. Ellias tamen du Pin, testimonia ista illuc intrusa putat, seculo 5. tomo 4. *Novæ Bibliothecæ Ecclesiasticæ* in *Theodoreto* pag. mihi 87. quod in MS. Codice Bibliothecæ Regiæ desiderentur. Idemque affirmat Jacobus Sirmondus in Epistola ad Lectorem, quam editioni suæ Operum Theodoreti præmisit.

Quæstione XXXVIII. in Deuteronomium, cum capitis 29. & 30. maledictiones peccantibus intentatas, & benedictiones pœnitentibus factas interpretaretur: Ostendit Judæis, sæpe olim post peccata contritis datam esse veniam, non fuisse vero post Christum occisum. *Id sapissime factum est*, inquit, *ut clarissime patet ex libro Judicum, & historia Regnorum & Paralipomenon. Postea vero qui debacchati fuerant in Salvatorem, in universam terram & mare dispersi sunt, & cum quadringenti anni effluxerint, non sunt revocationem consecuti.* Potuit annos quadringentos numero integro, etsi anni 17. deessent, propterea quod exacta computatio nihil faceret ad rem: siquidem comparat pristinas populi Judæi servitutes cum postrema, quæ quarumlibet aliarum durationem superare satis deprehenderetur, etsi de

Digitized by Google

de quadringentis annis plures quam septendecim detrahi rentur.

Interpretatio in omnes Psalmos. p. 393.

Antonius Carafa, qui *Interpretationem Theodoreti in Psalmos* Latine vertit, atque Patavii anno 1564. edidit, in Epistola nuncupatoria ad Alfonsum Carafam Cardinalem ita habet. „Ego vero non contentus legisse Psalmos, adhibitis omnium Latinorum patrum explicationibus, „diligenter perquisivi, an etiam Græci aliquid in „hoc genere scriptum reliquissent. Theodoreti igitur Episcopi Cyri, viri sanctissimi Commentarios nactus, qui nondum impressi sunt, „Manuscriptos: operæ pretium me putavi esse „facturum, si laborem hunc susciperem, ut eos in „Latinum Sermonem converterem: cum tu „præsertim mihi auctor esses, ut id efficerem. „Confirmavit me in hac sententia, & stimulos „etiam addidit, Guillelmus Sirletus Protonotarius, vir optimus & eruditissimus, qui omne hoc „Scriptorum genus diligenter evolvit: exposuitque mihi, me nulla in re, quæ aut laudabilior aut fructuosior tum mihi, tum aliis esset, „operam ponere posse: quam in his Theodoreti Commentariis vertendis e Græco in Latinum sermonem, ut a pluribus legi possent. „Incommode autem accidit, opinor, quod non „ediderim simul & Græcum contextum: sed „Librarios ut id efficere vellent, adducere non „potui. Quod ut aliquando faciant, orare non „desistam. Timendum enim est, ne si non imprimantur, aliquando Græca exemplaria pereant. Vix enim unum Manuscriptum extat „vetustissimum, quod sciam, Venetiis in Marciana Bibliotheca Patavii, Calendis Augusti „1564.

Theodoretus ipse expresse meminit *Interpretationis suæ in Psalterium*, tum in Epistola 82. ad Eusebium Ancyranum Episcopum, tum Quæstione etiam XLIII. in Librum II. Regum. In Epistola 82. ad Eusebium his verbis, Διὰ γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν, καὶ τοὺς Προφήτας ἅπαντας ἡρμηνεύσαμεν, καὶ τὸ Ψαλτήριον, καὶ τὸν Ἀπόστολον. *Quæ est divina gratia, & Prophetas omnes Commentariis exposui, & Psalterium & Apostolum.* In Librum 2. Regum, quæst. XLIII. loquens de Hymno, seu Cantico Davidis ob victoriam: Ἐσὶ δὲ σύμφωνος τῷ ιζ ψαλμῷ, μᾶλλον δ' αὐτὸς ἐσὶν, ὀλίγας ἔχων ὀνομάτων ἀλλαγάς. Ἐγὼ δὲ μετὰ τῶν ἄλλων ψαλμῶν, καὶ τοῦτον ἡρμήνευσας, περισσὸν ὑπέλαβον δευτέραν ἑρμηνείαν ποιήσασθαι. *Consonat autem Psalmo XVII. vel potius idem est, paucas habens nominum mutationes. Ego autem cum aliis Psalmis hunc quoque interpretatus, supervacaneum existimavi secundam componere interpretationem.* Nicephorus Callistus Lib. 14. cap. 54. Historiæ Ecclesiasticæ, opera Theodoreti enumerans, scribit: Ὡσαύτως καὶ εἰς τὸν ψαλτῆρα ἕτερον σύγγραμμα καταλέλοιπε. *Similiter & in Psalterem aliud opus reliquit.* Suscepit igitur id operis ante annum 433. nam cum anno 445. Epistolam 82. ad Eusebium scriberet, tradit se ante duodecim annos, confecisse libros quos illic enumerat. Secundo autem loco *Expositionem Psalterii* enumerat. Quamvis vero hoc argumentum probabile sit ac verisimile, dictum tamen Theodoreti debet restringi ad priores libros quos recenset: nam *Philotheum* qui postremus nominatur, vix ante annum 445. scriptus dici potest, ut suo loco demonstrabitur. Quodsi autem ita se res habet, id operis compositum esse oportet post Synodum Ephesinam, quando res Nestorianæ adhuc admodum ferverent, paxque inter Ecclesias, invito Theodoreto inita esset. Oportet & pertinere ad libros, qui in literis ad S. Leonem anno 449. datis, ante quindecim annos scripti dicuntur. Inde fit, ut quoniam æger animus vix conceptam perturbationem continere solet, subinde nonnihil inter interpretandum erumpat, aut iracundiæ, aut querelarum, aut ægritudinis: quod attentus Lector non semel observabit.

Theodoretus videri potest tradere, non continuum fuisse totius operis elucubrandi laborem, sed aliorum scriptione interruptum: ait enim in Præfatione hujus operis, *Hoc nostrum desiderium*, nimirum Psalterii explanandi, *non sinerunt ad finem pervenire, si qui a nobis sacrorum aliorum voluminum explanationes efflagitarunt. Namque imposuerunt nobis nonnulli, ut Canticum Canticorum exponeremus: aliqui vero, viri desideriorum, Prophetiam desideraverunt cognoscere: alii divini Ezechielis, alii duodecim Prophetarum prædictiones obscuritate involutas, enucleari sibi & declarari flagitarunt.* Malim tamen ego assentiri Sirmondo, existimanti integrum Opus post memoratos libros esse compositum. Id enim suadent verba allatis priora: *Propterea hanc primam Prophetiam volebam exponere, atque ingeniosis mercatoribus, eam quæ in profundo est, utilitatem proponere: ut canentes simul, & eorum quæ canunt, sententiam percipientes, duplicatum fructum percipiant.* Suadent etiam sequentia: *Postquam igitur dedit nobis Deus, ut Commentarios, in hæc ipsius eloquia ad finem perduceremus; age hujus etiam Prophetiæ expositionem fidenter aggrediamur.* Quo consilio ad hunc laborem accesserit, dilucide exponit in Præfatione operis, his verbis: *Mihi quidem præ cæteris divinis oraculis optabile fuit, magni Davidis Prophetiam interpretari, quandoquidem religionis alumni, tum qui urbes, tum qui agros incolunt, præcipuam operam huic parti navant omnes: imprimis vero qui monasticam vitam agunt, dies noctesque Davidicos versus in ore habent.* Inde patet quodammodo causa, cur a Monachis interpretationem hanc sui gratia factam assidue versantibus, plurimi æstimata sit.

Ostendit etiam, quam rationem in exponendis Psalmis teneat, & quam ob causam. *Cum in varios incidissem Commentarios, qui partim in allegoriam cum multa satietate abibant, partim vero prophetiam quibusdam historiis sic adaptabant, ut Judæo potius interpretatio suffragaretur, quam fideli alumnis: solertius esse putavi, & horum & illorum im-*

immodicitatem fugere. Quacunque quidem priſcis hiſtoriis cohærebant, his hæc accommodare etiam nunc: prædictiones autem de Domino Chriſto, & de Eccleſia ex gentibus conſtanda, nec non de Evangelica Republica, deque Apoſtolicis prædicationibus, non aliis quibusdam adſcribere, quod Judæi facere ſolent, qui malitia aſſueti ſunt, & ſuæ incredulitatis excuſationem texunt. Satius enim eſt rerum ipſarum teſtimonium, ut ad veritatis interpretationem deducat eos, qui illam reperire deſiderant: unde non admodum laborioſa erit nobis prædictionis expoſitio, ſiquidem hanc dilucidam facit rerum contemplatio. Studebimus autem, quod in nobis erit, orationis prolixitatem vitare, & compendioſam volentibus utilitatem proponere. Quos aut faſtidioſæ allegoriæ, aut nimii in Judæos favoris, aut tædioſæ prolixitatis, expoſitores redarguit: ii ſunt Apollinarius, Theodorus Mopſueſtenus, & Joannes Chryſoſtomus. Apollinarius indulſit allegoriis, Theodorus Judaicis expoſitionibus, Chryſoſtomus prolixitati. Abſtinuit vero ab his auctoribus nominatim appellandis propter reverentiam, nam Apollinarii famam ſuſcipiebat, reliquos duos ut magiſtros colebat. Ita tamen hac in parte Chryſoſtomum ſecutus eſt, ut aliud nihil fere præſtare videatur, quam quod effuſam illius orationem contrahat. Sententias certe ſæpius expreſſit, verba autem aliquando exſcripſit. Id cum pluribus exemplis manifeſtum fiat, tum clariſſime patet, ſi utriusque interpretis & legatur & conferatur Commentarius in Pſalmum L. ad hæc verba, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum &c.* Etſi aliquando ſecutus ſit Theodorum Mopſueſtenum, hunc tamen ut plurimum, idque juſtis de cauſis deſerit. Nam Theodorus primo, multa in Pſalmis de Chriſto dicta, detorquet alio: Deinde adoleſcens octodecim annorum Davidem interpretatus eſt, cum plus audaciæ haberet quam eruditionis. Poſtea ejusmodi Expoſitione invidiam multorum ſibi conflavit, quaſi Judæis faveret: denique ipſe ſuum juvenile opus non admodum probabat, ut infectum etiam vellet. Ingenue tamen fatendum quod res eſt, ea nonnunquam in Catenis legi ex Theodoro in Pſalmos, quæ oſtendant, ab ipſo literalem ſenſum feliciter expoſitum fuiſſe: ut mirabile ſit, in adoleſcente tantam Scripturæ intelligentiam exiſtere potuiſſe. Hæc ex Garnerio a nobis, verbotenus collecta ſunt, ut in Prologo Diſſertationis hujus dictum eſt.

Adjecit idem Garnerius in *Auctario Operum Theodoreti* pag. 1. ex Manuſcripto Codice Vaticano 752. *Compendioſam rationem Theodoreti, de modo quo Pſalterium conſtatum eſt, quoque Pſalmi diſpoſiti: de libris qui memorantur in Scripturis, quaſi ſint nec tamen reperiuntur: de iis quæ in fine a David geſta ſint: & de Interpretibus Pſalterii, quo numero & quo loco.* Item ibidem pag. 7. *Excerpta Theodoreti in Pſalmos* ex Codice 247. bibliothecæ Palatinæ in Vaticana, quæ ad pag. 20. extenduntur. Adjuxta Elliam du Pin in *Theodoreto* pag. mihi 90. conſtat hanc *Præfationem in Pſalterium* a Garnerio ſubminiſtratâ, non ſpectare ad Theodoretum: cum auctor illius alleget in ea res, quæ cum vera Theodoreti in Pſalterium præfatione non concordant. Idem dicendum de *Excerptis Commentarii in Pſalmos* relatis, quæ auctoris recentioris ſunt, qui cum Commentationem Theodoreti in Pſalmos aliquando legiſſet, illam utcunque verbotenus delibat: ſed non cum ea diligentia, ut voces illius omnes a Commentario Theodoreti mutuatæ cenſeantur.

CAPVT TERTIVM.

VTRVM COMMENTARIVS IN CANTICA CANTICORVM, AD THEODORETVM PERTINEAT?

QVæſtionem hanc late agitat in *Theodoreto* Ellias du Pin pag. 90. ſed omnia mutuata ex Joanne Garnerio qui diffuſe hoc argumentum perſequitur in Diſſertatione *de Scriptis Theodoreti* cap. 3. parag. 3. pag. 184. atque ſequentibus. Præmittit Sirmondus editioni ſuæ ante Commentarium Theodoreti in Pſalmos, verba Petri Galeſinii ad Pium IV. Pontificem de *Commentario Theodoreti in Cantica Canticorum* per Franciſcum Zinum Latine reddito. „Theodoreti eruditiſſimi viri Commentarium in Salomonis librum, quem appellamus *Canticum Canticorum*, Franciſcus Zinus in hoc interpretandi genere egregie verſatus, Latine reddidit: idque tum ſuadentibus quatuor illis Cardinalibus, quorum fidei patrocinioque, hæc Romanæ librorum impreſſionis cura commiſſa eſt: tum quia is ut homo bene a natura informatus, beneque de republica ſentiens, libenter in iis rebus operam ponit, in quibus aliquis Chriſtiani nominis ſplendor eſſe poſſit. Et quoniam Sanctitatis tuæ ſempiternæ gloriæ tam is favet, quam qui maxime: voluit librum hunc nomini tuo inſcriptum, in aſpectum omnium atque in lucem emitti &c. 1563.„ Edita ergo Franciſci Zini verſio *Commentarii Theodoretiani in Cantica Canticorum*, ex typographia ipſa Pontificia, an. 1563. unde in editionem Sirmondi advenit, ubi tomo 1 pag. 983. ad finem voluminis. Porro interpretatum ſe *Canticum Canticorum* teſtatur Theodoretus, ſemel quidem, ſed aperte, Præfatione in Pſalmos: *οἱ μὲν γὰρ τῷ ἄσματι τῶν ἀσμάτων ἐπήγγειλαν τὴν σαφηνείαν, οἱ δὲ τῷ πάνδεσι τῶν ἐπιθυμιῶν ἐπεθύμησαν διαγνῶναι τὴν προφητείαν, ἄλλοι δὲ τῇ θεοπνεύστῳ ἐζευρὼν, καὶ ἕτερος τῶν δώδεκα προφητῶν τὰς τῇ αἰσχρείᾳ κεκρυμμένας προῤῥήσεις σαφεῖς αὐτοῖς γενέσθαι καὶ δῆλας ἐζήτησεν. ἐπειδὴ τοίνυν δέδωκεν ὁ τῶν ὅλων θεὸς &c. τούτων αὐτῷ τῶν θείων λόγων συμπαρόντων τὴν ἑρμηνείαν· φέρε καὶ τῆσδε τῆς προφητείας κατατολμήσωμεν. Imponamusne nobis nonnulli, ut Canticum Canticorum exponeremus: aliqui vero, viri deſideriorum deſideraverunt prophetiam eo-*

cognoſcere: alii divini Ezechielis, alii duodecim Prophetarum prædictiones obſcuritate involutas, enucleari ſibi ac declarari poſtularunt. Poſtquam igitur dedit nobis Deus ut Commentarios in hæc ipſius eloquia ad finem perduceremus, Age, hujus etiam prophetiæ expoſitionem fidenter aggrediamur.

De interpretatione autem quam Græce pariter & Latine ex Zini verſione edidit Sirmondus, dubitaverit forte quispiam, ſitne Theodoreti, an alterius. Theodoreto tribuit Sirmondus, pro quo graviſſima ſex faciunt argumenta. *Primum*, ipſiusmet Sirmondi viri perſpicaciſſimi atque eruditiſſimi judicium. *Alterum*, fides gemini manuſcripti Codicis, nempe Itali quo Franciſcus Zinus uſus eſt, & Collegii Societatis Jeſu Pariſienſis Claromontani, quo Sirmondus. *Tertium* ipſiusmet Theodoreti teſtimonium, expoſuiſſe ſe *Cantica Canticorum* ſcribentis, Præfatione in Pſalmos. *Quartum* auctoritas Pelagii II. Pontificis, aut Gregorii Magni potius, Epiſtolam Pelagii nomine ad Eliam Aquilejenſem & Epiſcopos Iſtriæ ſcribentis. „*Cum Theodorus*, „inquit *Canticum Canticorum vellet exponere, Salo-*„*monem per hunc librum Æthiopiſſæ Reginæ blandi-*„*tum eſſe profeſſus eſt: quod Theodoretus repre-*„*hendens, nomen quidem Theodori ſuppreſſit, ſed ta-*„*men veſaniam patefecit: ejus namque libri com-*„*menta deſcribens ait:* Audio plures Canticum „Canticorum detrahentes, & non credentes „ſpiritalem eſſe librum, fabulas autem quasdam „aniculares per veſaniam texentes componere, „& præſumere dicentes, quia ſapiens Salomon „ad ſeipſum & filiam Pharaonis, hunc librum „conſcripſiſſet.„ Quæ verba extant in Præfatione operis a Sirmondo editi. *Quintum* prolixus quidam Ezechielis locus continens verba Dei ad Hieruſalem, cui velut inſanæ meretrici, allegoricis vocibus, infandum idololatriæ crimen exprobrat: eodem hic & in Commentariis ad Prophetam ſenſu, ac pene verbis explicatur. *Sextum* conſonantia eorum quæ hic afferuntur, cum aliorum Operum & præſertim Commentariorum in Pſalmos locis pene innumeris. *Poſtremum* conſenſus eruditorum virorum, ſive qui Sirmondum antecelſerunt, ſive qui ſecuti ſunt.

Quæ in contrarium pugnant, neque pauciora ſunt, neque minoris momenti. Nam auctor quisquis eſt, perinde ſe gerit, ac ſi vellet alium ſe a Theodoreto probare: ſiquidem refert *primo* id ſe Operis aggreſſum, *quamvis innumerabilibus tum urbanis, tum ruſticanis, tum militaribus, tum civilibus, tum ad Eccleſiam, tum ad Rempublicam pertinentibus occupationibus diſtractus eſſet.* ἢ τρεῖς μυρίαις ἀσχολίαις ἢ χωρητικαῖς, πραγματικαῖς τε καὶ πολιτικαῖς, ἐκκλησιαστικαῖς τε καὶ κοιναῖς περιεχόμενι φροντίσι. Qua vero ratione Theodoretus, cum in Monaſterio ad Epiſcopatum usque vixerit, & poſtquam Epiſcopatum ſuſcepit, d vinis rebus tractandis totus incubuerit, ita ut in Epiſtola 81. ad Nomum, *poſt ordinationem annis viginti quinque ſic vixiſſe dicat, ut neque in jus a quoquam vocatus ſit, nec ipſe quenquam accuſarit:* quomodo inquam aut urbanis aut ruſticanis, aut militaribus, aliisque præfatis curis diſtrahebatur? Innuit *deinde* ſe vivente Chryſoſtomo ſcribere, dum in Præfatione inquit: *Fortis ille pietatis propugnator Diodorus, & Joannes qui ad hunc usque diem doctrinæ fluentis irrigat universum orbem terrarum, librum hunc ſpiritalem eſſe cenſuerunt.* Atqui Theodoretus in Cantica ſcripſit, cum Epiſcopus jam eſſet, & vix vigeſimum tertium ætatis annum attigerat, dum Chryſoſtomus vivere deſiit, fato enim functus eſt an. 407. *Tertio* in Theodorum Mopſueſtenum graviter invehitur, tacito quidem nomine, ſed ſuis ſatis characteribus indicata perſona. Quid enim gravius dici queat in virum ea tempeſtate celeberrimum, quam quod narret *fabulas, ne delirantibus quidem aniculis dignas, falſas & pernicioſas opiniones inducat, maledicta & contumelias in Spir. Sanctum conjiciat, Patribus longe inferior ſit ſapientia & ſpiritu &c.* Theodorum tamen Theodoretus, & junior ut patrem ac magiſtrum coluit: & matura jam ætate, ſcriptis libris, contra Cyrillum, velut divinum pietatis propugnatorem defendit: & paulo ante obitum, tunc cum *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* ſcriberet, immenſis laudibus ornavit, *Quaſi fuerit totius Eccleſiæ magiſter, hæreticarumque omnium cohortium debellator, ac optimam divinis ovibus herbam ſuppeditaverit.* *Quarto* tradit ſacra volumina partim a Manaſſe, qui omnes ſive priores, ſive poſteriores Reges ſcelere & impietate vicit, combuſta eſſe: partim captivitatis tempore, templo a Babyloniis incenſo, penitus interiiſſe. Sed tale nihil de Manaſſe Theodoretus, neque Libro IV. Regum, neque Libro II. Paralipomenon ſcribit, cum tamen curioſius omnia ipſius ſcelera recenſeat. *Quinto* prolixiores illi Commentarii non ſapiunt breviloquentiam, quam in aliis aliorum librorum Expoſitionibus obſervat Theodoretus. Denique *Sexto* ſi opus a Zino verſum Theodoreti ſit, mirum profecto, cur Theodoretus, erroris nomine ſuſpectus, ad illud non perinde atque ad alios libros provocaverit, quo fidem ſuam de Incarnatione rectam eſſe probaret. Nusquam enim aut clarius, aut Eccleſiæ Catholicæ conſonantius quidquam de Chriſto protulit. Adde quod in Catenis ad Canticum Canticorum, a nemine adducitur: cum tamen ſoleat & quidem frequenter, ad alios Scripturæ libros, quos ſuis Commentariis expoſuit. Imo ubi ſemel, quod quidem meminerim, a Neophyto Monacho laudatur, aſſertur fragmentum, quod fruſtra in Opere Sirmondianæ editionis quæras. Ad hæc enim verba cap. 3. v. 9. Φορεῖον ἐποίησεν ἑαυτῷ ὁ βασιλεὺς Σολομὼν ἀπὸ τοῦ Λιβάνου &c.

In hac quæſtione, fateor, hæſi diu incertus, quo me verterem: nam argumenta utriusque partis, prima quidem ſpecie intuenti, invicta videbantur: ſed reflectenti animum, aliquatenus infirmari poſſe. Nam primo id quod pro priore parte, quatuor primis rationibus, ducebatur

argumentum ab auctoritate doctorum: elevari poteſt, ſine detrimento honoris tantis nominibus debiti. Qui enim Sirmondum ſecuti ſunt, Sirmondo religioſe credidérunt: Sirmondus Zino, Zinus codicis Græci exſcriptori. Potuit tamen exſcriptor in errorem induci a prioribus aliis, nec id mirum videri debet: cum jam inde a fine ſeculi ſexti, quo tempore Gregorius Magnus, nomine Pelagii ſcribebat, tam facile potuerit Commentarius in Canticum aliquis Theodoreto ſupponi: quam re ipſa ipſo quinto ſeculo, Hiſtoriarum libri quinque, Theodoreto ſuppoſiti ſunt. Si ſuppoſitio *Hiſtoriarum*, Gennadium ejusdem cum Theodoreto ſeculi ſcriptorem Latinum, latuit: quidni ita ſuppoſitio Commentariorum neſciri potuit, a Latino alterius ſeculi poſterioris Gregorio? Ad *quintam* rationem dic, quod Ezechielis locus facile potuit in eundem ſenſum a duobus tractatoribus exponi: cum ab omnibus uno fere modo explicetur, nec dubiam habeat multiplicemque allegoriæ intelligentiam. Adde etiam quod in Commentarios ſuos in Ezechielem Theodoretus potuerit transferre, quod ab antiquiore forſan Canticorum interprete ſumpſerat: mutuari enim ſolet non pauca, quæ ſuis ſcriptis inſerat. Qua reſponſione declinari poteſt etiam *ſextæ* ratio, quæ ex conſonantia interpretationis in Canticum, cum indubitatis Theodoreti ſcriptis ſumitur: cujusmodi ſunt Expoſitio Pſalmorum, Prophetarum atque Epiſtolarum Pauli: Hanc vero conſonantiam eſſe non mediocrem, & ego libenter fateor, & nemo negaverit, qui verſatus ſit in evolvendis quos dixi, Theodoreti libris.

Poſterioris vero partis rationes, plus habent quidem in ſpeciem momenti: ſed quoniam opinionem inveteratam convellere nituntur, idcirco probabiliorem ſolutionem videbuntur pati. Quoad *primam* hærere mihi aquam fateor. Siquidem Theodoretus militaribus curis impeditus, mihi monſtro ſimile quiddam eſt: niſi forte quis tum Cyreſtricam regionem, Perſarum metu, militibus, ut fit, licenter magis populantibus quam tuentibus, oppletam fuiſſe conjiciat. Ratio *ſecunda* difficilior non videtur, cum aliquis excipere poſſet, hæc auctoris de Chryſoſtomo verba, ὁ τοῖς ῥητοῖς τῆς διδασκαλίας μέχρι νῦν τὴν ἁπασαν τὴν ὠφελίαν ἀφείνων: intelligi debere non de Joanne ipſo, ſed de Joannis libris, quanquam violenta hæc, pauloque durior explicatio eſt. *Tertia* autem quæ ad Theodorum pertinet, multumque urgere videtur: ex eo utcunque declinari poteſt, quod auctor hujuſce interpretationis videatur in eum ſcribere quem colat, cujusque nomen præ reverentia ſilere velit. Alioquin cur teſtaretur, ſe ad opus impelli, religionis ſtudio & veneratione Patrum quos nominat, Euſebii, Origenis, Cypriani, Baſilii, utriusque Gregorii, Diodori & Joannis, quos ille deſpexiſſet quem impugnat? Hos certe non parum deſpexiſſe Theodorus traditur. Adde quod in Præfatione expoſitionis in Pſalmos, tacitis nominibus perſtringat etiam Theodorum, imo & Chryſoſtomum: illum favoris in Judæos, hunc nimiæ prolixitatis accuſans. Jam vero *quarta* ut eſt ab auctoritate (quod ajunt) negativa, ita minus firma apparet. Quidni enim Theodoretus uno in loco ſcripſerit, quod vel ipſe in alio prætermiſerit, vel reliqui alii tacuerint? Quidni Manaſſes, cum inſaniret impietatis æſtu, partem librorum ſacrorum combuſſerit, reliquam poſtea Templi incendium abſumpſerit? *Quintam* elevaret quispiam, cauſatus primo Expoſitionem ejusmodi Canticorum non eſſe prolixiorem, quam quæ Danielis: deinde utramque eſſe Theodoreti quaſi tyrocinium, quod verboſius eſſe ſolet: denique eum tunc cum utrumque opus ſcriberet, nondum breviloquentiam, ut fit, ſcribendi uſu, didiciſſe. Adverſus *ſextam* non improbabiliter dici poteſt, noluiſſe Theodoretum, cum de fide periclitaretur, exerceri judicium ex libro, quo Theodorum Mopſueſtiæ Magiſtrum ſuum arguebat: ne damnaſſe videretur, quem poſtea defendiſſet, atque ita levitatis & inconſtantiæ reus fieret, quo tempore maxime conſtantiam ſuam extollebat. Jam vero ad *ſeptimam*, quod dicitur Opus hoc in Canticum Salomonis non laudari in Catenis, quæ vulgo habentur, id quidem verum eſt: ſed ex duarum cauſarum vel altera, vel utraque, fieri potuit: nam Catenarum effectores plurimi ea ætate vixerunt, qua Theodoretus male audiebat, nempe circa ſextum ſeptimumque ſeculum, vel octavum: vel tempore quo uti dixi, rariora fuerunt Theodoreti Opera, nonnulla ſaltem, quæ cauſa extiterit, cur Photius curioſus ceteroquin librorum a Veteribus editorum inquiſitor, hujuſce in Canticum elucubrationis non meminerit. Denique ad id quod affertur ex Catena Neophyti Monachi, duo reſponderi poſſunt: alterum, librarium fortaſſe pro Theodoro Theodoreti nomen poſuiſſe: pro Theodoro, inquam, non Mopſueſteno illo celebri, ſed Heracleota longe anteriore, & ipſo quidem nobili Scripturarum interprete. Alterum, Neophytum ipſum deceptum fuiſſe, & Theodoreto tribuiſſe, quod alterius cujusdam foret Canticorum expoſitoris. Hæc, Fateor, conjecturæ ſunt: ſed in re dubia, quis demonſtrationi locus unquam eſſe poſſit?

CAPVT QVARTVM.

EXAMINANTVR, QVÆ SECVNDO TOMO OPERVM THEODORETI CONTINENTVR.

QVantum in hoc ſecundo Tomo Jacobus Sirmondus deſudaverit, ut & in aliis, declarat ipſe in epiſtola ad Lectorem, editioni omnium Operum præmiſſa, his verbis. «In ſecundo deinde Tomo, qui Prophetarum explanationes continet, ut Eſaiæ Commentariorum qui

„qui nusquam reperiuntur, jacturam aliqua ex „parte relarciremus, ex iisdem Catenis ea deli„bavimus, quæ Theodoreti nomen præfere„bant. Quæ quidem cum medullam haud „dubie omnium quæ in Esaiam scripserat, suc„cumque complectantur : subsidio interim „erunt, dum integrum opus emergat. Quan„quam hujus potiundi spes jamdudum, ni fallor, „apud Græcos ipsos interiit: quippe qui ad ja„cturæ solatium Excerpta quoque istiusmodi „aggressi sint, quorum exemplaria Romæ & Pa„risiis vidisse nos meminimus, sed quæ ultra XV „Esaiæ caput non procedebant. In Tertio lu„cem nunc primum vident Theodoreti Epistolæ CXLVII. paucæ videlicet, si cum iis confe„rantur, quos Nicephorus a se lectas comme„morat, numero quingentos. In his Vatica„num codicem exhibuimus, quo etiam usus est „Cardinalis Baronius in suis Annalibus. Postea „Neapolitanum alium nacti, varias ex eo lectio„nes Vaticano apographo castigatiores selegi„mus, suoque loco edendas curavimus. In „quarto nihil est admodum, quod Græce Lati„neque antehac excusum non sit: cum in cæ„teris Græce plurima nunc primum proferan„tur: in primo nimirum Quæstiones in libros „Regum & Paralipomenon, itemq; Psalmorum „interpretatio & Cant. Canticorum: in secundo „universa, hoc est Prophetarum omnium tum „majorum præter Esaiam, tum minorum duo„decim explanatio: in Tertio denique Exposi„tio Epistolarum beati Pauli, Religiosa Eremi„tarum historia, & Theodoreti quas diximus E„pistolæ. „ Hæc Sirmondus. Complectitur ergo Tomus secundus Commentaria in omnes sexdecim Prophetas, hoc ordine.

Excerpta interpretationis in Esaiam pag. 1.
Interpretatio in Hieremiam pag. 143.
In Baruch. pag. 276. & *in Lamentationes* 286.
Interpretatio in Ezechielem pag. 300.
Commentarius in Danielem 541.
Commentarius in XII. Prophetas minores p. 699. ad finem.

Hæc pro suis agnoscit Theodoretus ipse in Epistola 82. ad Eusebium Ancyranum Episcopum, Διὰ γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν καὶ τοὺς Προφήτας ἅπαντας ἡρμηνεύσαμεν: *Per Dei enim gratiam Prophetas omnes interpretati sumus.* Et in Epistola CXIII. ad Leonem Papam, Ἡρμήνευταί μοι τὰ Προφητικὰ θεσπίσματα: *Explicata sunt a me oracula Prophetica.* Idem Theodoretus Præfatione in Psalmos, τῶν ἄλλων θείων γραφῶν παρ' ἡμῶν τὰς ἡρμηνείας αἰτήσαντες, οἱ μὲν τοῦ ᾄσματος τῶν ᾀσμάτων, οἱ δὲ τοῦ ἀνδρὸς τῶν ἐπιθυμιῶν, ἄλλοι δὲ τοῦ θεσπεσίου Ἰεζεκιὴλ, καὶ ἕτεροι τῶν δώδεκα προφητῶν ἐζήτησαν· ὁ δὲδωκεν ὁ τῶν ὅλων Θεὸς τούτων αὐτοῖς τῶν θείων λόγων συμπαθέσι τὴν ἡρμηνείαν. *Alii aliorum sacrorum voluminum explanationes flagitantes, alii Cantici Canticorum, alii Viri desideriorum, alii divini Ezechielis, alii duodecim Prophetarum expositionem postularunt. Deditque nobis universorum Deus, ut Commentarios in hæc ipsius divina eloquia ad finem perduceremus.* Idem sub finem Lamentationum Hieremiæ, καὶ ταῖς ἄλλαις προφητικαῖς βίβλοις προσθήκαμεν καὶ τήνδε τὴν προφητείαν· οὕτω μηδεμίαν διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν προφητείαν κατάσκεπτον ἀνερμήνευτον. *Hanc etiam aliis libris Propheticis adjecimus interpretationem: adeo ut per Dei gratiam, nullam prophetiam interpretationis expertem reliquerimus.* Nicephorus Callistus lib. XIV. cap. LIV. Opera Theodoreti recensens, Εἰς τοὺς δεκαἑξ Προφήτας ἕτερον τεῦχος ποιεῖ: *In sexdecim Prophetas aliud volumen edidit.*

Quo temporis ordine in singulos Prophetas scripserit, partim ipse aperte exponit, partim argumenta colligendi suppeditat. Primus ergo labor in Danielem incubuit, secundus in Ezechielem, tertius in Prophetas minores, quartus in Esaiam, quintus in Jeremiam, postremus in Lamentationes, quarum in fine hæc habet: *Hanc etiam aliis Propheticis libris adjecimus interpretationem, adeo ut per Dei gratiam, nullam prophetiam interpretationis expertem reliquerimus.* In Commentario ad caput 31. Hieremiæ Prophetæ, meminit Commentariorum in Ezechielem: *Clarius hoc etiam dixit Dominus per divinum Ezechielem, & nos ipsi pluribus interpretati sumus.* Ezechielem igitur ante Hieremiam interpretatus est. Ad caput 22. ejusdem Hieremiæ, mentionem facit Expositionis in Esaiam, inquiens: *Hujus locutionis rationem pluribus explicuimus, in divini Esaiæ interpretatione.* Ergo etiam Esaiam ante Hieremiam exposuit. Quid quod admodum credibile est, Commentaria singula eo scripta esse ordine, quo censentur in Præfatione Psalmorum, ubi Daniel primum, deinde Ezechiel, postmodum duodecim Prophetæ minores memorantur. Et vero in Præfatione Danielis manifeste docet Theodoretus, a se Danielem primum omnium Prophetarum expositum fuisse, simulque facti causam affert. *Hunc Prophetam in præsens conamur interpretari, non quasi aliis, quod absit, contemnentes, omnes enim novimus esse Spiritus Sancti instrumenta: sed primum quidem ipsius interpretationem a nobis familiares flagitarunt, æquumque censuimus, beneficium iis qui petierunt, non denegare. Deinde facit Judæorum amentia, ut aliis in præsenti omissis, hujus prædictiones laudare atque aperire aggrediamur. Eo siquidem impudentiæ processere, ut a Prophetarum choro ipsum segregent, Prophetaque cognomento defraudent.* Hæc Garnerius de ordine Commentariorum Theodoreti in omnes Prophetas.

Pauca quædam observanda puto de Commentariis in singulos Prophetas, de tempore nimirum quo scripta sunt, de iis qui Comment. hæc in Latinam linguam transtulerunt, de iis quæ ex Catenis in Esaiam excerpta sunt, & de ἀνασκευῇ in Expositione Ezechielis refutata a Theodoreto. Expositionis suæ in Isaiam ipse Theodoretus meminit Quæstione LII. in quartum Regum, Ἀλλὰ γὰρ περιττὸν δοκεῖ ταυτολογεῖν, ταῦτα γὰρ τὸν Προφήτην Ἡσαΐαν ἑρμηνεύοντες,

itized by Google

ἀνέπλυξα. *Caterum existimo supervacaneum eadem dicere, nam Esaiam Prophetam interpretatus hoc explicavi.* Et postea: *Ararath autem vocavit Armeniam, etenim Isaiæ prophetia hanc habet interpretationem. Ea vero quæ ad egrotationem Ezechiæ pertinent, in divini Esaiæ prophetiam, cum id satis declaraverim, supervacaneum existimo, bis eandem facere interpretationem.* Idem quæstione XXII. in Hieremiam, καὶ τὸν περὶ τούτου λόγον ἐν τῇ τοῦ θείου Ησαΐου ἑρμηνείᾳ διὰ πλειόνων τεθείκαμεν. *Et hujus locutionis rationem pluribus explicuimus in divini Esaiæ interpretatione.* Commentaria ejusmodi a Theodoreto scripta sunt, nunc non habentur; aut si habentur, edita non sunt: sed ut sub initium hujus capitis diximus, ex Catenis Græcis se extraxisse quæ vertit, testatur Sirmondus: unde fit ut id Operis, ad solamen integri Commentarii amissi, in sola Sirmondiana editione reperiatur. Memini, inquit Garnerius, me aliquando audisse virum doctum, qui nonnullam ejusmodi Excerptorum partem tribuendam Theodoro Mopsuesteno inde conjiceret, 1. Quod Theodorus Isaiam interpretatus sit, ut tradit Hebed-Jesu. 2. Quod breviata Theodori & Theodoreti nomina, sæpe tum a confectoribus, tum a lectoribus Catenarum Græcarum, confundantur. 3. Quod interpretandi ratio sæpe similis sit ei, quam indubitatis in locis Theodorus secutus est. 4. Quod in ejusmodi excerptis, de Incarnatione non alia fere dicantur, quam quæ Theodorus non gravate usurparet. 5. Quod quæ Theodoretus tradidit, se in Commentariis in Esaiam explicuisse, in iis quæ Sirmondus in lucem protulit, aut omnino non reperiantur, vel saltem non exposita pluribus: id quod tamen Theodoretus promittit.

Quantum ad Commentarium Theodoreti in Jeremiam & Baruch Prophetas, nactus est interpretem Joannem Pium virum celebrem, Canonicum Parisiensem, & in Senatu Classium Inquisitoriarum Præsidem, cujus Epistola ad Carolum Cardinalem Borbonium nuncupatoria, hæc habet. "Theodoretus Cyrensis Episc. Græco sermone Quæstiones insigniorum locorum totius Heptateuchi explicavit, quas ante quinquennium in Latinum a nobis conversas, tam Græce quam Latine imprimendas curavimus. Idem Prophetas omnes interpretatus est. Nunc vero illum ipsum Jeremiæ & Baruchi prophetiam docte breviterque Latine interpretantem ex nostra versione sub tui nominis patrocinio edita, tibi Antistes clarissime, & quibusvis aliis legere licebit. Hosce Commentarios duodecim Tomis, hoc est particulis, constare reperi: quorum decem primis Jeremianæ prophetiæ declaratio continetur, undecimo autem prophetia Baruchi, nempe quæ ad eandem rem pertineat, explicanda inserferitur: postremo tandem Tomo ejusdem Jeremiæ Lamentationes illustrantur, mea quidem sententia, huic nostro seculo non minus aptæ, quam cum ab auctore sunt editæ &c." Lutetiæ sexto Idus Augusti MDLXIV. Hujus Operis Theodoretus ipse meminit Quæstione LVII. in librum IV. Regum, his verbis. Τὰ δὲ κατὰ τὸν Ιωαχὶμ, καὶ Ιωακεὶν, καὶ Ιεχονίαν καὶ Σεδεκίαν, πλατύτερον ὁ θεῖος Ιερεμίας συνέγραψε. κἀκείνην δὲ τὴν βίβλον διὰ τῆς θείας χάριτος πᾶσαν ἡρμηνεύσαμεν. *De Joachim vero & Joacin, & Jechonia & Sedecia, fusius scripsit divinus Jeremias. Illum autem quoque librum per divinam gratiam totum interpretati sumus.* Id ipsum etiam testatur iisdem prope verbis, in extrema interpretatione libri II. Paralipomenon.

Præter ea quæ generatim diximus supra, Theodoretum commentatum esse in omnes Prophetas: ipse Theodoretus Quæstione XXXI. in Jeremiam, meminit Commentarii sui in Ezechielem his vocibus: Τοῦτο σαφέστερον καὶ διὰ τῆς θεοπνεύστου Ἐζεκιὴλ ὁ δεσπότης, κἀμοῦ δὲ διὰ πλειόνων τὴν ἑρμηνείαν ἐποιησάμεθα. *Clarius hoc etiam dixit Dominus per divinum Ezechielem, & nos ipsi pluribus interpretati sumus.* Ejus autem interpretationem Joannes Baptista Gabius Veronensis, anno MDLXVIII. edidit, hac Epistola nuncupatoria ad Cardinalem Vitellium. " Jussit Pius IV. Pontifex Maximus, & aliorum & Theodoreti viri gravissimi in primis, luculentissima in sanctos Prophetas Commentaria Græce scripta, Latina lingua divulgari. Ad cujus muneris partem vocatum me esse, cum pluribus aliis de causis, tum duabus maxime gaudeo. Primum, quod si omnibus in colenda vinea Domini est elaborandum, ea mihi illius excolendæ pars obtigit, in qua exiguæ meæ vires haud incommode sese exercendi datam sibi sentiant occasionem. Deinde quod tibi, & auctoritatis & voluntatis Sanctissimi patris nostri Pii IV. ut par est studiosissimo, ex quo me domi tuæ pro tua liberalitate alendum curasti, gratius hac re nihil accidere potuisse perspexi. Itaque ad id, etsi mea sponte satis incitatum, tuis tamen prudentissimis cohortationibus vehementius inflammasti: effecistique, ut quam in vertenda ipsius Theodoreti sane docta & accurata in Danielem Expositione diligentiam adhibui, eandem in his quoque ejus in Ezechielem Commentariis interpretandis, alacriore animo adhibere studuerim. Et idcirco ea tibi dedicare, non alienum ab officio meo duxi: neque ab ea cura quam sustines hujus negotii, tibi cum amplissimis Cardinalibus Joanne Morono Mediolanensi, Bernardino Scoto Sabino, & Marco Antonio Amulio Veneto, a Summo Pontifice communicati &c. MDLXIII."

Juxta Garnerium Dissertatione II. *de Scriptis Theodoreti* c. 4. parag. 2. p. 189. Ad extrema verba Ezechielis Prophetæ, quibus promittitur restitutio civitatis Hierusalem: disputat prolixe Theodoretus cap. XLVIII. pag. 536. adversus Apollinarii errorem de ἀναπεφάλαιωσι, quem Andreas Samosatenus Cyrillo objecit, cum tertium

um Anathematiſmum vexaret. Mirum vero, cur Theodoretus in recenſendis Apollinarii erroribus in libro IV. *Hæreticarum Fabularum*, anilis hujuſce Fabellæ non meminerit. Verum perſpexerat, Cyrillo ne ſpeciem quidem deliramenti tam abſurdi affingi poſſe: ideoque cum de hæreticis ea tantum commemoraret, quæ nonnullam facere poſſent ἐνίστως καὶ ὑπόστασιν defenſoribus, invidiam ſocietatis cum Apollinario: ſatis habuit ea dicere de hoc hæretico, quæ ad rem ſuam facerent; cætera prætermiſit, quæ alias tamen expoſuiſſet. Notanda porro Diſſertatio iſta Theodoreti eſt. Oſtendit enim quæ fuerit mens Apollinarii, quam multi etiam magni nominis tum veteres tum recentiores viri, aut neſcierint, aut non refellerint: qui enim ἀνακυκλήσεως & χιλιοντατηρίδος, præter Baſilium, Nazianzenum, Hieronymum, & Andream Samoſatenum meminerit, neminem novi, etiam inter Hæreſeologos. Non meminit certe Philaſtrius, non Epiphanius, non Auguſtinus, non Primaſius putatus Prædeſtinati auctor, nec alii conſequentis ævi.

Theodoretus meminit Commentarii ſeu in Danielem Prophetam, *Præfatione in Pſalmos*, ubi de libris aliis qui Pſalmorum interpretationem retardarunt: οἱ μὲν γὰρ τῷ ἄσματος τῶν ἀσμάτων ἐπήγγειλαν τὴν σαφήνειαν, οἱ δὲ τῷ ἀνδρὸς τῶν ἐπιθυμιῶν ἐκτεθύμησαν διαγνῶναι τὴν προφητείαν. *Nam quidam impoſterum nobis nonnulli, ut Canticum Canticorum exponeremus: alii vero, viri deſideriorum Danielis deſiderarunt Prophetiam cognoſcere.* Inſigne porro eſt teſtimonium Photii de hoc Commentario, quod ad alios quoque ejusdem authoris extendi poteſt non immerito. Ita igitur *Bibliotheca* Codice CCIII. habet, ἀνεγνώσθη τῶν μακαρίου Θεοδωρήτου Ἐπισκόπου Κύρου ἑρμηνεία εἰς τὸν Δανιήλ. μακρῷ μὲν ὅτῳ ὁ σοφὸς ἀνὴρ, οὐχ Ἱππολύτου μόνον, ἀλλὰ καὶ πολλῶν ἄλλων, τῇ τῶν προφητικῶν ῥημάτων ἀναπτύξει καὶ διακαθάρσει κεκλῆσθαι. ἔστι δὲ τὴν φράσιν, εἴ τις ἄλλος, ἑρμηνείας πρέπων. τῷ τε καθαρῷ καὶ εὐσήμῳ τῶν ῥημάτων ἀνακαλύπτων τὰ συνεσκιασμένα. καὶ τῷ ἡδύνοντι ἅτε δὲ διαγλυκαίνων, προθυμοτέρους πρὸς τὴν ἀνάγνωσιν παρασκευάζων. καὶ μὲν καὶ τῷ πρὸς μηδεμίαν ἐκτροπὴν καὶ παρέκβασιν ἀποφέρεσθαι τῆς προκειμένης, κόρον τε ἀφαιρούμενος πάντα, καὶ μάθησιν τῶν ζητουμένων ἀσύγχυτόν τε, καὶ ἀδιασκέδαστον, καὶ εὐχερῆ τοῖς ἀναλεγομένοις αὐτὴν τὸν πόνον ἐμποιῶν. Καὶ ἡ λέξις δ' αὐτῷ, καὶ ἡ συνθήκη τῆς ἀττικῆς εὐγενείας οὐ φεύγει τὰς γονάς. πλὴν ἔστι περιεργότερον αὐτῆς ἐστι, καὶ τῆς ὡς φαίνεται πολλῶν ἀκοῆς ἀνανεχωρηκός. τοῦτο δὲ ὅτι μὴ πρόσφατον ἑρμηνεία ἀποκλίνει, καὶ ὅλως εἰς τὸ ἀρίστου ἐστὶ τῶν ἐξηγητῶν, καὶ οὐκ ἔχων ῥαδίως τὸν ἄμεινον διασαφῶντα ἀνεγνώσθη. ἔστι μὲν γὰρ καὶ ἄλλος τὸ καθαρῶς εἰπεῖν, καὶ ἀνιχνεῦσαι τὸν νοῦν τῶν θεωρουμένων. τὸ δὲ ἅμα τε σαφῶς εἰπεῖν, καὶ μηδὲν τῶν ἀναγκαίων ἐν τῷ συντόμῳ παραλιπεῖν, μηδὲ πρὸς ἐκδρομὰς, καὶ ἐπιδεικτικὰς σοφίας χωρεῖν, ἢ ἄλλως μὲν οὐκ ἀχρήστως ποιεῖν, παρασιωπᾶν δὲ τῷ προκειμένῳ μὴ ἀρμόζειν, εἴ τι ἄλλο, καὶ τῷ χρησιμῷ θεοδωρήτῳ ἔνεστιν ἐσπουδασμένον· οὐκ ἐν ταύτῃ μόνον πραγματείᾳ, ἀλλὰ μικρῷ δεῖν Φάναι, καὶ ἐν πάσαις. πολλαὶ δ' αὗται, ἐν αἷς τῶν ἱερῶν γραμμάτων ἡ διασάφησις φιλοπονεῖται. *Legimus beati Theod. Epiſcopi Cyri Interpretationem Danielis. Vir hic ſane doctus, non Hippolyto modo, verum etiam aliis multis, Propheticorum ſermonum interpretatione atque explanatione longe antecellit. Dictio ejus commentationi, ſi cujusquam alius, aptiſſima. Nam & puris ſignantibusque verbis, abdita quaque & obſcura revelat, & jucunditate quadam, quaſi delinimento ſuavique lepore, ad ſui lectionem invitat. Quin & ex eo quod ad ambages nullas digreſſionesque a propoſito argumento recedat, ſatietatem non modo nullam affert: ſed ea inſuper quæ in dubium vocantur, ſine ulla vel confuſione vel diſſipatione, facili & commoda ratione lectores ſuos docet. Vocum item ejus delectus atque ipſa compoſitio, ab Attica elegantiæ origine non refugit: niſi quid forte curioſius illic aliquid occurrat, quod quis multorum auribus inſolitum dicat. Hoc conſtat, nihil eum quod ad interpretandum faciat declinare, adeoque in ſummum evaſiſſe optimorum Interpretum culmen, ut non facile ſit aliquem reperturus, qui illo melius obſcura explicet. Sunt quidem & alii pure loquentes, qui propoſitarum ſibi rerum ſenſum haud ſegniter inveſtigent. At ſimul & perſpicue dicere, & nihil interim cognitu neceſſarium, vel brevitatis cauſa prætermittere; non item ad diverticula, vel ad doctrinæ oſtentationem digredi (niſi hæc forſitan non ſine utilitate ſic adhibeantur, ut percipi nequeat quod ære propoſito diſcedatur) hoc certe præ cæteris rebus omnibus, a bono Theodoreto ſtudioſe curatum eſt. Non in hoc opere ſolum, ſed fere dixerim in omnibus ejus ſcriptis, quæ multa ſane reliquit, quibus ſacram Scripturam induſtria ſua illuſtravit.*

Commentarium hunc Theodoreti in Danielem, Joannes Baptiſta Gabius Veronenſis anno 1563. in Latinam linguam tranſtulit, hac Epiſtola ad Pium IV. Pontificem nuncupatoria præmiſſa. « Theodoretus vir ſanctiſſimus, « idemque diſertiſſimus, Græca lingua luculen- « tiſſimos in Davidis viſiones edidit Commenta- « rios, effecitque ut tam pretioſa margarita, quæ « veluti in maris profundo abſtruſa delituerat, « ea natio polita frueretur. Eademque divina « providentia, te Beatiſſime pater impulit, ad id « faciendum, ne Latinorum aures tam pulchro « munere diutius carerent. Quamobrem ſa- « pientiſſimis Cardinalibus mandaſti, ut hanc « eandem margaritam Latino ſermone expoli- « endam curarent, a quibus mihi hoc tuo nomi- « ne, munus eſt impoſitum. Itaque in his Com- « mentariis in Latinam linguam vertendis, pro « ea quæcunque in me eſt facultas, operam me « dediſſe teſtis locuples eſt Cardinalis Vitellius: « cui mea ſtudia aliquot abhinc annis ſua libera- « litate ſuſtentanti nihil antiquius fuit, quam ut « quamprimum, quod te velle ſenſerat, hujus « doctrina cum Latinis hominibus communica- « retur. Idque ut facilius perfici poſſet, tua « nunquam ſatis digne laudata cura effectum « eſt,

„est, ut statim opus hoc impressum ederetur. „Cui quidem muneri, quo haud scio an ex multis quæ utilissima & glorioſissima hoc tempore „excogitasti, & ad exitum studes perducere, „utilius quicquam, aut tibi in perpetuum glorioſius inveniri queat, præfectus a te Paulus „Manutius nihil desiderari passus est &c. Romæ „M D LXIII.

Quo tempore Danielem interpretari aggressus sit, aperit duobus in locis, quibus tradit a Christo nato ad tempora quibus scribit, interceſſiſſe annos quadringentos quadraginta & amplius, id est, cum aliquot mensibus: hoc enim numero indicat vulgarem Christi annum 426. quod ex libro 9. ad caput 9. hunc in modum demonstratur. Theodoretus ut exponat numerum annorum, qui Danielis hebdomadas conficit, sumit annos, de quibus Angelus homini Hebræo loquitur, non fuisse vulgares seu solares, qui diebus 365. constant: sed Hebraicos & Lunares, ut vocat; seu qui undecim diebus a vulgaribus deficiunt, atque ita constant diebus omnino 354. Ait igitur annos ejusdem modi fluxisse quadringentos quadraginta & amplius, a Christo ad tempus quo scribebat. Hæc autem annorum summa si in dies 354. multiplicetur, existent omnino 155760. dies: quæ dierum summa si dividatur in 365. quomodo oportet, ut anni Hebraici ad vulgares revocentur, fient anni 426. cum undecim circiter mensibus. Atque ita Theodoretus scripsit in Danielem anno Hebraico quadringentesimo quadragesimo post natum Christum, id est, anno vulgari quadringentesimo vigesimo sexto, sub finem. Ex hac autem epocha innotescunt tria. 1. Expositionem Canticorum debere referri ad annum circiter 425. nam præcessit Commentaria in Danielem. 2. In omnes Prophetas scriptum fuisse ante motas a Nestorio turbas, aut certe priusquam Theodoretus iis se immiscceret: nec enim in Commentariis ejusmodi quicquam de Incarnatione disseritur, quod vel leviter quæstiones contentioſe postmodum agitatas attingat. 3. Has omnes elucubrationes pertinere ad Opera, quæ in Epistola 82. ad Eusebium, *ante Synodum Ephesinam:* & in Epistola 113. ad S. Leonem, *ante annos viginti*, composita dicuntur.

Meminit Photius Commentariorum Theodoreti in 12. Prophetas minores, *Bibliotheca* Cod. CCV. his verbis: Ἀνεγνώσθη τοῦ αὐτοῦ εἰς τοὺς δώδεκα προφήτας, ἐν τῇ αὐτῇ τῶν λέξεων καλλονῇ, καὶ τῆς διανοίας, διεσκευασμένον βιβλίον. *Legimus ejusdem in duodecim Prophetas, eadem dictionis & sententiæ venustate adornatum librum.* Vertit autem in linguam Latinam Petrus Gillius Albiensis, hac Epistola ad Georgium Armeniacum, Ruthenorum Episcopum adjecta. „Cum scriptorum ad religionem consecratorum studia vigerent, ab humaniorum artium „doctrinis ad divinas me abducere cogitabam, „vel acerrimo hortatu tuo, cujus liberalitate studia nostra nituntur. Ac jam divinæ Scri„pturæ explanatores ingrediebar Latinos face„re, si qui adhuc inter Græcorum monimenta, „nostris intacti hominibus reperirentur. E„ quibus Theodoretum in duodecim Prophetas, „quos minores vocant, nactus apud Joannem „Pinum: eo facilius passus sum a me conversum „venire in lucem, qui aliunde tibi quod jam pri„dem debebam, dependere non possum. Ne„que vero aliud quicquam me induxit ad lu„strandam Italiam, quam ut aliquos libros illinc „reportarem, e quibus partim otium utriusque „nostrum aleremus, partim pro meis viribus te „ad instruendam Bibliothecam adjuvarem, isti„us Gymnasii quod moliris ædificare, ubi tum „liberalium artium doctrinæ, tum etiam a ne„cessariis inopes pueri tuo sumptu alantur & „erudiantur. Theodoreto igitur interea con„tentus eris, dum Philonis Judæi, quem habeo „in manibus, quadraginta sex libros tibi fecero „Latinos. Bene vale, anno M D XXXIII.„

CAPVT QVINTVM.

CONTENTA PRIMA PARTE TOMI TERTII EXAMINANTVR.

TOmus tertius in duas partes dividitur, quarum prior complectitur Commentarios in omnes Epistolas Apostoli, de quo nunc agemus: posterior Historiam Ecclesiasticam, Historiam Religiosam sive Philotheum, & Epistolas CXLVI.

Theodoreti ipsius extant testimonia de Interpretatione sua in Epistolas Pauli, quam quæstione 1. in Leviticum *Commentariorum* nomine appellat. Cum enim interrogantem induxisset, *qua de causa Deus offerri sibi sacrificia præceperit*, respondet: *De his diximus multis in locis, tum in his quæ contra Græcos scripsimus, & adversus hæreses, tum in iis quæ adversus Magos, præterea in Enarrationibus Prophetarum, & in Epistolarum Apostolicarum Commentariis;* τοῖς τῶν Ἀποστολικῶν ἐπιστολῶν ὑπομνήμασι. Meminit etiam Epistola 1. ad Amicum, cujus de hoc opere judicium requirebat. Ἐγὼ δὲ σὺ τῇ ἀσιότητι, ὡς περιττῇ σοφῷ καὶ λαθεῖ, τὴν εἰς τὸν θεῖον Ἀπόστολον συγγραφεῖσάν μοι δέδωκα βίβλον. *Ego vero sanctitati tuæ, tanquam sapienti ac vero judici, scriptum a me in divinum Apostolum volumen obtuli.* Et Epistola 82. ad Eusebium Ancyranum Episcopum, Διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν καὶ τοὺς προφήτας ἅπαντας ἡρμηνεύσαμεν, καὶ τὸ ψαλτήριον, καὶ τὸν Ἀπόστολον: *Per Dei gratiam & Prophetas omnes interpretati sumus, & Psalterium & Apostolum.* Et Epistola 113. ad Leonem Papam, Ἡρμηνευταὶ μὲν διὰ τὴν θείαν χάριν καὶ τὰ Ἀποστολικὰ συγγράμματα, καὶ τὰ προφητικὰ θεσπίσματα. Meminit & Nicephorus Callistus lib. 14. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 54. cujus verba proferre, superfluum prorsus est. Prima quidem ex citatis Theodoreti Epistolis nullam temporis notam habet

Digitized by Google

habet, habent aliæ duæ: nam utraque Commentarios hos recenſet inter Opera ante annos duodecim edita: ſed prior data eſt, ut ſæpe diximus, anno 445. poſterior anno 449. Quare ex poſteriore colligitur, ante annum 437. compoſitos eſſe Commentarios; ex priore, quod etiam ante annum 433. Conſtat vero eosdem Commentarios eſſe poſteriores, tum Dialogis adverſus Arianos & Macedonianos, tum Reprehenſione Anathematismorum Cyrilli. Nam Dialogi in primæ ad Corinthios cap. XV. memorantur, Reprehenſio Anathematiſmorum in cap. II. Epiſtolæ ad Philippenſes. Quare cum Dialogi ante annum 429. confecti ſint, Reprehenſio anno 431. neceſſe eſt ſcriptos eſſe Commentarios in Pauli Epiſtolas, eo temporis intervallo, quod ab Epheſina Synodo ad annum 433. interfluxit: quo tempore ſcilicet Theodoretus ſponte Cyrum ſeceſſerat, non tantum moleſte ferens initam a Joanne cum Cyrillo pacem: ſed etiam nec Antiochiam veniens, niſi cum Synodis intereſſe cogeretur.

Nacta ſunt hæc Commentaria Gentianum Hervetum Remenſis Eccleſiæ Canonicum, interpretem in linguam Latinam, cujus hæc eſt ad Lectorem Epiſtola nuncupatoria. «Theo„doreto noſtro, Lector, ſuccincte quidem, ſed „non minus eleganter quam pie, Pauli ſenſum „explicante, & ſententias ſententiis, quod in „Paulo videtur difficillimum, miro artificio „connectente fruere. Cum autem ex ejus le„ctione non parum (ut ſpero) fructus accepe„ris, memento te viro in primis reverendo, & „ad fovenda & promovenda doctorum viro„rum ſtudia nato, Marcello, Corvino, ſanctæ „Crucis Cardinali, eum acceptum ferre debe„re: qui & eum Græce tranſcribendum cura„vit, eoque mihi liberaliter communicato, ut „eum Latine verterem auctor fuit. Vt autem „quis & quantus vir fuerit Theodoretus, & „quantis falſo calumniis appetitus intelligas, „ſubjunxi duas Epiſtolas, unam ipſius Theodo„reti ad Leonem Romanum Pontificem, ex ipſi„us Theodoreti Epiſtolis, quæ in Bibliotheca „Vaticana habentur, acceptam: alteram Leo„nis ad eundem Theodoretum: quæ facile de„clarant, Theodoretum fuiſſe virum & opti„mum & longe doctiſſimum, & quod maxime „refert, orthodoxum. Vale & fruere.

Quo conſilio Theodoretus ad ſcribendum acceſſerit, neque inter præfandum, ut fieri ſolet, aperit, neque in Epiſtolis prima & ſecunda ad Amicum, a quo legi optaverat, quod ſcripſiſſet. Conjici tamen id poteſt ex conditione temporum, voluit nempe ſui ſeceſſus otio frui, & animum avocare a rebus quæ gerebantur, quæque illi & ingratæ & moleſtæ videbantur. Occupat in Præfatione accuſationem eorum, qui ægre ferrent, ab aliquo tractari, quod viri duo præſtantiſſimi Chryſoſtomus atque Theodorus Mopſueſtenus nuper abſolviſſent. Hos enim ambos ſignificat his vocibus, μετὰ τὸν θεῖον, καὶ τὴν θεῖαν, τὰς τῆς εὐσεβείας Φωστῆρας &c. Refellit autem accuſationem exemplis a Scriptura petitis, quibus ipſos etiam minores a Deo gratia donatos ad cognoſcenda myſteria probat. Jam vero proponens, qua ratione exponendi utendum putet, oſtendit ſe ſua velle breviter homines ad legendos allicere, quos Chryſoſtomi Theodorique Mopſueſteni oratoria prolixitas abſterreret.

Locus porro primus Epiſtolæ 1. ad Corinthios cap. 15. in quo fit ſermo *de Dialogis adverſus Arianos*, ita ſe habet: *Hunc locum, ii qui cum Ario & Eunomio ſentiunt, in lingua habere aſſidue conſueverunt, exiſtimantes, hac ratione ſe de Vnigeniti dignitate detrahere.* Locus vero eſt: *Cum autem ſubjecta illi fuerint omnia, tunc & ipſe Filius ſubjectus erit ei, qui ſubjecit ſibi omnia.* Quem locum poſtquam declaraſſet prolixe, memoratis Chriſti naturis duabus, tandem addit: *Verum de his copioſe diſſeruimus in noſtris adverſus eos concertationibus:* Græce pag. 201. ἀλλὰ περὶ τούτων ἐν τοῖς πρὸς αὐτοὺς ἀγῶσι, μακροὺς διεξήλθομεν λόγους. Agones vero mutuæ confligentium petitiones ſunt, quæ proprie Dialogi ſunt, maxime cum polemici exiſtunt. De Apoſtoli loco dicetur in recenſione aut aſſertione potius Dialogorum hujuſcemodi. In Commentariis ad caput II. ad Philippenſes, cum expoſuiſſet celebre illud dictum Apoſtoli, *Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Jeſu &c.* pergit in hæc verba: *Omnem certe hæreſim per pauca hæc verba expugnavit divinus Apoſtolus, tum eos qui divinitatem Vnigeniti blaſphemant, tum eos præterea qui hypoſtaſes ſeu perſonas confundunt.* Deinde confutato Sabellio cum ſuis, atque etiam Ario & Eunomio, diſputat de forma Dei & Servi eundem in modum, quo fecerat in Reprehenſione Anathematiſmorum: & tandem concludit pag. 331. ἀλλὰ περὶ τούτων καὶ ἐν ἑτέροις πλείοσι διεξήλθομεν λόγοις: *Sed de his etiam alibi copioſe diſſeruimus.*

Obſervandum porro, inquit Garnerius, Theodoretum quacunque data occaſione, invehi in Arium atque Eunomium, in Macedonium de Spiritus Sancti conſubſtantialitate male ſentientem; in eos qui poſſibilem, quique mortuum, & Pontificem noſtrum, Deum eſſe dicerent: qui perſonas in Chriſto confunderent, non diviſis iis quæ de Chriſto dicuntur in Scripturis: quo facto demonſtrat opinionis noſtræ probabilitatem de tempore & conſilio ſuſcepti operis, nempe poſt Synodum Epheſinam & pacem initam, quam cum ægre ferret, nulla non uſus eſt carpendi Capita Cyrilliana, opportunitate. Et vero quibus Apoſtoli locis potiſſimum, rem ſuam in reprehenſione Capitum conficere ſibi viſus erat, ad hos ſingulos diutius in Commentariis hæret, carpitque tacito nomine, propter tempora, quem antea palam arguerat. Legendi præ cæteris loci iſti, Epheſiorum cap. 1. v. 20. Coloſſenſium cap. 2. v. 8. Philippenſium cap. 2. v. 5. Hebræorum cap. 1. v. 11. 4. v. 14.

4. v. 14. 5. v. 1. & 10. Quin etiam in eos maxime hæreticos invehitur, quorum ſocietatem Cyrillo in Reprehenſione Capitum objicit, Arium & Eunomium &c. Quid quod de forma ſervi, & Pontifice Deo, eadem fere habet in Commentariis, atque in Reprehenſione: eodem utrobique modo Incarnationem explicat, per indutionem & inhabitationem hominis a Verbo? Quid multa? Nemo legerit utrumque opus paulo attentius, quin eundem in utroque ſpiritum, eandemque doctrinam agnoſcat.

S. Thomas de Aquino in Opuſculo adverſus errores Græcorum, citat *pro igne purgatorio* teſtimonium Theodoreti ex Commentario in cap. 3. Epiſtolæ 1. ad Corinthios, his verbis. *Dicit Apoſtolus quod ſalvabitur ſic, tanquam per conflatorium ignem purgantem, quidquid intervenit per incantelam præteritæ vitæ, ex pulvere ſaltem pedum terreni ſenſus, in quo tandiu manet, quandiu quidquid corpulentiæ & terreni affectus inhæſit, purgetur: pro quo mater Eccleſia hoſtias & dona pacifica devote offert, & ſic per hoc mundus inde prius exiens, Domini Sabaoth puriſſimis oculis immaculatus exiſtit.* Imo Cardinalis Bellarminus lib. 1. *de purgatorio* cap. 4. ex eo loco teſtimonium profert, ſed verbis quibusdam additis, aliis detractis: "*Hunc credimus ignem Purgatorium, quo purgantur animæ ut aurum in conflatorio.* Gagneius vero eandem Theodoreti ſententiam ex Græcorum Scholiis, Græcis verbis ita citat: Τοῦτο τὸ πῦρ πιστεύομεν καθαρτήριον, ἐν ᾧ καθαρίζονται αἱ ψυχαὶ, καθάπερ χρυσίον ἐν τῷ χωνευτηρίῳ: ſumptis poſtremis verbis ex cap. 3. v. 5. Eccleſiaſtici. Omnia autem hæc Theodoreto aſficta ſunt, ut recte notat Andreas Rivetus libro 4. *Criticı Sacri* cap. 21. pag. mihi 456. in quo nequidem in Pontificiorum interpretationibus ſimile aliquid reperitur. Et fatetur Poſſevinus in *Apparatu Sacro* tomo 2. verbo Theodoretus, ſe in Exemplaribus Græcis & Latinis, quæſita illa verba, reperire non potuiſſe: unde ſuſpicatur a Græculis fuiſſe detracta, vel ex alio quodam Opere a *Thoma* deſumpta. Sed cur non fatetur fuiſſe conficta a S. Thoma Aquinate, ut etiam a *Cyrilli Theſauro* nonnulla alia, in gratiam Romani Primatus? Id ſupra oſtendimus, in Diſſertatione *de Scriptis S. Cyrilli Alexandrini Archiepiſcopi*, cap. 5. Nilus Theſſalonicenſis in libro *de Purgatorio*, ad auctoritatem Theodoreti a Latinis allatam inquit: *Deinde quæ dicitis beatum Theodoretum ſenſiſſe, virum & ſapientem & divinum, & magnam eloquentiæ laudem conſecutum: ſiquidem etiam apud nos ita ſe habere deprehenderentur, haberent utique aliquam rationem, & nonnulla fortaſſis defenſione egerent. Nunc vero, cum in multis illius quæ apud nos extant, ſcriptis nihil tale unquam dixiſſe comperiatur, ad illa opus eſſe ne verbis quidem cenſemus.*

Quoad cap. 2. v. 18. Epiſtolæ ad Coloſſenſes, Cardinalis Baronius tomo 1. Annalium, ad annum 66. num. 20. *infert Theodoretum haud feliciter aſſequutum eſſe Pauli verborum ſenſum, cum in Commentariis hujus ad Coloſſenſes Epiſtolæ dicit, hæc a Paulo eſſe ſcripta, quod tunc graſſarentur hæretici, qui Angelos colendos eſſe jactarent. Quinam hi fuerint,* inquit, *dicat ipſe, qui omnium hæreticorum fabulas egregie perpetuæ memoriæ commendavit. Sic ergo errore ſemel lapſus, in alium graviorem impegit, ut diceret Canonem 35. Laodiceni Concilii, de his hæreticis eſſe intelligendum, qui Angelos colendos docerent: quique in eadem regione Aſiæ oratoria erexiſſent S. Michaeli Archangelo. Incaute nimis, quæ a Catholicis eſſent antiquitus inſtituta, hæreticis, quorum nulla eſſet memoria, tribuens.* Hæc ille in Theodoretum, ſed contra quem effuſa bile inſurgit, immerito tamen atque infeliciter, loco citato Andreas Rivetus. Ad cauſæ ſuæ patrocinium appellat Cardinalem Bellarminum lib. 1. *de beatitudine ſanctorum* cap. 10. ubi fatetur & quod Baronius negat, etiam aſſerit, *fuiſſe tempore Apoſtolorum hæreticos qui Angelos adorabant, nempe Simonem & Simonianos:* quod probat teſtimoniis Irenæi lib. 1. cap. 10. Tertulliani *de præſcriptione*, Epiphanii in hæreſi *Simonis*. Hieronymi quæſtione 10. *ad Algaſiam*. Hanc ob cauſam graviter Baronio iraſcitur Rivetus, quod putet a Theodoreto negatum fuiſſe omnino omnem Angelorum cultum. Sed juxta Joannem Garnerium in Diſſertatione *de fide Theodoreti* cap. 8. p. 489. & ſequentibus, Theodoretus poſt Apoſtolum Paulum & Synodum Laodicenam anno 320. celebratam, non negabat omnino cultum & venerationem Angelorum: ſed execrabilem quandam impietatem, ex Judaiſmo, idololatria & magia conflatam, quam Cerinthiani in Aſia, præſertim in Piſidia & in Phrygia, nomine Chriſtiano diſſimulabant. Judaiſmi erat, quod dicerent circumciſionem eſſe neceſſariam, Chriſtum purum hominem, Angelisque inferiorem, a quibus nempe & legem Moyſes, & Chriſtus ipſe poteſtatem edendi miracula accepiſſet. Idololatriæ fuit, quod adorarent Angelos tanquam mundi conditores, verosque inter Deum & homines mediatores. Magiæ denique, quod nomine Angelorum invocato, prodigioſa quædam oſtentarent. Hanc ſectam Cerinthus naſcente Eccleſia conflavit, cum eſſet Alexandriæ in Ægypto, ubi cum Judæis, Gentilibus & incantatoribus, qui plurimi in populoſiſſima civitate erant, congreſſus: id a ſingulis didicit, quod in Africam profectus doceret.

Coloſſenſibus igitur, quorum civitas in Phrygia fuit ſub Laodicena metropoli, ſcribebat Apoſtolus verba quæ retuli, monens ne ſinerent ſe ſeduci a Cerintho, qui ficta humilitatis ſpecie, & falſa religione Angelorum, ſeducere volebat. Θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων, inhærens ſuis ipſius cogitatis aut figmentis potius, & temere inflatus ſenſu carnis ſuæ: ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, εἰκῇ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, non firme apprehendens caput Chriſtum, ex quo totum corpus

Eccleſia

Ecclesiæ per nexus & conjunctiones, Apostolos, Prophetas & Doctores, subministratum & constructum crescit in augmentum Dei : καὶ ἐ κρατῶν τὴν κεφαλὴν, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα πρὸς τὴν αὔξησιν τοῦ Θεοῦ. Apostolus ergo non prohibet Christianam religionem Angelorum, sed impiam idololatriam a Cerintho inventam, qua creati Spiritus colerentur, velut mundi conditores, mediatoresque, si licet ita loqui, immediati Deum inter & homines, ac magicarum artium potestates &c. Cum iidem ab Ecclesia colantur, velut administratorii sub Christo Spiritus, velut custodes hominum, quorum preces tanquam odoramenta offerant in conspectu Dei, vel ut conservi Sanctorum, & astantes Deo: non item ut mediatores ἄμεσοι, neque ut magiæ patroni. Id vero clarius Laodicena Synodus tradit. Cum enim Canone 34 vetuisset, ne quis Christianus accederet ad Hæreticorum martyria, prohibet Canone 35 quod vetitum ante ab Apostolo fuerat, ne ullus pariter accedat, spreta Ecclesia & relicto Christo, ad oratoria & Synaxes Corinthianorum, ut Angelos impio idololatriæ occultæ cultu prosequatur: id est, velut mundi opifices, & supremas quasdam potestates, ac magorum adjutrices colat. Quare Canone 36 ex Ecclesia ejiciendos jubet Clericos, qui vel magi fuerint, vel incantatores, vel astrologi, vel amuletorum artifices. Consequentibus aliis tribus Canonibus, fideles interdicit Judæorum Gentiliumque festis, festivisque donariis. Synodus igitur mirum quantum aliena est a damnando cultu qui Angelis exhibetur ab Ecclesia, quandoquidem Ecclesia idem omnino detestatur, quod Synodus. Ex his manifeste patet Catholicus Theodoreti de cultu & invocatione Angelorum sensus : loquitur enim de cultu illo & invocatione, quæ a Laodicena Synodo & Apostolo condemnantur. Quæ ergo dicit, Michaëlis oratoria plurima per Pisidiam & Phrygiam, aliasque finitimas regiones sparsa, perstitisse usque ad suam ætatem : loca fuere, ubi Cerinthiani olim synaxes habuerunt, sed quæ post hæresim extinctam, in sanctiores usus fidelium pietas, ut alia ubique plurima sive Gentilium sive Hæreticorum templa, convertit.

Qua enim ratione cultum & invocationem Angelorum religiosam Theodoretus prohibuisset, qui sexcentis locis meminit venerationis & invocationis, qua fideles prosequuntur Sanctos vita functos? Ne lectoris prolixitate fatigem, producam paucos duntaxat locos ex *Historia Religiosa* seu *Philotheo* Theodoreti. Illic ergo antequam se accingat ad S. Jacobi Nisibensis Episcopi laudes enarrandas, subjicit cap. 1. p. 764. *Hoc mihi quoque in præsenti opus est auxilio, qui conor vitam conscribere Sanctorum, qui paulo ante nos & nostris temporibus claruere, & quasdam veluti leges velim imitari eos proponentibus præscribere.* Τὰς τούτων τοίνυν προσευχὰς ἐπικλητέον, καὶ τῆς διηγήσεως ἀρχτέον. *Illorum ergo invocanda sunt preces, & incipienda narratio.* Cap. 13. in Macedonio pag. 841. Ἐγὼ δὲ καὶ τῶν λόγων μέμνημαι καὶ τὴν θείαν δεδίδαγμαι δωρεάν. ἔργοις δὲ μὴ δεικνὺς τὴν παραίνεσιν, ἱκετεύω τῆς θείας ἕξεως διὰ τῆς ἐκείνου τυχεῖν προσευχῆς, καὶ τὸ λειπόμενον τῆς ζωῆς κατὰ τὰς ὑποθήκας τὰς ἐκείνου ἐπιδιῶναι. *Ego vero & verborum memini, & divinum donum edoctus sum. Sed quia monitis ejus facta non respondent, oro ut divinam opem ejus precibus consequar, & quod reliquum est vitæ, juxta ipsius præcepta peragam.* Caput 15. de Acepsima pag. 841. ita concludit. ἡμᾶς δ' εἴη, καὶ λόγῳ παιδευομένους, καὶ ταῖς τούτων προσευχαῖς ἐπερειδομένους, κατὰ σκοπὸν διῶξαι ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. ἀμήν. *Nobis vero & sermone & opere eruditis, atque horum precibus subnixis, utinam contingat ad scopum collineare, ad bravium supernæ vocationis, in Christo Jesu Domino nostro, cui honor in sæcula. Amen.* Cap. 30. in Domnina pag. 897. ita omne opus concludit: ἱκετεύω δὲ καὶ τούτους, ὧν τὸν βίον συνεγραψάμην μὴ περιιδεῖν με πόρρω τῆς πνευματικῆς αὐτῶν χορείας διάγοντα ἀλλ' ἀνελκύσαι κάτω κείμενον, καὶ πρὸς τὸ ὕψος τῆς ἀρετῆς ἀναγαγεῖν. *Simul & illos precor, quorum vitam conscripsi, ne me procul a spiritali eorum chorea positum despiciant, sed infirm jacentem tribuant, & ad culmen virtutis perducant, choroque suo adjungant.*

CAPVT SEXTVM.

CONTENTA PARTE SECVNDA TOMI TERTII EXAMINANTVR.

PArs secunda Tomi tertii complectitur *Histor. Ecclesiasticam libris V.* pag. 521. *Philotheum* seu *Historiam Religiosam* pag. 757. & Epistolas ad diversos CXLVI. pag. 898. de quibus sigillatim paucis agendum est.

Sunt qui Theodoretum putent *Historia Ecclesiastica* nusquam meminisse, licet illi tamen non difficeantur, quin eam ipse agnoverit velut suam: quandoquidem in ea mentionem facit *Philothei* seu *Religiosæ Historiæ* a se conscriptæ, nimirum Lib. 4. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 34. narrans de Juliano Monacho, ejusque Antiochiam adventu. Καὶ ὅσα μὲν ἐστῶτα καὶ ἐποιεῖτο, καὶ ἰὼν, καὶ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ μεγίστῃ πόλει τεθαυματούργηκεν, ἐν τῇ Φιλοθέῳ ἡμῶν συγγέγραπται ἱστορίᾳ. *Quæ porro veniens rediensque atque in ipsa maxima urbe miracula edidit, in Philotheo historia nostra conscripta sunt.* Quod in ea *Philothei* meminisse dicunt, facile consentio: meminit enim non semel, ut illi ajunt, sed sæpius. Quod porro negant, hujus mentionem fecisse in aliis operibus, assentiri non possum, propter aperta verba quæ leguntur Libro IV. *Hæreticarum fabularum* cap. 1. Postquam enim Theodoretus multa de Ario narravit, mox subjungit: Ἀλλὰ ταῦτα διὰ πλάτους ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ συγγεγράψεται, περιττὸν

τὸν ἡγοῦμαι ταῦτα λέγειν. *Sed cum hæc in Historia Ecclesiastica copiose conscripserim supervacaneum puto hæc dicere.* Et statim cap. 2. ubi de Eudoxio agit: καὶ ἵνα μὴ πάντα λέγων μακρύνω, τούτων γὰρ πάντων ἐμνήσθην ἐν ἐκείνῃ τῇ συγγραφῇ. *Ac ne omnibus dicendis sim longior, horum enim omnium in Opere illo memini.* Meminerunt præter Theodoretum alii, ut Gennadius in libro *de viris illustribus* cap. 89. Cassiodorus in Præfatione Historiæ Tripartitæ, Photius & Nicephorus Callistus. Sed Gennadius verbis admodum perplexis, quæ examine digna sunt. Cassiodorus magna cum laude, ut qui Latinitate donatam ab Epiphanio Scholastico contraxit in epitomen, voluitque esse partem Historiæ, quam Tripartitam vocant. Photius Patriarcha *Bibliotheca* Cod. 33. post nominatos Eusebium, Socratem, Sozomenum & Evagrium, inquit: Ἀνεγνώσθη Θεοδωρήτου Ἐκκλησιαστικὴ Ἱστορία. πάντων τῶν εἰρημένων κατάλληλον φράσιν τῇ ἱστορίᾳ μᾶλλον ἢ τῷ ἐπέθηκε σαφής τε γὰρ καὶ ὑψηλὸς, καὶ ἀπέριττος. *Lecta est Theodoreti Ecclesiastica Historia. Omnium quos proxime nominavi, convenientem magis historiæ stylum adhibet: clarus enim & grandis est, minimeque redundans.* Nicephorus Callistus Lib. 4. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 54. Ἐκτυπώθη αὐτῷ καὶ ἕτερα δύο, ὧν τὸ μὲν, Ἐκκλησιαστικὴν, Φιλόθεον δὲ ἱστορίαν λέγει τὸ ἕτερον, ἐν ᾧ βίους τῶν τηνικαῦτα ὁσίως βεβιωκότων διέξεισι. *Elaboravit & alia duo, quorum unum Ecclesiasticam, Philotheum seu Religiosam alterum historiam vocat, in qua Sanctorum ejus ætatis virorum Vitas persequitur.*

Quo tempore scripta sit, nemo hactenus certo definivit: nec enim ulla pars Operis, notam temporis præfert. Non præfatio, in qua tamen solet aliquid ejusmodi præmitti: non finis, ubi referuntur Præsulum nomina, qui majoribus Ecclesiis præfuerunt: non series historiæ, *Quæ centum & quinque annorum tempus complectitur, ab Arii vesania incipiens, desinensque in obitu illustrium virorum Theodori & Theodoti.* Proclive esset opinari, elaboratam illam eo tempore quo finitur, id est anno Christi 427. nisi obstaret, quod in libro primo quartoque *Philothei* mentio fit, in quinto motarum Nestorii causa pugnarum de fide. Cum enim Apollinarii hæresim Theodoretus narrasset, subdit: *Ex hac radice in Ecclesiis natum est, quod una carnis & divinitatis natura dicitur, quodque divinitati Unigeniti passio adscribitur, & alia id genus, de quibus populorum Sacerdotumque certamina exstiterunt.* Quæ duo ipse capita Cyrillo objicere Theodoretus solebat. Atqui turbæ anno 429. motæ sunt, & Philotheus longe tardius editus est, anno nimirum 444. vel 445. certo non post annum 446. Nonnulli tempus conjiciunt, partim ex eo quod regnante Theodosio scripta sit: partim quod in nullo alio Opere appelletur, imo nec in ullis Epistolis, in quibus tamen cætera censentur: inde enim concludunt, hanc elucubrationem fuisse, aut omnium postremam, aut postremarum unam. Verum quod de regno Theodosii affertur, mox comprobabitur: quod de silentio additur, prolata ex Libro *Hæreticarum fabularum* Theodoreti verba improbant. Certius aliquid de anno conficitur, ex lib. 5. cap. 38. Audas enim, cujus mentio fit eo loci, in Perside passus est die 16. Maji anno 420. sub Isdegerde Rege persecutionem Magis suadentibus: atqui Audas occasionem dedit persecutioni, ut constat: & Theodoretus tradit persecutionem, tunc cum scriberet, jam duravisse triginta annis: unde liquet quod anno 450. hoc Opus scripserit. Non de anno tantum, sed de anni etiam parte, certum aliquid statui potest. Nam Theodoretus caput 36. Libri quinti absolvit, Theodosio adhuc vivente. Cum enim ageret de reliquiis Chrysostomi Constantinopolim relatis, inquit: *Hunc Thesaurum in urbem intulit is, qui Imperio nunc potitur, qui avi nomen sortitus, ejus quoque pietatem servat incorruptam. Hic oculos & frontem in loculo defigens, pro parentibus preces fudit, & in qui per ignorantiam peccarant, ut ignosceret, supplicavit.* Cum ergo Theodosius die 29. Julii anno 450. obierit, Imperiumque Marcianus a Pulcheria Senatuque electus die 25. Augusti capessiverit: oportet ut priore anni parte, Historiam Theodoretus aut conscripserit aut certe absolverit: nondum scilicet auditis in Oriente de obitu Theodosii nuntiis, qui solent esse his de rebus celerrimi.

Quod ipse quidem tradit, scripsit Theodoretus τὰ λειπόμενα τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας, quas voces vir eruditus interpretatur, quasi diceret, ea quæ Socrati Sozomenoque, viris non scientissimis rerum Orientalium, desunt: se, qui in Oriente viveret, intelligentiorem supplere. Verum non aliud opinor, his vocibus innuitur, quam quod Theodoretus Eusebii Historiam continuare voluerit. Ait enim: *Quia Eusebium Palæstinum a sanctis Apostolis exorsum res in Ecclesiis gestas, usque ad Constantini Deo dilecti Imperium conscripsit, ego inde ubi ille scribendi finem fecit, Historiæ meæ ducam initium.* Idipsum antea Socrates præstiterat, inde enim exorsus ubi Eusebius finem fecerat: qui longius deduxit Historiam quam Theodoretus, res enim complexus est centum & quadraginta annorum. Cum scribit Theodoretus se historiam centum & quinque annorum texuisse, *quippe quæ ab Arii vesania incipiens, desinat in obitu laudabilium virorum Theodori & Theodoti:* oportet eum Historiæ initium ab anno 322. duxisse, inde enim ad obitum Theodori & Theodoti, spatium 105. annorum interfluxit, siquidem ambo defuncti sunt anno 427. Sed quomodo scribit, se ab Arii vesania incepisse, cum Hæreticus ille insaniendi initium fecerit jam inde ab anno 315. Quomodo e contra ab anno 322. Historiam inchoasse dicendus est, cum res sublatis tyrannis Maxentio, Maximino, & Licinio, gestas se narrare fateatur? Siquidem Licinius anno 325. sublatus fuit. Verum ab eo tempore incepit, quo vesa-

nia

nia Arii non jam ſe Ægypto continuit: ſed allatis ad Imperatorem querelis ita erupit, ut de cogenda Synodo Nicæna continuo cogitaretur, id quod circa annum 322. contigit. Quo etiam anno Licinius ita victus erat, ut ſublata ipſius tyrannide [illegible]to dici queat. Alia plura Garnerius in [illegible]ertatione *de Libris Theodoreti* cap. 5. parag. 2. pag. 192. quæ noſtro inſtituto non conveniunt.

Socratem, Theodoretum & Sozomenum, ex Græcis Latinos reddidit Epiphanius Scholaſticus: quos ipſos mox Caſſiodorus, ſervata eadem translatione, in epitomen contraxit, quam Hiſtoriam Tripartitam appellavit. Anno demum Chriſti 1535. Baſileæ Hiſtoria Theodoreti Græce prodiit, quam inſequenti poſt anno Joachimus Camerarius Latinitate donavit, ibidem impreſſam anno 1536. & ex officina Roberti Stephani inter alios rerum Eccleſiaſticarum Scriptores, Pariſiis 1544. in folio. Poſt Camerarium aggreſſus eſt interpretationem illius, Joannes Chriſtophorſonus, quæ Lovanii primum & Coloniæ anno 1570. excuſa eſt, tum Græce & Latine Genevæ anno 1612. Quia autem Sirmondo prolixior videbatur interpretatio Chriſtophorſoni, quam ut cum Græco textu componi e regione poſſet: probari autem omnia ab ipſo, in Camerarii verſione non poterant: tertiam ex utraque prout res ferebat, conflari & contexi placuit, quæ Græco & Latino ſibi reſpondentibus, edita hic eſt a. 1642. cum omnibus Theodoreti Operibus. Quintam denique eſt aggreſſus Henricus Valeſius, quæ anno 1673. Pariſiis Græce & Latine edita eſt. Non videtur Epiphanius fuiſſe latinitatis ſcientiſſimus, unde interpretatio quam elaboravit, exactiſſima non eſt. Suam Sirmondus ex duabus prioribus Camerarii & Chriſtophorſoni, totam fere concinnavit. Novam Valeſius tentavit, atque textum ad MSS. codices Regios contulit, aliis non contentus editionibus. Addidit & notas eruditas ſane, ſed plures grammaticas quam hiſtoricas.

Hiſtoria quæ inſcribitur *Philotheus*, continet elogia ſanctiſſimorum Aſcetarum, qui partim in Oriente, partim in locis vicinis admirabilem vitam duxerunt. Sunt autem illi triginta omnino, non viri tantum ſed etiam fœminæ, quorum agones ſpirituales Theodoretus vel ipſe vidit, vel referentibus aliis ſanctitate non impari hominibus, didicit. De *Philotheo* ſeu *Religioſa Hiſtoria*, Theodoretus ipſe Libro 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 34. narrans de Juliano Monacho, ejusque Antiochiam adventu. *Καὶ ὅσα μὲν ἔτος, καὶ ἐπανιὼν καὶ ἰὼν, καὶ ἐν αὐτῇ δὲ τῇ μεγίστῃ πόλει τεθαυματούργηκεν, ἐν τῇ Φιλοθέῳ ἡμῶν συγγεγράπται ἱστορίᾳ. Quæ porro veniens rediensque, atque in ipſa maxima urbe miracula edidit, in Philotheo hiſtoria noſtra perſcripta ſunt.* Idem in Epiſtola 82. ad Euſebium Ancyranum Epiſcopum, libros a ſe ſcriptos commemorans, *καὶ μυστικὴ δὲ ἡμῶν συγγέγραπται βίβλος, καὶ περὶ προνοίας ἑτέρα, καὶ τῶν Ἁγίων ὁ βίος. Myſticum etiam librum conſcripſimus, & alium de providentia, & vitam Sanctorum.* Anonymus ſub nomine Joannis Damaſceni Libro III. *de Imaginibus.* *Ἐκ τῆς Φιλοθέου ἱστορίας Θεοδωρήτου Ἐπισκόπου Κύρου, εἰς τὸν βίον τοῦ ἁγίου Συμεὼν τοῦ νεωτέρου. Περὶ γὰρ Ἰταλίας περιττόν ἐστι καὶ λέγειν. Φασὶ γάρ, ἄνδρα ἐν Ῥώμῃ τῇ μεγίστῃ πολυθρύλλητον γενέσθαι τὸν ἀνδρεά, ὡς ἐν ἅπασι τοῖς τῶν ἐργαστηρίων προπυλαίοις εἰκόνας αὐτοῦ βραχείας ἀνατεθῆναι, φυλακήν τινα σφίσιν καὶ ἀσφάλειαν ἐντεῦθεν περιζόντας.* „*Ex Philotheo Theodoreti Epiſcopi Cyri, in Vita Symeonis in colu-*„ *mna degentis.* Nam de Italia quid attinet lo-„ qui? Ajunt enim, virum hunc in maxima ur-„ be Roma, usque adeo clarum extitiſſe, ut etiam„ in omnibus officinarum veſtibulis homines,„ parvas imagines ipſi erigerent, hinc videlicet„ præſidium ſibi ac ſecuritatem comparantes.„ Qui locus citatur etiam in ſeptima Synodo Actione 5. extatque in hoc Tomo p. 882. Advertit autem Sirmondus Tomo IV. Operum Theodoreti pag. 680. Orationem *de divina & ſancta Caritate* eſſe velut epilogum *Hiſtoriæ Religioſæ*, quæ in quibusdam exemplaribus etiam, *Philotheo* ſeu *Religioſa Hiſtoria* non abs re ſubjicitur: ideoque eſſe collocandam Tomo III. ad finem dicti Philothei. Hujus etiam mentionem facit in Diſſertatione 2. *de Libris Theodoreti*, cap. 5. Joannes Garnerius, poſt *Hiſtoriam Religioſam* parag. 4. pag. 204.

Non hanc ſcripſit hiſtoriam Theodoretus, poſt annum 445. quo Epiſtolam 82. dedit ad Euſebium: in illa enim ipſius mentionem facit tanquam Operis pervulgati, atque ita editi ante annum unum aut alterum. Quomodo enim alias, ad ipſam velut ad ſuæ fidei teſtem, adverſarios & judices prudenter provocaret? Sed quo anteriore tempore? non certe ante annum 437. aut 438. quo defunctus vita Acacius Beræenſis: fit enim certa de ipſius obitu ſententia, ex eo quod in encomio S. Jacobi Niſibeni, dicitur tenuiſſe Epiſcopatum annos quadraginta & octo. Inde enim ſcitur anno 437. aut 438. obiiſſe, quandoquidem ordinatus eſt anno 378. aut 379. Quo igitur definite anno ſexennii illius, quod inter obitum Acacii & Epiſtolam ad Euſebium, interlapſum eſt? Reſponderi facile poteſt, ſi Theodoreto credimus, credere vero par eſt præ aliis: Siquidem res narret quas vidit, quasque ex ipſis didicit, quorum facta narrat. Cum vitam ſcriberet Symeonis Stylitæ, ipſum tradit viginti jam & octo annos transegiſſe, ex quo inceperat quadrageſimo quoque die ſemel veſci: incepit autem, poſtquam a converſione ſua duos cum Monachis quibusdam annos, decem in Heliodori Monaſterio duxiſſet. Cum ergo doceat Evagrius, Symeonem vixiſſe a converſione ſex & quinquaginta annos: cumque omnes fere fateantur, ſanctum Aſcetam anno 460. vita functum: neceſſe eſt ut converſus fuerit anno 404. Si ergo

go ad annos 404. addantur duodecim, partim inter Monachos, partim apud Heliodorum acti: addantur etiam viginti & octo, qui a suscepto jejunio effluxerant: Theodoreto scribente, existet annus 444. quo *Historia Religiosa* composita fuit. Plura alia Joannes Garnerius, in Dissertatione *de Libru Theodoreti* cap. 5. parag. 2. pag. 196. & sequentibus, quæ nostro instituto non quadrant.

„ Opponit Andreas Rivetus Libro 4. *Critici* „*Sacri* cap. 21. pag. mihi 454. Baronium sæpissi„me *Historiam Theodoreti* redarguere, utpote „quæ in Chronologia labatur non semel, & non„nullas falsas narrationes immisceat. Certe „fabellæ quædam adeo ineptæ tam in *Historia* „*Ecclesiastica*, quam in *Historia Patrum* recitantur, „ut vix persuaserim mihi, ejusmodi deliria vero „Theodoreto placuisse: sed a quibusdam nu„gatoribus fuisse inspersa potius crediderim. „Esse enim in illis παραλειπόμενα quædam, ne „ipse quidem Gentianus Hervetus negat, qui in „Historia Symeonis Stylitæ circa finem annotat: „*Hæc non sunt Theodoreti, sed ab aliquo addita post* „*mortem Symeonis: cum enim ejus vitam scriberet* „*Theodoretus, adhuc vivebat Symeon.* Quis au„tem probaverit, auctorem confictæ istius addi„tionis, in aliis Historiis religiosiorem fuisse? Respondet Garnerius loco citato pag. 199. editionem Sirmondi arguere vel Gentiani Herveti malam fidem, quod minus putat: vel Codicis saltem, quo usus est, quod probabilius. *Ego ve*ro, inquit, *non mediocriter miror Herveti incogitantiam, qui non adverterit depravatum manifeste esse textum hunc de morte Symeonis, & notam in textum inconcinne perturbatum ex margine irrepsisse, cum simile nihil ullæ in parte alia contigerit.* Edidit primus in Latinam Linguam Gentianus Hervetus hanc Theodoreti *Religiosam Historiam* Parisiis anno 1555. cum *Vitis Patrum* sub Heraclidis nomine, quas nuncupavit Reginaldo Polo Cardinali, in Anglia Legato.

Epistola Theodoreti CXLVI. pag. 898. ultimum locum Tomi tertii occupant. Harum meminit Nicephorus Callistus Libro 14. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 54. opera Theodoreti recensens. Καὶ ἐπιστολαῖς δὲ τέτε ὑπὲρ πεντακοσίας ἐνέτυχον, αἱρέσεως ἡμῖ κατὰ λόγον ἔλαγε συγγεμένας· *Hujus etiam in Epistolas incidi supra quingentas, optime & ad Græci sermonis nitorem compositas.* Collatio Catholicorum cum Severianis Constantinopoli habita, anno D XXXII. „Sed „& inveninus in Theodoreti litteris, quas ad „Dioscorum fecit, quia quando contra Julia„num & de Apopompæo conscripsisset libros, „ipsos destinavit in Antiochia B. Cyrillus, & ro„gavit beatum Joannem ostendere illos Orien„talibus præclaris Doctoribus. Et quia osten„sis eis scripsit ei Theodoretus, & rescripsit ei B. „Cyrillus, & diligentiam & affectum testificans. Quæ verba extant Epistola 83. pag. 960. Synodus V. Generalis ; Collatione V. Ex Epistola Theodoreti ad Hierenatum digamum: *Quo*niam vero inculpatis me, quod sanctum & beatum reliqui patrem Theodorum in connumeratione Doctorum, necessarium existimavi &c. Quæ extant in hoc Tomo pag. 910. in Epistola XVI. ad Irenæum Episcopum, qui perperam eo loco Hierenatus appellatur. De La[illegible]tione Epistolarum Theodoreti, ita in pra[illegible]ne Sirmondus. Epistolas Theodoreti Vaticano ex codice de„promptas latinitate donarat Federicus Me„tius, in usum & gratiam Cardinalis Baronii, qui„harum aliquot juxta Metianam illam versio„nem retulit in Annales Ecclesiasticos. Quid„ea Romæ postea factum sit nescimus, nisi quod„in lucem constat non exiisse. Quocirca cum„Græcum exemplar alterum eodem ex fonte„Vaticano, illustrissimi doctissimique Arelatensis„Archiepiscopi beneficio nacti essemus, quod in„hac editione repræsentamus, ne Latina versio„deesset, quia Metiana carebamus, nostram sub„stituimus.„ Notat autem Sirmondus in Appendicis Syllabo pag. 680. Tomi quarti, Epistolam ad Joannem Germanicæ Episcopum, esse CXXV. numero: & quæ in Appendice est pag. 702. hujus Tomi, suo loco inter Epistolas inserendam Tomo III. p. 996.

De his Epistolis ita Joannes Garnerius Dissertatione II. *de Libris Theodoreti* cap. 5. parag. 5. pag. 205. Nicephorus Callistus scribit se Epistolas Theodoreti supra quingentas nactum esse, easque & optime, & ad Græci Sermonis nitorem compositas. Dubium, an certum numerum designare voluerit, aut, quingentas dixerit, quo more Latini solent sexcentas pro plurimis, quarum numerus vix definiri queat. Vtut est, multas constat periisse, quarum Theodoretus ipse meminit. Perierunt certe, quas scripsisse se tradit, & Epist. 83. ad Cyrillum, & Epist. 1. ad Anonymum, cui legendos Commentarios in Paulum miserat, & ad Eugraphiam, & ad Diodorum duæ, &c. Plures Baronius a Federico Metio ex Vaticano codice Græco versas Annalibus inseruit, sicubi lux inde Historiæ asserenda fuit. Metiana versio non extat, melior successit: nam Sirmondus altera parte Tomi tertii, Centum quadraginta septem edidit, quas ex copiosiore alio codice Vaticano Latinas fecit. Addere potuit ad suum numerum alias tres, quas rejecit in Appendicem tomi IV. unam ad Sporatium de Nestorio, alteram ad Joannem Germaniciæ Episcopum, tertiam ad Joannem Antiochenum, quæ Reprehensionibus capitum Cyrilli præponitur, quanquam prima supposititia est. Omisisse videtur, tum quas Latinas tantum reperit, siquidem accurabat editionem Græco-Latinam: tum quas alieno nomine Theodoretus scripsit, cujusmodi est ad Rusum Thessalonicensem &c. Omnes ergo repræsentandas credo, partim ne quid auctori suo detrahatur: partim & eo quidem maxime, quod addendæ sint plures, sive quas Mercator suis Collectaneis inseruit, sive quæ in tertiæ & quintæ Synodi actis reperiuntur. Visum quoque est id præ-

Digitized by Google

ſtar:, quod alii in colligendis aliorum Scriptorum Epiſtolis ſolent, datas ſcilicet ad Theodoretum inſerere: id enim non mediocriter Hiſtoriæ prodeſt, quanquam inde non augebitur admodum Epiſtolarum liber, cum vix tres aut quatuor reperire potuerim. Subjicit autem *Appendicem ad Librum Epiſtolarum Theodoreti*, in Auctario Operum Theodoreti pag. 51. ad 107. cum notis non contemnendis: atque etiam in Diſſertatione 2. *de Libris Theodoreti* cap. 5. par. 5. pag. 205. & ſeqq. Notas ad ſingulas Epiſtolas Theodoretianas a Sirmondo editas, quæ in editione proxima ſingulis ſubjunctæ, plurimum ad earum intelligentiam pleniorem conferrent. Epiſtolæ a Garnerio additæ ſunt XXXIV. quarum XIX. ſunt aliorum quorundam Epiſcoporum Orientalium Theodoreti *συγχρέναν*. Reliquæ XV. Theodoreti ſunt. Verum ex his nonnullæ nonniſi Latinæ, aut mutilæ extant, ex actis Conciliorum vel Mario Mercatore deſumptæ: aliæ a Sirmondo, haud integræ tamen, editæ ſunt: quædam denique ſed paucæ, nunc primum in lucem prodierunt.

CAPVT SEPTIMVM.

RECENSENTVR, QVÆ TOMO QVARTO OPERVM THEODORETI CONTINENTVR.

TOmus Quartus complectitur *Eranistæ ſeu Polymorphi* Libros IV. pag. 1. *Hæreticarum fabularum Libros V.* pag. 187. *De providentia Orationes X.* pag. 319. *Adverſus Gentiles Libros XII.* pag. 461. ſive *Græcarum affectionum curationem, Evangelicæque veritatis ex Gentilium philoſophia cognitionem.* Atque Appendicis inſtar, *Librum contra Neſtorium ad Sporacium* pag. 696. *Reprehenſionem Anathematiſmorum Cyrilli* pag. 706. Denique pag. 704. *Argumenta Librorum XXVII. adverſus Eutychianos*, ex Bibliothecæ Photii Codice 46. de quibus ſigillatim dicendum nobis incumbit: omiſſis iis de quibus jam antea diximus, Epiſtola nempe *ad Ioannem Germanicia Epiſcopum* & Oratione *de divina caritate* pagg. 702. & 680. quas Tomo III. inſerendas cum Sirmondo & Garnerio diximus.

Eranistes ſeu Polymorphus libris IV. pag. 1. continetur, quorum tres priores Dialogi formam habent, quartus autem *Demonſtratio per Syllogiſmos* inſcribitur: quæ enim in Dialogis fuſius & oratorie diſputata ſunt, de immutabilitate Verbi, inconfuſione naturarum, & impaſſibilitate divinæ naturæ: ea contrahuntur in Syllogiſmos, ut vis & apertior ſit & efficacior. Meminit hujuſce Operis Photius in Bibliotheca Cod. 46. ubi cum de Viginti & ſeptem libris, quos omnes Theodoreto tribuit, ſigillatim diſſeruiſſet: addit adhuc in eodem volumine ipſo, legi tres ejusdem libros ſuperioribus majores: Ἀνεγνώσθησαν Θεοδωρήτου λόγοι τρεῖς. Ἐρανιστὴς ἢ πολύμερφος ἔφερον ἐπιγραφήν, ὧν ὁ μὲν πρῶτος, ὅτι ἄτρεπτος ὁ θεῖος λόγος. ὁ δεύτερος, ὅτι ἀσύγχυτος ἡ ἕνωσις. ὁ τρίτος, ὅτι ἀπαθὴς ὁ θεὸς λόγος. ἔτι καὶ τέταρτος, ἐν ᾧ συλλογισμοῖς τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως ὑπερασπίζεται. *Lecti ſunt Theodoreti libri tres. Titulum præferunt Eranistes ſeu Polymorphus. Horum primus Deum Verbum immutabilem eſſe docet, alter inconfuſam unionem eſſe, tertius impatibilem eſſe Deum Verbum. Accedit quartus, in quo Syllogiſmis idem argumentum tractat.* Nicephorus Libro XIV. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. LIV. ὡσαύτως καὶ λόγοις τρισὶ περὶ θείων δογμάτων, ὅπερ αὐτῷ διαλογικῶς συνετάγθησαν· *Item Libri tres de divinis dogmatibus, quos per Dialogum conſcripſit.* Meminit Theodoretus duobus in locis, nempe Epiſtola 16. ad Irenæum, ubi rationem affert, cur inter ſubjungenda ſingulis Dialogis Patrum teſtimonia, neque Diodori Tarſenſis, neque Theodori Mopſueſteni mentionem fecerit. Et Epiſtola 83. ad Diodorum Alexandrinum Antiſtitem, cum ſuam vellet obſervantiam erga Theophilum & Cyrillum Dioſcori præceſſores teſtari, hæc habet. Ὅτι δὲ καὶ τοῖς τῶν μακαρίων Θεοφίλου καὶ Κυρίλλου συγγράμμασι κεχρημένοι, τὰς ἀντιλέγειν τολμῶντας, καὶ διὰ τοῦτο ἐπισομίζομεν, αὐτοὶ μαρθυρεῖ τὰ γράμματα· τὰς γὰρ τῆς δεσποτικῆς σαρκὸς, καὶ τῆς θεότητος τὴν διαφορὰν ἀγνοοῦντας, καὶ ποτὲ μὲν τὴν θείαν φύσιν εἰς σάρκα τετράφθαι λέγοντας, ποτὲ δὲ τὴν σάρκα εἰς θεότητος μεταβεβλῆθαι φύσιν, τοῖς τῶν θαυμασίων τούτων ἀνδρῶν φαρμάκοις θεραπεύειν σπεύδομεν. σαφῶς γὰρ καὶ τῶν δύο φύσεων ἡμᾶς τὴν διαφορὰν ἐκπαιδεύουσι, καὶ τὸ ἄτρεπτον τῆς θείας κηρύττουσι φύσεως, καὶ τὴν δεσποτικὴν σάρκα θείαν μὲν ἀποκαλοῦσιν, ὡς τῷ θεῷ λόγῳ σάρκα γεγενημένην· τὸ δὲ εἰς θεότητος αὐτὴν μεταβεβλῆθαι φύσιν, ὡς ἀσεβὲς ἀπεπήξαν. *Quod vero beatorum quoque Theophili & Cyrilli ſcriptis utamur, ad retundendos homines contradicere auſos, libri ipſi teſtantur. Eos enim qui Dominicæ carnis ac deitatis differentiam negant, & nunc quidem Dominicam naturam in carnem ajunt eſſe converſam, nunc vero carnem in divinitatis naturam tranſiſſe, admirandorum Patrum iſtorum medicamentis curare nitimur. Aperte ſiquidem & duarum naturarum diſcrimen nos docent, & immutabilitatem divinæ naturæ prædicant, & Dominicam carnem divinam quidem vocant, tanquam Dei Verbi carnem factam: illam autem in Divinitatis converſam fuiſſe naturam, velut impium rejecerunt.* Ad hanc utramq; Theodoreti Epiſtolam, operæ pretium eſt obſervare, inquit Garnerius pag. 238. eam quæ ad Irenæum inſcribitur, ſcriptam eſſe anno 449. ſub finem Aprilis: quo tempore Antiochiam pervenerat ſacra Theodoſii ad alteram Synodum Epheſinam Metropolitas evocantis, ſiquidem Conſtantinopoli data legitur III. Calendas Aprilis, poſt Conſulatum Zenonis & Poſthumiani. Miſſam autem ad Dioſcorum a Theodoreto Epiſtolam anno 448. non admodum affecto, antequam ſcilicet a Dioſcoro in Eccleſia Alexandri-

na publico anathemate percelleretur: percul-ſus vero eſt, anno priore quam Epheſinum La-trocinium coiret, ut ex Epiſtola 113. colligitur. In his fieri mentionem *Eraniſta*, velut operis pervulgati & jam in Ægypto noti: quomodo autem divulgari potuit, & in regionem adeo re-motam pervenire, niſi ante aliquot annos, duos aut tres, compoſitum atque editum fuiſſet? In-de vero concludo, non immerito videri poſſe culpiam mirum, ſive Gennadii in libro *de Viris illuſtribus*, cap. 89. ſive aliorum judicium, qui o-pus a Theodoreto laudatum, cum Dioſcoro li-teras excuſatorias daret, adverſus ipſummet Dioſcorum ſcriptum eſſe crediderunt. Sane Theodoretus aut impudentiſſimus hominum fuiſſet, qui ſecundum a Romano Eccleſiæ An-tiſtitem provocaſſet ad legendum opus, quo traduceretur ridicula ſub perſona: aut incon-ſultiſſimus, qui purgare ſe voluiſſet, apud eum quem ipſe accuſaret: aut amentiſſimus, qui amicitiam expetiiſſet hominis, quem ludifica-tur.

Garnerius Theodoreti diffamandi avidus, notat pag. 239. Diſſertationis *de libris Theodore-ti*, hoc Opus a nemine Veterum ulla peculiari laude affici, quamvis a quibusdam memoretur, velut a Photio & Nicephoro: quod ſine anim-adverſione præteriri non debet juxta eundem, præſertim cum profuſa ſit alioquin utriusque auctoris, in laudando Theodoreto incontinen-tia Librum (inquit) appellat tantum. Nicepho-rus, nihil aliud laudat Photius, quam quæ reli-quis omnibus operibus convenit, ſermonis per-ſpicuitatem & puritatem. Non modo non lau-darunt Veteres, ſed etiam nomine hæreſeos ſu-ſpectum habuerunt: quam ob cauſam flammis addictum eſt gemina Theodoſii ſanctione, qua-rum priorem edixit Imperator anno 447. ſub fi-nem, quæ habetur in 3. parte Concilii Epheſini cap. 47. Secundam dedit anno 449. cum Ephe-ſinum Concilium II. approbaret: Prioris hæc verba ſunt: *Quoniam vero ad pias & ſacras aures noſtras pervenit, a nonnullis doctrinas quasdã conſcri-ptas & editas fuiſſe, ambiguas, & non plane ac aperte conſentientes cum orthodoxa fide expoſita a Synodo ſanctorum Patrum Nicea & Epheſi congregatorum, & a pia memoria Cyrillo Magno, Alexandrinorum urbis quondam Epiſcopo: mandamus, ut hujusmodi ſcripta, ſive antehac, ſive hoc quoque tempore compo-ſita ſint, comburantur, ac prorſus aboleantur, ut nullo modo cuiquam ad legendum ſuppetere poſſint: illis qui ejusmodi ſcripta aut libros apud ſe habere ac le-gere auſi fuerint, extremum ſupplicium formidanti-bus.* Sunt iſta poſterioris edidi, quo Latrocinium Epheſinum approbatur: *Quisquis codices habuerit interdictam fidē Neſtori ac Theodoreti continentes, aut interpretationes eorum, vel qui vocantur* Sermones allocutorii *ſive* Traditiones, *iisdem tormentis ſub-jaceat: etiamſi ea, quæ ſunt ab illis compoſita, alterius nomine fuerint prænotata.* Circa utramque ſan-ctionem obſervanda ſunt iſta ſex. 1. Sanctio prior anno 447. edita eſt, nam edicto Prætorum propoſito, *Lecta eſt in Eccleſia Monachorum in de-ſertis degentium die 23. menſis Pharmuthi, Indictione 1. anno Diocletiani 164.* id eſt, die 18. Aprilis anni 448. cum eremi cultores ad celebrandum Paſcha conveniſſent, moxque abſolutis feſtis poſt *νέαν κυριακὴν* ad ſua ſe loca ſinguli recepturi fo-rent. Non potuit autem in Palæſtinam Con-ſtantinopoli, atque etiam in Ægypto deſerta de-ferri ſanctio, quin aliquot ante menſes, data ſit: atq; adeo ſub finem anni 447. Decembri menſe, ut opinor, aut etiam Novembri. Si enim citius data fuiſſet, potuiſſet legi in Eccleſia Monacho-rum, convenientium ad celebranda Chriſti feſta natalitia. Lecta porro eſt *νέα κυριακῇ*: & cum anno 448. Paſcha in diem XI. Aprilis incidat, incidit proinde *νέα κυριακὴ* in diem XVIII. Apri-lis. Lecta porro eſt Monachis, propter tumul-tuantes in ipſis etiam Orientis eremis factiones, ut diſcimus ex ſacra Theodoſii convocantis ad Synodum Epheſinam ſecundam, ſigniferum Monachorum Orientis Barſumam, qui pro o-mnibus inter Patres conſideret. 2. Altera ſanctio, etſi nullam habeat temporis notam, ex iis tamen quæ continet, ſatis demonſtrat annum 449. ſub finem, aut initia ſequentis: confirmat enim Concilium Epheſinum II. habitum die 10. Auguſti anni 449. 3. Hæc prioris verba, *A nonnullis doctrinas quasdam conſcriptas & editas fuiſſe, ambiguas, & non plene ac aperte conſentientes cum orthodoxa fide expoſita &c.* deſignant mani-feſte (juxta Garnerium) Dialogos cum Erani-ſta: in illis enim Catholica fides in ſpeciem, re vera Neſtorianiſmus traditur, ſed artificioſe diſſimulatus, ut poſtea dicetur. Certe in u-tramque partem pro animi affectione interpre-tari licet omnia, ut neque Catholicus, neque Neſtorianus a Dialogorum verbis valde abhor-reat. 4. Hæc pariter prioris verba, *ſive ante-hac, ſive hoc quoque tempore compoſita fuerint:* in-telligenda procul dubio ſunt de libris recens compoſitis, qui turbas in Oriente excita-rent, qui Neſtorianiſmum foverent, qui magni inter Monachos alicujus viri nomen præferrent. Hæc vero Theodoreti Dialogis apprime conveniunt: nam & ante Irenæi de-poſitionem conſcripti ſunt, ut ex Epiſtola 16. conſtat: & Oriente toto vulgabantur, & no-mine Theodoreti inſcripto, tanto nocentius le-gebantur, quanto major erat tanti viri auctori-tas, quantoque plurium Eccleſiæ Doctorum te-ſtimonio firmari viderentur. 5. Poſterior ſanctio, confirmatio aut expoſitio potius prioris quædam eſt: nam qui tacito prius auctoris & ſuo nomine, damnantur libri, nunc *Theodoreti* dicuntur, & *Sermones allocutorii ſive traditiones* vocantur, id eſt *Dialogi*: quorum doctrina, Patrum ex omnibus mundi partibus ſententia & teſtimonio firmetur. 6. Poſterioris hæc in-ſcriptio eſt, ad Hiſtoriam non mediocriter con-ducibilis. *Interpretatio legis a Theodoſio juniore, cum ſeductus fuiſſet a Chryſaphio, adverſus Eu-tychianum & ſocios, pro Eutyche promulgata, quam reli-*

gio-

Digitized by Google

gioſiſſimi Marciani Principis lex ſubſecum deſtruxit. Quæ inſcriptio a Ruſtico Diacono, aut ab alio deſcriptore addita videtur. Hæc adverſus Theodoretum Garnerius, quæ me hucusque ad ſententiam hanc amplectendam non ſuaſerunt. Nec in his enim Dialogis Neſtorianiſmum inſinuatum video : nec ſatis effrontem Theodoretum fuiſſe credo, ut ſi in illis doctrinam Neſtorii ſuadere vellet, ad cauſæ patrocinium appellaſſet, & Theophili & Cyrilli Alexandrinorum Archiepiſcoporum, Neſtorii apertorum hoſtium teſtimonia : ut hic facit, utrumque allegans Dialogo 2. paginis 101. & 110. Quas autem Imperatoris ſanctiones, Joannes Garnerius in *Hiſtoria Theodoreti* cap. 5. pag. 124. intelligit factas de libris quinque Theodoreti *adverſus beatum Cyrillum Alexandrinæ civitatis Antiſtitem, ſanctumque Concilium Epheſinum, a quo Neſtorius damnatus eſt : quos ille* (teſte Mario Mercatore) *Diabolo inſtigante conſcripſerat :* hic idem Garnerius immemor ſui, in Diſſertatione 2. *De Libris Theodoreti* cap. 6. parag. 1. pag. 239. & ſequentibus, intelligit *de Dialogis Eranistæ ſeu Polymorphi*, ſolis ferventis ſuæ in Theodoretum imaginationis conjecturis ductus. In eandem ſententiam accedit mecum, Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica*, Tomo IV. ſeculo V. in *Theodoreto*, p. m. 102.

Ex his quæ hactenus dicta ſunt, conſtat Eranistem ante annum 448. conſcriptum fuiſſe, quo anno Theodoretus ſcripſit Dioſcoro : quomodo enim ad Opus illud anno 448. provocaſſet, niſi tunc etiam in Ægypto pervulgatum eſſet ? Et quomodo perveniſſet in Ægyptum, in eaque veluti pervulgatum quiddam, notumque haberetur, ſi non antea in publicum prodiiſſet ? Conſtat enim conſcriptum eſſe poſt obitum Cyrilli, cujus utique defuncti teſtimonium Dialogo ſecundo affertur : Defuncti inquam, quia viventis nullius auctoritas adhibetur. Ergo conſcriptum eſſe oportet, eo temporis ſpatio ſeu intervallo, quod ab anno 444. ad annum 448. interfluxit ; Sed quo definite tempore ? An ſtatim ab obitu Cyrilli ? Epiſtola certe tunc ſcripta ad Domnum, concioque Antiochiæ coram eodem Præſule habita, in eam conjecturam animum non leviter inclinant, ob argumenti ſimilitudinem : verum Imperatoris verba, Monachorumque Hiſtoria, & quæ dicta ſunt, rem conficere, atque adeo ſuadere videntur. Id operis a Theodoreto circiter annum 446. effectum eſt, poſtquam ab Imperatore ſe Cyri finibus continere, mandatum accepit. Id autem anno 445. contigit, ut ex Epiſtola 81. ad Nomum Conſulem confectum eſt. Ita Garnerius in Diſſertatione *de Libris Theodoreti* cap. 6. parag. 1. pag. 241. ubi multa alia quæ limites inſtituti noſtri egrediuntur. Prodiit hoc opus Græce Romæ anno 1547. ſtudio & curis Cardinalis Ardingelli, & Lipſiæ anno 1568. tum Græce & Latine Figuri anno 1593. in 8. cum notis Beumleri. Latine Pariſiis anno 1547. cum Libris quinque *Hæreticarum fabularum* ex interpretatione Gentiani Herveti, Remenſis Eccleſiæ Canonici, qui utrumque opus nuncupavit ſeu dedicavit Marcello Corvino ſanctæ Crucis Cardinali, & Romani Pontificis apud Concilium Tridentinum Legato, cujus Epiſtolam nuncupatoriam editionis ſuæ quarto Tomo præmittit Jacobus Sirmondus.

Hæreticarum Fabularum Libri V. p. 187.

Cujus operis aperta nusquam mentio, præterquam Quæſtione 1. in Leviticum, ubi Theodoretus inquirens, cur Deus ſibi ſacrificia offerri voluit, inquit : Πολλαχοῦ ἡμῖν εἴρηται περὶ τούτων, καὶ τοῖς πρὸς Ἕλληνας συγγεγραμμένοις, καὶ τοῖς πρὸς αἱρέσεις &c. *De his diximus multis in locis, tum in his quæ contra Græcos ſcripſimus, tum in iis quæ adverſus hæreſes &c.* Nicephorus Calliſtus Lib. 14. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 54. καὶ κατὰ πασῶν αἱρέσεων ἕτερον, ὃ ψεύδες καὶ ἀληθείας ἐπιγεγράφθαι διέγνωσαν : *Adverſus hæreſes omnes volumen alterum, quod mendacii & veritatis diſcrimen inſcripſit.* Photius in Bibliotheca, Cod. 56. quem oportunius poſtea referemus. Tantum ſilentium de tractatu tam elaborato mirum videri non debet, ſi modo ſcripſerit Theodoretus poſt Concilium Chalcedonenſe, quod nunc indagandum occurrit. Scripſit ſane poſt editam Danielis & Apoſtoli expoſitionem, nam Libro quinto cap. 23. ait : *Hæc de Antichriſto a divina Scriptura didicimus, ſummatim autem quæ ad illum ſpectant ſcripſimus : quoniam & Danielem Prophetam & Apoſtolum interpretantes, prolixius de ejus adventu locuti ſumus, & facile eſt Commentarios illos adire, ſi quis velit : in iisque reperire, ſi quid hoc loco prætermiſimus.* Alterum opus ad annum 429. alterum ad annum 433. pertinet, ſcripſit igitur poſt annum 433. Imo non ſcripſit ante anni 449. finem, nullam enim in literis ad S. Leonem de libris hiſce mentionem facit, facturus utique ſi compoſiti tunc fuiſſent : ſiquidem in libro quinto, apertiſſime Catholicam de Incarnatione fidem profitetur, ut mox oſtenſuri ſumus. Scripſit poſt compoſitam *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, nam Libro 4. cap. 1. cum de Ario ſcriberet, ejusque mortem breviter enarraret, inquit : Ἀλλὰ ταῦτα διὰ πλάτους ἐν τῇ Ἐκκλησιαστικῇ ἱστορίᾳ συγγράψας, περιττὸν ἡγοῦμαι ταῦτα λέγειν : *Sed cum hæc in Eccleſiaſtica Hiſtoria copioſe conſcripſerim, ſupervacaneum puto hic dicere.* Et cap. 2. ubi de Eudoxio ſermo eſt, τούτων γὰρ πάντων ἐμνήσθην ἐν ἐκείνῃ τῇ συγγραφῇ : *Horum omnium in opere illo memini.* Scripſit ergo poſt annum 450.

Non ſcripſit autem ante Concilium Chalcedonenſe, ſi quarti libri caput ultimum, quod ad Eutychem pertinet, ſuppoſititium non eſt : his enim inde tota facile deciditur. Nam Theodoretus in Præfatione totius Operis ſpondet ſe, *in quarto libro recentiores hæreſes demonſtraturum Arii & Eunomii, & quotquot poſt illos emerſerunt, usque ad ultimam hanc, quam Dominus derepente funditus extirpavit.* Quibus verbis videri poteſt in-

indicaſſe hæreſim Eutychianam,quam ultimam omnium initio capitis decimi tertii nominat, quamque paſſim in Epiſtolis novam hæreſim vocat, nec alio nomine appellat. Hæc vero poſt Concilium Chalcedonenſe, a Theodoreto radicitus evulſa credi potuit. Atque ultimum hoc libri quarti caput,non perinde ac duodecimum, quod de Neſtorio eſt, ſuppoſititium eſſe, exinde quispiam concludat. 1. Quod verba non tantum quibus inchoatur,ſed etiam quibus finitur, Præfationi totius Operis apprime reſpondeant. *Sed cum hac de re multa ſæpe ſcripſerim, ſupervacaneum in præſens duxi ſermonem producere: præſertim cum in quinto libro de hac etiam, ſi Deus volet, dicturus ſim. Huic ergo libro quarto finem imponens, Evangelicæ doctrinæ præſtantiam pro viribus oſtendere conabor.* Spectant enim aperte *multa* hæc ad Eraniſtem, aliaque contra Apollinariſtas ſcripta. 2. Quod hæc ipſa verba maxime libri quinti parti conſonent. 3. Quod ad hæreſim Meſſalianorum, de quibus capite undecimo agitur, accommodari minime valeant: nec enim de iſta alias mentionem fecit, nec certe *multa ſæpe ſcripſit.* Has ergo tres rationes probo, ideoque ita ſubducendam rationem puto. Opus iſtud ſcriptum eſt, poſt extirpatam,ut quidem Theodoreto videbatur,hæreſim Eutychianam : igitur poſt Concilium Chalcedonenſe, quod anno 451. die 1. Novembris abſolutum eſt. Inſcriptum eſt Sporatio, qui tamen Conſul non dicitur. Non igitur editum eſt anno 452. quo Sporatius Conſulatum geſſit,ſed anno conſequente ut quam citiſſime,id eſt anno 453. Quod ſi ea temporis nota conſtat, ut certe debet, conſequens eſt,ut Expoſitiones Theodoreti in Octateuchum ad poſteriora adhuc tempora pertineant,cum in iis Opus iſtud citetur.

Sporatius cui Opus inſcribitur, fuit Domeſticorum Comes, qui ut Theodoretus ſcribit, *cum ſago & cingulo uteretur, militiamque ſibi commiſſam gereret,& palatio ejus cauſa aſſidere cogeretur : rerum tamen divinarum cognitionem,veritatique doctrinam anteponebat.* Eam ob rem anno 451. a Marciano Imperatore ad Concilium Chalcedonenſe judex, cum aliis illuſtriſſimis legatus eſt, anno 452. qui proximus a Concilio habito, ordinarium cum Herculano Conſulatum geſſit. Ejus mentio fit in actis Matronæ Pergenſis,apud Metaphraſtem die VIII. Novembris. Cupiit ille,quod in Hiſtoria Vitæ dictum eſt, a Theodoreto *ſcire, quæ utrinque extra viam rectam novata a quibusdam ſunt ſemita, quarum finis eſt baratrum perditionis. Deſiderium autem hoc ceperat, non ut peſſime confictas,& tetrum ſpirantes odorem fabulas audiret, ſed ut eos qui neſciunt doceret : tum quænam ſit via regia, Apoſtolicis Propheticisque ornata veſtigiis,& finem habentes regnum cœlorum ; tum hæreticorum rurſus qui tramites, iis qui per illos incedunt, exitium afferentes.* Ita quidem Theodoretus,ſed fuit aliud re vera utriusque propoſitum. Volebat nempe Sporatius Theodoretum,dum adverſus omnes hæreſes ſcriberet, opere ipſo calumniam repellere,quam a multis patiebatur, quaſi orthodoxam fidem non ſincere ſequeretur : Theodoretus vero, juxta Garnerium, ut erat ægro animo adverſus Cyrilliana capita, callide & occulte, expoſitione hæreſeωn quas memoraret, oſtendere moliebatur, quibus ex fontibus hæreſis *de una natura* orta videretur : quam in Capitulis, propter ambiguas quasdam & flexiloquas voces, etiam poſt Cyrilli expoſitionem videre ſibi videbatur. Opus hoc anno 1545. Romæ primum Græce prodiit cura Ardingelli Cardinalis, deinde Latine, Gentiano Herveto interprete,Pariſiis anno 1547. ut ſupra diximus, una cum Dialogis Eraniſtis ſeu Polymorphi.

Jam unicum illic reſtat examinandum, quod tamen Garnerius conſulto, ut opinor omiſit: nimirum an Caput Libri quarti duodecimum quod de *Neſtorio* eſt,ſpurium ſit,ab aliquo Theodoriti nominis amante & Neſtorii inimico, circa tempus Synodi quintæ aſſutum? Rem hanc ſollicite examinat Ellias du Pin in *Theodoreto* pagina mihi 103. Garnerius etiam Cap. 8. de Libris Theodoreto ſuppoſitis,parag. 2. pag. m. 251. & ſequentibus.

CAPVT OCTAVVM.

AN CAPVT XII. LIBRI IV. HÆRETICARVM FABVLARVM, ADVLTERINVM SIT?

LEgitimum eſſe contendit loco citato Ellias du Pin,aſſutum ac Theodoreto ſuppoſitum Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo V. ad annum 423. pag. 317. allata pro more ſuo ratione nulla,ſecutus hac in re Joannem Garnerium latiſſime de hoc argumento agentem in Diſſertatione II. *de libris Theodoreti* cap. 8. paragr. 2. pag. 251. quem hic tranſcribentes ſequimur. Spurium eſſe ipſum quoque caput duodecimum libri quarti *Hæreticarum Fabularum*, invitoque Theodoreto aſſutum invicte convincitur, ſi conferantur inter ſe, tum quæ Theodoretus in uno eodemque opere Hæreticarum fabularum, tum quæ de Neſtorio Epiſcopisque ejus damnatoribus, ipſe, & aſſumenti Auctor ſcribunt.

1. Theodoretus in Præfatione Librorum quinque Hæreticarum Fabularum pollicetur,ſe adverſus eos diſputaturum libro quinto, quorum in aliis errores expoſuiſſet. Quare hortatur ibidem eos qui lecturi ſunt, *ut hæreticorum dogmatum unum quodque cum veritatis doctrina comparent, cujus rei gratia quintus liber conſcriptus ſit : viſuros quippe hanc divini Spiritus oracula ſequi,illa vero prava cogitationis inventa eſſe.* Atque libro quinto cap. XI. quod eſt περὶ τῆς τῦ σωτῆρος οἰκονομίας, etſi recenſeat Hæreticorum nomina,quorum antea retulerat de In-

Digitized by Google

Incarnationis myſterio errores: appellat enim Marcionem, Cerdonem, Manetem, Cerinthum, Ebionæos, Theodotianos, Artemonianos, Photinianos, Arium, Eunomium, & Apollinarium: ne verbo quidem Neſtorium aut memorat aut indigitat, debuerat tamen, ſi prius inter hæreticos cenſuiſſet.

2. Credibile deinde non eſt, Theodoretum, qui ſuam magnifice deprædicare ſolitus eſt in propoſito tenendo conſtantiam, quique confidenter negat, ſe ſimilem polypis chamelæonibusque, ad ſingula quibus adhæreſcunt corpora, formam commutantibus: qui Neſtorium immenſis laudibus extulerat, & iis quidem publicis, ac toto Oriente in teſtem appellato, in eundem poſtea effræni licentia debacchatum eſſe, nulla prius admonitione præmiſſa, qua cauſas commutatæ ſententiæ lectoribus, inconſtantiam objecturis, redderet. Neſtorium certe non ſemel antea vocaverat *pientiſſimum & venerabilem Epiſcopum, virum ſanctiſſimum, ſummumque Dei Sacerdotem, qui nihil præter doctrinam ſanam noverit & docuerit; cujus doctrinam anathematizare, ſit idem ac ipſam pietatem damnare; qui injuſte & inique damnatus ſit Epheſi, quem ſocii Paſtores calamis inique occiderint, cujus damnatoribus nunquam ipſe ſit communicaturus, etſi membratim diſcerpatur.* Nunc vero ſi ſit auctor Epiſtolæ, qua de agitur, eundem appellat *Amentem, Flagellum Ægyptiacum, inſtrumentum dæmonis mendaciorum patris, Chriſtianum ſpecie magis quam re ipſa, tyrannidis affectatorem, impium, blaſphemum, nugaciter delirantem, ſtulta ſapientem, qui ſimplicem & artificio carentem fidem noſtram Græcanicis argutiis turbaverit, qui Pontificatu per Sanctos Epheſi congregatos, divino ſuffragio dejectus ſit: qui edicto Imperatoris Oaſim juſſus habitare, qui futuri impiorum ſupplitii illinc ſumpſerit exordium, ſua ipſius amentia factus ludibrium.* Quis hæc unius hominis verba eſſe credat, licet diverſis temporibus? Quis illius credat, qui, ne in Concilio quidem Chalcedonenſi, quantumvis utraque poteſtas urgeret, Neſtorium ſponte, ſed vi tantum coactus, damnaverit? Quid quod damnatores Neſtorii, quos Epiſtolæ & Capitis XII. auctor *Sanctos vocat, & divino Spiritu afflatos* dicit: Theodoretus verus appellat, *interfectores ſocii Paſtoris, corruptores vineæ ſibi creditæ, inquinatores portionis Dominicæ, deſolatores agri Chriſti, filios apoſtatas, quorum manus polluta ſanguine, os meditatum iniquitatem, lingua injuſtitiam locuta.* Et alio in loco, *ſurdos & cæcos ſponte ſua, mente captos, Apollinariæ impietatis præcones, invidiæ mancipia, qui veritati proprias paſſiones præferant, quique propter humanas altercationes Deo prælium inferre auſi ſint* &c. Iterum dico, quis credat hæc ab uno eodemque homine, & quidem amante famam conſtantiæ, dicta eſſe: nec indicatum ullo verbo, quæ tanta cauſa fuerit mutatæ tanta in re ſententiæ?

3. Verum adhuc preſſius Auctorem aſſumenti & Theodoretum ipſum componamus. Ait Auctor, ſe neſcire, cujusmodi ſtudiis ſit innutritus Neſtorius. Sciebat probe Theodoretus, Theodori Mopſueſteni Epiſcopi ſtudiis innutritum: fuit enim condiſcipulus Joannis Antiocheni, Joannes Neſtorii ſub Theodoro Magiſtro. Ait Auctor, Neſtorium aliam ex alia regionem commutaſſe, tandemque in magnam Antiochiam irrupiſſe. Theodoretus noverat vixiſſe in Laura S. Euprepii prope Antiochiam, imo & Antiochiæ baptizatum, cum adhuc puer eſſet. Ait Auctor, oſtendiſſe Neſtorium in exordio, qualis tota vita futurus eſſet. Hunc Theodoretus ubique paſſim ſanctiſſimum, & ipſam pene pietatem vocat. Quid plura? Neſtorium Auctor nominatim & contemptim appellat, nunquam fere, aut nonniſi honorifice Theodoretus. Et vero cap. XI. libri quinti, cum enumeraret hæreſes adverſus Incarnationis fidem, ſingularumque auctores & acerrimos defenſores recenſeret, nullam fecit Neſtorii mentionem: debuerat tamen maxime, cum ageretur de iis qui Chriſtum purum hominem dixerunt.

At dixerit quispiam, Photius & Theodorus Abbas, auctores procul dubio graves & antiqui, caput duodecimum libri IV. *Hæreticarum Fabularum*, quod ab Epiſtola non differt, Theodoreto tribuunt: quin etiam Leontius in libro *de Sectis*, & Theodorus, inde jubent agnoſci, quantum exoſus eſſet Theodoreto Neſtorius: adde quod jubentibus paruerunt viri ſane eruditiſſimi poſteriorum temporum, quorum opinionem convellere non levis eſt operæ. Ita autem Photius in Bibliotheca Cod. LVI. *Ἀνεγνώσθη Θεοδωρήτου Κύρου κατὰ τῶν αἱρέσεων, τῶν ἀπὸ Σίμωνος ἀρξαμένων, καὶ μέχρις ἂν ἐπὶ τοῦ καθ' ἡμᾶς κατείληφε, τὴν βλάσφημον περιβαλλομένων. προσφωνεῖ ταῦτα Σπορακίῳ, εἰς αἴτησιν τῆς τοιαύτης φιλοπονίας καταστάντι· κατέχεται δὲ μέχρι Νεστορίου, καὶ τῆς αἱρέσεως αὐτοῦ, ἃς ἅπαντας αὐτὸς καταχίων τὸν ἔλεγχον, πρόεισι δὲ καὶ μέχρι τῆς Εὐτυχιανῆς αἱρέσεως. ἐν δὲ τῷ ε'. λόγῳ (τοσοῦτοι δὲ ὅντες τὸ βιβλίον τυγχάνουσιν) τῶν θείων καὶ ὀρθῶν δογμάτων τὴν ἐπιτομὴν, ἐν παραθέσει πρὸς τὰς αἱρετικὰς ἀδολεσχίας, τὸ ἀσύγχυτον αὐτῶν καὶ παθαρὸν ἐπιδεικνύει, καὶ ἀμώμητον. ἔστι δὲ φράσιν σαφὴς καὶ ἀπέριττος.* *Lectus Theodoreti Epiſcopi Cyri, liber contra Hæreſes, quotquot a Simone mago, ad ipſius usque jam confirmatam ætatem, germinarent. Dedicat hunc Sporacio, poſtulanti talia audire. Pergit porro usque ad Neſtorium, ejusque hæreſim, cujus minus fundit reprehenſionem, ad Eutychianam quoque hæreſim progrediens. In quinto autem libro (tot enim hoc opus conficiunt) divinorum rectorumque dogmatum Epitome, comparatione cum hæreticorum fabulis facta, quam non confuſum præ illis, ſed ſincerum atque irreprehenſibile Catholicum dogma ſit, demonſtrat. Stylus huic perſpicuus, minimeque redundans.* Theodorus Abbas & Philoſophus, in Argumento Synodi Epheſinæ. *Εἰ δὲ βούλεταί τις γνῶναι, ὅτι Θεοδώρητος καὶ λίαν ἐμίσει Νεστόριον, ἀναγνῶ τὸ περὶ τῶν αἱρέσεων αὐτῷ Θεοδωρήτῳ γεγραμμένον βιβλίον.*

Quod ſi quis noſſe velit exoſum valde Theodoreto fuiſſe Neſtorium, librum de hæreſibus a Theodoreto ipſo ſcriptum legat. Ea me ratio (inquit Garnerius) ſuo momento ſuſpenſum diu ac dubium tenuit, nec etiamnum ſinit eſſe, tot licet tantisque in contrarium argumentis urgentibus, certiſſimum. Verum a ſententia dimoveri, nec iſtorum nec illorum auctoritate poſſum, video quippe qua parte elevetur. Nam viri conſequentis ævi, Leontio, Photio, & Theodoro crediderunt: Leontius autem cum duobus fere poſt ſeculis, Photius tribus, Theodorus adhuc ſerius ſcripſerit, potuerunt non admodum difficili negotio falli, hac Appendice jamdudum ab aliquo Theodoreti ſtudioſo, ad librum quartum Hæreticarum fabularum addita.

Sed quo tempore fraus facta? Circa quintam, opinor, Synodum, in qua cum Theodoretus damnatus eſſet, voluerit fortaſſe quiſpiam, purum conſenſionis cum Neſtorio præſtare, cæterisque non curioſiſſimis ſuadere, haud aliam fuiſſe damnationis cauſam, quam quod injurioſe, fervente ut fit diſputatione, cum Cyrillo contendiſſet. Tunc credo factum, ut cum hujuſce conſenſionis Theodoretus literis in quinta Synodo relatis facile convinceretur, has ab Hæreticis confictas amici Theodoreti in vulgus jactarent. Quæ fama Leontio impoſuit, librum de Sectis, quinquaginta circiter poſt annos ſcribenti.

Sed inſtabit aliquis, ſi popularis opinio convulſa ruit, illudque aſſumentum libri jam dicti ſuppoſitum ſit: nutabit fides Hiſtoriæ de moribus & vita Neſtorii Antiochiæ acta, quæ inde tantum diſci creditur: quomodo enim incerto Auctori certa fides adhibeatur? Verum etſi Theodoretus non ſit aſſumenti Auctor, non ignota erunt continuo, quæ de vita Neſtorii hoc in loco traduntur: Nam primo quæ vera ſunt, ut eximia eloquentia, extemporalis dicendi facultas, & abſtinentia, quibus conciliatricibus gratiam Imperatoris adeptus eſt, ex Mario Mercatore ejusdem cum Neſtorio ætatis, atque etiam ex Socrate innoteſcunt. Deinde tametſi Hiſtoriam qua de agimus, Theodoretus Cyrenſis non ſcripſerit: poteſt tamen aliquis, nec ignobilis nec alterius nominis, dici auctor. Olim certe Damaſcenus & Theodorus Lector, & patrum ætate Baronius ad annum 494. n. 60. producunt Theodoretum alterum, qui Eccleſiaſticam Hiſtoriam compoſuerit, quique longe a Cyrenſi diſtet, cum res Anaſtaſio Imperatore geſtas narret. Hunc veteres illi duo Theodoretum ſimpliciter appellant, juniorem Baronius nominat, eumque aperte probat, non a Cyrenſi tantum Theodoreto differre, ſed etiam a Theodoro Lectore, in quo Damaſceni Scholiaſten merito caſtigat, ut quem oporteat incurioſe verſatum eſſe in loco Damaſceni, ſiquidem emendandum ratus ſit, nomenque Theodori pro nomine Theodoreti, ſubjiciendum. Quantæ enim incuriæ eſt iſtæc emendatio, cum Theodorus Theodoretum hunc laudet? Conſentanea Baronio ſcribit vir eruditus, Henricus Valeſius in Notis ad Theodori Collectanea.

Sentio igitur totum id, quod vel Epiſtola vel capite XII. libri IV. *Hæret. Fabularum* continetur, a Theodoreto juniore compoſitum fuiſſe & ſuppoſitum Cyrenſi. Ratio ſentiendi eſt, quod aſſumentum de quo agimus, partem fuiſſe Hiſtoriæ, oſtendant tria, exordium, medium, & finis. Sic enim incipit, *Poſtquam mundo paulatim labente, & ad hujus univerſi diſſolutionem feſtinante, unuſquiſque ſe idoneum pietatis magiſtrum exiſtimavit, tum propter ignorantiæ faſtum nemo diſcere ſuſtineret: homicida dæmon, mendacii pater, zizaniorum ſeminator, non amplius per externos & manifeſtos hoſtes adverſus Eccleſiam arma movit: ſed inſtrumentum nactus, quod omnem ut ita dicam ſubito ejus artem ſuſciperet, ſub recta opinionis ſpecie, divinitatis ſimul & humanitatis Unigeniti negationem induxit, ſimplicem & artificio carentem fidem noſtram Græcanicis conturbans argutiis.* Tum Neſtorii nomine appellato, deſcriptisque moribus, & narratis artibus, quibus (ut loquitur) Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, totiusque proinde orbis principatum adeptus ſit: ait, *inde mihi deinceps enarratio tragœdiarum, quæ terram & mare propemodum impleverit.* Deinde exponit, quomodo & cujusmodi hæreſim Neſtorius propalaverit, tum ſubdit: *Hæc a me pauca de multis dicta ſunt, dum ad ſequentia feſtinat oratio.* Mox enarrata breviter Neſtorii ab Epheſinis Patribus depoſitione, deportatione juſſu Imperatoris in Oaſim, & horrenda morte, pergit in hæc verba: *Quæ quia ſunt ab aliis enarrata, prætermittere conſentaneum eſt. Ad id quod hiſtoriæ eſt, veniamus.* Ex his verbis, *Quæ quia ſunt ab aliis enarrata*, manifeſta ſuppoſitionis demonſtratio ſuppeditatur: nam de morte Neſtorii ejusque modo, ſilent Socrates & Sozomenus: non potuerunt autem loqui, cum ille ad annum 440. iſte ad 434. Hiſtoriæ finem impoſuerit, Neſtorius vero anno 447. perierit.

Credibile igitur eſt 1. aſſumentum iſtud eſſe nihil aliud, quam exordium Hiſtoriæ, a Theodoreto quem juniorem diximus, compoſitæ. 2. Ab hoc juniore continuatam eſſe Hiſtoriam, quam ſenior ab Arianis turbis ad tempora Siſinnii quem Neſtorius excepit, per annos centum & quinque deduxerit. 3. Juniorem duxiſſe exordium, ubi ſenior finem impoſuit, nempe ab ordinatione Neſtorii, aut a motis potius ab ipſo turbis, indeque proſecutum quæ contigerunt, usque ad Juſtini imperium per 90. annos, additis quinque libris ad libros totidem ſenioris. 4. Sumpſiſſe ex quarto libro, Damaſcenum fragmenta illa, quæ antea diximus. Illa forſitan propter præjudicatam opinionem, paucis perſuaſero, inquit Garnerius: ſed non levem, opinor, eruditioribus ſive ſuſpicandi ſive inquirendi cauſam dedero: quanquam apud me vim demonſtrationis habent, quæ hactenus allata ſunt.

CAPVT

CAPVT NONVM.

ALIA TOMI QVARTI OPERA EXAMINANTVR.

Orationes decem de Providentia pag. 319.

Nihil hac elucubratione quæ decem sermonibus absolvitur, aut eloquentius aut admirabilius, non dicam a Theodoreto, sed ab alio ullo felicioris etiam Græciæ Scriptore, in hanc rem editum est: ut in ipsa voluisse videatur author ostendere, quantum in arte oratoria valeret, quamque posset eloquentissimis quibusque invidiam movere. Scribenti forsan indignatio sua auxiliata est. Hanc sibi vindicat Theodoretus in Epistola 82. ad Eusebium Episcopum Ancyranum καὶ μυσταὶ δὲ ἡμῖν συγγέγραπται βιβλίον, καὶ περὶ Προνοίας ἑτέρα: *Mysticus quoque a nobis conscriptus est liber, & de Providentia liber alius.* Vindicat etiam in Epistola 113. ad S. Leonem Papam, τὰ δὲ πρὸς τοὺς ἐν Περσίδι Μάγους, ἄλλα περὶ τῆς καθόλου προνοίας: *Scripsi quadam adversus Magos qui sunt in Persida, alia de universa Providentia:* in quam nempe Sermones decem collegerat. Vindicat denique in Commentario Psalmi 67. ubi cum de injusta morte Christo oblata per diabolum ageret, inquit, Τοῦτο τὸ ἀδίκημα ἐκείνῳ μὲν τὸ κράτος κατέλυσε, τοῖς δὲ ἀνθρώποις τὸν ἔλεγχον ἐπέδειξε ἅπερ ἐν τοῖς περὶ τῆς Προνοίας λόγοις, διὰ πλειόνων ἐρρήθη. *Hæc vero injustitia illius quidem imperium evertit, hominibus autem inferos reseravit, quemadmodum in Sermonibus de Providentia pluribus verbis dictum est.* Ex his constant duo: alterum, hunc librum differre ab eo qui Mysticus dicitur: alterum, scriptum fuisse ante Commentarios in Psalmum 67. Verum ut tempus certius statuatur, ita ratiocinandum est. Liber certo ante annum 438. scriptus est, nam a Theodoreto numeratur inter eos, quos cum anno 449. literas ad S. Leonem daret, se ante annos duodecim composuisse asserit. Scriptus quoque est ante interpretationem Psalterii, ut ex allato testimonio constat. Ergo ante annum 433. quo anno interpretatio Psalterii composita est. Pertinet igitur ad eam classem librorum, quos in Epistola ad S. Leonem, Theodoretus se ante annos quindecim vel etiam octodecim, fecisse ait. Quare credi merito potest, saltem ex parte scriptus, statim post Synodum Ephesinam, postquam Imperatoris mandato Orientales Episcopi ad suas singuli recesserunt Ecclesias: tunc enim videtur Theodoretus, suis rebus haud ex voto succedentibus, animi ægritudinem, verbis factisque solari conatus.

Hunc Librum primus Romæ Græce edendum curavit Nicolaus Majoranus anno 1545. cujus præfationem ad Nicolaum Rodulphum Cardinalem, editionis suæ Sirmondus tomo IV. præmittere non erubuit, neque nos hic inferere verebimur. Epistola Nicolai Majorani, qui sermones de Providentia Græce primus edidit, ad Nicolaum Rodulphum Cardinalem. «Cum Vaticanæ Bibliothecæ curam Pontificis Max. jussu recepissem, nihil mihi potius fuit, quam ut libros superiorum temporum culpa negligentius habitos, ad certum ordinem revocarem. Quod cum accuratius facerem, Theodoreti librum de Providentia Dei forte reperi, quem cum hominis ad eum diem ne de nomine quidem mihi noti cognoscendi causa perlegissem: eo dicendi genere, orationisque elegantia, eo dispositionis ordine, ea argumentorum subtilitate & sententiarum gravitate ac copia scriptum inveni: ut ejus lectione, his præsertim temporibus, Christianarum literarum amatores fraudare nefas putaverim. Etsi unicum tantum extaret exemplar, idque a situ & antiquitate adeo confectum, ut plurimis in locis legi vix posset. Cumque me accingerem, ut quam primum quam integerrimus is auctor in lucem prodiret: id etiam curavi, ut sub tuo nomine ederetur, qui & literarum scientia, & pietate reliquisque virtutibus præstares. Huc accedit tuorum erga me meritorum magnitudo, qui per viginti fere annos, omnibus officiis me ornare, omni humanitate complecti non destitisti. Romæ MD XLV. XV. Kalendas Julii.» Has vero Orationes in Latinam linguam anno sequenti, Rodulphus Gualterus interpretatas, Tiguri edendas curavit, hac ad Joachimum Vadianum Epistola nuncupatoria. «Theodoreti orationes de Providentia, Latinitate per nos donatas, tuo potissimum nomini dedicare visum est, ut ad te rediret, quod abs de profectum est. Tu enim nunquam antehac nobis visas, cum ex Italia Romæ nuper impressas accepisses, præceptori nostro transmisisti: qui easdem mihi obtulit, petens ut per me Latine loqui discerent, quæ hactenus Græcis tantum auribus intellectæ fuissent. Atque utinam hic mihi ea adfuisset verborum vis, quæ facundissimi Scriptoris eloquentiam exprimere potuisset. Has tandiu amissas, cumque tineis & blattis bellum gerentes, Dei providentia tam pie ab illo asserta inventas, doctissimi viri Nicolai Majorani, Vaticanæ vel Pontificiæ Bibliothecæ præfecti, beneficio reddidit.» Tiguri VIII. Idus Februarii, anno MD XLVI.

De Curandis Græcorum affectionibus libri duodecim pag. 461.

Libros ejusmodi duodecim velut suos agnoscit Theodoretus, tum in Epistola 113. ad S. Leonem, & Epistola 116. ad Renatum Romanæ Ecclesiæ Archidiaconum, hosce ipsos libros intelligit, dum πρὸς Ἕλληνας & κατ' Ἑλλήνων, *Contra Græcos seu Gentiles*, libros a se compositos commemorat. Tum Quæstione 1. in Leviticum *qua de causa Deus sibi sacrificia offerri præcepit*, ubi quatuor aliorum Operum mentionem facit: *De his diximus multis in locis, tum in his quæ contra Græcos, & adversus hæreses, tum in iis quæ adversus Magos &c.* Πολλαχοῦ ἡμῖν εἴρηται περὶ τούτων,

καὶ τοῖς πρὸς Ἕλληνας συγγεγραμμένοις, καὶ τοῖς περὶ αἱρέσεως &c. Mirum vero accidit, neque a Photio, neque a Nicephoro recenseri Opus tam exquisitum, totque libris comprehensum: sed fieri potuit, ut in manibus omnium non esset, propter reconditam doctrinam externam: & Scriptores illi duo meminerint duntaxat Operum, quæ vulgo nota essent. Editum est ante annum 438. siquidem recensetur a Theodoreto inter Opera, duodecim annis ante composita, quam Leoni Magno scriberet: scripsit autem anno 449. Stare igitur non potest sententia illustrissimi Annalium scriptoris, opinantis compositum esse post Legem Theodosii adversus Gentiles datam anno 439. pridie Kal. Februarii, Constantinop. ad Florentium. Suam sententiam Baronius ex eo confecisse videtur, quod Theodoretus sub finem Sermonis septimi, dum hortaretur Gentiles ut rejectis suis sacrificiis, sacrificium laudis offerrent Deo: ait, *Vobis ut ita faciatis, persuadeant non Principum leges, neque supplicionum metus, sed veritatis potentia, quæ maris ac terræ incolis est jam notissima.* Sed quæ Leges Principum intelligantur, mox dicemus: longe enim aliæ sunt, quam quæ a doctissimo Cardinale adducantur. Quo igitur definite tempore scripsit Theodoretus? Audivi qui conjiceret hoc Opus elucubratum esse circiter annum 433. aut 434. Quasi tunc Theodoretus, postquam elaboratos a Cyrillo adversus Julianum libros legisset, voluerit & ipse specimen dare doctrinæ, in refellendis Græcorum, id est Gentilium, qui Juliano imperante resumpserant animum, adversus fidem Christianam calumniis. Hanc conjecturam juvabat extremis Sermonis duodecimi verbis: *Oratos autem velim, quicunque in aliorum elucubrationes inciderint, ut, siquidem bene habent omnia quæ scripta sunt, Deum laudent, qui bene scribendi facultatem dedit, ipsisque adeo Scriptoribus bene precentur: sin vero aliqua desiderari videantur, ne paucorum causa cuncta condemnent, sed ex iis potius quæ recte scripta viderint, emolumentum sibi comparent.*

Præit vero Card. Baronius cum Theodoretum scripsisse ait, occasione Legis a Theodosio adversus paganos latæ. Nam cum intelligi nequeat Lex illa quæ ad annum 439. refertur, prior aliqua inquirenda est, cum qua dicta Theodoreti conveniant, & qua Imperator pœnam capitis sacrificantibus paganis statuat. Sunt autem ejusmodi duæ, quas suis Annalibus Baronius inseruit: altera anno 423. ad Asclepiodorum Prætorii Præfectum, altera anno 426. ad Isidorum Prætorii itidem Præfectum. Posterioris, qua non tantum sacrificia prohibentur, sed fana etiam, templa & delubra dirui jubentur, meminit Theodoretus lib. V. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 36. his verbis: *Ipsa idolorum delubra, quæ restabant, funditus dirui jussit, ut nec quod posteritati pristini erroris vestigium exstaret: hanc enim sententiam Legi hac de re scriptæ indidit.* Gothofredus in notis ad L. 22. *de Paganis*, verba Theodoreti de priori Lege interpretatur. Sed vel hoc uno refellitur, quod Lex vigesima secunda, *de Templorum eversione* ne verbum quidem contineat, de qua Lex posterior tota ferme est. His ergo inducor ad opinandum, Theodoretum anno 427. scripsisse *de curandis Græcorum affectionibus*: ut quos suis Legibus terruerat Imperator, eos ratione ad Christianam fidem superstitionis Gentilis victricem adduceret. Quod si hæc opinio vera sit, consequens est ut Opus de quo agitur, inter ea censeatur, quæ Theodoretus Sancto Leoni anno 449. scribit, se ante annos viginti composuisse: quo tempore secularibus adhuc literis plenus, in eo versari argumento voluit, in quo & suam gentibus eruditionem ostentare posset, & cum eruditis aliis suæ ætatis de laude contendere, eandem materiam tractare amantibus. Hunc tractatum ineunte superiore sæculo e Græco Latinum fecit Zenobius Acciaiolus, Leoni X. Pontifici Romano dicatum: deditque typis edendum Henrico Stephano, cujus Opera primum prodiit Parisiis anno 1519. sed Latinum duntaxat. Octoginta ferme post annos Federicus Sylburgius textui Latino recognito, atque ut loquitur emendato, Græcum addidit ad quatuor codices Græcos exactum. Prodierunt igitur libri XII. Græce & Latine cum doctissimis Sylburgii notis, Heidelbergæ anno 1592. in folio. Utrumque opus post quinquaginta rursum annos in collectionem Operum Theodoreti Sirmondus conjecit, emendata Acciaioli & Sylburgii versione, recisisque Sylburgii notis ac dissertationibus. Has ille quamvis plures probasque adjunxerat, optabat tamen a Fulvio Ursino suas publicari: plurimas enim fecerat, & variantes lectiones, & conjecturas, & annotationes: cum reponendum in Bibliothecam Vaticanam hoc Opus exscribi curaret. Has e Bibliotheca Vaticana acceptas nunc in publicum protulit Joannes Garnerius in *Auctario Operum Theodoreti*, a pag. 393. ad 455.

Conjecta sunt in Appendicem opuscula quinque, *Oratio de Canitate* pag. 680. quam Capite 6. hujus Dissertationis diximus subjungendam Philotheo seu Religiosæ Historiæ. *Liber contra Nestorium* seu Epistola ad Sporatium pag. 696. *Epistola ad Joannem Germanicia Episcopum* pag. 702. quam capite 6. hujus Dissertationis, diximus esse Epistolam CXXV. atque suo loco inter Epistolas inserendam Tomo III. pag. 996. *Argumenta librorum viginti septem adversus Eutychianos* pag. 704. *Reprehensio anathematismorum Cyrilli* pag. 706. quo ab ultimo ordiemur, tum quia certum Theodoreti opus est: tum quia *lib. adversus Nestorium* seu *Epistola ad Sporatium* supposititia est, *Argumenta autem librorum viginti septem adversus Eutychianos*, sunt excerpta tantum ex Bibliotheca Photii Codice 46.

Reprehensio Anathematismorum seu XII. Capitum Cyrilli pag. 706.

Nusquam hujus sui Operis meminit Theodore-

doretus, quamvis cum affectatione aliqua aliorum Operum suorum amplissimam mentionem, enumerationemque faciat multis in locis, præsertim in Epistola 82. ad Eusebium Ancyranum Episcopum, in Epistola 113. ad S. Leonem Papam, in Epistola 145. ad Monachos Constantinopolitanos. Ac prudenter quidem, quippe cum conscius sibi esset, vel nullam inde laudem retulisse, imo laborasse hanc ob rem fama pessima. Mentionem hujus Operis facit Garnerius in *Historia Theodoreti* cap. 4. pag. 119. ubi vult anno 429. hoc opus a Theodoreto in gratiam Nestorii adversus Cyrillum acerrimo odio decertantis, fuisse compositum. Cum enim intelligeret Nestorius, sparsa per urbem Constantinopolitanam fuisse Cyrilli capitula, una cum literis Romanæ & Ægyptiacæ Synodi, magnasque inde animorum etiam in aula conversiones fieri, nec suis se concionibus duabus id peregisse, quod moliretur: Anathematismos Cyrilli primum in ipsa urbe regia contrariis anathematismis refellit, deinde missis Antiochiam Synodicarum exemplis, Joannem rogavit, ut a duobus sui Concilii viris Theodoreto Cyrensi & Andrea Samosateno, capita duodecim a Cyrillo præscripta curaret argui, quasi Apollinaris impietatem continerent. Joannis mandato uterque paruit, aliter tamen alius, Theodoretus nempe acerbius, remissius Andreas: siquidem ille conviciis atque etiam calumniis non abstinuit, iste objecit tantum voces, quas putaret inconsiderate prolatas. Theodoretus Cyrillum velut hæreticum aggressus est, Andreas quem Catholicum agnoscebat, pene invitus vexabat: atque hinc fortitan effectum, ut quo tempore veniretur ad Concilium, qui campus quidam certaminis futurus erat, Cyrensis advolaverit pugnæ avidus; Samosatenus morbum simulaverit, ne veniret eo, ubi necessitas foret veritatis impugnandæ. Ipse interim disputationis æstu abreptus Theodoretus, verbis saltem incautis ac nimium periculosis, asserere non dubitavit, B. Mariam non peperisse Verbum carnem factum, naturas in Christo καθ' ὑπόστασιν non uniri, nec unicam esse ὑπόστασιν, denique Deum Verbum non posse dici mortuum. Ob has sane causas, Theodoretus nunquam istud Opus suum recensuit, nunquam ad illud provocavit ad amoliendam a se pravæ doctrinæ suspicionem.

Epistola seu liber ad Spontium de Nestorio, pag. 696.

Quem librum dixit Sirmondus, Epistolam Baronius nominat; formam ille contemplatus est, ille inscriptionem. Id quidquid est, Sirmondus ut erat perspicax & rerum prudens æstimator, neque inter Epistolas collocavit, neque ordine suo inter libros, sed velut opusculum quoddam in Operum appendice. Scribit tamen (quod mirabile est) Baronius, epistolam hanc suo in codice præpositam fuisse reliquis, tanquam Theodoreti fidem, & Nestorianæ societatis publicam renuntiationem: sed id factum opinor ab aliquo amantiore Theodoreti, quam veritatis. In libris vulgatis media sui parte, totidem verbis, conficit caput 12. libri quarti *Hæreticarum Fabularum*, quod inscribitur de Nestorio: nihilque habet amplius, præter disputationem prolixam cum ipsomet Nestorio, ad quem oratio convertitur: qua conversione nihil est insolentius apud Theodoretum. Scripsit vero quisquis est auctor, post Nestorium, non modo deportatum in Oasim, sed etiam in reditu misere extinctum: facit enim mentionem deportationis & interitus. Scripsit igitur post ann. 447. quo anno periisse Nestorius apertis testimoniis, aut certe argumentis, ostenditur. Nemo veterum quod sciam, istius Epistolæ meminit, quatenus a Capite duodecimo jam dicto differt. Nam Leontius in Opere de Sectis, & Theodorus Abbas in Argumento Synodi Ephesinæ, ac Photius in Codice LVI. meminerunt solius libri IV. Hæreticarum Fabularum, in quo inserta est. Et vero scriptum quod in Appendicem rejecit Sirmondus, speciem quidem nonnullam declamationis aut historiæ præfert, nullam epistolæ. Nam 1. non habet honorificam viri cui inscribitur compellationem, quam in Epistolis ad Magnates emittere Theodoretus non solet. 2. Caret amica clausula, quam Theodoretus vix pariter unquam prætermittit. 3. Præfationem continet prolixam, & ut ajunt, locum communem: quo nihil absurdius peccatur in epistolarem artem, religiose a Theodoreto observatam. 4. Fastidiosa illa præfatio aliud nihil est, quam imitatio quædam atque amplificatio Prologi libro quarto Hæreticarum Fabularum præfixi, quod puerile vitium est. 5. Oratio ad Nestorium ipsum convertitur, cujusmodi apud Theodoretum in Epistolis vix quicquam simile reperias. 6. Scatet phrasibus ex Gregorio Theologo puerilitet decerptis, quod indignum Theodoreto. Decerptæ sunt istæ manifeste ex Oratione in Athanasium: ἄλλην ἐξ ἄλλης ἀμείβων χώραν, καθάπερ ἀιγυπτιακὴ τις μάστιξ τῇ μεγάλῃ τῶν Ἀποστόλων ἐπισκηψὶ πόλει, ἐν ταύτῃ λογων ἐλευθερίων μετρίως μεποχημώς. Et paulo post: ἐνταῦθά μοι λοιπὸν καὶ τὰ ἐρείματα, ὧν μικρᾷ πλήρης πᾶσα γῆπε, ἢ θάλαττα. ὡς γὰρ τὸν μέγιστον καπέλαβε θρονον, καθάπερ πνὰ τυραννίδα τῆς ἀρχιερωσύνης τὴν πρεσβείαν ἀρπάσας. Ex Oratione ad Arianos: ὅπου τὰ πολλὰ βιβλίοις πρεσβεύων, ἢ καθ' ἡσυχίαν ἑαυτῷ συγγινόμενος. Spurium igitur est atque suppositum id, cujuscunq; modi est, scriptum.

Quoniam vero suppositionis Epistolam damnavimus, frustra curiosius inquisierimus datæ tempus, frustra dandæ causas, & modum scriptionis: sed inde potius falsi rursum Auctorem argumentis tribus convincemus. Quorsum enim *primo* Theodoretus ad virum illustrem daret Epistolam, ad quem mittebat librum, in quo idem argumentum iisdem verbis tracta-

ret: nec tamen facti tam insolentis, tamque indecori rationem ullam proferret? *Deinde* linguæ Græcæ peritos appello judices, quantum stylus Epistolæ a Theodoreti purissima dictione differat, ut vel hoc uno argumento res confici omnino queat. *Tertio* quæro a defensoribus Epistolæ, quo tempore post annum 447. scriptam putent, ante, an post Synodum Calchedonensem? Si ante: cur petierunt Patres tanto ambitu tamque repetitis clamoribus, damnari Nestorium a Theodoreto, qui scripto publico tam aperte suam mentem aperuisset? Cur reus cum perageretur, hoc publico fortissimoque suæ causæ instrumento non usus est? Cur tergiversatus in eo execrando, quem instrumentum dæmonis, quem impium, quem amentem, quem per Sanctos Ephesi congregatos, divino suffragio de Pontificatu dejectum dixisset? Si postea: cur siluit de Calchedonensi Concilio, cum Ephesini magnifice meminissent, & in utroque Nestorius sit proscriptus? Cur utriusque Patres, hæresis Nestorianæ damnatores tacuit, cum aliarum hæreseon domitores nominatim celebrare solitus sit? An ullus potuit celebrandi esse locus, aut opportunior, aut illustrior? Cur Sporatio scribens, uni ex illustribus Concilii Chalcedonensis cognitoribus, non fecit mentionem victoriæ de Nestorio reportatæ, cum virum tam nobilem tamque religiosum laudaret? Cur si ante V. Synodum extitit aut Epistola, aut Caput duodecimum: neque a defensoribus Theodoreti Facundo & Liberato, neque a Vigilio Papa in constituto, neque a Patribus V. Synodi, veri amantibus, alterutrum aut utrumque allatum est in Theodoreti gratiam? Cur Gregorius Magnus scribens ad Episcopos Istriæ pro Pelagio II, cum fidem Theodoreti vellet ostendere, post Synodum Calchedonensem fuisse puram: hoc testimonio tam evidente, tamque expresso, usus non est? Cur criminantibus Calchedonensem Synodum, quod Theodoretum recepisset, nullo requisito scripto, quo se alienum a Nestorio probaret: exceptum non est continuo, non fuisse opus ab eo scriptum exigere, qui tam clarum tamque manifestum volens ediditset? Quid plura? Nulla rei adjuncta suppositionem non declarant. Ita Garnerius.

Argumenta Librorum XXVII. adversus Eutychianos pag. 704. desumpta ex Bibliotheca Photii, Cod. 45. de quibus postea differemus paucis.

Adde *Fragmenta ex Theodoreti Pentalogio de assumptione hominis*, seu *libris V. de Incarnatione Verbi adversus Cyrillum & Patres Concilii Ephesini*, quæ habentur inter Marii Mercatoris Opera, editionis Garnerii parte 2. pag. 267. & in *Auctario Operum Theodoreti* a p. 40. ad 50.

Encomium Theodoreti Episcopi Cyri, in nativitatem venerandi & glorioſi Prophetæ & Præcursoris Joannis Baptistæ, Græce & Latine indicto *Auctario Operum Theodoreti* pag. 21.

Excerpta ex quinque Sermonibus Theodoreti in S. Joannem Chrysostomum, ex Photii Bibliotheca Cod. 273. in dicto *Auctario* pag. 30.

Allocutiones duæ Calchedone contra Cyrillum anno 431. dictæ, cujus fragmenta totidem Latine extant in Actis Synodi quintæ, ibidem pag. 34. cum *sermone habito Antiochiæ anno 444. coram Domno*, quo Cyrilli morti insultat, ibidem pagina 35.

CAPVT DECIMVM.

AN DIALOGI SEPTEM ADVERSVS ARIANOS, MACEDONIANOS ET APOLLINARISTAS, PERTINEANT AD THEODORETVM CYRENSEM EPISCOPVM?

HAc de quæstione scripsit dubio procul eruditissimam Dissertationem Joannes Garnerius, quam inseruit *Auctario Operum Theodoreti*, præmissam pag. 259. ad 272. Dialogis istis septem, quos Græce & Latine ex versione sua ibidem edidit a pag. 273. ad 406. quamque ut instituto nostro prolixiorem, hic in compendio exponemus.

Quam incertus fuerit in hunc usque diem horum Dialogorum auctor, manifeste ostendunt aliæ aliorum super ea re sententiæ. Scriptores enim ejusdem ætatis inter se pugnant, & Græci a se invicem dissentiunt, & unus idemque Scriptor sibi non consentit, idemque Opus modo huic Auctori, modo alteri tribuit. Scriptores quos dico, recentis ævi sunt: nam qui e veteribus Dialogorum meminerit, neminem neque Græcum, neque Latinum novi. Non meminit certe Photius, nec alius Scriptorum nomenclator. Inter Latinos mentionem fecit Beza primum, tum Scultetus: postea Franciscus Combefisius, qui & Opus hoc ex Græco verterunt. Theodorus quidem Beza priores quinque Dialogos, Abrahamus Scultetus reliquos duos, qui editi extant inter Opera S. Athanasii, GræcoLatina Heidelbergæ edita anno 1601. tomis duobus, tum Parisiis anno 1627. eodem modo. Denique priores hi quinque Dialogi ex interpretatione Combefisii, cum duobus reliquis quos Scultetus vertit, extant GræcoLatina, in editione Operum S. Maximi Monachi, quam Parisiis, duobus in folio tomis procuravit anno 1675. dictus Combefisius. Ex Græcis nemo, quod quidem recorder, nisi circa tempora Concilii Florentini, vel certe cum de processione Spiritus sancti contentiosius dimicatum est, Dialogos istos laudavit. Latini porro illi tres quos appellavi, aliique non majoris auctoritatis, Dialogos vel Athanasio vel Maximo Monacho tribuunt, qui tamen magnam sibi non conciliant fidem. Nam primum id timide faciunt, & fere tantum, ut non sine aliquo Auctoris nomine Opus appareat de quo loquuntur, qui deinde leviſſimis dubiisque indiciis impulsi sunt. Ex recentioribus Græcis vix quidquam colligi

colligi posse autumo: quandoquidem nec omnes inter se conveniunt, nec unus fere secum. Eundem Dialogum alius, imo idem aliquis, modo huic, modo alteri tribuit. Legi certe super ea re non oscitanter Demetrium Cydonium *de processione Spiritus Sancti*, Josephum Methonensem in *Responsione ad Epistolam Marci Ephesii*, Marcum ipsum Ephesin *Concilio Florentino*, Joannem Veccum *adversus Andream Comaterum*, & aliis in operibus, quæ Græcia Orthodoxa Allatii exhibet. Andream ipsum Comaterum *apud Veccum*, Gregorium Protosyncellum *ad Imperatorem Trapezuntinum*, Georgium Metochitam in *Refutatione trium Planudis capitum*: legi inquam, & inter legendum animadverti, duos fere tantum ab ipsis Dialogos, primum ac tertium citari: & priorem quidem S. Athanasio tribui a Metochita atque etiam a Vecco, sed a Vecco atque a Protosyncello alios S. Maximo Monacho adjudicari. Posteriorem vero, Maximo vindicari a Comatero & Cydonio, sed Athanasio ter aut quater a Vecco. Græci igitur duo, Gregorius Protosyncellus, qui adversus Epistolam Marci Ephesii, *Apologiam quorundam Patrum* scripsit: & Demetrius Cydonius cujus Opera nonnulla Arcadius edidit: nonnihil fateor ex primo tertioque proferunt, velut ex Opere S. Maximi. Verum homines illi, præterquam quod recentiores sunt, quam ut auctoritate sua sola fidem certam facere valeant: certe sola Codicum, quibus jamdudum corruptis utebantur, auctoritate moti, populariter citarunt. Quid quod uterque post decimum quartum seculum vixit, quo tempore suppositio jamdudum facta fuerat. Et nemo, qui χειροτέρως Græcorum codices MSS. legerit, non perspexit, quam corrupti sint, quamque apud ipsos Opera nobilium Patrum suppositiis titulis interpolari soleant. Verum igitur est, quod initio dixi, incertum fuisse hactenus Dialogorum auctorem.

Jam quæ & cujus temporis quæstiones in Dialogis agitentur, inspiciamus, ut auctorem inde agnoscamus, cum Garnerio hujus Dissertationis paragr. 1. pag. 260. In illis septem Dialogis ut ex lectione apertum est, quatuor omnino oppugnantur hæretici, in duobus nempe prioribus Aëtius atque Eunomius, qui Anomæorum parentes: in tertio, sexto & septimo Macedonius, qui Pneumatomachorum princeps: in reliquis duobus Apollinarius, vel potius Apollinarii sectatores, quorum triginta argutiæ forma syllogistica proponuntur, & ab Orthodoxo solvuntur. In primo agitatur obiter Anomæorum quæstio de cognitione Dei, *An perinde sit notus homini etiam mortali, ac ipse sibi*: tum diligenter disputatur *de ingenito & genito*: quæ duæ quæstiones procul dubio ad finem quarti seculi, quintique initium spectant. Sunt enim motæ ab Aëtio & Eunomio Aëtii discipulo, quorum postremus an. 392. obiit, quorumque sectatores Anomæi dicti sunt. Hos porro Basil. sub nomine Eunomianorum & Gregorius Nyssenus ac Chrysost. sub nomine Anomæorum confutarunt. Dialogi duo priores, de quibus sermo est, cum Anomæis habentur, quæ secta temporibus illis notissima fuit. In tertio, sexto & septimo *de Spiritus Sancti divinitate, atque etiam Christi anima*, controversia movetur. Quæ duæ quæstiones Macedonii propriæ sunt, ut partim ex aliis Scriptoribus, partim ex Mario Mercatore discimus. Vixit autem Macedonius sub finem seculi quarti, qui depositus certo est an. 360. & damnatus in Concilio II. œcumenico, anno 381. Hæresis tamen adhuc postea viguit, ut ex consequentium temporum Historia constat, quanquam minus turbarum excitavit post annum 430. In quarto & quinto refellitur hæresis Arianorum, nec non Apollinaristarum, de *Verbo divino* fungente vicibus in Christo, sive totius animæ, qui Arianorum error fuit: sive solius mentis, qui Apollinarii. Hæ duæ quæstiones sub finem quarti seculi ortæ sunt, & damnatæ in Concilio quidem a Patribus Constantinopolitanis an. 381. in libris autem ab Athanasio, Nazianzeno, Cyrillo, aliisque seculi quarti & quinti.

Animadverti deinde recensitas quæstiones, suam habuisse quam gererent ætatem, tamdiuque agitatas vehementius, donec ingens illa de Christo contentio quam Nestorius & Eutyches moverunt, occupavit animos, industriamque Tractatorum Ecclesiasticorum exercuit. Neque enim postea fere de ipsis actum est, nisi occasione hæresis Eutychianæ, quæ Apollinarii soboles quædam nonnullis visa est. Inde mihi primum venit in mentem opinari Dialogorum Auctorem, ante hæreticorum duorum quos dixi, Nestorii & Eutychis turbas, scripsisse: atque adeo per id temporis, quod a Concilio II. ad III. effluxit. Opinionem adjuverunt tria. *Primum*, quod Orthodoxus in Dialogo secundo Aëtium alloquens, objiciat ex ipso prodiisse nuper (χθὲς καὶ σήμερον) quosdam, eosque opponat iis, *Qui jam inde a sanctis Apostolis usque ad hodiernum diem, collaudant Patrem & Filium & Spiritum Sanctum*. Non igitur diu post vulgatos Aëtii libros scriptus est Dialogus secundus, vulgati sunt autem Aëtii libri Constantinopoli sub finem secudi quarti. *Alterum*, quod in tertio Dialogo fiat mentio Concilii, in quo nonnihil Symbolo Nicæno de Spiritu Sancto additum est, si tamen vere additum est, & non explicatum potius adversus Macedonii hæresim, quod Nicæna Synodus brevius docuisset. Scripsit ergo post annum 381. Dialogorum auctor, quo anno Concilium II. Constantinopoli celebratum est. *Postremum*, quod nulla e contrario fiat mentio, quæstionum a Nestorio ac Eutyche de Verbi Incarnatione motarum: cum tamen mirum in modum utrique, Orthodoxo dico & Apollinaristæ profuisset, momenta rationum suarum firmare definitione Synodi Ephesinæ: sive naturæ duæ in Christo perfectæ probandæ essent, sive asserenda Virgini sanctissimæ sua Deiparæ digni-

dignitas. Scripti ſunt ergo Dialogi ante Concilium Epheſinum, atque adeo ante annum 431. Quid, quod videtur Dialogorum Scriptor id unum conſilii habuiſſe, ut quos Concilium II. Canone primo hæreticos Eunomianos ſive Anomœos, Arianos & Semiarianos, ſive Pneumatomachos & Sabellianos, Marcellianos, Photinianos, ac Apollinariſtas damnaverat: eos partim ratione convinceret, partim objectionum ſolutione debilitaret. Scripti ſunt igitur Dialogi eo temporis ſpatio, quod inter Concilium ſecundum & Concilium Epheſinum interfluxit. Huc facit plurimum, quod quisque negotio facili inter Scriptores Eccleſiaſticos legendos obſervare poteſt, eos nempe ſolitos fuiſſe, poſtquam hæreſes aut enatæ eſſent, aut potius in publicum prodiiſſent: primum pro fide aperto marte pugnare, donec Eccleſia in Synodis & definitionibus fideles doceret, & hæreticos anathemate percelleret. Deinde poſt Synodos ſcribere libros, quibus ratione ſuaderent, quod auctoritate Eccleſia ſanciverat. Denique non prius deſiiſſe materiam aliquam examinare, quam alia majoris pro tempore momenti, generoſos fidei defenſores ad ſe traheret: adeo ut chronologica quædam ſententia ferri poſſit, & de hæreſium ætate, ex libris conſcriptis; & de librorum tempore, ex hæreſibus impugnatis.

Jam quod ille Auctor Dialogorum alius a Magno Athanaſio ſit, oſtendimus ſupra in Diſſertatione *de Operibus S. Athanaſii Alexandriæ Archiepiſcopi.* Quod non ſpectent etiam ad S. Maximum Monachum, eximie probat Joannes Garnerius Diſſertatione citata paragr. 5. pag. 265. nosque etiam oſtendemus poſtea in examine Operum S. Maximi Monachi, ex propriis Garnerii rationibus & verbis. Denique quod Theodoretus ſit Dialogorum ſeptem Auctor, idem probat Garnerius paragr. 6. pag. 266. ad finem Diſſertationis, & poſitive in præludiis Diſſertationis p. 259. quem hic tranſcribemus.

Tradit Theodoretus ſe contra Arianos, Eunomianos, Macedonianos & Apollinariſtas ſcripſiſſe, & cum accuſaretur, ad hos libros velut ad certos fidei ſuæ teſtes provocat, Epiſtola 82. ad Euſebium Epiſcopum Ancyranum, pag. 956. Διὰ γὰρ τὴν τοῦ Θεοῦ χάριν, καὶ τοὺς Προφήτας ἅπαντας ἑρμηνεύσαμεν, καὶ τὸ ψαλτήριον καὶ τὸν Ἀπόστολον. καὶ πρὸς τοὺς τοῦ Ἀρείου φρονοῦντας, καὶ πρὸς τοὺς τὰ Μακεδονίου νοσοῦντας, καὶ πρὸς τὴν Ἀπολιναρίου τερθρείαν, καὶ πρὸς τὴν Μαρκίωνος λύτταν συνεγράψαμεν πάλαι· καὶ ἐν ἑκάστῳ τῶν συγγραμμάτων διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ μοι χάριν, τὸ ἐκκλησιαστικὸν φρόνημα διαλάμπει. *Per enim Dei gratiam, & Prophetas omnes Commentariis expoſui, & Pſalterium & Apoſtolum: & adverſus Arianos & Macedonianos, & Apollinaris præſtigias, rabiemque Marcionis, libros olim compoſui: & in ſingulis libris Eccleſiaſticum dogma per Dei gratiam elucet.* Epiſtola 113. ad Leonem Papam, anno 449. ſcripta: *Jubeat Sanctitas veſtra me ad vos venire, & doctrinam meam Apoſtolicis veſtigiis inhærentem oſtendere:* ἔξι γάρ μοι τὰ μὲν πρὸ εἴκοσι ἐτῶν συγγεγραμμένα, τὰ δὲ πρὸ ἐκκαιδέκα, τὰ δὲ πρὸ πεντεκαίδεκα, τὰ δὲ πρὸ δυώδεκα· τὰ μὲν πρὸς Ἀρειανούς, καὶ Εὐνομιανούς, τὰ δὲ πρὸς Ἰουδαίους, καὶ Ἕλληνας, τὰ δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἐν Περσίδι Μάγους. *Sunt enim quæ mihi, partim ante annos viginti, partim ante octodecim, partim ante duodecim ſcripti, quædam contra Arianos & Eunomianos, quædam adverſus Judæos & Gentiles, quædam adverſus ipſos in Perſide Magos.* Epiſtola 116. pag. 989. ad Renatum Presbyterum, πλείους γὰρ ἢ τριάκοντα συνέγραψα βίβλους, κατὰ Ἀρείου καὶ Εὐνομίου, κατὰ Μαρκίωνος, κατὰ Μακεδονίου, κατὰ Ἑλλήνων, κατὰ Ἰουδαίων. *Libros ſcripſi amplius triginta adverſus Arium & Eunomium, adverſus Marcionem, adverſus Macedonium, Gentiles & Judæos.* Et Libro V. Hæreticarum fabularum cap. 2. quod eſt de Filio Unigenito, pag. 254. Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων πολλὰς πρὸς Ἄρειον καὶ Εὐνόμιον ἐν τοῖς πρὸς ἐκείνους διεξήλθομεν λόγοις. *Sed de his nos in iis quæ adverſus Arium & Eunomium ſcripſimus, copioſe diſſeruimus.* Et cap. ſequenti, quod de Spiritu Sancto eſt, cujus cum divinitatem probaſſet, ſubjungit pag. 260. Ἀλλὰ γὰρ καὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, κατὰ τῶν τῆς τότε χάριτος ἐρήμων αἱρετικῶν τρεῖς συνέγραψα λόγους, καὶ πάρελκον εἶναι μηδὲν ἡγοῦμαι ἐνθάδε, τῶν λειπομένων κεφαλαίων πρὸς ἑαυτὰ τὸν λόγον ἑλκόντων. *At enim de Spiritu Sancto adverſus ejus gratia deſtitutos hæreticos, tres libros conſcripſi: & ſupervacaneum exiſtimo ſermonem hoc loco producere, cum capita quæ reſtant orationem ad ſe vocent.* Circa hæc teſtimonia, obſervo *primum* ordinem qui in Operibus recenſendis ſervatur, *adverſus Arianos, Macedonianos & Apollinariſtas. Secundo* Arium cum Eunomio jungi, Arianos cum Eunomianis, id eſt cum puris Arianis, qui Anomæi dicti ſunt. *Tertio* tres libros a Theodoreto adverſus Pneumatomachos hæreticos, eſſe conſcriptos. *Quarto* præſtigiarum Apollinaris nomine, intelligi captiones, fallacias, ſophiſticasque rationes, quibus ille homines minus eruditos decipere ſolebat.

Quamvis autem de hiſce libris adverſus Arianos, Macedonianos & Apollinariſtas, Theodoretus tam aperte loquatur: neque Photius tamen, neque Nicephorus, nec ullus quod ſciam, veterum illorum mentionem fecit. Imo non memini me legere etiam in Catenis, inquit Garnerius, quicquam inde productum: tametſi oportuerit eſſe Opera elucubratiſſima, quæ tanto ambitu Theodoretus deprædicat. Hæc cum attentius perpenderem mirarerque, venit in mentem inquirere, an interiiſſent illa penitus, ut nihil præter memoriam ſuperſit: an integra alicubi ſed alieno ſub nomine laterent. Poſtremum id mihi viſum eſt credibilius, reque diligentius expenſa concluſi, Dialogos illos ſeptem, qui in Tomo II Operum Athanaſii reperiuntur, quique ab aliis Athanaſio, ab aliis Maximo Monacho tribuuntur; non eſſe diverſos a libris, quos Theodoretus ſe *adverſus Arianos, Eunomianos, Macedonianosque & Apollinariſtas* ſcripſiſſe me-

memorat. In hanc opinionem veni his fere gradibus. Animadverti primum, quæ in singulis Dialogis quæstiones moverentur. Tum quam incertus fuerit in hunc usque diem, ipsorum Auctor, qui omnium unus est. Deinde, hunc Auctorem ab Athanasio differre, atque etiam a Maximo Monacho. Denique, non alium omnino esse quam Theodoretum, quandoquidem omnes, quas suis libris adversus Arianos, Macedonianos & Apollinaristas apponit notas, apprime conveniant his septem Dialogis, quorum quinque Theodorus Beza, Scultetus duos Latinos fecit.

Inter Dialogistam autem hunc & Theodoretum, quoad omnes simul Dialogos, maxima consensio existit. 1. Scripsit Dialogista adversus tres hæreses, Arii, Macedonii & Apollinarii. Theodoretus inquit Epistola 82. *scripsi adversus Arianos, ac Macedonianos, & contra Apollinaris prastigias.* Adverte Lector, Theodoretum eodem ordine scripta sua recensere, quem Dialogi inter se servant. 2. Tres sunt adversus Macedonianos Dialogi, tertius, sextus & septimus. Theodoretus Libro 5. Hæreticarum fabularum cap. 3. *de Spiritu Sancto adversus gratia ejus destitutos hæreticos, tres libros conscripsi.* 3. Dialogista solvit Dialogis seu libris duobus Syllogismos, quibus quasi præstigiis Apollinarius simplicibus illudebat. Theodoretus Epistola 82. *Scripsi adversus Apollinarii præstigias.* 4. Scripsit Dialogista post secundam Synodum quæ anno 381. habita, & ante tertiam Ephesinam quæ anno 431. coacta est. Theodoretus Epistola 82. *Integrum est, cui animus fuerit, antiqua mea Opera evolvere, tum ea qua ante Synodum Ephesinam, tum qua post illam rursum ante duodecim annos scripsi. Quæ enim Dei gratia est, & Prophetas omnes commentariis exposui, & Psalterium & Apostolum: & adversus Arianos ac Macedonianos, & contra Apollinaris præstigias, rabiemque Marcionis, libros olim composui.* 5. Tunc scripsit Dialogista, cum illæ tres hæreses quas dixi, vigerent. Theodoretus in Præfatione quinque Librorum *de hæreticis Fabulis*, exponens argumentum inquit: *In quarto recentiores hæreses demonstrabimus, Arii inquam, & Eunomii, & quotquot post illos emerserunt usque ad ultimam hanc, quam Dominus derepente funditus extirpavit.* Tum in Syllabo recenset *Arium, Macedonium & Apollinarem*, cum suis singulos Sectariis. 6. Ita pugnat Dialogista cum Arianis, ut Anomæos nominatim, eorumque parentes duos Aëtium & Eunomium petat. Theodoretus ubi suos libros nominat, imo & cum disputat, Aëtium cum Eunomio, Arianos cum Eunomianis conjungere solet. Innumera exempla suppetunt. 7. Quid plura? Theodoretus dicit se adversus hæreticos illos scripsisse, contra quos Dialogi scripti sunt: & totidem libros scripsisse quot in Dialogis leguntur, & prolixe tractasse, quæ prolixe in Dialogis tractantur. Quæ possunt esse certa conjecturæ momenta, nisi hæc sunt?

Objicies pugnare MSS. codices Græcos in gratiam S. Maximi Monachi. Respondeo pari facilitate id negari, quali asseritur. Codex certe Græcus quo Beza usus est, priores quatuor Dialogos Athanasii nomine inscriptos habuit: sed habuit simul ad marginem primi adscriptum, τὸν παρόντα διάλογον, οἱ μὲν Ἀθανασίῳ, οἱ δὲ Μαξίμῳ ἔνιοι λέγουσιν. Palatinus codex insignior, qui nunc in Bibliotheca Vaticana est, nullius auctoris nomen præfert: alter vero aliquis inferioris notæ, particulam secundi Dialogi Athanasio adjudicat: verum cum ejusmodi judicium in margine tantum a conjectatore aliquo adscriptum sit, parvi momenti est. Prudenter Combefisius in Synopsi Operum Maximi quæ edidit, eos se Dialogos S. Maximo tribuere monuit propter duos codices, Romanum a Cardinale Baronio relatum, & Venetum Gerasimi Blachi, *donec quis certioribus ex monumentis aliter opinandum suaserit.* Quibus verbis videri potest opinari, Codices quorum meminit, minus habere auctoritatis quam opus esset, ad faciendam certam fidem. Neque igitur a Manuscriptis codicibus plus lucis sperandum, quam ab editis. Nam ut ex uno omnium optimo de reliquis judicium feratur, quos plures Feckelmanus a se visos scribit in notis ad Tomum II. Operum S. Athanasii: Palatinus qui nunc in Bibliotheca Vaticana servatur, nullius auctoris nomen ulli trium priorum Dialogorum, inscriptum habet: sed hunc tantum titulum primo præfixum, Ἀνομοίων ἤτοι Ἀρειανῶν διάλογοι πρὸς Ὀρθοδόξους. Secundus nihil habet inscriptum, tertio ad marginem, τῷ ἁγίῳ Μαξίμῳ adscriptum est. Quartus sic inscribitur, τῷ ἁγίῳ Ἀθανασίῳ πρὸς Ἀπολλιναρίους διάλεξις. Quintus autem, τῷ αὐτῷ Ἀπολιναριστῶν κεφαλαίωσις, ἢ Γρηγορίου ἐπισκόπου. Duo reliqui inscriptum gerunt Athanasii nomen. Hæc de manuscriptis codicibus, ut verum sit quod ab initio diximus, auctorem Dialogorum incertum fuisse hactenus.

In proxima porro futura Operum Theodoreti omnium editione, præmittenda esset Tomo IV. Operum ante Eranistem, Dissertatio Garnerii *de Dialogis adversus Arianos, Macedonianos & Apollinaristas* quam edidit in *Auctario Operum Theodoreti* a pag. 259. ad 272. tum *Dialogi ipsi* Græce & Latine, ex interpretatione illius, quos ibidem inclusit a pag. 273. ad 406. Sunt enim hi Dialogi ex primis Operibus, quæ a Theodoreto composita sunt, quorum idem Garnerius meminit in *Historia Theodoreti* cap. 3. n. 13. p. 117.

CAPVT VNDECIMVM.
DE
LIBRIS THEODORETI, QVORVM SOLA MEMORIA SVPERESSE VIDETVR.

1. OPus *Mysticum libris XII.* Auctorem se *Operis Mystici* fatetur

Theodoretus partim in Epistola 82. ad Eusebium Ancyranum Episcopum, καὶ μυστικὴ δὲ ἡμῖν συγγέγραπται βίβλος, καὶ περὶ προνοίας ἑτέρα: *Mysticus praterea scriptus est a nobis liber, & alii de Providentia.* Partim in libro V. Hæreticarum Fabularum cap. 18. cum in Baptismate nos consepeliri Christo, ut resurrectionis participes fiamus, inquit: Ἀλλὰ γὰρ μυστικωτέρων δεῖ λόγων ἐνταῦθα, ἅπαντός τε δέκα καὶ δύο λόγους συγγεγράψαντες μυστικούς, εἰς ἐκεῖνα τὸν φιλομαθῆ ἀναπέμψομεν: *Verum hic opus est magis mystico sermone, & cum alioquin mysticos duodecim libros conscripserimus, studiosos ad eos remittemus.* Et ibidem cap. 2. sub finem prolixæ disputationis de Verbi divinitate adversus Arianos, hæc habentur, quibus caput concluditur: κατὰ δὲ τούτων ἤδη δυοκαίδεκα πρώην συνεγράψαμεν λόγους, καὶ πρὸς τούτοις νῦν καὶ τῆς ἄλλης θεολογίας τε ἠθικῆς καὶ διδασκαλίας τὸν σκοπὸν ἐπεδείξαμεν. *Contra hos autem duodecim jam nuper libros conscripsimus, & præter hos nunc etiam alterius moralis Theologiæ & doctrinæ scopum ostendimus.* Hinc intelligimus, Opus istud duodecim libris comprehensum fuisse, & ante libros *Hæreticarum Fabularum*, imo ante annum 445. quo anno Theodoretus ad Eusebium scripsit: atque etiam ante annum 433. qui ante datam Eusebio Epistolam, duodecimus est. Neque Photius, neque Nicephorus, neque alius quod sciam veterum, tantæ elucubrationis meminit: quæ forsan ante ipsa quoque Photii tempora jamdudum interierat, vel alio nomine censebatur. Credet forte quispiam, levi tamen ut ego quidem opinor argumento, *Mysticos libros* ab opere *de curandis Græcorum affectionibus* non differre: nam consentit librorum numerus, & quod quis miretur, Theodoretus ubi alterius Operis meminit, de altero silet, quasi solo nomine diversa sint. Verum neque Mysteria tractantur cum Gentilibus, præsertim a Theodoreto, qui id maxime cavet: neque in libris *Adversus Græcos* expositum reperitur, quod in libro V. *Hæreticarum Fabularum* cap. 18. de Baptismate dicitur.

2. *Libri VII. de Theologia atque Incarnatione.*

Opus a se conscriptum de *Theologia & Incarnatione* tradit Theodoretus in literis ad Leonem Pontificem, seu Epist. 113. quæ anno 449 data est. ἔστι γάρ μοι τὰ μὲν πρὸ ἴσως ἐτῶν συγγεγραμμένα, τὰ δὲ πρὸ ἑκτωκαίδεκα, τὰ δὲ πρὸ πενταετίαν δέκα, τὰ δὲ πρὸ δυοδέκα· τὰ μὲν πρὸς Ἀρειανούς, καὶ Εὐνομιανούς, τὰ δὲ πρὸς Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας, τὰ δὲ πρὸς τοὺς ἐν Περσίδι Μάγους. Ἄλλα περὶ τῆς καθόλου προνοίας, ἕτερα δὲ περὶ τῆς θεολογίας καὶ τῆς θείας ἐνανθρωπήσεως. *Sunt enim mihi, quæ partim ante annos viginti, partim ante octodecim, partim ante quindecim, partim ante duodecim scripsi: quædam contra Arianos & Eunomianos, quædam contra Judæos & Gentiles, quædam contra Magos, qui sunt in Perside. Alia de universali providentia, alia rursus de Theologia deque divina Incarnatione.* Solus ipse veterum, mentionem hujus operis Theodoretus facit: nec enim Photius aut Nicephorus, aut alius quispiam eorum meminit, imo nec ulla hujus nominis elucubratio hactenus prodiit. An interierit omnino tam insigne opus, an alteri auctori jam inde a pluribus seculis suppositum sit, quærit Garnerius. Opinatur autem quæ scripsisse se tradit *de Theologia & divina Incarnatione* Theodoretus, nullatenus differre a Libris tribus adversus Pneumatomachos, & duobus contra Apollinaristas compositis, qui & ipsi quinque a Dialogis totidem diversi non sunt, quos Athanasio suppositos fuerant illi, qui Opera ipsius Commelinianis typis anno 1600. ediderunt. In hanc opinionem venit Garnerius his quasi gradibus. Animadvertit 1. ubi Libri de Theologia & divina Incarnatione recensentur, nullam fieri mentionem Operum adversus Macedonium & Apollinarium, velut in Epistola 113. ad S. Leonem &c. 2. Vbi recensentur Opera adversus Macedonium & Apollinarium, ut in Epistola 82. ad Eusebium Ancyranum, & in Epist. 116. ad Renatum, libros de Theologia & Incarnatione non memorari. 3. Solitos veteres nomine Theologiæ inscribere libros, quibus ὁμοουσιότης divinarum personarum probatur: ut constat ex Orationibus S. Gregorii Nazianzeni. 4. Apud eosdem veteres, cum de libris agitur, nomina Theologiæ & Trinitatis promiscue usurpari. 5. Dialogos adversus Macedonium & Apollinarium atque etiam Arium, in omnibus fere Codicibus hoc titulo insigniri, περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος: cui addi poterat, καὶ θείας ἐνανθρωπήσεως: propter Dialogos adversus Apollinarium. Ita Garnerius, & Ludovicus Ellias du Pin in *Bibliotheca Nova Ecclesiastica* seculo V. Tomo IV. in *Theodoreto*, pag. mihi 109. putat hos libros *de Theologia & Incarnatione*, esse *septem primos* ex viginti septem, quos Theodoreto adscribit Photius in Bibliotheca Codice 46. de quibus loquemur, cum infra de *Pentalogio* Theodoreti differemus.

3. *Opus adversus Marcionem.*

Nemo veterum hujusce Operis meminit præter Theodoretum, meminit autem ille tribus locis Epistola 82. ad Eusebium καὶ πρὸς τὴν Ἀπολιναρίου τερθρείαν, καὶ πρὸς τὴν Μαρκίωνος λύτταν συνεγράψαμεν πάλαι: *Contra Apollinaris præstigias, rabiemque Marcionis libros olim compositi.* Epistola 116. ad Renatum, πλείους γὰρ ἢ τριάκοντα συντάγματα βίβλων, κατὰ Ἀρείου καὶ Εὐνομίου, κατὰ Μαρκίωνος &c. *Libros scripsi amplius triginta, adversus Arium & Eunomium, adversus Marcionem &c.* Et Epistola 145. ad Monachos urbis Regiæ, καὶ μέντοι καὶ πρὸς τοὺς Μαρκίωνος σπιρεδόνι κατεχομένους ἀγωνιζόμενοι διατετελέκαμεν &c. τοὺς δὲ τῆς Μαρκίωνος λύττης μετεσχηκότας, ὅτι οὐκ ἀγαθός ἐστι μόνον, ἀλλὰ καὶ δίκαιος: ὡς ἀλλοτρίων κατὰ τὸν ἐκείνου μῦθον, ἀλλ' οἰκείων ποιμάτων σωτήρ. *Adversus eos, qui Marcionis labe corrupti sunt, certare nunquam destitimus: persuadentes Marcionis furore insanientibus, non bonum tantum esse, verum etiam justum: non alio-*

norum

norum ut ipſi fabulantur, ſed ſuorum ipſius operum Salvatorem. Quæ poſtrema verba idcirco adduxi, ut hoc Opus ſicubi alieno ſub nomine lateat, quod ſuſpicor, ipſo prodente argumento, deprehendi poſſit. Theodoretus paſſim docet in Epiſtolis, cur adverſus Marcionem ſcripſerit, & quo operæ pretio: narrat enim ſua in parochia, tunc cum eam regendam ſuſcepiſſet, viguiſſe Marcionis hæreſim: factumque ſuis ſudoribus, atque etiam Sanctorum precibus, ut Marcionitarum decem millia ad fidem converterentur. Sed in Hiſtoria Religioſa cap. 20. prolixius refert, quomodo Sanctorum precibus tantam de tot hoſtibus victoriam reportarit. Obſervandum porro, numerum Marcionitarum ad rectam converſorum fidem, diverſum diverſis locis legi: Epiſt. 145. *Decem millia* & amplius converſa dici, ſed in Epiſtola 113. ad S. Leonem *pluquam millia* duntaxat. Error in poſteriorem locum irrepſiſſe videtur, poſitum enim eſt: πλείους μὲν ἢ χιλίας ψυχὰς, pro πλείους ἢ μυρίας ψυχάς.

4. *Opus adverſus Judæos.*

Adverſus Judæos ſcripſiſſe ſe Theodoretus teſtatur in Epiſtola 113. ad S. Leonem, 116. ad Renatum Presbyterum, & 145. ad Monachos Conſtantinopolitanos. Si ſingulare quoddam opus intelligat, illud vel penitus interiit, vel alieno ſub nomine fugit ſenſum. Cum recenſeretur Expoſitio Danielis, dixi Opus quod a Theodoreto adverſus Judæos compoſitum eſt, non videri differre a Commentariis in Danielem, aut etiam in alienos Prophetas. In iis certe fit, quod Theodoretus ſe adverſus Judæos contendiſſe narrat in Epiſtola ad Monachos Conſtantinopolitanos, nempe de Chriſto edita fuiſſe Prophetarum vaticinia. Scio non nemini viſum, Demonſtrationem adverſus Judæos, quæ inter Sermones Baſilii Seleucienſis eſt, eſſe hoc ipſum Opus, quod Theodoretus ſe contra Judæos compoſuiſſe tradit. Cui opinioni favet, quod hæc demonſtratio videatur Baſilio ſuppoſita, & nihilominus non improbabiliter reddi queat ad ſeculi quinti partem, qua Baſilius & Theodoretus vixerunt. Verum initium hebdomadum non perinde ab utroque ſumitur, neque iidem anni ab utroque ponuntur, neque Theodoretum ſtylus ſapit.

5. *Libri ad quæſtiones Magorum Perſidis, ſeu Solutiones.*

Reſponſionis ad Quæſita Magorum, qui ſunt in Perſide, meminit paſſim Theodoretus: velut in Epiſtola 82. ad Euſebium Epiſcopum Ancyranum, καὶ μυστικὴ δὲ ἡμῖν συγγέγραπται βίβλος, καὶ περὶ προνοίας ἑτέρα, καὶ πρὸς τὰς πύσεις τῶν Μάγων ἄλλη &c. *Myſticus preterea ſcriptus eſt a nobis liber, & alius de Providentia, & ad Quæſita Magorum &c.* Et Epiſtola 113. ad Leonem Magnum, ἔστι γάρ μοι τὰ μὲν πρὸ ἑπτὰ ἐτῶν συγγεγραμμένα, τὰ δὲ πρὸ ἐκτωκαίδεκα, τὰ δὲ πρὸ πεντεκαίδεκα, τὰ δὲ πρὸ δυόδεκα, τὰ μὲν πρὸς Ἀρειανὰς καὶ Εὐνομιανὰς, τὰ δὲ πρὸς Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας, τὰ δὲ πρὸς τοὺς ἐν Περσίδι Μάγους. *Sunt mihi, quæ partim ante annos viginti, partim ante octodecim, partim ante quindecim, partim ante duodecim ſcripſi: quædam adverſus Arianos & Eunomianos, quædam contra Judæos & Gentiles, quædam contra Magos quæ in Perſide ſunt &c.* Atque in Eccleſiaſtica Hiſtoria libro 5. cap. 38. pag. 752. Μάγους δὲ καλοῦσιν οἱ Πέρσαι, τοὺς τὰ στοιχεῖα θεοποιοῦντας. τὴν δὲ τούτων μυθολογίαν ἐν ἑτέρῳ συγγράμματι δεδηλώκαμεν, ἐν ᾧ τὴν λύσιν τοῖς τούτων πύσεσι προσηνέγκαμεν. *Magos vero Perſæ vocant eos, qui elementa Deos faciunt, quorum nos fabulas alio in Opere oſtendimus, in quo ad Quæſtiones illorum ſolutionem attulimus.* Ex his conſtat Theodoretum Magis reſpondiſſe, non tantum ante annum 450. quo Hiſtoria compoſita eſt, ſed etiam ante annum 437. id eſt annis duodecim & amplius ante datam ad Leonem Magnum Epiſtolam: imo ante annum 433. qui ante ſcriptam Euſebio Ancyrano Epiſcopo Epiſtolam duodecimus eſt. Quæ quæſita Magorum fuerint, divinare non licet, quæ nihilominus frequentia fuiſſe conſtat: nam Diodorus Tarſenſis & Theodorus Mopſueſtenus adverſus Magos ejusmodi diſputarunt. Opinor vero a Magis, non ipſos Doctores quos appellavi, ſed Chriſtianos in Perſide exiſtentes, interrogatos eſſe: qui utpote neophyti, cum in ſolvendis quæſtionibus laborarent, Orientis Magiſtros quippe viciniores conſulebant, quid moleſte ſciſcitantibus reſpondendum foret.

6. *Pentalogium ſeu libri V. de Incarnatione adverſus Cyrillum & Epheſinam Synodum.*

Scripſit quoque Theodoretus anno 432. *Pentalogium ſeu Libros V. de Incarnatione adverſus Cyrillum & Epheſinam Synodum*, de quibus ita loquitur Joannes Garnerius in *Hiſtoria Theodoreti* cap. 5. paragr. 12. pag. 125. Neque tamen eo contentus fuit Theodoretus, ſed prorupit huc usque impotentiæ, ut quod tradit Marius Mercator, in Excerptis 2. parte Operum Marii Mercatoris, *quinque libros adverſus beatum Cyrillum Alexandrinæ civitatis Antiſtitem, ſanctumque Concilium Epheſinum, a quo Neſtorius damnatus eſt, Diabolo inſtigante conſcriberet.* Atque ii ſunt libri, quibus quinta Synodus & Sanctus Gregorius Magnus fidem Catholicam, Nicephorus Calliſtus tertiam Synodum impugnatam tradit. Miretur autem nemo Mercatoris dictum lib. 1. cap. 1. *de libris inſtigante diabolo conſcriptis:* nihil enim ipſis potuit aut amarulentius ſcribi, aut calumnioſius dici adverſus Patres Epheſinos, de quibus loco mox citato inquit. *Tantum valuit invidia cui vos mancipaſtis, ut quæ olim per unum aut duos & hos latentes, Apollinaris loquebatur: hæc nunc per multos Eccleſiæ Præſules congregationibus Eccleſiarum ſacris exhibeat, & tales herbæ per Paſtores gregibus offerantur, luporumque morſus, rectorum miniſterio, rationalibus ovibus inſligantur. Qui in duabus aut tribus civitatibus extra murorum ſepta, paucos alloquebatur, quos etiam variis canticis ſeducebat:*

nunc iſte per vos in mediis triumphat urbibus. Ejus enim pradicatis errores, & vocum novitatibus decoramini, reparantes ejus blaſphemiam, quæ jam fuerat conſumpta temporibus. Quis credat ab homine non emotæ mentis hæc effutita? fecit tanta tamque effera librorum licentia, ut & vindicibus flammis Theodoſii juſſu, quod poſtea narrabitur, abſumpti ſint: & a quinta Synodo æternam auctoris ſui nomini maculam, jure intulerint. Hæc Garnerius, qui fragmenta varia Græce & Latine exhibet in *Auctario Operum Theodoreti* pag. 40. & ſequentibus, deſumpta olim ex lib. 1. 2. & 5. hujus Operis. Putavit idem Garnerius in Diſſert. 2. *de libris Theodoreti* cap. 6. paragr. 1. num. 27. pag. 243. ex Bibliotheca Photii Cod. 46. ubi recenſet *libros XXVII. Theodoreti adverſus Eutychianos*, hoc uno eodemque volumine Opera tria compacta eſſe, Libros nimirum quinque Theodoreti adverſus ſanctam Epheſinam Synodum & ſanctum Cyrillum, Sermones Eutherii Tyanenſis Epiſcopi, atque Eraniſtem. Idem Garnerius cap. 8. par. 3. pag. 254. atque poſt ipſum Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literaria* ſeculo 5. ad annum 423. in Theodoreto pag. 318. ubi notat errore lapſum Photium Cod. XLVI. „ Theodorito adſcribentem *Libros XXVII. adverſus varias hæreticorum „propoſitiones, imprimis vero adverſus Eutychianos*, „quorum argumenta ſummatim exhibet. Ex „iis XXI. poſteriores Eutherii Tyanenſis Epi„ſcopi eſſe, Marii Mercatoris auctoritate con„ſtat. Sex priores Theodoriti eſſe ſatis notum „eſt, iidem enim cum Pentalogio ſunt, uno ex iis „libro in duos male diviſo.„ Hæc Cavus a Garnerio accepta. Contra ſentit Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 5. Tomo 4. in *Theodoreto* pag. mihi 109. nimirum *ſeptem priores libros* ex XXVII. quos recenſet Photius, eſſe Opus *de Theologia & Incarnatione*, cujus ſæpiſſime mentionem Theodoretus facit, de quo nos diximus num. 2. hujus Capitis. Nam 1. opus adverſus Cyrillum in quinque libros diſtinctum erat, iſtud vero in libros ſeptem. 2. Photius dubio procul obſervaſſet hos libros eſſe contra Cyrillum ſcriptos. 3. Argumenta horum librorum non conveniunt libris adverſus S. Cyrillum conſcriptis, ita enim Photius. Ἀνεγνώσθη Θεοδωρίτου ἐπισκόπου Κύρου λόγοι κζ'. πρὸς διαφόρους θέσεις. ὧν ὁ μὲν πρῶτος πρὸς τοὺς λέγοντας μίαν φύσιν γεγενῆσθαι τὸν θεὸν λόγον, καὶ τὴν ἐξ σπέρματος Δαυὶδ ληφθεῖσαν ἀπαρχὴν, καὶ προσαπόλλυσθαι τὰ πάθη τῇ θεότητι. ὁ δὲ δεύτερος πρὸς τοὺς αὐτοὺς γραφικώτερον συμπλέκομενος. καὶ ὁ τρίτος περὶ τῆς αὐτῆς ὑποθέσεως. ὁ δὲ τέταρτος διδασκαλίας τῶν ἁγίων πατέρων περιέχει περὶ τῆς ἐνδόξου οἰκονομίας τοῦ δεσπότου ἡμῶν Χριστοῦ, τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ. ὁ μέντοι πέμπτος αἱρετικῶν δόξας ἀθροίζει, καὶ παρατίθησιν αὐτοὺς τῇ δόξῃ τῶν μὴ ὁμολογούντων ἐπὶ Χριστοῦ δύο φύσεις, καὶ δείκνυσι πρὸς ἀλλήλας διασώζοντας τὴν συγγένειαν. ὁ δὲ ἕκτος διαλαμβάνει, ὅτι εἷς υἱὸς ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστός. ὁ ἕβδομος ἐπιστολὴν ἐπέχει τόπον· ἐν οἷς τὸ πρῶτον συμπληροῦται βιβλίον. *Lecti ſunt Theodoreti libri viginti ſeptem adverſus varias propoſitiones. Primus adverſus eos qui dicunt unam factam eſſe naturam Deum Verbum, & ſumptas ex David ſemine primitias, & qui paſſiones tribuunt divinitati. Secundus cum eadem ex Scriptura preſſius congreditur. Tertius de eadem re diſputat. Quartus ſanctorum Patrum doctrinam continet de glorioſa Incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, filii Dei. Quintus hæreticorum congerit opiniones, quas componit cum opinionibus eorum, qui duas in Chriſto naturas non agnoſcunt, & oſtendit magnam eos habere inter ſe affinitatem. Sextus colligit, unum eſſe filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Septimus Epiſtola locum tenet. Quibus volumen primum abſolvitur.*

7. Apologia pro Diodoro Tarſenſi & Theodoro Mopſueſteno, libris III.

Mentionem facit hujus Operis Theodoretus in Epiſtola XVI. ad Irenæum Tyri Epiſcopum, pag. mihi 911. his verbis: εἰ μὲν γὰρ ἔπαινον πατέρων συγγράφων τόνδε τὸν ἁγίους παρέλιπον, ἠδίκησα ἂν ὁμολογῶ, καὶ περὶ τοὺς διδασκάλους ἀχάριστος ἐγενόμην. εἰ δὲ κατηγορίαν ἀπολογίαν προσήνεγκα, καὶ τοὺς ἀναμφισβητήτους παρήγαγον μάρτυρας, τί μάτην οἱ τούτων ἐχθροὶ ἰδεῖν ἐθέλοντες ἐπιμέμφονται; ὅπως δὲ σέβω τοὺς ἄνδρας, μάρτυς ἡ παρ' ἡμῶν ὑπὲρ αὐτῶν συγγραφεῖσα βίβλος, ἐν ᾗ τὴν καὶ αὐτῶν γεγενημένην γραφὴν διελύσαμεν· δεόντως τῶν καθηγόρων τὴν δυσχέειαν, δὲ τὰς καθ' ἡμῶν γενομένας ἐπιβουλάς. *Quare ſi ſuſceptæ Patrum laudationis iſtos omiſiſſem, iniquæ fateor egiſſem, & in magiſtros fuiſſem ingratus. At ſi cum accuſarer, defenſionem ſum aggreſſus, & teſtes indubitatos adduxi: quid incaſſum nos vituperent, qui horum videre nihil volunt? Quo autem cultu viros proſequar, ſcitis eſt liber quem de illis compoſui, in quo conflatam in illos accuſationem diluimus, nec accuſatorum potentiam, nec inſtructas contra nos inſidias reformidantes.* De hoc Opere Garnerius in *Hiſtoria Theodoreti* cap. 7. num. 1. pag. 128. Quæ interceſſiſſe dicta eſt anno 433. inter Theodoretum & Cyrillum literarum conſuetudo, diuturna non fuit. Nam cum Neſtorius Imperatoris mandato deportatus eſſet in Oaſim, propterea quod a ſuo Monaſterio turbas amicorum ope moliebatur: cumque libri ejus flammis arſiſſent, quoniam ex iis quidam, Neſtorium eadem cum Patribus ſentire, populo perſuadebant: viſa eſt factioſis hominibus farcienda cum fœnore jactura. Nam ut habet Liberatus *Breviarii* cap. 10. pro combuſtis unius hominis non probatiſſimi apud omnes libris, ſuppoſiti ſunt alii, ſive quos Theodorus Mopſueſtenus Neſtorii magiſter, ſive quos Diodorus Tarſenſis Mopſueſteni doctor ſcripſerat: ut quoniam uterque infinita erat apud omnes in opinione, tanto perniciouſius idem error invaleſceret, quanto ſub nobiliori nomine lateret. Atque hinc extitit cauſa tumultuum in Armenia, multis utrumque Doctorem mirifice laudantibus, plu-

pluribus utrumque impietatis arguentibus. Extitit etiam querelarum origo, quas graviſſimas Monachi zelo præfervidi Alexandriam ad Cyrillum, Antiochiam ad Joannem, & in Vrbem regiam ad Proclum Maximiani ſucceſſorem tulerunt.

Cyrillus adverſus Diodorum & Theodorum compoſuit, cujus nihil remanet, præter fragmenta in actis quintæ Synodi. Joannes Theodoro paulo æquior viſus eſt. Proclus edidit Tomum de fide ad Armenos, cui ſubjunxit excerpta quædam ex Theodoro, tacito tamen prudenter nomine: hujus enim tanta in Oriente reverentia fuit, & quaſi ſanctitas, ut cum religionis incrementum optaretur, in Eccleſia reclamaretur: *Vivat Theodori fides.* Opus Procli Joannes in ſua Synodo probavit. Probavit & in Ægyptia Cyrillus, quippe conſonum tribus ſuis libris adverſus Theodorum. Sed Theodoretus inde animo permotus pro Theodoro Mopſueſteno, quo ſemper magiſtro gloriatus eſt: tres pariter libros anno 434. compoſuit, & eos quidem amarulentos, quemadmodum intelligere licet ex fragmentis, quibus in quinta Synodo Collat. IV. ad cauſam Theodori judicandam uſus fuit. Nam quid acerbius eo, quo in Cyrillum invehitur? *Quid igitur novum dixit Theodorus, quod tantis eum blaſphemiis lapidaſti, jubens illum ut frenaret linguam, quando tuam ipſe currere ita effrenatam dimiſiſti? Vide ne quis te callidiorem exiſtimet, his adverſus Theodorum uti injuriis, quod Apollinarium & qui ea quæ ſunt illius ſapiunt, ſceleratiſſimos vocavit. Si hoc non eſt, cur abſono dicto, ſicut trapulam, tantas hujuſmodi adverſus eum blaſphemias effudiſti?* Hæc de libris Theodoreti, qui temporum lapſu nobis exciderunt.

CAPVT DVODECIMVM.
DE OPERIBVS THEODORETO SVPPOSITIS.

SVppoſita ſunt iſta quinque nimirum Libri V. Hiſtoriarum, ætate Gennadii: Epiſtola ſive Liber contra Neſtorium ad Sporatium, ab hominibus ſeculi 6. de quo jam antea diximus. Libri ſive Sermones XXVII. De diverſis hæreſibus, a Photio in Bibliotheca Cod. XLVI. Liber Aſceticus, a Codice Philadelphienſi: & Liber *de Formulis* a Joanne Alexandro Braſſicano, de quibus nos ſigillatim.

1. *Libri V. Hiſtoriarum*, ætate Gennadii, Theodoreto ſuppoſiti.

Gennadius in Libro *de Viris illuſtribus* cap. 89. ubi Theodoreti elogium, inquit: *Sunt & ejus decem Hiſtoria Eccleſiaſtica libri, quos imitatus Euſebium Cæſarienſem ſcripſit, ſcribens a fine librorum Euſebii usque ad ſuum tempus, id eſt a vicennalibus Conſtantini usque ad Imperium Leonis ſenioris.* Deceptum fuiſſe Gennadium evidentiſſimis conſtat argumentis, nam ita ſcripſit ſolus inter veteres, & homo Latinus de Hiſtoria Græca. Nemo Græcorum ſive æqualium ſive poſteriorum horum meminit, etſi maxime debuerat quisque, ſi res ita ſe habuiſſet: debuerat inquam, non tantum propter nomen Auctoris, toto Oriente celeberrimi: ſed etiam propter res, quas unus omnium apprime & ſciviſſet & ſcriptis mandaſſet. Non meminit certe Evagrius, quamvis ſolitus ſibi fidem facere Scriptorum priorum teſtimonio: non meminit Theophanes, non Cedrenus, non Zonaras, non Photius, non Nicephorus, & ſi qui alii Græci Hiſtorici ſunt. Imo Evagrius contrariam apertis verbis ſententiam dixit, nam Theodoreti Hiſtoriam ad ſola Theodoſii junioris tempora, perveniſſe tradit. Dixit & Nicephorus Calliſtus, qui eadem cum Evagrio refert: dixit & Photius in Bibliotheca Codice 33. inquiens, *Theodoretus Hiſtoriam inchoavit ab hæreſi Arii, pertexuitque & ipſe ad Theodoſii junioris tempora, & usque ad Theodori exceſſum, quando Conſtantinopoli ſacrorum Antiſtes Siſinnius fuit.* Theodoretus ipſe clariſſimis & expreſſiſſimis verbis, cum finem Hiſtoriæ imponeret, eam ſe certis temporum ſpatiis definiiſſe teſtatur: *Ego*, inquit, *Hiſtoria finem hic faciens, lectores oro, ut laborem noſtrum precibus ſuis compenſent. Quinque autem & centum annorum tempus hæc hiſtoria complectitur, ab Arii veſania incipiens, deſinensque in obitu laudabilium virorum Theodoti & Theodori.* Vterque fato functus eſt anno 427. Tantum vero abeſt, ut Hiſtoriam ad Imperium usque Leonis ſenioris produxerit: ut niſi inconſultiſſimus hominum vel impudentiſſimus audire vellet, producere omnino non debuerit. Quas enim res Eccleſiaſticas proſecutus fuiſſet? Neſtorianas certe, Epheſinas, Calchedonenſes, ac proinde ſuas, Cyrilli, Ibæ, atque etiam Diodori Tarſenſis ac Theodori Mopſueſteni: de quibus ſi vera ſcripſiſſet, ſe & amicos, coram omnium conſequentium ſeculorum Eccleſia, reos peregiſſet, quod inconſiderati eſt: ſi falſa ſcripto mandaſſet, orbis totus rerum conſcius reclamaſſet, tantique reclamantium tumultus pars aliqua vel memoria, ad nos usque perveniſſet. Si ultra Siſinnii Conſtantinopolitani tempora, id eſt ultra annum Chriſti 427. Hiſtoriam produxiſſet: inde procul dubio quinta Synodus deſumpſiſſet, quæ plurimum ad cauſam facerent, quam agebat. Si enim Ibam atque Theodorum Mopſueſtenum damnaſſet, præjudicium damnandi attuliſſe dictus eſſet: Si autem defendiſſet, reus inde ſuo ipſius teſtimonio actus foret.

Hæc cum indubitata ſint, contentioſus tamen aliquis objicere poſſet duo: alterum ex Theodoro Lectore, alterum ex Damaſceno teſtimonium. Theodorus enim lib. II. *Collectaneorum* inquit, *Petrus Moggus reliquias Timothei Salophacioli effodiſſe dicitur, idem quoque ſcribit Theodoretus.* Et paulo poſt, *Calendionem dicit ordinatum fuiſſe Conſtantinopoli, cum Theodorito conſentiens.* Damaſcenus vero in Lib. 3. *De Ima-*

Digitized by Google

Imaginibus plura producit, *ἐκ τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἱστορίας Θεοδωρίτου*, libro tertio & quarto. Verum jamdudum viri docti locum hunc Damasceni emendarunt,& pro Theodorito Theodorum Lectorem videlicet reposuerunt : ea enim Damascenus memorat,quæ ne si centenarius quidem fuisset,Theodoretus scire potuisset,ut quod Olympio Ariano contigit anno 498. Eadem ratio refellit pariter, quod ex Theodori Collectaneis allatum est: nam Timotheus Salophaciolus excessit e vita circiter annum 481. quo tempore Calendion Antiochenæ Ecclesiæ præfectus est. Quæ si scripsisset Theodoretus,nonagenario major scripsisset. Verum ut ne scrupulus ullus hæreat,aperiendum quis ille sit Theodoretus Historiæ scriptor, cujus Theodorus Lector meminit. Nihil vero aut verius aut certe probabilius dici potest, quam quod illustrissimus Annalium scriptor tradit, extitisse scilicet Theodoretos duos, seniorem unum, qui Cyrensis : juniorem alterum, qui Ecclesiasticam Cyrensis Historiam continuavit. Addidit junior ad Senioris Historiam libros quinque,quibus complexus est, quidquid rerum Ecclesiasticarum ab anno 427. ad Justini Imperatoris initia gestum est: & quemadmodum ille ab Arii vesania,ita iste a Nestorii hæresi initium duxit. Quod si licet conjectura uti in re a temporibus nostris admodum remota, ac propter veterum silentium obscura : Theoditus ille junior non alius esse videtur,quam Alindorum Episcopus in provincia Cariæ, qui anno 5. 6. Constantinopolitano Concilio Mennæ interfuit: tempus enim,nomen & eruditio congruunt.

2. *Sermones viginti & septem adversus Eutychianos.*

Photius in Bibliotheca Cod. 46. hæc habet: *Lecti sunt Theodoreti Episcopi Cyri, libri septem & viginti adversus varias propositiones &c.* Fefellit Photium suus codex tribus constans partibus,quarum *prima* complectebatur sex priores libros : *secunda* sermones viginti & unum, *tertia* Eranistem seu Polymorphum. Cum enim prima & tertia ad Theodoretum procul dubio pertineant, Photius mediam quoque ipsi tribuit : quæ tamen re ipsa est Eutherii Tyanensis Episcopi, quod manifesta probat auctoritas Marii Mercatoris,ut in Eutherio demonstrabimus, ubi & Historiam Codicis tripartiti texemus. Ita Garnerius. Ex his Sermonibus priores sex vel septem,esse creduntur vel *Libri quinque Pentalogii de Incarnatione*, ut Garnerio & Guillelmo Cavo visum est, de quibus egi cap. præcedenti num. 6. vel creduntur septem libri Theodoreti *de Theologia & Incarnatione*,quorum frequentem mentionem facit, uti Elliæ du Pin visum est,de quibus nos cap. præcedenti num. 2. Septimus sermo est *Prologus in Sermones Eutherii Tyanensis Episcopi*,qui numero septendecim, editi sunt Græce & Latine in *Auctario Operum Theodoreti* pag. 685. ad finem,non quidem a Joanne Garnerio, sed a Johanne Harduino Theologo ejusdem Societatis,qui posthumum Garnerii Opus evulgavit. Hos perperam Theodoreto adscripserat Photius a MS. Codice quo usus erat deceptus, cujus prima & ultima pars cum certo ad Theodoretum spectaret, mediam quoque anonymam ejusdem authoris Photius arbitratus est. At Marius Mercator detexit verum parentem,ut constat ex posteriore parte Operum Marii Mercatoris pag. 277. quem his Sermonibus pag. 685. *Auctarii Operum Theodoreti* præmittit Joannes Harduinus.

3. *Liber Asceticus.*

In MS. codice Græco qui olim Gabrielis Philadelphiensis Archiepiscopi fuit,quique ad Collegium Claromontanum Parisiense Soc. Jesu opera Frontonis Ducæi pervenit, post Historiam Religiosam Theodoreti & Orationem de divina Caritate,legitur titulus : *τῷ αὐτῷ λόγος ἀσκητικὸς κατὰ πεύσιν καὶ ἀπόκρισιν*, mox sermo : *Ἀδελφὸς ἠρώτησε γέροντα λέγων* &c. Sunt qui Sermonem hunc Maximo tribuant,eoque nomine Bilibaldus Bircheimerus interpretatus est, ediditque Nurimbergæ anno 1530. Edidit etiam a se versum Nobilius Romæ 1578. & nuper Parisiis 1675. Combefisius tomo 1. Operum S. Maximi, rursus a se latinitate donatum : atque ita singulis editionibus singulæ versiones, pro editorum ingenio, respondent. Sunt qui videantur innuere non esse admodum certi Auctoris. His adstipulantur variæ variorum codicum inscriptiones, ut iste quem dixi, Gabrielis Philadelphiensis qui Theodoreti nomen præfert. Maximo favent tres codices MSS. Bibliothecæ Regiæ, aliique, & qui majoris est ponderis, Photius Codice 193. quare vincit prior sententia Auctorum numero. Cur codex Archiepiscopi Philadelphiensis non magnam apud me fidem obtineat, facit Veterum auctoritas, quorum nemo Opus ejusmodi Theodoreto tribuit. Negativa quidem illa auctoritas est,sed sui tamen in hoc genere momenti. Cur assentiar tribuentibus Maximo, in causa est Auctor Centuriarum quatuor *de Caritate*,qui libri initium ducit ab his verbis : *Ecce præter librum de Vita Religiosa, missi ad te, Pater Elpidie, librum de Caritate tot Centuriis capitum, quot Evangelia sunt, comprehensum.* Neque enim ullus merito dubitet librum de Caritate S. Maximo auctori tribuendum.

4. *Liber Formularum.*

Scripsit Eucherius Lugdunensis opus eximium *de Spiritualibus Formulis*, quo quid in Scripturis aut metaphorice aut symbolice dictum est de Deo,aliisque ad intelligentiam rerum spiritualium pertinentibus, exponit. Id cum Joannes Alexander Brassicanus anno 1530. edendum curaret,in Epistola ad Janum a Swolla, de Theodoreto id habet, ex quo quispiam opinari posset,composuisse ipsum simile quiddam *de Formulis* apud Græcos,quod Eucherius apud Latinos.

nos. Inquit enim: «Quod apud Latinos fecit „Eucherius, hoc apud Græcos exactissime præ„stitit Theodoretus ille Cyrensis Episcopus, ex „cujus insigni Opere quod apud nos est in anti„quis membranis descriptum, libet hic aliquot „egregie erudita loca ascribere, ex quibus uni„versi illius Operis dignitas & utilitas eluce„scet. ἐν τῷ ἐπὶ θεῷ ἡ πεποίθησις Δαβὶδ, ὅτι πιστήριον ἐν χειρὶ κυρίου ἔσται ἀκριβῶς πλῆξαι πεῖσμα τῷ. Item αἱ ῥίζαι τῆς νεκρώσεως πύμβολον. νεκραὶ γὰρ αὗται καὶ ἀδύνης αἴσθησιν ἀεὶ δεχόμεναι τὴν ἀληθῆ τοίνυν ζωὴν ἔχειν ἀπαλλάττει τοὺς τῷ Θεῷ λειτουργοῦντας, καὶ μηδὲν πένθος ἔχειν, μηδὲ ὀδυνᾶσθαι. τοῦτο γὰρ καὶ ὁ θεσπέσιος ἡμᾶς διδάσκει Παῦλος· Χριστῷ γάρ (φησὶ) συνεσταύρωμαι, ζῶ δὲ οὐκέτι ἐγώ, ζῇ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός. ταῖς γὰρ, φησὶ, διεργίαις ἑαυτὸν ἀφίερωσα.» Verum inde novum quoddam Opus nemo Theodoreto affingere queat, prior enim locus habetur in Expositione Psalmi 74. num. 9. posterior in quæstione XII. super Numeros: unde Opus ab aliquo recentioris ævi, ex variis forsan Operum ac Commentariorum Theodoreti locis, defloratum atque excerptum videtur.

Atque hæc per compendium ut plurimum desumpta sunt verbotenus, ex Dissertationibus quatuor aut quinque ad Theodoretum spectantibus, quas ingenti studio ac diligentia non vulgari conscriptas, Joannes Garnerius inseruit *Auctario Operum Theodoreti*, impresso Parisiis in folio anno 1684. Prima, secunda & quarta, decenter præmitterentur proximæ editioni Operum Theodoreti omnium, si nova unquam contingeret adornari, collocatæ ante primum Tomum. Tertia Tomo quarto cum Dialogis ipsis quos Theodoreto adstruit, præmittenda esset ante Eranistem seu Polymorphum. Theodoreti mentionem faciunt Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* seculo V. Tomo IV. pag. mihi 81. ad 118. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiæ*, seculo V. ad annum 423. pag. 314. & seqq. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Theodoretus*. Andreas Rivetus, paucis quidem, lib. 4. *Critici Sacri* cap. 21. pag. mihi 453.

DISSERTATIO
DE
VITA, SCRIPTIS ET DOCTRINA JOANNIS CASSIANI ABBATIS MASSILIENSIS, SEMIPELAGIANORVM PRINCIPIS.

PROLOGVS.

CVm Joannes Cassianus Semipelagianorum Princeps, vir litteris ac morum integritate illustris fuerit, de ejusdem origene, atque in Galliam adventu, de scriptis ab illo productis ac doctrina ei imputata, nonnulla singularius annotanda esse duximus. Is enim non modo Massilienses, apud quos Monasterium condiderat, Divo Augustino hostes fecit: verum etiam vicinos Lerini Monachos quoad illam de gratuita ad fidem prædestinatione sententiam in partes contra Doctorem Hypponensem traxit, unde gravissimi per universam Galliam tumultus exciti sunt: nonnullis sancti Augustini dicta acerrime defensantibus, aliis longe pluribus eadem pertinaciter impugnantibus, quæ omnia nobis in præsenti Dissertatione limatius excutienda assumsimus.

CAPVT PRIMVM.
DE
CASSIANI PATRIA, STVDIIS, JVNIORIBVS ANNIS, VBI PLVRA GVESNAII DE CASSIANO DICTA CONFVTANTVR.

424 PRodiit anno 1652. Lugduni excusus liber justæ sat molis, inscriptus SANCTVS JOANNES CASSIANVS ILLVSTRATVS, authore Joanne Baptista Guesnai, societatis Jesu: qui Xenophontis Cyropædiam imitatus, Cassianum non qualis reapte fuerit, sed qualem ipse eundem esse voluerit, nobis exhibuit. In eum acriter invehitur Henricus de Noris Ordinis Eremitarum Divi Augustini *in Historia Pelagiana* Lib. 2. Capp. variis, quem tibi ferme verbotenus hic amice Lector repræsentabo, ne si quid nimis durum audiveris, istud mihi imputes. Sic itaque ille *de Guesnaio* orditur, qui Cassianum illustrandum & canonizandum suscepit. Initio libri Scythicam Cherronesum fusius describit, ibique cap. 1. apud Theodosiam urbem, quam Scythicarum omnium principem facit, avitam Cassianorum gentem *in honoribus amplissimis, fortunisque maximis constitutam* figit ac fingit. «Ex hac, inquit, ortus magni ingenii« adolescens Athenas scientiarum discendarum« causa missus, nobilem ibidem adolescentulam« adamavit, Nuptiisque celebratis ex eadem« paulo post Cassianum suscepit Athenis natum« patre Scytha, matre Indigena.» Hoc pacto facili negotio Guesnaius, Gennadium qui Cassianum *natione Scytham* dixit, cuidam Chronologiæ Massilienſi Monasterii S. Victoris conciliavit, in qua Cassianus apud Athenas natus dicitur. Addit capite 3. «Cassianum adhuc qua-« drimum in Palæstinam a genitoribus dedu-« ctum fuisse, atque celeberrimi Monasterii Pa-« tribus

„tribus traditum, quo simul & pietatis ac litte-„rarum rudimenta perdisceret. Denique cap. „6. septennem Athenas revocatum in nobilissi-„ma Orbis Academia gravioribus disciplinis „animum addixisse, ibique cum Germano iti-„dem ex Scythia oriundo arctissimam amiciti-„am coluisse, cum quo demum, ut scribit cap. 8. „in Palæstinam reversus, Monachum induit. Quæ omnia sine ullo teste post annos mille ducentos, & quod excurrit, animose ille scriptor asseruit, quasi Cassiani Ephemeridem legisset. At Lucas Holstenius vir eximiæ eruditionis, cap. 3. præfationis ad Regulas Monachorum quas collegit, Cassianum in Gallis apud Provinciam ortum arbitratur, omnesque jam docti post ipsum: idque non modo ex Cassiani stylo Gallicanis illius ætatis Scriptoribus familiari, verum etiam ex Asceticis ejusdem Commentariis deduci existimat. Nam collatione 24. cap. 1. scribit: *Quia ad repetendam Provinciam nostram, atque ad revisendos parentes quotidianis acrius essibus urgebamur.* Quibus verbis Provinciam (Gallice la Provence) palam a Cassione designatam putat. Præterea hæc de sua Patria Cassianus subjicit: *Ipsorum locorum situs, in quibus erat a Majoribus nostris avita possessio, ipsarumque amœnitas Regionum ante oculos pingebatur, quam grata & congrua solitudinis spatiis tenderentur: ita ut non solum delectare Monachum possent secreta sylvarum, sed etiam magna victus præbere compendia.* Quæ Scythicorum desertorum squallori, ac caucasæis rigoribus minime convenire posse, laudatus scriptor observat. Longe quoque a Guesnaii mente distat, quoad Cassiani patriam Petrus Lambecius, qui pluribus locis *Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis* Cassianum ortu fuisse Romanum ex variis MSS. Codicibus Græcis, Operum ejus Epitomen continentibus putat. Ita lib. 4. hujus Bibliothecæ pag. 166. in examine MS. Codicis Theologici Græci CLXV. lib. 5. pag. 333. in examine MS. Codicis Theologici Græci CCXL. Idem pag. 276. in examine MS. Codicis Theologici Græci CCCXV. de quibus latius capite 3. hujus Dissertationis.

„Guesnaius e Cherroneso Scythiæ oriun-„dum Cassianum exhibet, Patre quidem (uti di-„ximus) Theodosiæ cive nobilissimo, a quo A-„thenis ipse postea genitus fuit, Matre Atheni-„ensi.„ Sed Cassianus se non fuisse Atheniensem diserte ostendit lib. 1. *Instit.* cap. 6. ubi describens Monachos Ægyptiæ, ait: *Gestant enim resticulas duplices Lanea plexas subtegmine, quas Græci ἀναβολὰς, nos vero succinctoria, seu redimicula, vel proprie rebracchiatoria possumus appellare.* Nunquam autem homo Atticus, se a Græcis distinxisset. Vnde vero Guesnaio Theodosia venerit in mentem, nescio. Non est hic animus singula quæque refellere, quæ de Cassiano idem Scriptor litteris mandavit, inanem enim prorsus operam ponerem, atque lectorum patientia plus justo abuterer: nonnulla tamen hic subjiciam, ut universa illius Operis facies cognoscatur. Narrat cap. 7. Cassianum cum Germano arctissimam familiaritatem in academia Athenienſi inter ipsa Literarum commercia iniisse, cum tamen Cassianus hæc scribat *Collat. 1.* initio: *Cum quo* (nempe Germano) *mihi ab ipso tyrocinio ac rudimentis militiæ Spiritalis, ita individuum deinceps contubernium tam in cœnobio quam in Eremo fuit: ut cuncti ad significandam sodalitatis ac propositi nostri paritatem, pronuntiarent unam mentem atque animam duobus ineſſe corporibus:* quæ eadem repetit cap. 1. *Collationis* 16. Non ergo in academia Athenienſi, sed in Bethleemitico cœnobio arcta illorum amicitia initium auspicata est. Scribit in fine capitis 7. Cassianum ad religiosæ vitæ studium ardentius capessendum, a sodali suo Germano excitatum. *Quo liberius*, inquit, *omnem curam atque operam in cognitione altiorum rerum consumeret, Germani cœpit auctoritas & exemplum inflexit, ad altiora Christianæ disciplinæ fundamenta jacienda.* At sui statim oblitus in eadem pagina 19. initio cap. 8. ait: *Et quidem Germanus quod docile ingenium natus esset, & obsequens, nec ad parcendum efficax, ita paulatim mente sensibusque immutatus est: ut Cassiani verbis in cognitionem vanitatis mundanæ rerumque caducarum adductus, novis illico exarserit desideriis.* Ita contraria subinde pronuntiavit. Recte inquit Seneca initio libri 1. de Clementia, *ficta cito in naturam suam recidunt.* Varias ibidem Cassiani navigationes ac peregrinationes narrat, antequam eundem Massiliam deducat. Dum navigatio describitur, modo flantibus Etesiis, tranquillo pelago, plenis ventis Cassianus vehitur cap. 2. pag. 10. cap. 43. pag. 140. modo eundem adversis fluctibus agitatum, proximumque naufragiis facit, cap. 5. pag. 12. cap. 19. pag. 52. cap. 24. pag. 76. cap. 30. pag. 85. mare quando libet, quando lubet, pacans, agitans: ac si in utre, uti olim Vlysses, ventos ipse includeret. Exacte etiam institutæ a Cassiano navigationis tempora designat, unde cap. 41. *sub initium anni:* at cap. 30. *inclinante hyeme* navigasse eundem tradit. Si vero terrestri itinere Cassiano per Palæstinam pergendum est, compendiarias quasdam vias describit, sacra loca visitantibus, hucusque incognitas: nam capite 18. pag. 51. narrat Cassianum salutationum officiis perfunctum, e Bethlehemico oppido profectum *Joppem versus, stadiis vix quatuor aut quinque supra octo distantem.* Ita auctore Guesnaio, Bethleem nec plenis duobus milliariis Joppe distat: cum tamen sciamus, a Joppe Rammam, esse millia passuum decem: a Ramma Hierusalem, millia passuum XL. Bethleem vero millibus passuum sex, Hierosolymis distare scribit S. Hieronymus. Consulenda sunt itineraria Hierosolymitana, ac Geographorum tabulæ, cum itinerario Joannis Zuallardi Equitis, quod omnium Italorum manibus feritur.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

CASSIANVS S. JOANNIS CHRYSOSTOMI DISCIPVLVS ET DIACONVS CONSTANTINOPOLI FACTVS, MORTVO ILLO IN EXILIO, IN GALLIAM REVERTITVR.

ANno 398. Joanne Chryſoſtomo ad Conſtantinopolitanam ſedem evecto, Caſſianus & Germanus qui eo pervexerant, ejusdem Clero adſcripti ſunt: Germanus Presbyter, Caſſianus Diaconus deſignatus fuit. Gneſnaïus ut ubique veris falſa miſceat, dicit *Theophylum Alexandrinum Chryſoſtomi electioni ſeſe oppoſuiſſe ex jure prætenſo a Patriarchis Alexandrinis in electione Epiſcopi ejus civitatis.* Ita cap. 32. pag. 94. ac ſi Theophilus vir Doctiſſimus canonem ſextum Nicænum ignoraſſet, qui Alexandrinæ diœceſi limites præfixit. Sane Conſtantinopolitana ſedes ſuberat Primati Heracleenſi in Thracia, & quidem cum inter confinia diœceſis Conſtantin. interponatur ampla diœceſis Aſiatica Epheſino Primati ſubjecta, ac plures Patriarchatus Antiocheni provinciæ: unde aliquod jus in ſedem Conſtantinopolitanam, Antiſtes Alexandrinus ſomniare potuiſſet, ignoro. Porro Caſſianus palam fatetur ſe fuiſſe inter Chryſoſtomi Clericos lib. 7. *de Incarnatione* contra Neſtorium cap. ultimo. Et Gennadius cap. 61. de Scriptoribus illuſtribus ait, *Caſſianus natione Scytha, Conſtantinopoli a Joanne Magno Epiſcopo Diaconus ordinatus apud Maſſiliam Presbyter, condidit duo, id eſt virorum & mulierum monaſteria, quæ usque hodie extant. Scripſit experientia magiſtrante, plano & librato ſermone, & ut apertius dicam ſenſu verba inveniens, & actione linguam movens, res omnium Monachorum profeſſioni neceſſarias, id eſt, de habitu Monachi, de canonico orationum atque Pſalmorum modo, qui in Monaſteriis Ægypti die noctuque tenentur, libros tres. Inſtitutionum librum unum. De origine & qualitate ac remediis octo principalium vitiorum, libros octo, ſingulos de ſingulis vitiis libros expediens. Digeſſit etiam Collationes cum Patribus Ægypti habitas, hoc eſt, de deſtinatione Monachi ac fine, de diſcretione, de tribus ad ſerviendum Deo vocationibus. De pugna carnis adverſus Spiritum, & Spiritus adverſus carnem. De natura omnium vitiorum. De vita Sanctorum: de mobilitate animæ. De octo principalibus vitiis. De qualitate omnionis, de jugitate omnionis. De perfectione, de caſtitate, de protectione Dei. De ſcientia Spirituali, de divinis chariſmatibus, de amicitia. De definiendo, vel non definiendo. De tribus antiquis generibus Monachorum, & quarto nuper exorto. De fine cœnobitæ & Eremitæ. De ſatisfactione pœnitentiæ. De remiſſione quinquageſima. De nocturnis illuſionibus. De eo quod dicit Apoſtolus*, Non enim quod volo [illegible] cio bonum: ſed quod nolo malum, hoc ago. *De mortificatione. Et ad extremum rogatus a Leone Archidiacono, poſtea urbis Romæ Epiſcopo, ſcripſit adverſus Neſtorem, de incarnatione Domini, libros ſeptem. Et in his ſcribendi apud Maſſiliam & vivendi finem fecit, Theodoſio & Valentiniano regnantibus.* Verum Chryſoſtomo poſtea Eudoxiæ Auguſtæ furore in exilium acto, Germanus ac Caſſianus pro ſuo Antiſtite Romam ad S. Innocentium Papam nomine Cleri CP. legati venerunt. Scribit enim Innocentius hæc ipſa in litteris ad eundem Clerum: *Ex litteris Charitatis veſtræ, quas per Germanum Presbyterum & Caſſianum Diaconum miſiſtis, tragœdiam malorum, quam ob oculos poſuiſtis, anxia ſollicitudine cognovi.* Gneſnaius hac Caſſiani legatione recitata, hæc addit cap. 35. pag. 106. *Deſignatus fuerat e Romanis inter colloquutores, Leo Innocentii Archidiaconus, vir egregiæ ſanctimoniæ atque doctrinæ, qui deinde Sixto ſuccedens, ordinatus eſt Romanus Pontifex: quantique referret hoc etiam commilitone, partem ac ſtudia Chryſoſtomi ſtabiliri Caſſianus intelligens, privatis quoque officiis hunc demereri, ac rei controverſæ rationes edocere annixus eſt.* Hæc ille. Nolo interrogare undenam Leonem inter colloquutores deſignatum acceperit: video enim cuncta ex libito, ſine teſte ab eodem ſcribi. Certe tunc temporis Leo non erat Innocentii Archidiaconus, uti neque etiam fuit tempore Zozimi, qui Innocentio ſucceſſit. Anno etenim 418. ſedente Zozimo, erat Eulalius Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, qui contra Bonifacium ſchiſma conflavit: qui in libello ſupplici Cleri Romani ad Honorium Imperatorem apud Baronium anno 419. pag. 432. appellatur *Archidiaconus Eulalius.* Id temporis erat Leo Romanæ Eccleſiæ Archidiaconus, quando mortuo Sixto Pontifice, ejusdem ſucceſſor plenis ſuffragiis electus eſt, quod anno 440. contigit, alioquin ultra annos triginta duraſſet Leonis Archidiaconatus.

Cæterum omnium bonorum vota irrita cecidere, mortuo in exilio Chryſoſtomo, anno 407. die 14. Septembris: quare Caſſianus Byzantio diſcedens in Galliam patriam ſe contulit, atque apud Maſſiliam ſedem fixit. Rurſus hic nobis Gneſnaius confutandus eſt, dum ſcribit Caſſianum poſt Chryſoſtomi mortem Romam veniſſe, ibique a ſancto Innocentio Presbyterum ordinatum, ſtatim Pelagii tunc Romæ degentis hæreſim acerrime confutaſſe, quæ cap. 39. fuſius proſequitur. Idem cap. 40. urbis direptionem recitat, additque cap. 42. Caſſianum exeunte anno 410. ex Italia profectum ad Lerinenſes Monachos, dein ad Leonium ſe contuliſſe: denique cap. 44. illum in Maſſiliæ portam appellit. Quæ omnia procul a vero abeunt, nam licet Pelagius anno 410. vel circiter Romæ nonnulla contra divinam gratiam garriret: nondum tamen tunc temporis uti hæreſeos aſſertor cognitus fuerat, imo ibidem adeo celebris habebatur, ut illius nomen vel apud Africanos eximie commendaretur, ipſo etiam teſte Auguſtino capite 22. De geſtis Pelagii, ſeu rectius, Palæſtinis: ubi inquit, *Prius*

abſentis & Romæ conſtituti, Pelagii nomen cum magna ejus laude cognovi. Sed cum Caſſianus ex Italia in Galliam mortuo Chryſoſtomo anno circiter 408. contendit, profecto non potuit officii gratia viſitare Lerinenſes Monachos aut Leontium Forojulienſem Epiſcopum. Quando enim Caſſianus primum Maſſiliam appulit, nondum Lerina Monachis habitabatur, & Forojulienſem ſedem tenebat Cilinnius Leontii deceſſor, ut ex ipſomet Caſſiano, & litteris S. Auguſtini ad Cilinnium, ſtatim oſtendo. Scribit Caſſianus Leporium, de cujus converſione Africani Patres ad Galliæ Epiſcopos ſcripſerunt, ab ſe in Galliis erroris admonitum fuiſſe, quem audire juvat lib. 1. de Incarnatione cap. 4. *Leporius tunc Monachus, modo Presbyter, apud Gallias aſſertor prædictæ hæreſeos, aut inter primos aut inter maximos fuit, a nobis admonitus, a Deo emendatus &c.* At idem Caſſianus poſt annum tantum 407. in Gallias venire potuit, Conſtantinopoli enim Diaconus degebat, cum Chryſoſtomus in exilium iterum miſſus fuit, pro quo legationem etiam obiviſſe, ſupra dictum eſt. Itaque ſi Leporius in Galliis a Caſſiano (nempe poſt Chryſoſtomi mortem) admonitus in Africam ſeceſſit, ibique S. Auguſtini opera ut ſcribit Gennadius *de viris illuſtribus* cap. 59. correctus fuit, & hoc ipſum S. Auguſtinus per litteras a Sirmondo editas & Auguſtinianis editionibus noviſſimis inſertas & in Collectanea Conciliorum ultima etiam conjectas, S. Cilinnio Forojulienſi Epiſcopo ſignificavit: certe anno 408. nondum Forojulienſem Eccleſiam regebat Leontius. Vnde & Caſſianus qui poſt mortem S. Joannis Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Patriarchæ, in Maſſiliæ portum anno 408. appulit, *non potuit inviſere Leontium Forojulienſem Epiſcopum*, quia nondum erat Epiſcopus. *Neque etiam inviſit Lerinenſes Monachos*, quia inſula Lerinus nondum habitabatur ab Monachis, cum Honoratus primus illius incola ſub Pontificatu tantum Leontii Epiſcopi Forojulienſis ad illam acceſſerit: ut aperte conſtat ex Vita ſancti Honorati Arelatenſis Epiſcopi cap. 12. quam ſcripſit S. Hilarius teſtis oculatus, atque Honorati Epiſcopi ſucceſſor. *Vacantem itaque inſulam ob nimietatem ſqualloris & inacceſſam venenatorum animalium metu, Alpino haud longe jugo ſubditam petiit: prater ſecreti opportunitatem, ſancti & beatiſſimi in Chriſto viri Leontii Epiſcopi oblectatus vicinia, & charitate conſtrictus.* Quapropter in re incerta, initia memorati Monaſterii poſt annum 408. & ante annum 410. aſſeri poſſunt. Quo pacto Leontius anno 445. quadraginta circiter annos in Epiſcopatu exegerat, unde ut cæteris ſeniori privilegium laudatum, a Leone magno conferri potuit. Non ergo anno 375. ſed circa annum 410. Lerinenſe Monaſterium conditum fuit: atque in Chronologia plerique Scriptores peccarunt, qui Baronium & Vincentium Barralem ſecuti, circa annum 375. Cœnobii Lerinenſis initia collocant: quod probari nulla ratione nobis poteſt, nec unquam poterit.

Cæterum revertamur ad Gueſnaium Caſſiani illuſtrati Authorem, qui cap. 34. Scriptorem neſcio quid falſi de Caſſiano narrantem, vocat *inconſultum, temerarium ac frigidum fictorem*: additque, *compingentes Caſſiani vitam una cum aliis mendaciis iſtud ipſum præteriiſſe noluerunt*: quæ verba ſuo authori an potiori jure reddenda ſint, alii judicent. Hoc ſane conſtat, poſſe nos Gueſnaii exemplum imitatos, quorumcunque hominum, quorum nudum tantum nomen ad poſteros tranſiit, geſta literis conſignare: ſi nullo teſte laudato, ex proprio cerebro dicta ac facta quælibet confingere liceat: quod non eſt Heroum virtutes laudare, ſed fabulas vendere, ac præclariſſimorum virorum geſta ex mendaciis compacta, poſteritati irridenda obtrudere.

CAPVT TERTIVM,

DE COENOBIIS A CASSIANO MASSILIÆ CONDITIS, ET LIBRIS AB IPSO CONSCRIPTIS.

POſt annum autem 400. cœtus Monachorum ac Cœnobitarum veluti fœcundiſſima apum examina, paſſim tota Gallia invaluere. Etenim Caſſianus apud Maſſiliam, Honoratus apud Lerinum, Caſtor Aptæ, Jovinianus, Theodorus, aliique in Stœcadibus, nobiliſſima Monaſteria condiderunt. Condidit Caſſianus Maſſiliæ duo Cœnobia, virorum unum juxta urbem quod S. Victoris usq; hodie nomen habet, ad annum 408. vel circiter, incoluntque Monachi nunc ſub Regula S. Patris Benedicti. Aliud fœminarum S. Cyriaci quod nunc S. Salvatoris, ac ſub Regula ejusdem Benedicti, intra urbis ſepta conſtitutum fuit: de quibus ambobus fratres Sammarthani *in Gallia Chriſtiana* tom. 4. pag. 930. verbo *S. Victor Maſſilienſis*, utcunque agunt: plenius autem Gueſnaius in *Caſſiano ſuo illuſtrato*. De Caſſiano ſcribit Gennadius in libro *de Viris illuſtribus* cap. 61. *Caſſianus natione Scytha &c. apud Maſſiliam Presbyter condidit duo id eſt virorum ac mulierum Monaſteria, quæ usque hodie extant.* In Chronico S. Victoris Maſſilienſis, legimus fuiſſe *in Monaſterio Caſſiani usque ad quinque millia Monachorum*, apud Gueſnaium ante cap. 46. Cujus dicti fides ſit penes authorem, hæc etenim fidem excedunt meam. De Cœnobio Aptenſi ſcribit Caſſianus in præfatione ad Caſtorem *de inſtitutis Monachorum*, idemque de Monachis Stœcades inhabitantibus, hæc habet in præfatione collationis 18. *Non ſolum occiduas* regiones, verum etiam inſulas maxi[illegible] fratrum cateruis florere feciſtis. Cæteris tamen Monaſteriis anteibat Lerinenſe Cœnobium, omnium illius ſeculi Scriptorum Encomiis celebratum. De Lerina inſula proxima, de-

degens Eucherius ſcribebat ita in Epiſtola ad Hilarium de laude Eremi. *Hæc nunc habet ſanctos ſenes illos, qui diviſis cellulis Ægyptios Patres Galliis noſtris intulerunt. Quos ego illic, Jeſu bone, Sanctorum cœtus, conventuſque vidi.* De eadem ſcribit S. Cæſarius Arelatenſis, integro ſeculo poſterior: *Hæc eſt quæ eximios nutrit Monachos, & præſtantiſſimos per omnes provincias erogat ſacerdotes.* Vix enim reperire erat, qui his temporibus aſſumptus in Regionibus illis ad regimen Eccleſiarum, non delectus eſſet ex nobiliſſimo & Regularis Inſtitutionis obſervantiſſimo cœnobio Lerinenſi. Et hæ quidem fuere primæ Monachorum coloniæ ante vigeſimum quinti ſeculi annum in Galliis fundatæ, quæ poſtea latius deductæ ſunt: quo tempore etiam per univerſam Africam, Auguſtino authore Monachiſmus propagatus fuit.

Scripſit autem circa eadem tempora, Caſſianus Abbas S. Victoris, multa de quibus poſtea fuſius agendum eſt, nunc tantum ſummatim. Omnia ejus Opera Latine ſcripta ut res ipſa clamat, & poſtea ab aliquo in Græcam Dialectum ſaltem ex aliqua parte converſa ſunt, ut ex *Bibliotheca* Photii Cod. 197. & Vaticanæ Bibliothecæ MS. Codice 1578. membraneo, atque ex MS. Cod. Bibliothecæ celeberrimæ Colbertinæ Pariſienſis, & multis Regiis conſtat. Denique ex Petro Lambecio tomo 4. *Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* p. 166. ubi diſcutit Codicem Theologicum MS. Græcum CLXV. num. 4. fol. 24. ubi & alterum Codicem hujus Bibliothecæ allegat. Idem quoque Lambecius tomo ſeu libro 5. *Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 333. & in examine MS. Codicis Theologici Græci CCXL. num. 12. pag. 104. his verbis quidem. "Duodecimo & quidem a fol. 223. p. 1. usque ad fol. 237. pag. 1. Anonymi cujusdam Authoris Epitome Græca, *ex Joannis Caſſiani Eremitæ, patria Romani, ad Caſtorem Epiſcopum libris quatuor de Inſtitutis & Regulis Cœnobiorum Ægypti & Orientis,* ab ipſo Latine ſcriptis, ut & *ex ejuſdem libris octo ad eundem de octo primariis cogitationibus vitioſis,* ab ipſo itidem Latine ſcriptis, cujus titulus & principium: Τῦ ὁσίυ Πατρὸς ἡμῶν Ἀββᾶ Κασσιανῦ τῦ Ῥωμαίυ πρὸς Κάστορα ἐπίσκοπον περὶ διατυπώσεως κανόνων τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον καὶ Ἀνατολὴν κοινοβίων, καὶ τῆς τούτων διαγωγῆς· καὶ περὶ τῶν ὀκτὼ λογισμῶν. ἐπειδή μοι προσέταξας, μακαριώτατε Πάπα Κάστορ &c. Liber autem *de præcipuis octo Cogitationibus vitioſis* inſcribitur atque ſeparatim incipit hoc modo: Τῦ αὐτῦ περὶ τῶν ὀκτὼ λογισμῶν, Γαστριμαργίας, Πορνείας, Φιλαργυρίας, Ὀργῆς, Λύπης, Ακηδίας, Κενοδοξίας, καὶ Ὑπερηφανίας. Πρώην τὸν περὶ διατυπώσεως κοινοβίων συντάξαντες λόγον &c. Plura de hac *Joannis Caſſiani Librorum Aſceticorum antiqua Epitome Græca* vide libro quarto horum Commentariorum, ubi agitur de Codice CLXV. num. 43. Nec ulla hujus Codicis MS. CCXL. fit mentio, utpote tunc temporis nondum mihi ſatis cogniti. Idem pag. 276. in examine MS. Codicis Theologici Græci CCCXV. num. 3. his verbis. Tertio & quidem a fol. 206. pag. 1. usque ad fol. 219. pag. 2. *Epitome Græca quatuor librorum Latinorum Joannis Caſſiani Romani ad Caſtorem Epiſcopum de Inſtitutis & Regulis Cœnobiorum Ægypti & Orientis.* Ipſa tituli Græci verba cum principio Præfationis exhibui jam ſemel, libri quarti horum Commentariorum pagina 167. in recenſione Codicis manuſcripti Theologici Græci CLXV. num 4. ideoque eas hic non repeto, uti nec cætera, quæ ibidem contra Gennadium Maſſilienſem, & Johannem Trithemium, *de Joannis Caſſiani Patria, Vita & Scriptis* ſolide diſſerui. Quarto, & quidem a fol. 219. pag. 2. usque ad fol. 247. pag. 1. *Epitome Græca ſeptem priorum Collationum Sanctorum Anachoretarum Scetenſium, Latine conſcriptarum a Joanne Caſſiano Romano ad Leontium Epiſcopum.* Ipſa tituli Græci verba cum principio *Præfationis*, hæc ſunt: Τῦ αὐτῦ πρὸς Λεόντιον, περὶ τῶν κατὰ τὴν Σκῆτιν. Τὸ χρέος, ὃπερ ἐπηγγειλάμην τῷ μακαριωτάτῳ Πάπα Κάστορι &c. Plura & accuratiora de hoc Opuſculo vide libri quarti horum Commentariorum pag. 166. 167. & 168." Sæpe etiam prælo commiſſa fuerunt, quorum Editiones præcipuæ Romana Petri Ciacconii anno 1580. prodiit. Antverpiana anno 1611. cum Notis & Cenſuris Henrici Cnikii poſtea Ruremundenſis Epiſcopi. Duacena anni 1616. duobus tomis in 8. ſtudio Domni Alardi Gazæi Monachi Benedictini Abbatiæ ſancti Vedaſti, qui anno 1628. ſecundis curis in folio eadem Atrebati recudi curavit, in quo volumine hæc continentur:

Vindiciæ titulares pro ſanctitate Joannis Caſſiani.

Joannis Caſſiani de Inſtitutis Cœnobiorum & octo principalium vitiorum remediis lib. 12. ad Caſtorem Aptenſem Epiſcopum, cum Commentariis Alardi Gazæi Cœnobitæ Vedaſtini, ordinis D. Benedicti. Sunt qui in duas partes ſecent, & libros quatuor Inſtitutis Monaſteriorum ſeu renuntiantium, libros vero octo Collectationi adverſus totidem capitalia vitia aſſignent.

Collationes Patrum Numero XXIV. ab eodem Gazæo itidem Commentariis illuſtratæ.

Priores decem *Patrum in Scythica Eremo commorantium* dicatæ ſunt poſt mortem Caſtoris, Leontio Epiſcopo Forojulienſi & Helladio Monacho, qui tamen poſtea factus Epiſcopus videtur, ex duabus præfationibus, de quibus mox dicendum. Ex Photii vero Codice 197. colligi videtur Helladium hunc (neque enim de Leontio poteſt intelligi) fuiſſe tunc Cœnobii S. Caſtoris, cujus cauſa Regulæ illæ miſſæ fuerant, moderatorem: quem nodum alii ſoluere nequiverunt. Septem quæ ſequuntur *Patrum in Thebaide Ægypti conſiſtentium*, ad Honoratum & Eucherium ſanctos Fratres miſſæ ſunt: unde patet ſcriptas fuiſſe ante annum 426. quo Honoratus

ratus ex Abbate Lerinenſi creatus eſt Archiepiſcopus Arelatenſis. *Septem poſtrema* cum præfatione ad Jovinianum, Minervium, Leontium & Theodorum Monachos in Stœcadibus habitantes, ſcriptæ videntur poſt annum 426. cum in illis fiat mentio Helladii & Leontii Epiſcoporum, Honorati item Epiſcopi, & Eucherii famuli Chriſti. Neque tamen iverim in ſententiam Gerardi Joannis Voſſii in *Hiſtoria Pelagiana* lib. 1. cap. 7. pag. 28. qui ex Abbate Vrſpergenſi affirmat anno 432. ſcriptas fuiſſe: quod falſum eſſe & quæ mox diximus, & Honoratus Arelatenſis Epiſcopus anno 429. aut circiter defunctus, convincunt.

Divi Proſperi Aquitanici liber *de gratia Dei & libero Arbitrio*, contra collatorem.

Epiſtola Cœleſtini Papæ *pro Proſpero & Hilario de gratia Dei*, ad quosdam Galliarum Epiſcopos.

Canones Concilii Arauſicani ſecundi, *de libero arbitrio & gratia*, cum Epiſtola Proſperi ad Auguſtinum.

Henrici Cnykii Ruremundenſis Epiſcopi Annotationes, ſive Cenſoriæ Notæ ad Joannis Caſſiani libros.

Petri Ciacconii Presbyteri Toletani Obſervationes in eundem Caſſianum.

Joannis Caſſiani de Chriſti Incarnatione libri 7. adverſus hæreſim Neſtorii, ad Leonem, tunc Romæ Archidiaconum.

Regula S. Pachomii, olim a S. Hieronymo latine translata, illuſtrata ejusdem Gazæi Notis & Scholiis.

Flores Caſſiani, ſive illuſtriores ſententiæ ex ejus Operibus collectæ, cum quatuor indicibus.

Ita per compendium Labbeus in Diſſertatione hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus attigit tom. 1. pag. 520. & ſequentibus, ubi perperam vult *libros Caſſiani contra Neſtorium* eſſe dicatos S. Leoni papæ, quem poſtea corrigemus: ſed mitius, quam ipſe Andream Rivetum peccantem correxit.

CAPVT QVARTVM.

DE TEMPORE, QVO OPERA DE QVIBVS SVPRA, AB CASSIANO CONSCRIPTA SVNT: ET QVOMODO PLERAQVE EORVM SEMIPELAGIANISMVM CONTINEANT.

INterim Caſſianus conſtructo ad annum 408. vel circiter apud Maſſiliam Cœnobio, in ore famæ eſſe cœperat: unde Caſtor Aptenſium Antiſtes egit per litteras cum Caſſiano, ut Commentaria *de Inſtitutis Monachorum* Ægypti ſibi transmitteret. Morem geſſit Caſſianus, ac duodecim de eo argumento libros exaravit, in quibus ultimam Pelagianæ ſententiæ moderationem ſecutus, dixit nos poſſe bona opera humanis quidem viribus inchoare, at non ſine divina gratia eadem perficere. Scribit enim lib. 12. cap. 14. *Nec hoc dico, ut humanos conatus evacuans, ab induſtria & laboris intentione quenquam revocare contendam. Sed plane conſtantiſſime non mea, ſed ſeniorum ſententia definio, perfectionem quidem ſine his omnino capi non poſſe: his autem ſolis, ſine gratia Dei poſſe eam a Nemine conſummari. Vt enim dicimus conatus humanos, apprehendere eam per ſeipſos ſine adjutorio Dei non poſſe: ita pronuntiamus laborantibus tamen ac deſudantibus, miſericordiam Dei gratiamque conferri, & ut verbis Apoſtoli loquar*, volentibus & currentibus *impartiri*. Ne tamen putaretur ſentire gratiam Dei ſecundum merita dari, quæ erat Pelagianorum ſententia, ſubjungit: *Dicimus enim ſecundum Salvatoris ſententiam, dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, & a quærentibus inveniri: ſed petitionem & inquiſitionem & pulſationem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei id quod petimus dederit, vel aperuerit quod pulſamus, vel illud quod quærimus fecerit inveniri. Præſto eſt namque, occaſione ſibi tantummodo a nobis bonæ voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.* Cæterum Caſſianum non bono fuiſſe animo in Auguſtinum inde conjicitur, quod tacite ejus operoſas de divina gratia diſputationes videtur ſugillare: dum ad eandem *contra Pelagianos* probandam, potiores eſſe ſcribit Magiſtros & duces Ægyptios monachos, qui ad eandem nos multis virtutum Exemplis conducere poſſunt, quam illos qui eam demonſtrare conati ſunt *Verborum jactantia*, lib. 12. Inſtitutionum cap. 13. *Vaniloqua diſputatione aut ſyllogiſmis dialecticis, vel Tulliana eloquentia* cap. 15. quæ certe Auguſtinum notant, qui unus divinam gratiam tot libris ac diſputationibus contra Hæreticos ſtabilivit. Quonam anno hoſce libros ad Caſtorem Caſſianus ſcripſerit, mihi non liquet. Hanc Caſtor jam Epiſcopus a Caſſiano Regulam poſtulavit, ut ex præfatione Caſſiani habetur, in qua Caſtorem *beatiſſimum Papam* vocat: tum poſtea *In provincia ſiquidem tua, Cœnobiorum ex parte Orientalium, maximeque Ægyptiorum volens Inſtituta fundare &c. me quoque elinguem & pauperem ſermone atque ſcientia, ut aliquid ad explementum tui deſiderii de inopia ſenſus mei conferam poſcis.* Opus iſtud Caſſianus ſeu volumen emiſit, ut patet ex lib. 12. cap. 14. poſt exortas de gratia contra Pelagium Diſputationes quem anno tantum 412. hæreſim ſuam propalaſſe palam eſt. Verum ante damnatam anno 416. ab Innocentio Pelagii hæreſim, vel anno ſequenti a Zozimo papa, ſcripſiſſe illum puto. Nam Pelagii ſententiam qua Gratiam non niſi legem eſſe contendebat, lib. 12. cap. 18. refert, quam absque ulla reprehenſione dimittit: Ægyptios monachos divinæ providentiæ gratias egiſſe tradit, *quod adjuvat nos & illuminat, ut ipſum adjutorium noſtrum, quod non aliud quidam interpretari volunt quam legem, intelligere & agnoſcere valeamus.*

Lib. 12 de Inſtitutionibus monachorum ſcripſit inter annum 42. & 427.

Digitized by Google

leamus. In quibus graviter a Caſſiano peccatum eſt, tum quod divinam gratiam ex Pelagii ſenſu explicatam citra reprehenſionem propoſuit, data inde forte errandi occaſione Monachis Aptenſibus. Ex quibus, ante Pelagianorum damnationem libros 12. de Inſtitutis Monachorum, illum authorem ſcripſiſſe ſuſpicor, cum poſtea ex libris *contra Neſtorium*, hoſtem Pelagianorum Caſſianum agnoſcamus.

Cum autem lib. 2. cap. 9. *Collationes Patrum* vita ſuperſtite ſe litteris mandaturum Caſtori promiſiſſet, qui quidem Caſtor adhuc vivebat anno 419. (nominatur enim in Epiſtola Bonifacii papæ ad Epiſcopos Galliæ data Idibus Junii Monaxio Viro Cl. Conſule.) ejusdem Epiſcopi crebris precibus interpellatus, manum operi admovet: quod dum proſequitur, Caſtor diem ſuum obit. Vbi vero primas decem collationes compilaſſet, easdem Leontio Epiſcopo atq; Helladio Monacho circa annum 420. vel 421. dicatas vulgavit: quibus majus in dies apud Gallos Caſſiani nomen evadebat. In his primis decem Collationibus, recte de Gratia ſenſit Caſſianus: Collatione enim 3. a capite 11. usque ad 22. de divinæ gratiæ neceſſitate diſſeruit, atque ipſum initium fidei a divina gratia pendere cap. 15. ita explicuit. *Hic quoque & initium converſionis ac fidei noſtræ, & paſſionum tolerantiam donari nobis a Domino declamvit. Quod intelligens David quoque, ſimiliter erat ſibi hoc ipſum Domini miſeratione concedi, dicens*, confirma hoc Deus quod operatus es in nobis: *oſtendens non ſufficere ſibi ſalutis principia dono Dei gratiaque collata, niſi fuerint eadem miſeratione ipſius, & quotidiana opitulatione perfecta.* Et poſtea. *Hac autem dicimus, non ut ſtudium noſtrum vel laborem atque induſtriam quaſi inaniter & ſuperfluo impendenda vacuemus: ſed ut noverimus, nos ſine Dei auxilio nec adniti poſſe, nec efficaces eſſe noſtros conatus, ad capeſſendum tam immane præmium puritatis, niſi nobis adjutorio Domini ac miſericordia fuerit contributum.* Verum licet de initio fidei ita ſentiret, cap. tamen 16. initialem fidem quandoque viribus liberi arbitrii attribuit his verbis: *In tantum itaque Evangelici & Apoſtolici viri, univerſa quæ bona ſunt auxilio Domini conſummari, ut ne ipſam quidem fidem ſuam confiſi ſint illæſam ſe poſſe ſuis viribus, vel arbitrii libertate ſervare: ut hanc vel adjuvari in ſe, vel donari ſibi a Domino poſtularent.* Ita disjunctim loquitur, quaſi non ſemper fides a Deo donetur, ſed quandoque in nobis per nos exorta, a Deo confortanda ſit. Rurſus ait cap. 19. *quod divina ſit gratia, præſtare nobis proventus ſecundos atque victoriam; noſtrum vero eſſe, ut conceſſa Dei beneficia vel intenſius vel ſegnius exequamur:* quibus majorem Operis perfectionem in liberi arbitrii ſub priori gratia conatum refundit, quam tamen doctrinam multi Theologorum tuentur. At poſtea pejus loquitur, atque initium fidei nobis adſcribit, dum ait: *Quam nationem etiam illorum cæcorum curatione ſatis evidenter videmus expreſſam, quod enim tranſiit ante eos Jeſus, divinæ providentiæ & dignationis eſt gratia: quod vociferantur & dicunt*, miſerere noſtri Domine fili David, *fidei ipſorum & credulitatis eſt opus.* Hæc quidem Caſſianus ſcripſerat Helladio nondum Epiſcopo, poſtea vero in collatione 13. animoſior factus, non jam titubanter ſed aperte atque audacter vires liberi arbitrii plus juſto contra Dei gratiam evexit, uti jam dicturi ſumus.

Primas 10. Collationes circa annum 420. vel 421.

Erant tunc in ore famæ ob vitæ ſanctitatem ac Monaſticæ diſciplinæ rigorem Lerinenſes. Eſt autem Lerina inſula adjacens Provinciæ, adverſus Antipolim. Hi quidem Caſſiani volumina avide perlegebant, adeoque eisdem delectabantur, ut novas a Caſſiano collationes efflagitarint. S. Honoratus Lerinenſis Cœnobii conditor ab annis paucis & rector erat, celebres aderant Monachi, Eucherius, Maximus, Hilarius, Fauſtus, Vincentius, Lupus: aliique qui poſtea ſumma cum laude Gallicanas Eccleſias gubernarunt. Eucherius in proxima Leronis inſula anachoretam agebat, Lerinam tamen initio incoluerat, unde *ſuam* eandem inſulam appellare ſolebat. Hic ſeptem alias collationes iteratis litteris a Caſſiano extorſit, teſte eodem in præfatione ante collationem 18. *Poſt conſpectum*, inquit, *atque colloquium trium illorum ſenum, quorum collationes ſancto fratre noſtro Eucherio compellente, utcunque digeſſimus.* in his collationibus liberius de gratia & libero arbitrio ſenſit, quam in illis decem prioribus, ſuumque Semipelagianiſmum aperte collatione 13. teſtatus eſt. Nam cap. 12. docuit nos ſine Dei gratia poſſe habere ſcientiam boni, ubi & gratiam quandoque prævenire librum arbitrium, quandoque ab iſto præveniri tradit. Cap. 17. dici Deum Salvatorem, cum prævenit; ſuſceptorem, cum prævenitur. Caput 14. poſſe homines ſuis viribus habere fidem. Cap. 9. poſſe habere ſpem & deſiderium boni. Cap. 12. orare Deum. Cap. 14. poſſe tentationes vel graviſſimas, quales Job paſſus eſt, ſine gratia ſuperare. Ne tamen Pelagianam ſententiam tenere putaretur, ea bona opera a libero arbitrio inchoari tantum, at ſine Dei gratia perfici nullo modo poſſe dicebat, ut habet cap. 8. *Qui cum in nobis ortum quendam bonæ voluntatis inſpexerit, illuminat eam confeſtim atque confortat & incitat ad ſalutem, incrementum tribuens ei, quam vel ipſe plantavit, vel noſtro conatu viderit emerſiſſe.* Et cap. 9. ad finem. *Ut autem evidentius clareat, etiam per naturæ bonum quod beneficio creatoris indultum eſt, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia: quæ tamen niſi a Domino dirigantur, ad conſummationem virtutum pervenire non poſſunt, Apoſtolus teſtis eſt dicens:* Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio. Tandem invidioſe perſtringens Auguſtinum, uti in lib. 12. *de Inſtitutis Monachorum* capp. 13. & 15. dudum fecerat: iterum hac collatione 13. cap. 18. concludit Ægyptios Monachos ad Dei gratiam cognoſcendam optimos magiſtros eſ-

alias ſeptem ad Lerinenſes, inquibus Semipelagianizat.

Rom. 7.

se, quos asserit perfectionem cordis *non loquacibus verbis, non inani disputatione: sed re atque opere, divini esse muneris didicisse.* Nisi velimus eos potius a Cassiano intelligi, qui in Gallia acrius de gratia & libero arbitrio disputabant: sed Semipelagianismi Magistrum Divo Augustino minus detuliisse, certo scimus. Cæterum de divina prædestinatione mentionem non fecit Cassianus, quod forte dum ista scriberet, nondum Augustiniani libri *de Correptione & gratia*, neque *Epistolæ ad Sixtum vel ad Paulinum* in Gallias delatæ fuerant, quas postea Massilienses Semipelagianos impugnasse, testis est ipse Augustinus lib. *de dono perseverantiæ* cap. 21. Has Collationes septem post annum 426. non fuisse conscriptas, si non eodem ipso anno emissæ sunt, certissime habemus. Cum enim eas Collationes scripsit Cassianus, Honoratus nondum erat Arelatensis Episc. ut patet ex præfatione ubi inquit: *Tamen vos ô sancti fratres Honorate & Eucheri &c.* Honoratus autem Abbas Lerinensis, circa finem hujus anni 426. in occisi Patrocli locum subrogatus, Arelatensem Ecclesiam moderandam suscepit: unde Patroclum hoc anno occisum diserte testatur Prosper in Chronico.

Scripta anno 426 vel antea.

Reliquas autem Collationes septem, quas Monachis in Stæcadibus degentibus inscripsit, quando hasce ad Lerinenses emisit jam in manibus habebat: quippe quarum mentionem faciat in fine præfationis ad Honoratum: *Si vero sanctam studii vestri sitim etiam hac satiare non quiverint, Septem alia Collationes quæ ad sanctos qui in Stæcadibus consistunt insulis, emittenda sunt, fratres desiderium ut arbitror vestri ardoris explebunt.* Has autem editas circa annum 429. certum est. Nam in præfatione meminit Honorati Episcopi adhuc superstitis, qui initio fere illius anni defunctus est. Ex his colligitur neque Prosperum Tironem, neque Vossium exactam habuisse notitiam, quo tempore Collationes evulgatæ fuerint, dum ille anno 429. vulgatas scribit. Etenim non uno simul tempore emissæ sunt: cum decem priores, itemque septem sequentes, ante annum 426. elucubratæ fuerint. Vnde exteris longius a veritate Jansenius aberravit, qui post mortem S. Augustini Collationes editas scribit, eo ductus argumento, quod Prosper in *Epistola ad Rufinum*, hisce Cassianum Sociosque perstringit: *Quæ si vera sunt, cur ipsi tam negligentes, ne dicam tam impii sunt, ut tam abruptam perniciem ab Ecclesia non repellant? Tam insanis prædicationibus non resistant? Nec saltem aliquibus scriptis eum a quo talis emanat Doctrina, conveniant? Magna enim gloria sua humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore revocaverint.* Ex quibus vivente adhuc Augustino nihil a Cassiano scripti emissum, Jansenius Iprensis Episcopus contendit. Vossius etiam putavit in lib. *De historicis Latinis*, editas a Cassiano Collationes anno 432. Sed plane uterque rejicitur ipsomet teste Cassiano, qui in præfatione librorum *de Incarnatione Christi contra Nestorium* editorum an. 430. ait: *Absolutis dudum Collationum spiritualium libellis, sensu magis quam sermone insignibus &c.* ut interim sileam ante S. Augustinum decessisse Honoratum Abbatem, cui septem Collationes, & præcipue decimam tertiam, qua D. Augustini doctrina pulsatur, Cassianus dicavit. Verborum autem Prosperi non is est sensus, qualem ille scriptor opinatur: sed dolere se dixit Prosper, quod Cassianus illis de rebus ad Augustinum non rescriberet, eorum quæ in dubium revocabat, comprobationem intellecturus: sed eidem occultis susurrationibus obloqueretur. Cæterum paulo post aperte Collationes Cassiani nominat, ut mirum sit Jansenium ex hac Epistola in eam sententiam adductum, quæ ipsamet Cassiani Collationes allegat: scribit enim: *Molestè ferunt, quod his quæ adversùm Excellentissima auctoritatis virum inter multas Collationes asseruere, resistimus.*

Alias septem ultimas circa annum 429.

Expeditis Collationum temporibus, jam veniendum ad libros septem Cassiani *de Incarnatione Christi contra Nestorium.* Illud mendacio proximum est, quod Guesnaïus *Cassiani Illustrati* lib. 2. Cap. 1. & Cap. 25. pag. 505. velit Cassianum *Libros de Incarnatione* nuncupasse Leoni jam Papæ, atque adeo eosdem non emissos citra annum 440. quo ille ad Pontificium solium evectus fuit. Cassianus enim scripsit illa volumina, ut recte Cardinalis Baronius advertit, ante Synodum Ephesinam anno 431. celebratam, in qua cum damnatus fuerit Nestorius, illam profecto Cassianus contra eundem scribens laudasset, si post eum annum scripsisset. Præterea anno 431. Nestorius Constantinopoli ejectus in suburbanum Antiochenorum Monasterium, dein Oasim postea exul deportatus fuit. At cum Cassianus illa scriberet, degebat Constantinopoli Nestorius: cur enim hortatus fuisset *Regiæ urbis Cives ut se separarent ab illo*, qui tam procul ab urbe Regia, in Asia vitam agebat? Libros quidem illos septem Cassianus Leoni dicavit, at nondum Papæ, sed id temporis Archidiacono Ecclesiæ Romanæ. Testatur hoc diserte Gennadius in lib. *de Scriptoribus illustribus* Cap. 61. ubi ait, *Ad extremum rogatus a Leone Archidiacono, postea urbis Romæ Episcopo, scripsit adversus Nestorium de Incarnatione Domini libros septem.* Sed quid Gennadii testimonio utor? Guesnaïum ipsum appello, hæc libro 2. cap. 1. num. 2. scribentem: *Nec in Leone Romanæ Ecclesiæ TVNC ARCHIDIACONO, post Sixtum vero Pontifice, defuit hæc sollicitudo, neque oratio ad hujus rei disceptationem desiderata est. Nam ejus hortatu Cassianus adversus Nestorium adhuc Constantinopoli degentem, luculentum atque perutile de Incarnatione verbi suum illud edidit Commentarium.* Et tamen Guesnaïus, qui passim & ubique contraria pronunciat, contra celeberrimum Annalium Scriptorem Cardinalem Baronium, Lib. 1. cap. 54. num. 7. scripturire ausus est: *Alia quæ docet DE CASSIANO aperte secum pugnant, & non modo cohærentia inter se dicunt, sed maxime disjuncta atque contraria.* Ita

Libros contra Nestorium a. 430.

ergo Gueſnajus per ſummam injuriam Doctiſſimo ſcriptori affricat,alios quoque antilogiæ inſimulat,qui ejusdem vitii ſæpiſſime reus eſt.

CAPVT QVINTVM.

DOCTRINAM CASSIANI DE GRATIA SANCTVS PROSPER AQVITANVS IMPVGNAT, GENNADIVS MASSILIENSIS LAVDAT,GELASIVS PAPA REPROBAT, ARAVSICANA SYNODVS DAMNAT.

INterea Collationes Caſſiani paſſim per totam Galliam non modo legebantur, ſed acriter defendebantur. Quare Proſper Semipelagianorum audaciæ obviam eundum ratus, volumen emiſit quod *Contra Collatorem* inſcripſit, in quo ea quæ Caſſianus Collatione 13. ad Lerinenſes perperam De divina gratia docuerat,vellicat ac confutat. In præfatione quidem Semipelagianos Lerinenſes ac Maſſilienſes Caſſiani Monachos deſcribit,qui ſtatim pro S. Auguſtino ſe in arenam deſcendere profitetur, inquiens: *Gratiam Dei qua Chriſtiani ſumus,quidam dicere audent a ſanctæ memoriæ Auguſtino Epiſcopo non recte eſſe defenſam,libroſque ejus contra errorem Pelagianum conditos immoderatis calumniis impetere non quieſcunt: quorum intus interſtrepens domeſtica malignitas non minus ſpernenda eſſet, quam foris latrans hæretica loquacitas: niſi ejectis extra ovile Dominicum lupis ſub nomine ovium ſuffragarentur, eſſentque hujusmodi, ut ordo eorum in eccleſia, nec ingenia deſpicienda eſſe videantur. Siquidem habentes ſpeciem pietatis in ſtudio, cujus virtutem diffitentur in ſenſu, trahunt ad ſe multos ineruditos &c.* Teſtatur autem Proſper ſe unum Caſſianum arguere,quod illis omnibus in ſanctarum Scripturarum ſtudio præſtaret, & diſputandi uſu excelleret inter eos quibuscum degebat. Porro duodecim Caſſiani aſſertiones eo in opere examinat,quarum indicem verſus finem ſubnectit, & uti ab Auguſtino encomiis hujus libri initium fecit, ita & delatis Auguſtino laudibus eundem concludit: argute Adverſarios irridens, qui Cœleſtini Papæ approbationem prioribus tantum Auguſtini libris applicandam eſſe contenderent. Quo vero Sixti Pontificis animum ad Auguſtinianæ Doctrinæ favorem inclinaret, hæc ſcribit: *Confidimus Domini protectione præſtandum, ut quod operatus eſt in Innocentio,Zozimo, Bonifacio,Celeſtino, operetur & in Xiſto, & in cuſtodia Dominici gregis hæc ſit pars gloriæ huic reſervandæ paſtori: ut ſicut illi lupos abegere manifeſtos, ita hic depellat occultos: illo auribus ſuis doctiſſimi ſenis inſonante ſermone,quo collaborantem ſuum hortatus eſt.* Laudatque D. Auguſtini verba ad eundem Sixtum Epiſtola 104. Tum breviſſima poſtea peroratione concludens,ait: *Sufficienter ut arbitror,demonſtratum eſt, reprehenſores S. Auguſtini & vana objicere,& recta impugnare, & prava defendere,peremptorumque armis inteſtinum bellum moventes, divinis atque humanis conſtitutionibus rebellare. Quorum tamen dum adhuc non ſunt a fraterna ſocietate diviſi, toleranda magis eſt intentio, quam deſperanda correctio: donec Dominus per Eccleſiæ principes & legitimos Judiciorum ſuorum miniſtros,hæc* quæ per paucorum ſuperbiam,& quorundam imperitiam *ſunt turbata, componat.* Hæc autem ſcripſiſſe Proſperum circa annum 433. colligitur ex iis,quæ de Auguſtino in præfatione tradit: *viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies hujus viri ductu pugnat & vincit.* Cum Auguſtinus anno 412. ut lib. 1. *Hiſtoriæ Pelagianæ* c. 4. tradit Henricus de Noris, Pelagianos impugnare cœperit,palam fit Proſperum contra Collatorem ſcripſiſſe anno 433. Nonnulli arbitrantur Caſſianum hoc tempore non fuiſſe ſuperſtitem, quaſi Proſper mortuo inſultare voluiſſet, cui viventi timoris gratia calamo pepercisſet. Video illos cum Voſſio lib. 1. *Hiſtoriæ Pelagianæ* cap 7. Gennadium authorem dare,qui in lib. *de Viris illuſtribus* cap. 61. de Caſſiano ait: *Rogatus a Leone urbis Romæ Epiſcopo ſcripſit adverſus Neſtorium de Incarnatione Domini libros ſeptem, & in hu ſcribendi apud Maſſiliam, & vivendi finem fecit.* Hoſce vero libros ſcriptos anno 430. patet, nam nondum damnato Neſtorio editi ſunt,hoc eſt, ante annum 431. At ſcripſiſſe Proſperum vivo adhuc Caſſiano,ex ipſomet Proſpero habemus, qui de eodem ita loquitur: *Vnius potiſſimum definitionem,quem non dubium eſt illis omnibus in ſanctarum Scripturarum ſtudio præſtare, referemus.* Itemque *vir quidam Sacerdotalis ordinis,qui diſputandi uſu inter eos quibuscum egit, excellit, Abbatem quendam introducit &c.* Quod vero Proſper diu diſtulerit ſcriptis Caſſianum confutare,hoc ipſius modeſtiæ & erga hominem tota Gallia celebertimum reverentiæ dandum eſt: nam vivo adhuc Auguſtino impugnaſſe illum Caſſiani Collationes, ex Epiſtola ad Ruſinum ad annum 429. probavit Henricus de Noris in *Hiſtoria Pelagiana.* Imo in Chronico ad hunc ipſum annum Theodoſio XIV. Coſ. mentionem ſatis honorificam Caſſiani ut adhuc ſuperſtitis facit, quo iterum argumento Voſſii ſententia confutatur: ſi tamen iſta Proſperi manu ſcripta ſunt, de quo viri eruditi dubitant, cum in multis Codicibus non legantur. Hæc Proſper,cujus fides in dubium a nemine revocari poteſt. *Cum conſtet adeo eſſe antiquiorem Proſperum, ut aliqua etiam temporis parte coætaneus fuerit Auguſtini, habueritque cum illo literarum & doctrinæ familiare commercium, in iis præſertim quæſtionibus quæ cum Semipelagianis diſputabantur: cum convixerit Semipelagianis,& in ea vitæ ac contentionum conſuetudine,quid ſentirent aut in quo diſſentirent vel ab Auguſtino vel ab Eccleſia, quaſi oculis uſurpaverit: cum nemo unquam ardentius eorum errores inſectatus ſit, nemo acrius egerit cauſam Auguſtini poſtea defuncti: ut videatur illius & arma & vices geſſiſſe ad tuendam, quam veluti depoſito acceperat, ejus doctrinam.* Hæc teſtatur, ſeu melius fatetur Franciſcus Anna-

Scribit Proſper contra Caſſianum anno 433.

natus lib. 2. ſui *Auguſtini vindicati* cap. 5. §. 2. Plura Henricus de Noris, quem hic exſcribimus, *Hiſtoria Pelagiana* lib. 2. cap. 10. p. 236. & ſqq.

Caſſiani doctrina hoc ſeculo fere exeunte ſtrenuum nacta eſt laudatorem Gennadium Presbyterum Maſſilienſem, qui in ſuo libro *de illuſtribus Scriptoribus* quem an. 494. conſcripſit, Semipelagianos omnes laudibus, Auguſtinum vero ejusque defenſorem Proſperum dicteriis excepit. Etenim cap. 63. ubi de Eucherio, inquit: *ſed & ſancti Caſſiani quadam Opuſcula libro tenſa ſermone, anguſto verbi reſolvens tramite, in unum coegit volumen.* Proſperum vero a Celeſtino papa olim commendatum eidem Catalogo cap. 84. inſerens, velut per contemptum ait: *Proſper homo Aquitanica Regionis.* Deinde illum ut publicum alienæ famæ demunctorem accuſans, addit: *Legi & librum adverſus Opuſcula ſub perſona Caſſiani, quæ Eccleſia Dei ſalutaria probat, ille infamat nociva.* Vbi Vincentius Lirinenſis vocavit Proſperum *Criminatorem*, hic eundem *Infamatorem* ignominiæ cauſa vocat. Addit Opuſcula *ſub perſona Caſſiani*, quem tamen certum eſt atque negatur a nemine, fuiſſe authorem *24. Collationum*, quæ ſub ejus nomine circumferuntur: id nempe ut Ethiopem dealbaret, atque ab eo Semipelagianiſmum amoliretur, homo impudentiſſimus. Rurſus cap. 85. de libris Fauſti Semipelagianis erroribus ſcatentibus ita judicat, homo Semipelagianis favens & Semipelagianus ipſe: *Edidit quoque opus egregium, de gratia Dei.* Vnde ex Semipelagianorum laude & Proſperi reprehenſione, fuiſſe illum Semipelagianum nullus jure inficias ibit. Sed nec veritus eſt errorem, tantumque non hæreſim ſancto Auguſtino impingere, dum cap. 38. hæc de illo Doctore ſanctiſſimo ſcripſit: *Catholicus permanſit tamen, & error illius ſermone multo (ut dixi) contractus, Lucta hoſtium exaggeratus, necdum hæreſis quæſtionem dedit.* Quibus verbis S. Auguſtini ſententiam *de prædeſtinatione* citra dubium ſugillat. Etenim aliquam Auguſtini ſententiam *uti erroneam* traducit, & hanc *Lucta hoſtium exaggeratam* dicit, quod de nulla ejus ſententia adverſus Pelagianos propugnata dici poteſt. Igitur de prædeſtinatione gratuita id accipiendum venit, cum contra illam omnes fere in Gallia ſub initium conſpiraſſent, unde *Lucta hoſtium errorem exaggeratum* pronuntiat. Non tamen eam opinionem, tanquam hæreticam proſcriptam cum plerique eandem tuerentur. Gennadio concinit Fauſtus in Epiſtola ad Græcum ſeu Gregorium, dicens: *Aliquid apud Doctiſſimos, in Auguſtini Scriptis eſſe ſuſpectum:* ita illi eandem tibiam contra Auguſtinum inflant. Quod igitur Gennadius Caſſianum laudet ex induſtria, maximum illius Semipelagianiſmi argumentum eſt, apud Eruditos.

Laudat e contra Gennadius Maſſilienſis Presbyter.

At laudem hanc Caſſiani a Gennadio, nullus opinor conferre audebit damnationi librorum Caſſiani a Gelaſio Romano Pontifice in plena Synodo promulgatæ. Narrat Baronius anno 494. (quo ferme tempore laudatus a Gennadio Caſſianus fuerat) Synodum Romæ a Gelaſio celebratam, in qua LXX. Epiſcopi ſedere, habitaque eſt Conſultatio de libris a Catholicis vel legendis vel rejiciendis. In hoc porro S. Auguſtini libri commendati ſunt, itemque Proſperi noſtri Aquitanici, qui ſanctorum Patrum agmen claudit, diciturque honoris gratia *vir religioſiſſimus.* Hinc cum damnatorum voluminum index texeretur, inter iſta Libri Caſſiani ac Fauſti Regienſis numerati ſunt, hac præmiſſa ſententia: *Cætera quæ ab Hæreticis ſive Schiſmaticis, conſcripta vel prædicata ſunt, nullatenus recipit Catholica & Apoſtolica Romana Eccleſia, e quibus pauca quæ ad memoriam venerunt, & a Catholicis vitanda ſunt, credimus eſſe ſubdenda.* Cumque plurimos libros hæreticorum, aliorumque incertorum authorum Epiſcopi damnaſſent, hos inter Caſſiani & Fauſti volumina poſuere, hoc titulo: *Opuſcula Caſſiani Presbyteri Galliarum apocrypha, Opuſcula Fauſti Rhegienſis Galliarum Apocrypha.* Poſtea etiam Pelagium, Celeſtium, & Julianum Eclanenſem, eorumque libros ac ſequaces confixerunt, hæc ſtatuentes: *Sub Anathematis indiſſolubili vinculo in æternum confitemur eſſe damnata.* Scio recentiores quosdam qui Fauſti vicem dolentes, pro eodem apologias enixi ſunt, contendere Romanam Synodum non damnaſſe libros Fauſti ut hæreticos, ſed inferioris illos notæ declaraſſe ab Eccleſia Catholica habendos. Sed peſſimam malæ cauſæ advocationem præſtitam altero libro ſolide confutat, idem Henricus de Noris, in Diſſertatione Hiſtorica *de Synodo quinta*, Appendicis Cap. 3. fol. 182. & ſeqq. Hoc primo ictu Semipelagiana factio percuſſa concidit, neque enim impoſterum tutum fuit Caſſiani ac Fauſti, quos Synodus damnaverat, opiniones tueri. His accedit, Gelaſium in Epiſtola ad Epiſcopos per Picenum, Sententiam Semipelagianorum *de fide viribus naturæ prodeunte*, palam damnaſſe: *Quid autem*, inquit, *haberi poteſt ſine gratia, cum ſit fides ipſa per gratiam, eodem Apoſtolo nos docente: miſericordiam conſecutus ſum ut fidelis eſſem: nec aliud eſt miſericordia divina, quam gratia.* At quod veterem opinionem deponere, atque antiquam ſcholam deſerere difficile ſit: ſequenti ſeculo, graviſſimis diſſenſionibus ex Fauſti libris exortis, univerſus orbis Catholicus in partes diviſus eſt.

Gelaſius in Synodo probat.

Et in Epiſtola ad Epiſcopos per Picenum. 2. Cor. 4.

Denique & Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, animadvertens factionem Semipelagianorum in Galliis potentiorem eſſe, quam ut ſuis ac Collegarum viribus ſuperari poſſet: Felicis IV. Romani Pontificis auxilium implоravit, quo hoſtes de ſuperiori loco percuteret, iisque dejectis, Auguſtiniana æque ac Catholica doctrina in nobiliſſima provincia ſarta tectaque ſervaretur. Felix roganti ſuppetias tulit, cui diu conſultandum non fuit, undenam in Gallias auxilia ſubmitterentur. Etenim deceſſorum veſtigiis inſiſtens, ex Eccleſiaſticis ſcriniis aureas S. Auguſti-

ſtini ſententias *de gratia & libero arbitrio* ſelectas, ad Cæſarium magno cum Auguſtiniani nominis incremento transmiſit. Cum autem tunc anno 529. celeberrimus in urbe Arauſicana Conventus Epiſcoporum ageretur ob dedicationem Baſilicæ a Liberio viro Clariſſimo Exprætecto Prætorio extructæ: Cæſarius opportunam occaſionem nactus, coacto ſapientiſſimorum Patrum ac virorum illuſtrium ſenatu, ſententias ab ſede Apoſtolica ad ſe transmiſſas protulit, ut ex præfatione Synodi colligitur, ubi hæc recitantur. *Pervenit ad nos, eſſe aliquos qui* de gratia & libero Arbitrio *minus caute & non ſecundum fidei Catholicæ regulam ſentire velint. Unde id nobis ſecundum authoritatem & admonitionem ſedis Apoſtolicæ juſtum & rationabile viſum eſt, ut pauca Capitula ab Apoſtolica nobis ſede transmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de certis Scripturarum voluminibus in hac præcipue cauſa collecta ſunt, ad docendos eos qui aliter ac oportet, ſentiunt: ab omnibus obſervanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus. Quibus lectis, qui hucusque non ſicut oportebat* de gratia & libero arbitrio *credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conveniunt, animum ſuum inclinare non differat.* Sequuntur viginti quinque Canones, quibus Semipelagianorum ſententiæ, quæ eousque citra læſæ fidei crimen libere defenſæ fuerant, condemnatæ ſunt: ut absque hæreſeos nota a quovis impoſterum propugnari non potuerint. Cæterum in hac Synodo Arauſicana II. ſententiæ Caſſiani & Fauſti damnatæ ſunt, cujus Canones cum paſſim legi poſſint, hoc loco exſcribere ſupervacaneum duximus. Initium fidei, ipſumque etiam credulitatis affectum, Dei donum eſſe decernitur *Canone V.* Gratiam non dari petentibus, quærentibus, pulſantibus: ſed dari potius ut velimus, & petamus, & quæramus, & pulſemus, *Canone VI.* Adjutorium Dei etiam ſanctis ſemper implorandum, quo poſſint in bono opere perdurare, *Canone X.* unde perſeverantia Dei donum eſſe intelligatur. Omnia hoc Canone XX. comprehenduntur: *Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præſtet, ut faciat homo.* Quam Eccleſiæ Catholicæ definitionem magnus Doctor gratiæ Auguſtinus, hiſce præformarat lib. 2. ad Bonifacium cap. 8. in fine: *Quapropter multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo: nulla vero facit homo, quæ non facit Deus, ut faciat homo.* Quibus verbis totum divinæ gratiæ dandum, id eſt, & initium & progreſſum & perſeverantiam pronuntiavit: licet initium & perſeverantiam in bono opere Semipelagiani Divinæ gratiæ concedere recuſarent, unde contra eosdem ad Proſperum & Hilarium, libros olim S. Auguſtinus transmiſerat. Canone vero XXII. humani arbitrii adverſus gratiam divinam tumor elicitur his verbis, *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum:* quod eſt S. Auguſtini Theorema, iisdem verbis expreſſum apud Proſperum *ſententia* 323. Nullus itaque relinquitur dubitandi locus, quin Doctrina Caſſiani ab Arauſicana Synodo prorſus damnata ſit.

Arauſicana Synodus anno 529. damnat.

CAPVT SEXTVM.

CASSIANVS A SEMIPELAGIANISMO INFELICITER A GVESNAIO VINDICATVS.

NOnnulli quibus doctrina S. Auguſtini contra Pelagianos tradita plene non probabatur, media veluti via incidentes Semipelagianiſmum condiderunt. Horum princeps fuit Caſſianus Maſſilienſis Cœnobii Abbas & Presbyter ut ſupra diximus, qui Collatione XIII. ut ait S. Proſper, *ad inſtrumentum inimicorum gratiæ Dei fluxit talem proferre doctrinam.* Hinc factum eſt, ut S. Gelaſius Papa in Romana Synodo ob prava de divina gratia dogmata in illius Scriptoris Opuſculis contenta, ejusdem libros omni prorſus authoritate exutos inter Apocryphorum quisquilias projecerit. Contra Caſſiani librum, Proſper ſingulari veluti certamine dimicavit, in opere quod *contra Collatorem* inſcripſit: ubi illius ac Concellitarum ſeu ſectatorum mores, ingenium, conſilia, inſidiasque egregie ſuis coloribus, in præfatione ac peroratione hujus voluminis depinxit: de quibus lib. 2. *Hiſtoriæ Pelagianæ* cap. 10. diſſerit Henricus de Noris. Caſſiodorus lib. *de divinis Inſtitutionibus* cap. 29. ait: *Qui Caſſianus tamen de libero arbitrio a Beato Proſpero jure culpatus eſt, unde monemur, ut in rebus talibus excedentem ſub cautela legere debeatis.* Certe Synodus Arauſicana II. Caſſiani ſententias contrariis editis dogmatibus penitus proſcripſit, ut ad oculum ſupra oſtendimus. Hinc coram Clemente VIII. olim quæſitum fuit ex profeſſo, ut ajunt: *An doctrina Molinæ conveniret cum damnatis ſententiis Caſſiani.* At quæ in illis ſeſſionibus dicta ſunt, poſt Alexandri VII. Decretum, proferre minime licet. Hoc vero conſtat utramque Litigantium factionem palam admiſiſſe, damnatas eſſe ab Eccleſia Caſſiani opiniones de gratiæ divinæ auxiliis, neque id a quopiam in dubium revocatum. Paucis autem ante annis, editus eſt liber inſcriptus *S. Johannes Caſſianus illuſtratus*, authore Joanne Baptiſta Guesnaio Aquenſi Soc. Jeſu: cujus quidem voluminis errores alibi jam, poſt Henricum de Noris, caſtigavimus. Hoc vero loco potentiſſimum ejus figmentum refellendum venit. Scriptor ille lib. 1. cap. 52. narrat ortam fuiſſe Maſſiliæ *Semipelagianorum hæreſim*, quos *nequiſſima ſecta doctores* ibidem ignominiæ cauſa vocat. Addit Caſſianum contra eosdem acerrime invectum: *Caſſianus ergo*, inquit, *cum perturbata videret omnia, & jam prope ad deſperationem adducta: quod reliquum fuit, Catholico populo, profligatisque ab hæreſi Civitatibus cavendum putavit.* Item *eo formidoloſius ſuperbiſſimorum adverſariorum conſcientiam, plenam ſpei maxima percellebat atque affligebat.* Imo ſcribit Caſſianum ea in concertatione cum Pro-

ſpero junxiſſe copias,ait enim : *Denique ipſa Robora Gallicana Eccleſiæ Proſper & Hilarius, quibuscum Maſſiliæ fuit Caſſiano cum forte conſilium, & militia communis.* At cap. 64. quo prius volumen terminat,agens de libris Caſſiani,quos contra Neſtorium edidit,hæc habet: *Cum vero hanc venenoſam hæreſim,nuper id eſt ſuo tempore emerſiſſe, eamque incerti nominis ſed certi erroris eſſe dicit Caſſianus,manifeſte deſignat non Pelagianos,ſed ipſorum reliquias aut Semipelagianos, quos idcirco* Pelagianos cineres *appellat.* Nunc, *inquit*,quod paulo auſterius dicere cœpimus, exequemur : ut omnes ſciant in Pelagianis cineribus ignes quærere te,& novis Sacrilegiorum flatibus favillas veteres excitare. *Quæ mihi videntur idoneæ conjectura ad probandum, ſpectaſſe imprimis Caſſianum in hac contra Neſtorium diſputatione, in tantis tenebris erroris & inſcitiæ Semipelagianorum præferre clariſſimum lumen,ac bona cujusvis voluntatis etiam prima exordia in noſtræ juſtificationis exordio, divinæ gratiæ auxilio adſcribere.* Hæc ille p. 220. *Caſſiani illuſtrati.*

Hic Scriptor cum Caſſianum ſibi *illuſtrandum* propoſuiſſet, ſimulque animadverteret, quantum nitoris amitteret ſi cum Semipelagianis cenſeretur, lepidam illam de eodem fabulam (cur enim alio nomine utar?) concinnavit. Etenim lib. 1. cap. 39. num. 39. ingenue confeſſerat,quod Semipelagianiſmi ſuſpicio Caſſiano objecta *ſalutiferum illam in dies latius inclareſcentem infuſcarit lucem, ac nominis quam neque caperet vir modeſtiſſimus neque defenderet, obſcurarit authoritatem.* Quo ergo haſce a Caſſiano tenebras repelleret, non modo inter Semipelagianos illum militaſſe negavit: verum etiam *contra Semipelagianos* ſtrenue depugnaſſe pronuntiavit,& quod mirabile eſt, Proſpero Hilarioque ſecum fœdere junctis. Hoc ſane ultimum ſine riſu legi non poteſt. Nemo enim non ignorat S. Proſperum collato veluti pede *cum Caſſiano* pro D. Auguſtini doctrina ſingulari certamine conflixiſſe,in eo Opere quod *contra Collatorem* inſcripſit : quia Caſſiani Collationes Semipelagianis erroribus infectas impugnabat. Ille ſane poſt prologum palam proteſtatur,ſe ſcribere contra prænotatum libellum *De Protectione Dei*, qui collationis XIII. Caſſiani titulus plane eſt. In ſequentibus vero pravas ejusdem opiniones de Divina gratia ad verbum recitat, ac nervoſe confutat,hæc in fine ſubjungens: *ſufficienter ut arbitror demonſtratum eſt, reprehenſores ſancti Auguſtini & vana objicere,& recta impugnare,& prava defendere, peremptorumque armis inteſtinum bellum moventes, divinis atque humanis conſtitutionibus obviare.* Ergo teſte Proſpero Caſſianus reprehenſor S. Auguſtini & vana objecit,& recta impugnavit,ac Pelagianorum armis bellum civile apud Maſſiliam inter Catholicos conflavit. Et tamen Gueſnaïo authore, ſi ſuperis placet, *Proſpero & Caſſiano contra Semipelagianos fuit conſilium & militia communis.* Commilitones appellat,quos dicere debuerat Antagoniſtas. Quæ tamen ſi credis,jam alter quoque tibi perſuadebit, Davidem ac Goliath in arenam ad certandum uti commilitones deſcendiſſe. Quod vero addit *Semipelagianos* dici a Caſſiano *Pelagianos cineres*,demonſtrat ſe non percepiſſe vel ſaltem diſſimulaſſe Scriptoris illius ſenſum : eo enim infami vocabulo *Neſtorianos*, qui ex Pelagianis prodere,ſignificat. Vnde & Proſper hæreſim Pelagianam matrem, Neſtorianam vero filiam lepide appellavit,quas eodem etiam ſepulchro tumulatas inſcripto Epitaphio irriſit, ut dixit Henricus de Noris in lib. 2. *Hiſtoria Pelagiana* cap. 9. Video præterea eundem opponere Caſſianum in libris *de Incarnatione adverſus Pelagianum quemdam Antiochenſem Epiſcopum diſputaſſe, ſicut lib. 6. capp. 6. & 7. & libro ultimo cap. 31. manifeſtum eſt :* unde hinc nulla ratione Caſſianum Semipelagianis erroribus ſeu Pelagianis cineribus aſperſum exiſtimat. Malo appellare memoriam hominis quam fidem,neque illum adeo fraudulento animo iſtæc litteris conſignaſſe puto,ut tot figmenta Lectoribus conſulto credenda obtruderet. Legatur utrumque caput ex libro 6. a Gneſnaïo productum,videbit ex Symbolo præciſe Antiocheno, Neſtorium a Caſſiano erroris convictum: quod ille Antiochenæ Eccleſiæ Presbyter fuerat, antequam renunciaretur Antiſtes Conſtantinopolitanus. Quare ubi Caſſianus Symbolum Antiochenum producit ad hæreticum redarguendum,fingis eundem contra neſcio quem Epiſcopum Antiochenum Pelagianum inſurgere. Poſt exortam Pelagii hæreſim, ſedere Antiochiæ Alexander, Theodotus, & Joannes, quorum nullus Pelagianorum deliria ſecutus fuit. Theodotus contra Pelagianos Synodum celebravit, uti ex Mercatore probat Henricus de Noris lib. 2. *Hiſt. Pelagiana* cap. 4. Et licet hujus Succeſſor Joannes in Epheſina Synodo hæreticis patrocinari viſus fuerit,eosdem tamen acriter inſectatus eſt, de quo plura habes eodem lib. cap. 9. Ex qua ergo officina Pelagianus hic tibi Antiochenorum Antiſtes procuditur? Hæc ſcribit Caſſianus cap. 6. lib. 6. *de Incarnatione. Symbolum ergo hæreticum, cujus ſuperius textum diximus, licet omnium Eccleſiarum ſit, quia una omnium fides : peculiare tamen Antiochena urbis eſt atque Eccleſiæ,id eſt illius,in qua natus editus, in qua inſtructus, in qua renatus es.* Quibus verbis deſignat Neſtorium Germanicia in Euphrateſia provincia natum, ſed Antiochiæ ſacris initiatum, unde Conſtantinopolitanus Archiepiſcopus evaſit, quod pluribus deſcribit Theodoretus in Epiſtola ad *Sporacium*, & alibi. Sed neque lib. 7. cap. 31. Caſſianus quicquam de illo Epiſcopo recitat, ibi enim S. Joannem Chryſoſtomum eximie laudat, cujus authoritatem Neſtorio opponit.

Verum temporis jacturam facio, agam compendio, utarque adverſarii ipſius teſtimonio. Scribit in præfatione ad Lectorem,de Caſſiani in materia *de gratia* opinionibus : quod illas *Sanctus Proſper jure refellit, & erroris coarguit.* Fuit ergo,

ergo, ipſo Gueſnaio hoc aſſerente, S. Proſper Caſſiani hoſtis, atque expugnator. Vbi ergo quam jactat, *Proſperi ac Caſſiani contra Semipelagianos militia communis?* Addit lib. 2. cap. 12. num. 8. *liquet Proſperum ab Auguſtini zelo incalescente commotiorem praliari, ſtylo velitatum esse adversus Collatorem, & qua in reprehendendis confutandisque ejus erroribus efficaciſſima prævalebat ſagacitate &c.* Gravis & gravior pugna fuit Caſſianum inter & Proſperum; neque enim hic contra adverſarium velites tantum emiſit, ſed univerſum triariorum robur eduxit, ac plena acie dimicavit. Si tamen non pugnam, ſed velitationem certamen illud vocare mavult, Proſperi robur ac Caſſiani debilem aciem fateatur: qui vel ſola velitantis Proſperi impreſſione facta, non loco tantum motus, ſed fuſus ac diſſipatus, nec pugnam repetere nec vires reſtaurare unquam potuerit. Tradit tamen Gueſnaius, pacem inter Proſperum ac Caſſianum ſtabilitam, & quidem ſequeſtro S. Leone Magno tunc temporis Archidiacono. Etenim lib. 1. cap. 55. num. 8. & 9. ſcribit Sixtum Pontificem, cum exortis inter Bonifacium & Aëtium civilibus diſcordiis, itemq; Litorio ab eodem Aëtio diſſidente, & huic ipſi & Albino graviter Valentiniano Auguſto indignato, Romanum Imperium paſſim a Barbaris vaſtaretur: id conſilii arripuiſſe, ut miſſo in Gallias Leone Archidiacono Apoſtolicæ ſedis Legato, duces diſcordes ad amicitiam revocaret, atque in Valentiniani gratiam reduceret. Addit cap. 56. Leonem legatum, *plenisſimis velis Maſſiliam ſecundo curſu* perveniſſe, ac ad Caſſianum *veterem ſuum conſiliarium & amicum*, divertiſſe. *Aderant*, inquit num. 2. *Caſſiani delatores Hilarius & Proſper*, qui cum ad Leonem ſalutationis officia præſtituri conveniſſent, & forte fortuna Caſſianus quoque adeſſet: teſtatur Legatum egiſſe, ut *mutuis colloquiis, & uſu inter eos familiari congreſſos, diſcuſſis ultro citroque ſuſpicionum tenebris, vocaret in lucem; eosque pacis interpres ſuis commonitionibus ita placaret ac leniret, ut omnes conſtituta diſcordia quam ipſe cum omnibus haberet communem, ſine querela diſcederent.* Nec irritam Leonis legationem fuiſſe, hæc enim de illo affirmat num. 4. *Nec temere laudi ejus adſcripſeris, quod nefarii conſilii ac furoris ſui pœnitens Bonifacius, reconciliata ſibi Placidia Auguſta, cum Vandalis reditum in Hiſpaniam perſuadere non poſſet, bello eos aggreſſus eſt, ſed victus Romam venit anno 432.* Hæc ille. Monuit non ſemel Henricus de Noris, præſertim lib. 2. *Hiſtoria Pelagiana* cap. 1. hunc ſcriptorem ex fabuloſis tantum conjecturis vitam Caſſiani conſarcinatam edidiſſe, quibus non modo ſeipſum, ſed & quem laudare omni arte conatur, Lectoribus deridendum exhibuit. Celebris Leonis Archidiaconi Legatio contigit circa annum 439. Nam S. Proſper in Chronico ad annum 440. ait: *Valentiniano Auguſto V. & Anatolio Coſſ. defuncto Xiſto Epiſcopo, quadraginta amplius diebus Romana Eccleſia ſine Antiſtite fuit, admirabili pace atque patientia præſentiam Diaconi Leonis expectans, quem tunc inter Aëtium & Albinum amicitias redintegrantem Gallia detinebant.* Et poſtea. *Igitur Leo Diaconus Legatione publica accitus, & gaudenti patria preſentatus XXXXIII. Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus ordinatur.* Hic vero interrogatum velim Gueſnaium, unde ſciverit, Leone eo anno apud Maſſiliam exiſtente, Caſſianum adhuc in vivis fuiſſe, quem ante quadriennium mortem obiiſſe narrat Trithemius, & antea etiam defunctum Gennadius indicat? Quo authore adeo conſtanter affirmat, tunc temporis Proſperum, Maſſiliæ procul a patria commoratum? erat enim Aquitanus. Illa igitur pax non Leonem ſequeſtrum, ſed Gueſnaium architectum habuit. Imo Proſper cum non perſonam, ſed opinionum Caſſiani vitia inſectaretur, nequaquam Caſſiano conciliandus erat. Pacato etenim animo noſter Doctor ſtrinxit in Collatorem Stylum, & ad prœlium deſcendit mente pacifica. Nam dum profligato hoſte ex acie in caſtra reverteretur, inquit: *Nobis Deo adjuvante ſit ſtudium, quieta modeſtaque patientia odiis dilectionem reddere:* in fine libri *Contra Collatorem.*

CAPVT SEPTIMVM.

CASSIANVS INFELICITER AB ALIIS VINDICATVS, AC MASSILIENSES SEMIPELAGIANI A QVIBVSDAM INIVSTE EXCVSATI.

HVnc quidem defenſorem in Gallia Caſſianus ſortitus eſt, ſed & alterum in Hiſpania advocatum obtinuit. Joannes Mariana libro *de morte & immortalitate* cap. 6. hæc ſcribit. *Video quæ a Caſſiano dicta ſunt omnia, de gratia certe & libero arbitrio a viris eruditis noſtra ætate defendi, quaſi pietati conſona, neque deflexa a fidei regula ſancta.* Si Auguſtinus modo inter homines verſaretur, profecto Caſſiani ſorti invideret, quippe qui ſuam de Prædeſtinatione ſententiam *nei durum & divina bonitate indignam* reprehendi animadverteret: Collatoris vero dogmata laudari *unquam non deflexa a fidei regula ſancta*. Certum eſt Felicem IV. ſcriptis ad Cæſarium Arelatenſem litteris, Semipelagianorum ac Caſſiani imprimis errores Apoſtolica ſententia condemnaſſe, eaque decreta fuiſſe in Synodo apud Arauſicam anno 529. publicata. Canonibus 3. & 4. damnatur, *qui invocatione humanæ gratiam Dei dicit poſſe conferri.* Itemque qui, *ut a peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit.* Illa plane docuerat Caſſianus Coll. 13. cap. 13. dicens Deum *quandoque a noſtro libero arbitrio quosdam conatus bonæ voluntatis velexigere vel expectare, ne penitus dormienti aut inerti otio diſſoluto, ſua dona conferre videatur.* Et cap. 12. ait, *expectat nos, cum dicitur per Prophetam: propterea expectat nos Dominus, ut miſereatur noſtri.* Canone V. damnatur, *qui initium fidei, ipſum-*

ipſumque credulitatis affectum, quo in Deum credimus, qui juſtificat impium &c. naturaliter nobis ineſſe dicis. Quo Caſſiani proſcribitur error dicentis cap. 11. *Sin vero gratia Dei ſemper inſpirari bona voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide, quid de illius in cruce latronis pietate dicemus, qui deſiderio ſuo vim quandam regni cœleſtibus inferentes, ſpecialia vocationis monita prævenerunt?* Et cap. 14. ex modo loquendi Chriſti, probat fidem Cornelii Centurionis non fuiſſe ex gratiæ dono, ſed ex viribus liberi Arbitrii: *Nullius enim* (inquit) *laudis eſſet ac meriti, ſi id in eo Chriſtus, quod ipſe donaverat, prætuliſſet: alioquin dixiſſet, Amen dico vobis, non dedi tantam fidem in Iſrael.* His contrarium definit laudata Synodus in fine, inquiens: *Unde manifeſtiſſime credendum eſt, quod & illius latronis quem Dominus ad paradiſi patriam revocavit, & Cornelii centurionis ad quem Angelus Dei miſſus eſt, & Zachæi qui ipſum Dominum ſuſcipere meruit, illa tam admirabilis fides, non ſuit de natura, ſed divinæ largitatis donum.* Canone VI. damnat eum, qui ſine gratia Dei *credentibus, volentibus, deſiderantibus &c. petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri divinitus.* Et hoc contra celebre Caſſiani effatum lib. 12. De Inſtitutis Cœnobiorum cap. 14. ubi ait: *Pronuntiamus laborantibus tamen ac deſudantibus, miſericordiam Dei, gratiamque conferri &c. Dicimus enim ſecundum ſalvatoris ſententiam dari quidem petentibus, & aperiri pulſantibus, & a quærentibus inveniri: Sed petitionem & inquiſitionem & pulſationem noſtram non eſſe condignam, niſi miſericordia Dei id quod petimus dederit, vel aperuerit quod pulſamus, vel illud quod quærimus, fecerit inveniri. Præſto eſt namque occaſione ſibi tantummodo a nobis bona voluntatis oblata, ad hæc omnia conferenda.* Ita petere, pulſare, quærere occaſiones a nobismet, viribus liberi arbitrii oblatas nuncupat. Canone VII. nihil boni ſine gratia fieri poſſe determinatur, quæ ſententia etiam Canone XXII. his verbis aſſeritur: *Nemo habet de ſuo, niſi mendacium & peccatum.* Contrarium plane docuerat Caſſianus cap. 12. collationis 13. ubi inquit: *Nec enim talem Deum hominem feciſſe credendus eſt, qui nec velit unquam, nec poſſit bonum: alioquin nec liberum ei permiſit arbitrium, ſi ei tantummodo malum ut velit & poſſit, bonum vero a ſemetipſo nec velle nec poſſe conceſſit.* Canone VIII. iidem Arauſicani Patres inquiunt: *Si quis alios miſericordia, alios vero per liberum arbitrium (quod in omnibus qui de prævaricatione primi hominis nati ſunt, conſtat eſſe vitiatum) ad gratiam baptiſmi poſſe venire contendit, a recta fide probatur alienus.* Damnatur hic famoſum illud Caſſiani effatum cap. 17. Deum aliorum eſſe Salvatorem, aliorum autem Suſceptorem: *In eo enim* (inquit) *quod prior advocat, & ignorantes nos atque invitos attrahit ad ſalutem, protector atque ſalvator noſter eſt. In eo autem quod annitentibus nobis, opem ferre, refugientesque ſuſcipere ac munire conſuevit, ſuſceptor ac refugium nominatur.* Contra quam Caſſiani Collatoris diſtinctionem S. Proſper invehitur. Poſt hoſce autem octo Canones, quibus diverſi Semipelagianorum errores configuntur, plurimæ ſententiæ ad verbum ex S. Auguſtini libris exſcriptæ adjunguntur. Sed ſufficiat hic illa tantum adduciſſe, quibus Caſſiani doctrina palam damnata eſſe intelligatur, ut jam penitus falſum ſit, quod Mariana ex aliorum fortaſſe ſententia dixit: *Caſſiani dogmata de gratia & libero arbitrio non eſſe deflexa a fidei regula ſancta.* Sunt enim citra ullam dubitationem hæretica, poſt Arauſicanæ Synodi decreta ac definitionem.

Sed Maſſilienſes quoque Semipelagiani, Joannis Caſſiani qui Maſſiliæ conſederat diſcipuli ac ſectatores, egregium alium ſortiti ſunt advocatum Rodericum de Arriaga, qui eosdem *ex ignorantia invincibili* in errores lapſos eſſe aſſeruit: cujus verba præcedere debet teſtimonium S. Proſperi de Maſſilienſibus iisdem loquentis, quod recentior ille præpoſtera prorſus explicatione interpretatur. Hæc Aquitanus Doctor ad ſuum Auguſtinum ſcripſit. *Illud etiam qualiter diluatur, quæſumus patienter inſipientiam noſtram ferendo demonſtres: quod retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur & una ſententia, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt.* Arriaga tom. 1. in 1. partem diſput. 36. num. 11. hocce ſcholium laudatis Proſperi verbis affigit: *Nomine priorum & antiquiorum de quibus Proſper, non intelligi ſanctos Patres, ſed Maſſilienſes aliquos Epiſcopos, & viros moribus ac pietate inſignes, invincibiliter tamen (ut puto de multis) Semipelagianos.* Quot verba, tot errata. Imprimis falſum eſt, nomine *priorum* non intelligi ſanctos Patres: quod ipſemet Annatus irridens, diſput. 4. *Defenſionis ſcientiæ mediæ*, num. 80. exclamat: *Appellanda eſt adverſarii fides, qui quod Proſper Catholicis Scriptoribus attribuit, dictum putat de Semipelagianis. Perſpicua ſunt Proſperi verba.* Semipelagiani ſuas opiniones teſte Proſpero, *vetuſtate defendebant*, dictitantes Auguſtinum nova docere ac Patribus inaudita. Hoc pacto Proſperi dictum intellexit Auguſtinus Lib. De prædeſtinatione SS. cap. 14. inquiens: *Si hujus ergo ſententiæ defenſionem ex divinorum Eloquiorum nos præcedentibus Catholicis tractatoribus promerem, hi fratres pro quibus nunc agimus, acquieſcerent, hæc enim ſignificaſtis litteris veſtris.* Alterum Arriagæ eratum capitale eſt, dum ſuos hoſce *Maſſilienſes Epiſcopos* excuſare conatus, eos *invincibiliter* Semipelagianos finxit: contra clara & perſpicua Proſperi verba in allata ſuperius ad Auguſtinum Epiſtola, *obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt.* Præterea cum Maſſiliæ lites de divina gratia ac libero arbitrio increſcerent, nonnullis Auguſtino, pluribus Caſſiano faventibus: allatus eſt Maſſiliam liber ſancti Doctoris *de Correptione & gratia. Tunc putavimus* (inquit Proſper) *omnes querelas reſiſtentium ſopiendas, quia univerſis quæſtionibus de quibus conſulenda erat ſanctitas tua, tam plene illic abſoluteque reſponſum eſt:*

quaſi

quaſi hoc ſpecialiter ſtuduerit, ut quæ apud nos erant turbata, componeret. Hoc porro libro recenſito, ſicut Auguſtiniani (ut idem ait) *longe intelligentiores evaſere: ita qui perſuaſionis ſuæ impediebantur obſcuro, averſiores quam fuerant, receſſerunt.* Cum vero ex Auguſtini doctrina illorum errores Proſper ac Collegæ vellicarent, *obſtinationem ſuam vetuſtate* defendebant. Itane qui illata ex Auguſtini libro plurima luce, oculos obſtinacisſime claudunt ne videant, qui obſtinati & pervicaces in opinionibus ſuis perdurant, qui Proſperi atque Hilarii Socii diſputationes audiunt, *invincibiliter* verum ignoraſſe dicentur? Audi Proſperum hæc ad Auguſtinum ſcribentem: *Cum contra eos ſcripta Beatitudinis tuæ validiſſimis & innumeris teſtimoniis divinarum Scripturarum inſtructa proferimus, ac ſecundum formam Diſputationum quarum aliquid etiam ipſi quo concludantur, adſtruimus; obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt.* Et hos tot diſputationibus inſtructos, tot Auguſtini libris edoctos, invincibili ignorantia laboraſſe autumabis? Semipelagianos *bona ingenia* dixit Auguſtinus cap. 10. libri de prædeſtinatione SS. *Nec deſpicienda ingenia.* Proſper initio libri *Contra Collatorem*, inter quos fuerunt viri doctiſſimi & ſapientiſſimi Caſſianus, Hilarius, Fauſtus, Vincentius Lerinenſis, aliique ut in *Pelagiana hiſtoria* dictum eſt: quibus *invincibilis ignorantiæ* nullus reſtat locus. Et hæc quidem in una Proſperi periodo explicanda, Arriagæ errata ſunt.

Franciſcus Oviedo 12. tract. 9. contr. 1. puncto 4. num. 76. illa verba Proſperi *retractatis priorum opinionibus* ita interpretatur inquiens, *quibus verbis aſſerit Proſper jam plures ex Maſſilienſibus priores opiniones retractaſſe.* Sed phraſim male intelligit Oviedo, nam *retractatis* hoc eſt, *relectis ſive recenſitu Patrum opinionibus:* unam ex Semipelagianorum opinione ſententiam repertam, nempe prædeſtinationem præſcientia dirigi. Vnde Proſper: *Retractatis priorum de hac re opinionibus, pene omnium par invenitur & una ſententia, qua propoſitum & prædeſtinationem Dei ſecundum præſcientiam receperunt.*

CAPVT OCTAVVM.

DE MORTE CASSIANI ABBATIS, ET CVLTV EIVSDEM.

HOc anno 448. obiiſſe Maſſiliæ Caſſianum ſcribit Gueſnaius lib. 2. *de Vita ejusdem* c. 2. p. 228. *Placidiſſime* (inquit) *expiravit, animamq; authori a quo conditam acceperat, feliciter transmiſit anno poſt Chriſtum natum 448.* Cum vero uti cætera, etiam annum obitus Caſſiani ſibi fingat, ſtatim idem ipſe ſui oblitus, poſt decem verſus, in alterum annum vitam eidem prorogat, inquiens: *Mortuus eſt Maſſiliæ anno 449.* Theodoſii Junioris anno 42. Valentiniani tertii 25. & Leonis Papæ X. Ibi vero nempe cap. 25. pag. 505. Trithemium aſſerentem obiiſſe Caſſianum an. 435. ex eo rejicit, *Quia dedicavit Caſſianus libros ſuos de Incarnatione, Leoni Papæ, ordine temporum Sixto longe inferiori.* Idem dixerat cap. 1. eo quod Caſſianus in Epilogo Lib. 7. ad Conſtantinopolitanos, ait: *Vnde obſecro ac deprecor omnes vos, qui intra Conſtantinopolis urbis ambitum ſiti, & per affectum patriæ cives mei, & per unitatem fidei Fratres mei eſtis: ut ſeparetis vos ab illo (ut ſcriptum eſt) lupo rapaci, qui devorat Dei populum ſicut cibum panis.* Omitto, quod Leo Sixti immediatus ſucceſſor, improprie dicitur, *ordine temporum Sixto longe inferior.* Ego ſane de anno mortis Caſſiani, nihil certi in Veterum monumentis reperio. Compertum tamen eſt, poſt annum 433. eundem deceſſiſſe, Theodoſio & Valentiniano regnantibus. Gueſnaius lib. 2. cap. 3. num. 5. hæc addit de Caſſiano: *Corpore fuit ſatis amplo, & cui eſſet abunde ſanguinis, ut Scytharum temperatio ſolet. Color oris pallidum inter fuſcumque anceps, quantum ex icone argentea Vrbani V. ſtudio & impenſis facta, conjicere licet. Facie honeſta & liberali, frons exporrecta & lata majeſtatem addebat. Caſios vegetosque oculos habuit, naſum modicum, vultum hilarem quidem ſed vividum & ardentem, barbam & capillos nigros &c.* Quæ & alia dum ſatis confidenter obtrudit, nihil aliud agit, quam ut lectores non absque riſu, mortuo Caſſiano parentent: audientes Guesnaium qui duodecimo a Caſſiani morte ſeculo vixit, tam exacte de facie hominem noviſſe, & colorem oris ejusdem ex argentea icone didiciſſe. Sed hiſce figmentis omiſſis, inſtat obiiſſe Caſſianum cum opinione ſanctitatis: unde Gregorius Magnus lib. 8. epiſt. 12. ad Reſpectam Abbatiſſam Maſſilienſem laudat Monaſterium *quod in honorem ſancti Caſſiani eſt conſecratum.* Vrbanus V. Caput Caſſiani argentea theca incluſum, hac epigraphe ornandum juſſit: *Caput ſancti Caſſiani.* Ejusdem memoria colitur Maſſiliæ die 23. Julii, cui precum officia ſolemni ritu perſolvuntur, & ante ejusdem ſepulchrum extat diu noctuque lucerna ardens, propter reverentiam erga ejusdem ſanctitatem. Fuit vir doctiſſimus, & ſi in quibusdam ab Auguſtini doctrina receſſit, id eo tempore egit, quando pro utraque parte illis de rebus diſputare licebat. Viri ſanctiſſimi ac ſapientiſſimi, Collationes ejus eximie commendarunt: hos inter, fuiſſe S. Fulgentium ex cap. 12. vitæ illius conſtat, cui tamen uti & cæteris doctrina Collat. 13. de gratia aſſerta minime probata fuit, quam etiam poſtea Apoſtolica ſedes proſcripſit. Hæc nos verbotenus *de Caſſiano* maxima ex parte habuimus, atque in ſpecialem diſſertationem adduximus, ex libris duobus *de hiſtoria Pelagiana* Henrici de Noris doctiſſimi Eremitarum Auguſtinianorum Theologi, atque ex Appendice ejusdem ad hiſtoricam diſſertationem *de quinta Synodo œcumenica.* Addo paucis hunc cultum Caſſiani an legitimus ſit, eſſe mihi valde dubium: quid enim facilius quam ut in cultibus iſtis inſtituendis, faciles ſint monachi? Præterea

terea quod dicitur Monaſterium Sanctimonialium Maſſilienſium libro 6. Epiſtola 12. D. Gregorii Magni ad Reſpectam Abbatiſſam, *In honorem Sancti Caſſiani eſſe conſecratum*, falſum eſt, ut patet. Nam & hodie ſub nomine *Sancti Salvatoris* conſecratum eſt, ac ſemper fuit: ut conſtat ex Gennadio Maſſilienſi Presbytero in libro *de viris illuſtribus* anno 494. conſcripto, ubi *de Caſſiano* loquitur. Vnde opinor mendum irrepſiſſe in Epiſtolam Divi Gregorii, eſſeque legendum *ſancti Salvatoris* pro *ſancti Caſſiani*. Factum autem Vrbani V. recentius eſt, quam ut valeat ad hunc Caſſiani cultum valide & firmiter ſtabiliendum: nec mirum quod ipſe Abbas S. Victoris, egregie ſentiret in gratiam fundatoris ſuæ Abbatiæ, Caſſiani Abbatis.

431. CAPREOLVS CARTHAGINENSIS EPISCOPVS, poſt Aurelium claruit anno 431. tempore Concilii Epheſini œcumenici. Cum autem variis occupatus negotiis, nec ipſe nec alii Africæ Epiſcopi ad Synodum accedere poſſent, literas excuſationis ad illam direxit Capreolus cum Beſſula Diacono, quæ pro veteri Epiſcoporum præſentium more palam in Synodo audientibus omnibus clara voce lectæ ſunt. Concilio Epheſino compoſito, atque Neſtorio illic hæreſeos damnato, ut ſuam publice Capreolus cum definitione Synodi ſententiam teſtaretur atque cum præſentibus Epiſcopis in doctrina concordiam & orthodoxiam: ſcripſit Epiſtolam *De una Chriſti veri Dei & hominis perſona*, adverſus hæreſim Neſtorii recens damnatam. Quam Jacobus Sirmondus ſocietatis Jeſu Theologus, cum Opuſculis dogmaticis Veterum quatuor Scriptorum, qui ante annos plus mille ducentos claruerunt, Pariſiis in 8. 1630. edendam curavit. Atque hujus quidem Epiſtolæ ad Vitalem & Tonantium ſcriptæ, quod ibi Neſtoriani dogmatis ſemina ſpargerentur; Fragmentum ex Pithœanis Schedis, primus quidem jam antea Baronius in *Annalibus* ad res anni 432. geſtas inſeruerat: quam poſtea Sirmondus integram produxit. Legationis vero a ſe Epheſum miſſæ, ipſe Capreolus in Epiſtola a Sirmondo edita meminit. Vincentius quoque Lerinenſis in *Commonitorio* poſteriore, meminit cum laude *Epiſtolæ ab eodem Capreolo ad Synodum Epheſinam ſcriptæ*, quæ extat tomo 3. Conciliorum Labbeanæ editionis Pariſienſis, Act. 1. ejusdem Synodi, Græce & Latine pag. 533. & latine tantum apud Baronium in *Annalibus* ad annum 431. De Capreolo Aubertus Miræus, in *Auctario* de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei litterariæ* ſeculo 5. ad annum 431. pag. 331. Henricus Spondanus poſt Baronium, in Epitome *Annalium Baronii* ad annum 430. n. 8. & 431. num. 3. aliique plures.

431. MARIVS MERCATOR, Laicus, vir eruditus, Sancto Auguſtino notus ac familiaris, circa annum 431. floruit, qui de quibusdam Pelagianorum quæſtionibus eundem conſuluit, cui ſanctus Doctor eximiam Epiſtolam reſcripſit, cujus ipſe in libro *de octo Dulcitii quæſtionibus* quæſt. 3. meminit. Incerta ipſius patria eſt, quem Campanum fuiſſe vel Appulum, vel ex ea Italiæ parte quæ ad Siciliam tendit, eruditus ejus Operum editor & commentator, Joannes Garnerius, ſolitis ſuis conjecturis opinatur: ex eo maxime quod Celeſtii Campani atque Juliani Appuli res domeſticas ac privatas ita noverit: quemadmodum vix alteri licet, quam qui ejusdem aut civitatis aut provinciæ fuerit. Fuiſſe Laicum ex ſancto Auguſtino, qui Filium illum vocat, libro *de octo Quæſtionibus ad Dulcitium* quæſt. 3. Garnerius certum ſtatuit, quod tamen argumentum cæteris infirmum & conjecturale tantum eſt. Epiſtola autem S. Auguſtini ad ipſum data, nunc primum integra extat, in editione nupera Operum D. Auguſtini, Pariſiis hoc anno 1684. procurata, ſtudio & laboribus Benedictinorum Congregationis ſancti Mauri in Gallia, Thomæ Blancpain ac Petri Coutant. Cum cæteris autem progreſſus in aciem contra Pelagianos, non ignobiles quoque palmas in hoc ſacro bello retulit: qui *Commonitorium adverſus Pelagianos* Theodoſio Imperatori, Florentio & Dionyſio Conſulibus obtulit, quorum Conſulatus in annum 429. incidit. Item *Librum Subnotationum adverſus Julianum Pelagianum*, poſt mortem Divi Auguſtini, anno 431. tempore Concilii Epheſini, ſcripſit. *Adverſus impios Neſtorii anathematiſmos Contradictiones*, anno quoque 431. ante inchoatum Concilium Epheſinum. Idem denique *Neſtorii ſermones & Epiſtolas nonnullas*, *Theodori Mopſueſteni Fragmenta*, *Sancti Cyrilli apologeticas reſponſiones adverſus Orientalium Objectiones & Theodoretum: nec non varia ejusdem Theodori Mopſueſteni excerpta*, ex Græco ſermone in Latinum tranſtulit. Legenda Joannis Garnerii Soc. Jeſu, in Opera Marii Mercatoris omnia præfatio, quæ ipſe edidit & Notis prolixiſſimis atque Diſſertationibus ad tædium effuſis ampliavit, deſumpta ex MS. Codice Bibliothecæ Cathedralis Bellovacenſis, impreſſa Pariſiis in fol. 1673. apud Sebaſtianum Cramoiſy. Quæ autem Opera ſtupendis dilatarat atque onerarat Commentariis Garnerius, iterum edidit in 8. Stephanus Baluzius, anno 1684. Pariſiis apud Franciſcum Muguet, cum primigenia authoris puritate ſimplici, omni illo adulterino prolixarum ad nauſeam Diſſertationum ornatu & immenſo apparatu excluſo, Græcis omnibus, hinc atque illinc ad majorem Operis molem & oſtentationem a Garnerio collectis, in hac ultima editione reſectis. Longe autem ſincerior hæc ultima editio, quæ ad trium MSS. Codicum fidem a Baluzio procurata eſt. Plura qui voluerit, ingens volumen Joannis Garnerii, de quo ſupra egimus, legat. Agunt de Mario Mercatore, Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica capitibus* ſeculo 5. tomo 1. pag. 219. &

579. unde hæc deſumpta ſunt. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiæ* ſeculo Neſtoriano ſeu V. ad annum 418. pagina 306.

431. PHILIPPVS PRESBYTER, ſancti Hieronymi diſcipulus & fidelis auditor, claruiſſe circa annum 430. atque etiam annis præcedentibus videtur, cujus mentionem facit Gennadius in libro *de Viris illuſtribus* cap. 62. his verbis. *Philippus Presbyter, optimus auditor Hieronymi, commentatus in Job, edidit ſermone ſimplici libros. Legi ejus & Familiares Epiſtolas, & valde ſalſas, & maxime ad paupertatis & dolorum tolerantiam exhortatorias. Moritur Martiano & Avito regnantibus.* Opus autem Philippi, *Commentarius* eſt *in librum Job libris tribus*, ſermone aperto ac ſimplici, dedicatus Nectario Epiſcopo: quem male habent Opera impreſſa tam ſub nomine Venerabilis Bedæ, quam Sancti Hieronymi, in quibus legitur. Vidi illos MSS. in antiquiſſimo Codice Bibliothecæ Igniacenſis in tractu Remenſi, cum prologo Philippi ad Nectarium Epiſcopum, authoritate Gennadii citata, Operi præmiſſa. De hoc Opere, ita Robertus Cocus in *Cenſum quorundam Scriptorum Veterum*, pag. mihi 391. „ Philippus Presbyter claruit anno 430. „teſte Trithemio in lib. 1. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Extat ſub ejus nomine Opus (ut ferunt) „egregium in Job, quod excuſum fuit Baſileæ „anno 1527. Ex hoc tanquam ipſius Philippi, „Joannes Driedo tom. 1. lib. 4. *de variis dogmatibus*, & lib. *Apocalip.* cap. 5. part. 5. colligit purgatorium: & Joannes Garetius *de Euchariſtia*, „Tranſubſtantiationem. Hos Commentarios „Joannes Hervagius Baſileæ impreſſos inter Opera Bedæ & ſub titulo Bedæ excudit, teſte Sixto Senenſi lib. 4. *Bibliotheca ſancta*. Hinc certum eſt aliquos, Bedæ potius exiſtimaſſe quam „Philippi, quemadmodum refert Marianus Victorius in *Cenſura* Commentariorum, qui tomo 8. apud Hieronymum habentur. Atque „ſane cum Gennadius teſtetur *Philippum Presbyterum commentatum in Job, edidiſſe ſermone ſimplici libros:* hi vero ſint myſtico potius, quam „ſimplici ſermone conſcripti, agnoſcente Sixto „Senenſi: perſpicuum eſt, hos Commentarios non eſſe Philippi, utut Bedæ ſint, aut cujuspiam alterius. „ Hæc perperam Cocus. Qua enim quæſo ratione, Commentarii ad Bedam ſpectare poſſent, quorum meminit Gennadius, ducentis ante Bedam annis? Neque feſtucam valet allata a Sixto Senenſi ratio, cum hi Commentarii poſſint eſſe & ſermone ſimplici & myſtico ſenſu conſcripti, ut legenti in promptu eſt. Nulli ergo dubium eſſe debet, quin Opus iſtud Philippi ſit, cujus & Gennadius libro citato cap. 62. meminit, & qui Philippo affirmat ipſe Beda in libello *de ratione Vnciarum*. Opus ſub proprio Philippi Presbyteri nomine, anno 1527. tum in 4. tum in folio impreſſum Baſileæ apud Adamum Petri; cujus utriusque impreſſionis eodem anno factæ, Exemplum vidimus ac tenuimus, in celebri Bibliotheca Abbatiæ ſancti Germani de Pratis Pariſienſibus. Poſſet tamen excipere Cavus contra MS. Codicem allatum atque alios, quemadmodum excepit, ubi ſupra de Vrſino actum eſt: nimirum, aliquem forſitan qui Gennadium legerat, huic MS. Codici talem adjeciſſe titulum, Philippi Opus eſſe opinatus. Qua ſtante objectione, nulla amplius MSS. Codicibus fides præbenda eſſet: unicunque duntaxat ſupereſſet rei cognoſcendæ medium, ipſa Scriptorum reſurrectio & allocutio, qua teſtarentur ſe talia vel talia, ſcripſiſſe vel non ſcripſiſſe. Vide Sixtum Senenſ. l. 4. *Bibliotheca ſancta* pag. mihi 289. ubi ejus Opera antea ſub nomine Bedæ edita fuiſſe dicit, in quibus adhuc leguntur. Guillelmum Cavum in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ*, ad annum 440. pag. 347.

PATRICIVS EPISCOPVS HIBERNORVM, claruiſſe dicitur circa annum 430. ex Scriptoribus Vitæ ejus, incertis atque recentibus, nec idoneis qui rerum tam ſtupendarum ab eo factarum fidem faciant. Dicitur ille Gentis Hibernicæ Apoſtolus atque Archiepiſcopus, qui anno 447. in Britanniam transfretaverit, religionem Chriſtianam longe lateque propagaverit, ſedes Epiſcopales inſtituerit, Synodos celebraverit, miracula ſupra fidem humanam aliosque omnes tam prævios quam poſteros Sanctos patraverit, ad ſexaginta usque mortuos e tumulo ſuſcitaverit. Atque hæc omnia ex Probo & Joſſelino obſcuris, ambiguisque Legendæ ejus Scriptoribus, maxima cum pompa venditant Hiberni, quibus longe firmius quam Evangelicis Scripturis, fidem adhibent. Viri autem graves plurimum dubitant, an ullus unquam in rerum natura fuerit Patricius Hibernorum Epiſcopus, cui tanto cum faſtu prodigia tam inſignia attribuunt Britanni & Inſulares iſti. Neque his contenti, minora enim ſunt, quam ut juxta credulos iſtos adæquent prodigia ſancti hujus viri: Scriptoribus etiam Eccleſiaſticis ſtupenda prorſus novitate Patricium Hiberni adſcripſerunt, cui plura nec contemnenda Opuſcula ſeculis omnibus anterioribus inaudita, nulla prorſus veriſimilitudine attribuunt. Nec enim Gennadius, nec alius Veterum Nomenclatorum, vel *Patricii* vel *Scriptorum ejus* mentionem facit. Qui poſt Baleum ac Pitſeum Scriptores incertiſſimos, Patricium Hibernorum Apoſtolum perſonatum, Scriptoribus Eccleſiæ accenſuit, Richardus Stanihurſius eſt, qui *Sermonem* ſub ſancti Patricii nomine confinxit, quem in *Vita ſancti Patricii* lib. 2. Antverpiæ edidit anno 1587. Eundemque recuſum ſubjecit Meſingamus ad finem *Florilegii Hibernici* ſui, quod Pariſiis 1624. in fol. impreſſum eſt. Locum autem huic ſermoni, inter Opuſcula Patricii ficlitia Waræus, Opuſculorum illius editor concedere noluit: quippe qui illum e pro-

prio

prio Stanihurſii cerebro confictum, nullo negotio cognovit. Iterum inter Scriptores Eccleſiaſticos Patricium accenſere conatus eſt Gerardus Voſſius Tungrenſis Præpoſitus, qui anno 1604. Moguntiæ edidit Græce & Latine Opuſcula S. Gregorii Thaumaturgi Neocæſarienſis Epiſcopi: atque adjectis *Appendicis* vice ad calcem Miſcellaneis Sanctorum aliquorum Patrum Opuſculis, antea non editis: *Epiſtolam de legatione ſive miſſione ſancti Patricii ad Hibernos* illis inſeruit primum, quæ deinde in Bibliothecam Veterum Patrum editionis Colonienſis 1618. immiſſa eſt. Sed nec Gerardus Tungrenſis Richardo Stanihurſio felicior fuit, licet ſincerior fuerit: nec enim ipſe Epiſtolam hanc ſub Patricii nomine, quemadmodum Stanihurtius ſermonem confinxerat, primus ſuppoſuit: ſed quod a nugivendulo quodam Monacho Hiberno olim confictum adinvenit, bona fide in vulgus eduxit. Spuriam autem hanc Epiſtolam eſſe, arguit annus Æræ Chriſtianæ, qui in Epiſtolæ fronte ſtatim occurrit adnotatus: uti recte Miræus obſervavit in *Auctario* de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Nec enim iſto ſeculo æra Chriſti in ſupputandis annis, uſurpari cœpit. His duobus infelicibus ad Patricium Eccleſiæ Scriptoribus aggregandum, ſucceſſit tertius, qui non uno duntaxat ſermone, vel Epiſtola unica Patricium clareſcere, ſed multis ſimul atque variis Opuſculis voluit, Jacobus Waræus. Hic enim Zelo parum prudenti, ac qui nemini impoſterum (paucis exceptis Hibernis) placuit, *Opera omnia S. Patricii Hibernorum Apoſtoli ac primi Archiepiſcopi* collegit in unum ac partim recenſuit, partim tunc primum cum notis Londini 1656 in 8. edidit hoc ordine.

Confeſſio in Epiſtola ad Hibernos explicata, qua totius vitæ ſuæ ac prædicationis rationem reddit.

Epiſtola ad Coroticum, Regulum Cambro-Britannum: qua Regis iſtius crudelitatem, qui multos ex Hibernis a ſe ad Chriſti fidem converſos occiderat, inſequitur. Hæc duo Opuſcula rudi admodum ſtylo ac ſemibarbaro conſcripta ſunt, quæ Verſionem Italicam Vulgata antiquiorem ubique exhibent: unde quis incautus ut Cavus, antiquitatem illorum arguere poſſet. Verum quisquis Opuſcula iſta attente legerit, & ad ſtylum ſeculi V. apertum & purum ex plurimis Scriptoribus tum Gallis tum Italis, attenta mente reſpexerit; ſtatim barbariem hanc agnoſcet conſulto, ab eo qui iſta ſuppoſuit, excogitatam eſſe: quo ſimplicioribus ac minus apertarum narium viris, imponeret. Quis enim credat ita ſtupidos fuiſſe Romanos Pontifices, ut ad prædicationem Evangelii promovendam, viros indoctos ſeculo Eccleſiæ quinto, ac latinitate barbaros, mitterent? Jam ſi Patricius homo eruditus ac ſeculo V. clarus, quis credat ſcripſiſſe ſtylo ſemilatino ac barbaro.

Synodus S. Patricii Capitula ſeu Canones XXX. complectens, evulgata antea a Spelmanno, inter Concilia Britannica.

Canones IX. antea inediti.

Synodus Epiſcoporum Patricii, Auxilii & Aternini, Canones XXXIV. complexa, quæ in Conciliis Britannicis legitur.

Canones aliquot alii a Patricio (ut creditur) *facti, cum Proverbiis nonnullis.* Verum quisquis attenderit ad illa omnia, quæ in Conciliis Britannicis Henrici Spelmanni, ante Gregorii I. Papæ tempora inveniuntur: illa ut plurimum incerta, ex Schedis obſcuris ac MSS. Codicibus nulla authoritate viris collecta, fabularum inſtar opinabitur: nec Spelmannus ipſe fidem præbuerit.

De tribus habitaculis liber, qui inter Opera S. Auguſtini ſpuria reperitur jam, in noviſſima & perfectiſſima omnium Divi Auguſtini Operum editione Pariſienſi, a Gallis Benedictinis procurata in *Appendice* tomi 6. pag. ſeu col. 159. quique incerti authoris eſſe dicitur. Ego legi illum, atque ex lectione ad ſtylum Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi accedere opinatus ſum, qui in MSS. omnibus Codicibus, anonymus cernitur. Ipſe Waræus utrique, Auguſtino nimirum ac Patricio abjudicat, quem Patricio adſcribere Codices nonnullos aſſerit, quod ego vix crediderim. Attributum hunc Patricio ab Hibernis librum arbitratus ſum, quod illic *de purgatorio* agatur, atque ita cum *Purgatorio Patriciano* apud Hibernos celeberrimo convenire opinati ſunt.

De abuſionibus ſeculi liber, qui inter Opera S. Cypriani Martyris ſuppoſititia legitur, itemque inter Opera ſancti Auguſtini, Benedictinorum Gallorum editionis noviſſimæ, in *Appendice* tomi 6. col. 211. Ratio cur Patricio hoc Opuſculum ab Hibernis attributum ſit, hæc eſt quod in eo nonnullæ Sententiæ reperiantur, quæ ſub Patricii nomine citantur in antiquo MS. Codice Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ, atque a Cathwulpho in Epiſtola ad Carolum Magnum, apud Duchenium *Scriptorum Hiſtoria Francica Coætaneorum* tomo 2. pag. 666. 667. Sed ipſe Waræus ad S. Patricium pertinere non exiſtimat, ob ſtyli diſcrepantiam, & verſionem vulgatam uſurpatam, quam vix ante tempora Gregorii I. allegatam atque in uſu fuiſſe, eruditi exiſtimant. Si Manuſcriptis Codicibus fides eſſet omnimoda præbenda, Tractatus iſte S. Cypriano Carthaginenſi Epiſcopo concedendus eſſet, cui illum multi inſcribunt. Horum falſa inſcriptione decepti ſunt Scriptores antiqui, qui cum Cypriani nomine citant: Jonas Aurelianenſis in libro *de Inſtitutione Regia* cap. 3. tomo 5. *Spicilegii Dacheriani.* Ivo lib. 8. Decreti, & Gratianus 23. q. 5. cap. *Rex.* Sancto autem Auguſtino pauciores Manuſcripti tribuunt, ut recentior quidam Victorinus. Ejus argumenti librum edidit Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus, adhuc latentem, ſed ab hoc Tractatu longe differentem: ut patet ex verbis Flodoardi

lib.

lib. 3. *Hiſtoriæ Remenſis* cap. 18. ubi Opus Hincmari deſcribit. Hæc Benedictini in *Cenſum* huic Opuſculo prævia, ad Appendicem tomi 6. Operum Divi Auguſtini col. 211.

Ex his itaque omnibus liquet, nullum inveniri Opuſculum, quod vel conjectura tantum, Patricii Hibernorum Apoſtoli eſſe poſſit aut cenſeri debeat: omnia hæc ab ebriis Patricianæ gloriæ conficta eſſe, non minus quam tot miracula atque mortuorum ſuſcitationes, ipſi gratis ac idoneo nullo teſte imputatas. De quo non locutus eſſem, niſi ut in Scriptores Eccleſiaſticos intruſum illum excluderem, atque cum confuſione pellerem, quem aliquid unquam ſcripſiſſe certum nequaquam eſt. Catalogis tamen ſuis inſeruerunt Angli Baleus & Pitſeus, quos ſecutus eſt Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei Literariæ* ſeculo V. ad annum 432. p. 332.

431. SIXTVS III. ROMANVS EPISCOPVS, Sixti filius, Eccleſiæ Romanæ ſub Innocentio I, Zozimo, Bonifacio & Celeſtino Pontificibus vel Epiſcopis Presbyter, circa annum 430. clarus, anno 432. die 7. Auguſti Epiſcopus Romanæ ſedis ordinatur. Hunc Cavus aſſerit, „adhuc in gradu Presbyteri conſtitutum, Pela„gianiſmi falſo accuſatum fuiſſe, qui calumnia „excitatus Pelagianos acrius inceſſere cœpit: „adeo ut in Concilio Romano anno 418. in Ce„leſtii cauſa habito primus omnium anathema „iis incutiendum cenſeret, editoque libro hære„ſim eorum confutaret.„ Præclara hæc quidem. Cujus rei miſſis per Leonem in Africam litteris, Aurelium certiorem fecit: quæ quidem litteræ paſſim ab Africanis teſte Auguſtino Epiſtola 104. ad eundem Sixtum deſcriptæ ſunt, paſſim omnibus lectæ. *Quid enim*, inquit S. Doctor, *gratius legi vel audiri poteſt, quam gratia Dei tam pulchra defenſio, adverſus inimicos ejus ex ore ejus, qui eorundem inimicorum magni momenti patronus ante jactabatur!* Idem Sixtus ad Auguſtinum etiam, & ad Alypium de eodem argumento perſcripſit. Anno 432. ut jam dictum eſt, conſtitutus Romæ Epiſcopus, Concilii Epheſini nuperrime habiti authoritatem ac doctrinam egregie propugnavit. Pacis interim Orientales inter & Ægyptios conciliandæ non immemor, hanc inter Cyrillum Alexandr. & Joannem Hieroſolymit. modis omnibus incundam tentavit, ac tandem feliciter obtinuit. Extant Latine *Epiſt. II. ad Cyrillum una, ad Joannem Antiochenum altera*, Concil. tom. 3. p. 1175. quibus mediantibus ad pacem & concordiam ambo convenerunt. Hæc eſt illa Sixti Pontificis Epiſtola, quam ad convincendam Neſtorianorum calumniantium falſitatem, ſanctus Cyrillus publice recitavit. Orientales enim pacem inter Cyrillum Alexandrinum & Joannem Antiochenum initam iniquo animo ferentes (quid enim quod non invidiæ ſubjaceat?) Cyrillum Acta Epheſini Concilii irritaſſe, Sixtum Neſtorii condemnationem improbaſſe, in vulgus ſparſerunt. Vt excogitatam igitur calumniam Cyrillus refelleret, hanc ad ſe transmiſſam Sixti Romani Epiſcopi Epiſtolam, publice recitavit. Addit Cavus hic in *Sixto III.* pagina mihi 333. Quin & datis ad Neſtorium in Euprepii Monaſterio exulantem literis, eum ad Catholicæ veritatis confeſſionem reducere conatus eſt: verum fruſtra fuit. Neſtorius priſtinum errorem fovere non deſiit: Sixtus ex commercio literario cum Hæreſiarcha inſtituto labem ſibi contraxit, animi a Neſtorianiſmo non abhorrentis eo nomine inſimulatus: adeo ut ſcripta ad Cyrillum Epiſtola, crimen id amoliri neceſſe habuerit.„ Sed Cavus fallitur. Impacta Sixto calumnia, non proceſſit ex literis Sixti ad Neſtorium ipſum ſcriptis, quam ad deſtruendam, litteræ Sixti ipſius ad Neſtorium neceſſariæ fuiſſent: ſed ex pace quam Sixtus procuraverat inter Cyrillum Alexandrinum & Joannem Hieroſolymitanum, unde Orientales ganniebant, *& Cyrillum Acta Concilii irritaſſe, & Sixtum Neſtorii condemnationem improbaſſe.* Qua calumnia cum involueretur Cyrillus pariter ac Sixtus, Epiſtolam Sixti ad ſe datam, Cyrillus ut utrumque a calumnia impacta purgaret, publice legendam voluit. Has autem ob Epiſtolas Gennadius Maſſilienſis Presbyter Sixtum Romanum Epiſcopum in libro *de viris illuſtribus* cap. 54. Scriptoribus Eccleſiaſticis in hunc modum accenſuit. «Xiſtus urbis Romæ Epiſcopus, decretum Synodi adverſus ſupradictum Neſtorium habitum volumine deſcribens, ad Orientis & Occidentis Eccl. dedit: confirmans duabus in Chriſto manentibus perfecte naturis, unam Filii Dei credendam eſſe perſonam. Huic enim ſententiæ ſupra ſcriptus Neſtorius oſtenſus eſt eſſe contrarius. Similiter etiam Xiſtus ſucceſſor Celeſtini, pro eadem re & ad ipſum Neſtorium, & ad Orientis Epiſcopos adverſus errorem ejus ſuccidendum, ſententias direxit.« Extant Græcolatine *Epiſtolæ II. Sixti ad Cyrillum* apud Joannem Cotelerium *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* tomo 1. & apud Baluzium in Nova Collectione Conciliorum pag. 657. Habetur etiam Latine ſub ejusdem nomine *Epiſtola ad Orientales Epiſcopos* Conciliorum tom. 3. pag. 1163. quam ut nullius fidei rejiciunt omnes, ab ipſo nimirum Iſidoro Mercatore confictam, cui adpoſita Conſulatus nota ſpuria eſt. Denique Sixto huic falſo inſcribuntur *libri tres*, videlicet *de divitiis, de caſtitate, de malis Doctoribus, operibus fidei & futuro judicio:* qui anno 1573. Romæ in 8. prodierunt, & Antverpiæ 1575. in 16. unde in Bibliothecam Veterum Patrum, ex diverſis editionibus prodierunt, de quibus ſingularius agere, prorſus ſuperfluum. « Suppoſititia eſſe hæc Opuſcula, (inquit Cavus) & Pelagianis erroribus inquinata uno ore omnes jam conſentiunt, unico excepto Garnerio *Appendice* ad partem 1. Operum Marii Mercatoris Diſſertatione 6. cap. 6. qui pluribus contendit Sixtum Pelagiano errore ante annum 418. re-

„vera imbutum fuiſſe, ac Opuſcula iſta conſcri-„pſiſſe: poſt annum vero 418. Auguſtini alio-„rumque monitis excitatum excuſſo errore ſa-„niora ſenſiſſe: utque famam ſimul ac culpam „redimeret, libros *Hypognoſticon* qui inter ſuppo-„ſititia Auguſtini Opera habentur, compoſuiſſe. Sed ſupinam atque viro literato prorſus indignam, tum Garnerii tum Cavi oſcitantiam circa hos tres libros quos Sixto III. Romano Epiſcopo attributos volunt, ſatis mirari non poſſum. Si legiſſent Hieronymum *Adverſus Pelagium ad Cteſiphontem*, haudquaquam in abſurditatem hanc incidiſſent. Illic enim ſanctus Doctor exprobrat Rufino Aquilejenſi Presbytero, quod libros iſtos ad Sixtum Pitagoricum Philoſophum pertinentes, ſub nomine *Sixti Martyris & Romana Eccleſiæ Epiſcopi* ex Græco ſermone in Latinum fraudulenta inſcriptione, ad ſeductionem multorum, tranſtuliſſet. Audianus Hieronymum, de Rufino loquentem. „Illam „autem temeritatem, imo inſaniam ejus, quis „digno poſſit explicare ſermone? quod librum „Sixti Pithagorei, hominis absque Chriſto at-„que ethnici, immutato nomine, *Sixti Martyris „& Romana Eccleſiæ Epiſcopi* prænotavit: in „quo juxta dogma Pythagoricorum, qui homi-„nem exæquant Deo, & de ejus dicunt eſſe ſub-„ſtantia, multa de perfectione dicuntur: ut qui „volumen Philoſophi neſciunt, ſub Martyris „nomine bibant de aureo calice Babylonis. De-„nique in ipſo volumine nulla Prophetarum, „nulla Patriarcharum, nulla Apoſtolorum, nul-„la Chriſti fit mentio: ut Epiſcopum & Marty-„rem, ſine Chriſti fide fuiſſe contendat. Vnde „& vos plurima contra Eccleſiam uſurpatis te-„ſtimonia. Idem quoque Hieronymus in ca-put 22. Jeremiæ, & in caput 18. Ezechielis. Hac quidem Rufini fraude, Divus Auguſtinus in libro *de natura & gratia* deceptus eſt: ſed errorem ſuum correxit lib. 2. *Retractationum* cap. 42. Vnde Gelaſius hæc Opuſcula inter Hæreticos libros in Decreto anni 494. de libris canonicis collocavit, a Chriſtianis conſcripta illa eſſe ſupponens. Non itaque a Rufino evulgata ac translata ſunt ſub *Sixti III. Romani Epiſcopi* nomine, Sed ſub *Sancti Sixti Martyris & Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi II.* qui Cypriani ætate ſedem hanc anno 257. regebat. Hoc recte contra Cavum annotavit Ludovicus Ellias du Pin, in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica*, ſeculo 3. tomo 1. ad annum 257. pag. mihi 183. ipſiſſimis Hieronymi ad Cteſiphontem verbis Gallice expreſſis. Poterat & Cavus errorem ſuum facillime emendare, ex tumultuaria Lectione *Critici Sacri* quem Andreas Rivetus edidit lib. 2. cap. 19. pag. mihi 243. Fuiſſet profecto ſtupidiſſimus omnium hominum Rufinus Presbyter, qui hos tres libros e Græco in Latinum tranſtulit, ſi ſub Sixti III. nomine illos evulgaſſet: cum fraudis a vivente ac juvene adhuc ipſo Sixto tum Romanæ Eccleſiæ (ut volunt) Presbytero, redargui coram omnibus potuiſſet. Cautius igitur rem ſuam egit Rufinus, & libros iſtos ſub Sixti II. Papæ & Martyris anno 257. ſedem Romanam tenentis nomine evulgavit: non autem Sixti III. qui neque tunc temporis, ſed annis circiter 14. poſtquam hi libri evulgati ſunt, Romanam Eccleſiam anno nimirum 432. die VII. Auguſti gubernandam ſuſcepit: neque Martyr unquam appellatus eſt, in pace & tranquillitate mortuus, anno ſalutis per Chriſtum partæ 440. die 24. vel 25. Julii. Agunt *de his libris Sixtinis*, perperam Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ſeculo 5. ad annum 432. pag. 333. illos Sixto III. Romano Epiſcopo attributos eſſe a Rufino, ſcribens. Garnerius & ipſe hoc in argumento cæcutiens, *Appendice* ad partem 1. Operum Marii Mercatoris, Diſſertatione 6. cap. 6. Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 3. tomo 1. pag. mihi 187. Andreas Rivetus, lib. 2. *Critici Sacri* cap. 19. pag. mihi 243. Sixto II. Romano Epiſcopo & Martyri libros iſtos a Rufino attributos atque inſcriptos exiſtimans, quos tamen ſpurios eſſe probat.

THEODOTVS ANCYRÆ IN GALA- 431
TIA EPISCOPVS, anno 430. clarus, ſequenti ſtrenuus ſancto Cyrillo Alexandrino Epiſcopo in Concilio Epheſino adverſus Neſtorium ſocius fuit. Ipſe cum Acacio Melitinæ Epiſcopo contra Neſtorium accuſator extitit, quorum ex amborum delatione Neſtorius potiſſimum condemnatus eſt, ut teſtatur Evagrius Scholaſticus lib. 1. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 4. his verbis. „Cumque Memnon Epiſcopus Ephe-„ſiorum, dies qui ultra præſtitutum tempus „effluxerant, percenſuiſſet, erant autem dies illi „numero ſexdecim; lectæque eſſent Epiſtolæ „divini Cyrilli ad Neſtorium, & Neſtorii ad Cy-„rillum viciſſim datæ: cum adjecta etiam eſſet „ſacra illa Epiſtola admirabilis Celeſtini ad eun-„dem Neſtorium: cumque Theodotus Ancy-„ræ & Acacius Melitinæ Epiſcopi, verba impia „quæ Neſtorius Epheſi palam effuderat expo-„ſuiſſent: collectis denique multis ſententiis „ſanctorum & probatiſſimorum Patrum, qui re-„ctam & ſinceram fidem expoſuerant: inſertis „etiam variis blasphemiis quas impius Neſtori-„us veſana mente profuderat: ſancta Synodus „adverſus Neſtorium, hæc ad verbum pronun-„tiavit. &c.„ Scripſit varia Theodotus, quorum pleraque lapſu temporum interciderunt: unde nihil mirum quod Scriptoribus Eccleſiaſticis a Gennadio Maſſilienſi Presbytero in *Catalogo* cap. 55. his paucis accenſeatur, etſi peperam illic *Theodorus* appelletur. *Theodorus Ancyranus, Galatiæ Epiſcopus*, ſcripſit *adverſus Neſtorium adhuc Epheſi poſitus, librum Redargutionis & confutationis, dialectica quidem arte ordinatum, ſed authoritate Sanctarum Scripturarum denexum: multis enim aſſertionibus uſus eſt, antequam Scripturarum teſtimonia poneret.* Scripſit homilias plures non inelegantes, ex quibus alias in ipſo eodem

Digitized by Google

dem Concilio Epheſino oravit, in cujus etiam Acta relatæ ſunt, alias etiam allegat Epiphanius Diaconus & quidem plures, quæ non extant. Extant *Orationes* Theodoti [redacted] *Chriſti Natalem* in dicta Synodo recitata, [redacted]s alibi olim dixerat, Concil. tom. 3. pag. 988. 1008. Et *Homilia adverſus Neſtorium* in die ſancti Joannis Evangeliſtæ Epheſi habita, ibidem pag. 1024. Photius in *Bibliotheca* cod. 231. recenſens nomina Patrum, quorum teſtimoniis Sophronius Hieroſolymitanus Patriarcha duplicem in Chriſto operationem confirmaverat: hos inter, ſanctum Theodotum qui Ancyræ præfuit, nominat. Ipſum *Libros tres de Spiritu Sancto* ſcripſiſſe, ex Nicænæ fidei expoſitione contra Neſtorium conſtat, cujus ad finem hæc habet. *Hæc quidem velut obiter nunc dicta ſunto de Spiritu Sancto, de cujus divina Majeſtate & dominatione plenius in tribus aliis libris diſputavimus: quos ſi legeris, Spiritum Sanctum pari cum Patre & Filio laude celebrari ac conglorificari ex divinis litteris doceberis.* Sanctus Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus unam omnium certiſſime Theodoti homiliam conſtare dicit in *Antirreticis* ſuis, nempe *In ſanctam Deiparam & Symeonem*, qua indubie mens ejus agnoſci poſſit, quamque primum vulgavit Franciſcus Combefis Ord. Fratrum Prædicatorum, in *Auctario* ad Bibliothecam SS. Patrum editionis Pariſienſis 1618. ex avtographo Jacobi Sirmondi, Orationi Amphilochii quaſi ejusdem eſſet ſubjectam: ſed quam ſub nomine *Sancti Theodoti Ancyrani*, habet Codex MS. in Bibliotheca Cardinalis Mazarini. Hanc idem Combefiſius Operibus Amphilochianis, anno 1644. impreſſis inſeruerat, quam tamen his in locis, accedere magis ad ſtylum & tempora Andreæ Cretenſis opinatus ſum. Vide quæ de hac Oratione diximus in Amphilochio Iconienſi Epiſcopo, de his in Feſtum Purificationis ſive ὑπαπαντῆς Orationibus, ex Baronio. Illam autem Philippus Labbeus Amphilochii Sidæ Epiſcopi eſſe exiſtimavit, ſola tamen conjectura, cui ejusdem Sirmondi judicium præiuerat. Epiphanius Diaconus, qui partes agit Catholicorum ſeu Iconodulorum in ſeptima Synodo, Nicæna II. ait ſe legiſſe Theodoti *Tomos ſex ad Lauſum contra Neſtorium*, qui & *Homilias ejus in Lumina, in Eliam & viduam, in Sanctos Patrum & Joannem, in Claudum qui ſedebat ad ſpecioſam portam, in eos qui talenta accepernt, in duos cæcos.* Itemque *Expoſitionem fidei ſanctorum 318. Patrum qui Nicæam convenerunt, ſeu Symboli Nicæni Expoſitionem & Neſtorii confutationem*, ex Scripturis & fide Niceæ expoſita, quam idem Franciſcus Combefis Græce & Latine edidit, notisque illuſtratam in vulgus emiſit, cum *Sancti Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani Oratione hiſtorica in Dormitionem & Translationem ſanctæ Mariæ Virginis Deiparæ*, Pariſiis in 8. 1675. apud Antonium Berſier via Jacobæa ſub ſigno Fortunæ. Idem Nicephorus (juxta Combefiſium) in *Antirreticis*, Theodotum illum Ancyranum non omnino laudatæ atque inculpatæ fidei agnoſcit: quem tamen Iconomachis nihil favere, tum ipſe tum qui [redacted]tes Iconodulorum in ſeptima Synodo agit Epiphanius Diaconus, agnoſcunt. Allatus fuerat a Patribus Synodi Conſtantinopolitanæ anni 754. valde inſignis locus *contra Imagines* Theodoti Ancyrani, quem Cyrilli Alexandrini temporibus vixiſſe & una cum ipſo Concilio Epheſino primo anni 431. interfuiſſe conſtat. Ita hunc locum refert Synodus 7. Iconodulica anni 787. Act. 6. *Sanctorum vultus non in imaginibus ex materialibus coloribus factis, formas [redacted] accepimus: ſed horum virtutes per ea quæ de illis in Scripturis indicantur, quaſi quasdam imagines imitari didicimus, & ex hoc ad ſimilem illis zelum erigimur.* Hactenus Theodotus, quæ vero ſequuntur, multo etiam diſertiora ſunt. *Num dicant hi, qui tales erigunt formas, quali putas ex his fruantur utilitate, vel in quam ſpiritalem contemplationem ducantur, per harum commemorationem? Sed manifeſtum eſt, quod vana ſit ejusmodi excogitatio, & diabolica argumentationis inventio.* περὶ διαβολικῆς μεθοδείας ἔυρημα. Sed hæc poſtrema fortaſſe ſunt Patrum Conſtantinopolitanorum, non autem ipſius Theodoti verba: quæ tamen ipſi Nicæni continenter legunt, ac pro unius ejusdemque authoris perpetua oratione habent. Inquit Dallæus lib. 2. *de Imaginibus* cap. 5. p. mihi 226. Conſtat ergo ex allatis verbis Theodotum Ancyranum Epiſcopum, Imaginibus parum æquum fuiſſe. Quonam anno mortuus ſit, nihil ſcriptum legimus: de quo poſt Gennadium loco citato, Honorius Auguſtodunenſis libello 2. *de Scriptoribus Eccleſiæ* cap. 55. quem verbotenus ex Gennadio ſumpſit. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ad annum 430. pag. 325.

BACHIARIVS MACCÆVS, natione Hi- 440.
bernus, ſancti Patricii ut volunt diſcipulus, Auguſtino coævus, de quo hæc Gennadius in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 24. *Bachiarius vir Chriſtianæ philoſophiæ, nudum & expeditum vacare Deo diſponens, etiam peregrinationem pro conſervanda vitæ integritate elegit. Edidiſſe dicitur multa Opuſcula, ſed ego ex illis unum tantum* de fide *librum legi, in quo ſatisfacit Pontifici Urbis adverſus querulos & infamatores peregrinationis ſuæ: & indicat ſe non timore hominum ſed Dei, eam peregrinationem ſuſcepiſſe: ut exiens de terra ſua & de cognatione ſua, cohæres fieret Abrahæ Patriarchæ.* Si conjecturis agere liceat, (inquit Miræus) ſubduxiſſe ſe ex Britannia ob variarum nationum incurſiones tunc afflictiſſima, Bachiarius videtur. Sub annum enim 441. Angli, Saxones, Juttæ, & Frizii Germaniæ populi, a Procopio, Beda, aliisque Scriptoribus vetuſtis commemorati, in Britanniam irruperunt. Tyro Proſper a Petro Pithæo, Henrico Caniſio atque demum ab Andrea Duchenio editus, ad annum XVIII. Theodoſii ſic ſcribit: *Britannias usque ad hoc tempus variis cladibus, eventibusque lacerata, in ditionem*

nem Saxonum redigunter. Nec forsitan multo ante ex Britannia sua venerant Scoti, quorum nomen æque ac *Pictorum* ævo Julii Cæsaris ignotum fuit. Claruisse ergo videtur Bachiarius circa annum 440. qui *Epistolam de recipiendis lapsis ad Januarium* scripsit, extantem inter *Orthodoxographos* pag. 485. & immissam in Bibliothecam Sanctorum Patrum primæ editionis Parisiensis 1575. & secundæ 1589. atque in alias sequentes. Inter Anecdota quæ ex Ambrosianæ Bibliothecæ Codicibus nunc primum eruit, & Notis & Disquisitionibus auxit Ludovicus Antonius Muratorius, Tomo 2. Mediolani anno 1698. in 4. apud Josephum Pandulfum Malatestam, agmen ducit *Fides Bachiarii* de qua Gennadius loquitur, quam ex Codice ut minimum ante mille annos conscripto, & e Monasterio Bobiensi in Ambrosianam bibliothecam translato, se deprompsisse Muratorius ait, qui & Latinum hoc duarum plagularum Opusculum notis cuique paginæ subjectis passim explicuit atque illustravit. Hujus & patriam & vitæ tempus & munerum dignitatem se ignorare haud diffitetur Editor, quamvis istam minime habeat pro Britannia, ut quidam velint, & hoc ad sæculi quarti finem vel sequentis initium fortasse referendum judi[illegible] Quod vero hanc concernit, Monachorum [illegible]tuta sequutum fuisse conjiciat, maximopere interim subdubitans, an ex eo quod Pontificem Romanum *Fratrem beatissimum* vocarit, Episcopali eum insula fuisse ornatum, colligere liceat. Hac *Apologia* consilium quo peregrinatione instituta, patriæ se suæ Bachiarius, ut doctior exinde sacræque religioni addictior evaderet, adversus obtrectatorum calumnias, coram Pontifice Romano defendens, & præclarissimam de fide confessionem suppeditans. Hæc *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno 1699. mense Julio pag. 305. De *Bachiario* mentionem faciunt, Joannes Balæus & Joannes Pitseus, in Opere quisque suo, *de Scriptoribus Britanniæ.* Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 77. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ,* ad annum 440. pag. 341.

DISSERTATIO SINGVLARIS
DE
DOCTRINA ET SCRIPTIS S. PROSPERI AQVITANI.

Multi multa de Prospero Aquitano, S. Augustini sententiarum acerrimo assertore locuti sunt, tam parum æqua, tam a veritate aliena, ut ea sibi contraria Dissertationem a nobis de illo specialem exegerint: aliis eum Laicum, aliis Episcopum Regiensem in Gallia, aliis denique eum Regii Lepidi in Italia Præsulem usque ad obitum, constituentibus. Ipsum etiam nonnulli cum Prospero quodam Africano ejusdem temporis scriptore confuderunt, vel cum altero Prospero cognomento Tyrone, sub cujus nomine *Chronicon* extat per annos Imperatorum deductum: de quibus omnibus sedulo a nobis distinguendis, hic breviter agimus.

CAPVT PRIMVM.
DE
VARIIS PROSPERIS EODEM SECVLO VEL TEMPORE VIVENTIBVS.

453. Vnus fuit S. Prosper Aurelianensis Episcopus, celebris sanctitate, uti testantur publicæ Ecclesiarum tabulæ, quibus præconium ejus annis singulis 5. Calendas Augusti in Ecclesia decantatur, quem successisse Aniano die 17. Novembris anni 453. mortuo, palam est ex Epistola Sydonii Apollinaris lib. 8. Epist. 15. de quo Gallia Christiana Fratrum Sammarthanorum tom. 2. in *Episcopis Aurelianensibus* fol. 235. Huic Gerardus Joannes Vossius lib. 1. *Historiæ Pelagianæ* cap. 20. ex conjecturis adscribit libros duos *de vocatione omnium Gentium*, qui jam ab annis bene multis habentur inter Opera Sanctorum Ambrosii Mediolanensis Episcopi & Prosperi Aquitani simul collecta, impressi. Cui Vossii conjecturæ subscribere non possum, qui vix dubitandum putat, quin Prosperi Aurelianensis Episcopi studio & operæ debeamus hos *de gratia* libros, seu *de vocatione omnium Gentium.* Quantam enim in eo dicendi scribendique copiam fuisse existimemus? qui stylum Apollinaris Sidonii emendicare coactus est, ut sancti Aniani Aurelianensis pariter Episcopi res gestas, mores, merita, virtutesque memoriæ commendaret: quod factum prodit Sidonius. Hanc procul dubio provinciam non detrectasset, suique Prædecessoris vitam, aliorumque Episcoporum exemplum secutus, ipse descripsisset: si in eo tanta fuisset facundia, quantam in libellis *de vocatione Gentium* mirantur eruditi. Quid? quod eam de qua agitur, controversiam vix crediderim ad ea usque loca penetrasse, in quibus Prosper ille morabatur.

Alter fuit Prosper in Gallia pariter incertæ 529. sedis Episcopus, qui Carpentoratensi Vasensique Conciliis subscripsit, quorum primum anno 517. alterum autem 529. habitum est. Cui nonnullis placet Opusculum *de vocatione Gentium* ex conjecturis tradere, quod nec refutatione indiget.

diget. Hunc enim annis 527. & 529. viventem & Conciliis ſubſcribentem, laudare non potuit, qui laudat hujus Opuſculi Scriptorem, Gelaſius Papa qui anno 496. hoc eſt triginta & amplius annis ante utramque illam Synodum, e vivis exceſſit. Addo librum ſcriptum eſſe circa initia motæ adverſus Auguſtinum controverſiæ, quæ totis centum annis hujus Proſperi ætatem præverterunt. Ex quo culpanda hoc loco Voſſii viri alias diligentiſſimi indiligentia, qui inter Proſperum Aurelianenſem de quo antea, & hunc poſteriorem non diſcernit: quem ejus errorem hic loci Guilielmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ*, in Proſpero ad annum 444. pag. 349. amplexus eſt.

434 Tertius fuit, Proſper quidam Africanus quem cum Henrico de Noris *Hiſtoriæ Pelagianæ* lib. 2. cap. 14. fol. 272. nonnulli faciunt authorem *libri de prædictionibus & promiſſionibus Dei*, qui in 3. partes diviſus eſt: quemque alii hucusque perperam inſeruerunt Operibus S. Proſperi Aquitani, cui etiam coævus fuiſſe legitur. Ego vero cum eruditis Criticis, non Proſpero Aquitano adſcribendum illum librum exiſtimo, ſed Proſpero iſti Africano. Hujus enim voluminis author parte 3. cap. 6. narrat Aſpare Carthagine conſtituto, nempe a. 434. cum a Tregetio contra Genſericum feliciter pugnatum eſt, puella à dæmone ibidem vexata, ſe præſente mirandum aliquid eveniſſe: *Accidit autem*, inquit, *ut quintus decimus Dominicus illuceſceret dies, aſcendente nobiscum ſacerdote, ut matutinum illic ſacrificium ſolito offerretur: puellam Præpoſitus ad Altare perduxit &c.* Igitur ille ſcriptor ad annum 434. Carthagine morabatur, cum tamen noſter Proſper Africanus, id temporis in Galliis contra Semipelagianos excubaret, uti poſtea dicemus ad annum 433. in ejus vita. Rurſus idem Scriptor parte 3. promiſſ. 38. juvenem ſe Carthagine fuiſſe ſub Aurelio Epiſcopo teſtatur: *Cum ſancta Paſcha ſolemnis ageretur feſtivitas, collecta illic & undique omni curioſitate etiam adveniens multitudo ſacerdotum multorum, Pater & digna memoria nominandus Antiſtes Aurelius, cæleſtis jam patriæ civis, cathedram illic loco Cæleſtis & habuit & fecit. Ipſe tunc aderam cum ſociis & amicis, atque ut ſe adoleſcentium ætas impatiens circumquaque vertebat &c.* Hoc templum Cæleſtis anno 399. conſecratum fuit, quando Honorius Imperator edicto *Templa idolorum cum ſuis adjacentibus ſpatiis Eccleſiis detulit*, ex Proſpero ibidem. Ex quibus patet hunc Proſperum fuiſſe civem Carthaginenſem, cum ante annum 400. & anno 434 Carthaginem ſe incoluiſſe dicat: quod etiam ex iis quæ in fine libri de quadam peculiari Carthaginenſium conſuetudine tradit, non obſcure colligitur. At noſter Proſper fuit Aquitanus, unde in Epiſtola ad Auguſtinum ait: *Ignotus quidem tibi facie, ſed jam aliquatenus ſi reminiſcaris, animo ac ſermone compertus.* Quod fieri non potuiſſet, ſi eo tempore Carthagine ſub Aurelio fuiſſet, cum Auguſtinus ob Synodos frequentiores Carthaginem ſæpiſſime frequentaret: unde & videre Proſperum & a Proſpero videri potuiſſet. Quare duos *Proſperos* coëtaneos fuiſſe puto, hunc Africanum, quem etiam forte fuiſſe Regii Lepidi in Inſubria Epiſcopum conjicit Henricus de Noris loco citato, eundemque vult fuiſſe Scriptorem Operis *de prædictionibus & promiſſionibus Dei*: alterum vero Aquitanum, de quo nos poſtea agemus, & cui tale Opus immerito adtribuitur. In eandem ſententiam, qua & Proſperum Africanum ab Aquitano diſtinguimus; & Africano, non Aquitano *Libros de prædictionibus & promiſſionibus divinis* adſcribimus: venit Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* à Bellarmino recenſitis tom. 2. verbo *Proſper* pag. 251. quem audiamus. „Joannes Olivarius Joannis Heſſels à Lovanio vel alterius Lovanienſis authoris præfationi ſuccenturiatus, de eo dubitare viſus eſt, tum quod Gennadius & Trithemius recenſentes quæ a Proſpero ſcripta ſunt, hujus operis non meminerunt: tum quod phraſeos ac ſtyli maxima ſit diſſimilitudo. Verum eos non advertiſſe reor à Caſſiodoro libro *de divinis Lectionibus* cap. 1. ut genuinum Proſperi partum agnoſci his verbis: *Sanctus quoque Proſper ſedula cura legendus eſt, qui tres libros totius authoritatis divinæ in centum quinquaginta tribus titulis comprehendit, ad inſtar piſcium quos Evangelica retia de hujus ſeculi tempeſtuoſa profunditate traxerunt.* Quæ ex peroratione Proſperiani Operis mutuatus eſt, ubi ſic: *Juvante Dei gratia hunc concluſi librum, tribus ejus primis partibus quadraginta capitula annotando, velut quadragenos dies, quibus in hujus vitæ turriculis Moyſes, Elias & Dominus Jeſus jejunia celebrarunt. Ter enim quadragies ducta, centum viginti faciunt. Accedunt alia viginti in dimidia parte finis mundi, & ſunt centum quadraginta. Tredecim quoque in gloria ſanctorum ſuperadduntur, & perficiunt centum quinquaginta tria: in quo numero ſacrati illi piſces reti veritatis incorrupto, poſt Reſurrectionem Domini juſſione capti, ſunt millia Sanctorum ſignificantes &c.* Quæ duo quiſquis inter ſe comparabit, ſanctiſſimo Proſpero opus tam inſigne, in quo omnia vaticinia & pollicitationes de Chriſto & Eccleſia in ſacris litteris expreſſas erudite expoſuit ac Catholicis traditionibus congruenter, quod nunquam ſi de mente Caſſiodori agatur, abjudicabit. Multa tamen ex ipſo Opere deprompta teſtimonia, ſuadent Caſſiodorum fuiſſe deceptum: qui opus hominis Afri & ab Africa in Italiam turbine perſecutionis Vandalicæ delati, atque ut ipſe loquitur parte 2. cap. 33. expulſi exiliatique: Proſpero Aquitanico tribuerit, qui nunquam ut arbitror, Africam vidit. Neque tamen quicquam detrahit, de libri illius authoritate in rebus fidei ſtabiliendis firmandisque: cum conſtet illius authorem Carthagine vixiſſe ſub Aurelio Epiſcopo & anno Chriſti 434. tum in Campania vixiſſe cum S. Leo I. Papa latentes Romæ Manichæos exagitavit.

Cenſent itaque jam Docti omnes opus *de prædictionibus & promiſſionibus divinis* ſpectare ad Proſperum Africanum, non Aquitanum.

455. Quartus Proſper cognomento Tyro, cujus mihi patria incomperta eſt. Hic quemadmodum Proſper Aquitanus ſcripſerat *Chronicon*, itemque *Appendicem* ad Chronicon divi Hieronymi ab anno 379. ad annum 455. per Conſules: ita & alteram divo Hieronymo ad imitationem Proſperi Aquitani, *Appendicem* adjecit, non quidem per Conſules, ſed per annos Imperatorum, qua ratione ab altero Proſpero diſtinguitur. Hoc Chronicon Proſperi Tyronis a viro clariſſimo Petro Pithæo primum anno 1588. publicatum, tum a Scaligero: deinde immiſſum in Bibliothecam ſanctorum Patrum tomo 5. Editionis Colonienſis anni 1618. tum anno 1636. ab Andrea Ducheſnio in volumen primum Hiſtoricorum Franciæ Coætaneorum, atque tandem a Philippo Labbeo, in tomum 1. *Novæ Bibliothecæ MSS. librorum*, impreſſæ Pariſiis anno 1659. ex officina Cramoſiana, correctum ad MS. Exemplar celeberrimi Cœnobii S. Victoris Pariſienſis. Quamvis autem impreſſum hucusque fuerit ſub nomine Proſperi Tyronis, quaſi hoc cognomine diſtingueretur author a Proſpero Aquitano, qui ſimile Opus tentaſſe legitur: attamen Labbeus in Diſſertatione hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* a Bellarmino recenſitis tomo 1. verbo *Proſper Aquitanus*, cenſet ſpectare illud ad Aquitanum hunc Proſperum ſequentibus verbis pag. 260. „Nos quoque *Pithœanum*, quod „& *Imperatorium* dici poteſt, quod per annos Auguſtorum neglectis Conſulibus progrediatur, „*Proſperi Tyronis Chronicon* a v. c. Petro Pithoeo „anno 1588. primum publicatum, & a Scaligero, „Ducheſnio, aliisque non omiſſum, ſubjecimus: „ne quid deſiderari poſſet, iterum ad celeberrimi „Cœnobii S. Victoris MS. Exemplar exactum, & „quibusdam in locis emendatum. Sunt qui „hoc ultimum Proſpero abjudicent, ego vero „quamvis fuiſſe exſcriptorum incuria aut interpolatorum audacia, in plerisque corruptum „non negem: non video cur idem Proſper Pi„thœanam Appendicem Hieronymianæ ſubmittere non potuerit, ac deinde proprium „Chronicon conſcribere ab initio mundi, usque „ad prædictam Romanæ captivitatis metam. „Sed de his præter Sirmondi in Hiſtoria Prædeſtinatiana atque Ægidii Bucherii in laudatis „Commentariis ſententiam cuivis obviam, alio„rum quoque virorum doctorum expectatur „judicium. Quibus ultimis verbis non ita pro„nuntiet, quin ambigere videatur, an ſpectet ad „Proſperum Aquitanum. At e contra Henri„cus de Noris ordinis Eremitarum Divi Auguſtini vir doctiſſimus atque Judicio ſolidiſſimus, „Lib. 2. *Hiſtoria Pelagiana* cap. 15. pag. 278. ob „enormes nævos temporum quibus hoc totum „Chronicon infartum eſt, & quorum capax eſſe „non potuit Proſper Aquitanus, Chronologus „alioquin in ſuis aliis Chronicis diligens: cenſet hoc Chronicon eſſe alterius Proſperi cognomento Tyronis, non Proſperi noſtri Aquitani. „Audire ipſum in paucis plurima complectentem enormia errata, juvat. Mirari ſoleo homines eruditos, Proſpero Tyroni adeo confidenter fidem præſtitiſſe: cum idem non Tyro, „ſed puer in Chronologia appareat, totus in Hiſtoria hoſpes, ac omnium quæ litteris prodidit „imperitiſſimus. Id paucis oſtendo ex iis qui „ſcribit Imperante Honorio contigiſſe. Anno „III. Honorii, nempe 397. Æræ Chriſtianæ, recitat Innocentii Pontificatum, cujus Electio „peracta eſt anno 402. Anno VI. Pelagianæ „hæreſeos meminit, qui in annum 400. Chriſti „incidit: ſed eandem primitus anno 411. innotuiſſe diximus lib. 1. cap. 4. Anno VIII. Celeſtinum Pontificatum iniiſſe teſtatur, ſcilicet „anno 402. cum anno 423. in Bonifacii locum „ſubrogatus fuerit. Anno X. Redagaiſum in „Italiam irrupiſſe ſcribit, cum anno VI. id acciderit, ut oſtendimus lib. 1. cap. 2. Anno XIV. „ponit mortem Stiliconis atque Neſtorii hæreſim, hoc eſt anno 408. cum tamen anno 428. „Neſtorius electus fuerit Antiſtes Conſtantinopolitanus, quo tantum anno ejusdem hæreſis incepit. Anno XXVI. narrat ſediſſe Romæ Sixtum, quo anno 429. erat Bonifacius, „Sixtus vero poſt Celeſtinum anno 432. Apoſtolicam Cathedram obtinuit. Anno XXIX. „affirmat deceſſiſſe Conſtantium Imperatorem „*Valentiniano octo annorum filio relicto*: qui tamen „obiit anno Honorii XXVII. *Valentiniano tertium ætatis annum vix ingreſſo.* Anno XXXI. dicit Placidiam ab Honorio Romam relegatam, „cum tamen Honorius imperaverit tantum annos XXIX. menſes VIII. Et Olympiodorus „apud Photium num. LXXX. Placidiam *Conſtantinopolim* ablegatam, & Philoſtorgius lib. 12. „*Byzantium* translatam dicant. Mallem Augiæ „ſtabulum purgare, quam Tyronis hujus errores ex indice recitare. Idem author & antea „loquens de hæreſi Prædeſtinatiana, ſic etiam „Tyronem deprimit: Primus qui hujus ſectæ „mentionem fecit, fuit Proſper Tyro, cujus „Chronicon legitur tom. 5. Bibliothecæ Patrum tom. 3. editionis Colonienſis A. 1618. „Hic enim ad annum Honorii XXIII. ait: *Prædeſtinatarum hæreſis, quæ ab Auguſtini libris male „intellectis accepiſſe dicitur initium, his temporibus „ſerpere exorſa eſt.* Cum vero Honorius a. 395. „die 17. Januarii mortuo Theodoſio Patre Imperium indeptus ſit, anno 417. Prædeſtinatianorum hæreſis ex Tyrone prorupit. Sigebertus ad annum 415. illam recitat, ejusdem „etiam mentionem faciunt Fauſtus in præfatione ad Leontium, ac Arnobius Junior in Expoſitione Pſalterii. Profecto anno 417. nondum „S. Doctor *de Prædeſtinatione Electorum* ſcribere „incœperat, ſed anno ſequenti in *Epiſtola ad Sixtum & in Libris contra Julianum* poſtea editis „fuſius famoſam illam ſententiam tradidit: „quam anno 407. in Epiſtola ad Paulinum 106. „pau-

„paucis indicaverat. Viderint ii,qui prædestinatianæ hæreseos Chronologiam ex Prospero „Tyrone laudant,quali scriptori fidem præstent. His autem omnibus tam ex Labbeo, quam ex Norisio Augustiniano allatis, validæ tres mihi suppetunt rationes, quibus persuadeamur Prosperum Aquitanum & Prosperum Tyronem fuisse duos authores, eodem circiter tempore viventes, nisi tamen nomen Prosperi Tironis sit authoris Chimerici ac suppositi, de quo postea. *Primo* enim impossibile est Prosperum Aquitanum virum diligentem atque discretum, composuisse hoc *Chronicon Imperatorium*, quod tot scatet mendis,ut supra annotatum est: unde illud spectat vel ad Prosperum Tyronem, qui ideo Tyronem se vocavit, quod in Historia etiam seculi quinti valde ignarus esset,ut ex dictis constat. Imo impossibile est ut Author seculi quinti tam turpiter circa res sui seculi erraverit: unde ex tot mendis, nonnulli cum judicio & conjecturis recte opinantur, hujus Opusculi Chronologici authorem fuisse anonymum quendam seculi posterioris & incerti: qui ut Chronico suo authoritatem conciliaret, vel opusculum istud vero Prospero Aquitano successu temporum ac tituli inscriptione adveniret: nomen illi Prosperi Tyronis falso imposuerit, ex eo quod verum Prosperum Aquitanum imitatus fuerat hanc farraginem concinnando,& continuando ab anno 379. quo divus Hieronymus Eusebium exceperat,& verus Prosper Hieronymum continuaverat. *Secundo* Author hujus Chronici Semipelagianus fuisse conjicitur, ex dictis supra ab Henrico Norisio, quippe qui meminit hæreseos Prædestinatianæ uti recenter exortæ: quam calumniam Semipelagiani omnes imponebant veris divi Augustini, quoad prædestinationem Dei gratuitam atque prævisis meritis anteriorem, Discipulis & defensoribus. Atque hujus fictæ hæreseos soli Semipelagiani assertores sunt, Faustus Regiensis in præfatione ad Leontium *de gratia & libero arbitrio*, Arnobius Junior in *expositione Psalterii*, Gennadius Massilienſis,& alii. Cum ergo longe ab his distaret Prosper Aquitanus, imo horum hominum hostem se apertum fateretur: nullatenus potest esse unus atque idem cum Prospero Tyrone,vel anonymo Scriptori hujus Imperatoriæ Appendicis ad divi Hieronymi Chronicon. *Tertio*. Militat contra Phil. Labbeum ratio quam ipse affert, ut probet Prosperum Aquitanum esse Scriptorem hujus Chronici quod *Imperatorium* vocat. *Non video*, inquit, *cur idem Prosper Pithœanam Appendicem Hieronymiana submittere non potuerit, ac deinde proprium Chronicon conscribere ab initio mundi, atque ad prædictam Romanæ captivitatis metam.* Si enim hoc ideo concedit Prospero Aquitano, nempe *Appendicem* ad Chronicon divi Hieronymi, & *Chronicon* postea proprium ab initio mundi, usque ad annum 455. quod utrumque potuerit a Prospero fieri. Debet hinc concludere,cum vere & indubie jam *Appendicem* ad Chronicon divi Hieronymi,Prosper Aquitanus per Consules digessisset: (quæ ad dictum annum 455. extenditur & quam Prospero nullus negat) re jam facta, ipsam iterum non repetiisse, eandem Appendicem,per annos duntaxat Imperatorum concinnando: maxime cum his temporibus Chronica nonnisi per Consules deducerentur, usque ad Cassiodorum Abbatem. Vnde & Labbeus etiam subdubitare visus est, an Chronicon istud Imperatorium, ad Prosperum Aquitanum spectaret,quod ex verbis ejus allegatis constat.

Quintus denique Prosper,homo Aquitanicæ regionis,Sancti Augustini quem fortasse ne facie quidem unquam novit, discipulus ut nonnulli volunt: sed certo doctrinæ ejus solertissimus & nervosissimus defensor contra Semipelagianos in Galliis, Laicus fuisse creditur atque conjugio implicatus. Venerabilis Beda in fine libelli *de re metrica*, Prospero quem Tyronem vocat,tribuit versus vulgatos inter ejus Opera ad uxorem suam qui sic incipiunt:

Age jam precor mearum
Comes irremota rerum
Trepidam brevemque vitam
Domino Deo dicemus &c.

Dicitur quoque S. Leonis Papæ I. fuisse Notarius, eique adfuisse ab Epistolis scribendis, ea præsertim celeberrima ad Flavianum Episcopum Constantinopolitanum de fide Incarnationis Epistola,qua Nestorii & Eutychetis hæreses profligatæ sunt. Nec unquam aut apud Reios Apollinares in Provincia II. Narbonensi,aut Regii-lepidi in Æmilia,aut Aureliani in IV. Lugdunensi ad Ligerim, Episcopali munere functus est. De quibus omnibus Capitibus figillatim ac fuse agere, ratio præsentis Dissertationis exposcit.

CAPVT SECVNDVM.

PROSPER AQVITANVS DOCTRINAM DIVI AVGVSTINI IN GALLIIS TVETVR, SCRIBITQVE AD AVGVSTINVM ET RVFINVM.

SEmipelagiani in Galliis anno 429. Cassiano ac Monachis Lerinensibus ducibus sententiam S. Augustini de gratuita Prædestinatione tum ad fidem, tum ad gloriam acerrime insequebantur. Cuncti passim in illorum sententiam pedibus ibant, atque ubique Augustinus uti novorum dogmatum assertor traducebatur: Nam ut scribit Prosper, *libros Augustini contra Pelagianos editos non in omnibus recipiebant, sed contrarium putabant Patrum opinioni & Ecclesiastico sensui, quidquid in eis de vocatione Electorum secundum Dei propositum disputaverat.* Delato autem in Gallias aureo S. Doctoris libro *de correptione & gratia*, quo Semipelagianos Africanos Adrumeti exorientes suffocaverat, novis veluti pla- 429

plagis percuſſi hoſtes, averſiores ab Auguſtino longe evaſerunt. Eorum ſententiam ita deſcribunt Proſper & Hilarius in litteris ad Auguſtinum. *Prædeſtinationem ante prævisa merita ex mero Dei beneplacito, & lapſis cunam reſurgendi adimere, & ſanctis occaſionem teporis afferre, & quod utrique parte ſuperſtuus ſit labor: Si neque rejectus, in gloriam ulla induſtria poſſit intrare; neque electus, ulla negligentia poſſit inde excidere. Removeri omnem induſtriam, tollique virtutes, ſi eo pacto divina conſtitutio humanas præveniat voluntates, ac ſub prædeſtinationis nomine fatalem neceſſitatem induci. Poſſe homines propriis viribus, quærendo, pulſando, petendo, divinam opem promereri: paratam omnibus æqualiter ſalutem, quantum ad Deum pertinet; at ab ipſis apprehendi, qui Deo ſponte crediderint, & auxilium gratiæ merito credulitatis acceperint.* Et Hilarius Proſperi ſocius in Epiſtola ad Auguſtinum: *Deinde moleſte ferunt ita dividi ab Auguſtino donum perſeverantiæ, quæ tum primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur: ut ille acceperit perſeverantiam, non qua fieret ut perſeveraret, ſed ſine qua per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc vero ſanctis ad Regnum prædeſtinatis, non ſolum dari illud adjutorium, ſine quo perſeverantes eſſe non poſſint, ſed tale ut nonniſi perſeverantes ſint.* Hæc illis ſententia ſtabat. Sed non deerant in Galliis, qui Auguſtini, imo divinæ gratiæ partes adverſus Semipelagianos defendendas ſuſciperent. Horum Princeps fuit Proſper Aquitanus, qui in Europa Africani noſtri Doctoris veluti vices ſuſtinens, unum ſe univerſis hoſtibus oppoſuit, ac luculentiſſimis ſcriptis eorum furorem non ſemel compeſcuit: cui ſocium ſe dederat Hilarius, quem perperam Henricus de Noris lib. 2. *Hiſtoriæ Pelagianæ* cap. 5. fol. 189. Auguſtini quondam in Africa fuiſſe diſcipulum ſcribit, ac vulgo Arelatenſem dictum: neque enim unquam ad Arelatenſem ſedem evectus eſt, nec unquam in Africam penetraſſe creditur. Hæc pauca contra Noriſium.

Quantos vero Auguſtinus in Galliis ſectatores habuerit, non una videtur Proſperi ſententia. Etenim in Epiſtola ad Auguſtinum, paucos ſane ibi fuiſſe teſtatur his verbis: *Nec facile quisquam præter paucos perfecta gratiæ intrepidos amatores, tantis ſuperiorum Diſputationibus auſus contraire.* Alibi vero in Epiſtola ad Rufinum, Sectatores Auguſtini plurimos ſuiſſe ſcribit: *In his ipſis locis, in quibus adverſus eum*, nempe Auguſtinum, *querimonia concitatur: eſſe propitio Deo plurimos, qui ad perceptionem Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ, ſaluberrimis ejus Diſputationibus imbuuntur, & quotidie in membris corporis Chriſti, in quantum ea ipſe multiplicat, dilatantur.* Plurimi igitur teſte Proſpero, S. Doctoris ſententiam ſequebantur, qui tamen cum iis qui eandem rejiciebant comparati, pauci cenſebantur: adeo Caſſiani ſectatorum opinio prævalebat. Sane S. Proſper, Adverſariorum D. Auguſtini authoritate atque vulgari de iisdem opinione, pene ſe obrutum fatetur in Epiſtola ad Auguſtinum, ubi ita loquitur: *Poſſumus quidem ad credendum eſſe conſtantes, ſed ad authoritatem talia ſentientium non ſumus pares, quia multum nos & vitæ meritis antecellunt, & aliqui eorum adepto nuper ſummo ſacerdotii honore ſupereminent.* Quibus plane deſignat S. Hilarium Lerinenſem Monachum, nuper electum Epiſcopum Arelatenſem. Vnde & in eadem Epiſtola: *Speramus non ſolum tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam, ſed etiam ipſos, quos meritis atque honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, defecatiſſimum lumen gratiæ recepturos: Nam unum eorum præcipuæ authoritatis & ſpiritalium ſtudiorum virum, ſanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat Beatitudo tua admiratorem ſectatoremque in aliis omnibus tuæ eſſe doctrinæ: & de hoc quod in querelam trahit, jam pridem apud ſanctitatem tuam, ſenſum ſuum per litteras velle conferre: ſed quia utrum ſit facturus, aut quo fine ſit facturus, incertum eſt &c.* Quibus nunquam clarius a Proſpero poterat Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, inter Semipelagianos connumerari. Proſper itaque & Hilarius inito conſilio, Auguſtinum de iis quæ contra ipſum adverſarii in Galliis moliebantur, certiorem per litteras reddebant: idque ſine mora executi ſunt, quorum Epiſtolæ tom. 7. Operum Divi Auguſtini leguntur, præfixæ ambæ libro *de prædeſtinatione Sanctorum*, ejusdem S. Doctoris. Hasce litteras Baronius ſcribit datas anno 426. ad quem Voſſius etiam acceſſit lib. 6. *Hiſtoriæ Pelagianæ* theſi XIV. & nuper Aloyſius Torellus *in ſeculis Auguſtinianis* ad eundem annum num. 39. Sed cum in litteris Proſperi dicatur Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, qui anno 429. ineunte in illius urbis Cathedra ſedere cœpit, addatque idem Proſper Adverſariorum nonnullos *nuper* Epiſcopatum adeptos: aperte eo ipſo an. 429. datas non ambigimus. Verum aliunde etiam ſententia illa rejicitur, nam anno 426. S. Doctor libros Retractationum inchoavit, quos anno tantum ſequenti 427. compleviſſe conſentiente Baronio certum eſt. Inde poſtea quatuor libros *Operis imperfecti contra Julianum* ſcripſit, ac reliquorum Operum Retractationem: quam dum proſequitur litteras haſce ex Gallia accipit, quæ conſequenter ante annum 429 ſcribi non potuerunt.

Auguſtinus his acceptis, quæ per Galliam adverſus ſuos libros publicabantur, interniſſis cæteris, luculentiſſimam reſponſionem adornavit, duobus libris diſtinctam, quos Hilario ac Proſpero inſcripſit. Horum in primo quem *de Prædeſtinatione Sanctorum* nuncupavit, docet Semipelagianos caligare in quæſtione de Prædeſtinatione Sanctorum, nec recedere eos a Pelagii ſententia, ſi humani arbitrii viribus initia fidei adſcribant: incrementum certe ejusdem Deo dare, ſuperbiæ eſſe: quaſi vellent priores ſibi partes tribuere, poſteriores Deo. Nihil novi ſe obtrudere, ſed quæ Cyprianus atque Ambroſius ante docuerant, nempe fidem eſſe

„esse à Deo, quod se quoque olim negasse fate„tur; Prædestinationem ponere quidem, non „autem supponere nostra merita. Deum adeo „esse justum in aliquibus tantum prædestinan„dis, ut etiamsi omnes ob originalis culpæ rea„tum à gloria exclusisset, nullo posset jure cul„pari. Neminem vel præmio affici à Deo vel „supplicio, ob ea quæ si diu vixisset, bona vel ma„la patrasset. Prædestinationem sine meritis, „non solum aperte ex Apostoli Epistolis deduci, „verum etiam ex Christo Domino præclarissi„mo gratuitæ prædestinationis exemplari. In „posteriori autem volumine, quod *de dono per„severantiæ* dictum est, tradit perseverantiam in „bono esse donum Dei: gratiam aliquibus à „Deo dari, quia misericors est, aliis negari, quia „justus est. Cur unus salvetur altero pereun„te, secretis Dei judiciis reservari, id tamen evi„denter in parvulis apparere. Sententiam *de „prædestinatione sine meritis*, non evacuare corre„ptiones, non torporem, non desperationem in„cutere, nihil novi procudere: sed quæ dudum „adversus Pelagianos in Epistolis ad Sixtum ac „Paulinum Nolanum, & longe antea in Quæ„stionibus etiam ad Simplicianum Episcopum „Mediolanensem tradiderat. Prædestinatio„nem congrua ratione esse populis prædican„dam. Perseverantiam usque in finem, solis „prædestinatis dari, quorum nullus perit, eo„rum numero apud Deum stabilito. Hæc qui„dem ille. Cæterum hisce duobus libris diu à Gallicanis Doctoribus contradictum est, donec tandem ab Hormisda Romano Pontifice laudati, pari cum reliquis authoritate ac reverentia accepti sunt.

Dum hæc in Africa scribuntur, Prosper a Rufino viro amicissimo litteras accepit, quibus quid contra ipsum atque Augustinum passim spargebatur, significabat. Prosper e vestigio eruditissimam Epistolam reposuit, qua impactis respondet calumniis, quarum illud erat compendium: *Augustinum liberum arbitrium penitus submovere, & sub gratiæ nomine necessitatem prædicare fatalem: adjicientes etiam duas illum humani generis massas, & duas credi velle naturas, ut scilicet tanta pietatis viro, Paganorum & Manichæorum adscribatur impietas.* Hunc Rufinum Gabriel Vasquez 1. parte Disput. 91. cap. 5. num. 74. errore nimium supino, accepit pro Rufino illo Aquilejensi Presbytero, amicitia primum & odio postea in Hieronymum satis celebri, qui jam ante viginti annos in Sicilia occubuerat. Cæterum ea in Epistola Prosper totus in præconia sui Augustini effusus, ejusdem calumniatores sic perstringit: *Magna enim gloria sua humano generi consuluerint, si Augustinum ab errore revocaverint: nisi forte modesti homines novique censores, magnorum prius meritorum seni honorabiliter & misericorditer parcunt, & securi quia libros ejus nemo usquam recipiat, conquiescunt. Atque ignoverint, imo noverint non solum Romanam Africanamque Ecclesiam, & per omnes mundi partes universos promissionis filios, cum doctrina hujus viri sicut in tota fide, ita in gratiæ confessione, congruere.* Ex quibus liquet verbis, laudatam Epistolam, scriptam esse vivente Augustino. Ibidem vero reprobans Adversariorum sententiam *de initio fidei ex viribus naturæ*, illaque Apostoli verba, *Deus vult omnes homines salvos fieri* congrua interpretatione explicans, hunc Epistolæ colophonem imponit: *Tu autem dilectissime & venerandissime mihi frater, si vere de his quæstionibus instrui desideras, sicut desiderare te convenit: ipsis Beati Augustini Disputationibus cognoscendis impende curam, ut in confitenda Dei gratia defæcatissimam ac saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequaris.*

CAPVT TERTIVM.

PROSPER PRO AVGVSTINI DEFENSIONE ROMAM PERGIT AD CELESTINVM, A QVO INSIGNE RESCRIPTVM IMPETRAT. SCRIBIT CONTRA COLLATIONES CASSIANI. HORTATVR SIXTVM CONTRA AVGVSTINI OBTRECTATORES. SCRIBIT CONTRA CAPITVLA GALLORVM. RESPONDET OBIECTIONIBVS GENVENSIBVS, AC VINCENTII LIRINENSIS MONACHI SEMIPELAGIANA LABE INFECTI.

SEmipelagianorum factio non obstantibus Prosperi Aquitani & Hilarii ejus socii curis, in dies augebatur in Galliis. Horum petulantiam duo libri ab Augustino paulo ante obitum, anno nempe 429. ad Prosperum & Hilarium transmissi, non modo non repressérant, sed insolentiores quoque in sanctum Doctorem eos reddiderant. Nam passim Augustinum traducere illis familiare erat, quasi nimio disputandi fervore *Contra Pelagium* abreptus, in periculosos excessus exorbitasset. Quare Prosper & Hilarius, qui Augustini libros adversus calumniantium insultationes defendendos susceperant, non magis de ejusdem quam de totius Ecclesiæ authoritate solliciti, cum per se validissimo tot hostium impetui obviam ire posse diffiderent: Romam anno 432. ad Celestinum Pa- 432
pam profecti, novorum S. Augustini hostium conatus, insidias, ac consilia eidem exposuerunt. Celestinus de sancti Augustini, sibi quondam amicissimi Antistitis honore anxius, gravi rescripto hominum audaciam compressit, datis ad Galliæ Episcopos litteris, in quibus eosdem acrius increpavit, quod tantum licentiæ nescio quibus Presbyteris darent, inquiens: *Timeo ne connivere sit, hoc tacere; timeo ne magis ipsi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus causis non caret suspicione taciturnitas, quia occurreret veritas, si falsitas displiceret. Merito namque causa nos respicit, si cum silentio faveamus errori. Ergo corripiantur ejusmodi, non sit his liberum habere pro voluntate sermonem, desinat Ecclesiarum quietem*

inquietudo turbare. Poſtea Semipelagianorum adverſus Proſperum & Hilarium conatus fugillans, totus in Auguſtini laudes effunditur, dicens: *Nec tamen mirari poſſumus, ſi hæc erga viventes hi nunc tentare audent, qui nituntur etiam quieſcentium fratrum memoriam diſſipare. Auguſtinum ſanctæ recordationis virum pro vita ſua atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit: quem tantæ ſcientiæ olim fuiſſe meminimus, ut inter Magiſtros optimos etiam a meis deceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori, unde reſiſtendum talibus, quos male creſcere vidimus.*

Maſſilienſes tamen in Gallia Celeſtini litteris haudquaquam repreſſi ſunt, ſed commendatam in illis dicebant priorum ſancti Auguſtini voluminum doctrinam: non vero approbata ea, quæ ad Adrumetinos & paulo poſt, ad Proſperum & Hilarium ſcripſerat. Collationes etiam Caſſiani paſſim per totam Galliam, non modo legebantur, ſed acriter etiam defendebantur. Quare Proſper Semipelagianorum audaciæ obviam eundum ratus, emiſit volumen quod *contra Collatorem* inſcripſit: in quo ea quæ Caſſianus in decima tertia Collatione ad Lerinenſes perperam de divina gratia docuerat, vellicat ac confutat. In præfatione quidem Semipelagianos Lerinenſes & Maſſilienſes Caſſiani Monachos deſcribens, his illorum ſpecioſam hypocriſim depingit: *Quorum intus interſtrepens domeſtica malignitas non minus ſpernenda eſſet, quam foris latrans hæretica loquacitas: niſi ejectu extra ovile dominicum lupis ſub nomine ovium ſuffragarentur, eſſentque ejuſmodi, ut ordo eorum in Eccleſia, nec ingenia ſpernenda eſſe videantur. Siquidem habentes ſpeciem pietatis in ſtudio, cujus virtutem diffitentur in ſenſu, trahunt ad ſe multos ineruditos.* Tum poſtea. *Non ergo negligendum eſt hoc malum, quod ab occultis pravisque ſeminibus augetur quotidie, & ab ortu ſuo latius longiusque diſtenditur: ſed ſtudendum eſt, quantum Dominus adjuvat, ut FALLACIVM CALVMNIATORVM HYPOCRISIS detegatur.* Ille autem ſtatim ſe pro S. Auguſtino in arenam deſcendere profitetur, inquiens: *Gratiam Dei qua Chriſtiani ſumus, quidam dicere audent a ſanctæ memoriæ Auguſtino Epiſcopo non recte eſſe defenſam, librosque ejus contra errorem Pelagianum conditos, immoderatis calumniis impetere non quieſcunt.* Teſtatur autem Proſper ſe unum Caſſianum arguere, eo quod illis omnibus in Sanctarum Scripturarum ſtudio præſtaret, & diſputandi uſu excelleret inter eos, quibuscum degebat. Porro duodecim Caſſiani Aſſertiones eo in opere examinat, quarum indicem verſus finem ſubnectit: atque ut ab Auguſtini encomiis hujus libri initium fecit, ita & delatis Auguſtino laudibus eundem concluſit: argute adverſarios irridens, qui Celeſtini Papæ approbationem, prioribus tantum Auguſtini libris applicandam eſſe contenderent. Vt vero Sixti Pontificis animum ad favorem Auguſtinianæ doctrinæ inclinaret, hæc ſcribit: *Confidimus Domini protectione præſtandum, ut quod operatus eſt in Innocentio, Zozimo, Bonifacio, Celeſtino, operetur & in Xyſto: & in cuſtodia Dominici gregis hæc ſit pars gloriæ huic reſervata paſtori, ut ſicut illi lupos abegere manifeſtos, ita hic depellat occultos: illo auribus ſuis Doctiſſimi ſenis inſonante ſermone, quo collaborantem ſecum hortatus eſt.* Laudatque Auguſtini verba Epiſtola 104. ad eundem Sixtum, tum breviſſima denique peroratione concludens, ait: *Sufficienter ut arbitror demonſtratum eſt, reprehenſores S. Auguſtini & vanæ objicere, & recta impugnare, & prava defendere, peremptorumque armis inteſtinum bellum moventes, divinis atque humanis conſtitutionibus rebellare &c.*

Hæc autem ſcripſiſſe Proſperum circa annum 433. colligitur ex iis, quæ de Auguſtino tradit, in præfatione: *Viginti amplius annis, contra inimicos gratiæ Chriſti catholica acies hujus viri ductu pugnat & vincit.* Cum autem Auguſtinus anno 412. vel circiter, ut certum eſt, Pelagianos impugnare cœperit: palam fit Proſperum contra Collatorem ſcripſiſſe ad annum 433. nonnulli autem arbitrantur Caſſianum hoc tempore non fuiſſe ſuperſtitem, quaſi Proſper mortuo inſultare voluiſſet, quo vivente timoris gratia calamo adverſus eum pepercisſet. Video illos cum Voſſio lib. 1. *Hiſtoriæ Pelagianæ* cap. 7. Gennadium authorem dare, qui in libro *de Scriptoribus illuſtribus* cap. 61. de Caſſiano inquit: *Rogatus a Leone urbis Romæ Epiſcopo, ſcripſit adverſus Neſtorium de Incarnatione Domini libros ſeptem, & in his ſcribendi apud Maſſiliam & vivendi finem fecit.* Hoſce vero libros ſcriptos anno 430. patet, quia nondum damnato Neſtorio editi ſunt: hoc eſt, ante annum 431. Certe Caſſianus lib. 1. *De Incarnatione* cap. 3. meminit litterarum Neſtorii pro Epiſcopis Pelagianis ad Celeſtium, hæc ſcribens: *Interceſſionibus ſuis Pelagianiſtarum querelas fovet, & ſcriptis ſuis cauſas illorum adſerit:* quibus Neſtorii litteris Celeſtinus Reſponſum dedit anno 430. 3. Idus Auguſti. Sed ſcripſiſſe Proſperum vivo adhuc Caſſiano, habemus ex ipſomet Proſpero, qui de eodem ita loquitur: *Vnius potiſſimum definitionem, quem non dubium eſt illis omnibus in ſanctarum Scripturarum ſtudio præſtare, referemus.* Item. *Vir quidam ſacerdotalis ordinis, qui diſputandi uſu, inter eos quibuscum degit, excellit, Abbatem quendam introducit &c.* Quod vero Proſper diu diſtulerit, ſcriptis Caſſianum confutare, hoc ipſius modeſtiæ, & erga hominem tota Gallia celeberrimum reverentiæ dandum eſt. Nam vivo adhuc Auguſtino, illum impugnaſſe Caſſiani Collationes, ex Epiſtola ad Rufinum ad annum 429. recte probat Henricus de Noris lib. 2. *Hiſtoria Pelagiana* cap. 5. fol. 191. Imo in Chronico ad hunc ipſum annum Theodoſio XIV. Conſule, Caſſiani ut adhuc ſuperſtitis mentionem ſatis honorificam facit; quo iterum

433

rum argumento ſententia Voſſii confutatur, ſi tamen iſta verba Proſperi manu ſcripta ſunt: de quo Viri eruditi dubitant, cum in multis MSS. Codicibus non legantur.

Nonnulli ferme eo tempore, quindecim breviores ſententias & has prorſus abſurdas evulgarunt, veluti ab Auguſtino aſſertas: ut tali commento & deteſtationem ejus quem impeterent, obtinerent: & ab his quæ infamaſſent, curam exterriti Lectoris averterent. At idem Proſper qui mortuo Auguſtino totius belli onus ſubierat, edito libello, quem *Ad Capitula Gallorum Reſponſiones* inſcripſit, calumniarum nebulas procul ab Auguſtino removit. Hoc autem Opuſculum poſt librum *Contra Collatorem* editum exiſtimo, quod initio illius *contra Caſſianum* ſe ſcribere proteſtatur, omittens interim *qua vulgus*, inquit, *ignobile & procax ineptorum loquacitas intempenniter effundit.* Itaque Proſper veluti Auguſtini interpres & defenſor, in ore famæ verſabatur: unde Camillus & Theodorus, Genuenſes Presbyteri, cum quibusdam difficultatibus ex libro ſancti Auguſtini *De prædeſtinatione Sanctorum* premerentur; per litteras Proſperum convenientes dubiorum ſolutionem rogarunt. Quibus e veſtigio Aquitanus noſter ſatisfecit miſſo volumine inſcripto: *Ad Excerpta Genuenſium Reſponſiones.* Denique cum Vincentius Monachus Lerinenſis, doctrinam Semipelagianam ibi didiciſſet, ut aperte probat Henricus de Noris lib. 2. *Hiſtoria Pelagiana* cap. 11. pag. 245. ad annum 434. & Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus* ſeculo 5. tom. X. & alii. Idem Vincentius *Contra Proſperum* aliosque, abſurdiſſima quædam aſſerta publicavit, quaſi ab Auguſtinianis illa eadem aſſererentur. Haſce calumnias idem Aquitanus ſolo rejecit edito libello, cui titulus: *Reſponſiones ad Capitula objectionum Vincentianarum.* Cujus in præfatione hæc contra Vincentium ſunt: *Quidam Chriſtianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum exiſtimationem noſtrum quoquo modo ſtudent ledere, ut ſuam ſe evertere, nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim & qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt, ineptiſſimarum quarundam Blaſphemiarum prodigioſa mendacia, eaque oſtendenda & ingerenda multis publice privatimque circumferunt.* Addit etiam ibidem ſe fidem contra Pelagianos *ex Apoſtolicæ ſedis authoritate* defendere: unde a Celeſtino Romæ eidem injunctum videtur, ut in Galliis contra novos Maſſilienſium conatus excubaret: quod ei ſummæ gloriæ vertitur, quippe qui Laicus probatæ adeo fidei atque doctrinæ eſſet, ut tanti negotii pondus illius humeris ab Apoſtolica ſede imponeretur. Baronius in *Martyrologio* ad diem 24. Maji Vincentium alterum Gallicarum Presbyterum authorem objectionum quas laudatus Proſper refutavit, affirmat teſtatus, *Eodem ſeculo alterum Vincentium claruiſſe in Gallia de quo idem Gennadius ſcribit eodem lib. cap. 80. cui potius Opus illud tribuendum putarem.* Sed non video quo jure in Vincentium Presbyterum id devolvi poſſit, de quo nulla ſuſcipio, nec umbra Semipelagianiſmi nobis conſtat, cujus interpretationes in pſalmos perierunt: cum e contra de Vincentio vulgo Lerinenſi tanta non dicam præſumptio ſit, ſed evidentia, ut fuſius loco citato probatum legitur. Præterea Vincentius de quo cap. 80. ſcribit Gennadius, recentior eſt, excitatis Semipelagianorum contentionibus. Convixit enim eidem Gennadio, quem ſe etiam audiviſſe teſtatur: floruit autem Gennadius ſexaginta & amplius annis, poſt Gallicanos illos de gratia tumultus, vivente Proſpero circa annum 426. excitatos. Tradit ibi Gennadius ſe præſente, Vincentium hunc Presbyterum legiſſe Expoſitiones memoratas *ſancto homini Dei Cassiano*, qui ſucceſſit Græco Maſſilienſi Epiſcopo anno circiter 480. ex tabulis Sammarthanis tom. 3. *Gallia Chriſtiana* pag. 644. in Maſſilienſibus Epiſcopis. Unde iſtæ objectiones a Proſpero rejectæ, iſti Vincentio minime attribui poſſe videntur.

CAPUT QUARTUM.

DE SCRIPTIS SEU OPERIBUS IMPRESSIS S. PROSPERI AQUITANI.

TRes Operum Sancti Proſperi Aquitani editiones præcipuæ celebrantur. Prima Lugdunenſis in folio anni 1539. apud Sebaſtianum Gryphium, altera Lovanienſis in 4. ex typographia Joannis Bogardi anno 1566. opera Joannis Sotealli Montiguienſis, Lovanienſis Theologi. Tertia vero non quidem locupletior ſed fortaſſe in quibusdam emendatior, Duacena a. 1577. ex qua prognata eſt. Quarta Colonienſis anni 1669. mendis inquinatiſſima, ſtudio Joannis Olivarii, dedicata Joanni Saraceno Priori S. Vedalti Atrebatenſis Ord. Divi Benedicti: quarum hic habetur ordo.

Opus de promiſſionibus & prædictionibus divinis, in tres partes diſtributum, de quo abunde diximus Cap. 1. hujus Diſſert.

De Vita Contemplativa libri tres, quos Juliano Pomerio jampridem vindicavit diligens Jacobi Sirmondi in diſcernendis & inſcribendis Veterum ſcriptis perſpicacitas & ingenioſa ſagacitas. De quo vide Notas ejus ad tomum II. Conciliorum Galliæ, & Labbeum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tom. 1. verbo *Julianus Pomerius*, quam rem poſtea diſcutiemus.

Epiſtola ad Rufinum de gratia & libero arbitrio.

Reſponſiones ad Capitula objectionum Gallorum, doctrinam S. Auguſtini calumniantium.

Reſponſiones ad Capitula ſexdecim objectionum Vincentianarum. Quis vero fuerit Vincentius ille, penitus ignoratur. Ariſtarchi quidam he-

„terodoxi quos refellemus poſtea, hoc crimine „volunt infamare Vincentium Presbyterum „Lerinenſem, ut ejus aureum *Commonitorium* „quo non ſecus ac Tertulliani libro *de præſcri-* „*ptionibus adverſus Hæreticos*, omnes Sectæ hære- „ſesque perduellium a Simone Mago ad Luthe- „rum, Calvinum, eorumque ſequaces obtentum „tur: vel aliqua levis infamia afflare poſſit. Hæc Labbeus. Sed perperam, cui parcendum, quippe qui quæſtionem hanc non excuſſerat diligentius, nec Henrici de Noris *Pelagianam hiſtoriam* legerat: ubi recte contrarium probat lib. 2. cap. 11. ad annum 434. fol. 245. & ſequentibus.

Reſponſiones ad excerpta quæ de Genuenſi civitate miſſa ſunt, ad Camillum & Theodorum Presbyteros: ſeu, Dubiorum novem ex libris De prædeſtinatione ſanctorum & De dono perſeverantiæ objectorum, ſolutiones.

Contra Collatorem liber, ſive *De gratia Dei & libero arbitrio*, pro defenſione D. Aurelii Auguſtini Hypponenſis Epiſcopi, contra Caſſiani Presbyteri Maſſilienſis Librum ſ. Collationem XIII. quæ *De protectione Dei* prænotatur.

Sententiarum ex Operibus Divi Auguſtini excerptarum liber, ſententias 388. comprehendens, tum ex iis libris qui ſuperſunt, tum ex aliis qui injuria temporum aut poſterorum indiligentia perierunt.

Epigrammatum 98. numero liber, ex ſententiis ejuſdem ſancti Auguſtini.

Carmen Anacreonticum cum Elegiaco ad uxorem ſuam. quod citat Beda libro *De Arte Metrica* 1. his verbis: *Quo uſus eſt Proſper Tyro in principio exhortationis ad Conjugem &c.* Admixtum nuper operibus S. Paulini, ultimæ editionis Pariſienſis anni 1686.

De providentia divina carmen heroicum, quod Semipelagiani hominis eſt, de quo dicemus in Diſſertatione *de Scriptis S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi*, ad quem ſpectare Voſſius, aliique Critici cenſent.

Epigrammata duo in obtrectatorem Auguſtini Epiſcopi.

Epitaphium Neſtorianæ & Pelagianæ hæreſeon.

Poëma heroicum de ingratis adverſus Pelagianos, περὶ ἀχαρίστων.

Commentarius in pſalmum centeſimum & ſequentes, usque ad 150.

De vocatione omnium Gentium libri duo, de quibus nos poſtea latius dicemus.

Epiſtola ad Demetriadem virginem, poſt ſcriptam ad eandem a Pelagio Epiſtolam quæ extat, & hæreſim Pelagianam damnatam: cui in editionibus Lovanienſi, Duacena, Colonienſi, aliisque poſterioribus, inſulſe præfixus eſt iſte titulus, *Proſper Epiſcopus ſacræ virgini Demetriadi.* Eſto enim tarendum eſſet, ad Epiſcopales inſulas ſub vitæ finem provectam fuiſſe Proſperum, nemo tamen Eccleſiaſticæ peritus hiſtoriæ concedet unquam, cum hæc a Proſpero ſcripta eſt Epiſtola, illum jam tunc Epiſcopali dignitate fuiſſe inſignem. Hæc porro Epiſtola Proſpero reſtituta eſt, cum olim Ambroſio tribueretur, & inter ejus Opera cum libris De vocatione Gentium, delitesceret.

Epiſtola ad D. Auguſtinum de reliquiis Pelagianæ hæreſeos, de qua ejusque ſocii Hilarii laici perinde hominis Epiſtola, dicemus infra in Diſſertatione ſingulari *De Doctrina & Scriptis S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi.*

Epiſtola Celeſtini Papæ de gratia Dei, pro Proſpero & Hilario, ad quosdam Galliarum Epiſcopos.

Canones Concilii Arauſicani II. quod falſo dicitur circa tempora S. Leonis I. papæ celebratum: ſed anno tantum 529. annis ferme 70. poſt ipſius ſancti Leonis obitum. Ita ſe habuerunt Editiones Operum S. Proſperi in unum collectorum.

Gennadius *De Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 84. docet ſe legiſſe Chronica Proſperi nomine prætitulata, continentia a primi hominis conditione juxta divinarum Scripturarum fidem, usque ad obitum Valentiniani Auguſti, & captivitatem urbis Romæ a Genſerico Vandalorum Rege factam. Hoc idem ex prologo Victorii ad Canonem Paſchalem, quem edidit Ægidius Bucherius Theologus Societatis Jeſu, aliisque veterum teſtimoniis manifeſtum fit, nec eſt quisquam qui impoſterum tam apertæ veritati refragari audebit.

Integrum illud Proſperi Chronicon ab Adami mundique ortu ad annum 455. cum adnotatione Conſulum Romanorum a duobus Geminis Conſulibus & anno Chriſtianæ Æræ 28. usque ad Valentiani Auguſti VIII. & Anthemii Conſulatum, hactenus maxima ſui parte mutilum atque a pluribus promiſſum & ab omnibus diu deſideratum, emiſit in lucem publicam Philippus Labbeus tomo 1. *Novæ Bibliothecæ MSS. librorum* anno 1659. in fol. Pariſiis ex officina Cramoſiana.

Conſulare vero ſeu vulgatum, quod antea dicebatur *Proſperi Chronicon* Euſebiano, ejusque Appendici Hieronymianæ ab anno 379. ad 445. Valentiniano Auguſto VI. & Nonio Conſulibus, in præcedentibus editionibus adjungi ſolitum: primus additis decem annorum Periochis usque ad annum 455. & captam a Genſerico urbem, ex MSS. Codicibus Jacobi Sirmondi & Franciſci Chifletii vulgavit Andreas Duchesnius tomo 1. *Hiſtoricorum Coætaneorum Franciæ.*

Chronicon Proſperi Tyronis Imperatorium, quod & Pithæanum dicitur, quia primum a Petro Pithæo anno 1588. Pariſiis in lucem emiſſum eſt: ſpectat ad alterum Proſperum, de quo abunde diximus capite 1. hujus Diſſertationis. Præterea breviter lectorem admoneo, editam fuiſſe anno 1619. poſt Eugenii Toletani Opuſcula

la a Sirmondo edita, *Tyronis Proſperi Aquitani Confeſſionem* ex MS. Codice Vaticanæ Bibliothecæ, quam reperi quoque tom XV. Bibliothecæ veterum Patrum editionis Pariſienſis Morellianæ anni 1644. pag. 814. Verum ex editione Pariſienſi Petri Pithæi ut dicitur, quæ nulla (quod ſciam) fuit: neque ſane illius mentio in Collectione Operum Pithæi, a Carolo Labbeo Bituricenſi Jurisconſulto publicata: ut merito inter *μνημονικὰ ἀναγτήματα* recenſeri debeat, cum pluribus aliis quæ amplificatores Bibliothecæ Patrum Margarini Bignæi, admiſerunt.

Atque ut manum de tabula tollam, nec de uno Proſpero paginas plures impleam, breviter ad finem moneo, ex Gennadio Catalogi cap. 88. verbo *Victorius Aquitanicus*, & ex S. Iſidori libro Originum 6. cap. 17. conſtare poſt Hippolytum, Euſebium & Theophilum Alexandrinum, compoſuiſſe PROSPERVM atque ediditſe *Curſum Paſchalem*, de quo plura Ægidius Bucherius Soc. Jeſu cap. 6. Commentariorum in Victorii Canonem paſchalem. Vbi etiam nonnulla de Regienſi ac Aurelianenſi Epiſcopo præmiſit, a quibus ut & ab Aquitano noſtro Proſperum Tyronem cujus Beda meminit, omnino diſtinguit.

CAPVT QVINTVM.

AN LIBRI TRES *DE VITA CONTEMPLATIVA* ET LIBRI DVO *DE VOCATIONE OMNIVM GENTIVM* SVB NOMINE ET INTER OPERA S. PROSPERI AQVITANI IMPRESSI, AD IPSVM PERTINEANT?

IAm reſtat videndum, ad quem ſpectent libri tres *de vita contemplativa*, Jubano Epiſcopo Toletano inſcripti, quorum tamen idem Proſper author dicitur, & qui inter ejusdem Opera verſantur. Nuperrime in Tomo 13. *Spicilegii* D. Lucas de Acherio Benedictinus Monachus Congregationis Sancti Mauri in Gallia pag. 254. dicti tomi XIII. edidit *Sancti Proſperi Regienſis Epiſcopi*, ſeu *Juliani Pomerii* Prologum ſecundum *in tres libros de Vita contemplativa*, qui ex MSS. Codicibus erutus, in impreſſis deſideratur. Sane illos Proſperi eſſe ex antiquis exiſtimarunt, Patres Synodi Aquisgranenſis ſub Ludovico Pio, & Theodulphus Aurelianenſis in lib. *de Inſtitutione Laicali*, & in libro *de Spiritu Sancto* quem ſcripſit anno 809. qui liber editus eſt a Jacobo Sirmondo Soc. Jeſu erudito Antiquario. Cæterum non eſſe Proſperi Aquitani, ſed Juliani cognomento Pomerii, qui Arelato in Galliis Rhetoricam docuit, cujus ſcholam Cæſarium juvenem adiiſſe inferius dicemus: mihi pene compertum eſt, ex ſancto Iſidoro in libro *de Eccleſiaſticis Scriptoribus* cap. 12. ubi de ejusdem Pomerii libris agens, in fine capitis ait: *Edidit etiam unum libellum de Virginibus inſtituendis: alios quoque tres de futura vita contemplatione, vel actuali converſatione, nec non etiam de vitiis & virtutibus.* Qui ſane libri ſunt illi, qui Proſperi nomine vulgo circumferuntur: in quorum primo ut ipſe teſtatur in præfatione libri tertii, agitur *de Vita Contemplativa*: in altero *de actuali vita*, in poſtremo *de vitiis & virtutibus*. His accedit, ab hoc ſcriptore lib. 2. cap. 9. Hilarium Arelatenſem etiam atque etiam laudari, quod Proſper Aquitanus non ita liberaliter feciſſet: cum Hilarius Arelatenſis Semipelagianorum in Galliis Coriphæus fuerit, ut ipſemet Proſper teſtatur in litteris ſuis ad Auguſtinum. Ibi vero loquitur de Hilario uti jam defuncto, nempe poſt annum 449. Se vero non eſſe Epiſcopum palam oſtendit lib. 1. cap. 14. unde qui putant hoſce libros eſſe Proſperi, non video qua ratione ſcribant mortuum eſſe Proſperum anno 466. viginti & duobus annis in Epiſcopatu exactis. Præterea hic ſcriptor nuncupavit memoratos libros Juliano Epiſcopo, quo jubente ſe illos compoſuiſſe teſtatur, initio Præfationis. At in Gennadio Suſtridi Petri cap. 98. ſcribitur, *Pomerius natione Maurus, in Gallia Presbyter ordinatus, interrogantibus Juliano Epiſcopo & Vero Presbytero &c. compoſuit de natura anima & qualitate ejus libros octo*: ut plane compertum fiat, eidem Epiſcopo Juliano *& libros de vita contemplativa & libros de anima*, ut ait Gennadius, ab eodem authore inſcriptos fuiſſe. Itaque neque illi tres libri *de Vita Contemplativa* Proſperum authorem habuerunt, quod vidit etiam & Labbeus in Diſſertatione *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* verbo *Julianus Pomerius*, & Chriſtianus Lupus vir doctiſſimus in Epiſtola Apologetica *de contritione Chriſtiana* ad Henricum de Noris ſcripta, & Lovanii impreſſa anno 1667. in qua cap. 5. *ad 8. accuſationem* ex laudato Iſidoro, affirmat Lucam Dacherium in Spicilegio, & Jacobum Sirmondum fuiſſe in eadem ſententia. Idem denique tenet Paſchaſius Queſnel doctiſſimus Presbyter Oratorii D. N. Jeſu Chriſti tom. 2. operum S. Leonis papæ Diſſertatione 2. *de Authore librorum de vocatione omnium Gentium* num. 14. pag. 365. his verbis. "Etſi graviora Proſpero Aquitano ar-" gumenta militent, graviores tamen eſſe ratio-" nes in contrarium prolatas: neque illa argu-" menta majoris eſſe momenti, ut Opus iſtud" Proſpero adſcribatur, quam ſimilia quibus ei-" dem ad noſtram usque ætatem, aſſertum eſt" Opus *de Vita Contemplativa*. Pariter enim ſub" Proſperi nomine laudatum legitur, ab octin-" gentis annis in Synodis Eccleſiæ Gallicanæ;" pariter inſcriptum Proſperi nomen in Manu-" ſcriptis Codicibus ejusdem ætatis; pariter O-" peribus editis jam ab antiquo inſertum: ita de-" nique creditum nullo refragante, ab omnibus" poſterioris ævi Scriptoribus. Conſtat nihilo-" minus hodie inter eruditos, non eſſe Proſperi" Opus *de Vita Contemplativa*, nec religio fuit tam" antiquis, tamque idoneis teſtibus fidem dero-" gare, vel ex ſola ſtyli diverſitate: ſed Juliani" Pomerii eſſe omnes conſentiunt, partim ex Iſi-"

„dori Hiſpalenſis teſtimonio, partim ex MSS. „Codicum fide. Vnum jam pridem laudave„runt viri eruditi, qui fuerat primum ſancti Sal„vatoris vice Comitis, poſtea Illuſtriſſimi doctiſ„ſimique Archiepiſcopi Toloſani Caroli de „Monchal: denique nunc (ut dicitur) Caroli „Mauritii Telleri Remenſis Archiepiſcopi. Al„terum nuper nacti ſumus in Bibliotheca Abba„tiæ Beatæ Mariæ de Trappa, quæ ex obſcuro „Monaſteriolo, unde penitus obliterata regula„ris diſciplina, in numeroſiſſimum ſanctiſſimum„que Aſceterium derepente evadens, Religio„ſiſſimi Abbatis ſtudio & pietate: ſuum ætate „noſtra Gallicanæ Eccleſiæ Bernardum, ſuam „Bernardo reddidit claram vallem.„ Vir inſignis hic Julianus Pomerius, fuit natione Maurus ac in Gallia percelebris: cujus diſcipulus fuit S. Cæſarius Arelatenſis Epiſcopus, ut patet ex lib. 1. de Vita S. Cæſarii cap. 3. Horum autem Author voluminum, vel certe quicunque alius fuerit, jure merito inter ſectatores S. Auguſtini annumerandus eſt: qui lib. 3. cap. 31. cum eximie S. Auguſtinum commendaſſet, addit: *quem in his libellis pro poſſibilitate ſecutus ſum.*

Extant denique duo libri *de vocatione Gentium*, qui vulgo ſub nomine Proſperi leguntur: de quibus doctiſſime diſſerit Henricus de Noris lib. 2. *Hiſtoria Pelagiana* cap. 14. pag. 274. tantoque judicio, ut eum hic verbotenus tranſcribere, meumque facere conveniat. Hi quidem voluminibus S. Ambroſii inſerti erant, ſed immerito: cum agat hic ſcriptor de Pelagianis, qui longe poſt mortem ſancti Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi, in Eccleſia orti ſunt. Leguntur enim hæc verba lib. 1. cap. 7. *Fato autem non baptiſuri parvulos, nec Pelagiani potuerunt dicere: ſed quia eos a peccato liberos auſi ſunt profiteri, meruere damnari.* Quare illi libri non ſunt S. Ambroſii, qui anno 397. mortuus eſt, antequam anno 411. vel 412. Pelagianorum Nomen audiretur. Sed & plane ſcripti ſunt poſt Pelagianos ab Apoſtolica ſede damnatos, ut ex præcedentibus conſtat verbis. Voſſius lib. 1. *Hiſtoria Pelagiana* cap. 20. ait ſe *pro certo habere*, non eſſe Regienſis Proſperi, quod illorum author in ſententia *de reprobatione*, molliot ſit quam Proſper Aquitanus. Voſſio ſubſcribit Henricus de Noris loco citato, aliique eruditiſſimi Viri, qui vident illorum authorem librorum, abiiſſe diverſa a Proſpero via. Nam *primo* libro 2. plurimum laboris inſumit, ut communem gratiam Dei omnibus faciat: verſans vero cap. 20. objectionem illam a Parvulis ductam, in qua D. Auguſtinus & ejus ſectatores triumphum ſibi contra Pelagianos cecinerant, ita cap. 23 reſpondet: *Non irreligioſe arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti pancorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, qua ſemper univerſis eſt impenſa nationibus: qua bene utiq; ſi eorum uterentur parentes, etiam ipſi per eosdem juvarentur.* Quibus contraria ſcribit Proſper Aquitanus noſter in carmine *de Ingratis* cap. 31. ubi movet illud argumentum de Parvulis

Et tamen ex iſtis miſeratrix gratia quosdam
Eligit, & rurſum genitos baptiſmate transfert
In regnum æternum, multis in morte relictis,
Quorum cauſa fuit ſimilis, de vulnere eodem.
Nec meritis iſtud poteris aptare parentum,
Ceu pia profuerit remedis cura bonorum,
Abſtuleritque aliis aliena ignavia vitam:
Cum videas multos ſanctis genitoribus ortos,
Nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum.

Item ille ſcriptor toto libro 2. probat, Deum omnibus *ſemper* hominibus gratiam largitum fuiſſe, cujus inſigniora loca exhibet Voſſius lib. 7. *Hiſtoriæ ſuæ Pelagianæ* parte 1. theſi 4. At Proſper Aquitanus hanc communem gratiam penitus repudiavit, ibidem cap. 4. canens.

- - dic unde probes, quod gratia Chriſti
Nullum omnino hominem, de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non Regnum, vitamque beatam
Impertire velit.

Quod improbat, quia Evangelium non omnibus Gentibus annuntiatum ſtatim fuit: cum tamen Author librorum *de vocatione omnium Gentium* gratiam faciat communem, quia ad omnes Gentes miſſi ſunt Apoſtoli, ut Evangelium prædicarent. *Tertio* idem author cap. 3. initio gratiam communem ſuadet, quia Deus quosdam ad ſe cognoſcendum, *cœli & terræ teſtimonio convenit: alios*, nempe Judæos, *doctrina & Prophetarum Oraculo, Miraculorum ſigno adjuvit.* Hanc autem non eſſe veram gratiam Proſper Aquitanus ſcribit in Epiſtola ad Demetriadem, ſed illam qua Deus intrinſecus operatur: cum illa omnia exterius tantum animum pulſent, neque differant a gratia Pelagianorum, quæ conſiſtebat in lege, doctrina, miraculis, ut fuſe narrat S. Auguſtinus in libro de gratia Chriſti. *Quarto* idem cap. 5. tradit Gentes, quibus non uti Hebræis numen ſe manifeſtavit, non eſſe excuſabiles: *Adhibita enim*, inquit, *ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſuperna mentio doctrinæ, quæ etſi partioris, occultioriſque gratiæ fuit, ſufficit tamen ſicut Dominus judicavit, quibusdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* At noſter Aquitanus cap. 32. canit.

Non autem recte, nec vere dicitur illos,
Qui ſunt exortes divini muneris, & quos
Gratia neglexit, degentes mortis in umbra,
Peccati non eſſe reos, quia recta gerendi
Non data ſit virtus. Naturæ compede vinctos
Procubuiſſe negant &c.

Vbi ex peccato Origenis tradit hominem jure optimo, gratia omnimode privari. *Quinto* denique idem ſcriptor capite ultimo ſatis timide

de

Digitized by Google

de prædestinatione loquitur, imo scientiam illi præviam non semel ponere videtur, dum illam objectionem sibi opponens, *frustra nos orare & laborare, si ex incommutabili proposito ejus Christiana gratia subsistit electio:* ita ibi respondet, *non intelligunt scientiam Dei, qua & præterita & præsentia & futura complectitur, tempore non teneri.* Et cum id paucis explicaverit, concludit: *Hæc autem æterna & semper tranquilla cognitio, nulla nos urget necessitate peccandi &c. Deus ergo his quos eligit sine meritis, dat unde ornentur ex meritis & frustra dicitur, quod ratio operandi non sit in electis, cum etiam ad hoc operentur, ut electi sint.* Quibus verbis, electionem ad gratiam sine meritis adstruit: electionem vero ad gloriam, ex meritis suspendit. At S. Prosper in Epistola ad Rufinum, generosius divinæ prædestinationis decretum defendit, ac solidius illud communit: quod & in Responsione ad Genuenses, aliosq; itidem præstat. Atque ut uno verbo concludam, nunquam me judice, unus idemque author horum librorum & Poëmatis *contra ingratos* prönuntiabitur: & Prosper qui ubique S. Augustinum laudat, in his etiam libris *de vocatione gentium* eundem certe nominasset, si illorum scriptor fuisset. Hoc tamen ultimum argumentum, leve est admodum, conjecturæque modicæ.

Quare existimo authorem horum librorum *de vocatione omnium Gentium*, aliquid medium inter Semipelag. & Augustinum sapere, quem etiam mollem Augustinianum dixeris, cum Prosper Aquitanus inter rigidos merito reponendus sit. Ille quidem lib. 1. capp. 23. & 24. Semipelagianismum suffocat, dum probat fidem & perseverantiam esse dona Dei: unde non possum ad Vossium accedere, dum scribit, Hilarium Arelatensem esse forte illorum librorum authorem: nam Hilarius cum Semipelagianis teste Prospero in Epistola ad Augustinum sentiebat. Sed de his satis. Illud tamen moneo, hos duos libros *de vocatione omnium Gentium* qui olim impressi tantum erant inter Opera S. Ambrosii Episcopi Mediolanensis, & S. Prosperi Aquitani: fuisse nuperrime conjectos a Paschasio Quesnel Presbytero Oratorii D. N. Jesu Christi, inter Opera S. Leonis papæ in editione Parisiensi anni 1675. apud Joannem Baptistam Coignart. Doctamque ab ipso Paschasio scriptam Dissertationem, ut illos spectare ad hunc Pontificem Romanum ostenderet, quam eruditi haud satis ad hoc probandum idoneam censent.

His jam positis, excussisque diligentiori examine omnibus Operibus sub S. Prosperi Aquitani nomine impressis, tam hoc capite quam primo hujus Dissertationis, ex occasione diversorum quos hic recensuimus Prosperorum: restat subjiciendus hic novus Ordo, quo imposterum convenientius omnia Prosperi Opera imprimi possint, si quis unquam eruditus huic labori apponere animum velit. Convenientissimus multis, visus iste est.

Ordo Operum D. Prosperi Aquitani imprimendorum.

Dissertatio Historica & singularis de Doctrina & scriptis D. Prosperi Aquitani.

Epistola Celestini Papæ de gratia Dei pro Prospero & Hilario, ad quosdam Galliarum Episcopos.

Testimonia veterum Scriptorum de Prospero Aquitano. Victorii Aquitani in præfatione ad Canonem Paschalem. Gelasii Papæ Can. *sancta Romana* Dist. XV. Fulgentii lib. 1. ad Monimum cap. 30. Marcellini Comitis in *Chronico* ad annum 463. Gennadii de Scriptoribus Ecclesiasticis. Adonis Viennensis Archiepiscopi in *Chronico* ætate 6. Sigeberti, Honorii Augustodunensis, & aliorum.

Epistola ad Rufinum de gratia & libero arbitrio.

Responsiones ad capitula objectionum Gallorum Doctrinam S. Augustini calumniantium.

Responsiones ad capitula sexdecim objectionum Vincentianarum.

Responsiones ad excerpta Genuensium.

Contra Collatorem liber, sive de gratia Dei & libero arbitrio: ob defensionem Divi Augustini Hipponensis Episcopi, *contra Cassiani Presbyteri Massiliensis librum*, seu *Collationem XIII.* quæ de protectione Dei intitulatur.

Epistola ad sacram Virginem Demetriadem.

Epistola ad Augustinum de reliquiis Pelagianæ hæreseos.

Commentarius in Psalmum centesimum, & sequentes usque ad 150.

Sententiarum ex Operibus Divi Augustini excerptarum 388. liber.

Epigrammatum 98. liber ex sententiis ejusdem sancti Augustini.

Poëma heroicum de ingratis adversus Pelagianos, seu περὶ ἀχαρίστων.

Metrum Anacreonticum cum elegiaco, ad uxorem suam.

Epitaphium Nestorianæ & Pelagianæ hæreseon.

Epigrammata duo in obtrectatorem quendam D. Augustini Episcopi.

Integrum Prosperi Chronicon ab Adami mundi exortu ad annum 455. cum Annotationibus Consulum Romanorum a duobus Geminis consulibus & anno Christianæ Æræ XXVIII. usque ad Valentiniani Augusti VIII. & Authemii Consulatum.

Chronicon Prosperi Consulare, Appendici Hieronymianæ additum, ab anno 379. ad 455.

Appendix extraneorum & incertorum Scriptorum.

Prosperi Africani *Opus de promissionibus & prædictionibus divinis.*

Juliani Pomerii *de Vita Contemplativa, libri tres.*

Anonymi seu Hilarii, *Carmen de providentia divina.*

Anonymi seu incerti, *libri duo de vocatione omnium gentium.*

Prosperi Tyronis *Chronicon, seu Appendix ad Chro-*

Chronicon D. Hieronymi, per annos Imperatorum digesta.

Ejusdem Prosperi Tyronis *Confessio*, tom. XV. Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Morellianæ Parisiensis anni 1644. pag. 814. atque iterum ad calcem *Opusculorum Eugenii Toletani*, quæ Jacobus Sirmondus edidit. Hæc de ordine Operum divi Prosperi Aquitani.

Postquam hæc de Prospero collegeram, Opera ejus tandem omnia, Parisiis in folio ab Anonymo recusa sunt sub hoc titulo. «Sancti Prosperi Aquitani, Sancti Augustini Discipuli, Sancti Leonis primi Papæ Notarii, Opera omnia ad Manuscriptos Codices, nec non ad Editiones antiquiores & castigatiores emendata, nunc primum secundum ordinem temporum disposita, & Chronico integro ejusdem, ab ortu rerum, usque ad obitum Valentiniani tertii & Romam a Vandalis captam pertingente, locupletata. Quibus præfigitur ejusdem S. Prosperi Aquitani Vita, ex Operibus ipsius, & Scriptorum Ecclesiasticorum libris concinnata. Parisiis apud Guillelmum Desprez & Joannem Desessarts, via Jacobæa sub signo sancti Prosperi & trium Virtutum, anno 1711. in folio, columnis 1368. Ita *Diarium Eruditorum Parisiense* anni 1712. juxta editionem ejusdem Amstelodamensem, mense Septembri p. 284. & sequentibus in 12.

CAPVT SEXTVM.

PROSPER AB EPISTOLIS LEONI PAPÆ, DICTAT EPISTOLAM AD FLAVIANVM. NON FVIT REJORVM EPISCOPVS, ET FORTE NVSQVAM VLLIBI TERRARVM SEDIT. QVO ANNO MORTVVS, ET A QVO DOCRINA EJVS APPROBATA SIT.

449. ANno 449. universo Oriente ob Eutychetis hæresim commoto, sanctus Pontifex Leo pluribus epistolis tum ad Principes, tum ad Episcopos missis, nascenti malo obviam ire conatus est. Epistolam præcipue dedit ad Flavianum Antistitem Constantinopolitanum idibus Junii adeo admirabilem, ut in Synodo Romana sub Gelasio hoc elogio approbata fuerit: *Cujus textum quispiam si usque ad unum Jota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema sit.* Hanc porro Epistolam, & alias contra Eutychetem a Leone Magno emissas a Prospero Pontificis Notario dictatas fuisse testatur Gennadius ejusdem seculi Scriptor, alias non bene erga Prosperum affectus, libro *de Scriptoribus Illustribus* cap. 84. *Epistola quoque Papæ Leonis adversus Eutychem de vera Christi Incarnatione ad diversos data, & ab ipso dictata creduntur.* Et Baronius in *Martyrologii* Notis ad diem XXV. Junii, ait: *Ado Viennensis & alii, tradunt Prosperum fuisse ab Epistolis sancto Leoni Papæ, atque ab eo scripta fertur famosissima illa Epistola sancti Leonis ad Flavianum de Incarnatione verbi; quod non tantum Gennadius, Honorius, & alii, sed & Marcellinus Comes testatur in Chronico, sub Consulatu Olybrii & Rustici.* Ita ut in tanta Antiquorum consensione, vix Bellarmino hac de re jure dubitandi locus superfit. Hoc etiam probare conatus est Henricus de Noris Ordinis Eremitarum Divi Augustini, lib. 2. *Historia Pelagiana* cap. 13. fol. 266. ex Epistola 86. Leonis Papæ ad Aquilejensem Episcopum Nicetam, quam vult sapere stylum Prosperi, atque in eam illata esse duo integra capita ex Enchiridio divi Augustini capp. 45. & 46. Quod Prosperi Augustinianæ doctrinæ studiosissimi industria factum esse putat. At si Henricus iste vidisset præstantissimam editionem Operum omnium S. Leonis 2. tomis in 4. Parisiis apud Joannem Baptistam Coignart anno 1675. procuratam, studio doctissimi viri Paschalii Quesnel de quo supra: conjecturas suas suppressisset, & agnovisset duo illa capita ex Enchiridio Divi Augustini in hanc Epistolam infarta, non inveniri in melioris notæ MSS. Codd. unde ab Epistola jure merito in editione ista ultima, projecta sunt foras. Celebrata paulo post, anno nempe 451. Synodus Chalcedone adver- 451.
sus Eutychetem & Dioscorum, cui Prosperum Apostolicæ sedis Notarium interfuisse Leonis nomine, scribit Joannes Antonius Flaminius Imolensis in *Vita Prosperi*, quæ legitur apud Surium ad diem 25. Junii, præfigique solet Prosperi operibus. Verum ille scriptor, hoc & pleraque alia, e suo cerebro finxit. Sanctus namque Leo in Epistolis 12. 18. 31. 41. 45. 36. 38. suos ad Synodum legatos nominat, imo Epist. 14. & 22. Notarios etiam Romæ in Orientem ad Synodum destinatos dicit Dulcitium, Epiphanium & Dionysium: neque semel in tot Epistolis Prosperi nomen legitur, ut Chalcedonem cum aliis a Leone legatum missum fuisse, minime verisimile sit. Et quidem Flaminius rerum a Prospero gestarum plane imperitus est, cujus cum Semipelagianis conflictus præterit, & sub Leone Magno Romam primum venisse narrat, cum pro Augustiniana doctrina ac suæ fidei fama sustinenda Romam ad Celestinum se contulisset: aliaque de ejus Episcopatu prorsus a vero aliena asserit, ut sane in rebus Prosperi totus hospes ille scriptor videatur. Interim Chronologia Baronii ac Flaminii corrigenda est, qui anno 449. Notarium illum fuisse sancti Leonis asserunt: quo munere Episcopi tunc non fungebantur: ut constat ex litteris ejusdem Leonis, qui notarios suos filios semper dicit, nunquam fratres nominat, neq; de hoc dubium est. Postea Baronius ad annum 466. scribit eundem vixisse Episcopum annos 24. Flaminius vero 22. & ambo mortuum asserunt anno 466. ita ut anno 449. quando contra Eutychem scribi cœptum est, jam ex illorum calculo, Prosper inter Episcopos fuerit.

Nunc quæstio non modica ventilatur, fueritne S. Prosper Aquitanus, Regiensis Episcopus in Galliis?

Galliis? Quam ut plene discutiamus, sciendum est, Faustum & Auxanium Gallicanos Episcopos, interfuisse Synodo Romæ anno 462. ab Hilaro Papa celebrato. Cum enim gravissima discordia inter Leontium Arelatensem & Mamertum Viennensem Metropolitas agitaretur, ille enim Diensibus Episcopum dederat, quod ad se Arelatensis Antistes spectare contendebat: Faustus & Auxanius a Synodo judices electi Leontio causam adjudicarunt, quam sententiam idem Hilarus Papa anno sequenti 463. ratam declaravit, inquiens: *Omnia quæ a vobis sunt per Fratres & Coepiscopos nostros Faustum & Auxanium definita robonantes, Congregationes annuas ordinante Fratre & Coepiscopo nostro Leontio, Metropolitanis admonitis quod sæpe dicendum est, celebrare dignemini.* Ex his ab anno 462. Faustus Rejorum Episcopus intelligitur, ut eorum sententia penitus corruat, qui eo tempore Prosperum Aquitanum Rejensium in Gallia Antistitem ponunt, uti Baronius, Bellarminus, Andreas Saussajus, & alii dixerunt. Nam ex Sidonii Eucharistico certum est, Faustum Maximo successisse, dum scribit ad eundem in Eucharistico

- - fuerit quis Maximus ille
Vnde tu cujus Monachosque Antistes & Abbas,
Bis successor agis.

Maximum vero anno 433. Episcopatum adeptum esse constat, qui idem anno 439. interfuit Synodo Rejensi, annoq; 441. decretis Arausicanis subscripsit. Anno rursus 452. nominatur in Epistolis Episcoporum Galliæ ad Leonem, & in rescripto Leonis ad eosdem: in quibus cum inter cæteros Faustus non legatur, non obscure deducitur per id temporis, fuisse Abbatem Lerinensem. Vnde nullus restat Prospero locus in Regiensi sede inter Maximum & Faustum, præsertim cum Prospero viginti quatuor annorum Episcopatus a Baronio detur. Accedit neque in litteris Leonis anno 452. neque in litteris Hilari anno 464. in quibus Narbonensis Galliæ Præsules nominantur, ullum Prosperum legi: sed in his Faustum, in illis vero Maximum ejusdem decessorem. Insuper etiamsi Prosper fuisset Rejorum Episcopus, non bene dicit Baronius ad annum 466. *Prosper Regiensis in Aquitania Episcopus:* Nam Rejenses non in Aquitania collocantur, sed in Narbonensi Provincia secunda. Joannes Antonius Flaminius in *Vita Prosperi*, Ferrarius in *Martyrologio*, & Itali scriptores vulgo asserunt, Prosperum fuisse Episcopum Regii Lepidi in Insubria: & sane illa Ecclesia suum esse hunc Prosperum contendit, pioque cultu ejus memoriam quotannis celebrat. Sed neque verum est, illum Regiensibus Insubriæ præfuisse annis viginti duobus, ut tradunt proxime allegati scriptores Itali, ejus obitum usque ad annum 466. producentes. Nam anno 451. Faventius erat Regii Lepidi Episcopus, ut patet ex litteris Synodi Mediolanensis ad Leonem Papam, quæ ponuntur ante 51. ejusdem Epistolam, ibi enim legitur: *Ego Faventius Episcopus Regiensis Ecclesiæ in omnia subscripta consensi & subscripsi.* Imo Tabulæ Ecclesiæ Regiensis, quas in Italia sacra profert Ughellus, circa annum 458. Elpidium Regiensem Episcopum ponunt: unde si plurimos annos Prosper sacris illius urbis præfuisse dicendus est, ut ex antiquis ejusdem Ecclesiæ Breviariis Ferrarius refert: jam ultra Authemii tempora Episcopatus Prosperi excurret, cujus rei nullum antiquum authorem afferre possumus. Ego quidem cum videam omnes Scriptores qui Prospero viciniores fuerunt, illius nomen absque ulla dignitatis sacræ mentione recitare: vix adduci potium, ut eundem fuisse alicubi Episcopum credam. Quia vero nonnullos etiam hoc tempore viros non ineruditos video, Prospero Episcopales insulas asserere, & nuperi *Gallia Christiana* post Claudium Robertum editores tomo 3. verbo *Rejenses Episcopi*, ad eundem scopulum allisserunt: placet hic prolatis Veterum Scriptorum testimoniis ostendere, ne quidem ad sacros ordines, saltem majores, fuisse promotum. Præeat qui cum ipso per multos annos vixit, Victorius Aquitanus in Epistola ad Hilarum urbis Romæ Archidiaconum, quam Canoni Paschalis Festi præfixit: *recensitis igitur fidelibus historiis veterum, beati videlicet Eusebii Cæsariensis Palestinæ civitatis Episcopi, viri imprimis eruditissimi atque doctissimi Chronicis, prologoque; ac perinde his quæ a sancta memoria Hieronymo iisdem Chronicis sunt adjecta Presbytero, per quem in latinum quoque probantur translata sermonem: hisque etiam quæ a sancto & venerabili viro Prospero, usque ad Consulatum Valentiniani Augusti VIII. & Authemii, constat fuisse supplera, reperi &c.* Ac paulo post. *Cujus tenorem Vir venerabilis Prosper sequutus iisdem Chronicis hac eadem egregia brevitate composuit, ut eorum initium a mundi inchoaretur exordio.* Scribebat anno Christi 457. Victorius Constantino & Rufo Consulibus, uno anno postquam excesserat e vivis Prosper: quem *sanctum* ideo vocare semper mihi visus est ac *venerabilem:* non tamen *Presbyterum* aut *Episcopum:* quos titulos Eusebio Hieronymoque non invidebat, nec ut opinor amico denegasset, si iis unquam fuisset insignitus. Quod palmare est ac decretorium argumentum. Sequatur Victorium Gelasius Papa anno 494. Can. *Sancta Romana* dist. XV, *Item Opuscula B. Augustini Hipponensis Episcopi: item Opuscula B. Hieronymi Presbyteri: item Opuscula B. Prosperi Viri Religiosissimi. Tertio loco* accedat Gennadius Massilientis Presbyter qui in libro *de Scriptoribus seu viris illustribus*, quem anno circiter 493. vel 494. composuit, nullum illi dignitatis Ecclesiasticæ titulum assignat: in cæteris pro merito suo laudandis, minime avarus. *Quartus* sit S. Fulgentius Ruspensis in Africa Episcopus lib. 1. *ad Moninum* cap. 30. ubi de Augustino sic loquitur: *Cujus dicta, quia ipse celeri præventus est obitu, Prosper vir eruditus & sanctus, recta defendit fide & copioso sermone* &c. *Quintus*

Marcellinus Comes in Chronico ad annum 463. quem tamen non videtur attigiſſe Proſper, iisdem cum Gennadio verbis uſus, tantummodo appellat, *hominem Aquitanica regionis, ſermone Scholaſticum, & aſſertionibus nervoſum*, &c. *Sextus* Joannes Abbas Biclarienſis initio Chronici ait: *Poſt Euſebium Cæſarienſis Eccleſiæ Epiſcopum, Hieronymum toto orbe notum Presbyterum, nec non & Proſperum Virum Religioſum, atque Victorem Tunnunenſis Eccleſiæ Africanæ Epiſcopum* &c. Vbi primum & ultimum Epiſcopos, medium Presbyterum dicit, non item Proſperum. Miror autem Voſſium virum alias diligentiſſimum ex Marcellino Comite lib. 1. *Hiſtoriæ Pelagianæ* cap. 18. Proſperum Epiſcopum nominare: nam ille ad Conſulatum Viviani & Baſilii, unius Gennadii verbis loquitur, quem tranſcripſiſſe nemini dubium eſſe poteſt. *Septimus* Ado Viennenſis Archiepiſcopus in ſexta ætate: *Sed & Proſper Aquitanicæ Regionis, Notarius beati Leonis, a quo dictata creduntur Epiſtola adverſus Eutychem de vera Incarnatione Chriſti male ſentientem &c.* Vt juniores prætermittam & non contemporaneos Hincmarum, Florum, Prudentium, Rabanum &c. Solus ac primus Honorius Auguſtodunenſis, vel ſciolus aliquis ac ſemidoctus illius corrector aut editor, libello 2. cap. 83. *de Scriptoribus illuſtribus Eccleſiæ*, fecit ac dixit *Proſperum Epiſcopum*, unde plerique in eam ſententiam abierunt. Verum id Amanuenſium erratum fuit, nam cum omnia ad verbum ille tranſcribat ex Gennadio, ubi hic habet: *Proſper homo Aquitanicæ regionis, ſermone Scholaſticus, & aſſertionibus nervoſus* &c. Honorius autem legit: *Proſper Epiſcopus Aquitanicæ regionis, ſermone Scholaſticus, & aſſertionibus nervoſus &c.* Quodſi Martinus Polonus & Joannes Trithemius qui poſt octingentos annos ab obitu Proſperi vixere, illum Epiſcopum appellant: antiquis fidei plus habendum puto. Honorius itaque Auguſtodunenſis *hominem Aquitanicæ regionis* mutavit in *Epiſcopum Aquitanicæ regionis*. Sixtum Senenſem, Baronium, Poſſevinum, aliosque hujus aut ſuperioris ſeculi ſcriptores miſſos facio, qui Honorium Auguſtodunenſem duntaxat exſcripſerunt: aut a Joanne Antonio Flaminio in errorem inducti ſunt, qui res geſtas D. Proſperi pro libito ex meris conjecturis compoſuit, a Surio in tomum 3. editas. Vult tamen Henricus de Noris poſt abnegatum Proſpero omnem cujuscunque Eccleſiæ Epiſcopatum, lib. 2. *Hiſtoriæ Pelagianæ* cap. 14. fol. 270. ipſum ſaltem fuiſſe Presbyterum: ſed cujus conjectura ita modica eſt, ut miror quomodo illam protulerit vir ſolidiſſimus, contra tot authoritates, quæ eum pariter ab Epiſcopatu ac Presbyteratu arcere videntur.

Quo anno obierit ſanctus Proſper, incertum eſt. Scripſiſſe illum *Chronicon* usque ad captam urbem a Genſerico, quod accidit anno 455. ſcribit Gennadius: ſed Marcellinus Comes ut adhuc ſuperſtitis mentionem facit ad annum 463. Philippus Labbeus qui Catalogum Bellarmini *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* eruditis obſervationibus illuſtravit, ſcribit deceſſiſſe Proſperum anno 456. Etenim Victorius Aquitanus in laudata Epiſtola nuncupatoria, quam anno 457. ſcriptam eſſe, ex Paſchali caractere aliisque temporum Notis eidem additis, certum eſt: vocat Proſperum *ſanctum ac venerabilem virum*. Sed levis hæc conjectura eſt, nam eo tempore *ſancti* titulus etiam viventibus deferebatur, ut paſſim patet: & Proſper ipſe vocat Leontium Diaconum & Hilarium Epiſcopum *ſanctos*, in Epiſtola ad Auguſtinum, ſcripta dum ipſi viverent. Imo cum ibidem Victorius nominans Hieronymum, *ſanctæ memoriæ* illum dicat, neque ea honoris præfatione in nominando Proſpero utatur: eodem authore hoc anno 457. Proſperum adhuc ſuperſtitem fuiſſe credo. De hoc Proſpero Elſius & Herrera Ordinis Eremitarum Divi Auguſtini Scriptores plura commenti ſunt, fuiſſe patria Lemovicenſem; anno 399. degiſſe Carthagine; fuiſſe diſcipulum S. Auguſtini; & anno demum 416. ex Africa in Gallias rediiſſe: quæ uti ſine teſte dicuntur, ita nullam apud lectores judicioſos & graves fidem inveniunt. Certe Proſper in Epiſtola ad Auguſtinum anno 429. ſcripta, ita ſub initium loquitur: *Ignotus quidem tibi facie, ſed jam aliquatenus ſi reminiſcaris, animo ac ſermone compertus* &c. ut plane ſupinam ignorantiam redoleat, quod ajunt, Proſperum in Africa fuiſſe diſcipulum S. Auguſtini. Vitam ſancti Proſperi poſterorum memoriæ tradere tentavit Joannes Antonius Flaminius, quem ſane alterius Proſperi geſta ſcribere dicerem: niſi ex librorum indice de noſtro hoc Aquitano eum loqui intelligerem. At Deus bone, quas ibi fabulas nectit! Vt enim omittam ab eodem ſcribi, illum in Aſiam profectum, & alia quæ ſupra arguimus ad annum 451. Narrat eundem, poſtquam aliquandiu ibi (dubium Chalcedone, an Romæ) poſt Synodum commoratus eſſet, electum Rejenſem Antiſtitem: mortuum vero anno 466. Pontificatus 22. Cum tamen inter Synodum Chalcedonenſem & mortis tempus, anni tantum quindecim numerentur. Inſuper aſſerit mortuum *Marciano Romano tenente imperium:* cum Marcianus ante novennium deceſſiſſet, anno nempe 457. & *Hilaro II. Pontifice maximo:* cum unus tantum Hilarius ſeu Hilarus ſummus Pontifex fuerit. Tribuit Proſpero libros *de Promiſſionibus & prædictionibus divinis:* ſed cur ex illis Proſperum non ſemel in Africa fuiſſe cognovit, ut hoc ipſum in ejus vita recenſeret? *Libros de vita contemplativa* inſcriptos ait *Juliano ſummo Pontifici*, cum nullus fuerit hujus nominis Papa, & Julianus ille Epiſcopus fuerit. Alia quæ addit, plane ſunt *de communi* (ut dicitur) *unius confeſſoris Pontificis*. Proſpero ſatis laudum dat Eccleſia Romana, quæ in Martyrologio Romano hæc de eodem ad diem 25. Junii habet: *Apud Regium S. Proſperi Aquitani ejuſdem urbis Epiſcopi, eruditione & pietate, inſi-*

insignis, qui adversus Pelagianos pro fide Catholica strenue decertavit. Gennadius Presbyter Massiliensis in libro *de viris illustribus* anno circiter 494 vel 493. composito, Semipelagianos omnes laudibus, Augustinum vero ejusque defensorem Prosperum dicteriis excepit. Etenim cap. 63. ubi de Eucherio, inquit: *Sed & Sancti Cassiani quadam opuscula lato tensa sermone, angusto verbi resolvens tramite, in unum coëgit volumen.* Prosperum vero a Celestino Papa olim commendatum, eidem Catalogo cap. 84. inferens, quasi per contemptum ait: *Prosper homo Aquitanica regionis &c.* deinde illum ut publicum alienæ famæ demunctorem accusans, addit: *Legi & librum adversus Opuscula sub persona Cassiani, quæ Ecclesia Dei salutaria probat, ille infamat nociva.* Vbi Vincentius Lerinensis vocavit Prosperum *Criminatorem*, hic eundem *infamatorem* ignominiæ causa vocat. Vnde ex Semipelagianorum laude & Prosperi a Gennadio reprehensione, illius laudes, illorum vituperia colligenda sunt a prudentibus Lectoribus. Quo autem tempore Gennadius insultavit Prospero, eodem Gelasius Romanus Pontifex anno 494. integram ei famam restituit, in Synodo Romana ubi LXX. Episcopi interfuisse dicuntur. Ibi enim habita deliberatione de libris a Catholicis vel legendis vel rejiciendis, inter alios Libri S. Augustini commendati sunt, itemque Prosperi nostri Aquitani, qui Sanctorum Patrum agmen claudit, diciturque honoris gratia *Vir Religiosissimus.* Plurima de illo apud omnes qui *De Scriptoribus Ecclesiasticis* scripserunt, vel *De Semipelagianis*, quos recensere sigillatim, operosum nimis esset: unde ista sufficiant, ex Historia Pelagiana Henrici de Noris verbotenus collecta, atque in Dissertationis formam redacta.

Agunt *de Prospero* Nomenclatores omnes *Scriptorum Ecclesiasticorum.* Antonius Possevinus tom. 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Prosper Aquitanus.* Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad annum 444. Andreas Rivetus lib. 4. *Critici sacri* cap. 18. pag. mihi 440. Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, quos Bellarminus recensuit, tomo 2. verbo *Prosper Aquitanus.* Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 444. pag. 348. ubi absque teste, Prosperum Aquitanum, *Tyronem* pronomine appellat, multaque alia σφάλματα admittit, quem ex his corrigere nullo negotio quivis poterit. Extant novissime *de veris Operibus sanctorum Patrum Leonis Magni & Prosperi Aquitani Dissertationes Criticæ* Josephi Anshelmii, quibus *Capita de Gratia & Epistolam ad Demetriadem Virginem ac de vocatione omnium Gentium libros duos*, Sancto Leoni nuper adscriptos abjudicat, & Prospero Aquitano postliminio restituere conatur. Accesserunt cum ipsius judicio *de celebri Leonis ad Flavianum, & alius ad diversos à Prospero dictatis in causa Eutychis, cæteræque Epistolis*, aliæ ejusdem Dissertationes *de Leoninis sermonibus & duobus contra Pelagianos rescriptis, & Chronicis Prosperianis*, Poëtice, reliquisque ejus Operibus, tam genuinis, quam dubiis ac suppositiciis, Lutetiæ Parisiorum 1689. in 4to apud Antonium Dezallier, via Jacobæa.

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS ET DOCTRINA SANCTI EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI.

PROLOGVS.

EVcherius vir clarissimus ex Eremita ad Archiepiscopatum Lugdunensem electus, ipse est circa quem teste Labbeo in Opere *de Scriptoribus Ecclesiasticis Bellarminianis*, errarunt multi: quod hujus nobis Dissertationis argumentum obtulit. „De cujus ætate inquit Labbeus, verbo *S. Eucherius Lugdunensis Episcopus*, tomo 1. pag. 292. gestisque rebus multum errarunt Sixtus Senensis, Baronius, Possevinus, Bellarminus, Miræus &c. Cæteris longe accuratiora proposuit Theophilus Raynaudus in Indiculo *de Sanctis Lugdunensibus*, ubi „rectè duos distinguit Eucherios. Primum „ac seniorem, de quo Gennadius cap. 63. *De Scriptoribus Ecclesiasticis.* Sidonius Apollinaris „in *Carmine Eucharistico ad Faustum Reiensem Episcopum.* Rusticus Episcopus in *Epistola ad ipsummet Eucherium*, quam edidit Sirmondus ad Sidonii librum 2. Epist. 12. Salvianus Massi-« liensis in *Epistola ad Salonium.* Claudianus« Mamertus Lib. 2. cap. 9. *De statu animæ.* Mar-« cellinus Comes in *Chronico.* S. Isidorus cap. 15.« *De viris illustribus.* Ado Viennensis in *Chronico*,« Sigebertus in *Chronico* ad annum 435. Petrus« Damiani Lib. 5. *Epistola 19.* Honorius Augu-« stodunensis libello 2. *De luminaribus Ecclesiæ*« cap. 62. & Libello 3. cap. 17. Trithemius & cæ-« teri recentiores: quibus omnibus præire de-« buit Sanctus Hilarius Arelatensis Antistes *Oratione panegyrica* in Sanctum Honoratum de-« cessorem ejus. Alterius ac junioris Eucherii« etiam Lugdunensis Archiepiscopi mentio præ-« clara reperitur, tum in vita S. Cæsarii Arela-« tensis Episcopi, tum in *Martyrologio* Adonis ad« diem 16. Novembris, & in Actis Sanctæ Con-« fortiæ hujus filiæ, quæ in antiquis editionibus« reperiuntur, post *paranesim ad Valerianum de*„«

„*contemptu mundi*: tum maxime in Subſcriptio„nibus Conciliorum Arelatenſis IV. atque A„rauſicani II. annis 524. & 529. celebratorum. „Vnde mirum mihi accidit quo pacto, poſt ex„ſcriptam pene integram Theophili Raynaudi „Diatribam, tam inepte concluſerit Miræus, ma„gnos adhuc viros perſiſtere, in unico Eucherio „Lugdunenſi ſtatuendo. Certe nunquam is „mihi magnus, ſive Belga ſive Celta, aut Aqui„tanus videbitur: qui hæc duo non videat e dia„metro (ut inquiunt) inter ſe diſſidere. Homi„nem qui anno Chriſti 432. urbis Romanæ 1085. „ad Valerianum, jam provectæ ætatis filiorum„que adultorum parens ſcripſerit, eundem po„tuiſſe anno 529. Arauſione præſide S. Cæſario, „cum cæteris Patribus, Semipelagianæ hære„ſeos placita damnare. Atque inde patet ſe„dulitatem ac diligentiam in exſcribendis alio„rum dictis ſcriptisque, parum conferre: niſi „maturum judicium accedat.„ Hæc Labbeus, quæ nos ut prologum huc attulimus, ubi tamen advertimus peccaſſe Labbeum eundem, dum Sixtum Senenſem inter eos qui multa circa Eucherium Lugdunenſem peccarunt, recenſet. Legi enim Sixtum Senenſem in *Bibliotheca Sancta* lib. 8. ubi de ætate aliisque Vitam Eucherii ſpectantibus, nihil definit: unde ſi quædam in aliis occurrant editionibus quas Labbeus habuerit, ad Commentatorem Sixti referenda ſunt, non ad Sixtum. Quod idem vero aſſerit de Cæſare Baronio, bonæ fidei minus habet, cum ſe ipſum Baronius correxerit. Vnde ſincerius Henricus de Noris lib. 2. *Hiſtoriæ Pelagianæ* cap. 13. pag. mihi 264. *Idem Baronius in Annalibus ad annum 441. & in Notis ad Martyrologium ad diem 16. Novembris, duos Eucherios Epiſcopos Lugdunenſes in unum conflarat, quod poſtea eruditum magnus Hiſtoricus correxit, in Appendice ad tomum X. pag. 962.* At Scriptor Annalium Auguſtinenſium Aloyſius Torcellus ad annum 463. utriusque Eucherii facta, tanquam unius geſta confundens: cum juniori duæ filiæ ex Adone fuerint, alter vero ſeu ſenior filios duos Salonium & Veranium habuerit: utramque ſoboIem eidem Eucherio incautus affingit: qui tamen in Sauſſaio ad diem 16. Novembris, Eucherios duos legere potuit, quem ille authorem ſæpius laudat. Plures enim præclariſſimi Antiſtites inter utrumque Eucherium fuere, quorum præcipui, Patiens Sidonii Apollinaris epiſtolis celebratus. Ruſticus, qui anno 494. Epiphanium Ticinenſem Theodorici Regis legatum, Lugduni excepit. Viventiolus, qui anno 517. Synodum Epaunenſem, alteramque Lugdunenſem ſub Sigismundo Rege eodem anno celebratam, ſubſcriptione firmavit. Cui ultimo junior Eucherius ſucceſſit, cujus ordinationem Ado in Martyrologio die 16. Novemb. deſcribit, de ſeniore nihil locutus. Cum itaque tantæ ambages circa Eucherium fuerint, ſpecialem Diſſertationem quæ de ſcriptis tamen potiſſima erit, jure merito ſibi vindicabit.

CAPVT PRIMVM.

NONNVLLA QVÆDAM DE VITA SANCTI EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI, CVI SEPTEM EX SVIS COLLATIONIBVS, CASSIANVS DEDICAVIT.

EVcherius clariſſimo Senatorum ſanguine clariſſimus fuit, quod Hilarius Eucherii ſocius teſtatur Panegyrica eloquentiſſima Oratione quam in S. Honoratum deceſſorem ſuum protulit, his verbis: *Splendidus mundo, ſplendidior Chriſto, æmulus virtutis ejus, beatus Eucherius &c.* Idem quoque poſt Hilarium ſequentibus teſtatur Vincentius Bellovacenſis in *Speculo Hiſtoriali* lib. 20. cap. 20. *Porro Sanctus Eucherius Lugdunenſis & Hilarius Arelatenſis, quos eodem tempore cum ſancto Germano Antiſſiodorenſi floruiſſe jam ſupra diximus: ambo viri nobiliſſimi fuerunt, & eloquentiſſimi. Eucherius ex nobiliſſimo Senatorum genere intra ſpeluncam incluſus, revelante Angelo Pontifex factus eſt, cujus Natalis dies eſt XVI. Calendas Decembris. Hilarius multos ſermones ad populum ſplendidiſſimos compoſuit, cujus Natalis eſt 3. Nonas Maji. Sancti vero Honorati XVII. Calendas Februarii.* 434 Factus nubilis, uxorem pari ſecum nobilitate decertantem duxit, ex qua duos liberos ſuſcepit Salonium ac Veranium: quos inclyta poſtmodum virtus, ad inſignium Galliæ Eccleſiarum Pontificales etiam infulas evexit. Nam Salonius quidem Epiſcopatum Viennenſem poſſedit, Veranius autem ſeu Veranus, Eucherio patre defuncto, ad nobiliſſimum Galliarum Archicathedram Lugdunenſem, ſuffragantibus omnibus electus eſt. Contendens poſtmodum ad altiora Eucherius, vel uxore conſentiente, nuptiarum pertæſus; vel ipſa (quod mihi veriſimilius eſt) fatis functa, ad ſolitudinem deſpectis ſeculi curis, veram Chriſti philoſophiam amplexus, ſeceſſit. Neque hoc inſtitutum vitæ ſolus ambivit, ſed & filium Salonium annos tantum decem natum, ad eandem duxit: quem absque dubio, ad viduæ matris ſolatium Eucherius in ſeculo reliquiſſet, ſi ſuperſtes illa tum fuiſſet. Hoc nos ex duobus libris *Inſtructionum* quas ad Salonium filium Eucherius ipſe ſcripſit, quorum ex præfatione plagulam ſequentem, in argumenti probationem decerpimus. *Dignum namque eſt* (inquit) *quacunque cura mea ingenium tuum reparari: qui vix dum decem natus annos, eremum ingreſſus: inter illas Sanctorum manus non ſolum imbutus, verum etiam contritus ſis ab Honorato patre, illo inquam primum Inſularum, poſtea etiam Eccleſiarum magiſtro. Cum te illic beatiſſimi Hilarii tunc Inſulani tyronis, ſed jam nunc ſummi Pontificis, doctrina formaret per omnes ſpiritualium diſciplinas: ad hoc etiam te poſtea conſummantibus ſanctis viris Salviano atque Vincentio, eloquentia pariter, ſapientiaque præeminentibus.*

Inſulam quandam habitaſſe Eucherium, nullum

lum dubium eſt; cujus locuples teſtis S. Hilarius Arelatenſis Antiſtes, panegyrica Oratione in ſanctum Honoratum deceſſorem ſuum: *Splendidus mundo, ſplendidior Chriſto, emulus virtutis ejus beatus Eucherius, cum ab eremo in tabulis (ut aſſolet) cera illitis, in proxima ab ipſo degens inſula, litteras ejus ſuſcepiſſet: mel, inquit, ſuum ceris reddidiſti.* Quo nullum aliud clarius proponi poteſt de S. Eucherii monaſtica vita teſtimonium: quam in Capraria, Sthecadibus, cæterisque Liguſtici maris inſulis, viſibilis iſti mundi contemptores degebant: quos paulo ante, aut forte illo ipſo tempore quo Eucherius unam ex illis incolebat, *Lucifugas viros* Rutilus Numatianus in *Itinerario* appellavit. Sed quam primum ex iſtis inſulis Eucherius habitaverit, an Leronem, quæ modo a ſancta Margareta nomen habet? An Lerinum? quam S. Honoratus incolebat, quæ ab ipſo poſtmodum nomen ſuum mutuata eſt, incertum eſt. Hunc Eucherium fere omnes Monaſterium Lerinenſe habitaſſe ſcribunt. Theophilus autem Raynaudus apud Bolandum in Notis ad *Vitam S. Honorati* ad diem 16. Januarii, illum fuiſſe Monachum Lerinenſem negat: ſed judice Eucherio lis componitur. Hunc anno 427. in proxima Leronis inſula, quæ S. Margaretæ nomine hodie indicatur, habitaſſe ex Epiſtola ejusdem *in laudem Eremi* conſcripta, patet. Idem Hilarius in Oratione *de Sancto Honorato* cap. 22. ubi ait: *Beatus Eucherius cum ab eremo in tabulis (ut aſſolet) cera illitis, in proxima ab ipſo degens inſula, litteras ejus ſuſcepiſſet &c.* Degebat ergo Eucherius in altera ab Honorato, qui Lerinum incolebat, inſula: quæ Leronis, ſeu ſanctæ Margaretæ eſt. Sub initium quidem converſionis, cum ad Monaſticum ſeſe recepiſſet inſtitutum, Lerinum venit: quod vero non Cœnobitam, ſed Anachoretam agere vellet, ex Caſſiano *Præfatione* ad Collationem undecimam: ad Leonem inſulam ſe contulit. Hinc Eucherius ipſe in Epiſtola, *de Laude Eremi*, inquit. *Equidem cunctis eremi locis quæ piorum illuminantur ſeceſſu, reverentiam debeo: præcipue tamen Lerinum, meam honore complector, quæ procelloſi naufragiis mundi effuſos, piiſſimo ulnis receperat venientes.* Ex quibus intelligitur Carmen illud Sidonii Apollinaris in *Euchariſtico ad Fauſtum*, ubi celebrans Lerini Monachos ait: Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari &c.

Quibus verbis Hilarium relicto Honorato, quem Arelatem ſub Pontificatus initium proſecutus fuerat, ſuam Lerinum repetiiſſe ſignificat. Eucherium vero ſub initium quidem Lerinum adventaſſe, unde poſtea in proximam Leronem inſulam ſeceſſerit. Confirmatur & iſtud *ex ſeptem Collationibus* quas Caſſianus anno circiter 425. vel 426. *Honorato atque Eucherio* dedicavit. Quis enim credat illas Caſſianum dedicaſſe aliis, quam Lerinenſibus tunc Monachis, quod de Honorato tunc ejusdem loci Abbate, clarum ſit? Has ſeptem Collationes non fuiſſe editas poſt annum 426. ſed eodem anno emiſſas eſſe, apud me certum eſt. Nam Honoratus Abbas Lerinenſis circa finem hujus anni in locum occiſi Patrocli ſubrogatus, Arelatenſem Eccleſiam gubernandam ſuſcepit: Patroclum vero anno 426. occiſum teſtatur Proſper in *Chronico*. Dum porro Collationes ſcripſit Caſſianus, Honoratus nondum erat Epiſcopus, ut ex Præfatione patet, ubi ait: *Tamen nos o ſancti fratres Honorate & Eucheri &c.* Erant igitur tunc anno 426. Honoratus Abbas & Eucherius Monachus Lerinenſis. Imo Eucherius potiſſimum, hunc celebrem Auguſtini hoſtem Caſſianum ad conſcribendas has ſeptem Collationes impulit, juxta Caſſianum ipſum *Collatione 18.* cap. 1. ubi ait. *Poſt conſpectum atque colloquium trium illorum ſenum, quorum Collationes ſancto fratre noſtro Eucherio compellente, utcunque digeſſimus.* Quas etiam in compendium redegiſſe, ex Gennadio poſtea dicemus. Cum itaque Eucherius has a Caſſiano circa annum 424. inſtanter poſtulaſſet, Honorato honoris cauſa Caſſianus, Eucherio Lerinenſi tunc Monacho, officii ergo, prout par erat, dedicavit. Imo reliquas Collationes ſeptem, nimirum a 19. ad 24. quas Monachis in Stœcadibus degentibus inſcripſit, jam in manibus compoſitas habebat, quando haſce ad Lerinenſes emiſit. Illarum enim mentionem facit in fine *Præfationis* ad Honoratum & Eucherium: *Si vero ſanctam ſtudii veſtri ſitim etiam hac ſatiare non quiverint, ſeptem alias Collationes quæ ad ſanctos qui in Stœcadibus conſtitunt inſulis emittendæ ſunt, Fratres deſiderium ut arbitror veſtri ardoris explebunt.*

CAPVT SECVNDVM.

SENTENTIA HERIBERTI ROSWEIDI DE COMPILATORE INSTITVTIONVM ET COLLATIONVM CASSIANI ABBATIS, EX PROPRIIS ROSWEIDI VERBIS ALLATIS. EVCHERIVS COMPILATIONIS HVIVS, EX GENNADIO ET PETRO DAMIANI, ASSERTVS AVTHOR.

IDem Caſſianus Collatione XI. in Præfatione ſcribit, Eucherium Lugdunenſem poſtea Epiſcopum, in Ægyptum pergere noluiſſe: *ut hanc quaſi frigoris Gallicani rigore torpentem provinciam derelinquens, ad illas quas Sol juſtitiæ proximus reſpicit terras, maturis fructibus redundantes, velut turtur caſtiſſimus transvolaret.* Nihil mirum igitur, quod is qui natale ſolum ut ad transmarinas partes navigaret, obtentu devotionis derelinquere ſtatuerat, afficeretur tanto erga Monachos Ægyptios amore: ut illorum inſtituta & mores in Caſſiani Abbatis libris 24. Collationum & libris 12. Inſtitutorum expreſſos atq; ad longum deductos, compendio ad ſubminiſtrandos pietati fomites, Eucherius Monachus contraxerit. Tanta autem hoc argumentum diligentia Heribertus Rosweidus tracta-

vit, in Præludiis ad Vitas Patrum quas edidit *Prolegomeno VI.* fol. 16. & ſequenti : ut delinquere mihi non parum viderer, niſi ad verbum huc transmitterem. Ita ille igitur

„ Quartus Liber *ex Severo Sulpitio & Joanne „Caſſiano* eſt concinnatus. Sunt enim excer„pta tantum quædam ex eorum libris, verbis pe„ne eisdem. Loca ſingula unde deſumpta ſunt, „ad ſingula capita annotavimus. Quis autem „ea concinnaverit, non habeo certo dicere. Vi„deamus tamen an & hìc felici indagine poſſi„mus ad concinnatoris pervenire cubicula. „Quod ſi non omnino pervenerimus, jucun„dum ſaltem erit, preſſa legiſſe veſtigia. Scio „Gennadium *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 63. „tradere *Eucherium Lugdunenſis Eccleſiæ Presbyte„rum*, quædam Caſſiani Opuſcula lato tenſa ſer„mone, anguſto verbi reſolviſſe tramite, & in u„num volumen coëgiſſe. Scio Caſſiodorum „*Inſtitutionum Divinarum* cap. 29. affirmare Vi„ctorem quendam Afrum, Martyritanum Epi„ſcopum, Caſſiani de Inſtitutione Monachorum „dicta purgaſſe, & quæ minus erant, addidiſſe, „non ſine palmari laude. Sed an hic liber quem „habemus præ manibus, vel libri pars aliqua, al„teri eorum tribuenda ſit : non auſim affirmare. „At præſtat hic ipſa Gennadii Caſſiodorique „verba ſubjungere, ut Lector videat, ſi quid certi „de concinnatore hoc diſcernere poſſit. Gen„nadius igitur hæc de Eucherio : *Sed & Caſſiani „quædam Opuſcula, lato tenſa ſermone, idem Euche„rius anguſto verbi reſolvens tramite, in unum coëgit „volumen.* Hæc Gennadius inquit Baronius, ad „annum 433. Ejusdem Pelagianæ farinæ cum „Caſſiano, qui ne diceret, erroribus confutatis „Eucherium expurgando contraxiſſe Opera „Caſſiani : latum ſermonem circumcidiſſe præ„texuit. Quod ſi Eucherius, hujus quod hoc „libro quarto damus, Compendii eſt author : „eum & ſcalpello uſum & forcipe, nunc venam „incidendo, noxiumque ſanguinem extrahendo, „nunc luxurians capillitium circumcidendo, „merito dixeris. Nam ita ſanus, ita conciſus „hic Caſſianus eſt, ut nullo Pelagianæ præſiden„tiæ nimio fervore vena micet, nullis prolixita„tis cincinnis exuberet, faſtidioſa facundia. E„quidem non video, cur non poſſit tribui *Euche„rio*, hæc ex Caſſiano concinnatio. Niſi fortas„ſe quispiam obſtare velit, quod hoc eodem „Compendio per Severi Sulpitii vineta itur, „quæ & ipſa putatoria ceduntur falce. Ita qui„dem librum hunc quartum & editi & Manu„ſcripti ex Sulpitio & Caſſiano, tacitis tamen no„minibus, adornatum exhibent. Non deſunt „tamen MSS. uti Camberonenſis, qui librum „hunc quartum ex ſolo Caſſiano habeat ex„preſſum, omiſſis illis quæ ex Severo Sulpitio „paſſim præmittuntur. Atque ita *Eucherio* „hæc Epitome tribui poſſe videri poſſit. Ac„cedit Petri Damiani non omnino vero abſimile „teſtimonium Lib. V. Epiſt. XIX. *Quod ſi vo„bis dubium videtur, ſaltem veſtrarum partium te„ſtimonio aurem accommodate : legite Collationes „Patrum, quas Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus eli„mato ſermone abbreviare ſtuduit, etſi nobis credere „non vultis, ſaltem illius litteræ credite.* Agit au„tem ibi de Monachorum veſtitu Damianus, de„quo in hoc Sulpitii & Caſſiani Compendio ha„bes cap. 15. quod Eucherio adſcribit. „

Quia tamen editi omnes & plerique MSS. „librum hunc ex utroque contractum repræ„ſentant, videndum an quod habet Caſſiodorus „*Divinarum Inſtitut.* cap. 29. De Victore quo„dam Afro, huc facere poſſit. *Caſſiani*, inquit, „*dicta Victor Martyritanus Epiſcop. ut Afer ita Domi„no juvante purgavit, & quæ minus erant, addidit : ut „ei rerum ſtatarum palma merito conferatur, quem „inter alia de Africæ partibus, cito nobis credimus eſſe „dirigendum.* Forte enim additio hæc intelligi„poteſt de Sulpitii Epitome, quæ huic Caſſiani „Epitomæ adjuncta eſt. Niſi quæ addiderit iis „quæ purgavit, id eſt, Antidotum contra veneni„intimationem, quod ſcriptis ſuis ſparſim infere„bat Caſſianus, appoſuerit. Baronius ſupra ex„iſtimat Caſſiodorum ſpe fruſtratum non acce„piſſe quod ex Africa expectabat. Siquidem „Ado Viennenſis in Chronico anno 425. ab ipſo „Caſſiodoro id operis, ut Caſſianum corrigeret, „claboratum affirmat, dum ait : *Opera illius à Ca„tholicis cautiſſime legenda ſunt, maxime de libero „arbitrio & gratia : Sed & Encratitarum hæreſi in„cautius favit. Errores illius Caſſiodorus Ravenna„tum Senator maxime purgare volens, non ad ple„num omni ex parte potuit.* Quis nunc horum „Excerptorum author ſtatui poſſit, malim in„medio relinquere, quam temere aliquid aſſe„rere. Petrus Ciacconius præfatione ad Le„ctorem Caſſiani, refert in Vaticana Bibliothe„ca Collationes aliquot & octo poſtremos In„ſtitutionum libros in Græcam linguam con„verſos eſſe : ſed in compendium potius reda„ctos quam integre converſos, quem ea de re „differentem legere quisque poteſt. „ Hæc e„ruditus Rosweidus. Juxta quam Rosweidi ſententiam, Andreas Schottus Antverpienſis, ejusdem ſocietatis Theologus, qui anno 1618. omnia S. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi Opera à ſe (ut inquit) ad MSS. Codices recenſita, in Bibliothecam SS. Patrum editionis Colonienſis apud Hieratum immiſit, hanc Eucherii lucubrationem eſſe deperditam opinatus eſt. Sic enim loquitur in Prologo ſuo ad hanc editionem, qui etiam in editione Lugdunenſi Bibliothecæ Sanctorum Patrum anno 1677. apud Aniſſonios legitur : *Extaret utinam, quam in Catalogis Eccleſiaſticorum Scriptorum nominari video, ex Joanne Caſſiano Eucherii Epitoma. Lucem enim aliquam obſcuris in locis, depravatisque haud dubie afferret.* Ita ſentiebant viri iſti eruditi.

Quibus nec temere addam facillimum eſſe, ut ſpeciales characteres utriusque Operis, *Eucherii* nimirum *Lugdunenſis*, & *Victoris Martyritani Epiſcopi*, in Collationes Caſſiani diſtinguamus.

mus. Nam Victor Martyritanus in Opere ſuo corrigebat, detrahebat atque addebat: quæ cum abſint à Compendio, quod extat in *Vitis Patrum* Heriberti Rosweidi Liber Quartus, conſequitur ut illud nullatenus ad Victorem Martyritanum Epiſcopum ſpectare poſſit. In hoc Compendio tum *Dialogorum Severi Sulpitii*, atque *Inſtitutionum ſimul & Collationum Caſſiani*, immutatum nihil eſt, ſed ex propriis illorum verbis conſtat: unde ſequitur nihil eſſe correctum, nihil additum, licet ob Compendii rationem multa detracta ſint. Ex teſtimoniis autem Gennadii ac Petri Damiani ſupra allatis, Eucherius nec correxiſſe dicitur, nec addidiſſe, ſed contraxiſſe tantum: quod huic Compendio de quo loquimur, apprime convenit. Nec Gennadius præciſe ait, Eucherium *Collationes Caſſiani* contraxiſſe in Compendium, ſed *Opuſcula* in plurali, quæ huic pariter Compendio conveniunt, quo ſanctus hic tam *Collationes*, quam etiam libros *de Inſtitutionibus* in Compendium collegit: unde nullum mihi dubium quin ad S. Eucherium Lerini tunc vel Leronis Monachum certo pertineat. Tantum autem abeſt, ut quæ ex Dialogis Severi Sulpitii contracta in eo continentur, noſtræ noceant ſententiæ, ut plurimum inde ſtabiliatur. Nihil enim tam obvium Eucherio Gallo monacho fuit, quam ut ex duobus Gallis authoribus, Sulpitio Severo & Caſſiano, qui olim ad Ægyptias partes perrexerant, Compendium ejusmodi contexeret: quod Epiſcopo Afro longe difficilius fuiſſet, cui Severus Sulpitius nunquam forſitan cognitus fuit. Vnde Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiaſticorum, verbo *Eucherius Lugdunenſis Epiſcopus*, ad annum 434. pag. 336. in hanc ſententiam loquitur. „ Porro Caſſiani Opuſcula „quædam exſectis erroribus & abbreviato ſer„mone in unum compegiſſe Eucherium, prodit „Gennadius *de Scriptoribus* cap. 63. Vnde non „deſunt, qui librum quartum *de Vitis Pa„trum* (ex Severi Sulpitii & Caſſiani ſcri„ptis concinnatum, uti librum inſpicientibus fa„cile patebit) noſtrum Eucherium autorem ha„bere contendant.

CAPVT TERTIVM.

EVCHERIVS SEMIPELAGIANISMO NVNQVAM LABORASSE LEGITVR.

BAronius ab Eucherio Caſſianum correctum dicit, ne in Semipelagianiſmi ſuſpicionem Antiſtes Lugdunenſis veniat: ſed ut inferius notabimus, id præter Veterum teſtimonia aſſeritur. Hunc Caſſiano cæterisque Maſſilienſibus adhæſiſſe nullatenus lego, imo ex conjecturis ſatis validis, ipſum nunquam Semipelagianiſmo fuiſſe imbutum colligimus. Nam Auguſtiniano illum dogmati quod ad ipſam *de gratia & prædeſtinatione* doctrinam ſpectat, adhæſiſſe certo colligendum eſt, ex iis quæ habet in Libro *Quæſtionum Veteris Teſtamenti* ad Salonium filium, ubi ad libros Regum ita ſcribit: *Quia Deus ſuum illud juſtum, incorruptumque judicium ex æquitate depromit: non ex præſcientia eligit quempiam, cum meretur: reprobat, cum electione indignus efficitur.* Qui autem cum Divo Auguſtino, immobilem Dei prædeſtinationem, à præviſione meritorum independentem docuit: multo minus aliis Semipelagianæ doctrinæ furfuribus conſperſus fuiſſe credendus eſt. Nonnulli poſſent ſuſpicari ex verbis Proſperi in Epiſtola ad Auguſtinum, ubi de Semipelagianis ait, *& aliqui eorum adepto nuper ſummo Sacerdotii honore ſupereminent*: inter hos includi Eucherium, uti Hilarium Diſſertatione præcedenti intelligi diximus: & Maximum quoque Epiſcopum Regienſem denotari, Viſſerius contendit. Sed plane vir doctus hic hallucinatur, Litteræ enim illæ datæ ſunt anno 429. Maximus autem anno demum 433. ad Regienſem ſedem evectus eſt. Nec Eucherius quoque in numero eorum Epiſcoporum de quibus Proſper, reponi poteſt, quippe qui anno 432. adhuc Monachus erat. Nam in Oratione Parænetica, qua Valerianum cognatum ſuum ad Monaſticam vitam ſecum ineundam hortatur, atque religioſam ſolitudinem miris præconiis effert: ſcribit ab Vrbe condita ad ſua usque tempora annos fluxiſſe 1185. Quo tempore ſi Varonianam ſecutus eſt ſupputationem, annus 432. Epochæ Chriſtianæ currebat, quando Eucherius adhuc Monachus Leronem incolebat: unde a plerisque anno 434. Lugdunenſis Epiſcopus collocatur. Non ergo anno 429. Eucherius & Maximus inter Epiſcopos intelligi poſſunt, de quibus Proſper in Epiſtola ad Auguſtinum, hoc anno ſcripta.

Eucherii porro patris doctrinam, ambo ejusdem filii Salonius & Veranus amplexi ſunt, *Dialogo* in Parabolas Salomonis. Qui licet ſub Hilarii Semipelagiani diſciplina in Lerinenſi Monaſterio educati, Auguſtinianam tamen *de prædeſtinatione* ſententiam profitentur: ut palam ſit, illam ſucceſſu temporis in Gallia prævaluiſſe. Salonii verba ſunt: *Omnes enim lapides ſeculi, id eſt, ſancti & electi viri opera ſunt Domini: quia nemo propria virtute, quia nemo ſuo merito electus eſt a Domino, ut cœleſti ædificationi eſſet aptus, ſed ſola gratia & miſericordia ipſius.* Qua brevi ſententia, ex meritis fidei naturalis, prædeſtinatio Semipelagianorum ſuffocatur. Vterque vero Epiſcopus fuit, quorum ad S. Leonem Papam communis Epiſtola eſt, de quibus mentionem etiam Gennadius facit in Catalogo *Scriptorum illuſtrium* cap. 63. in *Eucherio*.

Nec cæteris etiam Semipelagianiſmi capitibus, nempe quod *initium fidei a nobis ſit*, vel quod *Perſeverantiæ donum mereamur*: Eucherium adhæſiſſe, probabile ullatenus eſt. Quin potius, illis adverſus Caſſianum contradixiſſe, probatilius

lius eſt. Teſtibus enim Gennadio ac Petro Damiani locis ſupra citatis, Eucherium ſcripſiſſe Compendium ex Dialogis Severi Sulpitii atque ex Inſtitutionibus & Collationibus Caſſiani, conſtat. Vbi cum nihil omnino quod Semipelagianiſmum ſapiat, vel ſanæ *de gratia* Divi Auguſtini doctrinæ adverſum ſit, licet poſt acceptas a Caſſiano Collationes compoſitum credatur: ex ſuppreſſione zizaniorum ejusmodi, quæ etiam utrumque jam in decem primis Collationibus inſperſæ erant: colligimus Eucherium hac in parte prudenter abſtinuiſſe ab illo inſipido Caſſiani Semipelagianiſmo, quem ſuppreſſit ut fidei adverſum. Atque hac quidem ratione Baronius intelligendus eſt, dum ait, *eſſe quosdam qui contendant Caſſianum ab Eucherio quoque Lugdunenſis Eccleſiæ Presbytero emendatum.* Cenſetur namque emendatus ab Eucherio Caſſianus, dum ejus errores in *Compendium* ſuum non admiſit, dum reſecuit, dum ſuppreſſit.

CAPVT QVARTVM.

DE ALIIS SCRIPTIS SANCTI EVCHERII LVGDVNENSIS EPISCOPI.

MVlta tribuuntur ſancto Eucherio Lugdunenſi Epiſcopo, partim genuina, partim ſuppoſita, de quibus ſigillatim, apto quantum fieri poterit ordine, pauca pro more lectorem edocebo.

Compendium Collationum & Inſtitutionum Joannis Caſſiani, quod liber quartus *de Vitis Patrum* eſt, quas eximie habes editas cura & ſtudio doctiſſimi viri Heriberti Rosweidi in fol. Antverpiæ annis 1615. & 1628. ex Plantiniana officina, & Lugduni 1617. apud Laurentium Durand. De variis editionibus iſtarum *de Patribus antiquis* Vitarum, idem Heribertus Rosweidus Prolegomeno XVII. fol. 30. quo nihil accuratius dici poteſt.

Liber formularum ſpiritualis intelligentiæ, cum præfatione ad Veranum filium poſtea Epiſcopum. *Libri duo Inſtructionum* ad Salonium alterum filium, ipſum quoque poſtea Epiſcopum: quorum 1. *Quæſtiones & Reſponſiones de difficilioribus veteris ac novi Teſtamenti locis* continet. Secundus *interpretationem nominum & aliorum, quæ in ſacris locis occurrunt.*

Epiſtola ſeu *libellus de vita ſolitaria ad cognatum Valerianum*, impreſſa primum Pariſiis anno circiter 1520. ex MS. Codice, apud Claudium Chevalon, dedicata Guillelmo Parvi Trecaſſino Epiſcopo, olim Ludovici XII. & Franciſci I. Regum Francorum a ſacris confeſſionibus. Eadem Opera eodemque modo in *Chronologia* Abbatiæ Lerinenſis, cura & ſtudio Vincentii Barralis Salernitani in 4. Lugduni anno 1613. prodierunt apud Petrum Rigaud. Sed anno 1531. Opera S. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi hoc ordine prodierunt Baſileæ in folio ex officina Frobeniana, curis & induſtria Joannis Alexandri Braſſicani Jurisconſulti.

Commentariorum in Geneſim lib. 3.

Commentariorum in libros Regum, lib. 4.

Formularum Spiritualium liber 1.

Quæſtionum in vetus & novum Teſtamentum lib. 2.

Epiſtola Paræneticæ de contemptu mundi ad Valerianum, cum ſcholiis Deſiderii Eraſmi Roterodamenſis. Quæ eadem Opera recudit ordine eodem Romæ anno 1564. Paulus Manutius, absque immutatione ulla. Vnde poſtea in Bibliothecam Sanctorum Patrum, editionis Colonienſis anni 1618. commearunt, ex editione & recenſione Andreæ Schotti Antverpienſis e Societate Jeſu Presbyteri.

Ejusdem *Epiſtola de laude Eremi*, ſive *de vita ſolitaria ad ſanctum Hilarium Arelatenſem poſtea Epiſcopum*, ac proinde ante annum 428. conſcripta, quam primus edidit Gilbertus Genebrardus Aquenſis Archiepiſcopus, anno 1578. Sed recenſuit notisque illuſtravit cum *Epiſtola de contemptu mundi ad Valerianum*, Heribertus Rosweidus de quo ſupra.

Hiſtoria paſſionis Sanctorum Mauricii & ſociorum Legionis Thebææ, Agauni in Sedunis juſſu Maximiani Imperatoris interemptorum, ad Sylvium Epiſcopum: quam a Laurentio Surio editam ad diem 22. Septembris, ſeorſim quoque cum Notis vulgavit Petrus Stevartius Leodienſis, a. 1601. Quam denique ab omni extraneo purgatam edidit tertio ex MSS. Codicibus, Petrus Franciſcus Chiflet Presbyter Societatis Jeſu, in *Paulino illuſtrato*, quem Divione evulvavit anno 1662. Tandem hæc omnia Opuſcula ſimul collecta, in ultimam Bibliothecæ Sanctorum Patrum editionem, ordine tantum mutato injecta ſunt, quam XXVII. in fol. Voluminibus ediderunt anno 1677. Lugdunenſes Bibliopolæ Aniſſoniani fratres, ordinante editionem hanc amico noſtro, Philippo Deſpout Presbytero, Pariſienſi Theologo, atque Noſocomii Inſanabilium Pariſienſis Præpoſito. Procedunt autem hoc ordine in ultima editione iſta, inter ſeculi V. Scriptores. *Sancti Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi, liber formularum ſpiritualis intelligentiæ.* Ejusdem *libri 2. Inſtructionum ad filios ſuos Salonium & Veranium. Epiſtola ſeu libellus de contemptu mundi & ſecularis philoſophiæ ad Valerianum cognatum ſuum.* Ejusdem *libellus de laude Eremi ad Hilarium.* Ejusdem *Paſſio ſanctorum Martyrum Agaunenſium, Mauricii &c. ad Salvium Epiſcopum.* His ergo tanquam indubiis Eucherii Scnioris Opuſculis præmiſſis, adulterina legitimo ordine genuinis ſubjunxit, ejusdem nimirum nomine *Commentariorum in Geneſim lib. 3.* atque *Commentariorum in Libros Regum, lib. 4.* Habentur porro hæc Opera S. Eucherii, Manuſcripta in vetuſtiſſimis Galliarum Codicibus, cum quibus nos editiones magna cura contulimus. Nempe in Regia Bibliotheca Cod. 3795. *Formulæ Spiritualis intelligentiæ, Libri 2. Inſtructionum*

num ad filios suos Salonium & Veranium, libellus de laude Eremi ad sanctum Hilarium cum Epistola inferius citanda, quam edidit Stephanus Baluzius. Ibidemque Homiliæ 42. Cæsarii Arelatensis Episcopi, Eusebii Emisseni nomine Homiliæ Paschales duodecim, itemque Opuscula sancti Paciani Barcinonensis Episcopi. Ejusdem Eucherii Opuscula in MSS. Codd. Bibliothecæ Colbertinæ 1893. ubi varia Opera. 2951. 4015. 6556. & 5043. denique in sancti Germani Parisiensis Codd. 250. & 281. quæ Benedictini Ordinis Abbatia insignis est.

De Martyrio Sanctorum Mauricii & Sociorum, hæc Sigebertus cap. 158. *de illustribus Scriptoribus* in Marbodo Episcopo Redonensi. "Scripsit metrice, inquit, passionem Thebæorum „quasi pedibus vadens in sententiam Eucherii „Lugdunensis Episcopi, qui eam urbana prosa „scripserat ad Silvium Episcopum." Uter quidem fuerit Eucherius non asserit, sed in eorum lubentius sententiam imus, qui Seniori adscribunt contra Labbeum juniori assignantem, quem nullo Veterum testimonio scripsisse aliquid unquam constat. Habetur autem hoc Opus MS. in Regia Galliarum Bibliotheca Cod. 3654. pag. 61. in Legendario plurimorum SS. Martyrum & Confessorum, ubi *Prologus S. Eucherii Lugdunensis Episcopi*, cum passione SS. Martyrum Thebæorum. De hoc igitur Opusculo Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* quos Bellarminus attingit tomo 1. verbo *S. Eucherius Lugdunensis Episcopus*, illudque jam olim a Surio editum attribuit Eucherio juniori, Lugdunensi itidem Episcopo, qui temporibus sancti Cæsarii Arelatensis Archiepiscopi floruit. Sed qui illud nuper ad MSS. Codices collatum in *Paulino illustrato* edidit Petrus Franciscus Chifletius Soc. Jesu, Eucherio Seniori adscribit, idemque facit ultima editio Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Anissovianæ Lugdunensis 1677. seculo V. parte 2. in qua Opera S. Eucherii senioris inseruntur. Et sane stylus S. Eucherium seniorem olet, quem multa scripsisse constat, quod de juniore incertum est. Eandem amplexus est cum Labbeo sententiam Guillelmus Cavus in *Historia literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo V. ad annum 434. pag. 335. ubi sic loquitur. "*Historia „passionis S. Mauricii & Sociorum Martyrum Legionis* Thebææ, quam plurimi Eucherio juniori „adscribunt, & recte quidem. Author enim sub „finem historiæ narrat institutum esse, ut hymni diu noctuque in laudem istorum Martyrum in Ecclesia Agaunensi decantarentur, jubente sancto & præclaro Christi Martyre B. „Sigismundo Rege: institutumque illud usque „hodie conservari. Cæterum Sigismundus ille Martyrium anno 524. obiit. Habetur apud „Surium ad diem 22. Septembris, seorsim vero „cum Notis edidit Petrus Steuartius Ingolstadii 1617. Fallitur vero Cavus in hoc facto, quidquid in contrarium philosophetur: verba enim quæ affert *Interpolatoris* sunt, non primigenii scriptoris. Legisse debuerat non editionem Surianam aut Steuartianam interpolatas, sed Chiffletianam atque ex eo alteram ultimæ editionis Bibliothecæ SS. Patrum Lugduni apud Anissovios Fratres: quæ ambæ ab extraneis puræ sunt, neque interpolamenta continent, quibus plurimi sæpe in errorem inducuntur. atque utinam hoc unicum in hoc volumine, Cavi mendum esset.

At his (inquies) obstare videtur quod in eo Opusculo, S. Theodori Sedunensis Episcopi mentio fiat, quem floruisse circa annum 515. constat, ex Instrumento Fundationis Monasterii SS. Mauricii & Sociorum Martyrum a Rege Burgundionum Sigismundo, in quo allegatur velut præsens & sententiam suam in hoc Conventu exponens. Habetur monumentum istud in Conciliis novissimæ editionis Labbeanæ Parisiensis anni 1671. Seculo VI. tomo IV. ad annum 515. colum. 1557. Verum objectio nulla prorsus est. Ex iisdem enim Conciliis constat duos fuisse Theodoros Sedunenses Episcopos, seniorem unum, qui anno 381. Concilio Aquilejensi interfuit, & juniorem alterum qui anno 515. sub Sigismundo Rege Burgundionum floruit. De primo seu Seniore S. Eucherius senior, non de juniore an. 515. Adde quod ut habet Labbeus in Conciliis, hæc charta fundationis Monasterii, S. Mauricii apud multos viros eruditos, suppositionis arguatur. Quis enim credat ex sexaginta Episcopis qui aderant, quatuor tantum aut quinque, & quidem absque Metropolitano subscripsisse, qui tamen præsens adfuisse describitur. Olent ista Monach. impostorem aliquem. Quod autem de Theod. seniore, Eucherius sen. non de juniore jun. Eucherius locutus sit, aperte mihi ex Actis Passionis hujus constare videtur, ubi num. 4. sic. *At vero beatissimorum Acaunensium Martyrum corpora non post multos passionis annos, sancto Theodoro ejusdem loci Episcopo, revelata traduntur.* Cum enim Eucherius junior Theodoro juniori (si tamen quis fuit) synchronus esset, simulque florerent: si hoc junioris Theodori temporibus factum fuisset, nunquam ita junior Eucherius se expressisset, sed *nostra quoque ætate* vel *nostris temporibus* dicens, Theodorum velut sibi amicum & cognitum indicasset. Recte autem ista dicere potuit Eucherius senior circa annum 446. clarus, de seniore Theodoro, qui anno 381. Concilio Aquilejensi interfuit, annoque circiter 390. florebat.

Philippus etiam Labbeus anno 1657. tom. 1. *Nova Bibliotheca Manuscriptorum librorum* p. 665. edidit *Epistolam Eucherii Episcopi* ad Faustum seu Faustinum Presbyterum Insulanum *de situ urbis Hierosolymitanæ atque ipsius Judææ.* Hanc ex Codice Vaticano venerabilis Bedæ de *Tabernaculo*, cum aliquot Opusculis descripserat, ante 60. annos Sirmondus: quam ipse etiam vidi MS. & contuli in Bibliotheca sancti Germani Parisiensis Cod. 281. Hujus Eucherii Lugdunensis Episcopi

ſcopi *alterum Epiſtolam ad Philonem Presbyterum ſuum*, edidit Stephanus Baluzius tomo 2. Operum Agabardi, in Notis pag. 155.

CAPVT QVINTVM.

DE

OPERIBVS EVCHERIO LVGDVNENSI EPISCOPO SVPPOSITIS.

VOluit Cæſar Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis*, multisque contendit ad annum 441. num. 4. & ſequentibus, Homilias illas veteres quæ ſub nomine Euſebii Emiſeni Epiſcopi ſæpius impreſſæ ſunt, ſpectare ad ſanctum Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum, de quo agimus. Sed quam parum conſtanter aut æque id ſenſerit, oſtendimus ſupra in Diſſertatione *de Scriptis Pſeudo Euſebio Emiſeno attributis* cap. 4. ut ſpartam hanc iterum adornare operæ pretium nullum fuerit. Plurimæ inter illas, quæ vel ad Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, vel ad Cæſarium ſedis ejusdem ſucceſſorem, Fauſtumque Regienſem, ex aliorum cenſura ſpectant: paucæ nonnullæ, quas ex argumento Baronius, Lugdunenſi noſtro Eucherio ſeniori aſſignat.

Vna quæ *de ſancta Blandina Martyre* eſt, orditurque, *Etiamſi Martyribus regionis extremæ* &c.

Altera *de ſanctis Martyribus Epipodio & Alexandro*, cujus initium, *Magnum quidem eſt publicis atque communibus* &c.

Quibus addo Lucam Holſtenium Vaticanæ Bibliothecæ cuſtodem, in *Appendice* ad Codicem Regularum ex fide MS. Codicis Floriacenſis alias quatuor edidiſſe, quarum duæ jam extabant ſub nominibus aliis, aliæ vero duæ inſcribuntur

Exhortatio ſancti Eucherii ad Monachos, incipiens: Quid vobis exhibeamus Fratres, quod & nobis dicere &c.

Alia *exhortatio* ſeu *ſententia ſancti Eucherii ad Monachos*, incipiens: In hunc fere modum artifex mundi Deus &c.

Et quamvis hæ poſtremæ duæ homiliæ quæ alias ſequuntur, tantam dictionis eloquentiam aut ſuavitatem non habeant, quantam aliæ duæ, ut legenti cuique conſtare poteſt: graves attamen ſunt, quæ ſtylo licet conciſiori ſcriptæ, leporem etiam ſuam habent, nec magno Eucherio cui eas attribuit Lucas Holſtenius, indignæ ſunt. Verum Collectionem hanc Homiliarum omnem, poſtea Diſſertatione ſingulari Fauſto Regienſi Epiſcopo nos adſcribemus, in *Fauſto*. Vnde vera non eſt nec eſſe poteſt, Joannis Mariæ Braſichellani ſententia, qui in Indice expurgatorio pag. 110. aſſerit, *ſcitum eſſe inter eruditos, ſancti Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi Opus eſſe omnes illas homilias:* quæ nomine Euſebii Emiſeni circumferuntur. Quas Hilario Arelatenſi poſtmodum adſcripſit in *Bibliotheca Concionatoria* Franciſcus Combefis, in *Appamtu prævio*, verbo Hilarius Arelatenſis. De quibus nos antea pluribus egimus, in Diſſertatione ſingulari, *de Scriptis Euſebii Emiſeni*, quam videas.

Quantum ad *Commentarios in Geneſim ac libros Regum*, falſo alterutri tribuuntur Eucherio: cum illorum author Angliam patriam, ætatemque ſuam aperte ſatis inſinuet. Sane D. Gregorium aperte citat pag. 47. & 130. editionis Baſileenſis, ſive ſub extremum libri 1. Regum & cap. 22. libri tertii: ubi etiam Sanctorum Auguſtini, Paulini & aliorum meminit, qui ejusdem Gregorii juſſu in Britanniam venerunt. Citatur quoque lib. 3. cap. 18. Caſſiodorus Senator, qui ſeniori Eucherio junior, juniori ſynchronus, imo & ſuperſtes fuit. Vide Sixtum Senenſem lib. 4. *Bibliotheca ſancta* pag. 226. ubi ait. "Non audere ſe affirmare iſtos libros eſſe" Eucherii, ſed incerti potius ac recentioris cu-" jusdam Collectoris, qui Opus more Cento-" num hinc inde ex Latinorum Patrum dictis" collegerit, præſertim ex integris ſententiis" Gregorii, Iſidori, Bedæ & aliorum, quos ducen-" tis fere annis Eucherius præceſſit, authorum." Quod ſi in tanta Scriptorum turba divinare li-" ceat, quis hujusmodi Explanationum farragi-" nem in molem congeſſerit: opinabor hunc" fuiſſe Anglum, ipſumque Bedam, cui potiſſi-" mum ſtudium fuit, Collectanea congregare ex" veterum Doctorum ſcriptis, maxime vero" Gregorii Papæ, cujus nomen non ſemel in hoc" Opere citatum invenitur: Poſſem quoque ad" certiorem hujus noſtri judicii comprobatio-" nem, hoc loco ſubnectere indicem innumera-" bilium locorum, qui tam in hos *Formularum*" *Spiritualium*, quam in *Geneſeos & Regum Com-" mentarios* ex Beda & Gregorio transfuſi ſunt;" ſed eos brevitati conſulens prætermitto, ſatis" me feciſſe exiſtimans, ſi lectoribus hæc ita ſe" habere indicarem. " Hæc Sixtus Senenſis. Recte quidem locutus eſt Sixtus Senenſis, dum dixit multa aliena eſſe infarta *libello ſeu formulis Spiritualis intelligentiæ* S. Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi. Nam conferens primam editionem hujus Opuſculi, quæ cum aliis facta eſt Pariſiis apud Claudium Chevallon circa annum 1520. in 12. cum MSS. Codicibus Bibliothecæ Regiæ 3795. Colbertinæ 1893. & 250. ſancti Germani Pariſienſis: animadverti primam editionem germanam eſſe & his Codicibus conformem, qui 600. vel 700. annos excedunt. At ſecunda editio hujus Opuſculi quæ prodiit in fol. Baſileæ anno 1531. ex officina Frobeniana, & Romæ apud Paulum Manutium anno 1564. & in ultima editione Lugdunenſi Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1677. apud Fratres Aniſſonios, tomo 6. fol. 824. & ſequentibus: auctior duplo eſt, habetque innumera admixta ex authoribus S. Eucherio poſterioribus, & maxime ex ſancto Gregorio Papa, qui annis centum quinquaginta ipſo poſterior fuit. Itaque iſtud Opus Eucherii genuinum, vix mediam partem continet, eorum quæ in his hujus libri editionibus ultimis impreſſa ſunt: cujus portentoſæ

inter-

interpolationis, quam ex collatione veteris impressionis Parisinæ & Manuscriptorum Codicum agnovi, lectorem monere officii mei opinatus sum. Scripserat quidem ut ex Gennadii & Isidori Catalogis colligitur *de variis & obscuris divinæ Scripturæ capitulis* duobus libellis distinctum Opus *ad Salonium & Veranum* filios suos, ex legitimo matrimonio: a cujus officio post Episcopatum abstinuisse, dum asserit ex Salviani Epistola Possevinus: mentitur egregie, quia quem testem laudat, nihil prorsus de illa abstinentia habet. Inquit Andreas Rivetus lib. 4. *Critici Sacri* cap. 20. pag. mihi 451.

Anno 449. Eucherium Lugdunensem Episcopum defunctum esse, tradit illius ætatis scriptor Prosper in Chronico: *Eucherius Lugdunensis Episcopus & Arelatensis Hilarius, egregiam vitam morte consummant.* Saussajus attamen ad annum 454. Eucherii mortem collocavit, quem Labbeus in Dissertatione sua *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 1. verbo, *S. Eucherius Lugdunensis Episcopus* pag. 292. secutus est. Baronius vero ad annum 453. num. 5. ejusdem vitam ibidem producit, qui certo tamen anno 452. non vivebat, neque in Epistola 50. S. Leonis Papæ 1. inter reliquos Galliæ Episcopos recensetur, quem tamen viventem nequaquam Romanus Pontifex prætermisisset. Hæc de Scriptis & doctrina S. Eucherii Lugdunensis Episcopi, de quo paucis sed accurate Sammarthani Fratres tom. 1. *Gallia Christiana* in Archiepiscopis Lugdunensibus fol. seu pag. 293. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria* Scriptorum Ecclesiasticorum, seculo V. ad annum 434. pag. 335. ubi male defunctum illum circa annum 454. constituit.

DISSERTATIO
DE
VITA, SERIPTIS ET DOCTRINA SANCTI HILARII ARELATENSIS EPISCOPI.

429. JAm ad minus æquos doctrinæ Augustinianæ cessores veniamus, ex quibus Hilarius Arelatensis Episcopus, potissimus fuit. Multi multa celeberrimi Scriptores hujus seculi de sancto Hilario Arelatensi Episcopo parum accurate scripserunt, haud satis inter plures Hilarios eodem tempore viventes & celebres, distinctionem facientes. Hæc Dissertationi huic occasionem præbent, quam quantumcunque licuerit, brevem instituam, ex variis authoribus collectam illam, Cæsare Baronio in suis *Annalibus* ad annum 426. & in Notis ad Martyrologium Romanum, Joanne Gerardo Vossio in *Historia Pelagiana*, Henrico de Noris in eadem lib. 2. capp. 2. & 12. Paschasio Quesnel *Dissertatione 5.* seu *Apologia* pro sancto Hilario Arelatensi Episcopo, & antiquis sanctæ Arelatensis Ecclesiæ juribus: quam habet tom. 2. Operum sancti Leonis Magni, ultimæ editionis Parisiensis anni 1675. apud Joannem Coignart via Jacobæa sub bibliis aureis. Denique e Fratribus Sammarthanis tom. 1 *Gallia Christiana* in Arelatensibus Episcopis, & aliis.

CAPVT PRIMVM.
DE
VARIIS HILARIIS EODEM TEMPORE VIVENTIBVS, PROBE DISTINGVENDIS.

TRes hujus nominis Hilarios per ea tempora legimus, Hilarium nempe Syracusanum, cujus Epistola 88. ad Augustinum, & Augustini 89. rescriptum de pluribus gratiæ capitibus, habentur inter sancti Augustini Epistolas. Alterum qui e Galliis ad eundem Augustinum scripsit, & Prospero ad propugnandam illius doctrinam socium se adjunxit, unde & jam vulgo a Collega suo, *Hilarius Prosperianus* dicitur. Tertium denique Arelatensem Episcopum, Galliarum omnium suo tempore Primatem, Conciliorum plurimorum Præsidem, sanctitate doctrinaque celebrem, ad infulas Pontificias ex Lerinensi Monacho evocatum. Ex tribus unum conflasse videntur aliqui, de quibus Hincmarus Remensis in libro *de prædestinatione* capp. 1. 3. & 18. Quos inter potissimus est Cæsar Baronius, qui non satis caute inter plures Hilarios eodem tempore celebres, in suis *Annalibus* distinxit: unde ad absurda quædam, erroresque facti multos, delapsus est. Hincmarus ipse Syracusanum quidem ab Arelatensi discernit, & Arelatensem cum Prosperiano confundit: quæ opinio etiam Cardinalis Baronii est, & Gerardi Johannis Vossii. E contra Paschasius Quesnel in Dissertatione 2. *de Authore librorum de vocatione omnium Gentium* tomo 2. Operum S. Leonis Papæ fol. 359. Syracusanum ab Arelatensi, & Arelatensem a Prosperiano cum viris multis eruditis distinguit: sed Prosperianum esse eundem ac Syracusanum Monachum, facile sibi persuadet. Ego vero illos tres Hilarios ab se invicem distinctos, ac tres omnino esse censeo.

Hilarium Syracusanum Monachum alium esse ab Arelatensi Hilario, ex annorum ratione nullo negotio conficitur. Scripsit ad Augustinum Syracusanus anno circiter Christi 413. vel 414. Nam ante annum 412. ut scripta non credatur sancti Augustini rescribentis Epistola, facit mentio judicii contra Celestium apud Carthagi- Hilarius Monachus Syracusanus.

thaginem facti. Cum vero ab Oroſio delata ſit in Palæſtinam, qui illuc venit verno tempore, lectaque ſit in Conventu Presbyterorum menſe Julio anni 415. habito: hinc manifeſtum eſt, ultra annum 414. differendam non eſſe Syracuſani hujus Monachi Epiſtolam. At eo anno Hilarius, qui poſtea Arelatenſis Epiſcopus, annum ætatis ſuæ decimum tertium non excedebat: Siquidem mortuus eſt anno 449. quadraginta & octo annos natus, teſte Scriptore Vitæ ejus Honorato Maſſilienſi Epiſcopo. Hilarium porro Syracuſanum eundem putat Paſchaſius Queſnel cum Proſperiano, ſeu Proſperi, in defenſione ſancti Auguſtini ſocio, iſtis conjecturis motus. *Uterque (ſi duo ſunt) diſcipulus ſancti Auguſtini fuit, eique in Africa aliquandiu adhæſit. Uterque Pelagianis erroribus adverſarius, uterque Laicus, ac opinor Monachus. Tenuioris uterque eruditionis circa Eccleſiæ dogmata, de quibus dubitanti ſimilia interrogat Auguſtinum, ut ex Epiſtolis eorum conſtat. Utriusque demum Epiſtola ſtylus non abſimilis.* At contra duo mihi videntur eſſe ac diſtincti. Nam florebat unus anno 412. alter anno 430. Unus anno 412. jam Monachus, atque non ex illis vagis ſed Cœnobita, ut innuit Divus Auguſtinus ſub finem reſcripti ſui ad hunc Hilarium: unde nec inter laicos cenſendus. Alter anno 430. adhuc laicus, ac forſan etiam uxoratus, uti & Proſper ſocius. Unus denique Italus & apud Syracuſas fixus, alter autem Gallus, qui tanquam ſui juris & ſolutus, multas etiam usque ad Africam excurſiones olim ſuſceperat.

Hilarius Proſperianus.

Alter Hilarius fuit Proſpero ſocius in defenſione Auguſtinianæ de gratia & prædeſtinatione divina doctrinæ, qui male pro Arelatenſi Epiſcopo accipitur, ut clariſſime demonſtrat Henricus de Noris nuperus Hiſtoriæ Pelagianæ ſcriptor, libro 2. cap. 2. fol. 169. Vel hoc unico argumento res conficitur. Jam tunc Epiſcopus erat Arelatenſis Hilarius, cum alter ſcripſit ad Auguſtinum una cum Proſpero: & Hilarius iſte eo tempore tantum erat laicus, quo ſuam exarabat Epiſtolam. Talem enim ſe prodit ipſe his Epiſtolæ ſuæ verbis, quibus præcipuos ſancti Auguſtini adverſarios, ac imprimis Hilarium Arelatenſem deſignat: *Sunt ex parte tales perſonæ, ut hic conſuetudine Eccleſiaſtica LAICOS ſummam reverentiam neceſſe ſit exhibere. Quod quidem ita CVRAVIMVS Deo adjuvante ſervare, ut cum opus fuit, non taceremus.* Succinit Proſper in Epiſtola ſua ad Auguſtinum, inquiens: *Poſſumus ad credendum eſſe conſtantes, ſed ad authoritatem talia ſentientium non ſumus pares, quia multum nos & vita meritis antecellunt, & aliqui eorum ADEPTO NVPER SVMMO SACERDOTII HONORE SVPEREMINENT.* Deinde laicus erat iſte Hilarius, cum Auguſtino jam mortuo, ac proinde non ante annum 430. ſcripſit Celeſtinus Papa ad Galliarum Epiſcopos, ubi Proſperum & Hilarium hunc filios vocat: non fratres, uti Epiſcopos appellari decuiſſet: nec aliter ſanctus Auguſtinus initio libri *de prædeſtinatione Sanctorum*, eosdem quam filios vocat.

Hilarius Arelatenſis Epiſcopus a Proſperiano diverſus.

At Hilarius Arelatenſis jam initio anni 429. in Arelatenſi cathedra conſtitutus erat poſt obitum Honorati, qui Patroclo occiſo ſubſtitutus anno 426. biennio tantum, Honorato Maſſilienſi teſte, Epiſcopatum geſſit. Quod adhuc probatur ex Vita ſancti Germani Antiſſiodorenſis. Hic enim cum anno 429. ut vult Baronius, vel ut alii 430. ex legatione Britannica reverſus Arelatem ſe contulitſet: *illuſtrabatur eo tempore*, inquit Conſtantius, *civitas Hilario Sacerdote, multimoda virtute pretioſo.* Denique his expreſſiſſimis verbis ſanctus Proſper in *Epiſtola ad Auguſtinum*, Hilarii Arelatenſis Epiſcopatum commemorat, inquiens: *Unum eorum præcipuæ authoritatis & ſpiritualium ſtudiorum virum ſanctum Hilarium Arelatenſem Epiſcopum, ſciat beatitudo tua admiratorem ſectatoremque in aliis omnibus tua eſſe doctrina; & de hoc quod in querelam trahit, jampridem apud Sanctitatem tuam ſenſum ſuum per literas velle conferre.* Hæc quidem verba, *Arelatenſem Epiſcopum* irreptitia eſſe & expungenda cenſet Cardinalis Baronius: cui fere ſubſcribit Voſſius *Hiſtoria Pelagiana* lib. 6. inquiens, *Longe tamen magis placet* ſi pro Hilario *ſcribatur* Honoratus: ſicut ſcriptum dicit a doctiſſimo Eſpencæo Commentariis in Epiſtolam ad Timotheum lib. 1. cap. 9. *Quod ſive ille*, inquit idem Voſſius, *ex Manuſcriptorum fide, ſive ex ingenio fecit, nobis quidem ſententiam ſuam impenſe probat.* Verum nemini probandum hanc emendationem ſpero, cui Manuſcriptorum fides, Chronologiæ ratio, verbaque ipſa Proſperi omnino repugnant: *Poſſumus quidem ad credendum eſſe conſtantes* &c. Hæc prima ratio diſtinctionis utriusque Hilarii Arelatenſis & Proſperiani, ex unius Epiſcopatu petita, quo nunquam alter inſignitus fuit. 2. Longe diverſus utriusque Hilarii erga ſancti Auguſtini doctrinam affectus. Nam Arelatenſis etſi *illius ſe admiratorem ſectatoremque in aliis omnibus* profiteretur, ejus tamen *de prædeſtinatione* ſententiam *in quæſtionem trahebat*; & unus erat eorum *quos caligo hujus opinionis*, quæ Auguſtinianæ adverſabatur, *obſcurabat.* Hilarius autem Proſperi ſocius, doctrinæ ſancti Auguſtini addictiſſimus erat in omnibus, ut ipſe de ſe teſtatur his verbis: *Nolo autem Sanctitas tua ſic me arbitretur hæc ſcribere, quaſi de iis quæ nunc edidiſti, ego dubitem* &c. *Cæterum hac ſuſpicione in tantum careo, ut potius infirmitatem meam, qui tales parum patienter fero, nonnihil putem.* Inter eos porro quos moleſte ferebat Hilarius Proſperianus, ipſum Arelatenſem Epiſcopum fuiſſe, dubium non eſt: cum etſi nomen ejus non exprimat, eum tamen iisdem depingat coloribus, quibus & Proſper, inquiens: *Sed plane illud tacere non debeo, quod ſe dicant tuam ſanctitatem, hoc excepto, in factis & dictis omnibus admirari.* En Hilarium Arelatenſis Eccleſiæ Præſulem, quem Proſper ſupra dicebat *admiratorem ſectatoremque in aliis omnibus* Auguſtinia-

diverſus utriusq; affectus in Auguſtinum, ex Proſpero in Epiſtola ad ſanctum Auguſtinum.

ſtinianæ doctrinæ, excepta quæſtione *quam in querelam vertebat.* 3. Hilarius Proſperianus eidem Proſpero author fuit, ut ad ſanctum Auguſtinum ſcriberet, ejusque litteras ſuis junctas in Africam miſit, quemadmodum ipſe narrat in fine Epiſtolæ ſuæ; ubi & ali[illegible] ſuperius a ſe ad eundem Auguſtinum ſcript[illegible] commemorat: cum quo neceſſitudinem, & litterarum frequens commercium habuiſſe videtur. Contra vero eodem tempore ſcribit S. Proſper ad ſanctum Auguſtinum, jam olim veniſſe in mentem Hilario Arelatenſi Epiſcopo, ut Epiſcopum Hipponenſem litteris conveniret, ſenſum ſuum cum ejus doctrina collaturus: incertum tamen ſibi eſſe, utrum id eſſet præſtiturus. Quod omnino ſufficit, ut unus ab altero diverſus demonſtretur. Primus enim Auguſtino familiaris fuit, poſterior nequaquam. 4. Hilarius Proſperi commilito olim Auguſtini lateribus adhæſerat, ejusque doctrinæ lacte aliquandiu in Africa enutritus fuerat, quod ipſe ſignificat his verbis: *Sufficiat mihi pœna mea, quod a præſentia tua delitiis exulatus, ubi ſalubribus tuis uberibus nutriebar, non ſolum abſentia tua crucior, verum etiam pervicacia quorundam.* Arelatenſis autem Hilarius nunquam in Africam peregrinatus eſt. Ex ejus enim & ex Honorati vita docemur, hujus ſtudio & opera Hilarium a ſeculi delitiis ad vitæ Monaſticæ Inſtitutum traductum, conſtanter apud Lerinum perſeveraſſe: quousque mortuo Honorato, in ejus locum ſuffectus eſt, triginta nondum annos natus. Quæ omnia recte utinam excuſſiſſet Seraphinus Piccinardus Brixienſis, Ordinis Fratrum Prædicatorum: Hilarios non ita confudiſſet in Opere inſcripto *Prædeſtinatus*, quod Paduæ in 4. anno 1686. impreſſum eſt. Miram ibi tum rerum, tum perſonarum confuſionem video.

Hilarius Arelatenſis ignotus Auguſtino, alter cognitus.

CAPVT SECVNDVM.

VITA SANCTI HILARII ARELATENSIS EPISCOPI, PAVCIS PERSTRINGITVR.

ITaque is de quo locuti ſumus ſtatim, S. Hilarius factus primum Monachus Lerinenſis ſub Honorato Abbate, tum ipſo poſt Patroclum ad cathedram Arelatenſem anno 426. promoto, Hilarius eodem anno factus Lerini inſulæ poſt ſeceſſum Honorati, Abbas: ut ipſe teſtatur, in ſancti Honorati deceſſoris, magiſtri ſui & primi hujus inſulæ cultoris Vita a ſe conſcripta. Inde Honorato e vivis ſublato, idem Hilarius anno 429. ineunte, ſuffectus in ejus locum, & Arelatenſis Antiſtes factus, eruditione, pietate, ac rebus geſtis claruit. Is præſedit Concilio Regenſi anno 439. tertio Calendas Decembres cum Coëpiſcopis ſuis in cauſa Armentarii Ebredunenſis Epiſcopi, quem ob varias cauſas Epiſcopatu deſtituit, aliis omnibus Epiſcopis depoſitioni huic canonicæ annuentibus. Idem quoque nobiliſſimæ Synodo Arauſicanæ primæ clariſſimorum quindecim Antiſtitum, ex Galliis Narbonenſi & Lugdunenſi illuſtratæ corona, anno 441. ſexto Idus Novembris habitæ, primo loco velut Galliarum omnium Primas, ſubſcriptus reperitur. Atque etiam cuidam incerti loci Conſilio anno 444. præfuit, ut innuit Honoratus Maſſiliæ Epiſcopus, ſeu quis alius eſt Vitæ ejusdem Hilarii author. In eo Chelidonius Veſontionenſis Epiſcopus, ob viduam ab eo ante Sacerdotium uxorem ductam, damnatus ac depoſitus eſt: qui appellatione interjecta, Romam ad ſanctum Leonem Papam ſe contulit. Notandum autem eſt, veterem iterum quæſtionem agitatam fuiſſe hoc eodem anno vel ſequenti, ut Baronius & alii docent, inter Arelatenſem & Viennenſem Antiſtites, de jure ordinandi Provinciæ Viennenſis Epiſcopos. Nam Patrocli & deceſſorum veſtigiis inſiſtens HILARIVS, rurſus contra Taurinenſis Concilii definitionem, & Bonifacii ac ſucceſſoris ejus Celeſtini, Romanorum Pontificum Conſtitutionem, *ut quisque Metropolitanus ſua Provincia eſſet contentus:* cum in provinciis Viennenſi & Narbonenſi Epiſcopos deponere, aliosque in locum viventium dejectorum ſubſtituere, ordinationesque ſibi omnium per Gallias Eccleſiarum, atque etiam Primatum ſupra Viennenſem vindicare conaretur: apud ſedem Apoſtolicam & ſanctum Leonem Romanum Pontificem, ſiniſtra magnæ ambitionis declamatione laboravit. Quam ut idem Hilarius late jam ſparſam deleret, ad dicendam cauſam, ſponte Romam ad ſui defenſionem aſpera hieme, profectus eſt. Ibi ſuggeſtione Leoni Papæ oblata, de his omnibus in Concilio ibidem ea de cauſa habito, convictus exorbitantiæ fuiſſe dicitur: illudque teſtantur plenæ ira litteræ ejusdem ſummi Pontificis, contra Hilarium. Cum autem pro votis negotia illi haudquaquam ſuccederent, non expectata contra ſe ſententia, nullaque abeundi licentia obtenta, miſſis tantum ad Pontificem Maximum Nectario & Conſtantio, Arelatem rediit: unde orta eſt illa Leonis erga Hilarium gravis indignatio, quam ejus ad provinciæ Viennenſis Epiſcopos Epiſtola, ſcripta poſt Hilarii diſceſſum ab urbe, declarat. Commotus in Primatem Arelatenſem S. Leo, ſententiam in eum hoc ipſo anno pronuntiavit, Chelidonio abſoluto, & Metropolitani dignitate ac poteſtate in provinciam Viennenſem, Hilario adempta: quam a jurisdictione Metropolitani Arelatenſis exemptam declaravit. Tum ne majores impoſterum ea de re tumultus ab Hilario concitarentur, adverſus eundem interpellavit Valentinianum III. Imperatorem, qui ſententiam Romani Epiſcopi, reſcripto Romæ dato 8. idus Junias per Ætium Patricium & militiæ in Galliis magiſtrum, executioni mandandam præcepit. At licet HILARIVS jura Eccleſiæ ſuæ vendicans, plus æquo viſus fuerit acrior: idem tamen poſt hæc, ore omnium meruit

Abbas an. 426.

Epiſcopus an. 429.

an. 439.

an. 441.

an. 444.

an. 445.

commendari. Illum namque fabulæ Eccleſiaſticæ, ob egregias virtutes & ſpectatiſſimam morum ſanctitatem, miris laudibus extulerunt. Poſtremo vitam egregia morte conſummavit anno ſalutis 449. die 5. Maji, ſepultus apud ſanctum Honoratum, ubi inſcriptio marmori exarata hæc legitur.

mortuus an. 449.

EPITAPHIVM

Sancti Hilarii, Arelatenſis Epiſcopi.

Antiſtes Domini, qui paupertatis amator
Præponens auro, rapuit cœleſtia regna,
Hilarivs cui palma obitus, cui vivere Christvs,
Contemnens fragilem terreni corporis uſum,
Hic carnis ſpolium liquit, ad aſtra volans.
Spernit opes, dum quærit opes, mortalia vitans,
Perpetuis cœlum, donis cœleſtibus emit.
Gemma Sacerdotum, plebisque, orbisque magiſter,
Ruſtica quin etiam pro Christo munia ſumens,
Servile obſequium non dedignatus adire,
Officio vixit minimus, ſed culmine ſummus.
Nec mirum, ſi poſt mortem, tua limina Christe,
Angelicasque domos intravit, & aurea regna.
Divitias paradiſe tuas, fragrantia ſemper
Gramina, & halantes divinis floribus hortos,
Subjectasque videt nubes, & ſydera cœli.

Plura dabunt allegati in Prologo Scriptores, ac potiſſimum Paſchaſius Queſnel, Presbyter Oratorii Jeſu Chriſti, tomo 2. Operum ſancti Leonis, noviſſimæ editionis Pariſienſis anni 1675. Diſſertatione V. fol. 431. & ſequentibus, quæ tota quanta, Apologia eruditiſſima in gratiam S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi, adverſus ſanctum Leonem conſcripta eſt.

CAPVT TERTIVM.

DE DOCTRINA SEMIPELAGIANA S. HILARII ARELATENSIS EPISCOPI.

NVlli opinor dubium eſſe poteſt, quin ſanctus Hilarius Arelatenſis Epiſcopus, Semipelagiana doctrina infectus fuerit. Nam S. Proſper data ad S. Auguſtinum Epiſtola, certiorem eum faciens omnium quæ a Caſſiano & ſectatoribus contra ejusdem *de prædeſtinatione ad gratiam gratuitæ* ſententiam in Galliis diſputabantur, ut editis libris adverſantium impetum retunderet: eundem rogavit, addiditque hæc ipſa: *Speramus non ſolum tenuitatem noſtram diſputationum tuarum præſidio roborandam, ſed etiam ipſos quos meritis atque honoribus claros caligo iſtius opinionis obſcurat, defecatiſſimum lumen gratiæ recepturos. Nam unum EORVM PRÆCIPVÆ AVTHORITATIS ET, SPIRITALIVM STVDIORVM VIRVM SANCTVM HILARIVM ARELATENSEM EPISCOPVM, ſciat beatitudo tua adminiſtorem ſe [illegible]remque in aliis omnibus, tuæ eſſe doctrinæ: & [illegible]hoc quod in querelam trahit, jam pridem apud ſanctitatem tuam ſenſum ſuum per literas velle conferre. Sed quia utrum hoc facturus, aut quo fine ſit facturus, incertum eſt* &c. Clarius ne a Proſpero poterat Hilarius ille Arelatenſis inter Semipelagianos connumerari? Tradit inſignem hunc Arelatenſem Epiſcopum eſſe *VNVM EORVM*, nempe Semipelagianorum, quos ea in Epiſtola deſcribit, qui gratuitam prædeſtinationem ad initium fidei ab Auguſtino aſſertam *IN QVERELAM TRAHEBAT*. Vide Henricum de Noris in *Hiſtoria Pelagiana* quam ſcripſit, lib. 2. cap. 2. fol. 167. Aliqui ex viris eruditis probabile quidem admodum putant, tunc cum diſſidium illud, Leonem inter & Hilarium contigit, hunc a priori ſententia diſceſſiſſe: & Auguſtinianam vel eſſe amplexum, vel ſaltem non eſſe amplius inſectatum doctrinam. Hoc ita fuiſſe perſuadet ſibi doctiſſimus vir Gilbertus Marguinus in *Confutatione Fabulæ Prædeſtinatianæ* parte 2. cap. 2. tum ob eam rationem, tum quod ita ſperandum de viro, *qui plurima moderatione in contentionibus illis ſemper verſatus fuerat*: quemque *in aliis omnibus ſectatorem fuiſſe Auguſtiniana doctrinæ* teſtatur Proſper, & qui *jampridem ſenſum ſuum de hoc, quod in querelam trahebatur*, apud ſanctum Doctorem conferre vellet. At Paſchaſius Queſnel in *Diſſertatione Apologetica* pro ſancto Hilario Arelatenſi Epiſcopo, parte 3. cap. 6. p. 541. „Hilarium Semipe„lagianiſmo nuntium remiſiſſe, validius fortaſ„ſe putat argumentum, ex ſilentio S. Leonis Pa„pæ deſumptum. Cum enim omnia contra„ ipſum accuſationum capita quæ poteſt, conge„rat S. Leo Papa in Epiſtola ad Viennenſis Pro„vinciæ Epiſcopos: ita ut plura etiam a cauſis„ Chelidonii & Projecti aliena, undecunque„ conquirat; de illius tamen erroribus adverſus„ Chriſti gratiam, ne verbum quidem habet.„ Quod procul dubio non erat omittendum,„ cum nunquam authoritate ſua abuſus fuerit„ Hilarius: quam cum in ea incautus fovit Au„guſtini Catholicæque doctrinæ adverſarios, &„ ad feminanda erroris ſui dogmata audaciores„ fecit.„ Sed iſta conjecturæ atque mihi admodum leves. Hæc nos pauca de variis eodem tempore claris Hilariis, deque vita & Semipelagiana doctrina Sancti Hilarii Arelatenſis Epiſcopi: qui plura ſcire avet, fontes ante deſignatos, unde hæc hauſimus, adeat: ex quibus haurire plura per otium poterit. Nunc ad ſcripta veniamus.

CAPVT QVARTVM.

DE SCRIPTIS SANCTI HILARII ARELATENSIS EPISCOPI.

Agunt

AGunt plurimi de ſcriptis ſancti Hilarii Arelatenſis Epiſcopi. Omnium primus Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus in ejus Vita cap. XI. ubi ſic: "Et licet gratia ejus ex his Operibus quæ „eodem dicendi impetu concepit, genuit, orna„vit, protulit, poſſit abſque hæſitatione digno„ſci; „ *Vitæ ſcilicet Anriſtitis Honorati, Homilia in totius anni feſtivitatibus expedita, Symboli expoſitio ambienda, Epiſtolarum vero tantus numerus, verſus etiam fontis ardentis.* Perierunt hæc ferme omnia magno litteratorum Eccleſiaſticorum luctu & damno. Opinabar ſane olim *Homilias iſtas in totius anni feſtivitatibus expeditas & ſymboli expoſitionem ambiendam*, de quibus loquitur Honoratus in *Vita Sancti Hilarii*, eſſe ipſasmet Homilias quæ LXX. circiter ſub nomine Pſeudo-Euſebii Emiſeni ab annis multis circumferuntur: tum quod in eis eſſet deſignata ab Honorato Expoſitio præclara quædam Symboli, tum quod viri recentiores docti, has illi Homilias jam ab annis pluribus adſcripſiſſent, atque ſub ejus nomine allegaſſent, eamque ob rem de Hilario noſtro ſingularem ego Diſſertationem inſtitueram. Sed re attentius perpenſa penſatisque omnibus, has illi nullatenus poſſe convenire agnovi: cum ſint illæ authoris, qui certo poſt Concilium Chalcedonenſe anno 451. celebratum vixit, atque poſt damnatum Eutychen Archimandritam Conſtantinopolitanum, duas in Chriſto naturas impie confundentem.

Vita ſancti Honorati Arelatenſis Epiſcopi ab Hilario diſcipulo ſcripta extat, ſæpiusque excuſa legitur. Hujus meminit dictus Honoratus loco antea citato, Gennadius Presbyter Maſſilienſis libro *de illuſtribus Eccleſiæ Scriptoribus* cap. 69. S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 16. & alii. Habetur illa in Surianis Sanctorum Vitis tom. 3. ad diem 5. Maji. Apud ſocios Bolandiſtas in Majo ſuo, ad eandem diem, collata ad plures MSS. Codices. In Chronologia Abbatum Lirinenſium Vincentii Barralis parte 1. pag. 1. in 4. quæ Lugduni edita anno 1613. apud Petrum Rigaud in vico Mercatorio, collecta ſtudio dicti Vincentii Barralis Salernitani, & Lirinenſis Monachi. Denique ad calcem tomi 1. Operum ſancti Leonis Magni, ultimæ editionis Pariſienſis, quam anno 1675. accuravit ampliſſimisque Notis illuſtravit doctiſſimus vir, Paſchaſius Queſnel, de quo ſupra jam egimus.

Poema de ſeptem Fratribus Machabæis ab Antiocho Epiphane interfectis. Olim impreſſum fuit jam ſub *Victorini Afri* nomine in *Bibliotheca SS. Patrum* editionis primæ Pariſienſis anni 1575. & in editione altera Pariſienſi 1589. apud ſocietatem tomo 8. p. 428. At ex Labbeo ſeu potius Sirmondo in evolvendis MSS., viro accurato, Opus iſtud legitur MS. in variis Codicibus, ſub nomine ſancti Hilarii Arelatenſis Epiſcopi: uti Labbeus annotat in ſua Diſſertatione *de Scriptoribus Eccleſiæ* a Bellarmino recenſitis, licet ſub nomine Victorini Afri ſæpius prodierit. Atque illud omnino dignum eſt Arelatenſi Epiſcopo Hilario, qui etiam multa ſcripſiſſe *verſu* perhibetur, a Honorato Maſſilienſi Epiſcopo in ipſius Vita. Hanc ob authoritatem, & MSS. Codicum antiquitatem, ipſi unanimiter adſcribentium, hoc Poëma Hilario Arelatenſi Epiſcopo adjudicandum duximus. Correctum autem ex MS. Codice qui mecum fuit, atque etiam ex aliis tribus MSS. Codicibus Bibliothecæ Colbertinæ, num. 1512. 3898. 4734. ſub nomine Hilarii habetur, ut olim annotaverat Labbeus citatus. Tacitis autem nævis ſub Victorini Afri nomine impreſſum fuit, tanto evulgantis auſu, ut ad MSS. fidem emendatum, cuivis utramque editionem evolventi, novum omnino Opus videri poſſit.

Poëma de Providentia Dei, quod inter Opera S. Proſperi Aquitani ſæpius impreſſum legitur, Hilario Arelatenſi ab omnibus ferme jam adjudicatur. Conſentiunt enim omnes illud eſſe omnino contrarium doctrinæ S. Proſperi, atque ab ipſo confutatum Proſpero, in Poëmate ſuo *de ingratis*. Cum itaque carmine valeret Hilarius Arelatenſis, ut teſtatur in ejus Vita Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus ejusdem diſcipulus: cum Semipelagianam ubique tueretur doctrinam, ut ex Epiſtola Proſperi ad Auguſtinum conſtat: denique cum eſſet maxime & Proſpero & Hilario Gallis adverſarius, ob doctrinam Auguſtinianam, quam avide atque univerſim amplexabantur: his omnibus in ſcriptorem hujus Poëmatis concurrentibus, nullus videtur dubitandi locus, quin hoc Poëma ſit Hilarii Arelatenſis Epiſcopi, Hominis Semipelagiani. Adde tempora hujus ſcriptionis, recte in hunc Hilarium cadere: tantamque eſſe inter utrumque Opus *de providentia Dei* & *de ſeptem Fratribus Machabæis* ſtyli ſimilitudinem, ut utriusque unus idemque author videatur.

Carmen ſancti Hilarii Arelatenſis Epiſcopi in Geneſim, ad Leonem Papam. In impreſſis noviſſimis ita inſcriptum legitur, etiam inter Opera S. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi ab anno 1602. ad calcem Operum: ſed ex fide MSS. Codicum & impreſſionum Veterum, hoc metrum ſancto Hilario Pictavienſi Epiſcopo inſcribitur. Certum eſt ſpectare nequaquam poſſe ad Hilarium Pictavienſem Epiſcopum, antequam S. Leo Romanus Pontifex naſceretur, mortuum. An autem ad Hilarium Arelatenſem pertineat, nec aſſerere audemus nec negare: cum nulli prorſus MSS. Codices fuerint, ex quibus aliquid in gratiam Hilarii Arelatenſis accipere licuerit. Quidquid porro de authore ſit, primus mihi naſcentis alicujus poëtæ conatus eſſe videtur, ſcatens ubique fœdiſſimis mendis, quæ nec in tyrone veniam mereantur: vix uſtæ metri leges obſervatæ, plures verſus non completi, vix ipſa delibata materia eſt. Hoc tamen qualecunque eſt, lectori meo ſubtrahendum non putavi: ne aliquid quod nomen Hilarii Arelatenſis præ ſe ferat, hoc loco deſideret.

Alia

Digitized by Google

Alia duæ Epiſtolæ ſub ſancti Hilarii Arelatenſis Epiſcopi nomine leguntur, poſt opera ſancti Hilarii Pictavienſis Epiſcopi, de quibus Labbeus in Diſſertatione *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* à Bellarmino recenſitis, verbo *Hilarius Arelatenſis*. Ambæ impreſſæ pariter inter Epiſtolas B. Auguſtini olim ſub nomine *Hilarii Galli*, quem Arelatenſem omnes ferme olim opinati ſunt. Ac prima quæ incipit *Sanctitatis tuæ gratia &c.* ab Hilario Arelatenſi ſcripta jam non creditur, ſed ab alio ejusdem nominis quem Syracuſanum vocant, quod ibi vel ſemper vel ut plurimum Monachus degeret: unde cum ad noſtrum ea non ſpectet Hilarium, aliundeque habeatur in omnibus Operum Divini Auguſtini impreſſionibus, fruſtra & absque operæ pretio, hic pluribus de ea. Legitur in nupera Auguſtinianarum Epiſtolarum ordinatione, procurata Pariſiis cura & ſtudio Benedictinorum Congregationis S. Mauri, ordine CLVI. cui reſpondet Auguſtinus Epiſtola ſequenti, eaque ampliſſima, quam & alibi, libro nempe *de Geſtis Pelagii* cap. XI. librum vocat. Plura ſi cupias de authore hujus epiſtolæ, conſule Notas ad nuperam editionem Operum divi Auguſtini citatam, Epiſtola CLVI & CLVII pag. 542. Paſchaſium Quesnel Diſſertatione 2. ad Opera ſancti Leonis Papæ num. 4. pag. 359. Henricum de Noris Auguſtinianum Eremitam Veronenſem, duos vel plures ejusdem temporis Hilarios diſtinguentem lib. 2. *Hiſtoriæ Pelagianæ* cap. 2. pag. 108. edit. a. 1677.

Altera quæ incipit, *ſi ceſſantibus contradictionum quæſtionibus &c.* quæ vulgo in impreſſis præfigitur libro ſancti Auguſtini *de prædeſtinatione Sanctorum*: & quæ nunc legitur inter Epiſtolas noviſſimæ Benedictinorum Gallorum impreſſionis Auguſtinianas, ordine CCXXVI. col. 825. non eſt Hilarii Arelatenſis Epiſcopi, ut jam bene notaverat Labbeus in Diſſertatione citata *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, verbo *Hilarius Arelatenſis*. Vbi cenſet eam eſſe Hilarii cujusdam Galli ſed laici, & qui in ipſa ſua hac Epiſtola notat Hilarium noſtrum Arelatenſem, velut Auguſtini in certis quibusdam doctrinæ punctis adverſarium, & Semipelagiana fuligine aſperſum: tantum abeſt ut Epiſtola iſta ad Hilarium noſtrum ſpectet. Hanc rem eandem demonſtrative oſtendit Henricus de Noris Auguſtinianus Opere & loco citatis, idemque Paſchaſius Quesnel, ut ſuperfluum omnino ſit huic quæſtioni prorſus apertæ, pluribus immorari: quam Eruditi jam omnes noſcunt. Mirum autem in modum res Hilarii Arelatenſis confudit, poſt tot doctorum virorum præmiſſas faces, Seraphinus Piccinardus in Opere quod *Prædeſtinatus* inſcriptum, Paduæ ab eo impreſſum eſt, de quo nos cap. 1. hujus Diſſertationis.

Agunt de Operibus & Scriptis *S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi* Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus in Vita ejusdem ſancti Hilarii cap. XI. Gennadius in libro *de Scriptoribus Eccleſiæ* cap. 69. Julianus Pomerius lib. 2. *de vita contemplativa* c. 9. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 16. Ado Viennenſis in Chronico ad annum 458. ætate 6. Honorius Auguſtodunenſis Presbyter lib. 2. *de luminaribus Eccleſiæ* cap. 69. Vincentius Bellovacenſis in *Speculo Hiſtoriali* lib. 20. cap. 20. Sixtus Senenſis lib. 4. *Bibliotheca ſancta* verbo *Hilarius Arelatenſis* p. 248. Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 445. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ad a. 430. p. 326.

DISSERTATIO
DE
DOCTRINA ET OPERIBVS SANCTI VINCENTII LERINENSIS MONACHI.

434 QVot Auguſtinianæ Doctrinæ aſſertores vindicesque præmiſimus, pugiles nimirum celeberrimos duos, Proſperum nempe atque Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum: ita nunc totidem Doctrinæ ipſius, quoad gratuitam ad gratiam Dei prædeſtinationem hoſtes hic producimus, Hilarium Arelatenſem Archiepiſcopum, ac Vincentium Monachum Lerinenſem, cujus gratia Diſſertationem iſtam, omnem ferme ab Henrico de Noris in *Hiſtoria Pelagiana* verbotenus deſumptam, aggredimur.

CAPVT PRIMVM.
DE VARIIS VINCENTIIS, QVI SECVLO QVINTO, SYNCHRONI FORSAN, CLARVERVNT.

MVlti Vincentii ſcriptis clari ſeculo Eccleſiæ quinto floruerunt, qui ſibi etiam ſynchroni eſſe potuerunt. Horum primus Vincentius Victor, juvenis, cui teſte Henrico de Noris *Hiſtoriæ Pelagianæ* lib. 1. cap. 19. pag. mihi 79. plus audaciæ quam doctrinæ inerat. Hic cum in Mauritania Cæſareenſi apud quendam Petrum Presbyterum Hiſpanum, quoddam Divi Auguſtini Opuſculum reperiſſet, in quo *de origine animæ* magnus doctor dubitabat, *Duos* è veſtigio *libros* adverſus Antiſtitem Hipponenſem ſcripſit, quos Renatus Monachus Auguſtini ſtudioſiſſimus Cæſarea ad eundem ætate jam incumbente trans- Vincentius Victor.

transmiſit eos vero exeunte autumno Hipponem reverſus, Auguſtinus invenit. Quatuor autem libros contra duos illos Auguſtinus exaravit: priorem, quem Renato ipſi inſcripſit, ſtatim compoſuit, de quo in fine ejusdem hæc dicit: *Hunc ad te librum, mox ut illos legi, fine aliqua dilatione conſcripſi.* Paulo poſt autem alterum librum ad eundem Petrum Presbyterum emiſit, qui Vincentium ob duos illos editos libellos plurimum diligebat. Diſtuliſſe vero aliquantulum, duos poſtremos contra ipſummet Vincentium Victorem elucubrare, colligitur ex his, quæ habet Lib. 2. cap. 4. *Si autem Dominus*, inquit, *voluerit, ut ad illum ipſum juvenem ſcribam, ſicut deſidero &c.* Scripſit autem duos eruditiſſimos libros, in quibus Hæreſis Pelagiana acerrime impugnatur. Nam Victor hic qui ſe *Vincentii* a Vincentio Rogati Donatiſtæ ſucceſſore, quem plurimum venerabatur, cognomine nuncupari honoris cauſa volebat: undecim errorum author ab Auguſtino convictus eſt, quorum ſex Pelagiana paradoxa, imo & quædam Pelagianis pejora continebant. Cæterum hunc juvenem lectis quatuor illis Auguſtini libris, ad meliorem frugem reverſum, ac ad ſe *Correctionis reſcripta* miſiſſe teſtatur Auguſtinus libro 2. *Retractationum* cap. 56. Quæ quidem ad annum 420. retulit Noriſius *Hiſtoria Pelagiana* lib. 1. cap. 19. pag. 79. Cum itaque junior teſte Auguſtino, Vincentius Victor ille anno 420. eſſet, recte ejusdem temporis atque ſynchronus Vincentii Lerinenſis Monachi, qui tunc quoque temporis floruit, conſtitui poteſt.

Vincentius Lerinenſis.

Alter Vincentius Lerinenſis dictus, Tulli Leucorum in prima Belgica, nobili in primis familia natus eſt, patre Epirochio: ſi vera ſunt quæ de Lupo Trecenſi Epiſcopo, quem Vincentii fratrem germanum fuiſſe conſtat, ex Epiſtola Eucherii ad Hilarium *de laude eremi*, narrantur apud Surium in ejus vita. Primo militiâ ſeculârem ſectatus, militiæ Lirinenſis excubias, ut verbo Sidonii utamur, poſtea deſudavit: ubi factus Monachus & Presbyter, elegantiſſimum illud Commonitorium adverſus hæreſes ſcripſit, quod toties bono publico editum eſt. At vir modeſtiſſimus, utilitatem potius Chriſtianorum ſpectans, quam terreſtris gloriæ vanitatem, quemadmodum de ſe dicebat Salvianus, nomen huic Operi ſuum ſubtraxit, quod ſub Peregrini nomine vulgavit. Teſtis Gennadius in Catalogo Virorum illuſtrium. Teſtis etiam Vincentius ipſe in initio *Commentarii*. Scripſit autem anno tertio poſt habitam Synodum Epheſinam, id eſt, anno Chriſti 434, ut ipſemet docet pag. 365. Mortuus eſt ſub imperio Theodoſii & Valentiniani, id eſt, ante annum 450. ut recte obſervatum eſt à viris eruditis. In diſciplinam ejus traditus eſt Salonius Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi filius, ut ipſe Eucherius teſtatur. Exiſtimant plerique illum eſſe authorem Vincentianarum objectionum, adverſus quas ſcripſit Proſper Aquitanus. Sed cum ea opinio à viris celeberrimis exploſa ſit, tum ſpeciali Diſſertatione in eam incubuit Bartholomæus Petrus Duacenſis in præfatione ad *Commonitorium* Vincentii. Hæc Baluzius in Notis ad Commonitorium Vincentii, anno 1669. a ſe Pariſiis in 8. emiſſum, pag. 431. quæ latius poſtea excutientur.

Vincentius Presbyter.

Tertius Vincentius Presbyter, floruit circa annum 480. vel circiter, cujus meminit Gennadius Maſſilienſis in libro *de Scriptoribus illuſtribus* cap. 80. his verbis. Vincentius Presbyter & ipſe natione Gallus, in divinis Scripturis exercitatus, linguam habens uſu loquendi & majorum lectione politam, commentatus eſt in Pſalmos. Cujus Operis legit aliqua Sancto Dei homini Cannati, me audiente: promittens ſi Dominus vitam & vires dederit, ſe in toto Pſalterio eodem ſtudio laboraturum. De illo Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ad annum 434. pag. 337. Non me latet quidem Baronium aliosque Objectiones Vincentianas quas S. Proſper confutavit, tribuere Vincentio cuidam juniori, qui Gennadii familiaris fuit, de quo *de Scriptoribus* cap. 80. & in Pſalmos commentatus eſt. Verum id ratio temporis non patitur. Vincentius enim iſte vix ex ephebis exceſſiſſe potuerat, dum objectiones Vincentianæ in omnium manibus jamdudum verſatæ eſſent. Plura argumenta ad hanc rem ſuppeditari poſſunt, ex Proſperi reſponſionibus, quæ tempore Sixti Romani Epiſcopi, ab anno 432. ad 440. exaratæ ſunt. Jam ad Vincentium Lirinenſem veniamus.

CAPUT SECUNDUM.

DE VINCENTIO LERINENSI MONACHO, EIUSQVE SCRIPTIS.

VIncentium Lerinenſem Commonitorii fuiſſe authorem, in Gennadio habemus, Libro *de Scriptoribus Eccleſiæ* cap. 64. his verbis. „Vincentius natione Gallus, apud monaſterium in Lerinenſi inſula Presbyter, vir in Scripturis ſanctis doctus, & notitia Eccleſiaſticorum dogmatum ſufficienter inſtructus, compoſuit ad evertenda Hæreticorum collegia, nitido & aperto ſermone validiſſimam Diſputationem: quam abſconſo nomine ſuo attitulavit *Peregrini*, adverſus Hæreticos: cujus operis quia ſecundi libri maximam in ſchedulis partem à quibusdam furatam perdidit, recapitulato ejus paucis ſermonibus ſenſu primo compegit, & in unum librum edidit. Moritur Theodoſio & Valentiniano regnantibus.“ Hæc Gennadius. Etenim author ſub *Commonitorii* initium, ſe Peregrinum vocat, primus autem nomen ejusdem Gennadius publicavit. Poſt illum Bellarminus, Labbeus, Poſſevinus, Sauſſaius in *Martyrologio Gallicano* ad diem 24. Maji, quos alii

Digitized by Google

riam Joannes Costerius, qui etiam idem volumen Commentariis illustravit. Imo addit Baronius in Notis *Martyrologii* ad diem 24. Maji, Authorem magnam sui nominis in Ecclesia Catholica laudem reliquisse. Quis talia post tantam testium nubem non crederet? At Vossius magnus Scriptorum censor, in extremam prorsus opinionem de memorato *Commonitorio* descendit: hæc enim lib. 1. *Historia Pelagiana* cap. 9. scribit. *Justa nihilominus rationes sunt, cur Commonitorii scriptorem, non solum ab Augustiniana de praedestinatione sententia abhorruisse credamus: sed etiam Commonitorium adversus Augustinum ipsum, vel eos saltem qui Augustini sententiam sequerentur, scripsisse existimemus.* Ego quidem ad Vossii sententiam plane accessissem, nisi tot delatæ à sapientissimis Scriptoribus *Commonitorio* laudes, religionem mihi pene injecissent. Attamen cum inter Opuscula Prosperi, legamus libellum ita inscriptum, *Responsiones ad capitula objectionum Vincentianarum:* & aliunde sat nobis probatum sit, Lerinenses à sancti Augustini *de praedestinatione ad fidem* sententia recessisse: jure dubitandi occasio datur, fueritne Vincentius Lerinensis author *Commonitorii*, idem ille quem sanctus Prosper impugnavit. Ego quidem libere sententiam promam, ac nisi nobismet oculos eruamus; palam faciam, hunc Vincentium cum Hilario Arelatensi, Fausto Abbate Lerinensi, aliisque syncellitis Lerinensibus, contra S. Augustini *de praedestinatione* doctrinam conspirasse. Idque ex ejusdem verbis evincam, quæ miramur non modo nuperos Scriptores, qui Commentariis hoc *Commonitorium* illustrarunt, non observasse: verum etiam nec ipsum Vossium, qui non omnes istius libri nævos notavit. Hæc verbotenus Henricus de Noris, l. c.

CAPVT TERTIVM.

COMMONITORIVM VINCENTII LERINENSIS SEMIPELAGIANVM EST, CONTRA AVGVSTINIANÆ DE GRATIA SENTENTIÆ ASSERTORES SCRIPTVM.

1. CApitale Massilienssium dogma fuit, communem omnino esse omnibus gratiam Dei, dari vero illam sustinet viribus quærentibus, pulsantibus, petentibus. Legantur duo istius Fodionis Coriphæi Cassianus lib. 12. *De Institut. Cœnobiorum* cap. 14. Faustus lib. 2. cap. 10. Hujus sane hæc verba sunt. *Adjutorii itaq; sermo duos indicat, operantem & cooperantem, petentem & promittentem, pulsantem & aperientem, quærentem pariter & retribuentem. Hoc solum nostrum est, ut qui pro fragilitate idonei non sumus, saltem quærendi & pulsandi importunitate placeamus. Ubi erit fiducia misericordiæ Dei, si cum persona nihil mereatur indigni, & ad hoc desideria accedant studiosi?* De universis vero hoc ipsum eos sentire scripsit Prosper ad Augustinum, nempe: *Ad hanc gratiam qua in Christo renascimur, pervenire per naturalem scilicet Facultatem, petendo, quærendo, pulsando: ut ideo accipiat, ideo inveniat, ideo introëat: qui a bono naturæ bene usus, ad istam salvantem gratiam, initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Hanc vero sententiam rejecerat S. Doctor cap. 23. de dono perseverantiæ his verbis: *Attendant ergo quomodo falluntur, qui putant esse a nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulsemus: & hoc esse dictum, quod gratia præcedat merito nostro, ut sequatur illa, cum accipimus petentes, & invenimus quærentes, aperiturque pulsantibus. Nec volunt intelligere, etiam hoc divini muneris esse, ut oremus, hoc est, petamus, quæramus atque pulsemus.* Eundem Semipelagianorum errorem damnat Synodus Arausicana canone VI. Rursus iidem negabant gratiam Dei esse donum *speciale & personale*, volentes eam omnibus dari. Hinc Faustus lib. 1. cap. 15. ait: *non specialem esse circa credentes Dei munificentiam*, & apud Maxentium in Resp. ad epist. Hormisdæ, ait: *Sed dicis quia non omnibus datur, sed donum sit personale credulitas, & illis tantum credere suppetat, quibus Deus specialiter donavit, ut crederent: Non ita est.* Audiamus jam Vincentium egregie his concinentem, dum irridet asserentes gratiam specialem & personalem, subinferens dari petentibus, pulsantibus, quærentibus: etenim in eodem Commonitorio cap. 37. ait. *Jam vero illis quæ sequuntur, promissionibus, miro modo incautos homines Hæretici decipere consueverunt. Audent enim polliceri & docere, quod in Ecclesia sua, id est in Communionis suæ conventiculo, magna & specialis ac plane personalis quædam sit Dei gratia: adeo ut sine ullo labore, sine ullo studio, sine ulla industria, etiamsi nec petant, nec quærant, nec pulsent, quicunque illi ad numerum suum pertinent: tamen ita divinitus dispensentur, ut Angelicis evecti manibus, id est, Angelica protectione servati, nunquam possint offendere ad lapidem pedem suum.* Quibus ultimis verbis, sententiam sancti Augustini *de praedestinatione & de dono perseverantiæ*, reprehensioni subjicit. In quo sane culpandus est, quod Augustinianæ sententiæ sectatores *Hæreticos* dixit: cum Semipelagiani doctiores, Augustini sententiam errorem, non hæresin appellarint. Gennadius de Augustino loquens ait: *Error illius sermone multo (ut dixi) contectus, tuta Hostium exaggeratus, nec dum hæresis quæstionem dedit.* Et Faustus in præfatione ad Leontium: *In condemnando prædestinationis errore Concilium summorum Antistitum congregastis.* Porro Vincentius hæreticos nuncupat asserentes, *quandam Dei gratiam esse specialem & personalem, quæ sine ullius laboris, studii & industriæ merito detur, nec petentibus, nec quærentibus, nec pulsantibus.* An vero disertius suam sententiam potuerit exprimere, vel reapse expresserit Faustus, certe non video.

2. Semipelagiani Augustinianæ *de praedestinatione* sententiæ novitatem objiciebant, dictitantes ipsorum opinionem veterum omnium Pa-

trum unanimi conſenſu approbatam. Ita de illis ad Auguſtinum ſcripſere Proſper & Hilarius, quorum primus ait: *Obſtinationem ſuam vetuſtate defendunt, & ea quæ de Epiſtola Apoſtoli Pauli Romanis ſcribentis ad manifeſtationem divinæ gratiæ, prævenientia electorum merita, proferuntur: à nullo unquam Eccleſiaſticorum ita eſſe intellecta, ut nunc ſentiuntur, affirmant.* Quibus S. Doctor reſpondet in libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 14. *Si ergo hujus ſententiæ defenſionem, ex divinorum eloquiorum nos præcedentibus Catholicis tractatoribus promerem: profectò hi fratres pro quibus nunc agimus, acquieſcerent, hoc enim ſignificaſtis literis veſtris. Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priusquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari, quod procul dubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur? unde factum eſt, ut de gratia Dei quid ſentirent breviter quibusdam ſcriptorum ſuorum locis, & transeuntes attingerent &c.* Idem habet de dono perſeverantiæ cap. 19 & 20. In hujus vero fine ait: *Didicimus enim ſingulas quasque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentius defenderetur ſcriptura divina, quam ſi nulla talis neceſſitas cogeret. Quid autem coëgit loca ſcripturarum, quibus prædeſtinatio commendata eſt, copioſius & enucleatius iſto noſtro labore defendi, niſi quod Pelagiani dicunt: Gratiam Dei ſecundum merita noſtra dari?* Ex quibus patet S. Auguſtinum hanc novitatis ſuſpicionem paſſim ingenue fateri, ſe etiam copioſius & enucleatius quam cæteri ante ipſum Patres, Apoſtoli teſtimonia explicuiſſe, quibus gratuita Dei prædeſtinatio adſtruitur; ut nove, non nova tamen diceret. At Vincentius toto eo libro, hoc unum urget, nihil noviter dicendum, non modo contra omnes, ſed nec præter omnes: unde hæc ipſius verba ſunt cap. 39. *Quidquid vero quamvis ille ſanctus & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis Confeſſor & Martyr, præter omnes aut etiam contra omnes ſenſerit: id inter proprias & occultas & privatas opiniunculas, à communis & publica generalis ſententiæ authoritate ſecretum ſit. Nec cum ſummo æternæ ſalutis periculo, juxta ſacrilegam Hæreticorum & Schiſmaticorum conſuetudinem, univerſalis dogmatis antiqua veritate dimiſſa, unius hominis novitium ſectemur errorem.* Hæc contra Auguſtinum dicta fuiſſe videbuntur fortaſſe quibusdam, quibus nec conſentit nec repugnat, Henricus de Noris, quem hic ſequimur. Hinc opinor Vincentium Operi nomen ſuum *Commonitorio* non inſcripſiſſe, nequaquam ex humilitate ut plurimi putant: ſed cautela vel timore, ne cum durius & acerbius contra Auguſtinianæ de prædeſtinatione ad gratiam doctrinæ defenſores ageret, plurimas in ſe acerbasque reſponſiones accerſeret. Minus enim curantur Anonymi pugiles, quam qui deſignato nomine in arenam provocant.

3. Quanta arte idem Vincentius Celeſtini litteras adverſus Semipelagianos, in favorem Proſperi & Hilarii datas, contra Proſperum eundem ſociosque, vana quidem ſed arguta interpretatione detorqueat, videamus. Igitur circa finem libri, quo vetuſtatem novitati ſemper præferendam oſtendat: poſt Sixti viventis decretum, deceſſoris Celeſtini ſententiam hanc præfert. *Sed & ſanctus Papa Celeſtinus, pari modo, eademque ſententia; ait enim in Epiſtola, quam Gallorum ſacerdotibus miſit, arguens eorum conniventiam, quod antiquam fidem ſilentio deſtituentes, profanas novitates exurgere paterentur: Merito, inquit, cauſſa nos reſpicit, ſi ſilentio foveamus errorem; Ergo corripiantur hujuſmodi, non ſit his liberum habere pro voluntate ſermonem.* Hæc eſt illa celebris Celeſtini Epiſtola, qua S. Auguſtinum miris præconiis effert, uti pluribus ad an. 432. dictum eſt. Hæc cum legiſſet Baronius, in notis ad d. 24. Maji, pro Vincentio ſcripſit: „Hic non tantum non impugnavit defenſores S. Auguſtini, ſed magnopere laudavit: nam in libro quem ſcripſit adverſus hæreſes cap. 43. vehementer commendavit Celeſtini Romani Pontificis Epiſtolam in defenſionem Scriptorum S. Auguſtini datam ad Epiſcopos Galliarum, adverſus eos qui tanti Patris doctrinam auſi fuerant impugnare.“ Verum eruditus hic Scriptor, qui in *Annalibus* ad annum 490. Fauſtum Abbatem vulpeculam dicit, Vincentii ſub eodem Monachi, ut volunt, artes non detexit. Atque ut verum fatear (inquit Noriſius) & ipſe quoque initio, Vincentium ex hac ab eodem laudata Epiſtola, Semipelagianiſmi ſuſpicione abſolvebam; itane eas literas commendaret, queis Celeſtinus Semipelagianorum in Auguſtino impugnando inſolentiam perſtringebat? Sed dum ſequentia attentius lego, Vincentii artem noſco. *Hic aliquis fortaſſe*, inquit, *addubitet, quinam ſint illi, quos habere prohibeat liberum pro voluntate ſermonem? vetuſtatis prædicatores, ac novitatis inventores? Ipſe dicat, & dubitationem legentium ipſe diſſolvat.* Etenim Proſper & Hilarius in favorem Auguſtinianæ ſententiæ literas Celeſtini producebant, quas Romam profecti ipſimet impetrarant. Semipelagiani vero negabant literas illas Auguſtinum laudantes, in favorem librorum poſteriorum, in quibus ille nova docebat, ſcriptas fuiſſe: ſed in commendationem priorum voluminum, in quibus cum cæteris Patribus veterem ſententiam tenebat. Proſper in fine libri *Contra Collatorem*, ait illos dixiſſe: *iſtam in ſanctum Auguſtinum Laudationem pro anteriorum Scriptorum meritu fuiſſe collatam.* Hos autem anteriores libros, utpote vetuſtati conſentientes, Adverſariis acceptos fuiſſe, ſcribit Hilarius ad Auguſtinum his verbis: *Hoc enim & illis locis tuorum Opuſculorum, & aliorum quæ perſequi longum eſt, ſe demonſtrare teſtantur.* Itaque Vincentius urget, quinam ſint illi, quos Celeſtinus prohibet ne libere loquantur, ex ipſo Celeſtino cognoſcendum: ſequitur enim: *Deſinat ſi ita res eſt, id eſt, ſi ita eſt, ut apud me quidam*

urbes & Provincias veſtras criminantur, quod eas quibusdam novitatibus conſentire noxia ſimulatione faciatis: Deſinat itaque, inquit, ſi ita eſt, inceſſere novitas vetuſtatem. Videas quomodo Proſperum & Hilarium deſpicit! Inducit enim Celeſtinum dicentem de illis, *ut apud me quidam criminantur:* cum tamen Celeſtinus non ita quodam nomine, ſed illos proprio & cum laude appellet: *Filii noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circa Deum ſollicitudo laudanda eſt.* Atque hos quos Pontifex laudat, Vincentius CRIMINATORES vocat, horrendo Semipelagianarum partium ſtudio. Rurſus Proſper & Hilarius Caſſianum, Fauſtum, & ipſum etiam Vincentium, quos omnes fuiſſe Presbyteros conſtat, paucosque inſuper alios, apud Celeſtinum accuſarant, quod S. Auguſtini doctrinam injuriis laceſſerent. Audiatur Celeſtinus: *Filii noſtri præſentes Proſper & Hilarius, quorum circa Deum noſtrum ſollicitudo laudanda eſt, tantum neſcio quibus Presbyteris illic licere, qui diſſentioni Eccleſiarum ſtudeant, ſunt apud nos profecuti: ut indiſciplinatas quæſtiones vocantes in medium, pertinaciter eos dicant prædicare adverſantia veritati.* At Vincentius, ut contra Proſperum integræ non modo urbes, ſed & Galliarum Provinciæ ſtare credantur, fingit illum criminatum fuiſſe *urbes & Provincias.* Itane Vincenti, neſcio quos Presbyteros, *urbes & Provincias* vocas? Proſper & Hilarius non Epiſcopos accuſarant, quod Gallicanas Provincias noxia ſimulatione quibusdam novitatibus conſentire facerent: uti perperam Vincentius ſcribit, quo duos illos Lerinenſium duntaxat ac Maſſilienſium delatores, in Epiſcoporum invidiam trahat: ſed neſcio quos tantum Presbyteros detulerant. At ipſius Celeſtini ſententia fuit, Epiſcopis eos tumultus imputandos, dum inquit: *Sed veſtræ dilectioni juſtius imputamus, quando illi ſupra vos habent copiam diſputandi. Legimus ſupra magiſtrum non eſſe diſcipulum, hoc eſt, non ſibi debere quenquam ad injuriam Doctorum, vindicare doctrinam &c.* Jam vero ſanctum Auguſtinum, qui ad ſuperos abierat, antiquis magiſtris adnumerabat: unde novos doctores Fauſtum, Caſſianum, Vincentium, qui illum arguebant, his verbis reprehendit: *Deſinat, ſi ita res ſunt, inceſſere novitas vetuſtatem, &c.* qui cap. 2. poſt laudatum Auguſtinum addit: *Unde reſiſtendum talibus, quos male creſcere videmus.*

4. Denique Vincentium, cum Fauſto ſuo Abbate colluſionis reum, alio argumento oſtendo, quod poſtea a Voſſio etiam adnotatum vidi. Cur enim Vincentius intra unum & alterum verſum, toties reponit, *ſi ita res eſt:* cujus hic verba repeto. *Deſinat*, inquit, *ſi ita res eſt, ſi ita eſt, ut apud me quidam urbes & Provincias veſtras criminantur: quod eas quibusdam novitatibus conſentire noxia diſſimulatione faciatis. Deſinat itaque, inquit, ſi ita res eſt, inceſſere novitas vetuſtatem.* Vrgendo toties illud, *ſi ita res eſt*, falſam ſe denotare Proſperi & Hilarii delationem ſignificat: ſeu Pontificem literas ſuas transmiſiſſe, delationi tantum illorum innixas, de cujus veritate diligentius inquirere ſupervacaneum ducens, verba iſta inſeruit, *ſi ita res eſt:* quæ forte Proſpero toties veluti in faciem objicit, ut accuſatorem in Celeſtino Decreto perperam gloriatum oſtendat. Tandem Vincentius ſuismet veluti armis, Proſpero rejecto exclamat: *Ergo hæc fuit beati Celeſtini ſententia, non ut vetuſtas ceſſaret obruere novitatem:* hoc eſt, Non ut nos qui veterem ſententiam aliorum Patrum ſequimur, ceſſaremus obruere novitatem Auguſtinianæ opinionis: *Sed potius novitas deſineret inceſſere vetuſtatem*, nimirum *Nova* potius Auguſtini & Sectatorum Proſperi & Hilarii doctrina, deſineret incedere vetuſtatem ſententiæ Caſſiani, Fauſti, & neſcio quorumdam Presbyterorum. Quis ad iſta non hæreat? Nam eo ipſo loco, ubi Baronius, Suarius, Vasquez & fere omnes, putarunt defendi ab illo Auguſtinianæ doctrinæ ſectatores: hos ipſos *Criminatores urbium & Provinciarum* vocat, Celeſtini Pontificis verba arguta arte prævertit, atque contra illos ejusdem ſententiam detorquet, in quorum favorem lata fuerat. Hæc de *Commonitorio* Vincentii noſtra ſententia eſt, quam Auguſtinianæ doctrinæ cultus, ac veritatis amor invito prorſus extorſit: non quod idem Opuſculum ex loco honoris, quo nobiles Scriptores illud evexere, dejectum velim. Vincentio idem quod Chymicæ artis profeſſoribus contigit, qui cum fine auri conficiendi exciderunt, utilia tamen medicamina auro ipſo longe pretioſiora repererunt. Ita ille cum Auguſtini doctrinam *de prædeſtinatione*, veluti per cuniculos eo Opuſculo fortaſſe obruere tentaret, hæreſes cæteras a fundamentis evertit: ſed Auguſtini doctrinam, quæ Catholica ſemper fuit, ne loco quidem movit.

CAPVT QVARTVM.

IDEM VINCENTIVS LERINENSIS, AVTHOR OBIECTIONVM VINCENTIANARVM, CONTRA AVGVSTINI DOCTRINAM: QVI TAMEN FASTIS SANCTORVM, IN ECCLESIA ROMANA ADSCRIPTVS EST.

Hic idem Vincentius contra Proſperum, aliosque abſurdiſſima quædam aſſerta evulgavit, quaſi ab Auguſtinianis illa eadem defenderentur. At haſce calumnias idem Aquitanus ſolide rejecit edito libello, cui titulus: *Reſponſio ad capitula objectionum Vincentianarum.* Hæc in præfatione contra Vincentium ſcribit: *Quidam Chriſtianæ ac fraternæ charitatis obliti, in tantum exiſtimationem noſtram quoquo modo ſtudent ledere, ut ſuam ſe evertere, nocendi cupiditate non videant. Contexunt enim, & qualibus poſſunt ſententiis comprehendunt ineptiſſimarum quarumdam blaſphemiarum prodigioſa mendacia, eaque oſtenden-*

da & ingerenda multis, publice privatimque circumferunt. Addit etiam ibidem, se fidem contra Pelagianos, *ex Apostolicæ sedis authoritate* defendere: unde a Cœlestino Romæ eidem injunctum videtur, ut in Galliis contra novos Massilienſium conatus excubaret, quod eidem ſummæ gloriæ vertitur. Quippe qui Laicus, probatæ adeo fidei atque doctrinæ eſſet, ut tanti negotii onus humeris ejus ab Apoſtolica ſede imponeretur. Baronius ad diem 24. Maji in ſuo *Martyrologio* Vincentium alterum Gallicanum Presbyterum, de quo cap. 1. hujus Diſſertationis egimus, Authorem objectionum quas laudatus Proſper refutavit, affirmat teſtatus: *Eodem ſeculo alterum Vincentium claruiſſe in Gallia, de quo idem Gennadius ſcribit eodem lib. cap. 80. cui potius opus illud tribuendum putarem.* Sed non video, quo jure in Vincentium Presbyterum id devolvi poſſit, de quo nulla ſuſpicio, nec umbra Semipelagianiſmi nobis conſtat: nam illius Interpretationes in Pſalmos interierunt. Cum de Vincentio vulgo Lerinenſi, tanta non dicam præſumptio ſit, ſed evidentia, ut fuſius probatum eſt. Præterea Vincentius de quo cap. 80. ſcribit Gennadius, junior eſt. Convixit enim Gennadio, qui eum etiam audiviſſe teſtatur. Gennadius vero floruit, ſexaginta & amplius annis, poſt Gallicanos illos de Gratia tumultus, vivente Proſpero circa annum 426. excitatos. Tradit ibi Gennadius, ſe præſente Vincentium legiſſe expoſitiones memoratas *ſancto homini Dei Cannato.* At hic ſucceſſit Græco Epiſcopo Maſſilienſi anno circiter 480. ex tabulis Sammarthanis: ut plane Objectiones a Proſpero rejectæ, huic Vincentio minime attribui poſſe videantur.

Non obſtante autem Vincentii Lerinenſis Semipelagianiſmo, nomen ejus ſacris Romanæ Eccleſiæ faſtis, adſcriptum legitur IX. Calendas Junii: quem ita excuſare conatur Henricus de Noris, pag. 161. Nulla tamen per nos, Vincentii ſive eruditioni ſive ſanctitati, injuria importatur: dum illum cum iis Maſſilienſibus cenſuimus, qui Semipelagiani vulgo audiunt. Neque enim iſti erant id temporis hæretici, ſed viri doctiſſimi & ſanctiſſimi: quos S. Auguſtinus *fratres ac ſui dilectores*, Proſper vero licet alias illorum hoſtis, *ſanctos, honoribus & meritis claros, & egregios in omnium virtutum ſtudio viros* honoris cauſa appellabant, ut cap. 5. notavimus. Quis autem neſciat Hilarium Arelatenſem, Joannem Caſſianum, ac Fauſtum Regienſem, adhuc in vivis magna exiſtimatione in Galliis fuiſſe? Mortuos autem Arelate, Maſſiliæ, & apud Reies uti ſanctos coli; cum tamen iidem fuerint Semipelagianæ ſcholæ magiſtri? Tunc ab Auguſtino in controverſia de prædeſtinatione ad fidem recedebant, quando fas erat, ea de re in utramque partem diſputare. Anno enim demum centeſimo ab Auguſtini obitu, ſententia ipſius S. Doctoris in Arauſicana Synodo inter fidei Canones relata eſt. Laudati autem Patres acerrime quidem Pelagianos inſectabantur, Joannes Caſſianus lib. 1. *de Incarnatione* cap. 3. Pelagium refellit, id quod & agit Fauſtus lib. 1. *de gratia & libero arbitrio* cap. 1. Gennadius tres contra eundem Hæreſiarcham libros ſcripſit. Hilarius in plena Synodo Galliæ, Legatos in Britanniam contra Pelagii Sectatores deſtinavit. Vincentius etiam in *Commonitorio* cap. 14. ait, *contra reclamant rana quædam, & muſcæ moritura.* Et cap. 34. ait: *Quis enim unquam ante prophanum illum Pelagium, tantam virtutem liberi præſumpſit arbitrii: ut ad hoc in bonis rebus per actus ſingulos adjuvandum, neceſſariam Dei gratiam non putaret? Quis ante prodigioſum diſcipulum ejus Celeſtium, reatu prævaricationis Adæ omne genus humanum denegavit adſtrictum?* Hi quidem omnes licet Pelagium execrabantur, quod etiam teſtatur Proſper *contra ingratos*, Auguſtini tamen ſententiam de prædeſtinatione ad primam gratiam admittere recuſabant. Quænam enim humana merita eidem præmittebant, ne incertibus & otioſis Dei munera tribui viderentur. Gabriel Vasquez magnus Theologus, ac in Semipelagiana Hiſtoria ſumma cum laude verſatus, ſcripſit *Omnes fere Epiſcopos Galliarum ad Semipelagianos acceſſiſſe*, ut cap. 5. notavimus. Quare cum in omnium pene ſententia, illa Auguſtini doctrina *de efficaci electione ad primam gratiam* contraria putaretur Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui, teſte Proſpero in Epiſtola ad eundem S. Doctorem, & *prater paucos* reliqui uno conſenſu contra eundem conſpirarent: quid mirum ſi Vincentius, qui toto hoc eruditiſſimo ac elegantiſſimo volumine unum hoc urget, communem nempe ſententiam *privatis opiniunculis* (ut ejusdem verbis utar) anteferendam eſſe: ea in controverſia, communi inter Galliæ Doctores ſententiæ ſibi inhærendum eſſe putaverit, relicta Auguſtini Africani, quæ nova putabatur, opinione; *& contraria Patrum opinioni & Eccleſiaſtico ſenſui?* Hæc fuſius proſecutus ſum, quo nonnullorum querelis facerem ſatis, qui grandi piaculo aſtringi putant eum, qui Vincentium Lerinenſem eximiæ eruditionis ac ſanctitatis Patrem, in Maſſilienſium album refert: quaſi Semipelagiani id temporis hæretici fuerint, non autem viri ſupra cæteros in Galliis doctiſſimi ac ſanctiſſimi. Hæc verbotenus Henricus de Noris lib. 2. *Hiſtoria Pelagiana* cap. 11. pag. 157. ad 162. quem paululum ordine tantum immutavimus. Si quis autem obſtupeſcat Semipelagianum hominem Romano ad diem Maji 24. inſertum Martyrologio: ſciat antiquis Martyrologis infallibilitatem nullibi attributam, ut patet ex his quæ ſuperius dicta ſunt, in *Euſebio Cæſarienſi, Gregorio Betico*, atque recenter in *Hilario Arelatenſi*. De Scriptis Vincentii Lerinenſis, Bellarminus & Labbeus in Opuſculo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Baronius in Notis ad *Martyrologium Romanum* die 23. Maji. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ad annum 434. pag. 337. Omnium ampliſſime Daniel Papebrochius *de Sancto Vincentio Lerinenſi, Monacho in Gallia* in Probatis

San-

Sanctorum Vitis, anno 1685. tomo V. Maji mensis, ad diem XXIV. Maji, p. 284. & sqq.

CAPUT QUINTUM.

VERISIMILLIMUM PRORSUS ESSE, SANCTUM VINCENTIUM LERINENSEM MONACHUM, *PRÆDESTINATI* AUTHOREM ESSE.

NOn modica quidem inter eruditos contentio est, quisnam verus Author *Prædestinati* censeri debeat. Omnesque ferme qui hoc argumentum tractarunt in varias a se invicem abierunt sententias, de quibus meo quidem judicio, moderate atque sincere tractat Thomas Ittigius Lipsiensis in Dissertatione *de Hæresiarchis*, Lipsiæ anno 1690. in 4. impressa sumptibus hæredum Friderici Lanckisii. Illic in Præfatione ad Lectorem num. 7. pag. 8. ita de *Prædestinati* authore loquitur. „Eodem fere ordine, quem „Augustinus tenuit, primitivæ Ecclesiæ hæ„reses recenset antiquus quidam sed incertus au„thor. Eum sub *Prædestinati* nomine primum „Jacobus Sirmondus Parisius anno 1643. luce „publica donavit. Paulo post idem *Prædestina„ti* opus iterum typis exprimi curavit & censu„ram suam adjunxit, Joannes Auræus, sub quo „nomine alii Arnaldum, alii Blondellum latere „censuerunt, ut Hugo Grotius in Epistolarum „parte 2. Epist. 699. ad Fratrem Guillelmum „indicat. Postea cum anno 1677. Lugdunen„sis Patrum Bibliotheca prodiret, inter Patres „Tomi XXVII. author ille *Prædestinati*, quam„vis Semipelagiana hæresi infectus, comparere „non erubuit. Novissime anno Christi 1686. „in Italia apud Patavinos Seraphinus Piccinar„dus Ord. Fratrum Prædicatorum, *Prædestina„tum* illum prolixis prolegomenis & appendici„bus locupletatum in lucem publicam emisit: „Totum *Prædestinati* opus tribus libris constat, „quorum primus 90. hæreses complectens, „hunc titulum præfixum habet: *Epitome Eccle„seos Hygini, contra hæresiarchas & categoriarum„ Epiphanii contra sectas, & Expositionum Philastrii „&c.* Ex hoc titulo natus error Hincmari Re„mensis, qui authorem hujus anonymi tracta„tus *Hyginum* appellat, in Tract. *de Prædestinat.* „cap. 1. p. 6. Cum tamen *Hyginum* inter eos ab „authore referri manifestum sit, qui ante ipsum, „Catalogos hæreticorum contexuerunt. Alii „quibus accedit Oudinus supplementi *de Scripto„ribus Ecclesiasticis* pag. 119. authorem hujus „tractatus Primasium fecerunt Adrumetinum „in Byzacena Africæ provincia Episcopum, „quem Isidorus in Catalogo virorum illustrium „cap. 9. *Libros tres de Hæresibus ad Fortunatum Epi„scopum* edidisse retulit. Et confirmari quo„dammodo posset hæc sententia authoritate „MS. cujusdam Codicis, qui ut *αὐτόπτης* Mabil„lonius in itinere suo Germanico, tomo 4. *Ana„lectorum* pag. 83. & 84. memorat, opus hoc ex„presse *Primasio* tribuit: quem Codicem a Re„ginbaldo Monacho Benedictino ante annos „850. exaratum tradit Harduinus in Dissert. *de „baptismo in nomine Christi*, pag. 73. Verum Pri„masius, quantum ex Isidoro novimus, triparti„tum suum opus *de Hæresibus* hoc ordine diges„sit, ut in primo ostenderit, *quid hæreticum faciat*; „in secundo vero & tertio, *quid hæreticum demon„stret*. At author *Prædestinati* in primo libro „90. hæreses recenset, in secundo exhibet li„brum sub Augustini nomine confictum, quem „postea in libro tertio refutat. Neque ulla „hic Fortunati Episcopi mentio, cui Primasius „opus suum dedicasse dicitur, nisi quod in Codi„ce MS. Augiensi Criticus nescio quis singulos „libros *Primasii ad Fortunatum* titulo prænota„vit, ut a Sirmondo in *Historia Prædestinatiana*„ pag. 27. observatum. Accedit quod in isto „codice Augiensi quem Mabillonius vidit, no„men *Primasii* dilutiori atramento ascriptum „deprehendatur. Quocirca Sirmondus de au„thore *Prædestinati*, nihil certi hactenus com„pertum in *Historia sua Prædestinatiana* c. 4. asse„rit: & quamvis in præfatione Authori huic à„se edito præmissa, de Arnobio juniori cujus in„ Psalmos Commentarii extant, ob styli & sen„tentiarum affinitatem nonnihil auguretur, ipse „tamen divinationem hanc incertam esse pro„fitetur, eamque aliorum solertiæ & judicio ul„terius inquirendam permittit. Piccinardus „vero, cujus paulo ante mentionem fecimus, „sect. 1. de opere *Prædestinati* art. 3. §. 2. Arno„bio hunc fœtum plane abjudicat, eumq; art. 2. „§. 9. Vincentio tribuit, non quidem Lerinensi, „sed Vincentio Presbytero Psalmorum inter„preti, quem Gennadius Massiliensis *de Scriptor. „Ecclesiasticis* cap. 80. à sacrarum Scripturarum „cognitione & lingua usu loquendi polita com„mendat: vel Vincentio Victori, adversus „quem Sanctus Augustinus *Libros 4. de origine „animæ* composuit. Verum ut hanc conjecturam probet, multa supponit, de quibus haud „immerito dubitari possit. Vix igitur aliquid „certi, de nomine authoris proferri poterit. „De ætate autem authoris, ex eo nonnihil con„jicere licet, quod 88. hæresibus ab Augustino „enumeratis duas tantum addat, *Nestorianorum„ scilicet & Prædestinatorum*. Hinc enim non le„vis nascitur suspicio, quod hic author quisquis „fuerit, paulo post Augustinum, & Eutychis hæ„resi nondum exorta scripserit. Multa autem „in hoc authore de priscis hæreticis leguntur, „quæ Irenæo, Philastrio, Epiphanio, Augustino, „aliisque primitivæ Ecclesiæ Scriptoribus inco„gnita fuerunt: sive ea ex Hygino, Polycrate, „Africano & Hesiodo hauserit, ut videri vult; „sive ipse ad captandam novitatis gratiam ejus„modi gesta finxerit, qua de re liberum cuilibet „judicium permitto. Interim suspectæ istæ „narrationes Reformatis, & inter Pontificios „Jansenianis, quibus hoc Opus ob *Prædestinato-*

rum

„rum hæresim inviſum eſt, haud incommodam „occaſionem præbuerunt, ut cum perſonato „Awtæo in *Cenſum Prædeſtinati* cap. 2. & Man„guino in *Vindiciis Prædeſtinationis & gratiæ* Dis„ſert. 2. pag. 500. ſcriptum omni fide & luce „publica indignum cenſuerint. Contra Jeſui„tis & Remonſtrantibus gratiſſimum hunc li„bellum fuiſſe, Sirmondi *Hiſtoria Prædeſtinatiana* „cap. 4. Grotii Epiſt. parte 2. Epiſt. 673. alio„rumque judicia teſtantur. Hæc Ittigius. Sed attente lecto à me, relectoque Commentario de Authore *Prædeſtinati*, quem ſcripſit Seraphinus Piccinardus Brixienſis, Ord. Fratrum Prædicatorum, quæ potiſſimum habet ſect. 1. Art. 2. paragr. 7. pag. 42. 8. pag. 47. & 9. pag. 50. plene perſuaſus ſum Opus *Prædeſtinati* ſpectare non poſſe contra Piccinardum, vel ad Vincentium Victorem, contra quem ſcripſit S. Auguſtinus Libros 4. de origine animæ: vel ad Vincentium Gallum Commentarii in Pſalmos Scriptorem, cujus meminit Gennadius *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 80: ſed ad Vincentium Lerinenſem Monachum, quem Semipelagianum fuiſſe atque Auguſtino adverſarium, ut & ejus diſcipulis Proſpero & Hilario, clariſſime demonſtrat Henricus de Noris, in *Hiſtoria Pelagiana*, ut ſupra probatum eſt. 1. Enim hoc Opus adſcribi non poteſt Vincentio Victori, ut male cenſet Piccinardus: quia quamvis olim hic Vincentius Victor Pelagianus fuerit, multisque erroribus ſe commiſerit, contra quem Auguſtinus *Libros 4. de Origine anima* ſcripſerit: omnem hanc ab eo maculam Auguſtinus eluit, dum Libro 2. *Retractationum* cap. 56. *ſe ab eo reſcripta ſua correctionis recepiſſe* teſtatur. Vnde poſt tam expreſſum Auguſtini in gratiam Vincentii Victoris teſtimonium, ludit auditores Piccinardus, fingens e cerebro ſuo Victorem hunc Pelagianiſmo craſſiore abjecto, in Semipelagianiſmum incidiſſe. 2. Opus Prædeſtinati attribui non poteſt Vincentio Gallo Pſalmorum interpreti, de quo cap. 80. *de viris illuſtribus* Gennadius. Nam Opus Prædeſtinati ex Piccinardo anno 434. vel circiter conſcriptum eſt, hic autem Vincentius de quo Gennadius, florebat tantum circa annum 480. & ultra, ut eruditi omnes conſentiunt. Præterea quis revelavit Piccinardo hunc Vincentium aut Semipelagianum fuiſſe, de quo nihil habemus præ manibus: vel *Prædeſtinatum ſcripſiſſe*, quod certe non omiſiſſet Gennadius. Quod autem hic ſcripſerit contra Hilarium & Proſperum, expreſſius hic author indicat Lib. 3. ante medium: *Soli duo* (concludit denotans Hilarium & Proſperum) *aut tres homunciones cæcum habentes cor, egrediuntur cum his libris Apoſtaticis, quos viri Catholici eſſe contingentes, totum vulnerunt mundum &c. atque unius loci obſcuritatem paſſi, tanto lumini tamque immenſo ſplendori tenebrarum ſuarum volunt inferre caliginem.* 3. Denique hæ rationes, quas male Piccinardus Vincentio Victori & Vincentio Gallo Pſalmorum Interpreti adaptavit, applicatæ Vincentio Lirinenſi Monacho, ipſi apprime conveniunt, eumque hujus Operis eſſe authorem quaſi digito oſtendunt. Conſtat enim anno circiter 434. Vincentium Lirinenſem Monachum floruiſſe, conſtatque eum in *Commonitorio* & Auguſtinum licet non nominatum male tractaſſe, & ejus doctrinæ ſectatoribus Proſpero atque Hilario Laicis infenſum fuiſſe, atque Semipelagianam doctrinam in *Commonitorio* propalaſſe, ut ſupra dixîmus: Ergo hæ duæ conditiones, Vincentium Monachum Lirinenſem indigitant *Prædeſtinati* authorem. Addo quod quemadmodum Vincentius iſte Lirinenſis *Commonitorium* ſub nomine *Peregrini* proprio nomine diſſimulato evulgavit, ne verius forſan, Auguſtinianorum de prædeſtinationis doctrina diſcipulorum reſponſiones atque ſales accerſeret: ita hic quoque pari cautela, ſuppreſſo nomine proprio, hos *Libros tres* ſub generali *Prædeſtinati* titulo in vulgus ſparſit, quo minus noſceretur, atque reſponſiones ab adverſariis Proſpero & Hilario acerbas durasque effugeret. Maxime cum Doctrina tertii Libri hujus *Prædeſtinati*, conveniat cum *Objectionibus Vincentianis* quas ſanctus Proſper confutavit, & eruditi omnes Vincentio Lirinenſi Monacho attribuunt. Tantum ergo juvit ut Piccinardus mihi perſuaſerit, in gratiam Vincentii Victoris vel Vincentii Galli Pſalmorum interpretis: ut mirer hominis ingenium, quomodo ad hanc ſententiam pervenire potuerit, quæ omni prorſus probabilitate deſtituta videtur. Vnde recte animadvertit Ittigius, Piccinardum *ut hanc conjecturam probet, multa ſupponere, de quibus haud immerito dubitari poſſit.* Hæc de authore *Prædeſtinati*, ſeclulis nequaquam certioribus aliis, ab aliis forſan afferendis.

Anno quoque 1693. Joſephus Anſelmius edidit Pariſiis in 8. apud Antonium Dezallier *Diſſertationem ſingularem*, ſeu *Novam de Symbolo Athanaſio Diſquiſitionem*, qua probare nititur Opuſculum iſtud eſſe hominis Latini, atque ad ſanctum Vincentium Lirinenſem ſpectare. Id quidem pro viribus aggreditur, multis ex conjecturis & infirmis, quibus vel pauci aſſenſum meo quidem ſenſu daturi ſunt. De Opuſculo hoc late agunt *Acta Eruditorum* Lipſiæ anni 1695. menſis Septembris pag. 412. quæ conſulas. Agunt præter citatos cap. præcedenti, de Opuſculis Vincentii Lirinenſis, Gennadius *de Viris illuſtribus* cap. 64. Gerardus Joannes Voſſius & Henricus de Noris in *Hiſtoria hæreſeos Pelagianæ.* Vincentius Barralis ampliſſime in *Chronologia Abbatiæ Lirinenſis*, aliisque innumeri.

NICÆAS ROMATIANÆ EPISCOPVS, 430. hoc eſt, ut recte interpretatus eſt Cæſar Baronius in Notis ad *Martyrologium Romanum* ad diem 22. Junii, Aquilejæ urbis Epiſcopus, cla-

ruit

ruit ab anno 420. ac deinceps per annos plurimos. Nam ex eo quod Aquileja fuiſſet nobiliſſima Romanorum colonia, Romana ſeu Romatiana dicta civitas reperitur: ſicut & Auſonius in Carmine *de nobilibus urbibus*, Arelatem nominat Romam Gallicam. Dum juvenis eſſet, Hieronymo familiaris admodum fuit, quem etiam in exteras peregrinantem regiones diu comitatus eſt: ut ipſe teſtatur Hieronymus in Epiſtola ad illum adhuc hypodiaconum ſcripta num. 42. cujus antiqua ejusmodi inſcriptio: *Hieronymus ad Niceam hypodiaconum Aquileja.* Succeſſiſſe creditur Chromatio Aquilejenſi Epiſcopo circa annum 410. vel ſerius etiam defuncto, cujus frequenter meminit S. Hieronymus in Epiſtolis. Annum præciſe quo Nicæas factus fuerit Epiſcopus, neſcire me fateor. Claruit juxta Martyrologium Romanum ad diem 22. Junii, doctrina, ſanctisque moribus, ſed ita ad indebitum pœnitentibus rigorem inclinantibus: ut Novatianæ ſe ſectæ aſſertorem profiteatur, quamvis faltis Sanctorum Romanis adſcriptus ſit. Hunc inter Scriptores Eccleſiaſticos accenſet Gennadius in libro *de viris illuſtribus* cap. 22. his verbis. "Nicæas Romatianæ civi„tatis Epiſcopus, compoſuit ſimplici ac nitido „ſermone, ſex competentibus baptiſmum in„ſtructionis libellos: in quibus primus conti„net, qualiter ſe debeant agere competentes, „qui ad baptiſmi gratiam cupiunt pervenire. „Secundus, de Gentilitatis erroribus, in quo in„dicat ſuo pene tempore Melchidium quem„dam Patremfamilias ab liberalitatem: & Ga„darium ruſticum ob fortitudinem, eſſe inter „Deos relatos. Tertius liber, de fide unicæ „Majeſtatis. Quartus, adverſus Genetleolo„giam. Quintus, de Symbolo. Sextus, de „agni Paſchalis victima. Dedit & ad lapſam „Virginem libellum, omnibus labentibus emen„dationis incentivum. Civitati ſuæ ab Hunnis exciſæ ſuperſtes fuit, & de Canonibus quibusdam Eccleſiaſticis ex occaſione invaſionis Hunnorum violatis, S. Leonem Papam 1. conſuluit: cujus reſponſum extat ſub Conſulatu Majoriani datum, hoc eſt anno 458. inter Epiſtolas ejusdem Leonis, num. LXXIX. Libellus autem Niceæ Aquilejenſis Epiſcopi *ad Virginem lapſam*, extare jam ab omnibus creditur, tum inter Opera ſancti Hieronymi ſub titulo *Objurgationis ad Suſannam lapſam*, cum ſpuriis Opuſculis ſancto doctori ſuppoſitis: quam conſtat ex Opuſculi lectione ab Epiſcopo fuiſſe compoſitam, non autem ab Hieronymo, qui hanc in Eccleſia eminentiam aſſecutus non eſt. Inter Opera quoque ſancti Ambroſii Mediolanenſis Archiepiſcopi legitur ſub nomine *Tractatus ad Virginem lapſam.* Fatentur equidem recentes Operum Divi Ambroſii diſcuſſores, Benedictini Galli Congregationis ſancti Mauri, quotquot a ſe viſos hujus Opuſculi Manuſcriptos Codices, habuiſſe nomen *Sancti Ambroſii* præfixum, unico qui Chryſoſtomi nomen præferebat, excepto. Non ſpectare autem ad ſcriptorem Græcum, neque proinde ad Chryſoſtomum, ipſum Opuſculum vel inſpectum tantisper & lectum, oſtendit. Non pertinere quoque ad ſanctum Ambroſium, cujus nomen in MSS. Codd. profert, docent noviſſimi illi Ambroſianorum Operum emendatores. Idem ante illos docuerat, tum ob ſtylum, tum ob doctrinam Ambroſianæ adverſam, Antonius Poſſevinus in *Appanatu Sacro* verbo Ambroſius, his verbis. "De tractatu" ad *Virginem lapſam*, dubitatum eſt an ſit Ambro-" ſii. Nam ut mittam nunc ſtilum & dictionem," cap. 8. habet hæc verba. *Inhære pœnitentiæ us-*" *que ad extremum vitæ, nec tibi præſumas ab hima-*" *no die poſſe veniam dari, quia decepit te, qui hæc ti-*" *bi polliceri voluerit. Quæ enim proprie in Domi-*" *num peccaſti, ab illo ſolo quære remedium.* Hæc" porro tota ſententia eſt plane Novatiana, con-" tra quam diſputat ipſemet Ambroſius in duo-" bus libris de Pœnitentia. Fateor autem plu-" ra in reliquis capitibus hujus tractatus eſſe," quæ ſtimulum peccantibus addere poſſint, ut" reſipiſcant: quæve cunctis uſui eſſe queant, ſi" orthodoxe exponantur." Eadem habet Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 374. in Cenſura ſua Operum Ambroſii, quibus motus hunc librum non eſſe Ambroſii exiſtimat. Andreas Rivetus lib. 3. *Critici Sacri* in Ambroſio cap. 16. pag. mihi 311. Alii qui poſtmodum legerunt Opuſculum de tali argumento a Nicæa Aquilejenſi Epiſcopo tentatum, cujus Gennadius cap. 22. *de viris illuſtribus* meminit: ulterius progreſſi, hoc Opuſculum Nicææ adſcripſerunt, quem ideo ob doctrinam illic conceptam Novatiana infectum hæreſi ſenſerunt. Ita multis diſſeruit, Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo IV. tomo 2. verbo *S. Ambroſius*, dum Opuſcula illi attributa examinat, pag. mihi 268. qui tamen tomo 3. pag. mihi 154. ubi de *Nicæa*, nihil de hoc Opuſculo locutus eſt. Idem quoque Guillelmus Cavus, in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ*, non quidem ad annum 420. pag. 308. ubi de *Nicæa* agit: ſed in *Addendis*, pag. mihi 759. Neque ſcandalizet quempiam, quod Nicæam Novatianum dicimus, quem Martyrologio Romano ad diem 22. Junii conſignatum legimus: priſcis enim Martyrologis nondum data infallibilitas, quæ eis noviſſimo tempore acceſſit. Inſignia jam plura hujus rei argumenta a nobis producta ſupra ſunt, in *Euſebio illo Cæſarienſi Ariano, Gregorio Betico Luciferiano, Hilario, Caſſiano, Vincentio Lerinenſi Semipelagianis*, in iſto quoque *Nicæa Novatiano*, atque aliis deinceps. De Nicæa Aquilejenſi, præter allatos authores, pluribus Cæſar Baronius in Notis ad *Martyrologium Romanum*, ad diem 22. Junii.

PETRVS RAVENNATIS EPISCOPVS, ob aureum eloquentiæ quo donatus eſt flumen, cognomento dictus Chryſologus: quemadmodum Græcos inter Joannes Conſtantinopolita- 433.

nus, Chryſoſtomi cognomentum ſortitus eſt. Hic apud forum Cornelii natus, a Cornelio loci iſtius Epiſcopo ſacris literis inſtitutus, in quibus tantum progreſſus eſt: ut anno tandem 433. Ravennæ Epiſcopus factus ſit. Cum eloquentiæ dono fulgeret, haudquaquam obterpeſcens, illius nobis inſignia monumenta reliquit, multis atque variis quas ad plebem habuit concionibus, quæ ſæpius editæ variis locis ſunt. Hæc Opera ſæpius in Galliis impreſſa, cum Operibus ſanctorum Leonis Papæ 1. Maximi Taurinenſis Epiſcopi, eodem quo Chryſologus tempore clari, Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, & aliorum: ſed optima eorum impreſſio quam procuravit Dominicus Mita Bononienſis Presbyter, Bononiæ anno 1643. in 4. apud Carolum Zenerum cum Commentariis & Notis, atque ad antiqua MSS. Exemplaria collationibus, præ cæteris omnibus comparari meretur. Eadem edita Coloniæ in 4. anno 1678. Hujus autem ſancti Antiſtitis Homilias ſeu ſermones, olim ab annis non minus nongentis, alius Epiſcopus nomine Felix in unum collegit, quibus ad eorum veritatem, ſuumque in iis colligendis laborem & induſtriam poſteritati ſervandam, prologum addidit parvulum: quem non omiſit Dominicus Mita editioni ſuæ præmiſſum, licet quemadmodum a Felice Collectore factum eſt, ipſis immediate Chryſologi ſermonibus præfixus non ſit: ſicut in MSS. Codicibus Operum hujus Epiſcopi legitur, in Bibliothecis Fuſniaci, Signiaci, Longipontis & aliis Ciſtercienſis Ordinis, quem hic utpote prolixum minus exprimere juvat.

Prologus Felicis Epiſcopi
Ad ſermones ſancti Petri Ravennatenſis Eccleſiæ Epiſcopi.

„Divina Chariſmatum dona de cœleſti theſauro prolata, dum largis virtutum myſteriis religioſa corda uberrime replevere, ita ſuavitatem Sancti Spiritus odorifica narratione diſtribuunt: ut manifeſtis pandantur elogiis, & ornamenta ſalutis exiſtant, juxta Domini vocem in ſacris Evangelii paginis intonantem: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ viva.* Et iterum, *Aperi oſtium, & implebo illud.* Et Salomon, *Spiritus dabit ſapientiam quærentibus ſe, & docentium linguas facit diſertas.* Quamobrem venerabilis beatusque Pontifex Petrus Ravennatis Eccleſiæ præfulgidum decus, & Catholicæ veritatis præcipuus Doctor, calore ſuperni amoris accenſus, & rigatione perennis gratiæ irroratus, digno eloquii ornamento, vernantium lectionum opuſcula de ſingulis Evangeliorum parabolis polito ſermone conficiens, delectabili dulcedine aures omnium replevit & corda. Proinde Dilectiſſimi, tanti paſtoris intenta & anxia mente ſcripta legamus: & ardenti deſiderio ulnisque ſpiritualibus amplectamur: quatenus fructum laboris in noſtræ mentis cellaria recondentes, ſimul cum eo magnificæ laudis gloria perfruamur, & præmia æterni muneris capiamus. Hoc humilis Præſul Felix de pauperculi cordis cellario, ſermonis legentibus exiguum obtulit munus.“

Felix porro iſte eundem in colligendis ſancti Petri Ravennatenſis Opuſculis & ſermonibus ordinem ſervavit, quem in vulgatis Operum ſancti Petri Chryſologi impreſſionibus, hucusque leginus. Claruit autem Felix ille, Ravennatenſis & ipſe XLI. Epiſcopus ſub octavi ſeculi initium, circa annum 707. usque ad 717. intra quos hanc Collectionem aggreſſus eſt. In omnibus vero ferme editionibus Homiliarum Chryſologi, depravatæ ſunt mirum in modum nonnullarum Homiliarum inſcriptiones, quaſi illæ factæ atque a Chryſologo pronuntiatæ ſint *in Feſtivitatibus B. Mariæ Virginis*, quæ ſane tunc in Eccleſia nondum erant. Has autem falſas inſcriptiones, ſecutus fidem Manuſcriptorum Codicum, correxit Dominicus Mita: cujus in editione, nulla legitur Chryſologi homilia, quæ in Feſtivitate aliqua B. Mariæ Virginis pronuntiata ſit. Quod idem factum a Benedictinis Monachis, qui ſermones & Homilias Divi Auguſtini nomine editas, ad MSS. Codicum fidem emendarunt. Etſi autem Dominicus Mita Homilias S. Petri Chryſologi, longe caſtigatiores aliis ediderit: nonnullis tamen adhuc mendis ſcatent, quæ collatione ad MSS. Codices Galliæ noſtræ, in qua plurimi ſunt, corrigi poſſent. Et in Regia Galliarum Bibliotheca Codd. 4022. & 4055. in Colbertina, Cod. 2149. in quibus excurrunt homiliæ, eodem ordine quo impreſſæ ſunt: quamvis in Cod. Sorbonico recentiori, alium prorſus a recente aliquo mangone ordinem habuerint: quem etiam ordinem, in aliis quoque MSS. recentibus Homiliarum S. Chryſologi obſervatum animadverti. In Bibliothecis denique Ciſtercienſis Inſtituti Galliæ noſtræ plurimis, Claravallenſi, Signiacenſi, Fusniacenſi, Longipontana, Homiliæ ejusmodi procedunt eodem ordine, quo MSS. Codices, quibus in Italia Dominicus Mita uſus eſt. Non ita autem fidendum judicio Felicis, qui circa annum DCCX. hoc Collectaneum Homiliarum S. Petri Ravennatenſis Epiſcopi curavit, ut in ſingulas homilias, quaſi illæ Chryſologi absq; dubio ſint, juramentum interponere velis: quisquis enim attente eas volverit, ſpurias nonnullas, obſcuras, intricatas eloquio, Chryſologoque haud dignas inveniet: ut de paucis quibusdam agnovit, vir alias non emunctæ admodum naris Dominicus Mita, qui eas ad MSS. Codices recenſuit.

Mortuus eſt Petrus Chryſologus ante annum 451. cum extet Leonis Papæ 1. Epiſtola num. 37. ad Leonem Ravennatem Epiſcopum, Chryſologi absque dubio ſucceſſorem, Martiano & Adelphio Conſulibus, hoc eſt anno 451. ſcripta. De ſcriptis ejus omnes Nomenclatores Scriptorum Eccleſiæ, Poſſevinus, Bellarminus, Labbeus. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Lite-*

Literaria Scriptorum Eccleſiæ ſeculo V. ad annum 433. pag. 333.

440. HONORATVS ANTONINVS Conſtantinæ in Africa civitatis Epiſcopus, ſcripſit ad „*Arcadium quendam*, qui pro confeſſione fidei „Catholicæ in partibus Africæ a Genſerico Re„ge miſſus exulabat, *Epiſtolam ad labores pro Chriſto ferendos exhortatoriam*, & exemplis præſenti„bus & Scripturarum relationibus roboratam: „& quod Confeſſionis fidei perſeverantia non „ſolum præterita purget peccata, ſed & meri„tum procuret Martyrii. Hæc Gennadius cap. 95. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Hæc Epiſtola Honorati legitur in Bibliotheca Veterum Patrum primæ & ſecundæ editionis Pariſienſis, annorum 1575. & 1589. quam reperies quoque tomo 5. editionis a Colonienſibus anno 1618. procuratæ. Cum vero juxta Chronicon Proſperi, Genſericus Vandalorum Rex anno 437. perſecutionem in Catholicos moverit, hanc ad Arcadium hac perſecutione involutum miſſam Epiſtolam, circa annum 440. arbitramur. Meminerunt ſcriptoris iſtius Antonius Poſſevinus in *Appamu Sacro*, verbo Antoninus. Cæſar Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis* Epiſtolam hanc ad annum 437. refert. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 114. p. mihi 203. Labbeus in Bibliotheca Chronologica Scriptorum Eccleſiaſticorum, ad annum CCCCL.

440. EVSTATHIVS vir diſertiſſimus claruit circa annum 440. & ultra, laudatus a Caſſiodoro, Beda, Sigeberto, hoc loco. Novem ſermones ſancti Baſilii Magni in principium Geneſeos ex Græco in latinum ſermonem tranſtulit, quos Syncleticæ ſorori Diaconiſſæ nuncupavit. De illo ita Caſſiodorus cap. 1. de divinis lectionibus: *Geneſeos principia Baſilius attico ſermone elucidavit, quem Euſtathius vir diſertiſſimus ita tranſtulit in latinum, ut ingenium Doctiſſimi viri facundiæ ſuæ viribus æquiparaſſe videatur: qui usque ad hominis conditionem novem libros tetendit.* De eodem ita quoque Junilius Epiſcopus Africanus, vel potius Venerabilis Beda præfatione Commentarii in Geneſim: *De principio libri Geneſis multi multa dixere, ſed præcipue Baſilius Cæſarienſis, quem Euſtathius interpres de Græco fecit eſſe latinum.* Syncleticæ porro ſororis Diaconiſſæ ad quam Euſtathius ſcripſit, Sedulius poëta meminit in præfatione operis ſui Paſchalis, his verbis: *Quis non optet & ambiat eximio Syncleticæ ſacræ Virginis & miniſtræ Chriſti placere judicio, quæ ſuperbi ſanguinis nobilitatem ſic humilitate provexit ad gloriam: ut in cæleſtia patriæ ſenatu fieri mereatur athleta? Scripturas Eccleſiaſtici dogmatis ita ſitiens epotavit, ut niſi ſexus licentia defuiſſet, potuiſſet docere quam membris fœminei corporis animus ſit virilis.* Extat hoc Opus cum ſcriptis ſancti Baſilii, impreſſum Antverpiæ in fol. 1616. typis Plantinianis, Pariſiis & alibi. Hujus meminit Sigebertus in libro *de Scriptoribus* cap. 21. Aubertus Miræus ad dictum Sigeberti caput. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ad annum 440. pag. 340. qui dum me Miræi exſcriptorem accuſat, authore non nominato, aërem percutit: nam ſub initium Opuſculi, *Collectorem me* duntaxat ex aliis faſtus ſum, quod Cavus advertiſſe debuerat. Nec ipſe in Opere integro aliud agit, quam ut verbis tantum mutatis dicta jam ab aliis repetat, ne exſcriptor videatur. Vix enim in Opere hoc magno, aliquid vel modicum a Cavo detectum, unusquisque animadvertet.

440. NILVS CONSTANTINOPOLITANVS patria, nobilitate generis atque opibus adeo illuſtris fuit, ut etiam ad Præfecturam Vrbis Conſtantinopolitanæ promotus ſit. Floruit ſub Theodoſio Juniore Auguſto circa annum 440. Connubio primum cum uxore paris ſecum nobilitatis junctus, ex qua marem & fœminam, ſi Menologio Græcorum fides: Si autem ipſi Nilo enarranti credamus, mares duos ſuſcepit. Succeſſu temporis nuptiarum pertæſus, vix impetrato ab uxore conſenſu, in ſolitudinem Ægypti ſecedens, Monaſticam cum Nitrientibus Monachis vitæ rationem amplexus eſt. In qua ſolitudine cum ſoli Deo vacaret, repente irruentes Barbari filium ejus Theodulum cum multis aliis captivum abducunt: quem dum Nilus ſollicite perquireret, ipſe a Barbaris captus eſt. Mox tamen ab iisdem liberatus, filium in Eluſa reperit apud Vrbis Epiſcopum: a quo & Nilus ipſe invitus licet, Presbyter dicitur ordinatus. Hæc ſtupenda a Græcis de Vita Nili narrantur, quæ fabulam nonnullis olent, neque excutere noſtri inſtituti eſt. Scripſit ſanctus Nilus *Epiſtolas plurimas*, quas labore incredibili, poſt Petrum Poſſinum Societatis Jeſu Presbyterum doctiſſimum Græce & Latine in folio evulgavit Leo Allatius Romæ anno 1668. ex typographia Barberina, quibus ad curæ & ſollicitudinis abundantiam, variantes plurimum MSS. Codicum lectiones adjecit, ac Diſſertationem *de Nilis & eorum Scriptis.*

Item varia ſancti Nili Opuſcula, quæ poſt mortem Leonis Allatii Græce & Latine evulgavit in folio Romæ anno 1673. ex typographo etiam Barberino, Joſephus Maria Suares, olim Vaſionenſis in Gallia Epiſcopus. Sunt autem Opera ejusmodi ordine inſcripta atque impreſſa.

Tractatus de vita Aſcetica pag. 1. & ſeqq. incipit: *Philoſophiam multi Gentilium profeſſi ſunt, & ex Judæis non pauci.*

Ad Agathium Monaſticam vitam agentem, de virtutibus excolendis & vitiis fugiendis, pag. 85. *Cum mihi moris ſit intempeſtivos ſæpe declinare importunorum hominum congreſſus &c.*

Ad magnam Ancyræ Diaconiſſam, de voluntaria paupertate, ſeu de nihil poſſidendo pag.

233. *Nuper quidem conſcribentes tractatum ad eos qui negligentius Monaſticam vitam degunt &c.*

Tractatus Moralium ſeu Spiritualium admonitionum, pag. 321. *Multiforme ac multiplex fidelibus proponitur certamen &c.*

Epicteti Enchiridion ſeu Manuale a ſancto Nilo conciſum & interpolatum, pag. 327. *Exiſtentium rerum quædam ſunt in nobis &c.*

De Monachorum præſtantia in urbibus aut in ſolitudinibus, pag. 377. *Inexperti qui judicant certiùs cujuscunque artificia. &c.*

Ad Eulogium Monachum, Tractatus Aſceticus pag. 408. *Qui cœleſti diverſantur in loco, non ventri neque ſollicitudini rerum corruptibilium, velut defixis oculis intendunt.*

Ad eundem de vitiis, quæ ſunt oppoſita virtutibus pag. 451. *Neceſſarium arbitror, vitia quoque virtutibus oppoſita breviter tua ſubjicere induſtria &c.*

Tractatus de octo Spiritibus malitiæ pag. 456. *Principium fructus afferendi eſt flos &c.* Quem edidit etiam cum latina veteri interpretatione Dominus Emericus Bigot Rotomagenſis, Pariſiis in 4. anno 1680. de quo antea diximus in *Palladio Galato* qui Vitam ſancti Joannis Chryſoſtomi conſcripſit. Advertendum autem ex duobus tractatibus quos ſuper eodem argumento compoſuit S. Nilus *de octo Vitiis ſeu Peccatis:* alterum ediderunt ac latinitate donarunt, viri duo docti Franciſcus Combefiſius in *Auctario ſuo poſtremo Bibliothecæ Patrum* parte 1. pag. 303. ad 315. & Joſephus Maria Suareſius in Collectione hac *Opuſculorum* S. Nili. Eundemque rurſus prælo commiſit cum antiqua verſione nondum edita, quæ extat in duobus MSS. Codicibus 348. & 1386. ſeu 2425. Regiæ Galliarum Bibliothecæ. Alter vero tractatus ejusdem argumenti, latine prodiit in Operibus S. Joannis Damaſceni, ab accurato ſcriptore Jacobo Billio translatus, qui jam Græce & Latine profertur ad fidem duorum Exemplarium MSS. Regiæ Bibliothecæ, Codd. 1662. & 1770. a Joanne Baptiſta Cotelerio, Tomo tertio *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* pag. 185. ad 220. Pariſiis a. 1686. in 4. editorum apud Franciſcum Muguet.

De Oratione Capita 153. cum prologo nondum edito, pag. 475. *Febricitantem me paſſionum impurarum æſtu, refocillaſti &c.*

Liber de diverſis malignis cogitationibus, p. 512. *E dæmonibus activæ vitæ oppoſitis, primi ad bellum inſurgunt, qui gulæ voluptatibus ſive cupiditatibus præſunt &c.*

Ejusdem capita 33. per gradus quosdam diſpoſita, pag. 543. *Morbus Arquatus ſeu regius, eſt habitus peſſimus &c.*

Spirituales ſententiæ per Alphabetum diſpoſitæ, pag. 548. cum aliis pag. 552. *Abſurdum eſt eum qui conſectatur honores, fugere labores &c.*

Ejusdem Inſtitutio aſcetica ad Monachos, p. 553. *Intemperantiam edulionum præcidit jejunium &c.*

Sententiæ abducentes hominem a corruptibilibus, pag. 557. *Via ad virtutem bona & brevis, & ſecuſ fuga &c.*

Sermo in illud Evangelii, *qui nunc habet ſaccum, tollat.* pag. 575. *Propoſitum effatum ſecundum Hiſtoriam quidem, multam habere videtur contrarietatem &c.* Hæc quidem quatuor aut quinque ultima Opuſcula, nempe a capitibus 33. pag. 543. in nonnullis MSS. Codicibus attribuuntur Evagrio Monacho, in aliis S. Nilo Conſtantinopolitano, de quibus legere potes, Petrum Lambecium paſſim in MSS. Codicibus Græcis Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis.

Hinc ſequitur apud Suarezium magnus Index Operum ſancti Nili, cum libro Chronologico Vitæ ipſius, ubi multa ſatis ſuperflua, nec ad rem ſpectantia inveniuntur. His adde *Sententiarum Centurias duas* & amplius, quæ leguntur editæ Græce & Latine in ſupplemento Bibliothecæ SS. Patrum, Pariſiis cura Frontonis Ducæi Burdegalenſis in folio editæ, tomo 2. p. 1168. & inter Orthodoxographa Baſileæ in Germania anno 1569. in fol. Græce etiam & Latine cum Commentariis Michaelis Neandri Lipſiæ 1577. & cum Notis Petri Schoning Franekeræ 1608. in 8. Ordiuntur, *Initium ſalutis eſt ſui ipſius accuſatio &c.* Quibus Joſephus Maria Suares paucas addidit periodos ex Cod. Manuſcripto Barberino, in Indice Operum ſancti Nili, p. 626. Easdem duas centurias ſententiarum ſancti Nili Græcolatinas, edidit Franciſcus Turrianus Soc. Jeſu, collatas cum tribus MSS. Exemplaribus & ſcholiis adpoſitis, cum capitibus centum Græcis duntaxat ſancti Diadochi Photices in veteri Epiro Epiſcopi *de perfectione ſpirituali*, Florentiæ 1578. in 8. apud Bartholomæum Sermaterellium.

Item *Narratio* ſeu *Narrationes Nili* quibus cædes Monachorum montis Sina, & Theoduli filii captivitas, a ſancto Nilo tunc Eremita deſcribitur, quæ incipit: *Errabundus ergo poſt incurſionem barbarorum, veni in Pharan &c.* Hanc Græce & Latine Pariſiis in 4. edidit Petrus Poſſinus ex typographia Regia, anno 1639. apud Sebaſtianum Cramoiſy. Cujus ad calcem addidit Poſſinus, Orationem in Albianum Hegumenum, incipientem: *Metalla quidem eorum, qui pretioſi dicuntur, lapidum &c.* Hujus autem Narrationis ſicut & laudis in Albianum, variantes Manuſcriptorum Codicum lectiones edidit Leo Allatius, ad calcem Epiſtolarum ſancti Nili, quas vide cum Diſſertatione doctiſſima *de Nilis & eorum ſcriptis.* Hæ narrationes *de Patribus in monte Sina*, in MS. Codice Colbertino 4726. *Anaſtaſio Monacho* ſub hoc titulo tribuuntur, Ἀναστασίῳ Μοναχῷ διηγήσεις διάφοροι περὶ τῶν ἐν Σινᾷ ἁγίων πατέρων. Vnde quis illarum author ſit, non conſtat. Hæc ſunt Amice lector, quæ dum Labbeus libros *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ſcriberet, impreſſa nondum erant, de quibus in *Nilo* loqui non potuit, apud quem tamen alia non contemnenda leguntur.

Affirmat autem Philippus Labbeus in Diſſertatio-

Digitized by Google

tatione hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tom. 2. pag. 126. huic Nilo Monacho Conſtantinopolitano S. Joannis Chryſoſtomi diſcipulo *Orationem ſupplicem ad Deum contra barbarorum incurſionem, bellum inteſtinum, famem, peſtem & mortem ſubitam*, quam latine verſam Sambucus edidit anno 1555. Patavii in 4. Et quidem quinque foliis in 4. non autem in folio, ut idem Labbeus habet loco citato, poſt Joſiam Simlerum & Joannem Jacobum Frizium in *Bibliotheca Conradi Geſneri* a ſeipſis aucta. Corrigenda autem neceſſario eſt illa Philippi Labbei Diſſertatio tomo 2. p. 125. & 126. atque illa omnia quæ de eadem Oratione, tanquam ad S. Nilum S. Joannis Chryſoſtomi diſcipulum pertinente referuntur, delenda omnino ſunt: ne tam enormis error propagetur, ſi poſthæc ab aliis deſcribatur. Corrigenda eodem modo etiam eſt, Leonis Allatii Diatriba *de Nilis eorumque ſcriptis*, annexa in fine editionis Epiſtolarum S. Nili, quæ Romæ typis Barberinis anno 1668. Græce & Latine in folio editæ ſunt: ubi a pag. 7. usque ad pag. 35. de prædicto S. Aſceta Nilo docte ſimul & prolixe agitur. Ibi pag. tantum 17. hæc pauca delenda ſunt: „*Oratio ejus ad Deum contra Barbarorum* „*incurſiones, bella inteſtina, peſtem, famem, & mortis* „*vim præſentem, Joanne Sambuco Pannonio inter-* „*prete, cujus principium:* Omnipotens Domine „Deus, Pater unigeniti Filii &c. *edita eſt Latine* „*tantum Patavii anno 1555. extatque MS. in Biblio-* „*theca Imperatoria Vienna.*„ Hæc enim verba pertinent revera ad Allatianæ ejusdem Diſſertationis paginam 40. ubi agitur *de Nilo Patriarcha Conſtantinopolitano* inter Macarium & Antonium quartum, de quo poſtea ad annum 1380. loquemur. Extat autem *Oratio iſta* Græce inter MSS. Codices Hiſtoricos Græcos Imperatoriæ Vindobonenſis Bibliothecæ, Cod. 69. qui olim ad Joannem Sambucum pertinuit, ut ipſe ſolita propriæ manus inſcriptione teſtatur. Ibi a fol. 56. ad 58. *Nili Archiepiſcopi ſeu Patriarchæ Conſtantinopolitani Oratio ſupplex ad Deum contra Barbarorum incurſionem, bellum inteſtinum, famem, peſtem, mortem ſubitam*, cujus hic titulus & principium: τῶ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Νείλου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τὸ ἐλεήμονος. Εὐχὴ ἱκετήριος πρὸς Θεὸν, ἥτις προσήκει λέγεσθαι ἐπὶ βαρβάρων ἐπιδρομῆ, καὶ ἐμφυλίῳ πολέμῳ, καὶ λιμῷ, καὶ λοιμῷ, καὶ θανάτου πληγῇ. Δέσποτα Κύριε ὁ Θεὸς, ὁ παντοκράτωρ, ὁ τῶ μονογενεῖ υἱῶ πατὴρ, ἡ πηγὴ τῆς ζωῆς, καὶ τῆς ἀθανασίας &c. Ibidem autem in margine Joannes Sambucus manu ſua annotavit, ſe iſtam Orationem in Latinum tranſtuliſſe ſermonem. Nimirum ergo valde errant, qui *Nilum hujus Orationis authorem* eundem eſſe arbitrantur, atque antiquum illum Joannis Chryſoſtomi diſcipulum, & ex urbis Conſtantinopolitanæ Præfecto, Monachum atque Abbatem, qui anno 452. mortuus dicitur. Hic enim Nilus de cujus Oratione ſacra in præſens agitur, annis 900. atque ultra recentior eſt. Quippe qui Patriarcha Conſtantinopolitanus anno 1378. eſſe cœpit, ſub Imperatore Joanne Palæologo, Imperatoris Andronici Palæologi junioris Filio, vulgo Calo Joanne dicto: annosque octo Patriarchatum tenuit, ad annum nempe 1386. quo Antonius IV. illi ſucceſſit. Hæc nos ſummatim ex Lambecio, tomo 8. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, in Examine MS. Codicis Hiſtorici Græci LXIX. Mortuus eſt autem Nilus Abbas & Monachus Conſtantinopolitanus anno 452. die 12. Novembris quoadusque perveniſſe creditur, Imperante Martiano. De eo Martyrologium Romanorum & Menologium Græcorum ad diem 12. Novembris. Synodus VII. Generalis, in cujus Actione IV. citantur duæ ſancti Nili Epiſtolæ, altera ad Heliodorum ſilentiarium, altera ad Olympiodorum Præfectum. Photius in *Bibliotheca* Codd. 201. & 216. in quibus allegantur *capita 153. Nili de Oratione*, exhibenturque fragmenta *ex ejusdem Nili ſermonibus duobus de Paſchate, & tribus de Aſcenſione Domini* hactenus ineditis. S. Joannes Damaſcenus in *Eclogis* ſeu *Parallelis Manuſcriptis*. Nicephorus Calliſtus lib. 14. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 54. Sixtus Senenſis lib. 4. *Bibliothecæ ſanctæ*. Qui plura voluerit, adeat recentiores, Antonium Poſſevinum tomo 2. *Apparatus Sacri* verbo *Nilus Monachus*. Philippum Labbeum in Diſſertatione hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus recenſuit, tomo 2. verbo, *Nilus*. Leonem Allatium in Diatriba *de Nilis & eorum ſcriptis*. Joſephum Mariam Suarem in libro Chronologico *de vita ſancti Nili* pag. 692. ubi omnes Vitæ ipſius epochas ſtrictim computat, quem legas. Petrum Lambecium tom. 8. *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, in examine Codicis MS. Hiſtorici LXIX. ex quo multa hic hauſimus.

EVDOCIA ſeu EVDOXIA IMPERATRIX, clariſſima hoc ſeculo fœmina, Leontii Athenienſis Philoſophi filia, Theodoſii junioris uxor, eximiis corporis atque animi ornata dotibus, Chriſtianæ religionis perpetua cultrix, ſacras tunc temporis ſcript. inſigni cura volvebat. Nupſit illa an. 421. Theodoſio juniori, quam Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus Chriſtianam fecerat, & in Baptiſmo pro Athenaide Eudociam nominaverat. Narrat hæc Socrates lib. 7. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 21. his verbis. „Cum ergo tam illuſtris victoria di-„vinitus data eſſet Romanis, multi eloquentia„ præſtantes in laudem Imperatoris panegyricas„ Orationes conſcripſerunt, easque publice re-„citarunt. Ipſa quin etiam Imperatoris uxor,„ heroico verſu poëmata compoſuit. Erat enim„ admodum erudita, utpote Leontii Athenien-„ſis ſophiſtæ filia, a Patre edocta, & in omni li-„terarum genere inſtituta. Hanc cum Impe-„rator Theodoſius uxorem ducturus eſſet, Atti-„cus Epiſcopus Chriſtianam fecit, & in baptiſmo„ pro Athenaide, Eudociam nominavit. Multi„ ergo ut jam dixi, panegyricas orationes reci„ tarunt 432

„tarunt &c.„ Cum ergo Poëticæ artis gloria inter omnes ſui temporis poëtas floreret, ſcripſit *Poëma heroicum in victoriam a Theodoſio marito ex Perſis reportatam*, quod cum lapſu temporum intercideriſt, apud Socratem tamen loco allato memoratum eſt. Anno 432. Auguſta a Theodoſio renuntiatur, cujus in intimo cordis manſit usque ad annum 445. quo in corruptæ pudicitiæ ſuſpicionem ex leviſſima occaſione venit. Cum Poëſi maxime delectaretur Eudoxia, Scripturisque voluendis atque meditandis potiſſimum incumberet, quantum arte poëtica valeret, in ſacris quoque Scripturis poſteritati oſtendere voluit. Hujus enim Eudociæ meminit Photius in *Bibliotheca* ſua Cod. 183. narrans eam ſcripſiſſe *Metaphraſim in Octateuchum* heroico carmine libris octo conditam, ac *Metaphraſim Prophetiarum Zachariæ & Danielis:* ubi & judicium ſuum de ipſius ſcriptis profert, commendans ejus laborem his verbis ὅπερ ὅτι καὶ γυναικὸς καὶ βασιλέως τρυφώσης, καὶ ἅτω καλὸν ἄξιον θαυμάσαι. Σαφὴς μὲν γὰρ ὁ πόνος ὡς ἐν ἡρῴῳ μέτρῳ, ἔπειτα τις ἄλλος. *Tum quia mulieris, & quidem in imperio delitiis affluentis, tum quia præclarum adeo eſt, admiratione prorſus dignum judicatur. Etenim illuſtris eſt hic labor, ut in heroico carmine, ſi quis unquam alius.* Addit legibus artis ipſam eſſe profundam, niſi quod quæ Poëtica conſuevit licentia, fabulis eos qui legunt delectans, ipſas non intermiſcuerit. Sed hoc certe majori nobiliſſimæ fœminæ præconio donandum eſt, quæ Vatum quidem elegantiam amandatis fabulis imitari, Chriſtiana veritate & ſimplicitate voluerit. Quin & Photius ſubjicit, *Sententias quidem non protendens, neque contrahens, ſervat ſemper proprias.* In his ergo Metaphraſibus textum ſacrum religioſe expreſſiſſe Eudociam, nil addendo, nil mutando, teſtatur Photius: adeo ut pro legitimis librorum ſacrorum verſionibus haberi poſſent. Addit idem Codice 184. ſcripſiſſe eandem, *Hiſtoriam B. Cypriani Martyris & Juſtinæ Virginis*, libris tribus heroico carmine conſcriptis comprehenſam, qui tamen non eſt Cyprianus ille Carthaginenſis Epiſcopus, qui in Africa ob Chriſtum interemptus fuit, cujus ſcripta inſignia extant: ſed alius Romæ ſub Diocletiano, ſimul cum Juſtina Martyrio coronatus. Quos tamen ambos Cyprianos, plurimi etiam ex doctiſſimis Hiſtoricis, incaute in unum collegerunt, confuderuntque. Hæc autem omnia quæ Photii temporibus adhuc extabant, eruditionis Eudociæ monumenta, jam exciderunt: quorum ſola apud eundem memoria ſupereſt.

Collegiſſe quoque dicitur ſummatim & breviter ad Probæ illuſtris fœminæ imitationem, ex Græcis Homeri carminibus induſtria ſingulari *Hiſtorias Veteris ac Novi Teſtamenti plurimas*, ſervata pedum menſura & Homerici carminis majeſtate, Opus quod in compendium adductum *Homero-Centones* inſcribitur. Extat iſtud latine tantum, tomo 8. Bibliothecæ Veterum Patrum editionis primæ & ſecundæ Pariſienſis, annorum 1575. & 1589. atque etiam in aliis editionibus. Sed Græce ac Latine ſimul in Collectione *Poëtarum Chriſtianorum* Bigneana, Pariſiis 1624. pag. 95. Et in editione Bibliothecæ Patrum Pariſienſi anni 1644. tomo XI. pag. 572. Nec omnino conſtat an Opus iſtud quod unicum reſtat ſub nomine Eudociæ hujus Imperatricis, ad illam vere pertineat. Aſſerit enim Joannes Zonaras Græcus author, *Annalium* tomo 3. pag. 37. Pelagium Patricium, quendam doctum virum, hoc Opus collegiſſe primum: cui adjiciunt alii imperfectum poſtea & indigeſtum reliquiſſe: Eudoxiam autem illud abſolviſſe & in ordinem redegiſſe, ut Græca inſcriptio Heroicis verſibus Operi præmiſſa indicat. Addit iſtis absque judicio Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo V. ad annum 421. pag. 312. *Centones Homerici a Pelagio quodam Patricio inchoati, unde & iſti ſæpe tribuuntur, ab Eudocia vero abſoluti & digeſti: ut diſerte tradit Zonaras Annalium tom. 3. p. 37. & ex ipſius Operis inſcriptione manifeſtum facit.* Obſtupui fateor, dum hæc legi, ſummam viri negligentiam miratus, qui erroribus errores addit. Neque enim Zonaras dicit *Homerocentones* a Pelagio quidem Patricio inchoatos, multo minus diſerte, ab Eudocia abſolutos & digeſtos: neque ſi Zonaras hoc dixiſſet, propterea leviter credendum, ſed examinandum erat an vere hoc ita fuiſſet. Audiamus verba Zonaræ, quibus Cavi diligentiam in cenſuris advertamus. *Zeno Imperator Pelagium Patricium, virum eruditiſſimum & optimum per cauſam paganiſmi ſuſtulit, cum re vera timeret, ne ab illo redargueretur. Nam viri ingenii extat Hiſtoria ab eodem Pelagio ſcripta verſibus, ab Auguſto Cæſare orſa. Homerocentra etiam compoſuit, aliaque plurima laude digna.* Hæc Zonaras loco citato. Quo lectorem, num ibi dicantur *Homerocentones* a Pelagio Patricio tantum inchoati? Num *expreſſe*, ut vult Cavus, ab Eudocia abſoluti & digeſti? de qua ne gry quidem. Imo quomodo Eudocia perfeciſſet, quod inceperat Pelagius Patricius: cum ipſa Eudocia mortua eſſet, antequam clareſceret Pelagius Patricius? Nam teſte Cavo Eudocia claruit ab anno 421. ad 459. quo defunctam illam vult Marciano Imperatore, ut habet loco citato pag. 312. At Pelagius Patricius ſub Zenone tantum Imperatore claruit, qui ab anno 475. ad 491. Imperium obtinuit, anno 490. Zenone jubente occiſus, ut tradit Dionyſius Petavius in *Rationario temporum* parte 1. lib. 6. cap. 17. Qua ergo ratione (etiamſi Zonaras hoc dicere ponatur) Eudocia anno 459. mortua, conſumaſſet & perfeciſſet *Homerocentones* Pelagii Patricii, quos nondum Pelagius ſcripſerat, qui nonniſi ſub Zenone inclaruit? Solvat hos nodos ſeu myſteria Cavus, tum cedimus lubentes. Silentium ſane Photii de hoc Opere, dum loquitur de carminibus Eudociæ in *Bibliotheca* Codicibus 183. & 184. Cavum in juſtam ſuſpicionem hujus rei aſſerendæ

addu-

adducere debuerat atque ita ad diſcuſſionem Zonaræ accuratam quoad hoc punctum, invitare. Addimus contra Cavum, Opus iſtud & Pelagio Patricio & Eudociæ perperam attributum. Extitit enim temporibus Hieronymi, antequam Eudocia vel Pelagius Patricius inclareſcerent. Nam D. Hieronymus in Epiſt. 103. ad Paulinum, ſcribit ſe *Homero-Centones & Virgilio-Centones* legiſſe, ſed cujusnam ſint, ipſe non denotat. Nihil ergo nobis, Scriptorum Imperatricis Eudociæ reliquum eſt. Cui a poſteris illi *Homerocentones* attributi ſunt, eo quod præ ſe ferre pietatem quandam fœmineam videbantur, qui viro quidem gravi, muliere autem qualis Eudocia fuit, indigni viſi non ſunt. Fœminam enim tale opus plene mihi olet: quod Quietiſtis & Monachis directoribus devotarum, cœlitus dicitur Eudociæ infuſum. Idem vero Zonaras narrat, Eudociam cum primum ob ſingularem pudicitiam & egregiam formam Theodoſio chariſſima eſſet, in ejus acerbum odium ob ſequentem cauſam innocenter incidiſſe. Pomum inuſitata magnitudine ſibi oblatum Imperator admiratus, uxori ſuæ miſit. Id illa Paulino viro erudito, & hanc ob cauſam ſibi familiari dedit, qui rei ignarus, Imperatori pomum ut rem miram offert. Quo ille cognito & occultato, uxorem, ubi ſit pomum ipſum miſſum, interrogat. Verita illa ne quid ille mali ſuſpicaretur, ſe comediſſe reſpondit. Verum illo acrius urgente, jurejurando etiam, comediſſe ſe affirmat. Tunc ira percitus Imperator, pomum in Eudoxiæ confuſionem & falſitatem apertam profert. Ita illa in manifeſto mendacio deprehenſa, ſuſpicio Mariti confirmatur, Paulinus innocens imperante Theodoſio occiditur. Cum vero Eudocia ſe inviſam eſſe cerneret, abeundi Hieroſolymam licentiam obtinet: quo cum magnis profecta opibus, Eccleſias illic plures ædificavit, egentibus hujus loci Monaſteriis plurima contulit. Inde reverſa, poſt Mariti obitum illuc reverſa, ibique non ſine magna ſanctitatis opinione ſepulta eſt, anno ſalutis noſtræ 460. imperante Martiano. Hæc Sixtus Senenſis lib. 4. *Bibliotheca ſancta* pag. mihi 227. Pariſienſis editionis 1610. At non conſtat utrum Eudocia ante an poſt Theodoſium mortua fuerit: ut patet ex Evagrio Scholaſtico lib. 1. *Hiſtoria Eccleſiaſtica*, capitibus 20. 21. & 22. De receſſu ejus in Palæſtinam ita Evagrius lib. 1. cap. 22. "Cum „multis ejusmodi viris Eudocia uxor Theodoſii „collocuta eſt, multaque ut jam dixi, ædificavit „monaſteria. Cumque muros urbis Hieroſo„lymitanæ inſtauraſſet, templum ſplendore ac „pulchritudine eximium, in honorem primi o„mnium Diaconi ac Martyris Stephani conſtru„xit, quod uno circiter ſtadio ab urbe diſtat. In „quo etiam ipſa poſtmodum depoſita eſt, cum „ad immortalem vitam commigraſſet. Cæte„rum cum Theodoſius aliquanto poſt, vel ut „aliis placet, ante obitum Eudoxiæ e vivis ex„ceſſiſſet: & Imperium quod per annos octo & triginta Deo miniſtraverat, cum æterna vita" commutaſſet: præſtantiſſimus Marcianus Im-" perii Romani adminiſtrationem ſuſcepit. "

De Eudocia Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri*, verbo *Eudocia*. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria literaria* Scriptorum Eccleſiæ, ſeculo V. ad annum 421. pag. 312. ubi abſurde fallitur, ſicut & in *Proba Falconia* diximus ſupra.

DIADOCHVS PHOTICES IN VETERI EPIRO ſeu ILLYRICO EPISCOPVS, a Bellarmino & Auberto Miræo in Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 30. pagina mihi 182. exeunte ſeculo quarto floruiſſe dicitur, circa annum 390. quos ſecutus eſt Lambecius tomo 4. *Bibliotheca Vindobonenſis Cæſareæ* pag. 229. & 256. Verum perperam, cum circa annum 450. vel 460. floruerit, ut ex Præfatione Victoris Vitenſis ad libros quinque *de Perſecutione Africana* conſtat, quos Petrus Franciſcus Chiffletius Presbyter Societatis Jeſu evulgavit. Porro cum Victor Vitenſis anno circiter 490. Libros ſuos de perſecutione Vandalica ſcripſerit, atque in prologo Diadochi Epiſcopi tanquam viri ſeipſo antiquioris licet contemporanei meminerit, commode hic ad annum 450. vel 460. refertur. Hoc unum certo Labbeus de illo aſſerit, fuiſſe ſancto Maximo Abbate & Martyre antiquiorem, qui illius aliquot capita citaſſe reperitur. Itemque teſte Photio Patriarcha Conſtantinopolitano, qui ejus meminit in *Bibliotheca* Codd. 201. & 231. Scripſit *Centum capita de perfectione ſpirituali*, quæ latine paſſim impreſſa ſunt ex interpretatione Franciſci Turriani Societatis Jeſu. Græce vero tantum cum duabus Centuriis *Sententiarum Spiritualium ſancti Nili* collatis cum tribus MSS. Exemplaribus, & ſcholiis appoſitis, Florentiæ apud Bartholomæum Sermaterellium, anno 1578. in 8. Habentur ejusmodi capita ſancti Diadochi MSS. in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, ſæpius, de quibus Lambecius lib. 4. pag. 151. ad diſcuſſionem Codicis MS. Theologici Græci 158. ubi ſic. Pri-" mo & quidem a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 53." pag. 2. *Sancti Diadochi, Photices in Veteri Epiro* " *ſive Illyrico Epiſcopi, capita centum aſcetica de perfe-* " *ctione Spirituali:* quibus itidem ut in Exempla-" ri illo MS. quo Photius Patriarcha Conſtanti-" nopolitanus olim uſus fuit, *Proœmii* loco præfi-" xa ſunt ὅροι ſive *Definitiones decem*, quarum ſe-" cunda, nempe *definitio ſpei* quæ apud Photium" continetur his verbis *ἐπάνοδος τῆς νῦν πρὸς τὰ ἐλ-* " *πιζόμενα*, ex præſtanti hoc Codice MS. Cæſa-" reo, ſupplenda hoc modo eſt: *ἐπάνοδος τῆς νῦν ἐν-* " *ἀγάπη πρὸς τὰ ἐλπιζόμενα*. Inſcriptio prima" ſive Titulus Generalis aſcetici hujus Opu-" ſculi in eodem Codice Cæſareo talis eſt: Ἀσκη-" τικὸν τοῦ ἁγίου Διαδόχου ἐπισκόπου Φωτικῆς τῶν" Ἠπείρων. Sequuntur deinde definitiones de-" cem, πρώτου ὅρου τῆς πίστεως, ἔννοια περὶ" θεοῦ ἀπαθὴς &c. Finitis decem Definitionibus" iſtis, ſecundus hic titulus ſubjungitur, cum" prin-

„principio capitis primi, hoc modo. Διὰ ποίας „διδ γνώσεως, εἰς τὴν προδεδηλωμένην τῆ Κυρίᾳ „ἡμᾶς ὁδηγοῦντ@ καταφθάσαι τελειότητα, ἵνα „εἴπας@ ἡμῶν τῶν κατὰ τὸ σχῆμα τῆς ἐλευθε„ρικῆς παραβολῆς τῷ λόγῳ σπέρμα παρποφορή„σωμεν καὶ εἰσὶν κεφάλαια ε'. Κεφάλαιον „α' ποίας πνευματικῆς ἀδελφοὶ ἠγαίθω θεω„ρίας πίστις, ἐλπὶς, ἀγάπη, πλέον δὲ ἀγάπη. αἱ „μὲν γὰρ &c. Extant quidem hæc *centum capita Aſcetica* tomo V. *Magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum* Græcolatinæ Pariſienſis a. 1654. „à col. 293. ad col. 318. Sed Latine tantum ex „interpretatione Franciſci Turriani Societatis „Jeſu.„ Hæc Lambecius lib. 4. *Bibliothecæ Cæſareæ* pag. 151. in diſcuſſione MS. Codicis Theologici Græci CLVIII. Itemque pag. 152. discutiens MS. Codicem Theologicum Græcum CLIX. in quo deſunt *Definitiones decem* præviæ, quæ in præcedente adſunt. Ex his quoque Capita nonnulla in Codice MS. Theologico Græco CLVI. num. 12. fol. 120. quorum ibidem meminit Lib. 4. pag. 144. atque in Indice *Scriptorum* pag. 229. verbo *S. Diadocus Photices in Veteri Epiro* ſive *Illyrico Epiſcopus*. Ejusdem *Capita centum aſcetica de Perfectione Spirituali* cum Definitionibus decem, Procemii loco præfixis, extant in Codice MS. Theologico CCXL. num. 4. quem diſcutit Lib. 5. Cæſareæ Bibliothecæ pag. 101. Itemque ibidem in Codice MS. Theologico CCXXXIV. num. 17. quem ibidem excutit libro citato, pag. 70. Hi quatuor MSS. Codices inſtar omnium eſſe poſſunt, cui allubuerit aliquando *Capita iſta Aſcetica* ad MSS. Codices conferre, de quibus idem quoque Lambecius in Indice *Scriptorum* hujus libri V. p. 321.

„Extant quoque in Bibliotheca Cæſarea „Vindobonenſi, Codice MS. Theologico Græco CCXXXVII. num. 3. & quidem à fol. 90. „pag. 1. usque ad fol. 101. pag. 2. Ejusdem *Sancti Diadochi Quæſtiones & Reſponſiones ſacræ triginta octo*, quarum titulus & initium: Τῶ αὐτῶ „Διαδόχῳ Ἐρωτήσεις καὶ ἀποκρίσεις. Ἐρώτησις „πρώτη τί ἦν ἐν τῷ κόσμῳ πρὸ τοῦ τὸν κόσμον γε„νέσθαι; Ἀπόκρισις θεὸς, ὁ τὸν κόσμον ποιήσας. „Ἐρώτησις β'. Μήπω ὄντ@ τοῦ κόσμου, πῶς ἦν „ἐν τῷ κόσμῳ; Ἀπόκρισις. ὅτι καὶ πρὸ τοῦ „γενέσθαι &c. Extant quidem ἐρωταποκρίσεων „ſive *Interrogationum & Reſponſionum* priores novem in Appendice Opuſculorum Symeonis „Junioris Theologi, a Jacobo Pontano editorum, a pag. 358. ad usque pag. 360. Sed latine „tantum & ſine nomine Diadochi, ut ex ſequenti inſcriptione & initio, videre eſt: *Scholaſtici „cujusdam Dialogus de Deo ad Symeonem Theologum. Interrogatio. Quid erat in mundo antequam exiſteret? Reſponſio: Deus, ipſius mundi parens & conditor. Interrogatio. Cum nondum exiſteret mundus &c.* Ejusdem etiam Opuſculi titulus ſine nomine Diadochi, extat ſimiliter „Græce in Leonis Allatii Diatriba *de Symeonum Scriptis* pag. 161. his verbis: Ἐρωταποκρίσεις „σχολαστικοῦ τινὸς πρὸς Συμεών τὸν Νέον Θεο„λόγον. Ἐρώτησις τί ἦν ἐν τῷ κόσμῳ &c.„ Hæc Lambecius Lib. V. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis pag. 87. in examine Codicis MS. Theologici Græci CCXXXVII. qui in Catalogo quoque Alphabetico Scriptorum hujus tomi, has *Interrogationes & Reſponſiones* huic Diadocho ſeniori pag. 321. adſcribit perperam, cum ad alium omnino juniorem ſpectare debeant. Conſtat enim ex MSS. Codicibus quos viderat Leo Allatius has *Interrogationes & Reſponſiones* factas eſſe ad Symeonem novum Theologum quem idem Allatius anno 1051. vel circiter ſub Iſaacio Comneno & ſequentibus floruiſſe vult, in Diatriba *de Symeonum Scriptis* pag. 152. Diadocus ergo qui *Interrogata* ejusmodi atque *Reſponſa* faciebat viventi poſt annum 1050. Symeoni Juniori Theologo, utpote huic contemporaneus, alius omnino erat ab altero Seniore anno 450. vel 460. ſcriptis Aſceticis capitibus claro: unde patet plerosque Scriptorum nomenclatores, non ſatis probe noſcentes, varios ejusdem nominis Scriptores qui diverſis omnino temporibus floruerunt, hac ex cauſa ſæpius hallucinatos fuiſſe, huic omnia quæ ſub eodem nomine continebantur attribuentes, quorum plurima ad alios recentiorum omnino temporum authores ſpectabant.

Ejusmodi *Capita Centum Aſcetica* ſancti Diadochi, extant MSS. paſſim in Bibliothecis Græcis, in Romana Societatis Jeſu, inter Codices MSS. Græcos, quos attulit ad hanc Societatem Franciſcus Turrianus, dum eam amplexus eſt. In Veneta ſereniſſimæ Reipublicæ, inter libros quos ei reliquit Beſſarion Cardinalis. In Bavarica Sereniſſimi Ducis Cod. 88. cum ſermonibus aſceticis Dorothæi, Eſaiæ & aliorum. In Regia Gallica, Mazarina, Colbertina, & aliis. Denique inter MSS. Codd. Bodlejanæ in Anglia bibliothecæ Codice 69. Barocciano p. 146. *Diadochi Photicenſis Epiſcopi Capita Aſcetica 100. πόσης πνευμαλκῆς. Ejusdem Interrogationes & Reſponſa* pag. 202. b. Τί ἦν ἐν τῷ κόσμῳ *Ejusdem viſiones ſeu Reſponſa Joannis Baptiſtæ ad Quæſita ejus* pag. 205. b. Τί δὴ τοσοῦτον τὴν Ἔρημον. Et Codice 737. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera C. Codice 95. num. 2. & inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium atque aliarum celebrium bibliothecarum, Cod. 5935. in MSS. Codd. Græcis Thomæ Galei Codice 101. num. 1. 2. & 3. Agunt autem de Scriptis Sancti Diadochi Veteris Epiri ſeu Illyrici Epiſcopi, Lambecius locis ſupra indicatis in *Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis* Libris 4. & 5. Guillelmus Cavus in Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiæ, ad annum 450. pag. 355. ſed jejune admodum, quippe cui facem ad plura de eo dicenda cæteri non præbuerint.

CHRYSIPPVS HIEROSOLYMORVM PRESBYTER, teſte Cavo, gente Cappadox, cum Coſma & Gabrielio fratribus, in Syria diſciplinis bonis imbutus eſt. Cum iisdem poſtea 455.

per-

perfectiori morum ac literarum scientia semet instituendum Euthymio Abbati Palæstino commisit. Claruit circa annum 455. Monasterii Lauræ primum œconomus, deinde S. Resurrectionis ædi præfectus, mox Presbyter Hierosolymitanus, & sanctæ crucis custos factus, cui muneri per decennium inserviit. Plura qui de eo volunt, Euthymii vitam a Cyrillo Scythopolitano conscriptam, apud Surium ad diem XX. mensis Januarii adeant. Nonnulla ingenii sui monumenta reliquit, stylo florido & pro more Sophistarum conciso composita: ex quibus duo ad nos pervenerunt, nimirum *Homilia de Sancta Deipara* quæ Græce & Latine extat in Auctuario Ducæano tomo 2. pag. 424. Scripsit quoque *Encomium S. Theodori Martyris*, ex quo duo fragmenta satis prolixa exhibet Eustratius Constantinopolitanus in libro *de Statu vitæ functorum* cap. 22. cujus & Photius meminit in Bibliotheca Codice CLXXI. Nec Opusculum istud intercidit, ut perperam putat Guillelmus Cavus in *Historia Rei Literariæ* seculo V ad annum 455. pag. 357. Teste enim Lambecio in libro 4. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 65. in discussione Codicis MS. Theologici Græci CXIII. num. 3. & quidem a folio 270. pag. 1. usque ad folium 280. pag. 2. „*Chrysippi Presbyteri Hierosolymitani* Narratio miraculorum „Sancti Theodori Martyris cognomine Tyro„nis, cujus titulus & principium: *Χρυσίππε πρεσβυτέρε Ἱεροσολύμων Διήγησις τῶν παραδόξων θαυμάτων τῦ ἁγίυ καὶ πανενδόξυ μεγαλομάρτυρος Θεοδώρυ. Μάρτυς ὑπερλάμποντος ἐν τοῖς Μάρτυσιν εὐφημίαν εἰς τὸ παρὸν προτιθεὶς ὑμῖν ὦ πατέρες ἀγαπητοὶ μυ καὶ ἀδελφοὶ, κοινωνὸς πάντας ὑμᾶς ἑξαιτῶ γενέσθαι τῆς ἐπ' αὐτῇ σπουδῆς* &c. Meminit autem „hujus Opusculi Photius Constantinopolitanus „in Bibliotheca sua, ubi in descriptione Codicis „CLXXI. de ejusdem Chrysippi Historia de „Gamaliele & Nicodemo agens, sic scribit: „*Πρεσβύτερος δὲ ὁ Χρύσιππος Ἱεροσολύμων, ὃς πλείοσι ἐγκώμιον εἰς τὸν Μάρτυρα Θεόδωρον, ὡς φασὶν παρεκβάσει λαμπρᾷ τινος μέμνηται, καὶ αὐτῦ τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας Ἱεροσολύμων χρηματίσαντος πρεσβυτέρυ, ὅτε Ἰωάννης τῆς ἐκεῖσε ἀρχιερωσύνης προεστήκει.* Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 174. Barocciano pag. 82. *Chrysippi Presbyteri Hierosolymitani Encomium S. Joannis baptistæ* Ἦχος αἀλπηγος λύρας πνευματικῆς. Et Codice 199. pag. 245. ad 254. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 5861. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice Græco 27. De illo Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiæ* seculo 5. ad annum 455. pag. 357. Petrus Lambecius Libro 4. *Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis* pag. 65. in discussione MS. Codicis Theologici Græci CXIII. & in Catalogo Scriptorum qui in hoc volumine continentur, verbo *Chrysippus Presbyter Hierosolymitanus* pag. 227. quem tamen perperam sub seculi quinti initium tum hic, tum p. 65. floruisse inquit.

EVTHALIVS, quem Chalcedonensis Concilii tempore, Alexandrinæ Ecclesiæ Diaconum egisse, quidquid contra aliis videatur, Laurentius Alexander Zacagnius Vaticanæ bibliothecæ Præfectus opinatur, eumque postmodum Episcopum Sulcensem factum dicit, in ea forsitan urbe, quæ ψελχὴ appellata & Syeni Thebaidis civitati celeberrimæ propinqua fuerit, quamque Strabo commemoret & Ptolomæus ψελχὶν, alii Pselcim appellent. Episcopali autem illhac dignitate eum claruisse illo ævo, quo Athanasius Junior, cognomento Celetes seu Hermiosus, Petro Moggo anno 490. succedens, Alexandrinam Ecclesiam rexerit. Rogavit hunc Euthalium quidam, cujus nomen ipse reticere voluit, ut *Prologum in universas Pauli Epistolas* concinnaret, in eoque historiam admirandorum ejus gestorum texeret. Hic ergo non istud modo accuratissime executus est, verum etiam singulas *Epistolas* in lectiones divisit, & versibus distinxit, testimonia etiam Testamenti Veteris, aliaque à Paulo allegata in unum collegit, adjectisque capitulis ab antiquo Patre hodie ignoto excogitatis, absolutissimam undiquaque Epistolarum illarum editionem concinnavit, atque hanc manu sua descriptam ad Patrem illum, qui id operis ipsi injunxerat, transmisit. Elapso deinceps aliquo temporis spatio, ad mandatum fortasse Athanasii, Alexandrini Archiepiscopi, cujus mentionem modo injecimus, eandem diligentiam reliquis *Epistolis Catholicis & Apostolorum Actis* impendit, profectusque ad Cæsaream Palæstinæ urbem, secundum exactissima exemplaria, quæ adhuc ibidem in Bibliotheca à Pamphilo martyre & Eusebio Cæsariensi constructa asservabantur, divinorum istorum scriptorum textum excussit, atque juxta ea laborem suum formavit. In Actis nempe Apostolorum, & Epistolis Catholicis, post emendata librariorum errata, textum in lectiones, capita & versus accurate distinxit. Lectiones modo unum caput, modo plura, non tamen æqualis numeri aut quantitatis, complectuntur. Capita duplicis generis sunt, majora alia, alia minora. Illa integrum aliquod argumentum continent, sed quia illud nimis interdum prolixum est, hæc insuper adhibuit: ut qui argumenti primarii partem aliquam nosse cuperet, integri prolixique capitis lectione haud indigeret. Præter hæc capita, omnium locorum qui ex Veteri Testamento aliisque tum sacris tum prophanis libris citantur, duplicem catalogum texuit, in quorum primo Sacræ Scripturæ & aliorum etiam auctorum libri quot vicibus laudentur in textu, describit: in secundo autem singula loca iisdem, quibus concepta fuere, verbis recitat. Eundem quoque in Epistolis Paulinis ordinem servavit, nisi quod alia quædam his propria opportunis in locis immiscuit. Veluti ubi ante

omnia Prologum confecit ampliſſimum de S. Pauli geſtis, ejusque Epiſtolis, in cujus fine *antiqui Patris*, qui has Epiſtolas in capita diviſit, brevem de Pauli martyrio *Prologum* ſubdidit, una cum appendice, in qua ipſe rurſus ſupputavit, quot anni ab ejus paſſione tunc præterierint. Poſt lectionum & teſtimoniorum elenchos, loca etiam, unde datæ, & quorum nomine hæ Epiſtolæ conceptæ fuerint, expoſuit, ut alia induſtriæ haud vulgaris ſpecimina taceamus.

Lectionum vero aliquoties hucusque dum meminimus, ad Editorem noſtrum, merito Lectorem benevolum ablegamus, qui in Præfatione eas eſſe has pericopas affirmat, quas Euthalii tempore Eccleſia Alexandrina feſtis diebus legerit, aut quas ipſe in publicis ejusdem Eccleſiæ Synaxibus, legendas Athanaſio Alexandrino Epiſcopo propoſuerit. Qua occaſione doctam de ſacrarum lectionum antiquo uſu atque numero, Commentationem inſpergit.

Hoc Opus Euthalii ita deſcriptum edidit anno 1698. Romæ typis Congregationis *de propaganda fide* in 4. Laurentius Alexander Zacagnius Vaticanæ Bibliothecæ Præfectus, inter *Collectanea Monumentorum Veterum Eccleſia Græca & Latina*, quæ hactenus in Vaticana Bibliotheca delituerant, quæ ex MSS. Codd. nunc primum produxit, Græca Latina fecit, & Notis ac Diſſertationibus illuſtravit.

Euthaliani de cætero Operis partem primus edidit Franciſcus Cardinalis Ximenius, in editione Complutenſi Bibliorum, plura autem ex eo comparent in Arumenii & aliorum veterum Patrum Commentariis in Acta Apoſtolorum, inque Catholicas & alias D. Pauli Epiſtolas à Gisberto Veronenſi Epiſcopo Græce evulgatis: nec non in editionibus Novi Teſtamenti quibusdam celeberrimis, quas ſollicite Zacagnius enumerat. Neminem tamen ante ſe Opus iſtud integrum adhuc publicaſſe monet, hujusque rei culpam in librarios rejicit, qui cum in hujus auctoris Prologis & Programmatibus, nonnulla eſſe viderent à temporum ſuorum uſu abhorrentia: & præcipue ex tot numerorum atque elenchorum laborioſa tranſcriptione magnum ſibi incommodum oriri ſentirent, non omnes ejus lucubrationes, ſed quas magis neceſſarias judicarint, inſeruerint illis Codicibus quos manu exaraverint, interdum indicato, ſæpius ſuppreſſo Auctoris nomine. Ipſe igitur ex Regio Alexandrino Bibliothecæ Vaticanæ codice Opus integrum, cum plurimis optimæ notæ MSS. aliis collatum Græce protraxit, Latinaque verſione exornavit: omiſſis tamen argumentis cum Actuum Apoſtolicorum, tum Catholicarum Epiſtolarum, quæ capitulorum elenchis in omnibus Codicibus præfigi equidem agnovit: ſed non Euthalii, verum recentioris cujusdam auctoris eſſe, & a librariis Operi ejusdem inſerta fuiſſe ſtatuit. Codicem deinceps jam laudatum, circa Acta Apoſtolorum & Catholicas ſeptem Epiſtolas, contulit cum Argentoratenſi Novi Teſtamenti editione a Johanne Henrico Bœclero anno 1645. adornata & anno 1660. recuſa. In Epiſtolis autem Paulinis, cum eo Novi Teſtamenti exemplari ipſum comparavit, quod Joannes Morinus Romanæ ſeptuaginta Interpretum editioni ſubjunxit. Imo & varias Regio-Alexandrini codicis lectiones cum iis contulit, quæ ex ea in Anglicanis Bibliis Polyglottis ſacro textui ſubſternuntur, & obvias variationes ubivis ſedulo annotavit. Extat alius Codex MS. Græcus hujus Euthaliani operis in Bodlejana bibliotheca, Codice 715. inter MSS. Codices Guilielmi Laudi Cantuarienſis Archiepiſcopi litera C. Codice 63. in quo 1. *Acta Apoſtolorum in folio Græce.* 2. *Omnes Epiſtolæ Pauli, Petri, Joannis & Judæ, cum ipſis argumentis Euthalii Diaconi, Græce.* 3. *Quatuor Evangelia Græce.* Hæc verbotenus *Acta Eruditorum Lipſiæ* Kalendis Septembris anno 1698. pagg. 400. 401. 402. 403. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ad annum 396. pag. 252. qui eum annis centum antiquiorem ſtatuit, quam ei conveniat. *Novellæ Reipublicæ literariæ* anno 1700. menſe Februario pag. 123. Amſtelodami apud Henricum Desbordes, ubi de his diffuſe Jacobus Bernardus à pag. 126. ad 144.

SANCTVS ORIENTIVS EPISCOPVS AVXITANVS, qui creditus hucusque Illiberitanus, juxta Labbeum in parva Chronologia Scriptorum Eccleſiaſticorum, floruit anno circiter 600. Sed longe probabilius eſt quod ſcribit Cavus, eum eſſe unum atque eundem cum Orontio qui per adjectionem literarum aliquarum *Orientius* dictus ſit, quique anno 516. Concilio Tarraconenſi cum aliis ſubſcripſerit. Unde liquet illum non anno 600. ut perperam cum Labbeo ſcripſeram, ſed annis fere centum antea floruiſſe. De Orontio ſive Orientio hæc pauca Sigebertus in Catalogo Cap. 34. *Orientius commonitorium fidelibus ſcripſit metro heroico, quo mulceat legentem ſuavi breviloquio.* Hoc commonitorium Martinus Delrio primus Antverpiæ anno 1600. apud Joachimum Trognezium edidit, quod poſtea immiſſum in Bibliothecam SS. Patrum Colonienſis editionis, anni 1618. editum denique cum notis etiam Salmanticæ anno 1644. in 4. Hæc quidem juxta vulgarem ſententiam ſcripſeramus. Sed cum anno 1700. Edmundus Martenius, Presbyter & Monachus Benedictinus e congregatione S. Mauri ediderit in 4. Pariſiis, *Novam collectionem operum eccleſiaſticorum veterum* apud Johannem Gilletat, atque in ea Orientii opuſcula recenſeat, ex iis quæ volumine præmiſit, ſententiam noſtram & communem immutare coacti ſumus. Narrat enim in præfatione ad Scriptores novos à ſe productos, *non ipſi ſatis conſtare, an Orientius ille idem ſit cum Orontio Illiberitano Epiſcopo, qui anno DXVI. concilio Tarraconenſi, & ſequenti anno Gerundenſi inter-* 450.

Digitized by Google

terfuit. Antiquiorem hoc tempore, ac *Gallum* fuiſſe & *Auxitanum Epiſcopum*, optime ac demonſtrative concludere mihi videtur, cujus propria hic tibi verba producam.

„ Ipſo in limine occurrit *Commonitorium S. Orientii* inter antiquos poëtas Chriſtianos celeberrimi, cujus Fortunatus, qui ſub finem Seculi VI. florebat, meminit in libro primo *de vita S. Martini* brevi hoc verſiculo:

Paucaque perſtrinxit florente Orientius ore

„Et Sigebertus in Catalogo cap. 34. Orientius commonitorium ſcripſit metro heroico, *ut mulceat legentem ſuavi breviloquio.* Carmen iſtud deſideraverant hactenus viri eruditi, maxime vero Illuſtriſſimus *Annalium Eccleſiaſticorum* Concinnator Cardinalis Baronius ad ann. 484. *dolens nobilis ingenii omnia periiſſe monimenta, imo & nomen ipſum pene oblivione ſepultum, quod vix tandem erudentum obtectaque rubigine purgatum reddere liceat.* Ejus votis aliqua ex parte ſatisfecit Martinus Delrius Societatis Jeſu Presbyter eruditiſſimus, qui reperto in MS. codice Aquicinctenſis Abbatiæ Commonitorii libro primo, tanquam invento theſauro pretioſo exultavit, eumque quam citius, cum omnibus etiam quibus ſcatebat mendis & lacunis anno 1600. typis mandari curavit. Ratus nihilominus in illo ſuo codice integrum Orientii opus non contineri, *ſed plura deeſſe, minimum de ceteris peccatis, gula, acidia, ſuperbia, ſors & plura.* Nec ſane ſua eum fefellit opinio, nam revera deerat integer liber ſecundus, quem eum aliis ejusdem autoris verſibus de nativitate Domini, de Trinitate, de nominibus Domini & orationibus, ex pervetuſto codice inſignis Eccleſiæ S. Martini Turonenſis ab annis circiter 800. exarato, beneficio clar. viri *Guliani de Galiczon Præcentoris deſcriptum obtectaq; rubigine purgatum*, nunc tandem profert Edmundus Martenius, libri etiam primi erratis & lacunis emendatis ac repletis.

„ . Quis fuerit Orientius ille, non ita facile explicatu dicit. Sed ſi quam fidem merentur *Acta Sancti Orientii* quæ in bibliothecæ novæ tomo 2. pag. 596. vulgavit Philippus Labbeus, eaque cum his carminibus conferantur: non levia inde argumenta ac rationum momenta eruere licebit, quibus iidem eſſe adjudicandos ſaltem conjicere licebit. *Ipſe enim eccleſiaſticis dogmatibus eruditus*, inquiunt ejus acta, *commiſſum ſibi populum ſacro ſermone correxit, paganorumque perverſitatem deſtruxit: & ita plane doctus tanta doctrina eos erudivit, ut ſpreta idolorum vilitate, auctorem ſuum cognoſcerent & legem ejus baptiſmatis gratia accipiendam concederent.* Quæ verba quam optime conveniunt cum iis quæ ſcribit Orientius in Oratione XXIV.

Et nos a face ethnicorum emerſimus
Eamque tandem rupimus caliginem,
Dum ſpiritales exaudimus angelos.

„Qui vero in commonitorii libro II. verſus leguntur, ſtrages & incendia Alanorum, Vandalorum, Gothorumque mirum in modum repræſentare videntur.

Per vicos, villas, per rura & compita, & omnes
Per pagos, totis inde vel inde viis,
Mors, dolor, excidium, ſtrages, incendia, luctus,
Vno ſumavit Gallia tota rogo.

Porro cum adverſus Gothos ab Imperatore Aëtius & Littorius duces ſtrenuiſſimi miſſi fuerint, quibus *S. Orientius* Auxitanus Epiſcopus in præfatis *Actis* occurriſſe legitur, nemo non videt *Commonitorii* noſtri verſus ad illius tempora reſpicere potuiſſe, hoc eſt ad annum CCCCL. Adde quod autor in ultimo hocce verſiculo, ſe *Gallum* aut ſaltem in Gallia agentem ſatis clare demonſtrat. At vero Baronius, Orientium noſtrum eundem eſſe cum Oroſio Tarraconenſi exiſtimat, *ad quem* Sidonius anno CCCCLXXXIV. Epiſtolam XII. libr. 9. ſcripſit, interpellatus ab eo, ut *Carmen* aliquod de fertili depromptum ingenio mitteret. Et certe illud ejus conjecturæ favet, quod Oreſium virum doctum, & facultatibus poëticis, ex hac Sidonii Epiſtola excultum fuiſſe conſtat. Cui ſententiæ ſubſcribit Delrius. Hæc Edmundus Martenius in præfatione ad collectionem novam Scriptorum veterum, qui Scriptorem hunc & Gallum cenſet & circa an. CCCCL vel CCCCLXXX. collocat. De Orientio ſi tamen idem eſt cum *Orontio*, *Concilium* Tarraconenſe anni 516. in ſubſcriptionibus. Antonius quoque Poſſevinus in *Apparatu ſacro* verbo Orientius, ubi eum his quoque concilii Tarraconenſis temporibus aſſignat. Aubertus Miræus in Bibliotheca Eccleſiaſtica, Scholio ad caput 9. Gennadii *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* pag. 45. Guillelmus Cavus *in hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad annum 516. p. 393.

IVVENALIS EPISCOPVS HIEROSOLYMORVM, non repente quidem, ſed paulatim ad hoc honoris faſtigium aſcendit, honorum atque dignitatum Eccleſiaſticorum percupidus. Ex Presbytero Epiſcopus primum Ephelinus, Concilii apud Epheſum habiti tempore, anno nimirum 431. clarus, huic Synodo œcumenicæ interfuit, atque pro Cyrillo contra Neſtorium ſtetit, ut illius ope ambitionem ſuam contra Joannem Antiochenum tueretur. Injuſte enim ſibi jura Patriarchatus vindicarat; nec eo contentus, Arabiam duasque Phœnicias ab Eccleſiæ Antiochenæ regimine ſubtractas, ſuæ ditioni ſubjicere molitus eſt. Vnde factum etiam, ut in Latrocinio Epheſino anno CCCCXLIX. & in Concilio Chalcedonenſi anno CCCCLI. in gratiam Eutychis & Dioſcori contra Flavianum Conſtantinopolitanum pugnaret: atque in Concilio quidem Chalcedonenſi, jura Patriarchatus ſibi obtinuit, Phœnicias tamen atque Arabiam dimittere coactus. Extat ex Scriptis ejus Latine tantum *Epiſtola Synodica ad Presbyteros, Archimandritas, cæterosque Paleſtinæ Monachos:* 450

chos: qua ſuo, ſuorumque nomine Epiſcoporum, Decreta Concilii Chalcedonenſis confirmat, tomo 4. Concil. pag. 889. Hæc verbotenus Cavus. Cui addo apud Nicephorum Calliſtum lib. XV. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 14. inſertam eſſe *Juvenalis Archiepiſcopi Hieroſolymitani Orationem*, quam is anno 451. in Concilio eodem ad Imperatorem Marcianum *de aſſumptione B. Genitricis Dei Mariæ* habuiſſe dicitur: quamque poſt Nicephorum verbotenus Græce ac Latine retulit in Bibliothecam Cæſaream Vindobonenſem, Petrus Lambecius Libro 8. pag. 164. ad 168. Hanc homiliam ut Juvenalis veram & genuinam, num vere, an Ironice crediderit Lambecius, eruditis ambiguum eſt. Certum namque eſt Concilii Chalcedonenſis temporibus, nihil unquam de *Aſſumptione B. Virginis* auditum, ut mirum ſit eo de argumento conſcribi potuiſſe ab Juvenali ad Imperatorem Marcianum homilias. Non mirum autem in Eccleſia fuiſſe ſemper, qui Celebritates Deiparæ iſtas, fictis quidem illis ſed ſplendidis Orationibus antiquiores fecerint. Imo quod magis mirum, in eodem libro IV. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, in examine Codicis MS. Theologici Græci CLI. pag. 131. ita Lambecius. „ Trigeſimo ſecundo & quidem à fol. 171. pag. 1. usque ad fol. 176. pag. 2. *Narratio apocrypha de obitu & Aſſumptione Beatiſſimæ Dei genitricis Mariæ, nomine Sancti Jacobi Apoſtoli cognomine Minoris & fratris Domini*, falſo inſcripta. Ipſa tituli Græci verba cum principio narrationis hæc ſunt: Κοίμησις τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου Μαρίας, συγγραφεῖσα ὑπὸ Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου τῆς παναγίας ἐνδόξου Θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου Μαρίας, κατὰ τὸ εἰωθὸς ἐν τῷ ἁγίῳ μνήματι τοῦ κυρίου ἡμῶν ἐρχομένης θυμιάσαι &c. Quamvis autem hæc narratio quod ad titulum attinet, *Sancto Jacobo Apoſtolo* cognomine *Minori & fratri Domini* attribuitur, in ipſa tamen narratione *S. Joannes Evangeliſta* ita loquens introducitur, ut ipſe potius quam *S. Jacobus* author ejus credatur, quemadmodum ex hoc fragmento videre eſt: Παρεγενόμην ἐγὼ Ἰωάννης, τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου ἁρπάσαντός με διὰ νεφέλης ἀπὸ Ἐφέσου, καὶ στήσαντός με ἐν τῷ τόπῳ, ἔνθα ἀπέκειτο ἡ μητὴρ τοῦ κυρίου· εἰσελθὼν δὲ πρὸς αὐτὴν, δοξάσας τὸν ἐξ αὐτῆς τεχθέντα, εἶπον: Χαῖρε ὦ μῆτερ τοῦ κυρίου μου, ἡ γεννήσασα χριστὸν τὸν Θεὸν ἡμῶν· εὐφραίνου, ὅτι ἐν δόξῃ μεγάλῃ ἐξέρχῃ τοῦ βίου τούτου. καὶ ἐδόξασε τὸν Θεὸν ἡ ἁγία Μαρία, ὅτι ἦλθεν ἐγὼ Ἰωάννης πρὸς αὐτήν. Hoc eſt: *Adfui ego Joannes, raptus à Spiritu Sancto in nube ex urbe Epheſo, & collocatus in eo loco, ubi Mater Domini recumbebat. Ingreſſus autem, Laudato eo, quem ipſa pepererat, dixi: Ave ô Mater Domini mei, quæ peperiſti Chriſtum Deum noſtrum! Lætare, quia cum magna gloria migras ex hac vita. Et laudavit Sancta Maria Deum, quod ego Joannes ad ſe veniſſem &c.* „ Quibus luce meridiana clarius patet, quā proclives fuerint Monachi, ad Celebritates iſtas antiquitatibus fictis & commentitiis ampliandas, quibus majorem apud poſteros venerationem aſſequerentur. Hæc occaſione dictæ ac fictæ ſimul Orationis *de aſſumptione B. Mariæ Virginis*, quam Juvenali adſcripſit loco citato Nicephorus Calliſtus. Agunt de Juvenale Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ*, ſeculo Eccleſiæ V. ad annum 431. pag. 330. Petrus Lambecius Lib. 4. *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* pag. 150. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 246. lib. 8. ejusdem Bibliothecæ pag. 164. poſt Nicephorum Calliſtum libro XV. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 14.

CALLINICVS S. HYPATII monaſterii Rufiniani in Bythinia Abbatis ſeu Hegumeni diſcipulus, poſt annum 450. floruiſſe videtur, Hypatio cujus ille Vitam ſcripſit, ſuperſtes. S. autem Hypatius è Phrygia oriundus fuit, patre Scholaſtico, qui eum in literis erudivit. In Thracia monachatum auſpicatus, monaſterium Rufinianum, diſſitum Chalcedone millibus paſſuum tribus, Orientem verſus, laboribus ſuis reſtauravit. Cum enim per lemures dæmonesq; id infeſtaretur, hos ille ſuis precibus depulſe ſcribitur, & poſtmodum monachos ibi congregare cœpit, quibus ab anno vitæ quadrageſimo, Chriſti autem 410, ad annum usque Chriſti 450, vitæ octogeſimum præfuit. Vitam illius à Callinico diſcipulo, auctore coævo, prolixe ſcriptam exhibent Jeſuitæ Antverpienſes Tomo III. *Sanctorum* Junii menſis ad diem 17. pag. 308. & ſeqq. ad pag. 349, poſteaquam à pag. 303. plura de eodem diſſeruit Daniel Papebrochius amicus noſter, qui primus ex MS. Codice illam exhibuit, atque Commentariis prævis & obſervationibus illuſtravit. Editus Tomus in fol. Antverpiæ anno 1701. apud viduam Henrici Thicullier. Nullus quem noverim, mentionem facit hujus *Callinici*, præter Papebrochium, qui hanc *Sancti Hypatii Vitam* Græce, ac Latine redditam, loco citato edidit. *Acta Eruditorum Lipſiæ* ad an. 1702. menſe Auguſto p. 323. 450.

SANCTVS LEO ROMANVS EPISCOPVS, cognomento Magnus, vitæ ſanctimonia, rebusque geſtis & ſcriptis maximus, orthodoxæ fidei columna, Apoſtoli Petri interpres, Dogmatum Apoſtolicorum defenſor, poſt Sixtum Papam anno 440. die 8. Septembris ad Romanam ſedem promotus eſt, quam ad annum usque 461. tenuit, mortuus die 30. Octobris, de cujus vita abunde Surius, & omnes qui ejus Opera in lucem publicam dederunt. Scripſit ſermones varios, quos in Eccleſia pronunciavit, Chriſtiana pietate, eruditione, facundia admirandos. Scripſit etiam plures Epiſtolas, quibus Catholicam veritatem aſſeruit, Eccleſiaſticam diſciplinam reſtauravit ac propagavit, Canonum transgreſſores ac contemptores coërcuit. De Scriptis ejus abunde Bellarminus & Labbeus in opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Poſſevinus in 450.

Appa-

Apparatu sacro, Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*. Omissis igitur quæ à Labbeo & Bellarmino dicta sunt pluribus, de ultima atque optima Operum S. Leonis editione agemus. Inter omnes Operum ipsius editiones, excellit illa quam Clarissimus & doctissimus vir Paschasius Quesnel, Congregationis Oratorii D. nostri Jesu Christi, ex collatis Manuscriptorum Codicum exemplaribus, cum eruditis Commentariis, variisque Operum & Dissertationum accessionibus, tomis in 4. duobus anno 1675. Parisiis dedit apud Joannem Coignart via Jacobæa sub Bibliis aureis.

Immisit autem dictus Paschasius merito in appendicem plurima hucusque sub Leonis nomine Opuscula, tanquam spuria: ut *Sermonem in Natali Sancti Vincentii Martyris*, cujus Author se Hispanum prodit: & *Sermonem in Natali Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli*, cujus initium est *exultemus in Domino*, qui in aliis editionibus secundus erat. Nam præter exordium quod procul dubio sancti Leonis non est, & quinque circiter lineas, quæ ex sermone 2. in Anniversario ipsius assumptionis ad Pontificatum desumptæ sunt, reliqua ex sermone 3. in Anniversario ejusdem transcripta sunt. *Sermonem* quoque *96. in Cathedra Sancti Petri* quod cæteris accensuisset, virum doctissimum pœnituit: stylo enim maturius expenso, illum tandem sanctissimo Pontifici abjudicavit.

Epistolam de Chorepiscoporum privilegio quæ in prioribus editionibus erat 88. recte Sancti Leonis esse negavit idem Paschasius Quesnel: cui in hoc judicio Joannes Marinus & Sirmondus præiverant, ex Reformatis autem Blondellus in suo *Pseudo-Isidoro & Turriano vapulantibus*. *Primum* suppositionis argumentum est, quod in antiquis MSS. Codicibus non compareat, sed tantum in recentioribus quibusdam post Isidorianæ Collectionis tempora exaratis. *Secundum*. Quod apud antiquos Scriptores mentio hujus Epistolæ nulla extet, eamque nullus vel Canonum vel Decretorum Pontificiorum Collector ante Isidorum Mercatorem, seu ante seculum IX. Collectionibus suis inseruerit. *Tertium*. Quod stylus à Leonino prorsus abhorreat. *Quartum*. Quod titulus Sancto Leoni sit insolitus, & quod nexus Episcoporum Germaniæ cum Gallicanis, non ætatem Sancti Leonis, sed Caroli Magni aut posteriorem, sapiat. *Quinto*. Dum Synodum Romæ habitam describit, appellat *Synodum Episcoporum sive caterorum Consacerdotum, Christique Fidelium coadunatam*: quasi laïca plebs in Concilium admitteretur, quæ verba Sancto Leone indigna sunt. Adde nomen *Sacerdotis* ævo Sancti Leonis, nunquam tribui solitum Presbyteris, absque additamento ejusmodi, *secundi ordinis, secundi gradus &c.* Taceo fœdum solæcismum, S. Leone prorsus indignum. *Sextum*. Citantur in hac Epistola Canones Neocæsarienses: cum tamen nec à Sancto Leone, nec ab ejus Decessoribus, Synodorum particularium Canones citatos legamus: & Innocentius I. alios à Nicænis non esse recipiendos, professus sit. *Septimum*. Ea in Epistola, Canon 13. Neocæsariensis ex Dionysii Exigui versione citatur, quam Leone Magno longe posteriorem esse nemo nescit. *Octavum*. Rhabanus Maurus in libro quem *de Chorepiscopis* ad Dragonem Metensem Episcopum scripsit, ejus Epistolæ non meminit: quod argumento est eam esse supposititiciam. Nunquam enim ille Chorepiscoporum caussam defendendam suscepisset, si sanctus Leo eos damnasset: neque Epistola ista virum tam eruditum, & in Germania quo missa dicitur, scribentem fugisset. *Nonum*. Epistola ista nihil aliud est quam *Canon septimus Hispalensis Concilii*, cui exordium insulsum præmisit impostor, ut Epistolæ imaginem induceret. *Decimum*. Adulterinam esse Epistolam clamat silentium Synodorum, Parisiensis 6. & Meldensis, Nicolai I. in Epistola ad Rodulphum Bituricensem Archiepiscopum, itemque Capitularium Caroli Magni & Ludovici Pii Impp. in quibus frequens Chorepiscoporum mentio occurrit: nulla vero istius Epistolæ sancti Leonis, quam certe non omisissent. Denique sunt aliqua in ea Epistola, quæ cum Ecclesiæ Romanæ consuetudine convenire non possunt, dum inquit: *Sed neque conum Episcopo licet Presbyteris in baptisterium introire*. An non potius coram Episcopo & cum Episcopo in Baptisterium introire, & ex officio adesse baptizanti Episcopo videbantur? Non attenderunt ad has rationes viri eruditi, qui hanc Epistolam ut sancti Leonis genuinam admittendam esse censuerunt Hallerius & Ludovicus Cellotius, uterque in Opere suo *de Ecclesiastica Hierarchia*. Petrus Aurelius, adversus Sirmondum scribens. Dionysius Petavius in *Notis* ad sanctum Epiphanium, & Petrus de Marca lib. 2. *de Concordia Sacerdotii & Imperii* cap. 13. cum aliis multis.

Idem Operum sancti Leonis editor atque illustrator Paschasius Quesnel, duos illos libros *de vocatione omnium Gentium*, nec non *Epistolam ad Demetriadem* sub sancti illius Pontificis nomine edidit, quas lucubrationes ipsi vindicare Dissertationibus duabus elegantissimis conatus est. Id autem probare contendit ex stylo, dicendique caractere plane simili: ex identitate doctrinæ circa gratiam Christi, & circa alia etiam capita: ex vocibus authori librorum *de vocatione Gentium* & sancto Leoni communibus: denique ex convenientia utriusque in citanda Scriptura Sacra. Sed viris hucusque omnibus eruditis persuadere non potuit, duos hos libros cum hac Epistola, esse sancti Leonis legitimos fœtus: ejusque nomine in nova Operum S. Leonis editione, merito immissos esse. Tanta autem non est similitudo doctrinæ in libris istis, cum doctrina sancti Leonis: quin æqualis, & major forte reperiatur cum doctrina Sancti Prosperi, ut in *Prospero* inquit Natalis Alexander, nec Prospero tamen indubie attribuuntur.

Primum enim ſtylus Leonino non eſt penitus ſimilis. Nam commenſuratæ ſunt magis ac proportionatæ in ſancto Leone periodi, nec tantæ in ejus Sermonibus & Epiſtolis figuræ ſunt, tot Rithmi, tanta modulatæ ac tinnulæ orationis affectatio: quanta in libris *de vocatione omnium Gentium*, aut in Epiſtola *ad Demetriadem*: uno verbo facundior eſt ſancti Leonis citra ullam affectationem oratio. *Præterea* ſanctum Leonem contra Manichæos, contra Priſcillianiſtas, contra Pelagianos, contra Neſtorianos & Eutychianos pugnaſſe, Vita ejus & Epiſtolæ teſtantur: ſed contra Semipelagianos ipſum certaſſe non legimus. Imo S. Leo amicus Caſſiani erat, qui libros *de incarnatione Chriſti* ab eo rogatus ſcripſit, eosque S. Leoni nuncupavit: etſi aliunde Proſperum magni faceret, quem ubi creatus eſt Pontifex, ſibi ab Epiſtolis eſſe voluit. Controverſiis igitur Semipelagianorum, ſeſe immiſcuiſſe non videtur Sanctus Pontifex. *Tertio* Gelaſius Papa libros *de vocatione Gentium* ſub nomine *cujuſdam Eccleſiæ magiſtri* laudat. At Sanctum Leonem Anteceſſorem ſuorum clariſſimum, tot illuſtrem meritis, tanta nominis celebritate conſpicuum, qui ab annis duntaxat XXX. obierat, ſuo prorſus nomine deſignaſſet, non eo modo, quo ignoti quique deſignari ſolent. Nemo enim facile credet, ex hominum memoria deletum fuiſſe hujus Auctoris nomen, Romæ præſertim, ſi ipſe fuiſſet S. Leo Romanæ Archidiaconus Eccleſiæ ac paulo poſt Pontifex, qui ab annis XXX. a vita migraverat. Plura enim Romæ fuiſſent iſtorum librorum & Epiſtolæ de quibus agitur Exemplaria, quorum aliquod ſaltem adſcriptum ſancti Leonis Papæ nomen habuiſſet. Imo plurimi adhuc vivebant, quibus notum fuiſſet hæc Opuſcula à S. Leone ſcripta eſſe: & id cum in omnium eruditorum ore verſatum eſſet, nec illud ignoraſſet Gelaſius doctiſſimus Pontifex. *Quarto* denique nullus Codex MS. hæc Opera Sancto Leoni adſcribit, ut fatetur ipſe Paſchaſius Queſnel, nec in tota retro antiquitate genuinus illorum Author cognitus eſt. Vnde non moleſte ferat vir doctiſſimus, ſi libros *de vocatione omnium Gentium* & *Epiſtolam ad Demetriadem*, ſub Sancti Leonis nomine quo illa paullo confidentius edidit, nec laudemus, nec laudanda eſſe putemus: eo quod ejusmodi auſus in Scriptis Sanctorum Patrum inſcribendis vel abradendis, *abſque demonſtratione* vel cum ſolis conjecturis, fieri non debeant.

Quantum etiam ad *Capitula & Authoritates de gratia Dei & libero voluntatis arbitrio*, quæ Celeſtino Papæ tribuuntur, ad quæ ſancto Leoni aſſerenda Diſſertationem ſuam tertiam Paſchaſius Queſnel inſtituit: vix video quanam ei ratione ſuccedat. Hæc enim ſolas conjecturas continet, easdemque non ſatis validas ad deſtruendam mille annorum antiquitatem, (atque ut ita loquar) Celeſtini poſſeſſionem. Vnde Paſchaſius citatus ſub ſuæ Diſſertationis initium, fateri cogitur Authoritates eas eſſe Cœleſtino à Petro Diacono attributas, aliisque qui in cauſa fidei ex Oriente Romam miſſi ſunt, Libro *de Incarnatione & gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ad Fulgentium*, cap. ultimo. A Creſconio pariter Epiſcopo Africano, in fine *Collectionis Canonum*, circa annum Chriſti DCXC. emiſſæ, eidem adſcriptas Pontifici legimus. Tum denique poſterioribus ſeculis, à Floro Magiſtro ſcribente Eccleſiæ Lugdunenſis nomine, adverſus Joannem Scotum Erigenam. à Lupo Abbate Ferrarienſi in *Collectaneis* quæſtione 2. ab Hincmaro Remenſi in libro *de prædeſtinatione* cap. 22. pag. 128. 130. 133. & *Epilogi* cap. 5. pag. 379. Conjecturæ itaque nihil valent, ad antiquitatem ita magnam evertendam: imo ſpernuntur, dum nimium affectatæ ſunt.

Denique inter Epiſtolas ſancti Leonis Papæ, inſertæ inveniuntur aliorum Epiſcoporum Epiſtolæ: ut *Epiſtola Proterii Alexandrinæ Eccleſiæ Patriarchæ ad Leonem Romanæ ſedis Epiſcopum, de Feſtivitate Paſchali*, anno 454. ſcripta, quam ex MS. Cod. correctam deſcripſit atque inſeruit ſuo in Canonem Victorii Aquitani Paſchalem, Commentario cap. 2. Ægydius Bucherius Atrebatenſis Theologus Societatis Jeſu, cujus Gennadius Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 10. mentionem facit. Item Epiſtola Paſchaſini Libæi in Sicilia Epiſcopi, de eodem argumento ad Leonem Papam præfatum directa, de qua Gennadius cap. ſequenti: quam refert quoque idem Ægydius Bucherius libro citato, ſub finem capitis primi. Item *Epiſtola Sancti Leonis Bituricenſis in Gallia Epiſcopi* ſub annum Chriſti 454. una cum Victurio Cenomanenſi & Euſtochio Turonenſi, miſſa ad Epiſcopos & Presbyteros Provinciæ non *Tbuscia*, (ut inter Leonis primi Papæ Epiſtolas vulgatum eſt) ſed *Tertia*: quo nomine Turonica Provincia deſignatur, quæ Tertia Lugdunenſis eſt: ut Sirmondus in Notis ad Concilia Galliæ obſervavit. Item *Epiſtola duæ Flaviani Patriarchæ Conſtantinopolitani*, cum alia *Ravennii Arelatenſis Archiepiſcopi*, *Ruſticii Narbonenſis Archiepiſcopi*, aliorumque Galliæ Epiſcoporum &c. De quibus ſigillatim ſimul ac pueriliter Cavus in *Hiſtoria rei Literariæ* ad annum 454. p. 356. & 357.

Agunt de Scriptis & vita S. Leonis Primi Papæ, authores innumeri. Antonius Poſſevinus tom. 2. *Appanatus Sacri*, verbi *S. Leo Papa nominis primus*. Bellarminus & Labbeus, uterque in Opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Guillelmus Cavus *in Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo V. ad annum 440. pag. 342. ubi vitam illius egregio compendio deſcribit. Paſchaſius Queſnel, in editione ſua Operum Sancti Leonis, tomo 2. *Diſſertationibus variis*, quas de vita & Scriptis ejusdem inſtituit.

VICTORIVS AQVITANVS natione, ſcrupuloſus temporum calculator, à ſan- 457.

cto

„cto Hilaro urbis Romæ tunc Archidiacono, at-
„que post Sancti Leonis mortem, Romano Epi-
„scopo, composuit *Paschalem cursum* indagatione
„cautissima : post quatuor priores qui eum
„in hac parte prævenerant, id est, Hippolytum,
„Eusebium, Theophylum & Prosperum : pro-
„tendens temporum seriem usque ad annos 532.
„ita ut quingentesimo trigesimo tertio anno
„Paschalis reincipiat solemnitas, eodem mense,
„& die, eademque luna, qua primum Passio &
„Resurrectio Domini facta est.“ Hæc Genna-
dius in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 88.
Scripsit Victorius *Canonem Paschalem* Constan-
tino & Rufo Consulibus, ut ipse in Prologo tra-
dit, hoc est, anno Christi vulgari CCCCLVII quo
claruit. Hoc Opusculum Victorii Aquitani
primus edidit, doctissimisque Commentariis il-
lustravit Ægydius Bucherius Atrebatensis So-
cietatis Jesu, Antverpiæ in fol. impressum in offi-
cina Plantiniana anno 1633. cum aliis aliorum
Patrum Operibus ad eandem materiam spe-
ctantibus. Agunt de Victorio Aquitano, Gen-
nadius in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* c. 88.
Guillelmus Cavus in *Historia literaria Scriptorum
Ecclesiasticorum*, seculo V. ad annum 457. pag.
358.

460. GENNADIVS CONSTANTINOPOLI-
TANVS EPISCOPVS, sive Patriarcha, ut
inquit Gennadius Massiliensis Presbyter in libro
de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 90. *Vir lingua niti-
dus & ingenio acer, tam dives ex lectione Antiquorum
fuit, ut Danielem Prophetam ex integro ad verbum
commentatus exponeret. Homilias etiam multas
composuit, qui Leone seniore imperante moritur.*
Hæc Massilienſis Synonimus. Presbyter au-
tem primum Constantinopolitanæ Ecclesiæ, A-
natolio in hujus Regiæ urbis sede, anno 458 suc-
cessit. Laudes ipsius atque encomia describit
Theodorus Lector lib. 1. pagg. 553. 554. & 555.
quem audiamus. „Mortuo Anatolio Genna-
„dius Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ
„in ejus locum substituitur, simul nominato
„quorundam suffragiis Acacio, orphanotrophii
„præposito. Porro Gennadius œconomum
„Ecclesiæ constituit Marcianum, qui ex Catha-
„rorum secta ad Ecclesiam Catholicam confu-
„gerat. Hic simul atque œconomus factus est,
„decrevit ut quæ in unaquaque Ecclesia offere-
„bantur, Clerici ejusdem Ecclesiæ acciperent:
„cum ad id tempus magna Ecclesia, universa ac-
„cipere soleret. *Et postea.* Hic Gennadius ne-
„minem ordinabat, qui Psalterium non sciret me-
„moriter. Sub eodem Gennadio Pictoris cu-
„jusdam manus exaruit, qui Christum Jovis spe-
„cie depingere ausus fuerat. Sed Gennadius
„pictorem precibus suis mox sanavit. Scribit
„porro Theodorus noster, melius esse & magis
„consentaneum veritati, Christum alia forma
„depingere, crispo scilicet & raro capillitio. El-
„eutherio martyri ob quendam ejus Clericum
„Gennadius scripsit in hunc modum: *Miles tuus
disciplinam non servat, tu igitur aut emenda illum,
aut dele.* Statimque mortuus est Clericus, ut-
pote qui malis moribus esset præditus. Hu-
jus Gennadii temporibus, Studius Ecclesiam
Sancti Joannis extruxit, & Monachos ex Aca-
nitentibus in ea collocavit. Gratissimus vero
præpositus sacri cubiculi, extruxit Ecclesiam
sancti Cyriaci, in qua etiam Monachi vestem
assumpsit, simulque Præpositi munus implere
non destitit. *Denique* pag. 555. Gennadius
cum noctu orandi gratia ad altare descendis-
set, Dæmoniacum quoddam spectrum vidit.
Quod cum objurgasset, audivit illud excla-
mans in hæc verba : se ipso quidem superstite
quiescere, postea vero Ecclesiam penitus va-
staturum : quod metuens Gennadius, cum
Deum ardentissime precatus esset, paulo post
è vita discessit.“ Hæc Theodorus Lector, in
Excerptis Nicephori Callisti, quæ verbotenus
Cavus citato tantum Theodoro sua fecit. Jam
ad scripta veniamus. Anno 459. habita Con-
stantinopoli Episcoporum LXXIII. Synodo, in-
ter alia *Canonicam Epistolam adversus Symoniacas
ordinationes* condidit, maxime insignem. Extat
Græce & Latine suo ac Synodi suæ nomine hæc
Epistola Encyclica adversus Simoniam tam in or-
dinantibus quam in ordinatis *Conciliorum* tom.
IV. pag. 1025. & *Pandectarum Canonicarum* tom.
II. pag. 181. Notandum vero in Oxonienſi,
aliisque quibusdam editionibus majorem hujus
Epistolæ partem ad Balsamonis Scholia male
amandari, cum tota Epistola à capite usque ad
calcem uno eodemque spiritu fluat : quod ex
parte etiam Baronius olim vidit, apud quem
hæc Epistola habetur Latine ad annum 459.
Extat quoque hæc *Epistola ad Metropolitanos con-
tra Simoniacos* in Orthodoxographis pag. 658. &
inde in Bibliothecam Sanctorum Patrum tran-
liit, a Margarino Bignæo, in editionibus primis
Parisiensibus annorum 1575. & 1589. Extat
autem hæc Epistola MS. in duobus MSS. Codi-
cibus Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, ut
testatur Petrus Lambecius Lib. 8. hujus Biblio-
thecæ, in examine Cod. MS. Historici Græci
XLV. pag. 434. & in Examine Cod. MS. Histor.
Græci XLIV p. 420 ubi sic

Trigesimo quinto & quidem à fol. 176. pag. 1.“
usque ad fol 178. pag. 1. *Gennadii Patriarchæ
Constantinopolitani qui anno Christi 471. obiit &
Concilii Constantinopolitani septuaginta trium Epi-
scoporum Anno Christi 459. cum ipso contra Simo-
niacas corruptelas celebrati, Epistola Encyclica sive
Circularis ad omnes Metropolitanos*, cujus titulus
& principium : Ἐγκύκλιος ἐπιστολὴ Γενναδίου
τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως,
καὶ τῆς σὺν αὐτῷ ἁγίας συνόδου πρὸς ἅπαν-
τας τοὺς ὁσιωτάτους Μητροπολίτας. Τῷ Θεο-
φιλεστάτῳ καὶ ὁσιωτάτῳ συλλειτουργῷ τῷ δε-
σπότῃ &c. Γεννάδιος καὶ ἡ ἐνδημοῦσα τῇ Φι-
λοχρίστῳ καὶ βασιλίδι Κωνσταντινουπόλει νέᾳ
Ῥώμῃ ἁγία σύνοδος. ὁ Δεσπότης ἡμῶν καὶ
Θεὸς, καὶ σωτὴρ Ἰησοῦς Χριστὸς ἐγχειρίσας

τοῖς

„τ ἱ; ἁγίοις αὐτῦ μαθηταῖς τῦ Εὐαγγελίῳ τὸ „κήρυγμα &c. Eadem *Epiſtola Synodica & Circu-„laris* extat in ſupra memorato Theodori Balſa-„monis Syntagmate Canonum a pag. 1084. us-„que ad pag. 1087. & in editionis Conciliorum „Pariſinæ Labbeanæ tomo IV. a col. 1025. us-„que ad col. 1030. Sed utrobique in inſcriptione „ſive titulo iſtius Epiſtolæ poſt verba hæc, *πρὸς „πάπαντας τὺς ὁσιωτάτους Μητροπολίτας*, perpe-„ram ab aliquo interpolatore additum eſt: *καὶ „πρὸς τὸν Πάπαμ Ῥώμης*, hoc eſt, *& ad Papam „Urbis Romæ.* Hoc enim gloſſema ſeu addita-„mentum in præſtantiſſimo hoc Codice MS. Cæ-„ſareo recte deeſt. Quandoquidem etiam ei-„dem Epiſtolæ in fine, annexa ſunt hæc verba: *„πάντα τῷ ἐπιστολικῷ λόγῳ σὺν αὐτῷ δὴ τῷ „Γενναδίῳ ὑπέγραψαν καὶ οἱ ἑβδομήκοντα τρεῖς*: „hoc eſt, *Huic Epiſtolari ſermoni cum ipſo Genna-„dio ſubſcripſerunt etiam illi ſeptuaginta tres Epi-„ſcopi, qui cum eo convenerunt.* Notandum eſt, „iſtas ſubſcriptiones in *Theodori Balſamonis* Syn-„tagmate Canonum omnino deeſſe, quas tan-„quam ſuperfluas de induſtria omiſit, & gene-„ralem earum mentionem ſufficere cenſuit. In „editione autem Conciliorum Pariſina Labbea-„na ſuperſunt hæ tantum quinque ex iisdem „ſubſcriptionibus.

„ *Gennadius Epiſcopus Conſtantinopolis, Novæ*
„ *Romæ*
„ *Joannes, Epiſcopus Metropolis Heracleæ.*
„ *Anaſtaſius, Epiſcopus Metropolis Ancyræ.*
„ *Eunomius, Epiſcopus Metropolis Nicomediæ.*
„ *Petrus, Epiſcopus Metropolis Niceæ.*

„quibus ſubjungitur hæc clauſula

„ *Et alii, quorum nomina exciderunt injuria tem-*
„ *porum.*

„At enim vero, beneficio præſtantiſſimi ipſius „Codicis MS. Cæſarei, de quo in præſens ex pro-„feſſo agitur, conſervatæ adhuc ſuperſunt, non „ſolum omnes ſeptuaginta tres ſubſcriptiones, „una cum ſubſcriptione ipſius Gennadii, quæ „prima eſt atque ſeptuageſima quarta: ſed præ-„terea etiam aliæ ſeptem, ita videlicet ut uni-„verſim ſint ſubſcriptiones octoginta & una, „eleganter una & eadem pervetuſta manu exa-„ratæ, & ipſius Epiſtolæ Synodicæ ac circulari „ſubjunctæ hoc ordine & modo.

Ἐρρωμένος ἐν Κυρίῳ ὑπερεύχε ἡμῶν Θεοφιλέστατε ἀδελφέ.

ΑΙ ΥΠΟΓΡΑΦΑΙ.

Γενάδιος Ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως Νέας Ῥώμης, ὑπέγραψα.

Ἰωάννης Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Ἡρακλείας, ὑπέγραψα.

Ἀναστάσιος Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Ἀγκύρας, ὑπέγραψα.

Εὐνόμιος Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Νικομηδείας, ὑπέγραψα.

Πέτρος Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Νικαίας, ὑπέγραψα.

Περγάμιος Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Ἀντιοχείας Πισιδῶν, ὑπέγραψα.

Παῦλος Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Μαριανουπολιτῶν, ὑπέγραψα.

Νουνέχιος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Λαοδικείας, ὑπέγραψα.

Πέτρος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Γαγγρῶν, ὑπέγραψα.

Καρτέριος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Κλαυδιουπολιτῶν, ὑπέγραψα.

Ἀγαπητὸς, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Ῥιδῶν, ὑπέγραψα.

Ἐλευθέριος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Χαλκηδόνος, ὑπέγραψα.

Στέφανος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Ἱεραπόλεως Εὐφρατησίας, ὑπέγραψα.

Γρηγόριος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Ἀδριανουπολιτῶν, ὑπέγραψα.

Λυκιανὸς, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Βύζης, ὑπέγραψα.

Εὐνόϊος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Μυτιλήνης, ὑπέγραψα.

Θαλάσσιος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Παφίου, ὑπέγραψα.

Μάξιμος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Λαοδικείας Συρίας, ὑπέγραψα.

Γρηγόριος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Σελευκείας, ὑπέγραψα.

Εὐσέβιος, Ἐπίσκοπος Παφιανοῦ, ὑπέγραψα.

Νικήρας*, Ἐπίσκοπος Γάζης, ὑπέγραψα.

Θεοδόσιος, Ἐπίσκοπος Κανώβας, ὑπέγραψα.

Ἀνατόλιος, Ἐπίσκοπος Ἀθηνῶν, ὑπέγραψα.

Στέφανος, Ἐπίσκοπος Περγαίων, ὑπέγραψα.

Κυριακὸς, Ἐπίσκοπος Ἀπολλωνιατῶν, ὑπέγραψα.

Ἀμάκιος, Ἐπίσκοπος Ἀρτεμίδων, ὑπέγραψα.

Πλάτυαχος, Ἐπίσκοπος Πλατειῶν, ὑπέγραψα.

Κυριακὸς, Ἐπίσκοπος Καρθαίων, ὑπέγραψα.

Ἀφόβιος, Ἐπίσκοπος Κορωνείας, ὑπέγραψα.

Μακεδὼν, Ἐπίσκοπος Μαγυδῶν, ὑπέγραψα.

Ῥουφῖνος, Ἐπίσκοπος Ἀγγαίων, ὑπέγραψα.

Παλλάδιος, Ἐπίσκοπος Ἄνδρου, ὑπέγραψα.

Φωτεινὸς, Ἐπίσκοπος Ὄτρου, ὑπέγραψα.

Εὐτρόπιος, Ἐπίσκοπος Αὐρηλιουπόλεως, ὑπέγραψα.

Ἰωάννης, Ἐπίσκοπος Ἐκκλησιῶν, ὑπέγραψα.

Φωτεινὸς, Ἐπίσκοπος τῶν Θερμῶν, ὑπέγραψα.

Γραΐτιος, Ἐπίσκοπος Γερμῶν, ὑπέγραψα.

Σαββάτιος, Ἐπίσκοπος, ὑπέγραψα.

Εὐδόξιος, Ἐπίσκοπος Βοστρέων, ὑπέγραψα.

Βασίλιος, Ἐπίσκοπος Ναυκλείων, ὑπέγραψα.

* Is in ſubſcriptione Concilii Epheſini œcumenici III. Νικήρας appellatur, de quo vide editionem Conciliorum Labbeanam Pariſienſem tomo 3. col. 142. & 691.

Ποιμὴν

Ποιμὴν, Ἐπίσκοπος Κλύσματος, ὑπέγραψα.
Ἀπόλλων, Ἐπίσκοπος Πιθανίας, ὑπέγραψα.
Ἡσαΐας, Ἐπίσκοπος Ναυπεμπτῶν, ὑπέγραψα.
Γόσαχη, Ἐπίσκοπος Θύπων, ὑπέγραψα.
Ἐλπίδιος, Ἐπίσκοπος Ταμιάθεως, ὑπέγραψα.
Μαρίων, Ἐπίσκοπος Κυνῶν, ὑπέγραψα.
Θεότεκνος, Ἐπίσκοπος Ἀσπῆς, ὑπέγραψα.
Ἀπλικὸς, Ἐπίσκοπος Μαλητῶν, ὑπέγραψα.
Θεότιμος, Ἐπίσκοπος Ἀκμονείας, ὑπέγραψα.
Χαρίτων, Ἐπίσκοπος Ἀππίας, ὑπέγραψα.
Σεβῖνος, Ἐπίσκοπος Μητροπόλεως Μαξιμιανουπόλεως, ὑπέγραψα.
Μάξιμος, Ἐπίσκοπος Ζαγυλίων, ὑπέγραψα.
Ἀθανάσιος, Ἐπίσκοπος τῆς Ξοϊτῶν, ὑπέγραψα.
Πλησσάμμων, Ἐπίσκοπος τῆς Νικιωτῶν, ὑπέγραψα.
Πάπας, Ἐπίσκοπος τῆς Ἐλϊτῶν, ὑπέγραψα.
Θεωνᾶς, Ἐπίσκοπος Βυπτῶν, ὑπέγραψα.
Ἀπόλλων, Ἐπίσκοπος Ἀντιφρων, ὑπέγραψα.
Ἄγαθος, Ἐπίσκοπος Περιοικιδος, ὑπέγραψα.
Πέτρος, Ἐπίσκοπος Ἡφαίστου, ὑπέγραψα.
Ἀπολλώνιος, Ἐπίσκοπος Ἀθριβέως, ὑπέγραψα.
Πέτρος, Ἐπίσκοπος Θύσθεως, ὑπέγραψα.
Ἀρποκρᾶς, Ἐπίσκοπος Τάνεως, ὑπέγραψα.
Παῦλος, Ἐπίσκοπος Σεβεννυτῶν, ὑπέγραψα.
Ἀριστέλης, Ἐπίσκοπος Ἐχινατῶν, ὑπέγραψα.
Φώτιος, Ἐπίσκοπος Βαβυλώνος, ὑπέγραψα.
Ἀυγυστῖνος, Ἐπίσκοπος Νέας Μαρκιανῆς, ὑπέγραψα.
Γωάννης, Ἐπίσκοπος Νικοπόλεως Ἀρμενίας, ὑπέγραψα.
Ἰουλιανὸς, Ἐπίσκοπος Κώου, ὑπέγραψα.
Σαββάτιος, Ἐπίσκοπος Ἀγχιάλου, ὑπέγραψα.
Στρατοκλῆς, Ἐπίσκοπος Προκοννήσου, ὑπέγραψα.
Γωάννης, Ἐπίσκοπος Τραιανουπόλεως, ὑπέγραψα.
Μάξιμος, Ἐπίσκοπος Λιβύης, ὑπέγραψα.
Θεοδόσιος, Ἐπίσκοπος Τραϊανουπόλεως, ὑπέγραψα.
Μαρῖνος, Ἐπίσκοπος Ἐπιφανείας, ὑπέγραψα.
Βασίλειος, Ἐπίσκοπος Ἀλεξανδρείας, ὑπέγραψα.
Γωάννης, Ἐπίσκοπος Γερμανικείας, ὑπέγραψα.
Ἴνδιμος, Ἐπίσκοπος Εἰρηνουπόλεως, ὑπέγραψα.
Τιμόθεος, Ἐπίσκοπος Δολίχης, ὑπέγραψα.
Φορτηϊανὸς, Ἐπίσκοπος Σαγαλασσῦ, ὑπέγραψα.
Δομιτιανὸς, Ἐπίσκοπος Μαρωνείας, ὑπέγραψα.
Γοβῖνος, Ἐπίσκοπος Διβιλτοῦ, ὑπέγραψα.

Hæc ad complementum Epiſtolæ Encyclicæ Gennadii Patriarchæ Conſtantinopolitani, ex libro 8. *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis.* Mortuus autem Gennadius anno Chriſti 471. cum inſigni probitatis fama, cujus miracula & virtutes pluribus perſequitur Nicephorus Calliſtus lib. 15. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* capp. 22. & 23. de quo Poſſevinus in *Apparatu Sacro* tomo 1. verbo *Gennadius.* Guillelmus Cavus in *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo V. ad annum 458. pag. 359. Petrus Lambecius tomo 8. *Bibliothecæ cæſaræ* pag. 420. & 434. in diſcuſſione Manuſcriptorum Codicum Hiſtoricorum Græcorum XLIV & XLV. Atque in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 553. & 576.

VICTOR CARTENNÆ IN AFRICA EPISCOPVS, claruit circa annum 460. de quo ita Gennadius in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 77. « Victor Cartennæ Mauritaniæ civitatis Epiſcopus, ſcripſit *adverſus Arianos librum* unum & longum, quem Geiſerico Regi« Vandalorum per ſuos audiendum obtulit, ſi-« cut ex proëmio libri ipſius didici. Scripſit &« *de pœnitentia publica librum*, in quo & regulam« vivendi pœnitentibus, juxta Scripturarum au-« thoritatem ſtatuit. *Et ad Baſilium quendam« ſuper mortem filii conſolatorium libellum*, ſpe re-« ſurrectionis perfecta inſtructione munitum.« *Homilias* etiam compoſuit *multas*, quas a fratri-« bus propriæ ſalutis ſollicitis, in libris digeſtas« ſervari cognovi.» Habetur liber *de pœnitentia* tom. ſeu vol. 2. ad calcem Operum ſancti Ambroſii, in editionibus multis, cujus initium: *Pœnitentiæ officia & merita narraturus frater cariſſime, puto mihi non verbis opus eſſe, ſed factis* &c. Hunc libellum cenſuit Labbeus tribuendum eſſe potius Victori Tunnonenſi in Africa Epiſcopo, in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tomo 1. verbo *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus*: cui ex Jacobi Sirmondi teſtimonio, in MSS. Codicibus S. Mariæ Remenſis, & Abbatiæ Herivallenſis adſcriptus eſt. Idem cenſet Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus*, ſeculo IV. tomo VII. pag. 604. quamvis mea quidem ſententia hi MSS. Codices contra Gennadii authoritatem non valeant. Item *liber de conſolatione in adverſis ad Baſilium*, inter Opera ſancti Baſilii Magni tomo 3. pag. 613. ultimæ editionis Pariſienſis anni 1638. quod nullus adnotavit. Adſcripſerunt enim Baſilio, quem ad Baſilium ſcriptum eſſe conſtat, ex allato Gennadio. Incipit, *quemadmodum navis cum undarum tempeſtate quaſſatur &c.* Opus iſtud editum *primo* Pariſiis circa annum 1520. in 12. apud Claudium Chevallon, cum Operibus *ſancti Eucherii Lugdunenſis Epiſcopi* ex MS. Codice antiquo, ut narrat editor, nulla facta mentione alicujus interpretis: unde liquet eſſe authoris Latini, non Græci: ad Baſilium Victoris Africani, non Baſilii Græci & Cappadocis, ad aliquem alium. De Victore Cartennenſi Epiſcopo Bellarminus & Labbeus in libro, *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Poſſevinus in *Apparatu Sacro*, Aubertus Miræus in Scholiis ad cap. 77. Gennadii *de viris illuſtribus.* Guillelmus Cavus in

Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum ſeculo V. ad annum 460. pag. 360.

460. ARNOBIVS JVNIOR, quantum conjicere fas eſt, Gallus fuit, offerens *Commentarios ſuos in Pſalterium* duobus Epiſcopis Gallis, Leontio nimirum Arelatenſi Epiſcopo & Ruſtico Narbonenſi Epiſcopo, circa annum Chriſti 460. vel 461. quo cathedræ Arelatenſi recens præerat Leontius, & ſenex jam, Narbonenſi Ruſticus. Nullum ſane indicium, quod Afer fuerit hujus Commentarii author, imo eum fuiſſe Gallum conjecturæ plures ſunt, licet inde magnum haud honorem ſibi Gallia noſtra vendicatura ſit, ob latinitatem hujus Operis barbaram & inſulſam, affectatumque Grammaticarum legum deſpectum. Prodiit hic *Commentarius in Pſalmos Davidis CL.* Arnobio Afro male adſcriptus, Baſileæ ſeorſim ab Eraſmo anno 1522. deinde Coloniæ anno 1531. in 8. editus, emendatus denique a Laurentio de la Barre, Pariſiis 1639. *Admonitiones* quoque *ad quædam loca Evangeliſtarum*, quæ editæ habentur Baſileæ 1543. in 8. & a Schotto recognitæ Pariſiis 1639. Quantum vero ad *Altercationem inter Arnobium & Scipionem*, ſeu *conflictum Catholici, de Deo trino & uno, de duabus in Chriſto ſubſtantiis in unitate perſonæ, de gratia ac liberi arbitrii concordia*: allegabitur quoque Opuſculum illud infra ad annum 480. verbo *Vigilius Tapſenſis*, quem referre parentem opinatus ſum. Cujus meæ opinionis rationes cum ob compendii rationem, in *Supplemento Bellarmini de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, non adjecerim: Guillelmus Cavus ea de re obſtupuiſſe videtur, in *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo V. ad annum 461. pag. 360. eo quod ſub Arnobii nomine ante annos octingentos ab Alcuino citatus ſit. Verum ſtraminea objectio iſta eſt. Nam ſi Alcuinus hanc *Altercationem* ſub Arnobii nomine allegavit, hoc intellexit non de *Arnobio juniore & Gallo* nulli tunc noto, ſed de *Arnobio Afro & ſeniore*, de quo Hieronymus tum in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 79. in Epiſtola ad Paulinum & Tranquillinum, tum in *Chronico*, ad annum CCCXXVII. Authoritas ergo Alcuini, nihil facit ut hæc *Altercatio* attribui poſſit *Arnobio Juniori & Gallo*, de quo ne ſomniavit quidem Alcuinus: qui quemadmodum alii, unum duntaxat agnovit *Arnobium Seniorem & Afrum*, cui *Altercatio* iſta nequaquam tamen adſcribi poteſt: ſicut nec *Arnobio juniori & Gallo*, ut poſtea contra Cavum oſtendemus.

Scriptor iſte a nonnullis perperam aſſeritur vixiſſe ante controverſias *de prædeſtinatione* exortas, & hic in Pſalmos Commentarius, Arnobio ſeniore peſſime attribuitur, de quo S. Hieronymus in Chronico ad annum CCCXXVII. Ado in Chronico, in *Diocletiano*. Onuphrius an. 298. Baronius an. 302. num. 64. 65. 66. Bellarminus libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ſeculo 3. an. 235. Etenim hæreſcos Prædeſtinatianorum expreſſam fecit mentionem, quæ vel gratis a Semipelagianis poſt divi Auguſtini anno 430. defuncti mortem, contra Auguſtinianæ doctrinæ diſcipulos, conficta eſt: vel vere a nonnullis ejus libris male intellectis prodiit: qua de re hic diſputandi locus non eſt. Ita autem in Pſalmum 108. ſcribit. *Non ex arbitrio evenisse ut nollet, propter hæreſim quæ dicit Deum alios prædeſtinaſſe ad benedictionem, alios ad maledictionem.* Hic porro Arnobius Gallus non obſcure ſe Semipelagianum prodit, nam in Pſalmum 90. ubi plura dixit, quæ expendere non vacat, addit: *latus ſiniſtrum quod voluit nominare, liberum arbitrium eſt, contra quod minor pugna laxatur. In dextra autem Dei auxilium eſt, & ideo prius nominavit latus, quia IN ARBITRIO EST VT CREDAS PRIVS: ut dum credideris, GRATIAM CONSEQVARIS.* Tendit in eandem Semipelagianismi novitatem, quod ſcribit in Pſalmum 93. *Beatus homo eſt, quem hoc ipſum erudierit Dominus, NON ELIGENDO NEGLIGENTEM: ſed legem ſuam docendo CREDENTEM.* Denique in Pſalmum 146. « Objicitur hoc loco, nos hoc ita dicere, ut videamur hominibus voluntatem oſtendere, quod Dei gratiam antecedat. Vigilanter age, & non calumnioſe, & vides gratiam Dei generalem ſuper omne hominum efſuſum genus. Omnes antecedit gratia, multiplici largitate diffuſa. Deſcendit de cœlo Deus, homine non volente: docuit exemplo & verbo, homine non rogante; ſigna multa & virtutes ad ſe manifeſtandum exercuit, homine etiam prohibente; mortalitatem noſtram ſuſcepit, homine ignorante: irriſus, crucifixus, inter homicidas mortuus, ſepultus, reſurrexit, & in cœlos aſcendit. Hæc omnia ad hominis ſalutem, ad hominis liberationem, ad hominis redemptionem, ad hominis coronam, ad hominis gloriam exercuit Chriſtus. Nota tibi calumnioſe, quod dico ad hominis ſalutem non volentis, neque currentis. Quid eſt ergo, quod legimus? Oſtendimus tibi PRÆDESTINATE quod loquor, omnium generaliter bonam voluntatem Chriſti. Gratia hoc ordine quo diximus, antecedit: ſi tamen pro omnibus paſſus, ſi pro omnibus natus, ſi non negas pro omnibus mortuum, ſi cum Apoſtolo aſſeris, quod omnes homines vult ſalvos fieri. Age nunc, tolle te a generali gratia, ad ſpecialem accede, & ſimiliter cum Apoſtolo clama: Non omnis generaliter homo ſalvus erit, ſed omnis homo quicunque invocaverit nomen Domini, hic ſalvus erit. Vade ergo ad officinam Medici, qui ultro venit ad civitatem noſtram. Non utique nobis rogantibus, omnibus nobis Medicus ſupervenit, officinam aperuit, & vocem emiſit, qua ac ſi præco exclamans dixit: *Venite ad me omnes.* Jam modo poſt hanc vocem, antecedit voluntas gratiam: *Si enim volueritis* (inquit) *& audieritis me, quæ bona ſunt terræ, comedetis: Si autem nolueritis, gladius vos comedet.* Sicut ergo antecedit gratia voluntatem hominis, in oſtenſione ſui & in adaper-

„adapertione veritatis, ita antecedit voluntas „hominis Dei gratiam. Non enim prius baptizaris, & sic velle incipis credere: sed prius voluntatem tuam perfectam exhibes Sacerdoti, „& confessionem tuam tuis labris pandis, & ita „demum ad Dei gratiam, ut consequaris, attinges. Quam consequutus confiteberis, quia „omnia Dei dona credendo & desiderando, con„secutus es.„ Hinc Vossius libro 1. *Historiæ Pelagianæ* cap. 11. ait, alibi poni ab Arnobio generalem gratiam omnem voluntatis actum antecedentem, deinde ipsum bonum actum voluntatis, tandem gratiam quæ hæc consequatur, quam nostri Theologi justificantem dicunt. Ita sane Arnobius: *Objicitur hoc loco*, inquit, *nos hoc ita dicere, ut videamur hominis voluntatem offendere, quod Dei gratiam antecedat.* Nolebant enim Semipelagiani isti homines, videri in hac esse sententia quæ superbiam oleret maximam, quasi priores ipsi operarentur ea quæ ad salutem spectant: quod tamen post S. Augustinum, ejus discipuli acerrime contra ipsos urgebant. Imo per calumniam hoc sibi imponi respondebant, cum reapse assererent a divina gratia humanam voluntatem semper in negotio salutis præveniri. Quid porro sunt istæ omnes gratiæ quas admittit Arnobius? Nisi quædam fidelibus atque infidelibus extrinseca & communis gratia, cujus pallio vel ipsius divinæ gratiæ hostis Pelagius hæresim suam obducere voluit: dum in lege, exemplo & doctrina Christi gratiam collocavit, contra quem toto conatu sanctus Augustinus in libro *de gratia Christi* a cap. 10. decertat. Præter enim illa extrinseca Dei beneficia, asserenda est gratia intus excitans, qua ad credendum legi, exemplis, ac miraculis moveamur. Eo enim pacto Faustus excitari a divina gratia hominis arbitrium fatebatur, sed illa gratia erat tantum extrinseca, ex Pelagiana officina asportata. Hæc sunt verba Fausti lib. 1. *De gratia & libero arbitrio* cap. 27. *Quid est autem attribere, nisi prædicare, nisi Scripturarum consolationibus excitare, increpationibus deterrere, desideranda proponere, intentare metuenda, judicium comminari, præmium polliceri?* Qua non obstante gratia externa ac generali præcedente, volebat Faustus, volebant & Semipelagiani *initium nostræ fidei & salutis* pendere a nobis, atque internam Dei gratiam præcedere: unde idem Faustus lib. 2. cap. 8. ait, *Vides quia non tribuitur munus salutis, nisi prius interrogetur desiderium voluntatis: sed & cum venerit ad baptismum, prius accedentis voluntas requiritur, ut regenerantis gratia subsequatur: & in centurione Cornelio, quia præcessit voluntas gratiam, ideo prævenit & gratia regenerationem.* Purissime igitur fuisse Semipelagianum Arnobium Gallum, inde colligo, ex allegatis ipsius & Fausti verbis. 1. Nullam aliam præponit initio nostræ salutis & fidei gratiam, quam communem illam & externam *Incarnationis, redemptionis, prædicationis, doctrina & miraculorum:* uti & Semipelagianus apertissimus, Faustus. 2. Arnobius & Faustus, uterque utitur illa Baptismi ceremonia, qua infantis voluntas prius requiritur, quam Baptismi gratia conferatur: ut inde probent, *initium nostræ salutis & fidei* esse ex libero humanæ voluntatis arbitrio, quam gratia pedisequa subsequatur. 3. Arnobius supra, utitur comparatione medici ad ægrotum non venientis, dum ad civitatem aliquam venerit: nisi prius ægrotus velit & advocet: ut inde etiam inferat *initium fidei & conversionis nostræ*, postquam Christus per Incarnationem in hujus orbis civitatem venerit, esse a nobis: qui hunc medicum in civitate positum volumus, desideramus, appellamus. Qua comparatione ut optima ad Semipelagianismum stabiliendum, utebantur communiter Semipelagiani, ut supra diximus in Dissertatione *de Scriptis Pseudo-Eusebio Emiseno Episcopo attributis.* Hæc fusius de isto Arnobio annotata, ut palam fiat, hujus seculi Scriptores qui adversus Prædestinatos se stare profitebantur: puros putos fuisse Semipelagianos, qui Divi Augustini defensores invidioso Prædestinatianorum nomine traducebant. Hæc Henricus de Noris *Historiæ Pelagianæ* lib. 2. cap. 15. pag. 284.

Hinc autem evidenter infero, falsam esse Francisci Fevardentii & aliorum sententiam, qui ejusdem Arnobii junioris censent esse *Altercationem* seu *Conflictum cum Sempione* de quo supra, quem nos Vigilio Tapsensi adscripsimus. Jam supra dictum est, spectare non potuisse ad Arnobium seniorem & Afrum, cui tamen ab Alcuino ante annos amplius octingentos attributum est. Sed neque etiam spectare potest ad Arnobium Juniorem & Gallum, ob rationem hanc. Certum namque est Arnobium hunc, ut probatum est, fuisse Semipelagianum, ac consequenter doctrinæ divi Augustini quam isti homines fugillabant, adversarium. At e contra scriptor *Altercationis* seu *Conflictus inter Sempionem & Arnobium*, doctrinam divi Augustini in omnibus amplectitur, eandemque *ut Apostolica scripta credendam, tenendam ac defendendam censet:* quod Semipelagianis e diametro oppositum est. Audiamus virum. *Sempio dixit, Fateor me ejus (Augustini) assertiones ita probatas habere, ut seipsum ore suo hereticum detegat, qui Augustinum putaverit in aliquo reprehendendum eloquio. Arnobius dixit, meo sensu locutus es: nam ea quæ ejus nunc profero, ac si sacratissima Apostolorum scripta, sic credo, & teneo, & defendo.* Interrogo quoscunq; vel tantillam de Semipelagianis notitiam habentes, an Arnobius Gallus aperte Semipelagianus, ut paragrapho præcedente hanc ob causam probatum est, ita de Augustini doctrina loqui potuerit? Hoc quidem Opus ex conjecturis tantum sed vanis, asseruit Arnobio juniori Franciscus Fevardentius, quod ab aliis Arnobio seniori attributum, non conveniebat. Multo autem minus ob doctrinæ repugnantiam, Arnobio juniori convenire potest, quem Semipelagianum fuisse evicimus: cum

ſcriptor e contra hujus Conflictus, ſtrenuum ſe Auguſtinianæ doctrinæ in omnibus alumnum & defenſorem fateatur. Opus iſtud in MSS. Codicibus interdum Auguſtino attributum, in plerisque anonymum, *Arnobio* attributum ex conjectura eſt, quod ſit Dialogus inter *Serapionem & Arnobium.* Quod cum Veteres Arnobio ſeniori & Afro, ut Alcuinus, adſcripſiſſent, cui tamen convenire non poterat: Fevardentio placuit tandem, adſcribere juniori & Gallo, ſucceſſu prorſus infelici. Quam enim immane differat ab Arnobii Galli Semipelagiani doctrina, unico hoc allegato conſtat argumento. Non ita locutus eſt Gennadius Maſſilienſis Presbyter & Semipelagianus, in libro *de viris illuſtribus*, ubi Auguſtinum Scriptoribus accenſet, quem in multiloquio deliquiſſe accuſat: Sed quem e contra author *Conflictus inter Serapionem & Arnobium*, in omnibus, tenendum & defendendum cum Serapione cenſet. Hæc pluribus contra mentem Franciſci Fevardentii, quem cæco impetu ſecutus eſt Cavus in *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo V. ad annum 461. pag. 360.

Cur ſane hanc *Altercationem* ſeu *Conflictum Arnobii Catholici & Serapionis* in formam Dialogi conſcriptum, Vigilio Tapſenſi adſcripſerim, obſtupeſcere non debuiſſet Cavus loco citato, ſi tantisper mentem occupaſſet volvendis tractatibus atque Dialogis, qui ſub alienis nominibus a Vigilio Tapſenſi Epiſcopo conſcripti ſunt. Hæc *Altercatio* ſeu *Conflictus* tantum depingendus eſt, ut videatur, quam ſimilis ſit *Dialogis contra Arium*, atque aliis *contra Arium*, *Sabellium & Photinum*, quos confinxit Vigilius Tapſenſis. *Altercatio* igitur iſta, ſeu *Conflictus* & *Dialogus* eſt *de Deo uno & trino, de duabus in Chriſto ſubſtantiis in unitate perſonæ, de gratia & libero arbitrii concordia:* inter Serapionem Ægyptium Epiſcopum anno circiter 330. clarum & Arnobium ſeniorem quidem illum & Afrum, de quo Hieronymus in Chronico ad annum 327. Non juniorem & Gallum, longe remotum a temporibus Serapionis Ægyptii. Arnobius & Serapion alter poſt alterum loquuntur, Arnobius pro Romanis, Serapion pro Ægyptiis, electis duobus judicibus, Decio Conſtantio a parte Catholica, Ammonio a parte Ægyptiorum. Serapion diſputationem orditur, velut ambigens de orthodoxia Arnobii. Sic autem perpetuo colloquuntur, *Serapion dixit &c. Arnobius dixit &c. Conſtantius & Ammonius judices electi dixerunt &c.* Hoc poſito adeat Opuſcula Vigilii Tapſenſis Epiſcopi ſub larvatis Athanaſii atque Arii perſonis jam conſcripta, atque nullo labore eundem utriusque Operis Authorem agnoſcet. Dialogus primus inſcribitur, *Altercatio Athanaſii atque Arii, coram Probo judice*, lib. 2. facta duobus diebus ſequentibus, quemadmodum legimus de *Altercatione inter Serapionem & Arnobium*, ſupra *Arius & Athanaſius dixerunt &c.* vel *Arius dixit &c. Athanaſius dixit &c. Probus judex dixit &c.* Idem quoque dicendum de *Vigilii Tapſenſis Epiſcopi adverſus Arianos, Sabellianos & Photinianos Dialogo libris III. conſcripto*, eadem forma, phraſi: ut lectione vel potius inſpectione ſimplici opus ſit, ad agnoſcendum unum eundemque authorem eſſe Dialogorum iſtorum qui ſub nomine Vigilii Tapſitani circumferuntur: atque *Dialogi* ſeu *Altercationis inter Serapionem Ægyptium & Arnobium Afrum.* Adde ut jam ſupra diximus, nec Arnobium ſeniorem & Afrum, nec juniorem & Gallum, ullatenus eſſe authores hujus Altercationis.

Agunt de ſcriptis Arnobii junioris & Galli Franciſcus Fevardent, qui ejus Opera edidit Coloniæ anno 1595. unde in Bibliothecam Veterum Patrum tranſierunt. Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, uterque in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis.* Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica capitibus* ſeculo V. tom. 1. cap. 4. pag. 639. Arnobium Gallum pronuntians, contra Sixtum Senenſem, qui eum Africanum credidit. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo V. ad annum 461. pag. 360. qui omnes decipiuntur, dum *Altercationem* ſeu *Conflictum Serapionis & Arnobii*, Arnobio ſive ſeniori, ſive juniori & Gallo attribuunt.

460. PAVLINVS PETRICORDIVS, ſeu potius Petracoricenſis floruit circa annum 460. & ulterius, cujus habemus *Libros ſex carmine heroico, ſcriptos ad Perpetuum Turonenſem Archiepiſcopum, de vita ſancti Martini ejuſdem urbis Epiſcopi.* Iſtud enim Opus ſuum dicavit Perpetuo Turonenſi Archiepiſcopo, qui variis Conciliis vel præfuit vel interfuit. Præfuit Concilio Turonenſi primo, anno 461. quo in ſedis hujus Antiſtitem electus eſt, tum anno 465. Concilio Venetico interfuiſſe & ſubſcripſiſſe legitur. Anno 482. extructa ſupra ſancti Martini ſepulchrum Baſilica admodum ſplendida & magnifica, Epiſcopos Provinciales ad Encænia illius celebranda coegit, functus fatis anno 490. vel 491. Ex temporibus ergo Perpetui Turonenſis Archiepiſcopi, qui ab anno 461. ad 491. ſedem hanc obtinuit, conjicimus recte Paulini hujus Petracoricenſis ætatem, qui annis circiter 30. vel 40. floruit poſt mortem ſancti Paulini Nolani Epiſcopi. Ita volunt MSS. Exemplaria Vaticanum & Corbejenſe, de quibus Sirmondus in eruditis ſuis ad Sidonium Apollinarem notis. Hi autem Paulini Petracorienſis ſex libri *de Vita ſancti Martini Turonenſis Archiepiſcopi*, aliud nihil ſunt attente legenti, quam quæ Sulpitius Severus venuſta & eleganti proſa excepit, rudi atque incompto carmine, paucis obtruncatis, reddita. Opus autem iſtud ex errore vetuſtiſſimo, Paulino Nolano Epiſcopo adjudicatum eſt, editumque tum in antiquis editionibus *Bibliothecæ Veterum Patrum*, Pariſienſibus 1575. & 1589. tum tomo 8. editionis Colonienſis anni 1618. atque in pluribus aliis Poëtarum Collec-

tioni-

ctionibus cum Versibus *de visitatione nepotuli sui*, & brevi Opusculo *de omnibus*. Paulino tandem Petracoricensi restitutum, seorsim a Christiano Daumio Lipsiæ anno 1681. in 8. editum, una cum Francisci Juveti Commentariis, Casparis Barthii animadversionibus, Joan Francisci Gronovii notis, atque Spicilegio Notarum dicti Daumii. Vnde ita inscriptum, transiit in Bibliothecam Patrum ultimæ editionis Lugdunensis Anissenianæ anni 1677. tomo 6. pag. 297. Plura apud Philippum Labbeum in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* verbo *Paulinus Nolanus* tomo 2. pag. 165. Aubertus Miræus in *Bibliotheca Ecclesiastica* scholio ad caput 48. Gennadii *de Viris illustribus*. Bellarminus *observatione secunda* ad Opera sancti Paulini Nolani. Joannes Baptista le Brun novissimus editor Operum *sancti Paulini Nolani*, Parisiis in 4. 1684. apud Edmundum Couterot. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo V. ad annum 461. pag. 361. *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno 1682. mense Aprili pag. 127.

470 SANCTVS REMIGIVS REMENSIS ARCHIEPISCOPVS, Francorum merito ob Clodovæum ad Christianam fidem conversum Apostolus appellatus: quod contigit anno Regni Clodovæi XV. post Victoriam Alamannicam, id est, juxta æram nostram anno Christi desinente CCCCXCVI. In natali enim Domini, exeunte anno ipsum baptizatum fuisse, Alcimus Avitus Viennensis Episcopus testatur, in Epistola ad Clodovæum ipsum data, quam Sirmondus tomo 1. Conciliorum Galliæ, publici juris fecit. Sigebertus vero Gemblacensis, triennio serius, id est anno CCCCIC. Baptismum Clodovæi statuit: sed more suo (omnia enim triennii fere spatio serius enarrare solet, quam gesta sint) ut in Chronico Belgico Aubertus Miræus annotavit. Cæterum anno CCCCLXXI. Remensem sedem Remig. adiit, duos & viginti annos tantum natus, ut præter Hincmarum in Vita S. Remigii apud Surium ad diem 13. Januarii, Flodoardus in Historia Remensi lib. 1. capp. 11. & 18. asserit. Assumptum eum ad Ecclesiam Remensem administrandam anno CCCCLIX. scribit Carolus le Cojute in *Annalibus Francicis* tomo 1. pag. 117. In Epistola quam ad tres Episcopos anno 523. in Conciliis designata scripsit, quæ extat tomo 1. Conciliorum Galliæ, & inter Concilia Lupareæ editionis anni 1644. atque Labbeanæ anni 1671. ad annum 523. testatur se jam annis quinquaginta tribus gessisse Episcopatum. Idem porro ad superos transiit anno 534. vel 535. siquidem hoc ipso anno Flavius Remorum Archiepiscopus Concilio Aruernensi subscripsit. Falso ergo Hincmarus & Flodoardus referunt, illum annis septuaginta quatuor sedisse, & annis nonaginta sex vixisse. Porro si Remigius ante annum 535 mortuus est, ut certo constat; & habuit annos nonaginta sex quando mortuus est, ut tradunt citati Hincmarus & Flodoardus locis citatis: posito quod allata sancti Remigii Epistola ad tres Episcopos, spectet ad an. 523. cui assignata est: ex hoc sequitur, Remigium factum esse Episcopum Remensem anno tantum 470. cum in ea diserte dicat se jam ab annis 53. gessisse Episcopatum. Quibus si XII. annos, ad annum nempe 535. addideris, erunt anni Episcopatus 65. non autem 74. ut supputat Cavus. Quem si juxta Flodoardum & Hincmarum supponas obiisse anno ætatis suæ 96, continget Remigium non anno ætatis 22. electum fuisse Episcopum Remensem, quod contra Canones: sed anno ætatis 31. cui si adjungentes 65. Episcopatus annos, mortuus erit anno ætatis suæ 96. Christi autem 535. Hinc puras puta phantasias Hincmari & Flodoardi, dum scribunt S. Remigium electum Remensem Archiepiscopum anno ætatis suæ 22. ut jam mentiuntur in assignandis ejus Episcopatus annis. Dum autem commiscuntur insolita ejusmodi ad sancti Remigii commendationem, quem volunt attollere deprimunt, quem elevant elidunt: dum contra Canones electum atque ordinatum statuunt, quem Canonum fuisse tenacissimum credere est.

Habemus paucas & breves *S. Remigii Remensis Episcopi Epistolas, ad Hormisdam Papam, ad Clodovæum Regem & alios scriptas*, quæ extant tomo 2. Conciliorum Galliæ, editionis Jacobi Sirmondi in fol. Parisiis anno 1629. apud Sebastianum Cramoisy. In editione Conciliorum Luparea Regia, anni 1644. denique in Collectione ultima Conciliorum editionis Parisiensis anni 1671. quam eruditi viri Philippus Labbeus & Gabriel Cossartius Societatis Jesu XVII. voluminibus in folio procurarunt. Sidonius etiam Apollinaris lib. 9. Epistola 7. ad Remigium data, *Declamationes* seu *Orationes* ejus a doctrina atque eloquentia mirifice commendati quæ tamen (quod dolendum) nullæ ad nos pervenerunt. Nec recens hæc jactura est, cum Hincmarus & Flodoardus eas penitus ignorasse videantur. Joannes Baptista Villalpandus Soc. Jesu Theologus haud contemnendus, Romæ anno primum 1598. edendas curavit *Remigii Remensis nomine Explanationes Epistolarum sancti Pauli*, ex MS. Codice Bibliothecæ sanctæ Cæciliæ in Vrbe: quæ postea etiam in 4. Moguntiæ anno 1614. sub nomine ejusdem Remigii Remensis Archiepiscopi recusæ sunt. Has jam Critici nasutiores tam Reformati quam Pontificii etiam, Remigio Lugdunensi, vel alteri Antissiodorensi tribuendas censent. Plurima de his Labbeus tomo 2. de Scriptoribus Ecclesiasticis, verbo *Remigius Antissiodorensis* pag. 285. ubi & sequentibus demonstrative probat, spectare eas non posse ad Remigium Remensem. In multis sane Bibliothecarum MSS. Codicibus, sexcentorum & ultra annorum antiquis, habentur sub nomine Haimonis Episcopi Halberstatensis, sub

quo etiam Parisiis in 8. anno 1556. impressæ sunt, annis XLII. antequam ederentur Romæ sub nomine Remigii Remensis Archiepiscopi. Adde *secundo* stilum aliis Haimonis Halberst. Episcopi Commentariis esse simillimum, ut guttæ gutta similior non sit: quod Critici etiam rigidissimi agnoscunt. *Tertio*, jam Fulberti Carnotensis Episcopi tempore, vix elapsis centum ab obitu Remigii Antissiodorensis annis, eidem Haimoni tribuebantur, ut patet ex pagina 169. editionis Parisiensis, a Carolo Villerio anno 1608. procuratæ. *Quarto* denique agendi ratio in ejusmodi Commentariis qui ex variis auctoribus antiquiorum consarcinati sunt, ad seculum 9. spectet: quod optime quadrat in Haimonem Halberstatensem, vel etiam in Remigium Lugdunensem & Antissiodorensem, quibus etiam attribuuntur a nonnullis: nequaquam autem in Remensem.

„*Testamentum sancti Remigii Remensis* ediderunt Philippus Labbeus Soc. Jesu, ac post eum „Carolus le Cointe in *Annalibus Ecclesiasticis Francorum*, quod antea extabat in *Historia Flodoardi* „lib. 1. cap. 18. sed tot interpolationibus auctum, „quæ nec tempora nec genium Remigii sapiunt, ut plerisque suspectum videretur.„ Hæc natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus* seculo 6. cap. 4. art. 3. pag. 132. ubi & sequentia adjicit. „Sincerum illud sancti Remigii Testamentum, quod brevius vocat, de„scribit Dominus Guillelmus Marlotus *Historiæ Metropolis Remensis* tomo 1. lib. 2. cap. 11. ex Ma„nuscriptis Codicibus Abbatiarum sancti Remigii, Nicasii, & sancti Theodorici prope Re„mos. Prolixius illud vocat, quod a Flodoar„do refertur, vel a recentioribus *Historiæ* ejus „assutum est, & pro breviori suppositum. Pro„lixius illud Pseudepigraphum esse, viri ut plu„rimum eruditi, his adducti rationibus, asserunt, „1. Quod Hincmarus qui sancti Remigii vitam „ex Ecclesiæ suæ monumentis conscripsit, illud „ignoraverit, solumque brevius Operi suo sub„jecerit, ut ex MSS. evidens est: nec unquam „prolixioris Testamenti authoritate usus sit, ubi „se occasio obtulit. 2. Quod in eo vocabula „quædam sint, sancti Remigii ætate minime usi„tata, imo prorsus incognita: ut *Austria & Neu„stria* nomina, ad illas significandas regiones, „quæ his postea tantum vocabulis appellatæ sunt. Item vox *Archiepiscopi*. 3. Quod Clo„dovæus in Regem ordinatus dicatur a sancto„ Remigio per sacri Chrismatis unctionem: cum„ tamen a Remigio unctus non sit ut Rex fieret,„ (quippe qui tunc decimum quintum Regni„ annum agebat) sed ut Christianus esset. Ac„ certe si unctus in Regem Clodovæus tunc„ fuisset, tam insolitæ ac sacræ inaugurationis ri„tum, ejus posteri non neglexissent. Neminem„ tamen leginus ex Regibus primæ stirpis un„ctum. 4. Quod in prolixiori illo Testamen„to, multa suggeret Remigius de increpando„ Rege ab Ecclesia Remensi, si a Religione defle„xerit, aut Ecclesiæ bona invaserit: de convo„candis Galliarum Archiepiscopis, de segrega„tione a corpore Christi: quæ omnia ab ho„rum temporum Disciplina & moribus abhor„rent, olentque recentiores Romanæ Ecclesiæ„ rescriptorum formulas. Tunc temporis ve„ro Metropolitæ æquales inter se erant, nec ulli„ jus erat alios convocandi, nisi Sedis Apostolicæ„ Vicarius & Primas illorum esset constitutus.„ Quod licet sancto Remigio privilegium ab A„postolica sede collatum sit, ad ejus tamen suc„cessores, ut inferius probabimus, transmissum„ non est. Prolixius tamen Testamentum a„ Flodoardo descriptum, vel ut probabilius est,„ ipsius Historiæ assutum, laudatus supra *Marlo„tus* tueri satagit: & hisce gravissimis rationi„bus utcunque respondet. Legant quibus per„otium licet, deque ejus sententia judicium fe„rant.„ Hæc ille verbotenus, licet utrumque & *brevius & prolixius* mihi suspectum suppositionis sit, utrumque apud doctissimos viros commentitium.

Agunt pluribus *de sancto Remigio Remensi Episcopo*, Hincmarus in ejus Vita apud Surium ad diem XIII. Januarii. Flodoardus lib. 1. *Historiæ Remensis*, cap. 11. Guillelmus Marlotus, in *Historia Metropolis Remensis* tomo 1. passim de Scriptis ejus, Sidonius Apollinaris lib. 9. Epistola 7. ad ipsum Remigium. Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 2. verbo *Remigius Antissiodorensis*, quo loco Haimoni Halberstatensi adjudicat, quæ Villalpandus Remigio Remensi perperam adscripserat. Guillelmus Cavus in *Historia literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo V. ad annum 471. pag. 363.

DISSERTATIO
DE
VITA, SCRIPTIS, ET DOCTRINA FAVSTI, ABBATIS PRIMVM LERINENSIS, TVM POSTEA REGIENSIS IN GALLIA EPISCOPI.

470. FAustus Lerinensis primum Monachus, & Abbas, postea Regii in Gallia Episcopus, multos Augustino scriptis suis hostes peperit: de quo sancti Doctoris adversario, hoc unicum, quod huic Dissertationi locum dedit, præmittimus. Plurima autem de illo a variis Scripto-

Scriptoribus, quæ falsissima & absurdissima sunt, dicta esse, quæ uti dissona, minus diligenter ab aliis observata sunt. Inter cæteros Baronius ad annum 490. plura de Fausto congerit, quæ suis quoad fieri poterit, temporibus assignabimus. Illic merito à Baronio aliisque eruditis insulsi quidam exsufflantur, qui eum Monachis Benedictinis adscripserant, & D. Benedicti discipulum fuisse commenti sunt: qui tamen ad Episcopatum provectus erat, antequam S. Benedictus nasceretur. Scriptoribus ejusmodi inaccuratis, inter Faustum Regiensem Episcopum, & Faustum Divi Benedicti monachum & discipulum, non distinguentibus: hunc anno 470. illum anno 570. vel 580. florentem. Neque veriora sunt quæ Joannes Trithemius memorat, *Faustum quidem à beato Fulgentio Ruspensi Episcopo correctum atque emendatum, errores deposuisse pristinos, & contra eos edidisse librum* de gratia *prænotatū*. Ob tantos igitur tamq; enormes de Fausto Regiensi Episcopo calculos sparsos, tum quia etiam Opera ejus omnia insignibus curis ad MSS. Codices emendata speciali editioni parata habemus: hanc specialem Dissertationem iis præmittendam, ad justam annorum & munerum ipsius chronologiam, hic instituimus atque insequimur, ut lectoribus salivam moveamus.

CAPVT PRIMVM.

FAVSTI PATRIA, MONACHISMVS, PRÆLATVRA MONASTERII LERINENSIS.

FAustus ortu Britannus, nam S. Auitus Episcopus Viennensis, qui Fausto convixit in Epistola ad Gondobadum Regem Burgundiæ, Faustum ortu Britannum affirmat. Britannum quoque Sidonius Apollinaris Arvernorum Episcopus facit, qui supra cæteros Fausti cultor fuit, hæc ad eundem scribens Lib. 9. Epistola 9. *Legi volumina quæ Rischatus Antistes & Monachus, atque istius mundi bis peregrinus Britannis tuis pro te reportat.* At Facundus Hermianensis Episcopus in Epistola ad Mutianum Scholasticum *Faustum Gallum* appellat: unde dum Britannus dicitur, hoc accipiendum esse de *Britannis Galliæ* supra Ligerim, ut alibi loquitur: seu de Armoricis in Provincia Lugdunensi tertia, author est Sirmondus in *Notis* ad Facundum Hermianensem, quos modo *Britones* dicimus. Hinc corrigendus est doctissimus alioquin Henricus de Noris, Ordinis Eremitarum D. Augustini Lib. 2. *Historiæ Pelagianæ* cap. 11. pag. 242. dum Britannum Britanniæ majoris seu insulæ Anglicæ facit, affirmans Faustum fuisse ejusdem patriæ, cujus Pelagius: *Faustus eandem quam Pelagius habuit patriam, nempe Britanniam.* Atque ita mecum sentiunt post Sirmondum virum doctissimum, Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis, Bellarminus* tomo I. verbo *Faustus Reiensis* pag. 314. Sammarthani fratres in *Gallia Christiana* tomo 3. dum de *Regiensibus Episcopis* pag. 935. Vincentius Barralis in Chronologia Abbatiæ Lerinensis, cujus Faustus abbas extitit. Juventam optimis disciplinis dicavit, totum se præsertim Philosophiæ addixit, à cujus studio neque inter Lerinensis eremi squallores animum revocavit, quæ Fausto de Philosophia scribit idem Sidonius: *Hæc ab annis vestra jamdudum pedisequa primoribus, hæc tuo lateri comes inseparabilis, sive in palæstris exonveris urbanis, sive in abstrusis macerarere solitudinibus.* Quibus ex verbis, emensa Philosophia, forenses postea causas Faustum agitasse suspicor. Verum Honorati aliorumque Lerinensium Monachorum fama permotus, Deo arctius adhærendi desiderio fragrans, apud Lerinum Monasticam vitam professus: tanto virtutum omnium fulgore enituit, ut ibidem Abbatis Maximi successor esse meruerit. Vnde à Sidonio Apollinare coætaneo, magna celebratur laude lib. 9. Epist. 9. *Servat*, inquit, *consuetudinem suam tam facundia vestra quam pietas: animam male sibi conscium & per horas ad recordata pœnalis vitæ debita contremiscentem, frequentissimis tuis illis & valentissimis orationum, munerum suffragiis. Precum peritus Insulanarum, quæ de palæstra Congregationis Eremiticæ, & de senatu Lirinensium cellularum, in urbem quoque cujus Ecclesia sacra superinspicis, transtuliisti: nihil ob Abbatem mutatus per Sacerdotem, quippe cum novæ dignitatis obtentu, rigorem veteris disciplinæ non relaxaveris.*

Quo autem anno Faustus post Maximum præfecturam Lerinensem indeptus sit, non una virorum eruditorum sententia est. Pendet quæstio hæc ab anno quo S. Maximus ad Episcopatū Reiensem assumptus est: eodem etenim anno ac tempore Faustus ei successit in præfectura Lerinensis Abbatiæ. Baronius ad annum 441. num. X. ait Maximum electum Reiorum Episcopum post Prosperum, anno nempe 466. vnde hoc anno Faustus apud Lerinum, Maximo suffectus fuisset. Hæc tamen sententia extra veram chronologiam vagatur, nam S. Honoratus Massiliensis Episcopus in vita *S. Hilarii Arelatensis* cap. 5. de Hilario inquit: *In eodem loco tunc temporis S. Faustum Presbyterum pariter & Abbatem, in futurorum præscius honoravit, ut inter se & sanctos sacerdotes Theodorum & Maximum, medium compelleret residere.* Quando nimirum Hilarius morienti seni Capraſio, primo Lerinensis Insulæ Monacho adesse voluit. Cum vero Hilarius Arelatensis Episcopus certissime anno 449. decesserit: habemus ante hunc annum 449. & Maximum fuisse Reiensem Episcopum, & Faustum Lerinensem Abbatem, & consequenter ante annum 466. contra Cæsarem Baronium. Vsserius ad annum 429. Maximi Episcopatum statuit, eo ductus argumento, quod ex vetusto Codice Lerinensi, quem recitat Vincentius Barralis in Chronologia Abbatiæ Lerinensis: legatur, *Capraſium transisse ex hac vita die calendarum Juniarum, in sacra Lerinensi insula circa*

circa annos humanæ redemptionis triginta supra quadringentos, præsentibus Fausto, Theodoro, Maximo & Hilario. Ac Faustum tunc fuisse Abbatem, ex verbis ab Honorato Massilienſi recitatis, patet. Ita hic Scriptor ratiocinatur cap. 11. *Antiquitatum Britannicæ* pag. 243. Verum anonymus iste Author, qui sancti Caprasii vitam apud Surium & Barralem scripsit, meriti nullius est, qui longe post ista tempora vixisse inde constat. Nam usus *Epochæ nativitatis Christi* quam adhibet, nondum id temporis invaluerat: imo & ante seculum nonum vix invaluit qui præterea satis se fuisse simplicem prodit. Sed Caprasium vixisse ultra annum 430, mihi certum est isto argumento: Hilarius una cum Maximo Episcopo Regiensi & Theodoro Forojulienſi Antistite, morienti Caprasio adfuit. Atqui Maximus ut proxime ostendam, anno tantum 433. Regiensem sedem adeptus est, Theodorus vero post annum 445. Forojulienſem Episcopatum obtinuit: nam S. Leo Romanus Pontifex Epistola 87. ad Episcopos per Provinciam Viennensem eo anno Leontium Forojulienſem Theodori hujus prædecessorem, singulari privilegio ad Synodos Provinciæ cogendas exornat. Quare cum Hilarius die 5. Maji anno 449. mortuus sit, ex Epistolis S. Leonis ad Ravennium, & ex S. Honorato Massilienſi Episcopo, in vita ejusdem: Caprasius vero die prima Junii abierit: tempus mortis Caprasii debet statui ante annum 449. certo & indubie, ut Hilarius huic morienti, cum Fausto, Theodoro & Maximo, assistere potuerit. Rursus cum S. Leontius ad superos die prima Decembris transierit, qui ineunte anni 445. æstate vivebat, (eo enim tempore memoratæ S. Leonis Epistolæ ad eum datæ sunt, ut antea diximus) absque dubio mors Caprasii, triennio quod ab anno 445. ad 449. terminis exclusis numeratur, alliganda est: ut Theodorus Leontii in Episcopatu Forojulienſi successor, sancto seni Caprasio morienti, cum aliis Episcopis & Fausto Abbate, adesse potuerit.

Ego quidem puto initium Episcopatus Maximi, deprehendi ex homilia ipsius Fausti, quæ in sancti Maximi laudes inter conciones Eusebii Emiseni seu Gallicani, vel melius ipsius Fausti, recensetur tom. V. *Bibliotheca SS. Patrum editionis Colonienſis* anni 1618. in qua de sancto Maximo hæc habentur. *Lerinensis sedem, imo Latebram petit, ubi à mundi tanquam ab inimici periculis tutus, multis laboribus defudatis, tanquam Liam in matrimonium sumpturus, & quasi annorum hebdomada transacta (nam plenis septem annis ibidem Christi gregem pavit) Rachel acquisiturus, præfertur insulæ, præparatur Ecclesiæ.* Ex quibus colligimus Maximum septem annis, Lerinensem Abbatem fuisse. Cum vero successerit Honorato anno 426. ad Episcopatum Arelatensem evecto, ipse anno 433. Episcopus Reiorum factus est: unde hoc ipso Faustus anno, Abbas Lerinensium tertius eligitur. Franciscus Fulvius Frugonius in libro Italicè scripto, & quidem satis eleganter *de vita sancti Maximi Regiensis* quem Trismegistum inscripsit Lib. 2. pag. 203. tradit eundem viginti annos apud Lerinum moratum, antequam Honorato in præfectura Insulæ sufficeretur: additque pagina 275. post sex lustra duosque insuper annos à Monachatu susceptо, ad Reiensem cathedram evectum. Quare Frugonio authore, Maximus Lerinam petiit anno 406. quo nondum fundata erat, ut alias ostendimus. Factus est Abbas juxta eundem anno 426, tandemque anno 444. Episcopus ordinatus fuit, cum annos decem & octo Abbatiam Lerinensem rexisset: quæ sane ut pleraque alia ibidem sine teste scripta, admitti nulla ratione possunt. Septem enim tantum annos Abbas fuit, ex homilia memorata. Authorem hujus homiliæ ex qua Chronologiæ veritas statuta aperte deducitur, Baronius in Notis ad Martyrologium ad diem 27. Novembris, ubi de sancto Maximo agit, facit Eucherium Lugdunensem Episcopum. Hanc alii tribuunt Cæsario Arelatensi Episcopo: sed quorum sententia prorsus falsa est, cum Cæsarius anno tantum 470. natus sit, ut dicemus. Baronius vero redarguitur, quod author ille, se sub *Maximi* disciplina fuisse dicat: *Hujus ergo tanti & tam præclari, quæso ut nos ei discipulos memineritis & filios.* At Eucherius non vixit sub *Maximo* apud Lerinum, sed in Leronis insula degebat: ut testatur S. Hilarius in Oratione *de sancto Honorato*: in quo erravit Vossius Lib. I. *Historiæ Pelagianæ* cap. 8. Quo etiam loco perperam negat Cæsarium inter Lerinenses vixisse, ut hæc homilia haud illi adscribenda videatur. Bene tamen ibidem Vossius notat homiliam hanc Regiensibus recitatam esse ex his verbis: *Quia superius memoravimus quam magnifice Insulano illo studio perfectionis vias cucurrit, plus est quod HVC insulam ipsam institutis ac studiis suis transtulit.* Quare inquit Vossius; Eucherio qui Lugdunensis Episcopus fuit, tribui illa nullo modo potest, sed Fausto danda est Regiorum Antistiti. Et hoc sane ex ejusdem Fausti verbis ibidem patet, ubi ait: *Merito se nobis imputet beata illa Insula, ex hoc uno atque unico munere, licet multum erubescat ex altero.* Insulam nempe Lerinum duos, Regiensibus dedisse Episcopos, *Maximum* de quo jure gloriari possit, & *Faustum ipsum* de quo erubescat: quæ verba ut erudite notat Sirmondus ad *Sidonii Eucharisticum num. 113.* nullus nisi *unus Faustus* modestiæ causa usurpasset.

CAPVT SECVNDVM.

EIVSDEM EPISCOPATVS REGIENSIS IN GALLIA.

FAustus itaque Abbas renuntiatus, virtutum omnium Antistitem se exhibuit: qui non modo numerosum Monachorum gregem, sed nobiles etiam adolescentes sanctioribus disciplinis imbuebat; inter quos fuit Caji Solii Sidonii

nii Apollinaris frater, unde illi poſtea gratiæ actæ in mox laudando & nobis allegando Carmine Euchariſtico. Auguſtinianam autem doctrinam *de prædeſtinatione gratuita Dei* tum ad gloriam tum ad fidem, ſemper horruit, impugnavitque. Etenim in Epiſtola *ad Gregorium Diaconum*, juxta alios *ad Græcum*, quem illum ipſum nonnulli ſuſpicantur fuiſſe, qui poſtea Maſſiliæ Epiſcopus cum Fauſto Synodo Lugdunenſi interfuit: aperte neſcio quid in Auguſtino ſibi ac aliis diſplicere teſtatur, inquiens: *In Scriptis ſancti Pontificis Auguſtini etiamſi quid putatur apud doctiſſimos viros eſſe ſuſpectum, ex his quæ damnanda judicaſti, nihil noveris reprehenſum.* In Fauſti etiam gratiam Vincentius Lerinenſis Librum *Commonitorii* evulgavit, in quo Sectatores ſancti Auguſtini aperte hæreticos per ſummam injuriam vocat. Cæterum viginti & amplius annos Fauſtus Lerinenſes Monachos gubernavit, ob jurisdictionem lites cum Theodoro Forojulienſi Epiſcopo aliquas habuit, quæ poſtea in Synodo Arelatenſi III. præſide Ravennio Metropolita deciſæ ſunt. Annus Synodi ignoratur, cum vero Ravennius ab anno 449. ſederit, nec annum 462. attigerit (hoc enim tempore Leontius Succeſſor ſedebat) intra illud tempus Concilium collocandum eſt. Sirmondus qui acta illa Synodica tom. I. Conciliorum Galliæ publici juris fecit, iſtum congreſſum anno 455. alligat, ſed ex conjecturis tantum, quod certo argumento id ſtatui non poſſit.

Interim Fauſtus in locum S. Maximi, Reiorum Epiſcopus ſuffectus eſt. Quo anno in Regienſi cathedra inauguratus fuerit, non liquet. Baronius ad annum 472. ejusdem dignitatem revocat, eo quod Sidonius tunc Epiſcopus in Epiſtola ad Fauſtum, novam Fauſti dignitatem appellat: Sidonium vero anno circiter 472. Aruernorum Antiſtitem electum, optime idem Baronius deducit, ex ejusdem Epiſtola ad Lupum Trecenſem. Cæterum jam ante decennium, legimus, in Epiſtolis Hilari Papæ Fauſtum fuiſſe Epiſcopum. Nam Pontifex in litteris datis ad Leontium & alios Gallicanos Præſules tertio nonas Decembris, anno 462. ſcribit, Fauſtum & Auxanium Epiſcopos, interfuiſſe Synodo apud ſe in urbe celebratæ *Præſidente*, inquit, *fratrum numeroſo concilio e diverſis Provinciis ad diem Natalis noſtri, in honorem B. Petri Apoſtoli, per Dei gratiam congregato, præſidentibus fratribus & Coepiſcopis noſtris Fauſto & Auxanio, atque agentibus plurimis: quæ vigorem reſpiciunt, authoritatemque judicii, id à nobis, pacis amore eſt conſtitutum: ut in ſententia quæ ſub adverſione utriuſque Legationis inde directa, Chriſto Domino noſtro inſpirante protulimus &c.* Graviſſima lis inter Leontium Arelatenſem & Mamertum Viennenſem Metropolitas agebatur. Ille enim Dienſibus Epiſcopum dederat, quod ad ſe ſpectare Arelatenſis Antiſtes contendebat. Fauſtus & Auxanius à Synodo judices electi, Leontio cauſam adjudicarunt: quam ſententiam Hilarius anno ſequenti 463. ratam declaravit, inquiens: *Omnia quæ à nobis ſunt, per fratres & Coepiſcopos noſtros Fauſtum & Auxanium definita roborantes, Congregationes annuas ordinante fratre & Coëpiſcopo noſtro Leontio, admonitis Metropolitanis, quod ſæpe dicendum eſt, celebrare dignemini.* Ex quibus Fauſtus Reiorum Epiſcopus ab anno 462. aperte intelligitur, ut eorum ſententia penitus corruat, qui eo tempore Proſperum Aquitanum Reienſium in Gallia Antiſtitem ponunt: uti Baronius, Bellarminus, Sauſſajus & alii dixerunt. Nam certum eſt Fauſtum S. Maximo ſucceſſiſſe immediate, ex Sidonii Evchariſtico ſic ſcribentis ad eundem:

Fuerit quis Maximus ille,
Vrbem tu cujus, Monachosque Antiſtes & Abbas
Bis ſucceſſor agis.

Maximum vero anno 423. Epiſcopatum adeptum diximus, qui idem anno 439. Synodo Regienſi interfuit, anno 441. Arauſianis Decretis ſubſcripſit, rurſus denique anno 452. nominatur in Epiſtolis Epiſcoporum Galliæ ad S. Leonem, & in reſcripto Leonis ad eosdem. In quibus cum inter cæteros Fauſtus non legatur, non obſcure deducitur per id temporis Lerinenſium Abbatem fuiſſe. Vnde nullus reſtat Proſpero locus, in Reienſi ſede Maximum inter & Fauſtum, præſertim cum Proſpero viginti quatuor annorum Epiſcopatus a Baronio detur: cujus hic liberalitatem admittere, haudquaquam poſſumus. Accedit, quod neque in litteris Leonis anni 452. neque in literis Hilari anni 464. in quibus Galliæ Narbonenſis Præſules nominantur, ullus Proſper legatur: Sed in his *Maximum*, in illis vero *Fauſtum* ejusdem ſucceſſorem legi. Denique etiamſi Proſper Reiorum Epiſcopus fuiſſet, non bene Baronius ad annum 466. dicit, *Proſper Regienſis in Aquitania Epiſcopus*: Nam Reienſes non in *Aquitania*, ſed in *Narbonenſi Provincia ſecunda* collocantur.

Quam ſe eximie geſſerit in Epiſcopatu Fauſtus, quam Chriſtianos mores plebem ſibi commiſſam docuerit, ipſe docet ſocius ejusdem temporis & omni exceptione major, Sidonius Apollinaris Aruernorum Epiſcopus, verbis patentibus Lib. 9. Epiſt. 3. Servat conſuetudi-« nem ſuam tam facundia veſtra quam pietas: « animam male ſibi conſciam, & per horas ad re-« cordata pœnalis vitæ debita contremiſcen-« tem, frequentiſſimis tuis illis & valentiſſimis « orationum munerare ſuffragiis. Precum pe-« ritus inſulanarum, quas de palæſtra Congrega-« tionis Eremitidis, & de ſenatu Lerinenſium « Cellulanorum, in urbem quoque cujus Eccle-« ſiæ ſacra ſuperinſpicis, tranſtuliſti. Nihil ab « Abbate mutatus per Sacerdotem, quippe cum « novæ dignitatis obtentu, rigorem veteris di-« ſciplinæ non relaxaveris. Et Epiſtola 9. ejus-« dem libri: Nam quis æquali veſtigia tua greſ-« ſu ſequatur? Cui datum eſt ſoli, loqui melius « quam didiceris: vivere melius, quam loqua-« ris? Quocirca meſito te beatiſſimum boni «

„omnes,idque ſupra omnes tua temperate con-
„celebrabunt,cujus ita dictis vita factisque du-
„pliciter inclaruit : ut quandoquidem tuos an-
„nos jam dextra numeraverit, ſeculo prædica-
„tus tuo,deſiderandus alieno, utraque laudabili
„actione decedas,te relicturus externis,tua pro-
„ximis. Egregie quoque ipſius præconia Eu-
chariſtico carmine cecinit,ubi inter cætera gra-
tias agens,quod ab ipſo Reiis humaniter & laute admodum exceptus ſit: hæc enarrat ad Fauſti commendationem plurimam.

Seu te Lerinus priſcum complexa parentem eſt,
Qua tu jam fractus pro magna ſæpe quiete,
Diſcipulis ſervire venis,vixque otia ſomni,
Vix coctos captare cibos,abſtemius ævum
Ducis,& inſertis pingis jejunia pſalmis:
Fratribus inſinuans, quantos illa Inſula plana
Miſerit in cœlum montes, quæ ſancta Caprafi
Vita ſenis, juvenisque Lupi : quæ gratia patrem
Manſit Honoratum, fuerit quis Maximus ille
Vrbem tu cujus, Monachosque Antiſtes & Abbas,
Bis ſucceſſor agis,celebrans quoque laudibus illis
Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari.
Seu te commiſſus populus tenet, & minor audet
Te medio tumidos majorum temnere mores.
Seu tu ſollicitus,curas qua languidus eſca,
Quare peregrinus vivat, quid paſcat & illum
Lubrica crura cui tenuat ſub compede carcer.
Seu mage funeribus mentem diſtractus humandis,
Livida defuncti ſi pauperis oſſa vireſcant,
Infaſtidi tum fers ipſe ad buſta cadaver.
Seu te conſpicuis gradibus venerabilis aræ,
Concionaturum plebs ſedula circumſiſtit,
Expoſitæ legis bibat auribus ut medicinam.
Quicquid agis, quocunque loci es, ſemper mihi Fauſtus,
Semper Honoratus, ſemper mihi Maximus eſto.

CAPVT TERTIVM.

DE

SCRIPTIS FAVSTI REIENSIS EPISCOPI EXTANTIBVS.

VT autem integram omnino eorum omnium, quæ ad Fauſtum ſpectant Scriptorum notitiam habeamus, hic verbotenus adponere juvat quæ de ipſo ab inſignioribus hucusque Nomenclatoribus, antiquis potiſſimum ad nos pervenerunt : tum quæ a Labbeo cenſore librorum accuratiſſimo, ad Bellarmini Supplementum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ſingularius de *Fauſto* annotata ſunt.

Gennadius Maſſilienſis Presbyter, in Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 85.

Fauſtus ex Abbate Lerinenſis Monaſterii Epiſcopus apud Regium Galliæ factus,vir in divinis Scripturis ſatis intentus,*ex traditione ſymboli occaſione accepta,compoſuit librum de Spiritu Sancto :* in quo oſtendit eum juxta fidem Patrum & conſubſtantialem & coæternum eſſe Patri & Filio, ac plenitudinem Trinitatis obtinentem. Edidit quoque Opus egregium *de gratia Dei*, qua ſalvamur, in quo opere docet gratiam Dei ſemper & invitare, præcedere, & adjuvare voluntatem noſtram : & quidquid ipſa libertas arbitrii de labore piæ mercedis acquiſierit, non eſſe proprium meritum,ſed eſſe gratiæ donum. Legi ejus & *Adverſus Arianos & Macedonianos parvum libellum*, in quo coëſſentialem prædicat Trinitatem : & alium *Adverſus eos qui dicunt in creaturis eſſe aliquid incorporeum :* in quo & divinis teſtimoniis & Patrum confirmat ſententiis, nihil credendum incorporeum præter Deum. Eſt & ejus *Epiſtola in modum libelli ad Diaconum quendam Græcum nomine* edita, qui à fide Catholica diſcedens ad Neſtorianam abiit impietatem, in qua Epiſtola admonet eum credere ſanctam Mariam Virginem non hominem purum genuiſſe,qui poſtea Divinitatem ſuſceperit,ſed Deum verum in homine vero. Sunt vero ejus & alia Scripta,quæ quia necdum legi,nominare nolui : viva tamen voce,egregius doctor & creditur & probatur. Scripſit poſtea *ad Felicem Præfectum Prætorii & Patrie dignitatu virum*, filium Magni Conſulis jam religioſum, *Epiſtolam ad timorem Domini hortatoriam*, ac convenientem perſonis, pleno animo pœnitentiam agere diſponentibus.

Ferrandus Diaconus in Vita S. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, cap. 28.

Hæc de magiſtro Fulgentio diſcipulus tradit. Ita erat notior omnibus gentibus, ut duo libri quos Fauſtus Epiſcopus Galliarum contra gratiam ſubdolo ſermone compoſuit,favens occulte Pelagianis, ſed Catholicus tamen videri volens,Conſtantinopoli offenſi à pluribus fratribus,ad B. Fulgentium probandum dirigerentur. Quibus ne occultum ſerperet virus, ſeptem libris ipſe reſpondit, plus laborans exponere quam convincere : quia dubios ſermones exponere,hoc erat delirantis argumenta convincere. Magnus plane hujus operis labor,mercedem debitam cito ſuſcepit.

Sanctus Iſidorus de Scriptoribus ſeu viris illuſtribus cap. 14.

ScripſitFulgentius Ruſpenſis Epiſcopus multa,in quibus leginus *de gratia & libero arbitrio libros*

Digitized by Google

bros Reſponſionum ſeptem, in quibus *Fauſto Regienſi urbis Epiſcopo*, pravitati Pelagianæ conſentienti reſpondens, obnititur ejus profundam deſtruere calliditatem. Hæc ille, qui eadem habet ibidem cap. 25.

Sanctus Ado Viennenſis in Gallia Archiepiſcopus in Chronico, ætate 6. anno 492.

Fauſtus ex Abbate Lerinenſis Monaſterii apud Regium Galliæ Epiſcopus factus, Pelagianum dogma deſtruere conatus, in errorem labitur: unde qui ejus ſenſus in hac parte Catholicos prædicant, ſicut Gennadius *de viris illuſtribus* ſcribens, omnino errant. Ita enim liberum arbitrium tam Auguſtinus, quam cæteri Catholici in Eccleſia Dei docent, ut illuminatio, virtus & ſalus, illi à Chriſto & per Chriſtum & cum Chriſto ſit. Fauſtus vero iſte ita liberum Chriſtianum arbitrium docere conatur: ut illuminatio ejus, virtus & ſalus, non à Chriſto, ſed à natura ſit. Contra hunc ſcripſit lucidiſſima fide Beatiſſimus Avitus Viennenſis Epiſcopus, ejus redarguens errorem. Similiter & Joannes vir eruditus, Antiochenus Presbyter.

Honorius Auguſtodunenſis Presbyter, in libro de Luminaribus Eccleſiæ, ad annum 490.

Fauſtus ex Abbate Lerinenſis Monaſterii, apud Regium Galliæ Epiſcopus factus, vir in divinis Scripturis ſatis intentus, compoſuit librum *de Spiritu Sancto*, & egregium opus *de gratia Dei* qua ſalvamur, & alia.

Joannes Trithemius in Libro, de Scriptoribus Eccleſiaſticis.

Fauſtus ex Abbate Lerinenſis Monaſterii, Epiſcopus Regienſis in Gallia, vir quidem doctus & eloquens, ſed Pelagiano errore fœdatus, unde & Opuſcula ejus inter apocrypha computantur, ut patet ex Diſtinct. 15. cap. *Sancta Romana*. Tandem à beato Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo correctus & emendatus, errorem deſeruit, & ad veritatem Catholicæ fidei reverſus eſt. In cujus rei argumentum, egregium volumen edidit contra priſtinos errores, quod *de Gratia Dei* prænotavit. De cujus Opuſculis feruntur idem volumen *de gratia Dei* lib. I. *Adverſus Arianos* lib. I. *Contra Antropomorphitas* lib. I. *De Spiritu Sancto* lib. I. *Fides Catholica in univerſum mundum &c. Ad Gratum Diaconum contra Neſtorium* lib. I. *Ad Felicem Prafectum* lib. I. *Homiliæ plures ad populum*. Claruit ſub Anaſtaſio Imperatore anno Domini CCCCXC.

Hæc veteres de Scriptis Fauſti nobis tradiderunt, quibus addimus eum eximie laudatum à Sidonio Apollinari Aruernorum Epiſcopo lib. 9. Epiſt. 3. & 9. atque in carmine Euchariſtico ipſi inſcripto. Hæc autem Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tomo I. verbo *Fauſtus Reienſis* p. 315.

Omnia ejus Opera nondum fuerunt in unum corpus redacta, extant in magna Bibliotheca SS. Patrum Pariſienſis editionis anni nimirum 1644. quæ ſequuntur.

Sermo ad Monachos, tomo II. columna 147.

Epiſtola ad diverſos, ſed pluribus infectæ mendis, tomo III. columnis 37. & 347.

Epiſtola ad Lucidum Presbyterum Prædeſtinatiane hareſeos labe infectum. tom. IV. col. 693.

Profeſſio fidei ad Leontium Arelatenſem Epiſcopum, tomo eodem col. 697.

De gratia Dei & humanæ mentis arbitrio Libri duo, tomo eodem col. 699.

Libellus de Creaturis, quod in illis nihil ſit incorporeum: præfixus libris tribus Claudiani Mamerti, quibus opinionem Fauſti refutavit, tomo eodem col. 599. His dudum exaratis, animadverti in Collectione Veterum aliquot Galliæ Theologorum à viro clar. Petro Pithæo emiſſa Pariſiis in 4. anno 1586. apud Sebaſtianum Nivellium, hæc Fauſto Regienſi Epiſcopo tribui.

1. *Reſponſionem ad objecta quædam, de ratione fidei Catholicæ.*

2. *Contra Neſtorii errorem ad Græcum Diaconum.*

3. *De variis quæſtionibus ad Paulinum.*

4. *De pœnitentia ad Felicem Præfectum Prætorio & Patricium.* Quæ eſt illa ipſa Epiſtola omnibus ad apicem Chriſtianæ perfectionis adſpirantibus lectu digniſſima atque elegantiſſima, de qua ſupra ex Gennadio meminimus, quamque plurimi deperditam exiſtimant. Non omittam monere, virum cæteroquin eruditum, inſigniter hallucinatum fuiſſe, qui Epiſtola IV. ſcribit *ſanctum Paulinum* in Epiſtola de variis Quæſtionibus ad hunc Fauſtum, ſe *diſcipulum* ejus fateri, illumque *magiſtrum* agnoſcere. Non viderat qui obſervavit Joannes Maria Braſichellanus, ex ſtylo & doctrina, ex ratione temporis, certam accipi conjecturam, hanc Epiſtolam neutiquam à ſancto Paulino Nolæ in Campania Epiſcopo ſcriptam: quippe qui obierit anno 431. Fauſtus vero eſſet Epiſcopus anno 472. aliquot ante annos ad ſacram illam dignitatem ex Abbate Lerinenſi evectus. Subdit procul dubio videri ſcriptam à quodam Benedicto Paulino, ad quem ſequens Fauſti data dicitur, quæ ad eandem reſponſionem continet.

Annotationibus Labbei addamus & noſtras. Quantum ad Librum Fauſti Regienſis Epiſcopi *de Spiritu Sancto*, impreſſus eſt hucusque ſub nomine Paſchaſii S. R. E. Diaconi, de quo Bellarminus. Legitur in omnibus editionibus Bibliothecæ Veterum Patrum, præſertim in ultima editione Lugdunenſi anni 1677. apud Aniſſonios tomo 8. pag. 806. Eſſe autem ipſum opus Fauſti, convincitur 1. ex MS. Codice Vaticano, unde primum impreſſus eſt, quem Jacobus Sirmondus vidit & tenuit, ſub nomine Fauſti inſcriptum. 2. Quia ſcripti ſunt hi libri *occaſione ac-*

cepæ ſymboli, ut notat Gennadius, ubi de Fauſto loquitur. 3. Continent proprias Fauſti opiniones, nempe nihil eſſe incorporeum præter Deum, unde lib. 2. cap. 1. animam corpoream appellat. 4. Joannes Trithemius, qui MSS. hos libros viderat antequam imprimerentur, allegat prima eorum verba, quæ cum primis operis hujus verbis eadem ſunt. 5. Denique authoritas Gennadii in gratiam Fauſti, prævalet authoritati S. Gregorii Papæ in favorem Paſchaſii, qui nondum forſan erat ad ſcribendum idoneus, quando Gennadius loquebatur de Opere iſto, ſub nomine Fauſti. 6. Denique noverat apprime Fauſtum Gennadius, legerat Opus iſtud ſub nomine Fauſti, vel etiam à Fauſto illud habuerat, unde poſtea ſubdit : *Sunt vero ejus & alia Scripta, quæ quia nondum legi &c.* Sed prolixius ea de re ob Cavum incredulum, capite ſequenti.

Libri duo *de gratia & libero arbitrio*, libellus *quod in creaturis nihil ſit incorporeum*, cum aliis libellis ſeu potius Epiſtolis quos Libros Gennadius vocat, nempe ad *Benedictum Paulinum*, ad *Gratum* vel *Græcum* vel *Gregorium Diaconum*, ad *Felicem Præfectum Prætorio & Patricium de Pœnitentia :* habentur ſimul collecti cum aliis Epiſtolis ad *Lucidum* & *Ruricium*, cum variantibus Lectionibus in Maxima Bibliotheca SS. Patrum Lugdunenſis citatæ editionis, tomo 8. pag. 523. & ſequentibus. Scripſit etiam homilias Pſeudo Euſebii nomine impreſſas, & alias de aliis argumentis, quas ex variis MSS. Codicibus Abbati adjudicantibus, Antverpienſi, Floriacenſi, Fusniacenſi, & aliis, in unum collectas editioni paratas habemus. Has autem Fauſto aſſeruimus ſupra in Diſſertatione *de Scriptis Pſeudo-Euſebio Emiſeno perperam attributis* cap. 7. cujus adhuc compendium dabimus hic cap. 5. ſcripſit denique *Orationem* ſeu ut Gennadius loquitur *brevem libellum contra Arianos & Macedonianos*, quem habes impreſſum in *Hæreſeologia* fol. ſeu pag. 700 ex editione Joannis Heroldi Baſileæ 1556. in fol. apud Henricum Petri. Habetur quoque apud Surium & Bolandum ad diem Februarii XI. pag. 544. *Vita ſancti Severini Abbatis Agaunenſis*, qui circa annum 510. floruit, à Fauſto Monacho, ejus per annos XXX. diſcipulo ſcripta, de qua Voſſius lib. 3. *de Hiſtoricis Latinis* pag. 703. Sed ea alterius Fauſti eſt, non quidem ratione temporum, ſed quia Fauſtus ex Monacho Lerinenſi ad hujus Eccleſiæ regimen, & inde ad Epiſcopatum Regienſem immediate elevatus eſt. Plura apud Labbeum in Diſſertatione *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* à Bellarmino recenſitis, & Vincentium Barralem in *Chronologia Lerinenſi*, Lugduni in 4. anno 1613. impreſſa apud Petrum Rigaud, p. 52. & ſeqq.

CAPVT QVARTVM.

LIBRI DVO *DE SPIRITV SANCTO*, QVOS PASCHASII S. R. E. DIACONI SANCTVS GREGORIVS MAGNVS AFFIRMASSE VIDETVR, SPECTARE AD FAVSTVM REGIENSEM EPISCOPVM PROBANTVR.

HVcusque Libri duo *de Spiritu Sancto* ſemper impreſſi ſunt atque inſcripti ſub nomine *ſancti Paſchaſii Romanæ Eccleſiæ Diaconi*, quem nonnullæ editiones appellant etiam *Cardinalem*. Mirum omnibus videbitur, quod contra tam antiquam omnium ferme opinionem, tam longam poſſeſſionem, hos Fauſto Regienſi Epiſcopo, contra Bellarminum, Labbeum & alios, poſt D. Gregorium magnum lib. 4. *Dialogorum* cap. 40. huic Paſchaſio adſcribentes, novo titulo, homini & Epiſcopo Galliæ noſtræ attribuam. Sed ubi illi hanc noſtram utcunque prolixam Cenſuram legerint, in meam ut opinor plerique venient ſententiam, niſi in Operibus Fauſti omnino hoſpites ſint, malintque vetuſtis opinionibus adhærere quam veritati, quæ rerum omnium vetuſtiſſima eſt. Primus hos libros aſſeruit Paſchaſio Romanæ Eccleſiæ Diacono S. Gregorius Magnus lib. 4. *Dialogorum* cap. 40. cujus authoritas magna ſane eſt, in factis tamen ejusmodi non indubia, ut in plerisque quas in iisdem Dialogorum libris enarrat, fabulis. Audiamus Romanum hunc Pontificem, ubi multis Paſchaſium effert laudibus, ejusque Schiſmaticam à Symmacho alienationem à Deo excuſatam profert.

Lib. 4. Dialogorum cap. 40. de anima Paſchaſii Diaconi.

Nam cum eſſem adhuc juvenculus atque in Laico habitu conſtitutus, narrari à majoribus atque ſcientibus audivi, quod Paſchaſius hujus Apoſtolicæ Sedis Diaconus, *cujus apud nos rectiſſimi & luculenti de Spiritu Sancto libri extant* : miræ ſanctitatis vir fuerit, Eleemoſynarum maxime operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor ſui. Sed hic in ea contentione, quæ inardeſcente zelo fidelium inter Symmachum & Laurentium facta eſt, ad Pontificatus ordinem Laurentium elegit : & omnium poſt unanimitate ſuperatus, in ſua tamen ſententia usque ad diem ſui exitus perſtitit, illum amando atque præferendo, quem Epiſcoporum judicio præeſſe ſibi Eccleſia refutavit. Hic itaque cum temporibus Symmachi Apoſtolicæ Sedis Præſulis eſſet defunctus, ejus Dalmaticam feretro impoſitam Dæmoniacus detigit, ſtatimque ſanatus eſt. Poſt multum vero temporis Germano Capuano Epiſcopo, cujus ſuperius memoriam feci, medici pro corporis ſalute dictaverant, ut in Angulanis thermis lavari debuiſſet. Qui ingreſſus easdem thermas, prædictum Paſchaſium Diaconum ſtantem & obſequentem in caloribus invenit. Quo viſo vehementer extimuit, & quid illic tantus vir faceret, inquiſivit. Cui ille reſpondit : Pro nulla alia cauſa in hoc pœnali loco deputatus ſum

„ſum, niſi quia in parte Laurentii contra Sym„machum ſenſi. Sed quæſo te, pro me Domi„num deprecare, atque in hoc cognoſces quod „exauditus ſis, ſi huc rediens, me non inveneris. „Qua de re vir Domini Germanus ſe in precibus „ſtrinxit, & poſt paucos dies rediit, ſed jam di„ctum Paſchaſium in loco eodem minime inve„nit. Quia enim non malitia, ſed ignorantiæ „errore peccaverat, purgari poſt mortem à pec„cato potuit. Quod tamen credendum eſt, „quia ex illa eleemoſynarum ſuarum largitate „hoc obtinuit, ut tunc potuiſſet promereri ve„niam, cum jam nihil poſſet operari.“ Hæc Gregorius Magnus, imo lepidum quoque Purgatorii & locum & genus pro Schiſmaticis etiam obſtinatiſſimis vir bonus aſſignat, Paſchaſio nimirum firmiter in eo morienti, obſequium duntaxat utcunque honeſtum, iis qui lavandi æſtate ad balnea Thermarum conveniebant. Jucundior ſane is terræ locus, quam ubi hodie defunctorum animæ flammis uſtæ, detineri dicuntur. Sed extra argumentum iſta ſunt, ad quod redeamus.

Omnes poſtea editiones hos *de Spiritu Sancto* libros ſub Paſchaſii nomine evulgarunt, in Bibliothecis SS. Patrum, omnium editionum, Pariſienſium annis 1575. 1589. Colonienſis 1618. Pariſienſium iterum annis 1624. & 1644. Deniq; & Lugdunenſis anno 1677. in qua ultima inſcribuntur: *Sancti Paſchaſii S. R. Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, de Spiritu Sancto libri duo, quibus Symboli enarratio continetur adverſus errores Macedonii.* Imo & inveniuntur *ſub nomine Paſchaſii Diaconi* in MSS. antiquis, ſicut teſtatur S. Gregorius loco citato: nosque unum vidimus Codicem MS. Sancti Germani Pariſienſis Bibliothecæ, num. 202. cui 800. ſcripturæ annos attribuunt, cum nomine *Paſchaſii Diaconi urbis Romæ.* Nullus itaque miretur, ſi omnes univerſim hanc ſententiam teneant, ut Antonius Poſſevinus in *Appamiu ſacro*, Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 121. pag. m. 204. cum aliis.

At ſive Paſchaſius hos tantum libros à Fauſto Regienſi Epiſcopo compoſitos, tranſcripſerit: ſive Opus Paſchaſii ipſum de quo loquitur Gregorius Magnus, lapſu temporum interciderit: hi duo libri qui ſub nomine Paſchaſii circumferuntur, non ſunt ipſius, ſed ad Fauſtum Regienſem in Gallia noſtra Epiſcopum pertinent. Eſſe
1. autem ipſum Fauſti Opus convincitur 1. Ex MS. Codice Vaticano unde primum impreſſi ſunt, quem Jacobus Sirmondus vidit & tenuit,
2. ſub nomine Fauſti inſcriptum. 2. Quia ſcripti ſunt hi libri *occaſione acceptæ ſymboli*, ut notat Gennadius libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* c. 85.
3. dum de Fauſto, ejusque libris loquitur. 3. Continent proprias Fauſti opiniones, nempe *in Creaturis nihil eſſe incorporeum præter Deum*, unde lib. 2. cap. 1. appellat *animam corpoream.* Hanc autem Fauſti Regienſis fuiſſe doctrinam & opinionem ſingularem, ex Gennadio patet, qui ei libellum attribuit unum, *quod in Creaturis nihil ſit incorporeum præter Deum.* Habemus ſub iſto nomine hoc Opuſculum Fauſti, quod à Claudiano Mamerto hujus temporis doctiſſimo viro, Libris tribus refutatum eſt. 4. Ex ſolo Operis hu- 4.
jus prologo, etiamſi omnia alia abeſſent argumenta, recte concluderemus hos libros ſpectare ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum. Amabat enim iſte Fauſtus ſuas cogitationes, & quas opinabatur fauſtas ſeu inſignes, has ſæpe in diſtinctis ſuis Operibus repetebat. Utebatur ille ſæpe hac phraſi, *fide mariante*; ſæpe voce *credulitatis*, quæ pro fide à Semipelagianis uſurpabatur, & aliis quibusdam expreſſionibus. Atqui inveniuntur illæ in hoc Opere, & vox quidem *credulitatis* ab Semipelagianis uſurpata & affectata, in ipſo hujus Operis prologo: *Dum ter repetita confeſſio Patri & Filio & Spiritui Sancto, unum credulitatis reddit obſequium.* Utitur alibi ſæpe phraſibus ſibi conſuetis, *ſed duis: non eſt ita:* ut videre eſt in libris *de gratia & libero arbitrio & in homiliis paſſim*, cum libris *de Spiritu Sancto* collatis. Libro 1. cap. 5. eadem ſimilitudine utitur, qua & Homilia 1. *de nativitate Domini* n. 4. Atque in eodem libro iisdem phraſibus, quibus homilia potiſſimum 89. apud me, ut ibi notatum eſt. Advertit ſane Phraſim hanc, *Non ita eſt:* vel *Non eſt ita:* Fauſti ubique locorum frequentem ac propriam eſſe Jacobus Sirmondus *Hiſtoriæ Prædeſtinatianæ* cap. 8. uti nos quoque in hac Diſſertatione jam admonuimus. Denique & in eodem prologo horum librorum, utitur alluſione 318. vernaculorum, quibuſcum Abraham Geneſ. 14. v. 14. quinque Reges debellavit, tanquam figura quadam 318. Patrum qui in Nicæna Synodo collecti, à quibus hæreſes Arii, & poſtea etiam Macedonii attritæ ſunt. *In quibus verbis*, inquit, *etiam trecentorum decem & octo ſacer numerus Sacerdotum, emergentes Arii ac Macedonii damnavit hæreſes, dicens: Credo in Deum Patrem, Credo in Filium ejus unicum Dominum noſtrum, Credo & in Spiritum Sanctum &c.* Et poſtea: *Et ideo ſacer numerus diximus, quod trecenti mera ſupputatione Græca* ſignum crucis: *Decem & octo vero, Jeſu adorandum nomen oſtendunt.* Idem autem verbotenus repetit Epiſtola 2. ad Ruricium, quæ certo Fauſti eſt: in libello ad *Felicem Patricium & Præfectum Prætorio*, de pœnitentia & fide. *Et ideo ſicut Pater fidei Abraham, quinque illos Reges, in trecentis decem & octo, myſterio intra linteum latente, devicit: ita & nos contra vos, principales vitiorum duces, in Jeſu nomine & Crucis ſigno (hoc enim utraque ara exprimunt) dimicemus, ut audire mereamur à Domino: Vincenti dabo coronam vitæ.* 5. Sedulius Scotus qui anno 820 5.
vel circiter florebat, in *Collectaneo ſuo in Matthæum:* quod in folio MS. extat apud Collegium Claromontanum Pariſienſe Societat. Jeſu, Lect. 2. cujus meminit Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tomo 2. verbo *Sedulius:* & Jacobus Sirmondus in Notis ſuis ad Epiſtolas Sidonii Apollinaris pag. 160. allegat

excerptum horum librorum ſub nomine Fauſti his verbis : *Non quod caro Salvatoris aliqua portio Spiritus Sancti eſſet. Homo namque aſſumptus eſt ex Maria, operatio Spiritus Sancti, non portio fuit : nec ab eo genitus, ſed creatus : conceptus eſt potentia, non ſubſtantia : operatione, non participatione : virtute, non genere.* Quæ habentur hic Lib. I. de Spiritu Sancto, cap. 2. Item alterum habet excerptum, idem Sedulius Lect. 69. his verbis: *Fauſtus. Et cum veniſſet trans fretum &c. In Luca & Marco unus occurriſſe deſcribitur : nam perſona perſonam abſcondere poteſt, ſubſtantia vero ſubſtantiam abſcondere non poteſt.* Quæ habentur verbotenus hic lib. 2. de Spiritu Sancto, cap. 4.

6. 6. Joannes Trithemius, qui hos libros MSS. antequam imprimerentur, viderat, eorum prima verba allegat, ſub nomine Fauſti à ſe inſpecta: quæ cum primis Operis hujus verbis, eadem ſunt. Imo Gennadius ipſe, qui apprime Fauſtum noverat, & ſpeciali ipſi amicitiæ ac doctrinæ unione devinctus erat, illos legerat: ut jam ſupra diximus, cap. præcedenti hujus Diſſertationis, & hic repetere ſupervacaneum eſt: unde ſubdit, *ſunt vero ejus & alia Scripta, que quia nondum legi, nominare volui.* Legerat ergo Gennadius Libros iſtos *de Spiritu Sancto* ſub nomine

7. Fauſti, de quibus antea locutus eſt. 7. Denique Gregorius Magnus ipſos Paſchaſii Diaconi libros *de Spiritu Sancto* appellat *rectiſſimos & luculentos :* quod his de quibus loquimur non convenire videtur : cum author Lib. 2. cap. 1. animam diſerte corpoream appellet : unde de his qui extant libris, non locutus eſſe videtur Gregorius Magnus, ſed de aliis forſan, qui lapſu temporum interciderint. Itaque nihil omnino Paſchaſii Diaconi habemus, cum Opus ei attributum, Fauſto Regienſi in Gallia Epiſcopo debeatur.

Ad authoritatem porro S. Gregorii allatam, Paſchaſio Diacono hos libros adſcribentem, jam ſupra reſpondimus. Addimus autem eam non poſſe tantum facere in Paſchaſii Diaconi gratiam, quantum in gratiam Fauſti Regienſis Epiſcopi Gennadius Presbyter in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 85. Narrat enim S. Gregorius Magnus in ſuis Dialogis circa annum 600. tantum conſcriptis, hunc Paſchaſium floruiſſe temporibus Symmachi Papæ, contra quem ſtetit in ſchiſmate per Laurentium excitato, & ſub quo mortuus ibidem dicitur. Floruit ergo tantum circa annum 500. cum Symmachus Papa natione Sardus, Fortunati filius, ſederit annis XV. menſibus VII. diebus XXVII. à die II. Decembris anni 498. ad diem XIX. Julii anni 514. quo obiit ſub Anaſtaſio Imperatore, Theodorico in Italia, & quatuor Clodovæi filiis in Francia regnantibus. Sed ante hæc tempora ſcripſit Librum ſuum *de Scriptoribus Eccleſiæ illuſtribus* Gennadius Presbyter, nempe ante annum 494. vel ut alii ex ipſo colligunt, anno 490. Noverat ille Fauſtum Regienſem Epiſcopum, unde illi hoc Opus adſcribit, etiam antequam floreret, vel dum florebat Paſchaſius Diaconus. Longe autem gravius teſtimonium authoris ſcribentis anno 490. qualis eſt Gennadius, & qui ſe legiſſe teſtatur: quam Gregorii anno duntaxat 600. Dialogos ſuas inſtituentis. Vnde & ipſe etiam Gregorius de rebus Paſchaſii tanquam de remotis loquitur, quas ille dum juvenculus eſſet, à Senioribus, ut inquit, acceperat. Denique Gregorius magnus tantum dicit, ſcriptos eſſe à Paſchaſio libros *de Spiritu Sancto*, nihil ſingulare adjiciens : cum e contra Gennadius expreſſe magis loquatur, circumſtantias librorum quos legerat addat, dum ait, Opus iſtud à Fauſto *occaſione accepta ſymboli :* quod his libris de quibus loquimur, apprime convenit.

Has rationes prægnantes opinatus eſt Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Literaria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad ann. 501. verbo *Paſchaſius Eccleſiæ Romanæ Diaconus*, qui pag. 382. ita locutus eſt. Paſchaſius Eccleſiæ Romanæ Diaconus claruit ineunte hoc ſeculo, anno 501. flagrante Romano ſchiſmate anno 498. Laurentii adverſus Symmachum partes ſtrenue tutabatur, ejus que cauſam ad obitum usque pertinaciter propugnavit. Hac occaſione lepidam planc fabulam de Paſchaſii anima Purgatorii flammis exuſta refert nobis Gregorius lib. 4. cap. 40. ſeu quisquis Dialogorum author. Extat Paſchaſii Epiſtola ad Eugippium, S. Severini vitæ præfixa, apud Surium Januarii 8. & Baronium ad annum 496. Habentur etiam *libri duo de Spiritu Sancto contra Macedonium*, Colon. 1539. 8. Helmſted 1613. & in Bibliotheca Patrum tomo 8. pag. 806. Hos Paſchaſii eſſe pernegat, & Fauſto Regienſi tribuendos contendit Caſimirus Oudin, Sane rationes ejus non prorſus contemnendæ videntur, quæ apud ipſum videri poſſunt, *Supplementi* pag. 107. Cum tamen *Lectiſſimi hi & luculenti libri* (vt Gregorii verbis utar loco citato) Gregorii Paſchaſio Diacono eos diſerte adjudicantis teſtimonio nitantur. Et certe *Dialogorum* maximam hac in cauſa authoritatem eſſe, agnoſcit ipſe Oudinus: vt de Sigeberto Gemblacenſi *de viris illuſtribus* c. 17. nihil jam dicam, Paſchaſio noſtro haud temere ſunt abjudicandi. Nec obſtant Codicum quorumdam MSS. tituli, qui librariorum incuria appoſiti, incautos lectores haud raro fallunt : præſertim cum Fauſtum ſcripſiſſe *Librum de Spiritu Sancto* cap. 85. tradiderit Gennadius. Et ipſe Trithemius, qvem pro ſe teſtem laudat Oudinus, hos ipſos libros qvorum meminit Gregorius, Paſchaſio noſtro luculenter adſcribit : quamvis aliud agens, prima hujus Operis verba, unico iſti, quem hac de re ſcripſit Fauſtus, libro incautus affinxerit.

Verum nullæ iſtæ Cavi rationes ſeu potius objectiones ſunt. Nam ad *primam* de authoritate Gregorii Magni hos libros Paſchaſio adſcribentis : diximus potiorem & antiquiorem eſſe, majorisque fidei authoritatem Gennadii, qui

qui annis 100. & amplius ante Gregorium I. eosdem Fausto Regiensi Episcopo dedit, qui eos legerat ut testatur, dum postea subdit: *Sicut vero & alia scripta, quæ quia necdum legi &c.* Quoad *secundam* objectionem quam affert Cavus, Respondemus cavam illam esse ac Scholasticam, seu mavis puerilem. Vult enim Gennadium *singulariter* dixisse scriptum à Fausto Regiensi Episcopo *librum de Spiritu Sancto*, non libros *pluraliter*: hos autem de quibus loquimur, libros esse duos, non unicum. Atq; eandem ratiunculam urget adhuc, dum allegat Trithemium contra me. Sane nihil familiarius apud Nomenclatores, quam ut *Librum* in singulari appellent Opus quodcunque scriptum, etiamsi plures tractatus seu libros contineat. Atque ne extra caput 85. Gennadii *de Scriptoribus Ecclesiasticis* egrediamur, ut Cavi ludificationem eludamus, diligentius rem paucis attendamus. Dum loquitur de Opere Fausti *de gratia & libero arbitrio*, singulariter loquitur, *Edidit quoque opus egregium de gratia Dei qua salvamur, in quo opere docet &c.* Constat tamen, nemine contra mussitante, Opus istud *duos libros* ac satis prolixos continere. Cava ergo ac vana est Cavi objectio, quam repetit, iterumque inculcat, dum Trithemium contra me allegat. De *tertia objectione* seu authoritate Trithemii, protulimus testimonium illius qui non tantum Opus controversum Fausto adscribit, sed initium etiam illius expressis verbis affert. Neque aliud agens seu distractus ab aliis, ut vult Cavus, initium Operis adduxit: sed quia illud & legerat & viderat. Quæ enim Trithemius vidit aut legit, horum ad majorem fidem, initialia verba adduxit: qui dum Opera non vidit aut legit, solos illorum titulos referre consvevit. Hæc contra Cavum, quibus cordati ut opinor, neutiquam refragabuntur.

CAPVT QVINTVM.

HOMILIÆ EVSEBIO EMISSENO PERPERAM ATTRIBVTÆ, AD FAVSTVM REGIENSEM EPISCOPVM SPECTARE, MVLTIS RATIONIBVS DEMONSTRANTVR.

ARgumentum istud multis à me jam supra tractatum est supra ad annum 340. in Dissertatione *de Scriptis Eusebio Emiseno Episcopo attributis*, capitibus 2. 3. 4. 5. & 6. potissimum. Neque procedit illud de omnibus omnino homiliis Eusebio à nonnullis perperam adscriptis, sed de iis tantum, de quibus cap. 2. citatæ Dissertationis loquimur: quæ anno Domini 1575. sub nomine Eusebii Emisseni, prodierunt LVI. numero, *de variis argumentis* sub hoc titulo: *Homiliæ ad populum eloquentissimæ & religiosissimæ recens in lucem emissæ*: quas suppeditante Joanne Gagneo Parisiensis Academiæ Theologo & Cancellario, in 8. cum aliis ad Brunonem Signiensem Episcopum spectantibus, impressit Parisiis Hieronymus de Marnef cum Guillelmo Cavillat, in monte Divi Hilarii, sub signo pellicani. Has autem cum MSS. collatas numero 92. hinc inde comparatas, Fausto adjudicandas suscipimus, iisdem & verbis & rationibus, quibus Dissertationis Eusebianæ cap. 6. usi sumus. Dico igitur Collectaneum istud Homiliarum seu Sermonum Emissenorum vel Pseudo-Eusebianorum, esse opus genuinum Fausti Abbatis quondam Lerinensis, posteaque Regiensis in Gallia Episcopi.

Probatur *primum* ex homilia XII. ad Monachos, quæ nostræ Collectionis atque editionis 74. est. Hanc enim eandem ad Monachos homiliam, & totam consequenter Collectionem, cum ejusdem authoris illa sit, attribuit expresse Fausto Lerinensi olim Abbati & Episcopo Regiensi, oculatus & contemporaneus testis, Sidonius Apollinaris in *Eucharistico* suo ad ipsum Faustum: quo nihil validius unquam dari potest, ad Collectionem hanc Fausto demonstrative adjudicandam. Ibi igitur hanc insignem Eremi Lerinensis in homilia præfata expressam laudem, sic Fausto adscribit. 1.

Se te Lerinus priscum complexa parentem
est,
Qua tu jam fractus, pro magna sæpe quiete,
Discipulis servire venis: vixque otia somni,
Vix coctos captare cibos: abstemius ævum
Ducis, & insertis pingis jejunia palmis.
Fratribus insinuans, quantos illa insula plana
Miserit in cælum montes &c.

At hanc allusionem Sidonii Apollinaris, habet insignis illa homilia, nobile & amplissimum Lerini insulæ encomium continens, num. 1. ubi verbotenus Faustus. *Beata inquam & felix insula Lerinensis, quæ cum parvula & plana esse videatur, innumerabiles tamen montes ad cælum misisse cognoscitur. Hæc est quæ eximios nutrit Monachos &c.* Hæc itaque homilia, omneque Collectaneum, Faustum agnoscit parentem. Sola sane insinuatio humilis & elegans, qua Monachorum auditorum benevolentiam captat, absque argumento alio, Faustum illius operis parentem prodebat.

Probatur *Secundo*. Cum tres homiliæ *de dedicatione Ecclesiæ* inveniantur in omnibus ferme impressis Eusebii Emiseni Homiliarum Collectionibus, ab anno 1618. quo ab Andrea Schotto illæ correctæ sunt & auctæ, juxta MS. Exemplaris fidem, duodecim circiter homiliis: Itemque inveniantur in Manuscriptis omnibus omnium Eusebii (qui Faustus est) homiliarum, ut in Antverpiensi, Longipontano olim, & Regio 4028. nullus videtur locus dubitandi, quin ad eundem spectent authorem, cujus tota ista Collectio est, cum apud MSS. Codices in Collectione ista censeantur. At habemus contemporaneum & oculatum testem Sidonium Apollinarem Arvernorum Episcopum, Fausti nostri singularem amicum, qui lib. 9. Epistolarum, 2.

Epist.

Epiſt. 3. ad ipſum Fauſtum, teſtatur homilias iſtas vel omnes (quod probabilius eſt) vel ſaltem tertiam, factas eſſe ipſo audiente & præſente *in Dedicatione ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ*, quæ anno 475. contigit, cujus occaſione & celebratum eſt Lugdunenſe contra Prædeſtinatianam hæreſim Concilium, cui Fauſtus aderat, ut nemo neſcit. Audiamus ipſum ſe apud Fauſtum excuſantem, quod ad eum vel tardius vel rarius ſcriberet. Lib. 9. Epiſt. 3. *Licet enim prædicationes tuas nunc repentinas, nunc cum ratio poposciſſet elucubratas, raucus plauſor audierim: tum præcipue cum in Lugdunenſis Eccleſia dedicata Feſtis hebdomadalibus, collegarum ſacroſanctorum rogatu, exonueris ut perorares. Ibi te inter Spirituales regulas vel Forenſes, medioximum quiddam concionantem, quippe utrumque doctiſſimum diſciplinarum, pariter erectis ſenſibus, auribuſque curvatis ambiebamus: hic parum facilitantem deſiderio noſtro, quia judicio ſatisfeceras.* Atqui his absque dubio verbis alludit, vel ad tres omnino, vel saltem ad tertiam *de dedicatione Eccleſiæ* homiliam, ubi Fauſtus tanquam jurisperitus num. 4. integro *de immunitatibus Eccleſiarum*, juxta juris civilis leges pronuntiat. Ergo hæc homilia, vel hæ tres *de Dedicatione*, ac omne conſequenter iſtud Collectaneum, quod ejusdem authoris ſit, ſpectat teſte Sidonio Apollinari, ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum. Vtrum iſtæ tres homiliæ, an tertia tantum in Dedicatione Lugdunenſis Eccleſiæ, pronuntiata fuerit: ego definire non audeam. Sed cum celeberrima fuerit iſtius Eccleſiæ dedicatio, atque in urbe Galliarum omnium tunc temporis maxima & opulentiſſima, nobilium ac plebium abundantiſſima, idque Feſtum ſumma pompa per octiduum integrum duraverit, eaque occaſione plurium Epiſcoporum Concilium convocatum fuerit: vix poſſum mihi perſuadere, quod in tanto Præſulum ac inſignium virorum Conventu, ad plebem de Eccleſiarum frequentatione, pietate, cultu & immunitate, Fauſtus Galliæ omni notiſſimus, non ſæpius peroraverit. Maxime cum tres homiliæ eundem Authorem arguant, ut in *Summariis* ad ſingulas probabimus, ſuo loco. Homilia enim ſecunda de eodem argumento, inquit Num. 1. *Times apparitorem judicis, damna & flagella minantem &c.* Num. 2. *Si a duobus creditoribus urgereris, uni verbi gratia centum denarios, alis mille aureos, te debere cognoſceres &c.* N. 3. *Sicut interdum utiles procuratores facere videmus, qui a patronis ſuis, prædia & patrimonia longinqua & peregrina ſuſcipiunt &c.* Quæ expreſſiones olent Juris Civilis peritum virum, qualis Fauſtus fuit: quam ob cauſam dixit Sidonius Apollinaris, ipſum in homiliis *ad Dedicationem Lugdunenſis Eccleſiæ* factis, *inter regulas Spirituales & Forenſes medioximum quiddam concionatum fuiſſe.*

3. *Tertio.* Ejusdem Scriptoris eſt hoc omne Collectaneum homiliarum ſub nomine Euſebii Emiſſeni eousque impreſſarum, cujus eſt homilia *de ſancto Maximo Regienſi Epiſcopo*, quæ in omnibus omnino editionibus & Manuſcriptis Codicibus totius iſtius Collectanei, reperitur. Omnes enim iſtæ homiliæ eundem habent ſtilum, eandem ubique ſapiunt doctrinam, imo & ſæpiſſime, easdem habent in diverſis locis phraſes. Atqui ad homiliam iſtam Fauſto aſſignandam, nec argumentis multis opus eſt, cum argumentum operis Fauſtum indigitet, ipſaque homilia ob ſtilum ſeu dictionem, eundem referat. Imo quod palmare eſt, Dinamius contemporaneus author in *Vita S. Maximi Regienſis Epiſcopi*, quam Vrbico ejusdem ſedis Antiſtiti dicavit, Fauſtum hujus homiliæ Scriptorem facit: unde idem de tota Collectione cenſendum eſt.

Quarto. Hujus omnis homiliarum Collectionis authorem eſſe Fauſtum Regienſem Epiſcopum, ſic probamus. Author Collectionis homiliarum ad Monachos, qui & totius Collectionis idem eſt, Homilia XII. num. 2. teſtatur ſe dudum, ſeu *non parvo ſpatio* manſiſſe in inſula illa Lerinenſi. *Cum enim*, inquit, *parvitatem meam hæc ſancta inſula, velut præclara mater, & unica ac ſingularis bonorum omnium nutrix, brachiis quondam pietatis exceperit: & non parvo ſpatio educare vel nutrire contenderit: licet reliquos ad virtutum culmina evexerit, a me tamen quia corde mei duritia contudixit, omnes negligentiæ auferre non potuit.* Atqui hoc de Fauſto ſolo poſtea Regienſi Epiſcopo verum eſt, qui dudum ibi & Monachus & Abbas extitit: Falſum omnino de ſancto Cæſario Arelatenſi Archiepiſcopo. Ergo *Fauſtus & non Cæſarius*, eſt author indubius omnis hujus Homiliarum tam ad Monachos, quam de variis argumentis, Collectionis. De diuturna Fauſti in Lerino manſione, ex Carmine Euchariſtico Sidonii Apollinaris, nullus dubitandi locus eſt. De Cæſario, cui a nonnullis hæ homiliæ attributæ, prorſus falſum: qui cum junior atque vix emenſo novitiatu in infirmitatem incidiſſet, etiam antequam humaniores litteras hauſiſſet, Arelatem ad recuperandam ſanitatem ab Abbate miſſus eſt. Vbi ad notitiam Æonii Arelatenſis Epiſcopi veniens, qui modeſtiam ejus admirabatur: illum necdum Diaconum, nec in ſacris forſitan adhuc conſtitutum obtinuit, quem ad Diaconatum & Presbyteratum promotum, Monaſterio Inſulæ ſuburbanæ Arelatenſis præfecit. Vt pluribus teſtatur ſanctus Cyprianus Tolonenſis Epiſcopus & Cæſarii diſcipulus, in ejus Vita lib. 1. capp. ſeu num. 6. 7. & 8. quem quivis adire poteſt.

Quinto. Author totius iſtarum homiliarum Collectionis, tam illarum quæ ſunt *ad Monachos*, quam quæ *de variis argumentis* ſunt, aliarum: a prima fere pagina ad ultimam, ore pleno Semipelagianam ſpargit doctrinam, nullamque vel levem ſpargendi hujus peſſimi grani occaſionem omittit: qua perverſitate, nullus eſt qui neſciat, quantum infectus fuerit Fauſtus infauſtus. Contra vero Cæſarius Arelatenſis Archiepiſcopus, Semipelagianorum hoſtis fuit infenſiſſimus, quorum doctrinam in Concilio Arauſi-

rauſicano damnandam procuravit, quam pro viribus ubique Galliarum extinxit : tantumque D. Auguſtini doctrinæ *de gratia & libero humanæ voluntatis arbitrio* adhæſit, ut moriens etiam lætatus ſit, quod diem obitus ſui ſolemnitati feſti Divi Auguſtini cujus apprime doctrinam ſectatus fuerat, proximum ac quaſi contiguum cerneret : quemadmodum referunt ſignanterque annotant, inſignes ejus diſcipuli, in ipſius *Vita*. Nullatenus ergo S. Cæſarius, vel hujus Collectionis integræ homiliarum Emiſſenarum, vel Collectionis homiliarum ad Monachos, author eſſe poteſt : quamvis ſub ejus nomine plurimæ, inter ejus opera perperam impreſſæ ſint. Atque etiam hæc ratio fuit, cur Emendatores Operum & ſermonum D. Auguſtini, Monachi Benedictini doctiſſimi, qui ſumma cura ad calcem ſermonum Auguſtinianorum, adjecerunt homilias omnes ſub nomine S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi a ſe inventas : ab edendis ſub ejusdem nomine iſtis *ad Monachos* homiliis abſtinuerint, quas ad ipſum ſpectare nullatenus poſſe, argute opinati ſunt. Ex adverſo autem doctrina iſta ſingularis, ubique locorum ſparſa, Fauſtum Semipelagianum, totius hujus Collationis, quanta quanta illa ſit, indubium ſcriptorem clamat.

6. *Sexto.* Vbique locorum iſtius homiliarum Collectanei, extant voces quæ Fauſtum Regienſem Epiſcopum, illius absque exceptione ſcriptorem enuntiant. Vbivis enim homiliarum ejusmodi, extant voces ſeu Phraſes, *Sed dicis : non ita eſt : Non eſt ita : Sed non eſt ita :* atque plurimæ aliæ, quas nullus omnino Fauſti proprias atque ab ipſo affectatas negabit, qui cum attentione aliqua legerit indubitata Fauſti Opera, quæ huic Homiliarum Collectioni præmiſimus. Libros nempe *de gratia & libero arbitrio*, *libros duos de Spiritu Sancto*, aliaque ipſius Opuſcula præmiſſa. Has Fauſto affectatas phraſes, plurimis homiliarum *Summariis* deſignavimus, quas quivis lector per otium legere poterit, pluresque impoſterum obſervare. Idem quoque Fauſtus, cum teſte Sidonio Apollinari Synchrono & amico, Juris Civilis ante Monachatum ſcientiam imbibiſſet : in hoc homiletico genere, ubique etiam ferme, vel comparationes vel voces Jurisprudentiæ cum affectatione exprimit : quibus ſe Collectanei hujus authorem in individuo deſignat, cum excluſione ſancti Cæſarii atque aliorum omnium.

7. *Septimo.* Solebat Fauſtus, ita ſuas amabat phraſes, ſeipſum aliquando verbotenus excerpere, ut conſtat ex aliis atque indubiis ejusdem Epiſtolis & Opuſculis, in quibus ſeipſum interdum ac ſæpe exſcribit, tum in libris *de gratia & libero arbitrio*, tum in *Epiſtola ad Gregorium*. Atqui eodem modo procedit in his homiliis, in quibus notavimus, alias aliquando ex aliis tranſcribi, quoad periodos integras & frequentes : unde conſequens eſt omnem hanc homiliarum Syllogen, ſpectare indubie ad Fauſtum Abbatem olim Lerinenſem, poſteaque Regienſem Epiſcopum in Galliis. Maxime cum ex capite 5. Diſſertationis Euſebianæ conſtat, neque Eucherium Lugdunenſem Epiſcopum, neque Hilarium Arelatenſem, poſſe eſſe Collectanei hujus ſcriptores : neque etiam Cæſarium Arelatenſem, ut in hoc capite, ad rationes *quarum & quintam* deduximus.

Octavo. Denique haud ita ab his homiliis Fauſti nomen eraſum eſt, quin in multis illarum adſcriptum adhuc inveniatur, in antiquis Manuſcriptis Codicibus Bibliothecarum Regiæ, Colbertinæ, Victorinæ, qui ſexcentorum & quingentorum annorum ſunt : quamvis in his Codicibus non omnis iſta homiliarum Collectio, ſed nonnullæ tantum ex illis, nimirum duæ vel tres vel quatuor inveniantur, ſub nomine hoc Fauſti. Haud leve tamen argumentum, amanuenſium incuria, temporum ſucceſſu vel ſuppreſſum eſſe, vel mutatum nomen iſtud, quod amplioribus homiliarum ejusmodi Collectionibus præfigi debuerat. 8.

CAPVT SEXTVM.

MORS FAVSTI REGIENSIS EPISCOPI, EJVSQVE CVLTVS PVBLICVS.

Circa annum 500. vel paulo ſerius, deceſſiſſe Fauſtum arbitror, longe poſt factam a Gelaſio Papa, librorum ſuorum proſcriptionem. Illum enim attigiſſe imperium Anaſtaſii ſcribit Maurolicus apud Bolandum ad diem 16. Januarii. Gennadius quem ſcripſiſſe diximus anno circiter 494. librum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, primo nempe Anaſtaſii Imperatoris triennio : de Fauſto uti adhuc vivente, cap. 85. loquitur. Non ſolum, quia quo principe imperante mortuus ſit, non ſcribit, ut in aliis : ſed etiam quia hæc habet de eodem : *ſunt vero ejus & alia ſcripta, quæ quia necdum legi, nominare nolui. Viva enim voce egregius doctor & creditur & probatur.* Centeſimum vitæ annum attigiſſe ex Sidonio teſtatur Savaro in Notis ad librum 9. Epiſt. 9. ubi hæc ad Fauſtum ſcribit Sidonius : *Cujus ita dictis vita factisque dupliciter inclaruit, ut quandoquidem tuos annos jam dextera numeraverit : ſeculo prædicatus tuo, deſiderandus alieno, utraque laudabili actione decedas, te derelicturus exteris, tua proximis.* At ex his tantum annorum numerum non colligi, ibidem Sirmondus contendit, de quo alii judicent. Sane provectam Fauſti hoc tempore ætatem inde deducimus, quod anno 433. electus fuit Abbas tertius Lerinenſium. Hunc juvenem ſuffectum puto ob inſigne virtutis & ſcientiæ meritum, Honorato & Maximo, magnæ ſanctitatis atque authoritatis Abbatibus : quem plus quam centenarium, poſt initium ſeu ſub initium ſeculi ſexti, obiiſſe arbitramur. Vſus eſt proſpera valetudine, adeo ut Sidonius in

laudata Epiſtola ſcripſerit, mirari omnes, quod Fauſtus non feneſceret.

Sed paulo latius quantum conjecturis aſſequi dabitur, in ætatem certumque Fauſti Epiſcopi vitæ tempus, excurramus: ita tamen ut opiniones noſtras, quisquis certiora protulerit atque noverit, libere abjiciat. Natum itaque conjicio Fauſtum ſub ſeculi V. initium, anno circiter 403. vel 404. Quis enim præciſe annum notare audeat? Hoc ipſum inſinuare mihi videtur Sidonius Apollinaris, qui Fauſtum apprime noverat, amiciſſimumque ſuum experiebatur, in *Carmine ad eundem Euchariſtico:* quod opus ex ultimis Sidonii Apollinaris circa annum 482. conſcriptum eſt. Vox enim iſta, *Vix coelos captare cibos abſtemius ævum ducis &c.* hoc inſinuare videtur, ut circa ævi quinti quo vixit initium, vitam ingreſſus eſſe credatur. Idemque inſinuant ejus verba lib. 9. Epiſtola 9. *Seculo prædicatus tuo, deſiderandus alieno:* licet modica hæc argumenta ſint. Factus Abbas Lerinenſis anno 433. ut ſupra diximus, ætatis anno circiter 30. Habuit nonnullas ob jurisdictionem cum Theodoro Forojulienſi Epiſcopo lites, quas Sirmondus ex conjecturis ad annum circiter 455. refert, ipſo adhuc Abbate Lerinenſi. Anno 462. factus jam Regienſis in Gallia Epiſcopus, ut conſtat ex Epiſtola Hilari Papæ, anno 463. data. Ad eum ſub vitæ ſenium ſcripſit quidem *Euchariſticum* Sidonius Apollinaris Arvernarum Epiſcopus circa annum 481 vel 482. Vnde illum *Centenarium* facere, opinatus eſt Joannes Savaro in *Commentario ſuo* ad Epiſtolas Sidonii Apollinaris. Sed recte notat Sirmondus id ab Sidonio per hyperbolen dictum, Fauſtumque tunc temporis *grandævum* tantummodo indicari: quod homini ſeptuagenario & ultra convenire poteſt, qualis tunc temporis Fauſtus erat Epiſcopus, juxta ſupputationem noſtram, ſub ſeculi V. initium natus. Sic autem Sirmondus in Notis ſuis ad Sidonii Epiſtolas, fol. 163.

„ *Annos jam dextem numeraverat*

„Juvenalis Satyra X. de Neſtore, *atque ſuos jam „dextra computat annos.* Dictum ex conſuetudi„ne Veterum, qui vario flexu digitorum nume„ros indicabant, quos ſupputatorios digitorum „geſticulos appellat Tertullianus. Totam au„tem inter Bedæ Opera complectitur libellus „qui inſcribitur *de loquela digitorum.* Lævæ er„go digitis, usque ad centum numerabant, in „centeſimo ad dextram tranſibant. Hierony„mus in Jovinianum Invect. 1. *Centeſimus nume„rus a ſiniſtra transfertur ad dextram.* Fauſtum igi„tur grandævum innuit fuiſſe, non quod revera „centeſimum annum attigiſſet, eſt enim hyper„bole.„ Hæc Sirmondus. Favet huic noſtræ ſupputationi atque Sirmondi ſententiæ, Sidonius eadem Epiſtola, dum ait: *Illo jam in præſentiarum Fauſto potius qui non feneſcit, quique viventibus non defuturus, poſt ſepulturam fiet per ipſa quæ ſcripſit, ſibi ſuperſtes.* Qui igitur Septuagenarius vel Octogenarius & ultra erat, poterat quidem ob corporis robuſtam qualem Fauſtus habuit conditionem, dici non feneſcere: ſed iſta in centenarium ſi tunc temporis talis extitiſſet, cadere nullatenus poterant.

Vivebat adhuc, imo adhuc concionabatur Fauſtus Epiſcopus anno 494. ætatis annorum circiter 90. quando ſuum librum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ſcribebat Gennadius Maſſilienſis Presbyter, atque ejusdem Semipelagianæ doctrinæ laudator affectatus & conductitius. Hoc patet ex cap. 85. hujus libri *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ubi de Fauſto tanquam adhuc vivente loquitur, ut ſupra notatum eſt: quem absque dubio ob parem Semipelagianismi profeſſionem, appellat *viva voce concionatorem ſeu doctorem egregium:* etſi conciones Fauſti Semipelagianam ubique locorum effutiant doctrinam. At vix ac ne vix quidem ignoraſſet aut conticuiſſet Fauſti Regienſis Epiſcopi mortem, Gennadius ejusdem regionis & linguæ ſcriptor, doctrinæ affectator, & perſonæ, etiam poſt Romanam cenſuram, laudator. Vnde ſequitur doctrinam Fauſti vivente etiam Fauſto, ab Gelaſio ſummo Pontifice damnatam atque proſcriptam fuiſſe, libros ejus inter Apocryphos recenſitos, non modicum Fauſto infauſto doloris atque luctus argumentum. Addo & ego, Fauſtum usque ad ſeculum ſextum, ſeu poſt annum 500. vitam prorogaſſe, unde vere ab aliquibus Centenarius vixiſſe ſcribitur. Hoc ſane probatur ex homilia 3. de *Epiphania* num. 2. ubi ſic. *In ſexto ſiquidem quod nunc agitur ſeculo, plenior ſeſe infudit divinæ veritatis agnitio, & ad Chriſtum innumerabilium populorum facta converſio eſt.* Franciſcus Combefis in *Bibliotheca Concionatoria* Veterum Eccleſiæ Patrum *ad Feſtum Epiphaniæ*, cum has homilias ſub nomine S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi ediderit, qui ut ſupra diximus an. 449. mortuus eſt: vult *per ſeculum ſextum*, non debere intelligi 6. Chriſti incarnati ſeculum: de quo loqui non potuit dictus Hilarius Epiſcopus, qui ſub medium ſeculi V. & floruit & mortuus eſt. Itaque per ſextum ſeculum, vult intelligi ſextam mundi ætatem, de qua paulo ante loquebatur: qua ætate Chriſtus natus eſt, & orbem peccati ſervituti obnoxium, reddidit libertati veritatis Evangelicæ, quam ante prorſus ignorabat. Sed cum homiliæ ejusmodi ad *Hilarium Arelatenſem* haud pertineant, Fauſtus Regienſis Epiſcopus qui illarum author eſt, ad ſeculi ſexti initium perveniſſe recte potuit, ac de Chriſti ſeculo ſexto ſaltem ineunte loqui: unde ex hoc loco recte conjicimus, Fauſtum ultra 500. annum Chriſti incarnati, progreſſum fuiſſe, atque aliquot ſeculi ſexti emenſum fuiſſe annos. Hæc ſummatim de Fauſto Regienſi Epiſcopo a nobis dicta ſint, qui maxima in æſtimatione fuit in univerſa Gallia, quod ex ſuperius dictis manifeſtum eſt. Plura nos, in Diſſertationibus tribus, editioni Operum ejus a nobis procurandorum intermixtis. Si quis interim am-

ampliora voluerit, consulat Bolandum ad diem XVI. Januarii. Fratres Sammarthanos tomo 3. *Gallia Christiana*, in Episcopis Rejensibus. Ludovicum Cellotium *in Historia Gotteschalci Praedestinatiani* lib. 2. cap. 4. quod apologiam Fausti ampliſſimam continet. Jacobum Sirmondum in *Historia Praedestinatiana* cap. 8. Gilbertum Mauguinum in Vindiciis prædestinationis & gratiæ, in *Confutatione Fabulæ Praedestinatianæ* cap. 8. Henricum de Noris in *Historia Pelagiana* lib. 2. cap. 14. & sequentibus.

470. ANTONIVS SYMEONIS STYLITÆ DISCIPVLVS, claruisse videtur circa annum Christi 470. scribendo *Vitam sancti Symeonis Stylitæ* Magistri sui, Romano Martyrologio ad diem Januarii 5. adscripti, quæ Latine extat in *Vitis Patrum* tomo 1. editionis Plantinianæ, quas procuravit correctissime edendas, Heribertus Rosweidus Soc. Jesu in folio Antverpiæ annis 1615. & 1628. Vixit ipse cum Simeone, vermes de corpore ejus effluentes collegit, & in ulcerum cavernis recondit, ut de se ipse in hæc verba narrat. *Quidam juvenis adstitit ei nomine Antonius, qui vidit hæc & scripsit. Juxta praeceptum illius colligebat vermes de corpore ejus, qui cadebant in terram, & porrigebat illi rursum. At ille ponebat eos sibi in ipso vulnere, ad similitudinem justi Job dicens, Manducate quod vobis Dominus dedit.* Et infra ad finem: *Ego humilis peccator Antonius, in quantum potui, lectionem brevem hanc exposui.* Extat quoque apud Bolandum ad diem 5. mensis Januarii, Latine tantum. Incredibilis mihi, atque fidem & vires excedens humanas hæc narratio, de qua sic Leo Allatius in Diatriba *de Simeonum Scriptis* pag. 8. qui textum illius Græcum apud se haberi testatur.

„Nec non & ante Metaphrasten Antonius Monachus, Simeonis discipulus in ejusdem vita, „quæ penes me est in Codice antiquissimo cum „illo principio, *ξένον καὶ παράδοξον μυστήριον ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις ἡμῶν. Novum & insolitum „mysterium contigit in diebus nostris.* Et prope finem habetur, *Ἐγὼ οὖν ὁ ταπεινὸς καὶ ἐλάχιστος „Ἀντώνιος εἰς ἃ ἠδυνήθην καταλαβέσθαι, ἔγραψα „τὴν ἱστορίαν ταύτην. Ego itaque humilis & minimus „Antonius pro viribus meis scripsi hanc historiam.* „Non est itaque Vitæ hujus incertus author, ut „putavit Baronius, sed Antonius, qui sæpius in „eadem nomen suum declarat. De quo forte „etiam Evagrius intelligendus *Historiæ* lib. 1. cap. „13. *τούτῳ τὰς θεοσημείας γέγραφε μὲν καί τις „τῶν αὐτόπτων γενομένων. Γέγραφε δὲ καὶ λογίως „ἁπάντων καὶ Θεοδώρητος, ὁ τὴν Χυρισῶν ἐπισκοπὴν „πάσας. Hujus res gestas literis prodidit, cum alius „quidam, qui eum oculis aspexit: tum Theodoretus „Ecclesiæ Cyrensis Episcopus, eadem diserte exposuit.* „Hic Antonius præsens rebus præsentibus adfuit, ut sæpius inculcat de Dracone: *καὶ ἐξέρχεται μιᾷ τῶν ἡμερῶν ἐκ τῆς φωλεᾶς αὐτοῦ, καὶ „συρόμενος ἔρχεται πάντων ἡμῶν ὁρώντων, καὶ „ἐλθὼν τίθησιν αὐτὸν εἰς τὸ πρόθυρον τῆς καλύβης. „Exiit aliquando ex latebra sua, & serpens venit, omnibus nobis conspicientibus, ad vestibulum Man-„dræ, ibique se projecit.* Et infra de Pardo: *καὶ „κελεύει τῷ ὕδατι καὶ τῇ γῇ ἐκεῖνα ἐν τῷ „τόπῳ ἐκείνῳ, καὶ ἀπῆλθον ἐγώ, καὶ κατέρχεται „τὸν τόπον ἐκεῖνον, καὶ τῇ ἐξῆς ἀπῆλθον. Et præ-„cepit aquæ & terræ irrigari locum illum, accessique „ipse, & irrigavi locum illum, & die sequen-„te abii.* Et alibi: *Ὅτε δὲ εἶδον ἐγὼ ὁ ἐλά-„χιστος, ἀνῆλθον πρὸς αὐτὸν, καὶ ἐβασάμην τὸ „πρόσωπον αὐτοῦ, καὶ ἦν φαιδρόν ὡς ὁ ἥλιος, καὶ „κατὰ τὸ ἔθος μὲ ἐλάλησέ μοι. καὶ ἐγὼ ἔλεγον „ἐν ἑαυτῷ, ὅτι ἀναπάυεται, καὶ πάλιν ἠρώτων „καὶ ἐφοβούμην προσεγγίσαι αὐτῷ, καὶ τολμήσας „λέγω αὐτῷ· Δοῦλε τοῦ Θεοῦ διατί οὐ λαλεῖς μοι, καὶ „τελεῖς τὴν εὐχήν σου; καὶ σαββεῖς ὥρας μίαν λέγω „αὐτῷ, Οὐδέν μοι λαλεῖς; καὶ τείνας τὴν χεῖρα, „ἠψάμην τοῦ πώγωνος αὐτοῦ, καὶ ἦν ὀχυλέστερον „τὸ σῶμα αὐτοῦ. καὶ τότε ἔγνων, ὅτι ἐτελειώθη ἐν „Κυρίῳ, καὶ ἔκλαυσα πικρῶς, καὶ ψαύσας τὸ „πρόσωπόν μου ἐφίλησα αὐτοῦ τὸ σῶμα, καὶ τοὺς „ὀφθαλμοὺς, καὶ τοὺς εὐλογημένους αὐτοῦ πόδας, „καὶ κρατήσας αὐτοῦ τὰς χεῖρας, ἐπέθηκα εἰς τοὺς „ὀφθαλμούς μου. Ut vero vidi ipse minimus, accessi „ad ipsum, & vidi faciem ejus, & erat splendida sicut „sol: & ut solebat, non est allocutus me. Et ipse in-„tus meipsum dicebam, quiescit. Et rursus autes ego „arrigebam, & illi approximare verebar, tandem au-„dens dixi: Serve Dei quare sermonem mecum non „confers, & preces tuas non absolvis? Tum una hora „perdurans dico ipse, Nihil mihi dicis? Et extensa „manu tetigi mentum ejus, & erat corpus illius remis-„sum, & tum agnovi eum vitam finisse in Domino: „& flevi amare, & lavans faciem meam deosculatus „sum os ejus & oculos, & benedictos ejus pedes, & ar-„ripiens illius manus appositi super oculos meos.* Et „alibi ne singula recenseam: *Ἐγὼ δὲ ἀδελφοὶ „ἰδεόμην ἄγγελον ἐρχόμενον καὶ παριστάμενον καθ-„ἑκάστην ἐπ' αὐτὸν περὶ ὥραν δεκάτην, καὶ συνο-„μίλει αὐτῷ ἐπὶ ἡμέρας ἑπτὰ, καὶ ἡ ἰδέα αὐτοῦ „ὡσεὶ ἀστραπή. Ego vero Fratres, videbam Angelum „advenientem, & stantem singulis diebus super ipsum „circa horam decimam, & intercedebat cum eo quoti-„diana consuetudo ad dies decem, & forma illius sicut „fulgur.* Non tamen me latet hanc Vitam ab „Antonio conscriptam, Simeonis Metaphrastæ „titulum in nonnullis antiquis Codicibus præ-„tulisse, sed frustra.„ Fides nugarum istarum penes Allatium sit, cujus genuinitatem mihi persuadere non possum. Agunt de hoc Antonio scriptore Vitæ sancti Simeonis Stylitæ senioris, Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 94. Heribertus Rosweidus in Notis ad Vitam S. Simeonis Stylitæ, lib. 1. *de Vitis Patrum.* Joannes Bolandus in Prolegomenis ad hanc Vitam, ad diem Januarii 5. cui Vita sancti Simeonis Stylitæ senioris assignata est, in Martyrologio Romano. Leo Allatius in Diatriba *de Simeonibus* pag. 8. unde hæc desumpta sunt: & pag. 101. littera ξ *ξένον καὶ παράδοξον μυστήριον ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις ἡμῶν.* Antonii Monachi *βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Συμεῶνος τοῦ Στυλίτου.*

480 CONSTANTIVS LVGDVNENSIS PRESBYTER, non autem Episcopus, ut sanctus Isidorus in libro *de viris illustribus* cap. 4. scripsit, gente Gallus, a Sidonio Apollinari Aruernorum Episcopo, cui synchronus fuit, sæpe laudatus, circa annum 470. & sequentes claruit. Inter annos 475. & 480. cum civitas Aruernorum ab Evarice Gothorum Rege longa obsidione premeretur, Constantius superatis omnibus difficultatibus, longitudine itineris, dierum brevitate, pabulorum penuria, aliisque impedimentis, via satis invia & abrupta, Lugduno Aruernum usque profectus est: ubi tumultuantes cives ad concordiam revocavit, aliosque Gothorum ingruentium metu fugientes, in urbem reduxit: ut habet Sidonius Lib. 9. Epistola 16. qui ubique Constantium suo nomine dignum mire laudat. Nec fortitudinem tantum & constantiam in Constantio commendat, sed & lib. 1. Epist. 1. cum Epistolas suas simul collectas in unum computasset, illas non modo ejus examini recensendas, sed defæcandas (ut ait) limandasque commisit: *sciens illum immodicum esse fautorem non studiorum modo, sed & studiosorum.* Scripsit *de vita sancti Germani Antissiodorensis Episcopi* Opus in duos libros distinctum, quod extat apud Laurentium Surium in *Probatis Sanctorum Vitis* ad diem Julii XXXI. Obtulit hoc Opusculum sancto Patienti Lugdunensi Episcopo, qui anno 475. Ecclesiam Lugdunensem a se extructam solemni pompa atque etiam insigni Episcoporum numero dedicari procuravit, & anno circiter 480. die 11. Septembris mortuus est: unde Constantium eodem tempore clarum fuisse & scripsisse, liquet. Agunt de Constantio Lugdunensi, Isidorus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 4. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 103. pag. mihi 200. Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana*, tomo 2. ubi *de Germano Antissiodorensi Episcopo*, cujus vitam scripsit. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *de historicis Latinis* cap. 16. pag. 223. Guillelmus Cavus in *Historia Literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo V. ad annum 440. pag. 346. quo forsitan nondum clarus erat.

480. „EVGENIVS CARTHAGINIS AFRICÆ „CIVITATIS EPISCOPVS, & Confessor „publicus, admonitus ab Hunnerico Rege Van„dalorum, Catholicæ fidei Expositionem, & ma„xime verbi *Homousii* proprietatem differere: „cum consensu omnium Africæ, Mauritaniæ, & „Sardiniæ atque Corsicæ Episcoporum & Con„fessorum qui in Catholica perseverarant fide, „*librum fidei* non solum Sanctarum Scriptura„rum sententiis, sed & Patrum testimoniis com„munitum, per Collegas suæ confessionis por„rexit. Jam vero asportandus pro fidelis lin„guæ remuneratione in exilium, Epistolas ve„lut conservandi baptismatis, ovibus suis quasi „pastor sollicitus dereliquit. Altercationes quoque quas cum Arianorum Præsulibus per„ internuntios habuit, conscripsit & relegendas„ per Majorem domus Hunnerico transmisit. Si„militer & preces pro quiete Christianorum ei„dem velut Apologias obtulit. Vivere adhuc„ ad confirmationem Ecclesiæ dicitur. „ Hæc Gennadius in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 97. Ejus quoque *Cohortatoriam Epistolam* ad Ecclesiam suam Carthaginensem, ut eam in recta confirmaret fide & adversus Arianorum persecutionem muniret, describit Gregorius Turonensis lib. 2. *Historiæ Francorum* cap. 3. Quantum autem ad *Orationem quam Hunnerico Vandalorum Regi obtulit*, hanc habet insertam lib. 3. *de persecutione Africana* Victoris Episcopi Vitensis, de quo statim agemus. Claruit Eugenius anno 484. & ultra, cujus mentionem faciunt post Gennadium Massiliensem & Gregorium Turonensem locis citatis, Honorius Augustodunensis libello 2. *de luminaribus Ecclesiæ* cap. 97. Aubertus Miræus in *Scholiis* ad Gennadium, Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus* seculo V. tom. 1. pag. 689. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* ad annum 480. pag. 368.

484. VIGILIVS TAPSENSIS SEV TAPSITANVS EPISCOPVS, in Provincia Bizacena, natione Afer, non floruit Imperante Justiniano circa annum 560. & ulterius, ut male scripseram in *Supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis* ad eundem annum pag. 122. sed antiquior annis ferme centum, anno 484. floruit quo Hunnerici Regis Vandalorum jussu Carthaginem evocatus, ut rationem fidei suæ redderet, Eugenii (de quo statim egimus) Carthaginensis Episcopi professioni fidei subscripsit, & cum eo pro fide Catholica constanter militavit. Laudatus a Theodulfo Aurelianensi Episcopo, in Tractatu *de Baptismo* sub nomine Vigilii Africani: atque ab Æinea Parisiensi Episcopo, in Opere *adversus Objectiones* Græcorum: cujus Opuscula omnia diu latuerunt atque evulgata sunt sub nomine Vigilii Tridentini Episcopi & Martyris: quæ ut huic ultimo attribuerentur, plurimum a plurimis desudatum est, sed frustra. Ad Martyrem Vigilium Tridentinum Episcopum scripsit Epistolam S. Ambrosius Mediolanensis Episcopus *de institutione Episcopi*, cum creatus ille esset Tridenti Episcopus, quæ est 24. lib. 3. editionis Romanæ. Qua illud imprimis monuit, ne ejus Ecclesia fieret corpus commune, Gentiles Christianis admiscendo. Hoc Vigilium totis neruis curasse & graviter impleſſe constat, atque eam ob causam Martyrium subiisse, cum ipso in idem incumbentibus Alexandro, Sisinnio, & Martyrio, qui ante & ipsi agonem consummarunt: quos idem S. Vigilius sepelivit, eorumque Acta ad Simplicianum Mediolanensem Episcopum conscripsit, ut testatur Gennadius *de viris illustribus* cap. 37. quæ extant apud Surium tomo 3. die 29. Maji, & tomo 2. apud Lipo-

Lipomanum, *libellus* nempe ſeu *Epiſtola continens geſta ſui temporis apud Barbaros*, qua breviter exponitur Martyrium prædictorum Martyrum. Cum ergo hic Vigilius Tridentinus Epiſcopus & Martyr, temporibus (ut dixi) SS. Ambroſii & Simpliciani vixerit, & Martyr occubuerit Conſulo Stilicone vel primo vel ſecundo, qui incidit in annum Chriſti 405. quando non tantum Eutychis hæreſis, ſed nec Neſtorii exorta erat: quomodo potuiſſet ſcripſiſſe adverſus Eutychem, qui Martyr diu ante illum ex hac vita migraverat? Opera ergo iſta hucusque Vigilio Tridentino Epiſcopo & Martyri perperam adſcripta, hoc tandem ſeculo curis & ſtudio Petri Franciſci Chiffletii Societatis Jeſu Theologi & Hiſtorici non ignobilis, Vigilio Africano Tapſenſi Epiſcopo reſtituta ſunt. Scripſit enim ille multa quæ diu ſub alieno nomine latuerunt, vel potius ideo illa latuerunt, quia ſub alienis nominibus a Vigilio illo Tapſitano Epiſcopo ob cauſas ſibi notas compoſita ſunt: nimirum SS. Athanaſii, Arnobii ſenioris, Ambroſii, Auguſtini & aliorum. Vel potius ſingularem quandam affectationem ac ſibi propriam habuit, ut Opera propria ſub nominibus alienis occultaret: & hanc vel ex motivo Chriſtianæ humilitatis quæ neſciri atque occultari quærit, vel ut invidiam obtrectatorum fugeret, ſi ſub proprio illa nomine prodiiſſent, ſibi imminentem & certam: vel denique ut Vigiliana hujusmodi Opera majorem ex alienis antiquiorum Doctorum nominibus mutuatis, authoritatem ſibi compararent. Hæc tandem (ut dixi) ſollicitudine & ſtudiis Petri Franciſci Chiffletii Societatis Jeſu Presbyteri, hucusque ſub ſancti Vigilii Tridentini Epiſcopi & Martyris nomine utplurimum edita, proprio Authori reſtituta ſunt, in 4. impreſſa cum Operibus Victoris Vitenſis, Divione 1665. adjectis ad calcem Diſſertationibus, Annotationibus, & Lectionibus, ejusdem Petri Franciſci Chiffletii cura, variantibus. Prodierunt autem hoc ordine.

Adverſus Neſtorium & Eutychetem lib. V. pro defenſione Synodi Chalcedonenſis, pag. 1. qui ſub Vigilii Tridentini nomine aliquoties prodierunt, Tiguri 1539. deinde a Caſſandro Coloniæ editi 1575. in 8. & inter Opera Caſſandri pag. 514. Emendatiores & auctiores a Joſia Simlero editi Baſileæ 1571. & alibi ſæpius, in Bibliotheca SS. Patrum. Incipiunt: *Magnum & grave fidei periculum, quod nec facile ſentiri &c.* Opus quod cum cæteris Vigilii Tapſitani ſcriptis comparatum, ornatu omnia alia atque pondere, excellere videtur.

Altercatio ſub nomine Athanaſii contra Arium, ſive *Dialogorum libri II. in Concilio Nicæno inter Athanaſium & Arium ſub Probo judice habiti*, pag. 84. Olim ſub nomine & inter Opera ſancti Athanaſii, incipiunt: *Cum apud Nicæam urbem Bithinia, a trecentis decem & octo Epiſcopis, ex Evangelicis Apoſtolicisque ſpiritali vigore doctrinis &c.* Ad quorum finem pag. 117. adde tanquam Supplementum operis hujus, *Solutiones Objectionum Arianorum*, quæ extant pag. 533. & incipiunt: *Solutiones Objectionum Arianorum. Prima eorum objectio eſt &c.* quas primo Dialogo ſub nomine Athanaſii adverſus Arianos a Vigilio, antequam ſecundam Dialogorum iſtorum editionem aggrederetur, adjectas eſſe conjicit Chiffletius.

Dialogorum ſive *Altercationum lib. III. ſub nomine Athanaſii, adverſus Arium, Sabellium & Photinum coram Probo judice habiti*, pag. 118. Olim ſub nomine & inter Opera divi Athanaſii impreſſi. Incipit Vigilii præfatio, *Cum mecum de fidei veritate diu multumque tractarem &c.* Liber 1. *Probus Judex dixit, perſpiciens &c.* Idem Opus cum priore cenſendum eſt, hoc tantum diſcrimine diſtinctum: quod primum in Africa a Vigilio dum Vandalos adhuc timeret, & ab iis agnoſci nollet, ſcriptum fuerit teſte Chiffletio: hoc autem ſecundum Vigilius ab Africa egreſſus recognoverit, præfatione mutilatum, locis plerisque climatum & integro libro tertio qui Probi judicis ſententiam complectitur, amplificaverit.

* *De Trinitate* ſive *de unita Trinitate Deitatis ad Theophilum libri XII.* pag. 198. olim ſub ejusdem Athanaſii nomine & inter ejus Opera ſæpius impreſſi, de quibus agere pluribus, ſupervacaneum eſt. Incipiunt, *Tu unus Deus Pater, Vnigenitus Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus &c.* Scripti Neapoli in Campania & Athanaſio ſuppoſiti, dum illic Vigilius exul ageret: ſub cujus etiam Athanaſii nomine, ſeptem priores libri in editione Athanaſii Operum Heidelbergenſi prodierunt: Duodecim autem integri, in undecim tamen male diviſi, duobus poſterioribus libris in unum conflatis, in editione Pariſienſi, editi ſunt. Hæc omnia ſub nomine atque inter Opera S. Athanaſii, quæ ab eruditis jam nullo negotio, huic Vigilio Tapſenſi Epiſcopo attribuuntur.

Symbolum ſeu Ratio fidei, quæ vulgo *Symbolum ſancti Athanaſii* dicitur, ab eruditis hodie huic Vigilio attribuitur: quod ſane Neſtorio poſterius eſt & hominis Latini, ut jam omnes cenſent, cujus mentionem primus omnium Hincmarus Remenſis Epiſcopus fecit. Habetur inter Opera divi Athanaſii, & in tomis Conciliorum ultimæ Pariſienſis editionis Labbeanæ, incipiens: *Quicunque vult ſalvus eſſe, ante omnia opus eſt ut teneat Catholicam fidem &c.* de quo plura qui voluerit, Voſſium legat in Opere *de tribus Symbolis* 1662. Amſtelodami in 4. & Godefridum Hermannum in Annotationibus ad Vitam S. Athanaſii Gallice in 8. anno 1679. Pariſiis editam. Iſtud Symbolum ut S. Athanaſii agnoverunt poſt Hincmarum ſeculi IX. ſcriptorem, multi alii poſt annum Chriſti M. Laudavit illud Abbo Floriacenſis Abbas, qui anno M. floruit, in Apologetico ad Regem Francorum Hugonem & Robertum: *Primitus*, inquit, *de fide dicendum credidi, quod altercantibus choris & in Francia &*

apud Anglorum Eccleſiam, variari audivi. Alii enim dicunt ut arbitror ſecundum Athanaſium, Spiritus Sanctus a Patre & Filio, non factus, non creatus, ſed procedens: qui dum id quod eſt nec genitus *ſubtrahunt, nec Synodicum Domini Gregorii ſequi ſe credunt, ubi ita eſt ſcriptum:* Spiritus Sanctus, nec ingenitus eſt, nec genitus, ſed procedens. Illud idem Symbolum ſub nomine S. Athanaſii & tanquam legitimum illius Opus, Commentariis propriis illuſtravit antiquus Theologus Simon de Tornaco, olim Canonicus B. Mariæ Pariſienſis circa annum 1220. cujus Commentarius extat MS. in duobus a me inſpectis antiquis MSS. Codicibus Pariſienſibus, alter Regiæ Galliarum Bibliothecæ num. 3903. a fol. 141. ad 150. altero anonymo illuſtris Bibliothecæ Canonicorum Regularium S. Victoris ejusdem urbis. Littera SS 18. ubi extat poſt Summam Theologicam dicti Simonis de Tornaco, de qua nos locuti ſumus ad annum 1210. Athanaſio quoque illud Symbolum tribuunt Rodolphus & Aimo ex ordine Fratrum Minorum, & Hugo & Petrus ex ordine Prædicatorum: qui a. MCCXXXIII. ad Græcos Latinis conciliandos a Gregorio IX. Romano Pontifice, Apocriſiarii Conſtantinopolim miſſi ſunt. In eorum definitione Latina apud Bzovium tomo 13. Annalium Eccleſ. hæc leguntur: *Propterea quicunque non crediderit Spiritum Sanctum a Filio procedere, in via perditionis eſt. Unde S. Athanaſius, dum in partibus Occidentalibus exulabat, in Expoſitione fidei, quam Latinis verbis reddidit, ſic ait: Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus &c. Spiritus Sanctus a Patre & Filio, &c.* Idem refert Græce & Latine Franciſcus Combefis ad calcem omnium Operum *S. Maximi Monachi & Martyris*, quæ curis ejus Pariſiis in fol. edita ſunt, de quibus nos poſtea in *ſancto Maximo Monacho & Martyre* ad annum 660. Idem tribuunt Symbolum Athanaſio, atque ut Athanaſii genuinum opus laudant, Guillelmus Mimatenſis Epiſcopus in *Rationali divinorum Officiorum* lib. 4. cap. 24. Joannes Belethus Theologus Pariſienſis in *Explicatione divinorum officiorum* cap. 40. Idem Athanaſio tribuit Manuel Calecas lib. 2. *adverſus Græcos* cap. 20. idque ipſum ad Julium Pontificem Romanum miſiſſe ait, cum violatæ fidei conſcius apud ipſum argueretur. Duplici autem ratione *hanc fidei Expoſitionem* Athanaſii eſſe probat laudatus author. *Primo* quia S. Gregorius Nazianzenus ejus meminit in Orat. *de laudibus ſancti Athanaſii. Secundo*, quia per omnes Occidentis Eccleſias Dominicis diebus canitur, atque ita celebris eſt ejus author, ut ne a pueris quidem ignoretur. Idem admittunt, Eugenius IV. Romanus Pontifex, in *decreto inſtructionis Armenorum*: Gennadius Scholarius in *Defenſione Concilii Florentini* cap. 1. Quibus Græci ipſi Schiſmatici conſentiunt, licet per impudentiam ſummam Athanaſium tunc ebrium fuiſſe effutiant, cum Symbolum illud edidit: quos eam ob cauſam Gennadius exagitat. Nec levis hac in cauſa momenti eſt authoritas Thomæ Aquinatis apud Pontificios, 22. quæſt. 1. art. 10. in reſponſione ad 3. argumentum, dicentis. "Athanaſius non compoſuit manifeſtationem fidei per modum Symboli, ſed magis per modum cujusdam doctrinæ: ſed quia integram fidei veritatem cum doctrina breviter continebat, authoritate ſummi Pontificis eſt recepta, ut quaſi fidei regula habeatur." His tamen patronis non obſtantibus, præfatum Symbolum a ſancto Athanaſio ſcriptum atque editum eſſe, negant viri Eruditiſſimi, graviſſimis adducti rationibus. Harum nonnullas jam ſupra in *Athanaſio* ſummatim attulimus, quibus addere ſequentes, operæ pretium eſt.

Prima eſt, quod nullus author Athanaſio coævus aut ſuppar, illius meminerit. Non ſanctus Gregorius Nazianzenus in Oratione, *de laudibus ſancti Athanaſii*, non ullus Hiſtoricorum Eccleſiaſticorum qui primis ſeculis ſcripſerunt, non Athanaſius ipſe in Apologiis. Equidem S. Gregorius Nazianzenus aſſerit S. Athanaſium veritatem palam apertisque verbis *circa Spiritus Sancti Divinitatem, primum & ſolum aut cum admodum paucis promulgaſſe, & ſcripto confeſſum eſſe, atque hanc Confeſſionem Joviniano Imperatori obtuliſſe*: donum vere Regium & magnificum. Sed hæc Confeſſio, non eſt Symbolum illud quod Athanaſianum vocatur, ut quidam volunt. Sed Epiſtola Synodica eſt ab Athanaſio ad Jovinianum ſcripta nomine omnium Epiſcoporum Ægypti, Thebaidos & Lybiarum: quæ & Nicænum Symbolum complectitur, & quædam ad jugulandam Pneumatomachorum hæreſim recentem. Poſſevinus in *Apparatu Sacro*, aſſerit S. Auguſtinum in Pſalmum CXX. Athanaſii hujus Symboli meminiſſe: hancque velut Auguſtinianam ſententiam laudat ſuper illud, *Per diem ſol non uret te, neque luna per noctem*: Vbi, *de hoc ſole Pater Athanaſius Alexandrinus Epiſcopus ita pulchre locutus eſt: Filius Dei a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.* At hæc ſententia nequaquam Auguſtiniana eſt, nec ulla ſit apud Auguſtinum eo loci, vel modica Athanaſii mentio. En verba S. Auguſtini: *Ergo alium ſolem fecit Deus, qui oritur ſuper bonos & malos, iſtum quem vident boni & mali: alius eſt autem ille ſol, non factus, ſed genitus, per quem facta ſunt omnia.* Nec verius eſt quod alii dicunt, S. Hilarium in *Fragmentis*, hoc Symbolum tribuiſſe S. Athanaſio. Licet enim Pithœanus codex moneat in Codice quodam Dervenſi, poſt Symbolum Nicænum & damnationem Arii in Concilio Ariminenſi a Catholicis exaratam, ſequi *fidem dictam a ſancto Athanaſio*, ſive *Symbolum* quod ejus nomen præfert: non propterea certum eſt quod Symbolum iſtud ipſe S. Hilarius deſcripſerit, imo veriſimilius eſt fuiſſe fragmentis Hilarianis additum. Maxime cum recentiori manu ſcriptus eſſet Codex Pithœanus, ex quo fragmenta illa edita ſunt, ut teſtatur vir clariſſimus & doctiſſimus Nicolaus Faber in

1.

Pra-

Præfatione ad editionem fragmentorum iſtorum. 2. *Secunda ratio* petitur ex ſilentio S. Cyrilli Alexandrini, Epheſinæ Synodi, S. Leonis & Concilii Chalcedonenſis, a quibus dubio procul hoc Symbolum contra Neſtorianam & Eutychianam hæreſim laudatum fuiſſet, ſi ſancti Athanaſii extitiſſet. Certe S. Cyrillus Athanaſii ſucceſſorum unus, id non ignoraſſet, neque illius authoritatem neglexiſſet, ad refellendum Neſtorium validiſſimam. His addendum ſilentium Latinorum contra Græcos, poſt Schiſma Photianum usque ad Gregorii IX. tempora *de proceſſione Spiritus Sancti* diſceptantium. Si enim tunc pro certo id Symbolum eſſe Athanaſii creditum fuiſſet: hoc telo contra Græcos Schismaticos pugnaſſent Occidentales noſtri, quod non leve pondus habuiſſet, ob ſummam Athanaſii in utraque Eccleſia authoritatem. At primi, quos hoc argumento uſos eſſe legimus, ſunt Apocriſiarii Gregorii IX. licet hæc controverſia jam ab annis prope quingentis duraſſet. 3. *Tertia ratio* petitur ex ſtylo ſermonisque contextu, qui nequaquam Græci hominis eſt, ſed Latini. Vnde in antiquis & probatæ fidei MSS. Codicibus omnibus pene Operum S. Athanaſii, hoc Opuſculum deſideratur. Si quando in Græcis invenitur, Codices recentes ſunt, modicæ fidei, ita inter ſe diſſidentes, ut fidem nullam mereantur, atque noviſſimam oleant Græciam. Nec excipere juvat, potuiſſe S. Athanaſium Latine ſcribere ac diſcere, biennio illo quo Treviris vixit: atque item dum profugus Mediolani, Aquilejæ & Romæ agit. Nam parum veriſimile eſt S. Athanaſium in ætate tam provecta, & longe aliis ac melioribus diſtentum curis, hunc laborem peregrinæ linguæ addiſcendæ ſubiiſſe, atque id absque neceſſitate. Romæ enim & in Galliis, copia virorum erat, qui Græce ſcirent: ita ut Athanaſio ad mutuos ſermones Latina lingua opus non eſſet, dum illis in regionibus verſaretur. Et ſi Latine ſciviſſet, difficile creditu eſt, quin illi in ſcriptione Latina 4. Græcismus aliquis excidiſſet. *Quarto* denique qui illud S. Athanaſio tribuunt, inter ſe non conveniunt, quando & qua occaſione illud ediderit. Quidam Treviris dicunt illud ſcripſiſſe, illisque puteum oſtendi, ubi latitans ob Arianorum inſidias, illud compoſuerit. Sed Commentum iſtud non operoſe refellitur. Treviris enim honeſte exceptus eſt S. Athanaſius, nec ut exul, ſed ut Confeſſor. Neque mirum, cum Epiſcopus tunc eſſet Treverenſis, S. Maximinus Arianorum acerrimus hoſtis, & Nicænæ fidei egregius defenſor. Præterea illuc Athanaſium miſerat Conſtantinus, ut eum Arianorum furori ſubduceret, quod conſtat ex litteris Conſtantini junioris ad Eccleſiam Alexandrinam, quas ipſe refert Athanaſius *Apologia* 2. Denique ſcriptores omnes Eccleſiaſtici, Theodoretus, Socrates, Sozomenus, Simeon Metaphraſtes & Græcus alter *Vita S. Athanaſii* ſcriptor anonymus, has ejus in puteo latebras dum alto ſilentio premunt, inſulſam eſſe fabulam diſerte probant. Hæc autem de *Puteo Trevirenſi* fabula, Voſſio nata inde videtur, quod ſcripſit Rufinus lib. 1. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 18. *eum ſex annis continuis ita latuiſſe in lacu ciſternæ non habentis aquam, ut ſolem nunquam videret.* Sed hoc in Ægypto factum narrat, non Treveris: nec tempore Conſtantini Magni, ſed Conſtantino juniore jam interempto: cum Conſtans Occidentis, Conſtantius Orientis imperium tenerent. Ac latebras illas S. Athanaſii ad incertam famam Rufinus refert, *latuiſſe fertur*, inquit, *in lacu ciſternæ &c.* Nec auſpicatius alii conjecerunt hoc Symbolum a S. Athanaſio Romæ editum, atque Julio Pontifici Romano oblatum: quod neceſſe eſſet ipſum Catholicæ fidei profeſſionem palam edere, ut Romanæ Eccleſiæ communione frueretur: alias enim audiendum non fuiſſe, qui reus advenerat, & multorum criminum ab Euſebianis accuſatus. Hæc inquam conjectura, hac unica obſervatione evertitur, quod S. Athanaſius *de doctrina* non fuerit apud Julium Pontificem accuſatus (Euſebiani enim ejus hoſtes, Nicænæ fidei ſe aſſentiri ſimulabant) ſed quod a Synodo damnatus, nec ab ea reſtitutus, ſedem contra Canones recepiſſet: quod ejus Alexandriam reditus, multarum cædium cauſa fuiſſet: Quod denique Ægypti ac Lybiæ viduis triticum eripuiſſet, Conſtantini munificentia præberi ſolitum. Cum itaque non hæreſeos, ſed aliorum criminum accuſaretur Athanaſius, & Julio Pontifici Catholicisque omnibus non ſolum fidei ejus integritas nota eſſet, non ſolum perſpectum pro Nicæni Concilii defenſione ſtudium, ſed exploratum plane ipſum in odium fidei calumniis impetitum, & depoſitione ac exilio afflictum: improbabile incredibileque eſt, quod ab illo fidei profeſſionem Julius exigere voluerit.

Symbolum iſtud, qui non eſſe S. Athanaſii viderunt, nonnulli Euſebio Vercellenſi adſcripſerunt, alii Anaſtaſio Sinaïtæ, alii editum ab anonymo Gallo Theologo conjecerunt, Pipini & Caroli Magni temporibus, præbente occaſionem controverſia *de proceſſione Spiritus Sancti*: de qua in Synodis tunc Gallicis actum eſt. Hac in ſententia fuit Petrus Pithœus libro *de Proceſſione Spiritus Sancti*, & in eam ſe propendere profitetur Voſſius, in Diſſertatione *de tribus Symbolis*. Sed ſi quid dandum conjecturis eſt, proclivior ſum ut aſſentiar erudito Paſchaſio Queſnel *Diſſertatione ſua XIV. in Opera S. Leonis Papæ*, illud Vigilio Tapſenſi in Africa Epiſcopo, qui circa annum 484. ſub ſeculi V. finem, ſub Hunnerico Rege floruit, tribuenti. Huic enim Vigilio, cujus occaſione tam copioſe de hoc Symbolo hic diſputatum eſt, admodum familiare fuit, ut Opuſcula ea quæ ſcriberet, non ſuo ſed antiquiorum Patrum nomine emitteret. Ita *Dialogum adverſus Arianos, Sabellianos & Photinianos* ſub nomine S. Athanaſii contra Arium, Sabellium & Photinum coram probo judice diſputantis

tantis compoſuit, ut ipſe in præfatione hujus Dialogi profitetur. *Vtile hoc*, inquit, *& valde commodum apparuit, ut uniuscujusque Hæretici perſonam, cum ſui dogmatis profeſſionibus, quaſi præſentes cum præſentibus agerent, introducerem. Sabellium ergo, Photinum, Arium, atque ad noſtras partes Athanaſium introduxi: ut veritas ſummo conſligentium certamine eliquam, ad omnium notitiam perveniret.* Conjicit autem vir eruditus, hanc fidei profeſſionem quæ Symboli nomen habet, tunc à Vigilio fuiſſe condictam, dum Conſtantinopoli exul ageret. „Audiens autem quantas ſtrages „Ariana hæreſis in Africa ageret, & quo in diſ„crimine verſaretur populariorum ſuorum fides: „paſtoralis officii partes eſſe exiſtimavit, pericli„tanti populo ſuo ſuppetias ferre, ſimpliciori„busque Chriſtianis eam fidei profeſſionem ob „oculos ponere, quæ remotis omnibus ſubtilio„ris & intricatioris Theologiæ ambagibus, Ca„tholicam doctrinam pure, nitide, breviterque „exponeret. Qua Expoſitione Eccleſiam ſuam, „aliasque Africanas non ſolum adverſus Arianæ „ſectæ perfidiam muniendas eſſe exiſtimavit: „ſed etiam adverſus Neſtorianam & Eutychia„nam, quæ apud Orientales longe lateque graſ„ſabantur, & in Africanas regiones Epiſcopis „exulibus, invehi facile poterant. Ideo autem „*fidem S. Athanaſii* (hic enim primitus inſcriptam „fuiſſe hanc fidei profeſſionem conſtat ex Cano„ne Auguſtodunenſis Synodi ſupra laudato, ex „verſionibus Græcis, MS. & ex Caſſinenſis Mona„ſterii Breviario, ſexcentorum fere annorū) ideo „inquam, *iſtam Expoſitionem fidei* hoc nomine Vi„gilius Tapſenſis adornavit: quod illa Summam „Athanaſianæ fidei vere contineret, & ne quis„quam Africanorum Epiſcoporum de condita „hujus fidei formula in ſuſpicionem apud hære„ticos deveniret, ac propterea in certiſſimum „vitæ diſcrimen adduceretur.“ Hæ viri hujus conjecturæ, quibus & plurimi jam ſubſcripſerunt hoc Symbolum Vigilio attribuentes.

Nec tantum Opuſcula à Vigilio Tapſenſi Epiſcopo evulgata ſub ementito Athanaſii nomine: ſed aliorum etiam inſignium Eccleſiæ tum Africanæ, tum Latinæ Patrum, ut Auguſtini, Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi, Arnobii Afri, atque etiam aliorum, qui nos latuerunt: de quibus hic quoque data occaſione agendum eſt.

De Vnitate Trinitatis ad Optatum, contra Felicianum Arianum, liber pag. 331. olim ſub nomine & inter Opera S. Auguſtini male inſertus, incipiens: *Extorſiſti mibi dilectiſſime Fili, ut de Vnitate Trinitatis &c.* in formam Dialogi inter S. Auguſtinum & Felicianum Arianum a Vigilio confictus: ut recte animadvertit idem Chiffletius.

Item ſcripſit ſub nomine Divi Auguſtini, *Altercationem cum Paſcentio Ariano coram judice Laurentio*, cujus in MSS. Codicibus hic titulus eſt: *Conlatio Beati Auguſtini cum Paſcentio Ariano, habita in domo Anicia Hippone Regio, præſente Laurentio judice delecto à Paſcentio &c.* Hanc ex MSS. erutam habes in Appendice ad volumen Epiſtolarum Divi Auguſtini, quam procurarunt Benedictini Galli Congregationis S. Mauri, p. 41. cum docta Annotatione prævia, eorum Monachorum, qua Altercationem hanc ex ſtylo & agendi modo, eidem Vigilio Tapſenſi aſſignant.

Contra Marivadum ſeu *Varimadum Ariane Secte Diaconum*, olim ſub nomine *Idacij Clari contra Varimadum*, libri 3. pag. 357. Horum præfatio incipit, *Dudum dilectiſſimi fratres apud Neapolim Campanie urbem conſtituti &c.* Liber I. *Quod Filius ſit unus Deus cum Patre &c.* quos olim quoque ſub Idacii Clari nomine à Vigilio Tapſenſi Epiſcopo, evulgatos & ſub ejusdem nomine typis ſæpius impreſſos fuiſſe conſtat. Ita ſolebat Opera ſua hic Epiſcopus alienis occultare inſcriptionibus, quæ fucum poſteris fecerunt.

Adverſus Palladium Arianum Liber I. ſub ſpecie Concilii Aquilejenſis, pag. 485. olim ſub nomine & inter Opera ſeu Epiſtolas S. Ambroſii. Incipit: *Siagrio & Eucherio viris clariſſimis Conſulibus tertio nonas Septembris, Aquileja in Eccleſia conſidentibus Epiſcopis &c. Contra Eundem Palladium liber 2.* ſub nomine quoque & inter Opera S. Ambroſii inſcriptus *de fide* ſeu *de Conſubſtantialitate Filij cum Patre*, hic pag. 506. Incipit: *Ambroſius Epiſcopus dixit, multas & graves hæreſes novimus a plurimis ebullire &c.* Sed cujus Prologus ſeu initium habetur pag. 529. *Credimus in Deum Patrem omnipotentem, omnium viſibilium & inviſibilium factorem &c.* Tum ad paginam 532. reſume quod habetur pag. 506. Deinde ejusdem libri pag. 524. adde pauca ſub finem pag. 532. quibus adjicies *Epiſtolas Concilii Aquilejenſis ad Epiſcopos Gallie & ad Imperatores*: ut hac ratione hi duo libri continui, & absque inverſione legantur. Hæc ſub alienis omnia nominibus, unum ſpirantia Vigilium Scriptorem, de quo plenius editor Operum Petrus Franciſcus Chiffletius, ut ſupra monuimus. Sed hoc ultimum opus contendit Cavus, eſſe vera & genuina Acta Concilii Aquilejenſis anno 481. habiti, exhibita in Collectionibus Conciliorum, quæ poſt annum 1550. prodierunt. Non ſunt tamen ſpernendæ conjecturæ, quibus Franciſcus Chiffletius contendit, Acta iſta nunquam fuiſſe, ſed figmentum eſſe purum otioſi hominis, qui Acta iſta pro libitu confinxerit.

Subjicit Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo V. ad annum 484. pag. 372. Denique mirari licet quid ſibi velit Caſimirus Oudin, qui non uno in loco Arnobii junioris cum Serapione Conflictum Vigilio noſtro tribuat, nulla (quod ſciam) ratione ductus, nullius authoritate fultus. De hac enim re ne γρύ quidem habet, qui omnia Vigilii Opera corraſit ſæpe dictus Chiffletius, quamvis illum in partes vocare videatur.“ Quod ergo dixi iterum dico, *Altercationem ſeu Conflictum Arnobij & Serapionis ſub judicibus electis*, ſpectare non poſſe neque ad Arnobium Atrum ſeu ſenio-

rem

rem, neque ad Gallum ſeu juniorem : eſſeque Opus absque dubio confictum per modum *Altercationis* ſeu *Dialogi inter Arnobium ſeniorem & Afrum atque Serapionem Ægyptium* à Vigilio Epiſcopo Tapſenſi in Africa, qui plurimas ejusmodi Altercationes ſeu Dialogos compoſuit ſub alienis nominibus, ut ampliorem apud poſteros authoritatem, impoſitis Patrum ſibi antiquiorum nominibus obtinerent. Hæc cuivis patebunt qui tantiſper legere voluerit *Altercationem hanc inter Serapionem & Arnobium*, atque conferre cum aliis ejusdem argumenti & ſtyli & ordinis *Altercationibus* ſeu *Dialogis* quos eidem Vigilio adſcribit poſt Chiffletium Cavus. Cum *Altercatione* ſeu *Dialogo libris 2. conſcripto inter Athanaſium, præſentem & Arium* electo judice Probo : Cum *Altercatione ſeu Dialogo libris 3. conſcripto inter Athanaſium, Arium, Sabellium & Photinum*, eodem Probo judice : Cum *Altercatione ſeu Dialogo inter Auguſtinum & Paſcentium Arianum*, electo judice Laurentio. Ceſſaſſet mirari Cavus mentem meam, ſi probe, imo ſi tantiſper verſatus fuiſſet in Operibus, quæ ipſe Vigilio Tapſenſi Epiſcopo attribuit. Sed de his ſufficienter contra Cavum paulo ante, ad annum 460. ubi de *Arnobio juniore* egimus, iſtudque Opus ei abjudicavimus. Quod ait Cavus videri me appellaſſe ad ſententiæ noſtræ patronicium, Chiffletii authoritatem, qui ne γρύ quidem ea de re habet : falſum eſt, ſed rationem appellavimus invincibilem : cum Arnobius junior & Gallus Semipelagianus eſſet, author autem è contra *Altercationis* ſeu *Conflictus inter Serapionem & Arnobium*, addictus in omnibus doctrinæ Divi Auguſtini : ita ut omnes hæreticos cenſeret, qui vel tantillum doctrinæ Auguſtini detraherent. Longe erat alia mens authoris *Conflictus inter Serapionem & Arnobium*, & alia Arnobii Galli Semipelagiani. Nec etiam ad hujus ſententiæ meæ patrocinium, authoritate Chiffletii indigeo : ſola lectione, & collatione opus eſt *Altercationum* ſeu *Dialogorum cimeterum*, ad cauſam Vigilio Tapſenſi Epiſcopo adjudicandam. Miror ergo admirationem Cavi, viri quidquid ignorat vel ab aliis ipſi maſticatum non eſt, deſpicientis. Multa quidem ſpectantia ad hunc Epiſcopum Africanum, Vigilium Tapſenſem, detexit meditatione jugi Chiffletius : ſed non omnia, qui ſi huic *Altercationi* ſeu *Conflictui inter Serapionem Ægyptium & Arnobium Afrum* attendiſſet, nullo negotio adſignaſſet Vigilio eidem, maxime cum in MSS. Codicibus adſcribatur quoque Auguſtino, teſte Franciſco Fevardentio, qui *Altercationem hanc* primus edidit. Sane conſilium Vigilii Tapſenſis Epiſcopi fuit, ex *Altercationis* titulo, illam adſcribere, vel Arnobio Afro ſeniori vel Serapioni Ægyptio Epiſcopo, qui circa annum 320. florebant. Quamvis utrumque authorem ab hoc opuſculo, titulus *Altercationis* qui talis eſt, excluderet. *Altercatio ſeu conflictus cum Serapione Ægyptio, de Deo trino & uno, de duabus in Chriſto ſubſtantiis & unica perſona, & de gratia ac liberi arbitrii concordia*, in duos libros diviſa. At argumentum non convenit ætati, qua uterque circa annum 310. vel 320. vivebant, annis centum & amplius ante hæreſes Semipelagianorum & Eutychis ortas, quas hic author in *Altercatione* iſta confutat, ut in aliis opuſculis ſub nomine aliorum ficto, ſæpius fecit. Nulla igitur cura fuit Vigilio Tapſenſi Epiſcopo, an affictæ Diſputationi perſonæ convenirent, neque ulla unquam Altercatio talis fuit inter Arnobium Afrum ſeniorem & Serapionem Ægyptium Epiſcopum, utraque hæreſi illic confutata antiquiores : ſed quemadmodum in Opuſculis aliis, Altercationem *ſub nominibus Athanaſii & Arii*, & alteram *de unitate Trinitatis* inter *Auguſtinum & Felicianum Arianum*, & tertiam *ſub nomine S. Auguſtini cum Paſcentio Ariano*, & Symbolum *ſub Athanaſii nomine*, in quo Neſtoriana & Eutychiana hæreſis diſerte confutantur, expoſuit : ita in hoc Opuſculo hæreſim Eutychianam & Semipelagianam disjici valuit, ſub larvatis nominibus Arnobii Afri ſenioris & Serapionis Ægyptii Epiſcopi, quorum ætas cum hæreſibus ejusmodi non quadrabat.

Agunt de Vigilio Africano, quem noſtrum eſſe Tapſenſem Epiſcopum opinamur, Caſſiodorus, à quo *luculentum de mille annorum qui in Apocalypſi prædicuntur, intelligentia Tractatum* conſcriptum eſſe tradit lib. 1. *de divinis Lectionibus* c. 9. Petrus Franciſcus Chiffletius, qui ejus Opera edidit in 4. Divione anno 1664. Collector Maximæ Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Lugdunenſis anni 1671. tomo 8. pag. 721. editionem Chiffletii ſecutus. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad annum 484. p. 370.

VICTOR VITENSIS IN PROVINCIA BYZACENA EPISCOPVS, gente Afer, anno 484. Eugenii Carthaginenſis Epiſcopi profeſſioni fidei Hunnerico Regi Vandalorum oblatæ ſubſcripſit : unde anno eodem vel ſequente ſaltem cum aliis Epiſcopis ejusdem fidei confeſſoribus ab Hunnerico eodem in exilium amandatus eſt. Ejus memoria in ſacris Eccleſiaſtis ad diem XXIII. Auguſti menſis inter Confeſſores inſerta eſt. Victorem Vitenſem dico cum doctiſſimis viris, Holſtenio & Chiffletio, qui ita legendum ex MSS. Codicum fide oſtendunt, quibus etiam ſuffragatur vir eruditus Henricus de Noris Eremita Auguſtinianus lib. 2. *Hiſtoriæ Pelagianæ* cap. 21. id probans ex *Notitia Epiſcoporum Africæ*, qui ſub Hunnerico Genſerici ſucceſſore perſecutionem ſuſtinuerunt. In ea namque inter Epiſcopos Provinciæ Proconſularis legitur *Fulgentius Vticenſis*, in catalogo autem Epiſcoporum Provinciæ Byzacenæ, leguntur hæc verba : *Victor Vitenſis non occurrit.* Eccleſia igitur Vticenſis ad Provinciam Carthaginenſem, Eccleſia vero Vitenſis ad Byzacænam ſpectabat : illi *Florentius*, huic autem *Victor* præerat tempore Vandalicæ perſecutionis. Qui plura voluerit, legat notas Petri Franciſci Chiffletii, ad Victo-

ris Hiſtoriam. Turbine perſecutionis igitur Conſtantinopolim actus, ne tot tantaque Africæ mala poſteros laterent, ſi diutius deliteſcerent, ad futuram memoriam anno 487. ſcripſit *Hiſtoriam de perſecutione Africana ſive Vandalica ſub Genſerico & Hunnerico Vandalorum Regibus*, libris V; diſtributam & ad puritatem ſuam ex collatione MSS. Codicum reductam, quam poſt multas antecedentes editiones, ultimo tandem cum Operibus Vigilii Tapſenſis Epiſcopi evulgavit in 4. anno 1665. Petrus Franciſcus Chiffletius Societatis Jeſu Presbyter, Divione apud Viduam Philiberti Chavance, & Pariſiis apud Simeonem Piget: quibus ad calcem varias Lectiones cum Notis, & Vindiciis ſubjunxit. Incipit Prologus: *Quondam Veteres & ſtudium ſapientiæ inculcare, atque ſciſcitari aſſidue, minime deſiſtebant &c.* Liber primus: *Sexageſimus nunc, ut clarum eſt, agitur annus, ex quo populus ille crudelis &c.* Cui ſubjunxit Appendicis vice, Acta VII. Monachorum Martyrum Caſpenſis territorii. Claruit itaque temporibus Zenonis Auguſti, atque ut ex primis Libri primi verbis apparet, ſcripſit *anno ſexageſimo* ex quo Vandali ex Hiſpania in Africam tranſierunt. Fuit ille annus ut teſtatur S. Proſper in Chronico, quo Theodoſius duodecimum, & Valentinianus iterum, Conſules renuntiati ſunt, anno Domini ſecundum Faſtos Onuphrii 426. vel potius ut correxit in Annalibus Baronius, anno 427. ſub Conſulatu Hierii & Ardaburii. Ex quibus colligimus, ipſum iſtos ſcripſiſſe libros, anno Chriſti naſcentis quadringenteſimo octogeſimo ſeptimo, XIV. Zenonis Auguſti: cum adhuc eadem perſecutio fureret, qua etiam Vigilius ſublatus eſſe putatur. Amicus quoque noſter Theodoricus Ruinart Monachus Congregationis S. Mauri in Gallia, Ordinis divi Benedicti, edidit Pariſiis in 8. a. 1694. *Hiſtoriam Perſecutionis Vandalicæ*, in duas partes diſtinctam: quarum prior complectitur *Libros quinque Victoris Vitenſis Epiſcopi*, & alia antiqua monumenta, ad Codd. MSS. collata atque emendata cum Notis & Obſervationibus: poſterior Commentarium hiſtoricum *de Perſecutionis Vandalicæ ortu, progreſſu & fine*. Huic Operi præfationem Ruinartus eximiam præmittit, in qua latius de Victore Scriptore agit, eumque falſo *Vticenſem* à compluribus vocari, poſt alios exinde confirmat, quod eo tempore, prout ex Notitia Eccleſiæ Africanæ liquet, *Fulgentius* Epiſcopus loci illius fuerit, nec ullo fundamento ſucceſſiſſe huic Victor credatur. Teſtari potius univerſalem MSS. Codd. conſenſum, *Vitenſem* eſſe ſcribendum, quod probe Rhenanus primus editor obſervaverit. Putat vero primum nominis corruptorem Reinh. Lorichium, qui in editione ſua Coloniæ 1537. impreſſa, *Vticenſem* pro *Vitenſi* poſuerit, fortaſſe non tam fide MSS. codicum, quam conjectura ſua ſubnixus, quem incaute poſteri ſequentes, errorem hunc latius propagaverint. An Victor hic idem ſit cum Primate Byzacenæ provinciæ, quo concedente Fulgentius in Eccleſiæ Ruſpenſis thronum evectus eſt, quod Chiffletio placuit, Ruinartus in medio relinquit. Nec minus dubitare ſe fatetur, num Catalogo Sanctorum Victor unquam adſcriptus fuerit [illegible]sque nomen ab aliena manu *Martyrologio* [illegible]truſum, Holſtenium merito conqueſtum ait. Manifeſtius adhuc quoad locum in quo ſcripſerit Victor, a Chiffletio & Cotelerio ſe alienum Ruinartus oſtendit, quorum ille Conſtantinopoli, hic in Veteri Epiro ſcriptam hiſtoriam arbitrantur: Ruinartus vero, Victorem in Africa Hiſtoriam ſuam exaraſſe exiſtimat. Adhuc multo gravius Chiffletium in eo reprehendit, quod Acacio Conſtantinopolitano inſcriptam ab Victore Hiſtoriam affirmat, adeoque Acaciani ſchiſmatis notam bono viro inurit: cum Africani Epiſcopi, & inter eos Victor, Romanæ ſedi adeo addicti fuerint, ut manifeſtiſſimum illius hoſtem coluiſſe, credi non queant. *Confeſſio fidei* Hunerico Regi oblata, quæ lib. 3. Hiſtoriæ Victoris continetur, num Victorem ipſum auctorem habuerit, dubium eſſe monet, cum Gennadius in *Catalogo*, ejus auctorem Eugenium Carthaginenſem Epiſcopum faciat. Ab ea autem Confeſſione alium memorat eſſe librum, quem à Victore Cartennenſi ſcriptum & Genſerico Regi oblatum, Gennadius teſtis eſt. Exinde Codices MSS. quibus ipſi frui licuit, nec non varias Victoris editiones ſtudioſiſſime recenſet. Quibus miſſis, ut novam tandem hanc Victoris editionem quam Ruinarto debemus, aggrediamur: veriſſimum ſane eſt, quod in fine Præfationis ſuæ teſtatur, diligentiam ipſi non defuiſſe: ſiquidem non terſa ſolum & nitidiſſima eſt, verum & correctiſſima & Notis egregiis illuſtrata, e quibus ſpeciminis loco, pauca nunc excerpta dabimus.

In Prologo Victoris mentio *Diadochi* occurrit, isque ut præceptor ejus, cui librum Victor dedicat, multis laudibus cumulatur. Hunc eundem eſſe cum Diadocho Photicenſi Veteris Epiri Epiſcopo, quem Photius in *Bibliotheca* laudat; fuiſſe etiam Acacii Conſtantinopolitani Patriarchæ, cui Hiſtoriam ſuam Victor nuncupavit, præceptorem, ſuſpicatur Chiffletius. Priorem ejus conjecturam à veriſimili non multum eſſe alienam Ruinartus arbitratur, maxime cum his temporibus habeamus Diadochum in Epiro Veteri Epiſcopum, qui ſub *Didaci* nomine una cum aliis ejusdem provinciæ Præſulibus, ſubſcripſerit Epiſtolæ ad Leonem Imperatorem datæ, quæ Concilii Chalcedonenſis parte 3. cap. 51. exhibetur. At poſteriorem prorſus rejicit, eo quod Acacius ex Præfecto Hoſpitii Orphanorum ad Epiſcopalem ſedem evectus, vix Diadocum audiiſſe videatur. Sicut & iterum negat, Victorem Acacio Hiſtoriam ſuam inſcripſiſſe, in ſchiſmate nimirum extra Romanæ Eccleſiæ communionem extincto. Hæc verbotenus ſuggeſſerunt Supplementa ad *Acta Eruditorum Lipſiæ* Tomo 2. anni 1696. Sectione 9. à pag. 407.

ad

ad 415. ex *Præfatione* Ruinarti ad editionem ſuam.

Agunt de Vigilio noſtro Vitenſi, Baronius in Annalibus, tom. 5. anno 428. num. 12. tom. 6. anno 484. num. 126. in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 23. Auguſti. Petrus Franciſcus Chiffletius in *Prolegomenis & Notis*, ad editionem Hiſtoriæ Victoris Tapſenſis Epiſcopi, de qua ſupra. Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 18. pag. 232. quem male cum aliis omnibus, *Victorem Vticenſem Epiſcopum, Africanum*, appellat. Guillelmus Cavus, in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ad annum 484. pag. 372.

490. HONORATVS MASSILIENSIS ECCLESIÆ IN GALLIA EPISCOPVS, floruit circa annum 490. ejusdem Zenonis Imperatoris temporibus, qui teſte Gennadio Lib. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 99. (ſi tamen hoc caput ad eum ſpectat, cum in multis MSS. Codicibus non reperiatur) *de vita S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi* tractatum ſcripſit. Plura in ejus laudem Gennadius his verbis narrat: *Inter alia ſanctus Papa Gelaſius, Roma urbis Pontifex, per Scripturum agneſcens ejus fidei integritatem, reſcripto ſuo probatum judicavit. Sanctorum Patrum vitas ad ædificationem poſterorum coaptat ipſe legendas, præcipue nutritoris ſui Hilarij Arelatenſis Epiſcopi.* Obiit autem Hilarius ille Aſterio & Protogene Conſulibus, qui Chriſti annus erat 449. Leonis Papæ X. Gelaſius vero qui Honorati ſcripta approbavit, Epiſcopus urbis factus fuit anno Chriſti 491. Quare is de quo loquitur Gennadius, & ante Gelaſium Papam, & ejus temporibus, vixerit neceſſe eſt. Hanc vitam amiſſam putavit Cardinalis Baronius in Notis ad Romanum Martyrologium, ad diem 5. Maji, ubi de ſancto Hilario Arelatenſi Epiſcopo agitur. Sed juxta Voſſium quem hic ſequimur lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 18. pag. 232. „Extat hodieque Vita S. Hilarii Arelatenſis, quam ex antiquo MS. Codice „Monaſterii Lerinenſis, in *Chronologia Sanctorum, & Abbatum, illuſtriumque ejusdem Monaſterii virorum*, in lucem edidit Vincentius Barralis Salernitanus. Etſi autem in MS. non adſcribatur nomen Authoris, non tamen dubitandum, quin is ſit Honoratus Maſſilienſis Epiſcopus. Nam „Scriptor hujus Vitæ, exequiis B. Hilarii interfuit, ut verba iſta oſtendunt: *Hebræam concinentium linguam in exequiis honorandis audiſſe me recolo. Nam noſtros ita mœror obſedemt, ut ab officio ſolito impatiens doloris inhibuerit magnitudo.* „Seque præſentem fuiſſe aliis, idem ſemel iterumque non obſcure indicat. Eſt autem Vita „hæc Hilarii mendoſiſſime edita. Hæc Voſſius, ſed cui malo adhibuerunt medelam Bolandiſtæ ad diem 5. Maji, ubi puram illam atque ad MSS. Codices recenſitam ediderunt. Itemque Paſchaſius Queſnel, correctiſſimam obtulit ſub finem tomi I. Operum S. Leonis Papæ, editionis ultimæ Pariſienſis anni 1675. in 4. tomis, apud Joannem Baptiſtam Colignart, Via Jacobæa, ſub Bibliis aureis. Juxta autem eundem Voſſium, Honoratus hic qui Maſſilienſis Epiſcopus fuit, & Hilarii Arelatenſis Epiſcopi vitam compo-« ſuit: confundi non debet cum Honorato Are-« latenſi Epiſcopo, cujus vitam in literas retulit,« Hilarius Arelatenſis. Vti nec cum tertio Ho-« norato Conſtantinæ, Africæ civitatis Epiſcopo,« qui & ipſe circa hæc tempora vixit, de quo vide« Gennadium in Scriptoribus cap. 95. & Honorium *in Scriptoribus ex Gennadio* ſect. 95. De hoc noſtro Honoratus recte Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 18. pag. 232. quem exſcripſimus. Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 5. Maji, ubi *de Vita S. Hilarii Arelatenſis Epiſcopi.* Barthius *Adverſariorum* lib. 58. cap. 5. ubi Vitam hanc emendare conatur. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo V ad a. 490. p. 372.

ELEVTHERIVS TORNACENSIS EPI-490. SCOPVS, cujus res geſtas brevi compendio ſcribit Joannes Molanus in *Indiculo Sanctorum Belgii*, eumque ordinatum Tornacenſium Epiſcopum dicit, anno Domini 484. ſediſſeque annos 45. ejus autem corpus ſolenniter translatum anno 881. Inter Scriptores quoque Eccleſiaſticos ab Andrea Schotto Antverpienſi, Societ. Jeſu Presbytero relatus eſt, qui hoc ſeculo nonnullos Sermones *ſub Eleutherii Tornacenſis Epiſcopi nomine* edidit, anno 1618. Coloniæ Agrippinæ, cum Vita ejusdem Eleutherii a Guiberto ſcripta, Tomo XV. ſeu Appendice ultima pag. 167. *Bibliotheca Patrum*, hujus editionis, quam Andreas Schottus huic Bibliothecæ adjecit. Attamen de quibus dicit Bibliotheca Soc. Jeſu, verbo *Andreas Schottus.* Hinc tranſierunt in Bibliothecam Veterum Patrum editionis ultimæ Lugdunenſis tomo 8. p. 1124. & ſqq. Sunt autem:

Sermo B. Eleutherii Tornacenſis Epiſcopi, ſeu *Confeſſio de ſanctiſſima Trinitate*, quam 14. anno Præſulatus ſui Romæ obtulit Symmacho Papæ, ut notatur ad marginem. Incipit, *dilectiſſimi Dominum omnium Chriſtum Jeſum confitentes, ſanctamque Trinitatem &c.* Alter Sermo de Trinitate, *Credite in unum Deum Patrem omnipotentem &c.* Item *Beati Eleutherii Tornacenſi Epiſcopi ſermo, de Incarnatione Domini*, quem (ut in margine ponitur) Epiſcopatus ſui anno 25. Romam rediens Hormiſdæ Pontifici obtulit, acceptusque fuit. Incipit: *Paterna auctoritas fraternam charitatem cohortatur ut credat &c.* Ejusdem Sermo de Natali Domini, *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis &c.* Ejusdem Sermo in Annuntiationis Feſtum, *De tripartita ſolemnitate beatiſſimæ Virginis Mariæ, fratres chariſſimi &c.* Denique Oratio beati Eleutherii animam agentis, ad Deum, pro fide & Eccleſia Tornacenſi, quæ incipit: *Catholica fides non tres Deos, ſed unum Deum credit & confitetur, adorat & venerantur &c.*

Verum cum hi ſermones nulla Veterum authoritate nitantur, nihil oleant quod ſeculum V. præ ſe ferat: omnia Opuſcula hæc, gratis ab aliquo ſeculi XII. vel XIII. viro, ſub fictitio Eleutherii Epiſcopi Tornacenſis nomine, compoſita eſſe eruditi nullo excepto cenſent: quam ob cauſam omiſſum hunc authorem à Cavo opinor, quem ſuppoſititium omnino credidit. Hinc pluribus immorari, oleum atque operam perdere eſt.

Valerius Andreas *in Bibliotheca Belgica* verbo *Eleutherius* illum accenſet Scriptoribus Eccleſiaſticis, cujus *Sermones de Sancta Trinitate &c.* extare inquit MSS. Tornæi in Bibliotheca S. Martini, & plerosque in Abbatia Bonæ Spei apud Hannones. Verum cum nullus veterum meminerit Opuſculorum iſtorum, nec Sigebertus quidem nomenclator diligens atque in hac regione omnia antiqua ſcrutatus, recte ab eruditis arguuntur ſuppoſitionis apertæ. Imo quidquid ad Vitam etiam *S. Eleutherii* ſpectat, incertum prorſus eſt ac ſeculis XII. & XIII. ab authoribus omni monumento antiquitatis deſtitutis confictum, ob incendium urbis Tornacenſis, quod omnia antiqua conſumpſit. Sub Odone Abbate S. Martini Tornacenſis, anno Domini 1092. Cum ergo omnia quæ ſpectabant ad *S. Eleutherium Tornacenſem Epiſcopum* flammis periiſſent, HENRICVS Tornacenſis Eccleſiæ Canonicus, D. Bernardo Clarævallenſi „ſynchronus, & Herimanno ad S. Martinum in „urbe Tornacenſi notus, *Vitam S. Eleutherii Epi-„ſcopi Tornacenſis*, quam Sancto ipſo revelante ei „in ſomnis didicerat, ſcriptis mandavit. Extat „MS. in Bibliotheca Martiniana, hoc initio, „*Temporibus Imperatorum Diocletiani & Maximia-„ni &c.* ubi & ſequentia verba eidem vitæ anti-„qua manu præfixa leguntur.

„ *Erat Tornaci Clericus, puer, civis, Canonicus*
„ *Henricus dictus nomine, alumnus magnæ Domi-*
„ *næ,*
„ *Cui revelantur omnia hujus libri ſequentia,*
„ *Quæ fuerunt igni data a gente nimis alata.*

„Scripſit præterea idem Henricus libellum „*de antiquitate urbis Tornacenſis*, MS. ibidem, ſic-„que incipit: *Anno ab everſione Trojani Imperii &c.* Cum ergo omnia periiſſent, quis revelationibus ejusmodi phantaſticis credat, de quibus Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Henricus Tornacenſis Eccleſiæ Canonicus* pag. 370. editionis 1643. Lovanii in 4. Poſt hunc Henricum, omnibus pariter monumentis deſtitutus, Guibertus de Tornaco Ordinis Fratrum Minorum circa annum 1250. vel 1260. ſcripſit *Vitam S. Eleutherii Tornacenſis urbis Epiſcopi* ad Joannem Tornacenſem Epiſcopum, quæ MS. extat in Cœnobio S. Martini cum hoc initio, *Reverendo Patri ac Domino Joanni &c.* una cum ipſis Sermonibus *S. Eleutherio* attributis. Vnde eruditi harum rerum non oſcitanter opinantur, Sermones iſtos eſſe confictos atque Eleutherio affictos, ab iſto Guiberto Tornacenſi Ordinis Minorum, qui zelo indiſcreto in Eleutherium, ipſi hoſce ſermones adſcripſit & inſcripſit audaci animo; quemadmodum antea annis centum & amplius, Henricus Tornacenſis Eccleſiæ Canonicus, ejus Vitam ex revelationibus jactatis conſarcinavit. Nihil enim refugit cæca pietas, ad ampliorem ſuperſtitionis promotionem. De hoc *Guiberto* Valerius Andreas in Bibliotheca Belgica verbo Guibertus pag. 303. edit. 1643. ult.

Aguntur de Eleutherii pueritia, ordinatione & obitu. ortunatus in *Vita S. Medardi Noviomenſis Epiſcopi* à ſe conſcripta cap. 2. & 18. Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum ad diem 20. Februarii. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *S. Eleutherius Epiſcopus Eccleſiæ Tornacenſis* pag. 200. editionis 1643. Lovanii in 4to, ubi ipſum anno 529. mortuum aſſerit ac Blandinii à S. Medardo Tornacenſi ac Noviomenſi Epiſcopo ſepultum die 20. Februarii. Joannes Bolandus qui Vitam ejusdem produxit in publicam lucem, ad diem eandem: quem conſule in Prolegomenis præſertim ad eandem Vitam, ubi quæ ad hunc authorem pertinent, accurate diſcutit.

GEORGIVS CHÆROBOSCVS, GRAM- 500.
MATICVS, quem non recentem, ſed ſatis antiquum fuiſſe, & ad tempora Imperatoris Anaſtaſii circa annum D. famam ſibi comparaſſe vel inde colligas, quod illius teſtimonio non ſemel dicta ſua comprobant, Stephanus Grammaticus *de Vrbibus*, qui dictum Imperatorem præceſſerat, vel Hermolaus ejus epitomator, qui Juſtiniano imperante Byzantii florebat, cui *Epitomen* nuncupaverat. Sed ex quonam illi *Chæroboſci* cognomen appoſitum, fuſe nobis Euſtathius Theſſalonicenſis, Commentariis in Jambica carmina de *Pentecoſte* exponit his verbis. Οὓς ἐγὼ μισῶ καθὰ καὶ ἄλλους, οἳ καί τινα σοφὸν διδάσκαλον παλαιὸν, πολλὰς καὶ πολλαχῶς ἐν λόγοις ὁμιλήσαντα φερόμενοι φθόνῳ, Χοιροβοσκὸν ἐπωνόμασαν, ἐκ τοῦ ἐκεῖνον ὅτως ἑαυτὸν δηλοῦντα, ὅτε γράφων ἐχαραχτήριζε τὰ οἰκεῖα. *Eos ipſe deteſtor, quemadmodum & alios, qui Magiſtrum ſatis vetuſtum & ſapientia celebrem neſcio quem, qui multorum ac ſapiſſime in conſtruendis ſermonibus oculos aperuit, invidentia ducti,* Chæroboſcum *nuncuparunt: qui cum ſua ille ſcribens digeſſit, nunquam ſe tali cognomine indicaſſet.* Robertus Conſtantinus in *Bibliotheca* recenſet *Canones Grammaticos illius*, & Geſnerus in *Bibliotheca* ſcribit ſe vidiſſe Manuſcripta Bononiæ in Monaſterio S. Salvatoris, quædam *Chæroboſci & Moſchopuli* in uno volumine, ſpectantia ad Syntaxim & alias partes Grammaticæ. Et Epitome Geſneriana, extare Viennæ MS. in Bibliotheca Imperiali *Chæroboſcum de ſpiritibus* ſeu *accentibus* in 4. Habetur & in Vaticana, Codice 883. & incipit, τὸ οἷ πρὸ τοῦ ἑαυτοῦ φιλεῖται ἀεὶ, Βαρὺν, Ἀκπ(&. Aliud opus inſcripſerat περὶ προσῳδιῶν, *de proſodiis*, in Vaticana & alibi, cujus initium ἰσέον ὅτι τριχῶς λέγεται. Legunturque hodie in Bibliotheca Re-

Regis Galliarum, *Georgii Charoboſci, Doctoris œcumenici de Tropis, de Dialectis, de Schematibus. Ejusdem Orthographia.* Iterum *de Tropis Poëticis, ejusdem Grammatica ex Charoboſco varia Regulæ Grammaticæ.* Scripſit præterea *de figuris & tropis Poëticis* libellum neque incomptum nec inelegantem, qui eſt MS. in Bibliotheca ſancti Silveſtri Romæ, & penes Allatium: eratque in Bibliotheca Antonii Auguſtini Cod. 56. & Regis Catholici Scoriaci. Robertus Conſtantinus in ſua *Bibliotheca* recenſet illius librum *de metris Poëticis & de figuris Poëmatum.* Item in Bibliotheca Colbertea *Georgius Charoboſcus περὶ τρόπε τῶν καθ' ἁ τὴν ποιητικὴν καὶ θεολογικὴν χρῆσιν*, ex Codice 1825. Denique *Georgii Charoboſci de figuris Poëticis & Oratoriis & Theologicis*, primum Græce & Latine prodiit ex Bibliotheca Federici Morelli cum Diſſertatione Procli *de Poëtica*, Lutetiæ apud Federicum Morellum 1615. in 12. Hujus aliquid extare *in novem Pſalmos Davidis*, in Bibliotheca Regis Catholici quæ Scoriaci eſt, Poſſevinus ſcribit. Alii *ἐπιμερισμὸν τῶν ἐννέα ψαλμῶν, diviſionem novem Pſalmorum* in ejusdem Bibliothecæ Catalogo vocaverunt. Ego vidi laborem hominis in omnes fere Pſalmos, & legiſſe pœnituit. Dum enim ſententiarum Expoſitionem attendo, nihil aliud præter putidas Grammaticorum regulas, & nugas verbis Pſalmorum applicatas reperio. Quemadmodum enim Moſcopulus periodum ſibi propoſitam coloribus & artificio Grammatico exornat, ita & noſter *Charoboſcus* verba & verſiculos Pſalmorum condit. Nec dubium eſt, ea omnia Georgii hujus eſſe, quæ ſub nomine *Charoboſci* circumferuntur. Hæc verbotenus ac per compendium ex Allatio in ſua Diſſertatione *de Georgiis & eorum Scriptis*, pag. 318. Addimus in Codice Regio Græco 3261. extare *ἐπιμερισμὸς τῆς ψαλτηρίε ἀπὸ φωνῆς Γεωργίε ἐπίλην Χοιροβόσκε, Diviſiones Pſalterii ab ore Georgii cognomento Charoboſci, ſeu Subulci:* cujus mentionem quoque facit Carolus du Freſne Dominus du Cange in *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis*, verbo *φωνή*, col. 1717. & in Catalogo MSS. Codicum quibus uſus eſt, ſubjuncto ad calcem *Gloſſarii* iſtius, col. 26. ſed ampliſſime omnium Philippus Labbeus in *Nova Bibliotheca MSS. librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum* ſeu *Specimine antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarum & Gallicarum*, collecta potiſſimum ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ, edita anno 1653. in 4. Pariſiis apud Joannem Stenault. Illic *Nova Bibliotheca* parte 4. pag. 104. *Georgii Charoboſci Doctoris œcumenici Orthographia* in Codice Regio 871. Ejusdem *de Dialectis &c.* Codice 593. *Explicationes vocabulorum Pſalterii* Cod. 1134. *Regulæ Grammaticæ & ſimilia* Codice 1657. 1916. & faſciculo 29. Scripſit etiam *librum de Tropis & figuris Rhetoricis*, & alia pleraque, quæ qui ſcire voluerit, & contumelioſi in ſpeciem cognominis rationem addiſcere: conſulat eximiam V. C. Leonis Allatii Diatribam *de Georgiis & eorum Scriptis*, poſt Georgii Acropolitæ Hiſtoriam, Joelis Chronographiam, & Joannis Canani Narrationem de bello Conſtantinopolitano, Regiis typis lupareis ab hinc aliquot mensibus vulgatam. Ibidem parte 4. pag. 110. *Georgii Charoboſci de Poëſi & tropis Poëticis* in Codicibus Regiis 901. 1067. 1288.

ADRIANVS AVTHOR GRÆCVS, cujus ætatem invenire certam atque determinatam mihi non licuit, quem anno 433. collocavit Cavus, ad annum duntaxat 500. aſſignavi, absque præjudicio eorum, qui ejus ætatem invenient. Scripſit Græce *Iſagogen ſacræ Scripturæ* utilem, quæ anno 1602. Græce duntaxat prodiit Auguſtæ Vindelicorum, ex duobus MSS. Codicibus, Bavarico uno, Auguſtano altero, illuſtrata brevibus Scholiis à Davide Hæſchelio. Antiquior hic Scriptor eſt, quam vulgo creditur: cujus mentio invenitur apud Caſſiodorum cap. 10. *Divinarum Lectionum*, ubi *de Introductoribus ſacræ Scripturæ* Ticonio, Auguſtino, Eucherio & Junilio, agit. Cujus quoque Photius meminit in *Bibliotheca* Codice 2. 500.

LAVRENTIVS NOVARIENSIS EPISCOPVS, cognomento *Melliſtum*, de quo Sigebertus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* hæc pauca habet cap. 120. *Laurentius Melliſtuus ſcripſit librum de duobus temporibus, id eſt, uno ab Adam uſq; ad Chriſtum, altero à Chriſto uſq; ad finem ſeculi. Declamavit etiam homilias ore mellito, unde cognominatur Melliſtuus.* Conjiciunt nonnulli, ipſum ex Novarienſi Epiſcopo ſub annum Chriſti 507. creatum eſſe Mediolanenſem Archiepiſcopum, ipſumque laudari ab Ennodio Ticinenſi, in *Dictione* miſſa Honorato Novarienſi Epiſcopo, cum Baſilica Apoſtolorum dedicaretur. Hoc vero certum non eſt, ſolisque & infirmis nititur conjecturis. Floruit circa annum 507. & ultra, forſitan ad annum 520. Habemus librum ejus *de duobus temporibus*, ſeu *de pœnitentia & eleemoſyna homilias duas*, quas continet Bibliotheca SS. Patrum editionis Pariſienſis 1579. tomo 9. ſeu ſupplementi pag. 1542. apud Michaelem Sonnium. Aliæ quoque editiones hujus Collectanei omnes, tam Pariſienſes 1589. 1624. quam Colonienſis 1618. & Lugdunenſis ultima 1677. Homilia de duobus temporibus ſeu de pœnitentia incipit, *Duo ſunt tempora ab Altiſſimo præſtituta, in quibus datur duplex hominibus remiſſio peccatorum &c.* Homilia de eleemoſyna, *Fratres cariſſimi, omnis Scriptura divinitus inſpirata & ſalubriter ordinata, ut ait Apoſtolus &c.* Ejusdem quoque *Homiliam de muliere Chananæa* ex MS. Corbeienſi eduxit Johannes Mabillon tomo 2. *Analectorum* pag. 18. cum paucis obſervationibus, quæ incipit: *Multi quidem conſligunt venti, ſeviuntque procellæ: ſed verum conventum non diſſolvit tentatio, nec ſtudium violavit &c.* Lazarus Auguſtinus Cotta anno 1692. in 4. procuravit homiliam hanc *de Chananæa* iterum edendam cum Notis, 500.

in ædibus Ghiſulphianis Mediolani, quam ad Laurentium Presbyterum alium & Martyrem anno 363. die 30. Aprilis mortuum pertinere vult. Mihi nihil probaſſe videtur, de cujus editione Supplementum ad *Acta Eruditorum Lipſiæ* Tomo 2. anni 1696. Sectione XI. pagg. 525. 526. 527. De Laurentio Mellifluo præter Sigebertum loco citato, Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 119.

500. PASCHASIVS ECCLESIÆ ROMANÆ DIACONVS, cui univerſi attribuunt *Libros duos de Spiritu Sancto contra Macedonium*, qui inveniuntur in editionibus omnibus Bibliothecæ Veterum Patrum, atque in ultima Lugdunenſi anni 1677. apùd Aniſſonios fratres tomo 8. p. 806. ſub dicti Paſchaſii Diaconi. Habentur quoque ſub nomine eodem *Sancti Paſchaſii Diaconi* in Bibliotheca ſancti Germani Pariſiis, Cod. 202. optimæ notæ, incipiuntque tam in editis quam MSS. *Fides Catholica per univerſum mundum &c.* Innituntur (ut antea jam dixi) authoritate D. Gregorii Magni qui in libris *Dialogorum* attribuit dicto Diacono Paſchaſio, *libros de Spiritu Sancto:* quam authoritatem eſſe maximam non difficeor. At ſive Paſchaſius hos tantum libros olim à Fauſto Regienſi Epiſcopo compoſitos tranſcripſerit, ſive Opus ipſum Paſchaſii de quo Gregorius Lib. 4. *Dialogorum* cap. 40. loquitur, lapſu temporum interciderit: hi libri qui ſub nomine dicti Paſchaſii evulgati ſunt, ipſius non ſunt, ſed certo remotis opinionibus præjudicatis ſpectant ad Fauſtum Regienſem Epiſcopum. Eſſe autem ipſum Opus *Fauſti*, convincitur 1. ex MS. Codice Vaticano unde primum impreſſi ſunt, quem Jacobus Sirmondus vidit ac tenuit, ſub nomine Fauſti inſcriptum. 2. Quia hi libri ſcripti ſunt *occaſione accepta Symboli*, ut notat Gennadius in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 85. dum loquitur de Fauſto ejusque Scriptis: unde Opus Fauſti proprium eſſe arguuntur. 3. Continent proprias Fauſti opiniones, nempe nihil eſſe incorporeum præter Deum: unde lib. 2. cap. 1. appellat *animam corpoream*. 4. Joannes Trithemius qui hos libros MSS. antequam imprimerentur viderat, prima eorum verba *Fides Catholica quæ per univerſum mundum &c.* allegat ſub nomine Fauſti à ſe inſpecta, quæ cum primis Operis hujus verbis eadem ſunt. Itaque nihil omnino habemus *Paſchaſii Diaconi*, cum Opus ei attributum, Fauſto Regienſi in Gallia Epiſcopo debeatur. Scripſit contra hanc meam ſententiam Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo 6. ad annum 501 pag. 382. cui aggratulor ob defenſum Paſchaſium: Sed cujus rationes infirmiſſimæ ac nihil concludentes mihi viſæ ſunt, de quibus abunde egimus ſupra, in Diſſertatione ſingulari *de Scriptis Fauſto Regienſi Epiſcopo attributis* cap. 4. quas hic iterum repetere & confutare ſuperfluum prorſus eſt. Agunt de *Paſchaſio Romanæ Eccleſiæ Diacono*, Bellarminus & Labbeus, uterq; in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Poſſevinus in *Apparatu Sacro*, verbo *Paſchaſius R. E. Diaconus*. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſt.* c. 119.

DISSERTATIO
DE
VITA ET SCRIPTIS SANCTI CÆSARII ARELATENSIS ARCHIEPISCOPI.

CAPVT PRIMVM.
DE
TEMPORE QVO FLORVIT SANCTVS CÆSARIVS, ARELATENSIS EPISCOPVS.

510. DE tempore quo floruit non una eſt Scriptorum ſententia. Nam Baronius anno 453. res ejus geſtas quinto Annalium tomo, poſt alios quosdam enumeravit. Sed accepto poſtea ab Arelatenſi Eccleſia Codice Epiſtolarum vetuſtiſſimo, atque Cæſarium ſeculo VI. floruiſſe comperiens, & ad annum 543. mortuum: In Appendice ad tomum X. priorem ſententiam retractavit. Ideo autem antiquiorem Cæſarium Baronius fecit, quod illum legerat in Gennadii Catalogo cap. 86. his verbis recenſitum: *Cæſarius Arelatenſis urbis Epiſcopus, vir ſanctitate & virtute celebris, ſcripſit egregia & gratu, & Monachis neceſſaria Opuſcula &c. Floruit hic eo tempore quo & Fauſtus, Anaſtaſio Rempublicam adminiſtrante.* Hic Gennadius tempore Gelaſii Papæ librum *de viris illuſtribus* ſcripſerat. Cum vero Suffridus inſertum Gennadio illud caput de *Cæſario* dixiſſet, Baronius id ullo absque fundamento fingi reſpondet. Sed *Cæſarium* eſſe Gennadii libro infartum, vel colligere inde Baronius poterat, ex hoc ſolum quod Gennadius S. Proſperum acriter reprehendit, qui Caſſiani libellum *de gratia* impugnaverat: unde idem nec Cæſario Fauſtum ejusdem quo Caſſianus doctrinæ aſſertorem confutanti pepercisſet: nec illius volumen *contra Fauſti opus de gratia & libero arbitrio*, à Sede Apoſtolica latius promulgatum, ac divinarum Scripturarum & ſanctorum Patrum judiciis munitum, ipſe Gennadius Semipelagianus aſſeveraſſet. *Præterea* cum Gennadius ut author eſt idem Baronius ad annum 490. Librum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, anno

Digitized by Google

no 494. ediderit, quo tempore juxta ipſum vivebat adhuc Cæſarius: quare de Cæſario non dixit, uti de aliis coætaneis facit, *Vivit adhuc:* vel *vivere adhuc dicitur?* Sed contra ait, *Floruit hic eo tempore quo & Fauſtus Anaſtaſio rempublicam adminiſtrante.* Ex quo loquendi modo, videntur diſerte iſta ſcripta eſſe poſt annum 518. quo Anaſtaſius Imperator mortuus eſt. *Tertio.* Qui iſta ſcripſit, chronologiæ Cæſarii ignarus omnino erat, quod in Gennadium ipſi (ut ſupponitur) contemporaneum cadere nullatenus poterat. Nam tradit Cæſarium *floruiſſe eo tempore quo & Fauſtus Anaſtaſio Rempublicam gubernante:* quod prorſus falſum eſt. Siquidem Fauſtus an. 462. Reienſium Epiſcopus Romanam legationem obivit, & Cæſarium anno tantum 470. poſt octennium natus eſt: unde nulla ratione ſimul floruiſſe dici poſſunt. Hinc in editione Librorum ſancti Hieronymi quibus Gennadii liber inſertus eſt, nulla de *Cæſario* fit mentio: unde immiſſus à pio quodam, ſed homine parum erudito videtur, qui Cæſarium Fauſto, ut Antidotum veneno, nomen orthodoxorum Semipelagiano proximum opponere voluerit. Franciſcus Svarez ex Theologo hiſtoricum agens Prolegom. 6. cap. 5. plurima de Synodo Arauſicana, de S. Proſpero, de S. Leone Magno comminiſcens, Baronii palinodiam admittere noluit. Aloyſius Torcellus anno 544. Seculorum Auguſtinianorum num. 24. utramque Baronii ſententiam ſtupide amplexus, ſupra centeſimum annum vixiſſe S. Cæſarium ſcripſit. Sed res extra dubium ponitur, ſi Meſſiani Commentarii apud Surium ad diem 27. Auguſti legantur. Ille enim qui Cæſarii notarius fuit, lib. 2. *Vitæ* c. 22. hæc litteris mandavit. *Cum ergo cum Semianimem redderet conſpectibus noſtris infirmitas, & inter hæc ſeptuageſimum tertium gereret totius vitæ tramitis annum, e quibus quadrageſimum in Pontificatu verteret circulus gyrum: & animadverteret per Spiritum imminere ſibi tranſitum diem &c.* Itaque cum ſeptuaginta tres annos Cæſarius, quorum XL. in Epiſcopatu exegit, vixerit: ejusque hominis natalitium diem nulla Scriptorum monumenta prodant: quonam anno deceſſerit attendendum, ut inde retrocedentes, primum & dignitatis ejus Epiſcopalis & vitæ annum colligemus.

2. Epiſtola Vigilii Papæ quam ad Cæſarium de Pœnitentia inceſtuoſo injungenda ſcribit, itemque altera ejusdem Vigilii ad Auxanium Cæſarii ſucceſſorem data, in qua narrat ſe intellexiſſe à Terentio & Joanne Arelate ad ſe delegatis, eundem electum illius urbis Epiſcopum: in Conciliorum tomis leguntur. Litteræ iſtæ ad Auxanium à Baronio aſſignantur ſcriptæ XV calendas Novembres poſt Conſulatum III. Baſilii, anno nimirum 544. At Bolandus, Vſſerius & Sirmondus ex Codicibus vetuſtioribus legunt *Iterum poſt Conſulatum Baſilij*, anno nempe 543. Idem Bolandus ad diem 12. Januarii in vita S. Cæſariæ, putat Cæſarium hoc anno 543. non deceſſiſſe, ſed anno 542. *Neque enim*, inquit, *intra breve illud tempus Auxanius potuiſſet conſecrari in Epiſcopum, & pallium impetrare à Vigilio.* Sed cur iſta commode fieri non potuerint ſpatio 52 dierum, à die 27. Auguſti qua Cæſarius obiit, usque ad 18. Octobris, qua die Litteræ Vigilii ſcriptæ ſunt, non ſatis video. Certe ſi menſes quatuordecim interceſſiſſent, vel negligens fuiſſet Auxanius in nuntiis delata ſibi recenter dignitate mittendis ad Romanum Pontificem: vel tardus fuiſſet Pontifex, ſeram adeo reſponſionem trahendo. Et quidem cum Auxanius Galliarum omnium Metropolita eſſet, juxta ſtatuta Eccleſiaſtica, ſtatim ab electione ad Vigilium, cujus ad Patriarchicam dignitatem & Dioeceſim pertinebat: de ſibi delata dignitate litteras, ad eundem miſiſſe debuerat. Quod tamen Bolandus addit de Pallii impetratione, falſum eſt. Nam Vigilius re prius cum Juſtiniano Imperatore communicata, palli uſum anno 544. Auxanio conceſſit, ut ex Epiſtola ad eum data XII. Kalendas Junias habetur: in qua ſcribit ſanctum etiam Cæſarium à Symmacho pallium obtinuiſſe. Cæſarius itaque mortuus eſt anno 543. die 27. Auguſti, unde cum per annos 40. Pontificatum adeptus fuerit, Epiſcopus an. 503. factus eſt, anno autem 470. naſcitur. Neſcio undenam Vſſerius augurari potuerit, natum Cæſarium ſub anni 471. initium, & ſub exitum 503. factum illum Epiſcopum. Nam ut nihil dicam de initio anni 471. S. Eonius Cæſarii deceſſor die 3. Auguſti obiit, ut ex Sauſſaji Martyrologio colligitur, neque quatuor menſes Sedes Arelatenſis vacavit. Etenim Eonius non multo ante mortem, Populum Arelatenſem ad Cæſarium ſibi ſubſtituendum hortatus fuerat, ac teſte Cypriano Epiſcopo cap. 5. *Vitæ Cæſarij*, populus communi conſenſu ſententiam Eonii mortui approbarat.

3. Natus igitur Cæſarius a. 470. factus Epiſcopus a. 503. ætatis 33. mortuus a. 543. d. 27. Aug. cum haberet annos ætatis 73. Epiſcopatus 40. Hic primum ſanctiſſimus Monachus, deinde Arelatenſium Antiſtes, qui junior Monaſticen profeſſus eſt in Cœnobio inſulæ Lerinenſis, ſub ſucceſſore Fauſti, Abbate Porchario. Vnde mirum eſt id negari à Voſſio, cum Cyprianus in Vita S. Cæſarii, diſertis verbis hoc tradat. Eundem vero in eodem Monaſterio Lerinenſi poſt Porcharium fuiſſe Abbatem ſcribunt, Sauſſajus Scriptor minime accuratus in Martyrologio Gallicano ad diem 27. Auguſti, & Aloyſius Torellus in *ſeculis ſuis Auguſtinianis* ad annum 544. id extra dubium aſſerens, quod tamen prorſus falſum eſt. Nam Cyprianus Cæſarii diſcipulus apud Surium ad diem 27. Auguſti cap. 3. ſcribens de Eonio Arelatenſi Epiſcopo, ait: *Cœpit ergo juvenem Cæſarium, non jam ut peregrinum vel extraneum, ſed attentiori obtutu, intimis cordis oculis contemplari: moxque ab Abbate Porchario illum expetiit, & licet ab invito etiam impetravit. Illico primum Diaconum, deinde Presbyter ordinatur.* Item

De-

Defuncto autem in ſuburbana Civitatis inſula Abbate, ab Eonio Epiſcopo eo Cæſarius mittitur, ut Monaſterium rectore deſtitutum, ipſe in eadem reverentia authoritate ſuccedens, Monaſtica diſciplina informaret. Imque in ſuburbano Monaſterio libens amplectitur eam vitæ rationem. Quibus aperte ſignificat, Cæſarium conſtitutum Abbatem in Inſula, quæ adverſus Arelatem Rhodano alluitur: neque enim Lerinus eſt inſula in alicujus civitatis ſuburbiis, multo minus vrbis Arelatenſis, intra quam Abbatem ſe geſſit Cæſarius: Lerino extante ab altera Provinciæ parte, mediterraneo mari circumfuſa, adverſus Antipolim. De hoc Monaſterio in Arelatenſium ſuburbiis intelligenda eſt Epiſtola Gelaſii ad Eonium, data anno 494. quam Hiſtoricus Auguſtinianorum Eremitarum Torellus de Lerinenſibus loqui, male arbitratus eſt.

4. Ex his nonnulla in Baronio corrigenda ſunt. Ille Epiſtolam Symmachi ad Cæſarium datam VIII Idus Januarias, Probo V. C. Conſule, non recte retulit ad annum 502. quo cum Avieno juniore Probus Conſulatum geſſit: ſed protrahenda eſt ad annum 513. quo Probus & Clementianus Conſules fuerunt, ex Chronico Caſſiodori & Marcellini. Præſertim cum memoratæ Epiſtolæ alteram ſubnectat Baronius, in qua delati Cæſario pallii mentio fit: quod poſt illum annum 502. accidit, nempe cum Cæſarius Romam profectus eſt, Theoderico Rege Ravennæ prius placato, ut fuſius narrat Cyprianus ejusdem Diſcipulus. Affert idem vir inſignis ex Codice Arelate ad ſe transmiſſo, Epiſtolam Felicis Papæ ad Cæſarium datam tertio Nonas Februarias poſt Conſulatum Manlii Severini Boëtii, qui annus 488. eſt. Vbi loco nominis *Cæſarii* reſtituendum *Eonium* putabat Henricus de Noris calculator temporum diligens: quia nempe anno 488. nondum erat Archiepiſcopus Arelatenſis Cæſarius, ſed vel laicus tantum, vel Lerinenſis Monachus. At poſtea vidit diligentiſſimum Sirmondum in vetuſtiſſimo Codice apud Arelatem invento legere, *Poſt Conſulatum Flavii Mavortii*, anno nempe 518. quo certo erat Epiſcopus. Denique litteræ Gelaſii & Symmachi ad Eonium, nullum errorem continent, neque cum Baronio, loco Eonii reponendus eſt Cæſarius: quia Eonius usque ad annum 503. Arelatenſem rexit Eccleſiam, ad quem poſtremæ litteræ ab Apoſtolica Sede datæ leguntur *iterum poſt Conſulatum Paulini*, anno nempe 500. Quo eodem pacto Binius corrigendus eſt, qui nulla fere diligentiori cura adhibita, Annales Cardinalis Baronii ſuis in Concilia notis inſeruit.

CAPVT SECVNDVM.

DE

SCRIPTIS SANCTI CÆSARII ARELATENSIS ARCHIEPISCOPI.

EXtant editæ in 4. Baſileæ anno 1558. ſub nomine ſancti Cæſarii *Homiliæ diverſæ numero 46 de variis divinorum argumentis.* Ex his nonnullas Cæſario ſuppoſitas non diffiteor, eam præſertim in qua Gregorius Papa Romanus atque Iſidorus Epiſcopus Hiſpalenſis ætate juniores memorantur: atque hinc forte data Trithemio errandi occaſio & recentioribus quibusdam, qui Cæſarium ad annum usque 670. revocarunt, temporibus Conſtantini filii Heraclii, ejusque filiorum: à quibus longe abfuit concilium Arauſicanum II. anno 529. celebratum. Hæ autem Homiliæ immiſſæ poſtmodum in tomum VII. primæ editionis Bibliothecæ Veterum Patrum Pariſienſis 1575. in quibus quædam fuerunt editæ ſub nomine Feliciani Epiſcopi. Itemque in editionem 2. Pariſienſem anni 1589. atque ex recognitione Frontonis Ducæi Soc. Jeſu, in editionem quartam ejusdem Bibliothecæ Colonienſem anni 1618. apud Antonium Hierat. In Pariſienſes annorum 1624. & 1644. denique in Lugdunenſem editionem maximam a. 1677. apud fratres Aniſſonios ſeculo V parte 3. fol. 819 & ſeqq.

Ejusdem ibidem *Exhortatio ad cuſtodiendam charitatem.*

Epiſtola ad quosdam germanos.

Tractatus de decem virginibus.

Regula ſanctimonialium, in gratiam ſororis ſuæ Cæſariæ conſcripta. Quam etiam poſt Vitam Beatæ Radegundis anno 1621. Pictavis editam cura Stephani Mocquoti, qui hactenus ignotam à Jacobo Sirmondo acceperat, notis illuſtratam reperies a Franciſco Meinardo Juriſconſulto, Anteceſſore Andegavenſi. Denique *Sermones ad Monachos* olim ſæpe ſub nomine Euſebii Emiſſeni impreſſos, invenies in *Chronologia Lirinenſis Abbatiæ* ſub nomine ſancti Cæſarii, XVIII. circiter numero, qui tamen ad Fauſtum ſpectant, ut ſupra diximus. Sed & Stephanus Baluzius vir doctiſſimus, ejusdem *Cæſarii homiliæ XIV.* edidit in 8. Pariſiis apud Franciſcum Muguet a. 1669. deſumptas ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ. Cæterum maxime deſudarunt in evulgandis ac diſtinguendis S. Cæſarii Arelatenſis Archiepiſcopi ſermonibus, viri doctiſſimi Thomas Blancpain & Petrus Coutant Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in Gallia, in editione omnium S. Auguſtini Sermonum, anno 1683. Pariſiis in folio apud Franciſcum Muguet. Illi enim in inſigni ſua Sermonum D. Auguſtino perperam inſcriptorum critica cenſura, centum & amplius Sermones ſancti Cæſarii indicarunt. Inde plurimam habui lucem ad promovendam omnium ſancti Cæſarii Sermonum ac Operum collectionem, cui ab annis aliquot inſudabam: quorum omnium hic tibi Syllabum ſubjicimus.

Syllabus & ordo impreſſionis omnium ſancti Cæſarii Arelatenſis Archiepiſcopi Opuſculorum & Sermonum.

Vita ſancti Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, libris duobus conſcripta, à Cypriano ejus diſcipulo, Meſſiano Presbytero, & Stephano Diacono, ad MSS. Codices collata.

Elogia & teſtimonia Veterum Scriptorum de ſancto Cæſario Arelatenſi Epiſcopo.

Diſſertatio de tempore, doctrina & Scriptis S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi.

Regula duæ ſancti Cæſarii pro Sanctimonialibus & Monachis cum brevibus ad illas Annotationibus, collatæ cum editionibus Lucæ Holſtenii in Codice Regularum, Joannis Bolandi in Vitis Sanctorum ad menſem Januarium, & cum aliis MSS. Codicibus.

Homiliæ ſeu Sermones S. Cæſarii Arelatenſis Archiepiſcopi.

In varia loca Veteris & Novi Teſtamenti, homiliæ ſeu Sermones XXX.

1. De vocatione Abrahæ, *Egredere de terra tua &c.* incipiens, *Modo cum divina lectio legeretur &c.* in ultima editione Sermonum Divi Auguſtini, tomo V in Sermonibus Auguſtini ſuppoſitis col. 6. Quod ſemper etiam in ſequentibus intelligitur de hac ultima editione Pariſienſi, ubicunque columna deſignatur.

2. De vacca, ariete & capra trium annorum. *Audivimus fratres cariſſimi Scripturam dicentem &c.* col. 9.

3. De tribus viris, qui beato Abrahæ apparuerunt. col. 11.

4. De immolatione Iſaac. col. 13.

5. De puero Abraham qui miſſus eſt ad Rebeccam, col. 16.

6. De conceptu Rebeccæ col. 20.

7. De beato Jacob col. 22.

8. De eodem, *Frequenter charitati veſtræ ſuggeſſimus &c.* col. 24.

9. De beato Joſeph. col. 26.

10. De eodem. *De beato Joſeph ſcriptum eſt &c.* col. 28.

11. De eodem. *In beato Jacob fratres cariſſimi & in ſancto filio &c.* col. 31.

12. De morte Joſeph. col. 33.

13. De colluctatione Ægyptiorum & Iſraëlitarum col. 35.

14. De Moyſe, *In lectione divina fratres cariſſimi.* col. 36.

15. De eodem. *Magna quidem ſunt fratres cariſſimi.* col. 38.

16. De eo quod ſcriptum eſt: *Induxit Dominus cor Pharaonis &c.* col. 44.

17. De Exploratoribus & de botro. col. 57.

18. De Gideone, *Hodierna die audivimus &c.* col. 71.

19. De eo quod populus ſenior in deſerto mortuus eſt, & junior in terram promiſſionis ingreſſus eſt. col. 58.

20. De ſerpente æneo, & de virga Moyſi. col. 63.

21. Quod juſto Dei judicio filii Iſrael, terram promiſſionis, expulſis Chananæis, receperint. col. 66.

22. De eo quod Jeſus præcepit populo, ut parati eſſent ad transeundum Jordanem, atq; de ſubverſione Jerico. col. 69.

23. De David & Iſai patre ejus, & de Golia. col. 73.

24. De plaga populi propter David, & de Altaris ædificatione in arca arcuum Jebuſæi. col. 75.

25. De Elia. *In lectionibus quæ nobis diebus iſtis recitantur.* col. 78.

26. De Eliſæo. *Cum divina lectio legeretur, audivimus &c.* col. 80.

27. De eodem. *Sicut de beato Helia diximus, fratres cariſſimi.* col. 81.

28. De Eliſæo & Gieſi puero. *Frequenter charitati veſtræ ſuggeſſimus &c.* col. 85.

29. De Eliſæo & ſecuri in Jordanis profundum lapſa. *Modo cum divina lectio legeretur &c.* col. 87.

30. De muliere forti. *Eccleſia Catholica fratres cariſſimi &c.* col. 105.

In varia loca ſeu Parabolas novi Teſtamenti, Sermones XVI.

31. In illud Matthæi 6. Neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua. col. 114.

32. In illud Matthæi 7. Nolite judicare, & non judicabimini. col. 120.

33. In illud Matthæi 7. Intrate per anguſtam portam. *Auditis Fratres Dilectiſſimi.* col. 122.

34. De iisdem verbis. *Scio fratres cariſſimi, quod non poſſit ignorare &c.* col. 123.

35. De iisdem verbis. *Sermo nobis eſt ad vos fratres cariſſimi &c.* col. 125.

36. In illud Matthæi 24. *Væ prægnantibus & nutrientibus in die illa.* col. 126.

37. In illud Matthæi 25. *Simile eſt regnum cœlorum decem Virginibus.* col. 374.

38. De iisdem verbis. *In Evangelica lectione quæ nobis de decem Virginibus recitata eſt &c.* col. 138.

39. In illud Matthæi 25. Venite benedicti patris mei &c. col. 140.

40. In illud idem ſeu de iisdem verbis. *Audivimus cum Evangelium legeretur, terribilem vocem &c.* col. 142.

41. In illud Lucæ 17. Regnum Dei intra vos eſt. col. 158.

42. In illud Joannis 2. Tertia die nuptiæ fiebant. *Illud fratres cariſſimi &c.* col. 161.

43. De iisdem verbis. *Sicut jam aliquando charitati veſtræ ſuggeſſimus.* col. 162.

44. In illud Joannis 4. Venit Jeſus in civitatem Samariæ, quæ vocatur Sichar. col. 166.

45. In illud Joannis 14. Cum ſurrexiſſet à cœna Dominus. col. 262.

46. De liberato energumeno. *Superiore*

Dominica, Fratres cariſſimi, dum miſſa celebrarentur. col. 527.

In certis anni ſolemnitatibus Homiliæ XXXVII.

47. In Adventu Domini. *Hoc tempus Fratres cariſſimi &c.* MS.

48. De eodem. *Appropinquante jam ſacratiſſima ſolemnitate &c.* col. 209.

49. De eodem. *Sanctam ac deſiderabilem, glorioſam ac ſingularem &c.* col. 211.

50. Dominica IV. Adventus. *Propitia Divinitate Fratres dilectiſſimi &c.*

51. In die Natalis Domini. *Domini noſtri Jeſu Chriſti, Fratres, nativitatem celebrantes &c.*

52. De Sancto Stephano. *Heſterno die Natalem habuimus &c.* col. 350.

53. De Sanctis Innocentibus. Hodie Fratres cariſſimi, Natalem illorum infantium &c. col. 363.

54. De Kalendis Januarii. *Dies calendarum, iſtarum.* col. 233.

55. De iisdem. *Omne peccatum fratres cariſſimi.* col. 235.

56. De auguriis. *Bene noſtis Fratres cariſſimi, me vobis frequentius &c.* col. 462.

57. In Epiphania Domini. *Dies iſta & feſtivitas, quam hodie Fratres celebratis &c.* col. 248.

58. In Octava Epiphaniæ. *Hanc Baptiſmi Jeſu Chriſti &c.*

59. In Septuageſima. *Redimite vos ipſos Fratres &c.*

60. In Sexageſima. *Adeſt tempus cariſſimi Fratres &c.*

In Quadrageſima de jejunio Sermones X.

61. *Ecce Fratres cariſſimi Deo propitio &c.* col. 248.

62. *Dominus & Salvator noſter qualiter per multas negligentias &c.* col. 250.

63. *Rogo vos Fratres cariſſimi, ut in iſto legitimo &c.* col. 251.

64. *Ecce adſunt dies Sancti & tempus acceptabile &c.*

65. *Nonnulli Chriſtianorum Fratres, exiſtimantes &c.*

66. *Ecce nunc tempus acceptabile, ut ſuperiori Dominica legimus &c.*

67. *Lectum eſt nunc in Evangelio, viri Ninivitæ ſurgent &c.*

68. *Superiore Dominica diximus, hoc eſſe fidei noſtræ &c.* col. 257.

69. *Ait quodam loco ſermo Divinus, in diebus ſolemnitatum &c.* col. 429.

70. *Jam dies jejunii Fratres cariſſimi, dies obſecrationis &c.* col. 150.

71. Dominica IV. Quadrageſimæ. *Agite gratias Fratres &c.*

72. Dominica in Paſſione. *Scitote Fratres quoniam cujus opera quisque facit &c.*

73. Dominica in Ramis Palmarum. *Veniente Domino noſtro Jeſu Chriſto &c.*

74. In eadem. *Video vos Fratres attentius, quam ſoletis &c.*

75. In ſolemnitate Paſchali. *Audiſtis Fratres quod ſancta mulieres &c.*

76. In eadem ſolemnitate. *Paſcha Chriſti, Fratres cariſſimi, regnum eſt cœli &c.* col. 291.

77. 78. 79. Ad neophitos MSS. collocati inter impreſſa Auguſtini col. 293.

80. In Letania. *Ecce Fratres cariſſimi, dies ſancti & ſpirituales adveniunt.* col. 297.

81. In eadem. *Scire debemus & intelligere Fratres cariſſimi.* col. 299.

82. In Feſto Adſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Laudemus Dominum Fratres &c.*

83. In Feſto Pentecoſtes. *Magna eſt Fratres cariſſimi hodierna feſtivitas &c.*

De Pœnitentia Sermones ſeu Homiliæ XIII.

84. *In Lectione Evangelica Fratres cariſſimi.* col. 185.

85. *Multi de fratribus vel filiis noſtris ſollicîti ſunt.* col. 419.

86. *Quotiens evenerit Fratres chariſſimi &c.* col. 421.

87. *Rogo vos Fratres cariſſimi, ut ſi forte aliquis ex vobis &c.* col. 422.

88. *Rogo vos Fratres cariſſimi, ut paterna conſuetudine &c.* col. 424.

89. *Unde vos frequenter admonui, Fratres cariſſimi iterum atque iterum &c.* col. 426.

90. *Quotiescunque Fratres cariſſimi, aliquem de fratribus vel ſororibus noſtris &c.* col. 427.

91. *Reſurrectio & glorificatio Domini noſtri Jeſu Chriſti &c.* col. 413.

92. *Admoneo vos Fratres in conſpectu Dei, timori veſtro adjungere &c.*

93. De confeſſione & emendatione peccatorum. *Confitemini Domino Fratres cariſſimi.* col. 102.

94. De eadem. *In omnibus Scripturis divinis Fratres dilectiſſimi &c.* col. 415.

95. De pœnitentia & emendatione morum. *Scire debemus quia diabolus &c.*

96. De contemptu præſentis vitæ & pœnitentia. *Fratres cariſſimi res iſtas terrenas &c.*

De Judicio Divino Sermones IV.

97. *Modo Fratres cariſſimi cum Divina lectio legeretur &c.* col. 200.

98. *Rogo vos Fratres cariſſimi & cum grandi humilitate admoneo &c.* col. 409.

99. *Recogitemus Fratres cariſſimi cuncta mala, quæ facimus &c.* col. 412.

100. *Quam timendus eſt Fratres cariſſimi, dies ille judicii &c.*

De fide & neceſſitate bonorum operum, Sermones VI.

101. *Rogo & admoneo Fratres cariſſimi ut quicunque vult &c.* col. 399.

102. *In*

Digitized by Google

102. *In omnibus divinis lectionibus Fratres carissimi, fides multis præconiis collaudatur &c.* col. 433.

103. *Multi sunt Fratres carissimi, qui putant quod eis hoc solum &c.* col. 431.

104. *Rogo vos Fratres carissimi, ut attentius cogitemus, quare Christiani sumus &c.* col. 436.

105. *Gaudemus Fratres carissimi, & Deo gratias agimus, quia vos &c.* col. 438.

106. *Hodie Fratres carissimi, specialiter ad competentes, humilitatis nostra sermo &c.* col. 439.

De vera Charitate Sermones IV.

107. *Quantum nos Fratres carissimi, Caritas vestra desiderat.* col. 195.

108. *Si charitati vestræ, nos possimus frequentius præsentari.* col. 204.

109. *Quod vobis vera charitatis bonum sum frequenter insinuamus.* col. 442.

110. *Beatus Apostolus Paulus, Fratres carissimi, ut nobis vera charitatis.* col. 444.

De diligendis inimicis Sermones V.

111. *Frequenter in Evangelio Fratres carissimi, audivimus Dominum dicentem.* col. 447.

112. *In divinis Lectionibus Fratres carissimi, ita dispensavit Spiritus Sanctus.* col. 449.

113. *Scio & credo charitatem vestram sapienter intelligere, non esse sine causa.* col. 451.

114. *Pius & misericors Dominus, scitus fragilitatem humani generis.* col. 454.

115. *Gradum esse aliquem in Pharisæorum justitia.* col. 110.

116. Quare sancti viri & justi in hoc seculo, in peccatoribus vindicaverunt. *Judicia Dei Fratres carissimi, plerumque sunt occulta &c.* col. 457.

117. De adversitate temporali. *Quotiens Fratres carissimi, aliqua adversitates adveniunt.* col. 500.

De Eleemosyna facienda Sermones IX.

118. *Modo Fratres cari[illegible] cum Evangelium legeretur &c.* col. 513.

119. *Audivimus cum Evangelium legeretur, terribilem &c.*

120. *Faciendis eleemosynis Fratres carissimi, charitatem vestram admonui.* col. 514.

121. *Legimus in quodam libro Fratres carissimi, de ulmo & vite.* col. 516.

122. *Pius & misericors Dominus Fratres carissimi.* col. 518.

123. *Rogo vos Fratres carissimi diligentius considerate, & quantum potestis.* col. 520.

124. *Legimus Fratres carissimi, monente nos Domino per Prophetam.* col. 458.

125. *Remedia peccatorum Fratres, medicina est eleemosynarum.* col. 521.

126. *In lectione qua nobis lecta est, Fratres carissimi &c.* col. 523.

De assiduitate ad orationem in Ecclesia, & officiis Divinis, Sermones VI.

127. *Licet in multis rebus Fratres carissimi, nos Deo propitiante &c.* col. 471.

128. *Gaudium quod mihi Dominus, de vestra sancta & fideli devotione concessit.* col. 473.

129. *Supplico Fratres carissimi, & paterna pietate commoneo, ut quotiescunque.* col. 474.

130. *Rogo & admoneo vos Fratres carissimi, ut quotiescunque juxta almare.* col. 475.

131. *Rogo vos Fratres carissimi, & paterna pietate commoneo.* col. 468.

132. *Si velletis agnoscere & diligenter attendere Fratres carissimi.* col. 470.

De audiendo avide & esuriendo Dei verbo, Sermones VI.

133. *Inter reliquas beatitudines, quas in Evangelio Dominus &c.* col. 502.

134. *Ante aliquot dies propter eos, qui aut pedes dolent &c.* col. 504.

135. *Quotiescunque Fratres carissimi, tam pro vestra, quam pro mea salute &c.* col. 505.

136. *Gratias Deo agimus Fratres carissimi, quia etsi inter multas occupationes.* col. 508.

137. *Si diligenter attenditis Fratres carissimi, omnes Sacerdotes &c.* col. 478.

138. *Isaac, inquit Scriptura, crescebat & confortabatur &c.* col. 18.

139. De reddendis decimis. *Propitio Christo Fratres carissimi, jam prope sunt dies &c.* col. 460.

140. De benedictione humilium in Scripturis. *In Scripturis sanctis Fratres carissimi.* col. 496.

De Castitate & continentia Sermones V.

141. De fugiendis malis cogitationibus. *In Scripturis sanctis Fratres carissimi, legimus quia cos.* col. 525.

142. De castitate. *Quandocunque castitatem Fratres carissimi &c.* col. 481.

143. De incauta familiaritate externarum mulierum. *Nemo dicat Fratres carissimi.* col. 488.

144. De castitate Conjugali. *Magnum mihi gaudium facitis Fratres carissimi.* col. 486.

145. De eadem. *Rogo vos ut attentius cogitemus causam salutis nostra &c.* col. 478.

Contra ebrietatem Sermones duo.

146. Admonitio contra ebrietatis vitium. *Licet propitio Christo Fratres carissimi.* col. 490.

147. De eodem argumento. *Frequenter charitatem nostram Fratres carissimi.* col. 493.

148. Oratio seu sermo in causa Contumeliosi, Regiensis Episcopi &c.

In Dedicatione Ecclesiæ Sermones II.

149. *Quotiescunque Fratres carissimi, altaris vel templi &c.* col. 375.

150. *Sicut optime novit Sanctitas vestra, Fratres,* col. 377.

De Martyribus Sermones III.

151. *Non Martyrium sola effusio sanguinis.* col. 369.

Digitized by Google

152. *Quotiescunque Fratres carissimi, Sanctorum Martyrum &c.* col. 370.

153. De Martyribus, & Phylacteriis. *Audivimus per Apostolicam lectionem, servos & amicos Dei.* col. 464.

Ad Monachos Sermones IV.

154. *Frequenter audivimus, Christiani persecutionem patiuntur.*

155. *Gaudete & exultate in Domino venerabiles filiæ.*

156. De votis Deo reddendis. Admonet nos per Prophetam Fratres carissimi.

157. De charitate Dei, & ei annexis in Scripturis. *Ecce quam bonum & quam jucundum &c.*

Homilia 158. ascetica de moralibus diversis. *Fratres carissimi intelligimus, quia per bonam voluntatem* &c.

Epistolæ sancti Cæsarii Arelatensis Archiepiscopi.

Epistolæ tres ad sanctam Congregationem Monialium & Abbatissas a Cæsario missæ, ex Codice Regularum Lucæ Holstenii expressæ, quæ in MSS. Codd. pag. 58. & reliqua p. 67.

Epistola Cæsarii ad Ruricium Lemovicensem Episcopum, ex tomo V. *Antiquæ Lectionis Henrici Canisii* & variis editionibus Bibliothecæ Veterum Patrum.

Testamentum sancti Cæsarii Arelatensis Archiepiscopi, ex Codice Regularum Lucæ Holstenii, atque Chronologia Lerinensis Abbatiæ, a Vincentio Barrali Salernitano, Lerinensi Monacho conscripta.

Variantes Lectiones in Vitam, Regulas, & Opera sancti Cæsarii Arelatensis Archiepiscopi.

Hic ordo a nobis institutus est Operum S. Cæsarii, collatis inter se plurimis Manuscriptis Codicibus.

Agunt autem de sancto Cæsario Arelatensi Archiepiscopo abunde Vincentius Barralis Salernitanus, in Chronologia Abbatiæ Lerinensis. Fratres Sammarthani in *Gallia Christiana* tomo 1. in Archiepiscopis Arelatensibus. Cæsar Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 27. Augusti. In Annalibus passim, tomo 6. ad annum 453. num. 43, & ad annum 463. num. 3. Henricus de Noris *Historia Pelagiana* lib. 2. cap. 22. 23. & 24. quem legisse juvat ad habendam temporum Cæsarii supputationem accuratam.

510. TIMOTHEVS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS, primum Presbyter & magnus Scevophylax Magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, anno circiter 510. doctrina claruit, quam tamen Orthodoxam fuisse omnes inficiantur. Notissimus Anastasio Imperatori impio, qui (ut tradit Marcellinus) anno 511. Macedonium Patriarcham Constantinopolitanum multis impudentissimis agitatum calumniis, fraudulenta violentia ab Ecclesia submovit, cum jam per annos quindecim sedisset, quem per militum custodiam in exilium deportari jussit. Obnitente frustra Constantinopolitano populo, Catholicæ fidei acerrimo defensore, qui una cum mulieribus & parvulis & multitudine Monachorum infinita, tempus Martyrii advenisse, per civitatem clamabant: Imperatoremque Manichæum & Imperio indignum vociferantes, adeo ut sæpe Imperator ipse, præ vocum ingeminantium confusione, latitare cogeretur. Verum a suis ducibus ac militibus eadem qua ipse impietate fœdatis, a populi furore defensus, paulatim in eundem vice versa desæviens, variis eundem cladibus, exiliis, bonorumque publicationibus affecit. Imo idem Imperator conscisso combustoque Concilii Chalcedonensis Actorum libro, quem Macedonius in arca sanctiori servandum deposuerat: in locum Macedonii *Timotheum* illum de quo agimus, suffecit, nefandum hominem vitaque turpissimum. Ideoque *χήλωνα* & *λυτροβόλον* dictum, atque hæresis Theopaschitarum sectatorem obstinatissimum: licet pro rerum temporumque occasione, cæterorum more Hæreticorum, ad horas mutare fidem consuevisset. Quomodo autem ista se habuerint, describunt pluribus Evagrius lib. 3. cap. 32. Theodorus Lector lib. 2. Collectaneorum. Nicephorus Callistus lib. 16. cap. 26. Author Miscellæ lib. 15. atque alii. Vtique ex Theodoro eodem potest intelligi, gesta ea esse tempore majoris hebdomadæ, quæ sanctum Pascha præcedit, Diabolo pro more suo sacris in diebus majorem excitante adversus Ecclesiam tempestatem. Hæc Spondanus in Epitome Annalium Baronii, ad annum 511. num. 3. Hujus porro *Timothei Presbyteri & magni Scevophylacis magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ* extat inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Cod. [illegible] num. 18. a fol. 41. ad 49. *Liber ad Joannem Presbyterum & Scevophylacem Ecclesiæ Beatissimæ Virginis Deiparæ in Chalcoprateis, de differentia hæreticorum ad Orthodoxam Ecclesiam revertentium.* Ipsa tituli Græci verba cum libelli initio hæc sunt. Τιμοθέου πρεσβυτέρου τῆς ἁγιωτάτης μεγάλης Ἐκκλησίας Κωνσταντινουπόλεως πρὸς Ἰωάννην πρεσβύτερον καὶ Σκευοφύλακα τῆς ἁγίας Θεοτόκου ἐν Χαλκοπρατείαις περὶ διαφορᾶς τῶν προσιεχομένων τῇ εὐαγγελικῇ ἡμῶν πίστει. τρεῖς τάξεις εὑρίσκομεν τῶν προσιεχομένων τῇ ἁγίᾳ τοῦ Θεοῦ Καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ καὶ Ἀποστολικῇ Θεοφιλέσατα συλλειτουργοὶ Ἰωάννη, καὶ πάντων ἡμοῖ προσφιλέσατε. καὶ πρώτη μὲν τάξις ἐστὶ τῶν βαπτιζομένων τὸ ἁγίῳ βαπτίσματι. δευτέρα δὲ τῶν μὴ βαπτιζομένων, ἀλλὰ χριομένων τῷ μύρῳ τῷ ἁγίῳ. καὶ τρίτη τῶν μήτε βαπτιζομένων, μήτε χριομένων, ἀλλὰ &c. Ediderunt quidem hunc librum antehac Latine tantum Margarinus Bignæus tomo V. Bibliothecæ Sanctorum Patrum, editionum Parisiensium anni 1575. & 1589. Antonius Possevinus tomo 2. *Apparatus Sacri* littera T. verbo *Timotheus.* Ac Græce quidem Joannes Meursius

ſius in libro *Variorum Divinorum*, tandemque Franciſcus Combefis Græce & Latine an. 1648. in fol. Pariſiis; in *Auctario* magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum, tomo 2. colum. 449. Sed omnes adeo imperfecte ac mutile, ut nova editione integra opus ſit, quisquis ſufficienter efferre voluerit differentiam, quæ inter memoratas jam editiones impreſſas, & manuſcriptum hoc Cæſareum eſt. Ita Lambecius, qui hoc agendum reſervabat in *Supplemento Bibliothecæ Patrum Veterum Græcolatina* ex Auguſtiſſimæ Cæſareæ Bibliothecæ variis MSS. Codicibus, poſthac edendo. Codicem vero ab editis haud parum diverſum nactus Joannes Baptiſta Cotelerius, non indignum duxit, quem Græcolatinum cum Notis evulgaret, *Veterum Eccleſiæ Græcæ Monumentorum* tomo 3. pag. 377. qui an voto Lambecii ſatisfecerit, videant quibus copia datur volvendi Manuſcriptos Codices Bibliothecæ Cæſareæ. Hoc autem opus Timothei, extat & MS. inter Codd. MSS. Eccleſiarum Angliæ Cathedralium atque aliarum celebrium bibliothecarum, Cod. 5839. in MSS. Codd. Græcis Thomæ Galei Codice 5. Interim autem hic breviter admonet Lambecius, *Timotheum illum* qui libri iſtius author eſt, tam in Bibliotheca Patrum Veterum, editionis Pariſinæ antiquæ, annorum 1575. & 1589. quam in noviſſima anni 1644. & in Antonii Poſſevini *Apparatu Sacro*, perperam appellari *Cuſtodem vaſorum ſacroſanctæ Deiparæ, quæ eſt in Chalcoprateis.* Ipſe enim Timotheus fuit *Presbyter & magnus Scevophylax ſive cuſtos vaſorum magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ*, quæ *ſanctæ Sophiæ* eſt: Eccleſiæ autem beatiſſimæ Virginis Deiparæ in Chalcoprateis Presbyter & Scevophylax, eodem tempore Joannes ille fuit, ad quem Timotheus hunc librum *de differentia variarum hæreſium* ſcripſit, ut manifeſte cernitur, ex ſuperius exhibita ejus inſcriptione, quæ in hoc Codice MS. Cæſareo extat. Mortuus eſt autem Timotheus Conſtantinopolitanus ille Patriarcha intruſus, anno 517. ſublatus de media repentina morte, poſtquam annos ſex ſediſſet, ut habet Nicephorus in *Chronologia*. Qui autem in ejus locum ſubrogatus, Joannes Cappadox, populi conatu magis, quam Imperatoris voluntate electus creditur. Agunt de Timotheo iſto præter citatos Veteres, Henricus Spondanus in *Epitome Annalium Baronii* ad annum 511. num. 3. & ad annum 517. num. 4. Petrus Lambecius, e quo pleraque hauſimus, tomo 5. *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* pag. 122. ad Codicem 247. Et in Catalogo Scriptorum, pag. 360. Guillelmus Cavus, in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo VII. ad annum 610. pag. 447. ubi annis centum integris in deſignanda Timothei noſtri ætate fallitur, inſigni ſatis oſcitantia.

DISSERTATIO CRITICA,
DE
SCRIPTIS DIONYSII PSEVDO-AREOPAGITÆ.

520 INſignis Quæſtio eſt, utrum Opera, quæ vulgo ſub nomine S. Dionyſii Areopagitæ Athenienſis Epiſcopi circumferuntur, nimirum *de divinis* nominibus, *de cæleſti atque Eccleſiaſtica Hierarchia*, *de Myſtica Theologia &c.* vere germanum Dionyſii Areopagitæ opus ſint? Affirmant qui procurarunt dictorum Operum editionem Petrus Lanſſelius & Balthaſar Corderius annis 1615. & 1634. hic Pariſiis, ille Antverpiæ. Martinus Delrio Antverpianus, & Petrus Alloix Lugdunenſis, omnes ejusdem Societatis, in Opuſculis eam ob rem conſcriptis: quorum argumenta in compendium retulit Natalis Alexander Ordinis Fratrum Prædicatorum in *Selectis Eccleſiaſtica hiſtoria capitibus* ſeculo II. Diſſertatione XXI. Ita definit ſacra Facultas Theologica Pariſienſis, tum ad calcem Cenſuræ contra Lutherum, tum apertius in Cenſura altera quam in Eraſmum tulit. Verum alii quamvis Opera iſta eſſe authoris antiqui fateantur, qui vel ſub finem ſeculi Eccleſiæ quarti, vel ſub initium ſexti, vixerit: firmiſſimis tamen negant argumentis, eſſe illa Dionyſii Athenienſis vel Pariſienſis Epiſcopi. Ita Dionyſius Petavius in opere *Theologicorum Dogmatum*. Joannes Morinus in tomo, *de ſacris ordinationibus*. Joannes Launoius in libro *de duobus Dionyſiis*. Joannes Dallæus Miniſter Divini verbi apud Carentonium in Opere *de Scriptis ſuppoſitis Dionyſio & Ignatio* Genevæ anno 1666. in 4. Omnes maximi nominis, omnes Galli, cum aliis multis.

CAPVT PRIMVM.

OPERA OMNIA SANCTO DIONYSIO AREOPAGITÆ ATTRIBVTA, SVPPOSITITIA SVNT.

PRæter authores jam allegatos, plurimi etiam alii vel nomenclatores Operum Eccleſiaſticorum noviſſimi, vel qui de hoc argumento expreſſe tractarunt, fere omnes concludunt in gratiam S. Dionyſii Areopagitæ, Athenienſis primum tum poſtea Pariſienſis (ut volunt) Epiſcopi: hæc nempe Opera omnia ipſi attributa, vere ipſius eſſe ac germana. Inter illos potiſſimi ſunt Sixtus Senenſis lib. 2. *Bibliothecæ ſanctæ*, verbo *Dionyſius Areopagita*, pag. mihi 60. Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo eodem pag. 469. & ſequentibus, ubi ampliſſime de Scriptis Dionyſii Areopagitæ diſſerit. Ro-

bertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 71. pag. 56. ubi quæſtionem non excutiens accuratius, ſatis eſſe ait ad authoritatem his Operibus conciliandam, quod illa a ſancto Gregorio probentur. Philippus attamen Labbeus in Diſſertatione hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tomo 1. pag. 258. verbo *S. Dionyſius Areopagita*, tumque in *Addendis & Corrigendis* pag. 765. & 766. Bellarminum quem ubique ſemper ſequitur, hic deſerere cogitur, negareque Opera iſta eſſe ſancti Dionyſii: quem nos hic excipiemus, ſequemurque. Sic autem ille.

„An in Gallias venerit Pariſios usque, ſcripſeritve quæ nomen ejus præferunt Opuſcula, „quorum nec Euſebius, nec Hieronymus, nec „Gennadius, aliique antiquiores: ſed Photius „tantum, Sigebertus atque Honorius in Catalogis Scriptorum Eccleſiaſticorum meminerunt, uberrimum eruditis hac ætate præſertim „præbuerunt, diſputandi, ſcribendique argumentum. Vide quæ poſt alios nuper de utroque hoc problemate in medium adduxit, Joannes Morinus Bleſenſis, Congregationis Oratorii Domini noſtri Jeſu Chriſti Presbyter, parte ſecunda Commentarii *de ſacris Ordinationibus*: & cum iis compone, quæ Baronius, Delrius, Halloixius, Lanſelius, Corderius, Sauſſayus, Menardus, aliique in ſententiæ vulgaris „patrocinium ſcripſerunt. Neque noſtrum eſt „inter eos tantas componere lites. At in *Addendis & Corrigendis* pag. 765. negativam ille „partem amplectitur, cum viris eruditis hac ætate, ſive Orthodoxis, ſive Heterodoxis, qui „pluribus contendunt argumentis, Opera illa a „S. Dionyſio Areopagita Athenienſi Epiſcopo „ſcripta nunquam fuiſſe. Sed ab aliquo junio-re, de cujus ætate diſputatur quoque, vixeritne ante vel poſt Chalcedonenſe Concilium, probatque theſim rationibus variis, quibus pauca nos addemus.

Primo. Nec Euſebius, nec Hieronymus, nec Gennadius, nec ullus eorum qui primis quinque ſeculis vixerunt, illorum mentionem fecere: quod non modo Anaſtaſius Bibliothecarius in Epiſtola ad Carolum Calvum obſervat, ſed etiam Bellarminus & Petavius. Anno demum 533. in Collatione Conſtantinopoli habita inter Catholicos & Severianos, primum prodierunt, Hæreticis hiſce aliquid ex Dionyſio Areopagita objicientibus: verum Catholicis illorum authoritatem recuſantibus. Cum igitur Hæretici verba Dionyſii Areopagitæ protuliſſent, *unam naturam Dei verbi, poſt unitionem decernentis*: Hipatius Epheſinus Epiſcopus qui Catholicæ veritatis partes agebat, adverſus ea falſi ſuſpicionem injecit, dicens: *Illa teſtimonia, quæ vos Dionyſii Areopagitæ dicitis, unde poteſtis oſtendere vera eſſe, ſicut ſuſpicamini? Si enim ejus erant, non potuiſſent latere beatum Cyrillum. Quid autem de beato Cyrillo dico, quando & beatus Athanaſius, ſi pro certo ſciſſet ejus ſuiſſe, ante omnia in Nicæno Concilio de Conſubſtantiali Trinitate eadem teſtimonia protuliſſet, adverſus Arii diverſa ſubſtantia blasphemias? Si autem nullus ex antiquis recordatus eſt ea, unde nunc poteris oſtendere quia illius ſunt, neſcio?* Appellat Natalis Alexander hoc argumentum *negativum*, ſed alii maxime *poſitivum* putant: ubi poſitive, ut Dionyſii hæc Opera negantur, tam a Catholicis Patribus Collationis Conſtantinopolitanæ anni 533. quam etiam ab Anaſtaſio, qui diſerte aſſerit in Epiſtola ad Carolum Calvum, hæc Opera ignota fuiſſe primis quinque Eccleſiæ ſeculis. Maxime cum Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus, in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* de Dionyſio Areopagita loquatur: ubi præclaram habuit occaſionem loquendi de tam inſignibus & multis Operibus, ſi tunc extitiſſent. Vide *Acta Eruditorum Lipſiæ*, ad annum 1704. menſe Aprili paginis 168. 169.

Secundo. Hic ſcriptor in his ſuis Operibus evulgatis, aliorum plurimorum a ſe conſcriptorum Operum meminit, quæ nunc etiam deſiderantur. Cap. enim 7. *Cœleſtis Hierarchia* allegat librum divinorum Hymnorum a ſe conſcriptum. Cap. 15. *Cœleſtis Hierarchia* & capp. 1. & 13. *Divinorum nominum*, & cap. 3. *Myſtica Theologia*, denique *Epiſtola nona* ad Titum, idem citat librum Symbolicæ Theologiæ. Capp. 1. 2. *Eccleſiaſtica Hierarchia* citat librum de intelligibilibus & inſenſibilibus. Cap. 3. ejusdem *Eccleſ. Hierarchia*, librum de legali ſive Sacerdotali Hierarchia. Cap. 1. & 2. *Divinorum nominum* & cap. 3. *Myſtica Theologia*, librum Theologicarum Hypotipoſeon. Cap. 4. *Divinorum nominum*, librum de Angelicis proprietatibus, itemque libros de anima, & Divino juſtoque judicio. Quis autem credat unquam tam celebrem authorem, tantis onuſtum libris, primo Eccleſiæ ſeculo florentem, ab Euſebio Cæſarienſi Epiſcopo viro diligentiſſimo omiſſum unquam fuiſſe, ab Hieronymo Stridonienſi, qui peculiare Opus *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* aggreſſus eſt. Nec ſatisfaciunt, quæ reſpondet Sanctus Maximus Martyr in prologo ad Opera divi Dionyſii a ſe Scholiis illuſtrata: nec quæ poſt ipſum Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus* ſeculo 1. Diſſertatione XXI. pag. 798. ex paucis admodum authoribus, qui Euſebium atque Hieronymum fugerunt.

Tertio. Horum librorum author citat non modo Apocalypſim, quæ facta eſt ſancto Joanni, dum in Inſula Pathmo exul eſſet ſub finem Imperii Domitiani: ſed etiam ſententiam ex Epiſtola divi Ignatii ad Romanos ſcripta, circa annum Trajani undecimum, qui Chriſti 108. eſt. Atqui ab omnibus fere antiquioribus Scriptoribus, Dionyſius Areopagita obiiſſe ſub Domitiano ante annum 98. perhibetur: unde Opera iſta aperte Dionyſio Areopagitæ ſupponuntur.

Quarto. Idem author librum ſuum de divinis nominibus, Timotheo adhuc viventi dicat, in quo tamen citat ſententiam ex Epiſtola S. Ignatii

Ignatii ad Romanos. At vero quando Ignatius hanc Epistolam scribebat atque alias, jamdudum obierat Timotheus: quomodo ergo ei viventi librum suum offerre dedicareque potuit, quod de divinis nominibus inscriptum est? Testatur autem Martyrium Timothei, apud Photium in *Bibliotheca* Cod. 254. illum obiisse sub Domitiano, ac Metaphrastes similiter qui narrationem suam ex Vetere accepit Historico. Et quamvis de tempore mortis non assentiatur Baronius, certum tamen esse fatetur, Timotheum ante Ignatium Martyrio fuisse coronatum. Neque enim id negari potest, cum testetur Ignatius (inquit) in suis ad Antiochenos, ad Heronem, & ad Ephesios Epistolis Onesimum Timothei successorem, Ephesinum jam fuisse Episcopum, cum illas scriberet. Præterea vocat sæpius, author ille Timotheum Filium suum: quod certe absurdum est, & ab usu Ecclesiastico, nec non a recta ratione, maxime alienum. Quis enim sibi persuadeat, Dionysium vocasse Episcopum sibi ætate fere æqualem, Christiana vero religione, Apostolica institutione, & sacro in Ecclesia principatu antiquiorem, Filii nomine: quod seniores duntaxat junioribus tribuunt. Denique dixissetne Dionysius Areopagita Timotheum in Schola Pauli edoctum, intelligentia non potuisse assequi librum Hierothei *de Theologicis Elementis:* ideoque illum ad se remisisse, ut eum explanaret? An adeo tardi & hebetis erat ingenii primarius S. Pauli discipulus? Alium igitur ab illo Timotheum hic necesse est quæramus, ut & alium ab Areopagita Dionysium. Has equidem admittit consequentias S. Martyri Timotheo valde iniquas, S. Maximus Martyr in suis ad caput secundum *de Cœlesti Hierarchia* Scholiis: eumque secutus Natalis Alexander Dissertatione XXI. pag. 805. Ego autem opinor æquioris judicii illos fore, qui Dionysio Areopagitæ fictitio iniquiores fuerint, quam Timotheo, quem edocuisse iste Dionysius jactat.

Quinto. Hic scriptor magnifice loquitur, cum de templis adyta instar Hierosolymitani habentibus, adeo sacra, ut nefas esset non plebi modo, sed & Monachis eo ingredi. Tum loquitur de Catechumenorum, Energumenorum, & Pœnitentium abis exclusione, & extra fores collocatione, dum Eucharistia celebraretur. Tum de Monachorum consecratione & ordinatione ac de variis ritibus, a Dionysii & seculi primi usu, & voluntate ultro concedunt, etiam eruditi Pontificii, maxime alienis. Ita loquitur de Ceremoniis quæ observantur in Baptismo parvulorum, videlicet de abrenuntiatione ac fidei professione quas ex ore aliorum faciunt: *de hoc*, inquit, *quæ dicimus quæ divini nostri Pontifices* πρὸς τῆς ἐκκλησίας μυηθέντες παραδόσεως, *ex antiqua traditione edocti, ad nos usque produxerunt.* Quæ sane verba, hominem quatuor aut quinque seculis b Apostolorum tempore remotum innuunt: non Dionysium Pauli Apostoli discipulum.

Sexto. Adde istis, uti hunc authorem nominibus Hypostasis, aliisque vocibus, quæ nonnisi seculo IV. in Ecclesia usitatæ sunt: *ἀνάδαται τρισυπόστατον, θεαρχικὰς ὑποστάσεις, οὐσίαν μίαν.* Quæ paulo amplioribus verbis adducit sibi objecta ex Joanne Morino, Natalis Alexander loco citato pag. 824. Atque nomen istud Hypostasis usurpari tantum cœpit in Ecclesia ad significandum personam, post Concilium Alexandrinum, quod anno 362. Constantino Imperatore mortuo celebratum est. Ergo nonnisi post tertium seculum vixit author ille, qui consequenter nec Dionysius Areopagita est. Ita Morinus vir doctissimus. Plura vide apud citatos authores, quibus jungendus est Aubertinus pag. 260. editionis Latinæ Operis sui *de Eucharistia*, & sequentibus: tum apud dictum Morinum, omnia ad vivum resecantem. Ex quibus disces plurimos Catholicos seu Romanos ab aliquot seculis aut dubitasse aut negasse, aut certe insinuasse, sibi non omnino probari Areopagitæ fœtum indubitatum esse, Opera illa quæ nomen ejus præferunt. In quibus numerare possis Antonium Faventinum, apud Joannem Picum in responsione ad objectionem tertiam. Theodorum Gazam, in præfatione ad problemata Alexandri Aphrodisiensis. Laurentium Vallam, in caput 7. Actuum Apostolorum. Thomam de Vio Cajetanum, S. R. Ecclesiæ Cardinalem tituli sancti Sixti, in Commentariis ad Acta Apostolorum, & librum tertium Regum. Isaacum Habertum, Vabrensem Episcopum, qui multorum instar esse posset, in *Archieratico*. Denique Joannem Launoium, Constantiensem Presbyterum & Parisiensem Theologum, in variis *de duobus Dionysiis Atheniensi & Parisiensi Opusculis*, quorum fronti Dissertationem Jacobi Sirmondi de eodem argumento præfixit.

Septimo hæc Opera diserte impugnant, non tantum Arianam hæresim, sed Nestorianam atque Eutychianam, ut legenti planum est: unde illa ante Collationem Constantinopolitanam anni 533. vix nota fuisse, recte concludit Nicolaus le Mourry Nonachus Ordinis D. Benedicti, Congregationis S. Mauri in Dissertationibus *de Scriptoribus seculi Ecclesiæ primi*, Parisiis anno 1694. in 8. apud Joannem Anisson typographum Regium editis Dissertatione decima *de Operibus S. Dionysii* cap. 19. pag. 385. his verbis.

Qui his convincuntur rationum momentis, « opinioni illi quantum voluerint, subscribant, « iis nec invidemus, nec reluctamur. Quo minus tamen omnem illis præbeamus assensum, « illa potissimum ratio nos movet, quod argu- « mentum illud quo scripta Auctoris nostri post « natam Arii hæresim edita esse demonstraba- « tur, idem illud ipsum post exortos Nestorii er- « rores prodiisse evincit. In iis quippe hæresis « contra Incarnationis Christi mysterium non « minus

„minus aperte, quam omnes contra ejus divini-„tatem, & unam trium divinarum perſonarum „naturam errores, proſcribitur. Hæc etenim „de incarnato Dei filio variis in locis legimus. „De Eccleſiaſtica Hierarchia cap. 3. *Dei princi-„palis bonitas &c. noſtrorum omnium vere facta par-„ticeps abſque peccato, humilitatique noſtræ unita, „ſalvo proprietatum ſuarum ſtatu, eoque prorſus in-„confuſo & inviolato.* In alio autem de divinis „nominibus libro: *Verbum divinisſimum &c. per „inconfuſam humanitatis noſtræ adſumptionem.* Et „in Epiſtola 4. ad Cajum, *quatenus erat Deus & ho-„mo, novam quandam nobiscum converſando hear-„δρικὴν ἐνέργειαν exhibebat.* Quid planius, quid „dilucidius, poſt ſparſos Neſtorii Eutychetis-„que errores, a quovis Auctore unquam ſcri-„ptum eſt?

„ Hinc non levi omnino conjectura colligere „poſſumus, Scriptorem noſtrum maximas cum „turbas ab hæreticis Neſtorianis & Eutychianis „cieri videret; tunc ut utrosque confunderet, „ac pro viribus Eccleſiæ partes tueretur, ani-„mum ad ſcribendum appuliſſe. Atque ut id „ipſi cederet felicius, magnum & venerabile „Dionyſii Areopagitæ nomen ſcriptis ſuis præ-„fixit. Ea ergo intra annum 431. quo Synodus „Oecumenica Epheſina adverſus Neſtorianos, „& 451. quo Synodus Chalcedonenſis contra „Eutychianos celebrata eſt, ab illo profecta vi-„dentur. Non continuo tamen publicam in „lucem producta, & ab omnibus recepta, ſed „ſenſim ſine ſenſu ita prodierunt: ut non ante „memoratam ſuperius anno 533. Collationem „Conſtantinopolitanam, in omnium venerint „cognitionem. Illud porro in hujuſce opinio-„nis confirmationem adduci poteſt, quod hæc „ſcripta in his Conciliis Oecumenicis a nemine, „neque etiam a Juvenale Epiſcopo Hieroſoly-„mitano, qui inter primos utriusque Synodi Pa-„tres ſedebat, citata reperiantur. Nulla au-„tem hujus ſilentii cauſa alia afferri poteſt, niſi „quod Dionyſianæ lucubrationes tunc emer-„gentes e tenebris, vix ulli ante Concilium „Chalcedonenſe notæ fuerunt. Porro autem „ſi quæras, cur plura apud Auctorem noſtrum „occurrant, cum his quæ Gregorius Nazianze-„nus ſcripſit, plane ſimilia: non abſurde re-„ſponderi poteſt, illa ab Auctore noſtro, qui fæ-„pius & ſua ab aliis accepiſſe, & aliorum opinio-„nes referre dicit, in uſus ſuos, tacito Gregorii „nomine, adſumpta fuiſſe, ac reddita ſtylo ſuo, „& inuſitatis loquendi modis. Quibus autem „hæ conjecturæ nec ſatis firmæ, nec omnino „probabiles videbuntur, iidem fateantur neceſ-„ſe eſt, hæc Scriptoris noſtri opera Collationem „Conſtantinopolitanam atque etiam ſeculi ſex-„ti initia, longo præcurriſſe temporis interval-„lo. Hæc ille in noſtram ſententiam.

Prodierunt itaque Opera iſta ſub nomine divi Dionyſii Areopagitæ & Athenienſium Epiſcopi, ſub initium ſeculi ſexti, anno circiter 520. Vnde anno 533. allegata ſunt ab Hæreticis, in Collatione Conſtantinopolitana, Catholicos inter & Severianos. Eodem autem tempore admiſſa illa Opera ſunt a Catholicis, dum ſuis favebant argumentis. Nam Ephræmius Patriarcha Antiochenus apud Photium in *Bibliotheca* Cod. 229. in Apologia quadam Concilii Chalcedonenſis, quæ inſcribebatur *de ſacris Antiochiæ legibus*, ut vertit interpres Photii, noſtrum Areopagitam citavit: *Vnam*, inquit, *Perſonam, hoc eſt Verbi incarnati hypoſtaſim pronuntiamus, quandoquidem ſimplicem ponit Jeſum, ſanctus Dionyſius Areopagita.* Hic autem Ephræmius ad Antiochenum patriarchatum provectus eſt circa exordia Imperii Juſtiniani, ut teſtatur Theophanes, hoc eſt, circa annum Domini 526. antequam Severiani Hæretici authoritate illius coram Hypatio abuterentur: qui mortuus eſt ante annum 543. Vnde falſum eſt, ut vult Dallæus, hos libros ante annum Domini 630. a nemine authorum Eccleſiaſticorum, Dionyſio Areopagitæ fuiſſe adſcriptos. Præterea Joannes Scythopolitanus qui ſapienter & pie pro Synodo Chalcedonenſi ſcripſit, ut Sophronius apud Photium Codice 231. teſtatur, quique vel ante ſeculum ſextum, vel eo jam incunte floruit: ſcripſiſſe fertur *Scholia* in libros ſancti Dionyſii Areopagitæ, ut teſtatur Anaſtaſius Bibliothecarius, in Epiſtola ad Regem Carolum Calvum de Areopagiticis data. Non ſcribuntur autem Scholia in authorem, niſi cui nomen jam aliquod celebritas vel antiquitas pepererit: Ergo ſub initium ſaltem ſeculi ſexti, vel etiam ante ſeculum ſextum (ut vult Natalis Alexander) præfati libri ſub nomine Dionyſii Areopagitæ divulgabantur, ſeu circa annum 520. ut ſupra diximus. Denique Leontius qui librum *de Sectis* ante annum Domini 608. ſcribebat, (ut conſtat ex eo quod meminerit Eulogii tunc temporis Alexandrini Patriarchæ, qui illo anno diem ſupremum obiit) Dionyſium inter Patres antiquiſſimos nominat, alibique eum ætatis Apoſtolorum fuiſſe annotat, ſub ejus nomine citat librum *de divinis nominibus*, Actione 3. ita ſcribens. *Caterum temporibus illis, quæ a Chriſti Nativitate usque ad Imperium Conſtantini numerantur, bi Doctores & Patres extiterunt: Ignatius* ille *Theophorus, Irenæus, Juſtinus, Philoſophus & Martyr, Clemens & Hyppolitus Epiſcopi Romani, Dionyſius Areopagita, Methodius Patarenſis Epiſcopus, Gregorius miraculorum effector, & Petrus Alexandrinus Epiſcopus & Martyr.* dem quoque lib. 2. *contra Neſtorium & Eutychetem* producturus Veterum teſtimonia contra Apharticodocitas, id eſt, Carnis Chriſti incorruptibilis aſſertores, ſic præfatur. *Quoniam gratia Chriſti, quæſtiones quæ ſpeciem probabilitatis habebant, pro viribus ſolvimus: pollicitis vero ſumus, teſtimoniis Veterum confirmare quæ diximus: accipe in idem, multitudinem teſtimoniorum æquabilem, modulatum veritatis concentum edentem.* Tum primo quidem loco profert *Teſtimonium ſancti Dionyſii Areopagitæ, ætatis Apoſtolorum, ex libro de divinis nominibus.* Ergo ſaltem

Digitized by Google

ſaltem pluribus quam 20. annis ante annum 630 libri præfati eſſe S. Dionyſii Areopagitæ, ab authoribus Eccleſiaſticis exiſtimati ſunt.

CAPVT SECVNDVM.

A QVIBVS HÆC OPERA CONFICTA ET SVPPOSITA FVERINT.

IN eandem venit nobiſcum ſententiam Jacobus Vſſerius Armachanus Archiepiſcopus in *Bibliotheca Theologica* adhuc MS. pag. 559. cujus verba profert Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literaria* ad annum 362. pag. 179. Vſſerius igitur poſtquam ſententiam de *Apollinari* Operum divi Dionyſii auctore pluribus propugnaſſet, ita inquit.

„Quam primum in lucem prodierunt ſcripta „Dionyſio Areopagitæ attributa, quorum inter „primos meminit Joannes Philoponus: quod „multa obſcuritate laborarent, illa ſub ſeculi „ſexti initia *Scholiis* illuſtranda cenſuit Joannes „Scythopolita: in quorum procemio agnoſcit „tamen, quod παλαιοί τινες (ſic enim loquitur) „λοιδορεῖν εἰς αἱρέσεις τὸν θεῖον Διονύσιον. Poſtea„que de loco ubi hæc ſcripta conſervata fue„runt, addit, Διήκουός δε τις Ῥωμαῖος Πέτρος „πόνους διηγήσατό μοι, πάντα τὰ τῷ θείῳ Διονυ„σίῳ σώζεσθαι κατὰ τὴν ἐν Ῥώμῃ τῶν Ἱερῶν βι„βλιοθήκην ἀναπεπταμένα. Et ad hæreſes quidem „quod attinet, in Collatione anno DXXXII. in„ter Catholicos & Severianos habita, cum Hæ„retici ſcripta Dionyſii Areopagitæ pro ſe alle„gaſſent, a Catholicis de falſitate auctoris exce„ptionem interpoſitam fuiſſe conſtat: quod il„la neque Cyrillus, neque Athanaſius agnoviſ„ſet, & ſatis dubie poſtea de iisdem Gregorius „Magnus locutus eſt, ita inquiens homil. 34. in „Evangelia: *Fertur Dionyſius Areopagita, anti„quus videlicet & venerabilis Pater dicere, quod ex „minorum Angelorum agminibus foras ad explendum „miniſterium vel viſibiliter vel inviſibiliter mittunt.* „De Romana vero bibliotheca non negligenda „eſt etiam, illa Anaſtaſii Bibliothecarii cum „Græcorum ſententia conſentiens conjectura, „in Epiſtola ad Carolum Calvum an. DCCCLX. „exarata. Vnde ego veram eſſe Græcorum „opinionem conjicio, perhibentium libros ejus „a prioribus Hæreticis occultatos: donec lon„go poſt tempore ex Opuſculis ejus ſolus Codex „qui nunc habetur, Romæ tandem repertus eſt, „cæterisque adhuc ineditis nondum inventis, in „Græciam aſportatus. Circa annum DCXXX. „Maximus Monachus ſua in Dionyſium Scholia „edidit, in quibus contra eos diſputat, qui Areo„pagitæ ſcripta illa abjudicabant, & Apollinario „tribuebant. Circa annum DCXLIX. Marti„nus I. in Synodo Romana, contra Hæreticos „habita, Dionyſium Areopagitam citat. In„ter alios libros a Paulo Papa circa annum „DCCLXVII. ad Regem Pipinum miſſos, fuiſ„ſe Dionyſii Areopagitæ libros Græce ſcriptos, „conſtat ex Epiſtola 25. Pauli a Gretſero edita. „Anno DCLXXX. in Actione 4. VI. Synodi, A„gatho Papa in Epiſtola ad Imperatorem Con„ſtantinopolitanum, citat locum Dionyſii ex li„bro *divinorum nominum*. Anno DCCXCIV. „Hadrianus I. in libro *de imaginibus* ad Carolum „Magnum, citat Latine teſtimonia ex Dionyſii „*Epiſtola ad Joannem Evangeliſtam*, & libro *de cæle„ſti Hierarchia*. Anno DCCCXXIV. Dionyſii „authenticos libros Græca lingua conſcriptos „Oeconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & „cæteri Legati Michaelis Imp. ad Ludovicum „Pium in ipſa vigilia ſolemnitatis S. Dionyſii „præſentarunt: ut habet Hilduinus qui tum ad„fuit, in Præfatione *Areopagiticorum*, & Sigeber„tus in *Chronico* ad annum DCCCXXIV. In„de in Epiſtola ad Hilduinum, Dionyſiaci Cœ„nobii apud Pariſienſes tunc Abbatem, ei man„dat Ludovicus Imperator, ut Acta Dionyſii „tum ex aliis ſcriptis, tum ex libris (inquit) ab eo „patrio ſermone conſcriptis, & auctoritatis no„ſtræ juſſione, ac tuo ſagaci ſtudio, interpretum„que ſudore in noſtram linguam explicatis con„ſignaret. Et Hilduinus in Reſponſione ad ean„dem, *de notitia* (inquit) *librorum quos patrio ſer„mone conſcripſit, & quibus petentibus illos compe„ſuit, lectionibus per Dei gratiam & veſtram ordina„tionem, cujus diſpenſatione interpretatos ſcrinia no„ſtra eos petentibus reſeruit, ſatisfacit.* Vnde col„ligitur, ſi non ab Hilduino ipſo, quo ad annum „DCCCXXIV. Baronius inclinat, ſaltem ab aliis „Ludovici Pii juſſu, libros Dionyſii fuiſſe in La„tinam linguam verſos. Vnde hauſta transla„tio Epiſtolæ ad Apollophanem quæ in Græcis „noſtris non extat, ad Joannem Apoſtolum, & „majoris partis Epiſtolæ ad Demophilum, quæ „*Areopagiticis* ipſius Hilduini inſerta legitur. Ad „annum 1180. Joannes Saracenus Joannis no„ſtri Sarisberienſis familiaris, ſuam Dionyſii ver„ſionem edidit, Robertus Groſthead Lincolni„enſis Epiſcopus circa annum 1250. Thomas „autem Vercellenſis Abbas, Commentarios „ſuos in Dionyſium ſcripſit circa annum 1242. „Hactenus Vſſerius.

Ita autem Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literaria* ad annum 362. pag. 177. De ætate qua „vixerit impoſtor, omnes non idem ſentiunt. „Dallæus & cum eo alii, illum ad ſexti ſeculi ini„tium circa annum DXX. rejiciunt. Cl. Pear„ſonus *Vindiciarum* parte 1. cap. 10. in fine, qui „Dallæi ſententiam pluribus refellit, ad poſtre„ma Euſebii Cæſarienſis tempora illum refert. „Ego huic proxime accedo, & circa hoc tem„pus vixiſſe autumo. Nec minor de iſto Aucto„re, quam de ætate, apud Eruditos controver„ſia. Inter omnes hac de re omnium opinio„nes, primas tenet quæ etiam ante S. Maximi æ„tatem obtinuit, Apollinarium Antiſtitem Lao„dicenum, horum librorum authorem fuiſſe: „& in hac quidem ſententia me diu fuiſſe fateor. „Verum re melius perpenſa, eruditis diſquiren„dum

„dum relinquo, annon Apollinario Patri potius „quam filio, Areopagitica tribuenda ſint. Certe „filium ut in aliis fidei capitibus Hæreticum, ita „inter Millennii propugnatores recenſent Ve„teres: qui tamen error, ut notavit olim S. Ma„ximus Scholiis in S. Dionyſii librum *de Eccleſia„ſtica Hierarchia* cap. 7. in his libris liquide da„mnatur. „Hæc recte quidem Cavus, qui tamen perperam inquit *Apollinarium Patrem in fide ſanum fuiſſe*, eamque ob cauſam illi tribuere hæc Areopagitica videtur, eo quod illa nihil a fide alienum contineant. Certum enim eſt, Socratem involvere hunc Patrem lib. 2. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 46. eadem cum Filio ſuo hæreſi, ac proinde hunc ſcriptorem, contra Millenariorum errorum agentem, diſtinctum eſſe, tum ab Apollinario Patre, tum a Filio, qui eadem labe Millenarii inficiebantur. Eſtque illud argumentum demonſtrativum, ut *Areopagitica univerſa* Apollinariis abjudicentur.

Opinor igitur, ne quid diſſimulem, Opera illa omnia tanto faſtu, ſancto Dionyſio Areopagitæ attributa, fuiſſe conficta a Severianis Hæreticis, errores Eutychetis amplexantibus, atque S. Dionyſio Areopagitæ ſuppoſita, cujus ſub nomine confinxerant, ut falſa Veterum auctoritate, errores ſuos defenderent. Conficta illa fuiſſe circa annum 520. Severianis tunc temporis in Imperio obtinentibus, a quibus illa primum ſub ſpecioſo Dionyſii Areopagitæ nomine, anno 533. in Collatione Conſtantinopolitana inter Catholicos & Severianos, allegata ſunt, producentibus illa e tenebris Severianis, ſed Orthodoxis illa uti Eccleſiæ hucusque ignota & inaudita reprobantibus. Venit in meam ſententiam Joannes Dallæus vir celeberrimus in Opere *de ſcriptis qua Dionyſii Areopagitæ & Ignatii Antiocheni nominibus circumferuntur*, libro 1. cap. 32. pag. 184. his verbis quibus Diſputationem præcedentem ſummatim concludit. „Sic ergo depulſis adverſariorum his paucis, non tam „argumentis quam ſuſpicionibus, & temporum „& rerum & ipſius ſermonis ſive elocutionis ra„tio, clariſſime id quod nos contendimus, de„monſtrat: hunc ſcriptorem qui vulgo *Dionyſii Areopagitæ* nomine circumfertur non modo „Areopagitam Dionyſium Pauli diſcipulum, „vel alium Apoſtolici ævi hominem nequa„quam eſſe: ſed ne ſecundi quidem aut tertii, „imo ne quarti quidem aut quinti certe ineun„tis ſeculi auctorem eſſe: omninoque videri „iſtum, quisquis de cætero ſit, vel quinto præci„piti ſeculo, vel etiam ineunte ſexto vixiſſe: ne„que ante A. Domini circiter 520. fœtus hos „ſuos, Dionyſio immani fraude ſuppoſitos edi„diſſe. Vnde conſtat, ut eo unde digreſſi ſu„mus redeamus, Hypatii Epheſini Archiepiſco„pi, imo Catholicæ totius Eccleſiæ, Hypatii ore „loquentis, *Collatione Catholicorum cum Severia„nis* Conciliorum Tomo 3. col. 835. litt. D. ſen„tentiam de his libris, cum ex iis hæretici Seve„riani quædam anno Domini 532. objectarent: rectiſſimam, ſapientiſſimam ac modeſtiſſimam „fuiſſe: hanc nimirum, *oſtendi non poſſe iſta vera „eſſe, qua nullus antiquus memoraverit*. Dixi *modeſtiſſimam*, quia verum eſt, non modo id quod ipſa „ponit, oſtendi non poſſe *hac opera eſſe Dionyſii Areopagita*: ſed hoc etiam, quod multo majus „atque amplius eſt, oſtendi poſſe certis & validis argumentis, *iſta non eſſe Dionyſii Areopagita*, „ut nunc quidem ex tota hac ſuperiori noſtra „Diſputatione, ſatis ſuperque patet.„ Vide etiam quæ Dallæus habet cap. 7. Diſputationis hujus pag. 31. ad 34. Idem cap. 33. pag. 185. oſtendit quæ fuerit Catholicorum opinio poſt annum Domini 532. ad annum 553. de libris Areopagiticis, ſententiam de iis Hypatii ad annum Domini 553. evidenter conſtitiſſe, ſed & ad ſeculum ſeptimum permanſiſſe, objectionibus in contrarium ſolutis. Idem cap. 34. pag. 191. errorem de Areopagiticorum veritate, Leontii, Anaſtaſii & Maximi præſertim auctoritate firmatum, longe lateque apud Græcos, ſeptimo octavo & nono ſeculo dimanaſſe quidem, ſed neque tum defuiſſe, qui Areopagitica repudiarent. Idem cap. 35. pag. 197. ſerius ad Latinos *Areopagitica opera* perveniſſe, quæ Gregorio & Agathoni Romanis Pontificibus ſeculo ſeptimo, Venerabili Bedæ octavo, de fame tantum nota fuiſſe videntur. Capite autem 36. pag. 199. ad 208. oſtendit ſeculo demum XV. defectum S. Maximi & aliorum de Areopagiticis errorem, veramque dehinc emerſiſſe Hypatii de illis ſententiam. Tum producit teſtimonia virorum doctorum, qui inde ad nos apud ipſos Latinos floruerunt, Laurentii Vallæ, Theodori Gazæ, Antonii Faventini, Guilielmi Grocini cujus obiter ex Eraſmo aſſeritur adverſus Petrum Halloixium auctoritas. Eraſini cujus inſignis in eam rem locus, a Biblomaſtigibus Hiſpanis eraſus repræſentatur. Beati Rhenani, Roffenſis, Cardinalis Cajetani, Cælii Rhodigini, Georgii Caſſandri, Roberti ipſius Bellarmini, Gabrielis Albaſpinei, Jacobi Sirmondi, Dionyſii, Petavii, Joannis Launoii, Antonii Mornaci, Nicolai Fabri & Antonii Godelli: ex quibus primo caſtigatur Bellarmini inverecundia, negantis doctos Catholicos dubitare de horum Areopagiticorum veritate: & conficitur argumentum pro noſtra ſententia XLII. & ultimum. Denique capitibus 37. pag. 208. 38. pag. 213. & 39. pag. 220. ad pag. 224. argumentationes Petri Halloixii ineptiſſimas & Leonardi Leſſii, Jeſuitarum refellit, quibus opus aureum plane concludit. Hæc Joannes Dallæus vir omni laude major, cujus Diſſertationi omni eruditione pleniſſimæ, nihil addi poſſit.

CAPVT TERTIVM.

SOLVVNTVR OBJECTIONES.

SVccedunt ut nunc ſolvamus quasdam objectiones. Ac *primum* S. Dionyſius Alexandrinus

drinus qui ſeculo tertio floruit, ſcripſit ſcholia in hoſce Dionyſii Areopagitæ libros, ut teſtatur S. Maximus ad caput 5. Cœleſtis Hierarchiæ, inquiens: "*Magnus igitur Dionyſius Alexandriæ Epiſcopus, ex Rhetoribus, in Scholiis quæ in beatum Dionyſium ſibi cognominem fecit, ita dicit.* „Namque per Dionyſium illum Alexandrino „cognominem, non intelligit Corinthiorum E„piſcopum, ſed Areopagitam, ut colligitur ex „Joanne Cypariſſiota *Decade* 1. cap. 1. ubi cum ſententiam Dionyſii noſtri ex Epiſtola ad Titum protuliſſet, ſubjungit: *Hoc dictum S. Maximus & Dionyſius Alexandrinus annotarunt.* Reſpondeo cum honore quem S. Maximo Monacho & Martyri debemus, hoc ejus dictum nullam prorſus habere veri apparentiam ſeu rationem: ſed hac ſua allegatione voluiſſe dare authoritatem Scholiis ſuis, quia hanc ſcribendi rationem utpote novam, viri ſui ſeculi graves forſitan deſpiciebant, ut ſuperfluam atque inſolitam. Itaque ut exemplo aliquo factum ſuum tegeret, allegaſſe idem jam factum a Dionyſio Alexandrino Epiſcopo. Quis autem unquam audivit, niſi a Maximo, celebrem illum Dionyſium Alexandriæ Epiſcopum, ſeculo Eccleſiæ tertio, apoſuiſſe mentem commentandis Dionyſii Areopagitæ, authoris tunc incogniti operibus. Iſta a ſancto Maximo, enarrata, fidem humanam excedunt. Favet huic reſponſioni Euſebianum ſilentium, qui iterum ac tertio expreſſe agit de ſcriptis Dionyſii Alexandrini, lib. 6. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* cap. 46. & lib. 7. cap. 20. 22. & 26. quæ poſtquam accuratiſſime recenſuit, tum ſubdit: *Atque hæc ſunt Dionyſii ſcripta.* Vbi de iſto Commentario nihil prorſus, etſi de aliis ejusdem Commentariis loquatur.

Secundo S. Gregorius Nazianzenus, qui ante finem ſeculi IV. mortuus eſt, plurima ex præfatis libris uſurpavit, tacito licet authoris nomine, ut notavit doctiſſimus Billius in Obſervationibus ad S. Gregorium Nazianzenum. Et inter alia Oratione 38. in Theophania, & 42. in Paſcha hæc habet: *Sic nimirum Sancta Sanctorum, quæ etiam a Seraphinis obtegantur ac tribus Sanctificationibus celebrantur, in unam dominationem & Deitatem coëuntibus, quemadmodum & alius quidam ante nos pulcherrime & ſubtiliſſime philoſophatus eſt.* Porro *hunc alium* Budæus vir linguæ Græcæ peritiſſimus Dionyſium eſſe obſervavit: quamvis ſanctum Athanaſium his verbis ſignificari Elias Cretenſis exiſtimaverit. Et certe hæc verba in Athanaſium non quadrant, qui ante Gregorium Nazianzenum non vixit, ut Græca verba ſonant: & cui grande & ſublime dicendi genus, quale his verbis ſignificatur *ſubtiliſſime philoſophatus eſt*, minime convenit: nec ipſi unquam vel a S. Gregorio Nazianzeno, vel ab alio quopiam, attributum fuit. R. ita ſufficientibus annis præluxiſſe Gregorio Nazianzeno, ut ipſum citaret: quidquid in contrarium dicat Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus*, ſeculo 1. cap. 10. art. 13. pag. 119. Iterum reſponſio facilis eſt, vocem *alius quidam* non magis Dionyſium Areopagitam deſignare, quam alterum his temporibus celebrem; imo incredibile eſſe deſignari his vocibus hunc Dionyſium, virum ob ſcripta tunc temporis incognitum.

Tertio Juvenalis Epiſcopus Hieroſolymitanus, qui Synodi Chalcedonenſis tempore florebat, Marciano Imperatore & Pulcheria Auguſta poſtulantibus, hæc de funere Deiparæ velut Eccleſiæ traditionem docebat: *Tunc autem aderant cum Apoſtolis ſanctiſſimus Timotheus, primus Epiſcopus Epheſiorum, & Dionyſius Areopagita, ſicut hic ipſe magnus teſtatur Dionyſius, in his quæ de beato Hierotheo, qui tunc quoque aderat, conſcripſit ad Timotheum.* Quæ verba laudat Dionyſii Areopagitæ cap. 3. *de divinis nominibus.* Extant autem verba Juvenalis apud Nicephorum Calliſtum lib. 15. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 14. Hæc Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica capitibus*, ſeculo 1. Diſſertatione XXI. pag. 785. Reſpondemus authoritatem hanc non magis valere, quam ſi ſolius Nicephori Calliſti eſſet, qui multis fabulis & ſomniis, falſisque authoritatibus Hiſtoriam ſuam conſpurcavit, qualem hanc eſſe opinamur. Ac ſane incredibilis eſt illa omnis narratio de funere beatæ Deiparæ Virginis, quam relatam quoque ſcimus a Joanne Damaſceno, vel anonymo Græco, ſub nomine iſtius Scriptoris. Atque ex his ſomniis recte e contra colligeremus, ſpuria eſſe omnia iſta Dionyſii Areopagitæ Opera, cujus ingenium nimis arduum erat, quam ut ſtupenda illa miracula & facta gigantea ſcriberet, ut ſic loquar.

Quarto Andreas Cæſarienſis Epiſcopus, quem circa annum quingenteſimum ſcripſiſſe ex eo conſtat, quod neminem Patrum citet S. Cyrillo juniorem, agens ad caput decimum Apocalypſeos de ſenis alis quatuor animalium, citat Dionyſium Areopagitam: *Hæc dicit magnus Dionyſius.* Et ad caput 45. obſervans phialas a quatuor animalibus Angelis datas, hæc habet: *Significat agendorum notitiam in cœlis a primis ad ſecunda derivari, ſecundum magnum Dionyſium.* Ergo ab ſeculo quinto, libri præfati ut S. Dionyſii Areopagitæ laudabantur. Reſpondeo Andream Cæſarienſem eſſe ætatis incertæ, ex qua concludi nihil poteſt, in gratiam Operum D. Dionyſii Areopagitæ, ante ſeculum ſextum, ut vult Natalis Alexander. Addo probabilius eſſe, Andream hunc eſſe unum atque eundem cum Andrea Cretenſi, qui ſeculo tantum octavo floruit, ut poſtea docebimus.

Habentur autem Opera ejusmodi MSS. Græce in præcipuis Europæ Bibliothecis, nempe Pariſiis in Bibliotheca Regia, in Colbertina bis ex MSS. olim Thuaneis, in Sacrario Regulis Abbatiæ ſancti Dionyſii in Francia. Item Romæ in Sfortiana ter num. 84. 85. & 86. cum Commentariis Græcis ſancti Maximi Monachi, in Vaticana ex MSS. Heidelbergenſibus num. 39. & 123.

in Meſſanenſi apud Siculos, in Florentina Sereniſſimi Etruriæ Ducis apud ſanctum Laurentium, atque etiam apud ſanctum Marcum pluteo 3. in Venetiana Sereniſſimæ Reipublicæ. Denique in Anglicis Oxonii Codicibus. Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis Codice 1608. in MSS. Codd. Collegii Corporis Chriſti Codice 141. folio in membrana. Ibidem Codice 1630. in MSS. ejusdem Collegii, Codice 163. folio in membrana. Præter autem illa Opera quæ vulgo S. Areopagitæ Dionyſio adſcribuntur, MS. *Epiſtola Arabice* extat, S. Dionyſio D. Pauli diſcipulo adſcripta *conſolatoria ad Timotheum de morte D. Petri & D. Pauli Apoſtolorum* ut patet ex Catalogo tam librorum impreſſorum quam Manuſcriptorum, Lugduno-Batavæ Bibliothecæ, anno 1674. in 4. Lugduni Batavorum edito, pag. 304. Codice 37. in 4. in MSS. Arabicis in quarto Bibliothecæ communis. Ita antiquis, Opuſcula S. Dionyſio Areopagitæ imponere conſuetum fuit. Hoc autem noſtro ſeculo plures deſudarunt, evulgandis corrigendisque S. Dionyſii PſeudoAreopagitæ Operibus. Primus illorum Petrus Lanſſelius Gravelinganus Soc. Jeſu Theologus, ejusmodi Opera omnia Græce & Latine notis illuſtravit, & Apologia præmiſſa vindicavit, edita in fol. Pariſiis anno 1615. apud Michaelem Sonnium, additisque ad calcem variantibus MSS. Codicum lectionibus. Alter Balthaſar Carderius addidit huic editioni varia, ſuas nempe Commentationes ad ſingula capita & periodos librorum & epiſtolarum, cum Vindiciis Areopagiticis Martini Delrionis, & Operibus Petri Halloxii Dionyſium ſpectantibus, cum Scholiis Græcolatinis ſeu Commentariis ſancti Maximi Monachi & Georgii Pachymeris, cum Vitis & Encomiis ſancti Dionyſii Græcolatinis a Methodio Patriarcha Conſtantinopolitano, Michaele Syngelo, Suida, Simeone Metaphraſte, & aliis. Omnia Græcolatina in fol. tomis 2. Antverpiæ anno 1634. apud Balthaſarem Moretum, quam editionem tertia eodem tenore ſubſecuta eſt Pariſiis anno 1644. tomis totidem, apud magnam Bibliopolarum ſocietatem. Eadem impreſſa Græce Pariſiis anno 1562. cum Scholiis Maximi & Pachimeræ, tum Baſileæ anno 1539. ac Venetiis 1558. Sed Latina omnium præſtantiſſima editio facta eſt Coloniæ Agrippinæ in fol. 1536. apud Joannem Quentalium. Extant enim in hac editione Verſiones quatuor aut quinque diverſæ & raræ, nimirum: Joannis Scoti Eringenæ, Joannis Saraceni Abbatis S. Andreæ Vercellenſis, Ambroſii Monachi Camaldulenſis, Thomæ Canonici olim ſancti Victoris Pariſienſis, & poſtmodum Abbatis ſancti Andreæ Vercellenſis, cum Notis etiam Dionyſii Richel Carthuſiani, in eadem opera. Eadem Latine ex verſione Ambroſii Camaldulenſis, anno 1498. Argentorati, & 1502. cum Notis Jacobi Fabri Stapulenſis. Anno 1504. Compluti ex interpretatione Marſilii Ficini. Cumque has omnes verſiones nimium obſcuras inveniſſet Joachimus Perionius, ille novam adorſus eſt impreſſam Coloniæ & Pariſiis, annis 1557. & 1567. Clauſerus etiam eadem interpretatus, Argentorati anno 1546. edidit ex verſione ſua ſingulari.

CAPVT QVARTVM.

QVINAM INTERPRETES ET SCHOLIASTÆ OPERVM S. DIONYSII PSEVDO-AREOPAGITÆ EXTITERINT.

QVamvis autem Opera Dionyſii Areopagitæ ſuppoſititia ſint, atque uti talia, noſtra ætate a viris eruditis agnita: non ita tamen anterioribus ſeculis credita, unde magnam tam interpretum, quam Scholiaſtarum & Commentatorum multitudinem obſcuritate ſua vel ſublimitate exercuerunt.

Primus inter illos interpretes Joannes Erigena & Scotus dictus, de quo Guilielmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo IX. ad annum 858. pag. 549. his verbis. " *Opera S. Dionyſii Areopagitæ* quatuor, videlicet *de cæleſti Hierarchia, de Eccleſiaſtica Hierarchia, de Divinis nominibus, de Myſtica Theologia* in Latinam linguam ab illo converſa, verſione Carolo Calvo Imperatori nuncupata. Hanc verſionem nimia Græci ſermonis affectatione vitiatam, adeoque Latinis haud ſatis eſſe intelligibilem, dudum obſervavit Matthæus Florigerus in *Floribus Hiſtoriæ* ad annum 883. pag. 253. Prodierunt ex his aliqua in editione Latina Operum S. Dionyſii, Coloniæ anno 1536. Omnia vero teſte Labbeo in Diſſert. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tomo I. pag. 67. in Bibliotheca Collegii Soc. Jeſu Bituricenſis MSS. habentur. Præfationem Verſionis iſtius duplicem ad Carolum Calvum, metricam alteram breviorem, alteram proſaicam prolixiorem edidit Cl. Vſſerius in *Epiſtolarum Hibernicarum Sylloge* pag. 57. " Extat inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, num. 1399. in MSS. Codicibus Guilielmi Landi Cantuarienſis olim Archiepiſcopi & Oxonienſis Academiæ Cancellarii, litera H Codice 59. *Dionyſius Areopagita de Hierarchia cum Expoſitione Joannis Scoti.* Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis Codice 1749. in MSS. Codicibus Collegii S. Joannis Baptiſtæ, in Abaco ſecundo & Codice 11. *Anaſtaſii Romani Epiſtolæ ad Carolum Magnum. Dionyſii Areopagitæ libri IV. Hierarchia Cæleſtis, translati a Joanne Erigena. Ejusdem de divinis Nominibus libri, traducti in Latinum per eundem Erigenam, cum perpetuis ad marginem Operis utriusque Scholiis.* Inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis Codice 143. in MSS. Codicibus Collegii S. Trinitatis apud Cantabrigiam, claſſe a dextra, ſerie ſuprema Codice 5. *Dionyſius Areopagita, quem Joannes Erigena tranſtulit de Græco in Latinum, jubente ac poſtulante Rege Carolo, Ludovici Imp. filio.*

Alter

Alter autem interpres Operum S. Dionysii Areopagitæ, extitit Joannes Saracenus, qui seculo XII. claruit sub annum 1160. temporibus Odonis de Diogilo Abbatis S. Dionysii prope Parisios, qui ab anno 1153. quo Sugerius mortuus, usque ad annum 1168. Ecclesiæ isti præfuit. Hac ergo temporis intercapedine, Odone Abbate S. Dionysii postulante, Joannes Saracenus interpretationem novam e Græco in Latinam linguam, Operum S. Dionysii Areopagitæ aggressus est. Extat inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 707. in MSS. Codicibus Cathedralis Ecclesiæ Wigornensis Codice 32. num. 8. *Dionysius de Hierarchia Cœlesti & Ecclesiastica, de divinis Nominibus, de Mystica Theologia & Epistola, cum Prologo Joannis Saraceni*; Veraque versio Latina Operum S. Dionysii Areopagitæ, tam Joannis Erigenæ Scoti, quam Joannis Saraceni qui Abbas S. Andreæ Vercellensis Ord. Canonicorum Regularium dicitur, prodiit in editione Latina, quæ Coloniæ a. 1536. Coloniæ Agrippinæ apud Quentelium in folio emissa in lucem est.

Extat autem inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 3614. in MSS. Codicibus Hyperos Bodlejani Codice 148. mixta Operum divi Dionysii Areopagitæ ex utroque Joanne Erigena & Joanne Saraceno collectio. Nam in hoc Codice 1. Anastasii bibliothecarii Epistola ad Carolum Francorum Regem. 2. Epistola Joannis Erigenæ ad eundem pag. 4. b. 3. Dionysius Areopagita de Cœlesti Hierarchia pag. 9. 4. Ejusdem de Ecclesiastica Hierarchia pag. 35. 5. Idem de Divinis Nominibus pag. 81. cui præponitur Prologus Joannis Saraceni ad Odonem S. Dionysii Abbatem. 6. Idem de Mystica Theologia ad Timotheum Ephesi Episcopum pag. 127. cum Prologo ipsius Joannis Saraceni ad eundem Odonem S. Dionysii Abbatem. 7. Ejusdem Dionysii Epistolæ decem pag. 130. Omnia hæc Dionysii opera Latina, sunt scriptura antiquissima & eleganti exarata. Ita Catalogus impressus MSS. Codicum Bodlejanæ bibliothecæ pag. 173. col. 1. Tertius Ambrosius Comaldulensis, de quo postea loquemur, ad annum 1460. Hæc de Interpretibus, jam ad Scholiastas & Commentatores veniamus.

Primus qui commentatus est in ambiguos seu obscuros sancti Dionysii Areopagitæ locos, sanctus Maximus Monachus, cujus Scholia in Dionysium tum sæpe impressa Græce & Latine, tum Græce in MSS. Codicibus frequenter reperiuntur, de quibus differemus postea, ubi de Operibus S. Maximi agemus, ad an. 660.

Secundus post sanctum Maximum Monachum, & inter Latinos primus Hugo à S. Victore labores suos in Opera S. Dionysii Areopagitæ contulit. Extant inter ejus Opera *Annotationes in Dionysium Areopagitam*, quæ tum MSS. leguntur, tum editæ inter ejusdem Hugonis à sancto Victore Opera, editionis Rotomagensis a. 1648. 3. in folio tomis.

Tertius Thomas Canonicus primum sancti Victoris Parisiensis, circa annum 1210 vel 1220 clarus, tum postea Abbas sancti Andreæ Vercellensis, scripsit Commentarium planum & apertum in Opera S. Dionysii Areopagitæ. Extat MS. inter MSS. Codices Jacobææ bibliothecæ in Anglia Codice 506. *Commentarius Abbatis Vercellensis in libros Dionysii*, idemque editus inter Opera S. Dionysii Areopagitæ editionis Coloniensis 1536. in folio apud Quentelium.

Quartus Robertus Capito seu Grosthead Lincolniensis Episcopus, circa annum 1240. celebris, scripsit Commentarium in Omnia S. Dionysii Areopagitæ Opera exceptis Epistolis, eorumque Latinam versionem, ex omnibus interpretibus simul collatis consarcinavit, qui Commentarius cum ejus versione, extare dicitur Oxonii, in Collegio Lincolniensi Codice 20. quamvis ex imprudenti alicujus nota, attribuatur Ruperto quem anno 1150. vixisse asserit. Prodiit autem ex hoc Opere *Commentarius in librum Dionysii Areopagitæ de Mystica Theologia*, inter Opera S. Dionysii edita Argentinæ 1502. in folio. Inter autem MSS. Codices Bibliothecarum Hiberniæ, Codice 372. in MSS. Codicibus Collegii Sanctæ Trinitatis Dublinensis, litera D. Codice 232. num. 1. extat *Dionysii Areopagitæ liber de Angelica Hierarchia*. Num. 2. *De Ecclesiastica Hierarchia*. Num. 3. *De divinis Nominibus*. Num. 4. *Epistolæ aliquot*. Num. 5. *De Mystica Theologia cum Commentariis & Scholiis Roberti Lincolniensis*. Num. 6. *Ejusdem Dionysii vita*, folio in membrana. C. 33. Hunc autem Commentarium sub Episcopi Lincolniensis nomine, citat perpetuo Albertus Magnus Commentario suo in eadem Opera divi Dionysii Areopagitæ.

Quintus Albertus Magnus, circa annum 1260. ab Alexandro IV. Romano Pontifice, Episcopus Ratisbonensis in Bavaria renuntiatus, quam invito animo provinciam suscipere coactus fuit. Anno autem 1263. oneris Episcopalis pertæsus, dignitate sua sese abdicans, & in Conventum Ordinis sui Coloniensem se recipiens, reliquum vitæ tempus Commentariis variis conscribendis insumpsit. Inter quos prolixus plane extat in *Opera S. Dionysii Areopagitæ* omnia Commentarius, recensitus in amplissima illa editione *omnium Alberti Magni Operum*, anno 1651 Lugduni in folio, in Tomos XXI. distributa, quam Petrus Jammy Ordinis Fratrum Prædicatorum Theologus edendam procuravit.

Sextus Georgius Pachymeres, patria Constantinopolitanus claruit ab anno 1273. quo dum Michael Palæologus Imperator unionem cum Ecclesia Romana meditaretur, ut ab hæresis labe Latinos absolveret, misit libellum in hunc finem ad Patriarcham. Cui aliud volumen opponendum Patriarcha curavit, in quo componendo Georgium Pachymerem partes primas tenuisse non difficetur *Historia* libro V.

cap. 14. Videtur autem circa annum 1280. ſcripſiſſe *Paraphraſim in Opera S. Dionyſii Areopagitæ*, quæ Pariſiis anno 1561. Græce in 8. edita primum fuit, tum inter Opera ejusdem Dionyſii Græco Latina ibidem anno 1615. in folio editionis Lanſſelii, & Antverpiæ 1633. & Pariſiis 1644. editionis Græcæ & Latinæ Balthaſaris Corderii.

Septimus Dionyſius Carthuſianus, qui ab anno 1440. illuxit, nomen ſuum poſteritati commiſit, innumeram Commentariorum & Tractatuum ſpiritualium multitudinem, in Carthuſia Ruremondenſi cui nomen ſuum dederat, conferibens. Hos inter *Commentarius* extat in *Opera ſancti Dionyſii Areopagitæ*, editus cum Operibus S. Dionyſii ejusdem, Coloniæ anno 1536. apud Quentelium in fol.

Octavus denique Balthaſar Corderius ac ſerie temporum ultimus quidem, ſed primus omnium diffuſione & amplitudine Commentariorum, diſquiſitione abſtruſiorum, doctrina rerum omnium, qui & Vitam S. Dionyſii Areopagitæ, & omnia ejus Opera, & quidquid ab aliis Græcis de illo dictum eſt, Commentariis uberrimis elucidare labore plane eximio, licet forſitan minus felici, conatus eſt. Apparebit incredibilis iſte labor Corderii, ex inſpectione *Omnium S. Dionyſii Areopagitæ Operum*, & omnium ad vitam & Encomia ejusdem ſpectantium, quæ Antverpiæ anno 1634. Græce & Latine duobus in folio tomis nitidiſſime edita ſunt, tum recuſa Pariſiis anno 1644. modo formaque iisdem. Vt ſane, impoſterum inutilem prorſus laborem ſuſciperet, qui argumentum idem aggrederetur.

Agunt autem de *Sancto Dionyſio Areopagita*, diffuſe admodum ex antiquis, Michael Syncellus in *Encomio S. Dionyſii Areopagitæ*, quod extat Græce Latineque inter Opera S. Dionyſii Tomo 2. pag. 207. Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus in *Encomio ejusdem S. Dionyſii Areopagitæ*, ibidem pag. 242. Hilduinus Abbas S. Dionyſii in ſuis *Areopagiticis*, ſeu *De rebus geſtis, Paſſione & Scriptis S. Dionyſii Areopagitæ*, qui omnes ipſum ſeculo Eccleſiæ primo atque Apoſtolicis temporibus aſſignant, quorum *Encomia* Corderius citatus notis ſuis & Commentariis illuſtravit. Cæſar Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis*, ſeculo Eccleſiæ I. & in Notis ad *Martyrologium Romanum*, ad diem Octobris IX. Antonius Poſſevinus Tomo I. *Apparatus ſacri* verbo, *S. Dionyſius Areopagita*. Petrus Halloxius in *Vita S. Dionyſii Areopagitæ*, & Balthaſar Corderius, in editione ſua *Operum S. Dionyſii Areopagitæ*, cum Commentariis perpetuis & Hiſtoricis. Qui omnes illum Apoſtolicorum temporum virum conſtituunt. Contra ſcribunt animo ingenti, ſingularibus opuſculis ab orbe erudito palam approbatis, Jacobus Sirmondus, Joannes Launojus Pontificii, Joannes Dallæus Carentonii Minister, tandemque Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei litterariæ*, ubi aſſignat *Pſeudoareopagitam* ſeculo Eccleſiæ quarto, ad a. 362. p. 177.

PROCOPIVS GAZÆVS ab urbe quam incoluit ita appellatus, profeſſione Sophiſta, hoc eſt Rhetor, circa annum 520. Juſtino imperante ac deinceps claruit, nam Magiſter extitit Choricii Gazæi Sophiſtæ pariter, qui ſub Juſtiniani imperio emicuit, quemque fractus jam viribus atque ſenio, ſucceſſorem Scholæ ſuæ reliquit. Meminit illius Photius in Bibliotheca Codicibus 160. 206. & 207. de cujus ſtylo ita ſententiam profert Codice 160. Τέτῳ πολλοὶ λόγοι καὶ παντόδαποι φέρονται, ἄξιον ζήλε καὶ μιμήσεως χρῆμα &c. ἡ φράσις δ' αὐτῷ εἰς τὸ ἄριστον ἤσκηται, εἰ καὶ ἐξηγητικῆς διατυπώσεως ἔχει τι καὶ κομψότερον. *Hujus libri multi, variâque doctrina circumferuntur, res zelo atque imitatione digna. Dictio ab eo optime quidem exulta eſt, ſed comptior aliquanto, quam Commentarii rudiorem formam decet.* Scripſit *Explicationes Carminum Homeri in varias Sermonum ideas ſeu ſpecies transformatas*, Στίχων Ὁμηρικῶν Μεταφράσεις εἰς ποικίλας λόγων ἰδέας ἐκμεμορφωμένας, quas Photius memorat & laudat Codice 160. quasque nos interiiſſe dolemus.

Commentaria autem Procopii Gazæi ſeu Rhetoris in *Octateuchum*, ſive potius in *Heptateuchum* ex Orthodoxorum Patrum Scriptis & Commentariis excepta, ſumma brevitate atque delectu contexta, laudantur à Photio in Bibliotheca Codice 206. quæ vocat Ἐξηγητικὰ σχόλια εἰς Octateuchum, extant ſolummodo Latine Tiguri anno 1555. excuſa ex interpretatione Conradi Clauſeri Tigurini, qui textum Græcum acceperat ex Auguſtana bibliotheca, ubi extat Codice I. *Procopii Gazæi ſeu Rhetoris in librum Geneſis, Exodi, Levitici, Numerorum, Deuteronomii & Joſue*, itemque *in libros Regum & Paralipomenon*, Græce, folio in membrana. Opus autem *Procopii in Geneſim*, MS. quoque Græce, tum Romæ in Vaticana, tum in Lugduno Batava noſtra bibliotheca, ut ex impreſſo MSS. illius Codicum Catalogo conſtat. Ex eodem itaque Auguſtano Codice accepta *Scholia in libros quatuor Regum & duos Paralipomenon*, edidit Academiæ hujus inſigne ob ſcientiam ornamentum, Joannes Meurſius, Græce & Latine Lugduni Batavorum a. 1620. in 4.

Ejusdem Epitome variorum in Eſaiam Prophetam Commentariorum, cujus extat quoque apud Photium in Bibliotheca Codice 207. mentio, Græce tandem & Latine edita a Joanne Curterio Pariſiis 1580. Extat autem in bibliotheca Monachienſi Ducis Bavariæ Codice 44. *Procopii Chriſtiani Rhetoris diverſarum Expoſitionum in Iſaiam Prophetam epitome* charta in fol. cum Scholiis Baſilii Monachi in XXIX. Orationes S. Gregorii Nazianzeni. Idem Opus Græce MS. in bibliotheca S. Marci Venetiis, teſte Antonio Poſſevino Tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Procopius Gazæus*.

Epi-

Digitized by Google

Epiſtolæ aliquot Procopii Sophiſtæ ad Philippum fratrem, Hieronymum, Macarium, Sozomenum, Poncratium, Caſtorem, Zachariam, Eliam Epiſcopum &c. valde elegantes ab Aldo in volumine *Græcarum Epiſtolarum* impreſſæ ſunt. Vtrum autem Gazæo Procopio, an Cæſarienſi aſcribendæ ſint, non ita certo definiri poteſt, cum utrique Sophiſtæ nomen convenerit, eſſe tamen Gazæi potius, non una ratio perſuadet. Hæc Gvilielmus Cavus in *Hiſtoria rei litterariæ* ad annum 520. pag. 394. Cui addimus extare in Lugduno Batava noſtra bibliotheca, inter MSS. Codices ab hæredibus Iſaaci Voſſii emptos, Codice Græco III. num. 2. *Epiſtolas Cratetis, Diogenis, Juliani Apoſtatæ, Dionyſii Sophiſtæ Antiocheni, & Procopii Gazæi.* Item inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis Codice 949. in MSS. Codd. Collegii Cajo Gonvilienſis, in Libris de *Medicina* Græce conſcriptis ex donatione Joannis Caji fundatoris, Codice 5. num. 8. *Procopii Rhetoris Oratio & Explicatio ſanctæ Sapientiæ.*

Alius autem ab iſto fuiſſe mihi videtur *Procopius Chartophylax*, cujus extant inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 240. Barocciano, *Encomia duo S. Joannis Evangeliſtæ*, primum pag. 40. Ἀπόστολος ὁ τὴν &c. Secundum pag. 46. ejusdem Encomium, ὁ τὸν μέγαν τῆς θεογνωσίας γόνον &c. Hæc paulo amplius quam Cavus, deſignatis MSS. Codicibus Operum Procopii Gazæi, ut qui Scriptori huic incumbere evulgando voluerit, his uti poſſit.

DISSERTATIO
DE
VLTIMA EDITIONE OPERVM SANCTI FVLGENTII RVSPENSIS IN AFRICA EPISCOPI.

520. SANCTVS FVLGENTIVS RVSPENSIS EPISCOPVS natione Afer, patria Leptinus, ex illuſtri familia circa annum 468. ortus, avum habuit Gordianum Senatorem Carthaginenſem, patrem Claudium, matrem Marrianam. Pertæſus ſecularis vitæ, Monaſticum inſtitutum amplexus eſt. Anno 507. à plebe Catholica ad Viatorum Epiſcopatum poſtulatus, fuga ſuſcepta dignitatem declinavit, qui tamen paulo poſt inopinate inventus, Ruſpenſis Epiſcopus ordinatus eſt. Mortuus autem anno 533. ipſis Kalendis Januarii. Hujus vitam ampliſſime ſcripſit Ferrandus Diaconus, ultimæ Operum ejus editioni non immerito præmiſſam, cujus compendium exhibet Guillelmus Cavus in *Hiſtoria ſua litteraria* ad a. 507. p. 384.

Porro nuperrime prodierunt *Opera S. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi, quæ ſunt publici juris omnia, ad MSS. Codices plures, nec non editiones antiquiores & emendatiores caſtigata, aucta, & in unum omnia volumen nunc primum collecta, Pariſiis apud Guillelmum Deſprez 1684. in 4.* Cujus quidem editionis Guillelmus Cavus loco citato mentionem facit, quam tamen non exhibet, licet anteriorum omnium præſtantiſſima ſit: id quod Diſſertationi modicæ huic occaſionem præbuit. Cum enim ea *Fulgentii Opera*, quæ noſtro ſeculo Sirmondi, Camerarii, Raynaudi & Chiffletii ſtudio publici juris facta ſunt, vel ſeparatim & à cæteris Fulgentii ſcriptis ſejuncta, vel quod in *Hepnde. Præfatum* paulo poſt memoranda, & à Pariſienſibus bibliopolis haud ſemel factum eſt, Leonis Magni, Chryſologi & aliorum Patrum ſcriptis adjuncta fuerint: inventi ſunt, qui proprio & peculiari volumine complecti operæ pretium duxerunt, *Fulgentii Opera*, ſive exilii tempore, ſive poſt duplicem ab exilio in Africam reditum, ſive incerto tempore elaborata, quotquot ex bibliothecarum angulis, ad fidem manuſcriptorum & impreſſorum codicum collata, hactenus conquiri potuerunt. Hinc ergo nova Fulgentii editio nata, cujus auctores anonymi, ſe non exiguam in repurgandis mendis operam collocaſſe profitentur. Acceſſerunt variæ lectiones, & nonnunquam aliæ annotatiunculæ ad paginarum calcem & marginem pro illuſtrando Fulgentio adjectæ, cui etiam ex partitione capitum, ob confuſionem in prioribus editionibus deprehenſam aliquoties mutata, nova lux acceſſit. Totius operis poſt Præfationem de ordine, occaſione & argumento Scriptorum Fulgentii, & novæ hujus editionis inſtituto, hæc ſeries habetur.

S. Fulgentii Ruſpenſis Epiſcopi vita, conſcripta à quodam ejus diſcipulo, qui nonnullis *Ferrandus Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus* videtur.

Libri tres ad Monimum unum e præcipuis Fulgentii amicis, cui ad quæſtiones *de duplici prædeſtinatione*, una bonorum ad gloriam, altera malorum ad pœnam, de ſacrificii oblatione, demiſſione Spiritus Sancti, & de ſupererogatione D. Pauli propoſitas, libris duobus prioribus reſpondet, tertio autem nonnullas Arianorum argutias refellit.

Contra Arianos liber unus ad decem objectiones, quarum miram barbariem & obſcuritatem editores notant, totidem reſponſiones luculentas & ad Patrum ſuperiorum doctrinam exactas continens.

Libri tres ad Trasimundum Vandalorum Regem, quibus ea, quæ ex ſubitaria libri bajulo Felice oblati, ſed ſtatim iterum extorti lectione, memoriæ inhæſerant, regio mandato compulſus diſcutit.

Epi-

Epiſtolæ varii argumenti in unum corpus collectæ numero Octodecim, quarum poſtremam ad Reginum Comitem directam, Fulgentius morte præventus, Ferrando ſupplendam & abſolvendam reliquit. Accenſetur etiam his Fulgentii Epiſtolis *Libellus de fide ad Donatum*, quo myſterium Trinitatis & Incarnationis à variis hæreticorum erroribus vindicatur. Inſertæ quoque Fulgentii Epiſtolis *Epiſtola Victoris ad Fulgentium* ipſius preces enixe flagitantis, & *faſtidioſi Ariani ſermonem* confutandum transmittentis, qui Victoris Epiſtolæ ſubjicitur. Item *Epiſtola Scarilæ*, qui duas quæſtiones, unam de incarnatione Filii Dei, & alteram de vilium animalium authore, Fulgentio proponit. *Duæ Epiſtolæ Ferrandi Diaconi*, quarum una ad duas quæſtiones de baptiſmo & ſalute Æthiopis moribundi, altera ad quinque quæſtiones diverſi argumenti, à Fulgentio reſponderi deſiderat. *Epiſtolæ Datiani & aliorum in Sardinia exulum Epiſcoporum*, ad Johannem quendam Presbyterum & Archimandritam, & Venerium Diaconum reſponſoria, qua doctrina de gratia & prædeſtinatione explicatur. *Petri Diaconi & aliorum*, qui in cauſa fidei ex Oriente Romam ſe contulerant, *libellus* de incarnatione & gratia Domini noſtri JESV Chriſti ad Fulgentium & alios Africæ Epiſcopos, eo tempore ſcriptus, quo de phraſi *Unus è Trinitate crucifixus eſt*, & de *Fauſti Semipelagiani* ſcriptis graviſſimæ controverſiæ exortæ fuerant. Et *Fulgentii ceterorumque Africa Epiſcoporum exulum* de eodem argumento liber, quo ſuum de his controverſiis judicium, approbata Petri Diaconi & ſociorum ſententia, expromunt.

Liber de Trinitate, quo Fulgentius *Felicem Notarium* ad retundendos hæreticorum inſultus non ſatis inſtructum, ut deſideriis ipſius ſatisfaciat, de hoc myſterio aliisque fidei capitibus, fideliter informat.

Liber ad Victorem contra ſermonem faſtidioſi, qui deſertis orthodoxorum caſtris ad Arianos defecerat, & ex eſſentiali Patris, Filii & Spiritus Sancti unitate, Patris & Spiritus Sancti incarnationem ſequi argutatus fuerat.

De remiſſione peccatorum libri duo, in quibus nec extra Eccleſiam, nec extra vitæ hujus ſpatium, locum pœnitentiæ relinquit.

Libri tres de veritate prædeſtinationis & gratia Dei ad Johannem & Venerium, quorum tertium primus integrum, cum Ferrandi operibus, Petrus Franciſcus Chiffletius edidit.

Liber ad Scarilam, quo de incarnatione Chriſti & de vilium & noxiorum animalium procreatione Fulgentius diſſerit, quippe cujus arbitrium elegerant, qui in convivio quodam de utroque capite diverſis ſententiis concertaverant.

Liber de fide ſeu regula fidei, Auguſtini operibus admixtus, ſed *Fulgentio* jam pridem reſtitutus, *ad Petrum* directus, qui in aliis Fulgentii editionibus vulgo *Diaconum* cognominari ſolet, quod cognomen expungendum duxerunt, qui novæ huic editioni præfuerunt. Nam ex horum ſententia, neque Petrus ille *Diaconus*, ut in titulo hujus libri hactenus dictus eſt: neque Monachus fuerit, quod *Blondello* primum & poſtea *Noriſio* placuit: ſed vir militaris, qui Hieroſolymam profecturus, *fidei regulam*, qua ſe adverſus hæreticæ pravitatis inſidias muniret, à Fulgentio flagitaverit.

Liber pro fide Catholica adverſus Pintam, quem genuinæ Fulgentii adverſus Pintam reſponſioni ſuppoſitum, inepta & Fulgentio Græcæ linguæ non imperito indigna Homouſii etymologia, & aliæ rationes arguunt: unde ab editoribus in *Appendicem* Operum Fulgentii conjiciendus videbatur, cum opuſculis aliis ipſi ſuppoſitis, vel illo indignis, quod tamen factum non eſt.

Decem Sermones, de quibus an omnes S. Fulgentii ſint, nondum liquet, etſi plerique Fulgentio non indigni videantur.

Fragmenta XXXIX. ex libris Fulgentii adverſus Fabianum.

Item *Fragmenta duo ex Fulgentii quæſtionibus de proceſſione Spiritus Sancti.*

Sermones duo Fulgentii, unus *de circumciſione Domini*, alter *de purificatione Virginis Mariæ*, quos hactenus ineditos Lucas Holſtenius ex Vaticana bibliotheca quondam deſcripſit, & Cardinalis Barberinus Lutetiam transmiſit. Ex his priorem quidem Fulgentio, poſteriorem autem alteri cuipiam auctori qui Fulgentio junior fuerit, Fulgentianæ hujus editionis curatores, in Admonitione præmiſſa adjudicarunt.

Sequitur *Appendix Operum S. Fulgentii*, quæ 1. complectitur *Librum de prædeſtinatione & gratia*, in quo Lovanienſes Theologi aliique eruditi viri, nihil Fulgentio dignum, imo multa Fulgentio contraria deprehenderunt: quamvis Theophilus Raynaudus in *Cenſura inofficioſæ cenſuræ* Lovanienſium, Bellarmini, Poſſevini & aliorum, maximopere contendat, ut Fulgentio librum hunc aſſerat. 2. *Epiſtolam Ferrandi Diaconi ad Eugyppium*, quam ab ejus operibus ſeiunctam in Appendicem rejicere placuit, cum nec à Fulgentio nec ad Fulgentium ſcripta ſit. 3. *Sermones LXXX.* Fulgentio perperam tributos. Quamvis vero qui huic Fulgentii editioni operam dederunt, nomina ſua latere voluerint, de publica utilitate magis quam de fama ſolliciti, & egregii facti conſcientia contenti: neminem tamen latere voluerunt, multum ſe à Jeſuita *Chiffletio* adjutos, qui variantes in omnia fere Fulgentii Opera lectiones, quas olim ex variis Codicibus bibliothecæ Carthuſiæ ad Portas exſcripſerat, benigniſſime cum iis communicavit.

Exciderunt autem Opuſcula S. Fulgentii plurima, nempe *de gratia Dei & libero arbitrio adverſus Fauſtum Regienſem Epiſcopum libri VII.*

De veritate prædeſtinationis & gratia contra Fabianum libri XIX. Ex his fragmenta VII. decerpta Theodulphus Aurelianenſis in Collectaneis ſuis *de proceſſione Spiritus Sancti* ad Ludovicum Impera-

ra-

ratorem exhibet, & ex eo Theophilus Raynaudus in calce editionis suæ. Alia aliquot fragmenta eorundem ex vetusto Codice dedit Jacobus Sirmondus inter Opera Alcimi Aviti, Parisiis 1643. Denique fragmenta XXXIX. ex iisdem, ex Codice pervetusto descripta, edidit inter alia quædam Veterum Opuscula, Franciscus Chifletius anno 1656. Divione in 4.

De processione Spiritus Sancti liber, sive *Commonitorium ad Abragilam Presbyterum*, cujus fragmenta duo videri possunt apud Ratramnum Corbejensem Monachum lib. 3. *adversus Objecta Græcorum*, ad Odonem Bellovacensem Episcopum.

Responsio ad Objectiones Arianorum à Trasimundo Rege propositas, sive ut Isidorus vocat *de Scriptoribus* cap. 14. *Liber Altercationis cum Trasimundo.*

De jejunio & oratione ad Probam Virginem libri II.

Epistola ad Carthaginenses egregia, atque alia plures.

Liber pro fide Catholica adversus Pinnam Episcopum Arianum, Carthagine anno 507. scriptus.

Homilia plurimæ, quarum paucæ ad nos usque pervenerunt.

Opera S. Fulgentii Ruspensis Episcopi, jamdudum sæpius multis in locis edita sunt, Moguntiæ 1515. Norimbergæ 1519. Coloniæ 1526. sed characteribus antiquis, à Collectoribus incertis. Primus *Chilibaldus Pirckheymerus*, qui exemplar Operum B. Fulgentii miræ antiquitatis, ex Trithemianæ bibliothecæ reliquiis ad se delatum, & a Johanne Cochlæo pro librariis operis descriptum, edi curavit. 2. *Johannes Vlimmerius*, cujus studio Opera Fulgentii, Antverpiæ anno 1574. una cum Johannis Molani Prolegomenis ex officina Plautiniana prodierunt. 3. *Henricus Justus* telam à Christiano Vrstitio coeptam pertexuit, & anno 1587. Fulgentii Opera, addito Petri Diaconi *de incarnatione & gratia* libello, Basileæ ubi etiam anno 1566. jam Fulgentius excusus fuerat, Sebastiani Henricpetri typis exprimenda dedit. 4. *Jacobus Sirmondus*, qui anno Christi 1612. Fulgentii librum *de Trinitate ad Felicem Notarium*, libros tres *de prædestinatione*, librum *contra Sermonem Fastidiosi*, Epistolam ad Ferrandum *de Baptismo Æthiopis moribundi*, aliaque Fulgentii opuscula: Et iterum anno 1643. fragmenta ex ejusdem libris contra Fabianum e tenebris protraxit. 5. *Guilielmus Camerarius* Scotus, qui anno 1634. Fulgentii responsionem ad interrogationes Scarilæ de mysterio incarnationis & vilium animalium auctore, publici juris fecit. 6. *Theophilus Raynaudus*, qui Lugduni annis 1633. & 1652. in *Heptade Patrum*, Fulgentii Opera 80. sermonibus, & aliis accessionibus locupletavit. 7. *Petrus Franciscus Chifletius*, qui anno 1649. cum Operibus Ferrandi sub Fulgentii nomine, *librum pro fide Catholica adversus Pinnam*, & 1656. excerpta XXXIX. ex libris Fulgentii contra Fabianum, & fragmenta XIII. ex libro Fulgentii ad quæstiones Scarilæ, una cum Alcuini Confessione fidei, Rabani Mauri libro adversus Judæos, & Commentariolo anonymi de damnatione Berengarii, Divione publica luce donavit.

Hæc de nova hac Operum S. Fulgentii, optimaque editione, *Acta Eruditorum Lipsiæ* Kalendis Decembris anno 1684. à p. 543 ad 547. Alia dabunt de Scriptis ejus, Robertus Bellarminus & Philippus Labbeus, uterque in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Antonius Possevinus tomo I *Apparatus sacri*, verbo *Fulgentius*. Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 507. p. 384. & seqq.

DISSERTATIO
DE
SYNOPSI VITÆ PROPHETARVM XII. APOSTOLORVM, ET DISCIPVLORVM LXX. CHRISTI, QVÆ S. DOROTHEO TYRI EPISCOPO ET MARTYRI, FALSO INSCRIBITVR, ATQVE PROCOPIO PRESBYTERO CP. ATTRIBVENDA A CRITICIS CREDITVR.

PROLOGVS.

125. QVidquid in hac Dissertatione maxime perplexa & intricata à me scribetur, illud omne ex aliis verbotenus ferme depromam, & quidem viris egregiis & fide dignis, qui summa cura hoc argumentum tractarunt, à quorum sententia & verbis, quantum potero, non discedam. Cæteros inter Antonius Possevinus Tomo I. *Apparatus sacri* verbo *S. Dorotheus Tyri Episcopus & Martyr*, cui falso tribuitur *Synopsis de Vita & morte Prophetarum, Apostolorum & 72. Christi Discipulorum*, quæ (inquit) narrationibus conflictis atque mendacibus plena est; nam ut alia prætermittantur, quanam ratione auctor ille defendi potest, cum inter 72. Discipulos, enumeret *Eunuchum Reginæ Æthiopum*, quem post Ascensionem Domini, à Philippo conversum constat? Et *Juniam Episcopum facit*, quem tamen certum est, fœminam quandam fuisse? Et *Cæsarem* cujus meminit ad Philippenses Paulus, Discipulum Christi & Episcopum fuisse dicat? cum perspicuum sit, de Ne-

„rone Cæſare, S. Paulum eſſe locutum.“ Hæc Poſſevinus. Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. de Hiſtoricis Græcis c. 18. p. 251. editionis 1651. Atqui 68. diſcipulis enumerat *Marcum & Lucam Evangeliſtas*, ut ita ſeptuagenarius numerus impleatur. Extra horum autem numerum ponitur Eunuchus Candaces Reginæ, & Junias, ὁ Ἰουνίας, quem cum Andronico ſalutat Paulus ad Romanos cap. 16. verſu 7. Et quomodo Junias fuerit fœmina? cum ibidem Paulus dicat, fuiſſe *Andronicum & Juniam inſignes inter Apoſtolos*, latius nempe *Apoſtoli* voce accepta? Hæc Voſſius, contra Poſſevinum hac in parte errantem. Alii omnes inter Pontificios majoris nominis, eandem Synopſin ſuppoſitionis arguunt, incognitam antiquis Eccleſiæ ſeculis, atque nulli Scriptorum probæ notæ recenſitam.

CAPVT PRIMVM.

DE VARIIS EDITIONIBVS LATINIS HVIVS OPERIS, QVÆ PRODIERVNT.

PRimus qui hanc Synopſin Dorothæi Tyri Epiſcopi *de vita Prophetarum 12. Apoſtolorum & 70. Diſcipulorum* Chriſti ex MSS. Codicibus eductam, in lucem publicam emiſiſſe legitur, Jacobus Faber Doctor Theologus Sorbonicus, qui illam Latine, poſt Sulpicii Severi Hiſtoriam Sacram, Pariſiis anno 1562. in 12. editam, ad calcem adjunxit, Procemio prævio Vitam dicti Dorothæi Tyri Epiſcopi & Martyrium complectente, una cum Scholiis ad marginem adjunctis quoad Partem primam *de vita Prophetarum*, & ſecundam *de Apoſtolis*, tertia autem quæ *de ſeptuaginta Diſcipulis* nuda absque ſcholiis poſita. Ita Petrus Lambecius lib. 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis pag. 50. in Examine Codicis MS. Theologici Græci XXXIV. Vnde liquet falli Carolum Dufrenium, dum hanc verſionem Wolffgango Muſculo adſcribit, in Notis ad Chronicum Paſchale p. 146. ſubjectis, p. 504.

Alteram poſt hanc editionem profert Guillelmus Cavus Parte prima *Hiſtoria literaria* ſeculo IV ad annum 303. pag. 114 ad calcem Salviani Romæ anno 1564. in fol. impreſſi.

Hinc acceſſit poſtea in *Bibliothecam Veterum Patrum*, cujus prima editio Pariſiis 8. tomis in folio apud Michaelem Sonnium ſub ſcuto Baſilienſi anno 1575, ubi Tomo 2. col. 171. ad 186, ſed diffuſior in hac verſione quam in Græcis exemplaribus, cum *Epitome Vitæ S. Dorothei Tyri Epiſcopi & Martyris* Synopſi illius præmiſſa, & Scholiis ad marginem poſitis ad partes duas priores *de vitis Prophetarum atque Apoſtolorum*, ut in editione prima Jacobi Fabri ſupra dictum eſt. Fallitur autem Carolus du Freſne, dum *præludia hæc & Notas* adſcribit Margarino Bignæo *Bibliothecæ Veterum Patrum* collectori, cum ad Jacobum Fabrum Synopſeos Dorotheanæ primum editorem pertineant, quæ ſuæ Collectioni tantum Bignæus inſeruit.

Ab editione prima Bibliothecæ Veterum Patrum, tranſiit in editiones omnes alias *Bibliothecæ ejusdem*, ſed absque ſcholiis marginalibus quæ reſecta ſunt, nempe in editionem Pariſienſem anni 1589. Tomo 7. col. 135. ad 154. Anni 1610. Tomo 7. col. 111. In Editionem Colonienſem anni 1618. apud Antonium Hierat, quæ juxta ſeculorum ordinem diſponitur Tomo 3. Seculi IV. parte ſecunda pag. 143. ad pag. 150. In editionem Pariſienſem anni 1624. Tomo 7. col. 91, in Pariſienſem alteram anni 1644. Tomo 7. col. 91. In Pariſienſem anni 1654. Tomo 7. col. 91. ut teſtantur Ducangius & Lambecius, denique in Maximam Veterum Patrum Bibliothecam editionis Lugdunenſis anni 1677. apud Anillonios fratres, Tomis XXVII, ubi Tomo 3. ſicut in Colonienſi editione ſupra diximus.

CAPVT SECVNDVM.

DE MANVSCRIPTIS CODICIBVS ET EDITIONIBVS GRÆCIS, QVÆ LATINIS ACCVRATIORES SVNT.

PRimus & antiquus Scriptor, qui Græce nobis *Synopſin Dorothei Tyri Epiſcopi & Martyris de Vita Prophetarum, Apoſtolorum 12. & 70. Diſcipulorum Chriſti* dedit, Georgius Patriarcha Alexandrinus qui anno 620. claruit, vel Anonymus *Chronici Alexandrini ſeu Paſchalis* parens, qui eodem tempore vixit, ac Chronico ſuo illam inſeruit, ſcriptam ſub *Conſulatu Philoxeni & Probi*, Olympiade CCCXXVI. Indictione 3. anno Chriſti 525, ut in *Chronico* Paſchali pag. 334. Hoc *Paſchalion* ſeu *Paſchale Chronicon* Græce & Latine ſæpius antea editum, tandem cura & ſtudio Caroli du Freſne Domini du Cange, ex typographia Regia 1688. in folio ultimum prodiit. Illic *Chronici Paſchalis*, paucis de Elia præmiſſis p. 146, 147. refert, de 12 Prophetis minoribus & quatuor majoribus ex libro Dorothei Tyri Epiſcopi & Martyris, usq; ad p. 161, ubi pauca ſubjiciuntur de eodem Elia Thesbite, de Eliſæo, & Zacaria, ibidem p. 212. ſed parciſſime ac ſolis fere cum nominibus, Apoſtoli 12. Jeſu Chriſti cum 56. Chriſti Diſcipulis ad pag. 214, reliquis quatuordecim comprehenſis una cum Paulo poſt Domini in cœlos aſcenſum pag. 224. In Indice Selectorum quorundam monumentorum ad illuſtrationem *Chronici Paſchalis*, num. 8. pag. 403. Σύγγραμμα Ἑλληνικὸν περὶ τῶν ὁ μαθητῶν τοῦ Κυρίου, τοῦ Δωροθέου Ἐπισκόπου Τύρου ἀρχαίου ἀνδρὸς &c. *Dorotheus de LXX. Diſcipulis Domini &c.* ex Codicibus MSS. Regiis 2760. & 2819. Opuſculum autem Græce & Latine ibidem pag. 426. ad 436. Item variantes lectiones operis pag. 436. & 437. De Opuſculo Dorothei Tyri Epiſcopi & Martyris, quid Carolus du Freſne

ne ſentiat ad Chronici Paſchalis pag. 147. latiſſime in Notis pagg. 504. & 505. Et ad p. 212. idem in Notis pagg. 524. & 525.

De variantibus autem Synopſeos Dorothei lectionibus, ita Carolus Dufreſnius du Cange pag. 436.

„Proſtat in Codice Regio 2910. fol. 257. Indiculus brevior LXX. Diſcipulorum, cujus auctor Hippolytus Tyri Epiſcopus dicitur, eadem „ſerie qua apud Dorotheum, ex quo variantes „lectiones aliquot hic apponimus, ne quid in „hiſce lector deſideret. 11. Ἐπίσκοπ. Σόλων. „15. Λουκᾶς Εὐαγγελιστὴς, ἔτοι οἱ ιε' ἐκ τῶν ὀ τυγχανόντων διασκορπισθέντων ἐπὶ τῷ ῥήματι ὃ εἶπεν ὁ Κύριος, ἐὰν μή τις φάγῃ τὴν σάρκα, καὶ πίῃ μου αἷμα, οὐκ ἔστιν μου ἄξιος. Ἀλλ' ὁ μὲν διὰ Πέτρου, ὁ δὲ διὰ Παύλου πάλιν ἐπαναπαλύψαντες, πρὸς Κύριον εὐαγγελίζεσθαι καλαξιῶνται, οὐπὲρ ἃ ἐμαρτύρησαν, ὁ μὲν πυρπολυθεὶς, ὁ δὲ σταυρωθεὶς ἐπὶ Ἑλαίας. 18. Κλήμης. 20. Ἐπίσκ. Παννονίας. 24. Βαρσαβᾶς. 26. Ἑρμογένης, ἐντος ὁμόφρων αὐτῷ γέγονεν. 28. Ἀπέλλης. 31. Ἐπίσκ... Τάρσου. 32. Ἄγαβος ὁ Προφήτης. 33. Ῥοῦφος. 34. Ἐπίσκ. Ἰωνίας. 35. Μάρθων. 37. Πατροκλᾶς. 38. Ἐπ' Φιλίππων. 43. Ἡρωδίων. 44. Λάκιος. 48. Τερέντιος. 49. Βηρύτου. 55. Δυρραχίου. 56. Μάρκος. 57. Ἰᾶσος Ἐπίσκ. Ἐλευθ'. 58. Ἀρτεμᾶς. 59. Ἐπίσκοπος Σαρδονίας. 69. Σπεύδης.

Reddit autem plane incertas has Diſcipulorum Chriſti ſeries, id quod habet idem Dufreſnius ex Metaphraſtæ Chronico acceptum, p. 437. „Habetur præterea alia ſeries eorundem LXX. „Chriſti Diſcipulorũ in Chronico MS. Simeonis „Metaphraſtę, in qua iidẽ qui a Dorotheo & Hippolyto recenſentur, aliquot tamen omiſſis, aliis „ſubſtitutis, qui apud Dorotheum non habentur. Illi ſunt: Πρίσκος ὃν μέμνηται Ἀπόστολος Παῦλος, ἐν τῇ πρὸς Τιμόθεον Β' ἐπιστολῇ, ὃς Ἐπίσκοπος Χαλκίδος ἐγένετο. Κηφᾶς, ὃν ὁ Ἀπόστολος Παῦλος ἐν Ἀντιοχείᾳ ἤλεγξεν. Ἄντος Ἐπίσκοπος Κολωνείας ἐγένετο. Ἰγνάτιος ὁ Θεόφορος, ὁ γενόμενος Ἀντιοχείας Ἐπίσκοπος, ὃς ἐν Ῥώμῃ ἐπὶ Τραϊανοῦ θηριομαχεῖ. Σίμων ὁ ἀγγαρευθεὶς ἆραι τὸν σταυρὸν τοῦ Κυρίου, ὁ καὶ σταυρωθεὶς ὑπὲρ Χριστοῦ τελειοῖ τὸν βίον. Ναθαναὴλ ὁ Γραμματεύς, ὁ εἰπών, ἐκ Ναζαρὲτ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι. Deinde huic ſeriei hæc ſubjunguntur: Καὶ τῶν μὲν ὁ Ἀποστόλων τὰ ὀνόματα ἐντεῦθεν ἔτως ἐγράφησαν. Ἐν δὲ τοῖς θείοις Εὐαγγελίοις ἕως τινὰ μὲν ἀντίγραφα περιέχεσθαι δ' ὑπῆρχον, εἰς ἕτερα δ' μόνον, οἱ καὶ ἠγωνίσαντο γενναίως ἐν τοῖς ψευδαποστόλοις καὶ λοιποῖς ἀντιθέτοις τῷ ὄρθῳ τῆς ἀληθείας δόγματος καὶ κηρύγματος. Διὰ τοῦτο καὶ ὁ μακάριος Παῦλος τοὺς ὁ Χριστοῦ μαθητὰς, συνεργοὺς καλεῖ.

„Deſcribitur denique in alio Codice Regio „ſignato 2951. folio 233. ſyntagma τοῦ Ἐπιφανίου Ἐπισκόπου Κύπρου περὶ τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, πῶς ἕκαστος αὐτῶν ἐκήρυξε, καὶ περὶ καὶ πῶ μετελεύθησαν ἢ τὰ ἅγια αὐτῶν σώματα κεῖνται, καὶ ἐν ποίοις τόποις. Cui quidem Syntagmati ſubjiciuntur nomina & Epiſcopatus LXX. Diſcipulorum. Verum cum nihil aliud fere contineat, quod non apud Dorotheum habeatur, & in illius ſerie XII. Apoſtolorum, ac illa quæ præfigitur Oecumenii operibus: catalogum illum, & alios quorum mox meminimus, omitti debere cenſuimus. Cui quidem Epiphanii opuſculo, ſubditur in Codice eodem, aliud ejusdem fortaſſe Epiphanii hoc titulo, τὰ ὀνόματα τῶν γονέων τῶν ιβ' Ἀποστόλων καὶ τῶ Μελχισεδέχ, editum à Joanne Baptiſta Cotelerio ad Conſtitutiones Apoſtolicas lib. 4. in Notis col. 194." Extant quoque MSS. in Bibliotheca noſtra Lugduno Batava, inter MSS. Codices Græcos ab Iſaaci Voſſii hæredibus emptos, Codice MS. Græco 23. num. 5. *Vita Prophetarum S. Epiphanii*, ab editis longe diſcrepantes: Item *Dorotheus Tyri Epiſcopus de Vita & Scriptis Apoſtolorum & Diſcipulorum Chriſti*, in membranis in folio.

Poſt Carolum Dufreſnium, idem argumentum tractavit non minori prolixitate & ſollicitudine, Guillelmus Cavus in *Hiſtoria literaria* ſeu *Commentario de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ſeculo IV. ad annum 303. pag. 114. ad 124. editionis Londinenſis anni 1688. in folio. Non contentus autem egiſſe de hac Synopſi pro more Scriptorum aliorum, *Tractatum* ſeu *Synopſim* eandem Græce & Latine edendam curavit, ex MSS. duobus Anglicanis Bibliothecæ Bodlejanæ Barocianis, Codice nimirum CCVI, alteroque Anaſtaſii Nicæni quæſtionibus in ſacram Scripturam ſubjuncto Codice CXLII, quas ipſi pro ſua humanitate tradidit Henricus Dodwellus. Ita factum ab illo, ut lectores opere inſpecto, firmius de hac ſynopſi ferrent judicium, nec facile crederent Opuſculis ſpuriis, quæ Græci absque ſcrupulo ſub ſanctorum & veterum Eccleſiæ Patrum nominibus, orbi literario obtrudunt.

Præceſſerat autem & Carolum Dufreſnium & Guillelmum Cavum, quoad *Synopſim de duodecim Apoſtolis & 70. Chriſti Diſcipulis*, Petrus Lambecius anno 1670. Tomo 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis pag 49. 50. 51. & 52. in Examine Codicis MS. Theologici Græci XXXIV. Cæſareæ ejusdem Bibliothecæ, quem hic verbotenus referam.

Codex XXXIV. Theologicus Græcus eſt membranaceus, pervetuſtus & optimæ notæ in 4. conſtat foliis 368. & ad Arſenium Monembaliæ Archiepiſcopum olim pertinuit, ut ipſe in principio ejus teſtatur, hac propriæ manus inſcriptione: Αὕτη ἡ θεία βίβλος κτῆμά ἐστιν Ἀρσενίου τοῦ Μονεμβασίης. Poſtea autem per quas neſcio ambages, pervenit idem ille præſtantiſſimus Codex in poteſtatem *Joannis Sambuci*, à quo A. 1564. in Italia emptus eſt. Mortuo deinde Sambuco, incidit in manus Sebaſtiani Tengnagelii & per eum tandem tranſiit in Auguſtiſſimam Bibliothecam Cæſaream. Ibi num. 4. Dorothei cujusdam, qui vulgo Epiſcopus

„pus Tyri appellatur, & cum ſancto Dorotheo „Presbytero qui ſub Imp. Diocletiano multa „paſſus, & usque ad Imperatoris Juliani Apoſta„tæ tempora ſuperſtes, ſub eo annum agens „centeſimum ſeptimum, venerandam ſenectu„tem Martyrio honeſtavit, perperam confundi„tur: *Libellus de 12. Apoſtolis & aliis 70. diſcipulis*, „primum quidem *Romæ Romana lingua ſcriptus*, „poſtea ab Anonymo quodam interprete Græ„co abbreviatus & Græce redditus, uti non ſo„lum in *Menologio Græcorum* die 14. Aprilis, ve„rum etiam in ipſo hoc Codice MS. Cæſareo ex„preſſe traditur. Titulus iſtius Opuſculi eſt „talis, Δωροθέυ Ἀρχιεπισκόπυ Τύρυ, ἀρχαίυ ἀν„δρὸς πνευματοφόρυ καὶ μάρτυρος γεγενέτος ἐν „τοῖς χρονοῖς Λικιννίυ καὶ Κωνσταντίνυ Βασιλέων, „Σύγγραμμα εἰς τὺς ιβ' Ἀποστόλυς, καὶ εἰς τὺς „ἑβδομήκοντα. Sequitur deinde *Proœmium de „Vita & Scriptis Dorothei* cujus principium: Οὗτος „ὁ λεχθεὶς ἁγιώτατος ἀνὴρ συγγράμματα διάφο„ρα καταλέλοιπεν ῥωμαϊκάτε καὶ ἑλληνικά &c. „Extat quidem hoc *Proœmium* Latine poſt *Sulpi„cii Severi* hiſtoriam ſacram, una cum *Dorothei „Synopſi* de Vita Prophetarum & Apoſtolorum „& Diſcipulorum Chriſti, a Jacobo Fabro Do„ctore Theologo Sorbonico, Pariſiis A. 1560. in „12. editam, ut & in *Magna Bibliotheca Veterum „Patrum* anno 1654. in folio edita, Tomi ſeptimi „col. 91. Sed Græcum hoc exemplar MS. a Lati„nis illis editionibus impreſſis, non mediocriter „in fine diſcrepat: & quæ *de Vitis Prophetarum* „ibi leguntur, ea hic omnino omiſſa ſunt. Fini„to *Proœmio*, ſequitur Titulus novus miniatus, „quo teſtimonium notabile aliquod de approba„tione Opuſculi ejusdem per *Joannem Pontificem „Romanum* continetur his verbis: Ἰωάννης δὲ ὁ „Ῥωμαίων Ἐπίσκοπος τὸ μὲν Σύγγραμμα Δω„ροθέυ εἶναι ἀληθινὸν διεβεβαιῶτο. πρωτιμᾶσθαι „δὲ τῆ Κωνσταντινοπόλεως τὸν Ῥώμης ἔλεγε „διὰ τὸ τὸν τῆ κορυφαιοτάτυ τῶν Ἀποστόλων „Πέτρυ ὑπέχειν θρόνον, καὶ τέτον ἔνεκα τὰ „πρῶτα αὐτῷ παρεχωρήθη, ἢ μὴν διὰ τὸ „προυπάρχειν τὸν τῆς Ῥώμης Ἐπίσκοπον τῆς „Κωνσταντινοπόλεως. ἔτα ἔλεγε ἐν τῷ δηλωθέντι „συγγράμματι τῆ ἱερῆ Δωροθέυ ἐνσημαίνεσθαι „καὶ περὶ τῶν ιβ' Ἀποστόλων, ἐνθα ὁ καθεὶς αὐ„τῶν ἐκήρυξεν. Hinc porro ſequitur ipſa *Nar„ratio de duodecim Apoſtolis*, quæ a Latinis editio„nibus hactenus impreſſis adeo diſcrepat, ut ad „differentiam illam plene indicandam, integra „prorſus nova editione opus ſit. Recenſentur „ibi *duodecim Apoſtoli* hoc ordine: α' Πέτρος, „β' Ἀνδρέας ὁ ἀδελφὸς αὐτῦ. γ' Ἰάκωβος, ὁ „υἱὸς Ζεβεδαίυ. δ' Ἰωάννης, ὁ ἀδελφὸς αὐτῦ. ε' „Φίλιππος. ς' Βαρθολομαῖος. ζ' Θωμᾶς. η' „Ματθαῖος ὁ Εὐαγγελιστὴς. θ' Ἰούδας Ἰακώβυ. „ι' Σίμων ὁ ἐπικληθεὶς Ἰούδας. ια' Ματθίας. „ιβ' Σίμων ὁ Ζηλωτὴς. Quæ autem de *ſancto „Paulo Apoſtolo* & duobus Evangeliſtis *S. Marco „& S. Luca* in Latinis editionibus impreſſis ſub„junguntur, ea ibi omnino deſunt. Notabile etiam eſt, *Auctorem Proœmii* expreſſe teſtari, ſe „Narrationem illam *de duodecim Apoſtolis* conſul„to & dedita opera ſcripſiſſe ἔσωθεν ſive *intrinſe„cus*, ſed Narrationem *de reliquis ſeptuaginta Diſci„pulis* ἔξωθεν ſive *extrinſecus*, ut nempe hac ipſa „ſcribendi ratione differentia dignitatis eorum „oſtenderetur. Quæ enim ad *ſeptuaginta diſci„pulos* pertinent, ea in margine tantum ſcripta „ſunt, ita ut Narratio *de duodecim Apoſtolis*, quaſi „quadam corona circumdata, in medio pagina „emineat. Titulus Narrationis marginalis *de „ſeptuaginta diſcipulis* eſt hic: Φησὶ δὲ ὁ πρελε„χθεὶς ἐν ἁγίοις Δωρόθεος, τὺς ἑβδομήκοντα μαθη„τὰς ἐκ νεκρῶν τῆ Σωτῆρος ἀναίρασιν ὑποτρέψαι, „καὶ ἐν τοῖς Ἀποστόλοις γένεσθαι, ὡς καὶ Ἐπισκό„πυς γένεσθαι ὑπ' αὐτῶν, λέγει ἔτως. Sequi„tur deinde ipſa Narratio, quæ quantum a La„tinis editionibus hactenus impreſſis diſcrepet, „vel ex nuda hac Nominum recenſione, ſatis „videre eſt. α' Ἰάκωβος ὁ ἀδελφὸς τῆ Κυρίυ. „β Κλεόπας ὁ καὶ Συμεών, ὁ ἀνεψιὸς τῆ Κυρίυ. „γ' Ματθίας, ὁ ἀναπληρώσας τὸν ἀριθμὸν τῶν ιβ' „Ἀποστόλων. δ' Θαδδαῖος, ὁ τὴν ἐπιστολὴν Ἀβγάρῳ „τοποθέχη ἀποστείλας. ε' Ἀνανίας. ς' Στέφα„νος, ὁ πρωτομάρτυς. ζ' Φίλιππος. η' Πρόχορος. „θ' Νικάνωρ. ι' Τίμων. ια' Παρμενᾶς. ιβ' Νικό„λαος. ιγ' Βαρνάβας. ιδ' Μάρκος ὁ καὶ Εὐαγγε„λιστὴς. ιε' Σίλας. ις' Λουκᾶς ὁ Εὐαγγελιστὴς. ιζ' „Σιλουανὸς. ιη' Κρίσπος. ιθ' Ἐραστος. κ' Ἀν„δρόνικος. κα' Ἀμπλίας. κβ' Οὐρβανὸς. κγ' „Στάχυς. κδ' Ἀπελλῆς, ὁ Ἐπίσκοπος Ἡρακλείας. „κε' Φύγελλος. κς' Ἑρμογένης. κζ' Δημᾶς. κη' „Ἀπελλῆς ὁ Ἐπίσκοπος Σμύρνης. κθ' Ἀριστόβλος. „λ' Νάρκισσος. λα' Ἡρωδίων. λβ' Ἀγαβος. λγ' „Ῥοῦφος. λδ' Ἀσύγκριτος. λε' Φλέγων. λς' Ἑρ„μῆς. λζ' Πατροβᾶς. λη' Ἑρμᾶς. λθ' Λινὸς. μ' „Γαίος. μα' Φιλόλογος. μβ' Ὀλυμπᾶς. μγ' Ἡ„ρωδίων ἕτερος. μδ' Λουκᾶς ἕτερος. με' Ἰάσων. „μς' Σωσίπατρος. μζ' Τέρτιος. μη' Ἔραστος. μθ' „Κόαρτος. ν' Ἀπολλῶν. να' Κηφᾶς. νβ' Σωσθέ„νης. νγ' Τυχικὸς. νδ' Ἐπαφρόδιτος. νε' Καῖσαρ. „νς' Μάρκος ὁ ἀνεψιὸς Βαρνάβα. νζ' Ἰησοῦς ὁ λε„γόμενος Ἰοῦστος. νη' Ἀρτεμᾶς. νθ' Κλήμης. ξ' Ὀ„νησίφορος. ξα' Τυχικὸς ἕτερος. ξβ' Κάρπος. ξγ' „Εὔοδος. ξδ' Ἀρίσταρχος. ξε' Μάρκος ἕτερος. ξς' „Ζηνᾶς. ξζ' Φιλήμων. ξη' Ἀρίσταρχος ἕτερος. ξθ' „Πούδης. ο' Τρόφιμος. de quo ſeptuageſimo ſive „ultimo & duobus proxime præcedentibus con„junctim ibi agitur his verbis: ἔτει εἰ τρεῖς, φη„μὶ δὴ Ἀρίσταρχος καὶ Πούδης καὶ Τρόφιμος, ἐν„πᾶσι τοῖς διαγμοῖς τῆ Ἀποστόλυ Παύλυ, συνα„κολυθήσαν αὐτῷ, καὶ συναιχμαλωτισθέντες, τέλος „μετὰ τὸ ἀποκεφαλισθῆναι αὐτὸν ὑπὸ τῆ παρα„νόμυ καὶ δυσσεβῦς βασιλέως Νέρωνος ἐν Ῥώμη, „σὺν αὐτῷ τὰς κεφαλὰς ἀπετμήθησαν εἰς δόξαν „Χριστῆ τῆ Θεῆ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα εἰς αἰῶνας. Quæ „autem in Latinis editionibus impreſſis poſt *Tro„phimum* adduntur, de duobus Evangeliſtis *S. „Marco & S. Luca*, ut & *de Eunucho Candacis Regi„næ Æthiopum*, ea in hoc Codice MS. Græco de„ſunt, eorumque loco hæc ibi clauſula extat: „

Τῦ-

„Ταῦτα ὁ τριμακάριος καὶ πανόλβιος Δωρόθεος „ἐν Ῥώμῃ γεγονὼς, διὰ ῥωμαϊκῆς διαλέκτου ἐν ὑπο„μνήμασι καταλέλοιπεν. Ἔφησεν δὲ ἐν τοῖς αὐτοῦ „συγγράμμασιν ὁ δηλωθεὶς ἱερὸς Δωρόθεος, ὅτι „καὶ Σίμων ὁ Κυρηναῖος ὑπὲρ Χριστοῦ σταυρωθεὶς ἀ„ναιρεῖται.

Item eodem libro 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 173. juxta eundem Lambecium Codice MS. Theologico Græco LXXVII. num. 84. Extat eadem *series 12. Apostolorum & 70. Discipulorum Christi Domini* & quidem a folio 259. pag. 1. usque ad folium 266. pag. 2. sub ejusdem Dorothei nomine, sed cui additur etiam *Narratio de Veteris Testamenti Prophetis*, uti ea habetur in editionibus Latinis ejusdem Dorothei Synopseos, quæ hic ultima pars illius est, prima autem in editionibus omnibus.

CAPVT TERTIVM.

AN PROCOPIVS SECVLI VI. PRESBYTER, HVIVS SYNOPSEOS SCRIPTOR CENSERI DEBEAT?

SYnopsim illam non esse Dorothei Tyri Episcopi & Martyris cujus nomen præfert, neque Sancti Epiphanii Constantiæ in Cypro Archiepiscopi, cui etiam ab aliquibus attribuitur, censet diserte Carolus Dufresnius ad pag. 147. *Chronici Paschalis* seu *Alexandrini*, in notis illi subjunctis pagg. 504. & 505. his verbis, quæ cap. sequenti referentur. Silet autem de vero Authore illius, de quo diserte ac data opera Guillelmus Cavus Tomo I. *Historiæ literariæ* ad annum 303. pag. 120.

„Ταῦτα ὁ πανέριτος Δωρόθεος ἐν Ῥωμαϊκοῖς „συγγράμμασιν καταλέλοιπεν ἀντεδλήθησάν τε „καὶ παρ' ἡμῶν ἐν ὑπατείᾳ Φιλοξένου καὶ Πρόβου, „ὁπηνίκα Ἰωάννης ὁ Ἐπίσκοπος Ῥώμης ἦλθεν ἐν „Κωνσταντίνου πόλει. *Ista optimus Dorotheus Latino sermone conscripta reliquit. Græce à nobis conversa sunt sub Consulatu Philoxeni & Probi, cum Joannes Romæ Episcopus Constantinopolim venit:* „hoc est, *anno Christi DXXV*, ut Cavus observat, „*ducentis post ipsum Dorotheum annis.*

„ Et pag. 122. Ταῦτα ἡμῖν ὁ Δωρόθεος ἐξ „Ἑλληνικῶν καὶ Ἑβραϊκῶν συνήγαγεν καὶ παρέδω„κεν Ῥωμαϊκοῖς ὑπομνήμασιν, ἅπερ ἡμεῖς ὡς χρή„σιμα καὶ ἐυπαραδεκτα συναγάγοντες, ἐμφανῆ πε„ποιήκαμεν. *Ista nobis Dorotheus ex Græcis & Hebraicis monumentis collegit, & Latinis Commentariis consignavit, quæ quidem nos tanquam utilia & verisimilia consarcinantes, innotescere fecimus.*

Atque ad Opusculi totius conclusionem, pag. 122.

„ Προκόπιος τοίνυν τὸν τῆς Πρεσβυτερίας ἠξιω„μένος, βίῳτε καὶ λόγῳ εὐσεβείας διαπρέψας, καὶ „πάσῃ τῇ περὶ τὰς γραφὰς ἐμμελείᾳ καὶ ἐμπειρίᾳ „ἀεὶ ἐνασκηθεὶς, καὶ ἐνλυχνίας τοῖς Ἱεροῖς συγ„γράφοις τοῦ ἁγιωτάτου καὶ μακαριωτάτου Ἐπισκόπου „καὶ μάρτυρος Δωροθέου, τάυτα πάντα ἡμῖν ἐγ„γεγράφως καταλέλοιπεν. Χάρις τοίνυν αὐτοῦ τοῖς „πόνοις, καὶ τῇ αἰθανάτῳ μνήμῃ νῦν καὶ ἀεὶ, καὶ „εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. *Procopius igitur quidam Presbyteratus dignitate insignitus, tum vitæ sanctitate, quam sacrarum litterarum scientia conspicuus, omnique literaturæ genere ac scientia semper innutritus, cum historicas sanctissimi ac beatissimi Episcopi & Martyris Dorothei lucubrationes reperisset, omnia ista nobis conscripta reliquit. Gratia igitur diligentiæ ejus & immortali memoriæ reddatur, nunc & in sæcula sæculorum. Amen.*“

Idem denique in Observationibus ad Opusculum adjectis pag. 123.

Admodum probabile est hunc Anonymum fuisse ipsius Synopsis Dorotheanæ conditorem. Quis enim alicujus Dorothei Tyriorum Episcopi, Diocletiani vel Juliani tempore, mentionem fecerit? Imo vel ante annum CCCCLVII. quando depositio Photio Tyri Episcopo, Dorotheus quidam in locum ejus subrogatus est? Quis unquam Dorotheum sub Juliano Martyrem, sub Diocletiano Confessorem dixerit? *Sub Diocletiano multa passus*, inquit Martyrologium Romanum die Junii V, exilio mulctatus, ait Anonymus noster. Sed an hoc latuisset Eusebium, qui Martyrum & Confessorum gesta undique conquisivit, ipse sub hac persecutione Confessor, & quod magis adhuc, ipse hoc circiter tempore Tyri degit? Quis unquam ex Scriptoribus Ecclesiasticis, qui primis his seculis floruerunt, Synopsis hujus Dorotheanæ meminerit, imo vel ex iis, qui Scriptorum Ecclesiasticorum Catalogos nobis ex professo tradiderunt? Quis nisi bardus, & cui vix sanum sinciput, Dorotheum hominem Græcum, & Tyri inter Phœnices Antistitem, commentarios suos Latino sermone conscribentem, nobis sisteret. Restat igitur, vel Anonymum nostrum hæc confinxisse, vel saltem à Procopio presbytero suo conficta, in lucem evulgasse. Vnde pro more omnium pene Impostorum, hæc diu incognita latuisse fingit, nec nisi duobus pene integris post Dorothei mortem seculis orbi innotuisse. Quod nulla probabilitate credi potest, præsertim cum hi Commentarii, nihil nisi historiæ Apostolicæ & Ecclesiasticæ summam, utilissimam plane, modo genuinam, in se continerent.“ Censet igitur Cavus Procopium hunc Seculi sexti Presbyterum, qui se Commentariorum istorum interpretem dicit, fuisse primum illorum parentem, quos in gratiam Constantinopolitanæ Sedis seu Ecclesiæ, contra Romanam, Constantinopolitanus ipse conscripserit: quibus ad majorem auctoritatem conciliandam, *Dorothei Tyri Episcopi & Martyris* nomen adjecerit.

Nihil mirum autem hanc Synopsim *de Vita & morte Prophetarum, de 12. Apostolis & 70. Disci-*

pulis, in MSS. etiam Codicibus, non tantum Dorotheo Tyri Epiſcopo & Martyri inſcribi, quod abſurdum eſt : ſed etiam attribui S. Epiphanio Conſtantiæ in Cypro Archiepiſcopo, inter cujus Opera impreſſa ex parte reperitur : quia Opus iſtud anno 525. à Procopio Presbytero conſcriptum legitur, ad elevationem Romæ Novæ adverſus Veterem. Cum itaque hoc tempore quo Conſtantinopolim Joannes Romanus Pontifex adveniſſet, Epiphanius Patriarcha Conſtantinopolitanus hunc thronum poſſideret : nihil mirum, Opuſculum iſtud, quod dubio procul Epiphanio jubente, a Procopio Presbytero conſcriptum fuerat, Epiphanio ipſi Conſtantinopolitano attributum eſſe, cujus juſſu conſcriptum fuit, non autem alteri Conſtantienſi in Cypro, qui dudum mortuus erat. Debetur itaque potius hæc *Synopſis*, Epiphanio Patriarchæ Conſtantinopolitano vel Procopio ejus Presbytero, quam Epiphanio Conſtantiæ in Cypro Epiſcopo, vel S. Dorotheo Tyri Epiſcopo & Martyri. Vide Cavum Tomo I. *Hiſtoria literaria* ad annum 520. verbo *Epiphanius Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter* pag. 394. & ad annum 523. verbo *Joannes I. Romanus Pontifex* p. 396.

CAPVT QVARTVM.

SYNOPSIM ILLAM NON ESSE DOROTHEI TYRI EPISCOPI ET MARTYRIS, CENSET DVFRESNIVS.

SYnopſim illam non eſſe Dorothei Tyri Epiſcopi & Martyris cujus nomen præfert, neque Sancti Epiphanii Conſtantiæ in Cypro Archiepiſcopi, cui etiam ab aliquibus attribuitur, cenſet diſerte Carolus Dufresnius ad pag. 147. *Chronici Paſchalis* ſeu *Alexandrini*, in Notis illi ſubjunctis, pagg. 504 & 505 his verbis.

„ *Δίον ἐν συντόμῳ.* Quæ deinceps Paſchali „ſuo de Prophetis Scriptor inſeruit, quo Chriſti „οἰκονομίαν ſeu Diſpenſationem ab iis prædictam „fuiſſe oſtenderet, deſumpta ſunt ex Dorotheo „auctore dubiæ prorſus fidei, ut animadverte„runt pridem Baronius, Poſſevinus, Huetius, „Margarinus Bignæus & alii viri eruditi, cujus „Græca hactenus deſiderabantur : quæ necdum „tamen omnia ex hocce Paſchali ſuppleri pos„ſunt, cum Latina duntaxat verſio, quam Muſcu„li eſſe ajunt, in Bibliotheca Patrum habeatur „Tomo VII. pag. 91. editionis an. 1644, priorem „enim Dorothei nondum vidi. Quis autem „hic Dorotheus Martyr, & qua ætate vixerit, „docet Prologus ad illius tractatum *de LXX. „Diſcipulis* : ex quo docemur, ſi Scriptori fi„des danda eſt, in Græcis & Latinis literis appri„me fuiſſe verſatum, & poſt mortem Diocletia„ni & Licinii factum Tyri Epiſcopum, ad Juliani „Parabatæ tempora vitam produxiſſe, tandem„que cum ſubinde illius perſecutionem defu„geret, in urbe Odyſſo ab illius miniſtris com„prehenſum, variisque tormentis vexatum, in„ipſis ſuppliciis, vitam exuiſſe, annos natum„CVII. Ita alius fuerit (ſi quidem is unquam„extitit) a Dorotheo, qui in urbe Nicomedienſi„martyrium obiit, ſub ipſo Diocletiano, ut eſt in„Chronico Paſchali pag. 277. anno Chriſti 300.„XIX. ejusdem Auguſti : atque adeo a Doro„theo alio, quem Auctor Chronici, quod Alex„andrinum dicimus, ut & Theophanes & Geor„gius, Alexandriæ martyrium ſub Gratiano ſub„iiſſe ſcribunt VII idus Octobris, ferarum eſcæ„tradium ſub Tatiano Auguſtali, cui favebant„hæretici. Latina autem lingua cum ille Ro„mæ verſaretur, ſcripſiſſe Dorotheum, ejusque„ſcripta in Græcum deinde tradu&ta colligimus,„ex iis quæ poſt illius Tractatum *de Apoſtolis* ha„bentur : Si quidem is revera ſcripſerit, nam„hæc a Græco interprete prorſus confi&ta con„ſtat. Atque illius quidem futilis ſatis licet„operis pars illa, in qua quæ Prophetarum na„tales & vitam præſertim ſpectant, referuntur :„ſub nomine Epiphanii Epiſcopi Cypri prodiit,„iisdem verbis Dorothei deſcripta, vel certe„paucis admodum interpolatis : adeo ut mira„ri ſubeat, cur Epiphanio adſcribatur, quod alte„ri Scriptori ſubinde ab aliis tribuitur. Sic ve„teres ſpuria ſua non modo venditabant, ſed„quo fidem eis aliquam adderent, præclara ipſis„indebant nomina, ut hiſce opuſculis, Dorothei„ſcilicet Martyris & Epiſcopi ſeu Presbyteri„Tyri, & Epiphanii Cypri Epiſcopi, cum neu„trius illa ſint. Poſterioris Epiphanii ſcilicet„opus deſcribitur in Codice Regio 2951. folio„228. anno 1291. ſcripto, & ex Codice Veteris„Romæ anno 759. ſcripto, ut in eo annota„tur, deſumpto. Vnde colligere ſaltem liceat,„ut & pariter ex hoc *Paſchali* in XX. Heraclii„annum deſinente, haud eſſe nuperos hoſce„qualescunque Scriptores, quod quidam vo„lunt, ſiquidem ante annum DCC illi vixerint.„Et certe Græcus interpres Dorothei teſtatur„ſeu fingit, ea quæ de Prophetis & Apoſtolis„ſcripſit, ex ejusdem Dorothei latinis Com„mentariis hauſiſſe, ac deſcripſiſſe eo anno, quo„Joannes Papa Conſtantinopoli verſabatur, *Phi„loxeno & Probo Conſulibus*, hoc eſt anno Chriſti„DXXV, Juſtino proinde ſeniore imperante.„Operis autem Epiphanii in Codice Regio lem„ma ita concipitur : Τῦ ἁγίυ Ἐπιφανίυ Ἐπι„σκόπυ Κύπρυ, περὶ τῶν προφητῶν πῶς ἐκοιμή„θησαν, καὶ πῦ κεῖνται. Quem quidem tra„ctatum excipit alter ejusdem Epiphanii *de„Apoſtolis*, de quo agemus infra. Duplex au„tem Epiphanii iſtius *de Prophetis* editio pro„diit, prima Albani Torini anno 1529, altera„Joachimi Zehneri anno 1611, qui & priorem„recenſuit, & Scriptorem fuſioribus Commen„tariis illuſtravit : quod in cauſa fuit, cur ei„elucidando immorari debere minime cenſue„rim. Cum præterea vir ſingularis omnino„eruditionis Petrus Daniel Huetius, Succſſio„nen-

„nensis Episcopus designatus seu *vocatus*, ut E-
„piscopi electi olim se vocitabant, id argu-
„menti solide persecutus sit in *Demonstratione*
„*Evangelica*, ubi XII. Prophetarum de Christi
dispensatione prædictiones accurate collegit,
„ac ὑποβολιμαίων Dorothei & Epiphanii scri-
„pta, maxime de eorum patria examinat. Pro-
„inde satis esse censuimus, si quæ ex his Auctori-
„bus in hocce Paschali excerpta leguntur, cum
„ea quæ habetur Dorothei latina versione, &
„cum Epiphanio Codicis Regii, ac Chronico
„MS. Simeonis Logothetæ in quo eadem fere
„habentur, quæ apud Epiphanium, conferren-
„tur. Tertia denique editio tandem prodiit
„anno 1622. cum ejusdem Epiphanii Operibus,
„interprete Dionysio Petavio. Cui quidem
„Epiphanio adscribitur præterea tractatus alius
„hoc titulo in Codice Regio 2810. Περὶ τῶν
„δεκαὲξ προφητῶν, πόθεν ἦσαν, καὶ πῦ ἐτελεύ-
„θησαν, qui in Codice 2431. nullum Auctoris
„nomen habet: quem quidem tractatum cum
„noster Scriptor interdum exscribat, ex eo sub-
„inde illum emendamus. De isto vero Doro-
„theo fictitio, iterum agemus.

Idem ad paginam 212. Chronici Paschalis, in Notis pagg. 524 & 525.

„Εἰσὶν δὲ τῶν Μαθητῶν. De Apostolis
„& Christi Discipulis multi ex eruditis hactenus
„egerunt, ac imprimis Baronius Anno 33. n. 40,
„Combefisius ad Hippolytum de 12. Apostolis,
„Margarinus Bignæus ad Dorotheum de 12. A-
„postolis & 70. Discipulis Tomo 7. Bibliothecæ
„Patrum, & aliquot alii. Sed cum quicquid de
„hisce Christi Discipulis a veteribus etiam Scri-
„ptoribus dubiæ pariter fidei proditum est, Hip-
„polyto scilicet Tyri & Epiphanio Cypri Epi-
„scopis, uti præferunt MSS. Codices, a suppositi-
„titio illo Dorotheo haustum fere sit, haud alie-
„num duxi ab instituto, si ad Auctoris Chronici
„illustrationem, susioris vice Commentarii, ex
„Codice Regio Opusculum illius hactenus in-
„editum, huic subderetur. Quippe quæ 12. A-
„postolos & LXX. Discipulos duntaxat spe-
„ctant, Latine versa habentur in Bibliotheca
„Patrum, cæteris haud contemnendis omissis,
„ut quæ non modo, quod fuerit in eo conscri-
„bendo Auctoris consilium, sed pravam etiam
„illius fidem aperte prodant. In eo enim fe-
„re omnia ἀλούσατα, verisque falsa admista
„sunt, ubi nusquam sibi constat, nulla habita ra-
„tione anachronismorum, quibus scatet. Sed
„& quicquid de LXX. Discipulis ingerit, ex
„nominibus quæ habentur in Epistolis Cano-
„nicis desumptum est, adeo ut illis Cæsar accen-
„seatur, quod Cæsaris seu Imperatoris Paulus
„meminerit, uti a viris doctis pridem est ob-
„servatum. Quin etiam Auctoris nomen
„ipsum fictitium est, neque enim Dorotheus
„ille Martyr, in rerum natura unquam fuit, ut
„supra attigimus, neque ista quæ illius nomine
„circumferuntur, Tyrius ipse latine Romæ
„scripsit, quæ conficta sunt ab otiosis & malæ
fidei Græculis, qui Romæ Veteris primatum
„iniquo ferentes animo, Novæ prærogativam
„quavis ratione asserere semper annixi sunt.
„Atque id sane consilii satis aperit ille a quo
„confictus est, quique suam ætatem prodit ὑπο-
„βολιμαῖος ille Dorotheus, dum post recensi-
„tos LXX. Christi Discipulos, Byzantiis longe
„ante quam Romanis, Christianam fidem prædi-
„catam fuisse probare contendit: indeque
„Constantinopolitano Episcopo primas partes
„deberi conficit, captata ex hinc occasione By-
„zantiorum Episcoporum ab eorum primo
„Stachi ad Metrophanem usque, Catalogum &
„seriem prætexendi, vel etiam forte confin-
„gendi. Qui quidem, licet prorsus ut dixi-
„mus, confictus sit, futilis tamen auctoris apud
„Græculos auctoritas ea invaluit, ut pro vero
„habitus sit & genuino, adeo ut hunc Nice-
„phorus ipse Patriarcha Constantinopolitanus,
„in suam *Chronographiam* eadem omnino serie
„retulerit, licet totus iste Tractatus insulsis
„narrationibus ac ridiculis anachronismis, ut
„dixi, ubique scateat. Byzantii quippe Epi-
„scoporum catalogum ab ipso S. Andrea repe-
„tit, vel certe a Stachy, quem ab eo factum By-
„zantii Episcopum ait, eique successorum conti-
„nuam seriem affingit, contra quam fidei paullo
„sinceriori Georgius Cedrenus in Severo pag.
„256. & Simeon Logotheta in Chronico MS,
„ubi illo imperante primum constitutum esse
„Byzantii Episcopum Philadelphum, cujus Do-
„rotheus iste non meminit, & annos III. pra-
„fuisse scribunt, cum ante octennium Eccleliæ
„præfuisset quidam Presbyter. Huic successo-
„rem Eugenium sub Gordiano adscribunt, ac
„annos XXV sedisse volunt. Tertium nescio
„an ii prodiderunt. Certe Metrophonem
„quartum Byzantii Episcopum creatum anno
„Constantini Magni IX. idem Cedrenus ait:
„quod in annum VI. rejicit Theophanes, in VIII
„autem Scriptor Chronici, a quo *primus* By-
„zantii Episcopus nominatur, ut Alexander e-
„jus Successor *secundus*, sub annum XVIII ejus-
„dem Augusti, quasi ante Metrophanem nulli
„antea Episcopi Byzantini fuerint, nisi hæc intel-
„ligenda sint, ex quo Vrbs a Constantino instau-
„rata fuit. Sed & non modo hanc a Dorotheo
„confictam Byzantiorum Episcoporum seriem
„amplexus est ipse Patriarcha Nicephorus, sed
„& Auctor Catalogi Episcoporum Byzantii a
„Leunclavio editus, & nescio quis Georgius
„Monachus, alius ab eo quem *Hamartolum*
„vocant, qui Chronicon ab Adamo ad Alexium
„Comnenum contexuit, exscriptis ad verbum
„aliis Scriptoribus, cujus partem aliquam an-
„no 1685. edidit Combefisius, inter Historiæ
„Byzantinæ Scriptores post Theophanem
„pag. 499, licet in hisce nihil prorsus novi seri-
„bat. Is autem sic de ipso Dorotheo loqui-
„tur, verbis pene ipsis quibus ipse Dorotheus
„in Prologo, sub annum mundi 5816. Christi
316. Τότε καὶ Δωρόθεος Ἐπίσκοπος Τύρου
„ἐ-

ὁ ἐπὶ Διοκλητιανῦ πολλὰ κακοπαθήσας, καὶ ἐξορίας καὶ βασάνους ὑπομείνας, ἤκμαζεν. Πλεῖστα συγγράμματα καταλειπών, Ῥωμαϊνα, ὡς ἀμφοτέρων γλωσσῶν ἐμπειρώτατος καὶ πολυμαθὴς δι' εὐφυΐαν γενόμενος. οὗτος ἀκριβῶς καὶ περὶ τῶν Ἐπισκόπων τῆ Βυζαντίδι, καὶ ἄλλων πολλῶν ἐκδεδήλωκεν τόπων. Ἐπανελθὼν δ' ἐκ τῆς ἐξορίας, καὶ ἐν τῆ συνόδω εὑρεθεὶς καταλαβὼν τὴν ἰδίαν παροικίαν, διήκεσεν ἕως Ἰουλιανῦ τῦ Παραβάτου, καὶ ἐπειδήπερ ἐπροφανῶς, ἀλλὰ κρυπτῶς, διὰ τῶν ἀρχόντων ὁ μακαρίτης ἀνὴρ εἰς τὰς Χερσωνήσους παροίκει, πάλιν ὁ μακάριος Δωρόθεος κατέλαβεν τὴν Οὐσσόπολιν, ἔνθα κἀ συχνοθεὶς ὑπὸ τῶν ἀρχόντων Ἰουλιανῦ, καὶ πολλὰς ὑπομείνας αἰκισμούς, ἐν βαθυτάτῳ γήρει διὰ τὴν εἰς χριστὸν ὁμολογίαν, τοῖς βασάνοις ἐναπέθανεν. Istius Dorothei meminit rursus sub Juliano. Hos vero qualescunque ac supposititios Scriptores, in publicum interdum offerri interest, ne illi imposterum ἁγιογράφοις vel Ecclesiasticis tam temere accensentur.

CAPVT QVINTVM.

HVNC PROCOPIVM PRESBYTERVM ALIA SCRIPSISSE SVB NOMINE DOROTHEI TYRI EPISCOPI.

NOn tantum autem Procopius ille Presbyter sub S. Dorothei Tyri Episcopi & Martyris nomine, scripsit Synopsim hanc tripartitam *de Vita Prophetarum, Apostolorum 12. & 70. Discipulorum Domini*, ut recte Cavus ad annum Christi 303. opinatus est, quem cap. 3. Dissertationis hujus retulimus ad verbum: sed etiam Opusculum singulare aliud ab isto, quod ex MSS. Anglicanis Cavus Græce & Latine produxit, quodque extenditur usque ad Archiepiscopos ætatis suæ Constantinopolitanos, seu ad medium seculi sexti, cui alii postea sequentes ad seculum decimum addiderunt. Hoc sane patet ex MS. Codice Theologico Græco XXXIV. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, de quo ita Petrus Lambecius lib. 3. Commentariorum Bibliothecæ præfatæ pag. 55. Num. 6. & Codice MS. Theologico Græco LXXVII. Num. 85. pag. 174. his verbis. „Octogesimo quinto, & quidem a folio 266. pag. 2. usque ad folium 269. seu ultimum pag. 2. Ejusdem supra memorati *Pseudo Dorotbei Chronologia Episcoporum & Patriarcharum Byzantinorum*, sive *Constantinopolitanorum a sancto Stachy*, quem S. Andreas Apostolus *primum* ordinavit *Byzantii Episcopum* usque ad ætatem suam mihi adhuc incognitam: & porro Continuatio ejusdem Chronologiæ per alium quendam *Anonymum* auctorem, usque ad *Cosmam* illum qui ante Patriarchatus Constantinopolitani adeptionem, *Monachus Hierosolymitanus* fuit, & in principio Imperii *Alexii Comneni*, qui A. C. 1081. imperare cœpit, ob nimiam populi per varias exactiones aggravationem, sponte sua Patriarchatu se abdicavit, & ad pristinam Monasticæ vitæ tranquillitatem reversus est. Ipsa tituli *Chronologiæ* Græci verba hæc ibi sunt. Τῦ αὐτῦ μακαρίτου Δωροθέου, τίνες Ἐπίσκοποι τῆ Βυζαντίδι κατέζησαν ἀπ' ἀρχῆς, καὶ εἰς δεῦρο. εἰ δὲ μετὰ τὴν ἐκείνου μετάστασιν ἐγράφησαν παρ' ἡμῶν. Incipit deinde ipsa *Chronologia* his verbis: Ἀνδρέας ὁ ἁγιώτατος Ἀπόστολος καὶ πρωτόκλητος, ἐν τῷ διαπλέειν τὴν Ποντικὴν θάλασσαν, παραγενόμενος καὶ ἐν Βυζαντίῳ &c. desinit autem, τέλος ἀπέστασεν ἑαυτὸν τῶν πραγμάτων, καὶ εἰς τὴν ἀπραγμοσύνην καὶ ἡσυχίαν ἡδέως πάλιν κατήλθεν. Eadem Chronologia publicabitur a me integra Græce & Latine in Supplemento Corporis Historiæ Byzantinæ, ex Augustissima Bibliotheca Cæsarea posthac seperatim edendo. Eadem autem habetur Libro 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ cujus meminit Lambecius pag. 55. in Examine Codicis MS. Theologici Græci XXXIV, parte 2. num. 6. his verbis. Sexto & quidem folio 356. 357. 358. *Chronologia Episcoporum & Patriarcharum Byzantinorum, sive Constantinopolitanorum a sancto Stachy*, quem *S. Andreas Apostolus primum ordinavit Byzantii Episcopum*, usque ad *Nicolaum* cognomine *Mysticum*, qui anno Christi 890. electus est, & anno 930. obiit, & porro *Continuatio ejusdem Chronologiæ* a jam memorato *Nicolao*, usque ad *Joannem Xiphilinum*, qui anno Christi 1066. electus, & anno 1078. mortuus est. Titulus ejus est ibi talis. Ἀναγραφὴ τῶν ἀπὸ τῦ Σωτῆρος ἐπισκοπησάντων ἐν Κωνσταντινουπόλει, Ἱεραρχῶν ἤτοι Ἐπισκόπων πρὸ τῆς βασιλείας τῦ Κωνσταντίνου, καὶ μετὰ τὴν βασιλείαν αὐτῦ Πατριαρχῶν, ἤτοι ἀπὸ Μητροφάνους μεχρὶ τῦ Νικολαῦ. Incipit deinde ipsa Recensio Episcoporum & Patriarcharum hoc modo: Ἀνδρέας ὁ ἁγιώτατος Ἀπόστολος παραγενόμενος ἐν τῷ Βυζαντίῳ, καὶ κηρύξας τὸν σωτήριον λόγον, Ἐκκλησίαν πιστῶν συνησάμενος καὶ ἐκτήριον οἶκον πέραν ἐν τῇ νῦν λεγομένῃ Ἀργυροπόλει ἀνέγειρεν, ἐν ᾧ ὕστερον ἀπετέθητο τὸ λείψανον τῦ ἁγίου μάρτυρος Ἀνδριανῦ. Χειροτονεῖ Ἐπίσκοπον Στάχυν τῆς αὐτῆς πόλεως Πρῶτον, ὃν καὶ μέμνηται Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Ῥωμαίους ἐπιστολῇ, ὃς ὑπεστέψησεν ἔτη ις'. Β' Ὀνήσιμος ἔτη ιδ'. Γ' Πολύκρατος ἔτη ιή'. Δ' Πλάσιαρχος ἔτη ιά'. Ε' Σεβηνίων &c. Extant quidem etiam tres aliæ eorundem Episcoporũ & Patriarcharum antiquæ Chronologiæ Græcæ, nempe prima in Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani *Chronographia Compendiaria*, quæ pertingit usq; ad Photium: Secunda in Tomo primo Juris Græco Romani supra citati a Frehero editi, quæ pertingit usq; ad Josephum *Germani Adrianopolitani* successorem: tertia in Philippi Labbei *Protreptico Historiæ Byzantinæ*, quæ pertingit usque ad *Josephum* illum, qui Florentiæ in Concilio Generali obiit: sed multo illis accuratior atque uberior est, quæ extat in hoc Codice MS. Cæsareo, ideoque alio posthac tem-

„tempore in *Supplemento Corporis Hiſtoriæ Byzantinæ*, integra a me publicabitur. Interim præ„vie notandum eſt, Euthymium illum qui Pa„triarchæ *Nicolao Myſtico*, ab *Imp. Leone Sapiente* „injuſte depoſito ſuffectus eſt, Epiſcoporum & „Patriarcharum Byzantinorum numero ibi ex„cludi, ideoque *Joannem Xiphilinum*, cum quo „Chronologia illa deſinit, non numerari *nona„geſimum nonum*, ſed *nonageſimum octavum*, nec „*tredecim* annos Patriarchalis regiminis illi attri„bui, ut in ſupra memorato Corpore Juris Græ„co Romani, ſed annos *undecim* tantum.

CAPVT SEXTVM.

MVLTAS QVOQVE ALIAS COLLECTIONES ALIARVM SEDIVM ORIENTALIVM IDEM PROCOPIVS PRESBYTER CONSTANTINOPOLITANVS SCRIPSIT, QVAS OMNES IN SVAM CHRONOGRAPHIAM, NICEPHORVS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS COMPORTAVIT.

Non tantum autem hanc Chronologiam ſub Dorothei Tyri Epiſc. & Martyris nomine, Epiſcoporum & Patriarcharum Byzantinorum tranſcripſit, ſed alias etiam aliarum Sedium Orientalis Eccleſiæ Principalium, ut teſtatur diſerte relatus a nobis ex Dufresnio Georgius Monachus, qui *Hiſtoriam* Græce conſcripſit, ab Adamo usque ad Alexii Comneni Imperium, MS. in Regia Galliarum Bibliotheca, quem capite 4. hujus Diſſertationis retulimus, *καὶ περὶ τῶν Ἐπισκόπων τῆς Βυζαντίδος, καὶ ἄλλων πολλῶν διαφόρων τόπων*: ex quibus *Chronographiam* ſuam concinnavit Nicephorus Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſub ſeculi IX. initium. Extant autem iſtæ Collectiones omnes, in eodem Codice MS. Cæſareo Vindobonenſi, Theologico Græco XXXIV. de quibus loquitur Lambecius Tomo 3. Commentariorum dictæ Bibliothecæ p. 56. num. 7. his verbis.

„Septimo & quidem fol. 359. pag. 1. *Chrono„logia Summorum Pontificum Romanorum a S. Pe„tro Apoſtolo*, usque ad *Honorium primum*, qui an„no Chriſti 626. electus eſt & anno 638. obiit. „Titulus ejus una cum principio eſt talis: *ὅσοι „μὲν Ῥώμῃ ἐπισκόπησαν ἀπὸ τῆ Σωτῆρ. ἡμῶν „Ἰησῦ Χριστῦ. Α΄ Πέτρ. ὁ Ἀπόστολ. ἔτη Β΄. Β „Λῖν. ἔτη β. Γ Κλῆτ. ἔτη ι΄. Δ΄ Κλήμης ἔτη „ιθ΄* &c.

„Octavo & quidem fol. 359. pag. 2. *Chronolo„gia Epiſcoporum & Patriarcharum Alexandrino„rum a ſancto Marco Apoſtolo, usque ad Joannem „Cyprium* cognomine *Eleemoſynarium*, qui ibi nu„meratur *quadrageſimus quartus*, in Chronologia „autem Nicephori eſt *quadrageſimus octavus*.

„Nono & quidem folio 360. pag. 1. *Chronolo„gia Epiſcoporum & Patriarcharum Antiochenſium „a ſancto Petro Apoſtolo*, usque ad *Anaſtaſium Dia„conum Conſtantinopolitanum*, qui ibi numeratur *quinquageſimus quintus*, in Nicephori Chronolo„gia eſt *ſexageſimus primus*.

Decimo & quidem fol. 360. parte 2. *Chro„nologia Epiſcoporum & Patriarcharum Hieroſoly„mitanorum, a ſancto Jacobo* cognomento *Fratre „Domini*, usque ad *Zachariam Presbyterum Con„ſtantinopolitanum*, qui ibi numeratur *quinquage„ſimus tertius*, in Chronologia Nicephori eſt *Se„xageſimus*.

Undecimo & quidem fol. 361. pag. 1. *Chro„nologia Reipublicæ Hebræorum ab Adamo usque ad „Regem Sedekiam*, qui a Rege Babyloniorum *Na„bucodonoſore*, poſt expugnationem Urbis Hie„roſolymitanæ excæcatus eſt.

Duodecimo & quidem folio 361. p. 2. *Chro„nologia Regum Chaldæorum, Aſſyriorum, Perſa„rum & Ægyptiorum* a *Nabucodonoſore*, usque ad „*Cleopatram*.

Decimo tertio & quidem fol. 362. & 363. „Chronologia Imperatorum Romanorum a „Cajo Julio Cæſare, usque ad Baſilium II. & Con„ſtantinum VIII. Imperatores, Romani II. ſeu „Junioris filios, qui poſt *Joannem* Tzimiſcen ve„neno extinctum imperare cœperunt anno „Chriſti 975. die quarto Decembris: & ejus„dem continuatio Chronologiæ, manu aliquan„to recentiori, usque ad Michaelem Ducam co„gnomento Parapinacium, qui ſucceſſit in Im„perio, vitrico ſuo Romano Diogeni anno „Chriſti 1071. circa Kalendas Octobris.„

Has omnes Chronologias tam de veteris teſtamenti rebus, quam Sedium Patriarchalium ætate ſua collegit atque conſcripſit Procopius Presbyter Conſtantinopolitanus ſub Epiphanio Patriarcha ſuo Conſtantinopolitano, quas Anonymi paulatim pro ætate ſua auxerunt, atque ita amplificatas, in ſuam comportavit Chronographiam Nicephorus Patriarcha ſeculo IX, qui potiſſimas hujus ſuæ Chronographiæ partes, Procopio huic Conſtantinopolitano, Presbytero primo collectori debet. Atque hæc occaſione PſeudoDorothei Tyri Epiſcopi & Martyris, PſeudoEpiphanii, dicta ſint.

SANCTVS SABAS, natione Cappadox, ex hujus provinciæ pago quodam ignobili oriundus, quem ſanctitate ſua illuſtrem reddidit. Hic anno 457. in Palæſtinam perrexit ad magnum Abbatem Euthymium, adhuc annorum octodecim adoleſcentulus, ſub quo ita progreſſus in ſanctitate eſt, ut egregiis ubique meritis conſpicuus, poſtea effulſerit, de quo ſæpius Annales Eccleſiaſtici. Omiſit quidem Guillelmus Cavus ſanctum Sabam Tomo I. Hiſtoriæ literariæ anno 1688. Londini edito, ſed anno 1698. Tomo 2. Londini in folio mentionem fecit illius ſeculo V. Neſtoriano ad annum 484. paginis 146. & 147. Itemque in Diſſertatione 2. *de libris atque officiis Eccleſiaſticis Græcorum* verbo *Typicon* pag. 56. & 57. ubi Vitam ejus his deſcribit. 525.

Digitized by Google

„Sabas ex Mutalaſca vico apud Cappadocas „ſatis obſcuro, nobilioris conditionis parentibus, Joanne & Sophia ortus, anno 484. claruit. „Natus eſt anno 439. qui puer adhuc in patria „ſua inſtitutum Monaſticum amplexus fuit. „Anno ætatis 18. in Palæſtinam veniens, illic „in Cœnobio annis XVII. manſit. Anno 484. „ætatis XLV. ordinem Presbyterii & Magnæ „Lauræ Præfecturam in ſe ſuſcepit. Obiit an„no poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis ſe„cundo, Juſtiniani VI. ætatis ſuæ anno 92. non „ut Cyrillus habet 94. Sed aperte Cavus fallitur, ita enim diſerte habet Cyrillus in Vita ejus cap. 77. pag. mihi 353. apud Cotelerium his verbis. Atque ipſius mors contigit quinto Decembris Indictione X. a creatione quidem mundi in quo tempus curſu ſatis menſuram habere cœpit anno ſexies milleſimo & vigeſimo quarto (lege quadrageſimo) a Dei Verbi autem Incarnatione ex Virgine & Nativitate ſecundum carnem, anno XXIV. (lege XXXII.) ſupra quingenteſimum, juxta tempora conſcripta a ſanctis noſtris Patribus, Hippolyto illo antiquo Apoſtolorum familiari, Epiphanio Cypriorum Archiepiſcopo, ac Herone Philoſopho & Confeſſore. Ratio autem temporis Vitæ ejus in corpore hæc eſt: In Palæſtinam venit annos natus X. & VIII. manſit in Cœnobio annis ſeptendecim, & in ſolitudinibus maximaque Laura, annos tranſegit quinquaginta novem: obiit vero ætatis ſuæ anno 94. poſt Conſulatum Lampadii & Oreſtis ſecundo, ſexto præſentis a Deo protecti imperii. Secundo fallitur abſurde Guillelmus Cavus dum ſcribit: *Hiſtoriam ejus contexuit Cyrillus Scythopolitanus anno Chriſti DXXXII. qui res ab eo præclare geſtas, mores, totamque vivendi rationem pleniſſime perſequitur.* Scripſit quidem hanc Vitam *S. Sabæ* Cyrillus Scythopolitanus temporibus Juſtiniani Imperatoris, ſed non anno Imperii illius *ſexto*, qui Chriſti 532. fuit: imo longe poſtea, imperavit enim Juſtinianus annis XXXIX. ab anno Chriſti 527. ad 565. Nam Cyrillus Scythopolitanus ad celeberrimum Lauræ monaſterium miſſus, a Leontio Abbate qui Monaſterii præfecturam anno 543. ſuſceperat, inter Monachos annumeratus eſt. Cum igitur ſub Abbate Leontio qui anno 543. Lauræ regimen ſuſceperat, Cyrillus ſchema monaſticum induiſſet, poſt hunc annum ſcripſit Vitas tam Magni Euthymii, quam Cyriaci, ſancti Sabæ Abbatis, & Joannis Silentiarii. Neutiquam igitur *ſexto* imperii Juſtiniani *anno*, quo Monachus in Laura nondum erat. Tertio fallitur Cavus, dum ipſi attribuit *Typicum ſanctæ Lauræ* his verbis, quod revera opus Græciæ recentiſſimæ eſt, ſcripſit Sabas in uſum Monaſterii ſui *Typicum* ſeu *Ordinem recitandi officium Eccleſiaſticum per totum annum, capita LIX. complexum, qui in omnibus Monaſteriis Hieroſolymitanis mox obtinuit, ſed Barbarorum incurſionibus depravatum & pene deperditum, Joannes Damaſcenus magno ſtudio poſtea reſtituit & renovavit. Editum eſt S. Saba Typicum inter alios Græcorum libros Eccleſiaſticos, Venetiis annis 1603. 1615. 1643. in folio,* hoc titulo, Τύπικον σὺν Θεῷ ἁγίῳ παρέχων πᾶσαν τὴν διαταξιν τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας τοῦ χρόνου ὅλου: *Typicum favente Deo, continens integrum Officii Eccleſiaſtici ordinem per totum annum.* Quo in Opere ſequentia opuſcula novem continentur. 1. Typicon τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας ſanctæ Lauræ in Hieroſolymis, quod & in aliis Monaſteriis Hieroſolymitanis, aliisque Eccleſiis obtinet, ex præſcripto S. Sabæ, capita LIX. complexum, de quo Typico in Vita S. Sabæ ſeculo V. diximus. 2. Μηνολόγιον juxta XII. menſes, continens ἀκολουθίαν τῆς Ἐκκλησιαστικῆς ψαλμῳδίας τοῦ καθ' συνάξεως per totum annum, incipiendo ut ſolent Græci a menſe Septembri usque ad finem Auguſti præmiſſo capitum indice. 3. Marci Hieromonachi qui ſe ἀμαρτωλὸν appellat, Σύνταγμα εἰς τὰ ἀπορήματα τοῦ Τυπικοῦ, ſive *Tractatus de dubiis, quæ ex Typico oriuntur, capitibus C. abſolutus.* 4. Nicolai Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Anaſtaſium Montis Sinæ Abbatem, de jejuniis Græcorum carmina Politica CCXXIV. 5. Anaſtaſii Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopi Tractatus περὶ τῆς ἀργίας, *de feriis Monachorum, de continentia & ingluvie &c.* 6. Vitæ Evangeliſtarum quatuor, ex Dorothei Synopſi acceptæ. 7. Regulæ variæ περὶ τοῦ πῶς δεῖ πιστεύειν καὶ περὶ τοῦ πῶς δεῖ κανὼν τὸν Θεὸν. 8. Καφάλαια παραινετικὰ, *Capita ad virtutem adhortatoria, per modum Gnomologii diſpoſita.* 9. Πασχάλιον τῆς ὀγδοάδος ἑπτ., Paſchalium octavi ſeculi, ſive Kalendarium continens annos ab orbe condito & ab Incarnatione Chriſti, Indictionem etiam, Cyclum tam ſolarem quam lunarem, & τὸ θεμέλιον τῆς σελήνης, quod θεμέλιον *Epacta* Latinorum reſpondet. „ Hæc Farrago de Typico S. Sabæ, quam refert Cavus in Diſſertatione 2. *de libris atque officiis Eccleſiaſticis Græcorum* verbo *Typicon* paginis 56. & 57. qui ut opinionem ſuam de *Typico* defendat, Cyrillum Scythopolitanum profert in *Vita S. Sabæ* cap. 76. Sed Cavus fallitur, non enim illic agitur de *Typico officii Eccleſiaſtici, ſeu de ritibus officii per annum:* Sed *de Conſtitutionibus cœnobiticis ad morum informationem* conducentibus in Cœnobio ſuo obtinentibus, quas Berytio Melitæ, ſucceſſori deſignato ſcripto traditas commendavit. *Qui ſenex in propria diſcumbens turricula, initio menſis Decembris, convocatis Laræ patribus, dedit illis quendam Præpoſitum, Berytium genere, appellatione Melitam, adhortans eum, ut Conſtitutiones ſuis Monaſteriis traditas inviolatas ſervaret, quas ei ſcriptas tribuit.* 4. Fallitur dum inquit: *Typicon S. Sabæ ſeculo 8. a ſancto Joanne Damaſceno fere deperditum, reſtitutum fuiſſe & reparatum.* Apertum mendacium, quo convincitur ex ſtatu miſerrimo Eccleſiæ Hieroſolymitanæ & omnium Patriarchatus hujus Monaſteriorum ſub ditione Saracenica Chriſtianam fidem ubique deſtruente exiſtentium,

um, quæ duravit ab anno Chriſti 636. ad 1099. per annos 463. Vide Chronologiam Nicephori Patriarchæ CP. de Patriarchis Hieroſolymitanis, & Cedrenum qui S. Sophronium hujus Patriarchalis ſedis ultimum, usque ad ſuam ætatem ſtatuit. Vt ad ſanctum Sabam revertamur, factus ſucceſſu temporum Abbas, ac ſeptem etiam in Palæſtina Monaſteriorum fundator, Saluſtius Jeroſolymitanus Epiſcopus qui anno 484. Martyrio ſucceſſit, hunc Sabam anachoretam ordinavit Presbyterum, & a calumniis quibus impetebatur abſolvit, ut tradit Vitæ illius ſinceriſſimus author Cyrillus, quam eximie deſcripſit. Narrat idem Cyrillus in Sabæ Vita cap. 38. eundem Sabam cum apud quosdam Armenos abolere vellet in *Hymno Triſagio* pravam illam Petri Fullonis additionem, *qui crucifixus es pro nobis*: inſtituiſſe, ut hymnos ipſi quidem reliquos cani ſolitos, propria & vernacula lingua pſallerent: ſed Triſagium Græce tantummodo. Idque ea ratione ut audiretur ab omnibus, Catholicos longe aliter Hymnum illum canere, quam Petrus Fullo docuiſſet: & qua lingua ille hæreſim ſanctæ cantioni admiſcuiſſet, eadem Catholici absque ullo fundamento occinentes, errorem redarguerent Hæreticorum, & ſe perſpicue eſſe Catholicos declararent. Idem Sabas miſſus anno 513. legatus ad Imperatorem Anaſtaſium, ut ob diram famem & rerum omnium penuriam a quinquennio toto durantem, Regiorum vectigalium populo impendentium diminutionem obtineret. Porro inter MSS. Codices Theologicos Græcos Imperatoriæ Bibl. Vindobonenſis, Cod. 325. a fol. 1. usq; ad fol. 206. extat *Typicum S. Sabæ, ſive Ordo recitandi Officii Eccleſiaſtici per totum annum, ſecundum conſuetudinem ab ipſo inſtitutam ſive præſcriptam.* Cujus libri Græcus titulus cum principio operis, hic ipſe eſt: Τυπικὸν τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀκολουθίας τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις ἁγίας Λαύρας τῦ ὁσίου καὶ Θεοφόρου Πατρὸς ἡμῶν Σάββα. αὕτη δὲ ἡ ἀκολουθία γίνεται καὶ ἐν ταῖς λοιπαῖς τῶν ἐν Ἱεροσολύμοις ἁγίων μονῶν. Ἔκθεσις τῦ μικροῦ ἑσπερινοῦ. πρὸ τῦ δῦναι τὸν ἥλιον, ἤγουν περὶ ὥραν ἐνάτην τῆς ἡμέρας &c. Typicon iſtud ſancti Sabæ recentis ætatis eſt ſcriptum anno mundi juxta ſupputationem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ 6967. ſive anno Chriſti 1459. ut habet Lambecius loco citato Codice MS. Theologico Græco 325. pag. 286. Ipſa verba Græca ſunt, Θεῷ τὸ δόξαν, Ἀθανασίῳ ἱερομονάχῳ πόνος, ἔτους ςῳξ᾽ Ἰουλίῳ κὲ ἰνδικτιῶνος ζ. Plura de hoc Typico S. Sabæ vide apud Leonem Allatium in *Diſſertatione prima de libris Eccleſiaſticis Græcorum* a pag. 4. usque ad 16. Ibidem vero & quidem a fol. 207. usque ad folium 263. habetur *Marci Monachi declamatio dubiorum in Typico occurrentium*, diviſa in capita nonaginta quinque. Titulus ejus cum principio eſt talis, Μάρκῳ ἁμαρτώλῳ ἱερομονάχῳ σύνταγμα ποιηθὲν εἰς τὰ ἀπορούμενα τῦ Τυπικῦ Κεφάλαιον α᾽ Μηὶ Σεπτεμβρίῳ α᾽. περὶ τῆς Ἰνδίκτυ καὶ τῦ ὁσίου Συμεών, εἰ τύχωσιν ἐν πανηγυρῇ. χρὴ ἐιδέναι ὅτι οἱ &c. Mortuus eſt ſanctus Abbas anno 532. die 5. menſis Decembris, qua de illo mentionem faciunt Martyrologium Romanum & Menologium Græcorum. Opus iſtud impreſſum eſt ſemel atque iterum Venetiis annis 1603. & 1615. ſed Græce tantum absque ulla interpretatione, denique & tertio ibidem in folio anno 1643. Græce duntaxat. Doctiſſimi tamen hujus ſeculi Critici maxime dubitant, an Opus iſtud ſit genuinum ſancti Sabæ, voluntque illud Sabæ adſcriptum, non quod ab ipſo vel ejus temporibus ſcriptum ſit: ſed quia continebat Officium Eccleſiaſticum ſecundum conſuetudinem Monaſterii a ſancto Saba inſtituti & fundati: ideo compoſitum ab aliquo poſteriorum temporum Monacho, ſub fictitio ſancti Sabæ nomine, ad majorem ritibus & obſervantiis Cœnobii, authoritatem procurandam. Nec enim Græci ſpecioſarum inſigniumque appellationum parci ſunt, quibus pretium ſuis mercibus adjiciant. Sane etſi a ſancto Saba conſcriptum eſſet, vix quicquam adhuc ex eo colligi poſſet: cum Græci iidem maxime libros ſuos rituales nunc adimendo, nunc adponendo interpolaverint. Vnum mihi ſuppoſitionis hujus Operis argumentum eſt, quod in eo agatur *de tribus Quadrageſimis*, longe poſt tempora S. Sabæ, apud Græcos ſeculo tantum undecimo obtinentibus. Ita ille pag. 100. & 133. de quibus loquitur Joannes Baptiſta Cotelerius in Notis ad *Vetera Monumenta Eccleſiæ Græcæ* tom. 3. col. 646. ubi *de tribus Quadrageſimis Græcorum* agit. Quonam autem tempore *de tribus Quadrageſimis* iſtis actum a Scriptoribus Græcis ſit, nos abunde infra in Anaſtaſio Sinaita dicemus, ad quem lectorem, de his plenius inſtituendum, remittimus. Non improbabile eſt, hoc Typicum eſſe ſcriptum a Marco Hieromonacho, qui ſe Peccatorem vocat, & ſub finem ſeculi XI. floruerit, qui ipſum Typicum ſcripſerit, atque illud commentatus fuerit. Agunt pluribus de ſancto Saba Abbate, Cyrillus Monachus, qui luculenter vitam ejus conſcripſit. Leo Allatius in Diſſertatione 1. de libris Eccleſiaſticis Græcorum, a pag. 4. usque ad pag. 16. Henricus Spondanus poſt Baronium, in *Epitome Annalium*, ad annum 457. num. 10. 485. num. 4. 492. num. 2. 513. num. 2. & 3. 531. quo mortuus eſt die 5. menſis Decembris. Petrus Lambecius in Commentariis Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis lib. ſeu tomo 5. pag. 285. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 354.

NICEPHORVS PRESBYTER MAGNÆ ECCLESIÆ CONSTANTINOPOLITANÆ circa annum 530. & ultra clarus, magna cura atque amplitudine ſcripſit *Vitam & Converſationem ſancti Andreæ propter Chriſtum ſtulti*, de quo præclare Lambecius tom. 8. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, in Examine Codicis MS. Hiſtorici Græci XXXVII. pag. 377 his verbis: *Primo* & quidem a fol. 1. pag. 1. ad 530.

folium 95. pag. 2. *Vita & converſatio ſancti Andreæ cognomine διὰ Χριστὸν σαλοῦ, hoc eſt propter Chriſtum ſtulti ſeu potius ſtultum ſe ſimulantis, qui ſeculo poſt Chriſtum quinto ſub Imperatoribus Leone Thrace & Zenone Iſaurico claruit, ampliſſime conſcripta a Nicephoro Magna Eccleſia Conſtantinopolitana ſanctæ Dei ſophiæ ſive ſapientiæ Presbytero, cujus titulus & principium:* Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Ἀνδρέου, τοῦ διὰ Χριστὸν σαλοῦ, συγγραφεὶς παρὰ Νικηφόρου ἱερέως τῆς ἁγιωτάτης Μεγάλης Ἐκκλησίας, τῆς ἐν τῇ βασιλίδι τῶν πόλεων, τῆς ἐπωνύμου τοῦ Θεοῦ Σοφίας. Βίον διάφορον καὶ πολιτείαν ἄμεμπτον ἀνδρὸς ἀναύτου ὁ Φίλτατοι, βούλομαι ὑμῖν διηγήσασθαι. ἀλλὰ συντείνατε ἑαυτοὺς προσκαλῶ εἰς τὴν τούτου ἀκρόασιν· ἔστι γὰρ τὸ πρᾶγμα μελίῤῥυτον ἡδονῆς ἀπολαύσει καὶ ἡδονὴ θαυμαστὴν. ὅθεν ἐπιμελητὴν μεγαλόψυχοι πρὸς τὴν τοιαύτην ἀκρόασιν, ἵνα κἀγὼ αὐτὸς ἐπὶ πλεῖον διατείνω πρὸς τὴν τούτου ἐγχείρησιν, καὶ προσθῶ ὑμῖν τοῦ πνεύματικοῦ τοῦ ἀνδρὸς ἀφορμήματα. Ἐπὶ τῆς βασιλείας Λέοντος τοῦ Φιλοχρίστου καὶ μεγάλου ἦν τις ἀνὴρ ἐν Κωνσταντινουπόλει, ὄνομα αὐτῷ Θεόγνωστος, τῇ τοῦ Πρωτοσπαθαρίου τιμηθεὶς ἀξίᾳ παρὰ τοῦ εὐσεβοῦς βασιλέως· ἔπειτα καὶ Στρατηλάτης ἐν τοῖς τῆς ἀνατολῆς μέρεσιν ἐχειροτόνησεν. ὅστις ἦν ὁ ἀνὴρ, πολλοὺς μὲν καὶ ἄλλους ἀνέστρεψε λόγους, ἔσχατον δὲ ὠνήσατο καὶ ἑτέρους· ἐξ ὧν ὑπῆρχε καὶ ὅτος, ὁ νῦν παρὰ τῆς εὐτελείας ἡμῶν ὀναμαζόμενος. ἦν δὲ καὶ τῇ σωματικῇ ἐφέσει πεπαλλὴς, ὥστε &c. Finis autem eſt talis. Ἐτελειώθη δὲ ὁ χρυσοῦς βίος, καὶ δεκαοκτὼ σύλλος πυρὸς ὁ μακάριος Ἀνδρέας ὁ διὰ τὸν Κύριον πτωχὸς καὶ ξένος καταφρονούμενος, καὶ ὑπὸ πάντων ἐξουθενούμενος μηνὶ Μαΐῳ εἰκοστῇ ὀγδόῃ ἐξήνεγκε τὸν ἀγῶνα κρυπτῶς διατελέσας, Θεῷ δὲ ἁγιασμένος ἀγαπώμενος. Ἐγὼ δὲ Νικηφόρος, ἐλάχιστος θεοῦ τὸ παντοκράτορος ὑπάρχων καθηγούμενος ἐν τοῖς ἱεροῖσι ταύτης τῆς Μεγάλης Ἐκκλησίας τῆς ἐν τῇ βασιλίδι τῶν πόλεων, τῆς ἐπωνύμου τοῦ Θεοῦ σοφίας συνέγραψα τὸν θαυμασὸν τοῦτον βίον καὶ πολυτρόπως τοῦ σεβασμίου Πατρὸς καὶ ἐν ἁγίοις Ἀνδρέου. ἃ μὲν καὶ ἀκοαῖς ὠφελιμοῖς ἐσώσα. ἃ δὲ καὶ παρὰ τοῦ ἀοιδίμου Ἐπιφανίου τοῦ γεγονότος ἐνθάδε Ἀρχιερέως μεμάθηκα, καὶ τούτοις τοῖς συγγράμμασιν ἐνέταξα, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μεθ' οὗ τῷ Πατρὶ ἅμα τῷ ἁγίῳ Πνεύματι δόξα, τιμὴ καὶ κράτος νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. Cum autem Epiphanius ille, ex quo multa narravit referente, Nicephorus iſte Presbyter Conſtantinopolitanus, ſit creatus Patriarcha Conſtantinopolitanus anno Chriſti 520. & obierit anno 535. recte huic tempori hunc ſcriptorem aſſignavimus, ex Lambecio qui illius mentionem facit tomo 8. *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis* pag. 377. & in Catalogo ſcriptorum hujus tomi, pag. 562. & 570. Obſervat etiam Carolus du Freſne du Cange, in Catalogo Manuſcriptorum quibus uſus eſt, quem ſubjunxit *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis* col. 30. extare MS. hunc Nicephorum Presbyterum Magnæ Eccleſiæ *de vita S. Andreæ propter Chriſtum ſali* hoc eſt, *ſtulti*, ex Codico Regio Græce 2458. Et col. 39. inquit, *Sancti Andreæ propter Chriſtum ſali ex Codice Regio 2458. cujus vitæ ſcriptorem Nicephorum Presbyterum Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, alii Codices præferunt.*

COGITOSVS SCOTVS MONACHVS & ABBAS 530.
ſcripſit Acta ſanctæ Brigittæ Laginenſis Scoto hyberna quæ ſub annum 521. vixit, Romanoque Martyrologio inſcripta reperitur, ad diem 1. Februarii. Iſtorum Actorum Baronius in Notis ad Martyrologium meminit quæ primus ex MS. Codice Henricus Caniſius tomo 5. *Antiquæ* lectionis evulgavit. Hujus Brigittæ nonnulli Revelationes celebrant, quas eſſe junioris alterius plurimi cenſent, Opus nullius vel minimi ponderis apud graves viros. Multa habet de Cogitoſo in *Typographia Hybernia*, Sylveſter Giraldus Cambrenſis, qui anno 1188. floruit. De eodem mentionem faciunt Miræus in Auctario *de Scriptoribus* cap. 127. pag. 205. Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro.*

MONTANVS EPISCOPVS TOLETA- 530.
NVS, virtute ſpiritus & eloquio pollens, præfuit Concilio Toletano II. anno 527. quem ultra annum 530. vitam prorogaſſe opinamur: de quo S. Ildefonſus libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 3. pauca quidem ſed præclara narrat. Scripſit *Epiſtolas duas: Alteram Palentinæ urbis incolis de Eccleſiaſtica diſciplina & contra Priſcilianos: Alteram ad Turribium Religioſum Monachum.* Extant ejusmodi duæ Montani Epiſtolæ in Martyrologio Hiſpanico, ad diem 23. Februarii pag. 225. Et in editione noviſſima Conciliorum Pariſienſi tomo 4. pag. 1736. De illo Aubertus Miræus in Scholiis ad caput 3. Hildefonſi, & Antonius Poſſevinus tom. 2. *Apparatus Sacri*, cum aliis.

SANCTVS ISAACVS SYRVS, JVNIOR 540.
DICTVS, EPISCOPVS VRBIS NINEVI primum, deinde Abbas & Anachoreta. Quo magis autem hic junior Iſaacus hac ratione aſcetica inclaruit, eo nominis famam & celebritatem magis vitare cœpit: ideoque clanculum ſuis ſe ſubducens diſcipulis, nomineque diſſimulato ex Syria in Italiam commigrans, & juxta urbem Spoletanam in deſerto quodam commoratus, Spiritu Prophetiæ magnisque (ut dicitur) miraculis celeberrimus evaſit. Cujus nec tamen verum nomen quiſpiam occultante viro Dei ſciviſſet, niſi a maligno Spiritu quem ex obſeſſo quodam ejecit, proditum fuiſſet. Hoc autem de eo, ut & alia præclara multa refert Gregorius Magnus lib. 3. Dialogorum cap. 14. ubi his ejus in Italiam adventum verbis commemorat. «Prioribus quoque Gothorum tempori-

„poribus fuit juxta Spoletanam urbem, vir „vitæ venerabilis Iſaacus nomine, qui usque ad „extrema pene Gothorum tempora pervenit: „quem noſtri multi noverunt, & maxime ſancta „virgo Gregoria, quæ nunc in hac Romana ur„be juxta Eccleſiam Beatæ Mariæ ſemper Virgi„nis habitat. Quæ dum adoleſcentiæ ſuæ tem„pore conſtitutis jam nuptiis in Eccleſiam fu„giſſet, ſanctimonialis vitæ convèrſationem „quæreret, ab eodem viro defenſa, atque ad „eum quem deſiderabat habitum, Domino pro„tegente perducta eſt. Quæ quia ſponſum fu„git in terra, habere ſponſum meruit in cœlo. „Multa autem de eodem viro, narrante vene„rabili Patre Eleutherio, agnovi, qui & hanc „familiariter noverat, & ejus verbis vitæ fidem „præbebat. Hic itaque Venerabilis Iſaac ortus „ex Italia non fuit, ſed ea illius narro miracula „quæ converſatus in Italia fecit. Cum primum „de Syriæ partibus ad Spoletanam urbem ve„niſſet, ingreſſus Eccleſiam, a cuſtodibus petiit „ut ſibi quantum vellet, licentia concederetur „orandi, eumque horis ſecretioribus egredi non „urgerent. Qui mox ad orandum ſtetit, diem„que totum peregit in oratione, cui ſequentem „continuavit & noctem. Secundo autem die „cum nocte ſubſequenti, indefeſſus in precibus „perſtitit, diemque tertium in oratione conjun„xit. Cumque hoc unus de cuſtodibus ſuper„biæ ſpiritu inflatus cerneret, unde proficere debuit, inde ad defectus damna pervenit. „Nam hunc ſimulatorem dicere, & verbo ruſti„co cœpit impoſtorem clamare, qui ſe tribus „diebus & noctibus orare ante oculos homi„num monſtraret &c. Et infra. Cumque ei „crebro diſcipuli humiliter imminerent, ut pro „uſu Monaſterii poſſeſſiones quæ offerebantur, „acciperet: ille ſollicitus ſuæ paupertatis cu„ſtos, fortem ſententiam tenebat dicens: MO„NACHVS QVI IN TERRA POSSESSIO„NES QVÆRIT, MONACHVS NON EST. „Sic quippe metuebat paupertatis ſuæ ſecurita„tem perdere, ſicut avari divites ſolent perituras divitias cuſtodire. Ibi itaque Prophetiæ „Spiritu, magnisque miraculis, cunctis longe la„teque habitantibus, vita ejus inclaruit. Nam „die quadam &c.„ Hæc Gregorius Magnus de adventu S. Iſaaci Syri Abbatis & Anachoretæ in Italiam, de commoratione ejusdem in eadem regione usque ad mortem.

Notandum autem hic eſt, initio jam allatæ narrationis, per *priora Gothorum tempora*, intelligendum eſſe tempus, quod anteceſſit annum Chriſti 541. quo Totilas Oſtrogothorum in Italia Rex, cujus Gregorius Magnus proxime præcedenti capite 13. meminerat, regnare cœpit & Italiam huc illucque diſcurrendo devaſtare, ſuperato apud *Faventiam* Romano exercitu. *Per extrema autem pene Gothorum tempora*, ibi ſignificari annum Chriſti 552. quo Totilas a Narſete Imperatoris Juſtiniani duce victus, periit. Etſi enim Tejas Totilæ filius eodem anno in Regno ſucceſſerit, anno tamen ſequenti 553. victus ſimiliter a Narſete & interfectus eſt, Regnumque Oſtrogothorum in Italia omnino deſiit.

Iſaacus hic junior creditur parens libri *de contemptu mundi*, qui tomo 6. Bibliothecæ SS. Patrum legitur, editionis Colonienſis anni 1618. Eoque magis quod ſanctus Gregorius aſſerat ibi inter alia ab Iſaaco dictum, *Monachum qui in terra poſſeſſiones quærit, non eſſe Monachum.* Quod quidem ad citati libri argumentum, facit quam maxime. Ejusdem autem Iſaaci junioris in Bibliotheca Veterum Patrum, leguntur Sermones Aſcetici in veteribus editionibus annorum 1575. & 1589. Latine tantum impreſſi, ſub titulis ſequentibus. Nimirum, Exhortatorium vitæ ſpiritualis de contemptu mundi, cujus initium, *Anima quæ Deum diligit &c.* pag. 1019.

De pugna Vitiorum, *Multum honorem &c.* pag. 1022.

De acceſſu ad Deum, *Quando aliquis in aliquam ruinam &c.* pag. 1025.

De difficultate virtutum. *Quamlibet virtutem &c.* pag. 1027.

De profectu ſpirituali, Dialogus. *Quo vinculo retinetur &c.* pag. 1028.

De Ordine Monaſticæ vitæ. *Ex operatione violenta &c.* pag. 1031.

De humilitate. *Beatus homo qui ſcit &c.* pag. 1032.

De tribus ordinibus proficientium. *Tres ſunt ordines &c.* 1033.

De ſolitudine Monachorum. *Homo multæ ſolitudinis &c.* 1035.

De diverſis tentationibus. *Virtutes invicem &c.* 1038.

De informatione Novitiorum. *Hic eſt ordo ſobrius &c.* pag. 1043.

De pœnitentia. *Fortitudinem quam &c.* pag. 1046.

Habentur autem Sermones ejusmodi Græce MSS. in duobus Codicibus Bibliothecæ Vaticanæ ſub hoc titulo: *Iſaac Abbatis Syri & Anachoretæ, Epiſcopi Ninive Sermones Aſcetici, ab ipſo proprio idiomate ſcripti, expoſiti autem ſive translati a ſanctis Patribus Abbate Patricio, & Abbate Abrahame, Philoſophis & demorantibus in Laura.* Sed in Imperatoria Bibliotheca Vindobonenſi, ut refert Petrus Lambecius tom. 5. ſeu libro ſuorum Commentariorum ad hanc Bibliothecam, pag. 72. Extat inter Codices MSS. Theologicos Græcos Codice 235. volumen antiquum & bonæ notæ in 4. quod ab Augerio Busbechio, ut ipſe ſolita propriæ manus ſubſcriptione teſtatur, Conſtantinopoli olim fuit comparatum. In quo a folio 1. usque ad 62. extant, *Sancti &c. Iſaaci Syri, Abbatis & Anachoretæ, qui fuit Epiſcopus urbis Ninevi, Sermones aſcetici octoginta ſeptem.* Quorum priores quadraginta & unus a reliquis ſeparati, peculiarem olim ſuam habuerunt inſcriptionem generalem miniatam, quæ nunc partim vetuſtate, partim incuria veterum hu-

jus Codicis poſſeſſorum, omnino evanuit. Primus eorum incipit ab his verbis: ψυχὴ ἡ τὸν Θεὸν ἀγαπῶσα, ἐν τῷ Θεῷ καὶ μόνῳ τὴν ἀνάπαυσιν κέκτηται. περὶ παλαιᾶς λύπης, πάλαι σύνδεσμον &c. Titulus autem hujus primi ſermonis in aliis duobus Auguſtiſſimæ Bibl. Cæſareæ Manuſcriptis antiquis Theologicis Græcis 236. & 240. eſt talis: Τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Ἰσαὰκ, τοῦ Ἀναχωρητοῦ καὶ Ἀσκητοῦ τοῦ Σύρου, λόγος περὶ ἀποταγῆς καὶ μοναχικῆς πολιτείας: hoc eſt, *Sancti Patris noſtri Iſaaci Anachoretæ & Aſcetæ, natione Syri, ſermo de renuntiatione & monaſtica vivendi ratione.* Quod porro ad quadrageſimum primum ſermonem attinet, is in Codice hoc 235. inſcribitur atque incipit hoc modo: τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἀββᾶ Ἰσαὰκ Σύρου καὶ Ἀναχωρητοῦ, τοῦ γενομένου Ἐπισκόπου τῆς Φιλοχρίστου πόλεως Νινευὶ, λόγοι Ἀσκητικοὶ, ἐυρεθέντες ὑπὸ τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν τοῦ Ἀββᾶ Πατρικίου καὶ τοῦ Ἀββᾶ Ἀβραμίου, τῶν Φιλοσόφων καὶ ἡσυχαστῶν ἐν τῇ λαύρᾳ τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Σάββα. Hoc eſt: *Sancti Patris noſtri Abbatis Iſaaci Syri & Anachoretæ, qui fuit Epiſcopus urbis Chriſti amantis Ninevi, Sermones aſcetici, reperti a ſanctis Patribus noſtris Abbate Patricio, & Abbate Abrahamio ſapientia Chriſtiana & monaſtica quieti deditis, in Laura ſive Monaſterio ſancti Patris noſtri Saba.* Ipſe autem ſermo quadrageſimus ſecundus ſpeciatim inſcribitur atque incipit hoc modo. λόγος μβ'. ὅταν μὴ εἰσέλθωσιν ἔξωθεν μέριμναι ἐμπικραὶ ἐπὶ τὴν ψυχὴν, ἀλλὰ μένῃ ἐπὶ τῇ Φύσει αὐτῆς &c. Denique octogeſimus ſeptimus ſive ultimus inſcribitur atque incipit ab his verbis: τοῦ αὐτοῦ, πόσα σημεῖα κέκτηται ἡ ταπεινοφροσύνη, καὶ πόσον ἀνώτερον ἐστὶν ὁ βαθμὸς αὐτῆς, λόγος πζ'. θέλω ἀνοίξαι τὸ στόμα μου, ὦ ἀδελφοὶ καὶ λαλῆσαι περὶ τῆς ὑψηλῆς ὑποθέσεως τῆς ταπεινοφροσύνης &c. *Ejuſdem. Quanta miracula poſſederit humilitas &c. quam ſublimis eſt gradus ejus. Sermo 87.* Extant quidem ex jam memoratis *octoginta ſeptem ſermonibus Aſceticis* in magna Veterum Patrum Bibliotheca Græcolatina Pariſienſi, anni 1644. ſeptemdecim tomis in fol. edita, tomo V. col. 483. & deinceps, usque ad columnam 532. *Sermones quinquaginta tres*, ſed Latine tantum & mutili, confuſo ordine & turbato, atque inſtar capitum unius libri continui *de contemptu mundi* inſcripti. Cum tamen manifeſte appareat, ſermones iſtos ut de diverſis materiis, ſic etiam diverſis temporibus eſſe habitos: ideoque tam inſcriptionibus & initiis, quam epilogis & concluſionibus a ſe invicem eſſe diſtinctos. Perperam quoque ibi author eorundem ſermonum, vocatur *Antiochenus Presbyter:* utpote cum certe conſtet, *Iſaacum Syrum Eccleſiæ Antiochenæ Presbyterum*, ab altero *S. Iſaaco Syro, primum quidem Epiſcopo urbis Ninives, deinde autem Abbate & Anachoreta*, plane diverſum eſſe: ad quem ultimum ſermones iſti de quibus loquimur, pertinent. De altero iſto loquitur expreſſe Gennadius in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 66. his verbis. *Iſaac Syrus Presbyter Antiochenæ Eccleſiæ, ſcripſit Syro ſermone, longe tempore & multa, præcipua tamen cura adverſus Neſtorianos & Eutychianos. Ruinam etiam Antiochiæ longo carmine planxit, eo auditores imbuens ſono, quo Ephrem Diaconum Nicomediæ lapſum. Moritur Leone & Martiano Imperantibus.* Hæc Gennadius de Iſaaco Syro ſeniore. Ad quæ verba Gennadii, notandum *primo* eſt, Iſaacum hunc Syrum ſenſorem, expreſſe appellari *Presbyterum Eccleſiæ Antiochenæ:* ut hac ratione diſtinguatur ab altero illo *Iſaaco Syro, Abbate & Anachoreta*, qui ante vitam anachoreticam *Epiſcopus Nineves* fuit. Notandum *ſecundo* eſt, eundem Iſaacum Syrum Presbyterum Antiochenum, ſcriptis aſceticis non excelluiſſe vel clarum extitiſſe, ſed Polemicis ac diſceptatoriis, contra Neſtorianos præcipue & Eutychianos: ideoque alium prorſus eſſe ab Iſaaco Syro juniore, qui hos ſermones aſceticos conſcripſit. Notandum *tertio* citatum Gennadii locum inveterato laborare mendo, & pro *Moritur Leone & Martiano imperantibus*, legendum eſſe, *Moritur Leone & Majoriano imperantibus.* Leo enim Thrax non imperavit cum Marciano, ſed ipſi anno Chriſti 457. die 26. Januarii defuncto, in Imperio Orientis ſucceſſit die 7. Februarii, anni ejusdem. Vnde proxime ſequentibus Kalendis Aprilis, apud Ravennam, permiſit acclamari *Majorianum Occidentis Imperatorem*, qui quinto poſt anno, nempe Chriſti 461. die 7. Auguſti a Ricimere Patricio interfectus eſt. Vnde patet, *Iſaacum Syrum, Presbyterum Antiochenum*, ſeniorem quem dicimus, qui ut Gennadius refert *Leone & Majoriano Imperantibus* mortuus eſt, obiiſſe eo temporis ſpatio, quod interceſſit inter Calendas Aprilis anni 457. & diem ſeptimum Auguſti anni 461. Alter autem Iſaacus Syrus Junior, Epiſcopus primum Nineves, deinde Abbas & Anachoreta, annis circiter centum poſterior fuit. Hæc deſumpta potiſſimum ex Lambecio, locis citatis.

Certe in Anglicis bibliothecis plurima Iſaaci Syri Opuſcula Græce MSS. ſunt.

Inter MSS. Codices Bodlejanæ, bibliothecæ, Codice 5. Barocciano num. 9. *Iſaac Syrus de regimine Novitiorum Monachorum* pag. 173. ad 189.

Ibidem Codice 12. num. 1. *Iſaaci Syri Sermones Aſcetici circiter XL.* Num. 5. *Iſaaci Syri Capita Aſcetica ἀγάπησον τὰ πνευματικὰ ἁμάρτια ἐν εὐδυμασίν σου.*

Ibidem Codice 133. Barocciano p. 176. *Sancti Iſaac tractatus de modo quo natura humana ad intuidum ſive ſcientiam rerum incorporearum pertingit*, per Quæſtiones & Reſponſa πάσης Φύσεως ἀσυνθέτου. Pag. 177. *de motu Angelico & profectu animæ* Πρώτη ἔννοια.

Ibidem Codice 256. in MSS. Codicibus Thomæ Roë Codice 10. *Iſaaci Syri ac poſtea Ninives Epiſcopi Sermones ſeu Tractatus varii, ex Syriaco in Græcum Sermonem verſi per* Patricium & Abrahamium *Monachos Monaſterii S. Sabæ.*

Primus

Digitized by Google

Primus est περὶ ἀποταγῆς τοῦ κόσμου. Ὁ Φόβος τοῦ Θεοῦ ἀρχὴ τῆς ἀρετῆς.

Codice 286. in MSS. Codic. Oliverii Cromwelli Codice 107. *Isaac Abbatis Syri Orationes sive Homilia varia.* 1. Homilia pag. 1. ψυχὴ ἡ τὸν Θεὸν ἀγαπῶσα ἐν τῷ Θεῷ μόνῳ &c.

2. Homilia secunda pag. 17. Quod oporteat Monachum a mundo longinquari.

3. Homilia tertia, Quod Deus prudenter permisit animam esse affectuum capacem, p. 34.

4. Quæ pag. 45. ex altera manu ab illis verbis ἑκάστην ἀρετὴν occurrunt, aliam homiliam constituunt.

5. De natura lachrymarum pag. 48.

6. De variis belli generibus, quibus Diabolus homines illos impugnat, qui in angusta via Christi ambulant pag. 56. b.

7. Secundus belli modus pag. 58. b.

8. Alter belli modus adversus fortes pagina 61.

9. Alter quoque belli modus pag. 62.

10. Capita in quibus docetur, a quibus juvatur homo, & corde suo ad Deum appropinquat pag. 67.

11. De orationibus sacræ Scripturæ p. 75.

12. Quomodo custoditur pulchritudo monasticæ vitæ.

Hic interveniunt ejusdem, uti habet titulus, Isaaci Syri Abbatis Orationes variæ, quarum priores quidem in Cod. Barocciano habentur, videlicet.

Prima autem est anepigraphos, sine inscriptione pag. 77. ἑκάστην ἀρετὴν χωρὶς κόπου.

4. Ejusdem per Quæstionem & Responsionem pag. 81. πρὸς διερωτῶντά τινα.

3. Ejusdem de oratione pag. 184. περὶ ἡσυχίας.

4. Ejusdem de bello mentali pag. 185.

5. Ejusdem de continentia pag. 187.

Codice 295. in MSS. Codic. Oliverii Cromwelli Codice 116. *Isaac Syri Anachoretæ Homilia Ascetica 99. Græce reddita ab Abramio & Isaacio, Monachis sancti Sabæ* a pag. 1. ad pag. 610.

Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum bibliothecarum celebrium, Codice 3441. in MSS. Codicibus Norfolcianæ bibliothecæ Codice 542. *Isaaci Syri Ascetica.* Denique in Lugduno Batava bibliotheca inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptos, Codice Græco 127. *Patericon Isaaci Syri.*

Agunt *de Isaaco Syro seniore & Antiochena Ecclesia Presbytero* Gennadius cap. 66. *de viris illustribus.* Aubertus Miræus in *Bibliotheca Ecclesiastica* Scholio ad cap. 66. Gennadii Massilienſis. Et in *Auctario* cap. 162. pag. 111. unde nonnulla accepimus. Nullus autem, nec ipse etiam Cavus, meminit *Isaaci Syri, junioris*, de quo hic potissimum egimus.

540. DIONYSIVS COGNOMENTO EXIGVVS, natione Scytha, professione Monachus & Abbas Monasterii alicujus Romani hucusque eruditis incomperti, Cassiodori familiaris, ejusque in Dialectica addiscenda condiscipulus, Græce & Latine eruditus, inquit Sigebertus Cemblacensis cap. 27. libri *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, floruit sub initium seculi sexti, mortuus autem est ante annum 556. quo Cassiodorus librum *de divinis lectionibus* scripsit, in eo enim cap. 23. Dionysium jamjam ut ait defunctum, impense laudat. Itaque tempus quo claruisse videtur Dionysius Exiguus, ab anno nimirum 530. ad annum circiter 556. Hic laudes ejus profuse effundit his verbis Cassiodorus. *Genuit hodieque Ecclesia Catholica viros illustres, probabilium dogmatum decore fulgentes. Fuit enim nostris temporibus & Dionysius Monachus, in utraque lingua valde doctissimus, reddens actionibus suis, quam in libris Domini legerat, aquitatem: qui Scripturas divinas tanta curiositate discusserat atque intellexerat, ut &c. Fuit in illo cum sapientia magna simplicitas, cum doctrina humilitas, cum facundia loquendi parcitas &c. Totus Catholicus, totus paternis regulis perseveranter adjunctus: & quidquid possunt legentes per diversos quærere, in illius scientia cognoscebatur posse fulgere.* Hæc multa paucis. Hic autem multa vel Latine collegit & scripsit, vel a Græco in Latinum transtulit, quorum quæ hucusque viderim, hæc sunt. *Collectio sive Codex Canonum Ecclesiasticorum ad Stephanum Episcopum Salonitanum*, edita tom. 2. pag. 101. Novæ bibliothecæ Juris Canonici Veteris, in fol. Parisiis anno 1661. apud Ludovicum Billaine, cura & studio Guillelmi Voëlli & Henrici Justelli. Cum *Epistola sancti Cyrilli & Concilii Alexandrini adversus Nestorium*, ibidem pag. 175. ab eodem Dionysio in Latinum sermonem translata.

Collectio Decretorum Romanorum Pontificum ad Julianum Presbyterum sancta Anastasiæ, quæ nimirum a *Siricio ad Anastasium* qui anno 498. sedebat, ibidem pag. 183. cui ab Anonymo *Supplementum additum Decretorum aliquot a Papa Hilaro ad Gregorium juniorem*, quod ibidem extat pag. 249.

Idem Abbas transtulit in Latinum a Græco *Librum sancti Gregorii Nysseni de opificio hominis*, quem Eugyppio Presbytero dicavit. Hæc versio typis vulgata est anno 1573. Coloniæ, atque primum anno 1562. Basileæ, sed utrobique absque Epistola Translatoris Eugyppio Presbytero inscripta: imo etiam absque versione *Præfationis S. Gregorii Nysseni:* quam utramque exhibet Joannes Mabillon tomo 2. *Analectorum* pag. 1. & sequentibus, ex MS. Codice insignis Abbatiæ Corbeiensis in Gallia.

Item *Vitam sancti Pachomii Abbatis* in Latinam dialectum transtulit, quam vide in *Vitis Patrum* illustratis ab Heriberto Rosweido societatis Jesu atque Antverpiæ in fol. annis 1615. & 1628. impressis.

Orationem quoque *sancti Procli ex Ciziceno Episcopo Patriarchæ Constantinopolitani, de laudibus sacrosan-*

croſancta Dei genitricis Maria adverſus Neſtorii blaſphemias, cum Epiſtola ejusdem Procli de fide, ad Armenos: & altera *Ad Dominum pro cauſa Athanaſii Perrhenorum Epiſcopi.* Has habet Richardus Vincentius in Collectione Operum ſancti Procli, impreſſa in 4. Romæ anno 1630. Habet eandem *Epiſtolam ſancti Procli ad Armenos* ab eodem Dionyſio translatam & *Feliciano paſtori dicatam*, Bibliotheca ſanctorum Patrum editionis primæ Pariſienſis 1575. tomo 1. pag. 406. & ſequentibus.

Item *Epiſtolam ſancti Protherii Alexandrini Epiſcopi ad Beatiſſimum Leonem Papam, de ratione Paſchali*, editam in Appendice Operis *de doctrina temporum* Dionyſii Petavii, Aurelianenſis; una cum *duabus Epiſtolis ejusdem* Dionyſii Exigui Paſchalibus, 1. *ad Petronium Epiſcopum*, ubi agit *de Cyclo Paſchali* quem ſub Conſulatu Philoxeni & Probi junioris ſcripſiſſe dicitur. 2. *Ad venerandos Bonifacium primicerium & Benum ſecundicerium, de ratione Paſchæ*, quam conſtat fuiſſe ſcriptam anno Domini 526. Indictione IV. labente, & Lunæ Cyclo 14. Denique tranſtulit *Hiſtoriam Inventionis capitis ſancti Joannis Baptiſtæ a Marcello Abbate conſcriptam*, cujus translationem Abbati Gaudentio dicavit: quam ad calcem Tractatus Hiſtorici *de capite ſancti Joannis Baptiſtæ* pag. 205. ſubjecit Carolus du Cangius, Pariſiis anno 1665. in 4. apud Cramoſium impreſſi.

Agunt de ſcriptis Dionyſii Exigui, Abbatis Romani, Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro.* Pluribus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, tomo 1. verbo *Dionyſius Exiguus, Abbas Romanus.* Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo 6. ad annum 533. pag. 404. quos videre quivis poteſt.

540. COSMAS INDICOPLEVSTES, cognominatus ab Indica navigatione dicitur, cujus *Topographiam Chriſtianam* refert Petrus Lambecius libro 3. *Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, inter MSS. Codices Theologicos Græcos Codice 9. num. 21. quæ dicitur extendi in Codice citato a folio 28. ad folium 34. quo palam fit in Cæſariano Codice non Opus totum extare ſed laciniam tantummodo. In Vaticana vero Bibliotheca elegantiſſimus ejusdem Codex membraneus, unciali charactere, noni circiter ſeculi habetur, cum figuris ex vetuſtiori exemplari, & fortaſſis ex autographo depictis, ſed cui deeſt ibidem duodecimus liber. Nam ut ad calcem Operis Bernardus de Montfaucon indicat, Cosmas editam a ſe *Topographiam Chriſtianam*, ſecundis curis aliam in formam pleriſque in locis deduxit, multis partibus auxit: & cum obſtrepentibus naviterque pugnantibus adverſæ ſententiæ viris, objecta depellere opus eſſet, libros addere novos neceſſe habuit, ut in Operis decurſu deprehendere licet. Hujus poſtremi generis, opus ſartum & integrum habentis, eſt Codex Bibliothecæ Florentinæ ſancti Laurentii, membraneus ſeculi decimi, ad cujus fidem Bernardus de Montfaucon editionem ſuam adornavit, qui totos duodecim Coſmæ libros complectitur, amiſſo tantum poſtremi libri folio ultimo. Emericus Bigotius ὁ μακαρίτης, majorem nobis poſtea Coſmæ notitiam attulit, qui peragratis Italiæ partibus, ex Codice Laurentiano Florentiæ quædam excerpſit, videlicet *Inſcriptionem Ptolemæi Evergetis*, & alia nonnulla maximi pretii, ad res Æthiopicas & Indicas ſpectantia. Adhæc vero, cum Bigotiana ἀπογραφὰ, Itinerariis ſolum Gallice ſcriptis, anno 1663. Nicolaus Melchiſedec Thevenotius inſeruiſſet, vix in exterorum notitiam devenerunt. Coſmas Ægyptius Alexandrinus fuit, primo mercator, qui negotiationis & quæſtus cauſa, Æthiopiam, Indiam, aliasque Orientales regiones peragraverat, vir literis, ut illa ætate adprime eruditus fuit. Monachale vero deinde inſtitutum ingreſſus, multa ſcripſit quæ in hoc Opere variis in locis commemorat, ac temporum lapſu paucis exceptis exciderunt. Licet autem ex nota temporis, quam in ſecundo libro *Topographiæ Chriſtianæ* conſignat, expedite poni calculum poſſe videatur: negotium tamen faceſſit, quod eadem de re libro undecimo legitur. Nam primo loco dixit, dum librum ſecundum ſcriberet, annos 25. tum affluxiſſe ab expeditione Elesbaani Regis Æthiopum in Homeritas: quæ expeditio in annum 522. cadit, cui computo ſi annos 25. adjicias, anno 547. Imperante Juſtiniano hæc ſcripſerit neceſſe eſt. At libro undecimo ait de Theodoſio Alexandriæ Patriarcha hæretico loquens, ἔτι καὶ νῦν ζῶντος καὶ ἐν Κωνσταντινουπόλει διατρίβοντος, ἐκ πρεσβείας καὶ τῶν παίδων, μαρτυρούντων, ἐπὶ ἐξ ἀγνοίας, ἐπὶ ἀπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀναπαζομένης, τῇ ἱστορίᾳ συγγράφῃ. Et poſt ſequitur Θεοδοσίου Ἀλεξανδρείας ἐπισκόπου. Hoc eſt, *Cujusdam pœnam novi Schismatici eorum patris, adhuc ſuperſtitis & Conſtantinopoli degentis, ex abundanti & hoc faciens, qui ſive ex ignorantia, ſive ipſa cogente veritate, libro noſtro patrocinatur.* Et pag 312. παραδραμόντες ἢ τοῦτον, ἐπὶ τὸν πρὸ αὐτοῦ, τὸν τελευτήσαντα νεὸν Τιμόθεον μετήλθαμεν. Hoc eſt S. Theodoſio *prætermiſſo, ad deceſſorem ejus qui nuper obiit, Timotheum juniorem veniamus.* Deceſſit autem Timotheus ille, quem ad diſcrimen Æluri, juniorem vocat Coſmas, anno Chriſti 535. Cui ſubrogatus Theodoſius hæreticus, poſtquam paululum temporis Alexandriæ manſerat, Conſtantinopolim abiit, ac elapſo anno ab ordinatione & quatuor menſibus, quod Synodo Chalcedonenſi ſubſcribere nollet anno Chriſti 536. in exſilium miſſus eſt. Quo tempore ſcilicet Coſmas undecimum hujus operis librum abſolvebat. Imo vero quod habet Cosmas, nuper obiiſſe Timotheum, paulo poſt diceſſum Theodoſii Conſtantinopolim, conſcriptum eundem librum ſignificare videtur, id eſt, anno 535. Qua ratione ergo hæc libri undecimi nota,

nota, quæ in annum 535. cadit, cum illa ſecundi libri quadrare valeat, quæ annum circiter 547. exprimit. Et vero in utroque Codice Vaticano ſcilicet & Laurentiano, idem annorum numerus aſſignatur. Sane putaverim Coſmam, qui diuturnum tempus in his elucubrationibus inſumpſit, & obnitentibus contrariæ ſententiæ viris, hæc ſæpius retractavit & auxit, poſtremam anni 535. notam tum poſuiſſe, cum primum his operam daret: deinde vero cum ſubſequenti tempore multisque elapſis annis priſtina repeteret, & pro ſolito reformaret, priorem notam vel poſuiſſe, vel jam poſitam ad annum quo hæc ageret, reduxiſſe. Hæc verbotenus ex Bernardo de Montfaucon, qui Tomo 2. *Novæ Collectionis Patrum vel ſcriptorum*, Opus iſtud Græce & Latine edidit a pag. 113. ad 345. cum Præfatione inſigni & erudita, quæ capita ſex amplectitur.

Argumentum hujus Operis ſuccincte perſequitur doctiſſimus Photius in *Bibliotheca* Codice 36. cujus locum Bernardo de Montfaucon non obſervatum hic adſcribam.

Ἀνεγνώσθη βιβλίον, ὃ ἡ ἐπιγραφὴ, χριστιανῶν βίβλος, ἐρμηνεία εἰς τὴν ὀκτάτευχον Παμφίλῳ δέ τινι προσφωνεῖ τὸ βιβλίον. ἦν δὲ ταῖς ἡμέραις Ἰουστίνου, τοῦ τῶν Ῥωμαίων βασιλέως. ἡμέρας ἑπτακαίδεκα. Ἀπάρχεται μὲν ὑπὲρ τινων ἐκκλησιαστικῶν δογμάτων γεγραφὰς ὡς ἐδόκει μαρτυρίας ἀγωνίζεσθαι. ἔστι δὲ πανταχοῦ τὴν φράσιν, καὶ συντάξεως δεῖ τῆς κοινῆς μετέχων. ἀλλὰ καί τινα κατὰ τὴν ἱστορίαν ἀπίθανα συντίθησι. διὸ καὶ μυθωδέστερον κἄλλον, ἢ ἀληθέστερον ἡγεῖσθαι τὸν ἄνθρωπον, δίκαιον. ὑπὲρ ὧν δὲ δόγματα ἐνίστασθαι, ἔστι ταῦτα. ὅτι ὁ οὐρανὸς οὐκ ἔστι σφαιροειδὴς, οὐδὲ ἡ γῆ, ἀλλ' ὁ μὲν ὡσεὶ καμάρα, ἡ δὲ ἐπιμήκης, καὶ κεκόλπωται τὰ πέρατα τοῦ οὐρανοῦ πρὸς τὰ πέρατα τῆς γῆς. Καὶ ὅτι ταῦτας οἱ ἀστέρες κινοῦνται, Ἀγγέλων αὐτοῖς τὴν κίνησιν διακονούντων, καὶ ἕτερά τινα τοιαῦτα. Ποιεῖται καὶ εἰς ἐν παραβάσεσι μνήμην καὶ τῆς Γενέσεως καὶ τῆς Ἐξόδου, διατείνει δὲ τῇ διηγήσει καὶ τῇ θεωρίᾳ ὡς ἐπίπαν τῆς σκηνῆς ἐπιτρέχει δὲ καὶ τοὺς Προφήτας, κἀκείθεν τοὺς Ἀποστόλους. Λέγει δὲ ὅτι τὸ μέγεθος ἔχει ὁ ἥλιος δύο κλιμάτων, καὶ ὅτι οἱ Ἄγγελοι οὐκ εἰσὶν ἐν τῷ οὐρανῷ, ἀλλὰ μόνον ὑπὲρ τὸ στερέωμα, καὶ μεθ' ἡμῶν· καὶ ὅτι ὁ Χριστὸς ἀνελθὼν ἀπὸ τῆς γῆς, εἰς τὸ μεταξὺ τοῦ οὐρανοῦ καὶ τοῦ στερεώματος εἰσῆλθε καὶ ὅτι τοῦτό ἐστι καὶ μόνον ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. λέγει δὲ καὶ ἄλλα τινα ἀλλόκοτα. Προσφωνεῖ δὲ τὰς μὲν ἐξ αὐτοῦ λόγους Παμφίλῳ τινὶ τῶν δὲ λοιπῶν ἓξ (οἱ γὰρ πάντες αὐτοῦ, δώδεκά εἰσι) τὸν μὲν ἕβδομον Ἀναστασίῳ, ἐν ᾧ ὅτι ἀκατάλυτοί εἰσιν οἱ οὐρανοί. Τὸν ὄγδοον δὲ, ὃς ἐστιν εἰς τὴν ᾠδὴν Ἐζεκίου καὶ εἰς τὸν ἀναπαυσμὸν τοῦ ἡλίου, Πέτρῳ προσφωνεῖ, ἐν ᾧ ὅτι καὶ ὑπεμνημάτισε τὰ ἀσματα τῶν ἀσμάτων λέγει. οἱ δὲ λοιποὶ τέσσαρες οὐ πρός τι πρόσωπον αὐτῷ συνετάγησαν. " Lectum opus eſt, cujus titulus „*Chriſtianorum liber*, tractatus octo voluminum, „Pamphilo cuidam dicatus ab Auctore, qui Juſtini Imperatoris Romani temporibus floruit. „Initio ſtatim Eccleſiaſtica quædam dogmata, ſacræ Scripturæ, ut ipſi quidem videtur, teſti-„moniis propugnat. Dictione utitur humili, „&plusquam vulgari compoſitione. Sed & incre-„dibilia quædam narrat, ut fabuloſis potius, „quam fide dignis accenſere ſcriptoribus, homi-„nem fas ſit. Pro quibus vero maxime propu-„gnationem ſuſcipit, dogmata hæc ſunt. Cœ-„lum non eſſe orbiculari figura, nec terram ad-„eo, ſed illud fornicis inſtar terræ incumbere: „hanc longiorem eſſe quam latiorem, & extre-„ma cœli ultimis terræ jungi. Aſtra ſingula „moveri miniſterio Angelorum, & id genus alia. „Digreſſus in mentionem Geneſeos & Exodi, im-„primis inſiſtit enarrationi & contemplationi „Tabernaculi. Hinc Prophetas percurrit, ac „deinde Apoſtolos. Solis magnitudinem duo-„bus terræ climatibus metitur, & Angelos non „in cœlo verſari, ſed tantum infra firmamentum „& nobiſcum degere contendit. Chriſtum vero „aſcendentem e terris, ingreſſum eſſe locum „medium inter cœlum ac firmamentum, idque „ſolum eſſe regnum cœlorum. Affert & alia „abſona, ac libros quidem ſex Pamphilo alicui „conſecravit: ex reliquis autem ſex (univerſi „enim duodecim ſunt) ſeptimum Anaſtaſio, in „quo cœlos diſſolvendos negat: & octavum „dicavit Petro, in quo Canticum Ezechiæ, & re-„greſſionem ſolis interpretatur, teſtatus ſe et-„iam Commentario explicuiſſe Canticum Can-„ticorum. Reliqui quatuor libri, ab Auctore ad „neminem directi ſunt." Ex hoc loco patet Photium in Codice ſuo, nullum reperiſſe auctoris nomen adſcriptum. Video etiam de Auctore addubitare Iſaacum Voſſium pag. 275. ad Pomponium Melam. *Quam antiquum ſit vocabulum, liquet ex auctore Topographiæ Chriſtianæ, ſive is Coſmas Indopleuſtes, ſive alius.* Et pag. 276. *Cum hoc convenit Coſmas Indopleuſtes, ſive quicunque alius τοπογραφίας χριστιανικῆς eſt auctor.* Scripſerat & alia hic *Coſmographiæ* auctor, quorum ipſe mentionem facit, *Deſcriptionem terræ ad Conſtantinum*, cujus meminit libro 1. pag. 113. ac jacturam Bernardus de Montfaucon lachrymis deplorandam cenſet. περὶ τοῦ Φιλοχρίστου Κωνσταντίνου βιβλίον, ἐν ᾧπερ γεγραπται πλατυτέρως πᾶσα ἡ γῆ, ἥ τε πέραν τοῦ ὠκεανοῦ, καὶ αὐτὴ καὶ πᾶσαι αἱ χῶραι, ἔτι τε καὶ νοτία μέρη, τὰ ἀπὸ Ἀλεξανδρείας ἕως τοῦ νοτιαίου ὠκεανοῦ, λέγω δὴ ὁ Νειλῶος ποταμὸς, καὶ αἱ παρακείμεναι χῶραι, καὶ τὰ ἔθνη τῆς τε Λιγύπτου πάσης καὶ Λιβυστίας ἔτι τε καὶ Ἀραβικοῦ κόλπου καὶ αἱ παρακείμεναι χῶραι, καὶ ἔθνη ἕως πάλιν τοῦ αὐτοῦ ὠκεανοῦ. ὁμοίως καὶ ἡ μέση γῆ τοῦτε ποταμοῦ καὶ τοῦ κόλπου, καὶ αἱ χῶραι καὶ τὰ ἔθνη τὰ ἐν αὐτῇ. *Adumbratio ſive Imago univerſi & motus ſyderum facta ad imitationem Sphæræ armillaris Græcorum, atque de illa Imagine liber ad Homologum Diaconum.* ὁ σκαριφισμὸς τοῦ παντὸς καὶ τῆς ἀστρώας κινήσεως ὁ παρ' ἡμῖν γινόμενος καθ' μίμησιν τῆς ὀργανικῆς τῆς ἔξωθεν σφαίρας, καὶ ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος πρὸς τὸν Θεοφιλέστατον διάκονον Ὁμόλογον ἀποσταλείς. Libro 1. pag. 114. Idem Opuſculum fortaſſe reſpicit libro VII. p.

274. ubi ait se ἑτέρῳ συγγράμματι docuisse, quod Cœlum non sit Sphæra, nec circulariter moveatur. Scripsisse quoque hunc Cosmam in *Evangelium Lucæ*, colligitur ex libro V. *Cosmographiæ* pag. 247. itemque *Commentarium in Canticum Canticorum ad Theophilum amicum suum*, ex libro VII. pag. 300. Alia quoque Cosmam Indicopleustem scripsisse, alii ex MSS. Codicibus memorant. &c. Petrus Lambecius Tomo III. suorum Commentariorum in Bibliothecam Cæsaream Vindobonensem Codice MS. Theologico Græco IX. num. 2. refert extare in hac Bibliotheca *Dissertationem singularem ejusdem Cosmæ Indicopleustæ*, qua confirmat opinionem suam a se *Topographia Christiana* assertam. "Ita "pag. 21. Codice MS. Theologico Græco IX. "num. 2. *Secundo* & quidem a folio 28. usque "ad fol. 34. Cosmæ cognomento Indicopleustæ "Ἰνδικοπλευστοῦ, sive Navigatoris Indici *Disserta-*"*tio* hactenus inedita, qua falso probare annitiatur *cœlum non esse sphæricum sive rotundum, sed enim* "*opinionem adversam naturæ rerum & ipsis sacris* "*literis, neque ullos esse antipodas:* quæ ut Cicero "*Academicarum Quæstionum* lib. 4. cap. 39. loqui "amat, in contraria parte terræ adversis vestigiis stent contra vestigia nostra. Titulus hujus Opusculi, una cum principio ejusdem est "talis. Πρὸς τοὺς χριστιανίζειν βουλομένους, καὶ "σφαιρικὴν εἶναι λέγοντας τὸν οὐρανὸν, Κοσμᾶ "τοῦ Ἰνδικοπλευστοῦ. Πρῶτον μὲν οὖν βασανίζοντες "αὐτῶν περὶ τῆς σφαιρικῆς σκήμα[illegible], ὡς οὐ "δύνατον τοῦτο εἶναι, ἅτε μὲν τῇ φύσει τῶν πραγ-"μάτων συμβαῖνον. ἐφ' ὕστερον ἀποδείξομεν τὰ "ἡμέτερα δυνατὰ, καὶ τῇ φύσει τῶν πραγμάτων "συμβαίνοντα. Τοὺς μὲν οὖν ἐξ αὐτῶν λέγουσι τὸν "οὐρανὸν. Hic est ille Cosmas Indicopleustes "seu Indicopleusta, cujus Prolegomena sive "Præfationes in Psalterium Græcum, Joannes "Jacobus Frisius in *Bibliotheca Universali* & An-"tonius Possevinus in *Apparatu Sacro*, ferunt Ro-"mæ adservari in Bibliotheca Vaticana. Sed apud "utrumque cognomen ejus corruptum extat, "a Frisio enim *Cosmas Indicopleustes*, a Possevino "autem *Cosmas Indicoplensis* appellatur. Re-"ctius *Indicopleustes* cognominatus est, quod Indi-"am navigando perlustrasset. Cæterum nec "primus nec solus ille *Cosmas*, cœlum negavit "esse *sphæricum* sive *rotundum*. Vide S. Joannem "Damascenum *de fide Orthodoxa* lib. 2. cap. 6. & "Benedicti Pererii Comment. in Genesim lib. 2. "quæst. 3. Sed decepit eum auctoritas nonnul-"lorum veterum Scriptorum Ecclesiasticorum, "quorum quidam ut S. Justinus Martyr in Re-"sponsione ad Orthodoxorum quæstionem 130. "S. Basilius Magnus homilia I. in Hexaëmeron, "hæsitanter & dubie, S. Joannes Chrysostomus "homilia 14. & 17. in Epistolam S. Pauli ad He-"bræos, S. Ambrosius libro I. in Hexaëmeron, "locuti sunt: alii autem, ut Procopius Gazæus "Commentariis in Genesim, eandem Cœli figu-"ram *Sphæricam sive rotundam sicut & antipodas*, "constanter & præfracte negaverunt. Hæc Lambecius ad Cosmæ Indicopleustæ exculationem.

Carolus du Fresne, Dominus du Cange in *Glossaria media & infimæ Græcitatis* verbo Ἰνδικοπλεύσης col. 516. quo nomine indigitatur quidam Cosmas in Indice librorum MSS. Palatii Vaticani, & in Codice MS. Colbertino 1476. Auctor *Commentariorum & Paraphraseos in Apollinarii Psalmos* hoc titulo: Κοσμᾶ Ἰνδικοπλεύστου ἐξήγησις εἰς τοὺς ψαλμοὺς ἱστορικῶς γε καὶ ἀναγωγικῶς, ἃ μὴν κατὰ συνέχειαν ἐπὶ πάντων τῆς βίβλου χωρίων, ἀλλ' ἐπὶ τῶν χαλεπωτέρων ἐξεργασθεῖσα ἐκ τῶν τῆς Ἐκκλησίας ἐνδόξων, ὧν καὶ τὰ ὀνόματα ἐν τόποις ἐπιτηδείοις ἐπιγράφει. Καὶ πρῶτον προθεωρία τις, καὶ ἐξέτασις τοῦ αὐτοῦ περὶ συστάσεως ψαλμῶν, καὶ ἄλλων τινῶν, τῶν εἰς αὐτοὺς ἀναγκαίων θεωρημάτων. *Cosmæ Indicopleustæ Commentarius in Psalmos, historice quidem & anagogice, non quidem continuus per omnes libri locos, sed in difficiliores collectus, ex insignibus Ecclesiæ Scriptoribus, quorum & nomina in locis opportunis apponit. Et primum Præfatio quædam & inquisitio ejusdem de compositione Psalmorum & aliis quibusdam in ipsos necessariis considerationibus.* Idem Ducangius ibidem verbo Φωνὴ col. 1717. ubi Codex idem Colbertinus describitur, *Apollinarii Psalmorum Davidicorum Paraphrasis, cum Commentariis & Notis interlinearibus Cosmæ Indicopleustæ, in quorum fine describitur*, Μετάφρασις τῶν ᾠδῶν ἀπὸ Φωνῆς Ἰωάννου Γεωμέτρου. Atque ex hoc Opere & *Topographia Christiana*, colligimus Cosmam istum ex aliis antiquioribus opera sua concinnasse. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 15 in MSS. Codd. Barocii Codice 15. num. 3. à pag. 41. ad 53. in 8vo extat hujusce Commentarii in Psalmos Prologus, Κοσμᾶ Ἰνδικοπλεύστου πρόλογος εἰς τοὺς ψαλμούς. Μετὰ τὸν Μωσέα καὶ τὸν τοῦτο διάδοχον Ἰησοῦν &c. In eadem Bodlejana Bibliotheca Codice 1982. in MSS. Thomæ Bodleji litera B. 2. Codice 7. num. 3. habetur folio 13. idem Prologus Cosmæ sub nomine Theodoreti, quem scriba libri opinatus est fuisse unum ex 318. Patribus qui ad Nicænam Synodum primam convenerant, πρόγραμμα ἱστορίας εἰς τὸ ψαλτήριον Θεοδωρήτου ἐπισκόπου ἑνὸς τῶν τιη' πάλαι τῆς α' συνόδου. Idem quoque Prologus habetur Græce MS. inter MSS. Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis Codice 19. n. 1. πρόγραμμα εἰς τὸν προφήτην Δαβίδ, Μετὰ Μωσέα καὶ τὸν τοῦτο διάδοχον Ἰησοῦν τὸν τοῦ Ναυῆ, καὶ τοὺς λεγομένους Κριτὰς ἐν τῷ Ἰσραὴλ &c. Et ibidem Codice 20. num. 3. de quibus vide Lambecium libro 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ paginis 31. & 36. De Cosma Indicopleuste Guillelmus Cavus Tomo 1. seu Parte 2. *Historiæ literariæ* ad annum 576. quo illum collocat, ubi eadem habet quæ nos ipsi, quia ex iisdem fontibus hausit, addit autem, "Extat Præfatio "Cosmæ Indicopleustæ in *Evangelium secundum* "*Lucam*, unde conjicere licet eum *Commentarios* "*in S. Lucam* scripsisse, Principium Οὗτος ὁ Λουκᾶς "ὁ τρι-

„ὁ τρίτος τῶν Εὐαγγελιστῶν, ὃς θεωρήσας πολλοὺς „ἐπιχειρήσαντας ἀναγράψασθαι Εὐαγγέλια, καὶ „ἐν καρδίᾳ πολλὰ πλατυνόμενος, quæ in quodam „Tetraevangelio MS. reperit Thomas Galeus, „Id unicum adhuc monendum reſtat, Leonem „Allatium Coſmam noſtrum *Chronici Alexandri-* „*ni* auctorem facere, in libro *de Conſenſu utriuſque* „*Eccleſiæ* de Purgatorio pag. 942. Qua vero „ratione ductus id affirmat, plane neſcio. Imo „Chronici iſtius Compilator circa inclinantem „Imperii Heracliani partem, anno circiter DC „XXX. vixit.“ Hæc Cavus loco citato, ut nihil quod ſpectet ad Coſmam Indicopleuſtem, omiſſum dicatur. De Coſma Indicopleuſta mentionem faciunt Paulus Colomeſius in *Paulipomenis* ad Chartaphylacem Guilielmi Cavi pag. 25, ſed multo latius hic Rupellenſis & Eccleſiæ Anglicanæ Epiſcopalis Presbyter, in Catalogo MSS. Codicum Iſaaci Voſſii quem juſſu Gvilielmi Sancroft Cantuarienſem Archiepiſcopi contexuit, & Edmundus Bernhardus edendum curavit in *Collectaneo MSS. Codicum Angliæ* parte 4. pag. 57. ad 73. Nempe in Notis in Codicem MS. Græcum 163. Voſſii, Catalogi citati pag. 61. col. 2. Carolus du Freſne Dominus du Cange in *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis*, verbo Ἰνδικοπλεύστης col. 516. & verbo Φωκὴ col. 1717. Et ad Operis calcem, in Indice operum editorum col. 46. Bernardus de Montfaucon in *Nova Collectione veterum Patrum & Scriptorum* Tomo 2. in illa præfatione quam *Topographiæ Chriſtianæ* illius præmiſit, à quo pleraque accepimus. Joannes Albertus Fabricius S. Theologiæ Profeſſor in *Bibliotheca Græca* tomo 2. libro 3. cap. 25. pag. 609. & ſequentibus, ad 617. editionis 1707. Hamburgi in 4. à quo plurima hic accepimus.

540. SANCTVS BENEDICTVS CASSINENSIS ABBAS, natione Italus, patria Nurſinus, Monachorum in Occidente Antelignanus, ac princeps, cum aliquandiu Sublacum incoluiſſet, illo tandem anno 528. relicto, ad Montem Caſſinum ſe contulit, ubi exciſo prius luco Apollinis, Monaſterium ſibi condidit, ibidemque anno ſalutis 543. die Martii 21. Sabbatho Dominicæ paſſionis obdormivit in Domino, non autem ſabbatho Paſchalis, ut quidam ſcripſerunt. Cujus res geſtas S. Gregorius Magnus fuſe proſequitur Lib. 2. Dialogorum, quos poſtmodum Zacharias Romanus Pontifex in linguam Græcam tranſtulit. *Scripſit Regulam S. Benedictus, ſermone luculentam, diſcretione præcipuam:* inquit Gregorius Papa in Dialogis, quam habes in *Collectione Regularum & Conſtitutionum Aſceticarum* procreata Antverpiæ anno 1638. typis Plantinianis ab Auberto Miræo, de qua etiam in Bibliotheca Eccleſiaſtica ſua ad cap. 30. Libri 3. Honorii Auguſtodunenſis *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, p. 126. Habet eandem Regulam Lucas Holſtenius in *Collectione Regularum*, edita Pariſiis in 4. apud Ludovicum Billaine. De cujus variis impreſſionibus & in eam Commentariis, quos tam Veteres quam moderni adornarunt, pluribus hic loqui operæ pretium non videtur: quo de argumento integra volumina extant.

Extat quoque ſub nomine Divi Benedicti, Liber *de ordine Monaſterii qualiter fratres ſtudioſe & religioſe converſari & Domino militare debeant*, quem Arnoldus Wion una cum Regula edidit Venetiis 1593. in 16. Sed ſuppoſitium eſſe hoc Opuſculum, plura ſunt in ipſo libro, quæ ſatis arguunt, fatente Joanne Baptiſta Maro in Notis ad Petrum Diaconum pag. 4. quem nonnulli authorem hujus Operis ſuppoſiti faciunt.

Epiſtola ſancti Benedicti ad Remigium Remenſem Archiepiſcopum, quæ ad finem Chronici Caſſinenſis extat, pag. 198. editionis Venetæ 1513. atque alibi ſæpius excuſa eſt. *Epiſtola ſancti Benedicti ad S. Maurum, cum ad Gallias tenderet*, quæ in ſancti Mauri Vita ſuppoſita habetur. *Sermo in Diceſſu ſancti Mauri*, qui in Martyrologio Benedictino ad diem XIV. Januarii reperitur. *Sermo in Paſſione ſancti Placidi & Sociorum*, qui invenitur inter Epiſtolam Siculorum ad ſanctum Benedictum, in fine Chronici Caſſinenſis, fol. 199. Hæc omnia inquam ſucceſſu temporum à Monachis Gloriam Divi Benedictini ac famam nominis ampliorem intendentibus, conficta ſunt, nullusque fuit e poſteris, qui non opuſculorum ejusmodi ſuppoſitionem agnoverit.

Agit equidem erudite Guillelmus Cavus parte 1. *Hiſtoriæ literariæ* ad annum 530. p. 402. de Opuſculis omnibus quæ ſancto Benedicto Caſſinenſi Abbati & Benedictinorum Patriarchæ, a Nomenclatoribus tribuuntur: ſed cum cenſuram ſingulis non ſatis accuratam feciſſe videatur, non ingratum erit lectoribus in hoc argumento Scriptorum non ſatis verſatis vel non inveteratis, ſi aliam rigidiorem ac veriorem hic adjecerimus, retentis quæ a Cavo recte dicta ſunt.

Regula Monachorum quæ cum Commenta-“ riis Joannis de Turrecremata, & Smaragdi Ab-“ batis, & aliis quibusdam aliorum Opuſculis“ prodiit Coloniæ 1575. in folio, quam eandem“ recudit Lucas Holſtenius in *Codice Regularum*,“ quem vol. 3. Pariſiis 1663. in 4. emiſit. Habe-“ tur etiam in *Bibliotheca Patrum* ultimæ editio-“ nis 1677. Lugdunenſis Tomo IX. p. 640. & ſqq.“ Quamvis autem hanc *Regulam* divo Benedicto Abbati Caſſinenſi abnegare nolim, non deſunt tamen argumenta ex ipſa lectione & contextura petita, quibus eruditi credunt, non eſſe opus a ſolo Benedicto Abbate compoſitum, ſed factum ex communi ſuffragio totius Congregationis Monachorum, unde non tanquam Abbas privatus, ſed nomine plurali totius velut Congregationis, ſæpius loquitur. „*De Ordine Mo-*“ *naſterii, qualiter fratres ſtudioſe & religioſe con-*“ *verſari ac Domino militare debeant, liber*, ab Ar-“ noldo Wion una cum *Regula* editus, Venetiis“ 1593. in 16. ſuppoſitum eſſe hoc Opuſculum“ plura ſunt in ipſo libro, quæ ſatis arguunt, fa-“ ten-

„tente Jo. Baptiſta Maro in *Notis* ad Petrum „Diaconum pag. 4.

„ *Epiſtola ad Remigium Archiepiſcopum Rhe-* „*menſem*, quæ ad finem Chronici Caſſinenſis ex- „tat pag. 198. editionis Venetæ 1513. & alibi ſæ- „pius tum excuſa, tum manuſcripta. In MSS. „Codicibus continetur *Epiſtola Monachorum* „*Rhemenſium ad Fratres in Monte Caſſino conſtitu-* „*tos*, qua de Epiſtolæ hujus occaſione prolixe a- „gunt, nobili nempe puella Dæmonio obſeſſa, a „ſancto Benedicto ad Remigium miſſa, ut ejus „precibus liberaretur : ſed tum Benedicti „tum Rhemenſium literæ ſomnia recentio- „ris ævi manifeſto ſapiunt. Quin & res tota „ab ipſo Baronio ad annum DVII, tanquam „impoſtura rejicitur : etſi non deſint, qui eam „ſerio & ſtrenue propugnant.“ Hæc Cavus. Epiſtolæ hujus atque alterius tanta falſitas, ut nonniſi ducentis poſt mortem S. Benedicti Abbatis annis, extiterint Monaſteria Benedictinorum Monachorum in urbe Rhemenſi : non igitur adhuc in vivis agente Benedicto, poterant Monachi Rhemenſes ſcribere ad fratres de Monte Caſſino. Vnde utraque Epiſtola recte a Baronio *impoſtura* arguitur, quæ Monachorum impudentiam ſimul & ignorantiam produnt, licet ad *majorem Dei & famuli ejus Benedicti gloriam, & Remigii.*

„ *Epiſtola ad ſanctum Maurum*, cum „ad Gallias tenderet, quæ in ſancti Mauri vita „habetur. Item *Sermo in diſceſſu S. Mauri*, qui „in Martyrologio Benedictino ad diem XIV. „Januarii reperitur. Hæc falſo adſcripta S. Benedicto a Benedictinis Opuſcula, mendacia apertiſſima ſunt, quæ dederunt occaſionem Gallis, ut falſo ſcriberent *ſanctum Maurum a S. Benedicto in Gallias miſſum*, quæ pura ſunt mendacia Benedictinorum Gallorum, ut falſis Opuſculis, quæ ipſi fabricarunt, & fabulæ ſuæ auctoritatem conciliarent. Nam Maurus apud Caſſinum cum Benedicto remanſit & mortuus eſt, nec Fauſtus ullus unquam fuit qui Vitam ejus conſcriberet, ſed hæc omnia quæ de adventu ſancti Mauri in Galliam decantata ſunt, ex cerebro Odonis Glannafolienſis Abbatis proceſſerunt, ducentis annis poſt S. Mauri mortem, & amplius. Nec ullus veterum, præſertim Caſſinenſium, qui res melius noſſe debuerant, hujus Mauri in Galliam profectionis unquam meminit.

„ *Sermo in Paſſione S. Placidi & Sociorum*, qui in „Epiſtola Siculorum ad S. Benedictum, in fine „Chronici Caſſinenſis folio 199. invenitur : eſt mendacium ejusdem farinæ a Monachis fictum, quod occaſionem dedit *Vitæ S. Placidi & Sociorum Græce ad Juſtinianum Imperatorem* conſcriptæ a *Gordiano Monacho*, qui nusquam in rerum natura fuit, & cujus nec meminit quidem ſeculo 12. Petrus Caſſinenſis Monachus & Bibliothecarius, licet Caſſinenſium omnium Scriptorum diffuſam mentionem fecerit, & *Vitæ Placidi & Sociorum* quam ipſe conſcripſerit.

„Sententiæ ejusdem nonnullæ citantur in libello CXIV. Sententiarum Patrum, Coloniæ „1531. in 8. excuſo. Omnia S. Benedicti Opuſcula in unum collecta habentur in Bibliotheca „Patrum Lugdunenſis editionis Tomo IX. pag. „640. &c. anni 1677. in aliis neutiquam.„ Hæc ad Cavum loco citato.

GORDIANVS CASSINENSIS MONACHVS ſcripſiſſe dicitur juſſu *Imperatoris Juſtiniani, Vitam & Paſſionem ſancti Placidi, diſcipuli S. Benedicti Abbatis Caſſinenſis, ejusque fratrum Victorini, Eutichii & aliorum*, Meſſanæ in Sicilia a Manucha pirata anno 539. occiſorum : quæ extat apud Surium ad diem 5. Octobris, & correctior, in *Vitis Sanctorum* Ordinis Divi Benedicti ſeculo I. pag. 45. & ſequentibus. Verum Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 5. Octobris, ita hujus Operis meminit, ut ſuſpectum omnino habere videatur. Sic enim inquit, *Acta à Gordiano conſcripta, ut fuerunt, juſſu Imperatoris Juſtiniani.* Hæc Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* c. 141. p. 207. Ita autem Joannes Mabillon l. c. in obſervationibus ad hanc vitam prævis.

1. De Gordiano primo horum Actuum Scriptore, ita legitur num. 18. “His quoque“ diebus Gordianus quidam natione Romanus,“ litteris Græcis apprime eruditus, ad venerabi-“ lem Patrem Benedictum pervenit, ſeque ejus“ magiſterio ſubdidit. Is cum ſancto Placido in“ Siciliam miſſus fuit &c. Num. 20. Atque e“ Manuchæ manibus elapſus. Num. 61. De-“ mum curata S. Placidi Sociorumque Marty-“ rum ſepultura Conſtantinopolim profectus,“ jubente Juſtiniano Imperatore, eorundem paſ-“ ſionem Græce ſcripſit. Num. 81. Hæc vel“ ipſe de ſe, vel Petrus Diaconus de ipſo, his Actis“ quæ interpolavit, inſeruit. Quo magis miror“ Petrum ipſum in Libro *de viris illuſtribus Caſſi-* “ *nenſibus* nullam Gordiani facere mentionem :“ ubi quotquot nanciſci potuit Scriptores Caſſi-“ nenſes, diligenter enumerat.“

2. Iſtorum interpolationem Actorum jam agnoverant homines eruditi, non æque vero interpolationis authorem Petrum Diaconum Caſſinenſem : quem R. D. Angelus de Nuce Abbas Caſſinenſis in cap. 37. *Vitæ Sancti Benedicti* primus recens indicaſſe videtur. Interpolatoris manum arguunt frequentes errores & anachroniſmi : quibus illud accedit, quod hæc Acta a numero 5. ad 14. excerpta ſunt ex libro 2. Dialogorum Gregorii Papæ, qui ſerius Gordiano ſcripſit, XXX. & amplius annis. Petrus autem Diaconus ille Caſſinenſis & Bibliothecarius, qui anno M C XX floruit, Vitæ Sancti Placidi a ſe conſcriptæ meminit, in libro *de viris illuſtribus Caſſinenſibus* cap. 47. Et in Lib. 4. *Chronici Caſſinenſis* cap. 66. Denique in Regiſtro ſancti Placidi, in Bibliotheca Caſſinenſi aſſervato, ut ex Angelo de Nuce Abbate Caſſinenſi didicimus. Cum ergo *Vita iſta & paſſio ſancti Placidi & Sociorum*, caracteres omnes habeat Pe-

Petri Diaconi Caſſinenſis ipſius authoris, nullum autem Gordiani vel modicum præ ſe ferat: recte ea, tum juxta Miræum in Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 141. pag. 207, tum *Baronium* loco jam citato, abjudicatur Gordiano qui nullus forſitan in rerum natura fuit, ut non interpolata tantum, ſed eo quo extat modo, compoſita dicatur à Petro Diacono Caſſinenſi, circa annum MCXX.

Ita Joannes Launojus, quem viventem audivimus & coluimus, de authore hujus Vitæ opinabatur, ſeu Martyrii Placidiani: nimirum & illud fuiſſe compoſitum ſexcentis poſt Gordianum annis ſub nomine Gordiani, ut major ei fides adhiberetur, a Petro Diacono Caſſinenſi. Aſſertionem ſuam confirmabat, tum rationibus quas affert ſupra citatus Mabillon, tum variis conjecturis ſuis. *Primum* inquiebat, hæc Vita nullibi Græce legitur, nec ullum vel indicium illam unquam ex Græco originali fuiſſe translatam in latinam linguam: quod ſane non tacuiſſent Caſſinenſes in ſuis libris & Chronicis, ſed altum buccinaſſent. 2. ut loco citato fatetur Joannes Mabillon, *Petrus ipſe in libro de illuſtribus viris Caſſinenſibus nullam Gordiani facit mentionem: ubi quotquot nanciſci potuit Scriptores Caſſinenſes, diligenter enumerat.* 3. Imo hanc ipſam Vitam expreſſe ſibi attribuit Petrus Caſſinenſis, ut tradit idem Mabillon ſupra, tam in libro *de Viris illuſtribus Caſſinenſibus* cap. 47. & in lib. 4. *Chronici Caſſinenſis* cap. 66, quam in Regeſto S. Placidi in hac Bibliotheca Caſſinenſi aſſervato, ut ex Angelo de Nuce didicit. 4. Leo Oſtienſis, anterioresque alii, de Caſſinenſibus Scriptores, hujus Vitæ à Gordiano Scriptæ nunquam meminerunt, etſi ſæpius de Martyrio S. Placidi locuti ſint: quod non leve indicium eſt, hanc Vitam nondum fuiſſe confictam & Gordiano ſuppoſitam, illorum temporibus: non enim ſe continuiſſent, quin de tam ſpecioſo opere & Authore cum laudibus loquuti fuiſſent. Vnde Launojus concludebat, ipſam eſſe opus Petri Caſſinenſis Diaconi ac Bibliothecarii, qui eam Græce atque ſub ementito Gordiani nomine compoſuit, ut amplius ei authoritatis pondus ex ficto ſocii & contemporanei relatu, inderet. 5. Inquiebat, *Errores & Anachroniſmi* intolerandi, quos bona fide agnoſcit Joannes Mabillon, recte convenire poſſunt in Petrum Caſſinenſem Bibliothecarium, qui circa annum MCXX ſcribebat: nullatenus autem in contemporaneum vel ſocium, qualem fuiſſe *Gordianum* fingunt. 6. Denique dum hic author num. 80. ait, *Huic ſanctiſſimo Patri Benedicto ſanctus Papa Vigilius per privilegium confirmavit omnes ſortes ac poſſeſſiones, quas Tertullus Patricius in Sicilia obtulerat. Id ipſum fecerunt ſucceſſores ejus, numero quadraginta novem.* Hic aperta cernitur, non *interpolatio*, ut ſcribit Joannes Mabillon: ſed *Nota* hujus Vitæ a Petro Caſſinenſi Diacono ſcriptæ: nam tot Vigilii ſucceſſores Gordianus videre non potuit, videbat autem Petrus Caſſinenſis Diaconus. Vita ergo hæc nequaquam ae Gordianum ſpectat, nec ſpectare unquam poterit, ex Criticorum acutiori judicio. Iſtius Gordiani mentionem facit Guillelmus Cavus, in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad annum 540. pag. 410. cujus tamen Opuſculum vir bonus non excuſſit, Mabillonium absque diſcuſſione ſecutus.

Quam autem ſimpliciter his Benedictinis fabulis ſeu Legendis, fidem abhibuerit Gulielmus Cavus, pateat ex iis quæ de falſa illa Gordiani Legenda ſcribit, parte 1. *Hiſtoriæ Literariæ*, ad annum 540. pag. 410. „Gordianus natione Romanus, S. Benedicti diſcipulus, dein S. Placidi comes, ejusque ſub regimine apud Meſſanam in Sicilia Monachus. Capto anno 539. una cum aliis Placido a Mammuca Abdallæ Saracenorum Regis duce, & in vincula dato, in carcere miniſtravit: ejusque ac ſociorum martyrio coronatorum corpora ſepulturæ tradidit. Anno ſequente Conſtantinopolim aufugit, ubi diu vixit, & Juſtiniani Imperatoris juſſu, Placidi & ſociorum certamina Græce literis mandavit, tandem relicta Conſtantinopoli in Siciliam rediit, & paulo poſt diem obiit. Extat Latine *Vita iſta & Paſſio S. Placidi Martyris*, ſed interpolata apud Mabillon Seculi Benedictini Primi pag. 45. & apud Surium Octobris V. Idem parte 2. ad annum 555. his verbis. Gordianus gente forſan Siculus, S. Benedicti diſcipulus, claruit circa annum DLV. Sancti Placidi Martyris ſocius & famulus, quem una cum ſociis Martyrii, à Mamucha Agareno barbarorum claſſis Præfecto occiſum, ſepulturæ mandavit, & mox Conſtantinopolim petens, juvante Juſtiniano Imperatore, *Vitam ac Paſſionem B. Placidi & XXX. Sociorum* Græcis literis prolixe deſcripſit. Tandem in Siciliam rediens, apud Siraculas vitam cum morte commutavit. Extat ejus Commentarius in vetuſtiſſimo Codice MS. Bibliothecæ Vaticanæ, a Surio Latine editus Octobris die V." Hæc Guillelmus Cavus qui non minus in hac Deſcriptione mentitus eſt, quam Petrus Diaconus & Bibliothecarius Caſſinenſis in *Vita & Paſſione S. Placidi & Sociorum*, quam primus Latine ſcripſit, ſexcentis circiter annis poſt mortem S. Placidi: cui hoc ſpatium plus quam ſufficiens fuit ad ſplendide & impune in rebus tam remotis mentiendum. Non minus autem mentitur Cavus in narratione iſta brevi, quam Petrus Caſſinenſis in majori. Nam *Vita iſta & Paſſio S. Placidi & Sociorum*, ſi Græce MS. extitiſſet in Vaticana Bibliotheca, hucusque MS. non manſiſſet inedita, maxime cum Joannes Mabillio in Italiam meo tempore penetrans, ac multa Opuſcula ex Vaticana Bibliotheca deſcribi ſibi procurans, iſtius non oblitus fuiſſet, quod ad Ordinis ſui decus maxime feciſſet. Nec enim defuiſſet officio ſuo hac in parte, quem etiam ea de re percontatus ſum. Nec etiam *Vitam* iſtam ex Græco in Latinam linguam Surius tranſtulit, ut imperi-

te Cavus ſcribit, qui non minus hac in Legenda mentitur, quam in aliis innumeris quas in *Hiſtoriam literariam* nullo habito delectu conjecit, Simeonem Metaphraſtem hac in parte imitatus. Primus ergo qui *Vitam & Paſſionem S. Placidi & XXX. Sociorum* ſcriptis commiſit, Petrus Caſſinenſis Diaconus & Bibliothecarius, de quo ipſe Cavus Tomo I. *Hiſtoria literaria* ad annum MC XXXVII.

550 ZACHARIAS MITYLENES ARCHIEPISCOPVS, ex Scholaſtico ſeu Sophiſta, quam fori artem antea profitebatur, cum Alexandriæ primum bonis literis incubuiſſet, ubi Ammonium quendam Philoſophum habuit condiſcipulum: Beryti poſtmodum Jurisprudentiæ ſtudio, cauſisque forenſibus agitandis, operam contuliſſet: his demum relictis ad Eccleſiam facundus & eloquens adventans, Eccleſiæ tandem Mitylenenſis Metropolita factus eſt. Claruit jam ab anno 536. quo Conſtantinopolitanæ Synodo ſub Menna habitæ interfuit, atque deputatus à Menna Conſtantinopolitano Patriarcha & Concilio, cum Voſporio Neocæſarienſi Metropolita Provinciæ Ponti Polemoniaci, & Acacio Peſſinuntino, ad Anthymo notificandum, quæ de ejus auctoratione ab Epiſcopatu Conſtantinopolitano facta à Synodo eſſent: ipſumque invitaret, ut intra triduum, ſatisfactionem congruam Synodo, oblato pœnitentiæ libello, exhiberet. Vocatur quoque Zacharias *Metropolita* in Actis Oecumenici Concilii quinti quod anno 553. habitum à Centum ſexaginta quinque Patribus contra Anthymum & Theodorum ſub Vigilio Romano Pontifice tunc Conſtantinopoli agente, temporibus Juſtiniani & Juſtini Imperatorum. Scripſit *Dialogum de univerſitatis creatione contra mundi & materiæ æternitate à Philoſophis conſtitutam*, quem Gilbertus Genebrardus Aquenſis Archiepiſcopus, & antea Regius Hebraicarum litterarum profeſſor Latinum fecit. Extat Græce & Latine cum Turriani & Barthii notis, Lipſiæ anno 1654. in 4. Atque etiam in Auctario Frontonis Ducæi, Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1624. tom. 1. pag. 331. Græce & Latine. Denique idem *Dialogus de mundi opificio contra Philoſophorum aſſertionem*, Græce & Latine prodiit Pariſiis anno 1618. in 4. interprete Joanne Tarino Andegauenſi, cum Origenis Philocalia *de obſcuris Sacræ Scripturæ locis*, & cum Sermone Anaſtaſii Presbyteri in monte Syna, *de hominis ad imaginem & ſimilitudinem Dei creatione*, qui Gregorio Nyſſeno tribuitur. Extat autem MS. Græce, inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 2040. in MSS. Codd. Thomæ Bodleii litera B. 6. Codice 8. num. 6. Idem ſcripſit *Diſputationem contra ea quæ de duobus principiis à Manichæo quodam ſcripta & in viam publicam projecta reperit*, quam Franciſcus Turrianus ex MS. Codice ſuæ Bibliothecæ Latine reddidit, Henricus autem Caniſius tomo V. *Antiquæ Lectionis* p. 143. Ingolſtadii anno 1604. in 4. edidit. Vtrumque autem Opus legitur Latine tantum in Bibliotheca Veterum Patrum tomo 6. Colonienſis editionis anni 1618. apud Antonium Hierat. Diſputatio autem Zachariæ quam Caniſius edidit, Græce habetur MS. inter MSS. Codices Græcos, quos Franciſcus Turrianus contulit Societati Jeſu, dum Romæ ipſam amplexus eſt. De Zacharia Mitylenenſi Metropolita loquuntur Miræus in Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 152. pag. 209. Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro*. Conradus Geſnerus in *Bibliotheca Scriptorum*, & alii.

550 CYRILLVS SCYTHOPOLITANVS LAVRÆ SANCTI SABÆ MONACHVS, in urbe Scythopoli decimo ſexto ætatis anno Monaſticam vitam profiteri cœpit. Poſtea loca ſancta inviſendi ſtudio ductus, pervenit Hieroſolymam, & matris mandato Joannis Silentiarii regimini ſe commiſit, à quo demum ad celeberrimum Lauræ monaſterium ductus, & à Leontio Abbate, qui Monaſterii præfecturam anno 543. ſuſceperat, inter Monachos annumeratus eſt. Scripſit Cyrillus Scythopolitanus *Vitam S. Euthymii Abbatis* apud Græcos celebris, qui anno 472. obiit. Temporibus Diſcipulorum ejusdem Euthymii floruiſſe legitur, cum quorum multis vixiſſe ac ſe converſatum fuiſſe refert; quibus referentibus geſta tanti viri omnia ſe didiciſſe non ſemel ipſe teſtatur. Illa autem S. Euthymii Vita quam eruditus Cotelerius tomo 2. *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* pag. 200. Græce & Latine produxit, Latine autem tantum ad diem XX. Januarii Laurentius Surius: non eſt ipſius Cyrilli ſed Symeonis Metaphraſtis, cui & ſi laus magna debeatur, quod ſanctorum virorum Vitas nobis conſervaverit, multo tamen major deberetur, ſi eas ſtylo immutato, puras & integras ut in antiquioribus invenerat, nobis reliquiſſet. Narrat autem potiſſimum Cyrillus, referente ſancto Cyriaco Euthymii diſcipulo, ſe Vitam hanc commentatum eſſe, quam Georgio Presbytero & Præfecto Beellæ apud Scythopolim dedicavit. Joannes Bollandus in *Probatis Sanctorum Vitis* Tomo 2. menſis Januarii ad diem XX. antiquam nobis *Vitæ ſancti Euthymii* à Metaphraſte nondum corruptæ verſionem Latinam obtulit pag. 302. ad 328. de qua latius in Commentariis huic vitæ præviis Paragr. 3. pag. 299. Cyrillus autem ſeipſum indigitat in Epilogo Operis cap. 28. num. 162.

Ex numero autem 161. ſeu ſectione, Cyrillus hic Scythopolitanus *Vitas Sanctorum Euthymii Archimandritæ & Sancti Sabæ Magnæ Lauræ Abbatis* ſcripſit poſt Concilium V. œcumenicum Conſtantinopolitanum quod anno 548. celebratum eſt, in quo Origeniſtæ damnati ſunt, atque ut has Vitas duas ſcriberet, relicto Monaſterio proprio, veniſſe ad Magnam Lauram, ubi per biennium illas dum componeret permanſit, ut

Digitized by Google

ut ipſe teſtatur ad finem *Vitæ ſancti Euthymii Archimandritæ* cap. 28. ſectione ſeu paragrapho vel num. 161. Non itaque ante annum 550. utramque hanc vitam complevit, quod teſtatur apud Bollandum ad diem 20. cap. 28. ſect. 161. pag. 328. his verbis. „Cum autem incidiſſem „in multos ex Patribus, qui erant in ſolitudine, „qui partim quidem recte audierant res Euthymii, partim autem cum ipſo quoque B. Saba „converſati fuerant: omnia quidem conſcripti „accuratiſſime, confuſe tamen & inordinate. „Cum procedente autem tempore congregata „fuiſſet Conſtantinopoli quinta ſancta Synodus, „& Origenis & Neſtorii dogmata fuiſſent ab ea „percuſſa anathemate, & qui Novam Lauram „tenuerant Origeniſtæ, illinc eſſent expulſi, & fideles & Orthodoxi Patres in eam migraſſent: „permittente mihi admirabili Jo. Silentiario, eo „inquam qui erat Epiſcopus (nam Epiſcopatum „Colonienſium in Armenia reliquerat:) diſcedo „à cœnobio, & ipſe quoque verſor in hac Laura. „Cum autem ad eam tranſiſſem, ſecutus pater„nas litteras, quæ à me portabantur, ut compo„nerem Hiſtoriam BB. Euthymii & Sabæ, duos „quidem annos deinceps continuos quievi in „Laura, & cœptum opus ſum perſecutus.“ Idem in Vita S. Euthymii per Metaphraſtem interpolata apud Cotelerium Tomo 2. *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* num. ſeu paragr. 161. pag. 338. qui Cyrilli ſuum nomen exprimit paragr. ſequenti 162. pag. 339.

Iſtud Opuſculum diu inquiſitum atque Græce optatum, ex inſigni Bibliotheca Colbertina Monachis Benedictinis Congregationis S. Mauri in Gallia ſuppeditatum à Viro Clar. Stephano Baluzio ejusdem Bibliothecæ Præfecto, ex optimæ nimirum notæ Codice MS. 3063. ſub cujus finem aliquot folia deſunt. Oblatum Græce & Latine ex interpretatione Jacobi Lopin Monachi Benedictini dictæ Congregationis ſancti Mauri, qui ubi tum fol. 83. tum 93. Manuſcripti Codicis folia defuiſſent, jacturam hanc pro viribus reparavit interpres, reverſus ad Vitam ejusdem ſancti Euthymii à Metaphraſte editam, quam citatus antea Cotelerius evulgavit tomo 2. *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ*, pag. 200. Hæc autem *S. Euthymii Abbatis Vita* à Cyrillo Scythopolitano edita, extat tom. 1. *Veterum Analectorum Eccleſiæ Græcæ* pag. 1. & ſeqq. in 4. Pariſiis anno 1688. apud Viduam Edmundi Martini & Joannem Boudot. Extat etiam ab eo Scripta *Vita ſancti Cyriaci Diſcipuli S. Euthymii*, ad quem Cyrillus anno 555. acceſſit, ut cum iterum inviſeret, uti habetur in hac Vita S. Cyriaci pag. 121. Hanc Benedictini Galli, Vitam S. Cyriaci Vitæ S. Euthymii pag. 100. Græce & Latine ſubjecerunt, quæ quidem illuſtrandæ S. Euthymii Abbatis qui anno 472. obiit vitæ plurimum confert: ex qua diſcimus quis fuerit Cyrillus Vitæ S. Euthymii author. Eruit hanc contulitque cum duobus ejusdem Bibliothecæ antiquis & optimis MSS. Codicibus 772 & 1891. Antonius Pouget Monachus Benedictinus, ejusdem Congregationis S. Mauri in Gallia: quam cum apud Metaphraſtem ſine authoris nomine reperiſſet, eandem quoque ipſius eſſe ex conjecturis utcunque opinatur. Extat etiam ab eodem Cyrillo Scripta *Vita S. Joannis Silentiarii*, quæ Græce & Latine ab Henſchenio & Papebrochio edita eſt ad diem XIII. Maji ex MS. Vaticano 866. Vide Bolandi Continuatores ad diem 13. Maji, qui jam tribus in fol. tomis editus Antverpiæ eſt a. 1680. apud Michaelem Cnobbarum. Scripſit denique *Vitam ſancti Sabæ Abbatis* anno Chriſti 532. die 5. Decembris mortui, de quo Romanum Martyrologium ad diem 5. Decembris: quam habes interpolatam ſeu corruptam a Metaphraſte apud varias Bibliothecas, & ſingularius in Vaticana, Codice Heidelbergenſi 357. Hanc Latine tantum ab eodem Metaphraſte interpolatam Laurentius Surius ad diem 5. Decembris obtulerat. At Joannes Cotelerius integrum tandem ac ſincerum Cyrilli textum hujus Vitæ Græcum nactus, Vitam Græce & Latine cum notis etiam edidit *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* tom. 3. pag. 220. Pariſiis in 4. anno 1686. Extat hæc Vita Græce MS. inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ Codice 735. in MSS Codicibus Guilielmi Laudi, olim Cantuarienſis Archiepiſcopi litera C. Codice 93. folio in membrana, qui eſt acephalus. Ibi pag. 6. ad 84 ad diem 5. Decembris habetur *Vita S. Sabæ Βίος τῆ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Σαβᾶ* quæ capita 89. complectitur ac eadem eſt quam Cyrillo Allatius pag. 93. *de Symeonum Scriptis* adſcribit, & ſub nomine ejusdem Cotelerius *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* Tomo 3. pag. 220. evulgavit, quæ ex hoc codice emendatior haberi poteſt. Codex eſt ſcriptus anno 6613. juxta Conſtantinopolitanam epocham, hoc eſt anno Chriſti 1105. indictione tertia, nimirum antequam Symeon Metaphraſtes *Vitam Sanctorum* fabulis ſuis conſpurcaſſet. Luculentum de Cyrillo Scythopolitano Monacho dat teſtimonium Cæſar Baronius, in hæc verba. Liceat abſque invidia dicere, me „neminem reperiſſe poſt ſanctum Hieronymum atque Athanaſium, qui majori fide ſcripſerit ſanctiſſimorum virorum res geſtas, digerens eas atque diſtinguens accurate per tempora, ac ipſe Cyrillus: dum quæ ipſe vidit, vel „Sanctorum omni probitate præſtantium virorum relatu didicit, absque levi ſuſpicione mendacii, ſinceram veritatem velut ſacroſanctum „depoſitum poſteris tradidit. Nempe Vitam „Joannis ſanctiſſimi, qui ex Epiſcopo Coloniæ „quæ erat in Armenia, evaſit Silentiarius: cum „profectus ad loca ſancta, ſubjiciens ſe diſciplinæ „magni Sabæ, mutatus in Monachum, ob incomparabilem ſilentii obſervantiam, *Silentiarius* dictus eſt.„ Ita Baronius in Annalibus ad annum 491. num. 15. 16. 18. Annum 497. num. 58. Annum 498. num. 10. Plura quoque Joannes Cotelerius, in Notis ad tom. 2. & 3. *Veterum*

Mo-

Monumentorum Eccleſiæ Græcæ, pag. 574. ubi de Cyrillo loquitur. Joannes Bolandus, ad diem XX. Januarii, ubi antiquam Vitæ S. Euthymii, a Metaphraſte nondum corruptæ, verſionem Latinam obtulit. Et ad d. 13. Maji, occaſione vitæ S. Joannis Silentiarii, quam hic Cyrillus Scythopolitanus compoſuit. Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *De Hiſtoricis Græcis* cap. 21. pag. 264. 265. & 266.

550. SANCTVS GREGENTIVS, TAPHARENSIS IN HOMERITIDE ARABIÆ FELICIS REGIONE ARCHIEPISCOPVS, claruit juxta Guillelmum Cavum in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo V. ad annum 470. p. 363. juxta Petrum Lambecium circa annum 540. vel 550. quem anno 552. die 19. Decembris mortuum contendit. Cum autem obſcuriſſimus hic ſcriptor ſit, atque in eum pluribus & accuratis inquiſiverit Lambecius, operæ pretium duxi, illum hunc tranſcribere ex libro ſeu tom. 5. Cæſareæ Bibliothecæ Vindebonenſis, in examine Manuſcripti Codicis Theologici Græci CCXLVII. n. 32 & 33. p. 127. his verbis.

„Trigeſimo ſecundo & quidem à fol. 132. p. 2. „usque ad fol. 170. pag. 2. *Sancti Gregentii, Tapha-*„*rensis in Homeritide Arabiæ felicis regione Archiepi-*„*ſcopi, Diſputatio integra cum Erbano Hebræo, qua-*„*tuor diebus continuis coram Abramio Rege Homeri-*„*tarum Chriſtiano in Metropoli Taphar ſeu Saphar* „*Sabææ*, cum ſubjuncta narratione *de Converſione* „ingentis multitudinis Judæorum ad religio-„nem Chriſtianam. Simul & de morte Regis „*Abramii*, atque *ſancti Gregentii Archiepiſcopi*. In-„ſcribitur ea atque incipit hoc modo: Ἀρχὴ „τῆς διαλέξεως τῶν Ἰουδαίων μετὰ τὸ Ἁγίου „Γρηγεντίου. τέτων ἔτους γεγονότων, καὶ ἔτω „παρεπαλαθησάντων, καὶ τῦ βασιλέως ἐπὶ τέ-„τοις αἰνέντος τὸν Κύριον, καὶ τῶν μεγιςάνων „αὐλῆς ἀδῆσαι τὸ οἰκεῖον μὴ τολμώντων ἢ πάνυ χαρᾷ „ἀνυφαινομένων, παρεγένοντο καὶ οἱ Ἰουδαῖοι, κα-„θὰ καὶ ἐκελεύσθη αὐτοῖς, ἀναλωθείσης αὐ-„τοῖς ἤδη τῆς προθεσμίας τῶν τεσσαράκοντα „ἡμερῶν παρεγένοντο δὲ τῦ διαλεχθῆναι ἕνεκα. „καὶ τῦ βασιλέως ὑπομνηθέντος ἑτοιμασίας „τὸν τῶ Θολωτῶ γεγονύιας· αὐλὴ δὲ τῦτο με-„γίςη, καὶ πρώτη τῶν βασιλείων περίεςι ἐκεῖ-„σε τοιγαροῦν ἑτοιμασίας γεγονύιας, καὶ ἁπάσης „τῆς τάξεως ἀθροισθείσης, παρύσης καὶ τῆς „ἱερᾶς συγκλήτε, παρεγένετο καὶ ὁ βασιλεὺς „μετὰ τῦ Ἁγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου &c. E-„didit quidem hanc Diſputationem Græce & „Latine Nicolaus Gulonius Pariſiis apud Fede-„ricum Morellum anno 1586. in octavo, „ſed mendoſe & mutile, eodemque mo-„do inſerta eſt eadem editio *Magnæ Bibliothe-*„*cæ Veterum Patrum Græcolatinæ Pariſinæ* tomo „undecimo a pag. 194. usque ad pag. 272. „Titulus ejus cum principio eſt ibi talis: Τῦ ἐν „ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Γρηγεντίε, Ἀρχιεπισκό-„που γενομένε Ταφρῶν, διάλεξις μετὰ Ἰουδαίε Ἑρβᾶν τῦ νομοδιδασκάλε. Τελεσθείσες ἤδη „τῆς προθεσμίας τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν, „παρεγένοντο οἱ Ἰουδαῖοι τῦ διαλεχθῆναι, ὡς ἐ-„κελεύσθησαν καὶ τῆς δοκιμασίας ἐν τῷ Θρελ-„λέτῳ γεγονύιας (αὐλὴ δὲ τῦτο μεγίςη καὶ „πρώτη τῶν βασιλείων ἐςὶ.) πάσης τε τῆς τέ „ξεως ἀθροισθείσης, παρύσης καὶ τῆς ἱερᾶς „συγκλήτε, παρεγένετο ὁ βασιλεὺς ἅμα τῷ „ἁγιωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ &c. " Extat hæc eadem Diſputatio MS. Græce in bibliotheca noſtra Lugdunobatava, inter MSS. Codices ab hæredibus Iſaaci Voſſii emptos, Codice Græco 135. num. 1. Pergit Lambecius:

Notandum autem hic *primo* eſt, *ſanctum Gre-*„*gentium* perperam appellari *Archiepiſcopum* τῶν „Ταφρῶν ſive *Tephrenſem*, pro τῶν Ταφρων ſive „*Taphrorum*, ſeu potius Ταφάρων, ſive Taphara-„rorum, hoc eſt *Taphrenſem* vel *Tapharenſem*, ſeu „potius Ταφαρηνων, ſive Tapharenum. Intel-„ligitur enim hic celeberrima Arabiæ Felicis „urbs & Hemeritarum Regia, quæ a Ptolemæo „Geographiæ lib. 8. in Aſiæ tabula ſexta voca-„tur Σάπφαρ, a Plinio Hiſtoriæ Naturalis lib. „6. cap. 23. & ab Ariano in Periplo Maris Ery-„thræi Σάφαρ, a Geographis Arabicis Tolaphar, „a Stephano de Vrbibus Τάρφαρα corrupte pro „Τάπφαρα, a Philoſtorgio Hiſtoriæ Eccleſia-„ſticæ lib. 3. §. 4. Τάφρων, denique & ab Am-„miano Marcellino lib. 23. *Taphron*, vel ut in „melioribus Codicibus Manuſcriptis *Taphra*, nu-„mero plurali, neutrius generis. Corrigen-„dum ergo eſt ejusdem urbis nomen, etiam in „fine ſupra memoratæ Diſputationis *S. Gregentii*, „utpote ubi ea perperam appellatur Τεφαρ, pro „Τάφαρ ſeu Τάφρα. Notandum *ſecundo* eſt, „in eadem editione Guloniana, pro τῆς δοκιμα-„σίας γεγονύιας, hoc eſt ut Gulonius vertit „*probatione facta*, ſine ullo dubio legendum eſſe, „ut in Codice MS. Cæſareo, τῆς ἐπιμασίας γε-„γονύιας, hoc eſt, *Apparatu facto*. Notandum „*tertio* eſt, ædificium Palatii Regii urbis Taphar, „in quo *Diſputatio ſancti Gregentii* publice cum „Judæis habita eſt, in eadem ſupra memorata „editione Guloniana perperam & ſine ullo ſen-„ſu vocari Θρέλλετον ſive Threlletum: cum „pro ἐν τῷ Θρελλέτῳ, legendum revera ſit ἐν τῷ „Θολωτῷ. Θολωτὸν enim ſive Tholotum fuit „ædificium illud appellatum vel *a rotunditate to-*„*tius fabricæ*, vel ſaltem *a faſtigio rotundo*, quod „Italice *Cupola*, Græcobarbare autem τρῦλλον, „τρύλλα, & τρέλλον dicitur. Idem igitur eſt „τὸ Θολωτὸν, quod Græcobarbari vocant τρυλ-„λωτὸν: & forſan in nonnullis *Diſputationis Gre-*„*gentianæ* Exemplaribus MSS. pro ἐν τῷ Θολωτῷ, „ſcriptum fuit ἐν τῷ τρυλλωτῷ: ex quo deinceps ab „imperitis exſcriptoribus factum eſt, ἐν τῷ τρυλ-„λέτῳ. Notandum *quarto* eſt, celebrari qui-„dem in *Menæis Græcorum* memoriam *ſancti Gre-*„*gentii* die 19. Decembris, ſed perperam ibi ap-„pellari γεγεντῖνον, ſive *Grigentinum*. Quod „enim per *Grigentinum* hunc non alius veniat „intelli-

intelligendus, quam *S. Gregentium Archiepiſcopus Taphrenſis*, manifeſte apparet ex jam memorato die 19. Decembris, quo quippe illum certo obiiſſe conſtat, ut in fine *Diſputationis ipſius cum Judæis*, his narratur verbis: ὁ δὲ γε ἐν ἁγίοις Γρηγέντιος καλῶς ποιμάνας, καὶ αὐτὸς τὸ τῆς κεφαλῆς ποίμνιον, καὶ ἐποικοδομήσας ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν Ἀποστόλων καὶ Προφητῶν, καὶ πολλὰ παράσια, καὶ σημεῖα εἰς δόξαν Θεοῦ ἐπιτελέσας ἔτι ζῶν καὶ μετὰ κοίμησιν, μετὰ μικρὸν τῆς κοιμησάσης τὸ εὐσεβὲς βασιλέως, μετῆλθε τὸν βίον μηνὶ Δεκεμβρίῳ, ιθ. Hoc eſt, *Sanctus autem Gregentius, cum & ipſe Chriſti gregem præclare paviſſet, & ſuper Apoſtolorum atque Prophetarum fundamento ædificaſſet: & tam vivus quam mortuus multa miracula ac ſigna ad Dei gloriam feciſſet, paulo poſt pii Regis obitum, vitam cum morte commutavit, menſe Decembri, die 19.* Ita hic locus legitur in Codice MS. Cæſareo, aliquanto autem aliter in editione impreſſa Nicolai Gulonii. Vt igitur ex hoc teſtimonio de die obitus *ſancti Gregentii* certo liquet per *Gregentinum* cujus in Menæis mentio fit, haud alium eſſe intelligendum, quam illum ipſum *S. Gregentium Archiepiſcopum Taphrenſem*: ita multo magis id etiam elucet ex reliqua tota *Menæorum* de eodem narratione, cujus præcipua pars ad rem præſentem maxime pertinens, hæc eſt: *Elesbaan* Regem Æthiopiæ Chriſtianiſſimum, cum Hebræum Homeritarum Tyrannum Dunaan, ob ſæviſſimam Chriſtianæ religionis perſecutionem debellaſſet & occidiſſet: ab Aſterio Archiepiſcopo Alexandrino Orthodoxo petiiſſe, ut ad ſe mitteretur Epiſcopus aliquis orthodoxus, eruditione & ſanctimonia vitæ venerabilis, cui ſuprema committeretur cura Eccleſiaſtica Chriſtianorum Homeritarum. Simul etiam Judæorum converſio, qui totam fere *Homeritidem* occupaverant. Ita hic Archiepiſcopus recte appellatur, in Hiſtoria Martyrii *S. Arethæ*, a Simeone Metaphraſte compoſita, nempe *Aſterium*, non autem *Proterium*, ut perperam legitur in Menæis. *Proterius* enim Archiepiſcopus Alexandrinus orthodoxus, floruit ante *Juſtini Senioris Imperium* & tempora, utpote qui A. Chriſti 458. factione *Timothei Aluri* hæretici, Pſeudo-Archiepiſcopi Alexandrini, in Baptiſterio crudeliter occiſus eſt. Qua de re vide Baronii *Annales Eccleſiaſticos* tomo 6. ad annum 457. & Chronologiam Eccleſiaſticam Philippi Labbei, anno 458. Aſterius autem contra alium quendam Timotheum, itidem hæreticum & Pſeudo-Archiepiſcopum Alexandrinum, conſtitutus eſt in hac ſede ab Imperatore Juſtino Seniore, anno Imperii ſui quarto, ſive anno Chriſti 521. qua de re vide Baronii Cardinalis *Annales Eccleſiaſticos*, tomo VII. anno Chriſti 521. Hac igitur de cauſa ad Regem *Elesbaan* in Æthiopiam miſſum eſſe *S. Gregentium*, *Agapii & Theodotes* filium, patria Mediolanenſem, ac porro eundem ab *Elesbaan* miſſum eſſe in *Arabiam felicem*: ſuſceptoque *Metropolis Taphrenſis* Archiepiſcopatu, ingentem Judæorum multitudinem, Diſputationum ſuarum ſoliditate & miraculorum efficacia convertiſſe ad Chriſtianam religionem, novisque legibus regnum *Homeritarum* reformaſſe. Ipſa narrationis iſtius ultima verba, quæ argumento huic illuſtrando, præcipue inſeruire poſſunt, hæc ſunt: ὁ δὲ ἅγιος Γρηγέντιος Πρεσβυτέρους καὶ Διακόνους Χειροτονήσας, τοὺς πανσὺν νικηφορήσας εἰς τὴν εὐδαίμονα Ἀραβίαν παρὰ τοῦ βασιλέως ἐκκλησίας καθαγιάσας, πρώην σχεδὸν παντὸς τοῦ ἔθνους Ἰουδαΐζοντος, πολλῶν τῶν Ἰουδαίων βάπτισε. μετὰ ταῦτα δὴς δὴ τῶν Ἰουδαίων πρώτους καὶ διδασκάλους, ἀπό τε συλλογισμῶν καὶ γραφῶν ἀποδείξεσι πείσας, καὶ θαύμασιν ἐκπλήξας, πάντας προσήγαγε τῇ ἀληθινῇ πίστει, Νόμοις ἐνθέμενος, καὶ πᾶν ἀρίστων Θεῷ διαπραξάμενος. ἔστω καλῶς τὸ ποιμνίον αὐτοῦ ποιμάνας, καὶ πολλὰ θαύματα εἰς δόξαν Θεοῦ ἐπιτελέσας, ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο. Hucusque Menæa Græcorum. Notandum *quinto* eſt, *S. Gregentium* in Philippi Ferrarii Catalogo Sanctorum, qui in Martyrologio Romano non ſunt, die 19. Decembris, & quidem non ſolum pag. 481. in ipſo contextu, verum etiam in *indice*, perperam appellari *S. Grigentinum Abbatem ignotæ ſedis*: ideoque ibi nomen hoc corrigendum etiam, ut in Menæis, & titulum *Abbatis ignotæ ſedis* in titulum *Archiepiſcopi Taphrenſis* commutandum eſſe. Notandum *ſexto* eſt, *Diſputationem S. Gregentii*, ſive ut in Codice MS. Cæſareo extat, ſive ut a Nicolao Gulonio ex alio quodam Codice MS. Gallicano primum Græce & Latine ſeorſim edita, & poſtea *Bibliotheca Veterum Patrum Græcolatina Pariſina* inſerta eſt: non eſſe Opus aliquod integrum, ſed tantum Hiſtoriæ alicujus integræ *de Vita & rebus geſtis Abramii Regis Homeritarum atque S. Gregentii Archiepiſcopi Taphrenſis* conſcriptæ poſteriorem partem, a Diſputatione cum Judæis usque ad eorundem converſionem, & *Regis Abramii atque ſancti Gregentii* obitum. Id enim manifeſte apparet, ex abrupto hoc, atque ad præcedentis narrationis filum reſpiciente principio: Τούτων ἔτους γεγονότων, ἓξ ἔτων περιελθόντων &c. vel ut in editione Gulonina legitur, Τελευθέσης ἤδη τῆς περιόδου τῶν παραφέρονται ἡμερῶν &c. Cæterum de authore qui *ſancti Gregentii Diſputationem cum Erbano Hebræo, ex publicis Eccleſiæ Taphrenſis Actis* depromptam, adeo prolixe & accurate literis mandaret: nondum quidem adhuc ausim affirmare certum aliquid. Multas tamen ob cauſas veriſimile mihi videtur, cum eſſe non *Nonnoſum* Imperatoris Juſtiniani primi ſive Magni ad Homeritas Legatum, cujus Hiſtoriam Legationis Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, extitiſſe in Bibliothecæ ſuæ Codice tertio enarrat. Extat quoque inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Co-

dice 4775. in MSS. Codicibus Abrahami Selleri Cod. 6. *Gregentii Archiepiſc. Taphrenſis* νομοθεσία ὡς ἐκ προσώπου τοῦ εὐσεβεστάτου Βασιλέως Ἀβραμίου *Regis* Homeritarum, de qua ibidem ſic Lambecius.

Trigeſimo tertio, & quidem a fol. 171. pag. 1. usque ad folium 176. pag. 2. *Sancti Gregentii, Archiepiſcopi Taphrenſis, Legislatio ſub nomine Abramii Regis Homeritarum*, live *Leges Abramii Regis Homeritarum a S. Gregentio Archiepiſcopo Taphrenſi compoſitæ*, quarum titulus cum principio procemii talis eſt: Νομοθεσία τοῦ ἁγίου Γρηγεντίου ὡς ἐκ προσώπου τοῦ εὐσεβεστάτου Βασιλέως Ἀβραμίου. τῷ λυτρωτῇ ἡμῶν καὶ παντοδυνάμῳ Θεῷ διὰ ἄφατον ἀγαθότητα καὶ πολλὴν Φιλανθρωπίαν ἐπισκεψαμένῳ τὴν ἡμῶν ἐντέλειαν, καὶ ἐξεγείραντι ἡμᾶς εἰς τὸ ἐπάνω ὕψος τῆς δὲ τῆς περὶ Θαυστάτης καὶ ἀυτοκρατορικῆς ἐξουσίας, ἡ δίκη ἐν ἀχαρεσίᾳ διαμεῖναι τὸν ἐυεργέτην· ἀλλ' ἓν κατὰ τὸ ἐφικτὸν ἡμῖν τε, καὶ ἐπέρασον καὶ δυνατὸν ἀποθεραπεῦσαι αὐτόν. ὅτι γὰρ διὰ τὴν τιμὴν, καὶ τὴν συνουφήν τε καὶ δόξαν ἐπορεῖν ἡμῖν ἁπλῶς ἡμᾶς ἐξήγειρεν, ἵνα ἡμῖν τὸ τῶν ὁμηρίτων περιφανέσταλον κράτος, ἀλλ' ἵνα &c. Diviſa eſt autem omnis illa Νομοθεσία, hactenus quod ego ſciam nec Græce nec Latine uspiam edita, ſive hæc *Legislatio in Titulos viginti tres*, quorum primus eſt, περὶ φόνου, καὶ μιάσματος, καὶ παρανομοποιίας, hoc eſt, *de homicidio & de impuro ſive Sodomitico concubitu cum maſculis.* Secundus, περὶ γοητείας, καὶ ψευδομαρτυρίας καὶ κλεψίας: hoc eſt, *de Incantatione & falſo teſtimonio & furto.* Tertius, περὶ πορνείας, hoc eſt, *de ſtortatione.* Quartus, περὶ μοιχείας, hoc eſt, *de adulterio.* Quintus, περὶ πλουσίων ἐπιθυμούντων, hoc eſt, *de divitibus puellas pauperes in matrimonium ducere concupiſcentibus.* Sextus, περὶ ἐλευθέρων εἰς δουλίαν παρεμπιπτόντων, hoc eſt, *de ingenuis in ſervitutem incidentibus.* Septimus, περὶ τῶ ζευγνῦναι τὰ τέκνα οἱ γονεῖς πρὸς γάμου ἀπὸ ἐτῶν δέκα, ἢ δώδεκα: hoc eſt, *de eo quod Parentes liberos ſuos maritare debent a decem vel duodecim ætatis annis.* Octavus, περὶ μαστροπῶν, hoc eſt, *de Lenonibus.* Nonus &c. Harum legum expreſſa mentio, non ſolum extat in ſupra citatis Græcorum *Menais*, verum etiam in ipſa fine *Diſputationis S. Gregentii cum Erbano Hebræo*, nempe fol. 203. editionis Guloſianæ ſeorſim, & pag. 272. Tomi undecimi Magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum GræcoLatinæ, Pariſienſis. *Abramii* autem Regis Homeritarum fit mentio, in ſanctâ Arethæ ac ſociorum ejus trecentorum & quadraginta, qui anno Chriſti 522. die 24. Octobris ſub *Dunaan Hebræo Homeritarum tyranno* paſſi ſunt, *Hiſtoria Martyrii a Symeone Metaphraſte* compoſita, quæ incipit: Ἔτος μὲν ἤδη πέμπτον ἐνεστήκει τῷ εὐσεβεῖ βασιλεῖ, τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς τὸ σκῆπτρον ἐπειλημμένῳ &c. quam Laurentius Surius tomo 5. de probatis ſanctorum Hiſtoriis, a pag. 934. usque ad pag. 946. edidit, ſed latine tantum. Ipſa Martyrii verba Græca, ut in duobus antiquiſſimis & elegantiſſimis Menſ. Oct. Menologii Græcorum Codicibus MSS. Cæſareis, hæc ſunt. Ἀνθις ἐν ὑποστρέψας Ἐλεσβαὰμ πρὸς Ταφαρὴν τὴν πόλιν, πάντας ἀνεῖλε τοὺς ἐν τοῖς βασιλείοις, ἐκκλησίαν τε ἐν αὐτῇ οἰκοδομησάμενος, πρῶτος τῆς οἰκοδομῆς ἀυλάρχος γένεται. ἐλήλυθε τε τὰ διαπεπραγμένα πάντα τῷ Ἀλεξανδρείας Ἀρχιερεῖ, ᾧ δὲ ἐκεῖνος ἐστὶν τῷ βασιλεῖ. ὁ μὲν τοι Πατριάρχης Ἀλεξανδρείας, χειροτονήσας Ἐπίσκοπον, τοῖς Ὁμηρίταις ἐξέπεμψεν, ὃς καὶ τὸν οἰκοδομηθέντα παναγιάσας ναὸν, βαπτίζει μὲν τοὺς ἐν τοῖς πόλεσιν καὶ χώραις τῶν Ὁμηριτῶν ἅπαντας ἐν τῷ τῆς ἁγίας Τριάδος ὀνόματι. διακόνους δὲ ἐξ αὐτῶν καὶ πρεσβυτέρους χειροτονεῖ, καὶ τὴν ἄλλην νενομισμένην ἁπασὰ τόποις ἐκκλησίας κατάστασιν ἀποδίδωσιν. αὐτός τε ὁ θειότατος βασιλεὺς Ἐλεσβαὰμ ἅμα αὐτῷ εἰς Νεγρὰν τὴν τῶν μαρτύρων Ἀφουσίταν πόλιν, κἀκεῖσε οἰκοδομησάμενος ἐκκλησίαν, καὶ πᾶσι τῶν βασιλικῶν κτημάτων ἐν αὐτῇ ἀποτάξας, εἶτα καὶ ἐκ τῶν τῆ μάρτυρος Ἀρέθα τριάκοντα προσθεὶς, ὡς ἐκεῖνος περὶ τὰ τῆς μαρτυρίας τέλη ἐπισκηψε, πάντας τε τοὺς ἠνδραποδισμένους, καὶ ἄλλως διασκορπισμένους ἐν τῷ τῆ ἐννόμῳ καιρῷ, συναθροίσας· καὶ τῆ θείᾳ μάρτυρος Ἀρέθα υἱόν τῆ ἔθνους ἀρχηγὸν καταστήσας, ἐπιμελησάμενός τε τῆ τόπου, ἐν ᾧ τὰ τῶν μαρτύρων ἔκειτο λείψανα, καὶ ἀσυλίαν ἐκεῖσε δωρησάμενος, ἄπεισι καὶ πρὸς τὰ βασίλεια, καὶ τοῖς Ὁμηρίταις Ἀβράμιόν τινα, ἄνδρα θεοφιλῆ καὶ τῷ Χριστῷ ὁνόματι συνυνόμενον, βασιλέα χειροτονήσας, τῷ τε ὁσιωτάτῳ Ἐπισκόπῳ περὶ τῆ μυρίας τῶν Χριστιανῶν Ἀιθίοπων παραδὺς, ἁπάντων χόρων πρὸς τὰ εἰκεῖα βασίλεια μετὰ λαμπάδων καὶ λείας ὑδάτος ἀρθμῷ λαμπάδων ἀνδίας, ὐκ ὀλίγων χειμάτων ἀπόμοιραν καὶ τῷ στρατῷ διαδὺς. Hoc eſt: *Reverſus igitur Elesbaam ad urbem Taphar, omnes qui in Regia erant, interemit: Et Eccleſiam ibi adificans, primus ipſe fundamentum ejus poſuit. Significavit etiam omnia quæ geſta fuerant, Archiepiſcopo Alexandriæ, & per illum Imperatori Juſtino. Patriarcha autem Alexandriæ Epiſcopum ordinavit, quem ad Homeritas miſit. Qui cum templum quod fuerat adificatum, conſecraſſet, baptizavit omnes qui erant in urbibus & pagis Homeritarum in nomine ſanctæ Trinitatis. Ex illis porro ordinavit Diaconos ac Presbyteros, & reliquum omnem decentem ac legitimum ſtatum Eccleſiis in tota regione exiſtentibus contulit. Ipſe autem divinissimus Rex Elesbaam una cum eo venit in Martyrum civitatem Negran, & cum illic quoque templum extruxiſſet, & quinque poſſeſſiones regias ei attribuiſſet, atque insuper etiam ex Martyris Arethæ poſſeſſionibus, ut ipſe in fine Martyrii mandavent, tres addidiſſet: & collegiſſet omnes qui tempore perſecutionis in ſervitutem redacti, vel alias diſperſi fuerant; ſimul etiam filium Arethæ Martyris ducem gentis conſtituiſſet, & peculiarem geſſiſſet curam iſtius loci, ubi Martyrum jacebant reliquiæ, earumque reſpectu illi conceſſiſſet jus aſyli: rediit ad urbem Regiam Taphar, & Homeritidis Abramium quendam, virum Dei*

amans

„amantem & gloria nominis Christi insignem, Regem „constituit. Sanctissimo autem Episcopo decem circiter millia Christianorum Æthiopum tradidit, quo „facto lætus ad propriam suam Vrbem Regiam rediit, „cum præda & spoliis fere innumerabilibus, nec parvam pecuniæ portionem exercitui etiam suo distribuit. Huc usque locus ille *Martyrii sancti Arethæ*, ubi nominatim fit mentio Abramii Homeritarum Regis. Notandum autem est, *Abramium hunc Homeritarum Regem* plane diversum „esse ab altero illo Abramio Presbytero, qui in „iisdem Martyrii Actis memoratur tanquam „*Legatus Imperatoris Justini senioris ad Alamundarum Saracenorum Ducem*, atque idem prorsus „est quem Photius Patriarcha Constantinopo„litanus in Excerptis ex Codice tertio suæ Bi„bliothecæ, appellat Ἀβράμιον sive *Abramen*, quem „patrem fuisse refert *Nonnosi*, qui sub Imperato„re Justiniano Primo sive Magno, legatione ad „*Homeritas* functus est, & de eadem integram „Historiam composuit. Quod superest, de„bellatio & interfectio *Dunaani Tyranni* per Re„gem Elesbaan contigit, ut & adventus *sancti* „*Gregentii* in Homeritidem, & electio *Abramii in* „*Regem Homeritarum*, proximo post passionem „sancti Arethæ anno, qui fuit annus Christi 523. „Regnavit autem *Abrumius* integros viginti no„vem annos, qui anno Christi 552. trigesimo „Regni sui anno mortuus est, Imperii autem Ju„stiniani anno vigesimo sexto. Atq; eodem anno, „paulo post jam memorati Regis obitum, nem„pe die 19. Decembris, *sanctus* etiam *Gregentius* „de quo hic egimus, *Archiepiscopus Taphrensis*, „obiit. Hæc Petrus Lambecius lib. 5. Cæsareæ „Bibliothecæ Vindobonensis, in examine MS. „Codicis Theologici Græci CCXLVII. num. „32. & 33. pag. 127. quæ tamen omnia (ut ingenue pro more loquar) valde incerta sunt, olentque maxime Menologium Græcorum, atque somnia Simeonis Metaphrastis, seu quisquis hæc Acta S. Arethæ scripserit.

550. FACVNDVS HERMIANENSIS EPISCOPVS, in Africæ provincia Bizacena, claruit circa annum 540. quem eximie laudat Cassiodorus in Psalmum CXXXVIII. his verbis. *Facundus venerabilis Episcopus, Hæreticorum penetrabili subtilitate destructor, nuper* ad *Justinianum Principem scribens de duabus naturis Domini Christi duos libellos, caute nimis luculenterque tractavit: quos vobis manuscriptos reliqui, ut nec antiquis egeatis tractatoribus, nec modernis.* His duos libellos *de duabus naturis Christi*, tribuit ipsi Cassiodorus: sed existimo his verbis cum significasse duo tantum priora capita libri primi, ex duodecim, quos ad Justinianum direxit. Commoratus est Facundus ut plurimum Constantinopoli, ubi res Ecclesiæ Africanæ apud Imperatorem procuravit. An. 546. subduxit se prorsus a Communione Mennæ Patriarchæ Constantinopolitani, qui tria capitula damnaverat: unde cum scientia clareret, a plerisque Episcopis trium Capitulorum defensoribus sæpe rogatus, operosam *Capitulorum Defensionem* aggressus est. Anno sequente 547. Concilio LXX. Episcoporum Constantinopoli a Vigilio Papa collecto interfuit, ubi Capitulorum causam (inquit Cavus) summa animi constantia egit, & Vigilio fortiter restitit. Circa annum 548. scripsit *duodecim libros pro defensione trium Capitulorum*, eosque Imperatori Justiniano oblatas, quæ non posse absque injuria fidei Synodique Chalcedonensis eversione condemnari, falso sibi persuasum habuit. In quibus, præ aliis causam agit Theodori Mopsuesteni, quem ab omni hæreticæ pravitatis labe absolvit: atque in Acephalos, & quos vocat SemiEutychianos acriter invehitur: unum denique ex Trinitate pro nobis passum, sensu tamen Catholico, contendit. Incipiunt, *Confessionem tuæ fidei Clementissime Imperator, magni Concilii Chalcedonensis definitionibus consonantem &c.* Opus vastum, nobile, antiquum, ac Sirmondo evulgatore dignissimum. Horum meminerunt Victor Tunnonensis in *Chronico*, & sanctus Isidorus libro *de viris illustribus* cap. 18. Scripsit etiam librum *adversus Motianum* seu *Mutianum Scholasticum*, qui Africanos Antistites propterea quod se a Vigilio Papa & ab Ecclesia, Trium Capitulorum causa, post illius judicatum segregaverant, immerito redarguebat. Incipit, *oportuerat venerabiles filii ut qualecunque hoc Opus a nobis impositum, vestris ex more nominibus dedicarem. Sed &c.* Hæc Opera eruit e tenebris oblivionis Jacobus Sirmondus societatis Jesu, imprimique curavit Parisiis anno 1629. in 8. apud Sebastianum Cramoisy, via Jacobæa, sub ciconiis. Idem Facundus scripsit Epistolam prolixam, quam ipse inscripsit, *Epistolam fidei Catholicæ in defensione trium Capitulorum*, a Domno Luca Dacherio ordinis divi Benedicti editam tom. 3. *Spicilegii* jam sæpius citati pag. 106. ex qua probatur Facundus Schismaticus fuisse, atque suæ sententiæ usque ad mortem adhæsisse. Incipit, *Movet quosdam & requirunt, quæ sit trium Capitulorum causa, pro qua universa totum pene per orbem scandalizantur Christi membra &c.* Hæc autem omnia Facundi Opuscula iterum in folio impressa Parisiis anno 1676. apud viduam Joannis Dupuis, cum Operibus sancti Optati Milevitani, cura & studio Philippi Priorii. Nemo nescit quam varios inde motus, gravesque contentiones atque unitati Ecclesiasticæ perniciosas, negotium trium Capitulorum pepererit: quamvis ut recte notat doctissimus Petrus de Marca in Notis ad *Constitutum Vigilii Papæ*, non de doctrina, sed de personis tantum in hoc negotio ageretur. Qui enim tria Capitula propugnabant, honori Concilii Chalcedonensis se consulere atque favere profitebantur. Qui autem contra eadem stabant, Vigilium sequi se jactabant, Imperatorem Justinianum, quos eadem damnasse pro comperto habebant. Sed totum illud dissidium Imperatori tribuebatur, qui tamen Ecclesiasticæ concordiæ tantum & pacis spe conciliandæ,

Capitula illa damnaverat. Adversus istos Facundus, in hisce duodecim libris stylum acuit, & aliquando contra Justinianum Imperatorem in bilem solvitur: quamvis illius sub nomine, alium impetere, certo certius sit. An vero Facundus scopum attigerit in hac materia, aliisque de quibus obiter loquitur: an extrà culpam sit, & omni calculo approbandus, temere judicandum non est. Quamvis enim Antiquorum scripta commendationem & laudem maximam mereantur: nemo tamen sanus, vel quantumvis mediocriter in antiquitate versatus diffitebitur, lapsos aliquando Veteres. Atque ut in eleganti corpore nævi sæpe deprehenduntur, ita in vetustis & optimis scriptoribus, duriora quædam & cum religionis Christianæ dogmatibus haud omni ex parte convenientia, quilibet observare potest, quæ tamen eis vitio minime tribuuntur. Quis enim generosos illos impetus, & religionis fortissimos athletas auderet condemnare, si in quibusdam cespitasse constet, aut parum Catholice locutos? Quæ cum serio quivis apud semetipsum perpenderit, sic statuendum esse existimabit: satius esse hæc condonare authoribus, de Ecclesia optime meritis, quam eorum lapsus pertinaciter & acri contentione defendere. Vix tamen indulgeri potest indiscreto Facundi zelo, quem testatur in *Epistola*, quam Lucas Dacherius tomo 3. *Spicilegii* pag. 106. edidit. Ex illa enim ipsum a Communione Catholicorum defeciviſse, atque in schismate permansisse & accubuisse, evidenter patet: fugillans ultra modum atque humanitatem Romanos Pontifices, aliosque qui suum præbuerant assensum abrogationi & condemnationi trium Capitulorum in V. Synodo factæ. Ita in hunc modum iratus scriptor. „Sentiant se ab ea præcisos, cujus Decreta quantum „in ipsis est convellentes, Hæreticorum se caterùis favendo eorum votis, pertinaciter aggregarunt. Siquidem ab Acephalis hæreticis, id „est Semi Eutychianis, exquisita & illicita Capitulorum damnatio: & Vigilii atq; Pelagii Romanorum prævaricatorum, & Primasii Byzaceni „præcipui doctoris Acephalorum edita contra „Ecclesiam scripta protestantur. Quæ cum ita „sint, quomodo jam & illud eis poterit constare, „quod dicunt unam se cum damnantibus, fidem „tenere? Cum nos in uno Domino Jesu Christo, Dei & hominis Filio, duarum naturarum „proprietatem in unitate personæ confiteamur: „quod Catholica semper custodit & docet Ecclesia. Isti autem parendo Acephalis, & in „scripto dicentes, *Anathematizamus impiam Epistolam Iba, quam ad Marim Persam scripsit, cum „his qui vindicant eam & rectam esse dicunt, vel partem ejus:* omnem procul dubio anathematizasse probantur Ecclesiam, quæ eam vindicavit ac vindicat, rectamque esse dixit, & dicit. „Idem post aliquanta asserit eos qui damnatione trium Capitulorum assenserunt, *violasse pactum initum cum Deo, & fidem perdidisse.* Item adversatos fuisse falso putat Symboli articulo, *Inde venturus est judicare vivos & mortuos*, inquiens: En certe in hunc nunc omnis consistit quæstio, de vivorum mortuorumque judicio, quod contra nullam aliquando hæresim, ut illud de Æqualitate Patris & Filii contra Arium: vel de Omnipotentia Spiritus Sancti in Constantinopolitano contra Macedonium, est additum: a nulla unquam hæresi, nisi ab hac novissimis temporibus velut ex compacta omnium hæreticorum face exorta, violatum est per damnationem videlicet vivorum mortuorumque. Atque alia, brevitati consulens, prætermitto. Deinde ait eos, *Patrem Diabolum habere.* Tum postea condemnationem trium Capitulorum *Sacrilegium* appellat, multisque interjectis subjicit: „Quæ demens corda eorum invasit, oculosque eorum fumosa sua vanitas, velut densarum palpabiliumque tenebrarum opaca nox obcæcavit: ut non viderent nec perseveranter tenerent, quod in Symbolo quando baptizati sunt, acceperunt? Sed pro libitu suo, modo muneribus corrupti, modo honoribus & ambitionibus inlecti, modo etiam peregrinæ sive potius serpentinæ versutiæ doctrina circumdati, ventoque superbiæ inflati & afflati, contra Deum superbiæ cristas erexerunt, præripiendo judicium ejus &c.„ Tum criminatur eos *tanquam superbiores & excellentiores audacia Diabolo, Antichristo quoque deteriores: neque proinde Christiano nomine censendos, imo appellandos Antichristi ministros, modisque omnibus fugiendos.* Illos non semel pronuntiat *Hæreticos novellos*, quos Novatiano comparat: ac tandem, *Quomodo ergo qui hæreticis communicant, hæresis crimine teneri negabuntur? Aut qua fronte Catholicæ communicare sibi videntur? &c. Damnate errorem quem induxistis, auferte damnationis malum quod intulistis, per quod & hæretici falli, & hæreticorum fautores extitistis.* En quibus verbis contra condemnatores trium Capitulorum, Romanos Pontifices Vigilium & Pelagium, Justinianumque Imperatorem, Facundus Hermianensis Episcopus, bilem suam effudit. Qui cum tam impudenter atque ore maledico viros probatæ virtutis, totque calumniis & injuriis fidei defensores ac de Ecclesia optime meritos impetiverit: seipsum indurata cervicis ac schismatis reum prodidit, atque in eo pertinacem ad mortem usque se perseverasse ostendit. Qui plura voluerit, adeat Possevinum in *Apparatu Sacro*, tom. 1. verbo *Facundus Hermianensis Episcopus.* Aubertum Miræum in *Bibliotheca Ecclesiastica*, Scholio ad c. 18. Isidori *de viris illustribus*, pag. mihi 86. Natalem Alexandrum in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ Capitibus*, seculo 6. cap. 4. pag. 156. & sequentibus.

PRIMASIVS ADRVMETINVS IN BYZACENA AFRICÆ PROVINCIA EPISCOPVS, unus fuit ex iis qui ad Ecclesiæ Africanæ res procurandas, circa annum 550. Constanti- 550.

nopo-

nopolim Imperii caput, ad Justinianum missi sunt. Ibi anno sequente 551. interfuit Episcoporum conventui, quo Vigilius excommunicationis sententiam in Theodorum Cæsariensem, Acephalorum ducem intorsit. Anno 553. sæpius licet advocatus Synodo œcumenicæ interesse noluit, sed una cum aliis subscripsit Constituto Vigilii pro tribus Capitulis, quod tempore Synodi Papa Imperatori obtulit. De scriptis ejus hic agere animus non est, de quibus Philippus Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* a Bellarmino recensitis, tomo 2. pag. 234. cujus Opera notat accurate ac recenset, addit autem pag. 255. *Libri autem ejus de hæresibus ad Fortunatum Episcopum, periisse videntur; in quibus explicat is quod olim sanctus Augustinus in libro Hæreseon imperfectum morte interveniente reliquerat. In primo ostendebat, quod hæreticum faciat, in secundo & tertio digerebat, quid hæreticum demonstret.* Opinatus sum in *Supplemento* de Scriptoribus Ecclesiasticis pag. 120. non periisse tres illos libros *de Hæresibus* Primasio Episcopo attributos, quos opinabar esse *ipsum Prædestinatum*, quem vir doctissimus Jacobus Sirmondus anonymum edidit tribus libris, in 8. Parisiis anno 1643. apud Sebastianum Cramoisy, cujus præfatio incipit: *Quotiescunque ad te ô amator Dei, verba doctorum attingunt &c.* Quam observationem nobis suppeditaverat Joannes Mabillon, qui tomo 4. *Analectorum* suorum, in præfatione describens iter suum Germanicum pag. 83. & 84. hos libros in Germania manuscriptos sub nomine Primasii, vidisse se testatur in Codice Abbatiæ Augiensis: quod confirmabat sententiam nostram, atque Opus istud Primasio ut legitimo parenti, licet Anonymum restituere videbatur. Verum re maturius expensa, atque collato Opere isto *Prædestinati*, cum iis quæ habet de tribus libris Primasii, S. Isidorus Hispalensis Episcopus cap. 9. libri *de viris illustribus*: reperi nihil esse convenientiæ inter utrumque Opus, recteque dixisse Labbeum, *periisse libros tres Primasii de hæresibus ad Fortunatum.* Istud autem confirmat Sirmondus qui *Prædestinatum* edidit in Opusculo *de Hæresi Prædestinatiana*, cap. 4. asserens subductam fraudulenter esse inscriptionem hujus Operis, *ad Fortunatum*, in MS. Codice Abbatiæ Augiensis, quem in itinere Germanico vidit Joannes Mabillon, esseque titulum ex industria ita recentiori atramento additum, quo incauti deciperentur. Meminit Primasii Adrumetini in Africa Episcopi, Junilius Episcopus pariter Africanus, qui ei *librum de partibus divinæ legis* dedicavit. Victor Tonnonensis in eadem Africa Episcopus, in *Chronico*. Cassiodorus Senator in libro *de divinis Lectionibus* cap. 9. Isidorus Episcopus Hispalensis, in libello *de viris illustribus* cap. 9. atque multi recentiores.

550. AVRELIANVS ARELATENSIS ARCHIEPISCOPVS, ex Patriciorum Aurelianorum stirpe editus in Gallia Narbonensi, ut memorant Ennodii litteræ, eodem anno 546. quo Auxanius rebus humanis excessit, ad Arelatensem Pontificatum pervenit. Hunc Vigilius Papa Childeberto Rege petente & Imperatore consentiente, Vicarium suum per omnes Gallias constituit, Epistolis hoc anno die 23. Augusti missis, cum ad ipsum Aurelianum, tum ad cæteros Galliarum Episcopos. Concilio Aurelianensi quinto, secundus a Sacerdote Lugdunensi, subscripsit anno 549. Missa quoque ad eum anno 550. Epistola ejusdem Vigilii Romani Pontificis, de quæstione in sui defensionem pro Chalcedonensi Synodo: qua hortatur Aurelianum, ut Childeberto suggerat ad Regem Gothorum scribere, ne quid in Ecclesia Romana turbari sinat in præjudicium veræ religionis, Vrbe a Rege Totila novissime capta: rogatque ut de ejus incolumitate, Ecclesiæque Romanæ juribus conservandis satagat, opera Childeberti (ut vocat) Christianitatis studiosissimi. Claruit ergo sub Childeberto Francorum Rege, constructoque Monachorum Cœnobio, *Regulam* eis scripsit, quam habet Lucas Holstenius in Collectione sua, parte secunda, pag. 58. & sequentibus. Incipit procœmium Regulæ S. Aureliani Episcopi. *Sancti & in Christo venerandi Fratribus in Monasterio, quod Deo miserante ac jubente Rege Childeberto fecimus, constitutis: Aurelianus Episcopus.* Quia Deo inspirante, qui nos prævenit ineffabili misericordia sua &c. *Incipit Institutio sanctæ Regulæ.* Caput primum. *Hoc jubente Deo imprimis statuimus tenendum, ut si quis* &c. Scripsit & *alteram Sanctimonialibus* quam idem Holstenius habet, parte 3. pag. 35. Incipit Prologus Aureliani Episcopi ad Virgines: *Sanctis & in Christo venerandis Sororibus in Monasterio beatæ Mariæ, quod Deo jubente intra muros Arelatensis urbis fecimus, constitutis: Aurelianus Episcopus.* Quia Deo inspirante &c. iisdem ut supra verbis, quibus in Regula pro Monachis. Dicitur autem *sanctus Aurelianus*, in Epistola ad Legatos Francorum qui Constantinopolim proficiscebantur directa sub annum 552. Vbi ad Vigilium Legationem in causa Trium Capitulorum misisse scribitur, quam refert Sirmondus. De illo autem præsule, meminerunt Vsuardus in *Martyrologio*, Baronius & Spondanus: sed Fratres Sammarthani potissimum in Gallia Christiana, tomo 1. ubi de Archiepiscopis Arelatensibus.

CYPRIANVS TOLONENSIS POSTEA EPISCOPVS, MESSIANVS ET STEPHANVS, omnes sancti Cæsarii Arelatensis Archiepiscopi Discipuli & oculati testes, anno circiter 550. *Vitam Magistri sui* libris duobus scripserunt. Præfatio hujus Operis incipit; *Quia reverendæ nobis virgo Cæsaria, cum choro sodalium Monacharum &c.* Incipit Vita, *Sanctus ac beatissimus Cæsarius Arelatensis Episcopus &c.* quam habes Manuscriptam in Bibliotheca

Colbertina, atque in archivis Montismajoris Arelatensis, & alibi. Hæc apud Laurentium Surium, ad diem 27. Augusti mutila extat & imperfecta: sed quam integram & plenam edidit Vincentius Barralis Salernitanus, in *Chronologia illustrium Lerinensis insulæ virorum*, Lugduni anno 1613. in 4. impressa. Joannes quoque Mabillon seculo 1. Sanctorum Ordinis divi Benedicti pag. 658. & sequentibus, quibus tamen & merito S. Cæsarium Arelatensem Archiepiscopum non accenset. De *Cypriano*, Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, ad annum 546. pag. 411.

560. JOANNES SCHOLASTICVS CONSTANTINOPOLITANVS PATRIARCHA. Ita dictus quod primum in foro ex Scholasticorum, hoc est, Advocatorum seu Causidicorum numero fuerat, Antiochiæ Presbyter & apud Constantinopolim Apocrisiarius, qui & postmodum Eutychio Constantinopolitano Patriarcha anno 554. in exilium pulso, a Justiniano Imperatore in ejus locum suffectus est. Hic *Syllogen Canonum* composuit, qua priorum Conciliorum Canones in Veteri Codice Ecclesiæ universæ sparsim diffusos, in quinquaginta titulos, non servato ordine temporis, nec serie seu consequentia numerorum: sed singulos ex similibus Canonibus & ad eandem rem & materiam pertinentibus titulos, cum Canonibus integris contexuit. Incipit Sylloge, *Magni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi Discipuli & Apostoli, atque etiam sancta ipsius Ecclesiæ Pontifices & Doctores &c.* Idem composuit etiam *Nomocanonem, seu Concordiam Canonum Ecclesiæ, cum legibus civilibus:* quæ orditur sic, *Ad gloriam Magni Dei & Servatoris nostri Jesu Christi, ea quæ cum sanctorum beatorumque Apostolorum, & qui in singulis Synodis eorum vestigia sunt secuti, sanctorum Patrum sacris canonibus conjuncta sint &c.* Vtrumque Opus ex variis Manuscriptis Codicibus erutum, editum est tomo 2. Bibliothecæ Juris Canonici Veteris pag. 499. & 603. cum præfatione doctissima Christophori Justelli, apud Ludovicum Billaine duobus in folio tomis, Parisiis anno 1661. Floruit anno 560. vel circiter, nominatus Patriarcha Constantinopolitanus vel electus anno 554. quo in Exilium Eutychius actus est, mortuus anno 578. quo post ejus mortem Eutychius iterum ad sedem suam reversus est. Hanc vero *συναγωγὴν κανόνων* composuit, qua priorum Conciliorum Canones in veteri Codice Ecclesiæ universæ sparsim dispersos (hoc est, Nicæni, Ancyrani, Neocæsarienses, Gangrenses, Antiocheni, Sardicenses, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonenses) in quinquaginta titulos, nec ordine temporum servato, nec serie seu consequentia numerorum, singulosque ex similibus Canonibus & ad eandem rem pertinentibus, cum Canonibus integris intexuit. *Ἐν τάξει τινὰ καὶ ἀκολουθίαν ἀξιωθῶν ἱθυλάξαμεν, ἀλλ' ὅμοια τοῖς ὁμοίοις συναρμόσαντες, καὶ ἵστα κεφάλαια συμπλέξαντες:* ut ipsemet in præfatione suæ Collectioni præfixa testatur. Huic autem addidit primus Canones Apostolicos LXXXV. Sardicenses XXI. quos licet posteriores, præfert Antiochenis: tum Canones S. Basilii LXVIII. Videtur autem Nicolaus primus, Romanus Pontifex, respexisse ad hanc Joannis Antiocheni Collectionem, quam CANONVM CONCORDIAM vocat, quia concordantes Canones per certa capita appositi atque distributi, & in unam consonantiam compacti erant. Cujus hæc verba sunt in Epistola ad Photium Patriarcham Constantinopolitanum. *Quomodo non sunt penes vos Canones Sardicenses, quando inter quinquaginta titulos, quibus CONCORDIA CANONVM apud nos texitur, ipsi quoque reperiuntur?* Hujus autem Collectionis Johannis Scholastici tria extant MSS. Exemplaria, unum perquam vetustum Romæ in Bibliotheca Vaticana, Heidelberga allatum, insigne quidem & eximium, sed exesum & dimidiatum. Alterum non minus antiquum & integrum, in Bibliotheca Illustrissimi Franciæ Cancellarii, Petri Segnierii. Tertium autem in Bibliotheca Collegii Claromontani Soc. Jesu, beneficio doctissimi Jacobi Sirmondi, Christophoro Justello exhibitum humaniter, & nunc in vulgus editum.

Extat etiam in Bibliotheca Galliarum Regia, Vaticana & Oxonienſi, NOMOCANON ejusdem Joannis Scholastici, seu Epitome hujus Collectionis quinquaginta titulorum, omissis integris Canonibus, quorum sententiam & numerum tantum adnotavit, cui *τὰ συνάδοντα νόμιμα*, hoc est *Concordantes Leges*, præsertim Justiniani Imperatoris novellas Constitutiones, ad singulos titulos adjecit. Ad hanc etiam Collationem Legum & Canonum, respexisse videtur Theodorus Balsamon ad Canonem primum Concilii Constantinopolitani in Trullo habiti, in Exemplari Græco Joannis Tilii, quo olim usus est Gentianus Hervetus, in cujus Latina interpretatione hæc verba reperiuntur, quæ in Græca editione Parisiensi habentur. *Nomocanonem autem, quod in quinquaginta titulos leges & Canones redegit, & reliqua quæ Justiniani Novellas quæ exoleverunt, ut quæ in Imperio recepta non sunt, & alias quasdam Leges ex Digestis ac Codice continent*, &c. Hinc facile est colligere Joannem Scholasticum, cum adhuc esset Presbyter Antiochiæ, *Collectionem suam Canonum* quinquaginta titulis distinctam composuisse: *Nomocanonem* vero, postquam Patriarcha Constantinopolitanus a Justiniano Imperatore designatus est: atque ideo adjectitiam & suppositiam esse Epigraphen, quæ perperam in prædicto Codice MS. Bibliothecæ Regiæ, nomen præfert *Θεοδωρήτου Ἐπισκόπου Κύρου*: quasi Theodoretus Cyrensis Episcopus esset author hujus Collectionis Canonicæ quinquaginta titulorum, cui Joannes Scholasticus leges adtexuit. Nec enim alibi unquam, ab ullo quovis authore Græco, hujus *Nomocanonis* sub Theodoreti nomine mentio facta

facta est: sed Johanni Scholastico tribuunt omnes MSS. Codices. Sic enim habet Codex il lustrissimi Franciæ Cancellarii, Petri nempe Seguierii, Ἰωάννου ἐπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ μήσου Εὐτυχίου, συναγωγὴ κανόνων εἰς ν' τίτλους διηρημένη. Codex vero Claromontensis, Ἰωάννου πρεσβυτέρου Ἀποχέως ἀπὸ Σχολαστικοῦ· ἔτι συντάττει τοὺς ὅλους κανόνας εἰς ν' τίτλους. Denique Codex Oxoniensis, συναγωγὴ κανόνων ἐκκλησιαστικῶν, εἰς πεντήκοντα τίτλους διηρημένη. Et postea, Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ σχολαστικοῦ εἰς τὸν Νομοκανόνα ἔνα πρόλογος. Quam inscriptionem ut verissimam, præfixit *Nomocanoni* ipse Christophorus Justellus, quem ex MS. Codice Bibliothecæ Regiæ edidit, qui & in fine habet nomen Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως τοῦ ἀπὸ Σχολαστικοῦ. Vnde planum est & indubium, utramque hanc Collectionem esse ejusdem authoris, *Joannis* videlicet *Scholastici*. Nec sane digna Theodoreto est ista Collectio, cujus stilus non redolet gravitatem tanti viri, planeque doctissimi. Nec verisimile est Theodoretum inseruisse Canones Apostolicos & Sardicenses, sua ætate a Græcis nondum receptos: nec Veteri Codici Canonum, quo usa est Ecclesia universalis in Concilio Chalcedonensi, cui ipse interfuit, insertos. Hos Joannes Scholasticus Collectionis quinquaginta titulorum, & Nomocanonis author, suæ Collectioni primus inseruit: quos postea Ecclesia Orientalis in Synodo Trullana probavit, & anno demum DCCVII. sub Justiniano II. Imperatore confirmavit. Sunt & alia multa quæ eam Collectionem non esse Theodoreti, atque post ejus obitum factam, indicare videantur: sed in tanta luce, hæc adnotasse sufficiat. Extat utriusque Operis *Joannis Scholastici & Patriarchæ Constantinopolitani* MS. Græce Codex, inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice Barocciano 86. num. 1. & 2. Agunt pluribus *de Joanne Scholastico* Baronius in *Annalibus* anno 554. num 11. & sequentibus. Authores Bibliothecæ *Juris Canonici Veteris*, in præfatione Generali, & in Specialibus ad dicta Joannis Scholastici Opuscula, quas quivis adire potest.

560. JOANNES SCHOLASTICVS, cognomento *CLIMACVS*, a libro quem Scalam inscripsit, triginta capitibus constantem, quibus tanquam gradibus ad perfectionis religiosæ culmen ascenditur: unde vulgo *Joannes Climacus* nuncupatur. Coluit vitam Monasticam, & inter primos istius ævi Ascetas, spiritualium rerum intelligentia, divinæ contemplationis charismatibus, pietateque singulari excelluit. Claruit circa annum 560. usque ad 580. vel circiter. Idem quoque Joannes *Sinaita* cognominatus, vel a monte Sinai quem incoluit: vel quod successu temporum factus Abbas Monachorum sancti Montis Sina, cœnobium istud insigni prudentia atque approbatione omnium gubernarit. Porro si Menæis Græcorum fides, pene centenarius obiit, die 30. Martii, ut habet etiam Martyrologium Romanum. Denique idem Joannes *Scholasticus* quoque a Veteribus appellatus est, sive quod hoc nomen Clarissimis hujus seculi viris passim apud Græcos tribueretur: Sive quod causas forsitan forenses tractasset, antequam seculo abjecto vitam Asceticam professus fuisset. Edidit seu composuit *Scalam Paradisi* ad Joannem Abbatem Monasterii Raithunensis, triginta Capitulis, quibus tanquam gradibus seu stationibus ad perfectionis Regiæ apicem ascenditur, constantem. Prodiit Scala ista primum Latine duntaxat ex Ambrosii Camaldulensis interpretatione, Venetiis 1531. 1569. Coloniæ 1540. & 1583. cum Enarrationibus seu Commentariis Dionysii Carthusiani. Denique eandem Græcolatinam, una cum Scholiis Græcolatinis Eliæ Metropolitæ Cretensis, quem anno 787. Nicænæ II. Synodo interfuisse nonnulli putant: edidit in publicum Matthæus Raderus Societatis Jesu, ad MSS. Codices exactam, Parisiis in folio anno 1633. apud Sebastianum Cramoisy. Addidit idem Climacus, *Librum ad Pastorem*, ex ejusdem Ambrosii Camaldulensis versione Latina sæpius excusum, Græco Latine autem una cum Eliæ Cretensis Scholiis ab eodem Radero Jesuita, ad calcem *Scalæ Paradisi* exhibitum, quemadmodum in MSS. Codicibus innumeris reperitur. Vtrumque Opus in Græcobarbaram, seu vulgarem linguam versum, a Maximo Margunio Citherorum Episcopo, Venetiis anno 1590. prodiit. Nullus fermie est scriptor Græcus, cujus Opuscula in MSS. Bibliothecis Græcis tam frequentia sint. Nam in Vaticana decies & ultra Manuscripta inveniuntur, in Vallicellana bis, in Bibliotheca Serenissimæ Reipublicæ Venetæ sæpius, in Florentina bis, in Mediceo bis, in Bavarica bis, in Augustana ter. In Imperatoria Vindobonensi sæpius, ut constat ex libro seu tomo IV. Commentariorum hujus Cæs. Bibliothecæ, Cod. MSS. Theol. Græcis CLXXVII. CLXXVIII. CLXXIX. CLXXX. CLXXXI. CLXXXII. CLXXXIII. In Regia Gallica, & Colbertina sæpius quoque reperiuntur. Fuit & alius Joannes Abbas Montis Sina, a nostro Climaco ut volunt diversus, qui in MSS. Codicibus Græcis, author perhibetur germanus, Historiæ seu Fabulæ Sanctorum Barlaam & Josaphat: quæ Latine tantum legitur apud Surium ad diem 27. Novembris, & ad calcem Operum sancti Joannis Damasceni, quem hujus Historiæ authorem Jacobus Billius putavit, in editione Operum sancti Damasceni, quam Parisiis anno 1577. in fol. procuravit. Idem quoque opinatus est Heribertus Rosweidus in Notis ad *Vitas Patrum*, quas evulgavit in fol. Antverpiæ annis 1615. & 1628. Plantinianis typis. De hoc opere diffuse Albertus Fabricius Tomo VI. *Bibliothecæ Græcæ* cap. 6. pag. 820. Juxta autem Sylburgium in Catalogo MSS. Codicum Bibliothecæ Palatinæ pag. 115. hic est titulus libri, *Barlaami & Joasaphi sive Josaphati Vita*,

Vita, historia ex interiori Æthiopia seu Indorum regione in sanctam urbem translata per Johannem Monachum de contubernio Sancti Saba. Sunt qui *Joannem Sinaitam*, qui sub Theodosio vixerit, alii *Johannem Climacum*, qui & ipse Monachus Sinaita circa A. Christi 564. claruit, auctorem libri Græca prosa compositi esse volunt, cui etiam tribuitur in Codicibus MSS. Bibliothecæ Paulinæ Lipsiensi, de qua vide Joachimi Felleri τῦ μακαρίτυ Catalogum pag. 157. & 163. Scripsit *Vitam S. Joannis Climaci* Daniel Monachus Raithenus, quam suæ editioni Operum sancti Joannis Climaci, præmisit Græce & Latine, Matthæus Raderus, ex MSS. Codicibus excerptam. Nec mihi dubium, quin pluribus de illo agant, Menæa Græcorum, & Martyrologium Romanum, ad diem 30. Martii. De Scriptis quoque ejus, Bellarminus & Labbeus, uterque in Opere suo, *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Plurima inter omnes Lambecius tomo seu lib. 4. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, pag. 185. in examine MSS. Theologicorum Græcorum CLXXVII. CLXXVIII. CLXXIX. CLXXX. CLXXXI. CLXXXII. CLXXXIII. ad pag. 196. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi, p. 242.

560. PAVLVS SILENTIARIVS HISTORICVS GRÆCVS, ætate Justiniani Imperatoris circa annum 560. vel sequentibus claruit, cujus Ἔκφρασιν εἰς τὴν μεγάλην Ἐκκλησίαν ἤτοι τὴν ἁγίαν Σοφίαν carmine edendam Græce & Latine, post Historiam Joannis Cinnami Lutetiæ typis Regiis, anno 1670. curavit Carolus du Fresne, Dominus du Cange, Regi à Consiliis & Franciæ Quæstor. Floruit autem Justiniano Imperatore, non Poëtica duntaxat & Oratoria laude, ætate sua longe clarissimus, sed & natalium splendore, opibusque & honoribus conspicuus. Fuisse Paulo parentem Cyrum docet hujus Carminis titulus, qui non alius quidem mihi videtur ab eo, qui ἀπὸ ὑπάτων seu Consul Codicillaris extitit, cujus Epigrammata bina habentur in *Anthologia Græca* lib. 4. cap. 23 & 27. alterum in Domum à Maximino CPoli extructam, in Pindari statuam alterum: adeo ut Paulum suam à parente in ποιηματικὴν hausisse propensionem, credere par omnino sit. Meminit etiam Procopius lib. 2. *Vandalici Belli*, Cyri cujusdam, qui forte cum Consulari idem fuerit. At quod Agathias de *Paulo* scribens, hæc subdit, ἀναλεγέσθω τὰ Παύλου Κύρου τῦ Φλώρου ἐν ἑξαμέτροις πεποιημένα, sic digerendum videtur: ut Paulus Cyri, Cyrus vero Flori filius fuerit: idque addidit Agathias, ut Cyrum istum ab aliis, qui eodem tunc nomine florebant, distingueret. Cujusdam autem Flori Consulis Codicillaris mentio sub Justiniano non semel occurrit, ut constat ex Novellis 12. 22. 154. & ex Leg. 3. Codicis de Quadriennii præscript. Vtcunque sit, constat hallucinatos prorsus Vulcanium Agathiæ interpretem, & Gerardum Joannem Vossium Lib. 2. *de Veterum Poëtarum temporibus*, & Lib. 4. *de Historicis Græcis* cap. 20. qui in unum virum hæc tria nomina congessierunt, Paulumque & *Cyrum* & *Florum* appellaverunt. *Epigrammata* aliquot Pauli in *Græcam Anthologiam* jam olim Maximus Planudes illius constrictor contulit, una cum elegantissima *Ode*, quam in Pythia Therma conscripsit, quæ præterea extat in Bibliotheca Regis Christianissimi cum Scholiis, seu μετὰ ἐξηγήσεως, Codicibus 995. 1911. 1334. & 1441. Hanc autem publicarunt denuo, & Latinis numeris donarunt, Claudius Archantetus Venetiis anno 1586. & Parisiis Federicus Morellus anno 1598. editam. Sed præ cæteris *Sophianæ Ædis descriptionem* tanta cum accuratione Paulus aggressus est, ut universam illius structuram, singulasque partes, quisquis hanc legerit, statim quodammodo oculis perinde ac animo comprehendat, seu ut Agathiæ verbis utar, καθάπερ παρὼν καὶ θεώμενος. Ea enim est ἐκφράσεως vis ac natura, ut rem ipsam, quam describit, ob oculos ponat ac repræsentet: unde recte in Gloss. Græco Latino ἐκφράζω, *exprimo*: ἔκφρασις, *exprimatio* seu *expressio*: *Exprimere* enim Latinis, est effingere ad vivum. Quamobrem definitur ἔκφρασις ab Hesychio λόγος ἐναργὴς, ab Aphthonio autem λόγος διηγηματικὸς, ὑπ' ὄψιν ἄγων ἐναργῶς τὸ δηλούμενον: cujusmodi est Arcis Alexandrinæ apud eundem descriptio. Atque in eo, ut est apud istius Scriptoris Scholiastem, Διαφέρει ἡ ἔκφρασις τῦ διηγήματος, ὅτι τὸ μὲν ψιλὴν ἔχει τῦ πράγματος ἔνθεσιν: ἡ δὲ παρᾶται θεατὰς ἐργάζεσθαι μικρᾷ τὰς εἰκόνας. Καὶ τὸ μὲν καθόλυ ἐξετάζει, ἡ δὲ τὰ κατὰ μέρος. Hanc *Pauli Silentiarii Ecphrasim Ecclesiæ S. Sophiæ Constantinopolitanæ* hoc elogio adornat Agathias Scholasticus lib. 5. Historiæ *de rebus gestis Justiniani Imperatoris* pag. 153. editionis Regiæ, ubi de Æde sanctæ Sophiæ.

Ἐι δέ τις ἐθέλοι, πόρρω πῃ τυχὸν τῆς πόλεως ἀπαναστήμενος, ἕστεως γνώσεσθαι, σαφῶς ἅπαντα καθάπερ παρὼν καὶ θεώμενος, ἀναλεγέσθω τὰ Παύλου Κύρου τῦ Φλώρου ἐξαμέτροις πεποιημένα. ὃς δὲ τὰ πρῶτα τελῶν ἐν τοῖς τῆς ἀμφὶ τὸν βασιλέα σπουδῆς ἐπὶ πίστασις, γένους τε κοσμούμενος δόξῃ, καὶ πλούτου ἀφθόνου ἐκ προγόνων διαδεξάμενος, ὅμως παιδείᾳ γε αὐτῷ καὶ λόγων ἄσκησις διαπρέπουσα, καὶ ἐπὶ τοῖς δὲ μάλιστα ἤνεγκε, καὶ ἐσεμύνετο. Καὶ τοίνυν πεποίηται οἱ καὶ ἄλλα εἰς πλῆθος ποιήματα μνήμης τε ἄξια καὶ ἐπαίνου. Δοκεῖ μοι δὲ τὰ ἐπὶ τῷ Νεῷ εἰρημένα, μείζονός τε πόνου καὶ ἐπισήμης ἀνάπλασις καθεστάναι, ὅσῳ καὶ ἡ ὑπόθεσις θαυμασιώτερα. Εὑρήσεις γὰρ ἂν ἐν αὐτοῖς τὴν ὅλην τῆς θέσεως εὐκοσμίαν, καὶ τὰς τῶν μεταλλων Φύσεις λεπτότατα κατεζητασμένας, τῶντε προτεμενισμάτων τὸ εὐπρεπὲς ἅμα καὶ ἀναγκαῖον, μεγέθη τε καὶ ὑψώματα, καὶ ὅσα ἰδύγρεμμα σχήματα, καὶ ὅσα κυκλικὰ, καὶ ὅσα ἐπικρεμῆ, καὶ προτεταμένα. Γνοίης δὲ ἂν ἐκ τῶν ἐπῶν, καὶ

»καὶ ὅπως ἀρχύρεά τε καὶ χρυσᾶ τὸ ἱερώτερον »χωρίον καὶ τοῖς ἀποῤῥήτοις ἀποκεκριμένον πο»λυτελέσατα καταπεποίκιλται, καὶ εἴ τι ἄλλο »πρόσεστι μέγα ἢ ἐλάχιστον γνώρισμα, ἃ μεῖον »ἢ οἱ θαμὰ ἐν αὐτῷ περιπάτους ποιούμενοι, καὶ »ἅπαντα διασκοπῶντες. Si quis autem volue»rit, procul fortaſſis ab Vrbe degens, aperte co»gnoſcere omnia veluti præſens & ſpectans, »perlegat quæ Paulus Cyri filius, Flori nepos he»xametris verſibus conſcripſit. Qui quidem »Primicrius exiſtens Regiorum Silentiariorum, »& generis gloria clarus, ampliſſimasque à ma»joribus ſuis opes adeptus, doctrinæ tamen elo»quentiæque magnam operam impenderat, »quibus & magis gloriabatur & decorabatur. »Scripſit itaque etiam alia quamplurima Poë»mata, memoratu digna, & laude. Videntur »autem mihi quæ de Templo ſcripſit, tanto ma»jore & labore & ſcientia referta, quanto & ar»gumentum ipſum eſt admirabilius. Compe»ries enim in iis univerſum ſitus concinnæque »diſpoſitionis ordinem, & metallorum naturas »ſubtiliſſime exploratas. Veſtibulorum etiam »Templi elegantiam pariter & utilitatem, ma»gnitudines quoque & altitudines, quotquot »etiam ſunt figuræ rectis conſtantes lineis, & »quotquot orbiculares, quotquot etiam penſi»les & protenſæ. Cognoveris quoque e Car»minibus, quo pacto argento pariter atque auro »ſacratior locus, & myſteriis ſeparatim deſtina»tus, ſumptuoſiſſime ſit exornatus: etſi quod »eſt aliud magnum aut minimum ornamentum, »nihilominus quam qui in eo frequenter obam»bulant, omniaque inſpectant. » Carolus du Freſne Quæſtor Ambianenſis, edidit Græce & Latine anno 1670. Pariſiis in folio Regiis typis *Joannis Cinnami Imperatorii Grammatici Hiſtoriarum libros VI.* quibus adjecit pag. 196. Commentarios & Notas Hiſtoricas in Nicephori Bryennii Hiſtoriam, pag. 223. in Annæ Comnenæ Cæſariſſæ Alexiadem, & p. 429. in Joannis Cinnami Hiſtoriarum libros VI. Notas Hiſtoricas & Philologicas. Subjunxit poſt iſta ad calcem voluminis pag. 501. Græce & Latine Παύλου Ποιητοῦ Σιλεντιαρίου υἱοῦ Κύρου Ἔκφρασιν εἰς τὴν μεγάλ. Ἐκκλησίαν τῆς ἁγίας Σοφίης: *Pauli Poëtæ Silentiarii Cyri filii deſcriptionem Magnæ Eccleſiæ ſeu Sanctæ Sophiæ*, cui pag. 525. Commentarium adjecit, ad idem Sanctæ Sophiæ argumentum illuſtrandum.

Vt autem teſtatur in Præfatione ad Opuſculum iſtud editum, pervenit in manus ejus Ἔκφρασις à Paulo Silentiario Carmine heroico & pereleganti exarata, cum jam affecta eſſet & ad umbilicum perducta voluminis iſtius editio: quam quidem licet ad Hiſtoriam Comnenicam minus illa pertinere videretur, Commentariis tamen ſuis interſerere haud alienum putavit. Hanc autem celeberrimi Templi Ἔκφρασιν, procurante clariſſimo viro Antonio de Vyon D. d'Herouval in Camera Computorum Pariſienſi Auditore, ad ipſum transmiſit ex ſua depromptam bibliotheca, & Magni Salmaſii manu ex Palatina anno M DC VII. deſcriptam, Philibertus de la Mare Senator Parlamenti Divionenſis, ob ſingularem eruditionem ac vitæ integritatem notiſſimus. Vt autem idem Dufresnius ad finem Præfationis obſervat, «Quan»quam mihi ne hanc provinciam arrogarem, «dubitandum fuit, cum iſtius Poëmatis publi»candi ſpem feciſſet in Præfatione ad Procopi»um, vir omnino magnus Claudius Maltretus, «Soc. Jeſu Presbyter & Collegii Montalbani «Rector, qui qua pollet in Græcis perinde ac «Latinis literis eruditione, longe felicius ea de»functus fuiſſet: etſi uti me per literas monuit, «quod penes eum eſt Pauli Silentiarii Apogra»phum, perinde ex MS. Palatino deſcriptum ſit, «proindeque, ut Salmaſianum, lacunis ſcateat, «deformatumque ſit. « Hæc verbotenus Carolus du Freſne, D. du Cange, in Præfatione ad Pauli Silentiarii Ἔκφρασιν à ſe editam. Quæ autem à Domino du Cange Ἔκφρασις edita eſt, Carmina DCC vel pluſcula ſeptingentis complectitur. At Ἔκφρασιν ſuam ultra MCC carmina extendi, ſcribit anno 1662. in editione Procopii ſua, Claudius Maltretus in præfatione ad Lectorem his verbis, ubi voluminis tertii editionem pollicetur.

Extat inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ in Anglia, in Codicibus Baroccianis, Codice 44. num. 4. Pauli Silentiarii hæc eadem *Ecphraſis*, abſque nomine auctoris, ſed amplior multis paginis quam in editis Domini du Cange, inſcribitur *Narratio de Structura Templi S. Sophiæ*, pag. 317. ἡ ἁγία Σοφία ad pag. 386. ubi integra eſſe dicitur. Item inter MSS. Codices Bodlejanæ ejusdem bibliothecæ Codice 698. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, Cantuarienſis olim Archiepiſcopi litera C. Codice 46. num. 2. *de templo Sanctæ Sophiæ.* Et inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem Regni celebrium bibliothecarum, Codice 5582. in MSS. Codd. Græcis Jacobææ bibliothecæ Codice Græco 860. n. 4. *Anonymi de Eccleſia S. Sophiæ*, qui opus idem eſſe videantur, licet affirmare nolim. Item inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, in MSS. Græcis Baroccianis Codice 96. num. 3. *Epigramma ſub nomine Pauli Silentiarii*, ſed vulgatis longe emendatius p. 160. βούλει μαθεῖν Ἀνγυσε Κωνσαντῖνε κράτιστε. Denique inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium ejusdem Regni bibliothecarum, Codice 2238. in MSS. Codicibus Græcis Iſaaci Voſſii Codice 127. num. 15. *Paulus Silentiarius de aquis calidis in Pythiis*, cum Scholiis Græcis antiquis. Codices autem Iſaaci Voſſii pertinent jam ad Lugdunobatavam Bibliothecam, ab ejus hæredibus grandi ſatis pretio comparati. In eadem autem bibliotheca, inter MSS. Codices Bonaventuræ Vulcanii Codice 3. in magno folio, num. 14. ſub codicis finem, *Pauli Silentiarii εἰς τὰ ἐν Πυθίοις θερμὰ ἡμιάμβια*, ut conſtat ex Catalogo Librorum tam impreſ-

forum quam manuſcriptorum hujus bibliothecæ, edito Lugduni Batavorum anno 1674. in 4. in MSS. Codicibus p. 412.

Pergit Maltretus: „Altera pars conſtabit „ex Opuſculis Poëticis, quorum hic ſeriem pro„ponam. Elegantem habeo Templi Sanctæ „Sophiæ & ambonis Ἔκφρασιν, quam Paulus Si„lentiarius Procopio æqualis, verſibus ſcripſit „hexametris, numero ſupra 1100. Hæc ad Pro„copii libros de *Ædificiis* apta erit appendix, cum „Collectione Epigrammatum veterum Chri„ſtianorum, quæ olim Conſtantinopoli, & in aliis „Græciæ civitatibus, ſacris ædibus inſcripta le„gebantur. Id totum ex MSS. Palatinis Bi„bliothecæ Vaticanæ depromptum, ad me miſit „illuſtriſſimus Lucas Holſtenius. Hiſtoriam „Procopianam contingunt Corippi Libri qua„tuor *de laudibus Juſtini Junioris*. Hos multo „caſtigatiores poſſum edere, adjunctis Ruizii „Aſſagrii & Dempſteri Annotationibus: neque „enim animus eſt quenquam fraudare honeſti „laboris fructu. Latino huic Poëtæ jam bis „quidem edito, ſed plane a bibliopolis diſtracto, „Græcum Scriptorem addere vellem, qui Co„rippum videre potuit, Georgium dico Piſidem, „magnæ Eccleſiæ CP. Diaconum. Ejus libri, „Holſtenii beneficio, penes me ſunt, adhuc inedi„ti, *de laudibus Heraclii Imperatoris, duo; De bello „Perſico ejusdem Heraclii, tres: De bello Avarico ad „muros urbu Conſtantinopolitanæ, unus.* Nec ma„le Georgio Piſidæ conveniet cum Theodoſio „itidem Diacono, cujus ἐκφράσεις *quinque de„captæ à Romano Auguſto Creta*, mihi deſcribendas „curavit illuſtriſſimus Leo Allatius, Cuſtos bi„bliothecæ Vaticanæ, & in arce illa Reip. litera„riæ meritiſſimo collocatus.

Hæc Maltretus cujus Apographum conjicio amplius fuiſſe Salmaſiano, quod paucos ſupra ſeptingentos verſus complectitur, mille autem & ducentos ac ultra in ſuo contineri, Maltretus affirmat. Agunt *de Paulo Silentiario* poſt Suidam in *Lexico*, verbo Ἀγαθίας, Gerardus Joannes Voſſius, *de Hiſtoricis Græcis* lib. 4. cap. 20. pag. 498. editionis ultimæ. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ*, ſeculo 6. ad annum 555. p. 416. quorum uterque *Paulum Silentiarium* immerito *Paulum Cyrum Florum* nuncupat, eo quod Pauli pater *Cyrus*, avus autem *Florus* appellatus ſit.

560. AGNELLVS RAVENNATENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPVS, antea uxoratus, tum poſt elatam uxorem, vitam excoluit Eccleſiaſticam, atque ab Eccleſiæ Archiepiſcopo Diaconus ordinatus eſt & Eccleſiæ ſanctæ Agathæ præfectus, Maximianoque Archiepiſcopo defuncto ſuffectus ex communi conſenſu, a. 558. Hunc Marſetes maxime dilexit, & omnes fortunas Gothorum quæ intra Civitatis muros erant, illi attribuit. Expurgavit omnia templa, in quibus vel litaverant vel ſuos cœtus egerant Ariani temporibus Theodorici Regis. Prægrandem crucem argenteam Deo obtulit, quæ hactenus in Vrſiano templo aſſervatur. Ædificavit ſancto Gregorio, conſecravitque templum. In eadem Vrſiana Eccleſia marmoreum ſuggeſtum ad conciones habendas ſuſpendit. Scripſit Agnellus Ravennatenſis Epiſcopus *Epiſtolam de ratione fidei ad Arminium*, quam reperies tomo V. Bibliothecæ SS. Patrum Colonienſis editionis 1618. & in editionibus Pariſienſibus anterioribus, annorum 1575. & 1589. apud Michaelem Sonnium. Cum demum nihil omiſiſſet, quod ad pium ſanctum Antiſtitem ſpectare videretur, naturæ debitum ſolvit anno 566. Kalendis Auguſti, in Eccleſia ſanctæ Agathæ ſepultus. Ejusdem ſepulchro hæc quæ ſequuntur affixa fuerunt, ut retulit anonymus in ejus vita, quam diligenter perſcripſit.

Pontificis requiem cœleſti munere geſtat
Agnellus virtute Dei, non perdidit illam,
Qui optatam meruit lucis cognoſcere pacem.
Corporis ipſe ſui templum ſervavit honeſtum.
Juſtus cum Sanctis, Chriſto mediante reſurget:
Sic quoque pro meritis gaudet, qui talia geſſit.

Hic requieſcit in pace Agnellus Epiſcopus
qui ſedit
Annos XIII, menſem unum, dies octo.
Vixit annos LXXXIV.
Depoſitus eſt ſub die Calendarum Auguſti
Indictione XIIII.

Hunc authorem Coccius ſeculo V. vixiſſe exiſtimat, ſed ſexto circa annum 560. Gerardus Voſſius *de Hiſtoricis Latinis* pag. 757. quem ſecutus ſum. Vide Ferdinandum Vghellum *Italia ſacra* tomo 2. in *Archiepiſcopis Ravennatenſibus*, pag. 336. Jacobum Gualterium in *Tabulis Chronologicis* ad annum 450. ubi male poſt Jodocum Coccium ſeculo quinto Agnellum adſignavit.

SANCTVS DATIVS MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPVS, circa annum 560. in eadem Eccleſia florebat, cui plures attribuunt *Chronicon MS. in Bibliotheca Mediolanenſi*, ut Aubertus Miræus in *Auctario* cap. 155. Ferdinandus Vghellus in *Italia ſacra*, dum de Mediolanenſibus Archiepiſcopis. Quamvis autem iſtud *Chronicon* ſancti Datii Mediolanenſis Archiepiſcopi nomine inſcriptum ſit: Suppoſitum tamen eſſe conſtat, dum perſequitur tempora ſeu Mediolanenſium rerum ſeriem, usque ad annum 1066. Cujus prima pars authorem habet *Landulphum ſeniorem*, 2. *Arnulphum*, 3. *Landulphum juniorem*. De hoc Chronico legantur obſervationes Joannis Mabillon tomo 1. *Analectorum* pag. 3. ex Epiſtolis Mediolano acceptis. Nullum ejus hujus Chronici S. Daciani vel leve argumentum, nulla ſpecies illius ſinceritatis. 560.

FAVSTVS SANCTI BENEDICTI ABBATIS DISCIPVLVS (ut volunt) *ab ipſo Benedicto miſſus in Galliam, cum Mauro ejus Monacho,*

Vitam

Digitized by Google

Vitam ipſius Mauri Monachi deſcripſit. Hæc Sigebertus Gemblacenſis in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 32. Extat hæc Vita quam Fausto eruditi omnes ſuppoſitam volunt, apud Laurentium Surium ad diem 15. Januarii. Apud Joannem Bollandum, ad eandem diem, ubi plura de authore hujus Operis, in præludiis ad hanc ſancti Mauri Vitam. Eadem denique in Collectione ſanctorum Ordinis Divi Benedicti, ſeculo 1. hujus Ordinis, pag. 275. & ſequentibus, ubi multa Mabillonius de ſancto Mauro & Scriptore hujus Vitæ, qui Fauſtus inſcribitur. Hoc autem Opuſculum ob enormes parachronismos, qui in Synchronum hominem cadere nunquam potuerunt, fidem apud Criticos omnimodam jam amiſit. Vitam ergo iſtam, Fauſti unquam fuiſſe negant emunctæ naris viri, & alterius Fauſto longe recentioris qui eam ſub ejus nomine confinxerit, cenſent, quibus valida non deſunt aſſertionis ſuæ argumenta. Inter hos vidimus Joannem Launojum, Conſtantienſem Presbyterum, Doctorem Theologum, virum lectione aſſiduum, judicio acerrimum, in detegendis falſis Monachorum privilegiis atque Legendis ab eis conſcriptis & ſuppoſitis, feliciſſimum. Hic ſentiebat Vitam hanc ſancti Mauri ſub nomine Fauſti editam, eſſe opus ſeculo tantum nono factum, ab Odone Abbate Glannafolienſi, qui illam ſub nomine Fauſti evulgarat, ut indubiam ei authoritatem adderet. Multis ad id adſtruendum, ut inquiebat, innitebatur rationibus: quas Benedictini Monachi conjecturas tantum appellabant, alii validas, infirmas alii, pro ſtudio partium opinabantur. Appellabat 1. Fabulam, omnem hanc Epiſtola Odonis Abbatis Glannafolienſis ad Adelmodum Cenomanicæ Eccleſiæ Archidiaconum, contentam narrationem *de inventione Vitæ ſancti Mauri:* quam Vitam, ut ipſe Odo Abbas loquitur, *adhibito viginti dierum ſtudio, prout potuit correxit limavitque, ſalva tamen fide dictorum & miraculorum.* Vnde volebat primum hujus operis non interpolatorem aut correctorem ſolum, ſed ſcriptorem etiam atque authorem, fuiſſe Odonem hunc Glannafolienſem. Vt quemadmodum inquit, Hilduinus Abbas ſancti Dionyſii in Francia, hoc circiter tempore in *Areopagitis* ſuis, Sanctum Dionyſium Pariſienſem Epiſcopum excogitavit *Areopagitam atque Athenienſem Epiſcopum*, ut majorem tum Eccleſiæ Pariſienſi cujus Epiſcopus fuerat, tum Abbatiæ Dionyſiacæ cujus Patronus & tutelaris erat, conciliaret authoritatem & ſplendorem: ita Odo Abbas Glannafolienſis, ad Abbatiam ſuam reddendam ſeculo nono celebriorem, finxit ſanctum Maurum fuiſſe Abbatem Glannafolienſem primum, quod ut cautius promoveret, Vitam ejus ſub nomine Fauſti conſcripſit. Quemadmodum ſeculo XII. Petrus Diaconus Caſſinenſis & Bibliothecarius, Vitam & Paſſionem ſanctorum Placidi & Sociorum Martyrum, ſub mentito Gordiani Monachi atque illorum ſocii nomine, confixit. 2. Inquiebat Launojus, ſi credamus Odoni Abbati Glannafolienſi, *Vitam beati Mauri prout potuit corrigere ſangens, viginti dierum plus minus labore conſumpto, ſalva fide dictorum & Miraculorum ubi repertorum, ſicut nunc habetur, apertiorem eam reddidit legentibus & expreſſit.* At tantæ ſunt in hoc opere ſupinitates & oſcitantiæ, tot errores Chronologici, quod (inquiebat) omnes eruditi, nemine excepto fatentur: ut ſpectare ad Scriptorem Synchronum haud poſſint, & ad oculatum teſtem, imo ad comitem ſancti Mauri Abbatis aſſiduum & individuum. Ergo inquiebat, opus iſtud impoſitum per fraudem & malitiam eſt, Fauſto ſancti Mauri individuo comiti, per Odonem Glannafolienſem Abbatem, humanæ laudis avidum, ad majorem operi conciliandam fidem, ſuoque Monaſterio ex inſtitutione ſancti Mauri in primum Abbatem, celebritatem comparandam. Hæc autem omnia menda convenire optime poſſunt authori ſeculi noni, qui facta vel nullatenus vel modice excuſſerit. 3. inquiebat, Author hujus Vitæ, oculatus teſtis & comes individuus profectionis ſancti Mauri in Gallias, vult miſſum in Gallias Maurum & ſocios à ſancto Benedicto, ad petitionem & inſtantiam Bertichranni urbis Cenomanenſis Epiſcopi: eumq; in Gallias jam adventantem, habuiſſe revelationem mortis ſancti Patris Benedicti, quæ contigit anno 543. Hoc aſſerit cap. 26. & cap. 32. Sed tam portentoſum mendacium, in oculatum teſtem & comitem Mauri individuum cadere nunquam potuit. Conſtat enim ex oculato & ſynchrono teſte, Gregorio Turonenſi Archiepiſcopo lib. 8. *Hiſtoriæ Francorum* cap. 39. Badegiſilum Cenomanenſem Epiſcopum mortuum eſſe anno XI. Childeberti Regis Auſtraſiæ, qui in annum Chriſti 586. incidit: atque in ejus locum a. 587. ſuffectum eſſe Bertichrannum, antea Pariſienſem Archidiaconum. Quomodo itaque oculatus teſtis, & comes individuus ſancti Mauri Abbatis Fauſtus, potuit ſcribere evocatum eſſe ſanctum Maurum ac Socios in Gallias à Bertichranno Cenomanenſi Epiſcopo, vivente adhuc ſancto Benedicto, ac conſequenter ante annum 543? Cum Bertichrannus factus ſit tantum Epiſcopus an. 586 vel 587, annis quadraginta tribus poſt præfixam Epocham: quo forſan tempore, nondum ex utero matris prodiverat Bertichrannus. Iſta poſſuntne mendacia, ab teſte oculato & ſynchrono produci? 4. Idem author Vitæ ſancti Mauri, adhuc enormius peccat cap. 35. narrando quod cum pervenilſent anno nimirum 543 ad Aurelianam urbem, *Audierunt ſiquidem certis deferentibus nuntiis, beatum Bertichrannum Epiſcopum jam migraſſe ad Dominum, aliumque in loco ejus jam ſubſtitutum Pontificem.* Quomodo oculatus teſtis & individuus comes itinerum ſancti Mauri Abbatis, ſcribere tunc potuit, anno nimirum 543. mortuum jam fuiſſe Bertichrannum Epiſcopum: qui teſte oculato Gregorio Turonenſi Epiſcopo, factus eſt Epiſcopus anno tantum 586

vel 587? Et qui certo adhuc vivebat anno 589, vixitque forsitan usque ad annum 600. & ultra? Hæc inquiebat Launojus impostturarum portenta, in Faustum cadere non possunt nec poterant, si rebus gestis præsens aderat: recte autem in Odonem Abbatem Glannasoliensem, ab his remotissimum temporibus, qui seculo nono sub Fausti nomine, legendam pro phantasia composuit. 5. Oculatus testis & individuus comes itinerum sancti Mauri Abbatis, Faustus suppositicius scribit cap. 49. *Florum virum nobilem pervexisse ad Theodebertum Regem, licentiam ab eo expetisse, ut ei regularem liceret suscipere habitum.* Et cap. 50. Theodebertum Regem invisisse sanctum Maurum, ejusque Congregationem. c. 51. addit expostulasse humiliter preces Monachorum. cap. 52. Monasterio multa largitum fuisse. cap. 53. confirmasse ea quæ donata à Floro fuerant &c. Atqui hæc omnia non possunt convenire temporibus sancti Mauri, ad annum 543. in Gallias adventantis, neque ad sequentes ejus Præfecturæ annos, licet 40. annis præfuisse dicatur, ad annum circiter 583. Nam Theodebertus filius Childeberti, Rex Austrasiæ, ante annum 595. Rex factus non est, & consequenter post mortem ipsius sancti Mauri Abbatis, quæ juxta Joannem Mabillon eam pro viribus differentis, anno 584. die 15. Januarii contigit. Quomodo ergo Rex Theodebertus, sanctum Abbatem Maurum anno 584. die 15. Januarii mortuum invisisset, qui Rex tantum factus fuit anno 595? Quis synchronus & oculatus testis vel individuus Mauri Abbatis comes, talia proferre possit? Quisnam Æsopus tanta mysteria solvere possit? Mortuus autem est Theodebertus Rex, anno 610. vel circiter. 6. Infaustus hic Faustus adhuc apertius suas impostturas, & consequenter sui scripti suppositionem profert: sic enim cap. 59. hujus Vitæ. *Theodebertus igitur Rex, cum quatuordecim annis strenue ac nobiliter Francorum gubernasset Regnum, Theodibaldo filio suo (lege Theodorico) sedem regni post se dereliquit. Qui juxta patris sui imperium, non minimum quoad vixit tempore, tum beatum Maurum, quam nostrum dilexit Congregationem. Hic itaque patris sui sequens vestigia, qui nobiliter locum Congregationis, cum ibidem ordine quo supra inservimus, advenisset, honoravit: cum & ipse post mortem patris, beatum Maurum ac locum ipsum aliquando venisset invisere, contulit & ipse nihilominus, ut magnificentia Regia dignum erat, testamentaria authoritate ibidem villas duas, quarum una vocatur villa Fabrensis, altera vero Vosda.* Et cap. 60. *Sed & hic cum parvo tempore Regni apicem honorifice cum pace obtinuisset, immatura præventus morte, Chlotario principatus dimisit monarchiam. Qui Chlotarius audita fama beati Mauri, frequenter eum ad se evocans, ejus sapientissimis utebatur consiliis. Denique cum aliquando beatus Maurus duos ex fratribus pro aliquibus necessitatibus ad eum transmisisset, ab ipso omnia benigne pro quibus ierant annuisset: inquirere ab eis sollicite cepit, quid vel qualia decessores Reges sui, nostro contulissent loco. Quæ cum ab eis resciisset, ait: Et nostro Deo propitio Largitas ipsi non deerit loco, præsertim cum ampliorem illis tam Regni quam divitiarum obtineamus potestatem, & bonam à Domino operandi percepimus voluntatem.* Hæc omnia parachronismis plena sunt, imo mendaciis apertissimis. Nam ex suppositione omnium, etiam Benedictinorum Scriptorum, S. Maurus anno 543. adventans in Gallias, mortuus est post annos 40. regiminis anno Christi 584. die 15. Januarii. Jam quomodo ad hominem anno 584. mortuum, potuit accedere & S. Maurum (die potius sanctum Mortuum) salutare, Theodoricus Rex Austrasiæ Theodeberti frater, qui Regnum non iniit ante mortem fratris, quæ contigit a. 610 vel 611? Quomodo oculatus testis potest appellare *Theodebaldum*, qui *Theodericus* appellatus est? Quomodo *Theodericus* qui secundum Faustum *Theodebaldus* dicitur, appellatur filius *Theodeberti* Austrasiæ Regis, qui erat ejus frater? Hæc Mysteria sunt, hæc Sacramenta Apocalypsi Joannis Apostoli obscuriora, quæ quivis oculatissimus nunquam revolvet. 7. Tandem quomodo *Chlotarius II. audita fama beati Mauri, frequenter eum ad se evocans, ejus sapientissimis utebatur consiliis?* Quomodo *Cum aliquando beatus Maurus duos ex fratribus pro aliquibus necessitatibus ad eum transmisisset, ab ipso benigne omnia pro quibus ierant, annuisset?* cum Chlotarius mortuo Theodorico, Regnum solus non possederit, ante annum 614? Consuluit igitur Chlotarius Rex S. Maurum ab annis triginta mortuum, atque ab ejus sepulchro solutionem dubiorum habuit, quæ ei occurrebant in administratione Regni sui. *Chlotarius audita fama beati Mauri, frequenter eum ad se evocans, ejus sapientissimis utebatur consiliis:* triginta nempe annis, postquam mortuus erat S. Maurus, e tumulo egressus ibat ad Chlotarium, qui eum evocabat, ut ejus jam mortui sapientissimis uteretur consiliis? Quam quæso stupenda ista, quam horrenda, quam longe ab oculato teste, ab individuo comite peregrinationum omnium S. Mauri Fausto aliena, his in rebus allegatis infaustissimo, quas ei imposuit Odo Glannafolii Abbas, zelo in Ecclesiam suam seu Abbatiam indiscretissimo. Hæc nos ex Schola Launojana, quem aliquando de similibus differentem cum voluptate audivimus. Solvant nodos istos, quorum interest, ex pluribus paucos desumptos, sed patentiores. Claruit Faustus ab anno 560. ad 580. & ultra, de quo Antonius Possevinus tomo 1. *Appantus Sacri.* Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* c. 171. p. m. 213. Quantum autem *Historiam literariam* corruperit Guillelmus Cavus, Benedictinas fabulas sine judicio admittens, patet ex hac Vita sancti Mauri quam Fausto adscribit Tomo I. *Historiæ suæ literariæ* ad annum 606. pag. 446. ac Tomo 2. verbo *Odo Abbas Glannafolienſis* ad an. 869. Denique Tomo 1. verbo *Adrevaldus* ad a. 890. p. 567. Omnia enim ista conficta sunt à Benedictinis

Mo-

Monachis, ut posteris fabulam de adventu sancti Mauri in Gallias, Floriacenses Benedictini Monachi persuaderent, quibus jam nullus emunctæ naris fidem præbet.

560. SANCTVS NICETIVS TREVERENSIS ARCHIEPISCOPVS, gente Gallus, pietate zeloque fidei inter alios Treverenses Episcopos conspicuus, apud Lemovices nobilibus natalibus ortus, quem celeberrimi illius Nicetii à Sidonio Apollinare tantopere celebrati, affinem sanguine fuisse aliqui conjiciunt. Hic autem ex Arvernia à Theodorico Mediomatricum Rege anno 527. apud Treviros in Antistitem missus, & sancto Gallo qui à Clero exposcebatur, ob stirpis nobilitatem sanctimoniæque laudem prælatus, ex Abbatis officio Treverensem Pontificatum Regis Decreto assecutus est. Anno 535. Concilio Arvernensi primo, anno 549. Aurelianensi V. & Arvernensi secundo, anno 551. Nicetius Parisiensi secundo interfuit atque subscripsit. Qui ob id etiam Theodorico venerationi fuit, quod ipsum peccantem & Theodebertum filium libere admonere ac emendare consueverat, ut ex vita sancti Nicetii in Vitis Patrum cap. 17. colligitur his verbis. *Venerabatur eum Rex Theodoricus magno honore, eo quod vitia ejus sæpius nudaret ac crimina, castigatus emendatior redderetur: & ob hanc gratiam decedente Treverica urbis Sacerdote* (Aprunculo) *eum ad Episcopatum jussit accersiri.* Illud in eo mirandum narrat & Gregorius eodem capite, quod ad Clericatus ordinem non modo institutus, sed natus videretur: ut infans quidem cum corona quam Clerici tunc temporis gestare solebant, instar attonsi, rarescentibus in orbem pilis, ex matris utero prodierit. Vir sane Apostolicus, quem his Elogiis commendat Gregorius Turonensis Lib. 10. *Historiæ Francorum* cap. 29. *Erat apud Vrbem Trevericam vir eximiæ sanctitatis Nicetius Episcopus, non solum in prædicatione admirabilis facundiæ: verum etiam in operibus bonis ac nimbitibus, celeberrimus habebatur in plebe.* Et cap. 94. De Gloria Confessorum, *Nicetius eleemosynæ, charitatis, sanctitatisque totius refulsit merito.* Scripsit Tractatum de vigiliis servorum Dei, qui incipit: *Bona & digna & sancta res est, & apta prorsus, fatisque conveniens, de sanctis Vigiliis nunc dicere & conferre sermonem &c.* qui cum altero Tractatu *de bono Psalmodiæ* qui incipit, *De Psalmodiæ bono dicamus, qua nobis Deus donare dignatur. Nos itaque qui tam Propheticis quam Evangelicis & Apostolicis sumus omnes eruditi magisterii &c.* Nicetæ Episcopo tribuitur in antiquissimis membranis Vaticanæ Bibliothecæ: cujus etiam utriusque Tractatus extant MSS. Exemplaria in Bibliotheca Sancti Maximini Treverensis. Vtrumque nuper edidit tomo 3. *Spicilegii* Lucas Dacherius Ordinis Divi Benedicti, tribuitque non Nicetæ Episcopo quem viri Clarissimi Lucas Holstenius & Jacobus Sirmondus, aliique eruditissimi, Nicætam Daciæ Episcopum censuerunt, de quo plura sanctus Paulinus Nolanus Episcopus Epistola 10. ad Severum, Natali IX. sancti Felicis, fusiusque Carmine XXX. una cum Martyrologio Romano ad diem 7. Januarii, Baronius, Bollandus & alii: sed Nicetio nostro Trevirensi Archiepiscopo, ad quem pertinere videntur. Extat quoque in Actis Conciliorum ad annum 549. Epistola Mappinii Remensis Archiepiscopi, ad eundem Nicetium quem *beatissimum Papam* indigitat, excusatoria, cur anno 550. ad Synodum Tullensem non venerit. Vbi etiam habentur, sicut & in *Collectaneo Historicorum Franciæ coætaneorum* Andreæ Duchesnii, & in *Concilio Galliæ* tribus in fol. tomis anno 1629. Parisiis evulgatis, *Insignes duæ Nicetii Epistolæ*: quarum altera *Justinianum Imperatorem sub annum 563. in hæresim lapsum, ab hæresi revocat: altera Clodosuindam Chlotarii Francorum Regis filiam sub annum 565. hortatur, ut Alboinum maritum suum Longobardorum Regem ad fidem Catholicam adducat.* Quod autem Iæpius ob incæstas nuptias, pro injustis facinoribus ab ipso Clotharius Rex acerrime increpatus & excommunicatus fuisset, in exilium amandatur: qui anno demum 565. a Sigeberto Chlotharii filio post patris mortem sedi suæ restitutus est, ut fusius describit idem Gregorius in Vita Nicetii, quam præclare ex beati Aredii Abbatis Lemovicini narratione contexuisse se testatur. Transiit ad Christum S. Nicetius anno 568. Nonis Decembris, quamvis alii ejus diem emortualem adscribant Calendis Octobris. Laudatus insigni encomio a Venantio Fortunato, Lib. 3 Carmine IX quod loco Epitaphii referri hic potest.

Splendor, apex fidei, veneranda mente Niceti
Totius orbis amor, Pontificumque caput.
Summus Apostolico præcellens Pastor ovili,
Auxisti meritis, quidquid honoris habes.
Divino intistens operi, terrena relinquis,
Cui moritur mundus, non moriture manes.
Vita brevis cunctis, sed non brevis illa beatis,
Cum bona non pereant, jure perennis erit.
Dum tibi restrictus mancas, & largus egenis,
Quod facis in minimis, te dare credo Deo.
Captivus quicunque redit, sua limina cernens,
Ille lares patrios, tu capis inde polos.
Hic habet exul opem, jejunans invenit escas,
Qui venit esuriens, hic satiatus abit.
Tristibus abducis curas, purgando querelas,
Et sanat cunctos una medela viros.
Pauperis hinc lacrymas deliccas, gaudia præstans:
Qui prius ingemuit, vota salutis habet.
Te pascente greges, nunquam lupus abripit agnos:
Sunt bene securi, quos tua caula tegit.
Templa vetusta Deo renovasti in culmine prisco,
Et floret senior te reparante domus.

Digitized by Google

Hinc populus longos tribuas pia vota per annos,
Et maneas pastor, ne lacerentur oves.

De Vita illius plura Gregorius Turonensis, in citatis libris *de gloria Confessorum, Vitis Patrum, & Historia Francorum.* Fortunatus in *Carminibus.* Laurentius Surius in *Vitis Sanctorum.* Cæsar Baronius & Spondanus, in *Annalibus Ecclesiæ.* Sammarthani Fratres, in *Gallia Christiana* tomo 1. pag. 717. ubi de Archiepiscopis Treverensibus, a quibus præcedentia fere omnia habuimus.

570. FERREOLVS VCECIENSIS EPISCOPVS, natione Gallus, patria Narbonensis, generis splendore conspicuus, Ansbertum Senatorem patrem habuit, matrem vero Blitildem Clotharii Francorum Regis filiam: cujus Vita antiqua ab anonymo conscripta passim legitur in *Annalibus Gallicis* Caroli le Cointe, seculo 6. ad annum 521. 528. 553. 555. 558. 581. Honorificam illius mentionem facit Gregorius Turonensis lib. 6. *Historiæ Francorum* cap. 7. verbis sequentibus. *Eo tempore Ferreolus Vcetiensis Episcopus, magnæ vir sanctitatis obiit, plenus sapientia & intellectu, qui libros aliquot Epistolarum quasi Sidonium secutus, composuit. Post cujus obitum Albinus ex Præfecto per Dynamium rectorem Provinciæ, extra Regis consilium, suscepit Episcopatum.* Hæ dubio procul Epistolæ temporum lapsu intercederunt. Natus est Ferreolus anno 521. ex anonymo scriptore vitæ, qui septennis adhuc puer Narbona relicta anno 528. Vceciam profectus, commisit se curæ Ruricii propatrui sui, bonis litteris imbuendum. Anno 553. Firmino patruo in Episcopatu Vcecienti suffectus est, ubi beati Pauli memoriæ templum magnificum posuit. Instituit Monasterium, quod ex suo nomine *Ferreolacense* nuncupavit, cujus Monachis *Regulam* conscripsit, quam Lucretii Diensis Episcopi, qui in magna existimatione erat in Ecclesia Gallicana, permisit censuræ. Incipit præfatio Regulæ sancti Ferreoli Episcopi, *Domino sancto & caterorum companatione sanctissimo Christique discipulo Lucretio Papæ, Ferreolus Episcopus. Hortatus quondam operante Deo in una devotione accensus* &c. Hanc edidit Lucas Holstenius in *Codice Regularum* parte 2. pag. 69. & sequentibus. Cum vero Judæis animas eorum lucrandi studio, familiariter uteretur, in suspicionem novarum rerum moliendarum apud Childebertum Regem adductus, anno 555. Parisios relegatus est, ubi triennium in exilio degit, maximo tamen honore apud Regem habitus. Anno 558. redire jussus Vceciam se contulit, qui ut omnem suspicionis ansam procul a se removeret, Judæos omnes quos ad fidem Christianam adducere non potuit, civitate sua expulit: tandemque obiit anno 531. Episcoparus 28. De *Ferreolo Vcecienſi Episcopo*, Lucas Holstenius in Codice Regularum. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo 6. ad annum 553. pag. 414. quem exscripsimus, paucis exceptis.

AGATHIAS SIVE AGATHIVS, MVRINÆVS SCHOLASTICVS IN ASIA, tempora Justiniani Imperatoris multum quoque exornavit, circa annum DLX. vel DLXX. illustris. Gentilem illum fuisse, præter alia ostendit illud *Φασὶν inquiunt*, quo libro 3. utitur, ubi de Martyrio S. Stephani sermo est, quod scripturis Novi Testamenti sacris inscribi certum est, *Actuum Apostolorum* cap. 7. Ita ille in Historia pag. 77. editionis regiæ. „Ἀλλ' ἐπειδὴ Στεφάνῳ τῷ θεσπισίῳ ἱερὸν ἐνταῦθα ἵδρυται, ὃν δὴ πρώτων πάλαι φασὶν ὑπὲρ τῶν χριστιανοῖς ἀγῶνα δικούντων ἐβλοντὴν διακινδυνεύσαντα, ὑπὸ τῶν ἐναντίων καταλευσθῆναι, τῷ ἐκείνου ὀνόματι καλεῖσθαι τὸν τόπον ἐνόμισαν. Sed cum ibi templum esset sacrum divino illi Stephano, quem quidem primum olim ajunt pro Christianis optime sentientibus voluntarium certamen adeuntem, lapidibus ab adversariis obrutum fuisse, statutum est ut ex illius nomine locus appellationem susceperit. Illum tamen Ecclesiasticis Scriptoribus accensemus, quod aliqua etiam ad Ecclesiam Christianam spectantia attigerit, ut de illo S. Stephani Martyrio, de templo sanctæ Sophiæ, & aliis constat. Agathias ergo sive Agathius, uti seipsum in Epigrammatibus vocat, Murinæ natus, quæ in Asia veterum Æolensium colonia, ad ostia Pythici fluminis sita est, ut ipse in Præfatione dicit, ubi esse patre Memnonio prognatum dicit, jurique ac legibus operam dedisse, unde & *Scholasticus* appellatus est. Scholæ enim erant tunc temporis Jurisconsultorum collegia, unde Σχολαστικοὶ dicti, qui alio nomine *Advocati* nuncupantur. Audiamus ipsum in Præfatione Historiæ suæ p. 5. editionis regiæ.

Δηλωτέον δὲ ὅστις τέ εἰμι καὶ ἔθεν. τοῦτο δὴ τὸ τοῖς ξυγγεγραφόσιν εἰθισμένον. Ἐμοὶ Ἀγαθίας μὲν ὄνομα, Μύρινα δὲ πατρὶς, Μεμνόνιος πατὴρ, τέχνη δὲ τὰ Ῥωμαίων νόμιμα, καὶ οἱ τῶν δικαστηρίων ἀγῶνες. Μύρινα δέ φημι, οὐ τὸ θρᾴκιον πόλισμα, οὐδὲ εἴ τις ἑτέρα κατὰ τὴν Εὐρώπην τυχὸν, καὶ Λιβύην τῇδε κέκληται τῷ ὀνόματι. Ἀλλὰ τὴν ἐν τῇ Ἰάδι πάλαι ὑπὸ Αἰολέων ἀποικισθεῖσαν, ἀμφὶ τὰς ἐκβολὰς τοῦ Πυθίου ποταμοῦ. ὃς δὴ ῥέων ἐκ Λυδίας τῆς χώρας, εἰς τὸν ἔσχατον αὐλῶνα τοῦ κόλπου τοῦ Ἑλαϊτικοῦ ἐμβάλλει. Superest ut quis & cujas sim: ex more eorum qui Historiam scribunt, declarem. Nomen itaque mihi Agathias, Murina patria, Memnonius pater, ars vero Romanorum instituta & leges ac fori certamina. Murinam autem dico, non illam Thracicam urbem, neque si quæ alia per Europam aut Africam hoc nomine vocatur: sed quæ est in Asia, veterum Æolensium colonia, ad ostia Pythici fluminis sita, qui quidem fluvius ex Lydia regione fluens, in extremum Flaïtidis sinus alveum fertur.„ Testis autem Suida in Lexico voce Ἀγαθίας, fuit Smyrnæ

Digitized by Google

næ advocatus, ubi illum Σχολαστικὸν Σμυρναῖον vocat, quod non attendens Chriſtoph. Perſona, *Smyrnæum* natione fuiſſe putavit, cum ipſe ut diximus, *Murinenſem* ſe dicat. „Ἀγαθίας Σχολαστικὸς „Σμυρναῖος ὁ γράψας τὴν μετὰ Περσικὸν ἱστο„ρίαν, τὸν Καισαρέα, τὰ κατὰ Βελισάριον καὶ „τὰς ἐν Ἰταλίᾳ καὶ ἐν Λιβύῃ πράξεις· τοῦτ' ἔστι τὰ „κατὰ Ναρσῆν ἐν Ἰταλίᾳ, καὶ τὰ ἐν Λαζικῇ καὶ „Βυζαντίῳ. ἔστι δὲ συντάξας καὶ ἑτέρα βίβλια, ἔμ„μετρά τε καὶ καταλογάδην. Ταῦτα καλέσας „Δαφνιακὰ, καὶ τὸν κύκλον τῶν νέων Ἐπιγραμ„μάτων, ὧν αὐτὸς συνῆξεν ἐκ τῶν κατὰ καιρὸν „ποιητῶν. Συνήκμασε καὶ Παύλῳ τῷ Σιλεντιαρίῳ, „καὶ Μακεδονίῳ τῷ ὑπάτῳ καὶ Τριβωνιάνῳ, ἐπὶ „τῶν Ἰουστινιανοῦ χρόνων. Agathias Scholaſticus „Smyrnæus, qui ſcripſit Hiſtoriam poſt Procopium Cæſarienſem, res Beliſarii tempore ge„ſtas, item res in Italia & Africa geſtas: hoc eſt, „ea quæ Narſes in Italia, & in Lazico & Byzan„tino agro geſſit. Hic etiam alios libros, par„tim ligata, partim ſoluta oratione compoſuit, „ut & ea quæ *Daphnica* ſive *Laurea* vocantur, & „*Circulum Novorum Epigrammatum*, quæ ipſe ex „Poëtis ſuo tempore viventibus collegit. Flo„ruit autem eodem tempore cum Paulo Silen„tiario, & Macedonio Conſule, & Triboniano, „Juſtiniani Imperatoris temporibus. Veriſimile tamen eſt in Suidæ editis errorem ineſſe, atque ubi legunt Σχολαστικὸς Σμυρναῖος, eſſe legendum Μυρινάιος, utraque voce diſcrepante paucis, quæ occaſionem errori huic dederit.

Præter *Epigrammata multa* quæ in Ἀνθολογίᾳ habemus, condidit *libros quinque de Imperio & rebus geſtis Juſtiniani Imperatoris*. Nec tamen omnia de eo refert, ſed ut ipſe ait, inde incipit ubi Procopius deſiit, dictione uſus terſa omnino ac nitida. Etiam Δαφνιακὰ atque alia partim proſa, partim carmine exaravit, ut Suidas teſtatur. Imo ipſemet meminit in Præfatione Hiſtoriæ ſuæ, ubi ſe a puero, admodum carmine fuiſſe delectatum, ac panxiſſe hexametro verſu *Poëmatia* quædam, amoribus & iſtiusmodi illecebris variegata, eaque Δαφνιακὰ appellari ſcribit, pag. 3. editionis citatæ. „Ἐπιγχανον „γὰρ μᾶλλον δή τι ἐκ παίδων τῷ ἡρῴῳ ῥυθμῷ „ἐνειμένῳ, καί μοι ἥδιστα τὰ ἡδύσματα τῶν „τῆς ποιητικῆς κομψευμάτων. Καὶ τοίνυν πεπόί„ηταί μοι ἐν ἑξαμέτροις βραχέα ἄττα ποιήματα, „ἃ δὴ Δαφνιακὰ ἐπωνόμασα, μύθους τισὶ πε„ποικιλμένα ἐρωτικοῖς, καὶ τῶν τοιούτων ἀνάπλεα „γοητευμάτων. Ἔδοξε δέ μοι πρόπαν κἀκεῖνο „ἀξιέπαινόν τι εἶναι καὶ οὐκ ἄχαρι, ἔργα τῶν Ἐπι„γραμμάτων τὰ ἀρτιγενῆ καὶ νεώτερα διαλαν„θάνοντα ἔτι, καὶ χύδην οὕτω παρ' ἑνίοις ὑποψι„θυριζόμενα ἀγείραιμί τε ὡς ἔνεστι εἰς ταυτὸ, καὶ „ἀναγράψαιμι ἕκαστα ἐν κόσμῳ ἀποκειμένα. „Καὶ δὴ καὶ τόδε μοι ἐκτετέλεσται, ἔτεσί γε πολ„λὰ ἀγωνίσματα, τῇ μὲν ἀναγκαίᾳ χάριν οὐ μέ„λλα πεποιημένα· ἄλλως δὲ ἴσως προσαγωγὰ καὶ „θελκτήρια. καὶ γὰρ δέος ἡ ποίησις ἱερόν τι χρῆμα „καὶ θεσπέσιον. Eram enim magis inde a puero „heroicis modulis addictus, & Poëticarum elegantiarum dulcedine magnopere delectabar. „Atque adeo brevia quædam poëmata hexame„tris verſibus conſcripſi, quæ *Daphnica* vocari, „fabulis quibusdam amatoriis variegata, & ejus „modi illecebris referta. Viſum vero mihi fuit, „etiam hoc initio laudabile & non inelegans in„ſtitutum, ſi nova quædam, recentiaque Epi„grammata latitantia adhuc, ſparſimque a non„nullis luſa, in unum, quoad ejus fieri poſſet, re„colligerem, ſingulaque in ordinem digeſta „conſcriberem. Quod quidem etiam perfeci, „ut & alia multa exercitamenta, non utilitatis „ergo, ſed oblectandi deliniendique animi cauſa, „a me facta. Eſt enim omnino ſacra quædam „& divina res, Poëtis. „ Opera autem Agathiæ, nimirum *de Imperio ac rebus geſtis Juſtiniani Imperatoris libros V.* itemque *librum Epigrammatum LXXXI.* ex Anthologia Græcorum Epigrammatum, quam Græce & Latine edidit Henricus Stephanus collectum, evulgavit Græce & Latine Bonaventura Vulcanius Lugduni Batavorum anno 1594. in 4. dicata ampliſſimis Hollandiæ ac Weſtfriſiæ Ordinibus. Eadem iterum recuſa, atque inter Hiſtoricos Byzantinos collocata, Pariſiis in folio anno 1660. regiis typis, cum Notis modicis ejusdem Vulcanii, a pag. 178. ad 191. editionis regiæ. Quantum autem ad Hiſtoriam, illam ſcribendam aggreſſus eſt Agathias, poſt Juſtiniani Imperatoris mortem quæ anno 565. die 14. Novembris obtigit, Juſtino Juniore rerum potiente: unde vix ante annum 570. perfeciſſe illam conjicimus, cui nos anno Agathiam, aſſignavimus. Ita ille in Præfatione pag. 7. editionis citatæ. „Τοιγάρ τοι οὐ „χὴ μὴ πρότερον εἰς τὸ ξυγγράφειν πεσεῖν μοι, ἢ „μόνον ἔξω τοῦ Ἰουστίνου ὁ βίος τὴν αὐτοκράτορα μετ„ἦλθεν ἀρχήν, Ἰουστινιανὸς τελευτήσας· ἀλλ' ἐγώγε χὴ „ἐπὶ τοὺς ἀνωτέρω χρόνους ἀνεδραμούμην, καὶ ὁπό„σα ἔτυχε ἑτέρῳ τῳ ἐκπεπόνηται, ταῦτα δὴ οἰκεῖον „ποιήσομαι ἔργον. Quocirca tametſi non prius „ad ſcribendam Hiſtoriam me contuli, quam ex „quo tempore Juſtinus junior ad imperium ac„ceſſit, Juſtiniano mortuo: ad ſuperiora tamen „etiam tempora recurram, & quæcunque a ne„mine adhuc alio ſunt elaborata, mihi vindica„bo, propriumque opus efficiam. „ Agunt de *Agathia Scholaſtico*, qui illius Opera evulgavit Bonaventura Vulcanius, tum in Præfatione ad Ordines Hollandiæ ac Weſtfriſiæ, tum in Notis ad Hiſtoriam, pag. 178. editionis regiæ. Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 22. pag. 270. editionis ultimæ.

SANCTVS GREGORIVS TVRONENSIS ARCHIEPISCOPVS, hac eadem ætate floruit. Hic patria Arvernus, nobili genere ortus, patre Florentio, matre Armentaria, quæ Sancti Gregorii Lingonenſis Epiſcopi neptis, ex qua anno 544. natus. A Gallo Epiſcopo Arvernenſi bonis literis inſtitutus, anno 566. Turones acceſſit, ubi anno 569. Diaconus ordinatus, aliquanto poſt Presbyter, demum anno 573. X. Ka- 570.

lendas

ized by Google

lendas Septembris, ordinante Ægidio Rhemensi Archiepiscopo factus Archiepiscopus Turonensis, ab Euphronio Episcopo ante obitum successor designatus. Ipsum audiamus Gregorium Turonensem *de Miraculis S. Martini* cap. 1. *Anno CLXXII. post transitum S. Martini Antistitis, Sigeberto glorioſissimo rege XII. anno regnante, post excessum sancti Euphronii Episcopi, onus episcopale suscepi.* Cur ab Andrea Duchesnio Tomo 1. *Historicorum Francia Veterum* pag. 257. Guillelmo Cavo *Historia literaria Scriptorum Ecclesiasticorum* anno 573. pag. 422. atque aliis, *GEORGIVS FLORENTIVS GREGORIVS* dictus sit, non video, cum se *GREGORIVM* nude ac simpliciter in libris suis appellet: nec *Florentii* nomen quod pater habuit, familiæ nomen magis fuerit, quam matri nomen *Armentariæ*. Anno 574. Oratorium in urbe Turonensi dedicavit, in quo Sanctorum multorum reliquias collocavit. Anno 577. interfuit Concilio Parisiensi, ubi Prætextatum Rhotomagensem Archiepiscopum a Chilperico rege accusatum, fortiter defendit. Anno 580. apud Chilpericum falso delatus, quod Fredegundam reginam cum Episcopo Burdegalensi Bertheramno commisceri solitam esse dixerat, ad Synodum Brennacensem citatus est, & postquam juramento se purgasset, absolutus. In eadem Synodo Chilpericum Regem ad Sabellianismum vergentem, rationibus urgentibus ad sanam mentem reduxit. Eodem quin etiam anno ab Agilane homine Ariano, Leuvigildi Gothorum in Hispania regis ad Chilpericum legato, provocatus disputationem iniit, & Hæretici petulantiam egregie retudit. Haud dissimile certamen cum Oppila ejusdem regis legato Turones transeunte anno 584. die Paschatis instituit. Anno 585. Theodorum Massilienſem Episcopum a Guntheramno rege necis Chilperico illatæ accusatum, in Aurelia urbe constanter defendit. Anno 588. a Childeberto rege ad Guntheramnum Metas missus est, ut de variis tam civilibus quam Ecclesiasticis negotiis apud eum ageret. Anno 590. cum quodam e Presbyteris suis, qui resurrectionem negabat, disputationem habuit, qua homunculum errore pessimo liberavit. Anno 594. ut Gregorium Papam, & Apostolorum limina inviseret, Romam profectus est. Qui domum tandem regressus, anno 595. XV. Kalendas Decembreis obiit, ætatis suæ 52. Episcopatus 22. Vir pro seculo quo vixit, non ineruditus: magis tamen pietate ac zelo, quam judicio commendandus. Hæc Guillelmus Cavus loco citato, post Cointium in Annalibus Francicis.

Scripsit *Historiam Francorum libris X.* quam ad sua usque tempora Gregorius perduxit, quibus postea adjectus est liber *undecimus* non a Fredegario ut perperam Gerardus Joannes Vossius scribit lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 22. pag. mihi 253. Sed ex Fredegarii scriptis ut plurimum, quæ Appendix seu liber *undecimus* in Karoli Magni obitu desinit, ad quem Fredegarius non pervenit. In fine libri X. commemorat Gregorius & alia, quæ in literas retulit his verbis: *Decem libros Historiarum. Septem Miraculorum, unum de vitis Patrum scripsi. In Psalterii tractatum librum unum commentatus sum. De cursibus etiam Ecclesiasticis unum librum condidi.* Subjicit deinde quædam, quibus librarium adjuvat atque alios, ne quid libris suis, etsi stylo rustico scriptis demant, vel in iis immutent. Octo insuper alios libros, quos hodieque habemus, composuit: quorum ponit argumentum in Præfatione libri *de gloria Confessorum* his verbis. *In primo libello inseruimus aliqua de Miraculis Domini ac sanctorum Apostolorum, reliquorumque Martyrum, qua hactenus latuerunt, qua Deus ad corroborandam fidem quotidie dignatur augere. In secundo posuimus de virtutibus sancti Juliani. Quatuor vero libellos de virtutibus sancti Martini. Septimum de quorundam Felicioſorum vita. Octavum hunc scribimus de miraculis Confessorum.* Hæc ipse Gregorius, de Opusculis suis, quæ paucis exceptis ad nos pervenerunt.

Ad Gregorii Opera quod spectat, Theodoricus Ruinartus qui anno 1699. ultimam eorum editionem Parisiis apud Franciscum Muguet in folio procuravit, nullam occurrere in Catalogo eorum contexendo difficultatem statuit, cum ea in libris suis ipse recensuerit. Et ex istis sane quos nominet, extare omnes scribit, præter librum *de Cursibus Ecclesiasticis*, qui omnino interierit: & *Commentarium in Psalmos*, cujus aliquot solummodo fragmenta supersint, apud Joannem Mabillon *Analectorum* tomo 1. pag. 7. Gregorium etiam lib. 2. *Historiæ Francorum* cap. 22. laudare Sidonii Apollinaris *librum de Missis*, cui ipse præfationem adjunxerit: sed illud opus solo nominetenus innotuisse Ruinartus addit.

Historia sive *Annalium Francorum libri X.* ab initio mundi ad conditam usque Francorum Monarchiam res gestas brevissime percurrentes, deinde ad annum Christi DXCI. copiose enarrantes, cui operi immortuus Gregorius, id in fine imperfectum reliquit. Vulgata ejus exemplaria insigniter depravata esse, non modo sæpius conqueritur, sed & infinitis exemplis probat, qui post Duchesnium & Hadrianum Valesium hosce libros ad quinque melioris notæ Codices MSS. diligenter contulit Carolus Cointius *Annalium Francicorum* Tom. 1. ad annos 417. 544. 545. 567. 572. 576. 580. & alibi non raro. „ Hæc Guillelmus Cavus *Historiæ literariæ* seculo 6. ad annum 573. pag. 423. Cui adversatur omnino Theodoricus Ruinart, ultimus illius editor, contendens illam Historiam esse integram, nec tantis fœdam mendis, ut Carolus Cointius ex levibus nimirum conjecturis suspicatus fuit. Hic in *Prolegomenis* ad editionem suam elegantissimam & ultimam, Quonam ordine singulos Gregorius libros conscripserit, difficulter determinari posse fatetur. Quandoquidem non unum post alterum absolutum deseri-

describere curavit, sed interrupta unius opusculi elucubratione alterum aut inchoarit, aut jam inchoatum continuavit: imo & absolutum data occasione additamentis novis adauxerit. Inprimis vero *Historiam* pro ingenii ejus postremo fœtu habendam esse, non refragatur. Interpolatam vero illam esse negat atque pernegat, & Caroli Cointii argumentis in contrarium adductis, respondere discursu admodum prolixo nititur.

Sunt autem plurimæ tum *Historiæ* S. Gregorii Turonis Archiepiscopi, tum *Opusculorum*, tum simul *omnium Operum* editiones, quas hic recensere, lectori gratum forsitan fuerit. Primam *Historiæ* hujus impressionem anno 1511. Parisiis studio Hieronymi Clichtovei a Joanne Parvo factam, & anno 1512. Guilielmo Parvo adminiculante, typis Jodoci Badii consummatam in 8. novimus, quam altera ibidem subsecuta est anno 1522. in 8. Tertia Parisiis 1561. in 8. apud Gulielmum Morellium. Quarta Basileæ 1568. in 8. apud Flacium. Quinta Parisiis 1610 in 8. quam subsecuta est anno 1613. editio Marquardi Freheri ad Codicem Bibliothecæ Palatinæ facta, in Collectione *Historicorum Francia*, Hanoviæ typis Wechelianis, in folio. Septima quam ad MSS. Cod. collatam quinq;, multis curis edidit Andreas Duchesne Parisiis in folio, Tomo 1. *Historicorum Francia Veterum* pag. 257. anno 1636. Cui Duchesnius præmittit *Vitam Gregorii ipsius Turonensis Archiepiscopi* p. 253. Subjunguntur autem *Gesta Regum Francorum partim ex Gregorii Episcopi Turonensis Historia, cujus & nomen in vetustissimis codicibus præferunt: partim aliunde desumpta, & usque ad Regem Theodericum II. auctore incerto producta, sed qui ejusdem Theodorici tempore circa annum 720. vixit.* pag. 690. *Gregorii Episcopi Turonensis Excerpta Chronica*, sive *Historia Francorum epitomata, ex Fredegarii Scholastici Historia Miscella. Editio Marquardi Freheri collata cum veteri Cod. MS. bibliotheca viri clarissimi Alexandri Petavii, Senatoris Parisiensis.* pag. 722. Denique *Fredegarii Scholastici Chronicon* pag. 740. ad 780.

Hanc *Historiam Francorum Epitomatam* sive *Epitomen de rebus gestis Francorum*, habes quoque in Corpore *Veterum & sincera Historia Francorum* editæ Hanoviæ 1613. in folio, quam Sigebertus in Catalogo cap. 49. S. Gregorio Turonensi tribuit, & quam ante Historiarum libros X. scripserit. Verum Sigebertus fallitur, illaque est liber quartus operis Chronici, quod Fredegarius ille Scholasticus, usque ad annum 768. composuit, ut in *Fredegario* postea dicturi sumus. Jam autem ad Opuscula ejusdem alia, illorumque editiones varias veniamus.

Ex Opusculis S. Gregorii Turonensis, liber *de vitis Patrum*, seu *de vitis quorundam virorum Felicioforum* seu *Religioforum*, extat una cum Historia editus Parisiis 1522. in 8. apud Jodocum Badium Ascensium. *Miraculorum libri VII.* Coloniæ 1583. in 8. apud Maternum Cholinum, nempe *de Virtutibus & Miraculis S. Martini libri IV.* ante annum 590. incœpti, anno demum 595. absoluti. *De gloria Martyrum libri II.* circa annum 590. scripti. *De gloria Confessorum liber unus* anno 595. scriptus. Hæc Opuscula eadem edita anno 1589. Parisiis a Margarino Bignæo in *Bibliotheca Sanctorum Patrum* Tomo 7. *de gloria Confessorum* col. 917. *De gloria Martyrum libri 2.* ibidem col. 837. 897. *De Virtutibus & Miraculis S. Martini libri IV.* ibidem col. 1749. *De Vitis Patrum sui temporis liber unus*, ibidem col. 1821. quem sequuntur alii libelli septem *de Vita sanctis Hilarii &c.* col. 1859. Denique Joannes Baleus deus anno 1640. Parisiis in 8. evulgavit *octo Miraculorum libros* Gregorii Turonensis Archiepiscopi, una cum libello *de Vita & morte septem Dormientium ad Sulpitium Bituriensem Episcopum*, quem anno 1583. Renatus Laurentius de la Barre prævenerat in *Historia Christiana Veterum Patrum*, quam Parisiis in folio edendam procuraverat. Theodericus Ruinart in Præfatione ad editionem suam Operum S. Gregorii Turonensis, inquirit an libelli singulares *de Vita aliquot Sanctorum*, qui a plerisque inter Opera S. Gregorii connumerantur, re vera a *Vitis Patrum*, quæ Gregorium utique auctorem agnoscant, secernendi sint. Id interesse parum arbitratur, censet attamen Gregorium primo Sanctorum aliquot seculi sui Patrum Vitas in unum librum collegisse, inscriptum *de Vita quorundam Felicioforum aut Religioforum:* postea vero cum & aliorum Sanctorum gesta comperta habuisset, de illis libellos edidisse seorsim, quos dehinc vel ipse vel alii sub unico *Vitæ Patrum* titulo cæteris adjunxerint.

Quæ de *Historia septem Dormientium* in utramque partem disputentur, fusius se persequi haud velle asserit, illudque solum observari cupit, quod etsi Epistola operi præfixa Gregorio tribuatur, non inde tamen inferendum esse, Historiam ipsam ab eodem auctore conscriptam fuisse. Docet enim levioris esse momenti *Passionem Sanctorum septem Dormientium Fratrum* Ephesi quiescentium, quam se in Latinum transtulisse sermonem, Syri cujusdam interpretis ope Gregorius fatetur: an autem versio hæc uspiam extet, in medio relinquit. Eam enim quam Surius habeat, Gregorianam non esse, vel ex hoc solo conjicit, quod ibi Dormientium nomina pleraque alia sint, ab iis quæ Gregorius ipse in libro *de gloria Confessorum* recenseat. Hæc de opusculis sub Gregorii Turonensis nomine impressis.

Opera autem S. Gregorii Turonensis Archiepiscopi omnia primus simul edidit Margarinus de la Bigne in editione 2. *Bibliotheca SS. Patrum* Parisiensi 1589. in fol. tomo 7. nempe *Historiæ Francorum libros X.* col. 521. cui etiam *Appendix* sub nomine libri undecimi adjecta est. *De gloria Martyrum lib. I.* col. 837. *De virtutibus & gloria S. Juliani Martyris* sive *de gloria Martyrum liber alter* col. 897. Ejusdem *de gloria Confessorum liber*

col. 917. *Miraculorum S. Martini libri IV.* 1749. *De Sanctorum Patrum & quorundam Felicioſorum vita* col. 1821. *De Vita S. Hillidii Arvernorum Epiſcopi libellus* col. 1859. *De vita Abbatis Abrahæ libellus* col. 1861. *de Vita S. Quintini libellus* col. 1864. *de Vita S. Nicetii Lugdunenſis libellus* col. 1867. *de Vita Patrocli Recluſi libellus* col. 1875. *de Vita S. Calupæ recluſi libellus* col. 1879. *De Vita S. Nicetii Trevirenſis libellus* col. 1884. adjectis cujusque libelli initio Gregorii Turonenſis teſtimoniis, quibus illos librorum nomine & titulo a ſe editos ipſemet teſtatur. Omnium etiam Gregorii Turonenſis Operum editio, notis illuſtratorum prodiit in lucem, cura Michaelis Marellii Abbatis Villalupenſis, Pariſiis in folio anno 1668 ex Frederici Leonardi officina. Editionem tertiam habet Philippus Deſpout amicus noſter, Paſtor Inſanabilium Pariſienſium, ſeu Xenodochii hujus Præpoſitus in ſpiritualibus, in editione noviſſima *Bibliotheca Patrum* quam Lugduni apud Anyſſonios XXVII. tomis in fol. procuravit anno 1677. Illic Opera Gregorii Turonenſis, Tomo XI. paginis 707. 831. 896. 932. 959. Vltima tandem hoc nomine, *Sancti Georgii Florentii Gregorii Epiſcopi Turonenſis Opera omnia, nec non Fredegarii Scholaſtici Epitome & Chronicon*, opera & ſtudio Theodorici Ruinart, Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Mauri Pariſiis apud Franciſcum Muguet 1699. in folio. Poſt tot ergo editiones Operum Gregorii Turonenſis, neceſſariam eſſe novam Ruinartus, noſtras noſterque amicus opinatus eſt, hac potiſſimum ratione ductus, quod Opera illius nondum ſatis accurate ad auctoris mentem, ob Veterum Codicum defectum impreſſa fuerint, quorum plurimos ipſe nactus fuerit.

Præmittit *Apparatum* ſeu *Præfationem* huic operi ingentem, qua multa complectitur conducentia ad intelligentiam Hiſtoriarum Franciæ, ac morum quibus Franci utebantur, omiſſis illis quæ ad fabulas acceſſiſſe videbantur. De bellica eorum virtute diſſerit, de religione, de officiis ac dignitatibus, de Regibus eorumque authoritate monarchica.

De diligentia ejus in novam hanc Operum Gregorii editionem impenſa hæc teſtantur, quod eadem per partes diſcitſa ante & cum variis variorum authorum operibus permixta, in unum nunc volumen collegerit, ab infinitis propemodum mendis liberavit, nonnulla nova addiderit: aliquot capitula olim indicata quidem, ſed nondum inventa, ex quorundam exemplarium fide ſuppleverit: Gregorianæ Hiſtoriæ integritatem aſſeruerit: notasque addiderit marginales, quæ varias MSS. Codicum aut veterum & novarum editionum lectiones exhibeant, tempora rerum geſtarum indicent, locorum ſitus deſcribant, perſonarumque notitiam ſuppeditent. Quid? quod fuſiores aliquot notas ad voluminis calcem adjecerit, quibus nonnulla antiquitatis monumenta, ad illuſtrandam Gregorium idonea inſerantur. Sed pergendum opinamur potius, ad *Apologiam* quam pro Gregorio ſuperaddit.

Dicere nimirum monet aliquos, ſtylo illum adeo ruſtico ſcripſiſſe, ut absque faſtidio vix legi poſſit. Apocrypha veterum ſcripta ab illo nonnunquam fuiſſe laudata, imo non ſolum incerta pro certis, ſed & falſa ab eo data interdum fuiſſe pro veris, & ipſum impegiſſe in errores aliquot. Denique tantæ fuiſſe illum ſimplicitatis & credulitatis, ut quævis promiſcue facta pro miraculis habuerit. At enim vero ſtyli ſimplicitatem non Gregorii, ſed ejus ætatis vitium fuiſſe Ruinartus ait. Eo enim tempore poſt varias clades quos ſub repetitis toties barbarorum incurſionibus Galliæ perpeſſæ fuerint, adeo incultas jacuiſſe literas, ut nemo inveniri potuerit, qui res geſtas conſignare valeret. Aut certe ſi quis politiori eos ſtylo deſcribere aggreſſus fuiſſet, inutilem futuram fuiſſe ejus ſcriptionem cenſet, utpote quam plerique non intellexiſſent. Apocrypha nonnunquam Gregorium ſecutum, falſisque uſum eſſe monumentis, & computationes temporum non ſatis conſtantes adhibuiſſe, haud diffitetur. Sed hæc omnia utilitati Operum illius vix quicquam detrahere exiſtimat, cum pertineant potiſſimum ad veteres hiſtorias, quas ille ex auctoribus variis deprompſerit, unde etiam citra difficultatem aliunde emendari poſſint. Neque in credendis Sanctorum miraculis faciliorem eum aliquando fuiſſe inficiatur. Attamen cum certum ſit ex aliis iſtius ævi ſcriptoribus, miracula multa tunc temporis contigiſſe, non ob id ſolummodo, quod miracula ſunt, rejicienda eadem eſſe cenſet, niſi aliqua ratio gravis id ſuadeat: indeque de miraculorum ſeculo inprimis ſexto frequentia, tunc quidem neceſſaria & ab ipſis etiam hæreticis agnita, uberius diſſerit. Hæc Ruinartus, ut Gregorii Turonenſis excuſet & barbariem ſtyli & ſimplicitatem fidei, ſeu in credendo facilitatem nimiam. Sed Æthiopem ſuum dealbare non poteſt, quidquid dicat, renitentibus viris omnibus eruditis. Ita Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 22. pag. mihi 254. Neque ſolum hoc noſtrum judicium eſt, ſed etiam Sigeberti *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 49. Imo jam ante ſecula prope octo idem ſcripſit Hilduinus in Epiſtola ad Ludovicum Pium Imperatorem his verbis. *Caterum parcendum eſt ſimplicitati viri religioſi Gregorii Turonenſis Epiſcopi, qui multa aliter quam ſe veritas habeat, eſtimans, non callidi tatis aſtu, ſed benignitatis ac ſimplicitatis voto, literis commendavit.*

Idem Theodoricus Ruinart in Præfatione, loquitur quoque de aliis Opuſculis quæ a nonnullis Gregorio Turonenſi attributa ſunt. Fratres Sammarthani Tomo I. *Gallia Chriſtiana* in Archiepiſcopis Turonenſibus, illi adſcribunt *Vitam S. Nicolai.* Sed librariorum manifeſtus error eſt, aut certe authorum iſtorum memoriæ

riæ lapſus, qui *Nicolai* pro *Niceti* nomen invexerint. Etenim Sammarthanos, qui ſoli inter opera Gregorii *Vitam Sancti Nicolai* recenſeant, Voſſii locum ex libro *de Hiſtoricis Latinis* 2. c. 22. exſcripſiſſe: at Voſſium Sancti *Nicolai* vitam non habere, ſed *Niceti*, quam Sammarthani omittant.

Librum *de mirabilibus S. Medardi* inſcriptum inter Gregorii Opera quosdam allegare, ſed eum à Gregorio conceptum fuiſſe Ruinartus negat. Circa libellum *de paſſione Domini*, qui in Catalogo MSS. Angliæ Codicum pag. 127. Epiſcopo noſtro quoque tribuitur, quem ipſe lib. 1. cap. 23. *Geſta Pilati* nominaſſe videtur: illis accedit Ruinartus, qui eum à vulgatis *Geſtis Pilati* haud diſtinguendum eſſe cenſent, quæ extant in *Orthodoxographis* Baſileæ editis anno 1569. pag. 643. Error iſte Voſſio ex eo videtur obortus, quod hic liber à nonnemine, Codici Gregorii Turonenſis ſubjectus fuerit.

Librum *de miraculis S. Andreæ* ſub Gregorii Turonenſis nomine, inveniri obſervat in Codice MS. ab annis circiter 600. ſcripto bibliothecæ S. Germani de Pratis, qui liber in aliis quoque codicibus, ſed abſque Gregorii præfatione habeatur. Hunc autem ſicut & brevem operis Epilogum, Gregorii fœtum eſſe, ſtyli & ſcribendi rationem ſatis indicare aſſerit, etſi hujus libri mentionem nullam in Catalogo operum ſuorum fecerit. Spectat ad Guillelmum Malmesburienſem, ut conſtanter habent MSS. Codices Cottonianæ bibliothecæ.

Vitas ſanctorum Albini & Mauritii Epiſcoporum Andegavenſium, quæ in MSS. Codd. Gregorio adjudicentur, alias non eſſe putat ab illis, quæ ſub Venantii Fortunati nomine proſtant.

In *Vita ſancti Aredii Abbatis Aunenſis*, nihil quidem occurrere quod ſancto Gregorio indignum, aut ab ejus ingenio alienum videatur: ſed phraſes tamen quasdam in eadem haberi, ex Gregorio Magno, & ex Benedicti regula mutuatas, quod moribus Gregorii Turonenſis repugnet. Hæc Theodericus Ruinart de opusculis MSS. Gregorio adſcriptis, ut nihil prætermiſiſſe videatur.

Præterea *Vitam S. Gregorii Turonenſis Epiſcopi* ab Odone Abbate Cluniacenſi (ut putat) collectam, ad multos Codices MSS. contulit, eique virorum illuſtrium de Gregorio teſtimonia attexuit, quam habes quoque apud Aloyſium Lipomanum Tomo 3. & Laurentium Surium Tomo 6. ad diem 17. Novembris. Poſthæc ſubſequuntur *Annales Francici* ſeu Veterum auctorum loca & monumenta alia, qui Gregorium præceſſerunt, in quibus Franciæ aut Francorum mentio occurrit, diſpoſita ſecundum ordinem chronologicum, quæ ſecum à cl. viro Carolo Bultello communicata laudat. Nec indicare omittit MSS. Codices varios, quibus felici cum ſucceſſu hoc in opere uti licuerit. Hæc de editione hac ultima Operum omnium S. Gregorii Turonenſis Archiepiſcopi, aliisque antiquioribus, nobis ſuggeſſerunt dicenda, Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 22. pag. 253. editionis ultimæ. Fratres Sammarthani Tomo I. *Gallia Chriſtiana* in Archiepiſcopis Turonenſibus. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo 6. ad annum 573. pag. 422. *Acta Eruditorum Lipſiæ* ad annum 1700. Menſe Octobri pag. 437. ad 443. Theodericus Ruinart, in Præfatione ad editionem Operum hujus Gregorii, quam procuravit accuratiſſimam omnium.

CASSIODORVS CONSVL, TVM MONACHVS ET ABBAS VIVARIENSIS, anno 514. ad Conſulatus honorem, quem ſolus eo anno geſſit, promotus eſt: Theodorico ejusque ſucceſſoribus Gothorum Regibus cariſſimus. Multis præclarisque apud Theodoricum officiis perfunctus, in illius quamdiu vixit, aula primas tenuit: qui poſt ipſius mortem ab Athalarico Rege & Amalaſuntha matre ſupremis Regni conſiliis non tam admotus quam præfectus, anno inſuper 534. Præfectura Prætorii ab iis iterum honeſtatus eſt. Verum ut inconſtantes atque variæ ſunt humanæ vitæ viciſſitudines, Caſſiodorus anno 537. à Vitige Rege exauthoratus, ſeculo renuntiato, Monaſterium Vivarienſe ſive Caſtellenſe dictum prope civitatem Scyllitanam in extrema Calabriæ parte poſuit & incoluit. Ibi totum ſe divinæ pietati contulit, totum lectioni atque Scripturarum meditationi & commentationibus. Circa annum 550. Libros *de divinis Lectionibus* compoſuit, certe poſt celebratum Concilium quintum Oecumenicum, quod parum approbavit. Anno 562. conſcripſit Paſchalem computum, cui operi quot annis ſuperfuerit, non liquet. Denique à nonnullis mortuus fertur anno 575. quamvis hoc valde incertum ſit, nullaque quod ſciam authoritate nitatur. Hæc ex aliis pauca, quibus addam, *Omnia Aurelii Caſſiodori Opera* inſigni ſtudio duobus in folio tomis impreſſa eſſe Rothomagi anno 1679. impenſis Antonii Dezalier Bibliopolæ Pariſienſis, eaque collata fuiſſe cum MSS. Codicibus cura & ſtudio Domni Johannis Garetii Monachi Benedictini Congregationis ſancti Mauri, *Vita* dicti Caſſiodori præmitia cum Diſſertatione de ejus Monachiſmo, variisque Scriptorum de eo teſtimoniis. Quem multis ornant laudibus, quotquot ſcripſerunt *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ut Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro*. Bellarminus & Labbeus in Opere *de Scriptoribus Eccleſiæ*. Aubertus Miræus in Scholio ad caput 21. libelli 3. Honorii Auguſtodunenſis. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo 6. ad annum 514. pag. 390. qui ſemper Scriptores facit antiquiſſimos, quantum poteſt. 570

LEONTIVS BYZANTINVS SCHOLASTICVS, ex advocato ſeu cauſidico, vel 580

ut quidam alii ſcribunt, ex Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbytero, Monachus in Laura ſancti Sabæ prope Hieroſolymam, non ſcripſit ante quintam Synodum Oecumenicam ut Bellarminus cenſuit, neque Juſtiniani Magni Imperatoris tempore floruit, ut Baronius contendit: ſed pervenit ad extrema Juſtini Junioris & Tiberii tempora, ac forte etiam usque ad Mauricii Imperium. Nam in Actione quinta *de Sectis* inter Alexandrinos Antiſtites Eulogium ultimum enumerat, qui ſedit ab anno 581. usque ad annum 604. atque ſub Phoca mortuus eſt, cujus nonnulla Excerpta ſive Eclogas ſubminiſtrat Bibliotheca Photii. Idem videtur doctiſſimo Voſſio Lib. 4. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 8. cum Leontio Cyprio, de quo nos poſtea ſub initium ſeculi ſeptimi: nempe ut fuerit patria quidem Byzantinus, ac profeſſione primum cauſidicus, poſtea vero ad Eccleſiam accedens, ſacrisque initiatus, ſucceſſu temporum Epiſcopus factus ſit Cyprius: cui tempora ſane non repugnant. Hæc Cavo arrident. Errant autem qui eundem eſſe putant cum Leontio Byzantino, cujus meminit Cyrillus in Vita ſancti Sabæ Abbatis, & in *Vita ſancti Cyriaci Anachoretæ*, pag. mihi 116. & 118. cujus mortem pollicetur in brevi futuram ſanctus Cyriacus, qui anno 557. obiit. Hic ergo fautor Origenianorum errorum in Laura ſancti Sabæ, quem ante annum 557. in brevi moriturum prædixit Cyriacus, ad annum hunc 580 vel 590. pervenire non potuit. Noſter autem Leontius, non tantum non imbutus Origeniſtarum erroribus, vel Theodori Mopſueſteni ſectator, ſed etiam contra Origenem & Origeniſtas refellit, invehiturque in Theodorum Mopſueſtiæ, Diodorum Tarſi, & Neſtorium Conſtantinopolis Antiſtites. Hujus ſunt *Excerpta ex ore Theodori Abbatis religioſiſſimi & doctiſſimi Philoſophi, divinis pariter externisque literis eruditi, de ſectis Hæreticorum ac Synodo Chalcedonenſi, diſtincta in Actiones decem:* quæ extant Græce & Latine una cum aliis opuſculis, nempe cum legatione Manuelis Commeni ad Armenos, Joanne Leunclavio interprete, Baſileæ a. 1578. in 8. Tum in Auctario Ducæano Bibliothecæ Veterum Patrum Pariſienſi anni 1624. tom. 1. p. 493. denique tomo XI. editionis Morellianæ Pariſienſis Græco Latinæ pag. 493. usque ad p. 544. Opus iſtud extat Græce MS. in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theologico Græco CCXXXV. num. 2. & quidem à folio 178. pag. 1. usque ad folium 210. pag. 1. cujus meminit Lambecius Lib. 5. ſeu tomo Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, pag. 76. Idem Græce ibidem Cod. MS. Theologico Græco CCL. & quidem à fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 10. pag. 2. & à fol. 79. pag. 1. usque ad fol. 108. p. 1, cujus meminit Lambecius tomo eodem p. 145. denique in eadem illa Bibliotheca Cæſarea, MS. Theologico Græco XLV. num. 3. fol. 103. atque deinceps usque ad folium 138. In eadem Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi Codice MS. Theologico eodem XLV. num. 6. & quidem fol. 143. ac deinceps usque ad 186. Κύρε Θεοδώρε τῦ φιλοσόφε τῆς ἐξηγήσεως τῶν θείων καὶ ἱερατικῶν κανόνων: Hoc eſt ut ego interpretor, *Excerpta ex Domini Theodori Philoſophi & Abbatis explicatione difficilium vocabulorum & phraſium in Canonibus ſive Canticis ſacris Divinorum atq; Dominicorum Feſtorum:* quæ ejusdem authoris eſſe cenſet Lambecius. Idem ſcripſit *Adverſus Eutychianos & Neſtorianos, Libros III. Adverſus fraudes Apollinariſtarum Libros II Solutiones argumentorum Severi. Dubitationes hypotheticas & definitiones, contra eos qui negant in Chriſto duas naturas.* Quæ omnia Opuſcula proxime recenſita Latine ſolummodo habentur ex interpretatione Turriani, apud Henricum Caniſium tomo IV. pag. 1. & ſequentibus *Antiquæ Lectionis:* Sed Græca MSS. ſunt Romæ inter Libros Græcos quos Societati idem Turrianus reliquit, quando ipſam ingreſſus eſt. Hæc Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus attigit, tom. 2. pag. 24. Leontius autem alter, de quo ſupra locuti ſumus, Presbyter patria Byzancenus, Monachus & Abbas *Laura ſancti Sabæ*, ſub quo anno 542. ad Monaſterii præfecturam elato, Cyrillus Scythopolitanus vitam Monaſticam profeſſus eſt: idem ſcripſit *Vitam ſancti Gregorii Epiſcopi Agrigentini*, quæ Græce MS. extat in Codice 1677. Bibliothecæ Colbertinæ, ſub hoc titulo: Λεοντίε πρεσβυτέρε καὶ ἡγεμένε τῆς μονῆς τῦ ἁγίε Σάβα τῆς Ῥωμέων πόλεως εἰς βίον καὶ θαύματα τῦ ὁσίε πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίε τῦ ἀγραγαντίνε. Ita Carolus Dufrenius du Cange, ad finem *Gloſſarii media & infimæ Latinitatis*, in Indice Scriptorum ineditorum, pag. ſeu col. 29.

EVSTRATIVS CONSTANTINOPOLITANÆ ECCLESIÆ PRESBYTER, quem in *Supplemento* Bellarmini de Scriptoribus Eccleſiaſticis pag. 173. ad annum 650. collocaveram, ſecutus Labbeum in *Brevi Chronologia Scriptorum Eccleſiaſticorum*, qui ad eundem annum aſſignaverat. Re poſtea attentius inſpecta, lectoque Cavo in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo 6. ad annum 560. pag. 416. aliter de ætate Euſtratii ſtatuendum eſſe arbitratus ſum. Etenim Cavus declarat, de ejus ætate ſilere fere omnes tum veteres tum recentiores, de qua ne verbum quidem habet, qui hunc Scriptorem primus edidit, doctiſſimus Allatius. „Ad veram igitur ætatem indagandam animadvertit „1. Photio fuiſſe antiquiorem, qui Cod. 171. Bibliothecæ ipſum citat, nec de eo tanquam nupero authore loquitur. 2. Claruiſſe poſtquam Opera Pſeudo-Dionyſii Areopagitæ, quem non raro laudat, in publicum prodierunt: quæ nonniſi ineunte hoc ſeculo palam innoteſcere cœperunt. 3. Videri claruiſſe ſub Eutychio Patriarcha Conſtantinopolitano, de quo ita loquitur: ὁ μέγας Εὐτύχιος ἀρχιεπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως, ἡ μὲν πάντα τιμία

580

„μία καὶ ἱερὰ κεφαλή. *Magnus Eutychius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, venerandum mihi „in omnibus, ſacrumque caput.* Hinc infert clarüiſſe circa annum 560. ſaltem non diu poſtea, „ac proinde falli Caſimirum Oudin, qui ex brevi „Labbei Chronologia illum integro pene ſeculo „recentiorem facit. Quem igitur ſecutus Labbeum anno 650. aſſignaveram, hic ad annum circiter 580. vel 590. aſſignavimus, quem proinde annis tantum 50. recentiorem feceramus: non tamen omnimodo amplectimur Cavi ſententiam, qui illum anno 560. aſſignat. Rationem damus, quia Euſtratius fuit Presbyter & familiaris domeſticus ſancti Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui anno Domini 586. mortuus eſt. Qui cum magiſtro in exilium profectus atque Conſtantinopolim reverſus, nunquâ ab ejus latere diſceſſit usq; ad mortem. Scripſit *Vitam hujus ſancti Patriarchæ*, annosque, menſes & dies aſſiduus diligensque obſervavit, quam ex MS. Codice Vaticano Græce & Latine ediderunt Succeſſores Bollandi, ad diem 6. Aprilis. Hanc autem Vitam Imperante Mauricio ſcripſit Euſtratius, in anniverſario die obitus ſancti Eutychii circa annum 590. Vnde tutius colligimus tempus quo floruit Euſtratius, quam Cavus qui illum a. 560. adſcribit. Scripſit quoque *Librum de vita functorum animabus*, cujus meminit Photius in Bibliotheca Cod. 171. his verbis, pag. mihi 383. „Legi librum Euſtratii Magnæ Eccleſiæ Presbyteri, qui oratione quidem „uſus eſt minime laudabili, ſed argumentis non „admodum culpandis: dictio autem ipſa perſpicua eſt. Tria potiſſimum illi propoſita. „Primum quidem Beatorum animas, mox ut „corpore ſolutæ ſint, operari: nec Beatorum „duntaxat, ſed & omnium omnino, prout quisque meritus ſit, hominum. Animas illas, quæ „multis ſeſe ſæpenumero, variisque modis conſpiciendas offerunt, in ſua quamque natura apparere: nequaquam vero divinam virtutem „in formas ſanctarum animarum traductam, „operationes illas exhibere. Quid enim fingere attinet ſeu formas ſeu figuras, cum promptius ea poſſint a ſanctis illis animis, quæ numini viſa ſunt, perfici? Quod quidem utrumq; caput cum Vet. ac N. Teſt. locis, cum vero diverſorum Patrum teſtimoniis confirmare nititur. „Tertium denique caput hoc ſtudioſe perſequitur, oblata pro iis qui in fide obierunt, à Sacerdotibus ſacrificia atque donaria, vel preces alioquin ſupplicationesque, & eleemoſynas pro „iisdem factas, ad fidelium ſalutem ac delictorum remiſſionem iis valere ommino, pro quibus „hæc offerantur. In his autem, *tertia offerre „ſacra* refert, qui Dominicæ, ac triduanæ Reſurrectionis myſterium, in precationis ſubſidium „atque auxilium aſſumunt. *Novendialia* ſimiliter, quod poſt octavum à reſurrectione diem, „viſus iterum eſt à diſcipulis CHRISTVS. Præterea *quadraginta*, quod poſt dies totidem à diſcipulis poſtremum viſus, in cœlos cum humana noſtra natura aſcendit.“ Non ergo Opuſculum iſtud Euſtratii, in libros tres diſtinctum à Photio profertur, ſed in tres quaſi partes ab authore diſtributum, pro diverſitate argumentorum. Juvat hoc Opuſculum plurimum, ad ſtabiliendum ea ratione purgatorium, qua a Romanæ Communionis hominibus ſtatuitur: cum cenſeat Euſtratius, Vita functos ſacrificiis, precibus & eleemoſynis adjuvari atque ſolamen accipere. Edidit hoc Opuſculum Euſtratii Græce & Latine Leo Allatius pag. 319. ad pag. 581. libri *de concordia & conſonantia Orientalium atque Occidentalium in Dogmate de Purgatorio*, Romæ anno 1655. in 8. apud Joſephum Lunam Maronitam: unde poſtea latine tantú tranſiit in Bibliothecam ſanctorũ Patrum ultimæ Lugdunenſis editionis, a. 1677. apud Aniſſonios fratres. Quod denique Euſtratio iſti Conſtantinopolitano Presbytero adſcripſi, *Commentarios in poſteriora Analytica Ariſtotelis*, Græce Venetiis anno 1534. editos apud Aldum Manutium; Itemque *Commentaria in libros Ethicorum*, Græce in fol. Venetiis, anno 1536. apud eundem, Latine vero Pariſiis anno 1543. per Joannem Bernardum Felicianum: perperam à me factum eſt, ut annotavit Cavus, cum ex ſolo librorum titulo diſcere poteram, eos eſſe Euſtratii Metropolitæ Nicæni, qui anno 1110. floruit. Agunt de Euſtratio noſtro Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbytero, Leo Allatius, qui Opuſculum ejusdem è tenebris eruit. Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro*. Aubertus Miræus in Auctario ſuo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 188. pag. 217. Continuatores Bollandi, ad diem 6. Aprilis, in Prolegomenis ad Vitam S. Eutychii Patriarchæ Conſtantinopolitani.

580. JOANNES GRAMMATICVS COGNOMENTO PHILOPONVS, patria Alexandrinus fuit, quem arte quidem Grammaticum, cognominatum fuiſſe *Philoponum* volunt, ob ſtudiorum aſſiduitatem, atque in laboribus Literariis quandam avaritiam. Claruit ſub medium circiter ſeculi ſexti, quamvis usque ad initia ſeculi ſeptimi venerit, atque ad tempora Sergii Patriarchæ Conſtantinopolitani, cui nonnullos ex Tractatibus ſuis dicavit. Qui quamvis inſignem ſibi gloriam comparaſſet, dum adverſus Proclum Lycium pro Chriſtiana Religione ſcripſerat: in baratrum tamen impietatis corruiſſe legitur, dum ſuo nimium ingenio fidens, ſcribit adverſus quartam Synodum Oecumenicam, ut inquit Photius in Bibliotheca Cod. 55. Lectus eſt liber Joannis Φιλοπόνου aut potius „Μαλαιοπόνου i.e. *laboris amantis* ſeu potius *amentis* „*adverſus ſacram & œcumenicam quartam Synodum.*“ Hic ſtylo ſui ſimilis eſt. Impingere vero imputenter conatur ei Synodo Neſtorii ſectam, atque ab illa hujus *anathematiſmum* receptum eſſe: quod nihil ſe putaret in hominem peccare, quando dogma ejus ſanciatur. Quod ſanctum etiam, ipſe anathemati ſubjectus Neſtorius,

„rius, omnibus rebus anteponat, adametque „hoc agendo atque prodigioſe fingendo, quod „ejus ingenium mentisque inſtabilitatem de„ceat. Ac tales quidem hic Scriptor nugas au„dacter jactitans, quatuor partibus totam co„mœdiam adverſus Synodum abſolvit, re nulla „fide digna, neque adeo ſanæ mentis allata. Dixi autem claruiſſe *Philoponum* circa ſeculi VI. medium, temporibus enim Joannis Scholaſtici, qui ab anno DLXIV. ad LXXVIII. Pontificalem Regiæ urbis Conſtantinopolitanæ cathedram tenuit, evulgavit ſuam hæreſim: quod teſtantur Acta Diſputationis Severianorum adverſus Tritheitas, habitæ coram Joanne Scholaſtico Epiſcopo Conſtantinopolitano ſub Juſtino Imperatore, cujus meminit Photius Codice 24. his verbis. „ Lectus eſt liber continens *Acta „Diſputationis* initæ coram Joanne Regiæ urbis „Epiſcopo, Juſtino imperante, inter Cononem & „Eugenium Tritheitas, & Paulum & Stepha„num, qui & ipſi hæſitantium de numero erant. „Hic viſuntur Conon & Eugenius, Philopono „patrocinari: cum enim Paulus & Stephanus „ab ipſis poſtularent, ut Philopono anathema di„cerent, recuſarunt. Quin & proferunt teſti„monia, quod cum Severo atque Theodoſio „ipſorum præceptoribus, eadem ſentiret. Hi „quidem multas in Theologicis pias voces ad„hibent, ut Trinitatem conſubſtantialem eſſe, „ejusdemque naturæ, & unum Deum, unamque „Divinitatem: blaſphemant vero, dum ajunt, „Patrem & Filium & Spiritum Sanctum partia„les eſſe ſubſtantias, propriasque divinitates & „proprias naturas. Ita ſecum ipſi & cum veri„tate pugnantes, alia plura id genus deliramen„ta proferunt. Idem ut teſtatur Nicephorus Calliſtus Lib. 18. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 47. ita Reſurrectionem mortuorum obliteravit, *ut aſſereret corpora noſtra corrumpi ſecundum formam atque materiam, futurumque viſibilis hujus mundi interitum, & rurſum novi mundi creationem, alienum, atque alia plura.* Ita Photius in Bibliotheca Cod. XXI. „ *Lectus Joannis Philoponi de „Reſurrectione Liber tomis . . . , quibus corporum „Reſurrectionem rejicit, & multa inconſidente jactat, „Sanctorum etiam Patrum authoritatem riſu inſe„ctari auſus.*„ Contra quem ſcripſerunt Theodoſius Monachus, *inſignem eorum quæ à Joanne „Philopono adducta erant citationum adverſus corporum Reſurrectionem* Confutationem: in qua & loca ſacræ Scripturæ ſanctorumque Patrum adducit, quibus Joannis amentia refellitur. Idem Conon, Eugenius, & Themiſtius præſtiterunt, ut teſtatur Photius in Bibliotheca Codd. XXII. & XXIII. Cum autem Joannes Scholaſticus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Libello aureo *Sanctam ac conſubſtantialem Trinitatem aſſeruiſſet*, contra eum ſcribere auſus eſt Philoponus, ut habet Photius in Bibliotheca Cod. LXXV. his verbis: „Legi Joannis Philoponi libellum „adverſus ea quæ pro certo dogmate *de ſancta „ac conſubſtantiali Trinitate* divine tradit beatus Joannes Scholaſticus, Archiepiſcopus Con„ſtantinopolitanus, in *Oratione ſua Catechetica*,„ quam Juſtino minore imperante habuit, Indi„ctione prima.„ Scripſit quoq; Commentarium *in Hexaëmeron*, unde vitam usq; ad a. DCIX protraxiſſe intelligitur. Cum illud opus ſuum in *Hexaëmeron* Sergio Patriarcha CP. hortante ſuſceperit, eique abſolutum nuncupaverit. De illo Photius in Bibliotheca Cod. XLIII. „Legimus Joannem Philoponum in *Hexaëmeron*,„ quo in libro purus eſt & clarus, ſeque ipſe di„cendi modo vincit: atque ut Baſilio Magno „plurimum fere conſentit, ſic per omnia Theo„doro Mopſueſtiæ repugnat. Qui idem ipſe „argumentum aggreſſus, *Interpretationem Gene„ſeos* librum inſcripſit, cujus opiniones Philo„ponus reprehendens, contra niſus eſt.„ Et Codice CCXL. Legi Joannem Philoponum in „*Hexaëmeron*. Dedicat librum Sergio Con„ſtantinopolitano, cujus ſuaſu ſe labo„rem ſuſcepiſſe præfatur: ſeque eo reſpexiſſe, „ut oſtenderet Mundi ortum apud Moſem re„bus apparentibus reſpondere.„ Hoc Opus impreſſum eſt ex MS. Codice Theologico Græco LV. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, ubi legitur: „Secundo & quidem à fol. 61. p. 2. „usque ad folium 141. pag. 2. *Joannis Philoponi „libri ſeptem in Hexaëmeron ſive in Caput Geneſeos „primum de creatione mundi*, quos Balthaſar Cor„derius Soc. Jeſu Theologus, ex vetuſtiſſimo „hoc Codice Cæſareo, Græce & Latine primum „in lucem edidit Vindobonæ typis Georgii Gel„baar anno 1630. in 4. ut pluribus indicavi libro „primo horum Commentariorum p. 138. 139. „& 143.

Tertio & quidem à fol. 142. pag. 1. usque ad „fol. 146. pag. 1. ejusdem jam memorati *Joannis „Philoponi Diſputatio de tempore celebrandi Paſcha„tis*, quam idem Corderius ex antiquiſſimo hoc „Codice Cæſareo Græce & Latine primum edi„dit tanquam *Appendicem* præcedentis operis in „*Hexaëmeron*: ut libro primo horum Commen„tariorum pag. 138. 139. & 143. pluribus indi„cavi.„ Ita Lambecius tomo 3. ſeu Libro Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 75. Idem opus extat Græce MS. in bibliotheca Bodleiana Codice 294. Barocciano num. 19. pag. 440. ad 453. Pergit Lambecius l. c.

Idem Joannes Philoponus ſcripſit, *Adverſus „Procli Opus contra Chriſtianos librum*, in quo Pro„cli argumentis maxima lectorum omnium ad„miratione occurrens, ea præclariſſime refuta„vit: eumque vel in ipſis Græcis diſciplinis, „propter quas magnifice de ſe ſentiebat atque „efferebatur, indoctum ac amentem eſſe de„monſtravit.„ Sic Suidas in voce Πρόκλος. Hic autem *liber contra Proclum de mundi æternitate*, prodiit Græce Venetiis 1535. apud Aldum Manutium. Denique ejusdem *in Procli Diadochi octodecim argumenta de mundi æternitate*, Latine in folio Lugduni anno 1557. interprete Joanne Mahotio.

Præ-

Præter hæc Opuſcula tria Theologica quæ ad nos usque pervenerunt, & alia temporum lapſu deperdita, de quibus ſuperius locuti ſumus, ex Bibliotheca Photii Codd. 55. 75. & 21. Scripſerat quoque librum *contra Jamblici Opus de ſimulacris*, in quo Procli argumentis eximie reſpondet, cujus ſcopum ſummatim exhibet Photius in Bibliotheca, Cod. CCXV. „Legi *Joannis Philoponi Librum adverſus Jamblici Opus* quod „*de ſimulachris* inſcripſit. Scopus autem Jam„blico propoſitus eſt oſtendere, cum divina eſſe „idola, nam iſta etiam ſimulacri nomine com„plectitur: tum præſentia numinis referta. „Non ſolum quæ hominum manibus occulta „quadam arte fabricata, ob incognitum nimi„rum artificem, cœlo delapſa nominentur, (hæc „enim & cœleſtis eſſe naturæ, & inde in terram „decidiſſe, unde etiam ſint merita nomen acci„pere:) verum etiam quæcunque fundendi ar„te aut ſculpendi, atque fabrili certa ſimul mer„cede & opera, ab artificibus conformata eſſent. „Horum igitur omnium opera naturam exce„dere, & hominum opinione majora eſſe Jam„blicus ſcribit: multa partim incredibilia e fa„bulis narrando, partim in obſcuras cauſas refe„rendo, partim etiam contra atque oculis cer„nantur, ſcribere nil metuendo. Opus inte„grum duas in partes ſecat, *majoremque* alteram, „alteram *minorem* nominat. Vtramque Philopo„nus oppugnat, conſueto orationis genere uſus, „quin & compoſitionem ad ſolitam ſibi formam „adaptans. A puro enim & dilucido non re„cedit, neque tamen elegantia & Attica phraſi „exornatus nitet. Rationum præterea Jambli„ci reprehenſiones ſane generoſas, & per ipſas „quoque penetrantes cauſas frequenter tibi ex„hibet: quas interdum ſuperficie tenus tan„tum refellentes, & ad ſola nomina relatas, lon„giusque a re controverſa recedentes adfert: „etiam cum hæc redarguenti valde eſt obno„xia, & per ſe imbecillitatem ſuam prodit.

Item ſcripſit *contra Severum librum*, cujus meminit Suidas in voce, Ἰωάννης ὁ γραμματικός.

Denique *Librum de unione* Διαιτητὴν ſive *Arbitrum dictum*, Sergio CP. rogante compoſitum, de quo fuſe agit Nicephorus Calliſtus Lib. 18. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 47. ubi & Latinias ejus quasdam adducit.

Extant ejusdem, *de Dialectis Græcorum liber*, Græcolatine Baſileæ typis excuſus 1532. Pariſiis 1521.

Commentarii *in Priora Analytica*, Græce Venetiis in fol. 1536. Item iidem Commentarii ab Alexandro Juſtiniano Chio Medico, in Latinum converſi in fol. Valgris 1560.

In poſteriora Analytica Græce Venetiis in fol. anno 1534. & ibidem an. 1584. apud Aldum Manutium. Ejusdem *in primos IV. Libros de naturali auſcultatione*, Græce in fol. Venetiis 555. ejusdem *Explanatio in IV. Libros Phyſicorum*, Joanne Baptiſta Raſario interprete, Græce Venetiis an. 1527. Latine in fol. ibidem, 1569.

Commentarius in libros de anima, Græcè in fol. Venetiis anno 1535. Itemque Latine Gentiano Herveto interprete, Lugduni in folio 1558. apud Juntas.

Ejusdem *in Libros quinque Ariſtotelis de generatione Animalium*, Græce in fol. Venetiis 1526.

Ejusdem *Commentarii in tres libros Meteororum*, Latine Joanne Baptiſta Camotio interprete, in f. Venetiis, anno 1551. Agunt *de Joanne Philopono*, ſæpe Photius in Bibliotheca, locis citatis. Antonius Poſſevinus tom. I. *Apparatus ſacri*, verbo *Joannes Grammaticus* & *Joannes Philoponus*. Gvillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad annum 601. pag. 441. Petrus Lambecius tomo 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, p. 75.

CORIPPVS AFRICANVS, arte Gramma- 588.
ticus, religione Chriſtianus, tempore Juſtini junioris Imperatoris, circa annum DLXXXII floruit, inter Poëtas ſui temporis non ignobilis. Reliquit enim Poëma hiſtoricum Libris IV. Carmine heroico, *de laudibus Juſtini Auguſti junioris*, cujus ætate claruit, non inſipidum, neque ut in lucem produceretur indignum. Iſtud Opuſculum eduxit primus è tenebris Manuſcriptorum codicum Michael Ruizius à ſe Scholiis brevibus ornatum, impreſſum Antverpiæ in 8. anno 1585. apud Plantinum, cum Poëmate *de excidio Hieroloſymitano* Petri Apollonii Collatii Presbyteri Novarienſis, quod primus ediderat Joannes Gagnæus Theologus Pariſienſis anno 1516. in 8. emendavit autem Adrianus van der Burchius, atque à Chriſtophoro Plantino iterum Antverpiæ excudi emendatum anno 1585. in 8. procuravit. Idem Opuſculum Coripp Africani iterum emendatum ad MS. Cod. atque Commentariis ſuis illuſtratum, recudendum ſategit Pariſiis anno 1610. in 8. Thomas Dempſterus Doctor Theologus Scotus, cujus varia extant Hiſtoriarum & Controverſiarum Opuſcula. Huncce *Juſtini Panegyricum* Corippus, Anaſtaſio Quæſtori & Magiſtro dicavit, uti Præfatio operi præmiſſa indicat, ne fallat editio Michaelis Ruizii, in qua hoc Opuſculum haud recte *Panegyricus Anaſtaſii* inſcribitur. Laudat equidem Anaſtaſium Corippus, ſed paucis nec aliter quam præfantes ſolent, nec alio fine quam ut ſe & Opus ſuum illi commendet: Argumenta etiam capiti, quæ in editione prima Corippo præmittuntur, & quæ perperam ac malo exemplo poſtremus editor Thomas Dempſterus omiſit, ſcriptoris valde antiqui ſunt, & ipſius fortaſſe Coripp. Nec enim mirum ſit, ſi homo Grammaticus, more Grammatico *periochas* operis ſui concinnavit. Legas autem prioris libri I. cap. V. perperam *Juſtinum per quietem vidiſſe S. Mariam Virginem*. Atqui Corippus licet Chriſtianus, non de *Beata Maria*, ſed de *Dea Pietate*, mo-

more Poëtarum loquitur, quod hi verſus ſatis indicant.

Cum Virgo ſuperas cœli demiſſa per auras,
Aſpectu clemens, & greſſu lata pudico,
Purpureas velata comas, oculiq; benigna
Quantum ſigna dabant, ſacra Pietatis imago,
Divinos fletit ante pedes.

Vnde colligo aut Periocharum authorem à Corippo alium eſſe, qui Poëtæ mentem non ſatis aſſecutus ſit, aut potius locum eſſe à juniore aliquo interpolatum. Hoc ſi verum eſt, pro *S. Mariam Virginem*, reſcribi *Pietatis imaginem* debeat. Ita nos ut plurimum ex Gerardo Joanne Voſſio, qui facit mentionem Corippi Lib. 3. *De Hiſtoricis Latinis* parte IV. quæ eſt *De Hiſtoricis prætermiſſis* cap. 3. pag. mihi 748. Ejusque meminit Catalogus Bibliothecæ Oxonienſis, verbo *Corippus Grammaticus*.

580. PASCHASIVS ſancti Martini ex Dumienſi Abbate Bracarenſis Epiſcopi Diaconus, anno circiter 580 claruit, tranſtulitque in Latinam linguam Librum *De Vitis Patrum* Græce ab incerto authore conſcriptum, qui in editione Plantiniana ſeptimus ordine eſt, quem Martino Abbati Dumienſi dicavit. Cum autem Martinus anno 563. Concilio Bracarenſi II. Epiſcopus interfuerit, recte circa annum 560. ad hunc honorem promotus creditur: unde cum Paſchaſius ipſi adhuc Abbati Dumienſi exiſtenti, interpretationem ſuam obtulerit, certo ante annum 560. eam aggreſſus eſſe credendus eſt. Alius ab iſto fuit S. Paſchaſius Romanæ Eccleſiæ Diaconus, Martyrologio Romano ad diem 31. Maji adſcriptus, cujus meminit Sigebertus in Catalogo Scriptorum cap. 17. qui a nobis ſupra recenſitus eſt. Hujus poſterioris meminit S. Gregorius Magnus Lib. 4. *Dialogorum* cap. 40. Guilielmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad annum 501. pag. 382. Sed alterius de quo hic loquimur, oblitus omnino eſt.

580. LEANDER HISPALENSIS ARCHIEPISCOPVS, ex patre Severiano, antea profeſſione Monachus, tandemque ex Monacho Eccleſiæ Hiſpalenſis in provincia Bætica conſtitutus Archiepiſcopus. Vir ſvavis eloquio, præſtans ingenio, doctrina quoque tantum atque vita exemplari valuit: ut fide ejus atque induſtria Gens Gothorum ſeu populi ab Ariana inſania ad fidem Catholicam reverterentur. Hic ex Hiſpania Conſtantinopolim anno 583. ad Tiberium Auguſtum legatus transmigravit, Synodo Epiſcoporum interfuit, & cum ſancto Gregorio Papa, qui pro Pelagio ſecundo tunc partes legati agebat, familiaritatem intimamque neceſſitudinem habuit. Ex vitæ ſtudiorumque ſimilitudine conciliatas eſſe voluntates, indicio ſunt *Libri Moralium* à ſancto Gregorio Leandri hortatu, ejusque nomine in publicum editi. Tradit Joannes Biclarenſis anno 589. Leandri atque Eutropii tunc Abbatis Servitani, atque poſtea Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopi conſilio atque auctoritate, Actiones Concilii tertii Toletani potiſſimum gubernatas fuiſſe. Scripſit *Librum unum ad Florentiam ſororem ſuam, de inſtitutione & contemptu mundi, titulorum diſtinctionibus prænotatum*, inquit Iſidorus libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 28. quem ex MSS. Codicibus edidit Lucas Holſtenius in *Codice Regularum* parte 3. pag. 89. Sic orditur. *Incipit in Chriſti nomine ſancti Leandri Hiſpalenſis Epiſcopi, de inſtitutione Virginum & contemptu mundi, ad Florentiam ſororem Liber.* Leander Dei miſericordia per gratiæ in Chriſto mihi filiæ & ſorori Florentiæ. *Perquirenti mihi ſoror cariſſima Florentina, quibus te divitiarum cumulis hæredem facerem, qua te patrimonii ſorte ditarem &c.* Mortuus eſt Leander anno Domini 603. die 27. Februarii, ſuccedente ſibi fratre ſuo Iſidoro ad Archiepiſcopatum Hiſpalenſem. Plura de eo Surius & Bolandus ad diem 27. Februarii, poſt Iſidorum Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 28. Honorium Auguſtodunenſem Libello 3. *de iisdem Scriptoribus* cap. 34. Antonium Poſſevinum in *Apparatu ſacro*. Aubertum Miræum in Bibliotheca Eccleſiaſtica, Scholio ad caput 28. Iſidori, pag. 89. quos conſulere potes.

585. MARIVS AVENTICENSIS, SEV LAVSANENSIS EPISCOPVS, anno Chriſti 585. Concilio Matiſconenſi ſubſcripſit. Annos viginti & menſes octo in Epiſcopatu exegit, qui ætatis anno ſexageſimo quarto, pridie Kalendas Januarias obiit, qua die nomen ejus ſacris adſcriptum eſt faſtis. Sepultus fuit Lauſannæ in Eccleſia ſancti Tyrſi, quæ exinde ob novi Hoſpitis celebritatem, *ſancti Marii* nuncupata eſt. Scripſit *Chronicon* à tempore quo ſanctus Proſper Aquitanus deſinit, ſive à Conſulibus Valentiniano VIII & Authemio, id eſt à Chriſti anno vulgari 455. usque ad annum 581. quod Petrus Franciſcus Chiffletius Societatis Jeſu Theologus, primus ex MSS. Codicibus eruit, & Andreas Ducheſnius inſeruit tomo I. pag. 110. Collectanei ſui *Hiſtoricorum Coætaneorum Franciæ*, quod anno 1638. apud Sebaſtianum Cramoiſy, & annis ſequentibus, tomis in folio quinque impreſſum eſt. Agunt *de Mario Aventicenſi* Andreas Ducheſnius loco citato. Sammarthani fratres in *Gallia Chriſtiana*, ubi de Lauſanenſibus Epiſcopis.

586. EVANTVS SEV EVANTIVS, VIENNENSIS IN GALLIA EPISCOPVS. Hic *Abbas* primum Ordinis incerti ſeu innominati, tum poſtea *VIENNENSIS IN GALLIA EPISCOPVS*, ab anno Chriſti 580. ad 586. floruiſſe putatur. Hunc ut *ſanctum* Ado in Chronico & Joannes Molanus apud Vſuardum ad diem 3. Februarii commemorant: cujus Fortunatus etiam meminit Lib. 3. Epiſtola ad Euphonium, qui & *Eventius* & *Aventius* nominatur. Evantium Chriſtophorus Browerus in Notis ſuis ad Carmina

mina & Opera Venantii Fortunati, fuiſſe Viennenſem in Gallia Epiſcopum arbitratur & ſcribit. Nec immerito, nam Evantius Viennenſis Epiſcopus Matiſconenſi I. Concilio anno 582. Lugdunenſi III. anno 583. Valentino III. 584. Denique Matiſconenſi II. anno 585. ſubſcripſit. Compoſuit vero *Epiſtolam contra eos qui ſanguinem animalium immundum eſſe judicant, & carnem mundam eſſe dicunt :* quam ex MSS. Codicibus Coenobii Sancti Galli Henricus Caniſius tomo 5. *Antiquæ Lectionis* parte 2. pag. 553. & Colonienſes in fine tomi 6. *Bibliothecæ SS. Patrum* ediderunt. Sane quantum ad argumentum Epiſtolæ ab Evanto ſcriptæ attinet, quisquis tandem ille eſt : Joannes Lorinus cap. 15. in Acta Apoſtolorum & alii docent, primitivam Eccleſiam diu ſatis abſtinuiſſe a ſanguine animalium. Gregorius Turonenſis Lib. 8. *Hiſtoriæ Francorum* cap. 39. teſtatur Evantium obiiſſe anno undecimo Regni Childeberti in Auſtraſia, hoc eſt anno Domini 586. De illo poſt Antonium Poſſevinum in *Apparatu ſacro*, fratres Sammarthani in *Gallia Chriſtiana* tomo I. pag. 795. in Archiepiſcopis Viennenſibus. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 160. p. 211.

590. IOANNES ΝΗΣΤΕΥΤΗΣ SEV JEJVNATOR DICTVS, PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS, à Græcis ita appellatus à Νηστεία quod jejunium ſonat, locum hic ſuum ſortiri debet. Hunc vocat hypocritam, multisque aliis onerat injuriis quas jure optimo illi competere cenſet Cardinalis Baronius, utpote Romanis rebus minus faventi. Etſi hinc hominem excuſare nolim, cum neque Græci ſuis careant nævis. Suffectus eſt anno 585 Eutychio Patriarchæ Conſtantinopolitano, cui tamen ut Euſtraſius dicit, Eutychius adhuc vivens, elogio ſuo ſuffragari noluit, cum ægrotans ab Imperatore de ſucceſſore requireretur; utpote qui nihil prævideret boni, de homine qui ex jugi & omnibus noto jejunio popularem captans auram, eam ob rem intumuiſſet. Cujusmodi etiam ductus hypocriſi, cum ad Epiſcopatum quereretur, fugam ſimulans, nonniſi coactus, eum ſuſcipere videri voluit : ut ipſi poſtea S. Gregorius Papa Lib. 1. Epiſt. 4. & Lib. 4. Epiſt. 38. exprobravit, dum per ſuperbiam ſuam illic Eccleſiam ſubvertere conatus eſt, ut videbitur infra ſuis locis, inquit Spondanus in *Epitome Annalium Baronii*, ad annum 585. num. 2. Verum ambigunt alii, an legitimum ſit Gregorii Magni contra Joannem Neuſtetem teſtimonium, ob graviſſimas quas cum illo exercuit inimicitias, quodque nemo judex in propria cauſa ſedere debeat. Celebrato anno 587. in cauſſa Gregorii Antiocheni Concilio, arroganter ſibi nomen *Patriarcha Oecumenici* uſurpavit : unde à Pelagio Papa ſibi inde, ſuæque ſedis dignitati timente, graviter arguitur. Qui rurſum eadem de cauſa, anno 595. à ſancto Gregorio Papa ſibi ob id infenſo, vehementer exagitatur : quæ pluribus expreſſa atque exaggerata, apud Baronium in *Annalibus* annis citatis invenies. Sed cum pluribus perſequi Vitæ ejus inſtitutum, operis noſtri limites prohibeant, ad Scripta illi attributa quæ ad nos proprie ſpectant, omiſſis aliis accedamus.

Extat Homilia ſatis prolixa *de pœnitentia, continentia & virginitate*, ſeu potius *Epiſtola Paranetica ad Virginem quandam Deo devotam*, inter opera Græcolatina ſancti Joannis Chryſoſtomi, tomo I. editionis Morellianæ Pariſienſis, tomo autem VII. editionis Savillianæ pag. 641. quæ Joanni Neuſtetæ ſeu Jejunatori ab eruditis criticis aſſeritur. Item Homilia ejusdem *de Pſeudoprophetis & falſis Doctoribus*, quæ Chryſoſtomo vulgo adſcripta, habetur inter ejus Opera, eodem tomo VI. editionis Morellianæ, & tomo VII. editionis Savillianæ pag. 211, quam Joannis quoque Neuſtetæ eſſe cenſent Gerardus Joannes Voſſius & Joannes Pearſonus.

Joannes Morinus, Presbyter Congregationis Oratorii Domini noſtri Jeſu Chriſti, patria Bleſenſis, vir doctiſſimus edidit in folio anno 1651. volumen *de Pœnitentia* Pariſiis apud Gaſparum Mathuras, via Jacobæa, prope Mathurinenſes. Adjecit ad calcem Operis, Opuſcula duo ſub nomine *Joannis Neuſtetæ ſeu Jejunatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani*, quorum primum ita pag. 77. Appendicis inſcribitur : Ἀκολουθία καὶ τάξις ἐπὶ ἐξομολογουμένων, συνταγεῖσα ἀπὸ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ. *Conſequentia & ordo erga eos qui peccata confitentur, obſervandus : à Sancto Patre noſtro Joanne Jejunatore compoſitus & inſtitutus.* Huic autem pag. 76. ita Morinus præfatur.

Primi Libelli pœnitentialis quem ex veteribus membranis edimus, author eſt Joannes Jejunator dictus, vir ea de cauſa, multisque aliis apud Græcos celeberrimus. Profeſſione Monachus fuit, populi rumoribus ob longa continuaque jejunia famoſus, ita ut καθ' ὑπεροχὴν νηστὴς, Jejunator diceretur. Anno 586. Mauricio Imperante in Patriarcham Conſtantinopolitanum, defuncto Eutychio eligitur. De eo ſic ſcribit S. Iſidorus, in libello de viris illuſtribus. *Joannes ſanctæ memoriæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopus, natione Cappadox, vir fuit inæſtimabilis abſtinentiæ, & eleemoſynis in tantum largiſſimus, ut zelo avaritiæ adverſus eum Imperator Mauricius permotus, urbe pauperes pellendos ediceret. Hic Græco eloquio edidit de Sacramento Baptiſmatis ſcriptum, ad beatæ recordationis Dominum meum & prædeceſſorem Leandrum Antiſtitem : in quo nihil proprium ponit, ſed tantummodo antiquorum Patrum replicat de trina merſione ſententias. Claruit temporibus Mauricii Principis, eodemque Auguſto regnante defunctus eſt.* Sophronius autem Patriarcha Hieroſolymitanus apud Photium in *Bibliotheca* Cod. 231. eum vocat *veræ virtutis domicilium.* Primus eſt Epiſcoporum CP. qui ſe œcumenicum & univerſalem nuncupavit, cui

„cui glorioſo titulo primum è tenebris emer-
„genti ſeſe fortiter oppoſuit Pelagius II, ipſum-
„que ſecutus Gregorius Magnus, & alii dein-
„ceps. Res hæc doctis omnibus notiſſima eſt,
„nihilque Operi noſtro illuſtrando conducit.
„Ideo eam obiter notaſſe ſufficiat, ut qualis fue-
„rit iſte Joannes, innoteſcat. Superiorem ta-
„men agnoſcebat Romanum Pontificem, ut le-
„gere eſt apud S. Gregorium Lib. 2. Epiſt. 52. &
„64. Obiit anno 596. & à Græcis Sanctorum
„numero adſcriptus eſt. De ejus pietate &
„honore quem illi defuncto habuit Mauricius
„Imperator, multa Nicephorus Calliſtus Lib. 18.
„cap. 34.

„Joanni iſti Jejunatori præter *Reſcriptum de*
„*baptiſmo*, de quo mentionem facit S. Iſidorus
„Hiſpalenſis, tribuitur elegans docta & pia *Ho-*
„*milia de Pœnitentia*, quæ in antiquis editionibus
„Latinis inter Opera S. Chryſoſtomi, legitur
„XXI inter homilias ad populum Antioche-
„num; in Græcis autem & Latinis, ad finem
„tomi quinti. Sed apud Græcos maxime cele-
„bris fuit, *Canon Pœnitentialis* quem edidit, licet
„multi nimiæ indulgentiæ eum damnaverint.
„Sic de eo cenſet Nicolaus Patriarcha, referente
„Harmenopulo *Epitomes Canonum* cap. ultimo:
„*Scriptum illud Canonicum Jejunatoris, quod nimi-*
„*am lenitatem adhibeat, complures perdidit: & qui*
„*quod bonum eſt norunt, corrigent.* De iſta indul-
„gentia, lege quæ diximus Lib. 6. cap. 23. ſect. 4.
„Exemplari quod nacti ſumus, titulus erat ἀνα-
„λυθεῖσα καὶ τάξις &c. *Conſequentia & Ordo*
„&c. ita vocare ſolent Græci, Officii alicujus ſa-
„cri conſcriptionem, eo quod ordine continuo,
„& conſequentibus ſcilicet priora poſteriori-
„bus, tradi ſoleat, ut videre eſt in omnibus Eu-
„chologiis.

„Character membranæ, annorum circiter
„quingentorum judicabatur. Pertinebat ad
„inſignem Altempſianam Bibliothecam, mihi-
„que dum Romæ eſſem, exſcribendum tradidit
„amicus. Mendæ nonnullæ ſunt, forſitan et-
„iam quædam noſtra, aut illius qui operam ſuam
„nobis commodavit, irrepſerunt: cum aut feſ-
„tinanter nimis properavimus, aut non attente
„ſatis animum ad dictionum compendia adver-
„timus. Ea non ſunt tanti momenti, ut ſenſum
„inſigniter laxent, nedum remorentur. Cum
„nullo alio Codice nitamur, textum illibatum
„reliquimus, ſenſui tamen interpretationem
„noſtram accommodantes. An autem ſince-
„rus ſit Jejunatoris *Pœnitentialis*, nullo addita-
„mento illitus, difficile dictu eſt: cum ejusmo-
„di libris, ut ſæpe monuimus, pro ſeculorum &
„regionum varietate, aſſui multa ſoleant. De-
„inde etiam ex iis varia breviaria in privatorum
„uſum confici ſolent, principalis authoris nomi-
„ne ſemper retento. Nonnulla citantur ab
„Harmenopulo vel ex Jejunatore, quæ in Codi-
„ce noſtro non eodem plane modo deprehen-
„duntur, quanquam inſit res ipſa. Eadem de
„Matthæo Blaſtare, qui paucula ex eo refert,
dicenda ſunt. Verum varietas iſta ſcopo no-
ſtro nihil prorſus afficit, imo multum proficit,
cum ſemper ſub eodem diſciplinæ genere ver-
ſari deprehendatur. Vel enim varietas illa
tantum eſt verborum, vel accuratioris pœna-
rum enarrationis, vel pœnarum permutatio-
nis: cum hoc crimen in eo Codice atrociore
pœna plectitur, quam in alio: iſtud vero mi-
tiore è contra in alio Codice plectitur, quam
hoc in eo Codice. Vt de hac varietate Le-
ctor ipſe judicium ferat, quidquid legendo no-
bis occurrit, edito Joannis Pœnitentiali ſubte-
xemus.„

Hæc Morinus non affirmans hunc *Librum Pœnitentialem* eſſe Joannis Jejunatoris, ſed maxime dubitans. Ego vero contendo, illum eſſe longe poſteriorem temporibus Joannis Neuſtetæ ſeu Jejunatoris: ex eo quod agat atque injungat *Tres Quadrageſimas*, à Chriſtianis obſervandas, atque in his tribus *abſtinentiam à carnibus*, tam Monachis & Clericis, quam Laicis. Ita ille pag. 89. *Decernimus autem ſecularibus, ut à carne abſtineant duabus Quadrageſimis ſancti ſcilicet Philippi, & ſanctorum duodecim Apoſtolorum.* Tum de tertia Quadrageſima, quæ nunc usque ſupereſt, paucis poſt lineis ita loquitur: *In magna autem Quadrageſima, ſi fieri poteſt, à piſcibus ſeculares abſtinebunt, præter Sabbatha & Dominicas: oleo vero Monachi.* Atqui ut infra probabimus in Diſſertatione *de Scriptis Anaſtaſiorum Sinaitarum*, obſervatio iſta ac præceptum trium Quadrageſimarum, longe poſt tempora Joannis Jejunatoris facta ſunt, atque etiam poſt ſeculum Eccleſiæ nonum: unde Opuſculum iſtud nullatenus ſpectare poteſt ad Joannem Jejunatorem ſeculi ſexti Scriptorem. Certum eſt enim fuiſſe tantum unam Quadrageſimam in Eccleſia Conſtantinopolitana anno 692. ſynodi quiniſextæ temporibus, ut egregie annotat Balſamon, atque Hugo Menardus in Notis ad *Sacramentarium S. Gregorii Magni*, pag. 217. Ita autem ſcribit Balſamon ad Canonem 52. Concilii quiniſexti. σημείωσαι ὅτι καὶ αὐτὸ τοῦτο τοῦ παρόντος κανόνος, ὅτι κυρίως μία ἐστὶ τεσσαρακοστή. *Nota autem ex hoc Canone, quod proprie una eſt Quadrageſima: Si enim alia eſſet, cautum fuiſſet, ne in illa fieret ſacrum Myſterium, per perfectum ſacrificium: ſed per præſanctificata, quemadmodum quoque cautum eſt, ne fiat in Magni Paſcha Quadrageſima.* Imo in proxima Diſſertatione *de Variis Anaſtaſiis Sinaitis & eorum Scriptis*, docebimus has tres Quadrageſimas vix ante ſeculum X. apud Græcos fuiſſe auditas, tandemque ſeculo XI. ſuppreſſas.

Opuſculum aliud pag. 91. adjectum ita inſcribitur: *Joannis Monachi, Patriarchæ Conſtantinopolitani, Jejunatoris dicti, ad eos qui peccatorum confeſſionem Patri ſuo ſpirituali edituri ſunt, ſermo.* Cui Morinus idem hanc præmiſit adnotationem. Tractatus iſte qui Joannis Jejunatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani nomen præ
ſe fert, ſermonis ſive Homiliæ & Exhortatio-
nis

„nis rationem & methodum initio ſui præfert, „ita ut videri poſſit e cathedra ad populum ha„bitus. Attamen ſi legatur integer, facile de„prehendetur familiarem eſſe inſtructionem, „qua non modo confitens de Confeſſione pie & „integre edenda inſtituitur: ſed etiam Sacer„dos, qua ratione Confeſſiones excipiat, pœni„tentiam imponat, & reconciliationem præſtet, „informetur. Ne ſermonis amplitudine Le„ctori tædio ſit, multa prætermittit author, „præſertim quæ ſpectant peccatorum enarra„tionem, deſcribere contentus Catalogum, cri„mina quæ confitenda ſunt, nomine tenus com„plectentem. Generales pœnitentiæ impo„nendæ regulas optima methodo tradit, vide„turque compendio, quæ Pœnitentialis præ„cedens fuſe explicavit, contrahere. In fine „aliquid deeſſe videtur. An Joannes Patriar„cha iſtius ſermonis ſit revera author, an vero „aliquis eum ex ipſius Pœnitentiali expreſſerit, „difficile dictu eſt. Cum vero Codicis titulus „Patriarcham Joannem Conſtantinopolitanum „Jejunatorem præferat, nullumque contrarii „indicium nobis præſto ſit, illius author ſit no„bis Joannes Patriarcha. Longe aberrare non „poſſumus, cum certum plane ſit, aut ipſum eſſe „illius authorem, aut ex ſuo expreſſum. Ori„ginarius textus ex quo deſcriptus eſt, conſer„vatur in Bibliotheca illuſtriſſimi & eruditiſſimi „Præſulis D. Caroli de Montchal Archiepi„ſcopi Toloſani, quæ librorum exquiſitiſſimo„rum, raroque vel curioſiſſimis occurrentium, „Theſaurus eſt locupletiſſimus.

Ita ille. Nos e contra cum teſte Morino, ſermo ille ex Pœnitentiali præcedente eductus ſit, atque ille longe recentior ſit temporibus Joannis jejunatoris: idem quoq; de Homilia ſeu ſermone iſto concludimus, qui novitatem ſuam atque recentioris ætatem ſcriptoris aperte ex argumento demonſtrat. Quia tamen conqueſtus eſt Joannes Morinus de inopia ſeu raritate MSS. Codicum horum duorum libellorum, moneo utriusque Operis MS. exemplar extare in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theologico Græco CLXXXIV. ut habet Lambecius Lib. 4. hujus Bibliothecæ pag. 196. his verbis: „Codice MS. Theologi„co Græco CLXXXIV. primo & quidem à fol. „1. pag. 1. usque ad fol. 40. pag. 1. *Joannis* cogno„mine Νηστευτῦ ſive *Jejunatoris Patriarchæ Con„ſtantinopolitani, Libri duo Pœnitentiales de quali„tatibus & differentiis peccatorum, & de confeſſione:* „quorum primus inſcribitur atque incipit: „τῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννε τῦ νηστευτῦ „Πατριάρχε Κωνσταντινοπόλεως πρόλογ. εἰς „τὴν ψυχωφελῆ ταύτην βίβλον. Τῆς θείας καὶ „παναγάθε τῦ ὑπεραγάθε καὶ ἀληθινῦ Θεῦ καὶ „Σωτῆρ. ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῦ μακαρίας χρηστό„τητ. πάντοτε καὶ πανταχῦ καὶ κατὰ πάντα „ἐνεργετήσης ἡμᾶς &c. Hi igitur videntur „eſſe illi ipſi Libri, quorum Philippus Labbeus „Societatis Jeſu meminit, tomo I. *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, his verbis: *Joannis Jejunatoris, Pa„triarchæ CP. præter homiliam de pœnitentia, conti„nentia & Virginate de qua Bellarmino, extant edi„ti à Joanne Morino, Congregationis Oratorii D. N. „I. C. Presbytero, in Appendice ad tomum de pœni„tentia, DVO POENITENTIALES LI„BELLI, de quibus conſule præmiſſas illi annota„tiones.*“

Secundo & quidem fol. 40. pag. 1. & 2. „*Anonymi cujuſdam authoris Græci, judicium de „Ioannis Iejunatoris, Patriarchæ Conſtantinopolita„ni, Libris Pœnitentialibus:* cujus titulus & prin„cipium, Περὶ δὲ ὧν αἰτιῶν συγκαταβατικώτερ. „τῶν ἁγίων πάντων ἐστὶν Ἰωάννης ὁ Νηστευτής. ὁ „μὲν Νηστευτὴς Ἰωάννης συγκαταβατικώτερ. „τῶν ἄλλων ἐν τοῖς ἐγκληματικοῖς δεικνύμεν. „ὧν &c. *Ob quas cauſas indulgentiſſimus Sancto„rum omnium eſt Ioannes Iejunator* &c. In hoc „autem eodem MS. Codice, num. quinto & qui„dem à fol. 46. pag. 2. usque ad fol. 173. pag. 1. „*Simeonis Hieromonachi τῦ Σχολαρίε Syntagma „Canonum Pœnitentialium ex Canonibus SS. Apo„ſtolorum, & variis ſanctis Conciliis, variorumque „ſanctorum Patrum, præcipue autem S. Baſilii Ma„gni & Joannis Jejunatoris, Patriarchæ Conſtantino„politani ſcriptis collectorum, & facilioris inventio„nis cauſa diſpoſitorum ordine alphabetico.* Ipſe „autem titulus Græcus adeo prolixus eſt, ut „integram impleat paginam, incipitque his ver„bis: Κανόνες ἐκτεθέντες παρὰ τῶν ἁγίων ἐνδό„ξων καὶ πάνυ εὐφήμων Ἀποστόλων, καὶ τῶν ἁγίων „ἐπὶ τὰ καὶ οἰκουμενικῶν Συνόδων, ἔτι μὲν καὶ τῶν „κατὰ καιρὸν γενομένων τοπικῶν συνόδων, καὶ τῦ „ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν βασιλείε τῦ μεγάλε, „Ἰωάννε τῦ Νηστευτῦ Πατριάρχε Κωνσταντινοπό„λεως, καὶ ἑτέρων ἁγίων &c. Finis autem ejus„dem tituli cum principio *Canonis primi* talis eſt: „Συμεὼν Ἱερομόναχ. ὁ Σχολαρίε. ἐκτέθειται „ἕνα ἕκαστον κανόνα τῶν αὐτῶν ἁγίων εἰς τὴν ἰσό„τητα τῶν εἰκοσιτεσσάρων στοιχείων πρὸς τὸ ἀνε„νοχλήτως καὶ ἀνεμποδίστως εὑρίσκειν εὐθὺς τὰς „τῶν ψυχῶν οἰκονόμους. Ἀρχὴ τῦ Ἄλφα. περὶ „τῶν ἀρνηθέντων τὸν Χριστὸν ἑκουσίως, ἢ διὰ φόβον, „ἢ διὰ τιμωρίας ἀνθρώπων. Ἀποστόλων κανὼν „ξβ'. Εἴ τις κληρικὸς διὰ φόβον ἀνθρώπινον &c. „In fine demum litteræ ☩ legitur: Τέλ. „τῦ παρόντ. Συντάγματ. τὸ γὰρ στοιχεῖον „ὃ οὐκ ἔχει.“ Denique idem Opus MS. habetur in eadem Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theologico CCLXXXIII. ut habet Lambecius Libro 5. hujus Bibliothecæ pag. 236. his verbis. „Vigeſimo quinto „& quidem à folio 144. pag. 1. usque ad folium „159 pag. 2. *Joannis cognomento* Νηστευτῦ *ſive Je„junatoris Patriarchæ Conſtantinopolitani, filii Obe„dientiæ dicti, Opus Pœnitentiale*, cujus titulus „& principium: Τῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν „Ἰωάννε Ἀρχιεπισκόπε Κωνσταντινοπόλεως, τῦ „Νηστευτῦ, ὅτ. ἐπώνυμον Τέκνον ὑπακοῆς, „διάφοροι διαφοραὶ τῶν ἐξομολογουμένων κεύ„φει ἁμαρτήματα, καὶ τῶν τοῦτο ἀναδεχο „μέ-

μένων. ὅτι δεῖ τὸν ἐξομολογούμενον κρύφια πταίσματα, ἄνθρωπον μὴ ὡς ἀνθρώπῳ, ἀλλ' ὡς αὐτῷ ἐξομολογεῖσθαι τῷ Θεῷ. ὅτι δεῖ &c. Τῷ αὐτῷ Προλόγῳ. Τῆς θείας καὶ παναγάθου τῆς Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ μακαριότητος πάντα καὶ παντα χοῦ καὶ πάντα ἐνεργήσης ἡμᾶς δι' εἰκείαν ἀγαθότητα &c. Plura de hoc *Opere Penitentiali*, vide libri quarti horum Commentariorum pag. 196.

In eadem quoque Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Græco Historico LI. ut habet Lambecius tomo seu libro 8. hujus Bibliothecæ pag. 472. "Extat undecimo & quidem a fol. 265. pagina 1. dicti Codicis usque ad folium 270. pag. 1. *Matthæi Hieromonachi Synopsis Nomocanonis sancti Joannis Neusteta, sive Jejunatoris, Patriarchæ Constantinopolitani*, quæ inscribitur atque incipit hoc modo: Κανονικὸν τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Νηστευτοῦ. Ἤμειψε πρὸς σύνοψιν Ματθαῖος ταῦτα. Πρόλογος. Ἀλλὰ γὰρ κατὰ τὸν Νηστευτὴν θεῖον Ἰωάννην, τὴν θεοπρέπειαν τῶν ἡμῖν σημβαινόντων θεωρητικοῦ παθῶν, καλῶς ἔχειν δοκιμάσαντα ὡς ἴδιόν τε ταύτην ἐπιτηδεῖν. &c. περὶ τῶν ἐκουσίως ἀρνησαμένων τὸν Χριστόν. ὁ τοίνυν ἀλογίστως ἐρημίῳ ἑκόντι τὸν Χριστὸν. &c. In eadem denique Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Historico Græco XLV. ut habet idem Lambecius eodem tomo seu libro pag. 449. Quinquagesimo nono & quidem a fol. 210. pag 1. usque ad folium 211. pag. 2. *Anonymi cujusdam authoris Epistola exstat ad Lucam nescio quem, qua demonstrare annititur, Nomocanonem illum qui Joanni cognomento Neusteta sive Jejunatori, Patriarchæ Constantinopolitano attribuitur, non esse ipsius, sed cujusdam alterius.* Inscribitur ea atque incipit hoc modo: Ἀπόδειξις, ὅτι τὸ λεγόμενον τοῦ Νηστευτοῦ Νομόκανον, οὐκ ἔστι τοῦ Νηστευτοῦ, ἀλλὰ γέροντός τινος γενόμενον πρὸς τὸν ἑαυτοῦ μαθητήν. Ἔγραψάς μοι πνευματικὲ ἀδελφὲ κύριε Λουκᾶ, ἵνα σοι γράψω εἰδήσιν τινα περὶ τοῦ Νομοκανόνος, λεγομένου τοῦ Νηστευτοῦ· καὶ ἔσω εἰδώς, ὅτι πολλὰ περὶ τούτου ἐξεζητήσας, οὐκ ἠδυνήθην εὑρεῖν ἐν ἀληθείᾳ τίνος ἐστίν. οἱ γὰρ συμφωνοῦσαι ἀλλήλοις τὰ αἰτίγραφα, ἀλλὰ τινὲς μὲν τινὰς φέρουσι τὴν ἐπιγραφήν. Νομοκανὼν Ἰωάννου Πατριάρχου Κωνσταντινουπόλεως. ἄλλα, Κανονικὸν Ἰωάννου Μοναχοῦ καὶ Διακόνου, Μαθητοῦ τοῦ ἁγίου Βασιλείου, ἢ ἐπωνυμία Τίνων ὑπακοῆς. Ἐν ἑτέροις δὲ πάλιν δείκνυταί τις χαραχτὴρ, ὅτι γέροντός ἐστι τινος πρὸς τὸν ἑαυτοῦ μαθητήν. τὸ λέγειν, ὅτι ταῦτά σοι γράφω, καὶ ὅπως ποιεῖ, ἕως ἂν σε συντύχω ἀπὸ στόματος. καὶ ἐν τῷ λέγειν, ὅτι ταῦτα πάντα ἔμαθον, ἐν τῇ ἐμῇ ἀναθρέψαντος λύχνου τῆς διακρίσεως, τῷ τε ἔχειν πρόλογος δύο, καὶ ἐξ ἄλλων πολλῶν δεικνύει, ὅτι γέροντός ἐστι τινος, πρὸς τὸν ἑαυτοῦ μαθητήν. Ὁ γὰρ μέγας Ἰωάννης ὁ Νηστευτὴς, ἐπὶ Ἰουστινιανοῦ τοῦ βασιλέως ἦν. ὁ δὲ μέγας βασίλειος ἐπὶ Οὐάλεντος, πολλῷ πρότερον αὐτοῦ βασιλεύσαντος. καὶ ὅλως ἔστιν ἀσύμφωνον. τοίνυν τοσαύτης ἀνισότητος ἐν τοῖς ἀντιγράφοις εὑρισκομένης, ἀναγκάσθην καὶ ἄλλων ζητῆσαι, καὶ ἐξερευνῆσαι τὸν βίον αὐτοῦ, ὃ καὶ πεποίηκα. Ἀλλ' ἰδοὺ ἐν τῷ βίῳ αὐτοῦ ἐμφέρεται, ὅτι γέγονέ τινος μαθητὴς, ἢ ὅτιον δήποτε σύγγραμμα ἐξέθετο πρόσωπος, ἢ μάλιστα Νομοκάνονος. Ἀλλ' ἰδοὺ περὶ ἐξαγορεύσεων μαθητῶν, ὅπως δήποτε πρέπει, ἢ ὅλως περὶ ἐπιστολῆς ἧς πρὸς μαθητήν τινα διαλαμβάνει ὥσπερ &c. Subjunguntur deinde ibidem quædam observatu digna de *Concilio Oecumenico sexto sub Imperatore Constantino Pogenato*, nec non de *Concilio Constantinopolitano unionis Ecclesiæ sub Imperatoribus Constantino Porphyrogenito & Romano Basilcopatore*, cujus supra in recensione ejusdem Codicis num. 52. uberior jam mentio facta est. Plura *de Joanne Neusteta sive Jejunatore, ejusque scriptis*, vide libro 4. horum Commentariorum pag. 196. & libro 5. pag. 236. Cæterum quod in præsenti Codice manuscripto, Anonymus ille author tradit, jam memoratum *Joannem Jejunatorem sub Imperatore Justiniano Primo seu Magno* vixisse, id non ita accipiendum est, quasi is sub eo jam Patriarcha Constantinopolitanus fuerit. Obiit enim anno Christi 565 Imperator Justinianus, Joannes autem ille Monachus, cognomento *Jejunator*, anno 586 Patriarcha Constantinopolitanus electus est, & anno 596 ineunte mortuus est, ut fusius refert ac demonstrat Cardinalis Baronius tomo VII. *Annalium Ecclesiasticorum* in Actis anni 586. pag. 655. Et tomo VIII. in Actis anni 596. pag. 102." Plura quoque de eo, Morinus & Lambecius locis supra a nobis citatis, quos hic retulimus. Callistus nominis I. qui anno 1360. sedem hanc tenuit Patriarchalem Constantinopolitanam, scripsit Græce *Encomium Joannis Jejunatoris*, quod reperitur inter MSS. Codices Græcos Regiæ Galliarum Bibliothecæ, Codice 276, ut habet parte 1. pag. 74. *Nova Bibliotheca MSS. Graecorum, Latinorum & Gallicorum*, seu *specimina antiquarum Lectionum Graecarum, Latinarum & Gallicarum* ex Manuscriptis potissimum Regiæ Bibliothecæ Codicibus, quam anno 1653. in 4. Parisiis edendam curavit Philippus Labbeus, apud Joannem Henault.

DISSERTATIO
DE
DIVERSIS ANASTASIIS SINAITIS ET ANTIOCHENIS EPISCOPIS, ATQVE EORVM SCRIPTIS.

PRO-

PROLOGVS.

PLures fuiſſe qui ſcripſerint Anaſtaſios, nulli litterato dubium eſſe poteſt. Hos inter florebant uno eodemq; tempore, anno nimirum 655. Anaſtaſii duo ejusdem nominis, ejusdemque Magiſtri S. Maximi Monachi & Martyris, diſcipuli. Horum unus Anaſtaſius primum Monachus, deinde Abbas, anno 655. cum Maximo magiſtro ſuo Roma Conſtantinopolim deportatus eſt, ubi *Epiſtolam ad Commune Monachorum apud Calarim conſtitutorum* ſcripſit, quæ Latine extat inter Anaſtaſii Romani Bibliothecarii Collectanea a Sirmondo Pariſiis edita 1620. in 8. pag. 142. & inter præludia Operum ſancti Maximi tom. 1. pag. 43. Mortuus autem eſt athleta fortis, anno 664. die 24. Julii. Anaſtaſius alter Eccleſiæ Romanæ Presbyter & apocriſarius, ſancti Maximi quoque diſcipulus, anno ſequenti 665. in exilium detruſus, prolixam e Lazica *Epiſtolam ad Theodorum Gangrenſem Epiſcopum* ſcripſit, qua fuſe ſancti Maximi Martyris atque Anaſtaſii alterius præfati anguſtias & tolerata certamina enarravit: quæ in citatis ejusdem Anaſtaſii Bibliothecarii a Sirmondo productis Collectaneis pag. 193. habentur. Atque inter præludia Operum S. Maximi Monachi & Martyris, editionis a Combefiſio Pariſinæ pag. 67. Græce Latineque legitur. Mortuus autem anno 666. quinto idus Octobris. Tertius Anaſtaſius Abbas monaſterii ſancti Euthymii in Palæſtina, annum circa 740. floruit, de quo nos paucis egimus in *Supplemento* ad Bellarminum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ad annum 750. pag. 196. Quartus denique Anaſtaſius S. Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarius, circa annum 880. ſeculi IX. clarus, de quo & ejus ſcriptis pluribus agunt Philippus Labbeus, in opere ſuo *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, verbo *Anaſtaſius*. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Rei literariæ* ad annum 870. p. 558. quem nonulli ad annum 886. vitam prorogaſſe volunt. De his aliisque ſi qui ſint Anaſtaſiis, in hac Diſſertatione loqui non intendimus, ſed de ſolis Anaſtaſiis, qui ſedem Antiochenam occuparunt: tumque de eorum ſcriptis, ad quem vel quos, evulgata hucusque plurima Opera ſpectare legitime queant. Nullus enim opinor hucusque, telam hanc ordiri aggreſſus eſt.

CAPVT PRIMVM.

DE

ANASTASIO SENIORE SEV SINAITA PRIMO, ANTIOCHENO EPISCOPO.

590. ANaſtaſius nominis 1. ſeu ſenior, in monte Sinai primum Monachus, unde Sinaita dictus, tum Patriarcha Antiochenus. Vir ſcientia & ſanctitate clariſſimus, Gregorio Magno ſeu I. Romano Epiſcopo amicitia conjunctiſſimus, ut ex pluribus ad eum hujus Pontificis Epiſtolis liquet in Regiſtro Lib. 1. Indict. 9. Epiſtola 7. 24. 25. Lib. 4. Indict. 13. Epiſt. 36. & 37. Lib. 6. Indict. 15. Epiſtola 24. & 31. Libro 7. Indict. 1. Epiſt. 3. Nam ad Anaſtaſium Sinaitam juniorem ſpectat Lib. 7. Indict. 2. Epiſt. 48. ex Guſſanvillæo. Elatus ad Epiſcopatum Antiochenum anno 561. poſt Domninum, extremis Juſtiniani Imperatoris temporibus. Cum vero Anaſtaſius Imperatori Aphtartodocitarum hæreſim faventi aſſentire nollet, aliis omnibus ſententiæ Anaſtaſii aſſenſuros ſe promittentibus Epiſcopis, exilii ab eo damnatus eſt. Juſtiniano repente mortuo, deportatus ad illud non eſt, quo ex caſu modicum quievit. Verum paulo poſt ex alio prætextu a Juſtino in exilium anno 572. pulſus eſt, atque in ejus locum Gregorius Sinaita ſuffectus, vir quidem vita & moribus ſanctiſſimus: qui per multos annos ad annum nempe 595. quo mortuus, ſedem hanc pacifice tota conſentiente Eccleſia tenuit. Ita ut non fuerit usque quaque verum, quod Gelaſius Papa Epiſt. 13. dixerat, Catholicis Pontificibus propria ſede dejectis nonniſi hæreticos poſſe introduci: quem nodum ſolvant ſi poſſint, Critici rigidiores. Aphtartodocitæ autem hæretici, Eutychianorum germen, corpus Domini incorruptibile & impaſſibile ante reſurrectionem, ſicut poſtea, fuiſſe aſſeverabant: idque ex nonnullis S. Hilarii locis male intellectis. De quibus etiam hæreticis legendi ſunt Evagrius lib. 5. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 39. Nicephorus Calliſtus lib. 17. cap. 29. Liberatus in *Breviario* cap. 19. Leontius *de ſectis* Sect. 5. & 10. Joannes Damaſcenus in libro *de Hæreſibus*. Cæterum Anaſtaſius poſt exilii XXIII. annos Gregorio Sinaita Antiocheno Epiſc. ejus ſucceſſore pacifice mortuo, precibus (ut vult Guſſanvillæus) S. Gregorii Magni Romani Pontificis anno 595. in ſedem ſuam reſtitutus eſt, ubi poſt annos quatuor, anno circiter 599. in pace quievit, die 21. menſis Aprilis. Hæc Guſſanvillæus in notis ad Epiſtolas Gregorii Magni lib. 1. Epiſt. 7. col. 371. & Epiſt. 24. col. 391. littera A. ſubjicit autem col. 372. lit. A. Vnde errore lapſum« eſſe conſtat Nicephorum lib. 18. cap. 43. ſicut« & Hiſtoriam Miſcellam & Anaſtaſium Biblio-« thecarium, dum ajunt eum Martyrio vitam fi-« niiſſe: hoc enim ejus ſucceſſori, Anaſtaſio« item Sinaitæ dicto juniori contigit, ut ad Epi-« ſtolam 48. lib. 7. Indict. 2. dicturi ſumus.„ Cauſam exilii Anaſtaſii Antiocheni Epiſcopi his deſcribit Evagrius lib. 5. Hiſtoriæ cap. 5. ἐκβέβληκε δὲ καὶ Ἀναστάσιον Ἰουστῖνος τὸ θεῖον ἐλεῶν βρότειον, ἐπεγκαλῶν οἱ τῶν περὶ ἱερατικῶν χρημάτων τὴν γεγενημένην δαπάνην. λέγων καὶ ἐς ἄπειρον, καὶ μὴ κατὰ τὸ πρέπον γενέσθαι, τοῦτο εἰς αὐτὸν βλασφημίαν. ἐρωτηθέντα γὰρ τὸν Ἀναστάσιον, τί δήποτε ὧδε χύδην τὰ ἱερατικὰ ῥίπτει χρήματα, ἀναφανδὸν εἶπεῖν, ὡς ἂν μὴ παρὰ Ἰουστίνῳ τῆς κοινῆς λύμης ἀφαιρεθῶσιν. Ἐλέγετο δὲ μηνύσαι Ἀναστασίῳ ὅπῃ ζητοῦσι χρήματα, τὴν ἐπισκοπὴν ἐγχειρισθέντι, ἐκ ἔλεσθαι δύναμ. προσφέρετο δὲ ἑτέρα

ἕτερα ἄλλα κατ' αὐτῆ ἐνίων τὸν βασιλικὸν δῆμαν βουλευτῶν διεφθόρας σκοπόν. „Porro Justi„nus Anastasium quoque ex Antiochena sede „ejecit, objiciens ei, tum quod sacram pecuni„am in superfluos ac minime necessarios usus „profudisset, tum quod ipsi conviciatus esset. „Nam cum interrogatus fuisset Anastasius, cur „adeo profuse sacram pecuniam dilapidaret, di„serte respondérat: ne a Justino communi pe„ste ac pernicie generis humani diriperetur. „Dicebatur autem Justinus idcirco infensus fu„isse Anastasio, quod cum pecuniam ab eo ad E„piscopatum promoto postulavisset, Anastasius „eam dare noluerat. Objiciebantur praterea eidem Anastasio alia quædam, nonnullis Imperatoris proposito ac voluntati gratificari studentibus. Idem autem Evagrius eloquentiam, mores compositos, aliasque dotes Anastasii hujus Antiochiæ Archiepiscopi præclare depingit lib. 4. Historiæ cap. 40. Ἦν μὲν Ἀνασάσιος, τὰ μὲν θεῖα εἰς τὰ μάλιστα λόγιος. ἀκριβὴς δὲ τὰς τρόπους καὶ τὴν δίαιταν. ὡς καὶ τοῖς λίαν φιλοῖς ἐπισκήπτειν, καὶ μηδαμῶ τὰ ἐυσαβῆς καὶ βέβαια παρεξιέναι. μήτι γε δὲ τῶν καιρίων καὶ ἐς αὐτὸ τὸ θεῖον ἀναφερομένων. ἔτι δὲ ἦθος ἐκέκραλο, ὡς μηδὲ τῷ ἐυπροσόδῳ τι καὶ ευτραπέλῳ, ἐυκρίβειαν τοῖς μὴ καθήκουσιν εἶναι, μηδὲ τῷ αὐστηρῷ τι καὶ ἀφειδὲς δυσπρόσιτον εἰς τὰ δέοντα καθεσάναι. ἐν μὲν δὴ τοῖς σπουδαίοις ἕτοιμος ἦν τὸ οὖτα, καὶ τὴν γλῶσσαν ἧνεν, ἐυθυβόλως τὰς πύσεις διαλύων. ἐν δὲ τοῖς παρέργοις, τὰ μὲν ὦτα τέλεον ἀποκέκλειτο. τὴν δὲ γλῶσσαν χαλινὸς ἐπεῖχεν, ὡς καὶ τὸν λόγον λόγῳ ῥυθμίζεσθαι, καὶ τὴν σιωπὴν κρείττονα λόγου καθεσάναι. τούτῳ ὥσπερ τινὶ ὀσαλέῳ πύργῳ ὁ Ἰουστινιανὸς προσβάλλει παντοίας μηχανὰς ἐπισήσας, ἐννοῶν ὡς τὸ τοῦτον καταστέσαι, πόλιος ἁπλῶς λελειψται τὴν πόλιν ἑλεῖν, ἀνδραποδίσαι τε τὰ ὀρθὰ τῶν δογμάτων, καὶ ἀϊχμάλωτα λαβεῖν τὰ πρόβατα τοῦ Χριστοῦ. ὁ δὲ εἰς τοσοῦτον ὑπερήρθη τῷ θείῳ φρονήματι, ἐπὶ τὴν ἄῤῥηκτον γὰρ πέτραν εἰσήκει τῆς πίστεως. ὡς καὶ Ἰουστινιάνῳ ἀναφανδὸν ἀντειπεῖν δι' οἰκείας μηνύσεως, καὶ ἀποδεῖξαι μάλα σαφῶς καὶ λογίως δι' αὐτῆς, ὡς φθαρτὸν τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου ἐν τοῖς φυσικοῖς καὶ ἀδιαβλήτοις πάθεσιν, ὁπότε θεσπέσιοι ἀπόστολοι, ὁπότε θεοφόροι πατέρες. ταῦτα δὲ καὶ πρὸς τὸ μοναδικὸν πρώτης τε καὶ δευτέρας συρίας πυθόμενον ἀπεκρίνατο, τούτων ὑποσηρίζων τὰς γνώμας, καὶ πρὸς τὸν ἀγῶνα ἐπαλείφων. ἐπί τε τῆς ἐκπλησίας ἀσημείαν ἀναγινώσκων τὸ τοῦ σιλβανοῦ τῆς ἐκλογῆς, εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, κἂν ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ ᾖ, ἀνάθεμα ἔστω. ὃς ἀποδιδόντες ἅπαντες τὰ παρακλήσια μέχρις ἐναρίθμων ἐζήλωσαν. γέγραπται δὲ ἐν αὐτῷ καὶ συντακτήριος πρὸς τοὺς Ἀντιοχέας λόγος, πυθομένῳ τὸν Ἰουστινιανὸν ἐβάλειν αὐτὸν ἐξορισμόν. ὃν ἔστι δικαίως ἄγασθαι, τῆς τε καλλιεπείας, τοῦτε ῥᾳ τῶν νοημάτων, τῆστε ἐυπορίας τῶν ἱερῶν ῥήσεων, καὶ τὸ πρόσφορον τῆς ἱστορίας. „Anastasius autem vir fuit, tum in divinis litte„ris admodum eruditus, tum in moribus & vi„vendi ratione accuratissimus: adeo ut res etiam levissimas observaret, nec a constantia &„ firmitate unquam deflecteret, nedum in ma„gni momenti rebus, & quæ ad Deum specta„rent. Mores autem suos ita temperaverat,„ ut neque adeundi & alloquendi ipsum facilitas,„ expositum illum redderet iis quibus minime„ oportebat: nec severitas & inclementia inac„cessum eum præstaret juri & rationi. Et in se„riis quidem colloquiis, aures ei patentes & lin„gua profluens erat, & quæstiones propositas„ prudenter & argute dissolvebat. In sermoni„bus autem ineptis & superfluis, aures quidem„ penitus occlusas habebat, linguam vero quasi„ fræno quodam comprimebat: ita ut oratio„nem ratio metiretur, & silentium omni ratio„ne præstantius esset. Hunc igitur tanquam„ inexpugnabilem murum, omni machinarum„ genere oppugnare adorsus est Justinianus: id„ scilicet secum ipse cogitans, se si hoc propu„gnaculum subruisset, urbem post hæc nullo ne„gotio capturum esse, & rectæ fidei doctrinam„ in servitutem redacturum: denique oves„ Christi captivas abducturas esse. Anastasius„ vero divina quadam animi celsitudine, adeo su„pra Imperatorem se extulit, quippe qui fun„datus esset supra firmam petram: ut missa ad„ Justinianum relatione palam ei contradixerit,„ & manifestissime simul ac disertissime in eadem„ relatione ei demonstraverit, Corpus Domini„ in perpessionibus naturalibus & quæ in repre„hensionem non cadunt, corruptioni obnoxium„ fuisse: atque ita divinos Apostolos & sanctos„ Patres sensisse, ac posteris tradidisse. Eadem„ quoque rescripsit ad Monachos primæ ac se„cundæ Syriæ, qui ipsum consuluerant, cuncto„rum animos confirmans, & ab subeundum cer„tamen præparans, & quotidie in Ecclesia reci„tans verba illa ab electionis vase prolata: Si„ quis vobis evangelizaverit præter id quod ac„cepistis, quamvis Angelus de cœlo fuerit, ana„thema sit. Quæ cum universi animo perpen„derent, paucis exceptis, exemplum ejus secuti„ sunt. Scripta est etiam ab eodem Anastasio,„ Oratio ad Antiochenos, qua illis valedicebat,„ cum accepisset Justinianum velle ipsum in exi„lium mittere. Quam quidem Orationem me„rito quis admiretur, tum ob verborum elegan„tiam, tum ob copiam sententiarum, tum deni„que ob frequentia sacræ Scripturæ testimonia,„ & ob historiam locis suis apte accommoda„tam. „ Hæc Evagrius.

Jam ad Opera Anastasii veniamus, cui plurima certe falso attribuuntur: quæ autem ipsius genuina & veterum testimonio firmata, ad nos usque non pervenerunt. Vt *Sermo ad Antiochenos συνταχτήριος* cum Justiniani de exilio suo mandatum accepisset, ὃν ἔστι δικαίως ἄγασθαι inquit dictus Evagrius lib. 4. cap. 40. τῆς τε καλλιεπείας, τοῦτε ῥᾳ τῶν νοημάτων, τῆς τε ἐυπορίας τῶν ἱερῶν ῥήσεων, καὶ τὸ πρόσφορον τῆς ἱστορίας. *Oratio ad eosdem habita cum Episcopale munus susciperetur. Oratio ad eosdem cum ab exilio anno*

595.

595. reverteretur: quam laudat utramque Nicephorus Callistus lib. 4. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 44. *Dissertatio de Sabbatho ad Simeonem Bostræ Episcopum*, cujus fragmenta quædam in Concilio Nicæno II. Act. 4. inveniuntur, tom. 4. Conciliorum pag. 248. *Epistola ad Scholasticum quendam*, qua respondet quæstioni cujus initium erat, εἰ τῷ μόνον ἐπερωτῆσαι σοφίαν, σοφία λογισθήσεται, cujus excerpta aliquot habentur ibidem. *Liber ad Justinianum Imperatorem adversus dogma ab eo propositum de incorruptibilitate corporis Christi*, allegatus ab Evagrio, loco citato. Opusculum *adversus Joannis Philoponi librum* Διαίτητην *dictum*, cujus excerptum a Turriano Latine versum dedit Jacobus Gretserus in præfatione ad ὁδηγὸν a se editum.

Plurima huic Anastasio Sinaitæ seniori, Antiochiæ Episcopo a multis seculo anteriore attributa sunt, de quibus abunde sed absque delectu Bellarminus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis*. Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* seculo 6. ad annum 561. pag. 419. Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica* sec. 6. pag. 95. qui post Aubertinum lib. 2. *de Sacramento Eucharistiæ* pag. mihi 893. adscripta Anastasio examinantem, de plurimis nonnisi cum formidine locuti sunt. Discussio horum Operum multos hucusque viros exercuit eruditos: quos inter omnium audacissimus, qui magni nominis est, Antonius Arnaldus Doctor Sorbonicus, multis hoc seculo clarus scriptis. Hic in eo Opere quod inscriptum, *Perpetua fides Ecclesiæ Catholicæ circa veritatem corporis & sanguinis Domini Jesu Christi in Eucharistiæ Sacramento:* tanquam magister e suggestu pronuntians, multis saltem verbis (nullas enim rationes affert) contendit Opuscula ista quæ sub nomine Anastasii Monachi Sinaitæ & Patriarchæ Antiocheni impressa, spectare ad Anastasium illum Sinaitam ac seniorem, quem anno Christi 599. fatis functum diximus. Contra autem longeque validioribus argumentis, Aubertinus loco citato, vult Anastasium hunc Sinaitam Antiochenum Episcopum, sub cujus nomine tam multa in lucem prodierunt, esse scriptorem aliquem recentioris Græciæ, seculi circiter X. Atque hoc patet ex Operibus illi inscriptis, quæ ad anteriora tempora referri a sagaci quoquam nullatenus possunt. Arguitur igitur audaciæ haud ferendæ Arnaldus qui hunc scriptorem magistrali velut imperio, pro captu, ad seculum 6. velint nolint alii, alligaverit. Accessit autem ad hanc Aubertini sententiam, qui Aubertino pro viribus, iniquus in aliis est, Labbeus in Dissertatione Historica *de Scriptoribus Ecclesiasticis* quos Bellarminus attigit, tomo 1. verbo *Anastasius Sinaita*, atque in *Addendis & corrigendis*, ubi verba Aubertini allegat, sibique adoptat. De Operibus autem istis, latissime postmodum agemus.

CAPVT SECVNDVM.

DE ANASTASIO SINAITA SECVNDO SEV JVNIORE, ANTIOCHENO EPISCOPO.

ANastasius Sinaita a monte quem Monachus adhuc incoluit vocatus, *junior* ut a decessore distinguatur, dictus: Anastasio Seniori in Patriarchatu Antiocheno, anno 599. successit. Solebant autem his temporibus Antiocheni, Episcopos sibi ferme ex monte Sinai accersere, ut de Anastasio seniore & de Gregorio, qui ei dum exul erat, in sede succesit: & de isto qui postea ad sedem hanc elevatus est, apertissime constat. Integerrimæ quoque vitæ Episcopus fuit, qui post electionem confestim pro more istorum temporum, *Confessionem fidei suæ* ad Gregorium Romanum Pontificem misit, ut Gregorius ipse testatur Lib. 7. Indict. 2. Epistola 48. his rescribens. «Fraternitatis tuæ scripta susceepi, professionem fidei recte servantia: magnasque omnipotenti Deo gratias retuli, quod & immutatis gregis sui pastoribus, fidem quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit.» Nonnulli Anastasium hunc Nicænum, a patria forsitan appellarunt. Postquam sedem decennio fere tenuisset, orto immani inter Christianos & Judæos Antiochiæ tumultu, a Judæis qui pugna superiores fuerant, throno deturbatus est, funeque pedibus alligato per urbem tractus, fœdissima morte, anno Domini 608. die 21. Decembris, ut habet Martyrologium Romanum coronam adeptus est. Is erat annus Imperatoris Phocæ VII, quanquam alii differant ad annum 609. ineuntem, qui Phocæ octavus erat. De qua lege Historiam Miscellam lib. 17. & Cedrenum ad annum ultimum Phocæ, & Chronicon Alexandrinum Olymp. 347. Eadem narrat Nicephorus lib. 18. cap. 43. quem errore lapsum esse constat: quia mortem acerbam hanc Anastasio Magno seu seniori accidisse refert, qui ante annos novem mortuus erat, ut supra dictum est. Idem error in Miscella, & Anastasio Bibliothecario invenitur. Cæterum authorem habuit hunc nostrum Anastasium juniorem versio Græca libri *de cura pastorali*, quem Gregorius Magnus composuerat, ut hisce quoque testatur Gregorius in Registro Lib. 10. Epistola 22. col. 1018. Litt. E. «Nam quia dilectissimæ memoriæ Anatolius Diaconus quærenti ac jubenti Domino Imperatori librum *Regulæ Pastoralis* dedit, ægre susceepi: quem Sanctissimus Frater & Coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam linguam transtulit. Et sicut mihi scriptum est, ei valde placuit, sed mihi valde displicuit: ut qui meliora habent, in minimis occupentur.» Extat quoque sub ejus nomine Græce & Latine *Compendia-*

pendiaria fidei inſtitutio, quam cum V. Dialogis de Trinitate ſub ſancti Athanaſii nomine productis Græcolatinis, edidit primum Theodorus Beza Vezeliacenſis anno 1570. in 8. Hæc eadem ſub ſancti Cyrilli nomine in nonnullis Bibliothecæ Patrum editionibus reperitur, atque etiam ſub hujus Anaſtaſii nomine in Bibliotheca Patrum, Editionis Pariſienſis anni 1644. tomo XI. & in editione Pariſienſi anni 1654. tomo XV. pag. 677. ſed Latine tantum : quam tamen alii Anaſtaſio Seniori tribuunt. Sed omnino incertum eſt ad quem ſpectet hoc Opuſculum, ac neutri Anaſtaſio convenire vult Cavus in *Hiſtoria Rei Literariæ* ſeculo 6. pag. 437. in *Anaſtaſio juniore :* cum reperiatur etiam inter Opera S. Maximi Martyris cujus fœtus creditur, atque in MSS. Codicibus ſub Maximi quoque nomine inveniatur.

Admiſit Cavus tres vel quatuor Anaſtaſios Sinaitas Monachos quorum tres fuerunt Antiocheni Patriarchæ & quartus Cæſareæ in Palæſtina Archiepiſcopus. Primus Anaſtaſius Antiochenus & Sinaita Monachus, cujus meminit parte 1. *Hiſtoriæ literariæ* ad annum 561. cui multa falſo tribuit. Alium admittit Sinaitam juniorem primi ſucceſſorem de quo parte 1. ejusdem *Hiſtoriæ* ad annum 599. quem anno 608. occiſum fuiſſe crudeliter a Judæis narrat. Sinaitam tertium parte 2. *Hiſtoriæ literariæ* ad annum 685. Denique Anaſtaſium quartum Sinaitam Monachum, parte ſecunda *Hiſtoriæ literariæ* ad annum 1094. qui tamen non fuit Patriarcha Antiochenus, uti tres anteriores, ſed Cæſareæ Palæſtinæ Archiepiſcopus, de quo ita Cavus loco citato. « Anaſtaſius gente Palæſtinus ſeu »Syrus, patria ut videtur Antiochenus, Cæſa»reæ Palæſtinæ Archiepiſcopus, claruit anno »1094, certe ſub Joanne Patriarcha Antioche»no, qui hunc thronum anno 1090. aſcendit, »ὁ νυν πατριάρχης κῦρος Ἰωάννης καὶ ἀγιώτατος : »qui nunc Patriarchatum tenet, ſanctiſſimus »Dominus Joannes. Scripſit Anaſtaſius hic »*Tractatum de jejunio glorioſiſſimæ Deiparæ, quodq; »ſervandum ſit ut legitimum.* Hunc Græce & La»tine edidit ex MS. Codice Regiæ bibliothecæ, »J. Baptiſta Cotelerius *Veterum Monumentorum »Eccleſiæ Græcæ* Tomo 3. pag. 432.

Quantum autem ad *Compendiariam fidei Orthodoxæ inſtitutionem*, de qua latius poſtea ad annum 630. agemus, atque etiam antea ex Guillelmo Cavo loquuti ſumus, Opella iſta modiciſſima, ut recte Cavus obſervat, pertinere non poteſt ad Anaſtaſium Sinaitam & Antiochenum Patriarcham qui ab anno 561. ad 599. floruit, nec etiam ad Anaſtaſium Sinaitam & Patriarcham Antiochenum juniorem ſeu nominis ſecundum, qui Eccleſiam hanc ab anno 599. ad 608. occiſus rexiſſe legitur. Res ad oculum patet, quia hi ambo Anaſtaſii Patriarchæ Antiocheni, ante hæreſim Monothelitarum exortam mortui ſunt. At ut mihi legenti patuit, hæc *Compendiaria fidei Orthodoxæ inſtitutio*, poſt hæreſim Monothelitarum exortam, imo florentem ſcripta fuit, illamque diſerte refutat, agens *de duabus in Chriſto naturis, de duabus Chriſti voluntatibus & operationibus.* Atque hanc hæreſim diſerte condemnavit Concilium VI. Oecumenicum anno 680. celebratum, cujus tempore vivebat Anaſtaſius Sinaita Monachus & Antiochenus Archiepiſcopus qui hujus *Compendiariæ fidei expoſitionis* ſcriptor eſt, ut conſtat ex ejus Opuſculo *de hæreſibus.* Sane Anaſtaſii duo Sinaitæ & Antiocheni Archiepiſcopi ante hæreſim Monothelitarum natam mortui fuerant, primus quidem anno 599. ſecundus anno 608. Author autem hæreſeos Monothelitarum, Athanaſius fuit Syrus Jacobitarum Patriarcha, qui factus Antiochiæ Epiſcopus ſeu Patriarcha ab Heraclio anno imperii XX. & Chriſti 629. hæreſim ſuam effudit, de quo diffuſe agit Theophanes editionis Græco Latinæ Regiæ anni 1655. ad Heraclii Imperatoris annum XX. pag. 274. & Georgius Cedrenus GræcoLatinus editionis Regiæ, ad annum Heraclii XXV. pag. 420. anni 1647. Sethus Calviſius in *Opere Chronologico* ad annum Chriſti 629. Heraclii 20. p. 603. col. 1.

Agunt de *Anaſtaſio ſecundo ſeu juniore* Guſſanvillæus in Notis ad Epiſtolam 48. lib. 7. Indict. 2. Gregorii Magni col. 812. litt. E. Labbeus in Opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus attigit, & Cavus loco citato.

CAPVT TERTIVM.

DE

VARIIS ETIAM OPERIBVS MSS. QVÆ ANASTASIO ANTIOCHENO EPISCOPO, IN BIBLIOTHECIS ADSCRIBVNTVR.

DIverſa quoque opuſcula ſub nomine Anaſtaſii Sinaitæ & Antiocheni Epiſcopi, MSS. adhuc extare in Bibliothecis Galliæ potiſſimum nobis ex earum catalogis notum eſt. Hos catalogos paucis abhinc annis Bibliothecæ regiæ, a clariſſimis viris Carolo du Cange & Johanne Baptiſta Cotelier ſumma diligentia ordine autorum alphabetico conſtructas : Colbertinæ a Stephano Baluzio, quisquis operum iſtorum cupidus fuerit, voluere facillime poteſt. Igitur præter impreſſa Anaſtaſii opera *Quæſtiones duæ.* Prima, *Si forte rerum potirentur Judæi, infideles & hæretici an pro iis orandum in eccleſia ſit? Secunda, An Judæi ante adventum Chriſti mortui, ſint anathematizandi? Archiepiſcopum non ſubeſſe judiciis laicis, ſed majori Archiepiſcopo. Narratio eorum quæ in Synodo ab Orientalibus Epiſcopis, geſta ſunt in Perſide. Quæſtiones & reſponſiones duæ.* Prima in illud proverbium, *Sapientia ædificavit ſibi domum.* Secunda, *de ſeptem lychnis Zachariæ Prophetæ. De fide redemptionis ad Eccleſiam quæ in Babylone eſt in ſpiritum blaſphemia. De viva adoratione. An quotidie corpori Chriſti participandum ſit.* Opuſcula hæc omnia extare

extare MSS. diversis Codicibus in Regia Parisiensi Bibliotheca, testatur Labbeus *in specimine novæ Bibliothecæ MSS. librorum* part. 2 pag. 82 quæ in citatis catalogis Manuscriptorum inveniuntur, verbo *Anastasius Sinaita* vel *Antiochenus Episcopus.* Ex aliis unum refert 1) Carolus Dufrenius du Cange ad calcem *Glossarii mediæ & infimæ græcitatis* in indice Scriptorum inedito-
rum col. 23. his verbis. „ Anastasius Patriar-
„cha Antiochenus *de Synodo Episcoporum* Orien-
„tis in Perside coacta, ex codice regio 3111. hoc
„titulo: Ἀναστασίου Πατριάρχου Ἀντιοχείας, διή-
„γησις περὶ τῆς ἐν Περσίδι γενομένης συνόδου τῶν
„ἀνατολικῶν ἐπισκόπων, ἐν ᾗ περὶ τῶν ἐν τῇ αὐ-
„τῇ χώρᾳ γεγονότων πειρασιῶν καὶ ἀπὸ τῆς χειστὸ
„γέννησιν. „ Liber Apocryphus, ac fictitius, de quo jam supra. 2) Hæc quoque sub Anastasii nomine latentia, habentur MSS. in Bibliotheca Colbertina, *Responsio ad Judæos* Cod. 3213. Ejusdem narratio *de patribus occisis in monte Sina* Codd. 694. & 4726. Ejusdem *Homilia in passionem Christi & in psalmum secundum*, Cod. 1933. Ejusdem *Oratio de pœnitentia & confessione* Cod. 2838. habetur hæc eadem, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inscripta, *Oratio de variis animæ salvandæ & pœnitentiæ agendæ modis*, Codice MS. Theologico Græco CCXXXVIII. num. 7 ut habet Lambecius libro I. Tom. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 96. his verbis. Septimo & quidem a fol. 193. pag. 2. usque ad folium 196. pag. 2. *Sancti Anastasii Sinaitæ, Patriarchæ Antiocheni, Oratio de variis animæ salvandæ & pœnitentiæ agendæ modis*, cujus titulus & principium: Τῶ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀναστασίῳ τῷ Σιναΐτῃ περὶ διαφόρων τρόπων σωτηρίας ψυχῆς, καὶ μετανοίας. Ἔφηται μὲν ἤδη πρὸ βραχέων, ὅτι γινώσκων ὁ Θεὸς τὸ ἀσθενὲς ἡμῶν καὶ ἐυάλιστον, καὶ ταλαίπωρον τῶν ἀνθρώπων, ὡς ἀγαθὸς καὶ φιλάνθρωπος, πολλὰς ἡμῖν καὶ διαφόρους σωτηρίας ἐχαρίσατο τρόπους &c. In eadem Bibliotheca Colbertina, *ejusdem Anastasii Homilia in fratres defunctos*, Cod. 1711. 3) Quam habet quoque Bibliotheca Cæsarea Vindobonensis, Codice MS. Theologico Græco CLII. num. 7. inscripta, Oratio *de fratribus in Christo mortuis*, ut habet idem Lambecius lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 136. his verbis: Septimo & quidem a fol. 91. pag. 2. usque ad fol. 101. pag. 2. *Ejusdem sancti Anastasii Sinaitæ, oratio de fratribus in Christo mortuis*, cujus titulus & principium: Τῶ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀναστασίῳ τῷ ἁγ[illegible]ρέως Σινᾶ λόγος εἰς ἀδελφὸς ἐν Χριστῷ κοιμωμένους. Ἐρρέθη δὲ τῷ σαββάτῳ τῆς ἀποκρέω. τί τοῦτο σήμερον, ἀγαπητοὶ, σπουδαίως ὁμῦ &c. „Denique ut habet idem Lam-
„becius libro VII. Commentariorum ejusdem
„Bibliothecæ pag. 168. extat Codice MS. Phi-
„losophico Græco XC. num. 16. & quidem a
„fol. 203. pag. 2. usque ad fol. 206. pag. 2. Ejus-
„dem *Anastasii Sinaitæ, Patriarchæ Antiocheni Pri-
„mi sive Senioris Oratio ad Antiochenos, cum post vi-
„ginti trium annorum exilium, in quod ab Imp. Ju-
stino Juniore injuste pulsus fuerat, ad Thronum Pa-
triarchalem reverteretur, habita die XXV. Martii,
feria quarta sanctæ hebdomadis, Indictione undeci
ma, currente anno Imperii Imp. Mauricii undecimo,
a die decimo quarto Augusti anni præcedentis.* Inscribitur ea atque incipit his verbis: Τῶ αὐτῷ Ἀναστασίῳ Πατριάρχῃ Ἀντιοχείας, λόγος ὅπη-
νίκα ἐπανῆλθεν, ἐπὶ τὸν θρόνον διὰ τριῶν καὶ εἴκοσι χρόνων. ἐλήχθη δὲ ἐν τῇ ἁγίᾳ ἑβδομά-
δι μηνὸς Μαρτίου εἰκάδι πέμπτῃ, ἡμέρᾳ τε-
τάρτῃ Ἰνδικτιῶνος ια, βασιλεύοντος Μαυρικίου τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν βασιλέως. Εἰρήνην καὶ πάλιν εἰρήνην, καὶ τρίτον εἰρήνην, τιμῇ τῆς Τριάδος εἰρήνη, τῶν πώλων ἥδιον καὶ τερπνόταλον ὄνο-
μα, καὶ τοῖς εὐφρονοῦσι ἅπασι ἐπίφασον. ἄυ-
τη μοι σύνθημα πρὸς ἡμᾶς &c. Hæc igitur illa ipsa est *Oratio sancti Anastasii Sinaitæ Senioris* hactenus inedita, quam Nicephorus Callistus *Historiæ Ecclesiasticæ* lib. 18. cap. 44. tanquam a se lectam expresse quidem laudat, sed *sancto Anastasio Sinaitæ secundo sive Juniori*, qui priori in Throno Patriarchali Antiocheno proxime successit, & tandem a Judæis crudelissime occisus est, perperam attribuit: cujus hæc ipsa verba sunt. Τοῦτο καὶ ἡ βίβλος, ἡ ὁδηγὸς ὄνομα ἔσχεν. ὅι τε Θεοὶ τῶν τῆς ἐκκλησίας δογμά-
των, καὶ ἄλλα πολλά. καὶ ὁ εἰς τὸν ἕκτου ψαλ-
μὸν λόγος τοῖς εἰσβάσεσι τῶν νηστειῶν ἐκδο-
θεὶς. Ἐμοὶ δ' ἐντυχεῖν ἐγένετο καὶ λόγῳ αὐτῷ, ὃν πρὸς Ἀντιοχεῖς ἔγραψεν ἀσιτήριον καὶ εἰρη-
νικὸν ἕτερον, διὰ τριῶν καὶ εἴκοσι ἐτῶν αὖθις ἐπα-
νήκων ἐπὶ τὸν θρόνον, Μαυρικίου τὴν ἡγεμονίαν ἰθύ-
νοντος. ὃν δὴ καὶ ἐν τῷ λόγῳ ἐξαίρει, καὶ ὡς τῆς ὑπερορίας ἀνεκλήθη Φυγῆς. Hoc est. *Hujus liber est cui nomen* Ὁδηγὸς, *sive Via Dux: & Definitiones Dogmatum Ecclesiæ & alia multa. Mihi vero etiam Orationem ejus videre contigit IN-
TROITORIAM ad Antiochenos, cum prima vice Patriarchalem Thronum conscendit, scriptam, & PACIFICAM alteram, quam ad eosdem habuit, cum post viginti trium annorum exilium ad Thronum reversus est, Mauricio Imperium obtinente: quem etiam in eadem Oratione laudibus effert, quod per ipsum ab exilio revocatus fuerit.* Hæc Nicephorus. Vbi notandum est, Orationem hanc appellari Λόγον εἰρηνικὸν sive *Sermonem Pacificum*, quia ut supra jam indicatum est, ab his verbis incipit: Εἰρήνην καὶ πάλιν εἰρήνην καὶ τρίτον εἰρήνην, τιμῇ τῆς Τριάδος &c. Hoc est: *Pacem & iterum Pacem & tertium Pacem, in honorem sanctissimæ Trinitatis* &c. Cæterum quod ad tempus, quo Oratio illa post reditum habita est, attinet: illud in exhibito supra ejusdem antiquo titulo Græco satis clare & recte indicatur, per concursum *Indictionis undecimæ & feriæ quartæ Sanctæ hebdomadis in diem XXV. mensis Martii* tunc incidentis. Hinc enim recte colligitur, S. Anastasium Patriarcham ab exilio ad sedem Antiochenam anno Christi DXCIII. rediisse, utpote quo currente *Indictione undecima* Festum Paschale die XXIX. Martii celebratum est: non autem ut vulgo perperam creditur,

Digitize / Google

„anno Christi DXCV quo *Indictione decima ter-*
„*tia* currente, Pascha celebratum est die tertio
„Aprilis. Nam etsi S. Gregorius Magnus S.
„Anastasio jam memorata *Indictione decima ter-*
„*tia* de reditu ad sedem Antiochenam congra-
„tulatus sit, non tamen inde sequitur, ipsum re-
„ditum eadem Indictione contigisse: Sed ex va-
„riis circonstantiis liquet, inter reditum atque
„congratulationem, biennium circiter inter-
„cessisse. Quia nempe S. Gregorius S. Anasta-
„sio non ultro congratulatus est, sed postquam
„ea de re ab ipso per literas, honorifica legatio-
„ne missos, certior factus esset. Cumque S. A-
„nastasius in recepto Patriarchatus munere de-
„nuo labores non mediocres jam sustinuisset,
„ideo sanctus Gregorius expresse scribit, *literas*
„*sancti Anastasii ipsum sudare laborem.* Cum igi-
„tur ex supra exhibito Orationis post reditum
„habitæ antiquo titulo Græco, certo constet S.
„Anastasium anno Christi 593. die 25. Martii Pa-
„triarchalem Thronum Antiochenum secunda
„vice conscendisse, eodemque die ad Antioche-
„nos jam memoratam Orationem habuisse: ne-
„cessario in Eminentissimi Cardinalis Baronii to-
„mo VII. & VIII. etiam *Annalium Ecclesiastico-*
„*rum*, reliqua Patriarchatus S. Anastasii Chro-
„nologia ita reformanda est, ut cum vero isto
„tempore reditus illius ab exilio, recte concor-
„det. Quo facto, apparebit S. Anastasium se-
„dem Antiochenam *primum* obtinuisse non an-
„no Christi DLXI. sed DLIX. nec an. DLXXII,
„sed anno DLXX. ab Imperatore Justino Junio-
„re in exilium pulsum esse: ita ut secundum S.
„Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani
„Chronographiam, *annos undecim* Ecclesiæ An-
„tiochenæ ante exilium præfuerit: post exilium
„autem *integros annos sex & viginti octo dies*, nimi-
„rum a die XXV. Martii anni DXCIII. usque ad
„diem XXI. Aprilis anni DXCIX. quo juxta
„Martyrologium Romanum obiit.„ Ita Lam-
becius. Atque hoc forsitan est unicum, quod probabilius aliis omnibus, sub ejus nomine latitantibus in Bibliothecis, Anastasio Seniori attribui possit.

4) Denique inter MSS. Codices Bibliothecarum Anglicarum, extant quoque Opuscula alia Græce MSS. sub nomine Anastasii Antiocheni Episcopi vel Sinaitæ, quæ alibi non comparent. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 76. Barocciano pag. 62. *Anastasii Patriarchæ Theopolitani Responsio ad Gabrielis Presbyteri Persæ quæsita.* Ibidem Codice 196. Barocciano, *Anastasii Sinaitæ Homilia de obscenis cogitationibus abigendis*, περὶ ἀπορρήτων λογισμῶν pag. 2. πόθεν ἡ ψυχὴ τῶν ἀνθρώπων πολλάκις: *Unde anima hominis sæpe.* Idem inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 5875. in MSS. Codicibus Græcis Thomæ Galei Codice 41. num. 1. Item Codice MS. bibliothecæ Bodlejanæ 197. Barocciano pag. 263. *Anastasius Patriarcha Antiochenus* περὶ τῆ κατ' εἰκόνα: de hoc *ad imaginem.* Ἀλλὰ γε δεῖ ἐπὶ τὸ &c. Ibidem Codice eodem pag. 344. *Anastasius Sinaita in Festum Palmarum.* Λαμπρᾷ τῆς Φωτοφόρε ἡμέρας &c. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 5862. in MSS. Codicibus Græcis Thomæ Galei Codice 28. Nec desunt etiam in Italiæ Bibliothecis, Codices alii eorundem Operum Anastasii Sinaitæ. Nam teste Bernardo de Montfaucon Monacho Benedictino Congregationis sancti Mauri in Gallia, in *Diario Italico* Parisiis anno 1702. in 4. apud Joannem Anisson edito, cap. 15. ubi de Manuscriptis Monachorum Sancti Basilii Romæ pag. 215. ibidem περιοχὴ τῆς ὑποθέσεως τῶν ὁρῶν τῆς βάβλου, ἣς ἐπωνυμία λέγεται ὁδηγός. Init. Τῆς καθ' ἡμᾶς, contra Monophysitas Anastasii Sinaitæ. Item *de fide Orthodoxa*, initium, Ἀρχὴ τῶν λόγων περὶ Χριστοῦ. Et cap. 28. pag. 434. in Bibliotheca MSS. Codicum illustrissimi Julii Justiniani procuratoris Sancti Marci Venetiis, extant *Anastasii Sinaitæ & aliorum multorum Patrum Quæstiones & Responsiones*, de quibus supra egimus. Verum Opuscula hæc omnia sub Anastasiorum nomine, in Bibliothecis Gallicis, Germanicis, Anglicis & Italicis, sub titulis diversis adhuc latentia, ad Anastasios istos Episcopos Antiochenos & Sinaitas dictos, primum & secundum, seu seniorem & juniorem non spectant, sed ad alium nominis tertium ejusdem sedis Episcopum seculo XI. inclytum, de quo postea Dissertatione singulari dicemus. Ex his autem sermonibus qui sub Anastasii nomine in Bibliotheca Colbertina & Cæsarea reperiuntur: Sermones duos nimirum *de diversis modis salutis & pœnitentiæ*, atque alterum in fratres suos morte prægressos, extare quoq; MSS. in Bibliotheca Vaticana testatur Antonius Possevinus ad calcem *Apparatus Sacri*, ubi de hac Bibliotheca. Ex quibus Manuscriptis quænam genuina, quæ nam spuria, cuinam ex tribus Anastasiis attribuenda sint: is tuto solus judicare potest, cui hos Codices volvendi facultas data fuerit. Atque h[illegible] de Anastasiis, dicta sufficiant.

DISSERTATIO
DE
VITA, INDOLE, DOCTRINA ET SCRIPTIS GENVINIS AC SPVRIIS, SANCTI GREGORII, QVEM MAGNVM AC NOMINIS PRIMVM, INTER ROMANOS PONTIFICES, COGNOMINANT.

CAPVT

CAPVT PRIMVM.

VITA GREGORII PRIMI, PAVCIS PERSTRINGITVR EX VARIIS SCRIPTORIBVS.

590. QVotquot vel Chronica Romanorum Pontificum vel vitas Sanctorum ſcripſerunt, hi omnes nullo excepto Vitam S. Gregorii I. ſeu Magni, Romani Pontificis, tum multis verbis, tum laudibus eximiis adornarunt. Nonnulli etiam id aggreſſi privatim ſunt, atque omnium primus Paulus Diaconus Longobardus, & Joannes Diaconus, quorum compendia recenſere, vel prolixi operis nulliusque omnino utilitatis eſſet. Quotquot etiam *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ſcribere aggreſſi, Gregorium haudquaquam prætereunt, ut Antonius Poſſevinus *in Apparatu Sacro*, Bellarminus & Labbeus uterque in opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Guillelmus Cavus *in Hiſtoria Rei Litterariæ* ad annum 590. pag. 430. Ellias du Pin *in Bibliotheca nova Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo 6. pag. 102. & ſequentibus. Rem igitur hanc aggredi, crambem centies recoquere cum ſit: hic verbis Guillelmi Cavi, immutatis paucis utemur.

„Gregorius I. *Magnus* a rebus geſtis dictus, „ortu Romanus, Felicis III. Papæ abnepos, Gor„diani & Sylviæ Nobilium Romanorum filius, „dialecticis & rhetoricis in juventute apprime „eruditus, in forenſi militia magna ſui nominis „fama mereri cœpit. Virilem ingreſſus ætatem „inter Senatores Vrbis cooptatus eſt. Anno „581. Vrbanam Præfecturam geſſit. Tot ho„noribus cumulatus, tantam nihilominus vitæ „coluit ſanctitatem, ut ſui temporis Monacho„rum clariſſimis nequaquam cederet: Monaſti„cam ipſe vitam anhelans totus, adeo ut dum „ſe rebus ſecularibus nondum extricare poſſet, „ſex in Sicilia ac ſeptimum intra Vrbis muros „Monaſteria ſuis facultatibus conderet. Mo„naſterio ſuo Vrbano Valentium ex Monaſterio „S. Equitii in provincia Valeria accitum præfe„cit, atque ipſe tandem Monaſterium ingreſſus, „Valentii regimini ſe ſubjecit. Exoptato au„tem otio diu frui non licuit. Anno enim 583. „ex Monaſterio abſtractum, Diaconum ordina„vit Pelagius Papa, & ad Tiberium Imp. Apo„criſiarium legavit. Anno 586. Conſtantino„poli adhuc agens, diſputationem cum Euty„chio Patriarcha CP. iniit; (qui in Origenis „errorem lapſus, corpus palpabili carne indu„tum reſurrecturum negaverat) & reſurrectio„nis veritatem egregie propugnavit. Eodem „anno mortuo Tiberio Imp. Gregorius poſt„quam res Romanæ Eccleſiæ ſumma fide ac di„ligentia Conſtantinopoli per triennium pro„curaſſet, plurimaque ibi loci aut abſolviſ„ſet aut inchoaſſet, Romam reverſus, alii Apo„criſiario pro more ad Mauricium Imperatorem „recens factum miſſo locum fecit. Otium na„ctus, in Monaſterium ſuum iterum ſeceſſit: & quæ Conſtantinopoli auſpicatus fuerat ſcripta,“ ad umbilicum jam perduxit: alia quin etiam“ hortante Pelagio contra Epiſcopos Occiden-“ tales ab Eccleſiæ Romanæ communione ſejunctos condidit. Anno 590. poſt mortem Pela-“ gii conſpirantibus bonorum omnium votis ad“ Pontificatum Romanum evectus eſt, & poſt-“ quam ipſe multas variasque nexuiſſet moras,“ ac fugam fruſtra molitus eſſet, tandem die 3.“ Septembris ordinatus fuit. Eodem anno cum“ peſtis graviſſima in Vrbe ſæviret, celebrem il-“ lam ſeptiformem Litaniam, divini numinis pla-“ candi ergo, inſtituit. Pontifex factus frequen-“ tibus Synodis celebratis & literis ubique miſſis,“ profeſſionem fidei edere, labefactatas Eccleſiæ“ res reſtaurare, Clericos ac Monachos ad avi-“ tam diſciplinæ normam revocare, reluctantes“ & in his Laurentium Archidiaconum, in ordi-“ nem redigere; ſchiſma in Occidente natum“ extinguere, contumaces Epiſcopos & in his“ Demetrium Neapolitanum Epiſcopum invo-“ cato gladio ſeculari ſedibus ſuis deturbare, fi-“ dem Catholicam tueri, & Hæreticos debella-“ re, ſumma animi conſtantia, invicto religionis“ zelo aggreſſus eſt. Inprimis vero curæ habuit“ ambitioſum Joannis Conſtantinopolitani *Oe-“ cumenici* titulum ſibi arrogantis, faſtum con-“ tundere: ſuperbum, hæreticum, blasphemum,“ Antichriſtianum, diabolicum eſſe titulum ab“ eo arreptum clamans. Anno 593. edictum“ Mauricii Imp. de militibus in Monaſteria non“ admittendis ægerrime tulit; ne officio tamen“ ſuo & obſequio deeſſet invitus admodum pro-“ mulgavit. Anno 594. literis apud Maurici-“ um Imperatorem, Conſtantinam Auguſtam, &“ Patriarchas Orientales ſtrenue egit de Joanne“ CP. in ordinem redigendo: cui interim com-“ municare, Sabiniano Apocriſiario ſuo interdi-“ xit. Tum habita eodem anno Romæ Synodo,“ damnatum ab eodem Joanne ob Marcionita-“ rum hæreſim Joannem Presbyterum Chalce-“ donenſem abſolvit: ac de re Eccleſiaſtica Ca-“ nones nonnullos ſancivit. Anno 596. ex An-“ gelica Anglorum forma omen trahens, An-“ glorum genti ad fidem Chriſtianam conver-“ tendæ animum adjecit: miſſis in Angliam Au-“ guſtino Monaſterii ſui Romani præfecto, Mel-“ lito, aliisque Monachis. Hos in via deſpon-“ dentes literis confirmavit, incœptumque ſe-“ mel opus laudabile qua monitis, qua authori-“ tate ſua ſubinde promovere non deſtitit: mi-“ ſis anno 601. Juſto, Paulino, Laurentio, aliis-“ que, qui Auguſtino ſubſidium ferrent, & fidem“ Chriſtianam longe lateque per Angliam pro-“ pagarent. Anno 603. datis ad Phocam ty-“ rannum literis Imperium illi peſſimis flagi-“ tiis arreptum gratulatus eſt: quin & ſi verum“ fateri fas ſit, adeo turpiter in hac re lapſus eſt“ Gregorius, ut ſceleratiſſimo parricidæ excogi-“ tatiſſimis adulandi artibus blandiri, & in piiſſi-“ mi principis Mauricii manes acerbiſſime debac-“ chari non erubeſceret. Obiit anno tandem“

„604. die 12 Martii. „ Hæc Cavus vere quidem, ſed quomodo iſta conveniant, non ſatis intelligo : tantæ nempe laudes ac tam præclara initia, cum fine ut ita loquar tam turpi, cum applauſu tyranni apertiſſimi Phocæ? Niſi dicat hæc ſcripſiſſe Gregorium ad Imperatorem Phocam, non tanquam Romanum Pontificem, ſed ut doctorem privatum, uſitata Papiſtarum cantilena. Mirum autem magis, ac contradictorium, quod ſtatim Cavus immemor ſui adjicit, poſt tam infamem indignamque vel mediocri viro, quanto magis Romano Pontifice adulationem : „ *Vir erat pietate inſignis*, nec ævi illius „ratione habita, doctrina incelebris : imo ſi Iſi„dorum Hiſpalenſem audire velimus, *Tanto per* „*gratiam S. Spiritus ſcientiæ lumine præditus, ut non* „*modo illi præſentium quisquam Doctorum, ſed nec* „*in præteritis quidem illi par fuerit unquam.* Sic „quidem Iſidorus : cujus tamen hac in re verba cum grano ſalis accipienda eſſe meminerit „Lector. *Pietatis certe* & eruditionis laus ei „neutiquam eſt deneganda. In hoc vero jure „merito culpandus, quod teſte Joanne Sariſbu„rienſi *de nugis Curialium* lib. 2. cap. 26. & lib. 8. „cap. 19. non modo Mathefim ab Aula recedere „juſſit, ſed quo major eſſet S. Scripturæ authori„tas, & in ea evolvenda diligentia ſtudioſior : „intempeſtivo nimis ac plane flagranti zelo no„biliſſimæ Bibliothecæ Palatinæ, in cujus Archi„vis recondebantur tot veneranda vetuſtatis „monumenta, ignem admoverit. Quo incen„dio perierunt *Scripta Palatinæ quæcunque tene„bat Apollo. In quibus*, inquit Sariſburienſis, e„rant præcipua, quæ Cœleſtium mentem & „ſuperiorum Oracula videbantur hominibus „revelare.

Verius tamen ac ſincerius Cavo loquentes, dicemus quædam quidem fuiſſe initia Pontificatus Gregorii Papæ I. Hominem tamen fuiſſe & ipſum, humana carne circumdatum, humana paſſum : atque ita velut hominem factum, inſignes plurimas Epiſcopatus ſui actiones & curas, ignava prorſus atque Romano Pontifice indigna Phocæ tyranni adulatione maculaſſe, vel aliquo modo obſcuraviſſe. Opuſcula multa D. Gregorii Magni ſeorſim quidem impreſſa, ſed non collecta ſimul ante annum 1516. Nam *Expoſitio in Job* ſive *Moralium libri 35.* prodierunt ſub primis rei typographicæ cunis Romæ 1475. & Pariſiis 1495. in folio. *Expoſitio in Canticum Canticorum* Baſileæ 1476. in 4. & Pariſiis 1498. *Liber Paſtoralis curæ ad Joannem Ravennæ Epiſcopum*, Argentorati 1496. & Pariſiis 1498. in 4. Libri IV. Dialogorum *de vitis & miraculis Patrum Italicorum*, Venetiis 1475. & Pariſiis 1499. Prodierunt ſimul omnia S. Gregorii Papæ primi Opera collecta, variis in locis, paſſim duobus tomis in folio, Lugduni annis 1516. 1539 1540. Pariſiis apud Johannem Parvum & Remboldum anno 1518. apud Chevallonium 1523. Rotomagi apud Reginaldum 1521. Pariſiis apud Guillardum anno 1542. Baſileæ apud Frobenium 1564. Jacobus Pamelius vir eruditione multa inclytus, anno 1571. edidit Coloniæ tomis in 4. duobus *Liturgica*, inter quæ tomo 2. extat *Antiphonarius* ſive *Graduale liber per circulum anni à S. Gregorio ordinatus*, item *liber Sacramentorum ejuſdem per circulum anni.* Atque horum poſterior etiam ſeorſim Pariſiis 1642. in 4. cum Menardi notis editus. Ab anno autem 1588. editiones Operum D. Gregorii Magni ampliores factæ ſunt, acceſſione ſuppoſititiorum operum, ut poſtea dicemus. Eadem Opera edita ſunt eodem modo Antverpiæ apud Plantinum 1571. Venetiis anno 1583. Pariſiis ſtudio ac labore Joannis Gilatii Campani, theologi celebris, apud Nivellium annis 1571. & 1586. Secuta demum editio Romana aliter diſtributa ſex tomis & 2. voluminibus in folio, incœpta anno 1588. finita 1593, quam imitatæ ſunt ſequentes, Romana in 8 voluminibus quinque anno 1613. Pariſienſis 1605. 1619 & 1640. Antverpienſis 1615. de quibus Poſſevinus *in Apparatu ſacro*, verbo *S. Gregorius Papa.* Cavus in *Hiſtoria Rei literariæ* ad annum 590. Elias du Pin in *Nova Bibliotheca Scriptorum Eccleſiaſticorum.* In editionibus autem vulgo ordinantur, eo modo, quo citatus Cavus de illis loquitur, nimirum

Expoſitionis in librum I Regum, qui & Samuelis dicitur, Libri VI.

Expoſitionis in Jobum, ſive Moralium Libri XXXV.

Expoſitio in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.

Expoſitio in Canticum Canticorum.

Homiliarum in Ezechielem, Libri II.

De diverſis lectionibus Evangelii. Homilia XL. Ad Secundinum Tauromenitanum Epiſcopum, anno 592. abſolutæ.

De Paſtorali cura liber ad Joannem Ravennæ Epiſcopum.

De vitis & miraculis Patrum Italicorum, Dialogorum Libri IV.

Epiſtolarum Libri XII.

Antiphonarius ſeu Gradualis liber, per circulum anni ordinatus.

Sacramentorum liber per circulum anni, cum *Hymnis* aliquot.

Vnde patet editiones omnes adhæſiſſe modo aliquo ordini Sanctarum Scripturarum, ad diſpoſitionem Operum D. Gregorii Magni : quorum primo volumini diverſa præmiſſa ſunt velut præliminaria ad commendationem tam Scriptoris quam Scriptorum. At Petrus de Guſſanvilla Carnotenſis Presbyter, aliam anno 1675. editionem Pariſiis apud Societatem Bibliopolarum procuravit, omnium meo quidem ſenſu optimam atque convenientiſſimam. Neglecta enim diſpoſitione Editionum omnium præcedentium, ad Scripturæ ordinem attendentium : ipſe omnia tribus in fol. voluminibus concluſit, quorum duobus primis germana Gregorii Opera continentur, ultima quod tertium eſt, ſuppoſita vel incerta. Præmiſſis itaque tanquam velitibus vita S. Gregorii Romani

Pon-

Pontificis per *Paulum Diaconum*, & altera *per Joannem Diaconum* conſcriptis, cum aliquot Veterum Elogiis ejusdem: continentur Volumine 1. *Expoſitionis in Jobum ſive Moralium* Libri XXXV. *De Paſtorali cura* liber *ad Joannem Ravennæ Epiſcopum. Homiliarum in Ezechielem Prophetam*, libri II. *Homilia in varia Evangelii loca*, XL. Volumine 2. *De Vita & Miraculis Patrum Italicorum* libri IV. cum Græca verſione eorundem ex Latino, à Zacharia Papa: atque inſigni Apologia eorundem velut ad Gregorium I. ſeu Magnum, & non ad Juniorem qui ſecundus dicitur, ſpectantium. *Epiſtolarum* libri XII. cum prolixis & eruditis notis. *Antiphonarium Sacramentarium cum Benedictionali.* De quibus poſtea latius, ſuis locis. Volumine 3. *Expoſitionis in librum I. Regum, qui & Samuelis dicitur*, Libri VI. Commentarius *in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales.* Item *in Cantica Canticorum:* Denique S. Paterii ejusdem Gregorii diſcipuli, Romanæ Eccleſiæ Notarii & Secundiarii Liber primus & tertius *Explanationum in obſcuriora utriuſque Teſtamenti loca*, ex Gregorii Magni operibus excerpti. Nam ab ſeculo Eccleſiæ 12. medius ſeu ſecundus interiit, non magno literatorum damno. De quibus hoc quoque ordine ſigillatim loquar, omiſſis duntaxat his quæ jam utcunque nota ſunt.

CAPVT SECVNDVM.

DE INDOLE, SIMPLICITATE, CREDVLITATE NIMIA, ALIISQVE GREGORIVM *MAGNVM* IMMERITO VOCATVM, EVINCENTIBVS.

ANile profecto fuiſſe Gregorii Magni judicium ac viro magno indignum, plane oſtendit 1. factum quod de ipſo narratu jam, referente Joanne Saresburienſi *de Nugis Curialibus* Lib. 2. Cap. 26. & lib. 8. Cap. 19. Non modo Mathematicas ſcientias quæ demonſtrationibus ubique agunt, Reipublicæque utiliſſimæ ſunt, ab Aula Romana recedere juſſiſſe: ſed quo major eſſet S. Scripturæ authoritas, & in ea evolvenda diligentia ſtudioſior: intempeſtivo nimis, immaturique judicii zelo, nobiliſſimæ Bibliothecæ Palatii, cujus in archivis plurima atque pretioſa venerandæ prorſus antiquitatis monumenta recondebantur, quod certe ſtupidi & bardi prorſus hominis erat, temeraria manu ignem admoviſſe. Quo in incendio, inquit cit. loc. allatus Sarisburienſis, plutei in cineres acti, *in quibus erant præcipua, quæ cœleſtium mentem, & ſuperiorum Oracula videbantur hominibus revelare.* Hoc primum abjecti in Gregorio I. ingenii ac vulgaris, argumentum.

2. Neq; novum omnino eſt atque inventum à me, quod Gregorius primus *ſimplex* ingenio appellatus ſit. Ita enim ab ejus amico, Imperatore magno Mauricio appellatus legitur, quade re conqueritur ad Mauricium ipſum Gregorius Epiſtolarum lib. 4. epiſt. 31. Indict. 13. „ In Se„reniſſimis juſſionibus ſuis Dominorum pietas„ dum me de quibusdam redarguere ſtuduit,„ parcendo mihi minime pepercit: nam urbane,„ ſimplicitatis vocabulo me fatuum appellat.„ Vbi cum Imperator nude *ſimplicem* appellaſſet, maligne Gregorius verbum *ſimplicitatis* pro *fatuitate* ſumptum, Mauricio injuſte objicit. At longe validiori atque inſolubili argumento, triviale ac modicum hujus Pontificis ingenium, verſipellemque indolem agnoſcimus ex adulatoriis quas ad uſurpatorem Phocam ſcripſit literis, poſt charum ſibi antea Mauricium cum filiis interfectum. Quantus autem fuerit vir Mauricius, non a me ſed a Guſſanvillæo audi, in notis ad Epiſt. 62. lib. 2. Indict. 11. col. 530. paucis additis. „ Mauricius genere Cappadox, vir„ ſtrenuus & bellica laude inſignis. Hic ob e„gregias animi dotes & præclara belli facinora„ ab Imperatore Tiberio Conſtantino conſors„ Imperii & gener factus eſt, data in matrimoni„um Conſtantina filia. Viginti annis ſumma„ cum laude Imperium adminiſtravit, & tandem„ a Phoca vita ſimul & Imperio privatus eſt una„ cum uxore & novem liberis: quod quidem„ ipſi juſto Dei judicio contigiſſe ferunt ob duo„decim captivorum millia a Chagano Avarum„ Duce trucidata, quos cum facile & parva pe„cunia potuiſſet, redimere noluerit. Nota eſt„ hiſtoria, quæ habetur apud Scriptores maxime„ Græcos, Evagrium, Simocatiam, Zonaram,„ Glycam, Cedrenum, Theophanem, Conſtan„tinum Manaſſem, Nicephorum Calliſtum, qui„ omnes mira de virtutibus ejus prædicant. Du„rius tamen habitus eſt a Latinis, & præſertim a„ Joanne Diacono, qui eum *avariſſimum, ſimulque„ rapaciſſimum Principem, Deo adverſum ac tyran„num* nuncupavit. Et illi tamen ignotæ eſſe„ non poterant epiſtolæ S. Gregorii, qui Mauri„cium *piiſſimum & clementiſſimum Dominum* paſ„ſim appellat, ejus fidem catholicam ſæpe com„mendat, & Epiſcopos ut pro ejus vita & diu„turno Imperio Deum orent, in pluribus epi„ſtolis hortatur. Inter innumera autem quæ„ de eo laude digna referuntur ab hiſtoricis, tria„ tantum narrabo: 1. Liberalitatem Mauricii„ pluribus extollit Simocotta lib. 5. cap. 16. his„ verbis: *Regiam veniens, innumeras mendicos con„gregatos, ſtipem ab eo flagitantes, in Regiam admittit,„ humaniter tractat, argenteosque nummos affatim„ diſtribuendo, egeſtatem eorum conſolatur.* Tacco„ quod Coronam magni pretii ſibi a Sophia &„ Conſtantina Auguſtis oblatam, in Eccleſiam„ detulit Deoque conſecravit, ut narrant Theo„phanes, Zonaras, Cedrenus, Anaſtaſius & Pau„lus Diaconus.„ His addi poteſt, quod teſtatur ac pro quibus vota fundit Gregorius ipſe Magnus Lib. 8. Indict. 3. Epiſt. 2. miſiſſe eundem Imperatorem piiſſimum triginta libras auri Romam, quæ diſtributæ tandem ſunt, ſacerdotibus,

ſanctimonialibus fœminis, aliisque egenis, quibus omnis egeſtas ſublevata fuit. Ita enim Gregorius, *Dominorum pietas quæ ſuos conſuevit miſericorditer famulos continere, ita benigna hic ſubventione reſplenduit: ut cunctorum debilium inopia, largitatis ejus ſit conſolatione ſublevata.* „2. Patientiam ipſius in perferenda atrociſſima „morte, nemo ſatis mirari queat. Cum enim „effuſi captivorum ſanguinis ſe reum eſſe cognoviſſet, filiorum ante oculos ſuos jugulato„rum, ſuamque ipſius necem incredibili con„ſtantia tulit, & in hanc ſolum vocem erupit: „*Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* 3. Mi„rum eſt quod de ipſius juſtitia, narrat Nicepho„rus Lib. 18. cap. 38. *Cumque nutrix unum ex Impe„ratoris pueris ſumta ſuiſſet, ſuumque pro eo carnifici „obtuliſſet, Mauricius non annuit, ſed ſuum requiſivit.* Quaſi diceret, nolle ſe innocentem pro reo ſupponi. Vide Epiſtolas ipſius Gregorii, quibus Mauricium laudat paſſim lib. 2. Indict. 11. epiſt. 62. lib. 4. Indict. 14. epiſt. 32. lib. 5. Indict. 14. epiſt. 16. & 63. lib. 6. Indict. 15. epiſt. 5. lib. 8. Indict. 3. Epiſt. 2. quæ omnes liberalitatem, pietatem ac orthodoxam fidem Mauricii teſtantur. Coronatus autem eſt Phocas Imperator cum Leontia Auguſta a Patriarcha Cyriaco anno 602. temporibus Gregorii Papæ, vir enormium criminum reus, occiſo Mauricio Imperatore cum omnibus filiis ſuis maſculis, Theodoſio jam coronato, Tiberio, Petro, Juſtino ac Juſtiniano, cum Petro ſimul ſupraſcripti Mauricii Imperatoris fratre, cum Conſtantino Patricio & Placida atque Georgio Principis hujus Notario. Laureatæ autem ſupraſcriptorum Phocæ & Leontiæ Auguſtorum imagines Romam allatæ, quibus VII. Kalendas Maji in Laterano in baſilica Juliæ, ab omni Clero ac Senatu acclamatum eſt: *Exaudi Chriſte, Phocæ Auguſto & Leontiæ Auguſtæ vita.* quibus actis, Gregorius imagines in oratorio Sancti Cæſarii Martyris juxta Palatium, reponi juſſit. Vide lib. 11. Indict. 6. Epiſt. 1. Non obſtantibus autem tot Phocæ criminibus, tot quibus Mauricio Gregorius devinctus erat beneficiis ac liberalitatibus, tot effuſis in Romanam Eccleſiam officiis, ignavus plane ac ingratus ſimul Pontifex, fortioris partes amplexus, defuncti Mauricii memoriæ inſultans, Phocæ uſurpatoris intruſioni applauſit congratulatoria epiſtola 38. Lib. 11. Indict. 6. quæ incipit. „Gloria in excelſis Deo, qui juxta quod „ſcriptum eſt, immutat tempora & trans„fert regna: & quia hoc cunctis innotuit, quod per Prophetam ſuum loqui „dignatus eſt dicens: *Quia dominatur excelſus in regno hominum, & cui voluerit, ipſe dat illud &c.* (Dan. 4, 14.) Quam ad vocem *Gloria in excelſis* &c. Petrus Guſſanvillæus etſi Pontificius col. 1067. in notis ad epiſtolam ſilere non potuit, inquiens. *Qui epiſtolam hanc & 45. & 46. attente legerit, & cum Phocæ imperio moribusque contulerit, fatebitur virum ſanctiſſimum, aliquid humani paſſum videri.* Hæc ille mitioribus quidem verbis, quæ tamen iniquam Gregorii adulationem, atque capiti (ut volunt) Eccleſiæ prorſus indignam ſatis produnt.

3. *Dialogorum libros IV.* Gregorii Magni genuinum eſſe opus, nulli opinor jam dubium eſſe poteſt, poſt vindicias ad illorum calcem ſubjectas in editione ultima Pariſienſi anni 1675. a Guſſanvillæo procurata, tom. 2. col. 317. & ſequentibus, quas Lector conſulat. Horum autem authorem, nempe Gregorium Magnum graviter perſtringit in Opere ſuo *de Locis Theologicis* Lib. II. Cap. 6. pag. 658. Melchior Canus homo Pontificius, eruditione & pietate celebris. Nec immerito arguitur Gregorius, quod in his libris acceptas ab obvio quovis homine fabulas & narratiunculas, nullo delectu, nullo judicio, anili prorſus credulitate vir ſimplex inſeruerit. Agnoſcit ipſe hoc opus ſuum Lib. 2. Indict. 11. Epiſt. 50. Qua autem ſimplicitate hos ſcriberet, ex ejus integra Epiſtola accipe. Gregorius Maximiano Epiſcopo Syracuſano. „*De geſtis Sanctorum per Italiam.* Fratres mei, „qui mecum familiariter vivunt, omni modo „me compellunt aliqua de miraculis Patrum, „quæ in Italia facta audivimus, ſub brevitate „ſcribere. Ad quam rem ſolatio veſtræ charitatis vehementer indigeo, ut ea quæ vobis in „memoriam redeunt, quæque cognoviſſe vos „contigit, mihi breviter indicetis. De Domno „enim Nonnoſo Abbate, qui juxta Domnum A„naſtaſium de Pentumis fuit, aliqua retuliſſe me „memini, quæ oblivioni mandavi. Et hoc igi„tur, & ſi qua ſunt alia, tuis peto epiſtolis impri„mi, & mihi ſub celeritate transmitti, ſi tamen „ad me ipſe non properas.„ Quæ autem Nonnoſus ille retulit, ſcripſit Gregorius Lib. I. *Dialogorum* cap. 7. Cum ergo Gregorianæ ſimplicitatis plurimos poſſem producere teſtes, unum duntaxat, Pontificiumque illum ac moderatum, Eliam du Pin proferam, *Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo VI. pag. mihi 137. cui Papiſtæ attentius auſcultabunt, ita de libris *Dialogorum* differenti. Quamvis dubitari nequeat quin libri *Dialogo„rum* qui Sancti Gregorii nomen ferunt, ad„ hunc Pontificem ſpectent: cum ipſe ille ſuos„ agnoſcat, ac diſcipuli & authores qui modico„ poſt eum tempore ſcripſerunt, ei attribuant.„ Hoc tamen Opus, neque gravitate ac ſancti„ hujus Pontificis judicio dignum videtur, ita„ miraculis inſolitis & hiſtoriis pene incredibili„bus plenum eſt. Verum quidem eſt ſub alio„rum fide has retuliſſe, ſed nec ita leviter his ad„hibere fidem, nec poſtmodum has ut res con„ſtantes, ſcribere debuit. Diviſum Opus in 4„ libros, in forma *Dialogi*, inter Gregorium quæ„ didicerat enarrantem, & Petrum Diaconum„ nonnulla identidem ad has hiſtorias interro„gata facientem, conſcriptos. Stylus illorum„ nec elevatus eſt, hiſtoriæ ſimplici modo ac tri„viali, absque arte vel gratia enarrantur. In„terruptiones Petri, ſæpius extra propoſitum, ac„ inſipidæ ſemper. Hiſtoriæ illic relatæ, ſæpius„

in-

„innixæ tantum quorundam senum ignoran„tium relationi, vel communi famæ. Miracula „illic fiunt tam frequentia, tam insolita, ac sæpe „ob res minimi momenti, ut fidem illis omnibus „præbere, difficillimum sit. Inveniuntur ibi„dem historiæ, quæ cum vita eorum de quibus „loquitur, vix conciliari possunt: ut voluntarius S. Paulini Nolani Episcopi, carcer in Afri„ca, sub Rege Vandalorum. Visiones, appari„tiones, somnia majori illic numero, quam in ul„lo alio authore sunt. Vnde & sub finem Gre„gorius fatetur, suo tempore longe plura de fu„tura vita detecta fuisse, quam præcedentibus o„mnibus seculis. Sed nec credo, quempiam ha„rum omnium revelationum, velle se vadem „præbere. Hæc de *Dialogis*, vir Pontificius præ„judicio omni posthabito.

4. Modicum quoq; Gregorii primi judicium atque ad credendas incredibiles fabulas propensionem, testatur Epistola 30. Lib. 3. Indict. 12. ad Constantinam Augustam Tiberii Constantini Imperatoris filiam, quam pater Mauricio uxorem dedit, dotisque loco Imperium tradidit. Cum illa in honorem Sancti Pauli Apostoli in palatio Ecclesiam ædificasset, caput ipsius Sancti Pauli, aut aliud quid de corpore ejus ad se transmitti a Pontifice petierat. Negavit Gregorius, allegans Imperatrici corpora SS. Petri & Pauli Apostolorum, tantis in Ecclesiis suis coruscare miraculis atque terroribus, ut neque *ad orandum* (quod nota) sine magno illuc timore possit accedi. Narrat, dum decessor ejus argentū quod supra B. Petri corpus erat, longe tamen ab eodem corpore ferme quindecim pedum spacio, mutare voluit: signum ei non parvi terroris apparuit. Quod cum idem decessor aliquid ad sacratissimum corpus sancti Laurentii Martyris innovare desideraret, dum nesciretur ubi sepulchrum esset, illo per ignorantiam aperto: *Monachi & Mansionarii quia corpus ejusdem martyris viderunt, quod quidem minime tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt: ita ut nullus vita superesse potuisset, qui sanctum justi illius corpus vidisset.* Suam in omni epistola simplicitatem ostendens, inquit Romanis consuetudinem non esse, *Quando Sanctorum reliquias dant, ut quidquam præsumant tangere de corpore: sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum, in Ecclesia quæ est dedicanda, debita cum veneratione reconditur: & tanta per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur.* Tum similis farinæ fabulas illic plurimas Imperatrici narrat, quibus factis pollicetur aliquid limaturæ *de catenis quas ipse S. Paulus Apostolus in collo & manibus gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur.* „Si tamen (inquit) hanc tollere „limando prævaluero, quia dum frequenter ex „catenis eisdem multi venientes benedictionem „petunt, ut parum quid ex limatura accipiant: „assistit Sacerdos cum lima, & aliquid petentibus „ita concite aliquid de catenis ipsis excutitur, ut nulla mora sit. Quibusdam vero petenti„bus, diu per catenas ipsas ducitur lima, & ta„men ut aliquid exinde exeat, non obtinetur.„ Vide lib. 1. Ep. 25. 29. 30. lib. 2. Indict. 11. Epist. 33 & 47. lib. 5. Epist. 6. Lib. 6. Epist. 23. & 25. lib. 7. Indict. 1. Epist. 34. Indict. 2. Epist. 2. Epist. 54. 85. 87. lib. 10. Epist. 7.

5. Denique simplicitatem ingenii, judiciique defectum, atq; ad opiniones ac vana facile tum condenda, tum scribenda, probat hujus Pontificis sententia vana & falsa, de ultimo totius orbis judicio finali, suis temporibus vel præsente vel statim atque in januis futuro. Tam firmam sibi vir simplex opinionem ex quibusdam ostensis cœlitus signis finxit, ut eam etiam ad Mauricium Imperatorem scribere vir bonus ac infelix Propheta, non erubesceret anno ordinationis suæ 2. Christi 591. Lib. 2. Indict. 11. Epist. 62. Conquestus enim Augusto, de lege qua prohibuit ne milites in Monasteriis susciperentur, ut instantius ad illius revocationem, Imperatorem urgeret: *Et quidem* (inquit) *confidendum valde est, quia eo jam tempore prohibentur quique relinquere seculum, quo appropinquat finis ipse seculorum. Ecce enim mors non erit, & ardente cælo, ardente terra, coruscantibus elementis, cum Angelis & Archangelis, cum Thronis & Dominationibus, cum Principatibus & Potestatibus tremendus judex apparebit.* Quis hoc audito, Eliam & Moysem Christi prodromos, jam vidisse Gregorium Magnum non crederet? Attamen ab hoc tempore ad nos usque, agente Deo, mille ac centum anni absque prophetiæ Gregorianæ complemento percurrunt, mundumque seculis adhuc multis permansurum, contra fidem sane non est. Ita solidam præclaramque suam hanc imaginationem habuit, ut lib. 3. Epist. 44. ad Patriciam Rusticiani illustris viri uxorem. *Sed omnipotens Deus mentem vestram gratia sua pietatis illustret, donec vobis sapere, & temporalia omnia quam sint fugitiva, pensare: quia dum hæc loquimur, & tempus currit, & Judex supervenit, & mundum quem sponte nolumus, ecce jam prope est, ut relinquamus inviti.* Denique lib. 7. Indict. 2. epist. 128. eandem cantilenam repetit, Patricii Italiæ & Venantio Italiæ Cancellario. Stabilit ille mentem suam præclaris omnino, ne ridendis (dicam) rationibus. Ex podagræ doloribus molestissimis (ecce indicium Gregorianum consummationis seculi) qua ab undecim mensibus de lecto surgere non poterat: ex febribus in Clerum urbis Romæ & populum ita irruentibus, *ut pene nullus liber, nullus servus remanserit, qui esse ideneus ad aliquod officium vel ministerium possit.* Ex Africanis mortalitatibus & languoribus, ex Orientis gravioribus desolationibus. En præmissas Gregorianas, jam conclusio audienda: *In his itaque omnibus quia appropinquante fine mundi, generalem percussionem esse cognoscitis, affligi nimis de propriis molestiis non debetis.* Poterant sane hoc modo anno 1691. clarissimi Consules & Academia Lugduni Batavorum concludere finem seculorum advenisse. Ve-

xabat

xabat enim multos podagra, febres quæ familias integras occupaverant, neminem reliquerant fere sanum : *ut nullus remaneret servus qui esse idoneus ad aliquod officium vel ministerium posset.* Oriens autem & Occidens universus, Ludovici XIV. Galliarum Regis instinctu, gravissimis desolationibus concutitur. Nec tamen inde concluserunt finem & consummationem seculi. Idem insinuat Lib. 9. Epistola 60. Adilberto Anglorum Regi, col. 988. lit. E.

CAPVT TERTIVM.

DE

SCRIPTIS SEV OPVSCVLIS GREGORII, SIGILLATIM EXCVSSIS.

Expositionis in Jobum, sive Moralium libri XXXV. Hoc Opus quasi palmarium ac principale Gregorii ab omnibus laudatum, unde in editione ultima Parisiensi anni 1675. à Petro de Gussanvilla præmissum illud cæteris omnibus, quamvis tempore primum non sit. Cum anno 583. Gregorius à Pelagio Romano Pontifice missus Constantinopolim, R. Ecclesiæ Apocrisiarius fuisset, anno sequenti 584. ut opinamur hoc aggressus est Opus, quod variis tandem otiorum temporibus continuatum, anno 590 absolutum est. Susceptum illud orantibus potissimum Monachis, quos secum ad animæ solatium Constantinopolim duxerat, quibuscum quotidianis utebatur collationibus. Instante etiam qui tum illic sedebat, & quocum intimam Gregorius amicitiam conjunxerat, S. Leandro Hispalensi Episcopo, quem anno superiore Hermenigildus Princeps Constantinopolim ad Tiberium, ut suppetias obtineret, delegarat. Vnde hanc ob causam opus suum Leandro tanquam illius promotori præcipuo, dedicatoria Epistola obtulit: quod omnium Gregorii operum primum prodiit seorsim, sub primis typographicæ rei incunabulis Romæ anno 1475. ac Parisiis anno 1495. in fol. Excusat se Gregorius Leandro sub finem Epistolæ, quoad defectus excessusque Operis. Nimiæ nimirum simplicitatis, ac moralium immoderatæ luxuriei quisquis Commentarium hunc argueret, haudquaquam à vero rectoque aberraret ille judicio. Vt enim rectissime Elias du Pin *Ecclesiastica Bibliotheca* seculo sexto in *Gregorio* pag. mihi 133. hisce verbis, „Corpus Commentarii convenit ideæ, quam in Prologo obtulit: hoc est, vix „ac ne vix quidem explicationi litteræ adhæret, „sed allegoriis & moralitatibus quas textui Job „adaptat, quarum pleræque pari jure, aliis omnibus sacræ Scripturæ locis applicari possent. „Sed non tam ille sollicitus erat libro Jobi explicando, quam operi quod infinitam cogitationum moralium struem contineret, colligendo. „Ac ingenue fatendum est, hos libros etsi minus „eximios in librum Job Commentarios, maximum tamen moralitatum quas continent, esse repertorium. Incredibile, quanta contineant principia, regulas & doctrinas omni hominum generi convenientes, tam Ecclesiasticorum quam Laicorum, tam secularium quam regularium, tam majorum quam minorum: atque ut uno complectar verbo, omni statuũ generi, omnium ætatum ac conditionum. Hoc opus heic sigillatim expendere nolumus, si enim Commentariorum ejusmodi moralium & allegoricorum summas excerpere vellemus, in immensum excresceret labor noster. Hoc Opus multa cum simplicitate ac perspicuitate, non tamen cum tanto acumine ac elevatione scriptum est." Ita de opere Gregorii Magni nobilissimo sincere satis, Elias du Pin, pontificius vir: quod ab aliis supra fidem elevatum est. Mihi porro legenti, nauseam non semel immensa illa allegoriarum ac moralitatum farrago cum prolixitate molesta, attulit atque a discutiendo ad finem usque, deterruit. Hanc sane ob causam, Odo Cluniacensis Abbas celeberrimus seculo X. circa annum 930. clarus, horum Commentariorum compendium ut prolixiorum compegit, quod Parisiis anno 1617. in 8vo cura Martini Marrier prodiit. Recte autem dictum ab Elia du Pin loc. cit. *Allegorias ac moralitates quas textui Job adaptat, plerasque pari jure, aliis omnibus sacræ Scripturæ locis applicari posse.* Cujus mentem secutus est seculo Ecclesiæ XII. Gvarnerus canonicus regularis & Supprior S. Victoris Parisiensis, circa annum 1170. clarus. Hic enim ex potissimis Gregorii Magni in librum Job commentariis, concinnavit Opus in omnem sacram Scripturam, cujus inscriptio: *Allegorica Explicationes Rerum Biblicarum, ex libris & verbis Divi Gregorii Papæ*, quod Parisiis a. 1608. in 8. editum, cura & studio Johannis Picardi, canonici S. Victoris.

De Cura Pastorali liber ad Joannem Ravennæ Episcopum. Nullus de eo ambigendi locus est. Scriptus est a Gregorio Magno sub Pontificatu s initium. Vix autem completus, cum magna ipsius opinio utrumque orbem, orientalem & occidentalem subiit. Nam in Oriente Mauritius Imperator, auditis hujus Opusculi laudibus, ab Anatolio tunc temporis Constantinopoli agente, Romanæ Ecclesiæ Diacono, illud petiit. Quo vix obtento, commisit illius copiam Anastasio Antiocheno Patriarchæ, qui in Græcam linguam anno circiter 602. illud transtulit. Versionem hanc sui Operis, laudat ipse Gregorius Magnus Lib. 10. Epist. 22. quæ versio tamen ad nostra usque tempora non pervenit. Illud iterum in Occiduis partibus, summa instantia, eodem tempore, Leander Hispalensis Archiepiscopus, Gregorio Magno amicus singularis, postulavit & obtinuit. De quo pluribus Elias du Pin loco citato, pag. mihi 134. Videtur Opusculum supra meritum laudatum, à Conciliis seculi IX. potissimum.

Homiliarum in Ezechielem, libri II. anno circiter 595. scripti, *ad Marinianum Ravennæ Episcopum.*

Ha-

Habuerat ad populum homilias istas Pontifex, quas octo post annos, iterum a se recensitas, evulgavit. Hæ duos in libros divisæ, quarum primus Homilias duodecim in tria priora Ezechielis capita & in quarti partem, continet. Verum ob instantia negotia interrumpere continuationem hujus expositionis coactus, transiit ingenti saltu ad hujus Prophetæ 40 caput, descriptam illic ædificii in monte constructi visionem explicaturus, quod ipsi decem Homiliarum ultimum librum complentium, argumentum præbuit. Agit his in homiliis ratione prorsus eadem, ad allegorias & tropologicos sensus omnia convertens, qua in commentando Jobi textu usus est: non tanta tamen prolixitate, neque lectorum nausea tam multa.

De diversis Evangelii Lectionibus, Homilia XL. Ad Secundinum Taurominitanum Episcopum, anno 592. absolutæ. Has ut ipse in Prologo admonet, recensuit iterum antequam evulgaret, quas antea vel in Ecclesia legendas jusserat, vel concionatus erat. Divisæ in duos libros illæ, quorum primus Homilias XX. amanuensibus suis dictatas, secundus totidem à se pronuntiatas, continet.

Dialogorum de vita & miraculis Patrum Italicorum, & de æternitate animarum, lib. 4. anno circiter 593. scripti. De quibus ne mentem propriam quis contemnat, alienam subjiciam Guillelmi Cavi, *in Historia Rei Literariæ* ad annum 590. pag. 430. his sequentibus. „Litem his Dialogis intentant Reformatorum haud pauci, strenue „reclamantibus Romanæ Ecclesiæ Scriptoribus. „Varia utrinque proferuntur argumenta ; pro „negantibus facit *primo* ingens styli discrepantia, à Gregoriano compto satis & æquali nec „ineleganti, immane abludentis. Et sane fatendum est plurimas dictiones in his Dialogis „usurpatas, hominis esse in lingua latina mediocriter versati, ne quid gravius dicam. *Secundo* „aniles & ineptæ quæ ubivis occurrunt fabulæ, „Gregorio Magno, quin & quovis prudenti viro penitus indignæ: quarum proinde authorem graviter perstringit in Opere *de Locis Theologicis* Lib. II. Cap. 6. pag. 658. Melchior Canus homo Pontificius, eruditione & pietate celebris. *Tertio* reperiuntur in his Dialogis, quæ „Doctrinæ Gregorianæ in Operibus ejus inubitatis traditæ liquido adversantur, quorum „omnium non unum exemplum profert Robertus Cocus nostras in *Censura Scriptorum Veterum* pag 209. Hinc orta suspicio, hos Dialogos Gregorio II. Papæ, qui Pontificatum iniit „anno DCCXIV tribuendos esse, indeque ipsum „*Dialogi* nomen traxisse. Ex altera parte *primo*, „certissime constat, Gregorium nostrum hujusmodi Opus in animo habuisse, eamque in rem „relationes undique conquisivisse, ut ex epistola „ejus ad Maximianum Siracusanum lib. 2. Epist. „50. Indict. 11. patet. *Secundo* Joannes Diaconus qui claruit anno DCCCLXXV & quatuor libros de vita B. Gregorii scripsit, diserte testatur Lib. 4. Cap. 75. Gregorium Magnum „hos quatuor Dialogorum libros composuisse, „& Zachariam Papam post annos ferme „CLXXV. in Græcam linguam convertisse. „Vbi errorem *in numero* corrigit ad annum 593. „num. 46. Baronius, dicens nonnisi annos fuisse „CXLVIII. Accedit ipsius Photii in *Bibliotheca* Cod. 252. testimonium, hos Dialogos Gregorio nostro adjudicantis, quique ante annos „CLXV. scriptos fuisse asserit, quam à Zacharia „Papa Græce verterentur. Perpensis ex utraque parte argumentis restat, ut hi Dialogi saltem sint dubiæ fidei, à Gregorio Magno, ut videtur, scripti, à recentioribus aucti & interpolati. Ejus ergo esse, haud iverim inficias. Interim in hoc opere concinnando, nimium credulitati suæ indulsisse, & in fabulas plus quam par erat propensiorem fuisse: nemo qui æquo animo ac præjudiciis libero id legerit, facile negabit. Prodierunt seorsim sæpius, puta *Venetiis* anno 1475. *Parisiis* 1499. *Venetiis* 1561. *Coloniæ* 1610. & alibi. Eos olim Græce vertit Zacharias Papa. Versio *Romæ* prodiit anno 1591. sed mutila, desideratis ex libro tertio sex capitibus cum dimidio. Ea ex Codicibus MSS. restituit, ac in lucem edidit Canisius *Antiquæ Lectionis* tomo 3. Integra proinde exhibetur versio Zachariæ Græca, in editionibus operum Gregorii Parisiensibus annorum 1640. & 1675. Hæc abunde satis Guillelmus Cavus, de libris *Dialogorum* Gregorii Magni. Aliter Cavus magisque sane sensisset, si ultimam editionem Operum hujus Romani Pontificis Parisiensem anni 1675. ad Manuscriptos Codices exacte collatam, volvisset. Illic in Volumine II. Col. 327. & seqq. ad calcem Dialogorum istorum, prolixam hujus nodi excussionem solutionemque sibi adversam, à Petro de Gussanvilla egregie exaratam, cui refragari nullus audeat, invenisset. Quam secutus maxime Elias du Pin in *Bibliotheca Ecclesiastica* seculo VI. in *Gregorio Magno*, pag. mihi 138. Vbi enim Cavus legit, vel in Scriptoribus Ecclesiasticis, vel in MSS. Codicibus, *Hos Dialogos saltem dubiæ esse fidei, à Gregorio Magno (ut videtur) scriptos, à recentioribus auctos & interpolatos?* Collati à Petro de Gussanvilla sunt MSS. varii, & hi omnes similes, absque ullo argumenti vel interpolationis indicio. Innumeri in Bibliothecis latent, ejusdem tenoris omnes, ut plurimos ego vidi. Gratis ergo ista à Cavo dicta sunt & inventa, ut avidam sane Gregorii Magni in credendo ac scribendo stupenda, facilitatem credulitatemque excusaret. Ipsis autem jam Zachariæ Romani Episcopi temporibus, anno circiter 744. quo in linguam Græcam Dialogi illi translati sunt, ex collatione utriusque operis, constat ejusdem fuisse tenoris MSS. Codices, cum latinis quibus nunc utimur: ut nullus omnino imaginariæ Cavi interpolationis locus relictus sit, vel augmenti quod primus ipse in iis factum esse comminiscitur. Nullus itaque dubitandi locus quin Dialogo isti, aniles

quamvis,ad Gregorium nominis Magnum ſpectent. *Primum* quod hos ipſe ſuos agnoſcat, quo quid lucidius dici poteſt, Libro 2. Epiſtola 50. Hiſtoriam quandam de Abbate Nonnoſo volitantem à Maximiano petens, ut in Librum miraculorum Patrum illam immittat. Tum Lib. 1. *Dialogorum* Cap. 7. Hanc de Nonnoſo Abbate hiſtoriam profert, quam à Maximiano ſe didiciſſe fatetur. Neque diffitendum quin ſæpe in pluribus homiliis ſuis, eædem Hiſtoriæ inveniantur,quæ terminis iisdem intra Dialogos referuntur. *Secundo* in libro *Dialogorum* II. cap. 1. ubi de vita S. Benedicti Abbatis fuſiſſime agit, expreſſe dicit quidquid de eo ſcribit, à quatuor ipſius diſcipulis ſe accepiſſe, quorum duo quidem jam fatis functi, alii autem duo adhuc ſuperſtites in vivis ſunt. Hæc autem optime conveniunt Gregorii I. ſeu Magni temporibus, Gregorii autem II. ſeu junioris ætati convenire haudquaquam poſſunt: niſi Cavus dicat, hos quatuor diſcipulos vixiſſe annis circiter ducentis,ut ad Gregorii junioris tempora, vitam Benedicti Abbatis enarraturi, pertingerent. *Tertio* Paterius Gregorii Magni Secundiarius ac Diſcipulus,in Collectaneo ſuo ex operibus Magiſtri indubiis ſibique ad oculum notis, conſarcinato,atque ad omnes ferme S. Scripturæ potiſſimos textus libris tribus apprime adaptato, refert magnam exceptionum multitudinem, ex *Dialogorum* libris decerptam. Tajus quoque cognomento Samuel,Epiſcopus Cæſarauguſtanus anno 646. clarus, collegit ex Gregorii libris, *Sententiarum libros V.* ſervatis ipſius Pontificis verbis,paucis ubi ea deſunt,ex S. Auguſtino ſuppletis, qui hodieque extant in Bibliotheca Colbertina. Atqui in hoc Collectaneo multa ſunt excerpta ex Gregorii Magni *Dialogorum* libris, unde liquido apparet ſpectare illos ad Gregorium I. non II. ſeniorem, non juniorem, ut Cavus male ominatus eſt. Denique Ildefonſus Toletanus Archiepiſcopus qui annis L. Gregorio Juniore Romano Pontifice antiquior eſt, in Libello *de Scriptoribus Eccleſiaſticis XIV.* cap. 1. ſive Appendice ad librum Iſidori Hiſpalenſis Archiepiſcopi *de viris illuſtribus* poſt Hieronymum & Gennadium, eosdem *Dialogorum* libros Gregorio Magno ſeu I. adſcribit: quibus argumentis nil video quod valide opponi poſſit,ita inluctabilia ac demonſtrativa ſunt. Mitto alias authoritates ut ſupervacaneas, nempe Hilarii Toletani, Bedæ, Pauli Diaconi, Alcuini Abbatis, Joannis Diaconi, Adriani I. Romani Pontificis, Anaſtaſii Bibliothecarii Hincmari Remenſis Archiepiſcopi, Paſchaſii Abbatis Corbeienſis, Prudentii Tricaſſini Epiſcopi, Photii Patriarchæ Conſtantinopolitani, Alulfi Monachi qui quatuor volumina ex Gregorii Magni dictis compilavit,atque aliorum Gregorio ſecundo ſeu juniore cui etiam à nonnullis attributi ſunt,recentiorum. Hæc per compendium ex citata Diſſertatione Petri de Guſſanvilla, qui plura voluerit, hanc revolvat. Nec juvat Cavum, quod recentiores Græci ut Georgius Codinus & alii, Gregorium II. ſeu juniorem *Dialogiſtam* vocent: quaſi ad ipſum, & non ad Gregorium Magnum, hi quatuor *Dialogorum* libri ſpectent. Proceſſit enim iſtud duplici ex cauſa. Prima, quod opinarentur hi Græci,vana *Gregorii Magni* appellatione illuſi, hunc virum vaſto fuiſſe ingenio,acri judicio, ab omni fabularum ſpecie alieno. Altera,quod hos quatuor *Dialogorum* libros lectu quodammodo indignos cernerent, fabuloſis narrationibus ac mendaciis plenos, mulierculam præ ſe ferentes atque delirantem illam: quam ut à Gregorio Magno amolirentur indignam prorſus infamiam, de quo magnam opinionem conceperant, in Gregorium juniorem cui *Dialogiſta* nomen indiderunt,deliria iſta ſomniaque tranſtulerunt.

Hinc error alter Guillelmi Cavi, qui omiſit inter Opera Gregorii Magni *Miſſam Gregorii Papæ Dialogi dicti*, quam Georgius Codinus in linguam Græcam tranſtulit: opinatus nempe ſpectaſſe illam ad Gregorium juniorem, II dictum. Cujus & meminit ipſe, ubi de Gregorii junioris operibus ad annum DCCXV pag. 479. Nam cum Gregorius Dialogiſta vere ac indubie ex allatis, Gregorius primus & Magnus ſit: Miſſa iſta quæ ex titulo ſpectat ad Gregorium Dialogiſtam, ad Gregorium Magnum vere & indubie,non autem ad juniorem pertinet. Impegit in eundem ſcopulum, vel magis eundem errorem amplecti coactus poſt Cavum eſt,illius continuator Henricus Warthonus ſeculo XV ad annum 1460. verbo *Georgius Codinus* pag. 148. His verbis. Gregorii Papæ, *Dialogi* dicti *Miſſam* in linguam Græcam Georgius Codinus convertit, quam Græce edidit Morellus, Pariſiis 1595. Græcolatinam Fronto Ducæus in *Auctario* tom. 2. pag. 125. Auctiorem multo & perfectiorem haberi in Bibliotheca Barberina Cod. 75. Emmanueli tamen Chryſoloræ tributam, monet Leo Allatius, Diatriba *de Georgiis & eorum Scriptis* pag. 362. Ita Cavus ac poſt illum Warthonus, uterque ex ſuppoſitione falſi principii, Dialogos ſpectare ad Gregorium juniorem.

CAPVT QVARTVM.

QVID GREGORIVS MAGNVS, DE EVCHARISTIA SENSERIT, IN LIBRIS DIALOGORVM, ET ALIBI?

INter Pontificios atque Reformatos non levis controverſia vertitur, quemnam ſenſum de Evchariſtia ſeu de corpore & ſanguine Domini in Sacramento, Gregorius Pontifex I. Romanus, habuerit. Allegant pro ſenſu realitatis ſuæ Bellarminus & Perronius, in figuræ vero gratiam eruditus Aubertinus in opere *de Sacramento Euchariſtiæ* lib. 2. pag. 895. & ſequentibus: Neutri quidem expreſſa Gregorii verba in ſuæ gra-

gratiam ſententia afferentes, omnes autem ratiociniis, ad eum ſuæ parti conciliandum uſi. Diſcuſſis igitur ejusdem Dialogis mearum eſſe duxi partium, in ſingulares quosdam ac controverſos Pontificis hujus ſenſus maximam partem ex Dialogis deſumptos inquirere, ac primum de Euchariſtia quid ſenſerit, plurimis hic ab Aubertino mutuatis.

Exiſtimo itaque cum ſcriptore hoc erudito, Gregorium primum nequaquam credidiſſe, vere & ſubſtantialiter corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtiæ contineri ſacramento, ſed in virtute tantum & figura efficaci, realitate abjecta. *Primum* enim Lib. 14. Moralium cap. 31. ſic loquitur. „Non ſicut Eutychius Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopus ſcripſit, corpus „noſtrum in illa reſurrectionis gloria, erit impalpabile, ventis aëreque ſubtilius. In illa „enim reſurrectionis gloria erit corpus noſtrum „ſubtile quidem per effectum ſpiritalis potentiæ, „ſed palpabile *per veritatem naturæ*. Vnde etiam „Redemptor noſter dubitantibus de ſua reſur„rectione Diſcipulis, oſtendit manus & latus, „palpanda oſſa, carnemque præbuit, dicens: „*palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non „habet, ſicut me videtis habere.* Et ibidem cap. 33. „Quidam errorum ſequaces arbitrantur quia „poſt reſurrectionem, corpus palpabile non „erit, ſed inviſibilis corporis ſubtilitas caro vo„cabitur. Et paulo poſt rurſum. Nos beati „Job fidem ſequentes, & Redemptoris noſtri „poſt reſurrectionem corpus palpabile veraci„ter credentes; fatemur carnem noſtram poſt „reſurrectionem futurã, & eandem & diverſam: „eandem per naturam, diverſam per gloriam: „eandem per veritatem, diverſam per poten„tiam. Erit itaque ſubtilis, quia & incorrupti„bilis: *erit palpabilis, quia non amittet eſſentiam „veritatis naturæ.* Verba ſane notatu digna ſunt. Ait enim tam ipſum corpus Domini jam glorioſum, quam noſtra quoque poſt reſurrectionem corpora, debere eſſe palpabilia: *per* id eſt, *propter veritatem naturæ*. Ait carnem noſtram, fore palpabilem poſt reſurrectionem, quia carnis non amittet veritatem: *erit palpabilis, quia non amittet eſſentiam veritatis naturæ*. Nihil dilucidius. Quomodo autem id dicere potuiſſet Gregorius, ſi Domini corpus in Euchariſtia verum eſſe credidiſſet, quod certo impalpabile atque inviſibile eſt? Si enim ipſummet Domini corpus glorioſum, palpabile ac viſibile eſſe neceſſe eſt, quoniam alioqui naturæ ſuæ eſſentiam amitteret: Impoſſibile prorſus eſt illud in Euchariſtia vere & eſſentialiter eſſe, cum in ea ſentientibus ipſis adverſariis palpari ac videri non poſſit. Cum itaque ex Gregorio Magno verum corpus impalpabile & inviſibile eſſe nequeat, in Euchariſtia proinde non eſſe ex ipſius mente dicendum eſt.

Secundo. Lib. 12. Epiſt. 31. interrogatione 10. col. 1133. lit. E. Auguſtinus Anglorum Apoſtolus Gregorium Magnum interrogat. „Si uxor menſtrua conſuetudine tenetur, an Ec„cleſiam introire ei liceat, aut ſacræ communio„nis ſacramentum percipere? Aut vir ſuæ con„jugi permixtus, antequam lavetur aqua, (vi„de ſtupendam ſuperſtitionem) ſi Eccleſiam in„trare poſſit, vel etiam ad miniſterium ſacræ„ communionis accedere? Gregorius autem„ reſponſionem ad quæſtionem factam prolixis„ſimam, his tandem verbis concludit, col. 1137. „lit. A. Tunc autem vir qui poſt commixtionem„ conjugis lotus fuerit aqua, etiam ſacræ com„munionis myſterium valet accipere, cum ei„ juxta præfinitam ſententiam, Eccleſiam etiam„ licuerit intrare.„ Ita quæſtionem ſolvit Gregorius, cui notam adjicit Guſſanvillæus col. eadem lit. E. *Videlicet æquiparare ingreſſum Eccleſiæ cum ſumptione corporis Domini: quaſi ſit indignus Eccleſiam ingredi, qui dignus non eſt ſacro Chriſti corpori communicare.* Non tantum autem comparat ingreſſum Eccleſiæ cum corporis Domini perceptione Gregorius Magnus, ut vult citatus commentator Pontificius: ſed majus etiam aliquid ipſum Eccleſiæ ingreſſum, ipſa perceptione Dominici corporis cenſet; unde ex conceſſione ultimi tanquam majoris, alterius primi ut minoris conceſſionem, nempe corporis Domini perceptionem, licitam concludit. *Etiam ſacræ communionis myſterium valet accipere, cum ei juxta præfinitam ſententiam, Eccleſiam etiam licuerit intrare.* Ergo non credebat Gregorius Magnus Chriſti corpus & ſanguinem vere & ſubſtantialiter contineri in Sacramento Euchariſtiæ, ſed tantum virtute & figura & ſigno: alioquin longe majus aliquid fuiſſet, percipere corpus & ſanguinem Domini, quam Eccleſiam intrandi licentiam habuiſſe. Sane Pontificii hodierni, qui a mente veterum Romanorum & Gregorii, circa Euchariſtiæ Sacramentum receſſerunt, longe aliquid eſſe ſanctius ac ſacratius cenſent, ad Chriſti corporis & ſanguinis perceptionem accedere, quam ipſis licere Eccleſiam ingredi: quia nempe Chriſti corpus & ſanguinem vere & in eſſentia contineri & ſibi dari opinantur. Cum ergo contrario ab ipſis modo, in reſponſione ad Auguſtinum conſulentem Gregorius Magnus reſponderit, contrariam quoque modernæ Eccleſiæ Romanæ de Euchariſtia habuiſſe ſententiam credendus eſt; hoc eſt, Corpus & Sanguinem Chriſti Domini figurative tantum ac virtute in hoc Sacramento contineri. Jam pauliſper abſurditati hujus reſponſi Gregoriani, ab argumento noſtro deſcendentes, attendamus. „Tunc autem vir qui poſt com„mixtionem conjugis lotus fuerit aqua, etiam„ ſacræ communionis myſterium valet accipere,„ cum ei juxta præfinitam ſententiam, Eccleſiam„ etiam licuerit intrare.„ Vel enim commercium viri cum uxore peccatum eſt, vel non: Si primum, an lotio iſta corporea per aquam, peccatum abluere Sacramenti inſtar poterat? Si non, ut conſtat, cur inde vir qui mulieri ſuæ cohabitat, ab eccleſiæ ingreſſu vel corporis Chriſti

& ſanguinis communione arcetur, niſi antea lotus aqua fuerit? Abſurdis interrogatis & ſuperſtitioſis, abſurda ac ſuperſtitioſa Gregorii reſponſio adjuncta eſt.

Tertio lib. 2. *Dialogorum* cap. 24. Narrat & narrando approbat factum quoddam S. Benedicti Abbatis, quo conſtat neque S. Benedictum, neque S. Gregorium credidiſſe in Sacramento Euchariſtiæ, vere ac ſubſtantialiter corpus & ſanguinem Chriſti contineri, ſed in virtute tantum & ſigno. „Quadam quoque die dum quidam ejus puerulus Monachus parentes ſuos „ultra quam deceret diligens, atque ad eorum „habitaculum tendens, ſine benedictione de „Monaſterio exiiſſet, eodem die mox ut ad eos „pervenit, defunctus eſt. Cumque eſſet ſepultus, die altero projectum foras corpus ejus „inventum eſt, quod rurſus tradere ſepulturæ „curaverunt. Sed ſequenti die iterum projectum exterius, atque inhumatum ſicut prius, „invenerunt. Tunc concite ad Benedicti Patris veſtigia currentes, cum magno fletu petierunt, ut ei ſuam gratiam largiri dignaretur. „Quibus vir Dei manu ſua protinus communionem Dominici corporis dedit, dicens: Ite atque hoc Dominicum corpus ſuper pectus ejus „cum magna reverentia ponite, & ſic ſepulturæ „eum tradite. Quod dum factum fuiſſet, ſuſceptum corpus ejus terra tenuit, nec ultra projecit. Dicent hodierni Pontificii ſeu Papiſtæ, qui à ſeculo potiſſimum XI. ſuam ſententiam de vero ac eſſentiali corpore & ſanguine Chriſti in Euchariſtia amplexi ſunt, cum jam firmiter credant ac punctum fidei ſuæ hoc præcipuum ducant: an vellent tunc temporis, ſupra triduanum mortui jam hominis cadaver Euchariſtiam ſuam ponere, atque cum ea iterum cadaver ſepulchro committere? Nemo non, opinor, hoc factum ſceleratiſſimum clamaret execrareturque. Vel ergo Benedictus Abbas qui hoc fecit, vel Gregorius qui factum referendo & miraculis confirmando approbavit, impius fuit, aut impii ambo: vel quod veriſſimum eſt, aliter uterque de Sacramento Euchariſtiæ ſentiebat, quam Eccleſia Romana recens. Nam quod ſolis nunc ſacerdotibus, ex quo realitas in Sacramentum introducta fuit, conceditur: hoc priſcis Eccleſiæ temporibus, dum virtute ſola & efficacia Chriſtus in Sacramento velut in ſigno continebatur: & Benedictus ſimplex Monachus, nec Sacerdos, nec Diaconus fecit, & Laicis præbuit ut cadaveri Monachi ſui adponerent, & appoſitum Sacramentum cum cadavere terræ mandarent.

„Denique *quarto* idem Gregorius Lib. 4. *Dia-*„*logorum* c. 15. refert mulierem quandam nomi-„ne Romulam, ſub mortis tempus ab alia quadã „fœmina nomine Redempta, quæ ipſi morum „Magiſtra erat, viaticum, id eſt Euchariſtiam, ac-„cepiſſe, & illico obiiſſe. Quis vero conceſſerit „fas fuiſſe fœminæ, alteri mulieri Euchariſtiam „tradere: ſi tunc creditum fuiſſet eam ipſummet Domini glorioſum corpus eſſe? Affictæ Sixto Papæ Decretalis epiſtola apud Grat. de Conſecr. diſtinct. I. c. *In ſancta*, prohibet *vel ſa-cra quidem vaſa contingi a Laicis.* Et Concilium Antiſſiodorenſe celebratum an. 578. can. 36. circa illa ipſa Gregorii tempora, docet non licere *mulieri nuda manu Euchariſtiam vel quidem accipere.* Ita Albertinus l. c. p. m. 896.

Opponunt autem adverſarii Gregorium Gregorio, ac primum quod ait Homilia 14. *in Evangelia. Bonus Paſtor pro ovibus animam ſuam dat, ut in Sacramento noſtro corpus & ſanguinem ſuum verteret, & oves quas redemerat carne ſua alimento ſatiaret.* Ad quæ notat Perronius verba hæc *corpus & ſanguinem ſuum vertere*, eſſe idem ac, *corpus ſuum forma, facie ac figura mutare, & illud nobis ſub alia ſpecie & apparentia exteriori exhibere*: quem multis refellit Aubertinus loc. cit. p. 897. Sed paucis reſpondeo Pontificios non vagis ejusmodi verbis debere agere contra nos, ſed expreſſis certisque realitatem in ſe includentibus, vel figuram expreſſe excludentibus. Alias dum authoritates contra nos adducunt, ludere ac jocari cenſendi ſunt: verba autem allegata neque talia eſſe quæ figuram expreſſe excludant, vel corpus & ſanguinem Chriſti proprie vere ac ſubſtantialiter includant. Contra vero commode in ſenſu figurativo accipi poſſe, *ut in Sacramento noſtro corpus & ſanguinem ſuum*, Symbolicum videlicet *verteret* in alimoniam animarum noſtrarum. Hæc paucioribus ac minus intricatis, quam Aubertinus.

Objiciunt 2. eundem *in Evangelia* homilia 22. his verbis. *Quis ſit Sanguis Agni, non jam audiendo, ſed bibendo diſciſtis. Qui Sanguis ſuper utrumque poſtem ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur.* Tum etiam illico addit ſuper circonſtantia de Agno paſchali per noctem manducando, *in nocte quippe agnum comedimus, quia in Sacramento modo Dominicum corpus accipimus, quando adhuc ad invicem noſtras conſcientias non videmus.* Et rurſus, *Quid prodeſt corpus & ſanguinem illius ore percipere, & ei perverſis moribus contraire?* Affert commentationem Perronii loc. cit. pag. mihi 898. Aubertinus, qua in refutanda multum ſe fatigat, atramento chartaque perditis. Reſpondeo paucis, nil in allatis verbis videri quod realitatem expreſſe & inſuperabiliter contra nos aferat, vel quod figuram diſertim excludat. Hoc debent illi poſitive ac formaliter facere, alioquin aërem percutiunt, lauroque marcida triumphant. Imo verba iſta pro nobis militant. „In nocte quippe Agnum comedimus, „quia *in Sacramento* modo Dominicum corpus „accipimus:„ id eſt *in ſigno & figura* modo, non vere & ſubſtantialiter, ut Eccleſia Romana recens docet. Tantum abeſt ut *figura* his excludatur, quin potius includatur verbis.

Objiciunt 3. Gregorium lib. 3. *Dialogorum* cap. 3. narrare *Papam Agapetum unum ex prædeceſſoribus ſuis ad mutum miraculoſe curandum, illi cor-*

corpus Christi in os misisse, ac ita linguam ejus ad loquendum solutam fuisse. Hoc legisse me fateor in Dialogis, sed quid ad mentem Pontificiorum ac Romanæ novæ opinionis? Ibine hoc factum dicitur, quod Agapetus Papa crederet firmiter quod Corpus & Sanguis Christi esset vere ac realiter, & non in figura vel signo tantum, in Eucharistia? Instant ex antecedentibus S. Gregorii verbis, quæ nec reticebo, ad majorem objectionis vim. „*Cui dum in virtute „Dei ex authoritate Petri, fixam salutis illius spem „habere se dicerent: protinus venerandus vir oratio„ni incubuit, & Missarum solemnia exorsus, sacri„ficium in conspectu Dei omnipotentis immolavit.* Sed neque hoc convincit, *Missa* enim de qua ibi Gregorius loquitur, appellatur improprie ac figurative *Oblatio, Sacrificium, Immolatio:* quod in his ritibus fiat commemoratio oblationis & sacrificii & immolationis Christi Domini quæ in cruce facta est, cujus & nos dum cœnam agimus, memoriam pariter juxta Apostolum Paulum facimus, atque hæc responsio quoque valet, contra id quod objiciunt ex iisdem *Dialogis* lib. 4. c. 58.

Objiciunt 4. Gregorium in I. *Regum* Lib. 2. cap. 1. vehementer invehi, in audaces Dominici corporis susceptores, imo de indignis dicere: *Domini carnem manducant quoad veritatem essentiæ, sed non quoad effectus salubritatem.* Respondet autem Aubertinus pag. cit. hæc esse parvi momenti. Facile enim est excipere, illum utrobique non de propria Domini carne, sed de symbolica ac sacramentali loqui, hoc est, de carnis & corporis ipsius signo. Nos aliter respondemus ex cap. præcedenti, hoc opus esse Gregorio Magno suppositum, quod Aubertinus non attendit.

„ Objicit 5. Bellarminus Gregorium insigni „miraculo, probavisse vere panem in carnem „Domini converti: ut testantur Joannes Dia„conus Lib. 2. Vitæ S. Gregorii cap. 41. & in „ejusdem Vita Paulus Diaconus. Verum „Perronius ait, *nolle se adducere ista, quia licet de„Gregorio scripta, non tamen a Gregorio conscripta„sint.* Quis enim credat si quid tale contigis„set, Gregorium in Dialogis suis tot absurda „miracula garrientem, tam nobile silusse? „Commentum ac figmentum est posteriorum „Scriptorum, longe post obitum Gregorii na„tum, spiritumque mendacii spirans. Narrat „enim hæc fabella Gregorium in altari loco „panis, invenisse *partem digiti auricularis san„guine cruentatam.*“ Ita Aubertinus à me sæpius allatus.

CAPVT QVINTVM.

DE

PVRGATORIO, QVOD INVENTVM A GREGORIO MAGNO IN DIALOGIS, NOVVM DICITVR.

PVtarunt veteres plerique Ecclesiæ scriptores, qui nullos jam habent vel in nostris vel in Romanorum partibus Sectatores, *Purgatorium* quendam affuturum prævenientemque Judicii universalis diem ultimum, ignem: quo non tantum reprobi, sed & ipsi electi & sancti, imo Martyres & B. ipsa virgo Maria, probabuntur atque examinabuntur: cujus vi ac potentia boni a malis scilicet discernentur, optimique a mediis, & si quid Sanctis ipsis ac Martyribus vitii ex anteacta in terris vita inolitum ac concretum adhæserit, id statim purgatrice flamma consumptum iri. Ita Cæsarius sæculo Ecclesiæ sexto Homilia 104. inter spurias Augustinianas editionis ultimæ Parisiensis col. 185. Lit. D. in illud 1 Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere, quod est Christus Jesus. Si quis autem superædificat supra fundamentum hoc &c.* cujus ad intelligentiam, integra homilia attente legenda est. Qua liquet clarissime eam à peccatis minutis purgationem intelligere, quæ *ipsa Judicii die* fiet, quæque plane eadem est cum Ambrosii, Hilarii, Augustini & cæterorum de quibus plene Dallæus Lib. 2. *de Pœnis & Satisfactionibus* cap. 9. pag. mihi 387. Purgatione nimirum per ignem ad Judicii ultimi diem novissima. Nam & hic *Judicii* diem diserte Cæsarius nominat, & istos *post carnis resurrectionem*, purgatum iri apertissime significat, quos ait *cum anima & corpore cruciari:* neque enim corpus animæ conjunctum habebunt, ante universale judicium & resurrectionem ultimam. Tum num. 8. hujus homiliæ *Sanctos per ignem* quo illam purgationem factum iri hariolatur, ipsos quoque transituros, sed sine læsione affirmat. Neque *Sanctos* tantum, sed *omnes Sanctos*, sicut & de B. Virgine Maria Hilarius in Psalm. 118. Et Ambrosius Serm. 3. in eundem Psalmum, de S. Petro Apostolorum Principe & Martyre, de S. Joanne Christi præcursore Baptista, testantur. Sic autem loco cit. Cæsarius. Omnes Sancti, qui „ Deo fideliter serviunt, lectioni & orationi va„care & in bonis operibus perseverare conten„dunt, ne capitalia crimina, nec minuta peccata „admittant, id est, lignum, fœnum, & stipulam, „supra fundamentum Christi: sed bona opera, „hoc est aurum, argentum, lapides pretiosos „superædificantes: per ignem illum de quo „Apostolus ait, *Quia in igne revelabitur*, absque „ulla molestia transibunt.“ Aliud itaque omnino istud Purgatorium Cæsarii, Augustini, Ambrosii, Hilarii, ab hodierno recente Romano. Nam Romanum recens, est animarum corpore solutarum, antequam ultima judicii dies adveniet, imo post ultimam singularis cujusque judicii diem: istud vetus, est illarum ad ipsam judicii ultimi diem, postquam corpora sua resumpserint. Romanum recens cum ultimo judicio destruendum, istud cum illo incipiendum. Romanum pro solis animabus qua corpora non habent, constitutum: istud animarum & corporum simul. Romanum recens solis fidelibus

pœnæ temporali adhuc obnoxiis, iſtud vetus *omnium etiam Sanctorum* commune eſt, per quod & Maria virgo & Petrus Apoſtolorum princeps & Joannes Baptiſta purgabuntur, ex ſenſu Veterum. Jam quæritur, quis hujus novi Purgatorii inventor ſit? Atque cum Dallæo lib. 6. *de pœnis & ſatisfactionibus* cap. 13. pag. 624.

Gregorium primum ſeu Magnum hujus Romani recentis Purgatorii inventorem fuiſſe dicimus, quod nondum extabat temporibus S. Cæſarii Arelatenſis Archiepiſcopi, ut ante probavimus. Statuit Gregorius hanc ſuam doctrinam poſitive lib. 4. *Dialogorum* cap. 39. quærens. *An poſt mortem* ſeu ante judicium ultimum, *purgatorius ignis ſit?* Cui affirmative, ſed Deus bone, miſerrimis rationibus reſpondet, adducens ſcripturas, quæ Purgatorium a ſe aſſertum non magis probant, quam factum Deucalionis tempore diluvium. Statuit autem Purgatorium eo modo & ratione, qua Romana recens Eccleſia, his verbis illud eſſe credendum aſſerens. „Sed tamen de quibusdam levibus „culpis eſſe ante judicium purgatorius ignis „credendus eſt, pro eo quod veritas dicit, quia „*Si quis in Sancto Spiritu blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſeculo remittetur ei, neque in futuro.* „Matth. 12, 32. In qua ſententia datur intelligi, quasdam culpas in ſeculo, quasdam vero in „futuro poſſe relaxari. Quod enim de uno negatur, conſequens intellectus patet, quia de „quibusdam conceditur. Sed tamen ut præ„dixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri „poſſe credendum eſt, ſicut eſt aſſiduus ocioſus „ſermo, immoderatus riſus, vel peccatum curæ „rei familiaris, qua vix ſine culpa ab ipſis agitur, „qui culpam qualiter declinare debeant, ſciunt: „aut in non gravibus error ignorantiæ. Quæ „cuncta etiam poſt mortem gravant, ſi adhuc in „hac vita poſitis minime fuerint relaxata. Sed argumentum Gregorii frivolum eſt, ſicut & locum Pauli 1. ad Corinth. 3. *Si quis ſuperadificaverit ſuper hoc fundamentum aurum, argentum &c.* aliter omnino explicat, quam S. Cæſarius ſupra allatus, in Purgatorii ſui recenter inventi gratiam: Etſi *hoc de igne tribulationis in hac vita nobis adhibito poſſe intelligi*, Gregorius ibidem ingenue fateatur. Quoad locum autem ex Matth. 12. v. 32. abſurde item argumentatur, cum Evangeliſtæ intentio ſit *Spiritum Blaſphemiæ* neque remitti in hoc ſeculo neque in futuro: quod nempe in hoc ſeculo ubi remitti potuit, impœnitentiæ hæc blaſphemia conjuncta ſit: neque in futuro, quod in illo remiſſioni peccati, locus amplius non ſit. Hoc planum, quod Papiſtæ intricatiſſimum faciunt. Purgatorium autem ſuum novum ſcripturæ locis ne *γεὺ* quidem de eo agentibus probat Gregorius, his quidem Joannis 12. verſ. 35. *Ambulate, dum lucem habetis.* Iſaiæ 49. v. 8. vel 1. ad Corinth. 6. v. 2. *Tempore accepto exaudivi te & in die ſalutis adjuvi te.* Eccleſ. 9. v. 10. *Quodcunque poteſt manus tua facere, inſtanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec ſcientia, nec ſapientia erit apud inferos, quo tu properas.* Pſalm. 117. v. 1. & 2. *Quoniam in ſeculum miſericordia ejus.* Vnde inſignis Philoſophus, *ergo Purgatorium eſt*, concludit.

Purgatorium a ſe inventum Gregorius Magnus, multis ſane atque eximiis confirmat miraculis, quod Scripturarum authoritate vir bonus confirmare non potuerat. Cum enim hoc Purgatorium ſtatuerit ad peccatorum levium expiationem, *Sicut eſt*, inquit, *aſſiduus ocioſus ſermo, immoderatus riſus, vel peccatum cura rei familiaris &c.* hujus Purgatorii ſui efficaciæ inſigne exemplum profert lib. 2. *Dialogorum* cap. 23. de duabus quibusdam fœminis nobiliori genere ortis non longe a Monaſterio B. Benedicti degentibus, quarum curam gerebat ad exterioris vitæ uſum, vir quidam religioſus, in quem illæ ſæpe conviciabantur. Re ad Abbatem Benedictum delata, ubi excommunicationis duntaxat pœna ab eo perterritæ obiiſſent atque in Eccleſia ſepultæ, dum Diaconus inter Miſſarum ſolemnia, excommunicatis exire præciperet, illæ e tumulis egrediebantur, & ex Eccleſia. Sed oblatione pro eis ab Abbate data & Domino facta, excommunicatæ amplius non ſunt atque hoc modo a Purgatorio ad cœlos tranſiiſſe videntur, quo intemperantia linguæ ex Gregorii principiis, eas conjecerat. Narrat quoque Idem lib. 4. cap. 40. ad præcedentis capitis ubi Purgatorium ſuum modo quo ſupra dictum eſt, ſtatuit: inſigne aliud miraculum de anima Paſchaſii S. R. E. Diaconi, qui Purgatorium ſuum non agebat quidem in locis flammarum: ſed mitiori quadam ratione lavantibus apud Angulanas thermas miniſtrabat, unde S. Germano Capuano Epiſcopo illuc ut lavaretur ingreſſo, atque poſtmodum pro ipſius anima Dominum orante, in hoc pœnali loco ubi deputatus erat, minime amplius inventus eſt. Addit & lib. 4. cap. 55. tertium Gregorius de Domino quodam Centumcellenſi, qui ſuum quoque Purgatorium *in eodem loco in quo aquæ calidæ vapores nimios faciunt*, poſt mortem agebat, lavantibus inſerviens. Pro quo venerabilis vitæ Presbyter, omnipotenti Deo panes offerens, ut pro peccatis ejus interveniret, tandem liberatus eſt. „Ego enim quem „vides, hujus loci Dominus aliquando fui, ſed „pro meis culpis hic poſt mortem deputatus „ſum. Si autem mihi præſtare vis, omnipoten„ti Deo pro me offer hunc panem, ut pro pec„catis meis intervenias. Et tunc exauditum „te eſſe cognoſce, cum huc ad lavandum vene„ris, & me minime repereris. In quibus ver„bis diſparuit, & is qui homo eſſe videbatur, eva„neſcendo innotuit quia ſpiritus fuit.„ Hæc præclara Gregoriani Purgatorii fundamenta ac miracula.

Contradictiones autem inſignes duas, circa ſtabilitum a ſe Purgatorium, admiſiſſe Gregorius mihi videtur. Harum *prima*, dum ſtatuit definitque Purgatorium ſuum levium duntaxat peccatorum expurgativum eſſe nec ad majora exten-

extendi ; *Hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est*, inquit lib. 4. cap. 39. *sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum cura rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare habeant sciunt : aut in non gravibus rebus error ignorantiæ. Quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata.* At cap. 40. sequenti animam Paschasii Diaconi S. R. E. gravissimo schismatis crimine maculatam, in purgatorio tamen collocatam vult, immemor eorum quæ cap. 39. dixerat. Neque excusari potest aut dici, quod Paschasius culpam ante mortem agnoverit ac fassus sit, cum contrarium habet Gregorius ipse: « In sua tamen sententia „usque ad diem sui exitus perstitit, illam amando atque præferendo, quem Episcoporum judicio præesse sibi Ecclesia refutavit. » Neque ut vult cap. 39. *Error ignorantiæ in non gravibus rebus*, eum excusavit, ut hic cap. 40. fecit : nam & res levis non erat, & ignorantia non peccabat, sed malitia Paschasius. *Secunda* circa ignem Purgatorii vel Inferni animas cruciantis, an corporeus vel incorporeus ille sit. Atque lib. quidem *Dialogorum* 4. cap. 29. censet ignem esse *corporeum*, unde quæstionem proponit : *Qua ratione credendum sit, ut incorporeos spiritus teneat ignis corporeus possit?* Corporeumque ignem in animas antequam recipiunt corpora, agere posse, & Petrus interrogans & Gregorius respondens concedunt. His autem contrarium statuit Gregorius lib. 15. *Moralium* cap. 14. « Ignis „corporeus ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. At contra gehennæ ignis cum „sit incorporeus, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur : sed creatus semel, „durat inextinguibilis, & succensione non indiget, & ardore non caret. » Pauca hæc de Gregoriano recens invento Purgatorio, cujus nec sedem statuit quam quippe non noverat, sufficiant.

CAPVT SEXTVM.

DE REGISTRO EPISTOLARVM S. GREGORII ROMANI PONTIFICIS.

VEniamus nunc ad Epistolas Gregorii, de quibus Cavus l. c. p. m. 432. ita : « *Epistolarum libri XII.* quibus immiscentur suppositiciæ „haud paucæ. Privilegium sane Monasterii S. „Medardi Suessionensis, epistolæ 77. libri secundi subnexum, & epistolam 32. libri XII. ad Felicem Messanæ Episcopum, spuria esse fatentur, „ipsi Conciliorum editores. Epistola 42. libri „secundi deest in septem Codicibus MSS. qui hic „in Anglia reperiuntur, quorum unus ipsius „Gregorii ætati fere suppar est. Loca quædam depravata in Epistola 38. libri IV. Epistolis 54. & 64. libri VII. ex Codicibus MSS. notat „Cl. Jamesius noster, libro vernaculo *de Corruptione Patrum* part. 2. Quanta vero licentia« in describendis præsertim Gregorii libris grassati sint olim Monachi, & in excudendis recentiores Pontificii, plenius ostendit Thomas James in *Vindicias Gregorianas* Genevæ editis 1625. in 4. Habentur Epistolæ Gregorii, & in Conciliorum tomo V. pag. 1028. „ Quæ sane verissima sunt, quamvis enim ingenti cura Petrus Gussanvillæus in editione Parisiensi ultima Epistolas pro viribus correxerit : negare tamen neque idem neque alii qui legerint possunt, quin multa adhuc in iis extranea interspersa sint, a mente Gregorii aliena, quæ adhuc medela indigeant. De quibus pauca sequentia, ex notis a Gussanvillæo factis animadvertentis, hauri-mus. *Epistola* 54. libri VII. Indict. 2. *Secundino, Servo Dei, incluso*, vel falsa omnino vel corruptissima est, de qua Gussanvillæus. « Hæc Epistola facilius expungeretur, quam sanaretur. « Eam variis assumentis auctam fuisse probant« MSS. Codices, eruditi consentiunt quibus palatum sapit. Disciplinam sancti Gregorii placi-« tis circa lapsos, ex adverso repugnantem ingessit homo, quisquis est, audacissimus. *ἀνακολουθίαν* orationis, quam *inconsequentiam* vocat« Quintilianus, alii ficto nomine *inconsequentiam*,« quivis nullo negotio deprehendet. Textus« ipse infinitis vitiis scatet, & Manuscriptorum« fere perpetua est inconvenientia. Ex 30. MSS.« vix unus aut alter Codex continet enorme« fragmentum delapsis col. 819. lit. A. quod in-« cipit : *Et quia tua sanctitas &c.* integram & ultra columnam prolixæ satis Epistolæ conti-« nens. Aliud fragmentum de imaginibus cir-« ca finem Epistolæ col. 821, pauci sunt qui ha-« beant. Vetustissimus codex Remensis in quo« descriptæ sunt omnes Romanorum Pontifi-« cum Epistolæ a Gelasio ad Joannem VIII. non« habet assumentum circa lapsos. Quod ta-« men sanctus Anselmus lib. 1. epist. 56. humana,« ut fit, incogitantia recipit ac tuetur, nondum« orto Criticorum sole. Quo tempore tam ab-« surda depravatio contigerit, non liquet. In« Isidorum Mercatorem multi rejiciunt, illum« dico famosum nugivendum, aut falsificum, qui« octavo decurrente seculo scripsit in Hispania« codicem Canonum, & commentitias Decreta-« les primus edidit. Constat vero ex Pauli Dia-« coni, qui anno 801. obiisse dicitur, epistola data ad Adalhardum Corbeiæ Abbatem, hanc de« qua agimus epistolam unam fuisse ex 54 Sancti« Gregorii, quas solas Paulus colligere potuerat.« In qua quia reperitur hujusmodi assumentum,« constat jam ab eo tempore fuisse corruptam.« Monitum vero Lectorem velim, me plusquam« ducentas in hac epistola variantes lectiones« deprehendisse, ne dicam corruptiones, quibus« tota scatet. *Et quia tua sanctitas* &c. Hoc« fragmentum usque ad illa verba : *de ordinatio-« nibus vero &c.* col. 820. lit. A. in maxima parte« MSS. Codicum non reperitur, & quantum a« vera & constanti sancti Gregorii circa lapsos«

Cleri-

„Clericos doctrina deviet, manifeſtum eſt ex „lib. 1. epiſt. 18. lib. 3. epiſt. 16. lib. 4. epiſt. 15. 16. „17. lib. 6. epiſt. 39. lib. 7. epiſt. 25. & aliis. Sed „& vox *Sanctitas* omnino inſolita eſt, & ſancto „Gregorio inuſitata, quam vix Epiſcopis tribuit, „nunquam vero Monachis, erga quos ſolum- „modo utitur voce *charitatis* aut *dilectionis*, ut in „aliis hujus epiſtolæ locis. *Imagines quas* &c. „col. 821. lit. A. Sed neque iſta usque ad finem „habentur in pluribus MSS. In MSS. Ciſtercien- „ſi & Cluniacenſi habetur quaſi epiſtola integra „in fine Codicis hoc modo: *Gregorius ad Secun- „dinum incluſum. Imagines quas &c.* hæc Guſ- „ſanvillæus, cui adjicio, non improbabiliter eſſe, „ex MSS. iſtis duas epiſtolas ambas ad eundem „Secundinum, in unum fuiſſe confuſas, quarum „ultima de *Imaginibus* ageret.

Epiſtola 31. libri 10. indict. 5. inſcripta, *Promiſſio cujusdam Epiſcopi hæreſim ſuam anathematizantis, quam ſolvi fecit in nomine Imperatoris, Conſtantinopoli &c.* Nequaquam eſt Epiſtola S. Gregorii, ſed incondita quædam farrago, ſeu Actus ſchismatici cujusdam Epiſcopi cui ipſe cum Clero ſubſcribit ſub pœna Ordinis ſui caſus & obligatione anathematis, quo ſuum ſchiſma abjurat, ſeque ſemper *In unitate ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ & communione Romani Pontificis per omnia permanſurum.* Actus ſuppoſitionis plurimas habens notas, quique mihi Gregorii ſeptimi temporibus, antiquior eſſe non videtur. 1. Titulus inſcribitur *Promiſſio Epiſcopi hæreſim ſuam anathematizantis*, cum tamen in actu ipſo, *diviſionis* tantum & *ſchismatis* mentionem facit: *Et ideo poſtquam ego ille civitatis illius Epiſcopus, comperto diviſionis laqueo quo tenebar, divina mecum cogitatione pertractans &c.* 2. Periodus illa, *Promitto tibi, & per te ſancto Petro Apoſtolorum principi, atque ejus Vicario beatiſſimo Gregorio, vel ſucceſſoribus ipſius, me nunquam &c.* recentis ſcriptoris eſt, nec tempora Gregorii VII. excedere mihi videtur. 3. Verba ſequentia non minorem præ ſe ferunt abſurditatem, *Unde jurans dico per Deum omnipotentem, & hæc ſancta quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo; & ſalutem geniumque illuſtrium Dominorum noſtrorum Rempublicam gubernantium: me in unitate ſicut dixi, Eccleſiæ Catholicæ, ad quam Deo propitio ſum reverſus, & communione Romani Pontificis, ſemper & ſine dubio permanere.* Etenim Gregorii Magni temporibus, nulla erat Reipublicæ ſpecies, ſed monarchia Imperatorum abſoluta & independens. Præterea abſurdum eſt falſumque, Epiſcopos juraſſe unquam per *Genium* Imperatorum cum ab hæreſi redirent ad doctrinam ſanam, vel a ſchiſmate ad Eccleſiæ unitatem, quod factum mere Eccleſiaſticum & Canonicum eſt. 4. Abſurdus conſarcinator, modo ſe ultroneum acceſſiſſe ad Eccleſiæ unitatem fatetur, modo coactum & compulſum, *Cum conſenſu*, inquit, *Presbyterorum & Diaconorum atque Clericorum, qui me in hac unitate obligantes.* 5. Denique Actum iſtud *in loco illo, die & Conſulibus ſuprascriptis* teſtatur, cum nullatenus antea *Conſulum* injecerit mentionem, imo cum Conſules in Imperio jamdudum deſiiſſent. Quot verba in Declaratione illa, tot mendacia ac fraudes, notæque intruſionis.

Epiſtola 1. libri II. indict. 6. *De Phoca coronato, & Mauricio interfecto cum filiis ſuis.* Non eſt „dicenda epiſtola, ſed potius præfatio, aut ali- „quid ſimile: quia tamen ſic habetur in omni- „bus editionibus, hunc ordinem invertere no- „luimus quem alioquin in multis paſſim inver- „ſum fuiſſe ſuis locis demonſtravimus. „

Epiſtola 2. *Sermo beati Gregorii Papæ, tempore „mortalitatis.* Sed neque hic ſermo in numero „epiſtolarum cenſendus eſt, qui in pluribus „MSS. habetur extra Regiſtrum, vel in quibus- „dam in capite Regiſtri, quem a ſancto Grego- „rio antequam conſecratus eſſet Pontifex, pro- „nuntiatum fuiſſe conſtat, vel ex ipſo Gregorio „Turonenſi coævo, ut & ex Joanne Diacono, & „aliis: unde & in fine male inſcribitur *Indictione „6. pro 9.* in qua electum fuiſſe Gregorium o- „mnes teſtantur hiſtoriæ.„

Epiſtola 3. *De Sabbato non cuſtodiendo, & quod die Dominico corpus neceſſitatis cauſa lavari poſſit.* Hanc quoque in *Notis* epiſtolam omnino ſuſpectam habet Guſſanvillæus tum ratione inſcriptionis *Gregorius gratia Dei Epiſcopus dilectiſſimis filiis ſuis Romanis civibus*, quæ non redolet ſtylum neque conſuetudinem hujus Pontificis: tum quod non videatur conformis epiſtolæ 31. libri 12. ad Auguſtinum interrogatione 10. Hæc enim epiſtola 3. lib. 11. lavacrum corporis, luxuriæ vel voluptatis cauſa omnino, non tantum Dominica die ſed & reliquis prohibet his verbis col. 1045. lit. B. *Et quidem ſi pro luxuria ac voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro neceſſitate corporis, hoc nec Dominicorum die prohibemus.* In Epiſtola autem 31. lib. 12. ad Auguſtinum interrog. 10. col. 1136. lit. A. lavacrum corporis, ex cauſa voluptatis permittit. *Quamvis enim hæc de re diverſa hominum nationes diverſa ſentiant, atque alii alia cuſtodire videantur: Romanorum tamen ſemper ab antiquioribus conſuetudo fuit, poſt admixtionem propriæ conjugis, & lavacri purificationem quærere* &c. Rationem ſtatim ipſe affert, *Quia ipſa licita commixtio conjugum, ſine voluptate carnis fieri non poteſt.*

Epiſtola 10. *Privilegium Xenodochii quod in Auguſtodunenſi civitate a Syagrio & Brunichilde conſtructum eſt.* Hoc privilegium quod teſte Guſſanvillæo in omnibus MSS. habetur etiam Romanis, alii ſpurium, alii interpolatum, alii legitimum eſſe contendunt: quam rem indiſcutiam ipſe relinquit, allatis hinc inde rationibus. Ego cum Elia du Pin ſpurium eſſe omnino cenſeo, cujus non meminit Joannes Diaconus, quamvis actorum S. Gregorii diligens ſcrutator ſit. Imo recte teſtatur Guſſanvillæus propius illud accedere ad Gregorii VII. mentem ac præſervidum zelum, cujus ætatem excedere mihi haudqua-

quam

quam videtur. Clauſulæ enim hujus Privilegii omnes recentes ſunt, & quales paucis immutatis ordinariæ ac uſitatæ fuerunt, Romanis Pontificibus, ſeculis XI. & XII. immunitates Monaſteriorum confirmantibus, ut ex innumeris ubique locorum datis patet. *Clauſula prima*, Regibus & Epiſcopis inhibens *ſub cujuscunque cauſæ occaſionisve ſpecie*, collata Xenodochio Auguſtodunenſi *minuere vel auferre ſive ſuis uſibus applicare, vel aliis quaſi piis cauſis, pro ſua avaritia excuſatione poſſe concedere: ſed cuncta quæ ibi oblata ſunt, vel offerri contigerit, tam a te quam ab eis qui in tuo officio locoque ſucceſſerint, perenni tempore illibata, & ſine inquietudine aliqua, volumus poſſideri: eorum tamen uſibus pro quorum ſuſtentatione gubernationeque conceſſa ſunt, modis omnibus profutura.* Clauſula inquam iſta recens eſt, deſumpta ab impoſtore, ex uſitatis ſeculo XI. & XII. Romanorum Pontificum bullis, quæ paucis mutatis, pari omni cautione ſimilibusque verbis concipiuntur. 2. Hæc clauſula *item conſtituimus ut abeunte Abbate atque Presbytero ſupradicti Xenodochii atque Monaſterii, non alius ibi quacunque obreptionis aſtutia ordinetur, niſi quem Rex ejusdem provinciæ cum conſenſu Monachorum, ſecundum timorem Dei elegerit, ac providerit ordinandum.* Recens quoque eſt, deſumpta ex ordinariis privilegiorum ſeculi XI. & XII. clauſulis, quæ Monachis electionem ſuorum Abbatum clauſula ſimili indulgent: quam ut impoſtor mutuationem clauſulæ ejusmodi tegeret, Regi electionem adſcripſit. Hoc ſane contrarium omnino Gregorio eſt, qui paſſim in epiſtolis electionem Abbatum ad Monachos ſpectantem ſupponit, ut lib. 2. indict. 11. epiſt. 23. ubi de ordinatione agit Abbatis Theodoſii. Lib. 4. epiſt. 41. & 43. *Ut in defuncti Abbatis locum, alium quem dignum communis conſenſus congregationis elegerit, debeat ordinare*, Caſtorius Epiſcopus. Lib. 7. indict. 1. epiſt. 18. ad Marinianum Ravennæ Epiſcopum col. 762. litt. D. *Defuncto vero Abbate cujuscunque congregationis, non extraneum, niſi de eadem congregatione, quem ſibi propria voluntate concors fratrum ſocietas elegerit &c.* Idem quoque de Abbatiſſa Monaſterii S. Caſſiani Maſſilienſis, ſtatuit lib. 6. epiſt. 12. 3. Clauſula ſequens col. 1053. lit. A. *Hoc quoque capitulo præſenti ſubjungimus, ut locum avaritia excludamus &c.* recens quoque videtur, atque ex uſitatis Romanorum Pontificum ſec. XI. & XII. bullis excerpta: quæ tamen conformis eſt menti Gregorii Magni, prohibentis Epiſcopis ne gravent Monachos neque quicquam ab iis exigant, lib. 5. epiſt. 28. lib. 7. indict. 1. epiſt. 18. & 33. Clericis quoque ſecularibus ac Presbyteris, ne idem agant lib. 5. epiſt. 28. lib. 6. epiſt. 40. lib. 7. indict. 1. epiſt. 18. 4. Clauſula ſequens, lit. B. *Simili quoque definitione, juxta deſiderium conditorum decernimus, ut &c.* abſurda omnino videtur atque ordini Eccleſiaſtico contraria, qua duo prohibentur: *primum* ut nullus ex Abbatibus hujus Monaſterii vel Xenodochii aſſumatur ad Epiſcopatus ordinem, idque *ne res Xenodochii vel Monaſterii iniqua erogatione conſumens, graviſſimam egeſtatis neceſſitatem pauperibus ac peregrinis, vel cæteris exinde viventibus generet.* Qualem rationem? *Secundum* ut Epiſcopus licentiam non habeat tollendi de eodem loco Monachum, & ad ordinem Eccleſiaſticum promovendi, *vel pro alia quacunque cauſa, ſine conſenſu Abbatis atque Presbyteri.* Quæ duo ſane abſurda ſunt juri quique communi Epiſcoporum adverſantur. Denique clauſulæ duæ ſequentes, *Hæc igitur omnia, quæ hujus decreti præceptique noſtri pagina continet, &c. Si quis vero Regum, Sacerdotum, Judicum &c.* deſumuntur ex ordinariis formis & uſitatis bullarum Romanorum Pontificum, ut ſupra jam diximus. Contrariantur autem hæ clauſulæ ingenio Gregorii Magni ac praxi illius temporum, qui tantum abeſt ut voluerit Reges hujus conſtitutionis infractores, dignitate, potentia & honore privare: quin Regibus ipſe & Imperatori uſurpatori & tyranno Phocæ ſubditus eſſe & amicus, honori ſummo duceret. Ambæ quoque ſequentes epiſtolæ 11. & 12. Theſſaliæ Abbatiſſæ ac Luponi Presbytero & Abbati, ſunt copiæ tantum ejusdem Privilegii, quæ illius ſuppoſitionem arguunt: nunquam enim tot ejusdem immunitatis exemplaria mitti, etiam apud recentiores, quanto minus apud Veteres, conſuetum fuit. Videant eruditi Critici an melioris notæ ſint *Epiſtolæ aliquot Gregorii ejusdem* quas Stephanus Baluzius edidit anno 1700. libro V. *Miſcellaneorum* apud Franciſcum Muguet Pariſiis in 8. a pag. 468. 469. 472. cum Epiſtola Recharodi Regis ad illum 474. 476. 477. Quæ enim ad Thalaſſiam Abbatiſſam, ſuſpecta multis videtur.

Epiſtola 31. libri 12. ad Auguſtinum Epiſcopum de variis quæſtionibus: de qua ſic in Notis Guſſanvillæus. ¶ Hæc Epiſtola non reperitur in multis MSS. Codd. Regiſtri S. Gregorii, imo clarum eſt eam primitus non extitiſſe in MSS. Vaticanis, ut conſtat ex epiſt. 15. Bonifacii Moguntini Archiepiſcopi ad Nothelmum Cantuarienſem Epiſcopum anno 745. his verbis: *Obſecro ut illius epiſtola, qua continentur, ut dicunt, interrogationes Auguſtini Pontificis ac Prædicatoris primi Anglorum, & reſponſiones S. Gregorii Papæ, exemplar mihi mittere curetis: Quod in tertia generatione propinquitatis, fidelibus licet matrimonia copulare. Et ut ſcrupuloſa diligentia inveſtigare ſtudeatis, ſi illa conſcriptio ſupradicta Patris noſtri Gregorii eſſe comprobetur, an non; quia in ſcrinio Romanæ Eccleſiæ, ut affirmant ſcrinarii, cum cæteris exemplaribus ſupradicti Pontificis, quæſita non inveniebatur.* Vtrum autem illam epiſtolam Bonifacio miſerit Nothelmus, non apparet: certum tamen eſt eam extitiſſe in Anglia, utpote quam ſcriptis ſuis inſeruit Beda, qui eodem tempore florebat, idque lib. 1. Hiſt. Anglorum cap. 27. ut legitur in omnibus ejusdem Hiſtoriæ MSS. & editis codicibus: Imo & in verſione Saxonica juſſu Alvredi Regis Anglorum

„circa annum 890. edita. Quod autem Epiſto-
„la hæc ſit Gregorii Magni, dubitari non poteſt.
„Cum Paterius ejus diſcipulus de ea ſemel &
„iterum mentionem fecerit in lib. 3. *Teſtimonio-*
„*rum*, nempe in Matthæum cap. 57. & in Mar-
„cum cap. 22. Zacharias etiam Papa in Conc.
„Romano I. an. 743. c. 15. teſtimonium ex Inter-
„rog. 6. producit. Sic & in exceptionibus Ecber-
„ti Eboracenſis Epiſcopi qui anno 747. vivebat,
„cap. 130. Holitgarius Cameracenſis Epiſcopus
„qui floruit an. 826. lib. 5. cap. 17. unam pro-
„fert ex Interrogationibus, quæ hac Epiſtola
„continentur. Prætermitto Iſidorum, Regi-
„nonem, Anſelmum, Juonem, Gratianum, &
„cæteros canonum collectores, qui eam ſcriptis
„ſuis inſeruerunt. Verum & habetur in plu-
„ribus MSS. Codd. ut in Tell. Carnot. Vatican.
„Big. Anglic. S. Remigii Remenſis, atque in al-
„tero etiam Cod. S. Remigii, in quo ſunt plures
„epiſtolæ Pontificum. Sic in Collectione an-
„tiquiſſima authoris anonymi, quæ habetur
„MS. Oxoniæ in collegio corporis Chriſti.

„Quo vero tempore miſſa ſit hæc epiſtola, in-
„dicat Beda loc. cit. *Interea vir Dei Auguſtinus*
„*venit Arelas, & ab Archiepiſcopo ejuſdem civitatis*
„*Etherio* (legendum *Virgilio*) *juxta quod juſſa S. Pa-*
„*tris Gregorii acceperant, Archiepiſcopus Genti An-*
„*glorum ordinatus eſt. Reverſuſque in Britanniam*
„*miſit continuo Romam Laurentium Presbyterum &*
„*Patrum Monachum, qui beato Pontifici Gregorio*
„*Gentem Anglorum fidem Chriſti accepiſſe, ac ſe Epi-*
„*ſcopum factum eſſe referrent: ſimul & de eis quæ*
„*neceſſaria videbantur quæſtionibus reſponſa recepit,*
„*quæ etiam huic hiſtoriæ noſtræ commodum duximus*
„*indere. Interrogatio Auguſtini Epiſcopi Cantua-*
„*riorum Eccleſiæ, de Epiſcopis qualiter cum ſuis clerici-*
„*cis &c. Reſpondit Gregorius Papa Vrbis Romæ: Sa-*
„*cra Scriptura teſtatur, quam te bene noſſe dubium*
„*non eſt &c.* ut in editis. Ex epitome autem
„iſtius hiſtoriæ apparet ſcriptam eſſe hanc epi-
„ſtolam circa an. 598. Joannes vero Diaconus
„lib 2. cap. 33. ait S. Gregorium an. 4. Pontifica-
„tus ſui miſiſſe Auguſtinum in Angliam, qui poſt
„aliquod tempus miſit nuntios ad S. Gregorium
„de converſione Anglorum. Certe non effu-
„xerunt pauciores quam duo aut tres anni, un-
„de manifeſte conſtat hanc epiſtolam ſua ſede
„pulſam: cum reponi debuerit lib. 8. indict. 3.
„qui erat decimus ordinationis S. Gregorii.
„Porro quis primus hanc epiſtolam ita ordina-
„verit, incertum eſt: cum eam Beda ex cujus
„hiſtoria ut ſupra dixi, deſumpta eſt, ſine ullis
„titulis uno contextu retulerit, non epiſtolam
„ſed libellum appellando. Hæc paulo fuſius
„circa iſtam epiſtolam prolocuti ſumus, in gra-
„tiam eorum qui de ea dubitationem move-
„runt: eo quod in illa quædam ſint, quæ a ge-
„nio S. Gregorii nonnihil aliena videantur.
Nam in Reſponſione ad 8. interrogationem, con-
cedit Auguſtino ut ſolus ipſe, quod contra ca-
nones ac receptam Eccleſiæ doctrinam eſt, or-
dinet Epiſcopum in Anglia: cum tamen ad id
facile, Gallos duos aut tres Epiſcopos appellare
potuiſſet. *Et quidem in Anglorum Eccleſia, in qua*
adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, non aliter niſi ſine
Epiſcopis potes: neque enim decebat cum infra-
ctione canonum ac obſervantiarum, novam
fundari atque ædificari Eccleſiam. Denique
Interrogationem 10. his reſponſi verbis finit,
Tunc autem vir qui poſt commixtionem conjugis lotus
fuerit aqua, etiam ſacræ communionis myſterium va-
leat accipere: cum ei juxta præfinitum ſententiam,
Eccleſiam etiam licuerit intrare. Quæ contraria
videntur, cum Epiſtola ipſius lib. 11. epiſt. 3.

Epiſtola Felicis Syracuſani Epiſcopi ad Gregorium
Magnum, his verbis incipiens *Domino beatiſſimo*
& honorabili ſancto Patri Gregorio Papæ, Felix ve-
ſtræ ſalutis amator: in ultima editione Pariſienſi
1675. non comparet, quamvis ante epiſtolam
Gregorii ad Felicem reſpondentem in quibus-
dam MSS. habeatur, de qua ſic Guſſanvillæus
col. 1143. „Verum non eſſe genuinam appa-
„ret multis rationibus, & maxime quod tota de-
„pravata ſit & infinitis mendis ſcateat, & quod
„in ea fiat mentio Benedicti Syracuſani Epiſco-
„pi, qui nusquam fuit: immo his temporibus
„fuiſſe Joannem Epiſcopum liquet ex pluribus
„Epiſtolis, & præſertim ex epiſt. 22. lib. 11. Vide
„Rochum Pirrhum in *Notit. Syrac.* Quidquid
„ſit, manifeſtum hanc epiſtolam debuiſſe præ-
„cedere octavam lib. 5. quæ data eſt ad Donum
„Felicis ſucceſſorem, nempe anno 595. Obiit
„autem Felix ex Rocho Pirro ſupra, eodem an-
„no 595. antequam Auguſtinus mitteretur in
„Angliam, quod accidit anno 596. & antequam
„ordinaretur Epiſcopus an. 601. Non potuit
„ergo ſcribere ad S. Gregorium, nec reſponde-
„re ipſi S. Gregorius anno 604. quo ſcriptam
„volunt, qui ad hunc locum illam rejiciunt.
„Quas ob cauſas hanc epiſtolam in ſua editione
Guſſanvillæus omiſit, quæ in anterioribus aliis
comparaverat. Sunt & aliæ ſuppoſitionis ra-
tiones in hac epiſtola, quod impoſtor vult ma-
trimonia usque ad ſeptimum conſanguinitatis
gradum prohibita ſemper fuiſſe, & a Concilio
Nicæno ita ſtatutum fuiſſe, quæ puriſſima men-
dacia ſunt. Denique ex rejectione ac ſuppoſi-
tione hujus Epiſtolæ quam agnoſcit ac fatetur
ingenue Guſſanvillæus, concludimus contra
ipſum eſſe quoque ſuppoſitam Gregorii Magni
ad eum reſponſionem, ac miramur quomodo in
oppoſitam Guſſanvillæus abierit ſententiam.
Cum enim nullus ſit alius locus Gregorianæ re-
ſponſioni, quam inquiſitio fictitia Felicis: de-
ſtructa atque ſuppoſitionis agnita interrogatio-
ne, ut impoſſibili, impoſſibilem quoque eſſe Gre-
gorii reſponſionem neceſſe eſt. Sane cum Felix
ut fatetur Guſſanvillæus, anno 595. ex Pirro
mortuus ſit, nactus ſucceſſorem Donum ad
quem poſtea ſæpius Gregorius Magnus reſcri-
pſit: haudquaquam Gregorius reſcribere po-
tuit ad Felicem mortuum, atque allegare ſcri-
ptam multo poſt a ſe Epiſtolam ad Auguſtinum

Gen-

Gentis Anglorum Episcopum, ut hic col. 1140. lit. A.

Epistola 32. lib. 12. Felici Messana Episcopo. Hanc admittit, ut dixi, Gussanvillæus ut genuinam his verbis. « Dubitarunt nonnulli hanc epistolam esse S. Gregorii : verum ab eo scriptam evincit testimonium Joannis Diaconi, qui ejus partem retulit lib. 2. cap. 37. Sed & Hincmarus sæpe de ea mentionem facit, ut in tractatu *de Divortio Lotharii & Tetbergæ* quæst. 7. epist. 33. c. 4. epist. 59. initio & alibi. Regino etiam Abbas Prumiensis qui florebat an. 900. in prima appendice ad libros *de Ecclesiasticis disciplinis* cap. 30. & alii qui subsecuti sunt Canonistæ, plura ex ea retulerunt. Reperitur etiam hæc epistola in multis Codd. MSS. Tell. Carn. Bigot. Germ. Vall. Angl. verum quam sit corrupta & deformata, clarum est ex multis interpolationibus & repetitionibus inutilibus, quas lector studiosus & prudens inter legendum observabit. Ideo a quibusdam reprobata est, tanquam Gregorio Magno indigna. Verum frustraneæ hæ rationes, nec allatæ authoritates Joannis Diaconi, Hincmari ac Reginonis, idoneæ ad illam Gregorio asserendam contra allatam a nobis rationem firmissimam, unde & Elias du Pin hanc suppositam omnino censet. Epistola igitur ista, farrago est ex variis Gregorii & aliorum scriptis concinnata, juxta dictum du Pin. Atque istud ex paucis allegandis constare cuivis potest. Incipit Epistola ab his verbis. „Caput nostrum quod est Christus, ad hoc sua „membra nos esse voluit, ut per ejus largam „charitatis ac fidei compagem, unum nos in se „corpus efficeret, cui ita nos adhærere conve„nit, ut quia sine ipso nihil esse possumus, per „ipsum possimus esse quod dicimur. Ab arce „capitis res nulla nos dividat, ne ab eo si mem„brum ejus esse refugimus, relinquamur, & „velut dejecti de vite palmites arescamus. Vt „ergo Redemptoris nostri habitaculum esse „mereamur, in dilectione ipsius toto mentis stu„dio maneamus. Ipse namque ait: *Qui diligit „me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget „eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum „faciemus* Joan. 14. „ Hæc autem verbotenus, quibus incipit epist. 111. indict. 2. lib. 7. præterea quod definit Epistola ista de Synodo congreganda col. 1142. lit. E. *Unde volumus nos omnes in unum convenire Episcopos, ut de incidentibus causis &c.* usque ad verbum *Quapropter &c.* col. 1143. lit. B. desumptum est verbotenus, ex eadem epist. 111. indict. 2. lib. 7. col. 862. litt. C. & D. Item quod in citata ad Felicem epistola subjungitur eadem col. 1143. lit. B. *Circa subjectorum autem actus &c.* usque ad verbum, *Omnipotens &c.* fusturatum quoque est ex epist. 113. indict. 2. lib. 7. col. 866. litt. D. ad finem, paucis quæ fictioni agendæ non conveniebant, a Lacinista suppressis. Denique Epistola ad Felicem ita concludit, *Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, honoremque perpetuum vobis omnibus conservare concedat. Amen.* Quamvis tamen uni Felici consulenti scribat, quod impostor habuit ex epist. 50. lib. 4. indict. 13. ad Virgilium Arelatensem Archiepiscopum, cujus epistolam ita concludit. Nullusque dubito, quin paucissimis demptis, omnia ex aliis vel Gregorii scriptis vel epistolis desumpta ab impostore sint, quo fraudem suam ex styli similitudine tegeret. Nam quod habetur in epist. col. 1140. lit. E. *Si igitur in rebus secularibus, suum cuique jus & proprius ordo servandus est : quanto magis in Ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inveniat, unde pacis debent bona procedere? Quod hac ratione servabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuitur.* Desumptum quoque est ex lib. 7. indict. 2. epist. 120. ad Syagrium Augustodunensem Episcopum, cujus initium est. Addo quod habetur de laudibus charitatis in eadem epist. col. 1140. lit. D. *O quam bona est charitas, quæ absentia per imaginem, præsentia sibimetipsis exhibet per amorem : divisa unit, confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta consummat! Quam recte Prædicator egregius vinculum perfectionis vocat : quia virtutes quidem cæteræ perfectionem gerunt, sed tamen eas ita charitas ligat, ut ab amantis mente dissolvi nequeant,* Colos. 3. Haberi quoque verbotenus lib. 4. indict. 13. epist. L. ad Virgilium Arelatensem Episcopum, quibus orditur Epistolam. Vide & lib. 5. epist. 62. & lib. 6. epist. 32. ad eundem Dominicum Carthaginensem Episcopum. Fallor etiam, si non aliquid ex 3. parte libri *de cura Pastoralis* in hanc epistolam injectum sit, quod otium habentibus, facillime nosci potest. Denique maxima perturbatio in hac epistola invenitur. Vbi enim egit *de Dispensatione in gradibus affinitatis* col. 1140. a litt. A. ad litt. B. C. litteris D. & E. inserit fragmenta ex aliis Gregorii epistolis desumpta, ad rem nihil facientia. Col. 1141. lit. A. incipit agere *Contra vexatores, detractores & vituperatores Episcoporum vel aliorum præpositorum*, uti de secunda parte epistolæ ad lit. B. C. & D. tum litt. D. & E. adductum fragmentum de consecratione & dedicatione Ecclesiarum, *de dedicationum vero Ecclesiarum &c.* quod nihil ad rem facit. Quo facto jam redit iterum stupenda absurditate ad argumentum quod deseruerat 1. parte Epistolæ, *de gradibus affinitatis* col. 1142. lit. A. *Progeniem vero suam unumquemque de his qui fideliter edocti sunt &c.* usque ad litt. B. C. D. & E. ubi tertiam epistolæ partem *de Synodo congreganda* his orditur, *unde volumus vos omnes in unum convenire &c.*

Privilegium Gairaldo S. Medardi Suessionensis Abbati concessum, col. 1144.

Suam de hoc privilegio sententiam non produxit Gussanvillæus, ne Monachos sibi infensos Benedictinos redderet. Sed apertior in hac causa fuit Elias du Pin, qui compendio Opusculum ea de re a Joanne Launojo conscriptum ac anno 1658. Parisiis in 8. apud Edmundum Martinum editum obtulit, nosque post ipsum pauca

duntaxat dabimus. 1. Titulus ac ſtylus hujus privilegii abſurdiſſimus ac inuſitatus eſt, cujus hæc eſt inſcriptio. „Pretioſiſſimis lapidibus in „diademate Chriſti merito renitentibus, omni„bus ſanctæ Dei Eccleſiæ membris, quorum uni„verſale caput eſt Chriſtus: Gregorius licet „ſanctæ Romanæ ſedis Pontificio ſublimetur, „humillimus tamen ſervorum Dei ſervus. Nihil mirum igitur quod nequaquam inveniatur in MSS. S. Gregorii, excepto unico Victorino, qui 400. circiter annorum eſt, unde impreſſum fuit 1. ſub finem Operum D. Gregorii, 2. in editione Romana inter epiſtolas injectum, 3. ad calcem earundem epiſtolarum relegatum. Habentur quoque Epiſtolæ Cardinalis Bona, quibus illud in MSS. omnibus Vaticanis deſiderari teſtatur. Deinde clauſulæ hujus Privilegii extraordinariæ & exorbitantes ſunt, adeoque incredibiles. Concedit Monachis, *ut ipſi ordinationem ſui Abbatis faciant, & ſcrutinii myſteria in ipſo monaſterio celebrent, Chriſmatis quoque ac olei, altaris, calicis, corporalis. Conſtituit* S. Gregorius *ne vileſcat tanta ſublimitatis locus ſanctæ Mariæ & beati Petri, nec non & Protomartyris & Domini Medardi meritis ſacratus*: Abbatiam hanc, *caput Monaſteriorum totius Galliæ, nulliusque ditioni patitur ſubeſſe. Sed velut hæc ſedes Romana ſpeculationem ſuam toto orbi indicit, & novas conſuetudines omnibus mittit, & omnium perſonarum ſervitio curet: ita præfatus locus remotus omni conſuetudine peſſima Regum, Antiſtitum, Judicum, exemplum divinæ religionis & honeſtatis cæteris exhibeat Monaſteriis, & ſuperea, plena gaudeat libertate.* Hæc in præguſtum abſurditatum quas illud privilegium continet, pauca ſufficiant. Plura Elias du Pin in *Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſecul. 6. pagg. 131. 132. Joannes Launojus Opuſculo integro, ubi quot in privilegio verba, tot impoſturæ abſurdiſſimæ invincibilia affert argumenta, ad quem mittimus lectorem. Immorari enim diutius in ita abſonis ac delirantibus, eſſet inſani capitis. Interea tu videas Bellarminum lib. 2. *de Romano Pontifice cap. 19.* Coſterum in Apologia contra Gaumarum, aliosque paſſim Pontificios qui nominatim abſurdum iſtud ac falſum privilegium citant, ut licere Romano Pontifici Reges deponere, exinde probent.

CAPVT SEPTIMVM.

QVID SENSERIT GREGORIVS MAGNVS IN EPISTOLIS, DE CVLTV ET ADORATIONE IMAGINVM IN TEMPLIS?

QVod ſpectat ad Imaginum doctrinam, hanc Gregorius Magnus ſub ſeculi ſexti finem habuit firmusque tenuit in Regiſtro lib. 7. epiſt. 110. & lib. 9. epiſt. 9. nec illas videlicet eſſe ab Epiſcopis frangendas, nec a plebe in Eccleſiis poſitas adorandas. Sic opinabatur ille ſub ſeculi 6. finem, ſed octavo incunte ſeculo, immoderata imaginum tum colendarum tum adorandarum ſuperſtitio, circa tempora Gregorii II. & Gregorii III. ulterius proceſſit, quibus a temperamento Gregorii primi & doctrina, aperte receſſum eſt. Huic corruptioni medelam adhibuit celeberrimum œcumenicum Concilium Conſtantinopolit. ex 338. Epiſcopis anno 754. in Blaquernis congregatum. Cui Nicænum anno 787. contrarium fuit. Vbi decretum pro imaginibus factum & promulgatum eſt. Galli tamen Epiſcopi ſuperſtitionem deteſtantes, integro ſeculo, huic Pſeudo-Nicænæ Synodo reluctati ſunt, quam in Synodo Francofurtenſi an. 794. legitime damnarunt, ſub nomine Synodi Conſtantinopolitanæ tamen, quia nimirum iſta Conſtantinopolim primum, non Nicæam convocata fuiſſet. Huic itaque Nicænæ Synodo, quam immenſis Iconoduli ac Romipetæ efferunt laudibus, reluctati ſunt Galli ſcriptis etiam a Carolo Magno adverſus Imaginum cultum integris libris, Nicænæque Synodi ſuppoſitis authoritatibus eximie confutatis. Imo & circa annum 824. Gallicani Epiſcopi juſſu Ludovici Pii Caroli Magni filii, Pariſiis congregati, ab indicto imaginum cultu & adoratione abhorrere viſi ſunt, prolatis Sanctorum Patrum ſententiis doctrinam ſuam ſtabilientes, tanta quidem confidentia, ut eam ſe ſummo Pontifici per Hieremiam & Jonam legatos ſuos perſuadere poſſe crediderint. Jam ad Gregorium Magnum redeamus.

Lib. 7. indict. 2. epiſtola 110. Sic Sereno Maſſilienſi Epiſcopo loquitur. „Præterea indico „dudum ad nos perveniſſe, quod fraternitas ve„ſtra quosdam imaginum adoratores aſpiciens, „easdem Eccleſiæ imagines confregit atque „projecit. Et quidem zelum vos, ne quid ma„nufactum adorari poſſet, habuiſſe laudavimus, „ſed frangere easdem imagines non debuiſſe ju„dicamus. Idcirco enim pictura in Eccleſiis ad„hibetur, ut hi qui litteras neſciunt, ſaltem in„ parietibus videndo legant, quæ legere in codi„cibus non valent. Tua ergo fraternitas & illas ſervare, & ab earum adoratu populum co„hibere debuit: quatenus & litterarum neſcii „haberent, unde ſcientiam hiſtoriæ colligerent, „& populus in picturæ adoratione minime pec„caret. Eidem quoque lib. 9. epiſtola 9. Perla„tum ſiquidem ad nos fuerat, quod inconſidera„to zelo ſuccenſus, ſanctorum imagines ſub hac„quali excuſatione, ne adorari debuiſſent, con„fregeris. Et quidem quia eas adorari vetuiſſes, „omnino laudavimus: fregiſſe vero reprehen„dimus. Dic, frater, a quo factum ſacerdote, „aliquando auditum eſt, quod feciſti? Si non„ aliud, vel illud te non debuit revocare, ne de„ſpectis aliis fratribus, ſolum te ſanctum & eſſe„ crederes ſapientem. Aliud eſt enim picturam„ adorare, aliud per picturæ hiſtoriam quid ſit„ adorandum addiſcere. Nam quod legentibus„ ſcriptura, hoc idiotis ſpectat pictura cernenti„bus: quia in ipſa etiam ignorantes vident quid„

ſequi

„sequi debeant, in ipsa legunt qui litteras nesci-„unt. Vnde & præcipue gentibus, pro lectio-„ne pictura est. Quod magnopere a te qui in-„ter gentes habitas, attendi debuerat: ne dum „recto zelo incaute succenderis, ferocibus ani-„mis scandalum generares. Frangi vero non „debuit, quod non ad adorandum in Ecclesiis, „sed *ad instruendas solummodo mentes fuit nesci-„entium collocatum.* Et quia in locis venerabili-„bus Sanctorum depingi historias non sine ra-„tione vetustas admisit, si zelum discretione „condiisses, sine dubio & ea quæ intendebas sa-„lubriter obtinere, & collectum gregem non di-„spergere, sed potius dispersum poteras con-„gregare: ut pastoris in te meritum nomen „excelleret, non culpa dispersoris incumberet. „Hæc autem dum in hoc animi tui incaute mo-„tus exequeris, ita tuos scandalizasse filios per-„hiberis, ut maxima eorum pars a tua se com-„munione suspenderet. Quando ergo ad ovi-„le Dominicum errantes oves adduces, qui quas „habes retinere non prævales? Proinde horta-„mur, ut vel nunc studeas esse sollicitus, atque „ab hac te præsumptione compescas; ut eorum „animos quos a tua disjunctos unitate cogno-„scis, paterna ad te dulcedine, omni adnisu, o-„mnique studio revocare festines. Convocan-„di enim sunt dispersi Ecclesiæ filii, eisque est „Scripturæ sacræ testimoniis ostendendum, quia „omne manu factum adorari non licet; quo-„niam scriptum est: *Dominum Deum tuum ado-„rabis, & illi soli servies*, Luc. 4. Ac deinde sub-„jungendum est, quia picturas imaginum, quæ „ad ædificationem imperiti populi fuerant fa-„ctæ, ut nescientes litteras, ipsam historiam in-„tendentes, quid actum sit discerent: quia trans-„isse in adorationem videras, idcirco commo-„tus es, ut eas imagines frangi præciperes. At-„que eis dicendum, si ad hanc instructionem ad „quam imagines antiquitus factæ sunt, habe-„re vultis in Ecclesia: eas modis omnibus & fie-„ri & haberi permitto. Atque indica, quod „non tibi ipsa visio historiæ, quæ pictura teste „pandebatur, displicuerit: sed illa adoratio, quæ „picturis fuerat incompetenter exhibita. At-„que his verbis eorum mentes demulcens, eos „ad concordiam tuam revoca. Etsi quis ima-„gines facere voluerit, minime prohibe: ado-„rare vero imagines, modis omnibus vita. Sed „hoc sollicite fraternitas tua admoneat, ut ex vi-„sione rei gestæ ardorem compunctionis perci-„piant, & in adoratione solius omnipotentis „sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur. „Cuncta vero hæc ex amore sanctæ Ecclesiæ, „fraternitati tuæ loquimur. Non ergo ex mea „correptione frangatur a zelo rectitudinis, sed „magis adjuvetur in studio piæ dispensationis. Hæc Gregorius, quibus imagines in Ecclesiis ad solam idiotarum instructionem permittit, ne-quaquam ad cultum, cum soli debitam sanctæ Trinitati *adorationem, ac humilem prostrationem* velit. Quam longe ab hac Gregorii doctrina, Romana recens Ecclesia recessit! quæ tot sanctis altaria, preces, adorationes, vota, prostrationes, collaudat & amplectitur, tot peregrinationes instituit, tantam per eorum intercessionem miraculorum molem confinxit: ut hic sanctus podagram sanet, ille febres omnimodas pellat: hic dissenteriam sistat, ille pestem compescat: hic stultitiam curet, ille surditatem vel oculorum lippitudinem aut infirmitatem dejiciat. Ita tamen ut donario semper aliquo pietas Sanctorum, quod in gratiam Sacerdotum vel Monachorum cedat, demulceatur: quod quo majus erit, eo sanitas promptior dabitur ægrotanti.

Nec objiciant nobis Pontificii recentiores, eundem Gregorium lib. 7. indict. 2. epist. 54. mittentem Secundino incluso seu Monacho Imagines Dei Salvatoris & sanctæ Dei genitricis Mariæ, beatorumque Apostolorum Petri & Pauli, per Dulcidum quendam Diaconum. Neque enim imagines illas mittit, ut in Ecclesia aliqua collocentur, vel cultu aliquo honorentur: *Scio quidem*, (inquit col. 821. lit. B.) *quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas: sed ob recordationem filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras.* Addo neque ista *de imaginibus* col. 821. lit. A. usque ad finem haberi in pluribus MSS, ut notat hic egregio Gussanvillæus, qui & hanc epistolam maxime suspectam cum eruditis omnibus habet, de qua nos in censura Epistolarum supra locuti sumus.

Omnem quoque *Sanctorum* invocationem, omnem in illis spem collocandam videtur exclusisse S. Gregorius lib. 18. Moralium cap. 27. circa medium his verbis. „*Invenerunt me vigiles „qui custodiunt civitatem.* Quos enim vigiles qui „custodiunt civitatem, nisi sanctos Patres & Pro-„phetas atque Doctores debemus accipere: qui „studeant ad custodiam nostram sanctæ prædica-„tionis voce vigilare? Vnamquamque ergo ani-„mam Redemptoris sui speciem requirentem, „sancti Patres & solliciti Doctores inveniunt, „qui Ecclesiæ statum custodiunt: quia bonis „ejus studiis occurrunt, ut eam solo vel verbo „scripto doceant. Sed cum Redemptorem su-„um Ecclesia quæreret, in ipsis Patribus & Do-„ctoribus spem figere noluit, quæ dicit: *Paulu-„lum cum pertransissem eos, inveni quem diligit anima „mea.* Quippe invenire non posset, si istos per-„transire noluisset. In istis se custodibus infi-„deles fixerunt, qui Christum Dei filium unum-„quemlibet esse illorum credebant. „ Vult ergo Gregorius ad Christum inveniendum, esse transgrediendos vigiles qui custodiunt civitatem Ecclesiæ, nempe *Sanctos Patres & Prophetas atque Doctores*, ut hic exponit: atque *cum Redemptorem suum Ecclesia quæreret, in ipsis Patribus & Doctoribus spem figere noluisse*: quibus aperte omnem Sanctorum invocationem, omnemque in illis spem collocandam excludisse videtur. Idem lib. 27. Moralium cap. 1. post medium his ver-

verbis. „Ita enim viſionis ejus mens avida, niſi „Prophetarum æſtimationem, niſi Patriarcha„rum celſitudinem, niſi Apoſtolorum & Docto„rum, cunctorumque hominum menſuram „tranſcenderit, in eum qui eſt ſuper homines „non veniet. Quia Redemptor noſter etſi hu„militate homo inter homines, Divinitate ta„men ſuper homines fuit. Tranſire ergo *Vigi„les*, eſt etiam eos quos miratur anima, in ejus „comparatione poſtponere, in ipſis nolle ſpem „figere. Cum ergo transeuntur *Vigiles*, Dile„ctus invenitur: quia cum Prophetas & Apo„ſtolos & Doctores infra ipſum eſſe conſpicimus, „illum qui natura Deus eſt, eſſe ſupra homines „conſideramus: Si homo quidem, ſed tamen ex„tra menſuras hominum credatur. Invocationem itaque Sanctorum absque dubio rejicit Pontifex, ut prophanam atque Chriſtianæ pietati contrariam, qui in *Prophetis & Patriarchis & Apoſtolis & Doctoribus* ſpem figere prohibet: niſi enim Iconolatræ ſpem in Sanctis ſuis collocarent, illos haudquaquam in precibus & Eccleſiis invocarent. Qui ergo in illis ſpem figere, ut Gregorius Magnus prohibet, illos quoque invocare interdicit.

CAPVT OCTAVVM.

EX EISDEM, DE SVBIECTIONE ET OBEDIENTIA, QVAM GREGORIVS MAGNVS IMPERATORI EXHIBVIT.

QVantum Eccleſia Romana recens à vetere in dogmatibus diſtet, ex capitibus duobus anterioribus abunde colligi poteſt: ubi mentem Gregorii Magni de Euchariſtiæ Sacramento, deque adoratione imaginum & Sanctorum invocatione protulimus. Quantum autem in Moralibus quoque doctrinis ab eadem antiqua recens allata diſcrepet, atque e diametro corruptiſſima opponatur, ex hoc capite dilucide quis noſcere quiverit. Recens enim Eccleſia Romana ex quo prophanæ Canoniſtarum ſummæ, ignavaque Scholaſticorum & Caſuiſtarum turma in orbem Chriſtianum ſummo doctrinæ purioris detrimento ingreſſa prodiit & effuſa eſt: jam ut omnes ſciunt, absque fronte & pudore docet Romanum Pontificem eſſe Caput totius Eccleſiæ, ſupremum ac unicum omnium cauſarum judicem: eſſe Canonum conditorem ac Dominum, de quibus pro libitu diſpenſare poſſit, quos & novos condere & conditos abrogare nemine conſulto, imo reclamantibus aliis omnibus Epiſcopis valeat: eſſe ſupra Concilia omnia etiam œcumenica, quæ legitime quoque congregata ac concluſa, nonniſi à Romani Pontificis confirmatione & approbatione, firmitatem habeant. Poſſe Romanum Pontificem à nemine judicari, omnes judicare: Imperatores & Reges Chriſtianos à Regnis atque imperio dejicere, ſubjectos à ſacramento fidelitatis abſolvere, atque ad defectionem à legitimo principe excitare: Romano Pontifici eſſe ſubjectos Imperatorem & Reges, non Imperatori etiam Occidentali Romanum Pontificem: atque alia id genus monſtra doctrinæ, quæ apud Bellarminum Cardinalem atque theologos & Canoniſtas alios, legi queunt. Hæc omnia adverſa omnino ſunt Gregorii Magni doctrinæ qui continuas preces, omnimodam ſubjectionem & obedientiam Imperatoribus exhibuit.

Fundebat Gregorius ad Dominum Chriſtum perpetuas preces, pro ſalute Imperatoris Mauricii, ut ex variis ejus Epiſtolis liquet, ac præſertim Epiſt. 2. lib. 8. ubi ſic. „Dominorum pie„tas, quæ ſuos conſuevit miſericorditer famulos „continere, ita benigna hic ſubventione reſplen„duit, ut cunctorum debilium inopia, largitatis „ejus ſit conſolatione deſtituta. Pro qua re la„crymabili omnes depoſcimus, ut omnipotens „Deus qui clementiæ veſtræ ad hoc corda „compunxit, incolume in amoris ſui conſtantia „Dominorum ſervet imperium, ut victorias eo„rum in cunctis gentibus auxilio ſuæ Majeſtatis „extendat.“ Idem quoque inculcat & inſinuat Lib. 9. Indict. 4. Epiſt. 40. ad Iſicium Hieroſolymitanum Epiſcopum, col. 968. Lit. C. „Quod „vero ad ſacros ordines rectæ fidei viri perdu„cuntur, eidem omnipotenti Deo ſine ceſſatio„ne gratiæ ſolvendæ ſunt, & pro vita piiſſimi & „Chriſtianiſſimi Imperatoris Domini noſtri, & „tranquilliſſima ejus conjuge, & ejus manſuetiſ„ſima ſobole ſemper orandum eſt, quorum tem„poribus ora hæreticorum conticeſcunt: quia „etſi eorum corda in inſania perverſi ſenſus e„bulliunt, orthodoxi tamen Imperatoris tempo„re prava quæ ſentiunt, eloqui non præſumunt.“ Denique lib. 6. Indict. 15. Epiſtolam 4. ad Cyriacum Conſtantinopolitanum Patriarcham his verbis concludit col. mihi 704. lit. E. „Sed „inter hæc ſciendum eſt, quia ut nobis liceat re„ctam fidem libere fateri, & cuncta quæ agenda „ſunt, concorditer in pace diſponere, pro ſere„niſſimorum Dominorum vita, propria quoque „ſobole, inceſſanter orandum eſt: ut omnipo„tens Deus eorum pedibus barbaras nationes „ſubjiciat, longa eis & felicia tempora concedat, „quatenus per Chriſtianum imperium ea quæ „in Chriſto eſt, fides regnet.“ Non tantum hæc vota Mauricio legitimo Imperatori Gregorius Magnus precatus eſt, ſed & apertiſſimo tyranno Phocæ poſt uſurpatum Imperium, ex Lib. 11. Epiſt. 38. & 45. quas legere cuivis in promptu eſt.

Longe aberat ut ſe Magiſtrum ac dominum Canonum & Conciliorum appellaret, vel quemadmodum hodierni Romani Pontifices, ſe Conciliis Generalibus ſuperiorem concionaretur: qui ſe priora quatuor Concilia œcumenica ut quatuor Evangelia venerari atque amplecti fatebatur, quamvis Conſtantinopolitano reluctati in nonnullis fuiſſent Epiſcopi quidam ejus anteceſſores. Ita ille Lib. 1. Epiſt. 24. quam Patri-

archis Orientalibus ſcribit, Joanni Epiſcopo Conſtantinopolitano, Eulogio Alexandrino, Gregorio Antiocheno, Joanni Hieroſolymitano, atque Expatriarchæ Antiocheno Anaſtaſio, quibus fidem ſuam exponit. „Præterea quia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit „ad ſalutem, ſicut ſancti Evangelii quatuor libros, ſic quatuor Concilia ſuſcipere, & venerari me fateor. Nicænum ſcilicet, in quo perverſum Arii dogma deſtruitur: Conſtantinopolitanum quoque, in quo Eunomii & Macedonii error convincitur: Epheſinum etiam „primum, in quo Neſtorii impietas judicatur: „Chalcedonenſe vero, in quo Eutychis Dioſcorique pravitas reprobatur; tota devotione „complector, integerrima approbatione cuſtodio: quia in his velut in quadrato lapide, ſanctæ „fidei ſtructura conſurgit, & cujuslibet vitæ atque actionis norma conſiſtit. Quisquis eorum „ſoliditatem non tenet, etiamſi lapis eſſe cernitur, tamen extra ædificium jacet. Concilium „quoque V. œcumenicum ſeu II. Conſtantinopolitanum ſuſcipit ac veneratur. Quintum „quoque Concilium pariter veneror, in quo epiſtola quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur. Theodorus perſonam Mediatoris Dei „& hominum in duabus ſubſtantiis ſeparans, ad „impietatis perfidiam cecidiſſe convincitur. „Scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, auſu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero quas præfata „veneranda Concilia perſonas reſpuunt, reſpuo; quas venerantur, amplector: quia dum „univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non „illa deſtruit, quisquis præſumit aut ſolvere „quos ligant, aut religare quos ſolvunt.„ Ita ſe adſtrictum Canonibus cenſuit Gregorius, ut inſtante apud ipſum Brunichilde Francorum Regina, bigamum quendam ordinari poſſe: firmus recuſaverit juxta canonum regulas Lib. 12. Indict. 6. Epiſt. 8. col. 1050. Lit. E. „Similiter „vero de quodam bigamo requiſiti, an ad ſacrum „ordinem poſſet accedere, juxta canonicam regulam omnino vetuimus. Abſit enim ne veſtris temporibus, in quibus tam multa pia ac „religioſa agitis, aliquid contra Eccleſiaſticum „inſtitutum fieri permittatis. Id ipſum prohibet Lib. 2. Indict. 10. Epiſt. 25. ad Joannem Epiſcopum Squillacinum. Hoc autem ipſum jam faciunt & Epiſcopi in ſuis Diœceſibus & Romanus Pontifex per totum orbem diſpenſans: quod hic ridet Guſſanvillæus in notis ad allegatam epiſtolam 8. lib. 12. col. 1051. lit. D.

Longe aberat, ut Imperatores & Reges Chriſtianos aliquid canonibus adverſum agentes, deponi a ſe Imperio vel Regno Gregorius primus, vel ſubditos eorum a juramento fidei abſolvi poſſe opinaretur: ut e contra ſe eis in omnibus obedientem præberet, legesque illorum etiam Eccleſiaſticæ libertati adverſas publicaret. Hujuſce Gregorianæ ſubjectionis & obedientiæ monumentum inſigne eſt Epiſtola 61. & 65. Libri 2. Indict. XI. Inhibuerat Imperator Mauricius ut *quisquis publicis administrationibus implicatus fuisset, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceret.* Hoc valde laudabat Gregorius, *evidentissime sciens* inquit, *quia qui secularem habitum deferens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult seculum, non derelinquere.* Prohibuerat autem Mauritius, ne & in monaſterio ſuſciperentur: quod multis Gregorius in hac Epiſtola improbavit. Nihilominus tamen Imperatoris edictum, in varias orbis terrarum partes ut ſubditus obediens transmitti fecit, quibus ſuam concludit ad Imperatorem epiſtolam. „Ego quidem juſſioni ſubjectus, eandem legem per diverſas terrarum partes transmitti feci: & quia lex ipſa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam ſereniſſimis Dominis nunciavi. Ubique ergo quæ debui exolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod ſenſi minime tacui.“ De hac eadem lege ſcribit Lib. 7. Indict. 1. Epiſt. 11. Euſebio Theſſalonicenſi, Urbitio Dyracitano, Conſtantio Mediolanenſi, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthi, Joanni primæ Juſtinianæ, Joanni Cretenſi Scorintano, Joanni Lariſſæ, Mariniano Ravennæ, Januario Caralis Sardiniæ, & omnibus Epiſcopis Siciliæ: quibus legem ut promulgarent mittens, mandat ut *Publicis negotiis implicatos* nequaquam juxta legem ab Imperatore latam ſuſciperent in Monaſteriis: alios autem qui militiæ nomen dederant, niſi *juxta normam regularem in ſuo habitu per triennium probatos*, ad monaſticum habitum haudquaquam admitterent. Id juxta Imperatoris beneplacitum, unde Epiſtolam ſic concludit: „Qua de re etiam Sereniſſimus & Chriſtianiſſimus Imperator, mihi credite, omni modo placatur, & libenter eorum converſionem ſuſcipit, quos in rationibus publicis implicatos non eſſe cognoſcit.„ Hæc omnino prorſus aliena ſunt ab Eccleſiæ Romanæ recentis doctrina morali, quæ Imperatores ſoli Deo natura ſubjectos, Romano Pontifici abſque duce & conſule, ſubjicit. Conqueſtus de Joanne Neuſtete ſeu Jejunatore Conſtantinopolitano Patriarcha, qui ſibi *univerſalis* nomen arripuerat, apud Imperatorem Mauricium Lib. 4. Indict. 13. Epiſt. 31. præcepit Imperator ut antequam quidquam contra Joannem ageret, manſuete per litteras eum ſui officii admoneret. Cui humilis Gregorius obtemperavit, ut ipſe declarat citata Epiſtola col. 609. Lit. C. „Ego autem Dominorum juſſionibus obedientiam præbens, prædicto conſacerdoti meo & dulciter ſcripſi & humiliter, ut ab hac inanis gloriæ appetitione ſeſe emendet, admonui. Si igitur me audire voluerit, habet devotum fratrem: Si vero in ſuperbia perſiſtit, jam quid aſſequatur aſpicio, quia illum ſibi adverſarium invenit, de quo ſcriptum eſt: *Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* (Jac. 4, 6.)„ Obedivit humiliter mandatis Imperatoris, ut conſtat ex

ex Epiſtola 38. ejusdem libri 4. ad Joannem Conſtantinopolitanum Patriarcham, de qua Joannes Diaconus Lib. 3. *vitæ Gregorii* cap. 54. De eodem argumento Gregorius Lib. 4. Indict. 13. Epiſt. 34. 36. & 39. Obedientiam quoque ejusdem Imperatori Mauricio omnimodam teſtatur Lib. 9. Indict. 4. Epiſt. 41. Optabat vel ſcripſerat Imperator ut Joannes primæ Juſtinianæ Epiſcopus, ob ægritudinem capitis quam pateretur, ſeu propter corporis infirmitatem depoſitus ſucceſſorem ſortiretur. Hoc Gregorius contra canones Eccleſiæ credens, ut ob ægritudinem Epiſcopus ab officio deponeretur, niſi ægrotus ipſe libello ſupplici depoſceret, id facere per ſeipſum noluit: *Atque hoc ideo per nos fieri nullatenus poteſt, ne peccatum in mea anima ex ejus depoſitione veniat.* Neque proterve ac minaciter hac de re ad Imperatorem ſcripſit, vel de depoſitione Mauricium comminatus eſt: ſed illius conſcientiæ humiliter rem permiſit. „ Quod „ſi hoc ita petere ille noluerit, quod piiſſimo Im„peratori placet, quidquid jubet facere, in ejus „poteſtate eſt. Sicut novit, ipſe provideat. „Nos tantummodo in depoſitione talis viri, non „faciat permiſceri. Quod vero ipſe fecerit, ſi „canonicum eſt, ſequimur: Si vero canonicum „non eſt, in quantum ſine peccato valemus, „portamus.

Longe aberat ut Imperatoribus inſurgeret, qui ſententiam etiam à ſe canonice latam, nulli dare & evulgare noluit, *Ne contra juſſionem Imperatoris, vel quod abſit, in deſpectum ipſius aliquid facere videretur.* Lib. 12. Indict. 7. Epiſtola 3. ad Bonifacium S. R. E. Diaconum, cui injungit exponere Imperatori quantam injuriam ab Epiſcopo Iſauriæ paſſus ſit ob reſcriptum quoddam ſubreptitium Epiſcopus Corcyranus Alcyſonus, ex ſubtracto ex ejus jurisdictione Caſſiopi caſtro, quod ad ipſum ſemper ſpectaverat, atque ab Andrea Nicopolitano Metropolita „utraque parte coram eo conteſtante, illi adjudicatum fuerat. Sententiam quoque quam ea de re tulerat, juris Corcyranæ Eccleſiæ confirmativam, ſecretam tenuit Gregorius: *Sententiam noſtram nulli dare prævidimus, ne contra juſſionem clementiſſimi Imperatoris, vel, quod abſit, in deſpectum ipſius aliquid facere videremur.* Ad hæc Guſſanvillæus in Notis col. 1098. lit. B. „ Advertat Lector „quanta cautione S. Gregorius tractet juſſio„nem iſtam Imperatoris, cui fuerat ſubreptum. „Si prudenter ille ſe geſſit, quam ſunt imprudentes, qui contrariam ineuntes viam, omnia zelo „turbant præcipiti, nec Regum nec Imperato„rum majeſtati parcentes. Cujus & ſequentem notam inſignem legas.

CAPVT NONVM.

DE ANTIPHONARIO, SACRAMENTARIO, BENEDICTIONALIQVE, GREGORIO MAGNO ATTRIBVTIS.

DE his Operibus parce admodum Guillelmus Cavus, cum nemo ipſi ad plura dicenda facem prætulerit. Sic autem ille loc. cit. *Antiphonarius ſive Gradualis liber*, ordinatus per anni circulum. *Sacramentarius ſive Sacramentorum liber de circulo anni.* Bina iſta opuſcula prodierunt ſimul inter Pammelii Liturgica tom. 2. Coloniæ 1571. in 4. Poſterius ſeparatim Pariſiis 1642. 4. cum notis Medardi. *Benedictionale* ſive *Syntagma Benedictionum* à S. Gregorio in rebus ſacris uſitatarum, antea ratus Lambecius ineditum, ex Codice Bibliothecæ Viennenſis integrum evulgavit lib. 2. *Commentariorum* cap. 5. pag. 300. Verum errorem ſuum poſtea correxit, idque à Menardo editum deprehendens Pariſiis 1642. in Gregorii Magni libro Sacramentorum: non Appendicis tamen aut peculiaris operis loco, ſed reſpectu temporis & argumenti ſingularum benedictionum, ſparſim inſertum & permixtum. Hæc Cavus quidem ſeculo 6. *Hiſtoriæ Rei Litterariæ*, ſed mentem ſuam de *Sacramentario* latius ille aperuit ſeculo 5. in Gelaſio Romano Pontifice ad annum 492. pag. 375. quem alii (inquit) Leoni, alii autem Gelaſio adſcribunt. Et Cavus quidem eum *vetuſtiſſimum* eſſe putat, quia (quæ inter alia ejus ratio eſt) pauciora quam in aliis liturgiis Sanctorum, eorumque ſolummodo martyrum natalitia celebrat. Cavum tamen hac in re, ut in aliis paſſim, Guillelmi Cavi judicium eſt. Stat contra ipſum Elias du Pin *Eccleſiaſtica Bibliotheca* ſeculo 6. in Gregorio Magno pag. mihi 143. Eruditus Baſnagius in Opere *de perpetuitate fidei Eccleſiarum Reformatarum* part. 1. cap. 3. pag. 50. & ſeqq. Roterodami an. 1690. in 8. Debuerat ſaltem perfunctorie voluiſſe librum quem habebat Cavus, & dubio procul, aliud ſcripſiſſet.

Antiphonarius ſive *Gradualis liber per circulum anni.* Joannes Diaconus trecentis fere poſt S. Gregorium annis ſcribens, lib. 2. de vita ejusdem cap. 6, hunc de quo loquimur *Antiphonarium* S. Gregorio tribuit, cujus codicem ipſe vel authographum vel apographum, Romæ in Lateranenſi Patriarchio reperiri teſtatur. „Sit„ (inquit Guſſanvillæus in præfatione ad hunc„ Antiphonarium col. 1243.) penes eum ejus„que ſequaces fides: non auſim ego reclamare,„ quamvis iſta affectio nonnullis poſſe videatur„ nubeculis obſcurari.„ Ego contendo ex lectione opuſculi, hunc Antiphonarium S. Gregorii Magni genuinum fœtum eſſe non poſſe, rationes ob multiplices. 1. Mentio fit plurimorum Confeſſorum, quorum ſolemnis cultus, in Eccleſia Gregorio Magno recentior eſſe videtur. Ita *S. Vrbani* col. 1286. *S. Benedicti Abbatis* col. 1292. *S. Auguſtini Epiſcopi* col. 1296. *S. Martini Epiſcopi Turonenſis* col. 1301. Quis autem credat ipſo adhuc vivente Gregorio Magno, jam publicis ſolemnibus D. Benedictum Abbatem decantatum? 2. Illæ duæ feſtivitates, quas anno circiter 849. ſub Ludovico Pio,

Grim-

Grimboldus Abbas, expurgans Librum Gregorii *Sacramentarium* abrasas testatur seu litura obductas, tanquam in illum à recentioribus intrusas, ejusque temporibus institutione recentiores: præfatus Antiphonarius devote nimium continet, *Assumptionem* nimirum *S. Mariæ* col. 1295. Lit. E. *Nativitatem S. Mariæ* col. 1297. lit. D. Quarum altera seculo duntaxat IX, altera adhuc serius seculo X, institutæ esse cognoscuntur, tum ex Capitularibus Caroli Magni & Ludovici Pii, tum ex aliis Ecclesiæ documentis. De quibus videsis eruditum Librum Ludovici Tomassini, Presbyteri e congregatione Oratorii *de Festis* Ecclesiæ, ubi de hac re pluribus. 3. Impostura non inferiori se recentiorem longe Gregorio Magno probat hujus Antiphonarii collector vbi non tantum *de Festivitate omnium Sanctorum* col. 1300. sed etiam *de Vigilia* seu jejunio ei præmittendo, ibidem loquitur lit. D. *Vigilia omnium Sanctorum.* Atqui juxta Pammelium in notis ad *Sacramentarium*, a se sub Gregorii Magni nomine ex emendatione Grimboldi Abbatis evulgatum: Festivitas omnium Sanctorum instituta primum fuit à Gregorio nominis IV. qui sedit in Ecclesia Romana anno 827. Vnde certo certius est Antiphonarii hujus qualis est, authorem haudquaquam esse posse Gregorium M. qui ducentis & amplius annis Gregor. IV. præcessit. 4. aliud quoq; argumentum, illudq; maximi ponderis subjiciendum, quo nec hujus Antiphonarii Scriptorem Italũ aliquem, multominus Romanũ aliquem Pontif. opinor: sed Gallum aliquem, qui post Hilduini S. Dionysii Abbatis tempora floruerit, *Areopagiticis* ipsius in vulgus eductis. Impostor itaque ille sub Gregorii Magni nomine, in Antiphonario Col. 1299. subjicit Festum *S. Dionysii* vel Areopagitæ vel Parisiensis Episcopi & Martyris. Nec tantum id, sed ut impostura evidentiorem faceret, *jejunium* sive *Vigilias* præmittit Festo Lit. E. *Vigilia S. Dionysii & sociorum ejus.* Dicant eruditi ubinam gentium legerint, temporibus Gregorii Magni Papæ, vel etiam successorum ejus, Festum *S. Dionysii* ac Sociorum ejus, fuisse in omni Ecclesia Romana præceptum? Vt in Antiphonarium sub Gregorii Magni nomine, etiam cum *vigilia* seu *jejunio* immitteretur. Antiphonarius itaque liber quo procedit modo, ab Monacho aliquo Dionysiano, vel ab Gallo saltem Dionysianæ pietati addicto, recentioribus temporibus, seculo nimirum XI vel XII scriptus videtur. Hæc tumultuarie mihi codicem volventi occurrere, alia forsitan plura alii, qui cum ingenti cura incumbere ipsi atque attendere voluerit.

Liber Sacramentorum, seu *Sacramentarius de circulo anni expositus.* De eo sic Gussanvillæus col. 1313. in præludiis ad editionem suam. „Papa „Gelasius quinto cadente seculo, quas preces „aut dispersas aut perturbato ordine digestas vi„debat, collegit, digessit, in unum codicem retu„lit, ut Romanorum esset usui. Nec mora lon„ga: ab ejus ordine statim discessum est, vel novis accrescentibus festis, vel suggerente pieta„te, aut majoris decori studio, aut mala prurigi„ne novandi, aut forte gentium aliarum ritibus„ consociatis. Vidit S. Gregorius, ac mederi„ volens, *Librum Sacramentorum* edidit, vel certe„ edi curavit, quod verosimilius, *Sacramentarium*„ vocant. At ejus eadem, quæ Gelasiani, sors„ fuit. Nam non ita multo post novis accessio„nibus crevit, quas sub Ludovico Pio Grimol„dus resecasse dicitur. An ad vivum, ut ajunt,„ resecaverit, & ad pristinam formam revocave„rit, non immerito dubitant: cum semper tanta„ deinceps visa sit MSS. Codicum repugnantia,„ nec ipse Grimoldus quorum Codicum fidem„ fuerit secutus, aperuit. Pamelius anno 1571„ *Sacramentarium* S. Gregorii edidit tom. 2 Litur„gicon, ex Grimoldi recensione, inquit. An sin„ceram Grimoldi emendationem ediderit, nul„lus ausit præstare: nec ego facile crediderim,„ nisi certis indiciis saltem probabile fiat. An„gelus Rocca Romæ anno 1597 ex Vaticano li„brum eundem plurimis collatis MSS. protulit,„ Grimoldini Pameliani non satis similem. Me„nardus Benedictinus an. 1642. alterum MS. ve„nerandæ antiquitatis nactus, nomine S. Eligii,„ publici juris fecit, quasi legitimum S. Gregorii„ partum, adstipulantibus aliis MSS. Codicibus„ quos citat. Præfationes dissonas quas illi edi„tores suis editionibus dissonis præfixere Lector„ consulet.„ Hæc Gussanvillæus loc. cit. Harum trium *Sacramentarii* editionum optima mihi & antiquissima Pamelii visa est, multis de causis. *Primum* quod illa contineat Grimoldi Abbatis præfationem, hoc enim indicium est vel à Pamelio authographum Grimoldi editum, vel apographum vetustum ab autographo transcriptum. *Secundo* quia ut habet præfatio Grimoldi Abbatis multæ missæ in hoc Codice jugulatæ erant, ut inde constaret à successoribus S. Gregorii eas esse additas, quæ in aliis Angeli Roccæ anni 1597 & Menardi 1642 editionibus inveniuntur. Vt missa *in natali ipsius S. Gregorii Papæ* col. 1340. IV Idus Martii. Officia Feriæ V per totam Quadragesimam inter ea sunt, quæ Grimoldus Abbas olim fuisse virgulis antepositis jugulata dicit: instituta enim postea à Gregorio juniore testatur Micrologus cap. 49. quæ habentur in editione Rocciana, & in editione Parisiensi col. 1344. Idem quoque Grimoldus Abbas testatur, nempe in codice quo usus erat, jugulata esse officia *Vigiliæ Assumptionis B. Mariæ*, cum Festo diei sequentis, & officium *Nativitatis ejusdem B. Mariæ:* quæ tamen habentur in editione Angeli Roccæ hic col. 1414. lit. D. 1415. lit. B. 1420. lit. A. Nulla tamen istarum trium editionum pura est omni extraneo, neque ea quam Pamelius ipse, cum præfatione Grimoldi Abbatis anno circiter 840 scribentis, evulgavit. Hoc probatur de tribus ipsis editionibus variis Pamelii, Roccæ & Menardi, argumentis tribus invincibilibus 1. In officio Feriæ IV. Majoris hebdomadæ fit mentio *Regis Christianissimi & Imperii*

perii Francici col. mihi 1369. lit. B. *Oremus. & pro Christianissimo Rege nostro &c. ut Deus & Dominus noster subditas illi faciat omnes barbaras nationes, ad nostrum perpetuam pacem.* Oremus. *Omnipotens sempiterne Deus, in cujus manu sunt omnium potestates & omnia jura regnorum, respice ad Romanum atque Francorum benignus Imperium, ut gentes quæ in sua ferocitate confidunt, potentia tuæ dexteræ comprimantur.* Per &c. Quæ sane post annum Christi 800. cum contigerint, spectare ad Gregorium Magnum nullatenus possunt: ac proinde à Grimoldo Abbate jugulanda erant, ut opus primævæ puritati restitueret. *Secundo* ubi editio Angeli Roccæ vacat seu nihil habet, nempe 3 Idus Maji, Sacramentarium editionis Pamelii ac Menardi habet: *Tertio Idus Maji Natale Sanctæ Mariæ ad Martyres* cum tribus orationibus, ut notatur hic col. 1382. lit. E. Atqui non esse hoc officium Gregorii Magni constat, cum Festum illud à Bonifacio IV. primum institutum sit, de quo vide *Rationale divinorum officiorum* Joannis Beleth cap. 127. Hic vero ab an. 607. die 18. Septembris ad an. 614. quo die 8. Maji functus est, Romanæ clavum Ecclesiæ tenuit. *Denique* omnes omnino habent editiones *Sacramentarii Gregoriani*, Kalendis Novembris, *Natale Sanctorum omnium*; tum die antecedente, *Vigilia omnium Sanctorum*: ut notat in editione sua, col. 1431. Litt. B & E Gussanvillæus, quod officium tamen esse Gregorianum non potest, cum primo institutum fuerit hoc Festum à Gregorio IV Pontifice, qui anno tantum 827. Romanæ præfuit Ecclesiæ. Vide Joannem Beleth in *Rationali divinorum officiorum* cap. 127. Nulla igitur editio, sive Pameliana 1571 sive Roccana 1597 sive Menardina 1642 hujus Gregoriani Sacramentarii pura est, continentque omnes seculo 9 convenientia plurima.

Benedictionale S. Gregorii Papæ col. 1601 de quo dicendum nihil occurrit speciale, cum pars tantum Sacramentarii sit, quam nonnemo pro libitu separatim habere voluit, quod antea Cavus annot[illegible]

CAPVT DECIMVM.

DE COMMENTARIIS IN LIBRVM I. REGVM, PSALMOS POENITENTIALES, ET CANTICA CANTICORVM, S. GREGORIO MAGNO ATTRIBVTIS.

Expositionis in Librum I. Regum, qui & Samuelis dicitur, Libri VI. Hos commentariorum libros, ut & sequentes *in septem Psalmos pœnitentiales* & *in Cantica Canticorum* dudum quidem sub Gregorii Magni nomine editos atque inter ejus opera impressos, ut spurios nothosque recte Gussanvillæus in ultima editione Parisiensi anni 1675 sejunctos à legitimis, in ultimum volumen rejecit. Varias affert rationes Gussanvillæus, quibus suum de his judicium corroborat. *Primo* enim cum diligentia incredibili undique Opera MSS. Gregorii conquisiverit, omnes Gallicarum Bibliothecarum per se & amicos diligentissime pluteos excusserit, nullum horum Commentariorum MS. codicem esse inventum, nec illum quidem unde primum impressi sint: etsi genuinorum Gregorii Operum MSS. Codices frequentissimi sint. *Secundo* Gregorium Magnum aliorum suorum Operum mentionem in epistolis suis feciſſe, horum Commentariorum nusquam. Nec objiciant nobis horum *in libros Regum* commentariorum mentionem egisse hunc Pontificem Lib. 10. Indict. 5. Epist. 22. ad Joannem Ravennæ Subdiaconum col. mihi 1018. Lit. C his verbis. «Præterea quia idem carissimus quondam filius meus Claudius aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, & de libris quoque Regum, & de Heptateuco audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipsa ea suo sensu & stylo dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. Quæ cum mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde in multis inutilius fuisse permutatum. Unde necesse est ut tua experientia omni excusatione atque mora cessante, ad ejus Monasterium accedat, convenire fratres faciat, & sub omni veritate quantascunque de diversis Scripturæ chartas detulit, ad medium deducant: quas tu suscipe, & mihi celerrime transmitte.» Contendit enim merito Gussanvillæus in ultima sua editione Operum D. Gregorii, has homilias seu sermones quos ex ore Gregorii loquentis Claudius Abbas collegerat, fuisse omnino aliud opus ab his Commentariis *in Librum I. Regum* & *in Cantica Canticorum*. Id mihi patere videtur ex Lectione verborum Gregorii, ubi inquit Claudium filium suo sensu & stylo dictasse *aliqua*, quæ *ipso loquente de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptateuco audierat*. Quibus indicat *aliqua* tantum de his libris passim pro occasione, pronuntiata, à Claudio Abbate collecta suo sensu & stylo dictata esse. At Commentarii hujus voluminis omnes, sive in Librum 1. Regum, sive in septem Psalmos Pœnitentiales, sive in Cantica Canticorum: sunt Opera continuæ & non interruptæ seriei, quæ similitudinem nullam habent, cum abruptis illis Sermonibus, quos ex tempore Gregorius Pontifex *in aliquos* istorum Librorum locos protulerat. *Tertio*. Hi Commentarii prorsus incogniti fuerunt, omnibus qui post Gregorii mortem, ejus Scripta excerpserunt, de quibus nos paucis hujus Dissertationis cap. undecimo agemus. Nam Paterius hujus Pontificis discipulus, qui prolixum atque accuratum ex omnibus S. Gregorii Magni operibus Collectaneum struxit: ne excerptum quidem unicum ex his tribus qui in hoc tertio volumine continentur Commentariis produxit, in

qui-

Digitized by Google

quibus tamen excerpta transcribi digna, quæ Collectaneo insererentur invenisset, si horum Commentariorum lectionem vel notitiam habuisset. Idem quoque dici potest de Tajone Cæsaraugustano Episcopo qui anno circiter 650 simile Collectaneum ex omnibus D. Gregorii Papæ scriptis produxit. Idem de Alulfo sancti Martini Tornacensis Monacho, qui anno 1000. vel circiter, amplius multo Collectaneum 4 voluminibus magnis constans, ex Papæ ejusdem operibus compilavit, MS. in variis Bibliothecis: ubi nullum tamen ex his tribus Commentariis excerptum, etiam post non vulgarem curam in legendo adhibitam, continetur. Idem de aliis excerptoribus sentiendum, de quibus cap. cit. hujus Dissertationis agitur. *Quæro* quotquot post Gregorii Magni tempora in libros Regum vel Cantica Canticorum scripserunt, ut Beda, Angelomus Lunoviensis Monachus, Rabanus, Rupertus & alii: nunquam hos Commentarios Gregorii vel allegarunt vel excerpserunt, quamvis horum Authorum consuetudo sit, ut antiquiorum verba producant atque referant. Rhabanus cæteros inter, in præfatione Commentariorum suorum *ad libros Regum*, sæpius se ex Operibus Sanctorum Augustini & Gregorii varia mutuasse ac transcripsisse notat, qui ne unicum tamen ex his, quos vulgo jactant, Gregorii Papæ *in Libros Regum* Commentariis locum allegat, quos tamen facillime excerpere atque convenienter argumento aptare, si tunc extitissent, vel Gregorii eos genuinos credidisset, avidus alienorum satis, potuisset. Mitto denique silentium omnium, qui de Operibus Gregorii Magni agentes, de Commentariis his silent, quos tamen omnes latere vix potuissent.

Expositio in septem Psalmos Pœnitentiales. Impressa primum Parisiis anno 1512. apud Remboldum, inde in Opera Gregorii Magni pertransiit. Nullos Commentarios edidisse in Psalmos Gregorium Magnum, infert Gussanvillæus ex Registro Lib. 10. Indict. 5. Epist. 22. citata col. 1018. lit. D. ubi sic ad Claudium de quo supra. „Sed dic ei ut Commenta Psalmorum le„gi ad vigilias faciat, quæ mentes secularium „ad bonos mores præcipue informant. Neque „enim volo dum in hac carne sum, si qua dixisse „me contigit, ea facile hominibus innotesci. Gussanvillæus autem in notis col. 1019. lit. E sic. Ex consequentibus clarum est, hos Commentarios in Psalmos non esse S. Gregorii, ut latius probavimus in præfatione ad Commentarium in septem Psalmos Pœnitentiales, quem vulgo S. Gregorio attribuunt. Censent itaque viri eruditi Commentarium hunc in Psalmos Pœnitentiales, spectare ad Gregorium VII. vel ad aliquem ipsius amicum & fautorem, qualis fuit Robertus Abbas S. Vigoris Bajocensis, de quo postea agemus, qui temporibus Henrici IV Imperatoris ac Gregorii VII scripserit. Hæc tempora designasse authorem tum Psalmi 5. Pœnitentialis v. 19 ac 26. tum in procemio Psalmi 7. in quo Imperatoris impietatem his durissimis exaggerat: *Persequitur etiam hoc tempore sibi sinaticum corpus Christi, impugnat hæreticus Ecclesiam, unitatem infidelis perturbat.* At vero quis Imperator tempore Gregorii Magni ecclesiam persequebatur? Quis contra catholicam veritatem efferebatur? Quis Ecclesiæ unitatem turbabat? Duo enim tantum principes tempore Gregorii Magni Romanum Imperium administrarunt, Mauricius & Phocas. De Mauricio hæc dici non possunt, quem historici omnes catholicum Imperatorem, religiosissimum, liberalissimum, & in pauperes effusissimum appellant. Gregorius ipsemet piissimum & clementissimum passim nuncupat, & ut ipse diu Imperium pro Dei gloria & Ecclesiæ utilitate administret, litteras ad quosvis dirigit. Legantur Lib. 2. Indict. 10. Ep. 62. Indict. 11. Epist. 48. lib. 9. Ep. 40. & plures aliæ, in quibus de pietate & bonitate Mauricii multa congerit. Sed nec tria illa loca quæ Gussanvillæus affert in *Disquisitione* huic Commentario prævia, ad Phocam pertinere videntur, qui Gregorii tempore, uno tantum anno imperavit: cui gratulatorias etiam de adepto imperio litteras dedit Lib. 11. Indict. 6. Epist. 38 & 44. Idem Ellias du Pin in *Bibliotheca Ecclesiastica* secul. 6. pag. mihi 143. Ludovicus Jacob in *Bibliotheca Pontificia* Lib. 2. in Gregorio VII. Plura Gussanvillæus in editione operum Gregorii Magni tomo 3. col. 367.

Expositio in Cantica Canticorum. Hanc Gussanvillæus multis nec spernendis adductus rationibus Gregorio Magno abjudicat, censura his Commentariis præfixa tomo 3. editionis citatæ col. 457. ubi & refutat tum authoritatem contra se allatam ex Registro Gregorii Lib. 10. Epist. 22, tum Ildefonsi Toletani Episcopi in Supplemento Isidori *de Scriptoribus Ecclesiasticis*, ubi mentionem facit Commentarii cujusdam, Gregorii Magni in Cantica Canticorum. Sane nec Gregorius ipse *Epistola cuncta*, nec Paterius ejus discipulus qui opera ejus omnia noverat quæ excerpsit: nec Isidorus in libro *de viris illustribus* cap. 27, qui Opera divi Gregorii accurate recensuit, & illi synchronus extitit: nec venerabilis Beda, qui in Opere *de rebus gestis Anglorum* vitam ejus & scripta diligenter recenset multis in locis, *Commentarium illius in Cantica Canticorum* agnoscunt. Ildefonsus autem ex lectione incauta & properante Epistolæ 22. libri 10. Registri, hunc errorem posteris attulit. Imo Beda in septimum atque ultimum Explanationis librum quem in *Cantica Canticorum* scripsit, coacervavit omnia, quæ sparsim de volumine illo, per cuncta opuscula sua, Gregorius disseruit. Nullum ergo *Commentarium continuum in Cantica Canticorum* ille scripserat. Nos uno verbo quæstionem hanc solvemus, allegantes legitimum illius authorem, quem nullus hucusque cognovit, ne ipse quidem Gussanvillæus, qui plurimos hujus Operis MSS. Codices in variis

Bibliothecis se vidisse testatur, & quidem inter se discrepantes. Producemus duos, unum in Bibliotheca ipsa S. Victoris Parisiensis quam volvit sæpius ac revolvit: alterumque ex Abbatia Balernensi, Ord. Cisterciensis in Ducatu Burgundiæ: cum ipso legitimi parentis prologo ad dictum Commentarium, quem alieno intromisso, Gussanvillæi editio desiderat, & cujus occasione præsentem Dissertationem aggressi sumus. Itaque in MS. Codice Balernensi habetur hic idem Commentarius, qui hucusque Gregorio Magno adscriptus atque inter ejus Opera impressus, cum Epistola quæ legitimum parentem aperte indicat, Robertum Monachum S. Michaelis de periculo maris in Normannia, tum postea Abbatem S. Vigoris Bajocensis, Ord. Divi Benedicti. Incipit, *Servo Dei incluso dilectissimo suo, Ansfrido quondam filio & amico, modo divina favente cui voluerit gratia, Patri & Domino, frater Robertus hominum minimus, vitam, gaudium, & gloriam quæ vere gloria est. Multis jam nuntiis inertiam meam fervor tuus in Dominum sollicitat &c.* Prologo & præfatione completis, incipit eodem modo, usque ad finem, quo apud Gregorium. Extat quoque MS. in insigni Bibliotheca Sancti Victoris Parisiensis, Littera RR 12. fol. 187. cum eadem præfatione ad Ansfridum, hoc uno excepto: quod ubi Codex MS. Balernensis habet integrum nomen *Robertus*, Codex MS. Sancti Victoris initialem tantum nominis litteram R contineat, quam male interpretatus est Jacobus Hommey Augustinianus Eremita, qui sub nomine *Radulfi Fontanellensis Abbatis* hoc opusculum corruptissime nuper, legitimo parenti suffuratum evulgavit pag. 276. operis quod *Supplementum Patrum* inscripsit. Verum præter authoritatem duorum istorum MSS. Codicum, Robertus iste Abbas factus Monasterii S. Vigoris ad muros urbis Bajocensis in Normannia, ut scribit ejus contemporaneus Ordericus Vitalis lib. 8. Historiæ ad annum 1094 & 1087. *Romam ille profectus est, ubi à Gregorio VII Papa detentus honorifice, usque ad mortem, Romana fideliter servivit Ecclesia.* Atque iterum *inter reliqua peritiæ suæ monumenta, brevem & luculentum, sensuque profundam super Cantica Canticorum expositionem in Ecclesia dimisit.* Ita testis oculatus, & qui Robertum ex facie forsan noverat: quo quid magis cum MSS. de quibus supra, authenticum testimonium esse possit, equidem non video. Certus itaque jam author Commentariorum istorum, qui & Gussanvillæum, & Gulielmum Cavum, & Elliam du Pin, dum Scripta Gregorii Magni discutiunt, latuerat. Nec improbabile, hunc eundem Robertum Gregorio VII Summo Pontifici carissimum, ejusque addictissimum lateri & partibus, qui *usque ad mortem* Orderico teste, *Romana fideliter servivit Ecclesiæ*: dum Romæ esset scripsisse *Commentarium in septem Psalmos pœnitentiales*, ab aliis Gregorio VII attributum, de quo supra egimus.

CAPVT VNDECIMVM.

QVANTI ET QVALES, SEQVENTIBVS SECVLIS, OPERVM GREGORII PAPÆ, EXCERPTORES FVERINT?

FVerunt plurimi qui post mortem Gregorii Magni Scripta ejus insigni cura legerunt, atque lecta vel in compendium contraxerunt, vel Collectanea quædam ex illius Operibus confarcinarunt, verbis illius vel nullatenus vel paucissime immutatis. Primus ex compilatoribus hujusmodi ac vetustissimus,

1. S. Paterius S. Gregorii Primi Discipulus ac Secundiarius, claruit circa annum Christi 610 ut vult Molanus in sua Bibliotheca Manuscripta Belgica, cujus Beda *Commentariis* in Cantica Canticorum meminit. Amans Magistrum Discipulus, ex illius Operum assidua meditatione ac lectione, *Libros tres Explanationum in omnes utriusque Testamenti libros* collegit, Romæ quoad primum & tertium anno 1553. in fol. impressos. Immissum autem primum hoc Collectaneum in Opera Gregorii Papæ in editione Romana anni 1591. atque in sequentibus, sed mutilum. Cum enim continere debeat Opus libros tres, duos in Vetus Testamentum, & tertium in Novi Testamenti libros: primus & tertius seu ultimus deficiente medio, comparent tantum inter Opera Gregorii, qui etiam deesse videtur in editione speciali Romana anni 1553. de qua modo locutus sum. Integrum autem à me visum Codicem MS. opinabar, in Bibliotheca Cœlestinorum Parisiensium, eumque chartaceum, in quo tres Libri habebantur. Ita opinabar, ex codicis inscriptione qui fefellit: Nam iterum recurrens ad codicem, inveni ignotum quendam, jacturam Libri secundi ac tertii Pateriani quam fecimus, resarcire voluisse substitutione aliorum. Hic nomine Bruno ad instantiam Werneri cujusdam (seculo ut opinor XII.) videns secundum & tertium Paterii libros amissos, compositionem suam quandam in locum eorum subjecit, quæ cum Pateriano volumine apud Cœlestinos Parisienses invenitur. Aliquo modo Opus S. Paterii ita integrum prodiit in ultima editione Operum D. Gregorii Magni, facta Parisiis 1705. in folio tomis IV ab Monachis Benedictinis, nempe tomo 4 parte 1. Observant autem, Librum tertium hujus Pateriani operis, quod in editionibus antiquis extat, non spectare ad Paterium, sed ad Alulfum Monachum Tornacensem, de quo postea. Mentionem S. Paterii faciunt ex antiquis, Sigebertus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 43, Honorius Augustodunensis Libel. 4. de iisdem cap. 5. Ex recentibus Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*, Aubertus Miræus in *Bibliotheca Ecclesiastica* pag. 138. & 118.

2. Tajo seu Tajus cognomento Samuhel Cæsaraugustanæ urbis in Hispania Episcopus, alter

ter post Paterium Libris Gregorii Magni assidue evolvendis incubuit. Claruit ille anno 650. adfuit Conciliis Toletano VIII. anno 653 & IX. anno 655. Vnde dicitur à Concilio citato Romam delegatus fuisse, ut à Romano Pontifice transumptum Operum Gregorii Papæ peteret, quod ipsi multo tempore denegatum dicitur. Obtentum tamen ab eo, Sanctissimis Apostolis cum Gregorio, quænam in Bibliothecæ cista MSS. codices concluderentur, per visionem ostendentibus. Insignis quidem Tajonis Epistola ad Eugenium Toletanum Archiepiscopum MS. in Bibliotheca Colbertina Cod. 62. quam in suis Miscellaneis edidit Baluzius. Cum diu occupatus fuisset in assidua lectione Gregorii Magni voluminum, ejusque argumenta ac dictionem laboriose meditatus fuisset, erupit foras scribens *Libros quinque Sententiarum*, ex puris Gregorii quem perpetuo volverat verbis, pauca duntaxat quædam ex Sancti Augustini verbis supplens, ubi verba Divi Gregorii opportuna argumentis non invenit. Egregium opus MS. asservatur ex Bibliotheca Thuanea translatum in Colbertinam Parisiensem Cod. 1048. cujus rarissimi Operis alias duos MSS. Codd. invenimus in fol. in bibliotheca Cluniacensi, alterum quidem sanum & integrum, littera Q. Alterum vero mutilum, ubi ex quinque Tajonis libris tres tantum habentur, in bibliotheca Majoris Monasterii Turonensis Litera A. 6. Opus dicatum Quirico Barcinonensi Episcopo, cui Ildefonsus Opus suum *de perpetua virginitate Beatæ Mariæ Virginis* dicavit. Inscribitur *Tajonis Episcopi Cæsaraugustani præfatio ad Quiricum Barcinonensem Antistitem* in quinque libros sententiarum à se collectos ex operibus S. Gregorii Papæ. *Domino Venerabili Sanctissimoque Viro Quirico Episcopo, Tajus indignus Cæsaraugustanæ urbis Episcopus cognomento Samuhel. Memor vestræ benignissimæ petitionis, nostræque devotissimæ promissionis &c.* Incipit Liber sententiarum primus. *Quod Deus immutabilis summus, & æternus existat. Solus Deus in semetipso immutabilis est, quia solus habet immortalitatem &c.* Opus luce publica dignum, quo longe inferiores libri ob antiquitatem, plurimi in vulgus abierunt. De eo Joannes Mabillon tom. 2. *Analectorum* pag. 68. Petrus de Gussanvilla in Notis ad IV. libros Dialogorum S. Gregorii Magni. Collectores Conciliorum in notis ad Conc. IIX & IX Toletana, quibus interfuit.

3. S. Odo Cluniacensis Abbas, anno 940. scriptis clarus variis, inter cætera, S. Gregorii Papæ Libros Moralium, quos plus justo prolixiores censuit, in Epitomen redegit, cum aliis Odonis operibus impressam. De qua pluribus agere superfluum, cum in omnium manibus versetur. Vide Bellarminum & Labbeum in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* seculo X. ad annum citatum vel circiter, Guillelmum Cavum in *Historia Rei Literariæ* ibidem, omnium instar.

4. Alulfus Monachus S. Martini Tornacensis anno 1090. floruit sub regimine Odonis hujus loci primi Abbatis, qui factus postea Cameracensis Episcopus anno 1113. mortuus esse legitur. Hic quartus scriptis D. Gregorii Magni evolvendis sedulus, ad imitationem Paterii cujus Opus Gregorianum ad nos imperfectum mutilumque pervenit, ac ut huic vulneri medelam forsitan afferret, diffusissimum Opus *ex propriis Gregorii Papæ verbis*, quod *Gregoriale* inscripsit, ad nos usque transmisit. Illud MS. in variis Bibliothecis, ut S. Amandi Ord. D. Benedicti, & in Alnensi Ord. Cisterciensis. Volumina duo priora ad Paterii imitationem, continent Collectanea in libros Veteris Testamenti: Volumen tertium in Novi Testamenti libros, quartum autem *de diversis argumentis* in 16. libros distinctum est. Vidi etiam tria priora hujus Operis volumina MSS. in Bibliotheca Longipontis Ord. Cisterciensis in Episcopatu Suessionensi, & Volumen quartum MS. in Bibliotheca S. Petri Selincurtensis Ord. Præmonstratensis in Episcopatu Ambianensi. Operis Alulfi tertia pars, nempe *in Novum Testamentum*, edita fuit in editionibus antiquis operum divi Gregorii, sub nomine Paterii, ut Monachi Benedictini observant in editione ultima Parisiensi 1705. Operum sancti Gregorii Magni, tomo 4. parte 2. Mentionem Alulfi faciunt Joannes Mabillon tom. 1. *Analectorum* pag. 312. & sequentibus, Petrus Gussanvillæus in *Vindiciis* Dialogorum S. Gregorii Papæ tom. 3. editionis Parisinæ anni 1675. col. 333. post medium: quos allegasse sufficiat.

5. Guarnerus Canonicus & Supprior Abbatiæ S. Victoris Parisiensis, claruit sub Hilduino Abbate circa annum 1140. juxta Gussanvillæum in *Vindiciis* Dialogorum S. Gregorii Papæ col. 339. Curas pariter suas & vigilias volvendis S. Gregorii Magni Operibus, quod olim à plurimis jam factum erat, impendit. Itaque suis ex lectionibus amplioribus Pontificis scriptis in compendium quoddam collectis, elaborat Opus *Gregorianum* inscriptum, seu *Allegoricas Explicationes rerum Biblicarum ex libris & verbis D. Gregorii Papæ*: quod MS. extat in Bibliotheca ejusdem Abbatiæ Codice signato II 8 fol. 1. sub nomine expresso Guarnerii Supprioris Sancti Victoris, notæ optimæ & 500. annorum antiquitatis. Hinc vero erutum, Parisiis vulgatum anno 1608 in 8. cura & studio Joannis Piccardi Canonici ejusdem Abbatiæ. Albericus Triumfontium Ord. Cisterciensis Monachus in Chronico, attribuere hoc Opusculum Guillelmo de Campellis videtur, quem ad annum 1110. in *Supplemento Bellarmini* correximus. Plura quæ de Guarnero scribantur non suppetunt, quem tamen pluribus laudat ex Domesticis suis instrumentis, in *Historia* MS. Abbatiæ S. Victoris Parisiensis, Joannes à Tolosa canonicus regularis ejusdem Ecclesiæ, quem illic legimus.

6. Vltimus autem quem sciam ex compilatoribus Operum S. Gregorii Papæ, atque ad Scri-

pturam omnem ſacram adaptatoribus, eſt Jacobus Folquerii natione Gallus, ex Ordine Eremitarum Divi Auguſtini, Doctor Tholoſanus atque ibidem in Theologia Lector, qui ad exemplum Garneri forſitan, ſcripſit ad Clementem Papam ſextum, opus inſcriptum *Viridarium Gregorianum*, ſeu *Allegorias in omnes ſacræ Scripturæ libros*, ex ipſiſſimis S. Gregorii Magni verbis deſumptas, Clementi anno Domini 1345. Menſe Aprili, ut author indicat, oblatas. Floruit Jacobus Folquerii anno 1348. & ſequentibus, cujus Opus MS. in Bibliotheca Majoris (ut vocant) Conventus Eremitarum Sancti Auguſtini Pariſienſium. Nullus quem noverim hujus Scriptoris meminit, excepto Jacobo Hommey Eremita Auguſtiniano, qui ſpecimen MS. operis affert, in *Supplemento Patrum* à ſe edito. Atque hæc de Scriptis & ingenio S. Gregorii Papæ cognomento Magni, dicta ſufficiant: cum ei qui plura voluerit, ejusdem ſcripta ac fontes unde hæc hauſimus, adire licitum ſit.

CAPVT DVODECIMVM.

DE

ANTIQVIS EDITIONIBVS OPERVM S. GREGORII MAGNI, ET QVOMODO TEMPORVM SVCCESSV, OPVSCVLIS SVPPOSITIS, ENORMITER ABSQVE VLLO ERVDITORVM EMOLVMENTO ACCREVERINT.

IAm utcunque hujus Diſſertationis cap. I. de editionibus antiquis Operum divi Gregorii Magni egimus, ſed jam de iisdem paullo latius, ut quomodo ad præſentem molem importuna Monachalium Opuſculorum illatione acceſſerint, videamus: id quod eruditis nullum lucrum, multam autem indignationem, ob pecuniam enormem comparandis illis expendendam, affert. Vt de ſingulis ejusdem ſcriptis ſeorſim editis fileamus, Editio prima fuit Lugdunenſis anni 1516. atque ſecunda Pariſienſis à Bertholdo Rembolt anno 1518. adornata, quæ *Libros XXXV. Moralium, Paſtorale, Dialogos, Commentarios in Cantica & in 7 Pſalmos pœnitentiales, Homilias in Ezechielem & in Evangelia, ac Epiſtolarum Regiſtrum*, potiora Gregorii Magni Opuſcula complectebatur. Hanc brevi excepit, quæ Rothomagi an. 1521. facta eſt apud Franciſcum Regnaut. Tertia Pariſienſis prodiit, anno 1523 ex officina Claudii Chevalon. Succeſſit editio Lugdunenſis, annis 1536 & 1540. in duobus volumnibus non diſcrepans ab anterioribus, niſi quod *Commentario in librum I. Regum* huic Papæ perperam attributo aucta fuerit. Atque hoc modo impoſterum Pariſiis anno 1542. apud Carolum Guillart omnia S. Gregorii Papæ cognomento Magni Opera excuſa ſunt, atque in aliis Europæ urbibus, usque ad annum 1564 quo Baſileæ apud Frobenium hoc ordine edita ſunt.

Poſt Vitas Sancti Gregorii Papæ præmiſſas, ac teſtimonia Veterum, qui de ſcriptis ejus mentionem egerunt, hæc

TOMO PRIMO extant.

Expoſitio Moralium in Jobum, Libris XXXV col. 1.

Curæ paſtoralis liber tripartitus col. 1225.

Dialogorum libri quatuor col. 1325.

TOMO SECVNDO

Expoſitionis in Cantica Canticorum liber 1. col. 5.

Homiliarum ſuper Ezechielem libri II. col. 64.

Homiliæ quadraginta in Evangelia col. 317.

Explanatio in ſeptem Pſalmos pœnitentiales. 535.

Ex Regiſtro Gregorii Epiſtolarum libri XII. 639.

Beati Gregorii Decreta tempore Mauricii, Tiberii & Theodoſii Augg. 1187.

Expoſitionum in librum primum Regum libri VI. col. 1201. Atque hoc modo cum Opusculis paucis Divo Gregorio perperam attributis, *Expoſitione nimirum in Cantica Canticorum, in ſeptem pœnitentiales Pſalmos, & in librum primum Regum*, proceſſerunt usque ad editionem Romanam, quæ anno 1588. juxta Antonium Poſſevinum incepta, anno 1593. perfecta fuit Vaticanis typis.

Anno igitur 1588. Frater Petrus Tuſſinianenſis ſeu de Tuſſignano, primum Medicus Sixti V. deinde Epiſcopus Venuſinus, cui typographiæ Vaticanæ inſpectio commiſſa fuit ab annis aliquot, editionem novam Operum S. Gregorii M. ac Papæ primi aggreſſus eſt, juſſu Sixti V. Pontificis Maximi, cui Tomum I. dedicavit, quam *diligentiſſime emendatam & auctam & in tomos ſex diſtributam* inſcripſit.

TOMO PRIMO hæc continentur:

Vita S. Gregorii Papæ primi à Johanne Diacono libris IV ſcripta.

De ejusdem rebus geſtis teſtimonia Gregorii Turonenſis, Pauli Diaconi, Venerabilis Bedæ Adonis Viennenſis, Simeonis Metaphraſtæ: Elogia & teſtimonia Veterum de ejus Operibus.

Expoſitio in librum primum Regum libris VI. col. 141.

TOMO SECVNDO quem Tuſſinianenſis obtulit Gregorio XIV Pontifici Maximo 1591 Kalendi Januarii.

Expoſitio Moralium in Job libris XXXV. col. 1.

Expoſitio in ſeptem Pſalmos pœnitentiales col. 925.

Expoſitio in Cantica Canticorum col. 1003.

Homiliarum XXII. in Ezechielem libri duo col. 1043.

TOMO TERTIO.

Liber 40. homiliarum de diverſis lectionibus Evangelii col. 1.

Liber curæ paſtoralis col. 157.

Libri quatuor Dialogorum col. 233.

Iidem à Zacharia Papa in Græcum converſi, ſexcentim poſt columnam 353.

TOMO

Tomo Qvarto quem Tuſſinianenſis dicavit Innocentio IX. Pontifici Maximo 1591. XI. Kalendas Decembres. *Regiſtrum Epiſtolarum* col. 1.

Index titulorum Juris ex Regiſtro Epiſtolarum B. Gregorii Magni excerptus ab illuſtriſſimo Antonio Carafa, S. R. Eccleſiæ Cardinali col. 477.

Tomo Qvinto quem cum ſequenti Tuſſinianenſis obtulit Clementi octavo ſummo Pontifici 1593. Kalendis Septembris.

Antiphonarius col. 9. *liber Sacramentorum Gregorii Magni nomine* col. 63.

Scholia in eundem librum Sacramentorum a F. Angelo Rocca Camerte, Sacrarii Apoſtolici Præfecto, col. 263. editionis Pariſienſis 1619. apud magnam ſocietatem Bibliopolarum ſub ſigno Navis, quæ in Romana editione deſiderantur.

Tomo Sexto *Expoſitio in Vetus & Novum Teſtamentum a Beato Paterio ex libris S. Gregorii Magni excerpta* col. 1. Cujus liber primus ſolummodo Paterii eſt, alter Aluſi Tornacenſis Monachi. Editionem hanc Romanam imitata eſt Pariſienſis anni 1619. apud magnam ſocietatem bibliopolarum, atque aliæ omnes usque ad annum 1675. quo Petrus de Guſſanvilla evulgandis Gregorii Magni Operibus curam ſingularem exhibuit, tribus in folio voluminibus, præmiſſa Opuſculis dubiis cenſura, de qua capite 1. Diſſertationis hujus diſſeruimus.

CAP. DECIMVM TERTIVM.

DE

VLTIMA EDITIONE OPERVM S. GREGORII PARISIENSI MDCCV. OPERA MONACHORVM BENEDICTINORVM.

TAndem S. Gregorii Papæ cognomento Magni Opera omnia ad MSS. Codices Vaticanos, Gallicanos, Anglicanos emendata, aucta & illuſtrata notis, ſtudio & opera Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri in Gallia, edita ſunt 4. tomis in folio, Pariſiis 1705. apud Claudium Rigault, ubi hæc præmittunt.

Abſolutis Operum Auguſtini, Ambroſii, Hilarii, Bernardi, aliorumque Sanctorum Patrum editionibus, de S. Gregorio Magno novis curis & typis edendo minime cogitabamus, quod in lucem non ita pridem ſtudio Petri Guſſanvillæi prodiiſſet. Verum cum ad elucubrandam tanti Doctoris ac Pontificis vitam, non ſolum libros editos adhibuiſſemus, ſed multos etiam Codices MSS, factaque collatione intellexiſſemus hos ab illis non parum diſcrepare, plurimum Reipublicæ tum Chriſtianæ tum litterariæ intereſſe viſum eſt, ſi ad Gregoriana opera emendanda & recudenda nos accingeremus. Nec mora, conquiſitis & accerſitis undique MSS. antiquioribus meliorisque notæ Codicibus, omnia Doctoris maximi ſcripta ad iſta optimæ fidei exemplaria recenſuimus, quorum ope bene multa ſanata ſunt & reſtituta. Locorum autem a nobis emendatorum ſpecimina, in prævиis ad ſingula S. Gregorii Opera præfationibus, paſſim exhibuimus. At quid potiſſimum in hac nova editione præſtitum ſit, commodius exponetur, quæ unoquoque tomo continentur, enumerando: atque admonendo Præſidem hujus editionis novæ, fuiſſe Dionyſium de Sainte Marthe, ejusdem Congregationis S. Mauri in Gallia Presbyterum & Monachum.

Primo Tomo præmittitur Præfatio generalis, ubi præſertim recenſitis variis Gregorianorum Operum editionibus non ſatis accuratis, ſuſceptum novæ editionis procurandæ conſilium proponitur. Hæc inchoatur ab Exegeticis in ſacram Scripturam, complectiturque col. 1. *libros XXXV. Moralium in Job*, ſex in partes, ut in veuſtioribus Codicibus diſtributos. *Homilias in Ezechielem XXII.* duobus comprehenſas libris, col. 1173. *Homiliarum XL. in Evangelia, libros quoque duos*, col. 1434. Singula hæc Opera ſui, præfationibus muniuntur & illuſtrantur, adjectis notis tum ad oram columnarum, quibus præſtantiores judicantur ſententiæ: tum ad calcem, quæ vel variantes MSS, vel librorum prius editorum rejectas a nobis lectiones exhibent, vel non ſpernendas obſervationes ſuppeditant. Tomum hunc ampliſſimi duo Indices claudunt, locorum ſcilicet Scripturæ ſacræ, nec non rerum & ſententiarum.

Secvndvs Tomvs complectitur cætera quæ ſuperſunt ſanctiſſimi Doctoris Opera indubitatæ fidei & cujusvis interpolationis expertia, videlicet *Librum Regulæ paſtoralis* col. 1. mutata capitum quæ in aliis obtinet editionibus, diviſione ſane minus commoda, ex veterum membranarum præſcripto. *Quatuor Dialogorum libros* col. 150. Latine & Græce, quos noſtro Gregorio aſſeruimus in Præfatione Vindiciis Petri Guſſanvillæi, de eodem argumento adjecta. Multas inſuper notas & obſervationes rerum quæ in Dialogis narrantur, elucidandarum cauſa, ſubjunximus. *Regiſtrum Epiſtolarum* nonnullis Epiſtolis auctum col. 486. in libros quatuordecim diſtinctum, cum Appendice. Subjiciuntur col. 1305. *Diſſertatio* in qua Epiſtolarum ordo ab nobis reſtitutus, argumentis demonſtratur. Earundem diviſio Geographica bipartita col. 1318. ſeu Index Geographicus. Ordo Epiſtolarum antea vulgatus, ad novum reductus, & vice verſa. Index alphabeticus earundem, deſumptus ex nominibus eorum ad quos S. Gregorius ſcripſit, & qui ad ipſum ſcripſerunt. Collectanea ſeu Excerpta ex iisdem Epiſtolis, ad varios Juris præſertim Canonici redacta titulos, opera Eminentiſſimi Cardinalis Antonii Carafæ. Denique triplex index, unus locorum ſacræ Scripturæ, alter Canonum qui tum ex primo cum ex ſecundo tomo maxime, Operum ſancti Gregorii deſumpti ſunt. Vltimus rerum & ſententiarum copioſiſſimus.

Tomvs

Tomvs Tertivs duas in partes dividitur, cujus in priori continentur *Liber Sacramentorum ſancti Gregorii* col. 1. cum brevibus notis, & duplici Præfatione prævia, una ſcilicet quam adornavimus, altera vero pag. IX. a Domno Hugone Menardo elucubrata. Ejusdem Hugonis Menardi notæ & obſervationes in Sacramentorum librum col. 274. a multis repurgatæ mendis, quas editores a multis eruditis plurimum expeti inquiunt. His ſubjecerunt Scholia, auctore Angelo Rocca ſacrarii Apoſtolici Præfecto.

Benedictionale ſeu *Benedictiones* col. 622. quæ in laudato Sacramentorum libro deſiderantur, ex *Benedictionali* cura Petri Lambecii edito. *Aliud Benedictionum Epiſcopalium ſupplementum* col. 626. ex Codice pervetuſto MS. ſancti Theodorici prope Remos. *Liber Antiphonarius ſancti Gregorii* col. 653. 654. præmiſſis Præfationibus & continuis illuſtratus auctusque notis. Denique *Liber Reſponſalis* ſeu *Antiphonarius* col. 733. 734. ad 880. qui nunc primum in lucem prodit, ex MS. Codice Compendienſi, nono ſeculo inclinante deſcripto. At in hoc *Reſponſali ſeu Antiphonario ſecundo*, fit mentio benedictionum in Feſtis B. Mariæ Virginis, *Aſſumptionis* col. 817. *Nativitatis* col. 822. unde abſurdum prorſus eſt Opera ejusmodi attribuere & inſerere Operibus S. Gregorii Papæ. Clauditur hæc prior pars ampliſſimo indice rerum & verborum.

In altera parte Tomi Tertii reperiuntur Expoſitiones variæ, nimirum in librum I. Regum ſex libris col. 1. comprehenſæ, quod eximium opus ita S. Gregorio in Præfatione prævia vindicare conantur, ut tamen haud negent quædam a Claudio Abbate ſanctiſſimi Doctoris olim diſcipulo, fuiſſe paulisper interpolata. *Expoſitio in Cantica Canticorum* col. 398. magna ex parte auctior MSS. ope, quam etiam in admonitione prævia ſancto Gregorio tribuendam demonſtrare nituntur: ſed falſo, ſpectat enim ex fide plurium MSS. Codicum in Galliæ & Angliæ bibliothecis latitantium, ad Robertum Abbatem ſancti Vigoris Bajocenſis. Itemque *Commentarius in librum primum Regum ſex libris*, Opus eſt Claudii Taurinenſis Epiſcopi, qui ſeculo Eccleſiæ IX. multos ejusmodi Commentarios in ſcripturæ libros, compoſuit, adhuc in bibliothecis latitantes. *Expoſitio in ſeptem Pſalmos pœnitentiales* col. 467. *Concordia quorundam teſtimoniorum ſacræ ſcripturæ* col. 562. ad 578. ex editione 1571. Pariſienſi, curis & opera Joannis Gelaſii. In hæc Opera duplex index, unus locorum allatorum ſacræ ſcripturæ, alter autem rerum & verborum. Quid de ſingulis hujus tertii voluminis tam partis primæ quam ſecundæ Opuſculis ſentiamus, vide capitibus 5. & 6. Diſſertationis hujus. Nullum enim illorum ad Gregorium Magnum ſpectat, quidquid Monachi Benedictini ex levibus conjecturis, contra clamitent aut ſcribant.

Qvartvs Tomvs bipartitus, exhibet priori parte triplicem S. Gregorii Magni Vitam. *Prima* eſt col. 1. quam Paulus Warnefridus Aquilejenſis Diaconus, poſtea Monachus Caſſinenſis olim ſcripſit, uti plurimis invictisque probatur argumentis. *Secundam Vitam* longe ampliorem col. 19. quatuor in libros diſtributam, debemus Johanni Romanæ Eccleſiæ Diacono, Caſſinenſi quondam Monacho. Huic ſubtexuimus (inquiunt editores Monachi col. 188. ad 198.) *Elogia & Teſtimonia veterum de ſancto Gregorio Magno.* *Tertia* a nobis col. 199. ex Gregorianis ſcriptis adornata eſt, & quatuor etiam comprehenſa libris. De notis, quibus triplex hæc vita illuſtratur, & de ipſius indice, dicere ſuperſedemus. Altera pars hujus Tomi ultimi, offert col. 1. genuinum & integrum *ſancti Paterii inter ſancti Gregorii diſcipulos præſtantiſſimi Opus in vetus novumque teſtamentum* ex Magiſtri ſententiis contextum, cujus *ſecundam partem & tertiam*, publica luce nondum donatas, hactenusque in Bibliothecarum pulvere jacentes, ſuppeditarunt editoribus Codices optimæ fidei, manu exarati. Adjecerunt denique col. 593. *Aluiſi Monachi lucubrationem de Expoſitione novi Teſtamenti*, quæ jam olim typis excuſa, Paterii nomen præferebat & mentiebatur. Hæc de editione Monachorum Benedictinorum, quam inutilibus ac ſuperfluis incredibilibus onerarunt hi editores, quibus prudenter in anterioribus editionibus Petrus de Guſſanvilla & Petrus Tuſſinianenſis abſtinuerant, ſe non fuiſſe *Benedictinos Monachos* qui Gregorium abſurde Benedicto adſcribunt, hac parte oſtendentes.

In hac ergo editione Pariſienſi ultima Monachorum Benedictinorum anni 1705. plurima infarta, quæ oneri ementium ſunt, non honori Operum S. Gregorii. Nam Tomo tertio parte prima col. 274. addiderunt *Notas & obſervationes Hugonis Menardi in librum Sacramentorum divi Gregorii*, cum præfatione Menardi, quæ ab anno 1642. Pariſiis in 4. editæ fuerant, quibus edendis anno 1675. Petrus de Guſſanvilla prudenter abſtinuit. Nec ſcio eruditum quempiam, ab editoribus expetiiſſe Operis hujus iteratam repetitionem, ut Monachi editores inquiunt, cum illud illluſtrandis Gregorii Magni Operibus genuinis nihil conducat. Niſi per eruditos, intelligant Monachos ſuos, quibus ſimiles de ritibus & officiis Eccleſiaſticis tractatus, placere poſſunt, ſed non eruditis aliis. Item *aliud benedictionum Epiſcopalium ſupplementum* col. 626. Opus Monachale eſt, ſuppoſititium, eductum ex Codice pervetuſto MS. Abbatiæ S. Theoderici prope Remos. Eſt pariter Monachale opus ibidem, *Liber Reſponſalis ſeu Antiphonarius* col. 733. qui nunc primum prodit ex MS. Codice Abbatiæ ſancti Cornelii Compendienſis, nec niſi ſeculo IX. compoſitus eſt, ut ſupra diximus. Sane ſi Monachos Benedictinos audire velimus, omnes chorales libros ſuos pro Gregorianis obtrudent ex falſa inſcriptione ſuorum Mona-

Monachorum, nec duos duntaxat *Antiphonarios* S. Gregorio inſcribent, ut hic factum eſt: ſed & *Breviaria* & *Proceſſionalia*, & *Lectionaria* & *Legendaria* Eccleſiaſtica ſancto Gregorio ſupponent: eritque vel nullus ritus Eccleſiæ vel cantilena in Choro nulla, quam non a S. Gregorio compoſitam garriant. Apage nugas iſtas.

CAP. DECIMVM QVARTVM.

DE

ALIIS HVJVS EDITIONIS VLTIMÆ INVTILIBVS AC SVPERFLVIS.

EDitio Operum omnium ſcriptoris alicujus, eo magis æſtimanda mihi venit, quo tribus ex capitibus magis excellit ac aliis præſtat. 1. cum præſtantioribus typis ac correctioribus prelis adornata eſt. 2. dum Operibus ſpuriis, adulterinis, atque ſcriptorem impudenter mentientibus immunis eſt, vel pauciſſimos quam fieri poteſt, tractatus ejusmodi habet. 3. dum Commentariis atque notis inutilibus, vel ſcriptori intelligendo nequaquam neceſſariis libera eſt. Hinc fit ut ego longe pluris faciam editiones Operum S. Gregorii Papæ duobus tantum voluminibus in folio comprehenſas, Baſileenſem 1564. apud Frobenium Pariſienſem 1571. cura & ſtudio eruditi viri Johannis Gilotii Theologi Pariſienſis apud Nivellium, denique Antverpianam 1572. apud Plantinum, ob allatas rationes: quam editionem 6. tomis comprehenſam, a Petro Tuſſinianenſi anno 1588. inceptam ac multo labore anno 1593. typis Vaticanis completam, quam cæco modo typographi omnes imitati ſunt. Editio autem Benedictinorum Monachorum S. Mauri in Gallia, indiſcreto zelo erga S. Gregorium Magnum, quem Ordinis ſui Monachum fingunt, abreptorum, id etiam anno 1705. egit, ut quatuor ingentibus voluminibus Opera ejusdem Gregorii evulgarent, illaque adulterinis variis, vel non neceſſariis, vel ad Gregorii honorem nihil facientibus, ex Monachalibus ſuis bibliothecis eductis, onerarent: atque hoc modo & enormitate pretii, eruditos ab emendo deterrerent, vel lectores avidos a legendis tantæ molis voluminibus revocarent. Nulla enim unquam editio, quæ tot Monachalibus tractatibus, tot ſpuriis ac adulterinis operibus inquinata fuerit, de quibus ſigillatim pleniusque a nobis tractandum eſt. Nam in editionibus Operum divi Gregorii anterioribus, Opuſcula vel incerta vel ſpuria volumine uno continebantur, quæ in nova hac editione Benedictinorum, duo volumina magnæ molis implent. Tantum vero abeſt, ut illo ſuo labore ingenti, aliquid rei literariæ contulerint: quin ſe potius irridendos ac vere Monachos, ex productione tot tractatuum Monachalium ac ſuppoſititiorum, probaverint.

Tomo igitur tertio in duas partes diſtincto, parte prima Præfationem prolixam *libro Sacramentorum S. Gregorii* præmiſerunt, qua nec contenti pag. IX. adjecerunt alteram a Domno Hugone Menardo Congregationis ſuæ monacho elaboratam, tandemque ejusdem Hugonis Menardi notas & obſervationes in *Sacramentorum librum* prolixas col. 274. a multis repurgatas mendis, quas editores *a multis eruditis viris fuiſſe expetitas* inquiunt. Petrus de Guſſainville opus iſtud in editione ſua anni 1675. Pariſienſi edere potuiſſet, ſed prudenter abſtinuit, ne hujus Commentarii Menardini mole, editionem ſuam emptu difficiliorem redderet. Editores Monachi admiſerunt, licet Gregorio illuſtrando prorſus inutilem, ut Monachis Ordinis ſui id optantibus morem gererent. Sane cum *Liber ipſe Sacramentorum* Gregorio ſuppoſitus ſit, ut antea cap. 5. demonſtrative probavimus, ſeculo quippe IX. duntaxat conſcriptus: fundamento corruente, quid ex notis & obſervationibus ejusmodi in *Librum Sacramentorum*, emolumenti vel elucidationis Gregorio Magno cui non competit, redundare poteſt? Nihil abſurdius a Benedictinis Monachis fieri potuit & inutilius, quam *Notæ & Obſervationes* in librum qui ſancto Gregorio Papæ, aperte ſupponitur. Cum autem *Notæ & Obſervationes* hæ eſſent inutiles, quid utilitatis ex editionis repetitione advenire potuit? Vel etiam easdem a multis repurgari mendis, quas Hugo Menardus fecerat? Niſi ut Monachi ſui & confratris oſcitantiam aut ignorantiam in plurimis, hac emendatione poſteritati oſtenderent. Dum igitur Editores Monachi, eruditionem ſuam, ejusmodi notarum & obſervationum emendatione oſtendere volunt, magnam Hugoni Menardo in correctione allata injuriam, famæque imminutionem faciunt.

Ibidem col. 626. *Aliud benedictionalium Epiſcopalium Supplementum*, ex codice pervetuſto ſancti Theodorici prope Remos. Quidquid Editores Monachi novum producent, id omne ex bibliothecis monaſteriorum ſuæ Congregationis S. Mauri educitur. Opinanturne Monachi Benedictini, eruditos hujus ætatis homines, ita ſtupidos & hebetes fore, ut ætate Gregorii Magni, credant fuiſſe compoſitos *de benedictionibus Epiſcopalibus* tractatus ſingulares, illosque a Gregorio Magno Romano Pontifice, innumeris aliis occupato? Id ſi non credunt, cur nugas ejusmodi ex tenebris ac pulvere Abbatiæ S. Theodorici, in lucem publicam ſpargunt, ut Gregorium Romanæ ſedis Pontificem Nugivendulum faciant? Aliæ occupationes Gregorio Magno erant, quam ut opuſcula *de benedictionibus Epiſcopalibus* ſingularia conſcriberet. Dum Opera Gregorii Magni adjectione adulterinorum ampliare volunt, exiſtimationem ac judicium ſummo Pontifici apud poſteros adimunt, quem ita vilibus ac nugacibus occupatum ſiſtunt.

Ibidem col. 733. ad 880. *Liber Responsalis seu Antiphonarius*, qui nunc primum in lucem prodit, ex MS. Codice Compendiensi, nono seculo inclinante descripto. Alius jam Antiphonarius non ita magnus, sed S. Gregorio aperte suppositus, a Benedictinis editoribus hic col. 653. & 654. præmissis Præfationibus & continuis illustratus auctusque notis, repetitus est, nulla Gregoriani nominis ampliatione, cum Opusculum istud falso illi attributum fuerit, ut hujus Dissertationis cap. 5. probavimus. Opinati Monachi illi fuisse S. Gregorium *Opificem Antiphonariorum vel Responsalium*, omnemque vitam his Operibus vel componendis vel describendis insumpsisse, alium longe grandiorem ex MS. Codice Compendiensi supposuerunt, qui Gregorii nomen menticbatur. Itaque Monachis mediantibus Benedictinis, jam ille anno 1705. *Antiphonariorum duorum* parens factus est; qui neutrius parens unquam fuit. Ille enim ultimus Gregorio non minus falso imputatus, quam primus: multoque melius fecissent, si Opusculum istud seculo IX. vel X. compositum, in Compendiensis bibliothecæ pulvere reliquissent. Suppositio Operis manifesta est, ex lectione hujus *Responsalis* seu *Antiphonarii*, cum mentionem faciat Assumptionis S. Mariæ Virginis col. 817. *Festi Nativitatis beatæ ejusdem Virginis* col. 821. *Festi omnium Sanctorum* col. 832. *Officii & Vigilia sancti Benedicti Abbatis* col. 810. ad diem Julii XI, quæ omnia Divi Gregorii ætate non obtinebant, sed seculo Ecclesiæ IX vel X. instituta sunt. Vnde apud eruditos omnes patet, quam præposteto in divum Gregorium Papam quem Monachum suum fingunt, zelo ferveant, dum illi Opera ducentis vel trecentis annis posteriora oscitanter adscribunt, quibus eductis Benedictini famam nomenque suum deturpant.

Tomo quarto in duas partes distincto parte 1. addiderunt Monachi editores pag. 199. usque ad finem hujus partis, *Vitam tertiam prolixissimam sancti Gregorii Papæ*, ex Gregorianis scriptis adornatam, & quatuor etiam libris comprehensam. Innumeri quidem reperiuntur, qui pluribus Vitam S. Gregorii Papæ ad diem Martii 12. conscripserint, ac veterum nævos in illa admissos correxerint, atque omnium instar Joannes Bollandus esse poterat, qui Martii tomo 2. ad citatam diem, innumera ad illustranda Gregorii Papæ acta collegerat. Verum ista Benedictinis Monachis sufficientia non erant, maxime quod scriptores illi accuratissimi cum Benedictini non essent monachi, Gregorium Magnum Romanum Pontificem, Benedictinorum ordini amplis commentariis vel assertionibus singularibus non adscripsissent. Hoc Monachos Benedictinos fatigabat, quod scriptores potissimi, in partes illorum seu sententias de monachatu Benedictino sancti Gregorii non concederent. Hanc potissimum ob causam, occasionem Vitæ Gregorii scribendæ arripuerunt, quamvis ad illustrandis Operibus sancti viri nihil conducat. Vrgent autem Monachissimum S. Gregorii lib. 1. cap. 2. pag. 202. cap. 3. pag. 205. cap. 4. pag. 208. Nec his contenti lib. 3. cap. 5. pag. 260. cap. 6. p. 262. cap. 7. pag. 267. quo Monachos omnes Anglos ab adventu S. Augustini Cantuariensis Archiepiscopi fuisse semper Benedictinos, viribus omnibus probare contendunt.

Ibidem parte 2. post Paterium adulterinum, seu a Brunone suppletum, sub seculi 12. initium, addiderunt col. 593. ad finem hujus partis, *Alulfi Monachi lucubrationem de Expositione novi Testamenti ex verbis sancti Gregorii*, quæ jam olim typis excusa, Paterii nomen præferebat & mentiebatur. Recte quidem in sua ad *Paterium* præfatione, poterant Monachi Benedictini *admonitione simplici* Præfationi adjecta, lectorem facere certiorem, hanc tertiam Pateriani operis partem, puta *Expositionem in libros novi Testamenti ex Gregorii verbis*, non fuisse Paterii, sed Alulfi Tornacensis Monachi, qui illam circa annum MCX conscripserat, sed ut telam facerent longiorem Gregoriani staminis, hanc integram iterum recudi voluerunt, emolumento Gregorii nullo, cujus pretium editionis grandius facit. Vnam editoribus gratiam debent emptores, quod non omnem *Gregorialis* in quatuor partes distincti molem edendam curaverint, qua in immensum crescente, crumenas ementium omnes mirum in modum evacuassent. Hoc enim modo Gregorianis operibus volumina quinque adjecissent.

CAP. DECIMVM QVINTVM.

AN

MONACHI BENEDICTINI, IN PRÆFATIONE PRÆVIA AD COMMENTARIVM IN LIBRVM PRIMVM REGVM, PROBENT ILLVD PERTINERE AD S. GREGORIVM MAGNVM, ATQVE A CLAVDIO IPSIVS DISCIPVLO INTERPOLATVM DEMONSTRENT? ANNON POTIVS CONTRARIVM EX GREGORII VERBIS DEMONSTRETVR?

TOmo tertio parte 2. in Præfatione huic Commentario præmissa, observant Benedictini Monachi, de auctore *Commentarii in librum 1. Regum* tres omnino esse sententias. Prima est quæ Gregorium Magnum pro vero & indubitato hujus Operis parente habendum esse censet, quam secutos esse sed falso inquiunt, quotquot edendis Doctoris eximii operibus a centum & quinquaginta annis, excepto duntaxat unico Gussanvillæo omnium novissimo, desudarunt. Secunda sententia Petri Gussanvillæi in editione sua, multis solidisque rationibus, hunc Commentarium ex Gregorianorum operum censu prorsus expungentis, licet nomen ejus in Gussanvillæana editione adhuc retinuerit. Tertia sententia inter utramque fere media,

dia, est Commentarium laudatum ex homiliis a S. Gregorio habitis de libro 1. Regum, collectum & consarcinatum esse a Claudio ejus discipulo, postea monasterii Classensis Abbate: in quam sententiam propendere dicuntur viri plerique docti, maxime Thomassinus *Disciplina Ecclesiastica* parte 2. lib. 2. cap. 28. n. 2. & Ludovicus Ellias du Pin *Bibliotheca Nova Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo VI. in *Gregorio Magno*. Idem censet Guillelmus Cavus in *Historia rei literaria* non ita pridem in lucem emissa, ibidem. Hac (inquiunt Monachi Benedictini) media via tutissimi ibimus, duce præsertim ipsemet Gregorio, qui scilicet libro XII. indict. V. epist. 24. hæc Joanni Subdiacono scribit.

„Præterea quia idem carissimus quondam fi„lius meus Claudius, aliqua me loquente de „Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Pro„phetis, de libris quoque Regum, & de Hepta„teucho audierat, quæ ego scripto tradere præ „infirmitate non potui, ipse ea suo sensu dictavit, „ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc „eadem mihi inferret, & emendatius dictaren„tur. Quæ cum mihi legisset, inveni dictorum „meorum sensum valde inutilius fuisse permu„tatum: unde necesse est ut tua Experientia, „omni excusatione atque mora cessante, ad ejus „monasterium accedat, convenire fratres faci„at, ut sub omni veritate quantascunque de di„versis scripturis chartulas detulit, ad medium „deducant: quas tu suscipe, & mihi celerrime „transmitte.

Protulerunt in sua Præfatione Monachi Benedictini hæc verba sancti Gregorii Magni, quibus Commentarium in librum primum Regum asserere Gregorio nituntur. Contra Petrus Gussanvillæus, in Præfatione erudita, quam in editione sua anni 1675. Commentario huic in librum 1. Regum præmisit, opus istud sancto Gregorio abrogat, ob multas ac demonstrativas rationes, quibus Benedictini Monachi non respondent, nec solide unquam respondere poterunt. Nempe 1. quod Gregorius Magnus in Operibus suis utatur alia versione scripturæ, quam hic scriptor Commentarii in librum 1. Regum. 2. quod nempe Gregorius qui genuina sua opera passim indicat, de hoc ultimo sileat. 3. quod altum de illo silentium apud scriptores omnes aut æquales aut suppares, aut etiam ævi longe inferioris. Recte autem Petrus Gussanvillæus censuit, allata a Benedictinis Monachis verba S. Gregorii lib. 12. indict. V. epist. 24. convenire non posse Commentario huic in librum primum Regum de quo agimus. Imo hæc verba Gregorii allata, Monachorum Benedictinorum jugulum petunt, eorumque sententiam de hoc Commentario in librum Regum, prorsus destruunt.

Verba enim sancti Gregorii habent, *quia filius ejus Claudius aliqua ipso loquente de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Heptateucho audierat, quæ Gregorius scripto tradere ob infirmitatem non potuit, ipse ea sensu suo dictasset.* Collegerat itaque ex ore Gregorii loquentis, Claudius Syntagma quoddam seu Collectaneum, continens *aliqua de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum & de Heptateucho.* Hæc sunt verba Gregorii, quæ si Monachi Benedictini adaptare velint Commentario laudato in librum 1. Regum, Gregorio Papæ a se falso asserto, ostendere debent quod Commentarius hic in librum 1. Regum, juxta Gregorii citata verba, contineat *aliqua* seu *Expositiones in loca aliqua de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum & de Heptateucho.* Quamdiu hoc non fecerint, irrisione digni erunt, quod verba divi Gregorii a se in Præfatione sua allata, non intellexerint, & inutiliter adduxerint. Recte ergo Petrus Gussanvillæus dixit, *Gregorius qui genuina sua opera passim indicat, de hoc ubique silet.* Hic itaque Commentarius continuus in librum 1. Regum non spectat ad S. Gregorium Papam, nec etiam ad Claudium ejus olim discipulum Classensis coænobii Abbatem, ut operis hujus interpolatorem: quia Syntagma Claudii excipientis ab ore Gregorii Pontificis, complectebatur *aliqua de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum & de Heptateucho*, quæ Commentario citato non conveniunt. Sane quantum conjicere licet, scriptum illud Claudii Gregorii Magni discipuli, farrago tantum fuit, quæ de variis argumentis ex diversis scripturæ libris agebat, incondita, tumultuaria, quæ *Gregorii dictorum sensum valde inutilius permutasset*, unde Gregorius eam potius supprimendam, quam reformandam censuit. Qua igitur fronte, quo judicio Benedictini Monachi, qui Gregorium Magnum laboribus suis ac Operum nova editione attollere volunt, Commentarium Claudio ejus discipulo attribuere conantur, quem Gregorius ipse Pontifex reprobaverit ac suppresserit. Dubio procul hac in parte, se doctiores Gregorio Magno arbitrantur, cum illius judicio stare nolint. Hæc ad confusionem & emendationem Monachorum Benedictinorum. Ex hac autem Præfatione Monachorum editorum, lector quivis facile agnoscet, Opus istud non esse Gregorii, neque illud, quod a Claudio ejus discipulo interpolatum, oscitanter & imperite fingunt. Testimonium igitur Gregorii a Benedictinis Monachis prolatum, in gratiam Commentarii in librum primum Regum ab eis producti, contra eorum sententiam directe pugnat, cum Commentarius hic non contineat *aliqua de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum & de Heptateucho*, uti teste Gregorio ipso, continebatur in Syntagmate quod Claudius discipulus scripserat, seu Collectaneo ex ore Gregorii Pontificis.

2. Si Commentarius hic productus in librum 1. Regum, fuisset Gregorii Romani Pontificis, cujus ab ore illum habuisset Claudius Classen-

fis Abbas illius discipulus, mentionem dubio procul hujus rei feciſſet in hujus Operis Prologo admodum diffuſo, ut majorem operi ſuo quod ex ore Gregorii excerpſiſſet, authoritatem conciliaret. At contra ſcriptor hic Commentarium ſuum *ex diverſis Patribus* compoſuiſſe, non ex Gregorii ore accepiſſe, aſſerit. Audiamus. *Sed quia in diverſis Sanctorum Patrum Operibus, diverſa hujus Hiſtoriæ teſtimonia inveniuntur expoſita: nostre lector debet, quod aliquando eorum ſenſum tractando ſubſequor, aliquando autem enodare hiſtoriam aliter inſudo, ut & opus, quod ſpe divinæ inſpirationis aggredior, & antiquorum Patrum auctoritate ſit validum, & lectori nequaquam faſtidioſum: dum inter ea quæ novit vetera, ea etiam ei, quæ non novit, nova repræſentat.* Iterum. *Dum igitur ſanctor. Patrum intellectus prætereo, neceſſitate aliquando, aliquando commoditate utor: quin & faſtidium lectori amoveo, & dum totum ſeriatim diſcutio, multa ex mediis contra me veniunt, quæ illorum loqui ſententias non permittunt.* Hæc verba non exprimunt ſcriptorem, qui Opus ſuum ex ore Gregorii Pontificis Romani conſcripſerit: Vnde Monachi Benedictini hebetes & abſurdi ſunt, qui in hanc ſententiam, contra Operis Proœmium, venerint.

3. Commentarius hic cui Benedictini Monachi in editione ſua Præfationem præmiſerunt, eſt perpetuus & continuus ac in librum duntaxat primum Regum conſcriptus. Sed opus quod ex verbis divi Gregorii ſeu ex ore excepérat ac collegerat Claudius Claſſenſis Abbas Gregorii diſcipulus, Collectaneum ſeu Syntagma erat, quod continebat *aliqua ſeu aliquas explicationes de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum & de Heptateucho.* Ergo cui Monachi Benedictini Præfationem præmiſerunt, non eſt Opus ad Gregorium Pontificem ſpectans, nec a Claudio ejus diſcipulo ullius interpolationis vel minimam notam habet. Allegant Monachi Benedictini in Præfatione citata a num. 4. ad 9. varias conjecturas & veriſimilitudines, quibus Commentarium hunc S. Gregorio adſtruunt, ſed ita debiles ut nihil concludant, unde firmiter ſententiæ Petri Guſſanvillæi adhæreo, cui alias etiam rationes adjicio validas, quas num. 10. Monachi Benedictini ſuppeditarunt, nempe

4. Proœmium Commentarii iſtius a Gregoriana ſimplicitate deviat, figuris enim turgere, ac ſupra modum luxuriari videtur.

5. Commentarius ipſe quibusdam vocibus inſpergitur, quæ in Operibus ſancti Doctoris genuinis nullibi leguntur: ut *terrenitas* lib. 2. cap. 2. n. 27. *Sonoritas prædicationis* lib. 4. cap. 4. n. 27. *Carnalitas* lib. 4. cap. 5. num. 40. & lib. 5. cap. 4. n. 14. *Horribilitas* lib. 3. cap. 5. n. 9. *Vaneglorius* lib. 5. cap. 4. n. 8. *grunditudo* lib. 6. cap. 3. n. 25. atque aliæ.

6. Juxta eosdem Benedictinos, quod præcipue obſervandum, hic ſcriptor a doctrina Gregorii aliquando erorbitare videtur, qui Commentarium contexuit, maxime de libero arbitrio, cui nimis tribuit. Quaſi enim a ſolo Deo eſſent initia fidei & ſanctitatis, & a nobis cetera, ait lib. 3. cap. 5. n. 20. *Quia bona deſideria nobis per divinam gratiam miniſtrantur, ſed nos dona gratiæ per conatum liberi arbitrii ad virtutum victoriam promovemus.* At ſibi non conſtans, lib. 4. cap. 2. n. 9. in aliud extremum declinans, docet aliquando peccatores, etiam quando volunt, a peccato ſurgere non poſſe. *Quia*, inquit, *per imitationem Paſtoris, reprobi in peccati ſervitutem incidunt, etiam ab ejus jugo quando volunt, ſolvi non poſſunt.* Quod adhuc paulo infra confirmat num. 10. *In notitiam prava imitationis ejus paulatim deſtitis, ſed pravitatis ejus exempla, quibus vos ſponte ſubmiſiſtis, relinquere ſponte minime poteſtis: omnis enim qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Quibus ergo peccata dominantur per ſe, ab eorum jugo liberari nequeunt. Nam ſæpe ad Dominum veniunt, liberari petunt, ſed exaudiri non poſſunt. Divino ſiquidem judicio cum eis agitur, ut qui noluerunt mala vitare, cum poſſent: non poſſint vitare, cum volunt: & qui ſponte incurrunt mala præcognita, fugere non poſſint experta.* Non minus dure loquitur lib. 6. cap. 2. n. 5. Quanquam diffiteri non poſſimus, eadem legi Paſtoralis part. 3. cap. 15. ſive admonitione 16. Et quidem poſſunt optimo ſenſu explicari de peccatoribus, qui prava conſuetudine vincti, vix ejus vincula diſrumpere poſſunt, etſi velle profiteantur.

Præterea lib. 2. cap. 1. n. 6. videtur tantum concedere Sanctis poſt mortem, requiem & ſecuritatem, non gloriam: quod adverſus Gregorium pugnet lib. 4. *Dialogorum* cap. 25. Denique inter Commentarii hujus nævos notare licet, quod docet lib. 5. cap. 2. num. 15. & alibi, olim hoc eſt in lege antiqua, non ſolum licitum fuiſſe odiſſe inimicos, ſed etiam præceptum. Id enim non de populis quibusdam, quos Deus internecione delere ob idololatriam aliaque ſcelera præceperat, intelligit, ſed de quibuslibet inimicis, male iſta Chriſti verba interpretatus eſt: *Dictum eſt antiquis, diliges &c. & odio habebis inimicum tuum:* quod non de præcepto legis veteris intelligitur, ſed de falſa legis interpretatione, a Judæorum Doctoribus qui verbum divinum adulterabantur, excogitata. Hæc Benedictini Monachi ſuggeſſerunt, ex quibus conſtat Commentarium illum & ſtylo & doctrina non convenire cum Operibus divi Gregorii genuinis, proindeque non eſſe illius, nec opus illud ex Gregorii ore exceptum eſſe, quod a Claudio Claſſenſi Abbate & ejus diſcipulo collectum atque interpolatum fingunt. Vnde miror, quomodo ingredi potuerint in ſententiam illam quam amplexi ſunt, rationibus quippe omnibus allatis adverſam?

7. Laudes quas in gratiam Commentarii hujus in Cantica Canticorum congerunt, *Non contemnendum videri, ſi enim a paucis quas indicarunt maculis expurgetur, cum optimis tanti Magiſtri lucubrationibus de præſtantia certare poſſe:* non conve-

niunt

ni int verbis Gregorii ipsius, qui Opus a Claudio ejus discipulo collectum *de variis diversorum scriptura librorum locis*, juxta Benedictinos Monachos, *cum ob morbos quibus atterebatur & ob tantam libri molem non posset recognoscere & ad integrum revocare, hinc ejus consilium fuit illud perpetuis tenebris opprimere.* Hæc Monachorum Benedictinorum contradictoria & absurda simul, lectoribus omnibus videbuntur.

In Præfatione allata capp. 12. 13. 14. & 15. Monachi Benedictini pro viribus respondent objectionibus a Petro Gussanvillæo productis, quas illi minime solvunt. Ad silentium autem veterum de hoc Commentario, quod Gussanvillæus allegat, respondent illi cap. 12. Attamen Ratherius Monachus Lobiensis, & postea Veronensis Episcopus, qui circa annum 928. floruit, scribens *de contemptu Canonum* Spicilegii Acheriani tomo 2. parte 1. paulo ante finem, ex hoc Commentario aliquid laudat his verbis: *Gregorium audiat, causa*, inquit, *ruina populi, sacerdotes mali*, quæ leguntur lib. 2. cap. 2. ad versum, *& ait ad eos, quare facitis rem hujuscemodi?* Sed Ratherius 330. annis Gregorio posterior, non est idoneus ad hunc Commentarium Gregorio affirmandum. Præterea Benedictini dissimulare non possunt, eadem fere occurrere *libro Regulæ Pastoralis* parte 1. cap. 2. licet pro *causa ruinæ &c.* legatur in Pastorali *Laqueus ruinæ*: inde liquet Ratherium tam ad posteriorem hunc locum, quam ad priorem, attendere potuisse. Hinc ergo nihil concluditur.

CAP. DECIMVM SEXTVM.

NON DEMONSTRANT MONACHI BENEDICTINI IN PRÆFATIONE PRÆFIXA COMMENTARIVM IN CANTICA CANTICORVM ESSE GREGORII MAGNI, NEC SINCERVM SED INTERPOLATVM IN EDITIONE SVA EXHIBVERVNT.

PEtrus de Gussanvilla in Præfatione quam in editione Parisiensi anni 1675. *Commentario in Cantica Canticorum* præmisit, contendit illum Gregorio Magno non convenire 1. quod Gregorius ipse nullam unquam talis Commentarii mentionem fecerit, 2. quod Paterius Gregorii discipulus de hoc quoque Commentario fileat, ubi excerpta sua facit in *Cantica Canticorum* ex diversis Magistri sui libris, sectionibus 49. a col. 293. ad col. 310. hujus Benedictinæ editionis, qui tamen in hoc loco aliquid ex hoc Commentario in Cantica integro excerpere debuerat, si cognitum illum habuisset. 3. Vult ab Ildefonso mentionem Commentarii in Cantica Canticorum fieri, sed Ildefonsum deceptum fuisse ex incauta lectione Epistolæ divi Gregorii libro XII. indict. V. epist. 24. cujus verbis non satis attentus fuerit. Hæc Gussanvillæus.

Contra Benedictini Monachi demonstrare se gloriantur, Commentarium hunc in Præfatione ad subsequentem Canticorum Expositionem col. 393. tomo 3. parte 2. esse divi Gregorii fœtum genuinum. Idem argumentum facere possunt de isto Commentario, 1. ex verbis ipsius Gregorii libro XII. indict. V. epist. 24. quæ capite præcedenti retulimus atque istic repetere superfluum est; quod fecerunt capite citato, ut Commentarium in librum primum Regum Gregorio vindicarent, ex verbis Gregorii allatis lib. XII. indict. V. epist. 24. Nam verba illa æque loquuntur *de Canticis Canticorum*, atque *de libris quoque Regum*. Cum autem non loquantur de Commentario quodam singulari in libros Regum a Gregorio scripto, ita quoque de Commentario quodam singulari & continuo in Cantica Canticorum non loquuntur: sed diserte agunt de *Syntagmate* seu *Collectaneo & Farragine* ex ore loquentis Gregorii Pontificis collecta, quam Claudius ejus discipulus ac postea Classensis Abbas fecerat & Gregorius ipse improbabat, quæ continebat *aliqua de Proverbiis, de Canticis Canticorum, de Prophetis, de libris quoque Regum, & de Hepmeucho.* Si ergo hi characteres Claudianæ farraginis, conveniant Commentario in Cantica Canticorum cui Præfationem in editione sua Benedictini Monachi adjecerunt, recte Commentarium illum tam Gregorio ut illius auctori, quam Claudio discipulo ut collectori tribuent. At prudenter ab hoc argumento, quod in Præfatione ad Commentarium in librum primum Regum urgent multis verbis, abstinuerunt.

2. Insigniter tamen Benedictini Monachi decipiuntur, dum Paterium sibi favere arbitrantur. Audiamus illos in Præfatione ad subsequentem Canticorum Expositionem col. 393. atque propria ipsorum verba, ne fallamur, describamus. " Lubenter tamen assentimur" Gussanvillæo respondenti, *unius Paterii hac in* " *causa auctoritatem multis præponderare.* At pro" nobis militat ipse Paterius, non quidem spu-" rius, qualem Gussanvillæus edidit, alios prius" errantes secutus; sed genuinus & sincerus," quem ex plurimis indubitatæ fidei MSS. mox in" lucem sumus emissuri. Nimirum in explana-" tione Evangelii secundum Lucam cap. 17. ad" illa verba, *Et erat pernoctans in oratione Dei*, legi-" tur in Paterio nostro. Item de eodem in Ex-" positione Cantici Canticorum lib. 1. *Compun-" ctio quæ per caritatem fit, quæ ex desiderio accendi-" tur, quasi quoddam osculum est. Toties enim ani-" ma osculatur Deum, quoties in amore ejus compun-" gitur &c.* ut leges lib. 1. num. 5. pene integro," scilicet usque ad hæc verba, *Nulla necessitas est,* " *vel nequaquam necesse est, ut solemnem diem Domi-" no de nostra lamentatione faciamus.* Hæc in omni-" bus veri Paterii codicibus extant, quos consu-" lere nobis licuit, in Vaticano nimirum, in Bel-" vacensi S. Petri, in Beccensi, in Vallis Claræ, &" in Michaelino: quæ diu casso labore in Exposi-" tione Cantici Canticorum, Gregorii nomine in-

„vulgatis munita, inquisivimus. Ergo Pate„rius Gregorii discipulus & Notarius, pro legi„timo sancti Patris fœtu habuit Expositionem „in Cantica Canticorum, pro qua hic decerta„mus. Si cui vero scrupulus supereſſet, de no„stri Paterii sinceritate, legat quæ ad eam præ„fati sumus: ubi non solum indubitatis testi„moniis, Paterio restituimus ipsius Collectanea „e tenebris eruta, verum etiam Alulfo longe „sequioris ævi Monacho vindicamus Excerptio„nes, quæ pro Paterianis hucusque venditatæ „sunt. Nunc vero MSS. Codicum Expositionis „in Cantica Canticorum fides statuenda est ac „sinceritas, ex qua dirimendæ hujus controver„siæ ratio, aliqua ex parte pendet. Item in „Cantica Canticorum lib. 1. cap. 1. n. 5. col. 404. „ubi ad calcem marginis additur a Benedictinis „Monachis.

„ Hic locus in genuina Paterii editione quam „daturi sumus, laudatur tanquam a Gregorio „prolatus in Canticorum expositione, quod „observatione dignum. Ne vero fraudis oria„tur suspicio, admoneo sententiam hanc ex in„tegro reperiri in omnibus MSS. nostris, scilicet „Turonensi S. Martini, Divionensi sancti Beni„gni, Vallisclaræ, Theodoricensi, Remensi ac „Rothomagensi.

Quis non crederet Monachis Benedictinis ita affirmantibus ac jurantibus? Id quod tamen affirmant, certo certius falsum est. Non ediderunt Paterium sincerum & integrum, sed adulterinum, cujus pars quidem prima Excerptorum a Genesi ad Canticum Canticorum habet Paterium auctorem: sed partes secunda & tertia in editis Benedictinis a col. 311. ad Operis finem, a *Brunone quodam* adjectæ sunt ad Paterii partem primam, qui cum duas has partes ultimas in Paterio deficientes cerneret, eodem circiter tempore quo Alulfus Monachus Tornacensis *Gregorialem* suum scribebat, circa annum 1110. secundam ac tertiam Paterii partem labore proprio supplevit. Hinc plurimi MSS. Codices hujus adulterini Paterii in Bibliothecas Angliæ, Italiæ, Galliæ ac Germaniæ transcripti sunt, qui ab annis circiter 600. ac 500. sub Paterii nomine ob librum primum seu partem primam quæ Paterii vere est, vel anonymi in plurimis codicibus MSS. reperiuntur. Itaque argumentum Benedictinorum ex editione sua Paterii integri desumptum, falsum ac stramineum est. Nec ediderunt enim Paterium sincerum & integrum, sed a Brunone quodam quoad partem secundam & tertiam suppletum atque suppositum, ut constat ex Præfatione hujus Brunonis quam male Benedictini Monachi ad Præfationis suæ calcem ex MS. Codice Cœlestinorum Parisiensium adjecerunt. Nam hæc in MS. Codice citato habetur inter partem primam hujus Operis & secundam, debuitque in editis Benedictinis col. 311. collocari: quomodo collocata ostendisset lectoribus omnibus partem primam Paterianí operis esse vere Paterii, sed partem secundam & tertiam esse a Brunone quodam collectas ac elaboratas, ut defectum veri Paterii suppleret. Ita ego vidi in MS. Codice, atque malam fidem illorum admiratus sum, qui Paterio adscripserint, quæ ad Brunonem quendam seculi 12. scriptorem ex Præfatione Cœlestinorum Parisiensium, parti secundæ ac tertiæ præmittenda, pertinebant. Argumentum igitur quod desumunt ad Commentarium in Cantica Canticorum S. Gregorio asserendum, cum desumptum sit ex parte tertia Paterianí Operis, nihil valet, cum partem illam *Bruno quidam* sub seculi 12. initium fecerit, non autem Paterius verus, qui primæ duntaxat partis auctor est. Imo Paterius verus, qui parte prima egit excerpta sua in Proverbia Salomonis sectionibus 37. col. 280. & in Cantica Canticorum sectionibus 49. col. 293. ad col. 310. qua prima pars Excerptorum absolvitur: Excerpta sua ex variis S. Gregorii Operibus, in Cantica Canticorum facit, sed nullum quidem ex Commentario ejusdem in Cantica, quia nullum erat ætate Paterii, quod dubio procul allegare non neglexisset. Agam pluribus capite sequenti, de hoc Opere Pateriano a Monachis Benedictinis edito, hæc interim sufficiant.

3. Iidem Monachi Benedictini in Præfatione sua ad Commentarium in librum primum Regum pag. 6. num. 17. aliam auctoritatem ex Epistola quadam sancti Columbani Abbatis allegant, qua Commentarium allatum in Cantica Canticorum Gregorio Romano Pontifici asserunt. Verba illorum audiamus. „ De expo„sitione in Cantica Canticorum quæ excipiet„ hunc Commentarium, ut de aliis Operibus„ subsequentibus, hic dicere nihil attinet, cum„ singulis Præfationes seu admonitiones præfi„xerimus. At in Præfatione ad Expositionem„ Canticorum, non debuit omitti testimonium„ sancti Columbani, qui inter sancti Gregorii O„pera eam recenset, cum libro Regulæ Pastora„lis & Homiliis in Ezechielem, ut videre est in„ ejusdem Columbani Epistola inter Gregoria„nas libro IX. Epistola ultima.„ Sed cum nullus veterum Operum sancti Columbani mentionem faciat, ac omnia quæ Columbano attribuuntur, incerta omnino sint, edita ex fide MSS. valde incertorum, qualia sunt fere omnia quæ ex Hibernia proveniunt, inde a Benedictinis Monachis nihil certum concludi potest.

Denique Commentarius S. Gregorii putativus in Cantica Canticorum, ut in Præfatione ad illum col. 397. Benedictini Monachi gloriantur, sincerus non est, verum innumeris in locis interpolatus, tam capite 1. quam in aliis. Illi ut in editis Prooemium ingens ediderunt, sed ex variis laciniis collectum, atque ex diversis exceptum, ut conferenti cum nostra editione & MSS. aliis patet. Prologus quem ediderunt maxime prolixus est & incipit, *Postquam a Paradisi gaudiis expulsum est genus humanum &c.* nec habet

habet epiſtolam *Roberti* hujus Commentarii ſcriptoris ad *Anſfridum Monachum*, quæ in hujus Commentarii MSS. Codicibus optimæ notæ extat, quamque nos eduximus. Noſter autem Prologus Epiſtolam *Roberti Abbatis* habet præmiſſam *Anſfrido Monacho &c.* quam Prologus ſequitur brevis incipiens *Tribus nominibus &c.* qui juxta rationem Commentarii ſuccinctus eſt, non enormiter extenſus. 2. Commentarius noſter explicat breviter cap. 1. omnes capitis 1. Canticorum verſus, hic diffuſe agit in verſus nonnullos atque alios breviter tangit, alios omittit: ut quicunque utramque editionem contulerit, ſine dubio reperiet hanc Benedictinam eſſe omnium interpolatiſſimam & vitioſiſſimam: quod maximo hominum iſtorum dedecori cedit, ne plura dicam.

CAP. DECIMVM SEPTIMVM.

NON EDIDERVNT MONACHI BENEDICTINI PATERIVM INTEGRVM ET GENVINVM, VTI GLORIANTVR: SED ILLVM A BRVNONE QVODAM CIRCA ANNVM MCX. SVPPLETVM, ET CVM PATERII NOMINE, FALSO SVPPOSITVM.

QVantum conjecturis aſſequi datum eſt, vel Paterius Collectaneum ſuum in libros ſcripturæ ex Operibus Gregorii conſcriptum, morte impediente non perfecit: vel ſi perfectum ab ipſo eſt, lapſu temporum atque injuria, integrum ad nos non pervenit. Nullus enim veterum, qui totum legiſſe ſe, vel habuiſſe teſtatur. Hac opinor ratione motus, Adulfus Tornacenſis Monachus circa an. 1110. cum Paterium periiſſe, vel exciduſſe cerneret, *Gregoriale ingens* eadem methodo, ex iisdem Gregorii verbis ac ſententiis, partibus quatuor diſtinctum, ad jacturam Paterii reſarciendam, ſcribere aggreſſus eſt. Eodem quoque tempore *Bruno quidam*, cum integrum Paterii opus multa licet ſollicitudine conquiſitum reperire non potuiſſet, ſed ſolam partem primam in multis etiam vitiatam inveniſſet: ut huic damno obviam iret, parte illa Paterii prima ac genuina emendata, proprio marte, ſub Paterii tamen nomine, ac ſi genuinus totius Operis parens eſſet, *partes ſecundam ac tertiam* operi adjecit. Hinc factum, ut opus integrum nomine Paterii inſignitum, totum Paterii creditum fuerit, multos incautos deceperit, integrum illud Paterii credentes, maxime quod Præfatio ipſa Paterii præcederet operis partem primam. Extant hujus operis ſub ſeculi XII. initium ſuppleti ac Paterio ſuppoſiti a Brunone iſto, Exemplaria innumera in Bibliothecis MSS. Angliæ, Italiæ, Galliarum, ac Germaniæ, alia anonyma, alia cum ſuppoſito Paterii nomine ac Præfatione Pateriana: pauca quæ habent inter primam & ſecundam partem Operis, præfationem Brunonis ipſius, ut in MS. Codice Cœleſtinorum Pariſienſium extat, unde Monachi Benedictini in editione ſua, licet loco non convenienti, ediderunt.

Equidem Benedictini Monachi multos MSS. Codices Abbatiarum Galliæ producunt, ex quorum collatione editionem ſuam Paterii adulterinam, quam tamen genuinam ac ſinceram arbitrabantur, fecerunt. Sed ejusmodi Codicum Manuſcriptorum copia frequens eſt, ex quorum multitudine, extant inter MSS. Codices Eccleſiarum Cathedralium Angliæ & aliarum bibliothecarum inſignium Cod. 7973. in MSS. Codicibus bibliothecæ Jacobææ Codice 251. Paterius de teſtimonio Veteris & Novi Teſtamenti. Ibidem Codice 8189. in iisdem Codicibus Cod. 467. Inter MSS. Codices Univerſitatis Oxonienſis Codice 1977. in MSS. Codicibus Collegii ſanctæ Trinitatis in Oxonia, Codice 40. Excerpta Paterii de Opuſculis B. Gregorii, liber de Teſtimoniis Veteris & Novi Teſtamenti. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 1268. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Cantuariæ olim Cancellarii, litera H. Codice 5. Paterius de dictis memorabilibus beati Gregorii ſuper Novum Teſtamentum. Ibidem Codice 1289. in MSS. iisdem Codice 26. Paterius de dictis memorabilibus beati Gregorii in Vetus Teſtamentum. imo alios quamplurimos invenies in Anglicanis bibliothecis, ſi volumina duo revolvas Oxoniæ annis 1696. & 1698. in folio edita, quæ Catalogos habent Manuſcriptorum Codicum Angliæ & Hiberniæ, verbo *Paterius*. Ex his unum vidimus in bibliotheca Cœleſtinorum Pariſienſium, de quo hic Benedictini Monachi loquuntur. Hi omnes codices, Paterii ſolius nomen habent, & iidem ſunt cum MS. Codice Cœleſtinorum Pariſienſium, in quo inter Paterii partem primam & ſecundam extat Præfatio Brunonis ſupplentis ſequens, qua partes ſecundam & tertiam primæ a Paterio compoſitæ adjicit.

Ex MS. RR. Patrum Cœleſtinorum Pariſienſium

Prologus Paterii in ſecunda parte Exceptionum ex Opuſculis beati Gregorii Papæ.

Domino Wernero, ſponſæ virgini permanſuræ ſacris nuptiis copulato Bruno ex ipſius virginitate, ſemine verbi plurimos filios ſpirituales ſpiritualiter procreare, pro quibus & cum quibus præmia mereris æterna percipere. Cum rem quamlibet honeſtatis ſplendore perſpicuam ſimul & utilitatis fructibus plenam, pia pariter & prudens auctoritas jubere diſponit: & eandem rem humilis obedientia nihil tergiverſationis, quo minus quod eſt juſſa ſuſcipiat objectans, toto mentis anniſu pro viribus ſuis aggredi non refugit: non eſt dubitandum, divina pietate, & illam ut juberet præmonitum, & hanc ut quod humiliter ſuſcepit, efficaciter conſummet, adjuvan-

juvandam. Dominus ergo Bernardus venerabilis Pater, qui ſi quando quid otii datur, ſacræ ſcripturæ ſolet incumbere, ut ex ejus frequenti colloquio divinam voluntatem quam moribus ſequatur, plenius valeat ediſcere, forte *Collectaneum Paterii* reperit, in quo ille teſtimonia ex operibus ſancti Gregorii decerpta per ordinem congeſſit. In quo tum Gregorianæ mel eloquentiæ cognoviſſet redolere, cæteris aliquantisper ſepoſitis, ei totum quod habere poſſet otium, ſtuduit impendere. Sed Codex ille qui ſibi venerat in manus, ſic fuit ex incuria ſcriptorum falſatus, ut in eo vix integras caperet ſententias, quilibet etiam ab aliis æſtibus curarum vacuus. Ergo mihi id voluit negotii dare, ut curarem diligenter illum ſibi corrigere, quatenus dum legendi tempus datum fuiſſet, liber corruptus a ſe eum non repelleret. Accepto itaque libro, cum Prologum ejus, totumque ſequens Opus feſtinarem perſpicere, deprehendi eum nonniſi tertiam partem habere. Nam quod ex omnibus utriusque Teſtamenti libris explanationes Teſtimoniorum de Gregorianis operibus collegiſſet, & totum illud opus in tria volumina diviſiſſet, in Prologo præmiſiſſe cognoſcitur. Sed ibi de Parabolis Salomonis, vel Canticis Canticorum pauca: de cæteris vero libris qui appellantur Salomonis nulla, de Prophetis nulla, de novi Teſtamenti libris nulla inveniuntur. Adducti itaque alii quoscunque per amicos habere potui, nominis ejusdem libri, de quorum forma noſtri codicis depravatio corrigeretur: ſic & mendaciis in defectu, noſtro ſimiles eſſe videbantur: ut aut illos ad exemplum noſtri, vel noſtrum cum illis ad quodlibet exemplum falſiſſimum, ſcriptum eſſe conjici potuiſſet: niſi quod illi quo noſtro noviores, eo mendaciis erant pleniores. Illis ergo abjectis, titulos qui capitibus Teſtimoniorum prænotati erant conſului, ut illorum auxilio, liber & libri locus unde ſententia quæ decerpta erat, poſſet inveniri: & ita ſi quid depravaverant ſcriptores, atteſtatione libri de quo ſcriptum eſt, potuiſſet emendari. Sed eos ita transmutatos inveni, ut pauciſſimis exceptis, nunquam in eo libro capitulum quodlibet poſſet inveniri, in quo tituli prænotatio illud docebat haberi. Tunc ergo ad laborem accinctus, cepi omnes quos habemus ſancti Gregorii libros percurrere, & nunquam a labore quievi, donec capitula quæ liber ille Paterii tenebat, quo libro eſſent poſita, inveſtigavi: & ſic ex ipſis locis unde ſumpta fuerant, emendare curavi. Et ut deinceps ſi quid ſcriptorum culpa corruptum fuerit, facilius eodem modo poſſit emendari: non ſolum quo libro, ſed quoto libri capitulo ſententia habeatur, ſuperſcripſi. Sed licet mihi quærenti, dum multa in libris quorum codex ille nihil habebat, teſtimonia ſponte occurrerent, placuit mihi majori diligentia quæque poſſent inveniri, ſcrupuloſius inveſtigare, & eadem ratione qua illa vidi per ordinem digeſta, colligere. Itaque factum eſt, ut dum tertiam ſolummodo partem Patris illius præcepto corrigendam ſuſcepiſſem, non ſolum illam corrigerem, ſed etiam duas quas in his regionibus invenire non poteram, ſuperadderem. Quod ne quis me putet feciſſe cauſa jactantiæ, ſi Collectaneum Paterii totum mihi potuerit & voluerit exhibere, omni me ſciat alacritate excipere: meoque libenter poſtpoſito, illius opus in multa ſicut decet veneratione teneremus: quandiu vero illud habere non potero, iſtud mihi tantum vel amicis legendum ſervare volo. Hoc ergo Procemium idcirco libri principio inſerere curavi, ut ſi cuiquam qui illud opus integrum habeat, hoc in manus venire contingat, utriusque diverſitate cognita, quod cui præponere debeat, intelligat. Sed quia magnitudo veſtra, ut ſibi tranſcriberetur idem opus, dignata eſt præcipere, veſtri nominis hoc mihi placuit corroborare auctoritate: quatenus dum in prima pagina veſtrum nomen aſpiciat, omnis obtrectator ori ſuo digitum ponat, ne ullus malevolus audeat reprehendere, quod tantæ probitatis virum & prudentiæ, viderit non deſpexiſſe.

Explicito Prologo ſecundæ Partis libri Paterii, ſequuntur capitula de libro Proverbiorum Salomonis.

1. Igitur hæc Epiſtola evidenter oſtendit, Paterium quem Benedictini Monachi in editione nova ex variis Abbatiarum Gallicarum bibliothecis eduxerunt in publicam lucem, non eſſe *Paterium ſincerum & integrum*, ſed a Brunone quodam ſub initium ſeculi 12. ſuppletum, ac Paterii nomine relicto ſuppoſitum, cujus innumeri MSS. Codices ut vidimus, in bibliothecis Angliæ, Italiæ, Galliæ, Germaniæ, ſub Paterii nomine, vel anonymi etiam extant. Paterius ille a Brunone ſuppletus & ſub Paterii nomine relictus, implevit literarium Bibliothecarum orbem, unde Benedictinis difficile non fuit, plurima illius exemplaria invenire, ſed decepti ſunt, dum exiſtimarunt illum eſſe ſincerum & integrum, quem ſuppletum fuiſſe ſeculo 12. ac Paterio ſuppoſitum ex hac Epiſtola conſtat. Paterius itaque quem in editione ſua Operum divi Gregorii, ediderunt Benedictini Monachi tomo 4. parte 2. usque ad Alulfum, ex multis Abbatiarum Galliæ codicibus MSS, eſt idem opus cum MS. exemplari Cœleſtinorum Pariſienſium, ut inveniet, quicunque Benedictinorum editionem cum Manuſcripto codice præfato conferre voluerit. At manuſcriptus Codex Cœleſtinorum Pariſienſium non eſt Paterii ſinceri & integri, licet nomen illius præferat: ſed Paterii a Brunone quoad ſecundam & tertiam partem ſuppleti, ac nomine etiam Paterii inſigniti. Ergo Benedictini Monachi non ediderunt Paterium ſincerum & integrum, ſed a Brunone quodam ſuppletum ac nomine etiam Paterii relicto ſuppoſitum: qualem Paterium habent

bent omnia exemplaria in bibliothecis, a quingentis vel ſexcentis circiter annis conſcripta. Hoc unum deeſt in editione Benedictinorum Monachorum, quod *Epiſtolam Brunonis ad Wernerum* quam ad Præfationis ſuæ calcem ex callidítate monachali, ex MS. Codice Cœleſtinorum Pariſienſium ediderunt, in Opere ipſo Paterii, inter primam partem & ſecundam col. 311. edere debuerant, ut in MS. Codice Cœleſtinorum dictorum legitur. Quo in loco hæc Præfatio jugulum Benedictinorum petiſſet, ac evidenter demonſtraſſet, partem duntaxat Operis *primam* eſſe Paterii, *ſecundam & tertiam* eſſe Brunonis: proindeque Benedictinos Monachos non edidiſſe Paterium ſincerum & integrum ut inaniter gloriabantur, ſed a Brunone ſuppletum ac Paterio ſuppoſitum. Ita Benedictinorum hæc fraus inſignis eſt, ut major vix fieri inter eruditos poſſit.

2. Ordo & diſpoſitio Pateriani Collectanei ex verbis divi Gregorii, prout a Benedictinis Monachis editum fuit, eſt ordo quem inſtituit Bruno in Paterii ſui ſupplemento, quod relicto etiam Paterii nomine ſuppoſuit: Ergo ut evidenter conſtat, Monachi Benedictini non ediderunt Paterium ſincerum & integrum, ſed a Brunone ſuppletum ac Paterio ſuppoſitum. Audiamus verba Brunonis in Præfatione ad Wernerum, quæ inter partem primam & ſecundam Pateriani operis col. 311. collocari debuit. *Sed ibi de Parabolis Salomonis, vel Cantica Canticorum pauca: de cæteris vero libris qui appellantur Salomonis nulla, de Prophetis nulla, de novi Teſtamenti libris nulla inveniuntur.* Cum igitur hoc modo Collectaneum Benedictinum procedat, non eſt Paterius ſincerus & primitivus, ſed qualem ſeculo 12. ſupplevit Bruno, qui partem ſecundam orditur a libris Salomonis, quos verus Paterius in parte prima omiſerat.

3. Paterius ſincerus ac Gregorii diſcipulus, in prima parte Excerptorum quam ad ipſum pertinere fatetur ipſe Bruno, prolixum fecit excerptum in librum Pſalmorum Davidis ſectionibus 287. col. 177. ad col. 280. ex ſancti Gregorii verbis: at tanta excerptione non contentus Bruno, qui illum ſupplevit, ac ſupplementum ſuum nomine Paterii quod Benedictinos fefellit, inſignivit: tali excerptioni *appendicem* addidit parte 2. poſt Zachariæ expoſitionem col. 431. ad col. 440. multis in Pſalmos capitibus adjectis. Non eſt ergo idem author Paterianæ hujus Collectionis, cujus primæ parti quæ Paterium parentem habet, *Appendicem* in Pſalmos alter author adjecit, qui ſe Brunonem in Præfatione ſua prævia appellavit. Nec enim veriſimile eſt, Paterium verum, qui tantam in Pſalmos ex Gregorii verbis excerptionem feciſſet parte prima, illius *Appendicem* parte ſecunda facere voluiſſe. Sunt ergo ſcriptores duo hujus Paterianæ Collectionis, qualem Benedictini Monachi ediderunt.

4. Paterius verus & ſincerus, qui primæ partis Collectanei hujus Gregoriani, quale Benedictini ediderunt, auctor eſt, licet in Proverbia Salomonis ſectionibus 37. col. 280. & in Cantica Canticorum ſectionibus 49. col. 293. ad 310. egerit, qua Prima pars excerptorum in Vetus Teſtamentum conficitur: nunquam tamen in Excerptis ſuis, Commentarium ullum Gregorii Papæ in Cantica Canticorum allegavit, quamvis præclara illius allegandi occaſio eſſet. Nihil autem mirum, nam Commentarius in Cantica Canticorum qui in MSS. multis vel ſub Gregorii nomine vel anonymus utplurimum in bibliothecis reperitur, ſub Gregorio VII. circa annum 1080. vel circiter, conſcriptus eſt a Roberto ſancti Vigoris Bajocenſis in Normannia Abbate ad Anſfridum Monachum, cujus 4. aut quinque exemplaria cum nomine auctoris, adhuc in bibliothecis extant. Cum ergo Paterius circa annum 600. vel 610. Collectaneum ſuum ſcriberet, allegare non potuit opus ſub Gregorii nomine, quod annis quingentis poſterius illo erat. At Bruno qui Collectanei hujus partis ſecundæ & tertiæ auctor eſt, hunc Commentarium in Cantica Canticorum ab annis circiter 30. a Roberto compoſitum, & in MSS. multis ſub Gregorii nomine extantem, parte tertia cap. 17. in Lucam col. 489. allegare potuit, quem fœtum Gregorii Magni opinatus eſt. Verum allegatio hæc a Brunone facta, cum quingentis annis ab ætate Gregorii diſtet, ab faciendam fidem non eſt idonea. Atque hæc de Editione Operum S. Gregorii Magni a Benedictinis Monachis facta, ſufficiant.

Sunt & alia, in quibus fraudum & corruptionum merito arguuntur Editiones Monachorum Benedictinorum tam Italorum, quam Gallorum, & congregatione S. Mauri, quæ hic obiter tantum commemoraſſe ſuffecerit. Edita nimirum eſt anno 1708. tomis duobus in 8. *Bibliotheca Critica ſeu Collectio variorum Scriptorum Criticorum, ſub nomine Domini de Saint Jore cum Notis ejuſdem*, publicata Amſtelodami, apud Joannem Ludovicum de Lorme, de qua tale judicium legitur in *Actis Eruditorum Lipſiæ* ad annum MDCCX. menſe Junio p. 279. & 280. "Conſtituit *Bibliotheca* hujus Auctor, quem accepimus eſſe celebrem illum *Richardum Simonium*: id quod eo confirmatur, quod Tomo 1. cap. 22. a pag. 299. usque ad 340. exhibetur ejus *Defenſio contra Arnaldum*. (quemadmodum & alia pro Simonio in hac *Bibliotheca* ſcripta occurrunt) dare in publicum Opuſcula, quæ vel nondum edita latent in ſcriniis, vel poſt editionem factam ſunt rariſſima. Maxime vero ejusmodi argumenta ſelegit, quæ de Criticis rebus tractant. Nec vero integra ſemper ſcripta exhibet, ſed librorum non admodum exiguorum, ſed itidem vel nondum editorum, vel raro occurrentium, contenta duntaxat & *ἀνάλυσιν* proponit: eodem plane inſtituto, quo ſcriptores Ephemeridum, argumenta librorum recenter vulgatorum recenſent. Quod Autoris conſilium,

„uti omnibus litterarum amantibus probatum „iri confidimus: ita pro more noſtro nonnulla „inde, ſalivam doctioribus facile motura, excer„pemus. *Tomi I.* qui capita 34. continet, ca„put 2. exhibet *Molineti Diſſertationem κινόδοτον*, „qua docetur, Benedictinos Monachos in con„troverſia circa libros *de imitatione Chriſti*, pro„duxiſſe MSS. codices manifeſte corruptos, id„que compluribus demonſtratur exemplis. Re„fertur quoque Patrem quendam Pariſienſem, „*Anſelmum* compoſuiſſe librum, quo firmiter „probarit, *Joannem Geſſenium* vel *Gerſenium*, cui „Benedictini illum vendicare librum aggreſſi „ſunt, nunquam in hoc orbe terrarum fuiſſe: „additur tamen, ejus libri editionem pacis amo„re ſuppreſſam fuiſſe. Imprimis vero Itali Mo„nachi accuſantur criminis falſi, in Manuſcriptis „Thomæ à Kempis libris commiſſi. Inde qua„tuor evincitur argumentis, Thomam à Kem„pis authorem eſſe libelli *de imitatione Chriſti*, „nempe 1. auctoritate teſtium vetuſtiorum fi„deque digniorum, 2. editionibus illius libri, „quæ omnes ac ſingulæ ab anno 1486. usque ad „annum 1616, conſtanter Thomæ à Kempis „nomen in fronte gerant. 3. gemina ſtyli fa„cie, cum eadem ſæpius verba occurrant in cer„tis Thomæ iſtius libris, & in hoc *de imitatione* „*Chriſti* opuſculo: id quod allatis exemplis ob „oculos ponitur. 4. Idiotiſſimis qui haudqua„quam Italum redoleant ſcriptorem, ſed pror„ſus Germanum. Contra docetur, Joannis „Gerſenne nomen quidem ante annum 1613. „auditum fuiſſe, nec Librum *de imitatione Chriſti* „ſub ejus nomine ante annum 1616. editum, nec „ullum præterea ipſius librum extare uſpiam. „Nemo facile negaverit, allata argumenta plu„rimum ponderis habere. Nos de poſtremo „ſolum addimus, id adeo verum eſſe, quod ſcili„cet liber *de imitatione Chriſti* moris ſcateat Ger„maniſmis, ut confidenter negemus, quenquam „ejus idoneum eſſe poſſe interpretem, niſi Ger„manum vel Germaniæ linguæ peritiſſimum: „id quod, ſi inſtituti ratio permitteret, infinitis „poſſemus comprobare exemplis. Ejusdem „argumenti eſt caput 7. in quo Auctor excerpit „quædam ex Naudæi Libello adverſus Benedi„ctinos Monachos, ad confirmandum, eos non „ſolum in controverſia de laudato libro falſarios „ſe præbuiſſe, verum etiam aliis in rebus idem „illud crimen admiſiſſe ſæpiſſime. Hoc tamen „Naudæi ſcriptum Simonius judicat, non ea eru„ditione & accuratione elucubratum eſſe, quam „à Naudæo lector ſperaret: nihilominus in to„ta urbe Pariſienſi approbatum fuiſſe ideo, quod „cauſam juſtam defenderet. Hæc ex Actis E„ruditorum Lipſiæ.

590. SANCTVS COLVMBANVS natione Hi„bernus, patria Lagenienſis, Congalli Bean„chorenſis Cœnobii in Orientali Hibernia Ab„batis diſcipulus, juxta Sigebertum in libro *de* „*Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 60. tanto ſapientiæ theſauro eſt ditatus, ut adhuc adoleſcens Li„brum Pſalmorum elimato ſermone ſcriberet, „& alia nonnulla ederet vel ad canendum digna, „vel ad docendum utilia. Poſtquam in Britan„niam majorem trajiciens, ibidem aliquamdiu commoratus eſſet, anno 589. in Burgundiam ſe contulit, illicque Cœnobium Luxovienſe o„mnium ferme Galliarum Monaſteriorum ſe„minarium & fontem, fundavit atque guberna„vit. Cui poſtquam per annos ferme viginti præfuiſſet, à Theodorico Auſtraſiorum Rege, eo quod ſtupra ejus ſolito liberius argueret, in exilium actus eſt. Cum ergo omnem pene peragraſſet incertus ſedis Galliam, circa annum 610. in Italiam ſe recepit, ubi ab Aigulpho Lon„gobardorum Rege locum opportunum nactus, Monaſterium Bobienſe prope Neapolim con„ſtruxit: cujus regimine poſtquam annum u„num perfunctus eſſet, ibidem anno 614. die 24. menſis Novembris ad ſuperos abiit. Scripſit *Carmina quædam & Epiſtolas*, quæ habentur in impreſſionibus diverſis Bibliothecæ ſanctorum Patrum, aut apud Sirmondum *Variorum Opuſcul.* Pariſiis 1619, aut denique apud Vſſerium in *Epiſtolarum Hibernicarum Sylloge* pag. 7. extant. Item *Regulam cum Pœnitentiali* pro Monachis à ſe multis in locis inſtitutis, quæ cum Cæſariana & aliis, dudum in plurimis Galliarum Cœnobiis, ante allatam in iis S. Benedicti Regulam viguit: quam cum Pœnitentiali habes in *Collectione Regularum* Lucæ Holſtenii parte 2. pag. 88. & 98. Incipit Regula S. Columbani Abbatis, *Primo omnium docemur Deum diligere ex toto corde & ex tota mente &c.* Incipit ejusdem Pœnitentiale, *Diverſitas culparum, diverſitatis Pœnitentia medicamento ſanari debet &c.* Hoc autem *Pœnitentiale* ſeu *Regula Cœnobialis* parvulum quendam habet Prologum ſeu Præfationem, apud Carolum Stengelium in Opere quod anno 1621. in 8. Au„guſtæ Vindelicorum editum, *Coronam Lucidam* inſcripſit, ſeu *de Propagatione Ordinis Sancti Bene„dicti.* Illic enim cap. 8. pag. 128. *Incipit præfatio Regulæ Cœnobialis, Patrum de Hibernia ſubſequentis.* Omnia S. Columbani junioris Opera, ſummis curis inquiſita, Commentariis illuſtrata, procu„ravit in fol. imprimi Patricius Flamingus Hiber„nus, ex ordine Fratrum Minorum ſtrictioris ob„ſervantiæ, anno 1667. Lovanii, apud Viduam Andreæ Bonneti. Sunt autem *Regula Monaſti„ca cum Regula Cœnobiali* quæ ipſum Pœnitentiale S. Columbani eſt, editum ſupra ab Holſtenio ad calcem prioris Regulæ. *Sermones ſeu Inſtitutio„nes ſpirituales XVII.* quarum *ultima* eſt Sermo Fauſti Regienſis in Gallia Epiſcopi ad Mona„chos. *Epiſtola aliquot & Carmina*, jam alibi, ut diximus, impreſſa: *Varia denique ad S. Columba„num vel Hiberniam ſpectantia*, qualia ſunt *Vitæ SS.* cum nonnullis aliis meritum S. Columbani commendantibus. Sed omnia hæc incerta ſunt, ſi pauca excipias. Agunt de ſancto Co„lumbano, Joannes Mabillon ſeculo 2. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti. Colganus Lib. 2. *de* *ſan-*

Digitized by Google

ſanctis Hibernia pag. 471. Thomas Meſſinghamus in *Florigerio ſanctorum Hibernia*, Pariſiis in folio anno 1624. pag. 403. Fratres Sammarthani tomo 4. *Gallia Chriſtiana* in Abbatibus Luxovienſibus. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Rei Literaria* ſeculo 6. ad annum 589. p. 428.

590. „MARCVS MONACHVS SANCTI PA-„TRIS BENEDICTI DISCIPVLVS ET „FAMILIARIS, *Vitam ejus à Sancto Gregorio de-„ſcriptam, deflevit Heroico Brevilequio, & pauca ſu-„peraddidit.„* Hæc Sigebertus *de Scriptoribus Eccleſiæ* cap. 33. Carmen hujus Marci quod valde modicum eſt, Romæ anno 1590. in 4. impreſſum apud Franciſcum Zannetum cum Operibus Proſperi Martinengi Brixiani, Monachi ſanctæ Euphemiæ Brixienſis, Congregationis Caſſinenſis, alias ſanctæ Juſtinæ de Padua. Sunt autem hæc Martinengi Opera, Collectaneum Veterum quorumdam Poëtarum Græcorum & Latinorum, cum propriis ipſius poematibus, quæ omnia tribus illic tomis impreſſa ſunt. Idem Carmen immiſſum ſeculo 1. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti pag. 28. à Joanne Mabillon, & alibi. Hujus *Marci* meminit Petrus Caſſinenſis, Lib. *de viris illuſtribus Caſſinenſibus*, cap. 3.

590. DINAMIVS GALLIARVM PATRICIVS & patrimonii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in Gallia rector, à Gregorio Magno laudatur, Epiſtola ad ipſum data anno Chriſti 593. menſe Aprili, Indictione undecima, quæ apud Gregorium Lib. 3. Epiſt. 33. Idem Gregorius poſt biennium anno 595. in Dinamii locum ſuffecit Candidum Presbyterum, eique mandavit ut ex ſolidis patrimonii Eccleſiæ Romanæ in Gallia recipiendis, pueros Anglos 17 aut 18 annorum paganos ſeu gentiles compararet, in Monaſteriis utique Deo dandos atque Chriſtiana doctrina imbuendos. De eodem agit absque dubio Gregorius Turonenſis Lib. 6. *Hiſtoriæ Francorum* cap. 7. ubi de electione Albini in Epiſcopum Vcetienſem, defuncto Ferreolo. Recenſetur à Sigeberto in *Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum*, quasi *ſcripſerit Vitam virtutibus plenam ſancti Marii, qui fuit Abbas Bodanenſis Monaſterii.* Cujus loco opinabar eſſe legendum *ſancti Maximi*, quod hujus *Maximi Vitam* hic Dinamius ſcripſiſſe legatur. Sed teſte Mabillonio, extat etiam ab eodem edita *Vita ſancti Marii Abbatis Bobacenſis*, licet à Monacho quodam interpolata & abbreviata, apud Mabillonium *ſeculo 1. Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* pag. 105. Scripſit quoque Dinamius vir illuſtris & Patricius *Vitam S. Maximi Abbatis primum Lerinenſis, poſtea Regienſis in Gallia Epiſcopi*, quam Vrbico qui Fauſto in Eccleſia Regienſi ſucceſſerat, dedicavit. Extat in Vitis ſanctorum Laurentii Surii ad diem 27. Novembris, & apud Vincentium Barralem in *Chronologia Abbatum & Monaſterii Lerinenſis.* Agunt de *Dinamio* Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro.* Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 167. pag. 212. & Scholio ad caput 114. Sigeberti.

600. EVTROPIVS VALENTINVS EPISCO-„PVS, dum adhuc in Monaſterio Servitano „degeret, & Pater eſſet Monachorum, ſcripſit „ad Licinianum Epiſcopum, cujus ſupra fecimus „mentionem, *valde utilem Epiſtolam*, in qua petit „ab eodem *pro qua re baptizatis infantibus chriſma-„tis unctio tribuatur.* Scripſit & ad Petrum Epi-„ſcopum Irtabicenſem *de diſtrictione Monachorum* „ſermone ſalubri compoſitam Epiſtolam & val-„de Monachis neceſſariam. „ Hæc ſanctus Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus cap. 32. *De viris illuſtribus.* Hanc autem Epiſtolam *de diſtrictione Monachorum ad Petrum*, edidit Lucas Holſtenius anno 1663. in Appendice ad Codicem Regularum, pag. 81. Claruiſſe anno 599 vel 600 vult Cavus in *Hiſtoria Eccleſiaſticorum Scriptorum* ſeculo 60 p. 437.

600. SANCTVS PATERIVS SANCTI GREGORII MAGNI DISCIPVLVS, ET ECCLESIÆ ROMANÆ SECVNDICERIVS, anno 600 claruit, cujus Beda Commentariis in Cantica Canticorum meminit, ex omnibus ejusdem ſancti Gregorii Papæ Operibus collegit *Libros tres Explanationum in omnes utriuſque Teſtamenti libros*, Romæ primum anno 1553 in folio, quoad *primum & ultimum* ex tribus impreſſos. Ita Molanus in Manuſcripta ſua *Bibliotheca Belgica.* „Rectius ut habet Sigebertus *de Scriptoribus* cap. 43. *colligens omnia ſacræ „Scripturæ teſtimonia, per quæ Gregorius obſcura ſua „Expoſitionis dilucidavit*; Tres libros edidit, *duos „de Teſtimoniis veteris Inſtrumenti, unum de Teſtimoni-„is novi Teſtamenti:* ipſumq; Codicem appellavit, „*librum Teſtimoniorum.*„ Hoc Collectaneum primo immiſſum eſt inter Opera ſancti Gregorii Papæ, in editione Romana anni 1591. atque in ſequentibus, ſed mutilum: cum enim contineat Libros tres, nempe duos in Vetus Teſtamentum, & tertium in Libros Novi Teſtamenti; primus & ultimus deficiente medio, inter Opera Divi Gregorii habentur, atque etiam in impreſſione ſpeciali Romana anni 1553. de qua ſtatim locutus ſum, licet illam non viderim. Vnum ſcio me vidiſſe plurimos Codices manuſcriptos hujus Operis in diverſis Bibliothecis, in quibus omnibus habebantur tantum hi *Libri duo Excerptorum* ſancti Paterii, primus nempe & ultimus: ſed integrum à me viſum Codicem MS. & excuſſum in Bibliotheca Cœleſtinorum Pariſienſium, eumque chartaceum, in quo tres libri continentur. Ita ſcripſi in Supplemento *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 610 pag. 156 atque ita opinabar ex Codicis inſcriptione & inſpectione qualicunque. At Codice iterum repetito & diligentius excuſſo, reperi ex hoc ipſo MS. Codice, antiquam eſſe hujus Pateriani Operis jacturam. Quam ignotus quidam (ſeculo

ut opinor XII.) reſarcire voluit in hoc Celeſtinorum volumine, inventisquidem libris horum Excerptorum, quos videram deeſſe in MSS. omnibus. Fuit ille Bruno qui ad Werneri inſtantiam alicujus, conſcripſit Librum ſecundum & tertium ſub nomine *Paterii*, qui tamen Paterii non ſunt, habenturque in Bibliotheca Celeſtinorum Pariſienſium, quorum prima inſpectione deceptus ſum. Ita jam admonueram in paucis *Supplemento meo* additis & corrigendis pag. 720. quibus Guillelmus Cavus & Ellias du Pin non attendentes, errorem amplexi ſunt, ille in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiæ* ſeculo 7. ad annum 601. pag. 444. hic in *Bibliotheca nova Eccleſiaſtica*, ſeculo 7. in *Paterio*. Opus tandem Paterii integrum ex Brunonis Supplemento, ex MSS. Codicibus editum eſt in editione ultima Pariſienſi Operum divi Gregorii Magni 1705. apud Claudium Iligault, tomis IV in folio, nimirum tomo 4. parte 2. Imo *Explanationes in Novum Teſtamentum* quæ habebantur in editionibus antiquioribus nomine Paterii, ad Alulfum Monachum Tornacenſem ſpectant, ut in ultima editione Operum Gregorii citata, Benedictini Monachi obſervant. Peſſima autem fide actum eſt à Monachis Benedictinis in editione ultima Operum S. Gregorii Magni, dum Epiſtolam Brunonis præmiſerunt Operi Pateriano, ubi nihil ſignificat, quam juxta fidem MS. Codicis Cœleſtinorum Pariſienſium, debebant relinquere mediam pag. 310. inter librum primum & ſecundum, ut in MS. Codice habetur: ubi ſignificat, Librum quidem primum hujus Collectionis Paterianæ eſſe Paterii, ſecundum autem & tertium eſſe ſuppletos à Brunone, nec pertinere ad Paterium, uti ſcripſerunt cum mala fide agentes Monachi Benedictini, hanc ex loco ſuo Epiſtolam amoventes, & in alium transferentes, quo non ſpectabat: ut Collectaneum totum Paterio adſcriberent, & poſteris imponerent, qui Manuſcriptum Codicem non viderunt. Collocanda igitur ſequens Brunonis Epiſtola p. 310. inter librum primum & ſecundum Pateriani Operis, ut in MS. Codice extat, ex qua liquet *librum ſecundum atque tertium* non pertinere ad Paterium, uti à Benedictinis per malitiam & fraudem ſcriptum eſt, & poſteris ſuppoſitum: ſed ad Brunonem quendam ſeculi XII. ſcriptorem, qui libros Paterii duos ultimos ætate ſua deficientes, ſub Paterii nomine ſupplevit. Quæ de re pluribus à nobis actum fuit ſupra in Diſſertatione de Gregorio M. in cujus Cap. XVII. integrum Brunonis Prologum exhibuimus, quo Lectorem ablegamus. Faciunt mentionem *Paterii* Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro*. Aubertus Miræus in *Bibliotheca Eccleſiaſtica* pag. 138. poſt Sigebertum in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 43. Item p. 128. poſt Honorium Auguſtodunenſem Libello cap. 5. de iisdem.

SEC. VII. 610.

LEONTIVS NEAPOLEOS IN INSVLA CYPRO EPISCOPVS,

quæ vulgo Leontius Byzantinus, *Laura ſ. Soba prope urbem Hieroſolymitanam Monachus*, qui poſtmodum Neapoleos in Inſula Cypro Epiſcopus, ſeculo poſt Chriſtum ſexto & ſeptimo ſub Imperatoribus Juſtino II. ſive juniore, Tiberio Thrace & Mauricio floruit, *Oratio habita in Jobum, feria ſecunda ſancta & magna Hebdomada*, in Codice MS. Theologico Græco CXVI. num. 6. & quidem à fol. 205. pag. 2. usque ad folium 210. pag. 1. „*Leontii Presbyteri Conſtantinopolitani Oratio in Jobum, habita feria ſecunda ſancta & magna Hebdomadis*, cujus titulus & principium: Λεοντίου Πρεσβυτέρου Κωνσταντινουπόλεως λόγος εἰς τὸν Ἰώβ, τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ δευτέρᾳ. Ἄγε δὴ καὶ σήμερον φιλογνησιώτερος &c. ut habet Lambecius Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 68. Idem ibidem Decimo & quidem à fol. 222. pag. 2. usque ad fol. 226. p. 2. *Leontii Presbyteri Conſtantinopolitani Oratio in Jobum, habita Feria quarta magna & ſancta Hebdomadis*, cujus titulus & principium: Λεοντίου Πρεσβυτέρου Κωνσταντινουπόλεως λόγος τῇ ἁγίᾳ δ' τῆς μεγάλης ἑβδομάδος, καὶ εἰς τὸν Ἰώβ. Εὐκαίρως ἐν τῷ παρόντι τὸν ἀπίθητον τῷ Θεῷ θεραπεύσωμεν Ἰώβ λόγοις &c. ut habet Lambecius

Digitized by

cius ibidem pag. 69. Vndecimo & quidem à fol. 226. pag. 2. usque ad fol. 230. pag. 1. ejusdem *Leontii Presbyteri Constantinopolitani Oratio in proditionem Christi, & in uxorem Jobi, habita feria quinta Magnæ Hebdomadis*, cujus titulus & principium: Λεοντίου Πρεσβυτέρου Κωνσταντινουπόλεως λόγος εἰς τὴν μεγάλην πέμπτην, καὶ εἰς τὴν παράδοσιν τοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὴν γυναῖκα τοῦ Ἰώβ. Ὥσπερ κανόνος παραπεθέντος, τὸ σρεβλὸν τῶν ξύλων ἐλέγχεται &c. Decimo tertio & quidem à fol. 232. pag. 2. usque ad fol. 237. pag. 1. *Leontii Presbyteri Constantinopolitani Oratio in Passionem Christi & in Jobum, habita in Paraseeve magnæ Hebdomadis*, cujus titulus & principium: Λεοντίου Πρεσβυτέρου Κωνσταντινουπόλεως λόγος εἰς τὴν ἁγίαν Παρασκευὴν τῆς μεγάλης ἑβδομάδος, εἰς τὸ πάθος τοῦ Χριστοῦ, καὶ εἰς τὸν Ἰώβ. Μεγάλα τῆς προσευχῆς τὰ χαρίσματα &c. Decimo nono & quidem à fol. 271. pag. 2. usque ad fol. 278. pag. 1. *Leontii Presbyteri Constantinopolitani Homilia in Mediam Pentecosten & in Cæcum à nativitate*, cujus titulus & principium: Λεοντίου Πρεσβυτέρου Κωνσταντινουπόλεως ὁμιλία εἰς τὴν μεσοπεντηκοστὴν, καὶ εἰς τὸν ἐκ γενετῆς τυφλὸν, καὶ εἰς τὸ μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν. Τοῖς Φιλοῦσι τὸν Κύριον ἐφετὴς ἡ λείπει καιρός. ἤδη γὰρ καὶ σήμερον &c. Edidit quidem hanc *Leontii* Orationem Franciscus Combefisius Ordinis Prædicatorum, tom. 1. Auctarii Bibliothecæ Patrum Græcolatinæ Parisiensis anni 1648. à col. 719. usque ad Columnam 798. sed more suo, hoc est, cum variis conjecturis ineptis, & pravis minimeque necessariis emendationibus: unde utilitatis publicæ interest, ut tota illa Combefisiana editio cum vetusto hoc Codice MS. Cæsareo posthac diligenter & accurate conferatur. Ita Lambecius Lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 70. qui interim pag. 71. multa contra dictum Combefisium annotanda monet. Hoc autem MS. Codice Cæsareæ Bibliothecæ Theologico Græco CXVI. quo continetur sub Leontii hujus Presbyteri Constantinopolitani *Homilia in Mediam Pentecosten & in Cæcum à nativitate*, à folio 271. pag. 2. usque ad fol. 278. pag. 1. hujus Codicis, quæ spectat ad *Leontium Cyprium Neapoleos in hac insula Episcopum*, sub cujus & nomine à Combefisio impressa est: constat alias quoque quatuor præcedentes, ad Jobi passionem & historiam eodem in Codice alludentes, spectare quoque indubie ad eundem *Leontium Neapoleos in Cypro Episcopum*, qui forsitan ante Episcopatum, Presbyter Ecclesiæ Constantinopolitanæ fuerat. Extant quoque inter MSS. Codices Bodleianæ Bibliothecæ Oxonii in Anglia, Codice 199. Barocciano pag. 52. *Leontii Presbyteri Constantinopolitani sermo in Festum Palmarum*. Τὰς ἐυπρεπείας καθήκει μύσας. Ibidem Codice 234. pag. 369. *Leontii Presbyteri homilia in Mesopentecosten*. Τοῖς Φιλοῦσι τὸν κύριον &c. Codice 241. pag. 181. *Leontii Presbyteri homilia in Mesopentecosten*. Τῆς Φιλοῦσι τὸν κύριον. Ibidem Codice 332. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi, Cantuariensis olim Archiepiscopi & Academiæ Oxoniensis Cancellarii, litera A. Codice 33. *Leontii Monachi & Presbyteri Constantinopolitani Opuscula varia contra Acephalos & Severianos, &c.* Græce in 8. manu veteri. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Cathedralium Angliæ & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 5859 in MSS. Codd. Thomæ Galei Codice 25. *Leontii Constantinopolitani homiliæ res, videlicet in festum Palmarum, in beatum Job, in Christi proditionem*. Ibidem 5959. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 125. post Olympiodori atque Nili Epistolas de imaginibus, *Leontius de iisdem*. Et in Bodleiana bibliotheca Codice 2877. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleii supra P. 3. Artium Codice 94. num. 28. pag. 279. b. *Leontii Cypri Archiepiscopi Apologia brevis, demonstrans ad quid imaginem Christi, Sanctorumque depingimus*. Scripsit idem Leontius *Vitam sancti Joannis Patriarchæ Alexandrini*, qui ob eximiam in pauperes misericordiam, ut Sigebertus loquitur cap. 57. *De viris illustribus*, appellatus est *Eleemosynarius*, anno 616. die 23. Januarii mortuus. Hæc Vita laudata est in septima Synodo generali seu II. Nicæna, Actione 4. ubi Constantius Constantiæ Cypriorum Episcopus, Leontium floruisse tempore Mauricii Imperatoris qui anno 602. cæsus est, multasque laudationes & homilias scripsisse testatur. Extat hæc Vita Græce MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Historico Græco XIX num. 12. Et quidem à fol. 95. pag. 1. col. 1. usque ad fol. 134. p. 2. col. 2. *Leontii Neapoleos in insula Cypro Episcopi, Vita sancti Joannis Eleemosynarii, Patriarchæ Alexandrini in Ægypto*, cujus titulus & principium. Μηνὶ τῷ αὐτῷ ιϛ. Λεοντίου Ἀρχιεπισκόπου Νεαπόλεως τῆς Κυπρίων νήσου εἰς τὸν λεπόμενον τοῦ βίου τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν καὶ Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας Ἰωάννου τοῦ Ἐλεήμονος. Οἱ μὲν σκοπὸς εἰς ἐσὶν, ἡμῶν τε καὶ Φιλοπόνων καὶ ὁσίων ἀνδρῶν ὁ ἐπὶ τῇ παρούσῃ τοῦ ἀοιδίμου ἀνδρὸς τοῦ βίου διηγήσει, τοῦτό ἐσι, τοῦ πᾶσιν μὲν μίμησιν θεοφιλῆ, καὶ ὠφέλειαν προσγενέσθαι, δόξαντι καὶ μεγαλοπρέπειαν τῇ ἁγίᾳ καὶ προσκυνητῇ Τριάδι ἀναπέμψαι, καὶ &c. Transtulit hanc Vitam ex Græco in Latinum Sermonem Anastasius, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarius, Abbas Romanus Ordinis S. Benedicti, & Presbyter Cardinalis Tituli S. Marcelli, jussu *Papæ Nicolai Primi*, qui anno Christi 858. electus est & anno 867. obiit. Eaque versio Latina, post alias varias editiones impressas, optime edita est ab Heriberto Rosweido Soc. Jesu, in libro I. *de Vitis Patrum*, & à Bollando & Henschenio tomo secundo *de sanctis mensis Januarii*, die 23. Atque incipit utrobique post præfationem ad Papam Nicolaum I. his verbis: *Intentio quidem una est, nostra quoque & eorum, qui ante nos fuerunt, studiosorum & sanctorum virorum, super præsenti me-*

„morabilis viri Vita narratione: id est, ut ex hoc quidem, omnibus imitatio pia & utilitas fiat, gloria autem & magnificentia sancta & adoranda Trinitati „referatur &c. Vide etiam Menæa Græcorum „supra memorato die 12. Novembris, Martyrologium autem Romanum die 23. Januarii, ubi „hæc leguntur: *Alexandriæ commemoratio sancti „Joannis Eleemosynarii, ejusdem urbis Episcopi, misericordia in pauperes celeberrimi.* Multo plura huc pertinentia, cum de ipso S. Joanne Eleemosynario, tum de Leontio & Anastasio, sug„gerunt supra laudati Bollandus & Henschenius, loco jam citato.„ Ita Lambecius Libro VIII. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 270. Item Carolus du Fresne, Dominus du Cange in suo Catalogo MSS. Codicum & Scriptorum quem subjunxit *Glossario media & infimæ Græcitatis*, col. 29. Leontius Episcopus Neapoleos Cypri *de Vita Sancti Johannis Eleemosynarii* hoc titulo ex Cod. Colberteo 505. Λεοντίου Ἐπισκόπου Νεαπόλεως τῆς Κυπρίων νήσου εἰς λείψανα τοῦ βίου τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν, καὶ Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας Ἰωάννου τοῦ Ἐλεήμονος. Et col. 40. Vita S. Joannis Eleemonis Archiepiscopi Alexandrini, ex Cod. Colb. 5132. Author dicitur Leontius Episcopus Neapoleos Cypri, in Actione 4. Concilii Nicæni II. pag. 245. Extat quoque excerptum hujus Vitæ, sed *Anonymum* in eadem Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Historico Græco XV. num. 29. & quidem à fol. 227. pag. 1. col. 1. usque ad fol. 232. pag. 1. col. 2. ut habet Lambecius Lib. 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 231. Idemque Excerptum ex eadem vita, ibidem Codice MS. Theologico Græco CXLIV. num. 46. & quidem a fol. 223. pag. 1. usque ad fol. 225. pag. 2. ut habet Lambecius, Lib. IV. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 104. Idem denique Leontius scripsit *Vitam & administrationem seu Res gestas sancti Simeonis, cognomento* τοῦ Σαλοῦ, quod stultitiam ille simularet. „ Extat quoque Græce MS. hæc *vi„ta Simeonis* Σαλοῦ in Bibliotheca Cæsarea Vin„dobonensi, Codice MS. Historico Græco XIII. „num. 1. & quidem à fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 33. „pag. 2. *Leontii Neapoleos*, sive ut in MS. Codice „Cæsareo legitur, *Hagiapoleos in Insula Cypro Epi„scopi, Historia Vitæ sancti Symeonis Abbatis cogno„mento Sali*, hoc est *Stulti*: qui ut in Martyrologio „Romano die 1. Julii de eo dicitur, *stultus propter „Christum factus est, sed altam ejus sapientiam „Deus magnis miraculis declaravit.* Inscribitur at„que incipit ea Historia, in præsenti MS. Cod. „Cæsareo, his verbis: Βίος καὶ πολιτεία τοῦ „ἁγίου Συμεών, τοῦ διὰ Χριστὸν ἐπωνομασθέντος „Σαλοῦ, συγγραφεὶς ὑπὸ Λεοντίου τοῦ μακαριωτάτου καὶ ὁσιωτάτου Ἐπισκόπου τῆς ἁγίας πόλεως. „Οἱ τὸ διδασκαλικὸν πρὸς ἀλλήλους σπεύδοντες με„ταδιώκειν ἀξίωμα &c. Extat quidem hæc vi„ta apud Laurentium Surium *de probatis Sanctorum Historiis* die 1. Julii, sed Latine tantum, inci„pitque ibi hoc modo: *Qui alios docendi, studeant exercere authoritatem &c.*„ Ita Lambecius Libro VIII. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 99. Porro Cardinalis Baronius ex veteri versione septimæ Synodi authore Anastasio S. R. E. Bibliothecario, collegit male atque ex eo Possevinus in *Apparatu sacro*, pluresque alii, Leontium scripsisse post Evagrium Scholasticum τὰς Σάλους, *Turbationes seu Bella & Seditiones sui temporis*: vel quidam alii, *Tribulationes quas Ecclesia Dei passa est, tempore Gregorii Magni & Mauricii Imperatoris.* Delusus enim vetus interpres voce τοῦ Σαλοῦ, quæ erat Epitheton Sancti Symeonis, qui stultitiam vecordiamque simulabat, cujusque Vitam Leontius noster scripserat, τοὺς Σάλους in numero plurali legit. Hanc debemus observationem Heriberto Rosweido, in Notis ad librum primum *de vitis Patrum*, ex quo fonte Vossius abluit priorem maculam, in altera editione Historicorum Græcorum. Ambo hæc Opuscula Leontii *de vita sancti Joannis Eleemosynarii, & Sancti Symeonis Sali*, habentur Græce MSS. in Bibliotheca Vaticana, ut Catalogus Manuscriptus testatur. Item utrumque simul MS. in Metsanensi. *Vita* quoque *S. Joannis Eleemosynarii*, in Augustana, Cod. 59. in Vaticana Codicibus 9. & 68. Heidelbergensibus. Item Carolus du Fresne Dominus du Cange in Catalogo Scriptorum, quem subjunxit *Glossario media & infimæ Græcitatis* col. 41. S. Symeonis propter Christum Sali Vita ex Cod. Colbertino 977. hoc titulo βίος καὶ πολιτεία τοῦ Ἁγίου Συμεὼν διὰ Χριστὸν ὀνομασθέντος Σαλοῦ. Leontius Episcopus Neapoleos Cypri, istius vitæ author dicitur in Indice MSS. Codicum Græcorum bib. Vaticanæ, & in Act. IV. Concilii II. Nicæni pag. 245. Idem col. 29. *Leontius Presbyter de vita Sancti Gregorii Agrigentini*, ex Codice Colbert. 1677 hoc titulo, Λεοντίου πρεσβυτέρου καὶ ἡγουμένου τῆς μονῆς τοῦ ἁγίου Σάβα τῆς Ῥωμαίων πόλεως αἱ βίου καὶ θαύματα τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ Ἀκραγαντίνου. Vide quæ diximus supra ad annum 580. in *Leontio alio Byzantino Scholastico*, ad quem spectare creditur hoc Opusculum ultimum. Faciunt mentionem *Leontii* Sigebertus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 57. Heribertus Rosweidus, in *Vitis Patrum*, ubi *de Vita S. Joannis Eleemosynarii*. Petrus Lambecius, passim in Commentariis Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, locis supra allatis. Bollandus & Henschenius, Tomo 2. Sanctorum mensis Januarii, ad diem 23. pag. 496. in Prolegomenis ad *Vitam Sancti Joannis Eleemosynarii*, ab eodem Leontio conscriptam, ubi de illo multa observatu dignissima invenies.

NICEPHORVS MAGISTER ANTIOCHIÆ AC COELVM DICTVS SEVVRANVS, synchronus fuisse creditur *Sancto Symeoni Stylitæ juniori, stultitiam simulanti*, cujus *Vitam* prolixo admodum stylo conscripsit Floruisse autem videtur hic S. Symeon Stylita junior circa annos 560. 570. 580. Natus ut supputat 610

tat Janningus anno 521. mortuus anno 596. clarus & vivens sub quinque Imperatoribus continuis, Justino vetere, Justiniano, Justino juniore, Tiberio II. & Mauritio, denatus anno XV. hujus posterioris, annos ætatis habens LXXV. die 24. Maji, juxta Janningum in Commentario ad hanc vitam prævio, paragr. 3. num. 20. & 21. Vix ergo Nicephorus ante annum DC vitam hanc aggredi scribendam potuit. Edidit Conradus Janningus Soc. Jesu, inter *Probatas Sanctorum Vitas* anno 1685. tomo V. mensis Maji ad diem XXIV. à pag. 307. ad 402. *Vitam S. Symeonis Stylitæ junioris & stultitiam simulantis*, ex MS. Cod. Vallicellanæ bibliothecæ apud Patres Oratorii Romæ Codice B. conscriptam (ut putat) à *Nicephoro Magistro Antiochiæ, Cælum dicto*, factam Janningo interprete Latinam, ingenti Commentario præmisso pag. 298. Adjunxit pag. 403. *Vitam S. Martha matris ejusdem Sancti Symeonis Stylitæ junioris*, auctore (ut putat) Monacho coævo, ex MS. bibliothecæ Laurentianæ Florentiæ Plut. 9. Codice 14. usque ad pag. 431. cui Commentarium pag. 402. præmisit. Opinarer ego lubens scriptorem hujus utriusque Operis esse recentiorem Græcum, ab ætate utriusque remotissimum, & *Nicephorum* forsitan eundem, qui *Vitam S. Andreæ Sali seu Stulti* conscripsit, atque ex Magisterio Antiochiæ ad Constantinopolitanam Ecclesiam translatus est, cujus animus ad narrationem stupendorum propendebat. Conradus Janningus nullam aliam habet rationem asserendæ hujus vitæ *Nicephoro illi Antiochiæ Magistro*, quam MS. Codicis auctoritatem, ubi principio Vitæ præfixus erat hic titulus, *Βίος καὶ πολιτεία τοῦ ὁσίου Πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν, τοῦ ἐν τῷ θαυμαστῷ ὄρει συγγραφέντα παρὰ Νικηφόρου τοῦ Μαγίστρου Ἀντιοχείας, τοῦ ἱεροῦ.* *Vita & conversatio Sancti Patris nostri Symeonis in monte mirabili, conscripta à Nicephoro Magistro Antiochiæ, Cælum dicto.* Hæc ille in Prolegomenis ad hanc Vitam paragr. 8. num. 42. pag. 305. Sed mihi Codex MS. ad id efficiendum & probandum idoneus non videtur, maxime cum Nicephorus Callistus Lib. 18. *Historiæ Ecclesiasticæ* cap. 24. hujus vitæ mentionem faciat, fateaturque, *cum in hanc vitam incidit, obstupuisse ad magnitudinem ac multitudinem eximiam miraculorum à Sancto patratorum.* Tum inquit, *Ea autem usque hodie celebrantur omnium linguis, descripta ὑπὸ Συμεὼνι Μαγίστρῳ τῷ ἐμιῷ*, quibus Symeonem Metaphrastem intelligit, qui Encomium illius composuit. Præterea sive Symeon Metaphrastes, sive Nicephorus Antiochiæ Magister harum Vitarum prolixarum auctor sit, illas ex antiquioribus acceperunt, paucis de suo adjectis, quod Scriptorem recentiorem arguere videtur, nihil aliud quam veterem auctorem interpolatione adulterantem. Nam Vitam Symeonis ante hunc vel Metaphrastem vel Nicephorum, scripserat Leontius Neapoleos in Cypro Episcopus, ut testatur Nicæna Synodus II anno 787 coacta, Actione 4 pag. 245. Attribuit autem hanc vitam *Arcadio Cypri Archiepiscopo* Auctor Orationis 3. *de Imaginibus* quæ Damasceno passim tribuuntur, ubi non procul à fine legitur: *Ex Vita S. Symeonis rerum mirabilium effectoris, narratio Arcadii Archiepiscopi Cypri, miraculum CXXXII.* Hæc Janningus in Commentario ad vitam prævio paragr. 7 num. 36. & 39. Mihi autem hæc omnia Græcorum Encomia ita stupendis operibus plena, nihil fere determinantia de ætate, temporibus, aliisque rerum gestarum circumstantiis, authorum valde recentium esse videntur.

PAVLVS EMERITENSIS IN HISPANIA DIACONVS, exemplo Sancti Gregorii Magni qui de Vita & Miraculis Patrum Italicorum scripserat, clarus circa annum 610. composuit *Librum de Vita & Miraculis Emeritensium Patrum*, quem Thomas Tamajus Philippi IV. Regis Catholici Historiographus ad fidem Veterum Codicum Antverpiæ anno 1635. in 4. apud Joannem Meursium primus edendum curavit, additis notis brevibusque commentariis *de rebus Emeritensibus*. Hujus meminerunt Baronius in gestis anni 589. Loaisa in Notis ad Concilium tertium Toletanum. Ambrosius Morales Lib. 2. *Chronologiæ Hispanicæ* cap. 71. Mariana Lib. 5. *Historiæ Hispanicæ* cap. 13. Bernardus Britto lib. 6. *Monarchiæ Lusitanicæ* capp. 19 & 20. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 174. pag. 214. quem hic sequimur. Labbæus in *Chronologia brevi Scriptorum Ecclesiasticorum* ad a. 610, atque alii. 610

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS SANCTI ISIDORI HISPALENSIS EPISCOPI.

SANCTVS ISIDORVS, Severiano Patre in Provincia Carthaginensi natus, post fratrem Leandrum Hispalensis in Bætica Archiepiscopus fuit per annos 40. ab anno Christi 595. ad 636, ætatis 74. qua anno primo Chintilani Regis spiritum Deo reddidit die 4. Aprilis, feria quinta post Pascha, licet alii mortuum velint die 16. Januarii. Junior sæpe dicitur, ad distinctionem alterius Isidori Hispani, Cordubensi Episcopi, qui Honorio & Theodosio II. imperan- 620

rantibus, circa annum 412. floruit. De Iſidoro Pacenſi Epiſcopo, authore brevis Chronici, ſuo tempore poſtea agemus. De Hiſpalenſi autem conſule S. Braulionem Cæſarauguſtanum Epiſcopum in *Præfatione ad Libros Sancti Iſidori.* Redemptum Diaconum diſcipulum ejus, qui præſens interfuit morti Iſidori. S. Ildefonſum Toletanum Archiepiſcopum, in additione ad librum Iſidori *de viris illuſtribus* cap. 9. Concilium Toletanum VIII cap. 2. Sigebertum in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 55. Lucam Tudenſem Lib. 2. adverſus Albigenſes cap. 4. & alibi. Joannem Trithemium in aliquibus errantem. Gerardum Joannem Voſſium, *de Hiſtoricis latinis.* Bollandiſtas ad diem 4. Aprilis, ubi vitam ejus ampliſſime cum laudibus adducunt. Ad judicandum autem recte de Operibus veris & indubiis S. Iſidori Hiſpalenſis Archiepiſcopi, neceſſarium duxi hic præmittere Prænotationem librorum illius à Braulione Cæſarauguſtano Epiſcopo editam.

PRÆNOTATIO LIBRORVM SANCTI ISIDORI, A BRAVLIONE CÆSARAVGVSTANO EPISCOPO EDITA.

„ISidorus vir egregius, Hiſpalenſis Eccleſiæ „Epiſcopus, Leandri Epiſcopi ſucceſſor & ger„manus, floruit à tempore Mauritii Imperato„ris, & Recaredi Regis: in quo quiddam ſibi „antiquitas vindicavit, imo noſtrum tempus an„tiquitatis in eo ſcientiam imaginavit. Vir in „omni locutionis genere formatus, ut imperito „doctoque ſecundum qualitatem ſermonis exi„ſteret aptus: congrua vero opportunitate „loci, incomparabili eloquentia clarus. Jam „vero quantus ſapientia fuerit, ex ejus diverſis „ſtudiis & elaboratis Opuſculis, perfacile pru„dens lector intelligere poterit. Deniq; de iis „quæ ad notitiam noſtram venerunt, iſta com„memoravi. Edidit *Libros Differentiarum duos,* „in quibus ſubtili diſcretione, ea quæ confuſe uſu „proferuntur, ſenſu diſcrevit. *Proœmiorum li„brum unum,* in quo quid quisque liber ſanctæ „contineat Scripturæ, brevi ſubnotatione diſtin„xit. *De ortu & obitu Patrum librum unum:* in „quo eorum geſta, dignitatem quoque & mor„tem eorum atque ſepulturam, ſententiali bre„vitate ſubnotavit. Ad germanum ſuum Ful„gentium Epiſcopum Aſtigitanum, *Officiorum li„bros duos:* in quibus originem Officiorum, cum „unumquodque in Eccleſia Dei agatur, inter„prete ſuo ſtylo, non ſine majorum authoritate „elicuit. *Synonimorum libros duos:* in quibus „ad conſolationem animæ, & ad ſpem percipien„dæ victoriæ, intercedente rationis exhortatione, „erexit. *De natura Rerum ad Siſebutum Regem„, librum unum:* in quo tam de Eccleſiaſticorum „doctorum, quam etiam de Philoſophorum in„dagine, obſcura quædam de elementis abſolvit. „*De numeris librum unum:* in quo arithmeticam propter numeros Eccleſiaſticis Scripturis in„ſertos, ex parte retigit diſciplinam. *De nomi„nibus Legis & Evangeliorum, librum unum:* in„quo oſtendit, quid memoratæ perſonæ myſ„ſterialiter ſignificent. *De Hæreſibus librum u„num:* in quo Majorum ſecutus exempla, bre„vitate qua potuit, diffuſa collegit. *Sententia„rum libros tres,* quos floribus ex libris Papæ„ Gregorii moralibus, decoravit. *Chronicorum„ à principio mundi usque ad tempus ſuum, librum„ unum:* nimia brevitate collectum. *Contra Ju„deos,* poſtulante Florentina germana ſua, pro„poſito virgine, *Libros duos:* in quibus omnia„ quæ fides Catholica credit, ex legis & Prophe„tarum teſtimoniis approbavit. *De viris illu„ſtribus librum unum,* cui nos iſta ſubjunximus.„ *Monaſtica Regula librum unum:* quem pro pa„triæ uſu, & invalidorum animis decentiſſime„ temperavit. *De origine Gothorum & Regno Sue„vorum, & etiam Vandalorum Hiſtoria,* librum u„num. *Quæſtionum libros duos,* quos qui legit,„ veterum Tractatorum multam ſupellectilem„ recognoſcit. *Etymologiarum codicem* nimia„ magnitudine, diſtinctum ab eo titulis, non libris:„ quem quia rogatu meo fecit, quamvis imper„fectum ipſe reliquerit, ego in viginti libros di„viſi. Quod opus omni modo Philoſophiæ„ conveniens, quisquis crebra meditatione per„legerit, non ignotus divinarum humanarum„que rerum ſcientia merito erit. Ibi redundans„ diverſarum artium elegantia, ubi quæcunque„ fere ſciri debentur, reſtricta collegit. Sunt &„ alia hujus viri multa Opuſcula, & in Eccleſia„ Dei multo cum ornamento inſcripta. Quem„ Deus poſt tot defectus Hiſpaniæ, noviſſimis„ temporibus ſuſcitans, credo ad reſtauranda„ Antiquorum monumenta, ne usquequaque„ ruſticitate veteraſceremus, quaſi quandam ap„poſuit deſtinam. Cui non immerito illud Phi„loſophicum à nobis aptatur: Nos, inquit, in„ noſtra urbe peregrinantes, errantesque tan„quam hoſpites, tui libri quaſi domum reduxe„runt: ut poſſimus aliquando, quæ & ubi eſſe„mus, agnoſcere. Tu ætatem patriæ, tu de„ſcriptiones temporum, tu Sacrorum jura, tu„ Sacerdotum, tu domeſticam publicamque„ diſciplinam: tu ſedium, regionum, locorum,„ tu omnium Divinarum humanarumque re„rum nomina, genera, officia, cauſas aperuiſti.„ Quo vero flumine eloquentiæ, & quot jaculis„ Divinarum Scripturarum ſeu Patrum teſtimo„niis Acephalitarum hæreſim confoderit, Syno„dalia geſta coram eo Hiſpali acta declarant. In„ qua contra Gregorium præfatæ hæreſis Anti„ſtitem, eam aſſeruit veritatem. Obiit tem„poribus Heraclii Imperatoris, & Chriſtianiſſi„mi Chintilani Regis, ſana doctrina præſtantior„ cunctis, & copioſior operibus charitatis.„ Ita S. Braulio Cæſarauguſtæ Epiſcopus. Jam pleraque ex Labbeo, noſtris tamen additis, ſubjungemus.

Tres ſunt Operum Sancti Iſidori Hiſpalenſis edi-

editiones, quarum duas vidimus Pariſiis excuſas. Primam ſtudio Margarini Bignæi Doctoris Theologi, Ardennæ in Normanniæ Ord. Præmonſtratenſis, Abbatis Commentarii, Pariſiis anno 1580. apud Michaelem Sonnium. Alteram longe auctiorem atque emendatiorem Pariſiis in fol. anno 1601. apud eundem Sonnium via Jacobæa ſub ſcuto Baſileenſi, quam procuravit Jacobus de Breüil Monachus Sancti Germani Pariſienſis, Ord. divi Benedicti. Quæ deinde Coloniæ anno 1617. recuſa eſt, hoc ordine quo eam ego repræſento. Bellarminus in Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 630. pag. mihi 224. "Mirum eſt, inquit, unde tot Opera „Sancti Iſidori prodierint, quorum non meminit „S. Ildephonſus, qui eadem ætate vixit, qua Iſi„dorus ipſe. Ideo ſuſpicor hæc non eſſe ab ipſo „S. Iſidoro ſcripta, ſed ab aliquo alio ſuperaddita. „Certe Liber *de contemptu mundi*, & *Norma vivendi*, decerpta ſunt ex libro *Synonimorum*: Item „*Chronicon* decerptum eſt ex libro 5. Etymologiarum: vel ſi non inde decerptum eſt, non „eſt veriſimile, bis Chronicon ab Iſidoro ſcri„ptum. Ita cenſebat Bellarminus, ſed nos e contra probabimus, ex his pauca admodum Iſidoro imputata, quæ ipſius non ſint.

Originum ſive Etymologiarum libri XX. quos cum non compleviſſet, S. Braulio Cæſarauguſtanus Epiſcopus, cujus hortatu illud Opus ſuſceperat, perfecit, digeſſitque in eam quam cernimus, formam. Hujus Operis mentionem facit S. Braulio in Prænotatione Librorum S. Iſidori, S. Ildefonſus cap. 9. Libri *de viris illuſtribus*, Sigebertus in Libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 55. & Gratianus in Compilatione Decreti, paſſim.

De differentiis ſeu proprietate verborum, liber I. *De differentiis Spiritualibus* liber II, fol. 81.

Itemque alius *liber differentiarum* ſeu *de proprietate Sermonum*, ex editione Madritenſi an. 1599 fol. 741.

Hic ultimus *liber de differentiis*, qui habetur fol. 741. editionis Pariſienſis anni 1601. procedit-que ordine Alphabetico, præponendus mihi videtur aliis duobus, qui habentur fol. 81. & ſeqq. Vnius quidem tantum libri meminit S. Ildefonſus loco citato his verbis, *Librum differentiarum*: Sed duorum ejusmodi librorum meminit S. Braulio jam citatus & ſæpe citandus, loco allegato: *Edidit libros differentiarum duos, in quibus ſubtili diſcretione, ea qua confuſe uſu proferuntur, ſenſu diſcrevit.* Idem Sigebertus loco citato, *ſcripſit & libros duos de differentiis verborum, ſive de proprietate rerum.* An duo illi libri intelligi debeant, de duobus tantum primis, an de tertio etiam: ita ut duo primi quaſi librum unum tantum conſtituant, controvertitur. Potuit bis id ipſum tentaſſe Iſidorus, & primum quidem Opus digeſſiſſe ordine Alphabetico, aliud ordine alio, qui in libellis duobus prioribus invenitur. Quidquid illud ſit, Opera iſta Iſidorum ſapiunt, atque Veterum teſtimonio ſtatuuntur.

Synonimorum ſive ſoliloquiorum Libri duo, ad Braulionem tunc tantum Archidiaconum, de quibus ipſe Braulio loco citato: *Synonimorum libros duos in quibus ad conſolationem animæ, & ad ſpem percipiendæ veniæ, intercedente ratione exhortatione erexit.* Idem Sigebertus cap. 55. de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Scripſit Synonima, ubi duæ inducuntur perſonæ, una hominis plangentis, altera rationis admonentis.* Hildefonſus libro *de viris illuſtribus* cap. 9. *Librum Lamentationis, quem ipſe Synonimorum vocavit.*

De contemptu mundi & *Norma vivendi*, fol. 323 & 330. Sed ut conferenti conſtabit, ſunt tractatus omnimode deſumpti ex libris Synonimorum: unde conſtat illos ab aliquo poſteriore authore ex iis defloratos, nec ſpectare poſſe ad Iſidorum quem deflorant.

Exhortatio pœnitendi cum conſolatione & miſericordia Dei, ad animam futum judicia formidantem. pag. 334.

Lamentum pœnitentiæ, verſu ac duplici Alphabeto editum. pag. 336.

Oratio prolixa S. Iſidori, ad flenda ſemper peccata & correctionem vitæ. pag. 341.

Oratio brevis ejuſdem contra inſidias diaboli. pag. 351.

His de rebus Aſceticis pronuntiare nil poſſum, cum nihil in his legam, quo Iſidoro abjudicentur. Contra vero Sigebertus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 55. hæc omnia videtur agnoſcere tanquam indubia Opera S. Iſidori, his verbis: *Scripſit & lamentum pœnitentiæ, diſtinctum Alphabeto, addita Oratione.* Joannes autem Trithemius inter Opera S. Iſidori à ſe recenſita, enumerat *Lamentum pœnitentiæ*: quo nomine ſupradicta omnia intelliguntur. Vnde & hæc omnia evulgavit Jacobus du Breuil, ex MS. Codice Bibliothecæ Sancti Mauri Foſſatenſis in Agro Pariſienſi, quem exſcribi procuravit vir clar. Nicolaus Faber, litteratis ac litteris adjuvandis natus.

Epiſtola ad Maſſanum ſeu Maſſonem, de lapſu ſacerdotis & reparatione, pag. 352. Commentitia prorſus eſt, ut cenſet Joannes Morinus, Congregationis Oratorii Presbyter eruditiſſimus, lib. 4. *de adminiſtratione ſacramenti Pœnitentiæ* cap. 15. num. 6. Hoc autem evidenter patere poteſt, ex eo quod contineat doctrinam Iſidoro ipſi prorſus contrariam. Nam hæc omnis Epiſtola ad Maſſanum eo tendit, ut velit Sacerdotem in carnis ſeu luxuriæ culpam lapſum, & publicæ pœnitentiæ addictum, completa pœnitentia poſſe ad priſtinum gradum & honorem reſtitui, miniſtrare. Altari &c. Hoc autem doctrinæ hujus Iſidori omnino contrarium eſt, duobus præſertim in locis, in libro ſcilicet 2. *De divinis officiis*, & in Epiſtola ad Helladium & cæteros Epiſcopos. In libro enim 2. *de divinis officiis* diſerte juxta Canonum ſtatuta, pronuntiat Epiſcopum vel Presbyterum, qui aliquo ſe mortali crimine obſtrinxerit, de ſuo gradu eſſe dejiciendum: & eum qui ante ordinationem in ſimile crimen

impegerit, non esse ordinandum. *Si is*, inquit, *qui jam in Episcopatu vel Presbyterio est positus, mortale aliquod peccatum admiserit, non debet offerre panes Domino: quanto magis ante ordinationem peccator inventus, repudiari debet, ut non ordinetur? Quapropter quia Lex peccatores à Sacerdotio removet, consideret se unusquisque, sciens quia potentes potenter tormenta patientur: retrahat se ab hoc non tam honore quam onere, & aliorum locum qui digni sunt, non ambiat occupare.* Hæc S. Isidorus, qui Lib. 2. *De officiis divinis* in eodem cap. 5. supra de Sacerdotibus dixerat: *Quod autem quis post baptismum, aliquo mortali peccato corruptus ad Sacerdotium non promoveatur, Lex ipsa testatur.* Alter locus in quo sancti Isidori Canonica circa Sacerdotes lapsos doctrina statuitur, legitur in Epistola directa ad Helladium cæterosque qui cum eo erant coadunati, Episcopos. *Cognovimus*, inquit, *Cordubensis Ecclesia sacerdotem in Pontificali culmine carnali labe dilapsum, & de altitudine honoris in profundum flagitiorum fœda ruina demersum.* Et paulo post, *cum effusione lacrymarum vestram sanctitatem deposcimus, ut idem lapsus cœtui vestro præsentatus, agnito à vobis Confessionis eloquio, Synodali sententia à gradu sacerdotii deponatur. Melius est illi ut temporaliter judicetur à vobis, quam æterno damnetur judicio. Levior est illi præsentis temporis ignominia, quam futura Gehennæ tormenta. Sciat autem se amisisse Nomen & officium Sacerdotii, qui meritum perdidit sanctitatis. Quapropter judicii vestri Decreto, pœnitentiæ perpetim flagitia perpetrata lamentatione deploret: plangat Sacerdotii cultum, quem male vivendo perdidit. Lugeat animæ suæ statum, quem tanto putredinis cœno coinquinavit. Fortasse porriget illi manum quandoque Spiritus Sanctus, ut per dignam satisfactionem, mereatur peccatorum remissionem.* Nec juvat istam Epistolam S. Isidori à Gratiano allegari, in Decreto Dist. 50. & Causa 33. quæst. 2. Nam sæpissime Gratianus in Opere suo, authoritates vel falsas vel dubias allegat: unde hodie in tantum creditur, in quantum authoritas valet qua innititur.

De Natura Rerum seu *de mundo ad Sisebutum Visigothorum Regem*, pag. 354. de quo ita Braulio in Præfatione ad Isidori Opera: *De natura Rerum ad Sisebutum Regem librum unum, in quo tam de Ecclesiasticorum Doctorum, quam etiam de Philosophorum indagine, obscura quædam de elementis absolvit.* S. Ildefonsus in libro *de viris illustribus* cap. 9. Et Sigebertus in libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 55. unde nullus relinquitur locus dubitandi, quin hic liber *de natura Rerum* tot testibus Isidoro assertus, vere illius sit: nec ullus opinor est, qui negare audeat.

Chronicon ab initio mundi usque ad annum quintum Suinthilani Gothorum Regis, & Christi Domini 626. quod emendatum Scholiisque illustratum per Gasparem de Loaisa, S. Theologiæ Doctorem & Canonicum Toletanum. Miratur Labbeus & sane merito Bellarminum in ea fuisse sententia, quod Chronicon illud ex libro 5. *Etymologiarum* decerptum sit: cum e contra certo certius & ipsi & mihi videatur, ex hoc Chronico delibasse Isidorum aut certe Braulionem, quæ brevi compendio *de serie temporum* traduntur ad calcem libri V Etymologiarum. Habetur in MS. Codice Collegii Soc. Jesu Parisiensis Claromontani antiquissimo, Chronicon istud, (ut idem Labbeus asserit) & initialibus litteris exaratum, ante Appendicem Fredegarii ad Gregorii Turonensis Historiam, eodem Christi seculo septimo absque ulla controversia descriptum. Neque insolens est eundem nonnunquam Scriptorem ex longioribus spatiis in arctum velut gyrum lucubrationes suas, cum subest causa, contrahere. Addo Labbeanis istis, vidisse me Chronicon istud Isidorianum, in altero MS. Codice Corbeiensi, nunc Bibliothecæ sancti Germani Parisiensis num. 250, quod cum præfato antiquitate certat, estque vel seculo septimo scriptum, vel saltem octavo. Denique ut ansam omnem ambigendi à quovis tollamus, S. Braulio Isidori Hispalensis Archiepiscopi discipulus, qui exactam librorum ejus supputationem conscripsit, horum Operum *Chronici & Librorum XX. Etymologiarum*, tanquam duorum operum, & non unius meminit. Sic enim: *Chronicon à principio mundi usque ad tempus suum, librum unum, nimia brevitate collectum:* tum postea, *Etymologiarum Codicem, nimia magnitudine distinctum ab eo titulo, non libris &c.*

Historia Gothorum, Vandalorum & Suevorum, quæ epitome tantum, eaque in multis manca atque mendosa dici debet, si comparare velis hanc Breulii editionem, quæ Hamburgi pariter anno 1611 & Lugduni Batavorum anno 1597. in 8. cum Notis Bonaventuræ Vulcanii prodiit; cum altera quæ media ex parte auctior ex MS. Codice Bibliothecæ Isaaci Vossii ab Hugone Grotio edita est in *Historia Gothorum* Amstelodami 1655. pag. 707. deinde ex alio Codice MS. ejusdem, Collegii Soc. Jesu Parisiensis Claromontani, quod paucos quidem MSS. Codices habet, sed raros & æstimandos, repetita à Labbeo, Tomo I. *Novæ Bibliothecæ Manuscriptorum Librorum*, pag. 61. Nullum de hoc Opusculo dubium subesse potest, cujus S. Braulio Isidori discipulus meminit his verbis, in prænotatione citata: *De Origine Gothorum, & Regno Suevorum, etiam Vandalorum Historia, librum unum.*

Liber Proœmiorum de libris veteris & novi Testamenti, pag. 405. cujus meminit loco citato S. Braulio: *Proœmiorum Librum unum, in quo quid quisque liber sancta contineat Scriptura, brevi subnotatione distinxit.* S. Ildefonsus in Libro de viris illustribus cap. 9. *Librum Proœmiorum.* Sigebertus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 55. *scripsit Librum Proœmiorum de libris veteris & novi Testamenti, quos in Canonem recipit Ecclesia Catholica.*

Commentaria in libros historicos veteris Testamenti, Genesim &c. quæ in Catalogo S. Ildefonsi opera vulgato, dicuntur. *Quæstiones sive Expositiones*

nes sacramentorum ex variis Authoribus collecta. Sunt tamen qui Commentarios in quatuor Libros Regum adjudicare malint Isidoro seniori Cordubensi Episcopo. Hæc Labbeus. Hoc opus certo ad Isidorum spectat, cujus meminit S. Ildefonsus loco citato. Itemque S. Braulio his verbis: *Quæstionum libros duos, quos qui legit, veterum Tractatorum multam supellectilem recognoscit.* Denique & Sigebertus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 55. his verbis: *Totum vetus Testamentum simpliciter exponendo percurrit.* In hoc differunt Ildefonsus & alii, quod primus unum tantum videatur admittere harum Quæstionum librum, qualem in impressis habemus pag. 413. Sic enim: *Collegit etiam de diversis Authoribus, quos ipse cognominat, secretorum Expositiones Sacramentorum, quibus in unum congestis, idem liber dicitur Quæstionum.* At alii duos libros admittunt, nempe S. Braulio verbis supra allatis: & Sigebertus, dum *Totum vetus Testamentum simpliciter exponendo, percurrisse*, ait. Unde nullus dubito, quin præter impressum, alius quoque liber fuerit S. Isidori, qui summatim libros alios Veteris Testamenti explicabat: Libros nimirum Tobiæ, Judith, Esther, Job, Psalmorum, Proverbiorum, Ecclesiastis, Canticorum, Sapientiæ, Ecclesiastici, & Prophetarum. Ut habet Joannes Trithemius, qui ita se reperisse refert. Cumque pauciſſima sint S. Isidori, quæ deperierint, latere adhuc hunc librum opinor in MSS. pluribus Bibliothecarum Codicibus, quem investigator aliquis accuratus inveniet.

Quantum ad aliam partem quam tangit Labbeus, *invenire aliquos qui Commentarios in quatuor libros Regum adjudicare malint Isidoro Seniori Cordubensi Episcopo*, quod Cavus facit, cæcus cæcos secutus. Hoc valere nequaquam potest, de Commentariis, qui habentur inter Opera S. Isidori Hispalensis seu junioris. Certum enim est illos esse ejusdem authoris, cujus sunt alii Commentarii in Genesim, Exodum &c. Occasionem huic opinioni dedit Sixtus Senensis libro 4. *Bibliothecæ sanctæ* fol. mihi 270. ubi sic. „ Isidorus senior Cordubensis Episcopus, secularium „ litterarum non ignarus, divinarum vero peritissimus, sanctitate quoque vitæ celebris, scripsit ad S. Orosium Presbyterum Hispanum, *in „ omnes libros Regum, libros quatuor.* Augustinus „ sermone 35. *de Sanctis*, citat Expositionem Isidori hujus in Lucam. Claruit sub Honorio „ anno Domini 420. " Hæc Sixtus. At Commentarii in 4. libros Regum, qui leguntur inter Opera S. Isidori junioris pag. 499, nullatenus Orosio Presbytero Hispano dedicati sunt: unde nec vel modicum est indicium, quod illi spectent ad Isidorum seniorem seu Cordubensem. Falsum autem est quod habet Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo V verbo *Isidorus Episcopus Cordubensis* ad annum 420. pag. 311. hos nempe *Commentarios in 4. libros Regum*, esse dedicatos Orosio Presbytero Hispano. Quod tolerabilius dici posset, *de Allegoriis quibusdam veteris & novi Testamenti* sequentibus, quæ leguntur ibidem pag. 515. de quibus locus jam dicendi est. Præterea quis est Sixtus Senensis, ut *Commentaries in 4. libros Regum*, Isidoro Cordubensi adscribat? Quod enim de tam antiquis rebus & temporibus dicitur, contemnitur, dum non probatur.

Allegoriæ quædam sacræ Scripturæ in libros veteris & novi Testamenti ad Orosium, pag. 515. Sive, Compendiolum Allegoriarum in Octateuchum ex Origine, Victorino, Ambrosio, Hieronymo, Augustino, Cassiodoro, Fulgentio, Gregorio, atque aliis. Sixtus Senensis lib. 4. *Bibliothecæ sanctæ* pag. 271. Trithemium accusat, quod lucubrationum Isidori copiam amplificare voluerit, ita inquiens. " Hunc libellum incipientem „ *Historias sacræ Legis &c.* Trithemius ad amplifi- „ candam Lucubrationem Isidori copiam, in duo- „ decim libros dissecuit, addens eum scripsisse in „ cætera utriusque Testamenti volumina, Li- „ bros LXII. quorum tamen nec initia annota- „ vit, nec a se conspecta ostendit. „ Miror quod Sixtus Senensis, & Labbeus & Cavus has *Allegorias breves* Isidoro Cordubensi seu Seniori potius, quam Commentarios in 4 Libros Regum, non attribuerint: illæ enim sunt Orosio dicatæ, quem intelligere poterant, esse Presbyterum illum Hispanum tempore Divi Augustini celebrem, ac sub Honorio anno Domini 420. clarum, teste Sixto Senensi. Sed nullus est qui Opusculum istud ab Isidoro juniore auferre valeat, illi attributum à S. Braulione ejus discipulo, in Prænotatione Librorum S. Isidori ab ipso conscripta. *De nominibus Legis & Evangeliorum librum unum: in quo ostendit, quid memorata personæ mysterialiter significent.* Appellat autem S. Braulio has Allegorias *de nominibus Legis & Evangeliorum*, quia sic incipiunt: *Domino sancto & Reverendissimo Fratri Orosio Isidorus. Quædam notissima nomina Legis Evangeliorumque sub allegoria imaginarie obteguntur &c.* Ejusdem facit mentionem Sigebertus cap. 55. *De Scriptoribus Ecclesiasticis*, in sancto Isidoro Hispalensi seu juniore: *Ad Orosium librum de significationibus nominum.* Itaque Orosius ille videtur mihi esse Episcopus aliquis Hispanus, tempore S. Isidori junioris clarus, quem ideo *Sanctum* & *Dominum*, & *Reverendissimum fratrem* appellat: alium longe ab altero Orosio, Augustini discipulo, Historiarum Scriptore, & temporibus Honorii circa annum 420. celebri. Hæc ad errorem evitandum dicta sint, in præsenti.

De Scriptoribus Ecclesiasticis liber, post S. Hieronymum & Gennadium, pag. 777. Cujus mentionem facit S. Braulio ejusdem discipulus, silentibus S. Ildefonso & Sigeberto, qui Historicorum Isidori Operum non meminerunt. Sic autem de illo sanctus Braulio, *de viris illustribus Librum unum, cui nos ista subjunximus*: nempe Prænotationem Operum ipsius Isidori quam contexuit. Ab Auberto Miræo cum Ildefonsi & alterius Anonymi Auctario editus est Antver-

piæ, in ſua Bibliotheca Eccleſiaſtica : & ante à Ruſtrido Petri, Andrea Schotto aliisque, præſertim à Gaſpare Loaiſa Madriti anno 1593. cum Conciliis Hiſpanicis : cujus editionis Annotationes doctiſſimæ ſub finem voluminis, à Jacobo Breulio Pariſiis editæ fuerunt.

De vita & morte Sanctorum, qui Deo placuerunt : ſive *de ortu & obitu Patrum* pag. 531. Hunc ſuppoſititium cenſet Baronius ad annum 716 & in Notis ad Martyrologium Romanum, Kalendis Maji, Julii 25. & Auguſti 25. Cum tamen de illo Braulio in Præfatione ad Opera S. Iſidori, ſeu Prænotatione Librorum, ſubjuncta illius Catalogo, hæc habeat. *De ortu & obitu Patrum librum unum, in quo eorum geſta, dignitatem quoque, & mortem atque ſepulturam, ſententiali brevitate ſubnexuit.* Corruptum ergo ab aliquo interpolatore cenſet Labbeus, cum teſte Baronio, complura in eo indigna reperiantur, coagmentata mendacia. Sed ut idem Labbeus ſubjungit, *Quid ſi minus creditus, quæ ab aliis ſcripta reperis, minus diſcuſſa, non tam ſua, quam aliena protulerit fide: prudentiorum eſto judicium.* Ego ut ingenue ſenſum meum aperiam, facilem creditu fuiſſe S. Iſidorum crediderim, qui multa haudquaquam diſcuſſa produxerit. Meminit ejus Operis S. Ildefonſus in libro *de viris illuſtribus* c. 9. *Librum de ortu & obitu Patrum.* Sigebertus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 55. *De ortu, vita & obitu Sanctorum Patrum, qui in Scripturis laudibus efferuntur.*

Libri duo contra nequitiam Judæorum, ad Florentinam ſororem. pag. 543. *Primus* de nativitate Domini, paſſione & reſurrectione, regno atque judicio. *Secundus*, de vocatione Gentium ex Scripturis. Aſſerit S. Braulio, omnia in iis quæ fides Catholica credit, ex Legis & Prophetarum teſtimoniis approbata. *Contra Judæos poſtulante Florentina germana ſua, propoſito Virgine, Libros duos : in quibus omnia quæ fides Catholica credit, ex Legis & Prophetarum teſtimoniis approbavit.* S. Ildefonſus in Libro *de viris illuſtribus* cap. 9. *Libellos duos ad Florentinam ſororem, contra nequitiam Judæorum.* Atque opinor eſſe opus illud, quod Sigebertus loco citato vocat, *de myſteriis Salvatoris Librum unum.*

Libri duo de divinis, ſive Eccleſiaſticis Officiis, pag. 580. Vel ut loquitur S. Ildefonſus, *Librum de genere Officiorum :* quem ſcripſit circa annum 610 ad Fulgentium fratrem ſuum Aſtigitanum, ac poſtea Carthaginenſem Epiſcopum : *Et cur unumquodque illorum in Eccleſia Dei agatur, interprete ſuo ſtylo* (inquit Braulio) *non ſine majorum auctoritate explicuit.* Sigebertus appellat, *de Eccleſiaſticis Officiis ad Fulgentium.*

Epiſtola ad Ludifredum ſeu Leudefredum Cordubenſem Epiſcopum, de Epiſcopi & cæterorum Clericorum in Eccleſia Officio : pag. 615. Ibi tamen eſt mutila, unde reliquum petendum eſt à pag. 693. ubi ejusdem Epiſtolæ poſterior pars quæ deſiderabatur, quamque Madritenſe Hiſpaniæ Exemplar ſuppeditavit. Nullus veterum Nomenclatorum Operum Sancti Iſidori, meminit iſtius Epiſtolæ, nec aliarum ullarum Iſidori Epiſtolarum : cujus tantum tamen mentionem faciunt, Ivo Decreti parte 6. cap. 20. Et Gratianus Diſtinctione 25. cap. *Perfectis ſanctitatis tuæ literis.*

Sententiarum ſive de ſummo bono libri tres, p. 617. *quos ex libris S. Gregorii Papæ moralibus excerptos decoravit*, & Gaſpar Loayſa emendavit, notisque ſuis illuſtravit. Ita Sanctus Braulio, loco citato. S. Ildefonſus vocat *Librum ſententiarum*, atque Sigebertus ut opinor, *Librum Eccleſiaſticorum Dogmatum :* uterque locis ſæpius citatis.

Sancti Iſidori Epiſtola aliquot, pag. 693. de quarum nonnullis dicere nihil poſſum. Verum *Epiſtola ad Claudium Ducem* p. 8. 694. unde Notatis Alexander ſeculo 7. pag. 155. dum de Scriptis ſancti Iſidori junioris loquitur, putat accipi poſſe argumentum egregium, *ad probandum Romanum Pontificis jure divino primatum :* commentitia mihi prorſus eſt, cum duabus ſequentibus. Conſtat enim Epiſtolam illam non poſſe eſſe Iſidori, quæ loquitur de additione ad Symbolum facta horum verborum, *Qui ex Patre filioque procedit*, quod longe poſt tempora S. Iſidori contigit. Audiamus dictam Epiſtolam. Item nobis inſinuare curaſti quorumdam Græcorum obiectionem, quod in Nicæna vel Conſtantinopolitana Synodo ſub anathemate prohibitum legitur, in Symbolo & in illo ſancti Athanaſii de fide Catholica diminuere vel addere aliquid : atque ideo quidam ex Græcis Latinos protervè nituntur reprehendere, quod in Profeſſione ſanctæ fidei, Deo corde & ore decantent, *Qui ex Patre Filioque procedit :* cum in prædictis Conciliis fuerit poſitum, *Qui ex Patre procedit :* & ſancta Romana Eccleſia *ex Patre Filioque procedere Spiritum Sanctum*, approbat atque credit. Patet hinc iſtam Epiſtolam eſſe conſcriptam, poſt contentiones inter Eccleſiam Græcam & Latinam tempore Photii ortas, longè poſt mortem S. Iſidori Hiſpalenſis. Præterea affectatio quam habet utendi voce *Prælati* pro Epiſcopis & aliis Eccleſiæ Antiſtitibus, non olet ſeculum S. Iſidori, ſed vel duodecimum vel etiam decimum tertium. *Sic nos ſcimus præeſſe Eccleſiæ Chriſti, quatenus Romano Pontifici reverenter, humiliter & devote, tanquam Dei Vicario, pro ſuæ Eccleſiæ Prælatis, ſpecialius nos fateamur debitam in omnibus obedientiam exhibere. Contra quod quenquam procaciter venientem, tanquam hæreticum è conſortio fidelium omnino decernimus alienum.* Fallor plurimum, niſi illa ſint poſt excitatam palæſtram ſcholaſticam. Ibidem, *Præterea prælatis obediendum eſt in juſſionibus bonis &c.* tum poſtea, *in dubiis etiam præceptis, pravis Prælatis obediendum eſt &c.* denique poſtea, *in præceptis manifeſte malis, nullatenus eſt obediendum, etiam bonis Prælatis &c.* Quibus vocum affectationibus atque caſuum diſtinctionibus, author ſa

poſt

post garrulitatem & scholasticas distinctiones, scribere testatur.

Epistola ad Redemptum Archidiaconum, Isidoro etiam supposita est, eundemque cum præcedente authorem habet. Ita censent omnes eruditi, illamque scriptam quoque esse conveniunt, post contentiones inter utramque Latinam & Græcam Ecclesiam ortas, seu post tempora Nicolai Papæ primi, & schismna Photii.

Epistola ad S. Eugenium Toletanum Episcopum, ejusdem authoris & suppositionis mihi videtur, ac duæ præcedentes. Affectat easdem voces atque Epistola *ad Claudium Ducem*: eandem nempe obedientiam Romano Pontifici ab omnibus reddendam, de qua apud veterem Ecclesiam altissimum silentium est. Eandem habet Symboli Athanasii citationem, aliaque quæ nasutiores annotare poterunt. Addunt nonnulli inscriptionem falsam videri, nempe *Justum* Toletanum Archiepiscopum, qui diebus tantum novemdecim ante Regem Sisenandum obiit, mortuum esse eodem anno 636. quo S. Isidorum Hispalensem, atque post ipsum. Vnde concludunt S. Isidorum, qui Justum Episcopum Toletanum morte sua prævenerat, scribere non potuisse ad S. Eugenium Toletanum Episcopum, qui nonnisi post mortem & Justi & Isidori, ad hanc sedem promotus est. Verum fallunter isti, cum anno 635. Justus Episcopus Toletanus mortuus sit, atque ita præcesserit morte sanctum Isidorum anno duntaxat 636. mortuum: qui scribere consequenter potuit ad sanctum Eugenium Toletanum Episcopum, anno 635. in Justi Toletani locum & sedem substitutum.

Regula Monachorum pag. 698. distincta capp. XXIV. *quam pro patria usu & invalidorum animis decentissime temperavit*, ut inquit Braulio in recensione Operum S. Isidori Hispalensis. Illam habes collatam ad MSS. Codices in *Collectione Regularum*, quam procuravit Lucas Holstenius, ediditque in 4. Parisiis anno 1663. Ludovicus Billanius. Silent quidem de illa S. Ildefonsus & Sigebertus locis citatis, sed indubiam S. Isidoro adstruit discipulus ejus Braulio, his verbis: *Monastica Regula librum unum quem pro patria usu & invalidorum animis decentissime temperavit.*

De Conflictu Vitiorum & virtutum, pag. 709. teste Sigeberto Gemblacensi, & MSS. Codicibus. Alii vero Ambrosio, aut Augustino aut etiam S. Leoni I. Papæ tribuerunt, sed falso: cum ut notavit Bellarminus & ex eo Heterodoxi, in eo fiat mentio Regulæ sancti Benedicti. Hujus neque meminit S. Ildefonsus neque Braulio, qui scite tamen admonuit, alia hujus viri multa Opuscula esse in Ecclesia Dei, multo cum ornamento inscripta. Editus hic liber tandem est ad calcem tomi 6. Operum Sancti Augustini col. 219. ultimæ Parisiensis editionis anno 1686 cum admonitione hac sequenti.

„*Liber de conflictu vitiorum & virtutum*, Scriptoribus quatuor nobilissimis tributus est. Augustino primum in omnibus operum illius editionibus: Leoni deinde in editione Parisiensi anni 1511. Postea Ambrosio in Romana editione anni 1585, in qua scriptus ad Simplicianum prænotatur: & demum Isidoro Hispalensi anni 1599. apud Malritum, & in altera Parisiis, procurante Jacobo de Breuil, Germanensis nostri Cœnobii Monacho, anno 1601. Decepit Breulium Sigebertus Gemblacensis in libro *de viris illustribus*, deceptus ipse falsa veterum aliquot inscriptione Codicum, qui nomen Isidori habere dicuntur. Porro inspecti a nobis Codices MSS. aut Ambrosio adsignant, aut Augustino, aut Leoni: & nomine Augustini citat Gratianus 2. quæst. 2. c. *nec artificioso*. Authorem nos credimus Ambrosium, non illum quidem supra laudatum Mediolanensem Episcopum, sed Ambrosium Autpertum Monasterii S. Vincentii ad Vulturnum in Benevento Abbatem, cui etiam Ambrosio prænomen fuit. Testatur Scriptor Vitæ ejus, quæ *in sæculo tertio Benedictino* parte 2. ad annum Christi 778. extat, compositum ab ipso Librum *de conflictu vitiorum*. Atqui liber subsequens multam affinitatem cum Ambrosii Autperti opere *in Apocalypsin* habet, ac virum plane sapit Monasticæ vitæ Sectatorem, & propter Monachos maxime scribentem, veluti ubi ait cap. 16. *Si igitur sæcularibus viris ita est perniciosa cupiditatis industria, quanto magis illis periculosior, qui habitu & conversatione jam seculares esse desierunt, qui totum quod vivunt Domino devoverunt.* Et cap. 18. *Si cum ea quæ tibi Prælatus servanda commisit, illibata consignat, & ne modicum quid reservandum existimas.* Quæ postrema verba, aliaque multa *de stabilitate* cap. 14. *De nocturnitate* cap. 22. &c. ex Sancti Benedicti præscriptionibus usurpata videntur. Nec ad rem confirmandam addimus, disertis verbis commendari Benedictinam Regulam, in fine libri: præsertim quod liber apud Ambrosium & Isidorum editus, nec non in MSS. quibusdam & in editione Erasmiana &c. careat capitibus duobus postremis, & ad hæc verba Capitis 26. desinat: *Tu autem homo Dei, vigilanti studio attende quæ dico*, addita plerumque clausula, *Ipso adjuvante qui vivit & regnat in sæcula sæculorum, Amen.* Recognitus est liber ad MSS. S. Germani, Corbeiensem, Lyrensem, Victorinum &c. Hæc doctissimi Benedictini Galli, in Censura huic Operi appositæ.“

Expositio in Canticum Canticorum Salomonis, pag. 719. de qua nihil omnino dicunt Bellarminus vel Labbeus, ac cujus nullus Veterum meminit, quamvis S. Braulio, Ildefonsus & Sigebertus accurate recenseant Opera S. Isidori Hispalensis Episcopi. Vnde etiam illa processerit, non aperit Breulius: quamobrem mihi maxime dubia est, licet nullum habeam suppositionis ejus argumentum.

S. Isidori Hispalensis Episcopi de ordine Creaturarum liber, editus tomo 1. *Spicilegii* Lucæ Acherii pag. 268. conscriptus rogatu Braulii Cæsarau-

guſtanæ civitatis Epiſcopi. Cujus quanquam Nomenclatores Scriptorum Eccleſiaſticorum, tam veteres quam recentes haud meminerint: Acherius attamen opinatur *Stylum nihilominus Iſidori ac mentem adeo in promptu præ ſe ferre*, ut germanum illius fœtum exiſtimaverit, neminem revocare poſſe in dubium. Aliis tamen Iſidori eſſe non videtur, quod illius S. Braulio non meminerit. Licet enim eos ſolum libros enumerare ſe *Braulio* fateatur, qui ad notitiam ſuam pervenere, quo ſatis intelligitur & alios Iſidorum ſcripſiſſe, quorum ille non meminit: non potuit tamen iſte mentem ac memoriam Braulionis effugere, qui ipſo proponente, per modum Reſponſionis ſcriptus eſt, ad ipſumque ſub hoc Epilogo directus: *Ecce venerabilis Pater, De ordine Creaturarum tibi proponenti, juxta ingenioli mei modulum, compendioſo ſermone ſummatim reſpondi &c.* Præterea tanta animi demiſſione ad Braulium amicum ſuum, nec in gradu Epiſcopali ſibi æqualem, ſcribere non debuiſſet ſanctus Iſidorus Archiepiſcopus, quantam præ ſe fert hujus libelli Author. Denique inſcriptus eſt hic Liber in Codice S. Remigii Remenſis, ex quo in *Spicilegio* editus eſt, *Braulio Epiſcopo urbis Romæ:* cui addidit eruditus editor, *Hoc eſt Cæſaraugustæ.* Quamvis Cæſarauguſtam apud Scriptores ullos Romam nuncupari, ſe non legiſſe fateatur. Suſpicantur Continuatores Bollandi ad diem 4. Aprilis, ubi Acta S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi referunt, Opuſculum iſtud ſcriptum *Epiſcopo urbis Romæ*, non *Braulioni*, ſed *Bonifacio V.* cujus nomen per ſolam initialem litteram B. ſcriptum, occaſionem errori dederit: qui tamen conjecturam ſuam hanc nulla probatione fulciunt.

Liber Gloſſarum Latinorum, ex libris Originum, ut videtur collectus, prodiit Lugduni Batavorum anno 1600 cum Notis Bonaventuræ Vulcanii.

Hæc latius quidem de Operibus impreſſis S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, nam de MSS. non loquor, quorum ubique in famoſis Bibliothecis, magna multitudo eſt, & occurſus facilis. Duo autem tantum Opera ex omnibus quæ ſummis curis S. Braulio ejus olim diſcipulus recenſuit, periiſſe videntur: nimirum, *de numeris in quo Arithmeticam, propter numeros Eccleſiaſticis Scripturis inſertos, ex parte tetigit diſciplinam:* item *de hæreſibus liber unus, in quo majorum ſecutus exempla, breviante qua potuit, diffuſa collegit.* Convenientius autem omnia S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi Opera, hoc ordine in proxima editione collocarentur.

Ordo Operum S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi.

Originum, ſive Etymologiarum Libri XX.

Differentiarum ſeu de proprietate ſermonis Libri 3 ordine prædicto.

De natura Rerum, ſive de mundo ad Siſebutum Regem.

Liber Proœmiorum de libris Veteris & Novi Teſtamenti.

Liber Allegoriarum ſacræ Scripturæ, de nominibus Veteris & Novi Teſtamenti.

Commentarii breves in libros Hiſtoricos Veteris Teſtamenti, Geneſim &c.

Sententiarum, ſive de ſummo bono, Libri tres.

Libri duo contra nequitiam Judæorum.

Libri duo de Officiis divinis ſeu Eccleſiaſticis.

Epiſtola ad Ludifredum Cordubenſem Epiſcopum, de iisdem officiis.

Synonimorum ſive Soliloquiorum Libri duo, ad Braulionem Archidiaconum.

Regula Monachorum capitibus XXIV diſtincta, *pro patriæ uſu.*

De vita & morte Sanctorum qui Deo placuerunt, ſive de ortu & obitu Patrum.

Liber de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cum Supplemento *S. Ildefonſi Toletani Archiepiſcopi.*

Chronicon ab initio mundi, usque ad annum quintum Suintilani Regis Gothorum, Chriſti Domini 626.

Hiſtoria Gothorum, Suevorum & Vandalorum, ex editione tamen Labbeana, quam deſignavimus.

Pauca admodum & breves quædam Epiſtolæ.

Appendix incertorum.

Exhortatio pœnitendi cum conſolatione & miſericordia Dei ad animam futuri judicii formidinem.

Lamentum pœnitentiæ pro indulgentia peccatorum, duplici Alphabeto digeſtum & Trochaicis verſibus.

Oratio prolixa ad flenda ſemper peccata, ad correctionem vitæ.

Oratio brevis contra inſidias Diaboli.

Liber de ordine Creaturarum. Commentarius in Canticum Canticorum.

Appendix Suppoſitorum.

De Conflictu vitiorum & virtutum, qui Ambroſii Autperti eſt.

Epiſtola ad Maſſonem de lapſu Sacerdotis & reſtitutione poſt lapſum. *Ad Claudium Ducem, vel Redemptum Archidiaconum, ad Eugenium Toletanum Epiſcopum.*

GEORGIVS PATRIARCHA ALEXANDRINVS, cum antea Monaſticen cum laude profeſſus eſſet, poſt S. Joannem Cognomento Eleemoſynarium anno 616. die 23. Januarii mortuum, ad hanc promotus eſt ſedem Patriarchicam regendam, quam ad annum 630 adminiſtravit, quo ipſe mortuus eſt. Scripſit *Vitam Sancti Joannis Chryſoſtomi*, ex quo Photius in Bibliotheca Codice 96. excerpta dedit. Idem illic dicit, ſe non poſſe affirmare, *quis hic Georgius* 620

ſit:

by Google

fit: quamvis placeat quod Andreas Schottus ibidem ad libri marginem annotavit, illum videri qui ſancto Joanni Eleemoſynario ſucceſſit circa annum 620. Et vero S. Joanne Damaſceno ut volunt, antiquiorem fuiſſe ſatis conſtat: cum is ex hac vita licet non expreſſo Scriptoris nomine, adducat hiſtoriam *de imagine ſancti Pauli*, Oratione I. *de Imaginibus*, ſub finem. Hanc Vitam integram obtulit nobis primum latine tantum, Godefridus Tilmannus Carthuſiæ Pariſienſis Monachus, in Græcis vir doctiſſimus, quam habes ibidem in fol. anno 1537. impreſſam. In editione quoque Græca omnium ſancti Joannis Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Epiſcopi Operum, procurata in fol. tomis VIII. Etonæ in Collegio Regali prope Londinum anno 1613. cura & ſtudio Henrici Savillii, nobilitate, eruditione atque juvandi litteras ſtudio, clariſſimi viri: habetur Græce etiam tomo 8. à pag. 157. ad 290 inter varia ad Vitam ſancti Joannis Chryſoſtomi ſpectantia, deſumpta ex duobus MSS. Codicibus Græcis, uno Palatino, altero Bavarico. Extat Græce etiam in variis Bibliothecis ut cum editis facile conferri poſſit, in Vaticana nempe *ſub Georgii Alexandrini Epiſcopi nomine*, ex Codicibus Heidelbergenſibus 9. 80. & 394. Bavarica Cod. 194. Regia Gallica, unde Latinam eam fecit citatus Tilmannus. In Imperatoria Viennenſi Bibliotheca, Codice MS. Hiſtorico Græco XIX. num. 13. ut habet Petrus Lambecius Libro ſeu tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 271. his verbis. „Decimo tertio, & quidem à fol. 135. pag. 1. colum. 1. usque ad fol. 235. pag. 1. colum. 1. *Georgii „Archiepiſcopi Alexandrini*, qui ſupra memorato „S. Joanni Eleemoſynario anno 620. die 23 Januarii defuncto, in Archiepiſcopatu ſeu Patriarchatu ſucceſſit, *Vita S. Joannis Chryſoſtomi „Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, ex S. Cyrilli Archiepiſcopi Alexandrini, Palladii Epiſcopi Helenopolitani, Socratis Scholaſtici, Hermiæ Sozomeni & Theodoreti Epiſcopi Cyri Scriptis* collecta, cujus titulus & principium: Μηνὶ τῷ αὐτῷ κγ'. Γεωργίου „Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας ἐξήγησις ἤτοι βίος „καὶ πολιτεία καὶ θαύματα τῶν ἐν ἁγίοις πατέρων „ἡμῶν, καὶ οἰκουμενικοῦ Διδασκάλου, καὶ Ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου. „Meminit hujus *Vitæ S. Joannis Chryſoſtomi* Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, in recenſione Codicis 96 Bibliothecæ ſuæ his verbis: Γεωργίου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας εἰς τὸν „βίον τοῦ Χρυσοστόμου. Ἀνεγνώσθη βιβλίον, τὰ „περὶ τὸν Χρυσοστόμου ἐταγραφὴν ἔχον. Γεωργίου „Ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας. ἔστι μέν τοι τὴν φράσιν ἁπλοῦς, καὶ εἰς πολλὴν χυδαιότητα κατατεινομένου. μηδὲ τοῦτο δὴ παρὰ τοῖς γραμματικοῖς κατὰ χεῖρας, τὴν τῶν ὀνομάτων καὶ „ῥημάτων σύνταξιν ἠκριβωμένου. λέγει δὲ ἔν τε Παλλαδίου, Ἐπισκόπου δὲ ὁ Παλλάδιος, „καὶ διαλογικῷ τύπῳ καλῶς τε καὶ ἐπαιδευσμένως τὰ περὶ τὸν Χρυσόστομον ἀνα-

γράψατο. ἔν τε ἐν τούτῳ, φησὶ, καὶ Σωκράτους, καὶ διαφόρων ἄλλων, τὴν ἱστορίαν ἀναλεξάμενον, εἰς ἓν συναθροίσασθαι. Φησὶν οὖν, τὸν μέγαν Ἰωάννην παῖδα γενέσθαι Σεκούνδου καὶ Ἀνθούσης. ἐπιφανεῖς δὲ ὄντος τῶν ἐν Ἀντιοχείᾳ Ἑλλήνας δὲ αὐτοὺς τὴν θρησκείαν ὄντας, ὁ ἐξ Ἀρμενίας Μελέτιος &c. Sequuntur hinc porro ampliſſima Excerpta ex eadem Vita, quæ integris aliquot conſtant foliis, & tandem terminantur, ſub hac obſcura clauſula; καὶ ταῦτα μὲν ὧδε. ὁ δὲ συγγραφεύς ἐστιν, ἐκ ὀλίγα φαίνεται παρισορῶν. ἀλλ' ἐᾶν καλύει τοὺς ἀναγινώσκοντας ἐκλεγομένους τὰ χρήσιμα, τὰ λοιπὰ παρορᾶν. Hoc eſt: *Georgii Epiſcopi Alexandrini in Vitam Chryſoſtomi. Lectus eſt liber Georgii Epiſcopi Alexandrini, RES CHRYSOSTOMI inſcriptus. De eo autem Georgio quis ſit, nihil habeo certi, quod addam. Eſt quidem dictione ſimplex, & in multam vulgaris ſermonis humilitatem delabitur: neque hoc ſaltem, quod Grammaticis in promptu eſt, nominum & verborum conſtructionem ſatis obſervat. Dicit autem ſe ex Palladio, qui Epiſcopus fuit, & Dialogi forma eleganter ac ſtudioſe Res Chryſoſtomi conſcripſit, & ex Socrate atque diverſis aliis, Hiſtoriam iſtam excerpſiſſe, & in unum collegiſſe. Ait igitur Magnum Joannem filium fuiſſe Secundi & Anthuſæ, nobilium Antiochiæ. Eos autem gentili ſuperſtitioni addictos, à Meletio Armeno &c.* tum poſtea: *Et hæc quidem hactenus. Videtur autem Scriptor hic non pauca obiter narrare: ſed nihil prohibet, Lectores utilia eligentes, reliqua præterire.* Hæc Photius. Vbi in primis valde mirandum eſt, quod ipſe ultro tam aperte fatetur, ſe ignorare ſeriem *Patriarcharum Alexandrinorum*, qui *ducentis* tantum *& triginta octo annis*, ante ætatem ſuam vixerint. Nam non plus temporis interceſſit inter annum Chriſti 620. quo Georgius iſte S. Johanni Eleemoſynario ſucceſſit, & annum 858. quo ipſe Photius, loco ſancti Ignatii per fraudem & vim ejecti, Patriarchalem ſedem Conſtantinopolitanam occupavit. Stylus quoque Georgii nimis ſevere ibi perſtringitur, quod *Atticorum nominum, verborum, & conſtructionum delectu & affectatione careat.* Hæc enim eloquentiæ oſtentatio, non fuit *Georgio* propoſita, in conſcribenda iſta *ſancti Joannis Chryſoſtomi* Vita: ſed potius fidelis tantum & perſpicua expoſitio ipſarum rerum geſtarum, quas ab aliis antiquioribus acceperat. Et certe ſi quis totam illam Vitam absque præconcepta ſiniſtra opinione ſuis oculis perluſtrare dignabitur, deprehendet re ipſa, eam non adeo contemptibilem, & usquequaque aſpernandam eſſe, ut *Photius* nobis perſuadere conatur. Conſideratu denique dignißima eſt, & maxime neceſſaria explicatione indiget, ſubobſcura illa clauſula qua idem Photius ampliſſima illa excerpta, quæ ex eadem *ſancti Joannis Chryſoſtomi* Vita ibidem exhibet, tandem ſic terminat: καὶ ταῦτα μὲν ὧδε. ὁ δὲ συγγραφεύς ἐστιν ἐκ ὀλίγα φαίνεται παρισορῶν. Ἀλλ' ἐᾶν καλύει τοὺς ἀναγινώσκοντας,

τοὺς,

„τας, ἐπλεγομένους τὰ χρήσιμα, τὰ λοιπὰ παροράν. „Horum enim verborum verum ſenſum Andr. „Schottus in verſione Latina Biblioth. Photianæ, „Henricus Savilius Eques Anglus, in Diſſerta„tione *de Scriptoribus Vitæ Chryſoſtomi*, tom. 8. „editionis Græcæ Operum Chryſoſtomi col. „941. ſubjuncta. Leo Allatius in Diatriba *de „Georgiis*, pag. 317. Gerardus Joannes Voſſius „lib. 4. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 18. & alii plures „doctiſſimi Viri non ſunt aſſecuti: Exiſtiman„tes videlicet *Georgium* a Photio his verbis re„prehendi, *Quaſi is non pauca videatur enarrare „præter hiſtoriæ fidem.* Ideoque etiam ſupra me„moratus Savillius falſo credidit ac temere aſſe„ruit, per παραισορρέμενα illa ſignificari *miracula*, „quæ Vitæ iſti S. Joannis Chryſoſtomi inſerta „ſunt, & ab illo per contemptum appellantur „*faces* & *fabuloſa Miraculorum aſſumenta*. Verum „enim vero non animadverterunt Viri illi, alio„quin doctiſſimi, ἀνισορεῖν & ἀνισορησίαν aliud „eſſe, quam παραισορεῖν & παραισορησίαν. Ἀνισο„ρεῖν enim eſt *præter veritatem aliquid narrare falſi:* „παραισορεῖν autem eſt, *præter neceſſitatem aliquid „narrare ſuperflui*. Hoc igitur poſteriori ſenſu „Photius, verbo παραισορεῖν illic utitur: æque „ac Cicero in Epiſtolis ſuis prudentiſſimis ad „*Atticum*, ubi lib. 6. epiſt. 1. ſic ſcribit: *Hæc te volui „παραισορῆσαι*. Hæc & alia Lambecius, tomo 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, ad vindicationem hujus *Vitæ S. Chryſoſtomi*, quam Georgius Patriarcha Alexandrinus conſcripſit.

De hoc opere tale eſt judicium Gerardi Joannis Voſſii libro IV. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 18. „in fine capitis, Georgius Alexandrinus Archi„epiſcopus, Vitam S. Chryſoſtomi Archiepiſco„pi CP. deſcripſit, ex qua Photius excerpta edi„dit in *Bibliotheca* Codice 96. integre autem ex „MSS. Codicibus Palatino & Bavarico, Græce „edidit Henricus Savilius Tomo ultimo Ope„rum Græcorum S. Joannis Chryſoſtomi. Ne„gat Photius, ſe poſſe certo affirmare, quis hic „Georgius ſit. Sed placet, quod doctiſſimus „Andreas Schottus ibidem adnotavit, illum vi„deri, qui Beato Joanni Eleemoſynario in hac „ſede ſucceſſit, circa annum DCXX. Eadem „mens eſt Coccii in Catalogo Scriptorum. Imo „accurate ſatis id comprobat in Notis ſuis Savi„lius. Jure autem in eo Photius deſiderat, ut „lingua purior foret, & magis ſtudioſus verita„tis. „ Hæc Voſſius, ſed ſcriptori parcere oportet, qui ducentis annis Joanne Chryſoſtomo poſterior erat. Ex eo tamen pleraque ſua de *Vita S. Chryſoſtomi* hauſere recentiores de eodem argumento ſcriptores, uti Leo Imperator, Anonymus & Simeon Metaphraſtes, qui tres poſtea de *Vita Chryſoſtomi* egerunt, quos Græce Savilius idem exhibuit, velut ex Georgio plurima ſua verbotenus conſarcinantes.

Ad eundem opinabar Georgium Alexandrinum Epiſcopum ſpectare *Chronicon dictum Alexandrinum, in quo omne ævum usque ad vigeſimum Heraclii annum digeritur.* Hoc opus in vetuſta Siciliæ Bibliotheca primus invenit Hieronymus Surita Hiſpanicarum Rerum ſcriptor, quod inde Opera ejusdem Suritæ & Antonii Auguſtini tunc in Vrbe auditoris Rotæ, ut vocant, Romam advectum fuit. Hæc cauſa eſt, cur Sigonius, Panvinius & alii olim hoc Chronicon *Faſtos Siculos* appellarint: cujus partem a Caſaubono acceptam, Euſebio ſuo Scaliger Græce adjecit, ſed integrum, atque adeo aureis 36. nummis emptum, Auguſtanæ Vindelicorum Bibliothecæ poſtea acceſſit. Inde narrationibus ultimorum duorum annorum exceptis, quæ ita vetuſtate attritæ ut legi non poſſent, Opus integrum exſcripſit, eduxit, & cum interpretatione ſua publici juris fecit Græce & Latine, Matthæus Raderus Soc. Jeſu Theologus, Monachii in 4. 1615. typis Annæ Bergiæ. Impoſuit libro *Chronici Alexandrini nomen*, eo quod in frontiſpicio Manuſcripti Codicis, Petrus Alexandrinus Epiſcopus illud commendet, quem veriſimiliter opinabar eſſe eum, qui anno Chriſti 640. Epiſcopus Alexandrinus fuit. Porro cum iſtud Chronicon Res Alexandrinas maxime perſequatur, cum excurrat usque ad tempora ultima Georgii Alexandrini, atque a Petro Georgii ſucceſſore commendetur: juncta ſimul hæc omnia inducebant, ut Georgius Patriarcha Alexandrinus, illius author crederetur, cui ſententiæ favent doctiſſimi viri. Opus Chronologis utile eſt, vel ob multa ex Julio Africano, atque Euſebio Cæſarienſi excerpta, quæ illic legas & non alibi. Tandem hoc anno 1689. prodiit Pariſiis hoc Chronicon ſub hoc titulo: *Chronicon Paſchale a Mundo condito ad Heraclii „Imperatoris annum XX.* Opus hactenus *Faſtorum „Siculorum nomine* laudatum, deinde *Chronica „temporum Epitomes*, poſtea *Chronici Alexandrini „*lemmate vulgatum: nunc tandem auctius & „emendatius prodit, cum nova Latina verſione, „& Notis Chronicis atque Hiſtoricis. Cura & „ſtudio Caroli du Freſne, Domini du Cange, Re„gi a Conſiliis, & Franciæ apud Ambianos Quæ„ſtoris. Pariſiis in fol. 1689. apud viduam Se„baſtiani Mabrecramoiſy. „ Idem autem du Cangius, huic a ſe ultimum evulgato *Chronico Alexandrino*, nonnulla in proœmio produxit, quæ hic ad majorem evidentiam a me adjecta ſint: & ſi nonnullam eorum quæ dicta ſunt, repetitionem continere videantur.

Ediderunt primum Opus iſtud in Italia Græ„ce & Latine Carolus Sigonius, & Onurius Pan„vinius Romæ, ſub titulo *Faſtorum Siculorum*. „ Inſeruit poſtea Sylburgius tomo 3. *Hiſt. Auguſta*, „ & Andreas Schottus tomo 2. *Vinangii Pighii*. „ Hanc hujus appellationis unicam habentes ra„tionem, quod in Sicilia Chronicon iſtud inven„tum fuiſſet. Immiſit Joſephus Scaliger hoc „opus ſub titulo *Chronica Temporum Epitomes* ad „calcem Chronici Euſebii, Græce anno 1606. „ in folio a pag. 231. ad 303. Amſtelodamenſis „ editionis præſtantiſſimæ, & anno 1658. ibidem „

iterum

„iterum in folio, ex Manuſcripto Bibliothecæ „Auguſtanæ, manu Andreæ Darmarii ſcripto, „qui a Sylburgio XXXVI. aureis comparatus, „& Davidi Hœſchelio datus, in Bibliothecam „Vrbis Auguſtanæ tranſiit. Idem Latine Græceque edidit in 4. Monachii Matthæus Raderus Societatis Jeſu, anno 1615. ſub titulo *Chronici Alexandrini*. Non magis autem de Rebus „Alexandrinis, quam Antiochenis & Conſtantinopolitanis loquitur. Vnde Valeſius in Notis ad Theodoretum, opinatus eſt æquius eſſe „apellandum *Chronicon Antiochenum*, quod annos menſesque pro ratione hujus Vrbis recenſeat: Joannesque Leunclavius appellandum „*Chronicon Conſtantinopolitanum* cenſuit. Has „ob cauſas mutato nomine *Chronicon Paſchale* „inſcripſi, habita ad potiſſimum Operis argu„mentum ratione, quod de Paſchalis diei inqui„ſitione eſt. Idem Opus inſertum eſt tomo 4. „*Antiquæ Lectionis* Henrici Caniſii, ac tomo 1. *Nova Bibliotheca Manuſcriptorum librorum* Philippi „Labbei, editionis 1657. in folio.

„ Ambegit Raderus utrum hoc Chroni„con quoad finem ſaltem, ſancto Maximo Mo„nacho adſcribi poſſet. Conjecturæ argu„mentum fuit, quod hic Maximus ſub Heraclii „imperio viveret, ad cujus annum XX. hoc „Chronicon finit.„ At conjecturam rejicit Ducangius varias ob rationes, in procemio editionis allatas. Primum Quod ſanctus Maximus ornate ſcribat, author autem hujus Chronici barbare & inculte, ex judicio Scaligeri. Præterea cum Græci variis annorum ſupputandorum rationibus ab initio mundi usque ad Domini Jeſu Chriſti natalitia uterentur, hic author altera a ſancto Maximo, ratione enumerandi uſus eſt. Denique S. Maximus ſi hoc *Chronicon Paſchale* compoſuiſſet, hujus mentionem in *Calculo Paſchali* feciſſet, quem ad annum XXXI Imperii Heraclii extendit. Quod itaque probabilius ex Ducangii mente, hoc *Chronicon Paſchale* ex variis authoribus eſt. Advertit enim Lucas Holſtenius ad marginem ſui Exemplaris, primum hujus Chronici ſcriptorem finiiſſe ad annum XVII. Imperii Conſtantii. Jacobus autem Goar, continuatorem vixiſſe ſub Heraclio: quod confirmat Ducangius addens, *Auctorem Chronici hujus res ſub Heraclio geſtas majori apparatu enarrare, quam ſub aliis Imperatoribus:* imo & agentem de Heraclio, appellare eum, *Dominum ſuum.* Incertus igitur hujus Chronici author eſt, anonymusque jure cenſendus, quamvis nonnulli Georgium Piſidem ſub Heraclii imperio florentem, illius ſcriptorem ex Suidæ teſtimonio male intellecto, crediderint, ut narrat Ducangius: a quo ſub titulo tandem *Chronici Paſchalis*, in fol. Pariſiis anno 1689. impreſſum eſt. Alii denique ut ſupra diximus, Georgio Patriarchæ Alexandrino, ob allatas rationes hoc Chronicon aſſignaverunt, quibus nonnulla hic ſubjungere jam placet. Scriptorem hujus Chronici multis contemnit Fridericus Spanhemius in Diſſertatione Hiſtorica *de Philippi Imperatoris Patris & Filii credito temere Chriſtianiſmo*, anno 1698. in 4. Lugduni Batavorum edita n. 11. his verbis. „ Nunc vero quod ſupra retulit „Auctor *Chronici Paſchalis*, tanquam ex narra„tione *Leontii Antiocheni*, confirmat iſtud Euſe„bianum verbo deſpiciendum. Nihil jam dici„mus de tempore, quo Auctor ille hæc ſcripſit, „vel potius ex variis centonibus & pannis hoc „opus conſarcinavit, unde Χρονοῤῥάφος. Caſau„bono dictus, Notis ad Lampridium in *Commodo* „pagina 94. deve hujus Chronici laudibus vel „παραχρονισμοῖς, variationibus, inſertis quan„doque ineptiis, fabellis ex Joanne Malala An„tiocheno, & aliis: de quibus adeantur præci„pue Scaligeri, Petavii, Ducangii.„ Ita Spanhemius. Quibus nihil obſtantibus, rationi convenit, ut conjecturas meas de hujus Chronici Scriptore, diffuſius exponam. Itaque in *Supplemento Bellarmini* de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad annum 630. in *Georgio Patriarcha Alexandrino* pag. 164. ſcripſeram illum mihi videri authorem *Faſtorum Seculorum* ſeu *Chronici Alexandrini*, ſive ut ultima editio Dufrenii, *Chronici Paſchalis*: unde me ita ſcribentem Guillelmus Cavus ſequutus eſt in *Hiſtoria rei litterariæ* ad annum 640. in *Georgio Piſide Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diacono & Chartophylace* pag. 455. Sunt autem hæ rationes, quibus ad opinionem hanc adductus fui. 1. Ex ipſo Operis titulo, qui talis in MS. Codice fuit, *Epitome temporum hiſtorica ab Adamo primo homine, usque ad XX. annum Heraclii Imperatoris religioſiſſimi, & poſt conſulatum annum XIX. & annum XVIII. imperii Heraclii novi Conſtantini filii ipſius, Indictione 3.* Hæ autem omnes notæ, annum Chriſti 619. indicant, quo tunc temporis Patriarcha Alexandrinæ ſedis erat, ex chronologis notæ melioris, Georgius huic ſedi, poſt mortem ſancti Joannis Eleemoſinarii ſuffectus. Vnde concludimus Georgium hunc Alexandrinum, eſſe hujus Chronici ſcriptorem. 2. Vt jam ſupra diximus, illud primum Græce & Latine publici juris fecit Matthæus Raderus Societatis Jeſu Theologus, Monachii anno 1615. in 4. typis Annæ Bergiæ, qui libro nomen *Chronici Alexandrini* impoſuit, quod in Codicis Manuſcripti frontiſpicio Petrus Alexandrinus Archiepiſcopus illud commendaret: quem veriſimiliter opinamur eſſe eum, qui anno Chriſti 640. poſt dictum Georgium illius ſcriptorem, ad Archiepiſcopatum Alexandrinum promotus eſt. Nam in *Chronographia* Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani qui circa annum 810. & 820. claruit, extant inter Patriarchas ſeu Archiepiſcopos Alexandrinæ ſedis, tres ultimi nempe μη 48. Ἰωάννης ὁ κύπριος ὁ ἐλεήμων ἔτη ι. μθ 49. Γεώργιος ἔτη ια. Πέτρος (nominis quartus) ἔτη ι. Ita in editione Regia Pariſienſi Græcolatina anni 1652. quam procuravit Jacobus Goar Ordinis FF. Prædicatorum in Conventu ſancti Honorati, vir in Græcis & antiquitate doctiſſimus. Joanne autem illo qui Eleemoſynarius dictus

Digitized by Google

eſt, circa annum 625. vita functo, ſucceſſit illi Georgius, quem Chronici hujus Scriptorem credimus, ſub Heraclii imperio. 3. Eadem eſt methodus & ſcribendi ratio, hujus *Chronici Orientalis* ſeu *Paſchalis*, ac *Vitæ S. Joannis Conſtantinopolitani*, quæ Georgio huic in MSS. Codicibus tribuitur, nimirum ex laciniis & excerptis: unde ſcriptor χρονογράφος. ob inſerta ab aliis, Caſaubono dictus, Notis ad Lampridium in *Commodo* pag. 94. atque in utroque Opere ſcriptor non ſine lapſu eſt, nec ſatis emunctæ naris. Vnus ergo idemque auctor utriusque operis, Georgius Alexandrinus poſt ſanctum Joannem Eleemoſynarium Patriarcha, cenſendus videtur.

4. Scopus ejus qui Chronicon iſtud compoſuit, fuit deſignatio accurata diei Paſchatis ſingulis annis, quod ſpectabat ad Archiepiſcopos Alexandrinos indicare annuatim tam Eccleſiis Orientalibus Patriarchalibus ac præcipuis, quam ipſi etiam Romanæ Occidentali. Vnde hoc Chronicon merito hanc ob rationem Matthæus Raderus in editione ſua *Chronicon Alexandrinum* inſcripſit. Attamen editum illud eſt Græce & Latine ex typographia Regia anno 1651. in folio, inter Hiſtoriæ Byzantinæ ſcriptores ſub *Chronici Orientalis* nomine, eo quod non magis res Alexandrinas deſcriberet, quam Antiochenas, Conſtantinopolitanas & Hieroſolymitanas. Sed tandem Carolus Dufrenius, contextura operis attentius conſiderata, illud anno 1688. cum MSS. collatum, Græce & Latine edendum curavit in folio ex typographia eadem Regia, cum *Chronici Paſchalis* titulo, quod ultimum *Chronici Paſchalis* nomen a Dufrenio habuit, qui operi Præfationem pagg. XVII. ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ 1941. addidit, ex qua Chronicum illud ad Georgium Patriarcham Alexandrinum pertinere, diſerte concluditur.

„Inſcribitur Πασχάλιον *ſeu Chronicon Paſchale* „*a Mundo condito ad Heraclii Imperatoris* annum vi„ceſimum. Præfatio Auctoris de Paſchate. Πά„τερ Ἀλεξανδρείας Ἐπισκόπε καὶ Μάρτυρος, ὅτι „ἀπλανῶς ἔταξαν οἱ Ἑβραῖοι τὴν ιδ΄ τοῦ α΄ μηνὸς „τῆς σελήνης, ἕως τῆς ἁλώσεως τῶν Ἱεροσολύμων. „*Ex Petro Alexandriæ Epiſcopo & Martyre, de eo* „*quod decimam quartam primi menſis Lunæ, usque* „*ad Hieroſolymorum excidium recte ſtatuerint Judæi.* Præmiſit Auctor hanc præfationem de Paſchate inſignem, quam ex MS. Codice Vaticano 1941. Græce & Latine edendam voluit Carolus Dufrenius Dominus du Cange in editione Regia anni 1688. in folio, ubi ex Epiſcopis antiquiſſimis, ac maxime Alexandrinis, ad quos ſpectabat indictio quoad diem ſingulis annis Paſchatis celebrandi, ex auctoritate Petri Alexandriæ Epiſcopi & Martyris, Athanaſii magni Eccleſiæ Alexandrinæ luminis in Epiſtola ad Epiphanium Epiſcopum, Concilii Nicæni primi, Apollinarii Hieropoleos Epiſcopi, & aliorum, per paginas XVII. Vnde concludimus Opus ipſum, quod ad Præfationis finem allegat, certo pertinere ad Georgium Patriarcham Alexandrinum.

Non hic agitur de Jeroſolyma a Tito Veſpaſiani filio capta, ipſoque Judæorum templo everſo, quæ contigit anno Chriſti LXX, anno XXXIX. poſt ejus in cœlos aſcenſionem, de qua Chronicon hoc Paſchale pagg. 246. & 247. Neque quando ab Ælio Hadriano anno Chriſti 119. iterum capta fuit, de qua idem Scriptor loquitur p. 253. D. 254. litteris A & B, a quo reparata & varia in Vrbe ædificia extructa ſunt, unde ab eo *Ælia* appellata fuit. Nam tunc temporis nondum erat mota inter Chriſtianos de die Paſchatis controverſia de qua loquitur Georgius Alexandrinus, qui Præfationem hanc Chronico Paſchali addidit. Occupatio iſta Hieroſolymorum, quam narrat ſcriptor Alexandriæ Epiſcopus, ea eſt de qua in hoc Chronico Georgius loquitur pag. 385. anno Mundi 6122. Chriſti 6141. quando Hieroſolyma a Perſis capta, direpta, incenſaque fuit, ea ætate qua Georgius ſcriptor viveret & floreret, de qua his verbis.

Ἔτους β΄ μετὰ ὑπατ' Ἡρακλείου νικήσαντος τὸ γ' ἀπὸ κβ τοῦ Ἰανουαρίου μηνός, γράφεται βασιλείας Ἡρακλείου Νέου Κωνσταντίνου ἔτους β΄. IV. *Indict. 2. poſt Conſulatum Heraclii Auguſti 3. & a XXII. Januarii menſis, ſcribitur Imperii Heraclii Novi Conſtantini anno II.* Τούτῳ τῷ ἔτει, περὶ μῆνα Ἰούνιον, θρήνων ἀπαύστων ἄξιον ἡμῖν συνέβη πάθος. Μετὰ γὰρ πολλῶν τῆς Ἀνατολῆς πόλεων, ἄλλων καὶ Ἱερουσαλὴμ ὑπὸ Περσῶν, καὶ σφαζόντων πολλὰς χιλιάδας ἐν αὐτῇ τῶν Κληρικῶν, Μοναχῶν, Μοναζουσῶν, Παρθένων. Ἐμπίπραται τὸ Δεσποτικὸν μνῆμα, καὶ οἱ περίβοητοι τοῦ Θεοῦ ναοὶ, καὶ ἁπλῶς πάντα τὰ τίμια καθαιρεῖται. τὰ σεβάσιμα τοῦ Σταυροῦ ξύλα σὺν τοῖς ἱεροῖς σκεύεσιν ἀναρίθμητος οὔσης, λαμβάνονται παρὰ Περσῶν, καὶ Ζαχαρίας Πατριάρχης καὶ αἰχμάλωτος γίνεται. καὶ ταῦτα οὐκ ἐν πολλῷ χρόνῳ, οὐδὲ ἐν ὅλῳ μηνὶ, ἀλλ' ἐν ἡμέραις ὀλίγαις συνέβη. „Hoc anno circa menſem Junium, malum nobis accidit per„petuo luctu deplorandum. Cum aliis quippe„compluribus Orientis civitatibus, Hieruſalem„a Perſis capta eſt, multis Clericorum, Mona„chorum, Sanctimonialium & Virginum milli„bus trucidatis. Incenſum etiam Dominicum„Sepulchrum, & celeberrima Dei templa, & ut„verbo dicam, pretioſa omnia deſtructa. Ve„neranda crucis ligna, cum ſacris vaſis innume„ris, a Perſis capiuntur, & Zacharias Patriarcha„captivus abducitur. Atque hæc omnia non„multa anni parte, nec toto menſe, ſed intra„paucos dies contigere.„

5. Scriptorem hunc licet non expreſſo nomine, exſcribunt Scriptores varii, Georgius Hamartolus in Chronico, quem ad annum 840. collocavimus: Joannes Malala Patriarcha Antiochenus, a me ad annum 910. vel 920. deſignatus, Antiquior igitur eſt his Scriptoribus auctor *Chronici Alexandrini* ſeu *Paſchalis* juxta Ducangium, unde Georgio Alexandrino recte tribuitur. Hoc Chronicon Paſchale ad annum Chri-

Christi 253. in editione Ducangii pag. 270. littera C. hæc de Decio Imperatore refert ex Leontio Antiochiæ Episcopo. „Hic Decius S. Babylam, non solum quod Christianorum religionem profiteretur, interfecit: sed & quod Imperatoris Philippi uxorem, atque adeo ipsum Philippum, utrumque Christianum, ab ædis sacræ ingressu arcere ausus esset, propter perpetratum a Philippo crimen, quod ejusmodi fuit: Philippus iste junior, cum Præfectoriam Prætorii, imperante illius decessore Gordiano gereret, commendatum sibi ac suæ tutelæ a Gordiano datum filium, ipso Gordiano Imperatore mortuo, interfecit ac imperium arripuit. „ Quæ ex ipso accepit in suo *Chronico* Joannes Malala Antiochenus Archiepiscopus. De quo agunt Antonius Possevinus in *Apparatu sacro*. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* capp. 104. 179. & 180. a quo multa ex antedictis accepta sunt. Gerardus Joannes Vossius lib. 4. *de Historicis Græcis* cap. 18. Leo Allatius in doctissima Diatriba *de Georgiis & eorum Scriptis*, pag. 316. 317. & 318. Petrus Lambecius lib. 8. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis pag. 271. & seqq. Et in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 553.

630. SANCTVS SOPHRONIVS PATRIARCHA HIEROSOLYMITANVS, ex Damasco oriundus, Sophista primum, deinde Monachus, Joanni Eleemosynario Patriarchæ Alexandrino familiaris & contemporaneus fuit. Floruit sub Imperatore Mauricio, & Modesto successit in Patriarchatu Hierosolymitano, juxta Baronium anno Christi 633. ut demonstrat idem Cardinalis *Annalium Ecclesiasticorum* tomo VIII. anno 633. num. 9. & deinceps. Juxta Cavum, anno 629. factus Patriarcha Hierosolymitanus. Indefessus Orthodoxæ veritatis vindex, qui præsens Alexandriæ factus anno 633. Cyrum sub obtentu pacis ineundæ hæresim in Ecclesiam invexisse strenue exclamavit, cujus communioni renuntiavit. Quin & litteris apud Sergium CP. egit, ut Capitulum septimum *libelli satisfactionis* præscripti Severianis a Cyro, cassaretur. Misit quoque Stephanum Legatum ad Papam Honorium, hæresi Monothelitarum faventem, ad morbum hunc jam grassantem curandum. Anno 636. capta ab Haumaré Saracenorum duce Hierosolyma, liberam religionis professionem Christianis concedendam pactus, eodem anno vitam finivit. Hæc ex Cavo. Jam ad scripta veniamus, quæ sunt *Homilia, Historia & Cantica*, unica excepta Epistola, de quibus sigillatim agendum est.

Epistola Encyclica, statim post susceptum Episcopatum *scripta ad Honorium Romanum Pontificem, Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, & reliquos forsitan Patriarchas*. Epistola illa prolixa quidem, si quæ alia, adeo ut justi voluminis molem exæquare posset: quæ Græce & Latine extat in *Concilio Constantinopolitano* tertio Act. XI *Conciliorum* tomo VI. pag. 851. Hujus meminit Photius in Bibliotheca, Cod. CCXXXI. Reperitur frequenter in MSS. Codicibus bibliothecarum, Tractatus quidam sub Sophronii nomine, qui mihi ex hac Epistola Encyclica seu Synodica desumptus videtur. Nempe *Tractatus de Incarnatione unius ex Trinitate*, qui sub Sophronii nomine habetur MS. in Regia Gallia bibliotheca, inter Codices Græcos 2198. ut habet Labbeus in *Specimine Novæ Bibliothecæ MSS. librorum* pag. 90. Idem opus inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 185. Barocciano num. 4. pag. 46. *Ex Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani Synodicis scriptis Romam missis excerpta.* Χρὴ πάντα Χριστιανὸν ὁμολογεῖν, παιδία &c. *Ejusdem* ut videtur, *Confessio de incarnatione Christi* pag. 6. Πιστεύω δὲ καὶ εἰς τὸν ἕνα τῆς ἁγίας &c. Et Codice 197. Barocciano pag. 254. *E Synodico Sophronii de S. Trinitate.* Χρὴ πάντα ἄνθρωπον Χριστιανόν. *Idem de Incarnatione Christi* pag. 255. Χρὴ πιστεύειν ὅτως. Et inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 5838. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice Græco 4. *Item de hæresibus & hæresiarchis, ex Synodicis Sophronii Patriarchæ Hierosolymorum.* Et Codice 5949. in MSS. ejusdem Thomæ Galei Codice 115. num. 4. *Sophronii Patriarchæ Sermo de S. Trinitate & de Incarnatione Christi.* Denique in bibliotheca nostra Lugdunobatava, inter MSS. Codices ab hæredibus Isaaci Vossii emptis, Codice Græco 27. num. 5. *Sophronii Patriarchæ Hierosolymitani* Συνοδικαὶ διατάξεις.

Orationes II. in Crucem, quæ habentur apud Jacobum Gretserum tomo II. *de Cruce*, prima Græce & Latine pag. 1173. postrema Latine tantum pag. 1401. Harum una extat Græce MS. inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Codice Barocciano 234. pag. 28. σαυρῷ πανήγυρις &c.

Homilia in Christi natalitia & *Encomium SS. Angelorum, Archangelorum, caterarumque Virtutum*: quæ duæ Homiliæ Latine tantum habentur in multis editionibus Bibliothecæ Veterum Patrum Parisiensibus, annorum 1579. 1624. 1644. 1654. Ambæ extant Græce MSS. in Bavarica bibliotheca, Codice 114.

Encomium Sanctorum Cyri & Joannis Martyrum, cujus fragmenta duo reperiuntur citata in Nicæna Synodo II. Act. 4. *Conciliorum* tomo VII. pag. 249.

Ex Sophronii Archiepiscopi Hierosolymitani Oratione in Annuntiationem sanctissimæ Deiparæ, Excerptum habetur Codice MS. Historico Græco XIX. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, a fol. 3. pag. 1. usque ad fol. 9. pag. 1. Ut habet Lambecius libro seu tomo 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 385. Eadem extat MS. in Bodlejana bibliotheca Codice 3382. in MSS. Codd. Joannis Seldeni Codice 53. num. 7.

Ex Sophronii Epiſcopi Hieroſolymitani Encomio in ſanctum Joannem Evangeliſtam, excerpta quædam ibidem, Codice MS. Theologico Græco LIX. ejusdem Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, fol. 120. pag. 2. & fol. 121. pag. 2. Vt habet Lambecius lib. 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 100. Item aliud *ex eodem Encomio ſancti Sophronii Patriarchæ Hieroſolymitani*, ibidem Codice MS. Theologico Græco CCLVI. num. 4. & quidem folio 258. pag. 1. ut habet Lambecius tomo 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, p. 172.

Sub ejusdem Sophronii nomine, extat aliud quoddam fragmentum ſeu Excerptum hiſtoricum *de laboribus, certaminibus, & peregrinationibus ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli* inſcriptum, in magna Bibliotheca Veterum Patrum, editionis Pariſienſis annorum 1575. & 1589. a Margarino Bignæo inſertum, quod in Pariſienſi quoque editione anni 1654. tomo VII. col. 107. & 108. ſed Latine tantum. Hoc autem Excerptum non videtur deſumptum ex Encomio vel Homilia ſpeciali, quam feciſſet in illorum laudem Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus: ſed ex *Hypomnematibus* ſeu *Commentariis* quæ conſcripſerat *de actibus Apoſtolicis*, jam deperditis.

Porro *Sophronii Archiepiſcopi Jeroſolymitani in ſanctum baptiſmum Servatoris noſtri* extat Græce MS. in Hiſpana Regia Scorialenſi Bibliotheca, ut teſtatur Alexander Barvoëtius, qui Catalogum illius edidit.

Delibatis Patriarchæ Sophronii Encomiis atque Homiliis, quorum fragmenta reſtant, jam ad Opuſcula hiſtorica veniamus.

Limonarium ſive Pratum Spirituale, quod etiam *Hortus novus* & *Viridarium* appellatur, ſub nomine Joannis Moſchi ſeu Eviroti, evulgatum, a plurimis & eruditis viris, Sophronio Patriarchæ Hieroſolymitano tribuitur. Nempe ab Anonymo apud Damaſcenum, Oratio I. *de Imaginibus*, & a Concilii Nicæni II. Patribus Act. 4. ubi ſub Sophronii nomine citatur. Vnde probabili ſane, quæ & aliunde confirmari poteſt, uſus conjectura Joannes Gerardus Voſſius, lib. 2. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 23. opinatur Sophronium juncta cum Moſcho opera *Limonario texendo* inſudaſſe: quin & primas in eo opere partes tuliſſe, licet gloriam illius amico ſuo præ amore & modeſtia ceſſerit. Extat Opus iſtud *Prati Spiritualis*, ab Ambroſio Camaldulenſi Monacho Latine verſum, inter *Vitas Patrum* quarum librum X. conſtituit, a Rosweido editum, Lugduni 1617. pag. 647. & alibi. Græcum textum, lacunis tamen frequentibus mutilatum, Ambroſii Camaldulenſis verſioni Latinæ adjunxit Fronto Ducæus Soc. Jeſu Theologus, in *Auctario* Bibliothecæ Sanctorum Patrum, editionis Pariſienſis anni 1624. tomo 2. pag. 1057. Quas Lacunas ex integriori Codice ſupplevit Joannes Baptiſta Cotelerius Tomo II. *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ*, pag. 341. Extat inter MSS. Codices Hiberniæ Codice 1261. in MSS. Codicibus Narciſſi Dublinenſis Archiepiſcopi num. 10. in Theologis Codice 19. *Sophronii hortus Monaſticus, ſeu Pratum Spirituale*, Arabice in 4.

Edidit quoque Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus, Opus inſcriptum *Hypomnemata ſeu Commentarios de actibus, certaminibus & peregrinationibus Apoſtolorum*: quod lapſus temporum absque magna Eccleſiæ jactura poſteris abſtulit. Continebat enim Opus iſtud fabuloſa multa, viro gravi indigna, quæ ſimplex nimium Sophronius & credulus, mutuatus fuerat ab Apocryphis anterioribus Scriptoribus, ut a Dorotheo Tyri Epiſcopo, qui *libellum de duodecim Chriſti Apoſtolis & aliis ſeptuaginta diſcipulis ſcripſiſſe fertur.* Ab Evodio ſanctorum Apoſtolorum ſucceſſore, cujus *Epiſtola quadam Φῶς ſive LVMEN inſcripta*, circumfertur. Ex hoc Opere obtulit nobis fragmentum Latine tantum Margarinus Bignæus, primus author Magnæ Bibliothecæ Veterum Patrum, inſcriptum *de laboribus, certaminibus & peregrinationibus S. Pauli*, de quo jam ſupra egimus. Aliud nobis dedit Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis, Codice MS. Theologico Græco XXXIV. *de baptiſmate ſanctorum duodecim Apoſtolorum beatiſſimaque Dei genitricis, & de Genealogia Chriſti*: quod refert Lambecius tomo 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 52. Tertium denique *ex iisdem ſanctis Sophronii Hypomnematibus*, eadem Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis, Codice MS. Theologico Græco CCCXX. num. 3. & quidem fol. 177. pag. 2. *de baptiſmate ſanctorum duodecim Apoſtolorum*, ut habet idem Lambecius libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 279. In hoc autem fragmento Sophronius ait, „ *Quod Chriſtus ex duodecim Apoſtolis ſuis ſolum S. Petrum propriis manibus baptizaverit.*„ Legitur etiam apud Nicephorum Calliſtum *Hiſtoria Eccleſiaſtica* lib. 2. cap. 3. tanquam deſumptum, ex *Evodii Sanctorum Apoſtolorum ſucceſſoris Epiſtola quadam Φῶς ſive Lumen inſcripta*, ibidemque additur paulo aliter quam in hoc Sophroniano fragmento: *ſanctum Petrum porro baptizaſſe S. Andream, & filios Zebedæi S. Jacobum & S. Joannem Evangeliſtam, atque hos duos deinceps baptizaſſe reliquos omnes Apoſtolos.* Idem quoque fragmentum Chronologicum Hippolyti Thebani relatum a Lambecio, tomo 3. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ, pag. 47. & apud Baronium tomo 1. *Annalium Eccleſiaſticorum*, anno 31. num. 40.

Attribuitur quoque ipſi a Guillelmo Cavo in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo 7. ad annum 629. pag. 452. *Vita ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ*, quæ a Paulo Diacono Latine verſa, habetur apud Surium die 2. Aprilis: cujus author dicitur Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus, in Codice Colbertino 4249. & in Bavarica celebri bibliotheca Codice 75. Idem quoque multi, quos Cavus ſecutus eſt. Havent paſſim huic

huic Opinioni Codices MSS. qui vitam hanc Sophronio Hieroſolymorum Archiepiſcopo adſcribunt. Codex MS. Theologicus Græcus CLI. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis num. 13. & quidem a fol. 65. pag. 2. usque ad fol. 78. pag. 1. „ *Vita ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ a Sophronio Archiepiſcopo Hieroſolymitano* conſcripta, cujus titulus & principium: Τῦ ἐν ἁγίοις, Πατρὸς ἡμῶν Σωφρονίου Ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων, λόγος εἰς τὸν βίον τῆς ὁσίας Μαρίας, τῆς Αἰγυπτίας. Μυστήριον βασιλέως κρύπτειν καλόν, τὰ δὲ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἀναπτύσσειν ἔνδοξον. οὕτω γὰρ εἶπεν ὁ Ἄγγελος τῷ Τωβήτ. Extat quidem hæc Vita in Opere *de Vitis Patrum* ab Heriberto Rosweido edito, pag. 381. ſed Latine tantum interprete Paulo Neapolitanæ Eccleſiæ Diacono. Incipit ea his verbis: *Secretum Regis celare bonum eſt, opera autem revelare & confiteri honorificum eſt. Ita enim legitur Angelum dixiſſe Tobiæ &c.* ut habet Lambecius lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ, p. 128. Eadem Codice MS. Theologico Græco CCX. ejusdem Bibliothecæ num. 32. & quidem a fol. 253. pag. 1. usque ad fol. 273. pag. 2. ut habet Lambecius lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 27. Denique eadem Codice MS. Hiſtorico Græco XV. ejusdem Bibliothecæ, num. 28. & quidem a folio 209. pag. 1. col. 1. usque ad fol. 226. pag. 2. colum. 2. *Vita ſanctæ Mariæ Ægyptiacæ*, cujus titulus & principium: Βίος καὶ πολιτεία τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Μαρίας τῆς Αἰγυπτίας. Μυστήριον βασιλέως κρύπτειν, καλόν. τὰ δὲ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἀναπτύσσειν, ἔνδοξον. οὕτω γὰρ εἶπεν ὁ Ἄγγελος τῷ Τωβήτ &c. Plura de hac Vita vide libri quarti horum Commentariorum pag. 128. ubi ea attribuitur Sophronio Archiepiſcopo Hieroſolymitano, & lib. 5. eorundem Commentariorum pag. 27. ubi eidem attribuitur: quemadmodum etiam fit a Leone Allatio in Diatriba *de Symeonum ſcriptis*, pag. 100. Sed contra hanc vulgarem opinionem vide diſſerentem Danielem Papebrochium Soc. Jeſu, in *Actis ſanctorum Antverpienſibus*, tomo 1. menſis Aprilis, nempe die 2. ejusdem menſis, pag. 69. & 74. Ibidem quoque extat, eadem Vita Latine pag. 76. & deinceps, tum Græce in Appendice pag. 13. & deinceps, ex Codice MS. Regis Galliæ, collato cum Codice MS. Monachienſi, Ducis Electoris Bavariæ. „ Hæc Lambecius tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 231. cui contra Cavum & communem ſententiam accedo, ob rationes a Papebrochio allatas. Eadem extat Græce MS. in Bodlejana bibliotheca Cod. 290. in MSS. Codd. Oliverii Cromwelli Codice III. num. 3. Et inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 6157. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 323. num. 5. Item Codice 9085. in MSS. Codicibus Georgii Wheleri Canonici Dunelmenſis Codice 14.

Jam ad Cantica Sophronii nomine inſcripta, veniamus. MS. Codici Theologico Græco Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis CCCIII. quod *Hymnologium Græcorum* eſt, inſerta ſunt, illic fol. 75. pag. 2. *Troparia Sophronii Archiepiſcopi Hieroſolymitani, cantari ſolita in Vigilia Natalis Chriſti*, quorum titulus ſive inſcriptio talis eſt: Τροπάρια ψαλλόμενα τῇ παραμονῇ τῶν Χριστουγέννων εἰς τὰς ὥρας· ποίημα Σωφρονίου Ἱεροσολύμων. Ibidem quoque in eodem Codice & quidem a fol. 223. pag. 1. usque ad fol. 264. pag. 2. *Sophronii Archiepiſcopi Hieroſolymitani Horologium magnæ Paraſcevæs, cum antiquis Notis muſicis*, cujus titulus & principium: σὺν Θεῷ Σύνταξις τῶν ὡρῶν τῆς μεγάλης παρασκευῆς. ποίημα Σωφρονίου Ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων. ὥρα α, ψαλμὸς ε. Τὰ ῥήματα &c. Agunt *de Sophronio Patriarcha Hieroſolymitano*, Cæſar Baronius tomo VIII. *Annalium Eccleſiaſticorum*, anno 633. num. 9. & deinceps. De ſcriptis quoque ejus, idem Baronius, ad annum 636. num. 5. cujus & memini hit in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem Martii XI. quo Natalis ejus dies annuatim ab Eccleſia Romana celebratur. Antonius Poſſevinus tomo 2. *Apparatus Sacri*, verbo *Sophronius*. Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 23. Petrus Lambecius paſſim in Commentariis *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, locis & libris antea a me allegatis. Omnes autem recte monent, hunc *S. Sophronium Patriarcham Hieroſolymitanum* non eſſe confundendum cum altero integris ducentis annis antiquiore Sophronio, cujus S. Hieronymus tanquam æqualis ſui meminit, in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 134.

SDONATVS VESVNTIONENSIS ARCHI-640.
·EPISCOPVS, Valdeleni Burgundiæ ſuperioris Ducis & Flaviæ filius, Valdeleni primi Bezuæ Abbatis frater, de cujus ortu mirabili ex parentibus ſterilibus, eſt legendus Jonas in Vita ſancti Columbani Abbatis Luxovienſis cap. 15. Donatus ſub ejus diſciplina in Luxovienſi Cœnobio ſapienter & pie inſtitutus, Archiepiſcopatum ſubinde Biſuntinum ad quem electus eſt, prudentiſſime gubernavit, ut in Chronico Bezuenſi legitur. Hic poſtea ob ejusdem B. Columbani amorem, ex ipſius Regula Monaſterium conſtruxit, quod *Palatium* nuncupavit, referente alio MS. Chronico. Ædificavit autem *Eccleſiam ſancti Pauli in urbe Biſuntinenſi*, in qua cum patre ſuo in Domino requieſcit: & *Juſſanum Monaſterium B. Mariæ*, cum matre ſua Flavia, quæ ibi ſepulta eſt. Idem huic Monaſterio puellarum quod mater ejus fundaverat, *Regulam* ſcripſit, ex ſanctorum Auguſtini, Cæſarii, Benedicti & Columbani Regulis maxima ex parte defloratam, quam edidit Lucas Holſtenius in Codice Regularum parte 3. pag. 47. & ſequentibus. Incipit prologus Regulæ a *Donato* collectæ, *Sanctis & a me plurimum venerandis Chriſti Virginibus, Gauſtrudæ, omnique ſuæ Congregationi,*

in Cœnobio a Flavia conſtituto, Donatus omnium extremus famulorum, famulorumque Dei ſervulus, ſalutem. Quanquam vos juxta normam Regulæ, vaſa Chriſti pretioſiſſima noverim &c. Incipit Regula. *Caput primum.* Qualis debeat eſſe Abbatiſſa. *Mater Monaſterii, quæ præeſſe digna fuerit Congregationi, cogitet ſemper quale onus ſuſcepit &c.* Hic ipſe Donatus Archiepiſcopus eſt, cujus *Regulæ* meminit Benedictus Anianenſis in ſua *Concordia Regularum:* qui etiam ut putamus, *Commonitorii* ſeu *Regulæ ſanctorum Pauli & Stephani* author fuiſſe creditur, quam idem habet Holſtenius in Collectione Regularum, parte 2. pag. 44. & ſequentibus. De qua idem Benedictus Anianenſis: ſub qua nimirum & Monachos ſancti Pauli Veſuntionenſis, & Cathedralis Eccleſiæ Canonicos Regulares ſancti Stephani, tanquam utrorumque pater & præfectus communis, ad omnem morum honeſtatem inſtituebat. Hæc Regula Sanctorum Pauli & Stephani incipit, *Imprimis ergo hortamur, ut timorem Dei & mutuam charitatem, & unanimitatem omnes in bonis ſtudiis habeamus &c.* Interfuit Donatus Synodo, quam Flodoardus lib. 2. *Hiſtoriæ Remenſis* cap. 5. Remis, alii quidam Sueſſione, & primo anno Dagoberti Regis, Chriſti 630. celebratam volunt. Adfuit etiam Cabilonenſi Concilio, circa annum 650. qui nominatur quoque in Diplomate pro Dionyſianis Monachis, anno 658. Ex citato Codice MS. Biſuntino, per hunc Antiſtitem, recepit Eccleſia Biſuntinenſis villas, Domblingum & Arslatum. Ejus corpus deinde ex Baſilica ſancti Pauli ubi conditum primo eſt, in vicinam parochialem Eccleſiam translatum, quæ ab ipſo *Sancto Donato* nomen habet, coliturque inter Veſuntionenſes Archiepiſcopos ſanctimonia celebres quotannis die 7. Auguſti. Hæc ex *Gallia Chriſtiana* Sammarthanorum fratrum, tom. 1. pag. 120. in *Archiepiſcopis Biſuntinenſibus*, quorum Epitomen ſuppeditavit Petrus Franciſcus Chiffletius, Soc. Jeſu Theologus. Plura Joannes Jacobus Chiffletius Eques & Archiater Regis Hiſpaniæ, in Opere cui titulus, *Veſuntio civitas Imperialis*, anno 1618. Lugduni in 4. ubi de hujus urbis Antiquitatibus & Archiepiſcopis. Joannes Mabillon ſeculo 2. *Sanctorum Ord. divi Benedicti* pag. 335. quod Pariſiis editum in fol. 1669. apud Carolum Savreux. Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 7. pag. 28. quem tamen omiſit Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum.*

640. CVMIANVS SEV CVMEANVS, quem incertæ ſatis Hiberniæ hiſtoriæ fabulamque olentes, filium fuiſſe Regis Occidentalis Momoniæ atque anno 592. natum fuiſſe volunt. Monaſticam poſtea profeſſum vitam, Abbatem primum, poſtea Epiſcopum quoque Hiberniæ ſanctum, ſub annum Chriſti 640. claruiſſe, tandemque anno 661. vel 662. mortuum. Scripſit *Epiſtolam de Feſti Paſchalis ratione, ad Segienum Huenſium ſanctæ Columbæ Abbatem*, quam Ægidius Bucherius in Commentario ad Victorii Aquitani *Canonem Paſchalem* recitat: & Vſſerius Armachanus Archiepiſcopus in Syntagmate Epiſtolarum Hibernicarum edidit pag. 17. & ſequentibus. Hiberni enim ſeu Scoti, Picti & indigenæ Britanni, cum antiquos Eccleſiæ ſuæ ritus in celebrando Paſchate retinerent, quos ante Anglorum irruptionem in Britanniam a majoribus ſuis acceperant: multas ſuper hac re cum Anglis jam Chriſtianis contentiones ac diſputationes habuerunt, ut idem Bucherius ex Bedæ Hiſtoria, libro citato cap. 9. docet. *Ejusdem Cumeani Abbatis Scotobiberni, liber de Pœnitentiarum menſura*, apud Patricium Flemingum in *Columbano ſuo* pag. 197. de quo diximus ſupra ad annum 590. Hinc Opuſcula iſta tranſierunt in Bibliothecam SS. Patrum, ultimæ editionis Lugdunenſis anni 1677. tomo XII. pag. 41. Plura de *Cumiano* Flemingus citatus. Joannes Colganus in *Vitis & Actis Sanctorum Hiberniæ*, quas cum Notis & Appendicibus, duobus in folio Volum. Lovanii annis 1645. & 1647. evulgavit. Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 188. pag. 217. Jacobus Vſſerius in Syntagmate Epiſtolarum Hibernicarum, pag. 17.

640. GEORGIVS ELEVSIVS, vel ELEVSIVS GEORGIVS, PRESBYTER & Sicæorum manſionis Præfectus, vixit tempore Heraclii & filii ejus Conſtantini, qui anno 640. patri in Imperio ſucceſſit. Hic Eleuſius qui cognomento *Georgius*, retulit in literas *Vitam S. Theodori præceptoris ſui, Sicæorum Archimandritæ, & Anaſtaſiopoleos Epiſcopi*, quæ extat apud Laurentium Surium Latine Tomo 2. ad diem 22. Aprilis, atque apud Bollandi ſucceſſores in *Actis Sanctorum*, ad eandem diem. In fine Vitæ ejus legas, *Hæc ego Eleuſius qui & Georgius a ſancto Georgio vocatus ſum, omnia Deo adjuvante conſcripſi, neque vero miraculorum ipſius expers ſum. Cum enim parentes mei ex oppido Adigermano diu ſimul vixiſſent, nec ullos poſſent liberos ſuſcipere, ad ſanctum virum acceſſerunt: cumque zonas quibus ille benedixerat accepiſſent, ego conceptus ſum & in lucem editus, & infans ipſi oblatus: qui & in ſancto ejus Monaſterio enutritus, a religioſiſſimo Præfecto litteras didici &c.* Quando autem Sanctus ille Theodorus deceſſerit, paullo poſt exponit inquiens: *Deceſſit vita ſanctiſſimus & beatiſſimus ac fideliſſimus Chriſti ſervus Theodorus, tertio Imperii anno, pietatis & Chriſti ſtudioſiſſimi Imperatoris Heraclii, quo quidem anno filius ejus Deo chariſſimus Conſtantinus, creatus fuit Cæſar, Indictione prima die XXII. menſis Aprilis.* Quæ ſane nos non magis de *Eleuſii Georgii*, quam de Theodori Syceotæ ætate dubitare ſinunt. Etſi autem inſcriptio apud Surium, hujus Vitæ interpretem non indicet, ex Græco tamen hanc eſſe translatam, vel argumento eſt, quod ubi hiatus in ea Vita occurrit, *nonnulla deſuiſſe in Græco exemplari* dicantur. An Græce illa expreſſa ſit in *Actis Sanctorum Antverpienſibus*

ad

ad diem 22. Aprilis, ego neſcio, cum Opera hæc mihi non in manibus ſint. Agunt de *Eleuſio Georgio* Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 23. pag. mihi 279. cui hæc debemus. Carolus du Freſne Dominus du Cange, in Catalogo Scriptorum quem ſubjunxit *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis* col 42. ubi inquit extare MS. Græce *Sancti Theodori Syceotæ, Epiſcopi Anaſtaſiopoleos Vitam* in Bibliotheca Colberti Codice 206. illamque laudavi in Concilio Nicæno II. Actione 4. Sed diffuſe omnino Leo Allatius in Opuſculo *de Georgiis & eorum ſcriptis* pag. 313.

640. GEORGIVS PISIDES, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus & Chartophylax, circa annum 640. clarus, plurima ſcripſit, ex quibus aliqua ſuperſunt, ſed plura interiiſſe lapſu temporum, falſo arbitratus eſt Guilielmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ*, ſeculo VII. anno 640. pag. 454. Omnia enim ab ipſo ſcripta huc usque permanſiſſe in MSS. Codicibus, comperi. Suidas in Lexico voce Γεώργιος, tum ſoluta, tum vincta oratione, pleraque ſcripſiſſe his verbis teſtatur. „ Γεώργιος Διάκονος τῆς μεγάλης ἐκκλησίας καὶ Χαρτοφύλαξ, ὁ ἐπίκλην „Πισίδης, Ἐξαήμερον δι' ἰάμβων εἰς ἔπη τρισχίλια, εἰς Ἡράκλειον τὸν βασιλέα, καὶ εἰς τὸν πρὸς Πέρσας πόλεμον, ἔτι τε καὶ Ἀβαρικὸν καταλογάδην. Ἐγκώμιον εἰς τὸν μάρτυρα Ἀναστάσιον. Georgius Diaconus Magnæ Eccleſiæ & chartarum cuſtos, cognomento *Piſides, Hexaëmeron*, id eſt *Mundi intra ſex dies creati opus* conſcripſit fere tribus millibus verſuum jambicorum. Et *de Heraclio Imperatore, & de bello Perſico, item & de Abarico*, oratione ſoluta. *Et Anaſtaſii Martyris laudationem.*

Cosmopeja ſeu *Poëma Jambicum in Hexaëmeron, Sergio Patriarchæ Conſtantinopolitano dicatum*, quod verſibus 3000. olim conſtitiſſe Suidas prodit, licet in eo quod nunc habemus poëmate, nec duo millia verſuum reperias, ſuperſunt enim hodie Carmina mille octingenta octoginta, quæ ab initio operis incipiunt, ut oſtendit Cod. MS. Auguſt. bibliothecæ, ubi inſcriptio talis eſt, Γεωργίου Διακόνου τῆς ἁγίας ἐκκλησίας, τοῦ Πισσίδου, προοίμιον τῆς Ἐξαημέρου διὰ ἰαμβῶν στίχων. Cum autem Heraclius Imperator in Perſidem iturus, humi proſtratus, ſupplex, illachrymansque, opem Dei adverſus hoſtes & impios deprecaretur, divino percitus numine, ac futura prævidens, Carminibus illis quæ refert Georgius Hamartolus, & ex Hamartolo Georgius Cedrenus in *Hiſtoriæ Compendio* mirifice ſolatus eſt. „ Καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν ἐκκλησίαν, *Hera„clius*, μέλανα ὑποδήματα περιβαλλόμενος „ἦλθε, ὃν ἰδὼν Γεώργιος ὁ Πισσίδης, μετὰ „τῆς τοιαύτης παρρησίας ἔφη, ἐν βασι„λεῖ

„ Μελανοβαφῆς πέδιλον εἰλήσας ποδὶς,
„ Βάψεις ἐρυθρὸν Περσικῶν ἐξ αἱμάτων.

„ Et ingreſſus Eccleſiam, & nigris calceis indutus oravit, quem ita animo demiſſo videns, Georgius Piſſida, dixit, *O Imperator, nigrum calceum convolvens pedibus, tinctum rubrefacies cruore Perſico.* „

In eo ſub tecto Procli nomine, hæreſim Joannis Philoponi & ſectatorum illius oppugnavit, adeo ut idem cum illo Poëmate jure credi poſſit, quod a Georgio noſtro μέτρους ἀρίστους ὥστε ἔθος γεγόνειν, contra Philoponum exaratum eſſe tradit, Nicephorus Calliſtus lib. 18. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* cap. 48.

Ἐπὶ δὲ τούτῳ καὶ ὁ θαυμάσιος Διάκονος καὶ ραϕῳδὸς Γεώργιος ὁ Πισσίδης, ἡλικιώτης ὢν ἐκείνου, εἰ καὶ τῷ χρόνῳ λίαν νεώτερος· ἐν ἰάμβοις μέτροις ἀρίστοις, ὥστε ἔθος γεγόνειν, πρὸς τὴν εἰρημένην αἵρεσιν ἀντιτάξας, καὶ παιδίαν σπουδὴν περαιτέρω ὅτου πῶς διεξέρχεται σφόδρα διελέγχων τὸ ἄτοπον.

Ψηφίζεται θᾶττον μίαν τι, καὶ μίαν,
Εἰ γὰρ μίαν τι καὶ μίαν λέγεις μίαν.
Γέλως τὸ λεχθὲν γίγνεται καὶ παιδίοις.

Ὁ δέ φησι, πιστῶν ἐστιν. Ὁμολογεῖς φησι, Φιλοπονιάτας καὶ Φιλοσοφίτας, δύο φύσεις ἡνῶσθαι τῷ λόγῳ, μίαν τῆς θεότητος, καὶ μίαν τῆς ἀνθρωπότητος. Εἰ τοίνυν δύο φύσεις λέγεις συνελθεῖν αὐτῷ, πῶς εἰς μίαν ἄνθις τὰς δύο συτέλλεις; φησί. μία γὰρ καὶ μία δύο, ἀλλ' οὐχὶ μία. γέλως γοῦν, εἴ τις καὶ τὰ τῷ αὐτῷ ὑποκειμένω δύο κατηγορήσει τινός, καὶ αὖθις ἐν πάλιν τὰ τοιαῦτα ποιοῖτο. Poſt hunc & admirandus ille Diaconus atque Referendarius Georgius Piſides, æqualis ſive coætaneus illius, quamvis ætate aliquanto junior, Jambis pulcherrimis quos ſcribere conſueverat, cum dicta hæreſi congreſſus, rem ſeriam ludicro temperando, ad hunc modum refert, abſurditatem illius refutans.

Vnam atque mox unam lapillo computat:
At unam & unam forte ſi unam dixeris;
Pueri vel ipſi, tale dictum riſerint.

Quod autem verſiculis hic expreſſit, ſic habet: Profiteris (inquit) Philopone, Philoſophorum omnium laborioſiſſime & ſapientiſſime, duas naturas in Verbo unitas eſſe, unam divinitatis, & unam humanitatis. Si ergo duas naturas dicis in eo conveniſſe, quomodo duas in unam rurſus contrahis? Vna namque & una duæ ſunt, non una. Itaque ſi quis in eadem ſubjecta re, duo quædam prædicando indicet, eaque ipſa rurſum in unum redigat, ridendum ſe merito præbeat. „ Hos etiam verſus laudat Nicetas Choniata lib. X. *Theſauri Orthodoxæ fidei* adverſus Monophyſitas.

Et Gregorius Corinthi Epiſcopus, Piſidæ carmen Jambicum aliis prætulit, dignum ratus, ex quo tantam abſolutiſſimo, exemplum petere deberemus. Ita *de conſtructione Orationis.* "Ἐπεὶ ἔν τὰ ἰαμβεῖα λογογεραφία τίς ἐστιν εὔρυθμος, ζηλούσθω σοι καὶ τὸ ἐνθυμηματικὸν ἐν αὐτοῖς. Ἔχεις ἀρχέτυπον τὸν Πισσίδην, τὸν Γεωργίου τὸν Καλλικλῆν, τὸν Πτωχοπρόδρομον, καὶ εἴ τις τοιοῦτος. Ἐν τοῖς παλαιοῖς τὸν Θεολόγον καὶ Σοφοκλῆν ἐκ τῶν

τῶν ποιητικῶν ἰδιωμάτων αὐτῶν, τὰ ἐνφραδέστερα τῆς Λυκόφρονος, καὶ εἴ τι τοιοῦτον. Verum tamen cum Jambicum carmen ſoluta quædam oratio ſit, ſed concinna ac numeroſa: imitare in eo argutum & vehemens in argumentationibus. Præ aliis imitandum tibi propone *Piſidem*, & ex recentioribus Calliclem & Ptochoprodromum, & ſi quis alius fuerit: ex antiquis Theologum, Sophoclem, præter eorum poëticas proprietates, & eloquentiora Lycophrontis, & ſi quid ſimile.

Extant multi MSS. Codices hujus in Hexaëmeron Poëmatibus, Græce in Europæ celebribus bibliothecis, ſed mutili ut opinor, omnes: Nimirum in Regia Galliarum bibliotheca, unde primum Græce & Latine prodiit in lucem. Bavarica Codice Græco LI. uti habet Antonius Poſſevinus in Catalogo hujus Bibliothecæ, ad calcem *Apparatus Sacri*. Auguſtana Pluteo 3. Codice LXXV. de quo jam ſupra diximus. Cæſarea Vindobonenſi inter MSS. Codices Theologicos Græcos, ut habet Petrus Lambecius lib. 5. Commentariorum Bibliothecæ citatæ pag. 19. Codice CCIX. num. 7. & quidem a fol. 60. pag. 1. usque ad folium 70. p. 2. Georgii Diaconi & Referendarii cognomento Piſidæ *Hexaëmeron* ſive Poëma *de ſex dierum opificio mundi*, cujus titulus & principium, Γεωργίου διακόνου καὶ Ῥεφερενδαρίου τοῦ Πισίδου εἰς τὴν Ἑξαήμερον. ὦ παῖδες ἔργα καὶ θαυμάσια λέγω &c. Illud autem mutilum quoque ibidem extat, pertingitque tantum usque ad locum de vermibus ſericis, cujus principium, ποῖος δὲ καὶ σκώληκας σηρικοὺς &c. Eodem authore *Encomium Sancti Anaſtaſii Martyris*, cujus Suidas ſupra citatus meminit, olim extabat in bibliotheca Antonii Auguſtini Tarraconenſis Archiepiſcopi, Codice 61.

Ejusdem Poëma *de vanitate vitæ humanæ* carmine etiam jambico, quod in fine mutilum & imperfectum eſt, capitibus XX. conſtans, quorum IX. Joannem Philoponum tacito nomine arguit. Vtrumque opus, una cum paucis ex Suida & aliunde collectis, Græce & Latine Prodiit Pariſiis 1584. in 8. ex MS. Codice Regiæ Galliarum bibliothecæ, opera Federici Morelli, linguæ Græcæ in Vniverſitate Pariſienſi Profeſſoris, qui utrumque Opuſculum in Latinam linguam tranſtulit. Vnde poſtea utrumque Latine transmiſſum in Bibliothecam PP. editionis 2. Pariſienſis anno 1589. Tomo 8. col. 317. & 354. Imo Opuſculum *de vanitate vitæ humanæ*, jam Latine in editionem primam hujuſce bibliothecæ Pariſienſem anno 1575. a Margarino Bignæo immiſſum fuerat Tomo 3. pag. ſeu col. 737. quod Federicus Morellus citatus, dicto Bignæo ex translatione ſua conceſſerat. Jambi illius in *Hexaëmeron*, Græce etiam cum ſelectis Gregorii Nazianzeni Carminibus, & Syneſianis hymnis Romæ, ſub Cyrilli Patriarchæ Alexandrini nomine, typis anno 1590. in 8. apud Franciſcum Zannetum vulgati ſunt. Quos ex Guilielmi Sirleti Cardinalis exemplari deſcriptos, ſe muneris loco accepiſſe a Conſalvo Ponce de Leon, Hieronymus Brunellus fatetur, ſed de authore judicium nullum interponit, adjiciens tantum: *a veteribus tamen graviſſimisque Patribus, aut verborum lepore & elegantia, aut rerum copia & varietate, aut quod caput eſt, pia religioſaque doctrina, nulla ex parte abhorrere videtur.* Denique hæc Opuſcula duo ſeu *Poëmata in Hexaëmeron & de vanitate vita humana*, Græce & Latine extant in Appendice ad Bibliothecam Patrum Bignæana, qua Poëtæ Chriſtiani tum Græci tum Latini continentur, Pariſiis anno 1624. in folio, pag. ſeu col. 387. & in editionibus ejusdem Bibliothecæ ſequentibus.

Ejusdem Georgii Piſidæ *Hiſtoria rerum ab Heraclio geſtarum & belli Perſici*. Item *Avarica ſive Avarum Hiſtoria*, & *Encomium Anaſtaſii Martyris*, quæ Suidas in Lexico voce Γεώργιος ὁ Πισίδης recenſet, opera iſta oratione ſoluta conſcripta, ad nos non perveniſſe, arbitratus eſt falſo, Guillelmus Cavus, loco citato. Extant Opuſcula pleraque iſta Romæ in Vaticana bibliotheca inter Heidelbergenſes MSS. codices, quorum apographum, Toloſæ anno 1662. apud ſe in Collegio Jeſuitarum ſe habuiſſe teſtatur Claudius Malfretus ejusdem ſocietatis Theologus, ad calcem Epiſtolæ ad Lectorem, editioni Operum Procopii Cæſarienſis Rhetoris præmiſſa, cujus hic verba ad Guilielmi Cavi confutandum errorem, tranſcribimus, ab inſtituto non aliena noſtro. Hæc enim Opuſcula edenda promiſerat, licet promiſſionem ſuam non compleverit. " Altera pars conſtabit ex Opuſculis " Poëticis, quorum hic ſeriem proponam. Ele- " gantem habeo templi ſanctæ Sophiæ & ambo- " nis ἐκφρασιν, quam Paulus Silentiarius Proco- " pio æqualis, verſibus ſcripſit hexametris, nu- " mero ſupra 1200. Hæc ab Procopii libros de " *Ædificiis* apta erit appendix, cum *Collectione Epi-* " *grammatum veterum Chriſtianorum*, quæ olim " Conſtantinopoli, & in aliis Græciæ civitatibus, " ſacris ædibus inſcripta legebantur. Id totum " ex MSS. Palatinis bibliothecæ Vaticanæ de- " promptum, ad me miſit illuſtriſſimus Lucas " Holſtenius. Hiſtoriam Procopianam contin- " gunt Corippi libri quatuor *de laudibus Juſtini* " *Junioris*. Hos multo caſtigatiores poſſum ede- " re, adjunctis Ruizii Aſſagrii & Dempſteri an- " notationibus: neque enim animus eſt, quem- " piam fraudare honeſti laboris fructu. Latino " huic poëtæ bis jam quidem edito, ſed plane a bi- " bliopolis diſtracto, Græcum ſcriptorem adde- " re vellem, qui Corippum videre potuit, *Geor-* " *gium* dico *Piſidem, Magna Eccleſiæ Conſtantinopoli* " *cana Diaconum. Ejus libri* Holſtenii beneficio " penes me ſunt, *de laudibus Heraclii Imperatoris*, " *duo: De bello Perſico ejusdem Heraclii, tres: De* " *bello Avarico ad muros urbis Conſtantinopolitanæ*, " *unus*. Nec male Georgio Piſidæ conveniet " cum Theodoſio item Diacono, cujus ἀνεῤῥήσεις " *quinque de capta a Romano Auguſto Creta*, mihi " deſcri-

Google

„describendas curavit illust. Leo Allatius, cu„stos Vaticanæ bibliothecæ, & in arce illa Rei„publicæ literariæ meritissimo collocatus. En quomodo non exciderunt Opuscula illa Georgii Pisidæ. *Verum de Encomio in Anastasium Martyrem*, jam supra diximus.

Agunt de *Georgio Pisida*, Antonius Possevinus tomo 1. *Appanatu Sacri*, verbo *Georgius Pisides*. Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *de Historicis Græcis* cap. 23. pag. 277. editionis ultimæ. Omnium amplissime Leo Allatius in Dissertatione *de Georgiis & eorum scriptis* a pag. 308. ad 312. regiæ editionis, quem contraximus. Guilielmus Cavus in *Historia rei literariæ*, Seculo VII. ad annum 640. pag. 454.

640. JOANNES IV. ROMANVS PONTIFEX, juxta Anastasium natione Dalmata, Venantii Scholastici filius, dein Ecclesiæ Romanæ Diaconus, annoque demum 640. ante diem 2 Augusti electus Romanus Pontifex, post mortem Heraclii die 3. Decembris ordinatus est. Habita eodem anno Romæ Synodo, Heraclii Ecthesin & hæresim Monotelitarum damnavit, Honorii vero Papæ ejusdem hæreseos accusati memoriam, *Apologia ad Constantinum Imperatorem, Heraclii filium, ingratiam prædecessoris sui scripta*, tartam tectam conservare conatus est. Scribendi occasio prodiit ex Pirrho Patriarcha Constantinopolitano & aliis Monothelitis, qui Honorii ad Sergium Pirrhi prædecessorem Epistola abuti credebantur, quasi ipsorum hæresi faveret, quam Joannes Papa timens ne labes inde Sedi Romanæ inspergeretur, recto atque orthodoxo sensu dictatam fuisse probare conatur. Hujus *Apologiæ* testimonio usus est sanctus Maximus in *Disputatione sua cum Pirrho*, quæ paucis post annis in Africa secuta est. Ipsam vero Apologiam integram Jacobus Sirmondus inter *Collectanea Anastasii S. R. Ecclesiæ Bibliothecarii* anno 1620. Parisiis edidit apud Sebastianum Cramoisy, nonnullaque Excerpta ex duabus aut tribus Epistolis sancti Maximi, huc spectantibus, addidit. Alias etiam Epistolas Joannis IV. Papæ habes in Collectione Conciliorum, nimirum *Epistolam ad Scotos Episcopos de Paschate more Romano celebrando, & hæresi Pelagiana extirpanda*, quæ ad eos statim ab ipsa ejus electione missa est, Conciliorum tomo 5. pag. 1757. quam sequitur *Apologia pro Honorio Papa ad Constantinum Imperatorem*, ibidem pag. 1758. Denique *Epistolam ejusdem ad Isaacum Synesianum Episcopum* ibidem pag. 1772. ut Monachis suarum Ecclesiarum Sacerdotes instituere liceat. Mortuus est anno 642. die XX. Septembris. Ita Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 186. pag. 217. Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, secul. 7. ad annum 640. pag. 455.

640. SDRANLIO CÆSARAVGVSTANVS EPISCOPVS, mortuo fratre suo Joanne ejus sedis Episcopo, dignitatem hanc assecutus est, anno 627. vir sicut ei sanguine conjunctus, ita ingenio quoque ac pietate similis. Interfuit anno Domini 633. Concilio Toletano IV. Anno 636. Concilio Toletano V. Anno 638. Concilio Toletano VI. Scr[illegible] *Vitam sancti Emiliani Turiasonensis Monachi*, [illegible] & memoriam Braulionis & virtutem illius sancti viri suo tenore commendat pariter & illustrat, quam habes in *Vitis Sanctorum* ad diem 22. Novembris: atque apud Mabillonium inter *Legendas* seu *Collectanea Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, Seculo 1. pag. 205. Incipit Prologus, Epistola Braulionis ad Fronimianum Presbyterum. *Dei viro, Dominoque meo & germano Fronimiano Presbytero, Braulio immeritus Episcopus Cæsaraugustanus, salutem.* Incipit Vita, *Insignia miraculorum Apostolici purgatissimique viri Æmiliani Presbyteri &c.* Dicavit Sanctus Isidorus Braulioni suos *Originum* libros, extantque e contra *Epistolæ duæ Braulionis* ad sanctum Isidorum Hispalensem, in Operibus dicti Isidori impressæ. Transiit ad superos Braulio anno 646. die 26. Martii, cujus corpus anno 1270. inventum, adservatur in Basilica sanctæ Mariæ Majoris. Plura apud Marianam & alios Hispanicarum rerum Scriptores consulendos, cujus mentionem quoque faciunt S. Ildefonsus *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 12. Antonius Possevinus tom. 1. *Appanatu Sacri*. Aubertus Miræus in Bibliotheca Ecclesiastica, Scholio ad cap. 12. Ildefonsi.

640. SANCTVS ELIGIVS NOVIOMENSIS EPISCOPVS, patria Lemouix, e Villa Catalacensi sex milliaribus ab urbe Lemouicensi distante, Aurifaber primum, inde Nouiomensis Episcopus, atque is sanctissimus: cujus Vitam pluribus scripsit S. Audoenus Rothomagensis Archiepiscopus, Eligio Synchronus atque intimus amicus. Plurima dum laicus adhuc esset, Cœnobia & Basilicas condidit. Narrat enim Audoenus, Eligium Solemniacense Monasterium in rure Lemovicensi ædificasse, Monialium domicilium Parisiis, Basilicasque in honorem Apostoli Pauli, & S. Martialis Lemovicensis Episcopi. Fabricasse quoque dicitur insigni opere ex auro gemmisque, Capsulas sancti Germani Parisiensis, sancti Martini Turonensis, & Mausoleum sancti Dionysii Episcopi, in Civitate Parisiensi. Defuncto Achario Nouiomensi Episcopo, non uti vulgo supputari solet anno 646. sed anno 640. suffectus in ejus locum & consecratus in civitate Rhotomagensi, die 14. Maji, Dominica Rogationum: quod demonstrat Carolus le Cointe *Annalium Francicorum* tomo 2. ad annum 640. num. 20. Interest Concilio Cabilonensi III. anno 644. quo circiter tempore Tornaci Abbatiam sancti Martini fundat, vel juxta alios anno 650. Quantum ad Scripta ejus, eandem sortiuntur aleam, atque ea quæ sub nomine S. Ildefonsi Toletani Archiepiscopi edita sunt. Nam Opusculum *de rectitudine Catholicæ*

 conver-

conversationis, quod inter Opera S. Augustini suppositicia legitur, certo Sancti Eligii est, cujus facit mentionem sanctus Audoenus, in *Vita sancti Eligii:* quodque plurimis animadversionibus illustravit Carolus le Cointe loco citato, ad annum 659. Sed quantum [illegible] *Homilias septendecim de variis argumentis*, qu[illegible] ejusdem Eligii nomine in Bibliotheca Sanctorum Patrum tomo 2. veterum editionum Parisiensium 1575. & 1589: has & Antonius Arnaldus in Opere suo *de perpetuitate fidei circa veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia* suppositas & dubias censet. Vnde dum eas allegat, nunquam nisi sub nomine, *authoris homiliarum quæ sancto Eligio attribuuntur.* Aubertinus quoque in Opere suo *de Eucharistiæ Sacramento*, lib. 3. pag. 906. ostendit demonstrative *octavam & decimam quintam* non modo ex antiquioribus, puta Hilario, Augustino, Gregorio &c. sed etiam ex octavi & noni seculi Scriptoribus esse consarcinatas: cui quidem hac in parte contradicere Labbeus non ausus est. Sane hoc solum ejus dictum *Homilia ultima* sub medium, sufficit ad abjudicandas Homilias istas S. Eligio, nempe quod peccatum ejusdem sit enormitatis, viro amplexanti suam uxorem tempore Quadragesimæ, ac comedenti carnes eodem tempore, contra Decreta Conciliorum Ecclesiæ. Sic autem: *Diebus autem Quadragesimæ vos omnibus modis a conjugum commixtione vestrarum, sicut decet Christianos, abstinere oportet: namut quidam sapiens ait, similis reatus est fideli Christiano diebus Quadragesimæ etiam cum propria uxore concumbere, sicut & carnes in cibum sumere.* Author istarum Homiliarum, videtur mihi vixisse sub medium seculi noni. Illæ enim omnes sunt consarcinatæ ex variis veterum Patrum fragmentis, Laciniæque tantum sunt ex sanctis Patribus desumptæ, Augustino potissimum, Ambrosio, Leone, Cæsario Arelatensi, Benedicto, Gregorio Magno, aliisque non citatis: qui mos consuendi libros vel Homilias ex aliorum pannis, proprius seculi noni fuit, ut conveniunt & noscunt eruditi omnes. Author autem fuit Episcopus & olim Monachus Ordinis sancti Benedicti, ut emunctæ naris omnibus constabit ex sola homilia XI. inscripta, *In cœna Domini ad populum, deinde ad pœnitentes.* Ibi dum allegat sanctum Augustinum, *dicente* (inquit) *beato Augustino:* dum Ambrosium, *ut ait Ambrosius:* dum Cyprianum, *ut ait beatus Cyprianus:* dum sanctum Leonem, *de hoc & sanctus Leo Papa:* dum Gregorium, *ut beatus dicit Gregorius:* sed ubi sanctum Benedictum doctrina longe inferiorem his omnibus sanctæ Ecclesiæ Doctoribus, ita præfatur: *Nam cum quali devotione & reverentia sit orandum, beatissimus & sanctissimus Pater Benedictus demonstrat, dicens.* Nihil magis poterat prodere Monachum Benedictinum, quam affectata ista superlativorum congeries, in alleganda divi Benedicti Regula. Et licet Cyprianum sanctissimum Martyrem appellat, longe tamen aliud est Cypriano vocem sanctissimi Martyris dare: ac Benedicto affectatas voces *Beatissimi ac sanctissimi Patris Benedicti.* Adde quod vel raro vel nunquam videbis in Scriptoribus seculi VIII. vel IX. citatam Regulam sancti Benedicti cum elogio ejusmodi, nisi ab illis qui eam olim professi sint. Cum ergo sanctus Eligius Regulam hanc nunquam professus sit, hinc Homilias ejusmodi Regulam allegantes, ab eo amovendas, nec Eligianas vere esse, arguendum est. Migrans ad Dominum moritur anno 659. non anno 663. vel 665. ut nonnulli male assignarunt, Kalendis Decembris. Sepultus in Ecclesia sancti Lupi olim a Clodovæo condita, quæ nunc ipsius Eligii nomine de novo constructa enitescit Noviomi, Habetque Ecclesiam Romæ sui nominis, prope montem sancti Georgii in Velabro. Plura *de sancto Eligio* Bellarminus & Labbeus, in libro, *de Scriptoribus Ecclesiasticis.* Baronius seculo Ecclesiæ VII. in Annalibus, & Martyrologio Romano, ad Kalendas Decembres. Bucelinus in *Annalibus Gallo Flandriæ.* Joannes Molanus in *Notabilibus Sanctorum Belgii.* Fratres Sammarthani tomo 3. *Galliæ Christianæ* pag. 87. in Episcopis Noviomensibus, & alii plures.

THALASSIVS MONACHVS GRÆCVS, 650. sancto Maximo Monacho & Martyri synchronus & familiaris, floruit juxta Labbeum anno circiter 650. & ultra. Scripsit *Centurias quatuor ad Paulum Presbyterum de sincera Charitate & vita continentia*, seu potius *de regimine mentis:* quas habes Græce & Latine primum editas in Auctario Bibliothecæ SS. patrum Duceano, Parisiis 1624. tomo 2. pag. 1179. Itemque Græce & Latine in Bibliotheca Sanctorum Patrum, editionis Parisiensis Morellianæ anni 1644. tomo XI. pag. 1179. Prodierunt antea Latine tantum ex interpretatione Œcolampadii, Augustæ Vindelicorum 1526. & cum aliis veterum Theologorum Opusculis ibidem 1531. pag. 106. & in Orthodoxographis pag. 897. Extant Manuscripta Græce, in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, multis Codicibus. Codice MS. Theologico Græco CCVII. num. 21. & quidem a fol. 96. pag. 1. usque ad fol. 106. pag. 1. ut habet Lambecius tomo 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 11. Codice MS. Theologico Græco CCXXXIV. num. 18. & quidem a fol. 172. pag. 1. usque ad fol. 182. pag. 2. ut habet ibidem Lambecius pag. 70. Codice MS. Theologico Græco CCXXXV. num 13. & quidem a fol. 238. pag. 2. usque ad folium 250. pag. 1. ut habat Lambecius ibidem p. 80. Codice MS. Theologico Græco CCXXXVIII. num. 2. & quidem a fol. 102. pag. 2. usque ad fol. 1025. pag. 2. ut habet ibidem Lambecius pag. 92. Silent omnes fere Scriptorum nomenclatores *de Thalassio*, si excipias Antonium Possevinum in *Apparatu Sacro*, atque Aubertum Miræum in Auctario *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 199. pag. 219. qui parce admodum de illo loquuntur.

SAN-

itized by Goo

650. SANCTVS MARTINVS I. PAPA anno 649. ordinatus, eodem anno hortante imprimis ſancto Maximo Abbate qui nuper Conſtantinopoli Romam advenerat, Synodum centum & quinque Epiſcoporum contra Monothelitas in urbe celebravit. Cujus quidem Synodi Acta, anno proxime ſequenti ad ſanctum Amandum Tungrenſem ſeu Trajectenſem Epiſcopum miſit, eidemque prolixa Epiſtola quam in *Annalibus Baronianis* & tomo 1. *Conciliorum Gallia* reperies, diſſuaſit ne Epiſcopatum abdicaret. Anno 653. Junio menſe Martinus à Calliopa Exarcho Ravennatenſi Roma abductus, annum unum in Naxo inſula exul transegit: unde Conſtantinopolim perductus, dirisque modis vexatus, in Cherſonem demum relegatus eſt, ubi & obiit anno 655. die 16. Septembris, in Eccleſia Beatæ Mariæ Blachernis dicta prope Cherſonem depoſitus. Scripſit ſanctus Papa *multas & Romano Pontifice dignas Epiſtolas*, quas partim Græce & Latine, partim latine tantum habemus in tomis Conciliorum ad annum 649. nempe tomo VI. *Conciliorum* pag. 5. & ſequentibus, ultimæ editionis Pariſienſis anni 1671. quæ Labbeana dicitur. Leguntur etiam inter Collectanea Anaſtaſii Bibliothecarii à Sirmondo edita, Pariſiis an. 1620. apud Sebaſtianum Cramoiſy, *Epiſtola quatuor S. Martini Papæ*, quarum *prima* commemorat ea quæ Romæ paſſus eſt, cum inde à Calliopa vi abreptus eſt. *Altera* proſequitur ea quæ in illum Conſtantinopoli acerbe & crudeliter geſta ſunt, priusquam in Cherſoneſum relegaretur: *reliquas duas* e Cherſone de exilii ſui calamitatibus ſcripſit. Plura *de S. Martino*, in Geſtis ſancti Maximi, Monachi & Martyris. Item apud Anaſtaſium in Vitis Romanorum Pontificum, & Aubertum Miræum in *Auctario* de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 289. pag. 217. Antonium Poſſevinum, in *Apparatu ſacro*, verbo *S. Martinus Papa*.

650. EVGENIVS JVNIOR TOLETANVS ARCHIEPISCOPVS, ſeu ſecundus, mortuo Eugenio priore, in ſedis Toletanæ Archiepiſcopum deſignatus eſt anno 646. de quo ſic S. Ildefonſus in libro *de viris illuſtribus* cap. 14. & ult. „Item Eugenius alter poſt priorem Pontifex „ſubrogatur. Hic cum Eccleſiæ Regiæ Clericus eſſet egregius, vita Monachi delectatus „eſt. Qui ſagaci cura urbem Cæſarauguſtanam petens, illic Martyrum ſepulchris inhæſit, „ibique ſtudia ſapientiæ & propoſitum Monachi „decenter coluit. Vnde Principali violentia „reductus, atque in Pontificatum adſcitus, vitam plus virtutum meritis quam viribus egit. „Fuit namque corpore tenuis, parvus robore, „ſed valde fervens ſpiritus virtute, ſtudiorum „bonorum vim proſequens &c.“ Ex Ildefonſo igitur Cæſarauguſtam cum ad munus paſtorale peteretur, Eugenius veterum Sanctorum exempla ſecutus, fugit, qui ad Martyrum ſepulchra ſe conferens, ut vitam duram atque Monaſticam ducere ſibi liceret, inſtanter petiit. Verum juſſu Regis, Toletum reductus, Epiſcopus licet reluctans, ordinatus eſt. Præfuit an. 655. Concilio Toletano IX. Anno 656. Concilio Toletano X. Cæterum hujus *Eugenii junioris Epigrammata*, Opuſculaque alia Jacobus Sirmondus Lutetiæ 1620. edenda curavit, cum *Libellis duobus Dracontii*, ab eodem Eugenio recognitis & completis. Operi enim Dracontii, quo carmine heroico *Creationem* explicuit, & *Geneſeos initium* eleganter explanavit, *Explicationem diei ſeptimæ* quæ deſiderabatur, Eugenius adjecit. Quibus ex verſibus intelligi datur, fuiſſe virum non inelegantis neque ineruditi ingenii. Epigrammata enim etſi rudia ſunt atque impolita, iſtud magis ævi vitio quam authoris culpæ tribuendum eſt, licet in eis tamen ſententiarum rerumque pondus non exiguum. Obtinuit Epiſcopatum ad annum 657. Receſwinthi Regis nonum, quo obiit die 13. Novembris, ſuccedente ſedi huic ſancto Ildefonſo ejus diſcipulo. Sunt qui affirment Eugenium Ildefonſi avunculum fuiſſe, cui opinioni nec Ildefonſi ipſius nec Eugenii ſcripta favent, in quibus nulla hujus rei mentio eſt. Qui plura *de ſancto Eugenio juniore* cupit, conſulat S. Ildefonſum *de viris illuſtribus* c. 14. Aubertum Miræum in *Bibliotheca Eccleſiaſtica* ad Scholiis ad dictum Ildefonſi caput. Cæſarem Baronium in Notis ad Martyrologium Romanum, ad diem 13. Novembris. Joannem Marianam *Hiſtoriæ Hiſpanicæ* lib. 6. cap. 9. & alios authores, qui de Geſtis Archiepiſcoporum Toletanorum ſcripſiſſe feruntur. Jacobum Sirmondum, qui omnia *Eugenii hujus junioris* Opera edidit.

650. TAIO SAMVHEL CÆSARAVGVSTANVS EPISCOPVS, de quo præclara hæc Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo 7. ad annum 646. pag. 460. *Taio* ſive *Tago*, cognomento *Samuel*, gente Hiſpanus, Epiſcopus Cæſarauguſtanus, claruit anno 646 quo jubente Rege Chindaſuindo & approbante Synodo Toletana VII Romam iter ſuſcepit, ut deſideratos in Hiſpania S. Gregorii *Moralium* libros compararet. Poſtquam ibi moram inutilem diu feciſſet, & à Pontificibus Romanis aliud agentibus ludificatus eſſet: libros fruſtra à ſe quæſitos antea Romæ, in Apoſtolorum templo facta dormienti viſione, reperiſſe dicitur. Viſionis beneficio erutos e foruli libros à Martino Papa haud difficulter obtinuit, & in Hiſpaniam redux ſecum detulit. Verum unico ferme Cavo excepto, puriſſimam hanc fabulam omnes rejiciunt: ſoleque meridiano clarius patet, ſemper & ubique Bibliothecarum Occidentis à Gregorii morte, magnam fuiſſe Moralium ejus tranſcriptorum multitudinem: nec opus fuiſſe eundi Romam, ut libri ejusmodi & facile & multi quoad MSS. Codices invenirentur. Adfuit ille anno 653. Concilio Toletano VIII. Anno 655. Concilio Tole-

tano IX. Scripsit *Libros quinque sententiarum* ex ipsis sancti Gregorii Magni, quem perpetuo volvebat, verbis: supplens pauca ex sancti Augustini sermonibus, ubi verba divi Gregorii argumentis materiarum convenientia non invenit. Quod egregium opus MS. olim asservabatur in Bibliotheca Thuanea Parisiensi, nunc autem Colbertina, Codice 1048. per emptionem. Hujus rarissimi Operis, alii duo MSS. Codices, unus in fol. in Bibliotheca Cluniacensi, sanus & integer littera Q. Mutilus vero alius atq; imperfectus, in Bibliotheca Majoris Monasterii Turonensis, littera A. 6. ubi tres sunt tantum libri, ex quinque Tajonis. „Hoc autem in MSS. „Codicibus Opus inscriptum: *Tajonis Episcopi „Cæsaraugustani Præfatio ad Quiricum Barcinonensem Antistitem*, in quinque libros Sententiarum „à se collectos ex Operibus S. Gregorii Papæ. „*Domino venerabili sanctissimoq; viro, Quirico Episcopo, Tajus indignus Cæsaraugustanæ urbis Episcopus, „cognomento Samuhel. Memor vestræ benignissimæ „petitionis, nostræque devotissimæ promissionis &c.* „Incipit liber sententiarum primus. *Quod „Deus immutabilis, summus & æternus existat. Solus Deus à seipso immutabilis est, quia solus habet im„mortalitatem &c.*„ Ejusdem *Tajonis Epistola „insignis ad Eugenium Toletanum Episcopum*, MS. quoque in dicta Colberti Bibliotheca Codice 62 quam edidit Stephanus Baluzius tomo IV. Miscellaneorum pag. 397. Opus *Sententiarum* dicatum Quirico Barcinonensi Episcopo, cui S. Ildefonsus opus suum *de perpetua Virginitate Beatæ Mariæ Virginis* nuncupavit. Mirum est hunc librum in publicum hucusque non prodiisse, cum multi qui longe minoris antiquitatis vel momenti sunt, quotidie è tenebris erumpant in lucem publicam. De *Tajone* Joannes Mabillon tomo 2. *Analectorum* pag. 68. Petrus de Gassanvilla, in Annotationibus ad IV libros *Dialogorum* sancti Gregorii. Collectores Conciliorum in Annotationibus suis ad Concilia VIII & IX Toletana, quibus interfuit.

656. SANCTVS FRVCTVOSVS Bracarensis Archiepisc. gente Hispanus, Conantii Episcopi Palentini discipulus, multa in Hispaniis Monasteria construxit, & in his Complutense, cui Abbas ipse præfuit. Factus inde Dumiensis Episcopus, atque hinc ad Archiepiscopatum Bracarensem, Decreto Concilii X. Toletani, anno 656 translatus, cui obtemperavit. Monasticum institutum in Hispaniis maxime propagavit, cujus zeli ipsius indicio sunt, *Regulæ duæ* quæ adhuc extant, prior XXIII, altera XX. duntaxat capitibus constans. Regula prima ita inscripta, *Incipit Regula à Domino & Patre nostro Fructuoso, edita in pace.* Caput I. De dilectione Dei & Proximi. *Post dilectionem Dei & Proximi, quod est totius perfectionis vinculum &c.* Regula secunda ita inscripta, *Incipit Regula sancti Fructuosi.* Caput primum. *Ut nullus præsumat suo arbitrio Monasteria facere, nisi communem Collationem consuluerit, & hoc Episcopus per Canones & Regulam confirmaverit.* Incipit caput primum. *Solent enim nonnulli ob metum gehennæ, in suis sibi domibus Monasteria componere &c.* Priorem Regulam Complutensi duntaxat Monasterio, quod propriis sumptibus ædificavit atque dotavit, scripsisse videtur Fructuosus: alteram instar supplementi adjecisse, pro Monasteriis deinceps in villis præsertim & agris construendis. Id patet ex cap. 9. ubi sic. *Qui greges Monasterii accipiunt alendos, tantam sollicitudinem super eos gerere debent, ut nulli damnum in frugibus inferant, & tanta vigilantia astutiisque sollicitentur, ne à bestiis devorentur: ut frugifera & abrupta montium & inaccessibilia vallium prohibeantur, ne ad præcipitium defluant &c.* Utramque Regulam edidit Lucas Holstenius in Codice Regularum parte 2. pag. 133. quam laudant Egbertus Eboracensis Archiepiscopus in *Excerptis Canonum*, Sanctus Benedictus Anianensis Abbas in *Concordia Regularum*, Abbas Smaragdus in *Commentario ad Regulam Divi Benedicti*: de quibus Holstenius in frontispicio, dictorum Opusculorum. Obiit *Fructuosus* ante annum DCLXXV de quo Joannes Mabillon, Seculo 2. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti*, pag. 581. & sequentibus, in fol. Parisiis 1669. apud Carolum Savreux.

DISSERTATIO
DE
DOROTHEIS ARCHIMANDRITIS ET EORVM SCRIPTIS.

PROLOGVS.

660. ANonymus Græciæ recentioris invenitur, qui *Doctrinis* sub *Dorothei Archimandritæ* nomine collectis, *Præfationem* brevissimam adjecit, tum ut *Doctrinas* istas ad Dorotheum Archimandritam seniorem & Orthodoxum pertinere probaret, tum ut duos simul veteres Dorotheos, alterum Orthodoxum, alterum Severitam seu Severianum assereret. Cum autem vera falsis admiscuerit, nec duo simul eadem ætate Dorothei Archimandritæ fuisse reperiantur: sed alter seculis duobus altero recentior sit, imo & tertius, seculis multis ab utroque antiquiore remotus: occasionem hinc sumpsi, ut *de Dorotheis Archimandritis* Dissertationem sin-

singularem instituerem, atque falsa a veris secernens, cuinam trium istorum, seniori an juniori vel tertio, *Doctrinæ* istæ juxta rationem & criticam æquam tribuendæ essent, examinarem. Non parum ambiguus, cum *Doctrinæ* istæ à multis Dorotheo Seniori seculo IV. celebri tribuantur, huic assignarem hanc Dissertationem: sed cum illa concludat demonstratione aliqua, spectare Doctrinas illas ad Dorotheum Juniorem seu medium circa annum DCLX. celebrem, huic anno eandem assignandam censui. Prudenter itaque opinatus sum, esse affigendam illam ætati Junioris, ut ubi error obtinuerat, illic remedium erroris inveniretur, nec ulterius Lectores fallerentur, vel Seniori attribuentes, vel Dorotheo Archimandritæ, tertio & ultimo.

CAPVT PRIMVM.

FVISSE PLVRES DOROTHEOS ARCHIMANDRITAS, PROBATVR.

PRimus Dorotheus Archimandrita fuit Thebanus, Isidori Anachoretæ discipulus, quem cum anno 368 ut ejus regimini subjiceretur accessisset, Palladius Helenopolitanus Episcopus, sexagenarium ætate tunc fuisse testetur: hinc aperte constat, anno 308. natum, vix ac ne vix quidem, supergressum fuisse seculi quarti finem, vel attigisse primos annos seculi quinti. De illo ita Palladius discipulus & postea Episcopus Helenopolitanus in *Historia Lausiaca* seu ad *Lausum Præpositum* cap. 2. ubi de Isidoro ad quem primum exercitandus accesserat. „Et me tradit cuidam Dorotheo exercitatori Thebano, „sexagesimum annum agenti in spelunca, & jubet me implere apud illum tres annos, ad domandas animi perturbationes. Sciebat enim „senem agere vitam admodum duram & asperam. Et postquam annorum numerum implessem, rursus ad eum reverterer mandavit, „ob reliquam doctrinam spiritalem. Cum autem non potuissem apud eum, implere numerum trium annorum, eo quod in morbum incidissem vehementem, ab eo recessi ante tempus „præstitutum. Erat enim ejus vitæ ratio asperrima, squallida & plane arida. Toto enim die, „atque adeo in ipso æstu meridiei, in solitudine „quavis propter mare, colligebat lapides, & ex „eis semper ædificans & cellas faciens, eas cedebat iis qui non poterant ædificare, singulis annis cellam faciens. Cum autem ego aliquando huic Sancto dixissem, Quid agis Pater in „tanta senectute corpusculum tuum occidens „caloribus intolerabilibus? Respondit mihi dicens, *Illud me occidit, ego quoque ipsum occidam*. „Comedebat autem singulis diebus, sex uncias „panis, & minutorum olerum decem, aquæ autem bibebat quantum sufficiebat. Deum autem testor, me nunquam eum cognovisse pedes extendisse, non dedita opera dormiisse, aut super lectum: sed per totam noctem sedens« contexebat catenam ex ramis palmarum, ut ex« ea sibi victum pararet. Cum autem suspica« rer eum, cum adessem solummodo, tam extre-« ma usum esse exercitatione: scisitatus sum, ut« scirem à compluribus ejus discipulis, an perpe-« tuo uteretur tam accurata exactaque exerci-« tatione? Qui quidem manebant ipsi quoque« deinceps seorsum, se recte & ex virtute geren-« tes, hi mihi dixerunt: quod à juventute suam« vitam ita instituit, nunquam dedita opera dor-« miens, nisi quod inter operandum atque co-« medendum, aliquando connivebat oculis de-« jectis: adeo ut sæpe frustum quoque ex ejus« ore excideret esus tempore, propter nimiam« dormitationem. Cum autem ego aliquando« cogerem hunc Sanctum paululum jacere su-« per stoream, ægre ferens mihi dixit: *Si quando*« *persuaserio Angelos ut dormiant, tum virtutis studio-* « *so quoque persuasero.*«

Alius fuit Dorotheus Archimandrita ejusdem seculi quarti & ætatis qua præcedens, de quo idem Palladius Helenopolitanus Episcopus loquitur, qui Eliæ Abbati successit, ut habet *Historia hujus Lausiaca* cap. 36. post vitam Eliæ præfati. Cui successit Dorotheus vir probatissi-« mus, qui in bona vita & quæ in agendis versa-« tur, consenuit. Qui cum non posset sic cu-« ram gerere monasterii, ut hic beatus, neque« mansisset in illa cella, in ipso monasterio in su-« periori cœnaculo seipsum inclusit, & fecit fe-« nestram quæ spectabat ad monasterium fœmi-« narum, quam claudebat & aperiebat. Perpe-« tuo ergo assidebat fenestræ, procurans, ut inter« eas pugnæ cessarent. Sicque in superiori cœ-« naculo consenuit, neque sursum ascendentibus« fœminis, neque ille potente descendere, non« enim stabant scalæ.« Idem in *Paradiso Heraclidis* cap. 17. pag. 956. editionis Rosweidi anni 1615. Antverpiæ in folio.

Tertius Dorotheus, ille est qui seculo VII. floruisse creditur, cujus mentionem facit Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ* sub initium præfati initium anno DCI. pag. 444. his verbis. Dorotheus Archimandrita Palæstinus, Joannis« Monachi celeberrimi *Prophetæ* dicti discipulus« & minister, cui ex afflicta valetudine per annos« plures in lecto decumbenti ipse serviit. Fateor« me veram ejus ætatem ignorare, conjectura« tamen non prorsus improbabili ductus, ipsum« incunte hoc seculo VII. claruisse existimo.« Cum enim Barsanuphii, qui circa annum 550.« teste Evagrio lib. 4. *Historiæ* cap. 33. floruit, Jo-« annes ille fuerit discipulus, Joannis autem in« extrema ætate jam positi, Dorotheus noster« minister fuerit, non alio loco commodius repo-« ni poterit. Plurima de se hinc inde habet Do-« rotheus, quæ tanti non sunt, ut huc transferan-« tur. At tantum dicam, eum post Joannis mor-« tem è Sevidi Abbatis monasterio excedentem,« Cœnobium seorsim sibi suisque posuisse ac gu-« bernasse. Scripsit *Doctrinas de Vita recte & pie*«

„*inſtituenda*, ſive *Diſſertationes Ethicas & Aſceticas* „*XXIV. & Epiſtolas quaſdam breviculas ejuſdem* „*argumenti.* Extant Doctrinæ iſtæ, quarum ul„tima Græco textu caret, ſubnexis ad finem „Epiſtolis Græcolatinæ, in *Orthodoxographis* to„mo primo pag. 195. Et in *Auctario* Bibliothe„cæ Veterum Patrum Ducæano anni 1624. to„mo primo pag. 743.

Quartus Dorotheus is eſt, de quo loquitur Leo Allatius in Diatriba *de Symeonibus & eorum Scriptis* pag. 104. qui fuit Archimandrita celeberrimi Monachorum in communi viventium cœnobii quod ob numerum fere incredibilem Monachorum quos in eo aleret in Ponto, Χιλιόκομον dictum eſt. Audiamus Allatium loco citato. „Vita S. Patris noſtri Dorothei junioris „in Chiliocomo: Βίος τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν „Δωροθέου τοῦ νέου, ἤτοι τοῦ ἐν χιλιοκόμῳ, cujus ini„tium, ὁ παλαιοῖς ἄρα μόνον, ἀλλὰ καὶ καινοῖς „διηγήμασιν ἔδει κοσμηθῆναι τὸν Πόντον &c. Adornavit Ponton circa annum MXX vel circiter ſub undecimi ſeculi initium, cujus vitam Joannes Mauropus, Euchaitenſis Metropolita, ad annum circiter MXL celebris, ſcripto conſignavit non ignobili, quem apprime cognoverat, ac cujus etiam magiſterio in Chiliocomo adſcriptus fuiſſe creditur. Siquidem ex operis Prologo, non fuiſſe remotum à Joannis Euchaïtenſis temporibus, evidenter conſtat. Quam diſpares autem tempore & inſtituto iſti quatuor Dorothei Archimandritæ fuerint, audiamus: ut hinc liqueat, ad quem illorum *Doctrina illa Aſcetica*, ſub *Dorothei Archimandritæ* nomine paſſim editæ, ſpectare debeant, & quam turpiter hac in re à nomenclatoribus erratum fuerit.

Dorotheus autem primus & ſecundus vivebant ætate eadem, poſt annum 360 ætate ambo provecti, atque uterque *Archimandrita* erat ſolitariorum & Eremitarum, non Cœnobitarum in communi vel ex communi viventium. Vitam utriusque depinxit Palladius Epiſcopus Helenopolitanus, quippe teſtis fide digniſſimus, qui & utrumque noverat, ac primi ſe diſcipulum fuiſſe ſcribit *Hiſtoria Lauſiaca* cap. 2. Occupabatur primus colligendis ad littora maris lapidibus ad cellas conſtruendas iis monachis, qui ædificandi cellas artem neſcirent: atque noctu *Catenas* ex palmis ſeu ſtoreas nectebat, quibus victum compararet. Alter ejusdem temporis, de quo idem Palladius *Hiſtoria* ejusdem cap. 36. includens ſeipſum in Cœnaculo ſuperiori, illic conſenuit & ad mortem manſit, eodem teſte, *perpetuo aſſidebat feneſtræ quæ ſpectabat ad monaſterium fœminarum quam claudebat & aperiebat, procurans, ut inter eas pugnæ ceſſarent.* Hæc potiſſima Archimandritarum illorum duorum, exercitia aſcetica, quæ delirantibus & inſanientibus monachis, magis quam ſapientibus atque prudentibus conveniebant: unde illi magis irridendi & exſibilandi, quam imitandi eſſe videantur. Teſtem autem ejusmodi inſaniarum & abſurdarum occupationum habemus qui vidit oculis, Palladium Galatam, ejusdem ætatis Scriptorem, de quo ad verbum Guilielmus Cavus *Hiſtoriæ litterariæ* ad annum CCCCI. pag. 286. „Palladius „gente Galata, anno 368 viginti annos natus, „in exteras regiones peregrinari cœpit, ac delatus Alexandriam, Iſidori Presbyteri curæ ſe „commiſit, vitæ monaſticæ diſciplina inſtituendum. Iſidorus id officii delegavit Dorotheo „aſcetæ celeberrimo Thebano, ſub cujus regimine triennium Palladius exegit. Anno „CCCXCI in Nitrium montem ſeceſſit, ubi cum „celeberrimis monachis aliquandiu manſit. „Anno CCCC vel CCCCI è Palæſtina Bithyniam „veniens, Epiſcopus cujusdam urbis ordinatus „eſt. Anno CCCC circiter Palladius Epiſcopus „Helenopolitanus factus, quam relicta tandem „Helenopolitana ſede, Aſponæ Epiſcopum fa„ctum eſſe, tradit Socrates Libro VII. cap. „XXXVI. Denique *Hiſtoriæ Lauſiacæ* auctor, „opus id circa annum CCCCXXI conſcripſit, „natus annos LIII.“ Harum igitur quas ſcripſimus hiſtoriarum & ineptiarum ſimul, luculentiorem teſtem habere nunquam poſſumus.

Præter duos iſtos Dorotheos Archimandritas, qui ſeculo IV juxta Palladii auctoritatem floruerunt, atque inter ſolitarios & anachoretas inſignes emicuerunt; alii duo ſunt, quibus *Doctrinæ ſub Dorothei nomine* impreſſæ, atque ſcriptæ Monachis cœnobitis ſeu ex communi vita viventibus, legitime attribui poſſent. Horum primus non ſeculi ſexti medio, ſeu ad annum 550 uti ſcripſit Petrus Lambecius Libro IV Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, pag. 229 in Catalogo Scriptorum hujus Tomi, ob MS. Codicum Theologicum CLXXXVI. num. 3. Græcum, pag. 183. ubi *Doctrinæ Dorothei Archimandritæ XIX.* Græce MSS. continentur: floruit circa annum ſeculi ſeptimi LX. ut poſtea perſpicue probabimus florebat, atque ille ipſe erat Dorotheus Archimandrita qui *Severi partes & doctrinam* amplectebatur, quidquid contra ſcribat ac præmittat *Doctrinis* iſtis Græcus anonymus, qui cum in illis nihil non orthodoxum deprehendiſſet, Doctrinas iſtas Præfatione præmiſſa *Dorotheo Seniori* ſeculo IV. viventi attribuere pro viribus conatus eſt: quamvis illæ certo ad Dorotheum Archimandritam ſeculi VII. Scriptorem, ut poſtea probabitur, pertineant. Quoad autem Dorotheum Archimandritam quartum & ultimum, licet inſignis aſceta admodum eſſet, atque Cœnobio mille monachorum in communi & ex communi vita viventium præficeretur; neminem tamen legi vel reperi, qui *Doctrinas iſtas Dorotheanas* adſcripſerit illi, licet conſcribendarum ſimilium idoneus prorſus eſſet.

CAPVT SECVNDVM.

AD QVEM EX ISTIS DOROTHEIS ARCHIMANDRITIS, *DOCTRINÆ ASCETICÆ* IMPRESSÆ, PERTINEANT?

Ex-

EXtant in *Orthodoxographia* tomo I. pag. 195. & in *Bibliotheca Veterum Patrum* editionis Parisiensis anni 1644. Tomo XI. pag. 742. usque ad pag. 869. Græce & Latine *Dorothei Archimandritæ Sermones seu Doctrinæ XXIV. de vita recte & pie instituenda*, interprete Hilarione Veronensi, Congregationis Cassinensis Monacho. Hic primus, qui post annum 1460. edendis in publicum Dorothei Archimandritæ doctrinis & Epistolis pauxis, ex pluribus reliquis amissis incubuit, interpretationemque suam Oliverio Caraffæ Neapolitano Archiepiscopo atque Cardinali Presbytero tituli Sanctorum Petri & Marcellini obtulit. Cum autem ille ad Cardinalium purpuram cum aliis, juxta Onuphrium Panvinium in Vita Pauli II. Pontificis Maximi, anno 1464. decimo sexto Calendas Octobris assumptus fuerit: atque ipsi sub initium Cardinalitiæ suæ dignitatis, Hilarion Monachus versionem suam *Dorothei Doctrinarum* obtulerit, hinc conjicimus illam anno 1464. vel 1465. elucubratam ab Hilarione Monacho fuisse. Eædem Doctrinæ Latine factæ per Chrysostomum Calabrum, sed annis centum postea, impressæ in 8. primum Venetiis 1564 apud Bologninum Zalterium, deinde Cremonæ anno 1595. cum Homilia S. Joannis Chrysostomi *de educatione liberorum*. Easdem quoque ante paucos annos Latinitate donavit, notisque brevibus illustravit Balthasar Corderius Societatis Jesu Theologus, de quibus in *Bibliotheca Scriptorum Societatis ejusdem*, ultimæ editionis agitur. Hi Sermones Dorothei habentur Græce in Bibliothecis Europæ celebrioribus, in Vaticana bis aut ter, in Veneta, Bavarica Codice 88. In Regia Gallica Codice 2215, itemque Dorothei ejusdem *Homilia de sacris jejuniis* in Codd. MSS. 42. & 143, sed quæ idem prorsus opus, quod in *Doctrinis* impressis habetur, cap. XV. *de jejuniis sacris* inscripto. Doctrinæ eædem Græce MSS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CLXXVI. num. 3. & quidem à folio 4. pag. 1. usque ad folium 81. pag. 2. ut habet Petrus Lambecius Libro IV. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 183. Codice MS. Theologico Græco CCXXXVIII. num. 6. & quidem à folio 126. pag. 1. usque ad folium 193. pag. 2, ut habet Lambecius libro V Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 96. Codice MS. Theologico Græco CCXXXIX. num. 1, ut habet idem Lambecius ibidem pag. 99. Inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ, Codice 284. in MSS. Codicibus Oliverii Cromvelli Codice 105. pag. 158. ad finem codicis. Ibidem Codice 299, in MSS. Cromvelli ejusdem Codice 120. pag. 1. ad pag. 172. Ibidem Codice 737. in MSS. Codicibus Guillelmi Laudi, littera C. Codice 95. pag. 1. ad 75. Inter MSS. Codices Ecclesiarum Angliæ Cathedralium & aliarum bibliothecarum celebrium, Codice 9129, in MSS. Codicibus Georgii Wheleri Dunelmensis Canonici, Codice 58. in 4. Hæc de MSS. Codicibus Græcis, & impressis *Doctrinarum* Dorothei Archimandritæ, quisquis ille fit.

Jam quæstio est, ad quem ex præfatis quatuor Dorotheis Archimandritis hæ *Doctrinæ* pertineant? Anonymus Græcus, qui Doctrinis allatis Præfationem Græcam brevem præmisit, contendit pro viribus asserere illas *S. Dorotheo Archimandritæ Seniori*, Isidori discipulo, seculo IV. florenti, quemque Palladius Episcopus Helenopolitanus vitæ ascеticæ magistrum nactus fuit. Multa quidem pro more Græcorum narrat, quæ ad rem non faciunt, pensatisque omnibus, nullam aliam rationem opinionis suæ habet, quam quod in *Doctrinis* istis nihil nisi orthodoxum contineatur, unde alteri Dorotheo Severitæ seu Severiano velut homini hæretico adscribi non possint. Ita Græcus anonymus garrit, acsi Severiani aliique hæretici, doctrinam suam qua laborare creduntur, ubique Scriptorum suorum spargant, in iis etiam in quibus virus suum spargendi, occasionem nullam habent. Vt vero Præfationis hujus infirmitatem rectius rescias, hanc Græce & Latine subjungam, etsi prolixiorem paulo: ut qua ratione Græci argumenta sua tractent, agnoscas.

Anonymi Græci Præfatio in Dorothei Archimandritæ Doctrinas.

Ἴστέον ὅτι δύο γεγόνασι Δωρόθεοι καὶ δύο Βαρσανούφιοι, οἱ μὲν τοὺς Σεβήρου νοσήσαντες, οἱ δὲ τὴν ὀρθοδοξίαν καὶ τελείαν ἄσκησιν ἀσπαζόμενοι, καὶ ἔτοι εἰσὶν, οἱ ἐμφερόμενοι τῇ δὲ τῇ βίβλῳ, ὅθεν καὶ ἀποδεκτέαν τὴν τοιαύτην ἔχομεν, καὶ ἐνάρετον καὶ ψυχωφελῆ ὅτι μάλιστα ὡς τὸ μακαρίτε Δωροθέε τοῦ ὀρθοδόξου φανέντος ἐν τοῖς Πατρεάσι, τοῦ ὄντι ὑπάρχουσαν πόνημα, καὶ ἐ τῶ ἑτεροφρονες καὶ σκαιῦ. καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν καὶ τῦ Χρισῦ ὁμολογητὴς Θεόδωρος, ὁ τῶν Στυδίε πεφηνὼς πάνσοφος ἡγούμενος, ἐν τῇ Διατήκῃ, τῇ πρὸς ἑαυτῦ μαθητὰς ἐυμαλε ἐδίδαξε, μετὰ τὸ ὑποσημήνασθαι τῆς ἑαυτῦ πίσεως τὸ φρόνημα, καὶ ἀποκήρυξαι συλλήβδην τὰς αἰθέως αἱρετικὰς, φήσας ἔτως πρόσετι. καὶ πάσαν βίβλον θεόπνευσον παλαιᾶστε καὶ νέας διαθήκης ἀποδέχομαι, ἔτι γε μὴν καὶ πάντων τῶν ἁγίων τῶν θεοπεσίων πατέρων διδασκάλωντε καὶ ἀσκητῶν τὰς βίας τε, καὶ τὰ θεῖα συγγράμματα· τῦτο δὲ εἰρηκε, διὰ τὸν Φανερόβλαβῆ Παμφίλον, τὸν ἀπὸ ἀνατολῆς φοιτήσαντα, καὶ τὰς δὲ τὰς ὁσίας διαβαλόντα, λέγω δὲ Μάρκον, Ἡσαΐαν, Βαρσανούφιον, Δωρόθεόντε καὶ Ἡσύχιον. ἃ μὲν Βαρσανούφιον καὶ Ἡσαΐαν καὶ Δωρόθεον τὰς τῶν αἱρεφάλων συναιρεφάλους, καὶ τὰς λεγομένας δεκαπεράτων συνομοπερατίτας, καὶ ἀπὸ τῦ ἐν ἁγίοις Σωφρονίε ἐν τῷ λιβέλλῳ αὐτῦ ἀναθεματιζομένους: ἑτέρων δηλόνοτι παρὰ τὰς δὲ ἄντων τῶν προειρημένων. ἃς ἐγὼ ἀποδέχομαι, διὰ ἐρωτήσεως τῦ ἤδη ἀρχιερατεύσαντος τῦ Γαραΐοις τῦ ἁγιωτάτε Πατριάρχε, ἑτέροντε ἀξιοπίστων πρωσώπων αὐτοχθόνων τε καὶ ἀνατολικῶν καὶ διὰ τὸ καὶ τὴν εἰκόνα Βαρσανουφίε ἐν τῇ θείᾳ ἐνδητῇ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας συνίσαθαι ἁγίους πατρέασιν, Δυτωνίῳ, Ἐφραὶμ, καὶ ἑτέρις. καὶ ὡς μὴ-

μήτε ἐν ταῖς διδασκαλίαις αὐτῶν εὑρηκὼς αἱρέσεως ἄτοπον, τοιοῦτον δὲ πολλὴν ψυχικὴν λυσιτέλειαν. Ἰδὼν τοίνυν διενοήσατο ὁ μέγας παλὴρ ἡμῶν Θεόδωρος τὴν τῶν ἑκατέρων Δωροθέων δόξαν, καὶ τὴν τοῦ ἐνταῦθα ἐμφερομένης διδασκαλίαν, ὡς ὀφελιμωτάτην εἶναι ἀπεφήνατο, ὥσπερ ἂν καὶ ἔστιν ἀληθῶς ψυχωφελὴς παντί : καθ' ἣν ὁ ἀκριβαζόμενος τὸν ἑαυτοῦ βίον, εἰς τὸ τέλειον μέτρον ἐν Χριστῷ τῆς ἀρετῆς ἐλάσσει : καὶ τῷ τῆς ἀπαθείας στεφάνῳ ἐφθακὼς ἐγκοσμηθήσεται καὶ τῆς αἰωνίου ζωῆς, μετὰ τῶν ἁγίων ἀξιωθήσεται.

„ Cum duo Dorothei totidemque Barſanu„phii fuerunt, quorum alteri Severi errores de„fenderunt, alteri ſanam doctrinam & pietatis „exercitia retinuerint : Sciendum eſt, eorum „ipſorum qui recte ſenſerunt, in hoc libello „mentionem fieri. Quem & virtutum præce„pta tradentem, & quæ animam quoque melio„rem reddere poſſint docentem, nobis ample„ctendum eſſe ſciamus. Idque eo magis, quod „Beati hujus Dorothei, qui inter Sanctos Patres „& recte ſentientis & laudati viri nomen tulit, „tra controverſiam hic labor eſt ; ac nequa„quam illius alterius, nova atque aliena opi„nantis, ac male conciliati hominis. Cujus rei „Theodorus Pater noſter Chriſtique confeſſor, „qui monaſterii Studii Abbas ſapientia præcelle„re putatur, teſtis eſt locupletiſſimus. Qui „cum in ſupremo ſuo Elogio, quod inter diſci„pulos condiderat, ſuæ fidei confeſſionem edi„diſſet, & impiarum de Deo & vera religione „opinionem auctores, ad unum omnes ſua hæ„reditate indignos judicaſſet, inter cætera in„quit. Omnia quidem à Deo tradita Novi & „Veteris teſtamenti volumina agnoſco, ac præ„terea Sanctorum divinorumque Patrum & „Doctorum & aſcetarum vitam ac ſcripta ap„probo. Quæ quidem propter aperte perni„tioſam Pamphili doctrinam dico, qui ex Orien„te adventitans, ſanctos illos viros, Marcum, „Eſaiam, Barſanuphium, Dorotheum & Heſichi„um calumniari veritus non eſt. Nec vero „ego, cum Barſanuphium, Eſaiam, Dorotheum „nomino, illos Acephalorum propugnatores, „qui & ipſi ſine capite ſunt, aut eorum qui ἑκατο„νταέρχαι dicuntur, conjuratos, a Sancto Sophro„nio tabella anathematis confixos, intelligo. „Ab his enim longe diverſiſſimi ſunt ſuperiores „illi, quos non ſolum ex ſanctiſſimo Patriarcha „Taraſio, qui jam olim ſummo Sacerdotio præ„fuit, ſed ex aliis quoque fide dignis hominibus „tam indigenis, quam in Oriente natis, per ma„nus parentum nobis quaſi traditas audiens, am„plector veneroque. Accedit his, quod Bar„ſanuphii imago in Maximo templo juxta ſan„ctos patres Antonium, Ephraim, aliosque, rite „dicata & collocata viſitur. Quamobrem cum „in horum doctrina nullam impietatem, ſed con„tra potius, adjumenti ad animi perfectionem „plurimum, magnus parens noſter Theodorus „deprehenderet : certis limitibus utriusque Dorothei doctrinam diſtinxit, ac ejus qui in „Hoc libro celebratur dogmata, uti revera ad „animi ſalutem commodiſſima, ita utiliſſima eſſe „demonſtravit : ad quorum normam, qui ſuam „ipſius vitam diligenter inſtruxerit & examina„rit, ad virtutis Chriſtianæ perfectam menſu„ram facile perveniet ; & tranquillitate omni„umque perturbationum vacuitate ornabitur, „unaque cum Sanctis vitam æternam conſe„quetur.“

Nullam ergo Anonymus iſte rationem habet ad Doctrinas iſtas S. Dorotheo Seniori, Palladii Magiſtro attribuendas, quam quia nullam hæreſim, nihilque heterodoxorum contineant : licet ex earum lectione accurata, non poſſe eſſe antiquiores ſeculo ſeptimo, conſtet, ut poſtea dicemus.

Antonius Poſſevinus de *Dorotheo Archimandrita* multa ſcribit Tomo I. *Apparatus ſacri* verbo *Dorotheus &c.* ex editione Operum ejus anno 1564. in 8. Venetiis apud Bologninum Zalteriam, ſed quando floruerit aut ſcripſerit, cum ab editore Chryſoſtomo Calabro reſcire non potuiſſet, omittit. Veniſſe tamen in eandem cum Bellarmino ſententiam videtur, atque S. Dorotheo Seniori Iſidori diſcipulo adſcripſiſſe, Archimandritæ Solitariorum, magno illi lapidum ad littora maris collectori, ut junioribus aſcetis ad ſe venientibus cellas ædificaret.

Bellarminus in Opere *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 390. pag. 92. editionis Lugdunenſis anno 1613. in 8. apud Horatium Cardon, hæc habet. „Diadocus Epiſcopus Photices „ſcripſit inſignem librum *de perfectione* continen„tem capita centum, qui liber extat in Bibliothe„ca SS. Patrum Tomo V editionis 2. Dorotheus „Archimandrita ſcripſit Sermones 24. qui ex„tant in Bibliotheca SS. Patrum Tomo 2. editio„nis 2. Hi duo quando vixerint, non compe„rtum habeo, quamvis antiquos fuiſſe ſatis con„ſtat.“ Hæc Bellarminus, qui cum ad annum 390 has Doctrinas referat, ad Dorotheum Seniorem ſeculo IV celebrem, ipſas referre dubio procul creditur.

CAPVT TERTIVM.

CERTO DOCTRINAS ISTAS PERTINERE AD DOROTHEVM ARCHIMANDRITAM IVNIOREM SECVLI SEPTIMI SCRIPTOREM.

PEtrus Lambecius Tomo IV Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis pag. 183 Codicem inſignem Doctrinarum iſtarum profert Codice MS. Theologico Græco CLXXVI. num. 3. his verbis. „Tertio & quidem à folio 4. pag. 1. usque ad fol. 81. pag. 2. „*Dorothei Archimandritæ ſeu Abbatis Doctrinæ aſcetica novemdecim*, quarum prima inſcribitur atque incipit his verbis, Τῶ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν

Ab-

„Ἀββᾶ Δωροθέῳ διδασκαλίαι διάφοροι πρὸς τοὺς „ἑαυτοῦ μαθητὰς, ἀναχωρήσαντος αὐτοῦ ἐκ τῶν τοῦ „Ἀββᾶ Σεριδοῦ, καὶ τὸ ἴδιον σὺν Θεῷ συστησαμένου „μοναστήριον, μετὰ τὴν τοῦ Ἀββᾶ Ἰωάννου τοῦ προ„φήτου τελευτὴν, καὶ τέλειον σιωπὴν τοῦ Ἀββᾶ „Βαρσανουφίου. Λόγος ὁ περὶ ἀποταγῆς. Ἐν „ἀρχῇ ὅτε ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, ἔθετο „αὐτὸν ἐν τῷ παραδείσῳ. Iisdem Doctrinis aſceticis præfixa ibi ſunt à folio 5. pag. 1. usque „ad folium 9. pag. 2. Anonymi cujusdam auctoris Græci Prolegomena de Vita B. Dorothei „& primi ejus diſcipuli beati Doſithei, quorum „principium, ὁ μακάριος ὄντως καὶ μέγας Ἀββᾶς „Δωρόθεος τὸν μονηρῆ σὺν Θεῷ βίον ἀσπασάμενος, „εἰς τὸ τοῦ Ἀββᾶ Σεριδοῦ κοινόβιον ἀνεχώρησεν, „ἔνθα μεγάλους τινὰς καὶ πολλοὺς εὗρεν ἡσυχάζον„τας, ἐν οἷς ἦσαν διαπρέποντες δύο μεγάλοι γέρον„τες, ὅτε ἁγιώτατος Βαρσανούφιος, καὶ ὁ αὐτοῦ μαθη„τὴς, ἤτοι συνασκητὴς ὁ Ἀββᾶς Ἰωάννης, ὁ ἐπικλη„θεὶς Προφήτης, διὰ τὸ διορατικὸν χάρισμα, ὃ εἶ„χε παρὰ Θεῷ &c. In fine autem iisdem Doctrinis Aſceticis annexa eſt S. Nili querela de „Pſeudomonachis, paſſim mendicandi cauſa di„vagantibus &c. qua finita ſequitur tandem A„nonymi cujusdam authoris annotatio de duo„bus diverſis Barſanuphiis & totidem Doro„theis, quæ ab his verbis incipit. Ἰσέον τοὺς ἀνα„γινώσκοντας ἐν τῇδε τῇ ψυχωφελεῖ βίβλῳ, ὅτι „δύο γεγόνασι Δωρόθεοι καὶ δύο Βαρσανούφιοι &c. Hic autem Dorotheus alius eſt dubio procul ab aliis Dorotheis duobus ſeculo IV viventibus, de quibus Palladius in *Hiſtoria Lauſiaca* loquitur: nam Seridi Abbatis diſcipulus dicitur, cum alii aliorum diſcipuli fuerint. Vnde Lambecius in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 229 cenſet Doctrinas illas eſſe *Dorothei Abbatis ſeu Archimandritæ, qui ſeculo poſt Chriſtum ſexto, circa annum Chriſti DLX. floruiſſe creditur.* Ex Lambecio igitur Doctrinæ iſtæ pertinent ad Dorotheum juniorem & tertium, Seridi Abbatis diſcipulum, quem anno circiter DLX. floruiſſe opinatur. Vnde cum hoc ſeculo ſexto atque ſeptimo, ſecta Severi Antiocheni Patriarchæ plurimum obtineret, atque in varias etiam ſpecies & nomina apud Orientales aſcetas diſtingueretur: veriſimile admodum eſt, Dorotheum illum Archimandritam fuiſſe amplexum Severi partes & doctrinam, quamvis nihil hujuſce rei in Doctrinis iſtis appareat, ut anonymus Græcus teſtatur, unde illas adſcribendi Dorotheo Archimandritæ ſeculi IV aſcetæ, occaſionem acceperit.

Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei litterariæ* ſeu *Scriptorum Eccleſiaſticorum* pag. 444. Dorotheum Archimandritam hunc ad ſeculi ſeptimi initium aſſignat, annis quadraginta ſerius quam Lambecius, cujus verba Diſſertationis hujus cap. 1. retulimus, ad quem mittimus lectorem: neque deſunt ad iſtud affirmandum rationes.

Primum enim ambo Dorothei Archimandritæ ſeniores, præerant Monachis ſolitariis & eremitis, ſeorſim in cellulis per agros & ſilvas viventibus, qui vitam ſeu victum labore manuum comparabant, quales erant ſeculo quarto fere omnes. At Doctrinæ iſtæ ſpectant ad Monachos ex communi in Cœnobio viventes, unde cœnobitæ vel κοινοβίται nuncupati ſunt. Hoc patet evidenter ex capite ſeu Doctrina XVIII. quæ inſcribitur περὶ τοῦ ἔχοντος τὴν διακονίαν τοῦ κελλαρίου διδασκαλία: *Dialogus ejusdem de eo qui habet Cellarii officium ſeu miniſterium.* Non poſſunt igitur doctrinæ iſtæ pertinere ad Dorotheos Archimandritas ſeniores, qui ſolitariis ambo & anachoretis præerant, recte autem ad Juniorem, ſub ſeculi VII medium viventem, quæ monachis communem vitam profitentibus regulæ & doctrinæ conveniunt. Item poſt XXIV. doctrinas, ad finem voluminis extant Epiſtolæ paucæ & breves, quarum quæ ultimo loco pag. mihi 366 inſcribitur, τοῦ αὐτοῦ πρὸς ἀσθενέσεσον τινα ἀδελφὸν, λαμβάνοντα διαφόρους λογισμοὺς περὶ τοῦ οἰκονομοῦντος τὰ πρὸς τὴν χρείαν αὐτοῦ. Ejusdem ad imbecilliorem quendam fratrem, qui variis cogitationibus occupabatur, de eo qui adminiſtrabat quæ ad ipſius uſum pertinebant. Itaque tam *Doctrinæ* quam *Epiſtolæ breves*, non ſunt Dorotheorum Archimandritarum ſeculo IV. celebrium inter anachoretas & ſolitarios, ſed Dorothei junioris ſub ſeculi VII. initium, monachorum in communi viventium, ſeu cœnobitarum Archimandritæ, uti recte Lambecius & Cavus opinati ſunt. Quem fuiſſe Dorotheum illum Severi partes & opiniones amplexum, ut Theodorus Studita abbas ſcribit, non improbabile eſt.

Secundo in Epiſtola penultima Abbatem Paſtorem his verbis citat, καλῶς ὁ Ἀββᾶς ποιμὴν ἐνόησε τὸ μὴ μεριμνῆσαί τινα περὶ τῆς ἄυριον. *Præclare Abbas Paſtor intellexit illud, ne quis curet de craſtino.* Erat ergo vel ſuppar vel junior hic Dorotheus Archimandrita Abbate Paſtore quem profert in Epiſtola. At Abbas iſte Paſtor amicus S. Joannis Climaci ſingularis fuit, in tantum ut ad eum etiam librum aſceticum ſcripſerit: unde qua ætate hic Dorotheus Archimandrita floruerit, intelligi evidenter poſſit. Porro. S. Joannes Climacus à libro quem ſcripſit, & Sinaïta à monte quem incoluit dictus, circa annum 564. claruit. Vitam amplexus monaſticam, inter primores iſtius ævi aſcetas doctrina & pietate enituit: unde Abbas Monachorum in monte Sina commorantium effectus, forſitan & Cœnobii quod ad montis radices Juſtinianus Imperator conſtruxit Abbas, poſt annum 580. ſcalam ſuam ſcripſiſſe creditur: qui ad ſenectutem extremam perveniens, circa annum DC centenarius & ultra obiit, ſi Græcorum Menæo fides, die XXX. Martii. Idem quoque ſcripſit librum ad Paſtorem Abbatem, ex Ambroſii Camaldulenſis verſione latina excuſum ſæpius, Græce autem & Latine una cum Eliæ Cretenſis Scholiis à Matthæo Radero editum ad calcem *Scalæ Paradiſi* anno 1633. Pariſiis in folio. Vtrumque opus in Græcobarbaram ſeu vulga-

rem linguam verſum à Margarino Margunio Citherorum Epiſcopo, Venetiis anno 1590 prodiit. Cum itaque Dorotheus iſte diſerte alleget *Abbatem Paſtorem* qui circa annum 580. vel 600. claruit, neceſſum eſt Doctrinas iſtas atque Epiſtolas breves, eſſe Dorothei Junioris, qui ſub initium ſeculi ſeptimi & ultra forſan efflorucrit.

Tertio in Epiſtola ultima *ad imbecilliorem quendam fratrem, varia cogitantem, de eo qui adminiſtrabat quæ ad ipſius uſum pertinebant*, hæc habet: περὶ δὲ τῆς χρείας τοῦ σώματος, ἐαν τὶς ἢ ἄξιος τοῦ ἀναπαυθῆναι, καὶ Σαρακηνῶν παιδίαν πληροφορεῖ ὁ Θεὸς, ποιῆσαι μετ' αὐτοῦ ἔλεος καὶ τὴν χρείαν αὐτοῦ. *Quod ad neceſſitatem corporis attinet, ſi quis dignus refocillatione ſit, etiam Saracenorum corda flectet Dominus, ut faciant cum eo miſericordiam, juxta neceſſitatem ipſius.* His autem verbis Dorotheus hic indicat aperte ſe ſcribere, poſt Saracenorum imperium longe lateque dilatatum in partibus Orientis, atque ita vix ante ſeculi ſeptimi annum quinquageſimum vel ſexageſimum, quo Scriptorem hunc collocavimus. Saracenorum autem ſeu Arabum imperium, Mahomete Pſeudopropheta duce, juxta Cedrenum aliosque fide digniores Chronologos, anno Chriſtianæ æræ DCXXII. incepit. Quibus longe dominationem ſuam qua ferro, qua omni crudelitatis genere in Chriſtianos facta dilatantibus, Damaſco à Saracenis in Syria anno Chriſti 634. & Hieroſolyma ab iisdem anno 636. per vim occupatis, Chriſtianisque urbium iſtarum ob fidei diſcrepantiam multa paſſis, abiit in proverbium *crudelitas Saracenorum* apud Chriſtianos, quo Dorotheus iſte junior utitur. Opus igitur iſtud cum Epiſtolis, à Dorotheo Archimandrita juniore ſcriptum fuit poſt Saracenorum ſeu Arabum in Syria & Palæſtina imperium ſtabilitum, quod vix ante an. DCL vel DCLX fieri potuit. Longe igitur à veritate aberrant nomenclatores Scriptorum, qui *Doctrinas* iſtas, apertas ſeculi ſeptimi notas habentes, ad quarti ſeculi Dorotheos, Archimandritas ſolitariorum referunt.

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS SANCTI MAXIMI, MONACHI ET MARTYRIS.

660. MAXIMVS patria Conſtantinopolitanus, antiqua nobilitate ortus, anno 580. natus dicitur. Poſtquam autem omni diſciplinarum genere excultus egregie eſſet, in Aulam imperialem ab Heraclio Imperator futurus illius ornamentum & decus, appellatus eſt, ubi Regiis Commentariis conſcribendis operam dedit. Cum aliquandiu illic conſedisſet atque illuxiſſet, Aulicæ pertæſus vitæ & ſecularium agendi rationum, in Monaſterium Chryſopolin dictum prope Conſtantinopolim ſeceſſit, cujus præfecturam ſuſcipere aliquanto poſt à Monachis compulſus eſt. Abbas porro creatus, cum hæreſim Monotheliticam in Oriente paſſim triumphantem cerneret, & veritatem Catholicam in dies peſſum ire ingemiſceret: præcipue vero Perſarum per omnia fere Orientis loca graſſantium metu territus, ut ipſe habet Epiſtola 2. ad Joannem Presbyterum, tomo 2. Operum pag. 250, in Occidentales ſe ſubducere partes in animum induxit. Ante annum igitur 640. in Africam profectus, Epiſcopis Africanis ut contra Monothelitas ſtrenue decertarent, author fuit, quos & voce & exemplo præceſſit. Anno 645 habita cum Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano in Africa præſentibus Epiſcopis & Gregorio prætorii Præfecto diſputatione, hominem erroris convicit, ac duas in Chriſto voluntates dari ſolide demonſtravit: ut Theophanes & Photius tradunt, cujus *Diſputationis Acta integra*, prout à Notariis excepta fuerunt, Baronius in Geſtis anni 645. Græce & Latine edidit. Eodem anno Romam contendit, Monothelitas ubique oppugnaturus. Anno 649. Martinum Papam, quo familiariter uſus eſt, ad Concilium Lateranenſe celebrandum impulit, cui & ipſe Concilio interfuit. Cum ergo adeo graviter hæreticæ labi, qua Conſtans Imperator laborabat, reſiſteret S. Maximus: anno 655. Roma militari manu Conſtantinopolim, una cum Anaſtaſio diſcipulo abductus eſt, & in carcerem conjectus. Poſt dies aliquot in Palatium ductus eſt, ut confictis quibusdam proditionis & calumniæ in Imperatorem, injuriæ in Pirrhum, & Origeniſmi criminibus reus ageretur. Quæ cum ille luculentiſſime diluiſſet, edicto Cæſareo anno 648. lato, *de ſilentio in controverſia Monotheliticæ utrinque obſervando:* ſubſcribere juſſus eſt. Id renuens Bizyam Thraciæ oppidulum relegatur, ubi anno ſequente habita eſt IX. Kalendas Septembris Diſputatio, inter illum & Theodoſium Cæſareæ Bithyniæ Epiſcopum. Verum cum iſtiusmodi artificio, ne hilum quidem promoverent rem ſuam S. Maximi adverſarii: miſſus eſt Paulus Conſul, qui eum ad Monaſterium juxta Rhegium adduceret, ubi eadem de cauſa iterum diſputatum eſt. Cum nullis autem dolis, nullis minis flecti poſſet vir ſanctiſſimus, Imperatoris mandato Perberim abſque mora deportatur, ibi continuis vexationibus affligendus. Inde anno 662. Sexto Idus Ju-

Junii in Lazicorum regionem ablegatus eſt, & in Caſtrum Schemre in confinio Alanorum detruſus, cum ſibi mortem paucos intra dies obventuram prædixiſſet, die 13. Auguſti animam tot malis agitatam cœlo reddidit. Hæc ex Cavo verbotenus in *Hiſtoria rei literariæ* ad annum 645 pag. 457.

CAPVT PRIMVM.

DE

MANVSCRIPTIS OPERIBVS S. MAXIMI, EXTANTIBVS IN ANGLICIS BIBLIOTHECIS.

EXtant Plurimi MSS. Codices & eximii Operum S. Maximi Monachi, in Anglicanis bibliothecis. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, in MSS. Baroccianis Codice 27.

Sancti Maximi Monachi Centuria ſex, ex quibus, prima deſideratur & initium ſecundæ.

Idem de duabus in Chriſto Naturis Ὁ Ἄρειος τὰς τρεῖς ὑποστάσεις.

Idem de eſſentia, natura, hypoſtaſi & perſona pag. 78. b. ὅτι οὐσία μὲν.

Definitiones Patrum ſuper eadem collecta per eundem p. 79. ἐπείπερ πολὺς ἡμῖν κεκίνηται.

Ejuſdem Definitiones ejuſdem argumenti pag. 81. οὐσία καὶ Φύσις ταυτό ἐστι.

Idem Quid proprium ὑποστάσεως καὶ ἐνυποστατου οὐσίας καὶ ὁμουσίου p. 82. b. ὑποστάσεως ἰδιον ἐστὶ τὸ καθ' ἑαυτὴν ὁρᾶσθαι.

Idem de duabus in Chriſto voluntatibus pag. 83. Τὸ Χριστὸς ὄνομα οὐ Φύσεώς ἐστι.

Idem de Eccleſiaſtica Myſtagogia, & quarum rerum ſymbola ſunt, quæ in Synaxi peraguntur ſacra. pag. 85. Πῶς σοφώτερον γίνεται λαῶν, ad pag. 103.

S. Maximus ad Johannem, de differentia naturarum in Chriſto, & quomodo fas eſt agnoſcere duas naturas poſt unionem Τοῦτον ὅτω σαφῶς.

Ejuſdem liber Dogmaticus, demonſtrans Heraclii Imperatoris opinionem, de diſtinctione & confuſione naturarum in Chriſto, innovandi ſtudio invectam ſuggerente Sergio Conſtantinopolitano: Sacris Scripturis & Patribus adverſari, & facere cum hæreticis. Scriptus Romæ ad Stephanum Dorum Epiſcopum pag. 108. b. Νυκτὶ μὲν τὸν παρόντα βίον.

Ejuſdem de multiplici vocis acceptione ἐγένετο, in ſacris Scripturis pag. 117. Κατὰ παραγωγήν. *De varia acceptione ὑποστάσεως in ſacris Scripturis.* Τὸ καθ' ἑαυτὸ ὕπαρχον.

Ibidem Codice 59. num. 1. *S. Maximi Monachi Centuria Capitum IV.*

Codice 85. pag. 49. *S. Maximi dubia & ſolutiones.* Τὸ δεῦτε καταβάντες συγχέωμεν.

Ejuſdem Tractatus, quomodo quatuor generaliſſima virtutes, tribus animæ inſint facultatibus pag. 62. b. Φασί τινες τί δήποτε.

Ejuſdem de charitate ἀποσπασμάτιον, excerptum pag. 63. b. Ἰδὲ πρὸς τῷ περὶ ἀσκητικῆ.

Ibidem Codice 118. num. 4. pag. 225. *Maximi duæ priores Centuriæ de Charitate* Ἀγάπη μέν ἐστι.

Ibidem Codice 128. qui totus eſt Maximi Operum. *S. Maximi Monachi Tractatus de fide orthodoxa adverſus Severum hæreticum* pag. 1. Καλῶς ἔχειν.

Ejuſdem alius Tractatus adverſus Severum ad Petrum illuſtrem pag. 23. ἔδει.

Ejuſdem de diverſis dubiis apud Dionyſium & Gregorium Theologum p. 40. Ἁπλάνες.

Ejuſdem ad Pyrrhum Presbyterum Hæreticum, priusquam Hæreſim ſuam proderet, pag. 51. Τὴν ἁγίαν σε.

Ejuſdem ad Joannem Archiepiſcopum, quod Anima incorporea ſit p. 54. Τὸ τίμιον τῆς.

Ejuſdem ad Jordanum Presbyterum, quod Anima ſeparata habeat ſpiritalem operationem, nec ulla naturali facultate deſtituatur. p. 58. Τῇ δευτέρᾳ τοῦ ἐνεστῶτος Αὐγούστου.

Ejuſdem ad Abbatiſſam, de Moniali quæ monaſterium reliquerat p. 60. οἱ τῆς ἀληθείας.

Ejuſdem brevis Expoſitio Orationis Dominicæ. pag. 78.

Ejuſdem Epiſtola ἐπιφαλὲς pag. 79. Illa fortaſſe Epiſtola ad Joannem Cubicularium, *de triſtitia quæ ſecundum Deum eſt*, quæ inter reliqua ejus Opera extat in Bavarica bibliotheca.

Ejuſdem de Charitate pag. 80. ὁ κατὰ σάρκα.

Ejuſdem ad Thalaſſium Presbyterum p. 83. Τρία καθῶς.

Ejuſdem Paræneſis ad Georgium Africæ Præfectum p. 84. Οὐδεὶς ἕτω.

Ejuſdem Dialogus cum Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano Monothelita p. 97. Τί σοι κακὸν ἐποιήσαμεν.

Ejuſdem λόγος ἀσκητικὸς *per modum interrogationis & reſponſi* p. 120. Ἀδελφός.

Ejuſdem Centuriæ quatuor ad Elpidium Presbyterum de Charitate pag. 141. Ἰδὲ πρὸς τῷ περὶ &c.

Ejuſdem de Theologia & Incarnatione Chriſti capita CC. pag. 183. Εἷς θεός.

Ejuſdem de Theologia p. 215. Ἓν ἐστι τό.

Ejuſdem Capita practica p. 215. Καλὰ ἐξ ἀγαθῆ τὰ πάντα γεγώνασι.

Sermo de Contemplatione pag. 225. Ἐντεῦθέν μοι τί ἐστιν ἄσκησις εἰπεῖν.

Ibidem Codice 272. in MSS. Codicibus Thomæ Roe Militis Codice 26. num. ultimo, *Diſputatio inter Pyrrhum Patriarcham Conſtantinopolitanum & Maximum* Chryſopolitanum, præſente Gregorio Præfecto Prætorio in terra Africa.

Ibidem Codice 290. in MSS. Codicibus Oliverii Cromwelli Codice 111. num. 5. *S. Maximi CCCC. de Charitate* pagg. 177. 192. 217. 239.

Ibidem Codice 294. in MSS. Oliverii Cromwelli Codice 115 num. 15. *Reſponſio Maximi, Quid ſit peccatum in Spiritum Sanctum? Et quomodo*

Digitized by Google

omne aliud peccatum remittetur hominibus, ſed peccatum in Spiritum Sanctum non remittetur. pag. 347.

Ibidem Codice 688 in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi antea Cantuarienſis Archiepiſcopi, Codice 36. num. 10. *Sancti Maximi Capitula de Theologia* à p. 105. ad p. 138.

Inter MSS. Codices Vniverſitatis Oxonienſis Codice 1608. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Chriſti Codice 141. *Omnia S. Dionyſii Areopagitæ opera Græce cum Scholiis Maximi Monachi*, fol. in Membrana. Et Codice 1630. ibidem, Codice 163.

Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 5908. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 74. *Maximi Monachi Epiſtola ad Sophronium, aliaque ad alios. Item alia ejusdem Opera, videlicet Scholia in Dionyſium & Gregorium Nazianzenum, & quædam Philoſophica de Categoriis. Item liber de hypoſtatica unione*, collatus cum aliis manuſcriptis Codicibus.

Ibidem Codice 5936. in MSS. Codicibus ejusdem Thomæ Galei Codice 103. num. 5. & ultimo, *Maximi Monachi Capita ducenta de Theologia & de Incarnatione Chriſti.*

Ibidem Codice 6110. in MSS. Codicibus ejusdem Galei Codice 276. *Maximi Monachi Ambigua vel Scholia in S. Dionyſium Areopagitam*, inedita Græce.

Ibidem Codice 8589. in MSS. Codicibus Jacobææ bibliothecæ Codice 867. *Maximi Monachi Aſceticus*, Græce & Latine. Quibus MSS Codicibus cum editis S. Maximi Monachi collatis, nullum fere ſcriptoris hujus opuſculum impreſſum reperietur, quod non illic manuſcriptum ſit.

CAPVT SECVNDVM.
DE
OPERIBVS SANCTI MAXIMI MONACHI IMPRESSIS ET SIMVL COLLECTIS.

AGunt plures *de Scriptis Sancti Maximi Monachi & Martyris* tanta cura, ac præ cæteris Philippus Labbeus in Diſſertatione *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* quos Bellarminus recenſuit, ut ejus diligentiæ nihil addi poſſit, tam in exponendis Operum ad ſua usque tempora inſcriptionibus, quam in recenſendis editionibus ac verſionibus variis. Addemus tantum quæ completa ipſe non vidit, nempe *Opera omnia ſancti Maximi Monachi & Martyris*, impreſſa eſſe Pariſiis 2. tomis in folio, apud Andream Cramoiſy anno 1675. via fibularia ſub Abrahæ ſacrificio. Collecta illa ex variis Bibliothecis ac fere totius Europæ celeberrimis, cura & ſtudio Franciſci Combefis, Ord. fratrum Prædicatorum: præmiſſis quamplurimis ac variis, ad S. Maximi certaminum plenam cognitionem neceſſariis, Græce ac Latine editis. Quamvis autem Franciſcus Combefis diligentiſſimam adhibuerit curam in conquirendis & undequaque colligendis *Sancti Maximi Monachi* Operibus, methodum tamen non omnimodam obſervavit in illis evulgandis, quæ ita tumultuario ſatis ordine, Pariſiis impreſſa ſunt, ut ſupra diximus. Tanquam præludia, præmittuntur diverſa ad Commendationem Sancti Maximi Monachi & Martyris, ita fere:

Tomo I. Operum Sancti Maximi Monachi.

1. Vita ac Certamen ſeu Laudatio S. Maximi Monachi & Martyris, pag. 1.

2. Collatio Sancti Maximi & ſocii ejus cum Principibus in Secretario, pag. 29.

3. Epiſtola Maximi Abbatis ad Anaſtaſium Monachum. pag. 41.

4. Altera Anaſtaſii Monachi, diſcipuli S. Maximi ad Commune Monachorum apud Calarim. 43.

5. Diſputatio Maximi cum Theodoſio Cæſareæ Bithyniæ Epiſcopo, Bizyæ. 49.

6. Epiſtola Anaſtaſii Romæ Presbyteri, Apocriſiarii, ad Theodoſium Gangrenſem. 57.

7. Hypomneſticon Theodoſii Gangrenſis, de Maximi rebus & Anaſtaſii &c. 80.

8. Invectiva Anonymi adverſus Conſtantinopolitanos, pro S. Maximo. 85.

9. Officium primum S. Maximi, ex Codice MS. Tiliano. 87.

10. Officium alterum, ex magnis Menæis, 91. cum Notis ad hæc ſingula. 97.

His tanquam præludiis ſubjunguntur porro:

11. *Quæſtiones ad Thalaſſium in locos Scripturæ difficiles LXV.* cum ampliſſimis Scholiis, ſine quibus nunquam legi aut edi ſuam hanc lucubrationem obteſtatur Sanctus Maximus Monachus, fol. ſeu pag. 1. Opus iſtud fuſe deſcribit Photius in Bibliotheca Cod. 192.

12. *Interrogationes & Reſponſiones diverſorum dubiorum LXXIX.* pag. 300. Obſervat autem Franciſcus Combefis Operum S. Maximi editor, in ſolvendis his Quæſtionibus non eandem ἀκρίβειαν ac in prioribus adhibitam a Maximo: unde ſubolet vel Opus à Maximo inchoatum, ab aliis abſolutum eſſe, vel ſaltem non leviter interpolatum. Sed hæc conjectura levis, non enim ſemper eadem ἀκρίβεια in ſingulis Operibus uſi ſunt ſancti Patres, ut attendenti intelligere pronum eſt.

13. *Expoſitio in Pſalmum LX*, in qua per allegorias omnia explicat. 335.

14. *Expoſitio brevis in Orationem Dominicam*, pag. 344.

15. *Liber Aſceticus per interrogationem & reſponſionem* de vita pie inſtituenda, *in formam Dialogi ſcriptus.* 367. Hujus meminit Photius, ut

Digitized by Google

ut & ſequentium quatuor Centuriarum, in Bibliotheca Cod. 193.

16. *De perfecta Charitate & de aliis virtutibus Chriſtianis, ad Elpidium Presbyterum, Centuria IV.* 394.

17. Ducenta Capita *de Theologia & Diſpenſatione Filii Dei in carne*, pag. 461. Quo in Opere, argumentum tractat eodem fere modo ac in Quæſtionibus ad Thalaſſium, ſed paulo caſtigatius. Has ſententias memorat Photius in Bibliotheca Cod. 194.

18. Capita quingenta Theologica & œconomica, deque virtute & vitio. 512. Primus hæc Capita Græcolatine edidit Joannes Picus Claſſium inquiſitoriarum in Senatu Pariſienſi præſes, Pariſiis 1560. in 8. Plurima autem ex anterioribus Opuſculis, MSS. extant in Codice MS. Theologico Græco CXCIV. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, nempe *Liber Aſceticus ſecundum interrogationem & reſponſionem*, num. 1. *Centuria quatuor Capitum de charitate cum præfatione ad Elpidium Presbyterum*, num. 2. *Centuria ſeptem de Theologia & Filii Dei in carne œconomia*, n. 3. De quibus antea numeris 15. 16. 17 & 18. locuti ſumus. In eodem quoque MS. Codice, *Diſputatio cum Pyrrho Patriarcha Conſtantinopolitano Monothelita*, num. 4. *Dialogi quinque de Sancta Trinitate* qui vulgo adſcribuntur *S. Athanaſio Archiepiſcopo Alexandrino*, n. 5.

19. *Epiſtola ad Theopempum Scholaſticum, de judice iniquitatis &c.* 635.

20. *Capita Vaticana Monilia CCXLIII* Capitibus *de charitate* ſimillima. 640.

21. Fragmentum ex Opere *ſexaginta trium dubiorum*. 671.

Tomo Secundo.

1. *Epiſtola ad Marinum Presbyterum.* fol. 1. præmiſſa libro *de variis definitionibus*, ad p. 18.

2. Ad eundem ex tractatu *de operationibus & voluntatibus* cap. 50. & 51. pagg. 18 & 22.

3. *Ad Gregoriam Presbyterum & hegumenum, de Chriſti Myſterio.* 27.

4. In illud, *Si poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* 32.

5. *Tomus Dogmaticus ad Marinum Diaconum in Siciliam miſſus.* 34.

6. *Ad Nicandrum Epiſcopum, de duabus in Chriſto Operationibus.* 46.

7. *Hegumenis & Monachis & Catholicis populis per Siciliam conſtitutis.* 58.

8. *Ad Marinum Presbyterum Cypri, de proceſſione Spiritus Sancti.* 69.

9. *Defloratio ex Epiſtola ad Petrum illuſtrem, de Pyrrho, Sophronio &c.* 74.

10. *Tractatus de duabus Chriſti naturis, in capita X. diſtinctus* 76. quem Græce & Latine antea quoque ediderat Franciſcus Combefis in *Auctario* Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1648. tomo 2. pag. 443. ubi cenſet quidem hunc librum adſcribendum potius Timotheo Presbytero Conſtantinopolitano. Invenitur tamen ſub nomine ſancti Maximi, in MS. Codice Theologico Græco LXXVII. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, ut habet Lambecius Lib. 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 167. his verbis.

Octogeſimo & quidem fol. 202. p. 2. usq; ad fol. 203. p. 1. Sancti Maximi Monachi & Martyris Tractatus de duabus Chriſti naturis, in decem Capita diviſus, cujus titulus & principium: Τῦ ἁγίυ Μαξίμυ περὶ τῶν δύο Φύσεων τῦ Κυρίυ καὶ Θεῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησῦ Χριστῦ, καὶ ὅτι Ἀρείου μὲν ἢ Νεςόριος τόν τε τῆς Θεολογίας καὶ τῆς οἰκονομίας λόγον, Σαβέλλιος δὲ καὶ Εὐτυχὴς ἀπεναντίας τέτων συγχέυσι. Ὁ Ἄρειος τὰς τρεῖς ὑποςάσεις ὁμολογεῖ. Primus hoc Opuſculum edidit Joannes Meurſius in Syntagmate *Variorum Divinorum*, impreſſo Lugduni Batavorum 1619. in 4. apud Iſaacum Elzevirium, ſed Græce tantum, & ſub falſo nomine *Timothei Presbyteri Conſtantinopolitani*: Græce autem & Latine & ſub vero *S. Maximi* nomine, extat idem tomo 2. *Auctarii* Bibliothecæ Patrum anni 1648. a columna 443. usque ad col. 448.

11. *Variæ definitiones 78*

12. *Tomus Dogmaticus adverſus Heraclii Ecthesim 81.*

13. *Liber de duabus unius Chriſti voluntatibus, 98.*

14. *Definitiones diſtinctionum, quibus res dirimuntur. 115.*

15. *Unionum definitiones 115.*

16. *Theodori Byzantini ac Pauli Patriarchæ Synodicarii Quæſtiones, & Maximi Reſponſa ad Marinum Presbyterum.* p. 116.

17. *Tomus Dogmaticus ad Marinum Presbyterum 123.*

18. *De qualitate, proprio & differentia, Theodoro Presbytero in Mazario 134.*

Alii plures tituli uſque ad numerum LXIV. quos recenſere longum eſſet, quorum plerique Epiſtolæ ſunt, alii autem majoris momenti, ſequentes ſunt.

26. *Diſputatio cum Pyrrho, in Africa habita 159.* Primus hanc diſputationem Græce protraxit, Cardinalis Cæſar Baronius in Appendice tomi VIII. Annalium Eccleſiaſticorum, adjuncta verſione Franciſci Turriani, quæ exinde habetur Græce & Latine Conciliorum tomo V. pag. ſeu Colum. 1784. Hanc humiliore conſcriptam eſſe ſtylo, nec Dialecticæ Leges, nedum ſermonis ſinceritatem ſatis ſervare, olim annotavit Photius Codice CXCV. Id quod quidem Notariorum Acta diſputationis excipientium inſcitiæ, acceptum referri poteſt.

27. *Liber de Anima. 195.*

28. *Sermo hortatorius ad Georgium Præfectum Africæ. 201.*

39. *De rectis fidei dogmatibus & adverſus Severum liber, ad Joannem Cubicularium 259.*

40. *Ad Petrum illuſtrem, Oratio brevis ſeu liber adverſus dogmata Severi. 291.*

42. *Ejusdem de communi & proprio, hoc est, de essentia & hypostasi seu persona tractatus, ad Cosmam religiosissimum Diaconum Alexandrinum*, 313.

61. *Ejusdem Dialogi quinque de Trinitate adversus Anomæos, Arianistas, Macedonianos & alios hæreticos*, qui inter Opera quoque sancti Athanasii Alexandrini Episcopi haberi solent, 381. Vide Dissertationem Historicam Philippi Labbei *de Scriptoribus Ecclesiasticis* tomo 2. pag. 85. ubi monet *Dialogos istos* attribui *Sancto Maximo* in duobus antiquis Codicibus MSS, Romano nempe & Veneto. Attribuuntur quoque ipsi, in MS. Codice Græco Theologico CXCV. Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis num. 5. & quidem a fol. 128. pag. 1. usque ad fol. 293. pag. 2. ubi aliis indubiis S. Maximi Operibus annumerantur: ut habet Lambecius lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 212.

Quod tamen Auctor Dialogorum sit diversus a sancto Maximo, censet Joannes Garnerius in Dissertatione III. *de Dialogis VII. adversus Arianos, Macedonianos & Apollinaristas*, quam immisit *Auctario Operum Theodoreti*, paragr. 5. pag. 265. his verbis. „Cur non assentiar in eo quod „dixi, Petavio; ratio est, quod etsi maxime ve„lim, non possim tamen cogitando assequi, quæ „causa virum perspicacissimæ mentis & eximie „eruditum impulerit, ut Demetrio Cydonio „cujus potissimum auctoritate ducitur, adhi„buerit fidem homini qui recentis ævi est, ut „qui decimoquinto sæculo vixerit: & qui licet „plus ætatis haberet, de primo tantum Dialogo „loquitur. Cum tamen secundus ejusdem auc„toris sit cum primo, quartoque inclinante sæ„culo quam citissime, vel quinto scriptus fuerit, „id est ducentis annis & amplius ante S. Maximi „obitum. Id autem ita conficitur. 1. Dialo„gi duo priores non longe post tempore com„positi sunt, quam quæstio de ἀγεννήτῳ & γεννητῷ ab Aëtio moveretur; siquidem Orthodoxus Aëtio quærenti se Chronitis persecutio„nem pati, in hæc verba respondet: *Quos Chro„nitas dicis? An eos qui jam inde a temporibus Apo„stolicis ad hodiernum usque diem laudant Patrem & „Filium & Spiritum sanctum? An eos qui χθὲς & „σήμερον, ab uno altero ve die apparuerunt, & ha„resi laborant? qui Sanctum Patris & Filii nomen „pratermiserunt, eique se præferunt, qui docuit ba„ptizare in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti: „atque etiam sapientiores se putant eo, qui Patrem „Patrem, se Filium esse tradidit.* Qua vero quis „ratione, de hominibus ante trecentos annos „exortis (tantum enim temporis fluxit ab Aë„tio ad S. Maximum) dixerit eos extitisse χθὲς καὶ „σήμερον, *ab uno altero ve die?* 2. Deinde quis „singulis Aëtii argutiis, ne ipsis irretiantur fide„les, respondendum curiose tunc putet, cum „hæresis Anomæorum extincta omnino jace„ret, ipsumque nomen fere oblivio deleviisset? „Atqui temporibus S. Maximi ita se res habe„bat, altum de Anomæis silentium erat, nulla „fere nisi apud eruditiores aliquos memoria manserat, & Dialogista nihilominus in id unum Dialogis duobus incumbit. Quorsum Epistolæ duobus post sæculis respondeatur, *ne sua novitate imprudentes fallat, & fidei noceat?* 3. Denique ætate S. Maximi vigebant Monophysitarum & Monothelitarum hæreses duæ, quæ ab Eutychiana ambæ propagatæ sunt, quæque prout varios quasi per canales transierant, ita nomina variorum Auctorum sortitæ erant, quorum notissimus Severus. Adversus utramque, sed posteriorem præsertim totis viribus depugnavit S. Maximus Monachus, pugnandoque illustre martyrium fecit. Tunc temporis præcipua contentionis causa fuit, Ecthesis Heraclii, & Typus Constantis: aliis dedogmatibus vel consensio, vel silentium. Quorsum Maximus laboriose cum Anomæis & Macedonianis, imo & Apollinaristis disputasset: Quandoquidem Monothelitæ, a quibus ille importunissimam continuamque vexationem patiebatur, & Arii de Verbo Dei impietatem, & Macedonii de Spiritu Sancto blasphemiam, & Apollinarii amentiam, imo & Eutychis delirium execrabantur. Profitebantur enim Trinitatem consubstantialem, duasque in Christo naturas integras, imo sua singulas mente præditas ita defendebant: ut etiam cum Nestorio aliquatenus sensisse a Joanne & Martino Romanis Pontificibus, ipsoque S. Maximo Monacho, dicerentur.

Quod si S. Maximi indubitatam doctrinam cum Dialogistæ sententia conferre libeat, id quod agimus, facilius conficietur. 1. Cavet Dialogista curiose ut jam dixi, ne qua indicet ullatenus Spiritum Sanctum a Filio procedere: id quod aperte S. Maximus tradit in Epistola ad Marinum Presbyterum, prout effertur in Collectaneis Anastasii. 2. Dialogista refert lib. 4. se legisse Apollinarii confessionem, in qua corpus Domini nostri ὁμοούσιον Mariæ diceret: S. Maximus in Disputatione cum Pyrrho, ait Apollinarium abusum voce *unius voluntatis*, ut ostenderet carnem Domini esse ὁμοούσιον Verbo. 3. Dialogista pluribus cum Anomæo disputat, imo Dialogos duos primum & secundum, fere integros impendit in tractanda quæstione, utrum ἀγέννητον & γεννητὸν sint θεῖα: S. autem Maximus in Epistola ad Georgium Abbatem, velut in confesso apud omnes sumit, *Ingenitum & genitum non esse substantiam Dei*: additque, *Quis enim hoc dicat?* 4. Dialogista inter disputandum cum Apollinaristis, neque Eutychis meminit, neque Acephalorum, neque Severi, aliorumque ejusmodi: imo nec ullius Synodi præterquam primæ quæ Nicæna est adversus Arium, & secundæ quæ Constantinopolitana adversus Macedonium: at S. Maximus ubique passim, meminit hominum ejusmodi atque Synodorum, in quibus Eutychis impietas proscripta est. 5. Dialogista jejune admodum de Maria Θεοτόκῳ loquitur, nec aliis fere verbis quam quibus Nestorius non in-

gratis

„gratis uteretur. Cum enim de partu Virgi„nis nonnihil dixisset, Apollinaristæ excipienti, „*Hominem igitur Maria genuit?* respondet: ψι„λὸν δ', ἀλλὰ Θεὸν ἐνανθρωπήσαντα. πρῶτον γὰρ „ὁ Κύριος μετ' αὐτῆς θεικῶς, καὶ τότε ἐξ αὐτῆς „οἰκονομικῶς παιδίον. διὸ καὶ θεοτόκος ἡ Μαρία. „*Non nudum, sed Deum inhumanatum. Primum „enim cum ea Dominus divine, ex ipsa postea infans „œconomice; ideoque Maria Deipara est.* E con„tra S. Maximus cum calumniam passus esset, „quasi Virginem non Deiparam diceret: *missa „metanœa surrexit, & extensis in cœlum manibus, „cum lacrymis dixit:* Qui non dicit Dominam „nostram superlaudabilem, sanctissimam, inte„meratam, & omni naturæ intellectuali vene„randam, naturalem veraciter matrem Dei esse„ctam, qui fecit cœlum & terram & mare & o„mnia quæ in eis sunt: sit anathema & catathe„ma a Patre & Filio & Spiritu Sancto, consub„stantiali & supersubstantiali Trinitate, ac omni „cœlesti virtute, atque a choro Sanctorum A„postolorum, Prophetarum, & infinita plebe „Sanctorum Martyrum, omnique Spiritu in ju„stitia consummato, nunc & semper, & in secu„la seculorum, Amen. „ Hæc Joannes Garnerius ut probaret, hos Dialogos, non convenire S. Maximo Monacho, neque ratione argumenti, neque doctrinæ quam complectuntur. Vide quæ diximus supra, de his *Dialogis quinque vel septem*, in Dissertatione singulari *de Scriptis Theodoreti* cap. 10. ad finem.

Edidit quidem Opera hujus S. Maximi 2 tomis Græce & Latine Franciscus Combefisius anno 1675. Parisiis in folio, præmiserat autem in *Præfatione* Tomum tertium & in eo *Explanationes in Dionysii & Gregorii Theologi locos difficiles:* unde superfuisse adhuc plurima S. Maximi, quæ lucem nondum viderant, ex his verbis apparet: sed præsertim ex Catalogo Bibliothecæ Marquardi Gudii Regis Daniæ Consiliarii in Tractu & supremo tribunali Ducatus Slesvici, quæ Hamburgi anno 1706. Augusti die 4. venalis fuit, juxta Catalogum Kilonii in 4. apud Bartholdum Reutherum impressum. Illic inter MSS. Codices Græcos pag. 534. Codex 44. in 4. Operum S. Maximi, in cujus priore sed minore parte extant Opuscula varia quæ 1. & 2. tomo Combefisianæ habentur. reliqua autem quæ posteriorem hujus Codicis sed majorem partem faciunt, nondum edita sunt. Scilicet totus ille Codex foliis 264. constat, quorum edita foliis 103. continentur, quæ vero in reliquis usque ad finem leguntur, in lucem nondum exierunt. Operi præmittitur, conspectus argumentorum cujusque Tractatus. Hic Codex discrepat ab editis in Titulo Tractatus, qui Tomo 2. editionis Combefisii pag. 243. extat, & Combefisius quidem πρὸς ἰωάννην edidit, sed hic legitur πρὸς ἰορδάνην, quomodo scribendum esse & Maximum cum *Jordane* amicitiam constitutam habuisse, apparet ex Epistola ad Dn. Jordanum Presbyterum, quæ in hoc Codice folio 36. & Tomo 2. editionis Combefisii pag. 248. habetur. Primi Tractatus inter ineditos titulus hic est & principium περὶ διαφόρων ἀποριῶν τῶν ἁγίων Διονυσίου καὶ Γρηγορίου πρὸς Θωμᾶν τὸν ἡγιασμένον. Τῷ ἡγιασμένῳ δούλῳ τοῦ Θεοῦ παλαίει πνευματίνῳ καὶ διδασκάλῳ Κυρίου Θωμᾷ, Μάξιμος ταπεινὸς καὶ ἁμαρτωλὸς, ἀνάξιος δοῦλος καὶ μαθητὴς. Ἁπλανοῦς θεωρίας ἐξεμμέλως περὶ τὰ Θεῖα σπουδὴς ἕξιν λαβὼν &c. Ultima meditatio in his definit. Ἱεμέργησης τῷ σῷ τὴν Φιλαλληλίαν τῷ ἐν ἀρετῇ, καὶ ἐπὶ γῆς παρὰ πάσης δοξαζομένῳ τῆς κτίσεως, καὶ μόνον ἀπαιτοῦντι παρ' ἡμῶν θυσίαν τὴν πρὸς ἀλλήλους Φιλίαν. In compensationem igitur Librorum VII. Dialogorum quæ S. Maximo censerimus, multa restituimus alia nondum impressa, ex MS. Codice Marquardi Gudii præfato, quem Lector inquirat. Manuscripti autem Codices Marquardi Gudii juxta *Acta Eruditorum Lipsiæ* anno 1710. mense Octobri pag. 468. omnes Græci & Latini, inclytæ Biblioth. Ducali Guelferbytanæ, itinere in Holsatiam suscepto vindicavit Guilielmus Leibnitius literarum fautor, Serenissimo Duce ANTONIO VLRICO thesaurum hunc, difficillimis licet temporibus, pro generosa sua in bonas litteras munificentia redimente, ne aut dissiparetur, aut Germania exportaretur: quod semel annotasse, sufficiat.

62. *Mystagogia, qua explicantur, querum signa sint, quæ in sancta Ecclesia peraguntur, in divina Synaxi seu Collecta* pag. 489. Extat autem Opusculum istud sub nomine sancti Maximi Monachi, in Codice MS. Theologico Græco CXCVI Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis num. 8. & quidem a fol. 69. pag. 1. usque ad fol. 86. pag. 1. ut habet Lambecius lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 214. sunt autem in hoc MS. Codice Opuscula plurima S. Maximi Monachi & Martyris. Nimirum *Centuriæ quatuor Capitum de Charitate* a fol. 1. pag. 1. usque ad fol. 31. pag. 1. *Duæ priores Centuriæ Capitum de Theologia & Filii Dei in carne œconomia*, a fol. 31. pag. 1. usque ad fol. 62. pag. 2. *Ejusdem Capita decem de duabus Christi naturis*, fol. 62. pag. 2. usque ad fol. 63. pag. 2. Ejusdem sancti Maximi *Capita decem de Essentia, Natura, Substantia & Persona*, a fol. 63. pag. 2. usque ad fol. 64. pag. 2. Epistola sancti Maximi *ad Cosmam Diaconum Alexandrinum* &c. Denique ejusdem S. Maximi *Mystagogia Ecclesiastica*, sive *Expositio sacræ Liturgiæ & divinæ Synaxeos*, a fol. 69. pag. 1. usque ad fol. 86. pag. 1. cujus titulus & principium: τοῦ αὐτοῦ περὶ ἐκκλησιαστικῆς μυσταγωγίας, καὶ τίνων ἐστὶ σύμβολα τὰ κατ' αὐτὴν ἐπὶ τῆς θείας συναξέως τελούμενα. πῶς σοφώτερον γένεσθαι λαβὼν ἀφορμὴν ὁ σοφὸς &c. Ejusdem sancti Maximi Opusculum *de differentia duarum in Christo naturarum post unionem*, a fol. 89. pag. 2. usque ad fol. 91. pag. 1. Ejusdem sancti Maximi *Tomus dogmaticus ad Stephanum Episcopum Dorensem contra Ecthesin sive Expositionem fidei, de una in Christo voluntate ab Imperatore Heraclio, instinctu Patriarchæ Sergii Constanti-*

ſtantinopoli promulgatam: a fol. 91. pag. 1. usque ad folium 99. pag. 2.

63. Denique *Sermones per Excerpta ſeu ſcite dicta atque electa, ex diverſis tum Chriſtianorum, tum Gentilium ac prophanorum libris, numero LXXI,* pag. 528. Habentur quidem hi loci communes, in tribus MSS. Codicibus Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, ſed ſemper absque nomine authoris, ut in MS. Codice Theologico Græco CXCV. ut habet Lambecius lib. 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 213. Codice MS. Theologico Græco CCCXX. num. 2. & quidem a fol. 134. pag. 2. usque ad fol. 177. pag. 1. ut idem habet Lambecius libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 279. Codice MS. Philoſophico Græco LXXXIII. ut habet idem Lambecius libro 7. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 144. Vnde valde mihi ſuſpectum eſt, quin hi Sermones ad alium ſpectent, quam ad ſanctum Maximum Monachum & Martyrem, qua tamen de re definire nihil volo. Nam illos edendos ex his Codicibus MSS. Græcis Cæſareis Vindobonenſibus curavit Conradus Geſnerus, de quibus ita ille loquitur in *Bibliotheca Vniverſali* quam anno 1545. edendam procuravit Tiguri in folio apud Chriſtophorum Froſchoverum, verbo *Maximus Monachus & Confeſſor,* qui alias *Philoſophus ſimul & Martyr* inſcribitur. Ita ille folio 508. " Sanctus Pater „Maximus Capita diverſa ſententiarum ex ſacris & prophanis auctoribus Græcis quam plurimis juxta locos communes digeſſit. Ea nos „brevi Deo favente in lucem dabimus, Græce „& Latine cum *Antonii Monachi Meliſſa.* Sunt „autem Capita iſtorum locorum numero LXXI „quos illic Geſnerus ſingulatim recenſet." Illorum vero editionem ex MSS. Codicibus Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Græcolatinam a Conrado Geſnero factam videas, & Tiguri typis Chriſtophori Froſchoveri anno 1546. impreſſam in folio. Ex hac autem editione Græcolatina atque primaria, emanarunt poſtmodum in priores duas editiones *Bibliotheca Veterum Patrum,* Pariſiis annis 1575. & 1589. factas, ſed Latine tantum. Equidem in editione primaria anni 1575. hos *locos communes* quos S. Maximus *ex Sacris & prophanis libris Græcis* congeſſit, licet accurate inquiſitos non reperi, etſi illic extare in Catalogo Operum impreſſorum Bibliothecæ Oxonienſis publicæ, verbo *Sanctus Maximus Monachus,* habeatur. Leguntur autem in Bibliotheca Veterum Patrum Pariſienſi anni 1589. Tomo V. columna 1013. ad col. 1118.

CAPVT TERTIVM.

IN QVO OSTENDITVR OPERA MAXIMI MONACHI ALIA RATIONE COMMODIORI, IN IMPRESSIS POSSE DISTRIBVI.

ATque meo quidem judicio commodius omnia hic ſatis confuſa, diſtribuerentur in duos tomos, quorum primus *Opera Aſcetica* ſecundus *Dogmatica* atque Epiſtolas iſto ordine contineret.

Tomo primo, Opera Aſcetica.

Quæſtiones ad Thalaſſium LXV. in locos Scripturæ difficiles, tom. 1. pag. 1.

Interrogationes & Reſponſiones diverſorum dubiorum ibidem, pag. 300.

Expoſitio in Pſalmum Sexageſimum, ibidem 335.

Expoſitio in Orationem Dominicam, ibidem 344.

Aſceticus liber per Interrogationem & Reſponſionem, 367.

Capita quadringenta *de charitate* ad Elpidium 394.

Capita ducenta *de Theologia, deque diſpenſatione filii Dei in carne,* 461.

Capita quingenta *Theologica & œconomica,* de virtute & vitio, 512.

Alia Capita Vaticana Moralia CCXLIII. pag. 640.

Myſtagogia qua explicantur, quorum ſigna ſunt, quæ in ſancta Eccleſia peraguntur in divina Synaxi ſeu Collecta, tomo 2. pag. 489.

Sermones Aſcetici per Excerpta, ſeu ſcite dicta atque electa, ex diverſis tum Chriſtianorum, tum Gentilium ac Philoſophorum libris, numero LXXI. Ibidem tomo 2. pag. 528.

De computo Eccleſiaſtico libri duo, quos edidit Dionyſius Petavius in *Vranologio.*

Explicatio locorum quorundam difficilium S. Gregorii Theologi, de quibus infra.

Fragmentum ex Opere LXIII. dubiorum, tomo 1. pag. 671.

Tomo ſecundo, Opera Dogmatica, cum Epiſtolis & fragmentis.

Liber de variis definitionibus S. patris noſtri Maximi Confeſſoris ad Marinum Presbyterum, tom. 2. pag. 1.

Ejusdem Tomus Dogmaticus ad Marinum Diaconum in Siciliam miſſus. Ibid. pag. 34.

Tomus alter Dogmaticus ad Marinum Presbyterum, ibidem 123.

De proceſſione Spiritus ſancti, ad Marinum Presbyterum Cypri. Ibidem 69.

Dialogi V. de Trinitate adverſus Anomœos, Arianiſtas, Macedonianos & alios hæreticos. Ibidem 381.

Ad Gregorium Presbyterum & Hegumenium, de Chriſti Myſterio, ibid. 27.

Collectio ſancti Maximi & Socii ejus cum Principibus in Secretario. In prolegomenis pag. 29.

Diſputatio S. Maximi cum Theodoſio Cæſareæ Bithyniæ Epiſcopo, habita Bizyæ. In prolegomenis, pag. 49.

De duabus in Chriſto voluntatibus & operationibus, ad Nicandrum Epiſcopum, 46.

Item de duabus unius Chriſti voluntatibus, pag. 98.

Hegu-

Digitized by Google

Hegumenis & Monachis & Catholicis populis per Siciliam conſtitutis. 58.

Tomus Dogmaticus adverſus Heraclii Imperatoris Ecthesim. 81.

Diſputatio cum Pyrrho, in Africa coram Epiſcopis habita 159.

Libellus de Anima, variisque potentiarum ejus definitionibus 195.

Sermo adhortatorius ad Georgium Africæ Præfectum 201.

De rectis fidei dogmatibus & adverſus Severum liber, ad Joannem Cubicularium, 259.

Oratio brevis ſeu liber adverſus dogmata Severi, ad Petrum illuſtrem, 291.

De qualitate, proprio & differentia, Theodoro Presbytero in Mazario, 134.

Ejusdem *de communi & proprio*, hoc eſt, *de eſſentia & hypoſtaſi ſeu perſona* tractatus, ad Cosmam religioſiſſimum Diaconum Alexandrinum pag. 313.

Epiſtolæ omnes, quæ hoc tomo 2. paſſim habentur, quibus adde Epiſtolam *ad Theopemptum Scholaſticum*, de judice iniquitatis &c. tom. 1. pag. 635. alteramque Epiſtolam Maximi Monachi *ad Anaſtaſium Monachum* in prolegomenis pag. 41. atque alia fragmenta, quæcunque tandem illa ſint.

Huic deſunt editioni *Commentaria ſancti Maximi in Opera ſancti Dionyſii Areopagitæ*, quæ cum Operibus Dionyſianis Græce & Latine ſæpe jam impreſſa ſunt, Pariſiis in fol. anno 1615. Antverpiæ anno 1634. & Pariſiis iterum 1644. duobus tomis, de quibus diximus in *Pſeudo Dionyſio Areopagita* ſuperius ad annum 520. Extant autem hæc Commentaria in MSS. Codicibus Græcis frequentiſſima, atque potiſſimum in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codicibus Manuſcriptis Theologicis Græcis quatuor, XLIX. L. LI. & LII. ut habet Lambecius tomo 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 67. & ſequentibus. Item inter Manuſcriptos Codd. Vniverſitatis Oxonienſis Codice 608. in MSS. Codicibus Collegii Corporis Chriſti, Codice 141. Ibidem Codice 1630. in MSS. Codd. ejusdem Collegii Corporis Chriſti, Codice 163. Et inter MSS. Codd. Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 5908. in MSS. Codd. Thomæ Galei Codice 74. Atque ibidem Codice 6110. in MSS. Codd. ejusdem Thomæ Galei Cod. 276.

Ejusdem ſancti Maximi *Scholia in Divi Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi locos difficiles*, de quibus ita loquitur Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiæ* ſeculo 7. ad annum 645. pag. 459. "*Opus prolixum, quod maxima ex parte* „*Latine olim vertit Joannes Scotus Erigena. Inte-* „*grum Opus una cum ejusdem Scoti* de diviſione na- „turæ libris, Græcolatine prodiit Oxonii 1681. „in folio. Vbi eximie fallitur, dum Opus Maximi quod prolixum ait, integrum Oxonii prodiiſſe Græce & Latine ſcribit. Si enim attente contuliſſet Labbeum in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, tom. 2. verbo *Sanctus Maximus* pag. 84. ubi apparatum Franciſci Combefiſii ad editionem Operum ſancti Maximi recenſet, legiſſet citata pagina 84. *In divi Gregorii Theologi locos aliquot ad Thomam. Ex Regio Codice. In Gregorii Theologi locos difficiles, ex eodem. Opus eſt ſpiſſum & arduum, Scoto Erigenæ olim tentatum, verſione inſcripta Carolo Calvo, ex qua emendata in Regio Codice aliqua ac ſupplenda ex Bibliotheca Cluniacenſi.* Opus autem quod ſub nomine ſancti Maximi *In locos difficiles ſancti Gregorii Nazianzeni* Oxoniæ 1681. prodiit, ita modicum eſt, ut unum aut aliud preli folium vix impleat. Nullatenus ergo intelligi poteſt de Opere ſancti Maximi in Gregorium Theologum, quod a Combefiſio apud Labbeum, *ſpiſſum & arduum* vocatur: quodque ſe vidiſſe teſtatur Combefiſius, MS. Græcum in Bibliotheca Galliarum Regia, atque cum verſione Latina Joannis Scoti Erigenæ, in Bibliotheca Cluniacenſis Abbatiæ, Carolo Calvo inſcripta.

De Computo Eccleſiaſtico libri duo, quos Græce & Latine ex Bibliotheca Vaticana ex Codice admodum recenti anno 1520. Græce ſcripto, eductos & verſione inſtructos a Dionyſio Petavio Soc. Jeſu Presbytero, cum aliis Græcis authoribus habes in *Vranologio*, anno 1630. Pariſiis in fol. apud Sebaſtianum Cramoiſy via Jacobæa ſub Ciconiis. Extat Græce MS. in membrana in folio, *Ad celeberrimum Patricium & Dominum Petrum* in bibliotheca noſtra Lugdunobatava, ex dono Joſephi Scaligeri ut conſtat ex Catalogo MSS. impreſſo pag. 393. num. 18. Vnde ſuppleri poſſunt lacunæ, quæ in impreſſis occurrunt, factis ad fidem MS. Codicis Græci cui plura deerant.

Denique *Expoſitio in Cantica Canticorum*, quam ex S. Maximi, Gregorii Nyſſeni & Nili Commentariis collegit Michael Pſellus, extat Græce & Latine in *Auctario* Bibliothecæ SS. Patrum, editionis Pariſienſis 1624. tomo II. pag. 681.

Quantum autem literas & literatores viros colerent Alexius Comnenus & ejus uxor Irene, Orientis Imperatores, ſcribit maxime Anna Comnena illorum filia in *Alexiade* lib. V. pag. 147. litera C & ſequentibus: maxime vero Irene Imperatrix, quæ ſtudio intenſo afficiebatur circa libros ſancti Maximi Philoſophi & Martyris ſtylo ſatis ſublimi ſcriptos, ut his verbis Comnena filia teſtatur. Καὶ τίς γὰρ λόγου μετέσχων ἀν παρῆν, τῶ ἱερῶ ζέυγους τοσοῦτον περὶ τὴν τῶν θείων λόγων ἐξερεύνησιν, διὰ πάσης νυκτὸς ἡμέρας διαπονημένων, τὸν ἐμὸν Φημὶ πατέρα καὶ Βασιλέα. Ἀλλά τι μικρὸν παρεμπήσομαι. δίδοσι γάρ μοι τοῦτο νόμος ῥητορικὸς. μέμνημαι τῆς μητρὸς καὶ Βασιλίδος πολλάκις, ἀείσω προκειμένου, βιβλοις ἐγχειρίσεσι Φερούσης, καὶ τὰς λόγας διερευνωμένης τῶν δογμάτων ἁγίων Πατέρων, μάλιστα δὲ τῶ Φιλοσόφω Μαξίμω καὶ Μάρτυρος. Ἐσπουδάκει γὰρ ἐν πολλῶ περὶ τὰς Φυσικὰς συζητήσεις, ἐπόσον περὶ τὰ δόγματα, τὴν ὅλως σοφίαν καρπῶσθαι βουλομένη. καί μοι πολλά-

τις θαυμάζειν ἐπήει, καὶ θαυμάζουσα ἔφην πότε πρὸς αὐτὴν. πῶς αὐτόθεν πρὸς τοσοῦτον ὕψος ἐπίβλεψας; ἔγωγε τρέμω, καὶ δὲ' ἀκρους ὡσὶν ἀποτολμῶ τούτων ἐπαίειν. Τὸ γὰρ πάνυ θεωρητικόντε καὶ νοερὸν τῆ αἰδοῦς, ὥς φασιν, ἴλιγγον παρέχεται τοῖς ἀναγινώσκουσιν. ἡ δὲ μειδιάσασα ἔφη, ἐπαινετὴν ἴσθα τὴν δειλίαν ταύτην, ἣ δυ' αὐτὴ ἀτρέμως ταῖς βίβλοις ταύταις προσειμι, ἀλλ' ὅμως ἀπορραθαι τούτων οὐ δύναμαι. σὺ δὲ μοι μικρὸν ἀνάμενον, καὶ ταῖς ἄλλαις ἐγκύψασα βίβλοις πρότερον, καὶ τῆς τούτων ἀπογεύσεις ἡδύτητος. Ἔτρωσέ μου τὴν καρδίαν ἡ τῶν ῥηθέντων μνήμη, καὶ ὥσπερ εἰς πέλαγος ἄλλο διηγημάτων ἐμπέπτωκα.

„Nec mirabitur, quod dixi, frequentatam a viris litteratis aulam, qui reputaverit, quanta & quam profeſſa benevolentia, ſacrum illud par conjugum (Patres meos Auguſtos dico) literas & literatos amplecteretur. Qua re ſatis vulgata, nullus omnino qui literis initiatus eſſet, non ad eos itabat confidenter. Porro ſtudia non aliis fovere magis, quam in ſeipſis exercere cura erat. Conſumebantur dies, vigilabantur noctes ab utroque, in meditatione ſacrorum librorum. Atque hic libet uti facultate, quam Rhetorica indulget, breviter digrediendi. Memini Auguſtam matrem meam, nec cum menſa poſita ad cœnam vocaretur, potuiſſe deponere de manibus, quos aviditſime lectitabat libros, cum aliorum Sanctorum Patrum, qui de ſacris dogmatibus egerunt, tum præſertim Sancti Maximi Philoſophi & Martyris. Delectabat enim illam, non tam Quæſtionum explicatio naturalium, quam divinorum dogmatum perſcrutatio, in quorum intelligentia verum germanæ ſapientiæ fructum aſſequebatur. Mirabar ea cernens ego, & aliquando auſa quid ſentirem dicere: quomodo, inquam, e plano in tantam altitudinem reſpicere te juvat? Tremo equidem ego intuens, ac ne ſummis quidem auribus admittere mentionem audeo, arcanorum tam ſublimium: ſtylus enim, ut ajunt, ſancti Maximi evectus altiſſime, ſupra viſum & captum humanorum ſenſuum, & in eliquatiſſimis contemplationibus aſſidue volitans, vertiginem quandam afſert legentibus. Ad hæc arridens illa, laudabilem iſtum metum ſcio, neque ego ſine tremore ad ſacros hos accedo libros, tamen avelli ab eis nequeo. Quin tu mihi paulisper expecta, & ubi alia in quibus formare ingenium par erat, ſatis ſcripta cognoveris, horum deinde ſuavitatem deguſtabis. Percuſſit mihi cor, horum memoria dictorum, & quaſi in aliud narrandarum rerum pelagus incidi. Hæc Anna Comnena in *Alexiade* Græcolatina editionis Regiæ Pariſienſis anno 1651. in folio, libro V. pag. 147.

Agunt pleniſſime *de Scriptis ſancti Maximi Monachi & Martyris*, Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tom. 2. verbo *S. Maximus Monachus*. Balthaſar Corderius, in editione ſua Operum ſancti Dionyſii Areopagitæ Græcolatina cum *Commentariis S. Maximi*, Antverpiæ in fol. 1634. Franciſcus Combefis in editione *Omnium ſancti Maximi Monachi & Martyris Operum*, quam ſupra attulimus. Petrus Lambecius in Commentariis ſuis *Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſis*, lib. 3. pag. 252. lib. 4. pag. 247. lib. 5. pag. 343. ubi de Codicibus MSS. ſub nomine ſancti Maximi Monachi & Martyris, qui in hac Bibliotheca reperiuntur.

ANASTASIVS MONACHVS primum, deinde Abbas, ſancti Maximi Conſtantinopolitani diſcipulus, itinerum, calamitatum & exiliorum ejus comes individuus per decennium integrum, claruit anno DCLV. quo una cum ſancto Maximo, Imperatoris juſſu Roma Conſtantinopolim aſportatus eſt, ubi in judicium tractus, diris modis exagitatus, Perberim demum relegatus eſt. Scripſit *Epiſtolam ad Calaritanos in Sicilia Monachos adverſus Monothelitas hæreticos*, eo tandem prolapſos, ut duas & unam, id eſt, tres in uno eodemque Chriſto voluntates & operationes prædicarent. Habetur hæc Epiſtola inter Collectanea *Anaſtaſii S. R. E. Bibliothecarii* pag. 142. quæ Sirmondus edidit Pariſiis anno 1620. in 8. apud Sebaſtianum Cramoiſy. Itemque habetur in Prolegomenis ſeu Præludiis ad Opera *ſancti Maximi* edita a Franciſco Combefis, de quibus modo diximus. Obiit in Lazica anno 662. die 24. Julii paucis ſanctum Maximum præveniens, qui die 13. ſequentis Auguſti mortalitatem exuit. 660.

ANASTASIVS ECCLESIÆ ROMANÆ PRESBYTER & APOCRISIARIVS, beati Maximi diſcipulus, anno DCLV. claruit, quo ob Maximi Præceptoris cauſam, & Orthodoxæ veritatis confeſſionem, Meſembriam Thraciæ urbem in exilium miſſus eſt, poſtea Trapezuntem relegatus. Anno DCLXII. una cum B. Maximo in Lazorum regionem deportatur, ubi a Maximo & Anaſtaſio cognomine divulſus, qui exilii ſocii erant: in caſtrum Buculum dictum in regione Meſimiana prope confinia Alanorum conjectus eſt, inde poſt paucos dies in Caſtellum Thacyriæ juxta Hiberiam, exinde vero caſtrum Phuſtas, mox Schemarin relegatus. Scripſit anno DCLXV. e Lazica exul *Epiſtolam ad Theodoſium Gangrenſem Presbyterum*, quæ præter ea quæ de ſancti Maximi Conſtantinopolitani Abbatis & Anaſtaſii diſcipuli obitu narrat: ampla fragmenta continet, ex ſermonibus ſancti Hippolyti Portuenſis Epiſcopi. Extat hujus *Anaſtaſii Apocriſiarii* Epiſtola iſta in citatis Anaſtaſii Bibliothecarii Collectaneis Latine tantum pag. 193. quæ Sirmondus edidit Pariſiis 1620. in 8. Itemque Græce & Latine, in Prolegomenis ad Opera ſancti Maximi Monachi pag. 67. editionis Franciſci Combefiſii, de qua ſupra in *Sancto Maximo* locuti ſumus. Mortuus eſt Anaſtaſius iſte anno DCLXVI. die XI. Octobris. 660.

SAN-

SANCTVS ILDEFONSVS TOLETANVS ARCHIEPISCOPVS, Monachus primum in Agalienſi Cœnobio, tantam ob pietatem & eximiam doctrinam ſibi exiſtimationem comparavit, ut Abbate Adeodato defuncto, ad Monaſterii clavum aſſumptus ſit. Inde Eugenio juniore Archiepiſcopo Toletano mortuo, ad gubernacula præſtantiſſimæ hujus omnium Hiſpaniarum Eccleſiæ Metropolitanæ anno DCLVII. promotus, contra Pelagium & Helvidium perpetuam Beatæ Mariæ Virginitatem eximie pro viribus vindicavit. Scripſit ergo *librum de illibata Virginitate ſanctæ ac glorioſæ Genitricis Dei Mariæ contra infideles, ordine Synonimorum conſcriptum:* quem ſolum ex omnibus Ildefonſo attributis Operibus genuinum cenſet Joannes Poza in *Elucidario Beatæ Virginis* lib. 4. tract. 4. cap. 6. Reliquasque Homilias, nimirum *Homiliam contra eos qui mendoſe affirmant Mariam Virginem contra legem Dominum peperiſſe. Homilias ſex de Aſſumptione B. Mariæ Virginis. Homilias duas ſeu ſermones in Nativitatem B. Mariæ Virginis, cum Homilia de purificatione ejusdem:* a Franciſco Fevardent Ordinis Fratrum Minorum Pariſiis anno 1576. apud Nivellium in lucem emiſſas, ſuppoſititias eſſe multis contendit argumentis. Favet huic ſententiæ Franciſcus Combefis in ſua *Bibliotheca Concionatorum* tomo 7. ad Feſtum diem *Aſſumptionis B. Mariæ Virginis*, ubi has afferens homilias, notat in illis quædam eſſe deſumpta ex Divi Bernardi homiliis ſuper *Miſſus eſt:* alia quoque ex *Commentario in ſeptem Pſalmos Pœnitentiales*, quem poſt Opera Divi Gregorii Magni legimus, creditурque eſſe *Gregorii VII. ſummi Pontificis*, vel *S. Anſelmi* Lucenſis Epiſcopi. Favet & Lucas Dacherius tomis I. & XII. *Spicilegii*, in quibus occaſione libri Ratramni *de Nativitate Chriſti* tomo I. pag. 218. & Paſchaſii Rathberti *de partu Virginis* tomo XII. pag. 1. in Præludiis ad tomos, apud has homilias ſub nomine ſancti Ildefonſi Toletani Archiepiſcopi editas, multa ex Operibus iſtis Ratramni atque Paſchaſii haberi excerpta docet, quod per otium conferenti, advertere pronum eſt. Sane cum in his Homiliis *de Aſſumptione Mariæ Virginis* inſcriptis, perpetuus ſit hic ſcriptor ad prærogativas *hujus Feſtivitatis ſeu Feſti* inculcandas, velut unius e potiſſimis Eccleſiæ: nec tamen Feſtum iſtud vel adhuc ortum eſſet tempore S. Ildefonſi, nec tam ſolemne, quale hic appellatur: manifeſtum inde eſt, has omnes homilias ad Ildefonſum Archiepiſcopum Toletanum ſpectare non poſſe, recte autem ad anonymum aliquem ſeculi XII. Non itaque felicior mihi fuiſſe videtur Franciſcus Fevardentius, dum has homilias *ſub ſancti Ildefonſi nomine* edidit: quam dum ſub nomine Arnobii Afri ſeu ſenioris, in publicam lucem *Conflictum Arnobii & Serapionis* effudit, qui poſt exortam Eutychis hæreſim conſcriptus eſt, neque ad alium quam Vigilium Africanum Tapſenſem Epiſcopum, ex judiciis eruditorum ſpectat.

Hæreo quoque hic, dum Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo 7. ad annum 657. pag. 462. *Librum de illibata Virginitate B. Virginis contra infideles*, cum ſequenti adjudicat Paſchaſio Radberto. Nam ſi adhibenda fides Juliano Toletano, in *Appendice* quam adjecit libro S. Ildefonſi *de viris illuſtribus*; hic liber annumeratur ab ipſo inter Opera S. Ildefonſi, cujus exactiſſimum Syllabum recenſet, nec video quam ob rationem denegari Ildefonſo poſſit. Niſi aliquis dicat, Opuſculum ſancti hujus Ildefonſi de argumento iſto excidiſſe, atque in ejus locum ſubſtitutum eſſe librum ejusdem argumenti, a Paſchaſio Ratberto compoſitum. Addidit quoque Ildefonſus *Libellum de Scriptoribus Eccleſiaſticis XIV*, ſive *Appendicem ad librum Iſidori de Viris illuſtribus, poſt Hieronymum & Gennadium*, quem edidit Aubertus Miræus in Bibliotheca Eccleſiaſtica pag. 93. Antverpiæ 1639. in fol. cum Notis, atque alibi ſæpius. Denique leguntur tomo 1. dicti *Spicilegii* pag. 308. *Epiſtola aliquot Quirici Barcinonenſis Epiſcopi, Ildefonſi Toletani Archiepiſcopi, & Idalii Barcinonenſis etiam Epiſcopi*, collectæ illic ex Codice MS. Abbatiæ Corbeienſis in Gallia. Stephanus Baluzius edendum curavit anno 1713. in 8. Pariſiis apud Ludovicum Guerin & Socios, *Miſcellaneorum Tomum VI.* ex MSS. Codicibus collectum, in quo extant *Opuſcula duo ſancti Ildefonſi*, inſcriptum unum *liber adnotationum de cognitione baptiſmi*, alterum *de itinere deſerti quo pergitur poſt baptiſmum* quæ viri eruditi perdita eſſe arbitrabantur: ſed utriusque mentio diſerta, in Vita Sancti Ildefonſi, quam Julianus ejus ſucceſſor, in eadem Toletana ſede conſcripſit. Obiit S. Ildefonſus anno 667. die 23. Januarii, cujus Elogium & Opera eloquitur Julianus Toletanus Epiſcopus, ad calcem Opuſculi S. Ildefonſi *de Scriptoribus XIV. Eccleſiaſticis* in Bibliotheca citata Miræi, pag. 98. Philippus Labbeus, *de Scriptoribus a Bellarmino recenſitis*. Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro*, omnesque Scriptores *Rerum Hiſpanicarum*. Joannes Mabillon Seculo 2. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, pag. 320. & ſequentibus, in fol. Pariſiis 1669. apud Carolum Savreux.

THEODOSIVS ET THEODORVS Fra- 670.
tres, Monachi Orientales, Sanctorum Maximi Monachi & Martyris, atque Anaſtaſiorum ejus diſcipulorum familiares, cum a. DCLXVIII quo e Lazica reduces, quam Sanctorum Confeſſorum Maximi & Anaſtaſiorum viſendorum cauſa acceſſerant, accepiſſent a Georgio Monacho Exemplar literarum Anaſtaſii Apocriſiarii, *de morte S. Maximi atque alterius Anaſtaſii:* circa annum DCLXX. ſcripſerunt *Scholium* ſive Hypomneſticon *de morte S. Maximi Monachi &c.* præſertim vero *Anaſtaſii Apocriſiarii exilio & obitu:* quod Latine primum inter Anaſtaſii Bibliothecarii *Collectanea* pag. 251. invenies, edita Pariſiis, anno 1620. curis Jacobi Sirmondi. Illud autem Græce pariter & Latine habetur, in Pro-

legomenis ad Opera ſancti Maximi Martyris, pag. 80. editionis Combefiſii Pariſienſis anni 1675. cujus ſupra in *Maximo* mentionem amplam egimus.

670. SANCTVS AVDOENVS ROTOMAGENSIS ARCHIEPISCOPVS, qui & Dado, patria Sueſſionenſis, Dagoberti Regis referendarius, ſeculo poſtea relicto Clericalem vitam amplexus eſt. Anno 640. eodem die quo Eligius Nouiomenſis, Archiepiſcopus Rhotomagenſis ordinatus eſt. Anno 644. Concilio Cabilonenſi III. ſubſcripſit. Anno 672. *Vitam ſancti Eligii Nouiomenſis Epiſcopi* ſcripſit, de quo ita Sigebertus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 58. inquit: „Audoenus qui & Dado Epiſcopus Ro„thomagenſis ſcripſit *ad Robertum Pariſiorum E„piſcopum Vitam ſancti Eligii Nouiomenſis Epiſcopi:* „duobus libris, explicans miracula quæ vel in „Vita vel poſt mortem ejus geſta ſunt per eum, „3. libro Rhetorice & commatice totam Vitam „ejus rocapitulans.“ Hæc Sigebertus de Vita ſancti Eligii, quam Laurentius Surius ad diem 8. Decembris edidit, ſed mutilam absque *Præfatione & libro tertio*: ſed integram Lucas Dacherius tomo V. *Spicilegii*, deſumptam ex Manuſcripto Codice optimæ notæ. Ejusdem quoque extat *Epiſtola ad Deſiderium Cadurcenſem Epiſcopum*, apud Henricum Caniſium tomo V. *Antiquæ Lectionis* pag. 542. Obiit tandem anno 689. die 24. Auguſti, cujus memoriam habet eadem die Martyrologium Romanum. Plura Cæſar Baronius in Notis ad dictum Martyrologium, die 24. Auguſti. Fratres Sammarthani tomo I. *Galliæ Chriſtianæ*, in Archiepiſcopis Rhotomagenſibus, cum plurimis aliis.

680. THEODORVS CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPVS, natione Græcus, a Vitaliano Papa anno 668. ordinatus. magnus Eccleſiaſticæ Rei promotor fuit in Anglia, ad quam a Romano Pontifice miſſus fuerat. Hujus Vitam deſcribit Spelmannus in Conciliis Angliæ ad annum 668. tomo I. *Conciliorum Anglicorum* pag. 152. his verbis. „Mortuis Deus „dedit Dorobernenſi Archiepiſcopo, & quem „ad capeſſendum ejus locum Egbertus Cantio„rum & Oswius Northumbrorum Reges Ro„mam miſerant, Wigardo Anglo quodam eru„dito: Vitalianus Papa in Archiepiſcopatum „ſufficit Theodorum Monachum Græcum, „cum in moribus, tum in literis illuſtrem admo„dum & laudatum. Ne quid tamen contra Ro„manos ritus in Eccleſiam Anglicanam intro„duceret, ſpeculatorem ei impoſuit atque re„moram, Adrianum Abbatem Veridanum, non „longe a Neapoli, natione Afrum: ſed ætate „venerandum, & in ſacris literis, omnique eru„ditionis genere virum eruditiſſimum. Fefel„lit autem (quod ſub initium timebat) Vitalia„num, nemo enim acrius Theodoro promove„bat Romanos ritus & Eccleſiæ Canones: quos & peragratus totam inſulam, ubique ſtabilivit:“ & quod antea nulli contigerat, omnis Eccleſia“ Anglicana ei primo ſe libenter ſubjecit. Per“hibent etiam Antiquitates Eccleſiæ Chriſti“ Cantuariæ, illum Theodorum Cantuarienſem“ provinciam per pagos primum diſtribuiſſe: ſie“rique hoc deſignat Stowus in Vita Ercomber“ti haud longe poſt exceſſum hujus Ercomberti“ Regis Cantiorum, cui male non quadrabant“ priores anni Pontificatus Theodori. Conci“lium Herudfordiæ celebratum die 24. menſis“ Septembris anno Chriſti 673. Indictione pri“ma, & ſub initium primi anni Lotharii Cantio“rum Regis, præſidente Theodoro Cantuariæ,“ alias Doroberniæ Archiepiſcopo: in quo ea“ quæ a Transmarinis Patribus antiquitus Ca“nonice decreta erant, præcipue vero Decem,“ cuſtodienda hic ab Anglis decernuntur. Idem“ in Conciliis Angliæ tomo I. pag. 154. Conſti“tuit præterea Theodorus Doroberniæ Archie“piſcopus *Pœnitentiales Regulas copioſas*, omni pec“cantium, peccatorumque generi imponendas;“ de quibus Regino Abbas Prumienſis ſic in ſuo“ *Chronico*, ſub annum Domini 576. qui mendoſe“ admodum ponitur, ut numeri illic, & alia pluri“ma ſolent: Theodorus enim nec Pontificalem“ aſcendit Cathedram, nec in Angliam venit,“ per centum deinceps pene annos, ſi faſtis no“ſtris fides. Corrigendum igitur tempus, ſed“ rem attende. *Per id tempus* (inquit) *Theodorus*“ *Archiepiſcopus, & Adrianus Abbas doctiſſimus, a*“ *Vitaliano Papa miſſi ſunt in Britanniam, plurimas*“*que Eccleſias Anglorum doctrina Apoſtolica fruge fe*“*cundarunt: e quibus Theodorus Archiepiſcopus pec*“*cantium judicia, a quantis ſcilicet annis pro uno*“*quoque peccato quis pœnitere debeat, mirabili & dis*“*creta conſideratione deſcribit.* Habetur in celebri Bibliotheca S. Benedicti Cantabrigienſis li“ber iſte Pœnitentialis Theodori Doroberniæ“ Archiepiſcopi: ſed cum prolixior ſit, quam ut“ commode hic inſeratur, nec facile concedatur“ venia tranſcribendi totum Codicem: nos Ca“pitula ſolummodo vel potius Capitulorum fa“ſtigia ſubnectemus. „ *CAPITVLA LIBRI POENITENTIALIS THEODORI ARCHIEPISCOPI. &c.* De hoc ita antea ſcripſeram in *Supplemento* Bellarmini de Scriptoribus Eccleſiaſticis pag. 185. *Scripſit inſigne Pœnitentiale, quod ab authoribus ſequentibus ſæpius allegatur, & MS. aſſervatur in Bibliotheca ſancti Benedicti Cantabrigienſis Codice 133. cujus ſummaria Capita retulit Henricus Spelmannus in Collectione Conciliorum Angliæ tomo I. pag. 154. Vtinam integrum Opus orbi Chriſtiano obtuliſſet?* Hujus Occaſione voti, accepit Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo 7. ad annum 668. pag. 464. occaſionem mei deridendi, his verbis: “Optat Caſim. Oudin ut Spel“mannus integrum Pœnitentiale orbi Chriſtia“no obtuliſſet, nulla interim editionis Pariſien“ſis mentione facta. An foris tam acutus, do“mi cœcus eſſe poterat? neſcius ſcilicet, *Theodo“ri Pœnitentiale*, omnibus quæ reperiri poterant“

Capi-

„Capitulis, aliisque præclaris Eccleſiaſticæ diſci-
„plinæ monumentis adauctum, uberrimisque
„Jacobi Petiti Annotationibus ornatum, Pariſiis
„prodiiſſe anno 1677. tomis in 4. duobus. Fa-
„tetur quidem Petitus, ſe Collectioni ſuæ *Pœni-*
„*tentialis* nomen indidiſſe, non quaſi integrum
„referat *librum pœnitentialem*; ſed quia nihil eo-
„rum quæ præcipua ſunt, omittere videtur.
„Interim de Republica Chriſtiana haud parum
„meritus, qui omnia quæ haberi poterant, lau-
„dando ſtudio ſummaque diligentia conquiſi-
„vit.“ Hic cæcutit aperte Cavus abſurdiſſi-
musque eſt, dum alios quos foris acutos per iro-
niam vocat, domi cæcos appellitat. Videram
atque tenueram ante Cavum, Opus Jacobi Pe-
titi de quo loquitur, quodque impenſe laudat, &
absque ullo judicio Cavus. Opus iſtud judicio
doctiorum ipſiſſima farrago eſt, absque ordine,
atque nihil minus referens, quam quod in titulo
promittit, *S. Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi
Pœnitentiale*. Nec unquam credidi, nec ullus
unquam credet, *Opuſculum* quod vix unius folii
prelum implet, eſſe integrum *Pœnitentiale* hu-
jus Archiepiſcopi. Ipſe Cavus hic in domeſti-
cis cæcus eſt, ſibique hac in pagina aperte con-
tradicit, dum paulo ante ait: „*Scripſit Theodorus*
„Pœnitentiale, *opus ſatis amplum, & omnibus pene*
„*Pœnitentiæ caſibus accommodatum*. Quod ergo
unius tantum folii prelum occupat, atque ca-
pitellis XIV pro ingenii lubitu diſtinctum à Ja-
cobo Petito eſt, quæro ex Cavo, an lit *Opus ſatis
amplum, & omnibus pene Pœnitentiæ Caſibus accom-
modatum*: ut paucis ante lineis de *Pœnitentiali*
Theodori Cantuarienſis pronuntiavit? Non
ergo Jacobus Petitus in dicta farragine obtulit
orbi Chriſtiano verum & integrum *Pœnitentiale*
Theodori, ejusque farraginis mendax eſt titu-
lus, quod Cavus non advertit. Contradicit
quoque ſibi poſtea Cavus, dum locutus de Peti-
to inquit: *Fatetur quidem Petitus, ſe Collectioni ſuæ*
Pœnitentialis *nomen indidiſſe, non quaſi integrum
referat Librum Pœnitentialem, ſed quia nihil eorum
quæ præcipua ſunt, omittere videtur*. Credis bone
Cave atq; in rebus tuis cæce, ſi Petitus habuis-
ſet atque exſcriptum obtinuiſſet integrum *Pœ-
nitentiale Theodori*, quod Chriſtiano orbi dene-
gaſſet? fuiſſet hac in re mortalium omnium
abſurdiſſimus. Ipſe fatetur Jacobus Petitus *ſe
non integrum referre Librum Pœnitentialem, ſed quia
nihil eorum quæ præcipua ſunt, omittere videtur,
Collectioni dediſſe nomen Pœnitentialis*: ipſe
Cavus ipſa Jacobi Petiti hac pagina ver-
ba refert, negantis *ſe integrum retuliſſe Li-
brum Theodori Pœnitentialem*: qui tamen me
hic in propriis cæcum vocat, dum hoc *Pœniten-
tiale integrum* ab aliquo evulgari exopto. Quis
hic Cavi amentiam atque contradictionem, à
pruritu mei arguendi natam, atque in ſeipſum
retortam non miretur? Id ipſum quoque po-
terat diſcere ab Henrico Spelmanno, qui tomo I.
Conciliorum Angliæ pag. 154. Pœnitentiale
iſtud Theodori prolixius fuiſſe innuit, quam ut
hic integrum inſereretur: *Habetur* (inquit)
*in celebri Bibliotheca S. Benedicti Cantabrigienſis, Li-
ber iſte Pœnitentialis Theodori Dorobernia Archiepi-
ſcopi: ſed cum prolixior ſit, quam ut commode hic
inſeratur, nec facile concedatur venia tranſcribendi
totum Codicem, nos Capitula ſolummodo, vel potius
Capitulorum faſtigia ſubnectemus*. Quod autem
unius duntaxat folii prelum continet, ut farra-
go quæ à Jacobo Petito edita eſt, non impedire
debebat Spelmannum, quin integrum tomo I.
Conciliorum Angliæ inſereretur. In eandem
mecum venit ſententiam Ellias du Pin in *Nova
Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo 7. pag. mihi 40.
aſſerens hoc Opuſculum non tam eſſe *Pœniten-
tiale Theodori*, quam librum *Rituum* ex diverſis
Canonibus compoſitum. Hoc invincibiliter
probat tum ex cap. XI. ubi agitur de *Theodoro
Cantuarienſi* in tertia perſona: *Ergo unam li-
centiam dedit Theodorus*. Quæ verba oſtendunt
Compilatorem loquentem, qui poſt relatum
aliquem Canonem *Theodori*, ex eo concluſio-
nem elicit. *Præterea* inveniuntur in hoc capite
errores, omnino contrarii Regulis & Canoni-
bus, quos fecit Theodorus ipſe in Concilio He-
refordiæ, qui certiſſime ad ipſum ſpectant.
Tertio denique quod in fine dicit, *in regione ſua
non eſſe reconciliationem, eo quod in ea non ſit pœni-
tentia publica*: Seculo Theodori non convenit,
neque praxi ſuæ Eccleſiæ, cujus contrarium pro-
bant plures Canones Pœnitentialis Theodori.
Hæc Ellias du Pin. Prodierunt hoc anno 1698.
in folio 2. tomis Catalogi Manuſcriptorum Co-
dicum Angliæ & Hiberniæ omnium, è theatro
Scheldoniano, quos diligenter excutiens, hæc
tantum reperi.

In MSS. Codicibus Collegii D. Benedicti
Cantabrigiæ Cod. 133. *Liber Pœnitentialis Theo-
dori Arch. Cant. Eccleſiæ.* 2. *Liber Egberti de
Canonibus, Saxonicis literis exaratus.* Ibid. Cod.
244. *Liber compoſitus ex Decretis & Conciliis Pa-
parum*, continens 10. partes, deeſt folium pri-
mum. Nota. *Forte eſt Theodori Archiepiſcopi
Cantuariæ.* Ibidem Cod. 268. *Canones Concilii
Nicæni & aliorum*, Latine & Saxonice. Nota.
*Hic liber videtur eſſe ſcriptus primo Latine, per
Theodorum VII. Archiepiſcopum Cantuarienſem,
& per Alfricum translatus Anglice*, & continet
pagg. 170. In MSS. Codd. Collegii S. Trini-
tatis Dublinenſis Littera C. Codice 140. n. 6.
*Pœnitentiale Theodori Epiſcopi ex bibliotheca Cot-
toniana.* Et littera T. Cod. 615. *Theodori Pœ-
nitentiale ex MS. bibliotheca Thuani.* In Biblio-
theca Cottoniana ſub Othone Littera E. Cod.
XIII. *Statuta Synodorum per antiquo chamellere
ſcripta, ex collectione* (*ut dicitur*) neſcio qua au-
thoritate, *Theodori Archiepiſcopi Cantuarienſis.
Præfigitur poſt decem præcepta, epitome judicialium
legum Moſaicarum, deinde Canones & Conſtitutio-
nes Eccleſiaſtica, ſub LXVII. titulis compreben-
ſa.*

Quæ afferuntur ex Bibliothecis S. Trinitatis Dublinenſis, Thuana & Cottoniana, in lucem à Jacobo Petito producta ſunt, nec hucusque niſi excerpta & fragmenta quædam Pœnitentialis Theodori putata ſunt. Ex Codicibus autem Collegii Sancti Benedicti Cantabrigiæ, nihil certum haberi poteſt; imo Codex 244. mihi eſſe videtur, licet illum non inſpexerim, ipſa *Panormia S. Ivonis Carnotenſis Epiſcopi*, quæ in MSS. Codicibus in 10. partes diſtinguit, ut in Codice illo contingit. Atque iſta ad Guillelmi Cavi confutationem ſimul & confuſionem ſufficiant.

Alii porro volunt Theodorum de quo hic agimus ſcripſiſſe *Librum Canonum*, ex Actis Concilii Herefordienſis, quibus ipſe anno 673. interfuit. Nam in *Antiquitatibus Britannicæ Eccleſiæ* proditum eſt, noſtrum Theodorum Dorobernenſem Archiepiſcopum *librum protuliſſe* qui *Patrum Canones* vocabatur, quem & in Concilio Herefordienſi anno 673. probatum eſſe, ex libro 4. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* venerabilis Bedæ conjicere licet. *Anno tertio*, inquit, *Ecgfridi Regis Theodorus cogit Concilium Epiſcoporum, una cum eis qui canonica Patrum ſtatuta diligerent, & noſcant magiſtris Eccleſiæ pluribus &c.* ſubjicit poſtea Theodori Præſidis hujus Concilii verba: *Rogo dilectiſſimi Fratres, ut quæque decreta ac definita ſunt à ſanctis ac probabilibus Patribus, incorrupta ab omnibus nobis ſerventur. Hæc & alia quam plura, quæ ad charitatem pertinebant, unitatemque Eccleſiæ conſervandam perſcrutus ſum. Cumque expleſſem prolocutionem, interrogavi unumquemque eorum per ordinem, ſi ea quæ à Patribus canonice ſunt antiquitus decreta, cuſtodire conſentirent: ad quod omnes Conſacerdotes noſtri dixerunt; optime omnibus placet, quæque definiverunt ſanctorum canones Patrum, nos quoque omnes alacri animo libentiſſime ſervare. Quibus ſtatim protuli eundem* librum Canonum, *& ex eodem libro decem capitula, quæ per loca notavenam, quia nobis maxime neceſſaria ſciebam, illis eorum oſtendi.* Ut vero gûſtus iſtius Codicis exhibeatur, ex eodem Beda, decem illa capitula ſubjicimus.

Primum capitulum.

Ut ſanctum diem Paſchæ in communi omnes ſervemus, Dominica poſt XIV. Lunam primi menſis.

Secundum.

Ut nullus Epiſcoporum parochiam alterius invadat, ſed contentus ſit gubernatione creditæ ſibi plebis.

Tertium.

Ut quæque monaſteria Deo conſervata, nulli Epiſcoporum liceat ea in aliquo inquietare, nec quicquam de eorum rebus violenter abſtrahere.

Quartum.

Ut ipſi Monachi non migrent de loco ad locum, hoc eſt de monaſterio ad monaſterium, niſi per miſſionem proprii Abbatis: ſed in ea permaneant obedientia, quam tempore ſuæ converſionis promiſerunt.

Quintum.

Ut nullus Clericorum relinquens proprium Epiſcopum, paſſim quolibet diſcurrat, nec alicubi veniens, absque commendatitiis literis ſui præſulis ſuſcipiatur. Quod ſi ſemel ſuſceptus eſt, & noluerit invitatus redire, & ſuſceptor & is qui ſuſceptus eſt, excommunicationi ſubjaceat.

Sextum.

Ut Epiſcopi atque Clerici peregrini, contenti ſint hoſpitalitatis munere oblato, nullique eorum liceat ullum officium ſacerdotale absque permiſſu Epiſcopi, in cujus parochia cognoſcitur, agere.

Septimum.

Ut bis in anno Synodus congregetur. Sed quia diverſæ cauſæ impediunt, placeat omnibus in communi ut Kal. Auguſti in loco qui appellatur Cloſaes, ſemel in anno congregetur.

Octavum.

Ut nullus Epiſcoporum ſe præferat alteri per ambitionem, ſed omnes agnoſcant tempus & ordinem conſecrationis ſuæ.

Nonum.

In communi tractatum eſt, ut plures Epiſcopi creſcente numero fidelium augeantur, ſed de hac re ad præſens ſilemus.

Decimum.

Pro conjugiis, ut nulli liceat niſi legitimum habere connubium. Nullus inceſtum faciat, nullus conjugem propriam, niſi ut ſanctum Evangelium docet, fornicationis cauſa relinquat. Quod ſi quisquam propriam expulerit conjugem, legitimo ſibi matrimonio conjunctam, ſi Chriſtianus eſſe recte voluerit, nulli alteri copuletur. Sed ita permaneat, aut propriæ reconcilietur conjugi.

His itaque capitulis in communi contractis ac definitis, ut nullum deinceps oriretur contentionis ſcandalum, aut alia pro aliis divulgarentur: Placuit ut quæcunque definita ſunt, unusquisque noſtrum, manus propriæ ſubſcriptione confirmaret. Quisquis igitur contra hanc ſententiam juxta decreta canonum, noſtra etiam conſenſione ac ſubſcriptione manus noſtræ confirmatam, quoquo modo vivere vel venire, eamque infringere tentaverit, noverit ſe ab omni officio ſacerdotali & noſtra ſocietate ſeparatum: Divina nos Gratia in unitate ſanctæ Eccleſiæ ſuæ viventes cuſtodiat incolumes. Facta autem eſt hæc Synodus anno ab incarnatione Domini DCLXXIII.

Hactenus ſpecimen Codicis Canonum Britannicorum ex Beda. Fuit autem hic Theodorus patria Tharſenſis, Roma miſſus in Angliam, ut Archiepiſcopus Doruvernenſis eſſet, ſeculari & divina literatura, Græce & Latine inſtructus, ut de eo refert Beda eodem lib. 4. c. 1. Valde itaque probabile *Librum illum Canonum*, quem ille in Concilio Herefordienſi protulit, fuiſſe Codicem Canonum Romanæ Eccleſiæ. In allocutione enim ad Epiſcopos, rogat, *ſi conſen-*

ſentirent ea quæ à Patribus canonice ſunt antiquitus decreta? Reſpondent illi, *optime omnibus placere, quæ definierunt Sanctorum Canones Patrum.* Quibus verbis innuere ſatis videntur, eos intelligere *Canones antiquorum Conciliorum*, qui libro illo continebantur, quem Theodorus in Concilio protulit. Illud unde habeat Juſtellus *Præfatione* ad Codicem Canonum Eccleſiæ univerſæ, ſcripſiſſe Theodorum hunc *Librum Canonum*, invenire non potui: ac Beda ex quo ſua probat, nihil de eo tradit, & ex dictis magis probabile, illum fuiſſe Codicem Romanæ Eccleſiæ, ut jam conjectum eſt. Deinde etiam auſim affirmare, nec Theodorum hunc, *collectorem iſtius Codicis vel Libri* fuiſſe, idque conficio ex eo, quod in allocutione jam dicta, Theodorus roget Epiſcopos, de iis *quæ à Patribus canonice ſunt antiquitus decreta.* Quibus annuentibus, Beda ſignanter dicit, eum protuliſſe *eundem Librum Canonum*. Neque etiam Theodorus alium Codicem quam Romanum, Eccleſiæ Brittannicæ obtrudere auſus fuiſſet, quia Adrianus Monachus inſpector ei additus erat, ait Beda loco citato: *Ut doctrinæ cooperator exiſtens, diligenter attenderet, ne quid illi contrarium veritati fidei, Græcorum more, in Eccleſiam cui præerat, introduceret.* Ipſi etiam Canones ſupra memorati, ſatis conveniunt ratione materiæ, cum Canonibus antiquis, quod facile demonſtrari poſſet. Hæc verbotenus Gerardus van Maſtricht in Academia Duisburgenſi Juris & Hiſtoriæ Profeſſor in *Hiſtoria Juris Eccleſiaſtici & Pontificii.* Num. 89. ad 93. pag. 67. ad 71. edita Duisburgi 1676. & Amſtelodami 1686. in 8vo.

Extant ejusdem Theodori Cantuarienſis *Capita Eccleſiaſtica CXX.* apud Lucam Dacherium tomo IX. *Spicilegii*, atque tomo VI. *Conciliorum* ultimæ editionis 1671. pag. 1875. Extat etiam *Epiſtola Theodori ad Athelredum Merciorum Regem de amicitia inter ſe & Wilfridum Epiſcopum Eboracenſem redintegrata, quem injuſte deponi curaverat Theodorus:* apud Willelmum Malmesburienſem Lib. 3. *De Geſtis Pontificum*, fol. 151. & tomo VI. *Conciliorum* pag. 1383. De hoc diſſidio inter Theodorum Cantuarienſem Archiepiſcopum, atque Wilfridum, ita Spilmannus loquitur tom. 1. *Conciliorum Angliæ* p. 157.

„Oriuntur circa annum 680 ex duro Theo„dori Cantuariæ Archiepiſcopi regimine, Epi„ſcoporumque aliquot per eundem abdicatio„ne, motus varii in Britannica Inſula. Inter „hos Wilfridus Abbas ille Ripenſis celeberri„mus, qui in Pharenſi Synodo palmam retulit à „Colmanno Scoto & ſuis adhærentibus, & ob „ſingularem eruditionem, pietatem, virtutum„que Theologicarum eminentiam, in Archiepi„ſcopatus Eboracenſis cathedram ſublevatus „eſt, ſua etiam ſede pellitur. Perſequebatur „enim hunc livor edax, & livore edacior ira Er„menburgæ Reginæ, quin & ipſius Nordanhym„brorum Regis Egfridi, ſuorumque etiam Sa„tellitum & Aulicorum.„ *Conflavit ergo* (inquit Malmesburienſis, de geſtis Pontificum Anglorum, Lib. 3. Capite de Archiepiſcopis Eboracenſibus) Pontifici *Regina invidiam, quod tot Abbates, tot Abbatias haberet, quod aureis & argenteis vaſis ſibi miniſtrari faceret, quod Clientum turba nitore veſtium ſplendens, illius latus obambularet. Cucurrit ergo tam invidioſa relatio ad Archiepiſcopum Cantuarienſem Theodorum. Is non mortuus, ſed Xeniorum obtentu vigorem animi enervans, inconſulto Wilfrido, tres alterius regionis Epiſcopos in„ejus Diœceſim introduxit. Prætendebant tamen„cauſam juſtitiæ, ut inde tres alerentur Epiſcopi, unde„unus tumebat: ſufficere tantos ſumptus, tantaque„Diœceſis circuitum quatuor Epiſcopis. Et hæc quidem recte dicta poſſent videri, ſi cum qui ſua induſtria omnia conquiſiverat, vel non omnino ſpoliatum dejiceret, vel ſaltem cum conſenſu ejus ageret.* Spoliatus autem, in hunc modum Archiepiſcopatu ſuo Wilfridus, ſedem Apoſtolicam appellat, viæque & impedimentorum ſuperatis difficultatibus, lenta peregrinatione Romam tandem ingreditur. *Et ut progrediens,* (inquit Malmesburienſis) *attonitam ſui expectatione urbem oſtendit. Prævenit enim miſſus modeſtæ religionis Monachus Kenewald, accuſationes ſcriptas deferens, & amaritudine„delationis verba immitibus: quo commotus Agatho Sanctiſſimus Papa, Concilium 50 tam Epiſcoporum„quam Abbatum in Baſilica Salvatoris quæ appellatur Conſtantiniana, coegit: cujus Concilii hæc eſt forma„* (inquit Malmesburienſis) *Agatho ſanctiſſimus &c.*

Idem Theodorus Doroberni Archiepiſco„pus, anno Chriſti 680 Regis Ethelredi anno VI.„ confirmavit fundationem Monaſterii ſeu Ab„batiæ de Medhamſted, quæ noviſſime Petri„burgum, vulgo Peterburgh in Anglia dicitur„ poſt acceptam Agathonis Papæ Decretalem„ Epiſtolam, Regi Merciorum Æthelredo dire„ctam, quam habent Concilia Angliæ tomo 1.„ pag. 163. Concilium etiam Generale ſeu„ Pambritannicum Hedtfordiæ celebratum 15.„ Calendas Octobris anno Gratiæ 680 præſiden„te in eo Theodoro Britanniæ inſulæ & Civita„tis Dorovernis Archiepiſcopo, conſedentibus„ vero cæteris ejusdem Inſulæ Epiſcopis. Hanc„ Synodum Agatho Papa imperavit convocan„dam, in qua ſanctæ univerſales quinque Syno„di, & aliæ Orthodoxæ Patrum Conſtitutiones„ ſuſceptæ ſunt, ad declarandam Britannicarum„ Eccleſiarum fidem contra Eutychetis & Mo„nothelitarum hæreſim. Quamvis autem S.„ Wilfridus innocens eſſet in Concilio Romano„ anno 680. habitus, atque cum aliis Concilii Pa„tribus conſediſſet: hoc tamen, Romano Con„cilio aliisque Litteris & Decretis Papalibus„ poſthabitis, nec in Vita infenſi ſibi Egberti Nor„thanhumbrorum Regis, nec in toto ab hinc„ ſexennio, reſtitutionem conſecutus eſt. Vn„de eam ob rem ſcripſit Joannes Papa anno 685.„ ad Ethelredum Regem Merciorum, & Alfri„dum Deirorum & Berniciorum Regem, in„ Wilfridi Archiepiſcopi gratiam: Archiepiſco„

po

„po Theodoro reſtitutionem hanc negligente, „vel per Egberti vitam promovere non auſo. „Tandem Theodorus ad pene ultimum ſenectu„tis annum veniens, accerſito Wilfrido faſſus „eſt injuriam, acrius pœnitet commiſſorum, im„plorat veniam, & quos in innocentem virulen„tiores noſcit, Literis ſatagit demulcendos: „præſertim Altfridum Regem Northanhum„brorum Egberti filium, & Elfiedam ejus ſoro„rem Pharenſis Monaſterii Abbatiſſam. Ad „Ethelredum etiam Regem Merciorum dat E„piſtolam, rogans & contendens, ut Wilfrido „usquequaque indulgeat patrocinium, omnem„que movet lapidem ad illius reſtitutionem. Tandem Theodorus obiit anno 690 die 19 Septembris, qua Romanis faſtis adſcribitur. De illo Sigebertus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 63. Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro*, omnesque *Hiſtoriæ Anglicanæ* Scriptores. Narrat Baronius tomo 1. *Annalium Eccleſiæ* ad annum LI num. 24. extare in Bibliotheca Vaticana Codicem MS. *Pœnitentialis Theodori Cantuarienſis Archiepiſcopi*, de quo magnum mihi dubium eſt.

685. ANASTASIVS Montis Sina Monachus, unde nomen accepit & Patriarcha Antiochenus hujus nominis tertius, claruit circa an. 685. ut habet Guilielmus Cavus, Parte 2. Hiſtoriæ Literariæ ad annum citatum, qui teſte Lambecio in Commentariis ad MSS. Codices Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis ſcripſit *Narrationem compendiariam de Hæreſibus* ab initio Chriſtianæ religionis, deque Conciliis adverſus eas celebratis, quam ad Concilium Oecumenicum ſextum Conſtantinopoli anno DCLXXXI. & ſequenti ſub Imperatore Conſtantino Pogonato contra Monothelitas celebratum perduxit, deſinitque ſub Imperio Juſtiniani Rinotmeti. Incipit Τὰδε μὲν ἐ βραχέϊς extat MS. in Bibliotheca Vindobonenſi juxta Lambecium Codice Hiſtorico Græco Eccleſiaſtico XLIII. Num. 45. folio 187. p.2. juxta Neſſelium Cod. VII. De hac narratione Lambecius notat Commentariorum Biblioth. Cæſareæ Vindobonenſis libro VIII. p. 443. contineri in ea quædã ſingularia & obſervatu digna, ad Concilia duo, Oecumenicum V & Oecumenicum VI pertinentia, quæ alibi vix reperiantur. Hæc Lambecius αὐτοπίϛ. Idem Anaſtaſius nomine tertius, Patriarcha Antiochenus & Sinaita Monachus, compoſuit quoque per modum Magiſtri interrogantis atque Diſcipuli reſpondentis *Compendiariam fidei orthodoxæ inſtitutionem*, opellam breviſſimam, quæ Latine tantum ſæpius in Bibliotheca Veterum Patrum editionis Pariſienſis & Colonienſis 1575. 1589. 1610. & 1618. impreſſa fuit, de qua latius agemus. Attributum fuit Opuſculum iſtud à nonnullis Anaſtaſio Sinaitæ Monacho & Patriarchæ Antiochæno nominis 2, quem juniorem appellant, ut Cavus habet Parte I. ſeu Tomo I. Hiſtoriæ Literariæ ad annum 599. pag. 307. Sed jure opellam hanc Anaſtaſio huic nominis 2, abrogat, quem anno 608 vel ſequenti, mortuum fuiſſe conſtat. Cum itaque hic Scriptor in *Expoſitione hac fidei* de Monothelitis diſſerat, qui ante annum Chriſti 625. vel 630. nati non ſunt, *duplicem in Chriſto naturam, duplicem voluntatem atque duplicem operationem* confiteatur, Anaſtaſio Patriarchæ Antiocheno & Sinaitæ dicto, nominis tertio, attribuendum neceſſario eſt, ut recte notavit Gulielmus Cavus. Quamvis igitur Opella ſit modica, de ea tamen loqui latius convenit. Itaq; Anaſtaſius Patriarcha Theopolitanus, cujus Compendiaria fidei expoſitio in bibliotheca PP. Pariſienſi prima 1575. Tomo 5. p. 763. & in editione ſecunda 1589. tomo 5. pag. 1097. ſed in editione tertia Pariſienſi anni 1610. Tomo 4. pag. 983. primum inſcribitur, *Inter Anaſtaſium Antiochenum & Cyrillum Alexandrinum Dialogus de Orthodoxa fide*, licet non ſit inſtituta per modum Dialogi, ſed per modum alicujus Magiſtri interrogantis & Diſcipuli reſpondentis, id quod una eademque perſona facere potuit. Idem eodem modo in editione Bibliothecæ Patrum, quæ Coloniæ Agrippinæ prodiit anno 1618. atque per ſeculorum ordinem procedit, ſeculo VI parte ſecunda ſeu Tomo ſecundo, pag. 712. Opuſculum eſt breviſſimum, quod incipit, *Heus tu cujus es religionis? Reſp. Chriſtianus ſum.* Abſurdiſſimum autem eſt inſtituiſſe hunc Dialogum inter Anaſtaſium Antiochenum Patriarcham & Cyrillum Alexandrinum Archiepiſcopum, qui ſimul non extabant, ſed annis centum & amplius à ſe invicem diſtabant: Anaſtaſius enim anno circiter 580, Cyrillus Alexandrinus anno 450. floruit. Colloqui igitur ac differere ſimul non poterant. Ita tamen hoc opus in MSS. Codicibus reperitur. Ita Petrus Lambecius libro 4. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis Codice MS. Theologico Græco 188 n. 12 p. 206. his verbis: „Duodecimo & quidem „à fol. 41. pag. 1. usque ad folium 42. p. 2. S. Cy„rilli Archiepiſcopi Alexandrini, & S. Anaſtaſii „Sinaitæ Patriarchæ Antiocheni *Expoſitio com„pendiaria orthodoxæ fidei*, cujus titulus & princi„pium: Ἀναστασίου πατριάρχου Θεοῦ πόλεως καὶ „Κυρίλλου Ἀλεξανδρείας ἔκθεσις σύντομος, τῆς „ὀρθοδόξου πίστεως. Ἐρώτησις. Ποίας θρησκείας „εἶ; Ἀπόκρισις. Χριστιανός εἰμι. Ἐρώτησις. καὶ „τί ἐστι Χριστιανός; ἀπόκρισις. Ὁ κατὰ Θεὸν „ζῶν. Extat quidem hoc Opuſculum in magna Bibliotheca Veterum Patrum Pariſienſi anni 1654. Tomo XV. pag. 677. ſed Latine tantum. Et Commentariorum dictorum lib. 5. Codice 214. n. 6. pag. 40. ſexto & quidem fol. 79. pag. 1 & 2. „*Expoſitio compendiaria orthodoxæ fidei*, quæ „in hoc MS. Codice S. Joanni Chryſoſtomo, in „aliis autem duobus MSS. Codd. S. Cyrillo Ar„chiepiſcopo Alexandrino & S. Anaſtaſio Sinaï„tæ attribuitur. Inſcribitur autem atque inci„pit in hoc Codice MS. his verbis, Τῶ Χριστῶμε. „Ἐρώτησις. Ποίας θρησκείας εἶ; Ἀπόκρισις. „Χριστιανός εἰμι &c.“

CLOI-

690. CEOLFRIDVS WEREMVTHENSIS ABBAS natione Anglus poſt Benedictum Biſcopium quem anno DCCIII. die 12. Januarii mortuum ſcribunt, Weremuthenſis ac Gerwicenſis Monaſteriorum Abbas, Venerabilis Bedæ Præceptor ab anno 679. claruit, atque antea. Nam circa hoc tempus Benedicto Biſcopio Abbati Weremuthenſi & Gerwicenſi Romam profecto, ut habet Monaſticon Anglicanũ tomo 1. p. 96, regimini Eccleſiæ ſeu Abbatiæ Weremuthenſis Ceolfridus per abſentiam inſtitutus eſt, Gerwicenſi autem Erfterwinus, ut illibata monaſtica diſciplina ſervaretur. Hic quem anno 690 in Supplemento Bellarmini *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* pag. 185. clarum ac florentem poſui, ſcripſit *inſignem Epiſtolam ad Naitonem Pictonum Regem*, qui miſſis nuntiis illum rogaverat ut ſcriberet *de celebrandi Paſchatis ratione, & Romana Clericorum tonſura*, quam Venerabilis Beda integrum inſeruit *Hiſtoriæ Anglicanæ* lib. 5. cap. 22, quamque habent Concilia ultimæ editionis Pariſienſis anni 1671 Tomo VI col. 1423, cujus Epiſtolæ annum non aſſignaveram, ſed quam Conciliorum Collectio allata ad annum 714. retulit. At Clariſſimus Cardinalis Henricus Noris in Diſſertatione tertia *de Cyclo Paſchali Ravennate annorum 95* pag. 158. & 159. me allegat, quaſi Epiſtolam hanc anno 690. aſſignaverim, de cujus me nihil dixiſſe tempore certus ſum, ſed tantum de anno 690 quo claruiſſe Ceolfridum Abbatem recte ſcripſi. De tempore autem Epiſtolæ hujus, ita doctiſſimus Noriſius loco citato. „Hinc circa annum Chriſti 709. „Ceolfridi Epiſtolæ ſcriptæ ſunt. Interim Ou„dini Supplementum ex Beda in libro *de ſex aeta„tibus mundi*, ſupplendum eſt: Ibi enim in Theo„doſio Imperatore Leonis Iſauri deceſſore ſcri„bit plurimos ex Britannia Romam peregrina„tionem ſuſcepiſſe, *inter quos* inquit, *etiam Reve„rendiſſimus Abbas meus Ceolfridus, annos natus 74, „cum eſſet Presbyter annis 47, Abbas autem triginta „quinque, ubi Lingonas venit, ibi defunctus &c.* Ita„que Ceolfridus obiit anno Chriſti 716, quo ſolo „& aliquot inſuper menſibus Theodoſius impe„ravit, cui anno 717 die 25 Martii Leo ſucceſſit. Cambdenus in Deſcriptione Epiſcopatus Dunelmenſis ſub finem, hanc profert inſcriptionem repertam in vico Girwy ſeu Jarrow dicto, in pariete Eccleſiæ. Dedicatio Baſilicæ S. Pauli VIII Kalendas Maji, Anno XVI. Elfridi Regis, Ceolfridi Abbatis ejusdemque Eccleſiæ Deo auctore fundatoris anno IV. Si vero Ceolfridus anno Chriſti 716 vel 717 ineunte obierit, cum 35 annos Abbas fuerit, tunc ejus annus IV concurrere potuit, cum anno Chriſti 684. quo VIII Kalendas Maji ſeu 24. Aprilis erat dies Dominica, Dedicationi Eccleſiæ apta. Hæc Joannes Maſſonus in Notis MSS. ad præfatam Diſſertationem Henrici Noriſii, quas mecum communicavit. Agunt de *Ceolfrido* Sigebertus in *Catalogo Scriptorum* cap. 6. Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro* verbis *Ceolfridus & Geolfridus*, quem Venerabilis Bedæ fuiſſe Præceptorem atque anno 724. mortuum eſſe vult, ſed opinor legendum eſſe, *anno 714*. Mortuus eſt autem Lingonis in Gallia anno 716. juxta Bedam, ut vero habet Monaſticum Anglicanum, *jubente pariter & juvante Benedicto Biſcopio, Monaſterium Sancti Pauli in Gerwy fundavit, perfecit, rexit: ac deinde utriq; Monaſterio 28 annis ſolerti regimine præfuit.* Dum Romam pergeret, illic defunctus, ſenectute & morbo fractus, ſepultus in Monaſterio Sanctorum Tergeminorum ſeptimo Kalendas Octobris, anno ætatis LXXIV Presbyteratus XLVII, Præfecturæ monaſticæ XXXV, de quo etiam Baronius in Annalibus ad annum 669 num. 5 & 6, & ad annum 701. num. 1. In Ceolfridi vita quam Mabillio ſeculo 2. Sanctorum Ordinis divi Benedicti vulgavit, Beda narrat eum obiiſſe ſeptimo Kalendas Octobres id eſt die 25. Septembris, anno ab Incarnatione Domini ſeptingeteſimo ſexto decimo feria ſexta. Itemque in Chronico MS. pergameneo in folio Bibliothecæ Bodlejanæ Nota NE. to. 5. ad annum Incarnationis juxta Dionyſium 710. Sic ejus mors notatur, *Magnæ vir ſanctitatis & religionis Ceolfridus Abbas VII Kalendarum Octobrium die feria ſexta apud Lingonas Burgundionum civitatem peregrinus obiit, & in Eccleſia Sanctorum Martyrum Geminorum Speuſippi, Eleuſippi & Meleuſippi ſepultus eſt. Erat autem quando obiit annorum LXXIV, gradu Presbyterii ſanctus annis XLVII Abbatis officium miniſtrans annis XXXV.* Hæc ex Notis Joannis Maſſonis Presbyteri Eccleſiæ Anglicanæ, adjectis Diſſertationi tertiæ *de Cyclo Paſchali Ravennate Annorum XCV.* Henrici Noriſii S. R. Eccleſiæ Cardinalis, quas mihi communes voluit.

ADAMNANVS VEL ADAMANNVS HYENSIS COENOBII ABBAS, natione Scoto Hibernus, Monachus & Presbyter, defuncto Failbeo ut habet Cavus, anno 679 in regimine Hyenſis Abbatiæ ſucceſſit. Scripſit *Libros tres de Vita Sancti Columba Abbatis Scoti*, quos primus evulgavit Henricus Caniſius tomo 5. *Antiquæ Lectionis* parte 2. pag. 562. Et poſt eum alii ut Joannes Mabillon, Seculo I. *Sanctorum Ord. divi Benedicti.* Scripſit idem *Libros tres de locis ſanctis ex relatu Arculfi Galliarum Epiſcopi*, quorum mentionem facit Beda *Hiſtoriæ Anglorum* Lib. V. cap. XVI. quos habes impreſſos primum Ingolſtadii 1619. cura & ſtudio Jacobi Gretſeri Theologi & Presbyteri Soc. Jeſu. Tum Seculo III. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tom. 2. pag. 502. cura & ſtudio Joannis Mabillon, qui huic addidit quoque Hœdeporicon aliud in terram ſanctam, factum anno 870. authore Bernardo Gallo Monacho. Mortuus dicitur *Adamnanus* anno 714 die 23. Octobris, ætatis ſuæ 74 vel ut alii volunt, 80. 690.

VRSINVS MONACHVS profeſſione, natione Gallus, ad inſtantiam Anſcaldi Pictovien- 690.

vienſis Epiſcopi,& Audulfi ſui Abbatis, quorum ille author fuit & promotor translationis exuviarum *Sancti Leodegarii Epiſcopi*, hic vero rem hanc executioni mandavit, circa a. 690. ſcripſit *librum de Geſtis rebus & translatione S. Leodegarii.* Hoc Opuſculum cum opere Anonymi de eadem re, evulgatum tomo I. Collectanei *Hiſtoricorum Coætaneorum Francie*, ab Andrea Ducheſnio, 1636. Pariſiis in fol. apud Sebaſtianum Cramoiſy. Item ſeculo 2. *Sanctorum* Ordinis Divi Benedicti, Opus quidem Vrſini pag. 679. Anonymi autem pag. 698. quod editum eſt à Joanne Mabillonio, Pariſiis in fol. 1669. apud Carolum Saureux. Ibidem etiam p. 707. Epiſtolam S. Leodegarii legis, quam ad matrem ſuam Sigradam, Sueſſionis in Cœnobio puellarum commorantem ſcripſit. Quoad alia circumfertur *Teſtamentum quoddam* nomine ſancti Leodegarii, quod eruditis ab hominibus non probatur. De quo legendi Sammarthani in *Gallia Chriſtiana*, Carolus le Cointe in *Annalibus Francicis Eccleſiaſticis* ad annum 666. Stephanus Perard in Collectione veterum inſtrumentorum ad Hiſtoriam Burgundicam pertinentium. De Vrſino Gerardus Joannes Voſſius Lib. 3. *de Hiſtoricis Latinis* parte 4. c. 3. p. m. 750.

690. BAVDEMVNDVS ABBAS BLANDINIENSIS, apud Gandavenſes in Flandria Cœnobii, ſcripſit circa annum 690. *Vitam Sancti Amandi Trajectenſis Epiſcopi*, cujus inter diſcipulos fuiſſe dicitur. Ipſius quoque *S. Amandi teſtamentum* quod à Philippo Abbate Bonæ Spei relatum eſt, propria manu Baudemundus ſcripſiſſe dicitur. Baudemundo adjecit *Supplementum & Hiſtoriam translationis atque elevationis ſancti Amandi*, ejusque *Vitam quatuor libris metrice ad Haiminum Abbatem Vedaſtinum* edidit Milo Monachus Elvonenſis, qui poſt ſeculi Noni medium vivebat: ut ex *Supplementi* cap. 7. num. 22. & cap. 8. apparet. Vtrumque Opus edidit Joannes Bolandus pag. 848. Tomo I. Februarii paginis 848. & 873. ad diem 6. Februarii, & eruditis Commentariis illuſtravit Godefridus Henſchenius. Idem Opus *Baudemundi* cum Supplemento tantum Milonis ad *Vitam ſancti Amandi*, habetur ſeculo 2. *Sanctorum Ord. divi Benedicti*, pag. 709. & ſequentibus, apud Joannem Mabillonium. Agunt de *Baudemundo Abbate* Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 27. pag. 270. editionis ultimæ. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *Baudemundus* pag. 110. editionis anni 1643. Lovanii in 4to.

690. CRESCONIVS EPISCOPVS AFRICANVS, ſeu CRISCONIVS, floruit eo tempore quo Joannes Patricius victoriam de Saracenis in Africa reportavit, ut colligitur ex MS. Codice Vaticano, quem allegat illuſtriſſimus Annalium conditor, Cæſar Baronius, ad annum Chriſti DXXVII. Hanc Cedrenus ad annum tertium Imperii Leontii refert, id eſt, ad annum Chriſti DCLXXXX ut ex Anaſtaſio in *Hiſtoria Eccleſiaſtica* diſcimus. Scripſit *Collectionem Canonum*, in duas velut partes diſtinctam. Prima *Breviarium Canonum* dicitur, in quo Diſciplina omnis Eccleſiaſtica ad Ferrandi exemplum, brevibus quibusdam Summulis, & *per ſubtilitatem titulorum*, (ut loquitur Juſtinianus) comprehenditur: citatis tantum qui ad rem ſpectant, ad ſingulos titulos Conciliorum Canonibus, vel Pontificum Decretis. Poſterior vero Canones integras ac Decreta exprimit, eo ipſo ordine quo in *Breviario* citantur: inſcribiturque in Manuſcriptis Codicibus, vel *Concordia Canonum*, vel *Liber Canonum.* Vtriusque, Ferrandi nimirum & Creſconii *Breviarium Canonum*, primus in lucem edidit Petrus Pithæus ex Codice manuſcripto Eccleſiæ Trecenſis, Pariſiis anno Chriſti 1588, non autem Nicolaus Faber, ut arbitratus eſt Altaſerranus. Hanc editionem ſecuti ſunt Guillelmus Voellus Theologus ac ſocius Sorbonicus, & Henricus Juſtellus Chriſtophori filius, in editione *Bibliotheca Juris Canonici Veteris*, impreſſa Pariſiis 2. in fol. tomis, anno 1661 apud Ludovicum Billaine. Sed emendatam atque diligentiſſime collatam, cum duobus editionibus aliis Pithæana poſterioribus, Altaſerrani ſcilicet & Franciſci Chiffletii, quas ille Auguſtoriti Pictonum anno 1630. hic Divione anno 1649 typis mandari procurarant, itemque *Concordiam Canonum Creſconii* antehac non editam, ex antiquo MS. Codice Bibliothecæ Collegii Claromontani Soc. Jeſu Pariſienſis, nunc primum Voellus & Juſtellus publici juris fecerunt, in dicta *Bibliotheca Juris Canonici Veteris.* Hanc porro acceptam referre debes eruditis ejusdem Collegii viris, Presbyteris Philippo Labbeo & Gabrieli Coſſartio Claromontanæ Bibliothecæ Præfecto, qui ea qua præditi erant humanitate, Codicem hunc Juſtello communicarant. Ex quo diligenter collato cum Codice alio Bibliothecæ Thuaneæ, qui Creſconii nomen præfert, ſed Canonibus & Decretis multis interpolatus eſt: Guillelmus Voellus & Chriſtophorus Juſtellus editionem ſuam perfecerunt. Contulerunt etiam cum Codicibus Dionyſii Exigui & Eccleſiæ Romanæ, ex quibus totus Creſconius depromptus eſt: caſtigatis exſcriptorum ſi qui reperti ſunt erroribus, atque adſcriptis, ſi quæ notatu dignæ viſæ ſunt, variantibus lectionibus. Agunt *de Creſconio* Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis*, ad annum 527. Allati authores *Bibliotheca Juris Canonici Veteris* in præfatione ad Lectorem, ubi *Annaliſtam* in nonnullis corrigunt.

700. FELIX RAVENNATENSIS ARCHIEPISCOPVS, creatus eſt anno 707. Romæque conſecratus. Debitæ autem ac promiſſæ fidei apud Romanum Pontificem parum memor, quam in benedictione fuerat profeſſus, reverſus Ravennam, cives compulit, ut Cæſaris jugum ex-

exuterent : Clerum vero, ut contra Romanam Ecclesiam rebellaret. Cumque Theodorus Exarchus potenti instructus exercitu, *Felicem* caput seditionis obsedisset, oppressisseq; & ad angustias Ravennam adduxisset : authorem seditionis cum fautoribus aliis, Constantinopolim ad Justinianum Imperatorem amandavit. Hic autem, antequam hæc eidem adversitas obtigisset, eloquentia admodum pollebat, magnoque studio pietatis concionabatur ad populum, cujus amorem assecutus est. Atque eo tempore quo maxime languebant studia & Literati viri extincti erant, collegit summa cura in unum volumen, aureos *Sermones Sancti Petri Ravennatensis Archiepiscopi cognomento Chrysologi*, hinc inde antea sparsos, quos ad numerum usq; CLXXVI habemus compactos in unum, in MSS. pluribus Codicibus, de quibus nos antea diximus, ad annum 440. verbo *S. Petrus Ravennatensis Archiepiscopus, cognomento Chrysologus.* Non dubium quin absque hujus Felicis Episcopi cura, ad nos usque hi sermones tanto numero non pervenissent : quamvis nonnulli ex illis, sed pauci sint, qui ad Petri Ravennatensis ingenium & dictionem non accedunt. Scripsit etiam antequam ei lumen oculorum adimeretur, *Commentarium in Matthæum :* quem quia cœcitate laborans, absolvere vel expolire non potuit, priusquam moreretur, comburendum mandavit. Missus enim post captam Ravennam, Constantinopolim : ferro candenti exoculatus, deinde in Pontum relegatus, ubi *Felix* infelix, sine oculis temeritatem suam si non lugere, saltem agnoscere potuit. Pertulit Felix exilium ad sex annos, deinde hominem erudiente miseria, cum sibi redditus errorem ejurasset : ad sedem de qua fuerat devolutus, moderatissimus rediit anno 715. in eaque deinceps adeo sancte pieque vixit, ut miraculis claruisse dicatur, qui oculis orbus erat. Ecclesiam suam variis donariis auxit. Cumque sanctimoniæ in vita clarissima signa edidisset, in Domino obdormivit anno 717. septimo Calendas Decembris : sepultusque est in Ecclesia S. Apollinaris prope altare S. Feliculæ, ubi hæc ipsa verba leguntur.

HIC TVMVLVS CLAVSVM
SERVAT CORPVS
DOMINI FELICIS SANCTISSIMI
AC TER BEATISSIMI
ARCHIEPISCOPI.

Hæc pleraque ex Ferdinando Vghello tom. 2. Italiæ sacræ, in *Archiepiscopis Ravennatensibus*, pag. 342. Plura Dominicus Mita in Prolegomenis ad Opera Sancti Petri Chrysologi folio 31. editionis quam in 4. procuravit solam ad MSS. Codices recensitam, Bononiæ anno 1643. apud Carolum Zenerum. Nosque supra ad annum 440 ubi *de Scriptis Sancti Petri Ravennatensis Archiepiscopi* egimus.

700. IOANNES Carpathi[illegible] insulæ Episcopus, cujus in Bibliotheca Codice CCII mentionem Photius facit, incerti temporis mihi author est, quem Guillelmum Cavum in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* pag. 473. sequutus anno DCC alligari, incertus quanam ætate vixerit. Hic rogatus ab Indiæ Monachis, ad illos *Opus consolatorium*, teste Photio, *centum capitibus absolutum*, scripsit. Opus hoc a Photio narratum ac recensitum, extat Græce MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCVII. num. 5. ut habet Lambecius libro V. hujus Bibliothecæ Commentariorum pag. 8. his verbis. „Quinto & quidem à folio 28. pag. 2. usque ad folium 56. pag. 1. extat *Joannis Carpathii liber consolatorius ad Monachos Indiæ, in capita centum divisus*, cujus titulus & principium, „ Τῦ μακαρίυ Ἰωάννυ τῦ Καρπαθίυ πρὸς τὺς „ ἀπὸ τῆς Ἰνδίας προτρέψαντας μοναχὺς λό- „ γοι παρακλητικοὶ ἑκατόν. Τοῖς ἐπὶ γῆς βα- „ σιλεῦσι ἐκεῖνα ἄνθη προσάγοντες &c. Me- „ minit hujus libri Photius Patriarcha Constan- „ tinopolitanus in recensione Codicis CCII Biblio- „ thecæ his vocibus, Κράτες δ' ἦν ἐν τοῖς πρὸς „ ὀλίγυ ἐρημένοις πόλα Ἰωάννυ τῦ Καρπαθίυ, „ ὃς ἐπιγραφὴν αὐτῦ τῷ πονήματι δίδωσι, πρὸς „ τὺς ἀπὸ τῆς Ἰνδίας προτρέψαντας Μοναχύς, „ Παρακλητικύς. Ἑκατὸν δὲ κεφ- „ λαίοις περιοῖ αὐτό. Extant hodie ex his centum capitibus *octoginta duo*, quæ habentur etiam in Magna Bibliotheca Veterum Patrum „ editionis Græcolatinæ anni 1644. Parisiensis, „ tomo XV a p. 845. ad p. 849. Habentur hæc eadem MSS. Græce in eadem quoque Bibliotheca „ Cæsarea Vindobonensi, Cod. MS. Theologico „ Græco CCXXXIV. & quidem à fol. 1. p. 1. usq; ad fol. „ 14 p. 1. ut habet Lambecius libro V. *Commentariorum* p. 66. Deniq; ibidem Codice MS. Theologico Græco CCXXXV. n. 15. & quidem à folio 158. „ pag. 1. usque ad folium 276. p. 1. ut habet Lambecius ib. p. 80. „

In eodem autem MS. Codice Theologico Græco CCVII, de quo supra, alia scriptoris ejusdem extant num. 17. ut habet idem Lambecius ibidem pag. 11. his verbis. „Decimo septimo „ & quidem à folio 68. pag. 1. usque ad folium 76. „ pag. 1. *Joannis Episcopi Carpathii Capita Ethica „ sive Monita octoginta*, quorum titulus & princi- „ pium : Τῦ μακαρίυ Ἰωάννυ Ἐπισκόπυ Καρ- „ παθίυ, Κεφάλαια ἠθικὰ π'. Ἔξεσι παντὶ „ Χριστιανῷ τῷ ὀρθῶς πιστεύοντι &c. Decimo „ octavo & quidem à folio 76. pag. 1. usque ad „ folium 79. pag. 1. *Ejusdem Joannis Episcopi Carpathii capita triginta unum de Oratione*, quorum „ titulus & initium : Τῦ αὐτῦ Κεφάλαια περὶ „ ἐυχῆς λά. Ψυχὴν ἔχοντι νυμφικῶ τετιμένην „ &c. Decimo nono & quidem à folio 79. p. 2. „ usque ad folium 83. pag. 1. *Ejusdem Joannis „ Episcopi Carpathii capita Gnostica triginta duo*, „ quorum titulus & principium : Τῦ αὐτῦ Κε- „ φάλαια γνωστικὰ λϐ'. Φωτίζεται νῦς γνωστικὸς „ θεωρίας &c. Vigesimo & quidem à fol. 83. „ pag. 1. usque ad folium 96. pag. 1. *Ejusdem Jo- „ annis Episcopi Carpathii de praxi & theoria spiritua-* „

„li capita centum & octo, quorum titulus & princi-
„pium : Τῶ ἁυτῶ περὶ πραξέως καὶ θεωρίας
„πνευματικῆς, Κεφάλαια ρὴ. Ἀπαρχὰς ἄλωνος
„καὶ ληνῶ. In eadem Bibliotheca Cæsarea, Co-
„dice MS. Theologico Græco CCXXXIV. num. 2.
„ut habet idem Lambecius ibidem pag. 67. ex-
„tant & quidem à folio 14. pag. 2. usque ad fol 22
„pag. 2. *ejusdem Joannis Episcopi Carpathii Capita*
„*Theologica & Gnostica centum & quindecim*, quo-
„rum titulus & principium : Τῶ ἁυτῶ ἕτερα
„Φιλάλαια Θεολογικὰ τε καὶ γνωστικὰ ριε. Καλὸς
„ἐξ ἀγαθῶ τὸ πάντα γεγόναι &c. Horum
„autem Capitum centum & quindecim, nulla
„apud Photium mentio fit, ideoque illi ea fuisse
„incognita videntur. In eadem Bibliotheca
„Cæsarea Cod. MS. Theologico Græco CCXXXIX
„num. 17. ut habet Lambecius ibidem pag. 98.
„Decimo septimo & quidem à folio 254. pag. 2.
„usque ad folium 259. pag. 2. *Excerpta quædam*
„*ex Joannis Carpathii capitibus ascetica*, quorum
„titulus & principium, ἐκ τῶν Κεφαλαίων τῶ
„ἁγίω Πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννε ὅρος τῶ Καρπα-
„θείω. Λαμβάνομεν λόγους ἀγαθὺς, ἵνα καὶ
„ἑτέροις μεταδόμεν ἁυτὺς &c. Hæc nos ex
Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi Petri Lambecii Libro V. pag. 8. 11. 66. 67. 80. 98. & in Catalogo Scriptorum hujus tomi pag. 336. Item in *Nova Bibliotheca MSS. librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum* seu *specimine antiquarum Lectionum tam Græcarum quam Latinarum & Gallicarum*, quam ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ collectam potissimum, edendam curavit Parisiis anno 1653. Philippus Labbeus in 4. apud Joannem Herault. Illic parte 2 pag. 93. *Joannis Carpathiorum Episcopi ad Monachos ex India Capitula Ascetica centum* in Codicibus Regiis 378. 944. 994. 1025. „Sunt ejusdem *&*
„*alia Capitula Ecclesiastica* CXVII, quæ forte con-
„veniunt, cum iis quæ Latine noster Jacobus
„Pontanus vulgavit. Certe CCXVII ipse ex
„Codice Augustano enumerat maxime corru-
„pto, litteris alterius dimidii ex humore exesis.
Hæc Labbeus l. c.

700. AIGRADVS FONTANELLENSIS MONACHVS, in Normannia, circa annum 699 vel 700. scripsit *Vitam Sancti Ansberti Rhotomagensis Archiepiscopi*, qui anno 695. die 9. mensis Februarii mortuus est, quem obtulit *Hiltberto Fontanellensis Cœnobii Abbati*, quem anno 700 mortuum scribunt. Opus ergo istud inter annum 695. atque 700. scribi debuit, quo Aigradus sub Hiltberto Abbate Fontanellensi vivebat. Eruditis autem Aigradi lucubratio in aliquibus locis interpolata videtur, & merito. Certe clades Provinciæ ab Agarenis illata, quæ n. xv. indicatur, an. circiter DCCXXXVII quo Hiltbertus Abbas jamdudum è vivis excesserat, contigit: ex qua manifestum interpolationis argumentum desumitur. In ea quoque Anni æræ Christianæ designantur, qui calculus seu calculi & supputationis modus, *Aigradi* tempore nondum in Gallia obtinebat. Extat hæc *Vita S. Ansberti Rhotomagensis Archiepiscopi* apud Laurentium Surium & Joannem Bolandum in *Probatis Sanctorum Vitis*, ad diem 9. Februarii. Itemque seculo 2. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, sæpius à nobis supra allegato, p. 1048.

JOANNES PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANVS, cum à Philippico Bardane Imperatore, ad annum 712. in Patriarchalem cathedram evectus esset, in elevationis compensationem, ipsi hæresim Monotheliticam sectanti, sive animi studio, sive adulationis affectatione, assensum præbuit. Sed mutata hujus Imperatoris fortuna, mutavit & mentem inconstans Patriarcha. Nam Philippico fascibus Imperialibus spoliato, Joannes & ipse in ordinem redactus, anno 715 sede Patriarchali excidit. Post mortem vero Bardanis scripsit *Epistolam ad Constantinum Papam & Vrbis Roma Archiepiscopum*, qui ab anno 708. ad 714. præfuit: in qua Monotheliſmi seu studium seu simulationem, in vim sibi à Bardane illatam rejicit. Extat Græce & Latine tomo VI. *Conciliorum* col. 1410 & seqq. De quo Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo 8. ad annum 708 pag. 478. Ellias du Pin, in *Nova Bibliotheca Ecclesiastica*, seculo 8. p. m. 87. SEC. VIII. 712 715

FELIX CROILANDENSIS MONACHVS, 710. natione Anglus, in provincia Merciorum natus, claruit circa annum 710 inter Synchronos suos poëta non ignobilis & Rhetor habitus, juxta Cavum. Duxit vitam Monasticam in Cœnobio Croilandensi, quod ab Rege Ethelbaldo in honorem S. Guthlaci Confessoris recenter fundatum fuerat. In gratiam ergo hujus recentis Abbatiæ Patroni, pro Monachorum pietatis more, scripsit Felix *Vitam S. Guthlaci Anachoretæ Croilandensis & Presbyteri*, quæ habetur apud Laurentium Surium ad diem 21. Aprilis. Apud Joannem Bollandum in *Probatis Sanctorum Vitis*, ad eandem diem XI. Aprilis. Denique eam ex MS. Codice erutam, in publicum quoque produxit Joannes Mabillon, Seculo 3. *Sanctorum Ord. divi Benedicti* tomo seu parte 1. pag. 263. Parisiis in fol. 1672. apud Carolum Saureux. Hujus meminit Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *De Historicis Latinis* cap. 28. pag. mihi 279. Guillelmus Cavus in *Historia rei litterariæ*, ad annum 715 pag. 479.

HEDDIVS STEPHANVS cognominatus, natione Anglus, Ordinis Sancti Benedicti Monachus, Cantuariensis Congregationis Giribennæ, à teneris annis ita in bonarum litera-
rum studiis enutritus, ut jam vir factus omni-
um scientiarum genere evaserit instructissi-
mus. Multa quidem, quantum invenire po-
tui, non scripsit: sed [illegible] tamen pauca, puro, terso & elegante [illegible]xarata. Musicus insignis & primus teste Beda, præter unum Jacobum, 720.

„bum, cantandi Magiſter in Northantumbro-
„rum Eccleſiis, illuc enim ex Cantia vocatus a
„Wilfrido venit, & Pſalmodiam docuit. Ra-
„tione virtutis & multiplicis eruditionis, erat
„omnibus literatis & piis illius temporis, cariſſi-
„mus. Hortante Acca Hagulſtadenſi Epiſco-
„po ſoluta oratione ſcripſit, *de Vita ſancti Wilfri-*
„*di librum unum, de Vita Eatta & Tumberti librum*
„*unum:* de aliis nihil mihi certi conſtat. Cla-
„ruit anno ſalutis reſtauratæ 720. regnante in
„Northumbria Oſrico. Hæc Pitſeus. Et quidem *Eddium* a Wilfrido ex Cantia accitum fuiſſe, ex *Hiſtoria Angliæ* Venerabilis Bedæ lib. 4. cap. 2. conſtat. Quo tempore id actum ſit, *Eddius* indicat ipſe cap. 14. ſubjectæ Vitæ, narrans *Wilfridum ſub annum 665. evocaſſe Cantores ad reformandos Eccleſiæ corruptos cantus.* Cæterum ubique modeſtiam inſignem iſte author exhibet, cum agens de Theodoro & ejus ſucceſſore Berthwaldo Cantuarienſibus Archiepiſcopis, qui anno 680. Wilfridi atque ſui ipſius exilii authores aut certe fautores fuerant, eos paſſim *Sanctos & Sanctiſſimos* appellat. Opus autem ſuum *de Vita ſancti Wilfridi*, ſtatim a Wilfridi obitu ſcribebat, nimirum ſancto Willebrordo Trajecti inferioris Epiſcopo adhuc ſuperſtite, qui anno 739. ad ſuperos abiit, uno ante Accam Hagulſtadenſem Epiſcopum anno, cui liber *Eddii* nuncupatus eſt. Opus *de Vita ſancti Wilfridi*, ſuppeditavit Thomas Galeus Anglus, editum a Joanne Mabillon ex MS. Bibliothecæ Cottonianæ in Anglia, ad calcem primæ partis Seculi IV. *Sanctorum Ord. Divi Benedicti*, pag. 671. Cujus variantes lectiones ex MS. Codice Sarenſi edidit ad finem ſecundæ partis ejusdem ſeculi, pag. 550. Illud editum duobus in fol. tomis, annis 1677. & 1680. Pariſiis, apud Ludovicum Billaine. Eandem *Vitam S. Wilfridi* ab Heddio conſcriptam edidit quoque Thomas Galeus inter Scriptores XV. *Hiſtoriæ Britannicæ, Saxonicæ, Anglo Danicæ*, quos ex MSS. Codd. Anglicis an. 1691. in fol. a Theatro Sheldoniano prodire curavit. Extat autem pag. 40. ad 93. ad Accam Epiſcopum, & Tetbertum Abbatem. Heddii autem meminit in Præfatione ad lectorem, Operi præmiſſa, Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 28. pag. mihi 278. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei Literariæ*, ad annum 720. pag. 480.

720. GERMANUS PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANUS, anno 720. clarus, quem his coloribus depingit Guillelmus Cavus, ad annum 715. *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* pag. 479. „Germanus Juſtiniani
„Patricii a Conſtantino Pagonato interfecti fi-
„lius, & ipſe ab eodem Imperatore virilia exſe-
„ctus. Primo Cyzici Epiſcopus, deinde anno
„715. depoſito Joanne ad Patriarchatum Con-
„ſtantinopolitanum evectus. An. DCCXXVI.
„edicto Leonis Imperatoris & decretis Synodi
„CP. *de tollendis Imaginibus* præfracte reſtitit, ſeptem ſeculorum authoritatem & exemplum inſulſe obtendens, ac fabulas de imaginibus Deiparæ a D. Luca depictis, de Chriſti pictura ad Abgarum regem miſſa, ejusdemque farinæ quisquilias alias contumaciæ ſuæ prætexens. Integro quadriennio viri pertinaciam patienter tulit clementiſſimus Imperator. Cum vero nullis monitis, nullis documentis ad ſanam mentem, & obedientiam decretis Cæſareis ac Synodicis præſtandam, adduci poſſet: anno demum DCCXXX. habita Synodo, ſede Patriarchali motus eſt. Ac Platanium in paternam domum ſecedere permiſſus, ſumma pace ac quiete ſenectutem ſuam exegit. Obiiſſe dicitur die 12. Maji circa annum DCCXL. Hæc Cavus, cui vix credo quoad annum mortis hujus Germani. Nam Gregorius II. Papa in ſecunda Epiſtola quæ in Synodo VII. extat, Germanum anno Chriſti DCCXXVI. annos quinque & nonaginta habuiſſe, aſſerit. Si ergo perveniſſet ut vult Cavus ad annum Chriſti 740. habuiſſet tunc temporis ex ſupputatione præfata, annos centum & decem. Quod humanam fidem excedit, præſertim in ejusmodi Eunuchis, qualem fuiſſe Germanum ipſe enarrat. Illum itaque circa annum Chriſti 728. vel 729. mortuum eſſe arbitror. Cæterum habemus *Epiſtolas tres ſancti Germani Conſtantinopolitani ſenioris*, Græce & Latine editas Romæ, Coloniæ Agrippinæ, Pariſiis cum Concilio Generali VII. Act. 4. ſeu Nicæno ſecundo: videlicet *ad Joannem Epiſcopum Synnadenſem, ad Conſtantinum Nacolia Epiſcopum & ad Thomam Claudiopolis Epiſcopum.* Habentur tomo VII. Conciliorum ultimæ editionis, col. 189. Ejusdem quoque extat *Tractatus de ſex Synodis Oecumenicis*, quem Græce & Latine primus in lucem produxit Stephanus le Moine Theologus Lugduno-Batavus inter *Varia ſacra* tom. 1. pag. 68. Extat Græce MS. inter MSS. Codices Bodlejanæ in Anglia bibliothecæ, Codice 185. ex membrana in folio qui eleganter ſcriptus. Ibi pag. 1. Tractatus de ſex Synodis Oecumenicis, atque ad finem folio 3. Περὶ τῶν ἑξ Συνόδων τῆ Γερμανῆ Πατριάρχῃ. Ad calcem libri, Notæ MSS. adhuc ſuperſunt, quibus patet abſolutum eſſe Codicem anno mundi juxta Epocham Conſtantinopolitanam 6595. id eſt anno Chriſti 1087. licet alia manu recentiori notæ fugientes reſtitutæ fuerint infra lineas, anno mundi 6812. id eſt 1304. Indictione 13. Cætera omnia illi inſcripta, Germani II. ſeu Junioris Conſtantinopolitani ſunt, qui ſub initium ſeculi XIII. anno 1221. & ſequentibus floruit, ut ſuo loco dicemus. Scio a Bellarmino in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Labbeo ibidem, & ab editoribus Bibliothecæ Veterum Patrum editionis Colonienſis, huic Germano attribui *Theoriam rerum Eccleſiaſticarum*, & *Expoſitionem Orationis Dominicæ*, ex *Theoria* iſta verbotenus deſumptam. Sed Gretſerus in Notis ad tomum II. *de Cruce*, illam *Theoriam* eſſe alterius Germani ætate poſterioris putat: atque

idem ſentiunt de *Encomio Deiparæ*, quod Petrus Pantinus Latine edidit. Opera omnia Jacobi Gretſeri Presbyteri Soc. Jeſu *de ſancta cruce*, collecta ſimul prodierunt III. Tomis in folio Ingolſtadii anno 1616. apud Eliſabetham Angermariam viduam, in quibus Tomo 2. extant Græce & Latine, ex MS. Codice Auguſtanæ urbis bibliothecæ, *Orationes tres ſub nomine Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani*, 1. *Oratio Germani Patriarchæ CP. in exaltationem venerandæ crucis & contra Bogomilos* col. 1237. cui Notas uberes adjecit Gretſerus idem a col. 2721. ad 2725. Secunda *de Feſto ſanctæ crucis media Quadrageſimæ*, inſcripta *Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani Oratio in adorationem venerandæ vivificæ crucis, tempore mediæ jejunii* col. 1413. cum notis brevibus columna 2742. Tertia col. 1724. ex MS. eodem Auguſtano inſcripta, *Oratio Germani Patriarchæ Conſtantinopolitani in primam jejuniorum Dominicam, & in Sanctarum & venerabilium imaginum reſtitutionem*, cum Notis col. 1754. Has omnes Orationes adſcripſit non Germano I. & ſeniori qui circa annum 720. floruit, Gretſerus, ſed Germano juniori qui circa annum 1220. vel ultra claruit, multasque homilias ſcripſit. Ita ille evidenter in Notis ad Orationem primam columna 2721. 2722. eo quod mentionem faciant illæ & *Bogomilorum & reſtitutionis ſanctarum imaginum*, quæ longe poſteriores ſunt ætate, qua Germanus Patriarcha iſte vixit. Nam *Reſtitutio imaginum* facta poſt mortem Theophili Imperatoris, a Michaele Porphyrogenito & Theodora matre ſimul imperantibus, anno 842. ſub Methodio Patriarcha. Bogomili quoque hæretici, ſeculo XI. ſub Alexio Comneno exorti ſunt circa annum 1090. de quibus eruditiſſime Carolus du Freſne in *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis*, verbo *Bogomili* columna 207. Non ſpectant ergo hæ Homiliæ ad Germanum Patriarcham CP. ſeniorem, ſed ad juniorem qui anno 1220. & ſequentibus claruit. Idemque dicendum *de Theoria rerum ſacrarum ſeu Eccleſiaſticarum*, de qua loquitur idem *du Freſne* ibidem, voce Τροπάριον columna 1617. his verbis, *Tropariorum vero Scriptores varii recenſentur, atque in his Joſephus & Nicodemus a Germano Patriarcha CP. in Theoria rerum ſacrarum pag. mihi 155.* Illi autem duo circa annum 850. & ſeqq. ſub Ignatio Patriarcha CP. florebant, quorum primus *Joſephus Hymnographus* dictus, ab eodem Ignatio factus fuit *Schevophylax* ſeu *Vaſorum cuſtos* Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ut poſtea ad annum 850. in *Joſepho illo Hymnographo*, latius dicemus. Plura *de ſancto Germano* Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* a Bellarmino recenſitis. Aubertus Miræus in Auctario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 207. pag. 220. Franciſcus Combefis in *Appanatu* ad Bibliothecam Concionatoriam, verbo *S. Germanus Patriarcha Conſtantinopolitanus*. Petrus Lambecius in Commentariis *Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis*, lib. 3. pag. 237. lib. 4. pag. 232. lib. 5. pag. 326. lib. 8. pag. 554. ubi omnes Orationes quæ ad Germanum juniorem pertinere noſcuntur, ſeniori oſcitanter attribuit.

SANCTVS BRITWALDVS ſeu BRETWALDVS, CANTVARIENSIS ARCHIEPISCOPVS, natione Anglus, patria Glaſconienſis, ubi & vitam monaſticam profeſſus fuit, anno 720. claruit, quem Joannes Balæus *Abbatem Glaſconienſem* vocat, unde tandem Archiepiſcopus Cantuarienſis factus eſt. Memoratur Bedæ *Hiſtoriæ Anglorum* lib. V. cap. IX. ubi *vir ſcientiæ Scripturarum imbutus, & Eccleſiaſticis ſimul & Monaſterialibus diſciplinis ſumme inſtructus* dicitur. Ibidem vero legas Abbatem fuiſſe *in Monaſterio quodam juxta oſtium Aquilonare fluminis Geulad, quod Raculf nuncupatur.* Præter alia condidiſſe dicitur opus *de origine Eveshamenſis Cœnobii*, & aliud de Vita & rebus geſtis ſancti Egwini Wigornienſis Epiſcopi, qui anno 716. obiit, cui Synchronus extitit. Extat Opus iſtud MS. in bibliotheca Cotteniana ſub effigie Neronis littera E Codice 1. num. 2. Inſcribitur *Vita S. Egwini Wigornienſis Epiſcopi per Brithwaldum Wigornienſem Monachum* deceſſit an. DCCXXXI Ethelardo apud Occidentales Saxones regnante. Celebrat illum & Gervaſius Monachus Cantuarienſis in Catalogo ſuo Archiepiſcoporum Cantuarienſium, cujus ut ſcriptoris meminit Gerardus Joannes Voſſius lib. 3. *de Hiſtoricis Latinis* parte 4. quæ eſt *de Hiſtoricis pratermiſſis* cap. 3. pag. mihi 752. Carolus du Cange in Catalogo Scriptorum, quem præmiſit *Gloſſario mediæ & infimæ Latinitatis*, verbo *Brithwaldus* col. 96. & verbo *Egwinus Wiccius* col. 104. 720.

JONAS FONTANELLÆ MONACHVS in Diœceſi Rhotomagenſi, claruit anno circiter 720. ad 740. Scripſit circa annum DCCXXX. mandante Baino Abbate ſuo *Vitam ſancti Wilfranni Senonenſis Archiepiſcopi*, qui abjecto Epiſcopali munere, ob amorem ſolitudinis anno DCCX. in Cœnobio Fontanellæ die 20. Martii obierat. Vitam inquam, non inelegantem pro illo ævo: quæ impreſſa extat apud Laurentium Surium ad diem 20. Martii, atque apud Continuatores Bolandi, ad eandem diem, cum Notis atque præludiis eruditis. Denique & ſeculo 3. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti*, parte 1. Florebat Jonas anno Chriſti DCCXXIX. cujus anni ſub extremum hiſtoriæ ſuæ meminit. Caute autem hic diſtinguendus ab altero, qui ſcripſit *Vitas Sanctorum Columbani & Euſtaſii Abbatum Luxovienſium*, floruitque circa annum DCXXX centum circiter annis iſto antiquior, de quo Nomenclatores omnes loquuntur. De iſto Jona mentionem faciunt Antonius Poſſevinus in *Appanatu Sacro*. Aubertus Miræus in Bibliothecæ Eccleſiaſticæ *Auctario* de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 206. pag. 220. & cap. 196. pag. 219. & in Scholio ad cap. 61. Sigeberti *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, pag. 140. 720.

SAN-

Digitized by Google

730. „SANCTVS MARCELLINVS PRESBY„STER, Vir Apoſtolicus, ſocius fuit ſancti Suit„berti, primi Verdenſis Epiſcopi, qui obiit anno „Domini 717. ſed ipſe Beatus diutius multo vi„xit, & ſcripſit *Vitam ſancti Suitberti*, quæ extat „apud Surium die 1. Martii, atque ad relatio„nem factam ex hoc libro S. Marcellini, S. Suit„bertus canonizatus fuit poſtea a Leone III. „Pontifice anno 804. „ Hæc Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ad annum 717. pag. mihi 229. In Collectione itaque Surii edita eſt hæc *Vita S. Suidberti* ſeu *Suitberti* Epiſcopi cum litteris ipſius Canonizationis, quæ Monachii in Bavaria iterum typis excuſa eſt. Hæc Marcellinum (ut præfertur) ſancti Suitberti Socium mentita authorem, Viris eruditis non paucis ut Baronio, Bellarmino, aliisque probata, ſequioribus deinde ſeculis ſuſpecta eſſe cœpit, tandemque (ut olim optabat Labbeus in libro ſeu Diſſertatione *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tom. 2. verbo *Marcellinus Presbyter*) detracta Pſeudo-Marcellini larva, a multis rejecta eſt. Vnde nuper in Martio Bollandiano ad primum menſis diem in Commentario *de geſtis ſancti Suitberti Epiſcopi* fol. 70. paragraphis 2. 3. 4. & 5. hoc impoſtoris figmentum tam validis confutatum eſt rationum momentis, ut nemo tam apertis Pſeudo-Marcellini mendaciis fidem impoſterum habiturus ſit. Fuerint nonnulla fortaſſis genuina S. Suitberti Geſta in iſtis Commentariis: ea vero ſecernere a falſis & incertis, nemo prudens tentaverit. Illorum ergo ſuppoſitionis nonnulla placet proferre argumenta, quibus manifeſta falſi authoris impoſtura fiat.

Arguit primo Pſeudo-Marcellini falſitatem ſilentium Veterum Scriptorum, qui cum de ſancto Suitberto egerint, nunquam Marcellinæ ſcriptionis fecerunt mentionem. *Radbodus* Trajecti Inferioris ad Rhenum Epiſcopus ſeculo X. compoſuit Sermonem de S. Suitberto, in quo hæc leguntur: *Revocanda ſunt nobis ad memoriam S. Patris noſtri opera &c. ſed quia nobis quædam ſunt occulta, quæ eum feciſſe poſt Deum ſola novit antiquitas &c. Scripta Venerabilis BEDÆ Presbyteri proferantur in medium.* Hic locus erat, ſiquis alius, Marcellini citandi: nec merito dixiſſet *Radbodus*, occulta eſſe facta Suitberti, ſi Marcellini legiſſet Commentaria, in quibus facta *Suitberto* attributa, annorum ſerie commemorantur. Condidit etiam *Radbodus* Carmen de eodem ſancto, nec in eo ullum Marcellinæ fabulæ veſtigium apparet. *JOANNES A LEIDIS* Carmelita, qui anno 1495. vivebat, in lib. 1. *Chronici Belgici* cap. 15. ubi Suitberti Geſta perſtringit, Vitæ a Marcellino ſcriptæ nequaquam meminit. Quod ſilentium ſane majoris eſt roboris in Trithemio, qui neque in libro 3. *de Viris illuſtribus* Ord. Divi Benedicti cap. 166. neque lib. 4. cap. 182. ubi de ſancto Suitberto agit: neque in libro *de Scriptoribus Germaniæ*, Marcellinum Suitbertinæ vitæ authorem nominat usquam. His adde Sigebertum, aliosque Scriptorum Eccleſiaſticorum indices, adde & Johannem de Beka in libro *de Epiſcopis Vltrajectinſibus*. Primus niſi fallor Willelmus Heda, homo ſeculi proxime elapſi, mentionem facit Vitæ a Marcellino confictæ, in *Gregorio Epiſcopo Vltrajectino*.

Verum etſi Veterum aliquis *Marcellinum* citaſſet laudaſſetve, non tamen continuo admittenda eſſet ipſius authoritas. Nam non ſe prodit ſtatim civius fucatum mendacium, nec cuique competit ea ingenii ſagacitas ut prima fronte poſſit impoſtorem odorari. In Marcellina fabula, perſonam ſuam male luſit Actor. Legerat in Liudgeri Epiſcopi Vita ab Altfrido ſcripta *Marchelmum* virum pium & ſanctum, *de genere ortum Anglorum, & a ſancto Epiſcopo Willibrordo a pueritia ſanctis inſtructum moribus*, ſancto Liudgero *Comitem* a Gregorio Abbate datum, *& cooperatorem verbi Dei*. Legerat & in ſancti Gregorii Abbatis Actis eundem *Marchelmum* a ſancto Liudgero commendatum. Hinc ille habita ſui temporis ratione, *Marcellinum* ſe ſcripſit pro *Marchelmo*: cujus perſonam ac nomen ſibi affingere viſum eſt Operæ pretium, ut figmentis de ſancto Suidberto a ſe referendis colorem daret. Hinc ſpecioſa illa præfatio ad ſanctum Gregorium Trajectenſem (ut falſo præfert) Epiſcopum, in hæc verba: *Venerabili & Dilecto in Chriſto Domino & Patri, Domino Gregorio ſancta Trajectenſis Eccleſiæ Epiſcopo, & Friſonicæ Gentis Prædicatori Eximio, Marcellinus Presbyter Gentilium prædicator inutilis.* Qua in præfatione ita de ſe ſcribit: *Vires Corporis attenuatæ ac fere conſumptæ ſunt, utpote qui ſexaginta quinque annis pro modulo meo indefinenter prædicationibus & converſionibus Paganorum inſudavi: quinque ante Pontificatum SS. Willebrordi & Swiberti, & quadraginta tam ſub ſancto Willebrordo, quam ſub S. Swiberto: ac decem & ſex ſub egregio Pontifice & Martyre S. Bonifacio prædeceſſore tuo: & quatuor jam ſub te, qui me Daventriam & apud Paganam Gentem Tranſiſalanam cum dilecto confratre & patriota meo Levino Presbytero miſiſti &c. a me geſta ipſius conſcribi decreviſti & mihi ſtricte præcepiſti, eo quod a juventute mea in Anglia cum illo converſatus fui, & cum ipſo & S. Willebrordo & cæteris confratribus meis, ex Anglia in Germaniam deveni, & ſancto Switberto miniſtravi.* Quot verba in hac præfatione, tot figmenta, tot mendacia, indigna authore contemporaneo, imo impoſſibilia. Nam 1. Gregorius nunquam fuit Trajectenſis ſeu (ut vocant) Vltrajectenſis Epiſcopus, prout in ipſius Vita probat Joannes Mabillon ſeculo IV. *Sanctorum Ordinis D. Benedicti* tom. 2. ad annum 781. 2. Marchelmus ſeu Marcellinus, Anglus utique, ſed a pueritia inſtitutus a S. Willibrordo, necdum fortaſſe natus erat anno 690. quo Suidbertus cum S. Willibrordo in Germaniam trajecit. Tantum abeſt, ut cum illo in Anglia ſit converſatus a juventute, aut ſub illo Pontifice prædicationi Evangeli-

Digitized by Google

gelicæ incubuerit. Quippe Gregorius rector Ecclesiæ Trajectensis, cum S. Bonifacio Præceptore suo Romam anno 738. profectus, *pueros*, id est adolescentes *duos cum consensu Magistri, in discipulatum suum, Marchelmum scilicet & Marcellinum, de gente Anglorum secum inde adduxit.* Quod argumento est, Marchelmum eo tempore juniorem fuisse, quam ut ante annos triginta octo cum Suidberto in Frisiam trajicere potuerit. Si enim ut ipse Marcellinus narrat, cum sanctis Suidberto & Willibrordo anno 690. in Frisiam trajecit, illisque in prædicatione socius fuit, habebat saltem anno 690. annos ætatis viginti vel ultra: unde anno 738. quo Romam cum sanctis Bonifacio & Gregorio Vltrajectensis Ecclesiæ rectore profectus dicitur, debebat habere ætatis annos 68. & amplius: quomodo ergo dicuntur *pueri duo cum consensu Magistri in discipulatum S. Bonifacii admissi?* Dicunturne *pueri*, qui 68. annos ætatis excedunt? 3. Accedit, quod ipsi Marcellino seu Marchelmo *Ecclesiæ Trajectensis custodi* Liudgerus revelavit somnium futuræ suæ dignitatis Pontificalis prænuntium, quod Marchelmus ipsi exposuit. Atqui somnium istud ejusque interpretatio evenit Liudgero post annum unum aut alterum, quam Sacerdotio initiatus erat, hoc est anno fere 780. ut in ipsius vita notat Johannes Mabillon seculo IV. *Sanctorum Ord. Divi Benedicti* tomo 1. ad annum 809. Quo sane tempore Marchelmus superasset annos *centum & decem*, si cum Willibrordo & Suitberto e Britannia in Germaniam jam Adolescens anno 690. accessisset. Ne quis vero contendat aliam esse *Marchelmi*, aliam *Marcellini* personam: attendat eandem somnii expositionem quæ Liudgero facta a *Marchelmo* est, *Marcellino* tribui in falsis Canonisationis Suidbertinæ litteris, quæ uti & ipsa Vita Suidbertina, ex eadem suppositionis officina prodierunt. Denique hic Marcellinus qui refert litteras Canonisationis S. Suidberti a Leone III. factæ quod circa annum 812. contigit, scripsisset post annum ætatis 130. Vel etiam post annum ætatis 140. Nam cum anno 690. ex Anglia in Germaniam cum sanctis Willibrordo & Suidberto venerit, annos saltem viginti ætatis habens, anno 812. excedebat annos 140. quod incredibile est.

His de Pseudo-Marcellino præmissis, alia quædam errorum capita conglobatim proponere juvat, ne singula discutiendo & refutando, mendaci homini pondus adjicere videamur. Errat Pseudo-Marcellinus quod cap. 4. *Egbertum* Missionis Suidbertinæ authorem vocat *Eboracensem Episcopum:* deinde quod *Judocum & Winnocum Regis Anglia filios* appellat. Quod cap. 6. *Willibaldum & Wunibaldum* cum Willibrordo *missos* in Germaniam dicit, qui nec dum nati erant. Quod cap. 7. *Vuicbertum a Radbodo cæsum*, affirmet. Quod Suidbertum anno 656. ordinatum. Quod cap. 14. Vuinfridum seu Bonifacium fuisse per annos tredecim Canonicum Trajectensem dicat. Quod cap. 13. Suidbertum Radbodo Frisiorum Duci supervixisse asserit. Aliaque permulta errata inspergit, quæ enumerare per singula pene ridiculum foret. Mitto quod *Principatum Hollandiæ, Lotharingiam, Ducatum Brunswicensem* nominat: quibus satis impostor nominibus prodit, se longe post Marchelmi tempora vixisse, nec ante multos annos: nec forte ante seculum XIV. ut colligitur ex iis quæ supra diximus.

Accedunt ad calcem hujus Vitæ seu potius fabulæ, editæ apud Surium litteræ, tum *Rixfridi Trajectensis Episcopi ad Ludgerum Monasterienſis Ecclesiæ Episcopum*, petentis ut *modum & ordinem Elevationis & Canonisationis S. Suidberti in scripta redigeret:* tum *ipsius Ludgeri* id ipsum fuse exsequentis, imo potius utræque *Pseudo-Marcellini* infeliciter mentientis. Eas jam rejecerunt quamplures Viri docti, Christophorus Brouuerus in *Notis ad Vitam S. Liudgeri*, Joannes Morinus lib. 10. de Pœnitentia cap. 20. §. XI. Omnium vero eruditissime Socii Bollandistæ in *Vita S. Liudgeri* tom. 3. Martii ad diem 26. Huc movent stylus ac genius authoris, fabulam totus spirans. Nomina *Indulgentiarum ac Canonizationis* præpropere usurpata, quæ vix ante seculum XIII. audita sunt: itemque voces *Monasteriensis* Episcopi, *Studii Bononiensis, Confratris* passim, *Angiera* pro urbe *Andecava* seu *Andegavensi*, & quædam aliæ recentioris usus. Quid quod Leonis Papæ III. Electio *a Cardinalibus* facta dicitur: quod iidem Cardinales præferuntur Archiepiscopis: quod conferendum est cum litteris Pauli Papæ I apud Baronium ad an. 761. relatis, quibus ante Cardinales, subscribunt Episcopi. Multa alia etiam pugnant cum veritate Historica, ut illud quod Pipinus per Bonifacium Archiepiscopum *authoritate Zacharie* coronatus anno 755. dicitur: cum ante annos tres id contigerit. Denique quod Leoni Papæ tribuitur diuturna mora in Gallia ad canonizandum *S. Suidbertum*, cum ex Eginhartho constet ad annum 804. Leonem Papam *subito ad Imperatorem* Carolum Magnum *pervenisse, nec nisi dies octo mansisse apud illum*, moxque *Romam* repetiisse.

Hæc nos ex Joanne Mabillon seculo 3. *Sanctorum ordinis D. Benedicti* tom. 1. ad annum 713. in Commentario *De sancto Suidberto Frizionum Episcopo* fol. 239. num. 1. 2. 3. 4. & 13. Plura dabunt ad nauseam usque Socii Bollandistæ, ad 1. diem mensis Martii, Paragraphis 2. 3. 4. 5. Commentarii sui *de sancto eodem Episcopo*, quos consule.

DISSER-

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS VENERABILIS BEDÆ PRESBYTERI, ET MONACHI.

730. BEda, in Britannia ex Anglo-Saxonum genere oriundus, in Girwenſi territorio non longe a Tinæ fluminis oſtiis natus eſt anno 673. Amplexus a puero Vitam Monaſticam, in ea per multos annos perſeveravit ſub Benedicto & Ceolfrido Monaſterii Sanctorum Petri & Pauli ad Tinam Abbatibus, in Diœceſi Dunelmenſi. Vulgo appellatus *Presbyter Anglus* ac *Venerabilis*, quamvis eſſet Monaſtico inſtituto addictus. Ex Sixto Senenſi in *Bibliotheca ſancta* obſerva, factum illum anno ætatis ſuæ 30. Domini 703. Presbyterum a Joanne Epiſcopo, hortatu Accæ Eboracenſis Archiepiſcopi ac fratrum multorum: aggreſſum eſſe ſcribere in univerſam ſcripturam diverſa Explanationum Volumina in quatuor ordines diſtincta, videlicet in Rapſodias, Quæſtiones, Commentarios & Homilias. *In Rapſodiis* ſive ſtromatibus vel Collectaneis, Myſticas magis quam Hiſtoricas Expoſitiones congregaſſe ex probatiſſimis Eccleſiæ Doctorum ſententiis, &c. *In Commentariis* vero, *Quæſtionibus & Homiliis*, in quibus frequentius & ſermone & ſenſu ſuo utitur, ſtylum habere nec omnino inelegantem, nec affectatæ Eloquentiæ curioſum, ſed temperatum & medium. Obiit anno 735. die 26. Maji, ſive 7. Kalendas Junii, quo Aſcenſionis Dominicæ memoria celebrabatur. De illo Appendix Anonymi ad Eccleſiaſticam Anglorum Hiſtoriam ab eo ad annum 731. ætatis 59. perductam, ac Ceolwulfo Northumbrorum Regi dicatam. Ejus Epitaphium, Alchuinus Epiſtola 5. ubi *nobiliſſimum ſui temporis Magiſtrum* appellat. Honorius Auguſtodunenſis initio libelli 4. *de Luminaribus Eccleſiæ*, ubi Romæ mortuum ibidemque eſſe ſepultum falſo aſſerit. Sigebertus Gemblacenſis *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 68. qui minus accurate mortem ejus anno 634. aſſignat, ut ex die Aſcenſionis cum 26. Maji concurrente colligitur, quod anno ſequenti contigit. Guillelmus Malmesburienſis lib. 1. cap. 3. qui eum a Sergio Papa Romam vocatum aſſerit, cum tamen ex Anglia nunquam pedem moviſſe, certo certius conſtet. Atque ex recentioribus Cardinalis Baronius, qui multa de eo diſputat in *Annalibus*, & in ejus ætate deſignanda, & quibusdam aliis hallucinatur. Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 28. Joannes Mabillon ampliſſime omnium in *Elogio Doctiſſimo illius* quod contexuit ſeculo 3. *Sanctorum ordinis Divi Benedicti* parte ſeu tomo 1. pag. 534. & ſequentibus: quem in multis ſequimur.

Collecta primo in unum omnia Venerabilis Bedæ Opera, quæ hinc inde variis atque inculcatis editionibus ſeparatim antea impreſſa fuerant, atque Pariſiis, anno 1544. tribus in fol. tomis edita per Franciſcum Jametium. Cumque Bibliopolæ opus ſucceſſiſſet, illa eadem novis ornata curis atque acceſſionibus, ibidem anno 1554. octo tomis in fol. repetita ſunt. Tum item tomis octo Baſileæ anno 1563. apud Joannem Heruagium, denique & Coloniæ totidem tomis anno 1612. apud Antonium Hieratum. Hæ quatuor editiones operum Venerabilis Bedæ, quarum tres ultimæ eodem modo procedunt. Nos ultimam anni 1612. Colonienſem ſequemur, quæ anno tandem 1688. ibidem ordine eodem repetita fuit, illamque ſecundum tomos & ordinem in iis contentum ſigillatim expendemus; cum pauci ſint, qui Opera Bedæ attributa accurate expenderint, ad proximas editiones illorum correctiores.

CAPVT PRIMVM.
DE
TOMO PRIMO OPERVM VENERABILIS BEDÆ.

COntinet ille ea quæ ad Grammaticam, Arithmeticam, Geometriam, Aſtronomiam, Muſicam, & ſimiles Artes pertinent. Eſtque congruo ordine diſpoſitus, ſi ſuppoſita Bedæ Opera ad calcem Voluminis cujusque, vel ad ultimum Operum omnium Volumen, omnia conjecta fuiſſent. Jam expendamus ſigillatim ſingula.

Incunabula Grammaticæ Artis Donati pag. 1.

De octo partibus Orationis liber pag. 14. Contexuit Venerabilis Beda indicem potiſſimorum ſuorum Operum ex quibus facile genuina a ſpuriis diſtingui poſſunt, quem annis tantum quatuor ante mortem, anno nempe 731. ætatis 59. compoſitum legimus ſub finem *Hiſtoriæ ſuæ Anglorum*. Unde quamvis adhuc aliqua poſtmodum ſcripſerit, potiſſima tamen in hoc *Indiculo* continentur. Hujus utriusque de quibus loquimur, Beda non meminit in ſuo *Indiculo*, nihil tamen in iis eſt, quo Bedæ denegentur.

De Arte Metrica liber. 25.

De Schematibus ſacræ Scripturæ. 42.

De Tropis ſacræ Scripturæ 47.

De Orthographia, liber 53. Horum omnium meminit Beda in ultimis *Indiculi ſui* his verbis, *Librum de Orthographia, Alphabeti ordine digeſtum, Item, librum de Metrica arte, & huic adjectum alium de Schematibus ſive Tropis libellum, hoc eſt: de figuris modisque locutionum, quibus Scripturæ ſacræ*

contenta eſt. Bedæ Sacerdos de Orthographia ex MS. Bongarſii editus primum Hanoviæ 1605. in 4. ab Elia Putſchio doctiſſimo juvene inter *Veteres Grammaticos* pag. 2327. ad 2350. diverſus a libello ejusdem argumenti, qui Bedæ vulgo adſcriptus, inter ejus Opera ſæpius prodiit, & infra a Putſchio exhibetur, cum ejusdem libro uno *de ratione Metrica* pag. 2350. ad 2383.

De Arithmeticis numeris 72. cum Dialogo *de Notis numerorum & ratione temporum.* Ad eum ſpectant, quorum meminit in *Indiculo* ſuorum Operum

De Arithmeticis propoſitionibus pag. 100. Ejusdem Bedæ videntur.

De ratione Calculi pag. 111. & *de diviſione Numerorum ad Conſtantinum*, ejusdem yidentur.

Opuſculum *de loquela per digitorum Geſtus* pag. 127. Itemque *Libellus de Ratione Vnciarum* pag. 141. ſunt certo Bedæ ejusdem: cum in prologo loquatur de Opuſculis ſuis *de Natura rerum & ratione temporum* quos appellat libellos, & a ſe quondam ſtricto, id eſt, brevi ſermone compoſitos. Sunt autem hi duo libelluli, quaſi præludia majoris Operis *de Ratione temporum* quod nunc prolixius ſcribere neceſſarium duxit. *Venerabilis Bedæ Presbyteri Tractatus brevis de computo ſive loquela per geſtum digitorum* extat in Operum Bedæ editione Colonienſi noviſſima anni 1688. tomo 1. pag. 127. cum Gloſſis Brideferti Rameſienſis Monachi, ſed admodum jejunis, Scholiisque Joannis Noviomagi. Librum hunc in multis ab uſu Veterum recedere, obſervat Barthius *Adverſariorum* lib. 2. cap. 12. Confer Rhabani Abbatis Fuldenſis librum *de Computo* quem Stephanus Baluzius *Miſcellaneorum* tomo 1. edidit, & Nicolai Smyrnæi *Numerorum notationem per geſtum digitorum*, quam Græce & Latine cum Beda *de indigitatione*, Pariſiis in 8. evulgavit Fridericus Morellus, poſt Morellum Petrus Poſſinus Romæ 1673. in folio, ad calcem *Catenæ Græcorum Patrum* Marcum & Spicilegii ſui Evangelici. Idem Poſſinus Notas neſcio cujus addidit, & figuras σχηματισμῶν χειρολογικῶν in æs incidi curavit pag. 449. & ſequentibus.

Libellus de Argumentis Lunæ pag. 143. cujus non meminit ſpeciatim.

Computus vulgaris qui dicitur Ephemeris pag. 169 & ſeqq. cum Kalendario, nullatenus eſt venerabilis Bedæ Presbyteri. Hoc invincibiliter cognoſcitur ex Lectione Calendarii, ubi innumeræ ſanctorum commemorationes, qui Beda poſteriores ſunt: unde miror qua fronte, quave impudentia potuerint homines tale Opus adſcribere Bedæ, anno 735. mortuo. Atque ut plurima paucis complectamur: hic author meminit ad diem Junii V. *Sancti Bonifacii Moguntinenſis Archiepiſcopi*, qui mortuus eſt anno 754. viginti circiter annis poſt Bedam. Meminit ad diem Julii 4. Sancti Vdalrici Auguſtani Epiſcopi, qui ſeculo X. mortuus eſt. Itemque eodem menſe ad diem XI. Julii, Translationis Corporis ſancti Benedicti in Galliam. Die 15. Auguſti, meminit Feſti *Aſſumptionis B. Mariæ Virginis.* Die 8. Septembris *meminit Nativitatis B. Mariæ Virginis:* quæ Feſtivitates apud Latinos ſeculum IX. non excedunt. Denique in verſibus, quibus omnem anni diſtributionem colligit ad finem Operis, facit mentionem *ſanctæ Eliſabeth Thuringicæ*, ordinis ſancti Franciſci, quæ ſeculo demum XIII. floruit. *Fertilis Eliſabeth Cantat Thuringia laudes.* Nonnulli ſunt opinati ſcriptorem hujus laborioſi Operis, fuiſſe *Vandelbertum Monachum Prumienſem*, qui ſeculo IX. floruit: ſed Deus bone, quam enormiter conjectantur? quomodo enim fieri poteſt, ut qui ſeculo nono vixit & mortuus eſt, faciat mentionem ſanctæ Eliſabeth viduæ, quæ ſeculo XIII. floruit ac defuncta eſt? Certum eſt ſcriptorem harum Ephemeridum eſſe Germanum ex affectatione quam habet in recenſendis Germaniæ ſanctis & Martyribus & Epiſcopis, ut legenti conſtabit. At quisquis ille ſit, non videtur mihi excedere quoad ætatem qua vixit, medium vel finem ſeculi decimi tertii. Hæc bonus Cavus non notavit, qui Opera Bedæ nunquam legit.

De Embolismorum ratione Computus pag. 215. Ejusdem mihi videtur eſſe authoris, cujus ſunt præfatæ Ephemerides. Sane tam prolixorum Operum haudquaquam fuiſſet oblitus venerabilis Beda in *Indiculo* ſuorum Operum quem anno 731. ſcripſit, annis tantum quatuor ante mortem: nec credibile eſt venerabilem doctorem ætate fatiſcente, iſtis ſeſe immiſcuiſſe calculationibus, ante mortem. Denique non pertinere ad Bedam, ſed ad authorem ultimorum temporum ut ſupra de Ephemeridibus diximus: conſtat ex ejus verbis fol. 231. ubi ſic. *Inventa die quam quæris, notataque littera quam habent Martyrologia quinta retro linea.* At tempore venerabilis Bedæ nondum erant Martyrologia, cum ipſe primus unum conſcripſerit, atque illud in multis diebus vacuum, ut Vſuardus teſtatur. Ipſa facta ſunt tantum vulgaria ſeculo 9. jam labente, unde qui ſic ſcribit, ſe prodit authorem poſteriorum temporum. Denique omnis expreſſio hujus Operis clara & aperta, tamque variis modis quæ inveſtigat edocens, authorem ſeculo XIII. haud antiquiorem profert. Hæc non notavit Cavus; Certe author utriusque Operis eſt Anglus, Radulphus de Linham dictus, pauciſſimis cognitus, de quo ad annum 1150. poſtea loquemur.

Decennovales Circuli pag. 257. una cum his quos ſcripſit *Dionyſius Romanus* cognomento *Exiguus* & *Beatus Cyrillus usque ad milleſimum quingenteſimum nonageſimum quintum annum ſalutis, quibus continentur tres Circuli Magni.* Aſſerit hoc Opus Venerabili Bedæ, præmiſſa præfatio pag. 256. quæ quamvis anonyma ſit in impreſſis: lego tamen eam eſſe Abbonis Abbatis Floriacenſis, qui anno 1004. mortuus eſt, de cujus Scriptis tam impreſſis quam deperditis doctiſſime agit

agit Joannes Mabillon tomo 2. *Analectorum* pag. 240. ubi varia præludit.

De Cyclo Paſchali pag. 305. de quo plura docebit te Ægidius Bucherius Presbyter ſocietatis Jeſu Commentariis ſuis doctiſſimis in *Canonem Paſchalem Victorii Aquitani*, quos in folio edidit Antverpiæ ex officina Plantiniana ſumptibus Balthaſaris Moreti anno 1633.

Liber de conſtitutione mundi cæleſtis terreſtrisque pag. 323. haudquaquam indignus eſt qui Bedæ tribuatur, quamvis nihil habeam quo ipſi adfirmem, illiusque ipſe in *Indiculo* Operum ſuorum non meminerit.

Libelli duo de muſica Theorica & practica pag. 344. ſuppoſiti Bedæ ſunt, variis ex argumentis. 1. enim affectat iſte Scriptor libello 2. *de Muſica practica* afferre exempla Cantuum, deſumpta ex Officiis Feſtorum B. Mariæ Virginis: qualia ſunt, *O Maria Beata Genitrix &c. Maria praconio, devoto ſervitio* &c. At Feſta iſta Beatæ Virginis haudquaquam in Eccleſia Latina ante ſeculum nonum temporibus Ludovici Pii vel Caroli Magni invaluerunt, unde hæc ad Bedam ſpectare nullatenus poſſunt. 2. Exempla iſta ſunt *proſarum*, quale & iſtud, *O Maria Virgo Davidica &c.* itemque alia ab ipſo allata ex profis *de* Spiritu Sancto, *Sancti Spiritus adſit nobis gratia &c. Veni ſancte Spiritus & emitte cœlitus &c.* At uſus iſte Proſarum in Officiis Eccleſiaſticis Miſſarum, ſecundum doctiores Rituum tractatores, nullatenus excedunt ſeculum XII. ac pleræque illarum ſeculo præſertim XIII. inductæ ſunt: unde nullatenus hi libelli ad Bedam anno 735. mortuum ſpectare poſſunt. *Denique* iſte author tam Gallus quam Anglus eſſe poteſt: cum pag. 364. initia quædam Cantilenarum Gallice atque Anglice producat. Gallice *demenant grande joye &c.* Anglice, *Suant voile dont tans und &c.* vixque mihi ante ſeculum XIV. extitiſſe videtur.

De Circulis ſphæræ & polo pag. 365.

De planetarum & ſignorum ratione p. 369.

De ſignis Cæli p. 373. nihil affirmare vel negare poſſum.

Libellus de Tonitruis ad Herenfridum pag. 387. a Beda in Latinam linguam tantum translatus eſt, cujus & ſimplicitatem ipſe Beda agnoſcit. Non ergo ſpectat proprie ad Bedam.

Libelli *de prognoſticis temporum* pag. 390. *de Menſura Horologii* pag. 392. *de Aſtrolabio* pag. 394. de Nativitate *prognoſtica infantium* pag. 397. *de minutione ſanguinis* pag. 398 *de ſeptem Miraculis mundi* pag. 400. vere libelluli ſunt, de quibus nullatenus conſtat an Bedæ ſint: imo plures ex illis omnino indigni ſunt qui Venerabili Bedæ attribuantur. Quales ſunt inter alios *de prognoſticis temporum, de nativitate infantium, de minutione ſanguinis.*

Hymni Bedæ Presbytero inſcripti pag. 401. & ſqq. ad Bedam ſpectare non videntur. Certum quidem eſt Bedam ſcripſiſſe *librum Hymnorum diverſo Metro ſive Rithmo*, ut ipſe tradit in *Indiculo* ſuorum Operum a ſe compoſito: at iſti hymni errant *& varii, & de rebus ſacris, & diverſo Metro ſeu Rithmo* conſcripti: quod nullatenus convenit iſtis Metris vel Verſibus, qui hymni appellantur. Sunt enim poëſes, non metra: ſunt plerique de rebus ſupputatoriis, non ſacris: de naturalibus vel prognoſticis, non de Eccleſiaſticis officiis. Convenire mihi videntur tam quoad argumentum quam quoad ſtylum, cum Carminibus *Manfredi*, quæ habentur pag. 435. poſt librum Bedæ *de Computo.*

Libellus de Ratione Computi pag. 418. ſpectat indubie ad Bedam, cujus meminit Helpericus qui juxta Petrum Franciſcum Chifletium ſcribebat anno 930. in prologo Operis ſui *de Computo.* Extantque illius ſub nomine Bedæ varii & vetuſtiſſimi MSS. Codices, in multis Galliarum ac præcipue Pariſiorum Bibliothecis, atque unus quidem in Bibliotheca Sancti Germani de Pratis Pariſienſibus num. 546. ut refert Joannes Mabillon in *Elogio* venerabilis Bedæ. Imo ad imitationem Opuſculi Bedæ *de Computo*, ſuum ejusdem argumenti Helpericus aggreſſus eſt.

CAPVT SECVNDVM.

DE TOMO SECVNDO OPERVM VENERABILIS BEDÆ.

De Natura Rerum liber pag. 1.

De temporum Ratione ſeu de temporibus, liber pag. 43.

De ſex mundi ætatibus Chronicon ſive Libellus pag. 103.

De temporibus liber pag. 118. Nullus mihi videtur dubitandi locus, quin hæc quatuor Opera ad Bedam pertineant, quorum meminit in *Indiculo* ſuorum Operum, ſaltem trium ex iſtis nempe *de natura rerum & de temporibus libros ſingulos. Item de temporibus librum unum majorem.* Hæc Beda. Convenientius autem hi libri ſic diſpoſiti fuiſſent.

1. *Liber de Natura Rerum* pag. 1.
2. *Liber brevior de temporibus* p. 118.
3. *Liber major de temporibus* p. 43. quem ſcripſiſſe videtur Beda poſt breviorem. Tandem
4. *De ſex mundi ætatibus Chronicon ſeu libellus* pag. 103. cujus quidem ipſe in *Indiculo* ſuorum Operum non meminit, ſed certo ad ipſum ſpectat. Non mirum autem quod illius non meminerit, quippe cum ſit veluti pars & compendium *Majoris Operis de ratione temporum.* Scriptum illud juxta Bedæ ſupputationem anno 4680. Chriſti 726. Leonis Imperatoris 9. annis novem poſt mortem Ceolfridi Abbatis ſui quam deſcribit ad annum 4671. & Chriſti 716. his verbis: *His temporibus multi Anglorum Gentis Nobiles & Ignobiles, viri & fœmina, duces & privati, divini amoris inſtincta de Britannia Romam venire conſueverant: inter quos etiam Reverendiſſimus Abbas meus Ceolfridus annos natus ſeptuaginta quatuor, cum eſſet Presbyter annis quadraginta ſeptem,*

Abbas autem triginta quinque ubi Lingonas pervenit, ibi defunctus atque in Ecclesia Beatorum Geminorum Martyrum sepultus est. Qui inter alia dona quæ adferre disposuerat, misit Ecclesiæ S. Petri Pandectem, a Beato Hieronymo in Latinum ex Hebræo vel Græco fonte translatum. Huic annorum numero consentiunt Chronica Hermanni Contracti, qui tot annos Mundi, dicit contineri in libro majori Bedæ *de temporibus, sive de Ratione Temporum.* Hoc itaque Chronicon spectat teste Hermanno, ad librum hunc Bedæ majorem *de Ratione temporum.*

Quod diximus librum Bedæ minorem *de temporibus* esse longe anteriorem libro majori, facillimum est cognoscere: cum ille brevior cesset in quinto Tiberii III. Imperatoris anno, qui Christi annus est 701. vel 702. unde sic illum librum Beda finit: *Tiberius de hinc quintum egit annum. Reliquum sexta ætatis, Deo soli patet.* At alter *de temporibus* liber ut supra diximus, excurrit ad annum usque Leonis Isaurici nonum, & Christi 726.

Sententiæ sive Axiomata philosophica, pag. 124.

Sententiæ ex Operibus Ciceronis excerptæ p. 166.

Liber Proverbiorum Alphabeticus ex sacris Scripturis pag. 185.

Hæc tria Opuscula nullatenus ad Bedam spectant, sed ad recentiorem aliquem scriptorem, qui seculum XIV. superare mihi non videtur. Sola lectio *Proœmiorum* tam libri *Sententiarum ex Operibus Ciceronis*, quam *Proverbiorum ex Scripturis*, idonea est ad hoc probandum: quippe quæ nullam antiquitatem præ se ferant, sed novitatem, recentemque ætatem. Vnus idemque author horum trium Collectaneorum esse apparet, quod de duobus primis certum est: nam præludiis ad Collectaneum *Sententiarum ex Cicerone* sic alludit ad sententias ex Aristotele a se collectas. *Nunc quoniam authoritatum Aristotelis longitudo & magnitudo crevit, commodius est in secundo præsentis Opusculi tractatu de cæteris Beatæ vitæ proverbiis deinceps exponere, ne qua possit animum defatigatio retardare.* Quisquis autem Opera ejusmodi Bedæ voluerit adscribere, se plane novitium in antiquis dictionibus ac stylis ostendet.

Libellus de substantiis pag. 200. male ita inscribitur, sed esset inscribendus *Collectaneum variarum præceptionum tam Clericis quam Laicis utilium.* Est autem inscriptus de substantiis, eo quod sub initium acriter agat *de substantiis seu bonis Monasteriorum non alienandis, neque donandis, neque dissipandis.* Itaque Opusculum istud a primo Capite nomen accepit.

Convenire venerabili Bedæ nullatenus potest, sed est scriptoris alicujus Monachi Benedictini, qui seculo XII vel XI. antiquior non est. Quæ namque capite I. narrat de Monasteriis frequentissime a Laicis captis & usurpatis, & de substantiis illorum ab ipsis Abbatibus & Prælatis dissipatis: convenire temporibus V. Bedæ nullatenus possunt. Audiamus hunc anonymum.

Quid, rogo, pejus esse poterit, quam Monasteria ad laudem Dei sanctorumque suorum venerandam memoriam ab antiquis principibus constructa, nunc ob inexplebilem quorumdam avaritiam destruere? quis namque fidelium Religiosorum attendens, quanta modo cum omnia divina præcepta atque miracula, sanctorumque Patrum documenta sint plurimis notissima, Cœnobiorum destructio fiat non solum a Laicis gestientibus & rapientibus prædia eorum: sed etiam a Clericis ipsisque Abbatibus ultro offerentibus, quasi quædam venalia sibi commissa bona, unde alendi forent non solum Monachi, sed etiam familia commissa, nec non pauperes & peregrini advenientes: non statim possit conjicere destructionem sanctæ Ecclesiæ, non statim doleat quod hostis antiquus tantam malitiam & persecutionem potuerit exercere in Christianos per alios Christianos, & per eos maxime qui constituti sunt Pastores Ecclesiæ? Nam si talis destructio locorum sanctorum a Barbaris ageretur, Christianorum bello essent reprimendi, si aliter nequirent corrigi. Sed proh dolor tanta pax & concordia in hujusmodi nequitia habetur, ut pauciſſimis exceptis, non inveniantur qui de tantæ persecutionis curent miseria, quasi Christianæ Religionis ignari & tanquam hoc quod Monasteria cuncta pro Christi sancto rumque honore constructa sint obliti. Quod dico, miserabile quidem est dictu, sed multo miserabilius actu: cum hi qui ad hoc speciali ter electi sunt, ut in Cœnobiis sub religione disciplinaque Spiritali viventes, Deo servirent; & pro eorum salute qui a secularibus pompis adhuc se continere nequeunt, jugiter intercederent: substantia qua ad quotidianum victum vestitumque indigent, privantur, &c. Hæc sane nequaquam conveniunt in tempora Bedæ, recte autem iis temporibus quibus Ecclesia vexata est seculo XI. ob investituras tempore Gregorii Papæ VII. quarum occasione discordiarum, Laici expilabant Monasteria atque diruebant. *Secundo* antea expresse significat Ahicnonymus se scribere post annum Christi millesimum, & consequenter non ante seculum XI. Sed quia adversarius noster Diabolus tanquam Leo rugiens circuit jugiter, quærens quem devoret, pluresque inter tot millia hominum proh dolor fragiles quam fortes contra eundem adversarium modo inveniuntur; opus est cunctis fidelibus, ut & ipsi circumeuntes quærentesque qualiter tanto resistant adversario, invicem se variis modis instruant & admoneant. Ne Ecclesia sancta sub temporis præteriti partibus bene fundata & suffulta, penitus destruatur *sub temporibus nostris, in quibus mille annis impletis* juxta Prophetiam in Apocalypsi prædictam, Sathanas solutus esse videtur. Non enim solummodo occultis ut antea insidiis quosque decipit, sed etiam aperte prorumpit peritissimos subvertens, & ad pessima

„ma quæque inſtigans. *Denique* poſtea ubi de officii divini procuratione loquitur, appellat illud *Divinum ſervitium*, quæ vox inuſitata mihi videtur ante ſeculum XII. *Unde qui Cœnobitium auſert prædia unde Monachi ſunt procurandi, & divini ſervitii & totius Monaſticæ Religionis deſtructor eſſe convincitur.* Nullatenus itaque hic libellus Bedæ eſſe poteſt.

Περὶ διδάξεων, *ſive de Elementis philoſophiæ libri quatuor* fol. 206. Spectant ad Guillelmum de Conchis magnum ſeculi XII. philoſophum qui anno 1140. vel circiter floruit, à multis ob ſuas opiniones ſingulares exagitatus, potiſſimum à Divo Bernardo ejusque Sectatoribus, Guillelmo Abbate S. Theodorici & aliis. Quisquis de hac re ambegerit, conſulat Bibliothecas Pariſienſes, ubi MS. legitur *Philoſophia minor* iſtius Guillelmi de Conchis, atque inter alias Colbertinam Cod. MS. 6109. & Victorinam Littera MM 17. fol. 172 ubi hoc idem Opus legitur Guillelmo de Conchis attributum. Conferatur & tertius MS. Codex in Bibliotheca Lugdunobatava, inter MSS. Latinos numero 96 ubi conſtat ex hujus Bibliothecæ Catalogo pag. 404 impreſſa in 4. Lugduni Batavorum a. 1674. ſeipſum ſuasque ab æmulis paſſas allocutiones, Guillelmus de Conchis aperit in prologo libri ſecundi, quæ in venerabilem Bedam cadere nullatenus poſſunt. *Maluimus enim nudam veritatem prætendere, quam palliatam falſitatem. Sed quinam eſt, cui ariditas ſermonis noſtri diſpliceat, ſi noſtri animi occupationes cognoverit, ornatum ſermonis non quæſivit, ſed de illo quod agimus ſtupebit. Quis enim ullus reliquus locus poteſt eſſe ornatus, cum oporteat quid & qualiter legamus cogitare, deinde legendo exponere, in Diſputationibus contra falſa declamare, de aliorum inventis judicare, contra invidorum detractiones linguam acuere: ut jam impletum ſit in nobis illud de filiis Iſmël, qui reædificantes Templum, in una manu gladium, in altera lapidem habebant.* Adhuc Guillelmus de Conchis ſeipſum magis prodit in prologo Libri tertii, ubi ſic. *Etſi ſtudiis docendi occupati, parum ſpatii ad ſcribendum habeamus, quoniam tamen multos veſtes philoſophiæ abſcindentes, & cum panniculis arreptis totam ſibi eam ceſſiſſe credentes, abiiſſe cognoſcimus: voce ipſius reclamantis excitati, ne nuda remaneat, particulas abſciſſas ſtylo noſtræ parvitatis conſuimus, non ignari morſibus invidiæ nos ſubjacere; quia hodie eſt periculum & noſſe & habere.* Alludit iſtis verbis Guillelmus de Conchis Normannus, ad plurimos philoſophiæ magiſtros qui relictis ſcholis quas bene multas Pariſiis philoſophicas erexerant, ob paucitatem Diſcipulorum, profeſſionem urbemque hanc reliquerant. Hæc ſane in Bedam nullo modo convenire poſſunt, qui nunquam conqueri potuit, quod *ſtudiis docendi occupatus, parum ſpatii ad ſcribendum haberet:* cum tam multa ipſe conſcripſerit. Eundem Guillelmum de Conchis Scriptorem Operis, etiam arguit prologus libri quarti, ſed hæc ſufficiant.

Epiſtola de Æquinoctio vernali juxta Anatolium pag. 230. ſpectat certò ad Bedam. Cujus meminit ipſe Beda in *Indiculo* Operum ſuorum, quem contexuit ad calcem Hiſtoriæ ſuæ anno 731 unde Epiſtola iſta ante hunc annum 731. ſcripta eſt. Quare Exemplum in ea Epiſtola ad Reverendiſſimum Vvichredam Presbyterum directa adductum *de anno præſenti DCCLXXVI*, eſt interpolatio Scriptoris amanuenſis ipſo anno Epiſtolam exſcribentis, qui Bedæ ſententiam ſuppoſito Exemplo explicare voluit. Ita Joannes Mabillon in Elogio venerabilis Bedæ Num. 29. ſeculo 3. tomo 1. *ſanctorum Ord. Divi Benedicti*, Sed hanc Epiſtolam puram atque ab omni ſuppoſito mundam edidit Petrus Franciſcus Chifletius ante hiſtoriam Bedæ pag. 13. in 4. Pariſiis anno 1681 apud Gabrielem Martinum via Jacobæa, ſub ſole aureo.

De divinatione Vitæ & Mortis pag. 233. *Similitudo Arcæ Noæ* pag. 235. *tractatus de Linguis Gentium* ibidem, *Interpretatio Sybillinorum verborum* pag. 236. ſunt Neniæ quæ venerabili huic Presbytero adſcribuntur prorſus indignæ, ut cuivis legenti vel primo intuitu patebit.

CAPUT TERTIUM.

DE TERTIO TOMO OPERUM VENERABILIS BEDÆ.

QVoad tomum 3. Operum Bedæ Presbyteri, ſunt longe plura ſuppoſita, quam germana. De illis ſic Joannes Mabillon in inſigni ſuo *Beda Elogio* Num. 29. & 30. „Contexuit *librum* „*de ſex ætatibus* quem abſolvit Leonis Iſaurici anno IX, Chriſti DCCXXIV. his abſolutis edi„dit *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* Gentis ſuæ quam„cum *Epitome* adjuncta perfecit anno DCCXXXI. „Nam in Optimo Codice MS. qui penes nos eſt, „prædicta *Epitome* ultra iſtum annum non excur„rit, ut ſuperius monuimus. Idem infra in dubio„rum Claſſem rejiciendæ ſunt *Vitæ Sanctorum* ex„ceptis Actis *Sanctorum Felicis, Cuthberti & Anaſta„ſii*, quæ Beda agnoſcit ut ſua. Omnia igitur vel„ſaltem plurima hujus tomi ſuppoſita ſunt, de„quibus loqui plurimis haud otioſum erit. „

Hiſtoria Eccleſiaſtica Gentis Anglorum quam Ceolulfo Regi Anglorum obtulit.

Epitome ejusdem hiſtoriæ ad annum 731. Hujus Operis meminit Beda in *Indiculo* ſuorum Operum quem ipſe ſubjunxit ad calcem dictæ *Epitomes*, ut nullus ambigere de ea unquam poſſit. Et quamvis in multis impreſſis & MSS. etiam Codicibus hæc Epitome usque ad annum 766. excurrat, in aliis tamen & impreſſis & MSS. Codicibus haudquaquam annum 731 excedit: unde alia ab aliquo Anonymo addita arguuntur. Hactenus autem Anglicana Bedæ hiſtoria triplici in ſtatu lucem aſpexit. *Primum* ſola Argentorati anno 1514. Antverpiæ 1550 in parvo folio. Coloniæ in 16. 1601. & Cantabrigiæ An-

gloſaxonicâ in folio, anno 1644 cum verſione Anglicana Alfredi Regis. *Secundo* prodiit cum vetuſtioribus aliquot *Rerum Britannicarum* ſcriptoribus, Heidelbergæ typis Commelini in folio, 1587. Cujus ipſius editionis plurima Exemplaria Renatus Potelerius, Lugdunenſis Typographus, mutata prima pagina, eodem anno 1587. Lugduni a ſe procuſa eſſe mentitus eſt, ſuoque ipſius nomine venum expoſuit: quare hujus anni Editionem Lugdunenſem ab Heidelbergenſi diverſam fruſtra cenſueris. *Tertio* denique prodiit *Anglicana Bedæ hiſtoria* cum aliis ejus Operibus, per Franciſcum Jametium tribus tomis anno 1544. Ibidem octo tomis a. 1554. Item Baſileæ tomis octo 1563. per Joannem Hervagium. Denique Coloniæ totidem tomis anno 1612. per Antonium Hieratum. Hæc Chiffletius ad calcem editionis hujus Hiſtoriæ in *Notis* pag. 319. quam ad MSS. Codd. exactam procuravit ultimo imprimi Pariſiis in 4. anno 1681. apud Gabrielem Martinum via Jacobæa, ſub ſole aureo.

Vita ſancti Cuthberti Lindisfarnenſis Epiſcopi, cum

Vita ſancti Felicis Nolæ in Campania Epiſcopi, ſpectant certo ad Bedam, quarum meminit ipſe in *Indiculo* ſuorum Operum, ad calcem *Epitomes* Hiſtoriæ ſuæ Anglicanæ.

Vita S. Vedaſti Attrebatenſis Epiſcopi, non ſpectat ad Bedam, ſed ad Gallum Anonymum.

Vitæ ſanctorum Columbani, Attali & Euſtaſii Abbatum Luxovienſium, omnes ſpectant ad Jonam Luxovienſem Monachum, circa annum 630. illuſtrem, qui ſcripſit *de primis Abbatibus Luxovienſibus*, de quo Labbeus in Diſſertatione *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tom. I. verbo *Jonas Luxovienſis Monachus*. Item Joannes Mabillon erudite, in *ſeculis ſuis Benedictinis*, ubi de ſanctis *Columbano, Attalo & Euſtaſio* diſſerit, quem videas.

Vita ſancti Patricii libris duobus, ſpectat ad Probum quemdam, ut ex fine Operis conſtat: de quo ad nauſeam loquuntur ſocii Bollandiſtæ vel Bollandus ipſe, in legendis & notis ad *Acta S. Patricii Hybernorum Apoſtoli.*

Vita ſancti Bertulfi Abbatis Bobienſis, ab eodem Jona, de quo ſupra, conſcripta eſt.

Vita ſancti Arnulfi Metenſis Epiſcopi, Opus eſt Pauli Diaconi, quod ex Seniorum relatu qui Arnulfum olim noverant, ſcripſiſſe dicitur.

Denique *vita ſanctæ Burgundoforæ Abbatiſſæ*, eidem a multis adſcribitur. Certe ad Bedam nullatenus ſpectare poteſt, cum author illius, dum de certis miraculis agit: teſtes afferat ipſam *Burgundoforam S. Faronem Meldenſem Epiſcopum & ſanctum Vualdebertum Luxovienſem Abbatem*, quibus ſe contemporaneum facit. At iſta cadere in Bedam nullatenus poſſunt qui anno 730 florebat, & ex Anglia nunquam egreſſus eſt, ut teſtis eſſe poſſet miraculorum ab Epiſcopo Meldenſi vel Abbate Luxovienſi auditorum.

Paſſio ſancti & beatiſſimi Juſtini Martyris, nullo modo Bedam refert.

Martyrologium eo modo quo in Operibus venerabilis Bedæ eſt, ad eum non ſpectat. Certum quidem Bedam ſcripſiſſe tale Opus ut ipſe teſtatur anno 731. in *Indiculo* ſuorum Operum his verbis: *Martyrologium de Natalitiis ſanctorum Martyrum diebus, in quo omnes quos invenire potui, non ſolum quo die, verum etiam quo genere certaminis, vel ſub quo Judice mundum vicerint, diligenter adnotare ſtudui.* Qui igitur poſt Euſebium & Hieronymum, à quibus quid hoc in argumento revera factum ſit, haud ſatis conſtat: primus Martyrologium privato ſtudio contexuit venerabilis Beda, cujus Martyrologium Vſuardus in ſuo laudat. Sed & ipſemet in Operum ſuorum Catalogo illud cenſet. Etſi enim in editione Baſileenſi anni 1563. nulla de ejus Martyrologio mentio fiat, in aliis tamen editionibus diſerte habetur, imo & in Alfredi Regis verſione Saxonica, quam Abrahamus Whelocus protulit in lucem anno 1644. Attamen Beda dies nominibus vacuos centũ & octoginta in Martyrologio reliquit, qua de re Vſuardus loquitur: quorum *plurimos* ſupplevit Florus Lugdunenſis Diaconus, *non omnes*, ut teſtatur Ado Viennenſis Archiepiſcopus in præfatione Martyrologii ſui. Bedæ porro genuinum Opus eruditi Viri diu expectarunt, ſed tandem a ſe repertum & ad varios MSS. Codd. collatum, variisque interpolationibus quod fieri potuit repurgatum, ſocii Bollandiſtæ ediderunt tomo 2. ſui Martii, cum Flori Lugdunenſis Diaconi, aliorumque Auctariis. Auctarium *Flori* nomine, minori charactere editum, ne cum *Bedæ* textu iterum confunderetur. In iſto ſincero v. Bedæ Martyrologio, dubium tamen eſt, an *Feſtum omnium Sanctorum* locum habere debeat: cum Beda quatuor tantum annis vixerit poſt creationem Gregorii Papæ Tertii, qui hujus ſolemnitatis author eſt. Inde probatur quam arduum ſit, Opera interpolata a recentioribus, ſuæ puritati & integritati reſtituere.

Præter *Proſaicum Bedæ Martyrologium*, aliud *Metricum* ſub ejus nomine vulgatum eſt in *Spicilegii* tomo 10. pag. 126. & ſequentibus, carmine heroico: erutum a Johanne Mabillonio ex pervetuſto Codice S. Remigii Remenſis. An vero *Metricum* hoc Martyrologium vere Bedæ ſit, an alicujus ſtudioſi, qui *Proſaicum* verſu reddiderit, non facile definierim. Certe Remigianus Codex qui annos minimum octingentos præfert, hunc habet titulum: *Incipit Martyrologium quod Beda Heroico Carmine compoſuit.* Quanquam Beda in ſua Epitome non *Metricum*, ſed *Proſaicum* deſignaſſe videtur: Nec penitus convenit *Metricum* cum *Proſaico* illo, quod a Bollandiſtis impreſſum eſt. Verum *Metricum* illud fortaſſe ipſemet Beda poſt abſolutam Epitomen condiderit, quod tamen aſſerere nolim. Sane Remigianum Exemplar, annis non amplius centum ab ejus obitu exaratum eſt, ſtudio Bertigarii

rii Monachi, Pontificatu Ebonis Remorum Archiepiſcopi. Iſtud Martyrologium non ab VIII Kalendas Januarii incipit, ſed ab ipſis Januarii Kalendis. Complures Sancti qui in Bedæ Martyrologio *Proſaico* apud Henſchenium leguntur, omittuntur in *Metrico*: ut in Januario *Anterus Papa, Salvius in Africa, Hilarius Pictavorum Epiſcopus, Felix Presbyter Nolanus, Marcellus Papa*. In Februario *Scholaſtica &c. Mellitus* in Aprili &c. *Auguſtinus* in Majo &c. Authorem Anglum fuiſſe colligitur ex variis ſanctis Anglicanis: & quidem Monachum Girwenſis Cœnobii fuiſſe conjicitur ex Feſto Dedicationis, quod V Kalendas Majas notatur, tametſi Girwenſis Eccleſiæ Dedicationem VIII Kal. Maji factam doceat *Monaſticon Anglicanum*. Nulli in eo Sancti Martyrologio celebrantur, *Beda* poſteriores: non ſanctus Bonifacius Moguntinus, aut alii quivis illuſtres Sancti: imo nullus ætate inferior *S. Vuilfrido* juniore, memorato in Aprili. Qui Vvilfridus anno DCCXXXII obiit, anno uno poſtquam Beda ſuam abſolvit hiſtoriam. Vnde non mirum ſi Metricum Martyrologium in *Indice Operum ſuorum* Beda non recenſeat, cum tribus duntaxat annis Vvilfrido juniore ſuperſtes fuerit. Ita præfatur Lucas Dacherius ad illud Martyrologium. Qui plura cupit, legat dictum Dacherium in *prolegomenis* ad tomum X *ſpicilegii*. Bollandiſtas in Prolegomenis ad tomum 2 menſis Martii. Joannem Mabillonium in Præfatione ad tomum 2. *ſeculi IV. Benedictini* cap. 6 fol. 85 Num. 170. Et in Elogio ſuo venerabilis Bedæ tom. I. *ſeculi 3. Benedictini* Num. 34. pag. 560.

Libellus de locis ſanctis, mihi videtur eſſe Bedæ, qui ad calcem Operis ſeipſum nominat, quamvis in *Indiculo Operum Bedæ* oblivioni datus ſit, ſed ſcriptus forſitan poſt ipſum indiculum.

Interpretationes Nominum Hebraicorum ſcripturæ, ordine Alphabetico digeſtæ. Inveniuntur Anonymæ in plurimis Bibliothecis Manuſcriptæ, ſed in Victorina Pariſienſi, littera QQ. 22. & QQ. 19. & in aliis, ſub nomine Remigii Autiſſiodorenſis Monachi, qui ſub ſeculi X. initium floruit: ad quem ſpectare Opus iſtud non ambigo, poſt MSS. Codices inſpectos optimæ notæ.

Excerptiones Patrum, Collectanea, Flores ex diverſis, Quæſtiones, & Parabolæ.

De quibus ita Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* anno 710 Obſervatione tertia ad Opera V. Bedæ. „*Sic etiam* inter Collectanea & Flores *quæ habentur tomo tertio, nihil fere* „*eſt, quod ſit Bedæ ingenio dignum. Collectaneum* „de Luminaribus Eccleſiæ *habetur etiam in quarto tomo ſancti Hieronymi quod tamen nec Hieronymi* „*nec Bedæ eſt. Collectaneum* de quatuor generibus „ligni in Cruce Domini, *nihil ſolidi habet*. Oratiuncula *ubi invocantur tres Jacobi*, & altera *ubi in*„*vocantur Angelus Vriel & Rumiel, longe abſunt à gra*„*vitate & ſcientia Bedæ.*

CAPVT QVARTVM.

DE QVARTO TOMO OPERVM VENERABILIS BEDÆ.

HExameron ſive *de ſex dierum creatione libellus.*

Expoſitio in Geneſim.

Explanatio in Exodum, in Leviticum, in Numeros & Deuteronomium.

Allegorica Expoſitio in IV. Libros Regum Libris IV.

Quæſtiones XXX in libros Regum.

In Eſdram & Neemiam prophetas allegorica expoſitio Libris 3.

Allegorica Expoſitio in librum Tobiæ.

Commentarius in librum Iob, Libris 3.

Expoſitio in Parabolas Salomonis, Libris 3.

Expoſitio in Cantica Canticorum Libris 7.

De tabernaculo & vaſis ejus ac veſtibus ſacerdotum, expoſitio Libris 3.

De his omnibus in hoc 4. Operum Bedæ tomo contentis, nullum dubium quin ſpectent ad ipſum, cum ſingulorum ipſe mentionem faciat in *Indiculo* ſuorum operum, quem anno 731 contexuit. De ſolo *Commentario in librum Iob* tribus conſcripto Libris, dubium eſt, an ad Bædam pertineat? Imo dubium non eſt, cum ad ipſum nullo modo pertineat, ſed ad Philippum quemdam Presbyterum D. Hieronymi Diſcipulum, qui hoc Opus obtulit Nectario cuidam. De illo jam antea diximus ad a. 330 verbo *Philippus Presbyter*, ſed hic pluribus juvat hoc Opus à venerabili Beda amoliri. *Primum* enim Gennadius qui a. 494 ſcribebat Opus ſuum *de viris Illuſtribus* illius meminit cap. 62. atque illud Philippo attribuit, ducentis & amplius ante Bedam annis. Vnde nulli dubium eſſe debet quin Opus iſtud Philippi ſit, atque illud vidimus MS. in antiquiſſimo Codice Bibliothecæ Igniacenſis in tractu Remenſi, cum authoritate Gennadii Operi præfixa. *Secundo* ipſe Beda in libello *de Ratione unciarum* hæc ipſa Commentaria ſuo vindicat authori, inquiens: *Plerosque imperitos turbat, quia Philippus in expoſitione Beati Job æſtum maris Oceani deſcribens, adjunxerit hunc æquinoctionalis horæ Dodrantem tardius ſine intermiſſione ſive die venire, ſive nocte.* Habetur autem hic locus à Beda citatus in Explanationibus ſupra Job quas nuper ſub nomine Philippi idem excudit Hervagius, Libro 3. ad Expoſitionem illius ſententiæ: *nunquid ingreſſus profunda maris &c.* Job 38. Hæc Sixtus Senenſis Lib. 4 *Bibliothecæ ſanctæ* fol. 289. Igitur teſte ipſo Beda hic Commentarius ad Philippum, ut ſupra diximus, pertinet. *Tertio* Fauſtus Regienſis in Gallia Epiſcopus in libello *Adverſus eos qui dicunt, eſſe in Creaturis aliquid incorporeum* Num. 7. allegat verba *hujus Commentarii in Job* ſub nomine ſancti Hieronymi, ut probet & animas & Angelos eſſe corporeos. Nempe ad illud Job Capite 25. verſ. 5. *ſtellæ non ſunt mundæ in*

conſpectu ejus: affert hæc ex iſtis Commentariis, *Globos ſyderum, corporatos eſſe ſpiritus arbitrantur.* & iterum: *Si Angeli cæleſtia corpora ad comparationem Dei immunda eſſe dicuntur, quid putas homo æſtimandus eſt?* quæ in his Commentariis inveniuntur. Ergo Commentarii iſti exiſtebant jam tempore Fauſti Regienſis Epiſcopi, circa annum 475 vel 480. atque conſequenter cum ducentis vel circiter annis citentur antequam Beda viveret, nullatenus poſſunt eſſe Opus à venerabili illo Presbytero compoſitum. Quod autem à Fauſto attribuantur D. Hieronymo, hoc nihil ad rem de qua agimus: fuitque facillimum Fauſto, ut Magiſtro adſcriberet quod erat Diſcipuli, atque id forſitan affectatum, ad procurandam ſuæ opinioni ſingulari majorem authoritatem. *Quarto* hoc idem Opus eſt impreſſum ſub nomine Philippi Presbyteri, anni 1527. Baſileæ apud Adamum Petri, & in 4. & in folio ſimul eodem anno, quod rariſſimum eſt: & longe antequam imprimeretur ſub nomine Bedæ Presbyteri, quod contigit tantum in editione Pariſienſi omnium Bedæ operum anno 1554. apud Franciſcum Jametium, qui illa octo tomis collegit. Porro quamvis hoc opus habeatur inter iſta Bedæ opera, longe tamen correctius eſt tam in editione ſpeciali Baſileenſi anni 1527. quam inter Opera omnia *divi Hieronymi*, ubi etiam invenitur. Quod annotaſſe, ad proximam editionem ſufficiat.

CAPVT QVINTVM.

DE TOMIS QVINTO ET SEXTO OPERVM VENERABILIS BEDÆ.

COntinentur tomo quinto Operum Bedæ, ſequentia opuſcula

Expoſitio in Evangelium Matthæi Libris IV. pag. 1.

Expoſitio in Evangelium Marci Libris IV. p. 92.

Expoſitio in Evangelium Lucæ Libris VI. p. 217.

Expoſitio in Evangelium Joannis p. 451.

Expoſitio in Acta Apoſtolorum p. 625.

De Nominibus Locorum vel Civitatum, quæ in libro Actuum Apoſtolorum leguntur. p. 666.

Expoſitio in ſeptem Epiſtolas Canonicas p. 673.

Explanatio in Apocalypſim B. Joannis Apoſtoli. p. 761.

Quantum autem ad *Expoſitiones in Evangelium Marci, in Evangelium Lucæ, in Acta Apoſtolorum, in ſeptem Epiſtolas Canonicas & in Apocalypſim Joannis Apoſtoli:* certum eſt ſpectare omnes ad Bedam, cum illarum ipſe mentionem faciat, in *Indiculo* ſuorum Operum, quem anno 731. contexuit. De tribus tantum quæſtio eſt, *de Expoſitione in Evangelium Matthæi, in Evangelium Joannis & de Nominibus Locorum vel Civitatum quæ in libro Actuum Apoſtolorum leguntur:* de quibus à me ſigillatim paucis agendum eſt.

Expoſitionem in Evangelium Matthæi fol. 1. plerique ut ſpuriam rejiciunt, licet hujus proſcriptionis rationem nullam ipſi afferant, contenti ſolo hujus Expoſitionis ſilentio, cum in *Indiculo* Bedæ non inveniatur. Ita cenſet Joannes Mabillon in *Elogio venerabilis Bedæ* ſeculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* tomo I. parag. 10. n. 30. *In Dubiorum Claſſem*, inquit, *rejicienda ſunt, Expoſitiones in Matthæi Evangelium, Commentarius in Pſalmos, Vita Sanctorum*, exceptis &c.“ Idemque Natalis Alexander qui Mabillonium hic in compendium redegit, in *ſelectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus* ſeculo 8. cap. 3. art. 2. pag. 255. Mihi legere Opus non licuit, unde an aliquæ ſuppoſitionis rationes ſint, neſcire me fateor. Hoc facient, qui Bedæ operibus terſe evulgandis, operam impendere voluerint.

Commentaria in Evangelium Joannis, Bedam habere authorem videntur, unde poſt annum DCCXXXI ab eo edita eſſe creduntur. Hæc velut quoddam Auguſtinianæ Expoſitionis compendium eſſe videntur, inſertis hinc inde ſententiis aliorum Patrum, ut Cap. 4. agens de *Regulo*, verba ſancti Gregorii Magni adducit. Certe Jonas Aurelianenſis Epiſcopus, Ludovici Pii æqualis in libro 1. *de Inſtitutione Laicali* Cap. 13. citat plures verſus ex Beda *in homilia Evangelii vigeſima*, qui in prædictis Commentariis leguntur capite 2. unde legendum eſſe ſuſpicamur apud Jonam, *in Homilia Evangelii ſecunda*. Et quidem Alchuinus in præfatione Commentarii ſui in Johannis Evangelium, *ex Homiliis Beati Bedæ Presbyteri*, multa ſe adſumpſiſſe fatetur. Nullum itaque mihi videtur dubium, quin Expoſitio iſta ad Bedam pertineat, ut habet idem Mabillon loco citato. Hic inſuper Beda morbo ſupremo decumbens, patria lingua reddidit Joannis Evangelium, teſtante Cuthberto ejus Diſcipulo *in Epiſtola* quam de ipſius obitu exaravit.

De Nominibus Locorum & Civitatum quæ in libro Actuum Apoſtolorum leguntur: ſpectat ad eundem authorem ex fide MSS. Codicum quos vidi, ad quem ſpectant *Interpretationes nominum Hebraicorum ſacræ Scripturæ ordine Alphabetico digeſtæ*, de quibus diximus ad excuſſionem *tomi tertii* Operum Bedæ, nempe ad Remigium Autiſſiodorenſem Monachum, ut ibi diximus.

Tomo Sexto Operum venerabilis Bedæ

Continentur tantum proprie Opera tria, *Retractationes in Acta Apoſtolorum* pag. 1. cum paucis quæſtionibus. *Expoſitio in Epiſtolas Quatuordecim S. Pauli Apoſtoli* pag. 31. & *Sermones S. Joannis Chryſoſtomi de Laudibus Sancti Pauli* pag. 824. Certum autem eſt ſermones iſtos *de laudibus Sancti Pauli* ſpectare ad ſanctum Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum. Certum quoq; eſt *Retractationes in Acta Apoſtolorum* ſpectare ad Bedam: ſed quæſtio eſt de immenſis illis *Commentariis* in *Quatuordecim S. Pauli Epiſtolas*

Digitized by Google

tur ex verbis Sancti Auguſtini, ſpectentne ad Bedam vel ad Florum quendam Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconum? Ad quæſtionem hanc definiendam, utar ipſis verbis Joannis Mabillon qui tom. 1. Analectorum pag. 12. habet ſingularem Disquiſitionem *de venerabilis Bedæ & Flori Lugdunenſis Diaconi Commentariis* in Epiſtolas Pauli ex dictis S. Auguſtini.

„Tres invenio, inquit, antiquos Authores, qui „Commentarios in Epiſtolas Pauli Apoſtoli ex „meris Sancti Auguſtini Centonibus contexue„runt. *Primus eſt Petrus Abbas Tripolitanæ Pro„vinciæ, qui Sancti Pauli Epiſtolas ex Capitulis Opuſ„culorum Beati Auguſtini ſubnotaſſe narratur, ut per „os alienum ſui cordis declaret arcanum:* inquit „Caſſiodorus in libro *de divinis Lectionibus* Cap. 8. „Alter eſt venerab. Beda, cujus hæc verba ſunt „in fine Epitomes Hiſtoriæ: *In Apoſtolo quæcunq; in „opuſculis S. Auguſtini inveni dicta, per ordinem tranſ„cribere curavi.* Tertius eſt Florus Diaconus, „ſeu (ut Wandalberto Monacho Prumienſi e„jus æquali viſum eſt) Subdiaconus Eccleſiæ „Lugdunenſis, vir ſuo tempore, doctrina & eru„ditione clarus. Ex his tribus Commentariis „unicum habemus inter Opera venerabilis Be„dæ, ipſiusque nomine prænotatum: ſed an ve„re Bedæ tribui debeat, jam dudum magna lis eſt „inter ſtudioſos. Id teſtatur Robertus de Torinneio Abbas in Monte ſancti Michaelis, in „prologo quem præfixit *Abbreviationi Expoſitio„nis* Epiſtolarum Apoſtoli ſecundum Auguſti„num. Hoc in prologo apud Lucam Dache„rium in *Appendice ad Guibertum* edito, cenſet „Robertus prolixum illum Commentarium „(quem ipſum eſſe qui inter Opera Bedæ modo „extat, non dubito) potius tribuendum eſſe Pe„tro Abbati Tripolitano, quam Bedæ, cui alium „tribuit breviorem, ex libris itidem S. Auguſtini „excerptum: *qui liber totus*, inquit, *non adæquatur „magnitudini meditati ſolius Expoſitionis Epiſtolæ ad „Romanos*, quæ in alio prolixo Commentario ha„betur.

„Magno poſt Robertum Abbatem intervallo „Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius ad annum „Chriſti DLXII exiſtimat Commentaria illa ty„pis edita non eſſe Bedæ, ſed Petri Abbatis, qua „in re cum Roberto conſentit. Sed in hoc re„cedit ab eodem, quod neget ullam ejusmodi „Commentationem a Beda in Paulum condi„tam eſſe, aitque verba illa Bedæ quæ ſuperius „retuli, in ipſius Epitomen ex aliorum additamento irrepſiſſe. Diſſentit à Baronio Bellar„minus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad an„num 720 obſervatione ſecunda ad Bedæ opera, „aitque nihil impedire, quo minus duo authores, „Petrus Abbas & Beda Presbyter, diverſis tem„poribus & locis in Paulo ex Auguſtini ſcriptis „explicando deſudaverint. Imo certe nihil „impedit, quominus his duobus tertium adjun„gamus, Florum Lugdunenſem Diaconum, ut „poſtea demonſtrabo. Hæc cum ita ſint, ma„nent tamen diſtracta Eruditorum ſuffragia circa evulgatum Commentarium, quem Beda „alii tribuendum cenſent, alii detrahunt. Et „mihi quidem aliquando, cum ipſius Bedæ Elo„gium texerem in *ſeculo Tertio Benedictino*, viſus „fuit Bedæ germanus fœtus: ſed poſtea depre„henſo in MSS. Bibliothecis germano Bedæ „Commentario, a ſententia diſcedere coactus „ſum.“

Commentarium aliquem in Paulum ex dictis S. Auguſtini a Beda conſarcinatum fuiſſe, „conſtans debet eſſe omnium perſuaſio, tum „quia id diſerte Beda teſtatur in *Epitome ſua*, „probantibus libris tam editis quam MSS. Tum „quia Hincmarus Remorum Archiepiſcopus, ac „Lupus Ferrarienſis Abbas, hoc Bedæ Com„mentarium laudant. Hincmarus quidem in „poſteriori opere *de prædeſtinatione* adverſus „Gotteſcalcum cap. 1. *Si quis tamen*, inquit, *eos„dem libros non habet, videat in Collectione venembi„lis Bedæ Presbyteri de opuſculis Sancti Auguſtini ſu„per Apoſtolum. Et ibi diſcere poterit quod antea „ignoravit.* Lupus vero in Epiſtola 76 ad eun„dem Hincmarum: *Collectaneum Bedæ in Apo„ſtolum ex operibus Auguſtini veritus ſum dirigere, „propterea quod tantus eſt liber, ut nec ſinu celari, nec „pera poſſet facile commode contineri.* Itaque ne„mo jam in dubium revocare poteſt, an Beda „Collectaneum ediderit in Apoſtolum: nec Ba„ronius dubitaſſet, ſi ad ea quæ mox protuli ar„gumenta, animum intendiſſet. At videndum „porro eſt, qualis ſit iſte Bedæ Commenta„rius.“

Duos inveni Codices membraneos ejusmo„di Collectaneum ſub Bedæ nomine continen„tes, unum annorum fere octingentorum, alte„rum ſeptingentorum. Primus Codex hunc „præfert titulum: COLLECTANEVM BE„DÆ IN APOSTOLVM EX OPERIBVS „BEATI AVGVSTINI. Tum Commentari„us in hæc verba, *Paulus ſervus Jeſu Chriſti vocatus „Apoſtolus &c.* incipit in hunc modum: *Ex libro „contra quinque hæreſes. Ordo iſte ſequendus eſt, ut „loquens de Evangelio, non fileam de prophetis.* „Hic Codex deſinit in Epiſtola ad Theſſaloni„cenſes, aliis foliis avulſis. Alter Codex ita in„ſcribitur: INCIPIT LIBER COLLECTIO„NVM VENERABILIS BEDÆ PRESBY„TERI, EX SCRIPTIS BEATI AVGVSTINI „EPISCOPI, IN EPISTOLAS BEATI PAV„LI APOSTOLI ELABORATVS. Idem „habet Exordium ac primus, ſic vero deſinit: „*Explicit Collectio Bedæ Presbyteri ex Opuſculis Beati „Auguſtini in Epiſtolas Beati Pauli Apoſtoli.* Ge„nuini hujus Bedæ Commentarii necdum typis „editi copiam habemus, quem Deo dante ali„quando cum aliis ejusmodi monumentis in lu„cem proferemus.“ Hæc Joannes Mabillon loco citato, ubi & plura habet quibus probat *Commentarium in Epiſtolas Divi Pauli ex verbis S. Auguſtini*, inter Opera Bedæ impreſſum, ſpectare indubie ad Florum Lugdunenſem Diaconum.

Quod nos etiam poſtea præſtabimus, ſeculo IX. in *Floro Diacono.*

CAPVT SEXTVM.

DE TOMO SEPTIMO OPERVM VENERABILIS BEDÆ.

IN quo extant *Homiliæ Æſtivales de Tempore XXXIII.* pag. 1.

Homiliæ Æſtivales de Sanctis XXXII. p. 91.

Homiliæ Hiemales de Tempore XV. p. 183.

Homiliæ Quadrageſimales XXII. p. 218.

Homiliæ Hiemales de Sanctis XVI. p. 290.

Sermones ad Populum varii XXII. p. 339.

Itaque juxta impreſſiones excreverunt Homiliæ ſeu Sermones venerabilis Bedæ usque ad *centum quadraginta*, qui tamen in antiquis MSS. Codd. ſunt tantum *quadraginta novem.* Hinc mirari ſubit, quanta fuerit Modernorum ab annis circiter ducentis impudentia, qui absque fundamento & ratione, ut ſuis omnia darent vel conjecturis, vel affectibus, vel phantaſiis: ſcripta veterum Patrum innumeris extraneis non amplificarunt ſed corruperunt, magno Eccleſiæ probro. Hinc patet quam neceſſarium ſit atque utile Reipublicæ Chriſtianæ, recurrere ad MSS. Codices in potiſſimis Europæ bibliothecis jam multo numero, hoc ſeculo collectos, ut collatis ad ipſos editionibus, ſpuria à genuinis, falſa à veris, certa ab incertis ſecernantur. Inſigne hujuſce rei exemplum præbent, rari ſatis Codd. MSS. ſermonum venerabilis Bedæ Presbyteri, qui nunc in bibliotheca Colbertina num. 102. & 1062. olim in thuanea habebantur num. 144. & 38. In primo num. 144. ante annos octingentos exarato homiliæ XXXIX. continua ſerie exhibentur: in alio num. 38. qui annos ſexcentos præfert, diſtinguuntur in duos libros præmiſſis ad utrumque capitulationibus. Utrumque apographum contulit ac repræſentavit Joannes Mabillon in *Elogio Bedæ* parag. 31. nosque poſt ipſum tanquam inſtituto noſtro conveniens, magnumque modernæ audaciæ argumentum in interpolandis veterum Eccleſiæ Doctorum Scriptis. Sic procedit Codex poſterior.

INCIPIT CAPITVLATIO LIBRI I. DE HOMELIIS BEDÆ PRESBYTERI,

Numero viginti quinque.

1. HOMELIA Lectionis ſancti Evangelii ſecundum Lucam, *Miſſus eſt Gabriel Angelus.* In primo Cod. *Homelia Domni Bedæ.* In utroque ſic incipit poſt Evangelii verba: *Exordium noſtræ Redemptionis hodierna ſancti Evangelii Lectio commendat &c.* ut in editis ad diem Annuntiationis B. Mariæ.

2. Homelia Lectionis S. Evang. ſec. Lucam, *Exſurgens Maria* &c. Incipit in utroque, *Lectio quam audiſtis ſancti Evangelii.* Quæ edita eſt inter æſtivales *de ſanctis.*

3. Homelia Lectionis S. Evang. ſec. Marcum, *fuit Johannes in deſerto.* In priori Codice, *Homilia Domni Bedæ DE ADVENTV DOMINI.* Incipit in utroque, *Adventum Dominicæ prædicationis Johannes prævenions &c.*

4. Homelia Lect. Sancti Evangelii ſec. Johannem, *Johannes teſtimonium perhibet.* Incipit, *Redemptionis noſtri præcurſor teſtimonium de ipſo perhibens &c.* Deeſt in priori Codice.

5. Homelia Evangelii ſec. Matth. *Cum eſſet deſponſata.* In priori Cod. *Homelia Domni Bedæ IN VIGILIA DOMINI.* Incipit in utroque, *Nativitatem Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui æternus ante ſecula &c.*

6. Homelia S. Evangelii ſec. Lucam, *Paſtores loquebantur.* Incipit, *nato in Bethleem Domino &c.* ut in editis. Deeſt in primo Cod. Citatur tamen à Jona Aurelianenſi Epiſcopo Lib. 2. *de Inſtitutione Laicali* Cap. 16.

7. Homelia S. Evangelii ſec. Johannem, *In principio erat verbum.* In priori Cod. *Homelia Domni Bedæ IN NATALI DOMINI.* Incipit in utroque, *Quia temporalem Mediatoris Dei & hominum &c.* ut in editis.

8. Homelia S. Evang. ſec. Johannem, *Dixit Jeſus Petro, ſequere me:* dicenda *IN NATALI S. JOHANNIS EVANGELISTÆ.* Incipit in utroque, *Lectio ſancti Evangelii quæ nobis modo lecta eſt.*

9. Homelia Evang. ſec. Matth. *Angelus Domini apparuit, IN NATALI INNOCENTIVM.* Incipit in utroque, *De Morte pretioſa Martyrum Chriſti Innocentium &c.* ut in editis.

10. Homelia Evangelii ſec. Lucam, *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, IN OCTABAS DOMINI.* Incipit in utroque, *Sanctam venerandamque præſentis Feſti memoriam &c.* ut in editis.

Homelia Evangelii ſec. Matth. *Angelus Domini apparuit, dicenda IN VIGILIA EPIPHANIÆ.* Nulla homilia in utroque apographo.

11. Hom. Evang. ſec. Matth. *Venit Jeſus à Galilæa in Jordanem.* In priori Cod. *Homelia Domni Bedæ DIE SANCTO THEOPHANIÆ.* Incipit in utroque, *Lectio S. Evangelii quam modo fratres audivimus &c.* ut in editis, pro die octava.

12. Hom. Evang. ſec. Lucam, *Ibant parentes Jeſu per omnes annos.* In primo Cod. *Homelia Domni Bedæ DOMINICA PRIMA poſt Theophaniam.* Incipit in utroque, *Aperta nobis eſt fratres Cariſſimi ſancti Evangelii Lectio &c.* ut in editis.

13. Hom. Evang. ſec. Johannem, *Nuptiæ factæ ſunt.* In primo Cod. *Homelia Domni Bedæ DOMINICA SECVNDA poſt Theophania.* Incipit in utroque, *Quod Dominus ac Salvator noſter ad nuptias vocatus &c.* ut in editis.

14. Hom. Evang. ſec. Johan. *Vidit Johannis Jeſum venientem ad ſe, Homilia Domni Bedæ DOMINICA II. poſt Theophania.* Incipit in utroque,

y Google

que, *Johannes Baptiſta & præcurſor Domini:* ſed in Capitulatione poſterioris non extat.

15. Homelia Evang. ſec. Lucam, *Poſtquam impleti ſunt:* dicenda *IN PVRIFICATIONE S. MARIÆ.* Incipit in utroque Codice, *ſolemnitatem nobis hodiernæ Celebritatis &c.* ut in editis.

16. Hom. Evang. ſec. Johan. *Erat dies Feſtus Judæorum.* Deeſt in primo Codice, incipit: *Duo pariter Miracula humanæ ſanationis hodierna nobis S. Evangelii Lectio tradit.*

17. Hom. Evang. ſec. Johan. *Voluit Jeſus exire in Galilæam.* In primo Cod. *Domni Bedæ POST THEOPHANIA.* Deeſt in poſteriori Codice, incipit: *Audivimus ex Lectione Evangelii, fratres Cariſſimi, benignam Redemptoris noſtri gratiam.*

18. Hom. Evangelii ſec. Matth. *Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui.* In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ DOMINICA II. in Quadrageſima.* Incipit in utroque, *Quia Dominus ac Redemptor noſter Electos ſuos &c.*

19. Hom. Evang. ſec. Matth. *Egreſſus Jeſus ſecеſſit in partes Tyri &c.* Hæc deeſt in primo Codice, incipit: *In Lectione ſancti Evangelii quæ nobis modo lecta eſt &c.* Extat in editis ad Dominicam 2. Quadrageſimæ.

20. Hom. Evang. ſec. Johan. *Perrexit Jeſus in Montem Oliveti.* In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ DOMINICA III. Quadrageſimæ ſabb.* Incipit in utroque, *Præſentis S. Evangelii Lectionem tanto intentius conſidenare &c.*

21. Hom. Evang. ſec. Johan. *Abiit Jeſus trans mare Galilææ.* In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ IN QVADRAGESIMA.* Incipit in utroque, *Qui ſigna & miracula Domini ac Salvatoris noſtri recte cum legunt &c.* ut in editis ad Dominicam 4. Quadrageſimæ.

22. Hom. Evang. ſec. Johan. *Deſcendit Jeſus Capharnaum.* In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ FERIA II. in Quadrageſima.* Incipit in utroque, *Solet movere quosdam, quod in exordio hujus Lectionis &c.*

23. Hom. Evang. ſec. Matth. *Cum adpropinquaſſet Jeſus Hieroſolymis.* In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ IN PALMIS.* Incipit in utroque, *Mediator Dei & Hominum homo Chriſtus Jeſus qui pro humani generis &c.* ut in editis.

24. Hom. Evang. ſec. Johan. *Proximum erat Paſcha Judæorum.* Non extat in primo Codice. Incipit, *Moris eſſe prudentium ſolet &c.* ut in editis.

25. Hom. Evang. ſec. Johan. *Ante diem Feſtum Paſchæ.* In primo Codice, *Homilia Domni Bedæ IN COENA DOMINI.* Incipit in utroque, *Scripturus Evangeliſta Johannes memorabile illud Domini Myſterium &c.* ut in editis.

In poſteriori Codice poſt librum primum Homiliarum legitur, *explicit Homeliarum Liber primus, numero XXV.* & tamen in ipſo Codice exſtant Homiliæ duntaxat XXIII, aliis ex priori Codice ſuppletis. Pergit Codex poſterior,

Incipit Capitulatio Lectionum S. Evangelii numero XXIV, in Libro 2. ejuſdem auctoris.

1. Homelia S. Evangelii ſec. Matth. *Veſpere autem Sabbati.* In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ IN VIGILIA PASCHÆ.* Incipit in utroque, *Vigilias nobis hujus ſacratiſſimæ noctis &c.* ut in editis.

Hæc homilia legebatur in *Vigilia*, hoc eſt in matutino officio *Paſchæ:* & tamen in primo Codice inſeritur hoc loco, Homilia ſancti Gregorii in die ſancto Paſchæ legi ſolita. Idem obſerva de *Vigilia Pentecoſtes*, infra.

2. Hom. Evang. ſec. Lucam, *ſtetit Jeſus in medio Diſcipulorum ſuorum.* In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ FERIA III. in Paſcha.* Incipit in utroque, *Gloriam ſuæ reſurrectionis Dominus & Redemptor noſter &c.* ut in editis.

3. Hom. Evang. ſec. Matth. *Vndecim Diſcipuli.* In primo Manuſcripto, *Homelia Domni Bedæ FERIA VI. in paſcha.* Incipit in utroque: *Evangelica Lectio fratres Cariſſimi, quam modo audivimus &c.* ut in editis.

4. Hom. Evang. ſec. Lucam, *una Sabbati valde diluculo.* Deeſt in primo Codice, & in editis. Incipit, *Aperta nobis eſt fratres, de Reſurrectione Domini & Redemptoris noſtri Lectio recitata.*

5. Hom. Evang. ſec. Johan. *Modicum etiam non videbitis me.* In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ IN DOMINICA II. poſt Octabas Paſchæ.* Incipit in utroque: *Læta Domini & Salvatoris noſtri promiſſa &c.* ut in editis.

6. Hom. Evang. ſec. Johan. *Vado ad eum qui miſit me.* In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ TERTIA DOMINICA poſt ſanctum Paſcha.* Incipit in utroque: *ſicut ex Lectione Evangelica fratres Cariſſimi audivimus &c.* ut in editis.

7. Hom. Evang. ſec. Johan. *Si quid petieritis Patrem &c.* Deeſt in primo Codice, incipit: *Poteſt movere infirmos auditores &c.* ut in editis.

8. Hom. Evang. ſec. Lucam, *Petite & dabitur vobis.* In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ in Letania majore.* Incipit in utroque: *Dominus & Salvator noſter ad Cæleſtis Regni gaudia &c.* Non extat in editis.

9. Hom. Evang. ſec. Lucam, *Hæc ſunt verba quæ locutus ſum:* dicenda in *ASCENSV Domini.* In utroque MS. Codice incipit. *Aſcenſurus in Cælum Dominus &c.* alia autem in editis.

10. Hom. Evang. ſec. Johan. *Cum venerit Paraclitus, dicenda DOMINICA poſt Aſcenſa Domini.* In utroque & in editis incipit, *Ex multis ſancti Evangelii locis invenimus &c.* Hæc Homilia citatur ab Amalhario Lib. 1. de Officiis Cap. 37. Itemque lib. 2. Cap. 1.

11. Homil. Evang. ſec. Johan. *Si diligitis me IN VIGILIA PENTECOSTES.* In utroque Manuſcripto & in editis incipit, *Quia Spiritus Sancti hodie fratres Cariſſimi celebramus adventum &c.*

12. Hom. Evang. ſec. Johan. *Erat homo ex*

Digitized by Google

Phariſæi. In primo Codice, *Homelia Domni Bedæ in Octabas Pentecoſtes.* Incipit in utroque: *Sicut ex Lectione ſancti Evangelii fratres Cariſſimi audiſtis &c.* Extat in editis ad diem Inventionis S. Crucis, & citatur in Epiſtola quam Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus ſcripſit nomine Concilii Tuſiacenſis ad Rodulfum Bituricenſem, & Frotarium Burdigalenſem Antiſtites.

13. Hom. Evang. ſec. Lucam, *Fuit in diebus Herodis*, *DICENDA IN VIGILIA S. JOHANNIS.* In utroque MS. & in editis incipit, *Venturus in Carne Dominus & Redemptor noſter &c.*

14. Hom. Evang. ſec. Lucam. *Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi*, dicenda in *NATIVITATE S. JOHANNIS BAPTISTÆ.* In utroque Codice & in editis incipit, *Præcurſoris Domini Nativitas &c.*

15. Hom. Evang. ſec. Johan. *Dixit Jeſus Simoni Petro*, dicenda *IN VIGILIA Apoſtolorum Petri & Pauli.* Incipit in utroque MS. Codice & in editis, *virtutem nobis perfectæ dilectionis &c.*

16. Hom. Evang. ſec. Matth. *Venit Jeſus in partes Cæſareæ*, dicenda in *NATALE Apoſtolorum Petri & Pauli.* Incipit in utroque MS. Codice & in editis: *Lectio S. Evangelii quam modo fratres audiſtis, tanto intenſius cogitanda &c.*

17. Hom. Evang. ſec. Matth. *Dixit Simon Petrus ad Jeſum, Ecce nos reliquimus omnia:* dicenda in *Natali S. BENEDICTI*, Biſcopi ſcilicet. Abeſt in primo Codice, adeſt in poſteriori & in editis, incipiens: *Audiens a Domino Petrus &c.*

18. Hom. Evang. ſec. Matth. *Acceſſit ad Jeſum mater filiorum Zebedæi*, *IN NATALE S. JACOBI APOSTOLI.* Addit primus Codex, *Jacobi fratris Domini.* Incipit in utroque, ut in editis: *Dominus Conditor & Redemptor noſter vulnera ſuperbiæ noſtræ &c.*

19. Hom. Evang. ſec. Matth. *Exiens Jeſus de finibus Tyri.* Abeſt in primo Codice, incipit: *Surdus ille & mutus quem mirabiliter curatum a Domino &c.* ut in editis.

20. Hom. Evang. ſec. Matth. *Audivit Herodes Tetrarcha*, dicenda in *DECOLLATIONE S. JOHANNIS BAPTISTÆ.* Abeſt in primo Codice, incipit: *Natalem fratres Cariſſimi Beati Johannis diem celebrantes &c.* ut in editis.

21. Hom. Evang. ſec. Johan. *Facta ſunt Encenia*, dicenda in *DEDICATIONE ECCLESIÆ.* Incipit in utroque, *Audivimus ex Lectione Evangelica fratres Cariſſimi, quia facta ſunt Encenia &c.* ut in editis. In poſteriori Codice hæc homilia ſequenti poſtponitur, præponitur in priori.

22. Hom. Evang. ſec. Matth. *Vidit Jeſus hominem in telonio*, dicenda in *NATALE S. MATTHÆI APOSTOLI.* Incipit in utroque: *Legimus Apoſtolo dicente, quia omnes peccaverunt &c.* ut in editis.

23. Hom. Evang. ſec. Johan. *Stabat Johannes & ex diſcipulis ejus duo*, dicenda in *NATALE S. ANDREÆ APOSTOLI.* Incipit in utroque Codice: *Tanta ac talis eſt Scriptura divina ſublimitas &c.* ut in editis, pro vigilia feſti.

24. Hom. Evang. ſec. Johan. *Voluit Jeſus exire in Galilæam.* Deeſt in primo Codice utpote lacero, adeſt in altero & incipit: *Audivimus ex Lectione Evangelica fratres Cariſſimi, benignam Redemptoris noſtri gratiam.* Deeſt in editis.

Sic vero definit ex poſteriori: *Explicit Homeliarum liber ſecundus Bedæ Presbyteri, Numero XXIV.*

Ex his intelligimus Homilias omnes *in Feriis omnibus Dominicarum Quadrageſimæ & in Dominicos Dies poſt Trinitatem*, itemque in Feſta *S. Stephani Proto Martyris, S. Scholaſticæ, S. Mariæ Magdalenæ, transfigurationis Domini, Aſſumptionis B. Mariæ, S. Bartholomæi, Nativitatis & Conceptionis B. Virginis, S. Michaelis, S. Lucæ Evangeliſtæ, Præſentationis B. Mariæ*, & alias *de Communi Martyrum &c.* aut ſubditicias eſſe aut dubias, aut certe ex ſinceris Bedæ Commentariis in Marcum & Lucam expreſſas. Nullus ſane dubito, quin temporibus Bedæ, eo modo recitaretur Evangelium in Eccleſiis, quo in MSS. iſtis Codicibus habetur. Nondum his temporibus erant conductitii Evangelii præcones, qui Chriſtum propter Lazarum in ſingulis Quadrageſimæ Feriis populo potioribus in civitatibus adnuntiarent, quod ſec. XIII. tantum, ex occaſione Mendicantium ordinum, natum eſt. Vnde quo minus obvium erat Evangelium, eo ab auditoribus avidius excipiebatur, ab enuntiantibus majori gravitatis pondere verborumque ſuavitate expoſitum. Qui porro has Bedæ homilias ſuis interpolationibus ita deturparunt, ut ex homiliis 49. Centum quadraginta compoſuerint: illas ita immutatas diſpoſuerunt juxta rationem hodiernam Evangeliorum diſtributorum, quæ vix quadringentos ætatis annos habet: parum ſolliciti, an non inde poſtmodum a Critiis ſuperventuris, ignorantiæ ac ſupinitatis in facto ſuo, argui poſſent.

Solas hic tantiſper delibemus *homilias ad populum variæ num. XXII.* quarum plurimæ indignæ ſunt omnino, viro gravi, qualem fuiſſe venerabilem Bedam novimus. Homiliæ duæ *de ſancto Vuigberto* non poſſunt eſſe venerabilis Bedæ, qui annis duodecim extinctus eſt ante Vuigbertum Abbatem, mortuum anno 747 die 13 Menſis Auguſti. Item homilia *de ſancta Scholaſtica* S. Abbati Caſſinenſi Berthario tribuitur in MS. Cod. Caſſinenſi, quæ ſpectare videtur potius ad Paulum Langobardum Caſſinenſem Diaconum. Sermones *de S. Bartholomæo Apoſtolo, Joanne Evangeliſta, de inventione ſanctæ Crucis, de vinculis S. Petri*, ita abſurdi & fabuloſi ſunt, ut riſum moveant. *Sermo in Feſto omnium Sanctorum* legi ſolitus, adſcribitur Rhabano Mauro in apographis nonnullis, neſcio an bene. Illud movet, quod Feſtum omnium Sanctorum inſtitutum eſt a Gregorio Papa III ut probant veterrima Vſuardi Exemplaria, & Hugo Menardus in Librum ſacramentorum S. Gregorii pag. 184.

qui

qui anno 731. ſedere cœpit. At ſermo iſte cum Bedæ ſtylum habeat, potuit a Beda conſcribi ſub initium inſtitutæ hujus feſtivitatis.

Scintilla ſive *Loci Communes ex Patribus* pag. 370 attributæ ſunt Bedæ ex conjectura tantum, quod ipſe ſoleret ex aliis excerpere. Nam in MSS. omnibus, ubi frequentiſſimæ in antiquis Galliarum Bibliothecis ſunt, Anonymæ ſemper inveniuntur. Conſtant ſcintillæ iſtæ *ſermonibus LXXX.* De variis argumentis virtutum ac vitiorum. Humpfredus Wanleius Anglus edidit anno 1706. in folio Oxoniæ e theatro Sheldoniano *Antiquæ Litteraturæ Septentrionalis* Librum ubi pag. 180. aſt extare MS. in Bibliotheca D. Jacobi Weſtmonaſterii, inter alios *Librum Scintillarum ſeu ſententiarum*, quas tum ex Scriptura ſacra, tum ex Patrum ſcriptis Beda collegerit verſioneque interlineari Saxonica explicuerit. Extat inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum ejusdem Regni Celebrium Bibliothecarum Codice 6622. in MSS. Codicibus Caroli Theyeri Cod. 252. Et Codicibus MSS. 8135. & 8250. in MSS. Jacobææ Bibliothecæ Codicibus 413 & 528 *Liber ſcintillarum cum Saxonica verſione interlineari.*

De Muliere forti Libellus pag. 459. venerabili Beda indignus non eſt. Ludit enim aptiſſimis allegoriis, quæ ab illius ingenio non alienæ ſunt, quamvis nihil habeam quo illi poſitive attribuam.

Libellus de Officiis pag. 467. ex dictis quorundam Patrum excerptus, non poteſt ſpectare ad Bedam. Nam ubi de 70. LX, L. & quadrageſima loquitur, allegat quædam quæ deſumpta ſunt ex Anaſtaſio qui ſcripſit vitas Romanorum Pontificum, in *vita Melchiadis Papæ.* At nullus neſcit, quam longe ante Anaſtatium, ipſe Beda mortuus ſit. Vnde gloſſemate prolixiori Opus non eſt, ad Opuſculum illud a Beda auferendum.

Fragmenta Allegoricarum interpretationum in Proverbia Salomonis, reperta in Codice antiquo, & pag. 476. poſita, ſunt incertæ fidei atque authoris.

CAPVT SEPTIMVM.

DE

TOMO OCTAVO ET VLTIMO OPERVM VENERABILIS BEDÆ.

Libellus de templo Salomonis pag. 1. non indignus eſt meo ſenſu qui Bedæ tribuatur, habet enim gravitatem atque dictionem utcunque latinam, a ſtylo Bedæ non abhorrentem. Addo hunc authorem ſub finem capitis 24. ultimis fere verbis, allegare libros *de tabernaculo & habitu ſacerdotali* a ſe ſcriptos. *Diximus plenius de Menſa, & Candelabro & utroque Altari ac Baſi Domus Domini, in libris quos de factura tabernaculi & habitu ſacerdotali ſcripſimus.* Atqui hæc conveniunt Bedæ qui in *Indiculo* Operum ſuorum anno 731 a ſe compoſito, ait a ſe ſcriptos *de tabernaculo & vaſis ejus, ac veſtibus ſacerdotum libros tres.* Denique hoc opus ſcriptum ex anterioribus Patribus ut in præfatione teſtatur, quod Bedæ frequens ac pene perpetuum eſt.

Libelli autem *de creatione ſex dierum* pag. 52. *Quæſtiones ſuper Geneſim* pag. 78. *Super Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Joſue, Judices, Ruth, Libros quatuor Regum*, cum *libro variarum quæſtionum*, ſunt unius atque ejusdem authoris, nec Bedam referunt. Spectant potius ad authorem Beda poſteriorem, cum hic author ſuis *Quæſtionibus in Geneſim*, ſemel atque iterum allegat *Alphabeticam Interpretationem Nominum hebraicorum*, quam MSS. Codices attribuunt Remigio Antiſſiodorenſi Monacho, circa annum 900 doctrina celebrem. Vnde hæc Opuſcula omnia ſunt authoris unius, qui ſeculum Eccleſiæ decimum non præceſſit.

Commentarius in pſalmorum Librum pag. 307. nihil habet quo Bedæ affirmetur, unde ſpurius cenſeri debet.

Sermo in Pſalmum LII. ad hæc verba, *Dominus de cœlo proſpexit &c.* pag. 902. eſt unius ejusdemque Authoris ad quem tomo 2 Operum Bedæ ſpectat tractatus *de ſubſtantiis* inſcriptus. Nam uti primus, ita & hic poſtremus, eſt ad Clericos, facitque verbotenus easdem querimonias contra eos qui ſuo tempore diſtrahebant ſubſtantias & Monaſteria Monachorum victui & veſtitui neceſſaria, magno totius Eccleſiæ damno. Audiamus illum pag. 909. Hæc precor ô Rectores attendite & reminiſcentes quod ſcriptum eſt, *Judicium duriſſimum his qui præſunt fiet:* exhortamini invicem pro inſtauratione cœnobiorum deſtructorum, primo quidem ut prædia exinde ablata cœnobitis reddantur, deinde ut hi qui timent Dominum & qui ambulant in viis ejus, cæteris præponantur. Nam in hoc quam maxime offenſus eſt Deus, quod ea loca quæ ſibi ſuisque ſanctis mancipata atque conſecrata erant, deſtructa ſunt ex Rectorum incuria. Si enim Deo famulantes in Monaſteriis, neceſſaria quæque haberent: poſſent utique alacrius obſequium divinum agere, poſſent devotius pro Regis, pro Præſulum ac Principum ſuorum ſalute, nec non pro totius Eccleſiæ ſtatu intercedere: poſſent etiam ſi qui profeſſionis ſuæ regulâ excederent, a Paſtoribus ſuis licentius corripi. Sed hæc omnia proh dolor in tanta negligentia a plurimis Epiſcopis habentur &c." Hoc autem idem argumentum urget longe amplius, quam in libro *de ſubſtantiis.* Præterea idem paulo ante refert teſtimonium petitum ex *Vita Gregorii Magni* a Joanne Diacono, ſcripta poſt annos centum & quinquaginta, a morte ſancti Bedæ. Denique in libro *de ſubſtantiis* indicat ſe ſcribere, poſt annum Chriſti Incarnati milleſimum, ut ibi jam adnotavimus. Haudquaquam igitur hoc opuſculum Bedæ convenit.

Commentarius in librum Boethii de Trinitate

Digitized by Google

pag. 925. olet recentem ſcholaſticæ Palæſtræ methodum, unde longe diſtat ab ipſis Bedæ temporibus. Jure igitur ab omnibus inter ſpuria, ad ſcholaſticam balbutiem projicitur.

Meditatio Paſſionis Chriſti, ſeptem officii Canonici Horis accommodata pag. 955. Convenit non temporibus Bedæ, quibus nondum extabant talia humanæ inventionis commenta: ſed modernis noſtris vel anterioris ſeculi, ubi multa a devotis ejusmodi ſuſcitata ſunt. Attentis autem ipſis officii Eccleſiaſtici expreſſis verbis vel myſteriis, longe præferenda eſt novitiis ejusmodi inventionibus.

De remediis peccatorum pag. 961. Hoc Opusculum Egberto attribuit Spelmannus tom. 1. Conciliorum Angliæ fol. 181. tametſi in Collectione Canonum, Regino Prumienſis Abbas *Pœnitentialem librum Theodori ſeu Bedæ* citet lib. 1. c. 297. atque Yvo & Gratianus ex *pœnitentiali Bedæ* referant capitulum *de Sacerdote Euchariſtiam evomente*. Hæc multis quidem de Operibus venerabili Bedæ inſcriptis, ſed neceſſario non tacendis.

Nunc quæ in editis Bedæ Operibus deſiderentur, genuina ejus Opera quædam, ex Joanne Mabillonio in *Elogio Bedæ* loco citato paragr. 34 paucis exponantur, ad editionem proximam pleniorem.

Explanatio in Canticum Habacuc, cujus meminit Beda in *Indiculo*, quæ MS. in Codice Bibliothecæ S. Germani de Pratis Pariſienſibus Num. 275. hoc præfert Exordium: *Canticum Prophetæ Habacuc quod tibi exponi petiſti, dilectiſſima in Chriſto ſoror, Sacramenta Dominicæ Paſſionis maxime pronuntiat. Unde ex conſuetudine ſanctæ & univerſalis Eccleſiæ ſexta ſabbati, qua eadem paſſio completa eſt, ſolet in laudibus matutinis per ſingulas hebdomadas ſolemniter repeti, &c.* Item in Colbertina MSS. Codicibus 1059 & 3587.

Carmen de divino Judicio ad Accam Epiſcopum deſideratur, editum apud Simeonem Dunelmenſem in libro *de Geſtis Regum Anglorum:* qui Bedæ etiam in MS. Colbertino adſcribitur.

Epiſtola de ſexta mundi ætate ad Plegwinam; quæ una cum *Hiſtoria Abbatum Monaſteriorum Wiremuthenſis & Girwenſis*, & *Epiſtola ad Egbertum Eboracenſem Antiſtitem*, a Waræo nuper edita eſt in Anglia. Itemque in 16 Pariſiis anno 1666. apud Ludovicum Billaine. Denique *Epiſtola una ad Albinum quemdam Anglum*, quam edidit Joannes Mabillon tom. 1. Analectorum.

Præclaram de Bedæ Operibus mentionem faciunt *Acta Eruditorum* Lipſiæ Julii anno 1693. pag. 289. his verbis. „*Bedæ Venerabilis Opera quædam Theologica nunc primum edita, nec non Hiſtorica antea ſemel edita. Acceſſerunt Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis dialogus de Eccleſiaſtica inſtitutione, & Aldelmi Epiſcopi Scireburnenſis liber de Virginitate ex Codice antiquiſſimo emendatus.* Londini apud Robertum Clavell 1693 in 4.

„Venerabilis Bedæ Opera Pariſiis anno 1544. „tribus tomis per Jametium, & anno 1554. ibidem octo tomis, totidemque tomis Baſileæ per Johannem Hervagium anno 1563. & Coloniæ per Antonium Hierat anno 1612. prodierunt. Ab eo tempore nonnulla Bedæ monumenta, quæ in iſtis tomis deſiderantur, lucem adſpexerunt. *Epiſtolam Bedæ ad Albinum* tomo 1. Analectorum Veterum pag. 9. Mabillonius inſeruit, qui etiam paulo poſt pag. 51. *Bedæ in Paulinas Epiſtolas genuinum Commentarium* ab edito diverſum, ſed aliquando in lucem prolaturum promiſit. Idem Mabillonius ex Codice S. Remigii Remenſis deſcripſerat Martyrologium *Bedæ metricum*, quod tomo X. Spicilegii ſui Dacherius vulgavit. *Proſaicum* autem *Bedæ Martyrologium*, ab eo quod inter Opera ejus legitur, plurimum diſcrepans, *Henſchenius* & *Papebrochius* in Actis Sanctorum Martii tomo ſecundo præfixum ediderunt. Neque hic ſilentio prætermittendus *Jacobus Waræus*, qui anno 1664. Dublini *Bedæ hiſtoriam de vitis Abbatum Wiremuthenſium & Girwienſium*, nec non ejusdem *duas Epiſtolas*, quarum una ad Plegwinam data, tractatum ſuum *de ſex ætatibus*, contra eos qui iniquius de eo judicium tulerunt, defendit. Altera Egbertum ad quem ſcripta eſt, de munere ſacro rite obeundo inſtituit, & nonnulla ſtatus Eccleſiaſtici vitia perſtringit, una cum *Egberti* Dialogo *de Eccleſiaſtica inſtitutione*, publici juris fecit.

Horum exemplo de *Bedæ* monumentis etiam bene mereri voluit Henricus Warthonus, qui cum ante triennium in Auctario ad Vſſerii hiſtoriam dogmaticam controverſiæ *de ſcripturis & ſacris vernaculis*, fragmenta quædam ex *Bedæ in Geneſim expoſitione*, ejusdemque in *Canticum Habacuc Commentario* excerpſiſſet: nunc duo illa Bedæ Opuſcula e tenebris, quibus hactenus immerſa jacuerant, eruit, ne quis cum *Oudino*, & *Colomeſio*, aliisque, Anglorum genti exprobret, quod conterranei ſui Bedæ ſcripta penitus neglecta in bibliothecarum ſuarum forulis relinquat. Et *Expoſitio* quidem *in Geneſim* pag. 1. usque ad caput 22. progreditur, & a verſu 4. capitis 1. incipit, cum anteriora de Hexaëmero Tomo 4. Operum ejus legantur. Deſcripſit autem hanc *Expoſitionem in Geneſim* ex MS. Codice Lambethanæ bibliothecæ, in qua etiam duo exemplaria *Expoſitionis in Canticum Habacuci* pag. 191. invenit, quorum unum deſcripſit, alterius varias lectiones annotavit. Duobus his Opuſculis nunquam editis, ſubjungit ea, quæ a Waræo edita paullo ante diximus. Cum enim pauca illius editionis exemplaria in Angliam, & pauciora in alias regiones devenerint, & jampridem a multis deſiderata fuerint, operæ pretium ſe facturum exiſtimavit Clar. Whartonus, ſi iſtam *Hiſtoriam Abbatum Wiremuthenſium & Girwienſium* pag. 221. una cum *Egberti Dialogo* pag. 268. *& duabus Bedæ Epiſtolis* pag. 241. denuo prelo ſubjici, & *Waræi* notas, quæ in Dublinienſi editione ad calcem rejectæ fuerant, locis ſuis reponi curaret. Addidit etiam

Digitized by Google

„etiam pag. 291. *Aldhelmi* librum *de virginitate*„non eum qui ligato ſermone ſcriptus tomo V. „Lectionum Antiquarum Ca[illegible] legitur, ſed qui „oratione ſoluta compoſitus [illegible] *Monumentis Orthodoxographis* & *Patrum Bibliotheca* legitur. „Utrumque vitioſe editum celebris *Gronovius* in „*Monobiblo obſervationum* ad Scriptores Eccleſiaſticos cap. 4. 8. 15. & 20. emendare aggreſſus „eſt. Et metrici quidem tractatus emendationem, ope MS. Codicis Oxonienſis ſatis feliciter „ipſi ceſſiſſe Whartonus judicat, non æque correctionem tractatus alterius in proſa ſcripti, „cum ea meris ingenii conjecturis nixa fuerit. „Whartonus igitur elegantiſſimum hunc Aldhelmi tractatum ex antiquiſſimo Lambethano „codice nitori ſuo reſtituendum duxit, cui aliud „exemplar MS. ſuppeditavit bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Sarisburienſis, ex quo indiculum capitum deſcripſit, cujus ductu hunc tractatum in plures ſectiones diſtinguere ipſi placuit.“ Hæc a me adjecta poſt Diſſertationem jam diu compoſitam & conſcriptam.

CAPVT OCTAVVM.

QVOMODO IMPOSTERVM ORDINANDA SINT OPERA BEDÆ, IN EDITIONIBVS FVTVRIS.

COmmodius autem meo quidem ſenſu, & abſque ſaniorum præjudicio, Opera venerabilis Bedæ in editionibus proxime futuris ita diſtribuerentur: ut quæ dubia ſunt, ea omnia ſive philoſophica ſive ad artes alias pertineant, in ultimum volumen conjicerentur: quæ ad certos ſpectant authores, foras projicerentur, aliis ſic diſpoſitis.

Tomus primus ſeu volumen primum

Eorum quæ ſpectant liberales artes & philoſophiam.

Incunabula artis Grammaticæ Donati.
De octo partibus orationis liber.
De arte metrica liber.
De ſchiſmatibus ſacræ Scripturæ.
De tropis ſacræ Scripturæ.
De Orthographia liber.
De Arithmeticis numeris cum Dialogo de Notis Numerorum & ratione temporum.
De Arithmeticis propoſitionibus.
De ratione Calculi & de diviſione Numerorum ad Conſtantinum.
De loquela per digitorum geſtus. Itemque libellus de ratione unciarum.
Libellus de argumentis lunæ pag. 143.
Decennovennales circuli pag. 257.
De Cyclo Paſchali pag. 306.
Liber de conſtitutione mundi cœleſtis terreſtriſque p. 323.
De circulis ſphæræ & polo p. 365.
De planetarum & ſignorum ratione p. 369.
Libellus de tonitruis ad Herenfridum pag. 387.
Libellus de ratione Computi p. 418.
De natura rerum liber tom. 2. p. 1.
De temporum ratione ſeu de temporibus tom. 2. p. 43.
De ſex mundi ætatibus Chronicon ſive libellus p. 103. tomi ſecundi.
De temporibus liber tomo 2. p. 118.
Epiſtola de æquinoctio vernali juxta Anatolium tom. 2 p. 230.

Tomus ſecundus Commentariorum in Libros Veteris Teſtamenti.

Hexaemeron *ſive* de ſex dierum creatione libellus.
Expoſitio in Geneſim, *cum ſequentibus quæ omnia tom. 4. continentur, pleraque ſaltem.*
Explanatio in Exodum, in Leviticum, in Numeros, in Devteronomium.
Allegorica Expoſitio in IV libros Regum libris IV.
Quæſtiones XXX in libros Regum.
De tabernaculo & vaſis ejus ac veſtibus ſacerdotum libri 3.
Libellus de templo Salomonis, *tomo quidem octavo.*
Expoſitio in Parabolas Salomonis lib. 3.
Expoſitio in Cantica Canticorum lib. 7.
Expoſitio allegorica in librum Tobiæ.
Expoſitio allegorica in Eſdram & Neemiam prophetas lib. III.
Expoſitio in Canticum Abacuc, paſſim Manuſcripta, de qua egimus.
De muliere forti libellus, *tomo ſexto pag. 459.*

Tomus tertius Commentariorum in Libros Novi Teſtamenti, & Sermonum.

Qui omnes tomis quinto & ſexto editionum Bedæ continentur, nempe
Expoſitio in Evangelium Marci libris IV. pag. 92.
Expoſitio in Evangelium Lucæ libris VI. pag. 217.
Expoſitio in Ev. Joannis pag. 451.
Expoſitio in Acta Apoſtolorum p. 625.
Retractationes in Acta Apoſtolorum *tomo ſexto* p. 1.
Expoſitio ſeu Commentarius in quatuordecim Epiſtolas Sancti Pauli Apoſtoli, ex ipſis S. Auguſtini ſententiis, non qui tomo 6. habetur, ſed quem Manuſcriptum & nondum impreſſum diximus.
Expoſitio in ſeptem Epiſtolas Canonicas Jacobi, Petri, Joannis & Judæ p. 673.
Explanatio in Apocalypſim B. Joannis Apoſtoli p. 761.
Sermones venerabilis Bedæ, ſeu *Homeliarum libri duo* continentes Homelias XLIX. tantum cum

Digitized by Google

cum Homelia *de Feſto omnium Sanctorum*, quæ ad ingenium ſancti Bedæ accedere maxime videtur: projectis ſermonibus eo modo, quo miſere interpolati ſunt *tomo ſeptimo* in omnibus impreſſis.

Scintillæ ſeu Excerptorum ex ſanctis Patribus, Sermones octoginta: *tomo ſeptimo pag. 370.*

Tomus quartus Hiſtoricorum, vel Operum ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantium.

Hiſtoria Eccleſiaſtica Gentis Anglorum, quam Regi Anglorum Ceolulfo obtulit.

Hiſtoria Abbatum Monaſteriorum Wiremuthi & Girwæ libris duobus: cum Epiſtola ad Plegwinam *de ſexta mundi ætate*, & *Epiſtola ad Egbertum Eboracenſem Antiſtitem.*

Vita ſancti Cuthberti Lindisfarnenſis Epiſcopi libris 2.

Vita ſancti Felicis Nolæ Epiſcopi, cæteris omnibus proſcriptis ut ad alios authores ſpectantibus.

Martyrologium Bedæ, non quomodo impreſſum eſt tomo 3. Operum Bedæ, ſed quomodo Bollandiſtæ ediderunt, nimirum *Interpolamentis Flori* caractere minutiori expreſſis. Quantum autem ad Metricum de quo locuti ſumus, haudquaquam Bedæ eſſe videtur.

Libellus de Locis ſanctis, tomo tertio pag. &c.

Tomus quintus Suppoſitorum quorum incerti Authores ſunt.

Ephemerides ſeu Computus vulgaris tom. 1. pag. 169 & ſeqq. incerti ſcriptoris.

De Emboliſmorum ratione Computus. tom. 1. pag. 215 & ſeqq.

Libelli duo de Muſica theorica & practica tom. 1. pag. 344. & ſeqq.

Libelli de prognoſticis temporum p. 390. *De menſura horologii* pag. 392. *De Aſtrolabio* pag. 394. *De Nativitate Infantium prognoſtica* pag. 397. *De minutione ſanguinis* pag. 398. *De ſeptem miraculis mundi* pag. 400. vere libelli indigni, qui veneranda Bedæ tribuantur.

Hymni Bedæ Presbytero inſcripti pag. 401. & ſequentibus.

Sententiæ ſive Axiomata philoſophica tom. 2. pag 124.

Sententiæ ex Operibus Ciceronis excerptæ tom. 2. pag. 166.

Liber Proverbiorum Alphabeticus tom. 2. pag. 185.

Libellus de ſubſtantiis ſeu *ſententiæ morales* tom. 2. p. 200.

De divinatione vitæ & mortis tom. 2. pag. 233. cum ſequentibus in impreſſis, quæ næniæ ſunt.

Interpretationes Nominum Hebraicorum ſacræ Scripturæ, Ordine Alphabetico digeſtæ. tomo tertio, ad Calcem.

Excerptiones [illegible], Collectanea, Flores ex diverſis, Quæſtiones, Parabolæ &c. Ibidem.

Expoſitio in Evangelium Matthæi libris IV. tomo quarto, p. 1.

De Nominibus locorum vel civitatum, quæ in libro Actuum Apoſtolorum leguntur. tom. 4. p. 666.

Libellus de Officiis. tom. 7. p. 467.

Fragmenta allegoricarum Interpretationum in Proverbia Salomonis. tom. eod. p. 476.

Libellus de creatione ſex dierum. tomo ſeptimo pag. 52.

Quæſtiones ſuper Geneſim, ibidem pag. 78. *ſuper Exodum, Leviticum, Numeros, Deuteronomium, Joſue, Judices, Ruth, Libros quatuor Regum, cum libro diverſarum quæſtionum.* ibidem.

Commentarius in Librum Pſalmorum. tomo 7. p. 307.

Sermo prolixus in Pſalmum LII. ibidem pag. 909.

Commentarius in librum Boetii de Trinitate p. 915. ibidem.

Meditatio paſſionis Chriſti ſeptem Officii Canonicis horis accommodata. ib. p. 955.

De remediis peccatorum p. 961. ib.

Quænam projicienda ſint foras, ſeu extra Bedæ Opera?

De Elementis philoſophiæ libri quatuor tom. 2. Operum Bedæ p. 206. quæ ſunt minor philoſophia Guillelmi de Conchis.

Vitæ SS. *Columbani, Attalæ, Euſtaſii*, Abbatum Luxovienſium tomo 3.

Itemque vitæ SS. *Patricii libris duobus, Bertulfi Abbatis Bobienſis, Arnulfi Metenſis Epiſcopi, Vedaſti Attrebatenſis Epiſcopi, Burgundofaræ Abbatiſſæ &c.* de quibus ibidem egimus.

Martyrologium eo modo, quo ibidem falſo expreſſum eſt.

Commentarius in librum Job libris 3. tomo quarto, quem conſtat ſpectare ad Philippum Presbyterum.

Commentarius maximus in quatuordecim Epiſtolas S. Pauli Apoſtoli, qui ſpectat ad Florum Lugdunenſem Diaconum.

Homiliæ de Laudibus S. Pauli, quæ ſancti Joannis Chryſoſtomi ſunt. Hæc nos annotanda duximus de Scriptis Sancti Bedæ Presbyteri, nec dubitamus, quin alia alii etiam obſervent, quibus hæc noſtra nullatenus præjudicare poſſunt: nec enim omnia noſcimus omnes. Obſervat Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiæ*, ad annum 701 pag. 476. in Anglia multos MSS. Codices, qui Bedæ nomine prænotantur: quos in editione Operum Bedæ futura non negligendos ego exiſtimaverim, licet de earum plurimis maxime dubitem, non ſine cauſa.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO
DE
SCRIPTIS SANCTI JOANNIS DAMASCENI, MONACHI ET PRESBYTERI.

730. IOannes Damaſcenus Presbyter ac Monachus, Damaſco Syriæ oriundus, vita ac doctrina clarus, cujus res præclare geſtas alter Joannes Hieroſolymitanus Antiſtes ſcripto comprehendit: Ex ſingulari eloquii puritate & facilitate explicandi difficilia quæque, Chryſorrhoas quaſi auro fluens, nuncupatus eſt. Florebat in Syria anno circiter 730. atque adverſus Leonem Iſauricum, Conſtantinum Copronimum ejus filium, aliosque Iconoclaſtas pro Catholica fide ſtrenue decertabat. Primus & antiquiſſimus qui cum elogio de S. Joanne Damaſceno loquitur, ipſe Baſilius Imperator in *Menologio* his verbis, eundem Leonis Iſaurici & Conſtantini filii temporibus aſſignans. „Hic fuit ſub „Imperio Leonis Iſaurici & filii ejus Conſtanti„ni, ex urbe Damaſceno, generi illuſtri, hono„rato & fideli: patrem autem habuit virtutis „amantem, & eruditus eſt omni gentilium di„ſciplina, inſuper etiam divinis litteris. Pro „amore deinde Chriſti paternas divitias dele„rens, factus eſt Monachus, una cum Coſma, eo „cujus eſt multa mentio in Poëmatis ſacrarum „Feſtivitatum, magnæ præſertim hebdomadæ „ante diem Paſchæ. Joannes porro ſuarum „orationum efficacia & demonſtrationum e „Scripturis deſumptarum, Iconomachorum „confudit hæreſim, unde ab Imperatoribus hæ„reticis varie relegatus, & carceribus traditus, „in pulchra confeſſione conſummatus eſt, ſepul„tusque a diſcipulo ſuo. Daniel Papebrochius anno 1680. tomo 2. ad diem 6. Maji menſis in Commentario ad Vitam illius prævio pag. 109. & 110. num. 13. ex Magnis Menæis Græcorum vult illum *in ſenecta vitam finiviſſe, eum eam ad annos quatuor ſupra centum produxiſſet.* Itaque natum Joannem ex ſupputatione iſta anno 676 factum Presbyterum anno 740, mortuum anno 780. juxta Latinos die 6. Maji, juxta Græcos die 19. Novembris vel 4. Decembris. Verum Menæa illa recentioris ævi cum ſint, fidem non merentur: maxime cum conſtet S. Joannem Damaſcenum ante Synodum Conſtantinopolitanam an. 754. convocatam, eſſe mortuum.

Secundus Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus, qui *Vitam* illius Arabice ſtylo ſatis incompto ſcripſiſſe circa annum 969. juxta Papebrochium dicitur, quam alius poſtmodum in linguam Græcam tranſtuliſſe fertur. Hic multa affinxit S. Joanni Damaſceno miracula, quorum nullus veterum meminit. Narrat enim anno circiter 728. Fervente Iconochetica controverſia, ipſum imaginum cauſæ impenſe faviſſe, Epiſtolas contra Leonis Imp. molimina quaquaverſum ad amicos dediſſe, ab iis palam evulgandas, ac longe lateque diſtrahendas. Hinc commotus Leo Imperator convicia ſub Joannis nomine Epiſtola effeciſſe dicitur, ut Damaſci Princeps de Joannis fide male ſentiret, ac dextram manum ei præcidendam decerneret. Ne autem iſti iconodoliæ Confeſſori miraculum deeſſet, manus ei Deiparæ interceſſione in integrum reſtituta fertur. Verum, ut non dicam, tota iſta quanta eſt, hiſtoria fabulam ſapit putidiſſimam; nec alium auctorem habet, quam nugaciſſimum illum *Vitæ Damaſceni* ſcriptorem, Joannem inquam Hieroſolymitanum. Cujus fabulæ futilitatem & ineptias uberrime demonſtrat Fridericus Spanhemius *Hiſtoria Imaginum reſtituta* ſect. 2. num. 13. ac poſt illum Guilielmus Cavus *Hiſtoria litteraria* parte 1. ad annum 730. pag. 482. editionis Londinenſis 1688. in folio. Sane cum Joannes iſte Patriarcha ducentis & amplius annis ab ætate Sancti Johannis Damaſceni diſtaret, anno 969. clarus, fat temporis habuit ad multa in gratiam Damaſceni miracula excogitanda, quorum veteres & antiquiores nullam mentionem fecerant.

Alii autem Græci ſcriptores longe verius & parcius de ſancto Joanne Damaſceno ſcripſerunt. Stephanus Diaconus Conſtantinopolitanus, in *Vita ſancti Stephani Junioris*, de eodem Johanne Damaſceno ſic loquitur: "Ἐν οἷς ὁ πανεύφημος Ἰωάννης Δαμασκηνὸς Πρεσβύτερος, "ὁ παρὰ τοῦ τυράννου τότε Μανζοὺρ ἐπονομασθεὶς, "παρ' ἡμῖν δὲ ὄντως καὶ Θεοδόρητος: in quibus "erat pretioſiſſimus Joannes Damaſcenus Pres"byter, qui a tyranno iſto Manſur nominatus, a"nobis autem ſanctus ac Deo inſpiratus. Theo"phanes in Chronologia pag. 350. editionis"Græcolatinæ Regiæ anni 1655. Pariſiis, de eo"dem Damaſceno: καὶ ἀντὶ τοῦ πατρικοῦ"ὀνόματος αὐτοῦ Μανζοὺρ, ὁ ἑρμηνευόμενος λε"λυτρωμένος, Μανζηρὲν Ἰουδαϊκῷ φρονήματι"ὀνομάσας τὸν νέον ἐκκλησίας διδάσκαλον: Et"pro avito nomine ipſius Manſur, quod verti"tur *redemptus*, Manzerum Judaico ludibrio no"minans, novum Eccleſiæ doctorem & magi"ſtrum. Georgius Hamartolus in MS. Codice Regiæ Galliarum bibliothecæ, in Imperatore Copronymo, aliter de verbi notione ſcribit: "Ἰωάννην τὸν Δαμάσκηνον, ὃν χρυσορρόαν ἐπά"λιν διὰ τὴν ὑπερχέουσαν αὐτῷ τὴν σοφίαν, "Μανσὴρ ἐπωνόμασας, ὅ ἐστι βλάσφημον: Jo"annem Damaſcenum quem Chryſorrhoam ob"inexiſtentem ipſi ſapientiam vocabant, Man"ſurem cognominans, quod blaſphemum eſt. "Arbitratus eſt forſitan Hamartolus hanc vo-

cem Μανζοὺρ significare *canem*, ut Heſychius in *Lexico* ſuo ſcribit. Juxta autem Carolum du Freſne Dominum du Cange, in *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis* verbo Μανσοὺρ col. 874. vox Saracenica eſt, quæ *Redemptum* ſignificat, a quo allata ſuperius accepimus. Addo iſtis Georgium Cedrenum in *Compendio Hiſtoriarum* ad annum 728. pag. 456. littera D editionis Græcolatinæ Pariſientis Regiæ anni 1647. ubi Joannem Damaſcenum cum Germano Patriarcha Conſtantinopolitano, ob cultum imaginum defenſum, his laudibus exornat. " Ἐν δὲ τῇ κατὰ Συρίαν Δαμασκῷ Ἰωάννης Μοναχὸς ὁ Πρεσβύτερος, ὁ Χρυσορρόας, ὁ τῷ Μανσὴρ, ὁ εἰρμηνέυεται Λυτρεάρχος, ὅτιπερ ὁ δυσεβὴς Μανζὴρ Ἰουδαϊκῷ φρονήματι μετωνόμασεν. Ἅτος ὁ πάσι Ἰωάννης, ὁ μελῳδὸς ὠνομάσθη, μετὰ τοῦ Κοσμᾶ ἐπισκόπου τῆ Μαιουμᾶ καὶ Θεοφάνους ἀδελφοῦ Θεοδώρου τῶν Γραπτῶν ἐπισκόπου, διὰ τὸ ἄυτὸς μελῳδήσαι τὰ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τῶν Χριστιανῶν τετυπωμένα ψάλλεσθαι. ἦν γὰρ ὁ ἅγιος Ἰωάννης ὄυτος τῷ τε βίῳ καὶ τῷ λόγῳ διδάσκαλος ἄριστος, πίστης γνώσεως θείας τε καὶ ἀνθρωπίνης ἐμπεπλησμένος. „Damaſci Syriæ fuit JoannesMonachus & Pres„byter,Chryſorrhoas cognomento,Manſuris fi„lius, quod Græce ſonat *Lentrubum*, quem im„pius Imp. Judaico ſenſu Manzerem appellavit. „Hic Sanctus Joannes una cum Coſma Maju„menſi Epiſcopo, & Theophane fratre Theo„dori Graptorum Epiſcopi, melodi ſive canto„res ſunt agnominati, eo quod melodiis com„prehendiſſent eas cantilenas, quæ in Eccleſiis „Chriſtianorum canuntur, prout ab eis compo„ſitæ formataeque ſunt. Erat enim hic ſanctus „Joannes & vita & oratione magiſter optimus, „omni divina humanaque cognitione reple„tus.

Denique pauca hæc in ejus commendationem accipe, ex capite 75. Sigeberti De Scriptoribus Eccleſiaſticis. " Joannes Presbyter „& Monachus, de Damaſco Syriæ, vita & do„ctrina clarus, cognomento Chryſorrhoas, ani„matus Scriptis Gregorii Papæ, quibus impu„gnabat impietatem Leonis Iſaurici Imperato„ris, ſcripſit & ipſe Græcis Græce contra Leo„nem Imp. Suidas Manzurum cognominat,ejus„que ſcripta fuiſſe plurima, ac præcipue philo„ſophica aſſerit, cum Parallelis in ſacram Scri„pturam, Jambicis canticorum Canonibus &c. Trithemius eadem repetit, quæ modo ex Sigeberto deſcripſimus, & Damaſcenum collocat ſub Leone Imper. anno 730. ut mirum ſit unde Alphonſus a Caſtro in libris adverſus hæreſes hauſerit Johannem hunc noſtrum ex Trithemii ſententia vixiſſe ſub Theodoſio juniore circa annum Domini 450. Et ab eo ad noſtrum tempus *mille centum annos* & eo amplius elapſos eſſe. Mortuus erat anno 754. tempore Concilii Conſtantinopolitani, quod a Conſtantino Copronimo contra imagines convocatum eſt. Hoc enim Concilium loquitur de Germano Patriarcha CP. & Joanne Damaſceno tanquam his mortuis excommunicatis. Agunt de illo Bellarminus & Labbeus in libro quisque *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, ſed de illius ſcriptis & impreſſis & editis, nos ſigillatim ac majori cum cenſura agamus,pro more noſtro. Extollit multis laudibus S. Joannem Damaſcenum Franciſcus Combefis in Apparatu ſuo ab *Bibliothecam Concionatorum* verbo *Joannes Damaſcenus*. Ipſum habet velut Scholaſticæ Theologicæ principem, Natalis Alexander ſeculo Eccleſiæ VIII. in *Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus*, cap. 3. art. 4. pag. 257. *Omnes pene hæreſes libris quatuor* de Orthodoxa fide *Impugnavit, quibus ipſe primus Theologiam univerſam rebus ordine comprehendit, ut loquitur Cardinalis Bellarminus*: & Magiſtro ſententiarum ac S. Thomæ *viam complanavit ad ſacram doctrinam tam præclare Methodo tractandam & explanandam.* Ita loquuntur qui Scholaſticam balbutiem barbariemque amant, infantium ac novitiorum propriam. Ego S. Joannem Damaſcenum fuiſſe opinor inſignem ac probum Monachum, zelo ardentem, pro cultu imaginum Athletam apertum: verum cum ex lectione,tum relatu virorum eruditorum,ipſum fuiſſe valde ſimplicem atque obviorum omnium credulum,exiſtimo. Vnde recte Bellarminus in cenſura ad Orationem *de his qui in fide migrarunt*, reſpondet: *Sed fieri poteſt, ut ſanctus Joannes Damaſcenus quamvis alioquin doctus & prudens, iſtis narrationibus facile fidem habuerit, neque de veritate earum inveſtiganda ſollicitus fuerit.* Ita profunda laborabat ignorantia ac Scriptorum penuria ſeculum Eccleſiæ octavum, ut ſperari aliquid ſolidi, ab Scriptoribus hujus temporis paucis, vix poſſit. Vt itaque loquamur ingenue, fuit Damaſceno Monacho ingenium ad fabularum aucupium facile ac promptum, ut ex conſequentibus patebit. Jam de ſcriptis agamus.

CAPVT PRIMVM.

CENSVRA OMNIVM SVB SANCTI JOHANNIS DAMASCENI NOMINE, IMPRESSORVM OPERVM.

COllegit autem in unum omnia S. Joannis Damaſceni Opera, Jacobus Billius Gallus, homo in Græcis eruditiſſimus, atque ſancti Michaelis in Eremo, Ordinis Divi Benedicti, Abbas Commendatarius. Edita illa in folio Pariſiis anno 1577. tumque anno 1615. quibus ego potiſſimum editionibus utor, quamvis & anno 1575. impreſſa Baſileæ legantur. At ut recte notat Daniel Papebrochius in *prolegomenis* ad vitam S. Joannis Damaſceni præmiſſis tom. 1. menſis Maji ad 6. diem pag. 110. num. 16. Non ita hæc Billii editio admittenda eſt, quaſi omnia quæ in ea continentur Opera, indubie ad S. Joannem Damaſcenum ſpectent. *His aliorum quoque auctorum ſcripta quædam inſerta, quorum par-*

tem

tem ignorantur, partim indicantur nomina: initii autem quæ ipſius Damaſceni nomine inſigniuntur, putat Billius numerandam Barlaami ac Joſaphati hiſtoriam, quam alii Joanni Sinaitæ adſcriptam volunt, quod ad eorum anniverſarium diem 27. Novembris examinare licebit. Excutianus igitur quæ hac editione continentur.

Parallelorum libri tres folio 1. de quibus dubium non eſt.

De Orthodoxa fide libri quatuor cum prolixiſſimi Judoci Cliĕtovei Neoportuenſis Commentariis fol. 244. Quamvis author inſigni horum librorum ordine ſeipſum commendet, habet tamen aliqua quæ gratis ab ipſo conficta ab eruditis creduntur. Vt dum lib. 4. cap. 15. *de Domini Genealogia & ſancta Dei genitrice* loquitur, affirmat Patrem B. Mariæ Virginis dictum fuiſſe *Joachimum*, avum *Barpanterem*, proavum *Panterem*. Cum enim ab his temporibus Joannes Damaſcenus ſeptingentis diſtaret annis, exigebat ratio ut quæ de tam antiquis aſſerebat, ipſe per idoneos teſtes probarit; vel qua authoritate fultus hæc aſſereret, poſteris aperiret.

Sanctus Joannes Damaſcenus, primus mihi ex Patribus Græcis extitiſſe videtur, qui Euchariſtiam eſſe *verum corpus & ſanguinem Chriſti* libro 4. de fide Orthodoxa cap. 14. docuerit: cum alii omnes qui præceſſerunt, Euchariſtiam ἀντίτυπον ſeu *Symbolum & figuram corporis & ſanguinis Chriſti* duntaxat appellaverint, hac ratione realem præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia excludentes. Vt autem realem hanc præſentiam in Euchariſtia aſſeveret, mendacio aperto ad ſententiæ ſuæ firmitatem, allegavit Divi Baſilii in Liturgia ſua auctoritatem, appellantis Euchariſtiæ Sacramentum ἀντίτυπον corporis & ſanguinis Chriſti, ſed *ante conſecrationem* inquit, *non poſt conſecrationem*, qua verum Chriſti corpus & ſanguis efficiuntur. Falſum autem iſtud omnino eſt, cum poſt conſecrationem Baſilius in ſua Liturgia, Euchariſtiam ἀντίτυπον corporis & ſanguinis Chriſti appellet, atque ita ipſum Euchariſtiam, etiam poſt ipſam conſecrationem, fuiſſe tantum *Symbolum & figuram veri corporis & ſanguinis Chriſti* affirmet. Ita Liturgia S. Baſilii Cæſareæ apud Cappadoces Archiepiſcopi, ex editione Pariſienſi Guilielmi Morellii anno 1560. cum interpretatione Gentiani Herveti Aurelianenſis, edita Venetiis apud Alexandrum Bruciolum 1548, recuſa Tomo ſecundo Supplementi Græcolatini ad Bibliothecam Veterum Patrum, a Frontone Ducæo Jeſuita editi, Tomo 2. pag. 51. anno 1624. editionis dictæ. Atque etiam in *Euchologio Græcolatino* ſeu *Rituali Græcorum*, quod anno 1647. Pariſiis Jacobus Goarus edendum curavit, in *Liturgia S. Baſilii* pag. 169. ſub Liturgiæ medium, ſed poſt conſecrationem his verbis. καὶ προσβάντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου, ἱκετεύομεν καὶ σε παρακαλοῦμεν. *Confidentes ſancto altari tuo appropinquamus, & propoſitis iis quæ ſanctum corpus & ſanguinem Chriſti tui repræſentant, te rogamus & te obſecramus.* De qua voce in Notis idem Goarus pag. 186.

Eodem ſane modo antiquiores Græci Patres loquuti ſunt, atque inter alios, non uno in loco, ſanctus Gregorius Nazianzenus. Oratione 1. pag. 38. num. 161. ἀπαιτεῖ παρ' ἡμῶν, πῶς ἡμᾶλλον θαρρῆσαι προσφέρειν αὐτῷ τὴν ἐξοθεν θυσίαν, τὴν τῶν μεγάλων μυστηρίων ἀντίτυπον. *A nobis expoſcit, quo tandem modo externum illud ſacrificium, illud magnorum myſteriorum antitypum, ipſi offerre auderem.* Et Oratione XI. num. 22. pag. 187. littera A. καὶ εἴ πῃ τι τῶν ἀντιτύπων τοῦ πολυτίμου σώματος, ἢ τοῦ αἵματος ὁ χεὶρ ἐθησαύρισεν, τοῦτο καταμιγνῦσα τοῖς δάκρυσιν. *Et ſi quid uſpiam antityporum pretioſi corporis & ſanguinis manus recondiderat, id lachrymis admiſcuiſſe.* Vnde Jacobus Billius, ejus interpres & commentator Tomo 2. pag. 623. ad hæc verba, *& ſi quid uſpiam antityporum.*

« *Antitypi* vocabulum, cum de ſanctiſſi-«
« ma Euchariſtia agitur, ſive pro typo, ſive pro«
« oppoſita vel correſpondente figura (ut pluri-«
« bus placet) accipiatur, non ita multum intereſ-«
« ſe puto, modo illud firmiſſime teneamus, per«
« hoc vocabulum, non rerum veritatem ac præ-«
« ſentiam excludi, ſed præſentiæ modum deſi-«
« gnari. Cur autem Patres Euchariſtiæ Sacra-«
« mentum aliquoties *Antitypum* appellarint, va-«
« riæ rationes afferuntur. Quarum unam quæ«
« apud Damaſcenum libro 4. cap. 24. extat, me-«
« rito explodit Beſſario, ac poſt eum Turrianus«
« in Scholiis ſuis Græcis ad librum 5. Conſt. Apo-«
« ſtolicarum cap. 14, eamque ipſius libro a ſcio-«
« lis quibusdam aut malevolis, aſſutam fuiſſe«
« cenſent. Negat enim Damaſcenus illic, pa-«
« nem & vinum a Baſilio poſt conſecrationem«
« *antitypa* vocari. Quod tamen aperte falſum«
« eſt. Ex plerisque autem tum Divi Clemen-«
« tis in libro Apoſt. Conſt. tum Nazianzeni, at-«
« que aliorum authorum locis, quos Damaſce-«
« num ignoraſſe veriſimile non eſt; perſpicue«
« conſtat, hanc vocem non pani ipſi & vino, ſed«
« corpori & ſanguini Domini cum ſpeciebus, us-«
« quequaque tribui conſueviſſe. Quamobrem«
« hac ratione ſubmota, cæteras proferamus &c.«
« Corpus itaque Chriſti in Euchariſtia *Antitypum*«
« paſſive, quemadmodum & Baptiſmus 1. Petri 3.«
« dici poteſt, quia ſit exemplar, cui correſponde-«
« bant omnes antiquæ figuræ de Chriſti corpore.«
« Atque ad hunc modum, Agni paſchalis Antity-«
« pum recte dicetur.«

In Prolegomenis ad Novam editionem Operum S. Joannis Damaſceni Græcolatinam, a Michaële Lequieno factam, ubi Prolegomena Leonis Allatii præmiſſa, ex illius Tractatu MS. *de libris Apocryphis* num. 24. pag. XV. differit Allatius latiſſime de verbis Damaſceni lib. 4. *de fide Orthodoxa* cap. 14. quibus ipſe corpus & ſanguinem Chriſti in Euchariſtia ſeu Myſterium altaris, ut alii, *Antitypa corporis & ſanguinis Chriſti* vocat: illaque non eſſe addita Damaſceno con-

tendit, ut Turrianus ſcribit: ſed in omnibus MSS. reperiri Codicibus Vaticanis 106. 492. 495. 496. 500. 501. 1075. 1076. 1708. 1752. In Palatinis 242. 334. in Barberinis 54. 55. 56. 57.

Oratio de iis qui in fide dormierunt. Col. 516. Haudquaquam ſpectat ad ſanctum Joannem Damaſcenum, quia in ea enormes fabulæ indignæ prorſus quæ credantur: nempe de liberatione animæ Trajani Imperatoris ab inferis, ſancti Gregorii Papæ precibus: & Falconillæ mulieris, interceſſione S. Theclæ primæ Martyris enarrantur. Vnde Orationem hanc Joanni Damaſceno adimit Natalis Alexander Diſſertatione 1. in Hiſtoriam Eccleſiaſticam *ſeculi II.* in reſponſione ad objectionem ſecundam. De illa ſic Bellarminus in Cenſura ſua ad Opera S. Joannis Damaſceni. „Oratio de his qui in fide „migrarunt, ſcrupulum injicit: quia narrat Fal„conillam precibus Theclæ primæ Martyris, & „animam Trajani precibus S. Gregorii Papæ ab „inferni ſuppliciis liberatos: quæ narrationes „falſæ eſſe videntur & fabulis ſimiliores, quam „hiſtoriæ. Sed fieri poteſt, ut ſanctus Joannes „Damaſcenus, quamvis alioqui doctus & pru„dens, iſtis narrationibus facile fidem habuerit, „neque de veritate earum inveſtiganda ſollici„tus fuerit. Gerardus Johannes Voſſius libro 2. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 24. pag. mihi 282. editionis ultimæ ita loquitur. „Etſi vero Dama„ſcenus vir egregie eruditus foret, ac magni „nominis, in plerisque credulus & ſimplex ni„mium extitit. Hoc oſtendunt hiſtoriæ ab „eo in Sermonibus relatæ. Sane Baronius et„iam agnoſcit *in multis ejus Scriptis fidem vacillare, „& compluribus ipſum ſcatere mendaciis.* Quod „ejus judicium Caſaubonus firmat in Exercita„tione 13. *adverſus Baronium* Lectione 38. ubi „varios & ſpiſſos errores annotavit. Etiam in „aliis ſcriptis judicium deſideres, inter cætera in „narratione illa de Falconillæ anima, precibus „B. Theclæ primæ Martyris, ab inferorum ſup„plitiis liberata, etſi in gentili errore & idolola„tria obiiſſet. Item quod ait, animam Trajani „Imperatoris ſimiliter pœnis inferni, precibus „Gregorii Magni exemptam. Quorum utrum„que legas apud Damaſcenum Oratione *de his „qui in fide migraverunt.* Fortaſſe aliquis abju„dicet propterea Johanni Damaſceno oratio„nem illam. Sed Bellarminus cauſam hanc ſa„tis gravem eſſe minime putat, *Nam* inquit *nar„rationes quidem falſæ eſſe videntur, & fabulis ſimi„liores quam hiſtoriæ, ſed fieri potuit ut S. Johannes „Damaſcenus, quamvis alioquin doctus & prudens, „iſtis narrationibus facile fidem habuerit, neque de ve„ritate earum inveſtiganda ſollicitus fuerit.* Dixerit aliquis, illud de Falconillæ anima didiciſſe „e Baſilio Seleuciæ Epiſcopo, qui annis pene tre„centis anteceſſit: quippe qui Synodo quartæ „œcumenicæ interfuerit, eique ſubſcripſerit. „Equidem non ignoro, idem legi in *Vita Thecla,* „ſub Baſilii Seleucienſis nomine edita a doctiſſimo viro, Petro Pantino: qui & narrationem „de liberata Falconillæ anima defendit in ſuis „Notis. Sed perſuadere mihi non poſſum, vi„tæ hujus Scriptorem, adeo antiquum eſſe. Sa„ne ſi tanto ante Damaſcenum, aliquis magnæ „auctoritatis, tale quid monumentis ſuis conſi„gnaſſet: puto, non altum adeo ſilentium eſſet „hac de re apud Scriptores omnes, qui inter Ba„ſilium & Damaſcenum, vixiſſent. Verum ad„ducat aliquis, Photium in *Bibliotheca* ſua Codice „CLXVIII. diſertim teſtari, a Baſilio Seleuciæ „Epiſcopo, *prima Martyrii Thecla* præclare geſta, „certamina & victorias eſſe perſcriptas. Dicit „hoc quidem Photius, ſed ea complexum eſſe „μέτροις ſive *carmine* ait. Illa vero quæ primus „edidit Pantinus, ſoluta oratione exarata ſunt, „ut plane alia ſint. Et credo, aliquis cum le„giſſet, Baſilium Seleucienſem de Thecla egiſſe, „lectori fucum facere voluit, præfigendo tanti „viri nomen, quaſi idem & proſa & carmine „eandem rem tractaſſet, quod Photius non ſcri„bit.“

Orationes tres Græce & Latine de Nativitate ſeu ortu Beatæ Mariæ Virginis, fol. 541. Quamvis habeant illæ pro more Græcorum plurima & inſignia elogia, ambigo tamen plurimum, an ſpectent ad S. Joannem Damaſcenum, ob rationes aliquas. Nam *primo* nimia quædam affectatio eſt & laudatio tum *Lumborum Joachimi*, tum *Vulvæ Annæ:* quæ virum gravem, pudicumque haut ſatis decent. Idemque dicendum, ubi non paterna gravitate, ſed blandimento ſeculari ac infantili, Virginem Mariam *Filiolam* appellitat ac palpat: *O pulcherrima & ſuaviſſima filiola!* pag. 544. tum antea, *O quot miraculorum & cujusmodi ſiderum hæc Filiola &c.* Ibidem. *O Beatus Joachimi lumbos, ex quibus prorſus immaculatum ſemen fluxit! O præclaram Annæ vulvam, in qua tacitis incrementis in ea auctus, atque formatus fuit fœtus ſanctiſſimus! O Beatum ventrem &c.* pag. 542. *O Beati Lumbi & Venter, ex quibus prodiſti?* pag. 544. *Secundo.* Homiliæ iſtæ tres ſupponunt *Feſtum Nativitatis* in quo pronuntiatæ ſunt, plene ac ſolemniter celebratum, atque ubique admiſſum: at iſta non cadunt in tempora S. Johannis Damaſceni anno 730. vel circiter celebris, ubi vel nullatenus vel modice tantum, Feſtum iſtud audiebatur. Imo hic ſcriptor ſub initium Orationis ſecundæ, dum alludit ad *Beatæ Mariæ Dei Genitricis in templo oblationem,* vix ſeſe ſeculo duodecimo antiquiorem prodit. Quod autem hoc Feſtum Nativitatis B. Mariæ Virginis, non ut novum aut rarius uſitatum, ſed ut ſolemne atque jam veteranum admittat, clarere poteſt ex initiis ſecundæ & tertiæ Orationum. *Tertio.* Quisquis ille has ſcripſit Orationes, habuit illas coram inſigni populo, in civitate inſigni, nec Presbyter tantum ſed Epiſcopus eſſe videtur: quod S. Johanni Damaſceno non convenit, qui Presbyter tantum fuit ſub Patriarcha Hieroſolymitano. Hæc ſufficienter intelliguntur his ferme primis Orationis ſecundæ verbis pag. 550.

Sane

Sane quidem ſuperiore Oratione, Dei Genitricis Nativitatem qua par erat ſolemnitate ac lætitia proſecuti ſumus, hoc eſt, tum ego feſti Præſul, tum vos, atque adeo id omne quod vel in mundo eſt, vel mundo ſublimius. At Joannes Damaſcenus, qui in urbe & ab Epiſcopo Hieroſolymitano Presbyter factus eſt, ſi quando in hac urbe *de Nativitate B. Mariæ Virginis* concionatus eſt, nunquam *feſti præſulem* ſe appellare potuit, in quo ſub Epiſcopo tantum loquebatur. *Quarto* hic ſcriptor per hæc verba, *atque adeo id omne quod vel in mundo eſt, vel mundo ſublimius:* indicat hoc Feſtum non tantum expreſſe inſtitutum, ſed ubique locorum admiſſum & quaſi generale feſtum. Atqui iſta ante ſeculum nonum, imo vix ſeculo nono contigerunt: unde ſcriptor iſtarum homiliarum poſt ſeculum nonum floruiſſe videtur. *Quinto* homiliæ iſtæ factæ ſunt in Eccleſiæ pace cum in illis tribus ne verbulum quidem ſit, quo vel author paſſas a ſe perſecutiones inſinuet, vel a plebe quam exhortatur. At S. Joannes Damaſcenus ex conſenſu omnium, mortuus eſt ante pacem Eccleſiæ redditam, vel imagines reſtitutas: nec illius temporibus cultus Sanctorum ac feſta Mariæ ſemper virginis quieta facta ſunt, repugnantibus Iconomachis: unde orationes iſtæ nullatenus ad S. Joannem Damaſcenum ſpectare poſſunt. *Denique* unius ejusdemque authoris creduntur & ſunt, homiliæ tres *de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis* pag. 541. & homiliæ duæ *de Aſſumptione ejusdem.* At Homiliæ *de Aſſumptione* non ſpectant ad S. Johannem Damaſcenum ut poſtea probabitur, ergo idem dicendum eſt de prioribus.

Orationes duæ de Aſſumptione Sanctiſſimæ Dei Genitricis fol. 580. non ſpectant ad S. Joannem Damaſcenum. Nullus dubito, quin ſerventes erga cultum B. Mariæ Virginis, aſſurgant in me plurimis, ſolvantque Cenſuram meam injuriis atrocibus, quas ab ipſis expoſcet Chriſtianus zelus. Sed quid iſta ad rei veritatem? Dico itaque iſtas duas Orationes *de Aſſumptione B. Mariæ Virginis* eſſe quidem eloquentes ſatis ac verboſas, ſed indignas S. Joanne Damaſceno. *Primum* quia hic recentiſſimus author inepte atque fabuloſe Patrem Beatæ Mariæ Virginis, *cuſtodem pecudum ſeu ovium* facit: quod cum nullus Veterum affirmaverit, nonniſi ab imperito & impudente, ut ita loquar dici poteſt. Ita pag. 582. *At Joachim quidem ut pecudum paſtor, cogitationes ſuas non minus quam oves paſcebat, ac pro arbitrio & libitu ducebat. Etenim cum ſub Domino pecudis inſtar paſceretur, nullis præſtantiſſimis rebus carebat.* *Secundo* tam Oratione prima quam ſecunda totus eſt, ut affirmet B. Mariam ſemper Virginem, tam quoad corpus quam quoad animam in cœlos eſſe aſſumptam. Quæ ſane opinio longe recentior eſt temporibus S. Joannis Damaſceni, nec Patres Græci etiam S. Joanne Damaſceno juniores, ſuas homilias *de Aſſumptione* ſed *de Dormitione* inſcripſerunt: quo titulo judicabant opinari, illam eſſe mortuam, ac corpus ejus in ſepulchro jacere. *Tertio* hic ſcriptor Oratione 2. totum ferme refert librum Melitonis *de tranſitu B. Mariæ Virginis* qui ab Eccleſia proſcriptus eſt ut apocryphus, atque ab antiquioribus SS. Patribus damnatus. Vt a Sophronio D. Hieronymi ſocio, atque a S. Fulberto Carnotenſi Epiſcopo in ſermone *de Aſſumptione B. Mariæ Virginis*, Sermone CCVIII. Appendicis ſermonum Auguſtinianorum noviſſimæ editionis. *Quarto* pag. 582. *Videtis*, inquit, *Chari Patres & Fratres quibus verbis celeberrimum illud templum ad nos utatur? Quod autem hac ita ſe habeant, liquet ex Euthymiana Hiſtoria, in qua libro tertio capite 40. diſerte ita ſcriptum eſt. Superius commemoratum eſt, quemadmodum ſancta Pulcheria Chriſto in urbe Conſtantinopolitana Eccleſias conſtruebat &c.* At phraſes iſtæ indicant recentiſſimum ſcriptorem, quippe cum antiquitus nec diſtinctiones ſeu numeri librorum, nec capitum citarentur; unde Conſarcinator homiliarum iſtarum, vel ſub finem ſeculi duntaxat XIII. vel ſeculo XIV. vixit, ubi citationes ejusmodi cœperunt. *Quinto* allegat Hiſtoriam hucusque inauditam, niſi per Euthymium hunc, intelligat Zigabenum Monachum, Scriptorem multorum Voluminum, qui anno 1118. floruit. At iſta haud probabunt has homilias ſpectare ad S. Joannem Damaſcenum Presbyterum & Monachum, qui an. 740. inſignis habebatur.

Jacobus de Varagine Genuæ Archiepiſcopus in libro *Annuarum Feſtivitatum* refert ſe incidiſſe in Volumen quoddam apocryphum ejusdem argumenti & tituli, S. Joanni Evangeliſtæ adſcriptum. In quo ſcriptum erat, Mariam Virginem anno vigeſimo quarto ab Aſcenſione filii ſui ex hac vita migraſſe, & omnes Apoſtolos momento temporis per aëra raptos, morienti affuiſſe atque ejus cadaver publico funere & ſolemnibus exequiis elatum, lapideo monumento condidiſſe; eamque poſt diem tertium revixiſſe & integro corpore deducentibus Angelis, in cœlum evolaſſe. Thomam vero, cum abfuiſſet, & rediens credere recuſaret, zonam quæ corpus virginis præcinctum erat, a ſublimi demiſſam accepiſſe: Reſurrectionis & corporeæ in cœlum aſſumptionis argumentum. Hieronymus ſive Comes D. Hieronymi Sophronius, in ſermone *de Aſſumptione Virginis*, hujus libri faciens mentionem, ita ſcribit. « Si venerit in manus tuas illud apocryphum *de tranſitu Mariæ Virginis*, dubia pro certis non recipiatis, quod multi Latinorum, pietatis amore & ſtudio legendi, cariùs amplectuntur. Monſtratur autem ſepulchrum ejus, usque ad præſens, in vallis Joſaphat medio. Hæc idcirco dixerim, quia multi noſtrorum dubitant, utrum aſſumpta fuerit ſimul cum corpore, an abierit relicto corpore? Quomodo autem, vel quo tempore, aut a quibus perſonis ſanctiſſimum corpus ejus inde ablatum fuerit, vel ubi transpoſitum, utrumne reſurrexerit, neſcitur: quam-

„vis nonnulli aſtruere velint eam jam reſuſcita„tam, & beata cum Chriſto immortalitate in „cœleſtibus veſtiri. Verumtamen quid ho„rum verius cenſeatur, ambigimus: melius ta„men Deo totum, cui nihil impoſſibile eſt, com„mittimus, quam ut aliquid temere definire ve„limus authoritate noſtra. Sed & utrum re„dierit in pulverem terræ, certum non habe„mus. Denique hujus fabulæ ſeu Operis in„ſcriptionem, narrationem & authoritatem re„fellit his verbis, Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus Sermone CCVIII. Appendicis Sermonum Auguſtinianorum noviſſimæ impreſſionis, qui anno 1028. mortuus eſſe dicitur. „Virgo Ma„ria quo ordine hinc ad ſuperna tranſierit, nul„la Catholica narrat Hiſtoria. Non ſolum au„tem reſpuere apocrypha, verum etiam igno„rare dicitur hæc Eccleſia. Siquidem ſunt non„nulla ſine authoris nomine de ejus Aſſumptio„ne conſcripta, quæ (ut dixi) ita caventur, ut „ad confirmandam rei veritatem, minime legi „permittantur. Hinc ſane pulſantur nonnulli, „quia nec corpus ejus in terra reperitur, nec aſ„ſumptio ejus cum carne, ut in apocrypha legi„tur, in Catholica reperitur Hiſtoria. Sed di„gnum non eſt de corporis ejus notitia ſollici„tum quempiam eſſe, quam non dubitat ſupra „cœlos elatam cum Chriſto regnare. Sed nec „invenitur apud Latinos aliquis Tractatorum, „de ejus morte quippiam dixiſſe aperte. Et „quid de his loquor, cum nec ipſe qui hanc ac„cepit ante crucem Domini *in ſua:* id eſt, Joan„nes Evangeliſta, de hoc poſteris aliquid ſcri„ptis retinendum mandaverit? Nullus enim „hoc fidelius narrare potuit, ſi illud Deus mani„feſtari voluiſſet. Reſtat ergo, ut homo men„daciter non fingat apertum, quod Deus voluit „manere occultum. Vera autem de ejus aſ„ſumptione ſententia eſt, ut ſecundum Apoſto„lum ſive in corpore ſive extra corpus ignoran„tes aſſumptam, ſuper Angelos eam eſſe creda„mus.„ Hæc de tranſitu & aſſumptione B. Mariæ, Fulbertus ſeculo Chriſti XI.

Jambi Pentaſtici, Carmina, Hymni, Cantica pag. 585. ſunt S. Joannis Damaſceni.

De Dialectica ſive Logica liber p. 624. ejusdem, ad Coſmam Majumæ Epiſcopum.

De natura & eſſentia Inſtitutiones p. 653.

Ejusdem phyſica Inſtitutiones ſeu de phyſica pag. 657.

De hæreſibus liber p. 688. Hunc librum edidit Græce & Latine anno 1677. Pariſiis in 4. apud Franciſcum Muguet, Joannes Baptiſta Cotelerius Tomo primo *Veterum Monumentorum Eccleſiæ Græcæ* pag. 278. ad 338. ex Codice Regio MS. Græco 2336. Idem Opus habetur MS. in Cæſarea Bibliotheca, inter MSS. Codices Theologicos Græcos, Codicibus 202. & 247. ut habet Petrus Lambecius in Commentariis ad hanc bibliothecam.

Adverſus Manichæos Dialogus, pag. 699. Cum Græcum hunc Dialogum MS. ab illuſtriſſimo Cardinale Sirleto, Billius accepiſſet, atque cum eo qui Baſileæ poſtea excuſus eſt contuliſſet: eos etiam in plerisque mendoſis locis ita concordes reperit, ut prorſus exiſtimaverit, vel Baſileenſem ex Manuſcripto Cardinalis, vel utrumque ab alio quodam tranſcriptum eſſe. Non immerito autem Doctiſſimus Joannis Damaſceni interpres Jacobus Billius, dubitat *de Dialogo adverſus Manichæos* an ipſius ſit, propter hæc verba, quibus metaphoricus, non verus ignis inferni ſignificatur: *Quod ſi ſatius fuiſſet ei* (nempe Diabolo) *non ortum eſſe, quam ortum eſſe ac ſempiternis pœnis affici dixeritis: hoc a nobis reſponſi feretis, pœnam illam nihil aliud eſſe, quam cupiditatis, vitii ac peccati ignem, ac flammam fruſtranea cupiditatis.* Hoc porro repugnat S. Joanni Damaſceno lib. 2. de fide orthodoxa dicenti c. 4. *Diabolo ipſisque Dæmonibus, iisque qui ducem ipſum ſequuntur, nunquam extinguendus ignis, ſupplicium-que ſempiternum paratum eſt.* Et lib. 4. cap. ultimo. *Diabolus & ipſius dæmones, & ipſius homo hoc eſt Antichriſtus, & impii ac flagitioſi homines, in ignem æternum non materia inſtar hujuſce noſtri conſtantem, ſed qualem Deus novit, conjicientur.*

De natura compoſita contra Acephalos pagina 719.

Epiſtola ſeu libellus de Triſagio, hoc eſt, ter ſancto Hymno pag. 722.

De duabus in Chriſto voluntatibus & actionibus pag. 731. Latine tantum evulgatum, ſicut & in tomo 4. *Antiquarum* Lectionum Henrici Caniſii. At Opuſculum iſtud *de duabus Voluntatibus & Operationibus in Chriſto*, Græce & Latine in *Auctario Græcolatino* Bibliothecæ SS. Patrum Pariſienſis ultimæ editionis, Opera Franciſci Combefis, anni 1648.

Oratio quomodo ad imaginem Dei facti ſumus pag. 741.

Orationes tres pro cultu ſanctarum imaginum pag. 746. dubiæ, cum *Oratione in Sabbathum ſanctum* pag. 912.

Vita S. Stephani junioris Martyris p. 789. Hanc non ſpectare ad S. Joannem Damaſcenum, vult Daniel Papebrochius in prolegomenis ad Vitam S. Joannis Damaſceni, Num. 16. ubi ſic. *Ego ex Allatis hic indico iis addi poſſe, pro Vita S. Stephani Martyris, quæ certo Damaſceni non eſt, ſed Metaphraſtis, deſumpta ex antiquiore alia, a Stephano Magnæ Eccleſiæ Diacono compoſita, quam ſuo tempore in lucem efferemus.*

Diſceptatio Chriſtiani & Sarraceni pag. 811. Opuſculum incerti authoris eſt.

Sermo S. Joannis Damaſceni *de die Judicii* pag. 826. Eſt Opus S. Cæſarii Arelatenſis Epiſcopi, quem cum tam ſæpe legerim, ut memoriter teneam: riſi ad primas lineas, ubi hoc Opus attributum S. Joanni Damaſceno vidi.

Hiſtoria Sanctorum Barlaam & Joſaphat p. 828. Quidquid alii dicant, puriſſimum mihi atque gravibus viris commentum eſt, ab otioſo Monacho conſcriptum, de quo Bellarminus & Labbeus.

In

In Auctario Græcolatino bibliothecæ magnæ Parisiensis editionis anni 1648. Opera Francisci Combefis Ordinis Fratrum Prædicatorum prodiit ejusdem sancti Joannis Damasceni Opusculum *de duabus voluntatibus & Operationibus in Christo*, Tomo I. pag. 465. cum notis pag. 534. ad 546. quod Latine tantum evulgaverat Henricus Canisius tom. IV. *Antiquæ Lectionis*. Itemque *Oratio demonstrativa de sacris Imaginibus: ad Christianos omnes adversus Imperatorem Constantinum Caballinum ac hæreticos universos*, pag. 664. cum notis pag. 708. ad 716.

Idem Franciscus Combefis tribuit ex MS. Codice Bibliothecæ Eminentissimi Cardinalis Julii Mazarini, ingens *Encomium sanctæ Barbaræ Virginis & Martyris* sub nomine S. Joannis Damasceni, in *Bibliotheca Patrum Concionatoria*, quam sex in folio voluminibus edendam Parisiis jamdudum curavit. Hanc successores Bollandi in vitis sanctorum, *in prolegomenis* ad Vitam S. Joannis Damasceni ad diem 6. Maji num. 16. pag. seu fol. 111. calculo suo adprobare videntur: & si illam substituant in seriem aliorum Operum quæ ad Damascenum spectare non censent. *Pro hac inquam vita, addi posse suggero sermonem de gloriosa Christi Martyre Barbara, quem sub illius nomine, nescio ubi, reperit, ejusque vere esse censuit Leo Allatius, vir in talium discrimine versatissimus.* Ita illi; censeo autem ego homiliam hanc esse indignam S. Joanne Damasceno, nisi virum hunc fuisse fabulosissimum atque miraculorum avidissimum, etiam omnino incredibilium, consentiant. Quisquis ille sit, qui laudationem hanc *sanctæ Barbaræ* conscripserit, is se omnino Græcum prodit: dumque tam stupenda atque inaudita & pene incredibilia narrat: omnem a se auditorum fidem, omnem prudentum approbationem perdit. Nec quantumcunq; etiam eruditus in Græcis fuerit Leo Allatius, mihi unquam suadebit, tot prodigia tam facile ab Joanne Damasceno, fuisse vel credita vel scripta.

Denique libellus *S. Johannis Damasceni de Resurrectione & de Paradiso* Græce excusus fuit Parisiis in 16. anno 1541. apud Wechelum, ut quidem ex Conrado Gesnero & Josia Simlero didici, neque enim hactenus in manus meas venit.

Mortuus autem est S. Joannes Damascenus circa annum 7[illegible] ante pacem Ecclesiæ redditam vel concessam imaginum restitutionem. De illo pluribus Joannes Patriarcha Hierosolymitanus, qui ejus vitam scripsit duobus ferme seculis post mortem Damasceni circa annum 969. ut habet Papebrochius in *prolegomenis* num. 3. quam habes Græce & Latine tom. 2. Maji Bollandistarum pag. 111. & 727. Itemque Constantinus Acropolita Logotheta Constantinopolitanus, Græce & Latine pag. 731. ejus encomium seculo XIV. exeunte scripsit, verbose pro more Græcorum.

CAPVT SECVNDVM.

DE

VARIIS EDITIONIBVS OPERVM D. JOANNIS DAMASCENI, ATQVE ORDINE NONNVLLARVM PRÆCIPVARVM.

PRæter recensita Joannis Damasceni Monachi & Presbyteri Opera, extant alia alterius Joannis Damasceni, professione Medici. Hujus ultimi Joannis Damasceni *Opus de medicamentis purgantibus* & aliis ad medicinam pertinentibus MS. Cod. 2009. Regiæ Galliarum Bibliothecæ, & 2777. bibliothecæ Colbertinæ, ad alium omnino spectat Joannem filium Mesuæ, Damasco itidem ortum, eximium Medicum, quem labente seculo XII. Christianæ Æræ floruisse perhibent. Hujus edidit in folio Henricus Petri Basileæ anno 1543. *Joannis Damasceni Decapolitani* summæ inter Arabes doctrinæ Medici *Libros VII. Thempevtica Methodi*, partim ab Albino Torino, partim a Gerardo Cremonensi Medico translatos. Ejusdem pariter Damasceni Medici apud Arabes celeberrimi Opus fuisse credimus tractatum illum MS, qui recensetur ab Philippo Labbeo, in *Specimine Antiquarum Lectionum Græcarum Latinarumque*, pagina 212. Unde nonnulli parum cauti, utrumque Damascenum confuderunt, atque in unum conflarunt. Inter cæteros Symphorianus Champerius laudatus a Conrado Gesnero Medicus, sanctum huncce nostrum Monachum confundit cum Joanne filio Mesuæ, dicto etiam Damasceno insigni Medico: eumque virum in medicinis doctum fuisse asserit, ac de eo miranda narrari, quod propter excellentiam doctrinæ & vitæ probitatem in magno pretio habitus sit, quod apud Constantinopolim Prælatus constitutus, multos ab iniquitate averterit &c. Verum deceptus est Champerius, cumque nonnulli secuti. Nam filius Mesuæ, Damasco ortus, vixit circa annum 1165. Imperante Germanis Frederico Barbarossa, Græcis vero Manuele Comneno: dicitur *Janus Damascenus* in Basileensi Medicorum ejus Operum editione apud Henricum Petri anno 1543. De hoc itaque Joanne Damasceno Medico hic non loquimur, sed de Presbytero & Monacho, cujus varia Opera extant.

His itaque præmissis præcipuarum S. Joannis Damasceni editionum delineationem sive conspectum Lectoribus subjicere, non abs re fore censuimus: ut omnes intelligant, quam jejunæ fuerint illæ hactenus atque exiles, quam temere ac nullo prorsus tractatuum ordine servato digestæ, si cum altera, quam quis meditari & adornare per otium posset, editione Græca Latinaque eas comparare volueris. Præcipuas autem hic appello, quæ ab anno 1548. initium ducunt & nonnullos Tractatus Græce exhibent. Nam præcedentes duas Parisienses typis

Hen-

Henrici Stephani ſenioris anno 1507. in quarto & anno 1519. in folio, & Baſileenſem ex officina Henrici Petri anno 1539. in folio, in lucem emiſſas: quippe quæ in plerisque mancæ ac mutilæ longius, ab inſtituto noſtro abhorreant, omnino prætermittere decrevimus.

Conſpectus Editionis Baſileenſis anni 1548. ſive Operum S. Joannis Damaſceni, quæ in ea continentur, Catalogus.

Orthodoxæ fidei accurata editio libris IV. comprehenſa, quibus hæc tractantur. 1. De ineffabili Divinitate. 2. De creaturarum Geneſi ordine Moſeos. 3. De iis quæ ab Incarnatione usque ad Reſurrectionem Chriſti. 4. De iis quæ poſt Reſurrectionem Chriſti, usque ad univerſalem Reſurrectionem. Græce & Latine, *interprete Jacobo Fabro Stapulenſi, cum pia in eosdem & erudita Commentatione Jodoci Clicthovæi Neoportuenſis.*

Ejusdem S. Joannis Damaſceni, ſermo: *Quod qui in fide hinc migrarunt, ſacris Operationibus & vivorum beneficiis multum adjuventur.* Græce & Latine pag. 416. *interprete Joanne Oecolampadio.*

De Decretis & Placitis primæ Inſtitutionis. pag. 523.

De duabus Chriſti voluntatibus & actionibus, reliquisque naturalibus proprietatibus, pagina 528.

Beati Maximi de duabus Chriſti Naturis libellus pag. 546.

Hæreſum quæ ad illius tempora extiterunt, Catalogus. 547. *Interprete Joachimo Perionio Benedictino Cormeriacenſi.*

Epiſtola de eo quod canit Eccleſia, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis.* 561.

Diſceptatio Chriſtiani & Saraceni. 572.

De Dialectica ſive Logica, liber capitum quinquaginta. 578. interprete incerto.

Fragmentum aliquot ſententiarum 575. Bilibaldo Pirkeimero interprete.

Farrago aliquorum Carminum 605. Interprete Aldo Manutio Romano.

Hiſtoriam duorum Chriſti Martyrum Barlaam & Joſaphat, Editores reliquis hujus authoris Operibus ſubjiciendam duxerunt, quam Eruditi quædam & plurimi an Damaſceni ſit, ambigunt. Digna tamen Georgio Trapezuntio viſa eſt, quam a ſe converſam Latinis legendam exhiberet. Fabula S. Joanne Damaſceno & ſcriptore quovis alio indigna.

Conſpectus Tractatuum qui continentur in Sancti Joannis Damaſceni Operibus ſecundæ editionis Baſileenſis anni 1575.

I. Ἔκθεσις ὀρθοδόξου πίστεως. Id eſt, *Expoſitio Orthodoxæ fidei*, Græce & Latine, interprete Jacobo Fabro Stapulenſi, illuſtrata Enarratione pia & erudita Jodoci Clicthovæi Neoportuenſis. fol. 1.

II. Περὶ τῶν ἐν πίστει κεκοιμημένων id eſt, De iis qui in fide obdormierunt, Græce & Latine. fol. 416.

III. Item & alia translatio, de iis qui in fide obdormierunt. fol. 433.

IV. De Dormitione ſanctæ Dei Genitricis, orationes duæ. 444.

V. De die judicii oratio. 457.

VI. De Decretis & Placitis primæ Inſtitutiones, Græce & Latine. 459.

VII. De duabus Chriſti voluntatibus & actionibus reliquisque proprietatibus, Græce & Latine: adjecto B. Maximi De duabus Chriſti Naturis libello. 459.

VIII. Quomodo ad imaginem Dei facti ſumus, Græce & Latine. 489.

IX. De Triſagio, ſeu de eo quod Eccleſia canit, *Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis*, Græce & Latine. 501.

X. Contra Manichæos Dialogus Orthodoxi & Manichæi, Græce & Latine. 516.

XI. De Natura Compoſita contra Acephalos hæreticos, Græce & Latine. 567.

XII. Catalogus hæreſum quæ ad illius tempora extiterunt, interprete Joachimo Perionio. 574.

XIII. Diſceptatio Chriſtiani & Saraceni. fol. 587.

XIV. Fragmentum aliquot ſententiarum, interprete Bilibaldo Pirkeimero. 590.

XV. Farrago Carminum, interprete Aldo Manutio Romano, Græce & Latine. 591.

XVI. Dialectica ſive Logica, cui multa de novo adjecta, Græce & Latine, 608.

XVII. Vita S. Joannis Damaſceni per Joannem Hieroſolymitanum conſcripta, Græce & Latine. 676.

XVIII. De Imaginibus colendis Orationes tres, Græce & Latine, 699. Interprete Petro Franciſco Zino Veronenſi.

XIX. Hiſtoria duorum Chriſti Martyrum 815. Interprete Georgio Trapezuntio. Opus fabuloſum.

Conſpectus omnium D. Joannis Damaſceni Operum, editionis anni 1577. typis Guillelmi Chaudiere, ſeu Calderianis, quam Pariſienſem primam vocare ſolemus.

Illam procuravit Jacobus [illegible]ius Gallus, Abbas Commendatarius S. Michaëlis in Eremo, ubi quæ Aſteriſco notantur, tunc primum in lucem exierunt: & omnia ea quibus proprium interpretis nomen adjunctum non eſt, a Jacobo Billio latinitate donata ſunt.

* Parallelorum Moralium ordine alphabetico congeſtorum, libri tres. folio 1. Latine facti ex MS. Codice Græco Vaticanæ Bibliothecæ.

De Orthodoxa fide libri quatuor, cum Clicthovæi Commentariis. fol. 163.

De

De iis qui in fide obierunt. 351.

* Oratio de Chriſti transfiguratione, Græce & Latine. 357.

* Orationes tres de Nativitate B. Mariæ, Græce & Latine. 367.

De Aſſumptione ejusdem 386.

Iambica pentaſtica, Græce & Latine. 395.

Varia Cantica numeris ſoluta. 401.

* Octoechi, Damaſceno & Metrophane, aliisque authoribus, interprete Petro Morelio Turonenſi. 404.

Dialectica Damaſceni. 418.

De Decretis & Placitis primæ Inſtitutiones, interprete Joachimo Perionio. 437.

* Phyſica Damaſceni. 440. quæ pertinet ad Maximum Planudem, ſcriptorem Græcum ultimorum temporum anni circiter 1340. de quo infra.

De hæreſibus, interprete Joachimo Perionio. 462.

Adverſus Manichæos Dialogus. 469.

De Natura Compoſita. 483.

Epiſtola de Triſagio. 485.

De duabus Chriſti voluntatibus, interprete Joachimo Perionio. 492.

Quomodo ad imaginem Dei creati ſumus, interprete eodem. 499.

De imaginibus Orationes tres, interprete Franciſco Zino Veronenſi. 502.

* Vita ſancti Stephani junioris. 531.

Diſputatio Chriſtiani & Saraceni, interprete incerto. 546.

Fragmentum aliquot Sententiarum, interprete Pirkeimero. 548.

* Evagrii libellus *de octo vitioſis cogitationibus*. fol. 549.

* Nili Abbatis, *de iisdem*. 550.

De die judicii, interprete nullo, cum ſit Latini hominis. 556.

Damaſceni Hiſtoria Sanctorum Barlaam & Joſaphat. 557. Opus fabuloſum.

De aliis editionibus Pariſienſibus, ſecunda, tertia & quarta, ſumptibus Societatis Typographicæ annorum 1603. 1615. & 1619.

Poſtremo quod ſpectat ad alteram, tertiamque & quartam omnium S. Joannis Damaſceni Operum editiones, Lutetiæ Pariſiorum communibus plurimum Tyrographorum impenſis in lucem emiſſas: eæ non abſimiles ſunt iſti Billianæ, cujus modo Elenchum exhibuimus: præterquam quod ad calcem pauculis aliquot Opuſculis ſtudio atque opera docti viri Frontonis le Duc, locupletatæ apparent: quorum hic quoque Catalogum, ne quid deeſſe videatur, paucis repræſentabo.

I. Sancti Joannis Damaſceni Oratio de Sabbatho ſancto Græce & Latine, interprete Petro Pantino Thetano.

II. Ejusdem Epiſtola miſſa ad Zachariam Doarorum Epiſcopum, de ſacro corpore Domini ac Dei & Servatoris noſtri JESV CHRISTI, interprete eodem. Græce & Latine.

III. Aliud capitulum de eadem re, interprete eodem Græce & Latine.

IV. Annotationes ejusdem Pantini in primam Orationem *de Nativitate Beatæ Mariæ Virginis*.

V. Præcipua Capita nefandi Maſſalianorum dogmatis, a S. Joanne Damaſceno, deprompta ex quodam illorum libro.

VI. Nonnulla Græce tantum ex tractatu ejusdem de hæreſibus: & inſuper quædam Græce & Latine ex MS. Codice Auguſtanæ Bibliothecæ.

VII. Notæ in librum de Hæreſibus, Frontonis le Duc, Societatis Jeſu Theologiæ profeſſoris.

CAPVT TERTIVM.

QVID OPIS ATQVE SVBSIDII AD NOVAM EDITIONEM GRÆCOLATINAM, SPERARE POSSIMVS EX MSS. CODICIBVS GALLICIS, ITALICIS ET ALIIS.

Nemo ferme (quod advertendum eſt) qui majori commodo colligendis in unum omnibus S. Joannis Damaſceni Operibus vacare poſſit, quam qui vel Romæ aut in alia Italiæ potentiſſima urbe, vel Pariſiis in Gallia commoretur: ut in promptu habeat ingentem Manuſcriptorum Codicum ſupellectilem, quibus adjuvari poſſit.

Nam quoad Italiam Conradus Geſnerus, ejusque Epitomator Joſias Simlerus, teſtantur Græce extare Romæ in Vaticana Pontificia Bibliotheca, Manuſcriptis in Codicibus, *S. Joannis Damaſceni Sententias, Parallela, capita centum de hæreſibus, ſermonem de immaculato corpore Domini cui participamus, Logicam, Theologica & Philoſophica varia, Capita Philoſophica & Dogmatica, Octoechos &c.* Nec dubium mihi, quin longe plura ſint paucis recenſitis, cum Bibliotheca iſta Europæ Maxima, poſtmodum acceſſione Bibliothecæ Heidelbergenſis ſeu Palatinæ ditata ſit, novisque in dies MSS. Codicum acceſſionibus locupletetur: unde nulla opinor quæ tot tamque varia Damaſceni Opera MSS. complectatur. Audio etiam & Florentiæ & Venetiis in bibliothecis iſtarum urbium celeberrimis, extare MSS. Codices plurimos Operum S. Joannis Damaſceni. Joannes Jacobus Friſius Tigurinus in Additionibus ad Epitomen Geſnerianæ Bibliothecæ anno 1583. excuſam, docet Viennæ in Auſtria in Imperatoria Bibliotheca extare plura MSS. Græce ſancti Joannis Damaſceni, nempe *Concionem de magno Sabbato: Contra Manichæos: De virginitate: Dialecticam: Octoechon tractans varia theologica*, junctis ejusdem Hymnis in *Reſurrectionem*, cum univerſa theologia in Bibliis comprehenſa. Sed quisquis iſta cognoſcere

Digitized by Google

gnoscere propius voluerit, habet *Bibliothecam Imperialem amplissimam* multis in folio voluminibus expressam, quam orbi literario Petrus Lambecius vir eruditissimus edidit, paucis ab hinc annis.

Nimirum ab anno 1665 Viennæ seu Augustæ Vindobonensi, quo ex tempore octo volumina in folio ad annum usque 1680 prodierunt, cui nondum perfecto operi clarissimus author magno Reipublicæ literariæ damno immortuus est. Extant autem ex his Petri Lambecii Commentariis, inter Manuscriptos Codices Theologicos Græcos Cæsareæ bibliothecæ, Opera S. Joannis Damasceni quæ sequuntur.

THEOLOGICA.

Expositio accurata Orthodoxæ fidei Codice MS. Theologico Græco 59. num. 2. a fol. 3. pag. 2. ad folium 56. p. 1. Ejusdem Opus de Orthodoxa fide Codicibus 198. 199. 200. 201. num. XI. & quidem a folio 66. p. 1. usque ad folium 95. p. 2. & a folio 99. p. 1. usque ad folium 127. p. 2. S. Joannis Damasceni Opus de fide Orthodoxa, non ut vulgo tum impressum est, in 4. libros distinctum, sed in 96. capita divisum. Idem Codice 202. num. 1. a fol. 1. pag. 1. ad fol. 180. p. 2. Codice 203. num. 2. Codice 204. n. 21. Cod. 205. num. 2. Codice 193. n. 2.

Ejusdem *Definitiones Theologicæ* per Interrogationes & Responsiones, Codice 147. num. 10. a folio 61. p. 1. ad 65. p. 1. Codice 201. n. 2. a folio 83. p. 2. ad fol. 87. seu ultimum.

Ejusdem *Liber contra hæreses*, Codice 247. n. 25. a folio 87. p. 1. ad folium 100. p. 1. Codice 202. n. 3. a folio 246. p. 1. ad 269.

Ejusdem *Liber qui inscribitur Disputatio Saraceni & Christiani*, ibidem Codice 247. n. 26. a fol. 100. p. 1. ad 102. p. 2.

Ejusdem *Liber contra Nestorianam hæresim* Codice 57. a fol. 415. p. 1. ad fol. 420. p. 2.

Ejusdem *Dialogus contra Manichæos* Cod. 150. n. 2. a fol. 11. p. 1. ad fol. 47. p. 1.

Ejusdem *Opusculum de octo præcipuis cogitationibus vitiosis & de anima*, Codice 184. n. 3. a fol. 41. p. 1. ad 44. p. 2.

Ejusdem *Doctrina de unitate & differentia Sanctæ Trinitatis*, ibidem Codice 246. num. 13. fol. 120. p. 1. & 2.

Ejusdem *Epistola de Hymno Trisagio ad Joannem Archimandritam* Codice 246. n. 11. a folio 89. p. 1. ad folium 114. p. 1.

Ejusdem *Precatio* in MS. Codice 19. folio 168. & 169.

ENCOMIASTICA.

Oratio in Nativitatem beatissimæ Virginis Mariæ, Codice 140. num. 7. folio 284. pag. 1. ad 286. p. 2.

Oratio de sacris Imaginibus Codice 144. n. 27. folio 119. p. 1. ad folium 128 p. 2.

Ibidem *Oratio, quod ii qui in fide ex hac vita recesserunt, vivorum Missis ac beneficiis adjuventur* Codice 144 num. 42 a folio 204 pag. 2 ad 211 p. 2.

Codice 146 num. 22 a folio 205 p. 2 ad 219 pag. 1. Codice 152 num. 14 a folio 165 p. 2 ad 147 pag. 2. Codice 315 num. 21 a folio 192 pag. 1 ad folium 206 p. 1.

Ejusdem *Oratio de incorruptibili corpore Christi, quod in sacra cœna accipimus*, Codice 246 num. 12 a folio 114 p. 1 ad 119 p. 1.

Ejusdem *Oratio habita magno sabbatho sanctæ hebdomadæ*, Codice 249 num. 14 a folio 166 p. 2 ad 188 p. 1.

Ejusdem *Historia de Barlaamo & Josaphate*, Codice 145 num. 21 a folio 89 p. 1 ad folium 166.

ECCLESIASTICA POETICA.

Liber Ecclesiasticus Græcorum, cum antiquis Notis musicis, qui Octoechus inscriptus, & maximam partem a sancto Johanne Damasceno compositus, extat in Codicibus 306. 307. 309 & 323.

Ejusdem Canones seu Cantica Ecclesiastica cum Expositione Joannis Zonaræ & Niceta Metropolitæ Thessalonicensis, Codice MS. Theologico Græco 25 a folio 33 ad 191.

Ejusdem Canones Anastasimi cum Joannis Zonaræ Commentario amplissimo, Codice 206.

Ejusdem S. Joannis Damasceni Canones Anastasimi, cum Expositione Joannis Zonaræ, extant quoque ibidem in Codicibus 313. 314 & 319.

Ejusdem Canones seu Cantica Ecclesiastica, cum Expositione singulis tropariis specialim subjuncta, Codice 318.

Ejusdem Canones seu Cantica via Jambica, Pentastycha, una cum Paraphrasi Theodori Prodromi, Codice 147 num. 9 a folio 53 p. 1 usque ad folium 61 p. 1.

Ejusdem Canticum Jambicum Pentastichum de Spiritu Sancto, cum Commentario Eustathii Archiepiscopi Thessalonicensis amplissimo, extat ibidem Codice 298.

Ejusdem Canones seu Cantica in præcipuis sacris solemnitatibus cantari solita, cum Expositione Theodori Prodromi, Codice 315 num. 12 a folio 1 p. 1 ad folium 191 p. 2 Codicibus 316 & 317.

Ejusdem Joannis Damasceni Troparia sive Cantica Codice 304 num. 2 a folio 185 p. 1 ad 325 p. 1 cum Notis musicis antiquis, a Dominica Publicani & Pharisæi, usque ad festum omnium Sanctorum.

PHILOSOPHICA.

Ejusdem Joannis Damasceni Dialectica seu Logica in capita 50 divisa, Codice 149 num. 14 folio 128 p. 1 ad 231 p. 2. Codice 202. num. 2 a folio 180 p. 2 ad 245 pag. 2. Codice 203 num. 1. 204 num. 1 cum antiquis Scholiis Græcis marginalibus, tabulis synopticis, & Prolegomenis de Philosophia generalibus. Codicibus 205 num. 1. 293 n. 1. 294 n. 1 folio 1.

Ejusdem prima institutiones de Decretis & Placitis, Codice 188 num. 3 folio 25 pag. 1 ad foliuna 27 p. 1.

Sed ut ad Italicas revertamur, notat Labbeus

beus in Opuſculo inſcripto, *Conſpectus novæ editionis omnium S. Joannis Damaſceni Operum quatuor tomis ſeu voluminibus diſtributorum*, quod in 4 apud Sebaſtianum Cramoiſy Pariſiis anno 1652 impreſſum eſt. Notat inquam pag. 58 incidiſſe ſe pronuper in accuratiſſimum *Indicem Librorum Græcorum*, qui Romæ erant in Bibliotheca Sforziana, atque in iis deprehendi, Sermonem S. Joannis Damaſceni De obitu beatæ Mariæ 39. De nativitate B. Virginis 65. De purificatione ejusdem B. Virginis 65. Hymnos plures 88. Encomium in S. Joannem Chryſoſtomum 65. De fide orthodoxa libros quatuor 105. Expoſitionem verborum Theologicorum 110. De philoſophica cognitione quæ neceſſaria eſt ad Theologiam 105. De corpore Chriſti quod ſumimus, illud idem eſſe quod ſumptum eſt ex Maria, & quod in cruce immolatum 110. Iſagogen dogmatum 74. Epiſtolam de Triſagio 74. Contra Acephalos 74. Sermones contra impugnantes imagines 74. Joannis Sinaïtæ hiſtoriam de Barlaam & Joſaphat & ſanctis in India 61. Joannis deniq; Archiepiſcopi Hieroſolymitani, De vita ſancti Joannis Damaſceni 74 & 65. Denique in Barberina bibliotheca aſſervantur, MSS. Orationes quinque S. Joannis Damaſceni in B. Virginem, S. Joannem Chryſoſtomum, & transfigurationem Chriſti num. 26. Libellus orthodoxiæ num. 41. Encomium S. Joannis Chryſoſtomi 44. Expoſitio orthodoxæ fidei & De triſagio cum authoritatibus SS. Patrum Cyrilli, Procli, Athanaſii, Baſilii, Gregorii Nazianzeni, & Nyſſeni 45. Capita Philoſophica LII. Expoſitio orthodoxæ fidei & de hæreſibus capita centum 46 & 47. in quo de Agarenorum hæreſi, & quomodo Sarracenis reſpondendum pro Chriſto. περὶ Φθορᾶς ſeu De corruptibilitate, ejusdemque diverſæ authoritates 244. Capita philoſophica 271. Nec dubium quin multa alia MSS. volumina ejusdem Joannis reperiantur, in plurimis & vetuſtis Romæ Bibliothecis: in Vallicellana Patrum Oratorii Domini noſtri Jeſu Chriſti, in bibliotheca Collegii ſeu Collegiorum S. Jeſu, & alibi.

Jam veniamus ad MSS. Codices Galliæ, quibus impenſe juvari poſſet, quisquis Pariſiis vellet operam impendere, omnibus evulgandis & conferendis S. Joannis Damaſceni Operibus; ab ipſa Regia Bibliotheca clariſſima ordiamur.

Sancti Joannis Damaſceni libri quatuor ſeu Capita centum de orthodoxa fide continentur in Codicibus MSS. Bibliothecæ Chriſtianiſſimi Francorum Regis 943. 1511. 1995. 2004. & faſciculo 27. In Codicibus etiam 3734. in folio, & 3966. 3967. habetur latina interpretatio eorundem S. Joannis Damaſceni de fide orthodoxa librorum quatuor, facta a Burgundione Judice cive Piſano ad Romanum Pontificem Eugenium III. quæ incipit, *Deum nemo vidit unquam &c.* Nullum porro Opuſculum ferme S. Joannis Damaſceni eſt, cujus MSS. Codices & quidem plures, non inveniantur in Regia Gallia-rum Bibliotheca, quos refert Philippus Labbeus in *Conſpectu novæ editionis omnium S. Joannis Damaſceni Operum* parte 1. Appendicis, pag. 34. & ſequentibus. Sed ex quo poſt mortem Julii Cardinalis Mazarini, omnia MSS. Exemplaria vetera hujus bibliothecæ in Regiam translata ſunt, longe pluribus abundat Regia Manuſcriptis Codicibus Operum Damaſceni, quam anno 1652. Labbeus expreſſerit. Præterea cum anno 1686. a multis doctiſſimis viris Catalogi novi Maximæ hujus Bibliothecæ conſcripti ſumma fide ſint, atque omnes ferme numeri anteriores immutati: quisquis ad iſtos Codices recurrere impoſterum voluerit, habeat neceſſum eſt novum Catalogum Manuſcriptorum Codicum, quem Ordine Alphabetico multa cura adornant cuſtodes Bibliothecarii. Hujus enim inſpectu non tantum quoties & quibus in voluminibus Opera quæque vel Opuſcula ſingulorum Authorum contineantur, inveniet: ſed etiam in qua Codicis cujuscunque pagina habeantur, diſcet. Non itaque amplius valent numeri quos affert Labbeus, in recenſione MSS. Codicum Bibliothecæ Regiæ Galliarum, ut mihi Citationes Labbeanas cum MSS. Codicibus ſæpe conferenti, innotuit. Quod ſemel admonuiſſe, non Doctos Pariſienſes qui rem hanc ſciunt, ſed advenas iſta neſcientes, ſufficiat.

Ad alias itaque Pariſienſes Bibliothecas, MSS. Codices Operum S. Joannis Damaſceni continentes & certis numeris indicantes, convertamur. Ac primum ad Colbertinam Beneficio Stephani Baluzii mihi familiarem, oculos admoveamus.

In ea plurima MSS. Opera S. Joannis Damaſceni extant, undique comparata atque illuc allata curis ac pecunia Joannis Baptiſtæ Colberti, viri erga litteratos propenſiſſimi. Sunt in dicta Colbertina Bibliotheca.

Joannis Damaſceni Libri IV. de fide orthodoxa Codd. 1539. 2765. 2951. 4361. 4672. 4780. 5015.

Idem latine interprete Burgundione, cive Piſano. 432.

Ejusdem liber de Sancta Trinitate 4618. 5015. 6044.

Idem de voluntatibus & operationibus Chriſti. 4780.

Ejusdem Oratio de his qui dormierunt in fide. 7. 847. 2443. 2839.

Ejusdem Iſagogica Dogmatum Capita decem. 4780.

Ejusdem liber de anima & corpore. 5104.

Ejusdem Orationes tres de imaginibus. 1539.

Ejusdem liber, quot modis dicitur homo ad imaginem &c. 4780.

Ejusdem homilia in ficum aridam. 1511. 1711. 2838. 5110.

Ejusdem homilia in proditionem Judæ. 2838.

Ejusdem homilia in paſſionem Chriſti. 2838.

Ejusdem homilia in Sabbatum Sanctum. 2443.

Ejusdem homilia in transfigurationem Dominicam 833. 977. 5110.

Ejusdem homilia de annunciatione Deiparæ. 4994.

Ejusdem homilia de conceptione virginis. 7.

Ejusdem homilia in dormitionem Deiparæ, 340. 833. 977. 1711. 4504.

Ejusdem sermones ex Ethyopico versi. 5227.

Ejusdem dialectica 4672. 4780. 5015.

Ejusdem Paschalion. 2277.

Ejusdem versus Jambici Lamentatorii. 4911.

Ejusdem gesta Barlaam & Josaphat 1174. 1633. 2610. 2800. 4080. 4107. 4190. 4233. 4469. 4481. 6143.

Joannis Damasceni Episcopi Eubeæ Encomium in Sanctam Martyrem Anastasiam. 7. 450.

Nec levia quoque ex MSS. Codicibus Collegii Claromontani Parisiensis ad novam quandam editionem adjumenta subministrabuntur. Atque ut de Parallelis ipsis sive Eclogarum sacrarum incomparabili libro verbum non addam, iis quæ ab Labbeo pag. 4. *novi Conspectus Operum S. Joannis Damasceni* præmissa sunt, extant in membranis descripta ejusdem Claromontanæ Bibliothecæ, & asservantur Græce, quæ sequuntur S. Damasceni Opera

1. Libri quatuor de fide orthodoxa, bis.

2. Libri duo Eclogarum Moralium, ordine alphabetico digestarum, ex MS. Codice Rupifucaldino.

3. Tractatus de iis qui cum fide excesserunt e vivis.

4. De libero arbitrio.

5. Epistola de trisagio hymno ad Jordanem Archimandritam.

6. Oratio adversus eos qui sacras imagines calumniantur.

7. Introductio dogmatum initialis ad Joannem Episcopum Laodicensium.

8. Dialectica ad Cosmam Majumæ Episcopum.

9. Philosophica & Capita numero 101.

10. Theodori Prodromi seu Ptochoprodromi, Expositio Canonum in Dominica festa, authoribus Cosma & Joanne Damasceno.

Extant denique & multa MSS. Opuscula S. Joannis Damasceni in insigni Bibliotheca clarissimi viri Petri Seguierii, per annos plurimos Franciæ Cancellarii, quos multo sumptu collegerat ex bibliothecis variis Italiæ atque Orientis. Possunt autem facillime inspici in Catalogo istius Bibliothecæ MSS. Codicum veterum & recentiorum, qui anno hoc 1686. Parisiis impressus est, dum hæc Bibliotheca venalis facta est. Sed Regio accedente mandato, inhibitum hæredibus ne MSS. Codices vel distraherentur vel venderentur: Regiæ Bibliothecæ (ut creditur) omnes aliquando accessuri, Doctorum omnium voto, publicoque commodo. Postremo ut huic tertio Capiti citius finem imponam, involvam silentio, quæ de S. Joannis Damasceni Opusculis deprehendi in Catalogis impressis, Oxonienſium, Cantabrigiensium, Bavarorum, Augustanorum, Messanensium & Scorialensium, qui habentur ad calcem *Apparatus sacri* Antonii Possevini.

CAPVT QVARTVM.

QVOMODO COMMODE ET PLENE OPERA SANCTI JOANNIS DAMASCENI, GRÆCE ET LATINE IMPRIMI IMPOSTERVM POSSINT, AD LECTORVM VTILITATEM.

EDidit uti jam sæpe diximus anno 1652. in 4. Parisiis apud Sebastianum Cramoisy Via Jacobæa sub Ciconiis Philippus Labbeus *Conspectum novæ Editionis omnium S. Joannis Damasceni Monachi & Presbyteri Operum*, Græce & Latine in 4. tomos seu volumina distribuendorum. Horum *primus* continere debebat Libros IV de fide orthodoxa Græce & Latine cum Commentariis prolixissimis Jodoci Clictovæi Neoportuensis, Theologi. *Secundus* Libros Parallelorum. *Tertius* Miscellanea, divisus in Sectiones quatuor, quarum *prima* continebat Theologica & Polemica, *secunda* Encomiastica, *tertia* Poëtica, *quarta* Philosophica. *Quartus* denique *Tomus*, habebat Historica & auscititia, cum tribus aut quatuor Indicibus. Joannes Aubertus idem ante Labbeum meditatus fuerat, ad quem proinde plura Damasceni, aliorumque huc spectantia Opera, Græce ex MSS. Codd. eruta, quædam etiam a se Latine versa, Leo Allatius Roma transmiserat: qui hoc etiam nomine Labbeum plagii insimulat, quod post Auberti mortem schedas suas Roma missas expilaverit. *Opem*, inquit, *& oleum perdidimus, & alienos labores furripient, se graculus nescio quis circumvestit.* Ut vero omnibus innotesceret, quid ipse in Damascenum contulerit, Catalogum Operum ad Aubertum transmissorum, calci *Symmictorum* suorum pag. 445. subnectendum curavit, quæ Coloniæ, id est Amstelodami, a. 1653. in 8. impressa sunt. Ita Labbeus editionem suam futuram instituerat, quam ego minus idoneam censeo, cum & paucioribus hæc omnia voluminibus, & convenientiori ordine distribuenda mihi videantur: si omnia Opera S. Joannis Damasceni in duo volumina distribuantur, quorum *primum* indubia illius Opera contineat, *ultimum* Opera perperam ipsi hucusque attributa: sive illa Encomiastica sint, sive Historica, sive Theologica & Polemica.

Tomus primus indubiorum S. Joannis Damasceni Monachi & Presbyteri Operum.

Divi

Digitized by Google

Divi Joannis Damasceni de orthodoxa fide accurata Descriptio, Græce & Latine.

Illi quidem quatuor libri *de fide orthodoxa*, semel atque iterum quidem antehac Græce editi sunt Basileæ ex officina Henrici Petri, primum anno 1548. tum postea anno 1575. cum eadem Latina interpretatione Jacobi Fabri Stapulensis, quæ Parisiis primum exierat in publicum anno 1507. ex typographia Henrici Stephani senioris in 4. Sed absque Græco textu, qui Veronæ duntaxat excusus fuit primum in 4. anno 1531. apud Sabios Fratres, cum Præfatione Græca Donati Veronensis ad Clementem VII. Romanum Pontificem. Ex qua nonnulla in laudem S. Joannis Damasceni exarata Latine reddidit Conradus Gesnerus *in sua bibliotheca*, additque Latinam versionem a Jacobo Fabro Stapulensi anno 1506. inter aulicos tumultus, majori fide quam dignitate & elegantia deproperatam fuisse. Longe ergo accuratior atq; elegantior Latina versio a clarissimo viro & de universa Republica Christiana quam optime merito Jacobo Billio Prunæo S. Michaelis in Eremo Abbate Commendatario concinnata est, quæ ter ad minimum abdicata priore, excusa fuit Parisiis primum quidem anno 1577. apud Guillelmum Chaudium, deinde annis 1603. 1615. & 1619. impensis Societatis Typographicæ, sed sola absque Græco textu apparuit. Hanc ultimam Labbeus in *Conspectu omnium S. Joannis Damasceni Operum* edendorum exhibito, ut hæc suis omnibus numeris absoluta esset editio, e regione Græco contextui ad plurimos MSS. Codices studiose emendando respondentem, Deo dante promiserat. Cui tamen lubens adjunxissem ad calcem Operis, illam antiquam versionem, quam ab annis quingentis & amplius, civis ille Pisanus Joannes Burgundio, circa annum 1150. composuit dicavitque Eugenio III. Romano Pontifici, quam habes manuscriptam in Bibliothecis Parisiensibus, Regia Codd. 3734. 3965. 3967. in Colbertina Cod. 432. Victorina & alibi.

In quinque illis editionibus Operum sancti Joannis Damasceni, addita sunt ad singula Capita librorum *de fide orthodoxa* eruditissima Jodoci Clictovæi Neoportuensis, Doctoris Theologi Parisiensis & Canonici Carnotensis Commentaria, quæ huic quoque suæ editioni deesse non passus fuisset Labbeus, ut ipse testatur: adjectis insuper specialibus Scholiis, ad Græci textus emendationem, & illustrationem perneccssariis. At ego contra hos Commentarios ut nimium prolixos, minimeque necessarios lubens omitterem, quippe cum & multam impleant chartam, & maxime obvium atque intelligibile sit Opus Damasceni, ut Commentariis ad intelligentiam sui nullatenus indigere videatur. Hæc mens mea adversus Labbeum, magnorum voluminum amatorem. Extant autem *Libri de fide orthodoxa*, Græce MSS. inter MSS. Codices Bodleianæ bibliothecæ Codice 10. Barocciano n. 1. Codice 272. in MSS. Thomæ Roe Codice 26. Codice 298. in MSS. Codd. Oliverii Cromwelli Codice 119. pag. 119. Codice 702. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi litera C. Codice 50. num. 2. Item Latine ex versione Joannis Burgundionis antiqua, ibidem Codice 670. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi litera C. Codice 18. n. 2. Codice 1882. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji A. 3. Codice 10. num. 13. pag. 159. Item Codice 3614. in Hyperoo Bodlejano Codice 148. n. 20. p. 367. & inter MSS. Codices Universitatis Oxoniensis Codice 607. in MSS. Codd. Collegii Mertonensis Codice 140. num. 4. Et Codice 612. in iisdem Manuscriptis. Codice 145. num. 1. Et Codice 1609. in MSS. Collegii Corporis Christi, Cod. 142 num. 1. & alibi.

De hæresibus liber, seu Catalogus hæresum, quæ ad illius tempora exiterunt, interprete Joachimo Perionio Monacho Benedictino Cormeriaceno, quem exhibuerunt hactenus emissæ in vulgus Basileenses editiones, Parisienses que absque Græco contextu. Videndum an non inveniatur in Bibliothecis Romanis vel Parisiensibus quæ tot MSS. Codicibus abundant, Regia potissimum, quæ jam Mazarinam continet. Pars prior hujus Operis nihil aliud est, quam *Anacephaleosis Sancti Epiphanii* de Hæresibus: sola autem pars posterior, a Nestorianis incipiens, S. Joanni Damasceno debetur. Hanc ob causam sola posterior Græce prodiit in editione Parisiensi, anni 1619. Integrum tamen Opus Græce & Latine edidit Baptista Cotelerius tomo I. *Veterum Monumentorum Ecclesiæ Græcæ* pag. 278. ex MS. Codice Regiæ Galliarum Bibliothecæ. Extat quoque Græce MS. in Bibliotheca seu Catalogo MSS. Codicum Ecclesiarum Angliæ Cathedralium impresso Oxonii 1698. in folio, ubi recensetur Cod. 5855. in MSS. Codicibus Græcis Thomæ Galei, Codice 11. Et in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codicibus MSS. Theologicis Græcis CCII. & CCXLVII. Item Codice MS. Historico Græco XLIV n. 43. a fol. 186 p. 1. usque ad fol. 200. p. 2.

Ejusdem Oratio, quomodo ad imaginem Dei creati sumus, Græce & Latine. Cujus mutuandus est textus Græcus ex editione Basileensi anni 1575. ubi solum extat, quæ & Latinam Joachimi Perionii Monachi Benedictini Cormeriaceni interpretationem exhibet. Quam eandem reperies in editionibus Parisiensibus, aliquot duntaxat Jacobi Billii scholiis auctiorem. Videsis & MSS. Codices Bibliothecæ Regiæ & Colbertinæ.

Ejusdem liber de duabus Christi voluntatibus & actionibus, reliquisque naturalibus proprietatibus, Græce & Latine. Debemus textum Græcum secundæ editioni Basileensi anni 1575. pag. 459. Latinam vero versionem, ab eodem Joachimo Perionio adornatam referunt, quinque quas hactenus videre contigit, editiones omnium Operum S. Johannis Damasceni. Sed Parisienses Scholia insuper Jacobi Billii offerunt, quibus

bus Latina interpretatio ad Græcum exemplar collata, in pluribus castigatur & explicatur. In prima atque altera editione Basileensi annorum 1548. & 1575. subnectitur beati Maximi Libellus *De duabus Domini Dei & Servatoris nostri JESV Christi naturis*, eodem interprete Joachimo Perionio, qui desideratur in editionibus ipsis Parisiensibus. Et recte, cum ad Joannem Damascenum non pertineat, sitque jam sæpe impressus sub nomine & inter Opera S. Maximi Monachi. Vide & MSS. Codices insignium Bibliothecarum Parisiensium, Regiæ, Colbertinæ, Seguieranæ &c. Idem opus olim a Joanne Burgundione in Latinam linguam translatum, extat inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 612 in MSS. Codd. Collegii Mertonensis Cod. 145 num. 4. Et in MSS. Codicibus Collegii Etonensis Codice 25. num. 9.

Ejusdem de natura composita contra Acephalos hæreticos seu Monophysitas, Græce & Latine.

Sola Basileensis editio posterior anni 1575. textum Græcum habet, cujus ex Latinis versionibus seligenda illa est, quæ in editionibus Parisiensibus a Jacobo Billio recensita legitur.

Alterum ejusdem Damasceni Opusculum Capitibus 66. distinctum *Adversus eosdem Acephalos seu Monophysitas hæreticos* Latine duntaxat edidit tomo 4. *Antiquæ Lectionis* Henricus Canisius Jurisconsultus Ingolstadiensis, ex Interpretatione Francisci Turriani, Societatis Jesu Presbyteri: nec dubito quin Græcus textus inveniatur inter illos MSS. Codices, quos idem Franciscus Turrianus dono dedit Romano Societatis ejusdem collegio dum illam amplexus ibi est. Plurimam antecedenti tractatui lucem affert Henricus Canisius tomo 4. citato, cujus hic ad lectorem Præfatiunculam adscribam.

„Extat inter Opera Damasceni *liber de natura „composita adversus Acephalos*, sed hic quem evul„gamus nunc, ab illo diversus est: ut intelliget „quisquis conferre volet, etsi nulla collatione „opus, satis enim erit sola utriusque libri inspe„ctio. Illud dolendum, quod adeo eruditus Da„masceni partus adversus Acephalos, sit ipse„met acephalus: cum careat septem prioribus „capitibus, quæ jactura moderate ferenda est, „donec melior fortuna integriorem calamo ex„aratum codicem offerat. Multa autem hic „leges similia illis quæ Leontius contra Acepha„los scribit: ut probabile sit, Damascenum ex „Leontii fontibus hortulos suos irrigasse. Hæc ille. Subsequuntur authoritates Sanctorum Patrum, Irenæi Lugdunensis Episcopi, Justini Philosophi & Martyris, Athanasii Episcopi Alexandrini, Methodii Episcopi Patarorum & Martyris, Basilii Episcopi Cæsareæ Cappadociæ, Gregorii Theologi, Ambrosii Mediolanensis Episcopi, Amphilochii Iconii Episcopi, Gregorii Nysseni Episcopi, Cyrilli Alexandrini Archiepiscopi & Joannis Chrysostomi: insertis subinde brevibus ejusdem sancti Johannis Damasceni scholiis, quæ docent unum esse Christum ex duabus naturis, & duas naturas, & in duabus naturis, post salutarem & infinitæ bonitatis ejus Incarnationem.

Ejusdem Joannis Damasceni liber contra Nestorianos, ab Henrico Canisio primum in lucem datus est, eodem illo quarto tomo *Antiquæ Lectionis*: Sed Latine tantum interprete eodem Francisco Turriano, Societatis Jesu, erudito Theologo. Paucis vero post annis Joannes Wegelinus Augustanus, *Argumenta Joannis Damasceni & Cyrilli Alexandrini Patriarchæ contra Nestorianos, cum quæstionibus & responsionibus de fide*, Græce & Latine evulgavit in 8. anno 1611. Augustæ Vindelicorum, additis notis nonnullis. Quæ cæteris addita novam editionem non mediocriter exornabunt, si tamen legitima a doctis, & non supposita habeantur. Extat MS. Græce in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco LVII. n. 108. & quidem a fol. 415 pag. 1. usque ad folium 420. p. 2. ut habet Lambecius Lib. 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 96.

Ejusdem Epistola de Trisagio, hoc est, ter sancto Hymno: seu de eo quod canit Ecclesia, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis &c. Græce & Latine. Acceptum referimus textum Græcum iis, qui anno 1575. iteratam Basileæ procurarunt editionem omnium sancti Damasceni Operum. Extat olim in Latinam linguam Opus translatum istud a Joanne Burgundione cive ac Præside Pisano, inter MSS. Codd. Bodleianæ bibliothecæ Codice 3614. in MSS. Codd. Hyperoi Bodlejani Codice 148. num. 23. pag. 516. Et inter MSS. Codices Vniversitatis Oxoniensis Codice 612. in MSS. Codicibus Collegii Mertonensis Codice 145. num. 5. Ex Latinis vero interpretationibus, illa eruditis maxime placuit, quæ authore Jacobo Billio Parisiensibus typis emissa est, cum aliquot ejusdem Scholiis non pœnitendis. Extat MS. in Bibliotheca Collegii Claromontani Societatis Jesu Parisiis, & in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCXLVI. num. 11. & quidem a fol. 89. pag. 1. usque ad fol. 114. pag. 1. ut habet Lambecius lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ p. 116.

Sancti Patris nostri ac beatissimi Monachi & Presbyteri Joannis Damasceni Oratio, de glorioso Domini nostri Jesu Christi Transfiguratione, Græce & Latine. Subministravit MS. Codex eruditissimi viri Jacobi Cujacii Græcum textum, quo usus Jacobus Billius interpretationem Latinam adornavit, quæ una cum ipsomet Græco contextu in tribus Parisiensibus editionibus prostat. Potest & Græcus textus conferri cum MSS. Codicibus illis Colbertinis, quos capite præcedente designavimus. Extat quoque inter MSS. Codd. Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 234. Barocciano p. 398. Δεῦτε πανηγυρίσωμεν.

Sancti ac plane divini Patris nostri Joannis Damasceni, Oratio de Sabbato Sancto, Græce & Latine.

Petrus Pautinus Tiletanus, Bruxellensis Ca-

canus, a. 1601. Antverpiæ una cum aliis Sanctorum Patrum Orationibus atque Opusculis, hanc ex bibliotheca C. V. Antonii Covarruviæ *homiliam de Sabbato Sancto* emisit: quæ cum Latina ejusdem interpretatione recusa fuit, studio & cura Frontonis Ducæi, ad calcem secundæ editionis Parisiensis, una cum *ejusdem sancti Joannis Damasceni Epistola missa ad Zachariam Doarorum Episcopum, de sacro corpore Domini ac Dei & Servatoris nostri Jesu Christi.* Itemque cum alio prolixiori Capitulo, de hac ipsa re. Epistolam vero idem se habuisse profitetur, unde exiit *Oratio de Sabbato sancto:* hoc est, ex Bibliotheca viri cl. Antonii Covarruviæ, Exconsiliari Regii, Canonici & Scholastici Toletani. Fragmentum autem, illud quod annectitur de eadem re copiosius, habitum ex Bibliotheca Laurentiana seu Scorialensi Philippi Regis Hispaniarum, aliquot ab urbe Madritensi milliaribus. Docet Gesnerus in *Bibliotheca* sermonem *de immaculato corpore Domini quo participamus*, extare Græce Romæ in Bibliotheca Pontificia: additque Hieronymum Donatum Patricium Venetum, in Latinum vertisse sermonem *Damasceni de immaculatis Mysteriis.* Extat Græce in dicta Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCXLVI. num. 12. & quidem a fol. 114. pag. 1. usque ad fol. 119. pag. 2. ut habet Lambecius lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 116. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 506. in MSS. Codd. Guilielmi Laudi olim Cantuariæ Archiepiscopi & Oxoniensis Academiæ Cancellarii litera B. Codice 25. num. 1. *Joannis Damasceni assertio, Quod panis & vinum consecrata, non sint signum Dominici corporis & sanguinis, sed ipsum corpus & sanguis Christi* a pag. 1. ad pag. 14. Item Codice 2877. in MSS. Codd. Thomæ Bodleji super P. 3. Artium Codice 94. num. 11. a pag. 223. ad 226.

Ejusdem sancti Joannis Damasceni Jambi pentastici, Cantica, Carmina, Octoechi &c. de quibus vide Philippum Labbeum in *Conspectu novæ editionis omnium S. Joannis Damasceni Operum* tomo 3. Sect. 3. pag. 23. Nec enim pro paucis istis, tam multa loqui, mihi vacat. Videndæque omnes editiones Basileenses & Parisienses omnium S. Joannis Damasceni Operum.

Amplificari quidem possent Opera S. Joannis Damasceni ex *Canonibus & Canticis Ecclesiasticis* variis, quæ ipsi in libris Græcorum tribuuntur, & quæ a posteris inventa sunt. *Octoechus* apud Græcos *Liber Ecclesiasticus* cum antiquis notis musicis, dicitur maximam partem a S. Joanne Damasceno compositus. Hujus Octoechi antiquissimam editionem Græcarum, impressam se reperisse testatur in Bibliotheca Cæsarea Viennensi Petrus Lambecius, Venetiis a. 1523. in 8. cui imago sancti Joannis Damasceni præfixa erat. Ita ille lib. 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 172. ubi testatur in Operum S. Joannis Damasceni editione Billiana Parisina anni 1619. in folio, a pag. 599. usque ad pag. 623. ex octo illis tonis sive sonis, quos Octoechus continet, extare tantum duos, nec nisi Latine. Plura de *Octoecho* vide apud doctissimum Leonem Allatium in Dissertatione prima *de libris Ecclesiasticis Græcorum* a pag. 64. ad pag. usque 68. Cujus Octoechi extant MSS. Græca exemplaria inter Codices MSS. Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis, Codd. 306. 307. 309. & 323. Item *Canones Anastasimi* sive *Cantica Ecclesiastica sancti Joannis Damasceni* cum Commentariis Joannis Zonaræ, MSS. in eadem Bibliotheca inter Codices MSS. Theologicos Græcos, Cod. XXV. num. 4. a p. 33. usque ad 44. Cum Commentariis autem Nicetæ Metropolitæ Thessalonicensis, a pag. 44. ad 171. *Ejusdem Joannis Damasceni Canones Anastasimi*, cum Joannis Zonaræ Commentariis, ibidem Codicibus MSS. Theologicis Græcis CCVI. CCCXIII. CCCXIV & CCCXIX. *Ejusdem S. Joannis Damasceni Canones seu Carmina tria Jambica*, cum paraphrasi Græca *Theodori Prodromi*, ibidem Cod. MS. Theologico Græco CXLVII n. 9 a fol. 46. p. 2. usque ad fol. 52. p. 2. *Ejusdem S. Joannis Damasceni Canticum Jambicum Pentecostieum* de Spiritu Sancto, ibidem Codice MS. Theologico Græco CCXCVIII. cum Commentario prolixissimo Eustathii Thessalonicensis Archiepiscopi. Ibidem Codice MS. Theologico Græco CCCXV. a fol. 1. ad fol. 191. *Theodori Prodromi Expositio in Sanctorum Patrum Cosmæ Episcopi Majumensis & Joannis Damasceni Canones sive Cantica Ecclesiastica, in præcipuis sacris solemnitatibus cantari solita.* & Codicibus CCCXVI & CCCXVII. Item Codice MS. Theologico Græco CCCXVIII. *Sanctorum Patrum Cosmæ Episcopi Majumensis & Joannis Damasceni varii Canones sive Cantica Ecclesiastica, cum Expositione singulis Tropariis sigillatim subjuncta.* Item in Hymnologio, Cod. CCCIV. MS. Theologico Græco, inter varia Cantica Ecclesiastica, ibi fol. 300. pag. 2. *Troparium S. Joannis Damasceni:* & fol. 307. pag. 1. Στιχηρὰ ἑωθινὰ, *Cantica Matutina.* Denique Codice MS. Theologico Græco XIX. fol. 168. & 169. Εὐχὴ τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ.

Sancti Joannis Damasceni Dialectica sive Logica liber, ad sanctissimum ac venerandum Patrem Cosmam, Majuma Episcopum, Græce & Latine. Cujus Græcum textum Basileæ excusum, ad MSS. Codices Regiæ, Colbertinæ, Seguieranæ, Claromontanæ, & aliarum Parisiensium Bibliothecarum emendatum, cum Jacobi Billii interpretatione limatissima e regione componere quis potest. In hac translatione fatetur ingenue Billius se nonnihil adjutum Codice Græco MS. quem ipsi Joannes Maldonatus, vir omni doctrinæ genere instructissimus, atque eximium sodalitii Jesu decus, ipsi commodaverat. Extant quoque inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 110 Barocciano *Hymni varii sancti Joannis Damasceni* Expositi pag. 364 Κανὼν τῷ αὐτῷ θεῷ τῷ ἐν θαλάσσῃ. Et ibidem Codice

2906 in MSS. Codicibus Thomæ Bodlei ſupra P. 3. Artium Codice 113 num. 5. 6 & 7 *Damaſceni Canones in Theophaniam in ſancta lumina & in Pentecoſten.* Et in Lugdunobatava noſtra bibliotheca, ex MSS. Codicibus ab hæredibus Iſaaci Voſſii emptis, Codice Græco 103. *S. Ioannis Damaſceni Cantica*, ſive *Liber qui Octoechus vel octo Tonorum dicitur, cum Prolegomenis & Commentariis Theodori Prodromi & Ioannis Zonaræ.*

Sancti Ioannis Damaſceni ad Ioannem ſanctiſſimum Laodicenſium Epiſcopum de decretis & placitis, prima inſtitutiones, Græce & Latine. Interpretatus eſt hunc librum Joachimus Perionius Benedictinus, Cormeriacenus Monachus, quem Franciſco Burgio Rivorum Epiſcopo dicavit: ut ex Epiſtola anno 1544 Lutetiæ Pariſiorum data conſtat, quæ ab Billio neſcimus quam ob cauſam omiſſa, reſtituenda eſt. In omnibus aliis, oportet ſequi & imitari editionem Baſileenſem Græcolatinam ſecundam, quæ anno 1575 publicata eſt. Præmiſerat quoque Labbeus breviſſima in hunc libellum ſcholia, ſi quid ipſum collatio MSS. locupletaret.

Sancti Ioannis Damaſceni Monachi Phyſica, quam velut Ariſtotelicæ Philoſophiæ quoddam compendium, exhibent ſolæ editiones Pariſienſes, ac Latine tantum ex interpretatione Jacobi Billii, qui Lectoribus ſtudioſis rem haud parum gratiorem feciſſet, ſi contextum Græcum ab exemplari deſcriptum, quod vir ſingularis doctrinæ Jacobus Cujacius illi exhibuerat, Calderianis typis, una cum tribus quatuorve, de quibus ſuperius jam diximus, ejusdem ſancti Joannis Damaſceni Orationibus, commiſiſſet. Extat inter MSS. Codd. Bodlejanæ bibliothecæ Codice 49 Barocciano num. 1. *Ioannis Damaſceni Logica & Philoſophica ad Coſmam Majuma Epiſcopum.* Principium, Τὸ μὲν ϛαυὸν τῆς διανοίας Et Codice 298 in MSS. Codicibus Oliverii Cromwelli Codice 119 num. 1. Item Codice 702 in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera C. Codice 50. num. 1. Item Codice 1882 in MSS. Codd. Thomæ Bodleji A. 3. Codice 10 num. 14 pag. 249 ad 266. Item Codice 2524 in MSS. Codd. Thomæ Bodleji F. 11 Codice 29 num. 3. Ibidem Codice 3614 in Hyperoo Bodlejano Codice 148 num. 21 *Ioannis Damaſceni Logica* pag. 459 n. 22. *Ejusdem liber qui inſcribitur* Introductio Dogmatum *ad Ioannem Laodicæa Epiſcopum*, pag. 492 qui multum ab impreſſo differt. Et Opuſculum utrumque ex antiqua verſione Joannis Burgundionis. Et inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum Codice 1813 in MSS. Codd. Collegii Etonenſis Codice 25 num. 7 *Damaſceni Logica.* num. 8 *Elementarium ad Ioannem Epiſcopum Laodicenſem.* Et in Lugdunobatava noſtra bibliotheca, inter MSS. Codices ab hæredibus Iſaaci Voſſii emptos, Codice Græco 165 *Definitiones Philoſophicæ, auctore Sancto Joanne Damaſceno.* Atque hæc de iis Operibus, quæ ad ſanctum Joannem Damaſcenum indubie ſpectare putantur, accepta ut plurimum ex *conſpectu novæ editionis omnium S. Joannis Damaſceni Operum*, quem anno 1652 in 4. adornavit Labbeus, ſed ordine ac diſpoſitione prorſus ab ipſo diverſis & planioribus

Hanc porro Collectionem omnium S. Joannis Damaſceni Operum inchoare juvabit ab *Vita ipſiusmet ſancti Joannis Damaſceni, quem Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus modica fide conſcriptam, ſeu potius ex Arabicis ſtylo rudi atque incompto exantis Græce perpolitam, poſteritati reliquit:* quam Latine factam habet Collectio Laurentii Surii tomo 3 ad diem 6 menſis Maji. Sed Vitam hanc Græce & Latine Typographi Baſileenſes emiſerunt, in ſecunda ſua editione a. 1575 ampliori illa quidem, etſi quamplurimis inquinata mendis. Et hæc ibidem loco minus convenienti, ut qui mediam collocarint inter Tractatum *de Dialectica*, & tres illas celeberrimas *de Imaginibus* Orationes. In priori editione anni 1548 illa quidem omnibus ejusdem ſancti viri lucubrationibus præmittitur, ſed Latine duntaxat, ex verſione Joannis Oecolampadii. Quam cum Jacobus Billius vir accuratus & cum paucis diligens, non ſatis elegantem, Latinamque cenſuiſſet: aliam adorſus eſt, omnibus Damaſceni Operibus poſtea præfixam, ſed Græco contextu prætermiſſo, ut in cæteris quoque magno eruditorum hominum detrimento accidit. Hoc damnum repararunt Succeſſores Joannis Bollandi ad diem 6 Maji, qui utrumque textum Græcum & Latinum ediderunt, ex MSS. Codd. acceptum. Evulgarunt iidem *Encomium prolixum ſancti Joannis Damaſceni* Græce & Latine, ſed verboſe pro more Græcorum compoſitum, a Conſtantino Acropolita Logotheta Conſtantinopolitano, qui ſeculo exeunte XIII floruit, quodque apud Bollandiſtas pag. 731. Plura iidem Bollandiſtæ tomo 2 menſis Maji, ad diem 6 in præludiis ſuis ad *Vitam S. Joannis Damaſceni*, quæ occaſione omnium illius Operum nova & accurata impoſterum editione evulgandorum, dicta ſint.

CAPVT QVINTVM.

SECVNDVS TOMVS, INCERTORVM VEL SVPPOSITORVM S. JOANNIS DAMASCENI OPERVM.

1.

Sancti Joannis Damaſceni Oratio, quod ii qui cum fide ex hac vita exceſſerunt, vivorum miſſis ac beneficiis adjuventur: Græce & Latine. Tractatus hic Græce apparuit in utraque editione Baſileenſi annorum 1548 & 1575 ſed pluribus ſcatens erroribus, quos ex collatione MSS. Codicum Pariſienſium corrigere promptum eſt. Eundem quoque Sabii fratres excuderunt Veronæ in 4. anno 1531. cum libris quatuor *de fide orthodoxa.* Sunt autem illius tres Latinæ interpretationes. Primam elucubravit Joannes Oeco-

Digitized by Google

Oecolampadius, quam exhibet utraque Basileensis editio. Secundam contexuit nobilissimus Comes Ludovicus Nogarola Veronensis, quæ in altera editione Basileensi anni 1575 priori translationi subjungitur: eamque Bernardo S. R. Ecclesiæ Cardinali Episcopo Tridentino ac Regis Romanorum Cancellario dicavit Joannes Ludovicus Brassicanus. Cum vero duæ illæ minus arriderent, Jacobus Billius tertiam adorsus est, quæ sola absque textu Græco, sed cum eruditis scholiis, in editionibus Parisiensibus, evulgata est. Billianam hic, ut in cæteris deinceps omnibus, præ aliis amplectimur. Rationes, quibus suppositam hanc Damasceno Orationem credimus, capite 1 hujus Dissertationis produximus. Extat tamen inter MSS. Codd. Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 148 Barocciano, p. 220 τὰ τῶν βεωμάτων ἤδεα. Ibidem Codice 274 in MSS. Codicibus Thomæ Roe pag. 28. Ibidem Codice 283. in MSS. Codd. Oliverii Cromwelli Codice 104 n. 10. p. 123.

2. *Ejusdem Damasceni adversus Manichæos Liber*, seu *Dialogus Orthodoxi & Manichæi, in quo Manichæorum de duobus principiis deliria recensentur, atque argumentis evidentissimis refutantur*, Græce & Latine. Suppeditat Græcum textum cum Latina nescio cujus versione sæpe citata, editio secunda Basileensis a pag. 516 ad 566. Verum ista interpretatione repudiata, illam amplectemur quam vir usquequaque doctissimus Billius confecit, & quæ in tribus editionibus Parisiensibus suum locum nacta est, cum scholiis ejusdem accuratissimis, quæ novæ editioni non minimo futura sunt ornamento. Hunc eundem *D. Joannis Damasceni contra Manichæos Dialogum* Emmanuel Margunius Cretensis in lucem edidit, ab eodemque ex Græco in Latinum conversum & Gaspari Viviano Episcopo Sythiensi ac Vicario Cretensi in spiritualibus Generali dicatum, impressum habes Patavii an. 1572 in 8. ex officina Laurentii Paschati, triennio antequam altera Basileensis editio prodiret in publicum. Joannnes quoque Leunclavius, vir utriusque linguæ peritissimus, Latinam Dialogi hujus interpretationem concinnavit, ediditque cum Græco textu, quem ex Bibliotheca Joannis Sambuci deprompserat, Basileæ in 8. anno 1578 apud Petrum Pernam, cum *Legatione Manuelis Commeni Imperatoris ad Armenos*, sive *Theoriani Disputatione cum eorum Catholico*, ut vocabant: item cum Epistola Sancti Leonis Magni, veræ fidei columna: Historia de Sectis Leontii Byzantini, & Constantini Harmenopuli de iisdem: nec non Sanctorum Augustini & Hilarii fragmentis de *Trinitate*, Græce & Latine.

3. *Divi Joannis Damasceni Liber, qui inscribitur* Disceptatio Christiani & Saraceni. Redditus Latine incerto interprete, sed antiquo, ut apparet, extat in quinque editionibus, Basileensi utraque & Parisiensibus tribus: verum absque Græco contextu, quem si nancisci licuerit, Lectoribus φιλάθηναν nequaquam Labbeus subtraxisset. Extat Græce MS. in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CCXLVII. num. 26 & quidem a fol. 100 pag. 1 usque ad fol. 102 pag. 2 ut habet Petrus Lambecius lib. 5 *Commentariorum hujus Bibliothecæ* pag. 126. Inscribitur Διάλεξις Σαρακηνῦ καὶ Χριστιανῦ. Ἐρωτηθεὶς ὁ Χριστιανὸς παρὰ Σαρακηνῦ, τίνα λέγεις αἰτίαν καλῦ καὶ κακῦ &c.

4. *Divi Damasceni breve Opusculum, sive Homilia in diem judicii.* Habetur Latine tantum in altera editione Basileensi anni 1575 & in tribus Parisiensibus, interprete ut volunt incerto: sed si quid in iis judico, nec stylum Joannis Damasceni sapit, atque ab aliquo Latino tractatore profectum videtur. Illud tamen addendum cæteris censuimus, tum quod breve admodum sit, tum quod pietatem non minimam redoleat, & Christianorum animos ad exercendam in egenos benevolentiam, veluti subjectis stimulis excitare valeat. Hæc Labbeus. Nos antea cap. 1. jam diximus illum spectare ad sanctum Cæsarium Arelatensem Episcopum, nullatenus ad Damascenum.

5. *Joannis Humilis Damasceni, Monachi atque Presbyteri, Oratio prima de Nativitate Domine nostræ & Dei genitricis semperque Virginis Mariæ*, Græce & Latine. Jacobus Billius Græcum Jacobi Cujacii Codicem sequutus, Latinam interpretationem elucubravit & scholia adjecit, primusque anno 1577 Lutetiæ Parisiorum edidit. Nam in Basileensibus desunt omnes hæ encomiasticæ Orationes, & editio secunda Basileensis, anni 1575 duas duntaxat *de dormitione Beatæ Virginis*, absque Græco contextu, homilias protulit. Quia vero in plerisque Codex ille MS. Cujacianus errabat, visum est Petro Pautino oculis eruditorum exponere aliquot annotationes in primam hanc *de Nativitate Deiparæ* Orationem, quas ex collatione cum duobus MSS. bene vetustis & probæ notæ collegerat. Nactus quoq; fuit Philippus Labbeus in residentia Patrum Societatis Jesu Constantinopolitana Panegyricum Marianum una & triginta homiliis sanctorum Patrum Græcorum in præcipua quæque beatæ Virginis festa distinctum: ex quo & varias illas Lectiones a Pautino in suis Codicibus observatas detexit, & alias nonnullas, de quibus in aliis MSS. Codicibus inquiri potest.

Ejusdem de eadem Nativitate Beatæ Virginis Deiparæ Oratio secunda, in qua probatur, quod ex semine David descendat. Græce & Latine, cujus Græcum contextum a Jacobo Billio ex membranis Cujacii publicatum, atque Latinitate donatum, expenderat ad MS. Panegyricum Marianum, de quo jam paullo ante diximus, Philippus Labbeus. Ubi ingenue fatetur illam Orationem in Beatæ Virginis Nativitatem, Andreæ Hierosolymitano Cretensi Archiepiscopo vindicari: non secus atque alteram quæ apud Billium, tertium hic locum occupat. Addo nec istas quoque tres Orationes pertinere ad sanctum An-

dream Hieroſolymitanum, ſub cujus nomine interdum in MSS. Codd. inveniuntur, ſicut & ſub nomine S. Germani Conſtantinopolitani Patriarchæ. Videri autem ſapere ſeculum Eccleſiæ duntaxat duodecimum, atque a Germano Juniore P. Conſtantinopolitano compoſitas, cujus cum aliis homiliis ſæpe in MSS. Codicibus inveniuntur. Extant tamen ſub S. Joannis Damaſceni nomine, inter MSS. Codd. Bodlejanæ bibliothecæ Codice 234. Barocciano num. 3 & 4. Incipit prima Δεῦτε πάντα τὰ ἔθνη pag. 8. Secunda incipit, Ἐι μετρεῖται γῆ pag. 15. Porro una recenſetur ibidem, Codice 2500 in MSS. Codd. Thomæ Bodleji litera F u num. 5. Tres vero ibidem Codice 3383. in MSS. Codicibus Joannis Seldeni Codice 53 num. 1. 2 & 3. Vide quæ diximus cap. 1 hujus Diſſertationis, quæ hic repetere ſuperfluum eſt.

6. *Ejuſdem Sancti Damaſceni Orationes tres ſeu Libri de ſacris imaginibus*, Græce & Latine.

Textum Græcum ſola refert editio ſecunda Baſileenſis anni 1575 qui in cæteris omnibus S. Damaſceni Operum impreſſionibus deeſt. In iisdem omnibus apparet Latina interpretatio Petri Franciſci Zini Veronenſis, quæ ut Billio, ita nec Labbeo diſplicuit, quod plus nitoris atque elegantiæ habere videatur, & ad Græci exemplaris fidem propius accedere, quam altera verſio, quæ authorem præfert Godefridum Tilmannum Pariſienſem illum Carthuſianum, quæ ſeorſim Antverpiæ apud Joannem Skeelſium anno 1556 edita fuit. Conferri etiam textus Græcus poteſt cum editione Græca Romæ anno 1553 in 8 & cum MSS. Codicibus Regiæ Galliarum Bibliothecæ, Colbertinæ, & Pariſienſibus aliis. Has *tres Orationes ſeu tres libros de Imaginibus* non pertinere ad S. Joannem illum Damaſcenum, ſed illius eſſe adulterinas, cenſent Critici hujus ſeculi. Ita Fridericus Spanhemius *Hiſtoria Imaginum* ſect. 2. num. XIII. pag. 123. judicat his verbis: *Caterum ſi vera ſunt, quæ de Johanne Damaſceno memorant, cui ſunt aſſicta & dicta, & facta, & ſcripta plurima, atque hæc inter Pſeudacta Martyrum & Orationes de Imaginibus: promeritus is ſane fuit indignationem Leonis (Iſaurici) quem ferme anathemate ob damnatum Iconomaniam Joannes reveritus non fuerat.* Videtur quoque Elias du Pin ambigere an earum Orationum author Damaſcenus ſit, in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo VIII. pag. mihi 102. his verbis: „Allegat plures locos Patrum, ad probandum „honorandas eſſe Sanctorum Imagines: ſed „nullum in iis fere verbum quod directe probet „id quod proponit, quamvis magnam eorum „exhibeat in his tribus Orationibus ſeriem. A„gnoſcit = contra cultum Imaginum non poſſe „per Scripturam ſanctam ſtabiliri, ſolamque Ec„cleſiæ authoritatem hunc uſum confirmare. „Tandem concedit, non debere fieri imagines „Trinitatis, neque rerum pure ſpiritualium. Quis autem homo niſi obtuſiſſimus, credat S. Joannem Damaſcenum in cultu Imaginum propugnando ardentiſſimum ac pertinaciſſimum, pro hac cauſa occumbentem atque in extremis poſitum, ita ſibi contradixiſſe ut ſcriberet *Imagines ac earum cultum per Scripturam ſacram ſtabiliri non poſſe, ſolamque Eccleſia authoritatem hunc uſum confirmare?* Author ergo iſtarum Orationum, alius neceſſario eſt a S. Joanne Damaſceno, cœco illo imaginum cultore & adoratore. Memorat *ſecundo* Author vitæ Damaſceni, ſimul ac huic conſtitiſſet Leonis Iſaurici in Imagines decretum, Johannem anno DCCXXVI quaquaverſum *libellis & Epiſtolis* in Leonem animaſſe Eccleſiam, oſtenſurum ἀναγκαῖον εἶναι τὴν τῶν θείων ἐκτυπωμάτων προσκύνησιν, *neceſſariam eſſe Divinarum effigierum adorationem.* Theophanes eundem *zelum Damaſceni* deſcribit ad XIII. Leonis, id eſt Chriſti annum DCCXXVIII ex calculo ipſius Baronii. Ita quoque Paulus Diaconus, *quando Johannes cum Orientis Epiſcopis Leonem anathematibus ſubdidit.* Concilia jam iſta, Lector, ſi potes, cum Orationibus vel libris, cultum Imaginum authoritate ſolummodo Eccleſiaſtica ſtatuentibus, vel *per Scripturam ſanctam ſtatui poſſe* negantibus. Hæc ex Spanhemio & Elia du Pin, contra Guillelmum Cavum, qui hos libros ut Damaſceni genuinos, absque ulla eorum lectione vel leviſſimo examine admiſit. *Tertio* hic author lib. 3. *de Imaginibus* allegat S. Athanaſium in *Quæſtionibus & Reſponſionibus centum ad Antiochum Principem* quæſt. 38. ubi de Imaginibus. At in Diſputatione De Operibus S. Athanaſii cap. 4. num. 17. diximus atque probavimus, hoc Opus eſſe tantum ſeculi IX, poſterius Claudio Taurinenſi Epiſcopo quem refellit. Idem ergo dicendum de his tribus libris. *Quarto* ſcriptor iſtarum trium Orationum, *Oratione 3.* laudat in cauſa Imaginum *Johannem quendam Antiochenum.* Atqui Joannes iſte Antiochenus, poſterior fuit *Georgio Syncello* qui anno 792 chronicon ſuum ſcripſit: ergo author iſtarum trium Orationum longe poſterior eſt Damaſceno, qui ante annum 754 ob cauſam Imaginum extinctus dicitur. Verba *Scriptoris trium Orationum pro ſacris Imaginibus* hæc ſunt inter ſcriptores allegatos ad finem Orationis tertiæ pag. mihi 522 verſa editionis Pariſienſis 1577 in folio. *Ex temporum deſcriptione Joannis Antiochiæ Pontificis, qui & Malala dictus eſt*, de muliere quæ ſanguinis fluxum perpeſſa fuerat, deque monumento quod Chriſto Servatori conſtituit. Hunc autem Joannem Malelam vel Malalam imperite Guilielmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ad annum 601 pag. 442. collocavit, de quo loquitur quoq; ad a. 620 p. 449 Poſterior autem fuit non tantum Georgio Syncello qui Chronologiam ſuam anno 792 aggreſſus eſt, ſed etiam altero Georgio qui *Hamartolus* dicitur, cujus Chronicon usque ad finem circiter ſeculi IX pertingit, quod aperte defloravit, & excerpſit, ut docet Humphredus Hædius, in Prolegomenis ad Joannis Malelæ Chronicon, quod ex MS. Anglicano edendum curavit. Quare Joannem Malelam

ad

ad annum 910 ex ejusdem Chronico assignavimus. Author ergo istarum Homiliarum seu librorum, qui Joannem Malalam producit, in gratiam Imaginum, anno 910 vel 920 posterior, necessario fuit. Quod autem author istarum Orationum citet Joannem Antiochenum quendam Georgio Syncello posteriorem, probamus ex Joanne Tzetza Chiliade 2. H. 3 ubi de Cleopatra & Pharo his verbis: *Mentionem quidem Virgilius hujus Cleopatræ fecit, Lucianus & Galenus, & Plutarchus. Cum his Diodorus, Georgius Chronicus cum aliis, & Joannes post hos Antiochenus postremo.* Vbi positive a Joanne Tzetza, Joannes Antiochenus Georgio Chronico qui & Syncellus est, posterior collocatur. Constat autem hunc Georgium Chronicum seu Syncellum anno 792 scripsisse, unde hac ætate posteriorem esse hunc Joannem Antiochenum Oratione 3. citatum necesse est. Libri ergo isti qui Joannis Antiocheni mentionem faciunt, pertinere non possunt ad S. Joannem Damascenum, qui sub Leone Isaurico mortuus est, ac certo ante Synodum Oecumenicam a Constantino Copronimo anno 754 habitam contra cultum Imaginum. Imo Joannes iste Antiochenus anno 910 floruit, de quo nos postea ad annum 910 plenissime loquimur: unde patens est authorem istarum trium *de Imaginibus* Orationum, non esse posse antiquiorem vel fine seculi X vel initio sequentis XI, quod hucusque nullus scriptorum notavit. Nam Joannes Tzetzes loco citato, hunc Joannem Antiochenum posteriorem statuit Georgio Chronologo seu Syncello, qui anno 792 Chronologiam suam orsus est. Vel alius est Joannes Antiochenus Historicus, Malesa cognominatus, qui medius vixit seu media ætate inter Georgium Chronologum seu Syncellum, qui anno 792 suam Chronologiam orsus est, de quo Joannes Tzetzes loco citato. Et inter Constantinum Porphyrogennetam, qui patri anno 911 in Imperio successit, & anno 959 Imperii 49 ætatis 55 fato functus est. Hic enim Constantinus in Collectaneis *de Virtutibus & Vitiis*, excerpta ex Historicis XIV vetustioribus complectens, inter eos Joannem quendam Antiochenum habet, cujus Excerpta amplissima refert. Hunc notis illustratum ex Codice Peireschiano Græce & Latine edidit Parisiis Henricus Valesius anno 1634 in 4. Hunc male Guillelmus Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiæ* ad annum 620 pag. 449 retulit, de quo etiam ad a. 911 in *Constantino Porphyrogennetæ* p. 577 cum ex Joanne Tzetze posterior sit Georgio Chronologo seu Syncello, qui anno 792 Chronologiam suam aggressus est.

7. *Ejusdem Oratio pro sacris Imaginibus in Constantinum Caballinum, & de duabus in Christo voluntatibus & operationibus* opusculum. Editum Græce & Latine Parisiis anno 1648 apud Antonium Berthier, cum aliis ad Monothelitarum hæresim & sextum Concilium Oecumenicum pertinentibus, cura & studio Francisci Combefis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, ex fide MSS. Parisiensium, quæ ibidem in Syllabo Operis allegantur, nimirum tomo 2 *Auctarii* Bibliothecæ Veterum Patrum anni 1648 col. 664. Extat quoque MS. Græce in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, Codice MS. Theologico Græco CXLIV num. 27 & quidem à fol. 119 pag. 1 usque ad fol. 128 pag. 2 ut habet Petrus Lambecius tomo seu libro 4 Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 100. Opusculum istud sub nomine sancti Johannis Damasceni edidit imprudenter dictus Combefisius, nimium credulus suisque conjecturis indulgens amplius, quam rationi & veritati conveniat. Certum enim est illam non potuisse orationem conscribi à Johanne Damasceno, cujus ut hominis extincti mentionem facit Concilium anno 754 in causa Imaginum à Constantino Copronimo seu Caballino convocatum. At hic author in hac Oratione invehitur in Constant. Copronimum ob hanc Synodum a. 754 convocatam, & Imagines ab ea proscriptas. Cum ergo tunc temporis & ante hanc Synodum, extinctus esset S. Joannes Damascenus, non potuit illius meminisse, neque ob eam insultare Constantino Copronimo. Imo probabile est Joannem Damascenum imperante Leone Isaurico fuisse mortuum, hoc est, ante annum 740 vel 741, quo ei in Imperio Orientis successit Constantinus Copronimus.

8. *Vita & Conversatio Sanctorum Barlaami & Josaphati*, Græce & Latine.

Illam plerique MSS. Codices Græci tribuunt nescio cui Joanni Sinaitæ Monacho, quibus ego lubens assentior, cum purissimam illud omne scriptum fabulam putem. Passim tamen sponsoribus Georgio Trapezuntio, vel alio vetustiore trecentis ad minus annis interprete, Jacobo etiam Billio, aliisque viris haud parum eruditis, ipsi Joanni Damasceno adjudicatur: qua de re consule conjecturas Billianas, quæ me nullatenus movent. Porro Georgium Trapezuntium vulgatæ illius interpretationis authorem passim celebrant, cum potius audiendi sint eruditissimi duo viri, Heribertus Rosweidus Soc. Jesu in Notis ad librum I. de vitis Patrum. *Extat & alia antiqua versio, quam volunt esse procuratam a Georgio Trapezuntio, cujus nomine editur in editione Damasceni anno 1548 (adde & 1575) Basileæ ex officina Henrici Petri. Mihi videtur vetus translatio, multo antiquior Trapezuntio. Nam invenitur ea in manuscriptis membranis, etiam ante annos 300. Ea translatione usus est Vincentius Bellovacensis in Speculo Historiali supra citato, Trapezuntius vero Patrum memoria vixit, nondum annis 150 elapsis.* Gaspar quoque Barthius Libro 41 Adversariorum cap. 2. *Cum Damasceni Operibus editur Historia duorum Christi optimi maximi militum, ab veteri Monacho Latinitate donata, quam translationem pessimo errore Georgio Trapezuntio adscribunt, cum Stylus & omnia doceant, multis seculis antiquiorem esse translationem.* Idem repetit Lib. 47. cap. 10. *Cum autem memoria,*

ria, nomen Trapezuntii vendibiles faceret libros ex Græcis Scriptoribus expreſſos, nihil dubitarunt Typographorum pueri, lucro ſuo poſteritatis ſcientiam poſthabere. Idem accidit Hiſtoriæ Barlaami & Joſaphat, quæ cum ante aliquot ſecula a Monacho quodam ſit de Græco Joannis Sinaitæ translata, multos tamen retro annos, inter Opera & cum titulo Ioannis Damaſceni ex interpretatione ejusdem (ſi diis placet) Trapezuntii, lecta eſt. Hæc illi limato judicio atque eruditione præſtantes Critici. Extat autem Græce MS. inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 727. In MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera C. Codice 85. Et inter MSS. Codd. Vniverſitatis Oxonienſis, Codice 2129. in MSS. Codd. Græcis Collegii S. Mariæ Magdalenæ Codice 4. num. 1. Et inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Cod. 9137. in MSS. Codd. Georgii Wheleri Canonici Dunelmenſis Codice 66. in 8. Nos ſane legimus interpretationem hanc in multis MSS. Codicibus Latinis, 500. annos excedentibus. Miratus ſum porro neminem hactenus extitiſſe; qui textum iſtius Hiſtoriæ Græcum ediderit, cum in pleriſque Bibliothecarum MSS. Codicibus reperiatur, ac maxime in Regiæ Galliarum gazæ χειμηλίοις, quæ clariſſimi Bibliothecarii humanitate eruditis omnibus tantisper notis patent. Appellant Baſileenſes editores *Hiſtoriam duorum Chriſti militum*, & licet multi quidem emunctæ naris, an Damaſceni ſit, ambigant: dignam tamen Georgio Trapezuntio vitam eſſe aſſerunt, quam a ſe converſam Latinis legendam exhiberent. Verum cum ſolito more Trapezuntius, aut quis alius eo longe vetuſtior, in eam curam negligentius incubuiſſet, & translationem valde rudem & impoſitam, innumerisque etiam locis vitioſam dedolaſſet: placuit doctiſſimo Billio novam prorſus interpretationem aggredi, quæ non ſolum clarior & ſincerior eſſet, ſed quæ Latinitatis elegantia & nitore cum limatiſſimis quibusq; recentiorum interpretum narrationibus decertaret. Græci autem exemplaris copiam ſibi factam docet, per Joannem, a S. Andrea, virum ut optimum & doctiſſimum, ita etiam optimorum & doctiſſimorum librorum copia inſtructiſſimum. Quisquis autem textum ambiverit Græcum, negotio nullo comparabitur ex Bibliothecis Pariſienſibus, Regia & Colbertina. Extat quoque ſæpius ſub nomine Joannis Damaſceni in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Codice MS. Theolog. Græco CXLV. num. 21. & quidem a fol. 89. ad fol. 166. ut habet Lambecius libro 4. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 109. Et Codicibus MSS. Hiſtoricis XXI. num. 10. XXII. XXIII. XXIV. & XXV. Vbi Lambecius tomo 8. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 289. multis contendit Vitam iſtam ſpectare ad Joannem Damaſcenum, nec pertinere poſſe ad alium Joannem Sinaitam, qui temporibus Theodoſii junioris floruit.

Sed auram percutit Lambecius, dum hanc fabuloſam hiſtoriam ſancto Joanni Damaſceno adſcribit: nam Antonius Poſſevinus tomo 1. *Apparatus Sacri* verbo *Ioannes Damaſcenus*, fatetur non defuiſſe viros graves, qui de illa Hiſtoria ambigebant, num Damaſceni eſſet. Imo Robertus Bellarminus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ad annum 731. dubitat an ſit hiſtoria, vel potius res ficta ad nutum: *Quomodo enim potuit Ioſaphat qui nec de Scriptura aliquid audivetat, mox ut converſus fuerat, in his tentationibus, ſe variis Scripturæ locis memoriter recitatis communire, ſi ſit hiſtoria?* Deinde dubitat an ſit Damaſceni, cum lib. 1. *de fide Orthodoxa* cap. XI. aperte doceat Spiritum Sanctum non eſſe ex filio procedentem, his verbis: *Scire* (inquit) *oportet, nos non dicere Patrem eſſe ex aliquo, ſed ipſum dicimus Patrem eſſe Filii: Filium vero non dicimus principium neque Patrem, ſed eum dicimus ex Patre ipſo & Filium Patris. Porro Spiritum Sanctum tam ex Patre eſſe profitemur, quam Patris appellamus Spiritum. Ex Filio autem Spiritum non dicimus, ſed eum Filii Spiritum nominamus.* Et c. XIII. *Sed & Filii Spiritus eſt, non tanquam ex ipſo: ſed quod per ipſum ex Patre procedat, ſolus enim Pater principium eſt.* Author vero hujus operis introducit Barlaam, docentem filium Regis, *ne credat in Spiritum Sanct. ex Patre Filioq; procedentem.* Ludit autem Natalis Alexander & Lectoribus ſuis imponit, dum hanc contradictionem conciliare vult, in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica Capitibus* Seculo IX. Diſſertatione 18. pag. 712. *de proceſſione Spiritus Sancti a Patre & Filio*, adverſus Photium, aliosque Schismaticos Græcos. Imo hinc apparet authorem hujus Hiſtoriæ, eſſe poſteriorem controverſia inter Eccleſiam Græcam & Latinam mota de proceſſione Spiritus Sancti, quæ ætate Photii primum incepit. Daniel Huetius in eandem prorſus cum Bellarmino venit ſententiam, opus iſtud fictionem puriſſimam eſſe, in Diatriba *de Origine fabularum Romanenſium* pag. 60. *Ea fabula* inquit, *Romanenſis quidem eſt, ſed pia: de amore agit, ſed divino: plurimum hic ſanguinis effuſum eſt, ſed Martyrum. Ad hiſtoriæ normam, & ex fabula Romanenſis legibus, opus illud elucubratum eſt: nihilominus tamen etſi veriſimilitudo ibi ſatis accurate obſervata eſt, tot tamen figmentorum præfert indicia, ut qui ſeria animi cogitatione opus legerit, is confictum eſſe, nunquam ſit iterum inficias.* Hæc Huetius vir eximiæ eruditionis, ſolidique judicii.

9. *Vita ſancti Patris noſtri Stephani junioris*, accedat quoque Græce & Latine, qui tempore Conſtantini Copronimi Imperatoris, non multo poſt ſancti Johannis Damaſceni obitum, propter ſacrarum Imaginum honorem adorationem, martyrio functus eſſe perhibetur. Illam Jacobus Billius deprompſit ex Reginæ matris Catharinæ Mediceæ Bibliotheca, quam Latinitate donatam poſt tres noſtri Damaſceni *de Imaginibus* libros evulgandos exiſtimavit: ut Chriſtianus lector de eadem re, non modo quod litteris conſignatum, ſed etiam quod ſanguinis profuſione confir-

confirmatum, præſto haberet. Nos ne quid de laboribus doctiſſimi viri detrahamus, poſt *Hiſtoriam Indicam* (ſic enim appellantur certamina Sanctorum Barlaami & Joſaphati) ſubnectimus ſancti Stephani junioris Hiſtoriam, atque ex Regiæ Bibliothecæ, in quam Medicæa jampridem tranſiit, Codice deſcriptum textum Græcum, in eruditorum gratiam prelo ſubjiciendum ducimus. Atque eo ſane lubentius, quod vir clariſſimus Gerardus Joannes Voſſius libro 2. *de Hiſtoricis Græcis* cap. 24. pag. 281. editionis ſecundæ, exiſtimavit, *Sanctum Johannem Damaſcenum* elucubraſſe Vitam æqualis ſui *Stephani junioris*, qui cum acriter cultum Imaginum defenderet, multum propterea Conſtantino Imperatori exoſus fuit, graviaque ab eo perpeti coactus ſit. Eſt tamen (inquit Labbeus) quod de Germano authore illius vitæ, quam reperies quoque tomo V. Collectionis Laurentii Surii Carthuſiani, ad diem 28. Novembris, amplius cogitandum arbitremur, nec in omnibus doctiſſimi viri ſententiæ ſubſcribamus. Idem cenſent Bollandiſtæ, quoad authorem hujus *Vitæ ſancti Stephani junioris*, in præludiis ad Vitam S. Joannis Damaſceni, die 6. Maji. Hæc autem Vita Græce manuſcripta haudquaquam deeſt in Bibliotheca Galliarum Regia, ut conſtat ex Labbeo, in Opuſculo *conſpectus omnium S. Joannis Damaſceni Operum* pag. 37. ubi habet: *Sancti Stephani junioris Vita & res geſtæ in perſecutione ob ſacrarum Imaginum venerationem, in Codd. 148. 738. 937. 1473. In Codice 804. Stephanus Diaconus Conſtantinopolitanus dicitur author Hiſtoriæ, de vita, certamine & miraculis ſancti Stephani junioris.* Sæpius etiam habetur in MSS. Codicibus Bibliothecæ Colbertinæ. Dum ſcribo autem iſta, Opuſculum iſtud Græce & Latine ex MSS. Codicibus Regiis Gallicis, excuditur in 4. hoc anno 1688. Pariſiis cum Miſcellaneis aliis, apud Joannem Boudot via Jacobæa ſub ſole aureo, cura & ſtudio Monachorum Benedictinorum Congregationis ſancti Mauri in Gallia, atque illud attributum Stephano Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Diacono, ad quem pertinet, non autem ad S. Joannem Damaſcenum.

10. *Encomium Sanctæ Barbaræ Virginis & Martyris*, Græce & Latine. De quo ſufficienter mentem noſtram aperuimus cap. 1. hujus Diſſertationis. Adſcripſit quidem Franciſcus Combefis hoc Encomium S. Joanni Damaſceno ut loco citato diximus, ſed meo quidem judicio rectius, *Georgio Nicomedienſi Epiſcopo* ex MS. Codice Euſebii Renaudoti quem vidit, ubi ea inſcribitur Γεωργίου τοῦ Νικομηδίας Ἐπισκόπου ἔγκωμιον εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ἀθλοφόρον μάρτυρα Βαρβάραν: Carolus du Frenius du Cange pag. 26. ſeu columna hujus catalogi Scriptorum, quem ſubjecit tomo 2. *Dictionarii* ſeu *Lexici mediæ atque infimæ Græcitatis.* Vide Allatium in Diatriba *de Georgiis* pag. 312.

11. *Sancti Joannis Damaſceni Oratio Synodica ad Theophylum Imperatorem, de cultu Sanctarum Imaginum.* Græce & Latine, ſub nomine S. Joannis Damaſceni, ex eminentiſſimi Cardinalis Mazarini Codice, producta a Franciſco Combefis, pag. 110. *Originum rerumque Conſtantinopolitanarum Manipuli*, qui Pariſiis in 4. anno 1664. apud Simeonem Piget via Jacobæa, ſub ſigno prudentiæ prodiit. Attribuit Ducangius Joanni Archiepiſcopo Hieroſolymitano, col. 28. citati Catalogi Scriptorum Græcorum quem *Gloſſario Græco* ſubjunxit, tum Joanni Monacho, col. 52. ejusdem Catalogi. Epiſtolam hanc Franciſcus Combefis perperam edidit ſub ſancti Joannis Damaſceni nomine, cum pag. 146. in Notis, fateatur vel ſaltem augumet illam eſſe *Orientalium omnium Synodicam*, communi Eccleſiæ judicio conſcriptam, atque pluribus iisdemque Epiſcopali authoritate decernentibus compoſitam: „ Sive (inquit), tres ipſi Patriarchæ „ convenerint, ac commune Conſilium vel Hie„ roſolymitanis, vel Alexandriæ, vel Antiochiæ, „ quæ omnes Saracenorum ditionis erant, pia„ ſollicitudine habuerint: ut Eccleſiæ Græcæ „ tantis laboranti, vindices ac teſtes Eccleſiaſti„ cæ traditionis, zelo vere Paſtorali & Apoſtoli„ co ſubvenirent. Sive (quod verius exiſtimo), „ in una primum Diœceſi & ab uno Patriarcha„ rum edita, aliisque probata, communi calculo „ exque omnium mente, ad Theophilum miſſa „ ſit, Joannem Damaſcenum quæ habeant, nul„ la ſunt: nec ſtylus, nec ætas, nec decernendi „ authoritas. Qui vel ſi ipſe ſcripſiſſet aut com„ poſuiſſet, cum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Pres„ byter eſſet, ea tamen ejus Eccleſiæ Synodi ſeu „ Diœceſeos nomine, non ipſum ejus nomen „ præferre debuit. „ Hinc autem apparet, vel teſte ipſo Combefiſio ſatis credulo, atque nimium Græcorum MSS. titulis fidenti, quam caute in illis evulgandis procedendum ſit: cum fallant ſæpiſſime, ut iſtæc Oratio, multaque alia Opuſcula, quæ ſub Joannis Damaſceni nomine, in Bibliothecis adhuc latitant. Sole enim clarius apparet, tum ex principio & fine hujus Orationis, ubi fit expreſſa alluſio ad Concilium Nicænum II. anno 787. collectum, eam pertinere non poſſe ad S. Joannem Damaſcenum, etſi illa eſſet opuſculum ſingularis alicujus Scriptoris. Cum enim conſtet ex Concilio Conſtantinopolitano ſub Conſtantini Copronimi imperio anno 754. celebrato, Joannem Damaſcenum mortuum tunc fuiſſe: alludere nequaquam potuit ad Concilium Nicænum anno 787. triginta tribus & ultra poſt mortem ſuam annis, convocatum. Nec alludit tantum, ſed deſcribit hanc integram Synodum pag. 127. quam appellat *Sanctam Oecumenicam Synodum ab magno illo atque inclyto Patriarcha Taraſio congregatam.* Quid apertius? Pagina quoque 125. apparatum Synodi adverſus Imagines, ſub Conſtantino illo Copronimo convocatæ deſcribit: cum tamen ex ipſis hujus Synodi Actis, in VII. Nicæna Synodo reſtantibus, Damaſcenum tunc temporis jam fuiſſe mortuum, manifeſte conſtet. Caro-

lus du Freſne Dominus du Cange, vir in Græcis evulgandis incomparabilis & indefeſſus, qui Franciſco noſtro Combefiſio cautior atque tardior ad credendum Græcis inſcriptionibus, in Catalogo Manuſcriptorum Græcorum quem ſubjunxit *Gloſſario media & infimæ Græcitatis* col. 28. hoc Synodicon editum a Combefiſio in *Hiſtoria Monothelitarum* ſub nomine S. Joannis Damaſceni, fatetur tandem inſcriptum *Joanni Hieroſolymitano Archiepiſcopo* in Cod. MS. 2951. Bibliothecæ Galliarum Regiæ hoc titulo, Συνοδικὸν Ἰωάννου Ἀρχιεπισκόπου Ἱεροσολύμων πλιτινου τοὺς κατὰ τὴν ἄσωον καὶ ἀνέφαλον ψευδώνυμον Ἑβδόμην σύνοδον.

12. *Encomium ſancti Johannis Chryſoſtomi Archiepiſcopi Conſtantinopolitani* a Joanne Damaſceno ſcriptum, aſſervari MS. in Bibliotheca Scorialenſi Regis Hiſpaniarum, teſtis eſt mihi Alexander Barvoëtius in Catalogo MSS. Scorialenſium, quem præmiſit homiliis XIX. ſancti Cyrilli in Jeremiam a Balthaſare Corderio latinitate donatis: & quem recudendum curavit idem Labbeus in *Supplemento tertio* novi ſpeciminis antiquarum Lectionum Græcarum, Latinarumque. Sed ambigo plurimum an Oratio iſta Damaſceni ſit, quam etiam MS. extare Romæ in Bibliothecis Sfortiana & Barberina audivi, ut ſuperius a me obſervatum eſt cap. 3. hujus Diſſertationis. Illud idem Encomium extare dicitur Codice 32. num. 22. MSS. Codicum Bibliothecæ clariſſimi viri Caroli de Montchal Archiepiſcopi olim Toloſani anno 1652. defuncti, qui omnes emptione in apparatum Caroli Mauritii Tellerii Remenſis Archiepiſcopi, tranſierunt.

Alias quoque S. Joannis Damaſceni nomine homilias, refert idem Labbeus in *Conſpectu novæ editionis ſuæ omnium S. Damaſceni Operum*, quas quisque ibidem videat pag. 17. & ſequentibus, multis verbis ab ipſo deductas, usque ad finem totius Sectionis: nam multo plures homilias Græce haberi in manuſcriptis Colbertinis ſupra indicavimus, quas tamen ad ipſum pertinere, plurimum dubito. Nam niſi fallor, illarum ejusmodi Homiliarum plurimæ ſaltem quoad titulos, videntur haberi inter Opera ſancti Joannis Conſtantinopolitani, cognomento Chryſoſtomi. Nihilque frequentius in MSS. Græcis homiliarum, quam ut ſub ſpecioſis titulis, inſcriptæ illæ inveniantur. Hæc ſufficiant *de Operibus S. Joanni Damaſceno impoſitis*, quæ omnia tomo ultimo ſeu volumine ſeparatim includenda, nullus ſanæ mentis non approbet.

Extant autem Opuſcula multa alia ſub S. Joannis Damaſceni nomine, in Anglicis latitantia bibliothecis, quæ omnia vel dubia vel ſuppoſita creduntur, quarum ex Catalogo Syllabum hunc contexui.

Joannis Damaſceni Tractatus, quod Deus incomprehenſibilis ſit, inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ Codice 49. Barocciano num. 2. Verum hoc primum eſt caput operis *de Orthodoxa fide* capitibus centum conſtantis, & alius ejusdem Tractatus Capitibus XCIX. ibidem num. 3, eſt ipſum opus integrum, de quo loquimur.

Item Joannes Damaſcenus de miraculo S. Michaelis, ibidem Codice 107. num. 3. pag. 70. οἱ ἱεροὶ διηγοῦνται.

Ejusdem Tractatus de Trinitate, Codice 114. Barocciano, pag. circiter 146.

Joannis Damaſceni homilia in finem arefactam Codice 199. pag. 61. ad 66. Κατὰ πρὸς τὸ λέγειν.

Ibidem pag. 173. Joannis Damaſceni Homilia in ſepulturam Domini. Τίς λαλήσει τὰς δυναστείας τοῦ κυρίου. Et pag. 284. Joannis Damaſceni ſermo in Transfigurationem Domini. Διὰ τί παντυχείζωμεν &c.

Ejusdem homilia de diverſis Sanctis, Codice 290. in MSS. Oliverii Cromwelli III. pag. 612.

Joannis Damaſceni ſermo admodum utilis de paſſionibus animæ & corporis curandis, ibidem Codice 688. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi litera C. Codice 36. num. 7. a pag. 71. ad 79.

Tractatus S. Joannis Damaſceni contra Eutychem & Dioſcorum, Codice 272. Arabico grandi, in MS. Codicibus Thomæ Roë Militis, Codice 26.

Ejusdem Tractatus *de incarnatione Domini* capitibus XI. conſtans, ibidem Codice 197. pag. 255. quorum 1. de paſſione Domini pag. 258. αὐτὸς ἐν ὁ τῷ Θεῷ λόγος. 2. Divinitatem Chriſti ab anima & corpore inſeparabilem manſiſſe ipſo mortis tempore, & eandem Hypoſtaſim pag. 258. Ἀναμαίρτητος ὢν ὁ κύριος ἡμῶν. 3. De corruptione & incorruptione pag. 259. Τὸ τῆς φθορᾶς ἄνομα. 4. De deſcenſu ad inferos pag. 259. Κάτειμι εἰς ᾅδην. 5. De ſtatu Domini poſt Reſurrectionem pag. 60. Μετὰ δὲ τὴν ἐκ νεκρῶν. 6. De Seſſione ad dexteram Patris pag. 60. Ἐκ δεξιῶν δὲ τοῦ Θεοῦ. 7. Cur filius humanam naturam aſſumpſerit, non Pater, aut Spiritus Sanctus pag. 260. πατὴρ ὁ πατὴρ καὶ οὐκ υἱός. 8. Ad quærentes, utrum Hypoſtaſis Chriſti creata, an increata ſit pag. 261. ἡ ὑπόστασις τοῦ Θεοῦ. 9. Quando primum vocatus ſit Chriſtus pag. 262. Οὐκ ὡς τινες ψευδηγορῆσιν. 10. Ad quærentes, utrum B. Virgo duas naturas peperit, & utrum duæ naturæ in Cruce pependerint pag. 262. Φύσεως μέν ἐστι τὸ ἀγέννητον. 11. Quomodo Vnigenitus Dei Filius, primogenitus vocetur pag. 263. πρωτότοκός ἐστι ὁ &c.

Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium & aliarum celebrium bibliothecarum, Codice 5865. in MSS. Græcis Thomæ Galei Codice 31. num. 1. Joannis Damaſceni Opuſculum de Elia propheta. Num. 2. Ejusdem homilia in vitem arefactam & parabolam de vinea. Num. 3. Ejusdem oratio in obdormitionem B. Virginis. Num. 4. Ejusdem Oratio alia de eadem.

Ibidem Codice 5941. in MSS. Græcis ejusdem Codi-

Codice 107. num. 1. Joannes Damaſcenus de menſibus Macedonum.

Item Codice 5950. in MSS. ejusdem Græcis Codice 116. Joannis Damaſceni ſermo utilis, & alia ejusdem.

Item Codice 5958. in MSS. ejusdem Græcis Codice 124. Joannes Damaſcenus de Sancta Cruce.

Item Codice 5959. in ejusdem MSS. Græcis Codice 125. num. 4. Joannes Damaſcenus de Imaginibus.

CAPVT SEXTVM.

DE

CONSPECTV VLTIMO OPERVM S. JOANNIS DAMASCENI OMNIVM, PARISIIS EDENDORVM A MICHAELE LEQVIEN, ORDINIS FRATRVM PRÆDICATORVM.

IOannes Georgius Eccardus edidit Germanice anno 1700. *Ephemerides menſtruas rei literariæ*, Hanoveræ in 8. quarum menſe Auguſto pag. 526. profert *Conſpectum Operum ſancti Joannis Damaſceni* Græce & Latine edendorum Pariſiis 2. voluminibus ſeu partibus in folio, a Michaele Lequien Ordinis Fratrum Prædicatorum, opinor, in Conventu vici ſancti Honorati, ſub hoc titulo.

Elenchus Operum S. Joh. Damaſceni.

Pars prima Græce & Latine.

Quæ aſteriſco notantur, huic editioni primum accedunt.

" * Leonis Allatii de *Joanne Damaſceno*, ex o-
" pere ejusdem Leonis nondum edito *de libris A-
" pocryphis*, ubi fuſe & erudite de Joannis Dama-
" ſceni veris atque indubitatis operibus agit.

" *Vita S. Joannis Damaſceni per Joannem Hieroſolymitanum Patriarcham*, Græce & Latine, ex
" translatione R. P. Franciſci Combefis ex Ordi-
" ne Prædicatorum, atque annotationibus illu-
" ſtrata.

" * *Sancti Joannis Damaſceni Prolegomena in Iſa-
" gogen Porphyrii*, ex duplici MS. Codice Regiæ
" Bibliothecæ & noſtræ.

" *Ejusdem Capita Philoſophica ſive Dialectica*, cum Appendicibus hactenus non editis, quæ extant in Regiis, Colbertinis & noſtris MSS. Codicibus, interprete eodem Franciſco Combefiſio.

" *Ejusdem liber de Hæreſibus*, eodem interprete.

" *Ejusdem liber de fide Orthodoxa*, eodem interprete.

" Huic tripartito operi, quod Coſmæ Epiſco-
" po Majumæ S. Damaſcenus nuncupavit, præ-
" ter criticas animadverſiones, accedent uberio-
" res notæ, quibus tum Dialectica Græcorum
" Patrum placita, tum Hæreticorum errores va-
" rii, tum denique Orientalium Theologorum
" ſententiæ dilucidabuntur.

" * *S. Joannis Damaſceni Tractatus brevis de vir-
" tutibus & vitiis*, ex Bibliotheca Regia cum La-
" tina interpretatione Leonis Allatii.

" * *S. Patris noſtri Stephani Syncelli & Metropoli-
" tæ Nicomedienſis, brevis explicatio triplicis animæ
" partis*, ex MS. Codice Regio,

" *Sancti Patris noſtri Joannis Damaſceni Inſtitutio
" Elementaris ad Joannem Laodiceæ Epiſcopum* in-
" terprete Franciſco Combefis.

" *De duabus Chriſti voluntatibus & operationibus*,
" eodem interprete.

" *De natura compoſita, contra Acephalos.*

" * *Teſtimonia Sanctorum Patrum, ex quibus de-
" monſtratur, Chriſtum eſſe ex duabus naturis, & duas
" naturas habere*, ex Codice Vaticano.

" * *Tractatus contra Neſtorianos*, ex MS. Codi-
" ce Regio.

" *Epiſtola ad Ioannem Archimandritam de Hymno
" Triſagio.*

" * *Epiſtola ad Epiſcopum Daræ Jacobitam, ad-
" verſus nefandam Jacobitarum ſuperſtitionem*, ex
" Codice Vaticano.

" * *Exemplar libelli editi a Ioanne Damaſceno,
" quod ab Elia Epiſcopo conceſſum eſt Petro Damaſci
" Metropolitæ.* Ex Codice Vaticano.

" * *Tractatus de ſanctiſſima Trinitate*, ex MS. Bi-
" bliothecæ noſtræ.

" *Quæſtiones & Reſponſiones de Trinitate & In-
" carnatione, ad eos qui pie & religioſe confitentur
" duas in Chriſto naturas, totidemque operationes &
" voluntates.* Ex Codice Vaticano.

" *Dialogus contra Manichæos.*

" *Orationes ſeu libri tres de ſacris Imaginibus.*

" * *Laterculus ad inveniendum Paſchatis diem.*

Hactenus quæ Græce reperi S. Joannis Damaſceni Opera Theologica. Henricus Canisius Tomo IV. Lectionum Antiquarum, edidit ejusdem prolixiorem *contra Acephalos* Tractatum ex interpretatione Franciſci Turriani Societatis Jeſu. Græca deſunt.

In editionibus Baſileenſibus & Pariſienſibus, extat *diſceptatio Chriſtiani & Saraceni*, cujus contextum Græcum comparare non potui.

Item ſimilis argumenti *confutatio Beati Theodori Epiſcopi Charran, cognomento Abucara contra Saracenos ἀπὸ τῆς Φωνῆς Ἰωάννου Δαμασκηνοῦ, ex ore Ioannis Damaſceni* ſuſcepta, interprete Franciſco Turriano. Habetur inter Opuſcula Theodori ejusdem, ſed Græca deſiderantur.

Itemque *Ejusdem Ioannis Damaſceni de octo paſſionibus ſeu vitiis quæ capitalia dicuntur*, Bilibaldo Pirchimero interprete, Latine tantum in aliis Damaſceni editionibus extat, ſed Græca deſiderantur.

Opera Dubia.

Sancti Ioannis Damaſceni Monachi & Presbyteri Oratio demonſtrativa de ſacris venerandis Imaginibus ad Chriſtianos omnes, adverſus Conſtantinum Caballinum Imperatorem, interprete Franciſco

„cisco Combefis.„ Franciscus Combefisius ad calcem Allatii *de Simeonum scriptis*, Parisiis anno 1664. in 4. edidit *Manipulum Originum Constantinopolitanarum* ex variis auctoribus, in quo continetur hoc Opusculum a pag. 110. ad 145. sub hoc titulo, „*Ἐπιστολὴ πρὸς τὸν Βασιλέα Θεόφιλον περὶ τῶν ἁγίων καὶ σεπτῶν εἰκόνων*, Orientalium Patriarcharum *Christophori Alexandrini* „(cujus paræneſim aſceticam & parabolicam „*de Vita humana* Græce MS. in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi memorat Petrus Lambecius Tomo VIII. Commentariorum hujus Bibliothecæ pag. 364.) *Iobi Antiocheni & Baſilii Hieroſolymorum, atque aliorum MCCCCLV. Epiſcoporum ac Clericorum Epiſtola Synodica, ad Theophilum Imperatorem de ſanctis imaginibus*, Joanni Damaſceno in Codice Mazariniano perperam tributa, qui annis 80. ante Imperatorem hunc Theophilum mortuus fuerat. Meminit hujus Epiſtolæ Conſtantinus Imperator Porphyrogenitus in narratione *de Imagine Edeſſena* pag. 90. ſed male ibi Jobus vocatur Alexandrinus & Chriſtophorus Antiochenus: & Auctor MS. narrationis *de imagine Beatæ Virginis* apud Lambecium citatum libro VIII. pag. 334.

„ *Ejuſdem Joannis Damaſceni Monachi & Presbyteri, de iis qui in fide obdormierunt*, eodem interprete Franciſco Combefis.

Opera Sancto Joanni Damaſceno perperam aſſerta.

„ *S. Joannis Damaſceni Epiſtola ad Zachariam Epiſcopum Dearorum, de immaculato corpore & ſanguine Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui participamus.*

„ *Ejuſdem aliud Capitulum de hac ipſa re.*

„ *S. Joannis Damaſceni Epiſtola ad Theophilum Imperatorem*, interprete Franciſco Combefis.

Sancti Joannis Damaſceni Operum Græce & Latine Pars altera.

„ * *Liber Pandectarum* ex Vaticano Codice.

„ * *Epitome Homiliarum S. Joannis Chryſoſtomi in Epiſtolas Pauli*, ex Regio Codice 1818.

„ * *Synopſis librorum Veteris Teſtamenti.* Hanc „mihi Roma mittendam ſpero, inquit.

Homiliæ.

„ * *Homilia in Annuntiationem Dominicam*, Arabice & Latine ex Codice Colbertino.

„ * *Homilia in ficum aridam*, ex Codicibus Regiis duobus.

„ *Homilia in Sabbatum ſanctum.*

„ *Homilia in Transfigurationem Domini.*

„ *Homilia in Nativitatem Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariæ.* Incipit, *Δεῦτε πάντα τὰ ἔθνη.*

„ *Homilia in eandem Feſtivitatem.* Incipit, *λαμπρῶς μὲν πανηγυρίζεται.*

„ *Homilia tres in dormitionem Beatæ Dei Genitricis ſemperque Virginis Mariæ.*

„ * *Homilia in Sanctum Joannem Chryſoſtomum*, „ex Codice Mauricii Tellerii Remenſis Archiepiſcopi.

„ * *Homilia in ſanctam Barbaram Virginem & Martyrem, & de ſancto Elia Prophetâ*, ex Codice „ Bibliothecæ Bodlejanæ. „

Homilia in Hypapantem ſive occurſum Domini, „ hoc eſt, in feſtum Purificationis, Latine tantum „ Leone Allatio interprete, cujus Græca non „ reperi.„

Opera Poëtica.

Sancti Iohannis Damaſceni Iambi pentaſtichi in „ Chriſti Nativitatem. „

Ejuſdem in Epiphaniam Domini. „

Ejuſdem in Dominicam Reſurrectionis, Cantica. „

Ejuſdem in Feſtum Pentecoſtes, verſus Iambi. „

Ejuſdem in Aſcenſum Domini, Cantica. „

Ejuſdem in Transfigurationem Domini, Acroſtichon. „

Ejuſdem in ſanctiſſimæ Dei Genitricis Annuntiationem, cantica. „

Ejuſdem Oratio verſibus Anacreonticis, ad Chriſtum. „

Paracletice in Beatam Virginem, interprete „ Ludovico Maraccio, Clerico Regulari, qui ſuam translationem Leoni Allatio nuncupavit. „

Octoechus auctoribus Joanne Damaſceno, Metrophane Smyrnæo, & aliis. „

Ejuſdem Preces variæ ad Chriſtum. „

Dubia Opera.

Hiſtoria Indica ſive *Vita ſanctorum Barlaam & „ Joſaphat.*„

Hæc Michael Lequien ad Eccardum vel potius ad Leibnitzium anno 1700, cui paucas notas noſtras adjicere, haud incongruum forſitan fuerit.

1. Quoad *Orationes tres de venerandis Imaginibus* Tomo 1 ſeu parte 1 Operum ſancti Joannis Damaſceni, ubi inter Opuſcula indubitata a Michaele Lequien collocantur, illas eſſe omnino dubias ac Joanni Damaſceno adulterinas ſuppoſitasque ſuſpicor, cum Ludovico Ellia du Pin. Allegant enim hæ Orationes auctoritatem ex Scriptoribus duobus, qui annis amplius ducentis poſt Joannem Damaſcenum vixerunt, nimirum Joannem Malalam Antiochenum in *Chronico* Patriarcham ſeu Archiepiſcopum; & Anonymum in *Quæſtionibus ad Antiochum*, qui tomo 2 Operum Athanaſii extat, quemque poſt primam expeditionem Occidentalium ad terræ ſanctæ recuperationem, anno 1096 vel 1097 tempore Vrbani ſecundi factam, vixiſſe conſtat, ut in hac Diſſertatione capite 5. latius probavimus, numero 6.

2. *Diſceptatio Chriſtiani & Saraceni*, cujus textum Græcum habere nondum potuit Michael Lequien, extat in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, inter MSS. Codices Græcos Theologicos, Codice 247. num. 26. ut capite 3. hujus Diſſertationis diximus.

3. *Ejuſdem S. Ioannis Damaſceni de octo paſſionibus ſeu vitiis quæ capitalia dicuntur*, textus Græcus extat in eadem Bibliotheca Cæſarea Codice

184.

Digitized by Google

184. num. 3. ut Diſſertationis ejusdem loco citato diximus.

4. Non fuit quoque advocandus Roma *Tractatus Parallelorum Joannis Damaſceni*, quem etiam hodie habet Catalogus Manuſcriptorum Codicum Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 698. in MSS. Codicibus Guilielmi Laudi Cantuarienſis Archiepiſcopi Codice 46. litera C ubi inſcribitur, *Tractatus Joannis Damaſceni de 24. literis alphabeti Græci*: eo quod *Parallela* per 24. literas Alphabeti Græcas procedant, id quod nullus de hoc MS. Codice animadvertit.

5. Quoad *Epitomen Homiliarum S. Joannis Chryſoſtomi in Epiſtolas Divi Pauli a Joanne Damaſceno exhibitam*, ex MS. Codice Regiæ Galliarum bibliothecæ, quam parte ſecunda ſeu Volumine 2 Operum Joannis Damaſceni Michael Lequien pollicetur, ea mihi valde ſuſpecta ſuppoſitionis videtur, niſi idoneum aliquem teſtem & veterem producat, qui tale quoddam opus a Joanne Damaſceno elaboratum eſſe teſtetur. Omnes etenim norunt, quantum & quam frequenter fallant inſcriptiones & tituli MSS. Græcorum Codicum, ut multi tam eruditi facilem his fidem non adhibeant.

6. *Synopſim librorum Veteris Teſtamenti*, quam Roma ad ſe mittendam Michael Lequien ſperat, non pluris facio, quam opus præcedens. Eſt enim hoc opus nihil aliud, quam compendium valde jejunum, ſeu Synopſis omnium Veteris Teſtamenti librorum. Illud nihil aliud eſt, quam *Summaria Capitum* ſingulorum Veteris Teſtamenti librorum, quæ ſimul comportata & in unum collecta ſub nomine Joannis Chryſoſtomi, ad faciendum ſpecioſo titulo fucum, nec Codex MS. qui in hac Bibliotheca noſtra extat, annos trecentos excedit, ut mihi inſpicienti, ad oculum conſtitit. Extat in Bibliotheca noſtra Lugduno-Batava, inter MSS. Codices Græcos Iſaaci Voſſii, ab ejus hæredibus emptos, ſub nomine D. Joannis Chryſoſtomi Codice Græco 25. num. 2, cujus etiam Codicis mentionem facit Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ in Joanne Chryſoſtomo* ad annum 398. pagina 263. Hanc genuinam pro certo affirmare non audet, utpote quam nondum percurrerit. Ejus inſcriptio Σύνοψις, ἢ Ἐπιδομὴ τῆς παλαίας διαθήκης τῶ Ἰωάννυ Χρυσοστόμυ. Γένεσις. Τὰ κατὰ τὴν κοσμοποίαν &c. Multo prolixior ea, quæ habetur edita inter Opera ſancti Athanaſii Tomo 2. pag. 55. nec utilior.

7. Si plurimum ſibi conferre Joannem Damaſcenum, quoad *Euchariſtiam & Imaginum cultum* arbitretur Michael Lequien, non obliviſcatur Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 2877. inter MSS. Codices ipſius Thomæ Bodleji, in MSS. ſupra P. 3. Art. Codice 94. qui diverſorum eſt Exceptorum, ubi num. 11. *Joannes Damaſcenus de Patre & Filio & Spiritu Sancto, & quod panis conſecratus ſit verum corpus Chriſti* pag. 223. num. 36. *Damaſcenus de Imaginibus* pag. 282. num. 41. *Damaſcenus de Cruce, & quod ea ſit adoranda, in quo etiam de fide tractat* pag. 300. num. 43. *Joannes Damaſcenus de Sanctis, eorumque reliquiarum veneratione, & miraculis.* Num. 46. *Damaſceni Oratio de Imaginibus* pag. 307. b. Fallor autem, ſi non hæc omnia deſumpta ſint, ex libris tribus *de Imaginibus*, qui falſo Joannis Damaſceni nomine impreſſi ſunt.

CAPVT SEPTIMVM.

DE

VLTIMA EDITIONE OPERVM S. JOANNIS DAMASCENI, QVÆ PARISIIS II. IN FOL. VOLVMINIBVS AB EODEM MICHAELE LEQVIEN ANNO MDCCXI. FACTA FVIT.

HÆc tandem editio de qua capite præcedenti loquuti ſumus, Pariſiis anno 1711. hoc titulo in lucem venit. Τῶ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννυ τῶ Δαμασκηνῶ Μοναχῶ καὶ Πρεσβυτέρυ Ἱεροσολυμῶν τὰ εὑρισκόμενα πάντα. Sancti Patris noſtri Joannis Damaſceni Monachi & Presbyteri Jeroſolymorum Opera omnia quæ extant, & ejus nomine circumferuntur, ex variis editionibus & Codicibus manu exaratis Gallicanis, Italicis & Anglicis collecta, Latine verſa & recenſita atque annotationibus illuſtrata, cum præviis Diſſertationibus & copioſis indicibus. Opera & ſtudio Michaelis Lequien Morino-Bolonienſis, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Pariſiis apud Joannem Baptiſtam de Leſpine via Jacobæa ad inſigne divi Pauli prope fontem Sancti Severini anno 1711. duobus tomis in fol. Opus ſuum dedicavit Joanni Paulo Bignon, Abbati ſancti Quintini Viromandenſis & Collegiatæ Eccleſiæ ſancti Germani Antiſſiodorenſis Decano, utriusque Academiæ Inſcriptionum & ſcientiarum Præſidi.

Orditur a Præfatione Generali in novam ſancti Joannis Damaſceni Operum editionem, quæ prolixa paragraphis XXI. concluditur, cui §. 21. adjicit Michael Lequien Syllabum Operum S. Joannis Damaſceni omnium, quæ in utroque Tomo continentur. Tum ſequuntur, ſelectæ Præfationes aut nuncupatoriæ Epiſtolæ, quæ anterioribus Operum S. Joannis Damaſceni editionibus præfixæ ſunt. Denique teſtimonia Scriptorum tam recentiorum quam veterum, qui de Sancto Joanne Damaſceno ſcripſerunt, incipiendo a Leone Allatio, in Opere quod Συμμικτα inſcripſit, pag. 446.

Sequuntur Præfationem Generalem Prolegomena ampliſſima, in quibus

Vita Sancti Joannis Damaſceni a Joanne Patriarcha Hieroſolymitano conſcripta, quæ in *Prolegomenis* Græce & Latine num. ſeu paragraphis XXXIX. pag. 1. ad pag. XXIV. cum nonnullis obſervationibus prolixis Michaelis Lequieni. Idem pag. XXV. poſt Vitam S. Joannis Damaſceni a Joanne Hieroſolymitano Patriar-

triarcha descriptam, post Menæa & Synaxaria Græcorum, subjicit narrationem alteram de Vita & conversatione Sancti Joannis Damasceni, quam Henricus Gravius Ordinis Fratrum Prædicatorum edidit, atque in Codice Regio Latino 3966. idem Lequien reperit, quæ capitibus XI. absolvitur. Tum addit pag. XXVIII. narrationem alteram de Vita S. Joannis Damasceni, ex *Speculo Historiali* Vincentii Bellovacensis. Pag. XXX. Testimonia de eodem ex Menologio Græcorum die 4. Decembris, ex MS. Synaxario Basilii Imperatoris apud Cryptam Ferratam ad diem XXIX. Novembris. Pag. XXXI. Testimonia selecta Veterum, de Joanne Damasceno & ejus scriptis.

Alia item Prolegomena amplissima

Leonis Allatii de Joanne Damasceno, ex Opere ejusdem Allatii non edito *de libris Apocryphis* pag. I. ad pag. LII.

Sequuntur *Dissertationes Damascenicæ*, quarum prima *de processione Spiritus Sancti* pag. I. ad pag. XXXI. Dissertatio secunda *de quibusdam auctoritatibus, quibus Eutyches aliique unius in Christo naturæ adsertores, hæresim suam tuebantur*. p. XXXII ad XLVIII. Dissertatio tertia *de Epistola ad Cæsarium Monachum, quæ S. Ioannis Chrysostomi nomine insignita est, deque libris quibusdam aliis, quæ a Ioanne Damasceno laudata primum reperiuntur* pagina XLVIII. ad LV. Dissertatio quarta *de Oratione, de iis qui in fide obdormierunt, & de Purgatorio secundum Orientalis Ecclesiæ sensum*, pag. LV. ad LXIII. Iterum Dissertatio quinta *de Oratione de iis qui in fide obdormierunt, & de Purgatorio secundum Ecclesiæ Orientalis sensum*, pag. LXIII. ad LXXI. Dissertatio sexta, *de Azymis, in qua etiam de postremo Domini nostri Iesu Christi Paschate*, pag. LXXI. ad XCI. Dissertatio septima *de Christianis Nazaræis & eorum fide, nec non de Ebionitis* pag. XCII. ad XCVII. Post hæc Prolegomena.

Sancti Johannis Damasceni Opera, quæ hac editione continentur.

Quæ asteriscis notantur, aut nondum omnino, aut Latine tantum prodierant.

TOMO PRIMO.

1. Fons scientiæ seu
   - capita Philosophica & Dialectica pag. 1.
   - de hæresibus pag. 76.
   - de fide Orthodoxa pag. 120. Admonitio editoris prævia p. 118.

2. Admonitio editoris in libros pro sacris Imaginibus p. 305. pro sacris Imaginibus Oratio prima p. 307. Oratio 2. p. 320. Oratio 3. p. 344.

* 3. Libellus de recta sententia pag. 390. Opusculum istud est *fidei Orthodoxæ professio*, quam Roma acceptam, ex Vaticano Codice 1262. descriptam, idem Leo Allatius Joanni Auberto a se missam testatur in *Symmictis* cum hoc alio titulo, *Ἔσον λιβέλλου ὑπαγορευθέν ὑπὸ Ἰωάννου τοῦ Δαμασκηνοῦ, ἐπιδοθὲν παρὰ Ἡλίᾳ ἐπισκόπῳ Πέτρῳ Μητροπολίτῃ Δαμασκοῦ. Simile seu exemplar libelli dictati a Ioanne Damasceno, ab Elia vero Episcopo traditum Petro Metropolitæ Damasci.*

* 4. Libellus velut ex persona Petri sanctissimi Episcopi Damasci ad Episcopum Tudarcæ Jacobitam pag. 397. cum Admonitione pag. 396. in hunc Tractatum contra Jacobitas.

5. Contra Manichæos Dialogus pag. 419.

*6. Disceptationes Christiani & Saraceni cum Disceptatiuncula a Theodoro Abucara ex ore Joannis Damasceni susceptæ p. 466.

* 7. De Draconibus & Strygibus p. 471.

8. De sancta Trinitate pag. 474. Opusculum velut altera fidei Christianæ professio, ubi num. 2. pag. 475. *καὶ ἓν πνεῦμα ἅγιον, ἐκ Θεοῦ τὴν ὕπαρξιν ἔχον, καὶ διὰ υἱοῦ πεφηνός: Et unum Spiritum Sanctum, qui ex Deo habet existentiam, & per filium splenduit, videlicet hominibus* Joannes Vegelinus Augustanus Opusculum istud Joannis Damasceni nomine inscriptum, Augustæ Vindelicorum cum Cyrillianis quibusdam & Damascenicis, Græce & Latine annotationibus adjectis edidit anno 1611. Hujus initium perinde Damasceno nostro attributum Lequienus reperit. In Codd. MSS. Regio 2909. & Colbertino 6044. cum titulo *Περὶ τῆς ἁγίας Τριάδος, de sancta Trinitate*, quem operi toti præmittendum Lequienus existimavit, quia imprimis est de hoc Mysterio, quamlibet nonnulla passim de Incarnatione interjecerit. Ipsi dubium non est, quin genuinus lucubrationis hujus parens sit Joannes Damascenus, aut saltem ex genuinis ejus libris excerpta sit. Vegelini translationem paucis in locis Lequienus mutavit, ejusque notas una edendas censuit.

9. Epistola ad Jordanem Archimandritam scripta de hymno Trisagio p. 480.

* 10. Epistola de sanctis jejuniis p. 499.

* 11. De octo spiritibus nequitiæ p. 506.

12. Ex Sermonibus Sententiarum fragmenta, quas Bilibaldus Pircheymerus ex Græco Latinas fecit pag. 508.

* 13. De virtute & vitio pag. 509.

14. Institutio elementaris ad dogmata, viva voce Joannis Monachi Damasceni ad Joannem Sanctissimum Laodiceæ Episcopum p. 515.

15. De natura composita contra Acephalos p. 521.

16. De duabus in Christo voluntatibus & operationibus, deque reliquis proprietatibus, ubi obiter de duabus naturis & una hypostasi pag. 529.

17. Dissertatio accuratissima adversus odiosam Deo Nestorianorum hæresim p. 554.

18. Responsio ad eos qui dicunt, si duæ naturæ est homo, necesse esse, ut in Christo naturas tres, totidemque dicamus actiones, ut objicit Severus p. 571.

* 19. Fragmentum de Theologia, qua ratione homo imaginem Dei referat, ex Codice S. Hilarii p. 573.

* 20. Frag-

* 20. Fragmenta alia ex eodem ſancti Hilarii Codice p. 574.

* 21. De unione definitiones variæ p. 575.

* 22. Fragmentum aliud ex Niceta Choniatæ Theſauro p. 576.

* 23. Fragmenta duo ex Catena Regiæ bibliothecæ in Lucam, ibidem.

* 24. De menſibus Macedonicis ex Eccleſiaſtica traditione p. 577.

* 25. Item de menſibus diverſis, ibid.

* 26. Canon Paſchalis a Dionyſio Petavio primum Græce & Latine editus. pagina 579. & 580.

* 27. Epiſtola ad quendam miſſa, *quid homo ſit?* pag. 582.

Opera Dubia ac Suppoſititia.

1. Oratio de iis qui in fide obdormierunt, quomodo Miſſis & eleemoſynis & beneficentiis, quæ pro illis fiunt, adjuventur. pag. 584.

* 2. Epiſtola ad quendam *de Confeſſione*, & qui tandem illi ſunt, qui poteſtatem ligandi & ſolvendi acceperint pag. 601. Præmiſit editor *Admonitionem* prolixam pag. 598. in *Epiſtolam de Confeſſione*, quam ſe accepiſſe dicit, Joannis Damaſceni nomine inſcriptam ex Anglia a viro de bonis litteris merito D. Thoma Gale Eccleſiæ Eboracenſis Decano, qui & Latinam translationem, quam ipſemet adornaverat, una typis edendam, transmiſit amanter Lequieno, qui tamen Joannem Damaſcenum ejus Opuſculi auctorem non eſſe, in *Admonitione* probaturum ſe pollicetur.

3. Oratio demonſtrativa de ſacris venerandis Imaginibus ad Chriſtianos omnes, adverſus Imperatorem Conſtantinum Caballinum & hæreticos univerſos pag. 613. cum *admonitione* prolixa pag. 610. qua demonſtrat Opus Joanni Damaſceno falſo adſcriptum.

4. Epiſtola ad Theophilum Imperatorem *de ſacris & venerandis Imaginibus* p. 629. Admonitio pag. 628.

* 5. Opuſculum *de Azymis* pag. 649, cujus occaſione Lequienus edidit in Prolegomenis, ad editionem hanc, *Diſſertationem Sextam* de Azymis inſcriptam.

6. Epiſtola Sanctiſſimi Petri Manſur ad Zachariam Doarorum Epiſcopum p. 655. Præmiſit Editor pag. 651. *Admonitionem prolixam* & eruditam in *Epiſtolam ad Zachariam* & caput quod etiam ſequitur, qua probat Opuſcula eſſe Damaſceno ſuppoſita, usque ad pag. 655.

7. Ejusdem caput de immaculato corpore Domini, cujus participes ſumus. p. 656.

8. Interpolationes duæ libri *de fide Orthodoxa*, quarum auctores incogniti ſunt. pagg. 659. 660.

* 9. *Expoſitio ſeu Declaratio fidei* paragraphis ſeu ſectionibus XIII. comprehenſa, quæ Latine tantum datur ex verſione Arabica, pag. 663. ad 670. Genuinum hoc eſſe opus S. Joannis Damaſceni cenſet Michael Lequien, quæ tota de Perſonis divinis, de duabus in Chriſto naturis & operationibus in una hypoſtaſi, de ſanctis VI. Conciliis œcumenicis, & libris Novi Teſtamenti abſolvitur. Illam habuit ex MS. Codice Patrum Oratorii Pariſienſis, exhibente Jacobo le Long ejusdem loci Bibliothecario, quamque in Latinam linguam tranſtulit Lequieni amicus Arabicæ linguæ callentiſſimus.

Ejus doctrina *de Spiritu Sancto* videtur conformis doctrinæ S. Joannis Damaſceni in libro *de fide Orthodoxa* cap. XI. Sic autem ille paragrapho ſeu Sectione II. pag. 664. his verbis. Nam Pater absque principio eſt, & Filius eſt ex Patre per filiationem, & Spiritus Sanctus ex Patre per Filium, non per filiationem, ſed per proceſſionem. & infra Itemque Spiritus Sanctus eſt Filii, ſed non eſt ex Filio. Eſt tamen ad Filium, quia emanat per illum & ex illo. At non eſt ex Filio, quia Pater una eſt cauſa tum Filii, tum Spiritus Sancti, utriusque ex æquo, ut Pater ſimul ſit & Filii Pater, & productor Spiritus.

His ſubjiciuntur Carmina & Cantica in ſolemnitates varias.

1. In Theogoniam pag. 673.
2. In Theophaniam p. 676.
3. In Pentecoſten dubiæ fidei p. 678.
4. Eadem Carmina Latine tantum ſtricta oratione, Jacobo Billio interprete p. 680.
1. In Dominicam Paſchæ Cantica p. 684.
2. In aſſumptionem Domini noſtri Jeſu Chriſti p. 686.
3. In Transfigurationem Domini noſtri Jeſu Chriſti p. 688.
4. In Annuntiationem Genitricis Dei Mariæ p. 690.
5. Precatio ad Chriſtum Anacreonticis verſibus *incerta fidei* pag. 691.

Multi Scriptores Græciæ recentioris, in hæc Carmina & Cantica Joanni Damaſceno attributa Commentati fuiſſe leguntur, de quibus ego latius diſſerui Diſſertationis hujus cap. 4. ad quod lectorem remitto.

Tomo Secundo.

* 1. Ex univerſa interpretatione S. Joannis Chryſoſtomi, excerpta compendiaria a Joanne Damaſceno pag. 1. cui *Admonitionem* præmiſit Michael Lequien, qua genuinum eſſe Damaſceni opus contendit.

* 2. Admonitio ad Parallela pag. 274. Prologus ad Parallela p. 278. *Sacra Parallela* cum Joannis Damaſceni nomine expreſſo p. 279 ad 730. Index optimus præſentis voluminis juxta XXIV. literas Alphabeti Græci, cum titulis cuique literæ adjectis p. 281. Parallela juxta litteras Alphabeti Græci p. 297.

* 3. Eclogarum liber I. & II. qui ſunt *Parallelorum aliorum* ejusdem methodi ex Codice Rupefucaldino Collegii Claromontani Pariſienſis Societatis Jeſu, excerptiones, cum indice eorumdem p. 731. ad 790.

Digitized by Google

4. Oratio de glorioſa Domini noſtri Jeſu Chriſti Transfiguratione p. 791.

*5. In ficum arefactam & in parabolam vineæ pag. 804.

*6. In ſanctam Paraſceven & in Crucem pag. 810.

7. In Sabbatum ſanctum pag. 815.

*8. In Angelum, cum annuntiationem Incarnationis Chriſti ad illibatam Dominam noſtram Mariam afferret, Latine tantum ex verſione Arabica, pag. 833.

*9. In Annuntiationem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Dei genitricis p. 835.

10. In Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ natalitium diem p. 841.

*11. In eundem Sanctiſſimæ Dominæ noſtræ natalem diem p. 849.

*12. Encomium in dormitionem celebratiſſimæ, glorioſiſſimæ ac benedictæ Dominæ Dei genitricis, ſemperque Virginis Mariæ p. 857.

*13. In eandem p. 868.

*14. In eandem tertio p. 882.

*15. In laudem ſancti Joannis Chryſoſtomi Archiepiſcopi Conſtantinopolitani p. 886.

*16. Laudatio ſanctæ & inclytæ Martyris Chriſti Barbaræ p. 895.

*17. Fragmentum ſermonis cujusdam, ex Catena Regia in Lucam p. 910.

*18. Precationes tres ex MSS. Codicibus crutæ pag. 911. Ita Ordo ultimæ Pariſienſis editionis.

CAPVT OCTAVVM.

DE

PRÆROGATIVIS ATQVE DEFECTIBVS HVJVS EDITIONIS.

PRæſens editio Michaelis Lequieni præcellit in multis illam quam anno 1652. petulans Labbeus procurare voluerat, 1. quod non tantam & abſurdam Tomorum multitudinem, ut Jeſuita ille comportare conſtituit. 2. quod non illam Commentariis Jodoci Clictovai inutilibus odioſam reddiderit, ut volebat Labbeus. Hæ ſunt prærogativæ quibus editio Lequieni præcellit editioni Labbeanæ cogitatæ. Audiamus autem Labbeum in nova Bibliotheca MSS. librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum, ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ potiſſimum collecta, ut anno 1653. Pariſiis in 4. impreſſa apud Joannem Henault, parte 2. pag. 86.

„ Parte 2. pag. 86. Joannis Damaſceni Introductio Dogmatum ad Joannem Laodiceæ Epiſcopum, in Codice MS. 7. in quo ejusdem Epiſtola de Triſagio & de natura compoſita adverſus Acephalos. In Codd. Regiis quamplurima ſunt ejusdem Scriptoris monumenta, quæ cum vulgatis comparari poterunt, ut inde ſeligantur quæ nondum in lucem prodierunt: aut quod jampridem meditor, inſtituatur accurata omnium ejus Operum editio Græco Latina, in tres tomos diviſa: quorum *Primus* libros quatuor de fide Orthodoxa cum Commentariis Jodoci Clicthovei Neoportuenſis, Doctoris Pariſienſis. *Secundus* eximium Opus Eclogarum ſeu Collectaneorum ex ſacra Scriptura, ſanctisque Patribus concinnatum, non quidem ut edidit Billius ex Codice Cardinalis Caraſæ, inſcripſitque *Parallela*: verum ut habetur in præſtantiſſimo illo MS. Codice membranaceo, quantivis pretii, quem Collegio noſtro Claremontano donavit Eminentiſſimus Cardinalis Franciſcus Rupifucaldius, vir omnium præconiis æternum celebrandis. *Tertius* Opuſcula Philoſophica atque Theologica cum Orationibus Poëmatibus atque Hiſtoria Indica continebit. Faxit Deus Optimus Maximus, ut eruditiſſimi illius Theologi & Theologorum parentis Opera, quæ adhuc luctantur cum blattis, nanciſci liceat, brevique in omnium commodum, exploſa Baſileenſi editione GræcoLatina mendoſa atque imperfecta, Pariſienſibus typis publicare. Idem *Supplemento* X. pag. 380. ad partem 2 Biblicam & Theologicam pag. 86. Conſpectum novæ editionis Græcæ & Latinæ omnium Operum ſancti Joannis Damaſceni Presbyteri & Monachi in 4. Tomos diſtributorum exhibuimus, ab uno alterove menſe, lectoribus antiquitatis Eccleſiaſticæ ſtudioſis indagatoribus: ac typis elegantibus Sebaſtiani & Gabrielis Fratrum Cramoiſyorum vulgavimus diſpergendum per omnes Europæ provincias, ut ſi quid ex quamplurimis Sanctiſſimi illius Doctoris Opuſculis hactenus incognitum fuit, illud nobis Eruditorum virorum opera atque judicio innoteſcat. Tres Tomos dicta pag. 86. duntaxat polliciti eramus, verum re poſtmodum penſiculatius examinata, *Quartum* aliis addendum eſſe jure merito cenſuimus. „

3. Præcellit hæc editio Michaelis Lequieni, quod fabulam *Hiſtoriæ Indicæ* ſeu *Vitam Barlaami & Joſaphati* non inſeruerit huic Operi, quæ ad Damaſcenum non ſpectat, ut in *Apparatu* priori propoſuerat, idque dubio procul poſt Labbeum ita ſtatuentem, & omnia indiſcriminatim absque judicio colligentem, Nam Scriptor hujus *vitæ* introducit Barlaam docentem Filium Regis, *ut credat in Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedentem*, ut recte Bellarminus annotavit in diſcuſſione Operum S. Joannis Damaſceni, ad annum 731. libri *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. At S. Joannes Damaſcenus contrarium docuit libro 1. *de fide Orthodoxa* cap. 10. his verbis: *Idcirco credimus in unum Spiritum Sanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & in filio requieſcentem, cum Patre & Filio ſimul adoratum & conglorificatum.* Nunquam autem dicit Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere. Idem quoq; docet cap. 11. *Quapropter neq; tres Deos dicimus Patrem & Filium & Spiritum Sanctum: ſed unum potius, ſanctam Trinitatem Deum, Filio & Spiri-*

Spiritui Sancto in unam cauſam, Patrem videlicet relatio, non compoſitio neque conjunctio. Impoſſibile eſt igitur hæc convenire in unum eundemque hominem, niſi quis Damaſcenum putet puerum & inconſtantem, qui rem eandem nunc albam, nunc nigram dixerit. Vide quæ diximus de hac Hiſtoria ſeu Fabula, cap. 5. Diſſertationis hujus paragr. ſeu numero 9. quæ hic repetere ſuperfluum eſſet.

Defectus autem hujus editionis magnus & inſignis mihi videtur, quod Tomo I. editionis ſuæ Lequienus in ſeptem operum ſancto Joanni Damaſceno certo adſcribendorum retulerit *Libros tres ſeu Orationes pro ſacris imaginibus compoſitas*, primam pag. 307 ſecundam pag. 330 tertiam p. 344, quibus etiam præmiſerit *Admonitionem* pag. 305 prolixam, ut illas Damaſceno ſuo aſſervet, licet argumentum iſtud admodum infeliciter urgeat. Nec *Admonitione* iſta contentus, adjecit in Præliminaribus editionis ſuæ *Diſſertationem* tertiam De Epiſtola ad Cæſarium Monachum, quæ ſancti Joannis Chryſoſtomi nomine inſignita eſt, deque libris quibusdam aliis, quæ à Joanne Damaſceno laudata primum reperiuntur pag. XLVIII ad LV, quæ ad idem argumentum & Orationes iſtas Damaſceno adſcribendas pertinere cognoſcitur. Ego à ſententia Michaelis Lequieni valde remotus & alienus ſum, qui has *Orationes tres* poſt ſeculi XI finem ac ſub ſeculi XII initium à Græculo recentiore compoſitas arbitror. Omnes tres Orationes eadem methodo ac ratione ſcribendi ab uno eodemque ſcriptore compoſitæ ſunt, ut ovum ovo ſimilius non ſit, quam Orationes iſtæ ſibi invicem. Aggeſtæ enim ad calcem ſingularum ſeries authoritatum & Hiſtoriarum, quibus argumenta earum Scriptor ſe probaturum credidit: unde tantiſper attendenti vel omnes vel nulla illarum Damaſceni eſſe debeat, ſi ſpuriæ ac ſuppoſititiæ probentur. Adulterinas autem puto 1. quod doctrinæ Joannis Damaſceni omnino adverſentur. Nam Damaſcenus Libro 4 *De fide orthodoxa* cap. 15. *de cultu Sanctorum & eorum reliquiarum* & cap. 16. *De ſacris Imaginibus adornandis*, juxta Græcam diviſionem capp. πή & πθ'. 88 & 89 diſerte docet *Imagines eſſe adorandas*, uti negare nullus poteſt. At Ellias du Pin dubitat prorſus an earum Orationum author Damaſcenus ſit, in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo VIII pag. mihi 102 Amſtelodamenſis editionis anni 1693 in 4. his verbis: „Allegat plures locos Patrum, ad probandum honorandas eſſe Sanctorum imagines, ſed nullum in iis fere verbum „quod directe probet id quod proponit, quamvis magnam eorum exhibeat in his tribus Orationibus ſeriem. Agnoſcit è contra cultum imaginum non poſſe per Scripturam ſacram ſtabiliri, ſolamque Eccleſiæ authoritatem hunc uſum confirmare. Tandem concedit, non debere fieri imagines Trinitatis, neque rerum pure ſpiritualium. Quis autem homo niſi obtuſiſſimus, credat S. Joannem Damaſcenum, in cultu imaginum ardentiſſimum, ita ſibi contrarium fuiſſe? Author ergo iſtarum Orationum, alius neceſſario eſt à S. Joanne Damaſceno, qui tam diſertis verbis illas adorandas in libro *De fide orthodoxa*, loco citato profitetur. Vide quæ ſupra jam diximus tum cap. 5. Diſſertationis hujus num. ſeu paragr. 6. latius, atque cap. præcedenti brevius, poſt Operum S. Joannis Damaſceni recenſionem à Lequieno primam.

2. Refert Scriptor harum Orationum authoritates illorum hominum, qui ducentis, imo & trecentis annis ætate Joannis Damaſceni poſteriores ſunt, unde aperte inſaniunt & poſteritati illudunt, qui has tres Orationes ſancto Joanni Damaſceno ante annum 750 mortuo attribuunt. Audiamus porro ipſum Michaelem Lequienum Damaſceni ultimum illuſtratorem *Diſſertatione 3. Damaſcenica* paragr. 3. pag. LIV. „Ut Epiſtolam ad Cæſarium Monachum, & Joannis Malelæ Chronica, ſic Athanaſii quæſtiones reſponſionesque ad Antiochum, nullus Scriptor Joanne noſtro Damaſceno anterior citaſſe reperitur. Nimirum ad calcem Orationis 3. de Imaginibus, ſemel atque iterum allegavit Reſponſionem ad quæſtionem 19 in qua mentio fit Monachi illius incluſi in Monte Oliveti, quem ſcortationis dæmon vexaret, quia Imaginem Dei genetricis veneraretur. Et pag. LV. Athanaſius vero, qui Antiochi quæſtionibus reſpondit, ψιλὸς, *Exiguus* cognominatur in Codice MS. 238 Cæſareo, in quo 96 quæſtio cum reſponſione habetur, cum hac inſcriptione, Ἀθανασίου ψιλοῦ ἑρμηνεία, *Athanaſii Exigui interpretatio.* Quocirca Lambecius, cum hiſtoriam Imaginis Crucifixi Berytenſis, quæ Magno Athanaſio ab audacioribus librariis attributa fuit, à ſeptimo Concilio laudatam primum allegatamque agnoſceret, non levi conjectura, Athanaſio noſtro *Exiguo*, ſive ut ait *Junio*ri, hanc quoque reddendam eſſe multis in locis pronuntiavit.„ At Joannes Malela Antiochenus Archiepiſcopus, quem author iſtarum Orationum trium *de Imaginibus* citat, circa annum 910 vixit, ac Chronicon ſcripſit fabuloſiſſimum, quod ut plurimum excerpſit ex Georgio Hamartolo Græco Scriptore, qui Chronicon ſuum Allatio teſte usque ad annum 866 proſequutus eſt. Author igitur iſtarum trium Orationum *de imaginibus*, anno 910 certo recentior eſt, qui Malelam citat. Non ergo eſt Joannes Damaſcenus, qui ducentis annis vel circiter epocha iſta antiquior eſſe cognoſcitur. Vide quæ diximus de *Joanne Malela* ad annum 910, ubi plurimis certam ejus ætatem, juxta Humfredii Hodii editionem inquiſivimus.

3. Negare non poteſt Michael Lequienus, quin Auctor iſtarum Orationum ſeu Librorum de *Imaginibus* Oratione ſeu libro 3. alleget *Athanaſii quæſtiones & reſponſiones ad Antiochenum*, quæ Tomo 2. Operum ſancti Athanaſii continentur. At *Quæſtiones iſta ac reſponſiones* trecentis quinquaginta & amplius annis ætate ſancti Joannis

Damaſceni recentiores ex Labbeo cenſore reperiuntur: ergo Orationes hæ ſeu Libri tres de *Imaginibus* ad ſanctum Joannem Damaſcenum pertinere nullatenus poſſunt. Ac obſtupeſco, quod Lequienus vir eruditus tam malam cauſam, in gratiam Damaſceni defendendam ſuſceperit, unde nonniſi confuſionem habere poteſt. Non conveniunt S. Athanaſii temporibus, quæ quæſtione 44 habentur. *Quantumvis ſæpenumero Barbari Paleſtinam occupaverint, non permiſiſſe tamen Chriſtum ſua ipſius loca hæreticis tradenda; ſed licet ad breve tempus ea aggreſſi ſint, ſtatim tamen iterum Catholica Eccleſia ut porcos eos expulit, ex Chriſti Domini noſtri ſanctis manſionibus & locis.* His enim verbis Anonymus hic Græcus, Anaſtaſio quoque Antiocheno tertio junior videtur, cui Quæſtiones has ex conjecturis olim adjudicavimus: nam alludere omnino videtur ad primas expeditiones Occidentalium ad Palæſtinam recuperandam factas, quod Vrbani Papæ ſecundi temporibus anno 1098 contigit: unde & illos ob expeditionem hanc *Eccleſiam Catholicam* vocat. Scriptor igitur Græcus iſtarum quæſtionum atque reſponſionum, poſt Barbaros ex Palæſtina ab Occidentalibus *tanquam porcos expulſos* ſcribebat, hoc eſt ſub ſeculi XII initium: unde ut recte Labbeus animadvertit in Commentario *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* à Bellarmino recenſitis, in *Addendis Athanaſio*, Scriptor iſtarum quæſtionum Athanaſius Alexandrinus non eſt, qui ſub ſeculi XII initium ſcribebat. Cum itaque citetur à Scriptore Græco Orationum ſeu Librorum de *imaginibus*, ſitque trecentis annis S. Joanne Damaſceno poſterior, hinc Orationes iſtas ſeu Libros ſancto Joanni Damaſceno attribui non poſſe, demonſtrative conſtat contra Michaelem Lequienum. Vide Plura de his *quæſtionibus & reſponſionibus*, in Diſſertatione ſingulari *de Scriptis S. Athanaſio Alexandriæ Archiepiſcopo adſcriptis* Tomo 2 cap. 4 paragrapho ſeu ſectione 17.

Octoechus auctoribus Joanne Damaſceno, Metrophane Smyrnæo & aliis, cujus mentionem facit Lequienus, Diſſertationis hujus cap. 6, hic cap. 8 in oblivionem venit, ex prudentia opinor Michaelis Lequieni, qui has opellas ſive cantica & cantilenas, in Græcorum libris Eccleſiaſticis ſub ſpecioſis Sanctorum Patrum nominibus inſcriptas, vel falſas vel dubias, quoad authores quibus adſcribantur, arbitratus eſt. Sed non ita Guilelmus Cavus, qui meminit *Octoechi* Diſſertatione 2 *De libris & officiis Eccleſiaſticis Græcorum* verbo Ὀκτώηχος pag. 49. editionis Londinenſis & pag. 28. editionis Genevenſis 1698. Poſtquam enim retulit de *Octoecho*, verba Leonis Allatii de Octoecho S. Joannis Damaſceni ex Diſſert. prima p. 64 hæc habet. „Extat Octoechus Græce „MS. in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, Co„dice Theologico Græco CXVI a. MCCCXCI „exarato. Item Codice CXLVI cum Com„mentario ampliſſimo Joannis Zonaræ. Ibi„dem Codice CCXV cum antiquis notis muſicis. Ibidem Codice CCCXXX. Primum" ni fallor prodiit Græce Venetiis 1523. 1534." 1602. 1610. 1624 in 8. & alibi forſitan non ſe" mel." Hæc Cavus, cujus citationes omnes MSS. Codicum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, ut conferenti mihi innotuit, falſæ ſunt ne una quidem excepta, quod homine erudito prorſus indignum eſt. Habentur autem in hac Bibliotheca ſub his numeris, „Octoechus liber Eccleſiaſticus Græcorum cum antiquis" Notis muſicis conſcriptus & maximam partem" à ſancto Johanne Damaſceno compoſitus, extat" in Codicibus MSS. Theologicis Græcis cccvi." cccvii & cccix."

Ejusdem Sancti Joannis Damaſceni Tropa" rium, ibidem Codice MS. Theologico Græco" cccv num. 2."

Item Codice MS. Theologico Græco XXV" num. 4. à folio 33. ad folium 171 Joannis Zo" naræ ex Aulæ Imperialis Conſtantinopolitanæ" Magno Drungario Vigiliæ & Protoveſtiario" Aſcetæ ſive Monachi, & Niceteæ Metropolitæ" Theſſalonicenſis Expoſitio Canonum ſive Can"ticorum Eccleſiaſticorum Sancti Joannis Da" maſceni, de qua Lambecius libro III. Commen" tar. hujus Bibliothecæ Cæſareæ, pag. 39." Extat autem Expoſitio iſta in Codice MS. citato, ut ſupra dictum eſt.

Ejusdem ſancti Joannis Damaſceni Cano" nes Anaſtaſimi cum Commentariis Joannis" Zonaræ, ibidem Codicibus MSS. Græcis Theo" logicis cccxiii. cccxiv & cccxix."

Ejusdem Canones ſive Cantica tria Jambica" pentaſticha cum Paraphraſi Theodori Prodro" mi, Codice MS. Theologico Græco CXLVII." Num. 9. de quo Lambecius libro IV Commen" tariorum hujus Bibliothecæ p. 114."

Ejusdem Canones ſive Cantica in præcipuis" ſolemnitatibus cantari ſolita, cum Expoſitione" Theodori Prodromi, extant ibidem, in Codici" bus MSS. Theologicis Græcis cccxv. Num. 1." cccxvi & cccxvii, de quibus Lambecius Biblio" thecæ hujus Commentariorum Libro V. "

Ejusdem Canones ſive Cantica Eccleſiaſti" ca ſancti Johannis Damaſceni, cum Expoſitione" ſingulis Tropariis ſigillatim adjuncta, ibidem" Codice MS. Theologico Græco CCCXVIII." De hoc opere Octoechi, & aliis Damaſceni Canonibus & Canticis, quæ Lequienus omiſit, nos abunde diximus hujus Diſſertationis cap. 4. de Operibus Damaſceni, ac in *Theodoro Prodromo* & *Joanne Zonara* ad annum 1110 poſtea. Hæc contra falſas Guillelmi Cavi citationes, quæ innumeræ, parte 2 *Hiſtoriæ Litterariæ*, præſertim occurrunt.

Leo Allatius in Opere non edito *de libris Apocryphis*, cujus partem præmiſit Michael Lequienus, in Editione Græco-Latina Pariſienſi anni 1711. omnium ſancti Joannis Damaſceni Operum 2 voll. in folio, ſub hujus Diſſertationis Allatianæ initium, loquitur pag. 1 & 2. de *Damaſcenis nonnullis nomine*, ſed obſcuris illis valde atque re-

recentibus, ut homonymia ſua fallere neminem poſſint, qui eos cum Joanne Damaſceno confundat. At quod Leonem Allatium latuit, fuerunt *duo Joannes Damaſceni veteres*, qui confundi ſimul facile poſſunt, & quorum Opera in hac editione ultima confuſa ſimul ſunt, omnibus *Seniori* per incautelam aut ignorantiam attributis, quamvis plurima & magnæ molis ad *Juniorem* pertineant. Primus autem Joannes Damaſcenus ſeu Senior, ita dictus, quia ex urbe Damaſco in Syria oriundus erat, ſtirpe inſignis, qui poſtmodum Monaſticam profeſſionem amplexus, ſeculo octavo circa annum 720. 730. 740. ob defenſionem imaginum ſtrenue ſuſceptam, Eccleſiæ nomen ſuum celebre reddidit atque Iconodulis venerandum, Sancto Coſmæ Majumenſi Epiſcopo ſynchronus, qui ante annum 750 juxta veriorem hiſtoriam, in pace obiit, unicus fere ſeculo VIII aliquanti nominis Scriptor. Secundus Joannes Damaſcenus, ætate junior, eruditione ſimul ac ſanctitate præclarus, claruit anno circiter 1090 & ſequentibus ad annum circa 1120, natione Syrus, origine Damaſcenus, qui ob meritum doctrinæ ac probitatis ad ſedem Patriarchalem Antiochenam aſſumptus fuit: unin MSS. Codicibus Græcis binominis habetur, nunc dictus *Joannes Damaſcenus* à loco natalium, nunc *Joannes Antiochenus*, à ſede Patriarchali, quam per annos plures occupavit. Hic creditur Scriptor *Librorum trium de Imaginibus*, qui per errorem Sancto Joanni Damaſceno Seniori attributi fuerunt ac ſub ejus nomine impreſſi. Habet enim in his libris aliam plane doctrinam à Sancto Joanne Damaſceno Monacho & Seniore, qui lib. 4. de fide Orthodoxa vult imagines venerandas eſſe atque invocandas. Junior autem hic Joannes Damaſcenus illas tantum memoriæ cauſa admittendas eſſe, nec invocandas, cultum illarum ex inſtitutione Eccleſiaſtica, non divina, in Eccleſiis advectum, aliaque multa opinioni Joannis Damaſceni Senioris adverſantia docet, de quibus loquitur erudite Ellias du Pin in *Joanne Damaſceno Seniore*, de Scriptoribus ſeculi VIII. Eccleſiaſticis. Nec deſunt aliæ rationes, quibus libri illi tres, à Joanne Damaſceno Seniore removeantur, alteri vero Juniori, qui & Antiochenus dicitur, tribuantur: maxime quod citentur in illis Scriptores ætate Joannis Damaſceni Senioris juniores, unde liquido conſtet ſpectare illos non poſſe ad Seniorem. Præterea huic eidem Joanni Damaſceno Juniori attribuenda eſſe Opuſcula omnia, quæ Michael Lequienus Tomo 2 Editionis ſuæ Græco-Latinæ, Damaſceno Monacho ac Seniori adſcripſit. Vti *Epitome Commentariorum ſancti Joannis Chryſoſtomi in Epiſtolas Sancti Pauli Apoſtoli* pag. 1. *Parallela Moralia ex Scriptoribus tam Gentilibus quam Chriſtianis, ad imitationem Homeri Alphabetico ordine digeſta* pag. 279 ad 730 quæ recentioris Græciæ opus omnibus eruditis eſſe videntur, atque ita pertinere ad Joannem Damaſcenum Juniorem, qui hanc ſcribendi methodum in Eccleſiam primus, ſub ſeculi XI fidem vel XII initium attulerit. Item *Eclogarum libri duo ejuſdem methodi* ex Codice MS. Rupifucaldino Collegii Claromontani Societatis Jeſu, qui eandem Græciam redolent recentiorem, quidquid inadverſum dicat Lequienus in MSS. Codicibus recenſendis Græcis parum accuratus, quoad antiquitatem æſtimandam. Deniq; *Orationes tredecim de variis argumentis in potiſſimis Eccleſiæ ſolemnitatibus vel ſanctorum feſtis pronunciatæ*, quæ omnes auctorem clamant *Joannem Damaſcenum Junierem ſeu Antiochenum Patriarcham*, ad quem orationes Encomiaſticas ejusmodi habere in celebrioribus Eccleſiarum conventibus, ex officio Pontificis competebat. Vnde nihil mirum, quod nonnullæ Orationum ejusmodi in MSS. Codicibus Græcis, Joanni Antiocheno Patriarchæ, ſeu Damaſceno Juniori tribuantur. Sane ætate ſancti Joannis Damaſceni Monachi ac Senioris, Epiſcopi ſoli ſeculo octavo in Eccleſia Græca, ſeu Antiſtites, coram cœtu concionabantur: non autem Monachi, quorum officium erat, tacere & lugere, minime vero concionari. Itaque omnis ille ſecundus Tomus Operum S. Joannis Damaſceni, ex editione Græcolatina Pariſienſi anni 1711, quem Seniori adſcripſit, alteri Joanni Damaſceno juniori Lequienus attribuere debuit. Hæc in anteceſſum Operum ſecundi hujus voluminis. Tertium Damaſcenum nobis enumerat Martinus Crucius in *Turco-Græcia* libris octo conſcripta, excuſis Baſileæ anno 1584 & 1594 in folio, quibus Græcorum ſtatus ſub imperio Turcico in Politia & Eccleſia, Oeconomia & Scholis deſcribitur. Narrat autem *libro primo* pag. 48. ſe accepiſſe *Damaſceni theſaurum*, (qui circa annum 1360 floruiſſe creditur) & pag. 53 illum *Damaſcenum Hypodiaconum & ſtuditam* appellat, qui compoſuit Homilias theſauro illo comprehenſas, qui liber in pagorum Græciæ & Thraciæ templis, ſuis Dominicis & feſtis diebus, quibus ejus λόγοι inſcripti ſunt, à Sacerdote ad populum legi ſolent. Hæc de Damaſcenis diverſis Græcis.

CAPVT NONVM.

DISCVSSIO OPERVM QVÆ TOMO SECVNDO EDITIONIS HVIVS CONTINENTVR.

LVdovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica* ſeculo VIII in *Joanne Damaſceno* pag. 104. editionis Amſtelodamenſis anni 1693. in 4. agit de MSS. Codicibus Leonis Allatii ad S. Joannem Damaſcenum quos collegerat ſpectantibus, atque ad Joannem Aubertum miſerat, quem poſt editionem S. Cyrilli Alexandrini Pariſiis anno 1638. Græce & Latine ſeptem voll. in folio factam, ſperabat daturum operam Editioni novæ omnium Damaſceni operum, quem mors ab executione operis interrupit. Cum autem anno 1652 Labbeus novam editionem Operum Da-

Damaſceni meditaretur, atque ſpecimen futuræ illius in 4. Pariſiis dediſſet: inter MSS. Codices quibus uti deberet, illos quos à Joanne Auberto vel ejus hæredibus acceperat recenſuit, ſed ſuppreſſo Allatii nomine, qui illos Auberto viventi transmiſerat. Hinc iratus ut animal gloriæ cupidum Allatius, Epiſtolam acrem ad Jacobum Goarum Ord. Fratrum Prædicatorum ſcripſit, apud amicum conqueſtus, quod Jeſuita Labbeus in editione nova Damaſcenica, plumis ſuis nec ſe quidem nominato ornari vellet, quod ingenuo homine indignum omnino erat. Neque hac Epiſtola contentus, idem quoque Labbeo exprobravit in *Symmictis* ad Nihuſium pag. 446 editionis Colonienſis anni 1653 in 8. Labem hanc non incurrit Lequienus, qui à quibus in editione ſua profecerit, non oblitus fuit, & unde manuſcriptos codices habuerit, in Operibus maxime quæ Tomo ſecundo continentur. Jam ad Opuſcula hoc Tomo contenta veniamus.

1. Michael Lequien Tomo 2. pag. 1. in Admonitione prævia ad Epitomen Commentariorum S. Joannis Chryſoſtomi in Epiſtolas S. Pauli, ita præfatur. „Edita hactenus non fuit hæc, „quam nunc primum damus, Epitome Com„mentariorum Joannis Chryſoſtomi in Epiſto„las Pauli Apoſtoli. Hanc porro integram re„peri in Codice Regio 2331 cum præfixæ toti „operi Joannis Damaſceni nomine παρὰ τῦ Ἰω„άννυ τῦ Δαμασκηνῦ, nec certe mihi dubium eſt, „quin ipſe genuinus hujus lucubrationis patens „ſit, cum propter auctoritatem MS. Codicis qui „circiter nongentorum annorum præ ſe fert ætatem, tum quia Joannem Damaſcenum ejusmodi excerptis Patrum congerendis operam „dediſſe, multoties jam à me notatum fuit. Atque hinc allegat Poſſevini auctoritatem, ad „calcem *Apparatus ſacri*. Rurſumque in Regio „Codice 5445 bombycino, Excerpta quædam „ejusdem concinnatæ à Joanne Damaſceno Epitomes habentur cum hoc titulo: Ἐκ τῦ καθόλυ ἑρμηνείας τῦ Χρυσοστόμυ ἐκλεγεῖσαι παρὰ τῦ „ἁγιωτάτυ Δαμασκηνῦ καὶ πατρὸς ἡμῶν: *Interpretationes Joannis Chryſoſtomi ex univerſo ejus „opere, ſelecta à ſanctiſſimo Damaſceno Patre noſtro.* At iſtas Michaelis Lequieni rationes eſſe prorſus ſtramineas arbitror, ut jam dixi Capite 6. hujus Diſſertationis, ubi de hac Epitome paucis loquutus ſum, ac reperiet neminem ex antiquis & probæ notæ Græcis Scriptoribus, qui aliquid tale à Joanne Damaſceno in Epiſtolas Pauli ex Chryſoſtomo tentatum dicat. Porro juxta boni ſenſus regulam ac Joannis Launoji Doctoris Pariſienſis axioma, *Quod de tam antiquis rebus dicitur, contemnitur, niſi probetur.* Rectius attribuitur Joanni Damaſceno Juniori, ac poſtea Antiocheno Patriarchæ, qui circa annum 1090. 1100 & deinceps multa ſcripſit.

2. Seculo illo octavo cujus ſub medium Damaſcenus extinctus eſt, neminem reperiet qui anterioribus Patribus in Epitomen contrahendis operam & oleum perdiderit: nec Photius qui libros fere omnes Eccleſiaſticos legerat, ac Bibliothecam ingentem poſt ſeculi noni medium multo labore collegerat, aliquid tale à Damaſceno factum commemorat, vel ab aliquo alio ſcriptore ſeculi octavi apud Græcos, maxime cum ſeculum Eccleſiæ iſtud, vix ob aliud, quam ob ignorantiam & ſocordiam notum ſit.

3. Nimium liberalis eſt Lequienus ſeu prodigus, dum Regio codici Græco 2331 nongentos antiquitatis annos aſſignat, cui alii qui Codicem viderunt & prudentiores ſunt, annos tantum quingentos aſſignant. Ac Labbeus in *Nova Bibliotheca manuſcriptorum librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum*, ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ potiſſimum collecta, & anno 1653 Pariſiis in 4 impreſſa, iſtius Codicis mentionem facit his verbis, *Supplemento VII* pag. 298 Codice 1818 *Joannis Damaſceni Canones in quasdam ferias ſeu feſtivitates Domini, cum interpretatione Theodori Prodromi. Item Joannis Damaſceni Collectiones ex Chryſoſtomi interpretationibus in univerſas D. Pauli Epiſtolas.* Hæc Labbeus qui MS. Codicem viderat ac recenſuerat. Cum ergo Theodorus Prodromus, qui in eodem Codice continetur, ab anno circiter 1120 uſq; ad annum 1160 viveret ac ſcriberet, hac ætate manuſcriptus Codex antiquior eſſe non poteſt, atque ita ex nongentis annis quadringenti ad minus ſubtrahendi veniunt.

4. Codicem Regium 5445 bombycinum non curo, quia ſpeciei hujus Codices apud æquos rerum exiſtimatores, ætatis recentiſſimæ ſunt, ideoque ad affirmandam Joanni Damaſceno hanc Epitomen, idonei. Rectius igitur tribui debet Joanni Damaſceno Juniori & Antiocheno Patriarchæ, qui Theodoro Prodromo Synchronus fuit.

Admonitio ad Parallela pag. 274. *Prologus ad Parallela* p. 278. *Index optimus preſentis voluminis juxta XXIV litteras Alphabeti Graci, cum titulis cuique littera adjectis* pag. 281. *Parallela juxta litteras Alphabeti Graci* pag. 297. Sic autem ad verbum Michael Lequien in *Admonitione* ad Parallela.

Ejusdem Græci Codicis Parallelorum S. Jo-« annis Damaſceni, ex quo Jacobus Billius Lati-« nam verſionem ſuam adornavit, quique nunc« aſſervatur in Vaticana Bibliotheca, apogra-« phum humaniſſime mihi transmiſit Reveren-« diſſimus Ordinis noſtri Magiſter Generalis,« Codicem alterum Reverendis Patribus Socie-« tatis Jeſu Collegii Pariſienſis dono dedit Emi-« nentiſſimus Cardinalis Franciſcus Rupefucal-« dus, cujus Codicis copiam mihi ampliſſimam« fecit R. P. Joannes Harduinus, pro ſingulari ſua« in me benevolentia. Quem ubi cum Vatica-« no contuli, tantam inter utrumque diſcrepan-« tiam reperi, ut nullus mihi ſuperſit ambigendi« locus, quin uterque codex lucubrationes duas« contineat diverſorum auctorum, quorum ta-«

men

„men unus magnam Operis alterius partem ex„ſcripſerit. In utraque tituli ſive Capita ordi„ne quidem Alphabetico perinde digeſti, diſtri„butique ſunt, aſt alia atque alia Capitum ſeu ti„tulorum ſerie : imo aliis atque aliis ſæpe pas„ſim capitibus, aliis itidem & aliis utplurimum „tum Scripturæ ſententiis, tum ſanctorum Pa„trum, aliorumque Auctorum Symbolis. In „Rupefucaldino leguntur prolixa illa nec pauca „fragmenta, quæ propter Librorum veterum „penuriam, à viris eruditis auro contra cava ha„bita ſunt, ut puta Juſtini Martyris, Irenæi, Titi „& Antipatri Boſtrorum, aliorumq; quorum O„pera temporum iniquitate perierunt. In Va„ticano autem, cum iſtæc omnia non compare„ant, tum alia viciſſim plurima reperiuntur, quæ „in altero fruſtra quis quæſierit. Alia complu„ra utriusque codicis diſcrimina omitto, ne le„ctoribus tædioſus ſim. Cæterum hoc minime „tacendum arbitror, in Rupefucaldino excerpta „quoque ſincerarum Ignatii Antiocheni Epiſto„larum, quales Iſaacus Voſſius ex Codice Medi„cæo edidit, multa paſſim reperiri : quæ vero in „Vaticano pauciora hinc inde occurrunt ejus„dem Martyris loca, ex interpolatis litteris ac„cepta ſunt, ſi unum aut alterum duntaxat ex„cipias : cum nempe Vaticanorum Parallelo„rum auctor, altera illa quæ Rupefucaldinus „codex exhibet, identidem, utpote antiquiora „conſuluerit atque exſcripſerit. Rupefucaldi„nis Parallelis præfixa S. Joannis Damaſceni „præfatio eſt, quæ toti operi fucum fecit, ut „ſancti hujus Doctoris fœtus cenſeretur. Quod „quidem jam olim a Joanne Zonara admiſſam „animadverti, infraque referam. Quanquam „ex Præfatione dempta illa pars fuit, in qua Da„maſcenus de *transmiſſionibus* quædam obiter „admonebat : quippe cum in horum Paralle„lorum Indice, παραπομπαὶ *transmiſſiones* nullæ „ſint, quales in Vaticano pro ſingulis Alphabe„ti litteris ſubnectuntur. Inſuper Damaſce„nus in Præfatione ſua, ſe primo loco dicturum „pollicetur *de Sanctiſſima Trinitate*, quod quidem „in Vaticano præſtitum legimus, in quo titulus „primus eſt, περὶ ἀϊδίου θεότητος, τῆς ἁγίας καὶ „ὁμοουσίου Τριάδος, ἢ ὅτι εἷς μόνος ἐν πᾶσι θεός : „*De ſempiterna Deitate, deque ſancta & conſubſtan„tiali Trinitate, & quod unus ſolusque eſt in omnibus* „*Deus* : cum in Rupefucaldino titulus primus „ſit, περὶ τῆς τοῦ ἀνθρώπου πλάσεως καὶ κατασκε„υῆς, καὶ ὅσα περὶ ἡμῶν ἐν γραφαῖς ἐμφέρεται, „*De hominis effictione & formatione, & quæcunque* „*de nobis in Scripturis efferuntur* : nec niſi titulo „LXXVI. agitur περὶ ἁγίας καὶ ἀκτίσου καὶ συναϊδίου „καὶ ὁμοουσίου Τριάδος, *de ſancta & increata, coæter„naque & conſubſtantiali Trinitate.*„ Alia quo„que profert Michael Lequien, quæ utriusque operis diſcrimen oſtendunt, ſed hæc ſatis ſunt.

Quidquid autem ſcribat Michael Lequienus, ut Parallela iſta Vaticana Joanni Damaſceno attribuat, illa ego recentioris Græciæ eſſe, atque Damaſceno ſuppoſita, ob rationes allegandas cenſeo.

1. Opus Parallelorum ſeu locorum communium, non mihi videtur pertinere ad Joannem Damaſcenum, qui circa ſeculi 8. medium occubuit, ſed ad aliquem Anonymum Græciæ recentiſſimæ qui methodum Homeri conſuetam in Odyſſea & Iliade per litteras 24. Alphabeti Græci factam, tanquam ſibi valde placentem in Eccleſiam Græcam introducere voluit. Opus enim Parallelorum in MSS. Codicibus per 24. litteras Græcas ab Alpha ad Omega, velut 24. libris diſtinguitur, ut ipſi etiam illarum Latini editores fatentur. Nec ullus opinor eſt, qui ſeculo Damaſceni, tale quid a Scriptoribus Eccleſiaſticis factum allegare queat. 2. Argumenta ſua cum ex verbis Scripturæ hic Scriptor probaverit, hic tamen non contentus adjecit in pleriſque locorum communium locis, ad majorem probationem *Excerpta ex Patribus*, cum nominibus authorum, unde illa deſumpta ſunt. Atqui hæc methodus non mihi videtur fine ſeculi XI. antiquior, quo tempore ita ſcripſit Antonius Meliſſa & Joannes Patriarcha Antiochenus, ambo ejusdem Scriptores ætatis, circa annum 1090. Videtur ergo hoc Opus ætate S. Joannis Damaſceni multo recentius. 3. Eadem eſt methodus & ſcribendi ratio hujus collectionis Parallelorum, atque librorum trium ſeu Orationum de *Imaginibus*, de quibus capite præcedenti Diſſertationis hujus egimus. Utrumque enim Opus poſt allegatum contextum, ornat illum Excerptis ſeu Eclogis Patrum anteriorum, ad auctoritatem majorem. At Opus de *Imaginibus* ante ſeculi XII. initium ſcriptum non fuit, ut ſupra probatum eſt. Idem ergo dicendum de Collectione hac Parallelorum Vaticanorum, ſeu locorum communium per 24. litteras Alphabeti Græci digeſta, ad imitationem Homeri in Iliade in Odyſſea. 4. Tam ingentia ſunt excerpta ſeu fragmenta ex Patribus collecta præter ſeculi 8. morem, cujus ignorantia ac deſidia maxima ornamenta ſunt, ut Baſilium integrum atque Gregorium Nazianzenum tranſcripſiſſe videatur. Abſurdum porro eſt credere, Joannem Damaſcenum tranſcribendis ejusmodi antiquioribus tantam operam navaſſe, qui ex proprio fonte ſcribere potuit, & magis quam tranſcribendo, Eccleſiæ prodeſſe. 5. Juxta Michaelem Lequienum Codex MS. Eclogarum Claremontanarum Pariſienſium antiquior eſt Codice manuſcripto Parallelorum Vaticanorum, cui profuſa liberalitate Lequienus nongentos ætatis annos attribuit. Atqui ex poſtea dicendis & ſubjiciendis de *Eclogis*, probabo evidenter ex MS. Codice Vindobonenſi has *Eclogas* ſpectare ad Joannem Patriarcham Antiochenum, qui ſub Urbano II. Romano Pontifice, Eccleſiam hanc multis annis tenuit circa annum 1098. & ſequentes, tempore primæ Expeditionis Chriſtianorum Occidentalium in Orientem, ad Turcas Palæſtina & Syria quas occupabant,

pabant, expellendos. Cum igitur ex Lequieno conſtet *Eclogas* eſſe Parallelis antiquiores, atque iſtas certo ad Joannem Antiochenum Patriarcham pertinere; hinc evidenter liquet, ipſa *Parallela*, Joanni Damaſceno imperite adſcripta non eſſe fine ſeculi XI. & ætate Joannis Antiocheni Patriarchæ antiquiora. Videat autem quomodo nodum hujus argumenti Lequienus ſolvat. 6. Methodus illa conſcribendi libros juxta litteras Alphabeti Græci, atque in ſingulis litteris titulos plurimos colligendi, denique in plurimis etiam titulis *Scholia* & *παραπεμπαὶς transmiſſiones*, ut in Romano codice frequentes ſunt, adjiciendi: dubio procul, Græciæ recentioris eſt, incognita antiquis, ſeculi nimirum undecimi, quo iſta methodus introducta videtur, ad imitationem, Photii poſt ſeculi noni medium ſcribentis, qui hoc modo ſuum *Nomocanonem* compoſuit & diſtinxit. Longe ergo remotum hoc opus a Joannis Damaſceni ætate, cujus nomen Græci librarii operi adjecerunt, ut majorem illi authoritatem conciliarent.

Eclogarum libri duo ordine Alphabetico diſpoſiti, libris Parallelorum Vaticanorum breviores, qui pag. 731. ad 790. ſub hoc titulo, Τῦ ἁγίυ Πρεσβυτέρυ καὶ Μοναχῦ τῦ Δαμασκηνῦ Ἐκλόγων βιβλίον α᾽ καὶ β᾽. Quantum ad ea quæ Tomo 2. Operum S. Joannis Damaſceni 3. loco pag. 731. habentur, *Eclogarum* ſeu *Excerptorum ex ſanctis Patribus libro duo*, quorum *primus* in MS. Codice Theologico CCXLI. Græco *de meditatione mortis & æterni judicii*, *ſecundus* autem *de Oratione Pſalmodia & ſacra Synaxi* inſcribitur, id quod latuit Michaelem Lequienum: pertinent illi dubio procul ad Joannem Patriarcham Antiochenum, qui etiam Joannes Damaſcenus ratione natalium, ac Junior dictus fuit, de quo ad annum 1090. diffuſe diximus, ex MS. Codice Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonæ, qui diſerte has Eclogas Joanni citato tribuit, ad quem absque hæſitatione ſpectant. Nam inter Auctores ex quibus Eclogæ acceptæ ſunt, in MS. Cæſareo antiquiſſimo & ipſi Auctori coævo, recenſentur Andreas Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopus qui circa annum 850. vixit, & Theodorus Studita qui ſeculo IX. circa annum 820. & 830. floruit. Item Antonius Meliſſa qui ſub ſeculi XI. finem, & Michael Photius qui eodem tempore floruerunt. Vnde conſtat has non poſſe adſcribi Joanni Damaſceno Seniori, quo longe recentiores ſunt: recte autem Joanni Damaſceno Juniori & Antiocheno Archiepiſcopo ad annum 1098. claro, qui Synchronos etiam ſibi Meliſſam & Pſellum excerpere potuit. Diffuſe admodum ex verbis Lambecii diſſeruimus de hoc MS. Codice Vindobonenſi, ad annum 1090. in *Joanne Patriarcha Antiocheno*, qui hoc tempore inter Græcos celebris eruditione & ſcriptis editis fuit, quæ heic præoccupare ſuperfluum eſſet.

Hinc colligimus Michaelem Lequienum fuiſſe liberalem nimium, dum annos antiquitatis nongentos adſcripſit Codici Eclogarum Jeſuitarum Claromontanorum, quo Cæſareus antiquior eſt, qui tamen ipſo operis authore, hoc eſt initio ſeculi XII. antiquior eſſe non poteſt. Trecenti igitur ad minus anni ex Michaelis Lequieni ſupputatione imminuendi ſunt, errore non modico, in quem frequenter incidunt, qui de MSS. Codicum Græcorum & Latinorum antiquitate judicium feciſſe leguntur. Colligimus 2. Eclogas iſtas attributas fuiſſe S. Joanni Damaſceno ex ignorantia librariorum Græcorum, qui cum Joannem hunc Antiochenum Patriarcham non cognoſcerent, opera illius Joanni Damaſceno Seniori, quem ſolum noverant, per oſcitantiam inſcripſerunt. Colligimus 3. non tantum hos duos *Eclogarum* libros pertinere ad Joannem hunc noſtrum Antiochenum, qui primus in Eccleſiam adduxit, ut Opera juxta ordinem Alphabeti Græci moralia ſcriberet: ſed ad eundem quoque pertinere opus *Parallelorum Vaticanorum*, qui eodem modo juxta litteras XXIV. Alphabeti Græci ad Homeri imitationem conſcripſit, utriusque enim Operis unus idemque parens eſt. Imo ipſe idem ſcriptor *librorum trium* ſeu *Orationum de Imaginibus*, tum quia eadem methodo cum iſtis Parallelis & Eclogis conveniunt, tum quia ætate hujus Joannis Patriarchæ Antiocheni conſcripti ſunt, uti ſupra probavimus. Eundem ergo parentem, non Joannem Damaſcenum ſeniorem, agnoſcere debent.

Quoad autem Homilias, quæ hoc Tomo 2. a pagina 791. ad 910. ſub Damaſceni nomine continentur, omnes incertæ vel ſuppoſitæ ipſi ſunt. *Primum* enim pronuntiatæ ſunt omnes, poſtquam cultus imaginum in Oriente ubique obtinuiſſet, quod nonniſi ſeculo IX. contigit, ac poſt mortem Imperatoris Theophili, qui ab anno 830. ad 842. imperium obtinuit, ac Imaginibus bellum ultimus indixit. At Joannes Damaſcenus ab annis centum & amplius mortuus erat, unde ſcriptor harum Homiliarum eſſe non poteſt. 2. Soli tunc temporis Archiepiſcopi & Epiſcopi apud plebem & in publico conciones habebant, cum itaque Damaſcenus eſſet monachus, has ad populum in feſtis ſolemnibus Orationes habere non potuit. 3. Omnes in MSS. Codicibus variant, pleræque anonymæ, aliæ nunc uni, nunc alteri in MSS. Codicibus adſcriptæ, nonnullæ Germano Archiepiſcopo Conſtantinopolitano & huic Juniori ſeculo XIII. celebri, aliæ Methodio, aliæ Georgio Nicomedienſi Archiepiſcopo: ut nihil certum de auctoribus illarum, conſtare poſteris poſſit.

Sancti Patris noſtri Joannis Damaſceni Oratio in Transfigurationem Domini noſtri Jeſu Chriſti pag. 791.

Notat autem Lequienus editor hanc homiliam quam cæteris præmittit *de Domini noſtri Jeſu Chriſti Transfiguratione* quamvis in multis variarum bibliothecarum MSS. Codicibus omnibus

nomen

nomen Joannis Damaſceni ſit præfixum, attamen in Codice MS. Seguierano, Joanni Antiocheno Presbytero cuidam quem non novit attribui: quem poſtea Archiepiſcopum hujus urbis fuiſſe, ac circa annum 1098. doctrina excelluiſſe certe docuimus, cui potiori jure Orationem hanc, quam Damaſceno Monacho tribuas.

Joannis Humilis Monachi & Presbyteri Damaſceni, Sermo in Sanctam Paraſceven & in Crucem pag. 810. Hæc Oratio Joanni Damaſceno attribuitur in Codice Regio 2443. & in altero Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Remenſis Caroli Mauritii Tellerii Cod. 31. num. 22. qui in Regiam Bibliothecam tranſiit. Sed in aliis Codicibus S. Joanni Chryſoſtomo adſcribitur, & edita eſt ſub illius nomine ab Hœſchelio, nec non a Jacobo Gretſero Tomo 2. *de Cruce* pag. 461. ac tandem a Savilio & Frontone Ducæo inter Opera Chryſoſtomi, editionum Pariſienſis & Etonenſis in Anglia.

In Annuntiationem Incarnationis Chriſti ad illibatam Dominam noſtram Mariam, Latine tantum ex verſione Arabica p. 833. atque *in eandem iterum* Græce & Latine pag. 835. Mentionem facit hujus Orationis ultimæ Labbeus in Nova Bibliotheca MSS. librorum Græcorum, Latinorum & Gallicorum ex Catalogo MSS. Codicum Regiæ Galliarum Bibliothecæ potiſſimum collecta, de qua ſæpiſſime loquuti ſumus, parte 2. pag. 81. Sancti Joannis Damaſceni Monachi & Presbyteri λόγος εἰς τὸν Εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας ἡμῶν δεσποίνης θεοτόκου, cujus initium Νῦν ἡ τῆς βασιλεύσ βασιλικὴ καὶ ὑπέρξενος ἑορτή τε καὶ πανήγυρις ὑπὲρ τὰς χρυσαυγεῖς ἀκτῖνας τὸν ἥλιον ἀφείλαμψε, νῦν ἡ καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ ἐκκλησία νυμφικῶς ὡραΐζεται λίαν ἀγαλλομένη, νῦν οἱ φιλοθεάμονες ᾠδὴν πανηγυρικὴν &c. Quibus verbis conſtat Orationem hanc eſſe habitam in feſtivitate celebri hujus Myſterii, quæ ætate hujus Joannis Damaſceni inſtituta non fuit, ſed ſeculo IX. annis centum poſtea.

In Sanctiſſima Domina noſtra Dei genitricis ſemperque Virginis Maria natalitium diem pag. 841. & in eandem ejusdem diei Feſtivitatem iterum pag 849. Cujus mentionem facit idem Labbeus in Nova Bibliotheca citata parte 2. pag. 80. Sancti Joannis Damaſceni λόγος εἰς τὴν γενησιν τῆς ὑπεραγίας Δεσποίνης ἡμῶν Θεοτόκου, cujus initium, Δαμπρῶς πανηγυρίζει ἡ κτίσις σήμερον. Sed ad eundem Damaſcenum quidquid habeant inſcriptiones Græcorum Codicum mendaces, pertinere non poteſt, cujus ætate Feſtum Nativitatis Mariæ Virginis nondum inſtitutum erat: quod cum plurimis aliis ſeculo tantum nono vel medio vel labente, inſtitutum fuit, poſt Theophili Imperatoris mortem.

In Dormitionem ſanctiſſimæ Dominæ noſtræ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ, Orationibus tribus, prima pag. 857. *ſecunda* pag. 868. *tertia* pag. 882. quarum etiam mentionem facit Labbeus idem ejusdem Bibliothecæ pag. 81. his verbis. « Sancti Joannis Damaſceni Orationes « tres in Dormitionem Beatæ Virginis, quarum « priores duæ Latine duntaxat editæ tum Paſi « leæ Raphaele Volaterra interprete, tum Pari- « ſiis interprete viro clariſſimo Jacobo Billio pag. « 390. & 386. Colderianæ editionis, hoc præfe- « runt initium. Prima quidem Ἐξὶ μὲν ἀνθρώπων « οὐδεὶς, ὃς κατ' ἀξίαν τῆς Θεομήτορος &c. Se- « cunda Μνήμη δικαίων μετ' ἐγκωμίων γίνεται, φη- « σὶν ὁ Σοφὸς Σολομών. Tertia nec Latine « nec Græce quod ſciam edita, ſic exorditur. « Ἔθος ἐξὶ τοῖς ἐρωτικοῖς πρός τι διακειμένοις ἐπ' « ἀλλήλοις ἀεὶ τοῦτο φέρειν, καὶ τῶν νῦν νύκτωρ καὶ μεθ' « ἡμέραν φαντάζεσθαι. Sed de his plura in ſepa- « rata quam molimur, omnium ejusdem ſanctiſ- « ſimi Theologi operum editione Græcolatina. « At cum Feſtivitas *Aſſumptionis* ſeu *Dormitionis beatæ Mariæ Virginis*, in qua hæ tres Orationes habitæ leguntur, annis centum poſt Joannis Damaſceni obitum inſtituta fuerit, homilia ejusmodi ad Damaſcenum referri nullatenus poſſunt. Adde in MSS. etiam Codicibus illas nunc attribui Andreæ Cæſareæ Cappadocum Archiepiſcopo ſeculi IX. ſcriptori, nunc Germano Conſtantinopolitano Archiepiſcopo etiam Juniori, qui ſeculo XIII. floruit: ita ut ſcriptor illarum, ſi fidem MSS. Codicum ſequamur, plane incertus ſit. Vide quæ diximus cap. 5. hujus Diſſertationis paragrapho 5. ubi diffuſe de illis loquuti ſumus.

Laudatio ſanctæ & inclytæ Martyris Chriſti Barbaræ pag. 895. de qua ſufficienter mentem noſtram aperuimus, cap. 1. hujus Diſſertationis. Adſcripſit quidem Franciſcus Combefis hoc Encomium S. Joanni Damaſceno ex conjectura tantum, ut loco citato diximus: ſed meo quidem judicio rectius tribuitur, *Georgio Epiſcopo Nicomediensi* ex MS. Codice Euſebii Renaudoti ubi ea inſcribitur, Γεωργίου τοῦ Νικομηδείας Ἐπισκόπου ἐγκώμιον εἰς τὴν ἁγίαν καὶ ἀθλοφόρον μεγαλομάρτυρα Βαρβάραν: juxta Carolum du Freſne du Cange pag. 26. ſeu columna hujus Catalogi Scriptorum, quem ſubjecit Tomo 2. *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis*. Adſtipulatur Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis & eorum ſcriptis* p. 312. Concludimus igitur ex illis omnibus Orationibus ſeu Homiliis, quas Philippus Labbeus, Franciſcus Combefilius, Michael Lequienus, aliique Marianæ devotionis cultores, æſtu tanto ſancto Joanni Damaſceno affinxerunt, ne unam quidem reperiri, quæ certo illius eſſe poſſit. Atque hæc de editione Lequieni ſufficiant. Mirandum profecto S. Joannem Damaſcenum olim tam miſerum & modicum Scriptorem, uno ut ita dicam momento, in ampliſſimum ac πολυγραφώτατον evaſiſſe, ſtudio & opera accurati viri Michaelis Lequieni: ſed dolendum quod opera tam incerta atque adulterina huic homini adſcripta fuerint, quæ magnam ipſi famam non conciliabunt.

Agit de hac ultima editione, Operum S. Joannis Damaſceni omnium, *Diarium Eruditorum*

Parisiense anni 1712. menſe Januario a pag 86. ad 99. editionis Amſtelodamenſis in 12. pagina autem 94. Cenſor inquit Editorem reſervare ad tertium volumen cui actu incumbit, *Opuſcula reliqua* Sancto Joanni Damaſceno ſuppoſita, ac ſi editio iſta imperfecta eſſet. At menſe Aprili Diarii ejusdem pag. 402. admonet duo volumina hujus editionis, continere Opera omnia hujus Patris, quæ in editionibus præcedentibus extant, & Opuſcula multa quæ nunquam comparuerant: ac conſequenter illam conſiderari debere, ut editionem completam, & cui nihil deſit. Quod ad Opera falſo huic Patri attributa, *ut Hiſtoria Barlaami & Joſaphati*, *Compendium Phyſica*, quod eſt *Maximi Planudis*, authoris Græci ultimorum ſeculorum, & fragmentum *Sermonis de Judæis*: ad eruditos viros vel parum vel nihil ſpectant: Lequienus illa *Appendici* cuidam reſervat, quæ imprimenda differet, donec alia ſive ſuppoſita ſive genuina detexerit, quæ ſimul conjuncta, uni volumini efformando ſufficiant. Quoad Opera *Leontii*, nullam connexionem habent cum S. Joannis Damaſceni Operibus, qui 200. annis poſt illum vixit: quorum Michael Lequienus ſat magnum numerum collegit, ut volumen juſtum componat, cui absque mora operam ſuam collaturus eſt. Denique *Acta Eruditorum Lipſiæ*, anni 1713. Menſe Januario pag. 1. ad 7. de hac quoque editione mentionem amplam faciunt.

730. BARTHOLOMÆVS EDESSENVS IN SYRIA MONACHVS hac quoque ætate mihi claruiſſe videtur, ac ſcripſiſſe *Confutationem Hagareni ſeu Mahumedica Legis* quam *Coranum* vulgo vocant, cujus apographum manu Joſephi Scaligeri quem plurimi faciebat, vidimus inter Codices MSS. recentes Bibliothecæ Lugduno-batavæ, ſed anno tandem 1685. editum a Stephano le Moine Profeſſore ejusdem Academiæ Theologiæ, Tomo 1. *Variorum Sacrorum* in 4. Græce & Latine a pag. 302. ad 428. Item *contra Muhammet* ad pag. 429. ad. 451. Nomen Scriptoris certum conſtat, tum ex pag. 306. *Adque ego ipſe Bartholomæus Edeſſenus Monachus, Chriſtianorum ignaviſſimus & omnium ultimus, hæc reſpondeo non erubeſcens propter inſipientiam veſtram, qua impudens & omnino prophanum os veſtrum contra nos aperire audetis.* Πρὸς ἃς ἀντιλέγει αὐτὸς ὁ Μοναχὸς Βαρθολομαῖος ὁ Ἐδεσσηνὸς, ὁ ἁμαθέστατος τῶν Χριστιανῶν, καὶ ἴσχαλος πάντων, ταῦτα μὴ ἐρυθριῶν τὴν ἀφεγγύτην ὑμῶν ἀναγόντων καθ' ἡμῶν τὸ εἰσχρὸν, καὶ πεμφθήλον στόμα ὑμῶν. Idem quoque habet pag. 331. *Sed ego humilis Monachus Edeſſenus paratus ſum ad diſſipanda & confutanda ea omnia quæ profers mentiendo.* Ἕτοιμος εἰμὶ ὁ ταπεινὸς Ἐδέσσης Μοναχὸς ἐλέγξαι σε περὶ πάντων ὧν λέγεις διαψευδόμενος. Scripſiſſe mihi videtur anno circiter 730, annis poſt Mahumetem centum vel circiter: nempe poſt contentionem ortam inter Orientales de cultu & adoratione ac invocatione Sanctorum & Imaginum, quæ anno 725. primum incepit. Hoc conſtat ex pag. 305. ubi inquit objicientibus, καὶ πάλιν διὰ τὶ γλυπτὰ ξύλα καὶ εἰκόνας προσκυνεῖτε λατρευτικῶς; *deinde quare ſculptilia & Imagines adoratis cultu divino & religioſe?* Hanc quoque eandem Scriptoris ætatem indicare videntur, quæ affert pagina 377. de illis qui Muhammeti ſucceſſerunt poſt mortem illius. *A tempore autem mortis Muhammedis, poſt illam, ut Califa & ſucceſſor ſedit Apupacher, qui imperavit annos ſex cum medio. Poſt illum, Caliphatum obtinuit Omer filius Campap, ſpatio ſex annorum. Poſt illum Othmanes filius Aphna, annos duodecim: deinde Ali filius Abutalipi, annos quatuor. Dico ergo tibi &c.* Opuſculum eſt integrum exceptis tribus primis lineis, quæ nullius momenti eſſe videntur, atque ob attritionem legi non poterant. Nullus ſcriptor, qui tot ſingularia de Mahumete Apoſtolo & Propheta referat, ex antiquis. Pag. 309. negat Muhametem vel Prophetam vel Apoſtolum Dei eſſe, his verbis: *Omnibus vero notum eſt Mahumetem nec Prophetam nec Apoſtolum Dei eſſe, ſed illum tantum fuiſſe alumnum Abutalepi & Servum Cadiza, cujus camelos regebat & ducebat Damaſcum, onustos variis mercibus, & ad alios etiam populos de loco in locum pergebat, negotia gerens & adminiſtrans prædicta ſuæ Domina. Et Alcoranus ſuus de illo teſtatur, nimirum ſpatio triginta duorum annorum, illum vixiſſe ſine fide. Memorat quippe illum impleviſſe quadraginta ſeptem annos, ſpatio quindecim annorum illum religioſiſſime vixiſſe: ſed aliorum triginta duorum intervallo toto, illum vixiſſe ſine Deo, ſine Lege, impie & peſſimis dogmatibus obnoxium. Quin & ipſe duxit decem uxores, & ſexdecim concubinas captivas. Jam quæſo declara, quando illas habuerit, an tempore ſuæ impietatis, an vero cum Deum colere cæpit & religioſe vivere?* Item pag. 311. appellat *Dei hoſtem, latronem, furem, nocturnum viarum inſeſſorem, qui quamplurimos in inſidias quas ſtruxerat delapſos, violenta morte peremit. Præterea propter uxores & impotentem intemperantemque coitum, herbas ſolebat emere, quibus Venerem & libidinem effrenem conciliaret, adeo ut nunquam ſatiatus recederet ab iſtis pravis deſideriis, quibus per totum vitæ curriculum fuit obnoxius.* Denique poſt multas vitæ ejus circumſtantias ex ſuo Alcorano productas, quas recenſere tædioſum foret, pag. 423. negat ipſum ſcripſiſſe Legem ſeu Alcoranum, *Succeſſit vero Abubaker in locum Muhammedis, qui & Caliphatus ſeu Vicariatus munus & dignitatem obtinuit. Erat vero Othmanes ſcriba eximius & celeberrimus. Conſtituit autem illum Abubaker, ut omnia Muhammedis ſcripta colligeret, ex illisque unum conflaret volumen, quod nunc ubique venit ſub nomine Alcorani. Iſte vero executioni mandavit, ſicut decretum fuerant. Et iſtius libri Autographum ſeu prototypum manu ipſius Othmanis ſcriptus & examinatus, adhuc hodie aſſervatur in Trulla Eccleſiæ Joannis Baptiſtæ, præcurſoris Domini Jeſu Chriſti, in urbe Damaſci, in loco qui dicitur Tſemeen, qui eſt loci Synagoga. Ibi aſſervatur Alcoranus tum, continet vero innumeras nugas, & figmen-*

Digitiz

in nullo tibicine & fundamento ſuffiuta &c. Ex quibus Alcoranum non Muhammedi, ſed Othmani attribuit, Bartholomæus Edeſſenus Monachus, quibus vetuſtum ſe ſcriptorem indicat. Mentionem facit hujus Scriptoris Joannes Albertus Fabricius Tomo 6. *Bibliotheca Græca* libro 5. cap. 5. pag. 691. editionis Hamburgenſis 1714. in 4.

730. COSMAS HIEROSOLYMITANVS, cujus Suidas cum laude meminit, Epiſcopus Majumenſis ex Abbate factus fuit. Vir elegantiſſimi ingenii, S. Joanni Damaſceno amiciſſimus, clarus circa annum DCCXXX. atque ulterius: quo hortatore multa Damaſcenus ſcripſit, ut conſtat ex Epiſtola præfixa *Logicæ* S. Joannis Damaſceni. Habemus *Hymnos iſtius Coſmæ tredecim* Latinos, quos ad præcipuas anni feſtivitates compoſuit, extantes tum in Operibus S. Joannis Damaſceni, tum in Bibliotheca Sanctorum Patrum tomo XII. ultimæ editionis Lugdunenſis pag. 734. Inter MSS. Codices Bodlejanæ bibliothecæ in MSS. Baroccianis, extat Codice 110. pag. 1. *Octoechus Coſmæ & Damaſceni*, cum expoſitione Theodori Prodromi, περὶ τῶν χειροτονηθέντων πεντηκοντάρων. Et pag. 182. ad 334. *Hymni Coſmæ & Damaſceni*, cum Expoſitione ejusdem Ἑωθινὰς ἀνθρώπῳ τῷ Θεῷ. Triodion quo Græci in Divinis Officiis utuntur a Septuageſima usque ad octavam Pentecoſtes, ab iſto Coſma Hieroſolymitano compoſitum dicitur, a ſanctis autem Theodoro & Joſepho Studitis auctum, ut obſervat Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Eccleſiaſticis. Excelluit autem ille potiſſimum Hymnis & Carminibus Græcis concinnandis, hujusque *Coſmæ Epiſcopi Majumenſis* extant, qui S. Joannis Damaſceni æqualis fuit, *Canones ſive Cantica Eccleſiaſtica in præcipuis anni ſollemnitatibus cantari ſolita, cum Expoſitione Theodori Prodromi*, inter Manuſcriptos Codices Theologicos Græcos Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Codice CCCXV. num. 1. Cod. CCCXVI. & CCCVII. qui ſequuntur. Ejusdem *Canones ſive Cantica Eccleſiaſtica cum Expoſitione ſingulis Tropariis ſubjuncta*, ibidem Codice CCCXVIII. Ejusdem *Canon paracleticus ad Chriſtum*, ibidem Cod. CCLXXXXIX. num. 6. ut habet Petrus Lambecius tomo ſeu libro 5. Commentariorum in dictam Bibliothecam, pag. 319. Denique Codice MS. Theologico Græco CXXXXVII. qui chartaceus eſt, atque ad Joannem Sambucum, ut ipſe ſolita propriæ manu inſcriptione teſtatur, olim pertinuit: Extat Coſmæ Hieroſolymitani Ἔκφρασις ſive *Enarratio Metrica ſingulorum totius Davidici Pſalterii Pſalmorum*, cujus titulus & principium. Ἔκφρασις ὡραιοτάτη εἰς τὸν θεῖον καὶ προφητικώτατον Δαβίδ. Κοσμᾶ ποιήτου προοίμιον.

Μετὰ τὸν μέγιστον Μωσῆν, καὶ μέγαν ἐν Προφήταις
Καὶ πρώτιστον διδάσκαλον &c.

Quo finito integro trium foliorum prooemio, ſequitur, Ἐρώτησις, τί ἐστι ψαλτήριον, ſive *Interrogatio quid ſit Pſalterium?* Tum ſimul ἀπόκρισις ſive *Reſponſio* quindecim verſibus conſtans, cujus principium,

Ἁπλῶ μὲν λόγῳ καὶ καινῷ, καὶ κατημαξευμένῳ
Ὄργανον τὸ ψαλτήριον δεκάχορδον σημαίνει &c.

Ipſa denique Enarratio Pſalmi primi inſcribitur atque incipit hoc modo: Ἀρχὴ τῆς ψαλτῆρος. Προτροπὴ θεοσεβείας, καὶ ἀποτροπὴ τῆς ἐναντίας. Μακάριος ἀνὴρ ὃς οὐκ ἐπορεύθη, καὶ τὰ ἑξῆς.

Ἄλλοι μὲν ἄλλα τῶν ψαλμῶν ἔχουσι λέγων εἴδη,
Ὁ δὲ πανὼν καὶ πρώτιστος εἴδας διττὸν ἐπέχει,
Διδακτικὸν, συνθικὸν, καὶ τοῦτο σκεπτέον.
Διδάσκει γὰρ &c.

Plura autem de hac Pſalmorum paraphraſi idem Lambecius libro ſeu tomo 3. Commentariorum hujus Bibliothecæ paginis 103. & 104. Tum in Catalogo Scriptorum hujus tomi, pag. 227. ubi allegat alterum ejusdem Codicem Manuſcriptum LX. num. 6. & quidem a folio 55. ad 78. inter MSS. Codices Theologicos Græcos, ejusdem Cæſareæ Bibliothecæ. Theodorus autem Prodromus, cujus *Expoſitio in Sanctorum Patrum Coſmæ Majumenſis Epiſcopi atque Joannis Damaſceni Canones*, ſive *Cantica Eccleſiaſtica in præcipuis anni ſollemnitatibus cantari ſolita*, extat inter MSS. Codices Theologicos Græcos ejusdem Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis, Codicibus CCCXV. CCCXVI. & CCCXVII. Ille, inquam, Prodromus, circa initium ſeculi poſt Chriſtum duodecimi, ſub Imperatore Alexio Comneno floruit. Ejusdemque extat *Epiſtola ad Gregorium Monaſterii Inſula Oxia Abbatem*, ibidem Codice MS. CCLXXXIII. num. 14. de quo abunde Lambecius loquitur, tomo ſeu libro 5. Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 176. & in Catalogo pag. 358. Quantum ad *Canones* ſeu *Cantica Sacra & Troparia*, multa erudite congerit Carolus du Freſne Dominus du Cange in *Gloſſario media & infimæ Græcitatis*, verbo Μαχίλλης columna 854. ubi vult Anthimum & Theoclem, qui Leone Macela ſeu primo imperante vixerunt, fuiſſe primas *Canticorum ac Troparium* Scriptores, ut eſt apud Theodorum Lectorem Eclog. 1. Theophanem & Cedrenum anno VIII. ejusdem Auguſti, & Chriſti 484. Ita enim in Theophane editionis Regiæ Pariſienſis anni 1655. pagina 98. D. Τῷδ' αὐτῷ ἔτει, Ἀνθίμου καὶ Τιμοκλῆς, οἱ τῶν τροπαρίων ποιηταὶ ἐγνωρίσοντο. *Hoc etiam anno Anthimus & Timocles Troparium poëtæ florebant.* Veriſimile eſt *Cantica illa ac Troparia* fuiſſe de rebus Laicis vel profanis, unde factum ut ſucceſſu temporis exciderint. Idem in eodem Gloſſario verbo Τροπάριον columna 1617. *Troparion* vox generica & Canticis in Eccleſia Græca receptis communis, *modulum* ſemper vertit & Antiphonis Latinorum quadantenus reſpondere, obſervat

„Goarus in *Euchologio* pag. 32. cui convenit Za„charias Papa libro 4. *Dialogorum* cap. 36. Alla„tius in Diatriba *de Georgiis* pag. 418. *Canones* „inquit *in Odas dividuntur, Oda in Troparia, ex „quibus componuntur. Singula namque Tro„paria continent aut plura aut potiora, cum eo„rum numerus determinatus non ſit.* Troparia „*quandoque libens & vaga relinquuntur: quando„que primis literis, quaſi annulis, in verbis veluti ca„tenula inſeruntur, quam* Acroſtichida *auctores „vocant.* Vide in Ἀκροστιχίς. Et infra, Tropa„riorum vero Scriptores varii recenſentur, at„que in his Joſephus & Nicodemus a Germano „II. Patriarcha Conſtantinopolitano in *Theoria „rerum ſacrarum* pag. mihi 155.

Primi qui *Canones* ſeu *Cantica Sacra & Troparia* in Eccleſiam Græcam cantanda introduxiſſe creduntur, Coſmas Hieroſolymitanus Monachus & Majumæ Epiſcopus circa annum Chriſti 730. & Joannes Damaſcenus Monachus, de quibus hic diſſeruimus. Poſt hos autem Joſephus Theſſalonicenſis Archiepiſcopus frater S. Theodori Studitæ Abbatis, circa annum 810. Theophanes Graptus Nicænus Archiepiſcopus, quem anno 842. Baronius inſeruit Græce & Latine in Annalibus Eccleſiaſticis, num. 50. Et Joſephus alter *Hymnographus* dictus, qui ætate Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani floruit, de quo nos ad annum 850. dicemus. Hi ſunt qui *Canones* iſtos ſeu *Cantica Sacra & Troparia* in Eccleſiam Græcam induxerunt: quos imitatus etiam fuiſſe videtur Andreas Cretenſis Archiepiſcopus, eadem ætate cum Theophane Grapto & JoſephoHymnographo clarus. Hunc Eccleſiæ Græcæ morem Latina ſuſcepit, quæ in omnibus Eccleſiis ſuis *Canones* ejusmodi ſeu *Cantica Sacra* atque *Hymnos*, in Officiis Eccleſiaſticis habet, quorum aliqua etiam maxime inculta atque horrida leguntur. Denique adjicere convenit Cantica talia ex Germanico ſimul & Latino mixta, in Eccleſiis etiam Germaniæ nobiliſſimis, anno circiter 1390. obtinuiſſe ac placuiſſe, in Feſtivitatibus anni præcipuis, uti teſtantur Chriſtianus Paullinus ad annum 1390. in *Hiſtoria Iſenacenſi*, edita anno 1698. Francofurti in 4. & Chriſtophorus Helvicus in ſuo *Theatro Hiſtorico* ad annum 1390. editionis 1639. Marpurgi Cattorum in folio, atque alii. De Coſma Majumenſi Epiſcopo late diſſeruimus in Diſſertatione *de Operibus ſancti Joannis Damaſceni*, cui ſynchronus fuit, in *Octoecho*, cui attribuuntur τετραῴδια dicti Octoechi, ſeu Canones quatuor Odarum, quorum unus canitur in *Sabbatho Sancto*, a Coſma Monacho Majumenſi Epiſcopo inter Melodos præcipuo primum compoſitus, deinde auctus & completus a Marco perinde Monacho, Epiſcopo Hydruntino, Leonis Philoſophi Imperatoris ſuaſionibus, ut habet Leo Grammaticus in eodem Leone pag. 482. *μετὰ δέ τινα καιρὸν ἀνῆλθεν Μαρκὸς ὁ Φιλοσοφώτατος διακονήσων τῆς αὐτῆς Ἐκκλησίας ὢν, ὃς ἂν ἀναπληρώσας τὸ μεγάλῳ Σαββάτῳ τετραῴδιον τῷ Κυρίῳ Κοσμᾷ.* Vide Carolum du Freſne, Dominum du Cange in *Gloſſario mediæ & infimæ Græcitatis* verbo τετραῴδιον, columna 1553. Agunt *de Coſma Epiſcopo Majumenſi* Joſias Simlerus in Epitome *Bibliothecæ Conradi Geſneri.* Antonius Poſſevinus tomo 1. *Appamatu Sacri.* Petrus Lambecius, locis citatis. Natalis Alexander in *Selectis Hiſtoria Eccleſiaſtica capitibus* ſeculo 8. cap. 3. art. 5. pag. 259. Ludovicus Ellias du Pin in *Nova Bibliotheca Eccleſiaſtica*, qui tamen male Coſmam Hieroſolymitanum, ſeculo VII. pag. mihi 37. aſſignat poſt Marculfum, qui ad annum circiter 730. ſpectare debet.

BONIFACIVS MOGVNTINVS ARCHI- 740.
EPISCOPVS, antea *Winfridus* dictus, natione Anglus, vel Scotus ut quibusdam videtur, Monachus primum in Monaſterio Exonienſi, tum poſtea Presbyter anno ætatis XXX. ordinatus, ob propagatam Chriſtianam fidem in Friſia atque aliis Germaniæ locis, Friſiorum, Haſſorum, Thuringorum, Baioariorum, aliorumque populorum, quos Chriſtianæ fidei myſteriis informaverat, Apoſtolus appellatus. Anno DCCXXIII. a Gregorio Papa Romam evocatus, pridie Calendas Decembris, Epiſcopus Germanorum ordinatus eſt, qui depoſito Winfridi nomine, Bonifacius exinde evocari cœpit. *Sancti Bonifacii ac plurium aliorum mixta Epiſtola*, una cum libro *de Vita & Martyrio ſancti Livini Epiſcopi, Gandavenſium Patroni*, ſub nomine ejusdem ſancti Bonifacii, diligentia & ſtudio Nicolai Serarii Soc. Jeſu Theologi ac Presbyteri, emerſerunt e prelo Moguntiæ, anno 1605. in 4. Obſervat Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *S. Bonifacius Archiepiſcopus Ultrajectinus* pag. 117. inter Epiſtolas varias a Nicolao Serario editas, deſiderari Epiſtolam ejusdem Bonifacii ad Erchelbardum Angliæ Regem, quam recitat Wernerus Rollewinck lib. 1. *de moribus & ſitu Weſtphalorum* cap. 7. Quantum autem ad *Vitam ſancti Livini*, quam Serarius ſub nomine *ſancti Bonifacii Epiſcopi Moguntini & Martyris*, poſt ejusdem Epiſtolas edidit: Joannes Mabillon Seculo 2. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* pag. 449. ubi eam iterum recudit, non habere authorem *Bonifacium Moguntinenſem Archiepiſcopum & Martyrem* cenſet; qui anno DCCLIV. ætate adhuc virente martyrium paſſus eſt: ſed eſſe alterius *Bonifacii Senioris*, qui circa annum 680. annis prope octoginta ante Moguntinenſem floruerit, quod obſervatione dignum cenſui. Dominus item Lucas Dacherius, doctiſſimus congregationis ſancti Mauri in Gallia Monachus edidit *ſtatuta quædam ſancti Bonifacii nomine*, tomo IX. *Spicilegii* pag. 63. anno 1669. in 4. Pariſiis, apud Carolum Saureux. Porro præter expreſſas a Bellarmino & Labbeo, S. Bonifacii Moguntinenſis Archiepiſcopi & Martyris Epiſtolas; nuper hoc anno 1686. Joannes Mabillon amicus noſter retulit ex itinere Italico nonnullas Homilias, tranſcriptas ex MS. Codice 1302. Bibliothecæ

thecæ Chriſtinæ Suecorum Reginæ, inſcriptas *Sancti Bonifacii Martyris Sermones.* Quorum 1. *Sermo de fide recta* incipit, *neceſſarium eſt Fratres clariſſimi, unicuique qui deſidens ad regnum cælorum pervenire &c.* Sermo ſecundus. *Cum prædicaret Dominus, Jeſus in quodam loco, & multos infirmos curaret &c.* Item ſermo tertius, *de fide vel opere dilectionis* incipit: *Ammoneo vos ut reminiſcamini, quid omnipotenti Deo in baptiſmo promiſiſtis &c.* Alius ſermo incipit, *Audite & intelligite amici cariſſimi, hoc eſt verbum fidei quod prædicamus &c.* Alius ſermo incipit, *Conſiderare nos oportet cariſſimi præſentis vitæ ſtatum &c.* Alius ſermo incipit: *Primum omnipotens Deus hominem in paradiſo ad ſuam imaginem & ſimilitudinem creavit &c.* Verum ſermones ejusmodi ſatis incerti ſunt, cum fallant ſæpiſſime MSS. Codicum tituli, ut antiquariis conſtat. Ornatus autem privilegiis Romanorum Pontificum Gregorii II. Gregorii III. & Zachariæ, cum factus fuiſſet Moguntinenſis primus Archiepiſcopus, & ſedis Apoſtolicæ Legatus, Martyrio coronatus obiit in villa Friſiæ Dockumio die 5. Junii anni 754. non 755. ut recentiores plerique etiam eruditiſſimi minus recte putarunt. Vnde relatum corpus, in celeberrimo Monaſterio Fuldenſi, quod in Buchonia ſylva ipſe fundaverat, ſepultum fuit. Plura de illo Nicolaus Serarius in *Serie Moguntinorum Archiepiſcoporum.* Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 29. pag. 281. editionis ultimæ, de eo pluribus agens. Chriſtophorus Brouverus in *Annalibus Abbatiæ Fuldenſis.* Cardinalis Baronius in *Annalibus* ſeculo VIII. & in Notis ad *Martyrologium Romanum*, die 5. Junii. Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 215. pag. 221. Sammarthani fratres in *Gallia Chriſtiana* tomo 1. in Archiepiſcopis Moguntinenſibus. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica* verbo *S. Bonifacius* pag. 117. editionis 1643. Lovanii in 4. Joannes Mabillon ſeculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tomo ſeu parte 2. Innumeri quoque alii poſt Laurentium Surium, in *Probatis Sanctorum Vitis*, ad diem 5. Junii.

740. ALFRICVS SIVE AELFRICVS SENIOR, CROYLANDIÆ MONACHVS, natione Anglus, profeſſus monaſticam vitam in hoc Cœnobio, ab Ethelbaldo Rege in honorem ſancti Guthlaci Confeſſoris & Eremitæ recenter fundato, famam patroni ſuæ Eccleſiæ Guthlaci, illuſtriorem orbi & Anglis potiſſimum reddere volens, quemadmodum Felix ejusdem Cœnobii monachus *Vitam* illius Latino eloquio conſtruxerat, ita iſte lingua Saxonica quæ tum in Anglia a Bedæ temporibus ad annum usque 1060. obtinuit, cultaque & vulgaris fuit, *Vitam Sancti Guthlaci* compoſuit, ſcriptam illam ad Elfwardum Orientalium Anglorum Regem. Vita autem S. Guthlaci per Felicem Monachum Croilandenſem Latine conſcripta, MS. extat in Cottoniana bibliotheca ſub effigie Neronis litera E Codice 1. num. 44. ubi anno DCCXXX exarata dicitur, atque etiam in aliis tribus Angliæ bibliothecis. Claruit autem Alfricus anno 740. vel circiter, quo non procul a Felice, opuſculum iſtud condidit, extatque *Vita S. Guthlaci Anachoretæ* per Felicem Croylandenſem Monachum primum Latine deſcripta, deinde per *Africum* Saxonice ad Aelfwaldum Orientalium Anglorum Regem converſa, MS. in eadem Cottoniana bibliotheca, ſub effigie Veſpaſiani, litera D Codice 21. num. 2. in 8. ut teſtatur Guill. Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo X. ad an. 980. in Ælfrico ſive Alfrico Cantuarienſi Archiepiſcopo pag. 590. ubi abſurdiſſime fallitur. Vita enim iſte non ſpectat ad Alfricum illum Cantuarienſem Archiepiſcopum ac Wiltonienſem antea Epiſcopum, qui ab anno circiter 980. ad 1006. inclaruit, ducentis etenim & quinquaginta annis ab ætate Ælfwaldi Orientalium Anglorum Regis abfuit: ſed ad alterum Croylandiæ Monachum, anno circiter DCCXL. inclytum, qui Opuſculum ſuum Ælfwaldo Regi Orientalium Anglorum inſcripſit, atque hoc modo ætatem ſuam produxit. Nam juxta Rogerium de Hoveden *Annalium* parte priore pag. 402. linea 32. Elfwaldus Orientalium Anglorum Rex anno DCCXLIX. defunctus eſt, regnumque Humbenna & Albertus ſibi diviſerunt. Hæc contra Guilielmi Cavi hallucinationem, dicta ſint.

740. ÆDILWVLPHVS BERNICIVS natione Anglus, qui lingua Latina *nobilis Lupus* appellandus eſt, hæc enim eſt Latina interpretatio proprii nominis Ethelwulf ſeu Ethelwolf, qui temporibus iisdem floruit, ſub Oswulpho Northumbriæ Rege, circa annos DCCXL. vel DCCL. Primum in Cœnobio S. Petri, Lelando teſte, diſcipulus fuit Eadfridi ſive Eadferti, qui poſtea Lindisfarnenſis Epiſcopus creatus fuit, indeque præceptore Iglaco ibidem uſus eſt, qui Vitam Siguwini Abbatis S. Petri in finibus Berniciorum ſcripſiſſe dicitur. Scripſit Ethelwulfus *Poema de laudibus ſui Cœnobii*, carmine utcunque inculto, pro more ſeculi quo vixit, atque alia opuſcula, ſed *Poema* ad Egbertum ut opinamur Eboracenſem Archiepiſcopum, ubi de *Origine Cœnobii S. Petri*, ad Orientale littus Berniciorum. Illic mentionem facit præceptoris ſui Iglaci his verſibus.

Tempore quo Lector, præclarus gaudia dicti
Accumulet patris, Iglacus nomine dictus
De quo jamdudum perſtrinxi pauca relatu,
Anglorum de gente pios dum carmine quosdam
Concinerem, quondam fuit inclytus ille Magiſter &c.

Illud *Poema de Abbatibus & viris piis Cœnobii S. Petri de inſula Lindisfarnenſi* edendum curavit in Gallia Joannes Mabillon inter Benedictinos Congregationis Sancti Mauri reformatos vir clariſſi-

clariſſimus, ſeculo IV. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* parte 2. pag. 302.

Nomen ſuum *Ethelwulfus* ſeu *Ædilwulfus* inſcribit in Præfatione ſua, quæ extat inter MSS. bibliothecæ Codices Bodlejanæ, Codice 2016. in MSS. Codicibus Thomæ Bodleji lit. B 4. Cod. 10. num. 2. pag. 210. *Amicorum præſtantiſſimo atque dilectiſſimo Sacerdoti Magno Egberto, Presbyter meritis Ædilwulf, intimæ caritatis ſalutem.* Verum in concluſione Operis, ſic canit.

Hæc Lupus alte Pater, ſtolido de pectore clarus
Carmina compoſuit, corpore, mente rogans &c.

Atque in Catalogo Codicum Manuſcriptorum Bodlejanæ bibliothecæ, Codice 2016. num. 2. pag. 210. inſcribuntur *Ædilwulfi Opera.* In aliis tamen Codicibus MSS. Anglicarum bibliothecarum, non Ædilwulfus uti in iſto Codice antiquiſſimo, ſed *Ethelwoldus* paſſim inſcribitur, cui alia etiam Opuſcula tribuuntur. Inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis Codice 2427. in MSS. Codicibus bibliothecæ publicæ Cantabrigienſis, ex MSS. Codicibus quos Matthæus Parkerus Cantuarienſis Archiepiſcopus huic bibliothecæ dono legavit, extat Codice 247. num. 8. *Ethelwoldus de Abbatibus Lindisfarnenſibus.* 9. *De Regibus & Regnis & Epiſcopatibus totius Angliæ.* 10. *De tempore Regum Britannicorum.* Inter MSS. Codices Eccleſiarum Angliæ Cathedralium, & aliarum ejusdem Regni celebrium bibliothecarum Codice 6115. in MSS. Codicibus Thomæ Galei Codice 281. *Ethelwoldi Lindisfarnenſis de vitis Abbatum Lindisfarnenſium* inſcribitur, & ibidem Codice 6183. ejusdem Galei Codice 349. *Ethelwoldi Opera*, liber ſic dictus. In bibliotheca Cottoniana ſub effigie Tiberii litera D Codice 4. num. 51. *Athelwolphi Lindisfarnenſis carmina ad Egbertum Presbyterum.* Nomen igitur in MSS. Codicibus *Ædilwulfus* eſt, attamen *Ethelwoldus* ſæpius, ſed *Lindisfarnenſis* ſemper dictus eſt, qui tempore Ecgberti Archiepiſcopi Eboracenſis ad quem ſcripſit, circa an. DCCL. floruit. Dictus autem *Ethelwoldus Lindisfarnenſis*, ut ſollicite diſtingueretur ab alio Sancto *Ethelwoldo Wintonienſi Epiſcopo*, qui anno 960. ad Epiſcopatum evectus, Eccleſiam ſuam usque ad annum 984. adminiſtravit, quo Kalendis Auguſti mortuus legitur. In errorem hunc impegit Gerardus Joannes Voſſius libro 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 29. pag. 284. editionis ultimæ, qui ubi Opuſcula hiſtorica hæc *Ethelwolpho Bernicio & Lindisfarnenſi* ad annum DCCL. attribuiſſet: immemor ſuiipſius lib. 2. cap. 41. p. 354. eadem adſcribit *Ethelwoldo Wintonienſi Epiſcopo*, qui ducentis & triginta annis poſtea Wintoniæ obiit anno Chriſti 984. Epiſcopatus ſui 24. Kalendis Auguſti. Ne tamen poſteri in errorem incidant ſimilem, addemus hic Opuſcula quæ ad ultimum hunc Ethelwoldum Wintonienſem Epiſcopum pertinent.

Inter MSS. Codices Vniverſitatis Cantabrigienſis Codice 1543. in MSS. Codicibus Sancti Benedicti, ſeu Collegii Corporis Chriſti Cantabrigiæ Codice 276. num. 2. notato S 6. ſub finem Codicis poſt paginam 263. *Regula ſancti Benedicti Latine & Saxonice* auctore *Ethelwolfo* habetur de translatione hujuſce Regulæ ſancti Benedicti, hæc in Hiſtoria Elienſi legimus. *Eadgarus Rex & Alfreth ſive Alfred dederunt ſancto Æthelwoldo manerium quod dicitur Suthburn, & cyrographum quod pertinebat, quod Comes qui dicebatur Scule dudum poſſederat: eo pacto, ut ille Regulam S. Benedicti in Anglicum idioma de Latina transferret. Qui ſic fecit.* Denique in Bibliotheca Cottoniana apud Weſtmonaſterienſes, ſub effigie Tiberii litera A Codice 3. num. 24. *Conſuetudo Monachorum per Æthelwardum Wintonienſem Epiſcopum, Saxonice.* Item in MSS. Codicibus Bodlejanæ bibliothecæ Codice 5164. in Collectionibus MSS. Franciſci Junii Codice 52. num. 2. *Ethelwoldus Epiſcopus Wintonienſis, de diurna conſuetudine Monachorum Ordinis divi Benedicti Saxonice*, ex Cod. Cottonianæ Bibliothecæ Tiberius A Cod. 3. num. 2. Extat nota Joannis Jocelini. Liber de conſuetudine Monachorum, qui eſt aut idem opus quem Æthelwoldus Wintonienſis Epiſcopus cum Coepiſcopis & Abbatibus tempore Eadgari Regis Anglorum collegit, de quo mentionem facit Ælfricus Abbas in Epiſtola ad Egneshamenſes fratres, aut certe ex eodem deſumptus eſt. In Bibliotheca Cottoniana apud Weſtmonaſterienſes ſub Tiberio A. 3. Codex antiquus & optimæ notæ per diverſorum manus conſcriptus ante occupatam Angliam, in quo Icones S. Benedicti, Eadgari Regis & S. Scholaſticæ.

Agunt de Edilwulfo Bernicio Joannes Lelandus inter MSS. Codices Bodlejanæ Bibliothecæ Codice 5102. Collectaneorum dicti Lelandi vol. 1. cap. 131. ubi profert excerpta *ex libro Æthelwolphi, alias Lupi Monachi Eccleſiæ ſive Cœnobii S. Petri, de rebus in eo geſtis* pag. 505. carmine. Et ibidem Codice 5105. idem Lelandus *Collectaneorum* vol. 4. cap. 76. pag. 103. excerpit *de Ethelwolpho*, qui Eadmundum & ſanum Sancti Petri ab eo inſtauratum, verſibus depinxit. Gerardus Joannes Voſſius libro 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 29. pag. mihi 284. editionis ultimæ. Humphredus Wanlejus in Catalogo MSS. Codicum Anglo-Saxonicorum, in Anglicis bibliothecis occurrentium ampliſſimo, quem anno 1705. Oxonii in folio edendum procuravit, paginis 140. De Æthelwoldo autem Wintonienſi Epiſcopo, idem Voſſius ibidem *de Hiſtoricis Latinis* cap. 41. pag. 354. Atque idem Wanlejus in Catalogo citato MSS. Anglo-Saxonicorum, pag. 91. 122. & 199. quem adeas.

CHILIENVS DE INIS-KELTRA, Ordinis Sancti Benedicti Monachus, annis quoque DCCXL. vel DCCL. circiter floruiſſe in Hibernia dicitur, & carmine expreſſiſſe *Vitam S. Brigidæ ſeu Brigittæ Scoticæ*, quam Joannes Bollandus 740.

dus Tomo I. Februarii menſis pag. 141. retulit, de quo in Præludiis ad Acta hujus Virginis paragrapho 2. num. 13. pag. 102. ubi de Chilieno ſequentia profert vir eruditus.

„Quam 3. loco Vitam damus metro conſcriptam, edidit Colganus ex MS. Caſſinenſi collatam cum aliis tribus MSS. Codicibus Vaticanæ, „Antonii Barberini Cardinalis, & Lucæ Wadingi. Eam mutilam eſſe ac laceram, librariorumque fœdis ſcatere mendis, prolixe conquèritur. At auctorem in Caſſinenſis Bibliothecæ „Catalogo, ad lævam indicari his verbis. In „Codice MS. litera F N. 232. ſignato, Pluteo 8. „ad lævam, ſerie ſecunda, ordine 15. *Primus Tractatus eſt &c. Quartus & ultimus Vita Brigidæ „Kildarienſis Virginis a Chilieno Monacho Inis-„Keltrabenſis Cœnobii, verſibus reddita.* Eſt autem *Keltra* ſive *Inis-Keltra* inſula in lacu Sinnani „ſive Sinæi amnis, Derg dicto, ſupra Loenenſem „urbem, ſive Kiltra-Loe in Tuomonia, ſeu Momonia Septentrionali, Conatiæ adjuncta. In „ea inſula Monaſterium fuit, cujus alumnum „fuiſſe auctorem hunc, vel inde conjicimus, „quod cap. 9. num. 63. ita præter propoſitum, „illius mentionem inducit.

Altera valde mihi virtus miranda videtur,
Quæ fuit in magna Sinnani fluminis unda,
Intra quam Keltra eſt, conventus rite virorum
Prudentum, ſancto Benedicti dogmate florens.

„Colganus *Chilienum* hunc conjicit eſſe *Sanctum „Coëlenum* ſive *Coëlanum* Monachum de Inis-„Keltra, quem ad diem Julii XXIX publice cultum eſſe aſſerit, atque vixiſſe vel ante vel circa „annum Chriſti DCCL.“ Opus iſtud non habetur integrum, atque Auctor ut ex Prologo patet, diligenter, quæ antea de ſancta Brigitta ſcripta erant, evolvit. Hæc loco allato Joannes Bollandus, quem hic verbotenus exſcribimus.

750. ISIDORVS PACENSIS EPISCOPVS in Hiſpania, Idacium Lenucenſem in ſua Chronologia continuavit, ſicut ipſe Idacius S. Hieronymum continuaverat. De hoc Opere Vaſæus *Chronici ſui Hiſpaniæ* cap. 4 ſic loquitur. *Iſidorus P[illegible]ſis Epiſcopus, etiam ſcripſit Chronicon Hiſpaniæ, cujus ſi eſt Chronicon illud, quod ejus titulo prænotatum vidi, portentum potius dixerim quam Chronicon. Adeo prodigioſe ſcribit, & Gothice potius, quam Latine. Certe mihi, tanquam in novo quodam & inaudito idiomate, deſudandum fuit ut intelligerem.* Iſidorum Pacenſem continuant *Sebaſtianus Salmanticenſis, Sampirus Aſt[illegible]icenſis, & Pelagius Ouetenſis:* quos omnes conjunctim ex MSS. Codicibus Prudentius Sandouallius Pampelonenſis Epiſcopus, Pampelonæ in Navarra an. 1634 primus edidit, quorum ultimum citat Baronius in Annalibus tomo X pag. 653. Ex his *Iſidorus Pacenſis* orditur ab Æra 653 ſive ab anno Heraclii ſeptimo, quo Mahumetes Saracenorum dux, Syriam, Arabiam & Meſopotamiam occupavit, deſinitque in æram 798 id eſt in annum Chriſti 754 quo tempore ſe ſcripſiſſe teſtatur, ſub finem Operis. *Sebaſtianus Salmanticenſis* ſuam ut nuncupant Hiſtoriam deduxit, a temporibus Pelagii Regis usque ad Ordonii I. Regis obitum, id eſt usque ad æram 903 ſive ad annum Chriſti 865. *Sampirus Aſturicenſis* ab æra 896 ſive a temporibus Alphonſi Magni, illo nomine tertii, deduxit Chronologiam usque ad initium principatus Veremundi Regis. Denique *Pelagius Ouetenſis Epiſcopus*, a temporibus dicti Veremundi, usque ad obitum Alphonſi ſeptimi, quem Hiſpaniæ Imperatorem vocant, rerum geſtarum ſeriem attulit. Soli Hiſpanici Hiſtorici iſtos admittunt tanquam genuinos, alii ab Hiſpanis omnes, iſtos *Iſidori Continuatores, imo & Iſidorum Pacenſem* ſuppoſitionis arguunt. De *Iſidoro Pacenſi* Aubertus Miræus in Bibliotheca Eccleſiaſtica, ad caput 8 cujusdam Anonymi *de duodecim Scriptoribus Eccleſiaſticis*, pag. 105 a quo hæc accepimus. Gerardus Joannes Voſſius, Lib. 3 *de Hiſtoricis Latinis* p. 710.

EGBERTVS EBORACENSIS ARCHIE- 750.
PISCOPVS, frater Eadberti Regis Northumbrenſium, factus eſt Eboracenſis Præſul anno Gratiæ 735 quam tenuit ſedem triginta ſex annos. Præclara ſunt quæ de Egberto Eboracenſi Archiepiſcopo ejusque ſcriptis annotat Spelmannus Conciliorum Anglicanorum Collector tom. I. pag. 275 quæ noſtro cum conveniant inſtituto, his paginis ad verbum addimus. Cui autem anno aut quo ſub luſtro, ejus *Excerptiones* reponam, conjectura ſolum aſſequendum eſt. Videtur concinnaſſe cum ad animam propriam informandam, tum præcipue ad provinciam ſuam Eboracenſem, quæ ſub hoc ſeculo præter borealem Angliæ partem, Scotiam integram & adjacentes Inſulas continebat, gubernandam. Defuit autem ſuæ poteſtati plenitudo, usquedum Canonicum inſigne ejus, Pallium à Romana percepiſſet Eccleſia. Arduum id & operoſum, ut apud Malmesburienſem Lib. 3. *de Geſtis Pontificum* videas. *Paulinus namque*, inquit, *ejusdem Eccleſiæ primus Antiſtes, qui hoſtilitatis loco pulſus, apud Rovecestriam, diem obiens, ibidem illud inſigne Pallii, quod ab Honorio Papa ſuſceperat, reliquit. Cæteri poſt eum tantæ urbis Præſules, ſimplici Epiſcopi vocabulo contenti, nihil aliud anhelarunt. At vero Egbertus inthronizatus, animoſioris ingenii homo, cogitans, quod ſicut ſuperbum eſt, ſi appetas indebita: ita ignavum, ſi debita negligas: Pallium multa Throni Apoſtolici interpellatione recuperavit.* Adde iſtis Monachi illa Weſtmonaſterienſis: *Anno*, inquit, *Gratiæ DCCXLV Egbertus Eboracenſis Archiepiſcopus, Pallium quod à tempore Paulini, primi Eboracenſis Archiepiſcopi, ab octo Epiſcopis fuerat prætermiſſum, laudabiliter revocavit.* Lubens hæc comme-

„moro, ne exceſſum vel receſſum Pallii, in cele„berrima hac Eccleſia alioquin tacuiſſem.

Scripſit circa annum DCCL nobile Opus, *Pœnitentiale libris quatuor diſtinctum*, MS. in Bibliotheca Collegii ſancti Benedicti Cantabrigiæ in Anglia Cod. 133 ut ab oculatis teſtibus audivimus. Opus antiquum ac digniſſimum prælo, quod multa nos de mediis Eccleſiæ temporibus edoceret. Refert Henricus Spelmannus tom. I. Conciliorum Angliæ foliis 258 & 276 haberi alium Codicem Manuſcriptum hujus *Pœnitentialis Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi*, in Bibliotheca Oxonienſi publica, cujus ordinem & diſpoſitionem ibidem utcunque deſcribit pag. 275 his verbis. „Poſthac nempe pallium acceptum, „cenſeo has *Excerptiones* congeſtas, annum puta „circiter DCCL. Qua autem authoritate, „vel quo decreto eas communivit, ſuffraganeis„que ſuis Epiſcopis & eorum Clero obſervan„dum id impoſuerit, aut imitandum, non inveni. „Ad illas tamen pertinere reor, quas Balæus vo„cat *Egberti Conſtitutiones Eccleſiæ*, & ab Hucario „Levita redactas aſſerit in compendium. Cer„tum eſt, magno olim fuiſſe pretio. Nam poſt „veterum Manuſcriptorum Codicum inſignem „cladem, quæ Cœnobiorum ſubſecuta eſt Cata„lyſim: ſuperſunt hodie diverſa earundem „Exemplaria, ſplendide quidem & antiquiſſime „exarata. Præter alia enim quæ latebroſe ali„as ſuffocantur, habetur nobile unum in Biblio„theca publica Oxonienſi: aliud Cantabrigiæ „in Bibliotheca Sancti Benedicti: tertium (ni „mihi imponatur) Weſtmonaſterii, in Biblio„theca Cottoniana: quartum, hoc quo uti„mur, bellum pariter & perantiquum: ſed quo de„ſideratur *Egberti Opus Pœnitentiale*, quod in Oxo„nienſi Exemplari IV libros integros complecti„tur: & juſtum per ſe depoſcens Codicem, noſtro „non eſt inferendum. Adjiciam tamen pauca „aliquot, quæ ex Oxonienſi Exemplari, aliorum „oculis & induſtria conſecutus ſum: e Canta„brigienſi vero, quæ mihimetipſi per transen„nam ſubito patuere, ut intelligas me ad cætera „utique exhibenda non invitum fuiſſe, ſi libro„rum extitiſſet copia. Hæc Spelmann. tomo I. *Conciliorum Anglia* pag. 275 qui folio ſequenti *Egberti Excerpta* à ſe comparata exhibet. Tum pag. 278. „Hucusque Canones in ſecundo li„bro Pœnitentialis Egberti, prope finem: ha„benturque in libro quarto multi alii ex Epiſto„lis dictisque Patrum, Decretis Paparum, & di„verſorum Conciliorum ſanctionibus, quadra„ginta duo eiusdem Libri folia occupantes, in „Oxonienſi Manuſcripto. Quid in Cantabri„gienſi contineatur, demonſtrabunt ſubſequen„tes indices, quos ex eodem nos deſcripſimus, „prout videas &c. Nuper anno 1698 editus eſt in fol. 2 tomis, Oxonii e theatro Sheldoniano *Catalogus omnium MSS. Codicum Angliæ & Hiberniæ*, quem cum attente volvillem, non inveni illud *Pœnitentiale magnum Egberti Eboracenſis Archiepiſcopi*, de quo Spelmannus tam poſitive loquitur. „In MSS. Codicibus Collegii Sancti„ Benedicti Cantabrigiæ Cod. 107. num. 2. *Pœni„tentiale Egberti Archiepiſcopi Eboracenſis.*„ At ex multitudine Opuſculorum, quæ volumen continet, hoc opuſculum parvum eſſe debet. Idem dicendum de Codice 133 ubi num. 2. „*Liber Egberti de Canonibus literis Saxonicis exaratus.*„ In MSS. Codicibus Bibliothecæ Bodlejanæ ſub Nerone A Cod. I. num. 21. *Collectio Canonum ex antiquis Conciliis, Patribus, & etiam Capitularibus.* In margine autem *Excerptiones Domini Egberti Archiepiſcopi Eboracæ civitatis* de Sacerdotali jure, *ille autem floruit circa annum DCCXXXI.* Ibidem ſub Vitellio A Codice 12 num. 1. *ſuccinctus Dialogus Eccleſiaſticæ inſtitutionis à Domino Egberto Archiepiſcopo Eboracæ Civitatis compoſitus.* Editus à viro clariſſimo D. Jacobo Waræo Dublini 1664. Silent autem Catalogi illi de MSS. Codicibus illis, de quibus Spelmannus loquitur. Vix ſane puto Anglos tamdiu relicturos Opus tam nobile & antiquum in tenebris, ſi tale apud ipſos haberetur. Idem ſcripſit *Dialogum de Inſtitutione Eccleſiaſtica*, quem ex Bibliotheca Cottoniana primus in lucem protulit, & una cum Bedæ Opuſculis quibusdam edidit Waræus Dublini 1664 in 8. Immiſſum exinde in Concilia ultimæ editionis, tomo VI. pag. 1604. Item *Opuſculum de jure Sacerdotali*, ſeu *Excerpta CXLIV ex Dictis & Canonibus SS. Patrum* ab Egberto concinnata, & ad Eccleſiaſticæ politiæ conſtitutionem conducentia, quæ extant quoque in Conciliis, tomo VI pag. 1586. & in *Conciliis Anglicanis* Spelmanni, tomo I. pagg. 258 & 276 ac ſequentibus. *Pœnitentiale* autem, ſeu *Canones de remediis peccatorum*, qui leguntur in dictis Conciliis poſt præfatum Dialogum pag. 1612, ex dicto *Pœnitentiali Egberti* excerpti creduntur: unde ambiguum, an ſint Opus legitimum Venerabilis Bedæ cui paſſim attribuuntur: nec enim Beda Senior excerpere ab Egberto juniore potuit. Obiit Egbertus anno 767 Epiſcopatus XXXVI. Cujus mentionem faciunt Guillelmus Malmesburienſis, Lib. 3 *de Geſtis Pontificum Anglorum* pag. 153. Henricus Spelmannus tomo I. *Conciliorum Angliæ*, locis citatis. „Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ad annum 732 pag. 486 qui„me immerito arguit, quod illum Archiepiſcopum ſcripſerim Cantuarienſem: cum id typographiæ mendum ſit, in *ernatis* correctum & in quatuor indicibus Operis ipſius, ubi[illegible] *Eboracenſis* inſcriptus Archiepiſcopus.

ANASTASIVS MONASTERII S. EVTHYMII IN PALÆSTINA ABBAS, claruit anno circiter 740 & ſequentibus. Hujus S. Joannes Damaſcenus initio Libri *de Triſagio* ac poſt eum Cardinalis Baronius in Geſtis ann. 749 meminerunt. Cum enim hic Anaſtaſius non recte *de Triſagio* ſentire videretur, illud totum ad Filium referens, Joanni Damaſceno occaſionem præbuit ſcribendi Opuſculum *de hoc Hymno*, ad Jordanem Cœnobiarcham. Hinc tem-

tempus qua hic Anastasius floruit constat, qui scripsit & ipse *librum contra Judæos*, quem ex Græco Latine à Francisco Turriano redditum, edidit Henricus Canisius tom. 3. *Antiquæ Lectionis* parte 1 pag. 123. & Colonienses tomo seu seculo 8 Bibliothecæ Veterum Patrum. Sed Græce asservant Bibliotheca Vaticana Romæ, & Jesuitica ejusdem urbis inter MSS. Codices sibi ab eodem Turriano datos. „Idem extat Græce MS. „in Bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, inter „MSS. Codices Theologicos Græcos, CCXLIIX „num. 2 & quidem à fol. 21 pag. 2 usque ad fol. „38 pag. 1 inscriptus, *Anastasii Abbatis Monasterii „S. Euthymii in Palæstina, Disputatio cum Judæo:* „cujus titulus & principium. Δόγμα Ἁββᾶ Ἀ„ναστασίου τοῦ ἐν μοναχείᾳ τῇ μνήμῃ, ἤγουν ἀντίθεσις, „καὶ διάλεξις πρὸς Ἰουδαῖον. ὁ Χριστιανὸς πρὸ „πάντων τοῦτο θέλει ἐρωτῆσαι τὸν Ἰουδαῖον· διατὶ „λέγεις Ἰουδαῖος καὶ Ἑβραῖος, καὶ Ἰσραη„λίτης, καὶ τίς ἐστι ἡ ἑρμηνεία τῶν τριῶν ὀνο„μάτων &c. *Doctrina Abbatis Anastasii beatæ „memoriæ, sive Disputatio & Dialogus seu Dissertatio contra Judæum. Christianus ante omnia hoc „vult interrogare Judæum: Quare vocaris Judæus „& Hebræus & Israelita, & quænam interpretatio „trium istorum nominum &c.* Edidit quidem „hanc *Abbatis Anastasii Dissertationem* Henricus „Canisius tomo 3 *Antiquæ Lectionis* parte prima „à pag. 123 usque ad pag. 186. Sed Latine tan„tum, nec solum in principio & fine, verum et„iam passim alibi mutilam & imperfectam: ideo„que operæ pretium fuerit, plane novam edi„tionem adornari, ex hoc Codice MS. Cæsareo. Ita Petrus Lambecius Lib. 5 Commentariorum hujus Bibliothecæ, pag. 135. Agunt de *Anastasio* isto, quem ad quandam ab aliis distinctionem *Euthymianum* vocant, Antonius Possevinus tom. 1 *Apparatus sacri.* Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 212 pag. 221. Philippus Labbeus in *Brevi Scriptorum Chronologia*.

760 CHRODEGANDVS METENSIS EPISCOPVS, in aula *Caroli* cognomento *Tudini* educatus, ejus postea referendarius factus est. Juxta Paulum Diaconum in libro *de Mediomatricensibus Episcopis*, ex Clerico tandem anno 742 mortuo Sigebaldo die 1 Octobris, factus est Metensis Episcopus. Fundamenta Monasterii Gerziensis in pago Scarponensi Chrodegandus posuisse fertur, anno Childerici Regis sexto, id est Christi DCCXLVIII. Ecclesia in honorem Sancti Petri Apostoli & S. Stephani Protomartyris primum dedicata, quæ Sancti Gorgonii postmodum dicta est. Hujus fundationis Instrumentum, à Philippo Labbeo immissum, in ultimam Conciliorum Collectionem, editionis Parisiensis anno 1671 procuratam. Voluit etiam Chrodegandus, ut Cathedrales Canonici canonice viverent: quod ut majori imposterum firmitate fieret, anno 757 conscripsit eis *Regulam*, quam interpolatam variis ex capitibus, atque ad communem Ecclesiæ usum postea adaptatam, primus edidit *Spicilegii* tomo 1 Dominus Lucas Dacherius: sed puram atque ab omni intruso immunem idem Labbeus tomo VII *Conciliorum*, col. 1444. Alios autem adhuc sinceriores nactus MSS. Codices Cointius, utramque cum Exemplari suo editionem contulit, singulisque fere capitibus variantes Lectiones & observationes suas addidit, *Annalium Ecclesiæ Francorum* tomo V ad annum 757. Mortuus est Chrodegrandus anno 766 pridie Calendas Martii. Juxta alios anno 768 die 6 Martii. De illo plura Paulus Diaconus in Libro, *de Metensibus Episcopis*. Sigebertus in Libro *de Scriptoribus Ecclesiasticis* cap. 78. ubi hujus *Regulæ* mentionem facit. Philippus Labbeus in Conciliis nuperæ editionis Parisiensis. Joannes Bolandus vel ejus Adjutores, ad diem 6. Martii. Sammarthani fratres tomo 3 *Galliæ Christianæ*, in Episcopis Metensibus. Joannes Mabillon seculo 3. *Sanctorum Ord. Divi Benedicti*, tomo seu parte 2 pag. 204 ubi de S. Gorgonio Patrono Gorziensis Abbatiæ.

760. FREDEGARIVS SCHOLASTICVS, natione ut credimus Gallus, claruit iis temporibus, quibus Carolus Martellus ac Pipinus ejus filius, Regiæ Galliarum domus Majores, regnum sub Regibus ignavis, suprema potestate administrantes, illud obsequiis suis singularibus ac plane excelsis familiæ suæ seu stirpi, quæ secunda dicitur, compararunt. Scripsisse autem mihi videtur *Historiam quandam Miscellaneam* ab orbe condito ad annum 769 vel 770 ut hinc stirpi recenter in Regnum Francicum assumptæ, gratum faceret: unde latius gesta Caroli Martelli atque Pipini tum Majoris domus tum Regis assumpti prosequitur, usque ad Pipini mortem. Pipinus autem Brevis Rex Galliarum Childerico III in S. Medardi Suessionensis monasterium immisso ac tonso, apud Suessiones anno 752 in Comitiis regni agnitus in Regem & coronatus die 1 Maji, mortuus anno 768 apud urbem S. Dionysii die 24 Septembris, ætatis 54. regni 16. mense 4. diebus 24. Scripsit ergo *Historiam Miscellaneam* seu *Chronicorum libros V* ad exemplum Chronici Hieronymiani, quibus totam fere Gregorii Turonensis historiam libro IV in compendium redegit: neque ut imperite vult Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* ad annum 740 pag. 486 *opus istud dudum interiit*: sed multis jam ab annis licet anonymum, quoad libros, quatuor impressum est ab Henrico Canisio Tomo 2 *Antiquæ Lectionis* p. 578 anno 1602 Ingolstadii in 4 ex MSS. Codicibus bibliothecæ Ducis Bavariæ, ut recte habet Gerardus Joannes Vossius Lib. 3 *de Historicis Latinis*, parte 4 cap. 3. pag. mihi 753. Hoc unum deest in editione Canisii quæ prorsus integra est ex codice præfato, ut diximus, quod *Chronicon illud Miscellaneum* incipiens ab orbe condito atque ad annum nativitatis Christi 768 desinens, libris

tantum quatuor distinctum sit, sub titulo *Collectionis Historicæ, Chronographicæ Miscellaneæ libris IV distinctæ:* sed cujus liber IV juxta mentem Fredegarii ipsius authoris, in duos libros distingui debeat quartum & quintum, quemadmodum distinguuntur apud Andream du Chesne in Collectaneo *Historicorum Franciæ*, tomo I. Nam librum IV *Historiæ Miscellaneæ* Fredegarii sic exprimit Duchesnius pag. 722. „*Excerpta „Chronica ex Gregorio Episcopo Turonensi, sive Histo„ria Francorum Epitomata ex Fredegarii Scholastici „Historia Miscellanea.* Hæc Excerpta de Francorum gestis constituunt librum quartum *Collectionis Historicæ Chronographicæ*, quam Henricus „Canisius Tomo 2 Antiquarum Lectionum e„vulgavit, sed ea perperam ibi dicuntur, *Excerpta „de Chronica Græca Toromachi Episcopi:* nam esse „veram Historiæ Gregorii Episcopi Turonensis „Epitomen constat, non tantum ex editione „Marquardi Freheri Canisiana posteriore in „*Corpore Historiæ Francicæ veteris & sinceræ*, quæ „Hanoviæ typis Wechel anno 1613 in fol. facta est: imo ex vetustissimo V. Cl. Alexandri „Petavii Codice MS. in quo difertis verbis in„scribitur, *Excarpsum de Chronica Gregorii Episcopi „Thoronaci*, i. e. *Gregorii Episcopi Turonensis.* Nam „*Torones* & *Toroni* pro *Turonibus* apud Fortunatum, Gregorium ipsum, ac alios illius ævi Scri„ptores, passim reperiuntur. Vnde & *Toronaeum* pro *Turonico* vel *Turonensi*, formaverunt „veteres. Cæterum ipsorum Excerptorum „auctor fuit *Fredegarius Scholasticus*, qui Pipini „Regis tempore floruit, ut ex ejusdem subjecto „Chronico colligitur. Liber autem V Fredegarii „*Historiæ* sic exprimitur apud eundem Duches„nium pag. 740 tomi I. Historicorum Franciæ „apud Cramoisy 1636. *Fredegarii Scholastici „Chronicon, quod ille jubente Childebrando Comite „Pipini Regis patruo scripsit, & a fine Historiæ Grego„rii Episcopi Turonensis, usque ad Pipini ipsius consecrationem* (imo & mortem) *produxit, quod hactenus nomine Appendicis ad eundem Gregorium addita, vulgatum est.*

Vt autem notat Vossius Lib. 3. *De Historicis Latinis* parte 4 cap. 3 pag. mihi 753. extabat hoc Opus MS. in Palatina bibliotheca, ex cujus optimo Codice Nazariano auctorem hunc in Corpore veterum *Historiæ Francicæ* scriptorum, Marquardus Freherus, vir de re literaria optime meritus repræsentat. Sed quod is minus observasse videtur, antea etiam prodierat in *Bibliotheca Patrum* editionis Parisiensis anni 1589. Tomo 7. col. seu pag. 797. ut Appendix, ubi libris X. Gregorii Turonensis, at omisso Fredegarii nomine, quod Freherus postea reperit, subjicitur. Orditur a Guntramno Francorum Rege, nempe ubi Gregorius Turonensis desierat, terminatur autem in obitu Caroli Martelli Pipini patris, qui in annum DCCXXXIX incidit. Errat autem turpiter Guillelmus Cavus loco citato, dum Fredegarium ultra annum DCCXXXIX non processisse scribit in *Historia rei literariæ* pag. 486 ad annum 740. Correxisset errorem suum, si vel tantillum legisset vel Duchesnium p. 774. vel Gerardum Joannem Vossium, qui ejus mendum his corrigit. „Sed iis quæ in Nazariano „Codice inveniebantur, subjecit idem Freherus „consecuti temporis historiam usque ad annum „DCCLXVIII. idque ex illis, quæ juxta Bava„ricum Codicem MS. expresserat editio Ingol„stadiensis.„ Orditur autem librum IV *Collectionis Historicæ Chronographicæ* Fredegarius ab origine Regni Francorum usque ad mortem Chilperici apud Calam villam, factam a Falcone jussu Brunechildis. Continuat autem librum V usque ad Pipini Regis coronationem jubente Childebrando Comite, prædicti Regis Pipini patruo, ut habetur apud Duchesnium pag. 773. Imo *Abhinc ab inlustre viro Nibelungo filio ipsius Childebrandi, itemque Comite, succedat auctoritas.* Continuavit itaque Fredegarius idem Pipini Regis vitam usque ad mortem quæ anno DCCLXVIII contigit die 24. Sept. mensis, ut supra diximus. Scripsit ergo Fredegarius *Collectionem Historicam* illam post mortem Pipini, seu anno DCCLXIX vel DCCLXX. Constat enim quod illa excurrit usque ad Pipini Regis mortem, quæ apud S. Dionysium anno 768. die 24. Septembris accidit. Item præterea apud Duchesnium num. seu paragr. CIX p. 771. enumerat ab initio mundi usque ad passionem Domini nostri Jesu Christi annos 5538. & a passione Domini usque in illum annum præsentem Cal. Januarii die Dominica, annos DCCXXXV. quibus si addas annos XXXIV vitæ Christi, hoc modo designabis annum DCCLXIX quo Fredegarius scribebat. Atque hæc supputatio convenit plane cum Chronico, quod usque ad mortem Regis Pipini & annum Christi DCCLXVIII extenditur & excurrit. Alius Codex MS. hujus *Historiæ Francorum* inter MSS. Codices bibliothecæ Marquardi Gudii Codice MS. 316. in 4. p. 570. Catalogi Bibliothecæ hujus celeberrimi viri dum viveret Consiliarii Regis Daniæ in supremo Tribunali Ducatus Slesvicensis, qui 2,706 in 4. Kilonii impressus est. Inscribitur *Tractatus de gestis Francorum* in membrana paginis septendecim in columnas divisis, similis Tractatui in *Corpore Historiæ Francicæ* per Freherum edito, quanquam aliis plerumque verbis, rebus etiam subinde mutatis, maxime sub Dagoberto Seniore, ubi hic MS. Codex plura habet, qui inscribitur apud Freherum *Historia Francorum Epitomata*, dividitur non in Capita 53. nec usque ad annum 741. pertingit, ut in Codice Freheri, sed inedita hactenus folia quatuor supersunt, & hic Codex in anno 769. finem facit, uti de Codice Bavarensi quem Henricus Canisius expressit, dictum est. De hoc Fredegario eximie Petrus Lambecius libro 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæsareæ Vindobonensis cap. 8. pag. 850. ad 855. his verbis.

Extat quoque MS. Codex 252. in bibliotheca Cæsarea Vindobonensi, ubi quatuor priores libri

„bri hujus Hiſtoriæ Miſcellaneæ, cum ſingulari „præfatione libri quarti reperiuntur. Finita „hac præfatione, ſequuntur *Fredegarii Scholaſtici „Excerpta* ex jam memoratis Gregorii Epiſcopi „Turonenſis Hiſtoriarum libris, & prorſus ea„dem ſunt, quæ extant in Marquardi Freheri „*Corpore Hiſtoriæ Francicæ veteris & ſinceræ*, Hano„viæ typis Wechelianis anno 1613 in fol. edi„to. Interim obiter moneo digniſſimum ob„ſervatu eſſe, quod *Excerpta* illa in hoc Codice „MS. appellantur *Liber quartus*, nempe Chronici „anterioris in tres Libros diviſi, quod ut paulo „ante dixi, extat in ejusdem Codicis initio. Mi„nime enim dubito, quin idem Fredegarius æq; „ſit auctor trium illorum librorum, qui a Crea„tione mundi usque ad tempora Imperatoris „Juſtiniani & mortem Belliſarii, ex variis anti„quis Chronographis excerpti ſunt: quam is „ſine controverſia eſt auctor quarti iſtius libri, „qui ab irruptione Hunnorum in Gallias, usque „ad interitum Regis Francorum Childerici, ex „Gregorii Turonenſis Hiſtoria Francica excer„ptus eſt. Scripſit præterea idem Fredegarius „etiam quintum quendam librum, quo Grego„rii Turonenſis Hiſtoriarum Libros continua„vit a morte Childerici Regis, usque ad annum „Chriſti 741 quo Carolus Martellus obiit. „Quamvis autem ille in Codice MS. Ambrania„no 252 non extet, tamen jampridem prodiit ex „aliis Codicibus MSS. in lucem, & tam in Bibl. o„theca Sanctorum Patrum Pariſienſi antiqua & „nova, quam in ſupra citato Freheri *Corpore Ve„teris Hiſtoriæ Francicæ*, impreſſus reperitur. No„tabile porro eſt, quod ipſe Fredegarius in Præ„fatione quinti ſive ultimi hujus libri, mentio„nem quoque *præcedentium quatuor librorum* fa„ciat his verbis.

Itaque beati Hieronymi, Idacii, & cujusdam ſapientis, ſeu & Iſidori, imoque & Gregorii Chronica a mundi origine diligentiſſime percurrens, usque decedente regno Guntrani *his quinq; Chronicis hujus libelli*, nec plurimis prætermiſſis, ſingillatim congruentia ſtylo inſerui, quæ iſti ſolertiſſime absque reprehenſione condiderunt. Cum hæc ita ſe habeant, neceſſarium duxi veritatem diligentius inſequi, & ob id in *prioribus his Chronicis* quaſi quandã futuri Operis miniam, omnium mihi rerum & temporum ponens, & ſingularum Gentium, curioſiſſimo ordine quæ geſſerunt coartavi. Transacto autem Gregorii libri volumine, temporum geſta quæ undique ſcripta potui reperire, & mihi poſtea fuerunt agnita, acta Regum & bella Gentium quæ geſſerunt, legenda ſimul & audienda etiam, & videnda cuncta, quæ certificatus cognovi: hujus Libelli volumine ſcribere non ſilui, ſed curioſiſſime quantum potui, inſerere ſtudui: de eodem incipiens tempore ſcribere, quo Gregorius finem Gloſſæ ceſſavit & tacuit, cum Chilperici vitam finiſſet. Hæc ipſe Fredegarius. Vnde ut ſupra dixi, patet, totum *Fredegarii Chronicon* conſtitiſſe *libris quinque*, quorum *primus, ſecundus & tertius* continuerunt Epitomen Chronologicam Hiſtoriæ Vniverſalis a mundi creatione usque ad Imperium *Juſtiniani I ſive Magni*, collectum maxime ex ſacris Scripturis a quibus incipit, & ex tribus Chronicis S. Hieronymi Idacii Lemicenſis in Gallæcia Epiſcopi, & Iſidori Hiſpalenſis in Hiſpania Archiepiſcopi. *Quartus* incipit ab irruptione Vandalorum in Gallias, tempore Servatii Tungrorum Epiſcopi. *Quintus* continet continuationem Hiſtoriæ Francicæ Gregorii Turonenſis Epiſcopi ſeu *Chronicon*, ab interitu Chilperici Regis, non tantum usque ad obitum Caroli Martelli ſeu ad annum DCCXXXIX, uti Guillelmus Cavus & Petrus Lambecius locis citatis notant: ſed usque ad annum DCCLXVIII, ſeu Pipini Regis mortem, quæ dicto anno die 24 Septembris apud S. Dionyſium prope Pariſios obtigit. Edidit quoque hoc *Chronicon* Theodoricus Ruinart Monachus Benedictinus, cum Operibus S. Gregorii Turonenſis Archiepiſcopi, Lutetiæ a. 1699 in folio apud Franciſcum Muguet, cui adjectiones ſeu Appendices quatuor factas eſſe arbitratur. Sed ejus rationibus expenſis, a ſententia mea ac Duchesnii diſcedere non potui, *Chronicum integrum* eſſe ejusdem Fredegarii authoris, nec ullam apparere additionum ejusmodi ab aliis factarum notam. Agunt de *Fredegario Scholaſtico*, præter Henricum Canisium & Marquardum Freherum, primos Chronici illius editores, Andreas Ducheſnius Tomo I. *Hiſtoricorum Coætaneorum Francia* pag. 722 & 740. Gerardus Joannes Voſſius libro 3 *de Hiſtoricis Latinis* parte 4. *de Hiſtoricis prætermiſſis* cap. 3. pag. 753. & iterum ſub nomine Anonymi pag. 756. ubi eum Caroli Magni ætate extitiſſe, non immerito aſſerit. Item lib. 2. cap. 29. pag. 285. ſub *Anonymi* nomine, qui anno 768. ætatem illius juxta meam ſententiam aſſerit. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei litterariæ* Tomo 1 ſeu Parte 1 ſeculo VIII ad an. 740. pag. 486. Et Tomo 2 ſeu Parte 2 ad eundem annum. Petrus Lambecius Libro 2. Commentariorum Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis cap. 8. pagg. 850. 851. 852. 853. 854. 855. a quo plurima hic mutuati ſumus.

SANCTVS WILLIBALDVS EISTETEN- 760.
SIS EPISCOPVS, Anglo-Saxonum claro & illuſtri genere ortus, patrem habuit Richardum, fratres & ſorores ſanctimonia clariſſimos, quos cultu etiam publico Eccleſia veneratur. Anno circiter 728. in Italiam veniens, Caſſinenſe Monaſterium nuper a Petronace reſtitutum acceſſit, ubi per annos decem commoratus dicitur. Anno 739 in Germaniam accedens Gregorii Papæ III juſſu, inſequenti anno Presbyter ordinatus eſt die 22 Julii. Factus a. 741. Eiſtetenſis a Bonifacio Moguntino Metropolitano Epiſcopus, unde Synodo Germanicæ a. 742 adfuit. Scripſit circa annum 760. *Vitam ſancti Bonifacii Moguntinenſis Archiepiſcopi*, quam Lullo ipſius ſucceſſori & Megingozo Wirtziburgenſi

genſi Epiſcopis nuncupavit. Illa primum edita apud Henricum Caniſium tomo 4. *Antiquæ Lectionis* parte 2. pag. 341 atque cum *Epiſtolis* ipſius ſancti Bonifacii, edita a Nicolao Serario, Moguntiæ anno 1605. in 4. Apud Laurentium Surium, ad diem 5. Junii. Denique apud Mabillonium ſeculo 3. *Sanctorum ordinis Divi Benedicti* parte 2. pag. 1. & ſeqq. Idem anno 777. fratris ſui ſancti Winibaldi corpus, in locum decentiorem tranſtulit: qui tandem naturæ debitum ſolviſſe dicitur, non ante annum 786. Agunt de ſancto Willibaldo Eiſtetenſi Epiſcopo, Antonius Poſſevinus in *Apparatu ſacro*. Diffuſe Henricus Caniſius, loco & tomo citatis *Antiquæ Lectionis*. Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 216. pag. 222. Bibliothecæ ſuæ Eccleſiaſticæ. Gerardus Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 29. pag. 286. Jacobus Gretſerus in Opere ſuo *de Eiſtatenſibus Epiſcopis & hujus Eccleſiæ tutelaribus*. Joannes Mabillon ſeculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* tomo ſeu parte 2. pag. 365. & ſequentibus. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum*, ſeculo VIII ad a. 742 p. 488.

760. ATHANASIVS cognominatus JVNIOR & EXIGVVS ad differentiam atque ab Athanaſio Archiepiſcopo Alexandrino cognomine Magno diſtinctionem, primus omnium, inquit Lambecius, tanquam σύγχρονος vel coætaneus mandavit litteris illud celeberrimum Miraculum quod anno Chriſti 765 ſub Imperatore Conſtantino Copronymo, cum quæſtio de ſacrarum Imaginum cultu quam maxime agitaretur, opportuniſſime contigit Beryti per Chriſti Salvatoris noſtri imaginem, quæ cum a Judæis ad imitationem paſſionis Dominicæ per ludibrium crucifixa eſſet, verum ex latere ſuo emiſit ſanguinem & aquam. Hæc Petrus Lambecius Libro 3. Commentariorum Bibliothecæ Vindobonenſis Cæſareæ in Catalogo Scriptorum pag. 220. Sed idem argumentum latius perſequitur, eodem libro 3. ad Codicem MS. Theologicum Græcum LVIII num. 1. pag. 97. his verbis. „Athanaſii Junioris Hiſtoria Miraculi ætate ſua, „hoc eſt, anno Chriſti 765 ſub Imper. Conſtantino Copronymo, Beryti editi per imaginem „Chriſti, quæ cum a Judæis ad imitationem Paſſionis Dominicæ per ludibrium crucifixa eſſet, „verum ex latere ſuo miſit ſanguinem & a„quam, extat in Codice CXVI num. 2 pag. 67. „Vbi notandum eſt, Hiſtoriam hanc non ſolum „in hoc Codice MS. verum etiam in pluribus „aliis Auguſtiſſimæ Bibliothecæ Cæſareæ Codi„cibus MSS. ut & in variis editionibus impreſſis, „perperam attribui S. Athanaſio Archiepiſcopo „Alexandrino, qui anno Chriſti 373 obiit: cum „tamen Auctor illius ſe anno Chriſti 765 quo il„lud miraculum contigit, vixiſſe expreſſe & ma„nifeſte teſtetur his verbis, ὅπερ γέγονε νῦν, καὶ ὅπερ „γέγονε ἐν ταῖς ἡμέραις ἡμῶν. Hic videlicet eſt „ille Athanaſius Junior, qui tanquam temporum iſtius miraculi æqualis, tantæ auctoritatis „haberi meruit, ut narratio ab illo conſcripta, „non tantum a S. Synodo Nicæna II ſive Oecu„menica VII publice approbata, verum etiam „ejusdem Actioni IV ad perpetuam memoriam „inſerta ſit. Qua de re jam egi olim ſatis prolixe „*libri primi* horum Commentariorum de Augu„ſtiſſima Bibliotheca Cæſarea p. 123 & deinceps „ad pag. 132. Item *libro 3.* eorundem Com„mentariorum pag. 97 & in Catalogo pag 220. „Extant plures MSS. Codices hujus non Miraculi, ſed fabulæ, in Bibliotheca Vindobonenſi nimirum præter allatum, libro IV. Codex CXVI. num. 20. pag. 67. Codex CXLIV. num. 28. p. 101. Codex CLXXXVII. num. 10. pag. 201. & in Catalogo Scriptorum Tomi pag. 226. At quidquid cantet Lambecius, omnes Pontificii emunctæ naris fabulam hanc explodunt, uti antea diffuſe probavimus in Diſſertatione ſingulari *de Scriptis ſancto Athanaſio Archiepiſcopo Alexandrino attributis* Cap. 6. paragrapho ſeu ſectione 23. ubi hoc argumentum de Imagine Chriſti quæ Beryti crucifixa fuit, abunde tractatum eſt, unde etiam confundi ob levitatem Lambecius ex Pontificiis facile poſſit. Sed longe graviori errore Petrus Lambecius aberravit, qui non contentus Athanaſio Juniori adſcripſiſſe hanc de qua egimus fabulam, ipſi quoque eidem adſcripſit *Quæſtiones variæ in Scripturam* quæ habentur impreſſæ ex MSS. Codicum fide, inter Opera *S. Athanaſii Alexandrini Archiepiſcopi*. Illæ enim Græce ſcriptæ ſunt circa annum 1098. vel 1100, trecentis & quinquaginta circiter annis, poſtquam *Athanaſius ille Junior* ſeu *Exiguus* viveret, etiam ex Lambecii calculo. Vnde oſcitantiam hujus merito arguas, qui ſi cum Allatio & Labbeo *quæſtiones* iſtas legiſſet, in ſententiam hanc nunquam veniſſet.

Extant Quæſtiones iſtæ in Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi, non *ſemel & iterum* ut in Diſſertatione *de Operibus ſancto Athanaſio Alexandrino adſcriptis* cap. 4. paragrapho ſeu ſectione 17. diximus, ſed Græce MSS. ſepties usque, id quod indicium eſt Operis & Scriptoris recentium: quos hanc ob cauſam Petrus Lambecius *Athanaſio cuidam Exiguo ſeu Juniori*, ſemper in Commentariis ſuis ad hanc Bibliothecam Vindobonenſem attribuit. Extant igitur *Athanaſii Junioris Quæſtiones ad Antiochum Principem* Tomo III. Bibliothecæ Cæſareæ Vindobonenſis Codice MS. Theologico Græco LVIII num. 1 pag. 97. & in Catalogo Scriptorum hujus Tomi p. 220. Tomo IV. Codice CLXIV. num. 8. pag. 163. Codice CLXV. num. 2. pag. 165 & in Catalogo Scriptorum pag. 226. Tomo V Codice CCX num. 6. pag. 20. Codice CCXXXVIII num. 14. pag. 98. Codice CCLXXXII num. 3 pag. 229. Codice CCXCVII. num. 7. pag. 260. & in Catalogo Scriptorum pag. 314. Attribuuntur autem diſerte *Athanaſio huic Juniori* in MS. Codice Theologico Græco de quo ſupra, CCXXXVIII num. 14. pag. 98. his Lambecii verbis. „Decimo

„mo quarto & quidem a folio 242. pag. 2. usque „ad fol. 246. pag. 1. ex *Athanasii Minoris seu Junioris Quæstionibus & Responsionibus sacris ad Antiochum Quæstiones sex*, quarum *prima* de multiplici differentia peccati fornicationis inscribitur atque incipit hoc modo: Ἀθανασίῳ τῷ φιλῷ ἑρμηνείαν. Ἐρώτησις. Πόσα ἁμαρτήματα καὶ πόσαι ἁμαρτήματα πορνείαι εἰσὶν; Πολλὴ ἡ διάφορα, μείζονι γὰρ ἁμάρτῃ ὑπέκειται &c. „Notabile autem est, illum Athanasium in hoc „Codice MS. Cæsareo, expresse cognominari „τὸν φιλὸν, hoc est *Parvum*, nempe respectu „S. Athanasii Magni Cæsareæ Cappadociæ, dic „*Alexandriæ* Archiepiscopi, cui ut alias jam in„dicavi libro 3 horum Commentariorum p. 220. „& libro 4 pag. 226, eædem *Quæstiones* perperam tribuuntur: ideoque etiam Operum ipsius „Græce & Latine Parisiis A. 1627. editorum „Tomo secundo insertæ sunt. Ibi enim jam „memorata prima Quæstio est 96. pag. 368. „*Secunda* autem est 106 pag. 373. *Tertia* est 18 „pag. 337. *Quarta* est 68 pag. 354. *Quinta* „est 74 pag. 360. *Sexta* denique est 75 pag. 361. Sed uti supra jam diximus, multis errat Lambecius annorum centuriis, dum Quæstiones istas attribuit *Athanasio Juniori* ad annum 765 ut vult scribenti. Vt enim probavimus ex Allatio & Labbeo, in Dissertatione singulari *de Scriptis sancti Athanasii Alexandrini Archiepiscopi* cap. 4. paragraphis seu Sectionibus 17 & 18: tam hæ *Quæstiones ad Antiochum Principem* paragr. 17 quam *Explicationes Parabolarum Veteris & Novi Testamenti cum Quæstionibus viginti*, circa annum 1098. vel 1100. scriptæ sunt, trecentis & quinquaginta circiter annis, post Athanasii Junioris seu Lambeciani ætatem, quem anno 765 assignat. Nullatenus itaque pertinere ad ipsum possunt, ut male arbitratus est Bibliothecarius Cæsareus. Scriptæ sunt temporibus vel post tempora primæ Expeditionis Occidentalium in Orientem sub Godefrido Duce Bullionensi, ad Palestinæ & Syriæ, quam occupabant Saraceni, recuperationem, opusq; fuit Joannis Patriarchæ Antiocheni tunc scribentis & florentis, qui passim in his Opusculis arguit corruptissimos mores Occidentalium & Francorum inter cæteros, quorum libidini & avaritiæ Palæstina serviebat, quam longe Saracenis pejores occupabant, administratione tyrannica. Vide etiam quæ diximus in *Joanne Patriarcha Antiocheno* ad annum 1090, cui Opuscula dicta vere adscripsimus, uti & plura alia, de quibus late illic loquimur.

770. PSEVDOFLORVS SANCTI TRVDONIS MONACHVS. De hoc ita scripseram in *Supplemento* de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 770 pag. 201. *Florus Martyrologus Vsuardo antiquior, quem ad annum 770 refert Labbeus in Brevi Chronologia Scriptorum Ecclesiasticorum, nullus est: sed ad annum 855 referendus, cum unus atque idem sit cum Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono.* At Cavus errorem communem sequi maluit, quam sententiam meam: qui ita in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum*, seculo 8 ad annum 760. pag. 490. „Florus Monachus sancti Trudo„nis, Leodicensis Diœcesis Congregationis Gal„licanæ, claruit circa annum DCCLX. Scripsit „*Gesta & Passiones Sanctorum Martyrum*, seu ut ha„bet Vsuardus præfatione in *Martyrologium*, bre„ve & concisum antea Bedæ Martyrologium „supplevit, auxit, & locupletavit. Testatur „idem & Ado Præfat. ad Martyrologium suum, „*Martyrologium*, inquit, *quod Venerabilis Flori studio,* „*in labore Domini Bedæ accrevevat.* Vide quæ hac„de re notant notissimi *Aliorum Sanctorum* edito„res Prologo ad Mensem Martium tomo II. „Extat *Martyrologium istud* sub Bedæ nomine, „aliorum tamen pariter ac Flori additamentis „locupletatum, inter Bedæ Opera, & alibi sæ„pius. Reliqua quæ Floro Martyrologo ad„scribuntur Opuscula, Floro Lugdunensi deberi„censemus, ubi plura de his subnotabimus.„ Hæc Cavus. Vbi ejus supinitatem & oscitantiam miror, qui tam positive allegat Vsuardi atque Adonis authoritates, ad hunc Pseudo-Florum sancti Trudonis Monachum huic anno 760 alligandum, qui ne γεὺ quidem ea de re loquuntur: imo ut postea ostendam, loquuntur *de Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono*, seculi IX scriptore celebri, quem *Venerabilem & Memorabilem* appellant. Miror autem & Cavi modestiam hic, quod cum sententia mea eum non latuerit, *de isto Pseudo-Floro:* ab injuriis tamen atque criminatione abstinuerit, non modicum sane indicium quod causæ suæ diffideret: alioquin enim egregiam illius occasionem captasset mei arguendi atque irridendi. Jam ut malam fidem Guillelmi Cavi ad errorem hunc stabiliendum ostendamus, ipsissima Vsuardi atque Adonis verba producamus. *Venerabilium Hieronymi & Bedæ Presbyterorum, pia quamvis & succincta, super hoc provocabar descripta: quorum prior brevitati studens &c. Censui & Flori Memorabilis viri, latione jam in eo ipso negotio sequi vestigia, præsertim in secundo ejus libro: ibi enim multa, quæ in priori omiserat, correxit & addidit: & si quid præter quod ab illis accepi, hoc tempore auctum vel mutatum est, sagaci a me indagine id perquisitum, agnosci potest.* Ita Vsuardus in Prætatione *Martyrologii*, ubi de Floro quodam loquitur, sed nequaquam determinate de *Floro Sancti Trudonis Monacho*, qui anno 760 floruerit, ut male citat Cavus. Ad Adonem veniamus, cujus verba sunt: *Primum fuit imperium ac jussio sanctorum virorum, ut supplerentur dies, qui absque nominibus Martyrum in Martyrologio (quod Venerabilis Flori studio in labore Domini Bedæ accreverat) tantum notati erant.* Sic Ado in præfatione sui *Martyrologii*, ubi de *Floro* in genere locutus quidem, sed ne γεὺ *de Floro vel Pseudo-Floro sancti Trudonis Monacho*, qui anno 760 floruerit. [illegible]um a genere ad speciem argumentari liceat, viderit Cavus. Primus qui hujus *Pseudo-Flori sancti Trudonis Monachi*, ad annum 760 florentis inventor, Joannes Trithemius

mius in Opere *de viris illustribus Ord. Divi Benedicti* lib. 2. cap. 44. qui Florum Lugdunensis Ecclesiæ Diaconum, celeberrimum seculi IX scriptorem, absque authoritate ulla, Ordini Divi Benedicti accensuit. Ita Joannes Bollandus ipse Belga in Præfatione generali ad Vitas Sanctorum cap. 4. paragr. 6. pag. 49. qui tamen præjudicio abreptus non est, ut Florum hunc Belgicis Scriptoribus accenseret. Jam norunt omnes, quantæ fidei Trithemius in his rebus, ab his temporibus tantum remotus. Hinc occasionem cœpit Franciscus Swertius, lecto Trithemio, accensendi illum Scriptoribus Belgicis, in *Athenis suis Belgicis*, Antverpiæ anno 1628. in fol. impressis, apud Guillelmum a Tungris. Ditatus ergo Floro Magistro, Lugdunensis Ecclesiæ Diacono, celebri seculi IX scriptore, Ordo Benedictinus authoritate Joannis Trithemii. Ditatum eodem scriptore Belgium, authoritate Franciſci Sweertii. Aliter sensit atque Trithemius, Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 36. pag. mihi 322. his verbis. „Æqualis huic (Rhabano) fuit Florus ille cujus „*Expositionem Missæ* habemus Tomo VI Bibliothecæ SS. Patrum, quemque Sigebertus in Catalogo cap. 94. author est, Epistolas Apostoli „Pauli exposuisse, verbis B. Augustini hinc inde „collectis. De ætate quod dixi, colligo inde, „quia æqualis fuerit Johannis Erigenæ Scoti atque adversus eum scripserit: ut didici ex Matthæo Westmonasterienſi ad annum 883. uti „& monitum a nobis *Historiæ Pelagianæ* lib. VII. „parte IV pag. 741. Memoratur autem a nobis, quia ut ait Franciscus Sweertius in *Athenis „Belgicis*, Martyrologium condidit, qui & addit „eum fuisse Monachum Benedictinum Trudonopoli in Episcopatu Leodicensi.“ Hæc eruditus Vossius. Juxta quem Florus Martyrologus idem est, cum eo qui scripsit *Expositionem Missæ:* idem cum eo qui teste Sigeberto, *Epistolas Apostoli Pauli exposuit, verbis B. Augustini hinc inde collectis:* idem qui *æqualis fuerit Johannis Erigenæ Scoti atque adversus eum scripserit*, cujus ad annum 883 ætatem assignat. Atqui is est Florus Lugdunensis Ecclesiæ Diaconus, Ergo nullus ab ipso alius Florus est. Quod enim hæc omnia Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono conveniant, fatetur ipse Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesia* seculo 8 ad a. 837 p. 526.

Idem censet Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Florus Monachus Benedictinus*, pag. 219 cujus verba sunt. „Florus Monachus Be„nedictinus ad S. Trudonem in Diœcesi Leodi„ensi, teste Trithemio, vulgo *FLORVS MAGI„STER* dictus, scripsit vel potius auxit *Martyrologium*, ut colligo ex Adonis ad Martyrologium „suum præloquio, qui *nomina quadam Martyrum „Venerabilis Flori studio in labore Bedæ accreviſſe* „memorat. Vnde etiam colligitur eum paullo „post tempora Ven. Bedæ vixisse, sub annum 760. „Vsuardus in suo quoque concinnando Martyrologio præfatur se, *Flori memorabilis viri latiora jam in eo ipso sequi vestigia.* Extat fragmen-“ tum apud Agobardum Lugdunensem Episco-“ pum, a Papirio Massono vulgatum. Flori e-“ jusdem *Exegesis, sive Expositio Missæ*, legitur To-“ mo IV Bibliothecæ Veterum Patrum editionis“ Parisiensis & Tomo IX Colonienſis 1618. Me-“ minit autem Flori Magistri Dionysius Petavi-“ us, & Lugdunensem facit Diaconum, qui nomi-“ ne ejusdem Ecclesiæ scripserit contra *Hincmarum Remensem Episcopum* circa an. 853. Vt val-“ de dubitem, an recte Trithemius *Florum Martyrologiographum* scribat Monachum fuisse Tru-“ donopolitanum. Sed & Sigebertus, libro *de Viris illustribus* cap. 92. *Florum quendam* memorat,“ & *S. Pauli Epistolas ex integro exposuisse* auctor est“ idque diversa D. Augustini loca Epistolis Pauli-“ nis adaptando. Sicque ut idem ait Sigeber-“ tus, *Novo & mirabili studio de alieno labore, ma-“ gnum sui operis volumen edidit.* Lectum id fuit“ MS. Leodii ad S. Laurentium.“ Hæc Valerius Andreas, qui argumento excusso, Florum Martyrologum censet unum & eundem cum Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono, qui anno 853. adversus Hincmarum scripserit. Favent huic Opinioni, tum Vsuardus Monachus, tum Ado Viennensis Archiepiscopus, uterque in præfatione *Martyrologii* sui. Nam loquuntur Vsuardus atque Ado de eodem prorsus *Floro*, de quo loquitur Wandelbertus Prumiensis Monachus de eodem argumento agens, in *præfatione* sui *Martyrologii Metrici:* Id enim cuique obvium est, maximo cum ante Vsuardum & Adonem scripsisse suum Martyrologium Wandalbertus credatur. Atqui quod Vsuardus generatim dicunt *Flori memorabilis viri*, Ado Episcopus *Venerabilis Flori studio:* hoc positive & formaliter *de Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono* seculi IX Scriptore clarissimo, intelligit Wandelbertus, ut fatetur ipse Cavus in *Historia Scriptorum Ecclesiasticorum* seculo 9 ad annum 850 pag. 544. Ergo Vsuardus & Ado intelligendi quoque sunt *de Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono* seculi IX Scriptore celeberrimo, non *de Floro S. Trudonis Monacho*, obscuro viro qui circa annum 760 vixerit, quemque Joannis Trithemii cerebrum efformaverit.

Error iste atque occasio fingendi alicujus Flori, qui circa annum 760 vixerit, processit ex eo quod omnes ferme qui de *Vsuardo* locuti sunt, illum circa annum 800 sub Carolo Magno collocaverint. Ita Possevinus, Baronius, Bellarminus, & ipse Vossius lib. 2 *de Historicis Latinis* cap. 31 pag. 295. Cum ergo loqueretur Vsuardus in præfatione ad *Martyrologium* de *Floro quodam*, neque ex suppositione ista, hoc posset intelligi de *Floro Lugdunensis Ecclesiæ Diacono*, qui sub seculi noni medium florebat: inquirendus & suscitandus fuit alius antiquior Florus, qui inter Bedam atque Carolum Magnum quodammodo medius, anno 750 ab aliis, anno 760 a Francisco Sweertio & Gvillelmo Cavo assignatus est. Verum falsum est, Vsuardum floruisse sub

Ca-

Carolo Magno, ſed ſub Carolo Calvo, quem Cavus ipſe anno 876. pag. 562. aſſignat. Potuit ergo Vſuardus allegaſſe *Florum Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconum*, dictum *Magiſtrum*, qui jam ab anno 837. florebat atque Conciliis intererat ob celebritatem nominis & doctrinæ, ut fatetur ipſe Cavus, in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ad annum 837. pag. 526. Idem de Adone Viennenſi Archiepiſcopo & Wandelberto Martyrologis, argumentum fieri poteſt. Plura vide apud Joannem Bolandum quem Cavus allegat, in Præludiis ad Tomum II. menſis Martii.

770. AMBROSIVS AVTPERTVS, natione Gallus, Monachus Ordinis Divi Benedicti, tum poſtea Abbas Sancti Vincentii ad Vulturnum in Benevento, claruit anno DCCLXX. temporibus Caroli Magni atque Deſiderii Longobardorum Regis, ut ex ipſius verbis ad calcem Commentarii in *Apocalypſim*, & aliunde etiam notat Philippus Labbeus. Laudat ſcripta viri eruditiſſimi Ambroſii Autperti, Cœnobii Sancti Vincentii juxta Vulturnum Abbatis, quæ *de primis loci Inſtitutoribus* compoſuit, Paulus Warnefridus lib. 6. *de Geſtis Longobardorum* cap. 40. agens de primordiis hujus Cœnobii. Anonymus etiam ejusdem Cœnobii Chronographus, qui ſeculo IX. floruit, ejusdem *Ambroſii Autperti Vitam* contexens, Opera fideliter recenſet. Scripſit autem *in Apocalypſim Joannis Commentarium*, ſive *Expoſitionem inſignem*, quæ Coloniæ primum anno 1536. edita eſt, tum tomo IX. Bibliothecæ Veterum Patrum ſub *Ambroſii Autperti Galli Presbyteri* nomine, viri facundiſſimi: quem Monachum & Presbyterum Ordini Divi Benedicti, eumque cum Bellarmino & aliis ad annum 890. claruiſſe affirmat Trithemius. *Commentarius hic Ambroſii Autperti in Apocalypſim*, bis Manuſcriptus extat in Bibliotheca S. Germani de pratis Pariſienſis, Codicibus optimæ notæ: itemque Oxonii in Bibliotheca Balliolenſi, Codice 170. Multum autem addit Philippus Labbeus in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* tom. 1. pag. 44. dum huic attribuit Ambroſio *Commentaria in Pſalmos & in Cantica Canticorum*, Coloniæ pariter impreſſa anno 1536. Hæc a me atque ab aliis diligentius inquiſita, nunquam reperta ſunt, nec horum ullum apparuit veſtigium, quod impreſſa illic ſint: unde lapſum memoria Labbeum exiſtimo. *Commentarius Ambroſii Autperti in Cantica Canticorum*, MS. in Bibliotheca Floriacenſi, littera A 7. cujus prooemium incipit: *Librum de Proverbiis Salomon ſcripſit &c.* Hinc textus, *Oſculetur me oſculo oris ſui &c.* usque *aromata*. Commentarius incipit, *Conſtitue ergo Virginem deſponſatam &c.* Ibidem littera A 16. *Ambroſii Autperti ſermo prolixus de beata Virgine, ad finem Manuſcripti Codicis.* Anonymus etiam Chronographus S. Vincentii ad Wulturnum, editus Seculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tom. ſeu parte 2. pag. 259. & ſequentibus, ubi ſectione ſeu num. 7. multas ejus lucubrationes enumerat, in his librum accenſet *de conflictu vitiorum & virtutum*, qui inter Opera ſpuria Sanctorum Auguſtini & Ambroſii legitur. Ambroſio autem Mediolanenſi Archiepiſcopo in pluribus MSS. exemplaribus tribuitur, errore forſitan nominis: nam *Autpertum* etiam *Ambroſium* vocatum eſſe conſtat, quod nomen præfert ejus *Expoſitio in Apocalypſim*. Certe cum in Opuſculo præfato, mentio Regulæ Divi Benedicti fiat, opus ſpectare non poſſe ad *Ambroſium Mediolanenſem* conſtat, optime & merito ad *Ambroſium Autpertum* Abbatem Monaſterii S. Vincentii ad Wulturnum poſiti. Scripſit quoque *Libellum* ſeu *Sermonem de Cupiditate*, quem habes MS. in Bibliotheca Collegii ſancti Benedicti Cantabrigiæ, Cod. 288. cujus initium, *Sanctorum Eccleſiam*. Atque ut inquit Chronographus ſancti Vincentii jam relatus ſectione 7. Scripſit etiam *Vitas beatorum Patrum Paldonis, Tertonis & Vaſonis, cum Hiſtorica ſui Monaſterii plena relatione*, quam ex MSS. Codicibus edidit Joannes Mabillon Seculo 3. *Sanctorum Ord. Divi Benedicti*, tomo ſeu parte 1. pag. 423. & ſeqq. Nonnullas dicitur idem Ambroſius Autpertus ſcripſiſſe Homilias, de quibus erudite differit idem Mabillonius, ſeculo citato, tomo ſeu parte 2. p. 260. ubi de *Ambroſii Autperti* lucubrationibus, nosque poſt ipſum, breviter. Una eſt *in Transfigurationem Domini noſtri Jeſu Chriſti*, quam Bibliotheca S. Germani Pariſienſis in duobus Manuſcriptis codicibus pervetuſtis MS. aſſervat, poſt *Commentarium in Apocalypſim* Ambroſii Autperti. Altera eſt *In annuntiationem beatæ Mariæ Virginis*, quæ incipit: *Adeſt dilectiſſimi Fratres, venerabilis dies omnium Sanctorum Solemnitates præcellens &c.* Habetur inter Sermones Sancti Auguſtini, Sermone 18. *de Sanctis* pag. mihi 371. ad quem ſpectare non poteſt: unde ab ultimis Operum Divi Auguſtini emendatoribus, jure merito in Opera incerta conjecta eſt. Tertia, cujus inſcriptio atque exordium eſt: *Sermo de Lectione ſancti Evangelii, editus a Domno Autperto Presbytero atque Abbate, in purificatione Sanctæ Mariæ. Si ſubtiliter a fidelibus, quæ ſit hujus diei feſtivitas perpendatur &c.* Quam manuſcriptam tantum & non vulgatam cenſet Joannes Mabillon, loco citato pag. 260. Verum invenitur impreſſa ad calcem Operum *S. Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi*, in editione ultima Pariſienſi anni 1665. apud magnam Societatem Bibliopolarum, imo & in editione anni 1642. ut habet Labbeus. Addo hanc eandem *Ambroſii Autperti Homiliam*, quæ legitur ad calcem Operum *D. Ambroſii Mediolanenſis Epiſcopi* ut ſupra jam dixi, integram de verbo ad verbum, legi inſertam Homiliæ *de ejusdem B. Mariæ Virginis Purificatione*, quam Alchuinus coram Carolo Magno habuit, quamq; velut Opus Alchuini indubium refert eruditus Steph. Baluzius T. II. *Miſcellaneorum* p. 382. Hæc enim Homilia Autpertina, ibi ad verbum exprimitur. Cum autem inſigni vitam ſuam exemplo inſtituiſſet Ambroſius Autpertus Abbas, mortuus

tandem anno DCCLXXVIII. die 19. menſis Julii. Antonius Poſſevinus in *Apparatu Sacro* & Aubertus Miræus tam in *Auctario* ad Scriptores Eccleſiaſticos cap. 257. pag. 230. quam in Scholio ad cap. 91. Sigeberti *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Ambo inquam falluntur, in deſignando tempore quo *Autpertus* floruit, collocantes ad annum Domini 890. æramque ipſi annis centum & ultra, recentiorem quam fuerit, aſſignantes Alius plane a noſtro erat *Autpertus* ille Monachus, deinde ab anno 834. Abbas Caſſinenſis, de quo agunt Petrus Diaconus in libro *de viris illuſtribus Monaſterii Caſſinenſis* cap. 13. & Antonius Scipio, in *Elogio Abbatum Caſſinenſium* pag. 53. Hic teſte Petro Diacono compoſuit *Sermonem in laudem S. Matthiæ Apoſtoli, de purificatione ſanctæ Dei genitricis Mariæ, aliorumque Sanctorum Homilias* valde pulchras, quæ aut amplius non extant, velin Bibliotheca Caſſinenſi aſſeruantur. Claruit imperante Lothario, mortuusque eſt anno 838. vel 837. Huic Autperto juniori Caſſinenſi Abbati, non immerito tribuuntur Homiliæ illæ paucæ, de quibus ſupra egimus, cujusque temporibus magis conveniunt, quam ſenioris Ambroſii Autperti cui a Mabillonio tribuuntur. Plura de *Ambroſio Autperto* poſt Sigebertum libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. 91. Philippus Labbeus in Diſſertatione Hiſtorica *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* a Bellarmino recenſitis. Omnium ampliſſime, ubi Vitam ejus ac merita plene depingit, Joannes Mabillon Seculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tomo ſeu parte 2. pag. 256.

DISSERTATIO
DE
ORDINE ROMANO, EJVSQVE VARIIS EDITIONIBVS.

774 IOannes Mabillon edidit in 4. anno 1689. *Muſæi Italici* volumen II. quo complectitur *Antiquos libros Rituales ſanctæ Romanæ Eccleſiæ*, cum *Commentario in Ordinem Romanum* doctiſſimo prævio, quo nihil eruditum magis ſcribi poteſt, ex quo nos quidquid in hac Diſſertatione *De Ordine Romano* differimus, mutuo accipiemus, illis exceptis paucis, quibus ſententiam ab eo totam non ſolum non amplectemur, verum etiam confutabimus.

CAPVT PRIMVM.
DE
PRIMIS ROMANI ORDINIS EDITORIBVS QVID SENTIENDVM.

PRimus *Ordinem Romanum* Coloniæ anno 1561 typis excudi curavit Georgius Caſſander, & poſt annos ſeptem 1568. ibidem una cum aliis antiquis Scriptoribus *de Divinis Officiis*, Melchior Hittorpius in fol. tum recuſi Pariſiis 1610. atque ad Bibliothecam Patrum anni 1610 & 1624. adjecti Scriptores hi tomo X. velut Appendix quædam. Verum ante utrumque Chriſtophorus Marcellus, Archiepiſcopus Corcyrenſis electus, Venetiis in lucem 1516. emiſerat *Rituum Eccleſiaſticorum* ſive *Sacrarum Ceremoniarum S. R. E. libros tres*, in quibus *Ordo Romanus*, & quidem cum pontificio privilegio Leonis X, dato ſub finem anni 1516. Imo potius Auguſtinus Patricius Piccolomineus, qui cum anno 1488. Kalendis Martii, *Ceremoniale Romanum* tribus libris Innocentio VIII. obtuliſſet, illud opus ſibi per plagium intolerandum, valde pauculis immutatis vel vitiatis dictus Archiepiſcopus Corcyrenſis adſcripſit, qua de re graviſſime conqueſtus eſt, ad Leonem X. anno 1517. die XI. Martii Paris de Craſſis, de quibus vide Joannem Mabillonium *Commentario in Ordinem Romanum* cap. 1. pag. 5. 6. & 7. cap. 2. pag. 10. Et ex Diario Paridis de Craſſis in Appendice Ordinis Romani a pag. 587. ad 593. Quod vero hunc librum fuiſſe *Codicem Gelaſianum* Melchior Hittorpius conjecerit, in eo ſane toto erravit cœlo, ut ex ipſo Gelaſii Codice nuper edito prima facie liquide conſtat, quem in lucem emiſit Romæ Joſephus Maria Thomaſius 1680. in 4. Scripſiſſe autem Gelaſium *Orationum & Sacramentorum formulas*, teſtes ſunt nobis luculenti ab editore Thomaſio allati, Anaſtaſius in Vita ejus, Joannes Diaconus in Vita Gregorii Magni lib. 2. cap. 17. Vetuſtus *de officio Miſſæ* liber annorum fere 800. primum a Caſſandro *Liturgicorum* cap. 21. pag. 45. deinde a Joanne Morino Appendice ad lib. *de pœnitentia* pag. 54. citatus, ut Hugonem de ſancto Victore, Rupertum Tuitienſem, aliosque taceam. Collegit utique Gelaſius, ut credere par eſt, *Solemnes precum ac Sacramentorum formulas*, quæ in Eccleſia Romana ſuo adhuc tempore in uſu erant, quas novo digeſtas ordine, pluribusque de ſuo additis, in Codicem unum collegit, quem poſtea mutatis & adjectis a ſe nonnullis Gregorius Magnus in compendium redegit. Codex Gelaſianus tribus conſtat libris, nempe de Anni circulo, de Sanctorum Natalitiis, & de Dominicis diebus, variisque cauſis. Venerandam hujus Codicis antiquitatem manifeſto arguit, quod in Symbolo non habeatur vox *Filioque*, ſeptimo demum ſeculo primum nata, & Romæ recepta nonniſi ſeculo nono. Quod plures Miſſæ deſint ſeptimo & octavo ſeculis uſurpari ſolitæ, denique quod pauciora quam in aliis Sanctorum, eorumque Martyrum

rum ſolummodo natalitia celebrentur. Codex iſte diu paucis notus delituit, donec anno 1562. Floriacenſi bibliotheca direpta ac abſtracta, exemplar nongentorum circiter annorum, quadratis & uncialibus literis ſcriptum, in manus tandem Pauli Petavii Senatoris Pariſienſis incidit, cujus beneficio Joannes Morinus eo uſus eſt, qui omnium Codicum antiquiſſimum fuiſſe teſtatur, quos ipſi viditſe contigit. Redemptus a Petavii filio, in Bibliothecam Chriſtinæ Suecorum Reginæ tranſiit, a qua illum recepit, & in lucem emiſit Joſephus Maria Thomaſius *Romæ* 1680. in 4. Veruntamen pauca quædam præſertim libro 3. reperiri, quæ Gregorii Magni ætatem ſapiant, ut in Præfatione recte notat doctiſſimus editor, ex quo (ut putat) nihil exinde aliud elici poteſt, quam exemplar exiguo poſt Gregorium Magnum tempore, fuiſſe exaratum. Contra alii & merito cenſent, non eſſe hunc *Ordinem Gelaſianum* parum, cum illa etiam contineat, quæ ad Gregorii Magni tempora neceſſario referri debent, indeque hujus Codicis antiquitati plurimum detrahunt.

Jam quale ſit judicium *Ordinis Romani* a Caſſandro atque Hittorpio editi, audiamus Mabillonium Commentario in Ordinem Romanum cap. 2. p. 9. his verbis.

„Quale vero de his judicium, ac de vulgato „Ordine Romano ferendum ſit, nos docet ea„rum rerum peritiſſimus Joſephus Maria Tho„maſius in Scholiis ad Reſponſortalia, *Ordo Ro„manus antiquitus*, inquit, *non eo modo quo apud „nos editus eſt, circumferebatur. Diſcretis namque „libellis continebatur, quibus potiora per annum ex„plicabantur officia. Caterum Ordo ille Romanus „ab Hittorpio editus, farrago potius eſt diverſorum „rituum, ſecundum varias conſuetudines, in ut an„tiquiores germaniaresque ritus in tanta varietate „diſcernere, ſine eorum libellorum ope, pene ſit im„poſſibile.* Fatendum tamen eſt, non inſuper „habendum eſſe illum Hittorpii editionem, nec „omnino deſtitui commendatione antiquitatis. „Hæc enim reperitur, nonnullis etiam additis „aut detractis, tum in Codice Romano biblio„thecæ Vallicellanæ, tum in noſtro Vindoci„nenſi, iis exceptis, quæ ad priorem Hittorpii „partem, id eſt ad Miſſæ Pontificalis & Epiſco„palis ritum pertinent. Atqui Codex Vallicel„lanus Ottonum temporibus ſcriptus fuit, Vin„docinenſis autem ante annos fere ſexcentos, & „quidem Gotfridi Abbatis Vindocinenſis tem„pore, qui fortaſſe hoc exemplar ex Vrbe attu„lerit. Etſi porro multa ex duplici illo Codice „invulgatis emendari poſſent, totum id operis „recudere non viſum eſt nobis operæ pretium, „quibus ſatis fuerit veteres libellos qui de Miſſa, „Baptiſmo & Ordinationibus ſacris agunt, aut „nondum editos, aut ad fidem exemplarium ca„ſtigatos, exhibere. Idem ſcribit in Præfatio„ne ad Lectorem num. 4. his verbis. Ceterum „vulgatum Ordinem Romanum integrum re„cudere, non viſum eſt operæ pretium: tum quia farrago eſt, vetus quidem, ſed tandem« farrago ex diverſis Ordinis Romani libellis« conſarcinata: tum quia multiplicatis iſtius li-« belli editionibus, facile eſt eum conſulere, pro« arbitrio lectorum: tum denique quia alias ni-« mium creviſſet noſtræ Collectionis moles, nec« in unum volumen facile contrahi potuiſſet. «

En quam habuit ſententiam Mabillon de *Ordine Romano*, quem ediderunt Caſſander & Hittorpius, qui nec meliorem habet de *Miſſa Latina*, quam edidit Mathias Illyricus, Commentarii in Ordinem Romanum cap. ultimo pag. 146.

Poſtremo obſervandum eſt, *Miſſam* illam *La-«* *tinam*, quam Mathias Flacius Illyricus olim Ar-« gentinæ vulgavit, non eſſe Romana antiquio-« rem, ut falſo ille opinatus eſt: ſed eſſe ipſum-« met Miſſam Romanam variis orationibus in-« terpolatam quas orations Sacerdos, choro« inter cantandum occupato, recitaret. Atqui« neque orationes illæ primo Romanæ Eccleſiæ« inſtituto conveniunt, imo in his nonnulla pe-« nitus adverſantur. Quale eſt id quod ad Ca-« nonem legitur, *deinde cum ſumma reverentia in-« cipiat* Te igitur &c. *& miniſtri ſtantes in gradi-« bus ſuis cantent ipſos Pſalmos, usque dum* Te igitur« *finiatur.* Contra vero in noſtris libellis anti-« quioribus præſcribitur, ut Pontifice Canonem« recitante ſuminum in choro teneatur ſilenti-« um, & miniſtri perſtent inclinati & ſilentes per« totum Canonem; Subdiaconi usque ad hæc« verba, *nobis quoque peccatoribus.* Adde quod« in illa Miſſa præſcribitur initio verſus *Introibo,«* cum pſalmo *Judica*, qui apud antiquos in uſu« non erant. Quod in eadem Miſſa fit mentio« de *Sequentia*, quam alii *Proſam* vocant: cujus« inſtitutio Notkero Balbulo qui deceſſit anno« DCCCCXII. tribuitur. Denique quod in li-« taniis Miſſæ ſubjectis approbatur ſanctus Adel-« bertus, quem ſeculo X. exeunte, martyrio affe-« ctum fuiſſe conſtat. «

CAPVT SECVNDVM.

AN ORDO ROMANVS AD ALCVINVM SPECTET, SITQVE VNVM ET IDEM OPVS CVM LIBRO *DE DIVINIS OFFICIIS*, QVI IPSI PASSIM ATTRIBVITVR?

GVillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ſeculo VIII. ad annum 730. pag. 485. exiſtimat *Ordinem Romanum de divinis officiis & miniſteriis« per totius anni circulum*, ſcriptum hoc ſeculo,« quem ideo Cl. Vſſerium ſecutus, circa annum« 730. collocat, mihi quidem ut poſtea dicam,« poſt annum 774. collocandum. Certe (inquit« Cavus) nec de auctore, nec de ætate hujus o-« peris ſatis conſtat. Ipſe auctor penitus igno-« ratur, etſi fuiſſe aliquem non infimæ notæ, ex« Romanæ Eccleſiæ clericis, veri non abſimile« eſt. Quod ætatem ſpectat, ſunt qui eo circi-« ter tempore fuiſſe in Galliam miſſum volunt,«

„quo Carolo Magno procurante *Divina officia „cum Romano cantu* in Galliam introducta sunt. „Verum ex ipso opere deprehendi possunt, quæ „auctorem Carolo Magno antiquiorem fuisse „arguunt. Interim improbabile non est, librum „in Galliam transmissum, ab Alcuino auctum „fuisse & interpolatum, quin & non pauca ob„servari possunt, quæ tempora ævum Caroli„num sequentia manifesto sapiunt. Idem ad „annum 780. in Alcuino pag. 497. opinatus est, „hoc opus ad Alcuinum spectare, quam senten„tiam revocat his verbis. *De divinis officiis liber*, „sive *Expositio Ordinis Romani* habetur sub Al„cuini nomine, inter alios Scriptores ejusdem „argumenti sæpius editos, nempe Coloniæ ab „Hittorpio 1568. & Parisiis 1610. pag. 225. In „editione vero Operum Alcuini Duchesniana „Parisiis in fol. 1617. col. 1007. duodecim inte„gris capitulis auctus. Alcuini autem non esse, „& post annum 1000. scriptum esse certo cer„tius constat.

Opinatus est Guillelmus Cavus librum *Ordinis Romani*, qualiter a Melchiore Hittorpio editus est tomo 1. Collectanei Scriptorum *de Divinis Officiis* pag. 1. editionis Colonienſis 1568. & Parisiensis 1610. & 1624. in Tomo X. Bibliothecæ Patrum, esse unum atque idem Opus cum libro *de Divinis Officiis*, qui extat in eodem Hittorpii Collectaneo pag. 225. & inter opera Alcuini col. 1007. Sed aperte hic fallitur, ut cuivis utrumque opus conferenti facile notum est. Ac sane ridiculus fuisset in editione sua Michael Hittorpius, si utrumque opus fuisset unum & idem, cum in Collectaneo citato proferat *Ordinem Romanum* pag. 1. in Collectanei fronte, quem ipse opinatus est fuisse *Codicem* seu *Ordinem Gelasianum*: tum pag. 225. librum *de Divinis Officiis* juxta Ordinem Romanum sub nomine Alcuini. Quid enim opus bis, unum idemque repetere, in eodem Collectaneo?

Opus autem illud *Expositionis Ordinis Romani*, nec *Ordo Romanus* est, nec ut recte admonet Cavus ad Alcuinum spectare potest, cujus nomen in hoc Collectaneo & in Bibliotheca Patrum præfert, quippe post annum 1000. scriptus.

Ita quoque Joannes Mabillon *Commentario in Ordinem Romanum* cap. 12. pag. 83. his verbis. „Id tantum addimus, librum illum *de Divinis Of„ficiis*, qui Alcuini nomen in editis præfert, esse „farraginem ex diversis Amalarii, ipsiusque Al„cuini genuinis consarcinatam centonibus, alio„rumque auctorum Alcuino posteriorum. „Quippe caput XL. nihil aliud est, quam Re„migii Monachi Antissiodorensis libellus *de Ex„positione Missæ*, quem post annum 880. conscri„psit. Et in cap. XVIII. refertur Epistola Hel„perici Monachi ad sanctum Gallum, sub finem „seculi decimi. Ad hæc ut multa alia omittam, „*Pascha* Græcam vocem esse dicit auctor, con„tra expressam Alcuini sententiam lib. VI. in Jo„hannem cap. XXXII. ubi hæc verba: *Pascha „fratres, non sicut quidam existimant, Græcum no„men est, sed Hebraum.* Denique personatus ille „consarcinator *Sacerdotis* vocabulum Græcum „esse ait in cap. XXXVI. quod erratum ab Al„cuini doctrina prorsus alienum est.„ Sed hæc extra scopum. Addimus his Joannis Mabillonii, dictum anonymum cap. XXXII. col. 1076. citare Anastasium, licet non nominatum, *de Gestis Pontificalibus*, seu in *Vitis Pontificum Romanorum*.

Scriptum est in Gestis Pontificalibus, quod „S. Bonifacius Papa, quandam domum Romæ „Pantheon nomine, quæ erat consecrata in ho„nore omnium dæmoniorum, eliminatis omni„bus spurcitiis, sacraverit Ecclesiam in hono„rem S. Dei genitricis, omniumque Sanctorum. „Unde constitutum est, ut plebs universa per„totum orbem in Kalendis Novembribus, sicut „in die Natalis Domini, ad Ecclesiam in honore „omnium Sanctorum ad Missarum solemnia „convenire studeat: ut quidquid fragilitas hu„mana per ignorantiam aut negligentiam in so„lemnitatibus Sanctorum minus plane pera„gisset, in hac sancta observatione solveretur.„ At Anastasius *Vitas Romanorum Pontificum*, ante annum 870. non compleviſſe potuit, unde liquet auctorum hunc sub Alcuini nomine, longe Alcuini ætate esse recentiorem.

CAPVT TERTIVM.

QVEMNAM ORDINEM ROMANVM EDIDERIT JOANNES MABILLON TOMO II. MVSÆI ITALICI, PARISIIS ANNO MDCCLXXXIX. IN 4. MVLTIS TRACTATIBVS EDITI?

Ordinem Romanum duplicem necessario distinguendum esse duximus, illum *Primitivum*, qui extubat ætate Gelasii Papæ vel Gregorii Magni, quique nihil habeat recentioris ætatis, quem sincerum vel Gelasianum vel Gregorianum dicimus, quem nullus hucusque in Lucem produxit, ne ipse quidem Josephus Maria Thomasius Romæ 1680. in 4. ut hujus Dissertationis cap. 1. diximus. Alter autem *Ordo Romanus* dictus extitit seculo VIII. qui rectius diceretur *Ordo Romano-Gallicus*, vel *Ordo Gallico-Romanus*, mixtus ex ritibus Ecclesiæ Romanæ & Gallicæ, post annum 774. utplurimum collectus, quando Carolus Magnus regno Italiæ potitus, ad majorem utriusque Ecclesiæ unionem Ordinem Romanum, ritus, canonesque in Gallicanas Ecclesias renitentibus multis induxit, ut ipse dicit Carolus lib. 1. *de Imaginibus* cap. 6. qui etiam *Capitularium* lib. 5. cap. 119. vult, *unumquisque Presbyter Missam celebret ordine Romano*. Plurima diximus hac de re in Dissertatione cum libros septem *de Sacramentis* Divo Ambrosio Mediolanensi attributos discuteremus, capp. 8. & 10. ad quam lectorem remittimus. Atque hunc Ordinem Romanum ut putamus edidit Joannes Mabillon loco citato, quamvis se primum

mum ac ſincerum tempore Gelaſii vel Gregorii uſitatum ediditſe affirmet. Illum enim duntaxat *Ordinem Romanogallicum* vel *Gallicoromanum* commentatus eſt Amolarius Metenſis Diaconus, tum poſtea Lugdunenſis Chorepiſcopus, de quo dictus Mabillonius Commentario in Ordinem Romanum cap. 2. p. 8.

„Nullum antiquiorem librum habemus de „ritibus Eccleſiæ Romanæ, quam illum qui vul„go *Ordo Romanus* inſcribitur. Ejus antiquita„tem plerique referunt ad ſeculum octavum, „nec eam ſane ſerius differri poſſe conſtat ex „Amalario ſeculi noni auctore, qui *Libellos de* „*Ordine Romano* paſſim laudat, eosque commen„tatus eſt. Verum Ordinem illum ſeculo octa„vo antiquiorem eſſe, atque ad tempora vel Ge„laſii Pontificis vel ſaltem Gregorii Magni, re„vocandum exiſtimo. Certe rubricæ quæ de „hebdomada ſancta in libro Sacramentorum „Gregoriano præſcribantur, totidem verbis oc„currunt, in primo quem hic edituri ſumus Or„dine Romano. Ne porro eum ad Innocentii „primi pontificatum rejiciamus, illud obſtat, „quod in eo nulla fiat mentio de fermento ad „titulos Vrbis mittendo ex præſcripto Inno„centii in Epiſtola ad Decentium, tametſi Eu„chariſtia ipſa *Fermenti* nomine in primo noſtro „Ordine Romano donatur.

„ Non unum ſed plures olim fuiſſe Ordinis „Romani libellos, ex Amalario intelligimus, cu„jus hæc verba in Antiphonarii cap. LII ubi de „Officio hebdomadæ paſchalis. *Notum ſolemni„ter eſt, canere matrem noſtram Romanam Eccleſiam „tres pſalmos ante hymnum Evangelii, & poſt hy„mnum duos per diverſa altaria diverſorum locorum, „ſæpiſſime tamen ad crucem & ad fontes, ut ex Scri„pturis diſcimus, qui continent Per diverſos libellos* „*Ordinem Romanum.* Diverſi erant hi libelli, „non modo pro diverſis argumentis, ut libellus „de Miſſa Pontificali, libellus de Miſſa Epiſcopa„li ſecundum ritum Eccleſiæ Romanæ, libellus „de Baptiſmo, de Ordinibus ſacris &c. Sed et„iam pro uno eodemq; argumento, id quod ex „hoc Amalarii loco manifeſtum eſt, ubi *diverſos* „*libellos* citat Amalarius pro uno eodemque Of„ficio hebdomadæ paſchatis. Hinc eſt, quod „nos veterum ſententiam ſecuti; totidem li„bellos Ordinis Romani diſtinguimus, quot „ejusdem, diverſique de ritibus Romanis argu„menti adducimus ſcriptiones.

„ Tres omnino vetuſtiſſimos de Miſſa Pontifi„cali libellos primo loco exhibemus, quibus alii „duo ſuccedunt de Miſſa Epiſcopali ſecundum „ritum Eccleſiæ Romanæ, poſt quos ſequuntur „libelli de Ordine Baptiſmi, ac de Ordinationi„bus ſacris: quæ omnia ſcripta ſunt ante ſecu„lum nonum aut decimum. Succedunt auctores a ſeculo duodecimo, Benedictus Canoni„cus ſancti Petri ſub Innocentio II. Cencius de „Sabellis Cardinalis ſub Cœleſtino III. Ad hæc „Ceremoniale juſſu Gregorii X. editum, Ordi„narium Jacobi Gajetani Cardinalis, ac demum licer Ceremoniarum Petri Amelii, Epiſcopi Se„nogallienſis. Hæc omnia claudent fragmen„ta varia ex Hiſtoria Johannis Diaconi *de Baſili„ca Lateranenſi*, ex Diariis Romanorum Pontifi„cum, aliaque vetera monumenta. „

Quo autem tempore Amalarius Commentaria ſua in Ordinem Romanum conſcripſerit, nobis aperit idem Mabillon ibidem cap. 12. pag. 81. his vocibus. „ Obſervare juvat, non unam, „ſed plures factas fuiſſe ab Amalario libri *Officia„lis*, in quo hac de re agit, editiones ſeu recogni„tiones. Quippe ſub annum DCCCXX. illud „opus quod quatuor libris conſtat, compoſuit, „illudq; Ludovico Auguſto nuncupavit. Deinde „vero cum poſt annos decem, Romam ab eo„dem Imperatore miſſus fuiſſet, multaque in ri„tibus Eccleſiaſticis coram obſervaſſet: opus „ſuum denuo recognovit, atque in eo nonnulla „correxit & mutavit, altera præfatione operi „ſuo præfixa, quæ hujuſce recognitionis men„tionem in hæc verba facit. *Poſtquam ſcripſi li„bellum qui a parvitate mea vocatur* de Eccleſiaſti„co Officio, *veni Romam, interrogavique miniſtros* „*Eccleſiæ ſancti Petri &c.* Ex ejusmodi interro„gationibus Amalarius multum profecit, ad ſi„mandum caſtigandumque librum *Officialem*, in „quo non parva inde varietas nata eſt, cum in „aliis exemplaribus lectio prior, in aliis poſte„rior ſervaretur. Id patet imprimis ex lib. 1. cap. XV. cujus duplex editio omnino diverſa eſt, de qua dictus Mabillon pag. 81. & ex lib. IV. cap. XXVI. de qua idem pag. 82. & 83.

CAPVT QVARTVM.

FERTVR JVDICIVM DE SINGVLIS LIBELLIS ORDINIS ROMANI, QVAS EDIDIT TOMO II. MVSÆI ITALICI, JOANNES MABILLON.

EDidit Joannes Mabillon libellos vel IX. quibus ſe Ordinem Romanum evulgaſſe putat.

1. Pag. 3. *Ordo Romanus* ſeu *Incipit Ordo Eccleſiaſticus Romanæ Eccleſiæ, qualiter Miſſa Pontificalis celebretur*, cujus ad commendationem hæc præmittit.

Varios fuiſſe Ordinis Romani libellos ſupra „oſtendimus, ex quibus tres, qui quidem ad Miſ„ſam Pontificalem pertinent, mox exhibitur ſu„mus. Primus ex his, qui videtur antiquior, „laudatus paſſim apud Amalarium invenitur, „extatque in veterrimis codicibus, Caſſinenſi, „Sangallenſi, Einſidlenſi, & Colbertino. In lu„cem primo editus eſt Coloniæ anno MDLXI. „per Georgium Caſſandrum, ibidemque poſt „annos ſeptem recuſus per Melchiorem Hie„torpium: apud quos amplius quam media pars „hujus libelli deeſt, hanc vero ex Codice inſi„gnis Abbatiæ ſancti Galli ſupplevimus, nempe „a num. 21. pag. 15. Colbertinum exemplar „num. 416. quod ſubſequentem Ordinem con„tinet, ad annos octingentos accedit, atque „hunc

„hunc titulum præfert, *Ordo Eccleſiaſtici Miniſterii Romana Eccleſiæ*, vel *Qualiter Miſſa celebretur*. „At in Codice ſancti Galli, *Ordo Eccleſiaſticus Romana Eccleſiæ, qualiter Miſſa Pontificalis celebretur*. quam titulum prætulimus. Poſt hunc „libellum qui in num. LI. pag. 30. deſinit, ſequi„tur in Colbertino codice quædam Appendix *de Officiis in noctibus a Cœna Domini usque in Paſcha*, eademque reperitur in Vaticano num. „487. quæ proinde *Appendix* viſa eſt primi hujus „Ordinis Romani, integro libro ſubjicienda. „Hanc ſub nomine *libelli Romani* laudat Amala„rius in lib. I. cap. XX. *Additur etiam in libello memonto alter cereus ubi dicitur*, Et tunc illuminan„tur duo cerei, tenentibus duobus notariis, *& reliqua* quæ totidem verbis leguntur in Appon„dice dicta num. 9. pag. 35. ejusque antiquita„tem oſtendunt.

„ Ejusdem libelli antiquitatem probant imprimis *Euchariſtiæ* initio Miſſæ ad altare ante Pon„tificem delatio: *Fermenti* vocabulum pro Eu„chariſtia, ut in Epiſtola Innocentii primi ad De„centium, num. 22. uſurpatum: deinde rubri„cæ (ut vocant) quæ in libro Sacramentorum „Gregorii Magni pro hebdomada ſancta legun„tur, totidem verbis hic expreſſæ, prout cuivis „conferenti patebit. Vnde Gregorium ex hoc „libello in ſuum Sacramentarium, prædictas „tranſtuliſſe rubricas, veri ſimillimum eſt. Cer„te Amalarii auctoritas evincit, primum hunc „Ordinem, cujus verba is paſſim laudat expo„nitque, ſeculo nono eſſe ſuperiorem: & totus „Miſſæ Pontificiæ ritus, in eodem Ordine præ„ſcriptus, Gregorii ætatem meo judicio ſapit. „Non diſſimulem tamen Onuſrio antiquiorem „videri Ordinem ſecundo loco hic editum, pro„pterea quod in proceſſione ad altare, pax a Pon„tifice ibi legatur data duobus presbyteris: „cum in primo noſtro ac tertio Ordine, detur „uni ex Epiſcopis hebdomadariis, ſcilicet Eccle„ſiæ Lateranenſis, quos ante annos octingentos „presbyteris ſucceſſiſſe vir doctus exiſtimat. „Verum utrumque ſimul eodem tempore ſtare „poteſt, ut ſcilicet pax detur uni ex illis Epiſco„pis, ſi in eccleſia Lateranenſi, cujus hebdoma„darii erant, Miſſa celebretur: ſecus duobus „Presbyteris, ſi in alia Eccleſia. Porro quo tem„pore inſtituti fuerint illi hebdomadarii apud „Lateranum Epiſcopi, non liquet: etſi ex actis „Stephani IV. conſtat, eos ante hunc Pontifi„cem fuiſſe inſtitutos, ut in Commentario præ„vio diximus.

Hæc Mabillonius ad hujus *Ordinis Romani* primi commendationem antiquitatis. Verum omnem hanc jactatam a Mabillonio antiquitatem deſtruit, quod num. 24. p. 17. refertur de ritu inſtituto per Hadrianum Papam *ut flectuntur pro Carolo Rege*, nempe pro Carolo Magno: & num. 28. pag 19. ut dicatur *Oratio pro Rege Francorum*. Hinc enim evidenter patet hunc *Ordinem Romanum* non eſſe antiquum illum tempore Gelaſii vel Gregorii uſitatum, ſed eſſe ſeculi duntaxat octavi deſinentis, ſeu *Ordinem Gallo-romanum*, vel *Romano-gall.* concinnatum ab a. 774 quo Carolus Magnus regno Italico Galliæ adjuncto, Ordinem Romanum, ritusque in Gallias induxit. Hinc aperte quoque patet, non Gregorium Magnum, ſed contra Ordinem Romanum hunc accepiſſe ex Sacramentario Gregorii Magni, *rubricas pro hebdomada ſancta*, de quibus ſupra citatus Mabillon. Nec enim dubitandum, quin compactores illi *Ordinis Romano-gallici*, vel *Gallico-romani*, ſeculo illo octavo, multa deſumpſerint, ex Ordine Romano genuino & antiquo, ætate Gelaſii vel Gregorii Magni uſitato, qui alias libris ſuis titulum *Ordinis Romani* dare non auſi fuiſſent. Nec juvat Mabillonium auctoritas Amalarii, qui circa annum 820. Ordinem Romanum commentatus dicitur. Sat enim temporis interceſſit ab anno 774. ad annum 820. vel 830. ut Amalarius, *Ordinem Romanum* vocaret, non antiquum illum, ætate Gelaſii vel Gregorii uſitatum, ſed *Romano-gallicum* ſeu *Gallico-romanum*, ex utriusque ritibus conflatum, uti ex ejus Ecloga conſtat.

2. Pag. 42. inſcriptus *Ordo Romanus de Miſſa Pontificali* in quem ita præludit dictus Mabillonius. „Qui hic ſequitur Ordo Romanus, pri„mo loco editus eſt a Caſſandro & Hittorpio. „Onufridus Panvinius exiſtimat eum eſſe Ordi„nem Gelaſianum, qui a Gregorio Magno fuerit „emendatus. Attamen Ordo præmiſſus plura „continere videtur antiquioris ritus, quale eſt „illud: quod *Sancta*, id eſt Euchariſtia, initio „Miſſæ Pontificalis, nempe in proceſſione ad al„tare, ex Secretario ſeu Sacriſtia deferantur: „quod eadem in calicem mittantur, præter par„ticulam ex hoſtia recens conſecrata. At in ſe„quenti Ordine, Pontifex ad altare perveniens „*adonat Sancta*, quæ proinde in altari jam exſti„tiſſe neceſſe eſt, non in Secretario, ut in alio „Ordine Romano: nec mentio fit, niſi de una „particula in calicem mittenda. Verum nihi„lominus hic Ordo antiquiſſimus eſt, utpote „quem per partes Amalarius explicavit, *Epiſtolæ* „in ipſum Ordinem edita, quam V. C. Stephanus „Baluzius ex veterrimo Codice ſancti Galli vul„gavit in Appendice Capitularium, quam eam„dem viſum eſt hic exhibere inter probationes „librorum Ritualium pag. 549. Hunc ipſum „Ordinem Romanum præ oculis habebat Mi„crologus in cap. 9. ubi tria ex Ordine Romano „obſervat, quæ in hoc ſolo leguntur: nempe ſi„gnum crucis in fronte & in pectore ad Evange„lii lectionem: baculorum item depoſitio, & „ſtatio Diaconi legentis verſus meridiem, non „verſus ſeptentrionem. In editis inſcribitur, „*Ordo proceſſionis ad Eccleſiam ſive ad Miſſam*, apte„videtur titulus ſequens.„

Quidquid præcinat Mabillon ad Ordinis hujus antiquitatem, non eſt *Ordo Romanus* antiquus, qui ætate Gelaſii vel Gregorii Magni, in Eccleſia Romana in uſu erat: Sed *Ordo Romano-gallicus* vel *Gallico-romanus*, ætate Caroli Magni com-

compoſitus, quem male *Romanum* antiquum Amalarius per partes commentatus eſt ut *Ordinem Romanum.* Hanc ob cauſam Florus Lugdunenſis Eccleſiæ Diaconus, Amalarium apud Patres in Concilio apud Theodonisvillam congregato anno 825. acriter accuſavit, quod Libellum Romani Ordinis *tanta auctoritatis haberet, ut eum pane ad verbum niteretur exponere:* tametſi hunc libellum *Romano Archidiacono cujus traditionibus gloriabatur, ignotum fuiſſe fateretur.* Ita Mabillonius Commentario in Ordinem Romanum cap. 1. pag. 4. & 5. Non ergo Ordo iſte *Romanus antiquus*, qui alias *Romano Archidiacono ignotus* non fuiſſet. Addo Ordinem hunc, continere ritus Ordini Romano antiquo non convenientes, ut in Miſſa recitationem *Symboli Conſtantinopolitani* num. 9. pag. 46. Recitationem *orationis Dominicæ* intra Canonem, num. 11. pag. 48. *Item Benedictiones* intra Canonem factas, quas pag. 49. omiſit dictus Mabillonius, ut ſibi adverſas, contentus adjeciſſe notam, littera b. Sed hæc omnia adverſari Ordini Romano antiquo oſtendimus, cap. ſequenti. Ordo ergo iſte ſecundus, non eſt Romanus antiquus, unde Mabillonius, pag. 49. „Poſt hæc „additur in editis, *Poſt ſolutas ut in his partibus mos „eſt Pontificales benedictiones, cum dixerit &c.* „Quod additamentum eſſe non dubito Gallica„ni vel Germanici Scriptoris, cum apud Roma„nos non eſſent in uſu benedictiones ejusmodi, „ut ſuperius notavimus, nec quicquam de illis „in Ecloga legatur.

3. *Ordo Romanus* ſeu *Qualiter celebrandum ſit Officium Miſſæ* pag. 53. cujus ætatem ac tempus quo ſcriptus ſit, in Admonitione prævia, teſtatur ſe non poſſe dicere citatus Mabillon.

4. *Ordo Romanus* pag. 61. fragmentum breve eſt libri alicujus ritualis, quod mentionem facit orationis Dominicæ intra Canonem recitatæ, contra Ordinem Romanum antiquum.

5. *Ordo Romanus* ſeu *de Miſſa Epiſcopali primus* pag. 64. quem multæ antiquitatis eſſe vult citatus Mabillon, ubi in Codice vetuſtiſſimo ſancti Galli, ſubſequitur libellum *de gradibus Romanæ Eccleſiæ*, quem inferius num. IX. pag. 89. ſubjicit. Symbolum CP. ut in ſecundo Ordine Romano, aſſignatur recitandum poſt Evangelium num. 7. & 8. pag. 66. & 67. quod eſt contra Ordinem Romanum antiquum, juxta ſententiam Bernonis Augienſis Abbatis, exiſtimantis hoc non fuiſſe uſitatum in Miſſa apud Romanos, ante Henrici ſancti Imperatoris imperium.

6. *Ordo Romanus* ſeu *de Miſſa Epiſcopali ſecundus* pag. 70. quem conſtat non eſſe illum Ordinem Romanum antiquum, cum num. 7. & 9. contineat recitationem Symboli Conſtantinopolitani, pag. 73. Item num. 11. pag. 75. recitationem orationis Dominicæ, & Benedictionem intra Canonem, quæ Ordini Romano antiquo adverſantur.

7. *Ordo Romanus de Baptiſmo* pag. 77. quem ſuppeditavit Joanni Mabillon Joſephus Maria Thomaſius, & quem cum pervetuſto Colbertino codice 416. contulit, qui etiam in vulgato Ordine Romano idem libellus cum multis interpolationibus habetur a pag. 61. Ejus antiquitatem vel lectio ipſa probat, ubi multa occurrunt conſimilia in Sacramentario Gelaſiano a pag. 47. Thomaſianæ editionis.

8. *Ordo Romanus, de ordinationibus ſacris Romanæ Eccleſiæ*, pag. 85.

9. Ordo Romanus, de gradibus Romanæ Eccleſiæ pag. 89. ex MS. Codice Sancti Galli. Enimvero his verbis pag. 33. *Domnus Leo Papa, quem Sanctus Petrus elegit in ſua ſede multis annis ſedens*, intelligimus librum illum ſcriptum eſſe vel compoſitum ſub Leone III. qui anno 795. die 27. Decembris ſedere cœpit in Eccleſia Romana, mortuus anno 816. die XI. Junii.

10. *Ordo Romanus, de tribus diebus ante Paſcha* pag. 97. quem in Admonitione prævia, Johannes Mabillon ſeculo undecimo antiquiorem non arbitratur.

CAPVT QVINTVM.

QVIBVS NOTIS ORDO ROMANVS ANTIQVVS AGNOSCATVR, ET AN ILLÆ LIBELLIS A JOHANNE MABILLONIO PRODVCTIS CONVENIANT?

TRes notas nobis in Commentario ad Ordinem Romanum ſuppeditavit citatus Mabillon, ex quibus ipſum demonſtrative incaſſi laboris ac fruſtranei arguamus, dum Ordinem Romanum antiquum in libris ſuis edidiſſe arbitratur. In antiquo enim Ordine Romano, qualis erat tempore Gelaſii ac Gregorii Magni, nulla Symboli recitatio in Miſſa Romana ante Canonem, nullæ benedictiones ad populum inter Canonem, nulla recitatio Orationis Dominicæ niſi poſt Canonem: quæ tres notæ cum Ordinibus Romanis a Mabillonio productis non conveniant, hinc evidenter ſequitur illum non edidiſſe Ordinem Romanum antiquum ætate Gelaſii vel Gregorii Magni uſitatum, in libellis ſuis ritualibus: ſed Ordines varios Romano-gallicos vel Gallicoromanos, ætate Caroli Magni compoſitos, ex utriusque Eccleſiæ ritibus, poſtquam anno circiter 774. vel 780. Carolus Ordinem, ritusque Romanos induxit in Galliam, ad Italos, Pontificemque Romanum ſibi magis hac arte politica devinciendum.

Quoad *primam* ex his notis, ita citatus Mabillon, Commentario in Ordinem Romanum cap. 6. pag. 41. “ Gregorius Magnus initio“ Sacramentarii ſui ita Miſſæ ordinem explicat“ paucis. *Inprimis ad Introitum antiphona, qualis“ fuerit ſtatutis temporibus, ſive diebus feſtis, ſeu cotidianis. Deinde* KYRIE ELEISON. *Item dici.“ tur* GLORIA IN EXCELSIS DEO, *ſi Epiſco.“ pus fuerit, tantummodo die Dominico, ſive diebus“ feſtis; a Presbyteris autem minime dicitur, niſi ſolum“

in

„in Paſcha. *Quando vero Litania agitur, neque* „GLORIA IN EXCELSIS DEO, *neque* AL„LELVJA *canitur. Poſtmodum dicitur oratio.* „*Deinde ſequitur Apoſtolus. Item Gradale, ſeu* „ALLELVJA. *Poſtmodum legitur Evangelium,* „*deinde Offertorium: & dicitur Oratio ſuper oblata.* „Sic fere perpetuo vocatur hæc Oratio in anti„quis libris, quæ in editis & ab Amalario *Secreta* „dicitur. *Qua completa dicit Sacerdos excelſa vo„ce,* PER OMNIA SECVLA SECVLORVM „&c. confer Micrologi caput XXIII. ubi brevis „Miſſæ deſcriptio affertur.

„ Idem pag. 42. & 43. Poſt Evangelium Gre„gorius in rubrica ſuperiori, nullam facit men„tionem de Symbolo, nec de concione. Et „quidem plerique exiſtimant, Symbolum in Ro„mana Eccleſia non fuiſſe recitatum ante Hen„rici primi Imperatoris tempus: atque ad id „probandum, afferunt Bernonis Abbatis Au„gienſis auctoritatem, qui re vera cap. 2. id di„ſerte affirmat, additque, Romanos hujus rei „cauſam ab Imperatore interrogatos reſpon„diſſe *videlicet quod Romana Eccleſia non fuiſſet ali„quando ulla hæreſeos fece infecta.* Sed tamen „Imperatorem a Benedicto Papa id impretraſſe, „ut Symbolum in poſterum *ad publicam Miſſam* „*decantaretur*, quod anno MXIV. contigit. Ni„hil etiam ejusmodi legitur in Sacramentario „Gelaſiano apud Thomaſium evulgato, unde „ſuſpendenda tantisper ſententia eſt de Sym„boli recitatione, Gelaſii pontificatu: maxime „cum Patres Concilii III. Toletani in Canone 2 „uſum recitandi in ſacris Symboli, inducant *ſe„cundum formam Orientalium Eccleſiarum, dicturi* „*ſecundum Romana*, ſi hic ritus apud Romanos „tum uſitatus fuiſſet eo tempore, id eſt æra Hi„ſpanica DCXXVII. •

„ Objicit idem Mabillonius pag. 42. Verum „longe ante tempus a Bernone dictum, Symbo„lum in Miſſa Pontificali decantari mos erat, ut „fidem facit libellus ſecundus de Ordine Roma„no pag. 46. Et ne quis interpolationem hoc „in loco cauſetur, Amalarius in Ecloga ſuper „hoc libello, eundem locum commentatur. „Quin etiam in libellis V. & VI. pag. 67. & 73. „de Miſſa Epiſcopali ſecundum Romanos, qua„lis in uſu erat ante ſeculum nonum, Symbo„lum poſt Evangelium aſſignatur. Certe Wa„lafridus Strabo in cap. XXII. ait uſum decan„tandi Symboli CP, ex ea urbe *ad Romanos* cre„di perveniſſe: apud Gallos autem ac Germa„nos *idem Symbolum latius & crebrius* in Miſſarum „Officiis cœpiſſe recitari: quod præter alios at„teſtatur Æneas Pariſienſis Epiſcopus in lib. ad„verſus Græcos cap. 1. ubi *Fidem Catholicam* vo„cat, *quam die Dominica decantat ad Miſſam uni„verſalis Galliarum Eccleſia.* Denique Concius „affirmat ita ſcriptum eſſe ad Cœnam Domini „*in libro Gelaſii*, Non dicant Symbolum: quod „argumento eſt, aliis diebus dici potuiſſe Gela„ſio primo pontifice, de quo hunc locum intel„ligendum exiſtimamus. Itaque per illud in„tervallum, quod a ſeculo nono ad undecimum „effluxit, Symboli recitationem in Miſſa inter„miſſam a Romanis fuiſſe dicendum eſt: quod „etiam de Oratione Dominica contigiſſe veri„ſimillimum, ſiquidem eam in Miſſa poſt Cano„nem Gregorius Magnus recitari præcepit ex „lib. VII. epiſtola LXIV. Ind. II. „

Verum hæc omnia a Mabillonio producta, ſententiam noſtram non deſtruunt, ſed confirmant magis, libellos nempe ab ipſo productos, non continere Ordinem Romanum antiquum, qualis erat ætate Gelaſii vel Gregorii; ſed Romanogallicum, qualis erat ſub finem ſeculi octavi, vel ſeculo nono, temporibus Æneæ Pariſienſis, Walafridi Strabonis, & Amalarii Lugdunenſis Chorepiſcopi.

Quoad ſecundam notam, in Antiquo Ordine Romano nulla inter Canonem ſolemnis benedictio ab Epiſcopo dabatur populis, unde concludimus, Ordinem Romanum ſecundum, non eſſe Romanum antiquum, ſed Romanogallicum, ſeculo 8. vel 9. compoſitum. Audiamus Mabillonium Commentario in Ordinem Romanum cap. 7. pag. 52. „In Gallicanis & Hi„ſpanicis Eccleſiis antequam diceretur, *Pax Do„mini ſit ſemper vobiſcum*, benedictionem populo „circumſtanti ab Epiſcopo ſacra celebrante im„pendi antiquus mos eſt, ut patet tum ex anti„quiſſimis Ordinis Gallicani libris, tum ex Con„cilii IV. Toletani Canone XVIII. Hæc bene„dictio triplici oratione populo impertiebatur, „quales orationes non ſemel typis editæ ſunt. „Verum has benedictiones non invenio rece„ptas in Miſſa Pontificali, imo eas Zacharias Pa„pa graviter improbare videtur, de his enim in„terpretor hæc ejus verba Epiſtolæ ad Bonifa„cium. *Pro benedictionibus autem quas faciunt Gal„li, ut noſti frater, multis vitiis variantur. Nam „non ex Apoſtolica traditione hoc faciunt, ſed per va„nam gloriam adhibentes ſibi damnationem Regu„lam itaque catholicæ traditionis, quam a ſancta Ro„mana Eccleſia, cui Deo authore deſervio, accepiſti, „omnibus predica.* De ejusmodi benedictionibus quædam verba intruſa ſunt in ſecundum „Ordinem Romanum pag. 49. *Poſt ſolutas, ut in„his partibus mos eſt, pontificales benedictiones, cum„dixerit*, PAX DOMINI SIT SEMPER VO„BISCVM, *mittit in calicem de ſancta oblata.* Sed „hæc verba *ut in his partibus mos eſt*, dicta eſſe „conſideratione loci, ubi deſcriptus eſt iſte Or„do Romanus, ſatis intelligitur. Non ergo in„ferendum erat *Benedictionale* novæ Gregorii „operum editioni, quod a ritu Romanorum, atq; „adeo ipſius Gregorii mente alienum eſt: tam„etſi in codice Sacramentario Gregoriano bibli„othecæ Cæſareæ ſubjectum reperiatur, utpote „deſcriptum ad alterius Eccleſiæ uſum, quam „Romanæ. „

Quoad tertiam notam, nempe Ordini Romano antiquo, Canoni ſubjectam fuiſſe Orationem Dominicam, teſtem habemus eundem Gregorium Magnum, ut fatetur idem Mabillonius

in

in Commentario ad Ordinem Romanum cap. 7. pag. 50. his verbis. " Canoni ſubjungitur „Oratio Dominica, de qua quidam e Sicilia „Græci vel Latini conquerebantur, quod eam „Græcorum exemplo *mox poſt Canonem*, Roma„ni Pontifices dici ſtatuiſſent. Reſpondet Gre„gorius, *Orationem Dominicam mox poſt Precem*, „id eſt Canonem, *dicimus, quia mos Apoſtolorum* „*fuit, ut ad ipſam ſolummodo orationem oblationis* „*hoſtiam conſecrarent.* Gregorius autem hu„juſce inſtitutionis auctorem ſe, his verbis ſub„ſequentibus innuit: *Et valde mihi inconveniens* „*viſum eſt, ut Precem quam Scholaſticus compoſue*„*rat, ſuper oblationem diceremus: & in ipſam tradi*„*tionem quam Salvator noſter compoſuit, ſuper ejus* „*corpus & ſanguinem faceremus.* Addit tandem „modum eſſe diverſum a Græcis in Eccleſia Ro„mana, quod *Dominica oratio apud Græcos ab omni* „*populo dicitur, apud nos vero a ſolo Sacerdote.* Porro in nullo ex ritualibus libris a Mabillonio productis, hæc Oratio poſt Canonem dicitur, unde concludimus illos non eſſe Ordinem Romanum antiquum, ætate Gelaſii vel Gregorii Magni uſitatum. Imo libelli omnes *Orationem Dominicam* intra Canonem concludunt, nempe *primus* num. 18. pag. 13. num. 35. pag. 23. num. 49. pag. 29. Vox enim illa, *Et ab omni perturbatione ſecuri* ſupponit Orationem Dominicam recitatam. Idem *ſecundus* num. 12. pag. 48. & *tertius* num. 16. pag. 59.

Non nego tamen, quin in iſtis Ordinibus Romanogallicis, vel Gallicoromanis, inveniantur nonnulla ab Ordine Romano antiquo mutuata, qui exrabat ætate Gelaſii vel Gregorii Magni, Romanorum Epiſcoporum. Qualis eſt ritus ille, quo *Presbyteri ſimul cum Pontifice Sacra celebraverint.* Id quod habet Amalarius lib. 1. *Officialis* cap. 12. *Mos eſt Romanæ Eccleſiæ, ut in confectione immolationis Chriſti, adſint Presbyteri, & ſimul cum Pontifice, verbis & manu conficiant.* Ex quo intelligitur, hunc morem eſſe antiquum. Jacobus a Vitriaco ejus rei teſtis eſt in Hiſtoriæ Occidentalis cap. XXXVIII. *Conſueverunt*, inquit, *presbyteri Cardinales ſummo Pontifici in Sacramento altaris aſſiſtere; & cum eo pariter celebrare*, imo & communicare. Vtrumque enim Innocentius tertius docet in lib. IV *de Myſteriis Miſſæ* cap. XXV ubi ait conſuevisſe Presbyteros Cardinales, Romanum *circumſtare Pontificem, & cum eo pariter celebrare: cumque conſummatum eſt ſacrificium, de manu ejus communionem accipere.* Hæc Mabillonius Commentario in Ordinem Romanum cap. 8. pag. 53. At veſtigia hujuſce ritus in Appendice Ordinis Romani primi, num. 48. pag. 29. *In diebus feſtis, id eſt Paſchæ, Pentecoſtes, ſancti Petri, Nativitatis Domini, per has quatuor Solemnitates, habent colligendas*, id eſt recipiendas oblatas, *Presbyteri Cardinales, unusquisque tenens corporalem in manu ſua: & venit Archidiaconus, & porrigit unicuique eorum oblatas tres. Et accedente Pontifice ad altare, dextra lævaque circumdant altare, & ſimul cum illo Canonem dicunt, tenentes oblatas in manibus non ſuper altare, ut vox Pontificis valentius audiatur: & ſimul conſecrant corpus & ſanguinem Domini, ſed tantum Pontifex facit ſuper altare crucem dextra lævaque.* Sunt & alia in his Ritualibus libris ex Ordine Romano antiquo deſumpta, quæ tamen non impediunt, quominus hi libri ſpectent ad Ordinem Romanum ætate Caroli Magni uſitatum, quem nos vel *Romanogallicum* vel *Gallicoromanum* appellamus, utpote ex utriusq; gentis Romanæ & Gallicæ ritibus commixtum. Atque hæc de Ordine Romano contra Johannis Mabillon præjudicia dicta ſufficiant.

GODESCALCVS DIACONVS LEODIENSIS & CANONICVS, mandante Agilfrido Leodienſi Epiſcopo ſub annum Chriſti DCCLXX primus ſcripſit *Vitam Sancti Lamberti Epiſcopi Leodienſis & Martyris.* Reinerus ad Sanctum Laurentium Monachus Benedictinus, *Vitæ S. Lamberti* a ſe conſcriptæ cap. ultimo, hujus Godeſcalci Vitæ his verbis meminit: *Vitam S. Lamberti primus, juſſu Agilfridi Epiſcopi ſcripſit Godeſcalcus Diaconus, ipſius Congregationis Clericus, qui fuit tempore Pipini & Caroli Magni: & geſta quidem hujus veraciter proſequutus, de cauſa Martyrii parum libero ore locutus eſt. Quod hac de cauſa feciſſe creditur, ne ſui temporis Regibus, culpam Majorum ſuorum exprobrare videretur &c.* Hanc poſt Godeſcalcum reſumpſit *Stephanus Leodienſis Epiſcopus*, ſub annum 903. Poſt hunc *Nicolaus Leodienſis Canonicus*, ſub annum 1126. tandemque *Reynerus Sancti Laurentii Monachus*, ſub annum 1130. idem egerunt. Quorum omnium Scripta ordine evulgavit Joannes Chapeaville anno 1612. in 4. tomo 1. ex tribus quos edidit *Rerum Epiſcopatus Leodienſis.* De Godeſcalco iſto, Joannes Chapeavillius, loco citato. Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 62. pag. 488. ubi turpiſſime errat, dum eum accenſet Scriptoribus Seculi XIII poſt Gerardum S. Quintini in Inſula Monachum, anno 1270. clarum. Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. 220. pag. 223. Valerius Andreas in *Bibliotheca Belgica*, verbo *Godeſcalcus* pag. 296. editionis 1643. quæ Lovanii in 4. contigit. Joannes Mabillon Seculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti* tomo ſeu parte 1. pag. 66. ubi eandem *Sancti Lamberti Vitam* refert. 707.

ARIBO FRISINGENSIS EPISCOPVS anno 761. creatus, annis tribus & viginti ſanctum iſtud munus atque onus ſuſtinuit. Scripſit circa annum 770. *Vitam ſancti Corbiniani primi Friſingenſis Epiſcopi*, ipſe ordine quartus, quam poſt alios refert D. Joannes Mabillon Seculo 3. *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tom. 1. pag. 500. Pariſiis in fol. 1672. apud Ludovicum Billaine. Obiit autem anno 784. Diſtinctus ab eo fuit *Aribo Moguntinenſis Archiepiſcopus*, qui interpretatus eſt *quindecim Pſalmos graduum*, ut 770.

Digitized by Google

vocant, annoque 1031 obiit. De *Aribone Frisingensi* agunt Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 298. pag. 235. & in Scholio ad caput 140. Sigeberti p. 152. Gerardus Joannes Vossius Lib. 2. *de Historicis Latinis* c. 29 p. 285. Joannes Mabillon, loco allato: ut alios taceam, qui *de Episcopis Frisingensibus* scripserunt.

DISSERTATIO

QVA

TRACTATVS *DE IIS QVI INITIANTVR MYSTERIIS* ET LIBRI SEX *DE SACRAMENTIS*, QVI HVCVSQVE INTER OPERA DIVI AMBROSII MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPI, VELVT GENVINA EIVS OPVSCVLA COMPVTATI SVNT : EPISCOPO GALLIARVM SANCTO AMBROSIO CATVRCENSI, SECVLI OCTAVI DESINENTIS SCRIPTORI VINDICANTVR.

PROLOGVS.

NOnnullos olim eruditos hoc seculo viros audivi, qui Libros *de iis qui initiantur Mysteriis* ac *de Sacramentis*, hucusque inter Opera D. Ambrosii Mediolanensis Archiepiscopi recensitos, atque ipsius legitimos a Bellarmino creditos, spectasse ad Ernaldum Bonævallis Carnotensis Abbatem censerent, ac in opinione sua satis firmiter hærerent. Hinc consilium de legitimo illorum auctore Dissertationem scribendi cœpi. Hæc autem quoad Ernaldum, quam longe a vero absit, nemo non viderit, qui libros hosce expresse citatos a clarissimo seculi IX scriptore Ratramno, in libro *de corpore & sanguine Domini* legerit: quique eosdem in multis excerptos etiam cum Ambrosii Episcopi appellatione, a Paschasio Ratberto Corbejæ Galliarum Abbate, ejusdem seculi anteriore scriptore simul, ac suppare Ratramni, tum in celebri illo libro *de corpore & sanguine Domini* capp. 1 & 15, tumque Commentario in Matthæum, ad illud, *Cœnantibus autem eis, accepit JESVS panem, benedixit ac fregit, dedítque discipulis & ait: accipite & comedite, hoc est corpus meum* &c. ubi & Ambrosium diserte exprimit. Dubium itaque nullum, quin trecentis saltem annis ac amplius, Tractatus hi seu Libri seu Sermones Ernaldum Carnotensem præcesserint; cui non attenderunt, qui eos ipsi adscripserunt. Ratio cur isti Pseudo-Ambrosii tractatus, ab his viris contra omnem verisimilitudinem ipsi Arnaldo dati sint: quod nimirum uterque Scriptor, singularem quandam de ritu *lotionis pedum* opinionem habuerit. Cum igitur eadem erga veterem hanc Ecclesiæ primitivæ ceremoniam Ernaldus & Pseudo-Ambrosius devotione arderent: ob hanc rationem Opuscula ista a Criticis istis Ernaldo adscripta fuerunt. Sed parum solide. Quanquam enim conveniret scriptor uterque *Per lotionem pedum*, seu veterem hunc ritum, peccata deleri abstergique maculas animæ: dissidebant tamen quantum ad peccati speciem, quæ lotione ista deleretur. Vnde nequaquam vel Tractatus *de iis qui initiantur Mysteriis*, vel *libri sex de Sacramentis*, ad allatum Arnaldum pertinere, eam etiam ob rem potuerunt. Nam Carnotensis Abbas post Ambrosium & Cæsarium Arelatensem Archiepiscopum in homiliis passim suis, per hanc pedum lotionem, peccata actualia deleri: hic Anonymus originalia seu hæreditaria intellexit, actualibus per baptismum deletis. Opponebantur igitur hi ambo auctores. Ernaldus opinabatur originale peccatum baptismo deleri, actualia autem per lotionem pedum in Neophytis. At Ambrosius ex adverso seu Anonymus, actualia per baptismum deleri, originale per lotionem pedum in Neophytis, sentiebat. Vtrumque audiamus. Ernaldum in Opere *de Cardinalibus Christi Operibus* ad Hadrianum IV Papam cap. 7. de ablutione pedum, ubi ita loquitur. „Docetur ergo Petrus, quæ„ sit Baptismi & aliorum Sacramentorum stabi„litas, & quantum ad expiationem proficiat hu„milis pietas & pia humilitas: & quomodo o„mni tempore prosequenda & repetenda sit ab„lutio pedum, per quam recte cognitam & intel„lectam, adhærentes animæ sordes quotidiana„ satisfactione lavantur. Quod autem Origi„nale per baptismum deleretur, ex capite *de ba„ptismo* ejusdem Operis, liquet. Anonymum„ audiamus, contraria omnino his sentientem,„ libro *de iis qui initiantur Mysteriis* cap. 61, juxta e„ditionem nostram sermone, 1. *de Sacramentis* n.„ 11. *Mundus erat Petrus, sed plantam lavare debe„bat: habebat enim primi hominis de successione pec„catum, quando eum supplantavit serpens, ac persuasi„ errorem. Ideo planta pedu ablauitur, ut hæreditaria peccata tollantur, nostra enim propria per bapti„smum relaxantur.* Et Sermone 4 qui liber 3. *de Sacramentis* est, num. 2. eandem doctrinam„ reperit his verbis. *Vide omnem justitiam, vide humilitatem, vide sanctificationem: nisi lavero, inquit, tibi pedes, non habebis partem mecum* &c. tum„ postea, *Sunt tamen qui dicant & excusare te„nentur, quia hoc non in Mysterio faciendum est,„ non in baptismate, non in regeneratione: Sed quasi„ hospiti pedes lavandi sunt: aliud est humilitatis,„ aliud sanctificationis. Denique audi, quia Mysterium est & sanctificatio: Nisi lavero te, non habe-*

bis

„bis partem mecum. Denique ibidem poſtea. „Qui lavit, non neceſſe habet iterum lavare, niſi ut so„los pedes lavet. Quare hoc? quia in baptiſmate „omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa, ſed quia „Adam ſupplantatus à diabolo eſt; & venenum ei ef„fuſum eſt ſupra pedes: ideo lavas pedes, ut in ea„parte in qua inſidiatus eſt ſerpens, majus ſubſidium „ſanctificationis accedat, quo poſtea te ſupplantare „non poſſit. Lavas ergo pedes, ut laves venena ſer„pentis.„ Opinabatur igitur actualia omnia per baptiſmum deleri, originale autem per lotionem pedum. Hæc ille Anonymus, quam ob cauſam nota hæreſeos à Maldonato inuſtus eſt.

CAPVT PRIMVM.

AN VNVS IDEMQVE AVCTOR SIT, TRACTATVS *DE IIS QVI INITIANTVR MYSTERIIS*, ET LIBRORVM SEX *DE SACRAMENTIS?*

QVoad quæſtionem, utrum Liber *de iis qui initiantur Myſteriis* ſit pars quædam vel ſpectet tanquam primus ad ſequentes *Libros ſex de Sacramentis*, ſufficere poſſet ad id evidenter probandum ac demonſtrandum, doctrina ſingularis quam habet Scriptor *de iis qui initiantur Myſteriis & librorum ſex de Sacramentis*, quoad lotionem pedum in Neophytis, quæ ab hoc Scriptore aſſeritur, delere peccatum Originale in Baptizatis, tam in Tractatu de iis qui initiantur Myſteriis cap. 6 ac juxta nos Sermone I. n. 11 *de Sacramentis*, quam Sermone 4. num. 2. ut in hujus Diſſertationis Prologo attulimus. Negant tamen Benedictini Monachi Operum Ambroſianorum editores, in editione ultima Pariſiis anni 1688. Tomo 2. in Admonitione ad Tractatum *de Initiandis*, prævia col. 319. Vnde eam ob cauſam ibidem, hoc primum Opuſculum, quantum eis licuit, Divo Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo aſſerunt: qui tamen poſtea col. 341 *ſex libros de Sacramentis*, Ambroſii eſſe negant, contra Bellarminum Lib. 2. *de Sacramento Euchariſtiæ*, cap. 14. quem paſſim Theologi alii ſequuntur. Non ſunt igitur juxta Benedictinos Operum S. Ambroſii editores, hæc Opuſcula *de iis qui initiantur Myſteriis & de Sacramentis*, unius atque ejusdem auctoris: multo minus, unum atque idem opus. Haud quaquam primi in hanc ſententiam ingreſſi ſunt, imo auctore non nominato, ipſam ab Albertino mutuati ſunt Libro 2. *de Sacramento Euchariſtiæ* in *Pſeudo-Ambroſio* cap. I. pag. 508. ubi caput citatum ita vir doctiſſimus concludit.

„Judicent ergo lectores, an ſit ſtultum ambi„gere de authore horum librorum, quod temere admodum Bellarminus pronuntiat, an non „contra injurium ſit, illi tribuere velle? Ex ad„verſariis ipſis Arnoldus eos citans de frequenti „communione parte 1. cap. 13. *Si tamen Ambroſii „ſint*, inquit. Ego cenſeo illos eſſe authoris ſe„ptimi ſeculi, ex Tractatu Ambroſii *de iis qui myſteriis initiantur*, explicato conſarcinatos, & pro„pter ſimilitudinem Ambroſio attributos, cum„rapſodi nomen ignoraretur. Non enim veriſi„mile videtur, Ambroſii eſſe putatos, ex eo quod„notat Auguſtinus Ambroſii *de Sacramentis* ſcri„pſiſſe. Id enim quidem ait Auguſtinus Retract.„lib. 2. c. 4, ſed ita ſe explicat, ut dubitationem o„mnem amoveat, dum inquit, *de Sacramentis ſive„Prophetia ſcripſit, hoc opus ſic incipit, ſunt præcepta„quædam.*„ Contra iſtos igitur contendo, Opuſculum *de iis qui initiantur Myſteriis*, eſſe partem quandam ſeu ſpectare tanquam primum, ad ſequentes libros ex *de Sacramentis*, qui ex MSS. ſeptem eſſe debent. Hoc probatur

Primo auctoritate omnium MSS. Codicum, qui librum illum *de Myſteriis*, ſimul inſcriptum *de Sacramentis* habent, atque tanquam hujus ſeptenarii numeri primum, ſimulque compactum: quod argumento eſt, eſſe hunc ejusdem authoris librum, ac primum ex libris *de Sacramentis*, qui ſeptem in MSS. Codicibus omnibus exiſtunt, ſi pauciſſimos ab initio mutilos excipias. Vnde enim hoc reſcire certius poſſimus, quam ex MSS. Codicibus ſexentorum & amplius annorum? qui decretorii hac in parte teſtes eſſe debent: quorum centum & ultra Codices in diverſis Galliæ noſtræ bibliothecis vidimus. Sed & huic argumento urgentibus utcunque oculis teſtibus, aſſentiuntur editores Ambroſianorum operum Benedictini Monachi in *Admonitione* ad libros *de Sacramentis* prævia col. 348. ſub finem his verbis. „Quamvis a vero quoque„non nimium abludat, eos a quibus iidem Ser„mones ſunt exarati, illo ſpectaſſe, ut per Octa„vam ſuum cuilibet diei attribuerent: Domini„ca Reſurrectionis, quod propter ſolemnitatem„impeditior eſſet, tantum omiſſa. Sed nec ali„unde ortum videtur, ut in Manuſcriptis ali„quot (dicere debebant plerisque vel omnibus)„Liber *de Myſteriis* inſcribatur primus *de Sacra„mentis*: qui vero primus eſt *de Sacramentis* in„ſecundum ordinem dejiciatur, & ſic deinceps.„ Conveniunt igitur bona fide Benedictini, hos libros in MSS. & quidem notæ optimæ, eſſe ſeptem neque ſex tantum: quia *iidem ſermones ſunt exarati, ut per Octavam ſuum cuilibet diei adtribuerent, Dominica Reſurrectionis, quod propter ſolemnitatem impeditior eſſet, tantum excepta*. Conſtat ergo ex MSS. Codicum fide, ac Adverſariorum conſenſu, ſermonem (ſic enim inſcribendus eſt, ut & libri ipſi *de Sacramentis*) vel librum illum *de Myſteriis*, eſſe partem quandam ſeu primum ex libris *de Sacramentis*, qui ſeptem eſſe debeant. Vnde parum cohæret, quod ipſi antea ſcribunt, his verbis. „Hac porro liquet, ſex illos libros„totidem conciones fuiſſe, quarum unam ſin„gulis diebus habebat Auctor. Quippe idem„ſe vel pridie verba feciſſe, vel poſtridie factu„rum, ſubinde ait. Orſus autem Feria poſt„Dominicam reſurrectione tertia, eo modo ad„usque Octavam ejusdem feſti proſecutus eſt.„ Quandoquidem ſub finem ſermonis quarti„

„(juxta nos quinti,) eos qui ſupererant, *craſtina die Sabbato & Dominica* (in Albis videlicet) habiturum ſe pollicetur. Recte illi quidem. At reſcire optarem, cur Author iſte, qui per omnem ſeptimanam concionari juxta eosdem ſupra aggreſſus fuerat, *Excepta Dominica Reſurrectionis, quod propter ſolemnitatem impeditior eſſet:* ut ſtatim aſſerunt Benedictini: a feria tantum tertia orſus ſit, ſexque tantum conciones ſeu libellos egerit? Nec enim Feria ſecunda eſt impeditior tertia, ut ipſi norunt. Ego æquius longe, cum Benedictinis iisdem hac in parte vacillantibus, a feria ſecunda orſum fuiſſe, *Dominica dumxat Reſurrectionis excepta, quod propter ſolemnitatem impeditior eſſet*, opinor: atque ita ſeptem conciones ſeu libellos eſſe conſcriptos, quorum primus *de iis qui initiantur Myſteriis* inſcriptus, ad recenter baptizatos ſeu Neophytos per Octavam Paſchatis ad fontes baptiſmales habitus, cum cæteris ad eosdem fontes baptiſmales pariter pronuntiatis, convenit & cohæret: idemque argumentum cum ſex ſequentibus ob eandem ſolemnitatem tractat. Cum autem in MSS. aliquando primus deeſſet, ad hunc ſeptenarium numerum ſupplendum: hoc fieri potuit, quod factum Benedictini ſcribunt, in MS. Codice Alnetenſi Ordinis Ciſtercienſis, his verbis. „*Hinc etiam fieri potuit, ut ſermo quidam in Appendice Auguſtinianorum editionis „novæ num. 247 quem Ivonis Carnotenſis nomine „typis editum, etiam ipſum eſſe, unus ex bibliotheca noſtra codicibus teſtatum facit: in Alnetino tamen ſub „titulo libri ſeptimi de Sacramentis, poſt hoſce noſtros „collocaretur.*“ Ita quidem, ſed ex hoc Codice MS. mutilo, quem & recentem & mendoſum fuiſſe ex ipſis conſtat: haud quaquam ingredi in hanc ſententiam hi editores Ambroſianorum Operum debuerunt, ſed attendere ad operis inſtitutum, & ad MSS. Codices antiquiores, integros & plurimos, qui librum *de initiandis*, primum ex ſeptem *de Sacramentis*, univerſim conſtituunt.

2. Ita habebantur iſti libri temporibus Paſchaſii Ratberti atque Ratramni, doctiſſimorum Corbejenſis Abbatiæ virorum, ſcriptis ſeculo nono illuſtrium, ut liber ille *de iis qui initiantur Myſteriis*, partem quandam totius Operis faceret, atque primus eſſet Librorum iſtorum *de Sacramentis*, qui ſeptem tunc erant. Hoc agnoſci utcunque poteſt, ex lectione libri quem *de corpore & ſanguine Domini* circa annum 830. Paſchaſius conſcripſit. Quanquam enim expreſſe Paſchaſius non alleget librum, unde ſententiæ ſuæ patrocinium ex ſancto Ambroſio ſumpſit, ſed in genere tantum nominet Ambroſium in *Prologo* libri allegati atque Commentario ſuo in Evangelium Matthæi, ad illud capitis 26. *Cœnantibus autem illis* &c: verba tamen quæ ex Ambroſio allegat *de corpore & ſanguini Domini* capp. 1 & 15 & citato Commentarii loco, hæc nempe cap. 1 *non alia plane caro, quam qua nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulcro mirabiliter: hæc inquam ipſa eſt, & ideo Chriſti eſt caro, quæ pro mundi vita adhuc hodie offertur.* Et alibi cap. 15. *Neque aliam carnem* &c. Tum citato Commentario in Matthæum, *Ideo verum eſt quod Ambroſius ait ſanctiſſimis, quia ipſa eademque caro eſt & ſanguis quem accipiunt & communicant, quæ nata eſt de Maria Virgine, & quæ pro nobis pependit in cruce.* Quæ eadem habentur in libro *de iis qui initiantur* cap. 8 ac juxta editionem noſtram Sermone I. *de Sacramentis* num. 18. *Vera utique caro Chriſti, qua crucifixa eſt, qua ſepulta eſt, vere ergo carnis illius ſacramentum eſt.* Atque illa confutans nominatim Ratramnus, Paſchaſii in argumento Euchariſtiæ adverſarius, diſerte *librum de Sacramentis primum* Ambroſii citat. Ergo Paſchaſii temporibus *liber de iis qui initiantur Myſteriis*, erat *de Sacramentis* primus. Clarius res iſta patet ex lectione libri Ratramni *de corpore & ſanguine Domini*, ubi ex primo juxta ſupputationem noſtram *de Sacramentis* libro, varia profert loca: quæ in eo qua ratione hactenus editus eſt, nullo modo reperiuntur: ſed capitibus 8 & 9 libri *de iis qui initiantur Myſteriis*. Quamvis duo ex libro quinto adducat, quæ in eo ipſo libro unde laudantur, inveniuntur. Erat ergo ſeculo Eccleſiæ nono, Ratramni atque Paſchaſii temporibus, liber iſte qui poſtea ſeparatim impreſſus eſt: erat, inquam, temporibus iſtis anterioribus, pars quædam imo & liber primus *de Sacramentis*, qui tunc temporis juxta Manuſcriptorum adhuc veterum rationem, ad Septenarium iſto computato numerum aſſurgebant: *quod eodem agant de argumento*, inquit Natalis Alexander. Nec huic rationi ſatisfaciunt, tum Natalis Alexander *Seculo Eccleſiæ quarto* parte I cap. 6. Art. 25. pag. 610. *memoria lapſum eſſe Bertramum*, aſſerens, tum Benedictini Ambroſianorum Operum editores in Cenſura prævia libris *de Sacramentis* col. 345 addentes, *At vero quid ſi imperfectus codex illi impoſuit? Quid fallibilis memoria? Et ſane hic error eo facilior, quod uterque tractatus conjungi ſolet in Manuſcriptis. Clamant poſtremo ipſa ſtyli diverſitate, auctorum quoque diverſitatem prodi, demonſtrarique.* Sed hæc verba nihil probant, ego contra contendo, nec Benedictinis ipſis præſentibus ſilui, factam ſæpius a me collationem, atque utriusque Operis unum ipſiſſimum mihi, eundemque viſum auctorem. Neque Codices MSS. falli, neque Ratramnum illos ſecutum, memoria lapſum fuiſſe, niſi dum librum quintum pro ſexto, non ſatis attendens vel ſupputans, allegavit.

3. Non tantum non differunt ſtylo, utrumque *de iis qui initiantur Myſteriis* atque *de Sacramentis* Opuſculum, uti volunt diſerteque affirmant Editores Ambroſianorum Operum Benedictini Monachi: quin e contra maximam cuique legenti habeant uniformitatem, tum argumenti, ut vult Natalis Alexander loco citato, tum dictionum, figurarum, ſententiarum ſingularium, ac methodi, ita ut eundem prorſus authorem ſpirent. In hanc mecum veniunt ſen-

ten-

tentiam contra Monachos Benedictinos, omnes qui ante illos incubuerunt evulgandis Divi Ambrosii Operibus, ut Desiderius Erasmus in editione Basileensi anni MDXXVII atque multis sequentibus. Felix Cardinalis de Montalto seu Sixtus Papa V, qui alteram eorundem editionem Romæ ex typis Vaticanis anno 1580 procuravit, quam ubique Christiani orbis sequendam proposuit, bullaque injunxit. Omnes etiam qui utrumque Opus *de iis qui Mysteriis initiantur* & *de Sacramentis*, tanquam genuina D. Ambrosio asseruerunt, ut Bellarminus Libro 2. *de Eucharistia Sacramento* cap. 14. Jacobus Cardinalis Perronius *de Eucharistia contra Plessæum*, lib. 2. auctorit. 14. Natalis Alexander loco citato, Bellarminum hac in parte secuti, ita loquentem: *Libros autem de Sacramentis ejusdem authoris esse, cujus est liber de Mysteriis initiandis, res ipse per se clamat: tanta est styli & sententiarum similitudo.* Omnes qui utrumque opus sancto Ambrosio abnegarunt, ut Joachimus Vadianus in Epistola sua anni 1535 ante citata, Joannes Dallæus emunctæ naris homo, in Opere suo *de Confirmatione*, cum aliis multis. Imo Edmundus Albertinus, quem in hac sua opinione singulari secuti sunt Benedictini Monachi, quoad rationem hanc a Benedictinis dissentit. Nam Benedictini illi, ob styli diversitatem potissimum, in censura Libris *de Sacramentis* pag. 345. prævia, opinati sunt Tractatum *de Mysteriis initiandis* ad Ambrosium, non Libros sex *de Sacramentis* pertinere: *clamant postremo ipsa styli diversitate, authorum quoque diversitatem prodi, demonstrarique.* At præcursor illorum opinionis Albertinus, utrosque tractatus stylo similes putat: qui Libros *de Sacramentis* ideo duntaxat Ambrosio abjudicat, quod ex tractatu *de iis qui initiantur Mysteriis* explicato, consarcinatos arbitretur. Ita ille verbis sequentibus in Opere *de Sacramento Eucharistiæ* lib. 2. in Pseudo-Ambrosio cap. 1. pag. 509. sub capitis finem. *Ego censeo illos esse Authoris septimi seculi ex Tractatu Ambrosii* de his qui initiantur, *explicato consarcinatos: & propter similitudinem Ambrosio attributos, cum ipsius nomen ignoraretur.* Itaque juxta Albertinum *propter similitudinem* cum tractatu *de his qui initiantur*, Ambrosio attributi sunt. Ovum profecto similius ovo non est, quam Tractatus *de iis qui initiantur* & sex libri *de Sacramentis*. Legant qui judicio callent, tum primum quidem *sex libros de Sacramentis*, quos ubi lectione iterata attentaque menti impresserint, redeant ad librum *de Mysteriis*, fallarque eximie, nisi cordati omnes unum eundemque omnium parentem agnoscant. Affectat enim simplex iste auctor, in hoc libro *de Mysteriis*, ratione viro gravi indigna, ut lector aures semper arrectas habeat, quem nec respirare modicum aut quiescere patitur, etiamsi trivialia tantum vel nugas proponat: id quod & in libris *de Sacramentis*, cum eadem affectatione puerili, ubique prosequitur.

4. Opuscula *de Mysteriis* ac *de Sacramentis*, unum eundemque clamant scriptorem, ex uniformitate doctrinæ cujusdá propriæ ac singularis, quoad pedum in Neophytis ablutionem post baptismum. *Quod in his libris peccata propria, id est actualia per baptismum relaxari dicat: hereditaria vero, id est originalia per lotionem pedum, certo hæreticum est: cum Theologia & Ecclesia doctrina non conveniat*, teste Maldonato Jesuita. Uterque autem Tractatus *de iis qui initiantur* & libri *de Sacramentis*, singularem hanc ejusdem Authoris anonymi doctrinam complectuntur. Audiamus Scriptorem libro *de Mysteriis* c. 6, juxta editionem nostram Sermone 1. num. 11. *Ideo planta pedis ejus abluitur, ut hereditaria peccata tollantur: nostra enim propria, per baptismum relaxantur.* At conformiter ad hanc Tractatus *de Mysteriis* doctrinam, libro 3 cap. 1. vel juxta editionem nostram Serm. 4. num. 2. *Vide omnem justitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide sanctificationem: nisi lavero, inquit, tibi pedes, non habebis partem mecum.* Tum latius postea: *Qui lavit non necesse habet iterum lavare, nisi ut solos pedes lavet. Quare hoc? Quia in baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa, sed quia Adam supplantatus a diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes: ideo lavas pedes, ut in ea parte in qua insidiatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, quo postea te supplantare non possit. Lavas ergo pedes, ut laves venena serpentis.* Denique & antea Romanam Ecclesiam damnavit, quod hanc in Neophytis pedum lotionem, tanquam humilitatis exemplum, non sanctificationis sacramentum admitteret. *Sunt tamen qui dicant, & excusare conentur, quia hoc non in Mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione: sed quasi hospiti pedes lavandi sunt. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia Mysterium est & sanctificatio: nisi lavero te, non habebis partem mecum.*

5. Denique quemadmodum sex libri *de Sacramentis*, seu sex ultimi ex septem sermones, sese mutuo appellant atque reclamant: tertius secundum, quartus tertium, quintus quartum, sextus quintum ac sextum septimus, necessaria inter se connexione: ita quoque tractatum *de iis qui initiantur Mysteriis*, appellat Liber *de Sacramentis* primus, seu juxta editionem nostram, Sermonem primum secundus. Ita hoc modo, eo quo a nobis ordine septenario procedunt, hi septem seu Sermones seu Tractatus, nullam confusionem, nullam interturbationem patiuntur. Reclamari primum a secundo videamus, nam de aliis dubium nullum est. Hæc verba sunt Sermonis secundi *de Sacramentis*. Num. 5. *Et ecce quasi columba, Spiritus Sanctus descendit. Non columba descendit, sed quasi columba. Memento quid dixerim, Christus carnem suscepit, non sicut carnem: sed carnis istius veritatem, vere carnem. Christus suscepit. Spiritus autem Sanctus in specie columbæ, non in veritate columbæ, sed in specie columbæ descendit de cælo.* Vbi ait Pseudo-Ambrosius se superius seu antea dixisse atque distinxisse, inter

Digitized by Goog

ter apparitionem Christi in carne, & Spiritus Sancti in specie columbæ : quod adventus Christi fuerit in vera carne, seu veritate carnis humanæ : descensus autem Spiritus Sancti, in specie seu apparentia tantum externa, & non in vera columba fuerit. *Memento quid dixerim &c.* At nuspiam in his sermonibus meminit diserte illius, neque loquitur, expresse autem in libro *de iis qui mysteriis initiantur* cap. 4, juxta editionem nostram Sermone 1 num. 9 his verbis. *Quia vidi Spiritum Sanctum descendentem de cælo, quasi columbam, & manentem super eum. Et hic quare Spiritus sicut columba descendit, nisi ut tu videres, nisi ut tu cognosceres, columbam etiam illam quam Noë justus emisit ex arca, istius columbæ speciem fuisse, ut typum agnosceres Sacramenti? Et fortasse dicas, cum illa vera columba fuerit quæ emissa est, hic quasi columba descenderit : quomodo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem : cum secundum Græcos, in specie columbæ Spiritum descendisse, scriptum sit? &c. Speciem autem pro veritate accipiendam legimus, & de Christo*, & specie inventus ut homo : *& de Patre Deo*, neque speciem ejus vidistis. Ergo Tractatus hic *de iis qui initiantur* ex mente ipsius authoris spectat, ad opus *de Sacramentis*, cum illum alleget ac reclamet Libro 1 *de Sacramentis* seu Serm. 2. num. 5. Neque ullum video, qui hujus argumenti vim infringere possit : dissimulatum autem ab editoribus Ambrosianorum Operum Benedictinis opinor, ut distinctionem suam Tractatus *de Mysteriis* a libris sex *de Sacramentis* plausibiliorem facerent.

CAPVT SECVNDVM.

COLLATIO TRACTATVS *DE IIS QVI MYSTERIIS INITIANTVR*, CVM LIBRIS SEX *DE SACRAMENTIS*.

IAm ut omne os adversa nobis loquentium obstruatur, collationem utriusqne Operis, Tractatus nimirum *de Mysteriis* & librorum sex *de Sacramentis* proponamus, servatis veteris editionis nominibus, sed juxta editionis nostræ numeros.

De Mysteriis num. 1. id quod habet de apertione aurium cum ratione etiam absurda, repetit lib. 1. *de Sacramentis* n. 1.

De Mysteriis num. 2. *Ingressus es regenerationis lavacrum, repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus. Vidisti illic Levitam, vidisti Sacerdotem, vidisti summum Sacerdotem. Tenetur vox tua non in tumulo defunctorum, sed in libro viventium.* Lib. 1. de Sacramentis num. 2. *Venisti ad fontem, ingressus es, considera quos videris, quid locutus sis considera, attende diligenter. Occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter &c. Quando te interrogavit, abrenuntias diabolo & operibus ejus? quid respondisti? Abrenuntio &c.* tum postea *Vot promiseris considera, vel quibus promiseris : Levitam vidisti, sed minister est Christi, vidisti illum ante altaria ministrantem. Ergo chyrographum tuum tenetur, non in terra, sed in cælo.*

De Mysteriis num. 3. *Quid vidisti? aquas utique, sed non solas. Levitas illic ministrantes, summum Sacerdotem interrogantem & consecrantem.* Libro 1. de Sacramentis num. 3. *Deinde accessisti propius, vidisti fontem, vidisti & Sacerdotem supra fontem.* Tum postea, *Ingressus es, vidisti aquam, vidisti Sacerdotem, vidisti Levitam &c.* Libro 2. de Sacramentis num. 4. *Nunc ergo consideremus, venit Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat &c.* Num. 5. *Venisti ad fontem, descendisti in eum, attendisti summum Sacerdotem, Levitas & Presbyterum ad fontem vidisti &c.* Quid his quæso interrogationibus atque repetitionibus absurdius, quid puerile magis? quod utriusque Operis eundem auctorem ac fabrum profert.

De Mysteriis num. 4. Baptismum in ipsis aquis diluvii vult fuisse præfiguratum. *Vides aquam, vides lignum, columbam aspicis, & dubitas de Mysterio?* Grande scelus Amici ! quod quis aqua visa, ligno & columba visis, de baptismatis Sacramento dubitet. Quæ ita pueriliter Scriptor hoc numero tractat, repetit Libro 1 de Sacramentis n. 6 & lib. 2 n. 1 nempe diluvium esse figuram baptismatis: quamvis gravius in his ultimis locis, quam in libro *de Mysteriis*, puerilitate scilicet abjecta.

De Mysteriis num. 5. Ipsum maris rubri transitum à Moyse cum populo Israelitico, & fontem Marath dulcoratum, uti baptismi non ignobiles figuras profert. Atque hæc eadem lib. 1. De Sacramentis num. 6. lib. 2. num. 3. Eodem num. 5. libri *de Mysteriis* sub finem, *Non ergo solis corporis tui credas oculis, majus videtur, quod non videtur : quia istud temporale, illud æternum est.* Idem puerilitcr repetit sub numeri 7. initium ac num. 15. Idem autem lib. 1. de Sacramentis num. 3. *Vidisti quæ videre potuisti, oculis tui corporis & humanis aspectibus : non vidisti illa quæ aperiuntur, quia non videntur. Quoniam quæ videntur, temporalia sunt : quæ non videntur, æterna.*

De Mysteriis num. 6. Mundationem lepræ Naaman Syri in aquis Jordanis, figuram baptismi refert, quam eandem repetit libro 1. De Sacramentis num. 5. libro quoque 1. n. 3 : quibus diutius immorari, operæ pretium non est, cum utriusque consonantia operis, luce ipsa meridiana clarius pateat.

De Mysteriis num. 7. *Ideo tibi ante dictum est, ut non hoc solum crederes quod videbas, ne forte & tu diceres : hoc est illud magnum mysterium, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit? Aquas video, quas videbam quotidie : ipse non habent mundare, in quas sæpe descendi, & nunquam mundatus sum?* Idem autem omnino cum eadem interrogatione puerili lib. 1. de Sacramentis num. 3. post enim allegatam Naaman Syri dubitationem, ut in verbis præcedentibus, hic stupidus ac rusticus scriptor subjungit : *Ne forte aliquis dixerit, hoc est totum? Imo est totum, vere*

vere totum, ubi tam innocentia. Vidisti quæ videre potuisti &c. usque ad paragraphi finem.

De Mysteriis num. 8. Piscinam Hierosolymis positam, in qua motis aquis æger qui primus in eam ingressus fuerat, sanabatur: fuisse Baptismi figuram profert, quam eandem quoq; refert libro 2. de Sacramentis n. 2.

De Mysteriis num. 9. Columbam quæ supra Christum descendit, quando a Johanne baptizatus est, signum etiam innocentiæ quæ post baptismum comparatur, affert pariter Libro 1 de Sacramentis num. 5. Quemadmodum autem hic scriptor locutus est in libro *de Mysteriis* n. 3. *Quid vidisti? aquas utique, sed non solas:* & n. 4. *Vides aquas, vides lignum, columbam aspicis, & dubitas de Mysterio:* ita libro 1 de Sacramentis n. 5. *Vidisti aquam, sed non aqua omnis lavat &c.*

De Mysteriis num. 10. *Descendisti igitur, recordare quid responderis: quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum Sanctum &c. Hoc solo excepto, quod in crucem solius Domini Jesu fateris tibi esse credendum &c.* Idem autem latius libro 2. *de Sacramentis* num. 3. 4. 5. & 6. num. 5. *Venisti ad fontem, descendisti in eum, attendisti summum Sacerdotem &c.* Num. 6. *Interrogatus es, credis in Deum Patrem omnipotentem &c. Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, & in crucem ejus?* Idem Libro 2. de Sacramentis num. 2. *Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti omnia &c. Ergo unxit te Deus, signavit te Christus. Quomodo? quia crucis ipsius signatus es forma, ad illius passionem &c.*

De Mysteriis Num. 11. *Post hæc utique ascendisti ad Sacerdotem, considera quid secutum sit. Nonne illud quod ait David, sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Tum postea, *Ascendisti de fonte, memento Evangelica Lectionis, etenim Dominus noster Jesus Christus lavit pedes discipulis suis &c.* Idem quoque Lib. 3. *de Sacramentis* num. 2. *Ascendisti de fonte, quid secutum est? Audisti Lectionem, succinctus est summus Sacerdos &c. succinctus inquam summus Sacerdos, pedes tibi lavit.* Vbi eandem lotionis pedum in Neophytis ceremoniam explicat, ac paribus sensibus, quibus in Tractatu *de iis qui Mysteriis initiantur*, usus est. De signaculo autem unctionis, Libro 3. *De Sacramentis* num. 3.

De Mysteriis Num. 13 & 14 Laudes sunt Ecclesiæ, ex verbis Cantici Canticorum desumptæ, quibus similia reperire possis etiam, apud Scriptorem Librorum *de Sacramentis* lib. 4. num. 2. lib. 5. num. 2. & 3. solo numero 12. Tractatus *de Mysteriis* qui *de vestimentis albis* est, in libris *de Sacramentis* non repetito.

De Mysteriis Num. 15. *Ergo ne quis hoc dicat, summo studio volumus hoc comprobare, quod & antiquiora sunt Sacramenta Ecclesiæ quam Synagogæ, & præstantiora quam manna est.* tum late de Sacerdotio Melchisedec prosequitur. Idem lib. 1. *de Sacramentis* num. 4. *Illud præmitto, quod diviniora & priora sacramenta sunt Christianorum, quam Judæorum.* Lib. 4. num. 3. *Accipe quæ dico, anteriora esse mysteria Christianorum quam Judæorum, & diviniora esse Sacramenta Christianorum, quam Judæorum.* Tum latius quam superius, de Sacerdotio Melchisedec pronuntiat, iisdem ferme verbis & sensibus, quam in Libro *de initiandis* num. 15. Id. lib. 5. *de Sacramentis* num. 1.

De Mysteriis num. 16. Comparatio mannæ veteris ad Sacramentum Eucharistiæ continetur, quam repetit libro 4, *de Sacramentis* num. 3. *Venisti ad altare, vidisti Sacramenta posita super altare &c. Forte aliquis dixerit, Judæis Deus tantum gratiã præstitit, manna illis pluit e cælo, quid plꝰ dedit &c.*

De Mysteriis Num. 17. Objectio formatur contra veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, quam solvit exemplo Moysis, qui imperio suo virgam in serpentem convertit, atque aliis exemplis similibus. Atqui objectio eadem affertur Lib. 4. *de Sacramentis* Num. 4. *Tu forte dicis, meus panis est usitatus, sed panis iste &c.* Solvitur eadem iisdem rationibus, tum hoc Num. 4. ipsis factis Moysis atque Helisæi Prophetæ.

De Mysteriis Num. 18. Statuitur consecratione seu Domini verbis, fieri corpus & sanguinem Christi: quemadmodum verbo Dei omnia facta sunt, quæ antea non erant. Idem pariter Libro 4. *de Sacramentis* N. 5. *Vis scire, quibus verbis cælestibus consecratur, accipe quæ sunt verba. Dicit Sacerdos, fac nobis Domine hanc oblationem &c.* Convenit igitur in omnibus Tractatus *de initiandis* cum Libris *de Sacramentis*.

De Mysteriis Num. 19 & 20. His sacramentis pasci Ecclesiam a Christo, & fertilem reddi: unde eadem tantam gratiam videns, hortatur filios suos, ut ad sacramenta concurrant. Atqui hæc eadem hortamenta ex Canticis Canticorum, libro 5. *de Sacramentis* Num. 2. & 3. *Venisti ad altare, vocat te Dominus Jesus, vel animam tuam vel Ecclesiam, & ait &c. Ergo venisti ad altare, accepisti corpus Christi, audi iterum quæ sacramenta consecutus es &c. Venisti ergo ad altare, accepisti gratiam Christi, sacramenta es cælestia consecutus, gaudet Ecclesia redemptione multorum.* Stylo autem consimili libro 6. *de Sacramentis* Num. 2. idem author. *Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti omnia, quod baptizatus es &c.* tum paulo post, *Accepisti ergo Spiritum Sanctum in corde tuo &c.* tum postea, *accepisti signaculum ad illius similitudinem.*

Benedictini ergo soli hanc styli diversitatem, inter utrumque Opus hucusque repererunt, contra Bellarminum supra citatum & alios omnes. Addo librum hunc *de Mysteriis* fuisse Præludium quoddam ac compendium sex librorum *de Sacramentis:* quod cum ab eodem authore, feria secunda Paschalis hebdomadæ pronuntiatum primo esset: tum postea idem argumentum repetitum, velut Neophytis conveniens ab eodem, & aliis Octavæ diebus explicatum, in sex sequentibus quæ *de Sacramentis* inscriptæ sunt, concionibus. Rectius ergo Benedictinis ratiocinabatur Albertinus Libro 2. *de Eucha-*

chariſtiæ Sacramento in Pſeudo-Ambroſio cap. 1. pag. mihi 509. *Ego cenſeo illos eſſe auctoris ſeptimi ſeculi, ex tractatu Ambroſii* de his qui initiantur *explicato conſarcinatos: & propter ſimilitudinem Ambroſio attributos, cum rapſodi nomen ignoraretur.*

CAPVT TERTIVM.

AN SANCTVS AMBROSIVS VEL ALTER MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPVS, HOS SEPTEM TRACTATVS SEV SERMONES SCRIPSERIT.

OMnino certum eſt S. Ambroſium edidiſſe opus *de Sacramentis*, cujus rei locupleſtes teſtis eſt S. Auguſtinus libro 2. *contra Julianum* cap. 5. & ſeqq. *Retractionum* lib. 2. cap. 4. Vnde ex his locis, hi qui volunt Libros ſex *de Sacramentis* ad ipſum pertinere, inquiunt: *Aut opus iſtud nobis repræſentetur, aut hoc ipſum eſſe quo de agimus, concedatur.* Sed nugacis hujus argumenti ſolutio in promptu eſt. Neque enim utriusque Operis idem argumentum, neque titulus idem refertur. Quandoquidem opus, cujus ab Auguſtino mentio fit, non nude ſimpliciterque *de Sacramentis* inſcriptum erat, ſed cum adjecto *de Sacramentis ſive de Philoſophia.* Quare cum eodem teſte Auguſtino adverſus Platonicos compoſitum eſſet, diverſam in eo materiam agitatam contra Platonicos, obſcurum non eſt. Cujus rei, ubi nullum quidem in iis qui circumvolitant ſub ejus nomine tractatibus, veſtigium invenitur: alios omnimode a præfatis eſſe, jure meritoque concluditur. Noſtra autem quæſtio hæc, utrum libri ſex *de Sacramentis*, cum tractatu *de iis qui Myſteriis initiantur*, quæ hucusque ſub Divi Ambroſii nomine prodiere, nullamque cum libro ejusdem *de Sacramentis ſive de Philoſophia* deperdito, connexionem habere noſcuntur, ad ipſum pertineant. Affirmativam tenet ſententiam Natalis Alexander ſeculo Eccleſiæ quarto parte 1. cap. 6. art. 25. pag. 609. multis pro more ſuo verbis, ſingulis in contrarium rationibus reſpondens, ſcholaſticis diſtinctionibus, quæ an eruditis placeant, plurimum ambigimus. In eandem antea ingreſſi fuerant, Robertus Bellarminus lib. 2. *de Euchariſtia* cap. 14. Cardinalis Perronius *de Euchariſtia* lib. 2. Authorit. 14, atque Romani fere omnes, qui maximum ſententiæ ſuæ circa tranſubſtantiationem panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, ex his libris *de initiandis* & *de Sacramentis* firmitatem, habere ſe arbitrantur: ſi tractatus iſtos Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo, rectene, an perperam, adſcripſerint. Affirmant quoad Tractatum *de iis qui Myſteriis initiantur*, negant quoad libros ſex *de Sacramentis*, editores Ambroſianorum Operum Monachi Benedictini, commoti ut opinantur, ſtyli diverſitate potiſſimum, quam capitibus 1 & 2 hujus Diſſertationis confutavimus. In hanc eorum ſententiam præiverat Edmundus Albertinus, libro 2 *de Sacramento Euchariſtiæ* c. 1. in *Pſeudo-Ambroſio* p. 509. ubi tractatum pariter *de his qui initiantur* Ambroſio Mediolanenſi tribuit, ſex libros *de Sacramentis* abnegat. *Ego cenſeo illos eſſe Authoris ſeculi ſeptimi, ex tractatu Ambroſii* de his qui initiantur *explicato conſarcinatos: & propter ſimilitudinem Ambroſio attributos, cum rapſodi nomen ignoraretur.* Tertia denique ſententia eſt Joannis Dallæi Lib. 3. *de Confirmatione* cap. 8. pag. 340. neutrum ex his tractatibus eſſe Ambroſii, ſed ſcriptoris anonymi ſeculi ſeptimi, in quam etiam adducere Petrum Aurelium conatur: quam nos quoque amplectimur, ſed ſcriptorem illorum ſub octavi ſeculi finem referentes.

Primum itaque Ambroſius verus atque indubius, docet baptiſmo deleri originale peccatum, actualia autem per lotionem pedum: hic autem Anonymus, peccata actualia baptiſmum antecedentia deleri per baptiſmum docet, atque originale e contra deleri per pedum ablutionem in Neophytis: ergo Ambroſius neque Tractatus *de iis qui initiantur*, neque *librorum ſex de Sacramentis* author eſſe poteſt. Hinc igitur inſigne mihi argumentum eſt, neque librum *de initiandis*, neque ſequentes 6 *de Sacramentis*, eſſe Ambroſii, ſed Galli ſcriptoris anonymi, qui extremis ſeculi octavi temporibus ſub Carolo Magno ſcripſerit, hac in parte Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo, cæterisque Eccleſiæ Doctoribus adverſus: quem Joannes Maldonatus hæreticum etiam appellare auſus eſt. Audiamus Ambroſium in Prologo librorum *de Spiritu Sancto* ad Gratianum Auguſtum, ubi ſic de lotione pedum in Apoſtolis. *Vocatis me Dominum & Magiſtrum, & bene facitis &c. Volo ergo & ego pedes lavare fratrum meorum, volo Domini implere mandatum, volo in me non verecundari, non dedignari, quod ipſe prius fecit. Bonum Myſterium humilitatis, qui dum alienas ſordes lavo, meas ablue. Sed non hoc omnes haurire poterant Myſterium, lavare voluit &c.* Tum poſtea, *Hoc inquam divinum Myſterium eſt, quod etiam qui laverint, requirent: non enim ſimplex aqua, ſed cæleſte Myſterium, per quam conſequimur ut partem cum Chriſto habere mereamur.* Deinde, *Veniant in me ſtillicidia tua, gratiam immortalitatemque rorantia: dilue greſſus mentis meæ, ne iterum peccem: ablue animi mei calcaneum, ut poſſim abolere maledictum, ne morſum ſerpentis, interiore pede ſentiam: ſed ſicut ipſe juſſiſti ſequentibus te, ut ſerpentes & ſcorpiones illæſo poſſim calcare veſtigio.* Opinatus eſt ergo veros Ambroſius, per ablutionem pedum in lavantibus, deleri peccata actualia: hic autem Anonymus, deleri in lavatis ſeu Neophytis peccatum originale, actualibus tantum per baptiſmum deletis. Ita libro *de iis qui initiantur* cap. 6 ſeu Sermone 1. num. 11. „*Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus.* Mundus erat Petrus, ſed plantam lavare debebat, habebat enim primi parentis de ſucceſſione peccatum, quando eum

„eum ſupplantavit ſerpens & perſuaſit erro„rem. Ideo planta ejus abluitur,ut hæredita„ria peccata tollantur,noſtra enim propria per baptiſmum relaxantur. Et lib. 3 *de Sacramentis* „cap. 1. ſeu ſerm. 4. num. 2. Vide omnem ju„ſtitiam, vide humilitatem, vide ſanctificatio„nem,*niſi lavero*,inquit,*tibi pedes,non habebis par„tem mecum.* tum poſtea. Sunt tamen qui di„cant & excuſare conentur , quia hoc non in „Myſterio faciendum eſt,non in baptiſmate, non „in regeneratione: ſed quaſi hoſpiti pedes la„vandi ſunt. Aliud eſt humilitatis, aliud ſan„ctificationis. Denique audi quia Myſterium „eſt & ſanctificatio,*Niſi lavero te, non habebis par„tem mecum.* Denique & poſtea. *Qui lavit, „non neceſſe habet iterum lavare, niſi ut ſolos pedes „lavet.* Quare hoc? quia in baptiſmate omnis „culpa diluitur. Recedit ergo culpa,ſed quia „Adam ſupplantatus a diabolo eſt, & venenum „ei effuſum eſt ſupra pedes : ideo lavas pedes, „ut in ea parte in qua inſidiatus eſt ſerpens, ma„jus ſubſidium ſanctificationis accedat,quo poſt„ea ſupplantare te non poſſit. Lavas ergo pe„des,ut laves venena ſerpentis.„ Hæc ille Anonymus,quam ob cauſam hæreſeos nota ab Maldonato inuſtus eſt.

Secundo hic author aliam verſionem Scripturæ, quam Ambroſius Mediolanenſis ſequitur. Innumera (inquit Albertinus) exempla afferri poſſunt,quorum nonnulla hic recenſebo. Legitur enim Lib. 3. *de Sacramentis* cap. 1,juxta nos ſerm. 4. num. 1. Geneſeos cap. 1. verſ. 11. *Producat terra ex ſe fructum germinantem:* Ambroſius autem aliter in Hexaëmeron lib. 5. c. 8. *Germinet terra herbam fœni.* Item ib. Anonymus v. 10. *Producant aquæ animantia*,Ambroſius autem aliter in Hexaëmeron lib. 5. cap. 1. *producant aquæ reptilia animarum viventium.* Rurſus Anonymus lib. 5. *de Sacramentis* cap. 1, juxta nos Serm. 6. n. 1. legit Canticorum cap. 1. verſ. 1. *Quia „meliora ubera tua ſuper vinum:* Ambroſius autem *de Iſaac & anima* c. 3. & *de Virginibus* lib. 2. c. 1. & in Pſalmum 118. Sermone 1. legit ſemper *bona* „aut *optima*,nunquam *meliora.* Anonymus lib. 5. *de Sacramentis* cap. 2 , juxta nos Sermone 6. n. 2. legit Canticorum cap. 1. verſu 4. *Poſt odorem „unguentorum tuorum currimus*, Ambroſius autem ſemper libro *de Iſaac & anima* cap. 1. & in Pſalmum 118. Serm. 1. *curramus.* Anonymus item libro *de iis qui initiantur* cap. 7, juxta editionem noſtram Serm. 1. n. 14. *Pone me ſignaculum in „corde tuo, ut ſigillum in brachio tuo.* Item libro 6. *de Sacramentis* cap. 2, juxta nos Sermone 7. n. 2. legit Canticorum cap. 8. verſ. 6. *Pone me ut ſignaculum in corde tuo, ſicut ſignaculum in brachiis tuis.* Ambroſius autem in hunc modum libro *de Iſaac & anima* cap. 8. & in Pſalmum 118. Sermonibus 15. 19. 22. *Pone me ut ſignaculum in cor tuum,ut ſigillum in brachium tuum:* nunquam vere *in brachiis tuis.* Denique Anonymus lib. 6. *de Sacramentis* cap. 5, juxta nos Serm. 7. num. 6. ſic legit Pſalmo 8. verſ. 5. *Quid eſt homo, quod meminiſti ejus?* Ambroſius autem ſemper lib. 2. *de fide* cap. 4. & *de Interpellatione* lib. 1. cap. 6. & in Pſalmum 118. Sermone 10, *Quid eſt homo, quod memor es ejus?* Anonymus ergo iſte, ab Ambroſio alius omnino eſt. Quamvis autem Benedictini Monachi, Operum Divi Ambroſii editores ultimi, libros ſex *de Sacramentis* huic Archiepiſcopo abrogandos cenſuerint: alicui tamen ejus in ſede ſucceſſori,tribuendos eſſe opinati ſunt, ſecuti Godefridum Hermannum Canonicum Bellovacenſem in Elucidationibus *Vitæ D. Ambroſii Gallicæ*,pag. 30. *Minime eam re„fragabimur*, inquiunt,*ſi quis cum viro doctiſſimo eosdem Sermones aut Venerio aut alicui piam Ambroſii diſcipulo, qui non multo poſt ipſum Mediolanenſi Eccleſiæ præfuerit, tributos malit.* Quod quam falſum ſit,numero ſequenti examinabitur.

Tertio. Quæ habentur apud Anonymum lib. 3. *de Sacramentis* cap. 1,in editione autem iſta Serm. 4. n. 2. nequaquam in Divum Ambroſium Mediolanenſem Archiepiſcopum, non in Venerium ejus ſucceſſorem, nec in alium quempiam ejus diſcipulum, qui non multo poſt ipſum Eccleſiæ Mediolanenſi præfuerit, nec in alium quemcunque ejusdem ſedis,convenire ullo modo poſſunt. Ergo nec Ambroſius, nec ullus ſucceſſorum ejus, usque ad ſeculum 9. & amplius,iſtorum librorum author eſſe poteſt. Audiamus Anonymum loco citato. *Niſi lavero*,inquit,*tibi pedes,non habebis partem mecum. Non„ ignoramus, quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat,cujus typum in omnibus ſequimur & formam. Hanc tamen conſuetudinem non habet, ut pedes lavet,* Et poſtea, *In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam,ſed tamen & nos homines ſenſum habemus : ideo quod alibi rectius ſervatur,& nos recte cuſtodimus. Ipſum ſequimur Apoſtolum Petrum, ipſius haremus devotioni, ad hoc Eccleſia Romana quid reſpondet ?* Hæc Anonymus. Atqui nec Ambroſius, nec Venerius, nec ullus ſucceſſorum ejus, usque ad tempora Caroli Boromæi, hoc dicere potuit: ſequi nimirum ſe Eccleſiam Romanam in omnibus *excepta lotione pedum in„ Neophytis*, poſt baptiſmum. Nullus ergo vel Ambroſius vel Venerius, vel alter in Cathedra Mediolanenſis Metropoleos ſucceſſor, horum librorum *de initiandis* vel *de Sacramentis* ſcriptor eſſe poteſt. Conſtat autem ex teſte omni exceptione majore Auguſtino, tum libro *Confeſſionum* 9. cap. 7. tum Epiſtolis 86. & 118. Romam & Mediolanum, in plurimis conſuetudinibus ac diſciplinæ ritumque capitibus, inter ſe diſcrepaſſe, nec contradicturum quempiam opinor. Aliud autem omnino a temporibus Ambroſii, erat & Liturgiæ & officii Eccleſiaſtici conſtitutum : unde Miſſa Ambroſiana,quæ nunc usque perſtat, quam Ambroſio attribuit ante annos octingentos Walafridus Strabo, libro *de rebus Eccleſiaſticis* cap. 22. his verbis. *Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus tam Miſſam quam cæterarum diſpoſitionem officiorum, ſuæ Eccleſiæ & aliis Liguribus ordinavit: quæ & usque hodie in Mediolanenſi te-*

nentur Ecclesia. Ergo nec Ambrosius, nec Venerius ob allatam supra rationem, nec ullus successorum in sede eadem usque ad seculum nonum, horum Tractatuum seu librorum author esse potest. Ordo autem Missæ Ambrosianæ a Romana plurimum differt, ut clarissime ostendit Cardinalis Bona libro 1. *Rerum Liturgicarum* cap. 12 Ambrosiani nunquam dicunt *Agnus DEI*, nisi in Missa pro *Defunctis*. Textus Scripturarum quas legunt, non congruit cum Editione vulgata : in his enim præsertim in Psalmis, utuntur versione peculiari, quæ antiqua & Italica nuncupatur, de qua idem Bona *Rerum Liturgicarum* lib. 2. cap. 3. In Dominicis omnibus Quadragesimæ, dicto *Dominus vobiscum* post ingressum, preces recitant pro Ecclesia, pro Pontifice & omni Clero, pro Imperatore & Rege, pro omni statu hominum, & pro diversis necessitatibus : Choro vel Ministro ad singulas respondente, *Domine miserere*, vel *Kyrieeleeson*. In die sancto Resurrectionis & per Octavam, in Ecclesiis Collegiatis, duas Missas cantant, unam pro baptizatis, alteram de Festo. Per totam Quadragesimam nullam habent Missam pro Feria sexta, nec ista die celebrant. Idque omnino prohibuit S. Carolus Borromæus in tertia Synodo Dioecesana Decreto XX, occasione etiam præsentis funeris, vel exequiarum, sive alterius cujuscunque rei. Et in Synodo XI hujus antiquæ consuetudinis hanc reddit rationem, *quod dies illa ob acerbissimam Christi passionem, mœroris plena sit.* Quod etiam in Quadragesimæ observandæ ratione, Mediolanum Roma differret, nullus vel tantisper eruditus, ignorare potest. Vnde nulla ferme in Occidente Ecclesia, quæ quamvis proxima locis, tam tarde tamque reluctanter, Romanæ Ecclesiæ consuetudines amplexa sit. Ad libros autem *de Sacramentis* Ambrosio abrogandos, idem Bona *Rerum Liturgicarum* lib. 1. cap. 7. §. 4. quem orditur ab uniformitate Romanorum rituum in Ecclesias omnes Occidentales, excepta Mediolanensi, tandem introducta. Nullus ergo hominum, cui jure minori vel Tractatus *de iis qui Mysteriis initiantur*, vel libri *de Sacramentis* attribui possint : quam Ambrosio vel Venerio, vel Mediolanensium denique Archiepiscoporum ulli alteri.

At longe majores discordias fuisse ab omni ævo inter Mediolanensem Ecclesiam & Romanam testatur Christophorus Sandius in *Historia Ecclesiastica enucleata* seu in *Historia Arianorum tribus libris comprehensa*, editionis Amstelodamensis anni 1676. in 4. apud Joannem Nicolai. Ita *Enucleata Historia Ecclesiastica* lib. 3. pag. 379. & 380.

„Anno 1059. Stephanus IX. Episcopus Ro„manus traditur sibi subjecisse, & sub obedientia „Pontificis Romani redegisse Archiepiscopa„tum Mediolanensem, cui ducentis abhinc an„nis nihil negotii cum Romana fuerit, primo ab „Ecclesia Romana deficiente Angelberto Archi„episcopo Mediolanensi. Ita Blondus Dec. 2. lib. 3. Sabellicus & Paulus Æmilius lib. 4. Sed falsum est Angelbertum defecisse ab Ecclesia Romana, & ducentis saltem annis Ecclesiæ Mediolanensi nihil negotii cum Romana fuisse. Nam seculo VII. jam iniquo animo tulisse visus est Archiepiscopus Mediolanensis, quod Ravennas se Romano subjiceret, ut ait Rubeus *Hist. Ravennatis* ad A. 701. Anno quoque 711. Benedictus Mediolanensis contra Pontificem Romanum, ut Insubriæ Metropolitanus, conatus est inaugurare Episcopum Papiensem, qui antiquioribus Ticinensis dicebatur. Et qui istud de Angelberto ignorare potuisset Petrus Damiani hujus temporis scriptor, quando scribit Epistola ad Radulphum, Vitalem, Arialdum & Arembaldum seu Erlembaldum, anno 1060. *Illud* (nempe hæreticum esse & adversari Ecclesiæ Romanæ) *non esse novum in Ecclesia Mediolanensi, quæ semper diversi dogmatis homines habuit, initio ab Auxentio atque Ambrosio inchoato.* Ita apud Rubeum *Hist. Ravennatis* & Sigonium lib. *de regno Italiæ*, & id omnino verosimile est, quando ab illo tempore Mediolanum paruit Gothis & Longobardis Arianis, qui Mediolani præcipue leguntur floruisse ultra medium seculi XIII. Cum vero nullibi legamus, vel Auxentium vel Ambrosium, ab Ecclesiæ Romanæ subjectione defecisse, probabilius omnino est, Ecclesiam Mediolanensem a temporibus Apostolorū liberam fuisse. Clerici sane hujus civitatis hoc tempore, sentiebant Ecclesiam Ambrosianam antiquis Patrum institutis liberam, nec Romanis legibus obnoxiam esse, neque Pontificem Romanum jus ullum in sua Ecclesia ordinanda atque constituenda habere. Pelagius quoque Romanus *Epistola ad Valerianum Patricium*, agens adversus Aquilegiensem & Mediolanensem Episcopos, in causis Ecclesiæ generalibus, Sedi suæ nihil speciale reservat, nisi quatenus una est ex Sedibus Apostolicis, adeo ut si quod dubium oriatur adversus constituta Synodorum universalium, recurrendum dicat ad Sedes Apostolicas. Neque verum est, quod Sabellicus scribit, Mediolanensem Ecclesiam se subdidisse Stephano IX : quod utique sub Archiepiscopo Mediolanensi Vidone accidisse oportuerat. Sed hic contra hæreticos Episcoporum suorum conventum provincialem [illegible] pud Fontanetum oppidum in agro Novariensi convocavit, atque ex eorum sententia constituit, licere Clericis habere uxores. Sigonius dicto loco. Quamobrem Petrus Damiani, legatus Nicolai II. successoris Stephani IX. post Benedictum IX. dictum X, sub Vidone Archiepiscopo Mediolanensi anno 1059. Mediolanum venit, ut Ecclesiam Mediolanensem jugo Romano, renitente quamvis populo, subjiceret. Postridie vero ejus diei, quo Petrus Damiani accessit, rumor in civitate a factione Clericorum incitatus increbuit, Ambrosianam Ecclesiam, ut dixi, antiquis Patrum institutis liberam, nec Romanis legibus obnoxiam esse, ne-

quc

„que Pontificem Romanum jus ullum in ſua Ec„cleſia ordinanda atque conſtituenda habere : „neque poſt abitum Petri Damiani, deſiit Archi„epiſcopus cum Clericis ſuis a ſententia priore „defendenda. Vnde Petrus Damiani queri„tur anno 1060. ut vidimus, *Eccleſiam Mediola„nenſem ſemper diverſi dogmatis homines habuiſſe, „initio ab Auxentio atque Ambroſio inchoato, eamque „ſemper adverſariam fuiſſe Romanæ.* Deinde mor„tuo Nicolao II anno 1061 negabat Clerus Lon„gobardiæ ſe eſſe ſubjectum Alexandro II. Epi„ſcopo Romano, creabantque Præſules Longo„bardiæ & Germaniæ, habito conventu Baſileæ „in præſentia Imperatoris Henrici III aliis IV, a„lium Epiſcopum Romanum Cadolum, poſtea „Honorium II dictum, ex Epiſcopatu Parmenſi „acceptum. Ita Onuphrius, Machiavellus in „*Hiſtoria Florentina*, Chronicon Cariouis. Poſt „& ſucceſſores Vidonis Valvaſſorii Mediolanen„ſis, Godofredus & Thealdus Caſtellionius, Gre„gorio VII Romano Pontifici fuere adverſarii. „Poſtea anno 1095. tradit Sigonius, Eccleſiam „Mediolanenſem ſub Archiepiſcopo Arnulpho „III ab Vrbano II unitam fuiſſe Romanæ Eccle„ſiæ. Deinde Anſelmus IV Valvaſorius Me„diolanenſis Epiſcopus, fidei nomine in exilium „pulſus ſcribitur, eoque pulſo Chryſolaus Hen„rici III aliis IV Imperatoris opibus adjutus, Ec„cleſiam occupaſſe. Tempore quoque Inno„centii II Papæ, Mediolanenſes diverſi fuere a „Romanis, cujus demum anno 5, hoc eſt anno „1134. Baronius quidem ſcribit, Eccleſiam Me„diolanenſem ſe ſubjeciſſe Romanæ. At con„tentio illa non ante videtur penitus ſublata, „quam cum anno 1355 vel circiter, Cardinalis „quidam Hiſpanus, Ægidius nomine, in Italiam „ablegatus, non in Romandiola tantum ac in „Vrbe Roma, verum in univerſa Italia colla„pſam Eccleſiæ authoritatem reſtitueret, quam „Archiepiſcopus Mediolanenſis occupaſſe dice„batur. Nam Joannes Archiepiſcopus ſolus „Mediolano potitus, totius penitus Galliæ Cis„alpinæ dominus, bella maxima movebat in u„niverſa Thuſcia, & multa oppida Eccleſiæ Ro„manæ armis occupabat, qui præcipue vicinis „infeſtus erat, fiebatque potentiſſimus. Hæc „Machiavellus Libro I *Hiſtoriæ Florentinæ*.„ Huc usque Chriſtophorus Sandius l. c.

CAPVT QVARTVM.

GALLVM ALIQVEM EPISCOPVM, FVISSE HORVM TRACTATVVM SEV SERMONVM SCRIPTOREM.

TRia ſunt, ex quibus Gallum aliquem Epiſcopum, fuiſſe horum Tractatuum vel Sermonum ſcriptorem, aperte colligimus ; 1. ex pedum lotione in Neophytis, quam in baptiſmo apud Eccleſiam ſuam in uſu fuiſſe confitetur : 2. ex conformitate Liturgiæ & aliorum Romanæ Eccleſiæ in Sacramentis rituum, quam pariter amplectebatur, 3. ex Galliciſinis latine bar„baris, quibus omnes iſti ſermones reſperti ſunt : quæ tria ſigillatim hoc capite 4. examinanda veniunt.

1. In aliquibus igitur iſta conſuetudo lavandi pedes Neophytis, viguit Gallicanis Eccleſiis, in quibus usque ad ſeculum XII permanſit, ut poſtea dicetur, in aliis uſitata non fuit : unde temporibus Caroli Magni anno 811. Imperator ille potiſſimis Galliarum Archiepiſcopis & Epiſcopis cum injunxiſſet, ut de Baptiſmo ejusque ritibus ad ſe referiberent, iſtius lotionis pedum in *Neophytis* nullus meminit, quamvis plurimi ſingulares ea de re tractatus habuerint : ut Amalharius Trevirenſis Archiepiſcopus inter Opera Alcuini editus, Leidradus Lugdunenſis Archiepiſcopus Tom. 3. *Analectorum* Joannis Mabillionis, Theodulfus Aurelianenſis Epiſcopus, & alii. Quæ autem inter Gallos Eccleſiæ, lotionem pedum in Neophytis, hæ & in peregrinis & hoſpitibus eam amplexabantur. Nam ut ex ſermonibus S. Cæſarii, eruditi Arelatenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi conſtat, eatenus quidem pedes in Neophytis lavabantur, ut erudirentur, quod ad idem ex Domini mandato obſervandum, circa hoſpites & peregrinos adſtringerentur : ſub damnationis æternæ interminatione, ſi ſecus facerent. Qui itaque obſervantiam hanc, ut in celeberrima Arelatenſi ac Primatiali Galliarum Eccleſia habebant, accenſi ſuæ praxeos devotione, ultra modum urgebant actionem hanc, immoderate ceremoniam ſuam efferebant. Opinabantur, palamque ut ritum hunc amplius commendarent frequentarentque : concionabantur lotionem pedum ſive in Neophytis ſive in peregrinis omnibus 1. *non eſſe conſilii, ſed mandati Divini.* 2. *eam delere peccata actualia, etiam gravia & ut vocant mortalia*, ipſorum lavantium, inſtar Sacramenti : atque ut hodierno Scholaſtices loquamur modo, *ex opere operato.* 3. *omittentibus æterna vitæ privationem comminabantur.* 4. in Neophytis promiſſionem hujus obſervantiæ in baptiſmo vel ſtatim a baptiſmo exigebant. 5. Nonnulli etiam opinabantur *hanc ceremoniam delere in Neophytis peccatum originale.* Quæ omnia ſigillatim ex Scriptoribus Gallicanis, ingenio & eruditione clariſſimis cognoſcimus. *Primum* ergo lotionem pedum ſive in Neophytis tanquam novis in Eccleſiam ingreſſis, ſive in peregrinis omnibus, *eſſe mandati divini & non conſilii tantum*, opinabantur ex Joannis cap. 13. verſ. 13. & ſeqq. *Si ergo ego lavi veſtros pedes, Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, & vos faciatis. Amen, amen dico vobis, non eſt ſervus major Domino ſuo, nec Apoſtolus major eo qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eſtis, ſi feceritis ea.* *Secundo* eam delere *peccata actualia etiam gravia & mortalia in lavantibus*, docet Cæſarius magnus ille pedum lotor in Homiliis paſſim, in Appendice Pſeudo-Auguſtinianorum Sermonum, editio-

tionis Benedictinorum Parisinæ, Sermone Appendicis 149. num. 1. col. 262. qui certissime Cæsarii esse noscitur. *Inclinamus nos potius ad Sanctorum vel peregrinorum vestigia, quia cum hac sancta humilitate complemus, illorum quidem pedes manibus nostris tangimus: sed animarum nostrarum sordes & maculas per fidem & humilitatem abluimus, & non solum minuta, sed etiam capitalia peccata purgamus.* Idem quoque Erualdus Abbas Bonævallis Carnotensis agri in Galliis, in Opere *de Cardinalibus Christi operibus* ad Hadrianum IV. Papam cap. 7. *de abitione pedum*, ubi sic loquitur. *Docet ergo Petrus, quæ sit baptismi & aliorum sacramentorum stabilitas, & quantum ad expiationem proficiat humilis pietas & pia humilitas: & quomodo omni tempore prosequenda & repetenda sit ablutio pedum, per quam recte cognitam & intellectam, adhærentes animæ sordes, quotidiana satisfactione lavantur.* Opinabatur ergo Erualdus *lotionem pedum omni tempore repetendam & prosequendam*, idque *ad expiationem*: atque *ut adhærentes animæ sordes, quotidiana satisfactione lavarentur.* Contra Augustinum supra allatum Epistola CXIX. *de ritibus Ecclesiæ* ad Januarium, inquirentem *quonam tempore potissimum res tanta etiam facto doceretur.* Omittentibus *Tertio* æternæ vitæ privationem comminabantur, ita Cæsarius Appendicis Benedictinorum citatæ, Serm. 149 n. 1 col. 262. *Erubescant ergo nobiles & potentes, sanctis & peregrinis abluere pedes in hoc sæculo, sed si se non correxerint, plus habent erubescere & dolere, cum ab illorum consortio separati fuerint in futuro. Tunc sine ullo pœnitentiæ remedio affligentur, cum illos quos despexerant propter humilitatem, viderint accipere regnum, se propter superbiam meruisse supplicium. Timeamus fratres &c. Quarto* in Neophytis promissionem hujus observantiæ in baptismo factam exigebant. Hoc quoque constat ex duabus ejusdem Cæsarii homiliis in eadem Appendice Sermonum Augustinianorum sermone 168. num. 3. col. 292. *Fidem Catholicam teneant, ad Ecclesiam frequentius currant, contempta verbositate lectiones divinas adhibentis auribus audiant, peregrinos excipiant, & secundum quod ab ipsis in baptismo dictum est, hospitum pedes lavent. Pacem & ipsi teneant.* Idem Sermone 257. num. 2. col. 421. *Cogitemus ex quo sapere cœpimus, quid pro juramentis &c. quid pro eo quod tarde aut difficile Christum in carcere visitavimus, quod peregrinos negligenter excepimus, quod secundum promissionem nostram in baptismo, hospitibus pedes lavare negleximus. Quod infirmos tardius quam oportet, visitavimus.* Denique *quinto* Ceremoniam hanc *deleviſſe peccatum Originale in Neophytis* opinabantur hi Galliarum Episcopi, qui consuetudinem istam Ecclesiæ suæ singularem observabant, ut testatur Hugo Victorinus in Joan. cap. 13, qui hunc quoque ritum adhuc sæculo Ecclesiæ XII. viguisse in quibusdam Galliæ Ecclesiis asserit. Ita Tomo I pag. mihi 352. *Hinc volunt quidam habere, peccatum originale non remitti nisi in lavatione pedum post baptismum, cujus rei authorem dicunt Ambrosium Mediolanensem Episcopum. Unde in Ecclesiis quibusdam pedes lavantur baptizatis. Per pedes enim peccatum ex carne tanquam ex inferiori natura, significari dicunt. Sed hoc dici non convenit, neque enim in Petro peccatum originale tunc erat: nam per circumcisionem, & per baptismum etiam in eo remissum erat.* Atqui Scriptor hic, tam in Tractatu *de iis qui initiantur Mysteriis* cap. 6, juxta editionem nostram sermone 1. *de Sacramentis* num. 11, quam lib. 3. *de Sacramentis* cap. 1. seu sermone 4. num. 2. expresse docet hanc ceremoniam Ecclesiæ suæ usitatam, eam esse, quæ peccatis actualibus adultorum per baptismum deletis, originalem in Neophytis deleat maculam. Hi ergo tractatus spectant ad Gallicanæ Ecclesiæ aliquem Antistitem. Nec quid huic objectioni valide opponi possit, perspicio. Constat enim, luceque meridiana clarius patet, & singularem hanc doctrinam, fuisse ab hoc falso Ambrosio, semel atque iterum diserte assertam, unde nec pro more loca attulimus, cum facile locis citatis legi queant. Et præterea fuisse Gallorum quorundam propriam Episcoporum, qui hanc consuetudinem, adductis etiam mandato Caroli Magni in Galliarum Ecclesiam Romanis ritibus & cantu, abjicere noluerunt, postea ex testimonio Hugonis Victorini & Erualdi Bonævallis, usque ad sæculum XII. conservatam.

2. Hæc verba libri 3. *de Sacramentis* cap. 1. seu sermonis 4. n. 2. *Non ignoramus, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur & formam:* indicant Scriptorem Gallum quendam Antistitem, qui sub octavi sæculi finem temporibus Caroli Magni Galliarum & Italiæ regis, primis floruerit. Constat enim ut supra diximus Opusculi hujus cap. 3. nequaquam spectare posse ad aliquem Mediolanensem Archiepiscopum. Neque etiam ad aliquem ex aliis tunc temporis Italiæ Metropolitanis viris, quis enim in Italia aliam præter Romanam, imitari voluisset Ecclesiam? At hic Scriptor aliam contempta etiam Romana se imitatum esse testatur: *ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus.* Neque hic Scriptor Afer esse potest, cum nullibi legamus Ecclesiam Africanam Ecclesiæ Romanæ *typum in omnibus & formam* secutam esse. Cum autem sub sæculi noni initium, circa annum 830, hi tractatus a Paschasio Ratberto sub Ambrosii nomine, allegati sint: est inquirendum, quænam ex Occidentalibus Ecclesia vel tunc temporis vel paulo ante, Romanos ritus atque officia susceperit: ut inde Scriptorem istorum Opusculorum agnoscamus, qui ante annum 830 *se Romanæ Ecclesiæ typum in omnibus sequi & formam*, dicere posset. Solus sane Gallus, quem legimus accepisse sub Carolo Magno *Romanæ Ecclesiæ ritus*, paulo ante tempora Paschasii, hos Tractatus allegantis. Ergo hi Tractatus positive spectant ad aliquem Galliarum Antistitem, qui temporibus Caroli Magni, sub sæculi octavi seu obscuri finem vixerit: cujus tenebræ ad novitatem mentibus fidelium in-

Digitized by Google

insinuandam, id est, veritatem corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, aptissimæ erant. Audiamus non a compito hominem vilem, sed Galliarum & Italiæ Regem, sed Carolum Magnum in Tractatu *de Imaginibus* contra Synodum Nicænam secundam, ubi de Ecclesia Gallicana lib. 1. cap. 6. ita loquitur. „ Quæ dum a „primis fidei temporibus, cum ea perstaret in „religionis sacræ unione, & ab ea paulo distaret, „quod tamen contra fidem non est in Officio„rum celebratione: venerandæ memoriæ geni„toris nostri illustrissimi atque excellentissimi vi„ri Pipini Regis cura & industria, sive adventu „in Gallias Reverendissimi & Sanctissimi viri „Stephani Romanæ urbis Antistitis, est ei etiam „*in Psallendi ordine* copulata. Vt non esset dispar „ordo Psallendi, quibus erat compar ardor cre„dendi: & quæ unitæ erant unius sanctæ legis „sacra lectione, essent etiam unitæ unius mo„dulationis numeranda traditione: *nec sejunge„ret Officiorum varia celebratio*, quas conjunxerat „unicæ fidei plena devotio. Quod quidem & „nos collato nobis a Deo Italiæ regno fecimus, „*Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fastigium sublimare cupien„tes*, & Reverendissimi Papæ Adriani salutaribus „exhortationibus parere nitentes. Scilicet ut „plures illius partis Ecclesiæ, quæ quondam A„postolicæ sedis traditionem in Psallendo susci„pere recusabant, nunc eam cum omni diligen„tia complectantur: & cui adhæserunt fidei „munere, adhæreant quoque Psallendi ordine. „Quod non solum omnium Gallorum provin„ciæ, & Germania sive Italia: sed etiam Saxo„nes, & quædam Aquilonaris plagæ gentes, per „nos Deo annuente, ad veræ fidei rudimenta „conversæ, facere noscuntur. Idem Carolus in Præfatione Homiliarum totius anni, quas ejus jussu Albinus Flaccus Alcuinus collegit, Pipinum ait genitorem suum totas Galliarum Ecclesias Romanæ traditionis cantibus decorasse. Extant de hac cura Pipini & Caroli in propagandis Romanis ritibus, aliquot Epistolæ Romanorum Episcoporum, inter eas quas ipse Carolus Magnus collegisse dicitur, Gretserusq; edendas curavit, nempe XXV Pauli Papæ ad Pipinum, in qua se illi misisse *Antiphonale & Responsale* scribit. Atq; ex XLIII Pauli ejusdem, constat quanta sollicitudine Rex satageret, ut Monachi religiosi regni sui, in cantu Romano bene instructi essent. Ibidem Epistola LXXXII Adrianus Papa Carolo Magno scribit, se illi misisse *Gregorii Sacramentarium*, quod ab illo petierat. Denique libro V. *Capitularium* cap. 219. sancitum est, ut unusquisque Presbyter, Missam ordine Romano celebret. Possem & alia ex Historicis illorum temporum proferre testimonia, quibus in re tam aperta opus non est.

3. Denique Scriptor iste, quibus se Gallum probat, multos habet Gallicismos, seu phrases e Gallico ut mihi videtur idiomate, in linguam Latinam barbare & inculte translatos, in contextura singulorum Sermonum, quos annotationibus descriptos hic in unum fascem verbotenus colligimus.

Tractatu *de iis qui Mysteriis initiantur* cap. 3. juxta editionem nostram Serm. 1. n. 6. *Tunc ille secum tractare cœpit, quod meliores aquas haberet patria sua &c.* Hæc barbara latinitas ex idiomate Gallico, ubi elegans est, desumpta videtur, Gallice enim eleganter dicitur, *Son pays avoit des meilleurs eaux.* At verbotenus in Latinam linguam translata, maxime sordet, dignaque dormitante seculo seu octavo, sub cujus finem scriptor iste vixit. Ibidem cap. 4. seu num. 6. *Hoc est illud magnum Mysterium, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?* Hæc interrogatio simplex atque absurda Latine est, quæ Gallicismum mihi continere videtur. Eleganter enim Gallica lingua dicimus: *Est ce là ce grand Mystere &c.* Nam ita Gallice dicere consuevimus, quod in Latinam translatum linguam, flaccescit, stupidumque est.

Libro 1. *de Sacramentis* cap. 3. seu Sermone 2. n. 3. *Nec hoc possum dubitare, quod in animum nostrum non potuerit cadere, quod cecidit in illum Syrum Naaman.* Hæc phrasis ex idiomate Gallico, translata Latine mihi videtur. Eleganter enim Gallica dicitur, *Je ne peux pas douter, qui naie pu tomber dans nostre esprit, comme il tomba dans celuy de Naaman le Syrien.* Barbare autem ab Gallo isto, in Latinam translatum linguam est. Ibidem, *Hoc est totum? imo est totum.* Rustica plane Latina interrogatio, ex Gallico idiomate, ubi elegans & frequens est: *Est ce là tout? ouy c'est tout.* Gallicismus igitur est phrasis ista, quæ Scriptorem hujus Operis Gallum prodit. In tantum autem huic authori placuit Gallicismus ille in barbaram Latinitatem translatus, ut eandem interrogationem iterum repetierit, hujus libri seu Sermonis n. 5. *Ille cœpit cogitare secum & dicere, hoc est totum?*

Libro 2. *de Sacramentis* cap. 5. juxta nos Serm. 3. n. 5. *Primum quidem sententiam tulit in hominem*, terra es & in terram ibis: *& morti fecit obnoxium. Erat ergo divina sententia, sorti humanæ conditione non potest. Infra, satisfactum ergo sententiæ videbatur, quando homo &c.* Denique sub ejusdem numeri finem: *Satisfit ergo sententiæ, sine mortis stupore. Quod mergeris, solvitur sententia ista*, terra es & in terram ibis. *Impleta sententia, locus est beneficio.* His ex verbis *Sententia* tam sæpe repetitis, pro divino quo sanxit homini mortem decreto suo Deus: intelligi facile potest, hominem Gallum fuisse, atque Gallicismum esse phrasim istam tam frequenter repetitam. Nam apud Gallos decretum mortis, vulgo *Sentence de mort* appellatur. *Sententia* autem apud Latinos, idem cum sensu seu opinione de re quapiam, non autem pro decreto mortis, passim usurpata est.

Libro 3. *de Sacramentis* cap. seu Sermone 4. n. 2. *Sed tamen homines & nos sensum habemus.* Hæc phrasis mihi olere videtur Gallum Scri-

ptorem, atque præ se ferre Gallicismum, *mais nous hommes aussi, avons du sens.* Vbi ex usu Gallicæ linguæ, quo eleganter dicitur, *sensum* ibi accipit pro intelligentia seu perceptione rerum Spiritualium seu intellectualium. Capite quoque 3. seu num. 3. hæ phrases Latine barbaræ, *Venire habes ad altare: quoniam venisti, videre habes &c.* Gallicismi mihi videntur, seu ex idiomate linguæ Gallicæ, ubi elegantes sunt, latinizatæ: Vous avez à venir à l'Autel, puisque vous y estes venu, vous devez voir &c. quæ Gallum Scriptorem indicant.

Libro 4. de Sacramentis cap. 4. seu Sermone 5. n. 4. *Cecident ferrum securis in aquas, quasi ferrum sua consuetudine demersum est. Misit lignum Elisæus, statim ferrum elevatum est & aquis supernavit contra consuetudinem ferri.* Ex Gallico quoque idiomate phrasis hæc seu barbarus modus Latine loquendi, videtur desumptus; ubi in lingua Gallica sæpius *consuetudinem* pro natura eleganter sumimus. Ita Gallice hæc phrasis, *comme fer selon sa coutume*, vel *selon sa nature, il descendit au fond. Elisa jetta la coignè, incontinent le fer s'eleva, & nagea sur les eaux contre la coutume, ou contre la nature du fer.* Hæc ex eloquenti dicendi modo Gallico, in barbaram latinitatem, a Scriptore Gallo barbaro, conversa videntur.

Libro 5. *de Sacramentis* cap. 1. seu Sermone 6. cap. 1. *Vbi sunt qui Filium Dei dicunt esse de tempore?* Ou sont ceux qui disent *que le Fils de Dieu est du temps?* Ibidem, *Sed non est plus figura quam veritas: mais la figure n'est pas plus que la verité.* Postea, *Jussit Deus Moysi, ut tangeret petram de virga, Dieu commanda à Moyse de toucher la pierre de sa verge.* Denique eodem numero, *Tunc unus de militibus, lancea latus ejus aperuit: Alors un des Soldats ouvrit son costé avec sa lance.* Hic unicus hujus libri seu Sermonis numerus, sufficiens mihi videtur ad ostendendum Scriptorem horum Opusculorum seu Sermonum, esse Gallum: qui plurimas phrases Gallica lingua elegantes, ex materno idiomate, pro suggestu in barbaram, juxta seculum quo vixit, latinitatem transtulerit. Nam *esse de tempore, tangere de virga, unus de militibus*, phrases ex Gallico idiomate Latinæ factæ mihi videntur.

Libro 6. de Sacramentis cap. 2. seu Serm. 7. n. 2. *Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti &c.* Gallice & eleganter, *Vous avez donc receu des Sacrements:* Sacramenta nimirum baptismi ac corporis & sanguinis Domini, quod in miseram Latinam phrasim contorsit. Ibidem postea, *& illud tenete, ipsum esse Spiritum Sanctum*, pro his, *memoriæ mandate:* Gallice atque eleganter, *Et retenez cela, qu'il est le Saint Esprit.* Cap. seu n. 3. *Non ergo de labiis tantummodo tua procedat oratio*, pro *ex labiis.* Gallico idiomate eleganti, *Que vostre oraison donc, ne sorte pas seulement des levres.* Cap. seu num. 4. *de consuetudine hominum sumamus exemplum*, Gallice & eleganter *Prenons un exemple de la coutume des hommes:* quam dicendi rectam Gallice rationem, in barbarismum latinitatis traduxit. Alia forsitan & sunt, quæ Gallum horum Opusculorum Pseudo-Ambrosianorum parentem prodant: verum allata hactenus, hujus thesis veritatem unicuique, ut opinor, abunde persuadebunt.

CAPVT QVINTVM.

QVO TEMPORE ISTE ANONYMVS GALLVS EPISCOPVS, HOS TRACTATVS SCRIPSERIT.

QVo præcise tempore hi Tractatus seu Sermones conscripti sint, quamvis inter authores controversum sit, nullo ut opinor negotio inveniemus.

1. Cum anno seculi octavi 752. Zacharias Romanus Pontifex, consultus a Pipino, *Childericum Regem Pontificio decreto* abdicasset, & Pipinum Francorum Regem data auctoritate instituisset, Bonifacio Moguntino & Burchardo Wirtzeburgensi præcipuis auctoribus: re executioni mandata, Pipinus in compensationem Regni a Romano Pontifice sibi collati aut procurati, Romanos ritus in Gallicanam Ecclesiam inducere voluit. Anno maxime 754. cum Stephanus II seu III Zachariæ successor in Gallias adventans, Pipino detentori regnum expulso Childerico occupatum, suo calculo approbavit. Istud expresse habet Carolus Magnus libro 1. *de Imaginibus* cap. 6. At sive brevior Stephano Papæ in Galliis fuerit mora, quam ut tantum negotium executioni mandari posset: sive ille de Longobardis pellendis magis, quam de Ritibus Romanis in Galliam inducendis, re utpote sibi magis utili, curaret: res ista effectu caruisse videtur, ut ex ipsis Caroli Magni verbis colligere est. Reservatum id erat larvatæ Caroli Magni ac superstitiosæ pietati. Cum enim ille anno 774. ut dictum est, Italiæ regnum, procurantibus potissimum ob utilitatem suam Romanis Pontificibus, regno Franciæ adjunxisset, tum beneficium beneficio compensaturus, tum ut hac ratione, & Italos sibi fideliores redderet, & interventu atque benevolentia Romanorum Episcoporum, subjectos sibi magis experiretur; utile sibi Carolus Rex arbitratus est, suisque commodis conveniens, si Romanas consuetudines, cantum, officia, liturgiam, in Gallias sub pietatis prætextu induceret. Vt reciprocis inter Romanum Episcopum & Galliarum regem lucris, quemadmodum temporale Galliarum regnum & auctoritas in Italiam extendebatur: ita Spiritualis Italorum Pontificum disciplina, cultusque sacer, apud Gallicam gentem propagaretur. Hæc pauca de inductione Romanarum consuetudinum, & liturgiarum, aliorumque rituum in Galliam: quod anno vel post annum 774. contigisse certum est. Se-

cula

culo autem sequente seu nono, tantæ jam oblivioni Officium ac Missa Gallicana data erant, ut cum Carolus Calvus illam coram se celebrari voluisset: ad appellandos Hispanos ex Toletanæ Ecclesiæ partibus compelleretur, qui Sacra ejusmodi Gallicana (eadem enim in plurimis cum Toletanis erant) celebrarent. Ita Carolus Calvus Imperator in Epistola ad Clerum Ravennatensem, scribens. *Usque ad tempora avi nostri Pipini, Gallicana Ecclesia aliter, quam Romana vel Mediolanensis Ecclesia, divina celebrabant officia: sicut vidimus & audivimus ab eis, qui ex partibus Toletanæ Ecclesiæ ad nos venientes, secundum morem ipsius Ecclesiæ, coram nobis sacra officia celebrarunt. Celebrata etiam sunt coram nobis, Missarum officia more Hierosolymitano, auctore Jacobo Apostolo: & more Constantinopolitano, authore Basilio: sed nos sequendam duximus Romanam Ecclesiam in Missarum celebratione.* Nec opponat forsitan aliquis, Scriptorem hunc allegare veterem Liturgiam Gallicanam libro 4. *de Sacramentis* cap. 5. seu Sermone 5. n. 5 *Dicit Sacerdos, fac nobis hanc hostiam adscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.* Ergo non in omnibus *excepta lotione pedum*, sequebatur typum & formam Ecclesiæ Romanæ, quæ in ordine & canone Romano non habebat has voces, *quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.* Respondeo inde tantum non infirmari sententiam nostram, qua Scriptorem hunc inter annum 774. & 800. collocamus, sed etiam confirmari. Cum enim fuerit non multo post susceptas in Gallia Romanas ceremonias, antiquæ quoque Liturgiæ Gallicanæ, quæ eadem cum Mosarabica erat, mentionem fecit: quam adhuc memoria tenebat, & quam nimirum dudum forsitan in usu & consuetudine, antequam abrogaretur, habuerat. Non ergo longe aberat a temporibus antiquæ Liturgiæ Gallicanæ, cujus olim observatæ, verborum adhuc recordabatur. Dum ergo Gallicanæ adhuc veteris Missæ pauca quædam Canonis verba adducit, Synagogam ut ita loquamur, cum honore sepelit.

2. Albertinus vir multæ eruditionis atque judicii lib. 2. *de Sacramento Eucharistiæ* in *Pseudo-Ambrosio* cap. 1. pag. mihi 509. spectare ad seculum septimum opinatus est, *Ego censeo illos esse auctoris seculi septimi, ex Tractatu Ambrosii* de his qui initiantur, *explicato consarcinatos: & propter similitudinem Ambrosio attributos, cum rapsodi nomen ignoraretur.* At Johannes Dallæus libro 3. *de confirmatione* cap. 8. pag. mihi 240. post Abbatis sancti Cygiranni rationem confutatam, amplexamque Sirmondi mentem, hunc Scriptorem seculo Ecclesiæ dormientis octavo adscribit, & recte quidem. *Nos vero hunc Scriptorem etiam infra seculum septimum dejiciendum, & inter octavi seculi Scriptores ablegandum existimaremus, si dictata ipsius verba non aliter, quam vult Petrus Aurelius, intelligi possent. Non enim Roma excepta, duplicem illam chrismationem alibi usquam in Occidente, ante octavum seculum, usitatam fuisse reperimus. Hic quidem certe Scriptor unam unctionem clarissime commemorat, eam scilicet quam Aurelius a Presbytero vult in vertice factam fuisse: illam alteram quam idem* Episcopalem *vocat, non describit, neque usquam exserte ponit.* Cum Dallæo autem ac Petro Aurelio seu Abbate Sancti Cygiranni, Scriptorem hunc Gallum Anonymum, sub Seculi octavi finem, multis nec ut mihi videtur contemnendis argumentis, collocamus. Rem ut aggrediamur probandam, Auctoris verba ac dicta, cum discussione seria perpendamus. Lib. 3. *de Sacramentis* cap. 1. seu Sermone 4. num. 2. *Non ignoramus quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur & formam.* Tum postea, *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus &c.* Constat igitur Scriptorem hunc, seu Tractatus hos seu Sermones edidisse, postquam Ecclesiæ Gallicanæ admiserant Romanas Ecclesiæ consuetudines, cantum, officia & ceremonias, quas excerpta pedum lotione, sequebatur in omnibus. Atqui hoc factum non est, antequam Carolus Magnus Longobardis devictis, Italiæ regno potiretur, atque in Regem ab Romanis admissus esset, quod anno 774. ex accuratioribus Chronologis contigit, integro post acceptum Franciæ regnum sexennio. Ergo ante annum 774. hic Anonymus Galliarum Scriptor, hos Tractatus seu Sermones non habuit. Evidens certe omnibus attente considerantibus, argumentum videbitur. Clarum enim ex verbis Scriptoris, hos esse compositos, post susceptos in Ecclesia Gallicana Romanos ritus, *cujus typum in omnibus sequimur & formam.* Clarum quoque ab regno Italiæ Carolo Magno, interventu Romanorum Pontificum collato, hos ritus Romanos in Galliam omnem introductos: ex libro 1. *de Imaginibus* cap. 6, ubi id diserte Carolus Magnus affirmat, quem hic verbotenus ad amovendam omnem ambiguitatem repetierem, nisi jam cap. 4 num. 2. hoc factum fuisset. Vnde mirum, quod hucusque nullus, tam evidenti argumento, ad epocham Scriptoris assignandam, attenderit. Inter annum itaque 774. & 800. collocandus certo hic Anonymus videtur. Aggressus quidem antea fuerat Rex Pipinus, ut Romanæ Ecclesiæ ritus atque formam in Gallicanas Ecclesias induceret, sed incassum: reluctantibus ut opinamur plebe, vel Episcopis, & Sacerdotibus.

3. Anonymus hic Gallus sequitur *Ordinem Romanum* in omnibus Baptismi ritibus excepta lotione pedum, ut diserte ipse inquit. Cum vero Opusculum istud *Ordinis Romani* conscriptum sit, postquam Romani Pontifices, jugo Longobardorum, mediantibus Galliarum Regibus Pipino & Carolo Magno, exempti sunt: liquet Anonymum qui eum sequitur, qui imitatur, claruisse nonnisi sub Seculi octavi finem. Quisquis autem attente legere voluerit tum Tracta-

Tractatum *de initiandis*, tum libros 2. & 3. *de Sacramentis* locis citandis, inveniet Anonymum noſtrum, admiſiſſe juxta *Ordinem Romanum* duplicem in baptiſmo unctionem: id quod Abbas Sancti Cygiranni merito affirmarat, perperam vero loco citato Joannes Dallæus negavit. Vt Abbatem ſancti Cygiranni in Biturigibus, Vergerium ſub nomine *Petri Aurelii* latentem defendam contra Dallæum, exponamus *Ordinis Romani* propria verba, ut de tota re æquius judicemus. In ſecunda voluminis parte, ubi proprie *Ordo Baptiſmi* traditur, ita loquitur Bibliothecæ Patrum editionis Pariſienſis anni 1610. Tomo X pag. 82. C. „*Vt autem ſurrexerint a fonte* „(nimirum infantes tincti) *illi qui eos ſuſcipiunt,* „*levantes ipſos infantes in manibus ſuis, offerunt uni* „*Presbytero. Ipſe vero Presbyter facit de chriſmate* „*crucem cum pollice in vertice eorum ita dicendo:* „Deus omnipotens, pater Domini noſtri JEſu „Chriſti, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu „Sancto, quique dedit tibi remiſſionem omnium „peccatorum, ipſe te linit chriſmate ſalutis in „Chriſto Jeſu Domino noſtro, in vitam æternam. Ibidem pag. 83. A. Tum ſedens in Sacrario Pontifex, dat ſingulis infantibus ſtolam „candidam & chriſmale & decem ſiliquas, dicens: *Accipe veſtem candidam & immaculatam,* „*quam perferas ante tribunal Domini noſtri JEſu* „*Chriſti, in vitam æternam. Pax tibi.* Reſpondent, Amen & ſic veſtiuntur. Ibidem littera „B. Paulo poſt Pontifex, quod jam ſupra recitavimus, elevata & impoſita manu ſuper capita „omnium, dat orationem ſuper eos, cum invocatione ſeptiformis gratiæ Spiritus Sancti, „*Omnipotens ſempiterne Deus, qui regenerare digna-* „*tus es hos famulos & has famulas tuas, ex aqua &* „*Spiritu Sancto, quique dediſti eis remiſſionem omni-* „*um peccatorum, emitte in eos ſeptiformem Spiritum* „*tuum Sanctum, Paracletum de cœlis. Amen. Spiri-* „*tum ſapientiæ & intellectus, Amen. Spiritum conſi-* „*lii & fortitudinis, amen. Spiritum ſcientiæ & pie-* „*tatis, amen. Adimple eos Spiritu timoris tui, amen.* „*Et conſigna eos ſigno crucis Chriſti, in vitam propi-* „*tiatus æternam.* Denique inquit, Oratione expleta interrogantibus Diaconibus nomina ſingulorum, Pontifex tincto pollice in Chriſmate, „facit crucem in frontibus ſingulorum ita dicendo: *Confirmo te in nomine Patris & Filii &* „*Spiritus Sancti.* Confirmatis omnibus; verſi„busque aliquot e Pſalmorum libro dictis, ita „pro iis precatur: *Deus qui Apoſtolis tuis Sanctum* „*dediſti Spiritum, & per eos eorumque ſucceſſores ca-* „*teris fidelibus tribuendum eſſe voluiſti, reſpice propi-* „*tius ad humilitatis noſtræ famulatum, & præſta, ut* „*eorum corda quorum frontes ſacro baptiſmate deli-* „*nivimus, & ſigno crucis deſignavimus, idem Spiri-* „*tus Sanctus adveniens, templum gloriæ ſuæ dignan-* „*ter habitando perficiat.* „ Ex hoc igitur Ordine Romano, poſtquam e ſacro fonte ſurrexerint baptizati, 1. in vertice a Presbytero unguntur, 2. accipiunt ſtolam candidam & chriſmale, 3. unguntur iterum a Pontifice in fronte per modum crucis. Vbi duplex omnino diſtincta unctio, inter quam utramque, acceptio ſtolæ candidæ fit. At juxta Abbatem Sancti Cygiranni ſeu Petrum Aurelium, cum idem omnino Ordo rituum apud Anonymum Gallum inveniatur, lotione pedum excepta: eadem etiam duplex unctio, atque etiam magis diſtincta, quam in Ordine Romano habetur. Nam in Tractatu *de iis qui Myſteriis initiantur* cap. 6. *primo* narratur unctio in Capite, juxta illud Pſalmi 132. *Sicut unguentum in capite* &c. *Secundo* narratur poſt unctionem hanc primam lotio pedum Gallicanis Eccleſiis propria, tum cap. 7. ſicut in Ordine Romano dicit, *Accepiſti poſt hæc veſtimenta candida* &c. Factis igitur poſt unctionem capitis ſeu primam, tum lotione pedum, tum veſtimentorum candidorum indumento, unctio altera fit, ut inquit Anonymus ſub finem ejusdem capitis: *repete quod accepiſti ſignaculum ſpiritale, Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilii atque virtutis, Spiritum cognitionis atque pietatis, Spiritum Sancti timoris: & ſerva quod accepiſti.* Quæ de ſecunda unctione, iisdem verbis, in *Ordine Romano* dicta ſunt. Quod autem in Opere *de iis qui initiantur* brevius dictum fuit, id latius paulo diſtinctiusque in libris *de Sacramentis* explicatum eſt. Nam libro 2. *de Sacramentis* cap. 7. de prima unctione verticis agit, ſicut & libro 3. cap. 1. ſub initium. Poſtmodum loquitur per totum caput *de lotione pedum*, quæ primam hanc unctionem ſecuta eſt, ut ex allato libro *de initiandis* patet. Denique lib. 3. cap. 2. agit de unctione ſecunda, quæ *Epiſcopalis* dicitur: *Sequitur ſpirituale ſignaculum &c.* eadem Iſaiæ verba adducens. Admittit igitur ſicut *Ordo Romanus*, mentionem in baptiſmo duplicem Anonymus, unde poſt annum 774. ſcripſiſſe illum concludimus.

4. Conſtat ex ipſa confeſſione Monachorum Benedictinorum, qui anno 1688. Operibus ſancti Ambroſii Mediolanenſis Archiepiſcopi edendis inſudarunt Pariſiis, tomo 2. in *Admonitione* ad libros *de Sacramentis* prævia col. 348. ſub finem ut cap. 1. num. 1. Diſſertationis hujus diſſeruimus, hos ſeptem Tractatus ſeu Sermones, compoſitos & pronuntiatos fuiſſe per octavam Paſchatis a feria 2. usque ad Dominicam in Albis, ad fontes ipſos baptismales, præſentibus recenter baptizatis. Iſta autem obſervantia feſti Paſchalis per omnem Octavam, plebe omni Chriſtiana, ab opere omni ſervili abſtinente, antiqua & ſingularis Eccleſiarum Galliæ fuit, quæ a Seculo VI obtinuit, ex Tomo V Conciliorum Labbeanæ Pariſienſis editionis anni 1671. Nam in Concilio Matiſconenſi II an. 585. celebrato Canone 2. Feſtum Paſchatis celebrabatur prô octiduum. *Debemus omnes feſtiviſſime colere & ſedula obſervationis ſinceritate in nobis venerari, ut illis ſanctiſſimis ſex diebus, nullus ſervile opus audeat facere, ſed omnes ſimul coadunati, hymnis Paſchalibus indulgentes, perſeverationis noſtræ præſentiam quotidianis ſacrificiis oſtendamus, laudantes creatu-*

rem

rem & regeneratorem noſtrum veſpere, mane & meridie. Iſta autem obſervantia Feſti Paſchalis per omnem octavam obtinuit usque ad tempora Caroli Magni, regis Franciæ, Italiæ & Imperatoris, imo poſt mortem etiam ipſius, ut liquet ex Capitularibus ipſius. In Capitularibus quoque Ahitonis Baſileenſis Epiſcopi, qui ſub Carolo Magno floruit atque Conſiliarius fuit, ab anno circiter 800. usque ad 822. clarus, quæ pro Presbyteris Epiſcopatus ſui conſcripſit, atque anno 1669. Lucas de Acherio *Spicilegii* tomo 6. pag. 691. edenda ſategit, hæc de Paſchali Feſto cap. 7. per octavam integram a plebe celebrando habentur, quæ hic etiam tranſcribere nos, non poenituit. *Septimo, ut ſciant tempora legitima ad baptizandum in anno, id eſt Sabbato Sancto Paſchæ, ut illa trina merſio in baptiſmate imitetur triduanam mortem Domini, clariſicatam reſurrectione. Et idcirco usque ad octavam diem ipſa regeneratio ſacra ab omni populo Chriſtiano celebrabitur.* Cum igitur hi tractatus ſeu ſermones in MSS. omnibus Galliarum, ſub nudo nomine *Sancti Ambroſii Epiſcopi*, habeantur ætate Caroli Magni conſcripti, atque etiam a Paſchaſio Ratberto & Ratramno Monacho Corbeienſi, ſub eodem nomine ſæpius in Opuſculis ſuis *de Sacramento Corporis Chriſti* citati: ac alius nullus Galliarum Epiſcopus fuerit, qui ætate Caroli Magni ſanctitate floruerit, niſi Sanctus Ambroſius Caturcenſis Epiſcopus, faſtis Romanis & Gallicanis inſcriptus: hinc patet evidenter S. Ambroſium Caturcenſem Epiſcopum fuiſſe horum Sermonum Scriptorem, qui illos ætate Caroli Magni, in Eccleſia Caturcenſi vel Bituricenſi vel alibi, per octavam Paſchatis ad fontes baptiſmales coram recenter baptizatis pronuntiaverit. Vide Anſegiſum Abbatem Lobienſem, qui Capitularium Caroli Magni *de rebus præſertim Eccleſiaſticis* volumen collegit atque in quatuor libros digeſſit, quibus tamen incautus, aliquot Ludovici Pii dictus Abbas admiſcuit, qui prodierunt a Petro Pithæo editi Pariſiis 1588. Moguntiæ 1602, a Sirmondo Pariſiis 1640, & ut alias editiones taceam, a Baluzio recogniti & Notis illuſtrati Pariſ. 1677. 2 voll. in fol. Extat hæc Conſtitutio *de Feſtis* tempore Caroli Magni in *Capitularibus Anſegiſi Abbatis* lib. 1. cap. 158. ubi magnum Paſchæ Feſtum *per octo dies* celebrandum ſtatuitur. De Anſegiſo Capitularium collectore Centuriatores Magdeburgenſes *Centuria Octava* cap. 6. columna mihi 379. lin. 21. Baronius in *Annalibus Eccleſiaſticis* Tomo IX ad annum 829. num. 5. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei litterariæ* Seculo Photiano ad annum 828. pag. 522. editionis Londini 1688. apud Richardum Chiswell.

CAPVT SEXTVM.

SANCTVS AMBROSIVS CATVRCENSIS EPISCOPVS HORVM OPERVM SCRIPTOR MVLTIS RATIONIBVS ET CONJECTVRIS STATVITVR.

PRogreſſi ſumus hucusq; in inquiſitione Scriptoris iſtorum Opuſculor. jam reſtat quærendum, aliquo ne cognoſci poſſit veſtigio, quis nominatim horum Operum Author extiterit. Cum autem totus in Archiepiſcopis & Epiſcopis Galliarum volvendis recenſendisque detinerer: unicus duntaxat occurrit mihi Ambroſius nomine Caturcenſis Epiſcopus, quem ex rationibus & conjecturis, horum Tractatuum authorem, ſtatuere poſſem. Videbunt igitur Lectores benevoli, an conjecturæ iſtæ valeant ac idoneæ ſint, ad Ambroſium Caturcenſem Epiſcopum, qui ſub Carolo Magno Francorum Rege ab anno circiter 770. ad 790. & ultra floruit, Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo his in libris ſubſtituendum. Si quis quidquam firmius invenerit, aut ex reconditis alium orbi litterario Authorem aperuerit, ambabus ulnis, conjecturis meis reformatis amplectar. De Ambroſio Caturcenſi iſto, ita Fratres Sammarthani, Tomo 2. *Gallia Chriſtiana* in Epiſcopis Caturcenſibus. *Anno 770. S. Ambroſius rexit Eccleſiam Caturcinam tempore Pipini*, (dic Caroli Magni) *ut indicat vetus Sanctorale Caturcenſe, cujus frequenter legere eſt apud Cruceium. Avarici habet Eccleſiam Parochialem & Abbatialem Canonicorum Regularium ſancti Auguſtini. Inſcribitur in faſtis Romani Martyrologii 16. Octobris, ubi legitur*, In territorio Bituricenſi Sancti Ambroſii Caturcenſis. Hujus Epiſcopi habes duplicem impreſſam, unam ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ Bituricenſis Breviario, ad diem 16. Octobris: alteram ex apographo Franciſci Bosqueti Montispeſſulani Epiſcopi Tomo 2. *Novæ Bibliothecæ Manuſcriptorum librorum* Philippi Labbei, editionis Pariſienſis 1657. in folio apud Cramoſios Fratres, paginis 346 & 347. inter Vitas Sanctorum ad Eccleſiam Bituricenſem ſpectantium: & ibidem in *Patriarchio Bituricenſi* cap. 36. ſub Sigino 36. Biturigum Archiepiſcopo paginis 57. & 58. ubi anno 788. claruiſſe dicitur. Guillelmus Cruceus Caturcenſis cauſarum patronus, in *Hiſtoria rerum Caturcenſium ab Epiſcopis in Eccleſia geſtarum* Caturci anno 1626. in 4. edita, de Ambroſii Vita agit a pag. 32. ad 39. quem ab anno 751. ad 770. in Eccleſia Caturcenſi collocat, ſed male: vix enim ante annum 770. ut Sammarthani Fratres ſcribunt, ad 790. vel 800. temporibus illis obſcuriſſimis præſediſſe creditur. Nihil facor, quo hoc diſerte ſtabiliam habeo, nullusque huc usque mihi apparuit, qui hunc Ambroſium Caturcenſem Epiſcopum Scriptoribus Eccleſiaſticis accenſuerit. Imo obſcuri nominis hic Antiſtes, cujus Acta quod ſciam, licet MSS. multis in locis, recenter in publicum prodierunt. Fuit tamen ex ejus Legenda, temporibus Pipini & Caroli Magni, inter annos 760. ad 790. vel 800. ob ſanctitatem celeberrimus, quamobrem faſtis Romanis annumeratus ſit. Ut autem hos Tractatus ipſi adjudicem, hæ me rationes ſeu conjecturæ movent.

2. Primum autem MSS. Codices qui plurimi

in Bibliothecis reperiuntur, vel anonymi sunt, vel cum nomine simpliciter *Ambrosii* vel *Sancti Ambrosii*, nullique qui adjiciant vel determinent *Mediolanensis Episcopi vel Archiepiscopi*. Neque etiam quod sciam ante Algerum & Hugonem Victorinum, seculo XII medio scribentes, ullus expresse sub *Ambrosii Mediolanensis Archiepiscopi* nomine adduxit. Nec Paschasius vel Ratramnus seculo IX scribentes, & libros istos allegantes, per *Ambrosium* a se citatum, illum *Mediolanensem Archiepiscopum* ullo modo determinarunt, sed nude tantum *Ambrosium* vel *Ambrosium Episcopum* appellarunt. Cum itaque uterque *Episcopus*, cum uterque *Sanctus* Romanis fastis adscriptus: cum MSS. Codices vel *Ambrosii* tantum *Episcopi*, nihil de *Mediolanensi* determinantes habuerint: inde facillima occasio fuit posteris, ac seculo etiam nono scribentibus, ut Ambrosium unum pro altero, Gallum pro Italo, Episcopum pro Archiepiscopo, Sanctum pro Sancto, acciperent ac citarent: prænomine *Sancti* & nomine *Ambrosii*, ad errorem facti, incautos promoventibus. Vt enim a majore lux minor, ita ab *Ambrosio Mediolanensi Archiepiscopo* omnibus decantato, *Ambrosius Caturcensis Episcopus*, paucis notus, suppressus est. Neque id in Historia novum, ut Scriptor Scriptorem ejusdem nominis, fama inferiorem extinxerit: nec insolitus in natura, ut piscis piscem, major minorem devoraverit. Ex ipsis *Ambrosio Mediolanensi Archiepiscopo* attributis, jam ad alium *Ambrosium* spectantibus, exemplum sumamus. Inter Opera *sancti Ambrosii Mediolanensis Archiepiscopi* extat liber *de conflictu vitiorum & virtutum*, qui ob nominis errorem *Mediolanensi Ambrosio* in plurimis MSS. Codicibus reperitur. At spectare ad eum nullatenus potest, cum in dicto Opusculo, fiat mentio Regulæ D. Benedicti: quod optime quadrat in Ambrosium Autpertum, Monasterii sancti Vincentii ad Vulturnum positi Abbatem. *Autpertum Ambrosium* enim vocatum fuisse constat, ex hoc nomine quod profert *Expositio ejus in Apocalypsim*. Chronographus quoque Sancti Vincentii ad Vulturnum, editus Seculo 3. Sanctorum Ordinis divi Benedicti parte 2. pag. 259. & seqq. Sectione vel num. 7. plures enumerans ejus lucubrationes, in his librum *de conflictu vitiorum & virtutum* accenset. Si ergo Ambrosius Autpertus seculo 8. vivens, anno 778. die 19. Julii mortuus, ab *Ambrosio Mediolanensi* absorptus quodam modo est: cur non *Ambrosius Gallus, Caturcensis Episcopus*, ejusdem seculi 8. definentis scriptor, *Autperto* absorpto synchronus, ab eodem *Mediolanensi Archiepiscopo* ob famam ac celebritatem, quoad Tractatus *de Mysteriis & Sacramentis*, absorberi vel supprimi potuit? Nam cum seculum istud ob scientiam obscurissimum fuerit, hinc Operum paucissima illius, ad seculum 9. pertransisse. Legentes igitur Paschasius & Ratramnus cum aliis sequentibus, nomen *Ambrosii Episcopi* vel *Sancti Ambrosii*, neque Ambrosium Caturcensem Episcopum de fama vel nomine noscentes, oscitanter ac inadvertentes, Tractatus istos *Ambrosii Mediolanensis Archiepiscopi* opinati sunt, posterisque nihil discutientibus, indubitatum dimiserunt.

3. Characteres porro omnes his Opusculis convenientes ac speciales, apprime absque ulla vi vel tortura *S. Ambrosio Caturcensi Episcopo*, ut enumeratione patet, adaptari possunt: quorum tres vel quatuor præcipui videntur, *Tempus Episcopatus, Gallicismi cum barbarismis*. Quoad *tempus* autem, certum est Opuscula hæc esse non posse ante seculum octavum, ut supra pluribus probavimus hujus Dissertationis cap. 5. Ita ex Opusculis ipsis lib. 3. *de Sacramentis* cap. 1. seu Sermone 4. num. 2. *Non ignoramus, quod Ecclesia Romana hanc consuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus sequimur & formam.* Tum postea, *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam, sed tamen & nos homines sensum habemus &c.* Item quoque constat, quod Scriptor horum Sermonum allegat Ordinem Romanum, sub seculi octavi finem, vel circiter compositum, atque ob rationes alias ibidem allatas. Atqui tempore quo Opuscula ista producta inveniuntur, Ambrosius unicus, sub iisdem Galliarum Regibus, qui Italicos ritus in Gallicanam Ecclesiam ratione politica magis quam religiosa induxerunt, invenitur: ob sanctitatem celebris & fastis Romanis adscriptus, Caturcensis Episcopus. Probabile igitur est, hos septem Tractatus seu Sermones *de Mysteriis & Sacramentis*, jam Seculo IX sub *Ambrosii vel sancti Ambrosii* nomine Manuscriptos & citatos ab ejusdem Seculi Scriptoribus, esse hujus *Ambrosii Galli, Caturcensis Episcopi*. Jam quoad Scriptoris dignitatem, constat eum non fuisse Mediolanensem Archiepiscopum, sed neque alium (ut opinor) quempiam Galliæ Metropolitanum. Si enim ipse Metropolitanus fuisset, a qua quæso alia Ecclesia, consuetudines & ritus Romanæ Ecclesiæ accepisset? Maxime, cum nulla lege Metropolitanæ Ecclesiæ Galliæ tenerentur, conformari Arelatensi Ecclesiæ tunc Galliarum omnium Primatiali, quæ consuetudinem hanc lavandi pedes Neophytis observabat, ut ex illius Archipræsulis Cæsarii Sermonibus constat. Simplicem itaque se Episcopum seu suffraganeum dicit, dum alterius imitationem sibi proponit: *ideo quod alibi rectius servatur, & nos recte custodimus.* Hæc vero recte convenire possunt *Ambrosio Caturcensi Episcopo*, qui suam imitabatur vel Metropolim, vel Primatialem sedem. *Tertio* Gallum fuisse hunc Scriptorem abunde ut arbitror probavimus cap. 4. ratione 1. ubi *de ablatione pedum locuti sumus*, tum cap. 5. ubi de ritibus Italorum a Gallis sub seculi octavi finem receptis, ad instantiam Pipini & Caroli Magni Franciæ Regum, ibidem ratione 2. egimus. Denique cap. 2. plurimas expressiones Gallica lingua elegantes, in Latinam linguam barbarice translatas ab hoc authore, Gallicismos appellatas

tas, ut ſe Gallum probaret, expoſuimus. Id unum objici poteſt, neminem eorum qui *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* egerunt, ullam unquam *Ambroſii* hujus mentionem feciſſe, inter Auctores ſuos. Hoc fateor, nec mirum, nam ab Iſidoro usque ad Sigebertum & Honorium Auguſtodunenſem, hunc incipiente ſeculo XII, illum medio ſcribentem: nullus qui *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* ſcripſerit, invenitur. Tanta autem intercapedo ab octavo ceſſante ſeculo ad duodecimum incipiens, ut Ambroſius ille ab altero ut diximus Mediolanenſi Archiepiſcopo ſuppreſſus, facillime in oblivionem mitti potuerit; maxime cum ſeculo jam nono, Ratramni atque Paſchaſii temporibus, hæc Opuſcula eſſe Mediolanenſis Archiepiſcopi, ac tanquam genuina illius, ab utroque citata crederentur. Quis itaque velum illud, omnibus obductum, revolviſſet? Nulla tunc temporis artis criticæ praxi vel ſcientia exiſtente. Hæ meæ conjecturæ, donec certiora inveniantur, quibus ſemper obediam lubens.

ANONYMI GALLIARVM EPISCOPI,
SVB OCTAVI SECVLI FINEM SCRIBENTIS,
QVI SANCTVS AMBROSIVS CATVRCENSIS EPISCOPVS CREDITVR,
SERMONES SEV TRACTATVS SEPTEM DE SACRAMENTIS,
QVI
HVCVSQVE FALSO SVB NOMINE D. AMBROSII, LIBER *DE INITIANDIS* ET LIBRI SEX *DE SACRAMENTIS* INTER OPERA IMPRESSA, COMPVTATI SVNT.

CENSVRA
INSCRIPTIONIS *SERMONVM* SEV *TRACTATVVM.*

HVc usque ſub librorum nomine impreſſa hæc Opera ſunt, cum tamen inſtar concionum ſeu Sermonum, ac Tractatuum quotidie per octavam Paſchatis ad Neophytos habita ex ſuggeſtu ſint, ſi quis ea attente legere voluerit. Mutavimus titulum non ex levitate aut marte proprio, ſed ex Scriptore ipſo, qui ſæpe ſæpius Opuſcula hæc *Sermones* appellat. Nam Sermone 1. N. 1. *De moralibus quotidianum ſermonem habuimus, cum vel Patriarcharum geſta, vel Proverbiorum legerentur præcepta: ut his &c. Nunc de Myſteriis dicere tempus admonet &c.* Dixit igitur ſeu Sermones habuit, poſtquam de moralibus quotidianum habuerat Sermonem. Sermo 2. N. 1. *De Sacramentis quæ accepiſtis, Sermonem adorior.* N. 6. *Sed interim ſecundum fragilitatem vocis noſtræ, & ſecundum temporis rationem, ſatis ſit hodie tanta de ſacro fonte libaſſe myſteria. Cras tina die Dominus dederit loquendi poteſtatem vel copiam, plenius intimabo.* Nihil clarius, ut oſtendantur Opuſcula hæc pronuntiata pro concionibus fuiſſe. Idem Sermone 3. N. 1. *In diluvio ſignum baptiſmatis præceſſiſſe heſterno cœpimus diſputare Sermone.* Vbi diſerte Sermonem antecedentem deſignat, qui liber eſt primus *de Sacramentis*, ex prioribus illorum editionibus factis ab Eraſmo, tum poſterioribus Romanis, a Felice Cardinale de Monte alto. Nam illic cap. 6. habentur, quæ hic citantur cap. 1. Sermone 4. N. 1. *Heſterno die de fonte Baptiſmatis diſputavimus, cujus ſpecies &c.* Ex his itaque liquet, quod ſingulis diebus Sermoni Sermo alter ſuccedebat, e ſuggeſtu ad Cathecumenos pronuntiatus. Tum N. ultimo. *Ergo Fratres Dilectiſſimi, venimus usque ad altare, ad tractatum uberiorem. Et ideo quia id tempus eſt, diſputationem integram non poſſumus incipere, quia prolixior tractatus eſt. Satis ſit quod dictum eſt hodie, & craſtino die ſi Domino placet, de Sacramentis ipſis tractabimus.* Sermo 5. N. ultimo. *Interim & hodie quantum potuimus, explanavimus. Sed craſtina die Sabbatho, & Dominica de orationis ordine dicemus, quemadmodum poſſumus.* Sermone 6. N. 1. *Heſternus ſermo noſter ac tractatus, usque ad ſancti altaris Sacramenta deductus eſt. Et cognovimus &c.* Igitur ex his allegatis conſtat Sermones 6. & 7. factos fuiſſe Sabbatho Paſchatis atque ea Dominica quæ *in Albis* dicitur, alios quinque præcedentes factos eſſe absque interruptione, ab eodem authore, infra Septimanam ipſam Paſchalem, Feriis II. III. IV. V. & VI. Vnde nihil mirum quod hi ſeptem Tractatus in MSS. Codicibus ſibi ſuccedant ſemper, cum absque interruptione pronuntiati ſint, alter poſt alterum.

SERMO ſeu TRACTATVS I.
DE SACRAMENTIS
DICTVS FERIA SECVNDA PASCHATIS.
SYNOPSIS SERMONIS.

Hic Sermo diſtinctus in partes duas, quarum prima de Baptiſmo ejuſque ritibus, altera de corpore & ſanguine Domini, quod baptizatis olim ſtatim ab lavacro dabatur, non adultis tantum, ſed & infantibus. Cujus tibi brevem analyſim damus præmiſſam, abſque diſtinctione Capitum, quod in MSS. Codicibus ſerie continua hi Sermones excurrunt,

nulla Capitum divisione adhibita. Nos per numeros duntaxat divisimus hoc modo. Num. 1. *De apertione aurium & oris.* 2. *De renuntiatione facta diabolo & ejus operibus.* 3. *De aquis quæ illic videntur, quarum sanctificationem Dominus ab ipsa mundi origine præfiguravit.* 4. *In ipsis etiam diluvii aquis.* 5. *In transitu maris rubri, ab Moyse cum populo Israelitico.* 6. *In mundatione lepræ Naaman Syri.* 7. *Testimonium & fides S. Trinitatis in baptismo.* 8. *Cujus figura erat piscina Hierosolymis posita, quæ sanabat hominem ægrum.* 9. *Columba quæ in Christum descendit.* 10. *Nec in iis quæ a Sacerdotibus in baptismo fiunt, merita personarum sed officia considerandæ sunt. Ac quomodo præcipiamur æqualiter in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum credere.* 11. *Unctionem capitis post baptismum fieri: tum lotionem quoque pedum in Neophytis esse, ad Petri exemplum, qui pedes sibi a Domino lavari passus est.* 12. *Eosdem indui vestimentis albis, in indicium peccati depositi.* 13 *Quos designat Christus Cant. 4. per sponsam suam seu Ecclesiam collaudatam.* 14. *Quæ Christum ob hanc regenerationis & sanctificationis gratiam, ardentius amat.* 15. *De Communione Corporis & Sanguinis Domini, quodque antiquiora & præstantiora sint Ecclesiæ Sacramenta, quam Synagogæ.* 16. *Comparatio Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini, ad manna & ad aquas petræ.* 17. *Objectio contra veritatem corporis & sanguinis Christi, quam solvit exemplo Moysis qui virgam convertit in serpentem, atque de aliis similibus.* 18. *Consecratione fieri Corpus & Sanguinem Domini.* 19. *His Sacramentis pasci Ecclesiam a Christo, ac fertilem reddi,* 20. *Unde illa videns tantam gratiam, hortatur filios suos, ut ad Sacramenta concurrant.*

1.

DE moralibus quotidianum sermonem habuimus, cum vel Patriarcharum gesta, vel Proverbiorum legerentur præcepta: ut his informati atque instituti, assuescereris majorum ingredi vias, eorumque iter carpere, ac divinis obedire mandatis: quo renovati per baptismum, ejus vitæ usum teneretis, quæ ablutos deceret. Nunc de Mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam Sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse æstimaremur. Deinde quod inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis præcurrisset. Aperite * igitur aures, & bonis munere Sacramentorum carpite, quod vobis signavimus, cum apertionis celebrantes mysterium, diceremus, *Ephetha, quod est, adaperire:* ut venturus unusquisque ad gratiam: quid interrogaretur cognosceret, quid responderet meminisse deberet. Hoc mysterium celebravit Christus in Evangelio, sicut legimus, cum mutum curaret & surdum. Sed illi os tetigit, quia & mutum curabat & virum. In altero, ut os ejus infusæ sonum vocis aperiret: in altero, quia tactus iste virum decebat, fœminam non decebat.

Prologus.

* Idem Serm. 2. N. 1.

Ratio ista.

De apertione aurium.

Marci 7. v. 33.

Atque oris

Ibid. v. 34.

2. Post hæc referata sunt tibi Sancta Sanctorum, ingressus & regenerationis Sacrarium. Repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ex voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium. Vidisti illic Levitam, vidisti Sacerdotem, vidisti Summum Sacerdotem. Noli considerare corporum figuras, sed mysteriorum gratiam. Præsentibus Angelis locutus es, sicut scriptum est: *Quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ipsius, quoniam Angelus est Domini omnipotentis.* Non est fallere, non est negare. Angelus est qui regnum Christi & vitam æternam annuntiat, non specie tibi æstimandus est, sed munere. Quid tradiderit considera, usum ejus expende. Et statum ejus agnosce. Ingressus igitur ut adversarium tuum cerneres, cui renuntiandum mox putares, ad Orientem converteris. Qui enim renuntiat diabolo, ad Christum convertitur, illum directo cernit obtutu.

Idem Serm. 2. n. 2. & 3.

De renuntiatione facta diabolo, & ejus operibus.

Mal. 2. v. 7.

Conversio ad Orientem.

3. Quid vidisti? Aquas utique, sed non solas: Levitas illic ministrantes, Summum Sacerdotem interrogantem & consecrantem. Primo omnium docuit te Apostolus non ea contemplanda quæ videntur, sed quæ non videntur: *quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna.* Nam & alibi habes. *Quia invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, comprehenduntur: sempiterna quoque virtus, ejus ac divinitas, operibus æstimantur.* Unde & Dominus ait, *Si mihi non creditis, vel operibus credite.* Crede ergo divinitatis illic esse præsentiam Operationem credis, non credis præsentiam? Unde sequeretur operatio, nisi præcederet ante præsentia? Considera autem quam vetus mysterium sit, in ipsius mundi præfiguratum origine. *In principio ipso, quando fecit Deus cælum & terram, Spiritus*, inquit, *superferebatur super aquas.* Qui superferebatur super aquas, non operabatur super aquas? Sed dicam, operatu-

De aquis quæ illic videntur

2. Cor. 4. v. 18.

Rom. 1. v. 20.

Joan. 10. v. 38.

quarum sanctificationem Dominus præfiguravit ab ipsa origine mundi

Gen. 1. v. 2.

rabatur. Quod ad præſentiam ſpectat, ſuperferebatur. Quod autem operabatur, qui ſuperferebatur in illa mundi fabrica, cognoſce quando tibi dicit Propheta: Pſal. 33. v. 6. *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Vtrumque prophetico ſubnixum eſt teſtimonio, & quia ſuperferebatur, & quia operabatur. Quia ſuperferebatur, Moyſes dicit: quia operabatur, David teſtificatur.

In ipſis etiam Diluvii aquis. Gen. 6. v. 3. 4. Accipe aliud teſtimonium. Corrupta erat caro omnis ab iniquitatibus ſuis. *Non permanebit*, inquit Deus, *Spiritus meus in hominibus, quoniam carnes ſunt.* Quo oſtendit Deus, quia carnali immunditia, gravioris labe peccati, gratia Spiritalis avertitur. Vnde * volens Deus reparare quod deerat, diluvium fecit, & juſtum Noë in arcam juſſit aſcendere. Qui jam decedente diluvio corvum dimiſit prius, qui non revertitur: dimiſit columbam, quæ cum ramo oleæ legitur revertiſſe. Vides aquam? vides lignum? Columbam aſpicis, & dubitas de myſterio? Aqua eſt ergo qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. Lignum eſt, in quo ſuffixus eſt Dn. Jeſus, cum pateretur pro nobis. Columba eſt, in cujus ſpecie deſcendit Spiritus Sanctus, ſicut didiciſti in novo Teſtamento: Matth. 3. v. 16. qui tibi pacem animæ, tranquillitatemque mentis inſpirat. Corvus eſt figura peccati, quod exit & non revertitur, ſi in te quoque juſti cuſtodia & forma ſervetur.

Gen. 7. & 8. * Idem Serm. 2. N. 6. & Serm. 3. N. 1.

In ipſo tranſitu maris rubri, ab Moyſe cum populo Iſraëlitico. 5. Tertium quoque teſtimonium eſt, ſicut te Apoſtolus docuit: *Quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.* 1. Cor. 10. v. 1. Denique & ipſe Moyſes dicit in Cantico: Exodi 15. v. 10. *Miſiſti Spiritum tuum, & operuit eos mare.* Advertis quod in illo Hebræorum tranſitu jam tunc ſacri Baptismatis figura præceſſerit, in quo Ægyptius perlit, & Hebræus evaſit. Quid enim aliud in hoc quotidie Sacramento docemur, niſi quia culpa mergitur, & error aboletur? Pietas autem & innocentia tota * permanſit. Audis quia ſub nube fuerunt Patres noſtri? Et bona nubes, quæ carnalium refrigeravit incendia paſſionum. Bona nubes obumbrat, quos reviſit Spiritus Sanctus. Denique ſupervenit in Mariam virginem, & virtus Altiſſimi obumbravit ei, quando redemptionem genti genuit humanæ. Et illud miraculum per Moyſen in figura factum eſt. Si ergo in figura affuit Spiritus, non adeſt in veritate, cum Scriptura tibi dicat: Joan. 1. v. 17. *Quia Lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Ma-

* al. *tota manet.*

In fonte Marath dulcorato. rath fons amariſſimus erat, miſit in eum Moyſes lignum & dulcis eſt factus. Aqua enim ſine prædicatione Dominicæ crucis, ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt. Cum vero ſalutaris fuerit crucis myſterio conſecrata, tunc ad uſum ſpiritalis lavacri & ſalutaris poculi, temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyſes miſit lignum, hoc eſt, Propheta: ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam. Non ergo ſolis corporis tui credas oculis, majus videtur, quod non videtur quia iſtud temporale, illud æternum aſpicitur: quod oculis non comprehenditur, animo autem aut mente cernitur.

In inundatione Lepræ Naaman Syri. 4. Reg. 5. 6. Denique doceat te decurſa Regnorum Lectio. Naaman Syrus erat, & lepram habebat, nec ab ullo mundari poterat. Tunc ait puella ex captivis, quod eſſet propheta in Iſrael, qui poſſet eum a lepræ cotagione mundare. Sumpto igitur auro & argento, pervexit ad regem Iſrael. Qui cognita adventus ejus cauſa, ſcidit veſtimenta ſua dicens, quod tentaretur magis, cum de ſe ea, quæ non eſſent poteſtatis regiæ, poſcerentur. Heliſæus autem Regi intimavit ut ad ſe dirigeret Syrum, quo cognoſceret quod eſſet Deus in Iſrael. Et cum veniſſet, mandavit ei ut ſepties mergeretur in Jordane fluvio. Tunc ille ſecum tractare cœpit, quod meliores aquas haberent patriæ ſuæ, in quibus ſæpe merſiſſet, & nunquam eſſet a lepra mundatus: eoque revocatus non obediebat mandatis Prophetæ, ſed admonitu & perſuaſionibus ſervulorum acquievit & merſit. Mundatusque illico, intellexit non aquarum eſſe quod unusquisque mundatur, ſed gratiæ. Recognoſce nunc quæ ſit illa puella ex captivis, junior ſcilicet ex gentibus congregatio, id eſt, Eccleſia Domini. Depreſſa ante captivitate peccati, quanto libertatem adhuc gratiæ non habebat: cujus conſilio vanus ille populus nationum, verbum audivit Propheticum, de quo ante diu dubitavit: poſtea tamen ubi credidit exequendum, ablutus eſt ab omni contagio vitiorum. Et ille dubitavit antequam ſanaretur, tu jam ſanatus es, & ideo dubitare non debes.

Teſtimonium & fides Trinitatis in baptismo. infr. N. 15. 1. Cor. 2. v. 9. 7. Ideo tibi ante dictum eſt, ut non hoc ſolum crederes quod videbas, ne forte & tu diceres: Hoc eſt illud magnum Myſterium, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*? Aquas video, quas videbam quotidie: iſtæ me habent mundare, in quas ſæpe deſcendi, & nunquam mundatus ſum? Hinc cognoſce quod aqua non mundat ſine Spiritu. Ideoque legiſti quod tres teſtes in 1. Joan. 5. v. 8. Baptiſmate unum ſunt, Aqua, Sanguis &

Spiritus quia si unum horum detrahas, non stat baptisinatis Sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi? Elementum commune, sine ullo Sacramenti effectu. Nec iterum sine aqua, regenerationis mysterium est: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Credit autem etiam catechumenus in crucem Domini Jesu, qua & ipse signatur. Sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritalis gratiæ munus haurire. Ergo ille Syrius septies mersit in lege. Tu autem in gratia baptizatus es in nomine Trinitatis, confessus es Patrem, recordare quid feceris: confessus es Filium, confessus es Spiritum Sanctum. Tene ordinem rerum in hac fide, mundo mortuus es, & Deo resurrexisti. Et quasi in illo mundi es consepultus elemento, peccato mortuus, ad vitam es resuscitatus æternam. Crede ergo, quia non sunt vacuæ aquæ.

Joan. 3. v. 5.

4. Reg. 5.

8. Ideo tibi dictum est: *Quia* * *Angelus Domini descendebat secundum tempus in natatoriam, & movebatur aqua, & qui prior descendisset in natatoriam post commotionem aquæ, sanus fiebat a langvore quocunque tenebatur.* Hæc piscina in Hierosolymis erat, in qua unus annuus sanabatur. Sed nemo ante sanabatur, quam descendisset Angelus. Vt esset indicium quia descendebat Angelus, movebatur aqua propter incredulos. Illis signum, tibi fides. Illis Angelus descendebat, tibi Spiritus Sanctus. Illis creatura movebatur, tibi Christus operatur, ipse Dominus creaturæ. Tunc curabatur unus, nunc omnes sanantur, aut certe unus solus populus Christianus. Est enim in aliquibus & aqua mendax. Non * sanat baptismus perfidorum, non mundat, sed polluit. Judæus urceos baptizat & calices, quasi insensibilia vel culpam possint accipere vel gratiam. Tu baptiza hunc calicem tuum sensibilem, in quo bona opera tua luceant, in quo gratiæ tuæ splendor fulgeat. Ergo & illa piscina in figura, ut credas, quia in hunc fontem vis divina descendit.

* Idem serm. 3. n. 2. cujus figura fuit piscina quæ Hierosolymis posita, sanabat hominem ægrum. Joan. 5. v. 4.

* Algerus lib. 3. Cap. 1. & 13, 1. 9. 1. C. Non sanat.

9. Denique paralyticus ille expectabat hominem. Quem? Nisi illum Dominum Jesum natum ex Virgine, cujus adventu jam non umbra sanaret singulos, sed veritas universos. Iste est ergo qui expectabat ut descenderet, de quo dixit Deus Pater ad Joannem Baptistam: *Super quem videris Spiritum descendentem de cælo, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* De quo testificatus est Johannes, dicens: *Quia vidi Spiritum descendentem de cælo quasi columbam, & manentem super eum.* Et hic quare Spiritus sicut columba descendit, nisi ut tu videres, nisi ut tu agnosceres, columbam etiam illam quam Noë justus emisit ex arca, istius columbæ speciem fuisse, ut typum agnosceres Sacramenti? Et fortasse dicas, cum illa vera columba fuerit quæ emissa est, hic quasi columba descenderit: quomodo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem; cum secundū Græcos in specie columbæ Spiritum descendisse, scriptum sit? Sed quid tam verum, quam Divinitas, quæ manet semper? Creaturæ autem non potest veritas esse, sed species, quæ facile solvitur atque mutatur. Simul quia eorum qui baptizantur, non in specie esse debeat, sed vera simplicitas. Vnde & Dominus ait: *Estote astuti sicut serpentes, & simplices sicut columba.* Merito ergo sicut columba descendit, ut admoneret nos simplicitatem columbæ habere debere. Speciem autem pro veritate accipiendam legimus & de Christo, *Et specie inventus ut homo:* & de Patre Deo, *Neque speciem ejus vidistis.*

Joan. 1. v. 32. & 33.

Gen. 8. v. 8.

Matth. 10. v. 16.

Phil. 2. 7. Joan. 5, 37.

10. Estne adhuc quod dubitare debeas, cum evidenter tibi clamet in Evangelio Pater, qui ait: *Hic est filius meus in quo complacui.* Clamet Filius, super quem sicut columba se demonstravit Spiritus Sanctus. Clamet & Spiritus Sanctus, qui sicut columba descendit. Clamet David: *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.* Cum* tibi Scriptura testetur, quod ad Hieroboal preces, ignis descenderit de cœlo: & rursus precante Elia, ignis est missus qui Sacrificium consumpsit: non merita personarum consideres, sed officia Sacerdotum. Et si merita spectas, sicut Eliam consideras: Petri quoque merita spectato vel Pauli, qui acceptum a Domino Jesu, hoc nobis mysterium tradiderunt. Ignis illis visibilis mittebatur ut crederent, nobis invisibilis operatur qui credimus. Illis in figuram, nobis ad communionem. Crede ergo adesse Dominum Jesum, invocatum precibus Sacerdotum, qui ait: *Vbi fuerint duo vel tres, ibi & ego sum.* Quanto magis ubi est Ecclesia, ubi mysteria sunt, ibi dignatur suam impertire præsentiam. Descendisti igitur, recordare quid responderis: quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum Sanctum. Non habes illic, credo in majorem & minorem & ultimum. Sed eadem vocis tuæ cantione constringeris, ut similiter credas in Filium, sicut in Patrem credis: Similiter in Spiritum Sanctum, sicut credis in Filium. Hoc solo excepto, quod in crucem solius Domini Jesu fateris tibi esse credendum.

Psalm 28, 3.

* Nec in iis quæ fiunt a Sacerdotibus, merita personarum, sed officia consideranda sunt. * Algerus lib. 3. c. 10, 1. 9. 1. C. cum Scriptum. 3. Reg. 18.

Matth. 18. 20.

Quomodo præcipiatur in baptismo, æqualiter in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum credere.

11. Post

Vnctionem Capitis poſt baptiſmum fieri. Pſalm 132,2.

11. Poſt hæc utique aſcendiſti ad Sacerdotem, conſidera quid ſecutum ſit. Nonne illud quod ait David: *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron.* Hoc eſt unguentum, de quo & Salomon ait: *Vnguentum exinanitum eſt nomen tuum, propterea adoleſcentulæ dilexerunt te, Attrahe nos poſt te.* Quare hodie renovatæ animæ dilexerunt te Domine Jeſu, dicentes: *Attrahe nos poſt te, in odorem unguentorum tuorum currimus*, ut odorem reſurrectionem haurirent. Quare hoc fiat intellige, *Quia oculi ſapientis in capite ejus.* Ideo in barbam defluit, id eſt, in gratiam juventutis. Ideo in barbam Aaron, ut fias electum genus, ſacerdotale, pretioſum. Omnes enim in regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia Spiritali. Aſcendiſti de fonte, momento Evangelicæ Lectionis. Etenim Dominus noſter Jeſus lavit pedes diſcipulis ſuis. Quando venit ad Simonem Petrum, & ait Petrus, *Non lavabis mihi pedes in æternum:* non advertit myſterium, & ideo miniſterium recuſavit: quod gravari humilitatem ſervi crederet, ſi ſibi obſequium Domini patienter admitteret. Cui reſpondit Dominus: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Quo audito Petrus, *Domine, non tantum pedes*, inquit, *ſed & manus & caput.* Reſpondit Dominus: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, & eſt mundus totus.* Mundus erat Petrus, ſed plantam lavare debebat. Habebat enim primi hominis de ſucceſſione peccatum, quando eum ſupplantavit ſerpens, & perſuaſit errorem. Ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur: noſtra enim propria per Baptiſmum relaxantur. Simul cognoſce Myſterium ipſum humilitatis, conſiſtere in miniſterio. Ait enim: *Si ego lavi vobis pedes dominus & magiſter, quanto magis & vos debetis lavare pedes invicem vobis?* Cum enim ipſe author ſalutis, per obedientiam nos redemerit: quanto magis nos ſervuli ejus, humilitatis & obedientiæ exhibere debemus obſequium?

Cant. 1, 3. Idem Serm. 3. N. 6. Serm. 4. N. 1.

Ibidem.

Eccl. 2, 14.

1. Pet. 2, 9.

Atque lotionem pedum, ut peccatum originale tollatur. Joan. 13, 8.

Idem Serm. 4. N. 2.

Ibid. v. 14.

Neophytos indui veſtimentis albis in indicium peccati depoſiti. De conſ. diſt. 4. C. accepiſti poſt baptiſmum. Ivo 1. p. cap. 144. Pſ. 50, 9. Lev. 14, 51.

Matth. 17, 2.

12. Accepiſti * poſt hæc veſtimenta candida, ut eſſet indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ caſta velamina, de quibus dixit Propheta: *Aſperges me hyſſopo, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Qui enim baptizatur, & ſecundum legem & ſecundum Evangelium, videtur eſſe mundatus. Secundum legem, quia hyſſopi faſciculo Moyſes aſpergebat ſanguinem avis. Secundum Evangelium, quia Chriſti erant candida veſtimenta ſicut nix, cum reſurrectionis ſuæ gloriam in Evangelio demonſtraret. Super nivem dealbabatur, cui culpa dimittitur. Vnde & per Eſaiam Dominus ait: *Si fuerint peccata veſtra ſicut phœnicium, ut nivem dealbabo.* Hæc veſtimenta habens Eccleſia per lavacrum regenerationis aſſumpta, dicit in Canticis: *Nigra ſum & decora filia Hieruſalem.* Nigra per fragilitatem conditionis humanæ, formoſa per gratiam: Nigra, quia ex peccatoribus; decora, fidei Sacramento. Hæc veſtimenta cernentes filiæ Hieruſalem, ſtupefactæ dicunt, *Quæ eſt hæc quæ aſcendit dealbata?* Hæc erat nigra, unde nunc ſubito dealbata? Dubitaverunt enim etiam Angeli, cum reſurgeret Chriſtus: dubitaverunt poteſtates cœlorum, videntes quod caro in cœlum aſcenderet. Denique dicebant: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et cum alii dicerent: *Tollite portas principia veſtri, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ:* alii dubitabant dicentes, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* In Eſaia quoque habes, dubitantes virtutes cœlorum dixiſſe: *Quis eſt iſte qui aſcendit ex Edom, rubor veſtimentorum ejus ex Boſor, Speciоſus in ſtola candida.*

Cant. 8, 5.

Pſalm 23, 10.

Eſa. 63, 1.

13. Chriſtus autem videns Eccleſiam ſuam in veſtimentis candidis, pro qua ipſe (ut habes in libro Zachariæ Prophetæ) ſordida veſtimenta ſuſceperat: vel animam regenerationis lavacro mundam atque ablutam, dicit: *Ecce formoſa es proxima mea, ecce es formoſa, oculi tui ſicut columbæ.* Formoſi oculi tui ſicut columbæ, quia in ejus ſpecie Spiritus Sanctus deſcendit de cœlo. Et infra, *dentes tui ſicut grex tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro, quæ omnes geminos creant, & infœcunda non eſt in eis. Vt veſticula coccinea, labia tua.* Non mediocris iſta laudatio. Primum apta comparatione tonſarum. Capras enim & in altis paſci ſine periculo novimus, & in præruptis ſecuras cibum ſumere. Deinde cum tondentur, deonerari ſuperfluis. Harum gregi comparatur Eccleſia, multas in ſe habens animarum virtutes, quæ per lavacrum ſuperflua peccata deponant, quæ myſticam fidem & moralem gratiam deferant Chriſto, quæ crucem Domini Jeſu loquantur. In his formoſa eſt Eccleſia. Vnde ad eam Verbum Deus dicit: *Tota formoſa es proxima mea, & reprehenſio non eſt in te:* quia culpa demerſa eſt. Ades huc a Libano ſponſa, ades huc a Libano: Tranſibis & pertranſibis a principio fidei: eo quod renuntians mundo tranſierit ſeculum, pertranſierit ad Chriſtum. Et iterum dicit ad eam Deus Verbum: *Quam pulchra & ſuavis facta eſt charitas in deliciis tuis! Statura tua ſimilis facta eſt palmæ, & ubera tua botris.*

Quos deſignat Chriſtus Cant. 4. per ſponſam ſuam ſeu Eccleſiam collaudatam. Zach. 13.

Cant. 4, 1.

Cant. 4, 2.

Ibidem.

Cant. 7, 6.

14. Cui reſpondet Eccleſia: *Quia dabit*

Quæ ſponſam

te

ob hanc gratiam sanctificationis, ardentius amat. Cant. 8,1,& sq.

te fratrem, lactantem ubera matris meæ? Inveniens te foris, osculabor te, & quidem non spernent me. Assumam te, & inducam te in domum matris meæ, & in secretum ejus quæ concepit me. Vides quemadmodum delectata munere gratiarum, ad interiora cupit mysteria pervenire, & omnes sensus suos consecrare Christo. Adhuc quærit, adhuc suscitat charitatem, & suscitari sibi eâ poscit a filiabus Hierusalem, quarum gratis, hoc est animarum fidelium, sponsum in amorem sui uberiorem desiderat provocari. Vnde Dominus Jesus & ipse invitatus tanto studio charitatis, pulchritudine decoris & gratiæ, quod ablutæ nullis jam delictis sorderent: inquit ad Ecclesiam, *Pone me ut signaculum in corde tuo, ut sigillum in brachio tuo:* hoc est, Decora & proxima mea, tota formosa es, nihil tibi deest. *Pone me ut signaculum in corde tuo,* quo fides tua pleno fulgeat sacramento. *Ut signaculum super brachium tuum:* Opera quoque tua luceant, & imaginem Dei præferant, ad cujus imaginem facta es. Aqua multa non poterit extinguere charitatem, ut charitas tua nulla persecutione minuatur, quam multa aqua excludere, flumina inundare non possint. Vnde repete, quia accepisti signaculum spiritale, *spiritum sapientiæ & intellectus, spiritum consilii atque virtutis, spiritum cognitionis atque pietatis, spiritum sancti timoris:* & serva quod accepisti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, sicut Apostolica lectione didicisti.

Ibidem.

Isai 11, 2.

Psalm 42,4. De communione corporis & sanguinis Domini.

15. His abluta plebs dives insignibus, ad Christi contendit altaria, dicens: *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Depositis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventutem, cœleste illud festinat adire convivium. Venit igitur, & vident sacrosanctum altare compositum, exclamans ait: *Parasti in conspectu meo mensam.* Hanc loquentem inducit David, dicens: *Dominus pascit me & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocavit, super aquam refectionis educavit me.* Et infra, *Nam etsi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum, & poculum meum inebrians quam præclarum est.* Nunc illud consideremus, ne quis forte visibilia videns, (quoniam quæ sunt invisibilia, non videntur, nec possunt humanis oculis comprehendi;) dicat forte: Judæis Deus manna pluit, pluit coturnices: Ecclesiæ autem illi dilectæ hæc sunt quæ præparavit, de quibus dictum est: *Quod*

Psal. 22,5.

Ps. 22,1. & seqq.

supra n. 7. 1. Cor. 2,9.

oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum. Ergo ne quis hoc dicat, summo * studio volumus comprobare, quod & antiquiora (a) sunt Sacramenta Ecclesiæ, quam Synagogæ, & præstantiora quam manna est. Antiquiora docet lectio Geneseos, quæ decursa est. Synagoga enim ex lege Moysi principium sumpsit. Abraham vero longe anterior, qui victis hostibus, & nepote proprio recepto, cum potiretur victoria: tunc illi occurrit Melchisedech, & protulit ea quæ Abraham veneratus accepit. Non Abraham protulit, sed Melchisedech, qui inducitur sine patre, sine matre, neque initium dierum, neque finem habens, similis autem Filio Dei. De quo ait Paulus ad Hebræos, *Quia manet Sacerdos in æternum:* qui interpretatione Latina dicitur, *Rex justitiæ, Rex pacis.* Non agnoscis quis iste sit? Potest homo esse rex Justitiæ, cum vix justus sit? Potest esse rex pacis, cum vix possit esse pacificus? Sine matre secundum Divinitatem, quia ex Patre Deo genitus est, unius substantiæ cum Patre. Sine Patre secundum Incarnationem, qui natus ex virgine est. Initium & finem non habens, quia *ipse est initium & finis omnium, primus & novissimus.* Non * igitur humani, sed divini est muneris Sacramentum quod accepisti, & ab eo prolatum qui benedixit fidei Patrem, Abraham illum, cujus gratiam & gesta miraris. Probatum est antiquiora esse Ecclesiæ sacramenta, nunc cognosce potiora. Revera * mirabile est, quod manna Deus pluerit patribus, & quotidiano cœli pascebantur alimento. Vnde dictum est, *Panem Angelorum manducavit homo.* Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deserto mortui sunt. Ista * autem esca quam accipis, iste panis vivus qui descendit de cœlo, vitæ æternæ substantiam subministrat: & quicunque hunc manducaverit, non morietur in æternum: & est corpus Christi.

*Ivo part. 2. c. 5. summo studio.

(a) Idem Serm. 2. n. 4. Quodque antiquiora sint Ecclesiæ Sacramenta & præstantiora, quam Synagogæ.

Exod. 34,30.

Gen. 14,18.

Heb. 7,16.

Apoc. 1,8 & 17. 2. v. 27. 20 v. 13.

* Ivo part. 2. c. 7. § non igitur.

Psalm. 77,25.

* De consec. Distinct 2. c. revera, ubi citat commentator Lanfrancum, Guitmundum & Algerum. * Ivo part. 2. c. 7. § esca ista. Mag. lib. 4 Sent dist. 8. § post sacramentum.

16. Considera * nunc utrum præstantior sit panis Angelorum, an caro Christi, quæ utique corpus est vitæ. Manna illud e cœlo, hoc supra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, si in diem alterum servaretur: hoc alienum ab omni corruptione. Quod quicunque religiose gustaverit, corruptionem sentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi sanguis e Christo. Illos ad horam satiavit aqua, te sanguis diluit in æternum. Judæus bibit, & sitit: tu cum biberis, sitire non poteris. Et illud in umbra, hoc in veritate. Si illud quod miraris, umbra est: quan-

Comparatio Sacramenti corporis & sanguinis Christi ad manna & aquas petræ.

* De Consec. Dist. 2. C. revera §. considera.

quantum iſtud eſt, cujus & umbram miraris? Audi quia umbra eſt quæ apud Patres facta eſt: *Bibebant*, inquit, *de conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorum complacitum eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri.* Cognoviſti præſtantiora. Potior eſt enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de cœlo.

1. Cor. 10, 4.

17. Forte* dicas, aliud video: quomodo tu mihi aſſeris, quod Chriſti corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc ſupereſt ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non hoc eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit: majoremque vim eſſe benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur? Virgam tenebat Moyſes, projecit eam, & facta eſt ſerpens. Rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam revertitur. Vides igitur prophetica gratia, bis mutatam eſſe naturam & ſerpentis & virgæ. Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, ſubito de fontium venis ſanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluviis, rurſus ad Prophetæ preces, cruor ceſſavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumcluſus undique erat populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari clauſus: virgam levavit Moyſes, ſeparavit ſe aqua, & in murorum ſpeciem congelavit, atque inter undas via pedeſtris apparuit. Jordanis retrorſum converſus, contra naturam, in ſui fontis revertitur exordium. Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluvialis curſus, eſſe mutatam? Sitiebat populus Patrum, tetigit Moyſes petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata eſt gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Marath fons amariſſimus erat, qui ſitiens populus bibere non poſſet. Miſit Moyſes lignum in aquam, & amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit, quam infuſa ſubito gratia temperavit. Sub Eliſæo Propheta, uni ex filiis prophetarum, excuſſum eſt ferrum de ſecuri, & ſtatim merſum eſt. Rogavit Eliſæum qui amiſerat ferrum, miſit etiam Eliſæus lignum in aquam, & ferrum natavit. Vtique & hoc præter naturam factum eſſe cognovimus, gravior eſt enim ferri ſpecies, quam aquarum liquor.

*Ivo loco cit. objectio contra veritatem corporis & ſanguinis Chriſti, quam ſolvit exemplo Moyſis qui virgam convertit in ſerpentem, atque aliis ſimilibus.

Exod. 4,4.

Exod. 7,17.

Exod. 14,16.

Pſal. 113,3 & 5.

Exod. 17,6.

Num. 20, 8.

Exod. 15,25.

4. Reg. 6,5.

18. Animadvertimus igitur majoris eſſe virtutis gratiam, quam naturam: & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam? Quod ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret: quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Quod ſi tantum* valuit Sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret: non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſti, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt novas* rebus dare, quam mutare naturas. Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, Incarnationisque exemplo adſtruamus myſterii veritatem. Numquid naturæ uſus præceſſit, cum Jeſus Dominus ex Maria naſceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare conſvevit. Liquet igitur, quod præter naturæ ordinem Virgo generavit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Jeſus partus ex virgine? Vera* utique caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt, vere ergo carnis illius Sacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Jeſus, *Hoc eſt corpus meum.* Ante* benedictionem verborum cæleſtium ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et tu dicis. *Amen*: hoc eſt, verum eſt. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod ſermo ſonat, affectus ſentiat.

* lib. 4. Sent. Diſt. 10. §. hæc & his. 4 Reg. 1, 10. & 12.

Pſal. 148, 5.

* de conſec. Diſt. 2. C. re vera 5. Non enim minus. Et C. in quibus §. cujus clare.

* Ivo part. 2. c. 7. §. vera.

Matth. 26, 26.

* 4. Sent. diſt. 10 §. hæc & his.

Conſecratione fieri corpus & ſanguinem Domini.

19. His igitur* Sacramentis paſcit Eccleſiam ſuam Chriſtus, quibus animæ firmatur ſubſtantia. Meritoque videns profectum ejus gratiæ continentem, dicit ad eam: *Quam decora facta ſunt ubera tua, ſoror mea ſponſa! Quam decora facta ſunt a vino, & odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata! Favus diſtillans labia tua, ó ſponſa, mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor Libani. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Quo ſignificat ſignatum debere apud ſe manere myſterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio caſtitatis: ne divulgetur quibus non convenit, ne garrula loquacitate diſpergatur in perfidos. Bona debet ergo fidei tuæ eſſe cuſtodia, ut intemerata vitæ ac ſilentii integritas perſeveret. Vnde & Eccleſia altitudinem ſervans myſteriorum cæleſtium, rejicit a ſe graviores venti procellas, & invitat vernantis gratiæ ſuavitatem; & ſciens quod hortus

His ſacramentis paſci Eccleſiam a Chriſto & fertilem reddi. * Ivo part. 2. c. 7. §. talibus Cant. 4, 11.

Digitized by Google

ſuus Chriſto diſplicere non poſſit, advocat ipſum ſponſum, dicens: *Exurge Aquilo & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant unguenta mea. Deſcendat ſponſus meus in hortum ſuum, & edat fructum pomiferi arboris ſuæ.* Bonas enim arbores & fructiferas habet, quæ radices ſuas tinxerint in ſacri fontis irriguo, & in bonos fructus novæ fœcunditatis germine pullulaverint: ut non jam prophetica cædantur ſecuri, ſed Evangelica ubertate fœcundentur. Denique fertilitate earum Dominus delectatus reſpondet: *Ingreſſus ſum in hortum meum ſoror mea ſponſa, vindemiavi myrrham cum unguentis meis, manducavi panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Quare panem & vinum dixerim, fideles intelligunt. Illud autem non dubium, quod in nobis ipſe manducat & bibit: ſicut in nobis legiſti, quia in carcere eſſe ſe dicit.

Cant. 4, 16.

Cant. 5, 1.

Vnde eadem videns tantam gratiam, hortatur filios ſuos, ut ad ſacramenta concurrant. Cant. 5, 1.

20. Vnde & Eccleſia videns tantam gratiam, hortatur filios ſuos, hortatur proximos, ut ad Sacramenta concurrant, dicens: *Edite proximi mei, & bibite, & inebriamini fratres mei.* Quid edamus, quid bibamus, alibi tibi per Prophetam Spiritus Sanctus expreſſit, dicens: *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, beatus vir qui ſperat in eo.* In illo *Sacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti: Non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritalis eſt. Vnde & Apoſtolus de typo ejus ait: *Quia patres noſtri eſcam ſpiritalem manducaverunt, & potum ſpiritalem biberunt.* Corpus enim Dei, corpus eſt ſpiritale. Corpus Chriſti, corpus eſt divini Spiritus, quia Spiritus eſt Chriſtus, ut legimus: *Spiritus ante faciem noſtram, Chriſtus Dominus.* Et in Petri epiſtola habemus, *Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Denique * cor noſtrum eſca iſta confirmat, & potus iſte lætificat cor hominis, ut Propheta memoravit. Vnde & adepti omnia, ſciamus regeneratos nos eſſe nec dicamus, quomodo regenerati ſumus? Numquid in ventrem matris noſtræ introivimus, & renati ſumus? Non agnoſco uſum naturæ. Sed nullus hic ordo naturæ, ubi excellentia gratiæ. Denique non ſemper uſus naturæ regenerationem facit. Generatum ex virgine Chriſtum Dominum confitemur, & naturæ ordinem denegamus. Non enim ex viro Maria concepit, ſed de Spiritu Sancto in utero accepit, ut dicit Matthæus: *Quia inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto.* Si ergo ſuperveniens Spiritus Sanctus in Virginem, conceptionem operatus eſt, & generationis munus implevit: non utique dubitandum eſt, quod ſuperveniens in fontem, vel ſuper eum qui Baptiſmum conſequitur, veritatem regenerationis operetur.

* De Conſec. Diſt. 2. §. In illo ſacramento. Ivo p. 2. c. 7. §. Non eſt eſca. Alger. l. 1. c. 11.

1. Cor. 10, 3.

Thren. 4, 20.

2. Pet. 2, 21.

* Ivo loc. cit. §. Denique.

Pſal. 103, 15.

Joan. 3, 4.

Matth. 1, 18.

NOTÆ

In precedentem Sermonem.

Num. 1. (*De moralibus quotidianum ſermonem habuimus, cum vel Patriarcharum geſta, vel Proverbiorum legerentur præcepta: ut his informati atque inſtituti, eſſueſceretis majorum ingredi vias &c.*) hæc verba occaſionem dederunt Scriptoribus atque MSS. Codicum ſcribis, ut hos ſeptem Sermones ſeu libros ſeu Tractatus, D. Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo, viro graviſſimo atque eloquenti, cujus nomine plane indigni ſunt, adſcriberent. Plurimi horum librorum MSS. Codices in vetuſtis Bibliothecis inveniuntur, vixque ullum Ambroſii opus ita frequens eſt. Nec mirum ſuppoſita enim Patribus Opera longe frequentiora, magisque deſcripta ab amanuenſibus ſunt, quam legitima, peſſimo Eccleſiæ fato. Inter hos MSS. Bibliothecarum Codices, qui Sermones *de Sacramentis* continent: plurimi anonymi, alii cum inſcriptione, *Ambroſii* vel *S. Ambroſii de Sacramentis.* Continent ſemper aut fere ſemper, libros ſeu ſermones VII. quorum primus is, qui *de initiandis* inſcriptus ſub Ambroſii nomine eſt; alii ſex, qui *de Sacramentis* inſcribuntur. Inſcripti autem ſunt *de Sacramentis* ſeu *de Myſteriis*, ratione primarum periodorum, N. 1. hujus Sermonis. *Nunc de Myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam Sacramentorum rationem edere &c.* Sermone 2 n. 1 *de Sacramentis quæ accepiſtis, ſermonem adorior; cujus rei rationem, non oportuit ante præmitti.* Itaque tam Liber *de iis qui initiantur*, quam alii ſex ſequentes recte *de Sacramentis* inſcribi poſſunt, ut & in MSS. Codd. inſcribuntur, ſeptem numero. 1.

Dixi in MSS. Codicibus partim Anonymos, partim cum nomine D. Ambroſii inſcriptos eſſe, ac plerosque Codices eſſe ſeculo XI vel XII ſcriptos, paucos eosque fere ſemper anonymos, qui ætatem hanc excedant. Ex anonymis ſucceſſu temporum, ſcribæ nomen D. Ambroſii audaciori manu adjecerunt. Tum quia inſpecto horum 7. librorum ſeu ſermonum argumento, *de Sacramentis* tractare legebant: Atque forſitan hi apud Auguſtinum lib. 2 Retractationum cap. 4 lectitabant de Ambroſio. *De Sacramentis ſive de Prophetia ſcripſit. Hoc opus ſic incipit, Sunt præcepta quædam &c.* Id enim quidem ait Auguſtinus, ſed ita ſe explicat ut dubitationem omnem amoveat, ipſum poſſe intelligi de his qui nunc Ambroſio attribuuntur, libris ſeu ſermonibus. Tum quia ſub initium libri *de initiandis*, qui in MSS. Codicibus, librorum ſeptem *de ſacramentis* primus eſt: legebant hæc verba, *de moralibus quotidianum ſermonem habuimus, cum vel Patriarcharum geſta, vel Proverbiorum legerentur præcepta &c.* Atqui cum conſtaret libros plurimos morales *de Geſtis Patriarcharum*, ab Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo compoſitos: inde conſtare videbatur pariter, hos ſeptem *de Sacramentis* libros ſeu ſermones, ad eundem pertinere. His igitur moti, ut veriſimile eſt, rationibus ſcribæ MSS. Codicum, abſque ſcrupulo, hos libros Ambroſio conceſſerunt. Sed conjectura vana, rationeque nulla, opinati ſub librorum iſtorum initium, appellari Ambroſianos tractatus, de Patriarcharum geſtis. Hic enim Scriptor ſermonum 7. *de Sacramentis*, allegat vel *Patriarcharum geſta vel Proverbiorum præcepta*, a ſe explicata *quotidianis ſermonibus moraliter.* Ita namque verba ejus hic Num. 1 *de moralibus quotidianum ſermonem habuimus, cum vel Patriarcharum geſta, vel Proverbiorum legerentur præcepta* &c. At verus Ambroſius de his *quotidianum ſermonem* non habebat, qui raro concionabatur, neque pro ſuggeſtu Tractatus ſuos *de Patriarchis* habuit. 2.

Ibi-

3. Ibidem. (*Deinde quod inopinantibus melius se ipsa lux Mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis præcucurrisset.*) Post optimam rationem ab hoc authore allatam, silentii sui mysteriorum apud initiandos, affert hic author pessimam, atque viro gravi indignam, experientiæ contrariam, adversam praxi Ecclesiæ, quæ multis temporibus edocet proselytos & advenas *de Mysterio fidei* altissimis, antequam ad baptismum admittantur. Quis enim unquam Christianorum vel hominum credat, *Quod inopinantibus melius se ipsa lux Mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis præcucurrisset?* Igitur juxta hunc Authorem, Catechisationes præviæ atque explicationes mysteriorum præambulæ ac præcurrentes, obscurassent atque impedissent ipsam lucis infusionem: quod quam absurdum, nullus non videt, neque sane Ambrosius unquam dixisset. Imo hoc contrarium Apostolo Rom. 10. v. 14. & seqq. *Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo autem credent, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quam pulchri sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona? Sed non omnes obediunt Evangelio. Esaias enim dicit, Domine quis credidit auditui nostro? Itaque fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. &c.* præterea hic Author sibi ipsi eadem fere linea contradixit, ex auditorio forsitan obstupefactus, nec advertens, quam sibi subito adversaretur. Nam ait se *de moralibus quotidianum sermonem habuisse &c. ut his informati atque instituti* Auditores *assuescerent majorum ingredi vias, eorumque iter carpere, ac divinis obedire mandatis: quo renovati per Baptismum, ejus vitæ usum tenerent, quæ abstutos decerat,* tam statim ferme subjungit aliquid contrarium: nempe, *Quod inopinantibus melius se ipsa lux Mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis præcucurrisset.* Eandem hanc rationem insinuat sermone 2. num. 1. his verbis. *De Sacramentis quæ accepistis, sermonem adorior, cujus rei rationem non oportuit ante præmitti.* Ita sibi hic Author in his 7 sermonibus, similis ubique est.

4. Ibidem (*Sed illi os tetigit, quia & mutum curabat & virum. In altero, ut os ejus infusa sonum vocis aperiret: in altero, quia tactus iste virum decebat, fœminam non decebat.*) Vult hic simplex admodum Scriptor, in baptismate aures atque nares baptizandi sputo baptizantis seu saliva attingi: sed non os ipsum, quamvis Christus Dominus os surdi ac muti attigerit, ut eum ab infirmitate sanaret. Eandem hanc rationem quam hoc libro *de initiandis* n. 1. allegat, ita insignem opinatus est, ut repetitam velit lib. 1 *de Sacramentis* seu potius sermone 2 n. 1. Quid quæso magis indecens in baptismo esset, si uti aures & nares Baptizandorum a baptizantibus attinguntur saliva, dicendo, *Ephetha quod est, adaperire*: ita pariter ab iisdem & os attactum fuisset; absurdam certe rationem! Majorne indecentia in tactu aurium & narium, quam oris? Atque in fœminis, quam in viris? *Quia tactus iste virum decebat, fœminam non decebat*: inquit Anonymus. Sane si Romanos inter baptismi ritus, admissa fuisset salivæ immissio in os, vel tactus, qualis aurium & narium: magnifici fuissent hujus Ceremoniæ collaudatores Romani rituum Interpretes, quam Christi Domini exemplo haud dubie confirmassent, imo divinam statuissent. Itane dubitas utram contradictionis partem amplectereris, bone vir. *Quia tactus iste virum decebat, fœminam non decebat.* Imo stante hoc ritu apud Romanos baptizantes, convenisset atque decuisset magis fœminas, quam viros. Nam cum illæ viris longe verbosiores sint, detractrices, obloquutrices, clamosæ, querulæ: huic earum linguæ seu oris tactui dixissent, fuisse quandam vim, ad comprimendum injurias, clamores, susurrationes, querelas, intemperantiam. Unde neque jam tam garrulæ atque loquaces fuissent, hoc baptismali tactu defectum sexus corrigente. Hanc ob rem in nonnullis Ecclesiis, longe plures sunt exorcismi seu adjurationes, ad pellendum dæmonem a fœminis quam a viris: quod peccatum originale his tenacius adhæreat, quam masculis. Serm. 2. n. 1. *Ideo propter gratiam operis & muneris non os tangit Episcopus, sed nares.* Rationem plane stupidam atque nugacem! Attactu aurium vel narium ab Episcopo, gratia operis & muneris salva est, secus si tangat os vel linguam baptizati, Pontifex. Magnum sane discrimen inter nares & os, ut gratia operis & muneris salva sit, vel non. Hinc præclaram hanc rationem sibi adscivit Ivo Carnotensis parte 1 c. 106. & Pannoniæ lib. 1. c. 46, Gratianus de Consec. Dist. 4. C. *propter gloriam.*

N. 2. (*Noli considerare corporum figuras, sed Mysteriorum gratiam*) Quid hic obscurus Scriptor sibi velit per *corporum figuras*, non capio: nisi intelligat ea omnia ornamenta, quibus induti ad Baptisterium accedunt, ut quasi alteram per ea corporum figuram habeant.

Ibidem. (*Ingressus igitur ut adversarium tuum cerneret, cui renuntiandum noxputaret, ad Orientem conversus.*) Hinc quam modici ingenii atque ponderis, hic Scriptor septem librorum *de Sacramentis*, intelligitur. Ubi vult ingredi catechumenos sacrum baptismatis fontem, *ut adversarium suum cernant*, cui mox renuntiandum putant. Quis credat, unquam Ambrosium virum gravem ita desipuisse? Quis Catholicorum dixit, diabolum in baptisterio a Baptizandis conspici atque cerni? Olent igitur nugæ istæ, meo quidem sensu, obscurum octavum Ecclesiæ seculum.

N. 4. (*Accipe aliud testimonium*) Idem repetit Sermone 2 n. 6 & serm. 3. n. 1 quos vide.

N. 7. (Hoc est illud magnum Mysterium, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?*) hæc interrogatio satis absurda est ac simplex, quæ gallicismum mihi continere videtur: *Est ce la ce grand mystere?* Nam ita gallice dicere consuevimus. Cui similem facit Gallicismum & interrogationem simul, serm. 2 n. 3 *Hoc est totum?* Gallice quasi proverbium & vulgare, *Est ce la tout.* Unde Gallum omnino Scriptorem agnoscimus.

N. 11. (*Ideo planta ejus abluitur, ut hereditaria peccata tollantur, nostra enim propria per Baptismum relaxantur*) hanc singularem quorumdam Galliæ scriptorum sententiam, habet hic Author Sermone quoque 4 n. 2. qua non minimum argumentum sumitur, unum eundemque Galliarum Antistitem, composuisse librum hunc *de initiandis*, & libros sex *de Sacramentis* D. Ambrosio jam dudum attributos. Ita igitur loc. cit. *Sunt tamen qui dicant & excusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione: sed quasi hospiti pedes lavandi sunt. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia Mysterium est & sanctificatio: Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Tum postea. *In baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adam supplantatus a diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavat pedes: ut in ea parte in qua insidiatus est serpens, major subsidium sanctificationis accedat, qua postea te supplantare non possit. Lavat ergo pedes, ut laves venena serpentis.* Argumentum autem validum, inde accipitur, quod hi septem sermones non spectent ad Ambrosium: quia sententiam ablhac aliam ille habet in prologo libri *de Spiritu Sancto* ad Gratianum Augustum.

SERMO SECVNDVS
DE SACRAMENTIS
DICTVS FERIA TERTIA PASCHATIS.

SYNOPSIS SERMONIS.

1. *De fide Christiani, quomodo baptizatus considerare debeat peracta mysteria adapertionis. Qua etiam ratione in exorcismo aures & nares tanguntur, ut aperiantur: & quare nares, & non os.* 2. *De unctione in baptismo, & abrenuntiatione diabolo tunc facta: tum qua ratione Sacerdos dicatur Angelus; denique de servanda fide Christo promissa.* 3. *Quod licet in baptismo Sacerdos & Minister videantur, alia tamen majora sunt quæ operantur, & non videntur.* 4. *Quod Sacramenta Christianorum divinioris & prioris sunt, quam Judæorum; & quid pascha significet?* 5. *Quid significet lotio Naaman Syri leprosi? Quod non aqua, sed consecratio mundet: quodque in Baptismate omnis justitia sit constituta. De Columba super Christum descendente, & quare Christus prior descenderit in aquam, & postea Spiritus Sanctus.* 6. *Quomodo typus baptismatis præfiguratus fuerit per transitum Rubri maris, ubi de malo murmurationis. Quid etiam significet columna lucis præcedens, & nubs subsequens: & quod in diluvio figura Baptismi præcesserit.*

1. DE Sacramentis quæ accepistis, sermonem adorior; cujus * rei rationem non oportuit ante præmitti. In Christiano enim viro, prima est fides. Ideo Romæ fideles dicuntur, qui baptizati sunt: & pater noster Abraham ex fide justificatus est, non ex operibus. Ergo accipientes baptismum, credidistis. Nefas est enim, me aliud æstimare. Neque * enim vocatus esses ad gratiam, nisi dignum te Christus sua gratia judicasset. Ergo quid egimus Sabbato? Nempe Apertionis. Quæ Mysteria celebrata sunt? Apertionis, quando tibi aures tetigit Sacerdos & nares. Quod significat in Evangelio Dominus noster Jesus Christus, cum ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures ejus & os ejus. Aures, quia surdus erat: os, quia mutus. Et ait, *Ephem*, quod Hebraïcum verbum est, & Latine dicitur, *adaperire*. Ideo ergo tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem, & ad eloquium sacerdotis. Sed dicis mihi: quare nares? Ibi quia mutus erat, os tetigit: ut quia loqui non poterat Sacramenta cœlestia, vocem acciperet a Christo. Et ibi quia viri, hic quia mulieres baptizantur: & non eadem puritas Servi, quanta & Domini. Cum enim ille peccata concedat, huic peccata donentur, quæ potest esse comparatio? Ideo * propter gratiam operis & muneris non os tangit Episcopus, sed nares. Quare nares? Ut bonum odorem accipiat pietatis æternæ, ut dicas: *Christi bonus odor sumus Deo*, quemadmodum dixit Apostolus sanctus, & sit in te fidei devotionisque plena fragrantia.

2. Venisti * ad fontem, ingressus es: considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter, unctus es quasi Athleta Christi, quasi luctamen hujus seculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina. Qui luctatur, habet quod speret: ubi certamen, ibi corona. Luctaris in seculo, sed coronaris a Christo, & pro certaminibus seculi coronaris. Nam etsi in cœlo præmium, hic tamen meritum præmii colligitur. Quando te interrogavit, *Abrenuntias diabolo & operibus ejus*: quid respondisti? *Abrenuntio. Abrenuntias seculo & voluptatibus ejus*: quid respondisti? *Abrenuntio.* Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ seriei cautionis. Si chirographum homini dederit, teneris obnoxius, ut pecuniam ejus accipias: teneris adstrictus, & reluctantem te fœnerator adstringit, si recusas: vadis ad judicem, atque illic tua cautione convinceris. Vbi promiseris considera, vel quibus promiseris. Levitam * vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrantem. Ergo Chirographum tuum tenetur, non in terra, sed in cœlo. Considera ubi capias Sacramenta cœlestia. Si hic corpus est Christi, hic & Angeli constituti sunt. *Vbi corpus, ibi & aquila*, legisti in Evangelio. Vbi corpus Christi, & aquilæ volare consueverunt, ut terrena fugiant, cœlestia petant. Quare hoc dico? Quia & homines Angeli, quicunque annuntiant Christum, & in Angelorum adsciti videntur locum. Quomodo? Accipe Baptistæ rationem. Johannes natus erat ex viro & muliere, attamen audi quia Angelus est ipse: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, & parabit viam tuam ante te.* Accipe aliud. Malachias ait Propheta, *Quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ipsius, Angelus enim est Domini omnipotentis.* Hæc ideo dicuntur, ut Sacerdotii gloriam prædicemus: non ut aliquid personaliter meritis arrogetur. Qui pecuniam debet, semper cautionem suam considerat. Et tu qui fidem debes Christo, fidem serva, quæ multo pretiosior quam pecunia est. Fides

* Serm. 1. n. 1.

Rom. 4, 2.

* sensus Semipelagianus.

de apertione aurium & narium. Idem Serm. 1. n. 1.

Marc. 7, 34.

* De Consec. Dist. 4. C. propter gloriam. Ivo part. 1 c. 106 Pann. lib. 1. c. 46 2. Cor. 2, 15.

* Idem Serm. 1. n. 2. * De consec. Dist. 4. C. venisti ad fontem. Ivo p. 1. c. 109. Pann. l. 1. c. 51. De unctione in baptismo, & abrenuntiatione tunc facta, & servanda fide quæ Christo promissa est.

* Idem Serm. 1. n. 2.

Luc. 17, 37. Matth. 24, 28.

Matth. 11, 10. Luc. 7, 27. Mal. 2, 7.

des enim æternum patrimonium est, pecunia temporale. Et tu ergo semper recordare, quid promiseris. Si tenças promissionem tuam, tenebis & cautionem.

Licet in baptismo Sacerdos & minister videantur, alia tamen majora sunt quæ operantur, & non videntur.

3. Deinde accessisti propius, vidisti fontem, vidisti & Sacerdotem supra fontem. Nec hoc possum dubitare, quod in animum vestrum non potuerit cadere, quod cecidit in illum Syrum Naaman: quia etsi mundatus est, tamen ante dubitavit. Quare? Dicam, accipe. Ingressus es, vidisti aquam *, vidisti Sacerdotem, vidisti Levitam. Ne forte aliquis dixerit, Hoc est totum? Immo est totum, vere totum ubi tota innocentia, tota pietas, tota gratia, tota sanctificatio. Vidisti quæ videre potuisti oculis tui corporis, & humanis conspectibus: non vidisti illa quæ operantur, quia non videntur. Quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ non videntur, æterna.

* Idem Serm. 1. n. 2. n. 5. ad finem, n. 6. n. 15.

Sacramenta Christianorum esse diviniora & priora, quam sint Judæorum: & quid pascha significet.

4. Ergo dicamus primum, tene cautionem vocis meæ, & exige. Miramur * Mysteria Judæorum, quæ Patribus nostris data sunt: primum vetustate Sacramentorum, deinde sanctitate præstantium virtutum. Illud præmitto, quod diviniora & priora Sacramenta sunt Christianorum, quam Judæorum. Quid præcipuum, quam quod per mare transiit Judæorum populus? ut de Baptismo interim loquamur. Attamen qui transierunt Judæi, mortui sunt omnes in deserto. Ceterum qui per hunc fontem * transit, transit a terrenis ad cœlestia: hoc est enim Pascha, id est, transitus ejus: transitus a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam, ab inquinamento ad sanctificationem. Qui per hunc fontem transit, non moritur, sed resurgit.

* Idem Serm. 1. n. 15.

Exod. 14, 22.

* de Consec. Dist. 4. C. per aquam baptismi.

4 Reg. 5, 1 & sqq. Quid significet lotio Naaman Syri leprosi: & quod non aqua, sed consecratio mundet.

5. Naaman ergo leprosus erat. Puella quædam ait uxori illius, Dominus meus si vult mundari, vadat in terram Israel, & ibi inveniet eum qui posset ei lepram tollere. Dixit illa Dominæ suæ, uxor mariti, Naaman Regi Syriæ, qui eum quasi acceptissimum sibi, misit ad regem Israel. Audivit rex Israel quod misisset ad eum, cujus lepram mundaret, & scidit vestem suam. Tunc Elisæus Propheta mandat ei, Quid est quod scidisti vestem, quasi non sit Deus potens, qui mundet leprosum? Mitte illum ad me. Misit ille. Cui advenienti ait Propheta: vade, descende in Jordanem, mergere & sanaberis. Ille cœpit cogitare secum & dicere: Hoc est totum? Veni de Syria in terram Judæam, & dicitur mihi: Vade & descende in Jordanem, mergere & sanaberis. Quasi flumina meliora non sint, in patria mea? Dixerunt ergo servi: Domine quare non facis verbum Prophetæ? Magis fac & experire. Tunc ille ivit in Jordanem, mersit, & surrexit sanus. Quid enim significat? Vidisti aquam: sed non aqua * omnis sanat, sed aqua sanat quæ habet gratiam Christi. Aliud est elementum, aliud consecratio: aliud opus, aliud operatio. Aqua opus est, operatio Spiritus Sancti est. Non sanat * aqua, nisi Spiritus Sanctus descenderit, & aquam illam consecraverit: sicut legisti, quod cum Dominus noster Jesus Christus formam baptismatis daret, venit ad Joannem, & ait illi Joannes: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondit illi Christus, sine modo: Sic enim decet nos implere omnem justitiam.* Vide quia omnis justitia in baptismate constituta est. Ergo quare Christus descendit, nisi ut caro ista mundaretur? Caro, quam suscepit de nostra conditione. Non enim abolitio peccatorum suorum Christo necessaria erat, qui peccatum non fecit: sed nobis erat necessaria, qui peccato manemus obnoxii. Ergo si propter nos baptismi forma est constituta, fidei nostræ forma proposita est. Descendit Christus, Joannes adstabat qui baptizabat: *Et ecce quasi columba * Spiritus Sanctus descendit.* Non columba descendit, sed quasi columba. Memento quid dixerim; Christus carnem suscepit, non sicut carnem: sed carnis istius veritatem: vere carnem Christus suscepit. Spiritus autem Sanctus in specie columbæ, non in veritate columbæ, sed in specie columbæ descendit de cœlo. Ergo vidit Joannes & credidit. Descendit * Christus, descendit & Sp. S. Quare prior Christus descendit, postea Spiritus: cum forma baptismatis & usus hoc habeat, ut ante fons consecretur, & tunc descendat qui baptizandus est? Nam ubi primum ingreditur Sacerdos, exorcismum facit: Secundo super creaturam aquæ, invocationem: postea & precem defert, ut sanctificetur fons, & adsit præsentia Trinitatis æternæ. Christus autem ante descendit, secutus est Spiritus. Qua ratione? ut non quasi ipse egere Dominus Jesus sanctificationis mysterio videretur, sed sanctificaret ipse, sanctificaret & Spiritus. Ergo descendit in aquam Christus, & Spiritus Sanctus sicut columba descendit. Pater quoque Deus e cœlo locutus est. Habes præsentiam Trinitatis.

* de Consec. Dist. 4. C. per aquam baptismi. §. Non omnis aqua. & §. Non sanat aqua.

Matth. 3, 14.

Quodque in baptismate omnis justitia constituta sit.

Matth. 3, 16. Luc. 3, 22. Columba super Dominum Jesum descendit.

* Id. Serm. 1, n. 9.

* De Consec. Dist. 4. C. per aquam baptismi §. Descendit. Quare Christus prior in aquam descenderit & postea Spiritus Sanctus?

Matth. 3, 17.

6. In mari autem rubro figuram istius baptismatis extitisse ait Apostolus, dicens: *Quia Patres nostri omnes baptizati sunt in nube & in mari.* Et subdit, *Hæc autem omnia in figuris facta sunt ipsis.* Illis in figura, sed nobis in veritate. Tunc Moy-

Serm. 1. n. 5. Quomodo typus baptismatis præfiguratus fuerit per transitum Rubri maris: & de

malo murmurationis.

ſes virgam tenebat, concluſus erat populus Judæorum, inſtabat Ægyptius cum armis ex una parte, mari claudebantur Hebræi, neque maria tranſire poterant, neque in hoſtem recurrere, murmurare cœperunt. Vide, non te provocet quia exauditi ſunt. Etſi exaudivit Dominus, tamen culpa non carent, qui murmuravc-

Exod. 14, 19 & 24. Quid etiam ſignificet columna lucis præcedens & nubis ſubſequens.

runt. Tuum eſt ubi conſtringeris, credere quod evadas, non murmurare: invocare, non querelam expromere. Tenebat virgam Moyſes, & ducebat populum Hebræorum in nocte in columna lucis, in die in columna nubis. Lux quid eſt niſi veritas, quæ apertum & plenum lumen effundit? Columna lucis quid eſt, niſi Chriſtus Dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, lucem veritatis & gratiæ ſpiritalis, affectibus infudit humanis? At vero columna nubis, eſt Spiritus Sanctus.

Gen. 7, 10. ſqq. Quod in diluvio figura baptiſmi præceſſerit.

In mari erat populus, & præibat columna lucis: deinde ſequebatur columna nubis, quaſi obumbratio Spiritus Sancti. Vides quod per Spiritum Sanctum, & per

Id. Serm. 1. n. 4.

aquam, typum baptiſmatis demonſtraverit. In diluvio quoque fuit jam tunc figura baptiſmatis, & adhuc utique non erant Myſteria Judæorum. Sic ergo hujus baptiſmatis forma præceſſit. Vides ergo ſuperiora myſteria Chriſtianorum, quam fuerint Judæorum. Sed interim ſecundum fragilitatem vocis noſtræ, & ſecundum temporis rationem, ſatis ſit hodie, tanta de ſacro fonte libaſſe myſteria. Craſtina die, ſi Dominus dederit loquendi poteſtatem vel copiam, plenius intimabo. Opus eſt ut Sanctitas veſtra aures paratas habeat, promptiorem animum: ut ea quæ nos colligere poſſumus de ſerie Scripturarum, & vobis intimaverimus: tenere poſſitis, ut habeatis gratiam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Cui Trinitati perpetuum eſt regnum a ſeculis, & nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum.

NOTÆ
in Sermonem præcedentem.

In marginibus hujus Sermonis ad numeros ſingulos, abunde obſervavimus, quomodo & in quibus, hic ſermo ſecundus cum primo conveniat: nunc etiam quoad ſententias paucis obſervandum eſt.

Num. 1. (*Romæ fideles dicuntur, qui baptizati ſunt*) Ita legunt MSS. Codices atque editiones Eraſmi veteſtiores Baſileæ annis 1527 & 1535. At Editio Colonienſis anni 1616. quæ Romanam imitari profeſſa eſt, legit: *Ideo recte fideles dicuntur, qui baptizati ſunt.* Inſulſam plane hanc ſcriptoris obſervantiam puto, Quaſi vero hæc appellatio, peculiaris Romæ fuerit. At ubique, teſtibus Tertulliano *de præſcriptione*, Cyrillo Hieroſolymitano Catecheſi 1, Auguſtino *de verbis Apoſtoli* Serm. 14. communis erat, in Oriente, in Meridie, Occidente, Septemtrione. Ambroſius ipſemet, hac fidelium appellatione Mediolani utebatur, ut patet ex genuinis ejus ſcriptis, *de obitu fratris Satyri*, & *in Lucam* lib. 6. ad finem.

Ibid. (*Sed dicis mihi, quare nares?*) hic author repetit eandem rationem, quare in Baptizatis aures & nares ab Epiſcopo tanguntur, non autem os: quam ante jam attulerat Libro *de initiandis* ſeu Sermone 1, *de Sacramentis* n. 1. De qua quia ſufficienter actum eſt obſervatione 4. ad n. 1. hujus Sermonis 1, ampliorem de ea Repetitionem aggredi plane ſuperfluum eſt. Juvat tamen locus uterque ſimul collatus, ad unum eundemque probandum authorem utriusque operis.

(*Non os tangit Epiſcopus*) recta lectio cum MSS. omnibus conſentiens & editionibus antiquis, licet editio Col. anni 1616. apud Antonium Hierat, legat perperam: *Non nos tangit Epiſcopus.*

N. 2. (*Veniſti ad fontem, ingreſſus es.*) Ita legunt MSS. Codices, atque etiam Gratianus de Conſecratione Diſt. 4. C. veniſti ad fontem. Legunt tamen *venimus ad fontem* editiones Baſileenſes Eraſmi 1527. & 1535. Romana 1585. Colonienſis 1616. cum Pariſienſibus Romanam ſequentibus. Nullum dubium quin legendum ſit, *veniſti ad fontem*: ut patet ex verbis ſequentibus, *ingreſſus es*: quæ ad eandem perſonam ſpectant.

Ibid. (*ut non aliquid perſonaliter meritis arrogetur*) Ita editiones Baſileæ annorum 1527 & 1535. At Editio Coloniæ poſt Romanam 1585. legit quidem convenientius: *perſonæ meritis arrogetur.*

N. 3. (*Ne forte aliquis dixerit: hoc eſt totum?*) Galliciſmus eſt, qui in colloquiis pro nata occaſione frequentiſſimus eſt, *Eſt ce la tout?* Vnde authorem Gallum agnoſcere poſſumus. Similem Interrogationem, atque Galliciſmum ſimul idem fecit Sermone 1. ſeu libro *de initiandis* n. 7. *Hoc eſt illud magnum myſterium, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*: De quo nos Notis ad Sermonem 1, n. 7. Gallice enim dicitur, *Eſt ce la ce grand myſtere?*

N. 4. (*Illud præmitto quod diviniora & priora ſacramenta ſunt Chriſtianorum, quam Judæorum.*) Idem quoque repetit n. 6. Sermonis hujus ſub finem: *Vides ergo ſuperiora myſteria Chriſtianorum, quam fuerint Judæorum.* Idem Sermone 1. ſeu libro *de initiandis* n. 15. *ſummo ſtudio volumus comprobare, quod & antiquiora ſunt Sacramenta Eccleſiæ, quam Synagogæ: & præſtantiora, quam manna eſt.* Tum ibidem poſtea: *Probatum eſt antiquiora eſſe Eccleſiæ Sacramenta, nunc cognoſce potiora.* Quæ unum eundemque operis utriusque Authorem probant. (*Illud præmitto*) legit editio Baſileæ, *promitto.*

Ibid. (*Tranſit a terrenis ad cæleſtia*) Ita legunt MSS. Codices, ſed aliter leguntur apud Gratianum de Conſecratione Diſt. 4. Cap. *Per aquam baptiſmi, tranſitus eſt a terrenis ad cæleſtia.* Anonymus autem legit: *Cæterum qui per hunc fontem tranſit, tranſit a terrenis ad cæleſtia*: omiſſis vocibus, *Per aquam Baptiſmi.*

N. 5. (*Mergere & ſanaberis*) Ita MSS. Codices atque Baſileenſes editiones annorum 1527. & 1535. legunt male Romana 1585 & Colonienſis 1616. *Merge & ſanaberis.*

Ibidem. (*Ille cœpit cogitare ſecum & dicere: Hoc eſt totum?*) Ita Galliciſmum hunc, barbaramque interrogationem inſignem Author impolitus exiſtimavit: ut bis intra Sermonem eundem repetere auſus ſit, hic n. 5. ac ante n. 3. de qua nos ibidem egimus. Cui ſimilem fecit Sermone 1 n. 7. ut ibi annotamus.

SERMO TERTIVS
DE SACRAMENTIS
DICTVS FERIA QVARTA PASCHATIS.

SYNO-

SYNOPSIS SERMONIS.

1. *Quod diluvium nihil aliud ſit niſi Baptiſma, quo peccata diluuntur: ac de multis generibus Baptiſmatum.* 2. *Quid ſignificet Angelus deſcendens in Piſcinam: & quid ſit quod paralyticus Chriſto reſponderit,* Hominem non habeo. 3. *De variis generibus & figuris Baptiſmi. Quid ſignificet quod ad preces Eliſæi, ferrum ſecuris demerſum ſupernatáverit: vel quod Moyſes lignum miſerit in fontem, quo aqua antea amara dulceſcebat.* 4. *Quod in baptiſmo deſcendat Spiritus Sanctus.* 5. *Quod idem inventus ſit ad reſurrectionem & vivificationem naturæ humanæ, quæ per peccatum morti obnoxia erat.* 6. *De trina immerſione & interrogatione in Baptiſmo, & de unctione in vitam æternam.*

Quod diluvium nihil aliud ſit niſi baptiſma, quo culpæ diluuntur: ac de multis generibus baptiſmatum. Idem Serm. 2. n. 6. Serm. 1. n. 4.

1. IN diluvio figuram baptiſmatis præceſſiſſe, heſterno cœpimus diſputare Sermone. Nam quid eſt diluvium, niſi in quo juſtus ad ſeminarium juſtitiæ reſervatur, peccatum moritur? Ideo Dominus videns hominum pullulare delicta, juſtum ſolum cum ſua progenie reſervavit: aquam autem ſupra montes quoque, exire præcepit. Et ideo in illo diluvio omnis corruptela carnis interiit, ſola juſti proſapia & forma permanſit. Nonne hoc eſt diluvium quod eſt baptiſma, quo peccata omnia diluuntur, ſola juſti mens & gratia ſuſcitatur? Multa ſunt genera baptiſmatum. Sed unum

Eph. 4, 5. baptiſma clamat Apoſtolus. Quare? Sunt baptiſmata Gentium, ſed non ſunt baptiſmata: lavacra ſunt, Baptiſmata eſſe non poſſunt. Caro lavatur, non culpa diluitur, imo in illo lavacro contrahitur. Erant autem baptiſmata Judæorum, alia ſuperflua, alia in figura. Et figura ipſa nobis proficit, quia veritatis eſt nuntia.

Joan. 5, 2. Quid ſignificet Angelus in piſcinam deſcendens: & quid ſit quod paralyticus reſponderit Chriſto, *hominem non habeo?* Id. Serm. 1. n. 3.

2. Quid lectum eſt heri? *Angelus*, inquit, *ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam, & quotieſcunque deſcendiſſet Angelus, movebatur aqua: & qui prior deſcendiſſet, ſanabatur ab omni languore, quocunque tenebatur.* Quod ſignificabat figuram venturam Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Angelus*, quare? Ipſe eſt enim magni conſilii Angelus. *Secundum tempus*, quod ad horam noviſſimam ſervabatur, ut in occaſu ipſum diem deprehenderet, & differret occaſum. *Quotieſcunque ergo deſcendiſſet Angelus, movebatur aqua.* Dicis forte, quare modo non movetur? Audi, quare: Signa incredulis, fides credentibus. *Qui prior deſcendiſſet, ſanabatur ab omni infirmitate.* *Qui prior*, tempore, an honore? utrumque intelliga. Si tempore, *prior qui deſcendiſſet ſanabatur*: hoc eſt, de populo Judæorum magis, quam de populo nationum. Si honore, *qui prior deſcendiſſet*: hoc eſt, qui haberet Dei metum, ſtudium juſtitiæ, gratiam. Charitatis, caſtitatis affectum; *ipſe magis ſanabatur.* Tamen tunc temporis unus ſanabatur. Tunc, inquam, temporis, in figura: *qui prior deſcendiſſet*, ſolus curabatur. Quanto major eſt gratia Eccleſiæ, in qua omnes ſalvantur, quicunque deſcendunt. Sed videte myſterium. Venit Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad piſcinam, multi ægri jacebant. Et facile ibi multi ægri jacebant, ubi unus tantummodo curabatur. Deinde ait ad illum paralyticum, *Deſcende.* Ait ille, *hominem non habeo.* Vide ubi baptizaris, unde ſit baptiſma, niſi de cruce Chriſti, de morte Chriſti. Ibi eſt omne myſterium: quia pro te paſſus eſt, in ipſo redimeris, in ipſo ſalvaberis. *Hominem*, inquit, *non habeo*: hoc eſt, *quia per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* 1. Corinth. 15, 21. Non poterat deſcendere, nec poterat ſalvari, qui non credebat quod Dominus Jeſus carnem ſuſcepiſſet ex virgine. Hic autem qui opperiebatur Mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum, expectans eum de quo dictum eſt, *Emittet Dominus hominem qui ſalvos faciat eos*: dicebat, *Hominem non habeo.* Et ideo ad ſanitatem meruit pervenire, quia credebat in advenientem. Melior tamen & perfectior fuiſſet, ſi credidiſſet jam veniſſe, quem ſperabat eſſe venturum.

De variis generibus & figuris baptiſmi. 4. Reg. 5, 1. Idem Serm. 1. n. 6. 2. n. 5.

3. Nunc vide ſingula. Diximus figuram præceſſiſſe in Jordane, quando Naaman ille leproſus mundatus eſt. Puella illa ex captivis quæ eſt, niſi quæ ſpeciem habebat Eccleſiæ, & figuram repræſentabat? Captivus enim erat populus nationum. Captivus erat, non dico captivitatem ſub hoſte aliquo conſtitutam: ſed eam captivitatem dico, quæ major eſt, quando diabolus cum ſuis ſævo dominatur imperio, & captiva ſibi colla ſubjicit peccatorum. Ergo habes unum baptiſma, aliud in diluvio. Habes tertium genus, quando in mari rubro baptizati ſunt Patres. Habes quartum genus in piſcina, quando movebatur aqua. Nunc te conſulo utrum credere debeas, quia habes præſentiam Trinitatis, in hoc baptiſmate quo baptizatur in Eccleſia. Idem Itaque Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Evangelio ſuo dicit ad Apoſtolos: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Sermo hic Salvatoris eſt. Dic mihi o homo: Invocavit Elias, & deſcendit ignis de cœlo. Invocavit Eliſæus Domini nomen, & de aqua

Gen. 8. Exod. 14. Joan. 5, 4. Matth. 28, 19.

Quid ſignifi-

fer-

ret, quod ad preces Eliſæi, ferrum ſecuris demerſum ſupernataverit?

ferrum ſecuris aſcendit, quod demerſum fuerat. Ecce aliud genus Baptiſmatis. Quare? Quia omnis homo ante Baptiſmum, quaſi ferrum premitur atque demergitur: ubi baptizatus fuerit, non tanquam ferrum, ſed tanquam jam levior fructuoſi ligni ſpecies levatur. Ergo & hic figura altera. Securis erat, qua cedebantur ligna. Cecidit manubrium de ſecuri, hoc eſt, ferrum demerſum eſt. Filius Prophetæ neſcivit quid faceret, ſed hoc ſolum ſcivit, ut rogaret Eliſæum Prophetam, & remedium poſtularet. Tunc ille lignum miſit, & ferrum levatum eſt. Vides ergo, quod in cruce Chriſti omnium hominum levatur infirmitas. Aliud, etſi non ordinem tenemus: Quis enim poſſet omnia geſta comprehendere Chriſti? Sicut Apoſtoli dixerunt. Moyſes cum veniſſet in deſertum, & ſitiviſſet populus, & veniſſet ad Marath fontem, & bibere vellet: aquam ubi primum hauſit, & amaritudinem ſenſit, cœpit bibere non poſſe. Ideo Moyſes miſit lignum in fontem, & cœpit aqua, quæ antea erat amara, dulceſcere. Quid ſignificat? Niſi quia omnis creatura corruptelæ obnoxia, ut Marath aqua, amara eſt omnibus. Etſi ad tempus ſuavis eſt, ad tempus jucunda: amara tamen eſt, quæ non poteſt auferre peccatum. Vbi biberis, ſitiet: ubi potus cœperis ſuavitatem, iterum amaritudinem ſenties. Amara ergo aqua: ſed ubi crucem Chriſti, ubi acceperit cœleſte Sacramentum, incipit eſſe dulcis & ſuavis. Et merito dulcis, in qua culpa devoratur. Ergo ſi in figura tantum valuerunt baptiſmata, quanto amplius valet baptiſma in veritate.

Vide Serm. 2. n. 17.

Joan. 21, 15.

Quid etiam quod Moyſes lignum miſerit in fontem, quo aqua antea amara, dulceſcebat.

Idem Serm. 1. n. 5 & 17.

Deſcendit Spiritus Sanctus in baptiſmo.

4. Nunc ergo conſideremus. Venit* Sacerdos, precem dicit ad fontem, invocat Patris nomen, præſentiam Filii & Spiritus Sancti. Vtitur verbis cœleſtibus. Cœleſtia verba quæ ſunt? Quod baptizemus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Si ergo ad hominis ſermonem, ad invocationem Sancti, aderat præſentia Trinitatis: quanto magis ibi adeſt, ubi ſermo operatur æternus? Vultis ſcire quia deſcendit Spiritus? Audite: *quia quaſi columba deſcendit.* Quare, quaſi columba? ut increduli vocarentur ad fidem. In principio ſignum debuit eſſe, in poſterioribus debet eſſe perfectio. Accipe aliud. Poſt mortem Domini noſtri Jeſu Chriſti, Apoſtoli *erant in uno loco, & ambabant in die Pentecoſtes, & ſubito factus eſt magnus ſonus, quaſi vi magna ſpiritus ferretur, & viſæ ſunt linguæ diſpertitæ ſicut ignis.* Quid hoc ſignificat, niſi deſcenſum Spiritus Sancti, qui ſe voluit incredulis etiam corporaliter demonſtrare? Hoc eſt, corporaliter per ſignum, ſpiritaliter per Sacramentum. Ergo manifeſtum teſtimonium adventus ejus. Nobis autem fidei prærogativa defertur, quia in principio ſigna incredulis fiebant: nobis jam in plenitudine Eccleſiæ, non ſigna, ſed fidei veritas colligenda eſt.

* De conſec. Diſt. 4 C. Venit Sacerdos. Ivo part. 2. c. 10. Pann. lib. 1 c. 41.

Matth. 3, 16. Luc. 3, 22. Serm. 1. n. 9. Item, 2. n. 5.

Act. 2.

Quod baptiſmus inventus ſit ad reſurrectionem & vivificationem naturæ humanæ, quæ per peccatum morti obnoxia erat.

5. Nunc diſputemus, quid ſit quod dicitur baptiſma? Veniſti ad fontem, deſcendiſti in eum, attendiſti ſummum Sacerdotem, Levitas & Presbyterum ad fontem vidiſti. Quid eſt Baptiſmus? In principio Deus noſter hominem fecit, ut ſi peccatum non guſtaret, morte non moreretur. Peccatum contraxit, factus eſt morti obnoxius, ejectus eſt de Paradiſo. Sed Dominus qui ſua vellet beneficia permanere, & inſidias omnes abolere ſerpentis, reſcindere quoque omne quod nocuit: primum quidem ſententiam tulit in hominem, *Terra es & in terram ibis*: & morti hominem fecit obnoxium. Erat divina ſententia, ſolvi humana conditione non poterat. Remedium datum eſt, ut homo moreretur & reſurgeret. Quare? ut illud quod ante loco damnationis ceſſerat, loco cederet beneficii. Quid illud eſt, niſi mors? Quæris, Quomodo? Quia mors interveniens, finem facit peccati: quando enim morimur, utique peccare deſiſtimus. Satisfactum ergo ſententiæ videbatur, quando homo qui factus fuerat ut viveret, (ſi tamen non peccaret) incipiebat mori. Sed ut Dei perpetua gratia perſeveraret, mortuus eſt homo: ſed Chriſtus invenit reſurrectionem, id eſt ut redintegraret cœleſte beneficium, quod fraude fuerat ſerpentis amiſſum. Vtrumque ergo pro nobis: quia & mors finis eſt peccatorum, & reſurrectio naturæ eſt reformatio. Verum tamen ne in hoc ſeculo, diaboli fraus vel inſidiæ prævalerent: inventum eſt baptiſma. De quo baptiſmate, audi quid dicat Scriptura, imo Filius Dei: quia Phariſæi qui noluerunt baptizari baptiſmo Johannis, conſilium Dei ſpreverunt. Ergo baptiſma, conſilium Dei eſt. Quanta eſt gratia, ubi eſt conſilium Dei? Audi ergo. Nam ut in hoc ſeculo nexus diaboli ſolveretur, inventum eſt, quomodo homo vivus moreretur, & vivus reſurgeret. Quid eſt, vivus moreretur, & vivus reſurgeret? Hoc eſt, vita corporis vivens, cum veniret ad fontem, & mergeretur in fontem. Quid eſt aqua, niſi de terra? Satis fit ergo ſententiæ, ſine mortis ſtupore. Quod mergeris, ſolvitur ſententia iſta: *Terra es & in terram ibis.* Impleta ſententia, locus eſt beneficio, remedioque cœleſti. Ergo aqua de terra, poſſibilitas autem vitæ noſtræ non admit-

Gen. 3, 19.

Luc. 7, 30.

mittebat ut terra operiremur, & de terra resurgeremus. Deinde non terra lavat, sed aqua lavat: Ideo fons quasi sepultura est.

De trina immersione & interrogatione in baptismo, & de unctione in vitam æternam.

* Ivo parte 1. cap. 126.

6. Interrogatus * es, *Credis in Deum patrem omnipotentem?* Dixisti, *Credo:* Et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, *Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, & in crucem ejus?* Dixisti, *Credo:* Et mersisti, ideo & Christo es sepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es, *Credis & in Spiritum Sanctum?* Dixisti, *Credo:* Et tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio. Denique ut vobis

Matth. 26, 34. Joan. 13. v. 25. Joan 21. v. 15. 16. 17.

afferamus exemplum. Sanctus Apostolus Petrus, postcaquam in passione Domini, lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ: quia ter negaverat, postea ut illum lapsum aboleret & solveret, tertio interrogatus a Christo si Christum amaret: tunc ille dicit, *Tu nosti Domine, quia amo te.* Tertio dixit, ut tertio absolveretur. Sicut ergo peccatum dimittit Pater, sic dimittit Filius, sic dimittit & Spiritus Sanctus. In uno autem nomine ba-

Matth. 28, 19.

ptizari nos jussit: hoc est, *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Noli mirari, quia dixi unum nomen; ubi est una substantia, una divinitas, una majestas.

Act. 4, 12.

Hoc est nomen de quo dictum est, *In quo oportet omnes sanos fieri.* In hoc nomine omnes salvati estis, redditi estis ad gratiam vitæ. Clamat ergo Apostolus, sicut

Rom. 6, 3.

audistis in lectione præsenti: *Quoniam quicunque baptizatur, in morte Jesu baptizatur.* Quid est in morte? Ut quomodo Christus mortuus est, sic & tu mortem degustes. Quomodo Christus mortuus est peccato, & Deo vivit: ita & tu superioribus illecebris peccatorum mortuus sis per baptismatis Sacramentum, & surrexeris per gratiam Christi. Mors ergo est, sed non in mortis corporalis veritate, sed in similitudine. Cum enim mergis, mortis suscipis & sepulturæ similitudinem: crucis illius accipis Sacramentum, quod in cruce Christus pependit, & clavis confixum est corpus. Tu ergo cum crucifigeris, Christo adhæres, clavis Domini nostri Jesu Christi adhæres, ne te diabolus possit abstrahere. Teneat te clavus Christi, quem revocat humanæ conditionis infirmitas. Ergo * mersisti, ve-

* De Consec. Dist. 4. C. Emersisti. Ivo p. 1 c. 141. Pann. l. 1. c. 67.

nisti ad Sacerdotem, quid tibi dixit? *Deus* inquit, *Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam æternam.*

* Serm. 1. N. 11. Serm. 4. N. 1.

Vide, ubi * unctus es? *In vitam*, inquit, *æternam.* Noli hanc vitam illi vitæ anteferre. Verbi Gratia, si exurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem ut prævaricetur quisquam: vide quid eligas? Noli eligere illud in quo non es unctus, sed elige in quo unctus es, ut vitam æternam vitæ præferas temporali.

NOTÆ

in præcedentem Sermonem.

N. 2. (*Quod significabat figuram venturam Domini nostri Jesu Christi*) Ita legunt MSS. Codices, & editiones Basileensis annum 1527. & 1555. ex curis Erasmi. At anno 1585. in editione Romana legit Cardinalis de Monte alto: *Quod in figuram venturi Domini nostri Jesu Christi fuhat.* Clarius quidem quoad sensum phrasios, sed non sincerius. Hanc Lectionem secuta est editio Colonienſis anni 1616. cum anterioribus ac subsequentibus Parisiensibus, Romanam imitatis.

Ibid. (*Dicit forte*) hic author frequenter objectiones suas vel dubitationes adjicit, his verbis. Sermone 1. N 9. *ut fortasse dicas.* N. 17. *Forte dicas.* N. 7. *Ne forte & tu diceres.* Serm. 2. N. 3. *Ne forte aliquis dixerit.* Serm. 5. N. 1. *Sed forte dicas.*

Ibid. (*Quia pro te passus est, in ipso redimeris*) Ita legunt MSS. Codd. cum editionibus Basileensibus Erasmi, annorum 1527. 1555. At Romana anni 1585. cum Colonienſi 1616. male: *Qui pro te passus est &c.*

N. 5. (*Ut si peccatum non gestaret*) Ita MSS. Codd. cum Basileensibus editionibus, legente perperam Colonienſi, *non gestaret.*

Ibid. (*primum quidem sententiam tulit in hominem, terra es & in terram ibis: & morti hominem fecit obnoxium. Erat divina sententia, sed humanæ conditione non poterat.*) Infra (*Satisfactum ergo sententiæ videbatur, quando homo &c.*) Denique sub ejusdem numeri finem: (*Satisfit ergo sententiæ sine mortis stupore. Quod mergeris, solvitur sententia ista,* Terra es & in terram ibis. *Impleta sententia, locum est beneficio.*) His ex verbis tam frequenter repetitis *sententia*, pro Divino quo sanxit mortem homini, Decreto suo Deus: Intelligi facile potest, hominem Gallum fuisse, atque Gallicisinum esse phrasim istam ita sæpe repetitam. Nam apud Gallos Decretum mortis, vulgo *Sentence de mort* appellatur. Sententiæ autem apud Latinos pro opinione de re quapiam, non autem pro *Decreto mortis*, ut apud Gallos, usurpata.

N. 6. (*Vide ubi unctus es:* In vitam, *inquit*, æternam: *noli hanc vitam illi vitæ anteferre. Verbi gratia, si exurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem ut prævaricetur quisquam: Vide quid eligas. Noli eligere illud in quo non es unctus, sed elige in quo unctus es, ut vitam æternam vitæ præferas temporali.*) Hic agit Scriptor de unctione Chrismatis, quæ in capite post baptismum facta fuit, cui adscribit Author anonymus ritui, quidquid Romani moderni adscribunt Sacramento suo *Confirmationis:* quod & proprium esse omnium Episcoporum pulsatis ab eo Presbyteris, Atque aliud quoque esse a Baptismo, contra ipsam Ecclesiæ Græcæ praxim contendunt. Ita paulatim accrevit ille septenarius Sacramentorum numerus, quem pro focis arisque defendunt. Is igitur Author, Confirmationem hanc, qua juxta Papistas uncti ab Episcopis solis chrismate ad frontem Christiani, adversus insidiantes fidei suæ hostes, perseverant immoti & invincibiles: nudam Baptismi Ceremoniam, seu ritum censet, non distinctum ab eo Sacramentum. In hanc mentem accesserunt Veteres plurimi, antequam taxata ab Scholasticis fuisset, magistris etiam Ecclesiæ vetustioribus, Sacramentorum Septenaria Collecta. hujus quoque Chrismatis unctionis meminit idem

nulla Capitum divisione adhibita. Nos per numeros duntaxat divisimus hoc modo. Num. 1. *De apertione aurium & oris.* 2. *De renuntiatione facta diabolo & ejus operibus.* 3. *De aquis quæ illic videntur, quarum sanctificationem Dominus ab ipsa mundi origine præfigurvit.* 4. *In ipsis etiam diluvii aquis.* 5. *In transitu maris rubri, ab Moyse cum populo Israelitico.* 6. *In mundatione lepræ Naaman Syri.* 7. *Testimonium & fides S. Trinitatis in baptismo.* 8. *Cujus figura erat piscina Hierosolymis posita, qua sanabat hominem ægrum.* 9. *Columba quæ in Christum descendit.* 10. *Nec in iis quæ a Sacerdotibus in baptismo fiunt, merita personarum sed officia considerandæ sunt. Ac quomodo præcipiamur æqualiter in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum credere.* 11. *Unctionem capitis post baptismum fieri: tum lotionem quoque pedum in Neophytis esse, ad Petri exemplum, qui pedes sibi a Domino lavari passus est.* 12. *Eosdem indui vestimentis albis, in indicium pectoris depositi.* 13 *Quos designat Christus Cant. 4. per sponsam suam seu Ecclesiam collaudatam.* 14. *Quæ Christum ob hanc regenerationis & sanctificationis gratiam, ardentius amat.* 15. *De Communione Corporis & Sanguinis Domini, quodque antiquiora & præstantiora sint Ecclesiæ Sacramenta, quam Synagogæ.* 16. *Comparatio Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini, ad manna & ad aquas petræ.* 17. *Objectio contra veritatem corporis & sanguinis Christi, quam solvit exemplo Moysis qui virgam convertit in serpentem, atque de aliis similibus.* 18. *Consecratione fieri Corpus & Sanguinem Domini.* 19. *His Sacramentis pasci Ecclesiam a Christo, ac fertilem reddi.* 20. *Unde illa videns tantam gratiam, hortatur filios suos, ut ad Sacramenta concurrant.*

1.

DE moralibus quotidianum sermonem habuimus, cum vel Patriarcharum gesta, vel Proverbiorum legerentur præcepta: ut his informati atque instituti, assuescereris majorum ingredi vias, eorumque iter carpere, ac divinis obedire mandatis: quo renovati per baptismum, ejus vitæ usum teneretis, quæ ablutos deceret. Nunc de Mysteriis dicere tempus admonet, atque ipsam Sacramentorum rationem edere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam nondum initiatis, prodidisse potius quam edidisse æstimaremur. Deinde quod inopinantibus melius se ipsa lux mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis præcurrisset. Aperite * igitur aures, & bonum odorem vitæ æternæ inhalatum vobis munere Sacramentorum carpite, quod vobis signavimus, cum apertionis celebrantes mysterium, diceremus, *Ephetha, quod est, adaperire:* ut venturus unusquisque ad gratiam: quid interrogaretur cognosceret, quid responderet meminisse deberet. Hoc mysterium celebravit Christus in Evangelio, sicut legimus, cum mutum curaret & surdum. Sed illi os tetigit, quia & mutum curabat & virum. In altero, ut os ejus infusæ sonum vocis aperiret: in altero, quia tactus iste virum decebat, fœminam non decebat.

Prologus.

* Idem Serm. 2. N. 1.

De aperitione aurium. Marci 7. v. 34.

Atque oris. Ibid. v. 33.

2. Post hæc reserata sunt tibi Sancta Sanctorum, ingressus & regenerationis Sacrarium. Repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo & operibus ejus, mundo & luxuriæ ejus ex voluptatibus. Tenetur vox tua, non in tumulo mortuorum, sed in libro viventium. Vidisti illic Levitam, vidisti Sacerdotem, vidisti Summum Sacerdotem. Noli considerare corporum figuras, sed mysteriorum gratiam. Præsentibus Angelis locutus es, sicut scriptum est: *Quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ipsius, quoniam Angelus est Domini omnipotentis.* Non est fallere, non est negare. Angelus est qui regnum Christi & vitam æternam annuntiat, non specie tibi æstimandus est, sed munere. Quid tradiderit considera, usum ejus expende. Et statum ejus agnosce. Ingressus igitur ut adversarium tuum cerneres, cui renuntiandum mox putares, ad Orientem converteris. Qui enim renuntiat diabolo, ad Christum convertitur, illum directo cernit obtutu.

Idem Serm. 2. n. 2. & 3.

De renuntiatione facta diabolo, & ejus operibus.

Mal. 2. v. 7.

Conversio ad Orientem.

3. Quid vidisti? Aquas utique, sed non solas: Levitas illic ministrantes, Summum Sacerdotem interrogantem & consecrantem. Primo omnium docuit te Apostolus non ea contemplanda quæ videntur, sed quæ non videntur: *quoniam quæ videntur, temporalia sunt: quæ autem non videntur, æterna.* Nam & alibi habes. *Quia invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, comprehenduntur: sempiterna quoque virtus, ejus ac divinitas, operibus æstimantur.* Unde & Dominus ait, *Si mihi non creditis, vel operibus credite.* Crede ergo divinitatis illic esse præsentiam. Operationem credis, non credis præsentiam? Unde sequeretur operatio, nisi præcederet ante præsentia? Considera autem quam vetus mysterium sit, in ipsius mundi præfiguratum origine. *In principio ipso, quando fecit Deus cælum & terram, Spiritus*, inquit, *superferebatur super aquas.* Qui superferebatur super aquas, non operabatur super aquas? Sed dicam, operatus

De aquis quæ illic videntur.

2. Cor. 4. v. 18.

Rom. 1. v. 20.

Joan. 10. v. 38.

quarum sanctificationem Dominus præfiguravit ab ipsa origine mundi.

Gen. 1. v. 2.

Digitized by Google

rabatur. Quod ad præſentiam ſpectat, ſuperferebatur. Quod autem operabatur, qui ſuperferebatur in illa mundi fabrica, cognoſce quando tibi dicit Propheta: *Verbo Domini cœli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Vtrumque prophetico ſubnixum eſt teſtimonio, & quia ſuperferebatur, & quia operabatur. Quia ſuperferebatur, Moyſes dicit: quia operabatur, David teſtificatur.

Pſal. 33. v. 6.

In ipſis etiam Diluvii aquis.

4. Accipe aliud teſtimonium. Corrupta erat caro omnis ab iniquitatibus ſuis. *Non permanebit*, inquit Deus, *Spiritus meus in hominibus, quoniam carnes ſunt.* Quo oſtendit Deus, quia carnali immunditia, gravioris labe peccati, gratia Spiritalis avertitur. Vnde * volens Deus reparare quod deerat, diluvium fecit, & juſtum Noë in arcam juſſit aſcendere. Qui jam decedente diluvio corvum dimiſit prius, qui non revertitur: dimiſit columbam, quæ cum ramo oleæ legitur revertiſſe. Vides aquam? vides lignum? Columbam aſpicis, & dubitas de myſterio? Aqua eſt ergo qua caro mergitur, ut omne abluatur peccatum. Sepelitur illic omne vitium. Lignum eſt, in quo ſuffixus eſt Dn. Jeſus, cum pateretur pro nobis. Columba eſt, in cujus ſpecie deſcendit Spiritus Sanctus, ſicut didiciſti in novo Teſtamento: qui tibi pacem animæ, tranquillitatemque mentis inſpirat. Corvus eſt figura peccati, quod exit & non revertitur, ſi in te quoque juſti cuſtodia & forma ſervetur.

Gen. 6. v. 3.

Gen. 7. & 8.*

Idem Serm. 1. N. 6. & Serm. 3. N. 1.

Matth. 3. v. 16.

In ipſo tranſitu maris rubri, ab Moyſe cum populo Iſraëlitico.

5. Tertium quoque teſtimonium eſt, ſicut te Apoſtolus docuit: *Quoniam Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moyſe baptizati ſunt in nube & in mari.* Denique & ipſe Moyſes dicit in Cantico: *Miſiſti Spiritum tuum, & operuit eos mare.* Advertis quod in illo Hebræorum tranſitu jam tunc ſacri Baptismatis figura præceſſerit, in quo Ægyptius perlit, & Hebræus evaſit. Quid enim aliud in hoc quotidie Sacramento docemur, niſi quia culpa mergitur, & error aboletur? Pietas autem & innocentia tota * permanſit. Audis quia ſub nube fuerunt Patres noſtri? Et bona nubes, quæ carnalium refrigeravit incendia paſſionum. Bona nubes obumbrat, quos reviſit Spiritus Sanctus. Denique ſupervenit in Mariam virginem, & virtus Altiſſimi obumbravit ei, quando redemptionem genti genuit humanæ. Et illud miraculum per Moyſen in figura factum eſt. Si ergo in figura affuit Spiritus, non adeſt in veritate, cum Scriptura tibi dicat: *Quia Lex per Moyſen data eſt, gratia autem & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Marath fons amariſſimus erat, miſit in eum Moyſes lignum & dulcis eſt factus. Aqua enim ſine prædicatione Dominicæ crucis, ad nullos uſus futuræ ſalutis eſt. Cum vero ſalutaris fuerit crucis myſterio conſecrata, tunc ad uſum ſpiritalis lavacri & ſalutaris poculi, temperatur. Sicut ergo in illum fontem Moyſes miſit lignum, hoc eſt, Propheta: ita & in hunc fontem Sacerdos prædicationem Dominicæ crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam. Non ergo ſolis corporis tui credas oculis, majus videtur, quod non videtur quia iſtud temporale, illud æternum aſpicitur: quod oculis non comprehenditur, animo autem aut mente cernitur.

* al. *tuta manet.*

Joan. 1. v. 17.

In fonte Marath dulcorato.

6. Denique doceat te decurſa Regnorum Lectio. Naaman Syrus erat, & lepram habebat, nec ab ullo mundari poterat. Tunc ait puella ex captivis, quod eſſet propheta in Iſrael, qui poſſet eum a lepræ cotagione mundare. Sumpto igitur auro & argento, pervexit ad regem Iſrael. Qui cognita adventus ejus cauſa, ſcidit veſtimenta ſua dicens, quod tentaretur magis, cum de ſe ea, quæ non eſſent poteſtatis regiæ, poſcerentur. Heliſæus autem Regi intimavit ut ad ſe dirigeret Syrum, quo cognoſceret quod eſſet Deus in Iſrael. Et cum veniſſet, mandavit ei ut ſepties mergeretur in Jordane fluvio. Tunc ille ſecum tractare cœpit, quod meliores aquas haberent patriæ ſuæ, in quibus ſæpe merſiſſet, & nunquam eſſet a lepra mundatus: eoque revocatus non obediebat mandatis Prophetæ, ſed admonitu & perſuaſionibus ſervulorum acquievit & merſit. Mundatusque illico, intellexit non aquarum eſſe quod unusquisque mundatur, ſed gratiæ. Recognoſce nunc quæ ſit illa puella ex captivis, junior ſcilicet ex gentibus congregatio, id eſt, Eccleſia Domini. Depreſſa ante captivitate peccati, quanto libertatem adhuc gratiæ non habebat: cujus conſilio vanus ille populus nationum, verbum audivit Propheticum, de quo ante diu dubitavit: poſtea tamen ubi credidit exequendum, ablutus eſt ab omni contagio vitiorum. Et ille dubitavit antequam ſanaretur, tu jam ſanatus es, & ideo dubitare non debes.

In inundatione Lepræ Naaman Syri. 4. Reg. 5.

7. Ideo tibi ante dictum eſt, ut non hoc ſolum crederes quod videbas, ne forte & tu diceres: Hoc eſt illud magnum Myſterium, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit?* Aquas video, quas videbam quotidie: iſtæ me habent mundare, in quas ſæpe deſcendi, & nunquam mundatus ſum? Hinc cognoſce quod aqua non mundat ſine Spiritu. Ideoque legiſti quod tres teſtes in Baptiſmate unum ſunt, Aqua, Sanguis &

Teſtimonium & fides Trinitatis in baptiſmo. infr. N. 15.

1. Cor. 2. v. 9.

1. Joan. 5. v. 8.

Spiritus quia si unum horum detrahas, non stat baptismatis Sacramentum. Quid est enim aqua sine cruce Christi? Elementum commune, sine ullo Sacramenti effectu. Nec iterum sine aqua, regenerationis mysterium est: *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest introire in regnum Dei.* Credit autem etiam catechumenus in crucem Domini Jesu, qua & ipse signatur. Sed nisi baptizatus fuerit in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, remissionem non potest accipere peccatorum, nec spiritalis gratiæ munus haurire. Ergo ille Syrius septies mersit in lege. Tu autem in gratia baptizatus es in nomine Trinitatis, confessus es Patrem, recordare quid feceris: confessus es Filium, confessus es Spiritum Sanctum. Tene ordinem rerum in hac fide, mundo mortuus es, & Deo resurrexisti. Et quasi in illo mundi es consepultus elemento, peccato mortuus, ad vitam es resuscitatus æternam. Crede ergo, quia non sunt vacuæ aquæ.

Joan. 3. v. 5.

4. Reg. 5.

8. Ideo tibi dictum est: *Quia* * *Angelus Domini descendebat secundum tempus in natatoriam, & movebatur aqua, & qui prior descendisset in natatoriam post commotionem aqua, sanus fiebat a langore quocunque tenebatur.* Hæc piscina in Hierosolymis erat, in qua unus annuus sanabatur. Sed nemo ante sanabatur, quam descendisset Angelus. Vt esset indicium quia descendebat Angelus, movebatur aqua propter incredulos. Illis signum, tibi fides. Illis Angelus descendebat, tibi Spiritus Sanctus. Illis creatura movebatur, tibi Christus operatur, ipse Dominus creaturæ. Tunc curabatur unus, nunc omnes sanantur, aut certe unus solus populus Christianus. Est enim in aliquibus & aqua mendax. Non * sanat baptisinus perfidorum, non mundat, sed polluit. Judæus urceos baptizat & calices, quasi insensibilia vel culpam possint accipere vel gratiam. Tu baptiza hunc calicem tuum sensibilem, in quo bona opera tua luceant, in quo gratiæ tuæ splendor fulgeat. Ergo & illa piscina in figura, ut credas, quia in hunc fontem vis divina descendit.

* Idem serm. 3. n. 2. cujus figura fuit piscina quæ Hierosolymis posita, sanabat hominem ægrum. Joan. 5. v. 4.

* Algerus lib. 3. Cap. 1. & 13, 1. 9. 1. C. Non sanat.

9. Denique paralyticus ille expectabat hominem. Quem? Nisi illum Dominum Jesum natum ex Virgine, cujus adventu jam non umbra sanaret singulos, sed veritas universos. Iste est ergo qui expectabatur ut descenderet, de quo dixit Deus Pater ad Joannem Baptistam: *Super quem videris Spiritum descendentem de cælo, & manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto.* De quo testificatus est Johannes, dicens: *Quia vidi Spiritum descendentem de cælo quasi columbam, & manentem super eum.* Et hic quare Spiritus sicut columba descendit, nisi ut tu videres, nisi ut tu agnosceres, columbam etiam illam quam Noë justus emisit ex arca, illius columbæ speciem fuisse, ut typum agnosceres Sacramenti? Et fortasse dicas, cum illa vera columba fuerit quæ emissa est, hic quasi columba descenderit: quomodo illic speciem fuisse dicimus, hic veritatem; cum secundùm Græcos in specie columbæ Spiritum descendisse, scriptum sit? Sed quid tam verum, quam Divinitas, quæ manet semper? Creaturæ autem non potest veritas esse, sed species, quæ facile solvitur atque mutatur. Simul quia eorum qui baptizantur, non in specie esse debeat, sed vera simplicitas. Vnde & Dominus ait: *Estote astuti sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Merito ergo sicut columba descendit, ut admoneret nos simplicitatem columbæ habere debere. Speciem autem pro veritate accipiendam legimus & de Christo. *Et specie inventus ut homo:* & de Patre Deo, *Neque speciem ejus vidistis.*

Joan. 1. v. 32. & 33.

Gen. 8. v. 8.

Matth. 10. v. 16.

Phil. 2. 7. Joan. 5, 37.

10. Estne adhuc quod dubitare debeas, cum evidenter tibi clamet in Evangelio Pater, qui ait: *Hic est filius meus in quo complacui.* Clamet Filius, super quem sicut columba se demonstravit Spiritus Sanctus. Clamet & Spiritus Sanctus, qui sicut columba descendit. Clamet David: *Vox Domini super aquas, Deus majestatis intonuit, Dominus super aquas multas.* Cum * tibi Scriptura testetur, quod ad Hieroboal preces, ignis descenderit de cœlo: & rursus precante Elia, ignis est missus qui Sacrificium consumpsit: non merita personarum consideres, sed officia Sacerdotum. Et si merita spectas, sicut Eliam consideras: Petri quoque merita spectato vel Pauli, qui acceptum a Domino Jesu, hoc nobis mysterium tradiderunt. Ignis illis visibilis mittebatur ut crederent, nobis invisibilis operatur qui credimus. Illis in figuram, nobis ad communionem. Crede ergo adesse Dominum Jesum, invocatum precibus Sacerdotum, qui ait: *Vbi fuerint duo vel tres, ibi & ego sum.* Quanto magis ubi est Ecclesia, ubi mysteria sunt, ibi dignatur suam impertire præsentiam. Descendisti igitur, recordare quid responderis: quod credas in Patrem, credas in Filium, credas in Spiritum Sanctum. Non habes illic, credo in majorem & minorem & ultimum. Sed eadem vocis tuæ cantione constringeris, ut similiter credas in Filium, sicut in Patrem credis: Similiter in Spiritum Sanctum, sicut credis in Filium. Hoc solo excepto, quod in crucem solius Domini Jesu fateris tibi esse credendum.

Psalm 28, 3.

* Nec in iis quæ fiunt a Sacerdotibus, merita personarum, sed officia consideranda sunt. * Algerus lib. 3. c. 10, 1. 9. 1. C. cum Scriptum. 3. Reg. 18.

Matth. 18. 20.

Quomodo præcipiamur in baptismo, æqualiter in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum credere.

11. Post

Vnctionem Capitis poſt baptiſmum fieri. Pſalm 132, 2.

11. Poſt hæc utique aſcendiſti ad Sacerdotem, conſidera quid ſecutum ſit. Nonne illud quod ait David: *Sicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam Aaron.* Hoc eſt unguentum, de quo & Salomon ait: *Vnguentum exinanitum eſt nomen tuum, propterea adoleſcentulæ dilexerunt te, Attrahe nos poſt te.* Quare hodie renovatæ animæ dilexerunt te Domine Jeſu, dicentes: *Attrahe nos poſt te, in odorem unguentorum tuorum currimus*, ut odorem reſurrectionem haurirent. Quare hoc fiat intellige, *Quia oculi ſapientis in capite ejus.* Ideo in barbam defluit, id eſt, in gratiam juventutis. Ideo in barbam Aaron, ut ſis electum genus, ſacerdotale, pretioſum. Omnes enim in regnum Dei, & in Sacerdotium ungimur gratia Spiritali. Aſcendiſti de fonte, momento Evangelicæ Lectionis. Etenim Dominus noſter Jeſus lavit pedes diſcipulis ſuis. Quando venit ad Simonem Petrum, & ait Petrus, *Non lavabis mihi pedes in æternum:* non advertit myſterium, & ideo miniſterium recuſavit: quod gravari humilitatem ſervi crederet, ſi ſibi obſequium Domini patienter admitteret. Cui reſpondit Dominus: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Quo audito Petrus, *Domine, non tantum pedes*, inquit, *ſed & manus & caput.* Reſpondit Dominus: *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, & eſt mundus totus.* Mundus erat Petrus, ſed plantam lavare debebat. Habebat enim primi hominis de ſucceſſione peccatum, quando eum ſupplantavit ſerpens, & perſuaſit errorem. Ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur: noſtra enim propria per Baptiſmum relaxantur. Simul cognoſce Myſterium ipſum humilitatis, conſiſtere in miniſterio. Ait enim: *Si ego lavi vobis pedes dominus & magiſter, quanto magis & vos debetis lavare pedes invicem vobis?* Cum enim ipſe author ſalutis, per obedientiam nos redemerit: quanto magis nos ſervuli ejus, humilitatis & obedientiæ exhibere debemus obſequium?

Cant. 1, 3. Idem Serm. 3. N. 6. Serm. 4. N. 1.

Ibidem.

Eccl. 2, 14.

1. Pet. 2, 9.

Atque lotionem pedum, ut peccatum originale tollatur. Joan. 13, 8.

Idem Serm. 4. N. 2.

Ibid. v. 14.

Neophytos indui veſtimentis albis in indicium peccati depoſiti. De conſ. diſt. 4. C. accepiſti poſt baptiſmum. Ivo 1. p. cap. 144. Pſ. 50, 9. Lev. 14, 11.

12. Accepiſti * poſt hæc veſtimenta candida, ut eſſet indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ caſta velamina, de quibus dixit Propheta: *Aſperges me hyſſopo, lavabis me, & ſuper nivem dealbabor.* Qui enim baptizatur, & ſecundum legem & ſecundum Evangelium, videtur eſſe mundatus. Secundum legem, quia hyſſopi faſciculo Moyſes aſpergebat ſanguinem avis. Secundum Evangelium, quia Chriſti erant candida veſtimenta ſicut nix, cum reſurrectionis ſuæ gloriam in Evangelio demonſtraret. Super nivem dealbabatur, cui culpa dimittitur. Vnde & per Eſaiam Dominus ait: *Si fuerint peccata veſtra ſicut phœnicium, ut nivem dealbabo.* Hæc veſtimenta habens Eccleſia per lavacrum regenerationis aſſumpta, dicit in Canticis: *Nigra ſum & decora filia Hieruſalem.* Nigra per fragilitatem conditionis humanæ, formoſa per gratiam: Nigra, quia ex peccatoribus; decora, fidei Sacramento. Hæc veſtimentn cernentes filiæ Hieruſalem, ſtupefactæ dicunt, *Quæ eſt hæc quæ aſcendit dealbata?* Hæc erat nigra, unde nunc ſubito dealbata? Dubitaverunt enim etiam Angeli, cum reſurgeret Chriſtus: dubitaverunt poteſtates cœlorum, videntes quod caro in cœlum aſcenderet. Denique dicebant: *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* Et cum alii dicerent: *Tollite portas principia veſtri, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ:* alii dubitabant dicentes, *Quis eſt iſte Rex gloriæ?* In Eſaia quoque habes, dubitantes virtutes cœlorum dixiſſe: *Quis eſt iſte qui aſcendit ex Edom, rubor veſtimentorum ejus ex Boſor, Speciоſus in ſtola candida.*

Cant. 1, 5.

Cant. 8, 5.

Pſalm 23, 10.

Eſa. 63, 1.

Quos deſignat Chriſtus Cant. 4. per ſponſam ſuam ſeu Eccleſiam collaudatam. Zach. 13.

13. Chriſtus autem videns Eccleſiam ſuam in veſtimentis candidis, pro qua ipſe (ut habes in libro Zachariæ Prophetæ) ſordida veſtimenta ſuſceperat: vel animam regenerationis lavacro mundam atque ablutam, dicit: *Ecce formoſa es proxima mea, ecce es formoſa, oculi tui ſicut columbæ.* Formoſi oculi tui ſicut columbæ, quia in ejus ſpecie Spiritus Sanctus deſcendit de cœlo. Et infra, *dentes tui ſicut grex tonſarum, quæ aſcenderunt de lavacro, quæ omnes geminos creant, & infœcunda non eſt in eis. Vt veſticula coccinea, labia tua.* Non mediocris iſta laudatio. Primum apta comparatione tonſarum. Capras enim & in altis paſci ſine periculo novimus, & in præruptis ſecuras cibum ſumere. Deinde cum tondentur, deonerari ſuperfluis. Harum gregi comparatur Eccleſia, multas in ſe habens animarum virtutes, quæ per lavacrum ſuperflua peccata deponant, quæ myſticam fidem & moralem gratiam deferant Chriſto, quæ crucem Domini Jeſu loquantur. In his formoſa eſt Eccleſia. Vnde ad eam Verbum Deus dicit: *Tota formoſa es proxima mea, & reprehenſio non eſt in te:* quia culpa demerſa eſt. Ades huc a Libano ſponſa, ades huc a Libano: Tranſibis & pertranſibis a principio fidei: eo quod renuntians mundo tranſierit ſeculum, pertranſierit ad Chriſtum. Et iterum dicit ad eam Deus Verbum: *Quam pulchra & ſuavis facta eſt charitas in deliciis tuis! Statura tua ſimilis facta eſt palmæ, & ubera tua botris.*

Cant. 4, 1.

Cant. 4, 2.

Ibidem.

Cant. 7, 6.

14. Cui reſpondet Eccleſia: *Quis dabit*

Quæ ſponſam

te

ob hanc gratiam ſanctificationis, ardentius amat. Cant. 8,1.& ſq.

te fratrem, lactantem ubera matris meæ? Inveniens te foris, oſculabor te, & quidem non ſpernent me. Aſſumam te, & inducam te in domum matris meæ, & in ſecretum ejus quæ concepit me. Vides quemadmodum delectata munere gratiarum, ad interiora cupit myſteria pervenire,& omnes ſenſus ſuos conſecrare Chriſto. Adhuc quærit, adhuc ſuſcitat charitatem, & ſuſcitari ſibi ei poſcit a filiabus Hieruſalem, quarum gratis, hoc eſt animarum fidelium, ſponſum in amorem ſui uberiorem deſiderat provocari. Vnde Dominus Jeſus & ipſe invitatus tanto ſtudio charitatis, pulchritudine decoris & gratiæ, quod ablutæ nullis jam delictis forderent: inquit ad Eccleſiam, *Pone me ut ſignaculum in corde tuo, ut ſigillum in brachio tuo:* hoc eſt, Decora & proxima mea, tota formoſa es, nihil tibi deeſt. *Pone me ut ſignaculum in corde tuo,* quo fides tua pleno fulgeat ſacramento. *Vt ſignaculum ſuper brachium tuum:* Opera quoque tua luceant, & imaginem Dei præferant, ad cujus imaginem facta es. Aqua multa non poterit extinguere charitatem, ut charitas tua nulla perſecutione minuatur, quam multa aqua excludere, flumina inundare non poſſint. Vnde repete, quia accepiſti ſignaculum ſpiritale, *ſpiritum ſapientiæ & intellectus, ſpiritum conſilii atque virtutis, ſpiritum cognitionis atque pietatis, ſpiritum ſancti timoris:* & ſerva quod accepiſti. Signavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus Dominus, & dedit pignus Spiritus in corde tuo, ſicut Apoſtolica lectione didiciſti.

Ibidem.

Iſai 11, 2.

Pſalm 42,4. De communione corporis & ſanguinis Domini.

15. His abluta plebs dives inſignibus, ad Chriſti contendit altaria, dicens: *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Depoſitis enim inveterati erroris exuviis, renovata in aquilæ juventutem, cœleſte illud feſtinat adire convivium. Venit igitur, & vident ſacroſanctum altare compoſitum, exclamans ait: *Paraſti in conſpectu meo menſam.* Hanc loquentem inducit David, dicens: *Dominus paſcit me & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit, ſuper aquam refectionis educavit me.* Et infra, *Nam etſi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum, & poculum meum inebrians quam præclarum eſt.* Nunc illud conſideremus, ne quis forte viſibilia videns, (quoniam quæ ſunt inviſibilia, non videntur, nec poſſunt humanis oculis comprehendi;) dicat forte: Judæis Deus manna pluit, pluit coturnices: Eccleſiæ autem illi dilectæ hæc ſunt quæ præparavit, de quibus dictum eſt: *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus eum.* Ergo ne quis hoc dicat, ſummo * ſtudio volumus comprobare, quod & antiquiora (a) ſunt Sacramenta Eccleſiæ, quam Synagogæ, & præſtantiora quam manna eſt. Antiquiora docet lectio Geneſis, quæ decurſa eſt. Synagoga enim ex lege Moyſi principium ſumpſit. Abraham vero longe anterior, qui victis hoſtibus, & nepote proprio recepto, cum potiretur victoria: tunc illi occurrit Melchiſedech, & protulit ea quæ Abraham veneratus accepit. Non Abraham protulit, ſed Melchiſedech, qui inducitur ſine patre, ſine matre, neque initium dierum, neque finem habens, ſimilis autem Filio Dei. De quo ait Paulus ad Hebræos, *Qui manet Sacerdos in æternum:* qui interpretatione Latina dicitur, *Rex juſtitiæ, Rex pacis.* Non agnoſcis quis iſte ſit? Poteſt homo eſſe rex Juſtitiæ, cum vix juſtus ſit? Poteſt eſſe rex pacis, cum vix poſſit eſſe pacificus? Sine matre ſecundum Divinitatem, quia ex Patre Deo genitus eſt, unius ſubſtantiæ cum Patre. Sine Patre ſecundum Incarnationem, qui natus ex virgine eſt. Initium & finem non habens, quia *ipſe eſt initium & finis omnium, primus & noviſſimus.* Non * igitur humani, ſed divini eſt muneris Sacramentum quod accepiſti, & ab eo prolatum qui benedixit fidei Patrem, Abraham illum, cujus gratiam & geſta miraris. Probatum eſt antiquiora eſſe Eccleſiæ ſacramenta, nunc cognoſce potiora. Revera * mirabile eſt, quod manna Deus pluerit patribus, & quotidiano cœli paſcebantur alimento. Vnde dictum eſt, *Panem Angelorum manducavit homo.* Sed tamen panem illum qui manducaverunt, omnes in deſerto mortui ſunt. Iſta * autem eſca quam accipis, iſte panis vivus qui deſcendit de cœlo, vitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat: & quicunque hunc manducaverit, non morietur in æternum: & eſt corpus Chriſti.

(a) Idem Serm. 2. n. 4. Quodque antiquiora ſint Eccleſiæ Sacramenta & præſtantiora, quam Synagogæ. Exod. 34,30. Gen. 14,18.

Heb. 7,1.

Apoc. 1,8 & 17. 1. v. 17. 20 v. 13.

Pſalm. 77,25.

* Ivo part. 2. c. 6. § ſummo ſtudio.

* De conſec. Diſtinct 2. c. revera, ubi citat commentator Lanfrancum, Guitmundum & Algarum. * Ivo part. 2. c. 7. § eſca iſta. Mag. lib. 4 Sent diſt. 8. § poſt ſacramentum.

supra n. 7.

1. Cor. 2,9.

16. Conſidera * nunc utrum præſtantior ſit panis Angelorum, an caro Chriſti, quæ utique corpus eſt vitæ. Manna illud e cœlo, hoc ſupra cœlum. Illud cœli, hoc Domini cœlorum. Illud corruptioni obnoxium, ſi in diem alterum ſervaretur: hoc alienum ab omni corruptione. Quod quicunque religioſe guſtaverit, corruptionem ſentire non poterit. Illis aqua de petra fluxit, tibi ſanguis e Chriſto. Illos ad horam ſatiavit aqua, te ſanguis diluit in æternum. Judæus bibit, & ſitit: tu cum biberis, ſitire non poteris. Et illud in umbra, hoc in veritate. Si illud quod miraris, umbra eſt: quan-

Comparatio Sacramenti corporis & ſanguinis Chriſti ad manna & aquas petræ.

* De Conſec. Diſt. 2. C. revera §. conſidera.

Digitized by Google

quantum iſtud eſt, cujus & umbram miraris? Audi quia umbra eſt quæ apud Patres facta eſt: *Bibebant*, inquit, *de conſequente eos petra, petra autem erat Chriſtus. Sed non in pluribus eorum complacuit eſt Deo, nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem in figura facta ſunt noſtri.* Cognoviſti præſtantiora. Potior eſt enim lux quam umbra, veritas quam figura, corpus auctoris quam manna de cœlo.

1. Cor. 10, 4.

17. Forte* dicas, aliud video: quomodo tu mihi aſſeris, quod Chriſti corpus accipiam? Et hoc nobis adhuc ſupereſt ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus non hoc eſſe quod natura formavit, ſed quod benedictio conſecravit: majoremque vim eſſe benedictionis quam naturæ, quia benedictione etiam natura ipſa mutatur? Virgam tenebat Moyſes, projecit eam, & facta eſt ſerpens. Rurſus apprehendit caudam ſerpentis, & in virgæ naturam revertitur. Vides igitur prophetica gratia, bis mutatam eſſe naturam & ſerpentis & virgæ. Currebant Ægypti flumina puro aquarum meatu, ſubito de fontium venis ſanguis cœpit erumpere. Non erat potus in fluviis, rurſus ad Prophetæ preces, cruor ceſſavit fluminum, aquarum natura remeavit. Circumcluſus undique erat populus Hebræorum, hinc Ægyptiis vallatus, inde mari clauſus: virgam levavit Moyſes, ſeparavit ſe aqua, & in murorum ſpeciem congelavit, atque inter undas via pedeſtris apparuit. Jordanis retrorſum converſus, contra naturam, in ſui fontis revertitur exordium. Nonne claret naturam vel maritimorum fluctuum, vel fluvialis curſus, eſſe mutatam? Sitiebat populus Patrum, tetigit Moyſes petram, & aqua de petra fluxit. Nunquid non præter naturam operata eſt gratia, ut aquam vomeret petra, quam non habebat natura? Marath fons amariſſimus erat, qui ſitiens populus bibere non poſſet. Miſit Moyſes lignum in aquam, & amaritudinem ſuam aquarum natura depoſuit, quam infuſa ſubito gratia temperavit. Sub Eliſæo Propheta, uni ex filiis prophetarum, excuſſum eſt ferrum de ſecuri, & ſtatim merſum eſt. Rogavit Eliſæum qui amiſerat ferrum, miſit etiam Eliſæus lignum in aquam, & ferrum natavit. Vtique & hoc præter naturam factum eſſe cognovimus, gravior eſt enim ferri ſpecies, quam aquarum liquor.

*Ivo loco cit. objectio contra veritatem corporis & ſanguinis Chriſti, quam ſolvit exemplo Moyſis qui virgam convertit in ſerpentem, atque aliis ſimilibus.

Exod. 4,4.

Exod. 7,17.

Exod. 14,16.

Pſal. 113,3 & 5.

Exod. 17,6. Num. 20, 8.

Exod. 15,25.

4. Reg. 6,5.

18. Animadvertimus igitur majoris eſſe virtutis gratiam, quam naturam: & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam? Quod ſi tantum valuit humana benedictio, ut naturam converteret: quid dicimus de ipſa conſecratione divina, ubi verba ipſa Domini Salvatoris operantur? Nam Sacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Quod ſi tantum* valuit Sermo Eliæ, ut ignem de cœlo deponeret: non valebit Chriſti ſermo, ut ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſti, *Quia ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit, & creata ſunt.* Sermo ergo Chriſti qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non poteſt ea quæ ſunt, in id mutare quod non erant? Non enim minus eſt novas* rebus dare, quam mutare naturas. Sed quid argumentis utimur? Suis utamur exemplis, Incarnationisque exemplo adſtruamus myſterii veritatem. Numquid naturæ uſus præceſſit, cum Jeſus Dominus ex Maria naſceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare conſvevit. Liquet igitur, quod præter naturæ ordinem Virgo generavit: & hoc quod conficimus corpus, ex Virgine eſt. Quid hic quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cum præter naturam ſit ipſe Dominus Jeſus partus ex virgine? Vera* utique caro Chriſti quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt, vere ergo carnis illius Sacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Jeſus, *Hoc eſt corpus meum.* Ante* benedictionem verborum cœleſtium ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur. Ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et tu dicis. *Amen*: hoc eſt, verum eſt. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod ſermo ſonat, affectus ſentiat.

* lib. 4. Sent. Diſt. 10. §. hæc & his. 4 Reg. 1, 10. & 12.

Pſal. 148, 5.

* de conſec. Diſt. 2. C. re vera 5. Non enim minus. Et C. in quibus §. cujus clare.

* Ivo part. 2. c. 7. §. vera.

Matth. 26, 26.

* 4. Sent. diſt. 10 §. hæc & his.

19. His igitur* Sacramentis paſcit Eccleſiam ſuam Chriſtus, quibus animæ firmatur ſubſtantia. Meritoque videns profectum ejus gratiæ continentem, dicit ad eam: *Quam decora facta ſunt ubera tua, ſoror mea ſponſa! Quam decora facta ſunt a vino, & odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata! Favus diſtillans labia tua, ó ſponſa, mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor Libani. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus.* Quo ſignificat ſignatum debere apud ſe manere myſterium, ne violetur operibus malæ vitæ, atque adulterio caſtitatis: ne divulgetur quibus non convenit, ne garrula loquacitate diſpergatur in perfidos. Bona debet ergo fidei tuæ eſſe cuſtodia, ut intemerata vitæ ac ſilentii integritas perſeveret. Vnde & Eccleſia altitudinem ſervans myſteriorum cœleſtium, rejicit a ſe graviores venti procellas, & invitat vernantis gratiæ ſuavitatem: & ſciens quod hortus

His ſacramentis paſci Eccleſiam a Chriſto & fertilem reddi. * Ivo part. 2. c. 7. §. talibus Cant. 4, 11.

Conſecratione fieri corpus & ſanguinem Domini.

ſuus Chriſto diſplicere non poſſit, advocat ipſum ſponſum, dicens: *Exurge Aquilo & veni Auſter, perfla hortum meum, & fluant unguenta mea. Deſcendat frater meus in hortum ſuum, & edat fructum pomiferarum ſuarum.* Bonas enim arbores & fructiferas habet, quæ radices ſuas tinxerint in ſacri fontis irriguo, & in bonos fructus novæ fœcunditatis germine pullulaverint: ut non jam prophetica cædantur ſecuri, ſed Evangelica ubertate fœcundentur. Denique fertilitate earum Dominus delectatus reſpondet: *Ingreſſus ſum in hortum meum ſoror mea ſponſa, vindemiavi myrrham cum unguentis meis, manducavi panem meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo.* Quare panem & vinum dixerim, fideles intelligunt. Illud autem non dubium, quod in nobis ipſe manducat & bibit: ſicut in nobis legiſti, quia in carcere eſſe ſe dicit.

Cant. 4, 16.

Cant. 5, 1.

Vnde eadem videns tantam gratiam, hortatur filios ſuos, ut ad ſacramenta concurrant.

20. Vnde & Eccleſia videns tantam gratiam, hortatur filios ſuos, hortatur proximos, ut ad Sacramenta concurrant, dicens: *Edite proximi mei, & bibite, & inebriamini fratres mei.* Quid edamus, quid bibamus, alibi tibi per Prophetam Spiritus Sanctus expreſſit, dicens: *Guſtate & videte, quoniam ſuavis eſt Dominus, beatus vir qui ſperat in eo.* In illo *Sacramento Chriſtus eſt, quia corpus eſt Chriſti: Non ergo corporalis eſca, ſed ſpiritalis eſt. Vnde & Apoſtolus de typo ejus ait: *Quia patres noſtri eſcam ſpiritalem manducaverunt, & potum ſpiritalem biberunt.* Corpus enim Dei, corpus eſt ſpiritale. Corpus Chriſti, corpus eſt divini Spiritus, quia Spiritus eſt Chriſtus, ut legimus: *Spiritus ante faciem noſtram, Chriſtus Dominus.* Et in Petri epiſtola habemus, *Chriſtus pro nobis mortuus eſt.* Denique * cor noſtrum eſca iſta confirmat, & potus iſte lætificat cor hominis, ut Propheta memoravit. Vnde & adepti omnia, ſciamus regeneratos nos eſſe nec dicamus, quomodo regenerati ſumus? Numquid in ventrem matris noſtræ introivimus, & renati ſumus? Non agnoſco uſum naturæ. Sed nullus hic ordo naturæ, ubi excellentia gratiæ. Denique non ſemper uſus naturæ regenerationem facit. Generatum ex virgine Chriſtum Dominum confitemur, & naturæ ordinem denegamus. Non enim ex viro Maria concepit, ſed de Spiritu Sancto in utero accepit, ut dicit Matthæus: *Quia inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto.* Si ergo ſuperveniens Spiritus Sanctus in Virginem, conceptionem operatus eſt, & generationis munus implevit: non utique dubitandum eſt, quod ſuperveniens in fontem, vel ſuper eum qui Baptiſmum conſequitur, veritatem regenerationis operetur.

Psalm. 33, 9.

Joan. 3, 4.

Matth. 1, 18.

* De Conſec. Diſt. 2. §. In illo ſacramento. Ivo p. 2. c. 7. §. Non eſt eſca. Alger. l. 1. c. 11. 1. Cor. 10, 3.

Thren. 4, 20.

1. Pet. 2, 21. * Ivo loc. cit. §. Denique. Pſal. 103, 15.

NOTÆ

in precedentem Sermonem.

Num. 1. (*De moralibus quotidianum ſermonem habuimus, cum vel Patriarcharum geſta, vel Proverbiorum legerentur precepta: ut his informati atque inſtituti, aſſueſceretis majorum ingredi vias &c.*) hæc verba occaſionem dederunt Scriptoribus atque MSS. Codicum ſcribis, ut hos ſeptem Sermones ſeu libros ſeu Tractatus, D. Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo, viro graviſſimo atque eloquenti, cujus nomine plane indigni ſunt, adſcriberent. Plurimi horum librorum MSS. Codices in vetuſtis Bibliothecis inveniuntur, vixque ullum Ambroſii opus ita frequens eſt. Nec mirum ſuppoſita enim Patribus Opera longe frequentiora, magisque deſcripta ab amanuenſibus ſunt, quam legitima, peſſimo Eccleſiæ fato. Inter hos MSS. Bibliothecarum Codices, qui Sermones *de Sacramentis* continent: plurimi anonymi, alii cum inſcriptione, *Ambroſii* vel *S. Ambroſii de Sacramentis.* Continent ſemper aut fere ſemper, libros ſeu ſermones VII. quorum primus is, qui *de initiandis* inſcriptus ſub Ambroſii nomine eſt; alii ſex, qui *de Sacramentis* inſcribuntur. Inſcripti autem ſunt *de Sacramentis* ſeu *de Myſteriis*, ratione primarum periodorum, N. 1. hujus Sermonis. *Nunc de Myſteriis dicere tempus admonet, atque ipſam Sacramentorum rationem edere &c.* Sermone 2 n. 1 *de Sacramentis quæ accepiſtis, ſermonem adorior; cujus rei rationem, non oportuit ante præmitti.* Itaque tam Liber *de iis qui initiantur*, quam alii ſex ſequentes recte *de Sacramentis* inſcribi poſſunt, ut & in MSS. Codd. inſcribuntur, ſeptem numero. 1.

Dixi in MSS. Codicibus partim Anonymos, partim cum nomine D. Ambroſii inſcriptos eſſe, ac plerosque Codices eſſe ſeculo XI vel XII ſcriptos, paucos eosque fere ſemper anonymos, qui ætatem hanc excedant. Ex anonymis ſucceſſu temporum, ſcribæ nomen D. Ambroſii audaciori manu adjecerunt. Tum quia inſpecto horum 7. librorum ſeu ſermonum argumento, *de Sacramentis* tractare legebant: Atque forſitan hi apud Auguſtinum lib. 2 Retractationum cap. 4 lectitabant de Ambroſio. *De Sacramentis ſive de Prophetia ſcripſit. Hoc opus ſic incipit, Sunt præcepta quædam &c.* Id enim quidem ait Auguſtinus, ſed ita ſe explicat ut dubitationem omnem amoveat, ipſum poſſe intelligi de his qui nunc Ambroſio attribuuntur, libris ſeu ſermonibus. Tum quia ſub initium libri *de initiandis*, qui in MSS. Codicibus, librorum ſeptem *de ſacramentis* primus eſt: legebant hæc verba, *de moralibus quotidianum ſermonem habuimus, cum vel Patriarcharum geſta, vel Proverbiorum legerentur præcepta &c.* Atqui cum conſtaret libros plurimos morales *de Geſtis Patriarcharum*, ab Ambroſio Mediolanenſi Archiepiſcopo compoſitos: inde conſtare videbatur pariter, hos ſeptem *de Sacramentis* libros ſeu ſermones, ad eundem pertinere. His igitur moti, ut veriſimile eſt, rationibus ſcribæ MSS. Codicum, absque ſcrupulo, hos libros Ambroſio conceſſerunt. Sed conjectura vana, rationeque nulla, opinati ſub librorum illorum initium, appellari Ambroſianos tractatus, de Patriarcharum geſtis. Hic enim Scriptor ſermonum 7. *de Sacramentis*, allegat vel *Patriarcharum geſta vel Proverbiorum præcepta*, a ſe explicata *quotidianis ſermonibus moraliter.* Ita namque verba ejus hic Num. 1 *de moralibus quotidianum ſermonem habuimus, cum vel Patriarcharum geſta, vel Proverbiorum legerentur præcepta &c.* At verus Ambroſius de his *quotidianum ſermonem* non habebat, qui raro concionabatur, neque pro ſuggeſtu Tractatus ſuos *de Patriarchis* habuit. 2.

Ibi-

Ibidem. (*Deinde quod inopinantibus melius se ipsa lux Mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis præcucurrisset.*) Post optimam rationem ab hoc authore allatam, silentii sui mysteriorum apud initiandos, affert hic author pessimam, atque viro gravi indignam, experientiæ contrariam, adversam praxi Ecclesiæ, quæ multis temporibus edocet proselytos & advenas *de Mysteriis fidei* altissimis, antequam ad baptismum admittantur. Quis enim unquam Christianorum vel hominum credat, *Quod inopinantibus melius se ipsa lux Mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis præcucurrisset?* Igitur juxta hunc Authorem, Catechisationes præviæ atque explicationes mysteriorum præambulæ ac præcurrentes, obscurassent atque impedissent ipsam lucis infusionem: quod quam absurdum, nullus non videt, neque sane Ambrosius unquam dixisset. Imo hoc contrarium Apostolo Rom. 10. v. 14. & seqq. *Quomodo autem invocabunt, in quem non crediderunt? quomodo autem credent, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quomodo autem prædicabunt, nisi mittantur? Sicut scriptum est: Quam pulchri sunt pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona? Sed non omnes obediunt Evangelio. Esaias enim dicit, Domine quis credidit auditui nostro? Itaque fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei. &c.* præterea hic Author sibi ipsi eadem fere linea contradixit, ex auditorio forsitan obstupefactus, nec advertens, quam sibi subito adversaretur. Nam ait se *de moralibus quotidianum sermonem habuisse &c. ut his informati atque instituti* Auditores *assuescerent majorum ingredi vias, eorumque iter carpere, ac divinis obedire mandatis: quo renovati per Baptismum, ejus vitæ usum tenerent, quæ abintus decoret,* tum statim ferme subjungit aliquid contrarium: nempe, *Quod inopinantibus melius se ipsa lux Mysteriorum infuderit, quam si eam sermo aliquis præcucurrisset.* Eandem hanc rationem insinuat sermone 2. num. 1. his verbis. *De Sacramentis quæ accepistis, sermonem adorior, cujus rei rationem non oportuit ante præmitti.* Ita sibi hic Author in his 7 sermonibus, similis ubique est.

Ibidem (*Sed illi os tetigit, quia & mutum curabat & virum. In altero, ut os ejus infusa fonum vocis aperiret: in altero, quia tactus iste virum decebat, fœminam non decebat.*) Vult hic simplex admodum Scriptor, in baptismate aures atque nares baptizandi sputo baptizantis seu saliva attingi: sed non os ipsum, quamvis Christus Dominus os surdi ac muti attigerit, ut eum ab infirmitate sanaret. Eandem hanc rationem quam hoc libro *de initiandis* n. 1. allegat, ita insignem opinatus est, ut repetitam velit lib. 1 *de Sacramentis* seu potius sermone 2 n. 1. Quid quæso magis indecens in baptismo esset, si uti aures & nares Baptizandorum a baptizantibus attinguntur saliva, dicendo, *Ephetha quod est, adaperire*: ita pariter ab iisdem & os attactum fuisset; absurdam certe rationem! Majorne indecentia in tactu aurium & narium, quam oris? Atque in fœminis, quam in viris? *Quia tactus iste virum decebat, fœminam non decebat*: inquit Anonymus. Sane si Romanos inter baptismi ritus, admissa fuisset salivæ immissio in os, vel tactus, qualis aurium & narium: magnifici fuissent hujus Ceremoniæ collaudatores Romani rituum Interpretes, quam Christi Domini exemplo haud dubie confirmassent, imo divinam statuissent. Itane dubitas utram contradictionis partem amplectereris, bone vir. *Quia tactus iste virum decebat, fœminam non decebat.* Imo stante hoc ritu apud Romanos baptizantes, convenisset atque decuisset magis fœminas, quam viros. Nam cum illæ viris longe verbosiores sint, detractrices, obloquutrices, clamosæ, querulæ: huic earum linguæ seu oris tactui dixissent, fuisse quandam vim, ad comprimendum injurias, clamores, susurrationes, querelas, intemperantiam. Unde neque jam tam garrulæ atque loquaces fuissent, hoc baptismali tactu defectum sexus corrigente. Hanc ob rem in nonnullis Ecclesiis, longe plures sunt exorcismi seu adjurationes, ad pellendum dæmonem a fœminis quam a viris: quod peccatum originale his tenacius adhæreat, quam masculis. Serm. 2. n. 1. *Ideo propter gratiam operis & muneris non os tangit Episcopus, sed nares.* Rationem plane stupidam atque nugacem! Attactu aurium vel narium ab Episcopo, gratia operis & muneris salva est, secus si tangat os vel linguam baptizati, Pontifex. Magnum sane discrimen inter nares & os, ut gratia operis & muneris salva sit, vel non. Hinc præclaram hanc rationem sibi adscivit Ivo Carnotensis parte 1 c. 106. & Pannoniæ lib. 1. c. 46, Gratianus de Consec. Dist. 4. C. *propter gloriam.*

N. 2. (*Noli considerare corporum figuras, sed Mysteriorum gratiam*) Quid hic obscurus Scriptor sibi velit per *corporum figuras*, non capio: nisi intelligat ea omnia ornamenta, quibus induti ad Baptisterium accedunt, ut quasi alteram per ea corporum figuram habeant.

Ibidem. (*Ingressus igitur ut adversarium tuum cerneres, cui renuntiandum mox putaveris, ad Orientem conversus.*) hinc quam modici ingenii atque ponderis, hic Scriptor septem librorum *de Sacramentis*, intelligitur. Vbi vult ingredi catechumenos sacrum baptismatis fontem, *ut Adversarium suum cernant*, cui mox renuntiandum putant. Quis credat, unquam Ambrosium virum gravem ita desipuisse? Quis Catholicorum dixit, diabolum in baptisterio a Baptizandis conspici atque cerni? Olent igitur nugæ istæ, meo quidem sensu, obscurum octavum Ecclesiæ seculum.

N. 4. (*Accipe aliud testimonium*) Idem repetit Sermone 2 n. 6 & serm. 3. n. 1 quos vide.

N. 7. (Hoc est illud magnum Mysterium, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit?*) hæc interrogatio satis absurda est ac simplex, quæ gallicismum mihi continere videtur: *Est ce la ce grand mystere?* Nam ita gallice dicere consuevimus. Cui simillem facit Gallicismum & interrogationem simul, serm. 2 n. 3 *Hoc est totum?* Gallice quasi proverbium & vulgare, *Est ce la tout.* Unde Gallum omnino Scriptorem agnoscimus.

N. 11. (*Ideo planta ejus abluitur, ut hæreditaria peccata tollantur, nostra enim propria per Baptismum relaxantur*) hanc singularem quorumdam Galliæ scriptorum sententiam, habet hic Author Sermone quoque 4 n. 2. qua non minimum argumentum sumitur, unum eumdemque Galliarum Antistitem, composuisse librum hunc *de initiandis*, & libros sex *de Sacramentis* D. Ambrosio jam dudum attributos. Ita igitur loc. cit. *Sunt tamen qui dicant & excusare conentur, quia hoc non in mysterio faciendum est, non in baptismate, non in regeneratione: sed quasi hospiti pedes lavandi sunt. Aliud est humilitatis, aliud sanctificationis. Denique audi quia Mysterium est & sanctificatio: Nisi lavero tibi pedes, non habebis partem mecum.* Tum postea. *In baptismate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa. Sed quia Adam supplantatus a diabolo est, & venenum ei effusum est supra pedes, ideo lavat pedes: ut in ea parte in qua infixatus est serpens, majus subsidium sanctificationis accedat, qua postea te supplantare non possit. Lavat ergo pedes, ut lavet venena serpentis.* Argumentum autem validum, inde accipitur, quod hi septem sermones non spectent ad Ambrosium: quia sententiam abhac aliam ille habet in prologo libri *de Spiritu Sancto* ad Gratianum Augustum.

SERMO SECVNDVS
DE SACRAMENTIS
DICTVS FERIA TERTIA PASCHATIS.

SYNOPSIS SERMONIS.

1. *De fide Christiani, quomodo baptizatus considerare debeat peracta mysteria adapertionis. Qua etiam ratione in exorcismo aures & nares tanguntur, ut aperiantur: & quare nares, & non os.* 2. *De unctione in baptismo, & abrenuntiatione diabolo tunc facta: tum qua ratione Sacerdos dicatur Angelus; denique de servanda fide Christo promissa.* 3. *Quod licet in baptismo Sacerdos & Minister videantur, alia tamen majora sunt quæ operantur, & non videntur.* 4. *Quod Sacramenta Christianorum diviniora & priora sunt, quam Judæorum; & quid pascha significet?* 5. *Quid significet lotio Naaman Syri leprosi? Quod non aqua, sed consecratio mundet: quodque in Baptismate omnis justitia sit constituta. De Columba super Christum descendente, & quare Christus prior descenderit in aquam, & postea Spiritus Sanctus.* 6. *Quomodo typus baptismatis præfiguratus fuerit per transitum Rubri maris, ubi de malo murmurationis. Quid etiam significet columna lucis præcedens, & nubes subsequens: & quod in diluvio figura Baptismi præcesserit.*

1. DE Sacramentis quæ accepistis, sermonem adorior; cujus * rei rationem non oportuit ante præmitti. In Christiano enim viro, prima est fides. Ideo Romæ fideles dicuntur, qui baptizati sunt: & pater noster Abraham ex fide justificatus est, non ex operibus. Ergo accipientes baptismum, credidistis. Nefas est enim, me aliud æstimare. Neque * enim vocatus esses ad gratiam, nisi dignum te Christus sua gratia judicasset. Ergo quid egimus Sabbato? Nempe Apertionis. Quæ Mysteria celebrata sunt? Apertionis, quando tibi aures tetigit Sacerdos & nares. Quod significat in Evangelio Dominus noster Jesus Christus, cum ei oblatus esset surdus & mutus, & tetigit aures ejus & os ejus. Aures, quia surdus erat: os, quia mutus. Et ait, *Ephetha*, quod Hebraïcum verbum est, & Latine dicitur, *adaperire*. Ideo ergo tibi Sacerdos aures tetigit, ut aperirentur aures tuæ ad sermonem, & ad eloquium sacerdotis. Sed dicis mihi: quare nares? Ibi quia mutus erat, os tetigit: ut quia loqui non poterat Sacramenta cœlestia, vocem acciperet a Christo. Et ibi quia viri, hic quia mulieres baptizantur: & non eadem puritas Servi, quanta & Domini. Cum enim ille peccata concedat, huic peccata donentur, quæ potest esse comparatio? Ideo * propter gratiam operis & muneris non os tangit Episcopus, sed nares. Quare nares? Ut bonum odorem accipiat pietatis æternæ, ut dicas: *Christi bonus odor sumus Deo*, quemadmodum dixit Apostolus sanctus, & sit in te fidei devotionisque plena fragrantia.

2. Venisti * ad fontem, ingressus es: considera quos videris, quid locutus sis considera, repete diligenter. Occurrit tibi Levita, occurrit Presbyter, unctus es quasi Athleta Christi, quasi luctamen hujus seculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina. Qui luctatur, habet quod speret: ubi certamen, ibi corona. Luctaris in seculo, sed coronaris a Christo, & pro certaminibus seculi coronaris. Nam etsi in cœlo præmium, hic tamen meritum præmii colligitur. Quando te interrogavit, *Abrenuntias diabolo & operibus ejus*: quid respondisti? *Abrenuntio. Abrenuntias seculo & voluptatibus ejus*: quid respondisti? *Abrenuntio.* Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ seriei cautionis. Si chirographum homini dederit, teneris obnoxius, ut pecuniam ejus accipias: teneris adstrictus, & reluctantem te fœnerator adstringit, si recusas: vadis ad judicem, atque illic tua cautione convinceris. Vbi promiseris considera, vel quibus promiseris. Levitam * vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrantem. Ergo Chirographum tuum tenetur, non in terra, sed in cœlo. Considera ubi capias Sacramenta cœlestia. Si hic corpus est Christi, hic & Angeli constituti sunt. *Vbi corpus, ibi & aquilæ*, legisti in Evangelio. Vbi corpus Christi, & aquilæ volare consueverunt, ut terrena fugiant, cœlestia petant. Quare hoc dico? Quia & homines Angeli, quicunque annuntiant Christum, & in Angelorum adsciti videntur locum. Quomodo? Accipe Baptistæ rationem. Johannes natus erat ex viro & muliere, attamen audi quia Angelus est ipse: *Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, & parabit viam tuam ante te*. Accipe aliud. Malachias ait Propheta, *Quia labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem exquirunt ex ore ipsius, Angelus enim est Domini omnipotentis.* Hæc ideo dicuntur, ut Sacerdotii gloriam prædicemus: non ut aliquid personaliter meritis arrogetur. Qui pecuniam debet, semper cautionem suam considerat. Et tu qui fidem debes Christo, fidem serva, quæ multo pretiosior quam pecunia est. Fides

* Serm. 1. n. 3.

Rom. 4, 2.

* sensus Semipelagianus.

de apertione aurium & narium. Idem Serm. 1, n. 1.

Marc. 7, 34.

* De Consec. Dist. 4. C. propter gloriam. Ivo part. 1 c. 106 Pann. lib. 1. c. 46 2. Cor. 2, 15.

* Idem Serm. 1. n. 2. * De consec. Dist. 4. C. venisti ad fontem. Ivo p. 1. c. 309. Pann. l. 1. c. 51. De unctione in baptismo, & abrenuntiatione tunc facta, & servanda fide quæ Christo promissa est.

* Idem Serm. 1. n. 2.

Luc. 17, 37. Matth. 24, 28.

Matth. 11, 10. Luc. 7, 27. Mal. 2, 7.

des enim æternum patrimonium eſt, pecunia temporale. Et tu ergo ſemper recordare, quid promiſeris. Si teneas promiſſionem tuam, tenebis & cautionem.

Licet in baptiſmo Sacerdos & miniſter videantur, alia tamen majora ſunt quæ operantur, & non videntur.

3. Deinde acceſſiſti propius, vidiſti fontem, vidiſti & Sacerdotem ſupra fontem. Nec hoc poſſum dubitare, quod in animum veſtrum non potuerit cadere, quod cecidit in illum Syrum Naaman: quia etſi mundatus eſt, tamen ante dubitavit. Quare? Dicam, accipe. Ingreſſus es, vidiſti aquam *, vidiſti Sacerdotem, vidiſti Levitam. Ne forte aliquis dixerit, Hoc eſt totum? Immo eſt totum, vere totum ubi tota innocentia, tota pietas, tota gratia, tota ſanctificatio. Vidiſti quæ videre potuiſti oculis tui corporis, & humanis conſpectibus: non vidiſti illa quæ operantur, quia non videntur. Quoniam quæ videntur, temporalia ſunt: quæ non videntur, æterna.

* Idem Serm. 1. n. 2. n. 5. ad finem, n. 6. n. 15.

Sacramenta Chriſtianorum eſſe diviniora & priora, quam ſint Judæorum: & quid paſcha ſignificet.

4. Ergo dicamus primum, tene cautionem vocis meæ, & exige. Miramur * Myſteria Judæorum, quæ Patribus noſtris data ſunt: primum vetuſtate Sacramentorum, deinde ſanctitate præſtantium virtutum. Illud præmitto, quod diviniora & priora Sacramenta ſunt Chriſtianorum, quam Judæorum. Quid præcipuum, quam quod per mare transiit Judæorum populus? ut de Baptiſmo interim loquamur. Attamen qui transierunt Judæi, mortui ſunt omnes in deſerto. Ceterum qui per hunc fontem * tranſit, tranſit a terrenis ad cœleſtia: hoc eſt enim Paſcha, id eſt, tranſitus ejus: tranſitus a peccato ad vitam, a culpa ad gratiam, ab inquinamento ad ſanctificationem. Qui per hunc fontem tranſit, non moritur, ſed reſurgit.

* Idem Serm. 1. n. 15.

Exod. 14, 22.

* de Conſec. Diſt. 4. C. per aquam baptiſmi.

4 Reg. 5, 1 & ſqq. Quid ſignificet lotio Naaman Syri leproſi: & quod non aqua, ſed conſecratio mundet.

5. Naaman ergo leproſus erat. Puella quædam ait uxori illius, Dominus meus ſi vult mundari, vadat in terram Iſrael, & ibi inveniet eum qui poſſet ei lepram tollere. Dixit illa Dominæ ſuæ, uxor mariti, to, Naaman Regi Syriæ, qui eum quaſi acceptiſſimum ſibi, miſit ad regem Iſrael. Audivit rex Iſrael quod miſiſſet ad eum, cujus lepram mundaret, & ſcidit veſtem ſuam. Tunc Eliſæus Propheta mandat ei, Quid eſt quod ſciditi veſtem, quaſi non ſit Deus potens, qui mundet leproſum? Mitte illum ad me. Miſit ille. Cui advenienti ait Propheta: vade, deſcende in Jordanem, mergere & ſanaberis. Ille cœpit cogitare ſecum & dicere: Hoc eſt totum? Veni de Syria in terram Judæam, & dicitur mihi: Vade & deſcende in Jordanem, mergere & ſanaberis. Quaſi flumina meliora non ſint, in patria mea? Dixerunt ergo ſervi: Domine quare non facis verbum Prophetæ? Magis fac & experire. Tunc ille ivit in Jordanem, merſit, & ſurrexit ſanus. Quid enim ſignificat? Vidiſti aquam: ſed non aqua * omnis ſanat, ſed aqua ſanat quæ habet gratiam Chriſti. Aliud eſt elementum, aliud conſecratio: aliud opus, aliud operatio. Aqua opus eſt, operatio Spiritus Sancti eſt. Non ſanat * aqua, niſi Spiritus Sanctus deſcenderit, & aquam illam conſecraverit: ſicut legiſti, quod cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus formam baptiſmatis daret, venit ad Joannem, & ait illi Joannes: *Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Reſpondit illi Chriſtus, ſine modo: Sic enim decet nos implere omnem juſtitiam.* Vide quia omnis juſtitia in baptiſmate conſtituta eſt. Ergo quare Chriſtus deſcendit, niſi ut caro iſta mundaretur? Caro, quam ſuſcepit de noſtra conditione. Non enim abolitio peccatorum ſuorum Chriſto neceſſaria erat, qui peccatum non fecit: ſed nobis erat neceſſaria, qui peccato manemus obnoxii. Ergo ſi propter nos baptiſmi forma eſt conſtituta, fidei noſtræ forma propoſita eſt. Deſcendit Chriſtus, Joannes adſtabat qui baptizabat: *Et ecce quaſi columba * Spiritus Sanctus deſcendit.* Non columba deſcendit, ſed quaſi columba. Memento quid dixerim; Chriſtus carnem ſuſcepit, non ſicut carnem: ſed carnis iſtius veritatem: vere carnem Chriſtus ſuſcepit. Spiritus autem Sanctus in ſpecie columbæ, non in veritate columbæ, ſed in ſpecie columbæ deſcendit de cœlo. Ergo vidit Joannes & credidit. Deſcendit * Chriſtus, deſcendit & Sp. S. Quare prior Chriſtus deſcendit, poſtea Spiritus: cum forma baptiſmatis & uſus hoc habeat, ut ante fons conſecretur, & tunc deſcendat qui baptizandus eſt? Nam ubi primum ingreditur Sacerdos, exorciſmum facit: Secundo ſuper creaturam aquæ, invocationem: poſtea & precem defert, ut ſanctificetur fons, & adſit præſentia Trinitatis æternæ. Chriſtus autem ante deſcendit, ſecutus eſt Spiritus. Qua ratione? ut non quaſi ipſe egere Dominus Jeſus ſanctificationis myſterio videretur, ſed ſanctificaret ipſe, ſanctificaret & Spiritus. Ergo deſcendit in aquam Chriſtus, & Spiritus Sanctus ſicut columba deſcendit. Pater quoque Deus e cœlo locutus eſt. Habes præſentiam Trinitatis.

* de Conſec. Diſt. 4. C. per aquam baptiſmi. & §. Non ſanat aqua.

Matth. 3, 14.

Quodque in baptiſmate omnis juſtitia conſtituta ſit.

Matth. 3, 16. Luc. 3, 22. Columba ſuper Dominum Jeſum deſcendit.

* Id. Serm. 1, n. 9

* De Conſec. Diſt. 4. C. per aquam baptiſmi §. Deſcendit. Quare Chriſtus prior in aquam deſcenderit & poſtea Spiritus Sanctus?

Matth. 3, 17.

6. In mari autem rubro figuram iſtius baptiſmatis extitiſſe ait Apoſtolus, dicens: *Quia Patres noſtri omnes baptizati ſunt in nube & in mari.* Et ſubdit, *Hæc autem omnia in figuris facta ſunt ipſis.* Illis in figura, ſed nobis in veritate. Tunc Moyſes

Serm. 1. n. 5. Quomodo typus baptiſmatis præfiguratus fuerit per tranſitum Rubri maris: & de

malo murmurationis.

ſes virgam tenebat,concluſus erat populus Judæorum,inſtabat Ægyptius cum armis ex una parte,mari claudebantur Hebræi, neque maria tranſire poterant, neque in hoſtem recurrere,murmurare cœperunt. Vide,non te provocet quia exauditi ſunt. Etſi exaudivit Dominus,tamen culpa non carent, qui murmuraverunt. Tuum eſt ubi conſtringeris, credere quod evadas, non murmurare: invocare, non querelam expromere. Tenebat virgam Moyſes, & ducebat populum Hebræorum in nocte in columna lucis, in die in columna nubis. Lux quid eſt niſi veritas, quæ apertum & plenum lumen effundit? Columna lucis quid eſt, niſi Chriſtus Dominus, qui tenebras infidelitatis depulit,lucem veritatis & gratiæ ſpiritalis,affectibus infudit humanis? At vero columna nubis, eſt Spiritus Sanctus. In mari erat populus,& præibat columna lucis: deinde ſequebatur columna nubis, quaſi obumbratio Spiritus Sancti. Vides quod per Spiritum Sanctum, & per aquam,typum baptiſmatis demonſtraverit. In diluvio quoque fuit jam tunc figura baptiſmatis, & adhuc utique non erant Myſteria Judæorum. Sic ergo hujus baptiſmatis forma præceſſit. Vides ergo ſuperiora myſteria Chriſtianorum, quam fuerint Judæorum. Sed interim ſecundum fragilitatem vocis noſtræ, & ſecundum temporis rationem, ſatis ſit hodie,tanta de ſacro fonte libaſſe myſteria. Craſtina die,ſi Dominus dederit loquendi poteſtatem vel copiam, plenius intimabo. Opus eſt ut Sanctitas veſtra aures paratas habeat, promptiorem animum: ut ea quæ nos colligere poſſumus de ſerie Scripturarum,& vobis intimaverimus: tenere poſſitis, ut habeatis gratiam Patris,& Filii,& Spiritus Sancti. Cui Trinitati perpetuum eſt regnum a ſeculis,& nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum.

Exod. 14, 19 & 24. Quid etiam ſignificet columna lucis præcedens & nubis ſubſequens.

Gen. 7, 10. ſqq. Quod in diluvio figura baptiſmi præceſſerit.

Id. Serm. 1. n. 4.

NOTÆ
in Sermonem præcedentem.

In marginibus hujus Sermonis ad numeros ſingulos, abunde obſervavimus, quomodo & in quibus, hic ſermo ſecundus cum primo conveniat: nunc etiam quoad ſententias paucis obſervandum eſt.

Num. 1. (*Romæ fideles dicuntur, qui baptizati ſunt*) Ita legunt MSS. Codices atque editiones Eraſmi vetuſtiores Baſileæ annis 1527 & 1555. At Editio Colonienſis anni 1616. quæ Romanam imitari profeſſa eſt, legit: *Ideo recte fideles dicuntur, qui baptizati ſunt.* Inſulſam plane hanc ſcriptoris obſervantiam puto, Quaſi vero hæc appellatio, peculiaris Romæ fuerit. At ubique,teſtibus Tertulliano *de præſcriptione*, Cyrillo Hieroſolymitano Catechieſi 1, Auguſtino *de verbis Apoſtoli* Serm. 14. communis erat, in Oriente, in Meridie, Occidente, Septemtrione. Ambroſius ipſemet, hac fidelium appellatione Mediolani utebatur,ut patet ex genuinis ejus ſcriptis, *de obitu fratris Satyri*,& *in Lucam* lib. 6. ad finem.

Ibid. (*Sed dicis mihi, quare nares?*) hic author repetit eandem rationem, quare in Baptizatis aures & nares ab Epiſcopo tanguntur, non autem os: quam ante jam attulerat Libro *de initiandis* ſeu Sermone 1, *de Sacramentis* n. 1. De qua quia ſufficienter actum eſt obſervatione 4. ad n. 1. hujus Sermonis 1, ampliorem de ea Repetitionem aggredi plane ſuperfluum eſt. Juvat tamen locus uterque ſimul collatus,ad unum eundemque probandum authorem utriusque operis.

(*Non os tangit Epiſcopus*) recta lectio cum MSS. omnibus conſentiens & editionibus antiquis, licet editio Col. anni 1616. apud Antonium Hierat, legat perperam: *Non nos tangit Epiſcopus.*

N. 2. (*Veniſti ad fontem, ingreſſus es.*) Ita legunt MSS. Codices, atque etiam Gratianus de Conſecratione Diſt. 4. C. veniſti ad fontem. Legunt tamen *venimus ad fontem* editiones Baſileenſes Eraſmi 1527. & 1555. Romana 1585. Colonienſis 1616. cum Pariſienſibus Romanam ſequentibus. Nullum dubium quin legendum ſit, *veniſti ad fontem*: ut patet ex verbis ſequentibus, *ingreſſus es*: quæ ad eandem perſonam ſpectant.

Ibid. (*ut non aliquid perſonaliter meritis arrogetur*) Ita editiones Baſileæ annorum 1527 & 1555. At Editio Coloniæ poſt Romanam 1585. legit quidem convenientius: *perſonæ meritis arrogetur.*

N. 3. (*Ne forte aliquis dixerit: hoc eſt totum?*) Galliciſmus eſt, qui in colloquiis pro nata occaſione frequentiſſimus eſt, *Eſt ce la tout?* Vnde authorem Gallum agnoſcere poſſumus. Similem Interrogationem,atque Galliciſmum ſimul Idem fecit Sermone 1. ſeu libro *de initiandis* n. 7. *Hoc eſt illud magnum myſterium, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit?* De quo nos Notis ad Sermonem 1, n. 7. Gallice enim dicitur, *Eſt ce la ce grand myſtere?*

N. 4. (*Illud præmitto quod diviniora & priora ſacramenta ſunt Chriſtianorum, quam Judæorum.*) Idem quoque repetit n. 6. Sermonis hujus ſub finem: *Vides ergo ſuperiora myſteria Chriſtianorum, quam fuerint Judæorum.* Idem Sermone 1. ſeu libro *de initiandis* n. 15. *ſumma ſtudio volumus comprobare, quod & antiquiora ſunt Sacramenta Eccleſiæ, quam Synagogæ: & præſtantiora, quam manna eſt.* Tum ibidem poſtea: *Probatum eſt antiquiora eſſe Eccleſiæ Sacramenta, nunc cognoſce potiora.* Quæ unum eundemque operis utriusque Authorem probant. (*Illud præmitto*) legit editio Baſileæ, *præmitto.*

Ibid. (*Tranſit a terrenis ad cæleſtia*) Ita legunt MSS. Codices, ſed aliter leguntur apud Gratianum de Conſecratione Diſt. 4. Cap. *Per aquam baptiſmi, tranſitus eſt a terrenis ad cæleſtia.* Anonymus autem legit: *Cæterum qui per hunc fontem tranſit, tranſit a terrenis ad cæleſtia*: omiſſis vocibus, *Per aquam Baptiſmi.*

N. 5. (*Mergere & ſanaberis*) Ita MSS. Codices atque Baſileenſes editiones annorum 1527. & 1551. legunt male Romana 1585 & Colonienſis 1616. *Merge & ſanaberis.*

Ibidem. (*Ille cæpit cogitare ſecum & dicere: Hoc eſt totum?*) Ita Galliciſmum hunc, barbaramque interrogationem inſignem Author impolitus exiſtimavit: ut bis intra Sermonem eundem repetere auſus ſit, hic n. 5. ac ante n. 3. de qua nos ibidem egimus. Cui ſimilem fecit Sermone 1 n. 7. ut ibi annotamus.

SERMO TERTIVS
DE SACRAMENTIS
DICTVS FERIA QVARTA PASCHATIS.

SYNO-

SYNOPSIS SERMONIS.

1. *Quod diluvium nihil aliud ſit niſi Baptiſma, quo peccata diluuntur: ac de multis generibus Baptiſmatum.* 2. *Quid ſignificet Angelus deſcendens in Piſcinam: & quid ſit quod paralyticus Chriſto reſponderit*, Hominem non habeo. 3. *De variis generibus & figuris Baptiſmi. Quid ſignificet quod ad preces Eliſæi, ferrum ſecuris demerſum ſupernatáverit: vel quod Moyſes lignum miſerit in fontem, quo aqua antea amara dulceſcebat.* 4. *Quod in baptiſmo deſcendat Spiritus Sanctus.* 5. *Quod idem inventus ſit ad reſurrectionem & vivificationem natura humana, quæ per peccatum morti obnoxia erat.* 6. *De trina immerſione & interrogatione in Baptiſmo, & de unctione in vitam æternam.*

Quod diluvium nihil aliud ſit niſi baptiſma, quo culpæ diluuntur: ac de multis generibus baptiſmatum. Idem Serm. 2. n. 6. Serm. 1. n. 4.

1. IN diluvio figuram baptiſmatis præceſſiſſe, heſterno cœpimus diſputare Sermone. Nam quid eſt diluvium, niſi in quo juſtus ad ſeminarium juſtitiæ reſervatur, peccatum moritur? Ideo Dominus videns hominum pullulare delicta, juſtum ſolum cum ſua progenie reſervavit: aquam autem ſupra montes quoque, exire præcepit. Et ideo in illo diluvio omnis corruptela carnis interiit, ſola juſti proſapia & forma permanſit. Nonne hoc eſt diluvium quod eſt baptiſma, quo peccata omnia diluuntur, ſola juſti mens & gratia ſuſcitatur? Multa ſunt genera baptiſmatum. Sed unum

Eph. 4, 5. baptiſma clamat Apoſtolus. Quare? Sunt baptiſmata Gentium, ſed non ſunt baptiſmata: lavacra ſunt, Baptiſmata eſſe non poſſunt. Caro lavatur, non culpa diluitur, imo in illo lavacro contrahitur. Erant autem baptiſmata Judæorum, alia ſuperflua, alia in figura. Et figura ipſa nobis proficit, quia veritatis eſt nuntia.

Joan. 5, 2. Quid ſignificet Angelus in piſcinam deſcendens: & quid ſit quod paralyticus reſponderit Chriſto, *hominem non habeo?* Id. Serm. 1. n. 5.

2. Quid lectum eſt heri? *Angelus*, inquit, *ſecundum tempus deſcendebat in piſcinam, & quotieſcunque deſcendiſſet Angelus, movebatur aqua: & qui prior deſcendiſſet, ſanabatur ab omni languore, quocunque tenebatur.* Quod ſignificabat figuram venturam Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Angelus*, quare? Ipſe eſt enim magni conſilii Angelus. *Secundum tempus*, quod ad horam noviſſimam ſervabatur, ut in occaſu ipſum diem deprehenderet, & differret occaſum. *Quotieſcunque ergo deſcendiſſet Angelus, movebatur aqua.* Dicis forte, quare modo non movetur? Audi, quare: Signa incredulis, fides credentibus. *Qui prior deſcendiſſet, ſanabatur ab omni infirmitate. Qui prior*, tempore, an honore? utrumque intellige. Si tempore, *prior qui deſcendiſſet ſanabatur*: hoc eſt, de populo Judæorum magis, quam de populo nationum. Si honore, *qui prior deſcendiſſet*: hoc eſt, qui haberet Dei metum, ſtudium juſtitiæ, gratiam. Charitatis, caſtitatis affectum; *ipſe magis ſanabatur.* Tamen tunc temporis unus ſanabatur. Tunc, inquam, temporis, in figura: *qui prior deſcendiſſet*, ſolus curabatur. Quanto major eſt gratia Eccleſiæ, in qua omnes ſalvantur, quicunque deſcendunt. Sed videte myſterium. Venit Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad piſcinam, multi ægri jacebant. Et facile ibi multi ægri jacebant, ubi unus tantummodo curabatur. Deinde ait ad illum paralyticum, *Deſcende.* Ait ille, *hominem non habeo.* Vide ubi baptizaris, unde ſit baptiſma, niſi de cruce Chriſti, de morte Chriſti. Ibi eſt omne myſterium: quia pro te paſſus eſt, in ipſo redimeris, in ipſo ſalvaberis. *Hominem*, inquit, *non habeo*: hoc eſt, *quia per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum.* Non poterat deſcendere, nec poterat ſalvari, qui non credebat quod Dominus Jeſus carnem ſuſcepiſſet ex virgine. Hic autem qui opperiebatur Mediatorem Dei & hominum, hominem Jeſum Chriſtum, expectans eum de quo dictum eſt, *Emittet Dominus hominem qui ſalvos faciat eos*: dicebat, *Hominem non habeo.* Et ideo ad ſanitatem meruit pervenire, quia credebat in advenientem. Melior tamen & perfectior fuiſſet, ſi credidiſſet jam veniſſe, quem ſperabat eſſe venturum.

1. Corinth. 15, 21.

De variis generibus & figuris baptiſmi. 4. Reg. 5, 1. Idem Serm. 1. n. 6. 2. n. 5.

3. Nunc vide ſingula. Diximus figuram præceſſiſſe in Jordane, quando Naaman ille leproſus mundatus eſt. Puella illa ex captivis quæ eſt, niſi quæ ſpeciem habebat Eccleſiæ, & figuram repræſentabat? Captivus enim erat populus nationum. Captivus erat, non dico captivitatem ſub hoſte aliquo conſtitutam: ſed eam captivitatem dico, quæ major eſt, quando diabolus cum ſuis ſævo dominatur imperio, & captiva ſibi colla ſubjicit peccatorum. Ergo habes unum baptiſma, aliud in diluvio. Habes tertium genus, quando in mari rubro baptizati ſunt Patres. Habes quartum genus in piſcina, quando movebatur aqua. Nunc te conſulo utrum credere debeas, quia habes præſentiam Trinitatis, in hoc baptiſmate quo baptizatur in Eccleſia. Idem Itaque Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Evangelio ſuo dicit ad Apoſtolos: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Sermo hic Salvatoris eſt. Dic mihi o homo: Invocavit Elias, & deſcendit ignis de cœlo. Invocavit Eliſæus Domini nomen, & de aqua

Gen. 8. Exod. 14. Joan. 5, 2. Matth. 28, 19.

Quid ſignifi-

fer-

mittebat ut terra operiremur, & de terra resurgeremus. Deinde non terra lavat, sed aqua lavat: Ideo fons quasi sepultura est.

Ivo parte 2. cap. 126. De trina immersione & interrogatione in baptismo, & de unctione in vitam aeternam.

6. Interrogatus * es, *Credis in Deum patrem omnipotentem?* Dixisti, *Credo:* Et mersisti, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es, *Credis in Dominum nostrum Jesum Christum, & in crucem ejus?* Dixisti, *Credo:* Et mersisti, ideo & Christo es sepultus. Qui enim Christo consepelitur, cum Christo resurgit. Tertio interrogatus es, *Credis & in Spiritum Sanctum?* Dixisti, *Credo:* Et tertio mersisti, ut multiplicem lapsum superioris ætatis absolveret trina confessio. Denique ut vobis afferamus exemplum. Sanctus Apostolus Petrus, posteaquam in passione Domini, lapsus videtur infirmitate conditionis humanæ: quia ter negaverat, postea ut illum lapsum aboleret & solveret, tertio interrogatus a Christo si Christum amaret: tunc ille dicit, *Tu nosti Domine, quia amo te.* Tertio dixit, ut tertio absolveretur. Sicut ergo peccatum dimittit Pater, sic dimittit Filius, sic dimittit & Spiritus Sanctus. In uno autem nomine baptizari nos jussit: hoc est, *In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Noli mirari, quia dixi unum nomen; ubi est una substantia, una divinitas, una majestas. Hoc est nomen de quo dictum est, *In quo oportet omnes sanos fieri.* In hoc nomine omnes salvati estis, redditi estis ad gratiam vitæ. Clamat ergo Apostolus, sicut audistis in lectione præsenti: *Quoniam quicunque baptizatur, in morte Jesu baptizatur.* Quid est in morte? Ut quomodo Christus mortuus est, sic & tu mortem degustes. Quomodo Christus mortuus est peccato, & Deo vivit: ita & tu superioribus illecebris peccatorum mortuus sis per baptismatis Sacramentum, & surrexeris per gratiam Christi. Mors ergo est, sed non in mortis corporalis veritate, sed in similitudine. Cum enim mergis, mortis suscipis & sepulturæ similitudinem: crucis illius accipis Sacramentum, quod in cruce Christus pependit, & clavis confixum est corpus. Tu ergo cum crucifigeris, Christo adhæres, clavis Domini nostri Jesu Christi adhæres, ne te diabolus possit abstrahere. Teneat te clavus Christi, quem revocat humanæ conditionis infirmitas. Ergo * mersisti, venisti ad Sacerdotem, quid tibi dixit? *Deus* inquit, *Pater omnipotens, qui te regeneravit ex aqua & Spiritu Sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te ungat in vitam aeternam.* Vide, ubi * unctus es? *In vitam,* inquit, *aeternam.* Noli hanc vitam illi vitæ anteferre. Verbi Gratia, si exurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem ut prævaricetur quisquam: vide quid eligas? Noli eligere illud in quo non es unctus, sed elige in quo unctus es, ut vitam æternam vitæ præferas temporali.

Matth. 26, 34. Joan. 18. v. 25. Joan 21. v. 15. 16. 17.

Matth. 28, 19.

Act. 4, 12.

Rom. 6, 5.

* De Consec. Dist. 4. C. Emersisti. Ivo p. 2. c. 141. Pann. l. 2. c. 67.

* Serm. 1. N. 11. Serm. 4. N. 1.

NOTÆ

in præcedentem Sermonem.

N. 2. (*Quod significabat figuram venturam Domini nostri Jesu Christi*) Ita legunt MSS. Codices, & editiones Basileensis annum 1527. & 1555. ex curis Erasmi. At anno 1185. in editione Romana legit Cardinalis de Monte alto: *Quod in figuram venturi Domini nostri Jesu Christi fuhat.* Clarius quidem quoad sensum phrasios, sed non sincerius. Hanc Lectionem secuta est editio Coloniensis anni 1616. cum anterioribus ac subsequentibus Parisiensibus, Romanam imitatis.

Ibid. (*Dicis forte*) hic author frequenter objectiones suas vel dubitationes adjicit, his verbis. Sermone 1. N 9. *ut fortasse dicas.* N. 17. *Forte dicas.* N. 7. *Ne forte & tu diceres.* Serm. 2. N. 3. *Ne forte aliquis dixerit.* Serm. 5. N. 1. *Sed forte dicas.*

Ibid. (*Quia pro te passus est, in ipso redimeris*) Ita legunt MSS. Codd. cum editionibus Basileensibus Erasmi, annorum 1527. 1555. At Romana anni 1185. cum Colonienſi 1616. male: *Qui pro te passus est &c.*

N. 5. (*Ut si peccatum non gustaret*) Ita MSS. Codd. cum Basileensibus editionibus, legente perperam Colonienſi, *non gestaret.*

Ibid. (*primum quidem sententiam tulit in hominem, terra es & in terram ibis: & morti hominem fecit obnoxium. Erat divina sententia, solus humanæ conditionis non poterat.*) Infra (*Satisfactum ergo sententiæ videbatur, quando homo &c.*) Denique sub ejusdem numeri finem: (*Satisfit ergo sententiæ sine mortis stupore. Quod mergeris, solvitur sententia ista,* Terra es & in terram ibis. *Impleta sententia, locum est beneficio.*) His ex verbis tam frequenter repetitis *sententiæ,* pro Divino quo sanxit mortem homini, Decreto suo Deus: Intelligi facile potest, hominem Gallum fuisse, atque Gallicissimum esse phrasim istam ita sæpe repetitam. Nam apud Gallos Decretum mortis, vulgo *Sentence de mort* appellatur. Sententia autem apud Latinos pro opinione de re quapiam, non autem pro *Decreto mortis,* ut apud Gallos, usurpata.

N. 6. (*Vide ubi unctus es:* In vitam, *inquit,* æternam: *noli hanc vitam illi vitæ anteferre. Verbi gratia, si exurgat inimicus aliquis, si velit tibi fidem tuam auferre, si minatur mortem ut prævaricetur quisquam: Vide quid eligas. Noli eligere illud in quo non es unctus, sed elige in quo unctus es, ut vitam æternam vitæ præferas temporali.*) Hic agit Scriptor de unctione Chrismatis, quæ in capite post baptismum facta fuit, cui adscribit Author anonymus ritui, quidquid Romani moderni adscribunt Sacramento suo *Confirmationis:* quod & proprium esse omnium Episcoporum pulsatis ab eo Presbyteris, Atque aliud quoque esse a Baptismo, contra ipsam Ecclesiæ Græcæ praxim contendunt. Ita paulatim accrevit ille septenarius Sacramentorum numerus, quem pro focis arisque defendunt. Is igitur Author, Confirmationem hanc, qua juxta Papistas uncti ab Episcopis solis chrismate ad frontem Christiani, adversus insidiantes fidei suæ hostes, perseverant immoti & invincibiles: nudam Baptismi Ceremoniam, seu ritum censet, non distinctum ab eo Sacramentum. In hanc mentem accesserunt Veteres plurimi, antequam taxata ab Scholasticis fuisset, magistris etiam Ecclesiæ vetustioribus, Sacramentorum Septenaria Collecta, hujus quoque Chrismatis unctionis meminit idem

Scriptor Sermone ſeq. N. 1. . Cum paulo poſt dicitur fieri ſupra caput. *Accipis autem myſterium, hoc eſt, unguentum ſupra caput. Quare ſupra caput? Quia ſenſus ſapientiæ in capite ejus, ait Salomon.* Hæc ex Capite 6. Libri *de iis, qui initiantur myſteriis:* deſumpta eſſe manifeſtum eſt. Quo loco illa ex pſ. 132. allata erant, *Sicut unguentum in capite.* Hinc eſt quod obſervavit unctionem Eccleſiaſticam in capite fieri: & rationem addiderit, quod *ſapientiæ ſenſus ſint in capite ejus.* Arbitratur Petrus Aurelius *Orthodoxiæ* part. 1. cap. 7. pag. 568. illam unctionem quæ hic ante pedum lotionem commemoratur, *Chrismationem fuiſſe baptismalem*, quæ non in fronte, ſed in vertice fieret. *Epiſcopalem* vero quam ipſe ſolam Sacramentum eſſe putat, in ſequentibus poſt pedum lotionem illis verbis deſcribi: *Sequitur Spiritale ſignaculum.* Sed hic Aurelius imprudens Ambroſium fuiſſe hunc Scriptorem negat, quem tamen *Vindic.* pag. 31. veluti verum Ambroſium laudat. Nam Chriſmationem extra frontem, Presbyteralem, ab Eccleſia (ut ipſe alibi ait) non a Chriſto Domino inſtitutam, in uſu apud Eccleſiam non fuiſſe ante Innocentii decretalem confitetur: eoque *Vindic.* p. 31. factum dicit, Quod Auguſtinus nunquam de ea agat. Vnctionem vero *verticis* fatetur incognitam fuiſſe, etiam Gregorii Magni temporibus: quibus ut liquet, Presbyteri Neophytorum non verticem, ſed pectus chrismabant. Quæ ſi (quod ponit Aurelius anær. p. 424.) vera ſunt, & ſunt ſane veriſſima: Scriptorem operis *de iis qui initiantur myſteriis*, librorumque *de Sacramentis*: cui Authore hoc eodem Aurelio, utraque illa Chriſmatio nota fuit, non modo Presbyteralis ſimpliciter & Epiſcopalis, ſed etiam frontis & verticis. Eum, inquam, Scriptorem neceſſe eſt, vixiſſe poſt Gregorium Magnum: hoc eſt, minimum ducentis poſt Ambroſii mortem annis. Ergo nobis imponunt & Aurelius & cæteri Latini, qui hunc ipſum Authorem pro Ambroſio identidem, & in hac controverſia & in aliis non paucis, laudant atque objectant. Hæc Joannes Dallæus lib. 3. *de Confirmatione* cap. 8. pag. 340. Sed hoc in loco ridiculus inprimis eſt Aurelius, qui ut id refellat, quod a Simonde veriſſime ac ſapientiſſime obſervatum eſt, nimirum *Chrismationis verticis mentionem nusquam extare ante librum Ordinis Romani*: objicit eam in Ambroſianis Scriptis occurrere. Immemor eorum quæ ipſe alibi dixerat, *verticalem unctionem* ne Gregorii quidem temporibus notam fuiſſe: nedum, ut quod nunc tradit, Ambroſii ævo fuerit. Nos vero Scriptorem etiam infra ſeptimum ſeculum dejiciendum, & inter octavi ſeculi Scriptores ablegandum exiſtimaremus: ſi allata ipſius verba, non aliter quam vult Aurelius, intelligi poſſent. Non enim (*Roma excepta*) duplicem illam Chrismationem, alibi usquam in Occidente, ante octavum ſeculum uſitatam fuiſſe reperimus. Hæc doctiſſimus Dallæus.

Vide Serm. 1. N. 11.

Eccl. 2, 14.

Serm. 4. N. 3.

Anær. p. 295. 419.

Ibid. Orthod. p. 568.

SERMO QVARTVS
DE SACRAMENTIS
DICTVS FERIA QVINTA PASCHATIS.

SYNOPSIS SERMONIS.

N. 1. *Quare demerſi in baptiſmum, in capite unguentum recipiant, & quid ſit regeneratio. Qua ratione etiam hoc ſeculum mare ſit, nos autem oporteat naturam piſcis imitari.* 2. *De Myſterio lotionis pedum in Baptizatis.* 3. *Quod per invocationem Sacerdotis, Spiritus ſeptiformis infundatur: quid etiam ſignificet lutum ex ſputo, ſuper caci oculos poſitum.* 4. *Quod qui baptizatur, abſque confeſſione etiam, a peccato abſolvitur: & quid ſit aqua Siloë?*

1. HEſterno die de fonte baptismatis diſputavimus, cujus ſpecies veluti quædam ſepulchri forma eſt: In quem, credentes in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum, recipimur, demergimur, & reſurgimus, hoc eſt reſuſcitamur. Acceptiſti * autem myſterium, hoc eſt, unguentum ſupra caput. Quare ſupra caput? Quia *ſenſus ſapientiæ in capite ejus*, Salomon ait. Friget enim ſapientia ſine gratia, ſed ubi ſapientia accepit gratiam, tunc opus ejus incipit eſſe perfectum. Hæc regeneratio dicitur. Quid eſt regeneratio? Habes in actibus Apoſtolorum, quod ille verſiculus qui dicitur in Pſalmo ſecundo, *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* ad reſurrectionem ſpectare videatur. Namque Sanctus Apoſtolus Paulus in Actibus Apoſtolorum ſic interpretatus eſt, quod tunc quando reſurrexit Filius a mortuis: Patris vox reſultaverit, *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Vnde & primogenitus a mortuis dicitur. Ergo reſurrectio quid eſt, niſi quando de morte ad vitam reſurgimus? Sic ergo & in baptiſmate, quoniam ſimilitudo mortis eſt: dum mergis & reſurgis, ſimilitudo fit reſurrectionis. Recte itaque ſecundum interpretationem Apoſtoli Petri, ſicut illa reſurrectio generatio fuit, ita & iſta reſurrectio regeneratio eſt. Sed quid dicis, quia in aquam mergis; ideo peregrinaris, ideo te dubitatio tenet? Legimus quidem, *Producat terra ex ſe fructum germinantem:* Similiter & de aquis legiſti, *Producant aquæ animantia:* & nata ſunt animantia. Illa quidem in principio creaturæ. Sed tibi reſervatum eſt, ut aqua te regeneret ad gratiam, ſicut illa generavit ad vitam. Imitare illum piſcem, qui minorem quidem adeptus eſt gratiam, tamen debet tibi eſſe miraculum. In mari eſt, & ſuper undas eſt In mari eſt, & ſuper fluctus eſt. In mari tempeſtas furit, ſtridunt procellæ: ſed piſcis natat, non demergitur, quia natare conſuevit. Ergo tibi ſeculum hoc, mare eſt. Habet diverſos fluctus, undas graves, ſævas tempeſtates. Et tu eſto piſcis, ut ſeculi te unda non mergat. Pulchre autem Pater dicit ad Filium, *Ego hodie genui te:* hoc eſt, quando redemiſti populum, quando ad cœli regnum vocaſti, quando impleviſti voluntatem meam: probaſti meum te eſſe Filium.

Quare demerſi in baptiſmum, recipiant unguentum in capite? Idem Serm. 1. n. 11. Serm. 3. n. 6. * De Conſec. Diſt. 4. C. acceptiſti myſterium. Ivo part. 1. c. 141.

Eccl. 2, 14.

Quid ſit regeneratio?

Pſalm 2, 7.

Act. 13, 33.

Pſalm. 2, 7. Coloſſ. 1, 18.

Gen. 1, 24.

Ibid. v. 20.

Qua ratione etiam nos piſcis naturam imitari oporteat, atque hoc ſeculum mare ſit?

2. Aſcendiſti de fonte, quid ſecutum eſt? Audiſti lectionem, ſuccinctus eſt ſummus Sacerdos. Licet enim & Presbyteri

De myſterio lotionis pedum. Idem Serm. 1. N. 11.

byteri fecerint, tamen exordium miniſterii a ſummo eſt Sacerdote. Succinctus, inquam, ſummus Sacerdos pedes tibi lavit. Quid iſtud Myſterium? Audi utique. *Quia Dominus cum laviſſet diſcipulis* Joan. 13. v. 5. & ſeqq. *aliis pedes, venit ad Petrum, & ait illi Petrus: tu mihi lavas pedes?*. Hoc eſt, Tu Dominus ſervo lavas pedes? Tu immaculatus mihi lavas pedes? Tu auctor cœlorum mihi lavas pedes? Habes hoc & alibi, *Venit ad Johannem, & ait illi Johannes: ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me?* Ego peccator, & tu venis ad me peccatorem? Vt tua quaſi peccata deponas, qui peccatum non feceris. Vide omnem juſtitiam, vide humilitatem, vide gratiam, vide ſanctificationem. *Niſi lavero*, inquit, *tibi pedes, non habebis mecum partem.* Non ignoramus quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus ſequimur & formam. Hanc autem conſuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide ergo ne forte, propter multitudinem declinaverit. Sunt tamen qui dicant & excuſare conentur, quia hoc non in Myſterio faciendum eſt: non in baptiſmate, non in regeneratione, ſed quaſi hoſpiti pedes lavandi ſunt. Aliud eſt humilitatis, aliud ſanctificationis. Denique audi quia Myſterium eſt, & ſanctificatio: *Niſi lavero te, non habebis partem mecum.* Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam, ſed mea officia ipſe commendem. In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam. Sed tamen & nos ſenſum habemus: ideo quod alibi rectius ſervatur, & nos recte cuſtodimus. Ipſum ſequimur Apoſtolum Petrum, ipſius inhæremus devotioni: Ad hoc Eccleſia Romana quid reſpondet? Vtique ipſe Auctor eſt nobis hujus aſſertionis Petrus Apoſtolus, qui Sacerdos fuit Eccleſiæ Romanæ. Ipſe Petrus ait: *Domine non ſolum pedes, ſed etiam manus & caput.* Vide fidem. Quod ante excuſavit, humilitatis fuit: quod poſtea ſe obtulit, devotionis & fidei. Reſpondit illi Dominus, quia dixerat *manus & caput: Qui lavit, non neceſſe habet iterum lavare, niſi ut ſolos pedes lavet.* Quare hoc? Quia in baptiſmate omnis culpa diluitur. Recedit ergo culpa, ſed quia Adam ſupplantatus a diabolo Gen. 3. eſt, & venenum ei effuſum eſt ſupra pedes: Ideo lavas pedes, ut in ea parte in qua inſidiatus eſt ſerpens, majus ſubſidium ſanctificationis accedat: quo poſtea te ſupplantare non poſſit. Lavas ergo pedes, ut laves venena ſerpentis. Ad humilitatem quoque proficit, ut in Myſterio non erubeſcamus, quod non dedignamur in obſequio.

Quod per im- 3. Sequitur * Spiritale ſignaculum, quod audiſtis hodie legi: quia poſt fontem ſupereſt ut perfectio fiat, quando ad invocationem Sacerdotis Spiritus Sanctus infunditur: *Spiritus ſapientiæ & intellectus, Spiritus conſilii atque virtutis, Spiritus cognitionis ac pietatis, Spiritus ſancti timoris.* Septem quaſi virtutes Spiritus. Et omnes quidem virtutes ad Spiritum pertinent, ſed iſtæ quaſi Cardinales ſunt, quaſi principales. Quid enim tam principale, quam pietas? Quid tam principale, quam cognitio Dei? Quid tam principale, quam virtus? Quid tam principale, quam conſilium Dei? Quid tam principale, quam timor Dei? Sicut timor ſeculi, infirmitas: ita timor Dei, magna eſt fortitudo. Iſtæ ſunt ſeptem virtutes, quibus conſignaris. Nam ut ait Apoſtolus Sanctus, *Quia multi-* Eph. 3, 10. *formis eſt*, inquit, *ſapientia Dei noſtri.* Et ut multiformis eſt ſapientia Dei, ita multiformis eſt Spiritus Sanctus, qui habet diverſas variasque virtutes: unde & *Deus* Pſalm 79, 5. *virtutum* dicitur, quod aptari poteſt Patri & Filio & Spiritui Sancto. Sed hoc alterius Diſputationis, alterius eſt temporis. Poſt hæc, quid ſequitur? Venire habes ad altare. Quoniam veniſti, videre habes, quæ ante non videbas: hoc eſt, Myſterium quod legiſti in Evangelio: ſi tamen non legiſti, certe audiſti. Cæcus Quid etiam ſignificet lutum ex ſputo, ſuper oculos cæci poſitum? obtulit ſe Salvatori, ut curaretur. Et ille qui alios verbo tantum & ſermone curabat, & refundebat imperio lumen oculorum: tamen in libro Evangelii qui ſcribitur ſecundum Johannem, qui vere præ Joh. 9, 1. & ſqq. cæteris vidit magna Myſteria, & deſignavit & declaravit: Myſterium hoc in illo voluit præfigurare. Omnes quidem ſancti Evangeliſtæ, omnes Apoſtoli præter proditorem, omnes Sancti. Tamen S. Johannes, qui ultimus ſcripſit Evangelium, quaſi neceſſarius requiſitus & electus a Chriſto, majore quadam tuba fudit æterna Myſteria. Quicquid locutus eſt, Myſterium eſt. Alius dixit cæcum curatum, dixit Matthæus, dixit Lucas, dixit Marcus: ſolus Johannes quid ait? *Tulit lutum & linivit ſuper oculos ejus, & dixit ei: vade, lava in Siloam. Et exſurgens ivit, & lavit, & venit videns.* Conſidera & tu oculis cordis tui. Videbas quæ corporalia ſunt, corporalibus oculis: ſed quæ Sacramentorum ſunt, cordis oculis adhuc videre non poteras.

4. Ergo quando dediſti nomen tuum, Quod qui baptizatur, ſine confeſſione etiam, a peccatis abluitur. tulit lutum, & linivit ſuper oculos tuos. Quid ſignificat? Vt peccatum tuum fatereris, ut conſcientiam tuam recognoſceres, ut pœnitentiam ageres delictorum: hoc eſt, ſortem humanæ generationis agnoſceres. Nam etſi non confiteatur peccatum, qui venit ad baptiſmum:

vocationem Sacerdotis, Spiritus ſeptiformis infundatur. * De Conſec. Diſt. 4. C. Accepiſti §. ſequitur. Ivo part. 1. C. 142. Eſa. 11.

ſinum: tamen hoc ipſo implet confeſſionem omnium peccatorum, quod baptizari petit ut juſtificetur, hoc eſt, ut a culpa ad gratiam tranſeat. Nolite otioſum putare. Sunt quidam, ſcio certe aliquem fuiſſe qui diceret, cum illi diceremus: In hac ætate magis baptizari debes. Dicebat ille, quare baptizer? Peccatum non habeo, nunquid peccatum contraxi? Hic lutum non habuit, quod ei Chriſtus non laverat; hoc eſt, non ei aperuerat oculos, nullus enim homo ſine peccato. Ergo agnoſcit ſe hominem, qui confugit ad Baptiſmum Chriſti. Itaque & tibi impoſuit lutum, hoc eſt verecundiam, prudentiam, conſiderationem fragilitatis tuæ, & dixit tibi: *vade in Siloam.* Quid eſt Siloas? *Quod interpretatur*, inquit, *miſſus*: hoc eſt; vade ad illum fontem, in quo crux Domini prædicatur. Vade ad illum fontem, in quo omnium Chriſtus redemit errores. Iviſti, laviſti, veniſti ad Altare, videre cœpiſti quæ ante non videras: hoc eſt, per fontem Domini & prædicationem Dominicæ paſſionis, tunc aperti ſunt oculi tui. Qui ánte corde videbaris eſſe cæcatus, cœpiſti lumen Sacramentorum videre. Ergo Fratres dilectiſſimi, venimus usque ad altare, ad Tractatum uberiorem. Et ideo quia id tempus eſt, Diſputationem integram non poſſumus incipere, quia prolixior tractatus eſt: ſatis fit quod dictum eſt hodie, & craſtino die, ſi Domino placet, de Sacramentis ipſis tractabimus.

Quid ſit aqua Siloë? Joh. 9, 7.

NOTÆ

in præcedentem Sermonem.

Num. 1. (*Accepiſti Myſterium*) Ita correximus ex nonnullis MSS. Codicibus, cum legerem Editiones omnes. *Accipit autem Myſterium*, ut Baſileenſes annorum 1527. & 1551. Romana anni 1585. cum Pariſienſibus eam ſequentibus, Colonienſis 1616. Sed legerunt ſicut & nos Gratianus *de Conſecratione* Diſt. 4. C. *Accepiſti myſterium*. Ivo part. 1. cap. 141. & Pannoniæ lib. 1. C. 68. Vnde hoc Serm. N. 2. inquit, *Aſcendiſti de fonte, quid ſecutum eſt? Audiſti Lectionem*. N. 4. *Iviſti, laviſti, veniſti ad altare, videre cœpiſti quæ ante non videras*. Incipit autem hic numerus: *Ergo quando dediſti nomen tuum.*

Ibid. (*Ergo Reſurrectio quid eſt, niſi quando de morte ad vitam reſurgimus?*) Non ſatis mirari poſſum ſtupidam Scriptoris hujus ſimplicitatem, qui obſcurum per obſcurius explicat, miſſisque ſæpius verbis multis, ut in hoc definito, nihil dicit.

Ibid. (*Imitare illum piſcem, qui minorem quidem adeptus eſt gratiam, tamen debet tibi eſſe miraculum.*) Jure merito Edmundus Aubertinus libro 2. *de Euchariſtiæ Sacramento*, examinans Pſeudo-Ambroſium cap. 1. pag. mihi 108. obſtupeſcit pueriles anonymi nugas atque expreſſiones, viro gravi, ſeculoque Eccleſiæ quarto indigniſſimas. Quid enim abſurdius atque prudente ac ſane loquente viro indignius, quam attribuere *gratiam piſci minorem*, cujus ipſe incapax omnino eſt? Quis unquam recte piſcem cum homine comparaverit, dicendo, *qui minorem quidem adeptus eſt gratiam, debeat tamen ipſi eſſe miraculum?* Ibidem autem exponens inſipidus iſtud miraculum, *in mari eſt*, inquit, *& ſuper undas eſt: in mari eſt, & ſuper fluctus natat. In mari tempeſtas furit, ſtridunt procellæ: ſed piſcis natans non demergitur, quia natare conſuevit.* Papæ! quantum miraculum! Quod piſcis agitatus fluctibus, in mari natans, non demergitur, quia natare conſuevit. Idem ſane miraculum, dum cervus currit, corvus crocitat, Leo rugit: quæ omnia naturæ ſunt.

N. 2. (*Non ignoramus quod Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cujus typum in omnibus ſequimur & formam. Hanc tamen conſuetudinem non habet, ut pedes lavet. Vide ergo ne forte propter multitudinem declinavit. Sunt tamen qui dicant & excuſare conentur, quia hoc in myſterio faciendum eſt: non in baptiſmate, non in regeneratione, ſed quaſi hoſpiti pedes lavandi ſunt. Aliud eſt humilitatis, alius ſanctificationis. Denique audi quia myſterium eſt & ſanctificatio:* Niſi lavero tibi pedes, non habebis meecum partem. *Hoc ideo dico, non quo baptiſes reprehendam, ſed mea officia ipſe commendem. In omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam, ſed tamen homines & nos ſenſum habemus: ideo & quod alibi rectius ſervatur, & nos recte cuſtodimus. Ipſum ſequimur Apoſtolum Petrum, ipſum haberemus devotioni. Ad hoc Eccleſia Romana quid reſpondet?*) Hæc de lotione pedum in recenter baptizatis. Atqui in hoc diſcurſu, ut Dallæus notat, præter locutionis barbariem, *primum* falſitas reperitur. Quomodo enim dicere poſſet Ambroſius, ſi Author horum librorum foret, ſe Romanæ Eccleſiæ typum & formam in omnibus ſequi: cum ex Auguſtino *Confeſſionum* lib. 9. cap. 7. & *Epiſtola* 56. & 118. conſtet Romam & Mediolanum in Ceremoniis pleriſque inter ſe variaſſe? Nec ab antiquo iſtud duntaxat verum, ut Auguſtini atque Ambroſii ætate: ſed & ſequioribus, usque ad tempora Caroli Boromæi Mediolanenſis Archiepiſcopi, ſeculo antecedente celebris: ut facillime norunt omnes, qui vel ejus vitam prolixe ſcriptam, vel Concilia Mediolanenſia ſub ipſo celebrata, legerint. Vnde liquidum eſt, hos libros nequaquam ad Mediolanenſem aliquem Archiepiſcopum Ambroſii ſucceſſorem, ſpectare unquam poſſe, ut nonnulli ſomniarunt. *Deinde* & contradictio in hoc auctore ſequitur. Nam poſtquam dixiſſet, *in omnibus cupio ſequi Eccleſiam Romanam:* illico tamen quaſi palinodiam agens, inquit: *Sed tamen & nos homines ſenſum habemus, ideo quod alibi rectius ſervatur, & nos recte cuſtodimus.* Ac rurſum poſtquam dixiſſet, *Hoc ideo dico, non quod alios reprehendam &c.* Subito illos reprehendit, non modo dicens, lotionem illam eſſe *Sanctificationem*, quod Romanos negaſſe innuit: ſed & addens, eam fieri ex mandato Domini, tum exemplo Apoſtoli Petri, & a ſe *rectius* fieri, nec videre ſe quid ad hæc Eccleſia Romana reſpondere valeat. Quæ ſane aliquis Mediolanenſis Epiſcopus, Romæ proximus, haud ita rude protuliſſet. Quæ vero Scriptor hic latius habet, ſtrictim compreſſit Serm. 1. N. 11. ſeu libro *de iis qui initiantur myſteriis* cap. 6.

Joan. 13, 8.

Ibid. (*Sunt tamen qui dicant & excuſare conentur, quia hoc in myſterio faciendum eſt: non in baptiſmate, non in regeneratione ſed quaſi hoſpiti pedes lavandi ſunt.*) Vellicat hic Anonymus Scriptor Auguſtinum. Ipſe enim Epiſtola CXIX ad Januarium *de Ritibus Eccleſiæ* cap. 18. hoc ad docendam tantum humilitatis formam, inſtitutum docet his verbis. *De Lavandis vero pedibus, cum Dominus hoc propter formam humilitatis, propter quam docendam venerat, commendaverit, ſicut ipſe conſequenter expoſuit: quæſitum eſt quonam tempore, potiſſimum res tanta etiam facto doceretur: & in illud tempus occurrit, quo ipſa commendatio religioſius inhæreret. Sed ne ad ipſum Sacramentum Baptiſmi videretur pertinere, multi hoc in conſuetudinem recipere voluerunt, nonnulli etiam de conſuetudine auferre non dubitaverunt. Aliqui autem, ut hoc ſacratiore tempore commenderetur, & a Baptiſmi*

ptiſmi Sacramento diſtinguerent: vel in diem tertium octavarum, quia ternarius numerus in multis Sacramentis maxime excellit: vel etiam in octavum, ut hoc facerent, elegerunt. At Enarratione in Pſalm 98. contrarium his verbis ſentire videtur. „Petrus qui pri„mo expaverat Dominum lavantem ſibi pedes, plus „expavit, *Non habebis partem mecum:* & credidit „non ſine cauſa hoc facere Dominum, niſi quia erat „aliquid, illud forte Sacramentum. Et ait, *Domine „non tantum pedes, ſed & caput & totum.* Et ille, *Qui lo„tus eſt ſemel, non habet neceſſitatem iterum lavandi, „ſed eſt mundus totus.* Non ergo ad Sacramentum „tantum mundationis pertinebat, quod lavit pedes „eis, ſed ad exemplum humilitatis.„ Juxta igitur hunc locum Auguſtini, ritus iſte ſpectabat *ad Sacramentum* mundationis, peccatorum nempe (*ut loquuntur*) actualium, quæ juxta veteres Ambroſium, Cæſarium, & alios, hoc humilitatis actu purgabantur. At iſte Author in aliam abiit ſententiam, ab aliis haud tritam. Cum ergo in lotionem pedum apud Eccleſiam ſuam uſitatam, mirum in modum afficeretur, arderetque devotus: non tantum opinatus eſt per eam actualia deleri peccata etiam graviora, reſpectu nempe lavantium pedes hoſpitum ac peregrinorum, quod Ambroſius & alii cenſent: ſed etiam Originale deleri addidit in Neophytis baptizatis, dum pedibus lavarentur, quam doctrinam ſeculo noſtro hæreticam Joannes Maldonatus appellare non dubitavit. Hæc opinio Gallum Authorem iſtorum librorum probat, apud quorum nonnullas Eccleſias, ut in Arelatenſi nominatim, non tamen apud omnes, hæc conſuetudo invaluit. Quarum Antiſtites pro zelo erga ceremoniam ſibi ſingularem, poſt anonymum *in Neophytis lotis*, originale etiam deleri dicebant. Hic autem ritus ſeculo etiam XII. quibusdam in Eccleſiis Galliarum adhuc ſervabatur, Hugone Victorino locuplete teſte, *in Joh. 13.* ubi quosdam ait velle, *Non remitti peccatum originale, niſi in lotione pedum poſt Baptiſmum.* Atque hujus rei dicere authorem Ambroſium Mediolanenſem Epiſcopum, cui poſt alios, libros *de initiandis* & *de Sacramentis* adtribuit, quorum primus N. 11. ſeu Cap. 6. & ultimus N. 3. hanc habet doctrinam, ut ſupra diximus.

Ibidem (*Sed tamen homines & nos ſerſum habemus*) Hæc phraſis mihi olere videtur Scriptorem Gallum, atque præ ſe ferre Galliciſmum, *Mais nous hommes, avons du ſens.* Vbi ex uſu Gallicæ linguæ, *ſenſum* ibi accipit pro intelligentia, ſeu perceptione rerum Spiritalium, ſeu intellectualium. Num. quoque 3. hæ phraſes Latinæ barbaræ, *venire habes ad altare. Quoniam veniſti, videre habes.* Videntur mihi Galliciſmi, ſeu ex idiomate linguæ Gallicæ, latinizatæ: *Vous avez à venir à l'autel. Puiſque vous y eſtes venu, vous avez à voir.* Vnde & Gallum Scriptorem produnt.

SERMO QVINTVS
DE SACRAMENTIS DICTVS FERIA SEXTA PASCHATIS.

SYNOPSIS TOTIVS SERMONIS.

N. 1. *Quomodo Baptiſterium ſit ſecundum tabernaculum, & de expoſitione eorum quæ in tabernaculo cuſtodiebantur.* 2. *De excellentia ablutionis Sacramenti, quam etiam Angeli mirantur: & quomodo ibi ut bona aquila renovari debeamus.* 3. *Quod Deus amplius præſtiterit fidelibus in Sacramento, quam Judæis in manna: ac de ſignificatione oblationis Melchiſedech.* 4. *Quod Chriſtus ſit auctor Sacramentorum, & quemadmodum ſuo Sermone Sacramentum conficiat. Quomodo etiam manducans venerabile corpus ſuum, nova efficiatur creatura.* 5. *Quibus verbis Corpus & Sanguis Domini conſecrentur, & quomodo manducans, non moriatur in æternum.* 6. *De magnitudine & excellentia hujus Sacramenti.*

1. IN veteri Teſtamento, Sacerdotes frequenter, in primum Tabernaculum intrare conſveverant: in ſecundum Tabernaculum ſemel in anno Summus intrabat Sacerdos. Quod evidenter ad Hebræos recolens, ſeriem Veteris Teſtamenti explanat Apoſtolus Paulus. *Erat autem in ſecundo Tabernaculo manna, erat etiam virga Aaron quæ aruit, & poſtea refloruit, & thymiamaterium.* Quo ſpectat hoc? Vt intelligatis quid ſit ſecundum Tabernaculum, in quod vos introduxit Sacerdos, in quod ſemel in anno Summus Sacerdos intrare conſvevit: hoc eſt, ad Baptiſterium, ubi virga Aaron floruit. Ante arida erat, poſtea refloruit. Et tu aridus eras, & cœpiſti in fonte irriguo reflorescere: arueras peccatis, arueras erroribus atque delictis: ſed fructum jam efferre cœpiſti, *plantatus ſecus decurſus aquarum.* Sed forte dicas, quid hoc ad populum, ſi virga Sacerdotis aruerat, & refloruit? Populus ipſe, quid eſt niſi Sacerdotalis? Quibus dictum eſt, *vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta:* ut ait Apoſtolus Petrus. Vnusquisque ungitur in Sacerdotium, ungitur in regnum. Sed ſpiritale regnum eſt, & Sacerdotium ſpiritale. In ſecundo quoque Tabernaculo eſt Thymiamaterium. Thymiamaterium eſt, quod bonum odorem fragrare conſuevit. Ita & vos jam bonus odor Chriſti eſtis, jam nullæ in vobis ſordes delictorum, nullus odor gravioris erroris.

Quomodo baptiſterium ſit ſecundum Tabernaculum, & de expoſitione eorum quæ in Tabernaculo cuſtodiebantur. Levit. 16, 34. Hebr. 9, 4.

Num. 17.

1. Petr. 2, 9.

2. Sequitur, ut veniatis ad altare. Cœpiſtis venire, ſpectarunt Angeli, viderunt vos advenientes: & humanam conditionem illam, quæ ante peccatorum tenebroſo ſqualore ſordebat, aſpexerunt ſubito refulgere. Ideoque dixerunt, *Quæ eſt hæc quæ aſcendit a deſerto dealbata?* Miran- tur ergo & Angeli. Vis ſcire, quia mirantur? Audi ergo Apoſtolum Paulum, dicentem ea nobis eſſe collata, *quæ concupiſcunt & Angeli videre.* Et iterum, *Quod oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus, diligentibus ſe.* Deinde quid acceperis, recognoſce. Sanctus David Propheta, hanc gratiam in figura vidit & concupivit. Vis ſcire, quia concupierit? Iterum audi dicentem, *Aſperges me*

De excellentia ablutionis Sacramenti, quam etiam Angeli admirantur: & quomodo ibi ut bona aquila, renovari debeamus. Cant. 3. v. 6. 1. Pet. 1, 12.

1. Cor. 2, 9.

Pſalm 50, 9.

Digitized by Google

hyssopo, & mundabor: lavabis me, & super nivem dealbabor. Quare? Quia nix quamvis sit candida, cito aliqua sorde nigrescit atque corrumpitur. Ista gratia quam accepisti, si teneas quod accepisti, erit diuturna atque perpetua. Veniebas ergo desiderans, utpote qui tantam gratiam videras, veniebas ad altare, quo acciperes Sacramentum. Dicet anima tua,
Psalm 42. 4. *Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratiæ juventutem. Hoc præstiterunt tibi Sacramenta cœlestia. Denique iterum audi
Psalm 102, 5. dicentem David, *Renovabitur sicut aquilæ, juventus tua.* Bona aquila esse cœpisti, quæ cœlum petis, terrena fastidis. Bonæ
Matth. 24, 28. aquilæ, circa altare: *ubi enim corpus, ibi & aquilæ.* Forma * corporis altare est, & corpus Christi est in altari. Aquilæ vos estis, renovatæ ablutione delicti.

* Ivo p. 1, c. 7. §. figura corporis.

Quod Deus amplius præstiterit fidelibus in Sacramento, quam Judæis in manna: & de significatione oblationis Melchisedech.

3. Venisti ad altare, vidisti Sacramenta posita super altare, & ipsam quidem miratus es creaturam. Tamen creatura solemnis & nota. Forte aliquis dixerit: Judæis Deus tantam gratiam præstitit, manna istis pluit e cœlo: Quid plus dedit fidelibus suis, quid plus tribuit iis, quibus plus promisit? Accipe * quæ dico, anteriora esse mysteria Christianorum, quam Judæorum: & diviniora esse Sacramenta Christianorum, quam Judæorum. Quomodo? Accipe. Judæi quando esse cœperunt? Ex Juda utique pronepote Abrahæ, Judæi dicti sunt, aut a tempore Sancti Moysis. Etsi tunc Deus Judæis manna murmurantibus pluit e cœlo. Tibi autem Sacramentorum illorum figura præcessit, quando Abraham
Gen. 14, 14. erat, quando vernaculos trecentos decem & octo collegit, & ibi persecutus est adversarios, de captivitate eruens nepotem suum. Tunc victor venit, occurrit illi Melchisedech Sacerdos, & obtulit ei panem & vinum. Quis habuit panem & vinum? Abraham non habuit. Sed quis habuit? Melchisedech. Ipse ergo author Sacramentorum. Quis est Melchisedech? Qui significatur rex justitiæ, rex pacis. Quis est iste rex justitiæ? Nunquid homo quisquam potest rex esse justitiæ? Quis ergo Rex justitiæ, nisi justitia Dei, qui est Dei pax, sapientia? Qui
Heb. 7. v. 2. Joh. 14, 27. potuit dicere: *Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis.* Ergo primo intellige Sacramenta hæc quæ accipis, anteriora esse: quam sint Moysi Sacramenta, quæcunque Judæi se habere dicunt: & prius cœpisse populum Christianum, quam populum Judæorum. Sed nos in prædestinatione, illi in nomine. Obtulit ergo Melchisedech panem & vinum.

Exodi 16, 8. Psalm 77, 24. Ivo part. 2. c. 9. §. accipe, lib. 4. Sent. Dist. 8. §. post Sacramentum. * Idem Serm. 1. N. 15. Serm. 2. N. 4.

Quis est Melchisedech? *Sine patre,* inquit, *sine matre, sine generationis ordine, neque initium dierum, neque finem vitæ habens.* Hoc habet ad Hebræos Epistola. *Sine patre,* Heb. 7, 3. inquit, *est, sine matre, similis autem Filio Dei.* Sine matre natus est Dei Filius generatione cœlesti, quia ex solo Deo Patre natus est. Et iterum sine patre natus est, quando natus ex Virgine est. Non enim ex virili semine generatus est, sed natus *de* Matth. 1. 18. *Spiritu Sancto* ex Virgine Maria, utero editus est virginali, similis per omnia Filio Dei. Sacerdos quoque erat Melchisedech, quia & Christus Sacerdos, cui dicitur: *Tu es Sacerdos in æternum, secundum* Ps. 109, 4. *ordinem Melchisedech.*

Quod Christus sit auctor Sacramentorum, & suo sermone Sacramentum conficiat.

4. Ergo auctor Sacramentorum quis est, nisi Dominus Jesus? De cœlo ista Sacramenta venerunt, consilium enim omne de Cœlo est. Vere autem magnum est & divinum miraculum, quod populo pluit Deus manna de cœlo, & non laborabat populus, & manducabat. Tu forte dicis: Meus panis * est usitatus. Sed panis iste, panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi. Hoc igitur adstruamus. Quo modo potest qui panis est, Corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus verbis est, & cujus sermonibus? Domini Jesu. Nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur. Oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris: ubi venitur ut conficiatur venerabile Sacramentum, jam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergo Sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia. Jussit Dominus, & factum est cœlum: Jussit Dominus, & facta est terra: Jussit Dominus, & facta sunt maria. Jussit Dominus, & omnis creatura generata est. Vides ergo, quam operatorius sit sermo Christi. Si ergo * tanta vis est in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant: quanto magis operatorius est, non ut sint quæ erant, & in aliud commutentur. Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat: Sed audi dicentem, *Ipse dixit & facta sunt, ipse mandavit & creata sunt.* Ergo tibi ut respondeam, Non * erat Corpus Christi ante consecrationem: Sed post consecrationem dico tibi, quod jam est corpus Christi. Ipse dixit, & factum est: ipse mandavit, & creatum est. Tu ipse eras, sed eras vetus creatura: postea quam consecratus es, nova creatura esse cœpisti. Vis scire, quam nova creatura? *Omnis,* inquit, *in Christo nova creatura.* Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam omnem mutare con-

* De Consec. Dist. 2. C. panis est in altari. lib. 4. Sent. Dist. 10. §. hæc & his. Ibidem Dist. 8. §. forma vero. Idem Serm. 1. N. 11.

* Ivo part. 2. c. 7. §. Si tanta vis.

Ps. 148, 5.

* Ivo part. 2. Ibid. §. non erat. Quomodo manducans corpus Christi, efficiatur nova creatura?

2. Cor. 5, 17.

consueverit, & mutat quando vult, instituta naturæ. Quomodo, requiris? Accipe, & primo omnium de generatione ejus sumamus exemplum. Consuetudo est, ut non generetur homo nisi ex viro & muliere, & consuetudine conjugali. Sed quia voluit Dominus, qui hoc elegit Sacramentum, & de Spiritu Sancto & de
1. Tim. 2, 5. Virgine, natus est Christus: hoc est, *Mediator Dei & hominum, homo Christus JEsus.* Vides ergo quia contra instituta & ordinem naturæ, homo est natus ex Virgine?
* Idem Serm. 1. N. 17. & N. 5. Accipe * aliud. Vrgebatur populus Judæorum ab Ægyptiis, intercluſus erat
Exod. 14, 16. mari: Divino imperio Virga Moyses tetigit aquas, & se unda divisit: non utique secundum suæ naturæ consuetudinem, sed secundum gratiam cœlestis imperii,
Exod. 15, 25. Accipe aliud. Sitiebat populus, venit ad fontem, amarus erat fons. Misit lignum Sanctus Moyses in fontem, & factus est dulcis fons, qui amarus erat: hoc est, mutavit consuetudinem naturæ suæ, accepit dulcedinem gratiæ. Accipe &
4. Reg. 6, 5. quartum exemplum. Ceciderat ferrum securis in aquas, quasi ferrum, sua consuetudine demersum est. Misit lignum Helisæus, statim ferrum elevatum est, & aquis supernatavit, utique contra consuetudinem ferri. Est enim materies gravior, quam aquarum est elementum. Ex his igitur omnibus, non intelligis quantum operetur sermo cœlestis? Si operatus est in fonte terreno, si operatus est sermo cœlestis in aliis rebus, non operatur in cœlestibus Sacramentis? Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi, & quod vinum & aqua in calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione verbi cœlestis. Sed * forte dicis: speciem sanguinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut enim * mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis: ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemptionis. Didicisti ergo, quia quod accipis, est corpus Christi.

* De Consec. Dist. 2. C. panis est §. sed forte dicis. Ivo p. 2. C. 7. §. sicut similitudinem.

Quibus verbis consecretur corpus Christi & sanguis, & quomodo qui manducat, non moriatur in æternum.

5. Vis * scire, quia verbis cœlestibus consecratur? Accipe quæ sunt verba. Dicit Sacerdos? Fac * nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem: quod est figura corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi. Qui pridie quam pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cœlum, ad te sancte Pater, omnipotens, æterne Deus, gratias agens: benedixit, fregit, fractumque Apostolis suis & Discipulis suis tradidit, dicens: *Accipite & edite ex hoc omnes: Hoc est enim corpus meum, quod pro multis confringetur.* Similiter etiam calicem postquam cœnatum est, pridie quam paretur accepit, respexit ad cœlum ad te S. Pater, omnipotens æterne Deus, gratias agens: benedixit, Apostolis & Discipulis suis tradidit, dicens: *Accipite & bibite ex eo omnes, hic est enim sanguis meus.* Vide, omnia illa verba Evangelistæ sunt, usq; ad *Accipite*, sive *corpus*, sive *sanguinem.* Inde verba sunt Christi: *Accipite, bibite ex eo omnes: hic est enim sanguis meus.* Vide singula. Qui pridie, inquit, quam pateretur: in sanctis manibus suis accepit panem. Antequam * consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserint, corpus est Christi. Denique audi dicentem, *Accipite & edite ex eo omnes: hoc est corpus meum.* Et ante verba Christi, calix est vini & aquæ plenus. Vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur, quæ plebem redemit. Ergo videte quantis generibus, potens est sermo Christi universa convertere. Deinde ipse Dominus Jesus testificatur nobis, quod corpus suum accipiamus & sanguinem: numquid debemus de ejus fide & testificatione dubitare? Jam redi mecum ad propositionem meam. Magnum quidem & venerabile, quod manna * Judæis pluit e cœlo. Sed intelli-
Exod. 16, 15. Psalm 77, 24.
* vide Serm. 1. N. 16.
ge, quid est amplius, Manna de cœlo, an corpus Christi? Corpus Christi utique, qui author est cœli. Deinde manna qui manducavit, mortuus est: qui * manducaverit hoc corpus, fiet ei remissio peccatorum, & non morietur in æternum. Ergo non otiose tu dicis, Amen: jam in Spiritu confitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi Sacerdos, Corpus Christi: & tu dicis, Amen: hoc est, verum. Quod confitetur lingua, teneat affectus.

* De Consec. Dist. 2. C. panis est §. finali. Ibid. cap. Revera §. finali.

* Ivo part. 2. c. 7. §. qui manducaverit.

De magnitudine & excellentia hujus Sacramenti.

6. Vt scias autem hoc esse Sacramentum, hujus figura ante præcessit. Deinde quantum sit hoc Sacramentum, cognosce. Vide quid dicat: *Quotienscunque hoc feceritis, totiens commemorationem mei facietis, donec iterum adveniam.* Et Sacerdos dicit: Ergo memores glorioſissimæ ejus passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cœlum ascensionis: offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, rationabilem hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ. Et petimus & precamur, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo, per manus Angelorum tuorum: sicut suscipere dignatus es munera pueri tui justi Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit, Summus Sacerdos Melchisedech. Ergo quotienscunque accipis, quid tibi dicit Apostolus? Quotienscunque accipimus, mortem Domini annuntiamus: si mortem annuntiamus, annuntiamus remissionem peccatorum. Si quotienscunque * effunditur san-

1. Cor. 11, 26.

* De Consec.

Digitized by Google

Dist. 2. C. Si quotiescunque. Lib. 4. Sent. Dist. 12. §. Institutum. Ivo p. 2. c. 28. § Si quotiescunque.

sanguis, in remissionem peccatorum funditur: debeo illum semper accipere, ut semper mihi peccata dimittantur. Qui semper pecco, semper debeo habere medicinam. Interim & hodie quantum potuimus, explanavimus. Sed crastina die Sabbatho & Dominica, de orationis ordine dicemus, quemadmodum possumus. Dominus Deus noster conservet vobis gratiam quam dedit, & oculos quos vobis aperuit, plenius illuminare dignetur: per unigenitum Filium suum, Regem ac Salvatorem Dominum Deum nostrum, per quem & cum quo, sibi est laus, honor, gloria, magnificentia, potestas, cum Spiritu Sancto a seculis, & nunc, & semper, & in omnia secula seculorum. Amen.

NOTÆ
in præcedentem Sermonem.

N. 4. (*Ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentum. Quis sermo Christi? Nempe is quo facta sunt omnia &c.*) tum subjungit. (*Si ergo tanta vis in sermone Domini Jesu, ut inciperent esse quæ non erant: quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur*) Aubertinus lib. 2. *de Eucharistiæ Sacramento* in Pseudo-Ambrosio cap. 2. p. 109. hinc infert, verbis sequentibus, Anonymum non credidisse mutationem realem, neque Transubstantiationem in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini. "Non „intelligit autem (inquit) panem remanere quod erat, „juxta qualitatem, panem videlicet simplicem & „communem. Nam juxta Irenæum lib. 4. c. 34. „*Qui enim a terra panis est, percipiens invocationem „Dei, jam non communis panis est.* Intelligit ergo, „remanere panem quoad substantiam. At si intelli„gat eum juxta substantiam manere quod erat, ergo „mutatur in aliud, nimirum in corpus Christi, non „substantia, sed qualitate: Corpusque fieri dicitur „Christi, quod Sacramento ac virtute, illud fiat. Im„plicat enim contradictionem, substantialiter manere quod erat, & substantialiter in aliud mutari. Hunc locum, *Quanto magis operatorius est, ut sint quæ erant, & in aliud commutentur:* quasi faveret reformatis, commutavit, imo corrupit Felix Cardinalis de Monte alto hoc modo, *ut quæ erant, in aliud commutentur:* sensu omnino contrario. Verba Lectionis prioris indicant Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, etsi ita appelletur, tamen post consecrationem, re ipsa *esse quod erant*, nempe panem & vinum: cum Lectionis secundæ verba, velint has substantias mutari in corpus ipsum & sanguinem Jesu Christi per transsubstantiationem. Ita legebatur in antiquis Editionibus omnibus, & in Basileensibus annorum 1527. & 1555. Donec tandem lectionem hanc corrumpere placuit Sixto V. Pontifici Romano. Dum enim Romani, se correxisse Veteres gloriantur, corrupisse, apud viros oculatos, intelligendi sunt. Felix ergo Cardinalis de Monte alto ad Instantiam præceptumque Romanorum Pontificum Pii IV. & Pii V. delegatus, ad ordinationem correctionemque Ambrosianorum Operum, quorum editionem Romæ procuravit anno 1580. Kalendis Decembris Gregorio Papæ XIII. dedicatam, 5 tomis distributam: anno demum 1585. iteratam, quæ tum Parisiis passim sæpius ordine ac modo iisdem, tum Coloniæ Agrippinæ anno 1616. apud Antonium Hierat, aliisque in locis. Ibidem *ad Lectorem* admonet, multa a se correcta (lege corrupta) in iis operibus, quæ Hæreticorum audacia (inquit) corrupta fuerant. *Sancti Ambrosii Egregij Doctoris Ecclesiæ, & eruditissimi Antistitis præclara monumenta, multis errorum tenebris jampridem obscurata, posteaque Hæreticorum sacros libros callide corrumpentium artibus depravata: nunc demum Deo bene juvante, post varios labores, summa eruditione, ac veterum exemplarium adjumento emendata, & in splendorem suum restituta, Sixtus Quintus Pontifex Max. profert ad communem omnium usum atque commodum.*

Itaque locum a Sixto corruptum sic restituendum duximus, *Ut sint quæ erant, & in aliud commutentur*: de quo sic Aubertinus loco cit. p. 510. agens de Cardinali Perronio. "Hic vero se valde torquet Perro„nius, ut elabi possit. Ait enim primo, Lectionem „hujus periodi dubiam esse, & incertum esse, an non „simpliciter legendum sit: *Ut quæ erant, in aliud com„mutentur.* Ratio est, Quod olim notaverit Lanfran„cus *de Sacramento Eucharistiæ*, in quibusdam Co„dicibus ita legi: lectionemque hanc concordare, „cum ea Libri *de Initiandis* * cap. 7. ubi simpliciter „habetur: *Sermo Christi qui potuit ex nihilo facere „quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare „quod non erant.* Verum hæc parvi sunt. Nam ut „omittam in Vetustioribus Lanfranci editionibus, ut „Basileensi anni 1555. apud Henricum Petri, simpliciter „negari tale quid ab Ambrosio dictum: ac in recen„tioribus tantum, quibus undecim Lineæ ex nescio „quorum Cod. fide adjectæ sunt, hanc observationem „haberi: quod fraudis etiam suspicione laborat. „Quis Lanfraneo credat? Cum Guitmundus *de Sa„cramento Eucharistiæ* lib. 3. Algerus *de Sacramento „Corporis & Sanguinis* Domini lib. 1. c. 7. Ivo Decre„ti part. 2. c. 7. §. *Si tanta vis.* Gratianus *de Conse„cratione* dist. 2. C. panis est §. *Si ergo tanta vis.* An„selmus libello, *de Corpore & Sanguine Domini*: Et „alii innumeri velut Thomas Valdensis Tom. 2. Hol„kot in 4. Sentent. quæst. 3. Biel in Canonem Lect. 40. „Joannes Garetius *de præsentia Corporis Christi* Clas„se 1. Omniaque Exemplaria, tam Manuscripta ut „duo Bibliothecæ Regiæ Num. 31. & 1070. quam edita, excepta Romana editione nupera & sequentibus „ad ipsius normam depravatis: constanter & unifor„miter legant: VT SINT QVÆ ERANT, ET „IN ALIVD COMMVTENTVR. Quis non po„tius judicaverit ab Lanfranco effugii gratia esse con„fictum, cum ab argumento Berengarii, ex hoc loco „aliter se expedire cum probabilitate non posse animadverteret? Neque enim illum juvat, similitudo loci ex tractatu *de initiandis*. Nam quamvis ejusdem Authoris forent, quod supra falsum esse probavimus: quis nescit eumdem Authorem, uno & altero loco aliter atque aliter pro libitu loqui posse? An„non supra ostendimus, idipsum a Tertulliano, in eadem Eucharistiæ materia esse factitatum? Ita Au„bertinus ad confutionem Romanæ Ambrosianorum „operum editionis, quæ se correctam gloriatur. „

* Editionis hujus Sermone 3. N. 18.

N. 5. (*Fac nobis*, inquit, *hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem: quod est figura „corporis & sanguinis Domini nostri Jesu Christi.*) „Perspicue inquit Aubertinus p. 513 in rem nostram. „Nam si oblatio quæ a Sacerdote Deo fit, oblatio est „figuræ Corporis & Sanguinis Christi: non ergo proprii corporis & sanguinis ejus, oblatio esse potest. „*Figura enim*, inquit Gaudentius in Exodum Tract. 2. „*non est veritas, sed imitatio veritatis.* Nam si oblatio quæ a Sacerdote Deo fit, oblatio est essentiæ ac „veritatis corporis & sanguinis Christi: quomodo „diceret Author, eam esse figuram corporis & sanguinis Christi? Annon enim ille helleboro dignus „foret, qui hominem veste indutum aut larva obductum, sui ipsius figuram appellaret? Denique hic „locus ita displicuit adversariis, ut eum in recentioribus (ab anno 1580.) editionibus insigni perfidia corruperint. Nam quamvis antiquæ editiones & MSS. „

Codi-

„Codices, omnes quos in locis liberis inſpicere licet, „ſic habeant ut protulimus: Paſchaſiusque Ratber- „tus ante octingentos annos, & Durandus Troar- „nenſis, in libro uterque *de Corpore & Sanguine Do- „mini*, illum pariter ſic adduxerint. Nihilominus „in locum horum verborum, *Quod eſt figura corporis „& ſanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti*; auſi * ſunt „ſubſtituere, *Quod ſit in figuram corporis* &c. ſibi, „fruſtra tamen, depravatione hac ſacrilega, quod- „dam meditantes ac parantes effugium. Sic olim „Tertullianus *contra Marcionem* lib. 4. c. 5. de Mar- „cionitis Evangelium ſuum corrigentibus: Quotidie „reformant illud, proiit a nobis quotidie revincuntur. Et rurſum ibidem, paulo ante: *Hereſis ſic ſemper emendat, dum vitiat.* Nuperrime prodiit in Anglia tractatus Gallice ſcriptus Authoris Romanæ Communionis hoc titulo, *Traité d'un Autheur de la Communion Romaine touchant la tranſubſtantiation. Ou il fait voir, que ſelon, les principes de ſon Egliſe, ce dogme ne peut eſtre un Article de foy. In 8. A Londres chez B. Griffin pour Jean Caillouë marchand libraire, à la libairie Françoiſe*, 1686. Ibi pag. 116. in diſcuſſione Authoritatum Seculi 9. habet. In officio Ambroſiano, quod anno 796. abolitum eſt, hæc erat clauſula, quæ adhuc invenitur lib. 4. Sacramentorum D. Ambroſii: *Nobis hanc oblationem adſcriptam, rationabilem, acceptabilem: quod eſt figura Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Fraudem publice ſuam in libris corrumpendis ostendere quidem, ſed veritatem convellere nunquam poterunt Romani.

* Sixtus Papa V. in editione Romana citata, qui tunc temporis, Felix Cardinalis de Montalto vocabatur.

Ibidem (*Dicit tibi Sacerdos, Corpus Chriſti: & tu dicis Amen, id eſt, verum.*) Sacerdos in Eccleſia Sacramentum diſtribuens, quid daret conteſtabatur, dicens: *Corpus Chriſti*: Et accipiens reſpondebat, *Amen*: qua voce verum illud eſſe profitebatur. Antiquum autem hunc eſſe Eccleſiæ morem teſtatur Author Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 8 cap. 13. *Epiſcopus tribuat oblationem dicens*, Corpus Chriſti: *& accipiens dicat*, Amen. *Diaconus vero tribuat calicem dicens*, Sanguis Chriſti, poculum ſalutis: *Et bibens dicat*, Amen. Cornelius Papa Epiſt. ad Fabium Antiochenum apud Euſebium *Lib. 4. Hiſt. Eccl. cap. 43.* mores & Schiſma Novatiani deſcribens, ait inter cætera eum quosdam excommunicaſſe, & ab illis exegiſſe Sacramentum, quod nunquam ad Cornelium reverterentur. Tum ſubdit, & cum panem illum accipiens dicere debuiſſet, *Amen*: dicit, *Non revertar deinceps ad Cornelium.* Tertullianus *de Spectac. cap. 25.* eos reprehendit, qui ex ore quo *Amen* in Sancta protulerant, teſtimonium gladiatori reddebant. Hieronymus Epiſt. 61. ad Theophilum Alexandrinum: *qua conſcientia ad Euchariſtiam accedam, & reſpondebo*, Amen: *cum de charitate dubitem porrigentis?* Auguſtinus Lib. 12. contra Fauſtum cap. 10. *Habet enim magnam vocem Chriſti ſanguis in terra, cum ex accepto ab omnibus gentibus reſpondetur*, Amen. Leo 1. Serm. 6. de jejunio ſeptimi menſis. *Sic ſacra me ſe communicare debetis, ut nihil prorſus de veritate Corporis Chriſti & Sanguinis, ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur: & fruſtra ab illis* Amen *reſpondetur, a quibus contra id quod accipitur, dubitatur.* Sunt alia quamplurima Patrum teſtimonia, quæ in re clariſſima coacervare, inutile foret. Tempore Gregorii Magni Sacerdos tradens Euchariſtiam hac formula utebatur, ut in vita ejus ſcribit Joannes Diaconus lib. 2. *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, conſervet animam tuam.* Author Anonymus de Perſica captivitate editus a Franciſco Combefis, *Vt quid*, inquit, *his qui accedunt ais, Corpus & Sanguis Agni Dei, quod tibi datur in remiſſionem peccatorum.* Alcuinus habet hanc formulam: *Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, cuſtodiat te in vitam æternam.* Helgadus in vita Roberti Galliæ Regis inquit: A dante Sacerdote dicitur, Corpus Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſit tibi ſalus animæ & corporis. Hæc ex Rebus Liturgicis Cardinalis Bona lib. 2. c. 17. §. 3.

SERMO SEXTVS
DE SACRAMENTIS
DICTVS SABBATO PASCHATIS.

SYNOPSIS SERMONIS.

1. *Qua ratione aqua miſceatur vino in calice, & de myſterio illius.* 2. *De gratioſa Chriſti invitatione ad cæleſte convivium, per oſculum oris ſui.* 3. *Quod accipienti Sacramenta, nihil deſit: & quemodo Eccleſia gaudeat de aſſociatione multorum, unde & dicitur arbor pomifera.* 4. *Quemadmodum orandum ſit, cum brevi expoſitione Orationis Dominicæ inceptæ.* 5. *Qua continuatur hoc numero, ſicut & 6. ad finem.*

Qua ratione aqua admiſceatur vino in calice, & de myſterio illius.

1. HEſternus ſermo noſter ac tractatus, usque ad ſancti Altaris Sacramenta deductus eſt. Et cognovimus Sacramentorum iſtorum figuram Abrahæ temporibus præceſſiſſe, quando obtulit ſacrificium Sanctus Melchiſedech, neque initium neque finem habens dierum. Audi homo, quid dicat Paulus Apoſtolus ad Hebræos: ubi ſunt qui Filium Dei dicunt eſſe de tempore? De Melchiſedech dictum eſt, *quia neque initium, neque finem dierum habet.* Si Melchiſedech non habet initium dierum, num Chriſtus habere potuit? Sed non eſt plus figura, quam veritas. Vides ergo, quia *ipſe primus & noviſſimus.* Primus, quia Author eſt omnium: noviſſimus, non quod finem inveniat, ſed quod univerſa concludat. Diximus ergo quod in Altari conſtituatur calix & panis. In * calicem, inquit, mittitur vinum. Et quid aliud? Aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchiſedech panem & vinum obtulit? Quid ſibi vult admixtio aquæ? Rationem accipe. Primo omnium, figura quæ ante præceſſit tempore Moyſi, quid habet? Quia cum ſitiret populus Judæorum, & murmuraret quod aquam invenire non poſſet: juſſit Deus Moyſi, ut tangeret petram de virga. Tetigit petram, & petra undam maximam fudit, ſicut Apoſtolus ait: *bibebant autem de conſequente petra, petra autem erat Chriſtus.* Non immobilis petra, quæ populum ſequebatur. Et tu bibe, ut te Chriſtus ſequatur. Vide Myſterium: Moyſes, hoc eſt Propheta: Virga, hoc eſt verbum Dei. Sacerdos Verbo Dei tangit petram, & fluit aqua, & bibit populus. Tangit ergo Sacerdos calicem, redundat aqua in calice, ſalit in vitam æternam: & bibit populus Dei, qui

Gen. 14. Heb. 7. ibid. v. 3.

Apoc. 1, 17. 22. 20, 13.

* De Conſecr. Diſt. 2. C. in calicem.

Gen. 14, 18.

Exod. 17, 5.

1. Cor. 10, 4.

Digitized by Google

Dei gratiam conſecutus eſt. Didiciſti ergo hoc, accipe & aliud. In tempore Dominicæ paſſionis cum Sabbatum magnum inſtaret, quia pendebat Dominus noſter Jeſus Chriſtus inter latrones, miſſi ſunt qui percuterent eum. Venientes autem invenerunt defunctum, Dominum Jeſum Chriſtum. Tunc unus de militibus lancea latus ejus aperuit,& de* latere ejus, aqua fluxit & ſanguis. Quare Aqua? Quare ſanguis? Aqua, ut emundaret: ſanguis,ut redimeret. Quare de latere? Quia unde culpa, inde gratia. Culpa per fœminam,gratia per Dominum Jeſum Chriſtum.

* De Conſec. Diſtinct. 2. C. in calicem §. de latere ejus.

Joan. 1,17.

De gratioſa Chriſti invitatione ad cœleſte convivium, per oſculum oris ſui Cant. 1. v. 1.

N. 2. Veniſti ad altare,vocat te Dominus Jeſus,vel animam tuam vel Eccleſiam,& ait: *Oſculetur me oſculo oris ſui.* Vis ad Chriſtum aptare? Nihil gratius. Vis ad animam tuam? Nihil jucundius,*Oſculetur me.* Videt te mundum eſſe ab omni peccato,quia delicta deterſa ſunt: ideo te Sacramentis cœleſtibus dignum judicat, & invitat ad cœleſte convivium, inquiens: *Oſculetur me ab oſculis oris ſui.* Tum anima tua, vel humana conditio,vel Eccleſia videt ſe ab omnibus mundatam eſſe peccatis, & dignam quæ ad altare Dei poſſit accedere. Quid eſt enim altare, niſi forma Corporis Chriſti? Videt Sacramenta mirabilia,& ait: *Oſculetur me oſculo oris ſui:* hoc eſt,oſculum mihi Chriſtus infigat. Quare? Quia *meliora ubera tua ſuper vinum:* hoc eſt,meliores ſenſus, meliora Sacramenta tua ſuper vinum. Super illud vinum, quod etſi ſuavitatem habet,lætitiam habet, gratiam habet: tamen in illo lætitia ſecularis, in te autem jucunditas eſt ſpiritalis. Jam tunc ergo Salomon inducit nuptias vel Chriſti & Eccleſiæ, vel Spiritus & carnis & animæ. Et addidit: *Unguentum exinanitum eſt nomen tuum, propterea adoleſcentulæ dilexerunt te.* Quæ ſunt iſtæ adoleſcentulæ, niſi animæ ſingulorum, quæ depoſuerunt iſtius corporis ſenectutem,renovatæ per Spiritum Sanctum? *Attrahe nos, poſt odorem unguentorum tuorum currimus.* Vide quid dicat. Non potes ſequi Chriſtum, niſi ipſe attrahat. Denique ut ſcias: *Cum exaltatus*,inquit,*fuero,omnia traham ad meipſum. Introduxit me Rex in cubiculum ſuum:* Græcus,*in promptuarium ſuum,& in cellarium ſuum*, habet. Vbi bona libamina,ubi boni odores,ubi mella ſuavia,ubi fructus diverſi,ubi epulæ variæ: ut plurimis epulis tuum prandium condiatur.

Ibidem.

Ibidem. Joh. 12,32.

Quod accipienti Sacramenta nihil deſit.

3. Ergo veniſti ad altare,accepiſti corpus Chriſti. Audi iterum quæ Sacramenta es conſecutus. Audi dicentem ſanctum David, & ille in ſpiritu hæc myſteria prævidebat,& lætabatur, & nihil ſibi deeſſe dicebat. Quare? Quia qui acceperit corpus Chriſti, non eſuriet in æternum. Quotiens audiſti* vigeſimum ſecundum Pſalmum, & non intellexiſti? Vide quemadmodum aptus ſit cœleſtibus ſacramentis. *Dominus paſcit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ, ibi me collocavit. Super aquam refectionis educavit me, animam meam convertit. Deduxit me ſuper ſemitas juſtitiæ, propter nomen ſuum. Nam etſi ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.* Virga imperium,baculus paſſio eſt: hoc eſt, æterna divinitas Chriſti, ſed etiam paſſio corporalis: illa creavit, hæc redemit. *Paraſti in conſpectu meo menſam, adverſus eos qui tribulant me. Impinguaſti in oleo caput meum,& poculum tuum inebrians, quam præclarum eſt.* Veniſti ergo ad altare, accepiſti gratiam Chriſti, Sacramenta es cœleſtia conſecutus. Gaudet Eccleſia redemptione multorum,& adſtare ſibi familiam candidatam ſpiritali exultatione lætatur, habes hoc in Canticis Canticorum. Lætata invocat Chriſtum, paratum habens convivium, quod dignum cœleſti epulatione videatur. Ideoque ait: *Deſcendat frater meus in hortum ſuum, & capiat fructum pomiferarum ſuarum.* Quæ ſunt iſtæ pomiferæ? Lignum aridum factus eras in Adam: ſed nunc per gratiam Chriſti,pomifera arbor pullulaſti. Libenter accepit Dominus Jeſus, & dignatione cœleſti reſpondit Eccleſiæ ſuæ: *Deſcendi*,inquit,*in hortum meum,vindemiavi myrrham cum unguentis meis, manducavi panem meum cum melle meo, & bibi vinum meum cum lacte meo. Edite*, inquit, *fratres mei,& inebriamini. Vindemiavi myrrham cum unguentis meis.* Quæ eſt iſta vindemia? Cognoſcite vineam, & agnoſcetis vindemiam. *Vineam*, inquit,*ex Ægypto tranſtuliſti:* hoc eſt, populum Dei. Vos eſtis vinea, vos eſtis vindemia: quaſi vinea plantati, quaſi vindemia fructum dediſtis. *Vindemiavi myrrham cum unguentis meis*, hoc eſt, in odorem quem accepiſtis. *Manducavi panem meum cum melle meo.* Vides quod in hoc pane,nulla ſit amaritudo, ſed omnis ſuavitas ſit? *Bibi vinum meum, cum lacte meo:* Vides hujusmodi eſſe lætitiam,quæ nullius peccati ſordibus polluatur? Quotienscunque* enim bibis,remiſſionem accipis peccatorum, & inebriaris in ſpiritu. Vnde & Apoſtolus ait: *Nolite inebriari vino, ſed implemini Spiritu Sancto.* Vino enim qui inebriatur,vacillat & titubat: Spiritu qui inebriatur, radicatus in Chriſto eſt. Et ideo præclara ebrietas, quæ ſobrietatem men-

* De Conſec. Diſt. 2. C. In calicem §. Audi pſalmum. Pſalm. 22. n. 1, & ſeqq.

Ibidem.

Pſalm. 97,9.

Quomodo Eccleſia gaudeat de aſſociatione multorum,quæ & arbor pomifera dicitur.

Cant. 4,13.

Ibidem.

* De Conſecr. Diſt. 2. C. In calicem §Quotiescunque bibis.

Eph.5,18.

Digitized by Google

mentis operatur. Hæc ſunt quæ de Sacramentis breviter percurrimus.

Quemadmodum orandum ſit, & expoſitio brevis orationis Dominicæ. Matth. 6,9. Luc. 11,1.

4. Nunc quid ſupereſt, niſi oratio? Et nolite putare mediocris eſſe virtutis, ſcire quemadmodum oretis. Apoſtoli ſancti dicebant ad Dominum Jeſum, *Domine doce nos orare*, quemadmodum Joannes docuit Diſcipulos ſuos. Tunc ait Dominus orationem: *Pater noſter qui es in cœlis, Sanctificetur nomen tuum, Veniat regnum tuum, Fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo.* Vides quam brevis oratio, & omnium plena virtutum! Primus ſermo, quantæ ſit gratiæ? O homo, faciem tuam non audebas ad cœlum attollere, oculos tuos in terram dirigebas: & ſubito accepiſti gratiam Chriſti, omnia tibi peccata dimiſſa ſunt. Ex malo ſervo factus es bonus filius, ideo præſume, non de operatione tua, ſed de Chriſti gratia. *Gratia enim ſalvati eſtis*, Apoſtolus ait. Non ergo hic arrogantia eſt, ſed fides: prædicare quod acceperis, non eſt ſuperbia, ſed devotio. Ergo attolle oculos ad Patrem, qui te per lavacrum genuit: ad Patrem, qui te per Filium redemit: & dic, *Pater noſter*. Bona præſumptio, ſed moderata. Patrem dicis quaſi Filius, ſed noli tibi ſpecialiter aliquid vindicare. Solius Chriſti ſpecialis eſt pater, nobis omnibus in commune eſt Pater, quia illum ſolum genuit, nos creavit. Dic ergo & tu per gratiam, *Pater noſter*, ut filius eſſe merearis. Eccleſiæ contuitu & conſideratione, te ipſe commenda. *Pater noſter, qui es in cœlis.* Quid eſt in cœlis? Audi Scripturam dicentem: *Exceſſus ſuper omnes gentes Dominus, & ſuper cœlos gloria ejus.* Et ubique habes, quod ſuper cœlos cœlorum Dominus ſit: quaſi non in cœlis & Angeli, quaſi non in cœlis & Dominationes. Sed in illis cœlis, de quibus dictum eſt: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Cœlum eſt ibi, ubi ceſſavit culpa: Cœlum eſt ibi, ubi flagitia feriantur: Cœlum eſt ibi, ubi nullum mortis eſt vulnus. Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Quid eſt, *Sanctificetur?* Quaſi optemus ut ſanctificetur ille, qui ait, *Eſtote ſancti, quia ego ſanctus ſum*: quaſi aliquid ei ex noſtra precatione ſanctificationis accedat? Non. Sed ſanctificetur in nobis, ut ad nos ejus poſſit ſanctificatio pervenire. *Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum*: quaſi non æternum ſit Dei regnum? Ipſe Jeſus dicit, *Ego in hoc natus ſum*: Et tu dicis Patri, *Veniat regnum tuum*, quaſi non venerit. Sed tunc venit regnum Dei, quando ejus eſtis gratiam conſecuti, ipſe enim ait, *Regnum Dei intra vos eſt. Veniat regnum tuum.* Luc. 17, 21.

Ejuſdem continuatio expoſitionis.

5. *Fiat * voluntas tua, ſicut in cœlo & in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Sanguine Chriſti pacificata ſunt omnia, vel in cœlo, vel in terra. Sanctificatum eſt cœlum, dejectus eſt diabolus. Ibi verſatur, ubi & homo quem ille decepit. *Fiat voluntas tua &c.* Hoc eſt, ſit pax in terra, quemadmodum in cœlo. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Memini ſermonis mei, cum de Sacramentis tractarem. Dixi * vobis, quod ante verba Chriſti, quod offertur, panis dicitur: ubi Chriſti verba deprompta fuerint, jam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica quæ poſtea ſequitur, ait: *Panem noſtrum?* Panem quidem dixit, ſed ἐπιούσιον dixit: hoc eſt, *ſuperſubſtantialem.* Non iſte * panis eſt, qui vadit in corpus: ſed ille panis vitæ æternæ, qui animæ noſtræ ſubſtantiam fulcit. Ideo græce ἐπιούσιον dicitur, Latinus autem hunc panem quotidianum dixit, quem Græci dicunt advenientem. Quia Græci dicunt τὴν ἐπιοῦσαν ἡμέραν advenientem diem. Ergo quod Latinus dixit & quod Græcus, utrumque utile videtur. Græcus utrumque uno ſermone ſignificavit, Latinus quotidianum dixit. Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum, illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi proſit. Sic vive, ut quotidie mereris accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur poſt annum accipere: quomodo ſanctus Job pro filiis ſuis offerebat quotidie ſacrificium, ne forte aliquid vel in corde, vel in ſermone peccaſſent. Ergo tu audis, quod quotieſcumque offertur ſacrificium: mors Domini, reſurrectio Domini, elevatio Domini ſignificetur, & remiſſio peccatorum: & panem iſtum vitæ, non quotidianum aſſumis? Qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus eſt, quia ſub peccato ſumus: Medicina eſt, cœleſte & venerabile Sacramentum. *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Quotidie ſi accipis, quotidie tibi hodie eſt. Si tibi hodie eſt Chriſtus, tibi quotidie reſurgit. Quomodo? *filius meus es tu, ego hodie genui te.* Hodie ergo eſt, quando Chriſtus reſurgit. *Heri & hodie ipſe eſt*, Apoſtolus Paulus ait. Sed alibi ait: *Nox præceſſit, dies autem appropinquavit.*

Serm. præced. n. 4.

* De Conſecr. Diſt. 2. C. In calicem § Fiat voluntas.

* De Conſecr. Diſt. 2. C. In calicem § Dixi vobis.

* De Conſecr. Diſt. 2. C. Non iſte panis.

Pſalm. 112, 4. Pſalm. 56, 6.

Pſalm. 18, 2.

Lev. 19, 2.

Joan. 18, 37.

Luc. 17, 21.

Pſalm. 2, 7.

Hebr. 13, 8.

Rom. 13, 12.

6. Sequitur, *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.* Debitum quid eſt, niſi peccatum? Ergo & ſi non acciperes alieni fœnoris pecuniam

1 Cor. 11, 26.

Digitized by Google

niam,non egeres: & ideo peccatum tibi imputatur. Habuisti pecuniam, cum qua dives nascereris. Divès eras , ad imaginem & similitudinem Dei factus: perdidisti quod habebas, hoc est, humilitatem: dum arrogantiam desideras vindicare. Perdidisti pecuniam, sicut Adam nudus es factus, accepisti a diabolo debitum , quod non erat necessarium. Et ideo quia eras liber in Christo,debitor factus es Diaboli. Cautionem tuam tenebat inimicus,sed eam Dominus crucifixit, & suo cruore delevit. Abstulit debitum tuum, reddidit libertatem. Bene ergo ait,*Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Vide, quid dicas. Quomodo ego dimitto, sic & tu dimitte mihi. Si dimiseris, bene convenit ut dimittatur tibi : si non dimittis, quomodo eum convenis,ut dimittat tibi? contra Matth. 6,13. Luc.11,4. *Et ne patiaris induci nos in tentationem, sed libera nos a malo.* Vide quid dicat: *Et ne patiaris induci nos in tentationem*, quam ferre non possumus. Non dicit,*non inducas in tentationem :* sed quasi athleta talem vult tentationem, quam ferre possit humana conditio: ut unusquisque a malo, hoc est, ab inimico, à peccato liberetur. Potens est autem Dominus, qui abstulit peccatum vestrum, & delicta vestra donavit,tueri & custodire vos adversus diaboli adversantis insidias : ut non vobis obrepat inimicus, qui culpam generare consuevit. Sed qui Deo se committit, Rom. 8, 31. diabolum non timet: *Si enim Deus pro nobis,quis contra nos ?* Ipsi ergo laus & gloria a seculis,& nunc & semper,& in omnia secula seculorum. Amen.

NOTÆ
in Sermonem præcedentem.

N. 1. (*Vbi sunt, qui filium Dei dicunt esse de tempore?*) tum postea (*sed non est plus figura, quam veritas*) denique eodem numero (*Jussit Deus Moysi ut tangeret petram de virga.*) Sunt expressiones omnes barbaræ,quæ seculis Ecclesiæ aureis, sex nimirum primis, indignæ omnino mihi videntur: atque seculi octavi barbariei seu rusticitati convenientes,in quod ex allegatis in dissertatione prævia rationibus, scriptorem hunc conjicimus. Præterea incultæ has phrases, Gallicismi sunt,seu ex usu Gallicanæ linguæ in Latinum conversæ, unde dicimus *est ce du temps : La figure n'est pas plus que la verité :* Dieu commanda *a Moyse fraper la pierre de la verge.* Idem quoque mihi videtur dicendum de phrasi num. 4. (Solius Christi specialis est *Pater, nobis omnibus in commune est pater.* Gallice, *il nous est Pere a tous en commun.* Omnes etenim expressiones ex gallica lingua,in qua elegantes sunt , in Latinitatem barbaram translatæ mihi esse videntur. Vnde authorem Gallum conjicimus.

N. 4. (*Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cælos gloria ejus.*) Ita MSS. Codices habent hunc Psalmi 112. versum quartum integrum, quem mutilum tamen obtulerant Editiones Erasmi Basileenses annorum 1527 & 1555. Ibi autem de Cœlis agitur, unde & author subdit: *Et utique habes quod super cælos Dominus sit.* Omiserant autem hæc verba *Et super cælos gloria ejus*,citatæ editiones, quas correxerunt Romanæ editiones,cum Colonienſi anni 1616.

N. 5. (*Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in Oriente facere consueverunt?*) Ita ille Author. Cujus testimonio parum defero , si enim tam putidum mendacium Num. sequenti nobis obtulit, dum egit de hac Orationis Dominicæ petitione, *Et ne patiaris nos induci in tentationem* ; contra expressa Scripturæ verba: quomodo credere ipsi debemus, de Græcorum negligentia tanta,circa Eucharisticum panem & vinum? Cum enim ab Ecclesia Græca longe ille abesset, constitutus in Gallis : facillime decipi ipse circa hanc Græcorum consuetudinem, cæteros quoque testimonio suo decipere potuit. Hoc autem de temporibus Divi Ambrosii,falsissima esse,luce meridiana clarius elucet. Nam Basilius qui Ambrosio & synchronus & amicus erat, testatur Epistola 289. *Ad Cesariam Patriciam*, Communionem Corporis & Sanguinis Domini,suo tempore apud Græcos frequentissimam fuisse. Singulis certe diebus communicare & par-" ticipare sancti corporis & sanguinis Christi, bonum" & fructuosum est. Cum dixerit ipse perspicuis" verbis,*Qui comederit carnem meam, & biberit san-" guinem meum, vitam habet æternam.* Jam vero" quis dubitat,quin vitæ frequentius participare, non" sit aliud omnino,quam frequenter vivere? Quater" igitur nos singulis septimanis communicamus,Do-" minico die, feria quarta, in Parasceve,& Sabbato :" Sed & per dies etiam alios, si Martyris alicujus me-" moria celebretur. „ Longe ergo erat ab viri Ambrosii atque Basilii temporibus,qui allato de Græcis modo locutus est.

N. 6. (*Et ne patiaris induci nos in tentationem, sed libera nos a malo. Vide Quid dicat,* Et ne patiaris induci nos in tentationem *quam ferre non possumus. Non dicit :* Non inducas in tentationem.) Supinum plane mendacium,quod Scriptoris hujus oscitantiam seu potius Ignorantiam prodit. Atqui contrarium patet ex Evangelistis Matth. 6. v. 13. Luc. 11. v. 4. verbotenus eodem legentibus modo. καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν , ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Hoc utique condonandum esset Viro Græce nescienti, sed indignum indulgentia in homine : qui callere se linguam Græcam profitetur, sermone eodem,ac paucis ante lineis. Num.enim 5. τὸν ἄρτον ἐπιούσιον tum *quotidianum*, tum *super substantialem* interpretatur panem, juxta Græci idiomatis sensum: tum de moribus Græcorum, definitive atque mere,patorie loquitur : qui tamen statim sequentis interpretamento petitionis se legisse nunquam Græcum Evangeliorum textum prodit. Proh Felicem Aristarchum! Non me latet (inquit Aubertinus Lib. 2. *de Eucharistia Sacramento* in Pseudo-Ambrosio p. 505.) Cyprianum quoque *de oratione Dominica*, sic legere. Sed aliud est ita legere,aliud affirmare Dominum ita locutum esse,& non aliter : quod hic Author falso ait. Hinc discant quoque Lectores,quam insulse totus hic de oratione Dominica locus , Augustino sub titulo Sermonis XXVIII. *de verbis Domini* , tribuatur. Quandoquidem Augustinus nunquam legit, *Ne patiaris induci nos in tentationem :* in omnibus Scriptis suis in quibus recenset orationem Dominicam,ut Epistola 121. Enchiridii cap. 115. De Sermone Domini in monte Lib. 2. cap. 14. Serm. 126. 135. 182. Et homil. 42. ex quinquaginta.

Ibid. (*hoc est ab inimico,a peccato liberetur*) Ita recte MSS. Codd. & editiones, sed male Colonienſis : *hoc est ab initio a peccato liberetur.* Quod correctum est.

SER-

SERMO SEPTIMVS
DE SACRAMENTIS
DICTVS DOMINICA IN ALBIS, SEV IPSA PASCHATIS OCTAVA.

SYNOPSIS SERMONIS.

1. *Quomodo panis fit vera caro Christi, & verus sanguis: & quare sub aliena specie accipiatur.* 2. *Quomodo in omnibus Sacramentis sit Mysterium Trinitatis connexum.* 3. *Vbi orare debeamus, & quid sit orare ostio clauso.* 4. *Quare secreto potius orandum sit, quam cum vociferatione: quare viri orare debeant in omni loco, & non mulieres: & quid sit, levare puras manus.* 5. *De inordinata disceptatione orantium, & de inchoatione orationis, medioque ac fine illius.* 6. *Iteratam seu alteram Expositio Dominica orationis.*

Quomodo panis fit vera caro Christi, & verus sanguis: & quare sub aliena accipiatur specie? * De consecr. Dist. 2. C. Sicut est verus. Ivo p. 2. c. 7. §. Sicut verus est. Algerus l. 1, c. 12. Guitmundus l. 3. Joh. 6, 53

1. Sicut * verus est Dei filius Dominus noster Jesus Christus, non quemadmodum homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris: ita vera ejus caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus: & verus ejus sanguis est, quem potamus. Sed forte dicas, quod dixerunt tunc temporis etiam Discipuli Christi, audientes dicentem: *Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non manebit in me, nec habebit vitam aternam.* Sed forte * dicas: Quomodo vera caro, quomodo verus sanguis? Qui similitudinem video, non video sanguinis veritatem. Primo omniū dixi tibi de Sermone Christi, qui operatur, ut possit mutare genera & convertere instituta naturæ. Deinde ubi non tulerunt Sermonem Christi Discipuli ejus, sed audientes quod carnem suam daret manducare, & sanguinem suum daret bibendum, recedebant: solus tamen Petrus dixit, *Verba vitæ æternæ habes, & ego a te quo recedam?* Ne igitur plures hoc dicerent, veluti quidam esset horror cruoris, sed maneret gratia redemptionis: Ideo in similitudine quidem accipis Sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemque consequeris. *Ego sum* *, inquit, *panis vivus, qui de cœlo descendi.* Sed caro non descendit e cœlo, hoc est, carnem in terris assumpsit ex virgine. Quomodo ergo descendit panis e cœlo, & panis vivus? Quia idem Dominus noster Jesus Christus consors est, & divinitatis & corporis: & tu qui accipis ejus carnem, divinæ ejus substantiæ in illo participas alimento.

Joan. 6, 68.

Joan. 6, 51. * De Consecr. Dist. 2. C. Sicut est verus §. Ego sum inquit.

Quod in omnibus Sacramentis sit mysterium Trinitatis

2. Ergo accepisti de Sacramentis, plenissime cognovisti omnia, quod baptizatus es in nomine Trinitatis. Vbique Pater & Filius & Spiritus Sanctus: una operatio, una sanctificatio, etsi quædam veluti specialia esse videantur. Quomodo? *Deus qui te unxit, & signavit te Dominus, & posuit Spiritum Sanctum in corde tuo.* Accepisti ergo Spiritum Sanctum in corde tuo. Accipe aliud, quia quemadmodum Spiritus Sanctus in corde, ita etiam Christus in corde. Quomodo? Habes hoc in Canticis Canticorum, Christum dicentem ad Ecclesiam: *Pone me sicut signaculum in corde tuo sicut signaculum in brachiis tuis.* Ergo unxit te Deus, signavit te Christus. Quomodo? Quia crucis ipsius signatus es forma, ad illius passionem. Accepisti signaculum ad illius similitudinem, ut ad ipsius formam resurgas, ipsius vivas figura, qui peccato crucifixus est, & Deo vivit. Et tuus homo vetus in fontem demersus, peccato crucifixus est, sed Deo resurrexit. Deinde habes alibi speciale, quod te vocaverit Deus, in baptismate autem quasi specialiter crucifigeris Christo. Deinde quasi specialiter quando accipis spiritale signaculum, vide distinctionem personarum esse, sed connexum omne mysterium Trinitatis. Deinde quid Apostolus dixit tibi, ut lectum est nudius tertius? *Divisiones autem gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Divisiones ministeriorum sunt, idem autem Dominus. Divisiones operationum sunt, Idem autem Deus, qui operatur omnia in omnibus. Omnia*, inquit, *operatur Deus.* Sed & de Spiritu Dei lectum est: *Unus atque Idem spiritus, dividens singulis, prout vult.* Audi Scripturam dicentem, quia dividit Spiritus pro voluntate sua, non pro obsequio. Ergo dividit vobis Spiritus gratiam prout vult, non prout jubetur. Et maxime quia Spiritus Dei, Spiritus Christi est. Et illud tenete, ipsum esse Spiritum Sanctum, ipsum Spiritum Dei, ipsum Spiritum Christi, ipsum Spiritum paracletum. Arriani putant se derogare Sancto Spiritui, si dicant illum Spiritum paracletum. Quid est paracletus, nisi consolator? Quasi non & de Patre lectum sit, quia ipse est *Deus Consolationis.* Vides ergo quia in eo derogandum putant Spiritui Sancto, in quo Patris æterni potestas pio prædicatur affectu.

connexum.

2. Cor. 1, 21.

Cant. 8, 7.

2. Cor. 1, 3.

3. Nunc quomodo orare debeamus, accipite. Multæ virtutes orationis sunt. Vbi orare debeamus, non est mediocre, nec mediocris quæstio. Ait Apostolus: *Volo autem viros orare in omni loco, levantes puras manus, sine ira & disceptatione.* Et Dominus dicit in Evangelio: *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum.* Non tibi videtur

Vbi orare debeamus, & quid sit orare ostio clauso?

1. Tim. 2, 8.

Matth. 6, 6.

esse contrarium, ut dicat Apostolus, *In omni loco ora*: Et Dominus dicat, *Intra in cubiculum tuum, & ora?* Sed non est contrarium. Hoc ergo absolvamus. Deinde quomodo debeas incipere orationem, & quo ordine distinguere, quid subtexere, quid allegare, quemadmodum claudere orationem, deinde pro quo orare debeas. Hæc omnia dicamus. Primo ubi orare debeas. Aliud Paulus videtur dicere, aliud Dominus. Nunquid potuit Paulus contra Christi docere præcepta? Non utique. Qua ratione? Quia non
1. Cor. 11,1. contrarius, sed interpres est Christi: *Imitatores*, inquit, *mei estote, sicut & ego Christi.* Quid ergo? Potes ubique orare, & in cubiculo tuo semper orare. Habes ubique cubiculum tuum: Etsi inter Gentes, inter Judæos positus sis, habes tamen tuum ubique secretum. Cubiculum tuum mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arca-
Matth. 6,6. num tuum, secretumque conservas. *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum.* Bene addit *intra*, ne sic ores quomodo Judæus, cui dicitur:
Isai 29,13. *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Non ergo de labiis tantummodo, tua procedat oratio. Animo totus intende, intra in recessum pectoris tui, totus ingredere. Non te perfunctarium vide & ille, cui te placere desideras. Videat quia ex corde oras, ut te ex corde orantem dignetur
Matth. 6,6. audire. *Tu autem cum oras, intra in cubi-*
Isai 26,20. *culum tuum.* Habes hoc & alibi: *Ambula populo meus, & intra in recessus tuos, abscondere pusillum, donec transeat ira Domini.* Hoc locutus est Dominus per Prophetam. In
Matth. loc. cit. Evangelio autem dixit: *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum.* Quid est, *clauso ostio?* Audi quod ostium habeas, quod debeas claudere quando oras. Vtinam mulieres audirent! Audi jam, sanctus David
Ps. 140,3. docuit te dicens: *Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circuitus labiis meis.* Est aliud ostium, quod ait Paulus Apostolus,
Coloss. 4,3. dicens: *Vt aperiatur*, inquit, *mihi ostium verbi, ad loquendum Mysterium Christi.* Hoc est, quando oras, noli sermone clamare, nec diffundere orationem tuam, nec jactare per populos. In secreto tuo, ora securus: ut te in secreto possit audire, qui omnia videt atque audit universa. Et ora Patrem tuum in abscondito, audit te deprecantem.

Quare secreto potius orandum sit, quam cum vociferatione: quare viri & non mulieres, in omni loco orare debeant: & quid sit levare manus puras?

4. Quid prosit autem interrogemus, qua ratione secreto magis orare debeamus, quam cum vociferatione? Audi. De consuetudine hominum sumamus exemplum. Si aliquem rogas qui cito audit, non opus putas esse clamore, sed rogas voce moderata. Si surdum aliquem rogas, nonne incipis vociferari, ut te ille possit audire? Qui ergo clamat, putat quod aliter Deus non possit, nisi clamantem audire. Et cum rogas eum, ejus derogas potestati. Qui autem in silentio orat, fidem defert, & confitetur quia Deus scrutator cordis & renis sit, & orationem tuam ante ille audiat, quam tuo ore fundatur. Ergo videamus: *Volo autem viros ore,*
1. Tim. 2,8. *in omni loco.* Qua ratione *viros* dixit? utique communis oratio est, & mulieribus & viris. Quod non invenio, nisi forte S. Apostolus ideo viros dixit, ne mulieres usurparent, & male intelligerent. *In omni loco:* & inciperent ubique clamare, quas in Ecclesia sustinere non possumus. *Volo autem viros*, hoc est, qui possunt servare præceptum, *orare in omni loco, levantes puras manus.* Quid est, *levantes puras manus.* Nunquid debes in oratione tua crucem Domini, gentibus demonstrare? Illud quidem signum virtutis est, non pudoris. Est tamen quomodo possis orare, nec figuram demonstres, sed actus tuos leves. Si vis operari orationem tuam, leva puras manus per innocentiam. Leva eas, non quotidie: semel levasti, non opus est ut iterum leves. *Volo autem in omni loco viros orare, levantes puras manus sine ira & disceptatione.*
Prov. 11,29. Nihil verius. *Ira*, inquit, *perdit etiam sapientes.* Ideo cum omni tempore, quantum fieri potest, Christianus vir iracundiam debeat temperare: maxime quando ad orationem accedit, ne perturbet animum suum indignatio, ne iræ quidam furor impediat orationem suam. Magis placido accede pectore. Quid enim irasceris? Servus peccavit. Tu accedis ad orationem, ut tua tibi delicta donentur, & alii indignaris? Hoc est ergo sine ira.

De inordinata disceptatione orantium, & de inchoatione orationis, medioque ac fine illius.

5. Nunc de disceptatione, videamus. Plerumque negotiator venit ad orationem, aut avarus de pecunia cogitat, alter de lucro, alter de honore, alter de cupiditate: & putat quod eum Deus possit audire. Et ideo quando oras, divina humanis præferre te convenit. *Similiter & mulie-*
1. Tim. 2,9. *res*, inquit, *volo orare, non jactantes se in ornamentis, neque in margaritis:* ait Apostolus Paulus. Sed & Apostolus Petrus: *Mulie-*
1. Pet. 3,1. *ris*, inquit, *gratia plurimum valet, ut viri ejus conversatur affectus, per uxoris sua bonam conversationem, & incredulus se convertat ad gratiam Christi.* Hoc valet mulieris gravitas, & pudicitia, & ejus bona conversatio: ut virum suum vocet ad fidem & devotionem, quod prudentis viri sermo frequenter operatur. *Ergo mulier*, inquit, Ibidem.
non in ornatu capillorum, non in tortis crinibus ornamentum suum habeat: sed oratione & corde puro, ubi est absconditus cordis homo, qui

sem-

ſemper eſt apud Deum locuples. Habes ergo in quo ſis dives, in quo divitiæ tuæ pudicitiæ ſunt & caſtitatis infulæ, fides, devotio, miſericordia. Hi ſunt theſauri juſtitiæ, ſicut Propheta memoravit. Deinde unde debeas incipere, dic mihi. Si velis hominem rogare, & ſic incipias; Da mihi, ecce illud quod a te peto: nonne arrogans videtur oratio? Et ideo inchoari debet oratio a Dei laude, ut roges omnipotentem Deum, cui poſſibilia ſunt omnia, qui habet voluntatem præſtandi. Sequitur obſecratio, ſicut Apoſtolus docuit, dicens: *Obſecro ergo primum fieri obſecrationes, gratiarum actiones.* Prima ergo oratio, laudem debet habere Dei: ſecunda ſupplicationem: tertia poſtulationem: quarta gratiarum actionem. Non debes quaſi famelicus, a cibo primum incipere, ſed ante a laudibus Dei. Vnde & Oratores iſti ſapientes hanc habent diſciplinam, ut judicem fautorem ſibi præſtent: incipiunt a laudibus ejus, ut benevolum ſibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipit rogare judicem, ut patienter dignetur audire. Audet & tertio poſtulationem ſuam depromere, quid petat exprimere. Quarto quomodo cœpit a laudibus, ſic debet in Dei laude deſinere.

1. Tim. 2, 1.

Altera expoſitio Dominicæ Orationis. Matth. 6, 13. Luc. 11, 4.

6. Habes hoc in oratione Dominica: *Pater noſter qui es in cœlis.* Laus hic Dei eſt, eo quod paternæ prædicatur in eo pietatis gloria. Laus Dei, quia in cœlis habitat & in terris. *Sanctificetur nomen tuum:* id eſt, ut ſanctificet ſervos ſuos. Nomen enim illius ſanctificatur in nobis, quando prædicantur homines Chriſtiani. Ergo optantis eſt, *ſanctificetur nomen tuum. Veniat regnum tuum:* Poſtulatio, ut in vobis ſit regnum Chriſti. Si Deus in nobis regnat, locum habere adverſarius non poteſt. Culpa non regnat, peccatum non regnat: ſed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio. Deinde, *fiat voluntas tua, ſicut in cœlo, & in terra: panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.* Hæc poſtulatio maxima eſt eorum, quæ poſtulantur. *Et dimitte nobis*, inquit, *debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris:* Ideo quotidie dicito, ut quotidie debito tuo indulgentiam petas. *Et ne patiaris nos induci in tentationem, ſed libera nos a malo.* Quid ſequitur? Audi quid dicat Sacerdos. *Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, in quo tibi eſt, cum quo tibi eſt honor, laus, gloria, magnificentia, poteſtas, cum Spiritu Sancto, a ſeculis & nunc & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.* Aliud. Pſalmorum David licet unus libellus ſit, habens eas virtutes orationis quas ſupra diximus: tamen plerumque & in uno pſalmo omnes iſtæ orationis partes inveniuntur. Quomodo in octavo Pſalmo invenimus, ubi ſic cœpit: *Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum in univerſa terra!* Pſalm. 8, 1. Oratio ergo prima, deinde obſecratio: *Quoniam videbo cœlos, opera digitorum tuorum: Lunam & ſtellas, quas tu fundaſti.* Vtique non cœlum dicit videbo, ſed videbo cœlos: in quibus incipit albeſcere gratia, & ſplendor cœleſtis. Hos ſibi cœlos tunc promittebat Propheta dari, qui cœleſtem gratiam a Domino mereretur. *Lunam & ſtellas, quas tu fundaſti:* Lunam Eccleſiam, ſtellas homines cœleſtis gratiæ refulgentes. Deinde vide poſtulationem ejus. *Quid eſt homo, quod meminiſti ejus, aut filius hominis, quia viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Et alia gratiarum actio: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus, oves & boves univerſas, inſuper & pecora campi &c.* Docuimus pro captu noſtro forſitan, quod a Domino didicimus, & ut potuimus expreſſimus. Sanctitas ergo veſtra Inſtitutis Sacerdotalibus informata, laboret tenere quod accepit a Deo: & oblatio ſicut hoſtia pura, & in vobis ſemper ſuum ſignaculum recognoſcat: ut & ipſi ad gratiam & ad præmia virtutum pervenire poſſitis. Per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, cui eſt gloria, honor, laus, perpetuitas a ſeculis, & nunc, & ſemper, & in omnia ſecula ſeculorum. Amen.

NOTÆ
in Sermonem præcedentem.

N. 1. *Quomodo vera caro, quomodo verum ſanguis?*) Ita MSS. Codices, atque editiones omnes [illegible] Baſileenſi anni 1571. quæ habet tantum, *quomodo vera?* cæteris perperam omiſſis.

Ibidem (*ut poſſit mutare genera & convertere inſtituta naturæ*) Ita ex MSS. correctum eſt, habente editione Baſileenſi perperam ſeu inverſo ordine: *ut poſſit mutare & convertere genera inſtituta naturæ.* At Editiones Romanæ anni 1580 & ſequentes, ut Colonienſis anni 1616. cum Pariſienſibus, *convertere in aliud inſtituta naturæ.* Recte quoad authoris ſenſum, ſed non cum fide ad codices MSS.

Ibidem. (*Sicut verum eſt Dei Filium Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, non quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi Filium ex ſubſtantia Patris: Ita vera Caro, ſicut dicit, quam accipimus, & verum eſt potus.*) Hinc Cardinalis Perronius loco integro allato, probare contendit veram ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento contineri. Contra quem agit Aubertinus Lib. 2. *de Euchariſtia* in Pſeudo-Ambroſio pag. 514. ex verbis conſequentibus Scriptoris ejuſdem: *In ſimilitudine quidem accipis Sacramentum, ſed vere natura gratiam virtutemque conſequeris.* Ibi enim, inquit, declarat nos dici, veram carnem in Euchariſtici panis communione accipere: non quod eam materialiter & ſubſtantialiter ſumamus, ſed quia in pane qui ejus ſimilitudo eſt, illius gratiam virtutemque adipiſcamur. Ego tamen ne mentem diſſimulem meam, cenſeo hunc Authorem ſingulis paſſim libris quoad panem Euchariſticum, ſimilem hodiernæ Romanæ Eccleſiæ ha-

Digitized by Google

Græci hac die in *Monologio*, cujus habetur mentio in Conſtitutione Manuelis Comneni Imperatoris, quem recitat Theodorus Balſamon in Nomocanonem Photii tit. 7. cap. 1. Extant ea de re ſermones Germani Conſtantinopolitani Patriarchæ & Georgii Nicomediæ Archiepiſcopi, quos Latine redditos habet Surius Tomo VI. ad diem 21. Novembris. Græce autem ſcriptos invenimus in bibliotheca Sforziana Cod. MS. num. 19. & 85. Inveniuntur autem Græce & Latine impreſſi Tomo 1. Auctarii Bibliothecæ SS. Patrum 1648. Pariſiis, col. 1069. & 1411. Vix autem Feſtum iſtud Manuele Comneno antiquius apud Græcos videtur, neque ullo modo erat ætate Tarafii P. CP. qui anno 787. tempore Nicænæ Synodi ſecundæ floruit. Imo tunc temporis nullum adhuc feſtum B. M. Virginis in Eccleſia extitit, multominus iſtud, quod recentioris ævi eſt. Fallit ergo titulus Codicis Regii, dum hanc homiliam in Præſentationem B. V. Mariæ, Tarafio Patriarchæ Conſtantinopolitano attribuit: videturque potius ſpectare ad Georgium Nicomediæ Archiepiſcopum, cujus extat homilia ejusdem argumenti & ſtyli in Auctario Bibliothecæ SS. Patrum Tomo 1. col. 1069. vel ad Germanum cujus etiam homilia ſimilis argumenti Græce & Latine ibidem col. 1411. hoc titulo. Ἐγκώμιον εἰς τὴν ἁγίαν θεοτόκον, ὅτε προσηνέχθη ἐν τῷ ναῷ (εἰς τὰ ἅγια τῶν ἁγίων) τρισετίζουσα. Τῇδε καὶ πάλιν ἑτέρα πανήγυρις, καὶ Φαιδρὰ ἑορτὴ τῆς μητρὸς τοῦ Κυρίου. ἰδοὺ &c. Alludere enim videtur his prioribus verbis ad aliam homiliam de eodem argumento a ſe habitam, Τῇδε καὶ πάλιν ἑτέρα πανήγυρις &c. quod optime convenit huic homiliæ, quam Codex Regius Tarafio Patriarchæ CP. male attribuit. Forſitan unus Tarafius pro altero acceptus fuit, ac tributa homilia Tarafio Patriarchæ CP. quæ tribuenda fuit Tarafio Patricio atque Vrbis Præfecto, Photii illius P. Conſtantinopolitani germano fratri, ad quem extant plures Photii Epiſtolæ. Hujus enim ætate apud Græcos incepiſſe hoc Feſtum videtur, ut patet ex Homilia Georgii Nicomediæ Archiepiſcopi de hoc Feſto, quem Cavus ad annum 880. alligat. Anno autem 795. Conſtantino Imp. Mariam Auguſtam uxorem legitimam repudiare, & Theodoten Pellicem ducere in animo volvente, Tarafius animoſe aliquamdiu reſtitit, interminatus excommunicationem, niſi ab incœpto ſcelere deſiſteret. Sed animo tandem turpiter deficiens, nuptias ſceleſtas a Joſepho Abbate CP. conſecrari, & Mariam tonſam Monaſterio includi permiſit. Obiit anno 806. die 25. Februarii. De vita ejus Ignatius Diaconus apud Surium & Bollandum, ad diem 25. Februarii. De Vita & Scriptis Tarafii, Bollandus in Præludiis ad hanc Vitam. Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ad annum 785. pag. 498.

FLACCVS ALCVINVS, ſive ALBINVS, gente Anglus, ex agro Eboracenſi ut nonnulli volunt, non procul Londino, ut aliis placet, oriundus, primum Bedæ, deinde Egberti Eboracenſis Epiſcopi diſcipulus, Eccleſiæ Eboracenſis Diaconus, cœnobii Cantuarienſis Abbas, claruit ab anno 780. & ſequentibus, usque ad annum 804. quo in urbe Turonenſi decimoquarto Kalendas Junii, ipſo Pentecoſtes die mortuus eſt. Ejus Opera cura inſigni recenſuit Guillelmus Cavus in *Hiſtoria rei literariæ* ad annum 780. pag. 495. & ſequentibus, de quibus hic agere iterum, ſuperfluum prorſus fuerit. At Thomas Galeus edidit anno 1684. & 1687. Tomos duos in folio *Hiſtoricorum Angliæ*, vel adhuc Manuſcriptorum duntaxat, vel jam impreſſorum, ſed ex MSS. Codicibus melioris notæ recenſitorum, Oxonii e Theatro Sheldoniano, quorum Tomo 1. pag. 703. extat ex MSS. duobus Gallicis, uno Eccleſiæ Remenſis, altero S. Theodorici prope Remos, *Poëma Heroicum de Pontificibus Anglis & Sanctis Eccleſiæ Eboracenſis, authore Alcuino.* Verum mihi illud attente conſideranti, nullum indicium quod ad hunc Alcuinum ſpectet, tamque carmine horridum eſt, atque cum aliis Alcuini comptis utcunque Poëmatibus comparatum adeo diſſimile, ut male illud ipſi attributum opiner: nec valent conjecturæ, quibus illi a Galeo adſcribitur, de quo latius poſtea quoque ad annum 960. in *Fridegodo* diſſeretur, cui nos potiori prorſus jure dabimus. Agunt de Alcuino præter Cavum Antonius Poſſevinus Tomo 1. *Appamus Sacri*, verbo *Alcuinus.* Gerardus Joannes Voſſius lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 30. pag. mihi 289. Atque alii omnes Scriptorum Eccleſiæ nomenclatores. 785.

PAVLVS WARNEFRIDVS, gente Longobardus, circa annum 780. & ſequentes floruit, de quo ita Guillelmus Cavus in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſeculo 8. ad annum 774. pag. 493. Paulus gente Longobardus, claruit circa annum 774. cujus natales ac res geſtas ſuccincte non minus quam elegan-
ter his verbis narrat Voſſius *de Hiſtoricis Latinis* lib. 2. cap. 30. Paulus Warnefridi & Theodolindæ filius, cognomento Winfrid, Longobardus, qui prius Dia-
conus 785.

Digitized by Google

„conus fuit Aquilegienſis, & Deſiderii ul-
„timi Longobardorum regis Cancellari-
„us. Victo rege ſuo, inter nobiles ca-
„ptivos abductus fuit, ac propter pru-
„dentiam & eruditionem egregiam, ma-
„gno aliquandiu in honore fuit: ſed ſu-
„ſpectior poſtea, in Diomedeam inſulam
„eſt relegatus: unde ad Arichin, Bene-
„ventanum principem, generum Deſide-
„rii regis profugit. Eoque defuncto,
„monachus factus eſt Cœnobii Caſinen-
„ſis. Hactenus Voſſius loco citato. Re-
„fert Leo Oſtienſis *Chronici Caſinenſis* lib. 1.
„cap. 15. Paulum dum a Carolo captivus
„detineretur, nimii erga Deſiderium a-
„moris accuſatum eſſe: conſtanter vero
„reſpondit, ſe Domino ſuo fideliſſimum
„fuiſſe, & in eadem fidelitate ad mor-
„tem usque perſeveraturum. Effuſus
„in iram Rex, manus ei præcidi juſſit:
„ſed in ſe mox reverſus, ait: *ſi manus*
„*ejus abſcindemus, ubi tam elegantem Scri-*
„*ptorem inveniemus?* Suadentibus igitur
„proceribus, ut ei oculi eruerentur, ne
„aliquis deinceps contra Regem literas
„ſcriberet: *& ubi & quando*, ait Rex,
„*tam inſignem Hiſtoriographum aut Poëtam*
„*invenire poterimus?* Miſſus eſt igitur in
„exilium, & poſt aliquot annos, ad Cœno-
„bium Caſinenſe ſe recepit, ubi pie & re-
„ligioſe vitam traduxit: ac diu ſuperſtes
„in ſenectute bona, non ſine ſumma inno-
„centiæ, humilitatis, omniumque virtu-
„tum laude, vitam cum morte commuta-
„vit. Hæc præclara de Paulo Warne-
frido laudum monumenta, dum ex Leo-
ne Oſtienſi refert, ſibi adoptat Guillelmus
Cavus: qui ſi attente legiſſet, quæ de eo
ab ejusdem temporis ac majoris etiam fi-
dei Scriptore Sigeberto Gemblacenſi re-
feruntur, tam aniles fabulas, riſu dignas,
deliriaque ſomniantis Monachi, in medi-
um ad ſui confuſionem non adduxiſſet.
Vtrumque Scriptorem & Leonem Oſti-
enſem & Sigebertum Monachum Gem-
blacenſem, in *Hiſtoria rei literariæ*, ad an-
num 1101. refert Guillelmus Cavus, hunc
pag. 634. iſtum pag. 636. hunc poſt an-
num 1115. mortuum, quo bullæ Paſcha-
tis II. ſubſcripſit: iſtum autem anno 1113.
tertio nonas Octobris. Jam vero, Pau-
lum Warnefridum non cum Deſiderio
Longobardorum Rege captivum eſſe ab-
ductum, ſed appellatum ultroneum & lu-
bentem, ad ſtudia literarum in Galliis ob-
literata reſtauranda, teſtatur Sigebertus
infra allegandus: quem Carolus Magnus
ex Italia, magnis ut creditur ſtipendiis, e-
vocavit in Galliam, quemadmodum &
eodem tempore Rex idem fecit, erga Al-
binum Flaccum Alcuinum, atque alios
quos ex Anglia præmiis allectos ad reſtau-
randas regni ſui ſcholas appellaverat.
Procul ergo anilia iſta Monachorum com-
menta, quæ nullum alium authorem ha-
bent, quam Leonem iſtum Oſtienſem, tre-
centis & amplius annis ab ætate Pauli
Warnefridi remotum, atque adeo ad fa-
ciendam eis fidem inidoneum. Ita au-
tem Sigebertus in libro *de Scriptoribus Ec-*
cleſiaſticis cap. 80. „ Paulus monachus“
Caſinenſis Cœnobii, natione Italus, pro-“
pter ſcientiam literarum a Carolo Ma-“
gno Imperatore adſcitus, ſcripſit Vitam“
Gregorii primi Papæ, ſcripſit geſta Pon-“
tificum Metenſium, ſcripſit Miracula S.“
Arnulphi, qui primo major domus Re-“
gis Francorum, poſtea Metenſium Epi-“
ſcopus, eremiticam vitam expetiit. Hi-“
ſtoriam quoque Vinnulorum, qui poſt-“
ea nominati ſunt Longobardi, luculento“
& plano ſermone ſcripſit.“ Igitur Pau-
lus Warnefridus non cum Deſiderio Lon-
gobardorum Rege ultimo captivus in
Galliam atque invitus abductus eſt, ſed
juxta Sigebertum, *propter ſcientiam litera-*
rum a Carolo Magno Imperatore adſcitus,
cum honore ac ſtipendis, ut veriſimile
eſt. Quod confirmatur quoque ex Syn-
chronis Vitæ Caroli Magni Scriptoribus,
voce conſona ſcribentibus, Regem hunc
ex variis Europæ partibus quosque do-
ctiores appellaſſe, ad regni ſui depravatas
literas reſtaurandas. Evocatus in Gal-
liam, utplurimum in urbe Mediomatri-
cenſi, Auſtraſiæ metropoli conſedit, illic-
que tum ſcholas aperiendo, tum viva vo-
ce docendo, & libros ſcribendo in otio, no-
men ſuum transmiſit ad poſteros. Id quod
apprime noſſe potuit Sigebertus, qui jux-
ta Cavum ad annum 1101. pag. 636. „In
juventute adhuc in Monaſterio Vincen-“
tiano apud Metenſes Scholam aperuit,“
& Monachos Clericosque ad ſe venien-“
tes melioribus literis imbuit.„ Quod e-
nim Metis Seculo 8. egerat Paulus War-
nefridus apud Angilramnum Metenſem
Archiepiſcopum, idem præſtitit ſeculo
undecimo Sigebertus, in Cœnobio Vin-
centiano. Hæc contra aniles fabulas Leo-
nis Oſtienſis, quas adoptavit Gerardus
Joannes Voſſius, ac poſt ipſum Guillel-
mus Cavus. Procul ergo hoc commen-
tum de præcidendis Paulo Varnefrido
manibus a Carolo Magno decretum; procul commentum de eruendis eidem oculis ab ejus proceribus ſuggeſtum: iſta omnia delirantis Monachi, qualis Leo O-
ſtienſis fuit, ſomnia ſunt. Hunc ſecutus
eſt Joannes Trithemius lib. 2. *de Viris illu-*
ſtribus Ordinis divi Benedicti cap. 30.

Adveniens in Galliam ex evocatione Caroli Magni, commendatus eſt Angil-
ramno

ramno Metenſi Archiepiſcopo, viro commendabili atque regiæ ſtirpis, plurima authoritate apud Carolum inclito, cujus curis Paulus Warnefridus commiſſus eſt. Vnde nihil mirum, quod primum ex Opuſculis ſuis, nempe *Hiſtoriam ſeu Geſta Metenſium Epiſcoporum*, flagitante Angilramno ejusdem loci Epiſcopo compoſuerit. Et Paulus ipſe hoc a ſe ſcriptum fuiſſe primum indicat, libro 6. *de geſtis Longobardorum* cap. 16. *Sed & ego*, inquit, *in libro, quem de Epiſcopis ejusdem Metenſis civitatis conſcripſi, flagitante Angilramno viro mitiſſimo, & ſanctitate præcipuo, præfata Eccleſia Archiepiſcopo, de hoc ſacratiſſimo Viro Arnulpho, quædam ejus miranda compoſui, quæ modo ſuperfluum duxi replicare.* Obtulit ergo Opuſculum iſtud Mæcenati ſuo Angilramno, viro apud Carolum Regem potentiſſimo, atque Carolovingicæ ſtirpis palmiti & ornamento non ignobili, cujus in gratiam ac benevolentiam penetraverat.

Dum autem Cavus ſcribit, ſcriptam fuiſſe ab illo *Vitam S. Arnulphi Metenſis Epiſcopi*, quæ habetur inter Opera Bedæ, & apud Surium ad diem 24. Auguſti: oſtendit ſe non fuiſſe feliciorem in deſignandis Pauli Warnefridi ſcriptis, quam in vita delineanda. Si enim attente legiſſet Voſſium quem exſcripſit, atque cum Voſſio Voſſium contuliſſet, aliter ſcripſiſſet. Audiat ergo quid Voſſius de hac Vita ſcribat, lib. 2. *de Hiſtoricis Latinis* cap. 24. pag. mihi 261. ultimæ editionis. " Anonymus „ille, qui Vitam tradidit B. Arnulphi Me„tenſis Epiſcopi quæ apud Surium extat „ad diem 24. Auguſti, iisdem quibus Ar„nulphus temporibus fuit. Siquidem „pene initio ejusdem Vitæ, ſic loquitur: „*Hujus ego res memorabiles & laude dignas „nonnullas, ab ejus familiaribus didici, plane„que per memetipſum cognovi.* Et in eadem „Vita; *Quod nos audientes, celeri greſſu „imus ad domum beati viri.* Sermo ibi eſt „de Arnulpho hoc. Is autem familiaris „fuit Clotario ſecundo, ejus nominis Fran„corum regi, ut ex eadem Vita conſtat: „quare Phocæ & Heraclii temporibus vi„xiſſe, ſatis apertum eſt. Videtur autem „hoc eſſe Opus illud, quod ſignat Paulus „Diaconus lib. 1. *de Longobardorum geſtis* „cap. 16. ubi ait: *de cujus* (Arnulphi) „*mirabilibus, apud Metenſem Eccleſiam ubi „Epiſcopatum geſſit, liber erat, ejusdem mira„cula & vitæ abſtinentiam continens.*

Author ergo hujus Vitæ Arnulphinæ anonymus, ducentis annis Paulo Aquilejenſi Diacono anterior eſt, ut recte illic animadvertit Voſſius. Et quamvis Sigebertus in libro *de Scriptoribus illuſtribus* cap. 80. ſcribat eum *ſcripſiſſe Miracula S. Arnulphi, qui primo major domus regis Francorum, poſtea Metenſium Epiſcopus, eremiticam vitam expetiit:* atque poſt ipſum Voſſius & Guillelmus Cavus locis citatis. Ipſe tamen Paulus Diaconus lib. 6. *de geſtis Longobardorum* cap. 16. ait, tantum *ſe quædam ejus Arnulphi miranda compoſuiſſe*, in libro nimirum ſuo *de Metenſibus Epiſcopis*, ut ibidem indicat: non autem Vitam Arnulphi compoſuiſſe opuſculo aliquo ſpeciali, quam jamdudum ab Anonymo conſcriptam dicit lib. 1. *de Geſtis Longobardorum* cap. 16. ut ſupra diximus.

Secundum Opus quod in Gallia conſcripſit Paulus Diaconus, eſt *Hiſtoria Longobardorum libris 6.* quam idem non Carolo Magno dicavit, ut innuere videtur Gerardus Joannes Voſſius, loco citato. Diximus ſcriptos illos fuiſſe in Galliis, tum quia non legimus Paulum Warnefridum inde ſolviſſe, tum quia quæ narrat lib. 6. cap. 2. de translatione Corporum Sancti Benedicti & Scholaſticæ ſororis ejus in Gallias, olent hominem in Galliæ gratiam ſcribentem, renuentibus huic translationi Italis. Denique quæ ſcribit cap. 16. hominem in Gallia exiſtentem indigitant: ut & quæ habet in gratiam ſtirpis Carolinæ tum regnantis, ibidem capp. 16. 23. 37. 42. 46. 53. 54. Neutiquam autem ſe vel *Diaconum Aquilejenſem* fuiſſe, vel *Cancellarium Regis Deſiderii*, vel *Captivum cum eo in Galliam abductum fuiſſe* refert: licet libro 4. cap. 34. Genealogiam ſuam data opera recenſeat, enarrans avum extitiſſe ſibi Arichim, Patrem Warnefridum, matrem Theudalindam, fratrem Arichim, qui ſuum avum cognomine referret. " Libri 6. *de Hiſtoria Longobardorum*, prodie„runt olim impreſſi Auguſtæ Vindelico„rum an. 1515. Baſileæ 1532. Lugduni Ba„tavorum 1595. in 8. quibus in editioni„bus deſinunt in hæc verba, *Francorum A„vorumque pacem cuſtodiens.* Verum Fri„dericus Lindenbrogius in editione Ham„burgenſi 1611. attexuit fragmentum lu„culentum, quod & Marquardus Freher„rus inter Hiſtoricos Francicos Hanoviæ„ anno 1613. exhibet. Atque hoc frag„mento deficiente, extant recogniti ad„ calcem Manuſcriptorum Codicum, ad„ calcem *Hiſtoriæ Gothorum* ab Hugone„ Grotio editæ Amſtelodami anno 1655.„ in 8. & in Bibliotheca Patrum, tomo 12.„ pag. 160. Hæc accuratiſſime Cavus. „ Operis vero de geſtis Longobardorum poſtremo loco a Sigeberto memorati, invenio etiam mentionem fieri (inquit Voſſius) apud Walafridum Strabonem, libro *de*

divinis officiis cap. 28. Continuavit eam Hiſtoriam Herberctus, juxta Leonem Oſtienſem lib. 1. *Chronici Caſinenſis* cap. 10. ubi ſic: *Dominus Herberctus in Hiſtoria, quam de Longobardorum gente poſt Paulum Diaconum ſcripſit, ita refert &c.*

Hac porro oblatione *Hiſtoria Longobardorum*, ubi Caroli Magni ſtirpem variis locis, ut libro 6. capp. 16. 23. 37. 42. 46. 53. 54. eximie laudat, devinxit ſibi intime Victoris hujus principis animum Paulus Warnefridus: in tantum ut Carolus inter plurimos eruditos qui tunc in Gallia illuſtres clarebant, hunc ſeligeret ſingulari gratia & benevolentiæ teſſera, ad componendum *Homiliarium pro totius anni circulo Eccleſiaſticum, ex ſanctis & antiquis Patribus.* Demandata hac ſibi provincia perfunctus eſt Warnefridus Diaconus anno 797 juxta Cavum in *Hiſtoria Scriptorum Eccleſiaſticorum* ſecul. 8. ad annum 768. in Vita Caroli Magni, pag. 491. his verbis: „Anno DCCXCVII. Alcuino ad „recognoſcendam & explicandam S. Scri„pturam, & *Paulo Diacono* ad colligendum „*Homiliarium* pro ſingulis feſtivitatibus „uſus eſt. Vnde liquet quam intimus ac „pretioſus eſt Carolo Magno Paulus Dia„conus, ut & Alcuinus Anglus.„ Rariſſima ſunt MSS. exemplaria hujus Homiliarii in Bibliothecis Gallicis, quæ pura & non interpolata ſint: nam maxima pars illorum ſub finem ſeculi XII. Scriptorum, reperitur apud Gallos in Monaſteriis Benedictinorum & Ciſtercienſium Monachorum, ex media parte interpolatorum, ex quibus editiones habuerunt. Editio prima hujus Homiliarii, facta eſt in folio Spiræ anno 1482. non 1472. ut perperam ſcribit Ellias du Pin. Hæc apud Petrum Drach juniorem, cui Homiliario præfixa eſt Epiſtola Caroli Magni, quam viſum eſt Johanni Mabillonio recudere tomo 1. *Analectorum* pag. 23. utpote lectu dignam & nonnulla continentem, quæ multorum ut putat notitiam fugiunt. Vnde quia rariſſima eſt hæc editio, operæ pretium exiſtimavit hic recudere pretioſum iſtud antiquitatis monumentum. Homiliarium hoc in duo volumina diſtribuit Paulus Diaconus Monachus Caſſinenſis, uti Carolus in fine Epiſtolæ teſtatur. Huc ſpectare credit, Anſegiſi Abbatis Fontanellenſis teſtamentum, Monaſterio ſuo legantis *Collectaneos duos ſuper anni circulo, Pauli Diaconi volumina duo.* Extat ergo, *Veterum Analectorum* tomo 1. pag. 25. Caroli Magni Præfatio in Homiliarium Pauli Diaconi, Monachi Caſſinenſis. *Carolus Dei fretus auxilio &c.* Explicit Prologus Caroli Regis. Tum ſequitur, Opus præclarum omnium Homeliarum & Poſtillarum, venerabilium ac egregiorum Doctorum, Gregorii, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, Bedæ, Herici, Leonis, Maximi, Johannis Epiſcopi, atque Origenis, integraliter de tempore & de Sanctis per totius anni circulum, cum quibusdam eorum ſparſim interpoſitis ſermonibus, hinc inde ſuis locis collectis, & coaptis temporibus, in partem Hiemalem & Æſtivalem diviſum, incipit feliciter.

Dominica prima Adventus Domini.

Lectio Sancti Evangelii ſecundum Matthæum XXI. *In illo tempore cum approprinquaſſet JEſus Hieruſalem & veniſſet Bethphage ad montem Oliveti &c.* usque ad *pullum cum ea*, & reliqua Homilia beati Johannis Epiſcopi. *Puto res ipſa exigit ut quæramus. Frequenter quidem JEſus venit in Hieruſalem, ſicut Johannes teſtatur, nunquam tamen ſibi adſcivit miniſteria jumentorum, nec ramorum virentia circa ſe ornamenta conſtituit &c.*

Dominica ſecunda.

Lectio S. Evangelii ſecundum Lucam XXI. *In illo tempore, dixit JEſus diſcipulis ſuis: Erunt ſigna in ſole & luna &c.* usque *univerſo orbi.* Homilia beati Gregorii Papæ, habita in Baſilica Sancti Petri. *Dominus ac Redemptor noſter paratos nos invenire deſiderans &c.*

Incipit Commune Sanctorum de Apoſtolis.

Sermo Fulgentii Epiſcopi. *Delectat tantorum tractare margaritas Sanctorum, delectat gemmas intueri dulcium piſcatorum, nec modus &c.*

Inſertæ ſunt tamen Homiliæ quædam a poſteris, nempe Herici Monachi Antiſſiodorenſis, quem mortuo Paulo, floruiſſe conſtat regnante Carolo Calvo. Ita Mabillonius, qui de Heirico infra in Poëticis pag. 413. agens, pag. 415. hanc *Annotationem* habet. " Certe in Homiliario, " quod Paulus Diaconus juſſu Caroli Ma-" gni adornavit, tres invenio Herici homi-" lias a poſteris haud dubie inſertas, uti" ſuperius monui. Prima in Dominica" infra octavam Aſcenſionis Chriſti, in" illud Johannis 15. verſ. 26. *Cum venerit* " *Paracletus &c.* cujus initium, *Poſitus in* " *cœna Dominus &c.* Altera, Dominica 13." poſt Pentecoſten, in illud Lucæ 17. verſ." 11. *Cum iret Jeſus in Hieruſalem &c.* ſic in-" cipiens, *Itinera Domini & Salvatoris noſtri* " *&c.* Tertia, Dominica 14. poſt Penteco-" ſten, in illud Matthæi 6. verſ. 24. *Nemo* " *poteſt duobus dominis ſervire &c.* præmiſſo" hoc exordio: *Dominus ad hoc homo factus* " *eſt &c.* "

Porro

Porro ſi hæc prima editio *Homiliarii* Pauli Diaconi interpolata eſt, ſequentes adhuc editiones magis vitiatæ & interpolatæ alienis authoribus, qui usque ad ſeculum XII. vixerunt. Eſt in manibus editio illius facta in folio Baſileæ anno 1516. ſub hoc titulo: Homiliæ, hoc eſt Conciones populares Sanctiſſimorum Eccleſiæ Doctorum, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, Origenis, Joannis Chryſoſtomi, Bedæ Presbyteri, Maximi Epiſcopi, & aliorum: Baſileæ per Johannem Frobenium diligenter excuſæ in folio, anno 1516. In hac editione Homiliæ Herrici de quibus ſupra, tum Dominica infra octavam Aſcenſionis, tum Dominica decima tertia poſt Pentecoſten fol. 141. Dominica decima quarta fol. 145. Sed longe plures multorum Eccleſiæ Scriptorum, qui usque ad medium ſeculi XII. claruerunt, in feſtis longe recentioribus ætate Pauli Longobardi. Vt in Feſto omnium Sanctorum fol. 48. in die omnium animarum fol. 51. in Nativitate beatæ Mariæ fol. 9. & 40. Nam fol. 9. habetur ſermo Fulberti Carnotenſis Epiſcopi incipiens, *Adeſt nobis dilectiſſimi optatus dies beatæ ac venerabilis ſemper Virginis Mariæ: ideo cum ſumma exultatione gaudeat terra noſtra, tantæ Virginis illuſtrata die ſolemni. Hæc eſt enim flos campi &c.* In vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ fol. 33. Lectio ſancti Evangelii Lucæ 1. Exſurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione &c. Homilia beati Ambroſii Epiſcopi. *Morale eſt omnibus, ut qui fidem exigunt, fidem adſtruant &c.* In feſto Aſſumptionis fol. 33. Sermo beati Hieronymi, *Cogis me o Paula & Euſtochium &c.* tum poſt alias duas homilias, item fol. 36. alia homilia de eadem: Lectio ſancti Evangelii Lucæ X. *In illo tempore intravit JEſus in quoddam caſtellum*, & reliqua. Homilia beati Anſelmi Epiſcopi. *In Scriptura ſacra, res una & eadem multoties invenitur diverſa ſignificare: ſicut Leo, hedus, ignis & aqua &c.*

Tertia editio adhuc magis interpolata cernitur, facta anno 1569. Coloniæ Agrippinæ apud Maternum Cholinum, ſub hoc titulo.

Homiliæ ſive Conciones præſtantiſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum, in totius anni Evangelia ab Albino Flacco Alcuino, juſſu Caroli Magni, primum acri judicio collectæ, & ſubinde ab aliis non parum auctæ: quibus nunc demum acceſſere in totius æque anni Epiſtolas, Conciones exegeticæ, opera Fratris Laurentii Surii Carthuſiani, ex præcipuis Patribus accurate congeſtæ: cujus etiam ſtudio Homiliæ hactenus editæ, ab innumeris ſunt mendis vindicatæ, permultæ ſuis authoribus inſcriptæ, loca etiam annotata, unde pleræque omnes ſumptæ ſunt.

Catalogus Patrum e quibus hæ Conciones depromptæ.

Origenes, Hilarius, Ambroſius, Chryſoſtomus, Hieronymus, Severianus, Auguſtinus, Maximus, Leo, Fulgentius, Gregorius, Iſidorus, Beda, Albinus, Theophylactus, Oecumenius, Rhabanus, Euſebius Emeſenus, Haimo, Autbertus, (lege Fulbertus) Ericus, Bernardus. Coloniæ in fol. apud Maternum Cholinum anno 1569. cum Prologo & approbatione Caroli Magni his verbis: *Carolus Dei fretus auxilio, Rex Francorum ac Patricius Romanorum, Religioſis lectoribus noſtræ ditioni ſubjectis.* Cum nos divina ſemper domi foriſque clementia, ſive in bellorum eventibus, ſive pacis tranquillitate cuſtodiat &c. Tum *Carmen Pauli Diaconi ad Carolum Magnum*, cui Homiliarium ſuum nuncupat.

Poſt hos labores in Gallia atque in gratiam Caroli Regis ſuſceptos & conſummatos, idem Paulus vel pertæſus curarum ſeculi atque delitiarum aulæ Caroli Magni, vel nuncupato vitæ Monaſticæ voto, vel aliam ob cauſam quam neſcimus, ſpreto Francici regni ſplendore, Italiam patriam repetens, atque ad Caſinum montem ſeſe recipiens, Cœnobiticam illic Divi Benedicti regulam amplexus eſt. Falſum autem prorſus mihi videtur atque deliriis Monachorum ſimile, quod nonnulli ſcribunt, Paulum veniſſe in ſuſpicionem Caroli Magni, ob nimiam cum Deſiderio Longobardorum rege neceſſitudinem amicitiæ, frequensque Epiſtolarum commercium: atque hanc ob cauſam, deportatum juſſu Regis in exilium ad Inſulam Diomedeam, Adriatici maris. Hoc inquam falſum & fabuloſum prorſus videtur, imo juxta rationem temporis impoſſibile. Nam ut ſcriptum legitur, Deſiderius modico poſt captivitatem tempore, quæ anno 774. contigit, ſatis humanis ceſſit. At Paulus Warnefridus usque ad annum 797. quo Homiliarium juſſu Caroli Magni compoſuit, & ultra forſan, in ejus benevolentia & gratia extitit. Non ergo a Carolo Magno in exilium deportari juſſus eſt, ob frequentius & ſuſpectum cum rege Longobardorum Deſiderio literarum commercium, qui multis jam ab annis vita exceſſerat. Præterea Carolus Rex abſurdus omnino, hebes & inops conſilii fuiſſet, ſi Paulum ſuſpecta cum Deſiderio Longobardorum rege neceſſitudine & amicitia

laborantem, in insulam Diomedeam maris Adriatici relegasset: ubi cum ejus affinibus & posteris, facilius quam antea, commercium exercere, & proditionem fovere potuisset. Locus ergo exilii quo deportatus dicitur, fabulam aperte prodit: unde suspicamur alia omnino de causa Paulum Galliam reliquisse, desiderio nempe quietis internæ, atque propensione in solitudinem montis Cassini.

Constitutus in Italia atque Cassinensis monachus factus, *Historiæ Eutropii* tum interpolandæ, tum continuandæ operam „impendit. Nam ut recte Vossius, Bonam „etiam partem Paulo huic debet *Historia „Miscella*, quæ XXIV libris impressa extat. „Nam primi undecim libri iidem sunt, ac „decem libri Eutropii, nisi quod aliqua subinde de suo Paulus addat: quod ab eo „jussu Adelbergæ sive Adhilbergæ, Beneventi Ducissæ factum est, cujus maritus „erat Arichis, pater Desiderius ultimus „Longobardorum rex. Exinde Paulus „continuat Eutropium, cujus sunt quinque libri sequentes, usque ad decimum „sextum. Cæteri, nempe septimus decimus & qui consequuntur, a Landulpho „Sagace qui circa annum 860. temporibus Lotharii Ludovici Pii filii claruit, „additi sunt: imprimis ex Theophane sive Anastasio Bibliothecario, qui Theophanem vertit. Atque hæc causa est, „cur Fronto Ducæus, notis in Gregorii „Papæ librum *de imaginibus*, quas Baronius edidit tomo IX Annalium Eccl. ad an. „726, quoties aliquid ex postremis 8. libris „citat, Theophanem vel ipsum Anastasium, non Paulum Diaconum, eorum quæ „adducit, dicat auctorem. Vt omnino „injuriam ei faciat Henricus Canisius, in „præfatione ad Lectorem quæ est ante Historiam Miscellam: dum censet ab Scriptore Notarum illarum, totam historiam Miscellam Theophani vel Anastasio adscribi: cum Ducæus de postremis „duntaxat octo libris loquatur. Sed alterum etiam ejusdem Canisii est παρέργημα, cum Baronium culpæ reum putat, „propterea quod in Annalibus ejus, istoc „legisse sibi videbatur. Nempe non attenderat verba, quæ præmisit Baronius: ubi ait se, uti Gregorii librum, ita „interpretationem ac Notas quas apposuit, a Ducæo accepisse.„ Prodierunt Basileæ anno 1569. & Ingolstadii 1603. in 8. cum variantibus lectionibus, cura Henrici Canisii Noviomagensis. Hanoviæ 1611. cum emendationibus & notis Jani Gruteri. Hamburgi 1611. cum observationibus Lindenbrogii.

Quod autem scribit Cavus, Paulum Diaconum scripsisse *de vita S. Gregorii Papæ libros IV* a Johanne Mabillon in lucem editos, sæculo 1. Benedictino pag. 385. verum non est. Nam unicum *de vita S. Gregorii Papæ librum* scripsit Paulus Diaconus, qui præmissus est ultimæ editioni omnium S. Gregorii Operum, quæ Parisiis anno 1675. in folio procurata est.

Item *Vitam seu Passionem S. Cypriani Martyris*, quæ ejus Operibus præmitti consuevit.

Carmina de Vita Sanctorum Benedicti & Mauri Abbatum atque Scholasticæ Virginis, quæ cum Poëmatibus Prosperi Martinengi Romæ anno 1590. excusa sunt. Sane Joannes Trithemius lib. 2. *de viris illustribus Ordinis divi Benedicti* cap. 30. vitæ *Benedicti* a Paulo conscriptæ etiam meminit. Refert autem hæc *Carmina de Sancti Benedicti miraculis* Paulus, lib 1. de gestis Longobardorum cap. 26. Versus quoque Pauli hujus *de Scholastica Virgine*, habes in Martyrologio Benedictino Arnoldi Vioni ad diem 10. Februarii. Hæc paulo latius quam pro instituto nostro, de Paulo Warnefrido Diacono, ad amoliendum fabulas & Monachorum commenta, loquuti sumus: de quo differunt Gerardus Joannes Vossius lib. 2. *de Historicis Latinis* cap. 30. pag. mihi 290. ultimæ editionis, quem utplurimum secuti sumus. Joannes Mabillon tomo 1. *Veterum Analectorum* in Carolo Magno pag. 25, & in Herrico Antissiodorensi Monacho pag. 415. Guillelmus Cavus in *Historia rei literariæ* sæculo 8. ad annum 774. pag. 493. Ludovicus Ellias du Pin, in *Nova Bibliotheca Scriptorum Ecclesiæ*, secul. 8. tomo 6. pag. mihi 114.

GEORGIVS MONACHVS, Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani Syncellus, qualis dicebatur, qui erat Patriarchæ proximus, eique defuncto successor destinabatur, vixit temporibus Caroli Magni, & anno 791. *Chronicon* instruxit, a mundi initio usque ad Maximianum & Maximinum Tyrannos perductum, quod morte præventus ulterius perducere non potuit. Illud Græce & Latine Parisiis in fol. anno 1652. cum *Historia Theophanis* editum est typis Lupareis seu Regiis, inter Historiæ Byzantinæ Scriptores, cujus Operi notas adjecit eruditus Jacobus Goar Ord. Fratrum Prædicatorum, qui laborem suum ad corrigendos Historicos Græcos contulit. In hoc Opus *Syncellus* universum Eusebii Cæsariensis Chronicon verbotenus transtulit, ita tamen ut in Eusebio redarguendo totus ferme sit. At 790.

vero

vero licet fateamur, ipſum ſæpe merito ab Euſebio diſſentire : ſuos tamen Syncellus nævos habet nec paucos nec exiguos, ut Scaliger in *Animadverſionibus Euſebianis* docuit. Hæc quidem ſcripſeram brevibus in editione *Supplementi ad Scriptores Eccleſiaſticos Roberti Bellarmini*, cui multo plura dicere ratio compendii affectata non patiebatur. Quibus jam ſolutus vinculis, latius de Georgii Syncelli patria, aliisque Scriptorum ejus conditionibus agere, Lectori ob argumenti meritum, haud incongruum arbitror : ex Leone potiſſimum Allatio, in doctiſſima Diatriba *de Georgiis & eorum Scriptis*, pag. 323 ad 329. quam ordine duntaxat mutato, huc transmittimus. Georgios Monachos *Hiſtoriæ Eccleſiaſtica Scriptores* plures fuiſſe, nemini dubium eſt. Matthæus Raderus Notis in *Vitam ſancti Ignatii Patriarchæ Conſtantinopolitani* a Nicephoro Paphlagone ſcriptam, tres commemorat, quos penes ſe eſſe ſcribit, his verbis : „Præter ea quæ pas„ſim ad oram annotavi, placuit quæ„dam annotare „ Georgio Hamartolo, „qui diverſus eſt a Georgio Syncello „Taraſii, quamvis in fronte nomen *Syn„celli* præferat. Diverſus item eſt a „Georgio Monacho qui Chronicon ſcri„pſit, quod a Panvinio laudatur : ta„metſi Chronicon illud Georgii nomen „præſcriptum non habeat. Tres enim „diverſos Georgios Monachos Manuſcri„ptos, partim ex Palatina Bojorum, par„tim ex Auguſtana Bibliotheca, inedi„tos omnes nec translatos hactenus „mecum habeo, conferoque.“ Diſcrimen tamen inter eos nullum adducit, pleraque etiam obſcurius prolata, nobis divinanda reliquit. Saltem illud tacere non debuit, quanam ratione Hamartolus *Syncelli* nomen præferat : & Georgius alius qui Chronicon ſcripſit & a Panvinio laudatur, cum Georgii nomen non habeat, Georgius ſit. Cum autem locum Panvinii ſubticeat, rem nobis apertam forte per ſe, difficilem reddit. Vtinam nobis vel eorum Hiſtoriæ exordia vel terminos præfixiſſet : Sic enim Hiſtorici prædicti dilucidius innoteſcerent. Quare de noſtro, ſi quid id fuerit, ut rem intricatiſſimam extricemus, aliquid in medium afferamus : primumque de *Syncello*, deinceps poſtea de *Hamartolo*, tandem de *Tertio* quem Georgium Cedrenum exiſtimo, ſuis locis & temporibus acturi. Nam uti de primo & ſecundo nulla dubitatio eſt, ſic de tertio juxta Raderum, ex conjectura non levi loquimur.

Primus ergo eſt *Georgius Monachus & Abbas*, ab officio quo Taraſio Patriarchæ inſerviebat, *Syncellus* : veluti nota ſibi propria, hoc cognomine ab aliis diſcretus. Hujus pro fide Catholica Syncelli certamen, & in Eccleſia dignitatem tetigit Anaſtaſius Bibliothecarius in præfatione *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, verbis iſtis. „Operæ pretium „duxi, ex Georgii ſummatim quædam „& Theophanis Chronographia, plura „ſed ſuccincte carpenda : quorum „prior usque ad Diocletianum, poſte„rior usque ad Leonem, qui poſt Mi„chaelem imperavit, patrem ſcilicet I„gnatii qui adhuc ſupereſt, habenas „Conſtantinopolitanæ tenens Eccleſiæ, „prædicti Operis ſui ſtylum protraxit. „Qui autem ſunt iſti, leviter annota„bo. Horum igitur alter electa Mona„ſtica Vita, mundoque contempto, „Chriſti ſe levi jugo & ſuavi ſarcinæ „mancipavit. Præterea contra Hære„ticos inceſſanti agone deſudans, multis „verberibus, mundi Principibus contra „Eccleſiæ ritum ſævientibus, diverſis„que pœnis affectus eſt. Sic ergo ſti„gmata Chriſti in corpore ſuo portans, „tam pro fidei conſtantia quam pro mul„tarum virtutum inſignibus, ſanctæ me„moriæ Taraſii Regiæ urbis præſulis „Syncellus effectus eſt. Sed ne multa „proſequar, ſufficere arbitror ad præco„nium ejus, quod a Sede approbatus ſit „Apoſtolica. Quando ſcilicet Vicarii „ejus una cum trecentis quinquaginta „Patribus, in Nicæna urbe ſecundo con„venientes, Vniverſalem Synodum „celebrarunt : ſiquidem laus ejus in„eodem ſeptimo & ſancto Concilio re„peritur.“

Iſte itaque dicti Anaſtaſii Syncellus, noſter eſt, idemque erit, cujus apud Nicænos Patres, æque ac Germani Patriarchæ & Joannis Damaſceni, honorifica mentio eſt : quem Cyprium fuiſſe patria, Leo Allatius ſupra in *Georgio Cyprio* paginis 314. 315. & 316. Diatribæ *De Georgiis & eorum Scriptis*, abunde ſatis probavit : cum nullius alterius Georgii mentio habeatur. Id optime Anaſtaſio qui iisdem temporibus accurate diligenterque ſcribebat, innoteſcere potuit. Veruntamen ſimus in ſpeculis, obſervemusque quemadmodum res iſta ſe habeat, atque ſi fieri poteſt, ex puteo veritatem educamus : indeque inferamus, male in unum conflatos eſſe duos Georgios. Georgius Cyprius

vir ſanctitate, doctrina, & certaminibus pro aſſerendis imaginibus celebris, ſub Conſtantino Copronymo a Synodo Conſtantinopolitana damnatur, non uti jam vivens ſed vita functus, ſicuti Germanus & Damaſcenus: quod anno Domini DCCLIV. ſub Conſtantino Copronymo contigit. Vindicatumque poſtea ab injuriis & probris quæ Iconoduli malitioſe & contra jus omne irrogata volunt, a Secundæ Synodi Nicænæ Patribus, in reſponſione ad dictam Synodum Act. VII. ipſo vidente Taraſio & audiente: cujus & vita Chriſtiane & Orthodoxe transacta ſummatim percurritur, ut idem notat Allatius loco citato. Quomodo ergo Cyprius ille jam demortuus Taraſii Patriarchæ, de quo tanquam de mortuo in Conſtantinopolitana anni 754. Synodo actum eſt: ſcribere potuit *Chronologiam* usque ad annum DCC LXXXXII? Nam ut annotavit Joſephus Scaliger, *Inſtituit opus ſuum anno Chriſti DCCXCII. annis viginti uno ante exceſſum Caroli Magni Indictione prima ineunte.* Itaque Anaſtaſius nobis fucum fecit, & alium pro alio, ut fieri ſolet, vel lapſu memoriæ, vel male fida Commentariorum relatione ſuggeſſit. Quidquid ſit, Georgium Cyprium, ob cultum imaginum ſub Copronimo paſſum, a Georgio Syncello diverſum eſſe, pro certo affirmare ego ex temporum ratione ausus ſum, donec contrarium perdoceatur.

Georgii Syncelli ſtudium, diligentiam, & in contexenda Hiſtoria egregios conatus, Theophanes Iſaurus illius Hiſtoriæ continuator, ipſo ſtatim ingreſſu ſic expreſſit. „ Georgius beatiſſimus „Abbas, & ſanctiſſimi Patriarchæ Conſtantinopolitani Taraſii Syncellus fa„ctus, vir ſpectatiſſimus atque eruditis„ſimus, multis Chronographorum Hi„ſtoricorumque libris evolutis & ſedu„lo excuſſis, compendiariam Chrono„graphiam ab Adamo usque ad Dio„cletianum Romanorum Imperatorem „& Chriſtianorum perſecutorem, omni „ſtudio conſcripſit. Temporum ratio„nes ad exactiorem calculum revocans, „ipſarumque diſcrepantias concilians, e„mendans, & tam opportune conſtitu„ens, ut qui hactenus de hac re ſcri„pſerint, omnes facile ſuperarit. Quin „etiam priſcorum notionis cujuscunque „Regum adminiſtrationes & regimina, „ætatesque adſcripſit. Ipſos etiam, „quantum in eo fuit, magnarum & „Catholicarum ſedium Præſules, Romanæ inquam, Conſtantinopolitanæ, „ Alexandrinæ, Antiochenæ & Hieroſo„lymitanæ. Tum qui fidelium paſto„rum munere in Eccleſia defuncti ſunt, „ vel qui in hæretica pravitate princi„patum contra jus fasque occupavere: „ eorumque omnium tempora pulchro„ ordine digeſſit. Enimvero cum mor„te præceptus, conſilium quod in ope„re ſcribendo primum inierat, ad opta„tum finem perducere non potuerit: „ ſed quemadmodum jam ſupra dixi„mus, ut ad Diocletiani tempora de„venit, ex hac vita ad Dominum in fi„de Catholica migraverit: nobis qui„ amicitia ipſi conjunctiſſimi fuimus, li„brum quem compoſuerat, reliquit. „ Occaſionemque ſimul præbuit, ut quæ„ hactenus deſiderarentur in illo, ex„plere aggrederemur. &c. „ Breviarium ergo Chronographicum ab ipſo Orbe condito ad Diocletianum, quod ultra deducere morte præceptus non potuit, conſcripſit. Meminit illius Cedrenus, ſeu Joannes Scylitza in Proœmio. *ὅτε γὰρ μοναχὸς Γεώργιος καὶ σύγγελλος, ἀπὸ καταβολῆς ἀρξάμενος κόσμου εἰς Μαξιμιανὸν καὶ Μαξιμῖνον τοὺς Τυραννους κατέληξε, καὶ ὁ ὁμολογητὴς Θεοφάνης τὸ ἐνταῦθα τέλος ἀρχὴν ποιησάμενος ἐκείθεν, ἄχρι τοῦ τέλους Νικηφόρου τοῦ ἀπὸ Γενικοῦ καλήντησεν. Nam & Georgius Monachus, idemque Syncellus, ab initio mundi orſus, usque ad Maximianum & Maximinum tyrannos rem produxit: & quo is loco deſiit, inde principium ſumens Theophanes confeſſor, in obitu Nicephori qui ex Genico, Hiſtoriam ſuam fuit.* Id etiam de eo teſtatus eſt Michael Glycas *Annalium* parte tertia, ad finem. *Γινώσκε δὲ ἀγαπητὲ, ὅτι κατά Φησιν ὁ χρονογράφος Ἰωάννης ὁ Σκυλίτζης, τῆς χρονογραφίας μὲν κατήρξατο Γεώργιος ὁ καὶ σύγγελλος, χρηματίσας Ταρασίου τοῦ ἁγιωτάτου Πατριάρχου ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, καὶ μέχρις αὐτῶν τῶν Τυράννων κατέληξε Μαξιμιανῷ δηλονότι καὶ Μαξιμίνῳ, τῷ υἱῷ αὐτοῦ. μετὰ δὲ τὸν Γεώργιον ὁ ὁμολογητὴς Θεοφάνης καὶ τοῦ Ἀγροῦ ἡγούμενος τὰ ἀπέλοιπα συνελέξατο ἕως τελευτῆς βασιλέως Νικηφόρου τοῦ ἀπὸ Γενικῶν, ἐφ' ᾧ καὶ ἀπὸ Μιχαὴλ τοῦ Ραγκαβῆ, τῆς χρονογραφίας ὁ Σκυλίτζης κατήρξατο. Debes autem ſcire Dilecte mi, temporum annotationem inchoatam eſſe Joanne Scylitza Chronographo authore, ab Georgio ſanctiſſimi Patriarchæ Tarſii Syncello, qui a mundi exorſus initio, in his ipſis Tyrannis, Maximiano ſcilicet & Maximino ejus filio de-*

defiit. Deinde poſt Georgium Theophanes Confeſſor & Agri Prapoſitus, reliqua litteris eſt complexus usque ad Nicephori Genici finem, qua ipſa de cauſa Scylitzæ Chronographiam ſuam a Michaele Rangabe voluit auſpicari. Eadem repetit Joannicius Cartanus in Flor. cap. 183.

Evenit porro Exſcriptorum incuria vel ſtudio vel ſolemni ſimul ac miſera Manuſcriptorum conditione, ut pars anterior Operis, qua a mundi exordio Res geſtæ ad obſeſſam a Pompejo Hieroſolymam enarrantur, vel ad Julii & Auguſti principatum, in authore exſcribendo omitterentur: adeo ut uno vel altero loco, pars prima inveniatur: altera a Pompejo & Auguſto, ſæpius in Bibliothecis legatur. Hinc nonnulli nullam aliam *Syncelli* Hiſtoriam, præter hanc poſteriorem agnoſcunt. Plerique etiam, cum nullam aliam ab Orbe condito *Georgii* Hiſtoriam, præter *Hamartoli* deprehenderent, & ſcirent Syncellum ab Orbe condito Opus inchoaſſe: Hamartolo in Syncellum mutato, ſententias Hamartoli pro Syncelli, ut alii quoque Theophanis quaſi Syncellanas, fuco obvio divenderunt, allegaruntque. Specimen hujuſce res eſſe poterunt *Excerpta* ſub Georgii Syncelli nomine, ex illius Chronico, a Dionyſio Petavio exhibita poſt *Breviarium Hiſtoricum* Nicephori Patriarchæ: illa enim ut vir ille animadvertit, falſo *Georgii* nomen præferunt, cum ſint Theophanis. At ipſe Allatius *Georgii Hamartoli* eſſe, non *Georgii Syncelli* aut *Theophanis* poſtea deprehendit: quod ultro fatetur in ſua Diatriba *de Georgiis & eorum Scriptis*, pag. 325. linea ultima. Iſtud inde etiam facili negotio detegi poterat, quoniam in illis nulla annorum diſtinctio, nulla temporis delineatio, ſed rei uti ſe habuit plana & continua narratio: quod præter inſtitutum Theophanis eſt, qui omnia annis concludit, ut uno obtutu conſpiciantur. Imo Allatius ibidem pag. 326. ne alios duntaxat in crimen adducere videatur: ingenue ipſemet agnoſcit in Syntagmate ſuo *de Engaſtrimytho* olim edito, ſententiam de Hiſtoria quæ Georgii Hamartoli eſt, errore non levi, aſſeruiſſe Georgio Syncello. Conjecturam noſtram de Operis Syncelliani decurtatione in plerisque MSS. Codicibus, confirmat Jacobus Gretſerus, qui de Georgii Syncelli Chronici Codice MS. Boico & Auguſtano ſermonem habens, teſtis oculatus ſcribit: „Verum nec Boicus nec Auguſtanus codex, utrumque jam vidimus, genuinum Syncellum continet, ſed miſcellaneam quandam farraginem, ex variis ac neſcio quibus Rapſodiis confectam. Nam verus & germanus Syncellus Chronicon ſuum auſpicatur a Julio Cæſare, prætexitque usque ad primum annum Diocletiani, deque termino ejus teſtem habemus Anaſtaſium Bibliothecarium in præfatione, quæ *Miſcella* præfigi ſolet. Legitimum Syncellum nacti ſumus, & leginus beneficio Marci Welſeri viri Auguſtani, in cujus Codice titulus ſic habebat. Γεωργίου ἐυλαβεστάτου μοναχοῦ, καὶ Συγκέλλου γεγονότος Ταρασίου, τοῦ ἁγιωτάτου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως σύνταξις, ἤτοι χρονογραφία ἐν ἐπιτόμῳ ἀπὸ τῆς βασιλείας Ἰουλίου Καίσαρος Ρωμαίων, μέχρι τῆς βασιλείας τοῦ πρώτου ἔτους Διοκλητιανοῦ.“ Falſum nihilominus eſt principium Syncellianæ Hiſtoriæ a Julio Cæſare eſſe, quod poſtea & idem Gretſerus ex Theophane & Cedreno agnoſcit. Ac proinde Codex MS. illi a Welſero exhibitus non integer fuit, ſed pars tantum Syncellianæ Hiſtoriæ poſtrema, cujus quemadmodum & Theophanis plures Codices, qui eam ab obſeſſis a Pompejo Hieroſolymis, vel a Julii vel Auguſti principatu auſpicantur, in Germaniæ & Italiæ Bibliothecis, & præcipue Vaticana cuſtodiuntur. Attamen partem illam quæ ab Orbis conditi initio ad tempora Pompeji res pertractat, etſi ſedulo avideque Allatius perveſtigaverit, nusquam tamen ſe vidiſſe teſtatur. Reperiri tamen nullus dubitavit, confirmatque ſchedula, quæ in Codice quodam Palatino dicti Georgii reperta eſt: in qua aſſeveratur *Chronologiam Georgii Syncelli integram ab Orbe erudito*, in Bibliotheca Regis Galliarum adhuc extare, caractere vetuſto bonæque notæ, cujus illud principium eſſe dicitur. Ἐκλογὴ χρονογραφίας συνταγεῖσα ὑπὸ Γεωργίου μοναχοῦ, Συγγέλλου γεγονότος Ταρασίου Πατριάρχου Κωνσταντινοπόλεως ἀπὸ Ἀδὰμ μέχρι Διοκλητιανοῦ. *Ecloga Chronographica compoſita a Georgio Monacho, qui Tarſii Patriarcha Conſtantinopolitani Syncellus fuit, ab Adamo usque ad Diocletianum.* Principium. Ἐν ἀρχῇ ἐποίησεν ὁ θεὸς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Ἀρχὴ πάσης χρονικῆς κινήσεως, τῆς ὑπὸ χρόνον ὁρατῆς κτίσεως ἐστὶν, ἐν ᾗ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρὰ τοῦ θεοῦ πατρὸς &c. Hunc eſſe codicem arbitror ex quo Euſebiana ſua Scaliger habuit, quare ejus de Codice ju-

judicium audiamus. *Quam mutilus vero ille liber ad nos pervenerit, colligere licet ex multis locis, in quibus aut quorundam meminit aut quadam promittit, quæ tamen nunquam comparent. Accedit manifestum mutilati Codicis argumentum, verba ante Lemma Operis ad hunc modum concepta: παρεκβολαὶ ἀπὸ τῶν Γεωργίου τοῦ Συγκέλλου Ταρασίου πατριάρχου. Sane τῶν παρεκβολῶν, id est Excerptorum nomen, satis indicat plura desiderari, quam supersesse. Codex scriptus est, ante plus, minus, annos DC. Ex eo Eusebiana excerpsimus, quæ quidem deprehendere potuimus, quæ tanquam ne centesima quidem pars eorum esse videtur, quæ ab Eusebio relicta sunt, aliquando tamen justum volumen explere possint.* Sed Codicem illum mutilatum esse, pace tanti viri, difficile adduci possum, ut credam. Verum de libro, quem nec vidi nec examinavi, quid firmi aut certi statuere potero? Ne nobis tantum Thesaurum, quibus id incumbit, musarum selectissima παιδιὰ invideant precor, obtestorque: sed typis omnibus communicent. Monachum porro & Abbatem Syncellum agnoscit Theophanes in principio, *ὁ μὲν μακαριώτατος Ἀββᾶς Γεώργιος, ὁ καὶ Σύγκελλος γεγονώς.* Vivebat temporibus Caroli Magni. Hæc Allatius, cujus voto satisfactum est. Integrum enim Georgii Syncelli Chronicon neque mutilum, ex MS. Codice 2217 Regiæ Galliarum Bibliothecæ, ab initio mundi usque ad tempora Diocletiani & Maximini, procurante tandem Jacobo Goar Ordinis Fratrum Prædicatorum, viro in Græcis doctissimo, Græce Latineque simul evulgatum est in folio, Parisiis ex typis Regiis anno 1652. inter *Historiæ Bizantinæ Scriptores*, cum Annotationibus non contemnendis.

Syncellum in hoc volumen universam Eusebii Chronologiam sine ulla verborum immutatione transtulisse, & quemadmodum Eusebius Africanum & alios, qui ante eum huic scriptioni manum admoverant, castigabat quod multa adversus veram temporum rationem adsciscebant: ita ipsum Eusebium Georgius iste Syncellus, ubi quid ille paullo alienius a vero dixit aut fecit, ita exagitat: ut ubi usus venit, raro hominem absque acerba objurgatione, aut contumelioso dicto, dimittat: quem etiam *ἐμβρόντητον* appellat. Annotavit non male Josephus Scaliger in *Eusebii Chronicon*, & ex eo Gerardus Joannes Vossius *de Historicis Græcis* Lib. 2. cap. 24. eum merito ab Eusebio dissentire sæpius, sæpius etiam immerito, ut Josephus Scaliger ibidem passim ostendere conatus est. Cui ut in multis subscribas, ita in pluribus meram animi contentionem agnosces. De illis, quibus otii plus est, judicium ferant. Sed enim a Josepho probe & honeste dissentit Allatius, maledicentiamque illam in authorem tantopere ab eo perpolitam condemnat. Frustra enim in immeritum & optimum Scriptorem, convicia illa quæ sine stomacho non audies, jaciuntur. *Syncellus sententiam suam*, inquit Allatius, *nullo valido argumento, præterquam pertinacia, quæ illi familiaris est, formare potuit. Et multa alia, in quibus præter solitum, levis. Insignis hallucinatio, vel potius delirium. Insigne delirium. Quæ sunt stultissima. Non pauca vomit quæ non refutem. Quod hujus latratoris oppones vecordiæ, qui nullum errorem Eusebii præterire solet, plane puerile est.* Hæc indigna Philosopho, animoque ingenuo sunt. Satius erat, sine istis contumeliis, de erroribus admonere. Nollem ab aliquo unquam, probationum defectu maledicta substitui. O quantus in rebus inanibus tumor & strepitus? Cum autem *Georgius Chronographus seu Chronicus* a plerisque laudetur, uti ab Hippolyto Thebano in *Chronico* apud Henrici Canisii *Antiquas Lectiones*, atque a Photio Constantinopolitano Patriarcha, in libello cui titulum fecerat, *συναγωγαὶ καὶ ἀποδείξεις περὶ Ἐπισκόπων καὶ μητροπολιτῶν καὶ ἑτέρων ἄλλων ἀναγκαίων ἐκκλησιαστικῶν ζητημάτων*: Ita & a Joanne Tzetza Chiliade 2 X. 31 de Cleopatra & Pharo.

Μέμνηταί μεν Βιργιλιος ταύτης τῆς Κλεοπάτρας
Λουκανὸς καὶ Γαληνὸς καὶ Πλουτάρχος.
σὺν τούτοις,
Διόδωρος, Γεώργιος ὁ Χρονικὸς σὺν ἄλλοις,
Καὶ Ἰωάννης μετ' αὐτοὺς Ἀντιοχεὺς ὕστερος.

Mentionem quidem Virgilius hujus Cleopatræ fecit, Lucanus & Galenus, & Plutarchus. Cum his Diodorus, Georgius Chronicus cum aliis, & Joannes post hos Antiochenus postremo. Dubitari potest de quonam Georgio, Syncello, an Hamartolo, intelligi debeat. De Syncello dici, censet plane Gerardus Joannes Vossius Lib. 3. *De Historicis Græcis* in Joanne Antiocheno: & postrema ista Tzetzæ verba convincere videntur. Nam si Georgio Syncello posterior est Joannes Antiochenus, qui nihilominus est Joanne Damasceno antiquior, cum ab eo Oratione 3. *de Imaginibus* laudetur: cer-

certe idem Syncellus ante Damasceni tempora fuit, cum etiam ante Joannis Antiocheni tempora fuerit: ergo non alius quam Syncellus, cum ille ipso Hamartolo Georgio & aliis, antiquior fuerit. Sed in his insulse quemadmodum & in aliis plerisque Tzetza argutatur. Nam si vera ipse pronuntiat, quod ego neutiquam crediderim, alius erit hic Georgius Tzetzianus Chronographus, a Syncello. Et vim argumenti nec ipse Tzetza, nec alius eo accuratior, effugiet. Damascenus enim ut diximus, sub Leone, Joannem Antiochenum laudat, vel æqualem vel anteriorem: atqui per eundem Tzetzam, Joannes Antiochenus posterior est Georgio Chronographo, cum post eum scripserit: ergo Georgius hic Chronographus, non erit ille Syncellus Tarasii Patriarchæ, qui post Damascenum annos fere septuaginta scribebat, Constantino & Irene Imperantibus. Quantum ergo hic Georgius qui ante Joannem Antiochenum scribebat, ab Antiocheno isto & Georgio Syncello, de quo heic loquimur, distabit? Chronographi tamen nomen, huic nostro Syncello magis competet quam alteri, quod ipse res per annos divisas pertractaverit: cæteri sine ulla distinctione annorum illas prosequantur. Verum in magna Georgiorum confusione, non dubito nomen *Chronologi* aliis etiam Georgiis & Hamartolo tributum: a Scriptoribus præsertim, qui singula ad amussim non examinant. Agunt *de Georgio Syncello* Josephus Scaliger Julii Cæsaris filius in *Thesauro temporum*, Græce & Latine edito Lugduni Batavorum in fol. annis 1605 & 1658. Aubertus Miræus in *Auctario* de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. 222. pag. 225. Sed amplissime omnium Leo Allatius in Diatriba *de Georgiis & eorum Scriptis*, a quo hæc pleraque accepimus.

790. DONATVS MEDIOMATRICENSIS ECCLESIÆ DIACONVS, ad quam omnimode olim spectabat Monasterium sancti Trudonis in Hasbania cum territorio & adjacentibus pagis, scripsit circa annum 790. *Vitam S. Trudonis Confessoris*, Patroni ac tutelaris celeberrimæ hujus nominis Abbatiæ, quam habes seculo 2. *Sanctorum Ordinis divi Benedicti* p. 169. ex MS. Codice viri clarissimi Andreæ Ducheſnii. Ætas Scriptoris a Pontificatu *Angelrammi Metensis Episcopi*, Caroli Magni Archicapellani anno 800. demortui, petenda est: cui Angelramno *Vitam Sancti Trudonis* a se compositam Donatus nuncupavit. De illo Theodoricus Monachus & postmodum Abbas Trudonianus, Vitæ Sancti Trudonis interpolator, apud Laurentium Surium ad diem 23 Novembr. Joannes Mabillon, l. c.

797. SANCTVS BENEDICTVS ABBAS PRIMVS ANIANENSIS, claruit temporibus Pipini Francorum Regis, Caroli Magni & Ludovici Pii Imperatorum, quibus a postremis ob virtutem notissimam ac scientiam eminentem, cultus eximie est. Ne fieret Abbas, anno 780. in Septimaniam recedens, cellam prope Anianam fluvium sibi posuit, in qua nonnullos annos magna rerum omnium egestate exegit. Anno autem 797. Monasterium S. Salvatoris prope Anianam fluvium construxit, cui constructo Abbatis vice præfuit. Ineunte seculo potissimum nono, claruit factus plurium Abbatiarum pater & Abbas, ut Gellonis, Masciaci &c. ad conservandum in eis ordinem, atque regulares observantias restaurandas, lapsu temporum & corruptione morum dejectas. Inter varias occupationes, quibus a scribendo impeditus non est, insigne volumen *Concordiam Regularum* appellatum, ad facilitandam omnibus Monachis professionem *Regulæ Benedictinæ* amplexandam: juxta quod in variis Galliarum Conciliis anno 813. ab Episcopis statutum atque ab Abbatibus promissum fuerat. Impressum Opus in 4. anno 1638. cura & studio Domni Hugonis Menard Monachi Benedictini, Congregationis sancti Mauri, cum suis doctissimis Observationibus & Notis. Idem Benedictus Abbas collegit in unum *Regulas omnes Cœnobiticas*, quæ usque ad sua tempora remanserant, quas ex MS. Codice evulgavit in 4. Lucas Holstenius, cum nonnullis ab eo adjunctis posterioribus Regulis, anno 1663. Parisiis apud Ludovicum Villaine. Addidit & *Collectaneum ex variis Sanctorum Patrum Opusculis*, idem Benedictus Abbas, quod ab eodem Holstenio ibidem pariter editum est. Denique *Epistolas etiam paucas*, quæ nisi fallor, referantur ab Ardone Smaragdo ejus discipulo & Anianensi Monacho in *Vita S. Benedicti Anianensis* sui Magistri: quam habent Joannes Bolandus ad diem XI. Februarii, & Joannes Mabillon Seculo IV. *Sanctorum Ord. Divi Benedicti.* Inter Acta Vetera quæ Stephanus Baluzius post notas ad *Capitularia Francorum* edidit, legitur: *Excerptus diversarum modus pœnitentiarum, a Benedicto Anianensi Abbate distinctus, de Regulis Sancti Benedicti Cassinensis Abbatis.* Opus quod prodiit ex MS. Codice Sangallensi. Addimus Codice MS.

Digitized by Google

4310. celeberrimæ Bibliothecæ Colbertinæ extare Opuscula ejusdem sequentia: *Sancti Benedicti Anianensis, testimoniorum nubecula de Incarnatione Dominica, & sancta & individua Trinitate, & iterationis baptismatis devitanda pernicie.* Item Opus inscriptum, *Summa Fidei tomorum quindecim.* Incipit, *Benedictus Filio Guarnario salutem. Nubem hanc Testimoniorum Catholicæ fidei direxi tibi &c.* Ejusdem *Disputatio Benedicti Levitæ adversus Felicianam impietatem, & beati Leonis Papæ exinde doctrina, nec non sancti Hilarii in documentis fidei Orthodoxi.* Incipit, *in exordio Nubecula Testimoniorum Catholicæ fidei, cum adversus infelices Felicianos &c.* Ejusdem *Benedicti Abbatis Epistola ad Guarnarium.* Incipit, *Benedictus Guarnario filio salutem. Fili mi exaudi, oro, vocem parentis post tergum pignoris exeuntis &c.* Item *Confessio fidei Benedicti Levitæ, etsi peccatoris nonnunquam erronei, tamen fœdere isto fidei inexhausto fidentis.* Incipit: *Confiteor tibi Domine sancte pater, omnipotens, aterne Deus, per unigenitum tuum Dominum nostrum Jesum Christum, in virtute & dono & gratia Spiritus tui &c.* Congessit hæc omnia editione parata Stephanus Baluzius, propria manu transcripta, quæ mecum communicavit. Edidit autem an. 1700. Libro V. *Miscellaneorum* a pag. 1. ad 63. ex Codice allato idem Baluzius in 8. Parisiis apud Franciscum Muguet. Cum autem *S. Benedictus Anianensis* esset Sacerdos, dubium esse potest, an hi libri ad eum pertineant, qui nomine *Benedicti Levitæ in MSS. inscribuntur.* At cum in aliis nonnullis Opusculis nomen *Benedicti Abbatis Anianensis* præfixum sit, haud dubium quin ipsius sint hi etiam libri, qui *Benedicti Levitæ* nomen adscriptum habent: quos ab eo compositos esse opinamur, antequam Sacerdos ordinatus esset. Ita censet Joannes Mabillon in Observatione *de tribus Benedictis Abbatibus, Anianensi, Fossatensi & Mediolanensi*, in Appendice ad Seculum IV Sanctorum Ordinis D. Benedicti. De his autem MSS. Operibus *Benedicti Anianensis* Natalis Alexander in *Selectis Historiæ Ecclesiasticæ capitibus* sec. IX & X tomo XV c. 3 art. 12 pag. 214 & seqq. Postquam undecim Monasteria rexisset, quæ enumerare longum esset, anno tandem 814 Cœnobium Oudense regendum suscepit, in quo septuagenarius obiit anno 821 die XI Februarii. De illo Sammarthani Fratres in *Gallia Christiana* tom. 4. pag. 54 ubi de Abbatibus Anianensibus Hugo in Prolegomenis ad *Concordiam Regularum* Lucas Holstenius in Prolegomenis ad *Codicem Regularum.* De eodem ad nauseam, Joannes Bolandus ad diem XI Februarii. Joannes Mabillon Seculo IV *Sanctorum Ordinis Divi Benedicti*, tomo seu parte 1. pag. 191. & seqq.

FINIS TOMI PRIMI.

HUG 20/1/200

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google